BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
F
18
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

VIRI QVONDAM ILLVSTRIS

HERMANNI CONRINGII,

POLYHISTORIS CELEBERRIMI, MEDICINAE AC POLITICES
IN ACADEMIA IVLIA, QVAE HELMSTADII EST,
PROFESSORIS MERITISSIMI,

MVLTORVM REGVM AC PRINCIPVM
CONSILIARII,

OPERVM

TOMVS I.

CVIVS ELENCHVS POST PRAEFATIONEM REPERITVR,
CONTINENS

VARIA SCRIPTA

AD HISTORIAM
ET
IVS PVBLICVM IMPERII GERMANICI,

INPRIMIS
EIVSDEM VETERES MODERNOSQVE FINES ET CONTROVERSIAM
DE IVRE CORONANDI ROMANORVM REGEM
INTER
SERENISSIMOS ELECTORES MOGVNTINVM ET COLONIENSEM
SVPERIORI SECVLO VENTILATAM,
IVRA ITEM
SERENISSIMAE DOMVS BRVNSVICO-LVNEBVRGICAE,
ET ARCHIEPISCOPI IAM DVCIS BREMENSIS,
ALIAQVE
AD POTENTISSIMOS GALLIAE PRVSSIAEQVE REGES SPECTANTIA.
CVM
PRAEFATIONE ET VITA CONRINGII.

CVRANTE
COMMENTARIISQVE SVIS HÆC OPERA PASSIM AVGENTE
ET ILLVSTRANTE
JOHANNE WILHELMO GOEBELIO
IN ACADEMIA JVLIA JVRECONSVLTO,
REGIÆ SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS MEMBRO.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM.

BRVNSVIGÆ,
SVMTIBVS FRIDERICI WILHELMI MEYERI. MDCCXXX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE NAPOLI

Digitized by Google

AUGUSTUS WILHELMUS, Dei Gratia Dux Brunſvicenſium & Luneburgenſium, notum facimus, tenore præſentium, univerſis, quod cum Nobis fidelis FRIDERICUS WILHELMUS MEYER, Typographus noſter privilegiatus Brunſvicenſis, humillime expoſuerit, ſe SCRIPTA CONRINGIANA denuo prelo committenda ſtatuiſſe; vereri autem, ne, quod fieri ſoleat, alii etiam Bibliopolæ & Typographi quæſtus cauſa idem opus fraudulenter in magnum ſui diſpendium imitentur, & prelo committant, ideoque nos ſupplex orârit, ut ſibi Privilegio Noſtro contra omnes ejusmodi fraudes proſpicere dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter & æquæ petitioni huic annuendum cenſuerimus. Quapropter omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, firmiter, ſerioque inhibemus, ne quis prædictum opus ſimili aut alio typo vel forma, aut ſub quovis vel additionis, correctionis, aliove prætextu ſive in toto, ſive in parte recudere, vel alio recudendum tradere, clam vel palam, citra voluntatem, & absque ipſius ſupra dicti Typographi Noſtri privilegiati, ejusque ſucceſſorum expreſſo & in ſcriptis obtento conſenſu & licentia præſumat. Si quis vero ſecus faciendo Privilegium hocce & interdictum Noſtrum violare, aut transgredi auſus fuerit, eum non modo ejusmodi libris perperam quippe recuſis, ſi quos quidem prædictus Typographus, ejusque hæredes ubicunque deprehenſos ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratus auxilio ſibi vindicare poterunt, de facto privandum, ſed & pœna inſuper mille thalerorum, Fiſco Noſtro & fraudis vindici ex æquo pendenda, omni ſpe veniæ ſublata, decernimus mulctandum, dummodo hujusce Privilegii Noſtri Ducalis tenorem pro publicâ notitiâ atque cautela in fronte expreſſum exhibeat, & ſupra dicti operis ſeptem exemplaria ad Conſilium Noſtrum Status ſumtibus impetrantis transmittantur. Mandamus proinde Cancellario & omnibus Conſiliariis Noſtris, ut & iis univerſis, qui juris & juſtitiæ adminiſtrationem Noſtrô nomine exercent, ne quenquam Privilegium hocce Noſtrum Ducale temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin contumaces, ſi quos compererint, præſcripta pœna plecti, aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. In teſtimonium hujus Privilegium hocce manu Noſtra ſubſcripſimus & ſigilli Noſtri Ducalis oppreſſione muniri juſſimus. Dabantur in arce Noſtra Ducali Wolffenbuttelæ die vigeſima ſexta Januarii Anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo octavo.

AVGVSTVS WILHELMVS

(L.S.)

I. I. de Luedecke.

Digitized by Google

ADDENDA
ad Tomum I.

Pag. 154. in nota c. columna 2. poſt verba: *Quaſi unum* lin. 32. ſequentia omiſſa ſunt: Pro omnibus ſuffecerit fortaſſis teſtem laudare Silhonum, cujus in libro *Miniſtre d' Etat* pag 129. hæc verba ſunt: Ainſi nous aurions tort, de vouloier recouver les pertes des premiers ſucceſſorois de Charle magne & deterrer ces vieilles querelles, dont a grand peine l' hiſtoire a pour conſerver quelque veſtigia, qui fuſt entrier, & quelle lumiere, qui ne fuſt point trouble. Perperam ageremus, ſi vellemus repetere ea, quæ perdiderunt proximi ſucceſſores Caroli M. & revocare in lucem antiquas illas contentiones, quarum hiſtoria vix potuit ullam conſervare memoriam, quæ ſit ſine labe.

Quod rem ipſam porro attinet, novitii illi diſputatores in eo quidem pernicioſo dogmate conveniunt, quod ſummis quibusque poteſtatibus ſemper maneant integra recuperandi jura, quæ a majoribus fuerunt quondam poſſeſſa. Sed improbum hoc placitum jam tum operis hujus XIX. capite convulſum eſt, & hoc ipſo libro tertio in Annotatis denuo conculcabitur: Ideoque nunc quidem illud patiemur conquiniſcere. Non uno autem eodemque prætextu ſcriptores iſti utuntur. Alii enim contendunt, omnia unquam a regibus occupata, eſſe in patrimonio non Regum ſed populi: Populo igitur eſſe jus per Reges ſuos recuperare, quæ unquam fuerunt poſſeſſa. Ac proinde juris eſſe Franco-Gallorum Regum, omnia quæ a tempore usque Clodovæi Regis Franci ullo tempore poſſederunt, ſibi iterum vindicare. Alii volunt, Capetanæ familiæ Reges Carolovingorum eſſe hæredes, atque ita Capetanis hæreditariam ſucceſſionem in omnia a Carolo M. quondam poſſeſſa jure iſthoc competere. Primi agminis ſunt plures, atque adeo & Auberius ille, cujus liber: *Des juſtes pretenſions du Roy ſur l' Empire* prodiit in lucem Pariſiis anno 1667. Alterum ordinem ducere cœpit jam tum anno circiter ſeculi hujus triceſimo octavo Jacobus Caſſanus, regius in Biterrenſi prætorio advocatus, libro inſcripto: *De la roche des droits du Roy & de la couronne de France.*

Utrisque oppugnandis ſufficit haud immerito ſola ſententiarum iſtarum novitas. Non ſane Chriſtianiſſimorum Capetanæ gentis Regum quisquam, nemo item totius numeroſi & docti populi Franco-Gallici, ullo unquam momento ejusmodi voculas ſparſerunt, a plurimis jam ſeculis. Eſto præterea, omnia fuiſſe acquiſita Francico populo: Nihil hoc facit ad hodierna etiam *tempora &c.*

Pag. 207. not. c.

Diploma Archiepiſcopo & civitati Arelatenſi datum, ex editione Petri Saxii Menckeniana Tomo I. Scriptor. Germ. p. 255. ita integritati ſuæ reſtitue, præmiſſis his Saxii verbis: Raimundus Comitem Toloſanum pro fundis, caſtris & municipiis legitimo Raimundi patris teſtamento Aretalenſi Præſuli reſtitutis, & quæ ſibi ipſi reſervarat, in clientem Arelatenſis eccleſiæ cooptavit, a Conrado II. Cæſare, Burgundiæ & Arelatos rege non auguſto, ſed materno jure (ejus enim gens teſtamento Rodulphi ignavi, Burgundiæ & Arelates regnum adierat, quod multos fefellit, qui Imperatores Burgundiæ & Arelates reges non ut Rudolphi hæredes volunt adminiſtrare) regalia excepit aureo diplomate in hæc verba confecto: I. N. S. & I. T. Ego Colradus Dei gratia - - - cui quadam prærogativa privilegiorum *tenemur*, *ſtudeamus* ſubvenire - - - ut habeas perpetuo tu & Arelatenſis eccleſia, auctoritate noſtræ munificentiæ in pace poſſideas, & *per te* tui ſucceſſores - - - Inſuper confirmamus tibi dominium quartæ partis redituum Arelatenſis civitatis, & quartam Albaronis, & quartam de Foſſo, quam nobilis Comes R. Toloſanus Arelatenſi eccleſiæ & Gibellino archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis in teſtamento ſuo noſcitur dimiſiſſe, dominium *de Trencatalliis &c.*

Digitized by Google

Pag. 1002. not. b.

Poſt verba *Neuville de l' hiſtoire d' Hollande* ſupple locum ſequentem: Depuis que la compagnie des Indes orientales avoit etabli ſa reſidence à Batavia, il s' y etoit formé une nouvelle republique Hollandoiſe, dont le gouverneur general reconnoiſſant toûjours d'ailleurs les Etats generaux de la Haye & de ſiege d'Amſterdam etoit egal en puiſſance & en autorité au Prince d' Orange. Il etoit en effet le Stadhouder, le Capitaine general & l' Amiral general de l' Hollande Indienne. Sa cour etoit plus pompeuſe, & ſon train plus magnifique, que celui du Prince d' Orange & de pluſieurs Rois de l' Europe, parce qu' il etoit queſtion de gagner ou d'eblouir les Indiens & les Chinois, qui aimoient le faſte, & qui jugeroient de la grandeur humaine par l' eclat exterieur &c.

Quod reliquum eſt, paucis adhuc Benevolum Lectorem monendum duximus, nos conſilio ſummorum quorundam Virorum ſcripta nonnulla, a Conringio tantum recenſita & præfatione ornata, ut ſunt CLARAMONTIVS, STAROVOLSCIUS & *de bello Turcico gerendo libri varii*, his operibus inſeruiſſe, quod beatus Auctor Lectores frequentiſſime ad ea ablegat, & cum diſſertationibus Conringianis arcta adfinitate continentur. Quam neceſſum fuerit, ut libri alieni a Conringio commentariis illuſtrati, ut ſunt TACITVS, GROTIVS, MACHIAVELLVS, LAMPADIUS, NAUDAEVS, reliqua, nec non ſcripta ad controverſiam coronariam, inter Moguntinum & Colonienſem ſuperiori ſeculo agitatam, ſpectantia, integra adjungerentur, Benevolus Lector ipſe dijudicabit, ſiquidem de ſtatu controverſiæ & argumentis diſſentientium recte judicium ferre cupiat.

Digitized by Google



PRAEFATIO
in Tomum I. Operum Conringianorum.

Quod DEVS fauſtum fortunatumque eſſe jubeat, ſiſtimus Tibi, B.L. incomparabilis Conringii ſcripta politica, hiſtorica, & quæ ad jus publicum, antiquitates omnemque elegantiorem diſciplinam ſpectant, ſex voluminibus comprehenſa. Volvit illud jam tum animo illuſtris VLRICVS OBRECHTVS, Galliæ regis à conſiliis & prætor Argentoratenſium; ſed præmatura fata beatum virum impediverunt, quo minus propoſitum ſuum exſequi potuerit. Et ut verum fatear, non leve Academiæ noſtræ attuliſſet dedecus, ſi laudabilis iſte labor ab alio, quam ejus cive, eſſet ſuſceptus.

De vita & fatis Conringii *noſtri*, ejusque admiranda πολυμαθία pluribus hic agere, non eſt hujus loci, cum vitam ejus ſuperiori ſæculo ſic ſatis eleganter conſcriptam, adjectis potioribus eruditorum virorum encomiis, huic Tomo præmiſerimus. Opera, quæ ſiſtimus, ipſa ſatis ſuperque indicant, quam patens fuerit ingenii Conringiani campus, & quam inter perangustos unius doctrinæ cancellos illud conſtringendum non eſſe duxerit: Ut natura in Conringio experta eſſe videatur, quid poſſit producere. Habet profecto tota Germania, quod ſibi de illuſtri hoc viro gratuletur, eique perenne honoris & gloriæ monumentum ponat.

Vt autem de collectionis hujus noſtrique laboris ratione penitius conſtet, ſciat velim B.L. nos primo omnem librorum noſtrorum adparatum accuratius perluſtraſſe, & quæ Conringium auctorem habebant, aut ejus ſaltim referebant nomen, collegiſſe. Dein cum magna operum deſideratorum, inprimis diſſertationum politicarum, pars nobis deeſſet, ad quatuor potiſſimum ſcriptorum Conringianorum catalogos oculos intendimus, ex iisque perſpeximus, quid librorum diſſertationumque beatus vir ediderit. Primus erat catalogus officinæ librariæ GEORGII WOLFGANGI HAMMII, Academiæ quondam noſtræ typographi, qui paullo poſt obitum B. Conringii prodiit, & maximam ſcriptorum Conringianorum partem deſignatam complectitur. Secundo nos convertimus ad bibliothecam Auguſtam, quæ Guelferbyti ſplendet, proque inſigni non tam Germaniæ, quam totius Europæ cimelio reputanda eſt, & ex benevolentia bibliothecæ hujus præfecti ducalisque Conſiliarii, illuſtris HERTELII, locupletiſſimum eorum indicem, quotquot quidem in dicta bibliotheca reperiuntur, impetravimus. Nec hic laudatiſſimi HERTELII favor ſubſtitit, ſed & multa volumina nobiscum benevole communicavit, ex quibus, quæ nobis adhuc deerant, magnis ſumtibus deſcribenda curavimus. Tertio in viro ſumme reverendo, deque omni re litteraria meritiſſimo HERMANNO *von der* HARDT, cui, inter alia ſplendida munia, Academiæ noſtræ inſtructiſſimarum bibliothecarum cura concredita eſt, eandem benevolentiam experti, multos opuſculorum Conringianorum tomos communicatos accepimus, amanuenſiumque induſtriam non parum exercuimus. Quarto conſuluimus indicem ſcriptorum B. Coringii, qui ſyntagmati epiſtolarum ejus, ad FERDINANDVM epiſcopum Monaſterienſem & Paderbornenſem, nec non ad STEPHANVM BALVZIVM exaratarum, a CASPARE CÖRBERO, Acad. noſtræ quondam Pro-

feſſore meritiſſimo, anno MDCXCIV. edito, præmiſſus eſt, in quo tamen potiora tantum recenſita eſſe deprehendimus.

Nec defuerunt alii viri humaniſſimi, præſertim in florentiſſima, quam LIPSIA Germaniæ ocellus fovet, academia, qui ex copioſo librorum ſuorum adparatu hoc vel illud ſuppeditarent, & rariora Conringii ſcripta præſertim anecdota, ubi repertu ſint, indicarent, ut ita paullatim defectus ſuppleretur. Silentio prætereo varias ad hiſtoriam litterariam pertinentes libros v. c. PLACCIVM, KOENIGIVM, MORHOFFIVM, FABRICIOS, STRVVIUM, REIMMANNVM, GRYPHIVM, STOLLIVM aliosque, quorum adjumento unus vel alter Conringii liber, recentiores potiſſimum editiones, nobis innotuerunt. Vt certe perſuaſi ſimus, nihil a Conringio editum, quantum quidem ad collectionis noſtræ ſcopum facit, temere repertum iri, quod præſentem collectionem fugiat. Quæ Conringius ediderit ſcripta Theologica, polemica inprimis, Medica & Phyſica, eorum deſignationem poſt vitam ejus dedimus, ut ſi forte ſint, qui ea quoque junctim publicari cupiant, noverint, quid eorum exſtet. Nos ideo iſta neglximus, quod cum argumento hiſtorico, politico & jure publico nullam fere adfinitatem habent, ſed peculiare ſuum agnoſcunt forum. Inſuper veriti ſumus, ne collectio noſtra, quæ jam in tot volumina excrevit, nimis ſumtuoſa fieret.

Quod ad manuſcripta his Tomis inſerta attinet, majorem eorum numerum precibus ſumtibusque noſtris conquiſivimus, quam quis forte crediderit, providentiæque divinæ hac in re non parum tribuimus, cum ex abſconditis angulis ſelectiſſimos codices hactenus non publicatos, impetraverimus, & ab interitu vindicaverimus. Inprimis autem ſilentio præterire non poſſumus benevolentiam & favorem illuſtrium celeberrimorumque virorum, de ALVENSLEBEN, caſtri Arxlebienſis Dynaſtæ hereditarii, et S. R. M. Pruſſicæ a cubiculis, ab VFFENBACH, conſulis reipubl. Francofurtenſis graviſſimi, KRESSII, SCHMINCKII, TREUERI, B. POL. LEYSERI, SIMONIS Syndici Campidunenſis meritiſſimi, quorum beneficio præſtantiſſima quæque MSta accepimus, & qui eo ipſo non tantum nos, ſed & totum orbem litterarium ſibi inſigniter devinxerunt. Immo tantus eorum cumulus divino fato nobis obtigit, ut multorum ſcriptorum tria, imo ſex diverſa nacti ſimus exempla, quorum, inſtituta prius collatione, optimum typis exſcribi fecimus. Omnium frequentiſſime nobis obvium factum eſt opus de potioribus totius orbis rebuspublicis, quod OLDENBVRGERVS ſiniſtro omine, nec ſine indignatione & contradictione B. Auctoris ſub rubro: *Theſauri rerumpublicarum* Genevæ anno 1675. edidit; & Commentarii Conringiani in IAC. LAMPADII librum *de republica Romano-Germanica*, quem in ſcholis ſuis toties auditoribus illuſtravit auxitque. Vt autem ea, quæ diximus, comprobemus, en! B. L. Manuſcriptorum repertorum & jam prodeuntium ſyllabum.

I. De ſtatu Europæ ac inprimis Germanici imperii, tempore concluſæ ac confectæ pacificationis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis. Tomo VI.
II. Commentarius in opus de finibus imperii Germanici. Tomo I.
III. Acceſſiones ad Iac. Lampadii librum de republica Romano Germanica. Tomo II.
IV. Examen potiorum totius orbis rerumpublicarum. Tomo IV.
V. De dominio & commerciis maris mediterranei, regi chriſtianisſimo vindicandis. Tomo I.
VI. De jure publico regni Sueciæ. Tomo II.
VII. Tres deductiones pro regno Daniæ. Tomo II.
VIII. Conſilium electori Brandenb. FRIDERICO WILHELMO datum, de flore ditionum ſuarum promovendo. Tomo I.
IX. *Bericht von des Hochfürſtl. Hauſes Braunſchw. Lüneburg hohen Vorfahren, Gerechtigkeiten und würcklichen Beſitz über die Grafſchaft STADE.* Tomo I.
X. Deductio Brunsvicenſis. Tomo II.
XI. De familia Lotharingiæ ducum. Tomo V.
XII. De familia principum Friſiæ orientalis. Tomo V.
XIII. Deductio pro archiepiſcopo Bremenſi. Tomo I.
XIV. Commentar. ad librum Taciti de moribus Germanorum. Tomo V.
XV. Liber aureus de perfecta notitia ſingularis alicujus reipublicæ. Tomo IV.
XVI. Epiſtolæ ad Barlæum, Boineburgium, Bœclerum, Boſium, Schilterum, Spizelium & Senatum Brunsvicenſem, in qua ultima ſe a falſa ſuſpicione, quam Figliovius ipſi concitaverat, liberat. Tomo VI.
XVII. Comment. de omnibus ſcriptoribus politicis. Tomo III.

De noſtris in potiora Conringii ſcripta annotationibus id ſciat B. L. nos ob temporis anguſtiam,

ſtiam, & quod tot aliis negotiis diſtricti fuerimus, eſſe impeditos, quo minus omnia pari ſtudio inveſtigaremus, eaque, quæ ſuperaddenda erant, ſuppleremus. Siquidem vix tres anni ſunt, in quibus ea, quæ B. L. Conringiano textui a nobis ſubjuncta videt, elaboravimus, dolendumque nobis in adaugendis illuſtrandisque ſingulis potisſimis Conringii ſcriptis tres annos inſumere non licuiſſe. Adjunximus paſſim, inprimis Operi *de finibus Imperii*, ſelectiora diplomata & acta publica, tam edita quam inedita, ut B. L. de juribus & negotiis ibi contentis eo prudentius judicium ferre poſſit, nec opus ſit, ad alia vaſta volumina recurrere.

Sed ut ad ea, cujus gratia hanc ſcriptionem ſuſcepi, propius accedam, &, quæ in hoc Tomo I. reperiuntur, curſim ſtrictimque oſtendam, ſtatim in limine hujus præfationis monere conſultum putavi, me non omnia argumenta, prout cognatione quadam inter ſe continentur, juſto ordine conjungere potuiſſe, partim quod plurima ſcripta, cum unus vel alter Tomus jam ſub prelo ſudaret, nobis adhuc defuerint, partim quod huic vel illi commentationi notas noſtras reſervaverimus, & ita eum locum occupare debuerit, quem vacuum forte fortuna invenit. Primum autem locum in hoc volumine aſſignavi exercitationi

I. De republica antiqua veterum Germanorum;

quæ reſpondente NICOLAO MARTINI anno 1654. menſe Aprili in cathedra academica defenſa eſt. Elaboravit eam Auctor ſingulari ſtudio, potiſſimumque oſtendit, quemnam reipublicæ ſcopum veteres Germani ſibi propoſitum habuerint, & quam a vero felicitatis tramite aberraverint, dum potentiam bellicam pro reipublicæ ſuæ fine habuerint. Agit deinde, variis intermiſtis obſervationibus politicis, de dura veterum Germanorum educatione, aſſuefactione in exercitiis militaribus, matrimonii caſtimonia, venationis ſtudio, latrociniorum indulgentia, bellandi ratione & armata publicarum rerum conſultatione. Prodiit anno ante hanc diſſertationem Rintelii disquiſitio hiſtorico-politica *de antiqua Germanorum republica*, Præſide PETRO MVSAEO, Philoſ. ordinario & Theol. extraord. Profeſſore, Reſpondente GVSTAVO JOH. FRID. de RASCH, quæ latiorem, quam hæc Conringiana, campum ſibi propoſitum habet, minus tamen accurate conſcripta eſt. Exercitationi laudatæ comitem dedi aureum illud opus:

II. De Germanorum imperio Romano,

quod anno 1643. primo lucem adſpexit & pro quo defendendo bis more academico reſpondit JOHANNES CHRISTIANVS a BOINEBVRG. Auctiorem hujus libri editionem auctor ipſe in epiſtola ad ducem AVGVSTVM anno 1660. ſcripta, Operum Tomo VI. pag. 424. num. 45. & in epiſtola ad Baluzium XLIV. ibid. pag. 490. nec non in notis ad Cap. I. §. 2. de finibus imperii Germ. Tom. I. *Opp.* p. 130. promiſit his verbis: *Cum pridem manibus bibliopolarum exciderit meus iſte liber, & plurima ſunt ad manum, quibus duplo poſſit auctior reddi, tum vero argumentum juſta induſtria vix a quoquam vel tentatum fuerit, dignum tamen ſit, quod accurate excutiatur, fortaſſe propediem novam parabimus libri editionem.* Verum Conringius ipſe id intermiſit, ex autographo tamen B. Auctoris auctum HERMANNVS JOHANNES, noſtri Conringii filius, anno 1694. Helmſt. recudendi curavit. Quid Auctorem ad elaborationem hujus libri induxerit, ipſe exponit in præfatione, hoc Tomo I. p. 27. Inſigni eum mactat encomio J. H. BOECLERVS *in notitia S. R. I. p. 14. & in hiſtoria ſeculi IX. & X. p. 295.* Addidit huic opuſculo Conringius

III. Franc. Guicciardini Diſſ. de origine ſecularis poteſtatis in Romana eccleſia cum præfatione P. Pithoei;

quam quidem præfationem ei tribuit MELCHIOR GOLDASTVS. Deſumtum autem eſt hoc excerptum ex Guicciardini codice MSto beneficio nobilis cujusdam Florentini, Auctoris conſanguinei, atque ita ſuppletur defectus, quem ſcæva manus in exemplaribus impreſſis facere auſa eſt: idemque reperitur in HEIDEGGERI *hiſtoria papatus p.* 581. In fine dictæ diſſertationis, Tomo hoc I. p. 113. per typothetarum incuriam index auctorum, quibus Conringius in elaborando libro *de Germanorum imperio Romano* uſus eſt, remanſit, nec tamen id noſtro vitio irrepſiſſe. Benevolum Lectorem crediturum ſperamus, cum nullibi ejusmodi auctorum catalogos dederimus, nec videamus, quænam inde haurienda ſit utilitas. Hæc ſequitur incomparabile & ipſi Divo LEOPOLDO Imp. glor. memor. æſtumatiſſimum

IV. Opus de finibus imperii Germanici;

quod Sereniſſ. Electori Brandenburg. FRIDERICO WILHELMO glor. record. dedicatum eſt, ut patet ex epiſtola dedicatoria, quæ Operum Tomo VI. p. 373. inſerta eſt. In cujus primæ editionis de anno 1654. præfatione memorat, ſibi initio propoſitum fuiſſe, tantum diſſertationem

ſcribere; deinde vero, cum aliquo usque progreſſus eſſet, rerum copiam & majeſtatem propoſuiſſe, ut ſeſe magis diffunderet; continuiſſe ſe tamen in explicandis duntaxat juribus finium; cauſſas vero, cur illi quondam ita amplificati & rurſum contracti ſint, alii reſervaſſe tempori. Interim ut aliquo modo Lectori hac in re ſatisfaceret, præmiſit huic operi *præfationem ſuam in politicam Ariſtotelis*, in qua non leviter de hac re actum; quam & nos hoc loco præmittendam putavimus. Quanta admiratione opus hoc a quibusvis cordatioribus exceptum ſit, ex tot, quæ in illud exſtant, encomiis, pateſcit. Vide *extractus menſ*[illegible]*s An.* 1700. *p.* 279. *SCHVRZFLEISCHIVM in* (Sarcmaſii) *judiciis p.* 2 *& Epp. arcan. P. I. p.* 39[illegible] 203. *BILDERBECKIVM in biblioth. juris publici Germ. p.* 37. *CRENIVM de lib. ſcriptor. opt. p.* 19. qui ſcribit, neminem dubitare, hunc librum inter Conringianos eſſe optimum. Et vel ex eo luculentisſime videre eſt, quod Conringius a LEOPOLDO Imp. glor. recordationis clementiſſime juſſus ſit, opus iſtud usque ad ſua tempora pertexere, cum in pacis Weſtfalicæ tractatibus ſubſtitisſet. Indicat hoc ipſe Auctor in epiſtola ad epiſcopum Ferdinandum à Fürſtenberg anno 1673. (operum Tomo VI. pag. 454. num. 39.) exarata his verbis: *Ego per legatum a S. C. majeſtate juſſus ſum edere denuo & quibus licet acceſſionibus perficere meum de finibus imperii opus. Quod onus mihi erit moleſtum: Ferendum tamen, quantum video. Indubie vero facilius ego calamo imperii fines tutabor, quam cæſar gladio. Submiſſe rogo, quia non mea, ſed imperii cauſa agitur, cujus tu princeps nobile es membrum, ne graveris eruditis tuis auxiliis me adjuvare.* Et in epiſtola ad eundem anno 1678. (*Opp.* T. VI. p. 458. nr. 47) data ita ſcribit: *Habeo nunc ſub manibus novam editionem operis de finibus imperii, idque juſſu S. C. majeſtatis: Vereor autem intempeſtivam hanc operam eſſe imperio ad finem ultimum ruente. Utinam liceat, ſi non coram, ſaltim per litteras, querelas libere in ſinum Celſitudinis V. ſuper his aliisque reipublicæ malis effundere!* Nec non in epiſtola ad Baluzium de anno 1680 (Opp. T. VI. p. 491. n. 45.) *Recenſui noviſſime, quos ante hosce annos viginti ſex edidi duos de finibus imperii Germ. libros: Non mitto tamen, cum quia ad manum mihi nullum eſt plenum exemplum, tum quia propediem accedet liber tertius ſupplementorum.*

Ea, quæ in ſupplementum libri I. tum ſcripſit B. Auctor, anno 1680. eo adhuc vivente, deinde vero anno 1693. ſub nomine libri IV. evulgata ſunt; adjunctis ultimæ editioni inſuper annotationibus incerti auctoris, agentibus de noviſſimis finium mutationibus, per pacem Pyrenæam, Aquisgranenſem, Neomagenſem, & vicennales inducias enatis, eæque acceſſiones tum ſub nomine libri III. comparuerunt. Nos autem ſupplementa Conringii, quorum modo mentionem fecimus, ipſi textui ſuo loco ſubjunximus. Anonymi notas vero in fine totius operis reliquimus, ne confuſio inde oriretur, præſertim cum & notulæ Conringii MStæ in integrum libr. *de finibus*, in manus noſtras inciderent, quas auditoribus, opus illud interpretando, in calamum dictitavit, quasque ſimiliter ſub textum locavimus, additis his litteris C. A. M. id eſt: *Conringii annotationes MSptæ*, ad differentiam ſupplementorum jam tum ſuperiori ſeculo editorum, quas ſub ſignis C. A. E. id eſt: *Conringii annotationes editæ*, indigitavimus. Celare itaque B. L. non poſſumus, a pagina 148. usque 181. enorme irrepſiſſe mendum, cum typothetæ harum rerum ignariſſimi pro *annot.* poſuerint *annal.* & ita turpiſſimo vitio ex annotationibus fecerint annales. Quod B. L. æqui bonique interpretaturum emendaturumque confidimus.

Poſt Conringium nemo fere in hac palæſtra ſe exercere auſus eſt, diuque nemo repertus, qui vel ſpem fecerit, in opus Conringianum commentari, niſi quod CHRISTIANVS MATTHAEVS KNESEBECK anno 1700. Rudolphopoli publicaverit *Prodromum juris publici univerſalis*, qui continere debebat prætenſiones illuſtres imperatoris, imperii, regum, principum ac rerumpublicarum totius Europæ, ad vindicanda S. R. I. jura adverſus MEZERAEVM, HADR. VALESIVM, DAVID BLONDELLVM aliosque jurium & rerum Gallicarum ſcriptores; adjuncturumque ſe promiſit auctor plurima diplomata LIMNAEO & CONRINGIO nunquam viſa. Sed ſpes iſta a Kneſebeckio facta orbi erudito dudum evanuit, nec adeo magna ab eo exſpectare quis potuit. Ante aliquot annos etiam C. G. HOFFMANNVS, JCtus Francofurtanus, operis Conringiani de finibus Lipſiæ cum notis edendi ſpem fecit, & referente *Bibliotheca Fabriciana P. VI. n.* 8. nonnemo opus ſingulare molitus eſt (ſi quidem ab Hoffmanniano diverſum) de juſtis imperii Germanici finibus, juribus in exteras provincias, cum veris, ſolidis & apertis, tum affectatis, falſis, antiquatis aut incertis, in ſupplementum & emendationem illarum, quæ Conringius ceterique ſummi & doctiſſimi viri de argumento tam nobili ſcripſerunt. Quæ commentationes ut tandem aliquando prodeant, & Conringii noſtrisque laboribus lucem affundant, in votis habemus.

Non defuerunt tamen, qui Conringianum de finibus opus ſugillarent, inter quos potiſſimum HADRIANVS VALESIVS, cujus ad JOH. ALBERTVM PORTNERVM, S. C. Maj. conſiliarium,

rium epiſtolam, quam KNESEBECKIUS in citato Prodromo ſiſtit, heic quoque inſerendam duximus. Habet autem ſe ita.

„Clariſſime & ampliſſime vir, legi Conringii librum de finibus imperii Germanici, in „quo Philippi quidem & Johannis Valeſiorum Franciæ regum aliqua fit mentio: Mei, „quod tu tamen ſcripſeras, nulla. Cujus libri titulum jure quis arguat. Nullum enim us„quam imperium Germanicum fuit unquam, nullum eſt hodieque: nec imperator, etiamſi „in Germania ſedem habet, Germanorum imperator eſt, ſed ut ipſe more majorum ſe ap„pellat, rex Germaniæ & Romanorum imperator. Si tamen Romanorum imperator vo„cari debet, qui urbi Romæ non imperat, & Romæ de ſenatus populique Romani ſententia „deſiit conſecrari. Nihilominus Conringius imperio illi ſuo Germanico pene ipſum Fran„corum regnum (ne de ceteris loquar) velut in formulam provinciæ redactum, aut benefi„cium aliquod attribuit, quod plane eſt caput pedibus, dominos rebellibus famulis ſubjice„re; cum reges Francorum diu Germaniam Noricum, Pannoniam & regnum Longobar„dorum ac ducatum Romanum, omnia denique, quæ imperatores veſtri poſſident, ac triplo „etiam plura tenuerint, & regnum illud Germanicum occaſione bellorum noſtrorum civilium „fit translatum ad exteros, qui a Caroli M. familia deſciverant. Tanta quidem nominis „Francici reverentia etiam poſt translationem hanc manſit in Germanorum animis ac Lo„tharienſium, ut regnum Germaniæ diu ac etiam ſub Henricis regnum Francorum (nimi„rum orientalium) appellaretur, nec alibi, quam in Francia, vulgo nunc Franconia dicta, vi„delicet Moguntiaci & Francofurti reges Germaniæ conſecrarentur. Non itaque decet re„ges Germaniæ (vel, uti Conringio placet, imperatores) majeſtatem Francicam, cui ſua omnia „debent, ſugillare, quandoquidem reges noſtri, qui in omnia majorum ſuorum jura ſuc„ceſſerunt, erepta eis regna armis repetere a regibus Germaniæ juſtius poſſunt, quam reges „Germaniæ aliquid in Franciam, dominam quondam ſuam, juris ſibi vindicare. Multa pla„ne legit Conringius, ſed quicquid legit, etiam tabulas, epiſtolas, pactiones transſcribit & „congerit, magnaque de nihilo naſcitur hiſtoria. Inprimis p. 6. ſcribit, Francos ab antiquiſ„ſimis usque temporibus, florente imperio Romano, tenuiſſe partem Germaniæ, quæ Fran„cia vel Franconia hodie dicitur, qui ſi opus meum legiſſet, didiciſſet, Francorum ad oſtia „Rheni & ad oceanum ſedes tum fuiſſe; Alemannorum autem (ut Aurelius Victor in Cara„calla docet) ad Mœnum in ea regione, quæ poſtea circa Pipini & Caroli M. ætatem incertam „ob cauſam Francia vel Francia orientalis, *demum* Franconia dicta eſt. Idem p. 618. regio„nem Burgundiæ, *comitatum* Carolium apud Bodinum pro comitatu Burgundiæ accipit er„rore puerili, ſed ab aliquo admonitus erratum iſtud ad calcem libri emendavit. Quod au„tem *ſaltim* pro ſaltem tantopere affectat, fallitur. Saltim enim πηδητικῶς ſeu ſaltuatim, ſal„tem vero γοῦν καί ſignificare, vetera Gloſſaria Latino-Græca docent. Sed de his ſatis, quæ „ne tibi rugam trahant, metuo, ne de amico tuo tibi videare male aut etiam maligne ſentire. „Lutetiæ Pariſ. 1656.

Nos in commentariis ad hæc Valeſiana reſpondimus; quemadmodum quoque in notis ad vitam Conringii oſtendimus, quo jure auctor *cogitationum antiquo chriſtianarum*, qui eſt RASEWITZIUS in operis hujus Lib. II. Caput XX. XXI. XXII. p. 300. calamum ſtrinxerit.

Finibus Germaniæ noſtræ perluſtratis, B. L. interiora quoque intueatur, & deprehendit exercitationem, quæ ſequitur,

V. De urbibus Germanicis;

anno 1641. Reſpondente GERARDO BODE, habitam. Auctor eam ipſe recudi fecit anno 1674. in volumine exercitationum academicarum de republica imperii Germanici, infinitis locis mutatarum & auctarum, ubi continentur: 1) De Germanici imperii civibus. 2) De imperatore Romano Germanico. 3) De urbibus Germanicis. 4) De ducibus & comitibus imperii Germanici. 5) De ſeptemviris ſive electoribus regni & imperii Germanici. 6) De judiciis reipublicæ Germanicæ. 7) De conſtitutione epiſcoporum Germaniæ. 8) De præcipuis negotiis in conventibus imperii Germanici ordinum olim, & hodienum tractari ſolitis. 9) De comitiis imperii Germanici. 10) De officialibus imperii Romano-Germanici. Editioni ſecundæ harum exercitationum, quæ 1677. & tertiæ quæ 1693. Lipſiæ prodiit, acceſſit Diſſ. de capitulatione cæſarea. In quantum Conringius pro earum auctore ſe gerat, adſcribemus ex epiſtola ejus ad Ferdinandum epiſcopum Paderbornenſem anno 1673. exarata (Opp. Tomo VI. p. 454. nr. 39.) *Quas in academia hac noſtra habui olim de republica imperii exercitationes, unum in volumen coactæ propediem ultimam manum meam conſequentur. Quicquid ejus eſt editum, hac vice mitto: reliqua commode brevi ſequentur. Opus hoc & meum & non meum eſt: permiſi ſcilicet bonam curæ partem auditoribus pro ætatis & ingenii modulo. Hac nova autem recenſione plu-*

rima mutavi auxique. Sed ut ad præſentem de urbibus commentationem revertar, dedicata eſt illa ſummo viro HUGONI GROTIO, qui eam in litteris reſponſoriis ad Reſpondentem ſequenti ornat encomio: „Gratias tibi ago, ac debere me profitear ſummas, quod exactæ dili„gentiæ limatiſſimique judicii opus de Germanicis urbibus meo inſcripſeris nomini. Pro „quo honore mihi habito ſi quid viciſſim poſſim facere, quod tibi ſit ſuave, id facturus ſum „& libenter & tuo merito. Legi libellum planeque cenſeo, quæ ibi ſcribuntur, eſſe vera, & „hiſtoriis tum illis, quæ ibi nominantur, tum minus cognitis aliis, quas vidi, congruentia &c. Refutavit aliquas hujus exercitationis hypotheſes JACOBUS BRUNNEMANN, primum in acad. Halenſi juris publici Profeſſor, poſtea in patria aſſeſſor ſcabinatus regii Pomeranici & Syndicus ſtatuum illius ducatus, in Diſſ. anno 1703. Halæ habita *de incrementis urbium Germanicarum*, ubi §. 2. in Conringio notat, quod Ariſtotelis ſententiam adoptaverit hominem naturæ innato inſtinctu ad ſocietatem civilem ferri, omnique malorum metu abſente nihilominus natura ſocietatem civilem appetere. *Admodum enim*, inquit, *imbellia fundamenta huic ſuæ aſſertioni ſubſternit Conringius; dicit enim §. 10. certum eſſe, homini natura quaſi, ante lapſum etiam, inditum eſſe ſermonem, quorſum vero niſi ſocietatis gratia? In quibus verbis ſat manifeſte confunduntur ſocietates ſimplices cum compoſitis. Illas ex inſtinctu appetituque ſpontaneo arceſſi poſſe, libenter concedimus, atque in his etiam uſus ſermonis ſeſe exſerere poteſt. Hinc corruunt, quæ ſequuntur: Si vero nullus ſit, cum quo loquaris, ne quidem ſermone tibi opus fuerit. Ita eſt: ſed annon v. c. in ſocietate conjugali aut paterna aliquis eſt, cum quo loqui poſſumus.* Idem Brunnemannus §. 3. carpit etiam Conringii ſententiam, homines, licet non eſſent lapſi, tamen quosdam ad imperandum, quosdam ad parendum fuiſſe natos. Hanc ſententiam ut convellat, auctoritatem B. THOMASII adducit, qui in *jurispr. divina lib. I. cap. II. §. 20.* docet, diſcrimen imperantium & parentium non perfectionem arguere, ſed miſeriam & ſtatum corruptum. Quæ autem nos circa hæc ſentiamus, in ipſis notis expoſuimus. Diſſertationem de urbibus excipit

VI. Exercitatio de Germanici imperii civibus;

quæ reſpondente CHRISTOPH. GUILIELMO BLUME anno 1641. ex cathedra academica defenſa eſt. Cujus occaſione heic in limine annotandum duxi, CONRINGIUM, ut in aliis multis locis, ita & in hac exercitatione matriculam ſeu album imperii Germanici ordinum de anno 1431. pro antiquiſſima, quæ quidem exſtaret, habere: celeberrimum vero Lipſienſium hiſtoricum MENCKENIUM *in ſcriptor. rerum* ~~*Germ. T. I. p.*~~ 1158. paullo antiquiorem, de anno 1422. ſcilicet, produxiſſe, quod tamen Conringius deſtitutus ~~Codice Windeckiano~~, cui inſerta eſt, ſcire non potuit. Sequitur exercitatio

VII. De imperatore Romano-Germanico,

Reſpondente BOGISLAO OTTONE ab HOYM anno 1641. habita, quæ poſtea cultiſſimo de *Germanorum imperio Romano operi* originem dedit, ut auctor in præfatione hujus libri ipſe indicat. Siſtimus porro diſſertationem

VIII. De capitulatione cæſarea,

quæ quaſi compendium juris publici moderni complectitur, & in quam ſatis fuſe commentati ſumus. Adnexuimus ei varia acta publica, capitulationis perpetuæ projectum cum appendice, quod & B. WILDVOGELIUS Diſſ. de *capitulatione perpetua* adjecit; Monita liberarum imperii civitatum circa dictum projectum; Repræſentationem nonnullarum cauſarum, cur & collegium civitatum imperialium concurrere debeat ad deliberationes, ſi novus princeps, comes aut baro ad votum & ſeſſionem in collegio principum ſit admittendus; & gravamina principum contra capitulationem Caroli VI. imp. Ad Lynckeri etiam in hanc exercitationem ſtricturas convenienti loco reſpondimus, & ubi opus fuit, Conringium defendimus. Poſtea cum CONRINGIUS in notiſſima de jure coronandi Romanorum regem controverſia non infimam laudem, nec ita indoctos nactus ſit adverſarios, ſcripta eriſtica, quotquot reperire potuimus, hac de re publicata collegimus, junctisque Conringianis diſceptationibus defenſionibusque edenda curavimus, ut B. L. eo tutius de Conringii pro Moguntina ſede allatis rationibus judicium ferre poſſit. Ubi ſilentio præterire non poſſumus Dn. AUGUSTINI LEYSERI, Collegæ quondam noſtri æſtumatiſſimi, jam vero in acad. Witteberg. Facult. jurid. ordinarii ſpectatiſſimi, benevolentiam, quod bina horum ſcriptorum, quæ nobis deerant, ex inſtructiſſima ſua bibliotheca nobiscum communicare voluerit. Neglexiumus autem in iis diſponendis ordinem annorum, quibus ſingula ſcripta lucem publicam viderunt, initioque ſtatim collocavimus.

IX. Diſſ. de jure conſecrandi reges Romanorum, qua alterum Colonienſe ſcriptum expenditur.

Oppoſita hæc forte eſt *der Cur-Cölniſchen Antwort auf die Cur-Mayntziſche den* 8 *Julii* 1653. *übergebene Erklärung*, quam B. L. paullo poſt p. 647. hujus tomi reperiet. Si de auctore dictæ diſſertationis quidquam divinare licet, eſt ille forte illuſtris BOINEBURGIUS, ſingulare ſeculi ſui ornamentum, Conringioque noſtro amiciſſimus, qui quam ſtrenuum cauſſæ Moguntinæ defenſorem egerit, ipſe in epiſtola ad PRUSCHENCKIUM, quæ continetur in *actis litterariis faſciculo III. p.* 48. indigitat: „Facias me certiorem, num omnia noſtra ſuper jure no„ſtrate conſecrandi reges noſtros edita videris, nec ne, ſi nactus ea es, ſcribe id quæſo: Sin „minus, mittam. Præter germanicam Ratisbonæ ſcriptam & rudem epiſtolam eo in argu„mento vulgavimus huc usque 1) diſſertationem novem quaternionibus. 2) Trutinam „omnis hujus concertationis. 3) Aſſertionem ſtylo optimi mei Conringii. 4) Examen ar„gumentorum Colonienſium ſyllogiſtice propoſitorum. 5) Diſſertationis iterationem. 6) „Caſtigationes gerrarum adverſæ partis. Quas tractationes ſequetur vernacula ſcriptio de „interpretatione A. B. Spero eruditis ſatisfactum iri.„ Idem illuſtris auctor in curriculo ſuo diligentiam ſuam ſequentibus exponit: „Incidit paullo poſt anno 1653. controverſia cum Co„lonienſi electore de jure coronandi, in qua quid quantumve in rem Moguntini electoratus „egerim ego, elaboraverim, ſcripſerim, non poteſt ignorari, ſi quando archivum Mogunti„num excutitur, ubi de meis ſcriptis per eſt multum videre. Cumprimis vero illud eſt ma„xime attendendum, quod poſt ſex alios latinos tractatus, vernacula lingua & modo ju„diciali, compoſui, manſitque ineditum, poſtquam illam coronariam litem cum Colonienſi „comite Egone Furſtenbergio conſopire anno 1657. in Junio ſuſtinui, magno Moguntini com„pendio & honeſtamento.„ Hæc Boineburgius. Sequuntur in hoc Tomo tria ſcripta Germanica ſub rubro:

X. Jus coronandi Romanorum regem.

a) *Kurtze* Information, *warum Ihro Curfürſtl. Durchl. zu Cölln den* actum coronationis regis Romanorum *vor Ihro Curfürſtl. Gn. zu Mayntz zu verrichten gebühret*, de anno 1653.

b) *Curfürſtl. Mayntziſche Antwort auf die Cur-Cöllniſche* Information, eod. anno. Quæ duo ſcripta reperiuntur in LONDORPII *act. publ. Tom. VII. p.* 48. & in LÜNIGII *Grundveſte Europæiſcher Potentzen Gerechtſame* P. I. p. 301.

c) *Cur-Cöllniſche Antwort auf die Cur-Mayntziſche den* 8 *Julii* 1653. *übergebene Erklärung* in puncto juris coronandi.

Quæ tres deductiones jamtum junctim prodierunt Bonnæ 1654. in 4. apud Henricum Janſenium. Et poſt hæc ſiſti debuiſſent *Colonienſes vindiciæ*, quæ anno 1655. teſte GRYPHIO *de ſcriptoribus hiſtor. ſeculi XVII. p.* 142. prodierunt. Sed cum earum copiam nanciſci non potuerimus, Benevolus Lector contentus erit.

XI. Iterata Diſſ. de jure coronandi pro electore Moguntino, contra Colonienſes vindicias;

cujus auctor eſt CONRINGIUS noſter, & ἀνώνυμος prodiit Moguntiæ 1656. Huic autem in ordine præponenda fuiſſet, quæ ſequitur

XII. H. Conringii aſſertio juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum;

quæ primum ſine auctoris nomine prodiit Moguntiæ, & ſtatim addito nomine Francofurti 1655. poſtea auctior & emendatior Helmſtadii 1656. & tandem 1664. ibid. Inſerta quoque eſt *Novæ variorum ſcriptorum collectioni*, quæ Halæ prodiit, & ſeparatim recuſa eſt anno 1713. Contra Conringium inſurrexit PETR. A STREITHAGEN, Heinsbergi ac Cranenburgi Canonicus, ſcripto cui titulus:

XIII. Hermannus Conringius ἐλεγχόμενος, ſive ſtricturæ in aſſertionem juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum, *Bonnæ* 1656.

qui tamen magis hiſtrionem & cavillatorem, quam ſcriptorem agit, & tot convicia in Conringium evomit, ut mireris, tam ſtolidum immo inſanum caput inter eruditos nomen profiteri potuiſſe. Indignus ſane eſt hic ſcurra, quod ejus nomen poſteritati tradatur. Meliori judicio & majori eruditione elaboratæ ſunt, quas ſtatim ſubjunximus,

XIV. Iteratæ vindiciæ juris coronandi regem Romanorum pro archidiœceſi Colonienſi, *Bonnæ* 1656.

quæ ex conjectura Ludewigiana in *comment. ad aur. bullam Tit. IV. §. 4. p. 477.* JOHANNEM PETRUM WINZLERUM J. V. L. auctorem habent. Oppoſuit autem iis Conringius

XV. Iteratarum vindiciarum juris coronandi pro archidiœceſi Colonienſi examen:

quod Francofurti 1656. ἀνωνύμως, & præfixo auctoris nomine emendatius Helmſtadii 1664. typis exſcriptum eſt. Colonienſes ſuam cauſſam defendere perrexerunt in

XVI. Anticonringiana defenſione juris Colonienſis in coronandis regibus Romanorum,

quæ itidem ἀνωνύμως Bonnæ 1656. prodiit. Conringius ad hæc reſpondit in

XVII. Caſtigatione libelli, cui tit. Anticonringiana defenſio &c.

ἀνωνύμως Francofurti 1656. & cum auctoris nomine emendatior auctiorque Helmſtadii 1664 & 1713. in cujus fine egregium Conringio ab eo, qui additamenta fecit, (is forte eſt ipſe Boineburgius) ſcribitur encomium. Defendit Conringius in hac caſtigatione inter alia opinionem, coronam germanicam, qua hodie cæſares coronantur, non eſſe Caroli M. cujus corona forte per Ludovicum II. in Italiam translata ſit, ſed Conradi I. imp. quam morti vicinus Henrico Aucupi per fratrem Fridericum fecit offerri. Quam conjecturam autem ex profeſſo ſibi refutandam ſumſit JOH. CHRISTOPH. WAGENSEIL in Commentatione *de Sacri Romani imperii libera civitate Noribergenſi, Altorfi* 1697 p. 242. ubi evincere conatur, eam ipſam eſſe, quam Carolus M. geſſerit, nomenque Conradi, quod circulo inſcriptum legitur, non eſſe Conradi I. ſed II. Hunc autem, cum circulis gracilioribus in corona Caroli M. exiſtentibus, & ſive ævi diuturnitate, ſive quod imperatores in caſtris & expeditionibus coronam ſemper circumvectarent, vitium paſſis unum robuſtiorem magisque compactum ſubſtitueret, nomen quoque ſuum & titulum eidem inſcripſiſſe:

CH VON RAD US DEI GRAT IA RO MA NOR V̄ IM PE RA TOR AVG.

Conradum autem I. imperatorem nunquam vocari, quod coronatione Romani pontificis caruerit; ceteroquin ex nummo aureo, qui apud STRADAM exſtat, pateſcere, hanc eandem, qua Carolus M. redimitus fertur, eſſe coronam. Conf. LUDEWIGII *Noribergam, inſignium imp. tutelarem lib. I. cap. VIII. §. 3. T. II. opuſc. p.* 87. Tantum de hac re coronaria. Qui ab altis ſcripta hæc eriſtica recenſita videre cupit, evolvat PLACCIUM *in theatro anonym. n. 958. ſqq.* GRYPHIUM *de ſcriptor. ſeculi XVII. p.* 141. 142. STRUVIUM *in biblioth. juris cap. 14. §. 58.* LUDEWIGIUM *in Comm. ad A. B. Tit. 4. §. 4. p.* 477. Celeberr. HEUMANNUM *de anonym. & pſeudon. p.* 156. AUCTOREM *præfationis novæ variorum ſcriptorum conlectionis*, in qua ſingula ſcripta accurate recenſentur. Conferri cum his poſſunt *Trutina circa jus coronandi regem Romanorum*, æquo & candido Lectori ad diſcernendum, ruminandum & decernendum propoſita 1656. LÜNIGII *Grundveſte Europaiſcher Potentzen Gerechtſame*, nec non B. GUNDLINGIUS *in Gundlingianis P. XVIII. Diſſ. H.* ubi de antiquitatibus urbis Aquisgranenſis & jure coronandi agit.

Siſtit ſe ulterius in præſenti volumine

XVIII. Conringii Vicariatus imperii Palatinus defenſus;

quem anno 1658. edidit, & qui Sereniſſimo electori Palatino CAROLO LUDOVICO p. m. heroi incomparabili adeo ſeſe probavit, ut ſuam erga Conringium liberalitatem & clementiam donario egregio teſtaretur. Ceteroquin fundamenta hujus controverſiæ ab utraque parte diverſis aliis ſcriptis jam ab initio præteriti ſeculi diſcuſſa ſunt, quæ ſummatim heic recenſere, ab inſtituto noſtro non alienum erit. Sunt autem ſequentia. (1) *Kurtzer Bericht von des Heil. Röm. Reichs der Curfürſtl. Pfaltz zuſtehenden* Vicariat, *Heidelberg* 1614. (2) *Kurtzes Gegen-Bedencken und Bericht von der Curfürſtl. Pfaltziſchen* Vicariats-*Gerechtigkeit*, eod. anno. (3) *Rettung des Curfürſtl.* Vicariats, Heidelbergæ 1615. (4) *Wohlgegründete Widerlegung vermeinter Heidelbergiſcher Rettung des Vicariats.* Ingolſtadii 1615. (5) *Curfürſtl. Bayerſches Notifications-Patent auf der Röm. Kayſerl. Mayſt. böchſtſeligſtes Ableben dero zuſtehenden Reichs-Vicariats.* 1637. (6) *Kurtzer und ſummariſcher Bericht, daſs das Vicariat in Landen des Rheins, Schwaben und Fränckiſchen Rechtens des Herrn Pfaltzgraffen und Vicarii Carl Ludwigen Cur-fürſtl. Durchl. zuſtehen und gebühren thut.* Heidelbergæ 1657. (7) *Wolgegründeter Cur-Bayerſcher Gegen-Bericht*, Monachii eod. an. (8) *Ableihnung des ohnlängſt von Cur-Bayerſcher Seiten in Druck ausgeſprengten Gegen-Berichts &c.* Heidelb. 1657. (9) *Fernere wolgegründete Anzeigung, wegen des Ihrer Curfürſtl. Durchl. in Bayern zuſtehenden Reichs-Vicariats über eine unlängſt an Seiten Cur-Pfaltz in Druck ausgeſprengte übelfundirte Ableynungs-Schrift*, Francof. ad Mœnum 1658. (10) *Wolgegründete Abfer-*

Digitized by Google

Abfertigung einer Cur-Bayerſchen theils ohnlängſt in Druck gegebenen alſo genanten fernern Anzeig, darin nochmals klärlich und gründlich dargethan wird, daſs ſolches Vicariat-Amt des Herrn Pfaltzgraffen Curfürſtl. Durchl. von Rechtswegen zuſtehen und gebühren thue. Heidelb. 1658. Præter Conringium cauſſam Palatinam etiam defendit *Gratianus Philæeus*, qui eſt JOHANNES FREINSHEMIVS, ſchediasmate *de Vicariatu Palatino.* 1658. Licet Burgoldenſis Conringio adſcribat, in quo valde errat. Congeſſit aliquot ſcripta de hac controverſia LONDORPIVS *act. publ. Tomo VIII. lib. VIII. cap.* 41. *ſq.* Recentiori tempore, cum priſtini electoratus jura Palatino fuiſſent reſtituta, prodiit: *Vicarialis juris Palatini Sciagraphia per* A. D. L. I. W. F. anno 1711. Vid. Dn. STRVVII *biblioth. juris cap. XIV. §.* 21. & Dn. LVDEWIG in Comment. *ad aur. bull. artic. V. §.* 1. *p.* 530. Damus porro brevem quidem, ſed elegantem deductionem, jura domus Brunſvicenſis in comitatum Stadenſem explicantem, ſub rubro:

XIX. Bericht von des Hochfürſtl. Hauſes Braunſchw. Lüneburg hohen Vorfahren, Gerechtigkeiten und würcklichen Beſitz über die Graffſchafft Stade.

Quam immediate ſequitur doctiſſimum CONRINGII de jure episcopali in urbem Bremam ſcriptum:

XX. Bericht von der Landesfürſtlichen Ertzbiſchöflichen Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen, zur Antwort des von Heinrich Krefftingaufgeſetzten Diſcurſus;

Quæ deductio anno 1652. publicata eſt, & egregiam rariſſimorum documentorum diplomatumque congeriem, plurimasque obſervationes critico-diplomaticas complectitur; præterea tantam antiquitatum Germanicarum, inprimis judiciorum, ab advocatis epiſcopalibus adminiſtratorum, notitiam ſpirat, ut juris patrii ſtudioſus ex ejus lectione incredibilem & voluptatem & utilitatem capiat. Ita curioſæ occurrunt disquiſitiones de ſtatuis Rolandinis, Weichbildo, Heergewetta, comitibus, ſcabinis, banno, jure mercatus & monetandi, advocatis eccleſiaſticis, veteri judiciorum criminalium forma, ſervorum Germaniæ conditione, acquiſitione ex naufragiis, vulgo *das Strand-Recht*, fœdere Hanſeatico, commercio cereviſiario, diffidationibus, ſtatutis urbium, jure munitionum & aſyli, jure detractus, pignoris & arreſti, homagio, magiſtratuum conſtitutione, cenſu regio, *variis* monetæ antiquæ ſpeciebus, werigeldo, duellis, jure collectandi & *acciſæ*, ordinibus provincialibus, Capitulorum cathedralium juribus, adpellatione ad ſuprema imperii tribunalia, aliisque argumentis non ubique obviis. Inprimis p. 916. obſervatu digna eſt confirmatio privilegiorum civitatis Bremenſis, anno 1637. a FRIDERICO tunc archiepiſcopo Bremenſi, poſtea rege Daniæ, in lingua Saxonica veteri, conceſſa, cum jam iſto tempore inſolitum plane fuerit, documenta publica in dicto idiomate concipere. Nec non tabulæ transactionis de anno 1246. in cujus fine *Actum* & *Datum* hoc modo probe diſtinguitur: *ACTA ſunt hæc in Lesmonia, anno gratiæ milleſimo, ducenteſimo quadrageſimo ſexto, Indictione quarta. DATVM in Brema II. Kal. Auguſti, pontificatus anno vener. domini noſtri Gerbardi Bremenſis archiepiſcopi ſecundi, viceſimo ſeptimo.* Quo obſervato, non ſtatim diplomata pro ſuppoſititiis habenda ſunt, ſi *Datum* aliquod in iis occurrat, rex vero vel princeps, diplomatis largitor, eo tempore in loco præſens non fuerit, ſed ſæpe, cum diploma daretur v. c. Aquisgrani, Forchemii &c. in ipſa Italia commoratus ſit. Si e contrario diplomata per: *Actum* ſignentur, certiſſimum indicium eſt, regem vel principem tum temporis, cum negotium actum eſt, præſentem eſſe debuiſſe. Ut plura alia taceamus.

Ad rem redeamus. Prodiit laudata deductio Bremenſis ſine auctoris Conringii nomine, ab eo autem elaboratum eſſe, omni dubio caret. Scripſiſſe Conringium quædam de ſtatu Bremenſi, innuit GRYPHIVS *de ſcriptoribus hiſtoriam ſeculi XVII. illuſtrantibus*, his verbis: *Conſtat mihi, celeberrimum Conringium pro Suecis varia conſcripſiſſe, quæ tamen an lucem unquam aſpexerint, non ſatis liquet,* JOHANNES SCHEFFERVS in Diſſ. *de generoſi nobilisque informatione litteraria, Holmiæ* 1678 *edita p.* 25. commendat de ſtatu Bremenſis urbis ſcriptum anonymum, illudque Conringio adſcribit; cui adſtipulatur PLACCIVS *in theatr. anon. n.* 1058. *p.* 267. & BOECLERVS in epiſtola ad Portnerum d. 11 Febr. 1656. exarata hæc refert: *Clariſſ. Conringii ſcripta prius de jure Moguntino legi, in quo aliqua feſtinanter forte ſcripta ſunt. Alterum de injuſtitia armorum Suecicorum in Polonos nondum vidi, nihil tamen cauſſæ arbitror, cur reprebendi ejus inſtitutum debeat. Idem qui ſtimulavit, ut Bremenſem cauſſam examinaret, Biorenclavius, hanc materiam ei ſuggeſſit, neque diſſimulanter, ſed aperte Suecorum partibus addictum ſe oſtendit.* Vid. PLACCIVS *l. c. n.* 1817. p. 461. Recenſebimus nunc etiam alia ſcripta, quæ præterito ſeculo de controverſia urbis

Bre-

Bremenſis libertate publici juris facta ſunt, quotquot quidem in noſtra bibliotheca reperire licuit.

1) Aſſertio jurium archiepiſcopalium & ſuperioritatis: Das iſt, wohlbegründete und mit nohrdürftigen Beylagen, auch denen von Burgermeiſter und Raht der Stadt Bremen ſelbſten vor etliche und 70 Jahren anno 1566. in offenen Druck gegebenen Weltkundigen judicialibus und extrajudicialibus confeſſionibus, aufgerichteten Verträgen, der Notorietät und andern documentis, in continenti ad ocularem demonſtrationem eingerichtete deductio, hauptſæchlich dahin zielend, daſs nemlich die Stadt Bremen keine ohnmittelbahre, des Heil. Reichs freye, ſondern von 800 Jahren eine Ertzſtifftiſche Bremiſche Stadt und Stand ſey. Entgegen und wider Bürgermeiſter und Raht, gemeldter Ertzbiſchöflichen Stadt Bremen neuerlichen Anmaſſungen, unbegründete aſſertiones, vielfæltige turbationes, unleidliche Eingriffe, ſpolia und irrige præſuppoſita, zu mænniglicher Nachricht in offenen Druck gegeben. Gedruckt im Jahr 1639.

2) Prodromus oder *Vortrab* gründlichen wahrhaften Berichts und Gegen-Remonſtration von der Stadt Bremen Berufung, ſeſſion und voto zum Reichstage in Regenſpurg &c. Regenſpurg 1641.

3) Fürſtlicher Ertzbiſchöflicher Bremiſcher *Nachtrab*, das iſt, zwey des höchſtlöblichen Curfürſtlichen Collegii in des heil. Reichs actis protocollis, in ſelbſt-redender Reichs- und Weltkundiger notorietät wohlfundirte an die R. K. M. bey jüngſt zu Regenſpurg gehaltenen Reichs-Tage übergebene Gutachten reſpective interceſſionales und atteſtata, des Innhalts: Daſs Se. Hochf. Durchl. uhralte Ertzſtiftiſche Stadt Bremen ein ohnmittelbahrer Reichs-Stand, des juris comitiorum imperii nicht fæhig, &c. ſamt einer kurtzen deduction wider den zu Regenſpurg ausgegebenen und ſpargirten Bremiſchen aber übel montirten, mit lauter Vanitæten bekleideten Vortrab und deſſen gründl. Confutation. Anno 1642. Auctor fuiſſe putatur D. THEOD. REINKINGIUS, Cancellarius regius. Vide PLACCII *theatr. anonymor. n.* 1788. *p. m.* 453.

4) Aſſertio libertatis reip. Bremenſis, das iſt der Kayſerl. und des H. R. R. freien Stadt Bremen *Ehren-Freiheit-und Stands-Rettung* wider eine im Jahr 1642. untern Titul: *Fürſtl. Ertzbiſchöfl. Bremiſchen Nachtrabs*, angemaſste confutation des im Jahr 1641. an Seiten ermeldter Stadt in Truck gegebenen *Prodromi oder Vortrabs* gründlichen wahrhaften Berichts und Gegen-Remonſtration von der Stadt Bremen Berufung, Seſſion und voto zum Reichs-Tag in Regenſpurg. Anno 1646.

5) Abdruck der von dem Königl. Schwediſchen zu Formir- und Verfaſſung des Etats und Regiments in die Hertzogthume Bremen und Vehrden verordneten Plenipotentiarien &c. bey ihrem Abzuge aus der Stadt Bremen den 15 Julii anno 1651. hinterlaſſenen Remonſtration und Beylagen, zuſamt angehefteten von wegen damahligen Hochfürſtl. Durchl. als Ertzbiſchoffen numehr Königl. Mayeſtät in Dännemarck, bey öffentlicher Reichs-Verſamlunge zu Regenſpurg in anno 1641. an anweſende Curfürſten und Stænde, und der abweſenden Ræhte, Botſchaften und Geſandten übergebenen Schreiben, und eines fürnehmen JCti rechtl. Bedencken in zehen conſiderationes abgetheilet, über das von der Stadt Bremen ſo hochgerühmtes Kayſerl. den 1. Junii 1646. ausgebrachtes Declaratorium, betreffend der Stadt Bremen de facto wider des H. R. R. fundamental-Geſetze, die kundbahre notorietät, ſelbſt-errichtete Vertræge, eigene confeſſiones &c. ſich die letzte Jahre arrogirtes Reichs-Stædtiſches prædicat. Anno 1652.

6) Kurtze fundamentaliſche Erläuterung des von der Stadt Bremen etliche Jahr hero ſich anmaſslich arrogirten Reichs-Städtiſchen Prædicati, und ſich bey nechſt-vorgangenen Reichs-Tage gar ſine exemplo lauter de facto unternommenen Reichs-Seſſion und Voti. Mit vielen Beylagen. Anno 1652.

7) Index und kurtzer Bericht auf den von der Stadt Bremen wegen ihres affectirten Reichs-Stædtſchen Prædicati eingeſchobenen Abdruck etlicher documenten und vermeintlich beſchehenen Remonſtration; von den Königl. Schwediſchen auf gegenwärtigen Reichs-Tage anweſenden Gevollmæchtigten Geſandten gemeldter Remonſtration entgegen geſetzet. Im Monat Novembr. 1653.

8) Indiculus obſervandorum ex Indice Dominorum legatorum Suecicorum noviter impreſſo Ratiſponæ menſe Novembri anno 1653. der Stadt Bremen Reichskundige immedietät und dero poſſeſſionem vel quaſi betreffend &c. Exhibitus vom Stadt-Bremiſchen Abgeordneten { den 24 Decembr. 1653. ſtyl. vet. / 3 Januar. 1654. ſtyl. novo. } Dominis electoralibus omnibus item

dem

dem Ertzbiſchöfl. Saltzburg. Und Ertzhertzogl. Oeſterr. } Directoriis des Fürſtl. Collegii, wie auch dem Stadt Regenspurgiſchen Directorio des Reichs-Stædtſchen Collegii, Lectus publice una cum memoriali Dominorum lagatorum Suecicorum vom 23 Dec. ſtyl. vet. anno 1653. Gedruckt Bremen 1654.

Plura ad hanc controverſiam ſpectantia habet LÜNIGIUS *in archivo imperii Part. Speciali cont. IV. P.* 1. Operæ pretium duco inſerere hic Conſilium Conringii de veteri Sereniſſimæ Domus Brunſv. jure in tractum Bremenſem, quod ante aliquod tempus in manus noſtras incidit.

Gründlicher Bericht von des Hochfürſtl. Hauſes Braunſchw. Lüneburg. Vorfahren Gerechtigkeit bey der Stadt Bremen.

Es iſt bekandt, daß von Carolo M. dem Biſchoffen zu Bremen, welche nachgehends die Ertzbiſchöfliche Dignitat erlanget, die geiſtliche Juriſdiction zwarten, nicht aber die weltliche, ertheilet worden: Daß aber Kayſer Otto M. auch die weltliche Juriſdiction habe hinzu gethan, iſt klar erwieſen in meinem anno 1652. ſub titulo: Gründlicher Bericht von der Landsfürſtl. Ertzbiſchöfl. Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen, *gedruckten Buche im 5ten und 6ten Capittel. So iſt auch bekant, daß die Biſchöffe und Prælaten die weltliche Gerichte nicht ſelbſt, ſondern per advocatos oder edle Voigte, haben adminiſtriret, bis durch Hülfe der Päbſte ohngefehr ſeculo XIII. die advocati hinwiederum abgeſchaffet, und die geiſtliche Herren die weltliche juriſdiction immediate an ſich zu ziehen angefangen. Daß ſolches ebenmeßig bey dem Ertzſtifft Bremen geſchehen, haben die annoch zum theil verhandene Kayſerl. privilegia, deren copias der Lindenbrogius ſecunda editioni hiſtor. eccleſ. Adami Bremenſis hat beygefüget, geſtalt in denſelben bis auf erwehnte Zeit der Advocatorum zum öftern gedacht wird. Ob nun zwarten nicht bekant, welche Perſonen die advocatiam der Stadt Bremen haben in Beſitz gehabt, ſo iſt doch unlaugbahr, daß der Ertzbiſchoff Liemarus im Jahr 1089. dem Ludero, bald darauf Hertzogen zu Sachſen und nachgehends Römiſchen Kayſern, von deme das Hochfürſtl. Haus Braunſchw. Luneb. poſteriret, die advocatiam über die Stadt Bremen und andere des Biſthums Güter gegeben habe. Es bezeugen ſolches viele ſcriptores, weilen aber deren alteſter iſt Albertus, Abbas Stadenſis, will ich deſſen Worte jetzo anführen. In deſſen Chronico befinden ſich dieſelbe nachfolgender Weiſe:* Anno Domini MLXXXIX. imperator (Henricus IV.) nuptias Coloniæ celebrat. --- Ibi etiam Liemarus, Bremenſis archiepiſcopus captus eſt a comite Ludero, qui poſtea regnavit: Qui dedit pro redemtione ſua advocatiam Bremæ, & 300 marcas argenti, & ita reſtitutus eſt epiſcopatui ſuo. *Eben dieſe Worte befinden ſich in hiſtoria archiepiſcoporum Bremenſium, welche der Erpoldus Lindenbrogius hat dem Adamo Bremenſi beygefüget. Crantzius lib. V. Sax. cap. 13. redet hiervon alſo:* Captus hic quoque Liemarus. --- inde arbitror natum jus, quod poſteri hujus Luderi ducis in urbem Bremenſem vendicare ſolebant. *Lib. V. metrop. cap. 21. ſaget Crantzius:* Archiepiſcopus captus --- epiſcopatui ſuo. *Lib. VI. metrop. cap. 2. führet Crantzius dieſe Worte:* Luderus dux jam advocatiam Bremæ, hoc eſt urbis imperium, ex capto Liemaro, ut diximus, archiepiſcopo tenet. *Aldieweil nun Luderus oder Lotharius iſt geſtorben, anno 1138. iſt ohne zweifel die weltliche Ober-Regierung der Stadt Bremen bis dahin bey ihme verblieben; daß aber mittels obangeregter Ceſſion nicht allein ein jus perſonale, ſondern eine Erb-Gerechtigkeit dem Lothario zugewachſen, iſt einmal ohnſchwer zu ſchlieſſen ob deme,* daſs der Ertzbiſchoff ſich habe dadurch ranzioniret, *maſſen ein perſonale jus werde viel zu geringe geweſen ſeyn, eine ſolche hohe Perſon zu ranzioniren. So ſind auch vors andere* zu der Zeit die advocatiæ faſt insgemein erblich geweſen, *muß dannenhero auch von dieſer advocatia ſolches billig præſumiret werden. Man könte auch drittens ſich alhie gebrauchen des Bremiſchen vornehmen Bürgermeiſters und Vorfechters Doct. Kreffting ii confeſſion, welche im X. Capittel des annoch ungedruckten, jedoch bey der Stadt hoch æſtimirten Buchs alſo lautet:* Liemarus captus eſt, cui anno ſequente 1089. advocatiam urbis Bremæ cum 300. marcis argenti, ceu λύτρον, Lotharius extorſit. Advocatiæ illud jus, cum poſt Saxoniæ Dux, imo imperator crearetur Lotharius, ad illos, quos ipſe duces Saxoniæ deſignarat, jure ceſſionis a Liemaro factæ pervenit; & hoc nomine Brema omnes illas calamitates a potentiſſimis ducibus perpeſſa eſt. *Dieſes Bekentniß könte man ſich gebrauchen, weilen aber der auctor recens, und ohnedem nicht allerſeits glaubwürdig, laſſet man dieſe Rede in ſeinen Würden und Unwürden beruhen. Des Cranzii abſonderlich Lib. 6. Sax. c. 7. 13. 21. judicium aber iſt billig zu æſtimiren, deſſen Worte bereits ſind angeführet.* Inde arbitror natum jus --- *Es iſt ſolches vom Cranzio zum öftern wiederholet, daß dannenhero nicht darin zu zweifeln. Daß* viertens *auch nach Abſterben Kayſers Lotharii die Stadt Bremen an deſſen Schwieger-Sohn* Hertzogen Heinrichen, *der von etlichen Superbus wird intituliret, ſey gefallen, erhellet ob dem, was Albertus Stadenſis ſchreibet ad ann. 1138. daß nemlich Albertus Urſus ihme, dem Hertzogen Heinrichen, habe genommen* Lüneburg, Bardewigk, *und* Bremen. *Ad annum 1139. ſind ſeine Worte:* Interea Rodulphus comes & Fridericus Palatinus adunita manu Bremam profecti, iſtam depopulati ſunt civitatem. *Vide & Helmold. lib. 1. c. 54. Dieſe zweene aber ſind des Henrici Superbi Gehülffen geweſen, und iſt alſo die Stadt Bremen eingenommen, dem Hertzog Heinrichen zu Nutzen. Es giebet hievon der Crantzius ſein judicium Lib. 6. Sax. cap. X. welches würdig zu leſen. So iſt* fünftens *ob deme, was dickbemelter Albertus Stadenſis ſchreibet ad annum 116. klarlich zu erſehen, daß bis dahin auch Henricus Leo in Bremen regieret habe: maſſen ſeine Worte alſo lauten:* Chriſtianus comes de Aldenburg duci Henrico ſe opponens --- (*vid. & Helmoldus L. 2. chron. Slavor. cap. 7. & 8.*) *zuletzt wird geſaget:* Poſtea Aldenburgenſes bello ſe fodiunt inteſtino --- humiliaretur. *Wie langſt vorhin Henricus Leo in eigner Perſon die Ruſtringen Frieſen, welche nach Bremen zu Marckte gekommen, in Bremen laſſen arreſtiren und gefangen nehmen, bezeuget Helmoldus L. I. chron. Slavor. cap. 82. p. 183. Im 68. Jahr ſchreibet Albertus, daß, nachdem der Ertzbiſchoff Harwig geſtorben, eine Zwietracht wegen der Wahl eines neuen Ertzbiſchoffs ſey entſtanden, und ſetzet hinzu:* Et factus eſt maximus tumultus in Brema, Gunzelino de Suerin (*der aber ein Bedienter des Hertzogen Henrici Leonis*) ex parte ducis inſaniente. *Zweiffels ohne iſt Henricus Leo bey dieſer poſſeſſion dannenhero geblieben bis in das Jahr 1180. geſtalt zuerſt damals er aller Lehn-Güter beraubet worden. Albertus ſchreibet davon alſo:* Imperator Wirceburg

curiam habens in natali Domini Henrico duci abjudicavit omne feudum, quod ab imperio tenuit vel archiepiſcopis vel epiſcopis.

Ob Hertzog Heinrich der Löwe, oder deſſen vier Söhne einer, die Stadt Bremen wieder in vorige poſſeſſion gebracht, oder nicht, davon befindet ſich meines Wiſſens keine Nachricht: vermuhtlich iſt es nicht geſchehen, weil ſo wol die Stadt ſelbſt als die damalige Ertzbiſchöffe der Fürſtl. Regierung ſich ſehr entgegen geſetzet. Jedoch ſcheinet, daß Hertzog Otto primus dux Brunsvico-Luneburgicus, nepos Leonis, die alte jura habe recuperiren wollen. Weilen Albertus ſchreibet ad annum 1231. Dux Otto de Brunsvic circa feſtum Martini Bremam obſedit, & factis exactionibus ac incendiis rediit. *Conf. Granzius lib. 8. Sax. cap. 5. Es hat aber auch dieſer conatus bald aufgehöret, in Betracht vom folgenden Jahre der Albertus dieſes zeuget:* Bremenſis archiepiſcopus & dux de Brunsvic reconciliati ſunt, & promiſſa eſt pax perpetua inter eccleſiam & ducem, & duci quædam feuda ſunt porrecta; *und nicht das geringſte indicium in hiſtoricis monumentis oder ſonſten befindlich von einer pretenſion auf das weltliche Gerichte der Stadt Bremen, ſo vom Hochfürſtl. Hauſe insgeſamt oder von einem abſonderlich ſey geſuchet worden, vielweniger daß zur würcklichen poſſeſſion einer ſolle ſeyn gelanget. Was ſonſten vormals an weltlichen Gerechtigkeiten einem Ertzbiſchoffe habe gehöret, auch vielleicht noch anjetzo gebühre, davon handelt mein vorerwehntes gantzes Buch, ſo von Schwediſcher Seiten anno 1652. gedrucket, wie in ſpecie es mit der Stadt Voigtey bewant, cap. 21. 22. 23.*

H. C. D.

Habe dieſes nach Zelle I. F. Durchl. zugeſandt.

Quemadmodum itaque Conringius plurimorum regnorum, principatuum & epiſcopatuum Germaniæ jura ſolertiſſime inveſtigavit, eorumque florem conſiliis ſuis ſaluberrimis promovit; ita etiam a ſereniſſimo Electore Brandenburgico FRIDERICO WILHELMO, cui res geſtæ cognomen magni pepererunt, conſultus, conciſam disquiſitionem politicam de terris Brandenburgicis bene ordinandis dedit, ſub rubro:

XXI. Conſilium an Friedrich Wilhelm, Curfürſten zu Brandenburg wegen ſeiner Länder;

quod quaſi antidoti loco eſſe poteſt famoſiſſimo iſti ſcripto, quod ante ſeculum & ultra ab infenſiſſimo domus Brandenburgicæ hoſte conceptum, Ingolſtadii anno 1718 in 4. prodiit ſub hoc titulo: *Diſcurſus politicus & conſilium catholico-politicum vor dem Anſehen und groſſen Macht des Curfürſtl. Hauſes Brandenburg, und wie demſelben zu ſteuren;* mutilum autem & mancum jam tum exhibuit LÜNIGIUS *in den Staats-Conſiliis Tomo I. n. 212. p. 1532.* Valuiſſe auctorem noſtrum apud laudatiſſimum Electorem Brandenburgicum, ſummum ſeculi ſui heroëm, magna gratia, ex epiſtola, quam Operi de finibus imperii præmiſit, (*Vid. Opp. Tom. VI. p. 373. n. 23.*) dedicatoria ſatis liquet, ubi inter alia ſcribit: *In Tui unius celſitudine, ſereniſſime Domine, ego quidem invenio, quæ deſidero, omnia. Enimvero unus ſimul & latiſſime per Germaniam omnem dominaris: & ſingulatim ex officio electoralis muneris præ multis aliis honori & commodo imperii, ceu decet ſenatorem ejus principem, cupis: & poſtremo (ſi hoc etiam fas eſt adjicere) non obſcura gratiæ favoriſque indicia jam dudum mihimet ipſi exhibuiſti.* Quantæ autem laudi Conringio noſtro ducitur, quod principibus imperii Germanici feliciter conſilia ſuggeſſerit; tam ſuſpectum Gallicarumque partium ſtudioſum, cum in epiſtolis ad Baluzium, tum inprimis conſilio, quod Tomum hunc claudit:

XXII. De dominio & commerciis maris mediterranei regi chriſtianiſſimo vindicandis;

ſe præſtitit. Sed quemadmodum nec ipſe ſol maculis ſuis caret, ita & Conringium hic humani aliquid paſſum, munificentiaque regis Galliæ, quam aliquot annos lauto ſtipendio donatus ſenſit, interdum nimium abreptum eſſe, candidus Lector benigne interpretabitur. Nullibi plane hujus conſilii mentionem reperimus, credimusque illud hactenus ſtudio occultatum fuiſſe. Quædam tamen hujus ſcriptionis veſtigia nos deprehendiſſe videmur in epiſtola Conringii ad Baluzium anno 1680. exarata (Opp. Tomo VI. pag. 491. num. 45.) ubi ſcribit: *Si in priſtinum regiæ gratiæ locum receptus fuero, & jubear ſententiam dicere de nonnullis chriſtianiſſimæ majeſtatis commodis, fortaſſis mittam propediem, quæ ex uſu ſint publico: quæ nunc tangere nefas fuerit.* Et hæc introductionis loco in hunc Tomum præmonuiſſe ſufficiat.

Quemadmodum itaque impenſe gaudemus, & noſtræ felicitati gratulamur, quod Opera Conringii tam edita, quam quæ hactenus in ſcriniis eruditorum publicisque bibliothecis inedita delituerunt, & ex parte jam cum blattis tineisque certarunt, erudito orbi junctim ſiſtamus; ita, ſi quam plurima, quæ irrepſerunt, ſphalmata typographica intuemur, non ſine animi indignatione dolemus. Cujus autem nulla prorſus culpa nobis imputari poterit, ſi conſideret cordatus Lector, omnem hanc collectionem, excepta aliqua Tomi IV. parte, cui tamen aliis obruti negotiis oculos ipſi intendere non potuimus, extra hanc urbem in remotis locis eſſe impreſſam. Neceſſitas igitur quaſi legem ſcripſit, totamque operis accurationem Correctoribus cujusvis loci relinquere debuimus; quorum aliqui graviſſimorum argumentorum incurioſi, & auctorum, potiſſimum exoticorum, ignariſſimi, multa ſæpe in ſchedis noſtris vel minus recte legerunt, vel ex ingenio ſuo quædam finxerunt, omiſſis inſuper ſæpe numero, vel confuſis neceſſariis interpunctionibus, ex quo magna paſſim confuſio orta eſt & ſiniſter ſenſus evaſit. Nec tantum Correctores hæc culpa manet, ſed ſæpius ipſi typothetæ, qui proh dolor hoc noſtro ævo latinæ linguæ exiguam, immo plerumque nullam habent notitiam, ex conjectandi fingendique libidine auctori mentem ſiniſtram adfingunt, & ex ſuo ingenio exactiſſima

quæque

quæque ſcripta depravant. Per quam ignorantiam aut incuriam graviſſima vitia grammaticalia præſtantiſſimis ſcriptis irrepere ſolent. Chronologiæ quoque ignari numeros annorum minus recte collocant, & vel numerum omittunt, vel addunt. Quod & potiſſimum in horum operum Tomo I. paſſim factum eſſe dolemus, inprimis quod zifræ 5. & 8. ob aliqualem ductuum ſimilitudinem ſæpe confuſæ, indeque intolerabilis achronismus enatus ſit. Verum enim vero talia nobis vitio verti non poſſunt, & pro præſidio noſtro adducimus judicium auctoris Præfationis nov. libror. collect. faſcic. I. qui Halæ anno 1709. prodiit, quod fert de collectione antiquitatum Romanarum Græviana, dum: *Nihil*, inquit, *in exteriore veſte deſideramus, charta nitor, litterarum elegantia, cæteraque librum maximopere commendant, ſed non æque emendandi ac corrigendi ſtudium: ſæpe voces vitioſe tranſcripta, & integra quandoque orationis forma omiſſa eſt, quod non quidem operum collectori, ſed operarum negligentia adjudicabis.* Experta ſunt hanc fortunam ſpendidiſſima quæque opera, VGHELLI, GRAEVII, GRONOVII, LVNIGII & ipſa, quæ in uſum Delphini ceteroquin ſat magnifice prodierunt: Ut auctor præfationis novæ librorum rariorum collectionis l. c. non immerito de ſingulari hac in re reipublicæ litterariæ fato conqueratur, & bibliopolas Germanos ad majorem edendorum librorum accurationem, laudabili *Richelii, Cephalei, Frobenii, VVechelii, Voegeliniique* exemplo, adhortetur.

Nec diffitemur quoque, Benevol. Lectorum commoditati multum conſuli potuiſſe, ſi in his operibus Conringianis ſumma paragraphorum capita (quæ *marginalia* vulgo vocantur) in margine appoſita, & in ſumma cujusvis paginæ parte, Libri, Sectiones, Capita, immo ipſa quorumvis capitum argumenta (*rubricas* vocant) ubique indicata eſſent, quo B.L. intra breve temporis ſpatium integrum librum aut diſſertationem oculo, ut ajunt, fugitivo percurrere, & uno quaſi obtutu cujusvis paginæ, contenta haurire potuiſſet. Hos & alios defectus nos ipſi agnoſcimus, ideoque publice profitemur, ne quis culpam in nos transferat, quæ ſola in nimiam operis maturationem redundat. Ex quo & illud incommodi enatum, ut ſæpius in medio opere, quod ad prelum vocabatur, commentarios noſtros interrumpere coacti ſimus, initioque hujus vel illius libri ampliores compareant notæ, quam in fine, ubi identidem tantum ad aliquos auctores provocavimus, Benevolumque Lectorem alio ablegavimus. Si tempus nobis relictum eſſet, in omnes Conringii libros, præſertim diſſertationes politicas, ex profeſſo commentarios noſtros dediſſemus. Ut tamen culpa per omiſſionem rubricarum marginaliumque (parcite manus Ciceroniani) aliquo modo reſarciretur, dedimus operam, ut indices eo locupletiores elaborarentur. Ita vale B. L. ex animi ſententia. Dab. in Academia Regio-Ducali Julia, quæ Helmſtadii eſt, Kalend. Februarii anno N. C. CIƆ IƆ CCXXX.

Coronidis loco adjungimus Epiſtolam Conringii ad Caſparum Barlæum, quæ reperitur inter Epiſtolas clar. virorum, ex ſcriniis JAN. BRANTII anno 1715. Amſtelod. editas num. 55. p. 173.

Viro Clariſſimo

CASPARI BARLAEO,

Philoſopho & Medico & Poëtæ ſummo, Fautori ſuo.

Amſtelodam.

Ab ingenio meo abire hodie cogor, CASPAR BARLAEE, vir clariſſime, maxime fautorum, tibique litteris meis moleſtus eſſe. Nam hactenus quidem ab epiſtolis mittendis ſedulo mihi cavi, quia plus ſatis alias ſcio nugari: Sed nunc ad ſcriptionem me invitat neceſſitas. Heri per literas oblatum mihi eſt a clariſſ. Calixto, ut præficiar ſtudiis filii magnifici viri Cancellarii Brunsvicenſis ducatus, liberali ſatis ſtipendio, certaque ſpe Phyſicæ profeſſionis in Academia Julia, quæ hodie ibi vacat, obtinendæ. Me vero etſi non pauca alliciant, multa tamen maxime deterrent. Nam ut verum fatear, omnibus divitiis aut aliis etiam ſummis honoribus ſemper docendi academicum munus antepoſui. Et hodie in eam redactus ſum conditionem, ut de vitæ genere mihi cogar proſpicere. At quando ejus provinciæ imminentes reſpicio calamitates, quibus ego omnino, ſi iſtuc eam, ſum involvendus, non leviter abhorreo. Inprimis autem me ægre habet conſcientiæ quam paſſurus ſum ſervitus. *Toto enim pectore in Remonſtrantium partes propendeo*, quas ut ſilentio tegam, perpetuo vis mihi foret inferenda: Et tamen aliter vivere mihi vix licebit niſi ſummo mei periculo & aliorum ſcandalo. Nam ſi dubitare me leviter ſenſerint, vereor ne iratos etiam eos ſim habiturus, quibus jam ſumme amicis utor. *Accedit quod ad Auguſtana confeſſionis, corporisque quod vocant Julii ſubſcriptionem ſim adigendus.* Quod neſcio, quomodo a me queam impetrare. Vide, in tanta ſervitute etiam ibi vivitur, ubi præcipue hodie in Germanis bona mens locum aliquem obtinet. Jam conſilio Tuo, vir clariſſime, me juves. Namque cum multo maxima Tibi debeam, nolo Te inconſulto quidquam aggredi. Obtuli nuper, uti noviſti, omnem operam meam veſtris in hac regione partibus: Et hodie ita ſum animatus, modo vivendi quædam ratio hac ſeſe offerat, non alibi me mori malle. Ante omnia enim mihi allubescit ingenii libertas. Vix auſim mihi polliceri in hac provincia publicum docendi munus, quum præter te neminem habeam, qui vel me noverit, vel proceribus poſſit commendare. *Et tamen haud aliud fortaſſis eſt munus, quo ego Remonſtrantibus uſui eſſe queam.* Nolim enim iis moleſtus eſſe. Addo, quod *tantum Amſtelodami ad canones Dordracenos nemo adſtringatur*. An ab unica illa urbe omnem vivendi rationem exſpectabo? Ubi præter te vix eſt, qui me amet. Optime fautor, quæſo in medium conſule, quid opus ſit factu. Omnis ſpes mea in Te eſt collocata. Dabit aliquando ſe occaſio gratiam referendi. Hodie conſilio Tuo ſumme indigeo: maxime quando e veſtigio vel hinc ſit abeundum, vel oblatum illud munus literis recuſandum. Ita enim urget Calixtus. *Si levis hic mihi ſpes affulgeat vivendi, malo hic apud Vos degere etiam tenuiter.* Rogo Te, vir clariſſime, moneas me literis, quam potes prima occaſione. Urgeor enim. Interea conficiam, quod reſtat ejus operis, quod *de articulis ſcitu neceſſariis* condo. Vale optime vir cum omni familia Tua, quam ſalvere etiam atque etiam rogo. 27. Junii.

Hermann. Conringius.

Elenchus Tomi I.

I. Exercit. de Republica antiqua veterum Germanorum. pag. 1
II. Exercit. de Germanorum Imperio Romano. 26
III. *Franciſci Guicciardini* Diſſ. de origine poteſtatis ſecularis in Romana eccleſia. 107
IV. Opus de finibus Imperii Germanici. 114
V. *Anonymi* annotationes ad hunc tractatum. 463
VI. Exercit. de urbibus Germanicis. 485
VII. Exercit. de Germanici Imperii civibus. 516
VIII. Exercit. de Imperatore Romano-Germanico. 528
IX. Exercit. de Capitulatione cæſarea. 543
X. *Anon.* Diſſertatio de jure conſecrandi Reges Romanorum, qua alterum Colonienſe ſcriptum expenditur. 614
XI. *Anon.* Jus coronandi Romanorum Regem, continens Electorum Moguntini & Colonienſis deductiones vernaculas, Imperatori exhibitas. 634
XII. *Anon.* Iterata Diſſ. de jure coronandi pro Electore Moguntino, contra Colonienſes vindicias. 656
XIII. *H. Conringii* aſſertio juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum. 695
XIV. *Petri a Streithagen* Stricturæ in hanc Conringianam aſſertionem juris Moguntini. 709
XV. *Anon.* Iteratæ vindiciæ juris coronandi Reges Romanorum pro Archidiœceſi Colonienſi. 739
XVI. *H. Conringii* Examen harum iteratarum vindiciarum. 765
XVII. *Anon.* Anti-Conringiana defenſio juris Colonienſis in coronandis Regibus Romanorum. 785
XVIII. Caſtigatio defenſionis Anti-Conringianæ. 795
XIX. Vicariatus Imperii Palatinus defenſus. 811
XX. *Bericht von des Hochfürſtl. Braunſchweig-Lüneburgiſchen Hauſes Vorfahren Gerechtigkeiten und würcklichen Beſitz über die Grafſchaft STADE.* 836
XXI. *Bericht von der Landes-Fürſtl. Ertz-Biſchöfl. Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt BREMEN.* 844
XXII. *Conſilium an FRIEDRICH WILHELM Curfürſt zu Brandenburg wegen ſeiner Länder.* 984
XXIII. Conſilium de maris mediterranei dominio & commerciis Regi chriſtianiſſimo vindicandis. 989

VITA

Digitized by Google

VITA
HERMANNI CONRINGII

QVAM

PROGRAMMA

IN FVNERE EIVS

A

PRORECTORE

MELCHIORE SCHMIDIO,

GRÆCAR. LITERAR. PROFESSORE

CONSCRIPTVM, SISTIT.

Quanquam pie defunctorum ex hac vita diſceſſus nobis Chriſtianis, non perinde ut gentilibus, alterius vitæ nullam notitiam habentibus, debeat eſſe lugubris & lamentabilis, cum illos non periiſſe, ſed ad meliorem vitam abiiſſe nobis conſtet: illorum tamen virorum, qui reipublicæ aut eccleſiæ utilitatem ſingulariter promoverunt, obitus, propter inſignem commodi publici jacturam, merito ſunt luctuoſiſſimi. Talis certè hiſce diebus accidit Academiæ huic Juliæ mors HERMANNI CONRINGII, viri quousque virtuti, doctrinæ & eruditioni minime vulgari ſuum conſtat pretium, longe celeberrimi, & de hac literaria republ. non minus quam de tota Germania optime meriti. Natus is eſt Anno cIↄ Iↄc vi Nordæ, Friſiorum urbe, parente HERMANNO CONRINGIO, eccleſiæ ibidem Antiſtite, avo autem IOHANNE CONRINGIO, ob religionis perſequutionem *ex Tranſiſalania* (a) profecto; Matre vero GALATEA, RVDOLPHI COPINI, primum in *Oſtfriſia*, (b) poſtea vero in Hollandia Delphenſis Eccleſiæ parochi, filia, femina pietatis & prudentiæ ſingularis, cujus HERMANNVS noſter fuit proles nona.

Quintum ætatis cum ageret annum, peſtilente morbo, illic locorum graſſante, qua ſorores ejus omnes exſtinctæ, fratre in hac Academia jam *tum vivente*, (c) correptus eſt, ita ut ſub dextra mamilla anthrax ei fuerit exurendus. Doloribus illis territus puer, bubones duos ad inguen poſtea exortos occultavit, quorum quidem venenum naturæ bonitas & ineuntis ætatis vigor ſuperavit, ſed valetudinem tamen miſere afflixit, in fœdam & malignam ſcabiem mali reliquiis deſinentibus, usque adeo, ut aliquot a morbo menſibus, vix pedibus potuerit incedere, & longo tempore vires recolligere nequiverit. Hinc factum, ut non ante ſextum ætatis annum elementa prima & literarum characteres in ludo addidicerit, ubi ſtatim ingenii & memoriæ felicitas, atque indoles liberalium artium doctrinis apta emicuit. Quippe paucorum dierum ſpacio legere, & pietatis, Chriſtianæque religionis potiora capita pueris ediſcenda proponi conſueta, memoriæ mandavit. Sed mox & corpuſculi teneritudo, quod cum variis adhuc conflictabatur morbis, & malitia condiſcipulorum effecit, ut illa hyeme ludum non frequentans, domi a matre ſit edoctus. Septimo itaque tandem ætatis anno in latinitatis, cujus quædam primordia delibaverat, ſcholam miſſus eſt.

Septennium in hoc ludo literario peregit, ubi pleraque ſua ſponte, non Præceptorum induſtria, ita aſſequutus eſt, ut alii ætate ipſum & corporis proceritate multum ſuperantes, cum ſubinde eos in certamine viciſſet & ſuperiore loco ſedere meruiſſet, odio eum proſequuti ſint, ideoque integrorum menſium ferias ille agere coactus ſit. Jam tum infinitæ illius hiſtoriarum notitiæ initia a *Bucholzeri Indice Chronologico* fecit, & futuri magnificentiſſimi quaſi ædificii fundamenta altisſima jecit. Annum agens decimum quartum luſit *ſatyra quadam* (d) *in poëtas coronatos*, quæ cum forte fortuna in manus Cornelii Martini, hujus Academiæ tunc temporis philoſophiæ doctoris longe celeberrimi, veniſſet, adeo ejus lepore & elegantia captus eſt, ut & ſibi transmitti hunc Hermannum deſideraverit, & literas ea de re ad ejus parentem dederit, quibus ei perſuaſum ivit, ut ingenii magis magisque in hac ſtudiorum univerſitate excolendi gratia filium ſibi crederet. Venit igitur in hoc muſarum domicilium Anno cIↄ Iↄc xx. & nomen dedit civitati Academicæ d. 25. Octobris, ædibus & convictu Cornelii Martini uſus usque ad beatum viri ex hac vita diſceſſum. Tunc enim ad clariſſ. virum Rudolphum Diepholdium, græcæ linguæ Profeſſorem, geographiæ & hiſtoriarum oppido peritum magiſtrum, ſe contulit, apud quem biennium commoratus eſt, donec parentes, calamitatibus publicis non parum attriti, eum ex Academia revocandum duxerunt. Quanquam anno ſequente, qui hujus ſeculi XXIV. reverſus erat, tamen peſte graſſante & bello hic quoque irruente non multo poſt remeare fuit coactus. Sicut itaque a divino Cornelii, Academiæ hujus immortalis decoris, ore ſolida ingenii nutrimenta primum acceperat, ita porro per ejus ſucceſſorem & collegas Ariſtotelicæ imprimis, tanquam melioris doctrinæ, præceptis eſt imbutus. Neque interea linguarum tam græcæ quam latinæ cognitionem accuratiorem aut cultum politiorem ſprevit, ſed exemplo horum Magiſtrorum utrumque ſtudium, ſuo commodo & magno emolumento, conjunxit. Non eo ſolum felix, quod in optimos inciderit utiliſſimarum ſcientiarum doctores, ſed etiam, quod procul a vanitatibus ac deliciis aliis, ab omnibus ſtudiorum avocamentis remotus, ſumma diſcendi cupidine ductus, divinoque ingenii vigore per quodlibet honeſtarum doctrinarum genus fuerit graſſatus. Anno igitur 1625. Lugdunum, Athenas illas Belgicas, petiit, ibique, & per totam Hollandiam, varietatem opinionum de Deo, ejusque cultu, tam vulgi quam a vulgo ſecretorum hominum miratus, temperare ſibi non potuit, quin Theologicis controverſiis, veritatis divinæ perſpiciendæ ergo, aliquid temporis tribueret. Interim tamen etiam medicinæ operam dedit indefeſſam, ut praxeos & medendi tyrocinium ibi quoddam poſuerit. Quinquennio peracto, etſi Lutetiam Pariſiorum *invitaretur*, (e) tamen Juliam Academiam, ex qua ſpes obtinendæ profeſſionis naturalis philoſophiæ allucebat, aliis omnibus longe prætulit, & nullis belli incommodis deterritus, licet cuncta hinc milite hoſtili obſeſſa & infeſta eſſent, reverſus eſt. Anno igitur trigeſimo ſecundo commendatione illorum, qui ipſum propius noverant, profeſſo-

(a) *Ex Tranſiſalania*) Et quidem profugo ex arce Conring, quæ majoribus Conringii nomen dedit, & in Tranſiſalania ſatis nota eſt.

(b) *Oſtfriſia*) Et quidem in oppido Pilſum.

(c) *Tum vivente*) Qui deinceps paſtor evangelico-lutheranæ eccleſiæ Ultrajecti factus eſt.

(d) *Satyra quadam*) Ad imitationem LIPSII *ſatyra menippea*.

(e) *Invitaretur*) Ut medicus ordinarius Germanorum tunc ibi degentium.

feſſorum, Sereniſſ. Dn. Frider. Ulrico, D. Brunſv. & Luneb. innotuit, inde ſtatim deſideratam publice in hac Academ. docendi ſpartam obtinuit. Erat autem tunc martis furore miſera Germaniæ facies, & hæc Julia deſolata, oppidumque infrequentia civium & incolarum inopia graminoſas habebat plateas, & nusquam tutæ peregrinationes, imo exercitu Papenheimico territi, alius alio, ipſe cum multis aliis Brunſvigam diſceſſit. Anno ſeculi 34. diſputatione de *ſcorbuto* (a) publice habita, ſummorum in medicina honorum petendorum licentiam impetravit, & biennio poſt tam philoſophiæ quam *medicinæ doctoris* (b) inſignibus fuit ornatus, ſimulque eodem die 21. Aprilis Johan. Stuckii viri, ut ingenio & judicio maximi, ita inter excellentiſſimos hujus ſeculi jurisconſultos numerandi, tunc hujus Academiæ anteceſſoris *primarii*, (c) filiam ſecundo genitam, ANNAM MARIAM jam mœſtiſſimam viduam, matrimonio ſibi junxit. Durante matrimonio auſpicatiſſimo per quadraginta annos & 7. menſes auctus eſt non liberis minus quam opibus: nempe undecim liberorum ex ea pater factus, quorum quatuor, bini filii binæque filiæ immatura deceſſerunt morte, reliquis hodienum per Dei gratiam ſuperſtitibus, filio nimirum & ſex filiabus, fauſto omine, præter unam adhuc virginem natu minimam, elocatis omnibus. Namque ANNA MARIA nupſit viro plur. reverend. & ampliſſ. JOH. SAVBERTO, Theol. D. quondam in Academia hac Julia, jam vero Noricorum Altorfina theolog. profeſſ. primario & eccleſiæ ſuperintendenti. CATHARINA GALATHEA juncta eſt nobiliſſ. & conſultiſſ. ANTHONIO PAVLI, Friſiæ principis conſiliario & præfecto, abhinc autem biennium, poſtquam liberis & nepotibus Conringium noſtrum proavi nomine beaſſet, pie obiit. Ejus enim filia ex ampliſſ. & conſultiſſ. viro PETRO HOMFELDIO J. U. D. & fiſci in Friſia orientali advocato prole gemina ſuſcepta, non ita pridem beato obitu matrem eſt ſequuta. Tertia, ELISA SOPHIA, quondam nupta viro ampliſſimo JOH. CONRADO SCHRÖTERO, nobilitatis Franconicæ Slizæ præfecto, nunc vero poſt ejus obitum cum viro excellentiſſimo CHRISTIANO ERNESTO REICHENBACHIO, primum Academiæ Palatino-Heidelbergenſis anteceſſore, poſtea electoris Palatini ad Rhenum conſiliario & vice-cancellario, jam ſummi illius Spirenſis Dicaſterii aſſeſſore dignisſimo, in ſecundo & optatisſimo vivit matrimonio, eique filiam nunc bimulam peperit ſuavisſimam. Hanc excipit filius vir ampliſſimus & conſultiſſimus HERMANNVS JOHANNES, Dicaſterii aulici, quod Wulferbyti eſt, aſſeſſor digniſſimus, qui & triplici maſcula ſobole ex Catharina, Hajonis Conringii, Auriacæ aulæ vice judicis filia Conringianum nobile nomen propagavit. Vir nobiliſſ. & experientiſſ. GVNTHERVS CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS Med. D. & hujus Acad. profeſſ. publ. ord. collega noſter chariſſimus, non ita pridem duxit quartam, MARIAM SOPHIAM, quacum ut ſuaviſſimo, ita non ſterili degit matrimonio. Quintam CHRISTINAM ELEONORAM thoro optato habet plur. rever. ampliſſ. PAVLVS PRÜVER, eccleſiæ Beſcovienſis paſtor, illius vicinarumque inſpector. Sexta vero ANNA IVLIANA natu minima adhuc innupta omni officio ac pietate matri inſervit, ſenectutis incommoda illi leniens.

Cæterum, ut ad ipſum Conringium noſtrum revertar, quantopere a Deo fuerit ornatus, quam capaciſſimum ipſi fuerit *ingenium*, (d) quam acre judicium, & omnibus gratiſſima morum ſuavitas, qua facile cujusvis favorem, principum gratiam & clementiam, inferiorum obſervantiam ſibi conciliaverit, inter omnes, qui eum noverunt, conſtat. Acceſſit indefeſſum quidvis addiſcendi & aſſequendi ſtudium, non labore, non vigiliis fractus aut dejectus fuit a propoſito, ut propterea honore & auctoritate undique parta, immortale & æternum limpidumque Germaniæ, imprimis autem hujus Academiæ ſit decus. Et primo quidem naturalis philoſophiæ profesſio, non multo poſt, quam hic conjugio inito domicilium fixit, ſereniſſimi principis & domini Dn. Georgii, ducis Brunſvic. & Luneb. clementiſſimo juſſu, cum medicinæ docendæ munere publico permutata eſt; atque cum viri undique emineret excellens plane doctrina, ſtipendium non vulgare aut ordinarium tantum, ſed cum quartæ partis augmento ei ſtatim eſt numeratum. Hac ratione tam docendo quam faciendo medicinam, aliaque πολυμαθείας ſua gloriam non exiguam nominis excitavit. Quanquam antiquorum amator & venerator eſſet ſingularis, ad novorum tamen dogmatum in medica arte prolatorum examen eo accedebat judicio, quod ipſi naturalis diſcernendi verum a falſo dexteritas, & inquirendæ veritatis indefeſſum ſtudium ſuppeditabat. Quemadmodum igitur Harveianum *de motu ſanguinis circulari* (e) inventum approbavit, & in hac Academia primus aſſeruit atque docuit; ita Paracelſicas nugas oppugnavit & *disjecit*. (f) Ex anatome corporis humani frequenter publice inſtituta obſervationes ſuas cum venerandæ antiquitatis placitis diligenter contulit, & ubique ſolertiam ſuam omnibus luculenter demonſtravit. Hinc factum, ut

(a) *Scorbuto*) Ejusdem argumenti poſtea tres diſſertationes edidit anno 1638. Reſpond. LEONHARD *Krüger*; anno 1644. Reſp. LAURENTIO *Gieſeler*, anno 1659. Reſp. JULIO GEORG. *Behrens*.

(b) *Medicinæ doctoris*.) Adſcribi merentur, quæ habet LUDEWIG Tom. II. Opuſculorum Lib. IV. P. I. p. 1050. *In medica arte celebris hiſtoria eſt de Conringio, quod jurisprudentia relicta medicinæ ſe dederit in gratiam uxoris.*

(c) *Primarii*) Deinde ſereniſſimi principis, GEORGII, ducis Brunſuicenſium ac Luneburgenſium, tandem etiam regni Suecici ſtatus miniſtri, & per ducatum Bremenſem & principatum Vehrdenſem cancellarii.

(d) *Ingenium*) Nam excerptis caruit; id quod VINCENTIVS PLACCIVS *de arte excerpendi p. 185.* refert. Et CONRINGIVS ipſe faſſus eſt, ſua ſcripta fere eſſe extemporanea.

(e) *De motu ſanguinis circulari*.) Ceu docuit peculiari libro de ſanguinis generatione & motu naturali. Helmſt. 1643. in 4. Lugd. Batav. 1646. in 8.

(f) *Disjecit*.) Quod fecit in erudito opere *de Hermetica Ægyptiorum vetere & Paracelſicorum nova medicina*, Helmſt. 1699.

ut patria terra Friſiorum quaſi invidere cœperit huic Ducatui & Academiæ ſuum popularem. Namque accerſitus eſt An. 1649. atque ab illuſtriſſima principe tunc regente, honorificentiſſimo archiatri & conſiliarii intimi munere ornatus, rediit. Anno vero inſequente a ſerenisſima Chriſtina, Sueciæ regina, præſtantium virorum ut æſtimatrice, ita etiam ſingulari tunc patrona, per illuſtrem virum Joann. Adlerum Salvium, legationes regias obeuntem, in Sveciam, amplisſimis conditionibus propoſitis, evocatus eſt. Etſi vero nihil quicquam in ſua Julia deſideraret, tamen magis fama reginæ, quæ ex tota Germania pleroſque extantes eruditionis gloria viros colligere inter potiores curas regiminis ſui habuiſſe videbatur, videndæ & alloquendæ, quam majoris ſtipendii aut ſalarii *gratia* (a) iter in Sveciam 20. Maji 1650. ſereniſſimorum Ducum noſtrorum permiſſione impetrata, ingreſſus eſt. Poſtquam Holmiam appulit, a regina & omnibus regni proceribus ſumma quidem clementia & favore exceptus eſt, tamen quæ offerebantur conditiones, ipſe ſuſcipere detrectavit, & poſt trimeſtre tempus, non ſine opulentiſſimis donis & regiis munerationibus, imo conſiſiarii & archiatri regii dignitate affectus, reverſus eſt. Nec ceſſavit regia Chriſtinæ majeſtas, clementiam ſuam & magnificentiam etiam erga abſentem exponere, cui non ita multo poſt literis ſalarium annuum mille ſexcentorum thalerorum promiſit. Cumque poſtea iterum ſollicitaretur ejus in Sueciam reverſio, ſereniſſimis principibus & Ducib. Brunſv. & Luneb. hac re humiliter ſignificata, clementiſſimum obtinuit reſponſum, cui acquieſcens, hic commorari, quam in Sueciam abire maluit. Tanto quippe favore & amore Academiam ſuam ſereniſſimi Duces noſtri ſemper foverunt, ut ex ea præclaros viros dimittere noluerint. Conringii autem ſingulares ingenii dotes tanti æſtimaverunt, ut ſalario aucto, alteram ei, civilis ſcilicet prudentiæ, profeſſionem contulerint. Ex eo tempore firmum habuit propoſitum, nusquam hinc migrandi, ſive in aulam, ſive ad alias Academias vocaretur. Et quidem licet ſemper politicarum rerum fuerit avidus & curioſus, tamen cum jam hanc liberalioris eruditionis partem, non ſane ultimam, publico ſtipendio docendi ſpartam eſſet nactus, de novo ad hæc ſtudia diligentius excolenda ſummopere eſt incitatus. Quid vero & in hac parte & ei cognata imperii noſtri interiore notitia, ingenio & vigiliis ſuis ſit aſſequutus, Germania univerſa non modo, ſed vicina quoque regna & totus, qua latina lingua intelligitur, terrarum orbis dudum perſpexit.

Et jam nusquam non per Germaniam innotuerat ejus incomparabilis hiſtoriæ & antiquitatum Germanicarum cognitio & peritia, cum in rebus ad rempubl. pertinentibus, ad controverſias inter principes, & urbes, cœnobia & regalia ſpectantibus, conſilia ejus paſſim expeti cœperunt. Anno 1652. ducatus ad *Bremenſis archivum* (b) inſpiciendum & ordinandum, tanquam interioris conſilii particeps, fuit a Suecis adhibitus; autumno vero in Friſiam de rebus ſummis vocatus, utrumque negotium feliciter peregit. Similique in labore anno inſequente perrexit, quo homagium a nonnullis Friſiis nomine illuſtriſſimæ principis viduæ recepit. Ulterius emicuit ejus rerum Germanicarum ſingularis cognitio, cum eminentiſſimi Electoris Moguntini, cui jus coronandi Imperatorem eruditiſſimo edito ſcripto aſſeruerat, gratiam atque clementiam meruit. Cum an. 1658. ut alias antea ſæpius, in Friſia ageret, ibique rebus maximis deliberandis adhiberetur, ſeren. & potentiſſ. Carolus Guſtavus rex Sueciæ in Holſatiam accerſitum Conringium ſibi conſiliarium atque archiatrum, mille quingentorum Joachimicorum annuo ſalario promiſſo, creavit; ea conditione, ut, ſi ipſe in Sueciam ſe ſuamque familiam transferre vellet, alterum tantum quotannis ei numeraretur. Sed tam hoc, quam alia maximæ dignitatis munia oblata recuſavit, & ſemper academicam vitam, tranquillitatem & honeſtiſſimum otium aulicis conditionibus vitæque actuoſæ præferens, in dulci muſarum ſinu placide quieſcere, quam fortunæ inconſtantis ſtrepitum terroremque alibi metuere, maluit. Eodem anno, cum forte liber de *vicariatu Imperii* in ſereniſſimi Electoris palatini Caroli Ludovici manus incidiſſet, ipſe, qua erat prudentia & æſtimandorum doctrinæ ſingularis librorum ſagacitate, ſuam erga Conringium liberalitatem & clementiam donario egregio probavit. Cum ſubinde negotiis Oſtfriſicis occupatus teneretur, accidit, ut anno 1660, Legato regis Galliæ domino Gravellano, in aula ſereniſſimi Dn. Domini AUGUSTI, D. Br. & Luneb. agente, ipſe glorioſæ memoriæ princeps Conringii præſentiam requireret, qua occaſione, perſpecta principi laudatiſſimo beati nunc viri, incomparabilis rerum non ad Germaniam tantum ejusque regimen ſpectantium, ſed etiam ad vicina regna pertinentium eorumque ſtatum & conditionem penitiorem reſpicientium notitia & peritia, in conſiliariorum *ſuorum* (c) numerum, eum adoptavit, quam etiam retinuit dignitatem usque ad beatiſſimum illius principis obitum. Is enim tanquam eruditorum æſtimator & patronus maximus, ob variam eruditionem & reconditarum rerum notitiam Conringium amabat, cumque illam Auguſtam, nulli in toto terrarum orbe ſecundam, bibliothecam condidiſſet, ipſe eleganti edita epiſtola inter exteros eam celebrem, ut meretur, effecit. Interea cum maximum per omnem Europam cum viris eruditione excellentibus literarum haberet commercium, inter illos etiam cum illuſtri viro Joanne Capellano, Galliarum regis conſiliario, aliquod ei interceſſit, qui ipſum illuſtriſſ. Dn. Colberto, ejusdem regis conſiliario intimo, tanquam inter Germaniæ viros doctrina excellentes præcipuum commendavit.

Anno

(a) *Gratia*) Ita enim ipſe ſcribit ad C. BARLÆVM in epiſtola, quæ eſt LIV in epiſtolis celeberrimorum virorum antehac ineditis, Amſtelodami 1715. a JANO BRANTIO publici juris factis: *Omnibus divitiis, aut aliis etiam ſummis honoribus, ſemper docendi academicum munus antepoſui.*

(b) *Bremenſis archivum.*) Huic felicitati debemus doctisſimum ſcriptum *de juribus Archiepiſcopalibus in urbem Bremenſem*, huic Tomo pag. 845. inſertum.

(c) *Suorum*) Intimorum.

Anno itaque 1664. Ludovicus rex Galliæ doctiſſimis aliquot in Germania & Belgio viris ſtipendia annua mille librarum numerare jubens, tantum abfuit, ut hunc in illo excellentiſſimorum virorum numero præterierit, ut potius non ſimplum, ſed cum ſingulari augmento, uſque ad initia belli cum Belgis ſuſcepti, continuata regia liberalitate, illud numerari fecerit.

Anno 1667. Colonienſis ad Rhenum liberæ civitatis ſenatus de controverſiis, quas habet illa urbs cum ſuo archi-epiſcopo & Electore, *conſilium* (a) expetivit Conringii, cumque ipſius præſentia requireretur, accerſitum honorificentiſſimeque ibi tractatum ampliſſimis munerationibus ornatum remiſit. Anno 1669. ſereniſſimus rex Daniæ eum conſiliarium ſtatus ſibi eſſe clementiſſime voluit, quam dignitatem permittentibus ſereniſſimis Ducibus Brunſv. & Luneb. accepit.

Acres illæ inter Lindavienſem ad lacum Brigantinum ſitam rempubl. & cœnobium illius loci, paſſim notæ lites & controverſiæ, inter alia niti videbantur diplomate a Ludovico imperatore cœnobio illi dato. Senatus igitur urbis Anno 1654. Conringii noſtri, tanquam earum rerum gnariſſimi ſententiam requiſivit, qui edita *cenſura* ſua anno 1672. toti erudito orbi falſitatem ejus *diplomatis* (b) demonſtravit.

Denique & ipſa imperialis aula de opere æterno *de finibus imperii* tam ſenſit magnifice, ut ſua intereſſe ſummopere exiſtimaverit illius libri ſecundam editionem, ſuoque modo auctiorem prodire; juſſit igitur ante biennium, hunc laborem ut reſumeret, quod quidem ille agere cœpit, ſed hiſce difficillimis temporibus & dubiis rebus, non ſine animi quadam ægritudine, donec extremus vitæ dies finem labori attulit. Quid præterea ſummus vir in totius Germaniæ commodum ſcripſerit & laboraverit, quia in omnium recentiſſima verſatur memoria, hic recenſere ſuperſedemus. Unicum tantum eſt, quod præteriri non poteſt. Cum anno 1649. librum ſub nomine *Irenai Eubuli* edidiſſet, pacis faciendæ rationes ita propoſuit, ut legatis & deputatis, ad Germaniæ tranquillitatem reſtaurandam congregatis, magni æſtimatus & quantivis pretii habitus, & ad Germaniæ tranquillitatem reducendam non parum effeciſſe exiſtimatus ſit. Quid in aliis ardui negotii & ad ſummam Germaniæ imperii pertinentibus rebus conſulendo & ſcribendo effecerit, ſilentio hic involvitur. Tandem in Academiæ hujus Juliæ non ſolum defenſionem, contra calumnias *malevolorum*, (c) quoties neceſſitas flagitavit, calamum ſtrinxit, ſed etiam, ad totius eccleſiæ noſtræ & veritatis defenſionem *Vitum Erbermannum apoſtatam*, *fratres Wallenburchios* aliosque purioris doctrinæ chriſtianæ hoſtes oppugnavit. Quæ omnia pietatem & prudentiam, divinam cum humana ſapientia conjunctam in uno hujus animo fuiſſe, manifeſto oſtendunt. Inter hæc omnia quæ ſcripſit & edidit opera luculentiſſima nec pauca, non deſtitit voce ſtudioſam juventutem ſedulo informare, & ut primis publici muneris annis in naturalium rerum inquiſitione, poſtea in re medica, ita ultimo in politicis & ad notitiam imperii atque publicum ſtatum, fideliſſimam manuductionem præſtitit. Quantam enim ille ſuſtulit confuſionem Romanarum rerum cum imperii hodiernis mixtarum; ut ſcilicet ſolida & perſpicua doctrina, non per ambages & aniles fabulas juventus ad ipſam reip. noſtræ formam certius cognoſcendam, felicius aliquando gubernandam, deduceretur. Cum enim omnia ordine juſto, non ex alienis ſed propriis ſuis fundamentis & principiis per demonſtrationes, quantum rei proponendæ natura patiebatur, traderet, mirum non eſt, applauſum publicum omnium auditorum fuiſſe ſubſequutum. Ita publicum & geminum docendi munus cum operoſo ad communem utilitatem ſcribendi labore conjunxit. Qui enim ſummi illius philoſophorum principis Ariſtotelis inde ab ineunte ætate non lector modo, ſed admirator & aſſiduus fuerat ſectator, quid mirum, ſi illius veſtigia premens, gloriam non diſſimilem eſt conſequutus? Accedebat ad veterum, philoſophorum, medicorum, hiſtoricorum, tam ſacrorum quam exterorum lectionem,

etiam

(a) *Conſilium*) Nos quidem nihil inexpertum reliquimus, ut doctiſſimam multisque diplomatis munitam, deductionem pro Colonienſibus elaboratam conſequeremur, ſed omnis noſter labor irritus fuit. Sunt qui putant, Colonienſes eam premere, ne lites cum Electore recrudeſcant.

(b) *Ejus diplomatis*) Hiſtoriam belli hujus diplomatici expoſuimus in notis ad dictam cenſuram Tomo II. inſertam.

(c) *Malevolorum*) Malevolos autem multos expertus eſt. HADRIANVS VALESIVS opus ejus de finibus Imp. ſugillavit. OTTO TABOR a. 1651. minorem ejus corporis ſtaturam indigniſſimis modis traducebat, & ipſi imputabat crimen ſtellionatus, quod commiſiſſet ad acidulas hornhauſanas. MATTHIAS WASMVHT, profeſſor academiæ Roſtochienſis objecit illi neſcio quæ? impia & ſtupida. Vid. CONRING. *actionem injuriarum inſtitutam coram illuſtri tribunali Gottorpienſi in Matthiam Wasmuhtum p. 15.* PETR. a STREITHAGEN ſcurriliter plane in eum invehitur, quod medicus ſe alienis immiſceret negotiis. Vid. Tom. I. Opp. p. 709. ſqq. Alii alia de illo criminabantur. Vel nuper adeo in tractatum ejus de finibus imperii lib. II. c. XX. etiam calamum ſtrinxit CHRISTOPHORVS de RASEWITZ *in ſeinen alt-chriſtlichen Gedancken* p. 300. Conringius l. c. recte adſerit, *bona pontificibus romanis donata non omnino imperii limitibus excidiſſe per cæſarum dona*; & c. XXI, *terras Italicas pontificum beneficiarias videri hodieque pertinere ad ditionem imperii.* Vbi Raſewitzius putat (1) ad hæc Romæ non reſpondederi, quoniam papali auctoritati convenientius judicent, talia contemnere, quam circa talia lites amplius movere. Sed reſpondetur: ex diffidentia cauſſæ hoc fieri, ex iis, quæ in cauſſa Comaclienſi advocati Romani protulerunt, manifeſtiſſimum eſt. (2) Romanos pontifices non tam ad cæſarum donationes, quam ad liberas populorum ſubjectiones provocare. CARDINALIS de LVCA *diſcurſu* II. *n.* 14. Reſp. Hoc annalium fidei repugnat: deinde dubium admodum eſt, an illi populi ſe pontificis obſequio permittere potuerint. Ineptæ fuiſſent illorum populorum adverſus barbaros defenſiones, quod eo tempore pontifices milite deſtituebantur. (3) Authenticas donationum tabulas Romæ in archivo extare, BELLARMINVM *l. V. de Romano pontifice c. IX. in fine* docere. Reſp. Quum Romæ in cauſſa Comaclimenſi conventus inter cæſareos & papales miniſtros inſtituerentur, circa originalium productionem pontificiis miniſtris admodum hæſit aqua. (4) Raſewitzius confugit tandem ad præſcriptionem. Reſp. Quam ineptum hoc ſit aſylum, in ipſo libro de finibus imperii ab Conringio docetur. Videmus itaque, Raſewitzium jejunum admodum Conringii eſſe adverſarium.

etiam recentiorum ſcriptorum infinita fere notitia, ut de quacunque re, ſive diſſerendi ſive ſcribendi animus ipſi eſſet, memoria, quam feliciſſimam nactus erat, totum de eadem re conſignatorum operum chorum ei ſuggereret, ita ut ſine exaggeratione *bibliotheca vivens, & muſeum ambulans* ex re & vero dici meruerit. Ad tantum vaſtæ illius eruditionis apparatum uſus eſt *bibliotheca*, (a) quam collegit difficillimis illis temporibus nulli parcens pretio, rarioribus & melioribus libris inſtructiſſimam, eruditorum commercio deinde & principum liberalitate eam auxit, & nummarium non contemnendum addidit. Sed non hic locus eſt ejus laudandi aut elogium ſcribendi, cujus vitæ nudam hiſtoriam hæc *pagina capere non potuit*. (b) Corporis fuit in juventute quaſi morbidi, poſtea vero ſic ſatis firmi, niſi quod calculo ſubinde tentaretur. Senſus, auditum & viſum imprimis, vegetos & firmos usque ad extremum retinuit vitæ diem, ut minutum characterem, cui ſcribendo inſueverat, legere ſemper potuerit. Staturam vix mediocrem benigniſſima natura vaſtiſſimo ingenio, memoria fidiſſima, judicio limpidiſſimo compenſaverat. Et ſane, ut tenue corpuſculum ferendis majoribus laboribus non erat aptum natum, ita illis, quæ ſtudia requirunt liberalia, vigiliis, lucubrationibus & aſſiduitati ſcribendi ſatis robuſtum videbatur, ut, niſi quædam domeſtica ægritudo, niſi animus ſubinde turbatus, niſi denique ex publica totius Germaniæ non adeo læta facie aliquid traxiſſet moleſtiarum, forſan beati parentis ſui, qui XCIIItio ætatis anno deceſſit, longævitatem haud difficulter conſequi potuiſſet. Verum Deo opt. max. aliter viſum. Ejus paterna providentia, infinita clementia factum, ut, quod dudum optavit totoque pectore ſæpe anhelavit, id ante paucos dies ſit conſequutus. Natalem enim ſuum, ante menſem, ſeptuageſimum quintum non ſine mœrore animi & lacrimis peregit. Sed ipſe virium indies lapſantium infirmitatem ſentiens & obſervans, ſæpe fatum ſuum prædixit, nempe non fore diuturnam illam ſuæ imbecillis vitæ adhuc reſtantis uſuram. Et hactenus quidem licet afflictam videret valetudinem, non tamen decubuerat, circumambulando & interdum parumper legendo atque ſcribendo tempus fallere ſolebat. Verum die hujus menſis tertio illa corporis infirmitas tanta eſſe cœpit, ut lecto ſeſe continuerit; virium enim omnium notabilis defectus, calor febrilis quanquam non vehemens, quotidie, non ſtato tamen tempore, recurrens, magis magisque eum debilitavit. Etſi vero medicamentorum ſatis ſit adhibitum, tamen uti ipſe nil niſi per remiſſionem peccatorum reconciliationem cum Deo & ſacræ cœnæ uſurpationem deſiderabat, ita etiam d. XI. hujus menſis devotiſſima mente hanc celebravit, ſeque itineri in cœleſtem patriam, illo viatico ſumto, præparavit. Interim cum collegis poſtea ipſum viſentibus ſermonem habuit pium ſuæque valetudini convenientem, ut appareret, ratione adhuc ſatis integra ipſum frui. Die vero ſequente ſopor eum occupavit, & paulo poſt ſenſuum viriumque major defectus apparuit; horis autem pomeridianis paroxyſmo febrili revertente, ſine quidem doloris ſenſu, quantum obſervare licuit, ſine convulſionibus & mutationis ſignis, in præſentia verbi Dei miniſtrorum & aliorum Deum precantium, animam Deo creatori ſuo reſtituit, circa horam veſpertinam octavam. Ætatis annum quintum & ſeptuageſimum implevit, promiſſa capillorum canitie non minus, quam tanto prudentiæ theſauro venerabilis, medici & philoſophici ordinis, imo etiam totius hujus academici ſenatus deſiderandus Senior. Corpus ejus, tam generoſæ animæ domicilium, hodie hora prima terræ mandabitur, ad quod comitandum ut multus invitemini, pietas veſtra & veneratio ſummi viri, præceptoris veſtri optime meriti, non videtur deſiderare. Quanti faciatis excellentem eruditionem cum probitate morum & pietate conjunctam veſtra, in funere comitando, indicabit frequentia. Ut virtutis æmuli, tantæ eruditionis ſectatores ſitis, ut euthanaſiam illam, fide in Chriſtum, pietate erga Deum & homines, aliquando conſequi vobis liceat, operam dabitis, idque ut ſedulo faciatis, etiam atque etiam monemini. Valete P. P. d. XXVII. Xbris CIↃ IↃC LXXXI.

(a) *Bibliotheca*) Hæc ejus bibliotheca a. 1694. ſolemni auctionis ritu diſtracta eſt. Multi autem libri Conringio donati ſunt ab eruditiſſimis tunc temporis hominibus, v. g. Baluzio, Zieglero, cet. id quod ipſe paſſim prædicat.

(b) *Pagina capere non potuit*) Multa enim ſingularia, ad vitam Conringii ſpectantia, ex ſcriptis ejus colligi poſſunt v. g. quod de jure gentium aliquod opus meditatus ſit; auctiorem editionem libri de Germanorum imperio Romano promiſerit; ſpem fecerit opuſculi de origine Francorum; refutatus ſit a Schulzio, Poloniam Germaniæ numquam tributariam fuiſſe, temere adſerente; laudatus ſit, quod documenta & diplomata ſcriptis adjunxerit; promiſerit, peculiari opere cauſſas incrementi & decrementi finium Imperii inveſtigare; ingentem imaginum virorum eruditione & fama celebrium, ad formam ex cupro confectam affabre effictarum, numerum collegerit, de cujus inſtituti uſu in epiſtola quadam ad Boſium data fuſius agit; CRENIVS oſtendere voluerit amico peregrinanti ex litteris Conringii MSS. illum Arminianorum ſeu remonſtrantium partibus addictum fuiſſe, & ſic porro. Talia, inquam, plura occurrunt in ejus epiſtolis ad Ferdinandum Furſtenbergium, Baluzium, Boſium, Schilterum, Boeclerum, cet. in Conringianis.

De HERMANNO CONRINGIO,
Ejuſque ſcriptis DOCTORUM VIRORUM JUDICIA & TESTIMONIA.

FERDINANDUS a FüRSTENBERG

EPISCOPUS PADERBORNENSIS, in præfatione Monumentorum Paderbornenſium vocat

Conringium, virum in omni doctrinarum genere celebrem, ac Juliæ Academiæ lumen. Ejuſdem libri ſecundæ edit. p. 324. plena eſt laudum Conringii.

HUGO GROTIUS ep. ad Conring. ſcript. an. 1634. quæ eſt in opere Epiſt. Grotian. Amſtel. 1687. edito 358.

Clariſſimo eruditiſſimoque Viro *Hermanno Conringio philoſophiam profitenti.*

Oratorem te præſtitiſti egregium, Conringi doctiſſime, cum in ſapientum principis laudes vim eloquentiæ intendiſti: nec minus philoſophum, cum ita temperaſti laudes Ariſtotelis, ut poſteris non adimeres ſpem quædam ipſi ignota diſcendi, aut temporis magiſterio immutandi in melius, ſi quid feliciſſimi ingenii, humani tamen conjectura a vero deflexerat; Plane ita eſt, ut dicis: *ἡ ταξις* propria Ariſtotelis dos eſt, quæ in omnibus quidem ejus operibus eximia eſt, ſed quod ejus legem ſequi potuerit in tradenda animalium natura ac partibus, re tam varia, tum vero & in *poëſi*, quam *furoris quoddam genus* alii dixere, ad miraculum accedit. Tum vero ſyllogiſmos abſtraxiſſe a materia, & ſic mathematicis diſciplinis hanc addidiſſe partem in certitudine nihil cedentem ceteris, unius eſt Ariſtotelis munus. Quas ob cauſas aliaſque multas eos, qui ex tanti nominis ruina famam ſibi ædificare conati ſunt, contemtu puniendos cenſeo, illos vero faciendos plurimi, qui juventutem a rivis partim arentibus, partim limo turbidis ad limpidiſſimum illum ſimul uberrimumque fontem revocant. Quare *ſcholam veſtram Helmſtadienſem cum ſemper amavi, tum nunc hoc amo magis,* quod fœtus *inde tam humano generi utiles video enaſci.* Me certe non tantum operis iſtius hic approbatorem, ſed & eruditionis prædicatorem ſemper habebis &c. *Judicium de laudatione Ariſtotelis.*

IDEM ad eund. epiſt. 670. data Lutetiæ 22. Octobr. 1636.

Quantum poëtica facundia valeas, Conringi doctiſſime, oſtendit leſſus felix Claudiani imitatio: quanta autem in Te ſit cognitio rerum naturalium, ac præcipue excellentiſſimi inter corpora humani, & eorum, quæ id perpeti natum eſt, docent theſes medicæ, quas ad me miſiſti, præterea, quæ ante hac tua mihi videre ſumma cum voluptate atque utilitate mea contigit. Ego vero ſicut omnium eruditorum amicitiam feci ſemper maximi; ita expetivi inprimis illos noſſe, illis noſci, quos generoſi animi impetus ad ſcandenda artium culmina, unde vulgus longe deſpiciatur, impellit. Quare dubitare noli, quin tuo merito tuus ſim &c. *De leſſo in obitum principis Dorotheæ & theſibus medicis.*

IDEM epiſt. 1572. ad Gerardum Bode reſpondentem exercitationis de urbibus Germanicis, quæ in opere exercit. de republ. imp. Germ. eſt tertia.

VIR DOCTISSIME.

- - - - - Gratias tibi ago, ac debere me profiteor ſummas, quod exactæ diligentiæ limatiſſimique judicii opus de Germanicis urbibus meo inſcripſeris nomine. Pro quo honore mihi habito ſi quid viciſſim poſſim facere, quod tibi ſit ſuave, id facturus ſim & libenter & tuo merito. Legi libellum: planeque cenſeo, quæ ibi ſcribuntur, eſſe vera, & hiſtoriis, tum illis, quæ ibi nominantur, tum minus cognitis aliis, quas vidi, congruentia &c. *De exercitatione de urbibus Germanicis.*

IOH. HENR. BOECLERUS in notitia S. R. imperio edita. Argent. 1663. p. 14.

Id jus (in urbem Romam) cum adhuc hodie durare oſtenderit doctiſſimus CONRINGIUS libro, quem in hoc argumento excellenter laudatum volumus, de Germanorum imperio Romano, & in opere de finibus imperii c. IX & X. Romani imperii titulum non abſurde ſibi vindicat, cui Roma ſubeſt. *De Germanorum imperio Romano.*

IDEM

IDEM ibid. p. 34.

De opere de finibus imperii.

Verum nec potuiſſe vel Rudolphi vel Alberti, vel Caroli IV. aut ullorum cæſarum donationibus alienari ea, quæ ſunt imperii, neque non reſervatum eſſe ſummum jus imperii in Romanos oſtendit, & nobis diſputationem ampliorem lucrifecit doctiſſimus Conringius in præcellenti de finibus opere c. XX. & XXI.

IDEM in hiſtor. ſec. VIIII & X. p. 11.

De origine juris Germanici.

Addatur de legibus Caroli M. & conſtitutionibus civilibus & eccleſiaſticis Melchior Goldaſtus in tomis conſtitutionum & cl. Hermannus Conringius, de origine juris Germanici c. 7. 10. 12. 13. & 14.

IDEM ibid. p. 12. & 13.

De judiciis reipubl. German.

Qualia fuerint ſub Carolo M. judicia, idem Conringius de rebus Germanicis præclare meritus ſingulari diſſertatione de judiciis reipubl. Germanicæ diſquiſivit.

IDEM ibid. p. 282.

De aſſertione juris Moguntini.

Variatum eſt in ſequentibus temporibus, creditumque vulgo, hoc jus coronandi ad Colonienſem non conſuetudine tantum, ſed lege prorſus tranſiviſſe. Sed exorta nuper controverſia Moguntinus iterum vicit. Quæ occaſio fuit conquirendi momenta rationum ab utraque parte, venitque ad manus meas, dum hæc ſcribo, Francofurti excuſa aſſertio juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum a clariſſ. Conringio ſcripta.

IDEM ibid. p. 286.

Fridericus I. Aquisgranenſibus privilegium a Carolo M. conceſſum, ut ajebant (vel ut fingebant, quod clar. Conringius in aſſertione juris Moguntini monuit) ſuper hoc negotio confirmavit.

IDEM ibid. p. 295.

De Germanorum imperio Romano.

Imperii Romani & imperatoris Romani nomen, qui reſtrinxerunt ad urbem Romam, quæque ejus ditionis ſunt, excluſis omnibus aliis, ipſoque regno Longobardico, ceu, ut poſtea dici cœpit, Italiæ; ſatis magna ratione motos dixeris, ad diſtinguendum, quæ in hac diſputatione plerumque confuſius agitantur. Id quod incomparabili dexteritate præſtitit clar. Conringius in libro de Germanorum imperio Romano. Sed ea diligentia in hiſtoricis fruſtra forte quæritur.

IDEM in diſſert. de eo, quod civitas egit.

De introductione in Ariſtotelis politica.

Laudat Conringii iſta verba ex introductione in Ariſtotelis politica: Civitate ſignificari totum quid, ſicut anima ſignificat totam ſubſtantiam animatam & addit: Libenter utor verbis doctiſſimi Conringii: quorum veritas tum ex infinitis Ariſtotelis locis, tum ex hac ipſa diſputatione, quæ primum libri tertii caput conſtituit, demonſtrari poteſt.

JOH. LIMNAEVS not. ad capitul. p. 136.

De origine juris Germanici

Creditum hactenus vulgo fuit, Lotharium imperatorem Romanas leges in Germaniam introduxiſſe: at quam longe a vero hæc abeat opinio, non ita pridem docuit Herm. Conring. de origine juris Germanici.

STEPHANVS BALVZIVS præfat. ad capitul. Francorum n 1.

De eodem libro.

Ita ſenſiſſe reperio virum inter Germanos doctiſſimum Hermannum Conringium in libro de origine juris Germanici c. 10. Ubi & verba quædam Conringii ex eo libro laudantur.

IDEM ibid. n. 44.

Verum recte admonuit Herm. Conringius, falſam eſſe eorum ſententiam, qui collectionem juſſu concilii Meldenſis factam putant. In margine citatur lib. de origine juris Germanici cap. 15. & 17.

Autor vindiciar. Anhaltinarum, qui eſt MARTINVS MILAGIVS, cancellarius Anhaltinus in refutatione Eclipſeos p. 42.

De eodem.

Hic tamen eclipſis erroneam illam relationem perſtringi a Conringio. Eruditus certe eſt viri hujus rerum Germanicarum periti tractatus, quem nobis de origine juris exhibuit.

MONZAMBANVS de ſtatu imperii c. 5.

De eodem.

Ad poteſtatem legislatoriam pergimus. Ea cui competat, planius adparebit, ſi intelligamus, quali jure & unde introducto Germania utatur. Ubi facem nobis prætulit Hermannus Conringius erud. tractatu de origine juris Germanici, quem hic fere ſequimur.

IDEM in præfat

De ſcriptis juris publici.

Berolino me degreſſum aula ducis Brunſvicenſis excepit. Ubi præter cetera gratiſſimum fuit miſcere ſermones cum profeſſore ex vicina Academia, quem jam tum Ratisbonæ a rerum patriarum notitia inſigniter commendari audieram. Nam & in plerisque circa ſtatum Germaniæ mecum conſentiebat, & ſua ſcripta longe diverſum a reliqua turba genium præ ſe ferentia, promte communicabat. In quibus etſi multa ſat libere poſita erant, non obſcure tamen apparebat, non parum ipſum diſſimulaſſe declinandis potentiorum offenſis, aut ne inſulſorum hominum clamores in ſe irritaret.

ERICVS MAVRICIVS de principiis juris publ. cap. 2. §. 3. *edit. Tubing.* 1665.

De notis in Lampadium.

Singulæ gentes ſuum habent idque peculiare jus publicum &c. Quod & more ſuo accurate obſervat H. Conringius in MStis notis ad Lampadium in præfatione.

IDEM

Digitized by

IDEM ibid. §. 6.

Qua de re operæ pretium eſt, afferre integrum & elegantem H. Conringii locum excerptum ex præfatione, quam Cornelii Taciti de moribus Germanorum libello prolixam præmiſit, cujus poſtrema ſe nobis valde probant. Apparet (verba ipſius ſunt) cuivis vel leviter in hanc juris publici ſcientiam intuenti &c.

De præfatione in Tacitum de moribꝰ Germanorum.

IDEM in diſſert. jur. publ. de origine elect. & comitiis electoral. c. 2. theſ. 3.

Altera de vicariatu controverſia hodieque durat, dum illam ad ſe pertinere utraque domus, abnuente altera, perhibet. Palatinus cauſæ ſuæ patronos inter alios eſſe voluit viros celeberrimos Hermannum Conringium, (is enim autor eſt libri anonymi, qui inſcribitur vicariatus imperii palatinus defenſus) Joh. Freinsheimium &c.

De vicariatu imperii palatino defenſo.

JOH. STRAUCHIUS JCtus in diſput. priore ad Tac. de moribus Germanorum habita Lipſiæ an. 1650. cum ibi hiſtorias profiteretur.

De cauſis habitus corporum Germanorum, non eſt meæ profeſſionis agere. Videant & videantur medicorum filii, & qui peculiarem huic rei dedit non ita pridem tractatum H. Conringius medicus & hiſtorico-politicus excellentiſſimus.

De habitu corporum Germanicorum.

JOH. HENR. MEIBOMIUS libro poſthumo de cerviſiis C. 3. §. 25.

Ab hac ſicera ſequior ætas ſiceratores dixit, non ſiceræ tantum ſed aliorum potuum confectores. Carolus M. imp. in capitulari de villis, edito a clariſſ. & amiciſſimo nobis Hermanno Conringio &c.

IDEM ibid. c. 25. §. 15.

Quibus (ſcriptoribus cerviſiæ uſum & commoda prædicantibus) adde eruditiſſimum Herm. Conringium, amicum noſtrum ſingulari libro *de Germanicorum corporum habitu antiquo &c.*

De habitu corporum Germanicorum.

DAVID BLONDELLUS geneal. Francicæ plen. aſſert. tom. I. XLIX. fol. 46.

Leonis III. ad Carolum M. decem epiſtolas ex membranis Helmſtadii ante aliquot annos reconditioris eruditionis vir Hermannus Conringius edidit.

De Epiſtolis Leonis III. Papæ.

BRIANUS WALTONUS in prolegomenis ad Biblia Polyglotta proleg. II. n. 3.

Imo non deſunt viri docti magnique judicii, qui Hermetem iſtum mercurium Ægyptium, & omnia, quæ de ipſo feruntur, eſſe fabuloſe conficta aſſerunt: ut videre eſt apud Conringium virum doctiſſimum lib. de Hermetica Medicina c. 7.

De hermetica medicina.

THEOPH. SPIZELIUS de re literaria Sinenſium p. 66.

Omnem hunc literarum hieroglyphicarum theſaurum, ſpecioſam illam Bembinam tabulam, & quicquid præterea paſſim ſuper eſt, ne per Oedipum ſolidæ quicquam ſuppeditare doctrinæ judicat incomparabilis Conringius lib. 1. de hermet. medic. c. 14.

De eodem opere.

ATHAN. KIRCHERUS mundi ſubterr. lib. XI. ſect. 2. c. 7.

Unde eruditus Conringius in ſuo *de hermetica medicina* inſigni ſane libro recte refert: Paracelſus, quantumvis acuti fuerit ingenii &c.

DANIEL GEORG MORHOFFIUS de metallorum transmutat. p. 101.

Venio ad alteram diſſertationis meæ partem de antiquitate hujus artis & autoribus, per quos illa tradita eſt & propagata. Quo in argumento cum dudum ſummo ingenio ac induſtria verſati fuerint viri præclariſſimi: Conringius libro de medicina hermetica, Reineſius in defenſ. Chymiatriæ, Borrichius libro de ortu & progreſſu Chemiæ, quid opus eſt cramben illam a nobis recoqui?

De eodem.

M. AURELIUS SEVERINUS Neapol. in vipera Pythia ed. Patav. 1651. p. 345.

Quod advertit naturæ conſultiſſimus Hermannus Conringius in Academia Julia profeſſor & ſcriptor abſolutiſſimus in libro de generatione & motu ſanguinis c. 17.

De generatione & motu ſanguinis.

JOH. RIOLANUS de motu circulat. ſanguinis in grandi opere Anthropographiæ edit. Par. 1649. p. 554.

Poſt Leidenſes medicos nuper in lucem prodiit liber Hermanni Conringii profeſſoris in Academia Julia doctiſſimi, qui ſtrenue defendit circulationem ſanguinis per cor & pulmones.

De eodem libro.

PAULUS MARQ. SLEGELIUS in comment. de motu ſanguinis contra RIOLANUM, in præfat.

Ab hoc (Caſpare Hoffmanno) ſi quis inter Germanos antiquitati eſt deditus & veterum gnarus: certe eſt Hermannus Conringius phil. & medicus excellens. Hic vero in epiſtola an. 1640. ad me ſcripta fatetur, venerari ſe τὰ παλαιὰ, ſi quem alium: at ſenſibus magis fidere. Item vel invitum ſe rapi in caſtra Harveji & manus dare. Inquiſivit autem ſtudioſiſſime in totam hanc doctrinam, & ipſe egregio opere illuſtriorem reddidit.

De eodem libro.

THOM. BARTHOLINUS præf. ad lectorem libri de luce hominum & brut. edit. ſecundæ 1669.

Poſt prima prioris editionis lineamenta, alii non inglorii in hac luce ſe exercuerunt Hermannus Conringius ſeculi ornamentum *in igne animali &c.*

De calido innato ſeu igne animali.

VINCENT. PLACCIUS catal. Pſeudon. p. 190.

Irenæi Eubuli Theologi Auſtriaci de pace perpetua proteſtantibus danda Conſultatio Catholica

De pace conſultatio.

lica Frideb. 1648. publicata, doctiſſima ac omnibus a rerum uſu publico juxtaque religionis ac eruditionis cura non omnino remotis innotuit non minus ac illuſtris & excellentiſſimus egregii hujus ſcripti auctor HERMANNUS CONRINGIUS, poſtquam in ſuis de pace perpetua libellis Helmſt. an. 1657. in 4. excuſis publice partum ſuum quaſi poſtliminio genuinum ipſus agnovit ac probavit. Atque utinam omnes alii pſeudonymi tam conſulte feliciterque nominis occultationem adhibuiſſent. Hoc ſiquidem ſcriptum, non modicum ad promovendam inæſtimabilem pacem Osnabrugenſem momenti tum attuliſſe noverunt ii, quibus temporis illius res geſtæ & conſilia vel aliqua ex parte innotuerunt.

JOH. SCHILTERUS JCtus exerc. XX. ad Pand. p. 406.

De pace civili.

Sed quorſum me abripit agonizantis patriæ amor? Vos, qui mox rebus & conſiliis intereſſe laboratis, commilitones, de his unicum civilis prudentiæ ſuperſtitem auctorem Hermannum Conringium, cujus ſcripta omnia merito admiremini, in aureo de pace civili libro diſſerentem auſcultate.

SAMUEL MARESIUS de igne fatuo Valeriani Magni p. 160.

De concuſſione fundam. fidei.

Sed circa hæc ſufficiat amandaſſe Monachum ad ampliſſimi & doctiſſimi viri D. Hermanni Conringii concuſſionem fundamentorum fidei pontificiæ, cui Valerianus ſolidam reſponſionem debet, & debebit æternum.

IDEM ibid. p 214.

Concluſiones ejuſd. concuſſionis vocat invincibiles.

ELIAS VEJELIUS SS. theol. D. prof. & eccleſ. Ulmenſis exerc. hiſt. theol. de eccleſia Græcanica hodierna p. 32. *& ſeqq.*

De purgatorio.

Contendantur modo invicem ea, quæ ὁ πάνυ Conringius ſcripſerat, cum iis, quæ Allatius repoſuit &c. ubi adverſus Leonem Allatium defenſionem ſuſcipit eorum, quæ Conringius de purgatorio contra Muhlmannum ſcripſerat.

Dominus JOH. MABILLON de re diplomatica lib. 1. *c.* 1. §. 2.

Cenſura diplomatis Lindavienſis.

Multi varias ſparſim regulas, ubi de ſingulari inſtrumento agebatur, tradiderunt; inprimis Leo Allatius in animadverſionibus ad fragmenta antiquitatum Etruſcarum, & *Hermannus Conringius in cenſura diplomatis Ludoviciani* pro cœnobio Lindavienſi: at nullus ad hoc usque tempus peculiari tractatione rem aggreſſus &c.

J. G. SULPICIUS (Culpiſius) *diſſert. de ſtudio juris publici.*

De notis in Lampadium.

Illis tamen, ac in univerſum cæteræ tractationi Lampadianæ imperfectiori egregie ſubvenerunt *annotata* ab *Hermanno Conringio* V. Cl. aliquando addita, quorum pars publice extat, reliqua manu ſcripta in eruditorum manibus verſatur.

IDEM ead. diſſert.

De prudentia civili propoliticis, introductione in Ariſtotelis politica.

De civilis prudentiæ ſtudio hic profeſſa opera nihil traditur, --- cujus alias ſolidior cognitio unde & quomodo comparari poſſit ac debeat, præter eos, qui *conſilia* hanc in rem fecerunt, qualia in Belgio conjunctim edita, ac denuo cura *Hermanni Conringii* Helmeſtadii recuſa extant, hujus libellus *de prudentia civili* & *propolitica* per partes demonſtravit. Addenda eſt ejusd. *introductio in Ariſtotel. politica.*

IDEM in diſſert. de ſtudiis Academicis.

Omnino autem prætereunda non ſunt jam laudati *Conringii* duo opuſcula, quorum unum de *prudentia civili*, alterum *propoliticorum* indice præfixo, in publicum vulgavit, a quorum lectione ſtudium hoc feliciſſime auſpicamur. Sunt enim *Conringii* in hoc diſciplinæ genere labores fere incomparabiles.

MORHOF. polyhiſt. lib. 1. *c.* 16.

De antiquitatibus Academicis.

Ad hiſtoriam literariam pertinent & illi, qui de Academiis ſcripſere. Hic primo loco merito poni debet HERMANNUS CONRINGIUS vir πολυμαθέστατος, qui de *antiquitatibus Academicis* librum ſingularem ſcripſit. Ejus poſtrema editio multa habet additamenta, quæ pene altero tanto ſuperant editionem priorem. Liber eſt doctus, & in hoc argumento fere unicus.

GUY PATIN. lettr. 330.

Martinus Schookius à écrit beaucoup de livres --- Il eſt auſſi ſçavant, que ces anciens Sophiſtes, qui diſputoient & ecrivoient, de tout ce, qui ſe pouvoit ſçavoir. Lui & *Conringius* en Allemagne ſont en cette façon de ſcience & d'ecrire le plus ſçavans hommes de l'Europe.

IN EFFIGIEM
VIRI CELEBERRIMI
HERMANNI CONRINGII,
ut ingenio & doctrina maximi, ſic corpore
& ſtatura parvi.

Nobiliſſimus Senator & ædilis Lipſienſis FRID. BENEDICTUS CARPZOVIUS JCtus, vir demerendis literatis literisque promovendis totus natus, hoc compoſuit epigramma,

Οὐ νόον, ἢ σοφίαν γλύπτης ἐκ οἶδε κολάπτειν,
Βαιὸν ἀριπρεπέος δ' εἴκελον ἀνδρὸς ὁρᾷ.

Αἰυτε-

Δεύτερον ἂν φαίης μὴν Τυδέα θῦρσι ὑπάρχειν,
Ἐν δαὶ Καδμείων ὃς περιέσκε κόρων.
Αὐτὰρ ὅγ' ὁ Τυδεὺς ὁ μέγας ΚΟΝΡΙΓΓΙΟΣ ἐςὶ,
Τῦ μέγα καὶ μεγάλη γαῖα τέθηκε κλέος.

SCHURZFLEISCHIUS in epiſt. ſelect. p. 60.

Illud vero, quod tunc de Conringio veſtro ſcripſiſti, multo me gaudio affecit, cum ob recuperatam valetudinem, tum ob egregium, quem in cauſa Lindavienſi ſuſcepit laborem. Admiror ingenium viri, & judicium ſingulare, & immenſam lectionem. Vsque adeo ille ſolus in hiſtoria germanica excellit, & noſtris perinde atque exteris lumen accendit, dignus, cui poſteritas ſtatuat illuſtratæ Germaniæ monumentum! Mihi ſatis erit ſequi veſtigia viri & agnoſcere merita, ac referre poſteris magnum nomen.

CONR. SAM. SCHURTZFLFISCH ſub nomine Eubuli Theosdati Sarckmaſii in judiciis de noviſſimis prudentiæ civilis ſcriptoribus, quæ reperiuntur in nova librorum rariorum collectione faſcic. I. p. 119. Halæ 1709.

Is merito ſummus rerum Germanicarum doctor audit, quippe cui id communis noſtra patria haud dubie acceptum feret, quod non de facie modo, ſed etiam de animo, & multo exquiſitius, atque antehac, noſcere ſeipſam coeperit. Multa equidem, fateor, Limnæo debemus, ſed plura, niſi fallor, Conringio, diligentiſſimo ceterorum, ita præcipuo Limnæi cenſori. Nam hic & nimis ſæpe liberaliter multa ex aliis colligit, & tabulas publicas ſubinde allegat nulla fide, nullo aſſenſu, nullo calculo dignas. Nec pauca, ut molliter dicam, in ipſa Carpzovii lege regia deſiderare oculatiſſimum virum accepi. Sed neque una vice M. Goldaſti Prytaneo, dum viveret, digni, in recenſendis ſanctionibus publicis credulitatem accuſat, & ita accuſat, ut cauſſam non finxerit, ſed invenerit. Verum hic legem mihi ponit Pallas, ut manes optimorum virorum quieſcere finam, vel ipſo Conringio internuncio, me jubet. Vnum addam, quod de ævi noſtri Papyrio ſummus polyhiſt. Argentinenſis Bœclerus identidem ſatis confidenter adfirmat, eum, ſi civili tantum prudentiæ ſe conſecraſſet, plane ſine exemplo futurum fuiſſe. Inter cetera ingenii argumenta, luculentiſſima de origine juris Germanici & de finibus imperii opera toties miror, quoties lego. Tabori, qui litem ipſi inutilem movit, & magno, ſi Diis placet, ejus vindici ad Lanum Malcomeſio meliorem omnino mentem precor. Huc enim lucis jam tum noſtro ſeculo ventum eſt, ut doctos merito ſuppudeat veterum iſtiusmodi næniarum, & ſi recte judico, ad loquaces mulierculas pertinentium, aut certe exquiſitiori animo indignarum maxime. Dumque has tædet referre in præſens, optandum erat, ut per otium liceret, de præclariſſimis noſtratis politici diſſertationibus aliquid commentari. Sed hoc conanti pauloque liberius cenſenti ſuperveniebat Apollo, & jam illi πολυπραγμοσύνην, jam juſto vehementiorem animi cum erga Waſmuthium, tum erga alios, ut cauſabatur innocens, impetum ſolito audacius exprobrat. Sed ut mitiori ingenio eſt Mercurius, ita caduceo ornatus, in medium prodibat judicium paulo mollius in ſancta illa corona interpoſiturus. Nimirum hæc atque alia non eſſe tanti adfirmabat, ut propterea ſummam in rebus civilibus partam famam ſugillare cuiquam integrum ſit.

Vid. Pacif. a Lapide diſc. L. 3.

Vid. diſſ. de Germ. imp. civilib. th. 42.

JOH. CORVINUS Theologus in epiſtola ad Georgium Calixtum, Nordæ X calendis Decembr. MDCXXXI data.

Conringium meum, raro ingenio, judicioque exacto juvenem ad vos redeuntem ſine meis ad T. D. litteris dimittere non potui - - - Si belli infortunio poſt tantum temporis intervallum colere amicitiam modo incipimus, poterimus id per hunc amicum tanto agere impenſius. Etenim Nordæ adhuc hæreo, ſeniori Conringio, viro pietatis ſummæ, vicinus, ad quem per filium litteras tuto mittere T. D. poterit - - - Conringium autem meum, omnium bonorum amore dignum, commendatum habe.

H. EYBEN. in tr. de tit. nob. §. 30.

Vir ſummus.

JOH. OT. TABOR in Racem. crimin. definit.

Hiſtoricus præcellentisſimus.

C. E. REICHENBACH. in not. ad Schnobel. diſp. feudal. 1. §. 4. lit. E.

Hiſtoricus pariter atque politicus incomparabilis.

FREINSHEM. de elector. & cardinal. præcedent. D. 3. n. 22.

Vir plurimæ lectionis & exactiſſimi judicii.

H. ERNST. ſtat. jurisprud. c. 1. n. 50.

Vir eximius, amicus meus vetus & longe cariſſimus.

IBID. cap. 2. n. 31.

In promovendo publico bono vigilantiſſimus.

IBIDEM cap. 3.

Vir magni judicii.

A FIBIG. I. elect. jur. publ. q. ult.

In antiquitate Romana & Germanica verſatiſſimus.

A CRUS. de præcedent. lib. 2. cap. 1. not. 104. & cap. 8. n. 7.

Æternum Juliæ decus.

A CLASEN. lib. 1. polit. cap. 3. §. 9. in notis.

Vir omni laude ſuperior.

IBID. in præfat.

Vir magnificus, & excellentisſimus, doctor exactus politici ſtudii, Ariſtotelis accuratus interpres; ipſe eſt, quod citra adulationem dico, qui poſt Ariſtotelem cœpit demum paulo accuratius philoſophari in civilibus.

A CRUS. de Widikindo cap. 2. n. 12.

Academiæ Juliæ perpetuum decus.

RHETIUS in comm. ad jus feud. commune proœm. n. 6.

Huic Germaniæ hiſtoria ex vero tantum debet, quantum ante ipſum vel nulli vel certe paucisſimis.

H. MEIBOMIUS JUN. in præfat. opuſculis hiſtor. ævi ſui præmiſſ.

O θαυμάσιος CONRINGIUS, cum in omni ſtudiorum genere facile princeps, tum in media antiquitate ſine exemplo verſatus.

MICH. PRAUN. in præfat. tr. Von den adelichen und erbahren Geſchlechten in den Städten.

Ein Mann eines groſſen Namens unter den Gelehrten.

JOH. STRAUCH. lib. 1. inſt. juris publ. tit. 2. §. 2.

Politicus incomparabilis.

IDEM & imaginem viri ære expreſſam hoc elogio ornavit:

Pictor ait: vultum CONRINGI pingere, mentem
Non poſſum, ipſa ſua pingitur arte ſibi.
Errat: qui totus mens eſt, quod pingitur ejus
Aut mens, aut mentis fiet imago ſuæ.

THOMASIUS de Conringio *in den* Juriſtiſchen *Händeln* parte II. *in dem 5ten Handel p. 172.*

Es iſt doch bis anhero der Mangel der wahren Lehre von der Klugheit nicht erſetzet worden, bis letztlich der berühmte Medicus *zu Helmſtädt* Hermannus Conringus, *dem die Klugheit und* Jurisprudenz *viel zu danken hat, anfing die* Philoſophen *von ihrem Schlafe zu ermuntern, und ſelbſt ein wenig durchzubrechen,* tract. de civili prudentia.

JOH. PETER à LUDEWIG in Germania principe ſub Conrado I. T. II. opuſculorum Lib. I. P. II. p. 242. col. 2. ubi ſententia Conringii probatur de mutata Germaniæ facie ſub Conrado I.

Schatenius, Conringius, Monzambano & Cocceji, quorum labores & facem nobis prætulerunt in plurimis, & in nonnullis otium fecerunt.

IDEM T. II. Opp. Lib. IV. P. I. de differ. jur. Rom. & Germ. in titulo imperiali pag. 1050.

In medica arte celebris hiſtoria eſt de Conringio, quod, jurisprudentia relicta, medicinæ ſe dederit in gratiam uxoris.

IDEM T. I. L. I. P. VI. p. 425. de jure allegandi ordinum S. R. I.

Quam veriſſimum eſt, Conringianum dogma, hiſtoriam non ſolum omnis juris, publici maxime, optimum præſidium eſſe, ſed ipſarum quoque legum ſcientiam hiſtorici vere argumenti.

JOH. FABRICIUS in hiſt. Biblioth. Fabric. Part. IV. p. 202.

Herm. Conringius natus Nordæ, Friſiorum urbe, hereditarius in Twulbſtett & Sirbeck, Medicinæ D. ejusque & politices profeſſor in academia Julia, regum Sueciæ & Daniæ principumque diverſorum conſiliarius, atque a Ludovico magno, propter doctrinæ claritatem, usque ad initia belli contra Belgas ſuſcepti, annuo ſtipendio mactatus, vir ſtatura vix mediocri, ſed vaſtiſſimo ingenio, memoria fidiſſima, & judicio limpidiſſimo, immo juris naturalis, gentium, publici, ac philoſophiæ omnis peritiſſimus, præterea philologus inſignis, orator, poëta, hiſtoricus, theologus, editis multis ſcriptis præſtantiſſimis, iisque theologicis, medicis, phyſicis, & philoſophicis, item hiſtoricis, politicis, & juris publici, nec non philologicis & varii argumenti, quorum omnium catalogus ejus epiſtolis præfixus eſt, pie placidiſſimeque acquievit an. 1681. ætatis 75.

STOLLE in der Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrtheit. Cap. VI. *von der Hiſtorie* p. 272.

Fr. Irenicus, B. Rhenanus, Herman. Conringius *und* Nic. Hertius *haben der alten Hiſtorie von Teutſchland ein groſs Licht gegeben.*

p. 278.

Daſs Conring *der erſte geweſen, der den wahrhaftigen* uſum *der* hiſtoriæ antiquæ *unter den Teutſchen entdekket, hat nebſt andern bereits Hr.* Reimann Vol. II. p. 95. annotiret. *Es gehœret ſonderlich hieher, was er* 1654. de republica antiqua veterum Germ. *edirer.*

P. III. p. 727. cap. V. *von der* Politic.

Ich wolte wünſchen, daſs Herm. Conringius *ſich an ein volſtändig* ſyſtema *von der Staats-Lehre gemacht hatte, denn ſeine Anmerkungen über den* Machiavellum *und andere Schriften weiſen zur Gnüge, daſs er hierzu inſonderheit tüchtig geweſen. Inzwiſchen kan man ſein Buch* de civili prudentia, quo prudentiæ politicæ cum univerſalis philoſophicæ, tum ſingularis pragmaticæ, omnis propædia acroamatice traditur, (Helmſt. 1662. in 4to. *Sihe inſonderheit* Chriſt. Thomaſii orationes academicas pag. 439. ſeq.) *als eine Vorbereitung gebrauchen. Seine* Propolitica (ibid. 1663.) *ſind gleichſam ein* Compendium *davon.*

Conring *war anno 1606. zu Norden in Oſt-Frieſsland zur Welt gekommen, und hat 1681. den 12ten December, im 75. Jahre ſeines Alters wieder von derſelben Abſchied genommen, nachdem er ſowol durch ſeine politi-*

Digitized by Google

litiſche als hiſtoriſche und ins jus publicum *lauffende Schriften als* Profeſſor *zu Helmſtedt ſich ungemein beliebt und berühmt gemacht hat.* Vid. *Reimmans* hiſt. lit. Vol. V. p. 246. 247. ſeq.

P. III. Cap. IV. *von der* Politic p. 702.

Die beſte Einleitung zu des Ariſtotelis libris Πολιτικῶν *hat uns* Herm. Conringius *gegeben.* Introductio in polit. Ariſtotel. Helmſtad. 1656. 4. conf. Thomaſii orat. acad. p. 439. ſeq.

IBID. p. 714.

Herm. Conringius *iſt meines Wiſſens der beſte* Commentator *über des* Machiavelli principem.

JO. FRIDER. FELLERVS in monum. var. ined. trimeſt. VII. p. 405.

Hermannus Conringius eruditorum ævi ſuperioris decus incomparabile.

GEBH. THEOD. MEIER in præfat. ad analyſ. polit. Ariſt. n. 46.

Maxime celebris ſæculo decimo ſexto fuit NICOL. MACHIAVELLVS, patria florentinus, de quo πολιτικώτατος noſter Conringius videndus.

JACOB FRIDERICH REIMMANN in ſeiner hiſtoria litteraria *der Teutſchen* p. m. 95.

Hermannus Conringius, *welcher ein rechter* Triſmegiſtus germanicus, *und* in omni ſcibili *vortreflich* verſiret *geweſen, iſt der erſte, der den wahrhaften* uſum *der* hiſtoriæ antiquæ *unter den Teutſchen entdekket, und den Gelehrten das* Arcanum *gevvieſen hat, vvie ſie die alten Geſchichte zu der Erlauterung der Lehr-Satze in den Wiſſenſchaften gebrauchen, und alſo der verblendeten* Statuæ Polyphemi *das Auge vvieder einſetzen ſolten, vvelches ſie durch die unnützen* Speculationes *der* Scholaſticorum *verlohren hat. Denn vvem haben vvir es zu danken, daſs vvir in der* Jurisprudentia Germanorum *anjetzo vveiter ſehen, als die Alten in ihren Cimmeriſchen Finſterniſſen haben ſehen kunnen? Niemand anders, als dem vielaugigen* Conringio. *Der hat die* hiſtoriam juris Germanici *zum erſten mal unter der Bank hervorgezogen, er hat die obſcuren Puncte der teutſchen Rechte aus der Antiquitat erlautert. Er hat den Gelehrten den Weg gevvieſen, den ſie gehen ſolten, vvenn ſie den Fußſtapfen der* hiſtoriæ litterariæ *folgen, und ſich in ihrer Wiſſenſchaft einer* Solidité *befleißigen vvolten. Und ungeachtet alle ſeine Schriften vvol vverth ſind, daß ſie mit ſonderbarem Fleiß und Aufmerkſamkeit geleſen vverden, von denen, welche die vvahre Weißheit in Ehren halten; ſo vvollen vvir doch vorjetzo unſrer Abſicht gemaß nur an diejenigen gedenken, die zu der Erlauterung unſers gegenvvartigen Circuls mit gehœren.*

PLACCIVS de ſcriptoribus anonymis cap. V. n. 1058. p. 267. edit. Fabricii.

De ſtatu Bremenſis urbis anonymum ſcriptum commendatur ab Johanne Scheffero, de generoſi nobilisque informatione litteraria diſſertatione in 8. Holmiæ 1678. edita p. 25. quæ tamen eſſe Conringii ſcribitur ibidem: nempe celeberrimi illius Hermanni, tot ſcriptis in omni genere facultatum atque doctrinæ celeberrimi profeſſoris publici Helmſtadienſis, præceptoris olim mei & fautoris etiam a morte colendi. Librum nec Lipenius habet, nec alias novi.

Tomo I. operum Conringianorum p. 810.

Reperitur excellens admodum elogium de charactere & polymathia Conringii, quod legi meretur.

D. G. MORHOFE in Polyhiſtore P. I. Cap. XVI. §. 31.

Guido Patinus epiſt. 122. Rainaudum cum Martino Schookio & Hermanno Conringio confert. Longe autem profundior eruditio & limatius in Conringio, quam in Rainaudo, judicium fuit. Quod qui diſcernere non novit, næ is vel parum judicandi ſolertia valet, vel partium ſtudio ducitur. Parum quoque apte cum Schookio confertur Conringius in hac triga principe loco nominandus.

IDEM P. III. Lib. VI. ſect. 9.

Speciales juris publici diſſertationes ſcripſit Herm. Conringius, qui maxima cum laude juris publici profesſionem ſuſtinuit Helmſtadii. Continent vero illæ diſſert. pleraque juris publici capita, ut proinde vera fundamenta ex his ſolide ſterni queant. Idem vir inſignem ſcripſit commentarium in Jac. Lampadii jus publicum, quo in libro habentur illa ſuo loco poſita, quæ in diſſertationibus fuſius ſunt deducta.

VALENTINVS HENR. VOGLERVS introd. in notitiam bonorum ſcriptorum cap. III.

De bibliotheca Auguſta Wolfenbuttelenſi, prolixe juxta & accurate, ceu ſolet, egit ὁ πάνυ Conringius noſter.

IDEM ibid. cap. 28.

Quod de mendis operum Ariſtotelis vix quisquam vel cogitaſſe videatur, factum eſt, ut multi miris modis ſeſe maceraverint, tantummodo ut ſenſum deficientem poſſent explere: cum tamen longe aliis morbis ea laborent. Id quod in politicorum ejus opere citra exemplum luculenter oſtendit amplisſimus Conringius noſter.

HENRICVS MEIBOMIVS in introd. ad hiſtor. Sax. infer. p. 77.

Multa præclara de ea re ſcripſit vir eruditiſſimus H. Conringius, in eximio libro ſuo de origine jur. Germ.

CAROL. LVDOV. TÖLNER in hiſtoria Palatina cap. IV. p. 114.

Neminem, ævo inprimis Carolino, comitum palatinorum, qui provinciis præfuerunt, dictum fuiſſe comitem palatii, recte obſervavit SIDVS ILLVD SAXONICVM, cl. CONRINGIVS, in doctiſſima cenſura diplomatis Ludoviciani.

WILHELM. ERNEST. TENZEL in hiſtoricis vindiciis pro Hermanni Conringii cenſura diplomatis Lindav. contra auctorem Juſta defenſionis &c. ad cap. I. p. 7.

At quid rerum ſtatim initio operis conjecta in emortuum illum convitia? Qui ſi viveret leo, has vel derideret ineptias, vel fortiore calamo deprimeret. Meliora multo de ipſo alii, maximique utriusque religionis & doctrinæ viri principes; quibus vitam, ſtudia & in rempublicam bene merita feliciſſime approbavit. Omittimus Gallos interque eos Baluzium, cujus in laudem Conrin-

 gii

gii & contra diploma prætenſum effata in nupero epiſtolarum Conringianarum ſyntagmate ſecundo, & ante & poſt editam dictam cenſuram epiſtola 14. 16. 18. 25. 26. exſtant integra: omittimus Belgas & magnum nomen Grotii, omittimus Italos, quia in panegyri nunc occupati non ſumus. Te inter mille Germanos & millium inſtar appellamus Ferdinande Fürſtenbergi, Paderbornenſium princeps doctiſſime & doctiſſimorum princeps, cujus & in monumentis p. 324. ſecundæ edit. honorificentiſſima cernitur Conringii mentio; & per integrum primum ſyntagma jam dicti tractatus litterarium cum ipſomet commercium. Appellamus ulterius auguſtiſſimum cæſarem, cujus ſacratiſſimæ majeſtati, Conringiana *de finibus imperii* tractatio adeo placuit, ut juſſa ſit ſecunda parari editio, quamvis præveniente morte abſolvi non potuerit.

IDEM *ad cap. I. n. 3. p. 13.*

Quis prudens urbi vitio verterit, eum adiiſſe virum, quem non dicam tot undique eruditi, ſed tot principes, electores, reges, ipſeque imperator de rebus graviſſimis conſulebant, nunquam intentione fruſtrati.

IDEM *ad cap. III. n. 8. p. 66.*

Conringii ſententiam requiſiviſſe ſenatum Lindavienſem, non judicialem vimve legis habituram, ſed illam animi, qualis a viro docto, ingenuo, nulli partium addicto, & antiquitatum Germanicarum informatiſſimo requiri ſolet, ſupra memoravimus. Si quid vero in eo peccavit ſenatus, ſane ipſum Leopoldum ſummum principem ejuſque curiam peccaſſe, diceret hyperaſpiſtes, quorum juſſu & auctoritate Conringius alteram operis de finibus imperii editionem defenſionemque adverſus Gallos ſuſcepit.

LUDOLPH. GEORG. LUNDE in præfat. Ioh. Boteri relationibus de rebus publicis, præmiſſa.

Hermannus Conringius viva illuſtris Juliæ bibliotheca, prius quam accurata rerumpublicarum cognitione nos imbueret, antiquum nunquam non ſumma laude extollendum obtinens authores, quorum opera in civitatum ſcientia comparanda uti poſſemus, recenſebat. &c.

MAXIMILIAN RASLER in vindicatione contra vindicias Tenzelianas pro Conringio, tract. prælim. n. 2. p. 2.

Prodiit Helmſtadio H. Conringii, viri inter ſuos magni, cenſura noſtri diplomatis controverſi.

IDEM *n. 4. p. 3.*

Adverſarius is, cujus celebre inter eruditos nomen.

BURCARD GOTHELFF STRUVE *in bibliotheca juris ſelecta cap. VII. §. 8.*

Præſtant omnino Hermanni Conringii tractatus de origine juris Germanici. Hic enim hiſtoriam juris Germanici tam generalis, quam provincialis & diverſorum populorum ante plane ignotam, aut fabulis plane contaminatam, ita explicavit, ut ſatis fecerit eruditis.

IDEM *cap. XIII. §. 29.*

Scriptorum de pontificum electione collectionem dedit ſummus vir Hermannus Conringius, de electione Urbani VIII. & Innocentii X.

IDEM *cap. XIV. §. 48.*

Hermanni Conringii exercitationes academicæ multa cura & accurato judicio elaboratæ.

IDEM *ibid. §. 52.*

H. Conringii eruditiſſimus tractatus de finibus imperii.

JOHANN JACOB MOSER *in bibliotheca juris publici S. R. Germ. imperii P. I. n. 34. p. 164.*

Conring *hat ſich durch viele Schriften um das teutſche* jus publicum *ungemein und ſo verdient gemacht, daß auch einige* Publiciſten *in der* hiſtoria diſciplinæ juris publici *mit ihme einen neuen* periodum *anfangen, und ihn rühmen, daß er es eigentlich am erſten recht* ſolid *zu tractiren gelehrt, und wie man die Reichs-Hiſtorie darin nutzen kœnne und müſſe, gezeiget habe; die* elogia, *die er derwegen von allen* Publiciſten *noch jetzo erhalt, ſeynd gantz ungemein.*

ELOGIA CONRINGII

Concioni ejus funebri, ab ANDREA FRöLINGIO S.S. theol. D. P. P. & Superintend. Generali d. 27. Decembr. 1681. *habitæ, adjuncta.*

ANDREAS FRöLINGIUS *in concione funebri* occaſione exordii ex 2. Samuel. I. v. 19.

Die edelſten in Iſraël ſind auf deiner Hœhe erſchlagen, wie ſind die Helden gefallen!

Es hat zwar der ſel. Mann das von Moſe *geſetzte hœheſte menſchliche Alter faſt erreichet, iſt auch des Lebens und der darin befindlichen Eitelkeiten gantz ſatt, müde und überdrüßig geweſen, es iſt aber dadurch unſerer Univerſitæt ein ſo groſſes abgangen, daß wir, nach Anleitung der Davidiſchen Klage-Rede, wol ſagen kœnnen:*

> *Der edelſte und fürnemſte, die Zierde und Ruhm derſelben, ſey weggenommen, der theure Helde unter den Gelehrten unſerer Zeiten ſey gefallen, und in den Staub der Erden nieder geleget worden:*

Sintemal bekant iſt, daß der gütige Gott, welcher, wie er mit dem Seinigen Macht zu thun hat, was er wil, alſo auch die Austheilung gantz ungleich machet, unſern ſel. verſtorbenen Herrn Conring *mit ſo treflichen Gaben und ſo reichlich angeſehen, daß ihn die gelahrte Welt für einen ſonderbaren und unvergleichlichen, einen mit groſſer und mannigfaltiger Wiſſenſchaft, für vielen andern ausgerüſteten Mann erkennen und halten müſſen. Und iſt es freylich hoch zu bedauren und zu beklagen, daß mit einem ſolchen raren Manne, als unſer Herr* Conring *geweſen, und womit unſere* Julius-Univerſitæt *für andern prangen kœnnen, eine ſo groſſe und mannigfaltige Wiſſenſchaft, eine ſo ausnehmende Weisheit und Erfahrung, ein ſo ungemeiner Verſtand auf einmal dahin fallen und dermaſſen vergehen ſol, daß ſich deſſen hinführo niemand mehr, auſſer den Büchern, wird bedienen und gebrauchen kœnnen. &c.*

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPH WESELOW,

Epiſcopi Oſnabrugg. & ſereniſſ. ducis Brunſv. Luneb. a Conſiliis aulæ & juſtitiæ, & in comitiis præſentibus ablegatus orator.

Groſſer Conring, *hocherfahrn geiſt-und weltlicher Geſetze,*
Artzt des Leibs-und Staats-Gebrechen, Teutſchlands Guelphiſcher Apoll,
Fürſt der Weiſen und Gelahrten &c.

CHRISTIANVS ERNEST. REICHENBACH,

S. R. I. Cameræ judicialis, quæ Spiræ eſt, aſſeſſor, defuncti gener.

Audite
Ventura longum ſecula
vos alloquor:
Occubuit nuper
fluentis jam ſeculi decus incomparabile,
ſtupendum eruditionis miraculum
MAGNVS CONRINGIVS,
cujus in exigua corporis mole
ingens ſpiritus
maximarum rerum capax & ferax,
ita ut totus mens eſſe ſapientibus videretur,
Nihil intactum in erudito orbe reliquit,
Nihil acutiſſimo ingenio non penetravit:
tandem
cum decrepitus etiam ſenex,
invictum animi robur
in ægro licet corpore circumferret,
adeoque
Germaniæ ſuæ fines
novis aſſerere rerum momentis
maſcule ſuſcepiſſet,
invida mors
verita,
ne mens iſta æternum viveret,
operis & vitæ filum abrupit,
ſurgenti inde denuo gloriæ
fines tandem poſitura:
fruſtra vero!
cum ultra imperii fines longe progreſſa
nullos fines aut limites agnoſceret.
Luget interim gravem hunc caſum
Germania univerſa,
Lugent reliqua Europæ regna,
Luget totus eruditus orbis.
Sed ſolatio eſt
haud æqua lance facta morientis partitio:
QVANTVLVM ENIM EST
QVOD TERRÆ REDDITVR?
QVANTVM QVOD SVPERSTES!

ANTONIVS PAVLI, D.

Sereniſſ. Oſtfriſiorum principis a conſiliis ſecretis, præſesque urbis & territorii Nordani.

Quo notare ingens ſeſe Germania novit,
Principibus quo jus utilitasque patent.
Quem modo thejologum tremuit romana caterva,
Qui tenuit, Latium & Græcia quicquid habent;
Quemque diu medicum mors audax horruit ipſa,
Denique quem celebrant cum pietate fides;
Hunc talem tantumq; virum ſibi Norda Friſonum
Vendicat, hic etenim natus & altus erat. &c.

PAVLVS PRüFER,

Diœceſis Beſekanenſis Superintend.

Occidit heu! Pindi decus ingens, artium Apollo,
Noſtrum delicium, totius orbis amor.
Cujus corde nihil noctesque diesque reſedit,
Nil tota vita ſollicitumque magis,
Gloria quam Chriſti, quam religionis avitæ
Tutandæ ſtudium, mens vigil, ardor, amor.
Cujus ope increvit magnis prudentia rebus,
Docta Florentini rite cavere dolos.

JOHANNES EICHEL, JCtus Helmſt.

Tu feſſis patriæ promptus ſuccurrere rebus,
Noviſti eloquio conſiliisque potens.
Germani, Sueci, Dani, Gallique potentes
Rectores pectus conſuluere tuum.
Et tua ſcripta tuam tollunt ad ſidera famam,
Quæ quoque poſteritas omnis in ore feret.

GEORGIVS ENGELBRECHT, ICtus Helmſt.

Te ceu depoſitum cœli Germania tota
Mirata eſt, gaudens ſe peperiſſe ſibi.
Tanta fuere tui, Conringi maxime, dona
Ingenii, & mentis nobilioris opes.
Te celebrant aulæ regum; Borealia ſceptra
Præmia conſiliis digna dedere tuis.
Quæ te donarant cœleſtia numina nobis,
Ad ſedes rurſus jam retulere ſuas.

JOH. EISENHART, JCtus Helmſt.

Quicquid Graja tenet, quicquid Romana vetuſtas,
Sive quid antiquus ſeu novus orbis habet,
Naturas rerum varias mentisque receſſus,
Et bona quæ corpus, quæve beant animum:
Cuncta hæc ingenio Conringi pervia, clari
Undique ab Eois Heſperiisve plagis.
Teſtantur monumenta viri, nomenque celebre,
Quod jam vivus, idem poſt ſua fata tenet.
Teutonici imperii fines deſcripſerat olim,
Huic operi fines impoſiturus erat:
Invida mors vetuit, ſed fallitur, integra quippe eſt
Inque minus pleno gloria plena libro.

HENRICVS MEIBOMIVS.

Epitaphium.

HOC TVMVLO CLAVDITVR
REGVM PRINCIPVMQVE CONSILIARIVS
JVRIS NATVRALIS GENTIVM
PVBLICI DOCTOR
PHILOSOPHIÆ OMNIS PERITISSIMVS
PRACTICÆ ET THEORETICÆ
PHILOLOGVS INSIGNIS
ORATOR
POETA
HISTORICVS
MEDICVS
THEOLOGVS
MVLTOS PVTAS HIC CONDITOS?
VNVS EST
HERMANNVS CONRINGIVS
SECVLI MIRACVLVM.

* * * * * *

Cœleſte pectus, cujus ex inexhauſto
Fonte, eruditionis omne manavit
Genus propinquas diſſitasque per gentes,
Cui tot per annos gloriam ſuam debet,
Superba quondam Julia hac ſua gemma,
Vel ſequanam auſa provocare, vel Tibrim.
Divine Doctor, qui pueritia a prima
Belgisque Saxonique, Juliæque almæ
Miraculo fuiſti, & inter inſignes,
Quos Gallias per & Britanniam ſparſos,

Ger-

Germaniasque & Arcticæ plagas oræ, &
Latina regula deſuper videt Titan,
Viros locatus ſede ſemper es prima.
Quem non juventa ſola, non viri docti,
Privique amarunt, ſed ſuo loco reges
Magni ducesque maximi Dii terræ.
Tibi ſupremum poſcor, ut canam melos,
O fruſtra amice. Non venit prior flamma,
Non acer ignis, olim ut, in meos verſus,
Et ſurda Phœbo canto carmina, & quicquid
In me genI fuit, tua jacet morte,
Jacet ſepultum & conditur tua tumba.
Conringio a ſolo cani poteſt magnus
Conringius, quo mortuo valet nemo
Cantare tantum Teutonum decus terræ.

JVSTVS CELLARIVS,
Theol. D. Phil. nat. Prof.

Cujus inacceſſum ſuperavit gloria culmen,
Dives conſiliis, judicioque potens,
Docti orbis rutilum ſidus, Conringius, ipſis
Regibus, excelſis principibusque placens;
Clauditur hoc tumulo. - - - -
Vos qui doctrinam & tot duratura per ævum
Scripta viri noſtis, nobile ſuſpicite
Depoſitum cœli, noſtro quod fulſit in Elmo,
Manibus & grata plaudite voce piis.

M. HENNINGVS KOCH, Eccl. Helmſt.

O fauſta regum, principum, Sebethidum urbium nutrix
CONRINGIVS! nunc certiores imperI manent fines
Superba lilia, arcti & coronæ purpura ſua ſplendent,
Nunc jura ſtant Livanio, Coloniæ, Moguntino:
Vicariatus ImperI, Eubuli otium, tui fœtus,
Ipſæque muſæ dulce lac ex te bibere, Conringi.
Sic altiore finxerat Titan luto tuam mentem,
Ut hoc tuo orbis univerſus lacte paſcier vellet,
Virtutis eruditionis, pacis incitamento.

(Ex Altorfina Academia atque aliunde tranſmiſſa.)

JOH. LVD. PRASCHIVS.

Sol obiit Phœnixque ſui, Conringius ævi
Teutona qui juſſit Palladis eſſe caput.
Illum adeo cunctæ Clariæ flevere ſorores;
Illi tot lacrimas Jupiter ipſe dedit.
Jam vel humum totum, confuſis finibus orbis
Diluat oceanus. QVID SINE SOLE SOLVM?

HEIC. JACET
HERMANNVS. CONRINGIVS
OMNIA. DIXI
LAVDIBVS. ÆTERNVM. NOMEN
SIBI. SVFFICIT
VLTRA
PLVRIBVS. HAVD. EGET
O
QVANTVM. EST. IN. REBVS
INANE
F
GENER. MOESTVS
JOHANNES. SAVBERTVS

GEORG. REICHARDVS *Hammer*, D.

ΚΟΡΡΙΓΓΙΟΥ ΣΟΦΙΑΣ τε τάφον δέρκεις ἐπίκοινον.
Θάπτονται δ' ἅμα ὧδ', οἱ φθινύθουσιν ἅμα.

HENRICVS *Linck*, D.

Poſtquam depoſuit fugientis tædia vitæ
CONRINGIVS, luctus doctus Apollo movet;
Nænia funebris Muſis cantatur ab ipſis,
Et miſcet lacrymas docta corona virum.
Compoſita at quamvis tumulo ejus membra quieſcant,
Mens tamen æthereo nunc nitet alta polo.

JOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS, D.

Ille ergo magnus CONRINGIVS obdormivit,
Et vitæ, & famæ, ſatque ſuperque ſatur!
Ille, cui ſimilem vix ſecla priora tulerunt;
Quo nec majorem ſecla futura ferent.
Quid nos? An multo celebramus carmine nomen
Defuncti; Cippis num veneramur eum?
Non monumentis illi opus eſt poſt funera; ſed nec
Summa viri noſtræ gloria laudis eget.
Dignum unum eſt monumentum, quod CONRINGIUS olim
In ſcriptis vivens ipſe ſibi poſuit.

MAVRIC. HOFFMANN, Med. D. & prof. prim.
Potentiſſ. elect. & ſereniſſ. marchion. Brandenb. reique publ. Norimb. Archiater.

Grande decus docti cecidit, CONRINGIUS, orbis,
Quod ſophie, alma themis dixit hygéa ſuum.
Sed periit tantum corpus, dum pignora mentis
Vivida concelebrat fama per ora virum.
JVLIA nunc ſerves Cineres; Nam reddidit aſtris
Phœbus cœleſti lumine deinde micat.

JACOBVS PANCRATIVS BRVNO,
Phil. & med. D. hujusque prof. publ.

Οὗτος τί χρύσεα λίθος, εἰρωτᾷς, φίλ' ὁδῖτα;
Ἄνθρωπον εὔσημος ἄξιον ἀθανάτου.
Οὔνομ' ἦν καὶ ῥ' ἙΡΜΑΝΝΟΣ ΚΟΡΡΙΓΓΙΟΣ αὐτῷ;
Ἄκρα φέρον Σοφίης, Στήλη Ἀληθοσύνης,
Ἀγχίνοος Βουληφόρος, ἠδ' Ἀρχαίων ἐραστής,
Τίμιος ἦτ' ἄλλοις, πειθοῦν πρόβολος·
Τοῦ δ' ἀρετῆς νῦν αὐτὸς ἐπέπτατο κόσμον,
καὶ ψυχὴ ἀγνῶς χρήματα διὰ λάβεν.

JOHANN MAVRICIVS HOFFMANN,
Phil. & med. D. P. P. & Facult. Med. p. t. Decanus.

Omnis ad exſequias, qua ſol oriturque caditque,
CONRINGII adſit docta gens cum næniis!
Privatis publicos adjungi in funere queſtus
Excelſa merita poſtulant tanti VIRI.
Julia tu ſpectas tumulum, monumenta laborum
Veneratur orbis, muſa quæ vetat mori;
Sic fama ſurgit phœnix CONRINGIVS alter
Ex cinere buſti, ſeculi noſtri decus!

M. LVCAS FRIEDERICVS REINHART,
Theol. P. P. & eccleſiæ miniſter.

Heu! Quantum inane in rebus eſt! *Ita recordor*
ſapientis hujus ſymboli tui, ſumma
in orbe docto laude digne CONRINGI:
Nunc ubi triumphas, eſt inaniarum *nil.*

G. MATTH. KöNIG, Prof. Publ.

Quicquid theilogie, medicina, ſcientia juris,
Et ſophie, vitæ ſana magiſtra, docet,
Id totum exhauſti, CONRINGI, maxime doctor,
Nec quicquam in terris, quod latuiſſet, erat.
Unum reſtabat, poſthac cœleſtia noſſe:
Utque hoc obtineas, protinus aſtra petis.
Macte hoc obtento: fruere hoc ſpeculamine felix,
Et cum cœlitibus poſtea lætus age.

M. JOH. CHRISTOPH. STVRMIVS, P.P.

Si vere ceciniſti auſoniæ lyra,
Dignum laude virum muſa vetat mori;
Tantum cur morier paſſa fuit virum?
Quem cœlo meritis hactenus intulit
Tellus elogiis? Quem THEMIS & ſacra

Effert

Digitized by Google

Effert EVSEBIE, ac ipſa SALVS colit:
Et quem præſidium ac dulce decus ſuum
Decantat SOPHIE: Quem cathedræ vocant;
Aulæ exeſſe dolent; qua patet undique
Doctus, flebilibus luget adhuc modis,
Orbis? Num decuit pieridum decus
Efferri, atque, habuit nullibi qui parem,
Illum tot precibus par erat eripi?
Stat dictis etiam ſic ſua veritas:
Tanta laude virum muſa vetat mori.
Vivit laude ſua! Vivere perpetim
Iſthunc ingenii tot facient ſui
Fœtus in media hac funebris orbita:
Sicut perpetua jam requie quoque
Cœlorum fruitur ſpiritus incola.

DAN. GVIL. MOLLERVS, Hiſt. & Metaph. P.P.

Friſia *quem genuit, quem* Belgta *lacte nutrivit*
Aonidum, nomen Julia *cui peperit:*
Ille eſt extinctus, ſi immortaliſſimus unquam
Extingui poterit famaque parta mori.
Cetera ſunt lacrymis effunda: Scientia quævis
Morte viri illuſtris, quod doleatur, habet.

M. MAGNVS DANIEL OMEIS,

Moralium & Eloqu. Prof. P. ordinisque philoſophici h. t. decanus.

Quis ferit attonitas clangor triſtiſſimus aures?
Cur facies atrata poli eſt? Cur cirrha remugit?
Quem ſonat aura virum? Quæ buſta loquacibus alis
Orbem pervolitans Germanum fama recenſet?
Audio in æthereos vocem penetrare meatus:
HERMANNVS VIXIT CONRINGIVS: Ipſa ſtu-
Pallas, & expanſis ululat funeſta capillis, (peſcit
Indicitque moram ſtudiis; ſecumque revolvit
mœſta viri exactæ laudes ac pondera vitæ.
O rerum fatique vices! O invida terris
juſſa poli! Moritur muſarum ſplendor, & omnis
Teutonicæ fulgor gentis; quem plurima virtus,
Relligio, doctrina, labor, prudentia cunctis
prætulit, & mediis tantorum gratia regum
ac veneranda ducum majeſtas geſſit ocellis.
Os Germana rigat libertas, vindice tanto
orba; ſtupent pietas, Aſtræa & ſecta Galeni;
quadrijugumque ſuum lugens ſapientia currum
deſerit, illuſtrisque viri miſeranda ſepulcro
incubat, & totam hoc queritur ſe funere condi.
Antra tremunt Pindi; caſum mons ipſe minatur;
nam ſolidæ cecidit doctrinæ ſtator & altor.
Sic, ubi cervicem jam ſubtraxiſſet olympo
Feſſus atlas, vaſti tremuit ſibi machina mundi,
& conſternatis trepidavit ſignifer aſtris.
Si jactare tuos cuperes, vir magne, labores,
Romanum in morem, ſaxis gravibusque coloſſis,
certarent terra & pelagus; nec Julia tantum
iverit in laudes, atque omnes Saxonis oræ;
funereos etiam ſtrepitus pompasque pararent
cunctæ Alemannorum terræ, Friſiique Sicambri
ac Batavi, Rhodanus, Tameſis, Tiberisque fluenta,
ipſi etiam gelidi Cimbrum Sveonumque triones
marmora, pyramides & mauſolea dicarent.
Sed faſtus mundique ſatur vanique tumoris,
alta mente fugis decoris ſpectacula tanti.
Parva quidem tenet urna tuum, vir maxime, corpus;
ſed te major habet, diffuſe qua patet, orbis.
Conditur urna tibi quavis in mente virorum
doctorum; tanto in tumulo plus rege quieſcis;
nec Parii mittent montes tam nobile marmor.

Vivit adhuc vis ingenii, memorabile nomen,
dignaque ſcripta cedro vivunt. Hæc fama perennis
per terras pelagusque vehit, ſuper oſtia gangis
Memnoniasque domos, ac litora divitis Indi;
illa per Herculeos fines Calpenque Abylamque
& trans occidui poſtrema cubilia phœbi
ac noctis per regna feret; nec tanta ſilebit
nomina diva prius, quam retro flumine verſo
irriget Hiſpanos Iſter, Sabrina, Sicambros,
& ſeptem gemino reſtagnans gurgite Nilus
merſerit arctoi glacialia ſidera mundi.

M. GEORGIVS PAVLVS ROTENBECCIVS,

Polit. & log. prof. publ.

Stabat CONRINGI venerandi morte triumphans
Mors, teli jactans vulnera certa ſui:
Mox circum eximios manes ubi perpete fletu
Humida parnaſſi numina vidit, ait:
Plangite vos nymphæ, damnum hæc mea tela dedere,
Quod fateor, nulli reſtituiſſe licet.

M. JOHANNES HELD,

Verbi div. min. in æde Parochiali Laurentiana.

MVSÆVS cecidit, cecidit quoque TITIVS! eheu
Theiologos poterit tantos eccleſia nunquam
Deplorare ſatis! Sed quid? CONRINGIVS ille
Hos ſequitur, placidæ deguſtans pocula mortis,
Orbis quem doctus tanto mactavit honore,
Ut donis ipſi ſimilem vix diceret ullum
Divinæ mentis; qui plurima ſcripta reliquit,
Quæ pia poſteritas merito mirabitur usque.
O dolor atque dolor! dolor ah mihi denegat ingens
Verba! igitur tantum pauca hæc ſubjungere poſſum:
Illuſtris ſane CONRINGI fama manebit
In terris, celſum tum ſol luſtrabit olympum.

M. JOHANNES JACOBVS SEYPPELIVS,

Diaconus in æde Laurentiana Noribergenſi.

In ſymbolum Conringianum.

O veram vocem: *Quantum eſt in rebus inane*
humanis! Hominum quam vana caducaque vita!
Vidit id aſſiduo CONRINGIVS inclytus uſu.
Vir, cujus toto ſimilem vix vidimus orbe,
Euſebies lampas tam ſplendida, tanta columna,
Civilis vires cui dat prudentia juris,
Artis Apollineæ decor, egregiumque ſophorum
Sidus, doctorum ſol, dux Academicus, Atlas
Palladii celebris, ſcriptis & voce coruſcans,
Doctrina promus condus CONRINGIVS omnis.
Vidit is ac vixit medios memor inter honores,
quantum vani oneris, quantumve laboris inanis
ſuſcipiant hujus fungentis munere lucis
mortales, donec mors, ultima linea rerum
abripiat miſeros finem impoſitura caducis.
His mentis monitis intentus, denique vitam
liquit vir vere tria dignus vivere ſecla,
HERMANNVS, ſuperis centum renuentibus annos.
O dolor! ah damnum nunquam reparabile nobis!
Mœrent Pierides, lachrymatur Julia, luget
Euſebie, plangit conſultrix juris & æqui
Diva, machaoniæ deplorant largiter artes,
Tanti fata viri, tam flebile funus adempti.
Ecquis non gemitus, quis non ſuſpiria mittat?
Ipſe ſatis lethum nequeo deflere *patroni*,
quem patrem meritis ſuperantem; Numinis inſtar,
hactenus ex grato devotus corde colebam.
Eheu! ferales cogor nunc ducere leſſus.
Sed quid ego? Ceſſent lacrymæ, diſcedite fletus,
Luctus abi, ſubſiſte dolor! CONRINGIVS, alte
ereptus

ereptus vanis mundi his & inanibus, inquit:
Rideo terreſtres res veſtras, rideo triſtes;
Conſtantis video cœleſtia gaudia vitæ.
Terrigenas inter vixi bene. Sufficit ergo,
ut viſum, vixiſſe, DEO. Non nomen inane,
non leve, ſed famæ decus immortale relinquo.
Hic corpus vacuum curis mortale quieſcit.
Aſt ſociata manet ſanctis ſine fine beata
mens ibi cœlicolis. Sic eſt. Immenſa coronant,
CONRINGI! bona te poſt actos rite labores.
Lætitiæ tantum tu plenus in æthere ſentis,
quantum terrenis cenſes in rebus inane.

CAROLVS BENEDICTVS NüZELIVS,
a Sonderspiihl.

Aurea cum vitæ CONRINGI ſcindere fila
 Funeſtæ vellent Atropos & Lacheſis,
Parcite crudeli fuſos evolvere dextra;
 Ducitur ex iſto ſtamine noſter honos!
Parcite, clamabam, & ſpacioſos Neſtoris annos
 Neſtori huic noſtro reddite Teutonico!
Quando vos curvare viri nequit inclyta virtus;
 quo me eſt complexus, vos modo flectat, amor.
Hic quondam placidus morum formator & hoſpes,
 ac patris alterius nomen & omen habens.
Quam mihi (noſtis enim) factis animoque favebat!
 Parcite propterea, parcite, quæſo, viro!
Sed narrabatur ſurdis lacrymoſa deabus
 fabula; & ante diem, vir venerande, jaces.
Heu! mihi qui nuper carmen geniale canebas
 Sponſo, cygni inſtar, nunc facere inferias
Manibus ecce tuis, ac flebile pangere carmen
 cogor, eoque ſacrum condecorare rogum.
Sed calamus, ſed dextra ſtupent, vox faucibus hæret,
 nilque adeo ſupereſt, quam lacrymæ & gemitus.
O PATER, ô DOCTOR (quid ſingultantia rumpis
 Verba dolor? ſinedum dicere quæſo) VALE!

HERMANNVS CHRISTIANVS PAVLI,
Nepos ejuſdem obſervantiſſimus.

Fertur ad Æacidæ tumulum, tum ſolvit honores
Supremos, Macedo qui ſub ſua jura redegit
Ingentes populos, lateque patentia regna
Ferre jugum docuit, lachrymis ſuper ora volutis
Ingemuiſſe; ſimulque atavum dixiſſe beatum
Ipſa morte, ſacra vena quod vivat Homeri:
Quippe ſepulta forent & cœca morte peremta
Magnanimi monumenta viri, & fortiſſima facta,
Carmina ſi vatis ventura in ſecula nomen
Non transmiſiſſent, famamque per aſtra tuliſſent.
En Homerus ades tibi; te, tua ſcripta loquuntur,
O ave CONRINGI in totum venerabilis ævum;
Æternos ignes pariter ſparſit tuus ardor
Inſignis, nulla cinerum qui clauditur urna:
Nam chartis famæque ſimul populiſq; loquendum
Te dedit ingenii & doctrinæ gloria ſummæ,
Gloria quam nunquam potis eſt abolere vetuſtas.
Nunquam docta tuas amplas reſpublica laudes
Involvet cœcis tenebris nunquamve ſilebit
Julia; Teque negat poſt triſtia fata beatum
Haut quisquam; gelidum quamvis depaſcitur um-
Mortalis corpus, vivit poſt funera virtus. (bra
Nos equidem triſtes ex imo corde querelas
Edimus, & mœſtas addunt noſtra ora loquelas;
Sed fruſtra petimus gemitu lachrymisque caducis
Te, dilecte Deo, junctum nunc omnipotenti
Cœlorum domino, quorum jam gaudia ſentis.
Ergo igitur carpant tua molliter oſſa quietem,
ſemper & in rutilo mens aurea vivat olympo!

JO. WERLHOFIUS, Lubecenſis.

CONRINGI cineres & lamentabile buſtum
Dum doleo, & mœſta concuſſus mente gemiſco,
Pronior in lacrumas, quam in carmina, muſa tre-
 mentem
Vix, lugubre! regit calamum, vix triſte rubentes
Magni a morte Titi quæ oculos abſterſit amara.
O nomen vaſtum fama ſuper æthera notum
Trans vel Hyperboreos & Nerei cærula regna,
Teutoniæ æternum ſidus, ſolque inclyte pindi,
Ergo abis? atque atris involvis cuncta tenebris?
Tu patriæ hiſtoriæ, tu veram juribus unus
Imperii, ante alios faciem, lucemque dediſti,
Doctrina vaſtus parva ſub imagine mundus.
Ergo abis? ah fuimus docti fuit inclyta noſtri
Gloria permeſſi: ſequitur poſt aurea ferrum.
Sola mihi cineres plangendi gloria reſtat.
Euge anima illuſtris, cape (ſi mea littera, ſeram
Quam nimis è noſtris doleo veniſſe Triboccis,
Infelix nequiit penetrare ad limina vivi?)
Ultima quæ gelido nunc mœſtus carmina buſto,
Uda illa & Rheni lacrumis, & fletibus Elli,
Junctaque carminibus ſuſpiria triſtia mitto.

ANDREAS *Ingolſtätter.*

Grabſchrift.

Hier liegt ein teurer Mann, ein Kœnig der Gelehrten,
 den viele Kœnig ehrten:
Ein Herr, ſich ſelbſt nur gleich, ein Ausbund kluger Geiſter,*
 faſt alles Wiſſens Meiſter.
 Herr Conring lieget hier:
VVer dieſen Namen hœrt, der vveyne doch mit mir.
 Man mag in ſeinen Schriften leſen,
vvas dieſer groſſe Mann noch vveiter ſey gevveſen.
 Ervvarte nicht, daſs ich es aus-ſoll ſprechen;
Ein Redner übe ſich, es vvird ihm doch gebrechen.
 Nur ſag ich noch zuletzt:
Soll auf gelehrter VVelt noch ſeines gleichen geben,
 ſo muſs er ſelbſt von Todten auferſtehen.
(*Herman Konring *gibt durch Verſetzung* Mann, König, Herr.)

J. L. S.

Sonnet.

Dein Senſe hat, o Tod! noch nie ſo ſcharf geſchnitten,
 in Einem liegen drey, durch ſie, auf ſchvvartzer Baar.
 Der Ulpianen gleich, Machaon ähnlich vvar,
und deſſen fromme Seel zeigt' Auguſtinus Sitten.
Viel hat der Künſte Reich durch dieſen Schnitt erlitten,
 man ſiehet gantz beſchleyrt die blaſſe Muſen-Schaar,
 die Themis vveinet laut, Hygea raufft die Haar,
Nur die Euſebie hat ihre Noht beſtritten,
 und rufet dieſen Troſt den Klage-Schvveſtern zu:
 Die VVunde, die uns Schmertz, bracht Unſern in die Ruh,
Er fande mehr vor ſich, ob vvir ſchon viel verlieren.
 Das, vvas hier Leben heiſt, iſt in der VVarheit Tod:
 vvas man getœdtet ſchætzt, das lebet ohne Noht.
Der Tod muſs, durch das Grab, uns in den Himmel führen.

SCRIPTA

by Go

SCRIPTA CONRINGII THEOLOGICA.

1. Animadverſiones in Muhlmannum de purgatorio. Adjecta ſunt Conringii programmata ſacra & Muhlmanni ipſius aſſertiones. Helmſt. 1651. in 4.
2. Defenſio eccleſiæ proteſtantium adverſum duo pontificiorum argumenta, petita a ſucceſſione epiſcoporum ac presbyterorum ab apoſtolis usque derivata. Ib. 1654.
3. Concuſſio fundamentorum fidei pontificiæ. Ib. 1654.
4. Examen libelli a Vito Ebermanno S. I. concuſſioni fundamentorum fidei pontificiæ oppoſiti. Herbipoli 1654.
5. Reſponſio ad Valerianum magnum pro ſua concuſſione. Adjectus eſt ipſe Valeriani libellus. ib. 1654.

Reſponſio altera ad præced. in bibliotheca Auguſta reperitur.

6. Animadverſiones in Chriſtoph. Haunoldi libellum concuſſioni fidei pontificiæ oppoſitum. Adjectus eſt libellus ipſe. Ibid. 1654.
7. Reſponſio altera pro ſua concuſſione ad Valeriani magni epiſtolam nuperrimam, quæ calci opuſculi ſubjungitur. ib. 1654.
8. Epiſtola de electione Alexandri VII papæ oppoſita appendici examinis Ebermanniani. Acceſſit appendix ipſa. Helmſt. 1655.
9. Animadverſiones in fratrum Wallenburgiorum Conringii laudati & correcti partem priorem de vocatione extraordinaria primorum eccleſiæ reformatorum. Quibus etiam ſua concuſſio fundam. fid. pont. ab iniquo contra evangelicos abuſu vindicatur. ib. 1663.
10. Animadverſio in novenam S. Antonii de Padua. ib. 1675.
11. Diſcurſio eorum, quæ oppoſuit ſuæ animadverſioni in novenam Antonian. Dionyſ. Werl. ib. 1677.
12. Conſideratio ſuper Wallenburgiorum tractatu de articulis fidei neceſſariis.
13. Diſcurſus de angelis.
14. Epiſtola, quæ præfatio ad Caſſandrum a Viti Ebermanni objectionibus vindicatur.
15. Epiſtola de momento controverſiæ de gratia & prædeſtinatione.
16. Papæ Innocent. X. declaratio nullitatis articulor. nuperæ pac. Germ. cum Conringii Animadv.

Alieno nomine aut ab aliis edita

Pietas Acad. Jul. programmate publico adverſus calumnias cum aliorum tum Ægid. Strauchii aſſerta. Helmſt. 1668.

Diſſertationes de ſudore Chriſti ſanguineo & aliis paſſionem Chriſti illuſtrantibus editæ, ab Joh. *Albrechts* in fine *der Paſſions-And.* Hildeſ. 1674. 12.

SCRIPTA CONRINGII MEDICA ET PHYSICA.

1. Introductio in *artem medicam*. Helmſt. 1654. & altero tanto auctior cura & ſtudio *Günth. Chriſt. Schellhammeri*. Helmſt. 1687.
2. De *Apoplexia* natura, cauſis & curatione. 1640.
3. De *aquis*.
4. De *calculo* renum & veſicæ. 1656.
5. De *calido* innato ſive igne animali. Lib. unus 1647
6. Diſſ. de *calido* innato, habita Lugd. Batav. d. 10 Nov. (1627.
7. De natura & dolore *dentium*. 1662.
8. De *diabete*.
9. De *dyſenteria*. 1656.
10. De *epilepſia*.
11. De *febre* Ungarica. 1668.
12. Exercitationes *de fermentatione* ad Bilichii Anatomen fermentationis Platonicæ. Frf. 1643. & Lugd. Batav. 1646. 8. ad calcem libri de gener. & motu (ſanguinis.
13. De *hæmoptyſi*.
14. De *hermetica* Ægyptiorum vetere & nova Paracelſicorum medicina. 1648. edit. II. infinitis locis emendatior & auctior. Helmſt. 1669.
15. De *hydrope* aſcite. 1650.
16. De morbo *hypochondriaco*. (olim facta. 1659.
17. De *incubatione* in fanis Deorum medicinæ cauſſa
18. De *inflammatione hepatis*. 1656.
19. De *lacte* 1649.
20. De *melancholia*.
21. Comm. in Galeni lib. XIII. *methodi medendi*, una cum delineat. meth. general. curandi omn. morb.
22. De ſpeciebus, unitate ac contrarietate, partibus & æternitate *motus*. 1638.
23. De *nutritione* hominis.
24. De principiis rerum *naturalium*.
25. De optimis *naturalis philoſophiæ* auctoribus.
26. Introductio in *naturalem philoſophiam*, ac naturalium inſtitutionum liber unus. 1638.
27. De chymicis principiis corporum *naturalium*.
28. De *Paralyſi*.
29. De *peripneumonia*.
30. De *peſte*.
31. De natura & conſtitutione *phyſices*.
32. De *pleuritide*, oppoſita novis ſentent. Jo. Bapt. ab Helmont. 1654.
33. De *podagra*.
34. De *purgatione*. 1652.
35. De difficili *reſpiratione*.
36. De *ſale*, nitro & alumine.
37. De *ſanguinis* generat. & motu naturali. Helmſt. 1643. in 4. Lugd. Batav. 1646. in 8.
38. De *ſcorbuto*, Reſp. Leonh. *Krüger*. 1638.
39. De *ſcorbuto*, Reſp. Laur. *Gieſeler*. 1644.
40. De *ſcorbuto*, Reſp. I. G. *Behrens*. 1659.
41. De *terris*.
42. De *variolis* & morbillis.
43. De *vena* ſectione.
44. De *vita* & morte. 1645.
45. Apologeticus adverſus calumnias OLAI BORRICHII. 1669.
46. Ad SALMUTHI obſervat. med. præf. Conringii de doctr. patholog. Accedit ROLANDI CAPELLUTII libell. *de peſte*. Brunſv. 1648.
47. JANI DUBRAVII de *piſcinis* L. V. cum aliis ejuſdem argum. excerptis, cura & cum præfationibus Conringii. 1671.
48. THOM. FIENI lib. chirurg. XII. cura Conringii.

Scripta, quæ auctor pro ſuis non agnovit nec heredes agnoſcunt.

Veluti diſcurſus novi de imper. Rom. Germ. 1642. de finib. imp. & imp. Rom. Germ. in 8. quæ Lugd. & Floridi Martini nomen mentitur, & quæ nuper Lipſiæ prodiit an. 1692. in 4.

De imperii Romano-Germanici Reſp. Acroamata ſex hiſtorico-politica cum tractatu ejuſdem de imperio Romano-Germanico. Ebroduni 1654.

d by Google

Theſaurus rerumpubl. Genevenſis in 8. contra quem Admonitio Conringii 1675. in 4.

De ſtatu Bremenſis urbis anonymum ſcriptum commendatur ab Joh. Scheffero, de generoſi nobilisque informatione litteraria diſſertatione in 8. Holmiæ 1678. edita p. 25. quæ diſſertatio Conringii eſſe ſcribitur ibidem, & haud dubie eſt deductio *von der Landes-Fürſtl. Ertz-Biſchœfflichen Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen*, quam nos Tom. I. Opp. inſeruimus.

Libri alieni a CONRINGIO editi, recenſiti, & præfatione aut notis illuſtrati.

(1) Jacobus Berengarius Carpus de fractura cranii cum præfat. Conringii, ſed nomine ipſius diſſimulato. Lugdun. Batav. 1629.

(2) Tacitus de moribus Germanor. cum Conringii præfat. de uſu hiſtoriæ & reipubl. German. notitia Helmſt. 1635. Editio II. cum notis criticis & excerptis monumentis priſcorum de rebus Germaniæ antiquæ. ibid. 1652. Edit. III. multo auctior. Ibid. 1678. Hanc Conringii editionem omnibus & puræ latinitatis ſtudioſis, & rer. Germ. antiquæ ſciendarum cupiditate flagrantibus tamquam optimam commendat Reimann. Vol. II. pag. 82.

(3) Ariſtotelis politica latine ex interpretatione Giphanii cum præf. Conringii. Helmſt. 1637. in 8. Eadem græce & lat. cum ejusd. introductione. ibid. 1657. in 4. Præclare admodum hac de Conringii introductione ſentit Stolle. P. III. cap. IV. *von der Politic p. 702. die beſte Einleitung zu der* Ariſtotelis libris πολιτικῶν, *hat uns* H. Conring. *gegeben.*

(4) Leonis III. papæ epiſtolæ ad Carol. M. primum editæ & notis illuſtratæ ab H. Conringio. Helmſt. 1647. Edit. II. auctior & emendatior. ib. 1655.

(5) Philip. Salmuthi obſervationes medicæ cum H. Conringii præfat. de doctr. pathologica. Accedit Rolandi Capelluti libellus de peſte. Brunſv. 1648.

(6) Thomæ Fieni chirurgici libr. XII. primum editi cura H. Conringii. Francof. 1649.

(7) Georgii Wicelii via regia. Acceſſere varia, quibuscum alia multa docentur, tum neceſſitas reformationis eccleſiæ Romanæ ſimulque concilii Tridentini iniquitas oſtenditur. H. Conringius in unum volumen redegit, & in ſingula præfatus eſt. Helmſt. 1650.

(8) Caſſandri & Wicelii de ſacris noſtri temporis controverſiis lib. duo. Editio emendatior & auctior, additis ſimul eo pertinentibus aliis cura H. Conringii. Helmſt. 1659.

(9) De electione Urbani VIII & Innocentii X. pontificum commentarii hiſtorici. Adj. ſunt nonnulla alia ejusd. argumenti cum H. Conringii proœmio. Helmſt. 1651.

(10) Hiſt. electionis Alexandri VII. papæ. Adj. ſunt opuſcula varia ejusd. argumenti cura H. Conringii. Helmſt. 1657.

(11) Naamanis Benſenii exercitatio politica de ſummæ poteſtatis ſubjecto vindicata a Joh. Figlovii aliorumque ineptiis, & calumniis, quas parturit lib. de imp. abſolute & relate conſiderato, oppoſitus V. Cl. H. Conringio. Præmiſſa eſt ejusdem Conringii epiſt. de hoc ipſo negotio. Helmſt. 1651.

(12) Archiep. Mechlinienſis rationes, cur abſtinuerit a promulgatione bullæ papalis in Janſenium, recuſæ cum præfat. Conringii. Helmſt. 1654.

(13) Starovolſci Polonia cum præf. Conringii Wolfenb. 1656.

(14) Hopperi Seduardus, ſeu de vera jurisprud. lib. 12. cura Herm. Conringii. Brunſv. 1656.

(15) Machiavelli princeps cum aliis nonnullis ex Halico partim nunc demum verſis, partim caſtigatis curante H. Conringio. Helmſt. 1660.

(16) Animadverſiones in Machiavelli principem. ib. 1661. Utraq; curante filio, nonnullis locis auctiora prodiere. 1686.

(17) Scioppii pædia politices & Naudæi bibliographia politica, ut & ejusdem argumenti alia, cura H. Conringii. Helmſt. 1663.

(18) De bello contra Turcas gerendo libri varii.

Deſignatio MSS. CONRINGIANORVM, quæ partim in archivo regio-electorali Hannoverano adſervantur, partim in publicis bibliothecis & ſcriniis eruditorum latent.

1. Epiſtolarum B. Conringii apographa. Vol. I. II. III. IV. In his voluminibus quatuor multæ reperiuntur epiſtolæ datæ ad Boineburgium, Reineſium, Naudæum, Patinum, Blondellum, Henr. a Frieſen, Grotium, Pufendorfium, Dallæum, Ezechielem Spanhemium, Baluzium, Lambecium, Boſium, Rachelium, Förſtnerum, Bœclerum, Ferdinandum epiſc. Paderborn. Sunt autem hæ epiſtolæ varii, i. e. philoſophici, medici, theologici, maximam tamen partem politici argumenti, aguntque præcipue de ſtatu tunc temporis exſiſtente regnorum & rerumpublicarum, in primis autem de imperio romano-germanico. Nam in Vol. II. conſpiciuntur verboſiores epiſtolæ ad Boineburgium, & alios, itemque conſilia, electionem imperatoris Leopoldi & leges capitulares tangentia.
2. Volumen aliud ejusmodi epiſtolarum Conringii.
3. Volumen conſiſtens ex autographis illuſtrium virorum: in quibus multæ apparent epiſtolæ, quas Chapelain, Colbertus, Grauel, Verius, Baluzius, Iuſtellus, & alii ad Conringium dederunt. In quadam harum epiſtolarum Chapelain Conringio amico animo præcipit, ut commentetur de jure regis Galliarum in Hiſpaniam & Brabantiam, inque tali commentatione demonſtret, renuntiationem reginæ Gall. contra jus naturæ & gentium, & propterea nullius valoris eſſe: in quem finem pacta dotalia, & alia documenta ipſi ſuppeditat.
4. Volumen epiſtolarum apograph. maximam partem ad Chapellanum exaratarum, in quibus pro rege chriſtianiſſ. multa comparent ſalutaria conſilia.
5. Volumen epiſtolarum apograph. ad principes viroeque illuſtriſſimos de rebus magni momenti.
6. Volumen epiſtolarum variarum de nova verſione bibliorum D. Sauberti agentium. Hoc volumine etiam continetur electoris Saxoniæ epiſtola, item multæ epiſtolæ Auguſti, ducis Brunſv. & Lun. ad Conrad. Geſnerum, Friſchmuthum, Dilherrum, Gerhardum, Fabricium, Hottingerum, cet. quæ hoc negotium biblicum tangunt.
7. Vol. epiſt. de controverſ. Waſmuthiana ad ducem Holſatiæ.
8. Volumen excerptorum de rebus fœderati Belgii, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, Helvetiæ, Poloniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Daniæ, Moſcovitarum, Turcarum, pontificis romani, de rebus indicis, chinenſibus, africanis, cet. Ex quibus haud dubie examen potiorum rerumpublicarum totius orbis, quod Tomo III. opp. reperitur, coaluit.
9. Chronica de comitatu Winzenburg.
10. Adverſaria pro notitia ducatus Brunſv. ac Luneburg.
11. Miſcellanea MSS. de rebus imperii.
12. De numismatibus antiquis adverſaria & epiſtolæ.
13. Adnotationes in capitulationem Leopoldi.
14. Faſciculus epiſtolarum a Ferdinando Fürſtenbergio epiſc. & princ. Baderbornenſi ad Herm. Conringium datarum.
15. Panegyris politica præſentis ſtatus Daniæ, de anno 1676.
16. Faſciculus epiſtolarum ab illuſtr. regni Daniæ ſtatus miniſtris ad Herm. Conringium exaratarum.
17. Faſciculus agens de renuntiatione & pactis dotalitiis Hiſpanicæ principis & regis Galliarum.
18. Epiſtolæ miſcellaneæ.
19. Excerptorum variorum faſciculus.
20. Hypomnemata de priſcis philoſophis.
21. Volumen excerptorum de ſcriptoribus eccleſiaſticis.
22. De Arabibus latinisque philoſophis hypomnemata.
23. Hiſt. Friſiæ orientalis, cujus edit. quædam impediverunt.
24. Deductio Colonienſis. Quam nec a Colonienſibus, nec ab amicis, penes quos eam latitare novimus, impetrare potuimus, omni licet adhibita diligentia & precibus.

HERM.

HERMANNI CONRINGII

Exercitatio Hiſtorico-Politica de Republica antiqua veterum Germanorum.

CONSPECTVS §§.

§. I.

Qui notitiam alicujus reipublicæ habere cupiunt, in ſcopum ejus inquirant, neceſſum eſt.
II. Scopus rerumpubl. duplex.
III. Quatuor genera inſtitutorum, in quibus humana induſtria verſatur.
IV. Multi circa ſcopum aberrarunt.
V. Germani veteres pro ſcopo ſuæ Reipubl. voluptatem non habuerunt.
VI. Idem de divitiis dicendum, ubi de infrequenti nummorum penes Germ. uſu agitur.
VII. De luxu tanquam omnis mali lerna.
VIII. Majores noſtros a vero ſcopo reipubl. aberraſſe.
IX. Excuſantur, quod potentiam bellicam ſuæ reipublicæ ſcopum habuerint.
X. Inquiritur, an ſcopo huic convenienter ſe geſſerint, ubi de educatione infantili.
XI. Corpus mature frigoribus tolerandis aſſuefieri debet.
XII. Modi, quibus veteres corpora ad ferendum frigus aptari poſſe, rebantur. Germani duas potiſſimum ob cauſas Rheni undis recens natos immergebant.
XIII. Sitim æſtumque æque ac frigus & inediam patienter ferre non potuerunt.
XIV. Gymnaſticæ non fuerunt dediti.
XV. Media, quæ ad juvenes & armis inſtructos melius exercendos adhibebantur.
XVI. Modus, quo in armandis juvenibus utebantur.
XVII. Germani veteres fuerunt caſtiſſimi.
XVIII. In quonam conſtiterit dos, quam maritus uxori dabat.
XIX. Germania antiqua divitias contemſit.
XX. German. veter. victus.
XXI. Venationibus operam dabant.
XXII. Latrociniis indulgebant.
XXIII. De militaribus gentium nonnullarum inſtitutis.
XXIV. Majores nec in unum conſultabant, nec fœdere juncti erant.
XXV. Quare in Germania penes peditem plus roboris fuerit.
XXVI. Aciem per cuneos diſponebant.
XXVII. De modo confligendi veter. Germ.
XXVIII. Interfectorum corporibus ſepultura non eſt invidenda.
XXIX. Quomodo in delinquentes animadverſum fuerit.
XXX. De ducibus veterum Germanorum.
XXXI. Quæritur, an imperator bellicus in congreſſu prælii gladium ſtringere teneatur.
XXXII. Penes Germanos familiæ & propinquitates turmam & cuneum faciebant, fæminæque & liberi caſtra ſequebantur.
XXXIII. Germanorum quidam horrente capillo, & ſæpe in vertice religato metum incutere voluerunt.
XXXIV. Veteres Germani nihil neque publicæ neque privatæ rei egerunt, niſi armati. Promiſcua armorum geſtatio reipublicæ noxia dicitur.

COROLLARIA.

1. Liberr. teſt. factio regnis herilibus non civilibus prodeſt.
2. Taciti argumenta non probant Germ. indig. fuiſſe.
3. Inviti ad capeſſendos magiſtratus cogi poſſunt.
4. Parricidium Anglicanum omni juri repugnat.
5. Majores noſtri rempublicam ſuam ſcopo convenientius inſtituerunt, quam Romani & Græci.
6. Antiquorum Germanorum comitia ex tribus ſtatibus fuerunt mixta.
7. Dari natura ſervos.
8. Provocationis ad populum penes Romanos mala.
9. Συσσιτία in populari ſtatu laudem promerentur.
10. De injuſtitia armorum Caroli M. ſi ea Saxonibus ob religionem intulerit.
11. Auctor contendit, Getas ſive Gepidas non eſſe Gothos.
12. In germania nunquam plena obtinuit monarchia.

THESIS I.

Qui alicujus Reipublicæ formam & conſtitutionem accurate pernoſcere, in ejusque cognitionem & naturam altius deſcendere geſtiunt, illi etiam ante omnia *ſcopum*, (a) quem illa ſibi Reſp. propoſitum habet, inquirere & inveſtigare debent. Non autem exiſtimandum eſt, quaſi idem omnibus Rerumpubl. *formis* (b) attendatur, aut quaſi non alii atque alii dari poſſint aut dentur ſcopi; & ſane evenire poſſe putamus, ut Reſpubl. aliquæ in forma conveniant, quæ tamen, quod ſcopum quidem attinet, *longe ſint* (c) diverſiſſimæ, & contra, quæ in adminiſtrationis forma longe a ſe invicem diſſident, eundem ſcopum reſpiciant, & ita hac quidem in parte conveniant. II.

(a) *ſcopum*) Scopus ſive finis rerumpublicarum eſt bonum aliquod, ſive verum, ſive apparens, *ARISTOTEL. lib. I. polit. c. 2. l. III. c. 4. & 6. HERT. in prudentia civili part. I. ſect. I.*

(b) *formis*) Per formas rerumpublicarum hic intelligit accidentales, quæ intuitu ſubjecti majeſtatis in democratiam, ariſtocratiam & monarchiam dividuntur; *TACIT. annal. lib. 4. c. 33. PVFFENDORF. de J. N. & G. lib. 7. c. 5. §. 3.* dicunturque regulares, & contradiſtinguuntur mixtis, i. e. ex duabus vel pluribus regularium commixtis, quæ & irregulares dicuntur. Tales dari experientia compertum habemus. Deinde dantur quoque ſyſtemata ex pluribus perfectis civitatibus compoſita. *PVFFEND. de J. N. & G. lib. 7. c. 5. §. 2. HERT. prud. civil. p. I. c. 10. §. 6.* Atque ita, quæ *HOBBESIVS de cive §. 4. & PVFFEND. de J. N. & G. lib. VII. c. 5. §. 15.* contra mixtas reſpublicas afferunt, parum nobis curæ ſunt, quippe quæ, maximam partem, non niſi de verbo lites involvunt, cum irregulares dari formas non negent. Forma eſſentialis conſiſtit in ordinato nexu imperantium & parentium, quæ in omnibus civitatibus eadem eſt, licet gradu differentiam quandam patiatur. Quod ſi autem talis ordo ſive nexus deſinit, reſpublica in ἀναρχίαν degenerat: aſt mutata accidentali reipublicæ forma, reſpublica non mutatur. *GROTIVS de Jure B. & P. lib. 2. c. 9.* Cæterum quomodo civitatis forma tam eſſentialis, quam accidentalis, per pacta & decretum exoriatur, docet *PVFFEND. de J. N. & G. lib. VII. c. II.*

(c) *longe ſint*) Sic duæ poſſunt eſſe monarchiæ, quarum una pro fine primario habet ambitionem, altera avarititiam aut voluptatem. Quanquam in monarchiis plerum-

II. Poteſt autem ſcopus iſte, (noſtra quidem ſententia) in duplici differentia conſtitui, alius enim eſt, qui dominantibus, alius, qui toti Reipublicæ intenditur. Quam dominantes reſpiciunt, magis ad privata ipſorummet commoda inclinat & ejusmodi ſcopus ſeu finis *in Tyrannide eſt*, (a) *τὸ τῶ μοναρχοῦντος συμφέρον*, *in Oligarchia* (b) *τῶν ὀλιγαρχούντων*, in democratia *τῶ δήμου*, qua voce nonnunquam totus populus, nonnunquam vero infima minutæ plebis fæx intelligitur. Hunc autem finem ſeu ſcopum, qui formas Rerump. à ſe invicem diſtinguit, locum hic habere minime poſſe putandum eſt. Alius eſt, qui toti alicui Reipublicæ intenditur, & ipſe eſt, quem nos hic quærimus, hunc ergo accuratius aliquanto intueamur, quoniam noſtro inſtituto illum conducere arbitramur.

III. Conſtat autem ex Ethicis, quatuor potiſſimum genera inſtitutorum humanorum recenſeri, in quibus hominum induſtria plerumque verſari & occupari ſoleat. Aut enim homines, quibus, (uti Poëta ait)

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Ita vitam ſuam & actiones inſtituunt, ut *veram virtutem*, (c) eamque quoad licet, perfectam conſequantur; aut hac relicta, in potentia & gloria bellica ſtudium omne collocent, armorumque vi nominis ſui famam extendere, & finitimis dominari ſatagant. Nonnulli porro non tam rerum potiri, quam ad magnas emergere opes (uti Lucretius ait) allaborant, ideoque divitiis congerendis dies noctesque invigilare non abhorrent, huc denique omnem mentis ac cogitationum aciem intendunt, ut, quod reliqui virtuti & potentiæ bellicæ, illi acquirendo & augendo cenſui tempus tranſcribant. Nec deſunt porro, qui ſpretis hiſce omnibus, ſoli voluptati ſeſe indulgent, & tantum non mancipant, qui omnem humanæ vitæ beatitudinem & felicitatem, ſolo ventre, cui natura obedientes eos finxit, metiuntur. Neque vero hoc de ſingulis tantum hominibus, ſed *integra* potius *aliqua* (d) gente, & Rep. poterit recte pronunciari. Quod verum illum & omnium perfectiſſimum ſcopum, virtutem ſcilicet attinet, paucos ad hanc actionibus ſuis collimaſſe deprehendimus. Hujus tamen propoſiti ſcopi exemplum præbet nobis *Reſpublica Hebræorum*, (e) ab ipſo Deo Opt. Max. prudentiſſimo legiſlatore inſtituta. Hæc enim ſi quæ unquam ad arduum illud & ſublime veræ virtutis culmen viam adfectavit. At vero potentiam bellicam multis ſcopi inſtar propoſitam fuiſſe docent hiſtoriæ, & in his agmen ducit potentiſſima illa totius mundi dominatrix & Regina Romanorum Reſpubl. quippe quæ (uti ſublimioris ſpiritus Poëta Claudianus cecinit) *extra anni ſoliſque vias progreſſa eſt & margine cœli clauſit opes.* Cum hoc *Romana Reipublica* (f) ſcopo hac quidem in parte, optime convenit alterum illud Græciæ *ὄμμα* Lacedæmoniorum civitas, quæ etiam infinitis legibus huc ſpectantibus fuit inſtructa. Nec aliud quid ipſis *Athenienſibus* (g) propoſitum fuit. Majores noſtros, Germanos ſcilicet, quod attinet, quem ſcopum illi ha-

rumque principes plurimum famæ dent, nec proferendi imperii ſoleant eſſe incurioſi. Democratiæ autem & ariſtocratiæ nec non civitatum ſyſtemata ad parta tuenda ſunt aptiora. Hinc non tam de gloria, quam de opibus parandis & vita beata, quæ ſine pace eſſe nequit, ſolent eſſe ſolicita. Interim & ariſtocratiæ, aliæque præter monarchiam, dantur formæ, quæ latè imperare cupiunt; quod Ludovicus Helian, Gallorum regis ad comitia Imperii legatus, Venetis vitio vertit. Vid. *oratio ejus apud FREHERVM tom. II. ſcript. Germ. p. 261. ſeqq. L' Hiſtoire du Gouvernement de Veniſe par AMELOT de la HOVSSAIE t. 2. p. 145. ſeqq*

(a) *in Tyrannide eſt*) Dari *παμβασιλείας* & regna herilia civilibus contradiſtincta, ubi non eorum, qui reguntur, ſed qui regunt, utilitas intenditur, *GROTIVS de J. B. & P. lib. I. c. 3. §. 7. n. 14. §. 20. HVBERVS de jure civitatis ſect. 7. c. 2. §. 8.* ſtatuunt. Male autem *HOBBESIVS de cive c. 9. §. 9.* tradit: *Omnis regni naturam requirere, ut cives ſint ſervi, nec inter civem & ſervum eſſe differentiam, niſi quod ille tantum civitati, hic etiam concivi ſerviat.* Neque veritati illud magis conveniens facit ſenatoriæ factioni addicti Taciti teſtimonium, libertatem & principatum res eſſe diſſociabiles. Regna enim plerumque libertatis & communis utilitatis cauſa ſunt inſtituta, herilia vero & deſpotica vi armorum introducta, aut ex uſurpatione ſunt. Non autem videtur, diſtinctionis regnorum in herilia & civilia unicum & adæquatum fundamentum eſſe, diſtinctio inter gentes moratas & non moratas, ſervos natura & non ſervos. Nam erant & populi, qui inter moratos referebantur, qui jure victoriæ dominatum, per pactum deinceps confirmatum, ſubibant Interim tamen dubium non eſt, unam gentem, præ alia, ad totum jugum ferendum eſſe aptiorem.

(b) *in Oligarchia*) Et paucorum potentiæ, & infimæ plebis privatis ſæpe commodis in civitatibus operam datam eſſe, non uno exemplo ex antiquitate Græca & Romana pateſcit.

(c) *veram virtutem*) Hoc omnibus tribus potentiis ſive voluntatibus, quæ homines agitare ſolent, commune eſt, ut ſi quis ita actiones ſuas normæ conformet, ne a potentiis in transverſum abripiatur, virtuoſus, &, ſi ex habitu quaſi cupiditatibus moderetur, perfecte virtuoſus dicatur. Exinde non eſſe, niſi unam virtutem, conſtat, quæ varia, ab operationibus circa applicationem ad normam, nanciſcitur nomina.

(d) *integra aliqua reſpublica poterit prædicari*) Quæ potentiæ & morbi in homines ſingulos agunt, cum iis etiam reſpublicæ conflictantur. CAVRIANA circa finem *præfat. comment. in quinque prior. libr. annal. Taciti, AMELOT. de la HOVSSAIE diſcours critique p. 10. 11.*

(e) *Reſpublica Hebræorum*) De hoc præter autoris noſtri diſſertationem variorum commentationes habemus, quarum numero ſunt *SIGONII, CVNÆI, BERTRAMI & HOVTVINI de republica & monarchia Hebræorum libelli.* Interim pauci aut nulli ſunt, qui de republica Judaica tradentes, in genium ejus, ut par eſt, penetrarunt.

(f) *Romana Reipublica*) In hac republica omnia, ad belli gloriam, & fines proferendi cupidinem, directa fuiſſe, ex rerum a Romanis geſtarum commentariis liquet. A Romanis tamen nonnunquam bella eſſe ſuſcepta, largior, ut ab inquiete ſe liberarent plebe, & ingenuo loco natos, qui inclareſcendi ſtudio laborabant, a rebus novis domi moliendis averterent. *PVFFENDORF. de Republ. Romana §. 26.* Miſera eſt conditio rerumpublicarum militarium; nullos habent amicos, omnes eas ut in ſuum exitium natas reſpiciunt, &, ſi occaſio feret, ad illas ut communem hoſtem opprimendum conſpirabunt. Neceſſaria quoque illa belli inſtrumenta, ut finis reipublicæ militaris obtineri queat, alenda ſunt, quæ ex neceſſitate hypothetica indulgentiæ præmia ſument.

(g) *Athenienſibus*) Athenienſium æque ac Lacedæmoniorum reſpublicæ, ad minimum ad tempus aliquod, militares fuerunt. *Confer. PAVSAN. de veter. Græciæ regio-*

habuerint, paullo poſt apparebit. Voluptatem porro multas olim gentes ſectatas fuiſſe, docet hiſtoria Orientalis, Perſarum præſertim & Aſſyriorum quorundam Regum, ut & *Sybaritarum*, (a) qui infami illo voluptatum cœno immerſi, multis aliis ſeſe negociis implicare, ſtultum eſſe duxerunt. Ad quartum inſtituti humani genus divitias, pergimus. Non poſſunt autem nobis & olim & nunc deeſſe exempla eorum, qui hiſce comportandis ſtuduerunt. Apud veteres Tyrus & Sidon, maritimarum urbium celeberrimæ, hodierni ſeculi pulchrius forte exemplum præſtabunt Batavi, de quibus Poëta quidam minime obſcurus & ipſe in Batavis natus * ita canit:

- - - - Trux ventilet ignes
Tiſiphone, quatiatque ſuos irata colubros,
Provehimur, quo lucra vocant &c.

Ex his igitur apparet, quam diverſa ſint *humana vita inſtituta*, (b) dum alii hoc, alii aliud quid ſectantur.

IV. Illud etiam ſciendum eſt, & ex prioribus fit manifeſtum, multos in ſcopo ipſo aberraſſe, neque enim præter unicum illum & *verum ſcopum* (c) alius quiſquam rectus dabitur. Qui itaque aliud quid, quam veram virtutem ſpectarunt, in ipſo ſtatim limine aberrarunt. Multi in ſcopo quidem erraruut, in mediis putem non item. Nonnullos etiam, & in ſcopo & mediis ipſis aberraſſe, certum eſt, & notat hoc peregregie *Ariſtoteles l. 7. Polit. c.* 13. ubi ita: *Interdum*, inquit, *ſcopus quidem propoſitus eſt rectus, atque honeſtus, ſed in agendo ab eo aberrant; interdum contra,* (d) *ea quidem omnia, quæ ad finem pertinent, aſſequuntur, ſed finem ſibi propoſuerant malum ac pravum, aliquando ab utroque longe aberrant, veluti in arte medendi, nam neque quale eſſe oporteat corpus ſanum, recte interdum judicant, neque ad finem ſibi propoſitum accommodata efficientia nanciſcuntur; in artibus autem & ſcientiis, hæc utraque tenenda ſunt, finis & actiones, ſeu effectiones ad finem conferentes*, & rurſus *l.* 2. *Polit. c.* 9. ubi Lacedæmoniorum & Cretum Rempubl. examinat. Utrumque autem malum eſſe, & cum aliquo Reip. damno conjunctum, nemo, ut exiſtimo, in dubium vocabit.

V. Hiſce ita veluti præmiſſis, nunc illud demum, quod noſtri eſt inſtituti, agemus, & quid Majores noſtri ante tempora Carolina, cum nondum Germaniæ corpus in unum coaluiſſet, propoſitum ſibi habuerint, videbimus. Et quidem *voluptatem*, (e) ut ab hac initium faciamus, minime eos ſectatos fuiſſe, tum ex infantili educatione, *ſatis quidem dura*, (f) tum etiam aſſiduis & *indefeſſis ipſorum laboribus*, (g) præſentia animi in ſubeundis & exſuperandis periculis, imo toleranda morte ipſa ſatis elucet. Teſtatur id diſerte *Tacitus* (h) in his verbis, cum ita inquit: *Dominum & ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas, inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus dignoſcat.* Quod longe aliter fiebat apud Romanos, ſequioris ævi: hi enim liberos ſuos molliter & delicate educabant, nec tam ad bellicos labores perferendos, quam ad omnis

gionibus interpret. STLB. lib. 1. p. 20. 52. lib. 5. p. 264. lib. 3. p. 162. lib. 4. p. 206. 221. & alibi paſſim, ut & *THVCYDID. lib. IV. p. 239. &c. STRABO lib. 2. p. 102.* Non tamen Athenienſes ita armis erant addicti, ut literarum ſtudia, æque ac Lacedemonii, negligerent. Quamvis tales reſpublicæ, ob virium internarum imbecillitatem, & dubiam ſæpe peregrini militis fidem, ad arma aliis inferenda parum ſint idoneæ. Cæterum, quæ ad harum rerumpublicarum ſtatum, mutationes, virtutes & vitia attinent, VBBO EMMIVS de Græcorum rebuspublicis tradit. Optarem, ut accuratius aliquando in rerumpublicarum rationes inquiſiviſſet.

(a) *Sybaritarum*) Vide STRABONEM *Geograph. lib. 6. p. 263. edit. CASAVB.* De Perſarum mollitie & luxu conf. BRISSON. *de regno Perſarum lib. 2. p. 215. ſeqq.* Sardanapalum, in quo primam Aſſyriorum dynaſtiam finem habuiſſe dicunt, ut gulæ & libidinibus maxime obnoxium, quamplurimi nobis ſiſtunt ſcriptores. Vide *JVSTINVM lib. I. RVPERTVM ad ſynopſin Hiſtor. univerſalis BESOLDI p. 42. 43. BRISSONIVM de regno Perſarum lib. I. p. 155. ſeqq.* qui monumentum Sardanapali & veterum loca refert; videntur tamen ipſius inimici, cum potius paci, quam bello ſtuderet, omnia ab eo acta in pejus interpretati, & inde criminandi occaſionem ſumſiſſe. Nihilominus & hiſtorici ſæpe verarum cauſarum incurioſi conjecturis & ſuo genio indulgent. Quis crederet Xerxem Græciæ bellum intuliſſe, ut ex ejus guſtaret ficubus, aut Periclem, tantæ prudentiæ virum, (Vid. PLVTARCH. in vita ejus) ob Aſpaſiam Peloponeſiacum, Julium Cæſarem ob Cleopatram Ægyptiacum, & Franciſc. I. ob Clariciam Mediolanenſe ſcortum moviſſe bellum; præſertim in tanta ubique muliercularum eleganti forma in libidines venalium copia, & quod Franc. I. in eligendis libidinibus nullarum propemodum eſſet contemtor, VARILLAS *Hiſtoire de Francois I. p. 11. Les reflexions du Pere Repin ſur l'Hiſtoire p. 260. 261. 2. 2. opp.*

(*) *BARLÆVS* lib. 2. p. 309.

(b) *humana vita inſtituta*) Hoc ex diverſitate temperamentorum, interdum etiam ex aſſuetudine profluit.

c) *verum ſcopum*) Verus & primarius Reipublicæ ſcopus ſalus & beatitudo populi eſſe debet. PICCARTVS *ad libr. VII. c. 13.* ARISTOT. *de Republ. p. 1078.*

(d) *interdum contra ea*) Confer. FELD. *in analyſi ad c. 13. lib. 7. Polit.* ARISTOT. *p. 427.*

(e) *voluptatem*) Voluptati majores noſtros non multum dediſſe, id ex variis Taciti locis conſtat. *Sera juvenum venus.* TACITVS *in Germ. c. 20. Severa illic matrimonia, & pauci non ex libidine, ſed ob nobilitatem pluribus ambiuntur nuptiis. c. 18. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, c. 19.* Alimenta enim libidinum hic exulabant: *Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum: ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem, c. 23.* Et denique in Germania *nemo olim ridebat vitia, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocabatur c. 19.* Confer quoque *JVL. CÆSAR. de bello Gall. lib. 6. c. 21. 22.*

(f) *ſatis quidem dura*) GALENVS de Germanis tradit, ſolitos fuiſſe infantem recens natum in frigidum humorem immergere, idque duplici de cauſa, priori quidem, ut de naturæ vigore periculum facerent, poſteriori autem, ut corpus ipſum (nam per externum frigus calor internus adaugetur) confirmaretur. Vide *WILLICH. apud SCHARD. f. 54.*

(g) *indefeſſis laboribus*) Hæc, propter loca quædam TACITI, ex dubio aliquid trahere videntur. *Nec arare terram*, inquit ille, *in Germania c. 15. aut exſpectare annum tam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes, & vulnera mereri, pigrum quinimo & iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque;* & *cap. 17.* l. c. hæc reperiuntur: *totos dies juxta focum & ignem ducunt.* Non tamen dixerim, huic Romano-Germanicarum rerum non ubique ſatis perito, eaque ſæpe ad Romanorum mores & inſtituta examinanti, tuto ſemper haberi poſſe fidem.

(h) *Tacitus*) *In Germania c. XX. BERNEGGER. quæſt. 114.*

omnis generis vitia & laſciviam aſſueſaciebant, uti *Horatius* queritur *l. 3. Carm. od. 6.* (a) Cum autem adeo duriter liberos ſuos educarint, hinc videmus pro ſcopo voluptatem eos non habuiſſe. Nec minimum illud eſſe argumentum reor, quod ab habitu corporum deſumitur. Germanos enim noſtros, olim quidem (nunc etenim longe aliter ſeſe res habet) omnes Europæ, imo totius fere terrarum orbis gentes ac nationes corporum proceritate, compacta membrorum firmitate exſuperaſſe certum eſt. Teſtantur id veterum ſcriptorum monumenta, quæ omnia hic apponere, ſupervacaneum foret, cum cuivis hæc ſatis ſint obvia, ipſe etiam Tacitus magna illis *corpora tribuat.* (b) Vnde autem tanta corporum proceritas, unde firmum illud membrorum robur, niſi e perpetuis exercitiis bellicis, educatione dura, tenui & parabili victus ratione, qua contentos Germanos fuiſſe, Tacitus his verbis teſtatur: *Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum: ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem.* Cum autem hodierni Germani ab hoc inſtituto longius indies abeant, & in vita delicatiores agant, neque iisdem exercitiis utantur, hinc adeo fit, ut habitus corporum veteri illi adeo diſſimilis reddatur, uti notavimus *in tractatu, quem de habitu corporum Germ. conſcripſimus.* Verum ſcilicet illud eſt Quinctiliani: *educatio mollis* (c) *& animi & corporis nervos debilitat, ac frangit.*

VI. Sed progrediamur ad divitias, quas non tam magni eos feciſſe, quam potius contempſiſſe certum eſt. Apparet etiam illud ex Tacito noſtro, ubi inter alia, *argentum*, inquit, *atque aurum propitii an irati Dei negaverint, dubito.* (d) Quæ verba, modo recte conſiderentur, id, quod volumus, præ ſe ferunt, ubi enim argenti atque auri uſus aut plane nullus, aut perexiguus eſt, ibi non poſſunt aliquo in precio eſſe divitiæ, quia reliquæ opes ferme omnes nummi cauſa ambiuntur. Hinc Lacedæmoniorum Legiſlator Lycurgus, cum cives ſuos a cupiditate diteſcendi quam maxime alienos vellet, uſum nummi plane prohibuit, quod teſtatur *JVSTINVS l. 3. c. 2.* his verbis: *Emi*, inquit, *ſingula non pecunia, ſed compenſatione mercium juſſit, auri argentique uſum velut omnium ſcelerum materiam ſuſtulit.* (e) Poſtea tamen ferream pecuniam iis conceſſit, quod ipſum rectene *an ſecus fecerit*, (f) hujus loci ratio non exigit, ut inquiram. Dicit porro idem Tacitus, quosdam Germanos, proximos ripæ Rheni aut Danubii, ob uſum duntaxat commerciorum, quæ illis cum Romanis erant, pecuniam in precio habere, interiores vero, i. e. a ripis his remotiores, quibusque adeo cum Romanis nihil negocii intercedebat, ſimplicius & antiquius permutatione mercium uti. Et hinc clarius pateſcit, qua fini pecuniam in precio habere cœperint, nimirum ut ſibi neceſſaria quæque ab aliis poſſent parare, quando Romani permutationem hanc mercium non admittebant. Nummo autem iſti, quo uſi fuerunt, quæ nota fuerit impreſſa, parum adhuc conſtat, noſter Tacitus ita, *pecuniam*, inquit, *probant veterem & diu notam, Serratos Bigatosque.* Qui locus mirum in modum hactenus exercuit Criticorum ſcholam, quidam ita explicant, Serratos, quibus ſerra; bigatos, quibus biga eſt pro ſigno: Lipſius ſerratos ita interpretatur, qui ad modum ſerræ ſunt inciſi, Bigatos autem, quid ſit, non explicat, merito tamen *locus mendo laborare* (g) doctiſſimis quibusque videtur. Illud denique certiſſimum eſt, eos usque adeo contempſiſſe divitias, ut argentea vaſa legatis & Principibus eorum muneri data, teſte ipſo Tacito, non in alia vilitate habuerint, quam quæ humo finguntur. A diteſcendi itaque libidine eos etiam alieniſſimos fuiſſe, nemo non videt.

VII.

(a) *Horatius lib. 3. Carmin. oda 6.*) Vide LAMBINVM ad hanc odam: *Damnoſa quid non imminuit dies? ætas parentum pejor avis, tulit. Nos nequiores mox daturos, progeniem vitioſiorem.*

(b) *corpora tribuat*) *In omni domo nudi ac ſordidi in hos artus in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt.* Germani, ingenti magnitudine corporum, incredibili virtute atque exercitatione in armis Romanis, qui in Julii Cæſaris, Arioviſto ſe oppoſituri, erant caſtris, lacrymas elicuerunt, & quaſi jam de ipſorum vita actum eſſet, ad teſtamentorum per tota caſtra obſignationem permoverunt *CÆSAR de bello Gallico lib. I. c. 39. POMPONIVS MELA de Germania: qui habitant, immanes ſunt animis atque corporibus. COLVMELLA lib. VII. agr. Germaniam decoravit natura altiſſimorum hominum exercitibus. SOLINVS: Frequens germania populis numeroſis & immanibus.* Vide plura *apud SCHED. de DIS Germ. c. I. p. 16.* Imo Germanica mulier, humana ſpecie amplior, Druſum, Albim ſuperaturum, a propoſito avertere valuit, niſi forte ſpectri loco eam habuerit. *SVETONIVS in Claudio c. I. DIO lib. 55. SCATENIVS Hiſtor. Weſtphalia lib. I. p. 48.*

(c) *educatio mollis*) *Utinam liberorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus, mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. QVINTIL. Inſt. orat. lib. I. c. 2.* Vide *PLVTARCHI librum de educandis liberis.* De hoc argumento alibi plura dicendi occaſio dabitur.

(d) *dubito*) *TACITVS de argenti & aurifodinis Germaniæ loquitur caute, ceu prudentem virum decet, ſententiam ſuam promit, & in dubio rem relinquit. HENR. MAIBOMIVS de metallifodinis Hartzicis §. 1.* Addit deinde *TACITVS: Nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere, quis enim ſcrutatus eſt?* Nummorum autem parum erant curioſi, cum iis non indigerent, niſi Romanis viciniores, ob commerciorum uſum. Antiquiſſimis mortalium permutatio ad vitæ ſubſidia ab aliis, qui ipſis abundabant, redimenda, ſufficiebat, luxus, aviditas & detrita hominum fides nummum induxit. Notum eſt ex HERODOTO *lib. I. pag. 39.* Lydios, gentem mollitie diffluentem, principes nummum aureum argenteumque percuſſiſſe.

(e) *ſcelerum materiam ſuſtulit.*) *PLVTARCHVS in comparatione ARISTIDIS & CATONIS fol. 31.* nummis ex ferro aut corio utebantur. CRAG. lib. III. (*b*) Interea vitii illud, quod nummus habet, non tam ex nummo, quam hominum vitio eſt. De Lycurgo ejusque *νομοθεσία* agit CRAGIVS *de republica Lacedæm. lib. III. c. 1.*

(f) *an ſecus fecerit*) Idem eſt, an ferrum, an argentum aut aurum in nummi materia placeat; modo de eo lege aut pacto cautum ſit. An autem conſultius fuerit, nummi uſum plane intermittere, ut affirmant illi, qui, nummis luxui & avaritiæ anſam præberi, contendunt, aliis dijudicandum relinquo.

(g) *locus mendo laborare*) Locum Taciti mendo laborare, non puto; quidni enim illi Germani, penes quos pecuniæ uſus, quasdam pecuniæ formas præ aliis probare potuiſſent. Videntur autem Serrati nomen inde habuiſſe, quod ambitus eorum angulis inciſus fuerit, atque ita formatus, ut ſunt canum & ſerpentum dentes. Argenti bigati in ſcriptoribus Romanis non infrequens occurrit mentio, creduntur que Bigati non male a figura cælaturæ ita dicti. Vide HOTTOMANNVM *de re nummaria populi Romani, p. 14. ſeq. 101.*

VII. Verum enim vero, cum omnis divitiarum natura ſic ſe habeat, ut aut uſui & neceſſitudini humanæ, aut elegantiæ, aut denique luxui inſerviant, probe hoc ipſum obſervandum eſt, & videndum, quænam ſint quærendæ, & quouſque civibus in bene conſtituta aliqua Republica diteſcere liceat. Lycurgum enim Lacedæmoniorum Legiſlatorem certum aliquem terminum ſuis civibus poſuiſſe, ultra quem divitias *augere non permittebatur*, (a) ex veterum monumentis conſtat. Quæ uſui & neceſſitudini humanæ conducunt, omnino non poſſunt abeſſe, hiſce enim, qui carent, vere miſeri ſunt appellandi, utut contrarium Stoicorum turba aſſerere non dubitet, idque ipſum, ut Perſius ait:

- - braccatis illita Medis
Porticus occentet.

Hæ igitur merito cuilibet homini, & omni quidem ſtudio ſunt acquirendæ, & has ſolas majores noſtri, reliquis omnibus inſuper habitis, ſpectarunt, quippe qui tantum ea, quæ ad victum & amictum ſunt neceſſaria, curarunt. Præterea quæ ad elegantiam faciunt, iis ſi quis careat, non quidem ſtatim eſt *miſer*, (b) attamen ab omni parte felix dici nequit, quia aliquod felicitatis hujus complementum (ut ita loquar) vocari merentur. Quocirca ad ejus, qui in digniore præ reliquis fortunæ gradu poſitus eſt, aut amplo aliquo munere fungitur, elegantiam, plus requiritur, quam qui minori honore gaudet. Nec illud ſicco pede (quod ajunt) prætereundum eſt, opes haſce *ad bene vivere* (c) non parum prodeſſe, proinde hucusque civibus in qualibet Republ. viventibus diteſcere licebit. At vero, quod ſuperfluas illas, & ſoli tantum luxui accommodatas attinet divitias, e re fore minime putandum eſt, ut hiſce corradendis homines occupentur. Ex nimia enim divitiarum abundantia enaſcitur, uti id ex prioribus colligi poteſt, luxus, e luxu porro omnis generis vitia promanant, quæ civitatem tandem plane effæminant, & emolliunt. Teſtis eſt Romana Reſpublica, *quæ, mundo ſubacto*, (d) nimiis opibus luxurians ad peſſima quæque vitia ſeſe inclinare cœpit, quod graviſſime conqueruntur, & deplorant prudentiſſimi ſcriptores. Nobis nunc pro inſtituti ratione ſufficiat unicum tantum adduxiſſe teſtimonium, quod legitur apud *Lucanum l. 1. de bello Pharſ.* & ita habet:

Namque ut opes nimias, mundo, fortuna, ſubacto,
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis, (e)
Prædaque, & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ
Non auro tectisve modus, menſasque priores
Aſpernata fames, cultus geſtare decoros
Vix nuribus, rapuere mares, fœcunda virorum
Paupertas fugitur, totoque arceſſitur orbe,
Quo gens quæque perit.

Teſtis autem eſt *hiſtoria parens* (f) *Herodotus l. 1. p. 29.* Perſas ante devictos a ſe Lydios non fuiſſe luxui aut ignaviæ deditos, quemadmodum poſtea, verba ejus hæc ſunt: Πέρσαισι πρὶν Λυδὺς καταστρέψασθαι, ἦν ὔτε ἁβρὸν ὔτε ἀγαθὸν ὐδέν. Erant ſcilicet Lydii natura ad voluptatem & luxum proni, horum opes & divitias cum nacti eſſent Perſæ, a priſtino illo & duro vitæ genere (quo antea uſos fuiſſe eos, Cteſiæ excerpta teſtantur) ad mollius & delicatius paulatim deflexerunt. Eſt etiam porro nimia hæc, & veſana opum cupido, Democratiis cum primis valde noxia, quas Ariſtoteles mutari ſæpius, ait; ſiquidem populus rebus acquirendis intentus Reipubl. negocia parum curet, eaque aut paucos aut unum aliquem paullatim ad ſe pertrahere patiatur.

VIII. Verum ne juſto diutius, hiſce immoremur, ad tertium illum ſcopum, ſeu vitæ humanæ genus, quod veram virtutem ſibi habet propoſitam, pergamus. Hanc autem majores noſtros, utpote *Barbaros* (g) non quæſiviſſe, vel exinde manifeſtum eſt, quia ſcopum hunc verum & optimum

(a) *augere non permittebatur*) CRAG. lib. III. Vix enim illi, qui opibus abundant, tam patienter imperium ferent, ac ſi intra mediocritatis terminos ſeſe continerent. Sicut enim paupertas deſperatos, ſic nimiæ opes pertinaces & ſuperbos reddunt cives.

(b) *miſer*) Miſer eſt, qui ſua ſorte non eſt contentus. Sæpe nihil habenti nihil deeſt, & majori tranquillitate nititur, cujus deſiderio manus ſufficiunt, quam ille, qui opibus valet.

(c) *ad bene vivere*) Opes inſerviunt, ut virtutes in illuſtriori poſſint poni loco, & ut ſine notabiliori difficultate animi dona excoli queant. Nec dubito, quin ad beatiorem vitam, ſub cujus larva ſæpe luxus latet, nummi apprime faciant.

(d) *quæ mundo ſubacto*) Sic Carthagine imperii æmula ſublata Romani luxu victi ſunt. VELLEJUS PATERC. *lib. 2. c. 1.* Variæ quidem in Republica Romana ad coërcendum luxum ſumtuariæ factæ ſunt leges, ſed aut oblivione, aut, quod flagitioſius, contemtu abolitæ ſunt. Unde Tiberius, qui ſæpe apud ſe penſitaverat, an coërceri tam profuſæ cupidines poſſent, hæc literis ad ſenatum compoſitis inſeruit: *Neſcio, an ſuaſurus fuerim, omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adſequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares eſſemus.* TACITUS *lib. 3. Annal. c. 53.*

(e) *mores ceſſere ſecundis*) *Cur ergo olim parcimonia pollebat? quia ſibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus, ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus externis victoriis aliena, civilibus etiam noſtra conſumere didicimus.* TACITUS *l. c. l. 3. §. 4. ff. de ſupellectile legata.*

(f) *hiſtoriæ parens*) Sunt tamen, qui contendunt, Hiſtoriæ parentem ſæpe fabulis indulſiſſe. Nec Stephani apologia pro Herodoto omnia hic removere valet dubia.

(g) *Barbaros*) Ad morem Romanorum & Græcorum loquitur, qui omnes, qui ſuæ non erant gentis, aut ſua non fovebant inſtituta, barbaros vocabant. Alias nefas eſſet, illos barbaros vocare, apud quos plus boni mores valuerunt, quam alibi bonæ leges, & qui fortunam inter dubia, & virtutem inter certa numerabant. *Taciti Germania c. 19. 30.* Nec affirmare audeo, majores noſtros ſcopum verum & optimum Reipublicæ plane ignoraſſe. Enim vero arma non ex pruritu, aut inclareſcendi vanitate, finesque producendi, aut ſpoliis diteſcendi cupidine, ſed potius ad avitam libertatem defendendam in hoſtes torquebant, vel potius retorquebant. Atque hunc

mum vel plane ignorarunt, vel ſaltem leviter cognitam habuerunt. Reſtat igitur, ut potentiam bellicam eos intendiſſe dicamus, quod ſane verum eſſe deprehendimus, ſiquidem *omnia ipſorum inſtituta* (a) & mores, quæ huc unice directa fuere, intimius aliquanto introſpiciamus. Et hac quidem in parte, cum ipſo Romanæ, Laconicæ & Athenienſis Rerumpublicarum ſcopo, Reſpublica Germanica convenit.

IX. Ex his igitur allatis non poterit non recte rem intelligentibus illico patere, in ſcopo, adeoque ipſo ſtatim limine Majores noſtros aberraſſe. Quod ſane tam barbaræ & *incultæ genti* (b) minus erit imputandum, aut vitio vertendum, cum ipſi etiam Græci, qui omnes alias nationes & populos, humanitate, ſapientia, & morum cultu anteibant, alium finem non habuerint, quemadmodum etiam *id ex hiſtoria Græca* (c) ſatis dilucide perſpici datur. Proinde hoc ipſum nulli mirari demus, Germanos in tanta morum feritate, aciem mentis ulterius extendere, & ad nobilius & magis optatum vitæ genus eniti non potuiſſe. Nunc etiam media, quæ ad ſcopum hunc obtinendum faciunt, qualia & an ſatis idonea fini huic impetrando fuerint, diſpiciamus. Audivimus enim ſupra Ariſtotelem noſtrum dicentem, quoſdam in ſcopo quidem errare, in ipſis autem mediis, quæ ſcopo huic conducunt, non item.

X. Hæc proinde hactenus de variis variarum gentium ſcopis, adeoque majorum noſtrorum vitæ genere, dixiſſe ſufficiat. Nunc, quod vere eſt hujus loci, in Germanorum noſtrorum vitam & res geſtas accuratius aliquando inquiramus, & cum ſcopum ipſorum ſatis noverimus, media quoque ad ſcopum hunc facientia examinemus, ut quantum Reipubl. ea conduxerint, nec ne, eo rectius appareat, deinde etiam quædam de armatura Germanica, & inſtitutis bellicis adjiciamus; ſequemur autem in omnibus hiſce (uti hactenus cœpimus) filum & ductum Cornelii Noſtri Taciti, quo uſus eſt in deſcriptione *veterum Germaniæ armorum.* (d) Non poſſumus autem, meo quidem utut tenui judicio, rectius hac in re progredi, quam ſi ſingulos ætatis gradus ob oculos ponamus, & quid cuivis ætati competat, quibus rebus aſſuefieri debeat, nec ne, recte ponderemus, exinde enim clarius elucebit, cum a teneris aſſueſcere adeo multum ſit, anne etiam ita inſtituerint actiones ſuas majores noſtri, ut ſcopum hunc aſſequi potuerint? Recte *Ariſtoteles l. 7. Polit. cap* 17. ubi de educatione infantili agit, lacte infantes ali debere oſtendit, quia cibus iſte, ut ille inquit, *ἐςὶ τροφὴ μάλιςα τοῖς σώμασιν οἰκεῖα*, aut ut Hippocrates *l.* 16. de uſu partium ait, *ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς τῷ αἵματι.* Quod ſi ita eſt, ut certe aliter ſeſe habere non poteſt, ipſa quodammodo natura hunc præ aliis cibum commendare nobis videtur. Dicit porro Ariſtot. l. c. etiam omnes bellicoſas gentes & nationes, quæ habitum militarem ſibi acquirere voluerint, hoc ipſum obſervaſſe.

Et

hunc in finem, auctore *CÆSARE de bello Gall. lib. 6. c. 21. vita omnis in venationibus, ut belli præparamento & rei militaris ſtudiis conſtitit*, cum literarum & mercaturæ ſtudia ſerius ad ipſos delata ſunt. Quod nihil niſi armati egerint, non demonſtrat, ipſos in vulnera & cædes tam proclives fuiſſe. Arma virum ornant, & hodie gladiis accincti incedunt, quorum vitæ conditio ab armis abhorret, qui tamen mos, utpote multa mala ſecum ſæpe trahens, à quamplurimis improbatur. Ab omni autem hic exceſſu majores noſtros non vindico. Fortia pectora ad decertationes, quam ad convitia, muliercularum exercitia, proniora eſſe ſolent. Id minus condonandum, quod illos opinio invaſerit, & armis juſtitiæ cauſam in aperto conſtitui poſſe.

(a) *omnia ipſorum inſtituta*: Quidni diceremus, multa Germanorum inſtituta & mores ſatis apte etiam in pace uſum habuiſſe, & ſic non unice ad bellum directa fuiſſe.

(b) *incultæ genti*) Germani Romanis inculta dicebantur gens, quia ſimplicitati, non morum luxuriei & fallendi artibus ſtudebant, nec veſtimentorum ineptiis & faſtu turgebant. Comtos habere mores laude dignum, ſed cavendum, ne ſub eorum ſpecie thraſonicis geſticulationibus fallamur. Huc aliquo modo ſpectant TACITI verba, Germanos gentem non aſtutam nec callidam vocantis. Fateor apud majores noſtros non ita exeultum fuiſſe decorum, ut apud Græcos & Romanos: verum e contra hi ab illis juſtitia & honeſtate multis numeris ſuperati ſunt. Si, quæ de majoribus noſtris tradit TACITVS, cum iis, quæ de Græcorum, Romanorumque moribus memoriæ produntur, contendimus, de hujus aſſerti veritate facile conſtabit. Nec plena TACITO habenda fides, quando majorum noſtrorum incuſat ebrioſitatem. Calor internus frequentiorem potum requirit, quod gentes propter defectum caloris interni, tanta potus copia non indigentes, ad ſui exemplum, bibacitatem vocabant, putabantque in Germanis humorem illum ex hordeo, aut frumento in aliquam vini ſimilitudinem corruptum, quem PLINIVS frugem madidam vocat, æque ac vinum in tanta copia a ſe ſumtum, nihil moderabile ſuadere, in quo tamen eos lapſos eſſe, & ex eo ſolo apparet, quod Germani Venere non ardeſcerent. Porro TACITVS non dicit, quod Germani dies noctesque potando frequenter traxerint, ſed quod diem noctemque continuare potando nulli probrum. Indulgebatur enim huic, cum ſitim ob caloris interni multitudinem non tam patienter ferre potuerint, ac aliæ gentes. Imo Romani, cum cognitum haberent, Germanos de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus & adſciſcendis principibus, de pace denique ac bello in conviviis conſultare ſolitos eſſe, ſibi perſuaſum habuerunt, ex quo Germani publicorum negotiorum cauſa convenerunt, frequentioribus ſemper hauſtibus operam dari. Vini antiquioribus temporibus penes Germanos nullus erat uſus. Putabant enim per id virtutem amitti, & ſic, teſte CÆSARE *Lib. 2. de bello Gallico*, id inferri non patiebantur. Quonam tempore vites Germanico ad Rhenum ſolo inſeri cæperint, docet LEHMAN. *in chron. Spir. lib. I. c. XXIV.*

(c) *id ex hiſtoria Græca*) *Cf. Herodotus, Pauſanias, Thucydides.*

(d) *veterum Germaniæ armorum*) Dolendum ſane, majorum res geſtas non niſi hoſtili eſſe traditas calamo, quippe qui haud dubie ſuæ reipublicæ amori aliquid dedit. Interim ea, quæ ab iis in laudem gentis noſtræ memoriæ prodita ſunt, eo majorem merentur fidem, quoniam ab hoſtibus proficiſcuntur. Illuſtrius igitur nihil eſſe poteſt, quam id, quod TACITVS *in fine lib. 2. annal.* de Arminio profert: *Cæterum Arminius, abſcedentibus Romanis & pulſo Marabodno regnum affectans, libertatem popularium adverſam habuit, petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani ſicut alii reges ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit, præliis ambiguus, bello non victus ſeptem & triginta annos vita, duodecim potentia explevit, caniturque adhuc barbaras apud Gentes, Græcorum annalibus ignotus, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi. Nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur. IDEM annal.*

lib.

Digitized by Google

Et quidem apud majores noſtros, ut TACITVS ait: *Sua quemque mater uberibus* (a) *alit: nec ancillis aut nutricibus delegantur.* Quem morem, ſi quem alium, ſatis laudare nequeunt moderni ſcriptores. Et ſane non tantum olim apud Romanos & Græcos longe aliter ſeſe res habuit, ſed & hodierno maxime tempore, mos ille pravus & perverſus Germaniam noſtram invaſit, & usque adeo jam invaluit, ut delicatiores fœmellæ pene opprobrii loco habeant, uberibus ſuis infantem alere. Ex qua re quid mali oriatur, politiores quam optime judicabunt. Reprehendit jam olim peſſimum hunc morem *graviſſimus Auctor Plutarchus, in aureo ſane libello,* (b) quem περὶ παίδων ἀγωγῆς conſcripſit, ubi multas adducit cauſas, quibus id fieri debere negat; videatur etiam omnino hac de re longe elegantiſſima Favorini Philoſophi diſſertatio, reſervata nobis *ab Agellio Noct. Attic. l. 12. cap. 1.* ubi multa in hanc rem legi poſſunt. Sed hiſce diutius inhærere noſtri non eſt inſtituti, quippe qui ὡς ἐν παρόδῳ, & facem prælucente Tacito noſtro, hoc duntaxat tangimus. Et ſane usque adeo hunc cibum majores noſtri ſemper amarunt, ut etiam adulti maximam partem lacte *veſci fuerint ſoliti.* (c) *Agricultura non ſtudent*, verba ſunt Caji Cæſaris, l. 6. de bello Gallico, *majorque pars victus eorum in lacte & caſeo conſiſtit.* (d) Et rurſus l. 4. ejusd. belli ſic ait: *Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt: multumque ſunt in venationibus.* Quibus Julii verbis noſter quoque Cornelius adſtipulatur. *Cibi*, inquit, *ſimplices, agreſtia poma, recens fera, lac concretum.* Fecerunt & hoc aliæ gentes & nationes bellicoſæ, ut *Scythæ,* (e) Geloni, qui lacte eoque equino victitarunt. Cum igitur cibus iſte quam maxime bellicis laboribus deditis, *pronunciante ipſo Ariſtotele* (f) noſtro, adeo conducat, & probe hoc ipſum obſervarint majores noſtri, hinc adeo videmus, recte eos hac quidem in parte ſcopo ſuo conſuluiſſe.

XI. Præterea quoque frigoribus tolerandis pueros aſſuefieri debere *recte cenſet Ariſtot. l. c.* (g) his verbis: Συμφέρει δὲ εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων· τοῦτο γὰρ καὶ πρὸς ὑγίειαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις εὐχρηστότατον. Διὸ παρὰ πολλοῖς ἐστὶ τῶν βαρβάρων ἔθος, τοῖς μὲν εἰς ποταμὸν ἀποβάπτειν τὰ γιγνόμενα ψυχρότατον, τοῖς δὲ, σκέπασμα μικρὸν ἀμπισχεῖν· οἷον Κελτοῖς. Πάντα γὰρ ὅσα δυνατὸν ἐθίζειν, εὐθὺς ἀρχομένων βέλτιον μὲν ἐθίζειν. Ex quibus multo elegantiſſimis Ariſtot. noſtri verborum oraculis colligimus, a teneris pueros duritiei & frigoribus aſſuefaciendos eſſe, ne ſcilicet fiant molles & delicatuli. Et ſane frigoris tolerantiam cordatiſſimi Auctores in militibus & belli ducibus, æque ac alias virtutes requirunt. Claudianus III. Conſulatu Honorium laudat, eo quod edoctus fuerit:

Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Et galea potare nives &c.

Et rurſus in divino illo carmine, quo Stiliconis laudes perſequitur, ſic elegantiſſime canit l. 1.

\- - - *Quoties ſub pellibus egit*
Edonas hyemes & tardi flabra Boota
Sub dio Rhiphæa tulit, cumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triſte rigentem
Danubium calcabat eques, nivibusque profundum (h)
Scandebat criſtatus Athon, lateque coruſco
Curvatas glacie ſylvas umbone ruebat.

Cum itaque hanc virtutem adeo extollant nobiliſſimi quique ſcriptores, quod multis præterea exemplis clarum fieri poterat, hinc non parum bellicis rebus eam conducere merito ſtatuimus, quod etiam Ariſtoteles h. l. fatetur. Quapropter Poetæ Martem bellorum Deum adhuc tenerum plantas ſuas frigidiſſimo Thraciæ fluvio, Strymone, abluiſſe fabulantur, qua re nihil aliud indi-

gi-

lib. 2. c. 21. Item: *Nemo Germanis bellum impune intulit. Germanis nihil eſt animoſius, nihil acrius, nihil cupidius armorum. SENECA lib. I. de ira. c. II.*

(a) *mater uberibus*) *In Germania c. 20. Lactantis nemo nutricis nomina, quæ prolem cogit degenerare ſatam. CONRADVS CELTES lib. 2. eleg. 9.* Quem in finem natura mammas muliebri attexiſſet corpori, easque lacteo impleviſſet liquore, niſi, ut infantulis nutriendis præberentur. Ex vitio eſt in Veneris exponi irritamenta. Vicaria hic aliarum opera non erit adhibenda, niſi exſangue aut debile corpus partui in alimenta non ſufficiat. Confer *OLIZAROVIVM de politica hominum ſocietate l. I. c. 10. §. 2.*

(b) *in aureo ſane libello*) De liberis educandis. Rationes ejus hæ ſunt: 1) Matres id, quod ex ſe natum eſt, majori diligentia alituras, quam nutrices, quæ alumnos non niſi mercedis gratia diligunt. 2) Naturam hoc juſſiſſe & hunc in finem ubera & lac præbuiſſe. 3) Ut majorem in eos, quos procreaſſent, amorem benevolentiamque foverent. 4) Victus cibique ſodalitium, quoddam benevolentiæ & amoris incrementum exiſtit. Vide etiam GELLIVM loco ab auctore citato.

Neſcio autem, an illa exceptio locum habeat, ab hoc debito matres fore immunes, ſi liberorum aliorum gignendorum ſtudio teneantur. Id enim ad illam ſolum rempublicam, quæ hominum penuria laborat, ſpectare, forte dixeris. Si quæ autem nutrix eligenda, quantum fieri poteſt, honeſtæ vitæ perſona eligatur, lac enim ad nutriendos nutricis cupidines transvehere ſolet. Vide *FAVORINVM apud GELLIVM loco ab auctore citato* de hac materia diſſerentem: *Id hercle ipſum eſt, quod ſæpenumero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos parentum ſuorum neque corporibus, neque animis ſimiles exiſtere.*

(c) *veſci fuerint ſoliti*) *CLUV. Germania antiqua lib. I. c. 17.*

(d) ἐν τροφῇ) Lac eſt alimentum corporibus maxime accommodatum.

(e) *Schytæ*) *Sunt enim quidam de vagis ſeu nomadibus Schytis, qui equorum lacte veſcuntur, juſtitia omnibus hominibus ſuperiores. STRABO lib. VII. p. 301.*

(f) *pronunciante ipſo ARISTOTELE*) *lib. 7. de Republ. cap. ult.* Arbitror hujus rei ſymbolum quoddam fuiſſe, quod Romulus non vino, ſed lacte libaverit. *PLIN. Hiſt. nat. 14. c. 12.*

(g) *recte cenſet Ariſt. l. c.*) *Prodeſt & ſtatim ab ineunte ætate pueros frigoribus aſſuefacere. Hoc enim ad bonam valetudinem & ad actiones bellicas utiliſſimum eſt. Quare apud multos barbaros populos mos eſt, his quidem in flumen frigidum infantes mergere, his vero parvum tegmen inducere veluti celtis. Cunctis enim, quibus fieri poteſt, ut aſſueſcant, ſatius eſt ſtatim ab initio & paulatim aſſueſcere.*

(h) *nivibusque profundum*) Tolerantiæ talis exemplum Adrianus Imperator apud SPARTIAN. & Annibal penes SILIVM ITALICVM; ſunt verba BARTHII *ad locum Claudiani.*

gitare voluerunt ſapientiſſimi Mortales, quam militem frigoribus exſuperandis aptum eſſe debere. Hoc autem cum bene advertiſſent Majores noſtri, non mirum eſt, a teneris (uti Græci ajunt) unguiculis eos id operam dediſſe, teſte Tacito & aliis, *ut frigora & inediam ferre* poſſent. Non autem hæc frigoris exſuperantia tantum virtuti bellicæ, (ut Ariſtot. recte monet,) ſed & acquirendo & tuendo corporis robori, ac ſanitati cum primis conducit, & vero ad munia quævis militaria dextere exſequenda, corporis robur haud parum proficere, omnium pene calculo firmatum eſt. Hac itaque etiam in parte bene rebus ſuis proſpexerunt, & egregiam laudem ſunt promeriti Majores noſtri.

XII. Recenſet autem Ariſt. noſter duos potiſſimum modos, quibus hoc fieri conſueverit. Dicit autem quosdam Barbaros, quos ille *Celtas vocat*, (a) nos merito cum doctiſſimo Piccarto, Majores noſtros, præſertim Rheno proximos fuiſſe conjicimus, recens natos infantes *εἰς ποταμὸν ἀποβάλλειν ψυχρόν. Claud. 2. in Ruff. ſic canit:*

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Id etiam addendum puto, duabus maxime de cauſis id eos feciſſe, quoniam ſcilicet primo exiſtimabant, ſe hoc modo explorare poſſe, anne etiam ex legitimo conjugio natus ille *infans foret*, (b) Julianus Imperator *in epiſtola ad Antiochum* (c) Miſopogona: *Spurii*, inquit, *cum primum nati ſunt, fluminibus ſuperponuntur, ac ſpurios quidem mergi, legitimos aquis innatare ferunt. Unde non ineleganter* Nonnus in Dionyſiacis Rhenum vocat ἐλεγχίγαμον. (d) Nec defuere, monente Lipſio, qui Rhenum den Rhein, quaſi purgatorem ſunt interpretati, quod pura conjugia indicaret. Altera porro infantes fluvio mergendi cauſa hæc erat, ut ſtatim in ipſo vitæ limine (ut ſic dicam) duriciei & frigoribus natos ſuos aſſueſcerent. Quæ res & ad valetudinem multum prodeſt, & ad munera militaria, ut etiam antea diximus, aliasque vitæ neceſſitates commode obeundas & ferendas. Et hæc de primo quidem modo dicta ſic ſufficiant. Alter porro modus eſt, σκέπασμα μικρὸν ἀμπισχεῖν, exiguum recenter natis inducere amiculum, tantum ut paullum frigora ferre addiſcant. Quod majores noſtri non tantum in lucem modo editis, ſed & adultis promiſcue omnibus, nullo habito ſexus aut ætatis diſcrimine, fecerunt. *Philippus Cluverius*, (e) vir alias undiquaque doctiſſimus, & rerum Germanicarum indagator ſollertiſſimus, in antiqua ſua Germania, conatur nobis perſuadere, majores noſtros *pleroſque nudis inceſſiſſe corporibus*, (f) & ita quoque depingi eos curavit, quod ſane (pace ſummi Viri dixerim) eſt contra omnium antiquorum teſtimonia, qui aliquem iis, quamvis perquam æſtivum, tribuunt amictum. Et ſane adverſus aſperitatem cœli, & frigidi Jovis injuriam ſatis muniti eſſe non potuiſſent, ſiquidem omnino intecti fuiſſent. Tenui itaque veſtitu induti fuerunt, & teſtis hujus rei locupletiſſimus inter alios eſt, *Cornel. noſter, qui ita capite 17. de moribus Germ. ait: Tegumen omnibus ſagum fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum, cætera intecti.* Etiam ferarum pellibus in veſtitu uſi fuerunt, teſte eodem Tacito, cum quo *Julius Cæſar l. 6. de bello Gallico* conſentit: *Pellibus*, inquit, *aut parvis rhenorum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Et rurſus l. 4. ejusd. belli hæc verba habentur: *In eam ſe conſuetudinem adduxerunt, ut locis frigidiſſimis, neque veſtitus præter pelles habeant quicquam (quarum propter exiguitatem, magna eſt corporis pars aperta) & laventur in fluminibus. Nec alius* (verba ſunt Cornelii noſtri) *fœminis quam viris habitus, niſi quod fœminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nuda bracchia ac lacertos, ſed & proxima pars pectoris patet.* Magna igitur ex parte nudati fuerunt tam viri quam fœminæ. Fecerunt itidem hoc olim *multæ aliæ gentes*, (g) bellicis laboribus deditæ, quas omnes hic recenſere, pretium operæ non videtur. Eſt vero egregia mili-

(a) *Celtas vocat*) Quæ Celtis & Galatis ſive Gallis à ſcriptoribus Græcis & Romanis attribuuntur, maximam partem ad Germanos, utpote Celtarum gentem, non ad Gallos ſtricte dictos ſpectare, egregie *COCCEJUS in prolegomenis juris publici prudent.* probatum ivit. Conf. quoque *BROW. in annal. Trevir. proparaſc. p. 14. ſeqq.*

(b) *infans foret*) *Ut ſi natare ſcirent vel enataſſent alveum, pro legitima ſobole haberentur, contra, ſi cederent flumini. BARTHIUS in notis ad hunc Claudiani locum*, ubi notat, morem illum & aliis fuiſſe uſitatum gentibus. De hoc ritu *LIPSIUS in notis ad TACITI Germaniam p. 46.* ita loquitur: *Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeosque imponebant, ſi undis abriperetur nothum, ſi innataret, vere ſuum.* Neſcio, an origini fallacis ſagarum per undas manifeſtationis inde aliquid debeatur. Quicquid demum ſit, tam iniquum & fallax fuiſſe, legitimæ nativitatis detegendæ medium arbitror, quam ignitum vomerem ad inviolatam pudicitiam demonſtrandam. Natura enim nulla ad legitimam ab illegitima nativitate diſtinguendam nobis ſuppeditavit κριτήρια, ſed quicquid hujus toni habemus, ex lege poſitiva eſt. Exinde Auctor noſter hoc, quod majoribus tribuitur factum, non ſine ratione in tractatu *de germ. corp. habit. antiq. & novi cauſis. p. 76.* in dubium vocat.

(c) *in epiſtola ad Antiochum*) Integrum locum refert LIPSIUS l. c.

(d) ἐλεγχίγαμον) Velut judicem vindicemque conjugii.

(e) *Philippus Cluverius*) Hunc nimis acerbe *GROTIUS in prolegomenis Hiſtor. Gothor. Vand. & Longobardorum p. 13.* ſub antiquæ Germaniæ titulo novatorem maximum vocat, cum Germania ejus antiqua multas ſane promereatur laudes, licet non ubique verum attigerit.

(f) *pleroſque nudis inceſſiſſe corporibus*) Sed non omnem veſtis uſum ipſis *lib. I. c. 16.* abrogavit, ubi eadem, quæ hic auctor habet, CÆSARIS & TACITI refert loca. Confer quoque *KIRCHMAIERUM ad c. 17. Germ. Taciti. POMP. MELA lib. 3. c. 3.* tradit, Germanos ante pubem, haud dubie ad obdurandum corpus, nudos inceſſiſſe, ex quo autem ephæbos exceſſerant, pelliceam ſumſiſſe veſtem. *Tegumen omnibus ſagum fibula, aut ſi deſit ſpina conſertum, cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. TACITUS c. 17.* Erat autem ſagum tunica ex lana confecta, quadrangul. ad nates demiſſa, quam ſub collo fibula vel ſpina affigebant. Videntur tamen ex arborum libris quoque indumenta ſumſiſſe.

(g) *multæ aliæ gentes*) Gentium quasdam, quæ nudæ incedunt, recenſet *PUFFENDORF. de jure Nat. & Gent. lib. 6. c. I. §. 30.* Suntque hic conſulenda itineraria, quæ multarum gentium verſus calidiores plagas nuditatem docent.

litis virtus, frigoribus & horridæ tempeſtati, ſi quando neceſſitas exigat, non cedere; probe hoc olim advertiſſe videtur fulmen illud Mavortis, Hannibal, qui milites ſuos a meridie & ſole venientes, adeoque frigorum impatientes, antequam horribile illud ad Trebiam prœlium cum Romanis aggrederetur, *callido artificio* (a) adverſus frigus perferendum munivit. Sic enim Lucius Florus, Romanæ hiſtoriæ Epitomator longe elegantiſſimus & veraciſſimus: *Tunc calidiſſimi*, inquit, *hoſtes frigidam & nivalem nacti diem, quum ſe ignibus prius, oleoque foviſſent*, (*horribile dictu*) *homines a meridie & Sole venientes, noſtra nos hyeme vicerunt.* Nec tantum ad frigus tolerandum facit, nudato ita corpore incedere, ſed etiam robori corporis, & compactæ membrorum firmitati haud parum conducit, non autem ſolum frigus corpora reddit compactiora, ſed etiam ipſe Sol, quorum corpora radiis ſuis penetrat, eorum oſſa duriora & magis ſolida reddit, itaque duplex inde commodum ſuboritur. Narrat *hiſtoriæ parens Herodotus in Thalia c.* 12. de Perſis & Ægyptiis, hanc miratu dignam hiſtoriam: Cum Cambyſes Rex Perſarum Ægyptiis bellum feciſſet, & cum illis acie decertaſſet, eorum, qui ab utraque parte ceciderant, oſſa, ſoliditate & duritie adeo differebant, ut Perſarum quidem capita ad minimum digiti impulſum diſſilirent: Ægyptiorum vero nec ipſo lapidis ictu perfringerentur. Cujus rei cauſam Auctor hanc allegat, quod Ægyptii ſemper nudato ad Solem capite interceſſerint, Perſæ vero pileos geſtarint, ipſa *Herodoti verba* (b) huc apponi merentur, quæ ita habent: Αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσι ἀσθενέες, οὕτω, ὥστε, εἰ θέλεις ψήφῳ μούνῃ βαλέειν διατετρανέεις. Αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων, οὕτω δή τι ἰσχυραὶ, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥήξειας. Αἴτιον δὲ τούτου τόδε ἔλεγον (καὶ ἐμέ γ' εὐπετέως ἔπειθον) ὅτι Αἰγύπτιοι μὲν, αὐτίκα ἀπὸ παιδίων ἀρξάμενοι ξυρεῦνται τὰς κεφαλὰς καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀστέον. Τούτοισι μὲν δὴ τοῦτο ἐστι αἴτιον ἰσχυρὰς φορέειν τὰς κεφαλάς. Τοῖσι δὲ Πέρσῃσι ὅτι ἀσθενέας φορέουσι, αἴτιον τόδε· σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, πίλους τιάρας τε φορέοντες. Denique ſi ita tenui veſte quis amiciatur, *tum liberius excreſcit*, (c) & ad juſtam magnitudinem facilius pervenit. Hinc adeo elici poteſt, cum tot tantaque commoda hanc nuditatem commendent, recte feciſſe majores noſtros, quod ita tenuiter fuerint veſtiti.

XIII. Illud in noſtris Majoribus merito quis reprehendere poſſit, quod quemadmodum frigora & inediam tolerare potuerint, ita *ad ſitim æſtumque* (d) patiendum indociles fuerint. Quæ ſane non minima virtutis militaris *laus habetur*, (e) & a doctiſſimis quibusque ſcriptoribus mirum in modum tantum non in cœlum extollitur. Peregregiis idipſum verſiculis in ante laudato Heroe *commendat Silius Italicus L. I. de bello Pun. ſecundo*, qui ita habent:

Nec pulvere feſſum
Agminis, ardenti labefecit Sirius aſtro,
Flammiferis tellus radiis cum exuſta dehiſcit,
Candentique globo medius coquit æthera fervor,
Fœmineum putat inventa jacuiſſe ſub umbra
Exercetque ſitim, & ſpectato fonte recedit.

Quocirca quamvis hac in parte non immerito vapulent Germani noſtri, attamen aliquam mihi quodammodo excuſationem meriti videntur, quippe cum plerique frigido ſub Jove poſiti, adeoque perferendo æſtui tantopere non allaborarint. Germaniam enim noſtram, reſpectu quidem Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, maxime verſus Arctum ſpectare, neminem poterit præterire, quapropter bene Tacitus, apud eos *plurimum hyemem occupare*, ait. Quod ſitis impatientiam attinet, eos cum omnibus aliis gentibus ac nationibus *bellicoſis* (f) *hoc vitium* (g) commune habuiſſe, adeoque minorem hujus rei culpam in eos redundare, conſtat.

XIV.

(a) *callido artificio*) Non multum calliditatis hic adeſſe puto. Notiſſimum enim, ad depellendum frigus inſervire ignem, & ad molliendos artus oleum. *Olei enim liquor membra recreat. PLIN. Hiſtor. natural. lib. XII. cap. I. p.* 300. *LIVIUS decade III. lib. I.* rem ita refert: *Annibalis interim miles ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos, ut mollirent artus, miſſo, & cibo per otium capto, ubi transgreſſos flumen nunciatum eſt hoſtes, alacer animis corporibusque arma capit, atque in aciem procedit.* Stratagema in inſidiis, quas Pœnus Romanis ſtruebat, fuiſſe, non diffiteor, talium enim peritiſſimus erat. Vide *PLUTARCHUM in Annibale.*

(b) *Herodoti verba*) *Sed Perſarum capita adeo fragilia, ut ſi velis ferire vel ſolo calculo perforare poſſis; Ægyptiorum autem ita firma, ut ea vix ictu lapidis elidas. Cujus rei cauſam hanc illi reddebant, (facile mihi perſuadentes) quod Ægyptii ſtatim a pueris capita radere incipiant, & os capitis ad ſolem redditur compactum, quæ eadem cauſa eſt non calveſcendi. Nam ex omnibus hominibus pauciſſimos quis Ægyptios calvos videat. His igitur hoc cauſa eſt, cur robuſta capita geſtent. At Perſis cur fragilia ſint capita, id in cauſa eſt, quod a principio aſſueſunt operire capita, geſtantes pileos tiarasque.*

(c) *tum liberius excreſcit*) Videtur tamen huic liberiori excreſcendi facultati veſtis, qua locupletiſſimi non fluitante, ſicut Sarmathæ & Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente uſi fuerint, adverſata eſſe. *TACIT. c.* 17.

(d) *ad ſitim æſtumque*) *Adverſus ſitim non eadem temperantia, ſi indulſeris ebrietati, ſuggerendo, quantum concupiſcunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur. TACITUS c.* 23. Vide tamen, quæ ad excuſandos majores noſtros ſupra protuli. Æſtus externi, ob internum calorem, impatientes erant. Vid. *BODINI method. Hiſtor. c.* 5.

(e) *laus habetur*) nempe a nimio abſtinere potu. *XENOPHON. in oratione de Ageſilai laudibus p.* 150.

(f) *bellicoſis*) Idem de Perſis *XENOPHON in Cyropædia lib.* 8. *p.* 130. *opp.* tradit. Ebrietatem conterraneorum ſuorum graviſſime reprehendit, aliasque adhuc gentes huic vitio indulgere tradit *PLINIUS in hiſtoria naturali lib.* 14. *c.* 22. *p.* 355. *Inebriantur autem Schytæ, Perſæ, Pæni, Celtæ, Hiſpani, Thraces, quæ bellicoſæ ſunt gentes. PLATO lib. I. de legibus. JUSTINUS lib. I.* Conf. *CLUV. lib. I. German. antiq. c.* 19.

(g) *hoc vitium*) *At nonne peſtis peſſima eſt mortalibus ebrietas, atque damnum damnoſiſſimum. Excerpta ex ALEXIDE apud GROTIUM p.* 564. Obnubilat enim mentem & debilitat corpus. *Quænam eſt voluptas ebriulari perpetim, vicumque ſeſe orbare mentis regimine, quod maximum eſt humanæ naturæ bonum? CROBYLI ſuſpend. apud GROTIUM in excerpt. tragœd. & comœd. Græc. p.* 828.

XIV. Et hactenus quidem ad ductum Ariſtot. noſtri, quem in omnibus merito nobis proponimus, majorum noſtrorum infantiam contemplati ſumus, eamque ſcopo ipſorum ſatis accommodatam fuiſſe, intelleximus. Quod pueritiam & reliquos adoleſcentiæ annos attinet, non temere legimus, eos ullis exercitiis fuiſſe imbutos, quod tamen longe aliter apud Romanos & Græcos fiebat, ibi enim pueri, adoleſcentes, *literis*, (a) *muſica*, (b) *palæſtræ*, (c) operam dabant. Unde & Terentianus ille Parmeno in Eunucho ſic ait:

Fac periculum in literis
Fac in palæſtra, in Muſicis, quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem.

Quamquam Romani non tam muſicam amarunt, quam potius contempſerunt, & gravi viro indignam judicarunt. Et vero refertur de quodam Romano Imperatore, ſeu duce bellico, cum filium eleganter admodum cantantem audiviſſet, in hæc verba prorupiſſe: *Nonne te pudet, quod tam ſcite canas?* Attamen reliqua illa exercitia cum Græcis pleraque communia habuerunt. Majores noſtri hiſçe gymnaſticis non fuere dediti, nulla apud eos palæſtra, nulla certamina Olympiaca, nullus campus Martius. Et ſane non tam exercitio corporis vacarunt adoleſcentes Germanici, quam ſervilibus inſuper operibus adhibiti fuerunt. Diſerte hac de re Tacitus: *Dominum*, inquit, *& ſervum, nullis educationis deliciis dignoſcas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat.* Quem morem laudaverit quis, an vero atro potius carbone dignum judicarit, equidem primo quidem intuitu haud parum ambigi poterat. Romanis & Græcis hoc olim in more poſitum non fuiſſe, antea probavimus; habemus itaque hic diverſa diverſarum gentium, attamen idem pro ſcopo habentium inſtituta. Romani enim & Græci, qui nullum alium, quam Majores noſtri ſcopum agnoverunt, cum Juventutem ſuam bellis quam maxime aptam cuperent, nec melius & accommodatius remedium huic rei invenirent alterum, illam palæſtræ operam dare, in luctando, currendo, & hujusmodi exercitiis excellere voluerunt, ut ita paullatim periculis & laboribus bellicis aſſueſcerent, quia exercitia hæc & acquirendo corporis robori, & virtuti militari conducere ſunt arbitrati. Et ſane egregie hoc ipſum commendat *Ariſt. l. 8. Pol. c. 4.* ſi quidem cum aliquo modo fiat, & juſtos limites non excedat, reprehendit enim *Lacedæmonios*, (d) quod nimis multum heic rei tribuerint, adeoque cives ſuos, ut ille ait, θηριώδεις fecerint. Maxime etiam hæc exercitia ita debent inſtitui, ne corporibus obſint, & creſcendi vigorem impediant, quod etiam ipſe *Ariſtot. l. c.* monet. Majoribus noſtris *nulla ejusmodi* exercitiorum *genera* (e) fuere cognita, ideoque, ut illi haberent, quibus natos ſuos futuris laboribus & periculis bellicis aſueſcerent, hoc inſtituto uſi fuerunt, ut ſcilicet pueri & adoleſcentes, a teneris duriciei & patientiæ ſtuderent; & ita nullum deinceps diſcrimen ſua virtute majus æſtimarent. Qua fini etiam Lacedæmonii illos, qui nondum *ex ephebis* (f) exceſſerant, ad aram Leucophrydis Dianæ, quæ vocabatur, deductos, duriſſimis verberibus afficiebant, nec pauſam hujus rei faciebant, priusquam totum corpus ſanguine *paſſim nataret*, (g) adeo quidem, ut multi præ acerbiſſimo dolore exſpirarent. Qui tamen mos multis hodie, & quidem merito, crudelitatis nomine accuſatur, & huic utique longe præfero illud majorum noſtrorum inſtitutum, quippe qui ἐκ προσαγωγῆς, uti *Ariſtot. l. 7. Polit. c. 17.* ait, paullatim pueros ſuos dura pati docuerunt. Et profecto ſi quidem hanc ipſam antiquorum Germanorum educationem cum altera illa Romanorum & Græcorum conferas, ſimul etiam utrumque ſcopum probe conſideres, non poteris non primas huic partes concedere. Hæc enim Germanorum effecit, ut nulli vitæ periculo ſeſe ſubduxerint, nullum a ſe diſcrimen eſſe alienum putarint, qua in re egregie finem ſuum ſunt aſſecuti. An id etiam Romanorum & Græcorum palæſtra præſtiterit, aut præſtare potuerit, nunc non diſputo. Certe unicus Thebanæ rei Atlas, & ſummus belli Dux Epaminondas apud Nepotem cives ſuos ſic alloquitur: *Si principes Græciæ*, inquit, *eſſe vultis, caſtris* (h) *vobis utendum eſt, non palæſtra.* Literarum & Muſices ſtudium data opera jam prætermitto, neque enim ad ſcopum illorum obtinendum hoc quicquam fecit. Cum literæ potius ſint artes pacis, ac proinde in bello aut nihil aut certe parum va-

(a) *literis*) Puerorum animi artibus liberalibus, quas προπαιδεύματα & diſciplinas ἐγκυκλίους vocabant, utpote, quæ ante philoſophiam addiſcenda erant, imbuebantur. Hoc argumentum erudite pertractavit *MELCHIOR ZEIDL. in prodromo introduct. in lect. ARISTOTELIS p. 41. ſeqq. & in introductione ipſa p. 20. ſeqq.*

(b) *muſica*) Hæc cum geometria, grammatica, rhetorica &c. diſciplinarum circularium numero erat. De muſica veterum vide *PLVTARCHVM & DEMSTERVM in notis ad ROSINI antiquit. Rom. c. 18. lib. 5.*

(c) *palæſtra*) De arte gymnaſtica veterum noſtro tempore ignorata exſtant *HIERONYMI MERCVRIALIS libr. ſex.* Erant gymnaſticæ præcipuæ partes, palæſtra, ſaltatoria, pilæ ludus, luctatoria, curſus, ſaltus, jaculatio, equitatio, navigatio & piſcatio, natatio, venatio. Vid. *HACHENBERG. germ. med. diſſ. ſexta.* Huc ſpectant haud dubie quinque ludi liciti, quorum l 3. C. de aleis mentio injicitur. Optandum, ut & penes nos pueritia gymnaſticæ, corporis robori maxime inſervienti, per temporum intervalla, operam daret.

(d) *Lacedæmonios*) De corporum exercitiis penes Lacedæmonios uſitatis agit *CRAGIVS de republica Lacedæmon. lib. 3. tabul. 9.*

(e) *nulla ejusmodi genera*) Niſi huc referre velis, quod *TACITVS in Germania c. 24.* habet: *Genus ſpectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe atque infeſtas frameas ſaltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem.*

(f) *ex ephebis*) *SVETONIVS in Auguſto c. 98. CRAGIVS de republica Lacedæm. lib. 3. c. 5.*

(g) *paſſim nataret*) *PAVSANIAS lib. 3. PLVTARCHVS in vita Ariſtidis. CRAGIVS de republ. Lacedæm. lib. 3. c. 8.*

(h) *caſtris*) Epaminondas voluit, ut quæ in palæſtra didicerant, in caſtris in uſus converterent.

valeant. Adde, quod majores noſtri, utpote Barbari, *literarum ſecreta* (a) plane ignorarint, nec legere quidem aut ſcribere potuerint.

XV. Quamvis itaque hac palæſtra, & hiſce ludicris exercitiis, non fuere ad res bellicas præparati, non tamen alia illis media defuerunt; quibus jam Juvenes & armis inſtructos melius exercerent. Audiemus enim ex *Tacito* (b) noſtro, Principes Juventutis Germanicæ, ſemper aliquo delecto Juvenum globo fuiſſe cinctos, qui inter ſeſe de virtute & primo apud Principem ſuum loco decertarent. Ita enim Tacitus: *Nec rubor*, inquit, *inter comites adſpici: Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus, quem ſequuntur. Magnaque & comitum æmulatio, quibus primus apud principem ſuum locus.* Imo, quod magis adhuc mirere, ipſi principes inter ſeſe certarunt, uter alterum numero acerrimorum comitum ſuperaret, *quod fuit in pace decus, in bello præſidium, maxime enim hi legationibus adhibiti fuerunt, & ipſa plerumque fama bella profligarunt.* Et hoc mirum in modum excitavit ardorem animorum juvenilium, & virtutem bellicam. In prœlio comites pro principe ſuo certarunt, ipſi Principes virtute vinci in turpiſſimis habuerunt, ideoque & inter ſe veluti, & cum hoſte decertarunt. Verum ſcil. illud eſt Paterculi dictum *l. 1. c. ult.* ubi: *Alit*, inquit, *æmulatio ingenia*, (c) *& nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit.* Hæc autem omnia egregie ipſorum ſcopo reſpondere exinde manifeſtum eſt. Usque autem adeo quietis impatientes fuerunt Juvenes illi, ut, *ſi quando civitas illa, in qua orti eſſent, longa pace & ocio torperet, ultro eas nationes, quæ tum bella gerebant, peterent.* (d) Fecerunt autem hoc ideo, ut in perpetuo exercitio bellico permanerent, nec domi longo ocio victi deſides fierent. Illud cum primis æqua recti judicii lance perpendi debet, an ſcilicet hoc ex uſu iſtius Reipublicæ, cujus erant Juvenes hi, fuerit nec ne, res enim periculo carere mihi non videtur. Quoniam autem in omni beata Republica illud magnopere cavendum eſt, ne cives fiant deſides & ignavi, ſed ut ſemper aliquid agant, in illa certe Republica, quæ in ſtudio bellico verſatur, quam maxime hoc præcaveri debet, deſidia enim uti omni ſocietati, ita præ reliquis, bellicis rebus deditæ obeſt:

Ocium Reges prius & beatas
Perdidit urbes.

Omni itaque conatu hoc agendum eſt, ut civibus torpor ille excutiatur. Ponendum quoque eſt, ad ſtudia bellica inſtitui, & idoneum reddi neminem, niſi in ipſa militia, poſſe: neceſſum itaque erit, ut in aciem procedat, ibique ſeſe in armis exerceat. Hoc ita firmiter poſito, ab altera tamen parte periculum eſt, ne Juvenes illi, ſiquidem pro rata ipſorum voluntate cuivis operam ſuam collocent, Reipubl. eripiantur, & ita quemadmodum olim Pericles ajebat, pulcherrimum totius anni tempus, Ver ſcilicet, de mundo tollatur. Id ut evitetur, magna certe cautela opus erit, neque *ex uſu fore videtur*, (e) ut Juvenibus iſtis liberrimum hujus rei arbitrium permittatur, ſed ut publica iſtius civitatis, cujus ſunt cives, auctoritate militent, debent itaque nomina ſua apud Magiſtra-

(a) *literarum ſecreta*) *TACIT. c. 19.* Hunc locum aliqui de literarum amatoriarum ſecretis, quarum tum temporis nullam majores habuerunt notitiam, intelligunt. Atque hoc colligunt ex nexu cum antecedentibus verbis, quæ ſic ſe habent: *Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrupta.* Cæterum de lingua vernacula, ejus mutationibus & quando in negotiis publicis adhiberi cœpit, ut & de ortu literarum, quibus in ea hodie utimur, conf. *LEHMAN. chron. ſpir. lib. 2. c. 45. GOLDAST. rer. Alemann. t. 2. p. 69. ſeqq. BESOLD. de origine gent. & ling. BROW. antiquit. Fuld. lib. 2. c. 14. HERT. de fide diplomat. germ. ſect. I. ECCARDI hiſtor. ſtudii etymolog.*

(b) *Tacito*) C. 13. Conglobata illa lectiſſimorum centuria ex plebe juvenum principi cohortis prætoriæ loco erat, conſilium ſimul & auctoritas, in pace decus, in bello præſidium. Dubium eſt, an hi in concilio electi ſint, quod putat *GROT. de antiquit. reipubl. Batav.*

(c) *æmulatio ingenia*) Nihil enim vehementius ad virtutem impellere ſolet, quam aliorum exempla. Generoſus enim animus aliorum gloriam auf ſuperare, aut ſaltim æquare annititur. Alexandri magni victoriæ Cæſarem in res præclare gerendas agebant, modo ab opprimenda patriæ libertate abſtinuiſſet.

(d) *peterent*) Sic Flavius, Arminii frater, in Romanorum caſtris ſtipendia merebatur. *TACIT. lib. 2. annal. c. 9.* Ipſe quoque Arminius in caſtris Romanorum popularium ductor fuit, *l. c. c. 11. 17.* Auguſtus Germanorum manum usque ad Varianam cladem inter armigeros circa ſe habuit. *SVETONIVS in Auguſto c. 49.* imperante Tiberio ad prætorias cohortes denuo admiſſi. Robora Germanorum, qui tum cuſtodes imperatori erant Druſo ad compeſcendas Pannonicas legiones abeunti addebantur. *TACIT. lib. I. Annal. c. 24.* Caligula quoque in corporis cuſtodes eos legerat. *SVETON. in Caligula c. 55. JOSEPHVS antiquit. Judaic. lib. 19. p. 513.* Cohortem hanc diſſolvit Galba & remiſit in patriam. *SVET. in Galba c. 12.* Apage Bodinum, qui criminatur, Germanos a Romanis Imperatoribus in corporis cuſtodes, non tam ob fidem, quam ſimplicitatem, quæ ingentibus corporibus ineſſe ſolet, adſumtos eſſe. Infinita enim propemodum ſunt exempla, magnitudinem corporis animi dotes æquaſſe, nec ſequitur, huic vel illi aſtutia & calliditas deeſt, igitur & prudentiæ defectu laborat. Imo nec calliditate, quæ in hoſtes licita eſt, Germanos deſtitutos fuiſſe, ea, quæ, ut Varum cum legionibus & cohortibus ſuis exitio darent, ſuſceperunt, apprime docent. *VELL. PATERCVL. Hiſtor. lib. 2. c. 118.* Hic nulla perfidia, cum fides eſſet extorta. Huc etiam ſpectat, quod *TACITVS in Germania c. 30. de Cattis ait: eos intelligere occaſiones.*

(e) *ex uſu fore videtur*) Flos ſic domeſtici militis ad alios tranſit. (2) Peregrino militi, nulla alia re, quam ſtipendio & jurejurando reipublicæ obnoxio, tuto non poteſt haberi fides. (3) Majori animo ferrum ſtringitur, ſi pro patria, pro bonis, pro conſanguineis, aliisque cariſſimis pignoribus pugnatur. (4) Populares, patriæ incurioſi, hoſti, cui militant, eam invadenti, optimi eſſe poſſunt duces. (5) Ob cognationes & affinitates, quas in ſua gente habent, multa deinde reipublicæ negotia faceſſere poſſunt. (6) Quomodocunque demum illa erga patriam ſe habeat obligatio, de qua *PVFFENDORFII extat diſſertatio*; certum eſt, id omnino patriæ, parentibus, ſanguine aut beneficio junctis, qui ibi habentur, deberi, ut præ peregrinis operæ ei commodentur, etiam gratuitæ, ſi indigentia illam premat. Nec obſtat ex legibus ſocietatis civem a ſocietate diſcedere poſſe non impetrata venia; modo illud non fiat intempeſtive, *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 24. PVFFEND. de J. N. & Gent. lib. VIII. c. XI.* Nam hi auctores non negant, talem diſcedendi facultatem pacto vel lege anteverti aut tolli poſſe. Si recte memini, in actis Imperii publicis animadverti, in comitiis deliberatum eſſe, qua ratione licentia illa Germanorum venalem circumferendi vitam intra juſtos coerceri poſſet terminos.

ſtratum, antequam in militiam proficiſcantur, profiteri. Quod præceptum hodierno quoque tempore cumprimis egregie obſervant *Helvetii*, (a) qui tranquillitatis in patria rebus, operam ſuam promiſcue & Hiſpaniæ & Galliæ Regibus collocant, nec tamen, niſi auctoritate publica armati, ſtipendia faciunt: haud enim unquam licitum eſt in Helvetia, aut Hiſpano citra hanc auctoritatem publicam militem legere, aut Helvetio, operam ſuam abſque hac locare. Hinc adeo fit, ut neceſſitate aliqua ingruente, Helvetiis nunquam exercitatus deſit miles, quippe, cum tempus poſtulat, militem ſuum ipſi revocare poſſunt. Anne autem Majores noſtri aliqua hac in re cautela uſi fuerint, necne, in proclivi non eſt affirmare, illud tamen aſſerere non dubitamus; Juvenes illos non intellecta principis ſui voluntate, operam ſuam peregrinis non addixiſſe, quod etiam ſufficere potuit.

XVI. Neque vero etiam illum morem ſilentio prætereundum eſſe puto, quo uſi fuerunt in armandis Juvenibus illis, non licuit enim cuiquam Juveni ingenuo pro lubitu ſuo arma capere. Innuit id etiam exercitii hujus noſtri prora & puppis *Corn. Tacit. c.13.* cum ita inquit: *Arma ſumere, non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit, tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornant*, (b) *hac apud illos toga, hic primus Juventa honos, ante hoc domus pars videntur, mox Reipublica.* Quod profecto inſtitutum ſummis ego laudibus extollendum puto, multum enim ad virtutem bellicam conſequendam idipſum profuiſſe arbitror, quia civitas non ante quenquam armis induebat, quam ſe tanto honore dignum geſſiſſet, & virtute mereri videretur. Apud Lacedæmonios non ante juventus arma accipiebat, quam militatum iret, & quod apud Majores noſtros in concilio a principibus aut propinquis, illud apud eos *a matre Lacæna* (c) fiebat, quæ clypeo filium obarmans, his eum verbis alloquebatur: ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶν. Cui Spartanorum inſtituto, longe illud majorum noſtrorum præfero: hi enim in publico concilio, talem Juvenem ſcuto frameaque ornabant. Quod ſane ad æmulationem virtutis haud exiguum attulit monumentum: reliqui enim Juvenes, qui nondum hoc honore digni judicabantur, & armigeri duntaxat erant, hac re mirum in modum incendebantur. Non tantum autem tum temporis hoc apud Germanos obtinuit, ſed multis poſt ſeculis illud adhuc fuit obſervatum. Legimus enim fortiſſimum Imperatorum Fridericum Ænobarbum, filium ſuum Henricum in plenis comitiis *armis induiſſe*,(d) quod factum fuit ſeculo poſt N. C. duodecimo. Hodie autem mos ille in Germania plane exſpiravit, & qui hodie in Principum aut Ducum aulis ex ephebis exceſſerunt, adeoque tractandis armis apti habentur, *colapho ſolent excipi*, (e) qui tamen mos a Romanis ad nos devenit, qui hoc modo mancipia ſua libertati reddebant, uti teſtatur *Claudianus 4. Hon.* An autem majores noſtri certum aliquod ætatis tempus exſpectarint, non eſt integrum, mihi id magis probatur, illos non tam annos, quam virtutem Juvenum reſpexiſſe, quod etiam Taciti verba innuere videntur, cum *neminem prius arma ſumere*, inquit, *quam civitas ſuffecturum probarit.*

XVII. Jam illud pulchrum, quod Auctor noſter de ſingulari & pene incredibili majorum noſtrorum caſtimonia affert, quod ſcilicet nimis maturas contrahere nuptias, nefas habuerint. Verba ipſa merito huc transſcribimus: *Sera*, inquit, *Iuvenum Venus*, (f) *eoque inexhauſta pubertas, nec virgines feſtinantur, eadem Iuventa, ſimilis proceritas, pares validique miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Hæc mehercules Cornelii verba arguunt, majores noſtros hac quidem in parte omnibus, etiam totius terrarum orbis gentibus longe eſſe præferendos, neque enim hoc de ullo alio populo aut natione legemus. Et hac in re Reſpublica noſtra Germanica, utut inculta ac barbara, omnibus aliis, quotquot ſunt, Rebuspublicis palmam præripit. Nec ſolus Tacitus de Majoribus noſtris, ſed Julius quoque Cæſar l. 6. de Bello Gallico idipſum aſſerit, his verbis: *Qui diutiſſime*, inquit, *impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem; hoc ali ſtaturam, ali hoc vires, nervosque confirmari putant. Intra annum vero vigeſimum* (g) *fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus.* Usque adeo caſta fuit gens Germanica! quantum tamen hodie ab illo more plerique abſimus, id vero vel lippis & tonſoribus notum eſt, cum mero meridie clarius idipſum conſtet. Nunc ſcopum illorum cum inſtituto hoc conferamus, & num ſatis bene hac in parte rebus ſuis conſuluerint,

(a) *Helvetii*) *Quando hodie apud Helvetios miles conducitur ab exteris, tum venia primum petitur a ſingulis pagis, qui pagi deinde ex ſuo numero conſtituunt præfectos illis militibus, ita, ut præfecti ex ſingulis pagis alium militem ſub ſe habeant, quam ex ſuis pagis. Deinde miles quivis juramento ſe adſtringit, ſe rediturum quandocunque ſuo placuerit pago & patriæ. AVCTOR in theſ. rerumpubl.*

(b) *juvenem ornant*) Morem equites creandi inde deducit *LIPSIVS in commentario.*

(c) *a matre Lacæna*) Solebant matres filiis ad bellum proficiſcentibus hoc ἐπίφθεγμα ſeu documentum poſtremum dare, tradendo ipſis ſcutum ſeu ἀσπίδα dicentes: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν, i. e. aut hoc reporta, aut ſuper hoc morere. *CRAGIVS de republ. Lacedæm. lib. 3. inſtituto XII.* Hoc *VALER. MAXIMVS lib. II. c. 7.* paulo aliter exponit.

(d) *armis induiſſe*) *PETRVS MATHÆVS de nobilitate l. IV. c. X. XIII. CANGIVS in gloſſas, in voc. cingulum.*

(e) *colapho ſolent excipi*) Vide *magn. chron. Belg. apud PISTORIVM p. 244. & diſſert. meas de nobilit. p. 8. & de jure & judicio ruſticorum fori Germanici, p. 29. 30.* Arbitror tamen & hodie adhuc moris eſſe, ſi pueri nobiles ex miniſterio principis dimittuntur, ab eo gladiis accingi. *CLAVD. p. 11. 12. HONOR.* circa finem. *SCHVLT. juriſprud. antipiſt. p. 563. 564.*

(f) *Sera juvenum venus*) *TACIT. in Germ. c. 20.* Vid. *CONRAD. CELT. lib. 2. eleg. 9.* Immaturæ enim nuptiæ debilitant & conſumunt corpora *ARISTOT. polit. lib. VII. c. 16.*

(g) *vero vigeſimum*) Minus recte itaque in *BODINI methodo hiſtoriarum c. 5. p. 136.* legitur: *De quibus ſic Cæſar ante 25. annum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent.* Conjicio ex loco Cæſaris, impubertatem olim per totam Germaniam 20. ætatis anno finem habuiſſe.

rint, videamus. Recte autem ſummus *Ariſtot. noſter l. 7. Pol. c. 16.* ubi matrimonii tempus definit, hoc etiam inprimis bono Legislatori attendendum eſſe monet, ne aut præmaturas, aut nimis etiam ſeras cives ipſius ineant nuptias. Vtrumque autem maximo cum incommodo, & totius Reipubl. detrimento conjunctum eſſe demonſtrat. Hac enim re Juvenum corpora exhauriuntur, naturalis calor diſſipatur, adeoque multum nativo robori decedit; uti ad juſtam ſtaturam minime excreſcere queant. Quid? quod infantes illi ex ejusmodi conjugiis nati, fiant tenero & invalido corpore, unde ſequitur tandem, ut aut præcoci fato rurſus abripiantur, aut ſi in vivis permanſerint, & adoleverint, infirmis & valetudinariis civibus Reſpubl. laborare incipiat, dum liberi parentum robora minime referant. Unde Agamemnon apud *Tragicum Senecam Act. 2.* cum Pyrrhum inſigni aliqua vellet contumelia notatum, hoc ei tanquam crimen objicit:

Ex virginis concepte furtivo ſtupro,
Et ex Achille nato, ſed nondum viro.

Et ſane ex parvis & invalidis etiam ſimiles prognaſci liberos, in confeſſo, uti arbitror, erit, quod probe olim notarunt Lacedæmonii, qui Regem ſuum ideo multarunt, quod parvam uxorem ſibi matrimonio ſumpſiſſet, tanquam, qui non tam βασιλεῖς, quam βασιλίσκους, illis obtrudere tentaret, quod recenſet Plutarchus in libello περὶ παίδων ἀγωγῆς. *Ut enim in equis eſt Patrum virtus*, teſte Horatio, ita quoque imbecillia eorundem corpora ſolent referre. Videatur ante citatus liber *de habitu corp. German. p. 101.* Hæc autem omnia extreme pernicioſa eſſe, cum aliis omnibus Rerumpublicarum formis, tum præcipue iis, quæ gloriam bellicam aucupantur, neſcio, annon quivis cordatus mecum judicarit: Et vero quantum aliæ gentes bellicæ bono corporis habitui deferant ex ſupra dictis facilis conjectura capietur. Hoc tamen excipimus, ſi forſan Reſpubl. aliqua civium inopia laboret, nonnihil hac in re poſſe conniveri, imo tum præcocia connubia, quam maxime debent permitti. Modernus Hiſpaniæ Rex, quod Regnum ſuum coloniis huc illuc deductis exhauſtum videat, *maturas nuptias ineuntibus*, (a) & quam multos liberos procreantibus certa quædam præmia conſtituit, & immunitates pollicetur. Eſt etiam apud antiquos lex quædam, quæ vocationem *ab oneribus publicis*, (b) parentibus πολυτέκνοις defert. Nimis porro ſeras contrahere nuptias, ex uſu quoque non videtur, & reprehendit hoc cum primis *Ariſtot. l. c.* Medium autem majores noſtros hac quidem in parte egregie obſervaſſe, & ſcopo ſuo, quam optime proſpexiſſe, certum eſt.

XIIX. Nec vero ipſa jura matrimonialia ab hoc inſtituto ſeu ſcopo illorum aliena fuiſſe, deprehendimus. Non enim maritus ſponſæ ſuæ munera obtulit, *ad delicias muliebres quæſita; nec quibus nova nupta comeretur, ſed boves & frenatum equum* (c) *cum framea gladioque.* Addit autem egregie

(a) *maturas nuptias ineuntibus*) *Relation du voyage d'Eſpagne onzieme lettre p. 89.*

(b) *ab oneribus publicis*) Jure Romano ſedecim liberi excuſant a muneribus realibus *l. 5. §. 2. ff. de jure immunitat.* Sed hæc conſtitutio principes noſtros non obſtringit. Eſt igitur apud ipſos, an propter πολυπαιδίαν munera remittere velint, nec ne. Territoria enim Germ. Romanæ non obligant leges, niſi in quantum hoc principibus placuerit, aut pacto ſtatutum ſit. Vid. quoque *l. 1. & 6. C. de his, qui numero liberorum vel paupertate excuſationem merentur.*

(c) *ſed boves & frenatum equum*) Penes Germanos dotem non uxor marito, ſed uxori maritus affert, quam Morgengabæ nomine veniſſe & dotalitio originem dediſſe ferunt. Morgengabam veterum Germanorum dotem eſſe, multa veterum videntur docere loca, quæ Hallenſium JCtus *LVDWIGIVS in diſſertatione de dote mariti ex CANGIO, SPELMANNO, BALVZIO* in utilitatem publicam conglomerare non gravatus eſt. Verum dubito, an omnibus reſolutio illius dubii, quod ex pacto Gunthramni, Gildeberti & Brunchildis apud *Gregorium Turonenſem lib. 9. c. 20.* obmovetur, placeat. Etenim ibi expreſſe dos contradiſtinguitur morganegibæ, hoc eſt, ut additur, dono matutinali. Nam in pacti tabulis non agitur de dote Guildeſuindæ a marito conſtituta, & alia profectitia vel adventitia; ſed morgengaba e diametro doti opponitur, diciturque, per id intelligi, quod in Franciam veniens acquiſivit, & ſic per utrumque nihil, quam quod a marito Chilperico accepit, non autem id, quod Athenegildis Viſigothorum Rex forte dederat, denotatur. Porro ex *Cod. Legis Wiſigoth. lib. 3. l. 6. apud MARIANA in Hiſpania illuſtrata t. 3. pag. 890.* liquet, apud Viſigothos non fuiſſe moris, ut pater dotem daret, ſed acciperet, & filiæ conſervaret. Niſi dixeris leges illas non principibus, ſed ſubditis fuiſſe ſcriptas, quanquam & illi ex iis vivere ſoliti fuerint. Denique id, quod alii intuitu nuptiarum dabant, a Francis aliisque Germanis nec dos nec morgengaba dicta. Quod ſi enim tales conjecturæ & illationes ſufficerent, facillime omnia ſolvi poſſent dubia. Forte dicendum erit, morganegibam hic contradiſtingui doti, ut ſpeciem generi, vel ut partem toti, quod ſcilicet ita conventum ſit, ut maxima pars dotis ſtatim a Chilperico præſtaretur, ex quo Guildeſuinda in Galliam perveniſſet, reliquum autem matutino tempore ante aut poſt convivium nuptiale. Sed ais, quid opus eſt, circa examen hujus loci tempus impendere, dic ea, quæ in Gregorio de dono matutinali habentur, a recentiori manu eſſe inſerta; cum teſtibus Bignonio, Valeſio, Contio, Ruinarto, Gregorii Turonenſis opera multis ſcateant erroribus. Aſt abſit, me ad illud confugere velle ignorantiæ aſylum, potius ingenue fatebor, quæcunque etiam loci Turonenſis afferatur interpretatio, dubii quid ſemper remanſurum. *ECCARDVS ad legem Ripuariorum p. 218. 219.* Interim multa ſunt, quæ docent, id, quod Franci libellum dotis vocabant, a Longobardis ſæpe morguincap eſſe dictum: ab his tamen & dotis vocabulum adhibebatur. Et quod a patre & matre filiabus, aut fratre ſororibus ad maritum ambulantibus dabatur, id Faderfium dictum *leg. Long. lib. 2. tit. 14.* GALAND *du franc aleu p. 321.* Apud Longobardos morgengaba ad quartam partem bonorum mariti adſtricta erat. Id a CANGIO *in gloſſario ſub voc. morganegiba*, & BALVZIO *in notis ad capitularia t. 2. p. 993.* diplomata ex tabulario Caſuarienſi producta probant; quibus adde tria alia ejuſdem tenoris, quæ GALANDVS *l. c. p. 323.* refert, & diploma Ildebrandi apud d'ACHERI *ſpicileg. t. 3. p. 398. nov. edit.* Non autem videtur LVDWIGIO adſtipulandum, id quod a rege primum Luitprando inter Longobardos conſtitutum, ut morgincap præciſe quartam bonorum mariti compleċteretur, & ultra id uxori dare non liceret, *lib. 2. leg. Long. tit. 4. cap. 1. & 3. BALVZIVS in notis ad capit. pag. 993. tom. 2.* præter metam aut methium, in aliis etiam obtinuiſſe terris. In Galliis enim nulla hic legis erat reſtrictio, ſed dotis quantitas

gie Tacitus hanc cauſam. *Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admoneatur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prœlio paſſuram, auſuramque. Hoc junctos boves, hoc paratum equum, hoc data arma denunciare.* Docuerat autem ſupra Tacitus, uxores maritos ſuos in prœlia comitari, quem morem infra examinabimus. Apud Romanos præſertim ſequioris ævi longe aliter ſeſe res hæc habebat: ibi enim maritus uxori munera ad delicias muliebres quæſita offerebat; hoc autem a ſcopo bellico quam maxime alienum fuiſſe, nemo certe, niſi aut extreme malus, aut plane ſtolidus, negaverit. Proinde & hic mos laude ſua non caret.

XIX. Ad inſtituta porro domeſtica & modos acquirendi quod attinet, & num hæc quoque ſcopo ipſorum fuerint accommoda, nunc etiam brevibus conſideremus. Duplicem autem acquirendi modum, alium naturalem, alium artificialem eſſe, peregregie inculcat *Ariſtot. l.* 1. *Pol. c.* 4. Artificialem quod concernit, parum hunc ad ſe pertinere putarunt majores noſtri, utpote qui maxime in acquirenda pecunia eſt occupatus, pecuniam autem & divitias illas artificiales plane contempſit antiqua Germanorum virtus, quod etiam ſupra demonſtravimus. An hoc fini ipſorum fuerit congruum, judicabit C. Jul. Cæſar, qui libro 8. de Bello Gallico ſic ſcribit: *Ne qua,* inquit, *oriatur pecuniæ cupiditas,* (a) *ex qua re factiones diſſenſioneſque naſcuntur, ut animi æquitate plebem contineant, cum ſuos quiſque opes cum potentiſſimis æquari poſſe videat.* Quæ verba ex ipſo civilis prudentiæ meditullio ſunt deſumpta, & cum his egregie conſentit *Ariſtoteles.* Cum itaque ex cupiditate divitiarum oriantur factiones, profecto neceſſe eſt, interire Reſpublicas, maxime autem populares, in *quibus inimicitiæ periculoſiores ſunt juxta libertatem,* & inter arcana tyrannica ab *Ariſtot. l.* 5. *Pol.* recenſetur, inter ſubditos ſerere lites. Adde, quod divitiæ illæ plerumque cum aliorum injuria veniant conjunctæ, ex injuriis autem oriuntur querelæ, ex querelis porro diſcordiæ civiles. Et ſane has Rerumpublicarum formas interitui quam proximas eſſe, ubi, qui ditiſſimus eſt, optimus habetur, jam pridem in confeſſo eſt. Quid? quod alias inexpugnabiles iſtac re ſola ſuperatas fuiſſe, legimus:

ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ἑλοῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Memorabile eſt, quod *Auctor noſter c.* 44. de Suonibus exemplum refert: *Eſt apud illos,* inquit, *& opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus,* (b) *nec precario jure parendi.* Tantum ſcilicet libertati officit ſacerrimus ille divitiarum ardor. Nec nobis illud obſtare videtur, quod *Ariſtot. l.* 7. *Pol. c.* 8. ait: Ὑπάρχειν δεῖν ἔτι καὶ τινα χρημάτων εὐπορίαν, ὅπως ἔχωσι καὶ πρὸς τὰς καθ᾽ αὑτοὺς χρείας, καὶ πρὸς πολεμικάς. Non enim modicum pecuniæ uſum, ſed inſatiabilem duntaxat ejus cupiditatem damnamus. Majores noſtros ad commercia quam maxime neceſſaria, & propter indigentiam humanam inſtituta, nummo ſaltem uſos fuiſſe, ſupra fuit probatum. Et vero artificialem hunc acquirendi modum recte eos neglexiſſe, ac proinde hic etiam ſuis rebus quam optime conſuluiſſe, aſſerere nulli dubitamus.

XX. Naturalibus itaque divitiis, quibus omnino carere non potuerunt, contenti, *victum* (c) quam maxime ſibi ex animalibus tam manſuetis quam feris compararunt. *Agriculturæ* (d) non multum ſtuduerunt, eo, quod majorem hoc vitæ genus laborem requireret, erant enim majores noſtri pacis tempore, ſomno ciboque dediti, adeoque labores graves, quantum poterant, fugiebant, & a ſeſe removebant. *Nec arare terram,* (verba ſunt Auctoris noſtri) *aut exſpectare annum jam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes, & vulnera mereri, pigrum quinimo & iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Quoties bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium tranſigunt dediti ſomno ciboque.* Quibus Taciti verbis adſtipulantur hæc *Julii Cæſaris l.* 6. *de Bell. Gall. Agriculturæ,* inquit, *non ſtudent, majorque pars victus eorum in lacte & caſeo, & carne conſiſtit.* Quæ loca id, quod volumus, præ ſe ferunt; vitam autem paſtoralem *ad res bellicas* (e) magis accommodatam eſſe, quam illam, quæ

a mariti pendebat voluntate. GALAND. *du franc aleu p.* 321. ubi diploma, dotis conſtitutionem a Franco datæ referens, habetur, quod integrum & correctius BALUZIUS poſtmodum edidit. Tandem ratio, quam ante laudatus LUDWIGIUS allegat, quod ſcilicet morgengaba inde nomen habeat, quia matutinum tempus ad eam dandam vel conſtituendam electum, quoniam veſpertina tempora actibus ejus generis ob ebrietatis pericula, quibus immerſi Germani tantum non indigna crediderunt, non parum habet dubii. Majores namq; noſtri de longe majoris momenti negotiis, ſi TACITO habenda fides, inter pocula egerunt. Nec illico viri robuſti, ſi frequentiori indulgent potui, ſe inebriant. Videtur alia hujus inſtituti adfuiſſe cauſa. Decor enim & temporis ratio requiſivit, ut, ſi dos ante convivium nuptiale conſtitueretur, aut poſt noctem demum nuptialem, matutino tempore fieret. Etenim pacta nuptialia, quæ & dotem involvebant, aut ut convivii nuptialis fundamentum conſiderabantur, & ſic illud antecedere debuerunt, vel ut effectus, aut potius adjunctum noctis nuptialis, atque ita decor voluit, ut neonuptæ thalamo egreſſæ conſtitueretur. Bis namque dat, qui cito dat. Dies, ubi donatio illa fiebat, dies votorum vocabatur. BALUZ. *in notis ad capit. l. c.* & ad AGOBARDUM *p.* 163.

(a) *pecuniæ cupiditas*) Nec potuerunt admodum ipſius cupiditate teneri, cum importatis non æque uterentur. *CÆSAR de bello Gallico lib. IV. c.* 2. *Et fœnus agitare, & in uſuras extendere ipſis ignotum. TACITUS in Germania c.* 26.

(b) *nullis jam exceptionibus*) *CLUVERIUS in Germania antiqua lib. I. c.* 40. *BERNEGGER. quæſt. politic. in Tacitum quæſt.* 143. Poteſtas autem illa pactis deinde, quæ leges fundamentales vocant, eſt circumſcripta. *LOCC. in antiquit. Sueo-Goth. p.* 28.

(c) *victum*) Cibum capiebant ad focum, ut illico cum ex veru vel olla petere poſſent. Somno in thoris gramineis artus recreabant. *STRABO lib.* 2. *Geograph.* Videntur tamen arborum quoque foliis & animalium pellibus incubuiſſe.

(d) *agricultura*) Ego locum *TACITI ex c.* 15. *Germ. in diſſert. de jure & judicio ruſticorum fori German. c.* 1. *§.* 9. de agricolatione ad Romanorum modum artificiali in voluptatem magis, quam utilitatem intelligendum eſſe, putavi.

(e) *ad res bellicas*) *LIVIUS lib. I. c. IV.*

quæ in agricula vertitur, exinde liquet, quod & facilior victus ex pecore, quam agricultura poteſt parari, neque adeo multum fatigantur homines paſtores, quam qui rus exercent, aut ut Tacitus loqui amat, *agris ingemiſcunt.* Jam vero multis laboribus militum corpora exhauriri & frangi minime debere, extra omnem dubitationis aleam ſitum eſſe, nobis perſuademus. Porro quoque, qui vitam paſtoralem vivunt, plus temporis bellicis rebus impendere poſſunt; & apud Ægyptios, cum paſtorum numerus *adeo creviſſet*, (a) aliquoties ab iis Reſpublica fuit ſollicitata. Primos quin etiam Romanæ gentis conditores paſtores fuiſſe, quis ignorat? Quapropter merito hanc illi præferimus, & hic etiam majores noſtros ſibi non defuiſſe, recte judicamus.

XXI. Diximus ſupra, non ex cicuribus tantum, ſed & feris animalibus victum ſibi quæſiviſſe majores noſtros. Multum igitur fuerunt in venationibus, & teſtantur hoc multi ſcriptores, qui hac de re aliquid literarum monumentis conſignarunt. *Quoties bella non ineunt*, (ante adductis Taciti verbis utor) *multum venatibus, plus per otium tranſigunt.* Idem de Finnis c. ult. ſic ſcribit: *Venatus viros pariter ac fœminas alit.* Facit huc etiam *Cæſar l. 6. de Bello Gallico. Vita omnis*, inquit, *in venationibus & in ſtudiis rei militaris conſiſtit: a parvulis duriciei ac labori ſtudent.* Nec vero modo accurate rem ponderemus, hæc ipſa res ipſorum ſcopo abludit, olim enim *bellicoſiſſimas gentes* (b) venandi ſtudio deditas fuiſſe, ex antiquorum monumentis conſtat, quæ omnia jam quidem excutere ſuperſedemus. Illud certe ab omnibus concedi ſolet, venandi ſtudium eſſe veluti exercitium aliquod bellicum, facit enim homines *ἐμπολεμικωτέρους*, ac multis præterea commodis ſcatet. Habetur elegantiſſimus hac de re apud *Xenophontem*, apem illam Atticam, *l. 1. Cyropæd.* locus, quem non poſſum non huc apponere, ipſa autem *Auctoris græca* (c) verba ſic habent: *Διὰ τοῦτο*, inquit, *δημοσίᾳ τοῦ θηρᾶν ἐπιμέλονται, ϗ βασιλεὺς ὥσπερ ϗ ἐν πολέμῳ, ἡγεμὼν αὐτοῖς ἐστὶ, ϗ αὐτός τε θηρᾷ, ϗ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως ἂν θηρῶσιν. ὅτι ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι. Καὶ γὰρ πρῲ ἀνίστασθαι ἐθίζει ϗ ψύχη ϗ θάλπη ἀνέχεσθαι. Γυμνάζει δὲ ϗ ὁδοιπορίαις ϗ δρόμοις. Ἀνάγκη δὲ τοξεῦσαι θηρίον, ϗ ἀκοντίσαι, ὅπου ἂν παραπίπτῃ, ϗ τὴν ψυχὴν δὲ πολλάκις ἀνάγκη θήγεσθαι ἐν τῇ θήρᾳ, ὅταν τι τῶν ἀλκίμων θηρίων ἀνθιστῆται. Παίειν μὲν γὰρ δεῖ τὸ ὁμόσε γιγνόμενον, φυλάξασθαι δὲ τε τὸ ἐπιφερόμενον. ὥστε οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν τι, ἐν τῇ θήρᾳ ἄπεστι τῶν ἐν πολέμῳ παρόντων.* Cum his quam optime congruit *Julius Pollux* (d) *præfat. l. 5. ad Commodum*, qui locus an modo laudato Xenophontis non merito ſit præferendus, haud parum dubito: *Κυνηγεσιῶν*, inquit ille, *σοι προσήκει μέλειν, ὅτι τὸ ἐπιτήδευμα ἡρωϊκὸν ϗ βασιλικὸν, ϗ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα ϗ εὐψυχίαν ἀσκεῖ, ϗ ἔστιν εἰρηνικῆς τε ϗ καρτερίας ἅμα ϗ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα, πρὸς ἀνδρείαν φέρον, ῥωμαλέον τε εἶναι γυμνάζει δὲ πεζόν, ϗ ἱππικὸν ϗ ἀγχίνουν ϗ φιλεργὸν, εἰ μέλλοι καθαιρήσειν, ϗ τὰ ἀνθιστάμενα ἀλκῇ, ϗ τὰ ὑποφεύγοντα τάχει, ϗ τὰ ἀποσπῶντα ἐφ' ἵππῳ, ϗ συνετὰ σοφίᾳ, ϗ τὰ λανθάνοντα ὑπονοίᾳ, ϗ τὰ κρυπτόμενα ζητεῖν, καὶ νύκτωρ προσαγρυπνεῖν, ϗ μεθ' ἡμέραν ἐπιπονεῖν.* Hinc quoque apud *Claudianum* (e) venationis ſtudium in Stilicone collaudatur. Non autem exiſtimandum eſt, quaſi ſolos tantum lepores, aut ejusmodi pavidum animal, quod etiam ad quemvis foliorum ſtrepitum exhorreſcit, venati fuerint, ſed apros, urſos, leones, & hujus generis terribilia animalia, ſectati fuerunt. Et apud *Virgilium IV. Æneid.* parvulus ille Æneæ filius Aſcanius obvium ſibi dari vult aprum, *aut fulvum deſcendere monte leonem.* Cum itaque tot & tanta commoda ſecum trahat venatio, recte majores noſtros feciſſe, quod exercitio huic adeo multum operis impenderint, ex allatis modo nobiliſſimorum Auctorum teſtimoniis ſatis ſuperque probatum eſt. Nulli autem venandi jure aut libertate tum temporis quidem excluſi fuerunt, quod tamen ipſum hodie longe aliter, & quidem recte ſeſe habet, quia per mille & quod excurrit annos, inter regalia, *venatio numerari cœpit*, (f) magnis quoque inſuper incommodis, ſiquidem cuivis permittatur, res illa laborare videtur.

XXII.

(a) *adeo creviſſet*) Ægyptum paſtoribus abundaſſe, ex veterum auctorum teſtimoniis perſpicuum eſt. *HERODOTUS lib. 2. c. 46. 47. 164. DIODORUS SICULUS Biblioth. Hiſtor. lib. I. c. 73. & 74.* Apud *JOSEPHUM lib. I. contra Appionem* Manetho auctor eſt, paſtores poſt Joſephi proregis obitum Ægyptum invaſiſſe, & cum ſuperiorem atque inferiorem totam devaſtaſſent, regem ſibi elegiſſe, cui nomen erat Palatis.

(b) *bellicoſiſſimas gentes*) Venatu enim belli incommodis aſſueſcere, & debitum corpori robur acquirere ſatagerunt. CONRADUS CELTES de majoribus noſtris canit: *Commune hic ſtudium venari, equitare, vagari, &c.* vid. *differt. meam de origine juris venandi, §. 1.*

(c) *auctoris græca*) Quorum translatio latina hæc eſt: *Ob hanc autem rem publice dant operam venationi, & Rex, quemadmodum in bello ſe ducem iis præſtat, & ipſe tum venatur, tum ut alii venentur, diligentiam adhibet, quod hæc eis veriſſima videtur meditatio rerum bellicarum. Etenim diluculo aſſueſacit aſſurgere, frigoraque & calores tolerare; exercet etiam illos itineribus & curſibus. Neceſſarium eſt ſagitta beſtiam ferire, ac jaculo petere, ubicunque occurrerit, atque animus ſæpenumero cogitur concaleſcere, ubi ferox aliqua beſtia contra ſeſe objecerit. Nam & percutere oportet, quæ occurrerit, & irruentem obſervare. Quare haud facile in venatione eorum quicquam abeſſe reperiatur, quæ inter bellandum accidunt. Conf. BRISSONIUS de regno Perſarum lib. I. p. 109. 110.*

(d) *Julius Pollux*) *Venationum te eſſe ſtudioſum convenit, quandoquidem hoc ſtudium heroicum regiumque eſt, & ad corporis animique bonam conſtitutionem confert; eſtque tam placidæ fortitudinis, quam militaris audaciæ ſpecimen ad virilitatem utile, & exercitatione reddit robuſtum celerem equeſtrem ſolertem & laborioſum. Si modo reſiſtentia robore, fugientia celeritate & laniantia, ab equo & ſolertia per prudentiam, latentia conſideratione, occultata tempore noctu advigilans, & interdiu laborans capere conetur.*

(e) *Claudianum*) *Lib. I. p. 8.* apud BARTHIUM.

(f) *venatio numerari cœpit*) Nec male, ea enim, quæ jure naturali permiſſa ſunt, lege civili poſſunt circumſcribi. *GROTIUS de Jure B. & P. lib. 2. c. 2. §. 5. PUFFEND. de J. N. & G. lib. IV. c. 6. §. 5. 6. 7. HORNIUS de civitate lib. 3. c. 3. §. 4.* Subditos, præter illos, quibus venatio in beneficium data, aut alia ratione permiſſa, propter plurimas cauſas non injuria a venatus exercitio excludi *in differt. de origine juris venandi §. 11.* demonſtravi. Cæterum, a veritate non abhorrere HERTII ſententiam, arbitror, *jus venatus aliquando & quidem ut plurimum eſſe jus ſuperioritatis, aliquando jus ſingulare, aliquando ſervituti ſimile, nonnunquam & aliud, prout ſunt multa ſpecies juris in re. Diſſ. de ſuperioritate territ. §. 49.*

XXII. Magnam partem etiam *latrociniis* (a) victitarunt veteres noſtri Germani, quod cum multis aliis barbaris, attamen bellicoſis gentibus, commune habuerunt *Thucyd. l. 1. Belli Pelop.* Græcos omnes etiam, ante, quam morum cultura eos mitigaret, rapto vivere ſolitos fuiſſe teſtatur, & referta eſt ejusmodi exemplis antiqua hiſtoria: de majoribus noſtris *l. 6. de Bell. Gall. Cæſar* hæc habet: *Apud eos latrocinia*, inquit, *nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt, atque juventutis exercendæ, deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant.* Eutropius etiam l. 1. de ipſo Romulo ait, eum, *antequam regnum conſtituiſſet, latrociniis operam dediſſe*, & quo de Numa Pompilio loquitur: *Erant*, inquit, *Romani ante ipſum* (*Numam*) λῃςαί τινες, ἢ μιξοβάρβαροι. An autem exercitio bellico hoc tantopere conducat, alii melius judicabunt; nos id ſaltem adjicimus, eos hac in parte non æque bono, ac antea, medio uſos fuiſſe.

XXIII. Verum hæc hactenus de mediis illis, quibus Majores noſtri ad obtinendum finem ſuum, bellicam ſcilicet potentiam, uſi fuerunt pro ratione inſtituti noſtri jam quidem ſufficiant. Nunc ipſa quoque inſtituta bellica, quod theſi decima recepimus, breviter tamen & ὡς ἐν παρόδῳ, cum aliud quid tempus non ferat, expediamus. Ubi primo illud monendum duco, longe diverſiſſimos diverſarum gentium, uti in cæteris omnibus, ita hac præſertim in parte, mores fuiſſe: aliis enim inſtitutis bellicis uſi fuerunt Perſæ & Parthi, qui omnem vim bellicam in emittendis aliquot falcatorum curruum millibus, & in arcu poſuerunt, quemadmodum id comptiſſimus Auctor *Quinctus Curtius l. 3.* teſtatur. Macedones aliis, qui in Phalange Macedonica robur ſuum collocarunt, aliis Romani, qui equitatui quam maxime confidebant, teſtante *Julio Cæſare* (b) *in Commentariis & alibi paſſim*; Aliis denique Germani noſtri, quibus auctore *Tacito c. 6. plus roboris penes peditem erat.* (c) Ut jam nihil dicam *de variis armorum generibus*, (d) quibus & ſe defenderunt, & hoſtem petierunt varii iſti populi. Videantur *Lipſius in admirando illo de militia Romana libro*, ut & *Polybius in comparat. armat. Maced.* & alii *paſſim obvii.* (e) Et vero nullam pene in toto terrarum orbe gentem invenias, quæ peculiares ſuos hac in re mores non obſervet & ſequatur. Id autem ideo præfari voluimus, ne forte quis falſa opinione ductus in recenſendis & examinandis majorum noſtrorum inſtitutis bellicis fruſtra nos occupari arbitretur.

XXIV. Antequam tamen ad ipſa inſtituta bellica deveniamus, non poſſumus non illud in Majoribus noſtris reprehendere, & atro (quod ajunt) carbone notare, illos; quemadmodum aliæ cultiores fecerunt gentes, *non in unum conſultaſſe*, (f) aut fœdere aliquo συμμαχικῷ conjunctos fuiſſe. Imo quod magis adhuc mirere, diſcordiis & lanienis civilibus ſeſe ipſi mutuo confecerunt, tan-

(a) *latrociniis*) *CÆSAR de bello Gallico lib. 6. c. 23.* Ita enim tum temporis juris naturæ dictamina obliterata erant, ut latrocinari & prædas agere in externos, cum quibus pactum non intercedebat, nullo bello indicto, pro licito haberetur. GROTIVS *de J. B. & P. lib. II. c. 15. §. 5.* ubi veterum affert loca.

(b) *Julio Cæſare*) Cæſarem equitatum ubique legionibus, factis maxime celebribus prætuliſſe, in ejus commentariis non reperio.

(c) *penes peditem erat*) De *Cattis c. 30. TACITVS* ait: *plus reponere in Duce, quam in exercitu*, omne robur in pedite. Vid. quoque TACIT. *c. 6.* & *Auctorem §. 25. h. d.* Idem penes Gallos & Britannos obtinuiſſe, hæc verba TACITI in Agricola docent: *Ceteri manent, quales Galli fuerunt, in pedite robur.* KIRCHMAIERVS *ad c. 30.* TACITI veterum affert teſtimonia, peditatum equitatu præſtare. De hoc nemo rectius, niſi rerum bellicarum periti, judicare poſſunt. Credo utriusque præ alio quasdam eſſe prærogativas. In actis comitialibus reperio, lites de præcedentia inter peditatus & equitatus ſummos prætores ita terminatas, ut longiori tempore prætoris munere functus, alterum anteiret. Quod & inter alios peditatus & equitatus officiales obſervari, exiſtimo. In Gallia autem hoc paulo aliter ſe habere ex LVNIGII *appendice corporis juris militaris p. 537.* pateſcit. Addere tamen liceat, quæ *TACITVS c. 30.* habet: *Equeſtrium ſane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior conſtantiæ eſt.* Cæterum Germanis non defuit eques. *CÆSAR de bello Gallico lib. I. c. 48. & lib. IV. c. 2.* ubi hæc reperiuntur: *Equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus præliantur, equosque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos celeriter, quum uſus poſcit, ſe recipiunt. Neque eorum moribus turpius quidquam, quam ephippiis uti.* Sic quatuor millia equitum Romanorum a quingentis Helvetiorum equitibus in fugam acti ſunt. *CÆSAR de B. G. lib. I. c. 15. AVREL. VICTOR in Caracalla: Alemannos gentem populoſam mirifice ex equo pugnantem dicit.* Imo STRABO Germanorum robur in militia equeſtri ſtetiſſe memorat. De Tencteris TACITVS *in Germania ait: Super ſolitum belli decus equeſtris diſciplinæ arte præcellunt.* Vide quoque *CÆSAREM de bello Gall. lib. 4. cap. 16.* & *HACHENB. germ. media differt. 4. §. 5.*

(d) *de variis armorum generibus*) Majores noſtri armis non ſatis bene inſtructi erant: *Non loricam Germano, non galeam, ne ſcuta quidem ferro nervove firmata, ſed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas, primam utcunque aciem haſtatam, ceteris præuſta aut brevia tela. TACIT. Annal. lib. 2. c. 14. Nec ferrum quidem ſupereſt*, (abundat) *ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur. Haſtas, vel, ipſorum vocabulo, frameas gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent, & eques quidem ſcuto frameaque contentus pedites & miſſilia ſpargunt, pleraque ſinguli atque in univerſum vibrant, nudi aut ſagulo leves, nulla cultus jactatio, ſcuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt, paucis lorica, vix uni alterive caſſis aut galea. Equi non forma, non velocitate conſpicui, ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur, in rectum aut uno flexu dexteros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo poſterior ſit. CLUV. in Germ. antiqua lib. I. c. 44. PLVTARCHVS in Mario fol. 186. HACHENBERGII germania media diſſ. IV. §. 9.*

(e) *paſſim obvii*) Conf. *POLYB. lib. 6. cap. 19. ſeqq.* & auctores de re militari Romanorum agentes, qui *tom. X. GRÆV.* inſerti ſunt, item *Diſcours ſur la caſtrametation & diſcipline militaire des Romains par du CHOVL. KIPPING. Antiquit. Rom. lib. 3. c. 2. & 3. ALEXANDER ab ALEXANDRO genial. dier. l. 6. c. 22.*

(f) *non in unum conſultaſſe*) Ita, ut non male in Germanos quadret, quod TACIT. in agricola de Britannis habet: *Nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non conſulunt. — Ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.* Huc ſpectant quoque, quæ in Tiberii ad Germanicum habentur literis: *Poſſe Cheruſcos ceterasque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum eſt, internis diſcordiis relinqui. TACIT. lib. 2. Ann. c. 26.*

tantum abeſt, ut fœdera inire laborarint, aut de communi periculo propulſando cogitarint. Quo nomine ſibi & Romanis ſuis cumprimis gratulatur *Cornelius noſter Tacitus c.* 34. (a) *de M. G.* his verbis: *Maneat, quæſo, duretque gentibus*, (Germanicis) inquit, *ſi non amor noſtri, at certe odium ſui; quando urgentibus imperii fatis nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quam hoſtium diſcordiam*, & l. 12. Annal. hæc habet: *Nihil adverſus validiſſimas*, ait, *gentes iſtas pro nobis utilius, quam quod in commune non conſulant. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulſandum commune periculum conventus, hinc, dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.* Plura ejusmodi in medium afferri poſſent; ſed cum hiſtoria paſſim hunc perverſum & barbarum majorum noſtrorum morem tangat, operam potius ludere videar, ſiquidem plura commemorando longior ſiem. Tantum autem diſcordia poteſt, qua juxta illud Micipſæ dictum: *etiam magna res dilabuntur.* Probe idipſum olim ſecum reputarunt duo iſti Græcorum πολιτικώτατοι, infenſiſſimi alias hoſtes, Themiſtocles & Ariſtides, qui, quamvis alias maximo alter in alterum odio ferretur, tamen, ut *Polyænus* (b) *l.* 1. dicit: Διετέλεσαν πάντα τὸν πόλεμον ὁμονοῦντες, ἡ δὲ τῶν στρατηγῶν ὁμόνοια μάλιστα δὴ πάντας τοὺς βαρβάρους ἐνίκησε. Apud Thucyd. graviſſimum ſane ſcriptorem lib. 4. (*) hæc habentur: Τὺς ἀλλοφύλυς ἐπελθέντας ἀθρόοι ἢν σωφρονῶμεν ἀμυνούμεθα, εἴπερ καὶ καθ' ἑκάστυς βλαπτόμενοι ξύμπαντες κινδυνεύομεν. Quocirca quam male hac in re majores noſtri egerint, & quam minus ſibi caverint, credo vel oculis videbit lippus inunctis. Erant ſcilicet Germani noſtri, utpote ſtrenui & bellicoſi, ipſis etiam Romanis terrarum omnium dominis terrori ac formidini, quod cum alii tum Tacitus ipſe diſerte teſtatur c. 37. de M. G. ubi in hæc verba tandem erumpit: *Non Samnis*, inquit, *non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuere, quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Ad quem locum *in diſp. de Urbibus theſi* 43. ſic ſcribitur: *Majora profecto dicturus, ſi fractas imperii Romani vires Germanicis manibus conſpexiſſet.* Et certe florentibus Romani Imperii rebus, nullus fuit populus magis Martius, aut ad bella natus, nec qui tantum negocii crearet tot gentium victoribus Romanis, quam ipſi hi majores noſtri, quod ipſi quoque Romani fateri non erubeſcunt. Id profecto cuivis certum eſſe debet, antiquam illam Germanorum virtutem Romanis non tantum parem, ſed & *ſuperiorem eſſe potuiſſe*, (c) ſiquidem unanimi omnium conſenſu, aut bella ſibi illata propulſaſſent, aut ipſi intuliſſent.

XXV. Sed in viam redimus, & in quonam potiſſimum ſuum robur bellicum collocarint, aut ſitum eſſe putarint majores noſtri, inquirimus. Inter alios id ſuggerit nobis Auctor c. 6. de M. G. *In univerſum*, ait, *æſtimanti plus penes peditem roboris*, & *c.* 30. ubi Cattorum inſtituta enarrat: *Omne robur*, inquit, *in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoque & copiis onerant.* Ex quibus duobus locis intelligimus, quam maxime eos in peditatu vim repoſuiſſe. Quam prudenter autem idipſum fecerint, hinc conjectura capitur, quod pedites in bellis multo minori ſumptu poſſint ali quam equites, etiam ratione locorum, peditis major uſus ſit quam equitis, ſi forte per aſpera montium, aut fruticeta iter ſit capiendum, adde, quod in oppugnationibus urbium aut caſtellorum, nullus plane equitis uſus ſit. Non autem ſoli tantum pedites pugnarunt, ſed in prœliis equitibus jungebantur, *eoque mixtim*, (d) verba ſunt Taciti noſtri, *prœliabantur: apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos, ante aciem collocant.* Adſtipulatur iis Julius Cæſar *l.* 1. *de B. G. Erant*, inquit, *equitum millia ſex, totidem numero pedites, velociſſimi ac fortiſſimi, quos ex omni copia ſinguli ſingulos, ſuæ ſalutis cauſa delegerant, cum his in prœliis verſabantur, ad hos ſe equites recipiebant, hi ſi quid erat durius concurrebant, ſi qui graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumſiſtebant, ſi quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent.* Hac autem re Romanorum aciem valde turbarunt, adeoque hoc pacto multoties victoriam reportarunt; & Arioviſtus Germanorum Rex, ut ipſe Cæſar teſtis eſt, hoc aliquando modo Romanorum exercitus graviter afflixit. In campis quoque Pharſalicis, ubi Cæſar Pompejum tandem devicit, *equitatus Germanorum*, (e) qui a Cæſareis ſtabat partibus, ita prœliatus eſt, & novo hoc anteaque Pompejanis minime viſo inſtituto ordinem ipſorum perrupit, unde mox ſecuta victoria eſt, quam Cæſar nulli alii, quam equitatui, quem ex Germanis fortiſſimum collegerat, acceptam defert. Fuerunt autem pedites illi non ex quibusvis, ſed ex omni juventute delecti, & quidem illi, qui quam maxime & præ reliquis, & corporis robore, & pedum velocitate pollerent. Hunc autem *pugnandi morem* (f) apud nullam aliam gentem fuiſſe receptam legimus, ſua tamen laude non carere judicamus.

XXVI.

(a) *c.* 34.) 33.

(b) *Polyænus*) *Per totum bellum in concordia permanſerunt*, (*Ariſtides & Themiſtocles*) *maxime vero effectum eſt unanimitate ducum, ut barbari victoriam amitterent.*

(c) *ſuperiorem eſſe potuiſſe*) Germania magna nunquam a Romanis in provinciæ formam redacta eſt, nec Germaniæ prætor conſtitutus; etſi aliquando ſecunda pugnaſſent fortuna, mox tamen pedem referre cogebantur. Vide *monumenta Paderborn. & SCATENII hiſt. Weſtphaliæ* paſſim. Faſtus Romani indicium, non veritatis monumentum fuit, quod Germanicus poſuit ſuperbo cum titulo, *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberii Cæſaris ea monimenta Marti & Jovi & Auguſto ſacravíſſe. TACIT. annal. lib.* 2. *c.* 22. *SCATEN. Hiſtor. Weſtph. p.* 88.

(*) p. 103. edit. Gr. Camerarii, quæ Acacius Euenckel ſic convertit: Alienigenas autem arma nobis intentantes, univerſi, ſi ſanæ mentis ſumus communi conſenſu propulſabimus. Quippe dum ſinguli cladibus afficiuntur, univerſi in periculo ſumus.

(d) *eoque mixtim*) *TACIT. in Germ. c.* 6. *JVL. CÆSAR de bello Gall. lib. IV. c.* 2.

(e) *equitatus Germanorum*) De eo nec in CÆSARE *de bello civili lib.* 3. nec in ejus & Pompeji vitis a PLVTARCHO conſcriptis, aliquid invenitur; FLORVS tamen *lib. IV. c.* 2. cohortes illas, quarum fortitudine potiſſimum Cæſari pharſalaica parta victoria, ex Germanis conſtitiſſe teſtatur. Vid. BVCHER. *in belgio Romano lib.* 1. *c.* 6. *p.* 15. 16. GROT. *de antiquit. reipubl. Batav. c.* 3.

(f) *pugnandi morem*) Guſtavi Adolphi magni victoriæ, ad Lipſiam a Tillio reportatæ, non leve addidiſſe momentum ſclopetariorum ſelectos manipulos turmis intermixtos memorat PVFFEND. *rer. Suec. l.* 3. *p.* 30.

XXVI. *Aciem porro per cuneos*, (a) ut Auctor vult, *compoſuerunt.* Aciei autem inſtruendæ varios eſſe modos docent Auctores, qui de hac re ſcripſerunt, inter quos *Veget. l. 3. de militia Romana*, *& Ælianus* (b) *tactic. cap.* 18. egregie hanc rem perſecuti ſunt. Dicit autem Auctor ille Scythas & Thracas quam maxime hac figura uſos fuiſſe. *Cunei formis*, inquit, *uſi videntur Scythæ & Thraces, uſi ſunt etiam Macedones, introducente eas Philippo. Autumabat enim hos uſum habere Quadratis efficaciorem, quod undique duces circumpoſiti ſint, cumque frons brevior fiat, equitationem etiam huc illuc facilem, & per quodvis intervallum reddere; adhac & reverſionem & converſionem compendioſam, quod difficiles non habeant circumductiones, quemadmodum Quadrata.* Hæc ille: laudatur etiam cuneus, ab hujus rei peritis, eo, quod aciei hoſtili perfringendæ, & turbando ordini ſit aptiſſimus. Hinc illam aciei formam merito reliquis anteferimus, & majores noſtros hanc ſibi recte elegiſſe, ſtatuimus.

XXVII. Nec loco quidem cedere, turpe fuit habitum, *ſed dummodo rurſus inſtes, conſilii quam formidinis*, ut auctor ait, *arbitrati ſunt.* Hoc tamen ipſum *l. c. Annal.* (c) Germanicus Cæſar in iis vituperat, & *ſine pudore flagitii, ſine cura Ducum, abire fugere dicit.* Dubio autem procul hac de cauſa præcipue id fecerunt, ſi quando iniquo fortaſſis loco contra vero hoſtibus opportuno pugnarent, aut res in id diſcriminis eſſet adducta, ut ad extrema deſcendere cogerentur. Porro etiam non tam ex deſperatione quam eo conſilio fecerunt, ut ſimulata hac fuga in inſidias & *ſylvas hoſtem abducerent*, (d) & ita faciliori victoria potirentur, in ſylvis autem & paluſtribus locis majores noſtros, quorum exercitus quam maxime ex peditatu conſtabat, ſemper viciſſe exercitum Romanorum ipſe Germanicus Cæſar l. d. fatetur: nam fundi Germanos acie & juſtis locis ait, juvari ſylvis, paludibus, brevi æſtate & præmatura hyeme. Et Pyrrhus Epirotarum Rex hoſtem fugientem negat pertinaciter perſequendum, ne aut deſperationem vertat in virtutem, aut in inſidias hoſtem pertrahat. Iſtac olim arte Cyrus Scythas, Scythæ Cyrum ſuperarunt, ut *Herodoti Clio* (e) teſtatur, Romanorum exercitum *ſub jugum miſit* (f) Jugurtha, uti *Romana primus in hiſtoria Criſpus Salluſt.* (g) auctor eſt. Et ſæpius apud Tacitum fuga ſimulata locum fraudi quæſitum fuiſſe, intelligimus, multum enim ad victoriam momenti locus afferre poteſt, quod omnes in univerſum hiſtoriæ teſtantur *l. 3. c. 13.* Summos præterea & fortiſſimos belli Duces interdum hoc modo hoſti ceſſiſſe fatendum eſt. Et ſane ſcutum illud Romanæ rei Quinct. Fab. Maximus, cui etiam exinde Cunctatoris nomen quæſitum conſtat, invictas hoc pacto Annibalis vires attrivit, quemadmodum *Claud. l. 4. Honor.* hiſce verbis cecinit:

Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compreſſit Fabius.

Hoc autem conſilio Majores noſtros interdum ceſſiſſe, poſtea tamen occaſione data fortiter rurſus inſtitiſſe, nobis perſuaderi facili negocio patimur.

XXIIX. Etiam illud in diſciplina militari præceptum eſt, ne interfectorum corpora *ſepultura* (h) honore careant, & apud *Curt. l. 5. c. 3.* *Rex Alexander dimittere milites inſepultos erubeſcat, ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam ſolenne eſſet munus, quam humandi ſuos.* Hinc apud Homerum in Iliade legimus aliquot dierum inducias fuiſſe factas, hac duntaxat fini, ut eo commodius ſepulturæ tradi poſſent occiſorum corpora. Magni autem ſemper habita fuit demortuorum ſepultura, ita apud *Herodotum l. 1.* Arion Dithyrambi inventor, (ſi tamen ea hiſtoria eſt) cum eum nautæ in aquam vellent præcipitare, rogavit potius (i) τὺς πορθμέας ἢ αὐτὸν μὲν διαχρᾶσθαι ὡς ἂν ταφῆς ἐν τῇ γῇ τύχῃ. Et apud veteres Romanos ut & Græcos gentiles, antequam Chriſtianæ religioni nomen ſuum darent, nefas erat, inventum aliquem defunctum, & ſepulturæ honore carentem præterire, niſi injecto ter pulvere, quemadmodum illud notiſſimum eſt: Certo enim iis perſuaſum erat, animas inſepultorum circa Stygiam paludem errabundas volitare, nec admitti ad quietem, donec *huma-*

(a) *per cuneos*) *C. 6. non caſus, non fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates, c. 7. Tales turmas cuneoſque e vicinis & conſanguineis in pleriſque Batavorum oppidis hodieque invenias, excedente omnem memoriam inſtituto. GROT. l. c.* Quid ſit cuneus, explicat VEGET. *lib. 3. c. 19.* Vid. CLUV. *Germ. antiq. lib. I. c. 5.* *HACHENB. germ. antiq. §. 16. 17.*

(b) *Ælianus*) Conferatur quoque *ARRIANI tactica* cum *MAVRITII ſtrategico a SCHEFF. edita*, & LEO IMPER. *de bellico apparatu c. 18.* ubi de diverſarum gentium & Romanorum ſtudio in inſtruendis aciebus agitur.

(c) *l. c. annal.*) *Lib. 2. annal. c. 14.*

(d) *ſylvas hoſtem abducerent*) Sic Romanæ legiones, ſub Quintilio Varo militantes, in Teutoburgenſem ſaltum ab Arminio pertractæ ſunt, ut eo tutius deleri poſſent. TACITVS *annal. lib. I. cap. 6.* *[illegible]ELLEJVS PATERC. lib 2. monum. Pad[illegible]born. p.[illegible]q. SCATEN. hiſtor. Weſtph. p. 61.* [illegible] Majorem [illegible]eretur laudem hoſtes ſtratagemate [illegible] aperto marte vincere, tunc enim magis ſuoru[illegible] parci poteſt. Parthi & Schytæ ſæpe ex ſim[illegible] reduces laxatos hoſtium ordines, qui tergi[illegible] inhærebant, obtriverunt. Sed ut verum fatear, quæ l. c. a Germanico proferuntur, non tam veritates, quam hoſtilia dicteria, quibus militem ſuum, qui tantopere Germanos formidabat, animum inſpirare voluit, reputanda ſunt.

(e) *Herodoti Clio*) *Lib. I. JVSTIN. lib. 1. c. 8. JORNANDES in Geticis c. 10. p. 624. edit. GROT.* Mors tamen Cyri dubiis non caret. *DIOD. SICVLVS lib. 2. c. 44. CTES.* apud *PHOTIVM, p. 563. STRABO lib. 15. BRISSON. de regno Perſarum lib. 1. p. 151. ſeq.*

(f) *ſub jugum miſit*) Quid fuerit ſub jugum mittere, DIONYS. HALICARN. *antiquit. Roman. lib. 3. cap. 28.* hoc modo explicat: *Eſt Romanis mos, quoties hoſtes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium tranſverſum ſuperimponere, captivosque ſub iſta tigna ductos tranſmittere, atque liberos ad ſua dimittere.*

(g) *Criſpus Salluſt.*) *In bello Jugurthino p. 264. edit. Minell.*

(h) *ſepultura*) *Ne hoſtes quidem ſepultura invident TACIT. annal. lib. 1. c. 22. KIRCHMAIERI appendix ad libr. de funeribus Rom. c. 3. JAC. GVTHER. de jure manium lib. I. c. 6. GROT. d. J. B. & P. lib. 2. c. 19.* Interim ſepulturam non tam in juſto, quam decoro fundamentum habere, puto.

(i) Nautas juſſiſſe, ut aut ſibi manus inferret, ut ſepulturam in terra nanciſceretur, aut illico in mare deſiliret.

matum eſſet cadaver, (a) ut habent Poëtæ. Majorum noſtrorum tanta fuit gloriæ cupido, ut etiam in dubiis præliis corpora ſuorum *referrent*, (b) & debito honore afficerent, noluerunt enim ea hoſti relinquere, & legimus quam ſæpiſſime acerrime pugnatum fuiſſe de cadaveribus. Quare mirum in modum fiduciam in ſuis augebant, eosque animæ prodigos faciebant, nemo enim vitæ ſuæ parcendum putabat, cum adeo honorifice eorum cadavera haberentur, nec canibus aut avibus rapacibus, quod fieri nonnunquam conſuevit, dilaceranda relinquerentur. Hinc unicus ille Trojanorum murus Hector jam morti vicinus Achillem *Iliad. lib. X.* ſic *alloquitur*: (c)

Λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς, ϗ γούνων, σῶν τε τοκήων
Μὴ με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν
Ἀλλὰ σὺ μὲν χαλκόν τε ἅλις χρυσόν τε δέδεξο
Δῶρα, τά τοι δώσουσι πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ
Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρός με
Τρῶες ϗ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.

Tanta ſcilicet æſtimata fuit ſepulchri jactura, quod in hodierna etiamnum militia, non tamen ex hac ſuperſtitione, a qua Chriſtianorum animus plane eſt alienus, obſervatur.

XXIX. In delinquentes porro ſevere animadverterunt Majores noſtri: Ita teſte Auctore noſtro; *ſcutum reliquiſſe præcipuum erat flagitium*, (d) *nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire, ignominioſo fas, multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finierunt.* Nullo autem prorſus pacto hæc elui macula potuit, quod profecto, utut interdum ſatis durum fuerit, ex re tamen Reipubl. Germanicæ potentiam bellicam unice pro ſcopo habentis, quam maxime erat. Nullibi enim majorem diſciplinæ quam in militia, rationem recte haberi, ſtatuendum eſt. Qui enim aliter tantus ferociſſimorum hominum numerus in officio contineri poſſit, nullus video. Et hac ratione ignavos & imbelles tanquam Reipubl. inutiles *arboribus* (e) ſuſpenderunt Germani veteres; *præmiis enim & pœnis* (f) omnem humanam ſocietatem regi, recte olim ſtatuit Solon. Arma autem abjicere apud omnes gentes bellicoſas ſemper probroſum fuit habitum, quod in hiſtoriis non plane hoſpiti ſatis ſuperque conſtat. Debet enim miles, uti *Diodor. Siculus lib.* 13. (g) ait: τὴν πανοπλίαν ϗ τὴν ψυχὴν ἐν ἴσῳ προτιμᾶν. Memoratu profecto dignum eſt, quod *Juſtinus l.* 34. *c.* 2. de Catonis filio exemplum refert: *Qui dum procerum quendam petit, gladius ei e manu elapſus, in mediam hoſtium cohortem decidit, ad quem recuperandum cum umbone ſe protegens, inſpectante utroque exercitu, inter mucrones ſeſe hoſtium immerſit recollectoque gladio, multis vulneribus acceptis ad ſocios cum clamore hoſtium revertitur.* Tanta gladii cura erat! Quare autem apud Majores noſtros præcipuum flagitium fuerit, ſcutum abjeciſſe, nonnulli, præſertim Græci, ſolent hanc rationem adducere, *quod ſcilicet ſcutum defendat militem, gladius vero aut haſta, vel framea (quæ majorum noſtrorum propria erat) offendat hoſtem, & potior debeat eſſe ſui corporis quam hoſtis cura, ideo frameam abjeciſſe adeo turpe eſſe.* Plutarchus in libro de argute dictis memorat: quod Damaratus Rex Spartanorum interrogatus, cur ſcutum abjeciſſe apud Spartanos adeo turpe eſſet, regeſſerit, *loricam militem ipſum defendere, ſcutum autem propter ordinem totius exercitus ſive phalangis eſſe ſervandum.* Poterant enim ita in prælio ſcuta compingere, ut veluti tectum eſſent in acie totius exercitus, & uno ſcuto perrupto, aut abjecto, patebat via catapultis. Verum eo breviores hic data opera erimus, quo nobilior quæſtio decidenda ſe nunc oggerit.

XXX. *Duces* (inquit Auctor noſter) *ex virtute ſumunt, qui exemplo potius quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi Sacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt.* Primo hic monendum eſt, per vocabulum Ducis antiqua Romana & vera vocis ſignificatione nihil aliud jam denotari, quam ſummum aliquem rei bellicæ *præfectum*, (h) quem nos hodie vulgo einen General appellamus. Poſtea tamen, præſertim Carolino ævo aliter hoc vocabulum uſurpari cœpit, uti *in diſput. de Ducibus & Comitibus* ex veterum monumentis annotavimus. Maximam autem profecto laudem mihi promeriti videntur Majores noſtri, quod in electione Ducum, virtutem potius, *quam generis nobilitatem*, (i) attenderint,

(a) *humatum eſſet cadaver*) *GUTHER. de jure manium lib. 2. c. 16. KIPPING in antiquit. Rom. lib. 4. c. 6.*

(b) *referrent*) *TACIT. c. 6.*

(c) *alloquitur*) *Precor per animam & genua tuosque parentes, ne me ſinas apud naves canes dilaniare Achivorum, ſed tu quidem æsque abunde aurumque ſume, dona, quæ tibi dabunt pater & veneranda mater, corpus autem domum meam reddito, ut rogo Trojani & Trojanorum uxores dignentur mortuum.*

(d) *præcipuum erat flagitium*) TACITUS *c. 6.*

(e) *arboribus*) TACIT. *in germ. c. 12. Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles & corpore infames cœno ac palude injecta inſuper crate mergunt. Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur flagitia abſcondi.* HACHENBERGII *germ. med. diſſ. IV. §. 23.*

(f) *præmiis enim & pœnis*) Illi enim, qui parent, non eaſdem habent animi inclinationes, quidam ingenua gaudent indole, ita, ut ad id, quod neceſſitas aut reipublicæ utilitas requirit, præmiorum amore ferantur; alii autem, ut imperata & reipublicæ utilia faciant, pœnarum metu cogendi ſunt. *l. 1. §. 1. ff. de juſtitia & jure.*

(g) *Diodor. Siculus lib. 13.*) *Arma vita præferenda eſſe.*

(h) *præfectum*) Duces penes Romanos olim dicti imperatores, qui univerſo exercitui præerant. Hos Græci ſtrategos vocabant. Taciti tempore pro militum præfectis poſiti, deinde limitum præfecti duces dicti. CÆSAR BULENGERUS *de imperio Romano lib. IV. c. 33. p. 484. 485. Notitia dignitatum utriusque imperii paſſim. LEHMANNI chronicon Spirenſe lib. I. cap. 9.* Comites olim dicti, qui proconſules aut prætores in provincias euntes comitabantur; poſtea vero & limitum præſides, & magiſtratus tam urbani, quam provinciales comites dici cœperunt. *BULENG. lib. 4. c. 24.* Germanorum comites Tacito dicuntur lectiſſimi illi ex plebe juvenes, qui principi conſilium ſimul & auctoritas, &, cum ventum in aciem, pro principe, princeps pro victoria, pugnabant.

(i) *quam generis nobilitatem*) Non tamen ad ducum munus plebeji adſpirare potuerunt: erat enim illud ingenuis vel

rint, quamvis enim ad auctoritatem ejuſmodi Duci conciliandam non minimum faciat *generis nobilitas*, (a) uti id ex Salluſtio novimus: nobiles enim & natalium ſplendore præcedentes, minus nobili utut virtute prædito Duci ægre obtemperant, tamen ſi quando utrumque conjungi non poteſt, majorem virtutis quam nobilitatis reſpectum haberi debere, nullus dubito: obſervarunt id etiam quam plurimæ aliæ bellicis rebus addictæ gentes. Hactenus itaque bene feciſſe majores noſtros, inde conſtat, an autem hoc æque bene conſultum fuerit, quod tam *exiguis limitibus* (b) iſtorum belli Ducum poteſtatem incluſerint, id vero jam nobis erit inquirendum. Quatuor autem potiſſimum, ſcientiam ſcilicet militarem, fortitudinem, auctoritatem, ac denique felicitatem, in omni egregio belli Duce requiri, diſertiſſimus Romuli Nepotum *Marcus Cicero in Orat. pro lege Manil.* ait: Inter maxima igitur requiſita, etiam auctoritas a Tullio noſtro recenſeri meretur, unde ſtatim manifeſto apparet, quam neceſſaria ſit hæc ipſa ad impetrandum finem bellicum: nec deſunt exempla paſſim in hiſtoriis, quæ neglectam Ducum auctoritatem maximarum & funeſtiſſimarum cladium cauſas exſtitiſſe prodant, unicum modo ex hiſtoria Græca nunc afferemus, Athenienſes ad *Ægos Potamos* (c) a Laconum exercitu nulla alia re magis devicti fuerunt, quam quod inſuper habita Ducum auctoritate, hinc inde diſperſi prædatum exiſſent. Putarunt autem majores noſtri, tempore potiſſimum Taciti, quo pro fortuna & rerum ſucceſſu ſublimiores animos gerebant, altiusque quiddam & in domitum ſpirabant, id ſua libertate minime dignum videri, *ſi ita uni ſe regendos* (d) permitterent. Julio Cæſare in Galliis adhuc agente, longe alia, ſiquidem ipſi fidem arbitramur, fuit hujus rei ratio, nam ut ille refert, tempore quo bella ingruebant, electos fuiſſe magiſtratus, qui rei ſummæ præeſſent, cum plenaria vitæ ac necis poteſtate. Poſtea itaque fortunæ & bellorum ſucceſſu libertas Germanica mirum quantum crevit. Nimiam autem & pene *effrenam* (e) majorum noſtrorum libertatem, aut, ut rectius loquar, licentiam, nemo, credo, laudabit, æque enim hæc Rebuſpubl. ac nimia ſervitus nocet. Et longe ſane rectius feciſſe Romanos, qui abſolutam omnium rerum poteſtatem Ducibus prudentibus commiſerunt, ſtatuimus; in militia enim niſi ſevera adhibeantur remedia, omnia ſurſum deorſum vertuntur, id autem neglecta Ducum auctoritate fieri certiſſimum eſt. Hinc quoque non immerito vapulant moderni *Poloni*, (f) & a Prudentioribus maximeque cordatis viris exagitantur, quod ſcilicet ea, qua debebant, diſciplina uſi non ſint; quam adeo laxam diſciplinam omnis illorum fortunæ & calamitatum, cum quibus nunc colluctantur, cauſam accerſunt: ſed hæc obiter. Ea autem majorum noſtrorum religio aut ſuperſtitio fuit, ut, cum Ducibus ſuis minime ſeſe regendos permitterent, *a ſacerdotibus*, (g) Dei quaſi nutu, (ita decepta credidit ſimplicitas) ſe & vinciri & verberari paterentur:

Tantum Religio potuit ſuadere malorum.

Hinc non immerito *Ariſtot. lib. 6. Pol.* ubi de tyrannide diſſerit, hoc etiam tyranno præceptum ſugge-

---

vel nobilibus proprium. Nec oppoſitio hic eſt inter reges & duces, ac ſi plebeji virtutibus conſpicui ad ducis munus, non autem Regis officium & dignitatem, pervenire potuerint, ſed quia ſola virtus nobilitat, nobilitas & virtus hic pro ſynonymis ſunt habendæ, ita, ut ad utramque dignitatem nulli, niſi ingenui inſigni nobilitate, vel magnis patrum meritis ſuffulti pervenire potuerint.

(a) *generis nobilitas*) Fateor nobili, virtutibus ignobiles æquanti, præ iis prærogativam deberi, cum & patrum referat merita. Cœterum ſola natali nobilitate, ſi deeſt prudentia, quæ experientia, aut propria aut aliena, quam rerum geſtarum commentarii ſuppeditant, acquiritur, nec in ſago, nec in toga res idonee geri poſſunt.

(b) *exiguis limitibus*) *Nec Regibus infinita aut libera poteſtas & duces exemplo potius, quam imperio, ſi promti, ſi conſpicui: ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. T. in G. c. 7.*

(c) *Ægos Potamos*) *Cumque Athenienſes ad Ægos Potamos centum navium ſtativa haberent, tempus illud ſpeculatus, quo navales ſocii aquatum & ad commeatus ſibi e foro curandos profecti fuerant, claſſem illam occupavit* PAVSANIAS *lib. 9. pag. 540.* Cladis illius Athenienſium aliam hæc PAVSANIÆ *lib. X. p. 572.* afferunt cauſam: *Cladem certe*, inquit, *qui affecti ſunt ad Ægos Potamos dictitant illatam ſibi non juſto prælio, ſed prætorum ſuorum proditione, quos pecunia hoſtes corrupiſſent.*

(d) *ſi ita uni ſe regendos*) *Reges vel principes de minoribus rebus conſultabant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes pertractentur.* Puto a principibus negotia magni momenti præparata eſſe, ut eo melius populo in comitiis per deputatos comparenti, proponi poſſent. Habebant enim reges & principes jus proponendi in populi conventibus, *TACITVS in G. c. XI.* Conſtat, pleroſque Germanos populari regimine gaviſos eſſe. Nonnullis tamen reges erant, ſed fere ſuadendi magis auctoritate, quam jubendi poteſtate. Neque enim iſta natio unquam totam ſervitutem potuit pati. MONZ. *de ſtatu Imperii Germanici c. 1. Abregé chronologique de MEZERAI lib. 1. p. 43.* Regum Sueviæ mentionem injicit TACIT. *hiſtor. 3. c. 5. Sed Marabodui regis nomen inviſum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat.* TACITVS *annal. lib. 2. c. 44. in Germania c. 42.* Rugiorum quoque & Lemoviorum erga reges obſequium erat; & Gothones paulo jam adductius, quam cæteræ Germanorum gentes regnabantur, nondum tamen ſupra libertatem; apud Suecones autem unus imperitabat, nullis jam exceptionibus non precario jure parendi. TACIT. *in Germania c. 43. 44.* Mentio etiam fit regum Germaniæ gentium apud JVL. CÆS. *de bell. gallic. lib. 1. c. 25.* & AMMIAN. MARCELL. *lib. 16. c. 12.*

(e) *effrenam*) *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniunt, ſed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur, ut turbæ placuit, conſidunt armati. TACIT. c. XI.*

(f) *Poloni*) Conferatur MARINIVS ſive JO. SACHSIVS ſecretarius quondam urbis Thorunienſis *de ſcopo reipublicæ Polonicæ c. 8. p. 186. ſeqq. c. 9. p. 225. ſeqq.* HOPPII *ſchediaſma de ſcript. hiſtor. Polon. p. 113.*

(g) *a ſacerdotibus*) *Silentium (in conventibus) per ſacerdotes, quibus tum & coercendi jus eſt, imperatur. T. c. 11. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam nec ducis juſſu, ſed velut DEO imperante &c. l. c. c. 7.*

gerit, ut religionem, quamvis *nullam aut habeat*, (a) aut curet, tamen *ſimulet*: (b) Ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως, ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τὸ παράνομον, ἀπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, κ̧ φροντίζειν τῶν θεῶν. Καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι τοὺς θεούς. Hunc igitur majorum noſtrorum morem utpote inconſultum & reipubl. perquam noxium non ſine *cauſa damnamus*, (c) & a beata Republ. proſcribimus.

XXXI. Audivimus ſupra ex Tacito, Duces Germanorum exemplo potius quam imperio præfuiſſe, non igitur tantum conſiliis, ſed etiam manu res ſuas adjuvarunt. Solet autem quæſtio hæc a nonullis agitari, an ſcilicet Imperator teneatur, in congreſſu prælii gladium ſtringere, an vero officio ſuo ſatis defunctus videri queat, ſiquidem bona duntaxat conſilia ſuggerat. Poſſunt autem in utramque partem *probabilia afferri.* (d) Et ſiquidem Nobiliſſimorum belli Ducum exempla intueamur, pleroſque etiam manus conſeruiſſe in præliis videmus. Teſtantur id ipſum ſcriptores de Epaminonda, Alexandro M. Pyrrho, Alcibiade, Julio Cæſare, Scanderbejo & innumeris aliis. Hinc Alexander M. apud *Curtium* ſic milites alloqitur l. 4. c. 4. *Nec poſtulare ſe*, ait, ut *fortiter capeſſerent prælium, niſi ipſe ceteris fortitudinis fuiſſet exemplum, ſe ante prima ſigna dimicaturum ſpondere, pro ſe quot cicatrices, tot corporis decora.* Et apud *Marinum Barletium*, qui Scanderbeji res geſtas egregie deſcripſit, ipſe Heros Scanderb. ſic inquit: *In caſtrenſi cura & labore, in militari officio, in excubiis, in vigiliis nunquam vobis inferior eram, ſed tanquam unus ex commilitonibus me habebam, & facta mea non dicta ſequi volebam, nec diſciplinam modo ſed exemplum a me peti. Nullum unquam laborem, nullum diſcrimen aut periculum recuſabam, ſive aliqua ſimulatione aut tergiverſatione fugiebam.* Ex his utique aliquis ſibi perſuadere poterat, recte facere Imperatorem, ſeu ſummum aliquem belli ducem, quod manu etiam utatur, quia illud teſtantibus paſſim hiſtoricis ad ardorem pugnandi milites mirum in modum accendit. Contra vero cum a ſalute unius Imperatoris interdum, imo ſæpiſſime, totius exercitus ſalus dependeat, & eo interfecto militum animi non parum frangantur, profecto, quam ma-

(a) *nullam aut habeat*) Sine perſuaſione aliqua de exiſtentia primæ potentiæ, ad præmia & pœnas externas pro meritorum ratione, aut in hac, aut in futura vita pronæ, ſubditorum obſequium & reipublicæ tranquillitatem vacillare docent. Neque ego, cultum externum inprimis recte propoſitum reipublicæ rationibus inſervire, diffiteor. *Numa Pompilius omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem efficaciſſimam Deorum metum injiciendum ratus eſt. Qui cum deſcendere ad animas ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat, ſibi cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos eſſe LIV. lib. 1.* Quanquam non ignorem, eſſe, qui contendunt, reſpublicas nonnullas abſque Dei metu viguiſſe & valuiſſe. BAYLE *dans l' addition aux penſées ſur les cometes, reponſe a la 21. object. p. 88. & ſuiv. Reponſes aux queſtions d' un provincial, tom. 4. chapitr. 12. ſeqq.* Ventilatur etiam quæſtio, an idololatria gentilium reipublicæ magis noxia ſit, quam atheiſmus *l. c. chapitr. 21. ſeqq.* Cæterum de cultu Deorum veterum Germanorum conf. SCHEDIVS *de Diis german. SCAT. in hiſt. Weſtph. HACHENB. germ. med. diſſ. oct.* Merentur addi, quæ TACIT. in germania c. 9. habet: *Ceterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam oris humani ſpeciem adſimulare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia* vident. A veritate tamen abhorrere, nulla plane eos habuiſſe templa, celebre illud Tanfanæ (Hertæ, Certhi) cujus TACIT. *lib. 1. annal. cap. 51.* mentionem facit, evincit. Vid. SCATEN. *hiſtor. Weſtphal.*

(b) *ſimulet*) Arcana & flagitia dominationis religioni ſæpiſſime involvi, & ſub ejus ſpecie regionem peti, certum eſt. Vide NAVDÆVM *in libello*, quem inſcribit *coups d' etat.* Majori ſemper obſequio populus adhærebit principi, quem Deo, ob pietatem & religionem, peculiariter eſſe curæ credit. Perverſa denique ſunt illius auctoris, quem PELLERVS repellit, de religione principia.

(c) *cauſa damnamus*) Sit tamen Clero ſuus honos. Sunt enim ſacerdotes neceſſaria reipublicæ inſtrumenta, quæ ſi contemtim habeantur, facile ſibi quis perſuadere poterit, non eſſe rem æque magni momenti, cui operam navant. Abſit tamen iis dominatum, quem Germanorum gentilium ſacerdotes, Judaicus & Romanus clerus affectabant, indulgere. Non imperare, ſed vita & doctrina auditoribus ſuis præire debent. Sunt enim ſubditi æque ac alii, jure divino ab obſequio civili non exemti. Caveat autem princeps, ne ipſis, rebus ſecularibus ſe immiſcendi, occationem præbeat, & ſic ab animarum cura abſtrahat. Solent inde faſtu turgere, & primariæ theologicæ virtuti, quæ eſt humilitas, repudium mittere.

(d) *probabilia afferri*) Duplex hic occurrit quæſtio: prima eſt, an conſultum ſit, ut ille, qui ſummam rerum in republica tenet, exercitum in hoſtem ducat? affirmanti ſententiæ non deeſſe rationes ſcio. Fortius agit miles, qui principem ſuum ducem habet, ubi non ſolum pro victoria, ſed & pro principis ſalute pugnandum erit, qui ardor fortiter agendi, præſertim cum inter eos, qui ſub principis oculis dimicant, virtutis æmulatio exoriri ſoleat, victoriam ſæpe parit. Et cunas in ſpem regni nato ornatas Suecis, ſub earum auſpiciis dimicantibus, victoriam dediſſe, ex annalibus eorum conſtat. Porro Prætorum bellicorum æmulationes & diſſidia, proſpero rerum ſucceſſui maxime adverſantia principis præſentis auctoritate ſupprimi & componi poſſunt, antequam prorumpant. Huic accedit, quod illico, quæ ex belli neceſſitate aut utilitate in medium conſulenda ſunt, jubente Principe recte curari queant, cum alias antequam nova ex aula adveniant mandata, occaſio proſpere res gerendi amitti poſſit. Sæpe enim inexſpectatus eventus, aut cauſæ non prævîſæ propoſiti mutationem neceſſariam inferunt. Pro negativa contra ſententia faciunt ſequentia: Si Princeps juvenili impetu in hoſtes fertur, magis de ipſius vita tuenda, quam de hoſtibus profligandis belli duces ſoliciti eſſe debent, quod victoriam ipſis eripere poteſt; deinde ſummum reipublicæ eſſet malum, ſi princeps in hoſtium perveniret manus, aut in acie periret. Sic & Panonico & Germanico exercitu tumultuantibus, Tiberius neutrum adibat; rebatur enim, majeſtati majorem ex longinquo reverentiam eſſe. TACITVS *lib. 1. annal. cap. 46. 47.* Denique militia ita inſtructa eſt, ut ſub prudenti belli duce, cui occaſioni & tempori inſervire licet, tanto cum ſucceſſu bellum geri poſſit, ac ſi princeps exercitui adeſſet. Imo ſecurius multo res adminiſtrabuntur, principe ab exercitu abſente: belli enim duces majori ſane circumſpectione & minori audacia, quam princeps, qui nulli ad reddendas rationes obnoxius eſt, bello operam dabunt. Sunt, qui, licet negativæ, utpote validioribus rationibus innitenti ſubſcribant, caſum tamen excipiunt, ſi de ſumma rerum decretoria ſit decertandum pugna. Quod autem ad ſecundam quæſtionem, an ipſe belli dux hoſti arma inferre debeat? attinet, belli ducis munus non tam in eo conſiſtit, ut ferrum in hoſtem ſtringat, quam ut totam dirigat aciem, periclitantibus mature auxilia ſubmittat, pedem referentes officii admoneat, & quæ ſunt alia viro militari recte cognita. Quod ſi enim privatæ indulgeret fortitudini, haud dubie totam amitteret rem.

maxima poteſt induſtria, ſaluti ſuæ conſulere Imperatorem merito debere, ſtatuimus, quod facere minus poterit, ſiquidem ipſe ante aciem manu rem gerat. *Julius Capitolinus in Maximin.* Imperatorem uti manu & ferro barbaricam eſſe ait temeritatem c. XII. *Habuit*, inquit, *hoc barbaricæ temeritatis, ut putaret Imperatorem manu etiam ſua ſemper uti debere.* Cum juxta *Tacit. l. 12. Annal. c. 6. plura auſpiciis & conſiliis quam telis & manu gerantur.* Accedit inſuper, quod in præliis quam maxime Imperatores primo petantur ab hoſtibus, quia illis ſublatis faciliorem & minus cruentam ſuis victoriam pollicentur. Non etiam tantum militum annos frangi, contra vero hoſtium attolli, ſed integræ nonnunquam ſocietatis res concidiſſe, ex hiſtoricorum ſcriptis apparet. Novimus enim, quid acciderit Thebanis, poſt obitum Epaminondæ, fortiſſimi Herois. Videantur Jani Gebhardi doctiſſimi πολιτικώτατα ad Neptis Cornelii Epaminondam ſpicilegia, ubi plura ejusmodi exempla ex Scriptoribus tam Græcis quam Latinis laudantur. Et vero Scipio Africanus, optimus alias imperator, cum ei tanquam probrum objectum eſſet, quod gladium non ſtringeret, hoſtem ipſe non feriret, reſpondit: *Mater me Imperatorem, non militem, genuit.* Quibus verbis prudentiſſimus Vir indicare voluit, non requiri hoc ab Imperatore, ſed tantum ut bona conſilia ſuggerendo exercitui ſuo proſit, cum juxta ante laudata Taciti verba res conſilio potius quam manu geratur. Porro quoque ad ejusmodi conſilia non niſi bene præparatum pectus requiri, certum eſſe debet: oportet enim Imperatorem omnia diligentius circumſpicere, & ſummo ſtudio id cum primis præcavere, ne aut exercitus ipſius aliquid detrimenti capiat, ſed potius huic aut illi ingruenti malo medela quæratur; in ſingula etiam rerum momenta intentum eſſe decet, nec id tantummodo ante prælium, ſed & in ipſo congreſſu, animo ipſius obverſetur, quomodo hoſtiles impetus quam optime eludere, & illorum conſiliis inſidias tendere queat; quæ tamen omnia, certe maxima, an ab ejusmodi turbato, qualem pugnantis eſſe conſtat, animo exſpectari poſſint, merito utique dubium ſuboriri poterat. Quapropter ſiquidem noſtro judicio res eſſet decidenda. Ducem conſilio potius quam manu rem agere debere judicaremus, utpote cum iis, quæ antea retulimus, incommodis, rectius mederi vix queat.

XXXII. Jam illud merito omnibus laudibus erit efferendum, quod Auctor noſter ulterius inſtitutis bellicis Germanorum veterum notat, cum ita ait: *Quodque præcipuum fortitudinis* (a) *incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates, & in proximo pignora, unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium poteſt; hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores.* Quod profecto inſtitutum apud nullam aliam gentem uſu receptum fuiſſe, temere quis leget. Mos etiam ille apud ipſos Germanos hodie plane exſpiravit, quippe qui mercenario utplurimum milite nunc utuntur. *In Helvetia* (b) tamen adhuc hodieque ſimile quid viget, quod inde factum, quia hi ipſi non perinde ac reliqui Germani mercenario milite utuntur. Quin autem inſtitutum illud ſummis ſit laudibus deprædicandum, nullus equidem ambigo. Hoc enim effecit, ut alter alteri minus eſſet ignotus, adeoque libentius, (quod propinquitas equidem exigebat) in periculis ſe mutuo adjuvarent, quod in hodierna militia quam maxime ſolet deſiderari; quia alter alterum non novit, unde fit, ut ſui ipſius tantum quilibet curam habeat, reliquorum vero ſalutem parum ad ſe pertinere putet. Porro etiam, ipſo Tacito teſte, inſtitutum illud præcipuum fortitudinis incitamentum fuit, nemo enim propinquis & amicis præſentibus non ſtrenue mori præoptabit, quam ignaviæ & imbelliæ (ut Gelliano verbo utar) maculam ſubire. Fuere etiam, ut paullo ante audivimus, *in proximo pignora, unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantum potuit.* Fœminæ igitur & liberi caſtra ſecuti fuerunt. Teſtatur idem Cæſar l. 1. de B. G. *Mulieres*, inquit, *in prælium proficiſcentes milites paſſis crinibus flentes implorabant, ne ſe in ſervitutem Romanis traderent.* Apud Romanos & Græcos nihil unquam tale obtinuiſſe legimus. Duces quidem & ſummi militiæ præfecti circumduxerunt ſecum uxores ſuas, & circumductæ fuerunt nobiliſſimæ fœminæ, ut *Livia & Agrippina*, (c) quæ dictæ fuerunt matres caſtrorum, verum gregario militi ejusmodi quid non fuit permiſſum. Poterunt autem & pro hoc inſtituto & contra idipſum quædam in medium afferri, ſiquidem precium operæ foret; nos tantum breviter hic, quid nobis videatur, proponemus. Primum itaque hoc eſto, quod ſcilicet, ſiquidem miles ſit uxoratus, & prohibeatur eam in caſtris ſecum circumducere, vinculum illud matrimonii *admodum debilitetur*, (d) quod non poteſt non cum magno Reipubl. detrimento eſſe conjunctum. Quid olim acciderit *Lacedæmoniis* (e) foris militantibus, notius eſt, quam ut hic recenſeri mereatur. Hoc etiam nomine haud parum nocet; quod miles ab uxore ſua remotus, & in ocio degens, omnis generis peccatis, adulterio ſcilicet, ſeſe contaminet, nec debitam rerum ſuarum curam habere poſſit, quod longe aliter fieret, ſiquidem uxorem ſecum haberet. Ad id porro prodeſt, fœminas caſtra

(a) *præcipuum fortitudinis*) *TACITUS c. 7. Ad matres & conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exſugere plagas pavent.*

(b) *In Helvetia*) PLANTINI *Helvetia antiqua & nova, c. 23.*

(c) *Livia & Agrippina*) TACITUS *lib. 3. annal. c. 34. n. 9. lib. I. c. 41. 69. lib. 2. c. 54. 72. lib. 3. c. 1.* De controverſia in ſenatu Romano ventilata, an conducat, ut uxor magiſtratum, cui provincia obveniſſet, comitaretur, agit TACITUS *lib. 3. annal. cap. 33. 34.* De Auguſto SUET. *c. 24.* in vita ejus hæc habet: *In re militari & commutavit multa, & inſtituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit, diſciplinam ſeveriſſime rexit, nec legatorum quidem cuiquam, niſi gravate hibernisque demum menſibus, permiſit uxorem inviſere.* Apparet tamen ab hoc inſtituto deinde diſceſſum.

(d) *admodum debilitetur*) Sunt tamen uxores magna in caſtris impedimenta

(e) *Lacedæmoniis*) JUSTINUS *lib. 3.*

tra ſequi, ut eo rectius liberi in exercitiis & ſtudiis bellicis educentur, adeoque præliis & pugnis paulatim aſſueſcant, qui poſtea adulti pro fortiſſimis & optimis ſolent haberi. Sin contra fiat, & illi apud matres domi deliteſcant, periculum erit, ne fiant imbelles & ignavi, quod ſummo ſtudio bellicis rebus addictæ genti præcavendum eſt. Adde, quod ipſos etiam milites reddat fortiores, & ad capeſſendum prælium promptiores, cum pro aris & focis tum ſibi decertandum eſſe videant, nemo enim liberos & conjugem ſuam temere in hoſtium manus devenire patietur. *Memoria proditum eſt*, (verba ſunt Auctoris) *quaſdam acies inclinatas jam & labentes a fœminis reſtitutas conſtantia precum & objectu pectorum & monſtrata comminus captivitate, quam longe impatientius fœminarum ſuarum* (a) *nomine timent.* Non abſimile huic exemplum apud *Juſtin. lib.* 1. de mulieribus Perſicis legimus. Narrat Romanæ hiſtoriæ ſcriptor *Lucius Florus l.* 3. *c.* 3. de *Cimbrorum mulieribus*, (b) quod ſcilicet Romanis, *non minor cum uxoribus eorum pugna quam cum ipſis* (Viris) *fuerit, quum objectis undique plauſtris, atque carpentis, deſuper & quaſi e turribus lanceis contisque pugnarint.* Attende hoc, quisquis es, & cui ſententiæ calculum tuum adjicere debeas, recte conſidera. Hoc tamen exceptum volumus, ſi quando annonæ caritas intenſa fuerit, recte mulieres caſtris arceri, quod tum minori commeatu exercitui ſit opus.

XXXIII. Illud non poſſum non hic cumprimis etiam recenſere, quod *Auctor noſter c.* 39. de *Suevis* (c) & *cap.* 43. de Ariis dicit, quæ cum ad mores & inſtituta bellica pertineant, omittere nefas habemus. De Suevis hæc habet: *Apud Suevos*, inquit, *usque ad canitiem, horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant, principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ ſed innoxia, neque enim, ut ament, amenturve, in altitudinem quandam ac terrorem adituri bella, compti, ut hoſtium oculis ornantur.* Ita quoque in ante laudato *Philippi Cluver. lib.* depinguntur, qua fini id fecerint, diſerte addit Tacitus, ut hoſti hoc modo terrorem incuterent. An autem hæc capillorum cultura illud effecerit, non dubito, multum enim illam Germanicam ſtaturam, quæ ſatis alias procera erat, adjuvit, quo pacto multo terribiliores hoſti ipſi fuerunt. Illud autem, quod *cap.* 43. de Ariis recenſet, melius eſt: *Cæterum Arii*, ait, *ſupra vires, quibus enumeratos paullo ante Germaniæ populos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt; ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus, terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum ac velut infernum aſpectum, nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Medicato ſcilicet fuco aliquo, aut etiam, quod nonnulli hiſtorici afferunt, cruore, faciem ante congreſſum præliorum pinxerunt, ut eo terribiliores hoſtibus viderentur, cum nihil prius ac oculi in præliis vincantur. Illud etiam, cum olim probe noſſet ſummus ille bellorum, in caſtris Alexandri, Dux *Parmenio*, (d) Alexandrum monet, ut potius nocte ex improviſo Perſas adoriatur: *Interdiu enim terribiles occurſuras facies Scythiarum, Bactrianorumque hirta illis ora, & intonſas comas eſſe. Præterea eximiam vaſtorum magnitudinem corporum, vanis & inanibus militem magis, quam juſtis formidinis cauſis moveri.* Apud omnes autem Germanos illud in uſu minime fuiſſe, ex hiſtoriis antiquis ſatis poteſt elici.

XXXIV. Finem exercitio huic noſtro imponemus, modo paucis hunc morem examinaverimus, an ſcilicet illud ex uſu Reipubl. fuerit, quod ita ſemper armati, etiam ipſo pacis tempore, inceſſerint Majores noſtri. Siquidem enim Tacito noſtro fides habetur, *nihil neque publicæ neque privatæ rei egerunt, niſi armati; etiam ad ipſa convivia armati proceſſerunt.* Quem morem adhuc hodie retinuerunt *Helvetii, & in Hiſpania* (e) quoque ad hoc usque tempus idem mos obſervatur, quod incolæ regionis iſtius procul dubio *a Gothis, populis Germaniæ,* (f) acceperunt. Apud Romanos longe aliter

(a) *fœminarum ſuarum*) *Adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur. Ineſſe quin etiam ſanctum aliquid & providum putant, nec aut conſilia earum adſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub Divo Veſpaſiano Veledam diu apud pleroſque numinis loco habitam. T. c.* 8. *hiſt. lib.* 4. *c.* 61. CÆSAR *de bello Gallico lib. I. c.* 50.

(b) *Cimbrorum mulieribus*) *PLUTARCHUS in Mario fol.* 186. (b)

(c) *Suevis*) *C.* 38. *SENECA de ira lib.* 3. *c.* 26. *CLUV. german. antiqua c.* 16.

(d) *Parmenio*) *CURTIUS lib.* 4. *c.* 13.

(e) *Helvetii, & in Hiſpania*) Cives cujuscunque generis & opifices gladiis accincti incedunt, de quo itineraria teſtantur. Nec deſunt Germaniæ civitates, in quibus ex majorum inſtituto reliquum, ut & illi, qui militiæ nomen non dederunt, gladiis ſe onerent, & ex quo quis *tyronicio* valedixit, ad enſem tanquam ad libertatis provolet indicium. Optandum eſſet, ut ſanctione pragmatica per univerſam Germaniam illis, qui Martis non ſequuntur caſtra, armorum interdiceretur uſus. Tunc profecto muſarum aræ tam frequenti alumnorum ſuorum ſanguine non commacularentur, & in mutuas ruendi cædes eis, qui ex crebro incaluerunt potu, occaſio adimeretur. Palæſtræ ad comparandam corporis agilitatem & robur ſuus poſſet manere honos, etiamſi immanis enſis non amplius premeret femur.

(f) *a Gothis populis Germaniæ*) Gothones inter Germaniæ populos refert TACIT. *annal. lib.* 2. *c.* 62. *aſt in Germ. c.* 43. ait: *Gothinos gallica lingua coarguit, non eſſe germanos;* verum per linguam haud dubie hic intelligitur dialectus, qua a Suevis aliisque germanis diſcreparunt, & cum aliis Celtis ſive Gallis coinciderunt. Controverſia non vacat prima ſedes Gothorum, qui tot inundarunt regiones. Arbitrantur nonnulli eam in Scanzia ſive Scandinavia eſſe quærendam. WITICHINDUS CORB. *lib. I.* GROTII *prolegomena hiſtor. Goth. Vandal. p.* 4. *ſeqq.* PAULUS WARNEFRIDI *de geſtis Longob. lib. I. c.* 2. PLINIUS *in hiſtoria naturali lib.* 2. *c.* 14. Deinde vero partem eorum in Cimbriam ab incolis, ob clades a Romanis acceptas paſſim vacuam trajeciſſe, ibique Guthiæ ſ. Juthiæ nomen dediſſe, inde in Pomeraniam, Pruſſiam & Poloniæ partem diffluxiſſe dicuntur; quanquam alii ab hac opinione, ut in rebus valde antiquis magis tuto fieri ſolet, diſcedant. SARNICIUS *annal. Polon. lib. IV. p.* 957. CROMAIERUS *in hiſtor. Polon. lib. I. c.* 9. *PETREJ. Cimbr. & Goth. origin. p.* 38. *ſeqq.* HARTKNOCH *de republica Polonia p.* 3. Forte etiam pars eorum, cum ex Scanzia tribus navibus exirent, in Viſtulæ Inſulam eſt delata. GROTII *proleg. p.* 28. Poſtea per Daciam, Thraciam & Panoniam dilapſi, tandem in Italiam, Galliam & Hiſpaniam perveniſſe, & res ſub Viſigothorum & Oſtgothorum nominibus, a diverſis mundi plagis, verſus quas illi, aut majores eorum,

ter ſeſe hæc res habebat, tempore enim pacis ne ſicam quidem geſtare licebat, & ſi quis cum ſica reperiretur, in eum ſevere animadvertebat Prætor Romanus. Novimus autem utramque gentem victoriam & gloriam bello partam pro ſcopo habuiſſe, nec iisdem tamen moribus hac in re uſas fuiſſe. Quamvis autem nonnulli hic afferant, geſtationem hanc præcipue ad id conducere, ut ipſo etiam pacis tempore, & tranquillatis undique rebus, eo melius quis de bello cogitare, & in ſtudio Martis occupari queat, quod non poteſt non illi evenire, qui quotidie armis accinctus eſt. Facere etiam præterea ad tutelam corporis, ut eo tutior aliquis ſit ab inſidiis & hoſtilibus inſultibus; hæc tamen tanti ponderis mihi non videntur eſſe, ut inde armorum geſtatio pacis tempore patrocinium inveniat. Inſidias enim & hoſtiles inſultus pacis tempore in bene conſtituta Republica metui non debere, nec adeo armis tum opus eſſe, ſiquidem arma geſtare nulli ſit permiſſum arbitramur. Et quantumvis hæc omnia largiamur, majora tamen exinde incommoda promanare ſic aſſerimus, quia armorum geſtatio vinolentos cumprimis & ebrietati deditos (quales Majores noſtros fuiſſe ante ex Tacito probavimus) nimis reddit feroces, & ad injuriam pronos, hinc multæ cædes & homicidia ortum trahunt. Quantum autem hoc ipſum detrimenti Reip. afferat, nemo non intelligit. Adde his etiam, quod in Monarchiis aut tyrannicis Rebuspublicis nemini armorum tractatio hæc concedi debeat. Obſervavit hoc etiam cumprimis Auctor noſter de Sujonibus Imperio regio ſubjectis c. 13. quando ita loquitur: *Nec arma, ut apud ceteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode, & quidem ſervo, quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus, otioſa porro armatorum manus facile laſciviunt. Enimvero neque nobilem neque libertum armis præponere, regia utilitas eſt.* Ejusmodi itaque Rebuspublicis quanta peſtis veniat promiſcua armorum geſtatio, hinc colligitur. Quapropter merito ita concludimus, quandoquidem majora & plura ſecum incommoda hic Germanorum mos trahit, ideoque merito *Romanorum* inſtituto, (a) hac quidem in parte palmam deferimus. Et hæc quidem hactenus pro ingenii modulo, de Majorum noſtrorum ſcopo, & mediis ad eum impetrandum facientibus, deque ipſis inſtitutis bellicis, ſi non omnibus certe præcipuis, & ad ductum Taciti pauca & ὡς ἐν τύπῳ exhibuimus, cui equidem noſtro conatui, ut omnes boni faveant, unice in votis habemus, hæc ſumma (ut ille ait) votorum, ſumma curarum. Conſtitueramus quidem de veterum Germanorum armis quædam ex aliis auctoribus adjicere, deque eorum ad Rempublicam uſu diſſerere, ſed partim injuria temporis excluſi, partim quoniam paſſim hac de re libri offerantur, & unus inſtar omnium merito omnibus eſſe poſſit, Philippus Cluverius, antiquitatis ille Germanicæ Phœnix, cujus ſcrinia compilare, & quæ egregia habet, culpa ingenii deterere, religionem puto, merito itaque hoc labore ſuperſedeo. Sit igitur SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I. Liberrima *teſtamenti factio*, (b) ut Rebuspublicis herilibus prodeſt, ſic civilibus quam maxime obeſt.

II. Ma-

---

rum, habitarunt, deſumtis, res præclare geſſiſſe feruntur. AMMIANVS MARCELLINVS *lib. 31. cap. 3. 13. ſeqq.* GROTII *prolegomena hiſtor. Gothorum, Vandalor. & Longobard. PROCOPII hiſtoria Goth*, & quæ in *SCHOTTI Hiſpania illuſtr.* ad hoc argumentum ſpectantia reperiuntur. SARNICIVS *lib. 4. p. 951.* Viſigothos Hiſpaniam inhabitantes ex Suecia primordia non ſumſiſſe, PIASECIVS *in chron. p. 48.* inde probare nititur, quod nulla inter eorum linguam & Suecicam reperta ſit ſimilitudo; verum huic ſcriptori, qui Suecis invidet, tam celebrem victoriis gentem orbi præbuiſſe, non ſatis tuto fides haberi poteſt. Porro dubium, an monumenta, quæ Sigismundi legatus collegit, Gothorum fuerint reliquiæ, & ſi Gothica fuerint, an Sueci, quibus illa examinanda data, tantam linguæ antiquæ gentis ſuæ habuerint notitiam, ut accurate de diſcrepantia ejus ab illa, qua hodie Sueonum gens utitur, judicare potuerint. Notum quoque, tanto temporis tractu, linguam, ex variis regionibus, quas Gothi inhabitarunt, & gentium commercio, quæ ſe eis adjunxerunt, varias paſſam mutationes. *Confer quoque OLAI WORMII liter. Danic. c. 4. 5.* Nec officit, veterum teſtimonio Gothos Schytiæ natales debere. Cognitum enim habemus, omnes ſeptentrionis regiones Schytiæ nomine antiquitati nonnunquam venire. SCHöNHOVEN *apud MATH. in veter. ævi annal. p. 57.*

(a) *Romanorum inſtituto*) Penes Romanos, nec plebei, nec patricii & nobiles, niſi militiæ operam navarent, enſes femori ſuperimpoſuerunt. Patricii nobilitate inſignes, quique honeſte geniti & liberaliter educati, bullam in pectore, lunulas in pedibus habebant, puerilem ætatem prætexta, pubertatem toga ornabat. ALEX. ab ALEXANDRO genial. dier. lib. 5. c. 18. Et dedecus, imo nefas erat, in ſenatu etiam virum, qui exercitui præerat, armatum comparere. Crederesne Cæſarem cum amicis, ſi armati ſenatui interfuiſſent, in illos, qui ipſum ſtrictis pugionibus, ad facinus occultatis, adoriebantur, ferrum non ſtrinxiſſe, SVETONIVS *in Julio Cæſare c. 82.* Fateor, Plutarchum in Cæſare, conjuratos enſibus armatos fuiſſe, tradere, ſed & hos ſub veſtibus occulere potuerunt. Et enſes, ſi qui in Cæſaris cædem adhibiti ſunt, præter morem ſumtos eſſe, ex eo conjicio, quod hic auctor memoret, ad necem inſtructos veniſſe.

(b) *teſtamenti factio*) Germanorum mores forte non improbandi erant, apud quos nullum teſtamentum; multæ enim hac ratione controverſiæ evitabantur. Si liberi non erant, proximus gradus in poſſeſſione, fratres, patrui, avunculi. Non puto tamen parentes eſſe excluſos. TACITVS *in Germania c. 20.* Utile enim eſt, ut bona in familia conſerventur. Quod autem rebuspublicis herilibus liberrimam teſtamenti factionem prodeſſe auctor noſter putet, illam habere rationem opinor, quod ſicut principi libere hic de regno diſponendi competit facultas, ſic & ſubditis circa bona ſua eodem utendi jure concedatur poteſtas, ut deinde eo æquiori animo in Principe ferant, quod ſibi etiam in ſuis bonis licitum noverint. Forte etiam rationibus ejusmodi regnantis conducet, adeſſe modum, quo bona familiis exire queant, ne opibus nimium abundent. In Civilibus econtra regnis maxime conducit, ut bona in familiis conſerventur. An autem talia regna dentur, ubi penes imperantem jus alienandi eſt, non ſine ratione dubitatur, quicquid etiam HVBERVS *de jure civitatis lib. 1. ſect. 7. c. 3. & GROTIVS de jure belli & pacis lib. 1. c. 3. §. 12. lib. 2. c. 6. §. 3. c. 7. §. 25.* pro iis adſtruendis in medium proferant: additur tamen a Grotio, in regnis populi voluntate delatis hoc non eſſe præſumendum. Ponamus, fuiſſe unquam ejusmodi regna, illa tamen non tam ex natura ſubditorum, quam ex pacto originem traxerunt.

II. Majores noſtros *indigenas fuiſſe*, (a) Taciti argumenta, quæ affert, non evincunt.

III. Inviti etiam, modo digni, ad capeſſendos magiſtratus, ſiquidem nolint, recte *cogi poſſe*, (b) ſtatuimus.

IV. Parricidium Anglicanum, & *Juri divino & humano* (c) adverſatur, adeoque nullo modo excuſationem meretur.

V. Majores noſtri, utut *Barbari*, (d) in plerisque, quæ ſcopum ipſorum concernunt, Rempublicam ſuam melius, quam ipſi aut *Græci aut Romani*, (e) inſtituerunt.

VI. Antiquorum Germanorum Comitia fuere ex Ariſtocratico, Oligarchico & Democratico ſtatu *mixta*. (f)

VII. Quosdam natura *ſervos dari*, (g) certum eſt.

VIII.

(a) *indigenas fuiſſe*) Germani indigenæ eo ſenſu dicti cenſeri poſſunt, quo ignotum pro nullo habemus, quia adventus eorum & migrationes primæ omnem hiſtoriæ memoriam tranſcendunt. LEIBNITIVS *in notis ad excerpta veterum pag. 8. t. 1. Script. Brunsv.* Ut ita *SVFFRID. PETRVS* operam, quam *lib. 1. c. 5. de Friſiorum antiquitate* in refutando Tacito conſumit, inutiliter perdat. Origines gentium plerumque obſcuræ ſunt. BOXHORN. *Orig. Gall. pag. 3.* Probabile tamen videtur, omnes Galatas, Gallos, Keltas, Celtas, ſub quibus & Germani continentur, Schytarum eſſe propaginem. *STRABO lib. 1. Geograph. CLUVER. germ. antiq. lib. I. c. 2. GROT. proleg. in Hiſt. Goth. p. 8. LOCC. antiquit. Sueo-Goth. lib. I. cap. 1. BROW. annal. Trevir. propar. c. 7. §. 3. p. 15. ſeqq.* Nec puto diverſitatem gentis Germanicæ & Gallicæ a linguæ diſcrepantia, quam SCHEDIVS *de Dis Germanicis c. I. pag. 11. 12.* & VORBVRG *hiſt. Rom. germ. vol. 1. p. 45.* urgent, ſatis ſtringere. Notum enim eſt, veteres per diverſas linguas nonnunquam ejusdem linguæ diverſas dialectos intellexiſſe. Deinde Græci & Latini linguæ gentium ſeptentrionalium non ſatis fuerunt gnari, ita, ut hac in re teſtimonio eorum tuto haberi nequeat fides. Magnam in multis Germanici etiam Græcique ſermonis eſſe convenientiam, utriusque peritis conſtat. VRSINI *onomaſticon Germanico-Græcum in actis erudit. ad ann. 1690. p. 469. LEIBNIT. nota ad excerpta veterum tom. I. Script. Brunsv. p. 8. PETZRONII epiſtola in Leibn. collect. etymolog. p. 65.* Tartaros non ſolum multos majorum noſtrorum mores referre, ſed & lingua eorum cum noſtra non paucas voces habere communes, ex BVSBEQVII *epiſtola IV. p. 322. 324. edit. Elzevir.* pateſcit. Turcicam cum germanica aliqua ex parte coincidere, catalogus vocum apud BOXHORNIVM *in originibus gallicis p. 87.* ſignificat. Perſarum & Germanorum mores & linguam in multis convenire, FVRMERIVS *Annal. Friſicorum lib. I. c. I. pag. 12. ſeqq.* tradit, quæ ſententia *BOXHORN. l. c.* displicet. De reliquiis veteris linguæ Perſicæ conf. RELAND. *differt. miſcell. part. 1. differt. 8.* Inter Germanicam, Gallicam & Britannicam veteres maximam eſſe affinitatem *lexicon Britannico-latinum apud BOXHORN. l. c.* Celtica & Franco-Gallica apud LEIBNITIVM *in collectaneis etymologicis*, docent. Confer quoque BROWERI *proparaſc. c. X. §. 8. HICKESII theſaur. linguarum ſeptentrionalium. BOCHARTI Phaleg.* quem tamen non ubique verum attingere ait *PEZRONIVS, & ECCARD. in hiſt. ſtud. etym. c. 2.* Interim largior, non deeſſe, quæ ſententiæ de Germanorum a Schytis ortu opponi queant. *SCHERINGHAM de origin. gent. Angl. BROW. annal. Trevir. proparaſc. c. IX. & XI. WERLOF in notitia Imperii enucleata lib. I. c. XI.* Videtur tamen huic opinioni major ineſſe veriſimilitudo, quam aſſerto illi, Aſchenazem omnibus ſeptentrionis gentibus communem eſſe parentem, ut CLUVERIVS cum aliis aſſerit. Vide WERLOFIVM *l. c. p. 25.* aut Germanos per Sarmatiam in Scandinaviam perveniſſe, & inde in Germaniam cis Balthicam ſeſe effudiſſe, ut credunt cum *GROTIO in proleg. hiſt. Goth. SCHERINGHAM de Anglic. gent. orig. c. 15. SCHEF. Upſ. c. 6.* Hos CONRING. *in tract. de antiquiſſ. Helmſtadii ſtatu* convellere ſtudet.

(b) *cogi poſſe*) In civitatem coeuntes expreſſe aut tacite ſe ad omne, quod civitatis ſalus requirit, obſtringunt; ſine eo enim ſocietas civilis eſſe nequit: jam vero ſine magiſtratibus civitas regi non poteſt; igitur, ad eos capeſſendos, cives ex pacto inter ſe & cum capite ſunt obligati. Hinc Romani ſatis recte magiſtratuum officia ad munera publica retulerunt, a quibus nemo ſine legitima cauſa ſe excuſare poteſt, *l. 14. §. 1. ff. de muneribus & honoribus.*

(c) *Juri divino & humano*) Veritas hujus theſeos ex actis publicis, quæ in CLAREND. & RVSHWORTHI commentariis hiſtoricis conſpiciuntur, ſat manifeſta eſt. Si quid forte a Rege contra pacta & leges regni fundamentales factum, de quo tamen dubitatur, id emendandum promiſerat, modo a turbis deſiſterent alienati, ſuamque majeſtatem & jura ſalva & incolumia eſſe ſinerent. *BATEVS part. I. p. 39. ſeqq.* Sæpiſſime deinde æquiſſimas, ad publicam reſtaurandam quietem, obtulit conditiones, ut ex FLORO ANGLICO & commentariis hiſtoricis antea citatis pateſcit, parlamentum autem vel potius conventiculum curiæ inferioris, eas ſprevit, & regem, niſi maximæ parti jurium ſuorum valediceret, admittere noluit, *Hiſtorical collections vol. 6. p. 277.* Arbitrium externi principis, in quod rex compromittere volebat, recuſavit *BATEVS lib. I. pag. 49.* Curia ſuperior, modo ita vocari potuerit, quia a Rege non fuit convocata, in proceſſum criminalem, regi intentatum non conſenſit, *Life and actions of Cromwel p. 38.* Subditos ſuos rebelles habuit judices, & ejusdem furfuris homunciones adverſus ipſum producti ſunt teſtes. Perverſiſſima eſt ſententia, ſummam poteſtatem realiter ſcilicet penes populum eſſe, ita, ut ei reges, quoties regno ſuo male utuntur, & coercere & punire liceat. Ejusdem farinæ eſt, populum univerſum regi recte imperanti parere debere, regem autem male imperantem populo ſubjici. Bonitas enim & malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt, ad partes diſtinguendas. Et morbidum caput ſemper eſt caput, *GROT. de J. B. & P. lib. I. c. 3. §. 8. 9.* Nec confeſſus nec convictus, & ſemper de incompetentibus & ſuſpectis judicibus conquerens, condemnatus eſt princeps optimus, in quo inimici nihil fere cenſere auſi, quam quod vino & fœminis nimium fuerit obnoxius, a qua tamen nota alii ipſum liberant. *Life of Cromwel p. 39. Memoirs of Edmund Ludow. vol. I. p. 275. ſqq. RVSHWORTH. Hiſtorical collections vol. VI. p 560. ſeqq. The Hiſtory of the rebellion and civill Wars in England of CLARENDON vol. 3. part. I. p. 252. ſeqq.* Optandum, ut SALMAS. melius bonam egiſſet cauſam, & deinde ad Miltoni rationes, ut par erat, reſpondiſſet. Sed hoc a viro, qui ſtudio critico & antiquitatibus Græcis & Romanis fere unice addictus erat, exſpectari non potuiſſe, ſunt, qui putant.

(d) *Barbari*) Hoc nomine majores noſtri Græcis & Romanis venerunt, quia non horum inſtituta, ſed bonos mores & virtutem ſequebantur, quod illis ſimplicitas & barbaries videbatur.

(e) *Græci aut Romani*) Tantis enim minime Germanorum respublicæ ſubfuerunt motibus & mutationibus, ac Roma & Græciæ civitates.

(f) *mixta*) *TACITVS in Germania cap. XI. XII. COCCEJI J. publ. c. 20. §. 13. 14.*

(g) *natura ſervos dari*) Id veterum erat opinio. Et licet aliqui præ aliis ſtupidiores ſint, illud tamen his non dat poteſtatem, illis imperandi. Quod enim alicui absque ſua ineſt culpa, illud alteri in eum non poteſt dare jus.

VIII. Apud Romanos provocatio illa ad populum, *magnorum malorum cauſa*, (a) & Reipublicæ pernitioſiſſima exſtitit.

IX. *Συσσίτια* in populari ſtatu *laudem promerentur.* (b)

X. Injuſte fecit Carolus M., quando Saxones *vi & armis* (c) ad religionem Chriſtianam compulit.

XI. *Getas eſſe Gothos*, (d) fruſtra probare annititur *Loccenius lib. I. Antiq. Sueo-Goth.*

XII. In Germania nunquam obtinuit *plena Monarchia.* (e)

F I N I S.

De Germanorum Imperio Romano. 1643.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM,

DOMINVM AVGVSTVM,

Ducem Brunſvicenſium & Luneburgenſium,

HERMANNI CONRINGII

Epiſtola Dedicatoria.

Offero Celſit. Tuæ, Sereniſſime Princeps, librum mole quidem exiguum, at argumenti neutiquam proletarii. Agit quippe de illo nomine illiſque juribus Germaniæ noſtræ, quibus maxime illa jam aliquot ſeculis præ aliis Europæ rebuspublicis fuit conſpicua & illuſtris: licet eorum ratio obſcurior ſit, & erroribus vulgi obnoxia. Neque vero, ut nomina illa in vulgus ſunt cognita, ita perinde etiam quid ſibi velint, omnibus notum eſt: ſed multum id hodie quidem videtur obſcurum, exortis paſſim ſententiis, quæ Germanicæ libertati ac dignitati queant aliquando per eſſe noxiæ, imo jam tum haud leve dederunt detrimentum. Enimvero ex quo perſpicere hæc penitius aliquanto incepi, optavi identidem, ut quis, tenebris omnibus diſcuſſis, ſolem veritatis etiam hic ſpectandum iterum exhiberet. Verum dum aliorum operam circumſpicio & deſidero, ipſemet ego, neſcio qui, adigor invitus, ad ſuſcipiendum laborem illum, ut a vitæ genere ita ab animo alienum. Neque enim declinare licuit hoc negotium, neque non invitus potui id agere, quod ab artis medicæ ſtudiis, quibus me & vitæ ratio & munus Academicum adſtringit, toto pene, quod ajunt, cœlo remotum eſt. Fateor tamen, minus me neceſſitatis legi obluctatum eſſe, quod exiſtimaverim, horas illas ſucciſivas, quas hoc proximo tempore huic rei impendere debui, non male me collocaturum; quoniam, quicquid hoc eſt libelli, poſſit aliquando nimis (heu) afflictæ Germaniæ non inutile eſſe, vel ſaltem alios ad illuſtrandam veritatem incitare. Namque & no-

(a) *magnorum malorum cauſa*) De populi Romani judiciis *SIGONIVS de antiquo jure civium Rom. lib. 2. p. 137. ſeqq. SVETONIVS in Julio Caſare c. 12.* Illa enim provocatio juſtitiæ protrahendæ, imo eludendæ & tribunis plebis graſſandi occaſionem dabat, unde tot rempublicam Romanam invaſere mala. *DIONYS. HALICARN. antiquit. Romanarum lib. 8. c. 6. lib. V. c. XI.*

(b) *laudem promerentur*) Ibi enim ex ejusmodi ſocietatibus id, quod in regno, præſertim ferro acquiſito, aut ariſtocratia ex iis metui poſſet, non timendum eſt. Apud Spartanos & Cretenſes ſingulare fuit univerſitatis genus epularum cauſa, *συσσίτια*, ſive epulares conventus, *ἄνδρεια* Cretenſibus, *φιδίτια* Spartanis dicta, de quibus ARISTOT. *II. politic. VII. HERT. prud. civ. part. I. pag. 108.* agunt.

(c) *vi & armis*) Injuſta ſunt arma, quæ propter religionem inculcandam ſumuntur. In animum enim nonniſi Deus & rationes agunt; nec alii jus eſt, ut me cogat eandem ſecum de Deo habendi opinionem. *GROT. de J. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 45. ſeqq. Diſſert. mea de jure principis circa religionem.* Poteſt tamen Carolus M. a belli injuſti macula liberari, ſi dicamus, ſuſcepiſſe Germanicam expeditionem, ad Teutones vi compellendos, ut ad aliquale vinculum, quo Francorum regibus facti erant obnoxii, reverterentur. Imo Saxones Francorum fines igne & ferro male habuerant. Conf. *diſſert. mea de juribus procerum imperii majeſtaticis c. I. p. 15. 16.*

(d) *Getas eſſe Gothos*) Auctor noſter CLUVERII ſequitur ſententiam, cui etiam PONTANVS *in epiſtola ad Hugenium*, & *ANT. MATHÆVS in notis p. 147. 148.* nec non *VORBVRG F. I. p. 421.* adſtipulantur. Verior videtur opinio, Getas eſſe Gothos, ut *GROTIVS in proleg. hiſtor. Goth.* docet, quod & ex *SPARTIANO in Caracalla* circa finem, *HIERONYMO in commentario in Geneſin, OROSIO. JORNANDE & ISIDORI chronico pag. 730.* apud *GROT.* pateſcit. Conf. quoque *SARNIC. in annal. Polon. lib. 4. c. 5. & OLAI WORMII Danic. litter. cap. 4.* Argumentum, quod Gothi Germaniæ, Getæ Schytiæ gens dicantur, non exiſtimo magni eſſe ponderis; cum notum, omnes Celtas Schytas dictos. *STRAB. lib. VII. SCHED. de Dis Germ. p. 4.* Nec majoris momenti illud puto, quod habet *CLUVER. lib. 3 cap. 34.* Gothos eodem tempore non minus notos, quam Getas, & provinciis fuiſſe multum diſſitos. Etenim notum eſt, gentes illo tempore ex uno in alium, etiam maxime remotum, migraſſe locum, & cum parte, quæ ſæpe in prima remanebat ſede, idem ſervaſſe nomen, quod nonnunquam, ab iis, qui illos compellabant, ex errore, aut negligentia in una, aut alia litera eſt mutatum.

(e) *plena Monarchia*) Conferatur *diſſertatio mea de juribus procerum imperii majeſtaticis. Hoc Germaniæ regnum vere eſt & dicitur monarchicum, ſed ita, ut ab omni memoria & a prima ſua origine mixtum fuerit, ex populari, optimatium, & quæ deinde acceſſit, regio ſtatu. COCCEJVS in jure publ. c. 7. §. 8.*

noſtris hominibus arbitror ſuccurrendum, ne nominis illius Imperii Romani, quo nunc paſſim audit Germania, ancipite ſenſu decepti, ſequius de majeſtate patriæ ſuæ ſuſpicentur: & Romanorum Pontificum inſolentiam retundendam, qui, ut poſſeſſionem urbis Romæ, ita & jura poſſidendi, populo Germaniæ eripere allaborant. Quamquam enim ea ſit hodie Germaniæ miſeria, ut vix ſeſe domi ſuæ tueatur, imo tota fere abeat in ſolitudinem, tantum abeſt, ut de amiſſis alibi recuperandis poſſit hodie cogitare: etiam tamen nunc operæ eſt pretium, illa vetera animo repetere, ne paulatim per hæc mala illorum memoria obliteretur; fortaſſis etiam brevi ærumnis hiſce finem dabit clementiſſimum numen, & ad priſcam gloriam Germania reſurget. Quemcunque vero tandem uſum adferre hic meus labor poſſit, Tuæ illum Celſitudini, Sereniſſime Princeps, dedico, conſecroque: non quod dignus ſit, qui in tam illuſtrem conſpectum prodeat, ſed quod propter argumenti indolem haud alii quam magno alicui Germaniæ Principi, quique non ſtudeat tantum dignitati priſtinæ Imperii, ſed & jura ejus calleat, videatur offerendus. Et vero Celſitudinem Tuam dignitate inter primos eſſe Germaniæ Principes, ſtudio autem publici boni, ut & eruditione ac prudentia nulli eorum ſecundum, nemo eſt, qui ignoret. Ego ſane nullus dubito, neminem Germaniæ Principum accuratiore cenſura, quæ a me dicta ſunt, poſſe dijudicare. Sed veritus haud parum quoque ſum, ne, cum mei ordinis omnes Dominis ac nutritiis noſtris potiſſimum noſtra debeamus, dum exſpecto, donec grande aliquod opus, Celſitudine Tua non indignum, ex artis meæ ſacrariis depromam, nimis longa mora ſuſpectum me faciat neglecti officii. Sed & audaciorem fecit me illa benignitas, qua non tam id, quod offertur, quam offerentis animum ſoles ſpectare. Meum vero, in Celſitudinis Tuæ cultu, poſſum equidem nullo alio inferiorem polliceri. Deum veneror, Sereniſſime Princeps, ut quam feliciter recuperata Regia Tua Lycopoli annus hic Celſitudini Tuæ defluxit, ita proximus toti Germaniæ vel ſaltem hiſce terris integram ſuam reddat tranquillitatem. Ex Academia Julia X. Cal. Jan. Anno CIↃ IↃCXLIII.

BENEVOLO LECTORI

S. P.

Quem nunc edo libellum, benevole Lector, ad eum conſcribendum invitum me & præter animi ſententiam compulſum eſſe, non diſſimulabo. Artis enim medicæ negotiis occupato mihi parum profecto ſupereſt temporis adeo diverſa, ut curem. Sed & ea eſt hodie Germaniæ miſeria, ut de illius priſcis inſtitutis ac juribus cogitare (quod, fateor, ſummam aliquando voluptatem mihi attulit,) non poſſis ſine ingenti animi mœrore. Hic autem affectus cum & aliàs perpetuo fere quemvis bonum Germaniæ civem affligat, refugit profecto mens omne illud, quo ſibi duplicatum iri dolorem præſentit. Cæterum ex ſententia vivere non licuit mihi hoc tempore, & otio tantum medico frui, per injuriam inſignem, quæ tamen neſcio, vel quo auctore, vel ubi illata ſit. Biennium ſcilicet eſt, & quod excurrit, quum adoleſcens quidam libellum theſium de Imperatore Romano Germanico Academiæ hujus examini ſubmitteret, me præſide, ut loquuntur, defendendum. Profeſſus ille aperte erat ſemetipſum auctorem ſcripti, nonnulla tantum meis diſcurſibus deberi, reliqua aliunde eſſe deſumpta. Adjecerat corollaria, partim ad dignitatem Germaniæ facientia, partim ſapientia philoſophiam. Nihilo tamen minus inventus eſt ſuperiore anno, qui libellum iſtum meo nomine evulgaret, titulo præſcripto ſane inſolente, *Diſcurſus novi de Imperatore*; credo, quo pelliceret emptorem, & hedera ſuſpenderetur vino alias minus vendibili: utque lateret fucus, & ſuum & loci ſui nomen diſſimulavit typographus, corollariis aliisque præſectis. Id ſcriptum cum ante hos ſex menſes in manus meas incideret, obſtupui ſane, eo rediiſſe mores, ut quis tantum facinus fuerit auſus me vivo. Maxime dolui, quod ſuum locique ſui nomen ſubticente typographo, libellus raram adeo præ ſe ferens frontem, hac tempeſtate ſequiorem facile ſuſpicionem movere, & notam famæ meæ poſſit inurere. Graviter profecto momordit me hæc injuria; præſertim quum exemplo forte careat, nec pro merito queat vindicari. Neque vero ego aliud reſtituendæ in integrum exiſtimationi meæ (illam enim læſam crudo iſto ac ſuppoſititio fœtu non poſſum non credere) remedium potui excogitare, quam ſi ipſemet argumentum illud ſumerem pertractandum. Ita ego coactus ſum horas, quas proximis hiſce ſeptimanis potui ordinario labori ſuffurari, alienis illis ſtudiis impendere. Neceſſitati igitur obſecundans hunc libellum conſcripſi, ſimulque, ut adoleſcentiæ ſcholaſticæ, cui ſanos de republica etiam noſtra ſenſus a teneris inſtillare hercules oportet, eo rectius inſervirem, per partes bis produxi in palæſtram Academicam. Utinam vero tibi, lector, adeo accepta fuerit libri lectio, atque mihi moleſta fuit ejus ſcriptio! Certe, ſi quid hinc utilitatis ſperes aliquando in Germaniam noſtram redundaturum, & minus me pœnitebit hujus operæ, & injuriam illam æquiore animo tolerabo. Vale Lector & fave.

CONSPECTVS CAPITVM.

Cap. I.
Argumentum, quod tractandum eſt, proponitur.
II. *Imperio Romano totum terrarum orbem nunquam fuiſſe comprehenſum.*
III. *Nullo olim Jure ad Romanos Imperium totius Orbis pertinuiſſe.*
IV. *Romanum Imperium, exigua Italiæ parte excepta, poſſeſſione totius pene Occidentis excidiſſe, antequam dignitas ejus ad Carolum magnum eſt delata.*
V. *Jura recuperandi provincias amiſſas Occidentalis Imperii, non ſuperfuiſſe Romanis, quo tempore Carolum Cæſarem dixerunt.*
VI. *Quorum in poteſtate fuerint tandem ante Imperium Carolinum Occidentalis Imperii reliquiæ.*

VII. Per Imperatorium titulum Carolo Magno collatum eſſe hæreditarium dominium Romæ & omnis Patrimonii S. Petri.

IIX. Præter illud modo adſtructum dominium aliud nullum ad Francos cum Cæſareo titulo devenisſe: dignitatis tantum nonnihil pariter eos conſequutos.

IX. A Caroli usque ad Ottonis M. Imperium ne quidem Italiam Longobardicam, aut Germaniam, multo minus alias provincias Transalpinas fuiſſe partes Imper. Rom. habitas.

X. In Ottone Magno per Cæſareum titulum Germaniam accepiſſe imperium aliquod ſummum perpetuum in Urbem Romam, Papam, ac Patrimonium Eccleſiæ Romanæ.

XI. Præter illud Imperium, & qui hinc ſequitur Primatum, nihil neque dominii neque Juris a Romanis Germaniam accepiſſe.

XII. Germanicum & Italicum regnum, etſi Romani Imperii appellationem ſuſceperunt, urbi tamen Romæ nihil debere, ſed liberas eſſe Respublicas; nomenque illud Imperii Romani aliis de cauſis utrique eſſe inditum.

XIII. Imperii Urbis Romæ, & quæ inde pendent jura, etſi a Papa omnibus modis convulſa, etiamnum tamen ad Germaniam pertinere.

CAPUT I.

Argumentum, quod tractandum eſt, proponitur.

§. 1.

Magnam Italiæ partem, cumprimis vero Germaniæ pleraque, Imperii Romani nomine uſurpari, quique rex eſt Germaniæ atque Italiæ eundem & *Cæſarem audire*, (a) nemo eſt, qui neſciat. Unde vero id nominis huc, & quidem huc ſolum, translatum ſit, porro quo jure quave injuria id fiat, haud perinde videtur cognitum.

§. 2. Neque enim deſunt, qui Romanum Imperium dudum *interiiſſe* (b) cenſeant, adeoque omnes hoſce titulos inanes eſſe arbitrentur: alii vero Imperium illud nonniſi cum hoc mundo *perire poſſe pertendunt*; (c) & licet hodie anguſtis admodum terminis ſit circumſcriptum, ſupereſſe tamen etiamnum Germaniæ atque Italiæ jura integra non tantum ad recuperanda Imperii veteris amiſſa, verum etiam ad totum orbem terrarum occupandum. Vid. appendic. Beſoldi ad Campanellæ Monarch. Hiſpan. *pag.* 368.

§. 3. Nonnulli, utut largiantur, quæ dudum amiſſa ſunt, in illa nihil etiam juris amplius cuiquam eſſe, multo minus univerſi orbis imperium hodie ulli competere, Germaniam tamen jure optimo non in titulos tantum, verum in omnia etiam Romani Imperii jura, ſi quæ ſunt, *ſucceſſiſſe*. (d) Quæ ſententiæ immane quantum diſſident. Nec tamen de re levi controverſia eſt: ſed de rebus publicis, ſive priſca, ſive noſtra videas tempora, omnium clariſſimis & potiſſimis.

§. 4. Namque veteri quidem Romano Imperio nihil olim auguſtius fuiſſe certum eſt: Germania quoque citra controverſiam a plurimis ſeculis *Chriſtiani orbis princeps* (e) habita eſt. Multum etiam refert; num totus orbis hodieque Germaniæ parere jure debeat, perque injuriam regna alia imperium ejus detrectent; an vero Germaniæ jura ejusmodi nulla competant. Nam ſi prius dixeris, licuerit aliquando armis vindicare, quod per injuriam negatur: ſi poſterius, belli nulla cauſſa fuerit. Itaque utrum verum ſit, haud parum vel ad movendum, vel ad tranquillandum terrarum orbem facit,

§. 5.

(a) *Cæſarem audire*) GROT. *de J. B. & P. lib. 2. c. 9. §. 11. n. 4.* LIMN. *in J. P. lib. 1. c. 7.* SCHWEDERI *J. publ. part. gener. c. 4. §. 16.* OTTON. *J. P. c. 5.* BOECKLER. *in diſſert. de S. R. I.* contra BLONDELLUM. Vide tamen de ea judicium THOMASII *in notis ad Monzambano p. 50.*

(b) *interiiſſe*) *MONZAMB. de ſtatu imperii german. c. 1. & ad eum* KULPIS & OBRECHT.

(c) *perire poſſe pertendunt*) Sunt potiſſimum illi, qui ſibi de quatuor ſummis imperiis perſuadent, quorum ſententiam cum auctore noſtro refellunt BODINUS *in methodo hiſtor. c. 7. HYPPOL. a LAPIDE de ratione ſtatus imperii c. 18.* ubi locus Danielis examinatur. Nos infra de hac quæſtione dicturi ſumus.

(d) *ſucceſſiſſe*) *Neſcio, quam ſurrogationem hujus imperii in illius locum ſibi confingunt, cum tamen ſatis notum ſit, Germaniam magnam, i. e. trans-Rhenanam totam maxima temporis parte fuiſſe extra complexum Rom. imperii*, GROTIUS *de J. B. & P. lib. 2. §. 11.* MONZAMBANO *c. I. §. 14.*

(e) *Chriſtiani orbis princeps*) FURSTN. C. LEIBN. *præfatio ad tract. de jure ſuprematus, & ad cod. diplomat.* RUMELIN. *ad Aur. B. part. 3. diſſ. 1. §. 7. & ad eum addit.* Communi quaſi gentium conſenſu. Inter Principes enim æque independentes neuter ſibi præ alio priorem vindicare poteſt locum, quia vivunt in ſtatu naturali, ut æquales. Nec opes & potentia hic prærogativam, quoad dignitatem & priorem locum, dant. Nam eæ cadunt etiam in minus dignos. Neque animi aut corporis dotibus eminentioribus hoc adſcribi poteſt. Quem pares enim hic alium haberent judicem, quam ferrum, quod medium terminandi controverſias fallaciſſimum & rebus humanis maxime noxium eſt; imo, quæ alicui abeque ſua culpa abſunt, alteri prærogativam dare non poſſunt. Sed, ais, indignior eſt, qui animi aut corporis dona excolere negligit; ſed quis de hoc neglectu inter pares, qui præter Deum nullum habent ſuperiorem, judex erit? Arbitrum hic facile nemo admittit, & eſt deinde penes ipſum, an arbitri ſententia ſtare velit, niſi ad hoc pacto ſe obſtrinxerit; imo licet hoc fecerit, elabendi tamen rationes non deerunt, prætexendo, aut ex vero ſtatuendo, arbitrum non, ut par eſt, officio ſuo functum, & ſic demum, ſi pacis non placent conſilia, negotium armis erit committendum. Igitur omne jus prœdriæ inter pares ex conſenſu eſt. Quod Grotius tradit, inter eos, qui ſocietatem aliquam ingrediuntur, illum obſervari ordinem, ut poſterior adveniens cedat priori, non ex lege naturali, ſed ex poſitiva eſt, aut pacto. Id enim ſæpe a caſu aut cauſa, cujus effectus agenti non poteſt imputari, dependet, & ſic alteri dare non poteſt jus præcipui. Neque puto veterem Romam præ nova eminentius ſibi tribuere potuiſſe jus. Eſt enim penes Principem, in quo ſibi ſedem figere velit loco, & ſi ex uno in alium eam transferat, nova ſedes primarius incipit eſſe territorii locus, propter perſonam principis, quam continet; præſertim ſi eadem cum alio ipſi indulgeantur jura & privilegia. Cumque deinde diviſio in orientale & occident. imperium exoriretur, non apparet, occidentali præ orientali prærogativam aliquam eſſe attributam; imo Roma ne quidem pro imper. occid. capite ſeu imperatoria ſede amplius habita. Denique quod de filiæ reverentia, matri debita, traditur, in civilibus non æque procedit. Quanquam non ignorem, imperatores noſtros, ut ſibi præ Græcis locum vindic., ad veter. Romam provocaſſe. Atque ita non demum Guſtavi Adolfi magni, Suecorum regis inventum eſt, ut aſſerere videtur Terlonius, omnes, qui gentibus ſummo cum imperio præſunt, inter ſe eſſe æquales, niſi expreſſo aut tacito pacto aliud placuerit.

§. 5. Indubie igitur operæ facturi pretium ſumus, ſi, quid in adeo diſſidentibus ſententiis aut veri aut falſi inſit, exponamus. Magna enim errorum vis eſt, & ſacer morbus eſt opinio, neque aliud quicquam ita exagitat humanum genus: eoque optima laborantis mundi medicina errorum excuſſio eſt.

§. 6. Ceterum in jura Romani Imperii, ſi quod hodie ſupereſt, inquirere haud licet, niſi ante perſpectum habeas, quæ olim Imperii illius, quando illud citra controverſiam adhuc viribus ſuis ſtabat, fuerit ratio. Ita enim demum fiet manifeſtum, in quæ jura ſucceſſerit Germania; ſi ſucceſſit unquam, nec ſine cauſa hodie id nominis ſibi uſurpat.

§. 7. Initio igitur videndum, quæ terræ aut qui populi olim in ditione fuerint Romana, tum quo jure illi populi Romanis paruerint, numve aliquod jus illis fuerit in reliquas gentes liberas. Inde porro inquirendum, quid eorum, quæ olim poſſederunt, amiſerint Romani, numve ſimul amiſſorum recuperandorum jure exciderint. Hiſce etenim in anteceſſum expoſitis, haud amplius difficile adeo fuerit, propoſitam quæſtionem expedire, & abſtruſæ controverſiæ lucem aliquam commodantes veteris novique Romani Imperii rationem exponere. Appellamus autem vetus, quale illud fuit ante Carolum Magnum, hoc eſt, ante annum Chriſti octingenteſimum, quo tempore Cæſareo titulo *ad Germanum hominem delato* (a) nova quaſi cœpit Imperii Romani forma.

CAPVT II.

Imperio Romano totum terrarum orbem nunquam fuiſſe comprehenſum.

§. 1.

Totum terrarum orbem olim imperio ſuo Romanos continuiſſe, & antehac viri quidam magni aſſeruerunt, & nunc etiam nonnulli *pertendunt.* (b) Et vero adeo id ipſis ſacrarum literarum dictis conſentaneum eſſe nonnullis creditum, ut hæreſeos infamia notare haud dubitaverint eos, qui diverſum ſentiant. Vid. H. Grot. de J. B. & P. *lib. II. c. 22.* §. 13. Barclai contra Monarchom. *c. X. p.* 715. ubi Bartoli in hanc rem verba adducit.

§. 2. Neque negari poteſt, diſerta eſſe ſanctiſſimi Evangeliſtæ verba: *ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.* Sed & Marcus Tullius ita olim ſcripſit: *Nulla gens eſt, quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix extet; aut ita domita, ut quieſcat; aut ita pacata, ut victoria noſtra imperioque lætetur.* Quin vulgati olim ſermones fuere: *Romam mundi caput,* (c) *Romanos rerum dominos.* Martialis:

Terrarum Dea gentiumque Roma.

Petronius Satyrico:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terra, qua ſidus currit utrumque.

§. 3. Nec aliter Græci loquuti ſunt. Dionyſii Halicarnaſſæi verba ſunt L. I. cap. III. *Romanorum urbs toti imperat terræ, quæ quidem non eſt inacceſſa, ſed ab hominibus habitatur. Imperat vero & toti mari, non illi tantum, quod intra Herculis eſt columnas, ſed & ipſi Oceano, quacunque eſt navigabilis. Prima & ſola earum, quæ ab omni ævo memorantur, Orientem & occaſum dominii ſui terminos effecit.* Aliquot poſt Dionyſium ſeculis in Ægypto cecinit Claudianus de Roma: *Ar-*

(a) *ad Germanum hominem delato*) Germani ex loco natali Carolum Magnum ſuæ vindicant genti. Aliqui, natalia ſua Carolum Carlsbergo caſtro, ad Wirmi lacum ſito, deberi, aſſerunt: AVENTINVS *annal. lib. 3. & 4.* Sed huic ſententiæ non majorem fonte, quam eis, quæ WOLTERVS *in chron. Bremenſi tom. 2. MEIB. pag. 20. 24.* de nativitate illius fabulatur, ineſſe fidem, monet HAHN. *in hiſt. imperii tom. I. p. 16.* Nec ſolus TVRPINVS circa ea, quæ ad Carolum attinent, orbi figmenta obtrudere auſus eſt. Communior eſt opinio, in arce Ingelheimio hunc principem in lucem eſſe editum. GODEFR. VITERB. *Panth. part. 17. p. 443.* quem deinde LVPOLDVS *de jure regn. & imper. Rom. c. 3. p. 173. apud SCHARD. in ſyntagm. de jurisdict. imper.* & alii ſecuti ſunt. Notari merentur, quæ FREHER. *origin. palat. part. 2. p. 46.* habet: *Quin & incolis loci hodiernis id adeo perſuaſiſſimum habetur, malum, ut etiam apud eos gratiam initurus ſit, qui vel leviter in dubitationem id vocare conetur, quorum & vix ullus non uni ex filiis ſuis Caroli nomen in ſacro fonte indere pro reverentia illius Semonis conditoris ſui ſolet.* Verum Ingelheimium primum a Carolo eſſe conditum, tradit EGINHARTVS *in vita ejus,* & WANDALB. *in libello de miraculis S. Goaris.* Vid. MABILLON *de re diplomatica lib. 4. p. 287. & ſec. 2. Bened. p. 292.* Sunt, qui ex tabulis donationis apud BROWER. *in antiquitatibus Fuldenſibus lib. 3. c. 12. THOM. REINES. lib. 2. variar. lect.* locum Caroli natalem expiſcari nituntur: vocat enim ille ibi totam eam provinciam, circa flumen Unſtrudt, terram conceptionis ſuæ: Sed utut terra illa locus ejus conceptionis ſit; differt tamen a loco nativitatis, quem ANT. PAGI *t. 3. critica Baroniana p. 255. 480.* in Gallia, forte Lutetiæ, aut prope eam, ut opinatur MICH. GERMANVS, quærendum eſſe, ſtatuit; MABILLON. autem *in ſupplem. lib. de re diplomatica c. 9. p. 39.* cum MONACHO S. GALLI *in lib. 2. de ejus vita c. 30.* Aquisgranum Caroli ſolum natale appellat. Sed ut verum fatear, non eſt res magni momenti, locum illum inveſtigare, qui nec Eginhardo cognitus fuit. Solus enim nativitatis locus diverſæ a paterna nationi aliquem haud quidquam inſerit, ſed ſolet quis illi accenſeri genti, ubi pater fortunarum ſedem habuit. MONZAMB. *c. 1.* §. 6. Nec rationibus Germanorum obeſt, ſi ſuæ Carolus annumerari nequeat propagini; nam id præſenti eorum imperio haud quidquam fraudi eſſe poteſt, & quisquis in regem gentis cujusdam eligitur, jus civitatis illius regni conſequitur. COCCEJ. *in J. publ. c. 8. §. 3.* De cetero Carolus M. Germanorum maximæ parti jure victoriæ, cui deinde pactum acceſſit, imperavit.

(b) *pertendunt*) Nobis jam inſtar omnium ſint ALIGHERIVS *de monarchia lib. 2.* apud SCHARD. *l. c. p. 87. ſqq.* ALBERICVS, qui omnes nationes de jure imperatori ſubeſſe dicit, & BALD. *in proœm. digeſt.* Modeſtius loquitur PERIZON. *in differt. de præcipuis diminuti imperii Romani cauſis: quod totum ſibi pene terrarum orbem tunc ſubjecerit.* Catalogum doctorum, qui imperatori dominium totius orbis addixerunt, exhibet ARNISÆVS *de jure majeſt. lib. 1. c. 2. n. 2.*

(c) *mundi caput*) Hinc profluxit haud dubie id, quod in altero latere aureæ bullæ, unde Carolina ſanctio nomen habet, legitur: *Roma caput mundi regit orbis fræna rotundi.* RVMELINVS *ad A. B. p. 4.*

Armorum legumque parens, quæ fundis in omnes
Imperium. Item: *parvaque a ſede profecta*
Diſperſit cum ſole manus.

Neque vero Cæſares jam tum Chriſtianiſmo, imbuti adeoque ad modeſtiam majorem compoſiti dubitarunt *mundi ſeſe dominos* (a) appellare: quin titulus hic reperitur hodieque in Actis Concilii Chalcedonenſis *act. XI. ac XII.*

§. 4. Ceterum vix ſextam partem mundi tunc cogniti intra imperii Romani ambitum olim fuiſſe, certiſſimum eſt: vid. Marq. Freheri not. ad P. de Andlo p. 186. Arniſæ *de Jure maj. pag.* 31. Tantum abeſt, Americam, plurimasque Oceani inſulas, aliaque nuper demum Europæ cognita illi paruiſſe. Sane *Auguſto imperante* (b) ab oriente intra Euphratem, a meridie intra Nili cataractas, deſerta Africæ, & montem Atlantem, ab occidente Oceano, a ſeptentrione Danubio & Rheno amnibus incluſum fuit. Adjectæ poſtea quidem nonnullæ provinciæ, ut Claudio Cæſare *Britannia* (c) in ipſo Oceano, *Trajano* (d) Arabia, Armenia, Meſopotamia, Dacia: verum ne ſic quidem *omnia occupata.* (e)

§. 5. Quodque cumprimis hic meretur expendi, Germania univerſa nunquam vel ad breve tempus Romanis *paruit.* (f) *Cis-rhenana* (g) ſola conſtanti imperio a Romanis detenta: Transrhenanæ quod ad Albim usque porrigitur Auguſti Tiberiique auſpiciis ſemel iterumque invaſum quidem, mox tamen iterum in libertatem vindicatum eſt; ſolis Rheno proximis populis, Friſiis, Uſipiis, Tencteris, *Jubonibus*, (h) Mattiacis, & his conterminis Alemannis nonnihil diutius dominatui Romano ſubditis. Reliquum omne infeſtis armis ne quidem tactum fuit. Quæ multis probare in tanta literarum luce fuerit ſoli facem mutuari. Itaque inutili labori ſuperſedebimus.

§. 6. Nec vero quem moverit illud Lucæ Evangeliſtæ, qui ejusmodi αὐξήσεις novit per tum fuiſſe ſacro etiam populo familiares. Eadem ſcilicet loquendi libertate in ſacris codicibus *omnia bona Damaſci* dicuntur varii generis divitiæ ejus urbis. Similia alibi plura reperias paſſim. Eſt vero & certiſſimum, optimam habitabilis orbis partem adeoque florem ipſum totius orbis, Auguſti ævo, Romani Imperii finibus incluſum fuiſſe: ut merito jure potuerit pars illa eximia totius nomine venire, licet vere pars tantum fuerit univerſi. Quo liquet, non multum adeo olim a rigido & duro veritatis ſermone receptum paſſim loquendi morem receſſiſſe: utut vero ille non omnimodo congruerit.

§. 7.

(a) *mundi ſeſe dominos*) De titulo domini vid. *BULENG. de imper. Rom. lib. 1. c. 32.* & de titulo dominus mundi PETRUS *de* ANDLO *lib. 2. de imperio Rom. c. 8.* Conſtantius in baſi obeliſci vocatur dominus mundi; & apud AMMIAN. MARCELLIN. *lib. 15. c. 1. l. 19. c. 2.* legitur: *noſtris virtutes Conſtantii Cæſaris extollentibus, ut dominum rerum & mundi, quo ille ſtudio adulationis ſublatus, ipſe dictando ſcribendoque propria manu orbis totius dominum ſe appellavit. Idem lib. 23. c. 3.* de Juliano teſtatur, quod *eum Saracenarum reguli gentium genibus ſupplices nixi, oblata ex auro corona tanquam mundi nationumque ſuarum dominum adorarunt*; quanquam hic Chriſto jam tum repudium miſiſſet. Ceterum ſeculo II. illum titulum, ab imperatoribus Romanis, jam tum fuiſſe adhibitum, Antonini pii reſcriptum ad Antoninum Eudæmonem docet, quod *L. 9. ff. ad Leg. Rhod. de jactu*, ubi ſe vocat mundi dominum. Igitur niſi ZIEGLERI verba *in comment. ad GROT. lib. 2. c. 22. §. 13. Jam inde a Lotharii Cæſaris temporibus titulum hunc tribuiſſe Romanis imperatoribus, ad Germanicos reſtringamus*, a veritate aliena erunt; quamvis non affirmaverim, imperatores noſtros, Lotharium Saxonem antecedentes, ab hac plane immunes fuiſſe adulatione. WIPPO in vitæ Conradi Salici dedicatione hæc habet: *Glorioſiſſimo imperatori Henrico* III. *regi ad pacem & bellum idoneo, Wippo Dei gratia presbyter ſervus regalium ſervorum, hujus orbis domino dominantium.* Inter ſucceſſores ejus Friderico I. legati Adriani pontificis anno 1158. hoc modo loquebantur: *Salutant vos univerſi cardinales tanquam dominum & imperatorem urbis & orbis. RADEV. lib. I. c. 22.*

(b) *Auguſto imperante*) *TACIT. lib. 4. annal. c. 5.*

(c) *Britannia*) *SUET. in vita J. Cæſaris c. 47.* Cæſar eam tentavit, ſed non occupavit, & ſi fas eſt, ſcriptoribus Anglicis fidem haberi, a Britannis pedem referre, compulſus eſt. *HENR. HUNTIGDONENSIS lib. I. hiſt. JOH. ASSER. annal. p.* 141. apud GALE. Imo ſcriptorum horum fidem firmant, quæ TACIT. *lib. 12. annal. c. 34.* de Caractaco enarrat, eum ante prælium cum Romanis, majorum, qui dictatorem Cæſarem pepuliſſent, nomina vocaſſe, & quæ LIBAN. *lib. 2. v. 698.* de Cæſare habet: territa quæſitis oſtendit terga Britannis. Claudio magis ex voto res fluebant, quod maximam partem gentis discordiis, & motibus domeſticis adſcribendum videtur.

(†) *perdomita Britannia & ſtatim miſſa*) *TACIT. lib. I. hiſt. c. 2. repentina defectio provinciæ nunciatur. TACIT. lib. 14. annal. c. 30.* Redire tamen ad obſequium coacti, & ſub Romanorum dominio usque ad annum a Cæſaris ingreſſu quingenteſimum fuerunt. Poſtea autem *Theodoſio juniore imperante Romani tranſvectis ad Galliam defendendam legionibus, & defoſſis theſauris Britanniam, ſua juventute crebris delectibus exhauſtam, omnique præſidio nudatam Pictorum & Scotorum immanitati reliquerunt.* Contra quos Anglo Saxones in ſubſidium vocati, regno tandem potiti ſunt. CAMBDEN. *in Britannia p. 65. Chron. Anglo-Saxon. a GIBSON. in lat. lingu. transl. p. 12.*

(d) *Trajano*) XIPHILINUS in Gallicum idioma a CAUSINO traductus, *p. 259. ſeqq. 300. ſeqq.*

(e) *omnia occupata*) Perſarum, Indorum, Parthorum, Schytarum, aliarumque quamplurimarum gentium latiſſime patentes regiones Romanis non ſubfuerunt; quanquam Parthi nonnunquam a Romanis laceſſiti ipſis inæquali obnoxii facti ſint fœdere, aut ſaltim ad tempus paruerint, Romanorum jugo mox iterum excuſſo; quod & de pluribus aliis gentibus, quæ communiter inter Romanorum ſubditos referuntur, dicendum.

(f) *paruit*) *BEBELIUS de laude, antiquitate &c. vet. Germ.* apud *SCHARD. p. 117.* Sæpe Romanorum victoriæ, a Germanis reportatæ, figmenta fuerunt. *SUETON. in Caligula c. 43. ſeqq.* & majores noſtri non tam victi, quam triumphati fuerunt. Germanici æque ac Parthici nomen ob leve etiam damnum hoſtibus illatum, aut ad unam duntaxat urbem expugnatam, ſumebatur. XIPHILINUS *in hiſtor. Rom. ad ann. 116. p. 305.*

(g) *Cis-rhenana*) *AMMIAN. MARCELLINUS lib. 15. & DIO lib. 53.* Complectebatur autem Germaniam primam ſive ſuperiorem, quæ, ut ex ANTONINI PII itinerario conſtat, metropolin civitatem Moguntiacenſem, civitatem Argentoratenſium, civitatem Nemetum, i. e. Spiram, civitatem Vangiorum, i. e. Wormatiam, continebat. Vid. *LEHMANNI chron. Spir. lib. 1. c. 9.* & ſecundam ſive inferiorem, cujus duas tantum civitates, Coloniam Agrippinam nimirum & Tungros, refert. Confer BUCHERIUM *in Belgio Romano lib. I. p. 29. CLUVER. in Germ. antiqua lib. 2. c. 38. OBRECHT. in prodr. rer. Alſatic. c. V. circa finem.*

(h) *Jubonibus*) *TACITUS annal. lib. 1. c. 51. lib. 13. c. 56. in germ. c. 32. CLUVERIUS in germ. antiq. lib. 3. c. 8, 10, 4.*

§. 7. Neque enim, ſi accurate loquendum, niſi pars orbis terrarum Romano Imperio unquam occupata eſt. Scilicet, ut totius nomine pars potiſſima veniat, vulgaris eſt *loquendi conſuetudo.* (a) Ac proinde non aliter quoque loquutus eſt ſanctiſſimus Lucas. Neque enim ſacrarum literarum ſermo abit ab eo, quod tunc in vulgus ſuetum; habetque ergo & αὐξήσεις ſuas & μειώσεις. Sed & familiare ipſis eſt οἰκουμένης voce nunc *Judæam*, (b) nunc aliam aliquam late porrectam regionem appellare. Quod obſervans Hieronymus: *Nomen terræ,* inquit, *etiam cum addita particula omnis, reſtringi debet ad eam regionem, de qua ſermo eſt.*

§. 8. Verum hæc, quum neminem temere lateant, hodie paulo doctiorum, non eſt, quur vel verbulo amplius oſtendamus, quam inepte quidam eſt illis Evangelii, aliorumque Romanorum verbis, vere totum terrarum orbem dominio Romano paruiſſe aliquando, colligant.

Caput III.

Nullo olim jure ad Romanos imperium totius orbis pertinuiſſe.

§. 1.

Sed fortaſſis in omnem mundum occupandi aliquod Jus Romano populo fuit: adeoque per injuriam nonnulli populi imperium ejus olim detrectarunt. Sicut Ariſtidi Rhetori *miſeratione digni* viſi, *qui imperio Romano non ſubjacebant, ut qui bonis maximis deſtituerentur.*

§. 2. At cum omne jus vel æternum ſit, vel poſitivum, atque vel ab ipſo Deo, vel ab hominibus profluxerit, nihil autem horum pro univerſali illo dominatu Romano valeat, quid de jure illo ſit ſentiendum, manifeſtum eſt. Franc. Victoria *Relect. V. de Indis n.* 1. Vid. omnino Sutholt. *de Jurisdict. th.* 22. *&* 25. *corollar. ad Diſſert.* 6. Certe poſitivum ejusmodi aliquod jus ſive divinum, ſive gentium, ſive civile nullum reperitur. Non divinum: id enim humano generi non potuit innoteſcere, niſi unius Dei revelatione, hic autem nihil hujus nos docuit per Prophetas, per Apoſtolos, per Apoſtolicos viros, quibus ſolis internunciis uſus eſt. *Non gentium:* (c) nunquam enim omnes populi in id convenerunt, imo plerique acerrime Romano Imperio reſtiterunt, nonniſi maximis cladibus domiti: pauci ultro ſeſe & ſua Romanis dediderunt, aut in eorum ſocietatem cupide libereque conceſſere.

§. 3. Ne Romanus quidem populus tale aliquod jus *condidit:* (d) ut nec condere potuit quidquam, quod liberos populos extra civitatem ſuam obligaret. Jam ſi quod eſt perpetuum Dei vel *naturæ jus,* (e) id nonniſi ratiocinatione ex firmis ac æternis naturæ *notis principiis* (f) deductum a nobis intelligitur. Et tamen hoc modo tale Romani populi jus vel veroſimile non poteſt reddi.

§. 4. Nec vero Dantis Aligerii *aliorumque* (g) argumenta, quibus Imperatori tale jus adſcribere conatur, quia expediat humano generi ſub uno imperio eſſe, ullius ſunt momenti, vid. Marth. de Jurisdictione *part.* 1. *cap.* 20. *&* 21. Ut enim illud fuerit utile, non ſequitur tamen, illud imperium *ad Romanos pertinere.* (h) Quur enim hi potius imperent omnibus quam alii? Nec ſola utilitas jus dat imperandi, niſi omnia imperia deteriorum in meliores injuſta ſint.

§. 5. Ut porro etiam humanum genus in vere *unam rempublicam* (i) coeat, ἀδύνατον eſt. Neque id expedierit illi, quales ſunt res humanæ, quum ab uno commode tam vaſtum ſpacium regi ne-

(a) *loquendi conſuetudo*) *Ex ſuperioribus apparet, non orbem terrarum, totus quantus is eſt, hic accipiendum, quæ alioquin aſaniæ ſunt & intemperiæ quorundam interpretum; verum proprie & limitate ad orbem Romanum per ſynecdochen integri. Quomodo & in ſacra ſcriptura paſſim mundi appellatio latitudine quadam œconomica effertur, quia ſcilicet Romanum imperium latiſſime diffuſum mundi & orbis & οἰκουμένης appellatione veteres deſignavere. JAC. GOTHOFRED. de imperio maris c. 7.*

(b) *Judæam*) *GROT. lib.* 2. *c.* 22. *§.* 13.

(c) *non gentium*) Peculiare & a jure naturali diſtinctum non dari jus gentium, conſtat; quicquid etiam in contrarium ſentiat GROTIVS *de J. B. & P. lib. I. cap.* 1. *§.* 14. cum una gens alteri non ſit ſuperior, & ſic una alteri non poſſit præſcribere legem, *HOBBES de cive cap.* 14. *§.* 4. *PVFFEND. de J. N. & G. lib.* 2. *c.* 3. *§.* 23. Pactis autem populos, ut Romano imperio ſubeſſent, ſe obſtrinxiſſe, contra omnium annalium fidem, imo genii humani & gentium indolem pugnat.

(d) *condidit*) Si condidiſſet, abſurdum fuiſſet. Lex enim nullum obligat, niſi ſubditum; ſubjectio autem civilis venit ex pacto.

(e) *naturæ jus*) Jure naturali omnes homines ſunt æquales, quanquam ſocietates civiles ei non repugnent; ſed ab illo, quod tantopere de humani generis conſervatione & utilitate ſollicitum eſt, commendentur; Aſt unum omnes regere, nec utile eſſe humano generi, nec poſſibile, ipſa recta ratio novit, & facile concedet is, qui cognitum habet, quam arduum ſit, cuncta, in uno ſaltem territorio, regendi onus. Neque enim imperium & obſequium aliunde exoriuntur, quam ex pacto, & victor, quamdiu nec expreſſe, nec tacite cum devictis pactus eſt, cum ipſis in ſtatu vivit hoſtili.

(f) *notis principiis*) Hæc egregie inprimis commentariis ſuis GROT. PVFFEND. & THOMASIVS illuſtrarunt, quamvis in non paucis a ſe invicem diſcrepent.

(g) *aliorumque*) Miror huic cœtui etiam *PECKIVM ad leg. Rhod. de jactu* ſe junxiſſe, quem refellit VINNIVS in notis.

(h) *ad Romanos pertinere*) *GROTIVS de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 22. *§.* 13. Nam commoda, quæ adfert, ſuis compenſantur incommodis. Vid. *GRONOV. in notis ad Grotium,* & *SCHOCKIVS de majeſtate p.* 31. 32. Id quod mihi videtur commodum, non etiam ſemper eſt juſtum & utile in ſe.

(i) *unam rempublicam*) Impoſſibile enim eſt, tot gentes genio, lingua, moribus & tantis terrarum ſpatiis a ſe invicem diſtantes unius regi imperio. Notum eſt, populos quam maxime peregrinum averſari jugum, & quando commoda ſe offert occaſio, illud ab humeris ſuis propellere. De republica Chriſtiana, quam Henricus IV. meditatus eſt, conſulendi ſunt Ducis de SVLLII *commentarii,* & quæ ex iis PEREFIXIVS *in hiſtoria Henrici IV. p.* 465. *ſeqq.* deſumſit: plura tamen hic debebant eſſe unius ſyſtematis corpora & capita. Apparet hoc Henrici IV. propoſitum, quod nonnullis commentitium videtur, ad potentiæ domus Auſtriacæ diminutionem tetendiſſe. *Hiſt. de Louis XIII. par le VASSOR. tom. I. lib. I. pag.* 11.

nequeat. Certe Ariſtoteles, vir, ſi quis alius, *πολιτικώτατος*, intra anguſtos limites beatam rempublicam coercet: tantum abeſt, ut totum mundum crediderit feliciter ad unum ſceptrum adſtringi. vid. Fern. Vaſq. *Controv. illuſtr. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 34. 35. ubi oſtendit, *mundum omnem non poſſe una republica regi.* conf. Schock. *lib. de majeſtate* §. 22. Et vero ut navis cujusque aliarumque rerum: ſic & civitatis certa eſt magnitudo, quam ſi excedat, non amplius id eſſe poteſt, quod debebat.

§. 6. Ipſe ſanctiſſimus vir Auguſtinus *Lib. IV. de civ. Dei cap. XV.* affirmat, *feliciores futuras res humanas, ſi omnia regna parva eſſent, concordi vicinitate lætantia.* Habent magna imperia ſuos uſus, at quæ totidem imo pluribus longe damnis compenſentur. Ipſum illud Romanum Imperium *magnitudine ſua laboraſſe*, cenſuit *Titus Livius*, (a) prudentiſſimus vir. Add. Grot. *de jure bell. & pac. lib.* 3. *cap.* 15. Nec alio forte ſpectavit Auguſti conſilium *coercendi intra terminos Imperii*: utut Tacito (*) *incertum* viſum, *metu an per invidiam* ita ſit judicatum.

§. 7. Non potuit vero natura imperium in omnes tribuiſſe Romanis, ſi & illa parvitas oneri fuit. Verum hac de re operoſe agere non eſt hujus inſtituti. Abunde enim etiam ſic liquet non æterna naturæ lege, non arbitraria vel Numinis cœleſtis, vel gentium omnium conſtitutione Romano populo in omnem mundum quidquam juris eſſe conceſſum.

§. 8. Iisdem vero argumentis probare licet haud difficulter, nulla tali lege Romanos præ aliis populis in occupanda vel minima terræ parte ſingulare aliquod jus habuiſſe. Neque enim ex ſacris literis conſtat nobis quidquam de divino aliquo tali inſtituto: neque hiſtoriæ nobis produnt gentium omnium ejusmodi quem conſenſum: neque licet firmis rationibus ex naturæ principiis arceſſitis iſtiusmodi quid perſuadere.

§. 9. Habemus vero hic & confitentes ipſosmet Romanos: nusquam enim legas, alios titulos aut alia jura imperio ſuo unquam prætexuiſſe, quam quibus alias vulgo acquiritur aliquid aut poſſidetur, jus ſcilicet belli, fœdus, donationem, derelicti occupationem, ac id genus alia. Certe ſibi divinitus aliquid præ aliis datum nunquam præ ſe tulerunt: quale quid tamen a *Muhammede* (b) falſo jactitatum, Hebræis vero olim in ea, quæ ab Ægyptiis *commodato acceperant*, (c) & Cananæorum terram vere fuiſſe conceſſum, notum eſt, de Tartaris narrat Haithonus *cap. XVI. & XVII.* de Mexicanis Joſephus Acoſta *Hiſtor. Americana lib. VII.* de aliis gentibus ab aliis memoratur.

§. 10. Apud Salluſtium *in fragmentis p.* 135. Mithridates cauſſas bellorum Romanorum his verbis perſtringit: *Romani arma in omnes habent, in eos acerrime, quibus victis ſpolia maxima ſunt.* Item: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una & vetus bellandi cauſſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* Querelam Demetrii Illyriorum regis vid. in Juſtin. *lib.* 29. *cap.* 2. & ibi Bernegg. Galgacus apud *Tacitum*: (d) *Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terra, & mare ſcrutantur, Si locuples eſt hoſtis, avari; ſi pauper, ambitioſi; quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit.*

§. 11. Verum hæ voces, ut hoſtiles minus forte merentur fidem: neque vero probaverim illud Carneadis, quod ex Cicerone refert Lactantius *l. V. inſtitut. c. XVII.* ſi juſtitia ſit obſervanda Romanis ad caſas redeundum fuiſſe: ne ipſi tamen Romani omnia ſua bella juſtis de cauſſis ſuſcepta eſſe, auſi olim ſunt prædicare. De Sardinia Carthaginenſibus erepta, contra quam convenerat, jam olim conqueſtus eſt Polybius, gravis ſcriptor, & qui in Romanis caſtris vixit. Et Petronius Arbiter in Satyrico:

- - - Si quis ſinus abditus ultra
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat: fatisque in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Conf. Salluſt. *Bell. Catilinar. in pr.* ubi urbis Romæ initia, priſcam ſanctimoniam & in pejus mutatos mores plenius deſcribit. Principium hujus mutationis ad tempus deletæ Carthaginis refert Vellej. Paterc. Hiſtoriæ Rom. *lib. II. cap. I.* De injuſtitia armorum Romanorum vid. Minut. Felic. diſſertata *pag.* 17. *Edit. Elmenhorſt.* Artur. Duck. de juris civilis auctorit. *lib. I. cap. I.* Et tum injuſtitiam tum juſtitiam bellicam Romanorum luculentius oſtendit *Albericus Gentilis* (e) JCtus duobus

(a) *Titus Livius*) Spectant etiam huc, quæ *FLORUS lib.* 3. *c.* 12. habet: *Ac neſcio, an ſatis fuerit populo Romano Sicilia & Africa contentus fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur; quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica regis Pergameni hereditas, illæ opes atque divitiæ afflixere, Siculi mores merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, rempubl. peſſumdedere.* Confer quoque *CLAUDIANUM libr.* 3. *cap.* 15. §. 7. *de bello Gildonico verſ.* 103.

(*) *Lib. I. c. 6. & ad eum AMELOT. de la HOUSSAIE.*

(b) *Muhammede*) Pervulgata Judæorum eſt opinio, mundum univerſum propter ipſos ſolos eſſe conditum, Meſſiamque illum ipſorum ſubjecturum eſſe imperio. An diſertis verbis in Mahumedis Corano reperiatur, quod ſuis ſectatoribus in omnes mundi regiones Deus jus conceſſerit, ignoro; verum inde, tanquam conſectarium illius præcepti, quo infideles omnes bello jubet infeſtari, colligi poteſt. vid. c. 4. & alibi millies.

(c) *commodato acceperant*) *GROTIUS de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 1. §. *X. n.* 5. & 6. *lib.* 2. *c.* 21. §. 14. *PUFFEND. de J. N. & G. lib.* 5. *c.* 11. §. 5.

(d) *Tacitum*) *in Agricola c.* 29. 30. Erat autem Galgacus dux Britannorum virtute & genere præſtans, qui apud multitudinem prælium poſcentem, ita locutus fertur.

(e) *Albericus Gentilis*) Qui contra Picenum pro juſtitia Romanorum armorum diſputat. Sed apparet, Albericum non ubique Piceni objectionibus ſatisfeciſſe. Frequenter enim non argumentis, ſed fuco oratorio rem conficere annititur. Sunt profecto tanta iniquitatis bellorum nonnullorum a Romanis geſtorum veſtigia, ut nihil, ad vindicanda eorum arma ab impietatis maculis, ſufficiat. Vid. *ARTH. DUCK l. ab auctore citato.*

bus libris de armis romanis. Sed nec domeſticis teſtimoniis hæc res deſtituitur: Cypri occupatæ iniquitatem improbant vehementer Cicero *pro domo ſua*, & *Ammianus Marcellinus L. XIV.* (a) De Corintho exciſa idem Cicero *L. III. de offic. Utilitatis ſpecie in republica ſæpiſſime peccatur, ut in Corinthi deturbatione noſtri.*

§. 12. Alibi tamen ejuſdem verba ſunt: *Noſter populus ſociis defendendis terrarum omnium potitus eſt.* Et vero olim famam juſtitiæ præ aliis romani obtinuerunt, certe affectarunt. Hinc Rhodii apud Livium *L. XLV. Certe quidem vos eſtis romani, qui ideo felicia eſſe bella veſtra, quia juſta ſint, præ vobis fertis; nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.* Rutilii Tauri Æmiliani verſus eſt notiſſimus de Roma:

Juſtis bellorum cauſſis, nec pace ſuperba
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

Dionyſius Halicarnaſſæus religionem romanorum deprædicat, qua Græci ſui caruerint. Nam *omnium*, ait, *bellorum initia & cauſſas apparebit juſtas fuiſſe; atque ideo Deos merito propitios ſenſiſſe & faventes.* Neque negari poteſt jure id in romanis laudandum, quod *belli indictionem fecialibus*, (b) id eſt, ſacerdotibus, non ſoli populo profano, commiſerint.

§. 13. Ut autem hæc omnia ſint vera, juſtiſſimis ſcilicet cauſſis bella omnia a Romanis ſuſcepta; (quod tamen in univerſum non eſſe verum ipſorum confeſſione ante docuimus) verum tamen eſt non aliud jus Romanos prætexuiſſe ulli bellorum ſuorum, quam quod omnibus populis eſt commune. De ipſo feciali jure Cicero *lib. I. de officiis* ſcribit: *Belli quidem æquitas ſanctiſſime feciali populi romani jure perſcripta eſt; ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit & indictum.* (c) Sed hæc clara ſunt, niſi fallimur.

§. 14. Id vero cumprimis notandum hoc loco ducimus: quæ finibus romani imperii olim fuere incluſa, diverſo admodum varioque titulo ad illud pertinuiſſe. Fuerunt ſcilicet alii vere ſubditi, atque in provinciam redacti, alii amici, alii ſocii, alii *aliter fœderati*; (d) magnus quoque numerus extitit coloniarum & municipiorum. *Ex unius Plinii* (e) *lib. III. IV. V. VI. naturalis hiſtoriæ* abunde id diſcere eſt: ut alios teſtes laudare non ſit neceſſum. Singulatim quæ Italiæ populorum urbiumque fuerit tum ratio, præclare docuit Carolus Sigonius eximio opere *de antiquo jure Italiæ.* Ne Germani quidem omnes cis-rhenani pari fuere conditione. Ubi enim *Romana colonia* (f) *eſſe meruerunt*, ut verbis utar Taciti: Imo priusquam hanc coloniæ dignationem ſunt nacti, ſocios fuiſſe habitos, non ſubditos, diſerte idem Tacitus teſtatur. Qui de Batavis ſcribit: *Manet honos*, (g) *& antiquæ ſocietatis inſigne.* Unde dicit ſocios Romanorum fuiſſe Batavos, non ſubditos: *Etiam non in alio obſequio*, eodem Tacito teſte, *trans Rhenum fuere Mattiaci*, (h) *etſi & hi pars habiti imperii Romani.* Ammiani Marcellin. L. XV. verba ſunt: *Prima Germania, ubi præter alia municipia Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus.* Quædam itaque & cis-rhenanæ Germaniæ urbes *municipiorum* (i) libertate ſunt uſæ, quæ qualis fuerit, docet Gellius *lib. XVI. noct. Atticar. c. XVI.*

§. 15. Non diffitemur Romanos, ſocietatis fœderumque juribus violatis, ſæpe ſocios ſuos pari cum ſubditis loco habuiſſe. Et vero hanc injuriam queſti olim Batavi apud Tacitum *lib. V. hiſtoriæ: neque enim ſocietatem, ut olim, ſed velut mancipia haberi*: & Latini apud Halicarnaſſ. *L. VI. ſub umbra*

(a) *Ammianus Marcellinus lib. XIV.*) *Cap. 8.* vid. *VALESIVM in notis.*

(b) *belli indictionem fecialibus*) Feciales non tam religionis, quam juſtitiæ ſacerdotes erant, quodnam eorum fuerit officium, ut & quas in indicendo bello adhibuerint ceremonias DIONYS. HALICARNASSÆVS *antiquit. Rom. lib. 2. c. 73. 74. & in excerpt. de legat. cap. 2.* PLVTARCHVS *in Numa* docent. Præſes collegii fecialium, viginti ex nobiliſſimis familiis ſelect. complectentis, erat pater patratus PIGHII *annal. Rom. lib. 1. p. 30.* ZAMOSCIVS *de ſenatu Romano lib. 1. p. 58. KIPP. antiquit. Rom. lib. 1. c. 12.*

(c) *indictum*) *GROTIVS de J. B. & P. lib. 3. c. 3.*

(d) *aliter fœderati*) Inæquali fœdere juncti GROTIVS *de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 21. lib. 2. c. 15. §. 6.*

(e) *ex unius Plinii*) Confer quoque PIGHII *annal. Rom. &* SIGONIVM *de antiquo jure Italiæ* paſſim.

(f) *Romana colonia*) GELENIVS *de colonia Agrippinenſis magnitudine ſyntagm. 8. p. 78.* Apud TACITVM *lib. 1. annal. c. 36. 37.* vocatur Ubiorum opidum aut civitas. Sunt, qui putant, Coloniam ante Chriſtum anno 32. eſſe conditam, & ab Agrippina, Claudii uxore, quæ ibi nata, novis coloniis Romanis auctam, & nomen accepiſſe, TACITVS *lib. 12. annal. c. 27.* BROWERVS *in annal. Trevir. tom. 1. p.* 126. 148.

(g) *manet honos*) *TACITVS in Germania c. 29.* tributorum expertes. *Idem lib. 4. hiſt. c. 12. GROTIVS de antiquitate reipubl. Batavica cap. 3. THYSIVS in compend. hiſtor. Batav. p. 5.* JVNII *Batavia c. 5. DOVSÆ Batav. p. 8.* Friſii modicum tributum, nempe coria boum, in uſus caſtrorum pendebant. FVRMERIVS *annal. Phriſic. lib. 1. c. 4.*

(h) *Mattiaci*) Nonnulli autumant, hos, qui iidem cum Marſatiis eſſe creduntur, Zelandicas inhabitaſſe inſulas. ENDII *chron. Seelandiæ lib. 1. c. 13.* JVNIVS *in Batavia c. 14.* A qua ſententia diſcedit CLUVERIVS *in Germ. antiqua lib. 2. c. 34. & de tribus Rheni alveis c. 1. 2.* ubi docet, Toxandros in Selandia, Mattiacos vero, Cattorum populum, inter Francofurtum, Marpurgum (Mattiacum) & Confluentes habitaſſe; & huic opinioni favet, quod PLINIVS una cum TACITO & MARCELLINO nomen Mattiacum trans Rhenum oſtendat. Denique non ignoro, eundem CLUVERIVM *c. 26. l. c.* Marſatios ſive Marſacos a Mattiacis diſtinguere, & illos loca, ubi hodie ſunt Arnhem, Wageninge & Rhenen occupaſſe, conjiceret.

(i) *municipiorum*) Exiſtimat *GELLIVS lib. 16. c. 13.* colonias meliore fuiſſe conditione, quam municipia, quia jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habebant, & addit; *quæ tamen conditio, quam ſit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & præſtabilior exiſtimatur, propter amplitudinem majeſtatemque populi romani. Municipia autem legibus ſuis & ſuo jure utentia muneris tantum cum populo Romano honorarii participia.* Vide plura apud SIGONIVM *de antiquo jure Italiæ cap. 6.*

umbra fœderis Romani ſervitutem ſe pati. Rhodiorum, Ætolorum, (a) Achæorum, Theſſalorum, Magnetum ſimiles querelas alibi reperias. Ipſe Salluſtius, prout jam ante indicatum, libro de bello Catilinario fatetur, *civitatem immutatam: imperium ex juſtiſſimo atque optumo crudele intolerandumque factum. Hi,* addit, *ignaviſſimi homines per ſummum ſcelus omnia & ſociis ademere, quæ fortiſſimi viri victores hoſtibus reliquerunt: perinde quaſi injuriam facere id demum eſſet imperio uti.*

§. 16. Cic. Orat. V. in Verr. *Lugent omnes provinciæ; queruntur omnes liberi populi; regna denique jam de noſtris cupiditatibus atque injuriis expoſtulant: locus intra Oceanum nullus eſt, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora noſtrorum hominum libido iniquitasque pervaſerit.* Tacit. *lib. I. Annal. Neque provinciæ* illum ſtatum abnuebant: ſuſpecto ſenatus populique imperio; ob certamina potentum, &c. De ſociorum & provincialium ſtatu dominantibus Cæſaribus nihil dicam: neque enim eſt hujus loci hæc late exponere: ſatis liquet Romanos non aliis titulis aut aliis juribus in occupandis aut poſſidendis rebus uſos quam vulgo receptis & uſitatis; adeoque nihil juris eos habuiſſe ad totius mundi imperium occupandum.

CAPUT IV.

Romanum imperium, exigua Italiæ parte excepta, poſſeſſione totius pene occidentis excidiſſe, antequam dignitas ejus ad Carolum M. eſt delata.

§. 1.

Videndum deinceps, numquid eorum, quæ poſſederunt Romani, perdiderint. Et quidem quum in illorum poteſtate fuerint non ipſæ tantum provinciæ variæ, ſed & jus eas poſſidendi; ſeorſim conſiderandum, an cum poſſeſſione & ipſo poſſidendi jure tandem exciderint. Adprime vero videndum, quemadmodum hæc ſeſe habuerint eo tempore, quo ad Francos cæſarea occidentalis imperii dignitas pervenit.

§. 2. Cæterum *occidentalis quidem imperii* (b) (nam de uno illo nunc agere tempeſtivum eſt) pleraque jam Honorii & Valentiniani III. Cæſarum ætate *a germanicis gentibus,* (c) hactenus Danubio & Rheno ſecluſis, occupata eſſe notius eſt, quam ut longa opus ſit probatione. Ut neque patitur inſtitutum in cauſſas illius excidii accuratius inquirere: utrum ſcilicet tanti mali cauſſa illi per Conſtantinum M. inſtitutæ Imperii diviſioni, qua ille, teſte *Zoſimo,* (d) Rheni & Danubii ripas quindecim legionum præſidio nudavit, &, quod unitum firmum erat diviſum in duo, reddidit imbecille: an *ſocordia* (e) ſucceſſorum Theodoſii: an denique potius fatali cuidam numinis indignationi ſit *adſcribenda.* (f) Vid. Onuphr. de Comitiis *cap. 4. n. 2.* De impotente dominatu Romanorum, qui effecit animos ab imperio illo alienos, vide quædam diſſertata in *excerptis legationum* apud Probum: quibus Probus quæ opponit, magni momenti non ſunt. Vide propriam confeſſionem Probi de ignavia & luxu romano imperante Theodoſio II. *d. l.*

§. 3. Quicquid vero in cauſſa fuerit, id certum eſt, illa tempeſtate non totis quinquaginta annis periiſſe Romanis pene mille annorum labores, quos acquirendis iis inſumpſerunt. Ita ſa-

he

(a) *Rhodiorum, Ætolorum*) *TACITUS lib.* 12. *annal. c.* 58. *MEURSII Rhodus lib.* 1. *c.* 16. STRAB. *geograph. lib.* 9. *c.* 10. 14.

(b) *occidentalis quidem imperii*) Diviſio inter orientale & occidentale imperium potiſſimum invaluit ſub Honorio & Arcadio, Theodoſii filiis ignaviſſimæ indolis, quorum unus a Stilicone, alter a Ruffino regebatur. PETAVII *rationarium temporum, part.* 1. *lib.* 6. *c. X.* CALVISII *opus chronolog. p.* 536. ZOSIMUS *hiſtor. nov. lib.* 5. *p.* 699. *apud VORBURG. vol.* 3. *OROSIUS lib.* 7. *c.* 37. *pag.* 631. *apud eundem l. c.* quanquam & antea imperium Romanum ſub pluribus diviſum fuerit capitibus, ut nihil jam dicam de imperii conſortibus, ubi imperii provinciæ indiviſim rectæ ſunt, licet interdum unus huic, alter alteri parti regendæ operam daret. Imperium inter Conſt. M. filios poſt ejus mortem diſtributum eſt. ZOSIMUS *lib.* 2. PAGI *critica annal. Baronii ad annum Chriſti p.* 337. Primordia vero diviſionis imperii in orientale & occidentale ad Valentinum & Valentem referenda videntur. ZOSIMUS *lib.* 4. PAGI *ad ann. Chriſti* 364. Sic & Gratianus orienti, Valentinianus occidenti præfuit, PAGI *ad annum* 364. Gratianum deinde ſibi junxit Valentinianus, *idem ad ann.* 367. & poſt ejus mortem ſucceſſit Valentinianus junior PAGI *ad annum* 375. Cum deinde anno 379. d. 19 Jan. Theodoſius in conſortium imperii adſciſceretur, nova imperii diviſio facta, Theodoſio ceſſit oriens cum Thracia & parte illyrici, quæ Theſſalonicam metropolin habebat; inter Gratianum vero & Valentinianum fratres occidentale diviſum imperium. PAGI *ad annum* 379. FLECHIER *hiſtoire de Theodoſe le grand lib.* 2. *p.* 379. ZOSIMUS *lib.* 4. OROSIUS *lib.* 7. *miſcell. lib.* 12. JORNANDES *de rebus geticis c.* 27.

(c) *a germanicis gentibus*) Quæ ſeculo IV. V. VI. VII. in provincias Romanas impetum fecerunt, earumque inſigni potiti ſunt parte. MACHIAVELLI *hiſtor. Florent. lib.* 1.

(d) *Zoſimo*) *Apud CAUSINUM dans l'hiſtoire Romaine lib.* 2. *pag.* 644. *MACHIAVELLI hiſtor. Florent. lib.* 1. *p.* 1.

(e) *ſocordia*) Notabile ejus exemplum refert PROCOPIUS *de bello contra Vandalos cap.* 3. *n.* 4. ubi Honorius, Ravennæ hærens, nuncium acceperat, Romam eſſe captam, de gallinæ amantiſſimæ, cui tale nomen inditum, morte graviſſime conquerebatur, ex quo autem relatum audivit, gallinam vivere, ſed Romam urbem ab Alarico direptam vaſtatamque eſſe, bono erat animo.

(f) *adſcribenda*) De cauſis deminuti imperii agit PERIZONIUS *in diſſert. philolog. hujus argum.* Primariæ ſunt bella civilia, ignavia & ſegnities principum, ut & tyrannis eorum; neglecta diſciplina militaris: milites enim licentia, ut & alii, deteriores fiunt; & vulgatum regni arcanum, penes milites eſſe imperatores ſolio admovere & deturbare. *Evulgato enim imperii arcano poſſe principem alibi, quam Romæ fieri, omnia deinde arbitrio militum acta.* MONZAMBANO *c.* 1. *§. X.* TACITUS *lib.* 1. *hiſtor. c.* 4. & 46.

Digitized by Google

ne *Hiſpania*, (a) Vandalis, Viſigothis, ac *Suevis*; (b) Gallia *Francis* (c) ac *Burgundis*: (d) Britannia *Pictis*, (e) *Scotis*, (f) *Saxonibus*, (g) Anglis; Vindelicium ac Noricum, ut & Rhætiæ potiſſima *Bojariis* (h) atque *Alemannis*: (i) Pannonia poſt alios *Hunnis*, (k) ac demum Hungaris & *Bulgaris*, (l) ceſſerunt.

§. 4.

(a) *Hiſpania*) De Celtarum impreſſione in Hiſpaniam, ubi Celtiberia ab iis nomen nacta dicitur, agunt STRABO *lib. 3. PLINIVS lib. 3. VASÆI chron. cap. X. MARIANA de rebus Hiſpania lib. 1. c. 13.* qui cap. 12. ſeqq. aliarum quoque gentium, utpote Rhodiorum, Zanthiorum, Phœnicum, Carthaginenſium, in Hiſpaniam contendentium, mentionem injicit. Confer quoque *STRABONEM, SIL. ITALICVM paſſim, & FRANC. TARAPHAM de regibus Hiſpania* apud *SCHOTTVM t. 1. pag. 527.* De irruptionibus gentium Germanicarum in Hiſpaniam, ut Alanorum, Silingorum, Vandalorum, Suevorum, Viſigothorum, quorum priores aut a Viſigothis deleti ſunt, aut tandem in eorum poteſtatem & nomen conceſſerunt, auctores ſubnotati tradunt. Vandali autem primum in Baleares inſulas, deinde in Africam migrarunt, ubi a Juſtiniano regnum eorum exſtinctum eſt, JORNANDES *de rebus Get. c. 33.* VORB. *vol. 6. p. 151.* OROSIVS *lib. 7. c. 29.* IDATIVS *Olymp. CCXCIX.* MARIANA *de rebus Hiſpania lib. V.* apud SCHOTTVM *t. 2. p. 321. ſeqq. indic. rer. ab Arragon. reg. geſt. pag. 3. apud Schott. tom. 3. Hiſp. illuſtrata, VASÆVS in chron. Hiſpan. p. 658. ſeqq. tom. 1. apud Schottum. PROCOPIVS de bello contra Vandalos, CRANZIVS in Vandalia*, qui tamen Venedos, gentem Slavonicam, ex Polonia in loca a Vandalis derelicta ſuccedentem, cum Vandalis confundit. Vid. CLUVERIVS *in Germania antiqua.*

(b) *Suevis*) Suevorum, ut gentis virorum numero & robore validiſſimæ, paſſim JVLIVS CÆSAR & TACITVS mentionem faciunt. Sunt, qui putant, ſub his Saxones latitaſſe, quorum opinio plus ex vero habere videtur, quam illorum ſententia, qui Saxones Macedonici exercitus fuiſſe reliquias autumant, ut SVFFRIDVS PETRVS *de origine Friſiorum lib. 1. c. 21.*

(c) *Francis*) Franci ob inſigne libertatis ſtudium hoc nomine conſpicui ſeculo V. Galliam in ſuam redegerunt poteſtatem. Francorum ante Gallieni tempora nulla fide digna fit mentio, TREBBELLIVS POLLIO & FLAVIVS VOPISCVS in vita Aureliani, de hac gente tum temporis jam tum inclyta, tradunt. Vide NICOL. VIGNIERIVM *de ſtatu & origine veterum Franc. apud du CHENE Script. Franc. tom. 1. p. 134. ſeqq. PONTANVM de orig. Franc.* Eos Germaniæ vindicat MONZAMBANO, quicquid etiam BODINVS aliique, qui recenſentur a LEIBNITIO *de origine Francorum, & ECCARDO in notis p. 251.* in contrarium afferant. Multa de eorum a Trojanis ortu enarrantur, JO. PARISIENSIS apud CHESNIVM *tom. 1. p. 128.* ſeqq. & vulgo ad monachum Hunebaldum provocatur, ſed utrumque tam traditio, quam monachus figmentum peritioribus videtur. LEIBNITIVS *de origine Francor. SCATEN. in hiſtor. Weſtph. p. 167. ſeqq. JVNIVS in Batavia.* VORBVRG. *volum. 3. p. 269. ſeqq. Annales Francici regni a* RVINARTO *congeſti apud* ECCARD. *in appendice ad leg. Salic.* HIERONYMVS *in chron.* ait, Francorum regionem a veteribus Hiſtoricis Germaniam vocari. AGATHIAS *libr. 2.* Francos Italorum vicinos facit, ſed ille ad ultimam eorum ſedem, quam in Gallia occuparunt, reſpicit. VIGNIER *ap. CHENIVM t. 1. p. 165. COMIT. NVENARII brevis enarratio de orig. Franc.* apud CHESNIVM *t. 1. pag.* 172. 201. ſeqq. An antiquiores Francorum ſedes ad mare Balthicum & in vicinia, aut in ducatu Bremenſi quærendæ, nuper in controverſiam vocatum. Conf. LEIBN. *de origine Francorum, & ad eum* ECCARDI *notas*, quæque Hallenſium ICtus GVNDLINGIVS *Leibnitio* oppoſuit.

(d) *Burgundis*) Burgundiones origine Germani & gente Vandali, Burgorum inhabitatores, eodem fere tempore cum Francis quadam Galliæ parte potiti ſunt. PLINIVS *lib. 4. hiſtor. nat. c. 14. du CHENE dans l' hiſtoire des Roys, ducs & comtes de Bourgogne t. 1. pag. 3. 4.* SCHVRTZFL. *diſſert. de populo Burgundico ejusque migrationibus, qui* ad VIGNIERII *rerum Burgund. chron. &* PARADINI *annales de Bourgogne* provocat. Ab AMMIANO MARCELLINO *lib. 18. c. 11.* Alemannorum vicini dicuntur.

(e) *Pictis*) Horum, qui a pictis corporibus aut veſtimentis nomen habent, origo dubia. Bedæ auctoritas commovit CAMDENVM *in Britannia p. 83.* ut Britannos crediderit, quanquam huic ſententiæ alia adhuc accedant argumenta, quæ apud Camdenum reperiuntur.

(f) *Scotis*) Hujus gentis Britannicæ etymologia controverſiis eſt obnoxia, *CAMBDENVS l. c. p. 87. ſeqq. BVCHANANVS rer. Scot. lib. 1.*

(g) *Saxonibus*) Vortigernus, Britannorum Rex, inſula a Romanis vacua, Pictorum Scotorumque invaſionibus impar, Anglorum ſive Saxonum gentem in auxilium advocavit, qui eo quatenus in Saxones in ſpecie ſic dictos, Anglos & Vitas diſtinguebantur ex Holſatia-Slesvico, ubi adhuc hodie terræ quoddam ſpacium Anglia vocatur, **Danckwerth Holſt.** *chron. c. X.* & vicinis regionibus ſub Horſo & Hengſto profecti ſunt, BEDA *in hiſtoria eccleſ. gentis Angl. lib. 1. c. 15. chron. Angl. Saxonicum p. 13.* GERVAS. TILBER. *in otiis imper. p. 41. edit.* MADER. CAMBDENVS *in Britannia p. 79. ſeqq. LEIBN. exc. V. S.* Non tamen dubito, quin Friſii aliæque Germanicæ gentes Saxonum ſubſidia Angliam adeuntibus auxerint. PROCOP. *lib. 4. de bello Gothico.* Quod autem expeditionis duces Friſii fuerint, ut putavit SVFFRIDVS PETR. *de Friſiorum antiquitate lib. 2. c. 9. ſqq.* ubi contra KRANTZIVM diſputat, *& apologia ejus ſcriptor*, contra VBBONEM EMMIVM *hiſt. Friſ. lib. 3. p. 95.* aſſeruit, veritati adverſatur: nam ex BEDA conſtat, quod Horſt & Hengſt filii fuerint Victgilſi, quem contrariæ ſententiæ patroni Saxonum fuiſſe principem negare non poſſunt; ſed quis illos docuit? Horſum & Hengiſtum Ludolphi ſeptimi Friſiorum ducis filios naturales & Victgilſi (Vergiſti) avi materni adoptivos fuiſſe: Ejusdem tenoris eſt, quod apologiæ auctor de prima Horſi & Hengſti expeditione, quam Beda ignoraſſe dicitur, tradit. Indulget SVFFRIDVS cum *apologiſta* ſuo æque ac Saxo Grammaticus, quem defendere audet, non raro fabulis. Anglos ab Angivariis diſtinctos, Tacitus Longobardis vicinos facit; aſt illi non fuerunt Friſiis conterminі, ſive in marchia Brandenburgica & ducatu Magd. ſive in pago Bardorum habitaverint. Ceterum Anglo Saxones, promiſſa ſtipendia ſibi non præſtari, iniquo ferentes animo, Britanniam ſibi ſubjecerunt, & celebrem ſtabilivere heptarchiam, in qua tamen, qui plurimum poterat, rex gentis Anglorum dicebatur, *CAMBDENVS in Brit. p.* 104.

(h) *Bojariis*) De Bojariorum nomine, origine, migrationibus & fatis confer. præter AVENTINVM & BRVNNERVM, VORBVRG *t. V. p. 451. CLUVER. in Germ. antiqua lib. 3. c. 32. COCCEJ. in jur. publ. cap. 3. ſect. 1. LAZ. de migrat. gent. lib. 7.* qui fabulas admiſcet.

(i) *Alemannis*) Suevi & Alemanni promiſcue vocantur. COCCEJVS *in jure publ. c. 3. ſect. 2.* Bojis vicini eorumque perpetuo fere ſocii in expeditione in Noricum, Italiam & Galliam. AVENTINI *annales Bavaria lib. 3.* CRVS. *annal. Suev. p. 1. lib. 4. 5. 6. 7. LAZIVS de migrat. gent. lib. 8.* Hi cum Bavaris, poſt Clodovæi ad Tolbiacum victoriam, Francis, ſub alia tamen, quam Bavari formula, ſubfuerunt. *COCCEJ. c. 3. ſect. 2.* Quid Vindelicia, Noricum & Rhætia complexæ ſint, docent BERTIVS *in germania, SPRECHERVS in Rhætia, GVILLIMANNVS in Habspurgicis, lib. 4. c. 2. STVMPHIVS in chron. part. 2. lib.* 10.

(k) *Hunnis*) Hunni Schytarum gens, ab Hungaris non diverſa, circa annum ſalutis 373. in Europam venit. Sunt, qui eosdem cum Slavis fuiſſe reputarunt, a quibus *GVNDLING. in Henrico Aucupe p. 153.* cum CROMERO *de rebus Polonorum lib. 1. cap. 12.* diſcedit. Hunni omnia crudeliter habentes, & ſedem fortunarum tandem in provincia a Gothis vacua figentes in ditiones Romanas irrumpunt, ibique potiſſimum ſub Attila, gentium populatore, omnia cædibus & ruinis complent. BONFINIVS *decad. 1. lib. 2. & 3. 4.* OLAHI & CALLIMACHI ATTILA, JORNANDES *de rebus Geticis c. 24. 34. 35. ſeqq.* qui tamen haud dubie de Hunnorum origine ex magarum mulierum, quas patrio ſermone aliorumnas appellant, & ſpirituum immundorum coitu fabuloſe enarrat.

(l) *Bulgaris*) Hi ad Slavos ſpectabant. CROMERVS *de rebus*

§. 4. Ne ipſa quidem Italia in ditione Romani populi permanſit. Per *Viſigothorum* (a) enim *Vandalorumque* (b) incurſiones ſumme debilitatam primum Heruli, mox *Oſtrogothi* (c) inſederunt. Atque horum quidem ea vis fuit, ut, ipſa urbe Roma cum omnibus Italiæ partibus occupata, novum quoddam Italiæ regnum, quod adpellabant, condiderint, imperii Romani per ipſam Italiam nomine penitus abolito & ſublatis inſignibus. De Odoacri auctoritate vid. Molinæum annotationibus ad Gratianum p. 26. De Weſtrogothorum conatibus vid. Oroſium *l.* 7. *c.* 43. Neque vero Reges illi Oſtrogothici alio titulo quam Italiæ regum uſi ſunt, ab inſignibus etiam Romanis *prorſus abſtinuerunt:* (d) quod ex ejus ævi ſcriptoribus & monumentis hodieque ſuperſtitibus notiſſimum eſt. Hinc Jornandes Gothus *l. de regn. ſucceſſ.* ubi de Odoacro dixiſſet & Auguſtulo: *Sic Heſperium regnum, Romanique populi principatum, quod DCCIX. V. C. anno primus Auguſtorum Octavianus Auguſtus tenere capit, cum hoc Auguſtulo periit: Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.* Iisdem verbis utitur Marcellinus Comes *in chron. indict. XIV.* Baronius *ad annum CCCCLXXVI. n. 1. imperium Occidentale collapſum eſt penitus & devolutum ad Barbaros.* Et Salvian. *lib.* 4. ſcribit: Romanam Rempublicam vel jam mortuam, vel certe extremum ſpiritum agentem.

§. 5. Hic ſtatus Italiæ fuit ab anno Chriſtiano CCCCLXXVI. usque ad CCCCCXL. circiter: quo tempore Juſtinianus per Belliſarium cœpit Gothis Italiam eripere rurſum & Romano Imperio, cujus vis & majeſtas in Oriente ſupererat, reſtituere. Inde nutavit Italiæ poſſeſſio per annos duodecim inter Gothos & Romanos: nec his quoque poſt Gothos exciſos integre reddita eſt, niſi annis quindecim.

§. 6. Ex eo vero, ſi modo unquam, certe non ante indeptum a Francis Cæſareum titulum unquam, Italia omnis in Romani Imperii aut ditionem aut nomen pervenit. *Longobardi enim,* (e) Ger-

bus Polonicis lib. 3. p. 31. CHYTRÆVS *in Vandalia p. 135.* REGENVOLSCII *hiſtor. eccleſ.* SLAV. *provinc. lib. 1. p. 7.* Unnis finitimi a mari Pontico diſcedentes Myſias occuparunt. BONFINIVS *rerum Ungar. decad.* 1. *lib.* 1. *pag.* 22. cum imperatoribus orientalibus bella gerunt. STANISLAI SARNICII *ann. Polonia c. X. p.* 1032.

(a) *Viſigothorum*) Hos ab Oſtgothis diſtinctos & reges ex Balthis, Oſtgothos ex Amalis ſumſiſſe, ſatis notum eſt. JORNANDES *de rebus Get. lib. 6. c.* 14. PAVLVS ÆMILIVS *de rebus geſtis Francorum p.* 4. PETAVIVS *in ration. tempor. lib. 6. c.* 14. Honorius & Arcadius luxurioſe viventes Viſigothis conſueta donaria ſubtraxerunt, atque inde eorum arma in ſe excitarunt, magno tamen Romanorum bono, hi a ſe invicem diffidebant, & alii Alaricum ducem, alii Rhadagiſum habebant, convenere nihilominus inter ſe, ut ad Italiæ regiones deprædandas proficiſcerentur. Sed Rhadagiſo cum ſuis in montoſis Thuſciæ locis fame & ferro a Stilicone deleto, Alarico non aliæ datæ ſunt pacis conditiones, quam ut cum ſuis in Galliam & Hiſpaniam abiret, quod domum Cæſaris ille acceptavit: Verum Alaricus in itinere, contra datam fidem, a Stilicone invaſus, magna ipſum affecit clade, & in Italiam revertens Romam occupavit, Italiam vaſtavit. Poſt ejus autem mortem Athaulphus, quem habuit ſucceſſorem, Placidiæ maritus, affinis Honorii precibus locum dans in Galliam perrexit, ibique in Septimania regni ſedem fixit. Inde digreſſus in Hiſpaniam, ſucceſſoribus ſuis, ut ibi Gothorum ſtabilire poſſent regnum, viam ſtravit. Quod regnum ſub Roderico, graviſſima libidinis incommoda ſentiente, ab Afris deſtructum, ſub Pelagio reſuſcitatum eſt. RODERICVS TOLETANVS *de rebus Hiſpan. lib. 2. c. 4. 5. ſqq.* CLAVDIANVS *de bello Getico*, JORNANDES *de rebus Geticis c. 27. ſqq.* PAGI *in critica annal. Baronii p.* 291. *part.* 2. PAVLVS ÆMILIVS *p.* 3. MARIANA *de rebus Hiſpanicis lib. 6. c. 23. & lib. 7. c. 2.* SAVEDRÆ *corona Gothica p. 9. ſeqq.* VORBVRG. *vol. 4. p.* 243.

(b) *Vandalorumque*) Vandalorum mentio fit apud TACITVM *in germ. l. 2. n. 5.* PLINIO *in hiſtor. nat. lib. 4. c.* 14. Vindali dicuntur. Gens hæc olim ſatis latas in Germania habuit ſedes, *KRANZIVS in Vandalia lib.* 2. *pag.* 27. ex Gallia, ubi a Francis cladem paſſa, cum aliis gentibus, ut Alanis, Suevis, in Hiſpaniam abiit, ISIDORI *chron. ara 446. JORNANDES de rebus Geticis c.* 31. & inde, ut monui, in Africam; ex littore deinde Africano Gizerichus (Genſericus) claſſe in Italiam profectus, Romam aliaque Italiæ loca diripuit & magna præda, quam Edocia & Placidia captivæ ornabant, onuſtus Carthaginem reverſus eſt. PROCOP. *hiſtor. Vandal. lib. 1. p.* 17. *apud Grot. JORNAND. de rebus Geticis c.* 33. VORBVRG. *vol. 5. pag.* 256. *ſeqq.* Odoacer Scyrorum & Herulorum regulus Auguſtum, quem minuente vocabulo vulgus Auguſtulum vocabat, poſt patris Oreſtis, viri prudentiſſimi mortem, regno exuit, eique ut in Campania, luxui & mollitiei aptiſſima regione, vitam tranſigeret, conceſſit. PROCOPIVS *de bello Gothico lib.* 1. EVAGRIVS *lib.* 26. & CEDRENVS *p.* 258. Mirum eſt, adeſſe nummos, in quo Auguſtuli vocabulum reperitur. Conf. RVPERTVM *ad ſynopſin Beſoldi p.* 450.

(c) *Oſtrogothi*) Theuderichum, qui ad patriciatus honorem, & ad conſulares faſces Byzantii pervenerat, Oſtgoth. Regem Zeno imperator hortatus eſt, ut in Italiam iret, & Odoacro dejecto, ſibi ipſe ac Gothis pararet regnum. Theuderichus, ſequentibus ſe Gothis, Italiam petit, proſperaque adverſus Odoacri militem utitur fortuna. Cum autem Ravennæ occupatio Gothis admodum difficilis eſſet, Odoacer & Theuderichus, conciliante Ravennatenſium antiſtite, ita inter ſe paciſcuntur, ut pari jure Ravennæ imperarent: Verum pactis non diu manſit fides, ſed Odoacrum inſidiarum, ut quidem dicebatur, compertum, ad epulas vocatum Theuderichus dolo occidit. Amalaſunthæ deinde artibus, quæ Gothorum proceribus iraſcens, filio fatis functo, Juſtiniano Italiæ dominatum tradere conſtituerat, & ejus potiſſimum morte, Theudato & propinquis eorum, quibus Amalaſuntha vitam ademerat, auctoribus inſecuta, Juſtinianus, Gothis bellum inferendi, eorumque regnum in Italia per Belliſarium & Narſeten delendi, occaſionem nactus eſt. PROCOPIVS *hiſtor. Goth. & in hiſtor. mixta, AGATHIAS in hiſtor. Juſtin. lib. 1. p. 360. ſeqq. MARCELLINVS in chron. SIGONIVS lib. 1. VORBVRG. vol. 6. p. 220. ſeqq. vol. 7. p. 204. ſeqq.*

(d) *prorſus abſtinuerunt*) *Theuderichus imperatoris Romani neque vocabulo neque inſignibus aſſumtis, rex contentus vocari. PROCOP. Goth. hiſtoria lib. 1. p. 141. MACHIAV. hiſtor. Florentina p. 4.*

(e) *Longobardi enim*) *Longobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium ſed præliis & periclitando tuti ſint. TACITVS in Germania c. 40. vid. quoque annal. lib. 2. c. 45. lib. 11. c.* 17. Falſæ ſunt vocabuli originationes, quas PAVLVS DIACONVS *de geſtis Longob. lib. 1. c. 9. LAZIVS de migrationibus gent.* referunt: Veritati convenientius videtur, quod a terræ tractu, quem inhabitarunt, ita dicti ſint. **Danckwerths** *chron. p.* 39. CLUVERIVS *lib. 3. c.* 27. Hi a Narſete Romanorum in Italia duce, ſub quo jam antea in Italia ſtipendia meruerant, allecti ſunt. Ille enim a Juſtino imperatore & conjuge ejus Sophia, ſe contemtim haberi, ſibique ſucceſſorem in præfectura Longinum dari, æquo ferre non potuit animo. Etenim Romanorum contra Narſetem querelæ imperatori, ut eum, ſibi ob nimiam potentiam & immenſas fere opes valde

Germanica gens, ſed quæ aliquandiu Pannoniam tenuerat, a Narſete invitati Italiam pene omnem, pulſis Cæſarum præſidiis, ſui juris fecerunt. Nec enim Græcis Cæſaribus quicquam in Italia paruit amplius, quam *Roma ipſa* (a) ejusque pomœria, *Pentapolis*, (b) Exarchatus Ravennatenſis proprie ſic dictus, urbsque *Venetiarum.* (c) Etiam horum vero tandem pleraque ultimis Longobardorum *Regibus ceſſerunt.* (d) Ut nihil ad extremum in Italia remanſerit Romanæ poſſeſſionis præter duas urbes Romam & Venetias.

§. 7. Et vero Longobardici Regni temporibus tantum exiguæ illæ Italiæ partes retinuerunt Romani Imperii nomen: reliqua omnia Longobardici regni titulo venerunt, quorum ſcilicet erant in poteſtate. *Reſtituit populo Romano aut pontifici*, (e) pulſis viciſſim Longobardis, Pipinus Francorum Rex Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli.

§. 8.

valde ſuſpectum, munere exueret, anſam præbuerunt. Longobardi igitur, rege Alboino duce, derelicta Panonia, in qua annis triginta duobus habitarunt, in demigrationis ſocietatem Saxonibus aſſumtis, anno 568. in Italiam profecti ſunt, ibique celebre Longobardorum regnum, variis deinde mutationibus obnoxium, institutum eſt. Saxones autem ob ſimultates cum Longobardis avitas repetiere ſedes. PROCOPII *hiſtor. mixta cap. 26. PAVL. WARNEFRIDI lib. 2. c. 5. ſeqq. lib. 3. c. 5. 6. SIGONIVS de regno Italiæ lib. 1. p. 16. ſeqq. MACHIAVELL. in hiſtor. Florentina p. 8. ſeqq. MEZERAI tom. 1. abbregé chronologique p. 72. PAVLVS ÆMILIVS in hiſtor. Franciæ p. 27. 28. VORBVRG. t. 7. p. 276. 282. ſeqq.* Cauſæ tanti rerum Longobardicarum ſucceſſus fuiſſe videntur amor, quo miles Græcus in Narſetem ferebatur, militis illius mollities, & enervatæ vires, ac tandem Longini in virgines uxoresque exercita vis, ac immane odium, ex rapientium audacia proficiſcens. VAGADIS *diſſ. hiſtor. de ludibriis aulæ Romanæ §. 7.*

(a) *Roma ipſa*) Ante Longinum, de cujus adventu in Italiam RVBÆVS *lib. 4. hiſtor. Ravennat.* loquitur, qui provinciis præerant, non dicebantur exarchi, ſed præfecti, quanquam Gregorii aliorumque literæ eos etiam vocent exarchos. Dicitur autem ἐξάρχος ἐκ τῦ ἄρχοντος, i. e. a Principe ad regendam Italiam miſſus, aut quaſi ex Principe vel latere ejus. Longinus, qui, Ravennæ non Mediolani, ut aberrat Merula, locum tenens, conſtituit, ne provinciis legati præeſſent, aut præſides; verum urbes ſingulæ a ſingulis magiſtratibus, quos duces appellavit, regerentur, atque id nominis tum primum ſecundum nonnullos in Italia audiri cœptum. In quo parem ceteris urbibus Romam faciens, græculum illius creabat ducem, quem deinde reliqui etiam exarchi eo Ravenna mittebant. RVBÆVS *in hiſtor. Ravennatenſi lib. 3. p. 377. MACHIAVELLI hiſtor. Florent. lib. 1. p. 8.* Exarchalis dignitas aliquando archiepiſcopis Ravennatenſibus data. *Codex Carolinus epiſt. 85. RVBÆVS lib. 5. p. 227.* Cumque Pontifici a Pipino exarchatus traderetur, & ille adminiſtrat. Ravennat. archiepiſcopo & tribunis civitatis concederet, archiepiſcopus ſe exarchum inſcripſit. Imo videtur Leo archiepiſcopus Ravennatenſis exarchatus urbes, nulla Papæ ratione habita, rexiſſe. Conqueritur enim Papa in duabus ad Carolum epiſtolis, quod Leo præceptionibus ſuis obedire nollet. Ad haſce lites dirimendas Carolus miſſos in exarchatum ablegavit, nec apparet, quod archiepiſcopus ſuccubuerit. Vide plura apud ROSSI. *in hiſtor. Ravennat. lib. 5. RVB. hiſtor. Ravennat. lib. 5. Oſſervazioni ſopra una lettera p. 15.*

(b) *Pentapolis*) Pentapolis complectebatur Ariminum, Piſaurum, Anconam, Auximum & Urbinum, *BVSSIER hiſtor. Franc. lib. 4. pag. 172. SIGONIVS hiſtor. de regno Italiæ lib. 3. p. 146.* exarchatum continuiſſe dicit Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Popilii, Forum Livii, Cæſenam, Bobium, Feraram, Comaclum, Adriam, Ficoclas & Gabelium; pentapolin vero Ariminum, Piſaurum Concham, Fanum Senogalliam, Amonam, Auximum, Numanam, Æſium, forum Sempronii, montem Feretri, Urbinum, territorium Balnenſe, colles Luceolos & Eugubium cum caſtris & finibus ad hæc oppida pertinentibus. Ad exarchatum etiam ſpectaſſe Reggium Lepidi, Parmam, Placentiam teſtatur LEANDER ALBERTI *ex* AGNELLO *&* PLATINA *in deſcriptione Italiæ p. 290.* Vide quoque RVBÆVM *in hiſtoria Ravennatenſi p. 228.* Quanquam non dubitem, non ſemper eodem modo ſe habuiſſe exarchatum. Conſtat enim Rudolfi I. tempore ſaltem quinque comprehendiſſe civitates. *Le droit de l'Empire ſur l'etat Eccleſiaſtique p. 353.* Potuit &, antequam a Pipino papæ traderetur, pauciora complexus eſſe loca.

(c) *Venetiarum*) Venetias Gothis, imperatoribus, & Longobardis paruiſſe, auctor ſcrutinii libertatis Venetæ, quem aliqui VELSERVM fuiſſe conjiciunt, *p. 129. ſeqq.* nec a ſuccedentium Imperatorum & Italiæ regum poteſtate fuiſſe immunes, probatum ivit. Confer quoque PAVL. WARNEFRIDI *lib. 2. c. 14.* Tantam celeberrimus Venetorum hiſtoriographus PAVLVS SAREPTA memorato ſcrutinio veritatis vim ineſſe percepit, ut nunquam a ſua republica, ad ſtringendum in illud calamum, commoveri potuerit. Quæ GRASWINCKELIVS, TORRIVS & PIGNORIVS ei oppoſuerunt, non ſunt æque magni momenti. Neſcio, an plus ex vero habeat *PORTENARI apol. della liberta delli popoli Veneti antichi.*

(d) *Regibus ceſſerunt*) Pentapolin & exarchatum Luitprandus invaſit, qua in re Leonis in imagines ſævitie adjutus eſt; Aiſtulfus autem, Ravenna in poteſtatem redacta, exarchatu & pentapoli potitus eſt, & Eutychius exarch. in Græciam ſe recepit, *SIGONIVS lib. 3. ad annum 752. PAVLVS WARNEFRIDI de geſtis Longobard. lib. 6. c. 49.*

(e) *Reſtituit populo Romano aut pontifici*) *RVBÆVS in hiſtor. Ravennat. lib. 4. p. 213.* aſſerit, Aripertum Longobardorum regem anno 706, religione commotum, exarchatum Ravennatenſem & Alpes Cottias, in quibus eſt Genua, papæ dono dediſſe: verum exarchatus primum in Longobardorum ditionem ſub Aiſtulpho venit, & Ariberti donatio nihil aliud, quam patrimonium Alpium Cottiarum complexa eſt, quam deinde Luitprandus confirmavit. *PAVLVS WARNEFRIDI de geſtis Longobardorum lib. 6. c. 28. & c. 43.* Igitur Pipinus Francorum rex id, quod ex juſtitia interna Græcorum imperatori reddi debuit, eccleſiæ Romanæ contulit. CARD. SFONDR. *in Gall. vindic. diſſ. 2. §. 2. Le droit de l'Empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 31. ſeqq.* Iniquus profecto erat pontificis ſermo, quem cum Pipino miſcebat, ne exarchatus & pentapolis Conſtantino redderentur, quia Italiam deſeruiſſet, & inimicitias cum eccleſia foveret. *SIGONIVS de regno Ital. lib. 3.* Nemini ſane vitio verti poteſt, quod partem non tuetur, quando illud ratio reipublicæ non patitur, neque ob inimicitiam, quam ſibi pontifex ſubditus imaginabatur, princeps ejus tantis provinciis juſte privari potuit. Sunt, qui, hoc tempore, fictam Conſtantini donationem fabricatam eſſe, volunt, ut jus aliquod in terras, cui ſedes Romana inhiabat, prætexi poſſet. *PETRVS de MARCA de concordia ſacerdotii & imperii, le droit de l'Empire ſur l'etat Eccleſiaſtique p. 31. ſeqq. BVSS. hiſtor. Franc. lib. 4. p. 171. GROTIVS de J. B & P. lib. 3. c. 16.* Anſam autem Pipino, ſeſe rebus Italiæ immiſcendi, præbuit obſidium, quo Aiſtulphus Romam premebat. Hoc enim effecit, ut ejus opem efflagitaret pontifex, cujus precibus ut locum daret, eo paratior fuit, quod Zacharias reſponderat, non injuſte facturos Francos, ſi Chilperico ignavo abdicato, Pipino regnum addicerent. Hunc ob finem, cum de pontificis animo, veniendi in Galliam ipſi conſtaret, legatos ad Stephanum miſit, qui illum eo deducerent. Laxata deinde Roma ab obſidione, pontifex iter ingreſſus, habito primum colloquio cum Aiſtulfo, in Gallia advenit, ibique humaniter a Pipino & ſuis exceptus, & benigne, quamdiu ibi commoratus, habitus, facile, ut militem, ad corrigendos Longobardos Italiæ in-

§. 8. Ejus filius *Carolus*, (a) cognomento Magnus, devicto Deſiderio, Longobardorum Rege, anno DCCLXXIV. nihil quoque aliud (vel certe parum, ſi credimus iis, quæ habentur apud Anaſtaſium in vita Hadriani, & qui illa exſcripſit Baronio ad annum DCCLXXIV.) eorum, quæ Longobardi hactenus tenuerant, Romanis reddidit, *omnibus aliis in ſuam ditionem tranſcriptis.* (b) Et vero ille ex eo tempore non minus *Longobardorum* (c) quam Francorum rex dictus eſt. Ne Orientales quidem Cæſares quidquam Italiæ recuperarunt illa tempeſtate, niſi quod *Beneventanum Ducatum* (d) atque ultima *Calabria* (e) in ſuum patrocinium ſuſceperint.

§. 9. Hæc omnia usque adeo certa atque ex hiſtoriis in vulgus ſunt cognita, ut adductis teſtimoniis illa probare fuerit hominis otio ſuo abutentis, & orbem omnem non tolerandæ inſcitiæ arguentis. Sole vero hinc clarius eluceſcit, anno octingenteſimo, quo Cæſareus titulus ad Francos pervenit, nihil transalpinum, exiguam vero admodum Italiæ partem in Romanorum poteſtate, adeoque Romanum *Imperium Occidentale limitibus perangustis* (f) tum fuiſſe circumſcriptum.

Caput V.

Jura recuperandi provincias amiſſas Occidentalis Imperii, non ſuperfuiſſe Romanis, quo tempore Carolum Cæſarem dixerunt.

§. 1.

Quin poſſeſſione itaque totius pene Occidentis Romani tandem exciderint, nullum eſt dubium: an vero ſimul & juribus exciderint, eam per occaſionem recuperandi, haud æque forte eſt manifeſtum. Vid. omnino Fern. Vasq. controv. illuſtr. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 32. Bachovium & Grotium imperii veteris Romani pleraque periiſſe dicentes vult perſtringere, nec tamen poteſt Tabor in tr. de metatis *pag.* 117.

§. 2. Quin amittere & illa potuerint, nemo dubitaverit, qui norit jura illa, quibus ſua tenuere, non fuiſſe alterius ordinis, quam quibus alii populi ſua poſſident: quæ amiſſibilia eſſe certum eſt. Vere autem & amiſſa illa eſſe patebit, ſi quaſi certum poſitum ſit, regna quoque uſucapi & longo tempore præſcribi haud aliter atque alias res viliores: nec minus ex ſignis etiam poſſe præſumi factam derelictionem.

§. 3.

duceret, impetravit. Pipinum magis adhuc per unctionem, qua ipſum cum filiis reges conſecrabat, & ſic ſacra ſua manu omnem adhuc, quæ forte adeſſe potuerit, iniquitatis opinionem penitus quaſi delebat, ſibi obſtrinxit. Fluebant omnia Francis ex voto, & Aiſtulfus ad promiſſum de exarchatu & pentapoli cum aliis, quæcunque cepiſſet, reſtituendis adactus eſt. Sed Francis in Galliam reverſis nihil promiſſorum exſolvit, ſed direptis & vaſtatis ſuburbanis locis demum ad oppugnandam urbem acceſſit. Quæ cum Pipino nunciarentur, pontificis precibus, & Petri deinde etiam adjunctis codicillis, cœlo, ut fingere non erubeſcebant, delapſis, ut altera vice expeditionem in Italiam ſuſciperet, tandem locum dedit. Quo facto Aiſtulfum, ut pacem precaretur, & exarchatum cum pentapoli ſibi permitteret, aliaque, ut volunt, adjungeret, coegit. Pax deinceps utriusque jurejurando firmata, & exarchatus & pentapolis dominium aliquod utile a Pipino pontificiæ traditum eſt ſedi. *ANASTASIVS in Stephano* III. *SIGONIVS de regno Ital. lib. 3. in Aiſtulpho. BVSSIER hiſtor. Franc. lib. 4. p. 169. ſeqq. Annales Metenſes apud CHENIVM ad ann. 754. ADELMI Franc. regn. annal. p. 384. apud FREH. MEZERAI abregé chronolog. tom. 1. p. 214. ſeqq.*

(a) *Carolus*) Deſiderius, contra ſedem Romanam & exarchatum, nova moliens Carolum M. quem maxime eo ipſo, quod, ut Carolomanni filii nepotes ejus in parte paterna regni Francorum ſuccederent, moliretur, ſibi attraxit. Imo Deſiderius eo minus bellum hoc averſabatur, quod illud ex ſua parte obinde magis adhuc juſtum credebat, quia Carolus ſororem ejus vel filiam repudiaverat. Minus proſperum tamen Deſiderio fuit; nam regno exutus, cum conjuge & filio captus Leodium in exilium miſſus, Adalgiſusque filius Deſiderii & conſors ad Græcos ſe recipiens, non minus quam pater adverſa conflictatus fortuna, Deſideriano ſtemmati finem impoſuit. Deleto ſic Longobardorum regno, Italia in Francorum pervenit ditionem, Pipinique in ſedem Romanam donum a Carolo auctum confirmatumque fuit. *ANASTASIVS in vita Adriani p. 153. ſeqq. PAVL. DIACONVS in ſupplem. Longobard. p. 17. apud Freherum, Annales Metenſes, Poeta Saxo ad ann. 774. ENGOLISM. apud KVLPIS. in vita Caroli M. p. 48. SIGONIVS de regno Italiæ lib. 4. & 5. PETRVS de MARCA de concord. Sacerd. & Imp. lib. 3. c. X. MEZERAI abregé chronol. tom. I. p. 228. ſeqq. ECCARDVS in ſtemmate Deſideriano*, quod originibus ejus Auſtriacis junctum eſt.

(b) *omnibus aliis in ſuam ditionem tranſcriptis*) Audiamus hac de re diſſerentem SIGONIVM *de regno Italiæ lib. 3. p. 163. Ducatum inde Beneventanum Aragiſo Deſiderii regis genero Spoletanum Hildebrando, Foropopilienſem Ratgando permiſit, antiquo feudi jure erga ſe, quod erga reges Longobardorum fuerat conſervato. Exarchatum Ravennatem pentapolin, Ducatum romanum, Tuſcum & Campanum jure, (quoad dominium utile) principatu & ditione ſibi retenta, pontifici permiſit. Reliqua ipſe ſibi nomine regni retinuit. Id autem fuit quodcunque reges Longobardorum in Liguria Æmilia, Venetiaque poſſederant, Tuſcia quoque citeriore & Cottiis alpibus attributis. Ea pars Longobardia, ſive, ut poſtea diximus, Lombardia vocata, Exarchatus Romania ſive Romaniola nomine eſt vocatus.*

(c) *Longobardorum*) Sibi etiam diadema, quod a ſemicirculo ferreum dicitur, Meodetiæ imponi curavit. *MEZERAI abregé chronologique p. 231.*

(d) *Beneventanum Ducatum*) *POETA SAXO ad annum 786.* Carolus Aragiſum Salerni latitantem bello proſequi omiſit. *Aragiſus Dux Beneventanus ſuperbia elatus defecit. Superbiæ ejus illud ſit certo argumento, quod ultro novo titulo ſe pro duce principem appellari, & ab epiſcopis ſuis tanquam regem inungi & corona ornari juſſerat; atque in ſuis diplomatibus ex noſtro palatio ſubſcribere inſtituerat. SIGONIVS lib. 4. ad annum 756. EGINHARDVS* Carolum ab Aragiſo donis & obſidibus placatum eſſe tradit. Conf. quoque *ENGOLISM. p. 52. & annales Laurish. ad annum 788.*

(e) *Calabria*) Apulia, Calabria & Sicilia in Græcorum imperatorum ditione manebat. *MEZERAI abregé chronologique tom. 1. p. 231.*

(f) *Imperium occidentale limitibus perangustis*) Corpora moralia æque ac phyſica per diviſionem definunt talia eſſe, qualia ſunt, & ſi unum in plura diffluit alia corpora, non poſſum dicere, diviſa illa corpora, novam qualitatem & novas rationes induentia, adhuc priſtinum illud corpus conſtituere. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 9. §. 10. OBRECHT. ad c. 1. MONZAMBAN.* Quis itaque affirmare auderet, partes illas, quas gentes, Romanis barbaræ dictæ, occupaverant, ſuique juris fecerant, Romanum manſiſſe imperium. Imo ipſa Roma acceſſorium facta regni Gothorum, & deinde regni Græcorum, ac tandem pro exarchatus portione habita.

§. 3. Enimvero non iis poſſumus accedere, quos inter eſt & *Ferdinandus Vasquez*, (a) vir profecto doctiſſimus & ingenii acutiſſimi, *Hiſpanicæ jurisprudentiæ decus*, (b) qui omnem uſucapionis præſcriptionisque vim & auctoritatem ex uno civili poſitivo jure manare auctumant, eoque ad libera regna non pertinere acriter contendunt. Ut enim veriſſimum eſt, unius civitatis poſitivas leges non adſtringere reſpublicas liberas, adeoque ferendum minime eſt, ut omnium populorum controverſiæ ad amuſſim legum Romanarum quarumlibet etiam poſitivarum examinentur: ita videntur uſucapionis atque præſcriptionis quædam jura *ab ipſa natura conſtituta.* (c) Neque enim tantum civitatis alicujus, ſed & humanæ omnis ſocietatis intereſt, *ne quarundam rerum diu & fere ſemper incerta dominia ſint, & ut aliquis litium ſit finis*; quod præſtare uſucapio poteſt, ut recte ſcribitur *l.* 1. *ff. de uſurpationibus & uſucapionibus.*

§. 4. Multo maximi vero refert, ut controverſiæ de regnis & provinciarum poſſeſſionibus, quoad fieri poteſt, *ſopiantur:* (d) quibus nullæ aliæ potiores ſunt movendo orbi & publicæ tranquillitati perturbandæ. Atqui ſine quo ſalus ſua non conſtat mundo aut pax humano generi, illud indubie ipſa natura diligentiſſime vult obſervatum.

§. 5. Hinc ſane apud omnes gentes confeſſum, poſſeſſiones publicas non minus quam privatas multo tempore ita firmari, ut refelli nequeant; quod multis teſtimoniis, interque ea ipſius *Jephthis*, (e) præclare docet Hugo Grotius *l.* 2. *de jure belli ac pacis c.* 4. *n.* 11. *& in annotatis.* Vid. contra Vasq. nonnulla *lib.* 1. *maris clauſi* Seldeniani *cap. ult.* Beſold. lib. de Majeſt. *cap.* 4.

§. 6. Ut igitur forte *non juſto titulo* (f) primum Galliam Burgundi & Franci, Hiſpaniam Gothi, Suevi, Vandali, Pannoniam, Vindelicium & Noricum Hunni, Bojarii & Alemanni, Britanniam Saxones & Angli tenuerint: longa tamen & quieta poſſeſſione jam ſeculi noni initio, quo tempore ad Carolum magnum cæſareum nomen eſt delatum, omnes haſce gentes uſu cepiſſe provincias occupatas dicendum eſt. Scilicet jam per trecentos quinquaginta circiter annos duraverat tum poſſeſſio illa: cum Jephthes ad Ammonitarum regem iniquæ vindicationis olim ablata accuſandum trecentorum annorum poſſeſſionem ſufficere judicaverit. Neque vero ſimpliciter verum eſt illud, quod dicitur: *quæ ab initio non valent, ex poſt facto convaleſcere non poſſe:* ſed tum demum, ſi cauſa nova jus per ſe idonea gignere non acceſſerit. Tanti autem temporis præſcriptione acceſſit utique novum jus maximum & longe æquiſſimum.

§. 7. Nec tamen dixerim omnes illos germanicos populos nihil habuiſſe juris ad occupandas provincias. Nam ſi quod jus eſt victorum in hoſtes & illorum bona, utique & germanicis hiſce populis non defuit jus ſibi vindicandi, romanis, infenſiſſimis ſuis & perpetuis hoſtibus, per victoriam erepta. Certe minore juris ſpecie Romani pleraque ſua acquiſivere, ſi verum fatendum eſt. Porro & id certum, Britanniam ultro a romanis *derelictam:* (g) Galliam vero Wiſigothis inhabitandam *conceſſam eſſe.* (h) Et Provinciales ipſi quamplures ultro expetiverunt ſub Gothis & Francis eſſe: qua de re vide Salvian. *lib.* 6. Iſidor. in Chron. *pag.* 206. Rittershuſ. ad Salvian. *p.* 563.

§. 8. Omnes vero illas, quas dixi, provincias a romanis pro derelicto habitas eſſe, multis ſane ſignis colligere eſt. Neque enim tanto temporis intervallo, vel verbis vel factis illas ſibi repetierunt: quin poſt illas provincias jam magnam partem occupatas cum Francis ac Viſigothis non

unum

(a) *Ferdinandus Vasquez*) *Controv. illuſtri. lib.* 2. *c.* 51. *n.* 23. *ſeqq.* ubi recitat veterum permultos, qui idem cum eo ſenſere; quibus ſe jungit *CASSANVS dans la recherche des droits du Roy & de la couronne de France &c.* Aſt ei ſe oppoſuerunt *ZYPÆVS in hiatu Caſſani obſtructo*, & *BLONDELLVS in genealog. Franc.*

(b) *Hiſpanicæ jurisprudentiæ decus*) Vid. *GROT. de mari libero c.* 7. & *auctor differt. de conſtit. epiſcop.* §. 48.

(c) *ab ipſa natura conſtituta.*) Hanc ſententiam GROTII contra Puteanum defendere anniſus eſt WERLOFIVS. Termini, inter quos annotationes meas coercere cogor, non patiuntur, ut utriusque ſententiæ robora examinem: videtur tamen mihi diuturna poſſeſſio non niſi præſumtionem facere, aliquem habere animum illud derelinquendi, cujus tanto temporis tractu, contra humanæ naturæ indolem, ſi illud adhuc in rebus ſuis eſſe vellet, rationem non habet. Admittit autem ejusmodi præſumtio probationem in contrarium, domino animum derelinquendi non fuiſſe. Ex jure naturæ enim hypothetico, quod introducta dominia præſupponit, ſuum cuique eſt tribuendum, & nullo tempore, quod effectum moralem progignere nequit, nemo jus ſuum amittere poteſt, niſi illud in alium aut ſua ſponte aut jure cogente transferat: Aſt ad jus cogens, ſecundum regulas ſtatus æqualitatis, nemo facile referet negligentiam, rem ſuam ab alio vindicandi; cum quilibet rerum ſuarum ſit arbiter, iisque abuti queat, in quantum in ſocietate viventibus voluntas ſuperioris non obſtet.

(d) *ſopiantur*) *PVFFENDORFF. de jure nat. & gent. lib.* 4. *c.* 12. §. 11. Gentes poſſeſſiones ſuas nullo ſolido juris titulo defendere valentes, ad temporis lapſum, tanquam ad ſacram ſæpe confugiunt anchoram, aliquando etiam, cum aliis ſolidioribus longe innitantur fundamentis, ad præſcriptionem ſeu temporis continuationem, tanquam loquendi compendium, provocant. BOECLER. *ad lib.* 2. *c.* 4. §. 2. H. GROTII *de J. B. & Pacis*, vide tamen, quæ contra hæc affert FELDENVS *in notis ad cap.* 4. *lib.* 2. *H. G. de J. B. & P.*

(e) *Jephthis*) Vide *FELDENVM l. c.* Veterum loca, ut & quod ad Jephthis hiſtoriam attinet, nihil aliud involvunt, quam ex longæva poſſeſſione dominii opinionem, non dominium exoriri.

(f) *non juſto titulo*) In Romanos hoſtes ſuos, cum quibus nullum ipſis intercedebat fœdus aut pacis pactio, jure illo ſtricte dicto, quo in hoſtem, cum quo nulla nobis intercedit juris communio, omnia licent, utebantur, & eodem nonnunquam jure Romanis provincias adimebant, quo illas Romani maximam partem occupaverant. *GROTIVS de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 15. §. 15. & *lib.* 3. *cap.* 8. Denique & gentium Germanicarum quædam fuere, quæ Romanis aut jubentibus aut conſentientibus, terris, quæ in eorum ditione erant, potiti ſunt.

(g) *derelictam*) Et juſtitiæ cauſam aliquam Anglosaxonibus, ut Britannis terras eriperent, ex denegatis ſtipendiis partam eſſe, ſupra monui.

(h) *conceſſam eſſe*) *ALTESERRA rerum Aquitanicarum lib.* 5. *c. X. XI. JORNANDES de rebus Geticis c.* 30. 32. 63. *RODERIC. Toletan. Vand. hiſt. c.* 12.

unum fœdus inierunt: (a) quale profecto fuit inſigne illud contra *Attilam:* (b) quo in bello niſi Franci & Viſigothi a romanis partibus ſtetiſſent, nihil forte illius imperii manſiſſet tum reliquum. Ita quoque Caſſiodorus in Chron. ſub COSS. Theodoſio XV. & Valentiniano IV. *His COSS. pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum Africa portione.* Et paulo poſt: *Cum Genſerico ab Aug. Valentiniano pax confirmata, & certis ſpatiis Africa inter utroſque* (c) *diviſa eſt.* Add. quæ de Theoderico rege ibidem leguntur. Proſper in Chron. *anno XX. Arcad. Aquitania Gothis tradita.* (d) De Vandalorum in Africa libero regno vid. M. Anton. de dominis *lib. 6. c. 11. n. 10.* De Hiſpania *Vandalis promiſſa*, (e) Procop. *lib. I. de bello Vandalico.* De *Clodoveo magno*, (f) Francorum in Galliis rege potentiſſimo, ſcribit Gregorius Turonenſis *l. 11. c. 38.* illum ab Anaſtaſio cæſare codicillos de *conſulatu accepiſſe*, (g) *cumque ab ea die tanquam conſulem & Auguſtum eſſe vocitatum.* Francos autem *nunquam paruiſſe populo romano*, (h) oſtendit Molinæus ad decretum Gratiani *p.* 250. De Juſtiniani illis *cognomentis* (i) Francicus, Alemannicus, Germanicus &c. vid. notata H. Grot. *Flor. Sparſ. ad jus Juſtinian. proœm. inſtitut.* Francis *potius confirmatam* (k) a cæſare poſſeſſionem Galliæ Narbonenſis, notat Baronius ad ann. 549. conf. Ezech. Spanhem. de numis *pag.* 21. De Longobardis Pannoniam incolentibus Paulus Diaconus hiſt. miſc. lib. XVI. c. XIX. & hiſt. Longobard. *lib. 2. c. 1. omni tempore, quo Longobardi poſſederunt Pannonias romanæ reipubl. adverſus æmulos adjutores fuerunt.* (l) Pannoniam vero, h. e. omnem terram, quæ inter Danubium & Savum eſt, jam Attilæ conceſſam fuiſſe a romanis pacto inter Attilam & Aëtium, liquet ex Priſci excerptis *p.* 57.

§. 9. Unde colligitur jam tum provincias illas, novis illis dominis atque occupatoribus romanos quaſi ultro conceſſiſſe. Nam qui contrahit cum poſſeſſore rei, ut ipſa illa re is utatur, is rei illius poſſeſſionem alterius eſſe *tacite confitetur:* (m) contrahit ſiquidem cum illo tanquam cum domino illius rei. Habet certe hoc locum etiam inter populos liberos, nec tam jure civili valet quam naturali: ut recte docet Grotius, vir ſummus, *l. 11. de jur. bell. & pac. cap. 4. §. 4.*

§. 10.

(a) *unum fœdus inierunt*) Ex quo enim gens cum gente, quæ eam regionibus quibusdam privavit, paciſcitur, nullam, ut jus ſuum, ſalvam habeat, addens reſervationem, tacite jure ſuo deceſſiſſe creditur.

(b) *Attilam*) Sed tunc Franci Galliam nondum occupaverant, cum una cum Viſigothis, Romanis, contra Attilam in campis Catalaunnicis pugnantibus, opem ferrent. GREGOR. TVRONENSIS *hiſtor. Francica lib. 2. c. 7.* JORNANDES *de rebus Geticis c. 43. BONFIN. rer. ungar. decad. I. lib. 4. p. 64. BVSSIER hiſtor. Franc. lib. 1. p. 12. MEZERAI abregé chronologique p. 21. ALTESERRA rer. Aquit. lib. 5. c. 12.*

(c) *inter utroſque*) RODERIC. TOLET. *Vand. hiſtor. cap. 13.*

(d) *Aquitania Gothis tradita*) IDACIVS in chronico teſtis eſt, Ataulphum Aquitaniam una cum Narbonenſi provincia ex pacto nactum eſſe. Conf. PAVLI DIACONI *hiſtor. miſcell. lib. 4. SIGEB. ad annum 408. ALTESERRA rerum Aquitan. lib. 5. c. 11. 16. l. 5. c.* 11. Omni tandem Aquitania, prima, ſecunda & tertia, quæ & Novempopulania dicta eſt, ex conventione cum Romanis potiti ſunt.

(e) *Vandalis promiſſa*) Videtur tamen ad tempus ſaltem & precario conceſſa, illud enim ſuadent PROCOPII *verba, hiſtor. Vandal. lib. 7. p. 5. apud GROTIVM p. 9. Vandali Godegiſelo duce in Hiſpania conſederunt, quæ prima eſt ab oceano Romanorum provincia, cum hoc Godegiſelo paciſcitur Honorius, ut ſine populorum malo eam ſedem tenerent: cumque lex eſſet apud Romanos, ſi qui res ſuas non poſſiderent, & triginta anni elaberentur, illis nec ultra liceret, res a poſſeſſoribus vindicare, ſed præſcriptione a judicio removerentur, novam tulit, ne id tempus, quo Vandali romano in ſolo morarentur, ad pariendam præſcriptionem valeret quicquam.* Vide quoque *VASÆI chron. Hiſp. p. 659.* apud SCHOTTVM *Hiſpan. illuſtrat. tom. 1.* ubi, typographi errore, loco lib. I. PROCOPII tertius, qui non extat, citatus eſt.

(f) *Clodoveo magno*) Hunc, primum ex Francicis regibus Chriſto nomen dantem, verum regni Francorum in Gallia fundatorem facit P. DANIEL *in hiſtoria Franc.* illosque, qui ante ipſum Francorum reges vocantur, non habuiſſe fixam in Gallia ſedem, ſed tantum in eam impreſſiones feciſſe, & quædam ſaltim loca in ſuam redegiſſe poteſtatem, dicit. De veteribus Francorum regulis conf. RVINARDVS *in præfat. quam Gregorio Turonenſi præmiſit.*

(g) *conſulatu accepiſſe*) Additaque fuere ornamenta imperialia purpurea toga, pallium & diadema, quæ Clodovæus in eccleſia S. Martini ſuſpendi curavit MEZERAI *abregé chronologique tom. 1. p. 35. Inventaire general de l'hiſtoire de France par* JEAN de SERRES *p. 22.*

(h) *nunquam paruiſſe populo romano*) Negare non poſſumus, Francos a Romanis unam aut alteram paſſos eſſe cladem, quo ſpectare videtur aureus Conſtantini magni nummus, de quo SPANHEMIVS *de præſtantia uſuque numismatum p. 747.* teſtatur, ei inſcriptum eſſe: *Gaudium Romanorum Francia.* Sed eos a Romanis eſſe ſubjugatos, ex nullo auctore fide digno conſtat.

(i) *cognomentis*) *PAVL. WARNEFR. lib. 1. c. 35.* Probus jam apud VOPISCVM, Francicus, Gallicus, Sarmaticus, Parthicus vocatur. Vide CANGIVM *de nummis Conſtantini M. diſſert. 55. fol. 33. BERGERI Juſtinianus.*

(*) *Vindicatus & enucleatus*) Supra jam notavi, moris fuiſſe apud Romanos, imperatoribus ſuis a levi etiam damno hoſtibus dato cognomen ex illa gente, cum qua bellum gerebatur, indidiſſe. Ex *AGATHIA in hiſtoria Juſtiniani lib. 1. c. 1. 4. 5. 9. 12. lib. 2. c. 1. 3. 4. 5. 6.* conſtat, Francos, quibus Allemanni juncti erant, improſpero nonnunquam adverſus Romanos in Italia, cum Gothis ſuppetias ferre nitebantur, uſos eſſe armorum ſucceſſu. Interim tanta non erat Francorum clades, ut obinde victoris imperata facere, multo minus in ejus ditionem concedere coacti fuerint. Neque Narſes contra Francorum terras aliquid tentare audebat. Nec igitur Theodobertus absque ratione titulum Francici & Alemannici a Juſtiniano uſurpari inique tulit. *AGATHIAS lib. I. c. 3.*

(k) *potius confirmatam*) *Gallias omnes, quæ ſui erant imperii, belli hujus initio Germanis conceſſerant Gothi, quod duobus ſe hoſtibus pares non exiſtimarunt, ut jamdudum memoratum mihi eſt. Neque Romani obſtitere, quin hoc amplius Juſtinianus poſſeſſionem firmavit, ne his quoque Barbaris in ſe concitatis damni aliquid acciperet, nam ne ipſi quidem Franci tutum manſurumque jus ſibi viſi ex IMPERATORIS auctoritate ſperabant.* PROCOP. *hiſt. Goth. lib. 3. p. 386.* JVNIVS *in Batavia p. 70.*

(l) *adjutores fuerunt*) Imo Juſtinianus *Norici urbem & quod in Panonia munitum erat, alioſque præterea agros & pecunias Longobardis donavit. PROCOP. lib. 3. hiſt. Goth. p. 387.* Sic & Gepidarum legati in oratione coram Juſtiniano habita dicunt: *En Francis, en Herulis, en his ipſis Longobardis imperator oppida & agros dediſti innumeros loc. cit. p. 391.* Addere liceat ex hoc Procopii libro nonnullos, ut & ex aliis veterum locis, colligere, Gepidas a Gothis fuiſſe diſtinctos; verum antiquitatum peritis non eſt ignotum, illos, qui in priori ſede remanebant, nomen, literis aut ſyllabis quibusdam diſcrepans, nonnunquam nactos eſſe.

(m) *tacite confitetur*) *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. cap. 4. §. 4.*

§. 10. De una Italia fortaſſis aliter ſeſe res habet: quoniam inter Longobardos & Cæſares populumque Romanum perpetua pene fuerunt bella. Longobardi enim non videntur unquam in quieta Italiæ poſſeſſione fuiſſe. Longobardi inquam: Oſtrogothorum enim alia ratio fuit. De Theoderico ſane, qui pulſo Odoacro princeps Oſtrogothorum Italiæ regnum inſtituit, in hæc verba *libello de regnor. ſucceſſ.* Jornandes: *Theodericus Zenonis Augusti pellectus humanitate Conſtantinopolim venit, ubi magiſter militum ſtatim effectus, Conſulis Ordinarii triumphum ex publico dono peregit. Sed quum tunc Odoacer regnum Italiæ occupaſſet, Zenon Imperator cernens jam gentes patriam illam poſſidere, maluit Theoderico, ac ſi proprio jam clienti, eam committi, quam illi quem nec noverat. Secumque ita deliberans ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi populum ſenatumque commendat: ovansque rex gentium & Conſul Romanus Theodericus in Italiam petit.* Ejus in Italiam adventum deſcribit Caſſiodorus in Chron. ſub COSS. Patritio & Hypatio: *Hoc anno Dn. Rex Theodericus Romam, cunctorum votis expetitus, advenit; & Senatum ſuum mira affabilitate tractans Romanæ plebi donavit annonas: -- Sub cujus felici imperio plurimæ renovantur urbes, munitiſſima caſtella conduntur, conſurgunt admiranda palatia, magnisque ejus operibus antiqua miracula ſuperantur.* Idem Jornandes *l. de rebus Geticis* Theodericum inducit a Zenone petentem donari ſibi Italiam: *Expedit namque, ut ego, ſi vicero, vobis donantibus regnum illud poſſideam:* Item: *Ego enim, ſi vicero, veſtro dono veſtroque munere poſſidebo.* Paulus Diaconus *hiſtor. miſcell l.* 15. *c.* 7. ſcribit, Theodericum Romæ *conſenſu Zenonis* Auguſti regnaſſe, Zenonemque poſtulatis ejus annuiſſe: conf. Evagr. hiſtor. eccleſiaſt. *lib.* 4. *c.* 18. *p.* 292. Idem Jornandes nos docet, Juſtinianum bello ſuo Gothico non aliam cauſſam prætexuiſſe quam Amaleſuenthæ reginæ, quæ fidei ejus ſe commiſerat, indignam necem. Vide ſis qui dubitas *l. de rebus Goth. cap. LX. & librum de regnorum ſucceſſione cap.* 113. Quibus cum conſentit Procopius, Græcus ætatis illius ſcriptor, *in Gothicis lib.* 1. docens, Zenonem ultro poſſidendam Italiam Theoderico obtuliſſe. Onuphrius autem *lib. de Comitiis cap.* 4. ſcribit, Gothos injuſte a Juſtiniano bello petitos tanquam Imperii invaſores.

§. 11. De Oſtrogothis igitur res certa eſt, haud invitis Romanis Imperatoribus Italiæ illos imperaſſe. Cum Longobardis vero plurima quidem geſta bella, ſed & pax cum iis tanquam Italiæ poſſeſſoribus haud ſemel eſt inita, quaſi certamen fuerit tantum de finibus, non autem de regno integro. Agilulphum regem cum Gregorio Magno & Romanis pacem *firmiſſimam* (a) iniiſſe ſcribit Paulus Warnefridus *l.* 4. *de geſtis Longobardorum c.* 8. adductis in eam rem Gregorii literis. Ubi obiter notandum, hunc Gregorium adeo fuiſſe a cædibus, & bellis *alienum*, (b) ut non dubitaverit ſcribere ad Mauricii Cæſaris Apocriſiarium: *Unum eſt, quod breviter ſuggeras Sereniſſimis Dominis noſtris: quod ſi ego ſervus eorum in mortem Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem nec duces nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido.* A qua morum innocentia quantum diſceſſerint Papæ, exundans ſanguine ſuo Italia hodieque experitur. Verum hoc obiter. Recitat autem Warnefridus idem, ſimiles pacis conventiones inter *Exarchos & Longobardos* (c) initas plurimas, quarum conditiones etſi haud recitat, ſatis tamen ſignificat verum eſſe, quod diximus, tandem de totius Italiæ poſſeſſione nullam controverſiam fuiſſe.

§. 12. Idipſum maxime liquet ex iis, quæ Pipinus & Carolus magnus in Italia geſſerunt. Neque enim per illos quidquam Romani reddi ſibi petierunt, quaſi per vim a Longobardis ereptum, præter vicina quædam caſtra, exarchatum Ravennæ & Æmiliæ nonnulla oppida. Narrat id diſerte Anaſtaſius bibliothecarius in *vita Papæ Stephani.* (d) Ipſius illius Papæ ſub S. Petri nomine (majore vanitate incertum an impietate) fictas & ad Pipinum miſſas literas ex latebris Vaticanæ bibliothecæ deprompſit, & ad annum DCCLV. annalibus ſuis inſeruit Baronius: quæ itidem nihil aliud reſtitui poſtulant. Sed nec aliud per Pipinum Aiſtolpho Longobardorum regi eſt ereptum. Diſer-

(a) *firmiſſimam*) Studiis potiſſimum reginæ Theodolindæ, quæ Agilulfo marito pacis inſpirabat conſilia, quod eſt epiſtola Gregorii, ad eam exarata, apparet, *l. c. c.* 9.

(b) *alienum*) *PAUL. DIAC. l. c. c.* 30.

(c) *Exarchos & Longobardos*) *PAUL. WARNEFRIDI lib.* 4. *c.* 13. *&* 23. Cum Phoca imperatore Agilulfus annalem fecit pacem cap. 36. Ruinualdus Beneventanorum dux Grimoaldi regis Longob. filius cum Conſtante Auguſto pacem pepigit. *P. WARNEFRIDI lib.* 5. *c.* 8. Inter Luitprandum regem & Eutichium exarchum fœdus vel potius ſponſio conſtituta.

(d) *vita papæ Stephani*) Monui jam tum, pontificem Romanum nullo jure exarchatum & pentapolin ſibi tradi poſtulaſſe. Spectabant enim illæ terræ ad imperatorem Græcum, quas Aiſtulfus invaſerat, a quo, tanquam invaſore & uſurpatore, nullum jus proprie dictum ad ſedem Romanam tranſmitti potuiſſe, ipſi romanæ ſedis patroni fateri neceſſum habent: Imperatores Conſtantinopolitani illas terras ſemper ut ſuæ ditionis conſiderarunt, nec aliquid juris pontifici largiti ſunt *PAUL. DIACONUS de geſtis Longobardorum lib.* 5. *c. XI.* Gregorius II. publicis precibus Deum exorare inſtituit, ne populi deſiſterent ab amore vel fide Romani imperii. Nec hic, nec alii pontifices ipſum proxime ſequentes, quod exarchatus eorum temporali ſubeſſet poteſtati, prætendere auſi ſunt. A Gregorio III. imperatorem ut ſuum cultum eſſe dominum, & ex eo aliquibus conſtare videtur, quod illum aſſidue precibus fatigaverit, ut ſacræ admitterentur imagines. Denique Stephanus, antequam Pipini imploraverit opem, imperatorem, ut oppreſſis ſuis ſubditis præſto eſſet, obnixe rogavit. Et quanquam Aiſtulphus in exarchatu ſe ut imperii vicarium gereret, ſerio tamen ipſum imperator admonuit, ut a civitatibus ad Longobardorum regnum non ſpectantibus abſtineret. Cumque Pipinum animo volvere, ut exarchatus cum pentapoli in pontificis perveniret manus, percepiſſet, tam ante Pipini in Italia adventum, quam cum altera ibi hæreret vice, ne hoc, ab æquitate plane remotum, fieret, per nuncios monuit. Vide *acta conventus II. anno 1710. Rom. inter cæſar. & papal. miniſtr. habiti.* Scio quidem Anaſtaſium adhibere vocabulum: *reſtituere*, ſed eruditis non eſt ignotum, hunc, aut ſi quis alius ſub ejus nomine lateat, vitæ Stephani & Hadriani ſcriptor non ubique ſat accurate vocabulorum ſelectui indulgere; imo in jure noſtro occurrunt loca, ubi vox *reddere* vel *reſtituere* idem eſt, quam *donare*, *L. fin. §. fin.* ff.

Diſerte annales Francici: *Pipinus redditam ſibi Ravennam & Pentapolin & omnem exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Nec Anaſtaſius enumerans *urbes omnes* (a) a Pipino reſtitutas præter has ipſas habet ullam. Plura quidem donata narrat LEO *hiſt. Caſinenſis l. 2. cap. 7.* quem ſequi maluit Baronius: verum huic *recentiori ſcriptori* (b) majorem fidem quam ipſi *Anaſtaſio bibliothecario* (c) deberi, haud profecto temere cui probabitur, niſi quem curiæ Pontificiæ amor excœcavit: utque vera ſint, quæ ille habet, patet tamen ſatis, nec Romanos reddi ſibi petiiſſe omnem Italiam, nec Pipinum niſi pauca ejus injuſte a Longobardis eſſe occupata, exiſtimaſſe.

§. 13. Nec Conſtantinopolitani quidem Cæſares niſi hanc exiguam Italiæ portionem a Pipino ſibi poſtularunt: ceu patet ex iis, quæ poſt alios narrat Baronius ad annum DCCLIII. Porro etiam hoc longe eſt veriſſimum, ipſum quoque Carolum magnum deſtructo Longobardorum regno neutiquam illam potiorem Italiæ partem, vel populo Romano, vel ejus Pontifici, vel Cæſari Conſtantinopolitano conceſſiſſe; neque vel populum illum, vel Pontificem, vel Cæſarem poſtulaſſe eam ſibi reſtitui, ſed in Francorum ditionem eam omnem terram perveniſſe. Certe ejus poſtulati nulla reperitur memoria, multo minus hujusmodi alicujus conceſſionis. Contra teſtantur hiſtoriæ, Carolum magnum ſtatim a devicto Deſiderio regnum Longobardorum omne, quaſi jure belli occupatum, adminiſtraſſe. Hinc *annales Francorum* (d) anno IↃ CCLXXIV. *Rex Carolus ſubacta & pro tempore ordinata Italia in Franciam revertitur.* *Poetaſter* (e) anonymus antiquus *lib. 1. annal.*

Dedita tum Francis hæc urbs clariſſima (Papia ſcil.) *cunctis*
Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes
Tradiderunt Carolo ſeſe concorditer urbes
Ejusdem regni: quod jam ſibi jure ſubactum
Diſpoſuit, quantum potuit pro tempore tali.

§. 14. Iidem annales, ut & ille Poetaſter, memorant anno IↃ CCLXXVI. *Rotgaudum* (f) Forojulienſibus Ducem a Carolo datum defeciſſe; ſed illo devicto provinciam iſtam *Francorum Comitibus*

ff. de cuſtodia reorum, L. verbum reddi ff. de verb. ſignificat. Nam Pipinus proprie reſtituere non potuit, quod nunquam habuit, ex parte Aiſtulphi reſtitutio dici quidem potuit, modo vero domino facta fuiſſet. Cumque Carolus M. patris donationem confirmare aut ſimilem facere voluerit, *EGINHARDUS c. 6. LEO epiſt. 1. & 6. PETR. de MARCA lib. 3. c. X. §. 5.* ſequitur, cum nihil juris in ſedem romanam transferre potuiſſe, cum nec ipſe, nec pater, tale quid habuerit. *EGINHARD. in vita Caroli cap. 6. annal. LAURISHAM. ad annum 756.*

(a) *urbes omnes*) Negari nequit, exarchatus modo ampliora modo ſtrictiora confinia fuiſſe. *ANASTASIUS in vita Stephani III. p. 122.* ait, Pipinum promiſiſſe modis omnibus & exarchatum Ravennæ & jura reipubl. reddere. Verum in vita Stephani III. diſtinctius explicat per confinium deſignationem, quæ Pipinus in Cariſiaco donavit: *a Lunis*, inquit, *cum inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardoni, id eſt, in veredo, deinde in Parma, deinde in Regio, & deinde in Mantua atque monte ſcilicis, ſimulque univerſum exarchatum Ravennatium*, ſicuti antiquitus erat (ante annum 955.) *atque provincias Venetiarum & Hiſtriam, nec non & cunctum ducatum Spoletanum & Beneventinum.* Eadem de donatione Caroli M. *in vita Adriani p. 156.* tradit. Conſtat tamen, omnia hæc loca ad ſedem romanam nunquam perveniſſe, nec Comachum, quod deinde ab Aiſtulpho adjunctum dicitur, exarchatus proprie dicti fuiſſe partem. *Acta conventus II. p. 36. JORDANUS in hiſtoria, ab abbate ZACAGNIO* allegatus. De exarchatu dicit, quod fuerit principatus ſuper ſex civitates Romandiolæ. *ZACAGNIUS in differt. num. 4.* a Pipino tantum viginti civitates, quæ exarchatus & pentapolis partes fuere, donatas tradit, & ſic excludit Æmiliam; atque exarchatum & Pentapolin diſtinctas fuiſſe provincias ſupponit, num autem antecedenti exarchatum Pentapolin comprehendere affirmat; quamvis romanæ ſedis adulatores injuſtam illam donationem, quam *VOLATERANUS lib. 3. p. 39.* ceſſionem vocat, quovis modo extendere non erubeſcant. Spectat huc inſcriptio, quæ legebatur in aula Vaticana per Raphaelem tabulæ, Pipini donationem referenti, ſubmiſſa: *Pipinus pius amplificanda eccleſia romana viam aperuit, exarchatu, Ravennate & plurimis aliis oblatis.* Conf. *differt. hiſtorique ſur quelques monnoyes de Charles M. p. 1.*

(b) *recentiori ſcriptori*) *LEO MARSICANUS*, ex Caſſinenſi monacho epiſcopus Oſtienſis, tres priores libros chronici caſſinenſis compoſuit, quibus Petrus Diaconus IV. addidit. Claruit ſub initium decimi & finem undecimi ſeculi. VOSSIUS *de ſcriptoribus latinis lib. 2. c. 48.* Nova chronici memorati editio in tomis ſcript. Ital. nuper in Italia in lucem editorum, conſpicitur.

(c) *Anaſtaſio bibliothecario*) Dubium eſt, an unam ſaltem vitarum pontificum, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, Anaſtaſius conſcripſerit. *ZACAGNIUS in princip. differt. hiſtorica. Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique ch. 2. CIAMPIRI examen libri pontific.* opinatur non ſolum Anaſtaſium has vitas habere auctorem, ſed novis ſæpe contemporaneis ſcriptoribus deberi, aliquos autem eorum longe poſt eſſe compoſitos. *LAMBECIUS lib. 2. bibliothec. caſ. p. 409.* fatetur, hiſtoriam, quæ ſub Anaſtaſii nomine circumfertur, multis erroribus & incertis ac a veritate alienis refertam eſſe. *FLORAVANT Martinel bibliothecarius vaticanus in ſua Roma p. 409.* tradit, quod dictum opus multa contineat a veritate aberrantia & ſecum pugnantia. PETR. HALLOIX *ad cap. 15. defenſ. Originiana* auctorem hunc deformatorem veritatis & fœdarum hallucinationum collectorem vocat.

(d) *annales Francorum*) *Pag. 71. ANN. ANGOLEM t. 2. hiſt. Franc. apud CHENIUM. PAUL. DIACONUS in ſupplemento Longobardorum p. 179. apud FREHERUM chronic. Vindiocinenſe tom. I. LABB. p. 283. ANNALES METENSES ad annum 774. chron. Leod. apud LABB. biblioth. inſcr. ad annum 774. PAUL. DIACONUS de epiſcopis Metenſis eccleſia apud* FREHERUM *in corpore Francica hiſtor. p. 176. Anonymi vita Hadriani apud* VGHELLUM *t. 2. &* MABILLON *muſæi Italici tom. 1. p. 38.* Elogia Deſiderii, quibus pontifices, quamdiu ex nutu eorum vivebat, illum venerati ſunt, *CASTILIONÆUS in notis ad THES. de regno Italia p. 173.* refert.

(e) *Poetaſter*) Apud KULPISIUM *p. 5.* ſcripſit hic Arnulpho cæſare imperante res a Carolo M. geſtas impolitis quidem ſcabrisque, ſed candidis verſibus. *SCATENIUS in hiſtor. Weſtphal. p. 420.*

(f) *Rotgaudum*) Qui regiam affectabat dignitatem atque in ſuas partes quamplurimas civitates, ſoceri Marchiæ Treviſanæ præfecti ope adjutus pertraxerat; ſed rebellionis crimen morte, ipſi in pugna adverſus Carolum obtingente luit. *ANNALES LOISELLUNI ad annum 776. ANNALES LAURISHAMENSES ad annum 776. EGINH. annal. ad eundem annum.*

bus (a) traditam. Anno item ꟾↄ ccLxxix. Ducem Spoletanum in ducatu ſuo confirmatum. Iidem memorant anno LXXXI. *Pipinum* (b) filium Caroli Regem Longobardiæ eſſe conſtitutum. Verba eorundem memoratu digna ſunt anno ꟾↄ ccLxxxvi. *Rex ſtatuit Romam proficiſci & partem Italiæ, in qua Beneventum ſitum eſt, aggredi: conveniens eſſe arbitratus, ut illius regni reſiduam portionem, ſuæ poteſtati ſubjiceret, cujus caput capto Deſiderio rege, majoremque partem in Longobardia jam ſubacta, tenebat.* Teſtantur vero iidem etiam, *Beneventanum ducatum* (c) Carolo tunc ceſſiſſe, & quidem Adriani Pontificis conſilio. Mitto alia teſtimonia: ne videar ſoli lucem fœneraturus. Id non poſſum non adducere, Carolum ſtatim a capto Deſiderio ſe ipſum regem *Francorum & Longobardorum* (d) adpellaſſe. Recitat ejus Epiſtolam ad Albinum anno ꟾↄ ccLxxiix. item privilegium conceſſum monaſterio Pariſienſi S. Vincentii anno ꟾↄ ccLxxiii. hoc titulo ornatum, Baronius. Ipſe Adrianus Papa hoc titulo Carolum laudat longa illa epiſtola ad Conſtantinum & Irenen perſcripta, quam ex actis Concilii Niceni ſecundi recitat idem Baronius ad annum ꟾↄ ccLxxxv.

§. 15. Ex quibus perſpicuum eſt, totum Longobardorum regnum tenuiſſe Carolum, & quidem nullius beneficio, ſed ſuo gladio acquiſitum; neque in illud vel populum romanum, vel pontificem, vel denique cæſarem Conſtantinopolitanum quicquam amplius ſibi juris arrogaſſe. Et poſtremum quidem eo confirmatur, quod, ſi credimus Baronio, Irene imperatrix ruperit anno ꟾↄ ccLxxxiix. *ſponſalia inter Conſtantinum* (e) & filiam Caroli contracta, quoniam Carolus ducatum Beneventanum invaſiſſet, quem in ſuum patrocinium orientales imperatores ſuſceperant. De toto ſcilicet Longobardico regno mota lis nulla fuit.

§. 16. Ad hunc modum, quæ Longobardi occuparant, poſſederat Carolus *ab anno* DCCLXXIV. (f) hoc eſt, pene per triginta jam annos, quando cæſar dictus eſt. Unde liquet, tunc temporis neque Romanos aut pontificem quicquam juris amplius in illud Longobardicum regnum ſibi tribuiſſe, ſed pro derelicto habuiſſe: neque Carolum ipſum, religioſiſſimum principem, Romani aut pontificis, aut populi, aut cæſaris jus aliquod in provincias illas Italiæ agnoviſſe. Adeoque & id jam conſtat, ea tempeſtate ad romanum imperium occidentale ne jure quidem pertinuiſſe quicquam, non tantum Transalpinum, ſed ne Cis-alpinum quidem; ſi excipias pauca illa Italiæ ſæpius jam memorata.

Caput VI.

Quorumnam in poteſtate fuerint tandem ante imperium Carolinum occidentalis imperii reliquiæ.

§. 1.

Antea quam pergamus, fortaſſis haud abs re fuerit, ſi expoſuerimus quorumnam in poteſtate ultimis illis temporibus fuerint illæ occidentalis imperii in Italia reliquiæ. Sane dabit hoc lumen paulo poſt dicendis ſatis inſigne.

§ 2. Omnia illa in poteſtate fuiſſe cæſarum orientalium usque ad rebellionem illam ſolennem adverſus Leonem Iſaurum, certum eſt. Per rebellionem autem illam quid primo effectum ſit, & quo auctore illa cœperit, ſcribit in hæc verba Zonaras: *Gregorius, qui tum Romæ veteris eccleſiam gubernabat, repudiata ſocietate Præſidis novæ Romæ, nec non eorum, qui illum ſequerentur, illos una cum imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit & vectigalia, quæ ad id usque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere,* conf. Vorburg. *volum.* 9. *p.* 301. Onuphr. *de comitiis cap.* 4. *n.* 11. Theophanes vel auctor hiſtoriæ miſcellæ: *Cum didiciſſet Gregorius papa romanus de imaginibus* (g) *ſacris* Leo-

(a) *Francorum comitibus*) *POETA SAXO ad annum* 776. *annales LAVRISHAMENSES ad eundem ann. EGINHARDVS c.* 13.

(b) *Pipinum*) A patre Carolo creabatur rex Italiæ eique Bojaria quoque & Burgundia ſubjectæ fuere. *ADRIWALDVS de miraculis S. Benedicti c.* 18. *p.* 375. *ſecul. II. Benedict. MABILLON* & ab Adriano, deinde etiam a Leone III. in regem ungebatur. *Annales LAVRISHAMENSES ad ann.* 781. *SIGONIVS de regno Italiæ lib.* 4.

(c) *Beneventanum ducatum*) Aragiſius Beneventanus dux, Deſiderii gener, res novas moliebatur, ſed ille facili negotio in ordinem redactus. POETA SAXO *ad ann.* 786. SIGONIVS *de regno Italiæ p.* 93. *MONACH. ENGOLIS. in vita Caroli p.* 52. *EGINHARDVS c. X*

(d) *Francorum & Longobardorum*) Addebaturque PATRICIVS ROMANORVM, & nonnunquam *VIR INLVSTER MABILLON de re diplomatica lib.* 2. *cap.* 3. *§.* 7. *UGHELLI Ital. ſacr. tom.* 2. *p.* 243. *t.* 4. *p.* 74. *t.* 5. *p.* 174. *t.* 8. *p.* 37. In diplomate *tom.* 1. *p.* 412. habetur: *Carolus Dei gratia rex Francorum & Longobardorum*: forte patricius eſt omiſſus. Hinc colligunt, Caroli diplomata illius temporis, quæ hanc non referunt formulam, ſuſpectæ eſſe fidei. Coronam ferream Carolo a Thoma Mediolanenſium archiepiſcopo, qui id ſibi cum ſucceſſoribus primum præ aliis archiepiſcopis locum parere credebat, impoſitam eſſe, SIGONIVS *de regno Ital. lib.* 4. memoriæ prodit. Quod ſi hæc res ita ſe habet, CORIO impingit, erroribus pluribus ceteroquin obnoxius, qui aſſerit, Conradum Salicum primum coronam ferream ſumſiſſe. DELL' HISTORIE MILANESE *part. I. p.* 46.

(e) *ſponſalia inter Conſtantinum*) Conſtantino Irenis filio Rotrudis non admodum caſtæ Caroli filiæ nuptias promiſſas docet *SCHAFFNABVRGENSIS* ad annum 781. & Irenem matrem Conſtantini, ne matrimonium inſequeretur, impediiſſe; auctor autem chronici Laurishamenſis & Poeta Saxo Conſtantinum repulſam tuliſſe perhibent. Conferatur quoque HVGO FLOR. *in chronic. & PAVL. DIACONVS in hiſt. miſcell. lib.* 23. Poſtea autem ipſe Carolus de Irene ſibi matrimonio jungenda ſolicitus fuit: ſed Irene a Nicephoro in inſulam Lesbiam relegata res effectu caruit. *THEOPHANES apud PAPEBR. tom. II. Junii in vita S. Leonis papæ p.* 587.

(f) *ab anno DCCLXXIV.*) Omnes auctores ferme in eo conveniunt, quod hoc anno a Carolo M. Deſiderius devictus, & in captivitatem abductus ſit; anno autem 800. aut 801. Carolus a papa in feſto nativitatis Chriſti cæſar proclamatus. MEZERAI *abregé chronologique tom. I. p.* 249.

(g) *de imaginibus*) Motus iconoclaſtici varie orientale afflixerunt imperium. NICEPHORVS *in vita Conſtantini*

Leonis errorem, tributa Romana urbis prohibuit & Italiæ. Etiam alios *Græcos ſcriptores* (a) rebellionem hanc papæ auctori tribuere, fatetur Baronius ad ann. ɪↄ ccxxvi. vel autem per injuriam id fieri, hunc enim rebellionem illam quoad potuit inhibuiſſe. Nec fortaſſis male. A Baronio diſſentit Bellarminus; quem oppugnat Barclaj. *cap.* 41. & M. A. de dominis *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 46. conf. diſputata a Marca *l.* 3. *c.* 10. 11. 12.

§. 3. Ceterum poſt rebellionem illam populos iſtos nullum alium dominum voluiſſe agnoſcere, ne papam quidem, patet vel inde, quod ſibi ipſi imperatorem creare voluerint. Diſerte Paulus Warnefridus hiſt. Longobardor. *lib.* 5. *c.* 49. *omnis Ravenna exercitus, vel Venetiarum talibus juſſis* (Leonis cæſaris de exturbandis imaginibus) *uno animo reſiſtunt, & niſi eos probibuiſſet pontifex, imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.* Anaſtaſius bibliothecarius in vita Gregorii II. *Cogente imperatoris nequitie, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi imperatorem eligerent & ducerent Conſtantinopolim: ſed compeſcuit tale conſilium pontifex,* (b) *ſperans converſionem principis.* Paulo ante dixerat: *Paulum exarchum anathemati ſubmittunt,* (omnes Pentapolenſes & Venetiarum exercitus) *ſpernentes ordinationem ejus, ſibique omnes ubique in Italia duces elegerunt: atque ſic de pontificis atque SVA immunitate cuncti ſtudebant.* Ita ſane habet editio Moguntina vel Buſæi: nam, quæ Baronius narrat ex Anaſtaſio, per ſunt mendoſa, nec aliquem commodum ſenſum præ ſe ferunt.

§. 4. Unde patet, ipſam quoque Romam tandem liberam ſe exiſtimaſſe, & ducem *aliquem ſibi elegiſſe,* (c) qualis ſcilicet ante Conſtantinopoli mitti ſolitus. Nam quod tota Italia inſtituit, procul dubio nec Roma neglexit, utpote quæ non erat utique inferiore reliquis conditione. vid. de ducatu romano Marcam *lib.* 3. *de concord. ſacerdotii & imperii cap.* 11. Duces miſſos ab exarcho etiam Romam, vid. Strauch. *de exarchatu th.* 23. Baronius tamen de Baſilio duce ſcribit *l. c. Quod vero vidiſti Baſilium ducem detruſum in monaſterium illic vitam finiiſſe: ſcias hunc ducem illorum, qui ab imperatoribus Romam mitti ſolerent ad juvandam urbem & ad eam ſpectantes civitates, fuiſſe noviſſimum, defiiſſeque penitus duces urbis, curamque omnem in omnibus recidiſſe in ſummum pontificem.* Sed ut illud, Baſilium ultimum fuiſſe ducum ab imperatore miſſorum, crediderimus, nullos tamen poſt illum fuiſſe Romæ duces & omnia in pontificis poteſtatem perveniſſe, nequaquam eſt verum. Quin ipſe Anaſtaſius Petri ducis romani diſerte meminit in ipſamet illa vita Gregorii ſecundi: *Poſt hoc* (Romani) *& Petrum Ducem, dicentes contra pontificem imperatori ſcripſiſſe, turbaverunt.* Idem ſcribit quidem omnes Romanos juramento ſe aſtrinxiſſe, non permiſſuros ſeſe cædem illius Papæ; at ſeſe papæ ſubjeciſſe non tradit. Imo diſerte teſtatur Romam illo quidem pontifice Gregorio II. a Conſtantinopolitani cæſaris reverentia non omnimodo deſciviſſe: Gregorium ipſum rogaſſe Romanos: *ne deſiſterent ab amore vel fide romani imperii: Exarchum Eutychium* (d) Romæ vixiſſe: cumque Petaſius quidam *regnum romani imperii uſurpare conaretur,* illum civium romanorum auxilio cæſum, capite Conſtantinopolim miſſo. Idem Anaſtaſius in vita Gregorii III. narrat, Eutychium exarchum papæ conceſſiſſe *columnas onychinas ſex;* atque etiam tum *cunctam generalitatem provinciæ Italiæ literas ſupplices* pro erigendis imaginibus Conſtantinopolim miſiſſe. Sergium ducem a Leone III. papa ad Ludovicum eſſe miſſum, teſtatur auctor vitæ Ludovici *pag.* 363. In vita Zachariæ mentio fit *ducis romani Stephani:* (e) item villarum duarum, quæ juris publici fuerint, ſed eccleſiæ romanæ donatæ a Conſtantino Copronymo cæſare. De donationibus factis romanæ ſedi vid. M. Ant. de dominis *lib.* 6. *c.* 8. In vita Stephani III. legas, Joannem imperialem ſilentiarium *regiam juſſionem* papæ detuliſſe: Papamque ipſum miſſo Conſtantinopolim legato rogaſſe cæſarem, veniret cum exercitu in Italiam & Romam atque Italiam liberaret a Longobardis: deſperato autem cæſaris auxilio imploraſſe Pipinum.

§. 5.

& Heraclii c. 11. 12. 14. 16. *LEO GRAMMATICVS in vitis imperat. t.* 3. *p.* 398. 400. 414. *apud CAVSINVM, Admonitio in CAROLI M. libr. de imaginibus.* Nefas eſt crimen rebellione dignum dicere, ſi princeps externa religionis ſymbola demit, ne cultus internus per idololatriam vitietur. Adiaphora malorum naturam induunt, ſi occaſionem peccandi præbeant. Ne quid vitii religio ex inſano imaginum cultu traheret, Carolus M. in Francofurtenſi concilio, Græcorum idololatricæ, quam Irene Nicææ coegit, ſynodo, oppoſito admodum ſolicitus fuit. Vide SPANHEIMII *hiſtoriam imaginum & admonit. citat.* Non ſolum autem ſacrarum deſtructio imaginum, ſed & cenſus quidam, quam Leo capitibus imponere moliebatur, populum Romanæ provinciæ in transverſum abripuit. Verum tributum illud extra ordinem impoſitum turbidis illis reipublicæ temporibus, ubi Longobardi aliique hoſtes imperio Romano exitium minitabantur, nihil iniqui habuit; multo minus ſubditos ab obſequii vinculo; quo imperatori obnoxii erant, liberare potuit. Civitatem intrantes, aut in eorum ſuccedentes locum tacite aut expreſſe promittunt, ſe quovis modo reipublicæ neceſſitatibus ſubvenire velle.

(a) *Græcos ſcriptores*) De græcis cum latinis ſcriptoribus hic conciliandis ſollicitus eſt *MARCA de concordia ſacerdotii & imperii lib.* 3. *c.* 11. §. 3. Quomodocunque autem hæc res ſe habeat, Leo adeo inde ira & indignatione exarſit, ut patrimonia eccleſiæ Romanæ in Calabria & Sicilia ſita in fiſcum redigeret.

(b) *compeſcuit tale conſilium pontifex*) Scilicet Venetos, ut opem Leoni ferrent, adhortatus dicitur. Literas ejus ad Venetos hunc in finem datas refert PALATIVS *in Gregorio II.* Monuit quidem binis literis Gregorius Leonem, ſed non excommunicavit, quamvis hoc communis ferat ſententia, nec Gregorius III. ipſum nominatim anathematis fulmine percuſſit, ſed in ſynodo Romana inter ceteros tantum excommunicavit. MARCA *l. c.*

(c) *aliquem ſibi elegiſſe*) In hac electione pontificis auctoritas non poteſtas intercedebat. PETRVS de MARCA *l. c.* §. 11.

(d) *Exarchum Eutychium*) Cum hoc Luitprandi regis hortatu in amicitiam rediiſſe, eique in Romana civitate ſuam reſtituiſſe auctoritatem, ex Anaſtaſio docet PETRVS de MARCA *l. c.*

(e) *ducis Romani Stephani*) *Stephanus patricius & dux Romanæ civitatis celebratur ſub Gregorio III. & initiis Zachariæ. Hic pontifex quatuor oppida, quæ a Romanorum ducatu Longobardorum rex Luitprandus avulſerat, reſtitui impetravit, adjecto viginti annorum fœdere. Ticinum profectus iterum exorato rege infeſtas Longobardorum copias a finibus Ravennatum ab Eutychio patricio & exarcho* ro-

§. 5. Ex quibus omnibus conſtat, ſaltem ad illud usque tempus duces ſuos habuiſſe Romam, & ne tum quidem ab Imperio cæſarum omnimodo liberam fuiſſe, vel Romam una cum pontifice, vel, quod reliquum ſuperfuit, nondum a Longobardis occupatum. Confirmat illam papalem ſubjectionem etiam illud, quod Zacharias papa literis ſuis *annos cæſaris adjecerit:* (a) ceu videre eſt apud Baronium ad annum DCCXLIV. ac DCCXLIIX. Quanquam enim etiam tum nonnullæ urbes in papali fuerint ditione dono Luitprandi regis: (teſte Anaſtaſio *in vita Zachariæ*, & ex illo Baronio *ad annum* DCCXLII.) & vero ex eo cœperit urbium poſſeſſio in patrimonio S. Petri, quod appellant, recenſeri: tamen ſuprema jurisdictio ſaltim in ſpeciem tunc manſit cæſari Conſtantinopolitano.

§. 6. Cæterum poſt annum DCCLIV. videntur Papæ multa acquiſiviſſe, & ita quidem, ut in iis cæſarum aliquam poteſtatem non amplius agnoſcerent. Scilicet id egerunt, ut reliquiæ illæ imperii, non reipublicæ, ſed ſibi donarentur, novo exemplo & ſumme iniquo quidem, quod tamen ſucceſſores ſtrenue ſunt ſecuti. Tentaverat jam tum illud Zacharias papa: a Luitprando enim, rege Longobardorum, *donari ſibi petiit Ravennam cum urbibus vicinis*, teſte Anaſtaſio, ſed fruſtra. At Stephanus ejus ſucceſſor majori fuit felicitate apud Pipinum Francorum regem, qui Aiſtulpho Longobardo expreſſum exarchatum Ravennatenſem, Pentapolin item ac Æmiliæ oppida cæſari noluit reddere, ſed S. Petro. Utrum Pipinus a Stephano perſuaſus fuerit, jam ante omnia illa in patrimonio fuiſſe (ceu loquuntur) Petri, & per vim papis erepta a Longobardis, an vero ipſe primus voluerit eſſe donator, haud facile dixerim. Impiæ enim illæ & inſulſæ literæ, quas S. Petri nomine effinxit Stephanus, & in perpetuum hominis opprobrium produxit Baronius, prius videntur probabile reddere: Literæ illæ exſtant apud Gretzerum loco tertio, & apud Centuriator. IIX. c. 10.

§. 7. Alibi tamen Pipini dono ſolent ipſi papæ patrimonium illud ſuum tribuere. De illa donatione Pipini vid. Jo. Bodinus de republ. *lib.* 1. *cap.* 9. verbis: *Ac tum quidem pontifex ipſe, ſi Pipinus Longobardos ſubegiſſet, exarchatum Ravennæ ſibi fiducia nomine pactus erat; i. e. tredecim urbes, & Pentapolin provinciam, quæ urbibus ſedecim continebatur. Parta victoria Pipinus, ut promiſſum impleret harum urbium, claves ſacris Divi Petri altaribus impoſuit; prius tamen utriusque provinciæ dominatum, ac jura majeſtatis ſibi poſterisque ſuis, ac romani pontificis deinceps eligendi poteſtatem ſibi reſervarat: quibus rebus non modo libenter pontifex annuit; ſed etiam, ut Pipinus imperatorem ſe appellaret, pene perſuaſit.* Utut ſit, conatus ſuos papa Carolomanno, religioſiſſimo viro, quique poteſtatem Francorum regiam cum ſqualore monaſtico commutaverat, inque Caſſinenſi monaſterio degens rerum omnium, & animi pontificii erat gnariſſimus, probare non potuit. Adeo certe illi omnia hæc diſplicuerunt, ut haud dubitaverit in Galliam ad Pipinum fratrem commigrare, eumque omnibus modis dehortari, ne pontifici aures præberet. Narrat idipſum *Anaſtaſius in vita Stephani III.* & auctor annalium Francicorum *anno* 753. Nec vero temere quis excuſaverit Stephanum, quod reipublicæ romanæ bona ſibi dari, non autem reipubl. reſtitui maluerit.

§. 8. Ceterum & Pipinum fuiſſe inductum, ne redderet reipublicæ Ravennatenſem exarchatum, utut cæſar per legatos id enixe *petierit*, (b) docet nos Anaſtaſius. Verba quædam ejus, *utut barbara*, (c) digna ſunt, quæ hic recitemus. Quum enim narraſſet miſſos Conſtantinopoli Ioannem Silentiarium ac Gregorium Protoſecretam, eosque maritimo itinere in Galliam cum legato aliquo pontificio migraſſe, addit: *In quam ingredientes didicerunt jam prædictum Francorum regem Longobardorum fines fuiſſe ingreſſum, juxta adhortationem antefati beatisſimi papæ, & promisſionem, quam beato Petro jurejurando obtulerat. Et hæc cognoſcentes ipſi imperiales miſſi, triſtes effecti, nitebantur doloſe miſſum ope-*

rogatus avertit, atque duas partes territorii Cæſenatis a Longobardis invaſi reipublicæ reſtituendas obtinuit, tertia parte pignoris jure retenta, donec legati redirent, quos Conſtantinopolin rex Longobardorum miſerat. Non poteſt liquidius demonſtrari retentam hac tempeſtate a ſummis pontificibus imperii curam, & imperatorios magiſtratus Ravennæ & Romæ rebus adminiſtrandis præfuiſſe, ita tamen, ut ſpes omnis conſervandæ Italiæ in ſumma pontificis dignitate collocata eſſet. MARCA l. c.

(a) *annos cæſaris adjecerit*) Sub Gregorii epiſtola, qua Bonifacio in Germania gentilium converſionem committit, habetur: *Data idus Maji imperante domino piiſſimo Auguſto a Deo coronato, anno tertio imperii ejus, LVNIG. ſpicileg. eccleſ. tom. 1. pag. 1.* Ejusdem papæ epiſtola ad eundem, in qua ipſum Thuringiæ presbyterum conſtituit, ſequentem habet ſubſcriptionem: *Data calendis Decembris imperante domino piiſſimo Auguſto, Leone II. a Deo coronato magno imperatore, ejus filio anno 4. indictione 6.* Vid. quoque *Gregorii ad Bonifacium juſſa, quid ipſi in caſibus quibusdam ad munus ejus attinentibus faciendum ſit*, apud *LVNIG. l. c. p. 6. & mandata, quæ nuntiis ſuis Martiniano & Georgio in Bavariam abeuntibus dedit LVNIG. l. c. p. 555.* nec non diploma in VGHELLI *Ital. ſacra t. 5. p. 1088.* Epiſtola Gregorii III. ad eundem Bonifacium data eſt: *Imperante domino piiſſimo Auguſto Leone imperii ejus anno viceſimo tertio, ſed & Conſtantino imperatore ejus filio anno viceſimo MARCA l. c.* In fine epiſtolæ, quam Zacharias I. ad ſanctum hunc virum exaravit, reperitur: *Imperante piiſſimo Auguſto, Conſtantino anno vigeſimo nono imperii ejus, indictione prima.* Similia refert auctor libri gallici *de juribus imperii in eccleſ. terras.*

(b) *petierit*) *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 43. ſeq.*

(c) *utut barbara*) In vitis pontificum, quæ ſub Anaſtaſii nomine circumferuntur, non una barbariei ſunt veſtigia. CIAMPINI *exam. lib. pontific. ſect. 6. apud MVRATORIVM t. 3. ſcript. Ital. p. 47. ſeq.* de vita Hadriani ait: *Geſta Hadriani I. rudi maleque diſpoſito, hiulcoque ſtylo conſtant, ac longe ab alio diverſo &c. habet quoque ea vita permulta barbare dicta, & a latini ſermonis legibus diſſona;* de vita autem Leonis III. ſequentia habet: *Styli prioris eſt, plurimisq; & inſulſis digreſſionibus plena ad nauſeam usque repetitis. Conf. quoque SCHELSTRATII diſſertatio de catalogis pontificum tom. 3. ſcript. Ital. MVRAT. pag. 25. ſeqq. & BLANCHINI præfat. in vitas pontificum Anaſtaſio attributas l. c.*

apoſtolicæ ſedis detinere Maſſiliam, ut minime ad prædictum properaret regem: affligentes eum valide. Sed interveniente beato Petro, apoſtolorum principe, eorum callida ad nihilum redacta eſt verſutia. Itaque unus ex ipſis, Gregorius videlicet protoſecreta, præcedens apoſtolicæ ſedis miſſum celeriter præuominatum Francorum ſecutus eſt regem: quem & in finibus Longobardorum non procul a Papia reperit civitate: & nimis eum deprecans, atque plura ſpondens tribui imperialia munera, ut Ravennatium urbem vel ceteras ejuſdem exarchatus civitates & caſtra, imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam valuit firmiſſimum jam fati Chriſtianiſſimi atque benignisſimi fidelis Dei & amatoris beati Petri apoſtoli, ſcilicet antefati Pipini Francorum regis inclinare cor, ut easdem civitates & loca imperiali triblueret ditioni: aſſerens iisdem Dei cultor mitisſimus rex, nulla penitus ratione easdem civitates a poteſtate beati Petri & jure eccleſiæ romanæ, vel pontificis apoſtolicæ ſedis quomodo alienari: affirmans etiam ſub juramento, quod per nullius hominis favorem ſeſe certamini ſæpius dediſſet, niſi pro amore beati Petri, & venia delictorum: aſſerens & hoc, quod nulla eum theſauri copia ſuadere valeret, ut quod ſemel beato Petro obtulit, auferret. Et hæc prædicto imperiali miſſo reddens in reſponſis, continuo eum ad propria remeandum per aliam viam abſolvit; qui & ſine effectu Romam conjunxit. Hæc omnia Anaſtaſius. Idem nominatim recenſet urbes, quæ hac ratione in paparum dominium pervenerint: *Ravennam, Ariminum, Piſaurum, atque Fanum, Ceſenas, Senogallias, Eſium, forum Pompilii, forum Livii cum caſtro Suſſubio, Montemferetri, Acerragio, montem Lucari, Serram, caſtellum ſancti Mariani, Bobrum, Urbinum, Gallium, Lucolos, Eugubium ſeu Comiaclum, nec non & civitatem Narnienſem.*

§. 9. Ex eodem diſcimus, Deſiderium Longobardorum regem ultimum eidem Stephano tradidiſſe *Faventiam cum caſtro Tiberiaco, & univerſum ducatum Ferrariæ.* Ipſe Stephanus epiſtola quadam ad Pipinum perſcripta, quam Baronius recitat *anno* 716. etiam alia ſibi promiſſa narrat, bona an mala fide, jam non dixerim. *Quid Carolus M.* (a) romanis pontificibus partim confirmaverit, partim de novo poſſidendum donaverit, idem Anaſtaſius *in vita Adriani* narrat. Nec aliunde deſumit *Baronius.* (b) Qui quum omnia ſcrinia romana excuſſerit, nec tamen retulerit nobis *ipſas tabulas,* (c) vel Pipinianæ, vel Carolinæ donationis; obiter hic colligere datur, vel eas prorſus periiſſe, vel non adeo eſſe liberales atque Anaſtaſius deprædicat.

§. 10. Ceterum, ſi Anaſtaſio credendum, pleraque illarum occidentalis imperii reliquiarum hiſce Pipini & Caroli donationibus in pontificum plenam poſſeſſionem pervenere: Quod tamen vero vix eſt ſimile, prout colligi poteſt e verbis Bodini, antea §. 7. relatis: Et omnino ſtatuendum, neque ex Conſtantini, ſiquidem ea *nunquam facta,* (d) neque ex Pipini aut reliquorum imperatorum donationibus, quicquam juris ſecularis, pontificibus acceſſiſſe in reliquias imperii, multo minus in regnum Italicum: Sed ea, quæ in patrimonium pervenerunt eccleſiæ, manſiſſe ſub jurisdictione & imperio cæſarum; papamque non habuiſſe, niſi utile dominium, ad modum aliarum eccleſiarum. Nec tamen vel ſic liquet, quantum juris in ipſam urbem Romam tandem habuerit papa. Imo veroſimile eſt, plus auctoritatis libertatisque cives Romanos retinuiſſe, ut qui nulla tali donatione papali dominio fuerint ſubjecti. Sacramento tamen aliquo & illos papæ *fuiſſe obſtrictos,* (e) colligere eſt ex *vita Stephani IV.* apud Anaſtaſium, qui diſerte dicit de Conſtantino papa: *Univerſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit.* Annales quoque Francici narrant, Leonem a Carolo Patricio petiiſſe, ut curaret ſibi ſacramentum dici a populo Romano. Verum quousque per ſacramentum illud populus papæ fuerit obſtrictus, obſcurum eſt. Etiam tum vero pa-

pas

(a) *Quid Carolus M.*) *Longobardi injuſto bello Italiam, & per tyrannidem invaſerant; non ergo ejus dominium Græcus amiſerat, & ideo nec Carolus eum retinere poterat, quippe legitimo invitoque domino ablatum &c.*

(b) *Baronius*) Solertiſſimus annalium compilator, in quo aliqui ſufficientem tanto operi eruditionem & mentem iræ & ſtudio non addictam requirunt; ſæpe in veritatis tramitem ab eruditiſſimo Pagio eſt reductus. Ex PATINI *epiſtolis p. 275.* conſtat, ſe a Naudæo audiviſſe, quod Holſteinius fidem dederit, ſe vel 8000. mendacia Baronii ex manuſcriptis codicibus bibliothecæ Vaticanæ probare poſſe.

(c) *ipſas tabulas*) Has exſtare, quas deperditas hactenus creditum eſt, perſuadere audet, advocatorum quidam, qui ſedis pontificiæ commoda in Comachi cauſa egerunt, ſed ex eis nihil in lucem producere potuit, quam hæc verba: *Sub omni integritate tibi æternaliter concedimus. Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 46.* Non ignoro, Romanæ ſedi nimium addictos, ut exarchatum pleno jure ad pontificem translatum eſſe probent, provocare ad Hadriani literas, quæ in *Carolino codice n. 49. 77. 85.* reperiuntur, in quarum prima habetur: *Per quem omnia Deus ſancta ſua eccleſia beatorum apoſtolorum principis largiri dignatus eſt;* & in epiſtola ſequenti dicitur: *Carolum ſub integritate donaſſe.* In ultima, papa Carolum, ne delinquentes quosdam in Galliam profugos recipiat, rogat, *ut hoc modo ſalvum ſit holocauſtum, quod Pipinus S. Petro obtulerit.* Verum poſſunt omnia dari, ſub reſtrictione tamen, ſcil. ut minus plene concedantur. Enimvero infinita propemodum ſunt diplomata, ex quibus conſtat, ſub integritate dare, admittere jus limitatum, & ſæpiſſime dominium privatorum denotare: *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 75.* nec non opus VGHELLIANVM hanc veritatem multis confirmat exemplis. Sic & abſonum eſt, per holocauſtum ſupremam intelligere velle poteſtatem: ſunt holocauſta varii generis, & quicquid Deo aut eccleſiæ offertur, holocauſtum vocatur.

(d) *nunquam facta*) Declamatione fictitiam Conſtantini donationem perſtringit LAVRENT. VALLA, qui in SCHARDII *ſyntagmate de imperiali jurisdictione reperitur. ANTON. PAGI in critica hiſtorico chron. in annal. BARONII ad annum 323. §. 13.* Putat, potius PETRO de MARCA, qui latinum, quam BARONIO, qui græcum figmenti auctorem facit, accedendum eſſe, cum ſedi Conſtantinopolitanæ ultimum tribuat locum. Pagius ſibi perſuaſum habet, donationem illam ab Iſidoro mercatore cum veterum pontificum pſeudographis epiſtolis ſuppoſitam eſſe.

(e) *fuiſſe obſtrictos*) Si Petri de Marca opinioni ſubſcribimus, papam & aliqua patriciatus dignitate gaviſum eſſe, dici poteſt, ipſi, ut patricio & vicario imperatoris juramentum eſſe præſtitum, Carolumque viribus inſtructum a papa, ut ſibi ſuppetias ferret, quibus Romani ad jusjurandum adigerentur, rogatum eſſe. Quod autem papa dignitate & nomine patricii uſus ſit, *ex codice Carolino epiſtola 87. pateſcit.* Vide *les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 40.*

pas libertatem populi paulatim minuiſſe haud quis dubitaverit: ſed & Conſtantinus ille papa diſerte conqueritur apud Anaſtaſium, ſe invitum papam creatum a populo *propter gravamina ac præjudicia illa, quæ Romano populo ingeſſerat Dominus Paulus papa* ſucceſſor Zachariæ.

§. 11. *Sigebertus Gemblacenſis* (a) pro acceptis beneficiis Carolo ab Hadriano viciſſim haud parum poteſtatis redditum narrat. Verba ejus ſunt: *Poſtea rediens Carolus Papiam cepit: iterumque Romam rediit, Synodum conſtituit cum Hadriano papa aliisque centum quinquaginta tribus religioſis epiſcopis & abbatibus: in qua Hadrianus papa cum univerſali ſynodo dedit ei jus eligendi pontificem, ac ordinandi apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque principatus.* (forte legendum *patriciatus*, ut eſt in Gratiano.) *Inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi a rege laudetur & inveſtiatur epiſcopus, a nemine conſecretur: omnesque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari.* Hæc Sigebertus: ex quo eadem recitat Weſtmonaſterienſis in Chron. *ad ann.* 773. conf. P. de Marca *l.* 8. *c.* 19. *p.* 351.

§. 12. At Cardinalis Baronius ad annum DCCLXXIV. perſuadere nobis conatur ficta iſthæc omnia eſſe, & quidem ab ipſo Sigeberto, in gratiam Henrici cæſaris: eo maxime argumento, quod ante Sigebertum a nemine hæc narrata ſint. Et vero in Anaſtaſii bibliothecarii *pontificum vitis* nihil ejusmodi hodie quidem legitur; quod mirere. Certum tamen eſt, idem usque adeo viſum vulgo olim, ut & Gratianus *diſt.* 63. *c.* 22. non dubitaverit, ſuo idipſum decreto inſerere: non tamen omnia, quæ habet Gratianus, continentur in Sigeberto: ut proinde non ex Sigeberto ſua habeat Gratianus. Neque forte ante Baronium quisquam in dubium vocavit fidem hujus hiſtoriæ.

§. 13. Enimvero, *ut alios taceam*, (b) qui patrum memoria ad res Italiæ, ac pontificias prodendas ſummam curam maximumque judicium attulerunt Platina, Onuphrius, Panvinius & Carolus Sigonius prorſus etiam idem habent: iſte in *vita Paſchalis I.* Ille *vita Gregorii VII.* hic *l.* 4. *de regno Italiæ ſub initium.* Diſerte quoque teſtatur Onuphrius a Gratiano omnem illam narrationem deſumptam *ex Anaſtaſii hiſtoria eccleſiaſtica:* & vero inſcriptio capituli apud Gratianum eſt: *item hiſtoria eccleſiaſtica;* quo nomine Sigeberti chronicon audire non ſolet. Anaſtaſii vero manuſcriptam hiſtoriam ex bibliotheca Palatina ſæpe teſtem vocat Janus Gruterus *in notis ad hiſtoriam miſcellam.* Imo veroſimile eſt in ipſa Anaſtaſii paparum hiſtoria id eſſe olim lectum. Diſerte enim Platina in vita Paſchalis I. idemque bibliothecarius ſcribit, *Ludovicum liberam eligendorum epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe; cum antea ea quoque in re imperatores conſulerentur: quam poteſtatem ab Hadriano pontifice Carolo conceſſam, idem auctor refert.* Et vero hodie nihil eorum etiam, quo paulo ante ex bibliothecario adduxerat Platina, in Moguntina Anaſtaſii editione legas: quo obiter licet ejus editionis fidem & auctoritatem intelligere. Si Anaſtaſius autem id memoravit, qua fronte in dubium id vocaverimus? Sed & in oratione Gregorii VI. quæ eſt apud Wilhelmum Malmesburienſem *l.* 2. *de geſtis reg. Anglor. cap.* 13. verba hæc legas: *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus I. quod inveſtituras eccleſiarum Carolo M. conceſſerit ita, ut nullus electus conſecraretur ab epiſcopo niſi prius a rege inſigniretur & annulo & baculo.*

§. 14. Saltim itaque dudum ante Sigebertum ita narratum fuit, & immerito a Baronio fictionis ille poſtulatur. Quinimo veriſſimum longe eſt, illo anno, quo Hadrianum pontificem Romæ Carolus magnus convenit, huic *principis* poteſtatem ſub *patricii titulo* (c) & jus aliquod inſigne cir-

(a) *Sigebertus Gemblacenſis*) Ad annum 773. p. 56.

(b) *ut alios taceam*) *In chronico Reicherſpergenſi p.* 103. *t.* 2. *ſcript. Bamberg. a* LUDW. *coll.* dicitur *in ſynodo a papa Adriano & 153. epiſcopis & abbatibus anno 774. Romæ celebrata Carolo jus & poteſtatem eligendi pontificem & ordinandi apoſtolicam ſedem traditum, eique patriciatus dignitatem conceſſam.* Nec non *in illa ſynodo definitum, archiepiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere debere, & ut niſi a rege laudetur & inveſtiatur, epiſcopus a nemine conſecretur.* Imo hanc rem referunt EVTROPIVS, qui apud GOLDAST. *in monarch. imper.* reperitur, & WALTHRAMVS *de inveſt. epiſcop. apud* SCHARD. *in ſyntagm. p.* 72. Sigebertum ætate antecedentes, ut & alii ante Gratianum canonum collectores, nec non THEODOR. de NIEM *de privilegiis & juribus imperii* ex antiquisſimo libro Florentino apud SCHARDIVM *l. c. p.* 245. Pudeat igitur & Palatium hanc veritatem, cum Baronio aliisque ſedis Romanæ adulatoribus, in dubium vocare.

(c) *patricii titulo*) Patricii dignitas in aula Conſtantinopolitana, Conſtantino M. jubente, ſumma & imperatori proxima erat, ita, ut & ante prætorio præfectum patricius eſſet. *ZOSIMVS lib.* 2. Dignitas hæc exteris regibus & principibus indulgebatur, *ECCARDVS in ſtemmate Deſiderii regis Longobardorum genuino p.* 598. atque in ſymbolum collatæ dignitatis toga & circulus aureus tranſmittebantur, CASSIODOR. *var.* 2. qualia & Carolo magno, a papa imperatoris vices gerente, obtigiſſe ex *EGINHARDO c.* 23. conſtat, vide *PAGI in critica Baron. ad annum* 796. Quid autem Caroli magni ſplendori patricii nomen addiderit, dubium eſt. PETRVS de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib.* 3. *cap.* 11. opinatur, hanc dignitatem a republica Romana & pontifice Romano, ut primario ejus membro, tanquam tacitæ voluntatis Græcorum imperatoris interpretibus Carolo ut defenſori commiſſum eſſe; addit enim pontifices illo tempore ab imperatorum majeſtate colenda non deceſſiſſe, & ſi quod regnum papa habuerit, illud non temporale ſed ſpirituale fuiſſe, *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p.* 37. Econtra *FRESNIVS in gloſſario t.* 3. *p.* 197. tradit, patriciatum Caroli fuiſſe urbis Romæ & Romanorum præfecturam, imo dominium, cui accedit RVINARTVS in obſervationibus ad FREDEGARIVM, ubi de clavibus confeſſionis a Leone III. anno 798. tranſmiſſis agitur. Neque negari poteſt, veterum eſſe loca, quæ huic ſententiæ favent. Sufficiant nobis jam quædam ſaltim Pauli diaconi auctoris contemporanei loca. Sic in epiſcopis Metenſibus Carolum ante ann. 800. urbem Romulejam ſuis addidiſſe ſceptris ait, & in epitaphio reginæ Hildegardis ab hoc auctore juſſu Caroli compoſito ſequentia legebantur:

Cumque vir armipotens ſceptris junxiſſet amicis
Leniferumque Padum romuleumque Tibrim.

Nec non in literis ad Carolum, ante acceptum imperium a Paulo diacono exaratis, habetur: *Et præcipue civitatis veſtræ Romuleja.* In libro de Metenſibus epiſcopis hæc quoque reperiuntur: *Romanos ipſamque urbem Romulejam, quæ aliquando mundi totius domina fuerat, & tunc*

a

circa pontificum ipſorum electionem conceſſum eſſe. De Patriciatu Caroli M. vid. & Barclaj. *c.* 4. §. 3. & P. de Marca *lib. 3. c. 11. de concordia ſacerdotii & imperii*; item *l.* 8. *c.* 12. § 9. Diſerte quoque Anaſtaſius in vita illa Hadriani ſcribit, Carolum exceptum eſſe *cum ingenti honore, & ſicut mos eſt ad exarchum aut patricium ſuſcipiendum.* Et in Carolinis diplomatibus, quæ paſſim exſtant, hodieque ex eousque tempore legitur adjectus nomini titulus *Patricii*: ſolentque anni patriciatus *ab illo DCCLXXIV.* (a) numerari, non vero ab anno LXXXI, quod ſcribit Otto Friſingenſis *l. 5. chron. c.* 28. Baronius in addendis tomo XI. p. 918. vult primum annum patriciatus eſſe 787. Recitatur ibi epiſtola Hadriani, quæ ſubſcriptum habet nomen Caroli patricii; quod bene obſervandum. Sane jam ante Patricius inſcriptus eſt Carolus a papis: ipſe tamen antehac hoc titulo non eſt uſus. Ut liqueat iſto anno demum una cum nomine & rem ipſam patriciatus adquiſitam.

§. 15. In *annalibus Francicis* (b) Carolina ætate ſcriptis legitur anno 796. *Roma Hadriano defuncto Leo pontificatum ſuſcepit: & mox per legatos ſuos claves confeſſionis ſancti Petri ad vexillum Romanæ urbis cum muneribus regi miſit.* Recitat hæc & Baronius, ſed non ſine ſtomacho *in novatores*, quod hinc colligant Caroli aliquam in urbem poteſtatem. Verum ille veteratorie admodum omittit illa, quæ auctor ille adjunxit; *rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret.* Confer. nonnulla, quæ ex Leonis ad Carolum & Caroli ad Leonem epiſtolis habet Fritzius de electione cæſaris *diſſert.* 1. *n.* 39. Baluzius in notis ad Gratianum p. 492. ex epiſtola quadam Caroli ad Leonem admonet, Leonem electum præſtitiſſe ſacramentum fidelitatis Carolo: conf. ejusdem Baluzii annotata ad Agobardum *p.* 122. *usque ad p.* 127. Quis vero non hinc colligat, populum romanum non fuiſſe in fide pontificis ante Carolinam confirmationem? Nec profecto urbis alicujus vexillum mitti tum ſolitum niſi illi, penes quem fuit urbis aliqua poteſtas. Certe nihil huc facit, quod prætexit Baronius, etiam *Hieroſolymis* (c) vexillum miſſum Carolo: neque enim annales Francici, qui id narrant anno 800. de

a Longobardis oppreſſa gemebat, duris anguſtiis eximens ſuis addidit ſceptris. Hiſce jungenda ſunt, ad quæ FRESNIVS *ex annalibus Metenſibus ad annum 773. capitul. de an. 769. 789. CHRON. FLAVIACENSE & ALCVNI epiſtola 84.* Caroli nomine ad Leonem perſcripta, provocat. Imo Eginhardus in vita Caroli regnum Francorum etiam tota Italia auctum ait; nec inſignis obliviſcendus locus *ex chronico Moiſſiacenſi apud du CHEN. t. 3. ſcript. Franc. p. 801.* quem BOECLER. *in hiſtoria ſeculi IX.* & plenius *WERLOF. in jur. publ. enucl. pag. 14.* refert. Vid. quoque BIGNONI *ad formulas Marculſi pag. 919. apud BALVZ. t. 2. BALVZIVS in vita Burdini tom. 3. miſcell. p. 491. qui in notis ad Gratianum pag. 791. edit MASTRICH. ex epiſtola 84.* Alcuini, quæ eſt Caroli ad Leonem, probat & Leonem ſummum Caroli imperium agnoviſſe. Id quoque ex *epiſtola Caroli ad Leonem, quæ tom. 1. capitul. p. 271.* reperitur, liquet. Nec papa populi Romani, ut ejus ſponſor, quod putat PETRVS de MARCA, ſed proprio nomine Carolo fidem ſuam obligavit, & fidelitatis juramentum præſtitit, cum eum per literas de ordinatione ſua certiorem faceret. Vide BALVZ. *in not. ad Agob. pag. 122.* Merito igitur BLANIVS *in diſſertat. de monetis Caroli M. & ſucceſſ. Romæ excuſis c. 9.* NICOL. ALEMANNVM refellit, qui in *diſſertat. de Lateranenſibus parietinis* adſtruere auſus, Carolum pontificiæ dominationis vicarium fuiſſe.

(a) *ab illo DCCLXXIV.) Patricii dignitatem Pipino ejus filiis Carolo & Carolomanno contulerat Stephanus papa IV. eoque nomine ipſos compellare ſoliti ſunt Romani pontifices usque ad Leonem III. Sed tamen nullum ex his tribus, Pipino ſcilicet ejusque duobus filiis, hoc titulo uſos invenio, niſi Carolum, qui nec ſtatim ab exordio Francici regni ſui, ſed ab initio Longobardorum principatu patricium ſe dixit in ſuis literis, quæ omnes ante id tempus hanc præferunt inſcriptionem: Carolus gratia Dei rex Francorum vir inluſter, nulla patriciatus mentione facta; cujus rei hanc ſubeſſe cauſam exiſtimo, quod honorarius duntaxat ſine re titulus Pipino ejusque duobus filiis primum a Stephano conceſſus eſt, deinde res ipſa Carolo anno 774. cum rex Longobardorum ſalutatur, præfecturam urbis & ſubjacentium regionum accipit. MABILLON de re diplomatica lib. 2. c. 3. p. 73. & in ſuppl. c. 9. pag. 40.* Vid. etiam *PETR. de MARCA de concordia ſacerdot. & imperii lib. 1. c. 12. §. 4. DOVBLET. in hiſtoria S. Dionyſii p. 711.* refert, chartam Caroli regis Francorum & Longobardorum ac patricii Romanorum, datam anno 7. (Franc.) & primo (Longob.) regni noſtri, & aliam p. 713. ubi habetur, anno 8. & 2. regni noſtri, anno autem Chriſti 768. Carolus cum fratre Carolomanno regnum partitus eſt, & anno 771. fratre exſtincto ſolus regnavit, atque ita 7. annus regni Francici Caroli cadit in annum 774. & 775. Vide alia diplomata apud DOVBLETVM pag. 705. 714. 728. ubi tamen error commiſſus eſt, quando Caroli regni Francici annus vigeſimus ſecundus dicitur Lombardici octavus; nec non apud MABILLON *de re diplomatica lib. 6. p. 499. ſeqq. HEDAM in hiſt. epiſcop. Ultraject. p. 41.* Papæ Hadriani epiſtola ad Bertherium Viennenſem epiſcopum, quæ ineunte anno 775. ſcripta eſt, data dicitur *Kal. Jan. imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, & a Deo coronato piiſſimo rege Carolo anno primo patriciatus ejus. HVGO FLAV. in chron. tom. 1. LABB. p. 109. MABILLON. l. c.* Docent tamen diplomata apud Doubletum & Mabillon, non ſemper poſt annum 774. formulam illam adhibitam. Exſtant in opere Ughelliano variæ chartæ, ubi Carolus magnus jam imperator ſe patricium Romanorum vocat, utpote de anno 781. tom. 2. p. 243. 244. de anno 783. l. c. p. 91. de anno 788. tom. 8. p. 37. de anno 802. tom. 5. p. 326. Sed hoc diploma ſuſpectum reddunt anni incarnationis Chriſti, cum tum temporis maxime ſaltim momenti, diplomata, præſertim; quæ in generali totius regni aut epiſcoporum conventu data erant, annos ſervatoris referrent. Ex aliis communibus diplomatibus pauciſſima prorſus ſincera invenias, annis incarnationis prædita ante Carolum Craſſum. MABILLON *de re diplomatica lib. 2. c. 26. p. 190.* Idem auctor *l. c. c. 3.* ſe refert ad duo diplomata Wilhelmi comitis pro cænobio Gellonenſi, quæ in prima ſeculi Benedictini quarti parte edita ſunt, in quo Carolus jam imperator patricii nomine afficitur; ſed addit: *Ex quo intelligitur, Carolo magno imperante aliquando patricii titulum fuiſſe attributum a quibusdam e vulgo notariorum, qui cancellariæ ſtylum non bene callebant, quo collimant, quæ in annalibus Fuldenſibus ad annum 801. habentur: atque ablato patricii nomine imperator & Auguſtus eſt appellatus.* Verum & Carolum ex Germanis ſequentes cæſares patricii titulo inſignitos eſſe, de Ottone Henrico III. IV. V. & Lothario Saxone docet CANGIVS *in gloſſ. ſub vocab. patricius.* Confer quoque MABILLON *in muſæo Italico tom. 1. p. 2. p. 63.*

(b) *annalibus Francicis*) Varii ſunt annales Francorum, ut ex Freheri directorio hiſtoricorum conſtat. Hic autem ſermo eſt de annalibus Francorum, qui & Fuldenſes & Lauriſhamenſes dicuntur. Inſerti ſunt LAMBECII *commentario de bibliotheca Vindebon. tom. 2. p. 366.*

(c) *Hieroſolymis*) Moris erat, in ſignum reverentiæ, quæ obedientiam non involvebat, vexilla aliaque tranſmitti ſymbola Gregorius tertius, ut auctor eſt *Continuator FREDEGARII c. 110. binis vicibus Carolo Martello claves* ve-

de urbis vexillo loquuntur, ſed ſepulchri dominici: quod itidem munere Aronis Caliphæ poſſediſſe Carolum diſerte ſcribit Eginhartus. Vide huc facientia nonnulla ex vita Caroli M. petita apud Guilielm. Tylium *lib. 1. hiſtor. belli ſacr. c. 3.*

§. 16. Clariſſime Caroli Patricii illa in Romanos & ipſum Papam poteſtas perſpicitur ex negotio Leonis illius Papæ, quod tum ipſi cum Romanis nonnullis eſſe cœpit 799. Ille enim, cum ejectus eſſet a Romanis, aufugit conqueſtum de injuria ad Carolum: ad eundem accuſationem ſuam contra Papam detulerunt Romani: per legatos Caroli papa *in locum ſuum reſtitutus eſt*: legati *per unam & amplius hebdomadem inquiſiverunt in malefactores, quam malitiam* (verba ſunt *Anaſtaſii*) (a) *ab ipſo ipſorum pontifice habuiſſent? cumque nihil illi haberent adverſus eum, quod dicerent, tunc illos comprehendentes prædicti miſſi* (b) *magni regis emiſerunt eos in Franciam*: ſequente anno ipſe Carolus præfuit examini eorum, quæ pontifici objiciebantur: *fecit in baſilica Petri congregari archiepiſcopos*, (verba iterum ſunt *Anaſtaſii*) (c) *epiſcopos, abbates & omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum*: ut annales ſcribunt, *concione vocata, cur Romam veniſſet, omnibus patefecit, & exinde quotidie iis, propter quæ venerat facienda, operam impendit, in quibus ut maximum ita difficillimum erat, quod primo inchoatum eſt, de inveſtigandis ſcilicet quæ pontifici objiciebantur criminibus.* vid. Jo. Barclaj. *p. 834.* contra Bellarminum. Hæc profecto clariſſime arguunt, qualis fuerit illa poteſtas, quam patricii nomine habuit Carolus, nempe qualis fuerat olim exarchorum, & quidem in ipſum papam, ſive electionem ejus ſpectes, ſive mores ac vitam.

§. 17. Nec vero alio forte pertinet, quod & Adriano ipſi olim *a dextris inceſſerit* (d) Carolus: diſerte ſane narrat Anaſtaſius tenuiſſe Carolum, inter ambulandum, papæ dextram. Siniſtram fuiſſe digniorem conatur *Bellarminus* (e) perſuadere *lib. 1. c. 27. pag. 167. de Romano pontif.* Si tanta fuit autem patricii Caroli auctoritas in papam; quanto major procul dubio poteſtas ejus fuit in reliquos Romanos? Et vero etiam id patet ex eo, quod per legatos ejus nonnulli urbe pulſi ſunt. In reliquias Petrini patrimonii jus ejus inde colligas, quod, teſtibus annalibus Francicis, anno illo 800. quo Romam ivit in cauſſa Leonis, cum exercitu *Ravennam* (f) atque Anconam adierit: minime id facturus, niſi urbes illas ſuæ eſſe ditionis cenſuiſſet.

§. 18. Recte proinde Carolus Sigonius *lib. 4. de regno Italiæ: His ille honoribus inſignitus exinde ulterius formando regno atque Italiæ conſtituendæ ſe tradidit. Primum autem Apuliam, &c. exarchatum Ravennatem, Pentapolim, Ducatum Peruſinum, Romanum, Tuſcum, & Campaniam, JVRE PRINCIPATVS ET DITIONE ſibi utente, pontifici permiſit, reliqua ipſe ſibi nomine REGNI retinuit.* Et vero cum certum ſit Carolum Patricium fuiſſe Romanum, illo autem nomine tum vis inſignis fuerit intellecta, vel ex ſolo illo nomine adparet, ab anno illo 74. Caroli in ditione aliquatenus fuiſſe omne Petri patrimonium, ipſam urbem Romam, imo ipſos pontifices. Certe talem aliquem principatum poteſtatemque patricii nomine olim, & ea quidem ipſa ætate, veniſſe conſtat inter eruditos. Neque vero dubitandum eſt, parem in reliquos epiſcopos per patrimonium illud diſperſos poteſtatem exercuiſſe Carolum Patricium, quam exercuit in Leonem papam ipſum. Plus tamen accepit juris Carolus in conſtituendis papis quam in conſtituendis archiepiſcopis & epiſcopis. Illos enim potuit eligere; hos autem non niſi *collaudare & inveſtire.* (g)

§. 19. Quin itaque poſt illum cum Hadriano congreſſum, Carolus habuerit patriciatum, il-lam-

venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis miſit. Sed non ſola transmiſſio clavium confeſſionis S. Petri & vexilli Romanæ urbis hic attendenda. Nam Leo muneribus preces addebat, *ut Carolus aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubject. per ſacramenta firmaret.* Videtur itaque *PAGI t. 3. Crit. Baron. ad ann. 706.* non recte ſentire, qui jus advocati tantum & defenſoris eccleſ. illo nomine Carolo datum eſſe ſtatuit.

(a) *Anaſtaſii*) *Script. Ital. t. 3. p. 199. in vita Leonis III.*

(b) *miſſi*) De miſſis eorum muner. conferatur CANGIVS *in gloſſar. & capitul.* ex editione Baluzii paſſim. Ceterum Carolum miſſorum opera in juſtitia Romæ alibique in Italia adminiſtranda uſum eſſe, & ex epiſtolis Leonis ad Carolum datis auctoris noſtri ſtudiis ex Academica hac bibliotheca in lucem protractis conſtat. Conqueritur in iis de miſſis graviter, quod non ex ſuo voto rem gerant. Hoc etiam ex PASCHASIO RADBERTO *in vita S. Alardi c. V.*

(c) *Anaſtaſii*) *l. c.*

(d) *a dextris inceſſerit*) Dextræ præ ſiniſtra prærogativam imo religionem veteres tribuebant, haud dubie, quia majores illi plerumque inſunt vires, & præſtantisſimi miniſtri dextræ principum vocabantur. POLYDORVS VERGILIVS *de invent. rer. lib. 4. c. 13.* *BARTHIVS in adverſariis lib. 9. c. 13. & lib. 59. c. 15.* *PLINIVS in hiſt. natur. lib. 7. c. 17.*

(e) *Bellarminus*) In eundo non in ſedendo; reſpondens ad dubium, quod Pauli imago dextram, Petri ſiniſtram occupet. Sed quæ de ſiniſtræ prærogativa affert loca, orientalium, penes quos læva dignior eſſe fertur, cum propior ſit cordi, mores reſpicere videntur. Et dubium eſt, an inferior ſemper ſignificaverit illum, qui ad ſiniſtram inceſſerit.

(f) *Ravennam*) Carolum Ravennæ per ſuos miſſos judicia exercuiſſe etiam ex *epiſtola 10. 75. & 87. cod. Carolini* conſtat, nec non in *epiſt. 84.* inſignis occurrit locus, penes Carolum ſummum exarchatus remanſiſſe imperium.

(g) *collaudare & inveſtire*) Quæ in decreto Hadriani repeeriuntur, ſaltim ad archiepiſcopos & epiſcopos Italiæ ſpectare auctumo. In Francia enim jam tum primæ ſtirpis reges, epiſcopos & abbates nominarunt. GROTIVS *de imper. ſumm. poteſt. circa ſacra c. 10.* *ALTESERRA de ducibus & comitibus provincialibus c. 7.* quod & ſub ſecunda eſt continuatum ſtirpe: Negari tamen non poteſt, quibusdam in locis & Carolingorum tempore aliquas in electione epiſcoporum & populo & clero fuiſſe partes, ut ita GLABRO haberi nequeat fides, qui *lib. 3. c. 2.* ſub tertiæ demum ſtirpe permiſſas electiones clero & plebi, præſertim, ſi vera ſunt, quæ SIGONIVS *de regno Italiæ* tradit, Carolum aliquot annos ante vitæ finem, ut epiſcopi a clero & populo eligantur, conſtituiſſe. Quomodocunque autem hæc ſe habeant, regibus tamen jus confirmandi & inveſtiendi ſalvum fuit. Vid. PETRVS de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii, part. 2. lib 8. c. 13-16.*

lamque vim in pontificem reliquosque epiſcopos patrimonii Petri, (nam ad illos, non ad reliquos per galliam, germaniamque diſperſos pertinet indubie novum hoc jus inveſtituræ, utpote quum alibi idem jus jam tum dudum obtinuiſſent Franci) quorum Sigebertus meminit, non eſt profeсto dubitandum. Vid. notata a me in exercit. de conſtitut. epiſcoporum germ. a §. 27. usque ad 33. Atqui ante tempus illud nec nomine patricii Carolus nec poteſtate eſt uſus. Proinde illo ipſo tempore accepit, quo ante carebat: adeoque fama illa de *Hadriani decreto*, quod adpellant, non eſt fabuloſa, quod nuper adeo Baronius, quo Hildebrandinam hæreſin ſtabiliret, docuit.

§. 20. De decreto Hadriani vid. *P. de Marca* (a) *lib. 8. c. 12.* & Baluzium ad Agobardum *p. 152.* ubi tamen non videtur bene reſpondere ad lib. Flori. Verius videtur, quod Florus *libellum ſuum ſcripſerit*, (b) quo tempore Carolus Calvus jus regium jam remiſiſſet, forte poſt Hadrianum III. Nota, itidem fieri mentionem a Baluzio *Diurni:* (c) quem librum edidit Holſtenius; ſed paulo poſt exempla libri ſunt confiſcata, eo quod nimis multa habeat de jure cæſarum in eligendis pontificibus.

§. 21. Ad novum illum principatum tunc ſuſceptum indubie & id pertinuit, quo Adriani ſuaſu Carolus tum Romæ inceſſerit veſtitus Romano more, quod iterum factum cum imperatorium nomen conſequeretur. Teſtatur id *Eginhartus in ejus vita:* (d) *Peregrina vero indumenta quamvis pulcherrima reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur; excepto quod ſemel, Adriano pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante, longa tunica & chlamide amictus & calceis Romano more formatis induebatur.* Neque eſt, cur nos moveat, quod *in Hadriani vita* apud Anaſtaſium nihil tale legas: forte enim omne illud, ut alia multa, ſcæva quadam manu inde exciſum; forte & ſtudio ab Anaſtaſio præteritum, ut qui vixerit prorſus illa ætate, qua cæſaribus auctoritatem omnem & jura in urbem eripere conabatur Romana curia, cui ille fuit obnoxius & addictiſſimus ad omnia, quæ

(a) *de Marca*) Hic ſex Baronii argumenta, quibus ſynodi Romanæ, in qua Hadriani decretum conditum, impoſturam probare laborat, recenſet, iisque tria alia addit; Verum Eginhardi aliorumque Franciæ ſcriptorum ſilentium hujus rei veritatem non imminuit: ſæpiſſime enim a ſcriptoribus ceteroquin accuratioribus res etiam momenti alicujus prætermittuntur, aut etiam in favorem ſedis Romanæ diſſimulantur. Neque ſequitur, Carolus, ut eſt apud EGINHARDVM, nonniſi quatuor vicibus Romæ viſendæ cauſa in Italiam profectus, ergo cum ibi commoraretur, non potuit alia adhuc vice eo contendiſſe; conf. quoque GOLDAST. *rat. conſtit.* deinde & nullius momenti eſt argumentum, ipſo MARCA fatente, ob temporis anguſtias, quæ intercedebant inter deditionem Ticini & properatum reditum in gallias, tot capitum ſynodum congregari non potuiſſe. Nam numerus ille haud dubie conflatus fuit ex epiſcopis & abbatibus, qui frequentes fuerunt Romæ, cum Carolo ex Gallia & Italia advenientes, ANASTASIVS *apud Murat. p. 186.* aut facile potuerunt ex Italia convenire epiſcopi, qui primum adventum Caroli honeſtaverant. Nec enim ſtatim ab urbe capta Italiam deſeruit Carolus. Sic & electionum epiſcopalium libertas, quæ libro capitularium conſtituitur, non pertinet ad Carolum, ſed ad filium ejus Ludovicum. Hinc corruit quartum argumentum, ſcilicet confirmatum fuiſſe jus electionum a Carolo, nec meminiſſe ullius privilegii in contrarium ab Hadriano indulti, cui derogaretur. *Nota BALVZII ad concil. Galliæ Narbonn. p. 33.* Porro illo tempore vocem inveſtituræ jam tum in uſu fuiſſe docet *LINDENBROGH. in gloſſ. ad leges antiquas.* Tandem nec ſextum argumentum ſtringit. Nam non ſequitur, Carolus jure ſuo ex peculiari erga ſedem Romanam reverentia non eſt uſus, ergo tale quid ipſi non fuit collatum. Vid. GOLDAST. *ration. conſtit. imperial. p. 4. ſeqq. SCHILT. t. 2. J. P. p. 12. ſeq.* Fatendum tamen de authentia formulæ pacti Caroli cum Romanis eorumque pontifice, quam *SCHILTER. ex GOLD. monarch. S. R. I.* refert, *WERLOFIVM c. 2. J. P. enucl.* non ſine ratione dubitaſſe; Etenim n. 14. regis Romanorum injicitur mentio: verum reges Romanos ſeculi 8. ſtylus ignorat. Quod autem ad Petri de Marcæ attinet argumenta, quampluтima exſtant exempla, illud, quod ab uno papa factum, ab alio reiteratum. Quæ reiteratio in patriciatu eo minus hic ſuperflua eſſe videtur, quo magis certum, Carolum eo titulo ante deſtructum Longobardorum regnum non eſſe uſum, quoniam ante illud tempus nihil præter nudum nomen & dignitatem complexum eſſe dicunt. Neq; ex FLORI, circa Ludovici Pii & Caroli Calvi tempora viventis, *in tractatu de elect. epiſcoporum* aſſerto, illi, quod pro ſtabilienda Hadrianæi decreti veritate allatum eſt, aliquid decedit. Quem enim habebimus vadem, magiſtrum Florum teſtem ſingularem & ſuſpectum vera tradidiſſe; deinde vacillat conſequentia Flori tempore absque principis impetrato conſenſu pontifices eſſe conſecratos, ergo ſynodus Romana, in qua Hadriani decretum factum, eſt fictitia. Multa ſæpe conſtituuntur, quorum deinde uſus negligitur. Itidem fallit argumentum, Lupus Ferarienſis omne jus, quod regibus in conſtituendis epiſcopis tribuit, repetit a conceſſione Zachariæ, & ſynodi univerſalis & decreti Hadriani mentionem non injicit, ergo hæc ſunt figmenta. Contingit enim auctores non niſi veteribus inhiare, recentiorum autem parum curioſos eſſe. Denique ex epiſtolis Hadriani anno 784. & 787. ad Carolum perſcriptis nihil ſolidi Baronianæ accreſcit ſententiæ; Prior enim docet, Hadrianum decreti ſui ſæpe nullam habuiſſe rationem, & Carolum haud dubie aliquando conniviſſe: ſed id non ſemper factum, ex poſteriori epiſtola pateſcit. Volebat namque Carolus, ne electio Ravennatis epiſcopi absque miſſorum ſuorum interventu fieret; cui reſpondet Hadrianus, id nunquam factum, ſed morem iſtum etiam obſervatum temporibus Pipini regis, ut decreto cleri atque plebis, ad ſedem apoſtolicam perlato, proprium antiſtitem, ſibi Ravennates conſecrandum peterent. Si vera ſunt, quæ papa affert, Ravennates in hoc peculiari jure gaviſi ſunt, quod ad alias extendi nequit.

(b) *libellum ſuum ſcripſerit*) Scilicet de electione epiſcoporum, PETRVS de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib. 8. c. 14. §. 1.* De hoc auctore ſequentia habet: *Florebat hac ætate auctor iſte, a Walfrido Strabone valde laudatus, qui ſententiam ſuam de electionibus in fragmento quodam deſcripſit, circiter annum 820. quod edidit Papirius Maſſonius, & ex eo illuſtriſſimus Baronius.* Voſſius de hiſtoricis latinis lib. 2. dicit, ipſum æqualem fuiſſe Rabano epiſcopo Moguntino, qui anno ſecundo Ludovici II. Imperatoris deceſſit.

(c) *Diurni*) Papam absque imperatoris græci aut ejus exarchi confirmatione conſecrari non potuiſſe, *ex Diurno* pontificum c. 2. tit. 3. ſequentibus addiſcimus. *Lacrymabiliter cuncti famuli ſupplicamus, ut dominorum pietas ſervorum ſuorum obſecrationes dignanter exaudiat, & conceſſa pietatis ſuæ juſſione, petentium deſideria pro mercede imperii ſui ad effectum de ordinatione ipſius præcipiat pervenire. GARNERIO Jeſuita in notis ad cap. 2. tit. 1. Diurni* docente, papa ante imperatoriam confirmationem in Dei nomine electus dictus.

(d) *Eginhartus in ejus vita*) Apud Reuberum p. 10.

quæ ad papalem ambitum viſa facere, quemadmodum multis licet certiſſimis notis probare. Neque tantus numerus epiſcoporum non potuit tum Romæ adeſſe, quum Carolus eorum magnam copiam ſecum adduxerit, teſte ipſo Anaſtaſio.

§. 22. Neque cauſſa longe eſt petenda, quur Adrianus populusque Romanus tantum poteſtatis voluerint Carolo concedere: quum vel ex Anaſtaſio ſciamus, quantus motus per petulantiam Romanorum civium proximi deceſſoris Stephani electio ſenſerit, & quid paſſa fuerit aliquandiu Roma exarcho & defenſore deſtituta. Multo minus quenquam turbet *inveſtitura* vox Sigeberto & Gratiano uſurpata, quam illi ævo ignotam criminatur Baronius. Non enim dicit Sigebertus ea voce tum quenquam uſum. Neque verum eſt, illam tum nullo in uſu fuiſſe, quod & Petrus Pithœus notavit *in gloſſario*, quem deſcripſit *in ſuo* Lindenbrogius.

§. 23. Ceterum de patricia Caroli in Romam, pontificem, ac S. Petri patrimonium poteſtate ſatis. Notandum vero apud Gratianum *l. cit.* legi: Adrianum *cum omni clero ac populo* eam Carolo poteſtatem conceſſiſſe. Hinc vero liquet, non in unius Hadriani manu tum fuiſſe rempublicam urbis Romæ, ſed ex parte & in populi: nec unius Hadriani dono patriciatum illum ad Carolum perveniſſe. Quicquid papæ tribuant Hildebrandini. Recte ſcilicet Sigonius: *Univerſo procerum conſentiente conventu* (a) *decretum, ut Carolus patricius Romanus eſſet &c.* Etiam ex ſequentibus perſpicere erit, non ab uno papa, ſed ſimul a populo collatum Carolo cæſareum nomen: adeoque in unius papæ poteſtate non fuiſſe rempublicam urbis Romæ.

§. 24. Minus liquet, an non omni ejus temporis intervallo ſaltem comis quædam reverentia cæſarum Romæ remanſerit. Certe ſigna ſubjectionis in hiſtoriis antiquis nulla comparent. Reverentia tamen quadam inductos abſtinuiſſe Romanos ab imperatore creando eſt veroſimile. Verum huic ut incerto pro ſe quisque vel adhibeat vel adimat fidem.

Caput VII.

Per Imperatorium titulum Carolo magno collatum eſſe hæreditarium dominium Romæ, papæ, & omnis patrimonii S. Petri.

§. 1.

Hiſce quaſi in anteceſſum præmiſſis, quidnam cum cæſareo titulo, primum ad Francorum Carolinam progeniem, inde ad germanicos reges devenerit, quidque ſit illud, cujus cauſſa imperatores illi audierint hodieque audiant, conſequens eſt exponere; initio ab ipſo Carolo ejusque poſteris facto.

§. 2. Atque Carolum quidem magnum *ipſis feriis natalitiis,* (b) adeoque finiente *anno 800.* (c) proclamatum eſſe cæſarem Auguſtum, apud omnes conſtat. Nec mei eſt inſtituti, qua id auctoritate ſit factum, prolixe diſputare, utut hac de re jam a multo tempore acriter ſit dimicatum inter Hildebrandinæ hæreſeos patronos aliosque; nonnullis horum toto hoc in negotio pontifici nihil præter coronationis miniſterium tribuentibus; ut ex adverſo illi omnia in unius papæ, & quidem, prout ille credi vult orbis Chriſtiani dominus ac vicedeus, referunt poteſtatem. Vide late in hanc ſententiam *differentem Baronium* (d) apud Vorburg. *tomo X. p. 278.* Utrumque tamen illud repugnat iis literarum monumentis, quæ Carolinæ ætati ſunt proxima.

§. 3. Libet unius Anaſtaſii verba *ex vita Leonis* in medium nunc adducere, quoniam ipſimet Baronio, maximo Hildebrandinarum partium adſertori, unius illius verbis placuit *hiſtoriam hanc recenſere.* (e) *Poſt hæc adveniente die natali Domini noſtri Jeſu Chriſti, in jam dicta baſilica beati Petri Apo-*

(a) *procerum conſentiente conventu) Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 38. oſſervazioni ſopra una lettera intitolata il dominio temporale della ſede apoſtolica. p. 13.*

(b) *ipſis feriis natalitiis)* Imperatoriam dignitatem Carolum averſatum eſſe, nec intraturum fuiſſe eccleſiam, ſi quid de papæ populique Romani conſilio ipſi inoluiſſet, tradunt EGINHARDUS *in vita ejus c. 28. POETA SAXO ad annum 801. MONACHUS S. GALLI lib. 2.* de *geſtis Caroli M. c. 28.* Sed quis ſibi perſuaderi poſſet rem, quæ ante in deliberationem haud dubie vocata, ubi plures conſilii adfuerunt participes, tam curate tegi potuiſſe, ut in nullius ex Caroli cœtu notitiam pervenerit. Nec minus rem notam fuiſſe ſuadet, quod populus ad coronationis ſolennia, quæ ſine præparatione præcedenti fieri non potuerint, ut ad rem antea vulgatam, tanta frequentia confluxerit. Ut ſileam Carolum Imperatoris nomen jam pridem affectaſſe. *FAUCHET vol. 2. des antiquit. Franc. liv. 2. ch. 9. fol. 522. Confer. quoque VORBURG vol. 10. p. 276.* Imo ante an. 800. a ſubditis fuiſſe imperatoris titulo affici paſſus eſt. MABILLON *de re diplomatica c. 4. §. 1. p. 80. & l. 2. c. 26. §. 12. p. 194.*

(c) *anno 800) Sub altera regum Francicorum ſtirpe annos a Chriſti nativitate ordinatos ſcriptores omnes verbi gratia Carolum M. Romæ imperatorem dictum die Chriſti natalitio a. 801. qui more adhuc recepto erat 800.*

(d) *differentem Baronium) Tom. IX. annal. p. 534.* Ex Chriſti placito apoſtoli eorumque ſequaces a rebus ſeculi plane abſtineant, & nonniſi animarum curæ operentur. Abſurdum eſt aliquem transferre velle, id quod non exſtat, aut ad eum nullo jure ſpectat, de alieno liberalis eſſe velle injuſtitiam ſapit. Ficulnea profecto ſunt argumenta, quæ Baronius in adſtruendo themate ſuo, quod papa a græcis ad Carolum tranſtulerit imperium, profert. Quæ ſpeciali per Samuelem, Eliam, Eliſæum, Dei facta ſunt mandato, ea pontifex attribuere nequit, & petitio principii eſt, locum illum *Jeremiæ II. Conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas & diſſipes, plantes, ædifices* ad papam ſpectare &c. Vitio quoque laborat conſequentia, major erit gloria Chriſtianæ eccleſiæ, quam erat ſynagogæ, ergo papa tranſtulit imperium in Carolum M. Eodem defectu laborat id, quod de utilitate traditur, cum rei Chriſtianæ interfuerit, alios quam græcos habere imperatores, quippe qui hæreſeos commaculari ſolebant, labe, per papam a græcis ad Carolum M. imperium transferendum fuit, præſertim cum deinde græcorum terræ turcarum ſubierint jugum.

(e) *hiſtoriam hanc recenſere)* Ann. t. IX. *p. 534. ANASTASIUS apud MURAT. ſcript. Ital. t. 3. p. 199.*

Digitized by Google

Apoſtoli omnes iterum congregati ſunt, & tunc venerabilis almificus pontifex manibus ſuis propriis precioſiſſima corona coronavit eum. Tunc VNIVERSI FIDELES ROMANI videntes tantam defenſionem & dilectionem, quam erga ſanctam Romanam eccleſiam & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſona voce, Dei nutu atque beati Petri Clavigeri regni cœlorum, exclamaverunt : Carolo piiſſimo Auguſto a Deo coronato, magno, pacifico imperatori vita & victoria. Ante ſacram confeſſionem beati Petri apoſtoli plures ſanctos invocantes ter dictum eſt ; & ab OMNIBVS CONSTITVTVS eſt imperator Romanorum. Hactenus Anaſtaſius.

§. 4. Illo ergo teſte ſcimus Carolum eſſe *conſtitutum Romanorum imperatorem ab omnibus* (a) in Baſilica tum præſentibus. vid. Onuphr. de comitiis *pag. 53.* Hi autem erant præter pontificem ipſum ac plurimos epiſcopos clericosque, *univerſi Romani.* Scimus ab uno pontifice Carolum coronatum. Platina in Leone: *populi Romani ſcito ac precibus.* Scimus denique Romanos cives in proclamando cæſare non ab unius papæ nutu dependiſſe, ſed ſuo quoque uſos conſilio. Ita omnia contigiſſe haud difficile fuerit divinare *etiam omni teſte deſtitutis.* (b) Credidit ſcilicet urbs Roma liberam ſe *a jure cæſaris* (c) Conſtantinopolitani, itaque ſui eſſe arbitrii, quem vellet cæſarem creare.

§. 5. Ejus urbis primarius civis tum erat pontifex, non autem dominus, quomodo ſeſe nunc gerit: itaque nec unius papæ nec unius populi in poteſtate fuit cæſaris creatio, ſed ad utrumque pertinuit hoc jus, potiſſimum tamen ad illum, quo erat majore auctoritate & dignitate præ populo, quodque in unius illius, non populi, patrimonio haberentur eæ per Italiam urbes ac provinciæ, quæ imperii Romani titulo a Carolo erant poſſidendæ, ut paulo poſt probabitur. Portenta illa Hildebrandina *de papali omnipotentia* (d) & in regnis imperiisque transferendis auctoritate nondum audierat orbis. Ne veſtigium quidem divinæ pontificum auctoritatis in illius ævi monumentis comparet.

§. 6. Itaque nemini vel per ſomnium tum in mentem venire potuit, papam in hoc negotio gerere ſeſe alium quam primarium civem Romanum & poſſeſſorem patrimonii quod vocant Petrini. Nihil certe agit *Bellarminus* (e) *l. 1. de translat. Rom. imp. c. 12.* quando & Carolo perſuaſam

(a) *ab omnibus*) Papa Carolo, a populo Romano electo imperatori, ex more & apud alias gentes recepto, ut ſacerdotum primus diadema imponebat. MONACHVS ENGOLISMENSIS *apud Rulpiſcum pag. 57. ANASTASIVS p. 199. ALBERICVS trium fontium Monachus ad annum 801. MARIANVS-SCHOTTVS, VINCENTIVS BELLOVACENSIS.* Vid. *Les droits de l' empire p. 49. PINIVS de antiqu. eccleſ. diſciplina p. 520. PETRVS de MARCA lib. 3. c. 2. §. 10.*

(b) *etiam omni teſte deſtitutis*) Quis ſibi perſuaderet, populum Romanum, a græcorum imperio, ut putabant, liberum, ſe ex ſolius pontificis arbitrio alterius poteſtati permittere voluiſſe; cum homines tantopere de libertate, quæ per imperium aliquo modo imminuitur, ſoleant eſſe ſoliciti, & in imperio eligendo non tam ulterius cujusdam, quam ſuum etiam ingenium ſequi ament.

(c) *a jure cæſaris*) *Romani, qui a Conſtantinopolitano jam tum diu animo deſciverant, nunc accepta occaſionis opportunitate, quia mulier, excæcato imperatore Conſtantino filio ſuo, eis imperabat, uno omnium conſenſu Carolo regi imperatorias laudes acclamant eumque per manus Leonis papæ coronant, cæſarem Auguſtum appellant. ALBERICVS ad annum 801.*

(d) *de papali omnipotentia*) Varia in tomis conciliorum ab Harduino collectis exſtant loca, quibus omnipotentia hæc papalis, pudendo ſane & Chriſti præceptis e diametro adverſante errore aſſeritur. Quo magna catholicæ religioni addictorum præſulum inclinat pars, ut etiam hoc dogma de fide eſſe, nonnulli affirmare audeant. Ad rei hujus veritatem ob oculos ponendam unum aut alterum adducere liceat teſtimonium. *Papa non puri hominis ſed veri Dei gerit vicem in terris, c. quando de translat. epiſcop. Unicus Dei vicarius pontifex Romanus habet ſummam poteſtatem & imperium ſuper omnes reges & principes terræ -- ſicut unus eſt Deus monarcha omnium, ſic inter homines unus debet eſſe princeps & monarcha, qui omnibus mortalibus præſit & dominetur, Dei ſcilicet vicarius -- unus Dei vicarius omnium princeps ac dominus, cui imperatores, reges & poteſtates omnes humiliter obediant ſintque ſubjecti. BLASIVS Bagnus de S. R. eccleſiæ dignitatibus tract. 7. p. 83. ſeqq.* In archiepiſcopi Salisburgenſis aliorumque epiſcoporum ad Joannem papam literis ſequentia continentur: *Summus pontifex & univerſalis papa non unius urbis ſed totius orbis dominus, Romanæ ſedis gubernator magnificus. HVNDII metrop. tom. 1. p. 44. edit. prior. Debet poteſtas ſpiritualis dominari temporali. GLOSS. ad c. unum ſanct. de maj. & obed. in extrav. comm. papa ſtupor mundi -- qui maxima rerum nec Deus nec homo, quaſi neuter es inter utrumque. GLOSSA in verb. papa ad proœm. clement.*

(e) *Bellarminus*) Hic c. IV. veterum conglomerat loca, ex quibus probare annititur ſoli pontifici imperii translationem deberi. Sed labor inutilis eſt; ſummi enim Romani præſulis propoſitio ſive conſilium ſenatui populoque propoſitum de eligendo imperatore ejusque deinde proclamatio ab ipſo facta populi conſenſum, quem per acclamationem expreſſit, non tollit. Nonnulli auctores conſenſus hujus populi mentionem non injiciunt, quia eum præſupponunt. Nulla enim respublica ſine parentium conſenſu conſtitui poteſt. Imo ſi pontifex in populum Romanum ſupremæ poteſtatis civilis quid habuiſſet, quod tamen negavimus, & illud in alium transferre voluiſſet, hoc ſine populi conſenſu facere non potuiſſet. Nemo enim facile ſtatuere audebit, papæ imperium in Romanos patrimoniale & herile fuiſſe, ſi tale dari præſupponamus. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 6. §. 3.* Vid. tamen COCCEJI *autonomia J. G. cap. XII.* Imo nonnulli auctores, prudentiæ civilis imperiti, opinati ſunt, omnem vim conſtitutionis in coronatione reſidere; cumque ita pontifex Carolum imperatorio redimiverit inſigni, ei negotii præcipuum tribuunt, reliquorum incurioſi. Nec obliviſcendum, inter veteres ſcriptores fuiſſe, qui ſtudio in ſedem Romanam aliquid dederunt. Summus pontifex & univerſalis papa non ſupremum rerum arbitrium, ſed primum ſacerdotem ſignificat. Quod autem ad teſtimonia & confeſſiones principum, ad quas *BELLARM. c. 5. l. c.* provocat, attinet, nihil prorſus ſolidi inde pro ejus ſententia elici poteſt. Notum enim eſt, verborum & actionum civilitates & illi ſeculo non ignotas, potiſſimumq; clero, qui ad principum favorem adrepere callebat, commodas fuiſſe, non tamen obinde in partem & arbitrium imperii aſſumtus eſt pontifex. Porro, ut ſileam, AIMONIVM in anno 660. deſiiſſe, & de Caroli teſtamento nihil tradidiſſe, ſi verum eſſet, quod papæ transmiſſum: illud tamen nullum alium ob finem factum, quam ut a papa in majorem rei fidem ſubſcriberetur, quod etiam indicant verba ADONIS VIENNENSIS *Chr. ætate 6.* Quis autem inde colligeret, igitur papa ex plenitudine poteſtatis in Carolum imperium transtulit. Nec minus abſurdum, quod ex hac confirmatione protrahere ſtudet ad-

ſam illam omnipotentiam fuiſſe docet, quoniam ille Hadrianum *ſummum pontificem* habuit & *univerſalem papam:* quaſi ſcilicet illi tituli omnipotentiam notent Hildebrandinam. Etiam Conſtantinopoli inter eos, qui eligerent, interdum ſtirpe cæſarea deficiente imperatorem primo loco fuiſſe patriarcham, liquet ex epiſtola *Michaelis & Theophili* (a) ad Ludovicum pium, quæ præfixa eſt ſynodo Pariſienſi de imaginibus.

§. 7. Verum hoc obiter & quaſi in tranſcurſu: redeundum potius eſt ad inſtitutum. Itaque nudum nomen Carolo datum nemo temere dixerit. Neque vero adeo id Romæ tum ut hodie familiare fuit. Cum illo titulo & dignitatem & honorem & jura, quæ non multo ante ſupererant cæſaribus in occidente conceſſa eſſe veroſimilius eſt. Fatetur idipſum quodammodo & Bellarminus *l. 1. de translat. imper. Rom. c. VII.* inquiens: *Jus ipſum, quod græcus imperator in provincias occidentalis imperii habebat, nec non titulos, honores ac dignitates Auguſtorum a Leone pontifice Carolo impertitas adſerimus.* Sed hoc dilucidius eſt explicandum per partes.

§. 8. Urbem Romam ergo quod attinet, illa dominio Carolino indubie ſubjecta fuit. Diſerte *Joannes Zonaras* (b) *in vita Conſtantini & Irenes l. 3. annal.* id teſtatur. *Roma prorſus Franci potiti ſunt, Carolo a Leone coronato & Romanorum imperatore appellato.* Idem: *Sub Conſtantino & Irene papa Leo Francos etiam Romam admiſit. Sic & Italia univerſa & ipſa Roma ſunt potiti. Annales Francici* (c) an-

adverſarius, papam per eam conſenſiſſe, ut Carolus filium Ludovicum imperatorem & Auguſtum appellaret. In teſtamento enim, quod anno 806. papæ tranſmiſſum narratur, nulla hujus appellationis injicitur mentio. Et quis crederet, ſi papæ conſenſui hac in parte Ludovicus aliquid tribuere cogitaſſet, negotium illud usque ad annum 813. dilatum fuiſſe. Quod Carolus Calvus imperium invadens de papæ favore ſolicitus fuerit, hanc habet rationem, quod tum temporis multi ſibi perſuaſum habebant, cum eo, pro quo pontifex, ut primus voluntatis divinæ interpres ſententiam ferret, eique coronam imponeret, cauſæ juſtitiam ſtare. Idem dicendum de eo, quod Bellarminus P. III. ex Alberto Argentinenſi de Alberto Auſtriaco affert, quod papæ adverſus galliæ regem alia ratione ſuppetias ferre noluiſſet, niſi ſibi & ſuis heredibus regnum & imperium confirmaretur. Nam injuſta ſectantes papæ conſenſu orbi glaucoma objicere, & perverſis ſuis auſibus fucatum aliquem juſtitiæ & æquitatis colorem inducere moliebantur. Deinde papæ auſibus plus juſto ſæpe imperatores indulſerunt, ut iram tanti præſulis, quæ in anathemata & execrationes, illis temporibus admodum metuendas, ſeſe exonerare ſolebat, evitarent. Nec minus cardinalis impingit, quando *c. 6.* ad papas ut teſtes in propria cauſa confugit. Nec omnia, quæ ab eo de pontificibus afferuntur, aliquo ſaltim modo ad id, quod in quæſtione eſt, ſcilicet: an penes papam ſit poteſtas transferendi imperia, pertinet. Quis enim partium non ſtudioſus conſequentiam hanc valere diceret? Papa Gregorius placitum concilii epiſcoporum Lugdunenſis; per quod Ludovico pio regnum abrogatum injuſtum judicavit, igitur ipſi poteſtas imperia transferendi competit. Deinde falſum eſt, a papa Ludovico regnum eſſe reſtitutum. MARIANUS SCOTTUS nihil aliud tradit, quam conciliante & ſuadente papa hoc factum eſſe, de quo tamen illa, quæ SIGEBERTUS memoriæ prodidit, nos dubitare faciunt. NITHARDUS *de diſſenſionibus filiorum Ludovici pii p. 87.* *THEGANUS de geſtis Ludovici pii §. 48.* *FLODOARDUS lib. II. hiſtor. Rhem.* reſtitutionem hanc a Ludovico germanico, epiſcopis, reliquo clero & populo factam eſſe perhibent, nullas papæ in illo negotio tribuentes partes. Neque literæ Adriani ad Carolum calvum, ne quid in Ludovici junioris imperium tentaret, quod etiam ſacras contineant comminationes, ad probandum, quod in controverſia eſt, idoneæ ſunt. Multo minus id ex Adriani IV. epiſtola ad germaniæ epiſcopos liquet; in illa namque tantum docetur, obtinere, ex conſuetudine videlicet aut pacto, ne Teutonicorum rex, antequam a papa ſit conſecratus, imperator vocaretur. Alexandri III. ad majora quam par erat inprimis annitentis reſponſum græcis, ut ad ſe imperium occidentale rediret efflagitantibus datum, nihil validi pro Bellarmini ſententia involvit. Poſſunt etiam papæ verba apud Platinum eo intelligi, quod majores ejus conſiliis ſuis disjunctioni imperiorum anſam præbuerint. Quod reliquum Innocentii III. effatum, Clementis V decretum, & Pii II. ad Muhamedem Turcarum imperatorem, id quod in principio eſt, petunt. Sic & oleum & operam, quam in inveſtigando titulo, quo ad Carolum M. Romanum pervenerit imperium, c. 7. ſeqq. perdit, cum ſatis ſuperque conſtet, imperium ipſi a populo Romano, cujus primarium membrum præſul Romanus erat, delatum eſſe. Denique petitio principii eſt, Romanæ eccleſiæ univerſale ſacerdotium & primatum, ſi quem Romanus præſul ſibi tribuere poſſet, jus transferendi regna involvere. Superior enim animarum cura a rebus ſeculi eſt diſtincta, & id, quod nec Chriſtus ſervator, nec Petrus ſibi unquam tribuit, ille, qui eorum vices habere gloriatur, ſibi vindicare nequit. Vicarius enim majus affectare non poteſt jus, quam quod ille, cujus vices gerit, habet, aut in illum transferre vult. Atque ita non ſequitur, nonnulli cæſares Romanæ eccleſiæ primatum agnoverunt, propterea juri illius transferendi regna & imperia ſubſcripſerunt. Sed rumpamus filum hujus argumenti, quod a FLACIO, cui male reſpondet BELLARMINUS, SALMASIO, MOLINÆO, BLONDELLO, PETRO de MARCA *in libr. de concordia ſacerdotii & imperii*, PINIO, GERSONIO, EDMUNDO RICHERIO, LAUNOJO, aliisque, qui in GOLDASTI *monarchia* & SCHARDII ſyntagmate exſtant, pertractatum eſt.

(a) *Michaelis & Theophili*) Epiſtola hæc ſynodo Pariſienſi, de imaginibus habita, præmiſſa eſt.

(b) *Joannes Zonaras*) THEOPHANES CONFESSOR, coætaneus ſcriptor, *p. 399. chronograph.* ait: Poſt reſtitutum ſedi pontificiæ Leonem III. in Francorum poteſtatem Romam ceſſiſſe. BARONIUS *ad annum 801.* legem Caroli M. in qua Romanos ſuis accenſet ſubditis, recitat. Vid. quoque MONACHUM S. GALLI *lib. II. chron. c. 2.* & *OTTONEM FRISING. lib. 5. c. 36.* imo ſi *GODOFREDO VITERBIENSI ad annum 776.* fides habenda, Carolus, ex ſententia optimatum ſuorum, iter in Italiam, niſi eo pacto, ut ſummum in Romam ſibi cederet imperium, ſuſcipere voluit.

(c) *Annales Francici*) *BERTINIANI ad annum 800. in ſcriptoribus Italicis t. 3. p. 505. EGINHARDUS in annalibus Francorum ad ann. 801. MONACHUS ENGOLISMENSIS in vita Caroli pag. 56. ALBERICUS ad annum 801. MABILLON de re diplomatica lib 6. p. 533.* Leo autem ab imputationibus per juramentum ſe purgaverat, quod nihil præcipui in papa deſignat, infimæ etiam ſortis homines, ſi ad pœnam aut torturam non ſunt gravati, nec omnia indicia, ut par eſt, deleta ſunt, ad id jurisjurandi tenentur. Solet ab iis, qui pontifici ſupremam poteſtatem civilem tribuunt, argumentum inde necti, quod in annalibus Francicis crimen læſæ majeſtatis in papam commiſſum dicatur: Verum notum, medii ævi ſcriptores crimen læſæ majeſtatis nonnunquam in latiori ſignificatu pro injuria ex perſonæ dignitate, quæ contumelia afficitur, atrocitatem habente, accipere; deinde ex *l. 5. C. ad legem Juliam majeſtatis* novimus, etiam in perſonas illuſtres, quæ conſiliariorum ſanctiorum & vicariorum numero ſunt, læſæ majeſtatis committi crimen. Erat autem papa ut vicarius imperatoris & pri-

 mus

antiquiſſimi teſtantur, coronatione illa peracta, Carolum graviter animadvertiſſe in nobiles Ro-
manos. *Poſt paucos dies jubente ipſo* (Carolo) *ii, qui eundem pontificem anno ſuperiore depoſuerant, in*
judicium adducti & habita de iis quæſtione ſecundum legem Romanorum, ut criminis læſæ majeſtatis rei,
capite damnati ſunt. Pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem interceſſit. Nam & vita &
membrorum integritas iis conceſſa eſt. Ceterum pro ſui facinoris magnitudine exilio damnati ſunt. Hu-
jus factionis fuere principes paſchalis nomenclator & campulus ſacellarius & multi alii Romanæ urbis ha-
bitatores nobiles, qui ſimul omnes eadem ſententia damnati ſunt. Ex quibus patet jurisdictionem, *me-*
rum mixtumque imperium (a) urbis fuiſſe tum penes Carolum. Idem annales mox ſubjungunt:
Ordinatis deinde Romanæ urbis & pontificis totiusque Italiæ non tantum publicis ſed etiam eccleſiaſticis &
privatis rebus, (nam tota hyeme non aliud fecit imperator) Roma profectus eſt.

§. 9. Penes Carolum ergo fuit ordinare rempublicam civilem & eccleſiaſticam, ut alibi ita
& Romæ. Idem liquet inde, quod Romanos *reliquorum ſubditorum in cenſu* (b) habuerit Carolus.
Capitular. Francor. l. 6. cap. 81. Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti
tam Romani quam Franci, Alemanni, Bajoarii, Saxones &c. ceterique nobis ſubjecti omnes. Non minus
probare id ipſum eſt ex illo *Caroli teſtamento*, (c) quod recitat Eginhartus: *In regno illius metro-*
politanæ civitates 21. eſſe noſcuntur &c. Nomina metropolitanarum civitatum hæc ſunt: Roma, Ravenna,
Mediolanum. Manifeſtum ſane hinc eſt, Romam habitam fuiſſe pari cum aliis regni Carolini me-
tropolitanis urbibus conditione.

§. 10. Plenius & clarius jura illa imperatoria in urbem deſcribit auctor appendicis illius ad
Eutropium, quam publicavit primus Matthias Flacius in *catalogo teſtium veritatis pag. 89.* & volu-
mini primo *monarchiæ S. R. imper.* inſeruit Melchior Goldaſtus. Etſi enim aliarum vetuſtiorum
paulo non æque ſit rationem aſſecutus, in his tamen meretur fidem, ut qui ante Ottonis I. impe-
rium vixiſſe videatur, & alia ejus ætatis monumenta habeat ſibi conſentientia. *Propterea inven-*
tum eſt, ut omnes majores Romæ eſſent imperiales homines tam epiſcopi quam laici, & omne vulgus pariter cum
his faceret fidelitatem imperatori; & ut ſuus miſſus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigioſas
contentiones. Morabatur quippe in palatio S. Petri; & erat conſtitutum, quanta & qualia ſtipendia de palatio
ei darentur cotidie. Quod autem reliquum erat, de ſupra dictis monaſteriis vel patrimoniis deferebatur affluen-
ter. Tanta nempe imperialis virtus ibi vigebat, ut ſi in legali judicio minoris vel inopis cauſa poſtponeretur, ſi
ille alicujus conſilio pedes teneret legati imperatoris, petens ab eo juſtam legem, & miſſus adjuraret principes Ro-
manorum, dicens: Per eam fidem, quam domino imperatori debetis, facite huc homini juſtam legem, nemo erat
auſus declinare neque ad dextram neque ad ſiniſtram, etiamſi a propinquis pontificis illata eſſet injuria. Mul-
totiens vero non ante apoſtolicum, ſed in judiciali loco ad lateranum, ubi quidam locus dicitur ad lupam, quæ
mater vocabatur Romanorum, ibi judiciariam legem finiebant. Compoſitiones quoque, quæ ſolebant a malefa-
ctoribus ſolvi, æqualiter dividebantur miſſo imperatoris & apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelera-
ta fiſco publico ſubderetur, non ad eccleſiaſticam tranſibat ſubjectionem, niſi per donativum imperiale præceptum.
Si enim aliquis iram incurrebat imperatoris epiſcopus aut judex Romanus, & placitum eſſet cæſari venire
Romam, veniebat: Sin autem, mittebatur dux Spoletinus, comprehendebatur offenſor, & ducebatur in exilium.
Domus vero illius ſignabatur annulo regis, usque ad ejus conſultum; ut ſi quando reverteretur ad gratiam, ha-
beret propria ſalva: ſin alias, per imperialia præcepta diſtribuebatur militibus. Quod ſi ad judicis poteſtatem
rejiciebatur quisquam, & cæſaris adhæret clementiæ, mittebatur pro tali negotio legatus ab imperatore, qui di-
ligenter examinaret rei veritatem, & ſi ejectus propriam haberet culpam, ſuſtineret injuriam. Hæc ille.

§. 11. Idem ſtatim ſubdit: *Hac conſuetudine uſi ſunt Romani usque ad Ludovicum magnum im-*
peratorem, Lotharii filium. Habet vero & in eo conſentiens teſtimonium ejus ævi ſcriptorum. An-
na-

mus conſiliariorum eccleſiaſticorum, conſilii imperato-
rii membrum. Hoc ex eo magis patet, quod additur,
in criminationum reos, juxta legem Romanorum capi-
talem ſtatutam eſſe pœnam.

(a) *merum mixtumque imperium*) Facultas judicia ordinan-
di & magiſtratus conſtituendi ad partes aut potius effe-
ctus majeſtatis refertur, ſcilicet ſi omnia ita a regentis
arbitrio pendent, ut actus ejus ab alio irriti reddi non
poſſunt. GROTIVS *de J. B. & P. lib. I. c. 3. §. 6. & 7.*
Nec ſummæ obeſt poteſtati, quamvis circa exercitium
judiciorum cum ſubditis ſuis princeps paciſcatur, quæ
pacta fœdera aliquando appellari ſolent. Nam poteſt
eſſe poteſtas limitata & tamen ſumma. GROTIVS *l.*
c. §. 16. Imo vaſalli, qui dimidiatum habent dominium
cum domino directo proprie dicta ineunt fœdera, quæ
certo reſpectu inæqualia ſunt.

(b) *reliquorum ſubditorum in cenſu*) Sunt adhuc alia argu-
menta, quibus ſummum in papam & reliquias imperii
Romani dominium probari poteſt; ut adoratio Caroli
poſt coronationem, papa ſine imperatoris conſenſu
conſecrari non potuit, confirmatio bonorum & privile-
giorum, legum ſanctio, homagium Carolo a Romanis
præſtitum, bullæ & acta publica, præferentes inſcriptio-
nem; imperante domino noſtro, quæ & in nummis con-
ſpiciebatur, multorum auctorum Carolo ſupremam
poteſtatem tribuentium teſtimonia. Talia autem ad-
vocati muneri, ab imperatoria dignitate diſtincto ad-
ſcribere velle errare mirum quantum eſt. Nam ea non
cadere in advocatum, ex MAGERO, MYLERO aliis-
que, qui de hoc argumento aliquid literis mandarunt,
conſtat. Quæ abbas VIGNOLI in tractatu de mone-
tis BLANCIO & PAGIO, argumentum de moneta-
rum inſcriptione urgentibus, opponit, refelluntur a
CLERICO *in biblioth. ſelect. t. 20. p. 196.* Vid. *Les droits*
de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique chapitr. 3 5. 6. ubi
hæc omnia late deducuntur, & ab adverſariorum ob-
ject. vindicantur, junge BALVZIVM *in præfat. ad capi-*
tularia.

(c) *Caroli teſtamento*) Objiciunt in priori teſtamento an-
no 806. facto, nihil de Roma & exarchatu diſponi; ſed
ſufficit in ultimo teſtamento anno 813. condito eorum
mentionem fieri. *Les droits de l' empire ſur les etats ec-*
cleſiaſtiques ch. 4. Nec minus notari meretur, illud ſal-
tim teſtamentum, quod Eginhardo jungitur, certæ, aliud
autem, quod PITHÆVS *in ann. H. F.* produxit, ipſo Pi-
thæo fatente dubiæ eſſe fidei.

nales Francici teſtantur anno 815. cum apud *Ludovicum* (a) delatus eſſet Leo papa, quaſi ipſius juſſu nonnulli eſſent interfecti, *tuliſſe id moleſte* imperatorem, & Bernhartum nepotem Romam miſiſſe, qui cauſſam cognoſceret, tandem imperatori eſſe ſatisfactum. Non habuit ſc. tum cognitionem rerum criminalium papa. Item, cum paulo poſt denuo Romani invaderent Leonis prædia, Bernhartum regem, *quæ erant geſta, per legatos imperatori nunciaſſe.* De Stephano papa, qui anno 816. cœpit ſedere, Theganus in vita Ludovici: *Stephanus poſtquam pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem populum Romanum fidelitatem* (b) *cum juramento promittere Ludovico.* Vide Baronium anno 816. ubi hæc alio trahere nititur. Imo & papas Romanos fidelitatem juraſſe principibus Carolovingico ævo, ſupra oſtendimus *cap. 6. §. 15.* e Baluzii notis ad Agobardum *p. 122.*

§. 12. At Ludovici pii dono in paſchalem papam ejusque ſucceſſores collatum cum aliis multis Romanæ urbis imperium, quis dixerit. Ex Anaſtaſio iſtud refert Platina in vita Paſchalis; quem omnino vide. Et vero circumfertur in hanc rem Ludovici cæſaris donatio. Verum omne hoc merum eſſe figmentum paparum & quidem Hildebrandinorum, multa ſunt, quæ doceant. Primo enim ejus doni nec vola nec veſtigium exſtat in omnibus ſcriptoribus, etiam pontificiis, & ut rerum curiæ gnaris ita illi addictiſſimis, ante Hildebrandum. Imo ne ipſe quidem Hildebrandus iis epiſtolis, quibus confirmare pontificia ſua, quæ vocat, jura contra cæſarem nititur, donationem hanc Ludovici memorat: ſed demum Paſchalis II. dominante jam Hildebrandino ſpiritu. Deinde diplomata ſeu tabulæ hujus donationis variant plurimum. Ex Vaticana bibliotheca alias Raphael Volaterranus *l. 111. Geograph.* alias Baronius depromit *ad annum 817.* Alias recitat Carolus Sigonius *l. 4. de regno Ital.* Quod figmenti ſignum alterum eſt. Ad hoc illo anno 816. quo id factum creditur, in Aquisgranenſi conventu nullus adfuit legatus papæ, ſed dudum remiſſus Romam: nec ille legatus aliud retulit domum quam conſenſum imperatoris circa electionem Paſchalis papæ: quod diſerte docent annales & auctor vitæ Ludovici. *Quod maximum eſt,* (c) adminiſtratio tum urbis tum patrimonii Petrini per omne illud ævum uſitata repugnat illi dono directa fronte: nec tamen vel leviſſimum indicium obſervare eſt contra quicquam pontifices ſibi producto privilegio tum arrogaſſe. Merito itaque omne hoc explodimus cum aliis Hildebrandinis commentis. Vid. C. Molinæi annotata ad jus canon. *p. 18.* Decreti, & catal. teſt. veritat. *p. 171.* Fr. Hotoman. fulmen brut. *p. 134.* Baluz. *p. 467.*

§. 13. Ceterum ejusdem Ludovici pii integram jurisdictionem in Romam perſpicere manifeſto licet ex negotio eorum, qui Theodoricum Primicerium ac Leonem Nomenclatorem occiderunt: (videntur hi fuiſſe miniſtri cæſarei) quod late narratur in annalibus *anno 820.* & vita ipſa Ludovici. Idem annales anno 24. narrant miſſum Romam a patre Lotharium, *ut vice ſua functus ea, quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo pontifice* (erat is Eugenius) *atque Romano populo ſtatueret & firmaret.* Infra ſubjungit: *Lotharius juxta patris præceptum Romam profectus ab Eugenio honorifice ſuſcipitur. Cum jam injuncta ſibi patefaceret: ſtatum populi Romani jamdudum quorundam præſulum perverſitate depravatum memorati pontificis benevola aſſenſione ita correxit, ut omnes, qui rerum ſuarum direptione graviter erant deſolati, de reſtitutione bonorum ſuorum, quæ per illius adventum Leone donante provenerant, magnifice eſſent conſolati.* Leges a Lothario Romano populo tum promulgatas recitat Sigonius atque ex illo Baronius.

§. 14. Nil derogat vero jurisdictioni cæſareæ, quod omnia dicantur correcta *cum aſſenſu benevolo pontificis:* prodigalitate enim pontificum omnia erant depravata, itaque tantum bona cum hujus papæ gratia ſunt in priſtinum locum reducta: Et vero competebat tum & papæ aliqua in nonnulla urbis jurisdictio, ſed *cæſari ſubjecta.* (d)

§. 15.

(a) *Ludovicum*) Illuſtre plane exemplum judicii a Ludovico pio per miſſos ſuos, Gregorii IV. tempore, exerciti ex *excerptis chronici Farfenſis, a CHENIO t. 3. ſcript. Francic. p. 656. editis*, refert *BALVZIVS in præfat. capitular. §. 27.*

(b) *fidelitatem*) Indigne admodum ferebat Ludovicus Stephanum conſenſu ſuo nondum impetrato conſecratum eſſe, ut itaque iram imperatoris leniret, nuncios miſit, qui ſuper ordinatione ejus imperatori ſatisfacerent, nec non Romanos ad fidelitatem cæſari jurejurando præſtandam excitavit.

(c) *Quod maximum*) Alia adhuc a viris doctis, Ludovicianam donationem fictitiam eſſe, afferuntur argumenta; nimirum 1) in diplomate dicitur, quod Ludovicus ſedi Romanæ Calabriam & Siciliam dederit, quæ tamen in græcorum erant poteſtate. 2) Corſica & Sardinia dicuntur datæ, imperatores tamen Francici eas poſſidere continuarunt. 3) Incredibile tot tantaque papæ donata eſſe, quæ diploma enarrat. 4) Conceditur libertas absque imperatoris conſenſu, novum conſecrandi pontificem; quod autem & poſt tempus illud, cui fictitia donatio adſcribitur, abſque imperatoris auctoritate papa conſecrari non potuerit, ex actis Paſchalis apud PLATINAM *in vita ejus* & SABELLICVM liquet; imo nonnulli pontificiæ ſedis cauſam perorantes hoc demum an. 824. & ſic poſt donationem obtinuiſſe, contendunt. 5) Otto I. in privilegio, quod eccleſiæ Romanæ dediſſe fertur, de Caroli M. non de Ludovici pii donatione loquitur, licet confirmationem donationis non pro invincibili veritatis ejus habeam argumento, quod exemplo donationis Conſtantinianæ illuſtrari poteſt. 6) Multorum in Ludoviciana donatione fit mentio, de quibus in Ottonis I. & Henrici donationum tabulis altum eſt ſilentium; quod ſi vero talis exſtitiſſet donatio, papæ haud dubie, ut illa & aliis donationum tabulis infererentur, ſoliciti fuiſſent. In conventu Romæ inter cæſareos & papales miniſtros habito, copia tantum, quæ ex Centii camerlingi libro anno 1192. ſcripto excerpta dicebatur, producta eſt; cumque cæſarei commiſſarii precarentur, ut ſibi quatuor manuſcriptorum, quibus Baronius uſus eſt, copia fieret, hoc obtinere non potuerunt. Hæc & alia forte cauſa fuerunt, quod BALVZIVS *t. 2. capitul. p. 1104. & MABILLON de re diplomat. lib. 2. c. 3.* hanc donationem in dubium vocent, & PAGIVS *ad annum 817. §. 7.* ſequentem in modum de ea loquatur: *Donatio, quæ Gratiano dicitur facta eccleſiæ Romanæ a Ludovico pio, non minus commentitia eſt, quam quæ Conſtantino M. affingitur.* Forte non procul a vero abſunt, qui donationem hanc Gregorii VII. tempore fabricatam dicunt.

(d) *Cæſari ſubjecta*) Hinc aliud juramentum pontifici, ut domino utili, aliud imperatori, a quo & ipſe papa non

erat

§. 15. Neque vero eſt, quur cum Baronio papalem auctoritatem in regenda Roma majorem tum fuiſſe cæſarea quis credat, eo quod in legibus illis inter alia hæc verba habeantur: *Quod ſi in offenſionem ſuam contra eandem legem fecerint, eidem legi, quam profitentur, ex conſtitutione pontificis & noſtra, ſubjacebunt:* ſcil. nomine pontificis collocato ante ipſius cæſaris. Conſtat enim, leges illas omnes eſſe utique non pontificis ſed unius Lotharii nomine promulgatas ac ſcriptas. Adde Lotharium tantum regem tum fuiſſe non cæſarem Auguſtum. Hujus enim unius eſt illud *Volumus.* Neque illa ætas adeo curioſa fuit in præ aut poſtponendis nominibus, obſervato ſemper auctoritatis ordine. Ne illa quidem earumdem legum verba: l. 3. leg. Longobard. tit. XI. p. 613. *Noviſſime admonemus, ut omnes homines, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderant, ita præſtent in omnibus obedientiam ac reverentiam hanc pontifici,* μοναρχικὴν quid papæ tum tributum indicant, ſed tantum vetant rebellionem contra Eugenium, cui populi pars minor favebat, eamve quæ illi competebat jurisdictio, ſtabilit & munit. Quid alias tum de judiciorum ratione Romæ obſervanda ſit conſtitutum, his verbis prodit auctor vitæ Ludovici. *Statuerunt etiam juxta antiquum morem, ut ex latere imperatoris mitterentur, qui judiciorum exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent, & tempore quo viſum foret imperatori, aqua lance penderent.* Vide tit. 37. l. 3. legis Langobard.

§. 16. Poſt Ludovici obitum & Lotharius ſervavit eadem jura contra refractarios Romanos cives. Hinc cum in Sergio II. conſtituendo multa contra fas commiſiſſent, per filium Ludovicum & *male eos mulctavit,* (a) & ſacramento novo ſibi obſtrinxit. Huc pertinet tit. 36. l. 3. legis Langobard. Anaſtaſius *in vita Sergii: Tunc demum in eadem eccleſia ſedentes pariter tam beatiſſimus pontifex quam magnus rex & omnes archiepiſcopi atque epiſcopi, ſtantibus reliquis ſacerdotibus & Romanorum ac Francorum optimatibus, fidelitatem Lothario magno imperatori ſemper Auguſto promiſerunt.* Pertinent huc aliquot teſtimonia, quæ habentur apud Lehmann. *l. 3. c. 40.* chron. Spir. De ejus Sergii fratre Benedicto ſcribit alter auctor *de viris pontificum*, Luitprandus perperam creditus: *maximis muneribus primatum & dominatum Romæ ſibi ab imperatore acquiſivit.* Leonem IV. tum non niſi permiſſu *Lotharii* (b) cæſaris Leoninam urbis partem quam vocant muro circumdediſſe, dicit & Anaſtaſius *in ejus vita.* Quomodo ab eodem cæſare animadverſum ſit in Grotianum magiſtrum militum læſæ majeſtatis accuſatum, narrat idem ſatis prolixe *in eadem vita.* Non aliam fuiſſe rationem Romanæ reipublicæ cæſare *Ludovico II.* (c) imo hunc jura ſua majore cura tutatum, prolixe narrat auctor ille appendicis Eutropianæ ante laudatus. Baronius anno 971. recitat cæſaris illius literas ad Michaelem Conſtantinopolitanum perſcriptas, quibus inter alia adfirmat: *A Romanis ſe gentem & urbem divinitus gubernandam ſuſcepiſſe.*

§. 17. Quæ igitur in urbem ipſam jura Carolus ſit conſequutus cum titulo imperatorio, hinc liquet. Conferantur conſtitutiones Lotharii imperatoris, quæ ex collectione canonum cardinalis Deus dedit, publicatæ ſunt ab Holſtenio *tom. II. p. 109.* Non eſt autem neceſſum, uti probemus, non minora illi conceſſa in urbes regionesque, quæ in patrimonio S. Petri cenſebantur. Quis enim crediderit Romam inferiore fuiſſe conditione? Auctor vitæ Ludovici p. 411. ſcribit, Ludovicum pium ſibi juſſiſſe parari ſtipendiarias annonas & ſtationes usque Romam.

§. 18. Ipſum vero pontificem quoque ex eo jurisdictioni ejus fuiſſe ſubjectum, ſtatim oſtendit *adoratio*, (d) qua Carolum jam jam coronatum excepit Leo. Hac de re annales: *Poſt quas laudes a pontifice more antiquorum principum adoratus eſt.* Habent eadem Ado & Regino. A pontifice

erat immunis, præſtitum eſt, *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 90. 91.* Formulam juramenti, in quod clerus & populus Romanus anno 824. adactus eſt, *vide* apud BALVZIVM *t. t. capitul. p. 647.*

(a) *male eos mulctavit*) Annal. BERTINIANI & SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad annum 844.*

(b) *Lotharii*) Lotharius anno 824. Romam a patre miſſus juſtitiam ibi juxta antiquum morem adminiſtravit. Leo III. ut ex epiſtola, quam LABBEVS edidit, conſtat, rogabat, ut ex latere imperatoris mitterentur, qui populo jus dicerent. Hic imperator, ex quo a patre Ludovico in collegam aſſumtus, Romam ad diadema ex pontificis ſumendum manibus adiit, ipſique, Paſchali papa mediante, poteſtas, quam priſci imperatores in populum Romanum habuere, confirmata eſt. Cumque rumor ſpargeretur, duos Romanorum nobiles pontificis juſſu capite truncatos, quia Lotharii foviſſent partes, imperatorii Romam ablegati judices, ut cauſam cognoſcerent. BALVZIVS *in præfat. capit. OSSERVAZIONI ſupra una lettera p. 17. ANASTASIVS in vita Sergii II.* teſtatur: *omnes Romanorum fidelitatem Lothario magno imperatori promiſiſſe;* nec non in *vita Leonis IV.* docet: ſumma imperatorem diligentia perquirere juſſiſſe, an papa cum illis, qui ut Franci Italia pellerentur, agitabant, ſentiret, & ab illa ſuſpicione papam ſe juramento liberaſſe.

(c) *Ludovico II.*) Hic anno 855. Gratianum magiſtrum militum a Daniele collega delatum, ac ſi dixiſſet: *Franci nihil nobis boni faciunt &c. quare non advocamus græcos, & cum eis fœdus pacis componentes, Francorum regem aut gentem de noſtro regno & dominio expellimus,* in jus vocari juſſit, cum Romæ tum temporis commoraretur. Imperatorem autem in illo judicio præſediſſe, ex ſequentibus liquet verbis. *Ipſe imperator cum ſanctiſſimo Leone pontifice, omnibus Romanis proceribus pariter & optimatibus Francicis in domo, quam b. m. Leo papa III. fecerat, ſedentibus de prædicta accuſatione placitum habuit. ANASTASIVS ad annum 855. vide BARONIVM tom. X. annal. eccl. p. 119.* Ad objectionem, quod hujus imperatoris tempore papa ſuprema in urbem polluerit poteſtate, ex Anaſtaſii vita Leonis IV. deſumtam, reſpondet auctor juris imperii in terras pontificis p. 97. Nemo enim facile domino utili jus reficiendi mœnia & recipiendi incolas denegabit. Imo papa addit: *& ſereniſſimorum Lotharii & Ludovici noſtrorum imperatorum &c.* Accurate autem Ludovicus in literis ad græciæ imperatorem datis, quos Baronius ad annum 871. imperialem dignitatem ab advocatia diſtinguit. Quod reliquum, non ſolum in Lotharii patris, ſed in hujus Ludovici etiam epitaphio, quod Roma ipſis ſubdita fuerit, legendum præbetur. *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique ch. 8.*

(d) *adoratio*) POETA SAXO *ad ann. 801. Annales BERTINIANI Metenſes, Fuldenſes apud FREHERVM, & annales Pipini, Caroli & Ludovici pii* apud *CHENIVM t. 2.* quos deinde alii ſcriptorum veterum ſequuntur. De ritu hoc vide PETRVM de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib. 3. c. XI. §. 10.*

Digitized by

ce id factum eſſe, non habent annales Pithœani *pag. 16.* Habet tamen auctor vitæ Carolinæ *p. 263.* Silentio hoc præteriit Baronius, imo & Anaſtaſius, uterque valde diligens narrator eorum, quæ ad honorem paparum faciunt. Baronius contra *juramenti aliquam formulam* (a) profert, qua Carolus ſeſe pontifici obſtrinxerit; ſed ſine ullo teſte idoneo. Certe ejus alicujus ſacramenti cæſarei iſthac ætate uſurpati, nec apud Anaſtaſium, nec apud alium quenquam, vel levis nota comparet. Verum hic eſt ſuccus ille loliginis & ærugo Hildebrandina.

§. 19. Ludovicum pium in ipſum Leonem apud ſe delatum inquiſiviſſe, huncque cæſari ſe coactum purgare, teſtantur annales anno 815. Iidem anno 17. narrant, Stephanum, Leonis ſucceſſorem, legatos miſiſſe cæſari pro conſecratione ſua: conferantur omnino Baluzii notæ ad Agobardum *p. 122. usque ad 127. item 152.* Sequente anno Paſchalem *poſt completam ſolenniter ordinationem ſuam & munera & excuſatoriam imperatori miſiſſe epiſtolam:* Auctor vitæ Ludovici *p. 367.* alia legatione, *quod præceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri ac firmari, rogaſſe.* Petiit ſcilicet ille confirmationem. Baronius in addendis tomo XII. *p. 925.* recitat breves Eugenii papæ, ita ſubſcriptas: Datæ imperante domino piiſſimo Ludovico. Idem Ludovicus pius juſſit inquiri in Paſchalem ſuſpectum cædis patratæ in duos rerum cæſareanarum ſtudioſos: nec hic abſolutus eſt, niſi poſtquam *juramento ſeſe purgaſſet.* Vita Ludovici *p. 380.* Ejusdem cæſaris auctoritate anno 24. Lotharius reſcidit multa pontificum in urbe acta circa bona eccleſiaſtica & conſtituit leges de electione pontificum. Vita Ludovici *p. 382.* Gregorius papa anno 27. *non prius ordinatus eſt,* (verba ſunt annalium vita Ludovici p. 387.) *quam legatus imperatoris Romam veniret & electionem populi examinaret.* Omnino vide M. Anton. de dominis *lib. 4. c. 11. n. 40. & 41.*

§. 20. Mitto *alia Ludovici imperatoris*: (b) quum pauca hæc ſufficiant ex annalibus & vita Ludovici illius petita. Ejus filius Lotharius, quomodo ſeſe geſſerit erga Sergium II. jam ſupra audivimus ex Anaſtaſio. *Confirmavit vero* (c) & ille hunc Sergium & Leonem IV. Vide Gratian. *diſt. X. c. 9.* docentem, quibus verbis Leo IV. promiſerit, ſeſe ſervaturum capitularia regum Francorum. *Benedictus III.* (d) ne quidem ordinatus eſt, niſi conſenſu Ludovici II. cæſaris impetrato. Eodem *cæſare præſente & jubente* (e) conſecratus eſt Nicolaus. Etiam Hadriani II. electionem idem *dicitur collaudaſſe.* (f) Quomodo eidem Nicolao cæſar ille reſtiterit in negotio *archiepiſcopi Ravennatis*, (g) ex appendice Eutropiana liquet: ut de ceteris omnibus nobis conſtat ex ipſo Anaſtaſio & aliis *antiquiſſimis* (h) vitarum papalium ſcriptoribus. Gratian. diſtinct. 63. c. 29. 31. 32. Ex his vero

(a) *juramenti aliquam formulam*) Quod ſi etiam tale juramentum a Carolo, vel ut imperatore, vel ut advocato Romanæ ſedis ſit præſtitum, inde nihil plane ſuperioritati ejus decedit. Scimus enim, non eſſe infrequens, ut jam tum antea monitum eſt, quod principes ſubditis aliquid jurato promittant.

(b) *alia Ludovici imperatoris*) Huc referri poteſt, quod Ludovicus anno 815. accepto nuncio, multos Romæ juſſu Leonis III. interfectos eſſe nobiles, fratris filium Bernhardum Romam contendere juſſit, ut eo inveſtigante de facti veritate conſtaret, atque eo res delata, ut papa per legatos ad imperatorem dimiſſos ſe a tali immunem eſſe crimine docuerit.

(c) *confirmavit vero*) Paſchalis I. ad Ludovicum pium, legatos excuſatum, quod ſe abſque cæſaris auctoritate pontificem creari paſſus eſſet, miſit; Gregorius IV. antequam imperatoriam non obtinuiſſet confirmationem, pontificio fungi noluit munere. *BOECLER. in hiſtoria ſeculi 9. & 10. p. 89.* hæc ex PLATINA refert.

(d) *Benedictus III.*) Ad confirmandam cleri ac populi electionem miſſi Benedicti hujus electioni ſubſcripſerunt. PLATINA *in Benedicto III.* ANASTASIVS in vita hujus Benedicti hæc habet: *His ita peractis (poſito Benedicto in pontificiali ſolio) clerus & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca ut poſcit, invictiſſimis Lothario ac Ludovico deſtinaverunt Auguſtis.* Nihilominus imperatoribus, quod abſque miſſorum ſuorum ſuffragiis papali Benedictus impoſitus eſſet ſolio, ægre ferentibus, quos ad examinandum hoc negotium ablegaverant, haud dubie juſſerant, ut Anaſtaſium, ab aliquibus Benedicto oppoſitum, ad papalem evehere dignitatem allaborarent. vide ANASTASIVM BIBLIOTH. omnia hæc late proſequentem.

(e) *cæſare præſente & jubente*) ANASTASIVS & PLATINA *in vita Nicolai.*

(f) *dicitur collaudaſſe*) Imperatoris legati iniquo tulerunt animo, quod, ut electioni intereſſent, non fuiſſent invitati, qui deinde, cum hoc non in principis ſui contemtum fieri perceperint, ſopiti feruntur; Imperator vero in epiſtola Romanorum factum collaudaſſe dicitur. ANASTASIVS & PLATINA *in vita Hadriani II.*

(g) *archiepiſcopi Ravennatis*) Vide *ANASTASIVM in vita Nicolai I. t. 3. ſcript. Ital. p. 255.* Sat liquido conſtat, Nicolaum hunc immoderatam & injuſtam pontificis poteſtatem multis auxiſſe incrementis. CENTVR. MAGD. *cent. 9. p. 334. 335.*

(h) *antiquiſſimis*) Neſcio, de quibusnam antiquiſſimis vitarum papalium ſcriptoribus præter Anaſtaſium auctor noſter loquatur. Dubito enim, an ipſi catalogi, ex quibus collectanea, quæ ſub Anaſtaſii nomine circumferuntur, aut alii, qui olim in palatina aſſervabantur bibliotheca, viſi ſint. Reſpicit itaque forte potiſſimum ad Platinam, qui comparative antiquiſſimus dici poteſt. Editi ſunt pontificum catalogi a PAPEBROCHIO atque PAGIO & nuper ſcriptum tale ad undecimum ſpectans ſeculum corporis *hiſtor. tom. II. ECCARDVS* inſeruit; verum ſcripta illa æque ac MARTINI POLONI de papis tradita nulla aut pauca ſaltim ad hoc argumentum ſpectantia complectuntur. Jus confirmandi imperatoribus Græcis, Francicis & Germanicis eſſe exercitum, multis exemplis in VLDARICI BABENBERGENSIS *codice apud Eccardum tom. 2. p. 186.* docetur, ubi decretum quoque papæ, Deus dedit, talem retinendam eſſe conſuetudinem ſanciens refertur, & ad objectionem, quod Symmachus papa de electione pontificis ſtatuens imperatoriæ confirmationis mentionem non injiciat, reſpondetur. Interim negari non poteſt, jus hoc aliquando eſſe neglectum: Verum in concilio Romano & Ravennatenſi anno 902. communi placito repetitum eſt, pontificis conſecrationem non niſi præſentibus legatis imperatoriis fieri poſſe. *BARONIVS ad annum 904.* Ceterum quod jus illud imperatorum, ne citra eorum conſenſum papa conſecrari poſſet aliquando in deſuetudinem in Henrico III. autem reſtauratum, *RICOBALDVS in hiſtoria pontificum Romanorum apud ECCARDVM t. 1. p. 1213.* poſtquam monuerat, Henricum a Clemente coronatum, addit: *Romanis illi permittentibus & jurantibus, ſe ſine ipſius conſenſu nunquam Romanum pontificem electuros.* In diplomate Nicolai II. dicitur: electionem pontificis fieri debere, *ſalvo debito honore & re-*

vero omnibus manifeſtum eſt, cæſaribus illis poteſtatem reliquam fuiſſe in paparum non conſtitutionem tantum, ſed & *vitam ac mores ipſos.* (a)

§. 21. Omnis vero hæc poteſtas in papam, Romam & patrimonium Petri videtur ad Carolum & ſucceſſores pertinuiſſe jure hæreditario, nec ullo modo a pontificum aut populi Romani conſenſu amplius ſuſpenſa, poſtquam in Carolum imperatoria dignitas eſt translata. Onuphr. lib. de comitiis *p. 54. 57.* Tali ſcilicet modo cæſares Conſtantinopolitani Romana illa tenuerunt: in eorum vero jura ſucceſſit Carolus. Liquet vero illud ipſum etiam ex eo, quod Carolus nullo præſente Romani pontificis legato, nec ipſo papa conſulto, Ludovicum filium anno 813. poſt coronam impoſitam *imperialis nominis ſibi conſortem fecerit*, (b) teſtibus annalibus. Ipſe Ludovicus anno demum 16. *a Stephano eſt coronatus*, (c) interea vero temporis & imperatorium nomen geſſit, & poteſtatem ſuam exercuit in Romam & pontificem ipſum.

§. 22. Baronius tamen, ubi recitaſſet ad annum 806. teſtamentum Carolinum a Petro Pithæo editum, (ſed tamen in præfat. annalium & hiſtoriæ Francorum in dubium vocatum,) atque ex annalibus Francicis narraſſet, confirmatum illud eſſe a Leone papa, etſi nihil haberet ad urbem Romam & pontificem pertinens, in hæc verba prorumpit: *Sub Leonis diſpoſitione de imperio diſcernendum reliquiſſe viſus eſt Carolus, ut, cui vellet, pontifex daret, cum nullam de eo in teſtamento mentionem habere voluerit, de quo ante omnia fuiſſet ipſi teſtandum, ſi hæreditarium exiſtimaſſet, & non potius Romani pontificis arbitrio electitium.* Verum hæc Baronii hariolatio eſt. Sane nihil in tabulis illis de imperio legitur diſpoſitum. Aſt inde haud colligere eſt, non fuiſſe illud in Caroli diſpoſitione. Ut ut vero cauſſa forte nos lateat, quare in illo quidem teſtamento nihil voluerit hac de re decernere, vel ex ipſis tamen tabulis illis perſpicere eſt hæreditarium jus Caroli in res imperii. Diſerta verba ſunt: *hujus a Deo conſervandi regni vel imperii noſtri heredes relinquere.*

§. 23. Redeundum eſt ad Ludovicum. Hic itidem inconſulto pontifice, anno ſeculi illius noni 17. Lotharium *primogenitum filium coronavit, & nominis atque imperii ſui ſocium conſtituit.* Neque ille *niſi rogatus* (d) a pontifice coronatus eſt, & quidem demum anno 23. quod ex annalibus Francicis notiſſimum eſt. Neque legas a Lothario inſtitutum filium Ludovicum imperatorem, conſenſu prius papæ invocato. Ipſum Ludovicum II. cum liberis deſtitueretur, proximum agnatum Carolomannum Ludovici germanici filium imperii hæredem ſcripſiſſe, diſerte perhibet auctor ille *appendicis Eutropianæ* (e) jam non ſemel laudaturi Johannis IIX. papæ epiſtolas ad Carolomannum regem regni Italici citat M. A. de dominis *lib. 6. c. 1. n. 58.*

§. 24. Sed & Carolomannus uno hoc hæreditario jure fultus imperatorem ſe dixit, etſi Italiam non intraverit, ac Romanus populus Carolum Calvum ſuſcepiſſet. Regino docet ad annum 878. optimates Romanos *ſacramentum dicere Carolomanno*, (f) invito pontifice, coactos. Ejus cæſareum

reverentia dilecti filii noſtri Henrici (IV.) qui in præſentiarum rex habetur & futurus imperator, Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab apoſtolica ſede perſonaliter hoc jus impetraverint c. in nomine d. 23. PALATIUS in Nicolao II. p. 310. PAGI crit. anti-baron. ad ann. 1059. Quanquam Henrici advocatus hoc jus imperatori ex antiquorum conſuetudine principum & paterno jam tum jure vindicaret, ut ex PETRI DAMIANI *dialogo*, quem BARONIUS ad annum 1062. *t. 11. ann. p. 323.* refert, conſpici poteſt. *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 89.* Neque hoc jus, licet ab uno aut alio neglectum, amitti potuit, cum ad unumquemque imperatorem vi pacti & ratione imperii ſpectet.

(a) *vitam ac mores ipſos*) Imperatores noſtri invaſores ſedis pontificiæ, illosque, qui talem non vivebant vitam, qualis papam decebat, ſede pontificia deturbarunt, digniores que in eam evexerunt. Documento nobis ſit Joannes XII. quem Otto I. ob vitæ morumque pravitatem papali privavit dignitate, atque Leonem X. illius conſtituit ſucceſſorem, *LUITPRANDUS lib. 6. cap. 6. GOLDAST. conſtit. tom. unic. p. 33. LUNIG ſpicileg. eccl. tom. 1. p. 138.* Nos de hac materia alibi prolixius agimus.

(b) *ſibi conſortem fecerit*) *AUCTOR vitæ Ludovici pii p. 357. 358. THEGANUS de geſtis Ludovici §. 16.* Eodem jure Ludovicus in conſtituendo ſibi imperii collega & ſucceſſore filio Lothario eſt uſus, *THEGANUS §. 21. NITHARDUS de diſſenſionibus filiorum Ludov. pii p. 86.* Sic & a Lothario Ludovicus II. cui avus jam tum imperium donaverat, in imperii conſortium aſſumtus, & deinde demum a Leone IV. unctus eſt. *Annales Bertiniani ad ann. 836. 850.* Nec apparet, quod unquam Romani eorumque præcipuus papa, juribus ſuis aliquid inde deceſſiſſe conqueſti ſint, aut quod conſtituti collegæ & ſucceſſoris imperium ſubire detrectaverint. Videntur quidem ſententiæ huic, quæ *ANASTASIUS in vita Sergii* tradit, adverſari, ſcilicet a Romanis Ludovico II. auctore papa fidelitatis juramentum denegatum eſſe: Verum ille tum temporis a patre nondum imperii conſors, ſed ſaltim Italiæ rex creatus erat. Nam Lothario imperatori ſe tali obſtringere jurejurando parati erant. Atque igitur GROTII opinionem, qui *lib. 2. de J. B. & P. c. 9. §. 11.* aſſerit, hanc electionem perſonalem in Carolum M. & quosdam ejus ſucceſſores fuiſſe, amplecti nequeo.

(c) *a Stephano eſt coronatus*) Ludovicus adhuc in tenera conſtitutus ætate, cum a patre æque, ut frater Pipinus adveheretur, in Aquitanorum, Pipinus autem in Longobardorum regem coronatus eſt. *Annal. Laurisham. ad ann. 781.* Imperatoria autem moderans ſceptra Romam nunquam adiit, ſed iter, quod moliebatur per Normannorum in Friſiam irruptionem, impeditum eſt, atque ſic etiam a Steph. IV. diadema ſumi non potuit. *AUCT. anonym. vita Ludovici pii pag. 411. annal. Pith. ad ann. 836.* Neque id ejus impoſitum eſſe capiti, cum papa in gallia imperatorem viſeret, conſtat. *PLATINA in vita Stephani IV.* Interim, ut ex quamplurimis innoteſcit diplomatibus, non ſolum imperatorio uſus eſt titulo, ſed & actus majeſtaticos in Romam exercuit, civesque illi fidem ſuam jurejurando obligarunt. *THEGANUS §. 16.*

(d) *niſi rogatus*) *Lotharius vero, cum ſecundum patris juſſionem in Italia juſtitias faceret, etiam ſe ad revertendum de Italia præparavit; rogante Paſchali papa Romam venit, & honorifice ab illo ſuſceptus, in ſancto paſchatis die apud ſanctum Petrum & regni coronam & imperatoris atque Auguſti nomen accepit. Annales Bertiniani ad annum 823.*

(e) *appendicis Eutropianæ*) *Ludovico II. infirmante & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit ſibi ſuccedere Carolum M.* (*Carolomannum*) *ad ſuſcipienda imperialia ſceptra: EUTROPIUS in tractatu de juribus ac privileg. imperat. in imper. Roman. apud GOLDAST. tom. I. monarch. imper. p. 10.*

(f) *ſacramentum dicere Carolomanno*) Lambertus Witonis filius

reum titulum obſervavit Carolus Sigonius *l. 4. de regno Italiæ:* quicquid diſſimulet Baronius. In viſione Caroli Craſſi, quam Baronius tomo annalium *decimo* (a) memorat, legitur: *Tunc converſus ad me Ludovicus dixit mihi: Imperium, quod hactenus tenuiſti jure hereditario, debet recipere Ludovicus filius filiæ meæ.* Recitat quoque fabuloſam illam viſionem Matth. Weſtmonaſter. in chron. ann. 885. Nolo alia adferre. Neque vero a Papis quicquam hac in re turbatum legas, niſi *circa Caroli Calvi imperium* (b) a Joanne IIX, aut ſi nonum vocare malis, Carolinæ familiæ diſcordia & diſtractis viribus ad inſolentem hanc audaciam permoto.

§. 25. De Carolo tamen Calvo & ſucceſſoribus in hunc modum diſſerit auctor appendicis Eutropianæ: *Carolus Calvus veniens Romam renovavit pactum cum Romanis perdonans illis jura regni & conſuetudines illius, tribuens illis ſumptus de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini Salvatoris, & beatæ Mariæ ſemper virginis in Sabinis atque S. Andreæ juxta montem Soractis & de ceteris quamplurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. Patrias autem Samnia & Calabriæ ſimul cum omnibus civitatibus Beneventi eis contulit: inſuper ad dedecorem regni totum Ducatum Spoletinum cum duabus civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe dux, id eſt, Aretium & Cluſium; quatenus ut is, qui præerat regia vice ante, Romanis videretur poſt eſſe ſubjectus. Removit etiam ab eis regias legationes, aſſiduitatem vel præſentiam apoſtolicæ electionis. Quid plura? cuncta illis contulit, quæ voluerunt: quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur, nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu alterius Caroli*, (is eſt Carolomannus, vide Reginonem ad annum 877.) *qui veniebat, infirmatur, antequam de regno egrederetur Italico. Egreſſus namque vix defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines regiæ dignitatis nemo imperatorum, nemo regum acquiſivit: quia aut virtus defuit aut ſcientia, præ multis regni contentionibus & aſſiduis diviſionibus. Unde multa prælia, delationes, & rapinæ fuerunt in regno.* Hæc auctor ille. Conf. Baron. ad ann. 1191. & Onuphr. de comitiis *p. 59.*

§. 26. Neque nos negaverimus, poſt illa cæſaream Francorum poteſtatem multum fuiſſe imminutam. Nec tamen temere quis probaverit, in illud *Caroli Calvi pactum* (c) unquam a Carolina familia reliqua conſenſum eſſe, utut juribus ſuis uti non potuerit, vid. Onuphr. vita Gregorii VII. p. 255. ubi de ſucceſſoribus Caroli M. agit. Sed ea de re agere non eſt hujus inſtituti. Satis eſt, nos demonſtraſſe, Carolum magnum vere cæſareum aliquod dominium in Romam, papam, & Petri patrimonium cum titulo imperatorio impetraſſe, utut poſteri ipſius ea poteſtate per injuriam exciderint. *De Arnulphi tamen imperio* (d) in urbem Rom. vid. Aventin. annal. Boj. *lib. 4.* Vid. Nic. Burgund. Ludovic. Bavar. *pag. 85. ſub fin.* De titulo imperatorio Gallorum quorundam regum vide notata Steph. *Baluzii ad Marcam* (e) *pag. 165. & 399.*

§. 27. Ex hiſce vero omnibus manifeſtum eſt, etſi jam ante Patricii nomine in urbem, in papam, in Petri patrimonium, jus aliquod habuerit, cum cæſareo tamen titulo longe *ſplendidiorem & majorem auctoritatem* (f) Carolum eſſe conſequutum. Neque enim æque magna patricii atque cæ-

filius & Albertus Bonifacii filius Roma potiti, Joannem VIII. Caroli Calvi amicum in captivitatem dederunt, & Romanorum optimates ad fidem Carolo jurejurando præſtandam adegerunt. *Ann. Fuld. ad annum 878.*

(a) *decimo*) *Ad ann. 888.*

(b) *circa Caroli Calvi imperium*) Hic Carolomanno imperium Romanum præripere cogitabat, & ut hac in re pontificis ope uti poſſet, ejus favorem donis & nimia indulgentia impetrare annisus eſt. Hiſce artibus obtinuit quidem, ut imperiali redimeretur corona, ſed accepto nuncio, Carolomannum fortiſſimo inſtructum exercitu appropinquare, ſe in fugam conjecit, in qua aut Judaici medici fraude, aut dyſſenteria vitam poſuit. *REGINO ad ann. 875-877. Annal. Fuld. ad ann. 875. OTTO FRISINGENS. lib. 6. chr. c. 6. BARONIUS t. X. annal. eccleſ. p. 513. ſeqq.* & plures alii a *PFEFFINGERO ad Vitriar. tom. I. p. 460. ſeqq. citati.*

(c) *Caroli Calvi pactum*) Carolini pacti eo minus ratio habenda, quo magis certum, illum contra jus faſque imperium invaſiſſe. Ad lineam enim germanicam ante ipſum tam jure ætatis, quam Ludovici ſecundi voluntate ſpectabat, quippe cum, ut monet *ONUPHRIUS de comitiis*, *Carolingi* de imperio tanquam de rebus ſuis privatis diſponere ſolebant.

(d) *De Arnulphi tamen imperio*) Arnulphus cum altera vice in Italiam veniret ex Formoſi manibus imperatorium nactus diadema, cæſarque Auguſtus appellatus eſt. *REGINO ad ann. 896. HERMANNUS CONTRACTUS ad ann. 995.* Hoc potius ad annum 896. quam 895. eſt referendum. Exſtat diploma ejus anni 895. apud VGHELLI *t. 4. p. 420. de confirmatione jurium & privilegiorum eccleſ. Berogom.* in quo vocatur divina clementia rex. In diplomate vero de anno 896. apud *VGHELLI t. 3. p. 614.* divina favente clementia imperator Auguſtus dicitur, & ſub hac reperitur charta: data 4 Kal. Martii anno J. D. 896. indict. 14. anno Arnulphi reg. in Francia (orient.) nono in Italia tertio. Senatus populique Romani juramentum Arnulpho præſtitum exhibet *SIGONIUS ad ann. 896. GOLDASTUS tom. 2. conſtitut. p. 41.* Nec minus Arnulphus ſe in eo cæſarem demonſtravit, quod Sergium pontificiæ ſedis uſurpatorem expulerit, & in illos, qui ex ejus aſſeclis erant, gladio animadverterit. *SCAT. lib. 3. annal. Pad. p. 232.* Neſas itaque eſt, Arnulfum ex imperatorum catalogo, cum Baronio t. X. annal. ad ann. 896. qui forte Ottonem Friſingenſem ſequitur, eliminare. Non ſolum enim ille poſt coronationem Romanam conſtanter imperatoris titulum in ſuis adhibuit diplomatibus, de quo varia apud *HUNDIUM in metropol. Saliſb. t. 1. p. 87. 165. 232. 233. GOLDAST. t. 1. conſtit. imperial. p. 209. SCAT. lib. 3. annal. Pad. pag. 228. & GRETSER. de div. Bamb. p. 520.* teſtantur diplomata; ſed & ipſe Stephanus VI. in privilegio, eccleſiæ Narbonnenſi dato, illum a Deo coronatum magnum imperatorem vocat. LABBEUS *tom. I. biblioth. manuſc. p. 805.* Quanquam negari nequeat, Stephanum Sergianis incitantibus non ſolum in Formoſi cadaver ſæviiſſe, ſed & omnia Formoſi pontificis acta reſcidiſſe, & Arnulfum Regem vitio factum eſſe imperatorem pronunciaſſe. LUITPRANDUS *lib. 1. c. 5.* SIGONIUS *lib. 6. ad ann. 896.* Verum furores ejuſmodi Romani præſulis Arnulfi imperiali dignitati nocere non potuerunt. *SCAT. annal. Paderb. lib. 3. p. 233. BRUNN. lib. 7. annal. Boic. PALATIUS de vitis pontificum P. 2. p. 78.*

(e) *Baluzii ad Marcam*) In monumentis veteris ævi ſæpe imperatoris nomen regi tribuitur. *MABILLON de re diplomat. lib. 2. c. 4. p. 80. LIMN. in jure publ. lib. 2. c. 1. & in notitia regni Franciæ p. 321. ſeqq.*

(f) *ſplendidiorem & majorem auctoritatem*) *ENGOLISMENSIS MONACHUS apud PITHÆUM p. 28. PETRUS de MAR-*

cæſaris auctoritas, nec patriciatus forte hæreditarius tum fuit, ſed ſuſpenſus ab arbitrio eorum, qui Patricium conſtituebant.

§. 28. Quemadmodum vero deinceps creverit pontificum potentia, decreſcente auctoritate cæſareæ familiæ Carolinæ, vide diſſerentem G. Calixtum de ſtatu rerum in eccleſia occidentali *ſec. 8. &c. n. 19.* Primus valde *ſeſe extulit Nicolaus I.* (a) *Joannes VIII.* (b) primus videtur viam aperuiſſe cæſareæ dignitatis ex papæ arbitrio ſuſpendendæ: vid. ejus ſermonem apud Pithœum in annalibus *p. 498. & p. 100.* Quid *Hadrianus III.* (c) auſus fuerit, vide Calixtum *l. cit. n. 30.*

CA-

MARCA de concordia ſacerdotii & imperii lib. 3. c. 11. BALUZIUS in vita Burdini tom. 3. miſcell. p. 491.

(a) *ſeſe extulit Nicolaus I.*) Ex quo Chriſto nomen dantes imperii rebus ſumma cum poteſtate præfuerunt; præſulum Romanorum auctoritas non levia ſumſit incrementa, recentes enim Chriſtiani, purpuræ ſuæ largiorem cœli benedictionem conciliari non poſſe, auctumabant, quam ſi omnis generis cultu ſacerdotium principem proſequerentur; nec illud majeſtati ſuæ detrimento fore, ſi tam ſanctis hominibus, qui rerum ſeculi plane incurioſi eſſent, aliquid indulgeretur, credebant, quæ perſuaſio deinde pontificum conaminibus ſummum rerum arbitrium invadendi, clerumque principum ſubtrahendi imperio, admodum favit, ſunt, qui putant, Conſtantinum M. tam propenſum in Sylveſtrum ſe exhibuiſſe, ut eo magis Chriſtianorum animos, quorum operam rebus ſuis ſatis commodam expertus erat, devinciret. Quod autem ad Sylveſtrum attinet, ille externi quidem faſtus contemtor fuiſſe videtur: verum hierarchiæ eccleſiaſticæ, quæ deinde invaluit, eum jam tum aliquo modo operam navaſſe, ex hiſtoria ejus pateſcit. Novos quoque pontificum animis ſtabiliendæ ſuæ potentiæ addiderunt animos, dura ſatis imperii fata, quod imperialis ſedes alicrſum transferretur, & terræ imperii irruptionibus gentium barbararum, ut vocabantur, variæ attritæ ſunt, ubi omnium oculi in pontificem, ut publicæ quietis conciliatorem, ſub cujus ſacra quadantenus latitare poſſent umbra, intenti fuerunt. Cumque Roma ditionis Gothicæ fieret, callidiſſime exteri & barbarici regni odium civibus inſpirare ſciverunt, quo paratiores eſſent, ſe cum rebus ſuis arbitrio, vel potius mitioribus pontificum ſuaſionibus, permittendi. Artis enim fuit, & non unius ætatis labor, tantæ molis opus, ut papale fuit imperium, exſtruendi. Poſtquam vero Gothicum regnum a Juſtiniano militari potiſſimum Beliſarii & Narſetis virtute eſſet deletum, Roma per exarchos Ravennatenſes, græcorum imperatorum in Italia vicarios, mediante nonnunquam duce, regi cœpit, qui libidinibus ſuis & avaritia plerumque Italorum animos a ſe avertebant, unde non leve pontificis auctoritati accedebat incrementum. Nova deinde Italiam afflixit periodus, nempe Longobardorum impreſſio, quæ pontificibus ſub initium diſplicuiſſe non videtur; quoniam ſibi haud dubie perſuaſum habuerunt, hanc gentem, quam ut barbaram ſtupidiorem credebant, facile paſſuram, ut Roma ſummi pontificis tantum ſubeſſet moderamini, modo reliqua potirentur, a Græcis autem ſibi non æque tunc timendum eſſe rebatur Romanus præſul, tam ob fractas eorum vires, quam quod Longobardorum opes in propinquo eſſent, & faventem aliquando adventuram occaſionem, ut imperio eorum plane repudium mittere poſſent. Verum enim vero cum exarchatu quoque occupato, gentem amicam antea, etiam Romæ imminere experiebantur, ſe ad Francorum auxilia impetranda accinxerunt. Hæc autem & minus ſibi defore ſperabant, quo gratiori Zacharias Pipinum quærentem, an inidoneum regem dejicere, & monaſterio mancipare liceret, beaſſet reſponſo. Ut verum fatear, & ex hoc papali conſilio pontificia auctoritas novas ſumſit vires. Audebant enim deinde perſuadere, & ex hoc in aperto & propatulo conſtitui, penes papam eſſe de regnis diſponendis eaque ab uno in alium transferendi poteſtatem. Acceſſerunt poſtmodum, Longobardis in ordinem redactis, & poſtea plane devictis, territoria, quibus a Pipino & Carolo M. Romani demulcebantur ſacrorum antiſtites. Hoc donum, ut rebus ſeculi ſe magis addicerent, & nomen ſuum inter principes & terrarum rectores majori animo profiteri auderent, effecit. Nec ullam deinde occaſionem Petri bona, quæ in ipſo Petro paupertati proxima erant, augendi prætermiſerunt. Neque hic tacendum dominium in regnum Neapolitanum directum, in quod irrepſerunt. Ex illo deinde tempore magis magisque ſoliciti fuerunt, ut nullius ſubeſſent imperio, quæ molimina eo proſperiorem habitura ſucceſſionem opinabantur, quo magis forte, ſed falſo ſibi perſuadebant, Carolum M. maximam partem de tranſlato imperio pontificiæ ſedi obligatum eſſe, atque hoc negotii, ut conſtantiſſimum fulcrum & reiteratum potentiæ ſuæ univerſalis indicium interpretabantur. Et ut ſummo tali rerum arbitrio, etiam in ipſos reges eorumque actiones ubique animadvertendi, quavis velificarentur occaſione, Gregorius IV. ſe litibus, quæ Ludovico pio cum filiis intercedebant, componendis ingerere voluit, & filiorum partes foviſſe dicitur, ut novum exſtaret exemplum, principem ſub papæ auſpiciis regno & imperio exutum eſſe. Nec minores fuerunt Nicolai primi auſus, quem pontificiæ ſedi addicti obinde magnum vocant. Ille enim non ſolum omnem a pontificis conſtitutione imperatoriam excludere auctoritatem conatus eſt, nec non inſalutato rege ſynodum Meti convocavit, ut ibi lites, quæ inter Lotharium regem & conjugem ejus Thietbergam verſabantur, examinarentur; ſed & in ipſum regem decernebat, eumque cuculo quoque induendum eſſe, ſi Thietberga ad monaſterium redire deberet, judicabat. Adrianus II. legit Nicolai veſtigia & Joannes VIII. Carolo diadema, quod Carolomanno debebatur, imponens juris illius diſponendi de regnis, quod pontifices affectant, novum exercere actum geſtiit. Nec ſucceſſores ejus in promovendo opere deſides fuerunt, ultimamque ei quaſi manum Hildebrandus ſ. Gregorius VII. Paſchalis II. & Calixtus II. impoſuerunt, quorum veſtigiis deinde alii accuratiſſime inhæſerunt. Occaſio dabitur, hoc thema in commentationibus ad *GUICCIARDINI diſſert. de origine poteſtatis ſecularis in Romana eccleſia* latius adhuc explicandi.

(b) *Joannes VIII.*) Aliqui, quibus fœmina inter pontifices arridet, hunc nonum vocant; verum commentum illud: Romanæ eccleſiæ mulierem aliquando præſediſſe, tot ab ONUPHRIO, BLONDELLO, BARONIO, BELLARMINO, SERARIO aliisque, quos recenſet BLONDELLUS, ſub initium *diſſertationis de papa fœmina* expugnatum eſt rationibus, ut paucos amplius haud dubie inventurum ſit aſſeclas, quicquid etiam SPANHEIM. MARESIUS aliiq; pro fabula adſtruenda attulerint. Ipſe Platina, quæ de lepida hac hiſtoriola narrat, incertis & obſcuris auctoribus, id eſt, rumoribus vulgi deberi, fatetur. Quis inventor fabulæ ſit, incertum eſt, abſit autem cum FLORIMONDO, ROEMONDO, ſive LUDOV. RICHEOMO, jeſuitici ſodalitii theologo, de fabula Joannæ Papiſſæ c. XVI. Germanos primos hujus fabulæ architectos dicere, cum hi profecto poſt reformationem ſcilicet in detegenda fabula non levidenſem adhibuerint operam. Ante Æneæ Sylvii Piccolominei tempora nullus repertus, cui falſi ſuſpicio ſuboleret, rationes, quare Joannes fœmina vocetur, unde muliebris deinde ipſi adfictus ſexus, refert *PALATIUS in Joanne octavo.* Potiſſimum autem muliobrem pontificis faciem nulla ne quidem lanugine tectam, vel effeminatum interdum per muliebres amplexus vigorem, aut etiam, quod muliebria ſectaretur conſilia, fabulæ locum dediſſe, ſunt, quæ ſuadent.

(c) *Hadrianus III.*) *Initio pontificatus ſui ſtatim ad ſenatum populumque retulit anno Domini octingenteſimo nonageſimo quinto, ne in creando pontifice imperatoris auctoritas exſpectaretur, utque libera eſſent & cleri & populi ſuffragia, quod quidem inſtitutum a Nicolao I. tentatum potius, quam inchoatum diximus. PLATINA in Hadr. tert.*

Caput VIII.

Præter illud modo adſtructum dominium aliud nullum ad Francos cum cæſareo titulo deveniſſe: dignitatis tantum nonnihil pariter eos conſequutos.

§. 1.

Igitur, quicquid vel negent, vel diſſimulent Hildebrandini, non dubium eſt in Carolo magno *ad Francos adeoque ad Germanos*, (a) (etſi non ad *regnum germaniæ ſeorſim,*) (b) dominium aliquod hæreditarium in Romam, papam & papalis eccleſiæ patrimonium, quod vocant, cum titulo cæſareo perveniſſe: an vero præter hæc alia ſub iſthoc Auguſto titulo Franci acceperint, inquirendum.

§. 2. Ceterum in occidente quidem nihil tum eorum, quæ quidem olim fuerunt in poteſtate Romanorum, præter illa pauca modo dicta, non erat vel in cæſaris Conſtantinopolitani, vel in ipſorum Francorum, vel Saracenorum, Gothorum, Anglorum, Hunnorum, & ſimilium populorum ditione. In nihil autem horum cæſareum aliquod jus a Romanis Carolum magnum eſſe adeptum, per partes demonſtrabimus.

§. 3. Atque initio quidem jam ex ſupra prolatis conſtat, non potuiſſe a Romanis juris quicquam dari Carolo in provincias jam a Saracenis, Gothis, Anglis, Hunnis, aliisque dudum occupatas: quippe quum omne ſuum in provincias illas jus pridem amiſiſſent. Imo ne conatos quidem illos tale quicquam merito dixeris, quum nullum vel leviſſimum exſtet in omnibus ejus ævi monumentis ſignum ejusmodi alicujus juris, vel a Romano populo, vel a Carolo jam cæſare tanquam imperatore ſibi arrogati. Qui vero potuit de tam magno negotio tam altum eſſe ſilentium in omnibus ſcriptis, ſi quæ tum verba de eo fuiſſent, vel a Carolo vel a Romanis facta?

§. 4. Majore vero ſimilitudine adfirmaveris, voluiſſe Romanos juris aliquid largiri Carolo in Conſtantinopolitano cæſari per occidentem poſſeſſa. Sed ne hoc quidem oſtendere eſt ullo idoneo ejus tempeſtatis teſtimonio. Ut vero id illi voluerint, id certum eſt, Carolum omnia illa græcis cæſaribus ultro ceſſiſſe. Quomodo & ipſi tandem jura ſua, quæ videbantur ſupereſſe in Romam urbem, Carolo detulerunt. Manifeſtum id eſt ex ſtudio illo Caroli omnem amovendi a ſe ſuſpicionem & concordiam cum Conſtantinopolitanis ineundi. *Eginhartus:* (c) *Conſtantinopolitanis imperatoribus ſuper hoc* (quod cæſareo titulo adfici ſe paſſus eſſet) *indignantibus magna tulit patientia: vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præſtantior erat, mittendo ad eos multas legationes, & in epiſtolis fratres eos adpellando.* Idem: *Imperatores etiam Conſtantinopolitani, Nicephorus, Michael & Leo ultro amicitiam & ſocietatem ejus expetentes complures ad eum miſere legatos: cum quibus tamen propter ſuſceptum a ſe imperatoris nomen & ob hoc iis quaſi, qui imperium eis eripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes ſcandali remaneret occaſio.*

§. 5. Annales Francici memorant pacis & fœderis ergo Carolum jam cæſarem miſiſſe Conſtantinopolim legatos anno ſeculi noni ſecundo ad *Irenen*; (d) anno ſequenti ejusdem cauſſa cum literis ſuis remiſiſſe *legatos Nicephori*; (e) bello poſt exorto anno decimo *firmam pacem feciſſe*; ejusdem pacis ſtabiliendæ cauſſa ſequente anno Conſtantinopolim legatos Caroli miſſos; anno duodecimo confirmatam pacem cum *Michaele Nicephori ſucceſſore*, (f) qui Carolum in tabulis fœderis *Imperatoris* & τῦ βασιλέως (g) nomine ſit dignatus; ultimo denique eam ſtabilitam anno decimo quarto, quo Carolus obiit, *cum Leone Michaelis ſucceſſore.* (h) Græcos enim imperatores *negaſſe noſtris* (i) nomen βασιλέως & ῥῆγας dixiſſe conſtat. Sic *Ludovicum*, (k) nepotem Caroli, Conſtanti-

(a) *ad Francos adeoq; ad Germanos*) Francos germanicæ eſſe originis, jam ſupra monui. *OTTO FRISINGENSIS lib. 6. c. 19.* Obtinuit quoque, ut germania tota orientalis Franciæ nomine venerit. *HERTII notit. veter. Franc. regni c. 1. §. 4. 5. 29.*

(b) *regnum germaniæ ſeorſim*) Germaniæ enim tam regnum Italiæ plene, ob perfidiam capto Berengario, quam id, quod imperium occidentale dicebatur ab Ottone I. aſſertum eſt. *OTTO FRISINGENSIS lib. 6. c. 22. 23. chron. caſſin. lib. 1. c. 41. t. 4. ſcript. Ital. p. 333. ſeqq. COCC. juris publ. c. 6. §. 3. ſeqq.*

(c) *Eginhartus*) Apud *REVBERVM p. 8.*

(d) *Irenen*) *Hiſt. miſcell. lib. 23. p. 170. tom. 1. p. 1. ſcript. Ital. Annales Bertiniani ad ann. 802.*

(e) *legatos Nicephori*) *MONACHVS Engoliſmenſis apud SCHILTERVM p. 59. Annales Fuldenſes REGINO, ADELMVS ad ann. 803.* Transactionis leges, quæ nonnullis tamen, non ſine ratione, ſuſpectæ videntur, recenſet *AVENTINVS lib. 4. annal. Boic.* Exortæ deinde de Venetiis, quibus Pipinus Caroli M. filius potitus, lites, ſed ex græco conceſſæ, & poſtea ab hoc, ut aliqui tradunt, Carolo donatæ, litibus finem & reſtauratæ amicitiæ initium dederunt. *ADELMVS REGINO & annal. Fuld. ad annum 810. SIGEBERTVS GEMBLAC. CHRONOGR. SAXO ALBERICVS trium fontium. Monachus ad an. 810.* Anno denique 811. legati demum Conſtantinopolim, ad abſolvendum plane pacis negotium, miſſi ſunt; ſed antequam res perfecta, Nicephorus occiſus eſt, & id, quod expediri debebat, ad generum ejus & ſucceſſorem Michaelem transmiſſum eſt.

(f) *Michaele Nicephori ſucceſſore*) *ADELMVS, ANNAL. FVLD. REGINO, HERMANNVS CONTRACTVS, Annales BERTINIANI ad ann. 812.*

(g) τῦ βασιλέως) *Annal. EGINHARDI ad ann. 812. Annal. LAVRISHAM. ad ann. 812.*

(h) *cum Leone Michaelis ſucceſſore*) *Annales EGINHARDI & BERTINIANI ad ann. 814.*

(i) *negaſſe noſtris*) Epiſtola Michaelis & Theophili ad Ludovicum hoc habent initium: *Michael & Theophilus, fideles in ipſo Deo imperatores Romanorum dilecto & honorabili fratri Ludovico, glorioſo regi Francorum & Longobardorum, & vocato eorum imperatori.*

(k) *Ludovicum*) Ludovicus II. pronepos Caroli ægre admodum tulit, quod Baſilius Græcorum imperator ipſum per legatos, ne Baſilei nomen adhiberet, adhortari auſus ſit. Vide *literas ejus ad Baſileum apud BARON. tom. 10. annal. ad ann. 871.* Habebant enim imperatores Byzantini ſibi perſuaſum, βασιλέως titulum nulli alii præter-

tinus Porphyrogennetus appellat in themate Longobardiæ *ῥῆγα φραγγίας* non *βασιλέα*, vel cæſarem Romanum, vide notata Morelli p. 159. ad h. l. thematum, editionis Meurſianæ. Conferatur *epiſtola Manuelis* (a) ad Fridericum I. cæſarem apud Albertum Stadenſem *p. 196.* vid. & *p. 8.* appendic. *ad tom. I. Freherianum.* (b)

§. 6. Ex quibus omnibus manifeſto liquet nefas credidiſſe Carolum Græcos cæſares pellere poſſeſſione ſuarum rerum. Quanquam vero haud exſtent fortaſſis hodie tabulæ fœderum, tamen vel ex iis, quæ ejus ævi commemorant ſcriptores, liquet, *aliquam Italiæ partem.* (c) Græcis Carolum ceſſiſſe, ne quid dicanſ de *Dalmatia.* (d) Eginhartus diſerte ſcribit, *circa Calabriam inferiorem Græcorum ac Beneventanorum* (e) *eſſe confinia.* Item: *maritimas Iſtriæ, Liburniæ, & Dalmatiæ civitates ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum imperatorem habere permiſit.* Annales Francici memorant anno 810. captas a Pipino Caroli filio Venetias & redditas Nicephoro. Sigonius *l. IV. de regno Italiæ* ſcribit in illo fœdere *nominatim expreſſum, ut Veneti inter utrumque imperium poſiti liberi* (f) *atque immunes & ab utroque ſecuri viverent.* Quod, quoniam annalibus hiſce, ut Eginharto eſt adverſum, haud facile adſeveraverit quis fortaſſis, utut pro victoria maxima de Pipino eoipſo anno a Venetis reportata multis pugnet vir doctus *Nicolaus Craſſus* (g) *in notis ad Don. Jannotium.* Quicquid vero hujus ſit, vel ex hiſce ſatis conſtat, nihil Carolum propter nomen imperatorium in Græcis cæſaribus poſſeſſa ſibi arrogaſſe, adeoque nec opinatum illum, ſeſe quicquam in illa juris a Romanis nomine illo conſecutum.

§. 7. De iis, quæ jam ante poſſidebat Carolus, quæque in ditione jam tum erant Francorum, multo minus quidquam juris eſt adeptus. Bellarminus tamen *l. de translat. Rom. imperii cap. IIX.* ſcribit, illa cæſarei tituli *communicatione factum eſſe, ut & ea, quæ jam bello ſibi pepererat juſto titulo, ut legitimus imperator poſſideret.* Andreæ Alciati verba ſunt: *Igitur Carolus, Maximi hac expeditione apud omnes nomine adquiſito, nulli non formidabilis, cum arma per Germaniam omnem Pannoniasque circumtuliſſet, & non Italiam tantum, ſed & Illyrici aliquas regiones græco eripuiſſet: ut juſtum aliquem titulum adepto imperio prætendere poſſet, cæſarem ſe & Romanorum imperatorem a pontifice populoque Romano deſignari procuravit.* In eandem ſententiam & alii diſſerunt. §. 8.

terquam ſibi competere, & penes ſe eſſe, illum uni aut alteri tribuere: *CANGIUS in gloſſ. ſub voc. baſileus, in notis ad Alexiadem p. 236. & Joinvillam p. 316.*

(a) *epiſtola Manuelis*) Fridericus indignabatur, quod Græcorum imperator in literis ad eum aureis literis datis nomen ſuum præpoſuiſſet, ſeque Romanorum moderatorem, Fridericum autem tantum glorioſiſſimum regem alemanniæ & imperatorem vocaſſet. Sed Græci faſtum alia epiſtola Fridericus coerceri conſtituit, cujus hoc eſt initium: *Fridericus favente clementia inclytus triumphator, Romanorum imperator a Deo coronatus, ſublimis in Chriſto fidelis, magnus, pacificus, glorioſus cæſar, Græcorum moderator & ſemper Auguſtus, nobili & illuſtri regi Græcorum & imperatori Manueli dilecto fratri ſuo ſalutem & fraternæ dilectionis affectum.* Notare liceat, ritus & ſolennitates titulorum multis obnoxios eſſe mutationibus. Noſtro ævo non indecorum putatur, regem Angliæ ad imperatorem, aut Poloniæ regem ad Suecum ſcribentem ſuum præmittere nomen. *Actes & memoires des negotiations de la paix de Nimegue t. 1. p. 26. 33. Litteræ proc. imperii p. 222.* vid. quoque *literas Richardi Angliæ proteſt. ad Carolum Guſtavum Sueciæ regem l. c. pag. 105.*

(b) *ad tom. I. Freherianum*) Hic reperitur Tagenonis Aſiaticæ expeditionis deſcriptio, quæ docet, Fridericum de Græcorum imperatore Manuelis ſucceſſore graviter conqueſtum eſſe, quod literis ad ſe datis, ne quidem Friderici nomen adſcripſerit, atque monuiſſe, ſe literas Græcorum imperatoris non recepturum, niſi ſolennitas nominis & majeſtatis ejus in iis expreſſe contineatur. Quod autem ibi dicatur Emanuelem in nullo Friderici majeſtati derogaſſe, id ſaltim eo intelligendum, quod Friderici nomen literis addiderit, eumque imperatorem appellaverit, cum alias & in hiſce literis quædam ad Friderici palatum, ut notavimus, non fuerint. Niſi dicere malis, tradita hæc ad Emanuelis exutum deinde faſtum ſpectare, quippe quem Fridericus flexiſſe fertur, ut ſe non Romæ, ſed nec Romæ imperatorem vocaverit, *RADEVICUS de geſtis Frider. c. 76. p. 557. apud URSTIS.* Græcorum imperatorum ſuperbia ſe variis prodidit titulis, quorum etiam Juſtinianus amans fuit. Hic, cum quo Fridericus negotia habuit, *ſe originem noſtræ fidei, angelum Dei & imperatorem Romanorum* dicebat, quo ultimo titulo etiam Emanuel utebatur, atque ſic Fridericus jure retorſionis ſe Græcorum vocabat imperatorem. Ceterum quanquam a vanitate non procul abeſſe putem, nimium titulorum ſtudio indulgere: attamen, ſi denegato titulo, alicui quoque ſtatus, munus, poteſtas aut jus denegetur, omnino & de titulo, cui tale quid junctum eſt, ſit ſolicitus, oportet. *PUFFENDORF de J. N. & G. lib. 1. c. 1. §. 18.*

(c) *aliquam Italiæ partem*) Urbes mari adjacentes cum Sicilia Græcorutu ſinebantur eſſe ditionis. *LEO epiſt. 3. annal. Pith. ad ann. 797.*

(d) *Dalmatia*) *Annales LAURISHAM. ad ann. 806.* a græcis claſſe tentata & deinde occupata eſt; ad Francos tamen ex pacto Caroli cum Nicephoro rediiſſe dicitur, quanquam *LUCIUS de regno Dalmatiæ c. 15.* hoc ſaltim de Croatia & Liburnia intellectum velit. *ann. Francic. ad annum 806. ſeqq.*

(e) *Beneventanorum*) Beneventanos Francis paruiſſe, ex ADELMI & *annal. FULD. ad ann. 786.* notum eſt.

(f) *liberi*) Multa ſunt, quæ Venetorum libertati adverſantur. Videntur tamen inter Græcorum & Francorum opes ſæpe inſidi fuiſſe, & obinde tam a Græcis quam Francis in ordinem redacti. *Annal. LAURISH. ad ann. 806--810. ENGOLISM. p. 63.* Adjiciamus BLONDI Venetorum hiſtor. de origine & geſtis ſuæ gentis verba: *Concedente enim Carolo principe juſto & magnanimo, permiſſi ſunt Veneti, legibus propriis ita vivere, ut pariter utrique obedirent imperio.* Fatetur hic auctor, Venetos ſub aliorum poteſtate fuiſſe, ſed non omnimoda, quem in finem decad. 1. lib. 9. ait: *Pariter altera in Italiæ parte Veneti, etſi græco magis conſentiebant, quam Romano, non tamen in omnimoda erant poteſtate.* Haud dubie reſtrictio hæc eo pertinet, quod Veneta urbs privilegiis & exemtionibus quibusdam fuerit donata, ad quem cenſum haud dubie ſpectat, quod propriis uti poſſet legibus, &, ſi fides Blondo habenda, quod utrumque reverita imperatorem ſive bello ſive pace neutrius partis cenſeretur, ſed utrique fidelis maneret. Tale quid autem in illum accipere ſenſum, ac ſi Venetiæ utrique imperatori, inæquali tantum fœdere, jura ſuperioritatis civilis non imminuentia obnoxiæ fuerint, quæ in *annalibus LAURISHAM. ad annum 811.* exſtant, non patiuntur. *Pacis confirmandæ gratia,* inquit auctor annal. *legati Conſtantinopolim mittuntur, & cum eis Wilharius dux Venetorum, qui propter perfidiam honore ſpoliatus Conſtantinopolim ad dominum ſuum duci jubetur.* Vide plura apud *auctor. Scrutin. libertat. Venetæ p. 180.*

(g) *Nicolaus Craſſus*) Sed ea, quæ de Venetorum a Pipino, aniculæ cujusdam aſtu, reportata victoria *p. 337. edit. Elzev.* memorat, veterum teſtimonio deſtituitur.

§. 8. Verum enimvero quod Alciatus ſcribit, procuraſſe ſibi Carolum nomen illud cæſareum, id ſane longe abeſt a vero. Teſtis enim omni exceptione major Eginhartus nos docet, Carolo nihil tale etiam cum templum intraret ſperanti, imo recuſanti pene, titulum illum eſſe obtruſum. Nec alius ſcriptor quiſquam memorat quæſitam illam dignitatem a Carolo. Itaque hoc quidem mera & vana eſt Alciati ſuſpicio.

§. 9. Falſum porro eſt & illud, vel Romanos voluiſſe dare, vel Carolum ſibi dari a Romanis petiiſſe juſtum poſſidendi titulum ea, quæ bello occuparat, quorum prius Bellarminus, poſterius adfirmat Alciatus. Utique jam aliquot ſeculis ipſi papæ Romani, cumprimis ultimi, agnoverunt Francos legitimos ſuarum rerum poſſeſſores, ut & Longobardos & Gothos. Utrumque certe ſine ullo dicitur teſtimonio: imo repugnat plurimis ejus ævi actis, quod jam tum *capite quarto* multis demonſtravimus. Ipſe Bellarminus *reſponſ. ad arg. 16. cap. 13. l. 1. de tranſl. imperii Rom.* diſerte fatetur, ante adeptum imperatorium nomen *Galliam, Germaniam, Pannoniam, atque Italiæ partem quandam partim jure regio partim patricio Carolum poſſediſſe.* Eſt autem & regium & patricium jus legitimus aliquis & juſtus poſſidendarum provinciarum *regionumque titulus.* (a)

§. 10. Saltim itaque juſtitiæ poſſeſſionis per titulum illum nihil acceſſit. Itaque quaſi corrigens ſe ipſemet Bellarminus verbis ante laudatis adjungit: *Id igitur imperii translatio efficit, ut Carolus magnus ea ipſa, quæ jam habebat, non tantum, ut rex aut Patricius, ſed ut verus imperator & Auguſtus retineret, &c.* Ceterum hoc iterum a vero eſt alienum. Nam quod *vere & regio* (b) jure tenetur, non magis teneri poteſt jure quodam imperatorio. Imo illo ipſo *imperatoris titulo* (c) regia poteſtas ſignificatur. Sane *ſubeſſe imperatoribus* (d) reges poſſunt: poſſunt autem & reges regibus ſubeſſe; quomodo nonnulli jam olim audierunt *reges regum.* (e) Verum reges, qui ita ſubjecti ſunt aliis pleno regio jure non fruuntur. Francos autem libera & abſoluta poteſtate imperaſſe provinciis bello ſibi acquiſitis, jam tum ſupra oſtenſum eſt.

§. 11. Neque ullo licet teſtimonio probare, Romanum ſive populum ſive pontificem Francis quicquam amplioris juris aut poteſtatis voluiſſe concedere per titulum cæſareum, in ea, quæ dudum poſſederant. Quod enim meum eſt, amplius fieri meum non poteſt: *§. 10. inſtit. de legatis: §. 14. I. de actionibus.* Imo & hoc ſupra evictum a nobis eſt, Romanos ea tempeſtate in illas Francorum regiones nihil quicquam juris ſibi arrogaſſe. Quid, quod nonnullæ eorum terræ fuerint, tum juris Francorum, quas nullo unquam tempore poſſedit Romanus populus? Ejus certe conditionis fuerunt pleraque germaniæ trans-rhenanæ. Neque ullum indicium in omnibus ejus ævi ſcriptis ſupereſt, ex quo colligas ipſos Francos crediđiſſe, hoc nomine cæſareo Carolum novum aliquod jus in rempublicam ſuam adquiſiviſſe, aut Carolo tale quicquam fuiſſe perſuaſum: quin imo in plane contraria eos omnes fuiſſe ſententia, ſequente capite demonſtrabitur. Quis vero crediderit, jura quædam Carolo donata, quæ nec ipſis donatoribus, nec iis, quibus donabatur, in mentem venerunt.

§. 12. Hiſce vero conſtitutis, manifeſtum eſt præter dominium, quod ſupra adſtruximus, in nullam terram quicquam juris cum cæſareo titulo ad Francos perveniſſe. Præter hoc tamen honoris aliquid videntur conſequuti. Scilicet apud omnes Chriſtianos ac moratiores gentes hactenus *cæſareum nomen* (f) præ regio aliquam reverentiam meruit. Utque alii non ſint minore erga ſuos poteſtate, imo potentia quoque prævaleant, communi tamen conſenſu primatus quidam illi cæſareæ dignitati eſt attributus. Neque id nuper demum cœpit, ſed jam tum Carolina obtinuit ætate. Namque & in poſteris ejus, qui hoc nomine audierunt, licet aliis cederent potentia & ætate, primum citra controverſiam *locum obtinuerunt.* (g) Quod prolixe oſtendere non eſt hujus loci.

§. 13. Quum hæc pauca vero per illam imperii translationem fuerint Francis oblata, obiter hic advertendum eſt, factum hoc perperam admodum ab Hildebrandinis in medium adduci pro adſerendo pontificio in regna & imperia omnia dominatu. Præterquam enim, quod translatio illa non ſit facta unius papæ auctoritate, ex omnibus ejus ævi monumentis liquet, papam ipſum ea quidem ætate nihil vel arrogaſſe ſibi in hoc negotio, quam jus primarii civis reipublicæ Romanæ. Usque adeo ſane id eſt verum, ut, cum poſt obitum Ludovici II. hæreditaria ſucceſſio imperialis dignitatis, quæ Ludovico germanico jure debebatur, factione Joannis IIX. papæ infringi, nonnihil inciperet, non illius unius tamen auctoritate vel tum Carolus Calvus cæſar dictus ſit.

§. 14.

(a) *regionumque titulus*) Franciam hæreditario, Germaniam & Italiam victoriæ jure tenebat. Jus armorum ad titulos juſtos, quoad juſtum extrinſecum refertur; Regum autem bella & acquiſitiones juxta juſtitiæ internæ præcepta examinare, ardua res eſt, & multis implicata dubiis.

(b) *vere & regio*) Jus habendi non oritur ex dignitate perſonæ, ſed ex cauſa ad transferendum jus habendi apta.

(c) *imperatoris titulo*) In illo ſcil. ſenſu, quo poſt Julii Cæſaris tempora uſurpari cœpit. Antea enim ducibus, qui ſumma cum poteſtate exercitui præerant, inditum eſt. Vide alias hujus vocabuli ſignificationes apud *CÆSAR. BVLENG. de imper. & imper. Rom. c. 1.*

(d) *ſubeſſe imperatoribus*) Reges imperatoribus & reges regibus ſubeſſe multa Aſiæ & Africæ produnt exempla. Cavendum autem, ne fœdus aliquod inæquale absque imminutione ſummi imperii, cui ſæpe tributi cujusdam pactum adhæret, cum ſubjectione proprie dicta confundamus. *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 7. lib. 1. c. 3. §. 22.*

(e) *reges regum*) *WEBERVS in arte diſcurrendi ſont. 91.*

(f) *cæſareum nomen*) Confer *LIMNÆVM in addit. ad lib. 1. c. 1. J. publ. n. 43. & in notitia regni Franciæ lib. 2. cap. 1. Lit. X.*

(g) *locum obtinuerunt*) Idque ex pacto tacito aut expreſſo, vide, quæ de hoc argumento ſupra dicta ſunt. Nam ſolus titulus imperatoris nemini præ alio, qui cum ipſo in ſtatu æqualitatis vivit, jus proëdriæ conciliat.

§. 14. Liquido id ipſum perſpicere eſt *ex actis coronationis* (a) Caroli, quæ poſt Papirium, Maſſonium & Petrum Pithæum edidit Baronius inter res anno 876. geſtas. Verba ipſiusmet papæ Joannis hæc tum fuerunt: *Elegimus merito & adprobavimus VNA CVM ANNISV ET VOTO omnium fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum, atque aliorum S. R. eccleſiæ miniſtrorum, amplique ſenatus, totiusque Romani populi, gentisque togatæ & ſecundum priſcam conſuetudinem ſolenniter ad imperii Romani ſceptra preveximus.* Quæ verba liquido monſtrant, ſine cauſſa Baronium grandiuſculis literis heic admoraſſe: *Joannes papa eligit & confirmat imperatorem.* Item: *Romani pontificis eſt eligere & comprobare imperatorem.* Certe, quis non videt, ne Joannem quidem alium ſe geſſiſſe, quam civem Romanum? Ut nunc taceam, quam perperam colligat Baronius, jus eligendi imperatoris competiiſſe tum pontifici, ex facto illo papæ iniquo, & tum etiam a multis improbato. Uno verbo, omnis illa translatio & electio, ſive juſta ſive injuſta fuerit, nihil facit ad probandum, Hildebrandinam omnipotentiam illi quoque tempeſtati fuiſſe cognitam.

§. 15. Licet porro ex iis, quæ adduximus, colligere, non eſſe, quod pontificii glorientur de magnis adeo beneficiis in Francos collatis ob cæſarum jus conceſſum. Omnia nimirum illa, quæ Francorum imperio ſubjecerunt, Francicis antehac armis erant aut parta, aut ſervata, & pontificibus *libere donata.* (b) Neque illa niſi exiguam Italiæ portionem conſtituunt. Nec papa absque Francorum præſidio ſeſe atque ſua tum potuit tueri. Verum hæc fortaſſis extra oleam ſunt, quod dici ſolet.

CAPUT IX.

A Caroli usque ad Ottonis magni imperium ne quidem Italiam Longobardicam aut Germaniam, multo minus alias provincias Transalpinas, fuiſſe partes imperii Romani habitas.

§. 1.

In Galliam, Germaniam ac Longobardorum in Italia regnum, quæ Franci poſſidebant, in reliqua item occidentis olim Romano populo erepta, nihil juris Carolo magno per nomen cæſareum eſſe conceſſum, ſat multis eſt demonſtratum. Fortaſſe vero Franci aliique populi ſponte ſua in rempublicam Romanam redierunt, atque ita regiones illæ partes denuo factæ Romani orbis & imperii. Ceterum ne hoc quidem factum eſſe unquam, ſaltim toto illo intervallo temporis, quod Carolum inter ac Ottonem magnos porrigitur, nunc evincemus.

§. 2. Atque Pannoniam quidem vel Daciam, vel Hiſpaniam, vel Britanniam Romano ſeſe imperio rurſum dediſſe, nemo hactenus, vel per ſomnium forte adſeruit. Multo minus vero id egerunt ſeptemtrionales populi, Dani, Sueones, Moſchi, Poloni, Lituani, alii, quorum terræ nunquam antehac fuerant Romani juris. Itaque hoc quidem extra controverſiam eſt collocandum.

§. 3. At ea, quæ Franci tenuerunt in Italia, Gallia & Germania, majori veroſimilitudine quis crediderit in Romanam ditionem iterum tranſiiſſe, præſertim quum conſtet Carolum ipſum Romanæ urbis incremento ſtuduiſſe. Exſerte Eginhartus: *Nec ille toto regni ſui tempore duxit antiquius, quam ut urbs Roma ſua opera ſuoque labore vetere polleret auctoritate.* Verum enimvero nullo ſane teſtimonio conſtat, Caroli poſterorumque ætate ejusmodi quidquam eſſe conſtitutum. Nec tamen monumenta ejus ævi rem tanti momenti non prodidiſſent. Quin etiam plurima ejus temporis acta illi rei quam maxime adverſantur. Certe quo tempore Carolus dictus eſt cæſar, non in tale aliquid eſt contractum inter Francos & Romanos. Nam uni Carolo non licuit diſponere *ordinibus inconſultis* (c) de republica Francorum. Illo autem die non profecto hac de re quenquam primatum conſuluerat Carolus, quippe cui prorſus nec opinanti titulus ille eſt oblatus. Eginhartus teſtis eſt, dicere ſolitum Carolum: *Seſe eo die, quamvis præcipua ſolemnitas eſſet, eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi pontificis conſilium præſcire potuiſſet.*

§. 4. Idem porro jam tum cæſari titulos *regni Francorum & Longobardorum* (d) a cæſareo nomine accurate diſtinxit. Quo profecto oſtendere voluit, diverſo jure hæc omnia ſe tenere. Tabulæ, quibus *Osnabrugenſem epiſcopatum* (e) inſtituit anno noni ſeculi quinto, his verbis initium ca-

(a) *ex actis coronationis*) Integra acta ex concilio Ticinenſi exſtant apud *PALATIUM in geſtis pontific. Roman. vol. 2. p. 57.*

(b) *libere donata*) Repetenda hic, quæ in antecedentibus dicta ſunt.

(c) *ordinibus inconſultis*) Ordines enim & hoc ævo ad actus majeſtaticos conſtituendos, multo magis ad diſpoſitionem de ipſo regno concurrerunt. Conf. *HOTTOMANNI Franco-Galliam c. 18. HERT. in notit. veter. Franc. regni c. 4. §. 3. & meam diſſert. de juribus procerum imperii majeſtaticis.*

(d) *regni Francorum & Longobardorum*) Hoc ex quamplurimis pateſcit diplomatibus. Diplomati in favorem Fortunati Gradenſis patriarchæ dato præmittitur: *Carolus sereniſſimus Auguſtus a Deo coronatus magnus & pacificus imperator Rom. gubernans imperium & per miſericordiam Dei, rex Francorum & Longobardorum. VGHELLI Ital. ſacr. tom. 5. p. 1095.* Vide hunc auctorem *loc. c. p. 263. t. 2. p. 199. DOUBLET antiquités & recherches de l' abbaye de ſaint Denis liv. 3. p. 727. MABILLON de re diplomatica lib. 6. p. 507. ſeqq. GEWOLD. addit. ad Hund. t. 2. metrop. Saliſb. p. 7. GOLDAST. t. 2. conſtit. p. 2.*

(e) *Osnabrugenſem, epiſcopatum*) Duplex privilegium, quod Carolus M. Osnabrugenſi eccleſiæ dediſſe dicitur, exſtat, unum annum III. imperii (803.) alterum annum imperii quartum refert. Diploma hoc eruditorum ingenia fatigavit. *MABILLONIUS de re diplomatica lib. 2. c. 3. p. 74. & in annal. Benedict.* nec non *BALUZIUS tom. 2. capitul.* de ejus fide dubitari monent; *COINTIUS in annal. Franc. t. 6. p. 825.* ſubleſtæ eſſe fidei non unis demonſtrare allaboravit rationibus, cujus ſententiæ GODEFR. HENSCHENIUS & DANIEL PAPEBROCHIUS *in propylæo act. SS. menſis April. t. 2. §. 28.* deinde autem authographo inſpecto, ut auctor eſt TENZELIUS *colloq. menſtr. ann. 1695. p. 985.* mentem mutarunt. No-

capiunt apud *Crantzium* (a) *l. I. metropol. cap. LI. Carolus imperator auguſtus Romanorum gubernans imperium, dominus & rex Francorum, & Longobardorum, Friſiorum dominator & Saxonum.* Sequente anno teſtamentum ſuum idem cæſar hiſce verbis eſt exorſus: *Imperator cæſar Carolus rex Francorum & Romani tutor imperii.* Ex ipſo teſtamento, quo provincias ſuas inter tres filios diviſit, liquet, ſingulis ſua eſſe data cum abſoluta & ſumma regnandi poteſtate, nullatenus vero Romano imperio ſubdita. In ultimo quoque ejusdem teſtamento, quo de mobilibus bonis diſponit, apud Eginhartum, ſeorſim numerantur anni regni Franciæ, regni Italiæ & imperii. Hanc Caroli fuiſſe mentem notatum eſt, & Paulo Æmilio *in ejus vita.*

§. 5. Alias Carolum voluiſſe aliquando unum vaſtum imperium, Romani titulo, inſtituere, ſed re cum proceribus communicata hos rem averſatos ex P. Æmilio *lib. 3.* notat Armacanus *lib. I. cap. 19. p. 172.* (b) Martis gallici. Et Aquisgranum alteram & novam Romam appellat auctor poëmatis, quo Leonis papæ ad Carolum adventus deſcribitur: *tom. 8. antiquar. lection.* Caniſii *pag. 321.* Sed non eſt, quod illa huc trahamus.

§. 6. Abſtinuit quidem variis illis titulis Ludovicus pius, uno *cæſareo nomine plerumque contentus.* (c) Videtur quoque initio, diviſo in partes regno, voluiſſe reliquos filios reges dictos *primogenito imperatori* (d) ſubjici. Verum & iſſe *mutavit poſt ſententiam*, (e) qua de cauſſa maxime contra patrem inſurrexit Lotharius: nec liquet unquam illum omnia Romano imperio voluiſſe ſubdere. Certe ad ultimum filios omnes ſibi ſuccedere voluit pari quemque poteſtate.

§. 7. In tabulis, quibus inſtituit *Hamburgenſem archiepiſcopatum* (f) Ludovicus pius, ſtatim initio fit mentio generalitatis: quæ vox videtur reſpicere univerſale aliquod imperandi jus latens in dignitate imperiali. Sub finem mentio fit totius imperii; eodem ſenſu: vid. *pag. 143.* Adami Bremenſis. Et vivo quoque Ludovico pio conſtat, Bavariæ regem audiiſſe filium Ludovicum; in

Noſtro tempore ECCARDVS, duplici diſſertat. latina una, & altera germanica illud impugnandum ſibi ſumſit, nactus tamen eſt antagoniſtas, qui dubia ejus contra diploma concinnata e medio tollere operam dederunt. Ego quidem hanc litem meam non faciam; attamen Eccardi argumenta non ubique ſatis ſtringere, adverſariorum autem ejus ſolutiones in permultis deficere, & ſæpe dubitandi anſam magis præbere, quam tollere cenſentur. Forte temporis ratio, in commentat. ad auctoris noſtri epiſtolam 8. Ferdinando Paderborn. epiſcopo inſcriptam, aut ad exercit. de civib. imperii in utriusque partis argumenta, absque partium ſtudio, inquirere, patietur. Jam vero tantum adhuc addam, ſecurius in re diplomatica conjecturis indulgeri poſſe, cum certa nondum habeamus artis diplomaticæ præcepta. Quid in Mabillionianis regulis deſideretur, GERMONIVS de veteribus regum Francorum diplomat. diſcept. II. docuit, quanquam huic non in omnibus ſubſcribam.

(a) *Crantzium*) Primum edidit *ERDWINVS ERDMANNVS in chronic. Osnabr.* ſed vitiis admodum ſcatens. Neſcio, an ex hoc CRANZIVS ſuum deſcripſerit, cum non ubique cum Erdmanniano coincidat: CRANZIVM BARONIVS *annal. t. 9. ad annum 804 & MIRÆVS in cod. donat. piar. c. 12.* ſecuti ſunt. Ferdinandus Paderb. epiſcop. a mendis repurgatum juxta authogr. edi, & Paderbornenſibus adjici curavit monumentis, quod *SCHATENIVS lib. X. hiſt. 4. BALVZIVS tom. 1. capit. & TVRCKIVS in faſtis Carolinis* imitati ſunt. Vide Dn. d' *ECCARD. diploma Caroli M. &c. critice expenſum.* Tandem *C. H. in diſſert. critica de diplomate Caroli M. ECCARDO oppoſita p. 11.* a levioribus quibusdam vitiis, quæ in editione monumentorum Paderbornenſium in illud irrepſerant, liberatum exhibet.

(b) *c. 19. p. 172.*) *C. 39. p. 127.* Sunt, quæ ſuadent, Carolum M. animo volviſſe univerſalem Europæ pedetentim inducere monarchiam. Ut reliqua, quæ pro hac urgeri poſſunt opinione, argumenta ſileam, anxie admodum Hiſpaniæ inhiabat. Videntur Henricus IV. & Ludovicus XIV. ipſius legere voluiſſe veſtigia. Artes, quas ultimus ad hunc finem conſequendum adhibuit, aliquo modo ex Eſtradii commentariis & libro, qui de aulæ gallicæ calliditatibus & dolis (les intrigues de la cour de France) inſcribitur, ſe conſpiciendas præbent. Confer quoque libellum, cui titulus: *les campagnes des allemans de l'année 1690.* & ea, quæ LETI de hoc argumento meditatus eſt. *AVCTOR appendicis ad THOMÆ CAMPANELLÆ* monarchiam Hiſpanicam quæſtionem, *an optandum ſit, univerſum orbem Chriſtianum ab uno ſolo capite ac monarcha regi ac gubernari,* ſatis jejune pertractat.

(c) *cæſareo nomine plerumque contentus*) Vide diplomata apud *VGHELLI tom 3. p. 590. t. 5. 264.* ubi ſemper Auguſtus vocatur. *MABILL. de re diplomatic. lib. 6. p. 513. 514. 521. 522. HVNDIVS t. 2. p. 7. 18. DVBLETTI antiquit. monaſt. S. Dionyſii lib. 3. p. 730. ſeqq.* Invenitur tamen ibi p. 735. diploma aliquod, in quo hæc leguntur: *Hludovicus Dei gratia rex Francorum & Longobardorum, atque patricius Romanorum. Lotharius auguſtus invictiſſimi domini imperatoris Ludovici filius, imperator auguſtus, tom. 1. p. 413. t. 3. p. 614. t. 5. p. 269. Ludovicus II. gratia Dei imperator auguſtus t. 2. p. 97. Divina clementia imperator auguſtus t. 4. p. 337. Divina ordinante providentia imperator auguſtus p. 961. Carolus calvus divina clementia imperator t. 2. p. 13. HVND. Carolomannus divina clementia rex t. II. p. 145. Carolus craſſus omnipotentis Dei gratia imperator auguſtus. VGHELLI t. 4. p. 87. 980. p. 416. 417. 418. t. 2. p. 149. 150. Arnulfus divina favente clementia rex t. 4. p. 420. Divina favente gratia imperator. HVND. t. 2. metropol. 5. p. 15. Dei gratia imperator auguſtus. GEWOLDVS in addit. ad H. m. t. 2. pag. 105. Ludovicus infans divina clementia rex. HVND. metropolis t. 2. p. 14.*

(d) *primogenito imperatori*) *Id ex THEGANO de geſtis Ludovici pag. 75. pateſcere videtur*, qui hæc tradit: *Imperatorem Ludovicum denominaviſſe filium ſuum Lotharium, ut poſt obitum ſuum omnia regna, quæ ei tradiderat Deus, per manus patris ſui ſuſciperet, atque haberet nomen & imperium patris, & ob hoc ceteros filios indignatos eſſe.* Confer quoque *NITHARDVM de diſſenſionibus filiorum Ludovici pii p. 86.*

(e) *mutavit poſt ſententiam*) Ex quo Lotharius auſus eſt, patrem ob omnium, quo ſecundi thori filium & matrem ejus complecti dicebatur, favorem, regia & imperatoria exuere dignitate. Cum vero, Ludovici potiſſimum germanici & Pipini filiorum ope, regno reſtitutus fuerit, ſermo miſcebatur, Lotharium Italia contentum fore, & imperii conſortio privatum iri. NITHARDVS *lib. 1. p. 86.* PASCHASIVS ROTBERTVS *in vita Walæ lib. 2. c. 10.* Nec puto diviſionem, quæ a Ludovico ex monachali vita ad diadema altera vice redeunti in Caroli calvi inprimis favorem facta Lothario æque commodam fuiſſe. *Annales PITHÆANI ad ann. 837.* Cumque deinde inter Lotharium & Carolum omne Ludovici divideretur imperium, ita, ut Lothario auſtralis pars a fluvio Moſa, Carolo occidua, Ludovico autem germanico ſola Bavaria obtingeret auctoritati illi, quam in fratres, ex prima patris intentione, habere debuiſſet, renunciatum eſſe videtur. *AVCTOR vitæ Ludovici pii p. 408.*

(f) *Hamburgenſem archiepiſcopatum*) *LAMBECII origines Hamburgenſes p. 35.*

in omnibus tamen literis filii fit mentio *patris in ſubſcriptione:* (a) ut proinde vis regnandi fuerit penes patrem.

§. 8. Poſt obitum Ludovici pii veniſſe videri queat hæc res in contentionem. Lotharius enim filiorum natu maximus primogenituræ & cæſarei nominis, quod ſibi ceſſerat, prærogativa jus aliquod ſibi in fratres arrogavit. Annales Pithœani notant, Lotharium monarchiam affectaſſe *p. 38.* Verum bello hinc exorto, & *graviſſime eſt adflictus*, (b) &, libertatem ſuam fratribus egregie tuentibus, omni ſpe ſua cadere eſt coactus. Ea de re Hincmarus archiepiſcopus Rhemenſis, vir pro ſeculi captu ſane inſignis, in hæc verba ſcribit ad Ludovicum Balbum, regem ſuum, *ep. 1. cap. IV. Qui cum Lothario erant, immiſerunt illum in hoc, ut fratres ſuos exheredaret, & regni primores, qui cum illis erant, annularet, quoniam ipſe primogenitus & in nomine imperatoris erat. Illi autem, qui erant cum Carolo & Ludovico, dicebant, quod ſeniores illorum,* (id eſt, domini ſui Carolus & Ludovicus) *Lotharii fratres erant, & ſacramento regnum inter illos diviſum fuerat, & illi nec genere nec poteſtate inferiores erant, & ideo non ſe contra illos concederent.*

§. 9. Omnem illam fraternam contentionem prolixe perſequitur Nithardus, Berta Caroli magni filia natus, *lib. IV.* qui poſt duas maximas clades, a ſupplice Lothario legatis miſſis Ludovicum germaniæ & Carolum galliæ reges oratos eſſe narrat: *Si vellent illi aliquid ſupra tertiam partem regni propter nomen imperatoris, quod illi pater illorum conceſſerat, & propter dignitatem imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius ſibi concederent, regeretque quisque illorum portionem regni ſui, prout melius poſſet; frueretur alter alterius ſubſidio & benevolentia.* Et vero poſterius placuit.

§. 10. Itaque Ludovico ceſſit germania pleno jure & nulla in re dependens ab imperio Romano gubernanda, non minus atque *Gallia Carolo*, (c) vide notata Fritzio lib. de electione regis Rom. *n. 47.* Non latuerunt hæc Baronium. Itaque ad annum 848. Trithemium hiſce verbis accuſat: *Errat, dum ait, juſſu Lotharii conveniſſe,* (germaniæ epiſcopos) *cum id factum per Ludovicum regem eſſe in regno ipſius, non ſit dubium. Nam nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in regno germaniæ, ſpectante ad Ludovicum, certum eſt.*

§. 11. Etſi vero iſthoc loco recte in Trithemium Baronius animadvertat, tamen nec Trithemium ipſum fugit illa germaniæ ac galliæ libertas. Diſertis enim verbis præfatione chronici Francorum ita loquitur: *Ludovico pio mortuo filii ejus regnum Francorum in partes diviſere quamplures. Illis etiam vita defunctis eorum nepotes denuo regnum Francorum tali modo in duo principaliter diviſerunt regna, quorum alterum dicatur, ſit & permaneat germanicum, alterum vero gallicanum, neutrumque ſit alicui ſubjectum. Et hæc partitio talis eſt, ut ſequitur: Regnum Francorum germaniæ perpetuo per ſe habeat proprium regem, nulli penitus mortalium, ne Romano quidem imperio ſubjectum, ſed priſtina Francorum conſuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum a noſtro diviſum ſimili modo regem, ut conſtitutio ſonat, proprium habeat liberum, qui non minus quam rex germaniæ liber ſit, & nulli omnino ſubjectus. Manifeſtum enim eſt, quod Franci ab origine ſemper fuerint liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui genti unquam ſervierint, aut extiterint ſubjecti. Quin potius ipſi deſtruxerunt Romanorum imperium ſibique fecere ſubjectum. Et propterea reges ambo in diviſione regni priſtinam libertatem Francorum ubique alter alteri illæſam ſervare ſtatuerunt.* Ita Trithemius *l. c.* Non minus accurate vero Germanicum & Longobardicum regnum ille ab imperio Romano diſtinguit ſub finem *libri de origine Francorum.* Verum alia ejus verba infra in medium afferemus.

§. 12. Nec ipſum vero Lotharium voluiſſe provincias, quas petebat, vere Romani imperii partes efficere, patet inde, quod anno 855. *Ludovico primogenito* (d) Italiam quidem cum cæſareo ti-

(a) *patris in ſubſcriptione*) Sed varia in TÖTNERI *codice diplomatico p. 10.* & in *HVNDII metropoli Salisburgenſi t. 2. p. ſeqq.* Ludovici germanici exſtant diplomata, in quibus patris nulla injicitur mentio; ſed in primordio habent: *Ludovicus divina favente gratia Bavariorum,* aut *Ludovicus divina favente gratia* (clementia) *rex;* in fine autem: *anno regni domini Ludovici, regis in orientali Francia.* Reperio tamen ſub diplomate, quo Gotsbaldo abbati id, quod monaſterio Altahæ a Carolo M. donatum, confirmat: *Datum pridie non. Octobr. anno Chriſto propitio decimo ſeptimo regalis imperii domini Ludovici ſereniſſimi Auguſti ann. 5. regni noſtri indict. nona, actum in Regensburg. civitate in Dei nomine feliciter amen. Signum domini Ludovici.*

(b) *graviſſime eſt adflictus*) Lotharius, vi imperatorii tituli, ætatis jure, & patria voluntate, quam *annales Fuld.* ad ann. 540. brevi ante mortem ejus renovatam dicunt, fratribus imperare ſatagebat; unde crudele & internecinum propemodum actum & patratum eſt bellum, quod ex parte Lotharii quidem ſub initium ſat proſpere geſtum, poſtea autem ipſius res ingenti ad Fontoniacum clade, non tamen incruenta fratrum victoria, profligatæ ſunt. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad annum 840. 841. NITHARDVS lib. 2. de diſſenſionibus filiorum Ludovici pii p. 91. Chron. S. Vincent. ad ann. 841. ADEMARVS CABANENSIS p. 160. 161.* Suntque Francorum vires ſæviſſimo illo prælio ita fractæ, & protritæ, ut non ſolum ad res magnas gerendas, ſed & Normannorum invaſiones reprimendas ineptæ redditæ. *PAVLVS ÆMILIVS p. 132. MEZERAI abbregé chronologiq. tom. 1. p. 314.*

(c) *Gallia Carolo*) Tandem Lotharius pacem amplexus & conſilia, & deliberationes de ea in Mataſconis primum inſula, Meti & confluentibus deinde inſtitutæ, proſperum habuerunt ſucceſſum: Pacis leges erant, ut Lothario nihil in fratres competeret juris, deinde ut Carolo gallia, quam oceanus, Rhodanus, Araris & Moſa ambiunt, Ludovico germania cis rhenum ſita, cum quibusdam trans rhenum ſitis locis, ob vini copiam, Lothario Italia, provincia cum Francia intermedia cederent. *Annales BERTINIANI ad annum 842. tom.* II. *ſcript. Ital. pag. 528. Annales METENSES ad annum 843.*

(d) *Ludovico primogenito*) Lotharii imperat. filiorum natu minimus Carolus Delphinatu, Lugduno; Lotharius Lotharingiæ regno, ſibi aut patri nomen debenti, Ludovicus Italia & imperio potiebatur. *ADOVIEN. ætate 6. chr. p. 809. Annales BERTINIANI ad an. 855.* Videntur tamen inter hos fratres anno 859. nova inita eſſe pacta, pro qua ſententia celeberr. *HAHNIVS citat MABILLON. ſec. 4.* Be-

titulo dederit, non minus tamen αὐτοκρατορίαν conceſſerit Lothario filio in pleraque Lotharingiæ & Carolo in Galliam provincialem. Sed & hi fratres abſoluta poteſtate ſuis provinciis imperarunt, nullo habito reſpectu Romæ. Quo liquet hactenus transalpinas ſaltem provincias extra ambitum Romani imperii habitas eſſe.

§. 13. Porro & poſt Ludovicum germanicum, quem pro libertate regni ſui contra Lotharium fratrem depugnaſſe modo diximus, plerique ejus poſterorum ne quidem affectarunt imperatorium nomen, tantum abeſt voluiſſe eos, vel ſua conjungere cum Romanis, vel iis ſubjicere. Filii Ludovici tres, *diviſa inter ſe germania*, (a) quisque ſuæ parti cum ſumma præfuit poteſtate. Carolus calvus ſuſcepto imperatorio titulo ſe voluit dici imperatorem omnium regum cis mare, prout patet ex annalibus a Pithœo editis ſub anno 876. Et videtur hic pro vanitate ſua aliquid ſibi arrogaſſe. Nam *Aventinus* (b) *lib. 4.* memorat Carolomannum devicta Italia *regem dictum*, (c) non imperatorem, annis regni Germaniæ & Italiæ ſeorſum numeratis: Adducit ille tabulas veteres. Carolomannus regnum Italicum occupavit anno 877. vid. annales Pithœan. poſt obitum nempe Caroli calvi. Nec vel *Carolus craſſus*, (d) vel *Arnolphus*, (e) niſi ad breve tempus imperatores audierunt. Ludovicus, Arnolphi filius, ejusque ſucceſſor *Conradus Franconiæ dux*, (f) ne affectato quidem cæſareo nomine, diu imperarunt.

§. 14. Poſt qui Germaniæ præfuerunt Henricus I. & Otto magnus, usque ad annum certe Chriſti 962. quo ille demum cæſareum titulum adeptus eſt, libera & abſoluta poteſtate itidem germaniam rexerunt. Nec vel illa ætate viſi ſunt germaniæ præeſſe aliter, quam reges Francorum. Hinc Witikindus *l. 1.* ſub finem de Henrico rege: *Ipſum Oddonem, qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit.* Idem *l. 11.* teſtatur Ottonem, cum coronaretur, inceſſiſſe indutum *tunica ſtricta, more Francorum:* cumque inter alia ipſi ſacer enſis ab archiepiſcopo Moguntino traderetur, ita hunc locutum: *Accipe hunc gladium, auctoritate divina tibi tradita omni poteſtate totius imperii Francorum.* (g) Confirmantur hæc præclare iis, quæ diſſerit Otto Friſingenſis *lib. 6. c. 17.* vid. Bœcler. in hiſtoria ſeculi IX. *pag. 239. & ſeqq.*

§. 15. Haud me latet, a ſcriptoribus quibusdam cæſaribus annumerari plerosque Germaniæ modo enumeratos reges, cumprimis vero *Henricum primum*. (h) Verum repugnare id ipſis regum Germaniæ tabulis & optimis antiquiſſimisque monumentis, recte demonſtratum eſt ab Onuphrio Panvinio *l. de comitiis*, ac Bellarmino *l. 11. de translatione imperii cap. 11.* Nec vero quis ſcriptorum habuit illos cæſarum in numero, niſi poſtquam Germania imperii Romani nomine vulgo cœpit audire: cujus originem infra narrabimus. Non mirum igitur eſt, imperitiores aliquos Germaniæ regibus omnibus cæſareum nomen tribuiſſe.

§. 16.

Benedict. P. 2. p. 500. Carolo deinde fatis functo Ludovicus partem transjuranæ Burgundiæ (Helvetiæ) & provinciam, reliquum autem Lotharius nactus eſt. *ADO-VIENNENSIS ætate 6. chron. p. 809.* Videtur tamen Carolus calvus parti Ludovici ex fratris hæreditate acceptæ inhiaſſe, quæ verba ALBERICI *ad annum 861.* intelligi poſſunt: Adjici merentur CHENII *ex hiſt. Burgund. lib. 2. c. X. p. 127.* ſequentia: *au charles ſucceda Louis II. empereur dans la province, le viennois & la Savoye: mais l' empereur plus ententif a defendre l' Italie contre les grecs & les Saraſins, laiſſa depuis negligement perdre de ce ſien Royaume; car le même charles ſon oncle trouva l' occaſion &c.*

(a) *diviſa inter ſe germania*) *Carolomanno Bajoria, Pannonia, Carantanis Bojohæmum & Moravi obtigere: Ludovico orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Friſia & Lotharingiæ pars acceſſere, Carolus Alemanniam & reliquum Lotharingiæ ſortitus eſt. BRVNNERVS in annal. Bajorum part. 2. lib. 7. p. 232.* Hæc ab illa diviſione, quam pater fecit, non admodum abludere videtur. AVENTINVS *annal. Boic. lib. 4. p. 261. abbregé chronologiq. de MEZERAI tom. I. p. 350.* Magni cognomen affectavit, *VADIANVS lib. 2. de collegiis monaſteriisque germaniæ apud GOLDAST. tom. 3. rer. german. p. 53. PAVLVS ÆMILIVS in Carolo calvo p. 130.* Carolus cognomento calvus, vafer ac ſubdolus princeps, & alieni ſemper appetens. PETAVIVS *in ration. temp. p. 528.*

(b) *Aventinus*) p. 269. unum refert diploma Carolomanni ſc. in hiſtoria, alia autem in hiſtoria Utinenſi ſe attuliſſe memorat.

(c) *regem dictum*) *HVNDII metropolis t. 3. p. 42. VGHELLI t. 1. p. 798. t. 2. p. 145. ſeqq.* Ipſe papa Carolomannum Italiæ regem vocat. VGHELLI *t. 4. p. 766.* Suſpicor tamen ex populi ſtylo, quo in epiſtola utitur, illum ſaltem de Carolomanni jure in aliquam Italiæ partem ſibi perſuaſiſſe.

(d) *Carolus craſſus*) Hic archiepiſcopi Mediolanenſis Anſperbi opera, anno 880. in Italiæ regem unctus, Ambroſiano monaſterio privilegium dedit. Anno regni in Francia 4. in Italia primo. Subſcripti diplomati leguntur: Ritus cardinalis, Guido epiſcopus Papienſis, Geſulphus Wormatiæ epiſcopus, Petrus vice comes, VGHELLI *Ital. ſacr. t. 4. p. 87.* Poſtmodum autem in variis diplomatibus imperatorio uſus eſt nomine. VGHELLI *Ital. ſacr. t. 4. p.* 980. 981. 967. 964. *t. 2. p.* 145. 149. 150. Et hunc magni cognomen aliquando adhibuiſſe, PFEFFINGER *ad* VITRIAR. *t. 1. p. 458.* tradit.

(e) *Arnolphus*) De hoc & ejus filio Ludovico jam ſupra locuti ſumus. Confer HVNDII *metropol. t. 3. p. 43. 44.*

(f) *Conradus Franconiæ dux*) Hic exſtincto Ludovico infante, quem aliqua ſaltim cognatione attingebat. BREVERVS *t. I. annal. Trev. lib. 9. §. 57. HVNDII metropol.* a nonnullis germaniæ populis, Ottonis Saxonum ducis ſuaſu, rex electus. WIDEKIND. *lib. 1.* DITMARVS *lib. 1.* Imperatorium non admiſit titulum, de quo ejus teſtantur diplomata. SCATEN. *annal. Paderborn. p. 244. ſeqq.*

(g) *Francorum*) Orientalium ſcilicet, quo nomine nonnunquam veteribus omnis germania, quoad nos, cis-rhenana, ut dictum, interdum autem pars ejus venit. Vid. *diſſ. mea de juribus procerum imperii majeſtaticis c. 1. p. 28.* Quo factum, ut Ludovicus germanicus ſe regem in orientali Francia dixerit. SCAT. *annal. Paderborn. lib. 2. p. 131. ſeqq.* In diplomate, quo Otto M. anno 948. Lambertum comitem Lovanienſem advocatum Gomblacenſis advocatia in Brabantia conſtituit, vocatur: *Divina favente clementia rex Lotharienſis & Francigen. AVBERT. MIRÆ cod. donat. piar. c. 30. p. 123.*

(h) *Henricum primum*) Multos veterum pariter & recentiorum Henricum I. imperatoris titulo inſignientium enarrat. PFEFFINGER *ad Vitriar. tom. 1. p. 486.* Ipſe Henricus in diplomate, quo anno 932. fundationem abbatiæ Bromienſis in comitatu Namorcenſi, quæ nunc, a fundatore ibi ſepulto, ſ. Gerardi nuncupatur, ſe vocat: *Divina favente clementia Romanorum imperatorem.* Verum argumenta, quæ pro negativa a Pfeffingero afferun-

§. 16. Non facit profecto ad hanc rem, quod Witikindus ſcribit *l. 1.* Henricum I. poſt victoriam Hungaricam *ab exercitu patrem patriæ, rerum dominum, imperatoremque appellatum*; aut quod *ſecundo libro* ſcribit iterum de Ottone nondum cæſare, illum itidem poſt cladem Hungaricam *ab exercitu patrem patriæ imperatoremque appellatum.* Fuere enim hæ tantum acclamationes militares, nec alias forte uſitatæ. Tum vero, quum germanus miles vernacula lingua indubie ſit uſus, forte haud multum abſimiles voces latine ſic reddidit Witikindus, ſciens in hunc modum latinum militem ſuis olim acclamaſſe principibus.

§. 17. Verum germaniam quidem omni illo temporis ſpatio liberam fuiſſe rempublicam a Romano imperio disjunctam ſatis claret. De Italia poſſit cui dubium videri. Verum enimvero ex actis coronationis Caroli calvi conſtat, initio Carolum a Romano papa & populo creatum cæſarem, inde vero ſeorſum ab Italiæ optimatibus electum eſſe in *regem Italiæ.* (a) Literæ ipſæ optimatum etiamnum inter acta illa ſuperant. Poſt Ludovici balbi obitum Joannes VIII. papa monuit quidem Italiæ principes, *ne quem ſibi regem* (b) conſtituerent ſe inconſulto: *Nam ipſe,* ſcribit, *qui a nobis eſt ordinandus in imperium, a nobis primum debet eſſe vocatus atque electus.* At fatetur Baronius anno 879. Carolum craſſum eopſe anno conſtitutum eſſe regem Longobardorum, *biennio demum poſt* (c) cæſarem creatum: *interea papam de perſona Caroli eligenda in imperatorem nutan-*

runtur ſententia majoris eſſe roboris, videntur. Ut reliqua ſileam, varia apud Scatenium & Ughelli exſtant Henrici ſancti diplomata, in quibus anni regni ab annis imperii ſolicite diſtinguuntur, & ratione regni illius nominis ſecundus, non autem ratione imperii vocatur. Sub diplomate Henrici III. de anno 1047. habetur: *Signum domini Henrici II. invictiſſimi Romanorum imperatoris augusti.* VGHELLI *tom. 5. p. 757.* Sub diplomate anni 1052. *anno D. Henrici III. regis ſecundi imperatoris ejus ordinationis.* VGHELLI *l. c. p. 759.* Diplomati Henrici IV. de anno 1091. ſubjectum: *Signum domini Henrici tertii imperatoris noſtri & auguſti.* Vid. quoque VGHELLI *t. 3. p. 365. t. 10. p. 596. t. 5. p. 512. 516.* Sub diplomate Henrici V. de anno 1116. legitur: *Regnante Henrico IV. reg. Roman. ann. 11. imperii vero illius 6.* VGHELLI *t. 4. p. 600.* Quod autem ad imperatoris nomen Henrico aucupi in diplomate abbatiæ Bromienſis & a nonnullis tributum auctoribus, attinet, non ita infrequens in veteris ævi monumentis eſt, illud ut regis ſynonymum adhiberi, & ſummis belli ducibus impertiri; Diploma vero & ſolo illo titulo ſalûtatis *χειτώρεις* circumferre, ſunt, qui putant. Fateor, diplomata alia hujus Henrici mihi viſa, non niſi regis nomen exhibere. Suadent tamen quædam, ipſum, Italiam adire, animo induxiſſe; & ſi recte memini, ex Ughelliani operis charta quadam pateſcit, cuidam in Italia monaſterio per hunc Henricum ſua eſſe confirmata privilegia. SCAT. *annal. Paderborn, lib. 3. p. 257. ſeqq.* HEDA *in hiſt. ultraject. p. 79.*

(a) *regem Italiæ*) Anno 875. a Johanne 8. papa in auguſtum, anno 876. ab Anſperto Mediolan. archiepiſcopo in regem Italiæ eſt coronatus. VGHELLI *t. 4. p. 87.* PETARII *ration. temp. lib. 8. p. 528.* BALVTIVS *in geſt. pontif. volum. 2. p. 57.* Ad tantum autem hic princeps indigne humilitatis gradum, imperialis diadematis adipiſcendi cauſa, prolapſus eſt, ut conſiliarii ſedis apoſtolicæ titulo ſe deformari paſſus ſit, in quo filius Ludovicus balbus patrem ſecutus fertur. PALATIVS *l. c. p. 59.*

(b) *ne quem ſibi regem*) Joannes 8. ſynodum Romæ hunc in finem celebrandam indixit, cui & Anſpertus mediolan. Archiepiſcopus adeſſe jubebatur; ſed hic pontificis juſſui morem gerere detrectans, ut res caruerit effectu, effeciſſe videtur; licet olim excommunicationis papalis fulmine vapulaverit. PALVTIVS *vol. 2. p. 60.* Dubium eſt, an Ludovicus balbus imperatoribus ſit annumerandus. PETAVIVS *in rationario temporum lib. 8. Falluntur,* inquit, *qui Ludovicum balbum, calvi filium, imperatoribus accenſent. Errori anſam dedit, quod a Joanne papa 7. id. Septembr. anni 878. coronatus dicitur; ſed regia fuit hæc non imperatoria corona; tametſi Joannes balbo favens in eum transferre ſtuderet imperium, ob idque vexatus ab Romanis urbe coactus ſit excedere, ut* SIGEBERTVS *ad ann. 878. prodidit. Hinc ad balbum profectus anno integro apud ipſum fuit.* Cum hoc coincidunt, AVCTOR *chronici Francorum regum* apud LAMBECIVM *lib. 2. comment. biblioth. vind. c. 5. pag. 394.* MARTINVS POLONVS *p. 364.* GERVASIVS TILBERIENS. *de imperat. Romanis poſt Carolum M. edit.* MADER. *p. 63.* BENEVENVTO DE de RAMBALDIS apud FREHER. *t. 2. p. 10.* Non tamen deſunt, qui auguſtale ei, quo pater redimitus fuerat, diadema impoſitum eſſe dicunt, & hi ſequuntur CONTINVATOREM AIMOINI *lib. 5. de geſtis Francorum c. 37. &* GOLSCHERVM *de geſtis Trevir. tom. I. acceſſ. hiſtor.* LEIBN. *c. 45.* Tales ſunt PALATIVS *vol. 2. p. 60.* JOHANNES BAPTISTA IGNATIVS *lib. 3. Roman. princip.* ONVPH. *de comitiis c. 5.* BARONIVS *ad annum 877. &c.* Vide PFEFFING. *tom. 1. jur. publ. p. 463.* Neque negare poſſum, huic ſententiæ non pauca favere. Conſtituerat enim papa Ludovico diadema conferre, &, cum huic propoſito Romani refragarentur, ſeſe ad iter in Galliam accinxit, ibique moratus a balbo optime habitus. Quis igitur dubitaret, hunc papam, propoſiti ita tenacem, quod animo intendebat, perfeciſſe? ſed abſit opinari velle, papalem balbo, in imperatoris conſtitutionem, ſuffeciſſe conſecrationem.

(c) *biennio demum poſt*) Carolus craſſus ab Anſperto archiepiſcopo Mediolanenſi ann. 880. in Italiæ regem eſt unctus. *VGHELLI t. 14. p. 87.* provocat ad diploma, quo hic Carolus Ambroſiano cœnobio poſt coronationem ſuam privilegium contulit. *Hoc datum 12 Kal. April. an. ab incarnatione Domini 880. indict. 13. anno vero regni Caroli in Francia 4. in Italia primo;* tametſi hoc alii anno 879. factum eſſe aſſerant: anno autem 801. imperiale ipſi impoſitum eſt inſigne. Sub diplomate, quo Regienſi eccleſiæ privilegia confirmat, legitur: *Data idib. Febr. ann. incarnat. Domini 882. indict. 15. anno* II. *piiſſimi imperatoris Caroli II.* & ſub privilegio, quod anno 883. Aaron, epiſcopus illius eccleſiæ, ab eodem conſecutus eſt imperatore, continetur: *Data 9 Kal. Jan. incarnationis Domini 883. indict. 1. Anno vero Domini Caroli ſereniſſimi imperat. tertio.* Diploma craſſi Brunicenſi abbatiæ favens, hæc in fine refert: *Data 4. non. Aprilis anno incarnat. Domini 881. indict. 14. anno vero piiſſimi imperat. Caroli I.* & aliud ſequentis anni: *dat. 15 Kal. Martii anno incarnat. Domini 882. indict. 15 anno vero piiſſimi imperatoris Caroli II.* VGHELLI *Italia ſacra t. 2. p. 252. t. 4. p.* 980. 981. Conf. quoque hunc auctor. *t. 4. p.* 418. *t. 2. p.* 449. *p.* 252. 253. *tom. 5. p. 725.* SIGONIVS *de regno Italia lib. 5. p. 291.* SCAT. *annal. Paderborn. lib. 3. p.* 191. 193. 199. Ex continuatore AIMOINI *de geſtis Francorum lib. 5. c. 40.* diſcimus in feſto nativitatis Chriſti, quod juxta calculum illius temporis initium anno 882. conſtituebat, Carolum ex Johannis octavi manibus inſigne imperatorium percepiſſe. Atque in hoc anno quamplurimi veterum, ut REGINO, HERM. CONTRACTVS, OTTO FRISING. AVCTOR *vita* MEINWERCI, aliique conveniunt. Niſi itaque, pro more illius temporis, ann. in quo aliquid accidit, pro integro anno numeremus, dici nequit, Carolum craſſum biennio poſt ſumtum Ital. regni diadema cæſarem eſſe creatum; etiamſi cum BARONIO primordia regni ejus Italici ad annum 879. referre velimus.

nutantem & fluctuantem, (a) *de ejus germano Ludovico aſſumendo agere cœpiſſe.* Quæ res docent, optimates Italiæ Longobardicæ ſuum regnum credidiſſe, non dependere a Romano imperio. Tradunt alii *poſt Craſſi tempora deliberatum* (b) de conſtituendo Italiæ rege cum titulo imperatorio.

§. 18. Ut autem hoc verum ſit, attamen neque a familia Carolina ſuperſtite, cui hæreditarium jus competebat in regnum Longobardicum, neque a proceribus Italiæ, qui ſui arbitrii fecerunt regum electionem, in id unquam conventum legas. Itaque multi electi ſunt reges Longobardorum imperatorio nomine haud ſuſcepto. Omnes certe libere a Longobardicis proceribus electi, ne in conſilium quidem vocato vel papa vel Romano populo. In hunc modum profecto nunc *Berengarius dux Forojulenſis*, (c) iterum *Ludovicus Burgun-*

(a) *nutantem & fluctuantem*) *Interea cum de perſona eligenda nutaret pontifex, & modo Carolum vocaret, ut ex epiſtola Joannis* 160. 182. *modo Ludovicum, ut ex epiſtola* 197. *conſtat, nutantem gladio firmavit Carolus poſt interregni biennium. PALATIVS de geſtis pontific. vol.* 2. *p.* 260.

(b) *poſt Craſſi tempora deliberatum*) *Omnium una vox erat, quando Craſſus virili ſtirpe careret, qui unus antiquæ virtutis indole præditus ex Caroli M. legitima progenie ſupereſſet, cui propter egregia erga Italiam atque eccleſiam merita imperii titulus commiſſus fuiſſet, tempus voce propemiſſa monere, ut aliquando tandem ſibi ipſis conſulerent, neque id decus cum alia gente communicari vulgarive permitterent. Suffragabatur huic ſententiæ alienæ reipubl. ipſius quoque Craſſi imperatoris abſentia, qui duriſſimo & remotiſſimo bello implicitus, rationibus eccleſiæ atque Italiæ præſens ſervire non poterat. His rebus inſtructi Hadrianum pontificem adeunt, eumque, ut ſalutari in poſterum decreto reipublicæ caveat, orant. Hadrianus, ſive proximo Joannis, ſi negaret exemplo deterritus, ſive Romæ atque Italiæ laude ſaluteque permotus facile petentium in poteſtate fuit, ac ſtatim inſignia duo decreta fecit, unum pro Romanorum libertate, ut pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia regis aut legatorum ejus poſſet, alterum pro dignitate Italiæ, ut moriente rege Craſſo ſine filiis regnum Italicis principibus una cum titulo imperii traderetur. SIGONIVS lib.* 6. *de regno Italiæ ad annum* 884. *vel regno d' Italia ſotto i barbari epitome d' EMANVEL TESORO con le annotationi del abbate Caſtiglione p.* 341. *ſeqq. PVTEANI hiſtor. barbar. lib.* 4. §. 12.

(c) *Berengarius dux Forojulenſis*) Carolo craſſo fatis functo, aut potius omnibus regnis, quibus etiam Gallia occidentalis acceſſerat, exuto, regna Francorum in partes reſolvuntur. *Annales METI & BERTINIANI ad ann.* 888. Cum non ſolum Arnolphi illegitimi eſſent natales; ſed & de Caroli, Ludovici balbi filii, legitima dubitaretur nativitate. Putabant enim nonnullæ gentes Caroli magni poſteris olim parentes ſe a vinculo, quo ei tenebantur, ob legitimæ prolis defectum liberatas eſſe. *GROT. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 7. §. 16. Nec non Itali ad fatale illud Hadriani decretum confugiebant. Quomodo inter rivales de Italiæ regno depugnatum ſit, & quænam artes, ut, qui diſplicere cœperat, ejiceretur, adhibitæ fuerint, jam noſtrum non eſt tradere. *Confer chronic. CASSINENSE lib.* 1. *c.* 61. *& VALES. in Berengario Auguſto.* Hic nec a calvo, nec a craſſo Carolo *Berengario ſeniori* Italiæ regnum deſtinatum eſſe, quicquid etiam carminis panegyrici auctor cantet, recte docet. * Jus igitur illius omne, ſi quid habuit ex electione principum Italiæ eſt derivandum. ONVPHR. *princip. Rom. lib.* 3. *p.* 183. niſi diceres, eum non tam jure, quam perſuaſione, quod Carolingos cognatione attingeret, accitum. Vid. VALES. BERENG. *auguſt. c.* 1. *&* 2. De ejus coronatione papienſi ſequentem in modum SIGONIVS *ad annum* 888. loquitur: *Berengarius papiam agmine pacato ingreſſus coronam ab Anſelmo novo Mediolanenſi antiſtite ſumſit; atque ibi vetere inſtituto ſedem regiam locavit.* Neſcio, an Berengarius papæ Stephani ſexti conſenſu ſuffultus fuerit, ut perſuadere annititur ABBAS CASTILIONEVS *in notis ad theſaur. reg. Ital. p.* 354. Wuidorem Spoletanorum ducem, cum quo pactus erat, ut ipſi Gallia, ſibi Italia cederet, ex Gallia infectis rebus redeuntem hoſtem & æmulum in Italiæ regno expertus eſt, nec aliter ſe adverſus ipſum tueri valuit, quam Arnulfi Germanorum regis auxiliis. LVITPRANDVS *lib.* 1. *c.* 6. PVTEANI *hiſt. barb. lib.* 5. ABB. CASTIOL. *in notis ad Theſaurum p.* 354. 355. VALESIVS *l. c. p.* 83. Erant tamen Guidonis res, qui ſibi filium Lambertum imperii ſocium junxerat, ſuperiores, nec forte Berengarii fortuna aliam induiſſet faciem, niſi Guido, Arnolphi Italia adverſus Rudolphum Burgundionum regem excedentis tergo ingenti inhærens ardore, ad flumen agri placaturi Tarum, cruoris vomitu, anno regni Italici 6. imperii 4. Chriſti 894. exſtinctus, & cum filio Lamberto deinde fœdus de dividendo Italiæ regno initum fuiſſet. VALESIVS *l. c. p.* 89. *ſeqq.* quod pactum Arnulfo, ut ultimum in Italiam ſuſciperet iter, anſam præbuit, ſed inutile fere fuit, ſi tantum imperialem ſeponas coronam. *Annales FVLDENSES ad annum* 895. Berengariani regni Italici auſpicia in anno 888. ab Onuphrio collocantur, qui eodem anno Guidoni a quibusdam proceribus idem regnum papiæ traditum affirmat. Huic opinioni diplomata favent: obſervandum tamen, aliquando annorum numerum ex diverſo numerandi modo varietatem habere, ſæpeque etiam auctiorem aut minorem, quam par eſt, ex ſcribentium aut hodie typographorum incuria eſſe. Sub diplomate de anno 895. reperitur, quod ſit *Berengarii ſereniſſimi regis IX.* VGHELLI *tom.* 5. *p.* 725. Sub diplomat. *ann.* 901. *anno* 14. *glorioſiſſimi regis.* VGHELL. *l. c. p.* 1032. Sub diplom. *de anno* 900. *Berengarii piiſſimi regis.* VGHELLI *tom.* 1. *p.* 835. Sub diplomate *de anno* 903. *domini Berengarii piiſſimi regis* 16. VGHELLI *t.* 4. *p.* 970. Videntur itaque MARRIANVS SCOTTVS, qui anno 559. & SIGEBERTVS, qui anno 890. Berengarium & WIDONEM reges conſtitutos ajunt, a vero alieni eſſe, niſi dixeris, aſſumtis, quæ de diverſo numerandi modo dicta ſunt, hos cum iis, qui electionem utriusque regis ad annum 888. referunt, conciliari poſſe. Imo SIGEBERTI ſententiæ diploma Widonis de *anno* 890. favet, ſub quo legitur: *Data* 7 *Kalend. Junii incarnat. Domini* 890. *anno Domino Widone regnante rege in Italia primo.* Forte hic annus illius regni, quaſi primus ſub hoc diplomate cenſetur; cum ex illo primum tempore, fractis Berengarii viribus Italiæ vere præeſſe cæperit. Quo etiam ſpectat diploma *de anno* 895. quod VGHELLI *t.* 4. *p.* 965. refert, ubi *annus* 895. regni Widonis V. vocatur VGHELLI *t.* 3. *p.* 212. Anno 891. Wido a Stephano VI. papa Romano ad imperiale conſequendum diadema vocatur; dubium autem eſt, an a Stephano aut ejus ſucceſſore ipſi ſit impoſitum. Poſtmodum anno 892. Lambertum filium ſibi imperii conſortem junxit. VALESIVS *in Berengario Auguſto p.* 87. *ſeqq.* Hoc ex diplomate de anno 891. apparet, ſub quo ſequentia conſpiciuntur: data 9 Kal. Martii in dictione 9. ann. incarnat. Domini 891. regnante domino Widone in Italia *anno regni ejus tertio, imperii illius die* 11 *actum Romæ &c.* Sub diplomate autem anno 892. legitur: *Datum X. Kalend. Decembr. indict. X. regnante D. Widone in Italia anno regni ejus* 4. *imperii* 1. Conſtat & annum 892. hic primum Widonis vocari, quia hic in numerando haud dubie ad annum, quatenus duodecim complectitur menſes, qui nondum finiti erant, reſpectum eſt. Quod autem ad annum, primordialem imperii Lamberti attinet, diploma de anno 898. hunc annum ut ſeptimum ejus imperii refert: VGHELL. *t.* 2. *p.* 100. *t.* 3. *p.* 27. Verum dici poteſt, annum 998. ſeptimum vocari, cum annus novus hic non ponatur demum in fine ultimi anni, quatenus illum duodecim abſolvunt menſes, ſed in Servatoris natalibus, qui & illo tempore adhuc

gundus, (a) modo *Rudolphus Burgundus*, (b) rurſus Hugo Arelatenſis, ejusque filius Lotharius, nec

hue anni auſpicia conſtituiſſe videntur; & ſic annus 92. licet forte in exitu fuerit, pro integro habetur, & novus ſemper incipit cum feſto nativitatis Chriſti. Atque ſi incipitur numeratio per annum 92. ut primum, quando 98. numeratur, ſeptimus intuitu 92 anni dicendus. Nec aliter ſe habet res cum diplomate de anno 896. qui quintus ejus imperii nominatur.

(a) *Ludovicus Burgundus*) Mortuo anno 897. Lamberto Berengarius ſolus & ſine conſorte toto Longobardorum regno potitur, paucis tamen annis elapſis, novus ipſi in Ludovico, quem Baſo ex Hermengarde, Ludovici II. imperatoris filia, ſuſceperat, excitatus hoſtis. Obiter hic moneo, hunc ſaltim Viennenſem fuiſſe principem, & obinde Rudolpho Alemanniæ & Burgundiæ regi juramentum fiduciarium præſtitiſſe. *DV CHENE hiſtor. de Bourgogne liv. 2. ch. 12.* Neſcio, quare Platina ipſum falſum Arnulfi filium vocet. Forte falſus filius ipſi idem eſt, ac adoptivus; verum non ab Arnulfo ſed Carolo craſſo fuit adoptatus. Aſt mittamus hæc. Ludovicus, juramenti, quod præſtiterat, nunquam ſe in Italiam rediturum, ſi a Berengario, a quo, cum primam in Italiam moliretur expeditionem, captus erat, libertati reſtitueretur, oblitus, ab Adelberto Tuſcorum marchione potentiſſimo aliisque proceribus, ut fidem falleret, ſe induci paſſus eſt. Omnia etiam ſub initium ipſi ex voto fluebant, cum Berengario ob res adverſus Hungaros male geſtas ſuccenſerent plerique; atque eo res adducta, ut Ludovici caput, præſulis Romani ſacra auxiliante manu imperatorio redimitum inſigni, & Berengarius Italicos lares derelinquere coactus fuerit. VALESIVS *in notis ad Berengarii panegyricum p. 171. ſeqq. BERENGARIVS p. 96. ſeqq.* Quod rerum ad Ludovicum hunc attinentium chronologiam ſpectat, variis illa patet controverſiis. VALESII BERENGARIVS *Auguſtus p. 97. 98. ONVPHR. Rom. princip. lib. 3. p. 183.* Non dubito, quin auctor chronici CASSAVRIENSIS recte ſentiat, Ludovico coronam regiam anno 900. obtigiſſe; illum enim annum in diplomate quodam regni ſui primum vocat VGHELLI *Ital. ſacr. tom. 2. p. 255.* In alio tamen diplomate & annus 901. regni ejus primus vocatur. VGHELLI *t. 5. p. 214.* Haud dubie enim numerus menſium primi anni in anno 901. nondum fuit finitus. Videtur & eodem tempore imperatorium induiſſe titulum, quod & Çaſaurienſe prodit chronicon. Etenim in diplomate, quo Comenſi epiſcopo abbatia de incoronata datur, exordium eſt: *LVDOVICVS ſuprema favente gratia imperator auguſtus*, & in fine invenimus: *Dat. 7 id. Decembr. ann. incarnat. Dom.* 901. *indict. 4. anno autem regni Ludovici ſereniſſimi imperatoris in Italia 1.* Conf. quoque VGHELLI *tom. 4. p. 424. & p. 86.* ubi annus 902. imperii ejus ſecundus vocatur. Puto tamen ipſum primum anno 904. a papa Benedicto IV. coronatum eſſe, & ſic hic annus nonnumquam ejus imperii primus vocatur. VGHELL. *t. 1. p. 800.* Ceterum quam fluxæ & caducæ ſint res humanæ, & Ludovicus mortalibus documento eſt; elapſis enim vix tribus, poſt regiam Italiæ ſumtam purpuram, annis, a Berengario ex Bavaria, ubi exulaverat, reduce, Veronæ ſecurus ac improvidus, dimiſſo exercitu hærens oppreſſus & excæcatus eſt. REGINO & MARIANVS SCOTTVS *ad ann. 896. chronic. CASS. t. 3. ſcript. Ital. p. 334.* Hoc modo abdicato æmulo Berengarius totius Longobardiæ compos factus fuit. Papa Johannes X. ut tanto paratiorem ad ſuppetias ſibi contra Saracenos ferendas haberet anno 916. imperiali diademate caput ejus cinxit. BERENGARII *Panegyriſtes lib. 4. VALESIVS in Berengario auguſto p. 99.* ubi hæc citat chronici Caſaurienſis ſive Piſcarienſis verba: *anno ab incarnatione Domini* 916. *quo anno Berengarius auguſtus imperii coronam ſuſcepit. ONVPHRIVS* vero *PANVINIVS* anno 913. Romæ in Baſilica S. Petri conſecratum & coronatum imperatorem ſtatuit; verum hoc non a Johanne X. quippe qui ipſo auctore anno 916. idibus Febr. papa creatus, ſed a Sergio III. factum eſſe, dicit. Sigonius Berengarium anno 915. a Joanne, tunc ſedi pontificiæ intruſo, imperiali redimitum inſigni opinatur. Controverſiæ huic ex diplomatibus lucis aliquid affundere, allaborabimus. Sub diplomate, quo Berengarius abbatiæ S. Joannis Meodetiæ ſe liberalem præſtitit, reperitur: *Datum Kalend. Jul. anno Dominica incarnationis 920. Domini Berengarii piiſſimi regis 23. imperii vero ſui 5. indictione 8. VGHELLI t. 4. p.* 61. Quod ſi itaque non ſolum id, quod anni decimi ſexti reliquum, ſed & quod anni 20. abſolutum erat, pro integro anno numeratur, ſequitur, quod annus ejus imperii primus in annum 916. cadat. Imo ſub diplomate, quod Joannem Cremonenſem epiſcopum beneficiis afficit annus 916. primus imperii Berengarii vocatur. VGHELLI *t. 4. p. 588.* Sic & diploma Bellunenſi epiſcopo Almono favens annum 923. imperii Berengarii VIII. in calce oſtentat VGHELLI *t. 5. p.* 146.

(b) *Rudolphus Burgundus*) Cinctus jam imperiali diademate forte ſe ab inimicorum æmulorumque odiis tutiorem credidit, ſed ſpes ipſum fefellit; nam Adelbertus Eporediæ civitatis marchio gener ejus, cui Odelricus comes Palatii, Gilbertus comes & Lambertus Mediolanenſis archiepiſcopus, cum aliis Italiæ proceribus conjurationis ſocietate juncti erant, Rudolphum Jurenſis Burgundiæ regem, ad Italicum ſumendum diadema per nuntios advocavit. SIGONIVS *lib. 6. ad annum* 921. *VALESIVS in Berengario auguſto p.* 101. Hic de adipiſcendi regni occaſione lætus ſe in Italiam contulit, ibique adductus a Gilberto multis Berengario obſtricto nominibus, ab Adelberto marchione & Lamberto archiepiſcopo aliisque proceribus apertis ulnis, ut ajunt, exceptus, & in regale elevatus eſt ſolium. LVITPRANDVS *l. 2. c. 16. 17.* Hoc anno 922. factum eſſe conſtat: nam in diplomate, quo Bergomatibus jus inſtaurandi muros civitatemque concedit, annus ille regni ejus Italici primus vocatur. VGHELLI *tom. 4. p. 430.* Diploma autem ab eo monaſterio Zenoviano Veronæ ann. 924. conceſſum, anno regni ejus 3. datum dicitur. VGHELLI *Ital. ſacr. t. 5. p.* 741. Vocatur tamen & 4. in diplomate, quo Hercardo epiſcopo Parmenſi curtem Padi de ſablonetta donat. VGHELLI *t. 2. p.* 154. quæ differentia haud dubie ex diverſo numerandi modo exorta. Non multo poſt fortunæ ludibria perſenſit. Dimidia enim pars Longobardorum ad Berengarium Veronæ clauſum rediit. Ortum deinde in Italia civile bellum, & maxime cruentum, in quo pugnatum eſt ſemel atque iterum. Priore acie Berengarii, poſteriori Rudolphi res ſuperiores fuerunt, coactusque demum Berengarius Veronenſibus ſalutem ſuam committere, LVITPRANDVS *lib. 2. cap.* 18. An autem poſtea inter Berengarium & Rudolphum, pace facta, Italiæ regnum diviſum; ita tamen, ut Rudolphus ſub Berengarii ditione eſſet, ut CONSTANTINVS PORPHYROGEN. auctor eſt, in medio relinquo. Berengarius quoque ſuo deinde comprobavit exemplo, illum, qui cum adverſa conflictatur fortuna, & amicis oneri eſſe: a Veronenſibus enim, præeunte Flamberto compatre, obtruncatus eſt. LVITPRANDVS *lib. 2. c. 20. p. 443. P. 2. ſcript. Ital. SIGEBERTVS & ALBERICKS ad annum 925. ONVPHRIVS PANVINIVS lib. 5. c. 25. antiquit. Veron.* De anno regni ejus, quo e medio ſublatus, ſcriptores non conveniunt. VALESIVS *in Berengario auguſt. p.* 102. Sub anni 924. finem Berengarium jam tum jugulatum fuiſſe oportet: nam in illo pridie id. Novembr. Rudolfus monaſterium Zenonianum, Widone epiſcopo Veronenſi, quem dilectum ſuum fidelem & conſiliarium vocat, petente, in ſuum percepit mundeburdium. VGHELLVS *tomo 5. p. 740.* Quam monaſterio protectionem, ſuperſtite Berengario, ab ejus æmulo impetrare, & inter hujus eſſe conſiliarios epiſcopus haud dubie non eſſet auſus, atque ita verior eſt opinio, Berengarii annum emortualem in annum 29. regni & imperii 9 collocandum. Nam in diplomate, quo ſe beneficum præbet Almono epiſcopo Bellonenſi Veronæ dato, annus 923 regni ejus 28. imperii 8. dicitur. *VGHELLI Ital. ſacr. tomo, 5. p.* 147. niſi cum Onuphrio dixeris, ſub finem an. 923.

cri-

necnon denique *Berengarius Eporegiæ marchio* (a) ab Italiæ optimatibus inconſulto vel populo vel pontifice Romano, imo his nihil contra nitentibus, Italiæ reges ſunt creati papiæ, regni Longobardici urbe metropolitana. Diſcere hæc omnia licet ex libris Luitprandi Ticinenſis ejus ævi ſcriptoris.

§. 19. Ipſe quoque Otto magnus multo antequam imperator audiit, inconſultis omnibus Romanis, ne papa quidem ipſomet excepto, Longobardicum regnum in ſuam poteſtatem redegit. Nec ipſe hoc nomine ſe Romano credidit, aut imperio, aut populo, aut pontifici obſtrictum. Namque anno 951. invitatus ab Adelheide vidua Lotharii regis, quam & mox in matrimonium duxit, fudit omnique poteſtate exuit Berengarium regem Italiæ ejusque filium Adelbertum. Witikindus Corbejenſis *l. III.* ſcribit, Ottonem *cum Adelheide papiam, quæ eſt ſedes regia, obtinuiſſe.* Sequenti anno 952. Berengarius & Adelbertus *in gratiam recepti* (b) feudi jure ab Ottone regnum Longobardicum recuperarunt. Illam rem ita narrat continuator Reginonis: *Berengarius cum filio Adel-*

crimen illud in Berengario patratum eſſe.

(*pag. præc.*) *Hugo Arelatenſis*) Sublato jam antagoniſta Rudolphus quiete Italiæ regno fruiturus videbatur: verum & denuo Italicæ inconſtantia mala expertus eſt; artibus enim Ermengardæ Adelberti Eporediæ marchionis viduæ Italorum odium incurrit, ut Hugonem, ex pontificis quoque Joannis ſententia, ſibi regem conſtituerint. ALBERICVS & SIGONIVS *ad an 925.* Hic erat Lotharii comitis Arelatenſis filius, & Lotharii Lotharingiæ regis nepos. *Du Chene dans l'hiſtoire de Bourgogne liv. 2.* ch. 15. ipſum toti provinciæ regno præfuiſſe memoriæ prodit; quamvis LVITPRANDVS tantum Arelatenſium, *AVCTOR chron. Caſſin.* Aquitaniæ ducem appellent. VALESIVS *l. c. p. 104.* pulſo Rudolpho, anno 926. Italicam ipſi obtigiſſe coronam enarrant. *ONVPHR. Rom. princip. lib. 3. p. 157. DV-CHENE l. c. p. 139.* In diplomatibus, quibus Hercardo & Sigefrido epiſcopis Parmenſibus eccleſiæ ſuæ bona & jura confirmat annus 927. ejus regni I. annus 929. 4. & annus 930. 5. dicitur. *VGHELL. tom. 2. p. 155. ſeqq.* Diverſitas hic occurrens itidem ex vario numerandi modo, veteribus uſitato, eſt derivanda. Quod autem ſub diplomate anni 924. l. c. p. 154. annus hic regni ejus IV. in Italia vocetur, ex errore eſt; niſi aſſerere malis, hic forte annos numerari a prima Hugonis in Italiam expeditione, quam cum fratre Boſone & Hugone Taliaferni ſuſcipiebat, ubi tamen adverſa uſi fortuna in Berengarii poteſtatem venere, & non niſi ſub fide jurejurando corroborata, ne ſe vivo in Italiam redirent, dimiſſi ſunt. *LVITPRANDVS lib. 3. cap. 3. CONSTANT. PORPHYR. de adminiſtr. imper. c. 6.* Poſtmodum vero Hugo in regni conſortem Lotharium filium ſibi adjunxit. Hoc autem non anno 932. ut ONVPHRIVS exiſtimat, ſed anno 930. factum eſſe conjicio, quoniam annus 932. regni Hugonis ſextus, Lotharii ſecundus, appellatur. Vide diploma, quo eccleſiæ Luccenſi curtem Moſſagrave dilargiti ſunt, apud *VGHELLVM t. 1. p. 801.* Sub diplomate autem, quo Leoddindi epiſcopi Mutinenſis donatio, qua ſuæ eccleſiæ clericale affecit capitulum, confirmatur *ann. incarnat. 934. D. Hugonis inviƈtiſſimi regis 8. & D. Lotharii item regis 3.* dicitur: *VGHELLI t. 2. p. 99.* diploma de donis, quibus hi reges Vercellenſem eccleſiam exornarunt, annum 945. ut regni Hugonis 20. Lotharii vero 15. affert VGHELLI *t. 4. p. 769.* & ſub diplomate, quo Luitfredo abbati comiti Babienſi anteceſſorum ſuorum largitiones confirmant, legitur: *Dat. 13. Kalend. Novembr. anno dominica incarnationis 840. regni D. Hugonis piiſſimi regis decimo quarto, Lotharii autem filii ejus item regis IX. VGHELL. t. IV. p. 971.* Hic initium ſeriei, cum ultimus annus nondum fuerit abſolutus, non eſt numeratum.

peperit mortem. *SIGEBERTVS ad annum 940. LVITPRANDVS lib. 5. c. 415.* Exſtincto Hugone majora auctoritas Berengarii ſumſit incrementa, ita, ut penes Lotharium fere tantum nomen, penes Berengarium autem poteſtas regis eſſet. LVITPRANDVS *lib. 5. cap. 12. 14. lib. 6. c. 1.* Lothario poſtea aut ſubitæ Irenenſis malo, aut Berengarii veneno necato, hic & regium adeptus eſt nomen. LEO OSTIENSIS *lib. 1. c. 61.* FRODVARDVS ad annum 950. filiumque Adelbertum ſibi regni collegam conſtituit. Id ad annum 950. ſpectare, diploma, quo Mutinenſi eccleſia totum territorium Aureti ſive Roveti donatur. In calce enim ejus legitur: *Datum decimo die Kalend. Febr. ann. Dominicæ incarnationis 950. regni vero piiſſimi Berengarii & Adelberti regum I.* VGHELL. *t. 2. p. 104.* Sub diplomate, quo Berengarius & Adalpertus ſe Bruningo Aſtenſi epiſcopo liberales exhibent, annus 954. dicitur, *regni Berengarii & Adelberti quartus.* Potuit autem Lotharius ſub finem anni 949. diem ſuum obiiſſe, atque ut ſic Hermannus contractus non impingat, qui Lotharii mortem ad illum refert. Ut autem regno ſuo filiique novum acquireret robur, huic Lotharii viduæ Adelheidis Burgundiæ regis filiam, cujus mater Berta ſecundo matrimonio Hugoni Lotharii patri juncta fuit. *Vid. not. ad chronic. Caſſin. t. 4. ſcript. Ital. p. 334. LVITPRANDVS lib. 4. c. 6.* nuptias conciliare vellet, cumque hunc Adelheidis ſperneret maritum, eam in cuſtodiam dedit, ex qua Capellani ſui Martini ſolertia elapſa, Attoni & ejus arci munitiſſimæ Canoſſæ ſe ſuamque commiſit fortunam; unde deinde ad Ottonem I. tunc viduum, nuncios dimiſiſſe fertur, juſſos Ottoni indicare, adeſſe occaſionem, ubi ſibi uxorem ex hoſtis manu ſervare, & regnum acquirere poſſet. Hoc lætum Ottoni fuit nuncium, ipſique occaſionem, expeditionem in Italiam ſuſcipiendi, præbuit. DONIZO *in vita Mathildis p. 331. apud eundem loc. cit.* Ditmarus Adelheidis maritum ex errore Ludovicum vocat. Ceterum vid. ODILO CLVNIACENSIS *in vita S. Adelheidis c. 2. p. 263. CONTINVATOR REGINONIS ad annum 951. chron. Caſſ. lib. I. c. 61.* Otto deinde ſatis proſpere in Italia geſſit. FRODOARDVS *ad annum 950. DITMARVS lib. 2. ann. p. 331.* verum victoriarum curſum, ob negotia in germania expedienda, quæ moram non ferebant, abſolvere non potuit. Igitur, quod reliquum, generi Conradi fidei, prudentiæ & fortitudini permiſit, cujus deinde conſilio & ductu Berengarius gratiam Ottonis imploravit, eamque tandem impetravit, obtinuitque, ut Italiam feudi lege ab imperio germanico, ut novum acciperet beneficium, atque a tyrannide, qua omnibus gravis fuerat, deſiſteret. LVITPRANDVS *lib. 4. c. 4. HROSVITHA hiſtor. apud Meibom. tom. I. p. 724.*

(a) *Berengarius Eporegiæ marchio*) Ugone in vivis eſſe definente, quod anno 946 accidiſſe traditur. *ONVPHRIVS princip. Rom. lib. 3. p. 187.* anno 945. ipſum adhuc ſuperſtitem fuiſſe ex diplomate antea citato, & anno 947. Id. Octobr. jam tum occubuiſſe, ex diplomate Lotharii apud VGHELLVM *t. 2. p. 104.* pateſcit. Mortuo Lothario, quem anno 950. exſpiraſſe ONVPHRIVS prodit, Berengarius II. Berengarii ſenioris ex filia Ghiſela nepos, Alberici marchionis Eporegiæ filius, rerum potitus eſt. Plurimum jam tum ille vivo Hugone valebat auctoritate, quod ipſi exilium, Hugoni autem deinde, Berengario reverſo, fugam in provinciam & forte acceleratam

(b) *in gratiam recepti*) Hæc per *DITMARVM lib. annal.* ſequentibus affirmantur: *Ottonem Berengarius, cum duce Conrado ſubſequitur regisque gratiam in urbe Auguſtana ſua filiique deditione promeruit ſimulque reginæ iram ſupplici venia placavit, bonaque cum pace patriam reviſit.* Otto itaque regni ſui Italici primordium ſaltim in anno 962. poſuit, ubi Berengarius regno plane exutus erat. De hoc teſtantur diplomata apud VGHELLVM *t. 2. p. 158. 269. tom. 4. p. 347. 698. tom. I. p. 837. t. 5. p. 148. 432. t. 8. p. 58. FONTANINVM in appendice vindic. antiqu. diplomat. p. 261. HVNDIVM in metropoli Salisburgenſi tom. I. p. 239.*

Adelberto ſeſe ſubjiciens Ottoni, ab eo, ut ſubditus recipit regendam Italiam. Iisdem verbis utitur ipſe Baronius tomo X. annalium ad annum 952. Witikindus ita loquitur: *Cum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans renovata fide, coram omni exercitu, famulatui regis ſe cum filio ſuo ſubjugavit: & ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace.*

§. 20. In feudum itaque Berengario contulit Otto regnum omne Longobardicum & quidem liberrime nulli propterea quicquam debens. Ita ille obligatam ſibi Italiam tenuit integrum decennium, donec ſcilicet a papa & multis Longobardici regni proceribus contra Berengarii tyrannidem invitatus Italiam inſtructo exercitu *intravit.* (a) Narrat Baronius ad annum 961. ex antiqua Beneventanorum ducum hiſtoria, quo tempore expeditio illa eſt inſtituta, proceres Italiæ, adpropinquante jam Ottone, Adelberto filio Berengarii dixiſſe: *Vellemus, domine, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicas, quatenus Longobardorum regnum ſub veſtra ditione committat, quia nos minime ſub illius poteſtate amplius jam durabimus. Si vobis committit regnum, nos totis viribus pugnabimus; ſin autem, Italiæ regnum extero regi committemus.* Idipſum autem cum Adelbertus non potuiſſet impetrare, proceres omnes Berengarium pariter & Adelbertum deſeruiſſe. Addit autem ille ſcriptor: *Itaque Otto rex ſine impedimento in Italiam introivit, atque Italiæ regnum obtinuit.* Luitprandus, qui itidem eo tempore vixit, in narratione legationis Conſtantinopolitanæ, quam a Caniſio editam inſeruit decimo annalium tomo ad annum 968. Baronius ita rem omnem narrat Nicephoro imperatori: *Palam eſt, quod Berengarius & Adelbertus ſui milites,* (i. e. Ottonis vaſalli) *effecti regnum Italicum ſceptro aureo ex ejus manu ſuſceperunt, & præſentibus ſervis tuis, qui nunc usque ſuperſunt, jurejurando fidem promiſerunt. Et quia hanc perfide violarunt juſte illos quaſi deſertores ſibique rebelles regno privavit.* Ex verbis procerum profecto conſtat, exiſtimaſſe illos, ſui juris eſſe, regnum illud *etiam extero regi committere.* Neque Otto dubitavit, *in rebellem animadvertere,* (b) & ſibi vindicare omne illud regnum. Sequente autem demum anno ille imperator eſt creatus. Neque vel Romanus populus, vel pontifex cum eo expoſtulavit de regno aliquo, quod ad ſe pertineret, occupato.

§. 21. Igitur etiam de Italia ipſa Longobardica licet adfirmare, manſiſſe illam liberam rempublicam *a Romano imperio diſtinctam,* (c) usque ad Ottonis magni imperium, non minus atque Germaniam. Sunt autem hæc usque adeo certa, ut haud facile liceat reperire ejus ævi aliquod monumentum, unde colligas, vel rudem plebem aliter tum aut ſenſiſſe aut eſſe loquutam. Non ſane eſt, quur quis adferat nobis Gottfridum Viterbienſem, qui, cum narraſſet, Lotharium imperatorem regni ſui tres in partes diviſi partem unam, Italiam ſcilicet, cum imperatorio nomine majori natu filio tribuiſſe, addit: *Vide, ad quantum defectum Romanum imperium devenerit, ut in tres partes diviſo regno Francorum tertia partis tertia pars eſſet imperium.*

§. 22. Similiter nec objici nobis debet Otto Friſingenſis, qui, cum egiſſet de diviſione regni Francici inter filios Ludovici pii inſtituta, ita loquitur *lib. 5. c. 35. Ex hinc diviſo Francorum regno,* re-

(a) *intravit*) Berengarii res & poſt Auguſtanum negotium turbidas fuiſſe, ex eo conſtat, quod bello cum Ludolpho Ottonis ex primo toro filio contendere coactus ſit. Ludolphus patris in Italia vices gerens haud dubie ipſum ob non ſervatum promiſſum bello perſequi ſtatuit, quod ex parte Berengarii ſat infeliciter geſtum: cladem enim paſſus, & Pavia exutus eſt. CONTINVATOR REGINONIS & HERMANNVS CONTRACTVS *ad annum 956.* Nec dubito, quin debellata fuiſſet, ſi Ludolpho, quem aliqui veneno, alii Adelberti lancea periiſſe tradunt, longiori frui vita licuiſſet ARNVLPHVS *de geſtis Longobard. lib. 1. c. 5. DONIZO in vita Mathildis p. 638.* Sublato Ludolpho Berengarius ad prius & quidem durum plane rediit imperium, ita, ut cum papa plures alii Italicorum procerum, tantarum oppreſſionum impatientes, Ottonem ad opem ſibi contra Berengarii tyrannidem ferendam per nuncios efflagitarint. Horum precibus locum daturus, exercitum in Italiam duxit, ibique omnia ex voto geſſit. CAMILLI PEREGRINI *hiſtoria principum Longobard. t. 3. ſcript. Ital. p. 299. ARNVLPHVS MEDIOL. cap. 4. LVITPRANDVS lib. 6. c. 6. t. 2. ſcript. Ital. p. 471.*

(b) *in rebellem animadvertere*) In hunc, ut vinculi fiduciarii, quo Ottoni & imperio obſtrictus erat, & fidei datæ contemtorem, qui ad ſaniorem redire noluit mentem, Otto omnino armis animadvertere, ipſumque deinde feudo, ut feloniæ reum privare potuit. Enim vero expugnata Pavia, obſidione claudit montem S. Leonis (Feltro) in quo Berengarius cum uxore Witta & duabus filiabus latitabat, eoque tandem capto Berengarius cum uxore & filiabus exilio Bambergenſi mancipatus eſt, ubi & ſupremum obiit diem. CAMILLVS PEREGRINVS *loc. cit.* falſo in Galliam eos vinctos abductos eſſe prodit. *Contin. Regin. ad ann. 962. ſeqq. chron. Caſſ. lib. 1. c. 61. Annales HILDES. ad ann. 964.* Filii Berengarii Adelbertus, Cuno & Guido ſe in inſulam Corſicam abripuerant, ex qua reduces adverſus Ottonem belli aleam tentare auſi ſunt, ſed res improſpere geſſerunt. CAMILLVS PEREGRINVS *l. c.* ARNVLPHVS MEDIOL. *lib. 1. c. 7.* Anno 962. Otto, cum res Italiæ nondum ſopitæ eſſent, imperatorium ſumſit diadema, CAMILLVS PEREGRINVS *tom. 2. ſcript. Ital. p. 209. LAMBERTVS Schafnaburg. ad ann. 962. ONVPHR. l. c. p. 190. SIGONIVS lib. 6. ad annum 962.* Quod ſi itaque diploma de anno 956. apud VGHELL. *tom. I. p. 375.* quo totum comitatum Furconienſem eccleſiæ & epiſcopo Furconienſi dono dediſſe fertur, genuinum eſt, dicendum, imperatoris nomen ibi pro rege accipi, aut quia reliquum occidentalis imperii pro appendice regni Italiæ, cujus ſe in hoc diplomate defenſorem vocat, habuit, a ſe illud adhiberi, Ottonem nefas non putaſſe. Obiter moneo, & ex hoc conſpici, illo tempore jam tum in uſu fuiſſe, ad diplomatum ſubſcriptionem teſtes adhiberi. Qua ratione autem in donatione Adelberti Patavini epiſcopi annus 962. Berengarii invictiſſimi auguſti ſextus vocetur, non video. *VGHELLI t. 5. p. 450.* niſi putes, Berengario, ut Italiæ regi, honorem illum, quem Otto ſibi in poſterum tribuendum eſſe per ſumtam imperialem coronam publicavit, ab amicis adſcriptum eſſe, cum Berengarius primum teſte Onuphrio anno 964. abdicato regno, in Germaniam relegatus ſit. Dubium tamen circa annum remanet. Nam ſi incunabula Berengarii regni I. ad ann. 950. referuntur, annus 962. non ſextus; ſed duodecimus regni ejus eſt. Forte dicendum erit, Berengarii imperii annos in tabulis hiſce donationis numerari a tempore interfecti Ludolphi, Ottonis filii.

(c) *a Romano imperio diſtinctam*) *GODEFRID. VITERB. Panth. p. 423. tom. 7. ſcript. Ital. SICARDI chron. l. c. p. 581.*

regna modo duo, orientale & occidentale, (*quorum alterum* (orientale) *partem Ludovici ac Lotharii; ſedemque regni Francorum palatium Aquisgrani, ac imperium urbis Romæ habet: aliud vero,* (occidentale) *quod adhuc Francorum, ideo, quod iſtud Romanorum vocatur, adpellatum, partem Caroli obtinet*) *inveniuntur.* Hæc, inquam, objicienda nobis non ſunt. Loquuntur enim ſcriptores illi ex more ſui ævi, quod in Friderici Barbaroſſæ imperium incidit. Haud diffitemur tamen, nonnunquam etiam a ſcriptoribus antiquioribus *imperii & imperandi* vocabula de regnis illis liberis uſurpari. Quid autem notius eſt, quam illas voces nonnunquam imo ſæpiſſime imperium Romanum non ſignificare?

CAPUT X.

In Ottone magno per cæſareum titulum Germaniam accepiſſe imperium aliquod ſummum perpetuum in urbem Romam, papam ac patrimonium eccleſiæ Romanæ.

§. 1.

Exiguam tantum Italiæ portionem imperii Romani nomine usque ad Ottonem magnum veniſſe, & tametſi illud imperium juris Francici ſit factum ætate Caroli magni, tamen neque tunc, nec omni poſt tempore, vel omne Francorum regnum, vel ejus aliquam portionem & nominatim neque Germaniam, neque Italiam illius Romani imperii partes habitas eſſe, perſpicuum jam fecimus: conſequens eſt, ut nunc inquiramus, an mutata hæc ſint, poſtquam imperatorium nomen in Ottonem atque ſucceſſores eſt derivatum. Quod ipſum accuratius fiet, ubi expoſuerimus prius, quid Ottoni & ſucceſſoribus cum imperatorio illo titulo ſit collatum. Conferantur, quæ diſſerit Bœclerus in Ottone I. *pag. 292. & ſeqq.* Et quidem Ottonem conſequutum tandem eſſe cæſareum nomen, non minus eſt certum, atque idem illud obtigiſſe Carolo magno.

§. 2. Neque multum dubitaverim iis accedere, qui omne illud iterum auctoritate & pontificis & populi Romani geſtum arbitrantur. Neque enim nunc diſputaverim, *jure an injuria* (a) Francorum dominium Romani illi excuſſerint: id certum eſt, ut Caroli ætate, ita & ævo Ottonis libertatem illos ſibi arrogaſſe, adeoque ſui arbitrii cenſuiſſe imperatoris, quem vellent, eligendi poteſtatem. Neque vero etiam tum papæ omnipotentiam aliquam Hildebrandinam regnorum imperiorumque transferendorum ſibi tribuebant. Quantumvis etiam hoc ex facto illam aſtruendam ſibi ſumant hodie portentoſæ illius omnipotentiæ patroni.

§. 3. Neque tum nulla amplius erat ſenatus populique Romani auctoritas. Quin videntur *nonnulli ex populo*, (b) poſt cæſarum Francorum potentiam deletam, pene omnem rempublicam papasque ipſos, Thuſciæ marchionum auxilio freti, ſuam in poteſtatem redegiſſe. Formoſum papam vehementer afflixiſſe Romanos, ut rex Arnolphus in papalis *injuriæ vindictam multos Romanorum principes* decollari fecerit; teſtis eſt Luitprandus *l. I. cap. IIX.* Formoſum illum juramento ſeſe Arnolpho obſtrinxiſſe ex *Sigonio* (c) notat Viguerius apud Chamier. *lib. 6.* de antichriſto *cap. 28. n. 12.* Idem *l. 2. c. 13. Hoc tempore Romanæ ſedis Ioannes Ravennas ſummum pontificatum tenebat. Hic autem tum nefando ſcelere contra jus fasque pontificium culmen obtinuit. Theodora, ſcortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia, Romanæ civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat.* Hac Theodora natam *Maroziam*, (d) nobile item ſcortum, haud minore fuiſſe per urbem potentia,

(a) *jure an injuria*) Ludovici germanici poſteris, lineæ primogeniæ Lotharii ſtirpe exſtincta, Romanum debitum fuiſſe imperium, jam ſupra monui, & hoc jus Germaniæ, quaſi accreviſſe regno, ita, ut licet legitima deinde Ludovici Germanici deficeret propago, Germanico tamen regno jus ſuum quæſitum obinde interverti non potuerit. Conradum & Henricum hoc jus vindicare Germaniæ partim inteſtini motus, partim Hungarorum irruptiones impedivere, & puto Henricum non tam rem, quam imperatoris titulum, ſi OTTONI FRISINGENSI *l. 6. c. 18.* habenda fides, ex ſimulata forte modeſtia averſatum eſſe. Otto autem jus illud renovavit, & fortiori adhuc vinculo Germaniæ adjunxit. LUITPRANDUS *l. 1. c. 8.* *OTTO FRISING. l. 6. c. 13. Annales Bertiniani ad annum 995.* docent, Conſtantinum & Stephanum, qui majores inter ſenatum erant, quoniam cum Agiltrude (Agolotruda) Widonis vidua, qua Arnulphum ab urbe excludere moliebatur, ſteterant, in Bojariam captivos abduxiſſe, & urbem Faroldo cuidam regendam dediſſe. Cum in annalibus Widonis viduæ mentio injiciatur, obſervare liceat. *LUITPRAND. l. 1. cap. X. & Berengariani panegyrici ſcriptorem lib. 2.* diverſas Arnulfi in Italiam confundentis expeditiones, & qui eos ſequitur, *BARONIUM annal. t. X. ad ann. 899. p. 648.* aliquid humani paſſos, quando Widonem poſt Arnulfum demum vitam poſuiſſe aſſerunt. REGINO Widonis mortem in ann. 994. collocat; ſed huic obſtat ſententiæ diploma, quo anno 895. idib. April. abbati Agilulfo beneficium præſtitit. UGHELLI *Italia ſacra tom. 4. p. 966.* Anno autem 896. Kal. Auguſti jam fatis functum eſſe, ex Lamberti filii ejus charta, abbati eidem favente, pateſcit; in illa enim de Widone, ut genitore ſuo divæ memoriæ, loquitur UGHELL. *l. c.* Oportuit igitur, ut intra annum 895. & 896. ſit mortuus. Et ſic nec ONUPHRII & VALESII ſententiæ, quod anno 994. occubuerit, ſubſcribi poteſt.

(b) *nonnulli ex populo*) Quid præpotentes Romanorum cives in papas ſæpe potuerint, Cintii, Benedictum ſextum Hadriani moli, quæ hodie S. angeli caſtrum dicitur, includentis exemplo edocemur, miſerque ibi Benedictus aut veſte aut fame periit. *PLATINA in vita Benedicti VI.*

(c) *Sigonio*) *Lib. 6. hiſt. de regno Italiæ ad ann. 896.* juramentum, quo cives Romani fidem ſuam & obedientiam Arnulfo obſtrinxerunt, *in annalibus Bertinianis ad annum 995.* legitur, ex quibus ea, quæ SIGONIUS refert, haud dubie deſumpta ſunt.

(d) *Maroziam*) *Fœmina Romana ſenatoria orta progenie, pulchritudine excellens, ingenio verſutiſſima, in præmium libidinis, cum urbis potiretur monarchia, pontifices conſtituebat, proſtituebat. PALATIUS in Sergio III.* Primo matrimonio Alberico marchioni domino Hortæ in regione Romana, ſecundo Widoni, & tertio ejus fratri uterino Hugoni regi, juncta fuit. LUITPRANDUS *l. 3. c. 12.* libidinibus admodum contaminatam, atque ex adulterino cum papa Sergio concubitu Joannem, qui poſt Joannis Ravennatenſis obitum ſedem pontificiam obtinuit, ſuſcepiſſe; cum marito Widone Petro, papæ Joannis fratri,

tia, colligas ex eidem Luitprando narratis *l. 3. c. 12.* Ubi & hoc docet, poſt regem Hugonem, Romanos cives *Albericum, Marozia filium,* (a) *dominum ſibi elegiſſe: & cum Marozia matre Romana urbis monarchiam Albericum tenuiſſe.* Hic vero quanta fuerit potentia per urbem, vel ex his Frodoardi, quæ & Baronius habet ad annum 952. perſpicere eſt: *Otto rex, cum invitatus eſſet ab Agapeto papa venire Romam, prohibente Alberico principe, venire non potuit, & licet id ipſe rex miſſa legatione petiiſſet, non impetravit.* Iidem notant ad ann. 954. *Alberico Patricio Romanorum defuncto, filius ejus Octavianus, cum eſſet clericus, principatum adeptus eſt.* Hic vero eſt ille Octavianus, qui non multo poſt Joannis XII. nomine aſſumpto papa creatus eſt: ut Baronius putat, retenta ſibi urbis tyrannide. Quod tamen haud certo *equidem adſeruerim.* (b)

§. 4. Utut ſit, non in unius papæ manu, in quantum ille eſt papa, fuiſſe tum rempublicam urbis, certum eſt. Imo a Berengario & ejus filio papam in ſummas tandem fuiſſe coactum anguſtias, liquet ex epiſtola Joannis papæ ad Ottonem apud Luitprand. *p. 303.* Populi vero ſimul auctoritate Ottonem creatum eſſe cæſarem, diſerte nos docet *Regino:* (c) *Rex natalem Domini celebravit,* (Papiæ) *indeque progrediens Roma favorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius Romani populi & cleri, ab apoſtolico Joanne Alberici filio imperator & auguſtus vocatur & acclamatur.* Igitur etiam tunc papa in cæſare creando egit primarium civem Romanum, non vero vicedeum aliquem & omnium regnorum monarcham. Quemadmodum autem hoc certum eſt, ita non adeo hic diſputaverim, quod & ante dixi, jure an injuria exiſtimaverint tum Romani ſui arbitrii eſſe cæſaream electionem; & num Germaniæ regno jam ante competierit jus aliquod ad cæſaream dignitatem. Neque vero facilia hæc ſunt definitu fortaſſis: præſertim quum haud liqueat regnum Germaniæ ſibi tum temporis præ Francis occidentalibus Romani imperii aliquod jus arrogaſſe.

§. 5. Verum, ut largiamur, papæ populique Romani libero decreto Ottoni conceſſam eſſe cæſaream dignitatem; quod hujus inſtituti eſt, potius agemus, diſquiſituri ſcilicet, num quid illa, quæ Carolus magnus olim, etiam Otto per titulum illum ſit conſequutus, an vero plura illis, num denique pauciora. Quibus inductus fuerit Otto I. Romam petere, vide Luitprand. *lib. 6. c. 6,* nempe petiit papa liberari ſeſe a tyrannide Berengarii.

§. 6. Ceterum ſummum imperium urbis Romæ Ottoni conceſſum eſſe manifeſtum facit ipſum *imperatorium nomen,* (d) quod illa tempeſtate utique dominium urbis ſignificabat. Confirmat idem juramentum fidelitatis, quo ſeſe Ottoni obſtrinxerunt Romani cives, & quidem tribus vicibus. Diſerte Luitprandus, vel ſi quis alius eſt auctor eorum, quæ a capite VI. usque hiſtoriæ Luitprandi ſunt aſſuta, quem tamen rebus omnibus illis interfuiſſe conſtat, de Ottone jam cæſare uncto: *Jusjurandum* (e) *vero ab eodem papa Joanne ſupra pretioſum corpus Petri, atque ab omni-*

tri, necem procuraſſe; & hunc in captivitatem dediſſe, atque deinde in exilium miſiſſe, *LUITPRANDUS lib. 2. c. 13. l. 3. c. 12. & LEO OSTIENS. l. 1. c. 57.* teſtantur. Conf. quoque *FRODOARDUS ad ann. 928.*

(a) *Albericum, Marozia filium*) Hic in diplomate, quo cum fratribus Sergio, Nepeſino epiſcopo, & Conſtantino, nec non ſorore Bertha in monaſterium SS. Andreæ & Georgii ampliſſima contulit bona, *domini gratia humilis princeps atque omnium Romanorum ſenator vocatur, UGHEL. t. I. p. 1026.* Sub hoc diplomate etiam Maroziæ nobiliſſimæ fœminæ, ut donatricis, mentio fit. Videtur Alberico matrimonium matris Muriæ, quæ & Marovia dicebatur, cum Hugone diſplicuiſſe, & propterea ipſum, ut auctor eſt Frodoardus, cuſtodiæ mancipaſſe, Romamque contra Hugonem tenuiſſe; poſtmodum autem cum matre in gratiam rediiſſe, atque, ut Hugoni nuberet, ſuffragatum eſſe: Sed cum ab illo indigne admodum haberetur, Romanorum ope Hugonem ejecit, & cum Marozia matre rerum potitus eſt.

(b) *equidem adſeruerim*) Videtur tamen hoc ex Frodoardo auctore coævo conſtare. Etenim ille ad ann. 954. inquit: *Alberico patricio Romanorum defuncto, filius Octavianus, cum eſſet clericus, principatum adeptus eſt, quique poſtea defuncto Agapeto ſuggerentibus Romanis papa urbis efficitur.* Hic admodum juvenis papalibus admotus gubernaculis, Octaviani nomine depoſito, illud Joannis ſumens, morem Romanis præſulibus uſitatum, mutandi nomina introduxit, ita, ut illud minus recte a nonnullis ad Sergium oris porcini nomen ſummo pontifici indecorum ratus, referatur. Vide *ONUPHRIUM ad Platina vitam Joannis XIII.* Quod ſi enim Alberici Romanorum patricii, quem chronicon Farfenſe marchionem adpellat, primogenitus fuerit filius, ætatis decimum octavum non potuit exceſſiſſe annum. Hic ab Ottone, ut altera vice Italiam adiret, ſupplicibus impetravit precibus. LUITPRANDUS *lib. 6. c. 6.*

(c) *Regino*) *CONTINUATOR REGINONIS ad ann. 962.* ita loquitur: *Anno ab incarnatione Domini 964.* (962.) *Otto glorioſus rex a papa usque ad urbem progrediens honorifice a ſummo pontifice Joanne ac toto populo ſuſceptus applaudentibus cunctis imperatoris & auguſti nomen ſortitus.* Jungenda hiſce, quæ AUCTOR *vita S. Mathildis* habet: *Vocatus eſt,* inquit, *filius ejus* (Mathildis) *Otto in regnum Roma a præſule apoſtolica ſedis, ut gloriam imperialis corona perciperet, & Romanis præeſſet. Otto accepit coronam munere Chriſti, & totus populus ſponte ſe ſubjugavit ipſius dominatui, & ſibi ſolvebant tributa, & poſt illum ceteris ſuis poſteris. ACTA SANCTORUM t. 2. Martii die 14. BARONIUS lib. 2. de translatione imperii c. 3.* Veterum pariter & recentiorum quam plurimos citat, ex quibus conſtare perhibet, translatum in Ottonem imperium ſolius pontificis deberi gratiæ. Sed ex omnibus a cardinale citatis nihil aliud liquet, quam Ottonem imperatorem a papa unctum & proclamatum eſſe. LUITPR. *l. 6. c. 6. FRODOARDUS ad an. 962. apud PITHÆUM. LAMBERTUS SCHAFNABURG. & HERMANNUS CONTR. ad ann. 962.* Sed quis ignorat, illud & apud alias gentes a ſacerdotum primo fieri. Nemo ſanæ & ab adulationis vitio vacuæ mentis inde argumentabitur: Igitur penes ſacrum ejusmodi myſtam jus regnum conferendi aut transferendi fuit.

(d) *imperatorium nomen*) Ille autem non alterius cujusdam gentis, ſed Romanorum factus eſt imperator, quod multis veterum innititur teſtimoniis. HROSUITA ita canit:

Cui Chriſtus talem jam nunc augeſcit honorem,
Poſſidet ut Romam pollenti jure ſuperbam.

Cum quibus hæc DITMAR. *lib. 2. chron.* coincidunt:

Longobardorum ſibi ſubdit colla furentum:
Imperatorem ſibi fecit Roma potentem.

Nec video, quid ſolidi pro ſententia contraria ex eo arceſſi poſſit, quod Otto ad Romanæ eccleſiæ defenſionem vocatus ſit; advocatus enim eſt, ut Romanis imperaret. OTTO FRISING. *lib. 6. cap. 24.*

(e) *jusjurandum*) Juramentum, quod GRATIANUS *diſt. 36. c. 33.* ab Ottone pontifici præſtitum eſſe narrat, ſi quid

omnibus civitatis proceribus ſe nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos, accepit. Et tunc Ottonem papæ *terras eccleſiæ reſtituiſſe*, (a) patet ex ipſius Ottonis verbis a Luitpr. d. l. relatis: omnem terram S. Petri, quæ noſtræ poteſtati ſubjecta eſt, eccleſiæ promiſimus reddere. Idem: *Cives imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, fidelitatemque promittunt: hæc addentes; atque firmiter jurantes, nunquam ſe papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem domini imperatoris Ottonis, cæſaris auguſti, filiique ipſius regis Othonis.* Conf. verba epiſcoporum, quibus ſunt allocuti *Benedictum antipapam*, (b) apud Luitpr. *l. 6. c. 11. circa fin.* Etiam tertio Romanos illos cives fidelitatem juraſſe Ottoni poſt tumultum in urbe excitatum, ſcribit *Regino.* (c) *Ottonem porro anno 962.* (d) conſules Romanos Italia expuliſſe, tribunos ſuſpendio necaſſe, præfectum urbis nudatum aſino impoſuiſſe, & utre indutum ac circumductum, virgis denique cæſum, in carcerem conjeciſſe, poſt Platinam in vita Joannis XIV. etiam Baronius memorat. Conf. Caliжtum de conjug. cleric. anno 963. ubi totam illam hiſtoriam præclare contra Baronium illuſtrat. Unde nemini non liquet Ottonis in urbem imperium.

§. 7. Poſt obitum Ottonis II. & puero etiamnum Ottone III. integrum triennium *Theophanen imperatricem* (e) Romæ rempublicam gubernaſſe, liquet ex Lamberti Aſchafnaburgenſis *chronico.* Ipſe Otto III. in *tabulis Sylveſtro papæ datis*, Romam appellat *ſuam urbem regiam.* (f) Quomodo *in Creſcentium*, (g) urbis principatum ſibi arrogantem, idem ille Otto III. animadverterit, prolixe narrat Glaber Rodulphus, & ex illo Baronius ad annum 991. Creſcentium capite plexum & ſuſpenſum fuiſſe notat Guillimanus in Habſpurgicis *p. 126.* Eodem pene modo rebelles *Romanos cives* & tumultuantem rempublicam *Conradum II. cæſarem* (h) anno 1033. compeſcuiſſe & redegiſſe rurſum in ordinem, teſtantur multi.

§. 8.

quid narratio hæc ex vero habet, nihil poteſtatem ejus imminuit; ſalva ea tantum ſedis pontificiæ jura & privilegia fore promiſit.

(a) *terras eccleſiæ reſtituiſſe*) Sed nonniſi quoad dominium utile. Conf. *les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique pag.* 114. In jurisjurandi hujus formula, quæ ab auctore chronici Reicherp. Ottoni III. a Gratiano Ottoni, non addito numero, tribuitur, quod imperator in urbe nullum placitum nec ordinationem, quæ ad papam aut Romanos ſpectat, ſine ejus facere velit conſilio, continetur. Hæc verba pontificiæ ſedis aſſeclæ detorquent, quando conſilii vocabulum hic conſenſum denotare contendunt. Imperator papæ, ut viri præſumtive prudentis, qui rerum Romanarum notitiam habebat, conſilio uti voluit, inde autem juri illius in urbem ſupremo nihil decedere potuit.

(b) *Benedictum antipapam*) Ipſum inprimis coarguunt, quod non fuerit memor præſtiti Ottoni juramenti, *ſe nunquam cum ceteris Romanis papam electurum, aut ordinaturum abſque illius filiique ſui regis Ottonis conſenſu.*

(c) *Regino*) *Ad ann. 964. imperator Romæ natal. Domini celebravit, Berengarius cum ſuis in monte S. Leonis obſeſſus vincitur, & id ipſum caſtellum imperatoris ditioni ſubditur & Berengarius cum Willa in Bavariam mittitur Romani ab imperatore ſolito iterum more deficientes pluribus aliis caſtellanis, ſibi per compoſitionem extrinſecus adjunctis, eum occidere nitebantur, ſed inſidiis eorum patefactis, eodem die, quo eum extinguere moliebantur, necem ſibi paratam anticipans 3. Non. Jan. cum pauciſſimis ſuorum eos invaſit, & non modicam illorum multitudinem intra muros urbis proſtravit, die vero ſequenti Romam iterum veniens, centum obſides dederunt, & ſupra corpus ſancti Petri jurejurando fidelitatem imperatori & papæ promiſerunt.* Sed hoc juramentum non tertium, ſed ſecundum, quo Romani fidem ſuam imperatori adſtrinxerunt, dici poteſt.

(d) *Ottonem porro anno 962.*) Auctor hic confundit tempora: ea enim, quæ PLATINA *in Johanne XIV.* (XIII.) ab Ottone in refractarios cives Romanos facta narrat, non anno 962. ſed 969. accidere. CONTINVATOR REGINONIS *ad dictum annum*; qui tamen nonniſi auctores expulſionis Joannis ſuſpendio necatos tradit. HERMANNVS CONTR. *ad annum 970.* docet: *Ottonem imperatorem Romam venientem injurias domini papæ in auctoribus ſcelerum graviter vindicaſſe.* Verum, quis non videt, hunc in determinando anno impegiſſe. Continuatori enim Reginonis, qui Ottonis temporibus vixiſſe videtur, major hic habenda fides.

(e) *Theophanen imperatricem*) *Theophane imperatrix Romam perrexit, omnemque illam regionem regi ſubdidit. LAMB. SCHAFN. ad ann. 989.* Sub Theophanæ enim matris moderamine Otto III. ſeptennis adhuc puer rebus præerat. *Vita S. Berwardi* apud *LEIBN. t. 1. ſcript. Brunſvic. p. 443. in chronico part. 2. t. 2. ſcript. Ital. pag. 484.* habetur diploma, quo Thephania anno 990. monaſterio S. Vincentii eccleſiam S. Mariæ de Apinianici confirmat, ſub hoc diplomate legitur: *Anno vero regni tertii Ottonis 3.*

(f) *ſuam urbem regiam*) Nec alia deſunt documenta, quibus innoteſcit, tertium æque ac ſecundum Ottonem in rebelles forte ultra modum ſeveros fuiſſe. SIGONIVS in Ottone II. ſumma in urbem Romam terrasque eccleſiæ gaviſum eſſe poteſtate. In edicto anno 998. ad ſenatum Romanum, cunctos archiepiſcopos, epiſcopos, comites, & judices Italiæ directo bonorum eccleſiaſticorum alienationem prohibet, *quia ſtatus eccleſiarum Dei annulatus, noſtraque imperialis majeſtas non minus patitur detrimentum, dum ſubditi nobis debita non poſſunt exhibere obſequia. LABB. collect. concil. t. 9. p. 774. BACHINI appendix ad AGNELLI librum pontificialem tom. 2. ſcript. Italicorum p. 207.* Romani, qui auctore Creſcentio in imperatorem inſurgebant, tam a PETRO DAMIANI *in vita S. Romualdi c. 30.* quam a LAMB. de TVIZ *in vita S. Eriberti* apud BOLANDVM *in act. SS. T. II. Mart. p. 465.* rebelles vocantur. Conf. etiam *LEO OSTIENSIS in chron. Caſſin. lib. 2. c. 28. HERM. CONTRACTVS ad annum 997. DITMAR. lib. 4.* apud *MADERVM p. 55. SIGEBERTVS ad ann. 1002. PAGI ad annum 996. Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 123. ſeqq.*

(g) *in Creſcentium*) Hic Romanorum civis præpotens Ottoni graviſſime obnitebatur, diciturque cum Joanne, quem dejecto Gregorio in ſedem pontificiam ſubmoverat, ut imperium ad Græcos rediret, agitaſſe, ſed uterque perverſorum conſiliorum condignas luit pœnas. Etenim Joannes, qui antea Philagathus vocabatur, orbatus membris maxime neceſſariis, oculis, lingua, naſo, in carcerem conjectus, deinde aſinæ dorſo retroverſus impoſitus, caudam manu tenens per totam ductus eſt urbem. Quod autem ad Creſcentium attinet, ille Ottonis fidei, a Thammo, jubente cæſare, ipſi jurejurando firmatæ ſe permittens, quaſi reus majeſtatis capitalem ſubiit ſententiam. GLABER. RODOLPHVS *lib. 1. c. 4.* PETR. DAMIANI *in vita S. Romualdi §. 37. CHRON. CASSIN. lib. 2. c. 18. ARNVLPHVS geſt. Mediol. lib. 1. c. 10. Acta S. Nili* apud *BARONIVM t. 10. annal. ad an. 925.* Sunt, quæ factum hoc Ottonis, ſcilicet, quod fidem, Creſcentio datam, eum ſalvum fore, fefellerit, excuſare poſſunt. Sed vide GROTIVM *de J. B. & P. lib. 3. c. 19. §. 2. 3. & 7.*

(h) *Conradum II. cæſarem*) Romani Benedictum IX. expulerant, quem ſedi reſtituit pontificiæ, & obtinentes re-

§. 8. Aliorum cæſarum, usque ad Hildebrandi papæ tempora, per urbem, vim & auctoritatem demonſtrare *ſuperſedeo*; (a) ne videar velle probare, quæ ſunt extra controverſiam. Nec tamen ego aſſeveraverim *abſolutum urbis imperium* (b) Ottoni datum, *ſed ſummam juriſdictionem:* (c) quod ad imperii vim ſatis eſt. Non vero eſt, quur quis objiciat illa verba, quæ habentur in juramento Ottonis, quod Romam invitanti ſe Joanni papæ dicitur transmiſiſſe, habeturque apud Gratianum *diſtinct. 63. cap. 33. Et in Romana urbe nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te aut ad Romanos pertinent, ſine tuo conſilio.* Illa enim cum Ottone pacta ſunt nondum imperatore: poſtquam vero imperatorem illum creare placuit papæ, alia ipſi poteſtas obtigit. Ideoque non dubitavit Otto jam cæſar, *ſynodum indicere Romæ*, (d) haud profecto papæ conſenſu ante implorato: neque papa Ottonem perjurii tamen accuſavit; quod utique haud neglexiſſet.

§. 9. Multo minus vero opponi debet donatio Ottonis magni, cujus tabulas ex Vaticana bibliotheca depromſit *Baronius* (e) ad annum 962. ubi Otto inter alia fatetur: *Prædeceſſores papæ Joannis in ſua poteſtate atque ditione tenuiſſe & diſpoſuiſſe civitatem Romanam cum ducatu ſuo &c.* idque ipſum confirmat. Quis enim illis tabulis tuto credat, quas nunc demum prodit Baronius, nemini alii antehac memoratas? Certe Baronius neminem laudat, qui harum tabularum vel obiter meminerit. Videtur, fateor, ſimiles vidiſſe Raphaël Volaterranus. Vere autem hæ ab illis diverſæ ſunt. Longe certe hæ ſunt liberaliores illis Raphaëli viſis. Ut etiam ſic fictio pelluceat. Neque vero quem temere latet, quam felices ſint Romani in hujusmodi tabulis donationum fingendis: notæ fabulæ ſunt de donatione Conſtantini; quarum nunc ut pudeat curiam papalem ipſam cruda tandem veritas expreſſit, vid. M.A. de dominis *lib. 6. c. 8. n. 61.* & Car. Molinæ ad decretum *p. 18.*

§. 10. Non urgebo nunc, quam multa in his Baronianis tabulis falſo memorentur a Pipino & Carolo donata: non urgebo ſubſcripta tabulis nomina eorum Germaniæ epiſcoporum, quos illi Italicæ expeditioni non interfuiſſe, colligere eſt ex nominibus epiſcoporum, qui Romanæ ſynodo paulo poſt interfuerunt, recenſitis a Luitprando *l. 6. c. 7.* ne id quidem urgebo, quod anno demum 967. Reginone teſte, Otto papæ *urbem & terram Ravennatium aliaque complura multis retro temporibus pontificibus ablata reddiderit.* Illud unum ſatis puto infringendis hiſce tabulis, quod nemo poſteriorum pontificum tabulis illis Ottonianis pro teſtimonio ſit uſus, cum tamen plurima loca, in iis tabulis memorata, ſemper fuerint *in manu cæſarum.* (f)

§. 11. Ut vero fidem illis tabulis haud negaveris, etiam illæ tamen ita profitentur donata multa papæ Romano, ut ſupremum jus manſerit imperatori. *Salva*, inquiunt, *in omnibus poteſtate noſtra & poſterorum noſtrorum.* Sub finem earum legitur: *Miſſi domini apoſtolici, ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis vel filio noſtro renunciare debeant, qualiter ſinguli duces ac judices populo*

repreſſit. GLABER RODVLPHVS *lib. 4. c. 8. & 9.* Sic & alia, quæ imperio ejus ſuberant, non neglexit, quod ſequentia WIPPONIS docent: *Imperator ad terminos imperii ſui perveniens, Beneventanum & Capuam aliasque civitates Apuliæ lege & juſtitia ſtabilivit.*

(a) *ſuperſedeo*) Nec poſt Hildebrandi tempora, jus ſuum in urbem Romam, & quæ fructuario jure papalis facta ſunt ditionis, omiſerunt. *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique, chap. 9.*

(b) *abſolutum urbis imperium*) Illo tempore populi plenum non potuerant pati jugum, ſed regnantium poteſtas pactis erat temperata, ne in abſolutum ſerperet imperium, quod ſæpe tyrannidem vocabant.

(c) *ſed ſummam juriſdictionem*) Summa jurisdictio hic idem eſt, quam ſuprema poteſtas civilis. *GROTIVS de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 1.* Diſtinguenda enim omnino eſt ſummitas imperii ab habendi plenitudine, GROTIVS *l. c. §. 14.* Ei, quod de Ottonis jurisdictione in urbem Romam dictum, obſtare videtur, quod Conſtantinum Porphyrogenitum auctorem habet, Romam propriam adminiſtrationem ac jurisdictionem habuiſſe; ſed recte reſpondetur, Porphyrogenitum de eo tempore, quo imperium occidentale a pluribus annis vacabat, locutum eſſe. PAGI *ad ann. 875.* Deinde dici poteſt, jurisdictionem Romanorum inferiorem quam propriam habebant, Germanici imperatoris ſummum in urbem imperium non excluſiſſe.

(d) *ſynodum indicere Romæ*) Synodum, in qua Johannes damnatus eſt, Romæ anno 963. convocavit, eique præſedit. *REGINONIS CONTIN. ad ann. 963. LVITPRANDVS l. 6. c. 6. ſeqq.* Jus convocandi concilia principibus egregie EDMVNDVS RICHERIVS in hiſtoria conciliorum vindicavit.

(e) *Baronius*) Ex eo tabulas has PALATIVS *in Job. XII. GOLDASTVS t. 2. conſtit. imper. pag. 44.* qui *BINIVM tom. 3. part. 2. p.* 1062. citat, referunt. Multa ſunt, quæ tabulas haſce ſuppoſititias eſſe oſtendunt, quorum quædam GOLDASTVS *tom. 2. conſtitut. p. 393. affert.* Leviora ſunt, quæ de non adhibita conſueta formula: *In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis*, nec non quod ſe *Dei gratia imperatorem auguſtum, non divina favente clementia*, vocaverit, a nonnullis monentur. Ejusdem teſſoris eſt, quod non Otto, ſed ego Otto, ſcriptum. Quis enim diplomata, quæ multis aliis vitiis laborant, ob has minutias falſa dicere vellet? Talia enim a ſcribentium pendent voluntate, aut ſæpe incuria. Locus, cum omnibus Romæ pactum eſſe initum conſtaret, ut ſuperfluus poteſt eſſe neglectus; nec infrequens in diplomatibus, quæ a pluribus ut teſtibus ſunt ſubſcripta, cancellariorum nomina omitti. Majoris momenti autem dubia ſunt, quod in conventibus Romanis inter cæſareos & papales miniſtros ſuper Commaclo inſtitutis, originale non potuerit exhiberi, quanquam ABBAS ZACAGNIVS *in differt. hiſtorica n. 20.* aſſerat, illud in Hadriani mole aſſervari; nec non quod in calce diplomatis annus 962. imperii ejus 27. appelletur, qui tamen primus eſt. Nec commode dici poteſt, quod hic ſub annis imperii ejus anni regni germanici intelligantur. Nam hi ab illis in aliis genuinis diplomatibus ſolicite a ſe invicem diſtinguuntur. Deinde in menſem Febr. anni 962. non annus 27. ſed 26. regni ejus incidebat. *Les droits l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique, p. 108.*

(f) *in manu cæſarum*) In charta memorata traditur, quod donorum ab imperatore pontifici factorum numero fuerit ducatus *Spoletinus* ſeu *Beneventanus*, *Calabria & Mantua*, cum tamen Otto ducatum Beneventanum, Calabriam & Apuliam, devictis eorum ducibus, ſibi vindicaverit. DITMAR. *lib. 2. chron.* SIGEBERTVS *ad annum 968.* Et Mantua donata dicitur Walterio Gonzaco, marchioni Mantuæ & imperiali vicario. Diploma *hiſtoriæ ſuæ Gonzag. lib. 1.* & *ANTON. POSSEVINVS* inſeruit.

pulo juſtitiam faciant. Hanc imperialem conſtitutionem quomodo obſervent, qui miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum ſeu judicum fuerint inventi, ad notitiam domini apoſtolici referant, & ipſe unum e duobus eligat, aut ſtatim per eosdem miſſos faciat ipſe neceſſitates emendari, aut miſſo noſtro nobis renunciante, per noſtros miſſos cuncta emendentur. . Hæc ibi. Unde patet, etiamſi his tabulis ſit fidendum, ſupremam abſolutamque jurisdictionem non fuiſſe papæ tranſcriptam. Sed non eſt, uti hiſce commentis quicquam fidei habeamus.

§. 12. Verum fortaſſe quis opponet eas, quæ ſub *Henrici II.* (a) nomine circumferuntur tabulæ, quibus itidem regia omnis poteſtas in urbem & Petri, quod vocant, patrimonium papis tranſcribitur. Venditat illas ſane Baronius pro genuinis ad annum 1014. Verum cum impoſturam etiam hanc ſatis bene detexerit Melchior Goldaſtus *in rationali ſuo* (b) ac replicatione *pro imperio contra Greterum cap. 33.* non eſt, cur illæ tabulæ nos turbent: quanquam eas non rejicit M. A. de dominis *lib. 6. cap. 8. n. 62.* conf. Chamier. *lib. 16.* de antichriſto, *c. 20.* Ut vero & admiſeris illas; quum tamen etiam in his totidem verbis habeantur illa, quæ modo ex Ottonianis adduximus, ſic quoque integram manſiſſe cæſaream auctoritatem conſtat.

§. 13. Hoc loco annotandum eſt, etiam Ottonis III. ætate Romanas papas in urbem & Italiæ multa loca abſolutam quandam poteſtatem cœpiſſe ſibi arrogare, prætendentes donationem Conſtantini magni & Caroli calvi. Otto enim III. imp. Romæ deliberans de juribus regni & eccleſiæ ad antiquum ſtatum reducendis vix evaſit conſpirationis periculum, memorante Sigeberto ad annum 1002. conf. Ditmar. chron. *lib. 4. p. 85. edit. Mader.*

§. 14. Et vero a Carolo illo Calvo multum imminutam eſſe regiam in urbem auctoritatem, ex *appendice Eutropiana* ſupra narravimus: omne tamen urbis dominium ne illum quidem papis legas conceſſiſſe. Neque alius quis in illa Caroli conſenſit. Imo a Carolomanno Germanico Carolus ille, ut qui præter fas cæſaream ſibi dignitatem ſumpſiſſet, Italia fugatus eſt. Conſtantini vero donatio tota eſt improbiſſimi nebulonis cujusdam commentum. Quo de dubitare poſt Baronii confeſſionem forſan nec audebit impoſterum quis Hildebrandinorum. Utrumque vero Otto ipſe III. cæſar, & Conſtantini ſcilicet & Caroli donum, exploſit admonitus, quantum apparet, a Sylveſtro II. papa, quo nemo curiæ papalis fraudes ſcelera & inſoleſcentem arrogantiam majore aut candore, aut animo eſt inſectatus; cumque tum Romani papæ patrimonium ſuum pene omne dilapidaſſent, donavit quidem ille denuo Romanæ eccleſiæ octo comitatus: *Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Faſſubium, Callium, Heſium, & Auſimum*, (comitatus autem arguit jurisdictionem ſecularem, vid. Goldaſt. in replic. p. 22.) Romanæ tamen ipſius urbis imperium non donavit, quin videtur revocaſſe illa a Carolo calvo conceſſa.

§. 15.

(a) *Henrici II.*) Henricianæ donationis originale hactenus in lucem nondum eſt productum, & forte ut ſubleſtæ fidei ſignum aliquod æſtimandum, quod tranſſcriptum hic æque ac inſititio Ottonis diplomate, a quo & in ipſis materialibus, quæ vocant, non multum differt aureis conſcriptum literis, nec non veſtigia adſunt, ac ſi bulla munitum fuerit aurea. Etenim impoſtor cogitavit, his originalium conſuetis indiciis ſe eo accuratius fallere poſſe. Summa Henricum in urbem Romam uſum eſſe poteſtate, ex DITMARI verſibus, qui *lib. 6. chronic.* exſtant, adparet:

Iſta dies pulchro ſignatur clara lapillo,
Qua regno noſtro ſe ſubdit Roma benigno.

Atque ita, quidquid etiam de Henrici diplomate ſtatuendum ſit, certum eſt, imperatoris ſummo illi in urbem Romam terrasque eccleſiæ nihil inde deceſſiſſe juri. Dicitur enim tabulis iſtis; *ſalva ſuper eosdem ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione, ſalva in omnibus poteſtate noſtra poſterorumque noſtrorum. GOLDAST. t. 1. C. J. p. 225.* Quidam arbitrantur, diploma hoc effictum eſſe, exinde apparere, quod loco formulæ Henrico conſuetæ: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*, diplomatis hoc ſit exordium: *In nomine Dei omnipotentis patris, filii, & ſpiritus ſancti.* Porro monent, quod ibi inveniatur: *Ego Henricus*, non *Henricus* absque adjecto *ego*. Non *Romanorum imperator* auguſtus, ſed imperator auguſtus. Denique teſtes, qui diplomati ſubſcripſerunt, non juxta leges dignitatis, qua pollebant, diſpoſitos eſſe. Sed hiſce rationibus obſtare videtur, quod Henricus in diplomatibus ſuis non ſemper eadem uſus fuerit formula. Exſtat aliquod ejus diploma in UGHELLO *tom. 5.* cujus primordium hæc conſtituunt verba: *In nomine Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti;* atque in donationum tabulis illo tempore formulam, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* in uſu fuiſſe ex Dodiconis Warbergienſis comitis charta, qua comitatum ſuum eccleſiæ Paderbornenſi donat, conſtat, *SCAT. annal. Paderborn. tom. I. p. 440.* Imo & ipſius Henrici habemus tabulas, ubi illa adhibetur. VGHELLI *Italia ſacra tom. 4. p. 493.* Præpoſitum pronomen, quod ſcribenti aut deſcribenti debetur, non tantarum eſt virium, ut falſitatis notam exhibere queat. Quidni & aliquando ſubintellecto Romanorum vocabulo ſe imperatorem auguſtum vocare potuiſſet, cum omnibus ipſum Romæ imperare ſatis notum erat. Nonnunquam in hujus Henrici diplomatibus auguſti voci particula ſemper præmittitur. VGHELL. *tom. 4. p. 733. tom. 8. p. 76.* quæ in plerisque aliis omittitur. Porro apud *SCAT. lib. 5. annal. Paderborn. p. 442. 444.* duo reperiuntur diplomata, ſub quorum uno ſignum Henrici victorioſiſſimi imperatoris auguſti, ſub alio Romanorum invictiſſimi ſemper auguſti. In Ottonis I. & II. tabulis ſæpiſſime vocabulum Romanorum omittitur. *ANSELMVS in hiſtor. Leodien. epiſcop. p. 209. VGHELL. & SCATEN.* paſſim. Ex quo magis pateſcit, hoc illo ævo indifferens fuiſſe. Sub diplomate nec annus, nec dies comparent; contendunt tamen ipſius propugnatores, in ipſo coronationis Henrici, quæ anno 1014. facta eſt, die aut non multum poſt datum eſſe. Verum enim vero & poſtea de locis in tabulis papæ donatis pro arbitrio diſponit, atque quædam eorum a græcis recuperata ſuo ſubdidit imperio. GLABER RODVLPHVS *lib. 3. c. 1. LEO OSTIENSIS in chronic. Caſſin. ad ann. 1022. l. 11. cap. 39. 41. tom. 4. ſcript. Ital. p. 364. HERM. CONTRACTVS ad an. 1022. HEPIDARIVS ad an. 1028.* apud GOLDAST. *tom. 1. rerum alemannicarum. BVRCARDVS de caſibus monaſt. S. Galli cap. 4.* Nullus tamen horum auctorum Benedicti VIII. conſenſum ab imperatore, cum de iſtis ſtatueret locis, adhibitum eſſe, memoriæ prodit. Denique ſupremam Henricum in exarchatu exercuiſſe poteſtatem, ex eo adparet, quod archiepiſcopum Harnaldum de terris & juribus eccleſiæ Ravennatenſis inveſtiverit & miſſos ſuos, Ravennæ lites & altercationes decidi, juſſerit. *ROSSI hiſt. Ravennat. lib. 5. p. 275.*

(b) *in rationali ſuo*) *p. 39.*

§. 15. Tabulas illas cæſareas *ipſemet Baronius* (a) edidit tomo XII. annal. ad annum 1191. & inſigni commentario illuſtravit Marquardus Freherus ad *lib. 1. c. 11.* P. de Andlo; ubi notat legi hoc privilegium græce in Nomo-Canone Photii; meminiſſe ejusdem & Hincmar. Remenſem &c. Haud neſcio *in dubium vocari* (b) a Baronio fidem illarum tabularum; ſaltim id tamen eſt certum, fatente Baronio, inventas illas tempore *Benedicti XII.* (c) *in ipſo theſauro eccleſiæ Romanæ*, & authenticum, quod vocant, exemplar in lucem vindicandum juſſiſſe ipſum illum papam. Vid. Bodin. de republ. *lib. 1. c. 9. p. 221* edit. Francof. de anno 1609. Ipſemet quoque Baronius, harum tantum tabularum teſtimonio ſuffultus, auctorem ementitæ donationis Conſtantinianæ facit Joannem Diaconum: Et ipſe tomo XII. in anno 1191. diſtinguit inter Conſtantini beneficentiam erga Romanam eccleſiam & illud donationis edictum. Neque Baronius quidquam aliud, quod videri alicujus ponderis queat, objicit, quam quod hæ tabulæ diſſentiant ab illis Ottonis I. ac Henrici II. quodque haud ſatis appareat, qualis ſit illa Caroli donatio, *quem melior Carolus fugaverit.* Melior Carolus M. A. de dominis creditur eſſe Ludovici balbi filius, ſed fallitur. Notandum, Carolum M. & Pipinum multa quidem dediſſe papis; attamen non ipſam jurisdictionem. Primus jurisdictionem in urbem Romam papis videtur dediſſe Carolus calvus una cum proventibus regiis: Et hoc ipſum reſpicitur tabulis Ottonis III. Verum illas Ottonis I. & Henrici II. jam ante rejecimus: & illa altera Caroli donatio qualis ſit, ex Eutropiana appendice docuimus. Certe ſi his tabulis Ottonis III. nulla debetur fides, fruſtra laboramus de aliarum certitudine. Provocamus nos ad inſtrumentum, quod vocant, juſſu Benedicti papæ ſuper illis confectum. Sed de iis, quæ ad cæſarum urbis imperium ſpectant, plus ſatis fortaſſis eſt dictum.

§. 16. Si ſuprema vero urbis jurisdictio translata eſt denuo in cæſares, multo magis ſubjecta illis ſunt, quæ ad patrimonium eccleſiæ pertinent alia. Imo, ſi credimus illis tabulis, quas Leonis IIX. nomine Crantzius *hiſtor. Saxon. l. 4. cap. X.* & in metrop. *lib. 3. c. 33.* & alii, inter quos eſt & *Theodoricus de Niem*, (d) recitant, omnia in terris patrimonii illius regalia olim bona, quæ Pipini atque Caroli dono papis ceſſerant, Leonis nomine cæſaribus ſunt reddita. Verum fateor, & illas tabulas apud me *ſuſpecta eſſe fidei*, (e) nec videri male contra eas depugnare Baronium anno 964. Conf. Freher. comm. ad Otton. III. donat. p. 208. Ex Ottonis vero III. tabulis, quas ante laudavimus, conſtat, pleraque eorum, quæ antehac ad Petri patrimonium illud pertinuerunt, ea ætate in aliorum poſſeſſionem jam deveniſſe, a pontificibus dilapidata, & denuo Romanæ illi eccleſiæ octo, quos ante etiam recitavimus, comitatus ab Ottone illo donatos eſſe. Vid. M. A. de dominis *l. 6. c. 4. n. 76. 79.* Unde patet, tunc temporis profecto nequaquam patrimonii Petrini abſolutum dominium tenuiſſe papam. De octo autem illis comitatibus ita diſerte cæſar: *Octo igitur comitatus S. Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & S. Petri cum ſua & noſtra ſalute habeat, & teneat, & ad incrementa ſui apoſtolatus noſtrique imperii ordinet.* Noluit vero ab imperio ſuo alienari, quod donavit in ejus incrementum.

§. 17. Porro quum ſatis abundeque conſtet, etiam veteris patrimonii papalis, quædam imperii antiqui Romani reliquias, alia portiones fuiſſe regni Longobardici; cum imperatorio titulo procul dubio, ſi accurate loquendum eſt, ſaltem in illa cæſareum titulum Otto impetravit, reli-

(a) *ipſemet Baronius*) Refert quoque eas GOLDASTVS *tom. 2. C. J. p. 226. SCHILT. t. 2. inſt. J. p. tit. 12. LVNIG. ſpicileg. eccleſ. t. 1. p. 140.*

(b) *in dubium vocari*) Eum ſecutus *PAGIVS in critica Baron. ad annum 999.* Baronius, quæ de titulo ceteris ejusdem imperatoris diplomatibus apponi inſolito, & formulis ab iis, quæ in aliis ejus occurrunt chartis, diſcrepantibus non immerito inter leviores contra hoc diploma conjecturas ponit. Nec adeo quid iniqui habet, aut ſubleſtam fidem redolentis formula: *Otto, ſervus apoſtolorum, & ſecundum voluntatem Dei ſalvatoris Romanorum imperator auguſtus.* Quamvis non diffiteor, hanc formulam in diplomatibus non ita frequentem eſſe; nihilominus non una vice in opere Ughelliano inter tertii Ottonis diplomata reperiuntur, ubi Servus apoſtolorum, ſervus populorum dicitur, *tom. 2. p. 347. 357. 359. 599. 644. tom. 3. p. 44. t. 5. p. 327.* In privilegio monaſterio S. ſalvatori Paviæ dicato vocatur ſervus Jeſu Chriſti, *BVLLAI mont. Caſſ. t. 11. pag. 644.* Confer quoque *PVCINELLI nella chron. della badia Florent. p. 208. 241. Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 171.* Nec minus notatu dignum diploma, quo ſe S. Bernardo, ſuo quondam præceptori, liberalem præbet, ubi ſe vocat: *Romanum, Saxonicum & Italicum apoſtolorum ſervum, dono Dei Romani orbis imperatorem auguſtum. SCAT. annal. Paderb. lib. 4. p. 357. MEIB. introduct. ad hiſtor. Saxon. infer. p. 21.* Nec ſereniſſimi titulus, Sylveſtro impertitus, apud nos offenſionem habere debet: in illo enim ſeculo titulorum ſolemnitates nondum ita, uti noſtro ævo, regulis erant adſtrictæ, & ſereniſſimi vocabulum perſonis maxime in luce viventibus, a quarum claſſe papa excludi non poteſt, inditum eſt. Neque formula, *manu noſtra diu Deo adjutore victura præceptum confirmavimus*, diplomatis veritatem deſtruere videtur. Tales enim formulæ non tam principum juſſui, quam notariorum ingenio ſunt adſcribendæ. Neque Baronii objectio ponderis aliquid mihi habere videtur, verba illa; *Ipſum Carolum nihil jure dare potuiſſe, utpote jam a Carolo meliore fugatum* Nam ex rebus a Carolo calvo & Carolomanno geſtis ſatis ſuperque adparet, de iis hic eſſe ſermonem. Majus omnino contra authentiam Ottoniani diplomatis largior eſſe dubium, quod anno, die, indictione Cancellario aut teſtibus & loco, ubi actum, deſtituatur. Ceterum Ottonem III. etiam in illas terras, quæ exarchatum quondam conſtituebant, ſummum habuiſſe imperium, ea, quæ MVRATORIVS in juribus imperii in terras *eccleſiæ pag. 169.* adducit, evincunt.

(c) *Benedicti XII.*) Anno 1339. *Oſſervazioni ſopra una lettera pag. 32.*

(d) *Theodoricus de Niem*) *De privil. leg. & jur. imperii pag. 5. apud Schard. de imperiali jurisdict.*

(e) *ſuſpecta eſſe fidei*) Stringens admodum eſt argumentum, quod Baronius urget, donationem Leonis maxime ſuſpectam eſſe, quod longe alia epiſcoporum nomina bullæ ſint ſubjecta, quam quæ anno præcedente, in concilio Romano præſentes fuerunt. Neque enim credibile eſſe, tot uno anno ex compoſito quaſi & compromiſſo diem ſuum obiiſſe præſules; imo Joannes, cujus alias ſub bulla occupat locum, eo tempore adhuc ſuperſtes & epiſcopus Narnienſis fuit. Nec ſcio, quid perſpicaciſſimum Pagium, ut has tabulas pro genuinis habuerit, commoverit.

liquorum ſumma jurisdictione ad regnum Longobardicum pertinente. Quod diſcrimen non latuit omnino & eos, qui Ottonis I. ac Henrici II. nominibus tabulas iſtas confinxerunt. Sed non eſt, quur hæc latius perſequamur.

§. 18. Porro & in papam, ſive electionem ejus, ſive mores ac vitam ſpectes, jus Ottoni cum cæſareo titulo datum, multa profecto liquide docent. Notum eſt, quid Otto ſtatuerit in Joannem XII. Certe ſui officii judicavit cæſar multorum ſcelerum accuſatum paterne primum *admonere.* (a) Et papa credidit non minus ſe decere emendationem vitæ polliceri apud cæſarem. Inde cæſar, *indicto epiſcoporum*, (b) Cleri & optimatium populi Romani conventu, & inquiſivit in ea, quæ papæ objiciebantur, & papam ad dicendam cauſſam citavit in judicium: rogatus mox ab omni cœtu expulit papam & alium fecit eligi, ipſe Leonis electioni annuit. Omnia hæc usque adeo patent ex Luitprando, ut nec Baronius auſus ſit, hiſtoriæ fidem vocare in dubium, utut ægre ferat proceſſum illum Hildebrandi ſpiritu adflatus. Ceterum ea quidem tempeſtate & ante Hildebrandum nemo Ottonem injuriæ poſtulavit ſuper hoc Joannis papæ negotio. Quod indicium certiſſimum eſt, ipſos quoque papas tum credidiſſe, ratione morum ſeſe ſubditos cæſaribus. Vide de hoc Ottonis facto verba Aurelianenſis epiſcopi in ſynodo Remenſi *pag.* 60. item chronicon Frodoardi apud Pithœum *p. 107.* edit. Francof. multos hoc Ottonis factum laudantes ſcriptores teſtes laudat Herwartus in Ludov. Bavaro *ann. 1328. n. 55.*

§. 19. Conſtitutionem vero paparum, quod attinet, nolo ego multis antiquorum ſcriptorum teſtimoniis nunc oſtendere, & Ottonis magni & omnium ejus ſucceſſorum, usque ad Hildebrandi tempora *ſummam fuiſſe cæſarum auctoritatem.* (c) Vide quid de conſtituendis papis non niſi de cæſaris conſenſu Romanus populus Ottoni promiſerit, ſupra *h. c. §. 6.* De jure cæſarum in electione pontificum conferantur dicta Gratiani *Diſt. 63. c. 21. 22. 23. 29. 30. 31. 32.*

§. 20. Satis autem me feciſſe exſpectationi & inſtituto exiſtimo, ſi omnem hanc rem verbis Onuphrii Panvinii, quo nemo omnia hæc habuit magis explorata, & tamen in partes paparum pronior eſt multo quam cæſarum, enarravero. Exſtat ejus *vita Gregorii VII. papæ* a Jacobo Gretſero tomo altero defenſionis Bellarmini inſerta pars quarti operis, *de varia pontificum electione*: ubi de paparum ſubjectione erga ejus temporis Germanicos cæſares ita diſſerit: *Huic* (Hildebrando papæ) *cum omnes latinæ eccleſiæ, tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera ſit, & ab imperatorum manu eruta, &c. cum antea tanquam vilis ancilla non ab imperatoribus modo, ſed a quovis principe Romani imperatoris præſidiis fulto, premeretur. Ab hoc maxime illius, & omni ſeculo tremendæ venerandæque Romani pontificis, & infinitæ pæne poteſtatis jus manavit. Nam etſi ante Romani pontifices, tanquam religionis chriſtianæ capita, Chriſtique vicarii & Petri ſucceſſores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus, vel aſſerendis, vel tuendis. Ceterum IMPERATORIBVS SVBERANT; ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur: de eis judicare, vel quidquam decernere non audebat papa Romanus.* Hæc Onuphrius in genere de cæſarum illius ævi in papas auctoritate. Conf. M. A. de dominis *lib. 6. c. 7. n. 119.*

§. 21. Conſtitutio pontificum quomodo ad Hildebrandi usque tempus fuerit juris cæſarei multo prolixius narrat. Id. M. A. de domin. *lib. 4. cap. XI. n. 41-44.* Operæ tamen pretium fuerit, ſi & omnem illam narrationem hoc loco recitemus: „Privilegium Hadriani primi, imperatori ab Hadriano III. ereptum, Leo papa VIII. Othoni primo imperatori de Romana eccleſia optime „merito, cum eam ex tyrannorum Berengarii & Adalberti manibus erutam, in libertatem, quam amiſerat, vendicaſſet, anno Domini 962. in ſynodo Laterani congregata, exemplo ejusdem Hadriani primi, qui illud regi Carolo conceſſerat, reſtituit, renovavit, & de novo confirmavit, ut patet ex eadem diſt. apud Gratianum. Porro autem contra hoc Leonis VIII. decretum nullus deinceps Romanorum pontificum reclamavit, vel aperte contradixit, usque ad Gregorium VII. „Hic primus fuit, qui imperatorum ſimonia offenſus, in contrarium editis decretis, hæc duo, Hadriani I. & Leonis VIII. privilegia omnino abrogavit & induxit. Satis autem conſtat, Joannem „XIII. qui Leoni VIII. immediate ſucceſſit, Gregorium V. & Sylveſtrum II. apoſtolicæ ſedi ſola „imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullius cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitis. „Ceteri vero Romani pontifices, qui inter Joannem XIII. & Sylveſtrum II. fuerunt, etſi, eos electos fuiſſe ab imperatoribus, non legatur, ſed a clero, ſenatu populoque Romano, id accidit, quod „electionis tempore imperatores urbe abſentes, adeo maximis in germania, & alibi bellis implicíti eſſent, ut de novo pontifice Romanæ ſedi providere non poſſent. Illud tamen conſtat, dum „imperatores, tres Ottones loquor, in urbe, vel prope, aut certe in Italia fuerunt, & Romanam „forte eccleſiam paſtore vacare tum contigiſſet, eos novum ſummum pontificem dediſſe. Si vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul eſſe contigiſſet, certum eſt, tum Romanos pontifices a clero, ſenatu, populoque Romano electos, non absque imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe. Fuerunt autem Benedicti, duo, VI. & VII. Bonifacius VII. apoſtolicæ ſedis invaſor, „qui etiam exactus fuit, & Joannes XIV. XV. XVI. quorum noviſſimus, ut quidam ſcribunt, quod „ſine Othonis imp. III. conſenſu electus & conſecratus eſſet, urbe fugatus, ſacerdotio mulctatus „eſt,

(a) *admonere*) *Theodor. de Niem. l. c. p. 267.*

(b) *indicto epiſcoporum*) *PLATINA & Augerius de Biterris in Johanne XII. PALATIVS in Johanne XII. vol. 2. pag. 126. ſeqq. LVNIGII ſpicilegium eccleſiaſtic. tom. I. p. 138.*

(c) *ſummam fuiſſe cæſarum auctoritatem*) Nos argumentum hoc, in commentariis noſtris de regno Italiæ, plenius pertractamus.

„eſt, Gregorio V. ſubrogato. Huic igitur privilegio a Leone IIX. usque ad Gregorium VII. a „nemine unquam papa reclamatum eſt: quanquam non omnino fuerit negligentia imperato„rum obſervatum. Verum Othone III. imp. ſub Sylveſtro II. circa annum Domini M. mortuo, „qui ei ſucceſſit Henricus II. vir ſanctiſſimus, ac inter divos relatus, & poſt eum Conradus II. ejus„modi privilegium curare viſi non ſunt. Nam poſt Sylveſtrum II. qui ſub Henrici II. imperio „obiit, Romani omnes pontifices usque ad Clementem II. ſine imperatorum auctoritate renuncia„ti ſunt. An autem eorum conſenſum, antequam conſecrarentur, requiſierint, etſi mihi veriſi„mile ſit, nunquam tamen inveni. Hoc autem accidiſſe credendum, tum propter Henrici II. „eximiam ſanctitatem, qui liberam voluerit eſſe Romani pontificis electionem, cujus in ſuperio„ri libro 3. vetus etiam documentum retuli, tum etiam propter Cunradi II. occupationes, quibus, „& maximis bellis, dum vixit, detentus eſt, longe ab urbe abſens. Neque etiam unquam conti„giſſe legitur, ut unus ex his duobus imperatoribus Romæ, vel in Italia vacantis ſedis tempore „fuerit. Nam forte trium Othonum prædeceſſorum exemplo Romanum pontificem dediſſent. „Ceterum cum eorum negligentiam in imperii jure tuendo privilegium Leonis IIX. forte obſole„viſſet, octo vel novem Romanis pontificibus ſine eorum electione a clero, ſenatu, populoque „Romano creatis, occaſione maximi inter tres pontifices ſchiſmatis accepta, Cunradi II. filius Hen„ricus III. in Italiam venit, imperiique hoc privilegium magnifice vindicavit, (ut ſupra in Cle„mentis II. vita docui) & juxta privilegia Hadriani I. & Leonis VIII. formam, abrogatis tribus „pontificibus Benedicto IIX. Sylveſtro III. & Joanne XX. Gregorio quoque VI. privato, novum „pontificem Romanæ ſedi dedit Suidegerum Saxonem capellanum ſuum, epiſcopum tunc Bam„bergenſem, quem Clementem II. appellavit, cardinalesque, clerum ac ſenatum, populumque „Romanum ſacramento adegit in verba ſua jurare cogens, ſe Romanum pontificem niſi ſuo juſ„ſu creatum non ſuſcepturos. Qui, dum vixit, hoc præſtantiſſimum imperii jus mordicus reti„nuit, & Clementem II. Damaſium II. Leonem IX. & Victorem II. ſuo arbitrio Romanos pontifi„ces deſignavit.„ Hæc omnia Onuphrius. De quorum fide non eſt, quod dubitemus. Ut proinde, qualis fuerit ab Ottone usque cæſarum in ipſos papas poteſtas, neminem poſſit latere.

§. 22. G. Calixtus de ſtatu rerum in occidentali eccleſia *th. 57.* adducit verba Thomæ *Stapletoni*, (a) quibus cauſam quare aliquamdiu mali pontifices ſunt creati, refert in imperatores Germanicos liberam electionem impedientes. Inepte & improbe. Peſſimi enim omnium nebulones conſtituti ſunt nulla accedente auctoritate Germanicorum regum, tempore *Arnulphi*, *Conradi*, (b) Henrici aucupis. Meliores fuere ætate Ottonum. *Henricus II. liberam fecit electionem*; (c) qua occaſione peſſime iterum ſeſe habuit ſedes papalis: poſtquam Conradus II. ejusque filius priſtinum jus recuperarunt, melius illa ſeſe habuit.

§. 23. Supereſt, ut doceamus, quomodo illa jura cæſarea fuerint olim in germaniæ regum poſſeſſionem tranſlata. Utrum ſcilicet Romani magno Ottoni, aut aliis hæc omnia conceſſerint revocandi poteſtate ſibi ſervata, ac perſonalia, quæ vocant, voluerint eſſe illa jura, an vero Germaniæ regno & regibus perpetua. Omnibus enim hiſce modis populus aliquis alteri ſubjicere ſe poteſt. Nec enim, qui ſe ſubjicit, ſemper ita ſe ſubjicit, ut, quoties velit, poſſit ſe rurſum imperio eximere. Fieri etiam poteſt, ut quis regi ſeſe ſubjiciat, nihil tamen juris in ſeſe det regno, cui ille rex præeſt. Etiam vero in regnum ipſum conferri aliquod ejuſcemodi jus poteſt. Videtur autem haud operoſum adeo probatu, quod ipſi regno germaniæ jura cæſarea ex pacto cum Romanis inito ceſſerint, & quidem in perpetuum. Argumentum ſententiæ noſtræ eſt: quoniam ex pacto germanici regni ordinibus in perpetuum eſt conceſſum, ut, quem illi velint, is teneat ſimul jura cæſarea: fuit autem in juribus illis, quo tempore eſt pactum omne illud, quod modo in medium adduximus.

§. 24.

(a) *Stapletoni*) Judicium de hoc viro doctiſſimo, qui nimio ferebatur affectu in ſedem pontificiam, Catalogus *biblioth. VENER. abbatis FABRICII pag. 471.* præbet.

(b) *Arnulphi, Conradi*) Forte nebulonis vocabulum in pontificem Romanum, in quo & ſolum munus reverentia dignum, non ſatis recte quadrat, potuiſſent molliores adhiberi voces. Quod autem ad rem ipſam attinet, non injuria in pleroſque iſtius temporis pontifices, quales fuerunt Stephanus IV. & in Formoſi I. anteceſſoris ſui cadaver ſumma ſæviens atrocitate, Theodorus II. Chriſtophorus I. Sergius III. Johannes XI. cenſoria animadvertitur virgula. Vera eſſe, quæ auctor tradit, uno aut alio ex PLATINA corroborabimus loco. Etenim hic in Romano I. ait: *Nihil enim aliud hi pontifices cogitabant, quam & nomen & dignitatem majorum ſuorum extinguere.* Et in Sergio III. hæc habentur: *Vide, quæſo, quantum iſti degenerarint a majoribus ſuis; illi enim, utpote viri ſanctiſſimi, dignitatem ultro oblatam contemnebant orationi & doctrinæ chriſtianæ vacantes; hi vero largitione & ambitione pontificatum quærentes, & adepti, poſthabito divino cultu inimicitias, non ſecus ac ſæviſſimi quidam tyranni inter ſeſe exercebant, ſuas voluptates poſtea ſecurius expleturi, cum nullibi exſtarent, qui eorum vitia coërcerent.* Hiſce jungenda, quæ in Johanne X. reperiuntur. *Hoc idem accidiſſe putaverim ego, cum quia pontifices a Petri veſtigiis diſceſſerant, tum vel maxime, quia reſpublica chriſtiana ignavos & deſides principes habebat, quorum maxime intererat, naviculam Petri fluctibus exagitari, ne gubernator aliquando reſipiſceret, principes ipſos, ut malos nautas, e republica dejiceret.* Ex hiſce ultimis verbis liquet, & Platinam de pontificis poteſtate ſibi plus juſto perſuaſiſſe. Tandem omitti non debet, quæ in Benedicto IV. idem PLATINA profert: *Idem etiam accidiſſe pontificali dignitati dicere poſſumus, ſanctitate enim & doctrina, quæ non niſi magnis laboribus conſummataque virtute comparantur, pontificum decus ſine ullis opibus primo quidem auctum eſt inter tot hoſtes & obſtinatos perſecutores chriſtiani nominis; nunc vero ubi cum ipſis opibus laſcivire cœpit eccleſia Dei, verſit ejus cultoribus a ſeveritate ad laſciviam, peperit nobis tantam licentiam peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coërcente hæc portenta, in quibus ambitione & largitione ſanctiſſima Petri ſedes occupata potius quam poſſeſſa.*

(c) *Henricus II. liberam fecit electionem*) Hoc valde dubium eſt, nec certa veterum monumentorum conſtat fide, Henricum juri, quod imperatoribus debebatur, renunciaſſe, & ſi factum fuiſſet, renunciatio illa merito fruſtranea habenda; tale enim jus regno germaniæ, exercitium autem ejus capiti illius quæſitum erat.

§. 24. Poſſit videri tale fœdus jam initum, quo tempore Joannes XII. papa cum populo Romano Ottonem magnum cæſarem ſibi elegit. Veteri enim more erat receptum, ut, qui cæſar crearetur, is obtineret in imperium Romanum jus hæreditarium, quod ſupra de Carolo adſtruximus. Itaque ſaltem Ottonis familiæ hanc in hæreditatem ceſſiſſe cæſaream dignitatem crediderimus. Ottonis vero omnia reipublicæ fuerunt germanicæ. Certe ejus ſanguine & Italiæ regnum partum erat, & a Berengarii tyrannide Roma vindicata, & impoſterum defendenda. Quæ cauſſæ cæſaream dignitatem Ottoni pepererunt. Neque vero vel Germaniæ, vel Italiæ Longobardicæ regna in patrimonio fuerunt familiæ Ottonis, ſed Germaniæ univerſæ, quæ ſummum magiſtratum ſuum Ottoni, & *quadantenus poſteris* (a) contulerat, qua de re alias. Itaque quo tempore Ottoni hæreditario obvenit dignitas cæſarea, vere illa acceſſit patrimonio reipublicæ Germanicæ.

§. 25. Sed utrum ſtatim initio a Joanne papa & Romanis hæreditarium aliquod jus ſit collatum, fortaſſis incertum eſt, ſi videas Romanorum mores poſt Ludovicum II. maxime autem poſt Carolum craſſum, qui in cæſaribus eligendis his, illis, videntur pene pro arbitrio luſiſſe. At paulo poſt, *Leone VIII.* (b) pontifice, circa annum 964. perpetuum hujusmodi jus Germaniæ datum eſſe, adſerere certius licet, ſi attendamus capitulum 23. diſtinct. 63. quod Gratianus nobis ſervavit. Vid. Theod. de Niem in catal. teſt. veritatis relat. p. 174. Fictitium quidem illud eſſe conatur oſtendere Baronius ad annum jam commemoratum; Mirum vero, ſi ille primus figmentum obſervaverit, quum tamen ne Onuphrius quidem, vir omnis antiquitatis peritiſſimus, aliquid ſiniſtri heic ſit ſuſpicatus, ceu paullo ante audivimus. Vid. Onuphr. in annotat. ad Platinam, vita Benedicti V. & Bzoium, ap. Calixtum lib. de conjugio clericorum, p. 623.

§. 26. Multo magis mirum merito fortaſſis cui videatur, quod Leonem illum expungere albo pontificum conetur idem Baronius, quem & illa & ſequens ætas omnis non dubitavit, *pro legitimo papa* (c) venerari; cujusque hoc ipſum capitulum in Gratiani codice auctoritate Gregorii XIII. hodieque legitur; quem porro pontifices omnes pro ſuo habuerunt, non numeraturi ſcilicet Leones, nonum, decimum, undecimum, niſi hunc habuiſſent octavum; quem ipſe denique Baronius admiſit, illum, qui Henrico III. cæſare Leonis nomen geſſit, nonum appellans.

§. 27. Sed Baronium ita ſentire nemo mirabitur, qui noverit, quam totum illum infecerit ſcabies Hildebrandina, cui illius Leonis IIX. facta minus abblandiuntur. Nec vero, quæ capitulo illi objicit Baronius, magni ſunt momenti. Potiſſima ſunt, quod hoc ipſo decretum Hadriani, quod ille fictum eſſe mavult, roboretur; quodque pœnam capitis pontifex minitetur delinquentibus, præter morem papalium conſtitutionum. Sed Hadrianici illius decreti fidem ſupra adſtruximus; nec capitulum hoc ab uno eſt papa conditum, ſed ſimul a Romano populo, penes quem utique erat jus necis in eos, qui rempublicam turbabant præter fas eligendis, aut pontificibus, aut patriciis: ſed & ipſe papa uſurpabat tum in ejusmodi ſontes necis poteſtatem. Ut taceam, capitulo illo ſanciri tantum jus animadvertendi in legis hujus violatores. Nec adducam nunc gloſſatoris expoſitiones, etſi & illæ ultimæ Baronianæ objectioni convellendæ ſatis ſint. Potius recitabo ipſa capituli verba, quo liceat propius ad rem noſtram accedere. *Ad exemplum B. Hadriani apoſtolicæ ſedis antiſtitis, qui domino Carolo, victorioſiſſimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem ac ordinationem apoſtolicæ ſedis & inveſtituram epiſcoporum conceſſit: ego quoque Leo epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cum toto clero ac Romano populo conſtituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per noſtram apoſtolicam authoritatem concedimus, atque largimur domino Othoni, primo regi Teutonicorum, ejusque ſucceſſoribus hujus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis apoſtolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiſcopos ſeu epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram* ac-

(a) *quadantenus poſteris*) Videtur tum temporis electio ſucceſſione fuiſſe temperata, ita, ut non facile a ſtirpe regnatrice diſceſſum ſit, quamdiu aliquis ad moderandum reipublicæ temonem aptus in ea repertus fuerit, ita, ut multum quoque illius, cui ſuccedi debebat, deſignationi daretur. Nec audeo, cum nonnullis electionem, quæ illis temporibus locum habebat, pro ſolemni publicatione & acclamatione habere.

(b) *Leone VIII.*) In bulla hujus pontificis conſentiente ſenatu populoque Romano *in Ottonem ejusque ſucceſſores regni Italiæ in perpetuum tam facultas ſibi eligendi ſucceſſorem, quam ſummæ ſedis apoſtolicæ pontificem ſibi ordinandi, ac per ſuos archiepiſcopos ſeu epiſcopos, ut ipſi tantum ab eo inveſtituram accipiant &c. GOLDAST. tom. I. conſt. imp. p. 222. §. 3. SCHILTER. inſt. J. P. tit. XI. p. 91. BARONIVS tom. X. annal. ad ann. 964.* Me non latet, ab hoc & Muratorio aliisque de hujus conſtitutionis legitimis natalibus dubitari; verum eſſe, quibus Baronii objectiônibus ſatisfieri poteſt, auctor noſter hic oſtendit. Neque argumento purpurati hujus cæſaris; Ottoni a Johanne conſecrato, quid opus fuiſſet, a Leone concedi, ut patricius atque rex eſſet, invincibili ineſſe robur, exiſtimo. Nam Joanne dejecto a Leone & ſenatu populoque Romano confirmatum fuit, quod Joannes & popul. Rom. cum Ottone pacti erant, ut ita omnis deinde de imperatoris jure dubitandi anſa præſcinderetur. Et ob hanc rationem non ita a veritate remotum puto, quod SIGONIVS *libr. 7. de regno Italiæ tradit*, pleroſque, Ottonem a Leone iterum inſignibus auguſtalibus decoratum, auctores eſſe. Atque ita non adeo abſonum eſſe reor, quod PETRVS de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib. 8. cap. 12. §. 10. pag. 404. tom. 2.* habet, bullam hanc, quam Gratianus decreto ſuo immiſit, ad fucatas & ſimulatas non eſſe referendam chartas.

(c) *pro legitimo papa*) Merentur legi, quæ *PLATINA in Joanne XIII. (XII.)* refert. Nam Romani mortuo Joanne *in ejus locum Benedictum ſubrogant, idque ab imperatore, qui tunc Spoletti erat, confirmari contendunt. At imperator iratus, non ſolum Romanos, utpote iniqua poſtulantes, a ſe repulit; verum etiam eosdem armis* (ut poſtea dicetur) *coegit, abrogato Benedicto, Leonem ſuſcipere.* Conferatur quoque LVITPRANDVS *libr. 6. c. 11.* Conſpicitur hic papa ſub nomine Leonis VII. in catalogo pontificum Romanorum non diu poſt annum 1048. confecto apud dom. d' Eccard in corpore hiſtorico tom. II. pag. 1631. *AVGERIVS de BITERRIS in hiſtoria pontificum Romanorum Leonem octavum Benedicto V. in ordine poſtponit. ECCARD. corpor. hiſtor. l. c. pag. 1717.* quod & a Martino Polono & Platina factum.

accipiant & conſecrationem, unde debent: exceptis his, quos imperator pontificibus & archiepiſcopis conceſſit; & ut nemo deinceps cujusque dignitatis, vel religioſitatis eligendi, vel patricium, vel pontificem ſummæ ſedis apoſtolicum, aut quemcunque epiſcopum ordinandi habeat facultatem absque conſenſu ipſius imperatoris, (quod tamen fiat absque omni pecunia) & ut ipſe ſit patricius & rex. Mendoſa hæc eſſe nemo non videt, quum difficile ſit ſenſum verborum plene aſſequi.

§. 28. Ut autem nunc haud attingam ea, quæ pontificum aliorumque præſulum electionem ſpectant, ex illo mutilo & mendis infecto capitulo tamen diſcimus *primum*, a patricii Romani vel primarii magiſtratus Romanæ urbis electione impoſterum Romanos optimates abſtinere debere, niſi conſenſu impetrato imperatoris. *Dein* Ottoni ejusque in Italico regno ſucceſſoribus in perpetuum facultatem conceſſam eſſe *eligendi ſucceſſorem*. Gloſſa accipit obſcura hæc verba de eligendo *ſucceſſore in regno Italico*. At de ſucceſſione in illo regno quidquam decernere, neque papa, nec populus, aut clerus Romanus potuit: multo minus penes illos fuit conſtituere aliquid de ſucceſſione in regno Germanico; ceu conſtat ex iis, quæ capite nono jam diſputata ſunt, & infra clarius oſtendentur. Intelligenda ergo illa ita ſunt; Ottoni ejusque in Italiæ regno ſucceſſoribus facultatem & jus æternum eſſe ſucceſſorem in imperio ſibi deligendi. De ſucceſſione certe etiam imperiali interpretatur illa ipſemet Baronius ad annum 996. Jam vero ſucceſſio in regno Italico juris eſt reipublicæ Germanicæ non minus atque totum regnum, neque Germaniæ placuit hactenus alium regno illi præficere quam Germaniæ regem: nec fortaſſe placebit aliud unquam.

§. 29. Igitur vi illius conſtitutionis in æternum & Romani ipſi & alii poteſtate imperatores urbis Romæ eligendi ſunt exuti, omnisque hæc facultas in perpetuum eſt translata ad reges Germaniæ, aut potius ad *Germaniæ rempublicam*, (a) cujus caput rex eſt. Non eſt ſcil. quod nos turbet, in capitulo hoc dari illud jus *ſucceſſoribus*, h. e. regibus ipſis, non vero reipublicæ; item *ſucceſſoribus Ottonis*, non in regno Germaniæ, ſed *in regno Italiæ*. Obſervandum enim eſt, verba hæc reſpicere rationem ſucceſſionis tum uſitatam: quæ nempe ex parte quidem erat arbitrii ordinum, ex parte vero in regis ipſius hæreditate, hujus voluntate maxime prævalente. Itaque mens legis tacite hæc procul dubio eſt: illius penes quem fuerit dare regem Italiæ in poteſtate perpetuo fore dare, & imperatorem Romanæ urbi: utut hoc ipſum diſertis verbis expreſſum non ſit. Voluit nimirum parem eſſe rationem ſucceſſionis in urbis Romæ imperio, quæ obtinet in regno Italiæ, utque adeo idem ſit rex Italiæ & urbis Romæ imperator; ipſa tamen urbs non habeat jus imperatorem ſibi eligendi, ſed cogatur illum alibi electum accipere.

§. 30. Certum porro eſt, ea tempeſtate, qua ſancitum eſt hoc capitulum, Italiæ regimen fuiſſe juris Germanici. Itaque per ſucceſſores Ottonis in regno Italico, intelliguntur indubie illi, quos Germania aliquando volet Italiæ eſſe reges. Hi quippe ſoli ſunt veri Ottonis ſucceſſores in regno illo. Tacite ergo profecto tranſcribitur Germaniæ etiam ſic jus eligendi cæſarem. Italici autem regni diſerta fit mentio, quoniam ſolum illius regni regem ſibi imperatorem voluerit Roma, ſi fortaſſis placuerit Germaniæ proprium aliquem Italiæ regem dare a ſuo diverſum.

§. 31. Et vero Italiæ rex urbis Romæ imperio utilis tantum eſt, non autem aliquis Germaniæ rex Italiæ adminiſtratione deſtitutus. Quare diſerte hoc caveri debuit. Bene vero, quod nunquam hactenus Germaniæ placuerit, nec fortaſſis unquam ſit placiturum, Italiæ regnum proprio cuidam regi committere, ſed ſuum regem voluerit & Italiam regere. Hinc nemo eſt ſucceſſor Ottonis in regno Italiæ, niſi qui eſt ſucceſſor ejusdem in regno Germaniæ: adeoque ſolus Germaniæ rex eſſe imperator debet vi conſtitutionis illius Leoninæ.

§. 32. Leone itaque IIX. pontifice jam datum Germaniæ æternum jus caeſareum, conſtat. Vulgo creditur Ottone demum III. caeſare *a Gregorio V.* (b) papa eligendi caeſaris jus perpetuum Germaniae conceſſum: viſumque hoc ipſum eſt veroſimile etiam Baronio ad annum 996. Ceterum quum nullo id liceat teſtimonio probare, quod his proximis trecentis annis antiquius ſit, quid narrationi huic ſit fidendum, liquet. Sed & probavimus nos, antiquius eſſe hoc inſtitutum, & a Leonis IIX. ætate repetendum. Nihili etiam ſunt argumenta, quibus probabilem illam narrationem conatur reddere Baronius, dum omni teſtimonio idoneo deſtituitur: ceu alias oſtendetur.

(a) *Germaniæ rempublicam*) Id quod imperium vocatur, & Italiæ regnum Germaniæ eſſe quæſita, ex eo colligunt, quia Germanorum ſanguine & laboribus & quidem ſub Ottonis auſpiciis ſunt acquiſita. SCHVRZFLEISCH *de jure augusti in Italiam* §. 7. SCHWED. *parte general. introd. in jus public. c. 4.* §. 16. COCCEJVS *in J. P. cap. 6.* §. 17. Aſſertum hoc Platinæ in Joanne XIII. adjuvat teſtimonium *translato tum primum ad Germanos imperio.*

(b) *a Gregorio V.*) Conſtitutio hæc nullibi exſtat; Licet non diffiteor ad eam ab VRSPERGENSI PLATINA PETRO de ANDLO aliisque provocari. BIZARRVS quidem *in hiſtoria Genuenſi pag. 554.* eam integram & inviolatam conſervari dicit: ſed hactenus illa nondum comparuit. Nec enim verba, quæ refert, genuinæ conſtitutionis rationem habere poſſunt, præſertim cum omnis hic repugnet antiquitas. Falſitatis indicium & in eo ponunt, quod Bohemiæ regis, qui tum temporis nondum fuit, mentionem faciat. GOLDAST. *de regn. Boh. lib. 2. c. 14.* §. *293.* Itaque mihi perſuaſum habeo, vocem regis apud WITICHINDVM *ann. l. 1. p. 639.* de Bohemo adhibitam in ſenſu grammatico, pro eo, qui quacunque ratione reipublicæ præeſt, accipi. Non ignoro, per duo fere ſecula conſtantem fuiſſe opinionem, electorum collegium a Gregorio V. aut ab Ottone III. aut ab utroque eſſe conſtitutum, quam ſententiam præter alios ex recentioribus defendunt SCHARDIVS *de elect. german. princip. lib. un. in ſyntagmate de juriſd. imperii,* & GEWOLDVS *in tractat. de ſacri imperii Romani ſeptemviratu*, ubi ingentem auctorum pro ſententia, quod ab Ottone & Gregorio originem trahant, cumulum affert, quibus adde COMPILATOREM HAMERSLEB. apud LEIBN. *in ſcript. Brunſvic.* & VIT. DVR. *in ejus acceſſ. hiſtor. tom. I.*

tur. Ut vero res ita ſe habuerit, quemadmodum fuerunt, etiam ita patet tamen æternum illud Germaniæ jus cæſareum. Parum ſcilicet refert, primi an tertii Ottonis ætate ita convenerit, modo conſtet, in id conventum eſſe.

§. 33. Non tantum vero ex Leonis illo capitulo, aut ex fabulis illis vulgaribus, nobis conſtat de æterno illo Germaniæ jure, verum etiam ex uſu perpetuo ſeptingentorum pene annorum, etſi Romani papæ nonnihil infringere illud, ſuo more, ſint conati. Certe ante Hildebrandinos tumultus nemo, vel Germanorum principum, vel paparum, nec populus Romanus, dubitavit, ſoli Germaniæ regi, & quidem ſtatim atque ille eſt electus, jura integra cæſarea in Romam, in papam, in S. Petri patrimonium competere. Quod utique minime contigiſſet, niſi id fas omnes habuiſſent. Nec vero eſt, quod quem moretur, etiam illo omnique ſecuto ævo neminem temere cæſarem eſſe dictum, niſi demum poſt coronationem Romanam, & imperii regnique annos ſeorſim numeratos, imperiique initium a tempore coronationis ſemper dici ſolitum. Haud diffiteor equidem, poſſe hinc cui videri, ad cæſarea jura conſequenda approbatione papæ eſſe opus. Sed & Franciſcus Guicciardinus, vir longe doctiſſimus, in illa *hiſtoria* (a) ſuæ parte, quam ex libro IV. ab Hildebrandinis reſectam ſeorſim quæ ederetur, dignam judicavit Petrus Pithœus, docet, cum Ottone III. pepegiſſe Gregorium V. *ne quis imperatoris Auguſtive adpellatione aliove nomine quam regis Romanorum & cæſaris uteretur, ni prius imperii coronam a pontifice accipiat.* Quin & ipſe Glaber Rudolphus ætate Henrici jam III. ſcripſit *lib. 2.* id quod ſtudioſe adeo inculcat non ſemel Baronius: *Illud nihilominus nimium condecens, & perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam optimum, decretum ſcilicet, ut ne quiſquam audacter Romani imperii ſceptrum præproperus geſtare princeps appetat, ſeu imperator dici & eſſe valeat, niſi quem papa urbis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ eique commiſerit inſigne imperiale.* Hæc ſcripta ſunt fortaſſis Henrico IV. cæſare, quo tempore papæ ad rebelles Saxones ejuſmodi ſententiam quæſierunt.

§. 34. Verum enimvero mox liquidum faciemus, ante Hildebrandi certe ætatem in Germanica pariter ac Romana curia creditum, ad cæſarea jura conſequenda ſatis eſſe electionem Germaniæ ordinum; ſecuto tempore fateor conſenſum aliquem ſuum urſerunt papæ, Germania tamen nunquam non reclamavit. Quod itaque Glaber ſcribit, indubie ex errore quodam eſt profectum, ut in aliis multis reipublicæ noſtræ negotia minus eſt aſſequutus Gallus ille monachus, & anilibus fabulis credendis idoneus; ceu liquet vel ex iis, quæ mox ſubjungit de *inſignibus imperii mutatis* (b) anno ſeptingenteſimo decimo per papam Benedictum & Henrico cæſari traditus.

§. 35.

(c) *hiſtoria*) Confugiunt quoque ad MART. POLONI teſtimonium tanquam ad ſacram anchoram, ſed ille eſt ſcriptor ſeculi 13. atque ſic ei in re tot ſecula ævum illius antecedente tuto fides haberi nequit. Porro Martinus de inſtituto perpetuo electorum collegio excluſis penitus ab electione populo & reliquis proceribus non tradit, ſed per officiales imperatores electos eſſe: Summos imperii officiales præ aliis eligentibus plurimum valuiſſe auctoritate, resque ad electionem ſpectantes prætaxaſſe, ut loquitur ABBAS STADENSIS, ex annalibus liquet. Vide *WIPPONEM in vita Conradi Salici p. 426.* Quo ſpectant auctorum loca, quæ BESOLDVS *de ſacr. Rom. imperii ſeptemviratu* citat. Ceterum alios quoque ad imperatorim electionem adhibitos eſſe, hiſtoria patriæ abunde docet. Unum aut alterum ſaltem addam exemplum, reliqua ad diſſertationem de electoribus dilaturus. Fridericus I. abbati Corbienſi Wiboldo jura & privilegia ſui monaſterii confirmat, *ob inſignem ejus fidem circa dominum & patruum noſtrum* (ut eſt in diplomate) *beatæ ſcilicet recordationis anteceſſorum noſtrorum inclytum regem Conradum, nec non & circa promotionem noſtram in regnum. SCAT. annal. Paderborn. lib. 8. p. 791.* Diplomati electionis epiſcopi, abbates, dux Lotharingiæ, & comes de Kuke, ut eligentes ſubſcripſerunt. *MEIBOM. t. 3. rer. germ. pag.* 120. Tribuit huic imperatori electorum conſtitutionem diploma ejus, quod apud GOLDASTVM *tom. 3. p. 371.* legitur, & eadem, quæ Bizarius Gregorio V. adſcribit, continet: Verum & ratione hujus imperatoris ſuppoſititium quid eſſe, & ex eo eluceſcit, quod Fridericus II. a rege Bohemiæ, landgrafio Thuringiæ, aliisque quam plurimis electus ſit. VRSPERGENSIS *ad an. 1210. & Albericus trium fontium monachus ad ann. 1211.* Rectius tamen videtur electio ejus cum *ALBERTO STADENSI ad ann.* 1212. referri. Vide *PFEFF. tom. 1. J. P. p. 152.* Invenio ſub diplomatibus, illum annos electionis ſuæ in imperatorem numerare ab eo tempore, quo patri ab ordinibus promiſſum, eum aliquando in imperio ſuccedere debere. Conf. VGHELL. *t. 7. p. 214. t. 9. p. 209.*

(b) *inſignibus imperii mutatis*) GLABER ex libro c. c. 5. verba huc ſpectantia integra refert. *PALATIVS in Benedicto IIX. BARONIVS t. XI. ad ann.* 1013. Nobis ſufficiat, hæc ſaltim inde decerpere: *Anno igitur 1013. licet inſigne illud imperiale primum diverſis ſpeciebus figuratum fuiſſet; venerabilis tamen papa Benedicto ſedis apoſtolicæ juſſum* (viſum) *admodum intellectuali ſpecie. Qui idem inſigne præcepio fabricari quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri.* Pomum cruce faſtigiatum, quod inter imperii inſignia eſt, ad Carolum M. referendum videtur. Quinimo & reliquorum imperii inſignium, quæ Norimbergæ & Aquisgrani cuſtodienda tradita, magnam partem huic adſcribunt principi. Quem in finem adducunt Eginhardum, qui de ſplendido, quo Carolus M. uſus eſt diademate c. 23. teſtatur, & monachum Engoliſmenſem, adduntque Conradi I. tempore inſignium imperii numero jam tum fuiſſe lanceam ſacram, armillas aureas cum chlamyde & veterum gladio regum & diademate. WITICHIND. *Corb. lib. 1. annal. p. 636.* Non tamen hic deſunt dubia. Lanceam ſacram primum Henricus auceps, Burgundiæ regi, cui in compenſationem Sueviæ partem permittebat, extorſit. *Geſta GERARDI, abbatis Bronienſis*, qui tum temporis claruit apud *SVRIVM t. 5. & 3. oct. LVITPRANDVS lib. 4. c. 12.* quos *SIGEBERTVS Gemblacenſis, monachus Schwarzachenſis, & ALBERTVS STADENSIS*, aliique ſecuti ſunt. *DV CHENE in hiſtoria Burgundiæ tom. 1. lib. 2. c. 23.* de hac re ita loquitur: *Henry I. empereur donna a Roudolphe II. une grande partie de Sueve ou d' Alle-magne, pour avoir de lui la ſainte Lance de Conſtantin dont un comte nommé Samſon lui avoit fait preſent. Et par ainſi multipliant ſes titres il ſe qualifia, dorenavant roy de Bourgogne d' Allemagne & de Province. GVNDLINGIVS in Henrico aucupe p. 234.* putat. lanceæ, cujus WITICHINDVS mentionem injicit, ſacræ epitheton additum, ut ſignificaretur regis eſſe. Forte WITICHINDVS, quid circa lanceam ſacram ſub Henrico aucupe acciderit, ignorans, hanc eandem cum lancea, qua Conradus utebatur, credens, & Conradi illam ſacram vocavit. Tradunt

§. 35. Longe autem abſunt a vero, quæ Guicciardinus narrat : nam & Francorum cæſarum ætate idem obtinuiſſe, manifeſtum eſt ex illorum *antiquiſſimis tabulis.* (a) Neque eſt veterum aliquis, quem Guicciardinus poſſit in ſententiæ teſtimonium laudare. Quod a nomine autem imperatorio abſtinuerint Germaniæ reges ante peractam coronationem, id commune ipſis fuit cum omnibus inungi tum ſolitis. Omnibus enim illis ſolemne fuit, titulos ſuos ordiri a tempore ſanctæ inunctionis, utut nemo non regnorum imperiorumque jura interim ad ſe pertinere crediderit. *De ipſo papa* (b) ſcribit Antonius de Butrio, nobilis juriſconſultus, *conſil. 43. Papa recipit pontificatum & adminiſtrationem a die electionis, licet de ſtylo, qui ſervandus eſt, non incipiat pontificatum, niſi a die coronationis.* Vid. M. A. de dominis *l. 4. c. 11. n. 48.* Cajetanus ſummulæ p. 128. docet, illos, qui non accipiunt literas papæ electi, etſi nondum ſit coronatus, excommunicandos eſſe. Quod autem ante diximus, indubitato regibus Germanicis ſtatim ab electione, ante Hildebrandum, cæſarea jura competiiſſe, haud adeo operoſa indiget probatione.

§. 36. Statim ab obitu Ottonis II. Theophane mater Ottonis III. nomine filii impuberis integrum triennium ipſam urbem Romam & incoluit & rexit : quod jam ſupra ex Lamberto adduximus. Ipſemet Otto III. rex adhuc audiebat, quum & Ravennæ, urbe ad S. Petri patrimonium pertinente, *Gerbertum* (c) archiepiſcopum, & Romæ poſt Joannem XIV. Gregorium V. *papam conſtituit*, (d) & Creſcentium, qui urbis tyrannidem uſurpabat, præcipitari, & papæ a Creſcentio electo amputari manus, abſcindi aures, & oculos erui fecit. Quæ omnia narrat ipſemet Baronius ad annum 996. Glabri Rodulphi verba de electione Gregorii V. ſunt : *Contigit initio imperii Ottonis, ut ſedes apoſtolica urbis Romæ proprio viduaretur pontifice. Ipſe vero illico imperiali uſus præcepto quendam*

dunt Ottonem magnum in bello adverſus Danos eam in mare, quod extremam Jutiæ oram alluit, ut ſignum, ſe eo usque victoriarum curſum extendiſſe, conjeciſſe, nomenque Ottoniani freti jactu hoc ei indidiſſe. SAXO GRAMMAT. *hiſtor. Dan. lib. X. p. 182.* *CYPRÆVS in hiſtoria eccleſ. Slesvic. & Holſ. c. 8. p. 51.* Nec minus circa coronam ambigitur, an Caroli M. ſit, cum ſemicirculus Conradum oſtentet. Aliqui igitur Conradum I. de cujus diademate gemmis gravato loquitur LVITPRANDVS *lib. 2. cap. 7.* eam effici curaſſe opinantur : verum hiſce refraguntur adjecta verba : *Dei gratia Romanorum imperator auguſtus*, quæ vero ſimile reddunt, ſemicirculum non Conradi I. quippe qui cæſar non erat, ſed ſecundi juſſu Caroli magni coronæ adjectum eſſe. Denique inſignia, quæ enſi impreſſa ſunt, cum non Caroli M. ſed IV. eſſe Æneæ Sylvio perſuadent : ſed hic, leonem Bohemicum & aquilam ſimplicem Caroli M. gladio inſcribi, curare potuit. Vide WAGENSEIL *de Norimbergæ rebus notabilibus c. 16. p. 249. ſeqq.* ubi etiam de Gregorii IX. myſtica inſignium imperii explicatione agit. Nobis ſufficiat hæc ſaltim inde decerpere,

(a) *antiquiſſimis tabulis.*) Dixi ſupra, Ludovicum pium nunquam imperiale ſumſiſſe diadema, & tamen imperatorio uſum eſſe jure tituloque, tot veteris ævi teſtantur documenta. SCATENIVS *in annal. Paderbornenſ. ad ann. 593.* Arnulfi refert diploma, in quo ſe imperatorem auguſtum vocat, licet primum anno 896. Formoſus ipſum inſigni evinceret imperiali.

(b) *de ipſo papa*) Quanquam papa, ex quo electus eſt, plenam & liberam habeat adminiſtrationem, *Extravag. comm. de ſent. excommunicat. c. ult.* nec ex mente canoniſtarum ullius indigeat confirmatione, LAVOR. *tit. 4. c. 32. n. 19.* cum ſuperiorem in terris non habeat, PARISIVS *de reſign. benefic. lib. 7. quæſt. 5. n. 1. & 2.* *PLETTENBERG. notitia congregationum & tribun. curiæ Romanæ §. 7. n. 3.* licet merito papa ab imperatore, ut ſuperiore ſuo, ex natura negotii, & vi pactorum veterum, confirmari deberet ; attamen ante coronationem ſuam annos pontificatus numerare non ſolet. *LATMANN. comm. in decret. p. 325.*

(c) *Gerbertum*) Ab auctore hic eſt diſcedendum. Nam Otto imperiali diademate a Gregorio V. quem eodem anno papam creaverat, anno 996. decoratus. *Annales Hildesheim. ad ann. 996.* hinc in variis chartis imperii ejus annus I. & 997. ſecundus dicitur. VGH. *tom. 1. p. 444. tom. 4. p. 983. tom. 5. p. 749. 507.* atque ita apud VGHELLVM *tom. 5. pag. 328. in diplom. de anno 988.* haud dubie ſphalma irrepſit, ubi hic annus imperii ejus primus vocatur. Vide quoque *Brunonis deinde Gregorii bullam anni 996.* apud *VGHELL. Ital. ſacr. t. 3. p. 618. & acta ſynodi Ravennatenſis apud eundem t. 2. p. 354.* Verum Gerbertus primum an. 997. a Rhemenſi ad Ravennatenſem archiepiſcopatum promotum eſſe, ex *vita Roberti regis a MONACHO FLAVIACENSI* conſcripta, patet. Vide *PALATIVM in Sylveſtro II. p. 191.* Reperii quoque diploma de anno 984. ubi hic annus Ottonis III. imperii primus, & de anno 995. qui annus ejuſdem Ottonis imperii X. nominatur. *VGHELL. t. 1. p. 414. t. 2. p. 599.* Sed apparet, in illis annos cæſareæ dignitatis a morte Ottonis II. qui eum infantem adhuc, anno 983. in imperii conſortium, in comitiis Veronenſibus, aſſumſerat, numerari. Quod autem Ottoni in Ravennatenſem archiepiſcopatum ſupremum competierit dominium, non ſolum ex eo, quod ſæpiſſime cæſaream ibi tenuerit aulam, *SIGONIVS de regno Italiæ lib. 8. ad an. 995. 999.* reſque ſuas ibidem per Herbertum Colonienſem archiepiſcopum curaverit, ſed & quod de rebus archiepiſcopatus pro lubitu ſtatuerit. Quis ſibi perſuaderet, Ottonem, nihil pontifice movente, Pompeſianum cœnobium archiepiſcoporum Ravennatenſium ditioni ac poteſtati eximere potuiſſe, niſi exarchatus terræ ſub ſummo ejus fuiſſent imperio. *VGHELL. tom. 2. p. 359.* Sic & archiepiſcopo Leoni comitatum Comaclen & comitatum Ferraræ anno 999. dono dedit. *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 166.* Videtur bulla Gregorii V. apud VGHELL. *t. 2. p. 353.* huic rei dubitationem afferre, ubi memoratus papa Gerberto, archiepiſcopo Ravennatenſi ejusque eccleſiæ, poſt mortem Adelheidæ imperatricis auguſtæ, donat *diſtrictum Ravennatis urbis, ripam, integram monetam, teloneum, mercatum, murum, & omnes portus civitatis, nec non Comachenſem comitatum.* Ut ſileam, diploma hoc non una ratione, ut falſum in obſervationibus ad epiſtolam Italice ſcript. cui titulus : *dominium temporale ſedis apoſtolicæ in Comachum p. 31.* impugnari : Certum eſt omnino, pontificem nihil aliud donaſſe, quam reditus, quos ex terris illis legere ipſi imperatorum benignitate datum erat.

(d) *papam conſtituit*) *DITM. lib. 4. ann. t. 1. Leibn. p. 353. GLABER RODVLPHVS lib. 1. hiſtor. Franc. c. 4.* Bruno hic Conradi ſapientis, non Luitholfi, ut aberrat PALATIVS, erat nepos, & Ottonis Franconiæ filius. Confer *epitaph. ad ejus ſepulchrum exaratum* apud *PALATIVM in Gregorio V. p. 186.* Pater ejus Wormatiæ ut ducatus ſui capite commoratus videtur, atque inde in vetuſtis apud treviros diariis haud dubie Otto de Wormacia dicitur. BROVV. *ann. trevir. p. 494.* nec inficias ire poſſunt pontificiæ ſedis aſſeclæ, hunc Brunonem ab Ottone, nondum imperiali velatum diademate, papam conſtitutum ; poſtquam autem hic vitam poſuiſſet, itidem in ſedem pontificiam Gerbertum archiepiſcopum, ſolicitante populo evexit, quod ex *GLABRO RODVLPHO cap. 4.* manifeſtum eſt. Ut itaque in vanum contra hujus facti veritatem laboret. *PAGIVS lib. 4. critica Baron. p. 163.*

dam ſuum conſanguineum, cujusdam ducis filium, delegit, atque ex more in ſede apoſtolica ſublimari mandavit. Electum vero Gregorium Ottone adhuc in Germania vivente, ipſe confirmat Baronius. Auctor paſſionis Adalberti σύγχρονος ſcribit Ottonem tunc Ravennæ commoratum, cum Romam proficiſceretur, ne audiret rex Francorum. Poſt hunc Henricus II. *ante itidem reſtituit* (a) in locum ſuum Benedictum IIX. papam, quàm coronatus eſt, teſte eodem Baronio ad annum 1013.

§. 37. Henricus quoque III. coronatus demum eſt anno 1047. & tamen *jam anno 44.* (b) ejus juſſu a ſede pontificia Benedictus dejectus ſubſtituto Gregorio VI. biennio poſt eundem regem Ravennatem archiepiſcopum dignitate, ut & Gregorium VI. pontificem, exuiſſe ſubſtituto Clemente II. inſtituiſſe item judicium Sutrii in paparum negotio, teſtatur quoque Baronius.

§. 38. *Serius coronatus eſt Henricus IV.* (c) & tamen a prima usque ſua infantia Romæ non minus quam alibi omnia obtinuit jura. Lambertus Aſchafnaburgenſis anno 1058. ita: "Romani principes ſatisfactionem ad regem mittunt, ſe ſcilicet fidem, quam patri dixiſſent, filio, quoad poſſent, ſervaturos, eoque animo vacanti Romanæ eccleſiæ pontificem usque ad id tempus non ſurrogaſſe, ejus magis ſuper hoc exſpectantes ſententiam: orantque ſedulo, ut, quem ipſe velit, transmittat; nihil ejus ordinationi obſtare, ſi quis non per legitimæ ordinationis oſtium, ſed aliunde in ovile ovium aſcendiſſet. Rex, habita cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum epiſcopum pontificem deſignat, Romam per Godefridum marchionem transmittit. Ita Benedicto, qui ſine juſſu regis ac principum ſacerdotium uſurpaverat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus, pontificatum obtinuit."

§. 39. Sequente anno a Nicolao papa & omni clero denuo confirmata eſſe videtur conſtitutio de eligendis papis per cæſares. Habentur quædam papæ illius tabulæ apud Gratianum *diſtinct. 23. cap. in nomine:* & recitantur a Baronio. Inter alia vero ita illæ loquuntur: "Eligatur autem de ipſius eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia adſumatur, ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus imperator, Deo concedente, ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus illius, qui ab hac apoſtolica ſede perſonaliter hoc jus impetraverint."

§. 40. Quum anno 1061. *cardinales inconſulto rege elegiſſent* (d) Alexandrum, graviter id rex tulit, juſſitque alium eligi, *Carolum* (e) nempe Parmenſem epiſcopum. Pro excuſatione illius rei

(a) *ante itidem reſtituit*) Benedictus octavus ex Tuſciæ comitibus oriundus a Gregorio æmulo ad Henricum, Palithi (Poldæ) commorantem, confugere coactus, ubi ſatis humaniter exceptus, & promiſſis imperatoris de ope ferenda repletus, Romam remiſſus eſt; cumque ibi appelleret antipapa Benedicto, imperatoria tutela munito, reſiſtere non eſt auſus. *DITMAR. lib. 6. c. 80.* Anno autem demum 1014. Henricus Romanum ſuſcepit inſigne. *DITMAR. lib. 7.*

(b) *jam anno 44.*) *Ipſo quoque tempore Romana ſedes, quæ univerſalis jure habetur in orbe terrarum, præfato morbo peſtifero, nempe ſimoniaca labe per viginti quinque annorum ſpacia miſerrime laboraverat. Fuerat enim eidem ſedi ordinatus quidam puer circiter annorum duodecim, contra jus fasque, quem ſcilicet ſola pecunia auri & argenti plus commendavit, quam ætas aut ſanctitas, & quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem perſenſit exitum, quippe refert turpitudo illius converſationis & vitæ. Tunc vero ex conſenſu totius Romani populi, atque ex præcepto imperatoris ejectus eſt a ſede & in locum ejus ſubrogatus eſt vir religioſiſſimus ac ſanctitate conſpicuus Gregorius Romanus. GLABER RODVLPHVS lib. 4. cap. 5.* Neſcio, quis hic ſit Gregorius, niſi forte de Gregorio VI. ſermo fiat, quem magnæ religionis & ſeveritatis fuiſſe memorat GVIL. MALMEBVRIENSIS *libr. 2. de geſtis angl. c. 13.* Scio tamen, OTTONEM FRISINGENSEM, quem PANVINIVS, BARONIVS, CIACONIVS, aliique ſequuntur, aliquem Gregorium a tribus iſtis impoſtoribus diſtinguere. Videatur ANGELVS de NVCE *ad chr. Caſſ. tom. 2. ſcript. Ital. p. 396.* Nam ejecto Benedicto ſucceſſit Sylveſter III. qui antea Savinienſis epiſcopus Joannes dicebatur: ſed hoc mox iterum ſolio papali deturbato, cum pecuniæ ope invaſit Gregorius VI. quo una cum duobus anteceſſoribus ab Henrico in conventu Sutrino exauctorato, *Swidgerus*, Bambergenſis epiſcopus, ab imperatore ad pontificiam promotus eſt dignitatem, a quo deinde capiti ejus corona auguſtalis eſt impoſita. *Chron. Caſſ. lib. 2. c. 79. p. 395. t. 4. ſcript. Ital. HERM. CONTRACTVS ad annum 1044. pag. 324.* apud *VRSTISIVM LAMBERTVS SCHAFNABVRG. ad ann. 1047. ANNALISTA SAXO ad ann. 1047. t. 1. corp. hiſt. Eccard. p. 480.* & apud *LEIBN. tom. 1. ſcript. Brunſ. p. 577. chr. S. Benigni Divionenſis tom. 2. ſpicileg. acheriani p. 393. BARON. tom. XI. annal. ad ann. 1046. 1047. p. 160. ſeqq. HOFMANNI annales Bamb. lib. 2. pag. 68.* apud D. de LVDWIG *tom. 1. ſcriptor. Bambergenſium.*

(c) *Serius coronatus eſt Henricus IV.*) Ex aliquo enim jam tum tempore Romani, obligationis ſuæ memores, conſtituendum pontificem, arbitrio cæſaris permiſerunt. Sic Leonem octavum (IX.) & Victorem II. utrumque germanum, ex Germania petierunt. CARDINALIS de ARRAGONIA *in vita Leonis IX. t. 3. ſcript. Ital. pag. 277.* quamvis hic ex genio ſuo, quo ſedi Romanæ iniqua affectanti indulget, id, quod juſte factum eſt, comprobet, quo collimant etiam ea, quæ a PLATINA *in Leone IX. afferuntur.* Conferatur quoque *WIBERTVS. in vita Brunonis ibidem p. 286. & chron. Caſſin. lib. 2. c. 81. 89. HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 1054. PLATINA in victore II.* Henricus omnino ante coronationem ſuam, quæ anno 1084. a Guiberto, quem ſub Clementis III. nomine Hildebrando oppoſuerat, jus imperii circa pontificum creationem exercuit. Ea, quæ auctor ex Leone Schafnaburgenſi adducit, male PALATIVS *chronico Caſſin. lib. 3. c. 12.* tribuit.

(d) *cardinales inconſulto rege elegiſſent*) Hoc tempore clerum & populum ab electione pontificis nondum penitus fuiſſe excluſos, ex vita *Alexandri II. CARDIN. de ARRAGONIA, & ex vita Gregorii VII. a Pandulpho Piſano & PAVLO BERNRIEDENSI* conſcripta *p. 304. 322. t. 3. ſcript. Italic.* innoteſcit. Conſtat tamen ex vita Nicolai II. magnam jam tum in eligendis pontificibus cardinalium fuiſſe auctoritatem, l. c. p. 301. cum ab initio non magno admodum inter clericos eſſent loco. *Traité de l'origine des cardinaux chapitre VI.* Nova deinde dignitas eorum, auctore Alexandro III. ſumpſit incrementa, atque hic conſtituit, ut ſoli pontificem remoto populo, & reliquo clero eligerent, CIACONIVS *in Alexandro III. Traité de l'origine des Cardinaux ch. 7.*

(e) *Carolum*) Ita dicitur *OTTONI Friſingenſi lib. 6. cap. 34. chronici*; alii autem Cadolum, Cadulum, aut Cadaloum vocant. *PLATINA in Alexandro II. vita Alexandri II. tom. 3. ſcript. Ital. p. 303. chron. Caſſin. lib. 3. c. 21.* Erat ex Pallavicina nobiliſſima gente, depoſitus & damnatus in concilio Mantuano, inſignia tamen pontificum non dimiſit. *ANGELVS de nuce tom. 2. ſcript. Ital. pag. 481.* Anſelmus, epiſcopus Lucenſis, Alexandri II. nomine utens,

rei defenſor eccleſiæ Romanæ apud Petrum Damiani Cardinalem *diſceptat. inter advocat. regni* (a) *& defenſor. eccleſiæ* ita loquitur: *Porro, quod in conſtituendo pontifice Romana eccleſia a charitate regia non receſſit, hoc item indicio eſt, quia cum in clero ſuo religioſiſſimis & ſapientibus viris abundat, non de propriis, ſed eum, qui regi tanquam domeſticus ac familiaris erat, elegit.* Item: *Glorioſo regi, nobis eligendo pontificem, abſit, ut nos intulerimus injuriam, cum ad hoc nos neceſſitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos invitos attraxit periculum civilis belli non lædendi, vel minuendi livor imperii.*

§. 41. In eodem porro Damiani libro advocati regii verba ſunt: *Conſentiendumne eſt, ut papam ſine capite ſuo* (Imperatore) *populus eligat?* Item: *Huc accedit, quod Nicolaus papa hoc domino meo regi privilegium, quod ex paterno jam jure ſuſceperat, præbuit. Quo pacto majeſtas regni prærogativam hanc ſuæ dignitatis amiſit, quam & ex apoſtolicæ ſedis liberalitate percepit, & ex paterno imperialis faſtigii jure ſuſcepit?* Hiſce proxime ita reſpondet defenſor eccleſiæ Romanæ, ut Henricus ipſius eccleſiæ Romanæ regem appellet: *Privilegium invictiſſimo regi noſtro ipſi quoque defendimus, &, ut ſuperplenum illibatumque poſſideat, optamus.* Item: *Tum quando pontificem ſibi Romana percepit eccleſia, tanta ſimultatis fomes in ſeditiones cives accenderat, ut de tam longinquis terrarum ſpatiis nequaquam regiæ clementiæ præſtolari poſſemus oraculum.*

§. 42. Non adjiciam nunc alia ex eodem libro. Ne quidem narrabo, quomodo per legatos ſuos cauſſa Alexandri *rigide in concilio examinata* (b) ſit regia Henrici auctoritate; quum prolixe ſatis hæc omnia ipſemet Baronius recenſeat. Non in papas vero ſolos rex ille exercuit jura ſua cæſarea, ſed & in urbem ipſam. *Abbas Schwartzabenſis* (c) *in chronico 1074. Hanno, Colonienſis epiſcopus, & Hermannus Babenbergenſis Romam miſſi ſunt pecuniæ, quæ regi debebatur congregandæ gratia. Otto Friſingenſis* (d) ſcribit, miſſos illos Romam pro juſtitia regni.

§. 43. Non moror *alia teſtimonia.* (e) Sole enim clarius profecto vel ex hiſce conſtat, etiam Romanis *nihil reclamantibus*, (f) aut adverſantibus, illa quidem ætate, integra cæſarea jura non minus penes illos, qui reges audiebant, fuiſſe, quam penes coronatos jam imperatores, adeoque hactenus quidem cæſareorum jurium poſſeſſionem a coronatione pontificia non fuiſſe ſuſpenſam.

utens, ſuam ad pontificiam dignitatem elevationem potiſſimum Hildebrando debebat. *Chron. Caſſ. lib. 3. c. 21.* Hic ſub œconomi eccleſiæ & ſubdiaconi titulo, ad quem ex monacho Cluniacenſi delatus eſt, in eccleſia Romana diu rerum arbiter, tandem Gregorius VII. evaſit. *ANGELVS de nuce ad c. 98. lib. 2. chron. Caſſ.* Cumque hic pontificiæ dignitatis detentor imperatorem laceſſere, ipſique multas, anathematis fulminibus & turbis in Germania excitatis, nec non inſidiis vitæ ſtructis, creare moleſtias pergeret, ipſi non immerito Guibertum de Corrigia, archiepiſcopum Ravennatenſem oppoſuit. *PAVLVS Bernridenſis in vita Gregorii VII. p. 336. t. 3. ſcript. Ital. chron. Caſſin. lib. 3. c. 50.* Nec injuria Paſchali II. in ſedem pontificiam neglecto ejus conſenſu aſcendere auſo, tres dedit rivales Albertum, Theodoricum & Maginulphum. PALATIVS *in Paſchale II. t. 2. geſt. pontif. p. 447.* Jus, quod circa pontificum conſtitutionem imperatori competit, non ex privilegio, ut opinatur *ANGELVS de NVCE in annot. ad c. 21. lib. 3. chr. Caſſin.* ſed vi ſuperioritatis, quam imperator in omnes, qui ſunt in imperio, habet, & ex pacto inter eum & Romanum populum, cujus principale aliquod papa membrum erat, derivandum eſt. Privilegium enim nonniſi inferiori a ſuperiore datur; perverſum autem dogma imperatorem, & reges omnes chriſtianam religionem ſequentes pontifici obſequio obnoxios eſſe, jam dudum etiam a viris, Romanorum ceteroquin religionis formulam ſequentibus, exploſum eſt. Et ponamus, id juris ad imperatores vi privilegii cujusdam ſpectaſſe: attamen nec per Gregorium VII. Luteranenſi, nec Victorem III. Beneventano concilio illo privari potuerunt. Nam notiſſimum eſt, imperatores Germanos in eccleſiæ Romanæ conſervationem ejusque emolumenta, multos impendiſſe labores ſumtusque, ita, ut hoc privilegium admodum eſſet oneroſum, quod ſine urgente non poteſt revocari cauſa. Immo recte ſtatuunt illi, qui docent, & privilegia ſimplicia ſine cauſa minus recte retrahi, cum rationem donationum ſimplicium habeant, *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 13.*

(a) *inter advocatum regni*) Integra hæc refert PALATIVS *volum. 2. a Rom. pontif. geſt. p. 319. & BARONIVS tom. 2. p. 719.*

(b) *rigide in concilio examinata*) In concilio nempe Osburgenſi, cui Henricus imperator cum epiſcopis Germaniæ, Galliæ & Italiæ adfuit, Alexandri cauſa examinata, Cadolus depoſitus dicitur. *PALATIVS l. c. p. 338. PETRVS DAMIANI in epiſtola ad Cunipertum epiſcopum Taurinenſem* de hac re ita loquitur: *Quippe qui eodem anno, id eſt, in prædictorum apoſtolorum Simonis & Judæ vigiliis, ab omnibus Teutonicis & Italicis epiſcopis, qui regi hinc aderant, juſto domini judicio damnatus eſt ac depoſitus. Chron. Caſſin. lib. 3. c. 21. BARONIVS t. 2. annal. p. 312. ſeqq.*

(c) *Abbas Schwartzabenſis*) Hæc cum aliis ex eo ab abbate Urſpergenſi deſcripta ſunt, apud quem ad eundem reperiuntur annum.

(d) *Otto Friſingenſis*) *Lib. 6. c. 34.* Conf. quoque LAMB. SCHAFN: *& monachus Hersfeld. ad ann. 1064. PLATINA in vita Alexandri II. & ANGELVS de nuce ad c. 21. lib. 3. chron. Caſſin. CARDIN. de ARRAGONIA in vita Alexandri II. ſcript. Italic. p. 302.*

(e) *alia teſtimonia*) Paſchalis II. cum Henrico V. antequam imperatoria indueret ornamenta, de epiſcoporum inveſtitura, quæ, quatenus epiſcopos in terris eccleſiæ reſpiciebat, imperatoriis juribus annumeranda, egit; nec unquam monuit, quamdiu Henricus auguſtum nondum ſumſiſſet diadema, eum & ex hac ratione circa inveſtituram epiſcoporum per baculum & annulum, nihil moliri poſſe. Imo legatus Henrici in concilio Trecenſi anno 1107. habito, ubi de hoc agebatur negotio, illum imperatorem adpellabat. SVGERIVS *in vita Ludovici Groſſi p. 102.* Nec reperio, papam in malam illud interpretatum eſſe partem, licet Henricum anno demum 4. imperiali decoraret corona. ODERICVS VITALIS *lib. X. hiſtor. eccleſ. p. 762.* ad quam ſuſcipiendam, ut & imperii jura vindicanda anno 1110. re primum in comitiis Ratisbonenſibus ſub deliberationem vocata, verſus Italiam iter ingreſſus eſt. *Chron. Caſſin. l. 4. c. 35. DODECHINVS in append. ad Marianum Scottum annal. Hildeſ. & ALBERT. STADIENSIS ad annum* 1110. Sic Lotharius Innocentium, qui illum, ut ſibi contra Anacletum præſto eſſet, ferventiſſimis ſolicitaverat precibus, antequam ab ipſo coronatus fuerit, in ſedem pontificiam reſtituit. *GOBELINVS in Coſmodromio ætate 6. cap. 59. apud MEIBOM. tom. 1. p. 268. ABBAS VRSPERG. in Loth. Saxone. BARONIVS ad ann. 1133. tom. XI. annal.*

(f) *nihil reclamantibus*) *Sub factis autem moraliter veniunt & non facta. Si quis ſciens & præſens tacet, videtur conſentire. GROTIVS lib. 2. c. 4. §. 5. reg. jur. 43. in 6to l. 39. §. de donation. inter virum & uxorem,* ut & alii multi juris civilis textus a MVXELLANO ad regul. citat, juris canonici allegati. De quo eo minus hic dubitandum, cum varii intervenerint actus poſitivi. Diſtinctio, quam aliqui inter favorabilia & odioſa adhibent, legibus non eſt recepta præſertim cum non uno obnoxium ſit dubio, quænam ſint benefica, quæ autem odioſa.

Caput XI.

Præter illud imperium, & qui hinc ſequitur primatum, nihil neque dominii, neque juris a Romanis Germaniam accepiſſe.

§. 1.

Eximia atque æterna ſummi imperii jura in papam, in urbem Romam, inque id S. Petri patrimonium, quod ad regnum Longobardicum non pertinebat, per Ottonem magnum Germaniæ eſſe parta eadem porro centum & decem annorum ſpacio usque ad tempeſtatem Hildebrandi integra perſtitiſſe, ex modo diſputatis manifeſtum eſt. Quomodo ſecutis temporibus infringi multis modis illa cœperint, quidque illorum etiamnum ſuperſit, addendum. Sed ex ordine magis fuerit, ſi ante videamus, numquid præter illa jura per cæſareum titulum Germania a Romanis impetraverit. Ita enim demum patebit, quid urbi Romæ acceptum ferendum ſit, quidve hodie nobis debeatur jure cæſarei nominis; ſimul & aliis oppido ceteroquin impeditis lux aliqua fortaſſis adfulgebit.

§. 2. Principio igitur ponendum eſt, illo titulo Germaniæ non eſſe conceſſum, vel dominium totius terrarum orbis, vel jus illum omnem occupandi. Namque illo quidem tempore proxima pomœria vix erant amplius in plena poteſtate, aut populi, aut papae Romani: totus vero orbis ne quidem florentibus maxime rebus *urbi iſti paruit:* (a) neque jus aliquod fuit unquam antehac illi urbi ad totius prorſus orbis imperium ſibi parandum: multo minus Ottonis ævo fuit, aut poſt aliquod tale jus potuit naſci. Quæ ſupra ſunt demonſtrata. Ut igitur non poſſeſſionem totius orbis, ita nec jus illum poſſidendi, a Romanis ſibi hactenus Germania comparavit. Riſumque adeo merentur, qui Carolo V. cæſari ac Hiſpaniarum regi juſtum occupandi Americam titulum propter imperatorium nomen adſcripſerunt. Digni certe non ſunt, quos confutes argumentis.

§. 3. Etiam id porro fatendum eſt, ne quidem in omnia Romanis aliquando poſſeſſa Germaniæ aliquod jus datum. Eſt ſcilicet ſupra jam tum a nobis demonſtratum etiam hoc; una cum poſſeſſione & jura omnia ſua Romanos dudum amiſiſſe ante Carolum magnum, neque poſtea ad Ottonis usque ætatem illorum juribus ad recuperanda olim poſſeſſa quicquam iterum accreviſſe. At largiri profecto Germaniæ non potuerunt Romani, quo ipſi carebant. Non deſunt, fateor, & hodie, qui Germanis jura florentis Romæ adſerant. Videas tamen haud aliis niti eos argumentis, quam quod Germania ſucceſſerit in locum veterum cæſarum, qui iſthæc omnia tenuerunt. Quem in modum permulti juris quoque Romani interpretum jam per aliquot ſecula cæſaribus noſtris omnem illam vim, poteſtatem, auctoritatem & dignitatem iverunt attributum, quam olim cæſares obtinuiſſe ex Juſtinianeis voluminibus didicerant. Hos inter tamen nonnulli blandius agentes exemptionem aliquam admittunt: illas omnes provincias liberas pronunciantes, quæ privilegio quodam cæſareo libertatem ſunt conſequutæ.

§. 4. Verum enim vero admiſſis illis, quæ nos demonſtravimus, capite III. ac V. haud difficile perſpectu eſt, quantum illi abludant a vero. Si enim multis modis Roma provincias ſuas potuit amittere, perinde atque multis modis illas ſuæ fecit ditionis, utique non privilegio aliquo cæſareo opus eſt ad vindicationem libertatis. Neque illud, *qui in locum ſuccedit, ſuccedere in jus*, adeo eſt *crude accipiendum*, (b) ut, quæ ante mille annos forte domus tuæ poſſeſſor tenuit, tu, tibi etiam deberi, eo, quod in iisdem ædibus ſucceſſeris, arbitreris. Ineptum id ſane fuerit, ac vanitatis pleniſſimum. Itaque illa quidem ſucceſſio cæſarea non dat nunc jus recuperandi, quæ ante ſecula multa perierunt.

§. 5. Æque leve eſt credere, etiam in illa amiſſa hodieque cæſaribus competere jus aliquod, eo, quod in Juſtinianeis libris jurium illorum fiat mentio. Quaſi ſcilicet, quæ illis libris memorantur, omnia æternæ legis vim habeant. Eſt vero certiſſimum, plurima ibi dicta, non tamen in id, ut pro lege valeant, longe plurimas porro leges ibi recitari, quæ nonniſi ex conſtituto illius, quæ tum obtinuit, reipublicæ, auctoritatem habent, adeoque respublicas alias liberas non obligant. Nullibi vero legas in voluminibus iſtis omnes Juſtiniani ſucceſſores in paria debere jura ſuccedere: & licet ita eſſet tum conſtitutum, non obſtringere tamen id populos liberos, quales certe fuerunt Germanicæ gentes omnes, quæ ſui juris fecerunt Romanorum provincias. Certe omnia Juſtiniano dicta obligare pro lege omnes perinde populos liberos, quod tanquam pro fundamento quidam collocant, longe eſt falſiſſimum. Nec ad ejus imperii formam componi nunc mundus poſſit, niſi omnia turbes & evertas: quo nihil eſt iniquius.

§. 6. Eſt porro abunde a nobis demonſtratum, Romanum populum ne quidem Caroli magni ævo habuiſſe juris quicquam amplius in Italiam Longobardicam, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam,

(a) *urbi iſti paruit*) *PFEFFINGER ad VITRIAR. tom. 1 p. 375. ſeqq. HARDVIN. concil. t. 6. part. 2. pag. 1215. OTTONIS MORENÆ hiſtor. tom. 6. ſcript. Ital. p. 1018. RADEVICVS lib. 1. c. 22.*

(b) *crude accipiendum*) Nemo enim in id, quod alter nec actu nec potentia habet, ſuccedere poteſt; itaque axioma illud: *quod ſuccedens in locum, ſuccedat in jus*, intelligendum de illo jure, quod alter reipſa habet, aut cujus ſaltem ſpes ipſi eſt reliqua. Quod autem juſto titulo amiſſum, quorſum etiam ex gentium moribus bellum ſpectat, illud ejus intuitu, ad quem olim pertinebat, eſt, quaſi non amplius exiſteret. Non entis autem etiam moralis nulla ſunt prædicata. Romani, ut ſupra deductum, jam tum diu, cum Germani urbe potirentur, provinciis iſtis, de quibus ſermo eſt, exciderant, & juri ſuo in eas expreſſe, aut tacite, valedixerant, atque ſic, nullo amplius in illas jure nec actu, nec potentia gaudebant.

niam, Daciam, Pannoniam, & Germaniæ partem, aliasque veteres ſuas provincias, multo minus ætate Ottonis magni: ſunt autem hæ provinciæ occidentalis imperii veteris potiſſima. Quæ Ottone autem cæſare non fuere Romani juris, illa etiam a Romanis tum non accepit Germania, adeoque niſi ſecuto tempore quædam, aut ſuapte ſponte in Romanam ditionem reverſa ſunt, aut per vim recepta, ne nunc quidem Germaniæ in aliquam provinciarum illarum imperii occidentalis veteris jus aliquod imperandi competit, quod quidem ad Romam pertineat, aut acceptam a Romanis cæſaream dignitatem. At vero, ut a Romano populo quicquam iterum vi receptum ſit, nimis profecto infra illius vires fuit hactenus. Ultro autem non ſane Hiſpania, non illa Gallia, quæ ad Rhodanum usque ab Oceano ac Pyrenæis montibus protenditur, non Britannia, non Dacia, non Pannonia ſeſe & ſua Romanæ ditioni iterum ſubjecit. Quin *capite proximo* oſtendemus, ne Germaniam quidem aut Italiam, utut in nomen Romani imperii tranſierint, urbi illi rempublicam ſuam ſubdidiſſe.

§. 7. Si vero provinciæ veteres non redierint in jus Romanum, nec quæ jura urbi in eas pridem ſuperfuerint, quorum utrumque eſt veriſſimum; manifeſtum eſt, Germaniam neque illorum quidquam hodie poſſidere, neque habere jus occupandi, nomine atque auctoritate imperii veteris: adeoque nec reipubl. Germanicæ aut Italicæ regimen vere ad illud imperium pertinere. Huc facit, quod Germania nunquam ſibi quidquam arrogaverit imperii in provinciam aliquam, aut rempublicam, quæ olim fuit Romani juris, propter urbis imperium a ſeſe hodie poſſeſſum: utut nonnulli ſcriptorum id ipſum fecerint. Certe hoc nomine nunquam controverſia aliqua mota fuit, vel *Galliæ, vel Hiſpaniæ*, (a) vel Britanniæ, vel Hungariæ, ne de aliis rebuspublicis nunc loquar. Neque vero contra hoc facit quicquam, quod a multo jam tempore, quæ acquiſitæ ſunt a Germanis provinciæ, Romano imperio dicantur additæ, aut quæ *per injuriam ſubductæ ſunt*, (b) ab illo Romano imperio dicantur avulſæ. Imperii enim Romani nomine Germania ipſa intelligitur, more jam pridem uſitato: qui unde ſit ortus, & quomodo, infra docebitur.

§. 8. Ex hiſce vero omnibus adparet, ſi ſpacium terræ videas aut proventus, per eſſe exiguum, quod Germaniam populo Romano aut papæ ferre oporteat acceptum. Multo magis idem omni æquo judici videatur, ſi attenderit ſanguine Germaniæ urbem illam & papas a tyrrannide ac injuria vindicatos, neque illos potuiſſe ſeſe & ſua ſine Germanico auxilio tueri, immenſis porro beneficiis & donis pontifices Germanica liberalitate adfectos eſſe.

§. 9. Inter potiſſima, quæ Germania ab urbe adquiſivit, numeraveris primatum, aut primum dignitatis locum, quem Germaniæ etiam propter imperium Romæ, jam a ſeptingentis pene annis, omnes occidentis reſpublicae chriſtianae ultro non ſine quadam reverentia detulerunt. Nec vero id caret ratione, cum propter memoriam priſtinae illius urbis majeſtatis, tum quod *primarium occidentalis eccleſiæ* (c) epiſcopatum hodieque teneat urbs illa, in quem ipſum quoque caeſaribus ſua jura ſunt. Nec tamen ego dixerim ſola hac de cauſa prae aliis Chriſtiani orbis rebuspublicis Germaniam eminere. Ut enim nunc taceam, debere aliquam reverentiam matri ſuae omnes Germanicas gentes, penes quas plerarumque Europae regionum hodieque eſt imperium; id certum eſt ultra octingentos annos inter Europae regna nobiliſſimam habitam Francorum rempublicam: cumque illa poſt Ludovicum pium diviſa eſt, praelatam eſſe occidentali parti orientalem, quae Germaniam comprehendit, utpote quae ceſſerit filio Ludovici ſecundo genito, ut occidentalis tertio.

§. 10. Certum porro eſt, ab Ottone usque magno, amplitudine imperii ac potentia praevaluiſſe Germanicam rempublicam, per complures centum annos, rebuspublicis vicinis omnibus Hiſpaniae, Galliae, Britanniae, Daniae, Sueciae, Poloniae, Hungariae; ut quae omnem Germaniam, in

(a) *Galliæ vel Hiſpaniæ*) Imo cum gentibus illis tanquam populis, Germaniæ nullo jure obnoxiis, ſæpiſſime actum eſt.

(b) *per injuriam ſubductæ ſunt*) Vide GOLDASTI *præfationem libri, cui titulus* Reichs-Satzunge. *VICTOR de exemption. conc. 2.* qui tamen in recenſendis amiſſis non ſatis accuratus eſt.

(c) *primarium occidentalis eccleſiæ*) *BELLARM. libr. 2. de pontifice Romano c. 13.* quem refutat *LAVNOJVS in diſſert. de recta canonis VI. concilii Nicæni intelligentia.* Hic primatus a Græcis in controverſiam vocatus. Joannes Conſtantinopolitanus ſe imperatoriæ ſedis ſummum præſulem, patriarcham œcumenicum dici & ſcribi debere, decrevit, HARDVIN. *tom. 6. concil. p. 931. 956.* Quo & Conſtantinopolitani patres reſpexere, quando canone XVII. docuerunt; *poteſtate imperiali novata, aut, ſi protinus innovetur, civilem diſpoſitionem, & publicarum eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordines ſubſequi debere.* Vide SALMASII *apparatum ad tractat. de primatu papæ, p. 281. ſeqq.* Et licet Græci nonnulli primatum papæ agnoſcerent, eum tamen ad reverentiam non poteſtatem ſpectare, eamque nonniſi ſalvis juribus & privilegiis patriarcharum orientis obtinere, dicebant. HARDVIN *t. 9. concil. p. 414. 969. ſeq.* Singularem illum Petri primatum, quem ab eo in ſe derivatum in vanum pontifices Romani gloriantur. B. COCHIVS *in peculiari diſſertatione* evertit. Eam Petro de Marca, hunc primatum defendenti oppoſuit. Libris de concordia ſacerdotii & imperii aulæ Romanæ odium incurrerat Pariſinus pontifex, adeo, ut epiſcopatus Conſorani confirmationem, ſibi a rege Ludovico XIII. collati, impetrare non potuerit. Ut itaque Innocentii X. iram placaret, eumque ad beneficii confirmationem pertraheret, ANTONIVM ARNOLDVM, doctorem Sorbonicum, Petrum & Paulum ex æquo Romanæ eccleſiæ præfuiſſe contendentem, ſibi refutandum ſumpſit. Hic non prætermittendum puto, vetuſtioribus temporibus, cum fratris nomen magis adhuc in epiſcopis placeret, pontifices ad patriarchæ aut epiſcopi univerſalis elogium admodum nauſeaſſe. Illud a concilio Chalcedonenſi ſibi oblatum Gregorius I. reſpuebat, idque a Joanne epiſcopo Conſtantinopolitano admitti, indigne admodum ferebat, vocatque nomen illud in epiſtolis hac de re ſcriptis: *temerarium, novum, frivolum, ſuperbum, nefandum, ſtultum, profanum, falſum, perverſum, ſceleſtum.* Vide LAVRENTII *Grotium papizantem, p. 29. ſeqq.* qui falſam pontificum Romanorum in titulo ſervi ſervorum Dei modeſtiam explicat.

in Gallia regnum Lotharii pariter & Burgundicum, Italiam prope univerſam ſinu ſuo fuerit complexa, *Poloniam & Daniam* (a) aliquandiu tributarias habuerit. Itaque etiamſi fuiſſet absque cæſarea dignitate, tamen vel illa potentia ſua & amplitudine indubie primum locum meruit Germania aliquot jam centum annis. Fatendum vero, haud parvum incrementum primatui illi attuliſſe imperatoriam dignitatem, utut illa nihil dederit poteſtatis in regna alia, ſed ſi ſummi imperii & αὐτονομίας videas rationem, etiam parva aliqua reſpublica, qualis exempli gratia hodie eſt *Rhaguſina*, (b) non inferiore ſit conditione potentiſſimis.

§. 11. Antequam hinc abeamus, monendum & illud forte eſt, quod ex hactenus diſputatis eluceſcit: per octingentos & ultra annos caruiſſe Europam magna aliqua republica, cujus jura majeſtatis fuerint penes urbem Romam, adeoque tanto jam temporis intervallo minus vere Romam ipſam potuiſſe dici gentium dominam. Haud negamus ab urbe illa nomen datum ampliſſimæ reipublicæ Germanicæ & dari hodieque, at jus imperii & majeſtatis reipublicæ illius noſtræ non dependet ab urbe Roma.

§. 12. Igitur ſi imperii Romani voce intelligas vaſtam aliquam rempublicam, cujus jura ad urbem illam pertineant, ut factum olim, dudum deſiit Romanum imperium omne. Si vero ad nominis illius majeſtatem tuendam ſufficit unius urbis regimen, durat Romanum imperium hodieque. In eandem ſententiam loquuntur Jovius, Salmero, Stapulenſis, aliique apud Chamier, *l.16.* de antichriſto, *cap. 2. n. 7.* Neque vero id abit quicquam a divinis vaticiniis: licet vulgo exiſtimetur æternitas quædam magni alicujus imperii vere Romani iis promitti. Certe ſomnium & Nabuchodonoſoris & ipſius Danielis quod habetur divinationum illarum cap. 7. quæ vulgo ſolent de Romano imperio etiam accipi, *vix cæſarea tempora* (c) videntur attingere: quod cum aliis tum & Joſepho Scaligero recte viſum. Vide & Grot. in annot. ad lib. 1. de veritate relig. Chriſtianæ *§. 14. n. 4. 5. 6. 7. & lib. 5. §. 14.* & Jo. Bodin. method. hiſtor. *cap. 8.* Chriſti autem regnum in illo vaticinio reliqua dicitur comminuere, quod omnia Chriſto ſubdita ſint, cum jure, tum magnam partem facto. Scilicet totum illud, de non niſi quatuor magnis futuris monarchiis ſeu imperiis mundi, plus habet famæ quam veri: quippe quum olim in Aſia jam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantum, quod vulgo creditur: Aſia eadem poſt Romani imperii interitum itidem habuerit hodieque ex parte habeat vaſtiſſima regna Saracenorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum, M. Mogolis & Sinenſium: Europa vero viderit Francorum regnum maximum jam ante adeptum cæſareum nomen, etiam nunc vero floreat vaſta Hiſpanorum potentia & Gallorum.

§. 13. Quantumvis autem hodie anguſtæ adeo res ſint urbis Romæ, atque a multis jam ſeculis domina terrarum, ut ante, eſſe illa deſierit; indubie tamen etiam tum, quando ultimo excidio in fumum & cineres abibit, habebitur *regina, habens ſcilicet regnum ſuper reges terræ.* Vid. M. A. de dominis *lib. 4. c. 3. a num. 26. usque ad fin.* Enimvero quæ de Babylone viſa ſunt ſanctiſſimo Joanni *Apocal. XVII. & XVIII.* (d) ea ad ſepticollem hanc urbem pertinere, pene dixerim ſole eſſe clarius. Bellarminus ipſemet *l. 3. de Rom. pontif. cap. 13. Secundo dici poteſt, &, meo judicio, melius, per meretricem intelligi Romam, ut exponit Tertullianus l. contra Judæos, & l. 3. contra Martionem, ac Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam & quæſt. 11. ad Algaſiam.* Vid. eund. Bellarm. *lib. 2. de R. P. c. 2.* Etiam Grotius eundem locum ita interpretatus eſt. Illam vero ita tandem in ſolitudinem redigendam, ut *futura ſit habitatio dæmoniorum & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis:* conf. Guntheri Ligurin. *lib. 4. v. 194. ſeqq.* ubi de peſtis Romanæ cauſis agit: imo, *ut ultra ipſa non poſſit inveniri; ut vox cytharœdorum & muſicorum, & tibia canentium, & tuba, non audiatur in illa amplius; ut omnis artifex omnis artis non inveniatur in illa amplius; ut vox molæ non inveniatur in illa amplius; ut lux lucernæ non luceat in illa amplius; ut vox ſponſi & ſponſæ non audiatur adhuc in illa;* diſerte prædictum eſt a Spiritu ſancto *Apocalypſ. 18.* Simile excidium Ninives deſcribitur apud Nahum *cap. 3.* Ad id vero usque tempus ſcortaturos cum illa urbe reges terræ, ipſamque *reginam* fore, patet clariſſime *ex ejusdem capitis verſ. 7. 9. & 10.* videbunt enim fumum incendii urbis reges terræ, illi, qui cum urbe fornicati ſunt, & ipſamet etiam tum dicet: *Sedeo regina, ſedens ſcilicet*

(a) *Poloniam & Daniam*) Hæc commentationi noſtræ ad librum de finibus imperii reſervamus.

(b) *Rhaguſina*) Reipublicæ Rhaguſinæ deſcriptionem annalibus ſuis Italice conſcriptis adjunxit PETRVS LVCCARVS *p. 154. ſeqq.* Æque enim ſummæ poteſtate civili in ſuo gaudet territorio, ac aliæ reſpublicæ etiam potentiſſimæ. Neſcio, quid HORNIO in mentem venit, ut liberis rebuspublicis, *de civitate lib. uno*, majeſtatem, quatenus ſupremam denotat poteſtatem civilem, abrogaverit. Vacillat ſane ratio ejus, majeſtatem penes plures conjunctam eſſe non poſſe. Etenim non video, quid impediat, quo minus actus majeſtatici per plures exerceri queant, aut, ſi mavis ſtylo loqui Grotiano, plura eſſe poſſint majeſtatis ſubjecta exiſtentia; Immo id obtinere experientia abunde conſtat, ita, ut inutilis plane ſit labor, ratiunculis quibusdam a veritate deflectere. Majeſtatis vocem in curiali ſenſu ad liberas ex gentium praxi non quadrare reſpublicas, compertum habemus, atque olim moris fuiſſe, quod ex Viennenſi aula nullis omnino impertiretur regibus. Nec improbandum videtur, auguſtiſſimam domum moris illius admodum fuiſſe tenacem; nam non eadem decora imperatoriæ aulæ, quæ modicis domibus; hoc tamen deinde ratione Galli & Sueci potiſſimum mutationem ſubiit.

(c) *vix cæſarea tempora*) Non diſplicet *Venerabilis Academ. noſtræ Senioris Dn. Præpoſiti von der HARDT* explicatio, quando Danielis vaticinium de fatis & mutationibus regni Babylonici interpretatur.

(d) *Apocalypſ. XVII. & XVIII.*) Pontifici antichriſti vocabulum minus recte tribui, judicat Grotius. Ego hæc theologis diſcutienda relinquo. Putarem tamen, purioris religionis veritati nihil inde decedere, etiamſi cum celeberrimo HARDTIO *c. 17. & 18. l. 19. Apocalypſ.* de civitate Hieroſolymorum corruptiſſima, mox per Romanos funditus delenda, intelligamus.

licet ſuper populos, gentes & linguas. add. Gregor. VII. papæ bullam excommunicatoriam Henrici IV. imp. apud Hund. in metrop. *P. 1. pag. 475.* Quod inter alia manifeſto oſtendit non accipienda illa cum Bellarmino *de Roma ethnica regnante, idola colente, & Chriſtianos perſequente.* Vid. Chamier *lib. 16. c. 3.* Illud enim ethnicæ Romæ imperium dudum deſiit florentibus adhuc maxime urbis rebus, ex quo ſcilicet cæſares facti ſunt chriſtiani: quin omne urbis civile in orbem imperium itidem jam dudum deſiit, & tamen perſtat hodieque Roma delitiis ac divitiis affluens; ut proinde nec doctiſſimi Grotii nova interpretatio poſſit admitti; ſed de alia urbis illius regia poteſtate intelligenda omnia ſint, qua ſcilicet circa ultimum excidium ſuum adhuc gaudebit.

§. 14. Ita vero illud imperium deſcribitur a S. Spiritu, ut haud difficile ſit videre, vim poteſtatemque ejus non ferro inniti ſed turpibus impiisque lenociniis, faſcinis & illecebris adeoque diverſi eſſe ingenii ab aliis mundi imperiis, quæ ut ferro parantur, ita vi & ferro retinentur. Meretricio enim habitu deſcribitur regnans illa urbs, & quæ *terræ incolas inebriaverit vino proſtitutionis ſuæ, ipſa ebria ſanguine ſanctorum & martyrum Jeſu:* quo poto ſcilicet dolere debebat illo efferens ſeſe & maxime ſibi placens; eoque utens ad quæſtum & luxum. Nemo porro eſt qui neſciat, papam Romanum eo nomine, quaſi urbi Romæ id contulerit S. Petrus, jam tum per complura ſecula monarchiam aliquam immenſam exercuiſſe in eccleſia Chriſti per omnem pene terrarum orbem, & indulgentiis, beneficiorum collationibus, diſpenſationibus, proſtituiſſe ſanctitatem Chriſtianæ diſciplinæ, ſubdidiſſe denique ſibi reges & principes non vi & armis, ſed religione quadam, ac tali regno ſuo æternitatem polliceri. Huc pertinet illa cantio Conradi Urſpergenſis: *Gaude mater noſtra Roma &c. per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem viciſti.* Itaque ſupereſt ſane hodieque vaſtum aliquod Romanum imperium, ſed diverſæ prorſus ab aliis rebuspublicis naturæ, ſtabitque illius urbis monarchia iſthæc, quamdiu ſupererit ipſa. Credibile tamen eſt, tandem aliquando, & quidem ſatis forte diu ante extremum diem, urbem & imperium hoc ruiturum. At hoc imperii genus ad Germaniam non pertinet: neque noſtri inſtituti eſt, horribilem illam & ſacram tyrannidem exponere.

CAPUT XII.

Germanicum & Italicum regnum, etſi Romani imperii appellationem ſuſceperunt, urbi tamen Romæ nihil debere, ſed liberas eſſe reſpublicas; nomenque illud imperii Romani aliis de cauſis utrique communicatum.

§. 1.

Imperium aliquod perpetuum in urbem, papam ac Petri patrimonium, nihil vero dominii aliud eſſe Germaniæ datum, hactenus eſt oſtenſum: At Germaniam atque Italiam non ſponte ſua ſubiiſſe Romanæ urbis dominatum, dictum quidem, nondum autem probatum eſt. Cumprimis tamen hujus loci eſt, hoc oſtendere. Ita enim demum patebit, quo titulo quove jure Romani imperii nomen aſſumpſerint. Scilicet, quid cæſareo aut imperatorio nomine Germania tandem ſit conſequuta, id ſatis eſt clare, niſi fallor, expoſitum, adeoque nemini jam non liquet, imperium Romæ juris eſſe germanici: ut vero ipſa Germania imperii Romani nomine audiat, longe eſt diverſum quid: & vero videri poſſit illud nomen in Germaniam, Italiamque Longobardicam, non eſſe translatum, niſi ſimul majeſtate illorum regnorum Romanæ urbi conceſſa, quomodo olim ab illa urbe omnes provinciæ nomen imperii Romani acceperunt, eo, quod ſummi imperii jus eſſet penes illam unam. Si vero id factum eſt, longe profecto aliter ſe habet reſpublica noſtra, atque vulgo exiſtimatur, aut etiam illa adminiſtratur. Itaque accurata cura hoc omne eſt expediendum.

§. 2. Et quidem excutientibus priſca monumenta haud difficile eſt obſervatu, non nupero quodam inſtituto id nominis in Germaniam atque Italiam eſſe derivatum. Circa initia Friderici I. cæſaris, pene ante hos quadringentos annos nomen hoc in vulgari fuiſſe uſu, ex Ottone Friſingenſi manifeſtum eſt. Is enim *l. 5. cap. 35.* (a) *chronic.* Orientale Francorum regnum ſcribit *Romanorum* vocari, occidentali retinente Francorum nomen ſolitum. Exempla ſimilia non apud illum ſolummodo ſcriptorem, ſed & complures alios cum illius tum omnis ſecuti ævi exſtant infinita. Apud Wipponem, qui vixit tempore Henrici III. c. 2. Burgundia dicitur *Romano imperio acclivis.* (b) Adamus Bremenſis hiſtor. eccleſ. *lib. 1. c. 8.* memorat Theutonum populos, *apud quos nunc & ſumma imperii Romani & divini cultus reverentia viget ac floret.* Jam ante illud tempus circa Henrici IV. imperium titulus ille videtur fuiſſe haud adeo frequens: namque & in ejus ævi ſcriptoribus reperire illum eſt, rarius tamen quam poſtea. Circa Ottonum vero ac Henrici II. ætatem fueritne itidem in uſu, dubito. Nunc ſane haud memini id mihi lectum. Eſtque Lupoldo Bambergenſi *l. de jure regni & imper. cap. V.* obſervatum, Henricum II. *in privilegio quodam eccleſiæ Herbipolenſis, ante unctionem & coronationem imperialem, ſe regem Francorum & Longobardorum* (c) no-

(a) *l. 5. c. 35.*) Agitur hic de terrarum, quæ Ludovico pio ſubjectæ fuerunt, inter filios ejus diviſione, poſt acerbiſſimum ad Fontiniacum fratrum certamen.

(b) *Romano imperio acclivis*) De Burgundiæ proceribus, quod imperio Romano, i. e. Germanico, a Friderico I. recto, fidelitatem promiſerint, teſtatur *RADEVICUS lib. 1. p. 750. tom. 6. ſcript. Ital.* Nulla ſane mihi diplomata illorum temporum, in quibus imperii Romani vox in hoc ſignificatu occurreret, viſa ſunt.

(c) *ſe regem Francorum & Longobardorum*) Vid. VGHELLI Ita-

nominaſſe. Quod haud temere eſt factum, ex quo Romani imperii nomen de Germania invaluit. Fortaſſis igitur tum primum ſenſim in Germaniam id nominis eſt traductum.

§. 3. Verum parum fortaſſis refert, quando cœperit iſthæc appellatio. Cauſſa & ratio nominis potius indaganda eſt: utrum ſcilicet in Germaniam Roma hodie aliquid imperii habeat, & hinc nomen illud cœperit, an vero non habeat quidem, aliunde autem in Germaniam iſte titulus translatus ſit. Prius, fateor, maxime cui vero poſſit ſimile videri, quod & ante dixi, quoniam olim illa proprie imperii Romani nomine audierunt, in quæ vim imperii urbs Roma exercuit. Communicata reipublicæ majeſtate cum nova Roma, aut Conſtantinopoli, manſit poſtea nomen idem etiam orientali imperio, ſed cauſſa eadem ſuberat, quod ſcilicet omnia illa orientalia Romanis auſpiciis eſſent parta.

§. 4. Verum enim vero jam ſupra monuimus, ne quidem, quum maxime late patuit urbis imperium Romanum, fuit in ditione ejus magna Germania, quæ trans Rhenum & Danubium eſt, ut loquar cum Romanis. Ergo in illam quidem nihil juris vel vi ſibi vetus Roma unquam comparavit. In alia, quæ cis Rhenum & Danubium hodie transalpino Germanico regno accenſentur, in Italiam item Longobardicam non minus atque in alias occidentalis imperii provincias, jam circa Caroli magni ævum, omne jus ſuum Romanos perdidiſſe, *cap. V.* luculente oſtendimus. Etiam poſt Caroli ætatem Germaniam & Italiæ illud Longobardicum regnum non fuiſſe partes imperii Romani, ſed liberas & ſui juris respublicas, itidem demonſtratum eſt a nobis *cap. IX.* Igitur ſi hodie illa regna ſunt in ditione urbis Romæ, vel vi & armis coacta, vel ſponte ſua libertatem ac majeſtatem urbi iſti detulerunt. Armis id factum non eſſe, nemo eſt, qui ignoret. At neque ſponte id factum temere credendum, cum nullis id tabulis, nullo documento publico, nullo teſtimonio hiſtorico probari poſſit. Qui vero de tam arduo & cumprimis maximo negotio tam altum ſit in omnibus paulo antiquioribus monumentis ſilentium, quum alia minima maxima non ſoleant facile præteriri? Certe, qui tale quid ſibi perſuadet nullo inſtructus documento, quam temere commodet fidem rei incertæ, nemo non videt.

§. 5. Ne quidem Italiam redditam urbi Romæ, quo tempore Otto imperatoris nomen accepit, diſcere eſt ex hiſce verbis tabularum, quas Ottoni tribuit Baronius ad annum 962. *Inſuper offerimus tibi, B. Petre apoſtole, vicarioque tuo domino Joanni papæ, & ſucceſſoribus ejus pro noſtræ animæ remedio, noſtrique filii & noſtrum parentum, de PROPRIO NOSTRO regno civitates, & oppida cum piſcariis ſuis, id eſt, Reatem, Amiternum, &c.* Sunt quidem tabulæ illæ *fititia:* (a) ſed fictæ ab ipſa curia Romana. Vel hujus ergo confeſſione nobis conſtat, Longobardicum regnum Ottonem tenuiſſe jure proprietario. Reclamat vero etiam illi rei, & *Germaniæ & Italiæ* (b) adminiſtratio, inde ab Ottonis magni ævo ad noſtra usque tempora uſitata. Conſtat enim ex ſuperioribus, jura imperatoria perpetua Romanos in ſe & ſua Germaniæ contuliſſe, ac primis ſaltem centum & decem annis integra illa Germanici juris fuiſſe: itaque illo ſaltim tempore nihil imperii in Germanos & Italicum regnum ad urbem illam pertinuit, ſed omnis urbis majeſtas Germanicæ fuit poſſeſſionis. Sequenti capite demonſtrabitur, Germaniam ſemper, etiam ſequuto ævo, eadem jura ſibi retinuiſſe; ut proinde nequaquam ſuam majeſtatem in urbem contulerit ſive Germania, ſive Italia Longobardica.

§. 6. Circa Conradi III. & Friderici I. ævum videntur cives Romani priſcam & dudum emortuam ſuam majeſtatem rurſum quadamtenus affectaſſe. Exſtat hodieque illorum inepta & *ſuperba oratio*, (c) qua Fridericum coronandum ſunt adfati, apud Ottonem Friſingenſem *l. II. vitæ Friderici cap. 21.* ut & reſponſio cæſaris. Ex hac nonnulla adducere in medium operæ fuerit pretium.

Italia ſacra t. 4. p. 594. Fateor, mihi auctoris mentem hic aliquantulum obſcuram videri. Forte id indigitare vult, Henricum ſecundum cum in vulgaribus ſermonibus invaleſcere animadverteret, imperii Romani vocabulum ad Germaniam ſignificandam adhiberi, conſultum putaſſe, ſe Francorum vocare regem, ut hoc modo quibusvis in animum revocaret, non Romanos Germanis, ſed hos illis imperare. Henricum Sanctum ex Romano demum diademate imperialem dignitatem in Germanicorum regum profluere capita exiſtimaſſe, & obinde tam diu ab imperatoris nomine abſtinendum eſſe, non putaſſe, & ex eo conſtat, quod Parmenſi epiſcopo abbatiam Nonantulanam ann. 1003. largiens, id muneris imperialem appellet conceſſionem; quamvis illud longe ipſius Romanam anteceſſerit coronationem. VGHELLVS *tom. 3. p. 162.*

(a) *fititia*) Conferenda ſunt, quæ de iis ſupra monuimus.

(b) *Germaniæ & Italiæ*) Ottonis I. & ſequentium imperatorum diplomata, ex quo imperiale ſumſerint diadema, annos regni, germanici nempe, & imperii referunt. Italici vero regni anni non numerantur; eam haud dubie ob cauſam, quod imperium & Italiæ regnum ob contiguitatem ita conjuncta habeantur, ut unum alterius acceſſorium eſſe credatur; quanquam & Longobardicum regnum jura ſua majeſtatica ſeorſim habuerit. Illorum, quibus vivis patribus ſpes regni facta, antequam in imperatores uncti ſunt, diplomatibus anni ordinationis & regni adjiciuntur; poſtquam vero Romanum acceſſerit inſigne, ordinationis anni omittuntur. Animadverto, ab Henrici V. temporibus illos, quibus per Germaniæ regni adoptionem aut ejus ſpem ad imperium Romanum jus enatum, priusquam Romano decorati ſint inſigni, placuiſſe ſæpe ſub chartis ſuis regni Romani in Germania annos numerare. Diplomata vide apud *SCATEN. in annalibus Paderbornenſibus tom. 1. p. 667. & ſeqq.* Invaluit namque ex Henrici V. potiſſimum tempore, ut ii, quibus Germaniæ regnum absque Romana adhuc obtigerat coronatione, Romani dicerentur reges. Interim non dixerim, res Germanici regni cum imperio Romano, aut ea, quæ ad hoc attinent, cum regno Italiæ eſſe confuſa. Diſtincta ſemper manſiſſe multis comprobari poterit argumentis, quorum numero & hoc eſt, quod in diplomate Henrici II. imperatricium & reginarum Romanarum, Longobardorum ſeu Francorum, i. e. Germanorum, mentio injiciatur. VGHELL. *t. 4. p. 44.*

(c) *ſuperba oratio*) Eam quoque refert *HELMOLD. chron. Slavor. l. 1. c. 79. ABBAS STADENS. ad ann. 1155. & SIGONIVS ad ann. 1155.*

pretium. „Multa, *inquit cæſar*, de Romanorum ſapientia, ſeu fortitudine hactenus, audivimus, „tamen de ſapientia magis. Quare ſatis mirari non poſſumus, quod verba veſtra plus arrogan- „tiæ tumore inſipida, quam ſale ſapientiæ condita ſentimus. Antiquam tuæ proponis urbis no- „bilitatem, divæ tuæ reip. veterem ſtatum ad ſydera ſuſtollis. Agnoſco, agnoſco; & ut tui ſcri- „ptoris verbis utar, fuit, fuit quondam in hac republ. virtus. Quondam dico, atque utinam tam „veraciter quam libenter nunc dicere poſſemus. Senſit Roma tua, immo & noſtra, viciſſitudines „rerum. Sola evadere non potuit æterna lege ab auctore omnium ſancitam, cunctis ſublunari „globo degentibus, ſortem. Quid dicam? Clarum eſt, qualiter primo nobilitatis tuæ robur ab „hac noſtra urbe translatum ſit ad orientis urbem regiam, & per annorum curricula ubera deli- „tiarum tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Supervenit Francus, vere nomine & re nobilis, eam- „que, quæ adhuc in te reſidua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere antiquam tuæ „Romæ gloriam, ſenatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum diſpoſitionem, equeſtris ordi- „nis virtutem & diſciplinam. Ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? „Noſtram intuere remp. penes nos cuncta hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hæc cum imperio dima- „narunt.„ (Hæc verba arguunt, tum creditum, quod Germaniæ principes ſint proceres imperii Romani.) Pergit Fridericus: „ non ceſſit nobis nudum imperium: virtute ſua amictum venit: „ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt conſules tui: penes nos eſt ſenatus tuus: penes „nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi te conſilio regere, equites Francorum ipſi tuam fer- „ro injuriam propellere debebunt. *Poſt pauca addit:* Imploraſti miſera felicem, debilis fortem, „invalida validum, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus, ſi vocatio dicenda eſt, veni. Principem „tuum militem meum feci, teque deinceps usque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. „Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis, ſi poteſt, clavam de manu Herculis. Siculus, in quo „confidis, forte hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla. Nondum facta eſt Francorum, ſive „Teutonicorum manus invalida. Deo largiente, vitaque comite, & ipſe temeritatis ſuæ quando- „que capere poterit experimenta. Juſtitiam tuam, quam tibi debeam, exquiris? Taceo, quod „principem populo, non populum principi leges præſcribere oporteat; prætermitto, quod quili- „bet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſſurus nullum conditionis præjudicium pati debeat.„ Hæc omnia cæſar. Quæ profecto indicant, minime tum majeſtatem Germanici & Italici regni fuiſſe penes urbem. Conf. hiſtoriam archiepiſcoporum Bremenſ. Lindenbrogii *p. 103*.

§. 7. Narrat idem Otto *cap. 22.* quum, *prælio intra urbis mœnia exorto*, (a) cives Romani miſere a Germanico milite ſternerentur, inſultatum eſſe illis hunc in modum: *Accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc eſt pecunia, quam tibi princeps tuus pro tua offert corona. Sic emitur a Francis imperium. Talia tibi a principe tuo tibi redduntur commercia, talia præſtantur juramenta.* Porro, ſi Romæ donavit unquam Germaniæ ſuæ reipublicæ jura, utique & *illa inconſulta*, (b) neque legum ferendarum, neque belli & pacis, neque fœderum, neque creandorum magiſtratuum poteſtatem habuiſſet. Nunquam vero ad comitia vel Germanici *vel Italici regni* (c) Roma advocata eſt. Nunquam iis per legatos interfuit: ſaltim ut pars rerumpublicarum, multo minus ut domina. Haud diffitemur Romani papæ legatos perfrequenter adfuiſſe. At ne illi quidem auditi, ut miſſi a domino reipublicæ Germanicæ aut Italicæ, ſed vel alterius negotii ergo, vel, ut miſſi ab eccleſiæ antiſtite primario, utque ille ſe credi mavult, capite unico: quomodo & aliorum regnorum comitiis aulisque hodie papales nuncii vel *legati a latere*, (d) quos vocant, adhæreſcunt.

§. 8.

(a) *prælio intra urbis mœnia exorto*) Ægro ferebant animo Romani, quod Fridericus ſine eorum adſtipulatione ab Adriano IV. diadema accepiſſet. *ANONYMUS in chron. foſſæ novæ & annal. Piſan. ad ann.* 1155. *SIGONIUS l. 12. ad ann.* 1155. *CAFFARI ann. Genuenſ. lib. 2. p. 346. t. 6. ſcript. Italic. OTTONIS MORENÆ hiſtoria l. c. p. 987.* Memorat hic auctor p. 115. de alia Friderici cum conjuge Beatrice per Paſchalem coronatione, de ſola tamen Beatrice id factum ſcribere videtur GODEFRIDUS *ad ann.* 1167. *cui OTHO de S. Blaſio c. 20. adſtipulatur. vide not. ad OTT. MOR. p.* 1151.

(b) *illa inconſulta*) Quamdiu enim in territorio, quæ ſupremam poteſtatem civilem conſtituunt, absque alterius arbitrio exercentur, tamdiu ſalva eſt majeſtas, & ſic alterius territorii non eſt acceſſorium proprie dictum: poſſunt enim ſub uno eodemque capite, plura diſtincta eſſe territoria.

(c) *vel Italici regni*) Quotquot enim ab imperatoribus Germanicis, in campis Roncaliis aut alibi in Italia, comitia celebrata fuerint, hactenus non inveni, Romanorum deputatos ibi comparuiſſe.

(d) *legati a latere*) Qui, antiquioribus temporibus, papalia ad principes deferebant negotia, alio non potiebantur honore, quam qui ex ſacra reverentia ſummi cujusdam præſulis internuntiis ejus indulgebatur. Cum vero Romani pontifices immoderatam illam, qua per longum tempus abuſi ſunt, poteſtatem affectare cœpiſſent, legatis plus conciliare auctoritatis ſummi moliti ſunt ſtudio, ut eorum operam deinde eo magis in opprimendis epiſcoporum & conciliorum juribus commodam experirentur. PETRUS de MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib. 6. c. 28. n. 11. & ch. 29. n. 1. ſeconde partie du traité des legats p. 12.* Canoniſtæ, poſt gloſſam, *ad c. 1. de officio legati in 6to* ſtatuunt, tria eſſe legatorum genera, legatos a latere, legatos natos, & legatos miſſos. Legati miſſi ſive nuncii apoſtolici cardinalitia non præditi dignitate, aliquando dimittuntur cum poteſtate leghti a latere, quæ clauſula, juxta curiæ Romanæ ſtylum, illorum, qui fimbriam veſtimenti papæ tetigerunt, ſeu qui ab eo vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt, procuratoriis adjici ſolet. BARBOSA *lib. 1. jur. eccl. c. 5.* Diſtinguuntur ab internunciis, quoniam illi nomine pontificis imperatori, regibus & principibus adſunt, hi vero apud vicarios eorum aliosque ſupremos magiſtratus ut reſidentes commorantur. ESPEN. *eccleſ. univ. p. 1. c. 1. tit. 21.* Legati nati dicuntur, qui dignitati ſuæ eccleſiaſticæ officium & munus legati apoſtolici annexum habent, nec ulla hic ſedis Romanæ nova requiritur conceſſio. Horum poteſtas eſt admodum coarctata, nec ſe extra limites diœceſis ejusmodi legati extendit. In Germania tali dignitate Colonienſis, in Gallia Rhemenſis archiepiſcopi gaudent, in Anglia olim Cantuarienſis eodem

§. 8. Itaque quum ante Ottonis tempora, & Germania, & Italia Longobardica liberæ fuerint ab omni urbis dominio & jure, neque per vim aut ſponte in ditionem urbis redierint; manifeſtum eſt, Germaniæ Italiæque regionem ab urbe Roma ne hodie quidem ulla ex parte dependere, adeoque nomen imperii Romani alia plane de cauſſa iis competere.

§. 9. Liquet hinc porro, quam procul a vero ſint, & Germanicæ per Italiam reipublicæ adverſa, quæ habet vir *ſane maximus Hugo Grotius*, (a) *admirandi operis* (b) *de jure belli ac pacis lib. II. cap. IX. §. XI. Ex electione ſeptem principum, qui Germania corpus referunt, qui electus eſt, jus habet imperandi Germanis ſecundum eorum mores: ex approbatione vero populi Romani ſit idem rex aut imperator Romanorum, aut, ut hiſtorici ſæpe loquuntur, rex regni Italiæ: atque eo titulo ſub ſe habet, quæcunque populi Romani fuerunt, neque pactionibus aut derelicti occupatione, aut victoria jure in aliorum populorum imperium conceſſerunt. Unde illud quoque intelligi facile poteſt, quo jure epiſcopus Romanus, vacante imperio, inveſtituras tribuat feudorum imperii Romani, quia ſcilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. Solent autem, quæ ſunt corporis alicujus per primam perſonam, corporis nomine, expediri, ut alibi quoque diximus. Neque vero male Cynus & Raynerius tradidere, ſi imperator Romanus morbo aut captivitate impediretur fungi imperio, poſſe vicarium dari ab ipſo populo Romano.* Hæc ſane Grotii ferenda non ſunt; quod pace amici dixerimus.

§. 10. Primus error eſt, approbatione papali opus eſſe, ut rex Germaniæ ſit imperator Romanus, qui & ante excuſſus jam eſt, & *cap. ſeq.* fiet clarior. Alter eſt, regnum Italiæ & Romanum imperium proprie ſic dictum idem eſſe: quod itidem falſitatis jam notavimus, & mox fiet pluribus. Gravius tertium erratum eſt, interregni tempore ad papam pertinere collationem feudorum imperii Romani, h. e. ut ipſe quidem intelligit, omnis etiam regni Italici: cum tamen illud regnum nullo nunc jure pertineat ad urbem Romam; neque papæ in regno illo jus *competat vicariatus*, (c) quale Palatino & Saxoni in regno Germanico tempore interregni.

§. 11.

dem fruebatur jure. Legati a latere ex Cardinalium numero, & ſic de latere quaſi papæ mittuntur, longeque alios legatos auctoritate & poteſtate antecedunt, ita, ut a nonnullis ablegatis primi ordinis, qui Gallici vocabulo *ambaſſadeurs* vocantur, æquiparentur; e contra nuncii, oratorum, qui *envoyés* vocantur, loco eſſe, dicantur. Cujusvis generis legatorum papalium poteſtas per concilium Tridentinum limitata eſt. Nos hoc argumentum latius in *jure ſacro Romano-Germanico cap. 5. lib. 1.* pertractamus.

(a) *ſane maximus Hugo Grotius*) Huic natura omnes ingenii humani vires infudiſſe videtur. Conf. *hiſtoire des ouvrages des ſavans du mois de juin de l'an. 1688. BATESII vita Grotii, & BAYLE dict. critiq. t. 2. p. 1402.*

(b) *admirandi operis*) *GROTIVS mit tout ſon eſprit en ce livre, & il en pouvoit dire, que Caſaubon diſoit de ſon commentaire ſur Perſe dans une lettre a Monſ. Perillau ſon parent, qui n'eſt pas encore imprimée*, in Perſio omnem ingenii conatum effudimus. COLVMIES *bibliotb. chioſie p.* 128. Dicunt, elegantiſſimum juxta & elaboratiſſimum hoc opus non ſolum Oxenſtirnam Guſtavi Adolfi archiminiſtrum, virum, ſi quis unquam fuit, prudentiſſimum. Sed & ipſum hunc regem maximum diligenti verſatum eſſe manu *BAYLE l. c.* Plane divinum quid eſſe, errores ei interſperſi, potiſſimum illi, de quibus hic auctor tradit, ſatis produnt; talem autem id mereri cenſuram, qualem Feldenus facit, nemo, cui veritatis amor, rerum notitia, & aliquale judicii acumen ineſt, facile aſſeret. Dolendum ſane, Graswinckelium Grotii adverſus Feldenum vindicem egiſſe.

(c) *competat vicariatus*) Papæ vicariatus in Germania, nec ex lege divina debetur, nec ex humana. Illa enim, quatenus naturalis eſt vel revelata, eum ignorat: nam quanta etiam quis ſolicitudine juris innati rimetur præcepta, nihil aliud inveniet, quam naturam nulla plane dictare imperia; imo potius ſuadere; ne tot animarum curis occupato tot tantarumque rerum vicaria committatur ſumma. Revelatio in illo, qui Chriſto vicariam navare operam affectat, regendi pruritum damnat. Lex humana id juris papæ attribuens non exſtat, nec exſtare poteſt, quatenus ab alio, quam Germanico imperio, eſt ſancita; cum nemo, niſi inferiori, legem præſcribere queat; aſt Germania, præter Deum, nullum agnoſcit ſuperiorem. Porro nec pacto talis ad papam devoluta eſt facultas. Quis enim crederet, Germanos cum extraneo præſule, rerum ſuarum imperito, ut vices gereret imperatoris, paciſci voluiſſe. Hactenus profecto talis produci non potuit conventio. Immo leges, quæ a bulla aurea nomen habent, artic. 5. Palatino & Saxoni vicariatus, quo jam tum longe ante fruiti erant, confirmant. Et ſi nihil hic ab antiquo invaluiſſet, aut legibus traditum eſſet, penes electorale haud dubie collegium, utpote reliquos etiam ordines, ex quo ſtabilitum, repræſentans, eſſet vacantibus Germaniæ gubernaculis proſpicere. Quod autem ad territorii illius, quod imperii Romani proprie dicti nomine venit, attinet, nec ejus vicariatum ſibi pontifex adſcribere poteſt. Quamvis enim primariorum civium numero ſit, vitæ tamen ejus conditio, a negotiis ſecularibus, ex Servatoris noſtri præcepto abhorrere debet. Et ſi Germanico non eſſet quæſitum regno, id, quod Romanum dicitur imperium, per ſenatum & ex populo deputatos, usque dum novus electus eſſet imperator, regi debuiſſet; ſi aliud nihil ſtatutum foret. Nec alia de Italici regni vicariatu, ob ſimiles dicenda ſunt rationes. Atque inde Germanorum cæſares per varios in Italia conſtitutos vicarios nihil hic omnino Romano archipræſuli competere juris, eo magis teſtatum pervulgatumque reddere voluerunt. Extravagatur igitur graviter Joannes XXII. quando in ſanctioribus, quæ ſub ejus extravagantium vocabulo comprehenduntur, *titul. ne ſede vacante aliquid innovetur in perſona Petri terram ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit, imperii prædicti jurisdictio devolvatur, & eam ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios exercuiſſe noſcitur in imperio.* Quo abſurdiora hæc papalis continet conſtitutio, eo magis miror, tot juris peritos, quos *BVXTORFF. ad aur. bull. n. 55.* citat, provocare, licet teſtimonium in propria cauſa eſſe non ignorent. Labitur hic inter alios graviter MARTHA *de jurisdict. part. 1. c. 26. n. 5. & part. 3. c. 28. n. 16.* Quando aureæ bullæ per papalem hunc errorem derogari opinatur. Quid enim præſulis Romani iniquum placitum contra ſanctionem imperii pragmaticam poſſet? Præſertim cum falſum ſit, extravagantem pontificis conſtitutionem, poſt conditam auream bullam, in lucem prodiiſſe. Moneat illa cum aliis aberrationibus, ut æternum pontificii faſtus & iniquitatis monumentum, in corpore juris canonici. Expurgare librum, aut vulcano dedicare, majus eſt ei conciliare pretium. Quid juvat Hiſpanos, tomum XI. Baronii publico injeciſſe igni, &, ut in Antwerpiana omitteretur editione, juſſiſſe? Ad vana in membranas ſupplicia, vetito gliſcit auctoritas rerum, ſplendeſcitque per flammam alias obſcurus liber. GRAMONDVS *hiſtoriarum Galliæ libr. 1. pag.* 11. Igitur hic ab Hallenſium jurisconſulto non incelebri LVDWIGIO diſcedere cogor, qui in *comment. ad A. B. tit. 5. §. 1. p. 520.* ad purgationem & ignem provolat.

§. 11. Et ſane haud legas a Germanis, penes quos majeſtas eſt, aut etiam ab Italis, unquam vicariatus aliquod jus tale per regnum Italiæ papis eſſe conceſſum. Vacante imperio arrogare ſibi imperium voluit *Joannes XXII.* (a) vid. ejus bullam contra Ludovicum II. apud Herwartum anno 1323. *n. 20.* Arrogant autem ſibi etiam in Germaniam dominatum, vid. ejuſd. extravagant. *Si fratrum* tit. V. cardinalis Tuſchi verba ſunt: *Ex privilegio Vinceslai, Romanorum imperatoris, omnia jura imperialia ſunt translata in ducem Mediolani vicarium perpetuum.* (b) Alii vicariatum illum adſcribunt *Sabaudo.* (*) Quod definire non eſt noſtrum.

§. 12.

(a) *Joannes XXII.*) Proceſſus papales in Ludovicum Bavarum refert. *Tom. II. anecdotorum MARTENII & DURANDI pag. 644. ſeqq.* ubi Johannes Ludovico vitio vertit, quod rebus imperii ſe immiſcuerit, antequam ab ipſo conſenſum & diadema impetraverit. Quædam ſaltem inde excerpere liceat verba: *Quamvis*, inquit, *priusquam alterius eorum per ſedem apoſtolicam fuiſſet approbata, vel reprobata perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuit nomen & titulum prælibatum. Cum nec interim Romani reges exiſtant, ſed in reges electi, nec ſint habendi pro regibus, nec reges etiam nominandi. Idem etiam Lodovicus eandem, præſumto titulo non contentus, adminiſtrationem jurium regni & imperii prædicti in gravem Dei offenſam ac manifeſtam injuriam & contemtum Romanæ eccleſiæ, ad quam ejusdem vacantis imperii regimen, ſicut & in præſentiarum vacat, pertinere dignoſcitur.* Conquerebatur etiam graviter, quod LUDOVICUS *de Marchia Magdeburgica* (Brandenburgica) *in favorem filii diſpoſuiſſet.* Sed papalia illa lemmata veritate eſſe deſtituta, facile is, qui accuratius, quæ de prætenſo ejus vicariatu ante monuimus, contemplabitur, cognoſcet. Tametſi illo tempore plurimi cœco in pontificem abripiebantur affectu: attamen nec æquiorum partium ſtudioſi deerant. Cauſam nempe Bavari Marſilius Patavinus, profeſſione medicus, Joannes Jandunus, Occam, aliique tuiti ſunt, bullamque excommunicationis, qua in cæſarem debachabatur pontifex, injuſtum pariter & inane demonſtrarunt eſſe fulmen. Inſulſa Johannis primebat veſtigia ejus ſucceſſor Benedictus XII. & qui hunc excepit Clemens VI. quos æque ac Joannem inſigniter aberrare, & impia in ſanctum cæſaris caput librare fulmina imperator, & ordines in decreto & electores in epiſtola ad Benedictum exarata docuerunt. Oblivioni hic non eſt tradendum, in memorato decreto æternum valitura lege ſanctum, aut potius repetitum: *Ut electus in imperatorem concorditer, vel a majori parte electorum ex ſola electione cenſeatur, & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo imperatore.* Conf. LEIBNITII *codex diplomaticus parte 1. p. 148. ſeqq. Annal. Rebdorf. apud FREHERUM tom. 1. p. 426. SCHARDIUS in ſyntagmate tractatuum de imperiali juriſdict. GOLDASTUS in monarch. imperii tom. 3.* Hiſtoriam eleganti ſtylo proſequitur NICOLAUS *Burgundus hiſtoriæ Bavaricæ lib. 2.* argumentorum vero pondera, quibus imperatoris cauſa innititur, JO. GEORG. HERWARTUS ab HOHENBURG, Maximiliani Bavariæ electoris cancellarius, *in Ludovico Bavaro* luculentiſſime ſiſtit. Occaſionem libro Bozovii annalium Baronii continuatoris impudentia, Ludovicum cæſarum catalogo excutientis dediſſe fertur. Puto tamen, ſub ineptiis & quisquiliis illis papalibus flagitium aliquod dominationis, quod arcanum vocant, reconditum fuiſſe. Imperatoris nempe poteſtatem eliminare Italia piiſſimi præſules, vanitate tumentes, deterioribusque imbuti conſiliis animum induxerant. Nec hunc perverſum papalem appetitum penitus diſſimulare novit PALATIUS *geſt. pontific. vol. 3. p. 216.* quando memoriæ prodit, occaſione diſcordiæ inter Ludovicum & Fridericum Auſtriacum, ob Germanica ſceptra, enatæ, Joannem XXII. ad occupandam Italiam animum advertiſſe, gravique edicto nomen vicarii imperialis in Italia abrogaſſe.

(b) *Mediolani vicarium perpetuum.*) Non unius generis Francicorum & Germanicorum imperatorum vicarii Italiæ præfuerunt. Habebant enim civitates ſuos prætores, quos poteſtates vocabant, & vicarios; alii autem integris provinciis aut omni etiam præſidebant Italiæ. Nos unum aut alterum ſaltem eorum jam adducemus exemplum, reliqua commentariis noſtris de regno Italiæ reſervaturi. Carolingos Italiæ imperantes ſuos ibi habuiſſe præfectos & miſſos ordinarios vices eorum gerentes, ex illorum temporum annalibus conſtat. Nec minus illa ſub Ottonibus per vicarios recta eſt. Non dubito, in horum claſſem Tuſciæ marchiones, de quibus LUITPRANDUS *paſſim* & SCIPIO AMMIRATUS *lib. 1. hiſtor. Florentinæ tradunt*, referre. Ottone I. rerum ſummam tenente Conradus gener, deinde Ludolphus ex primo thoro filius ejus imperatoris, juſſu & nomine Italiæ admoti ſunt gubernaculis. CONTINUATOR REGINONIS *ad annum 952. 956.* Waltheri de Gonzaga vicarii imperialis & primi marchionis Mantuæ ab Ottone I. creati mentionem facit diploma apud *LUNIG. in cod. Ital. diplomatico p. 1342.* Hugonem Ottonis III. tempore Tuſciæ marchionem diploma apud VGHELLUM *tom. 3. Italiæ ſacræ* vicarium appellat, cum quo RICORDANUS MALESPINI *cap. 25. p. 37. coincidit.* Ex epiſtola modo dicti imperatoris ad GERBERTUM *n. 157. p. 690. tom. 17. biblioth. maxim. patr.* eum toti præfuiſſe Italiæ pateſcere videtur; ibi enim dicitur: *Hugonem noſtrum legatum* (vicarium) *ad præſens præfecimus, ut populi rectorem habeant, & vobis ejus opera debita ſervitia adhibeant.* Sub Conrado Salico Bonifacius Eſtenſis marchio vicariatu generali in Italia perfunctus eſt. *PIGNA nell' hiſtoria de principi d' Eſte p. 82.* Henricus III. Bennonem Comenſem epiſcopum ſuum & imperii in Italia vicarium conſtituit. VGHELL. *Ital. ſacr. t. 5. p. 255.* Wernerus quidam ex parte Henrici IV. Italiam procuravit. *Chron. Halberſtad. apud LEIBNIT. t. II. ſcript. Brunſv. p. 130.* Mathildis celebris, ut vocatur, ducatus Henrici V. vices geſſit. *SIGONIUS de regno Italiæ lib. 9. p. 483. 469. DONIZO apud LEIBNIT. tom. 1. p. 682.* Friderico I. vicariam in regenda Italia aut parte ejus operam Chriſtianus archiepiſcopus Moguntinus præſtabat. *Chronic. var. Piſana tom. VI. ſcript. Italic. p. 186. SIGONIUS de regno Italiæ lib. 14. ad ann.* 1171. 1172. Otto IV. Aquilienſi patriarcha per totam Italiam uſus eſt vicario. *CORIO dell' hiſtorie Milaneſe parte II. p. 153.* Henrico VI. imperante Bertoldus de Cunigsburg imperialis aulæ in Italia & Apulia legatus fuit. Vid. diploma apud VGHELL. *J. S. tom. 1. p. 461.* Sub Friderico II. variorum in Italia imperii vicariorum occurrunt nomina, ut Gregorii cognominati mons longus Auberti Pallavicini, Martini d' Ebulo, & Pandulphi, cui Fridericus imperatoris nothus in Etruriæ præfectura ſucceſſit. *CORIO dell' hiſtorie Milaneſe part. II. p. 206. MONACHUS PADUANUS ad annum 1251. pag. 593. CAVITELLUS in annalib. Cremonſibus ad an. 1253. MALESPINI c. 144. LOCATI origines placent. ad ann. 1256. PETR. de VINEIS lib. 3. epiſt. 9. & 46. ENGELSCHUSII chron. apud LEIBNIT. t. 2. ſcript. Brunſvicenſ. p. 1115.* Alberti Magdeburgenſis eccleſiæ archiepiſcopi ſub Friderico II. imperii ſacri in Italia legati & comitis Romani diploma habet. *VGHELL. tom. 4. p. 674.* Nec poſt interregnum illud ferale, quod tantopere Germaniam afflixit, Italiæ imperatorii defuere vicarii. Rudolphus Napulejum Longobardiæ, Lauddum Etruviæ vicarios dedit. *TRISTANUS CALCHUS hiſt. Mediolan. lib. 16. p. 361. 362. SCIPIO AMMIRATO lib. 3. ad ann.* 1281. Hunc in præfectura Rudolphus de Hohenek excepiſſe videtur, cui Johannes de Aveſins Hanoniæ comes, LEIBN. *cod. diplom. p. 20.* & huic Prinzivallus de Fliſco ſucceſſiſſe feruntur. MARTINET & DURAND. *tom. 1. anecd. p.* 1192. *UBERTUS FOLIETTA in clar. ligur. elogiis.* Adolfi vices in Longobardia, Matthæus Mediolani vicecomes, in Ethruria vero Joannes Cabilionenſis Burgundiæ princeps, geſſerunt. *CORIO delle hiſtorie Milaneſe part. 3. p. 303. annal. PTOLOM. LUCC.*

ad

§. 12. Peſſima omnium eſt, quam Grotius probat, Cyni ac Raynerii ſententia, præſertim, ſi eam intelligas, ut ipſi illi accipiunt. Scilicet illis imperator quoque dicitur ratione Germaniæ, Grotio vero tantum ratione regni Italiæ & urbis. Liquidum autem, niſi fallimur, factum a nobis eſt, Romano populo in Germaniam atque Longobardiam, imo & in ſuam urbem nihil eſſe ſummæ majeſtatis, ſed ſolius Germaniæ eſſe dare urbi illi imperatorem adeoque etiam vicarium ejus, ſi neceſſitas id efflagitet. Neque vero ipſe papa in regnum Italiæ quicquam ſibi arrogavit hactenus propter urbem, cui præſidet, ſed quaſi in donata ſibi a magno Conſtantino; aut ratione dignitatis in ſe a S. Petro derivatæ. vid. dict. extravag. *Si fratrum tit. V.* Qua de re alias.

§. 13. Ut vero illa, quæ Grotius concedit papæ in res Italiæ, ſunt iniqua: ita & iniquum fuiſſe cum Pauli IV. poſtulatum *de reſignanda per Carolum V.* (a) imperatoria poteſtate in manus papæ, tum nuperum conſilium Michaelis Lonigi de electorali dignitate per pontificem conferenda, ex jam ſupra dictis adparet clariſſime. Scilicet, ſi tollas Hildebrandinam illam in omnes reſpublicas Chriſtianas omnipotentiam, ne prætextum quidem aliquem juris habet papa in res Germaniæ alium, quam qui dependeat a juribus urbis Romæ. Illi autem urbi vere nihil competit juris circa conſtitutionem regni Germanici & Longobardiæ, adeoque nec competit papæ. Sed & jus dandi cæſarem Romanis unius eſt Germaniæ, ut ſupra ex parte jam eſt demonſtratum.

§. 14. Tantum abeſt vero, Longobardiam ac Germaniam reipublicæ ſuæ majeſtatem urbi Romæ ſubdidiſſe, ut cum urbe nunquam in vere unam rempublicam coiret. Eſt nimirum vere una, quæ *iisdem legibus* (b) ſummi imperii utitur, adeoque iisdem ſummis comitiis. At vero Romani

ad ann. 1296. Henricus VII. generali in Longobardia utebatur vicario Matthæo Maphæo, Mediolanenſi vicecomite. *JOVIUS in Matthæo magno. TRISTAN: CALCHUS p. 431.* Vicariatu illo ſub Ludovico Bavaro Galeacius, Matthæi filius, & poſtquam imperator ipſum, ut amicitiæ cum papa arctioris initæ ſuſpectum haberet, Guilielmus Montfortius potiti ſunt: verum Azzoni Galeacii filio, imperatorem nummis placanti, vicariatus reſtitutus fuit, qui autem deinde eo ſe abdicavit. CORIO *p. 405. 406. NICOL. BURGUNDUS in hiſtor. Ludovici Bavari lib. 2. p. 120.* Nec non Goriciæ comes, poſt fata Henrici VII. in Italia relictus, Friderici Auſtriaci nomine ſe pro imperii vicario geſſit. NICOL. BURGUND. *in hiſtor. Bavar. lib. 2. p. 61. 67.* Alios adhuc Ludovicus in Italia creavit vicarios, quorum numero etiam Caſtruccius fuit, auctus quoque comitis Palatii Lateranenſis dignitate, ut rite a cæſare diadema Romanum ſumi poſſet. *LEIBNITII codex jur. gent. diplomaticus part. 1. p. 132. NICOL. BURGUNDUS in hiſt. Ludovici Bavari lib. 2. p. 105.* Ceterum generali per Italiam vicariatu Johannes Bohemiæ rex uſus, eo deinde, ut Carolo filio cederet, ſe abdicavit. *VILLANI lib. X. c. 70. vita Caroli IV. apud GOLDASTUM in ſcript. Bohem. p. 97. ſeqq.* Carolus IV. Barnabæ vicecomiti continuavit vicariam gentis ſuæ dignitatem. *CAVITELLUS ad ann.* 1395. diploma habetur apud MADERUM *in append. ad Gervaſ. TILBER. pag. 99.* Wenceslai tempore Scaliger Veronenſis ſe generalem imperii vicarium appellabat. *CORIO part. 3. p. 515.* Rupertus primarios Florentinorum magiſtratus ſuas ibi habere vices juſſit. LUNIGII *codex Ital. diplomat. p.* 112. Nec ſequentes imperatores ſuos in Italia habere legatos & commiſſarios deſtiterunt, quorum in commentariis noſtris de Italiæ regno mentio injicitur. Recens eſt, quod Carolus magnus, ſextum puto, hodie feliciſſime imperii gubernacula moderantem, heroem, nulli alii omnium ſeculorum cedentem, Eugenium, clariſſimam regiæ Sabaudicæ domus propaginem, ob eminentiſſima in domum ſuam & imperium merita, terrarum, quas in Italia habet, generalem dixerit vicarium. Vid. *diploma apud LUNIG. in C. J. D. p. 335.*

(* pag. præc.) *Sabaudo.*) Regiam Sabaudicam domum quamplurimis heroibus magniſque principibus inclytam non Saxonicæ ſtirpi, ſed Mauriennæ comitibus ſuam debere originem, dom. de Eccard in originibus Sabaudicis docuit. Sunt quidem, quæ, Sabaudos Saxonicæ eſſe gentis, ſuadent, utpote in hiſtoria OTTON. MORENÆ reperitur, Fridericum ex Italia in Germaniam reverſum: *Per terram comitis Uberti de Saxonia, filii quondam comitis Amadei, qui dicitur comes de Maurienna, iter feciſſe.* Verum hic pro Saxonia, Savogia vel Savogua, legendum eſſe, ex Moguntino manuſcript. apparet codice. Ita quoque in nova MORENÆ editione, quæ ſe inter ſcriptores Italicos nuper editos conſpicienda præbet, ſecundum vetuſtiſſimi Ambroſiani codicis ductum *tom. 6. p.* 1159. legitur. Fateor, vulgari ſententiæ non leve accedere pondus, ſi diploma a MARTENIO & DURANDO *tom. 1. theſ. anecdot. pag.* 140. ex monumentis monaſterii Talverienſis depromtum, genuinæ eſſet fidei: in eo enim mentio injicitur *Beraldi de Saxonia, proregis Arelatenſis pro rege potentiſſimo Rudolfo, & ab auguſta majeſtate imperii creati vicarii.* Ad alia argumenta a laudatiſſ. Eccardo reſpondetur. Vicariatus dignitatem non demum a Friderico II. aut Carolo IV. ſed ab Henrico V. aut ante ipſum auguſtæ huic domui collatam eſſe, credendum eſt, ſi diploma, quod a *GREGORIO LETI part. 1. lib. 6. hiſtor. Genev. p. 425.* producitur, genuinum eſt. Thomam in Longobardia Friderici vicarium fuiſſe diploma apud LUNIG. *part. ſpecial. contin. 2. p. 4. arch. imperii* proditur charta anni 1356. qua Amadeo comiti vicariatus a Carolo IV. conceditur in GUICHENANI *hiſtoria regalis Sabaudienſium domus tom. 2. p. 207.* habetur, ex quo eam Ludwigius reſponſis ſuis ad auream bullam inſeruit. Videtur tamen ann. 1373. vicariatus ab eodem cæſare revocatus. LUNIGII *cod. Italiæ diplom. tom. 1. p. 2446.* & tandem a Sigismundo reſtitutus, *LEIBNITII cod. diplomat. part. 1. p. 305. LUNIGII. cod. Ital. diplomat. p. 682.* quique comitatum Sabaudicum ducali deinceps eſſe voluit dignitate. LEIBNIT. *loc. cit. p. 309. 312. LUNIG cod. Ital. diplom. tom. 1. p. 686. ſeqq.* Vicariatus Sabaudicus deinde ab imperatoribus ſubſequentibus confirmatus auctusque eſt. Vide privilegium Maximiliani I. apud LUNIG. *l. c. p. 371.* Caroli V. *p. 750. 758. 766.* Ferdinandi II. *p. 850.* capit. Leopoldi & Joſephi *art. 4.* nec non Caroli VI. art. 26. Vicariatum hunc olim ad certa reſtrictum fuiſſe loca, ex conceſſionum & confirmationum tabulis intelligitur: an autem temporis ſucceſſu tacite aut expreſſe univerſalis factus, & utrum, imperatorio ſolio non vacante, locum quoque habeat, ita, ut penes imperatorem alium dicendi vicarium non ſit poteſtas, illo tempore, quo Mantuano imperii vicariatus a Ferdinando III. conferebatur. Quid in hoc negotio, inter Sabaudum & Mantuanum controverſo actum ſit, in Lundorpii actis publicis evolvendum erit. Nos in commentariis de Italiæ regno abſque ira & ſtudio rem pertractabimus.

(a) *de reſignanda per Carolum V.*) Iniquius nihil excogitari potuit, quam papam, ut in manus ſuas Carolus imperium reſignaret, prætendere potuiſſe, cum ſatis ipſi conſtaret; eodem modo, quo jura conſtituuntur, illo etiam diſſolvi, neceſſum eſſe. Quæ forte hic amplius tradenda eſſent, de Italiæ regno dicturus, contemplationi ſubjiciam.

(b) *iisdem legibus*) Nec eædem leges reipublicæ unitatem inducunt. Poſſunt enim diverſarum rerumpublicarum eædem eſſe leges, & cetera illarum ratio diverſa manere. Documento nobis ſint leges Romanæ, quippe quæ in pluribus diſtinctis receptæ ſunt rebuspublicis. Rerum-

mani ad Germanica comitia nunquam ſunt vocati, ut nec ad Longobardica, quando de ſumma rei fuit conſultandum. Doceat illam reipublicæ diſtinctionem, vel ſola *trina cæſarum coronatio* (a) ab Ottonis M. usque ævo inſtituta. Eſt quippe corona ſingularis alicujus regiæ poteſtatis inſigne: quare quum & Germaniæ & Longobardiæ ſuæ ſint coronæ diſtinctæ a corona urbis Romæ, quadamtenus treis eſſe reſpublicas, adparet, non unam ſimplicem. Nec vero qua Aquisgrani inſignitur cæſar, corona eſt imperii urbis Romæ, ſed regni Germanici, aut, ut olim loqui mos fuit, regni Francorum. Eſt nimirum *Aquisgrani palatium ſedes regni Francorum*, ut inquit Otto Friſingenſis, *l. V. chron. cap. 35.* alibi. *Archiſolium regni Francorum* nuncupatur. Ipſemet Fridericus I. epiſtola ad Ottonem illum Friſingenſem, patruum ſuum, coronam Aquisgranenſem adpellat coronam *regni Teutonici.* Eodem modo loquitur Æneas Sylvius, legatus tum Friderici III. cæſaris, *oratione*, quam habuit cæſaris nomine *ad Calixtum III. papam.*

§. 15. Quadamtenus igitur tres diſtinctæ reſpublicæ ſemper fuerunt, regnum Germaniæ, regnum Longobardiæ, ac imperium Romæ; quadamtenus inquam: Omni enim ex parte non diſtinguuntur, quum habeant unum ſummum magiſtratum cæſarem; illius autem conſtituendi jura penes ſolam ſint Germaniam.

§. 16. Quantumvis autem hæc ita ſeſe habeant, manet tamen perobſcurum illud, quod ante diximus, ſi Germania & Italia non conceſſerunt in ditionem urbis Romæ, ſuntque etiamnum liberæ reſpublicæ, unde ergo acceperint nomen imperii Romani. Ceterum id potuit fieri etiam citra ſubjectionem, nec uno modo. Scilicet hodie & regna multa & principatus plurimi nomina ſua ſortiuntur a primaria quadam urbe aut arce, etſi penes illam non ſint ſummæ poteſtatis jura, ſed forte domicilium illa præbeat ſummo magiſtratui. Pervulgare quoque eſt, ut conſociatæ quædam reſpublicæ nomen accipiant unum ab una aliqua ſociarum, quæ tamen in reliquas nihil habet juris præcipui, multo minus aliquod dominium. Ita olim *Achai* (b) omnibus fœderatis dedere nomen, & in Romani imperii complexu fuerunt ſocii: hodieque Helvetii fœderati vulgo *Suiceri*, (c) ut Belgico germani *Hollandi* (d) nuncupantur. Familiariſſima eſt hæc appellandi ratio, quando multæ reſpublicæ unum habent communem magiſtratum ſummum, aut unum principem, maxime ſi accedat tempus valde longum. Paulatim enim appellatio illius reipublicæ, unde principi primarium eſt nomen, derivatur ad omnes alias. Itaque apparet profecto, propter nomen illud imperii Romani de Germaniæ & Longobardiæ abſoluta majeſtate nihil ſequius ſuſpicandum eſſe.

§. 17. Obſervandum porro, nomen illud huc inito derivatum fuiſſe, fortaſſis non tam ex decreto quodam, aut conſulto ordinum, vel Germaniæ, vel Longobardiæ, quam conſuetudine quadam ac uſu vulgi. Neque enim conſtitutionis alicujus publicæ, vel leviſſimum comparet indicium in omnibus rerumpublicarum iſtarum hactenus editis monumentis. Mirum vero, ſi rei tam magnæ nulla ſit memoria literis mandata. Facit huc, quod ante annum Chriſti CIↃ. illius nominis aut nullum aut rariſſimum fuiſſe etiam in ipſo vulgo uſum, merito colligas inde, quoniam vix reperitur in quoquam ejus ævi ſcripto, in Germania aut Longobardia imperii Romani nomen uſurpatum, contra quam profecto hodie inolevit conſuetudo. Non vero eſt novum, ut uſu paulatim invaleſcat provinciæ adpellatio, quæ non cœperit ex reipublicæ quodam inſtituto.

§. 18. Neque una de cauſſa vulgus olim induci facile potuit, ut Romani imperii nomen in Germaniam & Longobardiam transferret, poſtquam æterno fœdere Germaniæ & Longobardiæ regibus cæſareum urbis Romæ imperium ſummum ceſſit. Primo enim imperium urbis Romæ, quod vere eſt Romanum, creditum paſſim eſt dignitate præcellere regnum Germaniæ & Longobar-

rumpublicarum itaque unitatem non tam legum communicatio, quam eorum, quæ jura majeſtatica conſtituunt, communio efficit. Non dubito autem, quin auctor per leges ſummi imperii, illa, quæ majeſtatem conſtituunt, hic intelligat.

(a) *trina cæſarum coronatio*) Argenteam Germanico, ferream Longobardico regno, auream imperio Romano tribuebant, cum reapſe omnes eſſent aureæ. *ONVPHR. PANOVINIVS de comitiis p. 408. apud GOLDASTVM in politicis imperialibus cap. XI. p. 34.* impingit hic omnino, quod, ante Fridericum II. ferreæ coronæ nullum fuiſſe uſum, exiſtimet. Nam & ejus anteceſſores illam ſumſiſſe ex annalibus liquet. Conf. *AVCTOR noſter de imperatore Romano §. 30. ſeqq. SCHVRTZFLEISCH. diſſ. de regni Carolini divis. §. 18. OCTAVIVS FERARIVS de corona ferrea.* Verum enim vero, cum de eſſentia imperii & regni non ſit diadematis ſumtio, tam ferrea, quam aurea corona hactenus eſt omiſſa. SCHILTER *ad c. 8. jur. feud. alemannici p. 90.* Miror, OBRECHTVM *in notis ad Monzambano p. 15. ſeqq.* in ea verſari opinione, ac ſi diſtincta hæc inſignia diverſa non arguerent regna. Nullum ſane in medium produci poterit exemplum, ubi diſtinctæ, ut ajunt, coronationes non diverſorum regnorum ſint indicia. Et Arelatenſe regnum a Germania ſtricte ſic dicta fuit diſtinctum; licet illud cum hac aliqua ex parte, ut majeſtatem ejus comiter reverens, coaluerit. Quamvis negari nequeat, & aliquando Arelatenſe ſumtum eſſe diadema. COCCEJVS *in J. P. c. 8. §. 18.*

(b) *Achai*) *Quæ terra inter Eleos & Sigonios media ad mare orientem verſus excurrit, Achaja hoc tempore dicitur ab Achais eam incolentibus, priſco nomine agialus appellabatur, & incolæ Agialenſes nominati, ab Agialeo Sicyoniæ rege. PAVSANIAS de veter. Græciæ regionib. lib. 7.* Huic deinde fœderi plures aliæ, eodem ſumto nomine, acceſſere civitates. VBBO EMMIVS *de rebuspubl. Græcorum c. 12. p. 202. ſeqq.*

(c) *Suiceri*) Hi cum Uraniis & Sylvaniis in excutiendis Habſpurgenſium præfectis primi nomen ſuum toti liberorum nunc pagorum ſyſtemati indiderunt. *GVILLIMANNVS de rebus Helvetiorum lib. 2. c. 15. STVMPTII chron. Helvet. part. 2. lib. 6. c. 28. LEIBNIT. c. d. p. 69.*

(d) *Hollandi*) Syſtema hoc ſeptem uniti Belgii provinciarum Hiſpanorum peperit faſtus & crudelitas. *GROTIVS de antiquit. reipubl. Batavic. c. 6.* Ultrajectinum fœdus anno 1579. pactum, quod unionem vocant, ſocietatis baſis eſt. GROTII *annales Belgic. lib. 3. p. 63. METERANVS lib. 9. p. 246.* Commune nomen a ditiſſima & potentiſſima provincia nactum eſt. *Remarques ſur l'etat des provinces unies par temple ch. II. p. 88.*

bardiæ, utut nullius amplius eſſet potentiæ. Itaque quum tres illæ reſpublicæ quaſi unum corpus conſtituerent, ab ea, quæ opinione erat auguſtior, facile devolutum eſt nomen in totum corpus.

§. 19. Accedit, quod reges ſtatim a coronatione Romana imperatores Romani audierint, *reliquorum regnorum nulla facta mentione*: (a) quaſi ille titulus abſorpſerit alios minores, forte quod aut ſimplicitas, aut procul dubio faſtus magnanimitas, illa tempeſtate, non ferret cumulum titulorum, nomen autem cæſareum ea ætate adeo haberetur magnificum, ut adjicere quidquam videretur indecens. Conſtat ſane, eos nec adjeciſſe titulos ducatuum & comitatuum, quos tamen una cum regia & imperatoria dignitate poſſidebant. Primus, quantum videtur, Fridericus II. præter cæſareum nomen *Siciliæ & Hieroſolymæ* (b) titulum uſurpavit; Suevici tamen ducatus titulo non adjecto. Eum imitatus, centum & quinquaginta fere annis poſt, Carolus IV. & Romanorum imperator *ſemper auguſtus*, (c) & *Bohemiæ rex* (d) voluit dici. Ejus filius Sigiſmundus, & imperator, & *Hungariæ & Bohemiæ* (e) rex audivit. *Fridericus III.* (f) non multo poſt adjecit plurima propter ducatus, comitatus, & alias provincias ſibi ſubditas, Germanici licet imperii feuda eſſent. Qui mos ab eo usque tempore invaluit. Primus Maximilianus, *Rex etiam Germaniæ* (g) voluit dici.

§. 20. Quin ille vero titulus Romanus nude poſitus facile quoque vulgus inducere potuerit, ut imperii Romani nomen tribueret, cui proprie non debebat, ecquis dubitaverit? Quocunque autem initio cœperit primum appellatio illa, plebeia nimirum quadam conſuetudine aut publico decreto, circa annum CIↃC. Primores etiam reipublicæ, ipſosque cæſares & reges Germaniæ nominis illius uſum approbaſſe, non eſt negandum. Non quaſi id decreto quodam ſanxerint, ſed quod paſſim receptam loquendi rationem etiam ipſi ſint ſequuti. A *Conradi certe III. ac Friderici I.* (h) ætate videtur ipſa quoque reſpublica Germanica hoc nomen imperii Romani ſibi ſumpſiſſe: usque adeo apud ipſos magnates id fuit in frequenti uſu, quod docent tabulæ & monumenta alia.

§. 21. Eo promptiores autem videntur fuiſſe proceres & Germaniæ & Italiæ in ſuſcipiendo illo nomine, quo ſanctiore in exiſtimatione eſſet nomen illud, quodque paſſim crederetur imperium aliquod Romanum inſigne conſtitui oportere, commodiſſime autem fieri id poſſe, ſi illæ provinciæ, quibus æterna ſocietate junctum jam tum erat urbis Romæ imperium, illud nomen quoque ſibi adoptarent. Neque fortaſſis quosdam animos non & error occuparat: in unum imperium, quod Romanum ſit appellandum, ex divina conſtitutione omnes reſpublicas oportere convenire. Sane hujus ſententiæ apud ſcriptores licet haud pauca invenire veſtigia. Promota fortaſſis omnia fuerunt per juris Romani, ſeculo duodecimo renati, interpretes; quorum permultos ſane ita & loquutos & ſenſiſſe conſtat: quaſi unum a Deo ſit totius mundi imperium, ut una eccleſia, inſtitutum, utriusque ſede primaria urbi Romæ attributa.

§. 22. Ex eo igitur tranſiit imperii Romani nomen in Germaniam & Italiam Longobardicam. Si vere autem rem omnem volumus æſtimare, nomen illud auguſtum huc tantum eſt traductum, urbi

(a) *reliquorum regnorum nulla facta mentione*) Dictum ſupra imperiali diademate ſumto, imperii & regni Germanici annos numeratos eſſe.

(b) *Siciliæ & Hieroſolymæ*) In Ughelliano opere collecta ſunt diplomata, in quibus ſe regem Romanum aut imperatorem ſemper auguſtum, & Siciliæ regem vocat. *T. 1. p. 1133. t. 4. p. 211. t. 8. p. 261. t. 10. p. 300. HEDA p. 193. ſeqq.* Siciliæ regnum jam tum pater ejus diplomatibus inſeri juſſit. *HED. hiſtor. Ultraject. pag. 177. 168.* Sunt etiam diplomata de anno 1212. in quibus præter regnum Siciliæ, etiam ducatus Apuliæ, & principatus Calabriæ mentio injicitur. *VGHELL. t. 7. & 9. p. 209.* Poſtquam autem Joannis, ab Atavis Hieroſolymitani regni titulum & jus reliquum habentis, filiam Jolantam ſibi matrimonio junxerat, & id, quod ſocero Hieroſolymitani regni reliquum erat, in dotem acceperat, etiam regis Siciliæ titulum adhibere ſolitus fuit. *MACHIAVELLI hiſt. Florentin. lib. 1. p. 21. VGHELL. t. 7. p. 82. t. 8. p. 226.*

(c) *ſemper auguſtus*) Hoc titulo imperatores noſtros, a Carolo magno, usque ad hæc uſos eſſe tempora, deducit *PFEFFINGER. ad Vitr. t. 1. p. 300. 301.* quibus adde diplomata Ludovici pii apud VGHELL. *Ital. ſacr. t. 5. p. 264.* Ottonis I. & II. *SCAT. tom. 1. p. 316.* Ottonis III. *VGH. t. 1. p. 414.* Henrici II. *VGH. tom. 8. p. 76.* Henrici V. *VGH. t. 4. p. 542.* Friderici I. *VGH. t. 3. p. 372. t. 5. p. 181. & in chron. ROMVALDI tom. 7. ſcript. Ital. SCAT. t. 1. p. 755.* Henrici VI. *HEDA p. 168. 177. SCAT. tom. 1. p. 889. 896.* Philippi *HEDA p. 186.* Ottonis IV. *VGH. tom. 1. p. 461.* Friderici II. *VGH. tom. 4. p. 1073. tom. 2. p. 19. tom. 1. p.* 1131. *tom. 7. p. 414. tom. 8. p. 226. HEDA & SCAT.* paſſim. Videtur tamen poſt Friderici II. demum tempora in perpetuum tranſiiſſe uſum. Sunt enim diplomata, ubi ille ſe Romanorum regem & imperatorem auguſtum, non addita voce *ſemper*, appellat. VGHELL. *tom. 2. p. 120.*

(d) *Bohemiæ rex*) Caroli IV. pater Johannes ſe Bohemiæ regem & Lucemburgi comitem vocabat. VGHELL. *Ital. ſacr. t. 5. p. 626.* Carolus autem ſe dixit: *Divina favente clementia Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, & Bohemiæ regem. VGHELL. t. 2. p. 181. t. 3. pag. 153. 163. SCAT. t. 2. annal. Paderborn. p. 318. 360.*

(e) *Hungariæ & Bohemiæ*) *In diplomate apud VGHELL. t. 2. p.* 185. dicitur: *Sigiſmundus, Dei gratia Romanorum rex, ſemper auguſtus, ac Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ rex.*

(f) *Fridericus III.*) Diploma ejus apud VGHELL. *t. 5. p. 636.* ſequentia continet: *Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator ſemper auguſtus, ac Auſtriæ, Styriæ & Carioliæ dux, dominus Marchiæ, Sclavoniæ, ac portus Naonis, comes in Habſpurg, Tyrolis, Phyretis & in Kyburg, marchio Burgaviæ, & Landgrafius Alſatiæ.* Ab hoc deinde tempore cumulus ille titulorum non ſolum retentus, ſed & ex novis ſubinde acceſſionibus auctus eſt. Nec titulorum illorum congeriem plane improbo, præſertim ſi, ob conſervanda jura, provinciarum nomina memorentur.

(g) *rex etiam Germaniæ*) Vid. *receſſ. imper. Trevir. Colon. de anno* 1512. Illo haud dubie additamento Maximilianus I. Germanicum regnum per Romanum imperium non eſſe abſorptum, eo magis publice exponere voluit luci.

(h) *Conradi III. certe ac Friderici I.*) *LIMNÆVS ad Capitul. Caroli V. p. 102. n. 17. 18.*

urbi Romæ nihil eo ipſo eſt conceſſum. Certe poſt illa non magis atque ante quicquam mutavit Germaniæ atque Longobardiæ reſpublica. Perſtat eadem libertas; eadem adminiſtrandi ratio. Æque hodie diſtinguuntur ab imperio vere Romano, i. e. cujus jura dependent ab urbe Roma, atque olim, antequam ſcilicet cæſarea dignitas ad Germanos eſt delata. Neutra reſpublica provincia aliqua eſt Romanæ urbis; voce provinciæ accepta ex uſu veteri, pro regione, quæ ſit ſubdita urbi Romæ. Hinc hodieque ſeorſim corona Germanica, ſeorſim corona Romana accipitur, atque cum hac ultima demum integer imperatorius titulus adſumitur. Igitur etiamnum imperii Romani nomen proprie deſignat imperium illud urbis, quod Germaniæ eſſe datum perpetuum, capite XII. probavimus: ſecundario Germaniam ſignificat, & Italiam Longobardicam. Certe haud prædicatur illud nomen de omnibus illis *συνωνύμως*, ut loquuntur ſcholæ Logicorum.

§. 23. Non cumulabo multa teſtimonia ex variis ſcriptoribus petita, unde diſcrimen imperii urbis proprie dicti, & imperii Romani in Germania & Italia Longobardica, appareat; quum tota adminiſtratio reipublicæ, & cæſareus titulus, cui hodie ſimul *regis Germaniæ* nomen ſemper adjicitur, id ſatis doceant. Id ſilentio præterire non licet, poſſe cui haud ſine cauſſa fortaſſis videri illam imperialis nominis aſſumptionem, ut nulla neceſſitate exigente fuit inſtituta, ita Germaniæ non tantum non fuiſſe utilem, ſed etiam detrimentoſam. Certe nihil cauſæ obtendi poteſt, quur debuerit neceſſario id nominis in Germaniam atque Italiam Longobardicam derivari. Neque enim jus ullum ſive divinum ſive naturale id ipſum potuit expoſcere, prout ex iis, quæ ſupra diſputavimus, clariſſimum eſt. Neque appellatione illa dignitatis aliquid *Germaniæ accrevit*, (a) quippe quæ & alias nobiliſſima ſit regionum Europæ, & ſi diſerte audiiſſet *domina Romani imperii*, (exigui ſcilicet illius urbici) qualis profecto eſt, longe apertius majeſtatem ſuam oſtendiſſet. Ambigua vero illa ſignificatio nominis Romani imperii non poteſt non obſcurare jura auctoritatemque Germaniæ: prono ſcilicet errore ſubdita credi poteſt illius, cujus eſt domina. Et vero haud pauci, tantum una illa de cauſſa, graviſſime peccaverunt, quod in republica profecto momenti eſt maximi.

§. 24. Neque papa Romanus plus aliquandiu in Germania, quam in Gallia, Hiſpania, vel alibi potuit; niſi quod Romanum imperium adeoque & Germaniam a ſe dependere, nonnullis perſuaſiſſet. Qui, ſi per errorem aliquid juris papæ tribuiſſent in imperio urbis Romæ, & Germaniam rite diſtinxiſſent, nihil detrimenti ac turbarum hinc cepiſſet res Germanica; cepit autem plurimum & ſatis quidem frequenter.

§. 25. In univerſum porro nemini paullo prudentiori ignotum eſt, quam facile convellantur jura rerumpublicarum, quæ forte fortuna ſub uno principe coierunt, ſi pro antiquis & diſtinctis nominibus, unum aliquod novum commune, aut unum ex multis pro omnibus, uſurpetur. Vidit hoc ipſum ſapientiſſimus cæſar Maximilianus I. Auſtriacæ familiæ decus, & remedium adhibuit magna prudentia. Quem enim hactenus neglexerant cæſares titulum, cum proſpiceret imminens reipublicæ periculum, adjecit Romano nomini; *Regem* ſe *Germaniæ* dicens. Conf. Goldaſt. replicat. imp. cap. 35. p. 346. ubi omnino videndus. Quo exemplo ducti auguſtiſſimi ſucceſſores ſtudioſe etiam idem illud obſervarunt hactenus.

§. 26. Niſi autem admodum fallor, debetur hoc conſilio *Joannis Trithemii*, (b) qui omnes ante ſe Germanos antiquarum rerum haud proletaria peritia longo intervallo ſuperavit. Is certe fuit apud cæſarem illum ſummæ exiſtimationis, & de hoc negotio hiſce verbis diſſeruit *libri de origine Francorum fine*: poſtquam paullo ante regno Germanico una cum aliis *Italiam univerſam præter bona eccleſiæ* accenſuiſſet: *Rex igitur Germaniæ quicunque pro tempore fuerit, duo habet, regnum &* im-

(a) *Germaniæ accrevit*) Videtur ea majoribus fuiſſe opinio, quod in noſtrum regnum ex nomine urbis, quæ olim orbi aut magnæ potius ejus parti imperaſſe dicebatur, ſingulare honoris incrementum profiueret; cæſaris autem vocabulo in Germania nihil obinde deberi conjicit *LVDWIGIVS in comment. ad proœm. A. B.* cum ſerius in lingua vernacula adhiberi cœperit, nomenque cæſaris & imperatoris regis vocabulo eam ſignificaſſe tradit. Hincque factum, ut monachi in chronicis ſuis latinis pro cæſaris vocabulo regis nomen adhiberent. Exſtant tamen codices bibliorum germanice translatorum manuſcripti ſeculum 14. vetuſtate ſuperantes, in quibus vox Käyſer legitur. Quod autem ad Romani additamentum attinet, obveniſſe arbitratur, quod communi vocabulo deſtituti Germani Romanorum illud, quo omnium provinciarum compagem exprimerent, amplexos eſſe. Verum Taciti immo cæſaris tempore Germanorum nomen jam tum gentis erat factum. Nec dubito, quin Germani ab antiquiſſimis etiam temporibus a ſupremo numine, quod Theut vocabant, generale Theutiſchon aſſumſiſſe nomen. Quis igitur ſibi perſuaderet, Conradum, Henricum aucupem, & Ottonem I. ſe reges, non addito vocabulo Germaniæ dixiſſe, quoniam illo tempore nondum toti genti communis quædam adſuerit vox. Nam hoc omni repugnat antiquitati. Ejusdem tenoris eſt aſſertum, Maximiliani I. tempore, cui principi placuit imperatoriis titulis adjicere König in Germanien, generale vocabulum Teutſch nondum in uſu fuiſſe; contrarium enim ex tot veteris ævi monumentis apparet. Nec dici poteſt, quod Germanien ſit proprie dicta vox latina; nam quoad radicem æque ac terminationem germanica eſt. Placuit igitur haud dubie vox ſynonima, quæ conciſior eſt alia, & virtutem Germanorum militarem, quam ſemper magni fecit Teutonum gens, exprimens. Quæ de ſeptem Germaniæ provinciis attexuntur, nullo plane nituntur fundamento, ut a nobis alibi probatum eſt. Sunt, qui putant, Germanis regis Romani vocabulum propterea fuiſſe ad palatum, ut indicarent, non Romanam eſſe, quæ Germaniæ, ſed hæc illi imperaret, cum Romani, Tarquiniis ejectis, nullos ſibi in poſterum conſtituere reges, pacti fuerint.

(b) *Joannis Trithemii*) *TILEMANNVS in diſcurſu philologico p. 255.* ait: *in hoc homine admirabilem fuiſſe vim juxta ingenii atque memoriæ.* Miror tamen, ipſi æque ac vulgo magicarum vanitatum ſuſpectum fuiſſe, niſi per magicas vanitates, ſubtilitates, quas vulgus ignorat, intellectas voluerit. Vid. *apologie pour tous les grands perſonnages, qui ont ete fauſſement ſoupçonnés de magie par G. NAVDE c. 17. p. 505. ſeqq.*

imperium. Ad regnum per principes eligitur, & nullius confirmatione indiget, ad imperium vero, quod eſt regno jure annexum, per pontificem Romanum & confirmari debet & ungi. Regnum eſt Germanorum nomine dicendum, imperium vero Romanorum. Confuſe loquuntur, qui dicunt Maximilianum regem Romanorum, cum Germanorum dicere potius debuiſſent. Similiter, qui dicunt Coloniam, Treverim, Leodium, Metim, vel alias urbes Germaniæ, civitates eſſe imperiales, cum ſint regales, non recte loquuntur. Nam ſi aliquando contingeret, a Germanis imperium auferri, maneret nihilominus Germania regnum, ut nunc eſt, liberum, omnes provincias & civitates pro omnia loca præſcripta ſibi habens, ut hodie habet, ſubjectas. Hæc Trithemius: & quidem rectiſſime, niſi quod Germaniæ imperii Romani nomen omnino velit ereptum. Quod adeo inolito jam ejus uſu, nec poteſt fieri; neque fas fuerit. Vid. Onuphr. Panvin. de comitus, *cap. 5. p. 66. n. 17.*

§. 27. Ceterum Maximilianeo illo inſtituto ſatis iterum cautum eſt Germaniæ libertati pariter atque dignitati: licet ex animis omnium tenebræ, quas invexit ambiguum illud imperii Romani nomen, non potuerint hactenus excuti. Niſi tamen admodum fallor, quum hodie ab omnibus cæſaribus accurate adeo diſtinguantur Germaniæ jura a rebus veri & proprie dicti imperii Romani, haud minus atque regnum Francorum a Romano imperio diſtinctum eſt a Carolo magno; nefas pene eſt etiamnum pati ſibi fucum fieri ab illa vocum ambiguitate. Neque vero, nunc ſane, fulgente adeo clara luce, eſt, cur quis merito amplius hæreat in antiquis illis tenebris.

§. 28. Sed & obſervatum quoque idem eſt diſcrimen ſatis accurate a Melchiore Goldaſto, rerum Germanicarum longe *peritiſſimo ſcriptore:* (a) ceu apparet *ex rationali ejus ad reſcriptum Ludovici Germanici tom. II. conſtitutionum imperialium*, aliisque alibi ab eo diſſertatis: vid. quædam ejusdem verba *pag. 267.* Replic. Imo vero jam ante accurate diſcrimen hoc obſervatum eſt, cum aliis multis tum *Lupoldo Bambergenſi* (b) in libro doctiſſimo, quem pro dignitate imperii ſcripſit Ludovico IV. cæſare.

Caput. XIII.

Imperii urbis Romæ, & eorum, quæ inde pendent, jura, etſi a papa omnibus modis ſint convulſa, etiamnum tamen ad Germaniam pertinere.

§. 1.

Redeundum nunc (c) eſt ad imperium illud perpetuum, quod Germaniæ in urbem, papam & Petri patrimonium eſſe in Ottone magno conceſſum, atque ad Hildebrandi usque tempora integrum perſtitiſſe, *decimo capite* prolixe demonſtravimus. Ad illud penitus evertendum ſequutis ſeculis papas omnem moviſſe lapidem, notius eſt, quam ut egeat probatione. Namque cæſareum jus eligendi papam, aut certe electum confirmandi, item auctoritatem inquirendi in eorum mores & vitam, impietatis horrendæ damnaverunt. Regimen urbis Romæ ſibi ſolis arrogavere. Imperialem dignitatem ac vim ſui eſſe juris profeſſi, ſibi ſumpſerunt poteſtatem conſtituendi cæſares & conſtitutos viciſſim pro arbitrio removendi. Denique, ne quid deeſſet ſummæ injuriæ, ne quidem in ſibi donatum patrimonium agnoſcunt amplius cæſaream jurisdictionem: quem in ſenſum ſcribit cardinalis Tuſchus: *Papa in temporalibus eccleſia Romana eſt imperator & ſupra imperium.* (d) Uno verbo, id, quantum in ſe eſt, laborarunt papæ, ne quid præter nudum cæſareum no-

(a) *peritiſſimo ſcriptore*) Hic vir, quem, eruditorum ſæpe malum, penuria graviter preſſit, inſignem rerum patriarum habuit notitiam, quod tot ipſius opera, tam edita, quam inedita, luculenter demonſtrant. Atque igitur elogiis, quæ in ſcriptis auctoris noſtri paſſim ipſi impertiuntur, non indignus fuit. Inter conſtitutiones ab eo collectas nonnullas ſuppoſititias eſſe, viri docti jam dudum animadverterunt. Conf. *Venerandi Abbatis FABRICII hiſtor. bibl. P. 2. p. 249. ſeqq.* Inter ſcripta ejus rariora id, quod de Seniore ENGELBRECHTO appoſuit, habetur; nec non *replicatio pro imperio adverſus Gretſerum, collectio ſcriptorum Suevicorum.* In Bremenſium bibliotheca varia ejus inedita latere relatum accepi; quoque auctoris noſtri præfationem, quam philologicis epiſtolis, antea ex Goldaſti bibliotheca editis, præmiſit.

(b) *Lupoldo Bambergenſi*) Scriptum hoc, ſua non defraudandum laude, tam in *GOLDASTI monarchiis*, quam in *SCHARDIANO de jurisdictione imperii ſyntagmate reperitur. LVPOLDVS teſte VOSSIO de hiſt. latinis lib. 2. p. 459.* juris egit profeſſorem.

(c) *Redeundum nunc*) Quæ auctor in præcedentibus capitibus, de immenſæ poteſtatis papalis uſurpationibus, ſparſim diſſeruit, in hoc capite ad certos & determinatos quosdam redigit fontes.

(d) *imperator & ſupra imperium*) Hujus ſententiæ quam plurimi patroni a BELLARMINO *lib. 5. de Romano pontifice, & CARERIO lib. 2. de poteſtate Romani pontificis c. 9.* citantur. Levidenſia ſunt, & ad nauſeam usque a veritatis cultoribus excuſſa, quæ *SCACIAS de judic: lib. 1. c. 11. §. 6.* pro ea ſtabilienda adducit. Vid. ZIGLERVS *de epiſcopis c. 6. §. 15. 16.* Ut autem eo magis de veritate aſſerti auctoris noſtri conſtet, teſtimonia adhuc quædam adjiciamus. *AZONIVS tom. 2. inſtit. moral. lib. 10. cap. 6. p.* 1014. imperatorem papæ jure divino, etiam in temporalibus, ſubjectum eſſe dicit, cui BLASIVS BAGNVS *de eccleſiæ dignitatibus tractat. 7. p. 83.* accedit: *Poteſtas ſpiritualis temporali dominari debet, Gloſſa ad c. unum ſanctum de major. & obed. in extravag. commun.* Blaſphemiam redolet *gloſſa ad c. cum inter de verb. ſignificat in extravag. Joh. 22.* ubi dicitur: *Deus noſter papa.* Auctor libri gallici *de excommunicatione & depoſitione regum* memorat Thomam Manriquium, ſacri palatii magiſtrum, in cenſura gloſſarum juris canonici ſuaſiſſe, ut hæc aboleretur; verum Gregorius XIII. voluit, ut ſalva eſſet. Vid. *bulla ejus præfixa jur. canon. Paris. 1612. edit. BOZOVIVS in libro de pontifice Romano* approbatione inquiſitoris apoſtolici typis ex ſcripto eum vocat: *Chriſtianorum monarcham, mortalium ſupremum judicem cœli & in judicio terreno ſupremum, arbitrum orbis, c. 1. 3. 32.* 45. Hic junge *MOSCONIVM de majeſtate eccleſiæ militantis lib. 1. c. 7. p. 26. & CELSVM de juribus princip. lib. 3. c. 1. & 2.* qui pontificem *regem regum, dominum dominantium*, appellant. Ultimum occupabunt locum *c. 1. de majoritate & obed. extravag. comm. & c. 6. 10. de majorit. & obed.* quæ merito, ut indicia pontific. faſtus omni exceptione majora, primum habere debuiſſent. Ridiculum eſt, quod auctor gloſſæ, papam inſtar ſolis, impera-

nomen ſupereſſet. Ita loquitur & M. A. de dominis *lib. 4. c. 3. n. 31.* Inde papa excommunicat omnes, qui aliquid juris ſibi uſurpant in urbem Romam: vid. ſumm. Cajetani *cap. 53. p. 157.*

§. 2. Horum nihil vero auditum fuit, vel tentatum ante Hildebrandum, quem Gregorium VII. vocant. Hoc auctore autem *omnia conturbata* (a) in republica, ut in eccleſia totius mundi. Exemplum & doctrinam ejus omnibus ſucceſſoribus ſtrenue ſectantibus, ac canoniſtarum caterva nihil non defendente, quod os pontificium pronunciavit.

§. 3. Ceterum, ſi ſpectemus jura & rationes, quare contra anteacti temporis uſum ac leges, pontifices hodie iſta, quæ ante diximus, non vereantur, aut dubitent, ſine rubore ſibi arrogare, ſex fortaſſis numero ſunt, quibus omnia nituntur. *Primum* eſt omnipotentia pontificiæ ſedi a Chriſto conceſſa, non ſpiritualis modo, ſed temporalis etiam, uti loquuntur, *in omnia regna & reſpublicas:* (b) Imperatores ſcilicet, reges, principes juribus & poteſtate exuendi, ſubditos a jurato obſequio abſolvendi, reſpublicas & populos peregrinis donandi.

§. 4. Ex hoc ſane principio fluxerunt Hildebrandi novi ac portentoſi *dictatus*, (c) quos appellat cum alii tum quoque hi: *Quod ſolus papa poſſit uti imperialibus inſigniis. Quod illi liceat imperatores deponere. Quod ſententia illius a nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quod a nemine ipſe judicari debeat. Quod a fidelitate iniquorum* (principum puta, quos ipſe iniquos cenſuerit,) *ſubjectos poteſt abſolvere.* Hiſce innixi papæ cæſares noſtros ſolio ſuo depellere auſi ſunt aliquoties, *ſubditis juramento ſolutis*, (d) & ad rebellionem ſacra quadam auctoritate *concitatis.* (e) Huc per-

ratorem ut lunam, *47.* vicibus magnitudine ſuperare, aſſerenti, correctoriam adjiciat notam, nempe 57. vicibus papalem excedere imperatoriam poteſtatem. Salſiori adhuc cachinno dignum eſt ſumoſum illud ſinciput, quod, teſte auctore, libelli *de depoſitione regum* exceſſus numerum ad *7744.* extendit. Tandem his verbis rerum teſtimonia adjungi poſſunt. Nonne papalis ſuperbiæ clariſſimum eſt ſignum, quod non erubuerint, ab imperatoribus regibusque ſtratoris officium, aliaque tantis principibus indigna, exigere, aut admittere? *BARONIVS tom. 12. annal. ad ann.* 1177. Aliquos enormiſſimam præſulis Romani arrogantiam expertos, *VALESIVS in notis ad Berengarii panegyricum p.* 211. recenſet. Sibilo profecto dignus erat Adrianus IV. qui ſtomachabatur, quod Fridericus I. cum dextram tenere debuiſſet ſtrepam, ut ajunt, ſiniſtram tenuerit, frendenti papæ hæc annunciari juſſit Fridericus: *Non enim tenendis ſtrepis magnopere ſtudium dedi, enim vero ipſe, ut memini, primus eſt, cui tale obſequium dependi. HELMOLDVS in chron. Slav. p. 603.* Papalibus pedibus a nullo unquam imperatorem ante Fridericum I. oſcula libata eſſe, tradunt. Obtigiſſe tale munus Alexandro III. & Victori IV. quem antipapam vocant. ROMVALD. & RADIVICVS *in chron.* docent. Olim quidem moris erat, ut imperator & papa oſcula dextrasque jungerent, a quo tamen ritu deinde, papali ſuperbia, diſceſſum eſſe, ceremoniale Romanum docet. Habetur enim in illo *libro 1. tit. 1. 5. p. 22. Caeſar, ut primum pontificem videt, illum detecto capite genu terram tangente veneratur, & iterum cum appropinquet ad gradus ſedis papa, genu flectit, & demum, cum ad pontificis pedes pervenerit, illos devote oſculatur.* His adde, quæ ibidem *lib. 3. tit. 1. p.* 113. leguntur: *Pontifex Romanus nemini omnino mortalium reverentiam facit, aſſurgendo, manifeſte caput inclinando aut detegendo; Romano autem imperatori, poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis ſuſcepit, aliquantulum aſſurgit. Magnis etiam principibus privatim adventantibus, cum non eſt in pontificalibus, aliquantulum aſſurgit.* Dolendum profecto eſt, monarchiæ papalis aſſeclas tanto pro hoc errore depugnare fervore, ut & ſacræ ſcripturæ loca in ſuam detorquere opinionem non erubeſcant. *ZIGLER. l. c. §. 26. ſeqq. CASAVBONVS exercitat. 15. antibaroniana n. 12. ſeqq.* qui patrum dicta examinat; nec pretii cujusdam ſunt, quæ ROSWEYDVS *in lege talionis tab. 10.* ipſi opponit. Adde *OTTII examen annalium Baronii p. 41. §. 7. ad ann. Chriſti 33. MOVLIN. dans la decouverte du myſtere d'iniquité l. 3. c. 11. ſeqq.*

(a) *omnia conturbata*) Vide *ABBATEM VRSPERGENS. SIGEBERTVM GEMBLACENSEM in Henrico IV. & GOLDASTI apologiam pro Henrico IV.* Non ignoro, LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM Gregorii tueri partes; ſed ille clericali inflatus ſpiritu, hanc ſuſcepit provinciam, interim diffiteri nequeo, pontificem hunc alacris fuiſſe ingenii, ſolidioris judicii & conſtantis animi. Nec dubito, quin inter optimos ſedis Romanæ præſules collocandus fuiſſet, ſi ambitionem ſuam intra juſtos coercere ſciviſſet limites.

(b) *in omnia regna & reſpublicas*) *Tractatus de libertatibus eccleſiæ Gallicanæ lib. 4. c. 7. 8. ſeqq.* ubi doctorum aberrantium caterva, & exemplorum temeratorum allegatur congeries.

(c) *dictatus*) Hos, viginti ſeptem numerum implentes, in concilio Romano anno 1097. a Gregorio VII. conditos, enarrat *SCHILTER de libertate eccleſiarum Germaniæ lib. 4. c. 5. § 35.*

(d) *ſubditis juramento ſolutis*) *Lego & relego*, inquit *OTTO FRISINGENSIS lib. 6. chron. c. 35.* de Henrico IV. *Romanorum regum & imperatorum geſta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum, vel regno privatum, niſi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano epiſcopo inter pænitentes collocatus, & Theodoſius a beato Ambroſio propter cruentam cædem a liminibus eccleſiæ ſequeſtratus ſit.* Vid. tamen *PFEFFING. J. P. tom. I. pag. 18. ſeqq.* Conf. *LVNIGII ſpicileg. eccleſ. t. 1. p. 141. ſeqq.* Trina execratione in Henricum Gregorius detonuit. PAVLVS BERNRIEDENSIS *in vita Gregorii VII. c. 1. §. 75. 106. BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad 1080. BARONIVS t. 11. annal. ad ann.* 1081. Mortuo Gregorio ejusque ſucceſſore Victore III. anathema Urbanus II. repetiit. *SIGIBERTVS Gemblac. & BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an.* 1088. Hujus veſtigia legit Paſchalis II. *VRSPERGENSIS in Henrico IV.* Henricum V. ab archiepiſcopo Viennenſi ſacro verberatum fulmine, idem Paſchalis ratihabuit. *Acta concilii Viennenſis apud BARONIVM t. 12. annal. ad ann.* 1112. Atque vibramen illud a papali deinde legato canone varie repetitum eſt. VRSPERGENSIS *in Henrico V. ALBERICVS ad ann.* 1115. Indignum quoque illud munus in hunc Henricum Calixtus ſuſcepit *ODERICVS VITALIS hiſt. eccleſ. lib. 12. p. 870.* Conradus III. Lotharii adhuc æmulus ab Honorio II. Innocentio II. & antipapa Anacleto diris eſt addictus GODEFRIDVS VITERBIENSIS *part. 17. chronic. montis ſereni p. 12. BARON. tom.* 12. *annal. ad ann.* 1130. Fridericus I. ab Alexandro III. Philippus Suevus & Otto IV. ab Innocentio III. Fridericus II. a Gregorio IX. hanc paſſus eſt iniquitatem. *SARISBER. epiſt. 59. Auctarium Affligenſe p. 218. AVCTOR geſt. Innocentii III. §. 22. VITODVRANVS in chron. p. 5. RICHARDVS de S. Germano ad ann.* 1210. *&* 1227. *NICOL. de CARBIO in vita Innocentii IV. apud BALVZIVM tom. 7. miſcell. p. 353.*

(e) *concitatis*) Papæ, principes dignitate ſua exuendi, ſubditosque obſequii vinculo liberandi, poteſtatem GRATIANI *decretum can. auctoritatem 2. cauſ. 15. qu.* 16. *canon. 2. cauſ.* 15. *qu. 6.* jurisque canonici gloſſatores & doctores attribuunt. *JOAN. CARDINAL. de TVRRECREMATA ad canon. alius 3. cauſ.* 15. *& in ſumma de eccleſia lib. 2. c.* 14. atque illud, quod canonibus eſt inſertum, pro Romanæ eccleſiæ dogmate eſſe habendum. Com-

pertinet *Bonifacii IIX.* (a) facinus, qui imperialibus inſignibus indutum ſeſe oſtendit Chriſtiano orbi: Pertinet huc & *probroſa Henrici VI. coronatio:* (b) vid. de Bonifacio *Cranzium* (c) *l. 8. c. 36.* Saxoniæ: Sic Paulus IV. papa voluit a Carolo V. fieri debuiſſe reſignationem, non niſi *ſuo ante conſenſu impetrato*; (d) idque prætextu vicariatus divini: legatur Thuan. *lib. 12.*

§. 5. *Alterum* papalium conatum prætextum merito dixeris tabulas, quibus ferunt a Conſtantino magno Romanis pontificibus donatam eſſe urbem Romam, & totius *Italiæ cæſareum dominium.* (e) Iis cœpiſſe uti curiam Romanam jam tum Ottonis III. ætate, conſtat ex ejus tabulis Sylveſtro II. datis, pro quarum fide contra Baronium *capite X.* eſt pugnatum. Imo jam ante Adrianus ad Ipſum Carolum M. ſimili uſus eſt argumento: Epiſtolam ejus ad Carolum adducit Freher. in commentar. donationis Conſtantini *p. 50.* Pro ea donatione multis agit Martha *cap. 30. part. 1. de jurisdict.* Per aliquod inde tempus videntur, nullius fuiſſe auctoritatis, donec Leo IX. iis uſus eſt contra Conſtantinopolitanum patriarcham Michaëlem. Nemo tamen illas videtur adeo adhibuiſſe ad infringenda cæſarea Germaniæ in Romam jura, atque primus Hildebrandus, qui donationis Conſtantinianæ mentionem non dubitavit inſerere formulæ illi jurisjurandi, quod *Hermanno Luzelburgenſi* (f) anti-cæſari Roma transmiſſum annalibus ſuis ad annum 1082. inſeruit Baronius.

§. 6. *Tertius* paparum prætextus videtur eſſe coronatio imperialis: quam pontificii juris fuiſſe a Caroli usque magni ævo non poteſt negari: ut nec negari poteſt, vulgo ſolitum abſtineri ab imperatorio titulo ante coronam illam acceptam. Vid. Barclaj. in apologet. contra Bellarm. *c. [illegible]. 7.*

§. 7. Ex his duobus vero proximis fontibus fortaſſis fluxit illud, quod in Germaniæ jura plus ſibi arrogaverint papæ, quam in Galliam, Hiſpaniam, aliaque regna. Scilicet ex donatione Conſtantiniana omne urbis Italiæque dominium ſibi tribuentes, credentes porro coronationem illam jus dare adprobandi, aut reprobandi; Cæſaris conſtituendi poteſtatem ad ſe primo, atque per ſe pertinere præ ſeſe tulerunt, Germaniæ electionem competere, non niſi ex ſua voluntate ſuſpenſam: ante coronam vero neminem vere gaudere imperiali dignitate. Juvit autem procul dubio ad hujusmodi placita perſuadenda Hildebrandina iſta omnipotentia, quam primo loco collocavimus. Notari & expendi merentur, quæ diſputat Martha *parte 1. de jurisdict. cap. 18.* pro directa poteſtate temporali pontificis contra Navarrum.

§. 8. Ex duobus proximis fontibus videtur quoque manaſſe illa Innocentii III. ſubtilis ſane philoſophia, quam habet *ſerm. I. de B. Sylveſtro. Conſtantinus ſecedens Byzantium coronam capitis ſui voluit B. Sylveſtro conferre, ſed ipſe pro reverentia clericalis coronæ, vel utilitatis cauſſa noluit eam portare: veruntamen pro diademate regio utitur auro Phrygio circulari.* Et paulo poſt: *Romanus itaque pontifex in ſignum imperii utitur regno,* (corona ſcilicet regia) *& in ſignum pontificii utitur mitra: ſed mitra*

Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. decernit. Neque ſaltim pro hæreſeos crimine, ſed pro omni alio peccato imperatorem, ſi incorrigibilis eſt, deponi poſſe dicunt. *Gloſſ. ad canon. ſi papa 6. diſt. 40.*

(a) *Bonifacii IIX.*) Hic erat vir elatiſſimi animi, quem JORDANUS apud PALATIUM *in vita ejus* ita deſcribit: *Sed ex hoc factus eſt faſtioſus & arrogans omnium contemtor, unde factus pontifex anteceſſorum ſuorum Nicolai & Cæleſtini gratiam revocavit, cum enim in his, quæ ad curiam pertinent, vir erat experientiſſimus, nec parem haberet prudentia ſua ultra modum in tantam arrogantiam erexit ſeipſum, ut dominum totius mundi ſe diceret, tam in temporalibus quam ſpiritualibus. Hic eſt, de quo dicitur: intravit vulpes, vixit ut leo, moritur ut canis.* ROLSINEK *in faſciculo temporum.* PLATINA CARANZA *de geſtis quorundam pontificum, aliique.* Quæ inter ipſum & Philippum pulchrum geſta ſunt, late referuntur a PALATIO *in vita Bonifacii IIX. & a* MEZERÆO *in Philippo pulchro.* Procul dubio papales illi ſuperbiſſimi auſus fœderi, inter Albertum imperatorem & Philippum icto aut renovato, anſam præbuerunt, & ut arctius aliquid fœdus firmaret vinculum de matrimonio inter Galliæ regis filium, & Alberti filiam fides data. LEIBNITII *cod. jur. gent. diplomat. p. 41. ſeqq.* MEZERÆI *abregé chronologique t. 2. p. 790.*

(b) *probroſa Henrici VI. coronatio*) *Deinde introduxit eos (Henricum cum conjuge) dominus papa in eccleſiam, & unxit eum in imperatorem, & uxorem ſuam in imperatricem; ſedebat autem dominus papa in cathedra pontificali tenens coronam imperialem inter pedes ſuos, & imperator inclinato capite recepit coronam, & imperatrix ſimiliter de pedibus domini papæ. Dominus autem papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam imperatoris, & dejecit eam in terram, ſignificans, quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab imperio habeat, ſi ille demeruerit. Sed cardinales arripientes ſtatim coronam impoſuerunt eam capiti imperatoris.* ROGERIUS PARUTA *apud* BARONIUM *t. 12. annal. anni* 1197. Sunt, qui in tanto probatiorum auctorum ſilentio de hujus narrationis veritate dubitant.

(c) *Cranzium*) Bonifacius electionem Alberti I. in regem Romanorum ab electoribus factam improbavit, *quod ſine ſua auctoritate electio facta auctoritatem non haberet. Nam utriusque penes ſe gladii poteſtatem manere affirmabat, quod ipſe apparatu in eo, qui tunc in urbe agebatur jubilæo, ſolenniter fertur oſtentaſſe. Primo quidem ſolemni die in pontificalibus apparens populo apoſtolicam illis benedictionem impertitur; poſtero autem die imperiali habita infula ſcilicet cæſarea inſignis gladium ante ſe nudatum juſſit deferri, & ſedens alta voce teſtatus: ecce duos gladios, hic vides, B. Petre, ſucceſſorem tuum. Tu ſalutifer Chriſte tuum cerne vicarium.* CRANZ. *l. ab auctore citato.*

(d) *ſuo ante conſenſu impetrato*) Quæ in hoc negotio acta ſunt, vide apud GOLDASTUM in politiſchen Reichs-Händeln, *p. 137. ſeqq.* PAUL. SARPET. *hiſt. conc. Trident. lib. 5. p. 459. ſeqq.*

(e) *Italiæ cæſareum dominium*) Nos ſupra de ficta hac Conſtantini donatione locuti ſumus. Confer quoque GOLDASTUM *l. c. p. 420.*

(f) *Hermanno Luzelburgenſi*) *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro apoſtolo ejusque vicario beato Gregorio, qui nunc in carne vivit, & quodcunque ipſe mihi præceperit, ſub his videlicet verbis, per veram obedientiam, ſicut oportet, chriſtianam obſervabo. De ordinatione vero eccleſiarum, & de terris vel cenſu, quæ Conſtantinus imperator vel Carolus S. Petro dederunt de omnibus eccleſiis vel prædiis, quo apoſtolicæ ſedi oblata, ita conveniam cum papa, ut periculum ſacrilegii & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo ſanctoque Petro, adjuvante Chriſto, dignum honorem & utilitatem impendam. Et eo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles ſancti Petri & illius efficiar.* GOLDASTUS *tom. 1. conſtit. p. 248.*

tra ſemper & ubique utitur, quia pontificalis auctoritas eſt prior, & dignior, & diffuſior, quam imperialis. Ad primum tamen fontem pertinent, quæ idem eodem de argumento diſſerit *ſerm. III. de coronatione.* *Eccleſia ſponſa non nupſit vacua, ſed dotem mihi tribuit abſque pretio pretioſam, ſpiritualem plenitudinem & latitudinem imperialem: magnitudinem & multitudinem utrorumque. In ſignum ſpiritualium contulit mihi mitram, in ſignum temporalium dedit mihi coronam: mitram pro ſacerdotio & coronam pro regno: illius me conſtituens in vicarium, qui habet in veſtimento & femore ſuo ſcriptum, rex regum, & dominus dominantium.* Hæc idem. Sed non fortaſſis intereſt pontificum, quo titulo coronas ſibi ſumant, modo habeant.

§. 9. *Quarto* loco collocaverim *privilegia Germanicorum cæſarum.* (a) Certe Baronius credit ſufficere illa pro aſſerendo jure papalis poſſeſſionis temporalium bonorum. *Neque* (inquit ad annum 1191.) *ob eam cauſam, quod nolint novatores ſuffragari nobis ipſum Conſtantini decretum, mox jure excidit eadem temporalium rerum dominio, quod certum & indubitatum in omnibus eſt, plurium imperatorum diplomatibus poſſidere. Neque enim tot tantosque pontifices Romana eccleſia, qui claruerunt a Conſtantini temporibus, quos contigit ſæpe adverſus principes de juribus Romanæ eccleſiæ diſputare, legimus ea voluiſſe defendere ejusdem Conſtantini edicti auctoritate, ſed potius evangelica, ut S. Leo, Felix, Bonifacius, Gelaſius Hormisdas, & Gregorius, & reliqui ſucceſſores omnes.* Inepte: Quaſi hi pontifices cum quoquam contenderint de poſſeſſione Italiæ, quam ſibi ex Conſtantini dono papæ ajunt competere. Ordine *quinctum* videtur eſſe auctoritas juris decretalis pontificii. Hoc ſane fundamento quam maxime ſolent canoniſtæ decertare, pro jure paparum cum alio omni, cum etiam eo, quod ſibi arrogant illi in iis, quæ ante Hildebrandum juris fuiſſe cæſarei Germanici probavimus.

§. 10. *Ultimo* poſuerim nudam poſſeſſionem: non quod illa meo judicio inferiore reliquis ſit conditione; ſed quod vulgo ad illum titulum haud facile quis *ſolitus ſit provocare.* (b) Petro tamen Pithœo, viro clariſſimo ac doctiſſimo, nec partis proteſtantium teſte, primo pene loco habuit illam Paulus III. papa. Verba ejus *præfatione in Franciſci Guicciardini diſcurſum de origine poteſtatis ſecularis in Romana eccleſia* hæc ſunt: *Itaque ſimpliciter, magis & ingenue quam caute, Paulus III. cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos ſolitus erat, ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui a Chriſto eam eam anxie repeterent, cujus ſe poſſeſſionem vel ſolam, optimum & firmiſſimum titulum, habere dicebat, quam viribus opibusque ſummis, civitatibus munitiſſimis, & potentiſſimorum principum ſibi conjurantium auxilio tueri ac defendere poſſet.* Hæc Pithœus.

§. 11. Hiſce ſex fundamentis nititur omnis cauſſa paparum circa jura cæſarea, quæ invaſerunt ab Hildebrando usque principe. Neque vero, quod ſciam, ex aliis locis ſolent papales defenſores *ſua argumenta deducere:* (c) neque fortaſſis alius fingi vel inveniri poteſt excuſandis injuriis. Si recte vero rem omnem velimus æſtimare, haud eſt obſcurum perſpectu, omnia illa fundamenta nimis eſſe lubrica, nec ſufficere ferendis tot ſuperſtructis invaſionibus. Nolo nunc verba facere de omnipotentia illa Hildebrandina (namque monſtroſa iſthæc arrogantia auctore Hildebrandino cœpit) qua putant papæ, poſſe ſeſe ut alios reges, ita & cæſares, ſolio dejicere, ſubditos eorum jurisjurandi religione exſolvere, ſe vero eſſe ἀνυπευθύνους: quum iniquitatem & impietatem illius dogmatis omnibus ſeculis non *Galli* (d) tantum, (qui etiamnum, optimo inſtituto, carnificis manu, a cervicibus ſuis tyrannica hæc dogmata removent) verum etiam ex *Germanis* (e) plurimi demonſtraverint. In medio ſunt hodieque ex omni ævo libri hujus argumenti inſignes etiam a Germanis editi.

§. 12. Usque ad longum illud ſeculi XIII. interregnum usque fulmina pontificia multos turbaverint, tamen ex eo tempore ceu bruta contempta ſunt a Germaniæ ordinibus, & *Ludovico IV. cæſare* (f) publica quoque auctoritate eliſa. Certe anno 1038. ordinum omnium conſenſu cautum eſt, quod ſcribit Rebdorfius in annalibus: *Quicunque de cetero ipſum Ludovicum tenet excommunicatum, aut qui ceſſat a divinis propter ſententias papales, proſcriptus ſit corpore & in rebus.* In codicem legum Saxonicarum jam initio ſeculi decimi tertii tranſiit: *Papa non poteſt, nec aliquis alius, dominum imperatorem excommunicare, poſtquam conſecratus eſt & unctus, niſi ſolum in tribus caſibus: ſi dubius ſit in fide:*

(a) *Privilegia Germanicorum cæſarum*) Ad quæ pontificiæ auctoritatis patronos, tanquam ad ſacram confugere anchoram, in vanum tamen, jam tum docuimus.

(b) *ſolitus ſit provocare*) Imo ad poſſeſſionem ſolet provocari, beati enim poſſidentes; verum illa ſibi relicta ſolidum non dat jus.

(c) *ſua argumenta deducere*) Omnia ſane ejusmodi ſunt tenoris, ut commode ad aliquem horum fontium reduci queant.

(d) *Galli*) Utpote GERSONIVS RICHERIVS, LAVNOJVS, PETRVS de MARCA, CAROLVS TEVRET, PVTEANVS, & auctores, quos ille collegit *vol. 1. de libertate eccleſiæ Gallicanæ. MARCVS VULSIN in tractatu de poteſtate papæ, & de libertate eccleſiæ Gallicanæ. MOVLIN dans la nouvelle du couverte du myſtere de iniquité, & in tractatu de monarchia pontificis temporali,* nec non *auctor reviſionis concilii Tridentini, lib. 2. c. 10.*

(e) *Germanis*) Vide auctores *in SCHARDII ſyntagm. de jurisd. & poteſt. eccleſ.* nec non in *GOLDAST. monarch. & apolog. pro Henrico IV.* collectos. Conf. quoque *la reviſion du concile de Trente liv. 2. chapit. 10.* ubi celebris cujusdam Germaniæ juriſconſulti Heimburgicæ gentis verba referuntur, & SELDENI **Bedencken an Käyſer** *Ferdinand*, **wie des Pabſts** *Pii V.* **unbilligem Anmaſſen zu begegnen.**

(f) *Ludovico IV. cæſare*) Excommunicationis tela a Johanne XXII. & Benedicto XII. in Ludovicum hunc vibrata eſſe, ex antecedentibus conſtat, quibus deinde ſua addidit Clemens VI. *Annales Rebd. p. 432.* Non injuſte de pontificum injuſtis, in æquiſſimum imperatorem, conatibus veritatis patriæque amantiores conquerebantur. Conf. *NICOLAI BVRGVNDI hiſt. Bavaric. lib. 2. p. 53. ſeqq.* Miror ſane tanti pectoris cæſarem, frequentioribus pontificis fatigatum turbinibus, animo volviſſe, imperatoriam dignitatem ad tempus in cognati manus reſignare; ſed ordines hoc factum, ut cæſare indignum, diſſuadebant. Dignior profecto fuit neglecta pontificis coronatione imperiale ſumſiſſe diadema, atque pontifici, ut refractario ſubdito, ſacerdotale munus, & jus civitatis abrogaſſe. BVRGVNDVS *l. c. p.* 10 §. Acta publica huc ſpectantia in LVNIGII *ſpicilegio eccleſ. p. 182. ſeqq.* conſpiciuntur.

ſide: ſi repudiet uxorem ſuam legitimam: ſi deſtruat eccleſiam. Item: *Excommunicatio neminem debilitat in jure terræ ſeu feudi, niſi ſequatur regularis proſcriptio.* Quam debilis hodie ſit vis fulminum papalium in Italia, docet uſus. Petri Pithœi verba ſunt: *Prudentius etiam Italorum pars maxima, quæ pontificem Romanum non uti Deum aliquem, aut Dei vicarium, ob fulmina illa, quibus jam pene totus inermis eſt: ſed ut principem viris, armis, urbibus, caſtellis, fœderibusque potentiſſimum, reveretur & obſervat.*

§. 13. Ceterum, quod ante dixi, non eſt meum, impietatem & iniquitatem Hildebrandinæ hæreſeos poſt alios oſtendere; præſertim quando *optime cauſam* (a) hanc contra Bellarminum ipſum non adeo pridem egerint duo Barclaji, pater & filius, eximia ſane eruditione viri, ac qui inter proteſtantes noluerunt numerari. Adparet vero hinc, primum fundamentum papale eſſe iniquum.

§. 14. Porro donationem Conſtantini credo explodi hodie ab ipſamet papali curia: poſtquam veritas ingenuam illam confeſſionem tomo XII. annalium inſertam ipſi cardinali Baronio, Hildebrandinæ hæreſeos patrono maximo, expreſſit. Vid. & centur. Magdeburg. IV. *p. 560. usque ad 575.* Itaque hoc quoque telum jam fractum eſt, quo olim orbem pene omnem concuſſum & dementatum eſſe a papis, fere per ſexcentos annos, certiſſimum eſt; ut falſiſſimum illud Baronii, *papas evangelica potius auctoritate contra principes voluiſſe jura eccleſiæ ſuæ defendere, non vero edicto illo Conſtantiniano.* Otto III. diſerte dicit a papis confictam illam donationem. Sane fateor, multos papas edicto illo non uſos. At illorum ætate nondum erat notum illud figmentum. Poſt Hildebrandum vero ad noſtra usque tempora fabulæ Sylveſtri & Conſtantini curiæ papali fuerunt gratiſſimæ. Tranſlata eſt dicta donatio in Gratiani decretum *diſt. 96.* (b) nec vel hodie deleta: Vid. notas Meibom. ad Sleidan. *p. 208.* Recte Franciſcus Guicciardinus *l. 4. hiſtor.* ſcribit, *famam illam de Conſtantiniana donatione a pontificibus diligenter fuiſſe enutritam & ſuſtentatam, eorumque auctoritate a multis creditam.* Et vero, quomodo Italiæ aut urbis Romæ imperium ſibi deberi, *evangelica auctoritate*, contra cæſares papæ demonſtraverint? de quibus in evangelio altum ſilentium eſt: niſi hoc quoque μυστήριον dixeris latitare in illis: *Paſce oves meas:* Et, *ſuper hanc petram* (c) *ædificabo eccleſiam meam.* Sed vide de his verba Bernhardi ſcripta Eugenio papæ lib. de conſider. 2. *Eſto, ut aliqua ratione hæc tibi vindices; ſed non apoſtolico jure. Nec tibi Petrus dare potuit, quod non habuit: quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem ſuper eccleſias. Numquid dominationem? audi ipſum: Non dominantes, inquit, in clero, ſed forma facti gregis, &c.* Plura hanc in rem vid. Bruti fulminis *p. 133.* Lehman. chron. ſpir. lib. 5. cap. 68.

§. 15. Coronationem porro per ſe non eſſe, niſi nudam ceremoniam, conjunctam cum ſacerdotali benedictione, neque qui coronat & inungit ſtatim, & confirmandi aut *approbandi aliquod jus habere*, (d) ecquis eſt, qui ignoret? Bene Nicolaus Cuſanus cardinalis *l. 3. concordiæ cathol. cap. 4.* Unctio & coronatio, quas etiam legimus aliis regibus tribui, nec arguunt in papa majoritatem, ſupra ipſam electionem confirmandam vel infirmandam, vel ſupra ipſum etiam imperium quoad temporalia: ſicut nec unctio, quæ fit regi Franciæ Remis, aut coronatio ipſiusmet imperatoris per archiepiſcopum Colonienſem Aquisgrani. Et hoc ex eo, quia legitur Othonem primum ab archiepiſcopo Moguntinenſi Hildeberto Aquisgrani in regem Alemanniæ & Francorum coronatum, de conſenſu & voluntate principum & totius populi Alemanniæ, Saxoniæ & Franciæ. Sic etiam legitur ab Hergero archiepiſcopo Moguntinenſi unctionem & diadema, mortuo Conrado rege, Henrico primo de communi omnium conſenſu oblatam, qui recepto diademate noluit inungi, quia dixit ſe indignum. Ex quibus patet, unctionem & diadema nihil præſtare imperiali poteſtati. Inſignia enim illa, quaſi ad majeſtatem ſacram, quæ imperio ineſt, oſtendendam materiali viſibili ſubjecto imperii, cum ceremoniis impenduntur, ut ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam: ſicut ſimilia in Romano pontifice videmus fieri tantum. Ante omnia talia papa eſt poſt electionem. Nomen etiam, quod in coronatione per papam imperatori

(a) *optime cauſam*) Conf. quoque *la reviſion du concile de Trente libr. 11. chap. 12. & MOLINÆI monarchiam temporalem pontificis*, ubi impia *MARIANÆ de rege & regis inſtit.* aliorumque hujus furfuris refelluntur dogmata.

(b) *diſt. 96.*) Eſt tamen c. 14. palearum numero, & quidem recte: nulla enim magis palearis & fictitiæ eſſe poteſt conſtitutio. Provocat quidem CÆPOLLA *in tractatu de cognitione librorum juris canon. p. 739. opp*, ut, ſuppoſititium hunc partum genuinum eſſe, perſuadeat, ad geſta beati Sylveſtri, quæ Pelagius, (Gelaſius) papa in concilio 70. epiſcop. lecta eſſe tradidit, in quibus Conſtantiniani privilegii mentio facta. Dubium non eſt, geſta illa Stephani maxime eſſe ſuſpecta, nec fidem eorum ſiſtere poteſt, quod in bibliotheca vaticana & abbatiæ Nonantulæ, ut Euſebii opus, reperiantur, ſic ut annotatio, quæ in PITHÆORVM *editione C. J. C.* & ſub *ANTONII AVGVSTINI emendatione Gratiani pag. 91. ſeqq.* conſpicitur, memorat; veterum enim teſtimoniis deſtituuntur. Deinde licet genuina eſſent, quis fidem dabit? privilegium illud Conſtantini, cujus mentionem injiciunt, cum ſpuria Conſtantini donatione coincidere. Quis ſibi perſuadere vellet, ſi acta Sylveſtri enormem talem Conſtantini liberalitatem, ſervatoris voluntati contrariam continuiſſent, ejus in epiſtola Hadriani, ad Conſtant. & Irenem exarata, nullam factam fuiſſe mentionem. Denique eam non adjuvat, quod diu ante Gratiani tempora illius mentionem injiciunt, ANSELMVS DEVS DEDIT, IVO, PETRVS DAMIANVS, ADO VIENNENSIS, GOTEFRIDVS VITERBIENSIS; nam diu ante Gratiani ævum confictam eſſe, ſupra docui.

(c) *ſuper hanc petram*) *MOVLIN dans la de converte, du myſtere de l'iniquité, liv. 3. chap. 12.*

(d) *approbandi aliquod jus habere*) *Nullo jure aperte cautum eſſe, opus eſſe pontificis confirmatione, quod quidam fingere non erubeſcerent, contra inſtituta legesque majorum, quæ examen duntaxat illi deferrent, nempe an electus eo vitio non laboret, quod canones indicant conſecratione indignum, id multum a conſecratione differre. NICOLAVS BVRGVNDVS in hiſtor. Ludovici IV. p. 84.*

„tori impenditur, mutatur, ut prius rex, & poſtea imperator vocetur, nihil minus potentiam im„perandi prius in eo fuiſſe arguit, ut notiſſimum eſt. Fuit itaque in veritate imperator, dum in „libera poteſtate habuit imperare, etiamſi vulgo ita non nominaretur: ſed ut ad ipſam coronatio„nem anhelet rex, ſervatur huic ſolennitati hoc nomen. *Bene & Antonius de Roſellis* in monarchia „tract. I. verſ. decimæ rationi col. I. Non ſequitur: Papa examinat, inungit & coronat: ergo habet „univerſalem adminiſtrationem temporalium; vel ex hoc imperator iſtam poteſtatem habet. Quia „eadem de cauſa diceremus de electoribus, qui eum eligunt. Colonienſis archiepiſcopus eum „corona ferrea coronat Aquisgrani, & archiepiſcopus Mediolanenſis eum coronat argentea corona „in villa Modoetiæ, & notatur de jurejur. clement. Roman. in gloſſ. veſtigiis: & tamen falſiſſimum „eſſet dicere, hos coronantes vel eligentes habere univerſam poteſtatem terreni imperii, vel prin„cipem ab aliis habere imperii poteſtatem. *Ante utrumque, Ludovico IV. cæſare, ſcripſerat Lupoldus „Bambergenſis:* Non ex eo, quia papa conſecrat ſeu inungit imperatorem, habet ille poteſtatem in „imperium. Sunt enim multi archiepiſcopi & epiſcopi, qui reges alios inungunt & coronant, „quos tamen ab iisdem archiepiſcopis & epiſcopis nominationem aliquam & approbationem re„cipere non videmus.„ Conf. verba Lupoldi adducta a Goldaſto *p. 412.* Replic. Hæc illi. Quæ profecto ſole clariora ſunt.

§. 16. Neque vero eſt, quod dicas, coronationem papalem ſingulari jure habere comitem approbandi facultatem: jam enim ante plurimis probavimus cum Carolinæ familiæ tum Ottonis M. ſucceſſoribus ad Hildebrandum usque competiiſſe jura cæſarea integra ante omnem papæ coronationem.

§. 17. Sed & *Lothario Saxone auctore* (a) (hic enim cœpit primus, non Conradus III. quod viſum eſt Lupoldo & Goldaſto) poſt illam Hildebrandinam tempeſtatem, ante coronationem, *Romanorum reges ſemper auguſtos* ſeſe dixerunt omnes cæſares: nec minus imperialis auctoritatis, dignitatis, majeſtatis, ſuæ mentionem fecerunt in literis ſuis quam poſt, non tantum nemine pontificum reclamante, ſed multis etiam eandem loquendi rationem obſervantibus. Exempla multa collegit Goldaſtus *replicatione pro imperio contra Gretſer. c. 36.* Quid, quod Conradus III. ne ab imperatorio quidem titulo abſtinuerit, etſi Romæ non coronatus? Duas ejus epiſtolas hoc titulo inſignitas habet Otto Friſingenſis *l. 1. de geſtis Friderici c. 23.*

§. 18. Taceo, plurimis hiſtoriis oſtendi poſſe ſemper creditum eſſe a Romanorum regibus, idem ſibi jus eſſe in Romam ante & poſt coronationem. Baldus conſilio 326. ſcribit: *Communem eſſe opinionem legiſtarum, quod imperator ante coronationem, licet tanquam rex Romanorum poteſt omnia, quæ poteſt imperator poſt coronationem, quia coronatio non ſit de ſubſtantia poteſtatis, licet inferat incrementum majeſtatis & honoris.* Angeli Aretini conſil. 112. verba ſunt: *Rex Romanus omnia poteſt, ſicuti imperator coronatus, maxime cum ea, quæ ſunt ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine agit. Et eſt ſacrilegium de hoc dubitare.* Vide, quæ ex Azorio Jeſuita recitat Herwartus contra Bzovium ad annum 1316. n. 24. Quanta tamen olim fuerit vis opinionis in vulgus receptæ de confirmatione papæ, vid. eund. Herwart. ibid. *num. 13.* Etiam in Francia olim ſolere annos regni numerari ab initio coronationis; ſed poſt mutaſſe, notat Tillius *lib. 2. pag. 103.*

§. 19. Tribus illis fundamentis certius eſt quartum, quod a privilegiis petitur cæſarum Germanorum. Scilicet quod cæſares noſtri ordinum conſilio & conſenſu papis *donavere*, (b) id illorum eſſe, ſane concedendum eſt. Renunciationem omnium jurium in temporale dominium papæ factum per Henricum VII. & Ludovicum Bavar. vide apud Herwart. contra Bzovium. *p. 644.*

§. 20. Verum enimvero multa papæ venditant privilegia a *ſemetipſis conficta.* (c) Ejus notæ eſſe, quæ Ludovico pio, Ottoni I. Henrico II. tribuuntur, ſupra oſtenſum eſt. Certe non ii ſunt papæ, quibus cum, ut in proverbio eſt, in tenebris mices. Quæ ſub & obreptitie impetrata ſunt, nec illa vim privilegii habent. Vereor autem, ejus generis eſſe haud pauca. Bene Michael Coccinius lib. de transl. imperii: *Nec obſtat, ſi aliqui reges imperium receperint in feudum, vel ſuis literis in*

(a) *Lothario Saxone auctore*) Lotharii diplomata, ubi ſe Romanorum regem ſemper auguſtum vocavit, non vidi; antequam enim Romanum anno 1133. acceperit diadema, ſe regem Romanum tantum appellabat. Attamen occurrunt chartæ, in quibus a papa non inaugurati Romanorum reges ſemper auguſti dicuntur. Romani in epiſtola ad Conradum III. data ipſum appellant: *Urbis & orbis totius dominum Dei gratia Romanorum reg. ſemper auguſt. OTTO FRISING. in vita Friderici lib. 1. c. 28.* Exſtant diplomata hoc titulo conſpicua Philippi Suevi apud HEDAM *p. 186.* Friderici II. *l. c. p. 193. 195. GOLDASTUS tom. I. conſtit. imperial. p. 189.* Wilhelmi *l. c. p. 209. 210.* Rudolphi I. *CHIFLETII Veſontio part. 1. pag. 229. ſeqq.* Henrici VII. *PFEFFINGER p. 301.* Ludovici Bavari *NICOL. BURGUND. lib. 2. p. 76.* Wenceslai *HED. p. 252. GOLDAST. conſtit. tom. 1. p. 178.* Sigismundi *l. c. p. 272.* Denique notari meretur, in SCATENII annalibus Ottonis IV. adeſſe diploma, ubi ſe, licet ab Innocentio III. diademate decoratus fuerit, regem Romanum ſemper auguſtum vocat, quod etiam in Henrici VI. diplomatibus quibusdam me reperiſſe memini. Immo & hic addi poteſt, Conradum ſecundum, antequam Romæ coronatus fuerit, ſe in quodam diplomate appellaſſe: *Regem Francorum, Longobardorum & ad imperium deſignatum Romanorum. HEDA in hiſtor. Ultraject. p. 114.*

(b) *donavere*) Sed dona illa nihil aliud, quam jus cenſuale & aliquale dominium utile, ut ſupra traditum, reſpexere. Scio quidem, papalem aviditatem nullos plane admittere potuiſſe limites, conatibus tamen illorum ab imperatoribus noſtris obex poſitus. Hinc Otto IV. percipiens, juramentum, Innocentii dolo ipſi elicitum, imperii juribus adverſari, illud ſervare noluit, cum eſſet injuſtitiæ vinculum, præſertim cum Germanicum, ſumens inſigne ſe imperii jura conſervaturum, jurejurando promiſerat. URSPERGENSIS *chronic. in Ottone IV. Chron. montis ſereni pag. 53. MATH. PARISIENS. p. 160.*

(c) *ſemetipſis conficta*) De hoc argumento in antecedentibus diximus.

in feudum recognoverint à Papâ. Hujuſmodi namque recognitiones & ſubmiſſiones, ſi per aliquos ex Regibus ſunt factæ, nec Imperio nec Principibus & Imperio ſubditis aliquod debent generare præjudicium; cùm in hujuſmodi ſubmiſſionibus conſenſus Principum Electorum & aliorum Principum & populi Imperio ſubditorum, ſit requirendus: & ex conſequenti in his erit contradictio admittenda. Nam quando per aliquod factum præjudicatur pluribus, id per omnes illos comprobari debet.

§. 21. In eandem ſententiam diſſerit haud ſemel Lupoldus Bambergenſis. Eſt verò & naturalis juris: ideoque nec Papæ ipſi conſentiunt in omnia deceſſorum ſuorum privilegia & acta. Porrò ex certis privilegiis, quæ hactenus quidem ſunt producta, bona quidem multa colligas Eccleſiæ Romanæ donata, at ſummum imperium in bona illa aut in Urbem vel Papam donata cuiquam eſſe, nullibi legere eſt. In quibusdam tabulis diſertè id cautum eſt. Etiam in fictitiis illis Ottonis I. additur hæc formula: *ſalvâ in omnibus poteſtate noſtrâ.* Recitat Baronius diploma, quo Fridericus I. Hadriano Papæ conceſſerit Urbem Tiburtinam. In eo diſertè ita legitur: *Hadriano Papæ civitatem dimiſimus Tiburtinam, ſalvo tamen ſuper omnia jure Imperiali.* Cives Tiburtini jubentur Papæ obedire *ſalvo in omnibus jure Imperiali.* Add. Gunther. Ligurin. *lib. 9.* ubi deſcribit, quemadmodum legatos Fridericus Romam miſerit, qui Rempublicam urbis componerent. Conf. M. A. de Dominis *lib. 6. c. 11. n. 46.* & quæ ſupra notavimus ex donatione Ottonis *III. Cap. X. §. 11.* Ludovicus IV. ad Fiſcum Cæſareum retraxit Comitatus ſacri Lateranenſis Palatii: Diploma eſt apud Freher. ad Petr. de Andlo *p. 180.* Nicolaus Cuſanus *l. III. de concord. cathol. cap. XXVII.* ſcribit ab Ottone Magno multa Eccleſiis donata, *ac cum certi ſervitii obſervatione.*

§. 22. Neque verò eſt, quur quis Friderici II. Cæſaris conſtitutionem adducat in medium, quam promulgavit de Eccleſiaſticâ libertate, uti vocant. Quod puer enim conſtituit, vir revocavit, neque unquam vim legis univerſalis accepit, ut benè demonſtratum eſt à Goldaſto *Replicatione pro Imperio contra Gretzerum cap. XXXVII.* Neque illâ etiam conſtitutione *ſummo Imperio quicquam eſt detractum*, (a) etſi ab oneribus immunitatem acceperint Eccleſiarum bona. Hinc Antonius de Roſellis Juriſconſultus inſignis *tractatu de Monarchiâ*, quem primo ejusdem argumenti volumini inſeruit Goldaſtus: „Pontifex in dictis bonis donatis ſummi Principis exe„quitur poteſtatem, quaſi ſignificet, quod exercitium habet jurisdictionis & poteſtatis. Et ſic „utile dominium jurisdictionis habet: quia directum eſt penes Cæſarem, quod non poterat nec „poteſt in perpetuum ab ejus oſſibus ſeparari. Habet ergo Papa executionem poteſtatis, & non „dominium poteſtatis, id eſt jurisdictionis, quia jurisdictio eſt poteſtas de publico introducta, „l. 1. ff. de jur. omn. jud. Unde infero, quod quoad directum & utile dominium ipſarum rerum „donatio tenuit, ſicut tenuiſſet alia particularis alienatio rerum particularium; ſed quoad juris„dictionem, dico quod quantum ad utilem jurisdictionem, non directam, adhuc tenuit aliena„tio, ſicut videmus quod cottidie Princeps Ducatus, Comitatus, & Regna elargitur, & tamen reti„net in habitu & directo dominio ipſam jurisdictionem & jus Imperii in bonis aliis commiſſis, „ut in cap. 1. de feud. March. Ducat. & Comit. & in juribus ſupra illis, ita & in his bonis Eccleſiæ „donatis jus Imperii & jurisdictionem retinuit atque retinet, quamvis utile dominium ejus, etiam „exercitium Pontifici commiſerit. Eadem de cauſſâ Maximiliano Cæſare anno CIↃ IↃ decretum, Pontificem quoque invitandum ad onera Imperii ferenda contra Turcam, *quoniam & ille membrum ſit Imperii Romani.*

§. 23. Quincti fundamenti vanitas ne indiget quidem confutatione. Quid enim abſurdius, quàm Pontificum ſententiis ſtare, quando *ipſi ſunt rei?* (b) Quam multa in Decretalibus *ſunt verba*, (c) ut ille apud Æneam Sylvium ait, *Pontificum ſuas fimbrias extendentium?* Sanè ſicubi

(a) *Summo imperio quicquam eſt detractum*) In Friderici II. conſtitutione de libertate eccleſ. non dicitur, quod ea, quæ papæ promittuntur ab imperii obſequio libera eſſe debeant. *GOLDASTVS conſtit. tom. 1. p. 189.* Porro notum eſt, ex natura imperii Germanici, caput ejus ſine ordinum ſuffragiis nihil alienare poſſe. Denique ſi quid forte Fridericus Romanæ ſedi indulſerat, id Pontificum Romanorum ingrato animo iterum amiſſum eſt. Vid. *edicta & mandata ejus de injuriis Romanorum pontificum in imperat. & principes imperii apud GOLDAST. tom. 3. conſtit. p. 415.* Neque tale quid, ſcilicet quod terræ, quas papa ſibi vindicat, ab imperio exemptæ eſſe debeant, Caroli IV. Sanctio de privilegiis & immunitatibus clericorum involvit. *GOLDAST. conſtit. tom. II. p. 92. t. 3. p. 415.*

(b) *Sunt rei*) Iniquius nihil, quam aliquem in propria cauſſa eſſe velle judicem; eo ipſo enim omnis, quæ inter partes hic eſſe deberet æqualitas, corruit. Nunquam ſibi quis perſuadere poterit, ſancta illa Romanorum pontificum capita ita ſe a ſuimet ipſius amore, ſuisque commodis temperare noſſe, ut illis nonniſi, ubi æquitas requirit, indulgeant. Non enim hic ad Canoniſtarum aliorumque ſedis pontificiæ adulatorum in propria cauſſa teſtimonia, ſed ad veritatem eſt reſpiciendum.

(c) *Sunt verba*) Blaſphemum profecto eſt, decretales inter canonicas & divinas referre ſcripturas, violatorumque canonum peccata in Spiritum ſanctum dicere, *c. in canon. diſt. 19. c. violatores 25. q. 1.* Etenim quid impius excogitari poſſet, quam tot errorum congeriem Spiritui, qui errare neſcit, attribuere. Infinitis propemodum corpus illud, quod canonicum vocant, ſcatere aberrationibus ſæpeque papalis faſtus oſtentare veſtigia, cordatiores quoque nonnulli ex iis, qui Romanam formulam ſequuntur, fateri coguntur. Audiamus hac de re diſſerentem Wicelium in via regia: *Quot vero,* inquit, *horum ſtatutorum (iniquorum ſcilicet) millia in libris recentioribus exſtant? Cujusmodi eccleſia Chriſti non ſolum reprobat, verum ferre etiam amplius neque poteſt neque debet; ſiquidem condita ſunt præter legem Dei, præter legem naturæ contra ædificationem domus domini, imo ad hujus deſtructionem, contra charitatem proximi, contra conſuetudinem veteris veræque eccleſiæ, contra exempla priſcorum ac ſanctorum patrum, ad hæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ peſtes nativæ radices ſint omnium totius curiæ malorum. Quæ ſtatuta conſtitutaque, quando eccleſiæ & reipublicæ obſunt, improbis tantum ad quæſtum ac ambitum temporarium proſunt & cum voluntate Dei pugnant, ſaluberrimum fuerit, ſi pontifex maximus irrita faciat, & his moribus*

ubi ipſi *confeſſi* (a) fuerint eſſe aliquid Cæſarei juris, id admittendum eſt: neque enim tale quid ipſis excidit, niſi veritate expreſſum. Ita acceptamus meritò illud, quod ex illorum bullis colligit ipſe Michaël Lonigus: *Eam eſſe Principibus Germaniæ eligendi Imperatoris facultatem conceſſam, ut ne quidem à Pontifice coronam conſequi poſſit, quem ipſi Imperatorem non pronunciaverint.* In reliquis, quæ propriam cauſſam tangunt, quis ferat Paparum teſtimonium, aut decretorias ſententias? Rectè Joannes de Pariſiis Dominicanus *tract. de poteſtate Regia & Papali cap. XV.* quem volumini I. de Monarchiâ inſeruit Goldaſtus: „Quod arguitur de Nicolao dicente, quod Chriſtus Petro cœleſtis terrenique imperii jura conceſſit: Reſpondeo, ubi quæritur de poteſtate Papæ in temporalibus, efficax eſt teſtimonium Imperatoris pro Papâ: at non eſt multùm efficax teſtimonium Papæ pro ſeipſo, niſi dictum Papæ fulciatur auctoritate Scripturæ Sacræ vel Scripturæ canonicæ. Et in materiâ ubi Imperator dicit contrarium manifeſtè, item cœteri Pontifices, ut in propoſito, non recipitur tale.

§. 24. Non minus quoque rectè Miles ille differit, cui colloquendi cum clerico partes tribuit neſcio quis Anonymus ſcriptor, ætate Philippi Pulchri Galliæ regis, in tractatu, quem itidem ſuis inſeruit Goldaſtus: „Nuper mihi riſus magnus fuit, cùm audiiſſem noviter ſtatutum eſſe à D. Bonifacio IIX. quod ipſe eſt & eſſe debet ſuper omnes Principatus & regna. Et ſic facilè poteſt ſibi jus acquirere ſuper rem quamlibet, cùm non reſtat niſi ſcribere; quia totum erit ſuum quùm ſic ſcripſerit. Et ſic totum erit veſtrum (*clericorum*) ubi ſtatuere nihil aliud eſt quàm ſibi tenere velle. Nihil ergo aliud erit jus habere, quàm velle. Non habet ergo, niſi ut ſcribat: hoc volo jus eſſe: cùm voluerit caſtrum meum vel villam meam, agrum meum, aut pecuniam & theſaurum habere. Non latet vos, ſapientem clericum, ad quantum vos deducat iſta diſputatio abſurdum.

§. 25. Supereſt ultimum, nuda ſcilicet poſſeſſio. Fortaſſis autem non eſt neceſſum, ut contra illum titulum differamus, quùm Papæ ipſimet haud velint videri illo uno rem ſuam niti. Nam quod Paulus III. ingenuè id ſit confeſſus, novum eſt & ſingulare. Non opus igitur eſt, ut adverſus poſſeſſionem iſtam diſputemus multum, niſi ante etiam ab omnibus aliis Papis confesſionem illam expreſſerimus, illique omnibus aliis titulis, quibus hactenus mundum dementaverunt, renunciaverunt, faſſi ſcilicet impoſturas ſuas tot ſeculis huc usque uſitatas. Notum vero etiam omnibus eſt, nudam poſſeſſionem *non dare jus aliquod poſſidendi*, (b) ſi alter, qui poſſeſſione eſt expulſus, nunquam non reclamat. De injuria vero Pontificum Cæſaream auctoritatem violantium, non tantum perpetuæ fuere querelæ, ab Hildebrando ad usque noſtra tempora, Cæſarum, Principum & populi Germanici, ſed & ad vindicandam illam, atrociſſimis geſtis in Italia bellis, fuſum ſanguinis plurimum, proteſtationes publicæ inſtitutæ haud paucæ, libri denique editi complures. Quod cum ex hiſtoriis Germaniæ atque Italiæ ſit notiſſimum; nemini non patet, ne quidem poſſeſſionem illam nudam juſtum dare titulum Paparum injuriis.

§. 26. Contra Alexandrum III. in ſchismate Fridericus *conventum inſtituit anno 1163.* (c) vide Albert. Stadenſ. & Cranzium *l. 6. Saxon. c. 18.* Sed prævaluit ſuperſtitio. De Romanorum ſeditione adverſus *regimen Papale* (d) tempore Conradi II. vide Friſingenſ. *l. 7. chron. cap. 27. & 28.*

Quid

eccleſiæ corpus liberet, cujus generis eſt magna pars decretalium & dementiarum; quibus eccleſia carere poteſt, adeo ut his oneribus jam pridem levari cupiat, aboleantur libri turpiter paraſitici atque gnathonici. Gemina habet *CORNELIUS AGRIPPA de vanitate ſcientiarum c. 92.* Vide *MASTRICHT. hiſt. jur. eccleſ. p. 416. ſeqq.* Quam deforme erroribus quamplurimis, & Canonum mutilationibus inverſionibusque ſit decretum *GRATIANI* aliqua ex parte *ANTONIUS AUGUSTINUS* in emendationibus Gratiani, & ad eum *BALUZIUS in notis*, nec non *CÆPOLLA de cognitione librorum juris canonici* ob oculos poſuerunt. Magis adhuc jus canon. gloſſarum autores deformarunt. Horum numero ſunt *JOANNES SENRECA, JOHANNES de FONTANO* & *BARTHOLOMÆUS BRIXIENSIS.* Specialiores autores, qui ad ſingulas decretalium partes gloſſas contexerunt, *MARESIUS in Diſp. de jure canonico §. XI. p. 4.* memorat. Enimvero ad gloſſatores, ut vocantur, inprimis ſpectat, quod *CUJACIUS ad c. X. de ſent. & re judic.* tradit: *nullos doctores eſſe ineptiores, quam qui in jus pontificium ſcripſerunt.* Multas juris canonici contradictiones collegit *WISSENBACH*, easque *diſput. ad inſtit.* adjecit.

(a) *Confeſſi*) Confeſſio pro veritate habetur. *l. 7. 8. ff. int. act. l. 13. C. de non num. pec. c. 2. 10. X. de tranſact.*

(b) *Non dare jus aliquod poſſidendi*) *CONRINGIO* hic ſe oppoſuit *LAURENTIUS a DRIPT epiſcopi Paderbornenſis conſiliarius eccleſiaſticus & theologus domeſticus in antidecalogo theolog. polit. art. 5. p. 29. ſeqq.* Sed levidenſia & vulgaria ſunt, quæ habet. Multæ ſunt provinciæ, in quas imperium juri ſuo expreſſe aut tacite renunciavit; quod autem in poteſtatem illam, qua papa abutitur, non eſſe factum, actus iſti, quos autor memorat, liquido oſtendunt. Immo poſtquam capitulationes ſolennes locum habere cæperint, in iis imperatores ad jura potiſſimum ea, quæ imperio in Italia competunt, vindicanda obſtringuntur. Papa ad jus belli provocare nequit; nam bellum in ſe non eſt titulus legitimus acquirendi, niſi juſta acceſſerit cauſſa. Ut taceam victores ad jus armorum provocare ſolere, ſed papæ nunquam fuerunt victores, ſed cum aſſeclis ſuis victi & correcti fuerunt. Porro papa immoderatæ illius poteſtatis, cujus vi ſe imperio ſubtrahere allaborat, propter Servatoris præcepta, eſt ſubjectum plane incapax. Quod reliquum Carolus V. Papæ omnino arma intulit, quia, cum Gallis colludens, imperio jura ſua intervertere Carolumque in iis vindicandis impedire voluit. Vid. *GUICCIARDINI.* Non dubito, quin Carolus romanum Bononiæ ſumſerit diadema, ut eo manifeſtius redderet, imperio in terras, quas papa ſibi tribueret, ſalva ſemper ſua debere eſſe jura.

(c) *Conventum inſtituit anno 1163.*) Vide *CHIFLETII Veſont. part. 1. p. 218.* Ceterum reliqua, quæ in cauſſa hac acta ſunt, vide apud *GOLDAST. conſtit. imperial. t. 1. p. 270. ſeqq. t. 3. p. 353. ſeqq.*

(d) *Regimen papale*) Romani conſtituerant, abrogato papali regimine, antiquam urbis dignitatem reſtituere. Occaſionem motibus Tyburtini dederunt, quos, antea excommunicatos, ut Innocentius, muris ruptis, omni provincia cedere cogeret, volebant; ſed papa romanorum votis ſuffragari noluit.

Quid *Ludovico IV.* (a) Cæſare in publicis Imperii comitiis ſtatuerint Ordines anno 1338. omnino vide apud Cranzium *l.9. Saxon. cap.18.* *Juramentum* (b) quoque, quod ex priſca ſuperſtitione Imperatores Pontifici præſtitêre, cauſæ Pontificum minus firmum præbet patrocinium pro aſſerendo ſibi jure in Urbem Romam: vid. M. A. de Dominis *lib.6.c.10.n.54.* De *juramento Ottonis* (c) & Henrici IV. vide egregie diſſerentem Goldaſtum Replicat. *cap.16.p.209. 210. &c.* vid. eund. *p.95.* Et quidam e numero Imperatorum illud *recuſarunt:* (d) inter quos Henric. VII. vid. Catalog. teſt. verit. *p.219. & 260.* Ferdin. II. per legatum ſuum Urbano IIX. noluit *obedientiam* promittere, ſed tantum *obſervantiam:* Quomodo res fuerit compoſita, vid. ap. Beckers *Synopſ. Jur. publ. l.2.c.4.§.2.*

§. 27. Quùm nullo igitur jure excuſſerint Papæ Cæſaream vim â ſeſe ac Urbe Româ, manifeſtum eſt, jura illa Cæſarum, quibus ad Hildebrandi uſque ævum fuerunt uſi, utut adverſum illa arietaverint Pontifices, hodieque integra ſubſiſtere. Finiam hanc diſputationem verbis, quæ feruntur Cyni Piſtorienſis nobiliſſimi Juriſconſulti. *Paſtores Eccleſiæ in lupos rapaces ſunt converſi, inſatiabiles rerum temporalium & ambitione dominandi. Diverſis viis illicitis niſi ſunt & nituntur Imperium & imperialia uſurpare. Ideò ſub eorum gubernatione totus mundus poſitus eſt in maligno, & ſub regimine tyrannorum. Sed ſicut puto, eorum divina vindicta proxima eſt. Et utinam eſſet proximior!*

Franciſci Guicciardini Patricii Florentini Diſſertatio de Origine poteſtatis ſecularis in Romana eccleſia. Cum nova H. Conringii ad Lectorem Epiſtola.

Hermann. Conringius Lectori S. P. D.

Iterum libro meo ſubjungo Guicciardini diſſertationem, quam ſcæva manus operi hiſtorico ſubduxerat. Neque enim moror Therſitem Nihuſium, qui non dubitavit eam ceu *hominis pueriliter irati nanias* impudenti audacia traducere. Satis nimirum res ipſa convitium hoc refellit: & ea eſt Guicciardini apud bonos quoſque & prudentes exiſtimatio, ut nec malitia in eum quidquam poſſit nec rudis calumnia. Nec verò privatis de cauſis potuit in Papas ille animo eſſe malevolo, quum *à Leone X.* (e) magnis ornatus beneficiis & ad ſummas dignitates ſit evectus. Præfationi etiam denuo Petri Pithœi, clariſſimi ſanè viri, nomen præfigo, auctorem ſecutus Melchiorem Goldaſtum, cujus ingenium, induſtriam, judicium, doctiorum quiſque fecit hactenus maximi. Curavi enim antehac edi hoc quicquid eſt opuſculi ad illud exemplum, quod Goldaſtus ſecundo volumini *Monarchia S. R. Imperii* inſeruit. Eoque ut non ſit Pithœi, non me tamen ſed Goldaſtum debuit petere & Therſites ille & Joannes Morinus Pariſienſis, cujus tamen eruditio apud me in pretio eſt, in maximo futura, ſi non eam animi impotentia collutularet. Quâ fide aut quo argumento ductus Pithœo præfationem illam adſcripſerit Goldaſtus, me, fateor, latet. Haud temere id ab illo factum vetat me credere viri multa doctrina & accuratum judicium. Vidi ſane quadam in editione præſcriptum Nobilis Florentini titulum. Vidi etiam additum nomen nullum. At profecto nihil in cauſſa aliquamdiu fuit, quare Papali tyrannidi infeſta adeo in verba erumperet Florentinus, imò Italus aliquis. Quo tempore autem prodiit primum Guicciardini illud fragmentum, conſtat omnem Galliam fulminibus Papalibus penè conflagraſſe, adeoque juſtam de Papa eum in modum conquerendi cauſam prudentibus quibuſque Gallis eſſe datam. A Gallorum certe aliquo ita præfatum eſſe, planum eſt. Arguit vero ipſa dictio auctorem Puræ Romanæ veteris, eleganter fuiſſe doctum; ſed & planè convenit cum Pithœano ſcribendi modo. In Papale porro regnum Petrum Pithœum infeſto fuiſſe animo, non poteſt negari. Saltim itaque nihil apparet, quare merito Pithœo debeat illud abjudicari. Nihili ſanè eſt, quod non ſit reliquis ejus opuſculis Pariſienſis editionis adjectum à clariſſimo Labbæo. Notum quippe eſt minimè eo in volumine Labbæano Pithœum omnia reperiri; cauſas quoque graves fuiſſe, quare cum aliis

(a) *Ludovico IV.*) Conf. quæ de hoc negotio antea allegata ſunt.

(b) *Juramentum*) Hoc non ſubjectionis, ſed protectionis eſſe, quale principes ſubditis ſuis, & advocati eis, quos in clientela habent, jurare ſolent, ſupra monui. Talis enim eſt tenor ejus, prout in *ceremoniali Romano lib. 1. tit. 5. p. 23. habetur: Ego rex Romanorum futurus imperator promitto & juro, me de catero protectorem & curatorem fore ſummi pontificis, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores & jura.* Si quæ formula de obedientia tradit, ea nonniſi venerationem aliquam ſummi cujuſdam ſacerdotis, quoad religionis internæ capita, ſignificant.

(c) *De juramento Ottonis*) Hoc juramentum, quod *a GRATIANO c. 33. diſt. 63.* refertur, confictum eſſe, GOLDASTUS docet, cum nemo autorum coævorum, aut proxime ad tempora ejus accedentium, illius mentionem faciat. Juſjurandum autem, quod pag. 210. replicat. Pro imperio refert, non ab Henrico IV. ſed anticæſaribus Rudolpho & Hermanno. ut & a Conrado, Henrici filio, a patre alienato, pontifici præſtitum eſt.

(d) *Recuſarunt*) vid. *NAUCLER. generat. 44. & libell. cui titulus ruminatio juris ab auguſtiſſimis imperatoribus olim in opprobandis confirmandiſque pontificibus Romanis uſurpati. p. 55.*

(e) *à Leone X.*) Franciſcus Guicciardinus ex Arragonica redux legatione, quam 29 annos natus in utilitatem patriæ proſpere geſſerat ad Leonis X. miniſterium vocatus ſummos etiam ſub Clemente VII ejus ſucceſſore geſſit honores. vid. *vitam ejus a REMIGIO* italice conſcriptam *fol. 7.* Laudes hiſtoriæ a Guicciardino literis mandatæ celebrat *TOMASUS PORCACCHI.*

aliis à Labbæo non debuerit jungi. Multo minus Goldaſto obſtat illud ab homine maledicentiſſimo allatum, quod Pithœus *catholicus fuerit laudatiſſimus.* Fuit enim ſanè omnino ille, qualem vult catholicus, non Proteſtantium ordinis: num verò propterea non potuerit ille ita de Pontifice loqui? Ipſe Guicciardinus fuit Romano-catholicus. Quid? quod optimi quique ac verè catholici ita ſentiant de Papa, ita loquantur. Soli, quos vel ſuperſtitio vel Hildebrandina hæreſis faſcinavit, loquuntur aliter. Neutri autem vitio obnoxius fuit Pithœus. Ab Hildebrandiſmo certè fuit alieniſſimus. Quam illi diſplicuerint Baroniani pro hæreſi illâ conatus, teſtis locuples eſt Iſaacus Caſaubonus, & teſtatur hodieque Annalibus adſcripta optimi viri manus. Prodit quam maxime rectum illius hunc animum opuſculum ultimum de libertate Eccleſiæ Gallicanæ, alterum de Eccleſiæ ejuſdem in ſchiſmate ſtatu: utrumque eam indolem referens, quam præ ſe fert præfatio. Quàm malè virum ſapientem & plane optimum habuerint motus Gallicani, præcipue Pariſienſes, Hildebrandina hæreſi profecti, docet nos Thuanus in hiſtoria non ſemel, docet Joſias Mercerus in ejus vitâ, ut alios in teſtimonium hodiè non adducam. Non ſuperſtitioſum eundem fuiſſe, ſatis eſt pro argumento improbatus imaginum cultus. Quam ſuam ſententiam aperuit profectò clariſſimè cum præfatione in Paulum Diaconum, tum juvando editionem Actorum Synodi (ſive collatio fuerit) Pariſienſis Epiſcoporum Galliæ, illius quæ Ludovico Pio Cæſare acriter adeo in τὴν εἰκονολατρείαν animadvertit, ut Baronius *iram ſuam in ipſum Pithœum* (a) non potuerit diſſimulare ad annum 825. Certè qui Pithœum in numero habent eorum, queîs religio eſt adverſus tyrannidem Papalem & Eccleſiæ illius craſſiſſimos errores mutire, næ illi hoſpites ſunt in ſcriptis & ipſius Pithœi & optimorum ejus amicorum, Thuani præcipue, Franciſci Jureti, Joſiæ Merceri, Nicolai Fabri, N. Rigaltii, aliorum. Cæterum ut illa præfatio non fuerit à Pithœi manu, quemadmodum ante etiam dixi, ego utique extra culpam ſum, bonam fidem ſecutus viri non infimæ notæ ſed planè maximi; cujuſmodi omnino fuit Goldaſtus.

P. Pithœus Lectori Salutem.

Invadendis occupandiſque imperiis, juris ſæpe color initio quæri ſolet: ſtabilita vero fundataque ſemel tyrannide, vetera illa initia, quantum poteſt, obruuntur, lex tantum Regia unde, & veluti ἐν ἀσ[illegible], obtenditur, in contemptores legibus majeſtatis perduellionumque vindicatur. Itaque ſimpliciter, magis & ingenue quam caute, Paulus III. cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos ſolitus erat, ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui à Chriſto eam tam anxiè repeterent, cujus ſe poſſeſſionem vel ſolam, optimum & firmiſſimum titulum habere dicebat, quam viribus opibuſque ſummis, civitatibus munitiſſimis, potentiſſimorum Principum ſibi conjurantium auxilio tueri ac defendere poſſet. Prudentius etiam Italorum pars maxima, quæ Pontificem Romanum non uti Deum aliquem, aut Dei Vicarium ob fulmina illa, quibus jam penè totus inermis eſt, ſed ut Principem viris, armis, urbibus, caſtellis, fœderibuſque potentiſſimum reveretur & obſervat. Nos verò, quos ille ut puerulos ſola vanæ religionis larva perterret, quibuſque ut venalitiis mancipiis pro arbitrio abutitur, ſcire aliquando par eſt, quo jure, quave injuria tam duro inclementique domino ſerviamus: non ut tanquam Spartaci bellum aliquod ſervile moveamus, ſed ut ingenui nati, & quorum majores ſervitutem illam non ſervierunt, vindicibus tandem idoneis, vel tertia aſſertione, ſemel amiſſam libertatem & ſtrenue recuperemus, & fortiter retineamus conſervemuſque. Natales porro noſtros vel ab ejuſdem domini familia, aliqua ſaltem ex parte, repetere licet. Ex qua eſt hoc quidem mancipium ſed frugi admodum, & manumiſſione digniſſimum: cujus etiam hac in re fidem herus infideliſſimus per alligatos obruere conatus eſt. Nos tabulas quaſi ex naufragio, aut potius ex rogo veſpillonum manibus extortas, omnibus reddimus. Quarum fidem, & vindicum ſatis perſpecta integritas, & auctoris ſtylus, & loci ipſius, unde dolo malo detracta ſunt, vel ſola inſpectio ſic aſſerunt, ut de ea nemo bonus juſtè dubitare poſſit. Reliquum eſt, ut hoc beneficio prudenter & ſerio utamur fruamurque, ne, ſi nos ob pretium participandum iterum quodammodo venire patiamur, non eadem poſthac ſpes libertatis affulgeat, & perpetua ſervitute, digniſſima etiam gravioribus flagris mancipia, premamur.

Franciſci Guicciardini locus reponendus

Lib. IV. fol. 156. verſ. 44. (*Edit. in IIX. fol. 430. l. 3.*) *poſt, Conceſſit.*

Ad cujus rei & multarum aliarum ſequentibus temporibus geſtarum clariorem notitiam, res ipſa poſcit, uti quid juris in *Flaminia*, (b) quæ nunc Romagna dicitur, oppidis aliiſque compluribus, quæ vel nunc poſſident, vel antea variis temporibus poſſederunt, Romani Pontifices habeant, dicatur; quoque pacto, ab initio rerum ſacrarum adminiſtrationi duntaxat præfecti, ad regna & imperia pervenerint: ad hoc, ut id etiam tanquam his annexum & conjunctum, quæ ob has atque alias cauſas contentiones diverſis temporibus inter Pontifices atque Imperatores extiterint, commemoretur. Pontifices Romani, quorum primus *Petrus Apoſtolus* (c) fuit, accepta ab Jeſu

---

(a) *Iram ſuam in ipſum Pithœum*) Scilicet, quod opus, ex purpurati Cæſaris cerebro, perpetuis tenebris dignum, in lucem protraxerit. Quod ſcriptum *de imaginibus Caroli M. & Synodi Pariſienſis* non ſit ſpurium quid, adverſus *BELLARMINI* aliorumque objectiones autor admonitionis libro præmiſſæ tuitus eſt.

(b) *Flaminia*) *LEANDRO ALBERTI p. 289. ſeqq.*

(c) *Petrus Apoſtolus*) Argumenta eorum, qui Petrum nunquam Romam veniſſe contendunt, potiſſimum ſunt ſequentia: Quod in actis Apoſtolorum de itinere Petri Romam verſus non tradatur, & hoc argumentum, cum non ſit mere hiſtoricum, etiam negativum probare: Deinde Paulum ad Romanos ſcribentem, & Româ ad alios, nunquam Petri mentionem facere. Addunt, licet

Digitized by Google

Jeſu Chriſto in rebus ſacris ac divinis auctoritate, charitate, ſubmiſſione, patientia, Spiritu ſacro & prodigiis magni, per illorum initia non modo potentia civili & mundana penitus nudati, verum etiam ab illa vexati, diu obſcuri ac fere ignorati fuere: eorum nomine nulla re magis quam ſuppliciis & cruciatibus perferendis innoteſcente: quæ una cum iis, qui eos ſequebantur, ſuſtinebant. Nam etſi tum propter infinitam multitudinem diverſarum nationum & ſectarum, quæ in urbem Romam confluxerant, parum Chriſtianorum progreſſus & actiones animadverterentur, eſſentque ab quorundam Imperatorum vi & vexationibus immunes, niſi ſi quando illorum publici ritus ſilentio præteriri non poſſent: nihilominus tamen aliqui alii ſive innata feritate, ſive deorum ſuorum inſano quodam amore perculſi, eos tanquam novarum ſuperſtitionum auctores, & ſuæ religionis everſores, atrociter perſequebantur.

Hoc in ſtatu tum voluntaria paupertate, tum vitæ reliquæ ſanctimonia, tum ſuppliciorum acerbitatibus clariſſimi, ad Sylveſtri Pontificatum perſtiterunt. Cujus temporibus quum ad Chriſtianam religionem *Conſtantinus* (a) moribus ſanctiſſimis Chriſtianorum, & prodigiis ac miraculis, quæ frequentiſſima in iis, qui Chriſti veſtigia ſequebantur, elucebant, permotus animum appuliſſet, Pontifices à periculis, in quibus annos circiter trecentos verſati fuerant tuti, liberius cultum divinum exercere, ritusque Chriſtianos palam profiteri. Quamobrem factum eſt, ut partim *morum & vitæ admiratione*, (b) partim præceptorum, quæ noſtra religione continentur, ſanctitate, partim quoque facilitate quadam mortalium, qua plerunque vel ambitione, vel metu, principis ſui exemplum imitantur, nomen Chriſtianum mirifice omnibus in locis propagari, paupertas verò illa ſacerdotum beata, diminui cœpere. Nam Conſtantinus templo in Laterano divo Joanni, in Vaticano Petro Apoſtolo itemque Paulo, aliiſque diverſis in locis ædificatis, ea non modo pretioſis vaſis ornamentiſque ditavit, verum etiam, ut ſarta tecta tueri, ac renovare quæ extincta erant, ſeque, qui rebus ſacris operam darent, ſuſtentare poſſent, prædiis atque aliis vectigalibus donavit. Alii præterea multi poſtſecuti, rati beneficiis hujusmodi *faciliorem aditum in cæleſte regnum ſibi patefieri*, (c) aut nova extruebant fana, eaque donis cumulabant, aut jam extructis ſuorum bonorum portionem aliquam attribuebant. Quin etiam ſive lege quapiam inveterata, ſive conſuetudine, ad legis Moſeæ exemplum, quisque de ſuorum bonorum fructibus, decimam partem locis religioſis pendebat. Ad quod quidem efficiendum, magno cum ardore excitabantur, quod viderent ab initio ſacerdotes, eo excepto, quod ad parciſſimum victum ſibi reſervabant, quicquid reliquum erat, partim in ædificia religioſa, eorumque ſupellectilem, partim in egenos aliosque pios uſus impendere. Cumque nondum ſuperbia & ambitio in eorum pectoribus inſediſſet, ab univerſis qui ubique erant Chriſtianis, omnium Eccleſiarum ſupremus cuſtos, & tanquam Petri Apoſtoli ſucceſſor Epiſcopus Romanus agnoſcebatur: primum quod ea civitas ob ſuam antiquam dignitatem, tanquam reliquarum caput & princeps, Imperii nomen majeſtatemque retinebat: deinde quod illinc in bonam Europæ partem religio Chriſtiana diffuſa erat: poſtremo, quia Conſtantinus à Sylveſtro ritu Chriſtiano aquis initiatus, ejusmodi auctoritatem in eo atque in ejus ſucceſſoribus libenter agnoverat. Fama quoque eſt, Conſtantinum Orientis provinciarum motibus, Imperii ſedem Byzantium, poſt de ſuo nomine Conſtantinopolim appellatam, transferre compulſum; Pontifici Romanæ urbis aliarumque & urbium & regionum in Italia, imperium donaſſe. Quæ fama, quamvis à ſequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & ſuſtentata, eorumque auctoritate a multis credita, eſt nihilominus cum ab ſcriptoribus gravisſimis, tum vero rebus ipſis *refutata*. (d) Illud autem certo conſtat, & tunc & longo poſt tempore, urbem Romam, Italiamque omnem tanquam Imperio Cæſarum obnoxiam, ab Imperatorum miniſtris ac præfectis fuiſſe gubernatam. Nec deſunt, qui, quicquid de Conſtantino & Sylveſtro dicitur, (usque adeo ſæpe profundis in tenebris res vetuſtæ demerſæ latent) redarguant, oſtendantque, eos longe diverſis temporibus extitiſſe. Nemo tamen negat, Imperii Conſtantinopolim translatione ad Pontificum potentiam, viam eſſe patefactam, ex eaque originem habuiſſe. Nam indies magis & magis Imperatorum auctoritate, tum ex illorum continua abſentia, tum quod graviſſimis in Oriente bellis diſtinerentur, Italia debilitata, populus Romanus ab Imperatorum obedientia paulatim deſciſcens, atque ob eam rem tanto magis Pontifices præſentes reſpiciens, eis cœpit non obedientiam quidem, ſed voluntarium quoddam obſequium exhibere.

Quanquam ne hæc quidem niſi lente ſeſe oſtenderunt, ob *Gothorum & Vandalorum* (e) aliarumque *barbararum* (f) nationum in Italiam effuſiones: a quibus capta ſæpe ac direpta Roma, & Pon-

Petrus Romam venerit: Pontificalem tamen ibi erigere non potuiſſe cathedram; cum Paulo & Barnabæ dextram dederit, quod ad Judæos velit proficiſci, ſicut Paulus & Barnabas ad ethnicos. Atque inde ſequentem nectunt ſyllogismum: Quicquid Petrus Romæ nunquam habuit, id per ſucceſſ. in locum Petri nullus Pontifex Romanus conſequi poteſt. Atqui Petrus primatum & cathedram Petri Romæ nunquam habuit; Ergo &c.

(a) *Conſtantinus*) Vid. *RUPERTI obſervat. ad BESOLDI Synopſ. hiſt. univ. p. 377. ſeqq. EUSEBIUS* ejus non tam hiſtoriam, quam panegyrin conſcripſit. *JULIANUS in Cæſaribus* ipſi non unum imputat vitium, quanquam apoſtatæ Satyrico non æque adhibendam eſſe fidem, exiſtimem.

(b) *Morum & vitæ admiratione*) *FLEURY des mœurs des chretiens.*

(c) *Faciliorem aditum &c.*) Tot enim donationes piæ cleri perſuaſionibus, quot illis præterita, præſentia & futura peccata redimi poſſent, ortum ſuum debent. *FONTANINI vindiciæ diplomatum, lib. II. c. I. §. 213.*

(d) *Refutata*) Confer quæ ſupra de fictitia Conſtantini donatione dicta ſunt.

(e) *Ob Gothorum & Vandalorum*) *Dell' origine di Venetia libro ſeſto, ſettimo, ottavo. Del regno d' Italia ſotto i barbari epitome d' EMANUEL TESAURO p. 8. ſeqq.*

(f) *Barbararum*) *Dell' origine di Venetia libro nono TESAURO l. c. p. 11. ſeqq.* Eſt in manibus meis manuſcr.

Pontificum nomen, quod ad civiles attinet res, in obſcuro pene contemptum jacebat, & Imperatorum in Italia auctoritas evaneſcebat: quandoquidem eam tanta cum ignominia prædæ barbaris expoſitam deſerebant. Aliarum nationum impetus cum torrentis inſtar erupiſſet, Gothorum per annos ſeptuaginta potentia permanſit. Erant hi nomine & profeſſione Chriſtiani, genere a prima origine Scythæ & Dacæ. Quibus tandem Cæſarum armis Italia pulſis, per Græcos iterum magiſtratus cœpit *Italia gubernari:* (a) Quorum qui cæteris imperabat, Græca voce Exarchus appellabatur, ſedemque Ravennæ in urbe vetuſtiſſima, eisque temporibus opulentiſſima, atque ob agri bonitatem frequentiſſima, habebat. Nam poſt magnum incrementum ex Cæſaris Auguſti atque aliorum Imperatorum claſſe validiſſima ſuſceptum, quam in ejus portu urbi pene conjuncto, cujus nunc vix ullum extat veſtigium, continenter tenuerunt: à multis Belli ducibus, deinde ab Theodorico Gothorum rege, ejusque ſucceſſoribus fuerat habitata. Qui quod imperatorum potentiam ſuſpectam haberent, eam potius quam Romam regni ſui ſedem, maris opportunitate Byzantio propioris ducti, delegerunt. Quam opportunitatem Exarchi, etſi contraria ratione ſecuti, cum ibi conſediſſent, Romanæ urbi, aliisque Italiæ civitatibus propriis imponebant præfectos, quos Duces appellabant. Hinc Ravennatis Exarchatus nomen; quo nomine omnia comprehendebantur, quæ proprios duces non habebant, ſed uni Exarcho obtemperabant. Qua tempeſtate Pontifices Romani civilis poteſtatis penitus expertes, atque in mortalium animis admiratione & obſervantia, moribus ipſorum ab illa priſtina puritate jam fatiſcentibus, obſoleſcente, tanquam Imperatoribus ſubjecti, ætatem agebant. *Sine quorum,*(b) & eorum, quos Exarchos diximus appellatos, auctoritate, quamvis ſacerdotum populique Romani ſuffragiis renunciati, neque ſe pro Pontificibus gerere, neque pontificatum capere audebant. Quinetiam Epiſcopi Conſtantinopolitanus & Ravennas, quoniam religionis ſedes Imperii atque armorum potentiam ſequi conſuevit, cum Romano Epiſcopo ſæpenumero de principatu diſputabant.

Cæterum haud multò poſt rerum mutatio conſecuta. Nam *Longobardi,* (c) gens ferociſſima, in Italiam ingreſſi, Galliam Ciſalpinam occuparunt: ab quorum imperio Longobardia eſt appellata. Adjecerunt etiam Ravennam cum Exarchatu univerſo, alias præterea multas Italiæ partes, armis Picenum usque & Spoletum, & Beneventum prolatis; quibus in locis Duces à ſe dictos imperare juſſerunt. Atque hæc omnia; dum Imperatores partim ignavia, partim Aſiaticis bellis detenti hiſce rebus parum proſpiciunt. Horum igitur auxiliis Roma deſtituta, cum nec jam Exarchorum magiſtratus eſſet in Italia, conſiliis atque auctoritate Pontificum gubernari cœpit: qui cum aliquot annis poſt una cum Romanis ab Longobardis opprimerentur, ad Pipini Francorum Regis auxilia tandem ſe receperunt. Qui valido in Italiam exercitu, ubi Longobardi annos *ultra ducentos* (d) dominatum tenuerant, ducto, eos inde pepulit: partemque ipſorum imperii, quaſi belli jure parti, Pontifici & Eccleſiæ Romanæ condonavit. In quibus non modo Urbinum, Fanum fortunæ, Eugubium (*Igninum*, olim) multaque alia Romæ vicina oppida, verum etiam Ravennam cum Exarchatu ſuo: quo contineri ajunt, quicquid à Placentiæ & Papiæ finibus Ariminum usque, Padum inter & Apennium, ſtagna ſive paludes Venetorum, & Adriaticum ſinum clauditur: ad hæc, ipſum Ariminum ad Toglam flumen, tunc *Iſaurum* appellatum. Pipino autem mortuo, cum denuo Pontificibus Longobardi eſſent infeſti, &, quæ ipſis donata erant, invaderent, Carolus ejus filius, qui poſt ob maximas victorias *Magni cognomentum* (e) meritò eſt adeptus, eorum Imperio funditus everſo, à patre Eccleſiæ Romanæ donata comprobavit: & nominatim Picenum & Spoleti Ducatum, quo Aquila oppidum Brutiorumque pars continetur, Pontifici tum cum Longobardis bellum gereret attributa. Hæc ſic habere certo affirmant. Quibus Pontificii quidam ſcriptores addunt, eundem Carolum Eccleſiæ donaſſe Liguriam ad Varum amnem, Italiæ terminum; Mantuam item & quicquid Longobardi in Foro Julii, atque in Hiſtria poſſidebant. Idem quoque aliquis ſcribit de *Corſica inſula,* (f) totoque illo tractu, qui Lunam inter & Parmam intereſt. Ob quæ beneficia reges Galliæ celebrati, & honoribus à Pontificibus affecti, *Chriſtianiſmi appellationem* (g) ſunt conſecuti.

Poſt etiam anno Salutis octingenteſimo, Leo Pontifex una cum populo Romano (verum Pontifex, haud aliâ auctoritate, quam ut ejus populi caput) ipſummet Carolum Romanorum Imperatorem

---

aliquod italicum ſub titulo, *compendioſo racconto de la declinatione dell' Imperio Romano*, in quo ſequentia habentur: *Di modo che tutte le guerre, che dopo quelli tempi furono da barbari fatte in Italia, furono in maggior parte da Pontefici cauſate, & tutti i barbari che quella inundarono furono il piu delle volte da quelli chiamati.*

(a) *Italia gubernari*) *TESAURO l. c. p. 42. ſeqq.*

(b) *Sine quorum*) Confer, quæ de hoc argumento antea monita ſunt.

(c) *Longobardi*) *MACHIAV: hiſtor. florent. libr. 1.*

(d) *Ultra ducentos*) Anno 568. Longobardos Italiam ingreſſos, docet *PAULUS WARNEFRIDI de geſtis Longobardorum lib. 2. c. VII.* illudque tempus recte ſe habere, oſtendit *HORAT. BLANCUS in notis tom. 1. part. 1. ſcript. Italic. p. 428.* Deſiderius autem Longobardorum regum ultimus, expugnato Ticino anno 774. captivus abductus. *PETAVII ration. temp. lib. VIII. p. 517.* Non itaque Longobardorum poteſtas in Italia 214 annos, ut *annales Metenſes* volunt, ſed tantum 206. quod *PAGIUS* jam tum monuit, duravit.

(e) *Magni cognomentum*) Diplomata, in quibus hoc cognomentum adhibuerit, non vidi, niſi huc referre velis diploma Osnabrugenſe, in quo vocatur: *a Deo coronatus magnus* pacificus Imperator Ottonis I, ſi recte memini, in Ughello occurrunt tabulæ, in quibus magnus cognominatur.

(f) *De Corſica*) Sed vide *BIZARI hiſtor. Genuenſ. p. 6 ſeqq.*

(g) *Chriſtianiſſimi appellationem*) Sed Pipinus a Papa Stephano jam tum appellatur *chriſtianiſſima excellentia. vol. epiſt. apud CHENIUM p. 717.* Sunt, qui tituli hujus uſum a Clodovæi primi temporibus deducunt. Et imperatoribus Germaniæ & regibus Hiſpaniæ in publicis tabulis nonnunquam id cognominis inditum eſt. Julius ſecundus Gallo ſuccenſens Chriſtianiſſimi elogium ad Anglum transferre conſtituit *RICH. BAKER Hiſtory p. 391.*

torem nominarunt; nomine quoque ipſo hanc Imperii partem ab Imperatoribus Conſtantinopoli agentibus ſejungentes tanquam Roma provinciæque Occidentis ab illis deſertæ in periculis, propriorum Principum tutela opus haberent. Hac Imperii diſtractione, transmarini Imperatores, nec Siciliæ inſula, nec ea Italiæ parte, quæ ab *urbe ipſa Neapoli* (a) Manfredoniam usque pertingens, mari terminatur (quoniam ſemper illorum imperium agnoverant) excluſi fuere. Nec ob id de conſuetudine, qua Pontifices Imperatorum, quorum nomine Roma gubernabatur, auctoritate confirmarentur, derogatum eſt: quin & in ſuis diplomatibus, ſcripturæ tempus his verbis conſignabant: IMPERANTE CAROLO DOMINO NOSTRO. In qua minime gravi vel ſubmiſſione, vel obſervantia perſtitere, dum rerum eventus animos addidere, ut ſuo ſe nutu regerent. Quippe cum Imperatorum potentia debilitari cœpiſſet, primum diſſidiis inter Caroli Magni poſteros, dum penes eos Imperii majeſtas ſtetit: deinde Imperii ad Principes Germanos translatione, potentia Caroli Magni ſucceſſoribus minime pares; Pontifices populusque Romanus, cujus magiſtratibus Roma cœpit quamvis perturbate & confuſe gubernari, Imperatorum auctoritati quibuscunque modis derogantes, lege ſanxerunt, *ne deinceps Pontificum electio, Imperatorum auctoritate niteretur:* (b) quod quidem per annos plures varie ſervatum eſt, prout rerum viciſſitudine Imperatorum potentia aut ſurgebat, aut inclinabat.

Quæ, poſteaquam ad OTHONES Saxones imperium pervenit, aucta: *Gregorius V.* (c) Othonis tertii favore, qui tum Romæ erat, ad Pontificatum aſſumptus: hinc ſuæ gentis amore, illinc Romanorum quibusdam injuriis impulſus, ſuo decreto legendi Imperatoris jus & auctoritatem, ea forma, quæ ad hæc usque tempora perducta ſervatur, in Germanorum nationem tranſtulit; atque ut Pontificibus in Imperatores auctoritatem aliquam retineret, eisque vicem redderet, interdixit, *ne quis Imperatoris Auguſtive appellatione, aliove nomine quam Regis Romanorum & Cæſaris uteretur, ni prius Imperii coronam a Pontifice* (unde mos inolevit, ut ad capiendam coronam Romam veniant) *accipiant.* Cæterum Othonibus extinctis, & potentia Imperatorum, quod ad magnos reges hæreditario jure Imperium non veniret, Roma palam ab illorum obedientia defecit: multæque urbes Conrado Suevo imperante, rebellarunt: & Pontifices ſuæ amplificandæ auctoritati intenti, Romanæ civitatis dominatum propemodum obtinebant. Sæpe tamen propter populi inſolentiam & diſcordias, multis difficultatibus laborabant: quem ut in officio continerent, Henrici ſecundi favore, qui tum Romæ erat, Pontificis creandi jus in Cardinales ſolos tranſtulerunt. Pontificum magnitudini nova acceſſio facta eſt. Nam cum Normanni, quorum primus Guilielmus *Ferabrachius* (d) eſt appellatus, ab Imperio Conſtantinopolitano Apulia & Calabria ſubtracta, Robertus Guicciardus ex illa gente unus, ſive ut colore juris aliquo ſeſe muniret, ſive quo adverſus eos Imperatores potentia ſe armaret, ſive alia de cauſa, *Benevento* (e) Pontifici, quaſi Pontificii juris eſſet, reſtituto, Apuliæ Calabriæque principatum, quaſi *Eccleſiæ Romanæ feudum, recognovit.* (f) Cujus exemplum Rogerius ejus ſucceſſorum unus ſecutus, inde pulſo Guilielmo eadem familia orto, poſt etiam Sicilia occupata, fere anno Salutis MCXXX. harum provinciarum jus a Pontifice accepit: eſtque Rex *utriusque Siciliæ,* (g) quarum una ultra, altera cis fretum ſita eſt, appellatus. Neque enim Pontifices ambitione & propria utilitate adducti, alienam cupiditatem & vim fouere recuſarunt. Hâc juris ſpecie freti, ulterius Pontifices progreſſi (ut cupido humana gradum ſiſtere nequit) quosdam reges illis regnis quaſi contumaces privare cœperunt, *in aliosque transferre:* (h) quo more ad Henricum, Federici Barbaroſſæ filium, ab hoc ad Federicum ſecundum ejus filium, qui tres ordine Romani Imperatores fuerunt, ea regna pervenere. Verùm cum Federicus Pontificem bello perſequeretur, eſſentque illo tempore *Guelforum & Gibellinorum factiones* (i) excitatæ, quarum alterius caput erat Pontifex, alterius Imperator: Pontifex, mortuo Federico, *Carolum Andiovinorum* (k) & Provinciæ Comitem (cujus antea facta mentio eſt) utriusque Siciliæ Regem appellavit: hac lege, ut quotquot annis, auri unciarum ſena millia tributi nomine pen-

(a) *Urbe ipſa Neapoli*) Quanquam non una vice cum Græcis de ea decertatum ſit.

(b) *Auctoritate niteretur*) Sed hæc abrogatio nullius fuit momenti. Idem enim eſt, ac ſi ſubditus principi ſuo imperium abrogare vellet, quæ impietas rebellio vocatur.

(c) *Gregorius V.*) Hoc fabuloſum eſſe in antecedentibus docui. Impingit cum Guicciardino aliisque permultis *GIOVANNI TARCAGNOTA delle Hiſtorie del mondo, part. II. lib. XI. p. 413.* quando vulgarem ſequitur ſententiam, additque omnes tres archicancellarios eodem tempore eſſe ſtabilitos.

(d) *Ferabrachius*) *PANDULPHUS COLLENUTIUS hiſtor. Neapolit. lib. 3. p. 95.*

(e) *Benevento*) *CAMILLI PEREGRINI de Ducatu Beneventano differt.* exſtant *tom. V. ſcript. Italic.* Beneventum Pontificiæ factum ditionis *GUILIELMUS APULIUS de Normannis lib. IV. p. 270. tom. V. ſcript. Italic.* teſtatur. *GAUFRIDI MALATERRÆ hiſtor. Sicula lib. IV. l. c. p.* 600. Hic ſcriptor exſtat etiam *tom. 3. Hiſpan.* illuſtratæ.

(f) *Eccleſia Romana feudum recognovit*) *PANDULFUS COLLENUTIUS hiſt. Neapolitan. lib. 3. p. 99.*

(g) *Utriusque Siciliæ*) *PANDULFUS COLLENUTIUS lib. III. p. 118. FALCONIS BENEVENTANI chron. tom. V. ſcript. Italic. p. 129. ABBAS CELESINUS de geſtis regis Rogerii lib. 3. Cronica DEL GUAZZO Guilielmo & Ruggiero Normanni. ANTONIO SUMMONTE della citta & regno di Napoli lib. 1. & CAPTCIUS hiſtor. Neapolit. lib. 1.*

(h) *In aliosque transferre*) Sic aliquando, Philippo pulchro, papali fulmine percuſſo, Bonifacium, Alberto Galliæ regnum addicere, conſtituiſſe, ferunt. Quibusnam artibus & temporis injuria Joannes Angliæ rex inductus ſit regnum ſuum ſedi apoſtolicæ in feudum offerre.

(i) *Guelforum & Gibellinorum factiones*) Priores a gentis ſuæ quodam auctore poſteriores a caſtro celebri Waiblingen, ad Hohenſtaufios ſpectante, haud dubie nomen habentes. Vid. *hiſtoria de principi d' Eſte di Gio Battiſta pigna p. 149.*

(k) *Carolum Andiovinorum*) *PANDULFUS COLLENUTIUS hiſtor. Neapolit. lib. 3. p. 195. ſeqq. SALLAS MALASPINA* apud *BALUZIUM in miſcellaneis.*

penderet, ac ne quis eorum regum inpoſterum *Imperatoris Romani appellationem* (a) poſſet admittere: quæ exceptio ſemper ab eo tempore in regni Neapolitani diplomate expreſſa fuit. At Siciliæ regnum poſt à *Tarraconenſibus regibus* (b) occupatum, à Pontificum obedientia ſeſe ſubduxit, atque à tributo penſitando vindicavit. Adhoc obtinuit fama (etſi haud ita certa, quàm ea, quæ hactenus dicta ſunt) Mathildam principem in Italia præpotentem, Eccleſiæ *eam partem Etruriæ donaſſe*, (c) quæ Peſcia torrente & Quirici caſtello in Senenſium finibus ab una parte, ab altera mari infero & Tyberi amne clauditur, quæ hodie *Patrimonium Petri* vulgo nominatur: & addunt alii, ab eadem Ferrariam Eccleſiæ donatam. Hæc poſtrema dubiâ fide retulimus. Cæterum multo magis dubia, quæ ab aliquo ſcripta ſunt, videlicet, *Authpertum Longobardorum Regem*, (d) florente ipſorum regno, eidem Eccleſiæ Alpes Cottias, in quibus *Genua*, (e) & quicquid ab ea in Provinciam usque Romanorum patet; & *Luithprandum*, (f) ejuſdem gentis Regem, Sabinam Romæ propinquam regionem Narniam & Anconem, cum aliis quibusdam oppidis attribuiſſe.

In hunc igitur modum rerum ſtatu variante, variæ pariter Pontificum atque Imperatorum res fuere. Nam à primis Imperatoribus per multa annorum curricula vexati, poſt Conſtantini ad Chriſtum converſionem, ab eo terrore liberati, rebus ſacris tantum operam dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati ferè ſubjecti, ſub eorum umbra quieverunt. In hoc humili ſtatu diutiſſime pòſt vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam, ſejuncti. Pòſt autem Galliæ regum beneficio opibus & potentia aucti, cum Imperatoribus conjunctiſſimi ſtetere, ab illorum auctoritate, dum imperatoria majeſtas in Caroli Magni poſteris manſit, alacri animo pendentes. Quod quidem fiebat, tum propter beneficia viciſſim data & accepta, tum etiam ob Imperatorum potentiam. Quæ ubi poſt cœpit inclinare, *& quaſi flacceſcere*, (g) illorum amicitiâ prorſus rejectâ, ita ſe gerere cœperunt, quaſi Pontificiæ dignitatis eſſet leges potius Imperatoribus dare, quam accipere. Cumque à veteri illo quo ſubjecti Imperatoribus ſtatu penitus abhorrerent, veritique ne illi Romæ atque alibi antiqua Imperii jura recuperare, (ut quidam illorum aut potentia majore aut animo erectiore efficere conabantur) tentarent, armata vi ſeſe Imperatorum potentiæ, ab illis tyrannis, qui ſe Principes appellabant, & ab illis urbibus, quæ ſeſe in libertatem vindicaverant, nec jam Imperii auctoritatem agnoſcebant, adjuti, opponebant. Hinc factum eſt, ut Pontifices ſibi indies plura majoraque arrogantes, *terroremque armorum cœleſtium*, (h) in res terrenas caducas vertentes, jus ſibi atque auctoritatem in Imperatores, quaſi Chriſti in terris vices gerentes, aſſumpſerunt: affirmantes ad ſe multis in rebus regnorum atque imperiorum procurationem pertinere. Qua perſuaſione freti, Imperatoribus interdum Imperii dignitatem abrogabant, Septemviros Auguſtales, ut alios in eorum locum ſurrogarent, incitabant. Viciſſim quoque Imperatores aut ipſi creabant novos Pontifices, aut ut crearentur, procurabant. Ex his controverſiis, atque etiam quod Pontifices per annos ſeptuaginta *Avenione ſedem habuiſſent*, (i) nec non ex illo Eccleſiæ diſſidio, quod in Italia, Pontifice Romam revertente, eſt exortum, cum Eccleſiæ ſtatus admodum concuſſus ac debilitatus eſſet, factum eſt, ut in oppidis Eccleſiæ ſubjectis, præcipuè verò in eâ Italiæ parte, quæ olim Gallia togata dicta eſt, complures in eis cives potentia cæteris ſuperiores, in ſua quisque patria tyrannidem occuparent. Quos Pontifices aut perſequebantur, aut, ſi ad eos opprimendos impares eſſent, quaſi Eccleſiæ beneficio regnare jubebant, aut aliis in eos excitatis, regnandi jus attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida, proprios dominos, ac pleroſque quaſi Eccleſiæ vicarios, habere cœperunt. Eodem modo *terraria* (k) Actio Ateſtino à Pontifice gubernanda tradita, eidem eſt pòſt beneficii nomine attributa: ex quo deinde ea familia illuſtrioribus honorum

(a) *Imperatoris Romani appellationem*) *MACHIAVELLI delle hiſtorie Fiorentine libro I. p. 23.*

(b) *a Tarraconenſibus regibus*) Gallis Siciliæ incubantibus per truculentas illas veſperas ſublatis regnum in Petri Arragoni, cui Conradinus hoc deſtinaverat, venit poteſtatem. *LVCI MARINE de rebus Hiſpaniæ lib. XI.* apud SCHOTTVM *tom. I. p. 391. ſeq. Hiſtoria de Catalauna por BERNARDO DESCLOT lib. I. c. 18. lib. II. c. 4. ſeqq.* Id autem, quod de translatione Siciliæ ad Petrum Arragoniæ regem, per chirothecæ jactum, traditur a BLONDELLO *in præfat. apologetica* & a GVNDLINGIO *part. I. Gundlingian. p. 459. ſeqq.* non abſque ratione in dubium vocatur.

(c) *Eam partem Hetruriæ donaſſe*) *Poco appreſſo la Conteſſa Mattilde eſſendo aſſai vecchia mori, laſciando alla chieſa Romana quanto e fra l' Apenino e'l mare noſtro, dal fiume Piſſio, e da S. Quirico ſu quel di Siena fino a Ceprano: e ne fu percio tutto quello ſtato il patrimonio di S. Pietro detto. Ne hebbe conqueſta la chieſa anche Ferara. Delle hiſtorie del mondo di M. GIOVANNI Tarcagnota p. 467. MACHIAV. l. c. p. 11. Opp.*

(d) *Authpertum Longobardorum regem*) Aripertum Longobardorum Regem ſedi Romanæ Alpium Cottiarum patrimonium donaſſe teſtatur PAVLVS DIACONVS *lib. VI. c. 28. tom. I. part. I. Script. Italic. p. 499.*

(e) *Genua*) Dubium eſt, an hæc civitas donationis pars fuerit.

(f) *Luithprandum*) Hunc marchiam Anconitanam & caſtrum Subtrium cepiſſe, *ex Spicilegio Ravennatis hiſtoriæ tom. I. part. II. Script. Ital. p. 576.* Sed a Luitprando loca ab autore citata pontifice donata difficilis erat probationis. Quanquam negari nequeat deinde papalis facta eſſe ditionis. LEANDRO ALBERTI *p. 100. ſqq. 279. ſeqq.*

(g) *quaſi flacceſcere*) *Hiſtoria ſopra li beneficii eccleſiaſtici del padre Paolo p. 72. ſeqq.*

(h) *terroremque armorum cœleſtium*) *Et vedra ſi, come i papi, prima con le cenſure dipoi con quelle & con le armi inſieme meſcolate con l' indulgenze erano terribili & venerandi.* Sunt verba AVTORIS ITALICI MANVSCR. ante citati.

(i) *Avenione ſedem habuiſſent*) Confer BALVZIVS *de papis qui Avinioni locum tenuerunt.* Urbanus tandem quintus Romæ exulem tamdiu ſedem anno 1367. reddidit. BVCCL. *hiſtor. univerſ. part. III. p.* 144. quam Clemens V. ipſi princeps abſtulerat. BVCELINVS *l. c. p.* 136.

(k) *Ferraria*) PIGNA p. 193. 305. 311. ſeqq. *Riſtretto delle ragioni che la ſereniſſima caſa d' Eſte ha colla camera apoſtolica p. 254. ſeqq.*

honorum titulis eſt exornata. Sic *Bononia* (a) ab Joanne Vicecomite Mediolanenſium Archiepiſcopo occupata, eidem pari jure conceſſa fuit. Iisdem quoque de cauſis in multis Piceni oppidis, divi Petri patrimonio, & *Umbria*, (b) quæ nunc Ducatus appellatur, plures reguli, pars invito, pars ad conſentiendum adacto Pontifice, ſunt exorti. Nec Longobardia, in Imperii præſertim oppidis, ab hujusmodi mutationibus immunis fuit: ſic, ut qui in Flaminia atque aliis Pontificiis locis dominabantur, à Pontificum obedientia deficientes, ad Imperatorum *auctoritatem confugerent:* (c) & viciſſim qui Mediolanum, Mantuam, & alia Imperii oppida tenebant, à Pontificibus regnandi jus obtinerent. Roma vero, quanquam nomen Eccleſiæ temporibus illis præ ſe ferret, magiſtratibus tamen regebatur propriis & ſuis: & quamvis Papæ initio, cum Avenione in Italiam poſtliminio revertiſſent, tanquam domini agnoſcerentur: paulo tamen poſt Romani creato magiſtratu, quod Banderenſium appellabant, in veterem contumaciam recidere. Unde cum Pontificum auctoritas apud eos eſſet perexigua, & ipſi, aliò translata ſede, Romam reliquere: donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam propter ejus abſentiam confuſionem delapſi, cum annus milleſimus quadringenteſimus appropinquaret, (in quo anno ſi Pontifex in urbe eſſet, ſperabant ingentem fore propter annum ſecularem, quem Jubileum vocant, mortalium concurſum) precibus quam demiſſiſſimis Bonifacium Pontificem orarunt, Romam rediret: id ſi faceret, Banderenſium magiſtratum abrogaturos, ſeque ei obſequentes in omnibus futuros. His conditionibus in urbem reverſus, dum Romani illius anni quæſtum unum attendunt, Pontifex occupato omni urbis imperio, Angelicam arcem communivit eique præſidium impoſuit: cujus ſucceſſores ad Eugenium usque etſi non paucis difficultatibus conflictati, nihilominus dominatu pòſt plene ſtabilito, inſecuti Pontifices, citra ullam controverſiam, Romæ ſunt pro ſua libidine dominati.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac ſenſim animarum ſalutis, *divinorumque præceptorum obliti* (d) atque ad mundana imperia omni cogitatione converſi, nec divina auctoritate aliò, quam quaſi telo & inſtrumento rerum fragilium abutentes, principes potius gentium quam rerum ſacrarum Pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia, non jam vitæ ſanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, ſed exercitus, ſed bella in Chriſtianos, cogitatione & manibus ſanguine reſperſis ſacra tractantes: ſed pecuniæ immenſa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ inſidiæ ad *pecuniam undique cogendam.* (e) In hunc finem audaciſſimè arma cœleſtia vibrare: profanarum ſacrarumque rerum nundinationem impudentiſſimè exercere: hinc opes in immenſum adauctæ, & in totam ipſorum aulam effuſæ: ex quibus faſtus, luxus, mores turpiſſimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla de ſucceſſoribus cura, nulla majeſtatis perpetuæ pontificatus ſollicitudo: ſed horum loco cupido anxia & peſtifera, filios, nepotes, item alios ſibi conjunctos & neceſſarios non modo ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia evehendi: non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, ſed plerunque auctionando, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum eſt, ut excuſsâ penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reverentia: tamen ex parte, eorum auctoritas, religionis (qua nihil in terris ad homines vel impellendos vel retinendos potentius invenitur) nomine & majeſtate, facultate qua pollent, Principibus, atque iis qui apud illos maxime poſſunt, ſacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adjuta, ſuſtentetur. Qui cum ſciant magna ſe in admiratione mortalium eſſe: & qui adverſus eos arma ſumunt, eos gravis infamiæ notam, & ſæpenumero aliorum Principum odia ſubire: ac quomodocunque res cadat, perexiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex ſuo arbitrio victoria uſuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: ad hæc, ſuos propinquos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum auctores, novorumque incendiorum faces in Italia extiterunt. Sed ut ad id, à quo juſtiſſimus publici damni dolor me longius acriusque, quam leges hiſtoriæ forſitan permittant, abduxit, revertamur. Æmiliæ Flamin. &c.

Index Autorum & monumentorum, quibus in hoc tractatu Autor eſt uſus.

Abbas Svvartzahenſis	Agobardus	Armacanus
Joſ. Acoſta hiſtor. Americ.	Albertus Stadenſ.	Auguſtinus de C. D.
Adamus Bremenſ.	*And.* Alciatus	*Joh.* Aventinus
Ado	Anaſtaſius	Baldus
Paul. Æmilius	Angel. Aretinus	Baluzius

Bar-

(a) *Bononia*) CORIO *dell' hiſtorie Milaneſe parte ſeconda p. 195. memoires de Bologne p. 579. ſeqq.* LEANDRO ALBERTI p. 323. ſeqq.

(b) *Umbria*) LEANDRO ALBERTI *p. 22. 93.* ALFONSO LOSCHI *compendi hiſtorici. p.* 409.

(c) *confugerent*) Hoc potiſſimum Ludovici IV. tempore factum eſt. *Riſtretto delle ragioni che la ſereniſſima caſa d' Eſte ha colla camera apoſtolica p.* 280.

(d) *divinorumque præceptorum obliti*) Conf. *Il divortio celeſto di* PALLAVICINO, JOANNIS BAPTISTÆ LEONIS VENETI *Urbinatum Ducis apud Venetos oratorie diſcurſum ſupra poteſtate eccleſiaſtica & curia Romana monarchia. Trattato dell' interdetto della ſantita di Paolo V. propoſ. VIII. p.* 22.

(e) *cogendam*) Vid. PAULI SARPII *hiſtoriam concilii Tridentini* paſſim, quam male refutavit CARDINALIS PALLAVICINUS conf. AMELOT DE LA HOUSSAIE *præfat. hiſtor. Sarpii in gallicum idioma transl.* præmiſſa.

Barclajus
Baron. contra Monarchom.
Becker
Bellarminus
Beſoldus ad Campanel. Monarch. Hiſpanic.
Bodinus
Bœclerus
Bzovius
Cajetanus
Georg. Calixtus
Caniſius
Jus Canonicum
Capitulare Francorum
Caſſiodorus
Centuriatores Magdeb.
Chamier
Claudianus
Mich. Coccinius
Codex legum Saxonic.
Crantzius
Nic. Craſſus
Nic. Cuſanus Cardin.
Cynus Piſtorienſ.
Damianus
Dionyſius Halicarnaſſ.
Ditmarus
M. Ant. de Dominiis
Arth. Duck.
Eginhartus
Evagrius
M. Felix
M. Flacius
Florus
M. Freheri Notæ ad P. de Andlo
Fritzius
Frodoardi Chronic.
A. Gellius
Rud. Glaber
Goldaſtus
Rud. Goldaſtus
Gotfridus Viterbienſ.
Gretſerus
H. Grotius
Gregorius Thuronenſ.
J. Gruterus
Fr. Guicciardinus
Guilimannus
Haithonus
Herwartus
Hincmarus Arch. Rhemenſ.
Hieronymus
Holſteinius
Fr. Hottomannus
Hundius
Jornandes
Juſtinus
Lactantius
Lambertus Aſchaffnaburg.
Lehmanni Chronic.
Leo hiſtor. Caſinens.
Ligurinus
Lindenbrogius
Livius
Mich. Lonigius
Luitprandus Ticinenſ.
Lupoldus Bambergenſ.
Marca
Amm. Marcellinus
Martha de Jdict.
Martialis
Pap. Maſſonius
Meibomius
Molinæus
Morellus
Nicolaus Burgund.
Theod. de Niem
Nithardus
Onuphrius de Comitiis
Oroſius
Otto Friſingenſ.
Joh. de Pariſiis Dominicanus
Paulus Diaconus
Vell. Paterculus
Petronii Satyricon
Pet. Pithœus
Platina
Priſci excerpta
Procopius
Proſper
Rebdorfii annales
Regino
Rittershuſius
Ant. de Roſellis
Salluſtius
Salvianus
Sacra Scriptura
Joſ. Scaliger
Schok de Majeſt.
Seldeni mare clauſ.
Sigebertus
Sigonius
Ezech. Spanhemius
Strauch.
Sutholt ad ff.
Æn. Sylvius
Tabor
Tacitus
Tertullianus
Theophanes
Thuanus
Titius
Joh. Tritthemius
Tuſchus Cardinal.
Ferdin. Vaſquez Controverſ. illuſtr.
Franc. Victoria
Viguerius
Raph. Volaterranus
Vorburgius
Paul. Warnefridus
Wilhelmus Malmesbur.
Wippo
Wittikindus
Zonaras.

Hermanni Conringii Opus de Finibus Imperii Germanici, quo Jura Finium, quibus illud continetur, à primo ejus exordio usque ad hæc noſtra tempora illuſtrantur.

Præfatio Editionis primæ Benevolo Lectori S. P. D.

CUm primum ſcriptioni huic manum appellerem, aliud mihi conſilium fuiſſe atque poſt reapſe egi, ipſamet operis frons indicat etiam me tacente. Fuit ſcilicet animus non niſi Diſſertationem edere, & quidem illam quatuordecim circiter plagulis comprehenſam: quæ brevitas ne qua foret deſpectui, volui illi molem aliquam quærere à charactere grandiore. Simulac verò cœpi argumentum hoc majore nonnihil cura aggredi, ſenſim mutata ſententia, & laxato quaſi freno liberior ſtilo curſus indultus eſt. Deprehendebam nimirum, argumenti & nobilitatem, & amplitudinem, & (quia *vix à quoquam* (a) ex profeſſo eſt tactum vel certe minus accurate tradi-

(a) *vix a quoquam*) Hæc in juſtum compingere opus, ante Conringium auſus eſt nemo. Qui prætenſiones illuſtres tetigerunt, ſparſim hujus materiæ mentionem injecerunt. Prætenſionum argumentum ſibi CASSANVS & PVTEANVS Galli ex profeſſo pertractandum ſumſerunt: Sed hi non niſi ſuo velificantur aut potius adulantur regi. Ad Caſſani hiatus obſtruendos ZYPÆVM imparem tanto labori minus feliciter acceſſiſſe, permulti arbitrantur. Nec omittendi hic ſunt AVBERIVS, Galliæ regis jura in imperium violenter urgens, CHOPPINVS, BALVZIVS, SIRMONDVS, & BLONDELLVS, cui ſe oppoſuit, ubi Hiſpanorum

Digitized by

traditum,) obſcuritatem difficultatemque, exigere diffuſam magis curam, nec vaſtum adeo campum ea, quam inſtitueram, brevitate poſſe ſine aliqua Imperii injuria conſtringi. Ita accidit mihi, quod fere ſolet in ſcriptione extemporanea, ut ejus initio non usque adeo bene progreſſus operis reſpondeat: quod vitare poſſunt, qui non niſi perfecta jam ſcripta ſolent typis committere. Quorum ego morem ut laudo, ita hactenus nunquam imitari licuit, per neſcio quod ingenii vitium: quo ductus, quicquid calamo excidit, non patior deſcribi, ſed mox, licet minus pulchro charactere formatum in ſchedis, trado typothetis, illis ſæpe ringentibus: ne relegere quidem ſemel ſcripta ſuſtineo, niſi ex typographeio reddita, quo emendentur. Id quod ideo nunc commemoro, uti & ne ignores, Lector, cauſam inſolentis primæ inſcriptionis, & ſimul ignoſcas. Nec vero ab extemporanea illa mea ſcriptione aliud aliquod ſperaverim crimen magnum commiſſum: quod videlicet, ut ſolet, aut eadem ſæpius repetita, aut nonnulla alieno loco poſita, aut denique ea ſcripta fuerint, quæ mutata mallem: ac proinde eo faciliorem mihi unius peccati, in titulo operis commiſſi, veniam polliceor, præſertim cum non pro amphora inſtituta urceus, ut illi quondam, ſed pro urceolo pene amphora exierit, etſi ab argumento meo ne latum quidem unguem, ut ajunt, diſceſſerim. Sed & correxi jam illum primum male natum titulum, & in libros duos mutavi falſo dictam Diſſertationem: ut alter contineat Finium rem omnem, à primo usque Imperii exordio ad fatalem illam ruinam, quæ cum Friderico II. Cæſare tertio decimo ſeculo contigit, alter cœptam materiam ad noſtram *usque hanc tempeſtatem* (a) perſequatur.

Continui vero me in omni hac ſcriptione in explicandis duntaxat juribus Finium cauſſas, quur illi quondam ita amplificati & rurſum contracti adeo ſint, quidve horum vel profuerit olim vel hodie proſit aut obſit, ne quidem *verbulo attigi*, (b) idque conſulto: propterea quod ea eſſet prioris illius loci difficultas & amplitudo, ut alter commode non potuerit ſimul agitari. Ingens nimirum eſt inter jurium illam peritiam, quæ circa τὸ ὅτι (c) occupata tantum eſt, & illam, qua ſimul cauſſas jurium illorum adeoque hac pariter uſum noxam eorum aſſequeris, quæque proinde fere ſola prudentiæ nomen promeretur, diſcrimen. Certe facile illud quivis ſanæ mentis fatebitur, etſi Thaboricus ſtupor id non capiat. Igitur non quod neſcirem cauſſarum illam cognitionem pertinere demum ad exactam jurium illorum Imperii ſcientiam, aut quod exiſtimarem non eſſe pretium operæ iis exponendis allaborare, non tactus à me ille locus eſt, ſed quoniam, cum & ipſe prolixus ſit ac difficilis, non potuit hac vice una cum altero illo negotio recte expediri. Et vero ſedet ſententia ſeorſim alias exponere, cauſas & incrementi omnis & decrementi, quod Imperium hoc noſtrum à prima origine ſua ad hæc noſtra usque tempora variis eſt viciſſitudinibus hactenus expertum. Fortaſſis etiam addam, qua ratione exiſtimem ego collapſam rempublicam erigi rurſum poſſe, quidque inpoſterum ſperandum ſit metuendumve. Fortaſſis, inquam. Minus enim tuto aut commode talia in aperto differentur: nec forte fas eſt, conſilium in tam arduis publicæ rei negotiis dare, niſi iſtud curare *in officio tuo* (d) ſit. Tamen & veteris & noſtri ævi magnorum hominum exemplis, qui non dubitaverunt editis

res agitur, CHIFLETIVS vid. GIOVANNI, vel ſi mavis, LVDWIGII *Germaniæ principis præfat.* Jungendi hiſce ſunt libelli gallici, quorum unus titulum: *Nouveaux interêts des princes;* alter: *Interêts & maximes des princes & des états ſouverains habet.* Neque forte absque omni hic diſcedet utilitate, qui lectioni Rohaneæ trutinæ aliquot dabit horas. SPENERI quoque *opus Heraldicum* uſum aliquem præbere poteſt, majorem autem SCHWEDERI theatrum prætenſionum, quo erudito orbi diligentiam ſuam probavit. SPRENGERI libellum vix ſeptem aut octo caſus complectentem, prætenſionum ſyſtematis nomen haud mereri THOMASIVS *c. 7. jurisprud. judic. membr. IV. p.* 81. docet, cui LVDWIGIVS *l. c.* aſſentitur. Optandum profecto, ut exoletæ prætenſiones, ubi verbis vel factis, ſub quibus & non facta comprehenduntur, rebus vel juribus valide renunciatum eſt, omitterentur; Nec non, ut generaliores, ad juris gentium ductum adornatæ exſtarent regulæ, ad quas in dijudicandis prætenſionibus, quæ dubiis involutæ ſunt, confugi poſſet. THOMASIVS *in fundamentis juris naturæ lib. 2. c. X.* Neque enim GROTIVS & PVFFENDORFIVS rem omnem perfecerunt.

(a) *usque hanc tempeſtatem*) Ego totus in eo ero, ut illuſtrem hanc materiam, ex actis publicis & monumentis fide dignis, ad noſtra uſque tempora perducere queam.

(b) *verbulo attigi*) Nos in quantum eas aſſequi dabitur, convenientibus locis memorare non ſuperſedebimus; inquietus enim ſolet eſſe ſciendi cupidus animus, uſque dum in mutationum cauſas penetraverit. Nec puto cauſarum incrementi & decrementi finium inveſtigationem peculiari eſſe reſervandam libro; nam cauſæ & effectus juxta ſe poſiti magis eluceſcunt.

(c) τὸ ὅτι) ZEIDLERI *analytica lib. I. c. 3. ſeqq. & lib. II. c. 2.*

(d) *in officio tuo*) In patriæ mala ejusque remedia unicuique inquirere licet: Nam quilibet pro ſuo modulo, ad patriæ ſalutem promovendam, eſt obligatus; ſed boni civis eſt, ſi ita adulta ſint vitia, ut ſine reipublicæ periculo emendari nequeant, ea potius tegere, quam propalare. Imo licet reſpublica ejusmodi conflictetur morbis, qui medicam non ſpernunt manum; attamen conducit, eos, qui forte detecti ſunt, in illorum, qui regendis rebus præſunt, notitiam ducere, atque iis, quæ de adhibendis remediis, cogitata ſunt, manifeſtare, quam quorumvis imbecilli ſæpe judicio exponere. Sunt nonnullæ ægritudines, quæ premi volunt & occulta requirunt remedia, quippe, ſi in vulgus de iis ſparguntur voces, contemtum pariunt, & in morbida republica, ſi malum in membrorum perniciem redundat, ex tali contemtu, ferente occaſione, inteſtini exoriri ſolent motus. Denique eis, qui nonniſi theoreticam rerumpublicarum notitiam habent, nonnunquam morbi videntur, qui tales non ſunt; ſi præſens reipublicæ ſtatus, juxta neceſſitatem ſuam hypotheticam, accuratiori & omnibus circumſtantiis ſecretioribus etiam, innitenti ſubjiciatur contemplationi. Sæpe aliquid in ſe conſideratum malorum numero eſt, quod ſi vero ratione nexus, quem cum alio habet, neceſſarium & utilitatis nomine, quam ei præbet, colluſtrabitur, ad bona merito referendum erit. Sic & quædam ſingulorum intuitu, mala eſſe apparent, quæ, cum reſpublica ſine iis conſervari, aut emergere nequeat; ratione

editis in publicum libris conſulere in medium, quod uſui fore arbitrati ſunt, ad ſimilem operam queam invitari. Cæterum quicquid hujus aliquando futurum ſit, in præſentia omne illud à me conſultò eſt in hoc de Finibus opere omiſſum. Ne tamen ſententiam ſuper hac re meam omni nunc ex parte diſſimulem, viſum fuit ſubjungere ſaltim ea, quæ ante hos ſeptemdecim annos de negotio hoc diſſerui, illa in *præfatione*, (a) quam operi Politico Ariſtotelis tunc præmiſi. Quamvis enim nequaquam omnia, quæ huc pertinent, ſim ibi perſequutus, quod & laterent me tum nonnulla, nec permitteret argumentum aliter hæc quam obiter tunc tangere, dixi tamen jam tum, pro ætatis meæ & occaſionis ratione, nec pauca nec fortaſſe paſſim obvia & omnibus æque in vulgus cognita: quæque proinde haud incommode heic legas expendaſque, donec majora & pleniora depromere licuerit.

In opere ipſo ità verſatus ſum, ut univerſa à prima Imperii origine arceſſiverim, non contentus ultima hæc noſtri ævi duntaxat proſequi: idque quoniam ſentio ipſa hæc ultima probe exponi non poſſe, niſi re omni altius repetita, & priſca tamen illa quadam caligine tecta deprehendi, vix quoquam noſtrorum illuc usque excurrente. Obſervavi porro in omni expoſitione temporis ſeriem, & veterem regnorum, ex quibus hoc vaſtum Imperii corpus coaluit, diſtinctionem: quo major lux ex probo ordine lectori affulgeat, evitata omni confuſione. Eapropter ſeorſim quoque perſecutus omnia ſum, quemadmodum ſeſe habuerint ad Friderici II. Cæſaris ævum, ſeorſim reliquam tempeſtatem univerſam exhibui: quandoquidem usque adeo ingens inter ea tempora diſcrimen invenitur, & fortuna Imperii quaſi binas in partes illas diſſecta eſt. Ad leges provocavi, non illas *Romanis proprias*, (b) ſed quas natura aut gentium conſenſus inſtituit: quod illæ controverſiis hiſce decidendis minus ſint idoneæ, etſi vulgo utramque ſoleant paginam facere, imo tertium pene quodvis verbum interpolare. Hujus facti, hujus ſententiæ meæ rationes & alibi fuſius, & breviter hoc ipſo in opere capite nonodecimo, eas attuli, ut ſperem, æquum quemvis judicem iis cum cura expenſis, aut omnino mihi aſſenſurum, aut certe erranti veniam non denegaturum: aliorum voculas nec moror nec pertimeſco. Cum vero ipſa naturæ & gentium jura de acquirenda & amittenda rerum poſſeſſione videntur habere haud parum obſcuritatis, duxi operæ pretium, digreſſione quadam facta illuſtrare nonnihil hunc locum, ne qua caligo remoraretur controverſarum Imperii poſſeſſionum dijudicationem. In iis quæ facti ſunt, arbitrandis, uſus ſum cum tabulis publicis, quas potui nanciſci, tum teſtimoniis hiſtoricorum, quos gnaros maxime rerum & integræ eſſe fidei cenſui. Nec vero non excuſſi monumenta omnia, vetera nova, quæ licuit inſpicere, ſi ad illuſtrandum hoc argumentum facere aliquid poſſe viſa ſint: indignum ratus, controverſia de caſa agreſti oborta, chartas omnes magno *ſtudio evolvi*, (c) rogari teſtes, & juratos quidem, rem ipſam oculis luſtrari, & tamen in latiſſimarum maximarumque urbium & provinciarum poſſeſſionibus dijudicandis levi quadam opera defungi. Verum hoc agenti multa *mihi defuiſſe*, (d) fere nunquam non & deprehendi & dolui. Nec enim dubito in ſanctioribus tabulariis plurima *latitare*, (e) hunc locum illuſtrare peridonea; monumenta etiam hiſtoricorum alia nondum typis publicata, alia edita quidem, ſed in manus meas non perveniſſe. Plurimum igitur abeſt, ut exiſtimem, pro dignitate argumentum hoc univerſum à me tractatum, aut ab errore omni ſatis cautum eſſe. Quei potuit hoc a me fieri à monumentis ita deſerto? Quod potui præſtiti ego: quibus in promptu ſunt tabularia & in arcano hactenus deliteſcentia monumenta, aut omnibus numeris inſtructæ bibliothecæ, illis ſi accuratiora & pleniora meis attulerint in medium, cedam lubens, non invidebo. Erroribus interim meis ut & ignorantiæ veniam ſpero ab omnibus æquis bonisque lectoribus. Homines ſcil. ſumus omnes ac erroribus proinde obnoxii, eoque & humanitus mecum actum iri confido. Ut illo animo ſane mea expendantur, Reges, Principes aliosque, quorum ex ſententia fortaſſis non omnia diſputavi, ea qua par eſt ſubmiſſione, rogo obteſtorque. *Occulto Germaniæ amore* (f) abreptum me interdum, haud negaverim. Quomodo enim hoc caveris bonus

ratione integri bona ſunt. Caute itaque hic procedendum, quod & ad talia in Academiis docentes ſpectat. Autores, qui quæſtionem, an jus publicum in Academiis pertractandum ſit, pertractarunt, recenſet PFEFFINGER *tom. I. J. P. p.* 24.

(a) *Præfatione*) Conſultum itaque putavi, hanc operi de finibus imperii præmittere.

(b) *Romanis proprias*) Non tamen his omnem plane, in decidendis gentium controverſiis, abrogandum eſſe uſum, WERLHOFIVS erudita tradidit oratione.

(c) *Studio evolvi*) Diplomatum congeries mole ſua laborare, extra omne eſt dubium. Magnus eorum numerus intra caſarum, manſorum, ut vocantur, aliarumque rerum vilium donationes ſubſiſtit. Ut taceam, non modicam chartarum antiquarum partem, ex pia forte illorum fraude, quos continentiæ voti pœnituit, confictam eſſe. Tanta ſæpe falſarii, qui in monaſteriis publicis quandoque aliti dicuntur ſumptibus, tanta provinciam ſuam adornare ſciverunt calliditate, ut & Oedipum aliquando fallere queant. Nec Hercules, ad purgandum hoc ſtabulum, quisquiliis refertiſſimum, ſufficeret. Condonandum tamen eruditis, communi, quo ſeculum noſtrum affligitur, vitio indulgere. Vix enim quis nomen ſuum inter ſapientes profiteri audebit, niſi aliquo analectorum veteris ævi volumine, aut manuſcriptorum reliquiis innoteſcat.

(d) *Mihi defuiſſe*) De hoc aliquo modo ex Conringianæ bibliothecæ anno 1694. venditæ catalogo conſtat. Fatendum tamen, ætatem noſtram multis adjuvari ſubſidiis, quibus ejus ævum deſtituebatur.

(e) *Latitare.*) Magnum eorum numerum publici jam factum eſſe juris LUNIGIO debemus. Interim & LVNDORPIANO theſauro ſuus manet honos. Accenſenda hiſce, *le theatre de paix* cujus novam indies expectamus editionem, & quæ in AIZMÆ *hiſtoria Hollandiæ* recondita latent.

(f) *Occulto Germaniæ amore*) Huic usque ad mendacia indulgeri poſſe, Plato arbitrabatur; Sed ego veritati plus dandum quam patriæ amori exiſtimo; condonandum tamen illi facilius erit, qui non niſi patriæ abreptus amore veri devius eſt. Quod autem ad autorem noſtrum attinet, modeſtiæ potius illius, quæ hic tradit, quam propoſito, Germaniæ affectu veritatem mendaciis contaminandi adſcribenda eſſe reor: cum

bonus civis? At vero *lucri* (a) aut potentiæ aliqua ſpe vel metu à veri profeſſione me ſeductum, nemo, ſcio, dixerit, quibus res meæ perſpectæ ſunt. Utinam æque ſincerum judicium attulerint, ad hæc arbitranda alii! Id ſane ſi fiat, operi meo ſi laudem non impetro, ſaltim magnum aliquod vituperium non vereor. Efficietur vero ſimul hoc ipſo, ut ab illuſtrandis Imperii reliquis negotiis ne deinceps abhorream, ſed currenti quod ajunt calcar potius aliquod addatur. Unum adjungo: ne quem turbet, quod Imperium non Romanum ex recepto more, ſed Germanicum appellaverim. Feci illud, ne quis ambigua locutione deceptus opinetur, de veteris & proprie dicti *Romani Imperii finibus* (b) opere hoc actum. Sed & jam tum ſingulari libro oſtendi, majeſtatem vimque Imperii noſtri non Romanis deberi, ſed Germanis vel ſolis vel ex parte præcipua, nomenque illud Romanum nulla gravi ratione ad univerſa hujus Imperii translatum eſſe. Helmeſtadii prid. Non. April. clɔ Iɔc LIV.

Hermanni Conringii Præfatio in politicam Ariſtotelis ad Illuſtriſſimum Principem Dn. Guilielmum Ducem Brunſuicenſium & Lüneburgenſium. Ann. clɔ DC XXXVII. Kal. Maji.

In qua de cauſis incrementi & decrementi imperii agitur.

QUicunque Germaniam noſtram ſpectare hodie *ſine gemitu & lacrumis* (c) poteſt, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, næ ille aut ſtupidus eſt, aut vero tam malus, ut præ animi perverſitate non tangatur publica calamitate. Ac ſtupido quidem atque inepto homini nemo facile ſuccenſebit: qui

aſſerta ſua rationibus, teſtimoniis & documentis corroboret. Quanquam non ignorem, in nupera de Conrado controverſia pontificiæ cauſæ patronos hæc, ut Conringii fidem infirmarent, detorſiſſe. Magni ſane a magnis hoc opus factum, in vulgus notum eſt. Leopoldo Magno mire placuit, atque autorem ab ipſo, ut ad illud perficiendum & ad recentiora continuandum tempora manum admoveret, juſſum eſſe, ferunt; Non tamen defuerunt, qui illud, ut jam monui, ſugillarunt, quorum numero eſt HADRIANUS VALESIUS, vir ceteroquin doctus, cujus codicillos ad Portnerum, Cæſaris conſiliarium, ex Forſtnerii volumine epiſtolarum Manuſcript. KNESEBECK. *in prodr. jur. publ. univerſal.* ſuppeditat. Tenor eorum hic eſt: *Legi Conringii librum de Finibus Imperii Germanici, in quo Philippi quidem & Joannis Valeſiorum Franciæ regum aliqua ſit mentio: mei, quod tu tamen ſcripſeras, nulla. Cujus libri titulum jure quis arguat. Nullum enim usquam imperium Germanicum fuit unquam, nullum eſt hodieque. Nec imperator, etiamſi in Germania ſedem habet, Germanorum imperator eſt, ſed ut ipſe more majorum ſe appellat Rex Germaniæ & Romanorum Imperator. Si tamen Romanorum imperator vocari debet, qui urbi Romæ non imperat, & Romæ de ſenatus populique romani ſententia dudum deſiit conſecrari. Nihilominus Conringius imperio illi ſuo Germanico pene ipſum Francorum regnum, (ne de ceteris loquar) velut in formulam provinciæ redactum aut beneficium aliquod attribuit, quod plane eſt caput pedibus, dominos rebellibus famulis ſubjicere; cum reges Francorum diu Germaniam, Noricum, Pannoniam, & regnum Longobardorum ac ducatum romanum, omnia denique, quæ imperatores veſtri poſſident, ac triplo etiam plura tenuerint, & regnum illud Germanicum occaſione bellorum noſtrorum civilium ſit translatum ad exteros, qui à Caroli Magni familia deſciverant. Tanta quidem nominis Francici reverentia etiam poſt translationem hanc manſit in Germanorum animis ac Lotharienſium, ut regnum Germaniæ diu, ac etiam ſub Henricis regnum Francorum (nimirum orientalium) appellaretur, nec alibi quam in Francia, vulgo nunc Franconia, dicta videlicet Moguntiaci aut Francofurti reges Germaniæ conſecrarentur. Non itaque decet reges Germaniæ (vel, uti Conringio placet, imperatores) Majeſtatem Franciam, cui ſua omnia debent ſugillare, quandoquidem reges noſtri, qui in omnia majorum ſuorum jura ſucceſſerunt, erepta eis regna armis repetere à regibus Germaniæ juſtius poſſunt, quam reges Germaniæ aliquid in Franciam, dominam quondam ſuam, juris ſibi vindicare. Multa plane legit Conringius, ſed quicquid legit, etiam tabulas, epiſtolas, pactiones tranſcribit, & congerit, magnaque de nihilo naſcitur hiſtoria. Inprimis p. 6. ſcribit, Francos ab antiquiſſimis usque temporibus, florente imperio romano, tenuiſſe partem Germaniæ, quæ Francia vel Franconia hodie dicitur, quæ ſi opus meum legiſſet, didiciſſet, Francorum ad Oſtia Rheni & ad Oceanum ſedes tum fuiſſe, Alemannorum autem (ut Aurelius Victor in Caracalla docet) ad Mœnum in ea regione quæ poſtea circa Pipini & Caroli magni ætatem incertam ob cauſam Francia, vel Francia orientalis, demum Franconia dicta eſt. Idem pag. 628. regionem Burgundiæ, Comitatum Carolinum apud Bodinum pro Comitatu Burgundiæ accipit errore puerili, ſed ab aliquo admonitus erratum iſtud ad calcem libri emendavit. Quod autem* ſaltim *pro ſaltem tantopere affectat, fallitur. Saltim enim πηδητικως ſeu ſaltuatim, ſaltem vero γουν και ſignificare, vetera gloſſaria Latino-Græca docent. Sed de his ſatis, quæ, ne tibi rugam trahant metuo, ne de amico tuo tibi videare male aut etiam maligne ſentire. Lutetiæ Pariſ. 1656.* Inique Autorem noſtrum a Valeſio vellicari, rerum peritis facile conſtabit. Imperii titulum & Conringius noſter & Boeclerus Germaniæ egregie vindicarunt, ipſique Galliæ reges ſæpiſſime, ut publica probant documenta, agnoverunt. Galliam Germaniæ ſub Carolo Craſſo & Arnulfo paruiſſe, monumenta fide digna teſtantur. Simplice enim Carolo ad moderandum reipublicæ temonem, ob teneram ætatem, inepto prorſus, Franci occidentales orientalium regem & ſuum eſſe voluerunt. *Annal.* BERTINIANI, REGINO aliique ad ann. 884. 885. MABILLON *de re diplomat. lib. IV. p. 554. 555.* Cum Arnulphus Galliæ regnum ſibi a proceribus oblatum Eudoni permitteret, hic Arnulpho ſe ſubjecit. WITTECHINDUS *lib I. annal. p.* 637. apud MEIBOM. JO. ASSERIUS *ad ann.* 887. Idem de Carolo ſimplice tradit REGINO *ad ann.* 893. Summa laude dignus eſt Autor, quod ad rei veritatem evincendam acta publica, autorum teſtimonia & diplomata addiderit. Improbant merito viri eruditi in OLDENBURGERI LIMN. ENUCLEATO, quod acta publica omiſſa ſunt. Gramaticum, ſi quod commiſſum eſt peccatum, excuſat KNESEBECK. l. c. Conſtat autem ex Gellio, quem Voſſius & Cellarius citant, à veteribus voces *ſaltim* & *ſaltem* promiſcue eſſe adhibitas.

(a) *Lucri*) Etſi lucri ſpe autorem, ad conficiendum opus, animum appuliſſe, non credam: Ad emolumenta tamen quædam uſum præbuiſſe, ſunt, qui putant. Ajunt enim & Ludovicum XIV. Galliæ regem, hujus potiſſimum libri intuitu, Conringium annuo mille librarum ſtipendio donaſſe. De hoc tamen dubito, cum liber non æque Gallorum rationibus faveat; niſi dicere velis, præmio locum fuiſſe, ne ulterius, ex ipſius voto, veritatis ſerperet ſtudium.

(b) *Romani Imperii finibus*) vid. VICTOREM *de exemtionibus imperii concluſ. I.*

(c) *Sine gemitu & Lacrumis*) Scriptum hoc tempore, quo Germania teterrimo & periculoſiſſimo ardebat bello, quod tricennale vocant, editum eſt.

qui autem eo usque proceſſerit malitiæ, ut tantis malis delectetur potius quam ingemiſcat, illum ſane ex Germanorum numero ejiciendum, imo ex humanæ naturæ finibus exterminandum, neſcio, an non quilibet mecum bonus cordatusque judicaverit. Eo nimirum devenimus miſeriæ, ut vix illi quidquam poſſit addi præter moram longiorem; ſacris profaniſque omnibus pollutis jam imo conculcatis. Neque vero unquam tam infelice fuimus loco, ex quo in unam civitatem Germanici populi coiere. Toti autem octingenti ſunt anni, quum Caroli Francorum regis rara felicitate, omnis Germania unum ſceptrum cæpit colere. Etſi enim tam immenſo temporis tractu numquam fere ſua Germaniæ mala defuerint; numquam tamen illa aut tanto cum damno aut tanto cum periculo fuere conjuncta. ÆQUE enim a vicinis quidem habuit olim quod metueret Germania: quoniam in parva atque invalida magnam partem regna tum illi dividerentur, ipſa contra viribus ac magnitudine omnibus longe præſtaret. Nam Galliæ quidem regnum, quod trans Moſam & Scaldim nobis eſt, ſuos limites ab Henrico, *quem Aucupem* (a) nuncupant, & poſt ejus filio *Othone I.* (b) accepit: quo Sequani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices, *inque his Lotharingia*, (c) Lucemburgenſis, Namurcenſis, *aliaque ditiones* (d) complures Germanici juris ſunt facti, & uno ut verbo dicam, omne illud regnum, quod Lotharii dicebatur, æternis legibus Germaniæ noſtræ Ciſrhenanæ conjunctum eſt. Acceſſit poſt Conrado Imperatore *Burgundia* (e) ſive Arelatenſe regnum: quo ſimul Sebuſiani, Viberi, Veragri, magna Helvetiorum pars, Allobroges item, & Galli Provinciales, atque adeo quicquid a Jura monte inter Rhenum & Rhodanum ad mare usque decurrit, intra limites Germanici Imperii ſunt recepti. Illa ergo tempeſtate profecto non multum valuit Gallia, nec potuiſſet illa transgredi hos limites, ſi, ut principio, ita poſt Cæſarum Regumque noſtrorum dignitas manſiſſet ſalva. Eodem tempore nec Polonia adeo late patebat: a ſeptemtrione ſc. Æſtyorum gentibus Pruſſis ac Livonibus, a meridie Bohemia, Moravia atque Ungaricis montibus; ab ortu Ruſſis ac Lithuanis, ab occidente denique Marchia Brandenburgenſi incluſa: Conrado inſuper Saliquo Cæſare & fidem jurare & *annuum tributum juſſa pendere* (f) quingentarum marcarum auri. Ungaria etiam numquam ſeſe movere auſa, ex quo intra fines ſuos, a *Carolo Magno* (g) olim Hunnis poſitos, ab *Henrico Aucupe & Magno Othone* (h) eſt compulſa: quin haud ſemel deliberatum in Ordinum conventu, de illa in *provinciam redigenda*, (i) annitente potiſſimum fortiſſimo Cæſarum Frederico Ahenobarbo. Eadem ferme conditio *Dania fuit & Svecia.* (k) De Italia vero dicere ineptum fuerit, ut quam paruiſſe nobis ea ætate certum ſit; nunc vero etiam Imperii Germanici leges *aliquatenus audiat.* (l) In univerſum ergo æſtimanti, unam Germaniam ad Henricum IVtum uſque, non ſingulis tantum vicinis regnis ac populis, *ſed & univerſis* (m) potuiſſe opponi, non eſt quur debeat videri dubium aut vero abſimile.

POSTILLA (fateor) magis magisque & lapſa Imperii dignitas pariter, & crevit in vicinis nonnullis haud parum potentia. Æternum ſc. eſt illud Livii: *Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habeat, domi invenit.* Erant Germaniæ populi animo feroces, manu prompti, bello læti, aſſueti latrociniis: neque nova tentaturis hactenus quidquam ferè præter occaſionem aut vires defuerant: ſed Henrico IV. rege neque illa neque hæ amplius deſiderabantur. Nam qui anteceſſerant reges publicorum regni bonorum *imprudente profuſione*, (n) cum rerum gerendarum nervo vim ſibi auctoritatemque multum jam præſciderant. Eo quippe vitio ab antiquiſſi-

(a) *Quem aucupem*) Veroſimile eſt, aucupis cognomen non demum recentioribus deberi temporibus. Solitum enim fuit, varia ſæpe alicui, a variis adjunctis, indere cognomina. Hic per Bonnenſem pacem, cum Carolo ſimplice initam, Lotharingiam Germaniæ reſtituit. *Supplementum Reginonis ad ann. 924. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 923.*

(b) *Othone I.*) Ludovicus ultramarinus Galliæ Rex, inteſtinos Germaniæ motus recuperandæ Lotharingiæ inſervire poſſe, ratus, in Alſatiam impreſſionem fecit; ſed clade quadam ab Ottone I. affectus, pacem, qua Germanorum in Lotharingiam jus firmatum eſt, precari coactus eſt. *HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 939.*

(c) *Inque his Lotharingia*) Ducatus Lotharingici, Moſellanico regno in varios ſciſſo diſtrictus, autorem Ottonem II. fuiſſe perhibent. Ægro Lotharius Gallorum rex, fratri Carolo ducatum traditum ferebat animo, atque inde non inproſperam omnino in Lotharingiam ſuſcepit expeditionem, quam cum Ottone II. fatis functo repeteret, ab Ottone III. repreſſus eſt *BROWERVS annal. Trevir. lib. X. p. 479. DIVÆVS rerum Brabant. lib. VI. p. 66. 67.*

(d) *Aliaque ditiones*) *BROWERVS l. c. p. 480. DIVÆVS lib. VI. rer. Brabant.*

(e) *Burgundia*) Pactio inter Henricum Sanctum & Rudolphum III. confecta, Burgundiæ regnum Germaniæ deſtinabat, a qua, cum Rudolphus reſilire vellet, Conradi Salici armis, ut promiſſa ſervaret renovaretque, inductus. Hic poſt mortem ejus, Ottone dejecto, regno potitus eſt. *WIPPO in vita Conradi Salici p. 435. ſeqq.*

(f) *Annuum tributum &c.*) *MONACHVS BRVMVILL. in vita Ezzonis palatini c. 3. p 320.*

(g) *Carolo Magno*) *EGINHARDVS in vita Caroli c. XIII. POETA SAXO ad ann. 796.*

(h) *Henrico Aucupe & M. Ottone*) *WITIKINDVS lib. I. annal. p. 641. & lib. 3. annal. DITMAR. lib. 2. annal. p. 232. ſeqq. apud LEIBNIT.*

(i) *In provinciam redigenda*) Hoc ſub Henrico III. factum fuit. *HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 1045.* ſub Henrico IV. mutare cœpit. Quamobrem Fridericus I. penitiori nexu eam Germaniæ jungere conſtituit, quod tamen ordinibus imperii diſplicuiſſe videtur. *SCHWED. t. p. part. gent Sect. 1. c. 4. §. 27.*

(k) *Dania fuit & Suecia*) Daniam, non autem Sueciam, in imperii Germanici obſequio fuiſſe, infra pluribus conſtabit.

(l) *Aliquatenus audiat*) Magni noſtri Caroli VI. auſpiciis imperii jura in Italiam ſtrenue vindicatæ ſunt.

(m) *Sed & univerſis*) *MONZAMBANO c. 2. §. 1.* Infinita enim propemodum eſt multitudo Germanorum, qui militiam ſequuntur, aut eam ſequi & animo & corpore valent. Sed imperium noſtrum in tot hodie territoria, rationibus & religionibus diſcrepantia, diſtinctam, ad res magnas gerendas parum eſt idoneum.

(n) *Imprudente profuſione*) Immenſa enim in clerum profundebantur dona, cujus illuſtria *in vita Meinwerci* extant exempla, ita, ut DODECHINO teſte Henricus V. jam tum conqueſtus ſit, largitionibus ejusmodi totum imperii patrimonium exhauſtum eſſe.

quiſſimis usque temporibus Germanicæ ſemper laboravere respubl. *ut nulla fiſci atque ærarii* (a) facta diſtinctione, omnium æque prodigendi poteſtas regibus permitteretur, hi vero nullum ejus modum ponerent: quo regna interire neceſſum eſt. Acceſſerat jam tum aliud regnis æque exitioſum vitium, nimia quorundam procerum, *Sacrorum præcipue, potentia,* (b) eaque novo vitio pene hereditaria facta. Namque initiò quidem innumeros *in Comitatus,* (c) quos vocant diviſa Germania fuerat: jam tunc temporis vero, multis Comitatibus minùs circumſpecta regum liberalitate in unum corpus concretis, quidam formidabiles ſuis opibus erant. Et ſane tales cum alii tum inprimis quidam erant Epiſcoporum; quod majus erat vitium: quippe cum hi præter opes religione etiam armarentur. Aureum ſc. eſt illud Ariſtotelis ſcitum: *κοινὴ δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν, ἀλλ' εἴπερ πλείους, τηρήσουσι γὰρ ἀλλήλους. ἐὰν δὲ ἄρα τινὰ δέῃ ποιῆσαι μέγαν, μὴ τόν γε ἦθος θρασύν. ἐπιθετικώτατον γὰρ τὸ τοιοῦτον ἦθος περὶ πάσας τὰς πράξεις.* *Communis omnis monarchiæ cuſtodia eſt, neminem unum magnum facere,* (d) *ſed plures, ſi ita videatur, mutuò enim ſeſe obſervabunt. Quod ſi aliquis magnus faciendus fuerit, non is tamen qui eſt ingenio audaci. Tale enim ingenium in negotiis omnibus eſt turbulentiſſimum.* Tantis verò vitiis laborante regno, quis miretur, rege per ætatem adhuc deſpecto, immutatam tunc reipubl. priſtinam faciem, ac ſoluta regiæ auctoritatis vincula eſſe? Certè occaſionem motibus ejus temporis *ab immaturis regis* (e) annis datam, jam tum *Adamo eſt Bremenſi* (f) obſervatum. *Gubernaculo,* inquit ille, *regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut muliebri poteſtate conſtringi, aut infantuli ditione regi, primò quidem conjuncti vindicarunt ſe in priſtinam libertatem, ut non ſervirent: deinde contentionem moverunt inter ſe, quis eorum videretur eſſe major: poſtremò armis audacter ſumptis regem & dominum ſuum deponere moliti ſunt.* Atque ille quidem factus adultior, qua erat animi magnitudine, recuperare pereuntem dignitatem haud ſegniter profectò laboravit: ſed neque ſatis omnia *prudenter fortaſſis egit,* (g) & intervenere nonnulla fatali quadam adverſitate, quæ ipſum penitus tandem *regno atque omni plane auctoritate* (h) exuerunt. Nec vero prudens quis fortè laudaverit, quod ab *Epiſcopis in ordinem redigendis* (i) reparandæ dignitatis initia voluerit facere. Quin nec id fortè ſatis cautè inceptum, quod quum *Saxonicorum Principum* (k) potentiam præcipue ſuſpectaret, eamque vellet imminutam; militari licentia irritari ante eos paſſus, mox uno illos impetu ad obſequium cogere conatus ſit: quum tamen nec rebus ſatis firmis eſſet, & præterea jam tum cum alios Principes tum inprimis Epiſcopos multis injuriis offendiſſet, adeoque in impietatis atque injuſtitiæ opinionem ſe conjeciſſet: queis regiam vim conſervaturo nihil eſt pernicioſius. Neque verò ita tractandi ſunt ſi qui ſint feroces, altiusque excreverint quàm regiæ fortaſſis interſit dignitatis. Sapientiſſime ſc. Ariſtoteles jubet: *κἂν τῆς δυνάμεώς τινα δέῃ παραλύειν, ἐκ προσαγωγῆς τοῦτο δρᾶν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν, ἔτι καὶ πάσης μὲν ὕβρεως εἴργεσθαι:* *Atque ſi alicujus potentia videatur diſſolvenda, erit hoc ſenſim ac paullatim faciendum, nec univerſa ſimul auferenda. Præterea abſtinendum omni contumelia.* Idem non minùs prudenter ſuadet, debere regem, *τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως:* *videri ſemper ea maxime curare quæ ad Deos pertinent.* (l) His itaque rebus quum

(a) *Nulla fiſci atque ærarii)* Ærarium populi fiſcus Principis eſſe cenſetur. *BESOLDVS de ærario publico c. 1. §. 3.* Patrimonium populi, cujus uſusfructus tantum ad Principem ſpectat, absque ejus conſenſu eſt inalienabile & ſic ſemper vindicari poteſt. Alia autem eſt quæſtio, an prudentiæ ſit, vindicationem illam ſuſcipere, cum ſine totali rerum everſione fieri nequeat.

(b) *Sacrorum præcipue potentia)* Epiſcoporum in aulis regum ſumma plerumque fuit autoritas; ad quod litterarum ſtudia & præſumtus interior cum Deo nexus ipſis viam ſternebant.

(c) *In Comitatus)* Carolum M. provincias ampliores in plures diviſiſſe partes, easque comitibus regendas tradidiſſe, docent. *LEHMANNVS in Chron. Spir. lib. 2. cap. 16. 17. MONZAMBANVS ſ. PVFFENDORFF de ſtatu Imperii Germanici c. 3. §. 3.*

(d) *Unum magnum facere) Nis una coſa e piu pericoloſa alla republica, che la ſo verchia grandezza d' un particolare BOT. 4.* Princeps, uni ſummam rerum committens, ſe rebus gerendis imparem profitetur, vel ignaviam ſuam prodit. Imo pauciſſimi ad tantam evecti fortunam, æquo animo eam ferre ſciunt.

(e) *Ab immaturis regis)* Sextum Henricus agebat annum, cum pater ejus vitam poneret ALBERTVS STADENS. ad ann. 1056.

(f) *Adamo eſt Bremenſi) lib. III. c. 35. & c. 36. l. c.* ſequentia habet: *Adalbertus & anno Archiepiſcopi Conſules declarati ſunt & in eorum conſilio deinceps ſumma rerum pendebat.*

(g) *Prudenter fortaſſis egit)* Id ex annalibus illorum temporum ſatis ſuperque conſtat. Erantque non pauca, quibus juventutem ſuam commaculabat. *AVTOR vit. ejus p. 381.*

(h) *Regno atque omni plane auctoritate)* Id doloſis papæ artibus, & inaudita plane filii immanitate & peſtifera fraude factum eſt. A papa deinde maxima reliqui Cleri non abludebat pars, quod concilium moguntinum ſatis prodit. Enimvero factum eſt inde, ut Henricus imperatoriis primum exutus ornamentis, regno Ingelheimii privatus fuerit. An autem ad tantam prolapſus ſit paupertatem, ut Spirenſis Epiſcopus, in neceſſaria vitæ ſubſidia, beneficium aliquod contulerit eccleſiaſticum, dubium eſt. *SCAT. annal. Paderborn. lib. 7. p. 663. ſeqq. DODECHINVS in appendice ad Marianum Scotum. HENRICVS IV. in epiſtola ad Celtarum regem p. 396. OTTO FRISING. lib. VII. Chron. c. XI.* Certum tamen, ipſum, Leodii exſtinctum, Spiræ per quinquennium, usque dum à papali abſolveretur anathemate, inſepultum manſiſſe. *ANNAL. Hildesh. ad ann. 1106. HELMOLD. lib. 1. Chron. Slav. ÆGIDIVS in geſtis pontificum Leodienſium apud CHAPEA ville tom. II. p. 46.*

(i) *Epiſcopus in ordinem redigendis)* Abſit Clero crabrones irritare. Ludovici Pii exemplo edoctus eſſe potuiſſet, a nulla re magis, quam ſacrorum illorum capitum ira eſſe cavendum. Henricus Superbus, ob neglectum epiſcoporum favorem, Luthario ſocero non fuit ſucceſſor.

(k) *Quum Saxonicorum Principum) ADAMVS Bremenſis c. 25. AVTOR carminis de bello Saxonico lib. 1. p. 203. LAMBERTVS SCHAFF. & BERTHOLDVS CONSTANT. ad ann. 1073.*

(l) *Ad Deos pertinent)* Dici non poteſt, quantam in hominum animos vim pietatis & religionis habeat opinio; nefas enim & irritum putant laborem, illi, qui peculiariter Deo ob pietatem ſuam curæ eſſe creditur, refragari. Pietatem autem illam ex eo colligere ſolent, ſi quis voluntatis divinæ internuncios comites habet; ſin ſecus, divinæ expoſitum iræ arbitrantur.

quum tandem nunquam auditum hactenus *fulmen Pontificium* (a) ex Italia animos novarum rerum cupidos pariter & perquam ſuperſtitioſos accenderet, fieri aliter non potuit, quam ut regiæ majeſtatis quod ſupererat magna prorſus parte interiret. Et interiit certe, quando Principatibus aliis jam ante *fere factis hereditariis*, (b) Epiſcopatuum etiam atque Abbatiarum collationes quas appellant *regio arbitratui ſunt erepta.* (c) Benè enim Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. ſcribit, eo ipſo *majeſtatem & dignitatem Imperii Romani everſam; dimidium Imperii ab Imperatore ſublatum; imo ea fundamento jacta, quibus illius poteſtas omnino labefactaretur.* Ita ſc. ſeſe res habet: tantum quis valet quantum aut pœnis aut largitionibus valet: metu autem ſublato & ſi nec quod à te ſperent ſuperſit, ſimul & auctoritas omnis concidat neceſſum eſt. Neque vero poſt multum eſt Imperatoribus relictum, quo animos male ſubditos ſibi conciliarent: itaque & paulatim magis magisque dignitas eorum imminuta, & regnum varias in partes vix leviter mutuo connexas diſcerptum eſt. Non enim eo ex tempore tam ſerio de reipubl. magno illo & integro corpore conſervando fuit actum, quam quo unusquisque communi corpori ſeſe ſubduceret, privatimque potentia aliqua parta regiam vim inter ſuos exerceret. Eo ſane factum, ut procedente tempore nonnullæ *Imperii veteres portiones* (d) in libertatem (ut quidem ipſis viſum, cum tamen in majorem pleræque ſervitutem ſint redactæ) ſe vindicaverint: nonnullæ opibus in aliorum formidinem creverint, redactis jam illis olim *infinitis Comitatibus* (e) ad paucos: quod ipſum quidnam minitetur, haud latet peritos rerum. Certe eum in locum denique res venerunt, ut vix quidquam ſuperfuerit amplius, quo *unitiſſima* (f) ante regni membra ad communia conſilia continerentur, præter Turcicæ potentiæ & proſcriptionis metum: donec *Friderico III.* (g) & Maximiliano I. Cæſaribus de arctius conjungendis Germaniæ Ordinibus magis ſedulò cœpit actitari. Et ſane eo conſilio in Circulos, quos vocant, Germania diviſa eſt. Nec illud non merito laudaveris: ſi non & illa diviſio unitati reipublicæ nonnihil fortaſſis impedimento ſit. Adeo ſanè noxia civitati omnis diſtinctio eſt, ut vel locorum aliqua varietas atque intercapedo ſeditionibus ſufficiat alendis, quod prudentibus notatum. Fatendum tamen omnino eſt, poſt deminutam regiam auctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperii membris, non melius remedium aliquot fuiſſe ſeculis adhibitum. Certe abs illo ſi fuiſſet, jam dudum Germania in partes diſſoluta inque ſe mutuo ruens interiiſſet. Taceo & paci publicæ *eo conſultum eſſe* (h) & legum auctoritati; quæ ſine cogendi facultate ludibrium juſtitiæ ſunt. Nonnullis utique leviter mutatis & paucis additis, ſi non ad proferendos limites aut recuperanda amiſſa, ad defendenda tamen quæ ſupererant, inprimis ad libertatem Ordinum conſervandum, illis inſtitutis ſufficere ſibi Germania potuit.

Sed vix cœperat illa conſtitutio, quum exorto religionis diſſidio, ita ſtatim Principum populorumque animi ſunt diſtracti, quam antehac numquam; *enatisque religionis* (i) aut cauſa aut prætextu variis factionibus, effectum eſt, ut optimo inſtituto, quove uno pene Germania ſtabat, ſuus fructus idemtidem hactenus defuerit, donec hoc civile bellum, omnium queis Germania

(a) *Fulmen Pontificium*) Quanquam Henrici III. tempore ad immodicas jam tum papalis autoritas excreviſſet vires: Falſum tamen eſt, ut aberrat *BERNRIEDENSIS in vita Gregorii VII.* Henricum IV. Victoris Papæ potiſſimum ſuffragio ad Cæſaream evectum fuiſſe dignitatem. Germanici enim regni, cujus appendix quaſi romanum eſt imperium, ſpem jam tum vivo patre certam, per diadematis impoſitionem conſecutus erat. Negari non poteſt, pontificiam illam poteſtatem, per brutum in Henr. IV. fulmen, orientalibus in ſuis imperatoribus antea, ut docet Pfeffingerus, non prorſus ignotum, magna ſumſiſſe incrementa. Nam homines ſibi perſuadebant, illius potiſſimum placita ſuſcipienda eſſe, penes quem facultas eſſet, imperatorem ſolio ſuo excutiendi, & fidelium communione eliminandi. Ut autem tale quid Gregorius auſus fuerit, ipſi haud dubie a Principibus, qui Henrico ſuccenſebant, ſtimuli additi vid. *PAVLVM BERNRIEDENSEM in vita Gregorii VII. c. 75. p. 335. tom. III. Script. Ital. AVTOR vita Henrici apud Vrſtiſium p. 382.*

(b) *Factis fere hereditariis*) Quo tempore Germaniæ territoriis jus hereditarium plene inductum ſit, definire arduum eſt. *ITTER de feudis imperii c. 1. §. 14.* Puto tamen in aliquibus hoc ſerius obtigiſſe. Dolendum ſane manca admodum circa rerum originem veterum eſſe monumenta. Certum eſt, beneficia elargientem majori coli reverentia, ſi ex nova ſemper proficiſcantur gratia.

(c) *Regio arbitratui ſunt erepta*) Henricus, ut hoc jure decederet, quicquid etiam papa moliretetur, adigi non potuit. Perſpiciebat enim facile Præſules minori imperatorem proſecuturos obtemperatione, ſi epiſcopatus ſuos alii, quam ipſi deberent. Quantum reipublicæ capitis interſit, ſacerdotes conſtituere, illis, qui de vi religionis in animos hominum edocti ſunt, ignotum eſſe non poteſt. Henricus V. tandem eo decedere coactus fuit. Acta publica huc ſpectantia apud SIGON. GOLDASTVM, SCHILTERVM & LVNINGIVM reperiuntur, quibus rerum German. Script. ad hæc tempora ſpect. addendi ſunt.

(d) *Imperii veteres portiones*) Huc pertinent quoque Helvetiorum pagi & fœderati Belgii provinciæ. De aliis vid. *PFEFFINGERI I. p. 1. 2. p. 989. ſeqq.*

(e) *Infinitis comitatibus*) Multi comitum illorum & dynaſtarum, a potentioribus ordinibus, in quorum ditionibus terras ſuas habebant, exemti ſunt. *Conf. PFEFFING. ad Vitriar. I. p. 1. 2. p. 1038. ſeqq. & VICTOR.* de exemption. Familiæ deinde comitum emortuæ, quarum quasdam Hamelmannus recenſet, principatibus tam ſecularibus quam eccleſiaſticis incrementa dederunt. Sic Epiſcopatus Hildeſienſis ex comitatibus & dynaſtiis coaluit. Quod & de epiſcopatu Paderbornenſi aliisque dici poteſt.

(f) *Unitiſſima*) Unioni multum nocet religionis diverſitas, Unam tamen imperium noſtrum eſſe rempublicam, *KVLPISIVS in Diſſert. de unitate reipublica in imperio Germanico docere allaborat.*

(g) *Friderico III.*) Albertus II. conſtitutionem de IV. circulis imperii componi curavit; ſed dubium eſt, an unquam promulgata fuerit. *SCHILT. t. 2. Inſtit. J. p. t. XIX. DATT volum. rerum German. nov. c. 27. WENCKERI appar. archivor. p. 341.* Inſtitutio circulorum, prout deinde ſub Maximiliano I. eſſe cœperunt, imperante Friderico ejus patre Noribergæ ſub deliberationem vocata. *DATT. l. c. Goldaſt. t. 1.* der Reichs-Satzungen. *fol. 184.*

(h) *Eo conſultum eſſe*) *LIMNÆVS in jure publ. lib. 1. c. 7. & BoCLER. in notitia imperii* inſtitutorum circulorum varias aſſignant cauſſas, quas alibi examinabimus & in diviſionis hujus inquiremus defectus.

(i) *Enatisque religionis*) *PVFFENDORFF rerum Suecic. lib. 1.*

mania unquam laboravit funeſtiſſimum & mole maximum, illam pariter & bonas leges cæteras ſuſtulit ac conculcavit. In eas ſc. anguſtias conjecta eſt hodie diſcordiis noſtris, Illuſtriſſime Princeps, Germania, ut antegreſſa mala ludum jocumque præ hiſce merito dixeris. Nocuerunt enim plurimum quidem iſtæ poſt HENRICVM IV. regem innumeræ pene factiones, effeceruntque, ut, ſublato noſtri metu, vicini populi primo Imperium detrectari, mox & partem Germaniæ decerpi, impune poſſe didicerint. Attamen & damni minus poterant dare, utpote initio ipſi quoque, non multum validi, & minus etiam ſunt auſi memoria antiqui roboris noſtri adhuc durante, neque ita ut nunc ſingulorum attritis viribus, animiſque omnium diſtractis in diverſa. Neque vero aliam ob rem, quam propter inteſtinos majorum motus & Polonia & Italia paulatim imperium exuit Germanorum: neque alia fere de cauſa Tranſalpinas regni partes invadere Galli, Poloni, aliique ſunt auſi: certe non alia occaſione multi Imperio ſubditi Ordines propria ſibi domi regna cœperunt condere. Hæc quippe omnia optimatum noſtrorum cum Cæſare HENRICO IV. bella ſtatim excepere. Quod quoniam de Polonia quidem, ſcriptor ejus ætatis accuratiſſimus, Lambertus Aſchafnaburgenſis, ſapienter memoriæ tradidit, forte haud abs re fuerit illum heic audiri. *Dux Polonorum,* inquit ille ad annum MLXXVII. *qui per multos jam annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cujusque regnum jam olim Teutonicorum virtute ſubactum atque in provinciam redactum fuerat, repente in ſuperbiam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem regiumque nomen ſibi uſurpavit, diadema impoſuit, atque ipſo die natalis domini a XV Epiſcopis in regem eſt conſecratus. Quæ brevi poſt comperta, Principes Teutonicos, quibus reipubl. dignitas curæ fuit, graviter affecere: ſibique invicem ſuccenſebant, quod dum inteſtinis in ſe atque in ſua viſcera odiis ſævirent & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluiſſent, ut jam tertio dux Boëmicus regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragraſſet, & nunc dux Polonorum, in ignominiam regni Teutonici, contra leges ac jura majorum, regium nomen regiumque diadema impudens affectaſſet.* Hæc ille; prolixius forte quam ut omnia ejus verba recitari a me debuiſſent: vere tamen. Quibus profecto manifeſtum fit, tunc etiam temporis, omnibus in partes ſciſſis, damnum civilis diſcordiæ ſerio nonnullos Procerum deploraſſe. Et vero, *redacta quidem* (a) poſt nonnihil in ordinem viciſſim eſt Polonia, ſopitis factionibus; iiſdem tamen atrociter recrudeſcentibus, *FRIDERICO II. Cæſare* (b) potiſſimum, cumque illo concidentibus majori ex parte regiæ dignitatis reliquiis, illa ad ingenium reverſa non tantum penitus Imperii ſeſe legibus ſubduxit, ſed & *Jagellone* (c) rege in eandem rempublicam concedentibus Lithuanis, ita crevit, ut nec dubitaverit, præter Maſoviam, Æſtyorum gentes, *Pruſſos* (d) inquam & *Livonos*, (e) nobiles profecto Imperii Germanici portiones, ſui juris efficere. Minor fuit Italiæ fortuna, & ipſa quippe factionibus laborante; quantum tamen contra Germanos poſt funeſta illa HENRICI cum Proceribus certamina fuerit auſa, quantumque extulerint nonnullæ Longobardici regni urbes *caput ſuum*, (f) in quam potentiam curia Romana Germanicis illis motibus ſurrexerit, quomodo denique *novum ibi regnum* (g) conditum erepta Apuliæ provincia; nemo ignorat, niſi rerum ejus temporis imperitus. Is vero ibi fuit exitus: ut qui FRIDERICVM II. ſequuti ſunt Cæſares, contemti fere jura ſua antiqua per factiones Gibellinicas conſervare, præter Auguſtum Imperatorium nomen, umbram *potius priſtinæ auctoritatis* (h) retinuerint in Italis quam vim certam imperii. Non alia autem occaſione & *Arelatenſe regnum* (i) in Galliæ poteſtatem pervenit. Interceptum enim initio illud eſſe Rudolpho Cæſare, ſumme debilitata poſt interregnum publica Imperatorum auctoritate, & componendis civilibus turbis occupato Rudolpho, memorant annales. Obtemperabant quidem etiam ante minus quam par erat regiones illæ. Sed & illud reipublicæ vitio fiebat, quum ſummi ante imperii jure Cæſares noſtri poſt Conradum

(a) *Redacta quidem*) a Friderico I. Poloni ad obſequium redire coacti ſunt. *GODFRIDVS COLONIENSIS ad ann. 1173. p. 244.*

(b) *Friderico II. Cæſare*) Nec Friderico II. rerum potiente deletam plane in Polonia imperii autoritatem, ex eq conſtat, quod Bohemiæ regibus tributum, a Polonis ſolvendum, donaverit. *GOLD. t. 1. Conſtit. imp. p. 146. ſeqq.*

(c) *Jagellone*) Hic Lithuaniæ magnus Dux in regem Poloniæ electus. *KADLVBKO Hiſtor. Polon. lib. IV. in fine. CROMERVS lib. 4. hiſtor. Polon. p. 239.*

(d) *Pruſſos*) Teutonici enim equites, palæſtina ejecti, a Maſoviæ Duce ad reprimendos Boruſſos advocati, Boruſſiam occuparunt, illamque imperio junxerunt. LEIBNITII *C. d. n. VIII. IX.* *SCHVRZFLEISCH. de rebus Pruſſorum.* Hi nonnunquam in Lithuanos & Polonos feliciter pugnantes, Jagelloni autem impares, non modica Boruſſiæ parte decedere coacti ſunt, quam recuperatam, cum ſubditis admodum eſſent graves, iterum amiſerunt. *Vid. SCHuZII Chron. Pruſſiæ lib. 1. jura municipalia terrarum Pruſſiæ.* Hæc infra prolixius pertractanda erunt, ubi, qua ratione Pruſſia, quæ ordini Teutonico ſalva fuit, Poloniæ facta ſit feudum, & quomodo à nexu illo fiduciario liberata, docebitur.

(e) *Livonos*) Et Livoniam imperii provinciam fuiſſe conſtat. *Chron. Slav. HELMOLDI lib. 7. c. 9.* Enſiferis deinde imperio obnoxiis paruit, parte tamen poteſtatis penes epiſcopum remanente. Cumque inteſtini motus & bella cum Ruſſis non æque felicia ingruerent, Ketlerius, ut Curlandiæ Ducatu potiretur, Livoniam Polonis permiſit. De rebus Livonicis multa ex INNOCENTII III. *epiſtolis a* BOSQVETTO & BALVZIO editis addiſci poſſunt. vid. SCHVRZFLEISCH. *res Pruſſorum.*

(f) *Caput ſuum*) Vid. potiſſimum res ſub Friderico I. in Italia geſtæ.

(g) *Novum ibi regnum*) De Siciliæ regno ſermonem facit. Ceterum de Apulia vindicanda adhuc Otto IV. ſollicitus fuit.

(h) *Potius priſtinæ auctoritatis*) Vindicandis tamen imperii in Italia juribus nec poſt Friderici II. tempora Cæſares defuerunt. Nullum ſane eſt dubium, ſi Henricus VII diutius fuiſſet ſuperſtes, autoritatem imperii, quam Itali labefactare annixi ſunt, plene in integrum reſtitutam fuiſſe.

(i) *Arelatenſe regnum*) Conf. MADERI *præfatio Gervaſio Tilberienſi præmiſſa.* De hoc regno, ad ſequentem tractatum, de finibus imperii dicturi ſumus.

dum illis præfuiſſent. Quicquid ſit; certe quod illius regni pleraque hodie Gallici juris habeantur, ſive fiduciarium illud jus ſit ſive pleni dominii, (neque enim id diſputare nunc meum eſt) inteſtinis profecto diſſidiis debet Germania; coactis tandem Cæſaribus quacumque beneficii ſpecie donare, quæ ipſis nolentibus tamen poſſiderentur. Jam Mediomatricum urbem, Tullum item ac Virodunum, qua Galli ratione *ſua ditionis fecerint*, (a) quum patrum memoria ſit geſtum, neminem poteſt latere: ſicuti neque id temere quempiam fugit, quantum in Italiam aut Carolus VIII. ſit auſus, aut poſt illum ſucceſſores tentaverint.

Interim videlicet dum decrevit regia dignitas apud nos & reſpublica in partes minuta eſt, alibi contra plurimum crevere civitates, aut productis limitibus, *ut apud Polonos*, (b) aut *vi regnantium aucta*, (c) ut in Gallis. Nam Poloniæ quidem regnum vaſtiſſimo hodie ſpacio à nobis *in Pontum uſque Euxinum*, (d) ab Ungaria item ad Suevicum *ſeu Balthicum mare* (e) extenditur; quum olim iſtis quos ante ſignificavi terminis coarctaretur. Non multa etiam ſecula effluxere, quum regum auctoritas in Galliis pene precaria magis eſſet *quàm ſua ſpontis*: (f) at poſtquam *Ducatus Comitatusque*, (g) quorum & apud illos magnus olim numerus atque regibus æmula *potentia erat*, (h) non ad optimates, ut in Germania, ſed in regum devenere poteſtatem, ſimulque *pulſis Anglis* (i) & *emortua Burgundica domo*, (k) ceſſerunt formidabiles factiones; auctis opibus additum regibus robur maximum eſt; adeo ut jam ſeculo integro amplius, qui ſua antehac ægrè tuebantur, *Europa univerſa* (l) fortunam non levi nunc ex parte moderentur. Eadem vero conditio eſt & reliquorum ferè regnorum omnium. Ungarorum enim etſi multùm ſit *labefactatum*, (m) tantumque non penitus exciſum, in illum tamen locum accepimus longè potentiſſimam *Othomannicam tyrannidem*; (n) adeoque nullo hodie latere magis metuere habemus nobis quam illo ipſo, cervicibus Germaniæ imminente hoſte non minus crudeli ac in humano quàm valido & feroci. Quæ item memoria (ut in Septentrionem me convertam) aut ipſa meminit aut audivit ex majoribus, *Suecorum* (o) auſpiciis in mediâ Germaniâ geſtum bellum, quale noſtra ætas videt maximum? Quæ ſecula aliquamdiu *tam compoſitam* (p) Danorum rempublicam memorant, quam eſt hodie? Quando *omnis Britannia* (q) uni paruit? Ne dicam de *Ruſſorum imperio*, (r) quàm illud

(a) *Sua ditionis fecerint*) Gallo per pacem Weſtphalicam §. 70. cedebantur, reſervato tamen jure metropolitano ad Archiepiſcopatum Trevirenſem pertinente.

(b) *Ut apud Polonos*) Per Lithuaniæ ſcilicet acceſſionem; nonnullis tamen deinde per Suecos & Ruſſos emuncta eſt provinciis.

(c) *Vi regnantium aucta*) Abſolutum Gallis impoſitum dominium, Ludovicum XI. autorem habuiſſe dicitur. *Memoires de comines liv. VI. ch. VIII. MERERAI abregé chronologique tom. III. p. 350.* quem deinde multi alii in maximum ſubditorum detrimentum aut æmulati, aut imitati ſunt.

(d) *In pontum uſque Euxinum*) Hi fines hodie acciſi ſunt.

(e) *Seu balthicum mare*) Polonicam per Pruſſiam a Balthico ſive Scythico, ut ADAMVS BREMENSIS loquitur, mari alluitur.

(f) *Quam ſua ſpontis*) Confer HOTTOMANNI *Franco-Galliam.*

(g) *Ducatus comitatusque*) Expeditiones in terram ſanctam hic Gallorum regibus utiliſſimæ fuerunt. vid. *CHOPP. de dominio Francia lib. I. p. 28. 29. L'etat & ſucces des affaires de France par Girard. liv. III. p. 260. 290. ſeqq.*

(h) *Potentia erat*) Hoc potiſſimum ad Normanniæ, Burgundiæ, Guiennenſes & Andegavenſes duces ſpectat. Duces hi, potentia inſignes, ſæpe regum rationibus adverſabantur. *Les recherches de la France par PASQUIER p. 41. ſeqq.* Gallorum duces hodie titulo tantum tales ſunt. *PASQUIER l. c. p. 109.*

(i) *Pulſis Anglis*) Late patentia Angli in Gallia, regum ſuorum nativitate, conjugiis, ſuaque virtute ſub Eduardi III. ejusque filii Eduardi nigri auſpiciis adepti ſunt territoria. Vid. *CHIFLETII vindic. Hiſpan. FROSSARDVM VERGILIVM, ANDREAM CHENIVM* aliosque illarum rerum Scriptores, quibus adde *l'heretiere de Guienne par LARREY.* Imo Henricus V. a Carolo VI. Socero, delphino excluſo, firmiſſimam ſuccedendi ſpem, ab ordinibus regni ratihabitam, accepit. Vid. *LEIBNIT. Cod. diplomat. part. I. p. 325. DU CHESNE Hiſt. d'Angleterre liv. XVII. p. 522.* Verum præmatura ipſius, ut & Bedfordii deinde mors, nec non puellæ Aurelianenſis impoſtura magnam Anglorum fortunæ induxit mutationem, ita ut amiſſis etiam poſtea ſub Maria Caleto, aliisque quæ in Gallia adhuc habebant locis, nihil ipſis quam titulus & prætenſio ſint reliqui. *CAMDENVS in vita Eliſabetha p. 14. Hiſtoire de Henry II. par Varillas t. II. p. 248. ſeqq.*

(k) *Emortua Burgundica domo*) Carolo Audace, in prælio adverſus Lotharingiæ ducem & Helvetios cæſo, Galli Burgundia ducatu aliisque terris potiti ſunt. *MEMOIRES de COMINES. liv. V. chap. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. p. 289. ſeqq. PONTVS HEVTERVS rer. Burgund. lib. V. p. 445. ſeqq. WREDII Sigilla comitum Flandria. p. 100. MEIERI annal. Flandria fol. 372. lib. XVII.*

(l) *Europa univerſa*) Id potiſſimum ſub Ludovico XIV. factum quem tamen in ultimo, quod geſſit, bello fortuna, non autem artes politicæ, deſeruerunt.

(m) *Labefactatum*) Noſtro tempore, imperante Carolo VI. ſummi prætoris Eugenii potiſſimum fortitudine & prudentia reddita ſunt, quæ olim Hungariæ regno per Turcas detracta fuerunt. Conſulendum hic eſt pacis Paſſaravicenſis inſtrumentum.

(n) *Ottomannicam tyrannidem*) Conſ. *LONICERI Turcic. Chron. collect. memorie iſto riche de monarchi Ottomani di GIOVANI SAGREDO. Hiſtoria univerſale, dell' origine guerre e' imperio de' Turchi di SANSOVINI.* Conſtantinopolitano imperio potiundi, Turcis occaſionem præbuit, Græcorum mollities, inteſtini motus, quibus terveſcentibus Turcæ in unius partis auxilium ſunt advocati & principum Chriſtianorum ad opem Conſtantinopoli obſeſſæ ferendam ignavia. Conſ. *imperatorum Andron. hiſtoria ſcripta per Cantacurenum* paſſim, *ejusdem hiſtoria Joannis Palæologi & Joannis Cantacureni*, nec non DACÆ *hiſtoria imper. Joannis Manuelis, Joannis & Conſtantini Palæologi.*

(o) *Suecorum*) Hi quod inter gentes Europæas aliquo ſint loco, Guſtavo Adolpho potiſſimum & Carolo Guſtavo debent. Non dubito tamen, quin utrumque rerum geſtarum gloria Carolus XII. ſuperaſſet, ſi gloriæ cupidini modum ponere ſciviſſet.

(p) *Tam compoſitam*) Loquitur haud dubie de Danorum ſtatu, quo, poſt pacem Lubecenſem cum imperatore anno 1629. factam, erant. Vid. PVFFENDORF. *rer. Suecic. p. 21.* HVBERI *hiſtor. civil. p. 388.*

(q) *Omnis Britannia*) Sermo hic eſt autori de conjunctione Angliæ & Scotiæ ſub uno rege. Anna autem regni habenas moderante, primum in unam coaluerunt rem publicam.

(r) *Ruſſorum Imperio*) Egerunt aliquando Ruſſi ſub variis principibus, plerumque Tartaris obnoxii, donec unus eorum hoc tempore (1444.) Joannes, excuſſo jugo, bello ſtrenuus, antiquis ditionibus Ruſſiam albam urbemque magnam & celebrem Nowogrodum ſubegit, brevique tempore, ſede dominationis Moſcoviæ,

illud vaſtum Tartarorum plurimis ſubactis cœperit eſſe nuper primùm. *Jam Hiſpania* (a) quis ignorat, aut quo terrore totum terrarum orbem compleverit, vel quam recenter demum formidabilis illa eſſe ceperit? Tangere enim iſthæc nunc ſatis eſt; memorare fuerit inane ac ſuperfluum.

Sed quum tanta ſit omnium circumcirca regnorum potentia hodiè; quumque diſcordiæ civiles jamdudum damni tantum potuerint dare, validioribus adhuc rebus noſtris, adverſariorum autem minus valentibus; quum denique jam olim iſtæ deſpectabiles nos reddere potuerint, quæ tamen numquam in hunc modum exarſerant: quid ſperare hodie habemus, Sapientiſſime Princeps, quid habemus nobis polliceri? Neque verò inter potentes tuto quieſcas. Ubi dominatus quæritur, pax & tranquillitas tua irritamentum eſt ſervitutis. At vero bellis inteſtinis implicita gens non niſi civilia cogitat, nil metuens niſi civile, de reliquo ſecura, quaſi aut à nemine videretur aut medios inter amicos ageret. Idemtidem etiam id ſolet fieri, quod alibi ait Titus Livius: *ut pars qua domeſtico certamine inferior eſt externo potius ſe applicet, quam civi cedat.* Sic odio præſentium videlicet agitantur ſæpe partes, ut ſperent ſalutem ab iis etiam, quos ſuæ ſaluti inſidiari, aut non ignorant, aut remota paululum affectus nebula ignorare non poſſent. Utinam verò non etiam nobis contingat, quod ferè olim de Romanis divinavit Criſpus! *Ego ſic exiſtimo*, dicebat ille ad Cæſarem, *quoniam orta omnia intereunt, quà tempeſtate urbi Romanæ fatum excidii adventârit, cives cum civibus manus conſerturos. Ita defeſſos & exſangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter, non orbis terrarum, nec cuncta gentes conglobata, movere aut contundere queant hoc imperium.* Ac certè non etiam noſtrum hoc imperium vel uniti vicini populi omnes, vel remotiores quique laceſſerent impune, ſi concordes ageremus, & idem volentes idem nolentes conſuleremus in commune. Contra autem plane quum à nobis fiat, prohibeat ſaltim Deus id omen, transferatque in hoſtes malum illud, quod prudentia nobis metuendum indicat. Neque tamen externis tantum patet ad ictum civitas ſuis diſſidiis, ſed & ipſis civibus, ipſis amicis ejusdemque ſacramenti hominibus, maximè ubi veram atque ſine exceptione victoriam aliqui expreſſerint. Habent quippe illi tum in manu rempublicam inque arbitrio ſuo; quam ut velint in priſtinum reducere ſtatum, vix poſſint tamen præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ. *Omnia ſc.* (ut ſapienter loquitur M. Tullius) *ſunt in bellis civilibus miſera: ſed nihil miſerius quam ipſa victoria. Quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresque reddit: ut etſi natura tales non ſunt, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio per quos vicit facienda ſunt.* Quotus verò quisque eſt, qui, cum poſſit, non etiam velit dominari hoſtibus devictis, aut rempublicam illo rurſum loco cupiat eſſe, quo cum eſſet, ipſe non poterat eſſe loco ſuo? Nimis dulce eſt regnare: nihil dulcius certe vulgò æſtimatur, quàm hoſtibus imperare. Sic ſcil. ferè res eſt: ut dominatus ex victoria civilis belli natus non tam vitio vertendus ſit victori, quam illi qui belli auctor temere fuit: quum movere iſtiusmodi bellum malitiæ plerumque ſit extremæ, dominatum armis partum nolle dimittere, communis hominum impotentiæ. Taceo nunc, quanto ſit cum reipublicæ periculo conjunctum, non tantùm ſi alterutra pars plene vicerit, ſed ſi vel leviter vicerit. Statim enim illa præponderat, trahitque reipublicæ ſecum aliquam partem; quod profecto communi libertati per eſt inimicum. Ne illud quidem dicam: quod etſi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen *repoſtum alta mente* inflictum utrinque vulnus, haud rurſus coëunte facile verâ amicitia ac firmâ ſocietate; quâ ſine tamen nulla civitas eſt ſalva.

Cœterum, quamobrem iſthæc reipublicæ noſtræ mala nunc tango? aut quare pericula, in quæ bello civili hoc conjecti ſumus, nunc clara quaſi in luce propono, quum tamen reipublicæ maximè interſit iſthæc ignorari? Equidem fateor, *Illuſtriſſime Princeps*, nihil magis in rem noſtram poſſe fieri, quàm ſi mala noſtra omnis vicinia neſciat: utpote cui per iſtorum conſcientiam maximè vileſcamus, adeoque dominatui externo (uti ita loquar) moveamus ſalivam. Sed quei ignorent, qui ungues in noſtris ulceribus habent? Aut verò quomodo tegamus, quæ in orbis univerſi oculis ita hactenus ſunt geſta, ut & ipſe in partes ſit raptus, idque vel uti ſuffunderet pro frigida oleum, vel ne damni alieni communione ipſe afficeretur. Nec tamen ego ſine cauſa iſthæc ſum apud Te conqueſtus; ſed cùm ne nihil agerem in patriæ incendio, tùm ut de optima notâ commendarem iſtam ſapientiam, cujus ego auctorem maximum nunc offero. Etſi enim nemo prudens, aliis ſatagentibus, cum Diogene dolium volverit, neque rempublicam attingam ego,

unde nomen regno, collocata imperium longe lateque per ſeptentrionalem Europam Aſiamque propagatum eſt. HVBERVS *in hiſtoria civili part. II. lib. I. Sect. II. c. 3.* Qua ratione Caſani & Aſtracani regna, nec non Smolenskium, in Ruſſorum poteſtatem pervenerint in STRAVSII *itinerario c. X. XII.* HVBERI *hiſtor. civil. p. 2. lib. 1. p. 227.* legitur. Incrementa, quæ gentis ſuæ gloriæ & terrarum ſuarum finibus Ruſſorum prudentiſſimus monarcha Petrus addidit, in recenti omnium ſunt memoria.

(a) *Jam Hiſpania*) Dominatus Hiſpanici amplitudinem varii inprimis domeſtici Scriptores extollunt. Vide CHIFLETVM *vind. Hiſpan.* c. 14. p. 225. ſeqq. Novus orbis, ſub Ferdinando Catholico Hiſpaniæ accedens, an vires & potentiam ejus plus auxerit, an vero minuerit, in dubio eſt. Belgii provinciæ magnum erant incrementum, ſi Philippus II. ita ipſis imperare ſciviſſet, ut omnes ſub ipſius manſiſſent imperio. Nec non ex Portugallia, quæ, Sebaſtiano ab Afris in acie cæſo, & patruo ejus Henrico exſtincto, Philippi artibus & armorum terrore Hiſpaniæ juncta eſt, inſigne ei enatum eſt virium augmentum, modo eam conſervare ſciviſſent. Confer. *VASCONCELLI Summa capita actorum regum Luſitania in Sebaſtiano p. 321. ſeqq. JOANNES VIPERANVS obtenta Portugallia & HIERONYMVS CONESTAGIVS de Portugalliæ & Caſtiliæ conjunctione*, Scriptor. WICQVEFORTIO teſte vere politicus, apud SCHOTTVM *in Hiſpania illuſtrata. tom. II. p. 1031. ſeqq. Jornada d'Africa par Sebaſtian de Meſo lib. I. fol. 32. ſeqq. lib. II. c. 2. fol. 125. ſeqq. HERERARA Hiſtoria general del mondo lib. 8. parte II. p. m. 344. ſeqq.*

ego, illorum verò potiſſimum, quibus ejus curam aut naſcendi lex aut ſacramentum injunxit, in officio ſit conſulere in commune: ſilere tamen & quieſcere in utramque aurem, ſi nihil aliud, ſaltim privata quæ ex publico proveniunt mala cottidiana, etiam me & mei ordinis homines non permittunt. Etenim nos quidem præda tantùm victori ſumus, utque pilas nos agunt excelſi illi terrarum Joves: conqueri tamen, niſi fallor, libet & nobis, quod in prædæ veniamus partem, aut duriùs allidamur ſolo; fortè verò & acclamare in periculum ruentibus illis magnis Diis, obligamur. Maxime tamen iſthæc me loqui fecit eruditionis negocium, & cumprimis civilis ſapientiæ: utpote quam ex merito commendare philoſophiam profeſſi ſit, commendare autem non liceat, niſi in ſcenam adductis reipublicæ noſtræ ingentibus malis, quæ ex ejus cumprimis neglectu (niſi valde decipior) magnam partem hactenus profluxere, nunc verò emendari nequeunt niſi ex illa ipſa remediis comparatis. Nimirum (ut bene Tullius loquitur) *ars videndi eſt prudentia, ut medicina valetudinis.* Quemadmodum igitur artem ſuam laudaturi medici intereſt, haud neſciri vim morborum: ita profectò, quo pateat tandem aliquando hominibus noſtris civilis prudentiæ non utilitas dico ſed planè neceſſitas, in rem eſt non tacere quæ rempublicam maneant mala niſi provideatur. Satis enim, imo plùs ſatis, luit hactenus Germania negligentius habitæ prudentiæ culpam: utinam ſolùm tot moniti damnis rectiùs ſapiamus in futurum! Initio enim regia, quæ erat maxima auctoritas, & illâ certè tempeſtate longè feliciſſimè evenit patriæ noſtræ, haud aliâ æquè re quàm non obſervatis regnandi legibus, quas civilis hæc doctrina ſciſcit, concuſſa eſt: certè obſervatis illis ſtaret & iſta hodie inviolata, adorarentque etiamnum Germaniæ veſtigia qui nunc illius inſultant cervicibus. Quæ deinde cauſa alia armavit in Principes nonnullos populum ſubditum, quàm eadem regnandi ſive imperitia ſive incuria? Imo verò quâ alia re factum; ut poſt collapſam vim regiam, quum reſpublica quaſi ſuapte ſponte in ἀριστοκρατίαν iret, facile certè fuiſſet firmam aliquam ac ſolidam condere non minus quam Veneta eſt, in varias potius illa partes abierit & pro uno reipublicæ corpore natæ ſint tantum non (ſi fas eſt dicere) ſcopæ diſſolutæ? Enimvero ſi ſuus fuiſſet prudentiæ apud nos civili locus, non arma iſta induiſſet Germania, quibus *nobilitas cum plebe perit* hodie, & omnis patria in cineres ac favillas diſpergitur, triſte ſervitium neſcio cui tandem præbitura. Ut vero prudentia iſthac neglecta in has præcipue ærumnas incidimus, ita profectò, ſi quæ adhuc ſpes fuerit ſalutis, ab eadem diligentius cultâ unice illa exſpectanda eſt. Et vero undenam collabaſcens aliqua reſpublica præſentius capiat auxilium ac ruinæ ſuæ fulcimentum, quàm ex illa doctrina, quæ ſola novit quid fugiendum publicè quid appetendum ſit, quæ ſola pericula damnaque expendit, quæ denique ſpe metuque utrinque libratis ſola non ignorat medicinam malorum? Hæc eſt enim, *quæ* (quod ille ait) *præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Neque enim eſt quur in his negotiis, aut Ammonem conſulamus, aut petamus Delphos, aut inſpiciamus exta, aut aves obſervemus, aut poſtremò Chaldæos noſtros interrogemus; quod nunc etiam tot poſt interdicta divina humanaque multis cernimus eſſe familiare.

Non enim ſunt ii aut arte divini aut ſcientia,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentesque harioli,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt alteri monſtrant viam.

Solus in hiſce prudens ſapit. Soli illi datum imminentia non neſcire. In quantum ſane futurorum capax eſt humanum genus. Etenim

multa tegit ſacro involucro natura, nec ullis
fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia.

Et verò habet & heic locum illud ex arte medica: τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγιείης, *in morbis acutis non in totum certa ſunt prænunciationes neque ſalutis, neque mortis:* quippe quum in illis reipublicæ converſionibus non tantùm acutum aliquid ſit, verùm etiam fatale; quod ut à ſolo Deo eſt, ita ſolius Dei eſt ſcire. Quæcunque tamen humano in his ſunt ingenio pervia, illa profectò non aſtra, non aves docebunt, ſed prudentiæ oracula.

Corniger hæc nobis non altiùs inprimet Ammon.

Ab illis etiam promptiùs remedia malis noſtris impetrabimus, quam Græci olim Delphis. Hæc incorrupti conſiliarii, abſque odio, abſque timore & ſpe; ut quorum & cauſas ſola habeant procul. Et verò in ea incidimus tempora, quando non amplius licet hæc negligere inconſulta. Ut enim impetrent veniam ſuæ negligentiæ tempora anteceſſa, hæc certè neſcio quî inveniant. Scilicet ut ſecundo vento aut tranquillo cœlo, inque alto, longè à rupibus, ſine periculo clavus navigii cuivis etiam committitur; inter Syrtes vero aut depræliantibus Aquilonibus ad ſolum tuto nauclerum recurrimus: ſic quieta adhuc republica fortaſſis licuerit non advocare ſemper prudentiam civilem in conſilium, & potuerint illam non male moderari vel de trivio homunciones; at nunc quando ſumma imis vertuntur, quumque error quilibet habeat quid lethale, profectò moribus illis (niſi totus fallor) vivere & nefas magnum & ſumma dementia fuerit. ὥσπερ γὰρ (ut ſapientiſſimè loquitur Ariſtoteles noſter) τὰ μὲν σώματα εὖ διακείμενα πρὸς ὑγίειαν, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυτιλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πληρώμασιν, ἐπιδέχεται πλείους ἁμαρτίας, ὥστε μὴ φθείρεσθαι δι' αὐτάς· τὰ δὲ νοσερῶς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλελυμένα, καὶ πλωτήρων τετυχηκότα φαύλων, οὐδὲ τὰς μικρὰς δύναται φέρειν ἁμαρτίας, οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ χείρισται πλείστης δέονται φυλακῆς, *ut corpora bene conſtituta & naves ad navigandum nautis benè inſtructa plura peccata citra interitum recipiunt, morboſa verò corpora & naves fatiſcentes maliſque inſtructa nautis, ne parva quidem incommoda queunt ferre: ita & peſſima quaque reſpublica plurimam deſiderat & accuratam cuſtodiam.*

Quod

QVOD ſi vero prudentiæ illius conſilia audire vel nolimus, vel non queamus, quid ſupereſt, (abſit vero æternùm illud omen) quàm ut ferale illud clametur: *exequias reipublicæ ac libertati Germanicæ quibus commodum ire: bem tempus eſt.* Neque enim cum vulgo ſperemus (quod ille ait) *nihil agentibus in ſinum de cælo devolaturam victoriam* aut proſperam fortunam. Nolle ſapere, hoc ipſum eſt Deum offendere: ut velle, ejus eſt legibus obſequi: certumque eſt divinæ indicium iræ caligo menti offuſa. Quod non ſacris tantùm eſt literis traditum ſed & notum gentiliſmo fuit, dicente Ammiano Marcellino: *manum injicientibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Quam in ſententiam & de fato loquitur Vellejus Paterculus: *cujuſcunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Verſus ſimilis argumenti quos recitat Lycurgus ſua contra Leocratem oratione, utut perelegantes, referre hîc non attinet. Nec verò, etſi ſtulta etiam interdum emendet Deus, eſt quur perpetuum ſtultitiæ præſidium quis ſibi polliceatur: rara quippe iſthæc ſunt nec trahenda in exemplum, certè non in ſpem ſecundorum eventuum. Orandum itaque eſt, ut in ſano corpore mens ſana ſit. Quin imò, haud multùm abſurde ille apud Criſpum: *non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando agendo proſpere omnia cedunt.* Et certè placata numinis indignatione, quam innumeris hactenus peccatis irritavimus, reſtituetur providendo ac laborando quaſi poſtliminiò in integrum etiam res, (quantum ſpero) Germanorum, redibitque priſtinum gentis decus, ita libertate Ordinum temperato Principatu, ut neque in hoc libidinem neque in illis licentiam habeamus metuere, ſed ſacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Abſit enim, ut vel in tenui hac Germaniæ fortunâ deſperemus omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates. Etenim regnet modò in ſingulorum animis cura integri reipublicæ corporis, penituſque omnibus ſit perſuaſum: Ducatus, Comitatus, Epiſcopatus, Abbatias, Urbes, populoſque omnes Germanici Imperii id quod ſunt vere eſſe, h. e. partes non niſi uno vinculo unoque ſpiritu ſalvas; & ſingulis licet invalidis, certe contra tam potentes undique vicinos minùs firmis, univerſos tamen atque idem volentes idem nolentes, & ſuis defendendis & terrendis omnium hoſtium conatibus ſufficere. Enimverò hoc animo atque hac ſententia obtinente, brevi effloreſcent ipſi etiam cineres patriæ, ſtabitque æternùm Germania, firmiùs longè quàm Palladio ſuo Troja. Certe contraria opinio (quaſi nimirum totius Corporis non ſit habenda ratio, ſed ſingulis ſuam rem agere ſatis ſit) Germaniæ evertendæ eſt nata, etſi olim damnoſa minus fuerit quàm ſit nunc, præ vicinorum impotentia. Hæc vero ſententia ſi omnium animis inſideret, omnes etiam ad concordiam ſeſe componerent mutuamque amicitiam: qua res quantumvis parvæ in ſui formidinem ſolent creſcere.

ODIIS autem detumeſcentibus, remotaque affectuum nebula, fortè & religionis negotium ſeſe mitiùs haberet; quo tamen, (cujus certè obtentu) potiſſimum nunc reſpublica in partes ſcinditur, aliturque diſſidium noſtrum internecinum. Non enim eſt fortaſſis, quur vel in tantis animorum fluctibus tranquillitatem omnem deſperemus; ſi procul gratia procul odio partium judicia collocentur, nec ſuperſtitio faſcinet oculos intellectus. Nam quur ſuperſtitioni non adſcribamus Vatinianum illum inter nonnullos ob religionem animum, vincentem prope furores Judaicorum zelotarum? Quemadmodum enim his religio fuit,

vel monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,

vel beneficium accipere niſi à ſuis: ita videas & hodie in parte pietatis à nunnullis poni odium hoſtile in diſſentientes, errorum verò nullam gratiam nec veniam ullam. Atque illos quidem non rationali pietate, aut juſta Moſaicæ legis obſervantia iſtam inhumanitatem induiſſe, partim exemplo proprio nos docuit Salvator a Samaritide fæmina non recuſans & petere aquam & accipere, partim & inſigni parabola de Samaritani nonneminis beneficentia erga viatorem à latronibus prope enecatum. Sed & noſtram inclementiam quis auſit amplius in officio Chriſtiani cultus numerare? poſteaquam & *in inimicos* (a) extendendam benignitatem, & fide infirmum aſſumendum non ad altercationes diſputationum, ex lege Evangelica intellexerit. *Servum Domini non oportet pugnare*, ait Paulus, *ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti, ſi quando det eis Deus fortè reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* Aſt ſi tam mitem ſeſe gerere paſtorem decet, quei gregis fuerit latrare ac mordere? quei pietas fuerit quod in epiſcopo eſt impium? Idem tamen Apoſtolus hæreticum poſt unam alteramque admonitionem jubet vitandum. Ita eſt, ſed qualem? ſane non alium quàm eum, quem quis noverit deploratæ ſalutis eſſe: inquit enim, *εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος.* Nec tamen, vel ejus hominis omne fortaſſis vitandum conſortium fuerit, ſaltim non illud quod occaſionem queat objicere corrigendi. Longè ſane aliter & ipſe Apoſtolus tractavit & tractare nos juſſit eos, qui ab hæreticis decepti ſpem adhuc relinquunt emendationis. Corinthii futuram corporum reviviſcentiam negabant: Galatæ Moſis legem fidei impio vinculo annectebant ut neceſſariam, in aliud plane εὐαγγέλιον traducti. Sed cum his agens Apoſtolus ipſa manſuetudo eſt. Monet, increpat, docet, ut fratres, ut ſanctos Dei; nihil certe hîc videas durum aut inhumanum. Imo maximus magiſter ipſe, eum qui eccleſiam recuſat audire non alio quam publicani aut ethnici loco nobis vult eſſe; munera humanitatis non tollit, vel caritatis quem limitibus excludit; ut qui ipſemet cum publicanis & peccatoribus ederit biberitque,

(a) *In inimicos*) De tolerantia illorum, qui diverſas de Deo rebuſque divinis a noſtra ſententia fovent opiniones. Vid. *Diſſert. mea de jure principis circa religionem.*

ritque, infirmorum ſanitati conſulens. Quin deſinamus ergo tandem atrocium contentionum; ne utique odia noſtra plusquam Cadmea ſancto injunctæ pietatis titulo venditemus. Zelus iſte zelus amarus eſt, & carens ſcientia: illa ſaltem, *quæ primum quidem caſta eſt, deinde pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordia & fructuum bonorum, absque diſceptatione & minime ſimulata. Veritatem ſectemur, ſed adoleſcamus prorſus cum charitate.* Illa vero *iram cohibet, benigna eſt, non agit perperam, non inflatur, non agit indecore, non quærit quæ ſua ſunt, non exacerbatur, non cogitat malum, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Hac dulcorandus ſane eſt zelus noſter, *ne mendaces ſimus contra veritatem. Moderatio noſtra innoteſcat omnibus.* Non equidem diſputabo hic, ſitne partium aliqua *hæreſeos nomine infamanda,* (a) vel in quamnam earum merito hoc congruat probrum; id certum arbitror, verum hæreticum non tam errore quam *errandi pertinacia* (b) cenſendum eſſe, & poſſe interdum lethales ſententias non peſſimis ingeniis innaſci, adeoque cum hæretica opinione nonnunquam catholicum animum conſiſtere; plane ut agere iniquum quod etiam minime iniquus poteſt. Quid nos movet vero, quur pejus de nobis invicem ſuſpicemur, quam de Arianis ſanctiſſimus Maſſilienſium olim presbyter Salvianus? *Hæretici ſunt,* dicebat ille, *ſed non ſcientes: denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt & hoc nos illis.* Paulo poſt ſubjungens: *Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio ſed affectu Dei; honorare ſe Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem: & qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſunt, nemo poteſt ſcire niſi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etſi non recte credere affectu tamen piæ opinionis errare.* Quid eſt, dico, quur alteri alteris pejus audiamus? quur errorum deteſtatio duriorem de moribus noſtris ſententiam ſtatuit? Sic tamen ita. Sit alterutra pars Arianis longe deterior, neutra tamen, quantum ſpero, ſuperat Manichæorum blaſphemam impietatem. Manichæi vero erant, quos vir ſanctitate atque doctrina ad miraculum maximus Auguſtinus, in hæc eſt verba alloquutus. *Illi ſæviant in vos qui neſciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſint intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quibus gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos, ſicut me ipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere; & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem.* Magna ſcilicet vis eſt in utramque partem opinionis inolitæ, quæque ceu cum materno lacte immulſa eſt, ſi accedat cumprimis ſectæ ſtudium, morbus, Galeno etiam meo judice, quavis ſcabie inſanabilior, quo qui tenentur, ſi eidem credimus, cœci atque ſurdi reddi conſuevere. Origenis dictum eſt: εὐχερέστερόν γε ἄνθρωπος τὰς περὶ ἄλλα συνηθείας, κἂν δυσαποσπάστως αὐτῶν ἔχῃ, καταλεῖψαι ἂν τὰς περὶ τὰ δόγματα. *Facilius quis alia ſibi conſueta exuat, quantumvis illis affixus ſit, quam ea quæ dogmatum ſunt.* Quæ ſuperbia itaque fuerit, & fragilis noſtræ mortalitatis dedignatio, tam atrociter animadvertere in ingenii culpam, & humanitatis oblivisci in peccato humanæ imbecillitatis? Non ego pravæ pervicaciæ ſum patronus, nec veniam peto vere hæretico homini, h. e. quem arrogantia aut nominis amor ſectam facit condere aut fovere. quique factionibus turbat publicam Eccleſiæ tranquillitatem. Nihil enim tam aſperam excogitari poſſe exiſtimo, quo non ille aſperius mereatur. Ne ſceleris quidem purum omnino dixerim, qui illi aures præbens in ſectæ communionem prolabitur. Tantum ita animadverti in deceptos optaverim, ne non tam interitum illorum curare quam ſalutem videamur quæſiviſſe. Et in hos ergo animadvertatur, ſed ſine ſævitia: & hi increpentur ſed cum lenitate: moneantur ſed fraterne; denique ita tractentur ut & ipſi intelligant, nihil in ſeſe nos habere odio præter hæreticam ſententiam, qua nihilominus cauſa maxime nos doleamus illorum vicem.

SED quo prolabor? Ego vero nihil aliud volo, Illuſtriſſime Princeps, quam periculis in quibus patria verſatur præſentiſſimis, omnes omnino, quotquot ſumus, ſerio admoneri, ut animi divulſi & factionibus diſtracti omnibus modis reducantur ad concordiam & commune reipubl. ſtudium: nihil vero eſſe, ne religionis quidem queis laboramus controverſias, quur ſaltim a curis concordiæ & pacis civilis cogitationes noſtras ſegregemus: quod enim hinc hoſtilia inter cives odia exerceantur, non tam pietatis lege fieri quam inani quadam ſuperſtitione. Atque me quidem haud latet, quantum ab hac manſuetudine abſint multorum mores; ſcio etiam id eſſe partium ingenium, ut altera indigne ferat vel metuat alterius benignitatem; quia tamen & inimicis *benefaciendum eſt,* (c) nihil dubito nolentibus & invitis & repugnantibus quoque modeſtiam, lenitatem, caritatemque, tam ſevere nobis mandatam, quaſi obtrudendam eſſe. Certe hanc viam primæ & incorruptæ Eccleſiæ prudentiores ac meliores quique Patres contra ſegreges & errantes inſiſtendam ſibi cenſuerunt. Quale enim hominum genus erant Donatiſtæ? Arrogans, *impium,* (d) hære-

(a) *Hæreſeos nomine infamanda*) Id in illis, qui Catholicæ aut proteſtantium religioni addicti, pacis Weſtphalicæ ſanctioni repugnat pragmaticæ.

(b) *Errandi pertinacia*) *LAYMANNI theolog. moralis tom. I. lib. 2. tract. 1. c. 13. p. 190. BECANI manual. prælud. 1. §. 2.*

(c) *Benefaciendum eſt*) *Vid. lettre ſur la tolerance par LOCKE.*

(d) *Impium*) *Vid. tamen ARNOLD. in hiſtor. eccleſ. part. 1. lib. IV. c. VIII. §. 44. ſeqq. quam de Manichais conf. lib. 3. c. 7. §. 24. ſeqq.*

hæreticum, in circumcellionibus ſuis etiam ſævum ac crudele. Hi vero ipſi erant, quos cum *fratrum* titulo fuiſſet dignatus, in hæc nectare quovis dulciora verba prorupit vir ſanctitate eximius Optatus Milevitanus. *Ne quis dicat me inconſiderate eos FRATRES appellare, qui tales ſunt, quamvis & illi negent, & omnibus notum ſit, quod nos odio habeant, & nolint ſe dici fratres noſtros. Nos tamen recedere a timore Dei non poſſumus, quos hortatur Spiritus S. per Eſaiam prophetam dicens: Vos, qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini: ſi qui nos odio habent & execrantur, & nolunt ſe dici fratres noſtros, vos tamen dicite iis, fratres noſtri eſtis.* Ætate huic ſuppar Gregorius, Nazianzi antiſtes longe piisſimus, dicebat: εἴπωμεν ἀδελφοὶ ϗ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς ἂν ἄλλα λέγοντας. Ante utrumque ſcripſerat B. Cyprianus, *optare ſe & conſulere pariter ac ſuadere, ut, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis populi corpus unum gremio ſuo mater gaudens includat:* a fraternitatis vinculo ne erroribus infectos quidem excludens. Iſthoc autem ſi fuerimus animo (poſſumus autem & debemus eſſe) non concutietur respubl. enatis de religione diſputationibus noſtris, certe non ita ut nunc diſſipabitur: imo fiet, ut affectuum purus mentis oculus clare perſpiciat caligantem nunc vitio noſtro veritatis ſolem, utque omnes id amplectentes quod vere καθολικὸν eſt, h.e. quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus eſt creditum, ſopitis diſſidiis *impacti ſimus eadem mente, & eadem ſententia.* Veritatem cernere non poteſt oculus odii ſpiſſo glaucomate ſuffuſus, utut illa clara ſit & ſolem ipſum geſtes manibus. Optimus demum magiſter lenis oratio eſt: irrepit quippe in animum latenter ſua dulcedine, intimas mox ejus fibras expurgatura. Hieronymi aurea ſententia eſt: *Qui modeſte alloquitur proximum, gratum accipit reſponſum, & quaſi de uberibus, in quibus lac quærebat, butyrum exprimit: ſed qui inepto verbo rixam & diſcordiam ex fraterno corde provocat, quaſi neceſſaria ultra modum emungens, ſanguinem elicit.* Et vero, ne deſit exemplum, tali plane orationis genere, Arianos, Apollinariſtas, Macedonianos, Sabellianos atque id genus alia hæreticorum portenta, viciſſe ſeſe & Eccleſiæ Catholicæ corpori rurſum feliciſſime ſociaſſe, ipſemet teſtis eſt ille, quem a ſanctitate paulo ante commendabamus, commendari autem numquam ſatis poterit, Nazianzenus Gregorius. Quidni vero audiamus ipſum loquentem, ſeu canentem potius, lenis ſermonis ingentem iſtam victoriam? Igitur quum varia ſectarum monſtra enumeraſſet, addidiſſetque, neminem adeo fuiſſe immobilem, quin a ſeſe flexus ſit; ſubjungit ſtatim aurea illa a doctiſſimo abbate Jacobo Billio non minus eleganter de Græco verſa:

Hos pertrahebat dogmatum ingens firmitas:
Flectebat illos ratio docendi *mea.*
Nec enim per odium, perque contumeliam,
Studio at juvandi, verba promebam, dolens,
Non vulnus infigens: nec, ut quidam ſolent,
Animos in altum, proſperum ob tempus, ferens,
(Commune ſceptris nam quid eſt, Verbo & Dei?)
Audaciaque inſcitiam velans meam.
Hoc quippe ſcitum eſt, ſepiis ac proprium,
Nigrantem ab imo vomere ſuccum pectore,
Ut tela fugias hoſtis in tenebris tui.
Sed voce blanda commodaque utens, decet
Chriſti ut patronum, mente qui placidiſſimus
Miſeratur ægros, neminem & durus ferit.
Ex quo fit illud, cedere ut laudem feras,
Rurſumque multo pulchrius ſit vincere,
SUASU Tonanti quiſpiam dum acquiritur.

Quid vero, ſi & noſtro tempore iſthuc ſuccederet? Quid, ſi & in nobis dulcis ſermo iſtum fructum pariat? Ne videlicet amplius & in nobis ſit Roboam & Jerobeam, Juda & Iſrael, Hieroſolyma & Samaria; ſed intergerino pariete confracto, qui unius ſanguinis uniusque ſimus reipubl. etiam unius ſimus Chriſti, coaleſcentibus vulneribus, quæ ejus corpori diſſidia noſtra inflixerunt, & reparata ejus tunica quam militaris furor olim ſcindere erubuit quidem, nos autem innumeras in partes diviſimus. Faxit ſane id ille, qui & ipſemet caritas ac pax nuncupari voluit, caritatem item ac pacem ſymbolum ſuorum juſſit eſſe!

Sed non eſt hujus loci de remediis diſſidentis Eccleſiæ ejusque pace diſſerere; etſi illa nihil publice privatimque poſſit eſſe conducibilius atque ad rempubl. erigendam magis neceſſarium: quippe quum anima quaſi reipublicæ ſit Eccleſia, adeoque non minus vere dici poſſit, rempubl. in Eccleſia eſſe quam vere id olim alio ſenſu negavit Optatus Milevitanus. Quod ſi vero tam felix fortuna hoc infeſto virtuti & paci ſeculo non ſit ſperanda terrarum orbi, aut noſtræ Germaniæ peccata non ferant ſtatum adeo beatum; utinam ſaltim fiat prius, ut ſi non amemus nos, prout par erat, ſaltim minus nos invicem habeamus odio! Certe & ſic erimus felices ſatis, atque etſi non optime & ex voto, tamen ſic ſatis bene componi iterum tot modis nunc divulſa reſpublica poterit; nemo profecto non deinceps execrabitur civilium bellorum faces etiam antequam ardeant.

VERUM fruſtra etiam de ordinanda republica quidquam ſalutare ſperes, quamdiu bello ad hunc modum ardet Germania, ſimulque domi ac foris hoſtis ex hoſte naſcitur. Quid enim inter meram vim & ſcelera, quæ dudum leges omnes ſuam in poteſtatem traduxerunt, & jam funda-

fundamenta reipublicæ ſubruunt, cogitemus legum robur atque auctoritatem: Scilicet inter arma etiam alias juſtitia prolabitur, neque nuper primum militia noſtra cœpit corrumpi; inter civilia autem arma, qualia hactenus magnam partem fuere noſtra, etiam moritur jus, militarem item *diſciplinam* (ut ille ait) *in pace inexorabilem diſcordia civium reſolvunt, paratis utrinque corruptoribus & perfidia impunita.* Eo autem usque illa redacta eſt, ut quæ flagrante ulterius bello ſuperſit ſpes emendandi vix appareat, in omne fas ac nefas venalibus urbium noſtrarum purgamentis. Igitur nihil etiam eſt, quur vel dicamus de illo meliore ſtatu quidquam, niſi pace ante facta caveatur ut ne ille nullus ſit; penitusque ſit perſuaſum animis illud Homeri:

> Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
> Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
> *Absque cognatis, injuſtus, & ſine domo vagus ille eſt,*
> *Qui delectatur bello civili difficili.*

Tunc vero demum ſuus cum fructu legibus & optimis conſiliis erit locus: tunc ordinari rectius reſpublica poterit; denique tunc & vulnera quibus hactenus laboravimus, poterunt ſanari, & fatale illud eccleſiæ bellum, quo inprimis Dei indignationem provocamus, ſopiri forte poterit fraterna caritate. Cæterum iſthæc ut effici aut poſſint aut debeant, & arrogans ſim, ſi me ſcire profitear, & ſi dicerem non ſim ferendus. Neque vero opus etiam eſt, ut præter ea, quæ priſcis ſeculis in hujuſcemodi malis ſunt adhibita, novum aliquod nunc excogitemus. Eadem quippe ſemper fabula agitur humanarum rerum, tantum mutantur perſonæ: quæque nunc nos, civitates ſemper multas afflixerunt, quarum aliæ ad optima conſilia, aliæ ad interitum iis ſunt redactæ. Spero autem nobis uſu eventurum, id quod arboribus qui cuneis divelluntur. Scilicet ut illæ excuſſis cuneis magno impetu unoque momento ad ſeſe redeunt, ita ad concordiam atque unitatem redituros nos omnes, ubi rejecti fuerint, qui nos ad libidinem ſuam diſtrahunt.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Finibus Imperii Germanici a primo ejus exordio usque ad Fridericum II. Cæſarem.

1. *Romani Imperii veteris res ac jura ad Germanicum Imperium non pertinere, adeoque nec hujus fines ex Romanis illis petendos.*
2. *De Francorum Imperii origine & inſigni amplitudine.*
3. *De Francorum Imperii in tres partes diviſione, atque adeo de prima origine Regni Germanici aut Orientalis Francorum, ab aliis jam ſeparati.*
4. *De Imperii ſive Regni Germanici primis finibus.*
5. *Non omnia finibus illis contenta in pari obſequio tunc fuiſſe, & quando quave ratione perpetua unio Imperii illius cœperit.*
6. *Imperii Francorum tertiam Lotharii Cæſaris portionem paulatim Germanico regno acceſſiſſe: & hujus pars, quæ Lotharingia regnum olim audivit, quemadmodum facta fuerit juris Germanici.*
7. *Ambitus veteris regni Lotharingici ex Tabulis antiquiſſimis proponitur; ſimulque Barrium Ducis Regno illi jam olim accenſitum eſſe, oſtenditur.*
8. *Ipſam Franciam Occidentalem in obſequio quidem fuiſſe Germaniæ Regum, ſed non niſi brevi momento & leviter, eoque in illam Imperio Germanico nihil ſolidi juris acquiſitum eſſe.*
9. *Regnum Italiæ & Imperatoriam dignitatem in perpetuum Germanico Imperio acceſſiſſe.*
10. *Italici Regni & Cæſareæ dignitatis quæ ratio quive fines fuerint circa initia: & quemadmodum utrumque ad Friderici II. tempora ſeſe habuerit.*
11. *Regni Italici fines ad Fridericum usque II. integros manſiſſe, niſi quod per injuriam partem ejus decerpſerit Neapolitanum Regnum: Simul vero Venetorum urbi libertatem ſuam relictam.*
12. *Burgundiæ & Arelatenſe Regnum per injuriam in terris Germanico Imperio debitis enatum, eidem rurſum perpetui fœderis lege ſociatum eſſe, idque qua ratione ſit factum.*
13. *Cæſarum & Imperii in Burgundicum & Arelatenſe regnum auctoritatem, cumprimis ubi eſt per Fridericum I. ſibi reſtituta, ad fatale Imperii interregnum usque integram manſiſſe.*
14. *Regnum Daniæ binis per intervalla vicibus Imperio Germanico fuiſſe obnoxium, ſed libertatem recuperaſſe.*
15. *Sleſwicenſem & Ducatum & Epiſcopatum jamdudum non Germanici ſed Danici juris fuiſſe, & eſſe hodieque.*
16. *Daniæ Reges Venedorum terras & Nordalbingicam Saxoniam aliquando occupaſſe, ſed cum poſſeſſione tum omni jure mox excidiſſe.*
17. *Hungariæ Regnum in obſequio Imperii aliquamdiu fuiſſe, ſed non multo poſt aſſeruiſſe ſeſe in libertatem. Reges quoque Cypri & Armeniæ Imperium Germanorum, brevi tamen duntaxat momento, coluiſſe.*
18. *Poloniam ab Ottonis Magni ævo ad Friderici II. tempora, pene ſemper, & ſubjectam & tributariam fuiſſe Imperio Germanico.*

LIBER SECUNDUS.

De Finibus Imperii Germanici a Friderico II. Cæſare usque ad noſtra tempora.

19. *Facta digreſſione ſternuntur fundamenta dijudicandi juris amiſſarum Imperii poſſeſſionum.*
20. *Bona Pontificibus Romanis donata non omnino Imperii limitibus excidiſſe per Cæſarum dona.*

Digitized by Google

21. *Terras pontificum Romanorum, non præſcriptione vel alio aliquo titulo, imperii ditione & juribus excidiſſe.*
22. *Terras Italicas pontificum Romanorum beneficiarias videri hodieque pertinere ad ditionem imperii.*
23. *Quod reliquum eſt Italiæ, præter bona pontificia, pauciſſimis exceptis, hodieque ad regni Italici, adeoque imperii, ditionem pertinere.*
24. *Quæ reges Galliæ poſſident in regno Burgundico vel Arelatenſi, ea paucis exceptis etiamnum ad imperii ditionem pertinere, haud eſſe vero abſimile.*
25. *Reliquas pleraſque Burgundici regni partes videri imperii finibus jure meritoque etiamnum comprehendi.*
26. *Quæ reges Galliæ in regno Lotharingico poſſident, illorum magnam partem finibus imperii jam fortaſſis excidiſſe.*
27. *Quæ in Lotharingico regno duces Lotharingiæ tenent, illa pene omnia hodieque juris eſſe imperialis Germanici.*
28. *Quas partes Lotharingici regni Hiſpaniæ rex poſſidet, eas hodieque finibus imperii comprehendi; fœderatas autem ſeptem Belgico-Germanicas provincias in plenam libertatem eſſe aſſertas.*
29. *Bohemiæ regnum cum Sileſia, Moravia & Luſatia, finibus imperii etiam hodie includi; Poloniam vero, Maſoviam, Pruſſiam & Livoniam videri illis excidiſſe.*
30. *De finibus imperii marinis: & totius operis peroratio.*

Hermanni Conringii de finibus imperii Germanici
Liber Primus.

Caput I.
Romani Imperii veteris res ac jura ad Germanicum Imperium non pertinere: adeoque nec hujus fines ex Romanis illis petendos.

1.

Imperii Germanici publicam (a) rem ſeu adminiſtrationem ſtatumque perluſtraturis, exordium operæ faciundum eſt ab imperii illius finibus: utpote quo in notitiam veniunt regiones omnes & populi ad imperium illud pertinentes. Hi nempe ſubjectum, ut ſcholæ loquuntur, ſunt reipublicæ; ſubjectum vero, ut ante omnia ſemper, ita venit quoque prænoſcendum in ſingulis rebuspublicis: quoniam regimen omne circa populum verſatur ejusque bona omnia; eoque, num illud recte vel ſecus ſeſe habeat, ad ſubjecti illius populi naturam & conditionem optime omnium poteſt exigi. Etſi vero de populis ac regionibus longe plura merito ſcire par eſt, ad id uti plene addiſcas imperii naturam; nunc tamen nobis quidem non niſi de *finibus* (b) ejus agere propoſitum eſt, idque *compendio duntaxat* (c) & hoc ipſum argumentum & reliqua illa prolixius alias fortaſſe perſecuturis. Non abs re autem erit, ſi tamen nunc ſimul etiam indicemus, quo jure fiat, ut hi populi & hæ provinciæ in communi iſthac vivant republica: brevi pariter facti inquiſitione, num fortaſſis aliæ provinciæ iſthuc jure pertineant nec ne. Nam hoc etiam inprimis intereſt intelligere, & tamen nequaquam fortaſſis in omnibus eſt notitia obvia.

2. Cæterum hæc antequam agamus, removendus e medio eſt vulgaris & quaſi paſſim receptus error: quo creditus, imperium Germanicum eſſe laciniam veteris imperii Romani. Hinc ſane volunt pene omnes: quæ etiamnum illuc pertinent regiones populosque, vel jam tum florentibus Romanorum rebus in noſtrum hunc aut ſimilem morem fuiſſe compoſitos, vel ſaltem jure illo, quo olim Romanæ provinciæ unum in corpus convenerunt, etiam nunc omnia contineri: ac proinde quæ hodie ab imperio Germanico haud poſſidentur, illa, tanquam a corpore imperii Romani ſeparata, cenſenda, & hoc reſpectu habito, jure an injuria id fiat, ſtudioſe inquiren-

(a) *Imperii Germanici publicam*) CONR. Singularis cujuslibet reipublicæ plena & perfecta cognitio conſiſtit in notitia cum primis quidem quatuor ejus cauſarum, ſimul vero loci quoque ac temporis. Ad materialem cauſam pertinet doctrina de finibus, non tamen niſi perexiguam ejus partem attingit; quoniam longe plura & majora exiguntur ad id, ut, quantum opus eſt, ad civilis prudentiæ uſum, intelligas integrum ſubjectum (ceu ſcholæ loquuntur) aut materialem cauſam: etſi prima omnium materialium conſideratio debeat merito eſſe de finibus civitatis. Pluribus hæc docentur libro de ſingularis cujusque reipublicæ notitia, quæ ſeorſim prodibit in lucem.

(b) *Finibus*) GöB. Finium imperii conſideratio eſt vel geographica, vel juridica & hiſtorica. *BOECLERI notitia imperii lib. II. c. I. & II.* Huic potiſſimum autor in libris de finibus imperii operatur. Geographicæ limitum notitiæ apprime inſerviunt, quæ WERLHOFIVS *in notitia S. R. I. enucleata lib. 1. c. 2. §. 19.* tradit. Adde CLUVERIUM BERTIUM, & *autores*, quos SCHARDIVS *tom. 1. rerum German.* collegit. Hodie multæ Germaniæ partes ſeptentrionales, quarum in numero magna Cherſoneſi Cimbricæ portio eſt, Germaniæ annumerari deſierunt. Neque verſus orientem iidem, qui olim erant, ſunt limites; poſtquam Pruſſia & Livonia res ſuas ſeorſim ab imperio habere cœperunt. Ad meridiem vero & occidentalem plagam ultra Danubium & Rhenum veteris Germaniæ fines producti ſunt. Vid. WERLHOFIVM *l. c. §. 36. 37.* quanquam negari nequeat, Gallorum deinde opibus, transrhenanos illos limites non leviter acciſos eſſe. Cocceiana ſententia, trans Germaniæ limites olim quoque Germanos habitaſſe, ſuo modo admitti poteſt. COCCEJI *juriſpr. publ. prud. c. 2. §. 6.*

(c) *Compendio duntaxat*) *CONRING. ann. edit.* Conſilium initio, cum iſthæc commentari inſtituerem, non niſi brevem dare de hoc argumento diſſertationem; ſed vix altera plaga typis erat excuſa, cum mutarem animum. Itaque ex ea, ſub manu quaſi, opera extemporanea, qui fere meus eſt mos ſcribendi, grande volumen hoc eſt enatum.

rendum eſſe. Sunt autem in hac ſententia haud pauci, nec indocti; non *fortaſſis alii tamen*, (a) quam qui *Juſtinianeo juri unice*, (b) neglecto omnis Germanicæ hiſtoriæ veteris uſu, incubuerunt. Hos enim ſolos videas, de omni hoc negotio, atque adeo & de exemptione, quam vocant, regnorum provinciarumque pene univerſi mundi a juribus imperii Romani, illis quæ diximus fundamentis nixos, ab eo usque tempore, quo in Italia renata ſunt Romani juris ſtudia, usque huc, acriter contendere. Verum enim vero potiſſima hodie imperii Germanici, quæ Danubio, Rheno, Oceano & mari Balthico includuntur, florentiſſimis etiam Romanorum rebus, nunquam, vel non niſi levi ex parte ac breviſſimo tempore, fuere Romanæ ditionis. Nec enim nunc moror ineptam ſententiam, quaſi Romani veteres vel tenuerint imperio ſuo univerſum mundum, vel omnem illum occupandi *jus habuerint*. (c) Alia omnia, quæ hodie Germanici imperii finibus includuntur, jam ante mille annos & quod excurrit, ita a populis Germanicis occupata ſunt, ut una cum poſſeſſione recuperandi quoque jura Romanum imperium jamdudum amiſerit. Sed & antequam dignitas cæſarea cum imperii Romani juribus ad Carolinam Francorum regum familiam, & hinc ad Germaniæ reges deveniret, jam tum in unum plæraque imperii hodierni concreverant; nec poſtea unquam ſive belli aliqua vi ſive ſpontaneo quodam conſenſu in jus veri Romani imperii tranſierunt, tametſi in nomen illud ſenſim quaſi adoptata ſint. Reapſe denique nihil vere Romanum Germanici eſt juris factum, præter dominium urbis Romæ & exiguas nonnullas Italiæ regiones; quas cum aliquandiu per exarchum Ravennatenſem cæſares, qui Conſtantinopoli commorabantur, rexiſſent, & deinceps occupaſſent Longobardorum in Italis reges, his iterum ereptas Pipinus & Carolus Magnus Francorum reges Romanis pontificibus quadamtenus donaverant. Quam rem omnem latius perſecuti ſumus libro *de Germanorum imperio Romano*. (d)

3. Ex hiſce vero ſatis utique apparet, originem atque jura omnium Germanici imperii provinciarum, non ex illis dudum exoletis veteris imperii Romani rebus, ſed aliunde profluere; adeoque ex aliis longe fontibus etiam negotii hujus univerſi notitiam petendam eſſe. Imo vero cum Germanicum imperium omni ſit ex parte liberum, nec antiqui illius Romani aut jure aut prætextu quicquam præter pauca illa modo dicta teneat, & quidem illa quoque teneat nullo veteris imperii Romani beneficio: ad hoc, quoniam quicquid olim fuit Romani imperii in omni hoc Occidente, id jam ultra mille annos una cum recuperandi juribus perierit; nemini non manifeſtum eſt, originem imperii Germanici ejusque in varias provincias jura ab ipſismet Germanicis rebus dependere, & ex conſequenti horum omnium intelligentiam non ex alienis quibusdam, ſed propriis & domeſticis monumentis deſumi ac dijudicari oportere.

CAPUT II.

De Francorum imperii origine & inſigni amplitudine.

1.

Igitur domeſtica illa conſulentibus de origine imperii Germanici, ejusque cum incremento tum decremento, ita pene rem ſeſe habere deprehendere eſt. *Cum Germania omnis* (e) multos in populos ſibi mutuo adverſantes hactenus ſemper fuiſſet diviſa; quicquid etiam ejus cis Rhenum fuit,

(a) *Fortaſſis alii tamen*) *CONR. annot. edit.* Etiam illi tamen in partes haſce ſunt tracti, qui ea, quæ de Romani imperii fato in Danielis prophetico volumine creduntur prædicta ad fortunam Germaniæ pertinere, arbitrati ſunt. Quo in numero noſtratium quorumvis vulgo & fuerunt & ſunt plurimi. Nullus tamen hominum ordo vel operoſius vel majore ſimilitudine veri hæc ita docuit, atque Romani juris doctorum: qui quidem Italiam aut Germaniam hactenus incoluerunt: Nam & Gallici & Hiſpanici doctores ſibi hac parte caverunt, idque ſtudio ſui populi magis fortaſſe, quam ſtudio veritatis, perinde ac eſt factum a juris pontificii doctoribus, quamvis Italis, quo gratiam aucuparentur papalem. Bene vero, quod imperatores Germanici ipſi prætextu Romani veteris imperii nunquam fuerint uſi in rem ſuam, contra exteras reſpublicas, quantum quidem ex monumentis ævi illius eſt colligere. Ut merito igitur hæc opinio privatis potius hominibus tribuenda ſit, quam toti imperio Germanico.

(b) *Juſtinianeo juri unice*) GÖBEL. CONRING. *in prælect.* quæ A. 1663. aut brevi poſt, ad librum de finibus imperii habitæ videntur, ineditis, quas nos jam ſiſtimus, inquit: *Dicunt, quod adhuc hodie jura imperii Romani veteris ſuperſint, iisque Germania noſtra utatur. Hinc JCti noſtri diſputant, quaſi per vim Hiſpania, Gallia, Britannia poſſideantur, revera autem jura ſuperſint & pertineant ad Germaniam, utpote cum ea pars ſit Romani imperii.* Fateri neceſſum habemus, multos olim jureconſultorum, non niſi legum & aliquali hiſtoriæ Romanæ & Græcæ notitia imbutos ad indolem Romanæ reipublicæ patriam noſtram examinaſſe.

(c) *Jus habuerint*) GÖBEL. Vide, quæ de hoc argumento in libro de imperio Germanico, & in notis ad illum tradita ſunt.

(d) *Germanorum imperio Romano*) CONR. Cum pridem manibus bibliopolarum exciderit meus iſte liber (editus quippe jam anno quadrageſimo quarto) & plurima ſunt ad manum, quibus duplo poſſit auctior reddi, tum vero argumentum juſta induſtria vix a quoquam vel tentatum fuerit, dignum tamen ſit, quod accurate excutiatur, fortaſſe propediem novam parabimus libri editionem. *GöB.* Sed an unquam hæc parata fuerit, valde dubito.

(e) *Cum Germania omnis*) CONRING. Ex Taciti libro, Ptolomæo & aliis apparet, Germaniæ nomine Secul. I. & II. veniſſe, quicquid inter Rhenum, Danubium & Viſtulam fluvios usque in extremum ſeptentrionem ſitum fuerit, ita ut Dania, Suecia & Norwegia Germanicæ ſint originis, quamvis aliquantum lingua differant. Quamvis igitur populi Germaniæ ingentem illum terrarum tractum tenuerunt, unam tamen rempublicam non conſtituerunt; ſed diſtinctas ut hodie Batavi diſtinctam habent rempublicam a nobis. *GöBEL.* Add. Helvetios, qui tot diſtinctas, reſpublicas fœdere junctas, quot pagos conſtituunt. Ex his, quæ autor noſter de Germaniæ limitibus verſus ſeptentrionem dicit, pateſcit, ipſum non, ut COCCEJUS exiſtimat, Eidoram ad ſeptentrionem Germaniæ ſed Saxoniæ terminum feciſſe. WERLHOFIUS *notit. imperii enucleata lib. 1. c. 2. §. 30.*

fuit, *Germania prima & ſecunda*, (a) *Belgica item prima* (b) nominibus, pridem jam Romani tenuiſſent; rara armorum felicitate per Francos primum, qui jam Galliam quoque uti poſt Italiam occupaverant, in unum tandem corpus cum Italia & Gallia cœpit coaleſcere. Ipſi *Franci*, (c) ab antiquiſſimis usque temporibus, *Catti* (d) tunc appellati, jam dudum tenuerant eximiam Germaniæ illam partem, quæ hodie Francia vel Franconia audit, a Bojohemo fere usque, cis *Bacenim* (e) ſylvam ſeu Thuringorum ſaltum, in hanc Saxoniam usque inferiorem exporrectam. Quibus cum *Chamavi, Bructeri & Ampſivarii* (f) aliique acceſſiſſent, omnis ille trans Rhenum tractus

(a) *Germania prima & ſecunda*) GöBEL. *Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, cum omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur ſuperior, quæ Rheni fontibus propior eſt, inferior, quæ ab hac usque ad Oceanum Britannicum ſe extendit.* DIO *lib. 53.* vide *BUCHERIUM in Belgio Romano lib. 1. c. 2. CELLARII Geograph. antiqua lib. 2. c. 3. p. 370. 371.* ex quo conſtat, diſtinctionem hanc Germaniæ jam Auguſti ætate cognitam fuiſſe. Eſt autem Germania prima eadem quæ ſuperior, & ſecunda, quæ inferior.

(b) *Belgica item prima*) *Belgica prima*, inquit AMMIANUS MARCELLINUS, *Mediomatricos prætendit, & Treviros domicilium principum clarum. Huic adnexa eſt ſecunda Belgica, quæ Ambiani ſunt urbs inter alias eminens & Cathelauni & Rhemi.* Libellus provinciarum Romanarum fuſius diſtinctiusque in hunc ſenſum de iis loquitur: *In Belgica prima civitates numero quatuor: metropolis civitas Trevirorum, civitas mediomatricorum, id eſt metis, civitas Leucorum, id eſt Tullum, civitas Verodunenſium. In provincia Belgica ſecunda civitates numero duodecim: Metropolis civitas Remorum, civitas Sueſſionum, civitas Cathalaunorum, civitas Veromandorum, civitas Cameracenſium, civitas Tornacenſium, civitas Sylvanectum, civitas Bellovacorum, civitas Ambianenſis, civitas Morinorum, civitas Bononienſium. BUCHERIUS l. c.*

(c) *Franci*) GöBEL. Francorum originem & ſedes dubiis eſſe obnoxias ad librum de Germanorum imperio Romano monitum eſt. De originaria eorum ſede, quam occuparunt, antequam Romanis innoteſcerent, inter LEIBNITIUM & GUNDLINGIUM viros doctiſſimos lites enatæ ſunt. LEIBNITIUS *in libro de origine Francorum* terris Mecklenburgicis & Pomeraniæ, GUNDLINGIUS in *Gundlingianis part. 3. & 9.* Bremenſi potiſſimum ditioni vindicat, Chaucosque cum aliis Germanorum gentibus Francorum numero fuiſſe affirmat, uterque pro ſe locum GEOGRAPHI RAVENNATIS *lib. 1. c. 15. allegat.* Maurunganiam *ad frontem albis, ubi per multos annos Francorum linea remorata dicitur*, Gundlingius ideo in terris Bremenſibus quærendam putat, quia, eas paludibus non eſſe infrequentes, conſtat. Atque ſi Mæotis quædam palus Germaniæ attribuenda, non mari Balthico cum Adamo Bremenſi, ſed ducatui Bremenſi cum diplomate Carolino, quo Bremenſi Epiſcopatui ſe beneficum exhibet, SCATENII *hiſtor. Weſtph. p. 514. 515. in Mota palude*, quæ dicitur *Sigefridesmor*, adſcribendam eſſe, docet, præſertim cum huic regioni rectius anonymi Ravennatis locutio, *in fronte patria albis*, conveniat, quoniam frons plagam meridionalem denotare ſoleat. Adduntur denique CLAUDIANI & SIDONII APOLLINARIS teſtimonia, ex quibus patere dicitur ad Viſurgim quoque & Albim ſub Chaucorum nomine Francos habitaſſe. LEIBNITIUS, ut dixi, in Pomerania, terris Mecklenburgicis & vicinia primævam Francorum ſedem ſtatuit, ſententiamque ſuam ERMOLDI NIGELLI carmine manuſcripto Ludovico Pio inſcripto, confirmat, majusque ei ex Procopii aſſerto, qui Vandalos maris Balthici (Suevici) indubios accolas ad Mæotidem paludem loca tenuiſſe, tradit, conciliare annititur, quoniam autore Adamo Bremenſi Lib. IV. c. 228. 217. veteribus paludis Scythicæ ſive Mæoticæ nec non pelagi Scythici nomine Balthicum venit mare. Hinc ſi Regum Francorum geſta gentem hanc a mæotide palude arceſſunt, Leibnitio arbitrante, non Scythica illa proprie dicta, ſed Germanica eſt intelligenda. Porro Longobardi Winulorum propago, cum devictis Vandalis in Mauringiam penetrare conſtituiſſent, ab ingreſſu per Aſſipittos prohibitos eſſe, annales memorant. Ex quo itidem colligunt Mauringiam in maris Balthici vicinia fuiſſe. PAULUS WARNEFRIDI *de geſtis Longobard. c. 11.* Fateor non eſſe levis momenti, quæ hiſce rationibus celeberrimus Gundlingius oppoſuit, quod & ipſe illuſtris quondam Leibnitius, cujus memoria mihi ſemper ſancta erit, faſſus eſt: Videtur tamen iis, quæ Leibnitio ejusque deinde ad objectiones reſponſionibus oppoſita ſunt, non ubique veritas adeſſe. Veriſimile enim admodum eſt, Adamum Bremenſem, quæ de mari Balthico, quod palus Mæotis dictum ſit, affert ex veteribus, quorum multi amiſſi ſunt, codicibus hauſiſſe. Atque hoc, quæ de ABLABIO, quod paludem Mæotidem cum mari Balthico confuderit, ex Jornande annotat ECCARDUS *ad Leibnitii libellum de origine Francorum*, confirmant. Quod autem ad Procopii locum attinet, negari non poteſt, ipſi paludem Mæotidem, per quam Tanais pontum Euxinum ſubit, non fuiſſe incognitam, nihilominus & hoc nomen de mari Balthico uſurpaſſe potuit: ſæpe enim eadem vox diverſis tribuitur rebus. Nec ſatis certum eſt, illum Gothos & Vandalos pro una eademque gente habuiſſe. Cur Pauli diaconi fides in enarrandis, quæ ad Longobardorum res, Alboinum antecedentes ſpectant, in dubium ſit vocanda, non video. Haud dubie enim, quæ tradidit, ex vetuſtioris ævi monumentis depromſit. Morungiam, quam in Ducatu Bremenſi in Mota palude reperiri GUNDLINGIUS opinatur, ibi minus recte quæri, DOM. DE ECCARD in annotat. ad LEIBNITII *libell. de origine Francor.* ſtatuit. Ut ſileam, quæ de diplomatis Carolini falſitate affert, Motam non eſſe paludem, ſed rivulum quendam vix accolis notum, & frontem fluvii ejus initium, & tergum ejus exitum denotare, affirmat. Verum ut dicam, quid ſentiam, non mihi videtur prima Francorum ſedes inter Eidoram & Warnam reſtringenda, ſed ex uno latere per Pomeraniam, ex altero per Ducatum Bremenſem & vicinas regiones ſe extendiſſe. Admodum enim veriſimile eſt, plurimis Germanorum gentibus Francorum nomen ob inſigne forte libertatis ſtudium inditum eſſe. SCATENIUS *in hiſt. Weſtph. lib. 3. p. 153.* An Chauci eorum numero fuerint, ex dubio aliquid habere videtur, cum in tabula Peutingeriana apud BERTIUM *p. 141.* legatur: *Chamavi, qui & Franci, item Chauci.* Verum apparet, Chaucos hic non contradiſtingui Francis, ſed per particulam *item* ſub iis contineri. Cui non repugnat, quod Saxonibus aliquando annumerati ſint. A victoribus enim aliud nomen ipſis inditum. CONRING. *de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & vicinia p. 99. ſeqq.* Ex illis deinde terris ulterius & quidem ſenſim per Weſtphaliam ſeſe diffudere, tandemque illa occuparunt loca Vangionum potiſſimum, Nemetum & Tribochorum pagos, ex quibus Galliam invaſerunt.

(d) *Catti*) GöBEL. De Cattis validiſſima Germanorum gente vide TACITUM *in Germania c. 30. 31. hiſtor. lib. 4. c. 37. & in annalibus paſſim.* Ab his Batavos originem trahere, GROTIUS *de antiquitate reipubl. Batavica c. 3. tradit.*

(e) *Cis Bacenim*) CONRING. *annotat. manuſc.* Vocatur hæc ſylva a Ptolomæo ita, alias & ſylva Thuringorum. A Rheno usque ad hanc Catti habitarunt.

(f) *Chamavi, Bructeri & Ampſivarii*) CONRING. *annot. edit.* His addendi Ambrivarii & Angrivarii, quorum nominum veſtigia etiam nunc ſuperſunt prope Rhenum in Bergenſi ducatu ejusque vicinia. Nec enim non per eſt veriſimile, oppidum, quod hodie Camen audit, olim fuiſſe Chamavorum, ut Broeck Bructerorum. Ampſivarios porro appellatos eos, qui accoluerunt flumen Amſer vel Emſer, Ambrivarios, qui proximi fuerunt Ambro amni, ut antehac Sicambros; Angrivarios autem dictos ab Anger fluvio, qui in ducatu Bergenſi, poſt a ſeſe cognominata loca Angermundi, Angerhuſen, zum Angern, Rheno mergitur. Sunt, qui priſcis illis Francis annumerant etiam Angrios, imo ſedes eorum usque ad Albim extendunt, ſed

tractus a Ducatu circiter Bergenſi usque in Wirtebergenſem, non minus in nomen quam in jus Francicum pervenit: idque florentibus adhuc Romanorum rebus; quemadmodum alibi *multis oſtendimus.* (a) Collabaſcentibus inde paulatim Romanorum viribus, & uno *communi rege ſibi creato,* (b) initio ripam reliquam omnem Rheni in Friſios usque, mox Rheno trajecto Germaniam ſecundam & potiora primæ, Belgicam item utramque aliasque *nonnullas Galliæ* (c) Romanas provincias, in ditionem ſuam Franci iidem redegere.

2. Non multo poſt ingenti clade, anno quadringenteſimo nonageſimo nono, circa *Tolbiacum* (d) Clodovæo rege cæſis Alemannis, longe potentiſſimo tum Germaniæ populo, provinciam ſuam iidem fecere, quicquid hactenus Alemannici fuerat juris, omnemque adeo Sueviam, *Helvetiam*, (f) *Bavariam*, (e) quædam item cis Rhenum magnæ Sequanorum provinciæ & Germaniæ primæ.

3. *Thuringiam* (g) usque ad *Salam* (h) & Unſtrutum amnes, adeoque Saxoniæ fines, circa annum

falluntur. Demum enim ſeculo octavo victricibus Caroli M. armis hæc ſunt Saxonibus erepta. Et vere omnis etiam illa inter Viſurgim & Rhenum interjacens vetus Francia a Saxonibus victoribus jam tum ſeculi Chriſtiani anno circiter 561. videtur occupata, quia illo tempore Clothario rege ad internecionem (ut loquitur Gregorius Turonenſis) omnes illi Franci fuerunt ingenti clade devicti, & pars maxima eorum, relicto patrio ſterili & horrido ſolo, in Galliam commigraſſet. De Francis ſane inter Viſurgim & Rhenum degentibus ex eo usque altum fuit ſilentium.

(a) *Alibi multis oſtendimus*) CONR. *ann. edit.* Fortaſſis fuerit pretium operæ, noſtra illa cogitata tandem publicari: quia circa primam Francorum originem a quam multis vulgo peccatur, etiam magnis ac præclaris ſcriptoribus, & gens nobiliſſima hanc curam promeretur. GöBEL. vid. quæ tradita ſunt *ad lib. de imper. German.*

(b) *Communi rege ſibi creato*) GöBEL. Confer præfationem, quam RVINARTVS GREGORIO TVRVNENSI *præmiſit.* Vulgo id in Pharamundo factum eſſe docent; a quorum ſententia P. DANIEL, recentior rerum Francicarum ſcriptor, diſcedit.

(c) *Nonnullas Galliæ*) GöBEL. Conf. MEZERÆVS *in Pharamundo, Clodione & Merovæo.*

(d) *Circa Tolbiacum*) GöBEL. Aliqui prælii locum conſtituunt ad Juliacæ ditionis oppidum Zulpich; ERICHII *Chron. juliacenſ. lib. 3. fol. 153.* VREDIVS *in Flandria illuſtrata* ad Tullum Lotharingiæ, HENSCHENIVS, prope Argentoratum decertatum eſſe, contendit, GVNDLINGIO Alpiacum in Nemetum pago ad Alemanniæ fines placet, cum alias concipi non poſſit, qua ratione factum, ut Clodovæus tam exiguo temporis tractu a conflictus tempore bellum in Allemanniam ferre potuerit. GVNDLING. *part. 3. p. 265.* Verum ex GREGORIO TVRONENSI *lib. 2. p. 44.* apparere videtur, illico poſt commiſſam pugnam, cum in fugam labi cœperint, Alemanni pedem eos illico ſtetiſſe, ſeque victoris arbitrio, rege ſuo in pugna cæſo, cum tributi onere permiſiſſe. Vide quoque AIMOINVM *de reb. geſt. Franc. lib. 1. c. 15.*

(e) *Helvetiam*) GöBEL. Quæ intuitu Gallorum Burgundia transjurana dicebatur. Liceat ex CHENII *hiſtoria Burgundiæ tom. 1. lib. 2.* ſequentia adjicere: *Ce pays qui comprenoit la ſuiſſe & la Savoye eſt diverſement nommé par les Hiſtoriens; Car ils l' appellent tantot Gaule Ciſalpine, tantot Bourgogne jurane les Roys, qui l' ont tenus depuis Rudolphe ſe ſont auſſi qualifiés Roys d' Allemagne. Et finalement apres que la Province & le Viennois y ont ete joints comme nous remarquerons en ſuite, ils ont encore portè le titre de Roys d' Arles, ou de Province.*

(f) *Bavariam*) GöBEL. AVENTINI *annales Lib. 3. p. 143. 144.* Lex ſive formula ſubjectionis in Bavaris fuit, *ut de corpore ſuo, ubi opus fuerit, principem legant, at ducem non regem adpellent, reges Francorum autores ſiant. In bellis auxilio Francis ſint, eosdem pro amicis & hoſtibus habeant. Cæterum ſuis inſtitutis ac moribus libere vivant.* Eadem habet CRVSIVS *Annal. Suevic. part. 1. lib. 8. c. 9.* Vinculum autem ſubjectionis, quo Alemanni Francis obnoxii erant, hæc continebat: *ut proprio jure magiſtratuque uterentur, ſed fiſco regio immediate adſcripta eſſet.* Vid. COCCEJI *Jurispublici prud. c. 5. §. 2.* ubi citat EKKARDVM *de caſibus S. Galli c. 1.* Adde *epitom. geſt. Fr. c. 15.* P. ÆMIL. *in Clodovæo.* Bavariam a Clodovæo Francorum ſceptris eſſe additam, nonnulli negant, cum id ex veterum locis, quæ OBRECHT in *prodromo rerum Alſaticarum vol. 1. c. 10. p. 212. 213.* refert, non conſtet; ſed Theodorico Clodovæi filio poſt Theodorici Oſtgothorum Regis, cui parebant, mortem ſe ſua ſponte permiſiſſe. Fateor, nec me de hoc hactenus ex veterum quodam edoctum eſſe: Memorante tamen MEZERÆO *in vita Theodorici* hic Bojariorum leges in comitiis Cathalaunicis in ſcripturam redegit; unde colligere licet, Bojos ei obſequii vinculo adſtrictos fuiſſe; nihilominus origo hujus nexus dubia manet. MEZERÆVS de ea ita loquitur: *Peutetre que Clovis les avoit ſubjuguez dis le temps, qu' il ſubjugua les Allemans.* Tradit quoque BVCHERIVS *in Belgio Romano Lib. 19. c. 11. n. 5.* non omnes Allemannos in Francorum ditionem perveniſſe; ſed aliquos eorum in Italiam ad Theodoricum regem commigraſſe; alios in antiquis trans Rhenum ſedibus tributis oneratos, alios tandem Francis plane ſubditos eſſe. Quod autem ad devictos attinet, non dubito, quin Franciciæ gentis præfectos ipſis impoſuerit, quorum aliqui deinde forte Cameræ nunciorum nomen nacti ſunt. Atque hoc, nimirum magiſtratus devictis ab irato victore datos eſſe, PAVLVS ÆMILIVS in vita Clodovæi affirmat. Sic & Francorum colonias veteri inductas eſſe Alemaniæ, aut potius parti ejus, ipſique inde Franciæ nomen impertitum, & a Franconia diverſam conſtituiſſe provinciam, GVNDLINGIVS *part. 9.* GVNDLINGIAN. *§. 48. 49.* non absque rationibus docet. Alii Franconiæ originem inde repetunt. *Monumenta Paderbornenſia p. 84.* SCAT. *Hiſtor. Weſtph. lib. 3. p. 148. ſeqq.* Conf. TOLNERVM *in hiſtor. Palatina c. 7. p. 174. ſeq.* Sunt qui putant, Franconiam nomen ſuum ex antiquis inhabitatoribus retinuiſſe. CRANZIVS *in Vandalia Lib. 2. c. 28.* atque Herbipolitani epiſcopi ducatum, ſi quid ejus unquam præter titulum habuit, Franconiæ terminos non exceſſiſſe; cum ducatus Franciæ ſuperioris, cujus metropolis Moguntia vel Wormatia fuit, alia longe terrarum ſpatia complexus ſit; forte tamen aliquando & Franconia ſub eo comprehenſus fuit.

(g) *Thuringiam*) GöBEL. Theodoricus Auſtraſiæ Rex, Clodovæi ex concubina filius, fratre Clothario in belli ſocietatem aſſumto, Hermenfridum, fidem, quam ſibi de dividenda Thuringia dederat, fallentem, bello proſecutus eſt, atque Thuringorum exercitu ad Unſtrutum ad internecionem pene deleto Francici juris cœpit eſſe provincia. Nec dubito, quin nexus ille per Herminefridi, qui Theodorici, cujus ſe fidei commiſerat, aut alterius cujusdam, dolo periit, mortem fortior factus. GREGORIVS *Turonenſis lib. 3. c. 7. 8. Geſta Francorum epitomata c. 33.* AIMONIVS *lib. 11. c. 9.* WERLHOFIVS *in notitia imperii enucleata lib. 1. c. 2. §. 70. 96.* SCAT. *hiſt. Weſtph. p. 302.* SAGITT. *de antiq. regno Thuring. lib. 2. c. 11 12.* CONR. *not. mſcr.* Thuringiæ nomine veniebat tum inſignis portio etiam Haſſiæ, atque adeo illo nomine, quidquid eſt inter ſalam & ſilvam Herciniam: GöBEL ex Hermandurorum voce Duringorum nomen exortum eſſe non absque ratione creditur. De antiquis vero Thuringiæ finibus non deſunt lites. WINCKELMANNVS *in inveſtigatione originis Thuringorum* eos in Belgio quærit. Vide SCATENII *hiſtoriam Weſtphaliæ lib. 5. p. 271.*

(h) *Ad Salam*) GöBEL. Duplex Germaniam interfluit Sala, Saxonicus unus, qui in monte a pinis nomen habente natus haud ita procul Magdeburgo ſe in Albim effundit, alter Franconicus, qui prope villam regiam (Königs-Hofen) exoriens ad Gemundam in Moenum ſe effundit. ECCARDVS *de palatio Salenſi.*

annum quingenteſimum viceſimum quartum adjecere: regno Thuringiorum in Hermenfrido regum ultimo deſtructo.

4. Eadem tempeſtate in Gallia, quicquid ejus Burgundiones & Weſtrogothi occupaverant: extincta plane *Burgundionum republica* (a) & *Gothorum potentia* (b) intra Hiſpaniam clauſa, in Francici regni ditionem conceſſit.

5. *Carolo Martello Duce* (c) circa annum ſeptingenteſimum viceſimum octavum, devicto *Ratbodo*, (d) Friſiorum Rege, regnoque eorum diſſoluto, omnis maritima Germaniæ ora, a Rheni oſtiis usque ad Viſurgim, adjecta eſt Francorum rebus: quod ejus reliquum in Cimbrica cherſoneſo jam tum *Friſii occupaverant*, (e) Danis acceſſit, ad quos pulſus Ratbodus confugit.

6. *Friſios Saxones ſecuti*, (f) Sæpius etenim *licet rebelles*, (g) Caroli Magni feliciſſimis armis ſubacti

(a) *Burgundionum republica*) GöBEL. Gondemaro, primorum Burgundiæ regum ultimo, a Childeberto & Clotario capto, Burgundiæ regnum, poſtquam fere 84 annis ſteterat, Franciæ junctum fuit; nomen tamen Burgundiæ atque ſuos magiſtratus legesque retinuit. Qui Regum juſſu Burgundiæ præerant, patricii dici ſolebant. MEZERÆVS *Abregé chronologique tom. 1. p. 50.* VIGVIERIVS *in Chron. Burgundiæ ad annum 526.* PONTVS HEVTERVS *rer. Burgund. Lib. 1.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad ann. 526.* SCHVRTZFLEISCH *de veteri populo regnoque Burgundionum.*

(b) *Gothorum potentia*) GöBEL. Viſigothorum rege Alarico in campo Voiladenſi, ad decimum a Pictavorum urbe lapidem ſito, in conflictu cum Francis, occumbente, Clodovæus magna parte eorum, quæ Viſigothi in Gallia habebant, una cum ipſa ſede regia Tholoſa, potitus eſt, ita ut Gothis nihil præter Maſſilienſem, Arelatenſem & Narbonenſem provinciam, cum parte Novempopulaniæ, quæ Pyræneis vicina eſt montibus, relinqueretur. WERLHOF. *l. c. §. 86.* VORBVRG. *tom. 1. p. 578.* Verum & harum terrarum magna pars per Clodovæi poſteros Viſigothis eſt erepta, qui regni ſui ſedem in Hiſpaniam tranſtulerunt; licet aliqua adhuc ipſis eſſet territorii Gallici portio, quæ tamen deinde quoque amiſſa eſt. MEZERAI *Abregé chronol. tom. 1. p. 50.*

(c) *Carolo Martello*) GöBEL. BEDA *lib. 5. c. 12.* refert, Ratbodum Friſiorum regem a Pipino victum Francis citeriorem Friſiam conceſſiſſe, ac confugiſſe in Foſtilandiam. Non autem ſatis liquet, veriſimile autem eſt, ita dictam Friſiam omnem, quæ a Rheno ad Viſurgim exporrigitur: ulterioris autem nomine veniſſe eam, quæ trans Albim oram occupat maritimam, ita ut Foſtilandia juxta nonnullorum opinionem fuerit inſula illa, quæ hodie Hilligelandia dicitur. Carolus itaque Martellus vicit quidem primus Ratbodum; Pipinus autem demum in provinciæ formam Friſiam redegiſſe videtur. Non autem puto, hæc ad Pipinum, Martelli patrem Heriſtallum a loco natali dictum, MABILLON. *de re diplomat. libr. 4. p. 256.* ſpectare, quanquam & illi jam tum cum Friſiis negotia fuerunt. Citerioris Friſiæ nomine illa venit pars, quæ circa Ultrajectum ſita, & Hollandia poſt audiri cœpit. Hoc ſane colligere fuit ex vita Marcellini, modo tutæ eſſet fidei. Dubium ſane, quænam fuerit inſula Foſtilandia, in quam Ratbodus ſe recepit. Aliqui dicunt Amalandiam fuiſſe. EMMIVS *lib. 4. pag. 129.*

(d) *Ratbodo*) GöBEL. Fabulis non immerito a viris accuratiori antiquitatum cognitioni ſtudentibus annumeratur SVFFRIDI PETRI *de origine Friſiorum lib. 3.* & FVRMERII *Annal. Phriſicorum lib. 1. c. 1.* aſſertum, ac ſi Friſii ſub duce ſuo Phriſone una cum Saxonibus ſub duce ſuo Saxone, Phriſonis & Brunonis fratre, exercitus Macedonici reliquiæ, ex Aſia in Europam venerint; de eo enim ex monumentis fide dignis non conſtat. Longe magis veritati congruit, Friſios pro gente Germanica originaria habendam eſſe. Non tamen obinde cum CRANZIO & EMMIO Chaucorum propaginem exiſtimo. Nam in Romanorum annalibus eorum, ut peculiaris gentis Chaucis contradiſtinctæ, forte tamen eis æque ac Bructeris aliqua ex parte vicinæ, & Romanis ad tempus tributo aliquo obnoxiæ, mentio injicitur. TACITVS *annal. lib. 1. c. 60. n. 3. lib. 4. c. 72. lib. 19. c. 5. n. 1. lib. 13. c. 54. n. 1. in Germ. c. 34. n. 1.* PLINIVS *in hiſt. natur. lib. 25. c. 3.* Conf. HERTIVS *in notitia veteris Germaniæ populorum p. 3. c. 5. §. 5.* Sub regibus hanc gentem fuiſſe, annales eorum multis tamen referti fabulis memoriæ produnt. Ratbodi duo in Friſiorum celebrantur hiſtoria, quos autor noſter confundere videtur. Ratbodus primus cum Carolo Martello ejusque patre Pipino bellum geſſit. SIGEBERTVS GEMLACENSIS & LAMBERTVS SCHAFNAB. *ad annum 694.* JOHANNIS DE BEKA *Chron. P. 9. & ad eam* BVCHEL. *p. 12.* Hunc ex baptiſmatis lavacro pedem retraxiſſe ferunt, cum majoribus ſuis rerum geſtarum gloria inclytis, infernales patientibus uſtulationes, quam Chriſtianis cœlum inhabitantibus adeſſe mallet. UBBO EMMIVS *rer. Friſic. lib. 4. ad ann. 718. p. 136.* FVRMERIVS *annal. Friſic. lib. 3. c. 6. ad p. 198.* Sed quomodocunque hæc ſe habeat narratio, certum eſt, hunc a Francis regno non exutum, licet ipſi quædam ademerint loca: Rerum in ipſo ſuo regno vitam finiviſſe, atque poſt eum Adgillum, Gundebaldum & Ratbodum II. Friſiis præfuiſſe, licet hi æque ac Ratbodus I. alicujus tributi lege Francis adſtricti videantur. HEDÆ *hiſtor. Ultrajectina p. 26.* EMMIVS *l. c. p. 138.* FVRMERIVS *l. c. p. 206. ſeqq.* Ratbodus autem ſecundus, paganiſmo vitiisque addictus, a Carolo M. duas ingentes paſſus clades, ad Danos ſe recipere coactus, atque regnum ejus Francis ſubjectum eſt. FVRMERII *annal. lib. 3. c. 9. p. 240.* EMMIVS *lib. 4. p. 153.* Licet enim Ratbodus hic ex Danico exilio ad ſuos redierit; ad illam tamen, quam antea in ſua gente habuit, poteſtatem non rediit. EMMIVS *l. c. p. 159.* Contendunt Friſicæ libertatis patroni, quamvis a Carolo Friſiis leges & magiſtratus ſint dati; attamen ab illo libertatem eorum avitam non ſolum confirmatam, ſed & auctam eſſe, vide apologiam SVFFRIDI PETRI contra UBB. EMMIVM p. 171. ſeqq. quo fictitium, de quo alibi locutus ſum, Caroli M. trahunt privilegium. Verum haud dubie alia Friſios non manſit libertas, quam reliqui Germaniæ populi Francis obſequio devincti, habuerunt. EMMIVS *rer. Friſ. lib. 1.* ubi SVFFRIDVM PETRVM & FVRMERIVM pro diplomatis veritate pugnantes refutat. *Hiſtoria Oſtfriſica ante aliquot annos vernaculo ſermone edita tom. 1. lib. 1. p. 15. lib. 2. n. 11. p. 5. ſeqq.*

(e) *Friſii occupaverant*) GöBEL. EMMIVS aliique ſibi perſuadent, Friſiam veterem ex una parte trans Hollandiam ſeptentrionalem ad mare occidentale ſeſe extendiſſe; ex altera autem Bredſtedum Ducatus Slesvicenſis locum attigiſſe; ſed hos a vero aberrare, docet DANCKWERTH *in Chron. Holſ. Slesv.* Hic, Friſios ſub quinti ſeculi initium, Cimbriæ, quæ deinde tenuerunt, occupaſſe loca, ſtatuit, putatque ex hiſce terris Friſios Anglorum in expeditione Britannica fuiſſe ſocios. Neſcio tamen, anne dicendum ſit, Friſios longe antea Cimbriæ particulam inhabitaſſe, TACITOque *in Germanic. c. 34.* Friſiorum minorum vocabulo venire. Huic opinioni ſuffragatur, quod illa Jutiæ portio deinde Friſia minor dicta ſit. SAXO GRAMMATICVS *hiſtor. Danica lib. 13. p. 260.* Quando ſub Danis eſſe cœperint, non ſatis certum. SAXO *l. c.* in Canuto VI. tantum dicit: *Adminiſtratio deinde provinciæ ſub noſtris regibus eſſe cœpit.*

(f) *Friſios Saxones ſecuti*) CONR. Saxonum nomen occurrit apud Ptolomæum. Collocantur autem in ea parte, ubi nunc Holſati habitant, vel ſub initio Slesvicenſis ducatus. Ceterum poſtea Saxonum nomen latius extenſum. Ubi autem nunc eſt Archiepiſcopatus Bremenſis, ducatus Luneburgenſis, magna pars archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ibi olim habitarunt Cauci majores, dein ad Viſurgim ea parte, ubi eſt Dominatus Oldenburg. Friſia orientalis illum tractum inhabitarunt Cauci minores. Friſii autem vixerunt inter Amaſim & Rhenum, at ſequentibus temporibus videntur expulſi a Chaucis. Chaucorum au-

ſubacti ſunt. Quo ingens terrarum tractus validique ibi populi *Oſtphali*, (a) Weſtphali & Angarii in Francorum regni poteſtatem conceſſere, Eginhartus *amplitudinem terræ* (b) deſcribens, ait: *Saxonia non modica eſt Germaniæ pars, & ad eam, quæ à Francis incolitur, latitudine dupla putatur, cum longitudine poſſit eſſe conſimilis.*

7. Poſt Saxoniam idem Carolus Magnus *Hunnis devictis*, (c) *adjecit*, (verba ſunt itidem Eginharti) *utramque Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam; Iſtriam quoque & Liburniam*

---

tem nomen poſt ſeculum IV. non occurrit amplius. Propius vero Viſurgim, ubi hodie comitatus Hojenſis, Dipholdenſis, Oldenburgenſis, epiſcopatus Mindenſis, Otnabruggenſis & Paderbornenſis, illum tractum Angrivarii inhabitarunt, hodieque veſtigium aliquod ſupereſt prope Engern, quod reliquum eſt, alii populi inhabitarunt. Ceterum Saxones, qui in ea parte, ubi nunc Holſati habitant, illi, inquam, Chaucos domuerunt. Atque hinc illorum tam late patet nomen. *GöBEL. SCATENIVS in hiſtoria Weſtphaliæ p. 11. & 12.* Angrivariorum ſedes videtur magis reſtringere, quanquam addat; *veteres interim limites obſcuri.* Quod autem ad Saxones, gentem Germanicam Francis vicinam, attinet, illos ſub Friſiorum nomine apud Tacitum latere, *CLVVERIVS lib. 3. Germ. antiquæ cap.* 21. exiſtimat. Ab hoc diſſentit Autor noſter in libro de antiquo ſtatu Helmſtadii & viciniæ p. 81. atque opinatur, Taciti libello quædam, quæ ad Cherſoneſum cimbricam ſpectant, ævi vitio excidiſſe. Confer hic *SCAT. hiſt. Weſtph. lib. 3. MEIBOM. introduct. ad hiſtor. Saxon. infer. p. 4. ſeq. VORBVRG. tom. I. p. 474. WERLHOF. lib. I. c. II.* qui monumenta Paderbornenſia & Scatenium citat. Nec in eo, quid per Saxoniam antiquam intelligendum ſit, autores conveniunt. Nonnulli hanc appellationem ad Weſtphaliam tantum ſpectare autumant, ut AVTOR *monum. Paderbornenſ. p. 57. SCATEN. hiſtor. Weſtph. lib. 3. p. 172. WINCKELMANNI notitia veteris Saxo-Weſtphaliæ p. 107. CRANZIVS in Saxonia.* Alii autem, ut LEIBNITIVS, omnes transmarinos, intuitu Neo-Saxonum in Britannia, hoc nomine veniſſe arbitrantur; alii denique hoc nomine antiquioribus temporibus ſolos Holſatos compellatos eſſe dicunt, hancque opinionem cum autore noſtro defendunt CAMDENVS, VSSERIVS, SCHERINGHAM, SVFFRIDVS PETRI, vide GVNDLINGIANA de hoc argumento; quibus adde *MOLLERI Iſagogen ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricæ p. 17. 18.* Atque hæc ultima ſententia in dubiis veterum nititur teſtimoniis. FABIVS ETHELWERDVS *in collectione Savilii edit. p. 834. Anglia vetus*, inquit, *ſita eſt inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod ſermone Saxonico Sleswic vocatur, ſecundum vero Danos Haithby. Vetus chronic. Anglo-Saxon.* quod WHELVICIVS & GIBSONIVS ediderunt, *p. 12.* teſtatur, Anglis in Britanniam transvectis de ANTIQVIS SAXONIBVS, *de Anglis & de Jutis* ſubſidia miſſa. BEDA *in hiſtor. eccleſ. lib. I. c. XV. p. 45.* hæc habet: *De Saxonibus id eſt ex regione, quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venere orientales Saxones, meridiani Saxones, occidui Saxones.* Ex Holſatia autem vicinisque quibusdam regionibus gentem illam, quæ Britannia potita eſt, veniſſe, ſupra docui. Vide MOLLERI *Iſagogen ad hiſtor. Cherſon. Cimbr. c. 5. §. IX. ſeqq. & p. 3. c. 2.* Quapropter non male conjicere mihi videntur, qui nomen Nordalbingiæ Holdſtein, cujus apud REGINONEM *ad ann.* 804. mentio fit, inditum, inde originem trahere arbitrantur, ita, ut idem ſit ac OLT. (cui deinde aſpiratio addita;) STEIN. Opinati autem haud dubie ſunt Saxonum vocem a ſaxo derivari, & ſic in vernacula per vocabul. STEIN exprimi debere. Magis autem hanc etymologiam cum veritate coincidere, apparet, quam illam, quam PETERSEN *in Chron.* Holſatiæ aliique habent, qui ab inhabitatione ſylvarum nonnullos eorum dictos eſſe HOLSTEIN quaſi *Holtſatten.* Non ita frequentes enim in Holſatia eſſe ſylvas conſtat. Illi, qui ultra Holſatiam, Stormariam & Wagriam antiquæ Saxoniæ limites extendunt, provocant ad epiſtolam Gregorii II. ad univerſum populum provinciæ Alt-Saxonum, quæ eſt inter epiſtolas Bonifacii, curante Serario editas, & legitur quoque apud LEIBNIT. *tom. 1. rerum Brunſuic. &* LVNIGIVM *in ſpicilegio eccleſiaſtico tom. 1. p. 4. & Bonifacii epiſtolam ad Ethelbaldum Angliæ regem*, ubi de poena virginum & mulierum ſtuprum paſſarum agit. Verba epiſtolæ hujus recenſet WINCKELMANNVS *in notitia Weſtphaliæ p. 95.* Verum enim vero hæc veriori ſententiæ non officiunt: Nam dubium non eſt, Saxoniæ antiquæ colonias in alia Germanorum territoria, pro more illorum temporum, demigrantes, nomen illud latius circumtuliſſe. Non ſolum enim majoribus noſtris conſuetum fuit, nomen illarum gentium, in quarum loca ſuccedebant, aſſumere, ſed & ſuum nomen illis imponere. Prioris membri exempla habemus in Francis Sicambrorum terris & nomine potientibus. Sic & quidam Saxonum, provinciam quandam a Francis vacuam occupantes, haud dubie Franci dicti ſunt.

(g) *Licet rebelles*) GöBEL. Saxonum gens Francis tributi lege obnoxia, ſæpe ab eis alienata, & ad obſequium redire coacta, à Carolo Magno, triginta annorum bello, & ſacerdotum ope, in provinciæ formam redacta eſt. AIMONIVS *de geſtis Francorum lib. IV. c. XVI. p. 370. 371.* apud FREHERVM ADELM. *Francorum regum annal. p. 383. 385. 389.* CRANZIVS *in Saxonia lib. I. cap. 33. & lib. II. c. 1. ſeqq.* MEZERAI *Abregé chronologique tom. I. p. 188. 195. 211. 227.* EGINHARDVS *in vita Caroli M. aliique ſcriptor. rer. Francic.* qui apud CHENIVM, PITHÆVM *& in tomis rerum Germanicarum* continetur. *Confer. bibliotheque des autheurs, qui ont ecrit l'hiſtoire & topographie de la France par du Chene.*

(a) *Oſtphali*) CONRING. *A. mſ.* Circa Caroli Magni tempora tres populi Saxonum veniebant nomine; (1) Oſtfali, quibus pro inſigni fuit pullus equinus, (2) Weſtfali, & (3) tandem Angrivarii. Oſtfalorum nomine intelliguntur illi, qui trans Albim ſunt, & qui inter Albim & Viſurgim medii ſunt, Angrivarii, qui prope Viſurgim, & demum Weſtfali. Hi tres aliquo modo unam habuerunt rempublicam, ſed tempore belli ſinguli populi ſibi ducem elegerunt. Itaque illorum reſpublica fuit ariſtocratica. Hunc igitur tractum adjecit Carolus M. Francorum imperio, uti in textu dicitur. GöBEL. Verior mihi videtur opinio, Oſtfalos & Weſtfalos partim a plaga cœli, partim a ſitu locorum regionumque nomen traxiſſe. Id enim, quod autor de pullo equino, quem Valen dicunt, ex Cranzio hauſit, nullum in antiquitate veſtigium, vel autores ex priſcis pro ſe habet. SCAT. *in hiſtor. Weſtphaliæ lib. VII. p. 421. 422.*

(b) *Amplitudinem terræ*) GöBEL. *Vetus Saxonia limites habuit ad ortum Albim, ad occaſum Rhenum, & gens tribus aliis & ceu particularibus nominibus diſtincta fuit. Qui enim ad occaſum pertinerent Weſtphali, qui ad ortum Oſtphali, qui utrisque cis & ultra viſurgim interjecti eſſent, Angrivarii dicebantur. Et cum poſterioribus temporibus Saxonum reges plerumque ex Angrivariorum dynaſtis legerentur, cœpit inde regnum Angrivariorum vocari. Docet id, ut cætera mittam, inſcriptio monumenti vetus, quæ Hamelæ viſitur, ejusmodi:* ANNO DOMINI DCCXII. BERNARDVS COMES ET CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIÆ DE OSTEN FVNDARVNT HANC ECCLESIAM. *Nec dubitarim, Angrivarios tractum poſſediſſe, aut nomine horum veniſſe, qui poſtea appellatus fuit ducatus ad Viſurgim.* REINERVS REINECCIVS *de patria ſua oppido Steinheimio apud GOER in opuſc. var. de Weſtph. p. 215.* Confer. quoque CHYTRÆI *Orat. de Weſtphalia* ibidem *p. 3. ſeqq.* & JOH. NEVWALD *de antiquis Weſtph. coloniis.* ROLVINCK. *de ſitu & moribus Weſtphalorum.*

(c) *Hunnis devictis*) GöBEL. EGINHARDVS *in vita Caroli M. c. 13.* MONACHVS ENGOLISMENSIS in vita Caroli p. 55. ANNAL. PITHÆANI & LAMBECIANI *ad ann. 795. 796.*

niam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum imperatorem habere permiſit. Quo apparet, ingentem tunc ea parte imperio Francorum acceſſionem factam: Quippe cum Bavaria provinciarum ultima & hujus terminus Aneſus fluvius (ut ex annalibus Francorum anni ſeptingenteſimi nonageſimi primi conſtat) hactenus fuiſſet.

8. Idem deinde Carolus Magnus (ut porro loquitur Eginhartus) *omnes barbaras & feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua quidem pene ſimiles, moribus vero atque habitu valde diſſimiles Germaniam incolebant, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret.* Ex quo Eginharti teſtimonio diſcere eſt: *Sclavicas aut Vendicas* (a) illas gentes (Polonis tamen forte, adeoque & Sileſiis, Polonorum tum parte, exceptis: nec enim de his perinde conſtat) quæ omnia à Sala usque amne, (ut *qui*, eodem teſte Eginharto, *Thuringos & Sorabos* Sclavos *tunc diviſit*,) ad Albim, & inde trans Albim circa maris Balthici littora usque ad Viſtulam, Bojohemum item ac Moraviam ad Danubium usque, tum temporis jamdudum, (ex quo inde Germanicæ gentes, migratione in provincias Romani imperii facta, diſceſſere,) impleverant; quadamtenus in ditionem Francorum perveniſſe.

9. Ad hæc idem Carolus in Italia primùm *omne Longobardorum regnum*, (b) exſtincto ultimo eorum rege Deſiderio, deinceps quoque exarchatum Ravennatenſem ac Pentapolin aliaque Romano pontifici à patre Pipino & ſeſe donata, unâ cum ipſa urbe Roma & jure tituloque cæſareo, adeoque Italiam univerſam, ab Auguſta prætoria usque in Calabriam inferiorem, Francorum regno adjecit. Ex omnibus ſcil. Italiæ regionibus unica fere Calabria manſit in ditione cæſarum Conſtantinopolitanorum. Præterea verò urbs quoque Veneta in jus Francorum non tranſiit. Etſi enim & hanc navali prælio ſubegiſſet, idque auſpiciis paternis Pipinus Caroli filius anno octingenteſimo decimo, eodem tamen anno pace æternâ inter Carolum & Nicephorum Conſtantinopolitanum conſtitutâ, huic per Carolum *Venetia reddita eſt:* ut quidem diſerte memorant *annales Francorum.* (c) Veneti ipſi referunt, & Pipinum Venetæ urbis omnia non occupaſſe, & magna viciſſim clade à Venetis affectum, nec pacto illo pacis urbem Conſtantinopolitano redditam, ſed *diſertis pacti verbis cautum eſſe, ut Veneti inter utrumque imperium Orientale & Occidentale poſiti, liberi atque immunes & ab utroque ſecuri viverent.* Quæ etſi fortaſſe minùs ſint veriſimilia, utpote quæ adverſentur omnium ejus ævi antiquiſſimorum annalium fidei, nihil tamen noſtrâ refert, ſive credas ſive neges; cum certum ſit, urbem illam in jus Francorum *non perveniſſe.* (d)

10. Poſtremò cum jamdudum in Galliis *Aquitania & Vaſconia*, (e) in Germania *Bavariæ duces* (f) potentiſſimi, regia pene poteſtate & Francorum majeſtatem vix comiter obſervantes, imperaſſent: haſce quoque regiones, fugatis & extinctis ducibus, ſub integrum imperium Carolus iterum redegit; promotaque armorum felicitate, *totum Pyrenæi montis jugum* (verba ſunt Eginharti) *& usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ civitatis mœnia Balearico mari miſcetur*, adeoque proximam Hiſpaniæ partem, quæ hodie *regnum Navarrenum* (g) Cataloniam & Arragoniæ potiſſima complectitur, occupavit.

CAPUT

(a) *Sclavicas aut Vendicas*) GöBEL. Bella geſſit cum Sclavicis gentibus Wilzis, Sorabis, Bohemis, Linonibus & Smeldingis, eosque domuit. POETA SAXO *ad ann.* 789. *Annales Lauriſhamenſes ad ann.* 782. EGINHARDUS *c. XII. XV.* De variis Slavorum gentibus infenſiſſimis, æque ac Hunni, Germanorum hoſtibus, loquitur HELMOLDUS *in Chron. Slavorum.* Obotritos Caroli M. partes ſequentes terrarum Saxonicarum partem, a priſcis ſuis incolis in Galliam abductis vacuam conſecutos eſſe, ex ANNALIB. LAURISHAMENS. docet HAHNIUS *tom. 1. H. J. p.* 52.

(b) *Omne Longobardorum regnum*) GöBEL. De illis, quæ in hoc §. pertractantur, ad *lib. de imperio Germanico egi.*

(c) *Annales Francorum*) GöBEL. conf. ABB. STADENS. apud SCHILTERUM *p.* 185. *Annal. Francici ad ann.* 810. EGINHARDUS c. XV.

(d) *Non perveniſſe*) GöBEL. Libera tamen non fuit. Vide, quæ de hoc argumento alibi diximus.

(e) *Aquitania & Vaſconia*) GöBEL. Vaſconiam, cui ſub Lupo duce Novempopulania tota acceſſit, ab Aquitanis Garumna diſtinguit; quanquam Vaſcones a nonnullis autoribus cum Aquitanis confundantur. Vaſcones a Francis, quibus tributum pendere cogebantur, alienati, a Pipino ad obſequium redire adacti. PIERRE de MARCA *dans l'hiſtoire de Bearn liv. I. ch. XXIV. ſeqq. & in marca Hiſpanica lib. 3. c. 6. p.* 246. Aquitania a Clodovæo Gothis, cui ab Honorio tradita, cæſo Alarico, Franciæ parta eſt. ALTESERRA *rer. Aquitan. lib. VI. c. 1.* Carolus M. ab expeditione Hiſpanica redux, Aquitaniam filio Ludovico in cunis adhuc vagienti aut potius ejus ephoro regendam permittit, atque ibi Francicos comites, vaſallos & abbates inſtituit. *Hiſtoire de Bearn de pierre de Marca ch. XXVIII.* Complectebatur autem regnum hoc ducatum Aquitaniæ, ducatum Vaſconiæ & marcam Hiſpanicam, quibus Navarra & Arragonia additæ. *PIERRE DE MARCA l. c. liv. II. ch. VI. p.* 154. Carolus calvus Lemovicis in Aquitaniæ regem inauguratus Ranulfum Aquitaniæ ducem creat. *ALTESERRA rerum Aquitanicarum lib. VIII. c. IV.* Mortuo Guilielmo, Aquitania per matrimonium filiæ ejus natu majoris Eleonoræ cum Ludovico juniore, Ludovici craſſi filio, plene ad Galliæ regnum redit. *ALTESERRA rerum Aquitanicarum lib. X. p.* 530.

(f) *Bavariæ Duces*) GöBEL. Opibus valebant Bavariæ duces, qui ab Agilolfo viro quodam celebri originem traxiſſe dicuntur; Francis deinde fiduciario obnoxii vinculo erant, usque dum Taſſilione a Carolo Magno, Bavariæ ordinibus ſuffragantibus, principatu exuto Bojaria in provinciæ formam redacta fuerit. Confer. *ADELZREITERUM, AVENTINUM, BRUNNERUM & rerum Germanico-Francicarum ſcriptores.*

(g) *Navarrenum*) GöBEL. Carolo M. Navarreno regno & Catalonia, ſub marcæ Hiſpanicæ etiam nomine nota, potiundi occaſionem dedit Ibnalarabi Saragoſſæ regulus, qui ſe cum aliis Afrorum gentis principibus Corduæ regis jugo ſubtraxit. Hic ſub Caroli auſpiciis ſuæ præeſſe provinciæ promiſit, eo ſcilicet pacto, ut ipſi adverſus Cordubenſem præſto eſt regem. Hoc Carolum induxit, ut duobus in Hiſpaniam exercitibus expeditionem ſuſciperet. In marca Hiſpanica deinde comites ſunt inſtituti, qui Hiſpanici limitis cuſtodes dicebantur. *PETRUS DE MARCA in hiſtoria Bearnenſi lib. 2. c. 6. & in marca Hiſpanica lib. 3. c. V. VI. VII. Hiſtoria de los victorioſiſſimos antiguos condes de Barcelona par Franciſco Diago c. XVIII. fol.* 48.

Caput III.

De Francorum imperii in tres partes diviſione; atque adeo de prima origine regni Germanici aut Orientalis Francorum, ab aliis jam ſeparati.

1.

IN hunc modum late patuit, *Carolo Magno rerum potiente*, (a) adeoque initio ſeculi noni, Francorum imperium. In eandem potentiam ſucceſſit quidem filius ejus unicus Ludovicus, quem pium nuncupant: *hic & alibi* (b) tamen illa haud exiguam fecit jacturam. Cumprimis poſt non minus *imprudentia Ludovici* (c) patris, antę tempus imperium *inter filios dividentis*, (d) & diviſionem illam non multò poſt improbantis & mutantis, quam Lotharii filii ambitione, ſuſcitatum inter patrem & filios, imo & inter ipſos filios ferale diſſidium.

2. *At Ludovico mortuo*, (e) poſteaquam ingentibus præliis, cumprimis eo quod ad Fontiniacum anno 840. geſtum eſt, & ſeſe mutuò & rempublicam omnem miſerrime afflixiſſent, pace tandem conſtituta, tres fratres, Lotharius, Ludovicus & Carolus, totidem in partes omne Francorum imperium diviſere. Quod ex eo nunquam in unum potuit rurſus coaleſcere. Illa partitio quemadmodum fuerit inſtituta, accurate eſt obſervandum; idque ideo, quoniam originem huic & jura ſua propria debent, cùm hoc noſtrum Germanicum ſeu (ut tum & multis poſt ſeculis audiit, antequam Romani imperii cognomentum invaleſceret) *Orientale Francorum regnum*, (f) tùm Gallicum, quod hodieque κατ' ἐξοχὴν Francicum dicimus, olim Occidentale Francorum regnum nuncupatum. Non aliunde rectius illius diviſionis notitia poſſet peti, quam ex *Nithardo*, (g) qui de diſſidio illo fraterno & pace compoſita quatuor libros conſcripſit, ipſemet ut Bertha

(a) *Carolo M. rerum potiente*) *CONR. A. E.* Diviſerat vero amplum illud Francum regnum, quodque ſua potentia & magnitudine aptum erat, totum mundum Francis ſubjicere, ipſe Carolus, dum viveret, inter filios, haud dubie invitatus exemplo non tantum Merovingicæ familiæ, ſed etiam Pipinianæ, quibus familiare fuit inter filios regnum partiri. Nec vero, qua erat Carolus prudentia, alias fuiſſet paſſus ejusmodi detrimentoſam diviſionem. Quam tamen filiorum, excepto uno Ludovico, mors præpropera ante ejus obitum emendavit. Niſi quod nepoti Italiæ regnum manſerit integrum contra morem Germanicum antiquiſſimum, quo nepotes ejusmodi ab avorum patrimonio ſecluſi, nullo repræſentationis jure, quod vocant, admiſſo, ante tempora Othonis magni. GöBEL. Acriter hac de re ſub Ottone I. diſputatum eſſe, refert *WITICHINDUS CORBEIENSIS annal, lib. 2.* Imperator, ut lis dirimeretur, curiam Stelæ inſtituit, ubi pro jure repræſentationis pronunciatum. Noluit tamen hoc jus prius promulgare imperator, niſi per campi judicium confirmatum eſſet. *SCHILTER. exercitat. XLI. ad pandect. §. 59.*

(b) *Hic & alibi*) *CONRING. annot. mſc.* Æque late patuit regnum illud ſub Ludovico Pio, qui etſi patre ſuperior pietate, prudentia tamen longe inferior, nec par tam vaſto imperio regendo. Et docet ipſa experientia, raro ſucceſſores magnorum parentum parta tueri, quia ſunt impari in dote. Nam longe alia eſt indoles, qui ſibi fortunæ ſunt autores. Obſervat hoc Ariſtoteles lib. 5. politic. ubi diſcrimen regni & tyrannidis proponit. Sed ut ad rem redeam, poſt mortem Caroli M. ſtatim civilia bella orta ſunt. Ludovico I. ex priori matrimonio nati erant filii tres. Erat autem illi propoſitum, magnum imperium condere in occidente, quod poſſet dignitate reſpondere nomine imperii Germanici. Noluit igitur ex æquo dividere imperium in tres filios, ſed primogenito Lothario ipſe vivens tribuit imperatorium titulum, Pipinus Aquitaniam accepit, Ludovicus Bavariam tenuit, ſed nulli paruit. Hoc ſalutare erat conſilium, ſed error ingens, quando nimis cito hoc fecerit; nam non debet quid de dividendo imperio conſtitui, niſi ſub finem vitæ. Nam non debuiſſet propalare ante vitam ſuam, præſertim cum omnes imperii Francici ſtatus in conſtitutionem illam coacti ſunt jurare. Deinde ſecunda conjux (Juditha) ægre ferebat, filium ſuum Carolum de regno nihil accipere, adeoque adegit Ludovicum, mutare ſententiam. Hinc iſti motus ingentes. Nam Lotharius ægerrime ferebat, eripi ſibi, quod conſentientibus omnibus ſtatibus obtinebat. Hinc diſſidia inter novercam & filios & inter tres fratres. GöBEL. Sunt tamen, qui putant, omnem diviſionem in prudentiæ regulas peccare. Sed mirum non eſt, illum, qui magis eccleſiæ vel monaſterio, quam tam latis terrarum ſpatiis regendis natus erat, conjugisque imperiis obnoxius, hic impegiſſe. *MEZERAI tom. I. abregé chronol. tom. I. pag. 289. 296.*

(c) *Imprudentia Ludovici*) Imprudentiam pii cætera regis illius deprehendere eſt tantum non in omnibus ejus rebus. Nullo autem facto perinde nocuit reipublicæ, quam quod viduus inter filios primi matrimonii totum regnum diviſerit, eamque diviſionem fecerit jurejurando omnium regni ordinum confirmari, iterum vero mutaverit iſtum animum uxore ſecunda inductus in gratiam Caroli ex altero iſto matrimonio geniti.

(d) *Inter filios dividentis*) GöBEL. Omnia, quæ ad hanc diviſionem mutationibus obnoxiam ſpectant, ſatis late in *annot. ad lib. de imperio Germanico* proſecutus ſum. Vide *MEZERAI abregé chronol. dans Louis de bonaire.*

(e) *At Ludovico mortuo*) *CONRING. ann. mſcr.* Quæ Carolus paraverat, Ludovicus relinquere non potuit. Hinc tum temporis imperium Francorum non quidem ab hoſtibus impeditum, ſed jactata fundamenta diſſidiis civilibus, quibus tandem concidit. Vid. *ann. Franc. FREH. & PETRI PITHÆI*, nec non ipſius *Ludovici vitam anonymi cujusdam editi a Pithæo.* Erant Ludovico Pio tres filii & nepos ex filio, ſed jus repræſentationis non obtinebat. Cœpit enim tempore Caroli M. ſecundum nonnullos in Germania, ut nepos haberetur loco patris, ſed illius nepotis in erciſcunda familia nulla eſt habita ratio, cum jus illud nondum invaluiſſet. Inter tres illos orta eſt contentio, quod Lotharius prætenderet jus in totum imperium, & ex aſſe vellet ſuccedere, nec admittere imperium, niſi ſe ſubjeciſſent. Hinc nata bella, & præliis inter ſe conflixerunt non unis, præſertim ad Fontiniacum, quo periit robur nobilitatis Francicæ. GöBEL. Moderatus tamen Pipinus, Pipini filius & pii Ludovici nepos, Aquitaniam, eamque adverſus Carolum Calvum ſtrenue tuitus eſt, usque dum regno non tam ab hoſtibus, quam a vitiis, quibus indulgebat, exutus ſit. *BROWERI annales Trevirenſes lib. VIII. p. 409. MEZERAI abregé chronologique tom. I. p. 317.*

(f) *Orientale Francorum regnum*) GöBEL. Tota Germania nonnunquam Franciæ orientalis nomine venit, nonnunquam arctiores habuit limites, & pro Auſtraſiæ ſynonymo uſurpabatur, aut Germaniæ ſuperioris aliquot complectebatur provincias. Id autem, quod olim Gallia erat, Francia occidentalis ſive Neuſtria vocabatur. *BLONDELLUS in pleniori aſſertione p. 127.*

(g) *Nithardo*) *CONRING. A. M.* Hic Caroli M. ex filia Bertha nepos totam hiſtoriam deſcripſit. Fuere enim Carolo M. aliquæ filiæ, quas improbo dilexiſſe amore fertur. Illæ non ſatis caſte vixerunt, quod aut igno-

Bertha filia Caroli Magni natus ita magnis negotiis illis paciſque iſti compoſitioni à Caroli partibus admotus, niſi illius opus ævi vitium fine ſuo mutilaſſet. Nec vero illa, quæ ex neſcio qua appendice Aimoini à Pithœo adjecta eſt Nithardo diviſionis formula, ad hanc rem (quod tamen viſum fuit Pithœo) quidquam facit: quippe quum nobiliſſima illa tres inter fratres partitio contigerit anno 842. iſta autem Pithœana demum anno 870. Perinde atque Sigeberti quædam de hac nobili diviſione perperam ſunt inſerta *l. 4.* Nithardi *pag. 478. edition. Francofurt.* Quapropter aliis teſtimoniis, de quorum tamen fide dubitare non poſſis, res omnis hæc illuſtranda eſt.

3. Atque antiquiſſimus quidem, illique ævo maximè vicinus, annalium Fuldenſium autor fuerit. Sed parum nos juvat ille, quia limites non exacte definivit ſuis vocabulis. Eoque non eſt, quod illis huc adducendis immoremur. *Regino* (a) autem Abbas Prumienſis, pro ætate ſuâ doctiſſimus ſimul & nobiliſſimus Germaniæ chronographus, ita pene loquitur: *Anno Dominicæ incarnationis 842. tres fratres imperium Francorum inter ſe diviſerunt. Et Carolo occidentalia regna ceſſerunt, à Britannico Oceano usque ad Moſam fluvium: Ludovico verò orientalia; ſcilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta, & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porrò Lotharius, qui & major natu erat & imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, regnum ſortitus eſt, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamque provinciam* (id eſt Galliam Narbonenſem) *nec non omnia regna Italiæ cum ipſa Roma urbe.* Regionis verba tranſcripſit *Marianus Scotus:* (b) ac proinde non eſt, quod illum teſtem vocemus. Iisdem autem propemodum verbis uſus quidem eſt *Sigebertus etiam Gemblacenſis;* (c) quoniam tamen nonnulla habet ille aliquatenus diverſa, eaque magni momenti, itaque ejus teſtimonium addere operæ erit pretium. *Deſcripto,* ait ille, *in tres partes regno, fratres ad urbem Galliæ Virodunum* (d) *conveniunt, & inter ſe pacificantur; & datis & acceptis in vicem ſacramentis, quisque ad deſcriptas ſibi partes regni tuendas revertuntur. Carolus accepit occidentalia regna, à Britannico Oceano usque ad Moſam fluvium; in qua parte ex tunc & modò nomen Franciæ remanſit. Ludovico orientalia regna ceſſerunt; omnis ſc. Germania usque ad Rheni fluenta, & aliqua trans Rhenum civitates cum adjacentibus pagis propter vini copiam. Lotharius, qui major natu erat & imperator appellabatur, omnia Italiæ regna tenuit, cum ipſa Roma; nec non & provinciam & mediam partem Franciæ inter Scaldim* (e) *& Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia.* Pleniùs utrosque limites diviſi Francorum imperii, etſi paucioribus verbis, perſecutus eſt accuratiſſimus Franciæ hiſtoriæ ſcriptor *Paulus Æmilius l. 3.* (f) *Convenit,* inquit, *ut Franciæ rex Carolus diceretur; eaque Arari, Rhodano, Scalde, Moſa, Oceano, Pyrenæo ſaltu contineretur: Ludovico Germania Hunniaque* (id eſt Pannonia utraque) *cederet: reliqua opes ac imperium* (Romanum ſcilicet) *penes Lotharium forent.* (g)

4. Ex

ravit pater aut diſſimulavit quidem, ipſe Eginhardus hoc miratur. At poſt obitum Caroli M. Ludovicus eas elocavit, quæ vero imprimis male ſe geſſerunt, in monaſterium detruſit. Nithardi opus caret fine. Igitur conſulenda alia hiſtorica monumenta fide digna. GÖBEL. Caroli M. filias, quas recenſet Eginhardus, caſtimoniæ laude nequaquam floruiſſe, monumentis fide dignis conſtat; quanquam ſcriptorum Francicorum nonnulli labem hanc regiæ domus tegere allaborent. Conf. *HAHNII hiſtor. Imperii tom. I. p. 90. 91.* Nithardum cum fratre Harnido Angelbertus Caroli M. Capellanus ex Bertha filia ejus ſuſcepit. *ANSCHERIUS in vita Angelberti. BARTHIUS in adverſariis lib. XLVI. c. IX. cum cordatum, prudentem proque iis temporibus diſertum ſcriptorem, qualem ſane decuit virum tanto genere oriundum, tanta rerum experientia ſubnixum &c.* vocat. Id in eo ſaltim reprehendit, quod odio in Lotharium nimium indulſerit. Quatuor libros de diſſidiis filiorum Ludovici conſcripſit. Vide *VOSSIUM de Scriptoribus latinis c. 34.* Liber reperitur in *PITHÆI annalibus Francorum, & in SCHILTERI collect. Script. German.*

(a) *Regino*) *CONRING. A. mſc.* Prumia fuit monaſterium prope Trevirim. Vixit RHEGINO Ottone imperante præter propter. GÖBEL. De Prumienſi monaſterio late agit *BROWERUS annal. Trevir. tom. I. p. 372. ſeqq.* Vir hic, multis elogiis a *BELLARMINO in libr. de ſcriptoribus eccleſiaſticis* & paſſim ab autore noſtro celebratur. Sub Ludovico infante & Conrado I. eum floruiſſe, atque ſecundum nonnullos Romerium continuatorem habuiſſe docet *VOSSIUS de hiſtor. lat. lib. 2. c. 39. OUDINUS in ſuppl. de ſcript. eccleſ. p. 298.* dicit, videri vixiſſe usque ad annum 908. Sed nihil plane eſt dubii, ipſum illo anno adhuc ætatem egiſſe, licet, quæ de epiſtola ejus tunc ad Alberonem perſcripta, ambigua ſint. Nam usque ad annum 915. ſpiritum duxiſſe, memoria ejus ſepulchralis anno cum oſſibus & fragmentis litui paſtoralis anno 1581. eruta teſtatur. *SANDE ad Voſſ. p. 295.*

(b) *Marianus Scotus*) *CONRING. A. M.* Monachus Fuldenſis ſcriptor ſatis antiquus. GÖBEL. Circa annum cIↄ CC LII. vitæ ſpatium decurriſſe dicitur. Vid. *VOSSIUM de ſcript. latinis lib. 2. c. 58.*

(c) *Gemblacenſis*) *CONR. A. M.* Gemblacenſe monaſterium eſt in Belgio, pertinet hodie ad Hiſpaniam, fuit vir doctiſſimus, ſcripſit plura, ſed pleraque perierunt præter croniccon, vixit ſec. XI. ſub Henrico IV. GÖBEL. Confer. *VOSSIUS l. c. c. 48.* Gemblacenſe monaſterium hodie ſub imperatoria & archiducali domo Auſtriaca eſt. Sunt, qui Sigebertum plus juſto Henrici IV. partibus faviſſe putant. Novam Miræo Sigeberti debemus editionem, in qua Anſelmum Abbatem Gemblacenſem continuatorem habet, usque ad ann. MCXXXVI. Inde auctarium Aquicinctinum produxit. *MIRÆUS usque ad ann. cIↄ CCXXXV. VOSSIUS l. c. SANDE in ſupplemento p. 235.*

(d) *Virodunum*) *CONR. A. M.* Urbs hæc dicitur hodie Verdün. Occupavit eam ante 100. annos Galliæ rex Henricus II. cum ante Germanici imperii fuerit: ante quidem poſſederunt Galli eam, ſcilicet malo jure. GÖBEL. Chamborticum fœdus cum Germanis adverſus Carolum V. initum Henrico II. occaſionem præbuit, Viroduno, Tullo & Meti potiundi, atque hæc territoria, quæ hodie Gallis trium epiſcopatuum nomine κατ᾽ ἐξοχὴν veniunt, imperio detrahendi. *VARILLAS dans l'hiſtoire de Henr. II. p. 220. ſeqq.*

(e) *Inter Scaldin*) *CONR. A. M.* Revera Scaldis fluvius fuit limes Caroli & Lotharii regni: unde & hodie dicitur antiquus limes regni Francici.

(f) *Paulus Æmilius*) *CONR. A. M.* Vixit hic ante 150. annos patria Veronenſis, hiſtoriam Francicam accuratiſſime conſcripſit. GÖBEL. Ob ſtyli elegantiam Gallorum Livius & Chriſtianus Tacitus vocari ſolet. Sunt, quæ in eo deſiderat *BOECLER. in præfat. ſcr. cæſar. German.*

(g) *Lotharium forent*) *CONR. A. edit.* Merentur quam maxime addi, quæ habentur in *annalibus BERTINIANIS: diſtributis portionibus Hludovicus ultra Rhenum omnia,*

4. Ex quibus teſtimoniis patet, Rhodanum flumen citra controverſiam terminum conſtitutum regni Gallici. Et vero hinc cùm alia tùm Lugdunum & Vienna ad ipſam Rhodani ripam Lotharii in ditione fuere: quemadmodum hoc *tabula docent* (a) diviſionis illius, quam inter ſeſe Ludovicus & Carolus anno 870. inſtituerunt. Similiter verò & Moſam fuiſſe factum limitem Carolini & Lothariani regni, certum eſt. Bene tamen *& Sigebertus* (b) & Æmilius monuere, non ſimpliciter omnem Moſam *factum limitem*; (c) ſed inferiore illius parte, qua videtur nimium juſto ad Rhenum accedere, Scaldim amnem in locum quaſi ex conſtituto ſucceſſiſſe. Bene item monitum ab Æmilio, *Ararim fluvium*, (d) ab initio ejus, usque dum Rhodano miſcetur, itidem factum fuiſſe limitem ejusdem Gallici regni.

5. Sane hunc in modum omnino rem ſeſe habuiſſe, ex ſecutis negotiis rebusque manifeſtum eſt. Sed & ex ipſiusmet Nithardi *l. 4.* conſtat, legatos Caroli Lothario obtuliſſe, per errorem, ut ille arbitratur, non tantùm, quod Moſam & Rhenum interjacet, ſed quod etiam porrigitur *usque in Carbonarias*. (e) Tabulæ quoque ipſæ illæ, quas modo laudavi teſtes (ſunt autem, quas Nithardo adjunxit Pithœus, & ex parte alii cum Aimoino ediderunt) inter ea quæ ex Lotharii bonis Carolo obvenerunt, numerant *Cameracum & Tungros* (f) epiſcopales urbes, *monaſterium S. Mariæ in Deonant*, (g) *comitatum Texandriæ*, (h) *in Brachbanto* (i) comitatus quatuor, Cameracenſium, Haniojum (qui hodie eſt *Hennegavia*) (k) Lomenſem ſive potius *Lovenſem*, (l) *in Hasbanico* (m) comitatus quatuor, *& Moſavia ut & Lingarum* (n) ſive Leodicenſis territorii, quicquid cis Moſam tunc fuit Galliam verſus. Ut proinde dubium nullum ſit, ad Scaldim usque Lotharianam portionem fuiſſe protenſam.

6. Audivimus porro, non ſimpliciter Rhenum conſtitutum fuiſſe regni Germanici limitem, ſed *trans etiam Rhenum* (o) urbes aliquot cum pagis adjacentibus Germanici juris fuiſſe factas. Quanquam vero urbes illas nec Regino, nec Marianus, nec Sigebertus, nec Æmilius expreſſerint: tamen ex monumentis illius ævi, cumprimis ex iis, quæ paſſim memorantur cum alibi tum in annalibus Francicis â Petro Pithœo & Marquardo Frehero editis liquet, fuiſſe illas non alias quam *Moguntiam*, (p) *Wormatiam*, (q) & Spiram.

7. Etſi

omnia, citra Rhenum vero Nemetum, Vangium & Moguntiam civitates pagosque ſortitus eſt; Lotharius inter Rhenum & Scaldim in mare decurrentem, & rurſus per Cameracenſem, Hainoum, Löenſem, Caſtricium & eos comitatus, qui Moſæ citra contigui habentur, usque ad Ararim Rhodano influentem & per deflexum Rhodani in mare, cum comitatibus ſimiliter ſibi utrinque adhærentibus. Cætera usque ad Hiſpaniam Carolo ceſſerunt. GöBEL. Reperiuntur hæc in *annalib. Bertinianis ad ann. 843.* quibus junge *annal. Met. ad eundem annum.* Meminit hujus diviſionis quoque LEO OSTIENS. in *chron. Caſſin. c. XXVII. lib. I. tom. IV. ſcript. Ital. p. 27.* verum narratio ejus defectibus laborat.

(a) *Tabulæ docent*) *CONR. A. m.* Has tabulas adduco Cap. VII.

(b) *Et Sigebertus*) *CONR. A. E.* Quæ de Scaldi & Arari monuimus, diſerte modo audivimus referri in annalibus etiam Bertinianis, quorum teſtimonium unicum poteſt cenſeri pro multis.

(c) *Factum limitem*) *MEZERAI abregé chronologique tom. I. p. 317.*

(d) *Ararim fluvium*) PLAVTINI *Helvet. c. 13.*

(e) *Usque in Carbonarias*) *CONR. A. M.* Sunt ſilvæ in epiſcopatu Leodienſi. GöBEL. Sunt, qui ſilvas carbonarias cum ſilva Ardenſi confundunt; alii carbonarias in Hanoniæ foreſto, ut ajunt, Mormotino (Mormant) carbonum materia abundantiſſimo quærendas eſſe tradunt; alii denique inter Moſam & Sabim fuiſſe dicunt. *Deſcription des pays bas par Guicciardin p. 27.*

(f) *Cameracum & Tungros*) GöBEL. *GVICCIARDIN. l. c. p. 423. 471.* Hodie cum aliis Belgii locis in Gallorum eſt poteſtate. *Pax Neomagenſ. art. XI.* Celebrem Tungriam epiſcopatus Leodienſ. urbem dicunt ob ſanctum Maternum Petri diſcipulum, primum ejus epiſcopum. De veritate hujus rei non ſine ratione dubitatur.

(g) *Monaſterium S. Mariæ in Deonant*) GöBELIVS. *GVICCIARDIN dans la deſcription des tous les pays bas p. 474.*

(h) *Comitatum Texandriæ*) GöBEL. *PHILIPPVS CLVVERIVS de Rheni alveis c. 2. p. 11.* Taxandros eam regionem, qua hodie Selandi ſunt, olim inhabitaſſe affirmat: ſed refellitur â JACOBO EYNDIO *in chronico Selandiæ c. VII.* qui Taxandriam in campinia Brabantiæ & finitimis quibusdam regionibus fuiſſe autumat. Vide DIVÆVM *in annalibus Brabantinis lib. I. c. IX. p. 27.* Videtur nomen illud multis commune fuiſſe gentibus, & Toxandriam nonnunquam pro ſynonymo Teſterbantiæ adhibitum, atque univerſam Francorum occidentalium ditionem ſignificaſſe, ſunt, qui putant. MIRÆVS *in explicat. tabul. diviſion. inter Ludovicum Germ. & Carolum Calvum* monet, Toxandrum comitatum hodie Kempenlandt dici.

(i) *In Brachbanto*) GöBEL. *DIVÆVS rer. Brabant. lib. I. c. 1. p. 1.*

(k) *Hennegavia*) GöBEL. *GVICCIARDINVS in deſcriptione Belgii p. 123. edit. Janſon.* nomen a Haina fluvio, qui regionem interfluit, deducendum eſſe ait.

(l) *Lovenſem*) *La deſcription des pays bas par GVICCIARDIN p. 63. ſeqq. MIRÆVS* l. c. Lomenſem ſ. Lomacenſem pagum magnam hodie comitatus Namurcenſis partem eſſe, tradit.

(m) *In Hasbanico*) Loſſenſem comitatum in Leodienſi territorio Hasboniam conſtituiſſe, docet MANTILIVS *in hiſtor. Loſſenſ. lib. I. c. 5.* Confer quoque *Henrici tertii diploma apud eundem pag. 16.* Loſſenſem comitatum imperii feudis annumerari, conſtat ex Sigismundi diplomate de anno 1417. quod FISEN *in hiſtor. eccleſ. Leodienſi part. 2. lib. 1. fol. 188.* refert Hasbaniæ ampliorem tractum aſſignat GRAMAYE *in collectaneo de Hasbania.* Confer. quoque DIVÆVS *in annalibus Brabantinis lib. I. c. X.* Quatuor olim Hasbaniæ comitatus fuiſſe aſſerit MIRÆVS *in explicat. tabul. diviſ. inter Ludovicum Germ. & Carolum Calvum*, eamque a Teutonis Haſpengar dictam.

(n) *Moſavia ut & Lingarum*) GöBEL. Sermo haud dubie hic eſt de terris quibusdam Moſæ adjacentibus & de epiſcopatus Leodii parte. De hoc epiſcopatu imperii feudo videndus GVICCIARDIN *l. c. p. 466. ſqq.* PLACCENTIVS in Catalogo antiſtitum Leodienſium, & quæ apud CHAPEAVIL & FISEN reperiuntur.

(o) *Trans etiam Rhenum*) Et ultra Germaniæ fines Germanos habitaſſe conſtat. COCCEJVS *in J. P. c. 2.*

(p) *Moguntiam*) *CONR. A. M.* Egi in aſſertione jur. Mogunt. de Moguntina urbe, illam ab initio pertinuiſſe ad imperium German. colonias deinde denuo acceſſiſſe. GöBEL. de Moguntia confer SERARIVM *lib. I. rer. Mogunt. nuper edit. tom. 1.* de colonia vero GELEN *de admir. coloniæ Agrippinæ magnitudine.*

(q) *Wormatiam*) *CONR. A. E.* Etiam hoc habent diſertis verbis Bertiniani annales.

7. Etſi præterea ſine dubio Rhenus majori ex parte fuerit contra Lotharii portionem limes regni Germanici conſtitutus; circa ejus exortum tamen in Helvetiâ paulò aliter videtur ſeſe res habuiſſe: non Rhenum ſcilicet *ſed Vrſam amnem* (a) limitem præbuiſſe. Niſi fortaſſis Vrſa tunc temporis fuerit habita Rheni portio. Sane videre non eſt, quicquam ejus, quod inter Urſam eſt & Rhenum hodie ita dictum, ſive in diviſione illa regni Lotharii, quam poſt inter ſeſe Ludovicus & Carolus fratres anno 870. inſtituerunt, Ludovico traditum, ſive alio aliquo novo pacto Germanici eſſe juris factum; etſi loca quædam Helvetiæ, quæ circa Arolam usque ad Urſam ſunt, iſta diviſione diſertim Ludovico ceſſiſſe, memorentur. Argumento ſane id ſatis certo videtur eſſe, in prima ſtatim diviſione iſthac Germanico regno illa fuiſſe adjecta. Quæ conjectura confirmatur teſtimonio *Guillimanni*, (b) Helveticarum antiquitatum longe peritiſſimi ſcriptoris, qui diſerte *l. 3. c. 6. Habſpurgicarum originum*, ut & alibi docet, Lotharium inter alia *Helvetiæ partem ad Urſam usque* nactum. Sed quemadmodum ante diximus, forte olim Urſa Rheno accenſitus fuit.

8. Tale quid ſane circa Rheni ultima ad Oceanum olim hoc ipſo in negotio factum, licet obſervare. Etſi enim poſſit videri, limitem Lothario & Ludovico pariter ibi fuiſſe modicum illum Rheni alveum, qui ſolus vero fluminis ipſius nomine, non multùm infra Lugdunum Batavorum prope Cattovicum, Oceano olim miſcebatur, nunc oſtio eſt *arenis obruto:* (c) ultra tamen ad Flevum usque porrectum fuiſſe Lotharii regnum, veriſimile ex eo eſt, quod, quantum ex tabulis diviſionis inter Carolum & Ludovicum anno DCCCLXX factæ, liquet, Lothario tres Friſiæ partes obtigerint: id quod qua ratione fieri potuiſſet, niſi ad Flevum usque Lotharii regnum fuerit productum, haud facile dixeris. Et vero Flevus quoque ipſe olim *inter Rheni oſtia habitus*, (d) quod diſerte teſtantur Mela *l. 3.* Plinius *l. 4. c. 15.* Ptolomæo hinc oſtium Rheni orientale audiens: procul dubio, ex quo Druſus foſſa factâ in *Nabaliam ſive Iſalam* (e) Rhenum effudiſſet. Nec tamen cum quoquam contenderim, qui alveo illo Rheni vetere Lotharii & Ludovici regna malit diviſa. Ultra Moſam & Vahalim certe, in quæ itidem ſeſe Rhenus diffundit, usque ad alveum illum Rheno cognominem fuiſſe protenſum Lotharii regnum, cum aliunde tum ex illis ipſis modò adductis tabulis ſole clariùs patet: quippe quæ *Utrech*, (f) ſive Ultrajectum: (ut hodie plerisque audit) Comitatus item *Teſtrebant* (g) & *Batuam*, (h) ex illa Lotharii portione Ludovico ceſſiſſe, memorent. Et vero *Doreſtadum* (i) quoque in ditione fuiſſe,

(a) *Urſam amnem*) *CONR. A. M.* Fluvius, qui in Helvetia dicitur die Ruſe, urſa autem tandem miſcebatur Rheno, atque ita Rhenus fuit perpetuus limes Germaniæ. GöBEL. De urſa fluvio conf. PLAVTINI *Helvetia nova & antiqua. c. XIII.*

(b) *Guillimanni*) *CONR. A. M.* Hic ſcripſit res Helveticas peritiſſime, & origines Habsburgenſes, unde familia Auſtriaca nomen habet. GöBEL. Variæ de gentis Habsburgicæ origine ſunt opiniones. Vide GVILLIMANNVM *Habſp. lib. 1. c. 1. ſeqq.* & SCHöNLEBIVM *in diſſert. polem. de origine Auguſt. dom. Habſp. Auſtriac.* Figmentum, quod a Leoniis judaicæ ſtirpis hominibus deſcendant erudite Guillimannus exploſit. Dubium itidem eſt, an ab Archinoaldo majore domus ſub Clodovæ II. ut Vignierius opinatur, an a Vindoniſſenſibus comitibus, quæ eſt Guillimanni ſententia, deſcendant. Probabilior mihi videtur opinio, auguſtiſſimam hanc gentem ab Alemanniæ comitibus & ducibus cum DOMINICO & ECCARDO derivare.

(c) *Arenis obruto*) GöBEL. Rhenus jam non uti Taciti tempore mari miſcetur, ſed tumulis arenarum quos vulgo die duyken accolæ vocant inter duos haud procul Leida urbe maritimos pagos, qui vulgo Katwyck & Noortwyck appellantur obſtructo oſtio retinetur. Novus autem ille alveus, in quem civilis Rhenum effudit, haud dubie is, qui nunc Lecca vocatur. CLVVERIVS *de Rheni alveis p. 44. 45.* Confer. quoque JVNIVS *in hiſtoria Batavia c. VIII.* Tradunt Caſtellum ad Catwykum (Cattorum pagum) a Romanis aut Germanis ut maritimi prædones ab Rheni, qui hic, ut monitum, mare ſubibat, ingreſſu arcerentur, deinde a mari abſorptum aliquanto eſſe conſpicuum. *Remarques ſur l'etat des provinces unies par TEMPLE ch. 3.*

(d) *Inter Rheni oſtia habitus*) GöBEL. Naturalis Rheni alvei non niſi duo erant, Vahalis, quem Moſa recipit & Rhenus, unde veteres Rhenum bifidum & bicornem vocarunt. COCCEJVS *in jure publ. c. 2. §. 19.* cui Lecca is alveus eſt, in quem civilis mole ad Durſtedium diſjecta Rhenium immiſit.

(e) *Nabaliam ſive Iſalam*) GöBEL. Lecca nonnullis foſſa Corbulonis creditur. Iſola ſive Nabalia Druſi foſſa pars Rheni factus eſt. COCCEJVS *l. c.* Undæ autem Oceani alternis æſtibus per Nabaliæ oſtium irrumpentes æſtuaria, quæ vernaculo ſermone Fliet dicebantur; deinde vero, cum maris eluvia perpetua eſſe cœpiſſent, lacum Fleum, Flevum das Vlie vocatum conſtituerunt. CLVVERIVS *de Rheni alveis c. XXII. & XXIV.* ubi JVNIVM & ORTELIVM, quos, ut dixi, ſequitur COCCEJVS, Leccam Corbulonis eſſe foſſam aſſerentes coarguit, atque conjicit, hanc foſſam eſſe, quæ ab urbe Leida vulgari nomine de Vliet Delphos defertur, atque inde ad pagum Moehlandt deducta, tandem ad propinquum pagum Sluis Moſæ jungitur. CLVVERIVS *l. c. C. VI.* Fateor, in tantis antiquitatis tenebris arduum eſſe, hic agere judicem. Si recte tamen memini, JVNII & ORTELII ſententia in Belgio receptior eſt.

(f) *Utrech*) *CONR. A. E.* Idem firmiſſime demonſtrant tabulæ Lotharii imperatoris, quibus ille Ultrajectinæ eccleſiæ immunitates quasdam largitus eſt, exhibet vero illas WILHELMVS HEDA in hiſtoria Ultrajectinorum epiſcoporum pag. 52. editionis Buchelianæ. Quibus adjungi debent tabulæ junioris Lotharii regis, quæ leguntur apud HEDAM *in vita Hungari epiſcopi pag. 17.* ejusdem editionis. GöBEL. De Trajecto conf. JVNII *Batavia p. 126.*

(g) *Teſtrebant*) GöBEL. Teiſterbantæ comitatus PONTANO *in hiſtoria Gelrica lib. IV. p. 53.* complexus dicitur, non ſolum inſulam Bomelianam & Thilewertam & ditiones, quæ deinceps Heusdania, Arculia, Altenuenſis, Vianenſis & Burana audire cœperunt: verum etiam quicquid ab Lecca Lingaque ad veteris usque Moſæ alveum continetur. Quomodo Geldriæ uſurpatus & a Conrado Sal. imperat. eccleſiæ Ultrajectinæ donatus tradit PONTANVS *l. c. p. 72. 79.* Diploma donationis, ubi ſe vocat: regem Francorum & Longobardorum ad imperium deſignatum Romanorum refert HEDA *in hiſtoria Ultrajectina* p. 115.

(h) *Batuam*) Betuwe. MIRÆVS.

(i) *Doreſtadum*) *JANVS DOVSA in annal. Hollandiæ lib. III. p. 122. 123. ANTONIVS MATHÆVS de ducibus & comitibus p.* 681. 828. Hodie Dordrechtum dicitur.

fuiſſe, Lotharii, narrant annales Francici Pithœani anno 850. Hæc omnia autem trans Moſam & Vahalim ſunt.

9. Ubi obiter non poſſumus non ſaltim verbo animadvertere in eos, qui negare audent Batavorum terras, cum primis eas quæ Hollandiæ hodie nominibus veniunt, fuiſſe quondam in ditione Francorum. Id quod etiam in elegante cætera libello *Hugonis Grotii* (a) *de antiquitate reipublica Batavica cap. 4.* affirmatur. Aſt viro illi ſummo nemo non facile condonarit, quod juvenis nimio in patriæ libertatem ſtudio nonnihil in hoc & aliis peccaverit: non diſſimulandus tamen facile hic error eſt. Ut ſane taceam, quam ſit ab omni alienum veriſimilitudine, *ſolos Batavos*, (b) gentem tenuem tunc & egenam, ſui juris manſiſſe: utique ne veſtigium quidem libertatis illius in omnibus iſtius ævi monumentis comparet: compareret autem memoria rei illa ætate adeo inſolitæ & magnæ. Ex adverſo conſtat, ea quæ poſt *Hollandia & Zelandia* (c) audierunt Friſiæ tum accenſita: Friſiam autem univerſam devicto Ratbodo in jus Francorum conceſſiſſe. Adhoc jam tum *ex tabulis iſtis Pithœanis* (d) narravimus, Batuæ & Teſtrobantiæ comitatus diſertim Lothario adſcriptos: qui hodie Goldriæ & Hollandiæ partem conficiunt. Nec verò aliæ ſunt inſulæ *Friſica* aut *Friſico littori adjacentes* tunc dictæ, quas cum anno 810. & pòſt vaſtarent Normanni ac Dani aut tributis vexarent, Francorum reges ad injuriam ſuam pertinere id crediderunt, quàm quæ nunc uno Selandiæ nomine nuncupantur. Quid? quod apud ipſos Hollandos illos unanimi conſenſu memorent priſca eorum monumenta, primos Hollandiæ comites à *Francorum regibus* (e) eſſe conſtitutos, & ut in horum ita pòſt Germanicorum cæſarum obſequio vixiſſe de libertate autem illa populari, vel à populo creatis comitibus, nusquam vel gry reperiatur. Ut proinde nullum ſit dubium, novitium commentum ſeſe illam quæ nunc fertur fabulam. *Sanè ante annum* (f) ſuperioris ſeculi octogeſimum forte nusquam audita eſt. Verum hæc obiter.

Caput IV.
De imperii ſive regni Germanici primis finibus.

1.

EX hiſce, quæ modo adduximus, jam non difficile forte fuerit definire Germanicum regnum, quale illud primo fuerit conſtitutum, & devenerit in poteſtatem Ludovici.

2. Etenim contra Galliam limites ejus qui fuerint, jam audivimus.

3. A

(a) *Hugonis Grotii*) CONR. *A. M.* Scripſit elegantem libellum de antiquitate reipubl. Batavicæ; voluit autem oſtendere, faciem illam liberam, quæ adhuc eſt, fuiſſe etiam olim tempore Francorum: Sed hoc usque adeo a vero alienum eſt, ut mirer, hoc ei in mentem veniſſe, niſi quod excuſet amorem patriæ ejus juvenilis ætas. GöBEL. Grotii non fortunæ ſed animi dotibus eminentiſſimi, ab erroribus tamen non immunis, vitam conſcripſit BATEVS. Merentur tamen ante omnia, quæ de eo *BAYLIVS in diction. critico* compilavit, legi. Merito ipſi inter eruditorum principes, ſi non prior, non tamen etiam inferior, debetur locus.

(b) *Solos Batavos*) CONR. *A. M.* Batavorum nomen olim inter Germanos populos fuit celebratum, & inhabitarunt inſulam Rheni non procul a Noviomago, ubi Rhenus dividitur in duo brachia, hæc dicta inſula Batavorum. Hujus non niſi parvam partem hodie tenent Hollandi, potiſſimum vero Geldri. GöBEL. Batavos Galliæ accenſet *CLVVERIVS de Rheni alveis c. IX. JVNIVS c. 5.* novam ſuam Bataviam Germanis. Veteres quoque hic variaſſe probat *COCCEJVS in J.P.* &, qua ratione diverſæ hæ conciliandæ ſint ſententiæ, oſtendit.

(c) *Hollandia & Zelandia*) CONR. *A. M.* Nomen meo judicio habent a Danis. Dani enim ſub finem ſec. XI. occuparunt illas terras & amplis coloniis circumſederunt. Maxima pars Daniæ adhuc hodie ſolet appellari Holland oder Seeland. Fuerunt enim tunc temporis pars regni Friſiorum. GöBEL. Aliis Hollandiam idem eſſe ac Hoelland, ſive terram admodum depreſſam. Cum qua derivatione regionis ſitus apprime coincidit.

(d) *Ex tabulis iſtis Pithœanis*) CONR. *A. M. Vid. cap. VII.*

(e) *Francorum regibus*) CONR. *A. E.* Conſtat ex hiſtoricis ejus ævi monumentis, a Francis conceſſas fuiſſe Danis nonnullis ſedes in iis locis, quæ nunc Hollandiæ nomine appellantur â Danis novis incolis. Et vero etiamnum pars Ultrajectini territorii, quæ vicina eſt Vechtæ rivo, dicitur Danemarke, cui adjacet Cronenburg, locus item dictus Hollant. Quæ conſpicere quoque eſt in nonnullis geographicis mappis trajectenſibus. GöBEL. Hollandorum comites & principes Francorum regibus Germanicisque imperatoribus paruiſſe negari nequit. *JANVS DOVSA annal. Holl. lib. V. VOSSIVS annal. Hollandiæ Zelandiæque lib. I.* Contendunt tamen nonnulli, Hollandiam feudum fuiſſe liberum & tantum nominetenus. *ANTONIVS MATHÆVS de nobilitate lib. I. c. XXXVI. XXXVII.* Sed hunc refutavi *in diſſert. de feudis extra curtem p. 24. 45.* ubi neſcio quo fato ſphalma irrepſerit, nimirum dicitur ibi p. 24. Junium negare Hollandiam eſſe Germ. feudum, cum tamen ille novam ſuam Bataviam Germaniæ vindicet. Quod autem ad autoris aſſertum attinet, Danis nonnullis in Hollandia datas eſſe ſedes, notari meretur, Danos quosdam Carolingis ob ſingularem fortitudinem valde acceptos ab iis terris & donis affectos eſſe. Carolus M. Oycrum Danum unum ex palatinis ſuis rerum geſtarum gloria celebrem Loſſenſem fecit comitem. *PONTANVS lib. IV. rer. Dan. MANTELII hiſtoria Loſſenſis lib. 2. p. 19.* conf. quoque *DOVSA in annalib. Hollandiæ lib. II. p. 83.*

(f) *Sane ante annum*) CONR. *A. mſ.* Anno 80. ſuperioris ſeculi VII. provinciæ foederatæ & inter eas Batavia, excuſſo jugo Hiſpanico, in libertatem ſe aſſeruerunt. GöBEL. Ferali & diuturno bello libertatem qua hodie gaudent imperfecte per Antwerpienſes inducias anno 1609. factas; perfecte autem per pacem Weſtphalicam, ubi invitis Gallis fœderatis ſuis paciſcebantur, impetrarunt. *Les negotiations de Jeanin tom. IV. p. 62. ſeqq. L'hiſtoire de Hollande par Neuville ch. II.* Hujus pacis artic. V. & VI. Oſtendicæ navigationis libertatem ſublatam eſſe, a nonnullis in dubium vocatur. Cæterum de bello, quod fœderati Belgii liberationem ab Hiſpanico dominatu anteceſſit, a multis, inter quos GROTIVS, METERANVS, REIDANVS STRADA, CARDINALIS BENTIVOGLIO celebrantur, traditum eſt, ſed pauci aut nulli ſe ab ira & ſtudio temperarunt.

3. A Flevo autem ſive Rheni cognomine alveo deinceps Oceanus Friſicus terminum præbuit usque in Eidoram amnem. Hic videlicet diſtinxit Saxoniæ & Daniæ fines: idque cum jam antehac, tum ex pacto primùm inter Carolum M. & *Hemmingum Danum* (a) anno 811. (teſtibus annalibus Francorum, Adamo Bremenſi, Alberto Stadenſi & aliis) inito, & non multò poſt Ludovico pio cæſare inter Saxones & Danos repetito. Et verò annales illi Francorum, quos Hermannus Nuenarius comes edidit, de Godofredo rege Danorum ita loquuntur ad annum 808. *Limitem regni ſui,* (b) *qui Saxoniam reſpicit, vallo munire* (c) *conſtituit, eo modo, ut ab orientali maris ſinu, quem illi Oſterſalt* (forte rectius *Oſterbelt*) *dicunt, usque ad occidentalem Oceanum, totam Egidora fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: una tantum portâ dimiſſa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuiſſent.* Hunc Saxoniæ & Daniæ limitem, quaſi ratihabitum eſſe pace inter Carolum M. & Hemmingum Danum conſtituta, ex iisdem annalibus cum Nuenarianis tum Pithœanis manifeſtum eſt. Illi ajunt: *Congredientibus ex utraque parte utriusque gentis, Francorum ſcilicet & Danorum, duodecim primoribus ſuper fluvium Egidoram, datis viciſſim ſecundum ritum ac morem ſuum ſacramentis, pax firmatur.* Clarius id expreſſum eſt ab *Adamo Bremenſe* (d) cap. 11. *Hemmingus rex pacem cum imperatore faciens Egidoram fluvium regni ſui terminum accepit.* Pene iisdem verbis *Albertus Stadenſis* (e) ad annum 810. *Extincto cœlitus Godefrido* (f) *Hemmingus patruelis ejus ſucceſſit, qui mox pacem cum imperatore faciens, Egidoram fluvium regni ſui terminum accepit.* De Ludovici pii in Daniam expeditione annales Nuenariani ad annum 815. ita ſcribunt: *Tunc omnes Saxonici comites, omnesque Abotritorum copiæ cum legato imperatoris Baldiricho, ad auxilium Heriholto ferendum, trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum nomine Sinlendi perveniunt.* Iidem notant anno 828. Godfridi Dani filios *contractis ſubito copiis ad Marcham* (g) *veniſſe, & Francos in ripa Egidora fluminis ſedentes ac nihil tale opinantes adortos.* Quæ verba ſatis indicant hanc eſſe illam marcham, ſive hunc limitem ſignari ab iisdem annalibus, quando narrant, juſſu Ludovici pii cæſaris anno 825. pacem cum Danis confirmatam *in eorum marca.* *Nec vero eſt,* (h) quod quenquam turbet inſtitutus a Ludo-

(a) *Hemmingum Danum*) GöBEL. Neſcio, an *CYPRÆO in hiſtoria eccleſiaſtica Slesvicenſi p. 5. & Holſata* fides haberi queat, qui Carolum M. cum Gotrico, ut Eidora Daniæ & Saxoniæ limes eſſet, pactum eſſe, teſtatur. Id negotii inter Carolum & Hemmingum ventilatum, &, cum Ludovicus pius in paterna ſuccederet ſceptra, repetitum veterum teſtimoniis innititur. Cæterum diſcrepant inter ſe autores, an Hemingus Gotrici ſ. Gothefredi fuerit filius, frater, nepos, aut patruelis, & an Hemmingus interpoſito Olao Gotricum ſecutus ſit. *THORMODVS TORFÆVS in antiquitatibus Daniæ p. 404. ſeqq. Annal. Pithœi ad annum 810. MEVRSII hiſtor. Dan. lib. 2. p. 39. SAXO GRAM. p. 53. lib. IX.* Cæterum Saxoniam unquam Daniæ tributi lege obnoxiam fuiſſe, ut CRANZIVS cum Danicis quibusdam ſcriptor. opinatur, merito in tanto veterum ſilentio in dubium vocatur.

(b) *Limitem regni ſui*) CONR. *A. E.* Limitis nomine hoc loco non venit ipſa quaſi ἁπλῶς extrema linea regni. Et vero, uti paulo poſt apparebit, hoc ſignificatu Eidora demum limes fuerit appellanda. Hoc Godfredi regis monumentum autem trans Eidoram circa Slyam maris Balthici ſinum inſtitutum fuit. Digna ſunt hic legi, quæ in Chronico MSS. Sleſvicenſi ſcripſit BRODETVS: vallum illud, in ſummitate latitudinem habet triginta, quadraginta & quibusdam in locis quinquaginta pedum. Longitudo eſt unius milliaris Germanici, vel ſex Italicorum, ut recte hexamilium dici poſſit: quo nomine muſum in Peloponeſo Græci appellarunt. Vallum, qua orientem ſolem ſpectat, initium capit a flumine vel lacu Slia & per dorſum Cherſoneſi protenſum vergit ad occaſum Hollingſtedt usque; idque paludes, quas æſtus maris occidentalis ad fluvium Threnum efficit, excipiunt. Et hac ratione a parte maris una ad alteram usque peninſulam claudit. Porta una in medio relicta fuit, per quam tranſitus daretur, quem Kalegat nominant: appellatione inde petita, quod in loco patenti & undique aperto, nullisque ſylvis & arboribus impedito ſita ſit, quaſi dicas kahl, ſchlecht oder offen Gatt. GöBEL. BRODERI chronicon in bibliotheca publica Hamburgenſi latere, & de autore non ſatis conſtare, docet MöLLER *in iſagoge ad hiſtor. cimbric. part. I. §. 13. p. 132.*

(c) *Vallo munire*) GöBEL. *Annales LAVRISHAMENSES ad ann. 808. HELMOLDI chron. Slav. lib. I. c. 51. CYPRÆVS in hiſtor. eccleſ. Sleſvic. & Holſata. p. 4.*

(d) *Adamo Bremenſe*) CONR. *A. mſ.* Scripſit *hiſtoriam eccleſiaſt.* vixit Henrici IV. tempore ſec. poſt C. N. XI. GöBEL. Henrici IV. tempore vixiſſe ex opere ejus ſatis conſtat. Vid. VOSSIVM *de ſcriptoribus latinis p.* 386. ubi hoc contra Poſſevinum probat. Liber matricularii hujus eccleſiæ Dei ſ. canonici Bremenſis a Carolo M. usque ad Henricum IV. deductus Germaniæ antiquitatibus imprimis borealibus apprime inſervit. Adamum hunc Baronius ſincerum & probatæ fidei chronographum vocat.

(e) *Albertus Stadenſis*) CONR. *A. mſ.* Hic & hiſtoriam Saxonicam conſcripſit, editam cura Rein. Reineccii, vixit ſec. 13. Hi ſcriptores accurate notant, inter Carolum M. & Henningum, Daniæ regem, fuiſſe concordiam initam de limitibus. GöBEL. Hic ſcriptor doctus & diligens, cui Crantzius multa debet, derelicta Stadenſi abbatia Franciſcani cuculum induit, poſtquam hiſtoriam a condito orbe ad ſua usque tempora contexuerat. Conf. VOSSIVS *l. c. lib. 2. c. 59.* HERTII *biblioth. germ. n. 493.*

(f) *Extincto cœlitus Godefrido*) GöBEL. Satellitis ſui ferro. *Chron. rerum Danicarum*, quod *ERICO regi* adſcribi ſolet. p. 266.

(g) *Marcham*) *CONRING. Annal. mſc.* Marcha eſt vox antiqua Germ. & notat limitem, & reperitur apud omnis generis ſcriptores Germaniæ. Sic & Graffen eſt antiqua vox Germanica & ſignificat judicem; Marggraffen autem dicebantur, qui olim præſidebant provinciis limitaribus. Ita Brandenburgum ab Henrico aucupe fuit conſtitutum in limitem. Sic fuerunt & marchiones Miſniæ, Badenſis. Sic Antwerpia in limite Germ. imperii fuit, imo ubi eſt marcha, ibi & provincia limitanea. GöBEL. Marcam Germanica linguâ limitem ſignificare ſatis notum. PETRI DE MARCA *marca Hiſpanica lib. 3. c. 19. n. IV.* Ab Henrico aucupe marchionatus Auſtriæ, Carinthiæ, Iſtriæ & Brandenburgi inſtituti dicuntur. ANGELI *annales Brandenb. p. 40. Vide* tamen HAHNII *hiſtoriam imperii part. 2. p. 34. 35.* GVNDLING. *in Henrico aucupe p. 150.* LVDWIG. *in Germ. principe p. 57. ſeqq.* De hujusmodi limitaneis præfectis alibi plura dicentur. Conf. *GVNDLING. l. c. p.* 168. ubi præeunte SCHVRTZFLEISCHIO tradit, marchionis Miſniæ nomen Henrici ætate haud paulo recentius eſſe.

(h) *Nec vero eſt*) *CONRING. A. M.* Tempore Ludovici pii & cura ejusdem quidam homines ſancti profecti ſunt in terras ſeptentrionales, ibique gentibus cœperunt prædicare evangelium atque tum primum ſunt ſemina jacta chriſtianæ religionis. vid. Auct. §. 3. Tempore Caroli M. jam tum aliquid cœperat, ſed Ludovico

à Ludovico pio illo Hamburgenſis archiepiſcopatus, *per omnem ſeptemtrionem*, (a) Daniam, Sueoniam, Norvegiam, Grönlandiam, Islandiam aliasque regiones limitibus ejus extenſis, prout legere eſt in tabulis cæſareis, quas Lindenbrogius publicavit: non enim ſacer conatus iſte pii cæſaris populos illos ſub Chriſti jugum mittendi ad imperii vim quicquam attinet; eoque nec in illos jam chriſtiano ordini accenſitos quidquam juris ſive ille ſive ſuccedentium regum cæſarumque alius ſibi iſthoc nomine unquam arrogavit. Ut Saxoniæ igitur, ita & Francici imperii terminus certus tum Egidora fuit.

4. Ubi obiter non poſſumus non notare etiam aliquid de Saxoniæ illius Tranſalbinæ finibus orientalibus quales tunc fuere. Namque Adamus quidem Bremenſis *cap. 62.* tradit, ita à Carolo & cæteris imperatoribus diviſos à Sclavis Saxones, ut præter alia amnis Suentina in Balthicum mare effuſus utriusque populi limes ſit. Quod equidem haud negaverim à Carolo ita conſtitutum circa annum DCCCXI. Annales enim hiſce verbis ad annum DCCCIV utuntur: *Imperator in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albim & in Wihmvodi* (b) *habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Tranſalbianos Abotritis dedit.* Hac ratione videtur omnis Saxonum Transalbiana terra Abortis Venedicæ genti ceſſiſſe. Aſt ſeptimo circiter anno pòſt facta in patriam eſt exulibus redeundi licentia; atque ita pars priſcæ Saxoniæ videtur ab exilio reverſis reddita, limitibus illis quos definit Adamus circumſcripta. Ea de re legitur in tabulis illis Ludovici pii cæſaris modò laudatis: *Unde poſtquam terram Transalbianorum, laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis chriſtianitatis initiis patratam, per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris* (hoc nomine Danos ſignificatos colligere eſt ex iis, quæ annales de Egberto & ſtructa ab illo civitate Eſſesfelda anno DCCCIX. narrant, colligere eſt) *invaderetur, Egeberto comiti reſtituere præceperat. Poſtmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus; eandem parochiam cuidam presbytero herede nomine ſpecialiter commendavit.* Antehac autem multo latius patuiſſe ibi Saxoniam & quidem usque ad Penem & Eldam amnes, haud obſcure indicant tabulæ, quibus ille Carolus Magnus Verdenſem epiſcopatum primus anno DCCLXXXVI. inſtituit. Etenim extra Saxoniam noluit quidem ille *διοίκησιν* iſtam exportigi, ut ipſæ illæ tabulæ docent: trans Albim tamen eos illi terminos dat, ut facile appareat, latiores tum ibi Saxonum res fuiſſe, nec à reditu exulibus omnem terram redditam, ſed partem longe eximiam ejus Abotritis relictam. *Tabula illa* (c) hactenus

pio feliciter ſucceſſit, præſertim cum per vim ſeptentrionales populi non cogerentur ad chriſtianam religionem fovendam, uti Saxones. Poſtquam igitur Ludovico hoc feliciter ſucceſſerat, condidit epiſcopatum Hamburgenſem, ſtatuitque, ut ibi ſacra colerentur a populo ſeptentrionali, & qui religioni præeſſent archiepiſcopatui Hamburgenſi, ſed proceſſu temporis archiepiſcopatus ille defecit, ac tum junctus eſt cum epiſcopatu Bremenſi. Imo vero ipſa dignitas archiepiſcopalis translata eſt Bremam. Tabulæ iſtæ, quibus Ludovicus inſtituit archiepiſcopatum Hamburgenſem, illæ adſunt adhuc Hamburgi in archivo, manu ipſius Ludovici ſubſcriptæ. Edidit autem eas Lindenbrogius cum aliis tabulis, unde patet, per Ludovicum pium Hamburgenſem archiepiſcopatum per omnem ſeptentrionem eſſe porrectum. GöBEL. Diploma fundationis archiepiſcopatus Hamburgenſis *LAMBECII originibus Hamburgenſibus p. 35.* eſt adjectum. Bremenſis autem & Hamburgenſis parochiæ coadunatio facta eſt auctoritate Nicolai Papæ ultimo ſancti Auſgarii tempore. ADAMVS BREMENSIS *c. 23.*

(a) *Per omnem ſeptentrionem*) GöBEL. *CYPRÆI annal. eccleſiæ Sleſvic. p. 12. ADAM. BREM. c. 13. Vita Anſcharii apud LINDENBROG. p. 58. In diplomate Ludovici pii, quod apud eundem in ſcriptor. rer. German. ſeptentr. p. 125.* habetur, ſequentia leguntur: *in gentibus videlicet Danorum, Sueonum, Norweon, terra Gronlandon, Hallinglandon, Islandon, Scredevindon & omnium ſeptentrionalium & orientalium nationum magnum cæleſtis gratiæ, prædicationum ſive adquiſitionis patefecit oſtium.*

(b) *Wibmvodi*) GöBEL. In diplomate Henrici apud *LINDENBROGIVM p. 140.* vocatur *Wimodi.* Complectebatur autem terras Bremæ circumjacentes, ut ex Bremenſi diplomate, quod multi fictitium dicunt, apparet. *MEIBOM. de pagis tom. III. rer. Germ. p. 110.* Ex diplomate, quod *SCATENIVS annal. Paderborn. lib. II. p. 90.* evulgat, pateſcit, Corbejæ conceſſam eſſe *quandam piſcationem in fluvio Wiſera, in pago Wimodia nuncupato.* Notat *PAVLINI p. 591. de pagis, SCATENIVM* hoc æque ac alia permulta Corbejenſium diplomata vitioſe retuliſſe.

(c) *Tabula illa*) *CONR. A. E.* Autographum vel apographum vetuſtiſſimum tabularum fuit ſancte aſſervatum in archivo epiſcopatus Verdenſis: quod poſt Stadam eſt translatum. Dabo hoc loco illas integras, quales â me ex antiquiſſima membrana ſunt deſcriptæ: quoniam eas publicari intereſt gloriæ Caroli, quam præclare geſtis rebus meruit ad omnem poſteritatem.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDVE TRINITATIS CAROLVS DIVINA MISERATIONE ORDINANTE REX.

Cum Domini noſtri Jeſu Chriſti virtute favente, bellorum victoriam nuper potiti fuerimus, ſi gratiarum in immenſum actione in ipſo & non in nobis gloriamur, & pacem in præſentiarum & regni proſperitatem, in futuro autem pro meritis nos donari ſupernæ mercedis perpetuitate, non diffidimus. Quapropter notum ſit omnibus fidelibus in Chriſto, quod Saxones, qui hactenus Deo & nobis, ob ſuæ pertinaciam perfidiæ, ſemper cervice indomabili & rebelles, obſecundare detrectarunt, modo tandem aliquando virtute Chriſti propitiante, bellorum inſtantia vicimus, & ad baptiſmi gratiam divina miſeratione perduximus, aut gentes, quæ dominum gloriæ non noverant, & regna, quæ nomen Domini non invocaverant, in lege Domini meditari die ac nocte adjudicavimus, & qui hucusque jugum Chriſti ferre minime contendebant, Domino noſtro Jeſu Chriſto & ſacerdotibus ejus, omnium jumentorum ſuorum, & fructuum terræ, & omnis agriculturæ decimas & nutrituræ, ſimul in unum divites & pauperes, ſecundum canonicam aſſertionem & legalem cautionem conſtricti, de cætero perſolvant. Terram autem eorum ſecundum antiquum Romanorum morem in provinciam redigentes, & in epiſcopatus certo termino diſtribuentes, quandam aquilonarem illius partem, Domino noſtro Jeſu Chriſto & ſanctiſſimæ ejus Genitrici devotiſſime obtulimus, & in loco Fardium vocato, ſuper Aleram fluvium, in pago, qui dicitur Sturmi, eccleſiam & cathedram epiſcopalem ſtatuimus, & Moguntienſis eccleſiæ archiepiſcopatui, interventu Lullonis illius metropolis eccleſiæ, in memorato pago CC manſos, & quicquid ad ipſos manſos jure ac legitime pertinere videtur, cum domibus & ædificiis, mancipiis, campis, pratis, ſilvis, cultis & incultis, aquis aquarumve de curſibus, viis & inviis, exitibus & regreſſibus, obtulimus, & totius hujus diœceſis incolas, divites ac pauperes, decimas ſuas eidem eccleſiæ, ſuoque diſpenſatori perſolvere, noſtra regia

ctenus *non ſunt publicata*, (a) eoque forte haud injucundum fuerit ex ipſo autographo ſaltim ea hic dare, quæ ad fines epiſcopatus illius Transalbinos pertinent. *Dehinc trans Albiam, ubi Bilena mergitur in Albiam; dehinc in ortum Bilena: inde ubi Travena abſorbetur à mari: deinde usque quo perveniatur, ubi Pene fluvius currit in mare Barbarum: inde in ortum ejusdem fluminis, hinc in Eldam, dehinc in Albiam.* Videtur ejus rei memoriæ poſtea datum, ut Pene fluvius terminus Hamburgenſis archiepiſcopatus conſtitueretur, Sclavoniæ illius reliquæ ſacrâ curatione Magdeburgenſi relictâ: id quod refert Adamus Bremenſis *cap. 61.*

5. Verum hæc obiter. Ad Eidoram Saxoniæ atque adeo Francici imperii contra Danos terminum veterem, ut tandem revertamur: etiam quo tempore inter filios Ludovici Pii inſtituta eſt diviſio illa, amnem illum pari ut ante ratione finiiſſe ibi Francorum ditionem, diſerte teſtatur *Witekindus Corbejenſis* (b) l. 1. *Ludovico*, inquit, *a Rheno usque ad fines Illyrici & Pannonia, ad Eidoram quoque* (c) *fluvium & terminum Danorum imperium erat.* Confirmatur idem verbis annalium Pithœanorum anno 873. Hic enim auctor diſerte narrat pacem inter Ludovicum hunc & Danicos Reges initam, miſſis utrinque legatis *ad fluvium Egidoram, qui Danos & Saxones dirimit.* Ut proinde illis quidem utriusque imperii finibus adverſum Danos, nullum amplius dubium ſuperſit.

6. Inde

majeſtatis præcepto firmiter jubemus, & jubendo præcipimus, & legali ſanctione confirmamus. Statuimus etiam, ut quascunque poſſeſſiones, & quæcunque bona, eadem eccleſia in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, liberorum & ſervorum, ſeu aliis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma ſit & illibata permaneat. Præterea libertates & immunitates eidem eccleſiæ concedimus. Decernimus quoque, ut nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam temere perturbare, poſſeſſiones ejus auferre, ablatas retinere, minuere & aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia ad integritatem conſerventur. Ut autem hæc confirmationis ſententia, oblationisque donatio, rata & inconvulſa, & omni ævo intranſibilis permaneat, ex præcepto ſummi pontificis & univerſalis papæ Adriani, nec non Moguncienſis archiepiſcopi Lullonis, & omnium, qui inibi aderant, ſanctorum pontificum & catholicorum ſacerdotum, & Alcquini inſignis prædicatoris, rationis conſilio, ſupra memoratam ſanctæ Dei genitricis eccleſiam, cum omnibus appendiciis, & donativis, Suitberto ſanctæ converſationis viro, & immortalis memoriæ coram Deo & apud homines commiſimus. Quem quidem in agro Dei laborantem primum eidem eccleſiæ bonum militem Jeſu Chriſti præfecimus, ut populo adhuc rudi, verbi Dei ſemina, meſſem deinceps latura, ſecundum diſpenſatam ſibi ſapientiam tanquam fidelis ſervus & prudens in domo Dei adminiſtraret, & canonica ordinatione, & competenti & eccleſiaſtica inſtitutione, eccleſiam ſibi delegatam tam novellam plantaret atque rigaret, donec orationibus ſervorum ſuorum interpellatus omnipotens Deus incrementum daret. Veruntamen quia caſus præteritorum præſcios & cautos nos reddunt futurorum, ne quis ſibi aliquam in eadem diœceſi, avertendo regulam, adſcribat uſurpative poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem ejus firmos, inconvulſos, & per omne ſeculum inconvertibiles, apoſtolica auctoritate, & noſtra regia majeſtatis præcepto circumſcribi præcepimus; id eſt: *Wirrabam fluvium, Fariſtinam, Bicinam usque in Wiemenam, a Wiemena in paludem, quæ dicitur Culdenbach, deinde usque quo perveniatur ad Oſtam, ab Oſta Utervam, Bivernam, Wiſſenbroc, Asbroc, Chiſſenmor, Quiſtinam, Motam paludem, quæ dicitur Sigesfridesmor, Mulenbach, iterumque Oſtam, Sneidbach, Wimaream, Haſulam, Steinbach, Liam fluvium, qui abſorbetur ab Albia fluvio: dehinc trans Albiam, ubi Bilena mergitur in Albiam, dehinc in ortum Bilene, inde ubi Travena abſorbetur a mari, deinde usque quoque perveniatur, ubi Pene fluvius currit in mare Barbarum. Inde in ortum ejusdem fluminis. Hinc in Eldam. Dehinc in Albiam, inde in rivum Alend. Inde in rivum Beſe, inde in Rodouve usque in paludem, quæ dicitur Rokesford. Inde in Horam fluvium, Callenforde. Inde in ortum Horæ. Hinc in ortum Niſnæ. Hinc in rivum Scarbeck. Inde in ortum Geldbach, & ipſum rivum in deſcenſu in Urſenam, & in aſcenſu Urſenæ in Wikenam, hinc in ortum ejusdem fluminis, hinc in paludem, quæ dicitur Snederbroch, hinc in Lernam, & per mediam paludem, quæ dicitur Camperebroch, & ſic trans Aleram in Wirrabam. Et ut hæc auctoritatis hujus donationis & circumſcriptionis noſtræ in Dei nomine firmiorem & pleniorem obtineat vigorem, & noſtris & futuris temporibus a fidelibus Chriſti verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.*

SIGNVM DOMINI
CAROLI REGIS
SANCTIS SIMI

LVLIO archiepiſcopus Moguncienſis recognovi. HILDEBALDVS archiepiſcopus Colonienſis & ſacri Palacii Capellanus recognovi. AMALHARIVS Trevirenſis archiepiſcopus recognovi. Data III Kalendas Julii, Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVI. Indictione XII. anno autem regni Domini Karoli XIIX. Actum Moguncia feliciter AMEN.

(a) *Non ſunt publicata*) GöBEL. Exſtant hodie quoque apud SCATENIVM *in hiſtoria Weſtphaliæ lib. 8. p. 505. ſeqq.* Sunt, quæ hoc diploma ſuſpectum reddunt. Rariſſimum enim aut nulla ſunt genuina Caroli M. diplomata ad res eccleſ. monaſteriorum privatarumque perſ. ſpectantia, quæ annos incarnationis J. C. referunt. MABILLON. *de R. D. c. 26.* quam ſuſpicionis notam etiam in diplomate Bremenſi animadvertimus. Exinde Winckelmanno, Gryphiandro, aliisque non immerito ſuſpectum videtur. Nec omnino ſtringunt, quæ SCAT. *hiſtor. Weſtph. lib. 8. p. 516.* ut huic dubio ſatisfaciat, affert. Nam chartas, quas citat, ad res regni & regis pertinent; in quibus & Caroli M. tempore anni incarnationis adhibebantur. Maxime autem diploma ſuſpectum reddit Amalhari archiepiſcopi Trevirenſis nomen ei ſubjectum. Teſte enim Browero iſto tempore eccleſiæ Trevirenſis Ricbodus præfuit, cui Wazo ſucceſſit, eique deinde Amalharius fortunatus ſurrogatus. Neque Seatenii & Maſenii effugium, vacillare hic archiepiſcoporum Trevirenſium chronologiam, & ex hoc diplomate corrigendam eſſe, dubium hoc tollit.

(b) *Widekindus Corbejenſis*) GöBEL. Scriptor probæ notæ, qui tempore Ottonis II. Corbejenſem egit monachum, & de geſtis Henrici Ottonisque primi hiſtoriam conſignavit.

(c) *Eidoram quoque*) *C. A. E.* Nonnulli habent Oram, alii Oderam. Utrumque autem mendoſum eſſe, vel inde liquet, quoniam nec Ora neque Odera unquam fuit regni Danorum terminus. De Eidora autem id teſtantur plurima veterum monumenta, quod optimorum recentioris ævi hiſtoricorum teſtimoniis, tantum non infinitis, facile etiam fuerit confirmare, ſi opus ſit. Meretur obſervari, quod pridem ante Chriſtum natum; cum duellum inter Uffonem regis Daniæ Wermundi filium, & Saxoniæ regem eſſet committendum, congreſſi illi ferantur circa Egidoram fluvium, tanquam in Saxoniæ & Daniæ jam tunc ultimis finibus. Quam rem, præter SAXONEM Danicum ſcriptorem, memorat CRANTZIVS *l. 1. Daniæ cap. 21.* Hinc ſane liquidum fuerit, Eidoram jam ante natum Salvatorem fuiſſe habitum Saxoniæ pariter & Daniæ extremum limitem. Sed hiſtoria apud me non invenit fidem.

Digitized by Google

6. Inde vero haud dubie mare Balthicum terminavit Francorum imperium, idque forte uſque ad Viſtulam. Forte, inquam: nec enim certo dixeris, fluvium illum ut Pruſſos, ita Polonos etiam, a Germanici regni finibus diviſiſſe, cum nihil hujus liquido memorent annales, & poſt Carolum Magnum, concidente reipublicæ vi, forte iis in locis, auctoritas Francorum nonnihil mutaverit. Veroſimile interim eſt, ad Pruſſos uſque etiam *tunc extenſam ibi reverentiam,* (a) adeoque ſaltim hactenus manſiſſe Viſtulam regni limitem, utpote qui jam tum Pomeraniam ac Pruſſiam diviſerit. Polonia vero cum ſerius *Germaniæ colla ſubdiderit,* (b) ipſa vero cis Viſtulam ſeſe porrexerit ad Oderam, imo Bojohemum uſque, ab oriente illa quidem parte, Viſtula non potuit eſſe pro termino. Ut merito forte dixeris, ibi quidem iisdem illis Germaniæ regnum finibus fuiſſe tum clauſum, quibus etiamnum hodie a Polonia diſtinguitur: niſi quod *Sileſia* (c) itidem extra fines collocanda veniat, utpote quæ multis demum poſt ſeculis a Polonia avulſa ſit.

7. In eodem latere infra Polonos ad Danubium uſque obſervare quidem eſt fluminis mari accolas Marahenſes, quos plerique nunc *Moravos appellant,* (d) ditione Francici regni tum comprehenſos: ultra autem eos nihil. Quum latius tamen patuerit tum Marahenſium ditio, utpote quæ regni nomine venerit, & Zuentepoldo rege in ordinem per Arnolphum cæſarem Ungarorum auxiliis redacto, plurimum amiſerit priſtinæ potentiæ, haud licet fines ejus exacte definire, etſi ultra Carpatum montem occupaſſe Daciæ partem per ſit veriſimile. Infra Danubium vero, ultra Pannoniam illam, quæ hodie Auſtria audit, & *Illyrici* (e) fines, regnum Germanicum videtur iſthac tempeſtate non amplius extenſum. Sane in annalibus illorum temporum non reperias veſtigia late protenſi, ut Carolina ætate, imperii ſive in Daciam, ſive in Iſtriam, ſive in Liburniam: multo minus Dalmatiam. Et vero jam tum Ludovico Pio Cæſare, poſt annum 825. defeciſſe ibi vim imperii, atque ita quicquid hujus terræ hactenus fuerat juris Francici, ab Hunnis ſive Hungaris potius, cumprimis vero a Bulgaris, ferociente tunc admodum Scythico populo, ſenſim videtur fuiſſe occupatum. Itaque ut tantum paucis iſthæc complectar: Carintia, Cariola & Mar-

(a) *Tunc extenſam ibi reverentiam*) Viſtulæ in Germaniæ orientalis limites COCCEJVS *in jure publico c. 2. §. 3.* jungit Sarmaticos Carpatosque montes; dubitat tamen, an in ipſis montibus fines certi ſint. Videtur autem autor noſter, quando dicit, incertum eſſe, an Viſtula ut Pruſſos ſic etiam Polonos a Germanis ſeparaverit, Germaniæ fines cum finibus, in quos Germani tranſierunt, æque ac Cluververius confundere.

(b) *Germaniæ colla ſubdiderit*) GöBEL. Ottonis III. tempore Polonos Germanis jam tum tributi & aliqua ſubjectionis lege adſtrictos fuiſſe ex DITMARO *lib. 4. & annal. Hildeſ. ad ann. 986.* conſtat. Infra hoc argumentum amplius pertractabitur. Vide HENELIVM *in Sileſiographia part. 1. p. 91. ſeqq.*

(c) *Sileſia*) GöBEL. A Slavis inhabitata provincia, quæ ſub Polonia latuit, & cum ea germanico ſubfuit imperio; atque in illam Germanorum migrarunt coloniæ & ei ſuos intulerunt mores & linguam. Videntur tamen cis Oderam omnes manſiſſe, unde hodie adhuc latus cis Viadrinum Germanicum, in quo germanica prævalet lingua, & trans Viadrinum Polonicum, in quo lingua polonica præponderat, vocatur. Nomen Sileſkæ, de cujus etymo autores non conveniunt, recentius eſt. HENELIVS *part. 1. p. 102. ſeqq.* Qua ratione poloniæ avulſa ſit, infra docebitur.

(d) *Moravos appellant*) *C. A. M.* Hi populi hodie iſti ſunt, qui dicuntur Marahenſes, & quidem rectius a fluvio Maro ita dicti, qui ſecat Moraviam. Sub finem vero Sec. IX. ſumma potentia valebant Morahenſes, ut, qui præeſſent, etiam regis nomine audirent. Parebant quidem regno Germanico, ſed ita, ut aſſererent ſe in libertatem. Hinc acerrimum inter hos & populum Germ. bellum eſt ortum. Ceterum Germani bis terve infeliciter pugnarunt, Morahenſes vero tanquam victores acerrime ſæviebant in Bavaria. Arnolphus vero, ut componeret Morahenſes, vocavit in auxilium Ungaros, cum quibus in illorum terras tranſiit. Compeſcuit igitur Morahenſes, ſed ingenti malo Germaniæ & quidem tanto, uti totam fere Germaniam Hungari ſibi tributariam facerent, donec ab Aucupe & Ottone ſunt iterum cæſi ad Quedlinburgum, in cujus victoriæ memoriam Auceps tum condidit eccleſiam illam collegiatam, uti appellatur, imo Hungari in Italiam & Galliam etiam ſævierunt. GöBEL. Moraviam late patentes plurimas complexam eſſe regiones, variasque continuiſſe gentes memoriæ proditum eſt. Vid. MVNSTER. *in coſmographia p. 961.* COCCEJVS *in jure publico ſect. 4.* ÆNEAS SYLVIVS *hiſt. Bohem. c. 13.* DVBRAVIVS *lib. 4.* Vetuſtiſſimorum jam incurioſi, de Zuentiboldo ſaltim dicemus. Hic Arnulphi Carolomanni fortiſſimi Germaniæ fortiſſimi regis filii naturalis & Caroli Craſſi in regno ſucceſſoris nimio in ſe favore abuſus, qui & Bohemiam ipſi peperit autoritatem ejus juſſaque ſpernere cœpit, & cum Arnulphus Hungarorum milite fretus ipſi bellum inferret ancipiti, nonnunquam eſt dimicatum fortuna. Et videntur Arnulphi res magis adhuc improſpere ceſſuræ fuiſſe, niſi Zuentiboldus ſe principatu abdicaſſet, ut diſerti tranquillitatem, teſtantibus ſcriptoribus Bohemicis, ſectari poſſet, aut vitam non multo poſt poſuiſſet, & filii ejus inter ſe diſſenſiſſent & diſcordaſſent. ÆNEAS SYLVIVS *c. 13. hiſtor. Bohemica c. 13. Annaliſta Fuldenſis ad ann. &* HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 892. ſeqq.* COSM. PRAG. *ad ann. 894.* DVBRAVIVS *lib. 4. Annales* METENSES & REGINO *ad ann. 894.* Sed licet Moravi Hungarorum opibus domiti fuerint, maximo tamen id Germaniæ malo factum; illi enim forte ob non ſoluta ſtipendia aut victoriarum præmia, quæ ſibi ſtipulati erant, ſub Ludovico infante in Germaniam impetum facere, & ignem ferrumque paſſim circumferre cœperunt, quæque graſſationes non deſiere, niſi dum ab Henrico aucupe ad Martisburgum, & ab Ottone deinde ad Auguſtam Vindelicorum exercitus eorum ad internecionem propemodum deleti fuerint. LVITPRANDVS *lib. 2. c. 9.* WITIKINDVS *lib. 2. p. 641. lib. 3. p. 656.* DITMARVS *lib. 2.* Ineptiunt hiſtorici Hungarici, quando inſignem Ottonis victoriam alii tribuunt, aut ut conflictum ſuis non admodum noxium enarrant. Non autem Hungari ad Quedlinburgum decretoria cæſi ſunt pugna, ſed Henricus ex manubiis, Hungaris ad Merſeburgum detractis, monaſterio Quedlinburgenſi in pago Harthgoa ſtabilito novam deſtinavit ædem. Conf. KETNERI *hiſtor. eccleſ. Quedlinb. p. 10. 11. & diplomata ab eo collect. p. 2.*

(e) *Illyrici*) GöBEL. Illyrici decem fuiſſe provincias tradit AVENTINVS *lib. 2. annal. Boicorum p. 51.* PANCIROLLVS *in comment. ad notitiam utriusque imperii p. 41.* Illyrici late ſumti 17 fuiſſe provincias memorat. MVNSTERVS *in Coſmographia lib. 4. p. 106.* Illud ſuo tempore in multas ſciſſum provincias dicit, nempe in *Carinthiam, Corvatiam, Croatiam & Marchiam Slavonicam.* Puto tamen & Iſtriam & Liburniam, imo omne a Danubio ad Italiam uſque ad oram Iſtri comprehendiſſe territorium. vid. CELLARII *geograph. antiqua lib. 2. c. 8. p. 605.* Sunt, qui in Illyrico Meraniæ ducatum locant, ſed rectius haud dubie ſentiunt illi, qui per Meraniæ ducatum Tirolim intelligunt. WALDENFELS *in ſelect. antiq. lib. 12. c. 29.*

Marchia Venedica, *Marchia item orientalis,* (a) quam hodie Auſtriam nuncupamus, limitaneæ tum fuerunt, ea quidem parte, perinde ut hodie, regni Germanici provinciæ.

8. Contra Italiam videntur manſiſſe regni ejusdem noſtri fines illi, qui hactenus fuerant, durante Longobardorum republica. Poſſederunt autem illi Ciſalpina quidem proxima omnia; *Inalpinarum* (b) autem terrarum parum, potiore earum parte occupata jam a Bavariis & Alemannis: quemadmodum præclare ab *Aventino,* (c) Wigulejo Hundio, & aliis proditum eſt. Transalpinum iidem nihil habuerunt: niſi quod Forojulienſis Ducis in Stiriam & Carintiam usque potentia fuiſſet diffuſa. Verum has binas provincias jam tum Ludovicus Pius ab Italia ſejunxerat, indignante filio Lothario. Quod Paulo Æmilio recte eſt obſervatum. Verba ejus hæc ſunt: *Lotharius etiam indigne tulerat regnum Italiæ opesque ſuas imminutas, abrogato in Stiriam Carintiamque jure ducatui foro Julienſi: per iram Auguſti, quod Baldricus foro Julienſium dux, Pannonici limitis cuſtos, Bulgaros recentis fœderis immemores vim facientes non arcuiſſet finium ingreſſu. Foro Julienſis enim Ducatus viribus firmari res Italicas, Lotharius arbitrabatur. Ea vero res mirum in modum Germanorum in Auguſtum ſtudia accendit, quod quicquid Lothario Italisque ademptum fuerat, id Germanis reddebatur.* Hactenus Æmilius. Utramque autem illam regionem, Stiriam ajo & Carintiam, manſiſſe in ditione Ludovici Germanici, ex hiſtoriis illius ævi clariſſimum eſt. Hoc unico itaque excepto non obſervare, eſt circa fines antiquos hîc quidem loci inſigne aliquid mutaviſſe. Non legere etiam eſt, poſtea aliquando factam circa fines mutationem. Ut proinde merito dixeris, iisdem, quibus hodie regnum Germanicum continetur, finibus, per illam ſolennem diviſionem Francici imperii ab Italia illud fuiſſe diviſum.

Caput V.

Non omnia finibus illis contenta in pari obſequio tum fuiſſe; & quando quave ratione perpetua unio imperii illius cœperit.

I.

Quanquam vero in hunc modum late tum patuerit Germanicum illud regnum, duo tamen cumprimis ſunt obſervanda. *Alterum* eſt, non omnia hisce finibus concluſa jam tum proprie dictas fuiſſe illius regni provincias: ſed perquam nobilem Germaniæ partem, & quidem pene omnem illam, quam Venedicæ gentes incoluerunt, *vix plus quam comiter* (d) regiam vim obſervaſſe; mox & hac cum religione Chriſtiana abjecta, *Sclavos plerosque* (e) Transalbianos in libertatem

(a) *Marchia item orientalis*) *C. A. M.* Olim ingens erat populi Bavarici autoritas, adeo, ut ipſis etiam fuerint duces regii, quos tamen delevit Carolus M. Terminus autem Bajoariæ fuit Aniſus fluvius: at ubi Carolus Hunnos ejecit, tum Bajoarii promoverunt limites & miſſis coloniis Pannoniam ſuperiorem impleverunt, ſibique limitarium comitem conſtituerunt, & qui præerat, dicebatur Marchio Bojoariæ. Terra igitur illa tum cœpit audire marchia orientalis, nos latine nominamus Auſtriam, ſed male. Nam hoc voc. eſt a Germ. GöBEL. Auſtriam primum comites, deinde marchiones ad reprimendas Avarorum excurſiones conſtituti, habuerunt. Ducis titulum Fridericus I. archiducis autem Rudolfus Habsburgicus aut Fridericus III. inſtituit. PFANNER *de præcipuis Germaniæ principum gentibus c. 1.* qui ad aliorum provocat teſtimonia. Marchia hæc orientalis cum orientali Saxonum marchia, ſive Luſatia, non eſt confundenda.

(b) *Inalpinarum*) *C. A. M.* Terræ inalpinæ ſunt, quæ in ipſis Alpibus ſunt. Illæ autem ab antiquiſſimis temporibus partim a Suevis & Alemannis, partim a Bojoariis ſunt occupatæ, & hodie ab iis incoluntur. Ita Helvetiarum terræ ſunt inalpinæ, & tamen pertinent ad Germaniam. GöBEL. Sunt qui putant, Romanos per Noricum Alpinum inalpinas intellexiſſe provincias. Erat autem 1) Noricum, 2) Nor. Ripenſe, juxta Danubium, quem Romani Ripenſum vocabant. 3) Mediterraneum. 4) Alpinum, Tyrolum, Carinthiam & Illyridem complectens. WALDENFELS *ſelect. antiquitat. lib. 12.* AVENTINVS *l. c.* Negare non poſſumus, circa Noricum æque ac Illyricum recte conſtituendum non deeſſe dubia & altercationes. CELLARIVS *l. c. c. 7. p. 536.*

(c) *Ab Aventino*) *C. A. M.* Scripſit hiſtor. Bojoariam, ſed ita, ut German. res ſimul attigerit præclarus ſcriptor, & qui primus ſtudium hiſtoricum ab ineptiis liberavit. GöBEL. ONVPHRIVS de comitiis accurat, & doctiſſimum ſcriptorem vocat, plura *Conring. in diſſ. mſ. de rebuspubl. in Bavaria §. 8. habet.*

(d) *Vix plus quam comiter*) *C. A. E.* Eginhartus, quo illius ævi nemo fuit peritior Carolinarum rerum, tributarias redditas illas regiones Venedicas memorat, ſed nihil præterea. Verba ipſius producta ſunt jam tum capite ſecundo. GöBEL. Eginhardus, Caroli M. Cancellarius, non gener, licet fabulæ huic GROTIVS *in proleg. hiſt. Goth. V. & L. p. 5.* ſubſcribat, ejusque rerum callentiſſimus, poſtmodum vero monachus Benedictinus & primus abbas Seligſtadenſis. Si epiſtolæ & diplomata, quæ Laurishamenſe chronicon tribuit, genuinæ ſunt, haud dubie VOSSII *de ſcriptor. latin. c 30.* conjectura recte ſe habet, puriorem, quæ in vita Caroli M. reperitur, & Suetonium imitantem dictionem Neuenario ejus editori deberi. Laudant quidem fidem ejus quamplurimi, alii autem illam ſuſpectam habent, quod Caroli ſtipendia meritus ſit, ipſique amiciſſimus fuerit. Hinc eum, ſicut Euſebius Conſtantini, Caroli M. non hiſtoriam ſed panegyrin ſcripſiſſe, autumant. Præter Caroli vitam annales Francicos exaraſſe, qui inter ſcriptores Francicos a CHENIO editos referuntur, nec uni epiſtolarum libro atque pſalterio operam impendiſſe tradunt. vid. VOSS. *l. c.*

(e) *Sclavos plerosque*) *C. A. M.* Sclavus eſt voc. mere Sarmaticum, & ſignificat hominem nullius gloriæ. Hi populi Sclavici multi fuere, qui Sarmati dicti ſunt, poſiti trans Danubium, nobis cis Danubium, per magnam partem Europæ, Aſiæque perinde ut hodie Moſchi, Poloni, Lithuani, qui Sarmatæ ſunt, ut & Bojohemi. GöBEL. Slavos, Slavinos Antes, unam eandemque conſtituiſſe gentem, ab Hunnis ſive Hungaris, non autem Venedis ſ. Winedis diſtinctam, niſi forte ſedibus, ut Gundlingius exiſtimat, rerum antiquarum peritiores perhibent. Sarmatica hæc gens ob familiarum celebritatem & nobilitatis multitudinem patrio vocabulo, ut autor eſt BALBINVS Slawaki, ab aliis deinde in Slavos corrupto, dicta eſt. GVNDL. *in Henr. aucupe p. 152.* Terras a Marcomannis ac Bojis, Vandalis & Suevis vacuas ingreſſa eſt, & quicquid a mari ſeptentrionali ad Albim, quid quod ad Salam usque Thuringicam protenditur, in ejus venit ditionem. Henrico aucupi, ut Slavis arma inferret, occaſionem præbuit fœdus eorum cum Hunnis in Chriſtianorum exitium tendens. WITTIKINDVS *lib. 1. annal. apud* MEIBOM. *p. 639.* BALBINVS

Digitized by Google

tatem ſeſe aſſeruiſſe, adeoque non niſi armis denuo pedetentim victam Germanici juris vere ac ſine controverſia eſſe factam: idque ex parte poſt varios caſus ſeculo demum duodecimo & decimo tertio. Quam rem cum præ aliis jam olim ſingulari opere *Helmoldus Butzovienſis* (a) & *Arnoldus Lubecenſis*, pene σύγχρονοι, & multo poſt omnium pleniſſime in *Vandalia ſua* perſecutus ſit *Cranzius*, (b) inde potiſſimum fuerit operæ pretium diſcere.

2. *Alterum, quod* (c) merito obſerves, eſt, quod illo quidem tempore, quando Germanicum regnum diviſione iſta eſt conſtitutum, & ab aliis terris ſeparatum, nondum fuerit cautum de ipſo illo regno non dividundo. *Hinc mortuo Ludovico* (d) Germanico ſtatim in tria regna, paris omnia dignitatis, pro numero filiorum, id quod unus Ludovicus poſſederat, fuit diviſum. In ea re unum duntaxat adducam teſtem; quod plures citare nihil attineat. Eſt ille autem *Otto Friſingenſis* (e) l. 6. c. 6. *Ludovici filii conventione facta regnum paternum dividunt. Et Carolomannus Bajovariam, Pannoniam, Carentanam, Bohemiam, Moraviam: Ludovicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, Lotharingiam: Carolus Alemanniam, & quasdam civitates Lotharingia propter vini copiam accepit.* Ex quibus verbis ſimul diſcere id eſt, quod modo diximus, *Venedicas regiones* (f) pleraſque in verarum provinciarum cenſu minime tum eſſe habitas. Hac nova autem diviſione vere tria regna, quorum uni in alterum nihil eſſet juris, fuiſſe inſtituta, liquido ex ejus ævi ſcriptis apparet.

3. Verum bono fato accidit, ſtatim poſt modo memoratorum Carolomanni & Ludovici ἀπαίδων (ſi de legitime natis ſermo ſit) obitum, cum alia tum tria hæc Germaniæ regna in unam iterum rempublicam coaluerint ſub Carolo fratre tertio, *qui a corporis obeſitate* (g) Craſſus audit.
Et

rer. Bohem. epit. c. 7. *Annales* HILDESH. *ad ann. 931.* Cumque Henrico exſtincto imperata facere detrectarent, ab Ottone ad obſequium non ſine multis belli incommodis redire coacti ſunt. WITICHINDVS *lib. 2. annal. p. 643. ſeqq. lib. 3. p. 651. ſeqq.* Bellum cum iis ſub Ottone II. & III. recruduit. DITMARVS *lib. 3. annal. p. 345.* SIGEBERTVS GEMBL. *ad ann. 976. 977.* CHRONOGRAPHVS SAXO *ad ann. 983.* *Annal. Hildesheimenſes ad ann. 990. 991.* *Chronograph. Saxo ad ann. 996.* DITMARVS *lib. 4. p. 351 ſeqq.* Nec Henricus a Slavorum motibus immunis fuit DITMARVS *p. 371. ſeqq. lib. 6. p. 377 ſeqq.* Conrado Salico Lutici Uckermarckam, nec non Mecklenburgicarum & Pomeranicarum terrarum partes inhabitantes, quoque faceſſerunt negotia, qui tamen tandem repreſſi & ſub tributi legem redire coacti ſunt. GLABER RADVLPHVS *lib. 4. c. 8.* *ann. HILDESHEIM. ad ann. 1035. 1036.* *HERM. CONTRACTVS ad ann. 1036.*

(a) *Helmoldus Butzovienſis*) *C. A. M.* Fuit presbyter Buzovienſis, deſcripſit hiſtoriam Sclavicam. Vixit ſeculo XII. Certe qui adſpirant ad cognitionem eorum, quæ trans Albim ſunt, illum ſibi comparabunt. GöBEL. Chronicum ejus Friderici I. tempore conſcriptum a Carolo M. usque ad ann. 1163. perducitur, inde vero incipit ARNOLDVS *abbas Lubecenſis*, ejus continuator VOSSIVS *de ſcriptor. latinis p. 435.* Multa hunc Adamo Bremenſi debere, AVTOR *noſter de origine juris germanici c. 19.* tradit.

(b) *Cranzius*) *C. A. M.* Decanus Hamburgenſis, vixit ante annos 148. Hamburgi, fuit D. Juris, cum primis hiſtoricarum rerum peritiſſimus. Doleo autem librum ſuum inſcripſiſſe Vandaliam. Credidit enim Vandalos eſſe eosdem populos cum Venetis ſ. Vinulis, Vendis. Nam Vandali gentes ſunt Germ. & migrarunt in Galliam, Hiſpaniam, Africam, donec in Africa nomen eorum cum gente periit, duce Juſtiniano. Seduxit Crantzius quamplurimos, ita ut reges Succiæ, qui Venetorum ſe debebant reges dicere, appellent Vandalorum. GöBEL. De Kranzio Hamburgi theologiæ profeſſore & ejus Collegii decano, unde nonnullis Albertus Hamburgenſis dicitur, conf. VOSSIVM *l. c. p. 646.* De titulo Vandalorum ab utroque ſeptentrionalium regum adhibito, inter eos tamen controverſo, Vid. SPENERI *opus heraldicum p. 541. 605.*

(c) *Alterum quod*) *C. A. M.* Reges Francorum, familiæ Merovingicæ peſſimo more regnum diviſerunt in partes, ut quot filii, tot in partes regnum diviſum, quod & in ſecunda familia obſervatum. CONR. in politicis, an talis diviſio ex uſu ſit? quærit. Certe res publicæ amplæ & pollentes redduntur inde anguſtæ & impotentes. Fieri autem poteſt ideo, ut diviſio placeat, quod familiæ regiæ videantur poſſe rectius conſervari. Verum enim vero aliud ibi remedium, nempe ut & familiæ & reip. ſit cautum.

(d) *Hinc mortuo Ludovico*) *C. A. M.* Ludovico Pio Imp. filii erant tres: Lotharius, Ludovicus & Carolus. Lotharii itidem filii tres, & ita Lotharii portio in tres partes fuit diviſa. Ludovico Germanico quoque filii tres, Carolomannus, Ludovicus, Carolus. Hinc & regnum Germanicum in tres partes diviſum. Inde Germania magnum eſt paſſa damnum. GöBEL. Quam quisque filiorum Lotharii ex patriis Prumienſi ſe mancipantis monaſterio ditionibus acceperit partem, docent *annal.* BERTINIANI *ad ann. 855.* ADO VIENNENSIS *ætate VI. p. 442.* De diviſione terrarum Ludovici Germanici Saalfeldenſi, qua ea, quam Ludovicus Forchhemii fecerat, forte aliqua ex parte immutata. Conf. MARIANVS *Scotus p. 443.* REGINO *ad ann. 976.*

(e) *Otto Friſingenſis*) *C. A. M.* Illuſtriſſima familia natus Conradi III. & Friderici Barbaroſſæ conſanguineus, epiſcopus Friſingenſis, in Bojoaria, vir doctus. Scripſit chronicon rerum Germanicarum, & ex parte Barbaroſſæ vitam. Hic obiter notandum, quod qui in hiſtoria cupit progreſſum facere, ille tabulas genealogicas ſibi comparet. Eminent ALBINVS, REVSNERVS, HENNINGESIVS, UBBO EMMIVS, BLONDELLVS, ANDREAS QVERCETANVS in Gallia, & duo fratres SANMARTHANI, item REINERVS REINECCIVS. GöBEL. OTTO FRISING. erat Agnetis, filiæ Henrici IV. ex ſecundo marito Lupoldo Auſtriæ marchione filius, quæ ex priori marito Friderico ab Hohenſtaufen, enixa eſt Conradum III. Imperat. & Fridericum Sueviæ ducem, Barbaroſſæ patrem. Hic erat vir eruditus & prudens, cujus conſiliis Conradus & Fridericus imperatores uſi ſunt. VOSSIUS *l. c. p. 428.* Quod autem ad tabulas genealog. attinet, ſua laude hic defraudanda non ſunt IMHOFII opera, & tabulæ Lohmerianæ, quæ hoc autore auctiores exſtant. In pretio etiam FELLERI *ſtemma Guelficum* habetur. HUBNERI tabulæ tyronibus probe inſervire poſſunt.

(f) *Venedicas regiones*) GöBEL. Slavicas quasdam provincias, licet Germaniæ paruerint imperio, juris germanici, non niſi poſterioribus temporibus, & quidem non uno omnes tempore factos eſſe, COCCEJUS probatum ivit.

(g) *Qui a corporis obeſitate*) GöBEL. Varia ipſi fuiſſe cognomina, quorum etiam numero minor, junior magnus, cum diſtortis cruribus fuere. Ex prominente ventre haud dubie Craſſi ipſi enatum eſt cognomen. Simplicis quoque addendum fuiſſet, laborabat enim mentis imbecillitate, quam aliqui ex ſpectrorum apparitione aut diaboli obſeſſione remanſiſſe memoriæ prodiderunt. Veterum loca citat HAHNIVS *in hiſtor. imperii p. 259.* Non ſolum omnia poſt fratrum, quæ Germaniæ regnum conſtituebant, moderatus eſt; ſed & Gallia ſua ei ſubdidit ſceptra. Carolus tantis rebus impar illico ſuorum incurrit indignationem, eoque pronior Lintwardi Vercellenſis epiſcopi ægre ferentis, quod ſc. ut furtivi amoris, cum Richarda conjuge ejus ſuſpectum, Cancellarii munere privaſſet, inſidiis fuit. Rem enim præſul hic eo dirigere calluit, ut ab Arnulpho, Carinthiæ duce, imperio exutus fuerit. Quo

Digitized by Google

Et vero exinde *ſummo Germaniæ commodo*, (a) nulla regni, (Germanici quidem, quale illud primum Ludovicus Pii filius nactus eſt) Germanici inquam regni diviſio facta nulla eſt. Sed & Zuentiboldo Arnolphi nothi filio notho cum regio titulo ceſſit quidem anno DCCCXCVI. Lotharingia (de regia enim dignitate dubitare cum nonnullis, nos vetant præter alia plurima *binæ tabulæ*, (b) quas exhibet Wilhelmus Heda in hiſtoria epiſcoporum Trajectenſium) paucorum tamen etiam id annorum fuit; atque ita corpus Germanici imperii ipſamet quoque Lotharingia rediit. Num lege lata tamen aliqua publica ita in perpetuum conſtitutum fuerit, an conſuetudine introductum, haud certo definieris. Nec enim legis alicujus ſuperant veſtigia in antiquiſſimis etiam monumentis. Et tamen vix eſt veriſimile, rem tantam ſola aliqua conſuetudine potuiſſe ſtabiliri. Sane cum Carolo craſſo nulli, Arnolpho unicus tantum fuerit legitime natus filius Ludovicus, huic iterum ut & Conrado Franco nulli fuerint filii, haud injuria dixeris, ſenſim hac ratione id uſu fuiſſe introductum. At vero obſervare eſt, etiam in Galliis inter Ludovici transmarini filios regnum illud præter morem veterem *non fuiſſe diviſum*, (c) atque idem ex eo usque in Capetana familia ſemper obſervatum. Itaque merito ſuſpiceris, utrobique lege tandem aliqua diviſionem omnem prohibitam. Et quidem factum id in Germania fortaſſis, ſtatim circa Arnolphi ætatem; utpote qui primus non tam jure hereditario, quam *procerum liberiore conſenſu* (d) regnum fuerit conſecutus, legitima ſobole Carolinæ familiæ in Germania jam exſtincta. Certe hac occaſione ex procerum conſilio ita inſtitutum eſſe, per mihi ſit veriſimile. Quod ipſum nonnihil confirmatur eo, quod Arnolphus filium Zuentipoldum Lotharingiæ regem conſtituturus, Wormatiæ *in publico regni conventu* (e) conſenſum ordinum imploraverit: ceu referunt hiſtoriæ.

Caput VI.

Imperii Francorum tertiam Lotharii cæſaris portionem paulatim Germanico regno acceſſiſſe; & quemadmodum hujus pars, quæ Lotharingiæ regnum olim audivit, facta fuerit juris Germanici.

1.

Cæterum quanto Germaniæ bono prohibita eſt diviſio, tanta felicior illa fuit in dilatandis ſui regni terminis. Enimvero tametſi initio inter illas tres portiones Francorum imperii, ea quæ Ludovico ceſſit minus reliquis ſplenduit; paulatim tamen & ipſa ſummum decus a cultura accepit, & majeſtatem ac vim ſuam cum per omnem illam quæ Lothario cæſari obtigerat partem, tum in vicina alia longe lateque extendit.

2. Initium fortunæ & augmenti *a Lotharingia* (f) factum. Erant Lothario cæſari filii tres: Itaque totidem in regna, ex more ævi, tertia illa pars Francici imperii diviſa eſt. *Ludovico Italia* (g) cum cæſarea dignitate: Carolo provincia, ſeu Gallia Narbonenſis: Lothario quicquam reli-

facto vitam brevi, cum bona ipſi in ſuſtentationem conceſſa, vix in victum ſufficerent, ſceleſtis ſuorum amiſit manibus. REGINO *annal. FVLDENS. HERMANNVS contractus annal. METENSES ad ann. 887. 888.* Suſceperat autem Carolomannus, vir fortis & acris animi corporisque majeſtate præſtantiſſimus, Arnulphum ex Lytowinda concubina, qui bellicam laudem patris aut ſuperavit, aut ſaltim æquavit.

(a) *Summo Germaniæ commodo*) *C. A. E.* Ex eo autem fere tempore cœpit Germania dividi, inter quam multos duces & quidem jure hæreditario, cum ampla a Deo poteſtate, ut parum ſuperfuerit tandem diſcriminis, inter vere regiam & ducalem eminentiam. Cœpit vero tunc eodem modo laborare, & Italia pariter ac Francorum in Gallia regnum. Et vero etiam Romanorum cum ſupereſſet imperium, a quarto usque Chriſtiano ſeculo, provinciarum rectores ducum nomine audiebant: ſatis arcta autem fuit illorum auctoritas, ab imperatorum arbitrio, & quovis momento ſuſpenſa, nihil minus ſane quam hæreditaria. Quam omnem rem alibi latius ſumus perſecuti. GöBEL. *Nempe in differtat. de ducibus & comitibus imperii; nec non in notis ad LAMPADIVM* nos eo commentationibus noſtris delati, meditationes noſtros annectere non pigrabimur.

(b) *Binæ tabulæ*) GöBEL. p. 63. 70. In his tabulis, quibus Zuentiboldus, Arnulpho ex Holenrada concubina natus, Trajectino epiſcopo ſe beneficum præbet, ſe regem vocat. Exſtat etiam ejus diploma de anno 898. collegio canonicorum S. Lamberti Leodii villam Treux attribuens, in quo itidem regio utitur titulo. *Diplomata Leodienſia apud Boxhornium n. 11.* Binas quoque Zwendeboldi, ut Lotharingiæ regis, archiepiſcopo Trevirenſi Ratbodo faventes, tabulas refert. *BROWERVS in annal. Trevirenſibus p. 441. 442.* Diploma, quo Werthinenſis abbatiæ privilegium confirmat & a Rheni vectigalibus liberat, SCATENIUS *annal. Paderborn. tom. 1. p. 235.* affert. In dies autem gravior crudeliorque Lotharienſibus, regno procerum ſtudiis lapſus, fratrem Ludovicum ſucceſſorem habuit. *BROWERI annal. Trevir. part. 1. p. 442. Diplomata Leodienſia n. 12. HEDA p. 77.*

(c) *Non fuiſſe diviſum*) GöBEL. Aliam omiſſæ diviſionis rationem aſſignat MEZERAI *dans l' abbregé chronologique tom. 1. p. 234.* Nimirum præter Rhemorum & Laonis urbes regibus nihil fere reliquum fuiſſe, atque ſic Carolum in fratris Lotharii favorem diviſionis juri renunciaſſe. Fatetur tamen ex illo tempore diviſionem in æquales partes, antea receptam, deſiiſſe. Merentur hæc ejus adſcribi verba: De puis ce temps il n' a plus eté diviſé egalement entre les freres l' ainé ſeul a eu le titre de Roi, & les cadets n' ont eu que quelques terres en appanage & avec une ſujection entiere.

(d) *Procerum liberiore conſenſu*) GöBEL. Nam pactis & moribus receptum eſt, ne ſuccedant, niſi, qui nati ſunt ſecundum patriæ leges: *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 16.*

(e) *In publico regni conventu*) GöBEL. REGINO & HERMANNVS CONTR. *ad ann. 895.* Arbitror eo magis Arnulphum ordinum conſenſu ad tradendum Zwentiboldo Lotharingiæ diadema, opus habuiſſe, quia ex illegitimo natus erat toro.

(f) *A Lotharingia*) *C. A. M.* Lotharingiæ portio eſt inter Rhodanum, Ararim & Moſam, & Scaldin ab una, & inter Rhenum ab altera parte.

(g) *Ludovico Italia*) GöBEL. De hac diviſione ſupra actum. Nullum autem dubium Ludovici partem imperatoriæ dignitati vix ſuffeciſſe, quanquam poſt Caroli mortem provincia & Burgundiæ parte, & Lothario exſtincto dimidia Lotharingiæ parte aucta ſit. *Annales* BERTINIANI *ad ann. 872.*

reliquum fuit paternæ hæreditatis trans Alpes, quod ſive jam tum, ſive ab hoc Lothario regnum Lotharii aut Lotharingia dictum obtigit. *Omnia hæc* (a) pedetentim ceſſerunt Germanico juri: initio facto, ut diximus, a Lotharingia.

3. *Mortuo Lothario* (b) rege Lotharii cæſaris filio, illam omnem occupare quidem niſus eſt Carolus calvus Gallicanus, ſed repulſus eſt à fratre Ludovico Germanico. Itaque anno 870. inter duos fratres illos (*jure an injuria*, (c) cum adhuc viveret heres proximus Ludovicus cæſar, jam non diſputo) duas in partes regnum Lotharingiæ diviſum eſt. Quid tum factum fuerit Germanici, quid Gallici juris, accurate diſcere eſt *ex appendice Aimoini* (d) & capite ſequente à nobis dilucide ac diſtinctim magis exhibebitur. *Carolo illo calvo* (e) & filio ejus Ludovico balbo defunctis,

(a) *Omnia hæc*) *C. A. M.* Tota Italia, tota Lotharingia, tota provincia ſeu Gallia Narbonenſis. Vid. cap. VII.

(b) *Mortuo Lothario*) *CONR. annal. mſc.* Hæc tota hiſtoria debet peti ex annalibus Francorum. Res vero ita ſe habet: Cum obiiſſet Lotharius Lotharii filius, qui hactenus tenuerat Lotharingiam, erat adhuc in vivis frater ejus Ludovicus, debebat autem hic jure hæreditario ſuccedere: non potuit tamen cernere fraternam hæreditatem, partim quod proceres in regno Germaniæ, partim in regno Galliæ hic ei adverſabantur. Sed dicat quis, quomodo igitur hoc factum ſit, cum tum temporis videbatur permiſſum eſſe jus hæreditarium: verum dicendum, 1) proceres ſucceſſoribus nunquam permiſiſſe jus mere hæreditarium; ſed ajebant, ſi neceſſitas reip. poſtularet, licere alios eligere reges. Hodieque reperiuntur literæ pontificis Romani, quas ſcripſit ad Carolum calvum pro Ludovico cæſare, in quibus objurgat Carolum, quod invaderet hæreditatem. Exſtat quoque reſponſio Caroli, in qua docet elegantiſſime, non eſſe pontifici curam habendam temporalium ſed eccleſiæ. 2) Proceribus Francorum ita licere, præſertim cum neceſſitas exigat regem potentem habere. Cum vero moreretur Lotharius, miſerrima erat facies Lotharingiæ. Normanni enim & Dani piratico more vexarunt, excurrentes usque ad Aquisgranum, quam urbem concuſſerunt, & diruerunt, imo partem Hollandiæ & Seelandiæ ſui juris fecerunt. GöBEL. De Normannorum ex Suecis potiſſimum Danisque collectitiæ gentis circa hæc tempora admodum graſſantium invaſionibus vid. *annales Bertin. BEKA de epiſcopis Ultrajectinis p. 24. BROWERUS annal. Trevir. lib. VIII. p. 419. VOSSII annal. Holland. Zelandiæque p. 6. 7. 8. EYNDII chron. Selandiæ p. 162. 163.*

(c) *Jure an injuria*) *CONR. A. E.* Obiter hic tantum monemus, ab Adriano II. papa Carolum calvum regem hujus occupationis cauſa pene fuiſſe excommunicatum: ſed non à rege duntaxat, ſed etiam communi Lotharingicorum Francorum conſenſu hanc novi exempli excommunicationem ſpretam imo exploſam fuiſſe. Quoniam ſcilicet omnibus erat perſuaſum, regnorum ſucceſſiones neutiquam mere eſſe hæreditatem regiæ familiæ, ſed potiſſimum juris electitii populi; cui fas ſit, urgente reipublicæ neceſſitate, de regnis diſponere in commodum commune. Hac ſane de cauſa Carolo calvo obtulerunt proceres Lotharingici regnum illud, quum a Normannorum incurſionibus graviſſime afficerentur, atque ex Italia vel nullum, vel non niſi ſerum, auxilium poſſet exſpectari. Liquido hæc omnia patent ex epiſtola, quam pro Carolo calvo rege tunc ſcripſit Hincmarus Rhemenſium archiepiſcopus ad papam illum Adrianum ſecundum, cujus primam editionem Flacio debemus, quam poſt *tomo X. annal. ad annum* 872. §. 92. & ſeqq. contumelioſe perſtrinxit Baronius, operibus tamen Hincmari inſeruerunt editores Pariſienſes. GöBEL. Rationes, quæ ab autore allatæ ſunt, quare Ludovicus primum ab omni Lotharii fratris hæreditate excluſus fuerit, Caroli calvi partibus ſtudentes propalabant. *ANNALES BERTINIANI ad ann. 569. SIRMOND. tom. 3. concil. Gall. p. 384.* Quibus adjiciebatur, Ludovicum pium Carolo Lotharingiam deſtinaſſe: Verum hæc non ſunt tanti ponderis, ut injuſtæ occupationis maculam delere queant. Nam licet penes Franciæ proceres poteſtas fuerit a regnatricis ſtirpis principe regendi oneri impari diſcedendi; attamen Ludovicum ſecundum ad res gerendas ſatis aptum fuiſſe, multa exſtant documenta; imprimis huc pertinent, quæ in Italia & adverſus Saracenos geſſit. Id quod de Ludovici propenſa in Carolum calvum proponebatur voluntate, pacto Verdunenſi inter fratres de dividendis patriis terris inito, ſublatum eſt. Ludovici quidem Germanici apologiæ inſervire videtur, quod invitus quaſi in partem prædæ, ne omnia a Carolo abſorberentur, pertractus fuerit, multo magis cum, ut ex annalibus Bertinianis liquet, partem, quam ille detinebat, Ludovico reddiderit, nulla iniqui juramenti fratri præſtiti habita. Nec quod de terris Lotharingiæ adverſus Normannorum impetus defendendis monitum eſt, ſtringit. Nam nec Ludovici Germanici, nec Caroli calvi terræ a Normannicis irruptionibus erant immunes. Et ſi forte Ludovicus II. moliminibus illis impar fuiſſet, non terris emungi, ſed ope & conſilio a patruis adjuvari debuiſſet. Vires enim alicujus imbecilles, res ſuas adverſus graſſatores defendendi, nemini dant jus injuſte impetito res ſuas, quas defendere nequit, eripiendi. Quod autem ad literas, quibus Hincmarus ad eas, quas Hadrianus ad Carolum calvum de injuſta Lotharingiæ occupatione a Metenſi conventiculo approbata dederat, reſpondet, attinet, reperiuntur etiam apud Palatium in Hadriano II. *p.* 52. 53. Admonitio paterna Romani præſulis, ut ſuum Ludovico imperatori Carolus tribueret, nihil iniqui habuiſſet, modo a dictatoria abſtinuiſſet autoritate, quam non una vice in Carolum exercere auſus eſt; de quo conqueritur in literis ad papam hunc *anno* 871. exaratis. *LUNIG. Spicileg. eccleſ. part. I. p.* 129.

(d) *Ex appendice Aimoini*) *CONR. annal. mſc.* Eſt ſcriptor Galliæ antiquus, ſcripſit chron. Franciæ, exſtat & ejus appendix, in qua recenſetur, quænam in illa diviſione Ludovico & Carolo calvo obtigerint; ſed appendix eſt valde mutila. At JACOBUS SIRMONDUS, Jeſuita, vir præclarus & candidus integram illam diviſionem nobis dedit. Poſt illum idem fecit AUBERTUS MIRÆUS, qui cum alia ſcripſit, tum etiam codicem donationum piarum. In eo inſeruit eam diviſionem eamque explicat. GöBEL. Vide quoque pactionem Aquisgranenſem Ludovici & Caroli de dividendo Lotharingiæ regno, apud *BALUZIUM t. 2. p.* 222. 223. ubi & loca, quæ uterque accepit, recenſentur. Uterque virorum, qui hic ab autore laudantur, multa publicæ expoſuit luci ſcripta. Catalogus eorum, quæ a Sirmondo edita ſunt, habetur in bibliotheca *libr. nov. anni* 1697. Eminent inter opera ejus, quæ ad Sidonium Apollinarem & Ennodium commentatus eſt, Paſchaſius Radpertus Capit. regum Francorum, eccleſiæ Gallic. concilia &c. Quæ a Miræo ſunt collecta, recenſentur ab hiſtoriæ literariæ ſcriptoribus. Palmam autem aliis præripere creduntur codex donationum piarum, diplomata Belgica, bibliotheca Belgica, chronicon ciſtertienſe & quem de epiſcopatibus edidit liber. Uterque perdiligens antiquitatis fuit indagator. Id in Sirmondo maxime mirandum, quod criticum ſubtilem animi vigor & judicii acrimonia nec 93. ætatis annum agentem dereliquerit.

(e) *Carolo illo calvo*) *CONR. annal. mſc.* Hic habuit unicum filium Ludovicum balbum, cui duo filii erant illegitimo toro nati, & unus legitimus ſed poſthumus, & ob ingenium ſtupidum dictus eſt Carolus ſimplex. GöBEL. Ludovicus balbus Anſgardam inferiori loco natam, invito patre ſibi matrimonio junxerat, eamque repudiare a patre juſſus Adelciden Angliæ cujusdam principis filiam in uxorem duxit. Hæc poſt mariti mortem Carolum enixa; ex priori matrimonio Ludovicum & Carolomannum habebat, qui pro illegitimis a quibusdam habentur, quoniam ex toro, cui paternus deerat conſenſus, ſunt nati. *MEZERAI abregé chronol. tom. I. p.* 355.

ctis, cum in Gallia rerum potirentur duo filii nothi illius balbi, & legitime natus Carolus ſimplex infans eſſet, ſeu injuriis Caroli calvi & Ludovici balbi, ſive quod in Lotharingia res novas moliretur Hugo Lotharii ex pellice Waldrada filius, & rebus gerendis calvi poſteritas eſſet impar, ſeu aliis de cauſis inductus, omnem omnino Lotharingiam, etiam illam quam Galli per decennium tenuerant, Germanico regno ſuo adjecit anno poſt octingenteſimum octogeſimo Ludovicus Ludovici Germanici filius. Annales Francici Pithœanei ita hanc rem narrant, quaſi bona cum filiorum iſtorum Ludovici balbi gratia id factum fuerit. ***Rex Ludovicus***, ajunt, ***in Galliam profectus, filios Ludovici*** balbi ***ad ſe venientes ſuſcepit***, (hoc eſt, in patrocinium ſuum recepit) ***totumque regnum Lotharii*** (a) ***ſuæ ditioni ſubjugavit.*** ***Annales Bertiniani*** (b) diſtinctius rem illam narrantes produnt, conſenſu procerum Franciæ Occidentalis & Lotharingiæ id factum eſſe: quo vim Ludovici ab ipſiusmet Franciæ Occidentalis occupatione, (quam facilem ipſi ſpondebant Gozlenus abbas & Chuonradus comes, viri magnæ autoritatis ac factioſi, averterent. ***Audientes autem***, ajunt, ***Hugo ac Boſo*** (c) ***& Theodericus & illorum ſocii, quæ Gozlenus & Chuonradus cum illorum complicibus machinabantur, miſerunt Vulcarium epiſcopum Aurelianenſem, & Gotramnum & Anſcherum comites ad Ludovicum apud Viridunum, ut ei offerrent partem de regno Lotharii junioris*** (Lotharii cæſ. F.) ***quam Carolus*** (calvus) ***contra fratrem ſuum Ludovicum*** (Germanicum) ***ipſius Ludovici patrem acceperat: ut acceptâ illâ portione regni in regnum ſuum rediret, & quod reliquum de regno patris ſui Caroli*** (calvi) ***Ludovicus*** (balbus) ***habuit, filiis ſuis conſentiret. Ludovicus verò & ſui acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Gozlenum & Chuonradum ac complices illorum rejecerunt, & accepta regni portione ſibi oblata, ad palatium ſuum Franconofurd rediit.*** In hunc modum univerſæ Lotharingiæ compos factus eſt Ludovicus ille Ludovici Germanici filius & pii cæſaris nepos. Et vero ex eo ***Hugonem Waldradæ filium*** (d) compeſcuit, ipſumque ***Cameracum*** (e) & omnem pagum Hasbanicum, juris antehac Gallici, tenuit; ceu liquet ex verbis Pithœanorum annalium ad annum 881.

4. Manſit citra controverſiam Lotharingia omnis (ſi excipias defectum inde anno 888. ***Burgundiæ Juranæ regnum***, (f) de quo ſigillatim poſtea) in ditione Germanicorum regum usque ad annum 915. ſi credimus Sigeberto; aut potius 912. ut ex variis diplomatibus recte colligit Jacobus Sirmondus: quando ***Carolus ſimplex*** Galliæ rex ***virtute ſuorum Lotharingiam pene omnem recepit***, ut loquitur Æmilius, & ex illo Joannes Tilius in ***chronico***. Quod non mirum eſt accidiſſe, quia fractæ tunc miſere erant ***per Ungaros*** (g) & civiles diſſenſiones Germanici regni vires. Idem vero ***Carolus*** anno 922. ***reddidit Lotharingiam*** (verba ſunt itidem Æmilii pariter & Tilii) ***Germanorum regi, quo majus ab illo auxilium impetraret.*** Illam rem hiſce verbis narrat Otto Friſingenſis l. 6. Chronici ſui cap. 18. ***Itaque cum*** (***ſecundum quod utrosque***, Germanicos ſcilicet & Gallicos, ***ſcriptores concordare diximus***) ***Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo diſceptaret, ex voluntate amborum, ad hujus litis ſcrupulum decidendum, die in oppido Bunne conſtituta, Belgica Henrico ceſſit: ac***

Carolo

(a) *Totumque regnum Lotharii;* CONR. *ann. mſc.* Dimidium Lotharingiæ ceſſit regno Galliæ, at vero cum Gallo-Franci per decennium tenuiſſent, dein Ludovicus Germanicus accepit totam Lotharingiam, quo jure non dixerim: Verum ad quietam poſſeſſionem Lotharingiæ non pervenit Germania, niſi tempore Henrici II. GöBEL. Ludovico II. imperatore anno 875. denato altera Lotharingiæ, quæ deinde Germanica dici cœpit, pars, ad Ludovicum Germanicum rediit, & ex ejus hæreditate filio ejus Ludovico per pactum Salfeldenſe, anno 876. cum fratribus inito, obtigit. *REGINO lib. 2. chr. ad ann. 876. OTTO FRISING. lib. VI. chr. c. 6.* Inhiabat quidem huic parti Carolus calvus, prætexens pactum cum fratre ſuo Ludovico perſonale fuiſſe; ſed magna affectus clade Ludovico huic Lotharingia Germanicæ, quam deinde cum fratribus diviſit, ſalva, atque poſtmodum per pacem cum Ludovico balbo Furoni anno 878. initam confirmata fuit. *Annales FVLDENSES & BERTINIANI. SIGEBERTVS GEMBLAC. ALBERICVS ad ann.* 876. 877. 878. Denato autem Ludovico balbo Ludovicus Germ. junior ad Galliæ ſumendum diadema à proceribus invitatus eſt; ſed jam iter ingreſſus, a Ludovici balbi filiis Francica Lotharingia placatus, domum reverſus eſt. *ANNAL. BERTINIANI ad ann. 879.* Ludovico deinde Germanico juniore exſtincto Carlomannus Lotharingia potitus videtur, & hoc vitam ponente ad Carolum craſſum pervenit atque Germaniæ regibus Zwentiboldo incluſo usque ad Conradum I. paruit, quem cum Lotharingi eligere nollent, ſe Carolo ſimplici, ut eo tutiores a Conrado eſſent, permiſerunt. *BLONDELLVS in genealogiæ Francicæ pleniore aſſertione p.* 262. 263. Solicitus quidem erat Conradus, Lotharingos armorum ope Germanico reſtituere regno. *Chr. breve* S. Galli ad ann. 912. 913. Sed hoc opus Henrico reſervatum fuit. Interim nonnulli ex eo, quod Trajectinæ ad Rhenum eccleſiæ jura & privilegia confirmaverit, ut ex HEDA conſtat, colligunt, quod non omni exciderit Lotharingia.

(b) *Annales Bertiniani*) CONR. *annal. mſc.* Horum autor fuit vir doctus. GöBEL. Horum annalium autor incertus eſt. Bertinianorum autem nomen a monaſterio S. Bertini apud Morinos, ex quo protracti ſunt, habent. Optimos eos vocat CHENIVS. Vide MVRATORII *præfation. t. 2. ſcript. Ital.*

(c) *Hugo ac Boſo*) CONR. *annal. mſc.* Sunt optimates Franco-Gallici, nomina vero Germanica ſunt.

(d) *Hugonem Waldradæ filium*) GöBEL. Waldrada Lotharii junioris primum concubina, deinde Theutberga conjuge repudiata ſolennis uxor, quod matrimonium vero Nicolaus papa illegitimum pronunciavit, ſacrisque ſuis minis eo Lotharium adegit, ut Waldradam dimiſerit. Ex hac natus eſt Hugo, qui ut filius legitimus, Lotharingiam vindicare auſus eſt; ſed male mulctatus, a Ludovicis pacem cum clientelaribus quibusdam bonis ſibi in alimenta petere coactus eſt; atque voti compos factus eſt, poſtea autem ad priorem revertens mentem, Ludovici viribus longe inferior, ſibi fuga in Burgundiam conſuluit. *Ann. BERTINIANI ad ann.* 862. 880. *BROW. annal. Trevir. lib. VIII. c.* 118. *PALATIVS in Nicolao I. Fuldenſes ad ann.* 881.

(e) *Cameracum*) *CONR. annal. mſc.* Eſt urbs imperii ſita ad Scaldim, hacque occaſione facta juris Germ. GöBEL. *vid. GVICCIARDIN. BALDERICI Noviomenſis & Tornacenſis epiſcopi chronicon Cameracenſe & Atrebatenſe.*

(f) *Burgundia Jurana regnum*) GôBEL. Hoc Boſonem habet autorem. *REGINO ad ann.* 898. quanquam circuli ejus a Ludovico Germanico juniore graviter turbati fuerint. *Ann. Bert. ad ann.* 880.

(g) *Fracta per Ungaros*) *CONR. annal. mſc.* Hi enim vaſtarunt univerſam Germaniam & cum pleraque combuſſiſſent, reliqua fecere tributaria.

Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunenſis (Burgundiâ regem pro ſe habente) remanſit. Et ſic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Galliam cum palatio (a) *Aquis & majori parte Franciæ perdidit.* Nihil tamen hujus legas in *tabulis fœderis* (b) iſtius, quas poſt Sirmondum Aubertus Miræus *cap. 28. codicis donationum* edidit. Nihil etiam ejus habet Frodoardus: imo ex chronico ejus conſtat, Lotharienſes proceres in partes primum Roberti, inde Rodulphi, quos factioſi contra Carolum ſimplicem reges conſtituerant, inclinaſſe. Idem tamen ſub finem eorum, quæ anno 925. contigere, ita ſcribit: *Henrico* (is erat ille auceps dictus) *cuncti ſe Lotharienſes* (c) *committunt: & ipſe Berdino Dadonis epiſcopi nepoti epiſcopium Virdunenſe concedit. Qui & expulſo Hugone presbytero, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur epiſcopus. Et vero hoc demum anno* (d) ab Henrico Lotha-

(a) *Cum palatio*) CONR. *annal. mſc.* Habebant reges Franciæ multa palatia, præſtantiſſimum autem erat Aquisgranum, ubi ſedes eorum primaria erat. GÖBEL. De hiſce palatiis conf. *MICHAEL. Germanus* apud *MABILLON de re diplomatica lib. IV.*

(b) *Tabulis fœderis*) CONR. *A. E.* In tabulis illis nulli memorantur Lotharingiæ procerum ſive epiſcopi ſive alii, qui non ſteterint a partibus Caroli ſimplicis, a partibus autem Henrici item ſoli Germani. Nec aliud illis fuit pactum præter mutuam amicitiam. Itaque errarunt noſtri hiſtorici, narrantes iſthoc pacto redditam Lotharingiam Henrico Germanico, ſi fidem mereantur illæ tabulæ. Et Blondellus quidem genealog. Franciciæ pleniore aſſert. pag. 263. non dubitavit ſcribere; finxiſſe CONTINVATOREM REGIONIS, SIGEBERTVM & OTHONEM FRISINGENSEM, factam Bonnæ aliquam a Carolo Lotharingiæ ceſſionem: idque quoniam tale nihil habent fœderis tabulæ: At vero fidem illis tabulis debuiſſet potius firmis rationibus adſtruere. Eſto autem illa bona. Erraverint quidem noſtri illi in anni deſignatione, attamen non multo poſt a Carolo rege jam captivo redditam omnem Lotharingiam Henrico, ipſemet Blondellus diſerte confeſſus eſt pag. 264. hiſce verbis: *Summa poſt Bonnenſe pactum Caroli in Lotharienſe regnum poteſtas illibata manſit:* at ubi (Dithmar. L. I.) *carceralibus ſe tenebris incluſum vidit, Henrici (anno circiter 923.) auxilium implorans, et dexteram Chriſti martyris Dionyſii, & cum eo omne regnum Lothariorum, ſi ab eo liberaretur, ſibi traditurum promiſit. Exinde (Flodoardus) invitantibus Gisleberto comite, & Rotgerio Trevirorum præſide, qui nec dum ſe Rudolpho Carolo ſuffecto ſubdiderant, Rhenum transmiſit; nec arridentem fortunam urgere deſiit, donec cuncti ſe Lotharienſes ipſi anno 925. commiſerunt. Annoque ſequenti regnum Lotharingicum auſpicatus eſt. Quod ex Adalberonis Metenſium præſulis charta in Gorzenſium gratiam ſcripta clarum eſt. *Hoc enim ſine clauditur: Actum Metis publice, ſub die 17. Kal. Jun. anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti 933. regni autem glorioſiſſimi regis Henrici in regno Lotharienſium octavo, epiſcopatus autem domini Adalberonis, qui hoc ſcriptum fieri juſſit, quinto. Anno 927. legatos ad eum trans Rhenum dirigere coactus, imo per ipſos ad colloquium evocatus Heribertus, cum muneribus honoravit, ab eo viciſſim honoratus: ac tandem Carolum de cuſtodia ejecit. Qui cum anno 928. ad paucos dies ſub cuſtodia redactus fuiſſet, anno 929. Octob. 7. apud Peronam ærumnoſam vitam finivit.* Hæc omnia Blondellus. In quibus quia ingenue provocavit ad teſtimonium Dithmari epiſcopi Merſburgenſis, quem conſtat vixiſſe regnantibus Ottone III. & Henrico ſancto, ipſa viri verba itidem in medium hic adferemus ex libro I. pag. 13. edition. Reineccianæ. *Fuit in occiduis partibus quidam rex, qui ab uno ſuimet Ducum captus tenebris includitur corporalibus. Hic Henrici regis noſtri, nepotis autem ſui, implorans auxilium, dextram Chriſti martyris Dionyſii, & cum ea regnum omne Lotharicorum, ſi ab eo liberaretur, ſibi traditurum ſacramentis promiſit. Nec mora inclytus miles in victricibus ſe armis circumcingens proximum laborantem viſitat, & in ereptione ejus ac reſtitutione diligens operator mercedem ſuam promeruit & honorem priſtinum ſibi ſuisque ſucceſſoribus in tantum adauxit.*

(c) *Cuncti ſe Lotharienſes*) CONR. *annal. mſc.* Cuncti optimates Lotharingiæ.

(d) *Et vero hoc demum anno*) CONR. *annal. mſc.* Certum eſt, quod Henricus auceps totam Lotharingiam fecerit ſui juris. Effecit autem id promiſſione facta Carolo ſimplici ſeſe ipſi auxilio fore adverſus rebelles magna potentia bellica, qua Henricus etiam valebat. Demum Giſelbertum, qui erat primarius inter optimates, creavit in ducem Lotharingenſem, deditque Gerbergam filiam in matrimonium, atque ita honorem iſtum faſtidioſum ſibi conciliavit. Attamen mortuo Henrico aucupe ſocero ſtatim cœpit res novas moliri, ideoque Otto I. contra eum bella geſſit, qui & Lotharingiam ſubegit, ductu Brunonis fr. qui epiſcopus erat Colonienſis & vir bellicoſus, quare Otto M. huic dedit ducatum Lotharingiæ, quod ſine exemplo. Hic enim Bruno primus inter epiſcopos fuit, ſimul dux. Hodie omnes plane ſunt principes, imo & multi abbates in Germania ſunt principes. Ita epiſcopus Wurceburgenſis eſt dux Franconiæ. Fuit Otto M. primus igitur, qui caruit exemplo in promovendis epiſcopis, ſed quanto cum malo Germaniæ, etiam dicam. Epiſcopi enim noſtri, poſtquam curam eccleſiæ ſepoſuerunt, res mundanas tractarunt, quod eos minime decet. GÖBEL. Odia inter Carolum ſimplicem & Giſelbertum Lotharingicæ nobilitatis principem inde orta ſunt, quod Giſelbertus inique ferret, ſibi a Carolo injunctum, ut abbatiam ſub S. Servatii nomine in Trajecto loco conditam Trevirenſi eccleſiæ reſtitueret. *BLONDELLVS in genealogia Francica pleniore aſſertione, p.* 263. Erat adhuc alia irarum cauſa, nempe Carolo Richarius Prumienſis Giſelberto Hilduinus Tungrenſis Elericus in Tungrenſem placebat epiſcopum, eligentibus inter utrumque diſſidentibus, eoque rem redegit Giſelbertus, ut a Colonienſium præſule Hilduinus, invito rege, conſecratus fuerit. Sed cum Carolo amicorum ſtudiis plus ſimplici vice in gratiam rediit. Quæ reſtaurata amicitia haud dubie effecit, ut induciæ Henrico, inter quem & Carolum, hoc autore, bellum exortum, eo magis placerent, effecit. His tamen pactionibus ſalva adhuc Carolo fuit *Largior indepta hæreditas*, ut ex diplomatibus conſtat, quicquid etiam Reginonis continuator & Sigebertus in contrarium ſibi perſuaſum habeant. Sed inteſtini motus, qui Galliam affligebant, & Roberto noſtro Rudolpho Burgundiæ rege, Carolo a multis ſuorum deſtituto, Galliæ ſolium occupantibus Henrico Lotharingiam pepererunt. Sunt quæ ſuadent Carolum navatæ ſibi captivo ab Henrico operæ memor, Bonnenſi tractatu jure ſuo in Lotharingiam, ſi quod unquam habuit, deceſſiſſe. Cui deinde Giſelberti cum Gerberga aucupis filia matrimonium accedebat. CONTINVATOR REGINONIS *ad ann.* 923. HVGO FLAVINIACENSIS *P. I. chr. Vird. p.* 124. FRODOARDVS *ad ann.* 920. 922. 923. *ſeqq.* FOLENINVS ABBAS *Lobienſis c.* 19. GLABER *Rodulphus lib. I. c.* 2. SIGEBERTVS *Gembl. ad ann.* 923. OTTO FRISINGENS. *lib. VI. chr. c.* 18. OBRECHT *prodr. rer. Alſat. p.* 118. BROWERVS *annal. Trevir. lib. IX. p.* 420. MEZERAI *tom. p.* 336. HAHNIVS *in hiſtoria imperii part. II. p.* 21. *ſeqq.* GVNDLING. *in Henrico aucupe p.* 101. *ſeqq.* Henrico aucupe fatis functo, Giſelbertus, ſpreta Ottonis I. amicitia fratres ejus Henrici, regnum appetentis, partes ſecutus eſt. Sed res ipſius minus proſpere ceſſerunt, nam ad Andernacum cum Eberhardo ſocio ab Ottonis ducibus victus, Rheno, ut ſalvus eſſet, ſe committens, undis ejus periiſſe fertur. Hæc Giſelberti defectio, Ludovico ultramarino, ut de recuperanda Lotharingia ſolicitus eſſet, animos addit; ſed Ottoni bello inferior, pacem petere coactus fuit, eamque anno 942. precibus forte Gerbergæ Giſelberti viduæ, quam ſibi matrimonio junxerat, impetravit. DITMA-

Lotharingiam occupatam, etiam alii annales & hiſtorici referunt. Quo pertinent, quæ narrat Witikindus *lib. 1.* de data Giſelberto in matrimonium ab Henrico aucupe Gerberga filia: quo ſibi fidam redderet Lotharingiam, novarum aliàs rerum cupidam & turbulentam.

5. Quanquam autem tunc conveniſſet, & quamdiu quidem Henricus vixit ac *Rudolphus rex*, (a) omnia integra manſerint, h.e. usque ad annum 936. paulo tamen poſt *Ludovicus transmarinus*, (b) Caroli illius ſimplicis filius, noluit acquieſcere; ſed contra pacta conventa, ut ipſe fatetur Frodoardus, rebellantes Lotharienſes in clientelam ſuſcepit. Frodoardus anno 939. *Lotharienſes regem ſuum Ottonem* (magnum) *deſerunt, & ad Ludovicum* (transmarinum) *regem veniunt: qui eos recipere diſtulit ob amicitiam, quæ inter eos, legato ipſius Ottonis & Arnolpho comite mediante, depacta erat. Ibidem Lotharienſes iterum veniunt ad regem Ludovicum, & proceres ipſius regni, Gislebertus ſc. dux & Otto Iſaac atque Theodoricus comites, eidem ſe regi committunt. Epiſcopi vero, quoniam rex Otto eorum detinebat obſidatum, Ludovico regi ſe committere differunt.* Idem verò Frodoardus notavit, ipſo illo anno cum Giſilbertus, caput factionis Rheno ſubmerſus periiſſet, plerosque Lotharienſium ad officium & obſequium Ottonis rediiſſe: & anno 942. in ſolenni conventu Otthonis & Ludovici regum, procerumque utriusque partis, pacem denuò & amicitiam conſtitutam. Ut proinde vel hinc pateat, Ludovicum transmarinum deſiiſſe tandem Ottoni Lotharingiæ nomine moleſtus eſſe: deſperatis ſcilicet rebus, & quod Ottonis potentiſſimi affinis ope ad ſuos compeſcendos unice indigeret. Itaque & hac vice iterum ex pacto Gallus jus omne, quod prætendebat, Germaniæ transſcripſit. Æmilii ipſiusmet verba ſunt: *Francus rex, affinitate cum Ottone juncta* (Gerberga nimirum Ottonis ſorore ducta) *Lotharingiæ ſpem amiſit.* Friſingenſis lib. 6. c. 29. *Rex Otto rurſum Belgicam ingreditur, totamque in ditionem accepit. Et ex hinc provincia illa à regibus Teutonicorum absque contradictione poſſidetur.* Notatu digna ſunt, quæ iſta de re habent Mejerus & Marchantius hiſtorici Flandrici, l. 2. hiſtoriæ ſuæ. *Otto cæſar*, ait Majerus, *magnum toti Flandriæ incuſſit terrorem, incendiisque ac rapinis, quaqua poſſet, graſſatus, Gandavum* (c) *populabundus pervenit.* Paulo poſt: *Adhæc cæſar terram quatuor officiorum* (d) *occupavit, foſſamque Hontam duxit, quam Othoniam dixit ac finem imperii eſſe voluit.* Marchantius ſcribit: *Aſſidua Arnolpho Flandro ob limites Flandriæ cum Francis controverſia fuit, magnaque contentio cum Ottone primo cæſare, validam arcem Gandavi opponente foſſamque Ottingam* (e) *ducente, quam imperii metatorem limitrophum eſſe voluit.* Eſt autem Honta vel foſſa Othoniana ea, quam hodie Scaldem occidentalem nuncupamus. Quo apparet, inſulam Valacras & Sydbevelandiam controverſi antea juris, per foſſam hanc Germaniæ acceſſiſſe. Meminerunt & alii

RVS *lib. 2. p.* 338. CONTINVATOR REGINONIS & HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann.* 939. FRODOARDVS *ad ann.* 939. 940. Otto in regenda Lotharingia Conrado genero Franconiæ duci, poſt autem fratri Brunoni Colonienſium archipræſuli vices ſuas commiſit. Ducis aut archiducis titulo Brunonem Lotharingiam rexiſſe ſibique Fridericum comitem de Bar ſubſtituiſſe conſtat. Quod autem primus epiſcoporum ſecularem exercuerit poteſtatem, illud non de diœceſi ſua, ſed de Lotharingia, in qua tamen non ut epiſcopus erat, intelligendum eſt. Interim negari non poteſt, Ottonis primi potiſſimum temporibus nonnullos epiſcopos regalia conſequi cœpiſſe. Principum autem titulo jam tum Ludovici pii ætate venerunt. *WITIK. p. 650. DITMARVS p. 30. apud MADERVM. RVOTGERI vita Brunonis tom. I. LEIBN. Scr. Br. p. 279. ſeqq. DV-CHENE dans l'origine du nom & de la Maiſon de Bar le duc. p. 4. SCHILT. in comment. ad cod. jus feud. Aleman. p. 26.* Non quidem præſulis in fratrem integra ſemper fuit fides. Hugoni enim Lotharingiæ regnum aſſerere ſtuduit, ſed illico ipſum facti pœnituit. *DITMARVS p.* 335.

(a) *Rudolphus rex*) *CONR. A. E.* De illo Blondellus hæc addidit: *Rudolphus vero, qui Caroli loco in Francia occidentali regnabat anno 923. à plurimis Lotharienſium ſuſceptus in regno fuerat anno 925. Cameraci Gislebertum & Ottonem ſuos effectus in gratiam receperat; anno 935. ad Henrici colloquium properavit, pacta cum eo amicitia, Boſonem Germanum recipi, terram, quam prius habuerat ei ex magna parte reſtitui curavit, annoque ſequenti Januarii 15. vivere deſiit.* Deſumpſit vero plæraque hæc Blondellus itidem ex Flodoardo. GöBEL. De hoc Rudolpho Burgundiæ duce, anno 923. contra Carolum ſimplicem in Galliæ regem electo, vid. *PONTVS HEVTERVS rer. Burgund. lib I. p.* 26. Quidam Lotharienſium hujus, alii Henrici ſequebantur partes; unde nonnulli Henrici Lotharingorum regni epocham in hoc collocant tempus. Sed Rudolphus nec Giſelberti nec aliorum Lotharienſium amicitia diu fruitus eſt, mox enim ad unum fere omnes ad Henricum defecerunt. *HAHN. l. c.*

(b) *Ludovicus transmarinus*) CONR. *annal. mſc.* Sic dictus eſt, quod mater ejus in Britanniam ſe contuliſſet & tum temporis Ludovicus ibi regnum accepit. GöBEL. Odgina, Angliæ regis Adelſtani ſoror, Caroli mariti rebus in pejus ruentibus, ſe ad fratrem cum filio receperat, unde Ludovicus Hugonis albi Pariſienſium & Aurelianenſium comitis & Franciæ potentiſſimi ducis potiſſimum ſtudiis ad Gallicum repetitus eſt ſolium. *BVSSIER hiſtor. Franc. lib. 6. p. 298. MEZERAI abregé chronologique p. 416. PAVLVS ÆMILIVS p. 151.*

(c) *Gandavum*) CONR. *annal. mſc.* Eſt hodie urbs, ſi quæ alia, ampla. Adjacet Scaldi adeoque nobis cis Scaldim eſt, pertinet igitur ad Imp. Germanicum. Hinc cum ante annos 150. præter propter de adſciſcendo Carolo V. in cæſarem dixerant nonnulli, eum non poſſe creari in cæſarem, quod non eſſet Germanus; lege enim cautum eſſe, neminem ad imperium admitti, niſi Germanum. Alii vero oſtenderunt, Carolum eſſe non ex gente Germanica, ſed patria Germanum. Natum enim eſſe Gandavi, quod oppidum pertinuit ad imperium Germanicum. Itaque tale quid non poteſt intelligi, niſi ſciamus, Scaldin fluvium eſſe limitem Germaniæ. GöBEL. De Gandavo conſ. *la deſcription des pays bas par GVICCIARDIN p. 349. MARCHANTIVS in Flandria p. 111. ſeqq.* Gande caſtrum ad legiam ab Ottone magno exædificatum, ut terminus imperii Germanici contra Franciam definiretur. *MARCHANTIVS lib. 2.* Quæ hic de Carolo V. dicuntur, alibi examinanda erunt.

(d) *Terram quatuor officiorum*) CONRING. *annal. mſc.* Hæc terra eſt prope Gandavum, trans fluvium Scaldin. Hanc Otto M. aſſeruit imperio.

(e) *Foſſamque Ottingam*) CONR. *annal. mſc.* Schaldis, qua parte ſe exonerat in oceanum, duo orificia habet: Alterum occidentale perangustum, alterum orientale amplum. Ut itaque Otto M. terram ampliaret, curavit foſſam duci: illa dicitur Hunta, alias Ottoniana foſſa, vulgo die Waſſer-Schelde. GöBEL. Foſſa Ottoniana usque in mare Britannicum producta.

alii caſtri novi Gandæ ab Ottone ſtructi, ejusque primi *comitis Wichmanni.* (a) Aubertus Miræus *cap. 35. Codicis donationum* notat ex chronico mſ. Gandenſi, huic comitatui quatuor villas cum appendiciis fuiſſe ſubjectas, quæ hodie quatuor ambacti vulgò (Mejerus *officia* nominabat) vocentur: *Aneda*, *Bochont*, *Axel & Hulſt.* (b) Ut proinde ultra Scaldim limes imperii fuerit promotus.

6. Non tamen vel ita omni ex parte quieta reddita tunc fuit (quod Otto quidem Friſingenſis modò dicebat) Lotharingiæ poſſeſſio. Lotharius enim Ludovici transmarini filius bis Lotharingiam infeſto exercitu, jura quæ ſua credebat repetitum, invaſit, ſemel anno 977, iterum 984. *Ottone II.* (c) & III. cæſaribus. Gandam quoque Gallico juri redditam ab illo, colligere eſt ex tribus illis tabulis, quas exhibet Miræus capite 35. 36. & 37. *codicis donationum piarum. Wilhelmus Nangius* (d) in annalibus à Pithœo editis, narrat, (ſi recte eum capio) ita anno 980. rem omnem compoſitam: ut cæſar à Gallo *in beneficium ſive feudum* (e) reciperet Lotharingiam. *Lotharius* (ait) *rex Francorum, contra voluntatem Principum regni ſui, Remis pacificatus eſt cum Othone imperatore, deditque Othoni in beneficium Lotharingiæ ducatum. Quod magis corda prædictorum Principum contriſtavit, & maximè Hugonem Capiclis Pariſienſem comitem, & Henricum fratrem ejus ducem Burgundiæ.* At vero cum nihil tale vel Æmilius habeat, vel alius aliquis accuratior rerum iſtarum ſcriptor, manifeſto patet, Monacho illi Gallicano ſequioris ævi, qui demum poſt annum milleſimum treceteſimum vixit, adeoque non eſt idoneus teſtis, credendum non eſſe. Tilius diſerte in chronico, anno 980. *Ad Charum fluvium ab Ottone & rege itur in colloquium, ubi jurejurando ſancitum eſt fœdus.* Iterum anno DCCCCLXXXIV: *Novo imperatori* (is erat Otto III.) *rex Lotharingiæ ducatum invidebat, quem cum invaſiſſet paulo poſt fœdus inierunt.* Neque vero potentiam Ottonis & imbecillitatem Galli æſtimanti Nangiana illa narratio poterit facilè perſuaderi. Ipſe Nangius ita

(a) *Comitis Wichmanni*) GöBEL. Hic Gandaviorum primus comes aut inter primos gente Billingica oriundus Hermannum fratrem habuiſſe dicitur. Ex Luithgarde Arnulphi M. Flandriæ comitis filia Theudericum & Wicmannum ſuſcepit. EYNDIVS *in chron. Zelandiæ c. 5.* OVTYHEST *in annalibus Flandriæ* de hoc matrimonio ait: Luitgardi fut mariée a un, qui par le martyrologue de Saint pierre eſt attitule encette ſorte: Wichmannus in Dei nomine gratia Dei, non meis meritis comes, maritus Luitgardis. *c. 23. p. 51.* MEIERVS *in Flandria p. 20.*

(b) *Axel & Hulſt*) *CONR. A. E.* Merentur de hoc argumento legi, quæ notavit Ludovicus Guicciardinus, ubi agit de Flandria imperiali. GöBEL. Triplex erat Flandria, una, quæ ſoli ſuberat comiti, altera, quam a Galliæ rege in feudum habebat, quæ comitatus dicebatur, & tertia imperialis. Hæc Dynaſtiæ nomine venire ſolebat. *GVICCIARDIN. p.* 346. Modicum illud terræ ſpacium, quod hodie ſub nomine Aloſti comitatus inter Scaldin & Denderum notum eſt, complectitur. Olim etiam Bracantum a caſtro hujus nominis a Balduino diſtincto appellabatur. *GVICCIARD. p. 351.*

(c) *Ottone II.*) *CONR. A. E.* De illo ita ſcribit DITMARVS MERSBVRGENSIS l. 3. *Poſt hac autem imperator omni ſtudio ordinavit expeditionem ſuam adverſus Lotharium regem Karolingorum, qui in Aquisgrani palatium & ſedem regiam, noſtrum ſemper reſpiciens dominium, valido exercitu præſumſit invadere, ſibique verſa aquila deſignare. Hæc ſtat in orientali parte domus: morisque fuit omnium hunc locum poſſidentium, ad ſua eam vertere regna. Quem celeriter abeuntem cæſar inſequitur, depopulatis omnibus & incendio conſumtis usque ad Pariſiam ſedem. Reverſus inde imperator triumphali gloria, tantum hoſtibus incuſſit terrorem, ut nunquam poſt talia incipere auderent, recompenſatusque eſt his, quicquid dedecoris intulere noſtris.* Non multo poſt: Imperante tunc prædicto Ottone ſex annos Lotharius rex cum filio ſuimet, ac muneribus magnificis ad eum venit, ac ſibi ſatisfaciens amicitiam ejus firmiter acquiſivit. De illo inter Ottonem II. & Lotharium fœdere ita ſcripſit SIGEBERTVS. *Anno 980. Otto imperator & Lotharius rex convenientes ſuper charum fluvium, pacificantur datis invicem ſacramentis, & rex Lotharius Lotharingiam abjurat.* GöBEL. Belli, quod Lotharius Ottoni II. inferebat, prætextus erat, & principium expeditio, quam Otto adverſus Raginerium & Lambertum, Raginerii Longicolli Lotharingiæ comitis a Brunone bonis privati filios ſuſcepit. Hi comitatum Montenſem invaſerant, & Lotharingiam irruptionibus afflixerant. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS & GVILIELMVS DE NANGIACO *ad ann. 977.* Principalis autem haud dubie cauſa fuit, cupido, qua Lotharius in Lotharingiam ferebatur, quam magis adhuc interverti cenſebat, ut fratrem ſuum ab Ottone Lotharingiæ ducem creatum certior factus, GLABER RODVLPHVS *lib. I. hiſt. c. 3.* Non æque proſpere hoc bellum Ottoni ceſſit, Vix enim una cum conjuge Lotharii manibus elabi potuit. Et licet deinde Galliam, impreſſione in intima regni facta, male haberet, pedem autem mox referre coactus eſt, multis ſuorum in reditu amiſſis. *DITMARVS lib. 3. ann. p. 343. GVILIELMVS de NANGIS ad ann. 977. GLABER RODVLPHVS lib. I. hiſtor. c. III. LAMBERTVS SCHAFNAB. ad ann. 978. l'Hiſtoire de la maiſon de Montmorenci par du CHENE p. 60. ſeqq.* Interim Gallos ejus in Lotharingiam agnoviſſe jus, ex eo quoque apparet, quod Monaſterium S. Dionyſii in Gallia, bona in Lotharingiæ regno ad ſe pertinentia ſibi per eum confirmari curaverit. *Antiquités & recherches de l'abbaye de France par DOVBLET p. 818.*

(d) *Wilhelmus Nangius*) *CONR. annal. mſc.* Eſt ſcriptor nauci & mendax. GöBEL. Hic monachus Dionyſianus, fabulis non carens, Gallis eſt in pretio. Vixit adhuc ſub initium XIV. ſeculi, & tam in Acherii quam Quercetani collectionibus conſpicitur. Scripta ejus recenſet *OVDIN. in ſuppl. Bellarmini.*

(e) *In beneficium ſive feudum*) *CONR. A. E.* Usque adeo Nangiana iſthæc narratio omni caret veriſimilitudine, uti ipſemet Blondellus, quo nemo Gallicam illius ævi gloriam acrius defendit, pag. 266. plenior. aſſertion. genealogiæ Franciæ illam reprobaverit; notans tamen, Nangium hoc ſuum accepiſſe ex Hugone Floriacenſi. Scribit quidem etiam Gerbertus ep. 35. ad Geraldum abbatem aurelianenſem de Rhemenſium archiepiſcopo Adalberano: *A Lotharienſis regni primatibus obſides accipit & filio imperatoris parere cogit, ſub regis Francorum clientela.* Sed clientelæ vox nihil hic aliud notat, quam tutelam, Ottonis ſcilicet adhuc pueri, tantiſper dum adoleſceret ille & patrono opus habere deſineret. Id quod Blondellus etiam candide annotavit pag. 267. libri citati. GöBEL. Nangiaci narratio, quod Otto II. Lotharingiam in pactione ad Carum fluvium, aut ſecundum hunc, ad Rhemenſium urbem, a Lothario in feudum accipere conſtituerit, apud me nullam habet fidem, de maximo, quo Otto II. erat animo, perſuaſus. Interim ingenue fateor, nec Sigeberti, quem Albericus ſequitur, aſſertum veritati mihi conveniens videri, ac ſi Lotharius Lotharingiam abjuraſſet. Nam illo tempore Ottonis res eo non videntur fuiſſe loco, ut ad id Lotharium permovere potuerit. Videtur igitur cum Blondello dicendum in conventione ad Carum Carolo Lotharii fratri Lotharingiam, quam ab Ottone in feudum acceperat, confirmatam eſſe. De collato in Carolum Lotharing. ducatu vid. *SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 977.*

ita loquitur: *Anno DCCCLXXXV, Lotharius rex videns Othonem imperatorem, Othonis filium, virtute ſuorum militum proficere, mandatis & apicibus ejus obtemperans,* (a) *Virdunum urbem reddidit, & Godefridum comitem de carceribus liberavit, tractatumque concordia cum patre ſuo jam pactum, cum eo ſtabilivit.* Quæ totidem pene verbis habet Sigebertus Gemblacenſis in chronico. A quibus tamen diſſentiunt, quæ refert Gerbertus *epiſtola 72.* (b) Quid? quod ex Gerberti illius, *σύγχρονου* ſcriptoris eoque teſtis locupletiſſimi, epiſtolis liqueat, Lotharium regem non tam de invadenda Lotharingia anno nongenteſimo octogeſimo quarto cogitaſſe, quàm de illa vindicanda ab Henrici Bavari conatibus, *in uſum Ottonis III.* (c) adhuc pueri conſobrini & ſororii ſui filii. Id præclare adeo demonſtravit doctiſſimus Blondellus in ſuo *Barro Campano-Francico* (d) *pag. 20.* ut ſolum illum conſulere ſatis ſit.

7. Henrico II. cæſare *Balduinus,* (e) Flandriæ comes, Gallorum rebus addictus, Valentianas oppidum nobile aliaque vicina ignobiliora cum occupaſſet, cæſar illum quidem valido exercitu domuit: *Sic tamen quoque,* ut ſcribit Æmilius, *in conditiones deſcenſum, ut Auguſtus non Valentianas modo comiti relinqueret, ſed & Valacras adderet, isque ſeſe beneficiarium, ejus rei nomine, cæſaris profiteretur.* Addit paulo poſt Æmilius: *Pace terris veniaque à numine reddita, Henricus cæſar Robertusque rex* (Hugonis Capeti is erat filius) *ſuper charum* (f) *fluvium cum delectiſſimis ducibus comitibusque ad* collo-

---

(a) *Mandatis & apicibus ejus obtemperans*) *CONR. A. E.* Notatu dignum, & Ottonem potuiſſe mandare & Lotharium regem obtemperaſſe mandatis atque apicibus. Legi tamen etiam merentur. quibus Blondellus fidem hujus narrationis ſuſpectam reddere conatus eſt pag. 267. Utut autem ſit, certum eſt, Virdunum ut & Coloniam urbes Ottoni redditas, ſive id ſponte factum fuerit, ſive metu majoris mali. Hinc l. c. ipſe Blondellus ita loquitur: *Univerſa Lotharingici regni poſſeſſio penes Ottonem III. illibata manſit, nec Hugoni Capeto poſteriſque regibus, jamdudum cum Transrhenanis principibus de ea litem armis dirimere vacavit.*

(b) *Epiſtola 72.*) *CONR. A. E.* Idem *GERBERTUS epiſtola 100. ad Ecbertum Trevirorum epiſcopum* refert, Virdunum ſponte a Lothario rege eſſe reſtitutum. *Quantum,* inquit, *utilitatis reipublicæ contulerit, quantumve collatura ſit pax inter reges noſtros bene fundata, teſtis eſt civitas Virdunenſium, ſine cæde & ſanguine, ſine obſidibus, ſine pecuniis, in integrum imperio veſtro reſtituta; teſtis erit Colonia rebus ſibi diu ſubtractis in integrum reſtituendis.* GöBEL. *GERBERTI epiſtolæ tom. XVII. bibliotheca maximæ patrum* ſunt inſertæ.

(c) *In uſum Ottonis III.*) GöBEL. Lotharingicorum procerum non pauci in fide, quam Ottoni III. debebant, nutabant, quorum partes & Carolus dux verſatiſſimi & fallacis ingenii ſequebatur. Quæ res Lothario animos addebat aliquid in Verdunum tentandi: potiebantur quidem ea Galli, ſed brevi poſt deceſſerunt, Lotharingosque Germanorum regis permiſerunt imperio. *GUILIELMUS NANGIUS ad ann. 984. 985. GERBERTUS epiſtol. 31. 52. 57. 58. ſeqq. PAGIUS, BLONDELLUS & OBBECHT,* quæ a Lothario geſta ſunt, in Ottonis tetendiſſe favorem credunt: Sed quis ſibi hæc perſuadere patiatur, in tanta Gallorum aviditate, qua Lotharingiæ ſemper inhiarunt. Nec Gerberti adulationibus & mutationibus aliquando obnoxii teſtimonio multum tribui poteſt. Addam *ex BERCARII hiſtoria epiſcoporum Virdunenſium apud ACHERIUM tom. II. p. 238.* verba ſequentia: *Nam Lotharius rex Francorum, quoniam reſpublica erat minus defenſabilis ſub præfato principe Romanorum juvene Ottone obſedit civitatem iſtam,* (*Virdunum*) *ſed domino volente minime cepit: attamen omnia, quæ circa urbem erant, vaſtavit, contra quem cum noſtri egreſſi ad bella venirent, ab ejus exercitu ſuperati, plures capti ſunt & abducti; pro quorum liberatione Gobertus quidam miles potentiſſimus claves civitatis regi dedit.*

(d) *Barro Campano-Francico*) *CONR. A. E.* Idem docuit Genealogiæ Franciciæ plenioris aſſertionis, libri in hiſce annotatis ſæpius laudati pag. 266. GöBEL. BLONDELL. vir ſtupendæ eruditionis & memoriæ, ſæpe tamen in iis, quæ adverſus Chifletium ſcripſit, gentis ſuæ ſtudio abreptus. Pſeudo-Iſidorus omnium eruditorum in ſe quaſi convertit ora.

(e) *Balduinus*) *CONR. A. E.* Hæc etiam narrantur a Sigeberto ad annum 1006. & 1007. Rem omnem plane atque fideliter memoravit *σύγχρονος* Ditmarus l. 6. chronicor. hiſce verbis: *Interea Balduinum ducem juventus & rerum affluentia, ac mala iniquorum inflatio adverſus regem armavit, & Valentinam urbem poſſidere, poteſtatique ſuimet ſubdere, ſuaſit. Quod rex ubi primum comperit, ipſe cum ſuis militibus accedens, eripere eandem aſſidua pugnatione tentavit, & nil proficiens abiit, expeditionem ſuam in proxima æſtate ſuper Balduinum fieri orientalibus & occidentalibus firmiter indicens. Advenit optatum tempus, exercitus grandis colligitur, & a rege cum eodem ad Scaldem fluvium pervenitur. Ibi ſe Balduinus armato milite præſentans, tranſitum regi prohibere fruſtratoria ſpe nititur; ſed prudente conſilio quorundam noſtri navibus alio latenter transvecti, ejusdem nimiam præſumtionem, ex improviſo irruentes, confundunt. Fugiente eo rex in Chriſto victore lætatur, flumen transgreditur, vicinitatemque contiguam populatur. Cum autem ad abbatiam, quæ Gent dicitur, veniret, a confratribus illis eccleſiæ ſuſceptus, loco eidem & bonis appertinentibus cunctis pepercit. Tandem Balduinus magna neceſſitate coactus, humili ſupplicatione veniam impetrat, & non longe poſt per manus regis Walecra & prænominatam urbem in beneficium adipiſcitur.* Hæc omnia Ditmarus. GöBEL. DITMARUS Sigfridi comitis filius ex monacho Joann. Magd. ab Henrico II. epiſcopus Merſeburgenſis conſtitutus eſt. Procerum Germanicorum primus hiſtoriam conſignavit, ſtylo pro temporum illorum ratione ſatis eleganti, fide ſatis integra, licet patriæ interdum addictior videatur. Plura habet REINERUS REINECCIUS *in proœmio in Ditmarum.* & OUDIN *in ſupplem. de ſcriptoribus eccl. p. 325.* VOSSIUS *de ſcriptoribus latinis lib. 3. c. 5.* Quod autem ad expeditionem illam, quam autor noſter ex Ditmaro enarrat, attinet, Henricus ſanctus in Balduinum Flandriæ comitem finium ſuorum ex Lotharingiæ partibus promovendorum cupidum arma induere coactus fuit. Cum enim Otto, Caroli Lotharingiæ ducis ab Hugone Capeto capti unicus filius, prolis expers deceſſiſſet, Henricus imp. ſororum ejus maritis neglectis, Godofredo Arduennæ ducis Godefredi filio Lotharingiam contulit, quod Galli, qui Balduinum amicum habebant, inique tulerunt. Verum Henricus non tam bello quam obſidionibus infelix, Balduinum eo adegit, ut gratiam ejus efflagitare coactus fuerit, quam & impetravit, atque ut Flandrum eo magis ſibi obnoxium haberet, non ſolum Valentianas, ſed & Valachrias, cum aliis Zelandiæ inſulis, quas Hollandi ex dono Ludovici Germanici ad ſe ſpectare dicebant, ſub fidelitatis lege conceſſit. MEIERUS *in annal. Flandriæ fol. 21. 22.* ÆGIDIUS A LEODIO *tom. I. apud* CHAPEAVIL *p. 208.* ALBERICUS *parte 2. Chron. p. 44.* VOSSIUS *in annal. Holland. p 28. 29.*

(f) *Super charum*) GöBEL. SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *ad annum 1006.* ÆGIDIUS A LEODIO *l. c. p. 207.* & ÆGIDIUS BUCHERIUS *in chronologia Leodienſi ad ann. 1004.* quæ in *fine tomi I. Chapeavillani* habetur. Henrico, Valentianas obſidione claudenti, Gallorum Normannorumque auxilia adfuiſſe memoriæ prodiderunt. Verum Meiero contrarium aſſerenti ea, quæ HAHNIUS *hiſtor. imperii t. 2. p. 157.* ex HOFMANNI *annalibus Bambergenſibus* & TANGMARI *vita S. Bernardi* affert, favent. Reſtaurata vero anno ſcil. 1006. amicitia

colloquium congreſſi ſunt; pace fida ſubſecuta inter regnum imperiumque. Non multo ante autem ſcripſerat: *Belli inter Francos Germanosque redintegrandi cauſa fuit, eadem quæ ſæpius antea, incertum adhuc Lotharingiæ jus.* Et vero jam tum citra controverſiam omne illud Lotharii regnum Germaniæ conjunctum erat.

8. *Quo loco monendum* (a) omnino eſt: Lotharingiam, cum primum uniretur regno Germaniæ, habitam quaſi ſui juris regnum, ſub uno eodemque capite rege. Recte ſane hoc etiam probat is, quem ante laudavimus, Blondellus *pag. 26. & 27.* Et vero Otto primus id nominis imperator diſerte ſeſe dixit *regem Lothartenſium & Francigenum.* Verumtamen & ille hoc titulo *rariſſime eſt uſus*, (b) & poſt illum forte nemo. Sed & ille ipſe regni titulus ſenſim exolevit jam tum ſeculo undecimo. Atque ita Lotharingia in unum cum Germania corpus magis magisque concrevit, & communi imperii Romani titulo *cepit appellari,* (c)

CAPUT

amicitia eſt ad Moſam inter Henricum & Robertum. MABILL. *t. IV. annal. ordin. Benedicti p. 85.* BUCHERIUS *in chronologia Leodienſi ad ann. 1023.* & ad hunc annum SIGEBERTUS GEMBLACENSIS. GLABER RADULPHUS *lib. 3. hiſtor. c. 2. p. 26.* De alio præter hunc ad Moſam non ad Carum in Biturigibus conventum, in quo Henricus inſigne humilitatis & civilitatis teſtimonium edidit, hiſtoriæ Franciсæ ſcriptores, quos mihi inſpicere datum fuit, non tradunt. MEZERAI *abregé chronologique tom. II. ſeconde partie, p. 481.* BUSSIER *in hiſtoria Franciæ lib. VII. p. 314. En ce tems là Henry II. duc de Baviere ſurnommé le ſaint tenoit, l'empire. La Lorraine étoit le ſujet ordinaire de debat entre les François & Alemans Robert pour mettre fin a ce long procès s'en aſſembla avec Henry en un lieu nommé Enol ſur la riviere du cher & en demeura d'accord avec luy! qui tient jusques ajourdhui. Invent. genealog. de l'hiſtoire de Frances par DE SERRE p. 97.*

(a) *Quo loco monendum*) *CONR. annal. mſc.* Ante non multos annos ingens eſt orta controverſia inter ducem Lotharingiæ & regem Galliæ de ducatu Barrenſi. Nam duces Lotharingiæ audierunt, ſimul duces Barrenſes. Rex Galliæ cœperat in feudum dare ducatum Barrenſem, prætendebat enim pertinere ad regem Galliæ. Ex adverſo dux Lotharingiæ Carolus, qui adhuc tenetur captivus in Hiſpania, dicebat pertinere ad imperium Germanicum. Attamen ille coactus fuit, juramentum fiduciarum præſtare regi Galliæ, ſed pœnituit deinde. Voluit igitur armis ſe in libertatem aſſerere, quod male ipſi ceſſit. Nam rex Galliæ non tantum eum ex Barrenſi ducatu, ſed ex tota Lotharingia tanquam rebellem ejecit, quæ etiam cauſa fuit belli Lotharingici. Latius hac de re ago lib. II. Pro Carolo duce Lotharingiæ conſcripſit librum JOH. JAC. CHIFLETIUS de oppugnandis Gallis & defendendis Hiſpanis. Sane magnum nomen hoc libro ſibi comparavit. Fuit alias Medicus, ſed rerum peritiſſimus, ſane cum prodiret in lucem, perculſi ſunt Galli, adeo ut cogitarent, quomodo huic rei ſubvenirent. Reſpondit itaque huic libro Blondellus Theol. Gall. reformatæ religionis tanta peritia antiquitatis, ut lectorem rapiat in ſtuporem: Non crediderim, hujusmodi hominem doctum reperiri. In hoc opere conſcribendo non amiſit vitam ſuam, ſed viſum. Titulus libri eſt: Barro Campano-Francici. GöBEL. Ad[illegible]rum II. hæc controverſia ut par eſt examinabitur.

(b) *Rariſſime eſt uſus*) Diplomata, ubi hic titulus reperitur, vide in *libello de geſtis abbatum Gemblacenſium* apud ACHIERUM *tom. II. p. 760. 761.* MIRÆUM *in Cod. donat. piar. c. XXXII p. 130 diplom. Belg. p. 33.*

(c) *Cepit appellari*) *CONR. A. E. EGIMUS* proxime de Lotharingia univerſa, ab ipſiſmet ultimis Carolovingicæ familiæ in Gallia regibus Germanico regno conceſſa, & per Capetanos Chriſtianiſſimos ſucceſſores hactenus nunquam, veterum prætextu jurium, per annos ſeptingentos circiter, repetita. Quoniam vero Lotharingicum regnum omnium primum eſt eorum, quæ ex Lotharii imperatoris tertia integri & vaſti Francorum regni, quale illud Carolus magnus & Ludovicus pius poſſederunt, portione, Germanico regno acceſſerunt, a nuperis autem quibusdam Gallis nova, nec ante hac unquam audita, de Chriſtianiſſimorum regum in cuncta imperii Carolini ſuperſtite jure ſine rubore proferuntur, toti orbi terrarum convellendo idonea, fortaſſis haud intempeſtivum fuerit, ſaltim pauca quædam iſthoc de argumento heic adjicere. Nec vero nunc tangam illa, quæ de jure Galliæ regum in univerſum terrarum orbem CLAUDIUS DU PRE, JACOBUS CHARRON aliique jam antehac non dubitarunt prætendere eo nomine, quod Galli ſint Gomeri, filii primogeniti Japheti progenies, cui proinde ratione juris primogenituræ omnia competant; jam enim obſoleta propemodum hæc ſunt deliria, & ab omnibus, quod equidem ſciam, paulo prudentioribus quamvis Gallis in furorum ordinem relata. Cæterum illud cujus paulo ante memini, etiamnum in ore eſt complurium, & majorem nonnihil veri ſpeciem invenit. Ante omnia vero etiam eſt atque etiam obſervandum, a nemine Chriſtianiſſimorum regum tale quidquam jactatum eſſe hactenus ſive reapſe, ſive ullo verbulo. Ut proinde tales novas ſententias ipſiſmet regibus quaſi auctoribus tribuere velle, non minus nefas fuerit, atque ſi illa quorundam juris doctorum placita, de Romani imperii ſuperſtite jure in univerſum orbem, aut ſaltim in illa, quæ a Romanis quondam fuerunt poſſeſſa, Germanicorum noſtrorum cæſarum conſenſui velis referre acceptum. Tam ſane hæc remota ſunt a ſententiis, ut noſtrorum Auguſtorum ita & Chriſtianiſſimorum regum, quantum ſapientia diſtat ab inſania. Non ſane ipſimet Chriſtianiſſimi reges propterea ſuſpecti eſſe cuiquam debent, quoniam libelli nonnulli talia profeſſi, a typographis ſint editi, indultu regio impetrato. Plane idem enim eſt frequenter factum in Italia pariter & Germania, nulla imperatorum noſtrorum culpa vel minima, etſi & illi caviſſent typographis, de non permittenda nova librorum ejusmodi recenſione. Quid? quod in media Gallia etiam ſcriptores nonnulli aperte muſtea illa popularium quorundam ſuorum ſomnia improbaverint? Quaſi unum tempora; quoniam e. g. Lotharingiæ alienatio non a ſolis regibus facta eſt, ſed ſimul etiam a populo, quia omnibus regum conventibus adſuiſſe & procerum delectos quam multos, conſtanter memorant hiſtoriæ. Pridem igitur ipſe populus Lotharingiam alienavit: neque ex illo tempore populus Franco-Gallicus unquam vel nutu de injuria ſibi facta eſt conqueſtus, ſed firmam pacem cum imperio Germanico coluit. Sane ſi populo Francico fas fuit acquirere terrarum aliarum dominia, fas etiam eidem fuit amittere dominium illud ſive ſpontanea alienatione, ſive derelictione imo etiam per vim majorem, prout ante illa armis potiſſimum acquiſierat. Omnes ergo non reges duntaxat ſed etiam populus pro derelicto habuerunt vetera illa deperdita. Unde liquet, nova iſthæc placita eſſe iniquiſſima, & nihil aliud quam turbulentas paucorum adulantium cauſidicorum machinationes. Quod ſi porro primis occupatoribus omnia a Francis unquam poſſeſſa jure debeant reddi, non Franco-Gallis illa ſed Germaniam hodieque incolentibus Francis Orientalibus cedenda cuncta iſthæc fuerint. Noſtri enim illi vere originarii ſunt Franci, horumque majores ipſam Galliam effecerunt ſuam. In verorum porro Francorum & nomen & rempublicam multis ſeculis Germaniæ omnes populi ſunt adoptati: ac proinde æquali ſaltim jure ad populos Germanicos pertineant veteres Francorum poſſeſſiones, velut ad Gallos alienigenas: hi utique non debent in Germaniam ſaltim iſthoc obtentu ſibi vel tantillum arrogare. Certe id, qui faciunt homines nuperi iſthac in re agunt iniquiſſime. Caſſanum denique quod attinet, nihil illius commento quidquam eſſe vanius, liquidum eſt omnibus & Carolovingicæ & Capetanæ Chriſtianiſſimæ gentis rerum vel leviter peritis. Omnia enim utique monumenta teſtantur, Hugonem

Digitized by Google

Caput VII.

Ambitus veteris regni Lotharingici ex tabulis antiquiſſimis proponitur: ſimulque Barrum ducis regno illi jam olim accenſitum eſſe, oſtenditur.

I.

Quemadmodum omne Lotharingiæ regnum, ipſamet Galliâ jus ſuum cedente, æterno fœdere Germaniæ acceſſerit, & in unum reipublicæ corpus coaluerit, hactenus diximus. Videtur vero non abs re futurum, ſi expreſſiùs nonnihil indicemus limites ejus contra Galliam; ne qua controverſia inde oriatur, aut, quæ orta eſt, firmis rationibus munita tollatur è medio. Eſt autem hodie quoque lis non levis de Barri ducatu: quem juri ſuo Gallia vindicat, tanquam Gallico in

Capetum nullo hæreditario jure ſed ſola libera Occidentalium Francorum electione regiam dignitatem eſſe conſecutum: nec niſi ſola affinitate Carolovingicam familiam attigiſſe. Usque ſane adeo Caſſaniana illa ab omni ſunt vel ſimilitudine veri aliena, ut ipſemet Blondellus non potuerit non hominis inſanum illud dogma acri animadverſione perſtringere. Digna eſt, quæ cum cura expendatur magni illius Gallicorum jurium hyperaſpiſtæ cenſura, qualis habetur in præfatione apologetica dicta. Eſt quidem illa nonnihil forte prolixior, quoniam tamen Blondelli illud opus in paucorum eſt manibus, cenſura autem illa viri doctiſſimi omne hoc argumentum egregie illuſtrat, itaque non pigrabimur hoc loco verba ipſa cenſuræ adjicere, & hanc quidem concertationem hoc ipſo nunc claudere.

Dum utrinque vi geritur res, Jacobus Caſſanus regius in Bituricenſi prætorio advocatus, bono ſed parum cauto zelo, ſuo certe periculo, cum multa probabilia, ſed nondum ſatis comperta, ſcriberet, de regis Chriſtianiſſimi in regna, ducatus, comitatus, urbes, regiones ab externis occupatas, juribus, circiter anno 1638. edidit: ejusque ſtatim Deſianus Arroiius Lugdunenſis eccleſiæ theologus libello, quæſtiones deciſæ inſcripto, veſtigia preſſit. Vterque Hiſpanicæ partis hominibus & bilem movit, & quicquid illa ſuggerebat, evomendi libidinem provocavit. Cornelius Janſenius Theologus ob ſuſceptam animoſe cauſam Iprenſi paulo poſt epiſcopatu auctus, ſub patricii Armacani larva latens, in marte ſuo Gallico nihil non virulentarum calumniarum in Francos tam veteres, quam hodiernos effudit. Quas una litura, redemta anno 1648. cum fœderatis Belgii ordinibus pace, percuſſosque nuper cum Anglis a papæ cultu ac communione alieniſſimis fœdere, id ipſum, quod in aliis improbabat, admittens Hiſpanica gens induxit. Acceſſit Franciſcus Zipæus juriſconſultus protonotarius apoſt. canonicus, officialis & archidiaconus Antverpienſis, qui id ſibi negotii credidit ſolum dari, ut Jacobi Caſſani, quaſi Francorum omnium eſſet, hiatum obſtruxiſſe videretur. Poſtremus, velut prælio ad triarios redeunte, in arenam deſcendit, cum quo mihi proprie res eſt, Joannes Jacobus Chiſletius, Hiſpanici regis archiater.

Cum infinitis fere modis Capetinam gentem Carolino ſanguine imbutam fuiſſe conſtet, idque ad oculum ipſi demonſtraverimus, non injuria, Chriſtianiſſimum regem, qui totius gentis caput, Caroli magni nepotem, imo in nepotibus principem haberi & dici voluerat Caſſanus. Sed quod univerſam Carolinæ gentis hæreditatem, hoc ad eum nomine devolutam fuiſſe, & quotquot ejusdem partes quomodocunque poſſident, aliena ſuo tempore reſtituenda occupare, ſcripſit; (ut de falſitate nihil dicam,) invidioſum plane & intempeſtivum jure videri potuit: quandoquidem Capetus noſter ad regnum hæreditario jure, quia Caroli per matres nepos erat, evectus non eſt, ſed libera & legitimæ electionis via, qua imperio digniſſimus viſus, poſtremo Carolino regni incapaci, ut novam deinceps poſteris ſucceſſionem fundaret, a Francis univerſis ſuffectus eſt. Nec ſine abſurditate & ἀντιλογία ab eo, qui ſalicum jus fœminas a regno arcens defendebat, id fundamenti loco ſterni potuit, Capetum ductu tantum fœmineo a Carolo oriundum natalium jure Carolinam hæreditatem creviſſe, idque ipſum eum maternæ origini debuiſſe, quod deberi per vetuſtum regni morem nequaquam poterat. Quis enim non videt a matribus, quarum ad regnum jus nullum eſt, juris, quo abſolute carebant, nihil nepoti tradere jus fasque fuiſſe? Fuerit ergo (ſi maternum decus ſpectare libeat) & ante regnum illuſtrior, & poſt electionem legitimam rex nobilior, non tamen magis rex, quam fuiſſet, ſi ex familia, quam Carolinus tradux nullo modo contingeret, genus ſuum repetiviſſet. Nec aliud in eum ex ditione Carolina electionis jure translatum eſt, quam quod poſtremis Carolinis, Ludovico IV. Lothario & Ludovico V. obvenerat, iidemque Francis occiduis, quibus ſolis imperabant, quosque de aliis Carolini imperii membris extra fines ſuos ſitis ſtatuendi poteſtate abſolute deſtitutos fuiſſe, res ipſa clamat, transferendum reliquerant. Demus tamen quicquid usquam Carolini dominii fuit, ad Capetum & poſteros avitæ ſucceſſionis jure devolutum fuiſſe, nec ad alios legitima ulla via tranſire debuiſſe: Annon ideo momento & tempore ebuccinare inconſultum & intempeſtivum fuiſſet, quo Franciam Occidentalem, dominii ejusdem in Germania, Italia, Belgio quomodocunque poſſeſſorum, viribus aut favore ſubnixam, adverſa fronte cum Hiſpanica id ipſum (quantum quantum eſt) inani ſpe jam dum devorante concurrere neceſſe erat? Galliam, Germaniam, ipſamque cis Iberum Hiſpaniam Francici regni titulo Italiam Longobardici regni & imperii Romani jure ſibi Carolus magnus vindicaverat, & poſteris vindicandum dederat, ſi ſoli ex iis Capetini ſuperſint, nec juſtos alios Dominos vaſta illa Carolinæ ditionis compages ferre poſſit, ad quoscunque ſive major ſive minor ejusdem portio tempore ullo devenerit, aliena ab initio invaſiſſe, iisque nunc inſediſſe, ex Caſſaniana hypotheſi ſtatuendum fuerit. Sic papa totius imperii Romani, quod ab anno 800. in occidente rurſus fundatum eſt, & regni Longobardici in Spoletano, Beneventano, Ferrarienſi, Urbinate ducatibus, Marcaque Anconitana: potens reſpublica Veneta, Rhætica, Genuenſis, & Lucana, Tuſcia, Mantua, Mutina, Parma, duces, ſub alpinæ regionis principes, &c. in Italia: Helvetii, Sabaudus, Lotharingus, Belgii fœderati ordines, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Palatinus electores, Clivia & Juliaci duces, cum eccleſia Leodienſi in Gallia: Univerſi imperii principes proceres, civitates in Germania: Capetinorum ſpoliis induti æternum ſibi ab iis, ne quando ſua armis aut ullo quocunque modo repoſcant, metuendum non injuria cenſuerint; nec ſine occulto odio & horrore infeſte (ſi ſuo jure uti velit) gentis decus & proſpera contuebuntur, tantumque a fœderibus cum ea vel ſervandis vel percutiendis aberunt, ut inpendentis ab ea periculi, nunquam non pectus lancinantibus ſuſpicionibus efferati de ea ne unquam tremendas e proximo criſtas attollat, conjunctis virtutibus opprimenda in communi conſultaturi videbuntur. Quod Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. Sed nihil orbi Chriſtiano a Capetina familia, antiqua hæreditarii regni poſſeſſione contenta noxæ paratur. Nihil illa in damnum vicinorum (quos, quantum licebat, benigno ſemper ſinu fovet) moliri ſolita eſt. Non ſe ad alia omnia regna colligenda natam putavit unquam, quæ tam inſani faſtus fermento turgentes ferre nequaquam potuit. Nec oſtentato Caſſaniani terriculamenti ſpectro percelli quisquam debuit. Hactenus doctiſſimus Blondellus. Göbel. Caſſana Aurojanaque commenta MAIMBVRGIVS in *hiſtoria iconoclaſtarum & decrementi imperii* Gallice ſcriptis recoxit. Viri fata ex hiſtoria literaria nota ſunt. Aulæ Romanæ odia, ob imperii jura in pontificiam ſedem, ſui regis tamen intuitu, vindicata, non niſi regii hiſtoriographi munere eludere potuit. Huic ſeſe oppoſuit autor libelli Gallici, cui titulus *ſtatus clypei* (bouclier d'etat) inditus eſt. In quo de tribus quæſtionibus ſolicitus eſt, oſtenditque legis ſalicæ attributa, quæ Maimburgius ipſi inferre

in ſolo extra regnum Lotharingiæ ſitum, Lotharingica principum domus Germanico imperio ceu Lotharingici regni portionem aſſerit. Partes illas utrinque animoſe propugnantibus duobus longe harum rerum peritiſſimis ſcriptoribus, altero Joanne Jacobo Chiffletio in *commentario Lothatienſe*, altero Davide Blondello in *Barro Campano-Francico.* Etſi enim jam tum capite tertio de finibus illis allata ſint in medium teſtimonia ex antiquiſſimis monumentis, ſimul tamen eſt monitum, ſcriptores illos ἐν πλάτει quidem omnia definire, non exacte tamen; ut ſolet fieri ab obiter agentibus. Videtur autem univerſus ambitus Lothariani regni, quale quidem illud fuit anno octingenteſimo ſeptuageſimo, quàm rectiſſime omnium poſſe colligi ex tabulis illis, quas ſæpe jam memoravimus, quibus Ludovicus Germanicus & Carolus calvus fratres duas in partes omne illud regnum diviſere. Eòque commodum fuerit illas hoc loco proponere velut cynoſuram. Verum enimvero ex Aimoini quidem appendice illas non niſi perquam mutilas depromſeris: paulo meliores exhibuit ex Bellovacenſi & ſuo codice Petrus Pithœus: remedium felicius attulit Jacobus Sirmondus in *capitulis calvi:* (a) ſed & hunc ſuperavit, niſi fallor, Aubertus Miræus. Igitur hujus opera utentes dabimus tabulas illas, quales habentur *capite viceſimo codicis donationum piarum*, explicationibus, quas addidit Miræus, non omiſſis.

2.

ANNO *incarnationis Dominicæ DCCCLXX regni CAROLI XXXIII, indictione III, VI Idus Auguſti, inter glorioſos reges CAROLUM & HLUDOVICUM fuit hæc diviſio regni facta, in procaſpide ſuper fluvium Moſam.*

Et hæc eſt portio, quam ſibi HLUDOVICUS accepit.

Coloniam. *Colen*, ad Rhenum.
Treveros. *Trier*, ad Moſellam.
Utrech. (b) *Ultrajectum*, ad veterem Rheni alveum.
Stratsburch. *Argentoratum*, ad Rhenum.
Baſulam. *Baſel*, ibidem.
ABBATIAM Sueſtre, *Suſteren* in ducatu Juliacenſi.
Berch. *prope Ruremondam.*
Niu monaſterium. *forte Huy.*
Caſtellum. *Keſſel*, ad Moſam.
Indam. *S. Cornelis Münſter*, prope Aquasgrani.
S. Maximini. *prope Treveros.*
Echternacum. *Echternach*, oppidum & Abbatia in ducatu Luxeburgenſi.
Horreum. *Treverenſe* monaſterium.
S. Gangulfi. *S. Gengoul.*
Faverniacum. *Faferney*, abb. in comitatu Burg.
Polemniacum. *Poligny*, oppidum & abbatia ibid.
Luxovium. *Luxeul*, opidum & abbatia ibidem.
Luteram. *Lure*, abbatia in Alſatia.
Balmam. *Baulme les Nonnes.*
Offonis villam. *Vellefaux.*
Megeni monaſterium. *Moin moiſtier*, abbatia in Loth.
S. Deodati. *S. Dielj*, in Loth. ad Murtham.
Bodonis monaſterium *fortè Bodonuille.*
Stiuagium. *Eſtiuay*, abbat. in Loth. ad Murtham.
Romerici montem. *Miremont, in Loth.*
Morbach. *Murbacum*, in Alſatia.
S. Gregorii.
Mauri monaſterium. *Maur münſter.*
Eboresheim. *Abbatia.*
Homowa.
Maſonis monaſterium. *Maeſmünſter.*
Homburg.
S. Stephani Stratsburch.
S. Urſi in Solodoro. *Soleurre.*
Grandi vallem. *Grandvaux.*
Altam petram. *Haulte pierre.*
Juſtinam. *fortè Mont Juſtin.*
Vallem Cluſæ.
Caſtellum Carnonis. *Chaſtelc. chalon.*
Heribodesheim. *Abbatia.*
Abbatiam de Aquis.
Hohenchirche.
Auguſtchirche.
COMITATUM Teſtrebant. *Teyſterbant.*
Batua. *Betuwe.*

Hattu-

ſert ſomnia eſſe. Quod argumentum ante ipſum egregie CHIFLETIUS Blondelli non impar antagoniſta, & AUTOR *martis Gallici*, de titulo Chriſtianiſſimi cæteroquin admodum ſolicitus, pertractarunt. Pudeat Gallos in tanta rerum veritate orbi glaucomata objicere velle. Adſunt tot ſeculorum lapſus & quietæ gentium poſſeſſiones, renunciationes tacitæ & expreſſæ, ordinum tacito aut expreſſo conſenſu approbatæ regnorum regentiumque, nec non notabiles rationum rerum publicarum mutationes, imo generis humani ſaluti conducit, exoletas ejusmodi prætenſiones æterno ſepulta jacere ſilentio. Si quid forte Carolingorum in has vel illas terras unquam fuerit juris hæreditarii, hoc tamen ad Capetingos & ex eorum ſanguine nata poſteriorum regum ſtemmata extendi non poſſet; licet aliæ deleti juris deeſſent cauſæ; cum ſanguine enim rectorio jus evanuit & gentes Carolingis olim obnoxiæ libertati alios ſibi conſtituendi rectores, reſtitutæ ſunt. *GROTIUS de J. B. & P. lib. II. c. IX.* Etenim qui ex fœminina ſtirpe Carolingis forte accreverant, per Salicam legem, ut eam Galli urgent, repellebantur. Fabularum profecto neniæ ſunt, Capetingicam gentem Carolingos agnatione attigiſſe. Saxonicæ fuit propaginis Hugo Capetus, Roberti nempe fortis, a Carolo calvo Francorum ducis & marchionis creati, pronepos, Roberti regis nepos, Hugonis magni Francorum ducis filius. Veterum teſtimoniis hoc probat CHIFLET *dans le faux Childebrand p. 16. 17.* cui jungi poſſunt SANMARTHANI *in hiſtor. genealog.* MEZERAI, BUSSIER & IMHOF *in geneal. Franc. p. 10. 11.*

(a) *Capitulis calvi*) *CONR. A. E.* Videatur integer titulus quadrageſimus tertius capitulorum iſtorum cura SIRMONDI collectorum pariter & in lucem editorum. GöBEL. apud Baluzium p. 221. ſqq.

(b) *Utrech*) *CONRING. A. E.* In hiſtoria Ultrajectina Wilhelmi Hedæ, ubi agitur de Hungaro undecimo epiſcopo, reperitur diploma inſcriptum: *Confirmatio Ludovici ſub Hungaro.* Eſſe illud profectum a Ludovico Germanico pii filio, ſatis quidem liquet, nec male numeratus & ſubſcriptus eſt annus XXI. regni in Orientali Francia. Deficit autem annus Chriſti: qui proinde ſuppleri debet reſpectu habito ad illam Lotharingiæ inter Ludovicum & Carolum inſtitutam diviſionem.

Digitized by Google

Hatturias, *ad fl. Neers* in Geldria.
Maſau ſubterior de iſta parte, *Onder Maeslandt.*
Item Maſau ſuperior, quod de iſta parte eſt, *Opper Maeslandt.*
Liugas, quod eſt de iſta parte, *Liege.*
Diſtrictum Aquenſe, *Aken*, *Aix:*
Diſtrictum Tectis ſeu Tetis, *prope Spa.*
In Ribuariis comitatus V. *ad Ruram fl.*
Megenenſium, *Meyen*, prope Andernacum.
Bedagowa, *Bidburg*, verſus *Meyen.*
Nitachowa, *ager ad Nidam* fl. in Lotharingia.
Sarahhowa ſubterior, *ad fl. Sar*, in Loth.
Bleſitchow, *Blis*, verſus Treveros.
Selme, *Salme*, ad Saram fl.
Albechowa, *Sar alben.*

Suentiſium, *Sanctoy* in Lotharingia.
Calmontis, *Chaumont* ad Moſellam in Lotharingia.
Sarachowa ſuperior, *Sargen.*
Odornenſe, quod Bernhardus habuit. *Darney*, in ſilva Voſego.
Solocenſe, *Solien*, in Burgundia.
Baſiniacum, *Baſſigny.*
Eliſchowe, *ager Aliſienſis* vel *Elſatius.*
Waraſch, *comitatus de Vareſco.*
Scudingum, *Salins*, in comitatu Burg.
Emaus.
Baſalchowa, *ager Baſileenſis.*
In Eliſatio comitatus II. *Elſaten.*
De Friſia duas partes.

3.

D*e regno quod HLOTARIVS habuit ſuper iſtam diviſionem, propter pacis & caritatis cuſtodiam, ſuperaddimus iſtam adjectionem.*

Mets. 4. *Civitatem Mettis, cum abbatia S. Petri & S. Martini & comitatu Moslenſi, cum omnibus*
Ourt. *villis in eo conſiſtentibus, tam dominicatis quàm & vaſallorum. De Arduenna, ſicut flumen Urta*
Condron *ſurgit, inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Moſam: & ſicut recta via pergit in Bedenſi, ſecun-*
Prum. *dùm quod communes fideles noſtri rectiùs invenerint, excepto quod de Conduſtro eſt ad partem Orientis*
Stauelo. *trans Urtam. Et abbatias Prumiam, & Stabolau, cum omnibus villis dominicatis & vaſallorum.*

Et hæc eſt portio, quam CAROLVS de eodem regno ſibi accepit.

Lugdunum, *Lion.*
Veſontium, *Beſancon.*
Viennam, *Vienne.*
Tungris, *Tongre.*
Tullum, *Toul.*
Viridunum, *Verduil.*
Camaracum, *Cambray.*
VIVARIAS, *Vivarez.*
Vcetia, *Vſez.*
Montem Falconis, *Mont faulcon ad Moſam.*
S. Michaelis, *S. Miel* in Lotharingia.
Culdini monaſterium, *Coul monſtier.*
S. Mariæ in Biſontione, *Juſſanum monaſterium.*
S. Murtini, in eodem loco.
S. Eugendi, *S. Oyan de Joux* vulgò *S. Claude.*
S. Marcelli, *à Chalon.*
S. Laurentii, *S. Laurens* in comitatu Burg.
Leudenſe.
Sennonem, *Sénone* abbatia in Lotharingia.
Abbatiam Mellam.
Melbarium.
Laubias, *Lob* ad Sabim.
S. Gaugerici, *prope Cameracum.*
S. Saulii, *prope Valentianas.*
Criſpinio, *Creſpin*, in Hannonia.
Foſſas, *Foſſe*, in d. Leodienſi.
Marilias, *Maroilles*, in Hannonia.
Hunulcurt, *Honncurt*, in diœceſi Camer.
S. Servatii, *S. Sernas à Maeſtricht.*
Malinas, *Malines*, ad Demeram.
Ledi, *Lier*, in Brabantia ad Netam fl.
Sunniacum, *Soignii*, in Hannonia.
Antonium, *Antoin*, prope Tornacum.
Condatum, *Condé*, in Hannonia.
Merrebecchi, *Meerbeke*, prope Ninoviam.
Ticlivinni, *Dieckelvenne*, prope Gerardi montem.
Luitoſa, *Lenſe*, in Hannonia.
Calmontis, *Calmons*, in d. Leod.

S. Mariæ in Deonant, *Dinant.*
Echa, *Eyck*, prope Maſeicam.
Andana, *Andenne.*
Wasleoi, *Wasler*, in Fania.
Altum montem, *Hault mont.*
COMITATVM Texandrum, *Kempenlandt.*
In Brachbanto comitatus IV. *Brabant.*
Cameraceſium, *Pays de Cambreſy.*
Hanioum, *Hainau.*
Lomenſem, *vers Namur.*
In Hasbanio comitatus IV. *Haisbaigne.*
Maſau ſuperior de iſta parte Moſæ, *Maeslandt.*
Maſau ſubterior, quantum de iſta parte eſt.
Liugas, quod de iſta parte Moſæ eſt, & pertinet ad Veſatum, *Liege Vieſet.*
Scarbonenſe, *Scarbonne ad Moſellam in Loth.*
Viridunenſe, *Le Verdunois.*
Dulminſe.
Arlon, *in ducatu Luxenburg.*
Vaurenſe comitat. II. *Terre de la Vajure ad Carum fl.*
Mosminſe *Monſon.*
Caſtricium.
Condruſt, *Condreux.*
De Arduenna ſicut flumen Urta ſurgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Moſam: & ſicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Bedenſi, ſecundum quod Miſſi noſtri rectiùs invenerint.
Tullenſe, *Toul.*
Aliud Ordonenſe, quod Termarus habuit.
Barrenſe, *Barrois.*
Portenſe, *Portian.*
Salmoringum, *Semurre in ducatu Burg.*
Lugdunenſe, *le Lionnoys.*
Viennenſe, *le Viennoys.*
Viuarias, *Vivarez.*
Vcetiam, *Vſez.*
De Friſia tertiam partem.

5. Hactenus tabulæ & quidem ex *Miræi editione*, (a) ac cum ejuſdem explicatione nominum antiquiorum. Quamvis enim in multis Miræus haud nobis ſatisfaciat: cum tamen inſtituto noſtro parum aut nihil referat, noluimus quidquam mutare, in commodiorem forte locum operam iſtam relegantes. Tantum monemus: in recenſione illa ordinem iſtum obſervatum, ut primo loco epiſcopatus, ſecundo monaſteria, tertio comitatus, veniant. Id quod cur ita factum ſit, haud aliam fortaſſe cauſam attuleris, præter inſignem archiepiſcopalium ac epiſcopalium locorum, ut & monaſticorum bonorum præ reliquis tunc dignitatem & pretium: quodque ea ætate in omni Lotharii regno nullus dux aut marchio reperiretur, primo duce inſtituto *ab Henrico aucupe.* (b) Verum de hiſce pro inſtituto ſatis.

6. *Dicendum nunc etiam eſt* (c) de BARRO, quod ducis, ad differentiam Barrorum aliorum ad Albam & Sequanam, appellatur, num Lotharingiæ regni pars ſit nec ne. Paucis verò tantum rem proponemus, quod latius cum alii, tum quos ante laudavi duo illi, præclari ſane ſcriptores, Chiffletius & Blondellus, eo de argumento jam diſputaverint. Igitur poſſit forte cui videri Barrum, ſaltim quo tempore conditæ ſunt tabulæ, Gallici fuiſſe juris; idque quoniam & *in tabulis nulla* (d) ejus ſit mentio, & quia â ſcriptoribus antiquis Moſa limes Gallici & Lotharingici regni perhibetur. At horum quidem nihil merito quem turbet. Non prius: Illa enim tempeſtate quei potuiſſet Barrum in cenſum venire, quam demum arx ibi Barri nomine à Friderico duce ſit conſtructa, ut recte probat Chiffletius, idque obſervante ipſomet Blondello anno circiter nongenteſimo quinquageſimo quarto? Non poſterius: Nec Moſam, nec Scaldim, nec Rhodanum enim adeo ſtricte omnia finiiſſe, ut nihil in alteram ripam excurrerit, affirmare utique nos cogunt ipſæ illæ tabulæ & alia veteris ævi monumenta: quod jam tum audivimus. Majus præſidium Galli merito collocant in illis Frodoardi verbis, ad annum nongenteſimum quinquageſimum ſecundum: *Fridericus, Adalberonis epiſcopi frater, qui filiam Hugonis principis ſibi deſponderat, in hoc regnum veniens munitionem in loco qui dicitur Banis, inconſulto rege vel regina conſtituere cœpit, & loca circumpoſita crebris deprædationibus diripit. Pro qua re valde moleſtus rex Ludovicus legationem ſuam dirigit ad Othonem &c. Legati regis Ludovici ab Othone regreſſi, nunciante nolle imò prohibere Othonem regem, ne Fridericus vel aliquis ſuorum ullam munitionem in regno habeat, niſi conſenſum regis Ludovici ſuper hoc ſibi obtinere queat.* Ex quibus verbis fateor equidem manifeſto conſtare, caſtrum quod illo anno exſtruxit dux Fridericus in ſolo Gallico fuiſſe conditum. At *Banis illud caſtrum* (e) eſſe Barrum, non ſane Gallorum quiſquam probavit hactenus. Imo ipſemet Blondellus pag. 9. *contra communem ſuorum ſententiam*, Fanis ſcribendum exiſtimat, quemadmodum & in mſ. quodam legi notaverat jam Pithœus: Fanis autem eſſe *Fains*, ubi Renatus dux anno milleſimo quingenteſimo octavo deceſſit, octavo circiter à Moſa milliari ad Ornæ lævam ſitum, & Barro proxime ſeptemtrionem adjacens. Blondellus quidem etiam ex illa vicinitate Barri & Fanis conatur veroſimile reddere, ut Fanem ita & Barrum in ſolo eſſe Francico. Quis neſcit vero, ea quæ in confiniis ſunt vicina diverſorum ſæpe jurium eſſe?

7. Ex

(a) *Miræi editione*) CONR. *A. E.* Emendatiora omnia & longe pluribus atque locupletioribus notis illuſtrata ſecunda vice in Belgicis ſuis dedit idem Miræus. Quæ proinde & legi hic debent & cum cura expendi. Nec vero omnia etiam iſta huc adferre operæ fuerit pretium. Tanti tamen illa, nec immerito, fecit diligentiſſimus Germanicarum antiquitatum ruſpator Vorburgius, ut magni ac ſtupendi operis duodecimo volumini pag. 590. & aliquot ſequentibus integra inſeruerit, ubi igitur legi itidem hæc poterunt: quanquam Vorburgiana iſthæc volumina paucos hactenus lectores invenerint, & infra meritum ſoleant vulgo æſtimari: gratum mihi V. C. donum. GöBEL. Vorburgiana volumina, vaſtioris adhuc operis, quod tamen conſcriptum eſſe dubito, prodromus, a quamplurimis contemtim habita. Videtur autor noſter cum MEIBOMIO *introd. ad hiſtor. Saxoniæ p. 94.* in vero eis pretio conciliando non parum laboraſſe. Opus profecto multarum non cuivis obviarum veritatum complexu maxime conſpicuum. THOMASII *ſpecimen jurisprudentiæ judicialis c. IX. m. I. p. 105.*

(b) *Ab Henrico aucupe*) GöBEL. Hoc de Giſelberto Henrici genero eſt intelligendum.

(c) *Dicendum nunc etiam eſt*) CONR. *annal. mſc.* Fit hic mentio Barri. Sed hic notandum, Barri nomine varia loca venire: ita aliud ad Sequanam, aliud ad Albam. Hinc tantum quæſtio eſt de Barro, qui eſt in ducatu Lothar. GöBEL. Barrum caſtrum a Friderico, primum comite, deinde Lotharingiæ duce, in loco, qui *Banis* dicitur, conditum. DV CHENE *in hiſtoria Barrenſi.*

(d) *In tabulis nulla*) CONR. *A. E.* Imo diſertis verbis inter eas partes Lotharingiæ, quæ Çarolo calvo obtigerunt, fit mentio Barrenſis ſive Barronis, hoc eſt comitatus Barrenſis. Nec vero hoc habet ſola Miræi, ſed etiam ipſamet Pithæi & Sirmondi tabularum iſtarum editio. Ut ergo ipſæ illæ tabulæ pro jure imperii præbeant longe firmiſſimum teſtimonium. GöBEL. DV CHENE *in hiſtoria Barrenſi* ex Flodoardo refert, Ludovicum transmarinum indigne tuliſſe, quod Fridericus Moſellanus dux in Galliæ limitibus caſtrum Barrenſe exſtruxerit, atque propterea apud Ottonem, qui Lotharingiæ imperabat, conqueſtum eſſe. Tradita hæc Frodoardi non æque Gallorum favere partibus mihi videntur. Nam quid Ludovicus neceſſum habuiſſet, & ab Ottone precari, ut vetaret, ne a Friderico loca munirentur, ſi caſtrum, quod exſtruebat aut reſtaurabat, ſub Gallico ſitum fuiſſet dominio. Quod ſi enim hoc locum habuiſſet, haud dubie caſtri illius munimenta, ut dominus ſupremus dejeciſſet, & refractarium armis coërcuiſſet. Barri exſtructio Ludovico diſplicebat, quia in æmulationem & viciniæ damna hic locus videbatur conditus. Quod autem Otto decreverit, illicitum fore Friderico, invito Ludovico loca munire, non neceſſitatis, ſed civilitatis & prudentiæ fuit, ut eo magis omnem Ludovico, qui Lotharingiam penes Germanos eſſe ægre ferebat, belli eriperet occaſionem.

(e) *Banis illud caſtrum*) GöBEL. Sunt quæ ſuadent omnino caſtrum Bannis vel rectius Barris a Friderico anno 951. conditum Barrum eſſe. BROWERI *annal. Trevirenſ. lib. IX. p. 465. part. I.* FRANCISCVS ROSIERS *ſtemmat. Lotharingiæ tom. 6. præfat.* Barri originem tempora Friderici excedere, illudque ab hoc tantum reſtauratum dicit, cujus ſententiæ veterum loca favere non videntur, quique eo minus aſſenſum meretur, quo magis, fabularum ipſum fuiſſe conditorem, conſtat. Nec merentur attendi, quæ pro Gallorum juribus antiquis in has terras LVDOV. CHONTEREAVLE FELVRE affert in tractatu, qui inſcribitur, *queſtion hiſtorique ſi les provinces de l'ancien Royaume de Lorraine doivent etre appellées terres de l'empire.* Veterum enim teſtimonia non detorta ipſi adverſantur.

Digitized by Google

7. Ex adverſo longe complura Barrum Lotharingiæ aſſerunt. *Primo* enim ipſemet Blondellus pag. 7. ex hiſtoria fundationis abbat. S. Michaelis hæc verba adducit de duce Friderico: *anno nongenteſimo quinquageſimo quarto de tertia parte poſſeſſionum abbatiæ S. Michaelis caſtrum Barrum caſavit*, & pag. 6. repetit producta à Chiffletio ex Brunone Tullenſi & Herculano de prima caſtri illius Barri exſtructione. In quibus omnibus, ut & in Frodoardo aut quo alio ſcriptore, legere nihil quidquam eſt: repugnante id Gallo aut conſenſu ejus impetrato factum eſſe. Audivimus vero jam tum, & Ottonem vetuiſſe arcem à Friderico condi in fundo Gallico, &, cum Fanim ille ſtruxiſſet, ægre id tuliſſe Gallum, conatus illos improbante ſimul Ottone. Niſi Barrum itaque fuiſſet in fundo Lotharingico, non profecto illud tuliſſet Gallus. Tantum Gerhardus Tullenſis epiſcopus conqueſtus eſt apud Ottonem, quod in prædio Tullenſis eccleſiæ Fridericus ſe invito arcem ſtruxiſſet: *à quo dux ſatisfacere juſſus* (verba ſunt Brunonis Tullenſis) *pro pervaſione prædii, mutuæ viciſſitudinis conditione, duas abbatias Medium monaſterium & Galilaam, cum aliquot villis patrimonii ſui contradidit ei, ut poſſet ipſe pacifice poſſidere, quod præſumpſerat ſibi.*

8. *Secundo.* Si Barri ſolum non fuiſſet jam tum Lotharingicum, ad Campaniam utique pertinuiſſet. Et ſane contendit Blondellus Barrum Campano-Francicum eſſe. At vero diſerte ita loquitur Bruno Herculanus chronici S. Deodati ſcriptor. *Cum comes Campaniæ Belgicæ incurſionibus & rapinis Lotharingorum agros popularetur, Fridericus dux Lotharingorum nihil prius habuit, quam in prædio epiſcopi Tullenſis (cum nullus commodior locus ſeſe offerret) arcem ſive propugnaculum ſibi conſtruere, & forti munire præſidio, quo non tam facilem aditum, ut prius, comes ad Lotharingos haberet: quod ampliatum & in oppidum redactum usque hodie Barrum ducis vocatur.* Cui autem veroſimile fiat, arcem in ſolo Gallico imo ipſa Campania contra Gallos & Campanos ſtructum, illis haud reclamantibus?

9. *Tertio:* quod momenti eſt maximi. Ne quidem à Blondello, omnis illius antiquitatis diligentiſſimo ſcrutatore, vel leviſſimum potuit indicium adferri, non dico exerciti ſed ne quidem prætenſi à Galliæ regibus juris in Barrum, ante annum milleſimum trecenteſimum primum: quando Philippus pulcher rex Henricum Barri comitem bello victum vi compulit *ad hominium ligium ſibi præſtandum.* (a) Utique autem per integros trecentos & quinquaginta annos ſaltem aliquid contigiſſe par eſt, quod dignum memoratu cenſuiſſent annales. Adducit quidem ille *pag. 17. & 18.* nonnulla; ut, quod rex Ludovicus ſanctus ſeculo decimo tertio Henricum Barri comitem miſerit Venetias; & inter Theobaldum Campanum Navarræ regem & Henricum judex ſederit. Sed prius quidem illud nihil ad rem facere, cuivis facile liquet: quidni enim imperii princeps poterit eſſe in miniſterio Gallico? Conſtat vero etiam manifeſto & ipſiusmet Ludovici regis tabulis, in regem à litigantibus fuiſſe compromiſſum, adeoque regem illum non fuiſſe ordinarium judicem. Eadem illa Blondelliana nihil faciunt ad probandum, Barrum fuiſſe feudum quondam Campaniæ comitum: utut ex Regeſto veteri chartarum comitatus Campaniæ adferat verba, quibus Barri comes appellatur Campaniæ comitis *fidelis.* Nec enim iis indicatur, Barrum ipſum fuiſſe in illo fidelitatis jure, ſed Barri comitem; qui ſcilicet tenuit quædam ſimul Campaniæ bona. Imò ſi Barrum fuiſſet feudum Campanicum, quo jure potuit Philippus pulcher rex ad ligium hominium ſibi præſtandum Barri comitem anno milleſimo trecenteſimo primo compellere, cum tamen comitatus Campaniæ demum anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quinto ipſomet Blondello teſte pag. 19. coronæ Gallicæ ſit unitus? Tenuiſſe autem Barrenſem comitem nonnulla conceſſione Campanorum, ipſe Blondellus pag. 17. teſtatur, quando notat, *anno circiter milleſimo centeſimo quinquageſimo Agneti filiæ Rainaldo comiti Barrenſi nuptæ Lineium caſtrum cum territorio adjacente dotis nomine donaſſe Theobaldum magnum Campaniæ comitem palatinum.* Nec verò potuit Blondellus indicium Campanici feudi in Barrenſi familia invenire antiquius anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto, quodque adeo non ſit poſterius dono illo Theobaldi.

10. E contrario haud levia in antiquis monumentis ſuperſunt etiamnum veſtigia juris Germano-Lotharingici in Barrum exerciti. Id quod *Quarto* loco eſt notandum. Utique enim qui primi ſtruxerunt Barrum & poſſederunt Lotharingiæ duces, clientes fuere regum Germaniæ non Franciæ. Diploma fundationis monaſterii S. Michaelis in Barro monte ſubſcripta habet hæc verba: *datum anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo indict. XIV. anno XXXV. imperii magni Ottonis*, ut refert Chiffletius pag. 3. Eſt vero, ut idem indicat, diploma illud ſcriptum Barri: ac proinde locus ille in ditione tum fuit Ottonis. Cum porro Barri caſtrum a duce Lotharingiæ eſſet in prædio Tullenſis eccleſiæ exſtructum, conqueſtus eſt de injuria non apud Francum ſed cæſarem Otto-

(a) *Ad hominium ligium ſibi præſtandum*) GÖBEL. Henricus III. dux Moſellanus & Barri comes, ut Angliæ regis Eduardi ſoceri ſui bellicas adjuvaret res, in Campaniam impetum fecit. Hac re graviter commotus Philippus pulcher dynaſtiam Torcii, quam a Gallia in feudo habebat, exuit, eamque fratri ſuo Valeſiæ comiti attribuit. Quod Barrum fiſco ſit addictum, non invenio. Conjicio igitur, Henricum, ut dynaſtiam Torcii recuperaret, Barrenſem comitatum in feudum Philippo offerre coactum fuiſſe. Quomodocunque autem hæc res ſe habeat, certum eſt, ſi monumentis a Chenio hiſtoriæ Barrenſi adjunctis fides adhibenda, Henricum a Philippo ad juramentum fiduciarum ſibi de Barro præſtandum anno 1301. adactum fuiſſe. *DU CHENE l. c. p. 39.* conf. quoque *THEODORI GODOFREDI genealog. domus de Bar*, in qua multis *WASSEBURGII* aliorumque ſcriptorum Lotharingicorum errores emendavit. Comitatum ducatus dignitatem, Galliæ rege Joanne jubente, in Roberto regis genero anno 1357. accepiſſe *CHENIUS l. c. p. 54.* aſſeverat. Hoc deinde ſine maſcula denato prole Joanna filia ejus, ut prætenſioni in ducatum deſiſteret, Guiſiæ comitatu aliisque terris placata, ducatus ad Renatum Andegavenſem, quem ei Roberti patruus Ludovicus Cardinalis dono dedit, delatus eſt. Quod ſi itaque Theodericus a Lamberto in geſtis pontificum Leodienſium aliisque veterum dux Barrenſis vocatur, ex errore factum. Dux enim erat non Barri, ſed Moſellanus ſive Lotharingiæ ſuperioris,

Ottonem Tullenſis epiſcopus & cæſar coegit ducem, Tullenſi, aliis bonis redditis, ſatisfacere: ceu clariſſime liquet ex iis, quæ ex Brunonis Tullenſis & Herculani libellis profert Chiffletius, & negare non auſus eſt Blondellus. Eſt autem omnium conſenſu ejusmodi actus non leve indicium exercitæ jurisdictionis. Quando item anno milleſimo trigeſimo ſeptimo *Odo Campaniæ Gallicæ comes* (a) Barrum vi occupaſſet, ad injuriam ſuam pertinere illud judicavit cæſar *Conradus ſaliquus.* (b) Diſerte Otho Friſingenſis l. 6. cap. 31. *Otto comes ſacramento rupto denuo in Gallia imperatori rebellat: cumque AD IGNOMINIAM EJVS caſtrum quoddam Barrum nomine obſidione cinxiſſet, a Gothilone Belgarum duce aliisque regni fidelibus occiditur.* *Wippo* (c) σύγχρονος illi rei ſcriptor in vitâ Conradi ſalici ita loquitur: *Eodem anno præfatus Odo de Francia in regno imperatoris quadam loca invadens, à Gozilone duce Lotharingiorum, & filio ſuo Gothefrido & Gerhardo comite, atque à militia epiſcopi Metenſis, pugna commiſſa cum illo, fugiendo interfectus eſt.* At vero nihil, quod quidem alicujus eſſet momenti, occupaverat Odo præter Barrum: ac proinde fuit illud tum *in regno imperatoris.* Idem ſubindicant hæc Sigeberti: *Anno milleſimo trigeſimo ſexto Odo contra imperatorem rebellans Lotharingiam incurſat, caſtella oppugnat, urbem Leucorum, quæ Tullus* (d) *dicitur, obſidet, & in nullo temperat furori ſuo. Anno 1037. Odo Barrum caſtrum obſidet & capit. Gothilo dux ægre ferens inſolentiam Francorum cum Lotharingis occurrit Odoni, & conſerto prælio apud Barrum Odo perimitur, & Francorum exercitus gravi cæde attritus à Lotharingia fugere compellitur.* Hæc inquam ſubindicant, Barrum tunc habitum Lotharingiæ partem. Cæſus enim prope Barrum Francorum exercitus Lotharingiam fugâ dicitur deſeruiſſe. Blondellus quidem vult, factam cædem in diœceſi Catalaunenſi, adeoque in comitatu Campaniæ ipſo. Sed is quem adducit teſtem Glaber non id ſcribit: ſed tantum, lacerum Odonis cadaver à Catalaunorum præſule uxori redditum. Is ſcilicet in loco prælii inter cadavera fecerat illud inveſtigari. Non obſcure autem eodem, quo Sigebertus, modo loquitur Paulus Æmilius, negotium hoc omne narrans in Henrico I. rege: ut accurate inſpicientibus facile apparebit. Dignum memoratu etiam eſt, quod ex Alberico recitat Chiffletius pag. 6. *Imperator Henricus* (anno milleſimo centeſimo decimo tertio) *Belgas ingreſſus Rainoldum comitem, hoſtem judicans, bello petiit; quem in caſtro Barro, in TERMINO REGNI ſito, obſidione clauſum, ad ultimum eum expugnato caſtro in deditionem accepit & captivum abduxit.* Idem paulo poſt: *Intervenientibus pro comite Barri Rainoldo de toto regno nobiliſſimis conſanguineis, imperator eum cuſtodia ſolvit & cum omnibus ſuis, ut ſibi cognatum, ad propia remiſit: tantummodo hominium ſibi ab eo ſuſcepit.* Clarum ſanè eſt *regni* nomine non Gallicum ſed quod imperium aliàs dicitur intelligi: & tamen diſerte Albericus agnovit. Barrum fuiſſe ſitum *in termino*, non extra regni terminum. Ad hoc quia fas fuit cæſari, Barrum & obſidere & expugnare, Gallo id non ægre ferente: magno ſane hoc indicio eſt juris in Barrum cæſarii. Porro hominium ſibi a Barri comite præſtari fecit cæſar; idque, ut diſerte ſcribit Waſſeburgius, *pro caſtro Barro.* Rainaldum enim comitem *libertati ſine pretio aſſertum fuiſſe, interventu, precibus & favoribus principum & nobilium aula cæſarea, præſtitiſſe tamen hominium & fidem imperatori pro caſtro Barro, quod in feudum ſe poſſeſſurum promiſit; ut ſcriptum reperitur in hiſtoria civitatis Virdunenſis.* Blondellus pag. 13. non admittit Waſeburgii hoc teſtimonium, ut Francici regni hoſtis ac ſcriptoris nudius tertius nati. Audivimus verò illum ſecure provocare ad annales Virdunenſes: quorum auctorem non profecto licuerit illis nominibus à teſtimonii dictione rejicere. Alios jurisdictionis cæſareæ in Barrum ex veteri illo ævo actus adferre, nihil attinet.

11. *Quinto* loco haud injuria collocaveris: quod Barrum jam olim habitum fuerit pars *pagi Tullenſis*, (e) hic autem regni Lotharingici. Poſteriùs liquet ex tabulis modò productis: ubi Tullenſe diſerte numeratur inter ea, quæ Carolo calvo obvenerunt. Tullenſe autem Tullenſem diſtrictum utique ſignificat. Prius verò longe diſertiſſime ſcribit Glaber Rodulphus, homo Gallus isque vetus, *lib. 3. c. 9.* ſub finem: *Conſcendit Odo in Tullenſem pagum quem jam ſæpius depopulaverat, IBIQVE oppugnans cœpit Barrenſe caſtrum, cum magna direptionis everſione totius provinciæ.*

12. Mitto alia, quæ argumentum hoc aliàs probare poſſent: quum ex hiſce in medium allatis jam tum nequeat amplius eſſe obſcurum, antiquum imperii jus in Barrum: utut forte nonnihil illud detrimenti poſt annum milleſimum trecenteſimum ſit paſſum.

CAPVT

(a) *Odo campaniæ Gallicæ comes*) GöBEL. *ANNAL. HILDESHEIM. ad ann. 1037. GLABER RADVLPHVS lib. 3. c. 9.*

(b) *Conradus ſalicus*) GöBEL. Sed irarum inter Salicum & Odonem non tam occupatum Barrum fuit, quam Burgundiæ, quam ſibi, ut Rudolphi ſororis Berthæ filio, non Conrado, deberi autumabat, invaſio. Addunt ſcriptores, ipſum Italico regno & imperio inhiaſſe. Sed tantis conatibus cædes ejus in prælio, quo cum Godefrido Burgundiæ duce contendebat, finem impoſuit. *Chron. Virdun. p. 134. HEPIDANVS* & *HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 1032. GLABER RADVLPHVS lib. IV. c. IX. chr. Saxo ad annum 1037. ARNVLPH. MEDIOLAN. l. 2. c. 9.*

(c) *Wippo*) *CONR. annal. mſc.* Deſcripſit vitam cæſaris Conradi ſalici. Vixit tempore Henrici III. Hujus nomen eſt antiquum. Vocabulum Germ. hodie exolevit, niſi quod in Friſia adhuc reperiatur. GöBEL. Wippo notæ optimæ ſcriptor. *VOSSIVS c. 44.*

(d) *Tullus*) *CONR. ann. mſc.* Eſt urbs nobilis regni Lothar. ad Moſam fluvium.

(e) *Pagi Tullenſis*) *CONR. ann. mſc.* Intelligitur hic per pagum non vicus aliquis, ſed ingens quidam tractus. GöBEL. Frequens eſt hæc vocab. pagi in veteris ævi monumentis ſignificatio. Catalogi pagorum veterum qui exſtant, multis laborant defectibus.

Caput VIII.

Ipſam Franciam Occidentalem in obſequio quidem fuiſſe Germaniæ regum, ſed non niſi brevi momento & leviter: eoque in illam imperio Germanico nihil ſolidi juris acquiſitum eſſe.

1.

Non numerabo inter illius temporis acquiſita Germaniæ bona Franciæ ipſiusmet Occidentalis regnum: parum tamen abfuiſſe, quin rurſus accederet, certum eſt.

2. Primùm ferè id ſerio tentatum fuit ab obitu ſtatim Ludovici balbi regis: cum is deceſſiſſet nondum legitima nata ſubole, & res Franciciæ interim ſummo in periculo verſarentur. Narrat enim Sigebertus, anno octingenteſimo octogeſimo rege illo mortuo, *de regno illius Francos varia ſenſiſſe: aliis illud filiis Ludovici balbi ex concubina deberi judicantibus: aliis Boſoni provincia regulo ad illud injuſte invadendum aſſentientibus: aliis vero illud regno Germania reſociare volentibus.* Jam tum *cap. VI.* ex annalibus Bertinianis narravimus, quoſdam procerum Francorum conſilia tum agitaſſe, de tradendo regno illo Ludovico Ludovici Germanici filio: Sed hunc receptâ integrâ Lotharingiâ à Francia iſta manum abſtinuiſſe. De illo negotio ita loquitur abbas Prumienſis: *Ludovicus, qui Auſtraſii imperabat, cognita morte aquivoci ſui* (Ludovici balbi) *regnum illius invadere diſpoſuit, & transvadata Moſa imperii fines occupavit. Cui accurrerunt duo memorati fratres* (filii nothi regis balbi) *cum valida manu. Sed intercurrentibus viciſſim legationibus nequaquam pugna committitur, ſed pax roboratur. Adoleſcentes, quo impetu fœderatus ab eo recederet Ludovicus, portionem regni Lotharii, quam avus,* (Carolus) *paterque* (balbus) *tenuerat, ex integro illi conceſſerunt, addita inſuper Atrebatis abbatia S. Vedaſti.*

3. Verum quod Ludovicus noluit, acceptavit frater ejus Carolus craſſus: idque non vi, non armis, ſed communi procerum Franciæ illius conſenſu. Sigebertus ita loquitur: *Anno octingenteſimo octogeſimo quinto Karlomanno Francorum rege* (Balbi nothi filii) *mortuo, Northmanni Franciam repetunt; dicentes, ſe cum rege Francorum tantùm, non cum Francis, pacis pepigiſſe pactum. Hinc compulſi Franci, Karolum imperatorem ad auxiliandum ſibi invitantes Franciam ei ſubjiciunt.* Similiter Otto Friſingenſis l. 6. 8. *Occidentales Franci principibus amiſſis* (Ludovico & Carolomanno filiis balbi) *Karolum imperatorem, qui tunc ſolus ex ſtirpe Karolorum ſupereſſe videbatur, ultro invitant, eique venienti ſubjiciuntur.* Supererat tunc quidem adhuc ex Ludovici balbi filiis Carolus, isque legitimo natus matrimonio, ſimplex qui audit. Verum cum per infantiam rebus eſſet regendis impar, & reſpublica virum fortem quæreret, quem Normannis opponeret, vulgoque omnibus tunc eſſet perſuaſum: flagitante reipublicæ uſu licere proceribus nullas obſervare regiæ hæreditatis leges: merito dixeris, Carolum craſſum jure optimo Franciæ illius plenum imperium ſibi acquiſiviſſe, quum in electionem ejus omnes conſenſiſſent. Neque enim fit veroſimile, (quod nonnulli volunt) Carolum illum *tutorio tantum nomine* (a) regno iſti præfuiſſe. Unius Alfonſi Delbenei epiſcopi Albienſis ſcriptoris Gallici ex *l. de gente ac familia Hugonis Capeti*, lubet verba tantum in teſtimonium adducere: *Carolus craſſus regnum per quatuor annos, non tutorio nomine neque procuratorio, ſed ſummâ poteſtate adminiſtravit.* Propugnavit idem nuper Jacobus Alexander Tenneurius libro Pariſiis ante biennium edito, titulo *Veritatis vindicata parte 1. cap. 8. art. 1.* Non temerè tamen negaverim, craſſum ſimul ſimplicis Caroli tutorem egiſſe. Ita ſane intelligendus videtur & Guido Baſochius, de craſſo & proceribus Gallicanis loquens ad annum octingenteſimum octogeſimum quintum: *Imperatori prædicto regnum puerumque committunt.* Idem anno 888. *Carolus imperator, levis animoque remiſſus, cum ad gubernandum regnum ſimulque imperium ſe non ſufficere metiretur, tutelam pueri,* (*videlicet Karoli ſimplicis*) *cum regni procuratione, committit Odoni filio Roberti Andegavenſium comitis; quia virtute militari præſtare cæteris regni principibus, morumque & corporis elegantia, videretur.*

4. *Craſſo dignitatibus omnibus exuto* (b) regem quidem proprium, & quidem illum ipſum à craſſo cæſare tutorem regni datum, Odonem conſtituere auſi ſunt Francici proceres; non tamen niſi conſenſu Arnolphi Germaniæ regis implorato. Hinc Otho Friſingenſis l. 6. cap. 2. *Occidentales Franci Odonem, Roberti filium, virum fortem, CONSENSV Arnolphi regis regem creant.* Idem cap. 11. de Arnolpho: *Occidentalem Franciam Odo ejus AVTORITATE habuit.* Regino ut & annales Meten-

(a) *Tutorio tantum nomine*) GöBEL. Carolum craſſum non tutorio ſed regio jure Galliam moderatum eſſe, non uno liquet argumento. Galliæ ordinum conſenſu, cum Carolus ſimplex turbidis Francorum rebus a Normannis graviter laceſſitis impar videretur, electus, regium ſumſit diadema, actusque majeſtaticos ſuo non alieno exercuit nomine. Porro regni Francici annos ſeorſim numeravit. Sub præcepto ejus de Cucjaco, qualiter ſub jugo Nivernenſis epiſcopi eſſe debeat, reperitur: *anno autem regni domini Karoli piiſſimi imperatoris auguſti in Italia V. in Francia* (*orientali*) *IV. in Gallia II.* Idem habetur ſub diplomate ejus pro cœnobio Antiſſiodorenſi. Vid. *MABILLON de re diplomat. lib. VI. p. 554. 555.* Huic accedunt tam antiquorum, quam recentiorum etiam Gallorum teſtimonia. *Annal. Fuldenſ. Bertiniani REGINO, HERMANNVS CONTRACTVS, SIGEBERTVS GEMBLAC. ALBERICVS ad ann. 885. WILHELMVS MALMESBVRIEN. p. 38. MEZERAI, BVSSIER, JEAN DE SERRES* in Carolo craſſo. Forte a veritate non eſt alienum, quod aliqui tradunt, Carolo non niſi eo pacto Galliæ regnum regendum datum, quam ut ſimplici, maturiorem nacto ætatem, illud redderet.

(b) *Craſſo dignitatibus omnibus exuto*) GöBEL. Artibus potiſſimum Arnulphi, ut monitum, qui ut regendi oneri imparem ſolio deturbandum eſſe ordinibus perſuadere novit, qua in re commodam etiam nonnullorum ex clero eſt expertus operam. *Annales Fuldenſes, Hildesienſes* aliique *ad ann. 887. Chronicon Lauriſhamenſe p. 673. OTTO FRISINGENSIS lib. VI. c. IX. BARON. tom. X. annal. ad ann. 888.*

Digitized by Google

Metenſes ad annum octingenteſimum octogeſimum octavum: *Interea Galliarum populi in unum congregati, cum CONSENSV Arnolphi, Odonem ducem filium Roberti, virum magnum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ſapientiæque magnitudo inerat, regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant.* Illum Arnolphi conſenſum tacuit quidem Paulus Æmilius, ita tamen loquitur: *Arnulfus Auguſtus ſalutatus Franciæ quoque regem ſe dictabat, resque pace belloque gerebat; cum maxima procerum pars, Balduino Flandriæ comite ac Fulcone Rhemenſi archiepiſcopo reclamante, Odonem tutorem Caroli ſimplicis regnare jubent.* Alii nonnihil explicatius hæc tradunt. Hermannus contractus: *Anno octingenteſimo octogeſimo octavo, Odo Arnolphum regem Franciam petentem HVMILITER adiens, & benigne ſuſceptus PERMISSO ejus invaſum* (a) *retinuit regnum.* Annales Francorum Fuldenſes anno 888. *His auditis rex* (Arnolphus) *Franciam petiit, habitoque ad Franconefurd generali conventu, diſpoſuit, adventare Wormatiam. Quod Odo comperiens, ſalubri utens conſilio, conteſtans ſe malle regnum ſuum cum GRATIA regis pacifice habere, quam ulla jactantia contra ejus FIDELITATEM ſuperbire; veniensque HVMILITER ad regem, gratanter recipitur. Rebus ab utraque parte, prout placuit, proſpere diſpoſitis, unusquisque reverſus eſt in ſua.* Witichindus Corbejenſis l. 1. *Huic* (Arnolpho) *Odo diadema & ſceptrum & cætera regalia ornamenta obtulit, imperiumque domini ſui* (Caroli ſimplicis, ut accipio) *GRATIA imperatoris Arnulfi obtinuit.* Et vero manſit in obſequio Arnolphi Odo, niſi quod anno octingenteſimo nonageſimo tertio in partes Caroli inclinaverit Arnulphus. Regino: *Carolus vires Odonis ferre non valens patrocinium Arnolfi ſupplex expoſcit. Æſtivo ſiquidem tempore jam dictus rex conventum publicum Wormatiæ civitate celebravit: ubi CAROLVS venit, & Arnolfum magnis muneribus ſibi conciliat, regnumque, quod uſurpaverat, EX EJVS MANV PERCEPIT. Juſſum eſt etiam, ut epiſcopi & comites, qui ad Moſam reſidebant, illi auxilium ferrent, & cum in regnum inducentes, in ſede regia inthroniſarent.* Addit: *Sed neutrum horum illi quicquam profuit. &c.* Unde Hermannus contractus anno DCCC XCV. *Arnolfus rex cum Odone Galliarum rege ad ſe veniente pacem firmat: Caroloque filio regis Ludovici balbi non multo poſt venienti & munera offerenti, auxilium denegat.* Regino item ipſemet: *Odo rex cum magnis muneribus ad Arnolphum venit: à quo honorifice ſuſceptus eſt: omnibusque impetratis pro quibus venerat, in regnum evertitur.*

5. Verum enimvero hæc quoque Germanici regni reverentia cum Arnolfo rege anno noncenteſimo nonageſimo nono pene interiit. Nec enim ſive Ludovico ſive Conrado regibus Germanicis obſequium ullum Galli detulerunt. Imo integrum illis Lotharingiæ regnum ſubtraxere, ſui illud juris facientes Caroli ſimplicis auſpiciis. De Carolo tamen illo Sigebertus Gemblacenſis ad annum 922. ſive 23. potius, ita narrat: *Karolus rex Francorum, cum auxilio Lotharienſium, juxta urbem Sueſſionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis, qui contra ſe regnum Francorum invadebat, cum multis peremit, & SE & FRANCIAM Henrico regi* (Germanico, aucupi dicto) *SVBMITTIT. In pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretioſi martyris Dionyſii Pariſienſis, auro gemmisque incluſam.* Nihil hujus habet Frodoardus. Id tamen ſatis clare ſignificat: Victoriam illam de Roberto perempto *inſigniore clade corruptam*; (b) usque adeo averſis à Carolo procerum omnium animis, ut novum regem *Rudolphum Burgundum* (c) non dubitaverint illi opponere, & fraudibus circumventum Carolum in cuſtodiam dare: adeoque coactum quaſi Carolum poſt dubium illud prælium ultra Moſam ſeſe transferre. Æmilius tantùm hoc refert: A Carolo *oratores miſſos ad Henricum Germanorum regem,* (is erat quem aucupem appellitant) *qui Lotharingiam ei redderent, novaque auxilia peterent.* Nec Witikindus porrò aut alius aliquis temere, id quod Sigebertus, refert. Eoque vereor, ne ex hoſtium Caroli calumniis fortaſſe accepta ſit illa Sigeberti narratio. Et vero Æmilius quoque docet, amicitiam Henrici regis noſtri & Caroli in calumnias ejusmodi Gallorum incurriſſe. Æmilii verba ſunt: *Henricus cum Franco rege fœdus icit, eique poſcenti Germanorum copias auxilio miſit contra adverſariam factionem: Germanisque magis quam ſuis ſeſe credebat communiebatque ſimplex. Ea res novam illi flammam invidiæ apud Francos conciliavit. Auxitque eam mox, quod credebatur in animum induxiſſe, ſe FRANCIAMQVE Henrico Germanorum regi ſubjicere, ne bello à Germanis vexaretur, ſed eorum auxiliis, ſi opus eſſet, juvaretur. Id vero univerſa nobilitas Francorum non ferens, ad æmulum regni Robertum ſtudia viresque inclinavit.* De prælio ipſo mox agens & præcipue de Roberti rebus; *alterum* (Robertum) *commendabat recens ſacrum ſua virtus, Odonis fratris memoria, avi mors pro Francorum rebus obita, ac cauſa belli ſuſcepta in vulgus jactata, libertas, nomenque Francorum hactenus gentibus nobiliſſimum, ne Germanis regibus, ne Auguſtis exteris ſervirent.* Igitur ut agitaverit forte conſilia ejusmodi Carolus num tamen Galliam Henrico ſubjecerit, incertum arbitror. Certe caruit res ſucceſſu, reluctantibus omnibus Franciæ proceribus, *captivo*

(a) *Permiſſo ejus invaſum*) GöBEL. Teſte *FLODOARDO in hiſtoria Rhemenſi lib. IV. p. 597.* Arnulphus Gallicum reſpuit diadema, & maluit Odonem ſub ſe Galliæ imperare, quam ipſe rebus regendis ibi præeſſe. *WITICHINDVS CORBEJENSIS lib. I. annal. p. 637.* Quem nexum nec ipſe Carolus ſimplex ſprevit, modo ſibi Arnulphi contra æmulum auxilia conciliare poſſet. *FLODOARDVS l. c.* Amplius quid vinculum illud, quo Odo, quam ex Adelheide Ludovici pii filia Roberto forti Capetingorum ſatori natum eſſe dicunt, Arnulpho adſtrictus erat, quam inæquale fœdus absque ſummi imperii deminutione involviſſe adverſus *TENNEVRIVM in veritate adverſus Chiffletium vindicata* aſſerendum videtur.

(b) *Inſigniore clade corruptam*) GöBEL. Robertus poſt Odonis fratris mortem a Gallis Carolo ſimplici oppoſitus ſigna cum eo in Lotharingia conferens confoſſus eſt, filius autem ejus inſignem a Carolo reportavit victoriam. *FRODOARDVS ad ann. 923.*

(c) *Rudolphum Burgundum*) GöBEL. Robertum transjuranæ (cisjuranæ) Burgundiæ ducem, virum animi & corporis donis præſtantiſſimum, Carolo, ut dictum, prælio ſuperato, ſibi regem conſtituerunt. *GLAB. RADVLPHVS lib. 1. c. 2. MEZERAI abregé chron. tom. I. p. 324.*

captivo Carolo ipſo, (a) & Henrico nihil tale moliente, ſed ſola Lotharingia contento, dum eam ipſi firmata pace permitteret rex novus *Rudolfus.* (b)

6. *Haud legas porro,* (c) omni ſecuto tempore vel Galliæ regnum in obſequio Germaniæ cæſarum fuiſſe, vel litem aliquam hinc Galliæ a Germanis motam. Nec vero moror illa a Chifletio adducta in vindiciis Hiſpanicis *pag. 118.* Namque Otto IV. cæſar a Franco nobiliores Galliæ urbes petiit, *ſed promiſſionem ludicram* (d) non imperio ſed ſibi privatim factam prætexens, ſimulque infelici prælio eſt victus.

7. Ottonis illud inſolens facinus emendavit longe rectius & prudentius Fridericus II. cæſar anno milleſimo ducenteſimo duodecimo, Rigordus Monachus libro de geſtis Philippi Auguſti Franciæ regis: *Eodem anno celebratum eſt colloquium inter eundem Fridericum & Philippum, magnanimum regem Francorum, apud vallem coloris, Metenſi epiſcopo mediante; cui tamen non interfuit ipſe rex, ſed Ludovicus filius ejus primogenitus cum magnatibus regni. Et percuſſerunt fœdus inter ſe, & renovarunt AMICITIAS PERPETUAS, SICUT FUERUNT inter ſe eorum prædeceſſores.* Fraxineus Franciſci regis ad ordines imperii orator, non dubitavit (teſte Slejdano l. 24.) profiteri fœdus illud perpetuæ amicitiæ inter imperium & Franciæ regnum, *Philippum Auguſtum aureis deſcribi litteris & ſanctiore loco reponi juſſiſſe.*

8. Quod de Henrico VI. Rogerus de Hoveden ſcribit: *Notum erat regi Angliæ, quod prædictus imperator ſuper omnia deſiderabat, ut regnum Franciæ Romanorum imperio ſubjiceret:* id dubiæ eſt fidei, certe irriti voti fuit.

9. Verius & rectius eſt; a Bonifacio IIX. papa proſcriptum *Francorum regnum, velut ſolio vacuo, juri ditionique imperii Auguſtorumque attributum & adjudicatum:* quæ verba pene ſunt Pauli Æmilii in Philippi pulchri hiſtoria. *At primum* (e) indicat hoc ipſum, imperio nullum fuiſſe jus antiquum.

(a) *Captivo Carolo ipſo)* GöBEL. Herbertus comes Vermandoenſis, Roberti affinis, Carolum, ſimplicitate ejus abuſus, arci Peroenſi captivum commiſit, unde ad caſtrum Thierri abductus tandem, Henrici aucupis potiſſimum ſtudiis libertati reſtitutus eſt. Hoc, facto nihil prius duxit, quam ad Henricum Bonnam contendere, ut pro navata in ſe ex captivitate liberando opera gratias referret, atque tunc ipſum Lotharingia, ut promiſerat, deceſſiſſe, antea dictum eſt. DITMARVS *lib. 1. p. 638.* DVDO, *S. Quintini decanus, de moribus & actis Normannorum p. 129.* MEZERAI *abregé chronologique p. 397.*

(b) *Rudolfus)* *C. A. E.* Henrici quoque ſucceſſores itidem præter Lotharingiam Galliæ nihil vel appetiiſſe dixeris, ideoque ſignis utrumque regnum fuit ſeparatum. ALBERTVS STADENSIS ABBAS adhuc ſuo ævo ſcripſit in *chronico pag. 183. editionis Reineccianæ,* ubi itinerarium aliquod Romanum deſcribitur, per Lotharingiam & Gallo-Franciam: Quod ſi contigerit ad ſiniſtram manum, ad proximam villam declinans, ibi tranſeas & Rulic. Ibi lapis poſitus eſt in media villa juxta viam, quæ diſterminat imperium & regnum Franciæ.

(c) *Haud legas porro)* *C. A. M.* Notatu dignum eſt, bellum inter Germ. & Galliæ reges quondam fuiſſe, ſed raro, minimum vero de poſſeſſione regni Galliæ, ſed potius de injuriis a regibus Galliæ factis in regnum Lotharing. Germanos conqueſtos eſſe. Primum bellum, quod inter Francos & Gallos fuit cum Ottone IV. Hic vixit ſeculo XIII. Fuit autem natus ex familia noſtrorum ducum Brunſvicenſium & Luneburgenſium, filius Henrici Leonis, qui paulo ante exutus omni dignitate. Poſtquam Otto electus eſt imperator contra Philippum Suevum ortum bellum inter Ottonem IV. & Francos eſt, non de poſſeſſione regni Gallici, ſed de poſſeſſione urbium quarundam Franciæ. Otto enim cum vocaretur ad imperatoriam dignitatem, vivebat in Gallia, vaſallus regni Anglicani, ad quam magna pars regni Gallici pertinebat. Cum igitur in Germaniam migravit, in itinere Pariſiis regem Galliæ convenit, omniaque hæc ipſi narrat. Diſſuaſit tunc ipſi Germaniam adire, promiſitque, ſi cæſar foret, ſe daturum ipſi Pariſium & alias urbes. Et cum rex factus, illas urbes a rege Galliæ poſtulavit. Unde tam ex ludicra promiſſione illa bellum ortum. Verum Otto infelici prælio victus eſt. De Ottone IV. ſcripſit peregregium librum Henricus Meibomius. GöBEL. Loquitur hic autor de apologia, quam *MEIBOMIVS pro Ottone IV. conſcripſit, & tom. III. rerum Germ.* inſeruit.

(d) *Sed promiſſionem ludicram)* Otto Henrici Leonis filius ſecundo genitus, ab avunculo dux Aquitaniæ & Pictaviæ comes conſtitutus RYMER *actor. publ. Angliæ tom 1. p. 105.* per Galliam in Germaniam, ad ſumendum diadema contendens, Philippo Auguſto dextrarium (equum manu ductum) quem habebat elegantiſſimum, ea lege conceſſit; ut ſi rex Germanorum eligeretur, de quo Philippus admodum dubitabat, fore, ut ejus loco primarias tres regni ejus urbes, Lutetiam Pariſiorum, Aurelianum & Eſtampium acciperet. Sed Philippus ſponſionem hanc ludicram, cum Otto Germaniæ inſigne obtineret, ad nihil ſe obſtringere aſſerens, ſibi ejus attraxit arma, quanquam non negaverim, graviores alias hujus belli fuiſſe cauſas. Sed adverſa fortuna ab Ottone bellum eſt geſtum. *RIGARDVS de geſtis Philippi Auguſti p. 210. ap. Pithæum p. 210. ſeqq. GVILIELMVS BRITO Philippi lib. 9. MONACHVS PADVANVS lib. 1. p. 582. ARNOLD. LVBECENS. chron. Slavorum lib. 7. c. 17. RICHARDVS DE S. GERMANO ad ann. 1213. p. 187. in append. tom. 10. UGHELLI., chron. S. Benigni Divionenſ. tom. 1. LABB.*

(e) *At primum)* *C. A. E.* Bonifacius duplicis prætextu juris uſus eſt in donanda Gallia. Potiſſimus eorum fuit, quod temporalem, ut vocant, non minus, quam ſpiritualem ſupremam poteſtatem Pontificibus Romanis omnibus, atque adeo & ſibi, a Chriſto conceſſam eſſe, tanquam vicario in omnia regna, non dubitaverit profiteri; ſectatus dogma papæ Hildebrandi, a cuius ætate usque curia Romana illam antehac nunquam auditam poteſtatem ſibi jam arrogaverat. Merentur hac de re legi, quæ recepta ſunt & promulgata Bonifacii hujus auctoritate, *Extr. commun. Tit. 8. capitulo unam ſanctam.* Alter prætextus videtur petitus a donatione illa famoſa, non minus improbe tamen ficta, Conſtantini magni, de imperio Romano occidentali, a quo nempe illud fuerit in Romanos papas translatum. Etiam Galliæ ſcilicet regnum iſthoc dono in jus Romanæ curiæ perveniſſe, tanquam partem Romani imperii. Hinc ſane, ſolita ſibi impotentis animi vehementia, etiam iſthoc nomine invectus eſt in Gallos, quod non agnoſcerent imperii Romani ſuperioritatem. Igitur, quod a me hoc loco eſt monitum, ingenue fateor, nihil aliud docere, quam tunc temporis re ipſa imperio Germanico Galliam non fuiſſe ſubditam. Jura tamen poſſidendi Galliam imperio Romano vindicaſſe Bonifacium, neutiquam negandum eſt. Liquet illud luce meridiana clarius ex oratione papæ illius, quam habuit de Alberto cæſare recens electo. Primus illam publicavit STEPHANVS BALVZIVS, de omni antiquitate, ſacra pariter ac profana, Galliæ cumprimis, ſine exemplo optime meritus, ex bibliotheca ampliſſima Colbertina, atque addidit ad l. 2. c. 3. incomparabilis operis Petri de Marca de concordia ſacerdotii & imperii ſecundæ editionis, quam viri ſummi liberaliſſimo munere poſſideo. Etſi enim illius orationis omnia huc non pertineant, ſed quædam duntaxat; univerſa tamen etiam hoc loco expendi optimo jure commerentur.

ſiquum in Galliam, alioquin enim dono papali novo haud fuiſſet opus. *Deinde ab imperii ordinibus* (a) aut Cæſare Alberto *non fuit munus illud papale* (b) acceptatum. Nec Papæ fas fuit aliena regna pro

ALLEGATIO
DOMINI PAPÆ BONIFACII.

Pro confirmando rege Romanorum Alberto affuit tempus, quo ſol refulſit, qui prius latebat in nubilo. Macnabaorum II. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut praeſſet diei; luminare minus, ut praeſſet nocti. Hæc duo luminaria fecit Deus ad litteram, ſicuſ dicitur in Geneſi. Et nihilominus ſpiritualiter intellecta fecit luminaria prædicta, ſcilicet ſolem, id eſt, eccleſiaſticam poteſtatem, & lunam, hoc eſt, temporalem & imperialem, ut regeret univerſum. Et ſicut luna nullum lumen habet, niſi quod recipit ab eccleſiaſtica poteſtate. Licet autem ita communiter conſueverit intelligi, nos autem accipimus hic imperatorem ſolem, qui eſt futurus, & hoc eſt regem Romanorum, qui promovendus eſt in imperatorem, qui eſt ſol, ſicut monarcha, qui habet omnes illuminare & ſpiritualem poteſtatem defendere, quia ipſe eſt datus & miſſus in laudem bonorum, & in vindictam malefactorum. Per dies autem intelligimus bonos, & per noctem intelligimus malos peccatores & tenebroſos, juxta illud: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Per dies autem intelligitur poteſtas eccleſiaſtica ſeu terrena, juxta illud: Dies firmabuntur, & nemo in eis. Quia non poſſunt dicere: Ego Pauli, ego ſum Apollinis. Sicut enim a Chriſto Chriſtiani dicuntur, ſic a Chriſto & Chriſti Vicario ſucceſſore Petri formantur & defenduntur omnes dies, hoc eſt, omnes poteſtates, & nemo in eis, quia non poſſunt dicere, ego Pauli, ego ſum Apollinis. Sed omnes ſunt a Chriſto & a nobis tanquam a vicario Jeſu Chriſti. Unde hæc nota & ſcripta ſunt, quod vicarius Jeſu Chriſti & ſucceſſor Petri poteſtatem imperii a Græcis tranſtulit in Germanos, ut ipſi Germani, id eſt, ſeptem principes, quatuor Laici & tres Clerici, poſſint eligere regem Romanorum, qui eſt promovendus in imperatorem & monarcham omnium regum & principum terrenorum. Nec inſurgat hic ſuperbia Gallicana, quæ dicit, quod non recognoſcit ſuperiorem. Mentiuntur: quia de jure ſunt & eſſe debent ſub rege Romano & imperatore. Et neſcimus, unde hoc habuerint vel adinvenerint: quia conſtat, quod Chriſtiani ſubditi fuerunt monarchis eccleſiæ Romanæ & eſſe debent. Nec habent hoc a lege veteri vel nova, nec aliquo Propheta, vel evangelio, vel Apoſtolo. Unde hic dicimus, quod dicit Apoſtolus: Et ſi quis evangelizaverit vobis aliud, quam evangelizamus, etiam angelus de cœlo, anathema ſit. Et nos volumus, quod quicunque evangelizaverit aliud, anathema ſit. Ille quidem, videlicet electus in regem Romanorum, prius fuit in nubilo arrogantiæ & ignorantiæ. Etenim non fuit devotus ad nos & eccleſiam iſtam, ſicut debuit. Nunc autem exhibet ſe devotum & promptum ad faciendum omnia, quæ volumus nos & fratres noſtri, & eccleſia iſta. Unde nunc venit & affuit tempus miſerendi ejus, ſicut alibi dicit Apoſtolus. At ubi venit plenitudo temporis, venit quidem tempus, ut conſtituamus eum ſuper gentes & regna, ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſpergat, & ædificet & plantet. In nomine Domini conſtituimus ſic eum hodie, non in hodie æternitatis, de quo dictum eſt filio: Ego hodie genui te, ſed in hodie temporis. Sicut enim pater dedit filio poteſtatem non in tempore, ſed in æternitate, ſic Chriſtus homini & Chriſti vicario dedit poteſtatem in tempore, ut ipſe habeat jus conſtituendi imperatorem & imperium transferendi. Et attendant hic Germani, quia ſicut translatum eſt imperium ab aliis in ipſos, ſic Chriſti vicarius, ſucceſſor Petri, habet poteſtatem transferendi imperium a Germanis in alios quoſcunque, ſi vellet, & hoc ſine juris injuria. Tamen dicit ſapiens: Quod juſtum eſt, juſte exequeris. Unde ſi ſubveniret juſta & legitima cauſa, juſte poſſet transferre; & juſta faceret, ſi eos privaret. Tamen hæc fuit ſemper patientia iſtius eccleſiæ, quæ magis voluit cum eis de benignitate agere quam de rigore, ut non privaret eos, licet juſte privare potuiſſet. Et licet etiam multi eſſent defectus in electione iſtius, nos tamen volumus ſupplere omnem defectum, & magis de benignitate quam de rigore ſupplemus de plenitudine poteſtatis. Unde electionem de ipſo factam approbamus & ratificamus. Et quia, ſicut dicitur in jure, ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, hodie vivificamus & roboramus omnes actus quoſcunque fecit a tempore ipſius electionis; dum tamen ſint alias juſti & legitimi; quia injuſta nec inlegitima non approbaremus, nec approbare deberemus. Et hoc facimus, quia de eo bona præſumimus in futurum, quia, ſicut dicitur in Tobia, boni patris filius eſt. Unde & alibi: Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri. Pater vero ſuus Radulphus, catholicus, fidelis, & devotus iſti eccleſiæ, homo verax & veridicus. Unde vulgariter dicebatur in tota terra illa, quando aliquis decipiebatur in promiſſo: Non habet veritatem dictum iſtius, ſicut dictum Radulphi comitis. Si autem vellet contrarium facere, non poſſet: quia nos non habemus alas nec manus ligatas, nec pedes compeditos, quin bene poſſimus eum reprimere & quemcunque alium principem terrenum. Quidam enim principes faciunt colligationes ſuas. Et audacter dicimus, quod ſi omnes principes terreni eſſent hodie colligati contra nos & contra eccleſiam iſtam, dum tamen nos haberemus veritatem, & ſtaremus pro veritate, appretiaremus eos unam feſtucam. Et ſine dubio, ſi veritatem & juſtitiam non haberemus, bene timeremus. Sed alias omnes confunderemus, & veritas confunderet eos. Unde hodie de iſto, quem hodie præficimus, dicimus, quod dicit Petrus in epiſtola hujusmodi temporis, ſervi, ſubditi eſtote regi tanquam præcellenti. Iſte eſt rex præcellens ſuper omnes reges, & nullus eſt ab eo exemtus. Et ibidem: Deum timete, regem honorificate, quia ſimul hic eſt rex, ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorificandus. Et bene ſubjunxit: Regem honorificate, quia ſimiliter hic eſt rex ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorificandus. Igitur faciat bene rex. Quia ſi bene defendat & recuperet jura ſua, & jura regni & imperii, audacter dicimus, quod nos defendemus plus jura ſua, quam noſtra, & hoc contra quemcunque de mundo, & per nos firmabitur ſententia & non flectetur. Ipſe vero miſit huc procuratores ſuos, qui ſunt hic præſentes, cum plenario mandato jurandi in animam ſuam, & faciendi & exhibendi nobis omnia, quæ per ipſum ſunt facienda vel exhibenda, & volumus, quod prædicta faciant ſicut eſt conſuetum. Talia Romæ detonare non dubitavit in ſuo conſiſtorio Bonifacius. Obſervatu autem dignum eſt: adeo iniquum jam tum ſtatim viſum eſſe papæ illud facinus; ut cum aliis populis tum præcipue Gallis omnibus ſumme diſplicuerit, rex ipſe autem Philippus pulcher injuriam ſibi factam acerrime ultus ſit; imo Deus ipſe indignationem ſuam non diſſimulaverit, mœrore & turpi morte mox conficiens ſuperbiſſimum hominem, ut proverbium vulgi factus, regnaverit quidem velut leo mortuus tamen ſit veluti canis. Sed nec ſucceſſorum Bonifacii quiſquam auſus fuit, partes ejus defendere: ex adverſo vis veritatis Clemente V. expreſſit Cap. Meruit & Clementinis inſeri fecit de privileg. Quamvis, fateor, iis verbis callide temperaverit ſuum illud meruit, ut papalis curiæ Hildebrandinis in Galliam aliaque mundi regna prætenſis juribus nihil detraxerit, ſed illa potius reapſe ſtabiliverit. Tota hiſtoria digniſſima eſt, quæ ab omnibus probe expendatur.

(a) *Deinde ab imperii ordinibus*) *C. A. M.* Tempore Philippi pulchri, regis Galliæ ſec. XIII. Bonifacius VIII. pontif. Rom. proſcripſit regnum Galliæ, & obtulit occupandum imperatori noſtro Alberto, cum tamen papa non potuerit donare ipſi, ut ipſe Clemens V. oſtendit in ſingulari bulla, quod romana curia non poſſit regnum Galliæ proſcribere. Hic notandum, hoc tantum de regno Galliæ cautum. De reliquis non item. Nam hodieque prætendunt pontifices, eſſe ſui juris, regnum transferre de gente in gentem. Interim Julius II. pontifex non dubitavit proſcribere Ludovicum XII. regem Galliæ. Similiter Henricus IV. Clemens VI. & Gregor. IIX. Hic autem eſt iſte Bonifacius, de quo vulgare illud: Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.

(b) *Non fuit munus illud papale*) GöBEL. Cauſæ diſſidiorum inter Bonifacium VIII. ſe omnibus regibus & principibus in ſecularibus etiam ſupremum obtrudere arbitrum conantem & Philippum pulchrum Galliæ regem recenſentur a PLATINA, CIACONIO, PALATIO *in Bonifacio VIII.* MEZERAI *tom. 2. p. 371.* Sed nec Galli nec papæ aſſeclæ ſine ira & ſtudio rem propoſuerunt. De inepto

pro arbitrio donare & imperia transferre. Itaque nec ex illa Bonifacii liberalitate Germaniæ quidquam accrevit. Quin fertur Alberti & Pulchri tale pactum. *Albertus* (a) *&c. Nos & Sereniſſimus Philippus D. G. rex Francorum, amicus noſter chariſſimus, inivimus, voluimus, & ad invicem concordavimus, ac etiam promiſimus fide data, nomine juramenti: juraverunt etiam in animas noſtras nobis præſentibus, videlicet pro jam dicto rege Franciæ ſpectabilis vir comes S. Pauli; pro nobis vero nobilis Burchardus comes, avunculus noſter chariſſimus: quod ex nunc erimus ad invicem veri & fideles amici, ac in noſtris ac regnorum noſtrorum & imperii honoribus, libertatibus & ſtatibus mutuo conſervandis, contra omnem hominem veri & validi adjutores. Quodque inter nos & heredes, ſucceſſores noſtros, & Francorum reges & imperatores, pacis & amicitiæ fœdera, PERPETUIS duratura, temporibus ſervabuntur &c. Actum & datum nobis præſentibus apud Quatuorvalles, die martis, octavo menſis Decembr. anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono Ind. regni vero noſtri anno 2.* Imo creditur a nonnullis, hoc Philippi & Alberti pactum eſſe nobile illud, quod quaſi apud Tullum initum pro lege perpetua ſecuta tempeſtate fuit obſervatum. In commentariis ſane Pii II. papæ l. 3. ad annum MCCCCLIX. ita ſcribitur: *Philippus*, Burgundiæ dux, *indigne agere regem* Franciæ Carolum IIX. *ajebat, qui nonnulla in ducatu Luxenburgenſi, id eſt, in imperii ditione, oppida occupaſſet; adverſus antiquum fœdus, quod Francorum reges cum imperatoribus apud Tullum percuſſere: in quo cautum ſit, IMPERATOR IN REGNO FRANCIÆ, REX IN IMPERIO NE DOMINATUM SIBI VENDICET, etiamſi volentes aliqui ſe dedant. Injuſte regem agere, qui fœdus violet, & oppignoratum ſibi Luxenburgenſem ducatum moleſtare audeat.* Fortaſſis tamen *Tullenſe illud pactum* (b) aliud eſt ab hoc inter Albertum & Pulchrum icto. Haut dubie vero inter eos pax inita eſt: Regis Pulchri ſorore Blanca in matrimonium Rudolfo Alberti filio collocata, quo amicitia ſanctiore copula ſibi conſtaret.

10. *Multo minus eſt*, (c) quod nos turbet aurea *Caroli IV. cæſaris bulla*, (d) & recepta conſuetudo, qua archiepiſcopus Trevirenſis, archicancellarius per Galliam ſolet uſurpari. Galliæ enim nomine non ipſa Francia occidentalis, *ſed ſola Belgica* (e) in titulo iſthoc venit. Eoque quum anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo Trajecti ad Moſam tabulas aliquas Cæſar ille confici curaſſet, ſubſcriptum eſt: *vice Reverendi in Chriſto patris Boëmundi Trevirenſis archiepiſcopi, S. R. imperii per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarii, recognovi Rudolphus de Fridenberg:* quod refert *Gewoldus* (f) *l. de Septemviratu n. 74. pag. 112.*

11. Quibus omnibus probe expenſis haud difficile collectu eſt: Franciæ regnum brevi quidem momento fuiſſe in obſequio Germanorum regum, ſolidum autem aliquod jus hinc imperio haud accreviſſe, ſed quaſi ſuæ ſpontis rempublicam tantum non ſemper ab ipſa Germania noſtra regnum illud agnitum eſſe.

CAP.

auſu Bonifacii Alberto Franciæ regnum donantis teſtimonium ferunt AUTOR *m. chronici Belgici p. 270.* MUTIUS *in chron. Germanis p. 204.*

(a) *Albertus*) *C. A. E.* Exordium illius pacti apud Goldaſtum & alios integrum ita ſonat, ut pateat, tabulas illas Alberti nomine fuiſſe conſcriptas. *Albertus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, univerſis &c.*

(b) *Tullenſe illud pactum*) *C. A. M.* Pacti Tullenſis tabulæ hactenus non ſunt editæ: ſi vero exſtant, ſunt in archivo Moguntino. GöBEL. Varia inter Albertum & Philippum pertractata ſunt negotia, ut ex LEIBNITII *C. J. G. & part. 1. p. 29. ſeqq.* pateſcit. Fœderis de defenſione mutua inter Albertum & Philippum, cujus hic meminit autor, integras tabulas Argentorati anno 1299. conſcriptas refert LEIBNITIUS *l. c.* Sunt, qui putant, fœdus cum Philippo ideo Albertum iniiſſe, ut ejus ope adverſus papæ auſus, qui ipſum Romam, ut ob interfectum Adolfum rationem redderet, vocaverat, tutior eſſet. Quod autem ad pactum Tullenſe attinet, id eſt, cujus tabulæ utroque rege præſente ad quatuor valles 1299. de matrimonio Rudolphi Alberti filii, cum Blanca Philippi pulchri ſorore contrahendo anno 1299. conſignatæ ſunt. Ad hoc enim negotium perficiendum uterque rex Tullum venerat. BROWERUS *annal. Trevir. tom. 2. p. 176.* Hic tradit Philippum Blancæ regnum Arelatenſe in dotem promiſiſſe, atque hoc multis diſplicuiſſe procerum, cum ſic non tam publico, quam Alberto ſerviturum eſſet. Sed in diplomatibus, quæ LEIBNITIUS *l. c. p. 39. 40. 42.* exhibet, nulla regni hujus dotalis injicitur mentio, videtur igitur hoc diſſimulatum eſſe. Dubium tamen non eſt, quin Blancæ dos quædam deſtinata fuerit, cum Albertus ipſi comitatum Alſatiæ & terram de Friburg in dotalitium conſtituerit.

(c) *Multo minus eſt*) *C. A. M.* Sunt multi in ea ſententia, quaſi noſtrum imperium Germ. non deſinat, prætendere aliquod jus in regnum Galliæ, eo quod in A. B. Caroli IV. cæſaris, Trevirenſis archi-epiſcopus, archi-cancellarius ſit per regnum Galliæ. Sed ut hæc recte intelligantur, ſciendum eſt, veterem limitem Germaniæ, non vero imperii Germanici eſſe Rhenum, quippe quod igitur eſt trans Rhenum, illud eſt Gallicum, atque ita Trevirenſis eſt archi-cancellarius per Galliam, illam nempe partem, quæ pertinet ad imperium noſtrum. Hac ratione habet noſtrum imperium tres archi-cancellarios, Mogunt. per Germ. Colon. per Ital. Trevir. per Lotharingiam & Arelatenſe regnum. GöBEL. Addere hic liceat, fabulam eſſe, Albertum cum Philippo pulchro conveniſſe, ut Rhenus imperii Germanici limes eſſet, quod & ipſe PUTEANUS *in tractatu, qui de juribus regis in terras quaſdam agit, p. 245.* fatetur. De archicancellariatibus alibi agendum erit.

(d) *Caroli IV. cæſaris bulla*) *C. A. E.* Non diffiteor, a nonnullis creditum, quod ille archicancellariatus Trevirenſis reſpiciat ſupremum Germaniæ in Galliam competens jus: Verum omni hæc ſuſpicio caret veri etiam ſimilitudine. Ideoque ne ipſemet quidem Limnæus auſus eſt, eam profiteri, ceu indicant vel illa, quæ diſputavit ad capitulationes cæſareas pag. 122. Ne alios nunc in teſtimonium vocem viros eruditos, imperii rerum peritos, earumque candidos æſtimatores.

(e) *Sed ſola Belgica*) GöBEL. Quæ olim ſub Lotharingia comprehendebatur. MALLINCROT *de archicancellariis p. 38.* PFEFFINGER. *tom. 1. jur. publ. p. 1047. 1048.* De Trevirenſi archicancellariatu alibi latius agendum erit. vid. BROWER. *annal. Trevirenſ. part. 2. lib. 16. p. 176. ſeqq.*

(f) *Gewoldus*) *C. A. M.* Conſiliarius Bavaricus ſcripſit librum de ſeptemviratu, qui in magno pretio a nonnullis habetur, præſertim a Bavaris. Hodie pro ſeptemviris habemus octoviros, quod conſtitutum in nupera pacificatione Osnabrugenſi. GöBEL. Imo hodie habemus novem viros, ſed de hoc argumento alibi loquendi occaſio dabitur. Quod autem ad Gewoldum attinet, liber ejus de ſeptemviratu eruditus quidem, ſed ab erroribus, quorum numero vulgaris ille de origine electorum, non eſt immunis. Lites ipſi cum Frehero de Palatino fuere electoratu, de quibus alio in loco diſſerere agemus.

Caput IX.

Regnum Italiæ & imperatoriam dignitatem in perpetuum Germanico imperio acceſſiſſe.

1.

Felicius ſucceſſerunt omnia Germaniæ in iis, quæ Lotharii Cæſaris quondam fuere, quam in Calvi bonis. Igitur Lotharingiam Longobardicum Italiæ regnum ut & cæſarea dignitas, (quæ ſeorſim urbis Romæ & reliquiarum veteris imperii Romani per Italiam principatum ætate iſthac comprehendebat,) haud longo intervallo ſecuta ſunt.

2. Tres inter Lotharii cæſaris filios primo natu Ludovico utrumque & hæreditario quidem mero jure obtigerat; transalpinam omnem Lotharii hæreditatem cernentibus duobus filiis reliquis. Ludovico illo poſt fratres ſine liberis anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto mortuo, ſi non unicus ſaltim primarius heres utriusque jure erat patruus major natu Ludovicus Germanicus. Si ſcriptori appendicis Eutropianæ a *Flacio* (a) editæ, (eſt autem Ottonibus coævus Italus aliquis) credimus, ab ipſo Ludovico illo cæſare ſucceſſor dictus fuit Carolomannus, Ludovici Germanici filius natu maximus. Sed artibus Joannis IIX. papæ effectum eſt, ut ad Carolum calvum Gallicum utraque dignitas perveniret. Verba Eutropianæ appendicis hæc ſunt: *Eo vero* (Ludovico cæſare) *infirmante & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit ſibi ſuccedere Carolomannum ad ſuſcipienda imperialia ſceptra. Cum hæc ita geruntur, Romani pontifices ſemper per oratores literas mittebant invitatorias ad Carolum calvum regem Francorum, invitantes eum clam: & quia erat in literis quaſi philoſophus, rogabant illum ſupervenire B. Petro & de ſervitutis jugo ad propriam libertatem reducere ſuam eccleſiam, quaſi per vim ab aliquo eſſet oppreſſa. Talibus evolutis machinationibus moritur Ludovicus. Mittitur ſtatim citatus a Joanne, qui tunc præerat papa, legatus ad eundem Carolum: qui nullas veniendo faciens moras, ingreſſus Italiam petiit Romam. Mittitur denique alius miſſus* (b) *ab uxore imperatoris Engelberga, vel a ſuis primatibus, ad Carolomannum, oſtendens ei vota defuncti; & quia longius erat, noluit tam cito venire, ut impedire poſſet iter Caroli calvi. Qui veniens Romam renovavit pactum cum Romanis &c.* Hæc autor ille. Et vero *ex actis* (c) ſynodi Romanæ poſt coronationem Calvi habitæ, quæ *Pithœus edidit*, (d) liquet: Calvum a papa Romam evocatum. Diſerte enim ita loquitur papa Joannes de Calvo: *Deinde non hic perpetuus Auguſtus ad tanta faſtigia ſe velut*

C. A. M. Agendum jam de regno Italiæ. Hic in memoriam revocandum, Carolo M. imperante regnum Italiæ & reliquias imperii Romani fuiſſe diſtinctas. Tempore Caroli M. erat regnum Longobardorum, quod plane diſtinctum a reliquiis Romani imperii veteris, & ſequentibus temporibus ſemper audiit regnum Italiæ. Quod vel ex corona duplici, qua coronantur imperatores noſtri, patet. Si enim regna non diſtincta forent, una ſufficeret corona. Carolus V. ultimus fuit, qui in Italia coronatus eſt, & quidem bis. Solet alias ordinarie inſtitui Meodiceæ prope Papiam, at Carolus Bononiæ. GÖBEL. Diadema Longobard. ab archiepiſcopo Mediolanenſi imperatorio imponi ſolebat vertici, & imperatorium papæ manibus Romæ. Carolus autem anno 1530. a Clemente VII. Bononiæ & Longobardicum, & biduo poſt imperatorium ſumſit. CORNELIVS *Agrippin de duplici coronatione apud SCHARDIVM tom. 2. rer. Germ. p. 266. ſeqq. p. 22. ſeqq. GOLDAST. part. 3.* der Reichs-Handel *p. 155. 156.*

(a) *Flacio*) *C. A. M.* Hic ſi quis alius ſuperiori ſeculo ingenti valuit peritia in rebus eccleſiaſticis, tum in rebus poſt C. N. geſtis. Flagrabat odio pontificis Romani maximo. Exiſtimabat itaque maximum damnum fieri pontifici Romano, ſi ex hiſtoria eccleſiaſtica oſtenderet, quid Romani pontifices eſſent. Condidit itaque ingens opus, quod a loco invenit nomen centuriarum Magdeburgenſium, quod partim Magdeburgi, partim Wismariæ editum. Id quod evertendum opus, operæ ſuæ eccleſiaſticæ commendavit Baronius in annal. eccleſiaſticis. Idem Flacius ex plurimis bibliothecis multos libros nunquam antehac editos collegit, inter alios & edidit librum, quem inſcripſit: Catalogum teſtium veritatis. Dolendum poſt obitum ejus bibliothecam eſſe diſtractam tot libris MStis refertam. Multum in iis adſciſcendis laborarunt pontificii, poſtquam aſſecuta eſt eam Academia Julia. Edidi ego nuper Leonis XIII. epiſtolas, quæ ex ejus bibliotheca erant. Edidit etiam aliam aliquam appendicem, additam Eutropii breviario, quæ profecto multum juvat lectorem in rebus Germaniæ. Autor appendicis vixit meo judicio tempore Ottonis M. Videtur autem ſtudioſior fuiſſe jurium cæſareorum quam pontificiorum. GÖBEL. CALIXTVS *in apparatu Theologico p. 184.* Centurias Magdeburgicas vocat inſigne opus, quale priſtina ætas nunquam viderat. THVANO *ad ann. 1575.* eſt ſummus inter proteſtantes pontificiæ auctoritatis oppugnator. Magnam partem mali ſui debet, quod inter accidens prædicabile & prædicamentale, aut intercorrumpere, quod ſubſtantiam tollere, & id quod ſubſtantiam deteriorem reddere ſignificat, diſtinguere ignoraverit. Quod ad Eutropium attinet, ipſum ante Ottonem M. floruiſſe, ſunt quæ ſuadent.

(b) *Mittitur denique alius miſſus*) *C. A. M.* Legatus alius. GÖBEL. De miſſis vid. CANG. in gloſſario ſub voc. miſſus & tomi capitularium, curante Baluzio editi paſſim. Dividuntur autem miſſi in ordinarios, qui in palatiis regis in provinciis reſidebant, indeque palatini dicebantur, & ducum, comitum, epiſcoporum & abbatum actionibus invigilabant; & in extraordinarios ſ. dominicales aut diſcurrentes, qui quotannis quatuor vicibus a latere Principis in provincias dimitti ſolebant; ut in ducum, comitum, epiſcoporum & abbatum, imo in ipſorum miſſorum ordinariorum actiones inquirerent, monaſticam vitam agentium mores & monaſteriorum rationes examinarent, placita in provinciis haberent, & ut illæ de latronibus purgarentur, ſoliciti eſſent. Ad obeundas functiones ſuas publicis quidem, ſed modicis admodum, quos conjectus, ut dicebatur, complexus eſt, alebantur ſumtibus. Præterea adhuc aliæ erant miſſorum differentiæ, de quibus l. c. agitur.

(c) *Ex actis*) *C. A. E* Eadem Jacobus Sirmondus voluit conſtituere, capitularium Caroli calvi Titulum LI. In oratione autem Joannis Papæ ad epiſcopos, quæ ibi habetur, notari diligenter merentur etiam illa verba: *Et quia pridem apoſtolicæ memoriæ deceſſori noſtro Papæ Nicolao id ipſum jam inſpiratione cœleſti revelatum fuiſſe comperimus, hunc merito & nos approbavimus una cum annisu & voto omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, atque aliorum ſanctæ romanæ eccleſiæ miniſtrorum, amplique ſenatus, totius Romani populi gentisque togatæ & ſecundum priſcam conſuetudinem ſolemniter ad imperii Romani ſceptra proveximus & auguſtali nomine decoravimus.* Quidnam Nicolao Papæ ſit inſpiratum nec non, nihil quidem ad rem hanc noſtram facit; ſed dignum notatu eſt, illam Caroli calvi regis electionem non a ſolo eſſe papa factam, ſed ab aliis quoque & eos inter numeratos ſenatum etiam ac populum Romanum. Liquet porro ex actis illis, voluiſſe Papam, ab aliorum quoque epiſcoporum, qui in Romana iſthac ſynodo erant congregati, conſenſu factam electionem quaſi confirmari.

(d) *Pithœus edidit*) *C. A. M.* Edidit acta coronationis Calvi.

velut improbus intulit, non tanquam importunus, fraude aliqua, vel prava machinatione, aut inhianti ambitione ad imperialem apicem adſpiravit. Abſit. Neque enim ſibi honorem præſumptuoſe adſumpſit, ut imperator fieret, ſed tanquam deſideratus, optatus, poſtulatus a nobis, & a Deo vocatus, & honorificatus ad defendendam religionem, humiliter atque obedienter acceſſit. Regino ita narrat: *Eodem anno Carolus Romam perrexit, & datis apoſtolico Joanni & Romanis magnis muneribus, imperator creatus.* Idem ad annum octingeſimum ſeptuageſimum ſeptimum: *Carolus ſenior Romam ſecundo profectus, ubi jam pridem imperatoris nomen a præſule ſedis apoſtolicæ Joanne ingenti pretio emerat. Sane munera Caroli* (a) annales quoque Francici non ſilent: cumprimis vero illa deſcribit auctor appendicis Eutropianæ.

3. Papæ Romanorumque civium exemplum ſecuti deinde *optimates regni Italiæ* eundem Calvum, jam Auguſti titulo fulgentem, *regem elegerunt*, ut habet eorum epiſtola ad Calvum; quam itidem Pithœus primus edidit, & annalibus ſuis inſeruit ad annum 877. *Baronius.* (b) Ita tunc temporis Germaniæ reges fraudati ſunt ſucceſſione; & ſimul per injuſtam hanc Calvi invaſionem cæſarea regiaque jura cum alias magnam jacturam fecere, tum quæ ante ſaltim Caroli M. poſteritati hereditaria erant, ab arbitrio papæ & Italiæ procerum novo modo ſuſpendi cœperunt. Quantum cæſariis juribus deceſſerit, verbis Eutropianæ appendicis narravimus jam tum *libro de Germanor. imperio Romano cap. VII.* Quæ heic repetere, atque adeo regiæ auctoritatis per Italiam ingens decrementum oſtendere, extra inſtitutum eſt.

4. *Non tamen æquo* (c) animo tulere hanc injuriam, & Ludovicus Germanicus pater, & filii ejus, cumprimis Carolomannus: prout conſtat ex iis, quæ in annalibus Fuldenſibus & Reginone memorantur ad annum 875. 876 & 877. Tantum quid ultimo illo anno contigerit, huc adducemus. „Carolus Galliæ tyrannus æſtivo tempore cum exercitu Italiam petiit, & *Ticini reſi-*„*dens,* (d) magnopere niſus eſt, qualiter Carlomanno illuc adventanti aditum denegaret in illam „provinciam. Carlomannus vero cum manu valida *Noricorum* (e) diverſorumque *Sclavorum* (f) „Italiam ingreditur, contra Carolum dimicare volens. Quod cum Carolus comperiſſet, illico juxta „conſuetudinem ſuam, fugam iniit. Omnibus enim diebus vitæ ſuæ, ubicunque neceſſe erat „adverſariis reſiſtere, aut palam terga vertere, aut clam militibus ſuis effugere ſolebat. Et in eo-„dem itinere dyſenteriæ morbo correptus cum magna periit triſtitia. Carolomannus optimates „Italiæ ad ſe venientes ſuſcepit, & diſpoſita, prout voluit, regione, reverſus eſt in Bajoariam. Iidem annales ad annum 818. ita ſcribunt: „Lambertus Witonis filius, & Albertus Bonifacii filius, „Romam cum manu valida ingreſſi ſunt; & Joanne Romano pontifice ſub cuſtodia retento opti-„mates Romanorum fidelitatem Carolomanno ſacramento firmare coegerunt. Quibus inde di-„ſcedentibus, idem pontifex domum S. Petri ingreſſus, omnes theſauros, quos ibi reperit ad Late-„ranos tranſtulit. & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia ejusdem eccleſiæ clauſit, nul-„lumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt, &, quod dictu ne-„fas eſt, omnibus illuc cauſſa orationis venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia con-„fuſa. Memoratus autem pontifex conſcenſis navibus per, mare Tyrrenum regnum Caroli „(Franciam ſc. occidentalem) intravit, ibique per totum pene moratus eſt annum. Tandem aſ-„ſumpto Boſone comite, qui propria uxore veneno extincta, filiam Ludovici imperatoris de Italia „per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit; & cum eo machinari ſtuduit, quo-„modo regnum Italicum de poteſtate Carolomanni auferre & ei tuendum committere poſſet.

5. Hæc annales. Haud abs re fuerit nonnihil aliter differentem Paulum quoque Emylium audire. „Fœdus cum Germanis regibus *Ludovicus Balbus Gallicus* ferit, his legibus, ut Lotharingia „inter Francos Germanosque æquis partibus divideretur; *de imperio* (g) neutris jus eſſet alio lo-„co quam in Italia dimicare. Id triſte miſerumque Italiæ pontificique maximo fuit: pati Italiam „belli alieni mala, immunibus malorum his inter quos bellum foret. Idcirco antevertit Joannes ponti-

(a) *Munera Caroli*) GÖBEL. Carolus calvus papam, ſenatum, populumque Romanum donis pellexit, & ut imperiale aucupari poſſet diadema, jurium, quæ imperatores Romæ habebant, non paucis valedixiſſe fertur. ANNAL. FVLDENS. *ad ann. 875.* *ANNAL. BERTINIANI ad ann. 576.* *ANNAL. METENS. ad ann. 877.* *EUTROPIUS in tractatu de juribus & privileg. imperatorum in imperio Romano p. 10. 11.* vid. tamen PAGI *critic. tom. 3. ad ann. 875. 882.* Et ſi quid forte a Calvo magis ſuæ ambitioni, quam imperii rationibus addicto, in imperii detrimentum factum fuerit, id omne deinde ab Ottone III. revocatum dicunt, provocantque ad diploma, quod a *GOLDASTO tom. 1. conſtitut. imperial pag. 226.* *SCHILTERO tom. 2. J. P. p 99.* Sed ſunt, quæ in eo a criticis deſiderantur. Turgebat Calvus hic Carolus faſtu, & ſi Fuldenſibus annalibus ad ann. 869. fides haberi debet, ab occupato Lotharingiæ regno ſe imperatorem appellari præcepit. Ex quo imperiali & Longobardico diademate anno 875. redimitus fuit, græcorum mores imitatus, ſe imperatorem & auguſtum omnium regum cis mare conſiſtentium vocavit. ANNALES FVLDENS. & BERTINIANI *ad ann 878.*

(b) *Baronius*) *C. A. E.* Eandem refert quoque Sirmondus Titulo XLIIX. Capitularium Caroli calvi. Quoniam vero habet ſubſcripta nomina epiſcoporum aliorumque, ſimul hinc diſci poterit quodammodo, quinam tunc temporis Italici regni optimatum nominibus audierint.

(c) *Non tamen æquo*) *C. A. M.* Statim enim exortum bellum: nam noſtri reges in Galliam miſere exercitum.

(d) *Ticini reſidens*) *C. A. M.* Ticinum eſt Papia, pavie. Fuit ſedes regum Italiæ, ubi & Longobardi, cum rerum potirentur, ſedem fixerant.

(e) *Noricorum*) *C. A. M.* Per Noricos hic intelliguntur die Beyern, qui Noricum vetus Romanum incolunt. Egreſſi autem ſuis ſedibus Bajoarii.

(f) *Sclavorum*) *C. A. M.* Nempe Mahavienſium, Croatorum, Venetorum. Hi enim paruerunt Carolo M.

(g) *De imperio*) *C. A. E.* ANNALES BERTINIANI *ad annum 878. ut & GOLDASTUS tom. 3. Conſtit.* refert acta conventus Furonenſis, inter Ludovicum balbum & Germanici filium. Quorum Capitulum II. ita ſonat: *de regno vero, quod Ludovicus imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua diviſio facta eſt, quicunque modo illud tenet,* (Carolomannus ſcilicet) *ita teneat, donec Domino volente ſimul convenientes cum communibus fidelibus noſtris, inveniamus & definiamus, quod ex hoc melius & juſtius fuerit.*

„pontifex maximus, in Franciamque venit, turbatis etiam in Italia rebus, cum exagitaretur con„trariarum factionum de imperio certaminibus. Ipſe Francicarum partium erat; conſtantiæque „ac præjudicii ſui eſſe ducebat, ut cum Carolum Auguſtum creaſſet, Balbum filium in ejus de„functi locum ſufficeret. Joannes a proceribus Galliæ pie officioſiſſimeque exceptus Balbum „Auguſtum creat coronatque. Simulque in Tricaſſibus coacto concilio, Lambertum Imbertum „ac Formoſum, principes adverſæ factionis devovit, qui per æqua iniquaque Francorum cauſſam „oppugnabant. Annum in Francia manſit. Coactus eſt in urbem redire, quod a Sarracenis Ita„lia vexabatur. Carolus craſſus in barbaros ſummam virtutem religionemque præſtitit. Italia „defenſa eum Auguſtum ſalutatum Joannes pontifex non invitus tandem coronavit.„ Hæc Æmilius, Carolomanni rebus perperam ſilentio præteritis: cætera non male.

6. Ex quibus diſcimus, breve admodum fuiſſe illud calvi imperium, (Regino ad annum octingenteſimum decimum octavum ſcribit de illo: *Regnum Italiæ magis in tranſeundo vidit, quam fruendo potitus eſt.*) vindicante numine injuriam Germanicis regibus factam; & fruſtra nitente contra Joanne papa, *Carolomannum* (a) rerum per regnum Italicum pariter & ipſam urbem potitum. Et ſane usque in annum DCCCLXXX, quo XI Kalend. April. obiit, Carolomannus Italiam omnem tenuit; etſi ab imperatorio titulo abſtinuerit, eo quod a Joanne papa coronatus non eſſet. *Superſunt etiamnum tabulæ complures*, (b) illius tum auctoritate per Italiam promulgatæ: quod ipſum Aventinus in *annal. Bajor.* *Carolus Sigonius* (c) in *hiſtoria regni Italiæ*, uterque *l.4.* præclare tradiderunt.

7. Fratri non ſucceſſit tantum in omnium illorum per Italiam poſſeſſione Carolus craſſus, ſed etiam nomen cæſareum impetravit. Regino: „Anno D.I. octingenteſimo octogeſimo primo „Carolus de Alemannia egreſſus Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Ita„liam in deditionem accepit, & Romam perveniens a præſule apoſtolicæ ſedis Joanne & ſenatu „Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria imperator creatus eſt. *Ex adverſo* (d) ut Carolus calvus brevi momento Italiam habuit, ita poſt illum Franciæ regum nemo (nec enim moror *Ludovico Balbo* (e) obtruſum in Gallia a Joanne papa Auguſtum nomen) quidquam juris ſive in regnum Italiæ, ſive in Romani imperii veteris reliquias Italicas, Franciæ regno aſſeruit.

8. Excuſſi tamen illa ætate & Germanici reges, fateor, Italici regni & Romani imperii poſſeſſione: idque iterum paparum non levi culpa. *Etenim Hadrianus* (f) id nominis tertius *inſignia* (verba ſunt Sigonii l. 5. de regno Italiæ) *duo decreta fecit:* „Unum, ut pontifex deſignatus „conſecrari ſine præſentia regis aut legatorum ejus poſſet: alterum, ut moriente rege craſſo ſine „filiis, regnum Italicis principibus una cum titulo imperii traderetur. Hinc cum eodem tempore Italici proceres non minus atque alii, Caroli craſſi auctoritate abolita, res novas molirentur, quin imo conjuratione facta potentiſſimi illorum *Wido Spoletanus & Berengarius* (g) foro julienſis, alter Galliæ, alter Italiæ regnum ſibi deſpondere haud dubitaſſent, Italia ſimul & cæſarea dignitas Francis utrisque erepta ad peregrinos devenit. Bene vero de Italis illis *Sigonius* (h) l. 6. initio: *Se-*

ipſos

(a) *Carolomannum*) *C. A. M.* Huic ſucceſſit frater Carolus craſſus, accepitque cæſareum titulum a Johanne papa.

(b) *Superſunt etiamnum tabulæ complures*) Varia exſtant apud Ughellum diplomata aſſertum hoc confirmantia. Sub diplomate, quo Lucenſis epiſcopi Gherardi pr[illegible]bus locum dat, ut ſibi eccleſia S. Vincentii reſtituatur, reperitur *anno 1. regni Carolomanni, ſereniſſimi regis in Italia. Tom. I. p. 798.* Diploma anni DCCCLXXVIII. quo res quædam ejus proprietatis Carentaniæ Slaviniæque donantur, habet. *Tertio anno regni domini Carolomanni piiſſimi regis in Bojoaria & primo Italiæ. HVNDII metropol. Saliſb. tom. 3. p. 41.* Ipſe tamen papa illum imperatoris titulo ſalutavit. UGHELLI *tom. 1. p. 798.* Carolomanno in Italiæ regno ſuccedebat frater Carolus craſſus. Videtur ex Joannis VIII. ad eum de epiſcopi Vercellenſis conſtitutione datis literis pateſcere, quod a fratre jam tum anno 879. in Italici regni conſortium quodammodo fuerit aſſumtus. *UGHELL. it. ſac. t. 4. p. 167.* Plenius autem id regni forte illi anno 880. permiſſum, quoniam adſunt diplomata, ubi hic primus regni Italici annus vocatur. *UGHELL. tom. 2. p. 147. ſeqq.* poſtquam vero in fine anni 881. ex papæ manibus imperatorium conſecutus, inſigne hunc annum in diplomatibus, ut imperii primum, adhibuit. *UGHELL. tom. 2. p. 252. tom. 4. p. 980. 982. 984.* *HUNDII metropolis tom. 3.*

(c) *Carolus Sigonius*) *C. A. M.* Præter alia ſcripta præclara edidit hiſtoriam regni Italiæ. Eſt præclarum opus, ſed legendum cum judicio, quando placeat pontifici & blandietur ſæpe Italiæ principibus. Perſecutus eſt hiſtoriam usque ad Fridericum II. cum quo ipſe putat regnum Italiæ periiſſe, quod tamen falſum. Magnam autem partem periiſſe, fateor, uti infra patebit. GöBEL. Sigonium *LIPSIVS cent. 1. epiſt. 69. reliquum in Italia lumen* vocat. Opera ejus, quibus Romanas & Italicas antiquitates illuſtravit THUANUS, monumenta æternum victura vocat. Laude digni ſane ſunt ipſius de imperio occidentali & Italiæ regno libri: Verum in eis Germanicæ genti ejusque in Italiam juribus non ubique ſatis æquus. MEIBOMIVS *in apologia pro Ottone IV.* Sic & hiſtoria Bononienſis erroribus non deſtituitur. Refertur inter doctos impoſtores *a Struvio §. 16.*

(d) *Ex adverſo*) *C. A. M.* Poſt annos 881. Nemo regum Franc. Galliæ quicquam prætendit in Italiam, quod notatu dignum. Scio quidem intra hos centum annos varie adfectaſſe imperii dignitatem. Imo etiam olim Phil. pulchrum: non quidem jus prætenderunt, ſed voluerunt, in imperatorem eligi, irrito tamen conatu.

(e) *Ludovico Balbo*) GöBEL. Hunc a papa in imperatorem non eſſe unctum, alibi docuimus.

(f) *Etenim Hadrianus*) *C. A. M.* Nemo poterat pontifex creari absque conſenſu imperatoris. Hoc mutavit Hadrianus III. Sed reduxit Otto M. & duravit usque ad tempora Henrici IV, ut patebit infra. GöBEL. Nos de hoc & pluribus aliis, quæ in hoc capite occurrunt ad libr. de imperio Germanico commentati ſumus. De Hadriani decreto vid. ABBAS CASTILIONEVS *in not. ad Teſaurum de regno Italiæ p. 343.*

(g) *Wido Spoletanus & Berengarius*) GöBEL. VALESII *notæ ad c. 1. carminis panegyrici de laudibus Berengarii.*

(h) *Sigonius*) *C. A. E.* Sigonii ipſa verba hæc ſunt: Mortuo Calvo Carolomannus (Bavariæ rex) ex templo Italiæ regnum inivit. An vero Italiam, cui imminebat, adierit, an potius, ut Franci ſcribunt, in regnum ſuum Bavariæ falſo Caroli adverſus ſe contendentis nuncio exanimatus, receperit, parum compertum. Regnum quidem ipſum Italiæ per triennium tenuiſſe, in maximo Francorum Germanorumque annalium ſilentio, vetera multa, quæ in Lombardia leguntur diplomata,

ipſos prorſus una cum eccleſia perdiderunt, ea tempora in rempublicam inferentes, quibus nulla alia tetriora ac fœdiora fuiſſe principum nequitiâ, vel populorum inſaniâ, in tota antiquitate reperiuntur. Et ſane ipſamet papalis ſedes (a) nunquam & fœdius ſeſe geſſit, & ſimul majorem vim paſſa eſt. Eoque contra quam ſciverat *Hadrianus* (b) papa & Italici conjuraverant, ipſemet ille Berengarius & Formoſus papa Arnolpho Germaniæ noſtræ regi regnum illud pariter ac *cæſaream dignitatem*, (c) quo ſe ac ſua tuerentur ab injuria, tradiderunt. Operæ fuerit pretium, omnem hanc rem petere duntaxat ex ſeptimo octavo & nono capitibus libri primi ejus hiſtoriæ, quam Luitprandus Ticinenſis ætate Ottonis magni conſcripſit. Annales Fuldenſes notant, hac jurisjurandi formula populum Romanum Arnolpho ſeſe anno octingenteſimo nonageſimo quinto obſtrinxiſſe: *Juro per hæc omnia Dei myſteria, quod ſalvo honore & lege mea atque fidelitate domini Formoſi papæ, fidelis ſum & ero omnibus diebus vitæ meæ Arnolfo imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine ſociabo, &c.*

9. Exceperunt mox Germaniam Hungaricæ tempeſtates ac bella civilia. Atque ita Ludovico *Conrado* (d) *& Henrico* (e) regibus, Italiæ ac cæſareæ dignitatis recuperandæ cura ſepoſita eſt. De Henrico tamen ita ſub finem primi libri Witikindus: *Perdomitis cunctis circumquaque gentibus poſtremo Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus iter intermiſit.* De eodem Sigebertus ad annum DCCCCXXXVII. *Henricus licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dederat, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conducticii mercenarii, alter alteri ſuccedentes, imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepiſſet.* Paulò aliter Otto Friſingenſis l. 6. chron. c. 18. *Ipſe poſt multa virtutis ſuæ opera dum ad obtinendum imperium Romam tenderet, decimo ſeptimo regni ſui anno diem obiit.*

10. *Ceterum Ottonis magni* (f) auſpiciis illa felicitas Germaniæ ex voto tandem obtigit. Witikindus lib. 3. *Eo tempore uſurpato imperio* (cum ante ſcilicet fuiſſet Eporegiœ marchio) *regnavit in Longobardia homo fortis & avarus, & qui omnem juſtitiam pecunia venderet Berengarius. Veritus autem ſingularis prudentiæ reginæ virtutem, à Ludovico rege Italiæ relicta, in multis eam afflixit, quo tanti decus ſplendoris extingueret, vel certe obſcuraret.* Idem paulo poſt narrat: Ottonem in Italiam cum exercitu profectum, liberata à tyrannide regina illaque in matrimonium ducta, *cum ea urbem Papiam, quæ eſt ſedes regia, obtinuiſſe.* Berengarium quoque in Germaniam ſecutum, Auguſtæ vindelicorum feudi legi ab Ottone Italicum regnum impetraſſe. *Interea*, ait, *rex* Berengarius *regem* Ottonem *alloquitur, in gratiamque regis ac reginæ ſuſceptus, deditionis ſponſionem dat, fœderis ſpontanei diem apud urbem Auguſtam deſignans. Ubi quum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans, licet olim, Hugonem regem fugiens, regi Ottoni ſubderetur, tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatui regis ſe cum filio ſubjugavit. Et ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace.* Luitbrandus Ticinenſis in hiſtoria legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ, quam Ottonis magni juſſu ſuſceperat, teſtatur rem hanc ita Nicephoro cæſari Græco à ſe narratam. *Palam eſt, quod Berengarius & Adelbertus ſui milites* (i. e. Ottonis vaſalli) *effecti, regnum Italicum* (g) *ſceptro aureo ex ejus manu ſuſceperunt, & præ-*

fidem faciunt, quibus ipſe Bavariæ atque Italiæ rex, ſic enim ſe inſcribit per hos tres annos eccleſiis populisque beneficia confirmavit, ante a Carolo, Pio, Lothario & Ludovico regibus condonata. Omnia vero diplomata in Bavaria data ſunt. GöBEL. Huotinga enim curtis, ubi diploma aliquod ad Parmenſem epiſcopum ſpectans anno 8-2. datum fuit, in Bavaria erat. Sub diplomate annus ille regni ejus in Italia tertius vocatur. *VGHELL. tom. II. p. 146.* Sic & diplomata, quæ in *HVNDII metropoli Salisburgenſi tom. III. p. 41. & in appendice actor. veterum tom. II. capit. BALVZII p.* 1504. reperiuntur, Bojariæ natales debent. Diploma tamen, quo Lucenſi epiſcopo eccleſia S. Vincentii reſtituta eſt, Veronam ut natalem præ ſe fert locum. *VGHELL. t. I. p. 799.* Ex quo & colligere licet ipſum in Italia fuiſſe.

(a) *Et ſane ipſamet papalis ſedes*) *CONR. ann. mſ.* Qui cupit ſcire, quam fœda fuerit facies Italiæ, adeat hiſtoriam Luitprandi, qui vixit Ottone III. imp. & ſatis diligens eam lib. 6. perſecutus. De papis Calixtus prudenter fecit, quod ſolitus fuerit, pontifices in quinque claſſes diſtribuere. Prima eſt *optimorum*, hi enim fuerunt ſanctiſſimi viri. Deſiit hæc claſſis ſec. III. 2) eſt *bonorum*, quæ duravit per ſec. IV. & V. deſiit pene in Gregorio M. 3) erat *mundanorum*, quæ rebus mundanis delectabatur, floruit ſec. VIII. & IX. 4) eſt imperatorum, floruit ſub finem ſec. IX. & X. 5) eſt antichriſtianorum, qui plane totum Chriſtianiſmum convertunt in inſtrumenta nequitiæ. Hæc claſſis floruit ſec. XI. Hæc Calixtus in epiſtola ad Landgrafium Haſſiæ.

(b) *Hadrianus*) *CONR. A. E.* Baronius hæc ſilentio præterit, forte quod diſplicerent. Platina narrat, primum decretum jam tum a Nicolao papa cœpiſſe, ſed mox irritum evanuiſſe.

(c) *Cæſaream dignitatem*) *CONR. A. E.* Baronius ad annum 896. illam Arnolphi coronationem tanquam vitio factam accuſat: quia ita decretum fuerit in ſynodo Romana ſub Joanne IX. ac proinde corrigendos eſſe chronographos, jubet, qui Arnolpho tribuerint cæſareum titulum. Sed in actis Romanæ ſynodi tale quid non reperitur. Et ſane nihil adfert præter illa Baronius, unde ſuo commento contra narrationes ipſius illius ævi ſcriptorum vel colorem veri potuerit facere. Nec tamen nego jampridem Arnolpho Italicos ſcriptores fuiſſe iniquos. Quæ res turbavit etiam *OTHONEM FRISINGENSEM l. 6. cap. 13.*

(d) *Conrado*) *CONR. A. E.* ECKARDVS JVNIOR *L. de caſibus monaſterii S. Galli*, quem *Tomo I. rerum Alemannicarum* inſeruit. MELCHIOR GOLDASTVS, narrat *pag. 19.* a Conrado rege miſſum eſſe in Italiam Hattonem archiepiſcopum Moguntinum, hunc vero perquam ditatum rediiſſe. GöBEL. Imperatoris titulo nunquam uſus, licet & apud Ditmarum lib. I. & in aliis nonnullis veteris ævi monumentis ei tribuatur. Forte tamen talis compellatio per errorem irreplit.

(e) *Et Henrico*) *CONR. annal. mſc.* Henricus non fuit imperator Germ. ſed rex tantum. Quando autem dicitur Henricus I. II. III. tum intelligendum hoc tantum de regibus Germanicis.

(f) *Cæterum Ottonis*) Otto M. fuit primus, qui Italiam ſubjugavit. Ex eo igitur tempore Italiæ regnum quaſi perpetuo fœdere Germaniæ junctum.

(g) *Regnum Italicum*) *CONR. ann. mſc.* More antiquo feudalia regna ſolebant concedi per ſceptra: ducatus & principatus per vexilla: epiſcopatus per pedum epiſcopale. GöBEL. Et in inveſtiendis principibus aliisque nonnunquam ſceptrum eſt adhibitum. Cæterum de ſymbolis, quibus in inveſtituris uti ſolebant, agit

& præſentibus ſervis tuis, qui nunc usque ſuperſunt, jurejurando fidem promiſerunt. Otto Friſingenſis l. 6. chron. c. 19. *Otto poſt multos triumphos Italiam quoque, quæ per plures jam annos Francis ſeu Germanis alienata fuerat, regno adjicere parat. Hæc eo tempore a Berengario tyranno multipliciter premebatur &c. Ibi* (Auguſtæ) *ex omnibus regni viſceribus multis in unum adunatis Berengarius humiliter veniens ſe dedidit, ab eoque REGNVM ITALIÆ, excepta Marchia Veronenſium & Aquilegienſium*, (a) *SVSCEPIT.* Regino: *Eodem anno mediante auguſto menſe, conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum, & Longobardorum, publicus apud Auguſtanam urbem Rhetiæ provinciæ agitur. Ubi Berengarius cum filio ſuo Adelberto, regia ſe per omnia in vaſallum dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono regis accepit regendam. Marca tantum Veronenſis & Aquilegienſis excipitur, quæ Henrico fratri regis committitur.* Contigit hoc ipſum anno noncenteſimo quinquageſimo ſecundo. Eoque ad illum annum ita loquitur continuator Reginonis: *Berengarius cum filio ſuo Adelberto ſeſe ſubjiciens Ottoni, ab eo ut ſubditus recipit regendam Italiam.* Quibus verbis & Baronius utitur.

11. Illo rerum ſtatu permanſit Italia usque in annum 961. Quando papa ipſo, & epiſcopis Mediolanenſi & Cumano, ut & procerum Italicorum compluribus, de intolerabili tyrannide Berengarii conquerentibus, iterum cum exercitu Italiam ingreſſus Otto, *Berengarium & Adelbertum celeriter regno expulit: de hinc Romam adiens, ibi miro ornatu miroque apparatu ſuſceptus à papa Joanne, id nominis duodecimo, functionem ſuſcepit imperii.* Quæ verba fere ſunt Luitprandi, qui hanc Ottonis novam invitationem narrat *l. 6. cap. 1.* Baronius ex vetuſta Beneventanorum ducum hiſtoria refert, quo tempore expeditio illa inſtitueretur, proceres Italiæ ita alloquutos Adelbertum Berengarii filium: *Vellemus, domine, ut papiam cum paucis pergas & tuo genitori dicas, quatenus Longobardorum regnum ſub veſtra ditione committat, quia nos minime ſub illius poteſtate amplius durabimus. Si vobis committit regnum, nos totis viribus pugnabimus: Sin autem, Italiæ regnum extero regi committemus.* Cumque à patre non potuiſſet hoc impetrare Adelbertus, patrem filiumque ab omnibus eſſe deſertum. *Itaque* (addit ſcriptor ille) *Otto rex ſine impedimento in Italiam introivit, atque Italiæ regnum obtinuit.* Luitprandus in hiſtoria legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ ait: cum *fidem* Ottoni datam Berengarius & Adelbertus *perfide violaſſent, juſte illos quaſi defectores & rebelles regno privatos.* Frodoardus recte notat, facta hæc demum anno DCCCCLXII. *Otto rex Romam pacifice adiit, & amabiliter exceptus, atque honore illic imperiali ſublimatus. Quod Berengarius Italiæ rex indigne ferens, regiones, quas regere debebat, incendere atque vaſtare cœpit.* Et vero incidit illa cæſarea Ottonis coronatio in anni illius menſem Februarium, diem ſecundum, feriam primam. Quod magnitudo negotii exacte hic monere nos jubet.

12. Igitur anno 951. Italicum ſive Langobardicum regnum, cæſarea jura dignitasque 962. (poſtquam nomen illud imperatorium ab anno 924. quo Berengarius primus è medio ſublatus eſt, in occidente omni quaſi evanuiſſet) ad Germaniæ reges devenere. Sopitum tamen bellum illud ultimum demum eſt anno 964. quo & Berengarius cum uxore captus, inque Bavariam eſt miſſus, & extincto Joanne papa perjuro, Leo iterum Ottonis auctoritate ſedi ſacræ reſtitutus eſt. Quod ipſum in animo fuit fortaſſe Ottoni Friſingenſi l. 6. cap. 22. chronici ſui: quando coronationem quidem cæſaream in illum annum perperam conjicit, recte tamen ſubjungit: *Ex hinc regnum Romanorum poſt Francos & Langobardos ad Teutonicos, vel (ut aliis videtur) rurſum ad Francos, unde quodammodo elapſum fuerat, translatum eſt.* Recte, inquam, hæc Otto. Illo enim denique anno Leo papa & clerus omnis populusque Romanus *æterno pacto Germaniæ regibus* (c) ſeſe ac ſua devinxerunt.

PFEFF. *in notis ad Vitr. J. P. tom. II. p. 969. ſeqq.* & CANGIVS *in gloſſario ſub voc. inveſtitura.* LVDWIGIVS *Hallenſis academiæ cancellarius* in extricandis juris publici doctrinis non infeliciter ſemper conjecturis indulgens, vexillorum feuda modo, quo vaſalli ſuorum ſubvaſallorum, ſub uno vexillo militantium, duces, regiis ſe jungebant caſtris, originem in *comment. ad A. B. tit. 5. §. 1.* adſcribit, atque ſic exiſtimat, vexillorum ſymbolum fuiſſe, illos, qui eo inveſtiebantur, non ſolos, ſed ſubvaſallis ſuis inſtructos in exercitu comparere debere. Quamquam largiar, antiquioribus temporibus aliis etiam, quam principibus, ut eccleſiarum advocatis, nec non comitibus, licet non cum tantis ſolennitatibus, ac in principum inveſtituris conſuetum fuerit, per vexilla interdum feuda collata eſſe: attamen arbitror, uſu deinde invaluiſſe, ut principum tantum feuda vexilliferorum nomine venerint, appellatione hac in comitum feudis, & iis, quæ olim a monaſteriis, mediante vexillo, conferebantur, obliterata; licet non deſint exempla non tam vetera, comitatuum per vexilla collatorum. GVNDLING. *diatriba de feudis vexillifer. & Gundl. p. 26. c. 4.* Nec itaque dubitandum videtur, in aurea bulla feuda vexillifera principum feudis non contradiſtingui, ſed eorum haberi ſynonyma, tradique, vulgariter feuda principum a ſymbolo, in inveſtitura adhiberi ſolito, vexillifera dici. Nulla alia enim, quod vicariis inveſtitura feudorum vexilliferorum principalium tantum adempta ſit, ratio eſt, quam quod maximi ſint momenti, atque ſic e re imperii, ut ab ipſo conferantur imperatore. Huic addi poteſt, quod vicarii ſolio deſtituantur regali, ex quo feuda principum vexillifera concedi debent. Denique pro hac ſententia militat uſualis interpretatio. Conſtat enim, vicarios ad ſuſcipienda feuda comites & barones diplomatibus, quæ in LVNDORPIO & THVLEMARIO DE OCTOVIRATV reperiuntur, excitaſſe; nec unquam aliquid, quaſi contra jus fasque egiſſent, monitum. Neque a celeberrimi Gundlingii ſententia hic diſcedendum fas puto, penes vicarios eſſe, an res comitum, quæ olim per vexilla collatæ ſunt, eodem velint conferre modo, cum ſit res meræ facultatis. Hodie ut inveſtitura per evaginatum fiat gladium, ſive laicus ſive clericus ſit inveſtiendus, receptum eſt. Solet autem inveſtiendo extremum capuli ad oſculandum porrigi. SCHW. *part. ſpec. teſt. I. c. IX. p. 4.*

(a) *Marchia Veronenſium & Aquilegienſium*) *C. ann. mſ.* Hæc eſt provincia limitanea. Hanc voluit Otto Berengario committere hac gratia, ut promtius & citius poſſet in Italiam venire. Nam qui in his provinciis habitant, poſſunt aliis viam in Italiam præcludere.

(b) *Æterno pacto Germaniæ regibus*) *CONR. annal. mſc.* Poteſt quis hic merito quærere: an juſtis de cauſis noſtri Germ. occuparint regnum Italiæ? Tum enim temporis adhuc ſupererant nonnulli ex familia Caroli M. quibus competebat jus hæreditarium. Fateor ego verum hoc eſſe, injuſteque illos regnum Italiæ occupaſſe, niſi conſenſu hæredum hoc feciſſent. Hæredes erant impares occupandi tantum regnum. 2) Proceres Lon-

xerunt. Id quod ex capitulo XXIII. diſtinctionis LXIII. Gratiani, *libro de Germanorum imperio c. X.* multis demonſtravimus: cum biennio ante non niſi cum Ottone ejusque filio queant videri pepigiſſe, quantum ex Luitprando colligere eſt.

13. Pacti perpetui cum Italiæ proceribus de regno Italiæ initi, in monumentis, quæ hodie ſuperant, memoriam haud forte reperias: ut ſunt illa rudia & bonæ frugis inania. Per tamen eſt veroſimile, etiam cum illis non minus arcte tunc fuiſſe conventum. Nec enim Romanum illud pactum ad Italicum regnum pertinet: utpote quod à Romano imperio proprie ſic dicto plane diverſum eſt; ceu probavimus ejusdem noſtri *de Germanorum Romano imperio libri cap. XII.* Niſi fortaſſis Otto, ſaltim *jure belli*, (a) in regnum illud Italicum proprietarium aliquod jus ſibi poſterisque deberi crediderit; atque adeo libero aliquo pacto cum proceribus non fuerit opus. In iis ſane tabulis Ottonianis, quas ad annum 962. recitat Baronius, ita legitur: *Inſuper offerimus tibi, B. Petre apoſtole, vicarioque* (b) *tuo domino Joanni papæ, & ſucceſſoribus ejus, pro noſtra animæ remedio, noſtrique filii & noſtrorum parentum, de PROPRIO NOSTRO REGNO, civitates & oppida cum piſcariis* (c) *ſuis, id eſt Reatem Amiternum. &c.*

14. Quicquid hujus ſit, id longe eſt certiſſimum & conſtat omnibus: ab illa usque Ottoniana occupatione, nunquam fere interruptâ ſerie, (nec enim eſt, quod Creſcentii aut ſimilis farinæ hominum, irritis & momentaneis conatibus poſſeſſionem fractam arbitreris) ſaltim ad ferale illud & perpetuò reipublicæ Germanicæ lugendum Friderici II. cæſaris fatum, vim imperii per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes Germaniæ reges fuiſſe.

Caput X.

Italici regni & cæſareæ dignitatis quæ ratio quive fines fuerint circa initia: & quemadmodum utrumque ad Friderici II. tempora ſeſe habuerit.

I.

Non videmur ab Italiæ regno & cæſarea dignitate commode recedere & ad alia poſſe progredi: niſi paulò dilucidius expoſuerimus, quid utroque nomine intelligi debeat, aut olim fuerit acceptum: addito brevibus, quemadmodum illa ad Friderici usque ſecundi, quæ diximus tempora, ſeſe habuerint.

2. *Igitur primo* (d) id notandum; ITALICI REGNI nomen cœpiſſe demum poſt Carolum magnum, non multò tamen poſt: utpote quod jam tum reperiatur in epiſtola Italiæ procerum ad Carolum calvum, ſcripta anno 877. *Nos omnes epiſcopi, abbates, comites ac reliqui, qui nobiſcum convenerunt Italici regni optimates.* Etſi enim haud aliud ſit, quàm id, quod ante audivit *regnum Longobardorum*, illud tamen priſcum nomen, extincta gentis illius majeſtate eaque ad Francos trans-

gobardorum, quibus erat aliquod jus aſſumendorum regum, noſtros reges aſſumſerant. Ergo non per libidinem Italia a noſtris occupata. Saxonibus enim nullum jus in Italiam. 3) Acceſſit jus belli. Poſtquam enim noſtri reges invitati ſunt, feliciter illis res ſucceſſit. Jure autem belli cedunt omnia jura, victoria parta. Ergo etiam noſtri reges jure belli potuerunt jus aliquod prætendere in Italiam. Romam ipſam jure belli noſtri imperatores non occupaverunt, ſed cæſaream dignitatem acceperunt conſenſu populi & pontificis, ut primarii ejus membri, perpetuoque fœdere facto de perpetua delatione cæſareæ dignitatis ad reges German.

(a) *Jure belli*) *CONR. A. E.* In eam ſententiam ſcripſit quoque PALMERIVS *fol. 114.* Poſt Arnulphum imperium confunditur, dolentibus Romanis & univerſis Italiæ populis, quod in Germaniam translatum eſſet; quamobrem nec a Romano pontifice inſigniti ſunt transalpini imperatores usque ad Othonem I. Pertæſi vero Longobardorum tyrannidis Othonem evocarunt Itali, ut Berengarium regno depelleret. Quod poſtquam feciſſet, JVRE BELLI Italiæ rex, ut Carolus M. renunciatus eſt.

(b) *Vicarioque*) *CONR. ann. mſc.* Tum temporis audiebant vicarii Petri: *Chron. Vulturnenſe p. 401. tom. I. part. II. ſcript. Ital.* hodie vero volunt dici vicarii Dei.

(c) *Cum piſcariis*) *CONR. annal. mſc.* Piſcaria eſt vocabulum uſitatum & intelligitur per id territorium aliquod. GöBEL. Piſcariæ vox latinis nota denotat locum, in quo piſcatur. CANGIVS *in gloſſario* ſub hac voce.

(d) *Igitur primo*) *CONR. annal. mſc.* Non facile invenires nomen Italici regni in hiſtoria Ludovici pii. Paulo tamen poſt cœpit. Gens Longobardorum occupavit Italiam, & retinuit usque ad Carolum M. Hoc regnum tum dictum Longobardicum. Videntur illi populi primum in Marchia trans Albim habitaſſe. Recenſet eos inter populos Germaniæ TACITVS. Carolus M. omnem iſtam dignitatem transtulit ad Francos. Hodie adhuc ſupereſt pars ejus in Italia die Lombarden. Eſt igitur regnum Italicum & Longobardicum unum & idem. Manſit autem ſemper aliqua portio Romani imperii. Urbs ipſa Romana, exarchatus Ravennatenſis, Calabria, Sicilia, urbs Veneta. Illæ reliquiæ intelliguntur nomine Romani imperii: Attamen accepit illas cum cæſareo titulo Carolus M. GöBEL. Italiæ vocabuli origo Carolingorum tempora antecedit. PAVLVS DIACONVS *in hiſtor. Longobard.* Italicum autem regnum & jam Caroli M. tempore auditum videtur, quippe qui Bernardum nepotem ſub Adalbardi moderamine patri Pipino in Italiæ regno ſucceſſorem dedit. EGINHARDVS *in vita C. M. c. 19.* niſi dixeris, illud a poſterioris ætatis ſcriptoribus prioribus temporibus adhibitum fuiſſe. Id certum, Pipinum Bernardi patrem in legibus, quæ ejus nomen præ ſe ferunt, Longobardorum regem vocari. Puto tamen, ſi recte memini, me Bernardi binas vidiſſe chartas, in quibus Italiæ rex dicitur. Reperitur expreſſio *regnum Italiæ in charta diviſionis imperii Ludovici pii inter filios §. XVII. apud BALUZIVM tom. I. p. 578.* In capitulari autem primo anni DCCCVI. Caroli M. in quo inter filios ejus Karolum Pipinum & Ludovicum regnum Francorum dividitur, habetur §. VI. *Italiam vero, quæ & Longobardia dicitur. BALVZ. tom. I. capitul. p. 442.* In actis conventus Furonenſis inter Hludovicum Caroli calvi filium & Hludovicum Germanici filium anno 879. habiti legitur: *de regno autem Italiæ. BALVZ. t. I. p. 238.* Cæterum quocunque demum tempore hæc appellatio cœperit: illico tamen Longobardiæ nomen non exaruit Carolus calvus imperatorio ſumto diademate Boſonem Longobardiæ ducem reliquit. Quid hodie Lombardiæ nomine veniat, notum eſt, nimirum ea maximam partem terrarum ad utrumque Padi latus Gallicos fines & Adriaticum interjacentium mare.

tranſlata, ſimul videtur abolitum, novo hoc ſubſtituto. Ab illo regno Langobardico diſtinctum plane quid, exiguum licet, per Italiam manſit reliquum IMPERII VETERIS ROMANI: idque ex parte ad Francos tranſlatum eſt, poſtquam cæſar dictus fuit Carolus magnus; Calabria, Sicilia & urbe Venetorum exceptis. Hæc latius libro de *Germanorum imperio Romano cap. VII. & VIII.* perſequuti ſumus. Ubi & id probavimus: utile, ut ita dicamus, hujus dominium, cum aliqua dicundi juris poteſtate, Pipini & Caroli magni dono, ad papas quidem perveniſſe: *ſummum principatum* (a) autem, ſive vim potiſſimam regendi, cum cæſareo nomine ad Francorum reges delatum: & hoc denique ipſum illud eſſe, quod reapſe titulo cæſareo & illi & poſteri eorum nacti ſunt. Ea hic repetere fuerit actum agere.

. 3. Lubet tamen nonnulla adferre in medium, ex antiquiſſimo ſcriptore Italo Ottonibus coævo, quæ Eutropii hiſtorico libello adjuncta invenit quondam & publicavit Matthias Flacius; quo pateat, qualis tum fuerit in ipſam urbem Romam cæſarum auctoritas, ſaltim usque ad annum octingenteſimum ſeptuageſimum ſextum. „Accipiente Carolo hoc (magno) regnum, „profectus eſt Romam, deditque ibi donaria multa: quæ usque hodie Romanum tenet dominium, *de regni hujus confinibus.* (b) *Fecitque pactum* (c) cum Romanis, eorumque pontifice, & „de ORDINATIONE PONTIFICIS, ut intereſſet quis Legatus, & ut *CONTENTIOSAS LITES* (d) „ipſe (ſcilicet legatus) deliberaret. Conſtituebant autem *annalia dona* (e) in papæ palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis privatis donis. „Et quando imperator adveniebat Romam vel ſuus legatus, mittebantur judices â palatio ſingulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia *vindicabant placita:* (f) compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, judicantibus eorum judicibus rectam legem in „præſentia imperialium judicum; & ſi alterius gentis invenirentur habitatores, regali judicio judicabantur. Erant denique *monaſteria*, (g) in ſalinis Domini Salvatoris, & S. Dei genitricis „Mariæ, nec non & monaſterium b. Andreæ apoſtoli juxta montem Soractis, ſeu cætera fiſcalia „patrimonia intra Romanos fines, ad uſum imperialem. Non ſolum autem in Italico regno, „verum etiam in Franciam proficiſcebantur monachi, ferentes vectigalia, vina & alia donaria juxta „virium poſſe.„ Paulò poſt: „Propterea inventum eſt, ut omnes *majores* (h) Romæ eſſent imperiales homines, tam epiſcopi quam laici; & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem „imperatori; & ut ſuus miſſus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigioſas contentiones. Morabatur quippe in palatio S. Petri; & erat conſtitutum, quanta & qualia ſtipendia „de palatio ei darentur quotidie. Quod autem reliquum erat, de ſupradictis monaſteriis vel „patrimoniis deferebatur affluenter. Tanta nempe imperialis virtus ibi vigebat, ut ſi in legali „*judicio minoris vel inſcii* (i) cauſa poſtponeretur, & ille alicujus conſilio pedes teneret legati imperatoris, petens ab eo juſtam legem: & miſſus adjuraret principes Romanorum, dicens: Per „eam FIDEM, quam domino imperatori debetis, facite huic homini juſtam legem; nemo erat „auſus declinare neque ad dextram neque ad ſiniſtram, etiamſi à propinquis pontificiis illata eſſet „injuria. Multoties verò non *ante apoſtolicum*, (k) ſed in judiciali loco ad Lateratum (ubi quidam „locus

(a) *Summum principatum*) *CONR. annal. mſc.* Legendæ hic ſunt epiſtolæ Leonis III. Is enim coronavit Carolum M.

(b) *De regni hujus confinibus*) *CONR. ann. mſc.* Pipinus & Carolus M. inuſitato exemplo multa dederunt pontificibus Rom. Antea inaudita erant, arces & urbes ab epiſcopo teneri. At vero illi artibus pontif. inducti Italiæ inſignem portionem dederunt Romano pontifici.

(c) *Fecitque pactum*) *CONR. annal. mſc.* Ut nempe præſente cæſareo legato pontifex crearetur. Hoc diu duravit usque ad tempora Henrici IV. Primus Gregorius VII. adjecit jugum. Conſtituerant ante ipſi imperatores pro arbitrio ſuo pontifices.

(d) *Contentioſas lites*) *CONR ann. mſc.* Nempe ut ſumma auctoritas decidendarum litium, & juriſdictio eſſet penes imperatorem.

(e) *Annalia dona*) *C. ann. mſc.* Erat mos Francici regni, quotannis offerre dona in fiſcum principis. Hic enim mos non tantum uſitatus apud Francos, ſed alias gentes Germaniæ omnes. Hæc dona tum dicta ſunt annalia.

(f) *Vindicabant placita*) *C. ann. mſ.* Placitum eſt vox ſemigermanica antiqua, & ſignificat conventum aliquem publica auctoritate conſtitutum. Locum ipſum appellarunt Mallum ein Mahl. GöBEL. Placiti vocem mere latinam eſſe reor, & id, quod in conventu placuit, pro ipſo conventu aut concilio eſſe ſumtum. Erant autem placita generalia ſ. majora, in quibus totus populus per deputatos comparebant, & una cum rege res reipublicæ ſub deliberationem vocabant; & ſingularia ſive minora, quæ a ducibus, epiſcopis & comitibus habebantur. *CANGIUS in gloſſ. vocab. placit. & BALUZII capitul. paſſim.* Mallus a Germanorum voce Mahl deſcendens, vocabulum dicebatur locus, ubi judicia majoris momenti exercebant. *CANG. in voce Mall. SPELMANNUS in gloſſario p. 384.* mallum vocat: *placitum majus, in quo majora comitatus negotia, quæ in villis centuriisque terminari non potuerunt, a comite finiebantur.* Conſtat hanc vocem æque ac Malbergum & ipſum judicium & locum judicii ſignificaſſe. Frequens fuit illis temporibus in collibus judicia haberi. *ECCARDUS ad leg. ſal. p. 14.*

(g) *Monaſteria*) *C. ann. mſc.* Hæc tum temporis non erant immunia ab oneribus, ſed ad multa civilia adſtricta. Deinde perſuaſum populis, abſurdum hoc eſſe. GöBEL. Pauca olim erant, quæ a ſubditis impetrabantur. Ea enim erat temporum illorum felicitas, ut non magnis principes indigerent ſumtibus. Sic non deſunt tabulæ, quibus doceri monaſteria Italica juribus, quibus ibi imperatores gaudebant, ſubſuiſſe. Nec a præſtatione militum, cum adhuc delectus fierent, immunes erant. Illi ſub Advocati, ſi quem habebant, vexillum eccleſiæ geſtantis moderamine exercitui jungi ſolebant. Poſtmodum autem exemtionis privilegia aut generalia aut ſpecialia nacta & ſub papalibus artibus ſeculari poteſtati ſe ſubtrahere moliti ſunt.

(h) *Majores*) *C. ann. mſc.* Per hoc intelliguntur omnes illi, qui in aliqua dignitate poſiti. Imperiales homines ſunt vaſalli. Homo antiqua lingua feudali dicitur is, qui præſtat homagium. GöBEL. Varia eſt vocis hominis in veteris ævi monumentis ſignificatio. Plerumque tamen absque addito poſita denotat Vaſallum domino fiduciario obnoxium homagio. *SPELMAN. & du CANGE in gloſſar.*

(i) *Judicio minoris vel inſcii*) *C. ann. mſc.* Plebeji & ignoti.

(k) *Ante apoſtolicum*) *C. ann. mſc.* Rom. pontificem, uti adhuc ſedes apoſtolica.

„locus dicitur ad lupam, quæ mater vocabatur Romanorum) ibi judiciariam legem finiebant. „*Compoſitiones quoque*, (a) quæ ſolebant à malefactoribus ſolvi, æqualiter dividebantur miſſo im„peratoris & apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelerata fiſco publico ſubderetur, non „ad eccleſiaſticam tranſibat ſubjectionem, niſi per donativum imperiale præceptum. Si enim „aliquis iram incurrebat imperatoris epiſcopus aut judex Romanus, *& placitum eſſet cæſari* (b) ve„nire Romam, veniebat: ſin autem, mittebatur *dux Spoletanus*, (c) comprehendebatur offenſor & „ducebatur in exilium, domus vero illius ſignabatur annulo regis, usque ad ejus conſultum; „ut ſi quando reverteretur ad gratiam, *haberet propria ſalva:* (d) ſin aliàs, per imperialia præcepta „diſtribuebatur militibus. Quod ſi ad judicis poteſtatem rejiciebatur quisquam, & cæſaris ad„hæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio legatus ab imperatore, qui diligenter examina„ret rei veritatem: & ſi ejectus propriam haberet culpam, ſuſtineret injuriam.„ Hæc ille.

4. Pergit idem auctor: „Hac conſuetudine uſi ſunt Romani usque ad Ludovicum, magnum „imperatorem, Lotharii filium. *Hic quia magis* (e) Italiam habitare elegit, vicinior factus eſt „Romæ, ubi & ampliore quadam uſus eſt poteſtate, habens ſtrenuos viros ejus urbis, ſcientes „antiquam imperatorum conſuetudinem, & intimantes cæſari, qui ſuggerebant illi repetere an„tiquam imperatorum dominationem. Et niſi ob reverentiam beatorum apoſtolorum dimitte„ret, pro certo faceret.„ Hæc omnia ille.

5. Attexit ſcriptor mox haud pauca de Ludovico illo cæſare, quemadmodum auctoritatem cæſaream Romæ illuſtribus exemplis exercuerit. Quæ omnia huc referre tædioſum fortè fuerit, at quæ de Calvo aliisque Italiæ regibus idem diſſerit, illa operæ eſt pretium heic etiam legere. „Carolus calvus veniens Romam renovavit pactum cum Romanis; perdonans illis jura regni & „conſuetudines illius; tribuens illis ſumptus de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini „Sa-

(a) *Compoſitiones quoque*) *C. ann. mſc.* Multæ ſcilicet. Criminalia autem illa magnam partem pertinuerunt ad cæſarem. *Vid. diſſert. de judic. Germ.* Multa eſt pœnarum civilium, non autem criminalium, inflictio. GöBEL. Multam in jure Romano ut animadverſionem civilem nonnunquam opponi, *ex BRISSONIO in voc. multa* pateſcit.

(b) *Et placitum eſſet cæſari*) GöBEL. Ad judiciariam illam Francicorum imperatorum, qua in urbe & in papam utebantur, facultatem magis adhuc ob oculos ponendam inſervit ſequens locus, qui a *BALVZIO in præfat. capit. ex chron. Farfenſi apud du CHENE tom. 3. p. 656.* affertur: *Dum Joſeph epiſcopus & Leo comes Miſſi Domini Hludovici imperatoris reſiderent in judicio Romæ in palatio Lateranenſi in præſentia domni Gregorii papæ, ibique adeſſet Leo epiſcopus & bibliothecarius ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & Theodorus, epiſcopus, Cirinus Primicerius, Theophilaptus Nummiculator, Gregorius filius Mercurii, & Petrus dux de Ravenna, & alii plurimi, venit Domnus Ingoaldus, abbas hujus monaſterii, cum Audolfo advocato, & retulit, quod Domni Arianus & Leo pontifices per fortiam invaſiſſent res hujus monaſterii, id eſt, curtem Corvanianum, & curtem ſancti Viti, quæ eſt in palmis & familiis; unde tempore Stephani, Paſchalis, & Eugenii ſemper reclamaverat, & juſtitiam minime invenire poterat. Tunc ipſi Miſſi & judices, quibus dominus imperator in urbe mandaverat, ut de hoc facerent juſtitiam præſente Domno apoſtolico interrogaverunt advocatum ipſius apoſtolici nomine Gregorium, quod exinde diceret. Qui dixit, quod ipſæ curtes ipſi monaſterio nihil pertinerent. Deinde advocatus domni abbatis oſtendit monimina ex ipſis, & continebatur in eis qualiter Anſilberga abbatiſſa ſancti ſalvatoris de Brixia easdem curtes in hoc monaſterio per ipſa monimina delegaverat, & aliud monimen, quod Teudicus dux eidem Anſilbergæ filiæ ſuæ donaverat, & preceptum Deſiderii regis & domini Caroli imperatoris, quibus ipſas curtes, cum omnibus ejus pertinentibus in hoc monaſterio confirmaverant. Tunc ſupradicti miſſi & judices eos reguadiare fecerunt, fidei juſſores utriusque ſecundum ſuam legem ponentes & ut alia die ad idem placitum redirent, juſſerunt. Et ſic venit Domnus abbas & ejus advocatus una cum teſtimoniis, quorum nomina ſunt Gradolfus, Guaspertus de Reate, qui ſic teſtificati ſunt, ut relatum eſt. Contra quæ prædictus advocatus pontificis nihil contrarium dixit nec potuit, quia boni homines viſi ſunt ei. Iterum venit Joſephus Caſtaldus Reatinus cum bonis & veracibus hominibus & interrogati per ſacramentum, quod domino imperatori fecerant, teſtimonium ſupradictorum virorum laudaverunt, &, quod bene in omnibus recipi poſſent, affirmaverunt; & ſeorſim interrogati ſunt. Quorum primus ait: Ego ſcio & bene memoror, quoniam tempore Longobardorum & domini Caroli imperatoris ipſas curtes ad partem monaſterii vidi, & recordor ibi præpoſitos Joannem & Petrum & Chriſtianum monachos ipſius monaſterii, usque dum per fortiam prædicti pontifices exinde tollere fecerunt. Similiter reliqui dixerunt. Deinde venerunt boni & veraciores homines duodecim, id eſt, Joannes clariſſimus Meitio, Teuto, Caſtinus, Audacius, Alboin Medicus, Gualisperius, Conſtantinus, Notarius, Petrus, Fratellus, Hydericus Stabinus. Hi omnes interrogati, quid de ipſa cauſa ſcirent, ſimiliter dixerunt. Poſthæc Audulfus advocatus juravit dicens: Per iſta ſancta quatuor evangelia, quia ſicut iſti teſtes dixerunt, ita fuit verum. Hæc ſupradicti Miſſi ſive judices audientes judicaverunt, ut Gregorius advocatus pontificis retraderet ipſas curtes Audulfo advocato ad partem hujus monaſterii, quod facere noluit. Sed & ipſe apoſtolicus dixit noſtro judicio ſe minime credere, usque dum in præſentia domini imperatoris ſimul venirent.*

(c) *Dux Spoletanus*) *C. ann. mſc.* Fuit hic ducatus pars Italiæ, parebat imperatori. GöBEL. Spoletanos Carolingiæ gentis cæſaribus & etiam ex Germanis Italiæ imperantibus ſubfuiſſe ex illorum temporum annalibus conſtat. Carolus III. Guidonem, qui ſe non, ut par erat, geſſerat, in captivitatem dari juſſit, eumque haud dubie capitis pœna affici curaſſet, niſi ſe pœnæ fuga ſubtraxiſſet. *CAMILLVS peregrinus in hiſtoria principum Longobardorum p. 255 tom. II. ſcriptor. Italicor.* Fateor tamen, Spoletinam fidem interdum fluctuaſſe. Sic in Alexandri III. partes Spoletum conceſſit, cum ille in Fridericum I. inſurgeret, ſed male propterea ab hoc mulctatum eſt, nec id papæ permittere voluit. *GODEFRIDI VITERBIENSIS pantheon. p. 463. Deſcrittione di tutta Italia par LEANDRO ALBERTI* p. 91. *RADEVICVS lib. 2. p. 810.* In papæ Innocentii poteſtatem Conrado duce autore pervenit. *VITA Innocentii III. tom. III. ſcript. Italic. §. X. p.* 488. Verum a Friderico II. ad officium redire coactum. *RICHARDVS de S. Germano p. 1046. tom. VIII. ſcriptor. Italic.*

(d) *Haberet propria ſalva*) *C. ann. mſc.* Incluſive usque ad Ludovici Lotharii filii obitum fuerunt ſalva jura. GöBEL. *Chronic. Vulturn. p. 402. ſeqq.*

(e) *Hic quia magis*) *C. ann. mſc.* Reliqui Aquisgrani habitarunt, ſed Ludovicus Ticini ſ. papiæ. GöBEL. Ludovicum II. Ravennæ, Parmæ, Capuæ aliisque in Italiæ locis commoratum eſſe diplomata & autorum teſtimonia comprobant. *VGHELL. Ital. ſacr. tom. I. p. 1427. tom. II. p. 97. 528. tom. IV. p. 337. 961. Annal. Bertiniani ad ann. 873. MABILLON de re diplomat. p. 533.* Interim maximam partem eum Paviæ locum tenuiſſe, ex *ANASTASIO in vita Sergii p. 226. tom. 3. ſcript. Italic.* conſtat. Vid. etiam *VGHELLI tom. 4. p. 337.*

„Salvatoris, & beatæ Mariæ ſemper virginis in Sabinis atque S. Andreæ juxta montem Soractis „& de cæteris quam plurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. *Patrias* (a) autem Samniæ & Cala„briæ ſimul cum omnibus civitatibus Beneventicis contulit: inſuper ad dedecorem regni totum „ducatum Spoletanum cum duabus civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe dux, id „eſt, Aretium & Cluſium; quatenus ut is, qui præerat regia vice ante Romanis, videretur poſt „eſſe ſubjectus. Removit etiam ab eis regias legationes aſſiduitatem ad præſentiam apoſtolicæ „electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit, quæ voluerunt; quemadmodum dantur illa, quæ „nec recte acquiruntur nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu *alterius* „*Caroli*, (b) qui veniebat, infirmatur antequam de regno egrederetur Italico. Egreſſus namque „vix, defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines regiæ dignitatis nemo impera„torum, nemo regum acquiſivit: quia aut virtus defuit aut ſcientia, præ multis regni contentio„nibus & adſiduis diviſionibus. Unde multa prælia, delationes, & rapinæ fuerunt in regno.

6. Hæc iterum ille. Quæ vero eſſe conſentanea, alibi oſtendimus. *Et ſane poſt* (c) Ludovicum illum Lotharii filium usque ad Ottonem magnum, eviluit plane per Italiam cæſarea vis & auctoritas; eoque cum paucis datus eſt ille titulus, tum qui illum ſunt nacti duntaxat nomine fere tenus rebus præfuerunt non re ipſa. Dignum tamen obſervatu, adhuc anno 904, quum Lampertus Widonis filius dignitate iſthac eſſet conſpicuus, in ipſamet ſynodo romana, curante pontifice Joanne IX. cæſarea quædam jura vetera confirmata eſſe. In actis ſane ſynodi illius, quæ cardinalis Baronius annalibus inſeruit, ita loquitur ille Lambertus imperator: „Si quis ro„manus, cujuscunque ſit ordinis, ſive de clero, ſive de ſenatu, ſeu de quocunque ordine, „gratis ad noſtram imperialem majeſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus *ad nos vo*„*luerit proclamare:* (d) nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quispiam invadere „vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo vel redeundo, vel morando inquietare præſumat: „donec liceat imperatoriæ poteſtati, eorum cauſſas & perſonas, aut per miſſos noſtros, deliberare. „Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam re„rum auferre, poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, imperialis ultionis indi„gnationem incurrat. Inter duodecim capitula eodem tempore conſtituta octavum ita ſeſe habet: „Ut paſtus imperatoris ab epiſcopis & comitibus, ſecundum antiquam conſuetudinem, ſol„vatur. Quod ſi novo tempore fiſcus comitialis in jus eccleſiaſticum converſus eſt, augeatur „ſtipendium imperiale ab eccleſia, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

7. Porro id quoque certum eſt: iſthac tempeſtate, etiamſi interdum nemo cæſareo titulo emineret, urbis tamen imperium nunquam penes papas, ſed alios & quidem *Thuſciæ marchiones* (e) potiſſimum eorumque clientes fuiſſe. Luitprandus l.2. cap.13. in hæc verba loquitur. „Theodora „ſcortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia (quod dictu etiam nefandis„ſimum eſt) ROMANÆ civitatis non inviriliter MONARCHIAM obtinebat; quæ diras habuit „natas, Maroziam atque Theodoram, ſibi non ſolum æquales, verum etiam Veneris exortivo „promptiores. Harum una Marozia ex papa Sergio, cujus ſupra fecimus mentionem, Joannem, „qui poſt Joannis Ravennatis obitum ſanctæ Romanæ eccleſiæ obtinuit dignitatem, nefario ge„nuit adulterio: Adelberto autem Marchione Albericum, qui noſtro tempore Romanæ urbis prin„cipatum uſurpavit &c. Hæc Luitprandi verba cum recitaſſet Baronius ad annum DCCCCIIX. in juſtam indignationem ita prorupit: „Audiſti temporis hujus deploratiſſimum ſtatum, cum „Theodora ſenior nobile ſcortum monarchiam (ut ita dicam) obtinebat in urbe? Sed unde in„fami mulieri tanta dignitas? Erat iſta nobilis Romana fœmina ſenatoria orta propagine, excel„lens pulchritudine, ingenio verſutiſſima, conſuetudine Adelberti Tuſciæ marchionis potentiſſimi „reddita procaciſſima, ex qua etiam quas audiſti genuit filias, ſicque ex adulteri potentia etiam „ſibi peperit monarchiam. Nam cum (ut ſuo loco inferius dicetur) munitio ſancti Angeli in„expugnabilis reddita *ex mole olim Hadriani*, (f) Auguſtorum ſepulchro, poſſideretur ab eodem Tuſciæ

(a) *Patrias*) *C. ann. mſc.* Provincias.

(b) *Alterius Caroli*) *C. A. M.* Nempe Carolomanni.

(c) *Et ſane poſt*) *C. A. M.* Interea poſt Arnulphum habuit varios reges Italia, ſed cæſareo titulo pauci ornati. Tres tantum ea dignitate gaviſi, Guido, ejus filius Lambertus & Berengarius. GöBEL. Vide, quæ a nobis ad librum de imperio Germanico dicta ſunt.

(d) *Ad nos voluerit proclamare*) *C. A. M.* ſ. appellare.

(e) *Tuſciæ marchiones*) *C. A. M.* Habitarunt illi olim, ubi nunc magni duces Hetruriæ. Tuſcia eſt propinqua urbi Romæ, quomodo autem factum fuerit, quod occuparint urbes imperii, ex monumentis non conſtat. GöBEL. CELLARII *geograph. antiqua lib. 2. c. 9. p. 711.* Prima Etruriæ marchionibus ſeſe rebus romanis immiſcendi parta videtur occaſio, quod a Sergio antipapa Adelbertus potentiſſimus Tuſciæ marchio in auxilium advocatus. Sub cujus deinde auſpiciis ſedem impetravit pontificiam. LVITPRANDVS *lib. 1. c. 8.* Atque Adelbertus, ut haberet, quo adverſus Romanorum ſe defendere poſſet impetus, Angeli caſtro potitus videtur. Hanc deinde Maroziæ, cujus conſuetudine utebatur, & ex qua Albericum filium, qui urbis Romæ principatum uſurpavit, ſuſcepit, permiſit. PALATIVS IN SERGIO *III p. 90. 91.* Videtur Albericus caſtrum hoc amiſiſſe, cum litibus inter eum & fratrem uterinum papam Joannem X, quem Marozia ex Sergio III. enixa, exortis Roma pelleretur. Diſcordiarum inter fratres cauſa fuit, quod victoriæ a Saracenis reportatæ, gloriam ſibi ſolus Joannes tribueret. PLATINA *in Joanne XI.* Ad Romanos autem caſtrum illud rediiſſe ex PLATINA *in vita Benedicti VI. & Joannis XV.* liquet. Interim tamen & poſt Romæ in creandis etiam pontificibus plurima nonnunquam valuerunt autoritate.

(f) *Ex mole Hadriani*) *C. A. M.* Hadrianus imp. olim extruxit ingentem molem in ſepulchrum ſuum: Fuit talis moles, qualis nusquam reperitur in toto occidentali orbe. Dein converſa eſt in arcem, ita ut hodie arx ſit munitiſſima. Cœpit barbaris illis temporibus appellari caſtrum St. Angeli, quia fabulati ſunt, in iſta arce habitaſſe aliquando Michaëlem archangelum, & ibi apparuiſſe. Hodie adhuc vocatur Caſtello di St. Angelo, & quidem caſtri illius dominus eſt etiam urbis dominus. Quapropter illud a pontificibus ſemper tenetur valido præſidio. Quamdiu illa moles non fuit in manu ponti-

„Tuſciæ Marchione, qui ea potiretur urbi quoque pariter dominari facile poſſet: hæc peſſima „fœmina ea arte dominium urbis eſt conſecuta, poſſidens arcem, illud in poſteros propagare cu- „ravit, filias proſtituens pontificibus, ſedis apoſtolicæ invaſoribus, & Tuſciæ marchionibus; ex „quibus tantarum invaluit *meretricum imperium*, (a) ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent „pontifices, & violentos ac nefarios homines illis pulſis intruderent. Hactenus Baronius. Et vero *ſolus Joannes XII.* (b) urbis principem egit, a patre Alberico quaſi hereditate principatum adeptus, nullius papalis juris prætextu. Frodoardus ad annum DCCCCXLV. „Alberico patricio „Romanorum defuncto, filius ejus Octavianus, cum eſſet clericus, principatum adeptus eſt: qui „poſtea defuncto Agapeto, ſuggerentibusque ſibi Romanis, papa urbis efficitur.

8. QVANQVAM præterea ampliſſima bona, *Pipini & Caroli magni* (c) dono, quondam ad papas perveniſſent, videntur tamen illa ſenſim ad alios translata; ut tandem papis nihil pene rerum fuerit reliquum. In actis ſane Romanæ ſive Ravennatenſis ſynodi quæ modo citavimus, Joannes IX. papa exigit, *ut patrimonia, ſeu ſuburbana, atque maſſa* (d) *& colonia, nec non civitates, quæ contra rationem quaſi per juris præcepta largita ſunt, reddantur.* Lambertum ita alloquitur: *Sed [illegible]c ſcire vos volumus, quoniam ſancta Romana eccleſia tantum eſt ad nihilum deducta, quod & eleemoſynæ, quæ pauperibus pro ſoſpitate veſtri imperii diſtribui ſolebant, & ſtipendia clericorum ac famulorum ejus omnimodis ſunt evacuata &c.* Regino ad annum DCCCLXVII. de Ottone magno imperatore: *Habita Ravenna ſynodo multa ad utilitatem ſanctæ eccleſiæ adinvenit, & apoſtolico Joanni urbem & terram Ravennatium aliaque complura, MVLTIS retro temporibus Romanis pontificibus ABLATA reddidit.* Eo demum anno ſcilicet facta eſt redditio: quoniam bona illa recuperata initio quidem Otto ſuam in propriam quaſi poteſtatem redegerat. Id quod conqveſtus fuit Joannes XII. Otto autem ita defendit: *Omnem terram S. Petri,* (e) *quæ noſtri poteſtati ſubjecta eſt, eccleſiæ promiſimus reddere. Quo vero pacto terram hanc ei reddere poſſumus, ſi non prius eam ex violentorum manibus ereptam poteſtati noſtræ ſubdamus?* Quæ narrat *Luitprandus lib. 6. c. 1.*

9. CÆTERUM hunc rerum ſtatum latius perſequi ac deſcribere, non patitur inſtitutum: & proprii hoc eſt argumenti. Tangenda tamen hæc nonnihil fuere, ſaltim ut omnibus fiat manifeſtum, quale fuerit urbis Romæ imperium & quam exigua ac miſera Romanorum pontificum conditio, quando cum Germania dignitas cæſarea coaluit. Magis hic locus poſtulat; quoniam modo diximus, Italiæ aliquam partem Romanis pontificibus ceſſiſſe quidem, iterum vero perditam: atque Ottonis magni dono iis reſtitutam: ut explicemus clarius, quidnam juris pontificii fuerit factum, ſive Ottonis ſive aliorum munere, & in quantum illa quæ ita in ditionem pontificiam tranſire cæſareis juribus fuerint ſubducta. Hoc enim quam maxime pertinet ad id, ut limites cæſarii & papalis imperii rite deſcribantur.

10. Ac Baronius quidem ad annum noncenteſimum ſexageſimum ſecundum adfert tabulas Ottonis nomine ſignatas, quibus ille Romanæ ſedi multa donat: pars earum heic omnino legenda eſt. „Spondemus atque promittimus *per hoc pactum confirmationis* (f) noſtræ *tibi B. Pe-* „*tro,* (g) principi apoſtolorum & clavigero regni cœlorum, & per te vicario tuo domino Joanni, ſummo

ficis, non fuerunt domini urbis. GöBEL. Moles illa Ælium Hadrianum, ut ibi cineres ſui conderentur, habet autorem. Deſcribit eam PROCOPIVS *de bello Gothico.* Illati deinde huic omnium Antoninorum cineres ſunt. Loco jam tum ſatis munito Alexander ſextus altiſſimas foſſas & nova addidit munimenta, quod & ab Urbano VIII. repetitum, S. Angeli nomen inde habere dicunt, quod Gregorius magnus, cum Deum precibus una cum populo Romano, quo peſtis, qua graviſſime affligebantur, ceſſaret, fatigabat, ſuper hac angelum ferrum in vaginam recondentem viderit. PFLAVMERI *mercurius Italicus p. 202. Nouveau voyage d' Italie par Miſſon p. 35. Relation de la cour de Rome par NODOT p. 552.*

(a) *Meretricium imperium*) *C. A. E.* Recte & ingenue Baronius monſtroſum, qui iſthac fuit ætate, Romanæ eccleſiæ ſtatum meretricio imperio urbis adſcripſit. Thomas contra Stapletonus aliique nonnulli culpam omnem Germanicis imperatoribus tribuentes & inſcitiam ſuam prodiderunt & ſummam iniquitatem, Intruſi autem ſunt, ait idem Baronius ad ann. 897. n. 4. in cathedram Petri, ſolium Chriſti, homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, usq; quaque fœdiſſimi. Ejusdem Baronii juſtiſſima querela hiſce verbis prodita eſt ad annum 912. §. 8. Quæ tunc facies ſanctæ Romanæ eccleſiæ quam fœdiſſima! quum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur epiſcopi: & quod dictu horrendum ac nefandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii pſeudopontifices.

(b) *Solus Joannes XII.*) *C. A. M.* Fuit hic filius Alberici & ſimul papa, Dominus autem urbis non fuit tanquam papa, ſed tanquam filius Alberici. Obiit in ſinu meretricis. Dicitur etiam de hoc, quod potaverit in ſalutem diaboli, atque alea luſerit, quod hodie omnes & adhuc faciunt. GöBEL. Quæ autor hic aſſerit, ex PLATINA *in vita Joannis XIII.* (XII) ſat manifeſta ſunt.

(c) *Pipini & Caroli*) GöBEL. Incertum tamen admodum, quid ex donatione Pipini & Caroli M. ad ſedem Romanam pervenerit. *Acta conventus Romani II. p. 33. 34.* Nec non multa ſunt, quæ ipſis donationibus adverſantur. l. c. p. 71. ſeq.

(d) *Atque maſſæ*) *C. A. M.* Intelligitur per hoc vocabulum inſignis fundus papalis: Occurrit ſæpe in libr. canon. GöBEL. Maſſa, maſſum, maſa, maſada certum agrorum modum denotat, vel, ut aliis placet, collectionem quandam ac conglobationem poſſeſſionum ac prædiorum. CANGIVS *in gloſſario ſub voc. maſſa.*

(e) *Omnem terram S. Petri*) *C. A. M.* Familiare eſt papæ & omnibus epiſcopis ſuas poſſeſſiones adſcribere patronis eccleſiæ. Ita patrimonium S. Petri, quod Petrus creditur patronus Romanæ eccleſiæ. Ita & templum ſanctæ Mariæ. Latet autem hic egregia ars. Laici enim ſunt a Clericis perſuaſi, quaſi quid donarent monaſteriis, ipſis patronis donarent. GöBEL. Horum deinde ope peccatorum remiſſionem ſe impetrare poſſe ſperantes, largiſſimis donis eorum ſibi favorem conciliare conſtituerunt.

(f) *Per hoc pactum confirmationis*) *C. A. M.* Quod ſcil. crederent plerique, illis hæc donata eſſe a Pipino & Carolo magno.

(g) *Tibi B. Petro*) *C. A. M.* Inſtillarunt hominibus, quod darent pontifici Rom. dari Petro, atque hoc modo multa bona pontifices ſibi compararunt. GöBEL. Pontifices profecto multa fictitio Petri vicariatui debent. Olim omnes epiſcopos Chriſti vicarios dictos, teſtatur GOTFRIDVS *Vindocinenſis opuſc. 10. quia Chriſti crederentur agere vices;* Quid autem pontifices romanos commoverit, ut apoſtolorum, ſedis apoſtolicæ, inprimis vero Petri,

„ſummo pontifici & univerſali XII papæ, ſicut a prædeceſſoribus veſtris usque nunc *in veſtra po-*
„*teſtate* (a) atque ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis, CIVITATEM ROMANAM, CUM DUCATU
„SUO, & ſuburbanis ſuis, atque viculis omnibus & territoriis ejus, montanis & maritimis, littori-
„bus atque portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis, Tuſciæ partibus. Id eſt,
„Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum Galliſem, Or-
„tem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam cum tribus inſulis ſuis, id eſt, Majore, Minore, Pu-
„loenſium, Narniam, & Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad ſupra ſcriptas civitates per-
„tinentibus. NEC NON EXARCHATVM (b) RAVENNATEM SUB INTEGRITATE, cum
„urbibus, civitatibus, oppidis & caſtellis; quæ piæ recordationis dominus Pipinus & domi-
„nus Karolus, excellentiſſimus imperator, prædeceſſores videlicet noſtri, B. Petro apoſto-
„lo & prædeceſſoribus veſtris, jamdudum per donationis paginam contulerunt. Hoc eſt civita-
„tem *Ravennam,* (c) & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, forum populi, forum Livii, Faventiam, Imo-
„lam, *Bononiam,* (d) *Ferrariam,* (e) *Comiaclum,* (f) & Hadrianis atque Gabellum, cum omnibus
„finibus, territoriis atque inſulis, terra marique ad ſupra ſcriptas civitates pertinentibus. Simul
„& PENTAPOLIM; (g) videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum Senogalliam, Ameriam, Au-
„mum, Humanam, Heſium, forum Sempronii, montem Feltri, Urbinum, & territorium Balnenſe,
„Calles, Luciolos, & Eugubium, cum omnibus finibus & territoriis ad eaſdem civitates pertinen-
„tibus. Eodem modo TERRITORIVM SABINENSE: (h) ſicut a domino Carolo imperatore,
„anteceſſore noſtro, beato Petro apoſtolo, per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate.
„Item IN PARTIBVS TVSCIÆ LONGOBARDORVM, (i) caſtellum felicitatis, *urbem vete-*
„*rem,* (k) balneum regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Martam, Tuſcanam, Suanam, Populonium,
„Roſellas cum ſuburbanis, atque viculis omnibus & territoriis, ac maritimis oppidis ac viculis ſeu
„finibus omnibus. Itemque Almus *cum inſula Corſica;* (l) deinde in Suriano, deinde in monte
„Bardonis, deinde in Berceto, exinde *Parma,* (m) *deinde in Regio,* (n) exinde in *Mantua,* (o) atque
in

ſe vicarios appellaverint, non una omnium eſt ſententia. Recte mihi videntur ſentire illi, qui tradunt, hoc titulo papas, ut ſingulares Petri ſucceſſores, primatum affectare; licet titulo ſervi ſervorum, i. e. ſervi Jeſu Chriſti, Petri nimirum vicarii, ſummam prætexant humilitatem. ANGELVS DE NVCE *ad chron. Caſſin. lib. 1. c. 8.*

(a) *In veſtra poteſtate*) *C. A. M.* Primus Carolus M. dediſſe dicitur quoad utile quoddam dominium urbem Romam cum ducatu & territorio pontifici Rom. Totum autem territorium ducale ſitum eſt in Hetruria ſ. Tuſcia.

(b) *Nec non exarchatum*) *C. A. M.* Florente imperio Conſtantinopolitano dux conſtitutus erat. Vivebat Romæ, ſed qui reliquis præerat, dicebatur exarchus, & reſidebat Ravennæ. Totum igitur territorium, quod parebat proxime exarcho, illud dictum exarchatus Ravennatenſis. Exarchatum hunc imperio Conſtantinopolitano eripuerunt ultimi reges Longobardorum. At vero Pipinus rex Franciæ evocatus in auxilium iterum eripuit eis & donavit pontifici Romano. GöBEL. De exarchatu ad librum de imperio Germanico egi. Plures autem Græcorum fuerunt exarchi. Sic & de Siciliæ exarcho ex eorum conſtat annalibus.

(c) *Ravennam*) *C A. M.* Hæc urbs celebris admodum & ampla fuit. Theodoricus rex Oſtro-Gothorum, cum rerum potitus eſſet, circa Italiam ſedem fecit Ravennæ, quod ea urbs apta eſſet continendi imperium Romanum. GöBEL. LEANDRO ALBERTI *p. 298.* PFLAUMERI *Mercurius italicus p. 165. ſeqq.* AGNELLI *liber pontificalis, quem tom. 2. ſcript. Italicorum* continet.

(d) *Bononiam*) *C. A. M.* De Bononia lis adhuc eſt hodie, an pertineat ad exarchatum Ravennatenſem, ipſe Rudolphus donavit Rom. pontifici. Bononienſes dicunt, ſe eſſe duces imperii. Coronatus autem eſt in hac urbe Carolus V. tanquam in urbe imperiali. GöBEL. Bononiam partem exarchatus conſtituiſſe & Paulo exarcho Ravennatenſibus occiſo, a Longobardis occupatam fuiſſe, docet LEANDRO ALBERTI *in deſcriptione Italiæ fol. 323.* Longobardis devictis in Francorum venit poteſtatem, & ſub imperio permanſit. *Rimaſi poi Bologna riconnoſcendo l' imperio.* LEANDRO ALBERTI *l. c.* Ex SIGONIO *de regno Italiæ lib. 16.* conſtat, Ottonem IV. per Volcherum patriarch. a Bononienſ. ſolenn. ſacrament. exegiſſe. Sed uſurpavit eum deinde pontifex Romanus Provocat quidem aula Romana ad Rudolphum I, quem præpoſitum Solienſem, cum mandato ad revocandum juramentum ipſi a civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulenſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus. Urbinatibus præſtitum, miſiſſe contendunt, eamque deinde revocationem Rudolphum ratihabuiſſe: Sed tam mandatum quam ratihabitio ab imperatore per falſa pontificis narrata, ac ſi illa ab anteceſſoribus ejus eccleſiæ donata eſſent, & importunas preces extorta ſunt. Porro omne, quod forte pontifici permiſſum, non niſi utile reſpicit dominium.

(e) *Ferrariam*) *C. A. M.* Hanc urbem Clemens VIII. ſuperiori ſeculo junxit ſedi Rom. GöBEL. Ferrariam Eſtenſi domui parentem ſub imperio Germanico fuiſſe ex PIGNÆ *hiſtoria Eſtenſi,* & MVRATORII *doctiſſimo libro de imperii juribus in terras papales,* liquet. Sedis Romanæ prætextum invadendæ Ferariæ, ac ſi cæſaris Eſtenſis jus in eam ob aviam Lauram, cujus matrimonium cum Alphonſo in dubium vocabant, nullum eſſet, alibi refellimus.

(f) *Comiaclum*) GöBEL. Jura in hoc, quod Ferariæ non fuit pars, imperio & domui Eſtenſi egregie vindicantur in actis conventuum, hac de re Romæ anno MDCCX. inſtitutorum & a Muratorio l. c.

(g) *Pentapolim*) *C. A. M.* Hanc & Pipinus & Carolus M. donaverat Rom. pontifici.

(h) *Territorium Sabinenſe*) *C. A. M.* Hoc territorium non donavit Carolus M. pontif. ſed Carolus calvus, ut demonſtratum eſt ex relatione appendicis Eutropianæ.

(i) *In partibus Tuſciæ Longobard.*) *C. A. M.* Tuſciam ex parte tenuerunt Longobardi, ex parte imperatores Conſtantinopolitani. Quare hodieque pars Tuſciæ pertinet ad jura pontificis, non vero tota Tuſcia, ſed tantum pars & quidem illa, quæ manſerat Conſtantinopolitano imperio, & quæ pertinet ad ducatum Rom.

(k) *Urbem veterem*) *C. A. M.* Hæc dicitur hodie Civitavechia, eſt portus hodie præcipuus pontificis Romani. GöBEL. Hic locus ſub centum cellarum nomine, cum villa Trajani mirandis operibus ab eo elaboratum complectitur portum. PLINIVS *lib. VI. epiſt. XXXI.* CELLARII *geograph. antiqua lib. II. c. IX. p. 734.* Innocentio XII. autore hic portus omnibus patet.

(l) *Cum inſula Corſica*) *C. A. M.* Hanc tenent Genuenſes & quidem beneficio papæ: tempore Friderici II. non exigua lis fuit inter pontificem & imperium de jure in Corſicam. GöBEL. Vide BIZARRI *hiſtor. Genuenſ. p. 7. 88. 89.* RADEVICVS *lib. 2. c. 9. & 30. act. convent. Roman. p. 81.*

(m) *Parma*) *C. A. M.* Eſt hodie feudum Romani pontificis. GöBEL. Injuria eam imperio ſubtrahere audet pontifex, ut in commentariis de regno Italiæ doceo.

(n) *Deinde in regio*) *C. A. M.* Hodieque lis eſt inter pontificem & cæſarem de regio. Verum cæſar eſt in poſſeſſione. Dux & Modenæ & Regii obtinet in feudum a cæſare. GöBEL. *le droit de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 392.*

(o) *Mantua*) *C. A. M.* Hæc urbs extra controverſiam eſt

„in monte Silicis atque *provincia Venetiarum* (a) & Iſtria. Nec non & cunctum DUCATUM „SPOLETINVM, ſeu Beneventanum una cum eccleſia ſanctæ Chriſtinæ poſita prope Papiam „juxta Padum, quarto milliario. Item in PARTIBVS CAMPANIÆ Seram, Arces, Aquinum, „Arpinum, Theanum & Capuam. Nec non PATRIMONIA ad poteſtatem & ditionem veſtram „pertinentia: ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimo„nium Calabriæ ſuperioris & inferioris. DE CIVITATE AUTEM NEAPOLITANA (b) cum „caſtellis, & territoriis, & finibus, & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere viden„tur, nec non patrimonium SICILIÆ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo CIVI„TATEM CAJETAM ET FVNDVM cum omnibus earum pertinentiis. Inſuper offerimus tibi „B. Petre apoſtole, vicarioque tuo domino Joanni papæ, & ſucceſſoribus, *pro noſtra anima remedio*, (c) „noſtrique filii, & noſtrorum parentum, DE PROPRIO NOSTRO REGNO civitates & oppida „cum piſcariis ſuis, id eſt, Reatam, Amiternum, Furconem, Nurſiam, Baluam, & Marſim, & alibi ci„vitatem interamnem cum pertinentiis ſuis. Has omnes ſupradictas provincias, urbes, civitates, „oppida & caſtella, viculos & territoria, ſimulque & patrimonia, pro remedio animæ noſtræ & filii „noſtri, ſive parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto a Deo conſervato at„que conſervando *Francorum populo*, (d) jam dictæ eccleſiæ tuæ, beate Petre apoſtole, & per te vi„cario tuo, ſpirituali patri noſtro domno Joanni ſummo pontifici & univerſali papæ, ejusque ſuc„ceſſoribus, usque ad finem ſeculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineat jure principatu at„que ditione.

11. Hactenus illæ a Baronio adductæ Ottonis Magni tabulæ. Ac nos quidem *alibi jam in dubium* (e) vocavimus, haud levibus argumentis earum fidem: non eſt vero quod nunc illud agamus. Sufficit monuiſſe, omnia iſthæc (ſi quidem ſunt ab Ottone donata) non tamen cæſareo imperio ſimul ſubducta eſſe, idque diſertis earundem tabularum verbis indicari. Utique enim ducatus Spoletanus & Tuſciæ nonnulla inter dona illa numerantur, cum tamen & *ſeorſim cenſus* (f) regius Spoletani & Tuſcani ducatus, eccleſiæ Romanæ tribuuntur in iis tabulis, mox additur: SALVA SVPER EOSDEM DVCATVS NOSTRA IN OMNIBVS DOMINATIONE, ET ILLORVM AD NOSTRAM PARTEM ET FILII NOSTRI SVBJECTIONE. Paulo poſt iterum ſubjungitur: *Omnium, quæ ſuperius leguntur, i. e. provinciæ, civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria, patrimonia, atque inſulæ, cenſusque & penſiones ad partem eccleſiæ B. Petri apoſtoli atque pontificum in ſacratiſſima illius ſede reſidentium, nos in quantum poſſumus defenſores eſſe, teſtamur, ad hoc ut ea in illius ditione, ad utendum & fruendum atque diſponendum, firmiter valeant obtineri*, SALVA IN OMNIBUS POTESTATE NOSTRA ET FILII NOSTRI POSTERORUMQUE NOSTRORUM: *ſecundum quod in pacto & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenii* (g) *pontificis* (h) *ſucceſſorumque illius continetur. Id eſt, ut omnis* (i) *clerus, & univerſa populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates pontifi-*

cum

feudum cæſaris, unde videre eſt, tabulas has non eſſe genuinas.

(a) *Provincia Venetiarum*) *C. A. M.* Ipſam urbem Venetam non potuit quis donare pontifici Roman. quoniam ſe in libertatem aſſeruerat, cum hactenus obtinuerat eam imp. Conſtantinopolitanus. GÖBEL. Sed ſub Ottonibus eorum ſucceſſoribus Venetarum urbs non penitus obſequium imperio debitum exuerat. Vide AVTOREM *ſcrutinii libertatis Venetæ.*

(b) *De civitate autem Neapolitana*) *C. A. M.* Hæc fuit prima occaſio, quod pontifices aliquid prætendant in Neapolim, quam hodie dicunt eſſe feudum pontificium. GÖBEL. Strenue olim imperatores jus ſuum in Neapolitanum tutati ſunt regnum, inter quos primo merito nominandus loco Lotharius Saxo. Poſtea vero papalibus factum eſt artibus, ut nexus ille fiduciarius, quo imperio obnoxium erat, minus recte curatus fuerit. Quanquam & Otto IV. de illo imperio vindicando ſolicitus fuerit.

(c) *Pro noſtra anima remedio*) *C. A. M.* Crediderunt enim his donis ſe poſſe ſervare animas, & quidem a flamma purgatorii. GÖBEL. Unde in immenſum auctæ donationes piæ.

(d) *Francorum populo*) *C. A. M* Hoc nomine veniunt omnes populi Germ. & ſimiliter ipſum regnum Ital. de quo nos alibi L. 2. ſcil. de German. imperio Romano.

(e) *Alibi jam in dubium*) GÖBEL. Dubiæ eſſe fidei tabulas haſce *in libr. de imperio Germanico* doctum eſt. Vid. *acta convent. Roman. p. 73. 74.* Originalia nunquam in lucem producta, nec forte produci poterunt. Quod autem ſedes pontificia imperatori titulos ſuarum poſſeſſionum edere teneatur, non ſolum ex eo, quod imperator papæ ſit ſuperior, ſed & inde, quod adverſus ſedem pontificiam ſit præſumtio, ex univerſali imperatoris in Italiam dominio profluens, liquet. PROXÆA *de univerſa inſtrumentorum editione tit. 5. reſolut. 9.*

(f) *Seorſim cenſus*) *C. A. E.* Ducatus itaque vocabulo ſignificata proprie fuit juris dicundi ducalis poteſtas: Quæ tunc ſeorſim fuit obnoxia, oneribus ac tributis regiis. GÖBEL. De hoc argumento alibi agetur.

(g) *Firmitate Eugenii*) *C. A. M.* Hic eſt Eugenius II. qui vixit tempore Ludovici Pii. Paſchalis II. erat, qui per vim creatus inſcio cæſare a populo. Miſit itaque Ludovicus legatos, qui de injuria facta expoſtularent. Itaque Eugenius novo pacto confirmare coactus eſt, nunquam pontifices abſque conſenſu cæſarum conſtitui paſſuros. GÖBEL. De hoc cæſarum jure a nobis ad libr. de imperio Germanico dictum eſt.

(h) *Eugenii pontificis*) *C. A. E.* Supereſt quidem hodieque conſtitutio, quam auctoritate ſui patris Ludovici pii imperatoris anno 824. Eugenio ſedente Lotharius decrevit, (utpote quam ex collectione canonum cardinalis Deus dedit hactenus inedita poſt alios publicare inſtituit L. Holſtenius, ſed cum morte præventus non potuiſſet abſolutam luci tradere, Franciſcus Barberinus cardinalis edi curavit Romæ anno 1662. forma octava) & caput ejus conſtitutionis tertium agit de electione pontificum, nihil tamen ibi reperire eſt ejus, cujus hic fit mentio. Quod ſi tamen donatio iſthæc Ottonis ullam meretur fidem, etiam hoc omnino fuerit admittendum. Ut non poterit quoque ullo prætextu negari, ſimili pacto Eugenii ſucceſſores fuiſſe obſtrictos. GÖBEL. Tale enim pactum cum Eugenio, non ut tali, ſed ut pontifice, vel potius cum ipſa ſede pontificia eſt initum. Atque in dubio pactum potius reale quam perſonale cenſetur.

(i) *Id eſt, ut omnis*) *C. A. M.* Romani pontifices cœperunt jam tum ex domo Pipini rerum potiri in exarchatu Ravennatenſi: Cœperunt etiam populum miris modis vexare. Conqueſtus igitur eſt populus de injuria contra Adrianum & cumprimis Leonem III. tempore Caroli M. quem populus & voluit excœcare. Hinc cæſares dixerunt, nullum eſſe aliud remedium, quam ut etiam conſtituantur pontifices a cæſaribus, adeoque non niſi boni crearentur. 2)

cum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent, quatenus futura pontificum electio (quantum uniuscujusque intellectus fuerit) canonice & juſte fiat: & ut ille, qui ad hoc ſanctum atque apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus fiat. Pontifex, priusquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem, pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem domnus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo (f. Carolo) ſponte (a) *feciſſe dignoſcitur.* Hæc ipſæ tabulæ illæ. Unde liquet: etſi ab Ottone conceſſus ſit papæ *principatus* aliquis, cautum tamen, ut ipſemet papa ſubjectus imperatori, ſingulari quodam ſacro promiſſo obſtrictus maneat. Res clarior eſſet, *ſi Leonis illa* (b) *promiſſio* ſupereſſet. Baronium ſane ratio fugit, cum ſcribit ad annum 967. n. 1. Ottonem eo anno *quaſi remiſiſſe* (c) factam ſibi a Leone promiſſionem: cum tamen nullus Leo potuerit aliquid promiſiſſe Ottoni, quando tabulæ illæ a Baronio productæ confectæ ſunt, Leone IIX. ſcilicet poſt demum in Joannis locum ſuffecto: cumque laxati Leonis promiſſi nullum in omni ævo veſtigium reperiatur. *Gretzerus* (d) *l. 2. c. 15. contra Replicator.* ut & alii, de Leone IV. ejusque promiſſo illo; quod exſtat apud Gratianum *diſt. 10. cap. 9.* ſermonem eſſe, volunt. Sed vero ſimilius eſt, intelligi *Leonem III.* (e) non autem Eugenium II. quàm poſteriorem. Nec vero illa, quam Gratianus habet, Leonis quarti promiſſio, de obſervandis capitulis imperialibus a Lothario cæſare promulgatis, quidquam ad hanc rem facit. Leo III. vero tyrannidis in populum exercitæ fuit accuſatus & a Carolo magno per ſententiam abſolutus. Is itaque Carolo & Francorum regibus, in quos cæſaream dignitatem conferri curaverat, ſine dubio multa de republica recte adminiſtranda *eſt pollicitus.* (f)

12. In iisdem porro tabulis etiam hæc notanda ſunt. *Et hoc omnimodis* (g) *inſtituere placuit: ut qui ſemel ſub ſpeciali defenſione domini apoſtolici ſive NOSTRA fuerint ſuſcepti, impetrata juſte utantur defenſione. Quod ſi quis quempiam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum.* Indicant utique hæc, confirmatam hiſce ipſis tabulis libertatem illam provocandi ad cæſarem, ejusque defenſioni ſeſe ſubjiciendi: quæ jam olim obtinebat: ſimulque cæſari ſuperfuiſſe jus ſupplicio afficiendi transgreſſores.

13. Sed & ultima tabularum verba cæſaream jurisdictionem ſatis aperte loquuntur. *Huic enim* (h) *inſtitutioni hoc neceſſario annectendum eſſe perſpeximus; ut miſſi domini apoſtolici ſeu Noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis vel filio noſtro renunciare valeant, qualiter ſinguli duces ac judices populo juſtitiam faciant. Hanc imperialem conſtitutionem quomodo obſervent qui miſſi, decernimus: ut primum cunctos clamores,* (i) *qui per negligentiam ducum ſeu judicum fuerint inventi ad notitiam domini apoſtolici deferant. Et ipſe unum e duobus eligat: aut ſtatim per eosdem miſſos fiant ipſæ neceſſitates emendatæ aut miſſo noſtro nobis renunciante, per noſtros miſſos a nobis directos emendentur.*

14. *Denique & hoc cum primis* (k) in tabulis illis meretur notari; ſeorſim *cunctum ducatum Spole-*

ſacramento cogebantur confirmare, ſe non facturos injuriam populo. Hoc eſt, quod intelligitur per omnem ſatisfactionem. GöBEL. Moris & juris erat, ut pontificis conſecratio usque ad miſſorum ſ. legatorum principis civitatis Romanæ adventum differreretur. Pontificiarum uſurpationum propugnatoris id juris cæſareæ advocatiæ effectum dicunt, illudque cum munere cuſtodiendi conclave, in quo papa eligitur, coincidere. Sed non ſine ratione obinde ridentur *a Muratorio in libr. de juribus imperii in terras pontificis c. 7.* Quis non videt, qualis ſit differentia inter cuſtodiæ munus & jus hoc, quod ex ſuperioritate fluit. Quod autem advocatiæ non debeatur, & exinde liquet, quod pontifices quamplurimi, ut eo imperatores privarent, anniſi ſunt, advocatiam autem ſibi præſtandam eſſe contenderunt. Deinde imperatores græci quoque hoc jure uſi ſunt non vi advocatiæ, ſed jure ſuperioritatis.

(a) *Leo ſponte*) *C. A. E.* Pro ſponte videtur legendum Carolo, aut certe hæc vox addenda. Si ſane Leo papa fuerit intelligendus is, qui id nominis fuit tertius; quod perquam eſt veriſimile.

(b) *Si Leonis illa*) *C. A. M.* Dubium eſt, de quo Leone ſermo ſit. Tempore Caroli M. vixit Leo III. Tempore Ottonis M. vixit Leo VIII. adeoque intra 100 annos fuere plures Leones. De Leone VIII. non poteſt eſſe ſermo, quamvis id ſtatuat Baronius.

(c) *Quaſi remiſiſſe*) *C. A. E.* Verba tabularum Ottonis indicant, laudatum eſſe factum Leonis papæ & in exemplum propoſitum. Ut proinde Baronianum illud mere commentitium aliquid ſit.

(d) *Gretzerus*) *C. A. M.* Fuit Jeſuita, qui ſcripſit contra replicatorem Goldaſtum. Hic enim ſcripſit librum, cui titulus Riplicæ pro imperio.

(e) *Leonem III.*) *C. A. E.* Probavimus porro liquidiſſime editione iterata epiſtolarum Leonis III. pag. 106. in Gratiani codicibus perperam tribui Leoni quarto, quæ ſunt tertii. Et vero traxerunt illa mea in conſenſum ipſumet Stephanum Baluzium, Gallorum doctiſſimum & æquo judicio inſtructiſſimum in ipſo incomparabili proœmio ad capitularia regum Francorum; quo vere regio dono meam quoque bibliothecam exornavit vir longe clariſſimus.

(f) *Eſt pollicitus*) *C. A. E.* Liquet id ipſum haud obſcure ex epiſtolis illius papæ ad Carolum magnum noſtra primum cura ex membranis publicatis. Imo etiam ex illis, quæ Leoni IV. perperam attribuit Gratianus. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus & ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio.*

(g) *Et hoc omnimodis*) *C. A. E.* Totidem verbis hæc habentur in illa conſtitutione Lotharii, cujus paulo ante meminimus ſtatim capitulo primo. Ut & in ea quam ex Anſelmo Lucenſi petitam edere voluit Holſteinius.

(h) *Huic enim*) *C. A. E.* Ipſamet verba conſtitutionis Lothariæ ita ſeſe habent capite IV. *Volumus etiam, ut miſſi conſtituantur a domino apoſtolico & a nobis, qui annuatim nobis denuncient, qualiter ſinguli duces & judices juſtitiam populo faciant, & quomodo noſtra conſtitutio ſervetur. Decernimus itaque, ut primum omnes clamores, qui negligentia ducum aut judicum fuerint inventi, ad notitiam domini apoſtolici referantur, ut ſtatim aut ipſe per ſuos nuncios eosdem emendari faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur.* Non abs re fuerit hoc loco expendere etiam cap. IIX. *Placuit etiam nobis, ut cuncti duces & judices ſive alii, qui cæteris præeſſe debent, in noſtram præſentiam, dum Romæ ſumus, conveniant. Volumus enim & numerum & nomina ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere.* GöBEL. *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique. ch. VII.*

(i) *Clamores*) *C. A. M.* i. e. querelas.

(k) *Denique & hoc cum primis*) *C. A. M.* Hodie is mos eſt, ſi quando urbs aliqua a cæſare donatur, tum vero tacite donantur omnia jura regalia & fiſci, niſi aliter cautum:

Spoletanum, ſeorſim vero *cenſum & penſionem ſeu ceteras dationes, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri ſolebant de ducatu Spoletano*, donari. Hinc ſane manifeſtum eſt; aliud eſſe urbes & civitates dare, aliud ſimul cenſum regium donare: adeoque cum alii cenſus regii præterquam Tuſciæ & ducatus Spoletani per tabulas haſce non ſint donati, reliquas omnes terras in nexu illo relictas. Et vero ipſam urbem Romam ditionemque pontificis, centum amplius annis poſt, adhuc cenſum fiſco regio ſolviſſe certum eſt. Abbas Urſpergenſis ſeu Swartzhaenſis potius ad annum 1074. *Hanno Colonienſis epiſcopus & Hermannus Babenbergenſis Romam miſſi ſunt, PECUNIÆ, QVÆ REGI DEBEBATUR, congregandæ gratia.* Otto Friſingenſis ſcribit miſſos illos Romam, *pro juſtitia regni.*

15. Quibus omnibus probe expenſis, nemini non ex ipſis illis tabulis manifeſtum eſt: haud aliter juris pontificii amplum illud territorium fuiſſe factum, quam illa *tempeſtate Ottonis* (a) dono paſſim omnibus pene epiſcopis terrarum *principatus* cedebant: eoque tum quidem temporis intra imperii cæſarii limites omne paparum patrimonium, utut opimum admodum, remanſiſſe.

16. *Non urgebo nunc*, (b) novo pacto cum Leone IIX. papa anno 964. inito, majorem ſolito, circa paparum, epiſcoporumque omnium per omnem Italiam electionem. Ottoni cæſari ejusque ſucceſſoribus vim auctoritatemque accreviſſe: Quod alibi contra Baronium, qui primus non dubitavit cæſareum jus, in ipſum Gratiani decretum per tot ſecula receptum probatumque, oppugnare, defendimus. De juris illius effectu ita *Onuphrius*, (c) omni exceptione hac in re major arbiter. *Satis conſtat: Joannem XIII, qui Leoni IIX. immediate ſucceſſit, Gregorium V. & Sylveſtrem II. apoſtolicæ ſedi SOLA imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, NULLIUS cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitis.*

17. *Magni Ottonis* (d) nepos OTTO TERTIUS videtur ipſum papæ territorium intra anguſtiores multo limites revocaſſe, priſcis illis donationibus ut vitio factis e medio remotis; idque ex conſilio *ipſiusmet Sylveſtri* (e) II. papæ. Conqueſtus enim, papas ementito Conſtantini magni dono

Ita & in feudis eſt. Verum illi multum errant, qui putant ita olim fuiſſe. Aliud autem tum temporis fuit donare ducatum & donare omnia jura fiſci. Tum temporis enim ducatus nomine tantum intelligebantur jura ducis, & dux quatenus erat dux tantum belli, ut qui hodie dicitur der Creys-Obriſte. Comitatus nomine intelligebatur jurisdictio ſ. munus jus dicendi. Vocabulum enim Graf denotat judicem. Fateor comites habuiſſe bona patrimonialia, ſed non tanquam comites. Sed erant diſtincta jura fiſci. Paulatim igitur ita cœpit, quod præclarus obſervavit auctor (Heiderus) illius operis, cui titul. von den Reichs Voigten, editus ſuperiori anno Studgardiæ in duc. Wurtenbergenſi, cum apologia ejusdem auctoris longe doctiſſimi. Omnes homines tunc temporis coacti ſunt cenſum dare regium, omnia inſuper bona eidem obnoxia fuere. Quænam jura fiſci tum fuerint per Italiam, non poteſt rectius intelligi, quam ex capitul. unico, quæ ſint regalia feuda. Unde olim inſcriptum de juribus fiſcalibus, ibi enim numerantur inter fiſcalia cenſus regius. GÖBEL. Terras, quæ in pontificis ſunt uſufructu, fiſco imperiali ſubfuiſſe, multis tabulis, quæ ab Ughello, Margarino aliisque collectæ ſunt, probari poteſt. Si qui in privilegia & jura ab imperatoribus data impingebant, mulcta imperiali fiſco aut cameræ applicabatur. Nec obſtat, ipſum papam fiſci jure gaviſum eſſe. Nam pontificis fiſcus æque ac aliorum Italiæ ſtatuum fiſci imperatorium non excludebant. Com[illegible]IORENTINI *mem. di Mathild. p. 294. Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique ch. XII.* ubi ad Conradi II. & Henrici III. diplomata, quibus monaſterio Farfenſi bona & jura confirmat a FONTANINI *in antiquit. hort. append. p. 386. 388.* relata, provocat. Vide quoque UGHELLI *tom. 3. p. 296. tom. 5. p. 14. 57. UGHELLI tom. 3. p. 196. tom. 5. p. 1487.*

(a) *Tempeſtate Ottonis*) *C. A. M.* Primus Otto M. epiſcopis paſſim terrarum dedit jurisdictionem civilem: interim non omnibus, ſed multis. Adeo quod liberalis fuit, ut plerisque dederit. Non tantum autem jurisdictionem contulit, ſed jura fiſcalia quoque & plura. Ita archiepiſcopis Bremenſibus dedit jurisdictionem in ipſam urbem, ubi hodieque tabulæ ſuperſunt, quas produxit auctor libri nuper pro Suecis editi, cui tit. Gründlicher Bericht. GÖBEL. Maxime veritati conveniens videtur Ottonis primi quosdam epiſcopis in ſuis diœceſibus aliqua habere cœpiſſe regalia. SCHILTER. *ad jus feud. alemann. c. 1. §. 10. 11.* Diploma in quo Otto Adaldago archiepiſcopo *jus mercatus banni & thelones, nec non moneta, totumque quod inde regius regi publice fiſcus obtinere poteſt, confert*, non ſolum in dem gründlichen Bericht Kreſſtingio Bremæ advocato oppoſit. ſed & apud LINDENBR. *p. 131.* MADER. *p. 110.* MEIBOM. *p. 127.* reperitur.

(b) *Non urgebo nunc*) *C. A. M.* In decreto Gratiani extat, Leonis VIII. nomine factum eſſe aliquod pactum cum Ottone M. ejusque ſucceſſoribus liberam collationem epiſcopatuum ſedisque Romanæ. Dictum ſupra Leonem & Johannem XII. pepigiſſe, ut nemo conſecraretur absque conſenſu cæſareo. At Leo VII. conceſſit collationem; antea erat in poteſtate populi eligere usque ad confirmationem regiam. Baronius ægerrime tulit, id decreto Gratiani eſſe inſertum, & voluit probare deceptum eſſe Gratianum.

(c) *Onuphrius*) *C. A. M.* Hic eſt monachus eremita Auguſtinianus, qui ſuperiori ſeculo in Italia vivens, neminem habuit parem cognitione antiquitatis. Fuit vir ſingulari induſtria & magno judicio. Quæ hic habentur, ſunt excerpta ex additamentis ad Platinam de vitis pontif. GÖBEL. Autor noſter PANVIN. *de O. J. G. c. 10.* vocat *omnis antiquitatis peritiſſimum.* Inclinavit ſæpe plus juſto in pontificis partes. Nondum 40 annos natus Palermo in Sicilia, quo cardinalem Farneſium comitatus, obiit. THVANVS *ad ann. 1508.* Scriptorum ab eo editorum catalogum vid. apud TESSIER *dans les eloges des hommes ſavans tom. 1. p. 320. 321. &* POSSEVINVM *tom. 2. apparat. ſacr. p. 175.*

(d) *Magni Ottonis*) *C. A. M.* Ottonis III. tabulas non producunt pontificii, ſed ſemper laudant Henrici II. tabulas. Superſunt tamen & tabulæ Ottonis III. nomine editæ. Habentur autem tabulæ ipſæ in Baronio & in chronico Spirenſi Lehmanni in vita Ottonis III. & editæ etiam in Germ. cum tabulis donationis Conſtantini, cum inſigni commentario. Commentator non indicat nomen. Eſt autem Marq. Freherus conſil. Palatin. Omnia ſcripta Freheri & minima ita ſunt comparata, ut a quovis mereantur legi. GÖBEL. FREHERVS ex patricia gente Auguſta oriundus & doctrina & ingenio maxime pollebat. Rerum patriarum erat peritiſſimus. Elogia, quibus ipſum viri eruditi affecerunt, in MAGIRI eponymologico critico illuſtris Eibenii cura auctius edito, leguntur.

(e) *Ipſiusmet Sylveſtri*) *C. A. M.* Vivebat hic tempore Ottonis III. Fuerat autem Sylveſter præceptor Ottonis, & a grato diſcipulo promotus (1) in epiſcopum Ravennatenſem, (2) in pontificem. Arguunt eum magiæ, ſed forte falſo. Nam ut ego ex omnibus ejus ſcriptis conjicio, fuit vir maxime probus. Idem ille de dignitate pontif. & eorum imperitia ſcripſit graviſſime. Cum igitur ille Sylveſter fuerit tam æquo animo, videtur Ottoni indicaſſe, donationem Conſtantini M. eſſe inanem. Breviter omnes

dono, & Caroli calvi de re aliena prodigalitate, *maximam partem imperii apoſtolatui ſuo junxiſſe:* ipſemet S. Petro per Sylveſtrum offert octo comitatus. *Piſaurum Fanum, Senogalliam, Anconam Foſſabrum, Callium, Heſium & Auſinum,* nec eos tamen omni cæſareo juri exemtos, ſed *ad incrementa, ut apoſtolatus,* ita & *imperii.* Tabulas illas Ottonis III. a Baronii, Gretzeri & aliorum incurſibus *alias vindicavimus.* (a) Neque de Sylveſtri papæ conſilio eſt quod dubitet, qui noverit quam Otto illi fuerit ut magiſtro quondam ſuo addictus, quamque Sylveſter ille curiæ Romanæ iniquitati infeſtus fuerit. *Baronius* (b) ad annum 999. n. 2. *Illud omnino poſſumus affirmare, nullum hactenus in Petri ſedem fuiſſe promotum, qui eandem ſedem ſuis ſcriptis ita proſciderit, ut Gerbertus.* Is autem eſt idem ille Sylveſter. Nec audet Baronius profiteri, damnaſſe Sylveſtrum, mutato cum infula animo, quæ Gerbertus laudaverat: qualem ſe geſſit ex ænea factus Pius II. Sed & ex iis, quæ ad annum 1002. narrat Baronius de Hugone Hetruriæ marchione & duce urbis Romæ, haud obſcure liquet, magiſtratum illum ducalem ab Ottone iſthoc cæſare non â pontifice Hugoni demandatum. Certe n. 3. deſertis Petri Damiani verbis aſſeritur, Marchiam Camerini cum Spoletano ducatu ex imperatoris arbitrio dependiſſe. Unde conſequens utique eſt, illa ab magno Ottone donata juris iterum cæſarii facta eſſe.

18. Qui Ottoni III. ſucceſſit, *HENRICI SANCTI* (c) alias tabulis ad annum 1014. refert Baronius, ex quatuor exemplaribus hinc inde mutuatus, ipſomet fatente, nullaque addita temporis nota. Ut facile appareat, autographas nec in Vaticano reperiri, & apographa fluxæ admodum fidei eſſe. Alias de iis plura diximus. Nunc ſatis eſt monuiſſe: diſertis verbis, planè ut in Ottonianis illis prioribus, cautum & ibi eſſe ſummo cæſarum imperio, nec in Italia quidquam porrò donari præter ea, quæ in Ottonis magni ſunt tabulis, niſi quod addat auctor: *omnem illam terram, quæ inter Narniam, inter amnem vel Spoletum ex regni noſtri parte habuimus.* Nec vero vel memorari meretur: Epiſcopatum Bambergenſem, *Fuldenſe monaſterium, atque omnia monaſteria curtes & villas, quas in ultramontanis partibus S. Petrus habere dignoſcitur*, papæ tranſcribi. Non enim hoc quoque cæſareis ſummis juribus quidquam derogat. Eoque inter Leonem IX. & Henricum nigrum anno 1053. inſtituta permutatione, pro Germanicis iſtis papæ Beneventum quidem ceſſit, ut diſerte habet Leo Oſtienſis in chronico Caſſinenſe l. 2. c. 47. & 48. haud dubie tamen, ut nec hoc tum imperii omnibus juribus fuerit ſubductum. *Ubi obiter* (d) notanda eſt Gretzeri hallucinatio commiſſa in appendice ad c. 2. commentarii, *de munificentia principum in ſedem apoſtolicam*, quam Arnoldo ſuo Brixienſi ſubjunxit: ubi deſtrictus Bremenſes, à Carolo S. Petro factam oblationem, ad papalia bona ille refert. Quaſi vero omnia, quæ apoſtolorum principi conſecrata ſunt, ad Petrum Romanorum pertineant, nec alibi terrarum dicatæ illi apoſtolo ſacræ ædes inveniantur bonis ſuis inſtructæ Sane & Bremæ, quæ eſt Baſilica illi dedicata ab eo nomen ſortita eſt.

19. *Subſequuta multò poſtea* (e) eſt *MATHILDIS comitiſſæ*, (f) uncti profecto per Tuſciam & Lombardiæ confinia principatus, donatio. Quod munus licet hodie κατ᾽ ἐξοχὴν S. Petri patrimonium vulgo audiat, vehementer tamen controverſi eſt juris. Imo non ſatis conſtant *muneris illius limites.* (g) Carolus Sigonius *l. 9. de regno Italiæ* donatam affirmat ditionem Lombardiæ & Tuſciæ.

donationes Pipini, Caroli M. Ottonis M. nituntur donatione Conſtantini M. & ex parte Ottonis M. donatione Caroli calvi. Illa autem Conſtantini donatio eſt fictitia, uti ipſi doctiſſimi pontificii fateri coguntur, & inter eos & Card. Baronius. Facile igitur apparet, ſublata illa donatione, reliquas & confirmationes potius quam donationes absque fundamento concidere. Hoc per Sylveſtrum Ottoni III. ſane videtur innotuiſſe. GÖBEL. Gerbertum philoſophiæ inprimis mathematum ſtudiis imbutum a magiæ crimine vindicat *PALATIVS in Sylveſtro II.*

(a) *Alias vindicavimus*) GÖBEL. Hoc *in libro de imperio Germanico* tentavit: Sed ſunt, quæ earum fidem valde ſuſpectam faciunt, ut nos ad Aut. l. c. docuimus.

(b) *Baronius*) CONR. *A. E.* Concitarunt hanc Baronii bilem acta ſynodi Rhemenſis a Gerberto conſcripta: quæ conciliorum quoque editores usque adeo habuerunt hactenus inviſa, ut ab eorum editione abſtinuerint. Extant vero illa manuſcripta in antiquiſſimo codice membranaceo bibliothecæ noſtræ Juliæ; unde σὺν Θεῷ juſta integritate, quæ & in Flaciana & in Bongarſiana editione deficit, propediem in lucem publicam denuo prodibunt.

(c) *Henrici ſancti*) Diploma, quod donationem Henrici continere dicitur, non una laborat menda. *conf. les droits de l'empire ſur l'etat, pag. 309. 129. 187.*

(d) *Ubi obiter*) CONR. *ann. mſc.* In Germania & alibi multæ eccleſiæ B. Petro dicatæ ſunt, quem tanquam patronum habent, ut Bremenſis eccleſia, qua occaſione in inſigni habet duas claves, ut unam tamen; unde conſtat Gretſeri abſurditas.

(e) *Subſecuta multo poſtea*) *CONR. ann. mſc.* Jam de Mathildæ donatione: Fuit hæc Bonifacii principis Itali ditiſſima filia unica & hæres. Floruit ſec. XI. tempore Henrici IV. Habuit quidem maritum ex Lotharingia, cujus nuptiis cæſare inconſulto factis, gravem ejus indignationem commeruit. Non licuit enim ibi principi matrimonium contrahere absque conſenſu cæſaris, ut in Gallia absque conſenſu regis. Vergit autem hoc in commodum reipublicæ, quomodo connubia principum inſtituantur. Hinc lites graviſſimæ ortæ inter Henricum IV. & Gregorium pontificem. Conſtantiſſime autem adhæſit pontif. unde audiit filia Romanæ eccleſiæ. Obiit autem ſine liberis. Hic iterum ingens orta lis inter cæſarem & pontif. de hæreditate Mathildæ. Pontifices prætendebant, omnia a Mathilda eſſe eccleſiæ donata; Cæſares negabant licuiſſe Mathildæ donare feuda imperii. Ergo negabant factam donationem. Mathildæ nuper Urbanus VIII. erexit monumentum marmoreum, & carmine memoriam ejus eſt proſecutus, quia tam bene meruit de ſedê Romana.

(f) *Mathildis comitiſſæ*) *C. annal. edit.* Diligenter multa ad res iſtas Mathildicas pertinentia congeſſit Meibomius in doctiſſima pro Ottone IV. imperatore apologia p. 49. & ſequentibus aliquot: quæ proinde legere haud carebit pretio operæ.

(g) *Muneris illius limites*) *C. ann. edit.* Carolus Sigonius l. 8. de regno Italiæ de Bonifacio Mathildis patre ſcribit, habuiſſe tantas opes, ut omnium principum Italicorum fuerit illa tempeſtate clariſſimus; egiſſe Canuſſii comitem, Parmæ, Mantuæ & Ferrariæ marchionem, ducem Tuſciæ. Alii marchionis titulo affirmant illum tenuiſſe, Lucam, Parmam, Regio-Lepidum, Mantuam & Ferrariam. Quæ ſi vera ſunt, haud dubie iſthæc omnia & Mathildis filia, tanquam unica hæres poſſedit, & hæc porro voluit conferre Romanæ eccleſiæ. Got-

Digitized by Google

Tuſciæ. Leo Oſtienſis l. 3. c. 48. Baronio laudatus ad annum 1077. narrat Liguriam & Tuſciam in dono fuiſſe. Blondi *dec. 2. l. 4.* verba ſunt hæc: „Mathildam Martinus Polonus, & alii ipſum „ſecuti ſcriptores multi, tradunt Hetruriæ partem hinc à Piſcia agri Senenſis finium torrente, „inde à S. Quirino dicti agri etiam finium opido, ad inferum mare quam patrimonium S. Petri „appellant, pontifici & Romanæ eccleſiæ donaſſe. Hoſtiarius, qui de omnibus quæ apud pontifi„cem ejus temporis geſta ſunt, & ad ſuperfluitatem multa ſcripſit, nullius loci meminit.„

20. Quicquid ſit: *primum* id certum eſt, jam olim de donationis illius fide inter cæſarem papasque acriter fuiſſe controverſum: eoque tuto vix aliquid certi definire eſt. *Arnoldus Lybecenſis* (a) ſcriptor *σύγχρονος l. 3. c. 10. agens* de Friderico I. cæſare & Lucio papa: „Tractabant inter ſe „dominus papa & imperator de patrimonio Mathildis matronæ nobiliſſimæ, quod imperator in „poſſeſſione habebat, dicens ab eadem imperio collatum. Et è converſo dominus papa ſedi „apoſtolicæ ab ea donatum affirmabat. Cumque in argumentum probandi, teſtamenti ex utra„que parte privilegia porrigerentur, nullo fine cauſa terminata eſt.„ Et verò confitetur ipſemet Baronius, teſtamentum Mathildis illud quod vivô Henrico cæſare anno 1097. conditum eſt, jam olim periiſſe: vult tamen in ejus locum aliud teſtamentum ſuffectum Paſchali ſedente papa, a Mathilde anno 1102. quod ad illum annum exhibet Baronius, & ad calcem Domnizonis *Tengnagelius.* (b) Cujus fidem proinde cæſar vocavit in dubium, etiam ipſe ſimili aliquo teſtamento inſtructus.

21. *Secundo*, ſero admodum in poſſeſſionem muneris illius papæ admiſſi ſunt. Obiit enim quidem Mathildis 1115. at Baronius ipſemet eſt dubius, num illico tunc papæ hereditatem illam creverint. Urſpergenſis verò diſerte prodit: mortua Mathilde, *directos ab Italia nuncios, ad defuncta prædiorum terras ampliſſimas hereditario jure poſſidendas, cæſarem invitaſſe.* Et ſane fecit id ſequente anno Henricus V. cæſar. Potuiſſet & debuiſſet in eadem jura ſuccedere Lotharius cæſar: ſed ille pro ſeſe & genero ſuo de terræ illius poſſeſſione cum Innocentio II. papa maluit paciſci, in eas conditiones, quas recitat Baronius ad annum 1133. Devenit poſt, neſcio *quibus legibus*, (c) ad Guelphum ducem Henrici ſuperbi fratrem. At *Fridericus cæſar* (d) nequaquam paſſus eſt, in pontificum jus, plus ſatis potentium, opes adeo ingentes recidere. Radevicus l. 2. cap. X. de Friderico: *REDITVS quoque IMPERIALES, quæ dicuntur domus Mathildis, à duce Guelphone, ſeu ab aliis diſtractos & diſperſos, congregavit: quos poſtmodum eidem nobiliſſimo principi adunatos & melioratos liberali reſtitutione noſcitur reddidiſſe. Quorum prædiorum magnitudinem, ejusque terræ copioſam opulentiam, qui ripas Eridani pervagati ſunt, non ignorant.* Guntherus l. 9. ita hoc cecinit:

Præterea reditus, cunctis de finibus illis,
Quos famoſa prius poſſederat illa Mathildis,
Pluribus invaſos rex in SVA jura retraxit.
Inde recollectos, & tanquam corpus in unum
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,
Neſcio, quid priſci ſe juris habere volenti,
Ac velut heredi, cumulato munere princeps
Conceſſit Catulo: (e) *qui regis avunculus, ille*
Tempore dux validus, felicia caſtra nepotis
Milite non pauco mentisque vigore juvabat.

Non

fridus monachus S. Pantaleonis non dubitavit ſcribere, Mathildam, decrepitam circumventam a papa marchiam Anconitanam imperium attinentem, quam regebat, magiſtratibus & poteſtatibus inſciis & inconſultis, B. Petro tradidiſſe. *AVENTINI l. 6. verba ſunt: De hac donatione Æneas Sylvius, qui eſt pius pontifex, tradit, Mathildam Romano epiſcopo teſtamento legaſſe, id, quod patrimonium Petri vocant. Tumque vox cælitus audita, (uti a graviſſimis accepi theologis) venenum melle litum fœminam propinaſſe Chriſtianis.*

(a) *Arnoldus Lubecenſis*) *C. ann. mſc.* Vixit initio ſec. 13. continuavit hiſtoriam Sclavonicam Helmoldi.

(b) *Tengnagelius*) *C. annal. edit.* Eandem exhibuit Aubertus Miræus donat. Belg. l. 1. cap. 36. atque illius exemplo in doctiſſimo libro de dote eccleſiæ cap. 5. decus illud juridici ordinis, & præcipue eccleſiaſtici omnis vetuſti juris longe hodie ac ſine omni exemplo peritiſſimus Caſpar Zieglerus: cujus liberali donatione & hic & alii libri optimi mihi feliciter obtigerunt. Haud injuria vero ipſamet *αὐθέντια* tabulæ Mathildicæ falſimoniæ ſuſpicionem præter alia commovit. GÖBEL. Leguntur etiam *tom. I. ſcript. Brunſv. LEIBN. p. 687.* in calce Mathildis vitæ, quæ Donizonem autorem habet.

(c) *Quibus legibus*) GÖBEL. Fridericus imperator Guelfo avunculo ſuo *marchiam Tuſciæ, ducatum Spoletti, principatum Sardiniæ, domum comitiſſæ Mathildis* in beneficium dedit. *Chron.* WEINGART. MONACHI apud LEIBN. *t. 1. ſcript. Brunſvic. p. 790.* Guelfus autem, neglecto fratris filio, cum ſuum amiſiſſet, ut haberet, unde vitam mollem & ſplendidam, quam ſectabatur Friderico illi principatum Sardiniæ, ducatum Spoleti, marchiam Tuſciæ, & hæredit. Mathildis vendidit, qui ea bona Friderico filio deſtinaverat; poſt cujus mortem una cum Sueviæ ducatu ad Philippum ejus fratrem pervenerunt. *Emendat. & ſuppl. chr. W. M. t. 3. S. B. LEIBN. p. 658. GVNTH. ligur. lib. 1. v. 69.*

(d) *Fridericus cæſar*) *C. ann. mſc.* Fortiſſimus & generoſiſſimus fuit omnium cæſ. German. Vitam Friderici I. ipſo curante cœpit conſcribere Otto Friſing. Sed immortuus operi; ſucceſſit ei Radewicus, ſed is & immortuus, cui ſucceſſit Guntherus, ſed ſecutus eſt priores & nihil aliud habet, quam quæ Friſingenſis & Radewicus. Scripſit Ligurinum, quia cumprimis in eo continetur bellum Friderici cum Liguribus, conſcripſit rem carmine ſic ſatis eleganti. GÖBEL. Cavendum itaque, ne cum Grotio Guntherum a patria Ligurinum ſalutemus. Et nomen enim indicat ipſum Germanum fuiſſe.

(e) *Conceſſit Catulo*) *C. ann. mſc.* Qui ab antiquis Scriptoribus Guelfi, latinis catuli dicuntur. Nam canes juniores Germanis quibusdam dicuntur Wölffe, unde principibus hoc nomen datum ſit, incertum eſt. Traditur quædam narratio, quæ non abſimilis fabulæ. GÖBEL. Vid. WEINGARTENSIS MONACHI *hiſtor. de Guelfis apud LEIBN. p. 782.*

Non multo poſt inter alia *totam terram comitiſſæ Mathildis* Hadrianus quidem papa per legatos ſuos repetiit à Friderico cæſare, ut liquet ex Radevico *l. 2. cap. 34.* (Guntherus ait:

Reſtituatur ei comitiſſæ terra Mathildis.)

Sed cum cæſar rem omnem ſeſe vel judicio vel arbitrio delectorum ſubmiſſurum profiteretur, idque renueret iratus Adrianus, *omnia nutu ire ſuo cupiens*, ut loquitur Guntherus, morte hujus mox ſubſecuta & diuturno *exorto paparum ſchiſmate*, (a) in ipſiusmet cæſaris poſſeſſione poſt Guelphi ducis obitum terra illa omnis perſtitit: præſertim accedente Alexandri III. papæ in quindecim annos & legitimum cauſſæ judicium aſſenſu: quo tempore pax inter papam & cæſarem Venetiis coaluit. Quod liquet ex iis, quæ de vetuſtis monumentis narrat Baronius ad annum 1177. n. 55. Lucio papæ eandem Mathildis hereditatem repetenti quid oppoſuerit Fridericus idem fortiſſimus cæſar, jam tum ex Arnoldo Lybecenſe audivimus. Non Fridericus verò tantum tenuit terram illam, ſed & filius ſucceſſorque Henricus cæſar. Qui teſte Sigonio l. 15. Philippum fratrem Tuſciæ & terræ Mathildis ducem creavit. Henrico defuncto *Philippus*, (b) ut gratiam papæ mereretur, ceſſit tandem poſſeſſione illa omni, præter montem Flaſconis; cauſſa tamen ipſa citra dubium in lite manente, jure an injuria poſſeſſio illa ad papas pertineret. Simulac *Otto IV.* (c) cæſar Roma digreſſus anno 1209. *ſummis adhibitis jureconſultis jura regni diligenter inquiſiviſſet* (ut loquitur Sigonius l. 16.) *& quædam oppida à pontifice, alia vero in Campania à Friderico, modo vacante imperio, occupata comperiiſſet, quæ ad imperium ſive regnum pertinere putaret, nulla pontificis ac ſacramenti habita ratione, militibus protenus immiſſis recepit.* Ea inter oppida fuere & illa, quæ Mathildis quondam tenuerat. Circumſpecte adeò ſeſe geſſiſſe Ottonem, & nihil non egiſſe ex conſilio *legalium hominum*, *ſacramento* in id adſtrictorum, ut docerent *jura ad dignitatem imperialem ſpectantia*, idque quoniam jurejurando promiſiſſet cæſar, *jura imperii diſperſa pro poſſibilitate ſua revocare*, locuples teſtis etiam eſt, pene ex ipſo illo ævo *Matthæus Pariſius*, (d) magna prudentia & uſu rerum prævalens ſcriptor Anglicus. Poſt Ottonem igitur demum Fridericus II. à papis inductus, reddidit Mathildica: non multo tamen poſt verſa conſilio ſibi & imperio *iterum vindicavit.* (e)

Quæ

(a) *Exorto paparum ſchiſmate*) *CONR. ann. mſc.* Duo enim pontifices creati ſunt poſt obitum Adriani, Alexander & Victor.

(b) *Philippus*) *C. ann. edit.* Imo vero etiam papa voluit, ut Philippus jam electus imperator bona iſthæc concederet papæ ex fratre Richardo, quem comitem creaverat, nepoti quaſi in dotem filiæ, quam ſimul voluit illi ſuo nepoti collocari in matrimonium. Memorat inſolentem illum papæ conatum Urſpergenſis in chronico, & juſta prolixitate perſequitur HVLDRI VS MVTIVS. GöBEL. Philippus ut Innocentii III, Ottoni æmulo faventis, ſibi conciliaret gratiam, filiam pontificis nepoti in uxorem dandam pollicebatur. Vid. Philippi epiſt. apud RAYNALD. *tom. XIII. annal. eccleſiaſt. ad ann. 1203. p. 93.* Quæ deinde promiſſio, a Philippo ut nutantem tandem in Ottonem pontificis favorem plane tolleret, repetita. Audiamus hac de re VRSPERGENSEM *in Philippi vita* loquentem. *Decretum eſt, inquit, quatenus nuntii mitterentur Romam, qui Philippum in gratiam pontificis reducerent. Miſſi igitur ſunt Wolfgerus patriarcha Aquilejenſis & Geboardus burggravius Magdeburgenſis - - a quibus inducitur papa, ut velit permittere quatenus regnet Philippus. Aſt propter hoc (ut nobis retulerunt viri veredici) promittitur papæ, quod filia regis daretur in uxorem filio fratris ſui Richardi, qui jam comes effectus papæ ſuffragio nec ſtatuit papa repetere terras, quas multoties ab imperatoribus repetere conſueverunt anteceſſores ſui in Tuſcia & Spoleto & marchia Anconæ, ſperans, quod in poteſtatem nepotis ſui propter prædictas nuptias poſſet venire.*

(c) *Otto IV.*) *C. ann. mſc.* Hic eſt ille, qui ex noſtra Brunſvic. & Lüneb. familia cæſar vocatus eſt. GöBEL. Innocentius III. poſtquam, Philippo occiſo, Ottoni diadema impoſuiſſet, terris Mathildis inhiavit: Sed huic cupiditati Otto imperii pariter & ſuæ domus jura oppoſuit; negabatque Mathildem teſtamento ſuo his quic quam auferre potuiſſe. LEIBN. *tom. 1. S. B.* Hoc papæ animum ab eo alienavit.

(d) *Matth. Pariſius*) *C. ann. mſ.* Scripſit chronicon, quod profecto lectu dignum, cumprimis ad attingendas res Britannicas. Valuit enim ſumma prudentia. GöBEL. Albanenſis hic ord. Bened. cœnobii in Anglia abbas egregius, etiam ipſius Baronii judicio, cui tamen ceteroquin ob odium, ut loquitur, in pontificem, diſplicet. Optime hiſtoriam contexuit, neque, prout hodie exſtat, ab hæreticis corruptam eſſe CASAVBONVS *in epiſtolis & prolegomenis exercitationum adverſus Baronium demonſtrat.* Vid. BOSE *de comparanda prudentia civili n. p. 191.* CONR. Dignitas rei meretur, ut ipſa viri verba hoc loco cum juſta cura expendantur. Sunt autem hæc: *Anno 1210. circa dies ipſos Otto Romanorum imp. memor juramenti, quod fecerat, cum a papa ad imperium fuerat ſublimatus (quod videlicet dignitates imperii conſervaret, & jura diſperſa pro poſſibilitate ſua revocaret,) fecit per ſacramentum legalium hominum imperii dominica caſtella ſua, & alia jura ad dignitatem imperialem ſpectantia, perquiri, & quæcunque per recognitionem ad jus imperii ſpectare didicerat, in uſus ſuos convertere laborabat. Hac autem de cauſa orta eſt diſſenſio graviſſima inter dominum papam & imperatorem memoratum, eo quod tempore, quo vocabat imperium, idem papa caſtella plurima cum rebus aliis occupaverat, quæ ad dignitatem imperii pertinebant. Unde imperator, quia quod ſuum erat, revocare ſtuduit, ipſum papam ſine merito ad odium provocavit. Fridericum quoque regem Siciliæ idem imperator graviter perſecutus eſt, qui ſimiliter, dum vacavit imperium, quaſdam munitiones occupatas detinuit. Unde papa memoratus ipſum imperatorem per nuncios & literas frequenter monere ſtuduit, ut tam a perſecutione Romanæ eccleſiæ, quam a regni Siciliæ ac tutela commiſſa ſedi apoſtolicæ ex hæreditatione ceſſaret. Imperator autem nunciis domini papæ tale perhibetur dediſſe reſponſum. Si, inquit, ſummus pontifex imperii jura injuſte poſſidere deſiderat, a ſacramento, quod tempore conſecrationis meæ ad dignitatem imperialem me jurare compulit, abſolvat, quod videlicet diſpenſa imperii jura revocarem. Denique cum papa ipſum imperatorem a præſtito juramento, quod omnes imperatores in ſua conſecratione, inſpectis ſacroſanctis evangeliis jurare tenentur, abſolvere noluit, & imperator e contra imperii jura, quæ, jam parte maxima in manu potenti revocaverat, reddere contempſit, idem papa in ipſum imperatorem ſententiam, excommunicationis tulit, atque univerſos tam Alemanniæ, quam imperii Romani magnates, ab ejus fidelitate abſolvit, & hinc odium regis & viam efficaciter obduravit.* GöBEL. Vid. *Chronicon montis Sereni p. 93. chron. Bigau. p. 2653. ALBERICVS TRIVM FONTIVM MONACHVS p. 455. GOBELINVS PERSONA in coſmodrom. ætat. 6. c. 63.*

(e) *Iterum vindicavit*) GöBEL. Inter cauſas, ob quas Gregorius IX. anathema in Fridericum II. vibrabat, erat, quod *Feraria, Pigonoga, Bondonum, terra Mathildis portio, maſſa Lomenſis diœceſis & terra Sardiniæ* potitus erat. *RENALDVS ad ann. 1239.* Sed ſtrepitus illos papalis iræ vilipendebat imperat. & omnia, quæ conſervandis imperii juribus inſervire poſſent, in medium conſulebat. *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 237.*

Quæ omnia utique liquidò docent, ſaltim ad illa usque tempora hereditatem illam Mathildicam à cæſaribus potius quam papis poſſeſſam; nequaquam vero habitum ea ætate, quaſi illa jure ad pontifices pertineret.

22. *Tertio*, etiamſi Mathildis ſua papis donaverit fortaſſis: id utique tamen vacat dubio, etiam ſic ſummis imperii legibus minime potuiſſe illa ſubduci: quippe quum Mathildis omnia illis legibus fuerint obnoxia, & res cum ſuis oneribus tranſeant ad alios. Nec vero huic obſtat, quod hereditas illa fuerit *allodium Mathildis:* quo titulo ab Innocentio II. nuncupatur in tabulis, quibus eam Lothario cæſari transſcribit. Nam & allodialia legibus *imperii ſubjecta ſunt.* (a) Revera autem non niſi in *beneficio* tenuit ſua Mathildis. Hinc ipſemet Onuphrius in vita Gregorii ſeptimi: *Mathildis Bonifacii, maximi per Italiam principis, filia & hæres, imperatoris Henrici III.* (b) *vim timens, Longobardiæ, Tuſcia & Liguriæ aliquot urbes jure hereditario ad ſe pertinentes Gregorio papæ & S. R. E. donavit. Hinc odii inter imperatorem & pontificem ſeminarium primo exortum: cum imperator donationem illam in imperii, cujus Mathildis erat BENEFICIARIA, præjudicum approbare nulla ratione voluiſſet, imo ea omnia occupare, tanquam ad ſe devoluta, tentaret.*

23. ATQVE HÆ ſunt nobiles illæ donationes, quibus ad papam imperii bona devenerunt. Quarum nullam ita eſſe comparatam, ut ſummó imperii principatui per eam ſit aliquid derogatum, liquido jam patet omnibus. Quin tabulas nullas produxeris, in quibus non ſit diſertè juribus ſummis cæſareis cautum. Neque enim iſthac ætate auditum cui fuit illud hodiernum curiæ Romanæ iniquum πολυθρύλλητον: *Donationes, quæ eccleſiæ Romanæ factæ ſunt, eſſe abſolutas, etiamſi donator conditionem adjecerit: cæteris vero ecleſiis factas, non aliter quam ſi id donator voluerit.* Et verò omnia veteris illius ævi monumenta inſpicientibus non poteſt eſſe obſcurum, illa paparum bona non minus fere atque alia epiſcoporum, oneribus imperii fuiſſe obnoxia, & cæſaribus eorumque legatis in Italiam profectis perinde ut alia omnia patuiſſe. Hinc cum Tiburtinam urbem pontificii juris Adriano papæ reſtitueret Fridericus cæſar, ſcriptis ad Tiburtinos literis quas ex actis Adriani Baronius ad annum 1155. n. 19. publicavit, hæc verba inſeruit: *Hadriano papa civitatem dimiſimus Tiburtinam ſalvo tamen ſuper omnia JVRE IMPERIALI.* Item: *ſcientes à juramento fidelitatis, quod nuper feciſtis, vos abſolutos, ſalvo in omnibus JVRE IMPERIALI.* Cui formulæ aſſenſit utique Adrianus: non facturus, ſi Petri vocatum patrimonium ab omni cæſarum jure credidiſſet liberum: quod hodie multis eſt perſuaſum. Imo cum in pontificum urbibus magnam exercerent regiæ auctoritatis vim cæſares, haud legas tamen à quoquam ea in re cæſaribus contradictum. Princeps Adrianus ille quartus per legatos cum Friderico cæſare expoſtulavit, cum ille majorum veſtigiis inſiſteret in exigendo fodro, quod appellant, ſive illis *quæ ad fiſcum regalem ſpectabant:* ceu vocem hanc interpretatur Otto Friſingenſis l. 2. cap. 12. Nempe militem in hybernis alens cæſar, *nuncios pro colligendo fodro per totam Tuſciam, & maritima atque Campaniam direxit*, ut loquitur Radevicus *l. 2. c. 10.* Horum *inſolentiam, & caſtellanorum ſuorum gravamen* incuſavit papa, teſte *eod. cap. 20.* Gunthertus ita hoc expreſſit l. 9.

Hac quoque cauſa recens aderat, quod regia miſſi
Quærere jura viri, dum per caſtella locaſque
Pontificis ſummi, mandata fidelius æquo
Publica conficiunt, nimia feritate timendi
Inſolito miſeros urgebant pondere cives.

Mentem papæ clarius expreſſerunt legati; qui inter alia hæc propoſuerunt: *Nuncios ad urbem, ignorante apoſtolico, ab imperatore non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis rega-*

(a) *Imperii ſubjecta ſunt)* GöBEL. *Conſ. STRVVII diſſert. de allodio imperii.* Neque enim potuit Mathildis per donationem illam teſtamentariam imperio, aut proximis ſuis, jus ſuum intervertere. Etenim ſpectabant ipſius terræ ad regnum Italiæ Germanico imperio ſubjectum, tanquam pars integralis, atque ſic absque illorum, cum quibus integrum conſtituebant, ut & illius, cui per aliud pactum parebant, placito ad alium transferri non potuerunt; parti namque jus non eſt a corpore recedendi, niſi evidenter aliter ſe ſervare non poſſit. *GROTIVS de J. B. & P. lib. II. c. 6. §. 5.* quoniam illud, quod mutuo conſenſu conſtitutum, ut etiam mutuo iterum diſſolvatur diſſenſu, naturali æquitati admodum conveniens eſt. Porro omnia, quæ Italiæ regnum complectebatur, Germaniæ jure victoriæ ſuberant. Id autem quod alteri victoriæ lege ſubeſt, non tanta gaudet libertate, quam ſi ſua tantum ſponte alii ſubſit. Igitur ex victoriæ jure quodammodo parentibus, a ſocietate diſcedendi, eo magis deeſſe facultas creditur, atque præſupponitur illud etiam tacite victori dari, penes quem erat devictorum libertatem magis adhuc imminuere. Nec non multa eſſe conſtat alodia, quæ in eo beneficiorum legem ſequuntur, quod ſine ſuperioris conſenſu de iis pro lubitu diſponi nequeat. Porro ex diplomatibus, quæ *VGHELLVS in Italia ſacra* refert, conſtat, Mathildem declaraſſe, ſe ex lege Salica & e. Francorum vivere velle: penes Francos autem erant alodia & terræ avitæ a privata hæreditate ſeparatæ, quæ fidei commiſſi familiæ rationem habebant, licet in iis quodammodo etiam ſucceſſio cognatica obtineret. Huic accedit, quod inter connubiales leges, ſub quibus inter Guelfum Henrici nigri fratrem matrimonium contrahebatur, eſſet, ſi Guelfus Mathildi ſuperſtes, fore, ut terræ hujus ad illum pervenirent. Mathildis autem anno 1115. Guelfus anno 1120. mortui ſunt. Nec Guelfus, licet ea, quæ COSMAS PRAGENSIS tradit, falſa ſint, ſed Mathildis papalibus artibus erudita, propinquum nimis cognationis gradum prætexens divortio anſam præbuit. Sic & obliviſcendum non eſt, a multis non ſine ratione doceri, teſtamentum, utpote merum juris civilis inventum, ad transferendum in alium imperium in liberas perſonas ineptum eſſe medium. Denique ex natura pactorum ſequitur, ut etiam pars, de qua alienanda agitur, in alienationem conſentiat neceſſum eſſe. *GROT. de J. B. & P. lib. II. c. VI. §. IV. PVFFENDORF. de jure nat. & gentium lib. VIII. c. 5. §. 9.*

(b) *Imperatoris Henrici III.)* *CONR. ann. mſc.* Notandum, aliter cæſares numerare Germanos, aliter Italos. A Germanis Henricus auceps annumeratur cæſaribus, qui fuit rex noſter: At Romani & pontificii, quem nos II. dicimus, I. nominant. Et vero recte, nam Henricus II. fuit I. cæſar.

regalibus: De dominicalibus apoſtolici fodrum (a) *non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* Unde apparet, ipſum papam non eſſe profeſſum, nihil fiſco regio ſe debere. Verum hæc etiam ipſimet epiſcopo Babenbergenſi, principi prudentiſſimo, *duriſſima* tunc viſa ſunt. Et de priore poſtulato ipſe Fridericus cæſar ex tempore ita eſt locutus: *Legatos ab imperatore ad urbem non eſſe mittendos affirmat, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis regalibus: Hæc res fateor magna eſt & gravis, graviorique & maturiori egens conſilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus imperator dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac ſine re, ſi urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* De ultimo nihil actum eſt: ut & prius poſtulatum ceu nimis abſurdum effectu caruit. Et ſane ſicuti reliqua multa ita & Roma papis data eſt; ſingulatim hanc magis quam alia papis eſſe obnoxiam redditam, adverſatur utique omnibus donationum tabulis. Eoque paulo ante ipſemet legati pontificii hiſce verbis ſalutaverunt Auguſtæ vindelicorum Fridericum cæſarem: *Salutant autem vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem VESTRI, univerſi cardinales, tanquam DOMINVM & imperatorem VRBIS & orbis.* Quod diſerte notavit Radevicus l. 1. c. 22. utut illum hoc nomine perſtringat Baronius ad annum 1158. Sed & cum Fridericus ille cæſar, tum qui eum ſunt ſecuti Henricus VI. Otto IV. Fridericus II. ſtrenue jura ſua ſumma cæſarea in eccleſiæ quoque Romanæ patrimonium & urbem ipſam exercuerunt: quod infinitis exemplis facillimum eſt oſtenſu.

24. Quid? quod, ſaltem ad Gregorium usque VII. papam, *in ipſos pontifices* (b) vim imperii graviſſime cæſares ab Ottone usque exercuerint? Hinc ſane de Gregorio illo Onuphrius: *Huic cum omnes Latina eccleſia tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera ſit & ab imperatorum manu erepta, cum antea tanquam vilis ancilla non ab imperatoribus modo ſed à quovis principe Romani imperatoris præſidiis fulto, premeretur.* Et vero

Ex illo fluere & retro collapſa referri

Cæſarum hactenus recepta & omni orbi probata jura. Niſi quod *Fridericus primus*, (c) exorto in Romana eccleſia ſchiſmate, judicium cauſæ ad ſe tanquam urbis dominum revocans, fugientem cæſarum auctoritatem nonnihil ſtiterit, irrito licèt tandem conatu. Quum nihilominus tamen territorium omne pontificum legibus imperii manſerit obnoxium, ceu multis demonſtravimus, manifeſtum eſt, quod jam tum diximus; ſaltem ad hæc usque tempora omne illud eccleſiæ Romanæ patrimonium intra limites imperii conſtitiſſe: neque adeo quidquam eſſe cauſſæ, quare nos quidem hoc loco de eccleſiæ illius & imperii finibus dividundis ſimus ſoliciti.

CAPVT XI.

Regni Italici fines ad Fridericum usque II. integros manſiſſe, niſi quod per injuriam partem ejus decerpſerit Neapolitanum regnum: Simul vero Venetorum urbi libertatem ſuam relictam.

I.

Urbem Romam cum reliquiis quibusdam veteris imperii Romani, aliaque nonnulla, utut Ottonis magni aliorumque cæſarum dono Romanis pontificibus ceſſerint, manſiſſe in ditione imperii Germanici, idque continuata ad Fridericum usque II. poſſeſſione, (ſecus quam hodie Romana curia profitetur) cum alibi latius tum proxime breviter, clare tamen, docuimus. Jam tum quoque, Italici regni nomine illud omne, quod Longobardicum ante audiebat, dudum veniſſe, idque Ottonis magni armis Germanico imperio adjectum, oſtendimus. Ne qua tamen defuiſſe imperii noſtri commmodo videamur, ſeorſim Italici quoque illius regni fines, quemadmodum ad eadem illa usque Friderici II. tempora ſeſe habuerint, nonnihil explicatius deſcribemus,

2. *Igitur VENETAM* (d) *urbem ipſam* (e) intra Adriaticas aquas ſubſiſtentem, nos quidem ingenue

(a) *Fodrum*) *CONR. ann. mſc.* Eſt vocabulum frequens in jure feud. deflexum ex Germ. Foder, Futter. Ita locuti Longobardi, unde patet magis cum Saxonica, quam Alemannica convenire Longobardorum linguam. Saxones vero dicunt Foder, Alemanni Futter. GÖBEL. De Fodro, parata, manſionatico, juribus, quibus imperatores in Italia gaudebant, videndus *CANGIVS in gloſſ. Mos antiquis, ex quo imperium Romanum ad Francos derivatum eſt, ad noſtra usque deductus eſt tempora, ut quotiescunque reges Italiam ingredi deſtinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas civitates ſeu oppida peragrando, ea, quæ ad fiſcum regalem pertinent, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. OTTO FRISING. lib. II. c. XII.*

(b) *In ipſos pontifices*) *CONR. A. E.* Ea quam res tanta exigit accuratione hoc docere officium eſt libri ſingularis de Germanorum imperio Romano. Nunc ſatis ſit, lectori commendaſſe hiſtoriam, ſaltim Henrici III. qui tres papas ſolio ſuo dejecit, imo & eorum, quæ inter Henricum quartum atque ipſummet Hildebrandum ſive Gregorium id nominis ſeptimum acta ſunt.

(c) *Fridericus primus*) GÖBEL. Hic de imperii juribus admodum fuit ſolicitus. Igitur & literis, quibus Tiburtinis, ut pontifici obedirent, injunxit, clauſulam inſerere non eſt oblitus: *ſalvo tamen per omnia jure imperiali. CARDINALIS DE ARRAGONIA in vita Adriani III. ſcript. Ital. tom. 3. p. 444.*

(d) *Igitur Venetam*) *CONR. ann. mſc.* Loquimur hic tantum de urbe Veneta, quæ in inſulis conſtructa. Veneti quidem ſcriptores vulgo aſſerunt, urbem Venetam jam tum tempore Attilæ paraviſſe ſibi libertatem ſec. V. Alii libertatis originem arceſſunt a diviſione imperii inter Nicephorum & Carolum M. Nuper cum agerem de rebus Francicis, oſtendi, hoc non adeo eſſe certum. Ceterum non adeo pridem de urbe Veneta controverſiæ ortæ. Anonymus quidam ſcriptor ſub initio hujus ſeculi librum edidit Italica lingua ſcriptum, qui verſus deinde in Latinam, tit. Scrutinii. Auctor ſane fuit doctiſſimus, uti apparet ex hoc libro: quis lateat ſub illo nomine tecto, ignoratur. Veneti ipſi ſuſpicati ſunt, conſcriptum eſſe a Gallo Nicolao Fabro Peireſchio; Alii Marco Velſero patricio Auguſtano tribuunt, qui etiam fuit vir doctiſſimus. Quod vero Peireſchium attinet, excuſat eum in vita ſua Petr. Gaſſendus magni

ingenue fatemur, nunquam Germanici juris eſſe factam. Illam fœdere æterno inter Carolum magnum & Conſtantinopolitanos cæſares inito, orientali illi imperio redditam certe a legibus imperii occidentalis abſolutam, jam tum fide annalium Francicorum profeſſi ſumus. *Ex eo ad Ottonis* (a) magni usque tempora, nemo ſive cæſarum occidentalium, ſive regum Italiæ, in urbem illam quidquam ſibi poteſtatis arrogavit. Certe in monumentis nulla ejus veſtigia apparent. Neque vero ſine injuria libertati iſti opponuntur, illa Sigonii ex l. 4. *de regno Italiæ* de Carolo craſſo, quod *fœdus inter Venetos atque Italicos ſibi ſubjectos in quinquennium renovaverit:* aut, quod Wido cæſar anno 894. Petro, Venetiarum duci, Hugo Italiæ rex Urſo duci anno 927. vetus privilegium *de tuta juſtaque rerum ſuarum in regno Italico poſſeſſione* Venetis firmaverint: denique Berengarii II. pactum anno 950. cum Venetis initum de finibus. Pugnant hæc potius pro libertate urbis quam quod eam impugnet; dum diſerte urbem illam eximunt, ab Italicis cæſari ſubjectis & regno Italiæ. Quanquam privilegia illa id doceant, in regno Italiæ bona quædam Venetorum civium fuiſſe jam tum ſita, in continente ſcilicet: quæ regni legibus obnoxia fuiſſe non negamus.

3. *In ea itaque libertate,* (b) (ſi non majore,) reperit Otto magnus Venetam urbem, in qua Caroli

nominis mathematicus. Ego non dixerim, quis auctor, interim exiſtimo, cum librum perfectum eſſe a Velſero & quidem incitatum a Jeſuitis. Jeſuitæ enim ante non multos annos hujus ſeculi expulſi ſunt omni ditione Veneta, quod nimis adhærerent pontificibus contra Venetos, uti videri poteſt ex Thuani hiſtoria. Jeſuitæ ſane principum & cæſarum auctoritates oppoſuerunt, ut reciperentur; ſed omne fuit fruſtraneum. Quæ autem fuerit cauſa tantæ pertinaciæ, non eſt quod dicam; absque cauſa non ſunt ejecti. Eſt enim illa reſpublica prudentiſſima, ut poſſit certare cum omnibus aliis rebuspublicis. Cum illis Jeſuitis enixa fuit amicitia Velſero. Igitur non dubito, quin ille ediderit ſcrutinium hoc in gratiam Jeſuitarum. Prodierant etiam varii libri, cum ſcrutinium illud appareret; ſed nemo ita totum librum ſumſit confutandum, quam Theodorus Graswinckel.

(c) *Urbem ipſam;* *C. .. E.* Diſtinguendus accurate eſt ſtatus ipſius urbis, a conditione eorum, quæ in continente urbis incolæ poſſederunt. Et vero non niſi urbis libertatem hic aſſero: Veneticarum in continente poſſeſſionum, fateor, non eandem ſemper, quæ urbis, fuiſſe conditionem. Ipſiusmet vero etiam urbis libertatem illam perpetuam dubiam reddere conatus eſt auctor Italice ſcripti libri, cui titulus Squitinio della liberta Veneta. Eſt ſane ſcriptum illud multa refertum eruditione, ac proinde per conjecturas doctis tantum auctoribus attributum & quidem conſtantiſſima fama Marco Veltero. Sed cujusnam calamo debeatur, parum intereſt veritatis. Forte tamen non temere quis parem in modum a doctrina laudaverit Graswinkelii & aliorum ſcripta contraria. GÖBEL. Sed Veneti inſularum ſuarum exemtionem ab omni plane imperii nexu antiquo, ut par eſt, hactenus non docuerunt.

(a) *Ex eo ad Ottonis)* *C. A. M.* Auctor ſcrutinii conatur oſtendere, Carolum M. arrogaſſe ſibi jura in urbem Venetam. ſed mihi non fit probabile, nam non video firmis argumentis ab eo fuiſſe probatum.

(b) *in ea itaque libertate)* GÖBEL. Multa ſunt, quæ Venetorum adverſantur libertati. Dubium ſane nullum eſt, eum, cui ab altero præſcribantur leges, dantur privilegia, præponuntur magiſtratus, atque cujus cauſa, quando lis illi intentatur, ab eodem deciditur, ipſius eſſe inferiorem. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 1. c. 3.* Examinabimus jam, quomodo Venetorum libertas ad hæc ſe habeat fundamenta. Paduanorum propaginem eſſe Venetos & ab ipſis Venetorum ſcriptoribus adſtruitur. *Le coſe notabili & maraviglioſe del la città di Venetia da Nicolo Dolgioni p. 7. BLOND. decad. lib. 3. Donat. Janottus de republ. Venet. p. 28. CONTARINVS de Venet. republ. p. 11. LEANDER ALBERTI in deſcr. Ital. p. 176.* Nec GRASWINCKELIVS hoc in dubium vocare audet: aſſerit tamen, non ſolis Paduanis, ſed & aliis Italiæ populis, ad evitandas Gothorum Hunnorumque oppreſſiones in inſulas diſcedentibus, Venetiarum originem deberi; quanquam inficias ire non audeat, Paduanis in condendis Venetiis, prout deinde eſſe cœperunt, primum deberi locum. Hæ inſulæ una cum Patavinis, ut Italiæ pars, Romanis, utpote toti Italiæ imperantibus, haud dubie ſubfuerunt. Scio quidem ab ANGELO PORTENARO *in apologia libertatis antiquæ populi Veneti* Venetis libertatem a Romanorum aſſerere dominatu, & ad objectiones reſpondere; nec non poſt ipſum GRASWINCKELIVM, nec Venetos Patavinis, nec utrosque Romanis paruiſſe, *in libertate Venetorum contra anonymum aſſerta* ſtabilire allaboraſſe. Verum ipſi ſcriptores Veneti ſuam gentem non illico obſequium, quo Patavinæ adſtricta erat, exuiſſe tradunt: *ſed paulatim a Patavinis diſcedentes in proprium deſcendiſſe nomen SCARDO.* Omnia duumvirorum memoratorum, Venetorum libertati inprimis velitantium, excutere velle peculiare requireret opus. Quædam ſaltim eorum, quæ ab iis proponuntur, delibabimus, ex quibus de cæteris judicari poteſt. PORTENARUS in appendice dicti libri, poſtquam evincere conatus, Aquilejam olim in Venetorum non fuiſſe partibus, Pataviam nec Coloniam, nec municipium, nec civitatem fœderatam Romanorum fuiſſe, tradit. Sequitur in his potiſſimum Panvinium & Sigonium, quos autem non eſſe teſtes omni exceptione majores, præſertim quando antiquitas repugnat, monet *AUTOR originum*, quem ſibi PORTENARUS refutandum ſumſit. Sed quis crederet, gentem dominandi libidine maxime agitatam, Italiam, totque vaſtiſſimas extra eam ſibi ſubjicientem regiones, modica illa terrarum ſpatia, quæ Patavinorum erant, a ſuo exemta eſſe dominatu paſſam. Quis ſibi perſuadere poſſet, in tot aliis Romanorum trans Padum coloniis ſolum Patavium, cum ſibi obnoxiis terris, intactum manſiſſe. Sufficit, PORTENARUM negare non poſſe Patavium & Venetias in Italia eſſe transpadana, quod & ex Strabone, Aulo Gellio ex ipſo regionum Italiæ ſitu conſtat; jam vero in transpadana Italia, teſte ASCONIO PEDIANO in Piſonianis. Romanorum erant coloniæ. Nec aliqua veterum nititur autoritate, quæ *SIGONIUS lib. ... de antiquo jure Italiæ habet: Romanos trans Padum non niſi duas aut tres habuiſſe colonias, Veronam, Comum & Laudem Pompejam.* Sic & conſequentia vacillat, autore Catone, regionem transpadanam Turreni & deinde Galli inhabitarunt, quibus neutris Veneti fuerunt ſubjecti, igitur Patavium non eſt Romanorum colonia. Horum enim non diuturnum ibi fuit imperium, ut ſileam non deeſſe, quibus probari poterit, Venetos nonnunquam communi Gallorum nomine veniſſe. Atque igitur cum tanta in contrarium adſint argumenta, Portenaro probatio incubuiſſet, Patavium non fuiſſe colonarum Romanarum numero, ad quam ſpartam ſuſcipiendam ſilentium forte nominis, & Sigonii Panviniique autoritas non ſufficiunt. Porro Patavium ad Romana relatum eſſe municipia, PLINII JUNIORIS locus, quem autor originum citat, manifeſtum facit. Cui accedit, quod Patavii erant magiſtratus ac in municipiis eſſe ſolebant, ſcilicet duumviri, triumviri, quatuorviri, cenſores, quæſtores, ædiles, quo ſpectant variæ apud Gruterum inſcriptiones. Contorta ſunt, quæ hiſce Portenarus opponit. Cui non concitaret riſum hæc reſponſio; *Plinium juniorem Patavium municipium improprie vocaſſe.* Tandem nullius momenti argumentum eſt; non conſtat, an Patavini & Veneti ſe ſua ſponte Romanis permiſerint, an ab iis ſubacti ſint, igitur Romanis non paruerunt. Quid de modo ſimus ſoliciti, cum de re conſtet. Notiſſimum eſt ex hiſtoria in rebus valde antiquis imo recentioribus nonnunquam modum ignorari, illumque aut neglectum aut abſconditum eſſe. Addam ſequentia ex *monumentis Patavinis Sertorii Urſati p. 7. In tribum autem Fabiam Patavium receptum fuiſſe tum antiqua memoria, cum Scarionius teſtatur* Præ-

Caroli magni conſenſu collocata eſt. Sed nec ille nec ſequentium cæſarum ullus vi urbem iſtam ade-

Præterea in ipſa Roma comitiis interfuiſſe, ſuffragiaque tuliſſe, prætores, ærarii præfectos & conſules, qui in noſtris inſcriptionibus leguntur, hoc ſatis declarant. Scio quidem altum inter Patavinarum rerum ſcriptores, nec ſublatum hactenus diſſidium, an Patavinum, civitas fœderata municipium ſive colonia Romanorum fuerit. Nec me fugiunt hinc inde rationes & autoritates allatæ, hanc tamen litem meam facere nolo. Sed ſi quis fortaſſe contenderit, Patavium fuiſſe civitatem fœderatam, unde dictator, conſules, prætores, teſte Sigonio, fœderatarum civitatum magiſtratus? Si non municipium vel colonia, cur duumviri, triumviri, ædiles, augures, quatuorviri, teſte Panvinio, officia municipiis & coloniis propria, & ſi ſui juris fuit, cur patricii equiteſque more Romano. Verum patriæ meæ hinc quidquam detractum non velim, cujus ego gloriæ ſtudendum cenſeo. Si tamen Patavini Romæ ad magiſtratus & quidem ſummos fuerunt evecti, veriſimile eſt, Patavium Romanis aliquando paruiſſe. Societatem enim non admittebat imperium, quod orbem ſubegerat. Si tamen, quod omittendum non arbitror, Patavini Romanis aliqua ratione non fuiſſent ſubjecti, utique ad Patavinorum ſeditionem comprimendam in noſtras regiones M. Æmilium non miſiſſent, prout Livius lib 42. teſtatur. Videndum jam, quid Portenarus ad objectiones contra antiquam Venetorum libertatem reſponderit; ubi tamen aliquas tantum earum tangemus. Florus ait, populum Romanum in juventute omnem ſibi inter Alpes & mare Italiam ſubjeciſſe, & ſic etiam Venetos. Ad hæc ANGELVS NOSTER nihil aliud reſpondere novit, quam hoc erroneum eſſe. Et Florum æque hic ac in computatione annorum errare potuiſſe. Verum notum eſt canon logicus, a ſeparatis legitime inferri non poſſe. Nota ſunt chronologiæ diſſidia. Quis ſcriptoris fidem, obinde quod in annorum calculo forte humani quid paſſus fuerit, plane in dubium vocaret. Aſinium Pollionem in gentibus transpadanis prætorem fuiſſe, ex annalibus Romanis liquido conſtat. Hoc argumentum PORTENARVS petitione ejus, quod eſt in principio amoliri nititur: nempe Romanos per regionem transpadanam nihil aliud quam Gallos Cenomanos & Inſubres intellexiſſe. Neque dubium removet, quod Veneti ſub Gallis aliquando latuerint. Quotquot Romanorum exſtant ſcriptores, illi uno quaſi ore teſtantur, Marium Cimbris Teutonibusque, ut territoria Romanis ſervaret, exercitum oppoſuiſſe. Aſt in campis ad Veronam Cimbros ingenti ab eo affectos eſſe clade verior eſt ſententia. Nec probatum ivit dictus autor, Venetorum terras Marium non ut ſuperiorem ſed ut amicum ingreſſum eſſe. Cum Galli aliqui Venetorum terras invaderent, ibique ſedes figere vellent, non Veneti ſed Romani in Galliam mittebant legatos, ut ſcrutarentur, an id gentis conſenſu factum. Deinde prætori & conſulibus injunctum, ut Gallos inde pellerent, & conſul Marcellus proconſulem Porcionem eos aggredi, juſſit. Huic objectioni Portenarus nihil aliud opponere novit, quam non eſſe Venetiam hodiernam, quam Galli transalpini occupaverant. Sed hoc modo facillimo negotio omnia ſolvi poſſunt dubia. Sunt adhuc alia argumenta, quibus libertas antiqua Venetorum deſtruitur; ut ſub Nerone Juſtinam filiam principis ſenatus Patavini martyrio eſſe affectam; Veſpaſianum loca, quæ Venetorum terras conſtituunt, tenuiſſe; In notitia imperii correctorum & conſularium Venet. mentionem fieri, Ravennam, quæ ſub imperio Romano, ad Venetos aliquando pertinuiſſe, & quæ ſunt alia hujus tenoris, quibus PORTENARVS nihil validi reponere ſcivit.

Jam ad GRASWINCKELII, recentioris potiſſimum Venetorum libertatis, adverſus autorem anonymum, ſcrutinii vindicis parum felicis, perveniendum erit themata. Patavinis Venetos olim ſubfuiſſe, exinde quoque colligitur, quod Patavio Venetios conſules miſſi ſint. GRASWINCKEL argumento huic robur deeſſe arbitratur, quoniam Romani a Curetibus, quibus tamen non ſuberant, Numam petivere; Verum reſpondetur: alia eſt ratio virum ſapientem in ſui magiſtratum aliunde petere, aliud autem civitati cuidam magiſtratus quosdam ſtatis temporibus mittere, quos recuſare non poſſunt. Levidenſe eſt, quod tantopere urget Graswinckel, non conſtare, an deſinente conſulari regimine Venetiis, tribuni a Patavinis ſint conſtituti. Cumque de eo in rerum geſtarum commentariis nihil traditum, nihil certius eſſe, quam Venetos tribunos illos pro lubitu elegiſſe. Ex quo pateſceret, Venetos nullius obnoxios fuiſſe poteſtati. Sed ponamus, tribunos nec a Patavinis, nec ab imperatore conſtitutos, inde tamen non ſequitur, Venetos ſibi tribunos ſumentes ſui fuiſſe juris. Indulgetur namque magiſtratibus municipalibus nonnunquam, ut ſibi magiſtratus eligant. Nihil tamen ſuperioris inde decedit juri. Etenim quod quis per alium facit, illud ipſe feciſſe videtur. Et teſtimoniis illis, *quod conſenſu totius Italiæ Valentin. imperator electus*, item *Odoacrum totius Italiæ regem fuiſſe*, ſua ineſt vis. Nam totum vel indefinitum complectitur omnes partes. Inſtantia, quod Romani orbis domini vocati ſint, cum tamen minimæ ejus parti dominati ſint, huc non quadrat. Enim vero moraliter impoſſibile non fuit, unum toti Italiæ moderari; Aſt tale quid omnino erat, toti imperare orbi; atque ſic ſynecdochicam hic adhibere interpretationem neceſſum eſt. Nec Odoacri poteſtatem imminuit, quod ejus regnum non fuerit diuturnum. Temporis enim ſpacium per ſe juri aut poteſtati nihil addit aut demit. In Gothorum obſequio Venetos fuiſſe annales produnt, & illud quoque ex Graswinckelii effato colligi poteſt; ſcilicet Gothis Italiæ incubantibus acciſam fuiſſe Venetor. libertatem; quamvis ille hoc modo ratiocinetur, acciſam libertatem etiam eſſe libertatem. Verum quatenus acciſa aut potius ſublata fuit, omnino fecit, ut Veneti fuerint ſub imperio. Elabi porro annititur intuitu tributi, quod præſtare debuerunt, prætexens, illud a Venetis Canonicario Venetiarum, a Gothorum rege conſtituto, non ſubjectionis ſed protectionis fuiſſe ſignum: Sed cum fateatur, ſub Gothis Venetorum acciſam fuiſſe libertatem, id quod a Venetis porrigebatur, non nudæ protectionis, ſed ſubjectionis aliqualis criterium fuiſſe fateri neceſſum habet. Videatur NICOLAVS CRASSVS *de forma reipubl. Venet.* apud *AMELOT de la HOUSSAIE tom. 2. p. 120.* Autor ſcrutinii multa alia adhuc habet argumenta, quibus eluceſcit, ſub Gothorum poteſtate Venetos fuiſſe, quæ nos, utpote omnia in compendio pertracturi, referre merito ſuperſedemus. Subjungendum tamen adhuc, naucipendenda omnino eſſe, quæ Graswinckel adverſus Caſſiodori tradita de maritimorum tribunis affert. Quis enim de fide hujus epiſtolæ, quæ eſt *lib. var. 12. epiſt. 26.* dubitaret, licet ſine die & conſule ſit? Illud enim ſolum ad fidem documento cuidam adimendam non ſufficit. Notus namque in eo eſt veterum amanuenſium aliquando neglectus. Ad Venetos autem has directas eſſe literas, ex tenore earum ſatis conſtat. De quibus enim hercule dici potuiſſet numeroſa in Iſtriæ confinio navigia poſſidere, quam de Venetis, quæ navigationum illo tempore erat celeberrima. Iſtriam Romanis ſubfuiſſe, nemo, niſi geographiæ antiquæ imperitus, negabit. Hæc provincia Romanis, teſte Plinio, ob oleum admodum erat grata. Præterea nugæ ſunt, quas hic Graswinckel c. 14. propinare audet, ac ſi juſſio non ad Venetos, ſed ſaltem ad Iſtrianos ſpectaverit, quoniam non repetita voce juſſionis, Caſſiodorus tantum dicat: *Sed vos, qui numeroſa navigia in ejus confinio poſſidetis, pari devotionis gratia providete, ut, quod illa parata eſt tradere, vos ſtudeatis ſub celeritate portare.* Maxime profecto manifeſtum eſt, in hiſce verbis non mandatum juridice acceptum, ſed juſſum ſuperioris in inferiorem contineri. Irritus eſt labor, quod perſuadere conetur, devotionis vocem non ſubjectionem, ſed amicum cum alio nexum ſignificare. Largior, hoc vocabulum eſſe æquivocum, ſed ex adjunctis conſtat, hic non amicitiam ſed obedientiam exprimere.

Deleto Gothorum in Italia regno ſub græcorum rediiſſe poteſtatem, ut alias, quas autor pro hac habet ſententia, rationes ſileam, maximi ponderis contra Venetorum libertatem argumentum eſt, quod Narſes, ut autor eſt BERNARDVS JVSTINIANVS *in hiſtor. Veneta lib. VI.* lites inter Patavinos & Venetos judiciali autoritate diremerit. Hiulcum profecto eſt effugium libertatis Venetæ Batavici propugnatoris, hoc ex compromiſſo factum. Magnus mihi erit Apollo, qui in Juſtiniano aut alio quodam hiſtorico & gri

Digitiz

adegit in leges imperii: nec urbs ipſa ſponte *ſeſe dedidit.* (†) Ne attentata quidem a cæſaribus noſtris

& gri quoddam, quod utraque gens in Narſetem compromiſerit, oſtendere poterit: Sed actoribus Patavinis rei Veneti coram Narſete, absque allegata judicis incompetentis exceptione, reſponderunt. Probe enim ſciebant, ſe ad incompetentiam fori provolare non poſſe, ubi imperatoris locum tenens judicem agebat, qui univerſam Italiam ad reipublicæ jura reduxerat. PAUL. DIACON. *hiſtor. miſcell. tom. 1. p. 1. p. 218. ſcript. Italic.*

Longobardis Italiam invadentibus Venetiorum inſulæ, quoniam navibus deſtituebantur, imperio Gr. ſalvæ manebant, alia autem Venetorum occuparunt loca. Audiamus hac de re PAVLVM DIACONVM, *qui lib. 2. c. 14. de rebus Longobardorum* hæc habet: *Igitur Alboin Vincentiam vero, namque & reliquas Venetiæ civitates excepto Patavio & Monteſilicis & Mantua, cepit. Venetia enim non ſolum in paucis inſulis, quas nunc Venetias dicimus, conſtat, ſed ejus terminus a Panoniæ finibus, usque ad Adduam fluvium protelatur.* Manſerunt Venetorum ſub imperiali ſuperioritate, qui eas ut aliæ Italiæ loca, quæ a Longobardorum dominatu reliqua erant per exarchos, quod autor ſcrutinii *p. 160.* teſtimoniis ex PAVLO DIACONO, SIGONIO *aliisque*, nec non GREGORII PRIMI epiſtolis deſumtis probat, quibus GRASWINCKEL nihil regerere novit, quam ſimplices negationes, & futilem diſtinctionem inter ſenſum enunciativum & diſpoſitivum; Abſona limitatio, Gregorium Venetos, ut exarcho opem ferant, ut eccleſiæ tutores, non ut imperii ſubditos. Nec autor ſcrutinii papæ unquam in Venetos imperium adjudicavit, ſed ex Gregorii epiſtola tantum oſtendere vult, pontificem Urſo in memoriam revocaſſe, quid exarcho & imperio debeat. Cumque deinde Franci ſe Italicis immiſcere cœpiſſent rebus, & iis Veneti obſequio devincti fuerunt. Reperiuntur Venetiæ in dono Pipini & Caroli Romanæ eccleſiæ facto apud Anaſtaſium bibliothecarium; ſed multa ſunt in donationum tabulis, quæ ad ſedem Romanam, nec quoad dominium utile pervenerunt. Carolo M. Venetias ſubfuiſſe, in tanta veritatis luce in dubium vocare, nefas eſt. Autor *annalium BERTINIANORVM*, poſtquam ad annum 806. tradiderat, Venetorum duces adjunctis Dalmatis ad Carolum M. cum donis veniſſe, addit: *& facta eſt ordinatio ab imperatore de ducibus & populis tam Venetiæ quam Dalmatiæ.* Quis jam cum GRASW. ſibi perſuaſum haberet, alii, quam ſuperiori reipublicæ ordinationem eſſe permiſſam. Deſciverunt tamen deinde a Francis, ad quam perfidiam caſtigandam, Pipinus Italiæ rex Venetiis exercitum admovit, eosque aut per ſe aut per duces ſuos in deditionem accepit. Scio varias expeditionis hujus Pipini exſtare narrationes, quarum aliquæ & ſagacioribus ex Venetis multum ex fabulis trahere non immerito videntur. Ego rem referam, ut in ANNALIBVS BERTINIANIS, *ad ann. 810. tom. II ſcript. Ital. p. 508.* cum quibus ADELMI verba coincidunt, deſcripta legitur: *Interea Pipinus*, inquit autor d. annal. *rex perfidiæ ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello terra marique juſſit oppetere, ſubjectaque Venetia, ac ditionibus ejus in deditionem acceptis eandem claſſem ad Dalmatiæ littora vaſtanda miſit &c.* Poſtmodum vero a Carolo Nicephoro orientis imperatori Venetias aliquo modo ceſſas eſſe, ex annalibus Bertinianis l. c. & Eginhardo conſtat. Quomodocunque autem hæc ſeſe habeat permiſſio: indubium tamen eſt, ad Francorum deinde & ab iis ad ſequentes imperatores & reges Italiæ rediiſſe imperium. Nam ex SANSOVINI *chronico lib. 13. & SIGONIO de regno Italiæ lib. 5.* pateſcit, Venetorum ducibus privilegia data aut confirmata. vid. SCHILTER. *J. P. part. 1. lib. IV. tit. ult. AUTOR SCRUTINII p. 192. 193.* At privilegia dant ſuperiores inferioribus ſibi ſubjectione & obſequio obnoxiis. Graswinckel nodum hunc diſtinctione inter privilegium & beneficium rumpere cogitat: Sed fruſtraneus ejus eſt labor. Idem eſt, ſi id, quod ſuperior inferiori largitur, beneficium aut privilegium voces. Concedo quidem & exteris interdum dari privilegia, ſed ea tunc reſpiciunt libertatem aliquam, vel jus peculiare in concedentis territorio, non autem in iis, quæ ad illos proprio jure ſpectabant. Cuinam, niſi rerum & prudentiæ civilis plane imperito Graswinckelius perſuadebit, a Rudolpho & Berengario, ut & a Conrado Venetos jus cudendi monetam impetraſſe, niſi obſequii vinculo ipſis adſtricti fuiſſent; cum rerumpublicarum rectores admodum ſolliciti eſſe ſoleant, ne quid in ſuæ ſuperioritatis præjudicium agant. Neque hic eſt ſermo de valore monetæ in alterius territorio, ſed de jure eam cudendi. Quis crederet Venetos judicium finium regundorum inter ſe & alios Italiæ ſtatus Berengario permiſiſſe, niſi ipſi paruiſſent? Nulla in veteribus fit mentio, quod hoc jus Berengario ab utraque parte ſit prorogatum. Quare a rege Hugone libertatis & immunitatis, quam reſtrictam habebant confirmationem, precati eſſent, ſi ipſis nulla obſequii gloria fuiſſet relicta.

Contra ea, quæ de datis ab Ottone I. & III. privilegiis, ut & quod Veneti a Vitali patriarcha, ob interfectum ejus patrem ducem Candianum, apud Ottonem primum accuſati fuerint, nihil quod refutationem mereatur, Graswinckelius protulit. Nullibi aliquod ſaltem veſtigium fœderis cujusdam, vi cujus de Venetorum criminibus cognoſcendi, imperatori data ſit facultas, reperitur; igitur illud ex ordinario fundamento, nimirum, quia eorum erat ſuperior, haud dubie profluxit. Neque invenio, quod ad incompetentis judicis exceptionem confugerint. Nec eos juvat, quod ad imperatores legatos miſerint. Conſtat enim legati vocem tam late accipi, ut etiam civitatum municipalium deputatos denotet. Deinde videmus jus legatos mittendi indulgeri etiam illis, qui aliqualem, a ſuperiore tamen dependentem territorialem habent poteſtatem, qua præter Venetos aliæ adhuc in Italia gaviſæ ſunt civitates. Premit adhuc graviter Graswinckelium, quod Sabellicus de Patavinis memorat, nimirum eos, coram Henrico IV. cæſare Venetos conveniſſe, imperatoremque per legatos Venetis injunxiſſe, ut ad reddendas rationes aliquos ex ſuis ad ſe mitterent; atque in illa controverſia de finibus multum imperatoris valuiſſe autoritatem. Recurrit hic demum ad pactum & arbitrium, ſed ejus nulla plane injicitur mentio. Penes imperatorem erat, quomodo Venetos ad ſe Veronam vocare voluerit; adhibuit legatos, quia, ut jam dixi, in honeſtiorum ſubditorum, qui libertatem aliquam & jurisdictionem territorialem habebant, numero erant. Imperatori non niſi ad determinata obſtricti onera. Igitur multo minus admiratione dignum, quod fœderum a Venetis cum imperatoribus initorum mentio fiat. SABELLICVS adhibet vocabulum autoritatis ſimpliciter, non autem loquitur de autoritate ſuadendi, quam Tacitus imperandi poteſtati opponit. Quis crederet in tanta hominum tenacitate, & ubi de cuſtodiendis juribus ſuis & immunitatibus tantopere laborant, ne quid, quod in ejus detrimentum aliquo modo vergere poſſit, fiat, Venetos ad tributum panni aurei, quod ipſis Otto I. remiſerat, Henrico IV. cum pecuniæ quadam ſumma quotannis præſtanda rediiſſe, niſi ſubjectionis lege & grati animi inſtinctu, ob multa & ampla immunitatum & libertatum, e. g. ſtatuta condendi, magiſtratus eligendi &c. impetrata privilegia.

Friderici I. tempore ſe aliis Italiæ civitatibus, quæ incitante papa in imperatorem inſurrexerant, junxit, ſed pace deinde facta ſe æque ac aliæ obſtrinxit ad præſtanda *omnia, quæ anteceſſores noſtri a morte poſterioris Henrici imperatoris anteceſſoribus ſine moleſtia fecerunt. Hæc autem ſunt, quæ imperatorem intelligimus habere, debere & anteceſſores ejus habuiſſe. Fodrum regale & conſuetum, conſuetam paratam, cum tendit Romam coronæ cauſa & pacatum tranſitum, & commeatum idoneum &c. SIGONIVS de regn. Ital. lib. 14. Vita Alexandri III. per CARDIN. DE ARRAGON. tom. III. ſcript. Ital. p. 456.* Opinatur GRASWINCKEL Venetos, utpote victoria maritima a Friderici filio reportata, & in ejus captivitatem deſinente ferociores, id haudquaquam ſuſcepturos fuiſſe onus. Verum quis ignorat victoriam illam, & filii Friderici captivitatem figmentum eſſe, cum de ea ab antiquis probatæ fidei ſcriptoribus nihil relatum legatur. Mire ſe hic laudatus Graswinckel torquet, cum nihil, ne quidem ſpeciem veri redolens in contrarium habeat. Putat tamen ſe micam aliquam in eo inveniſſe, quod in tabulis pacis Conſtantiæ conſignatis Venetiarum nomen non reperiatur. SIGONIVS *lib. XIV. p. 629.* Aſt quis ſibi perſuaderet, Fridericum Venetos ab illo nexu, ad quem ſe cum aliis civitatibus obtulerant, & ad quem tenebantur, dimittere voluiſſe.

noſtris libertatis illius ſigna reperias in vetuſtis annalibus: ſed duces quidem *amicorum imperii*, ipſas autem Venetias *regni* titulo a cæſaribus condecoratas. Affert *Nicolaus Craſſus* (a) in ſuis ad Donati Jannoti de republica Veneta aureum ſane libellum annotatis, Henrici V. cæſaris tabulas anno MCXI. Veronæ exaratas: quæ clariſſime docent illa, quæ modo diximus, ſimulque oſtendunt, continentis terræ omnia Venetorum bona Italici tum fuiſſe adeoque imperatorii juris, eximiis licet privilegiis munita, & quænam inſulæ Venetiarum nomine tum venerint, illiusque libertatis fuerint participes. Videtur proinde haud abs re fore, ut ſaltim partem illam tabularum heic recitemus, quæ noſtro inſtituto ſubſervit. „In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Hen-
„ricus, divina favente clementia, quintus, Romanorum imperator auguſtus. Quoniam ſtabilem
„chriſtianorum principum charitatem operari plurima bona ad multorum utilitatem, evidenter
„novimus, & virorum ſapientes, & diſertos rectores regnorum ſuorum, notos habere ſemper & ami-
„cos curavimus: Ordelaphum Faletrum Deidonis chriſtianum, & clarum ducem Veneticorum,
„quem luce ſapientiæ & totius honeſtatis ubertate prædicabiliter pollere manifeſtum eſt, habere
„notum & amicum ad decus imperii noſtri ſtabilitate perpetua decrevimus. Ad cujus rei per-
„petuam confirmationem hoc, quod ipſe dux vir ſapiens & honeſtus fieri exaudibiliter poſtulavit
„a nobis, conſilio noſtrorum principum digna poſtulatione impetravit. Hac igitur ratione tantæ
„dilectionis uniti, noſtram utrinque caritatem rationabiliter obſervavimus, & in multis magnis-
„que negotiis, publicis ac privatis, ejus ſinceram dilectionem, & præclaram ſapientiam, imperio
„noſtro & nobis noſtriſque fidelibus utilem exiſtere probavimus. Et quia ipſius rei evidentia,
„& ſapientum judicio ſapiens ac diſcretus ipſe dux Venetici REGNI rector exiſtit, & egregia vo-
„luntas & puræ dilectionis exhibitio, quam ſemper erga nos habuit & noſtrum imperium, eum
„nobis in omnibus commendabilem exhibuit, dignus ejus & honeſtus interventus apud noſtram
„imperatoriam majeſtatem locum chariſſimi AMICI & viri ſapientiſſimi venerabiliter obtinuit.
„Igitur ob ſinceram & venerabilem ejus dilectionem, veræ charitatis vinculis aſtrictam, quicquid
„ipſe dux & Venetici ducatus eccleſia & populus, retro per triginta annos, imperii noſtri poteſta-
„te, (ſecundum quod in præcepto noſtri patris, & noſtrorum prædeceſſorum, regum & impera-
„torum, continetur, & pacto Othonis imperatoris legitur) juſte & legaliter habuit & tenuit, per
„hanc noſtram imperialem paginam renovamus, atque confirmamus. Hujus autem rei in-
„ternuntii inter nos & prædictum ducem, noſtrum chariſſimum AMICVM, viri nobiles extite-
„runt, Vitalis Faletrus, ejus conſobrinus Morocenus, & Stephanus dilectus ejuſdem ducis Cape-
„lanus & Cancellarius, atque Urſo Juſtinianus vir illuſtris: non quod iſtorum gratia vel cujus-
„libet alterius hoc faceremus, ſed ſolummodo dulci charitate ducis chariſſimi noſtri, cui indiſſo-
„lubiliter uniti ſumus, prout dictum eſt. Hoc egimus ita quidem, ut pars parti nil malignum,
„aut injuſtum, ſed ſemper quod rectum eſt, in omnibus rationibus rebusque facere præſumat:
„& ſi quod abſit, aliqua malitia vel læſio inter partes commiſſa fuit, per hujus fœderis decreta te-
„gatur, ac facta ſatisfactione a rebelli & transgreſſoria parte, ad pactum obſervandum hæc ſeries
„fœderis inviolabiliter ſemper maneat per cuncta annorum curricula, remota contradictione vel
„impugnatione, tam noſtra quam noſtrorum ſucceſſorum omnium. Quia injuſtum videtur, ut aliquis

---

Certiſſimum itaque eſt, Venetorum nomen in tabulis pacis Friderici juſſu conſignatis ſcribentis aut typographi, prout apud Sigonium ſunt, incuria omiſſum eſſe. Poſt Friderici I. tempora Veneti pedetentim obſequium, quo imperio adſtricti erant, excutere moliti ſunt. Sed recentiora hæc jam non tangemus.

(†) *Seſe dedidit) C. A. E.* Quinimo circa hæc tempora Venetias Roma venit imperator cæſar Otto, civitatemque munere liberavit aurei pallii, quod imperatoribus Romanis in annos ſingulos ex pacto præſtabat: ut quidem refert LEANDER ALBERTVS *in Diatribe de incrementis dominii Veneti.*

(a) *Nicolaus Craſſus) C. A. M.* Vir doctus & admodum ſenex. Ante biennium fatis conceſſit, civis Venetus, non vero patricii ordinis, ſed vixit ibi munere publico conductitio, conſiliarius Venet. Apud Venetas ſoli patricii Veneti regunt rempubl. alii non, niſi & ipſi in ordinem nobilium aſſumantur. Hic curavit excudi aureum libelbellum *de republica Venetorum* conſcriptum a DONATO JANNOTTO patria Florentino pulſo urbe, ab Alexandro Medicæo, qui Caroli V. auſpiciis urbi dux datus eſt; cum antea fuiſſet conſiliarius, eodem munere functus, quo olim Machiavellus. Fuit autem vir doctus & politicus ſummus. Tanta in eo libro prudentia, ut cum antiquiſſimis comparandus. In hunc librum commentarium ſcripſit NICOLAVS CRASSVS, qui habetur in editione Batavica. GöBEL. De JANOTTO *vid. Thuanus lib. 54.* Sed licet diploma, quod Craſſus in lucem produxit, genuinum, nullatenus tamen ſupremo imperii tam in Venetorum inſulas, quam quæ in continenti habent, dominio aliquid decedit. Ex hiſtoria medii ævi notum eſt, & clientelares ducatus interdum regna dictos eſſe, & eorum rectores reges. Sic Erneſtus Sueviæ dux, Conradi Salici privignus a WIPPONE, & Henricus Leo ab ALBERICO TRIVM FONTIVM MONACHO rex vocatur. In *lege Bajw. §. 1.* & in *decreto Taſſilonis*, apud CANISIVM Bavariæ ducatus regnum dicitur. Nec deſunt diplomata, ubi imperator ſibi fiduciaria lege obnoxios amicos appellat. Nec non inſolitum fuit principibus, ſuos conſiliarios vocare amicos. Poſſunt etiam ſuperiores cum inferioribus paciſci, & in quantum pacti ſunt, æqualitatis juri ſubſunt. Nec abſonum, ut pacti intuitu partes vocentur, licet unus paciſcentium ab alio cæteroquin dependeat. Provocamus hic, quoad honeſtiores ab imperatore illatas compellationes, pactorum & fœderum rationes, & legationis jura ad Germaniæ proceres, licet imperio & imperatori obſequio & fiduciario vinculo ſint obnoxii. Sunt fœdera æqualia & inæqualia, cum imminutione & ſine imminutione, ſupremæ poteſtatis civilis. Nec prætenſæ Venetorum omnimodæ inſervit libertati, quod ex parte imperatoris Italici ſui regni loca fœderi incluſa ſint, a Venetis autem ſuæ ditionis partes. Quidni hoc etiam ab iis, qui alteri clientelari vinculo ſunt obnoxii, fieri poſſet, ubi clientelares aliis imperatoris regni Italici provinciis contradiſtinguuntur, non quoad dominium directum, ſed quoad dominium utile? Poteſt enim quis peculiare habere clientelare territorium, & loca quædam in aliorum territoriis etiam clientelæ jure univerſale dominium directum habenti ſubjectis. Ex his & ea, quæ de Carolo Craſſo traduntur, quod fœdus inter Venetos & Italicos ejus auſpiciis in quinquennium ſit renovatum, lucem habent. Nec inconſuetum eſt, dominium utile, quatenus contradiſtinguitur uſufructui, proprietatem vocari.

„aliquis vel his vel aliis æquis ſanctionibus repugnare nitatur. Et ut maxime ac ſpecialiter notentur vicini populi, tam ex noſtro imperio, quam ex prædicto ducatu Venetiæ, a quibus omnimodo hanc pactionis inſtitutionem obſervandam eſſe decrevimus, *hi ſunt ex noſtro ſcilicet jure:* (a) „Papienſes, Mediolanenſes, Cremonenſes, Lucenſes, Piſani, Genuenſes, Placentini, Ferrarienſes, Ravennates, Comaclenſes, Florentini, Ariminenſes, Piſaurienſes, Cenſenatenſes, Janenſes, Senogallienſes, Anconenſes, Humanenſes, Fermenſes, Eporienſes, Veronenſes, Moneficenſes, Cautlenſes, „Vincentenſes, Paduenſes, Tarviſienſes, Cenetenſes, Forojulienſes, Piſtorienſes, & cuncti de noſtro Italico regno, ſive qui modo ſunt, ſive qui impoſterum futuri ſunt. *Ex prædicto vero* (b) „ducatu Venetiæ ſunt: Rivolatus, & Matamaucenſes, Cluienſes, Paleſthinenſes, Caputargolenſes, „Brintellenſes, Lauretenſes, Babienſes, Murianenſes, Majorbienſes, Trocellienſes, Amianenſes, Burianenſes, Conſtantienſes, Equilienſes, Caprolenſes, Civitatinenſes, Finenſes, Gradenſes, & cuncta generalitas populi Venetiæ, ſive qui modo ſive qui futuri ſunt. Confirmamus itaque, *Veneticorum fines* (c) a nemine noſtrorum inquietari, invadi vel minorari debere; ſed libere & absque ullo impulſu, quæ retro ab annis poſſedere triginta, deinceps poſſideant. Proprietates vero, „& prædia, quæ habere videntur tam ipſe dux, quam ſuus patriarcha, nec non & epiſcopi, abbates, & eccleſiæ ſanctæ DEI, & reliquus populus Venetiæ ſibi ſubjectus, infra poteſtatem imperii „noſtri, ſive in campis, ſive in domibus, pratis, ſylvis, vineis, paludibus, ſalicis, ſationibus, piſcationibus, quiete poſſideant, absque cujusquam inſultantis, machinatione, aut læſione, ſive ſiniſtra „quapiam tergiverſatione: ita ut nemo contrarietatem eis facere præſumat, nec etiam venationem, aut populationem, ſine eorum licentia exerceat, neque violentiam ibi reſidentibus inferat. *Pene in extremis earundem tabularum hæc habentur.* „Et hoc ſtetit de capulo, quod Rivaltenſes, Olivolenſes, Metamaucenſes, Albinenſes, Torcellenſes, Amianenſes fecerunt retro ab annis triginta: „habeant licentiam faciendi ſecundum antiquam conſuetudinem, ſive per flumina, ſive per mare. „Equileienſes vero capulare debent in ripa ſancti Zenonis, usque in foſſam ſancti Metamauci „& Gentionis, ſecundum conſuetudinem; & omnem arborem vehere cum carro aut ad collum, „quantum ſibi placuerit; & habeant licentiam pecudes in ipſis finibus paſcere vel pabulari. De „finibus civitatis novæ dicimus, ut terminatio, quæ a tempore Luitprandi regis facta eſt inter Paulucionem ducem, & Marcellum magiſtrum militum, deinceps manere debeat: id eſt, de plave „majore usque in plavem ſiccam, peculium quoque & gregem cum ſecuritate paſcere. Capriani vero in ſylva Forojuliana, ubi ſemper capulaverunt, capulare debeant; ſimiliter Gradenſes „ſecundum antiquam conſuetudinem in ſylvis Forojulii capulum faciant. Confirmamus etiam „Lauretum, ut quantum aqua ſalſa continet, ejus ſubjaceat poteſtati. Et nullus princeps vel pauper aliquem Veneticorum diſtringere, aut legem facere de aliqua Veneta ſubſtantia, aut ad placitum ducere, niſi in præſentia illorum ducis, aut fodrum tollere de illorum terris, quæ in noſtro „regno ſunt, aut bannum mittere, tam de habitantibus in Venetia, quam de illorum hominibus „ubicunque habitantibus, juſtitiam aliquam accipere præſumat, niſi in præſentia dominorum „ſuorum.

4. Hactenus Tabulæ. Ubi inter alia obſervatu dignum & hoc occurrit, Gradenſem inſulam Venedico juri adſcribi: quam tamen Carolo magno paruiſſe olim, certum eſt & notatum a nobis jam ad epiſtolas Leonis III. papæ. Et vero ab illo usque tempore complures a ſeſe inſulas occupatas ipſi Veneti fatentur. *Non aliter autem* (d) de Venetorum urbe ſenſiſſe ipſum etiam Fridericum I. cæſarem indicat vel illud, quod cum papa Alexandro III. ea in urbe, tanquam extra imperii ſui fines, pacem inierit, adverſus illam hoſtili nihilo tentato. Nec enim eſt, quod nos moretur fabula de Ottone Friderici filio a Venetis capto: cui addere aliam ſolent de Alexandro papa cæſari venerabundo proterve illudente. Etenim nihil horum habent omnes illius ævi ſcriptores: eoque a Jacobo Spigelio *in notis ad Guntherum*, Chriſtoph. Lehmanno *l. 5. Chr. Spirenſ. c. 56.* Andrea Dinnero aliisque noſtratium, ab ipſo Baronio ad annum 1171. imo quod caput dixeris, ab

(a) *Hi ſunt ex noſtro jure)* *C. A. M.* Hodie reſpubl. Veneta magnam Italiæ partem ſub jugum miſit, & quidem multas urbes, quæ hoc loco commemorantur, tanquam urbes imperii, quo jure quaque injuria, dicetur libro II.

(b) *Ex prædicto vero)* *C. A. M.* Omnes iſtæ terræ, quæ hic commemorantur, ſunt inſulares, adeoque hodie conſtituunt magnam urbem Venetiarum & tot nominibus & hodie diſtinguuntur. GÖBEL. vid. *Cellarii geograph. antiq. lib II, c. IX. p. 695. ſeqq.*

(c) *Venetiarum fines)* *C. A. M.* Iſti, qui in inſulis illis adeoque in una urbe Venetiarum ſunt.

(d) *Non aliter autem)* *C. A. M.* Male convenit inter Frider. I. Alexand. III. Hunc etiam noluit agnoſcere cæſarem, ſed alium ipſi oppoſuit victorem. Tandem cum pontifice iniit pacem Venetiis in loco extra imperii fines conſtituto. Vulgo ſolet referri, quo tempore pax illa inita, Venetiis cæſarem venerabundum papæ pedes deoſculatum, papam alterum pedem poſuiſſe collo Friderici, & dixiſſe: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis. R. cæſar: non tibi, ſed Petro. Hujus hiſtoriæ pictura Venetiis oſtentatur. Certum quoque quod in ipſa aula Romana itidem ſit depicta illa hiſtoria, ſed quæritur, an veritati ſit conſentanea? BARONIVS iniquus alias judex imper. illam falſi convincit. ANDR. DINNERVS JCTVS ALTORFINVS ſingulari diſſertatione hanc picturam impugnavit. Nemo ſcriptorum illius ævi tale quid commemorat, unde etiam videtur eſſe falſum. Urbanus VIII. curavit illam picturam aboleri. Veneti crediderunt, tum id factum eſſe in injuriam. Ideoque per legatos conqueſti ſunt de deleta imagine, quodque vellet memoriam præſtiti beneficii delere, atque & tum arma contra urbanum ſumſerunt. GÖBEL. De conculcationis fabula confer. *PFEFF. tom. II. J. P. p. 137. 586.* & *REMI diſſertatio de commento, quod papa collum imperatoris calcaverit*, nec non ARTOPÆVS *in diſſertat. de eodem argumento.* VENERABILIS ABBAS JOANNES FABRICIVS picturam ſuis oculis inſpectam accurate *in oratione de utilitate itineris Italici* deſcribit. Venetias Friderici I. tempore extra imperii fines fuiſſe, ex iis, quæ antea notata ſunt, merito in dubium vocatur.

ab ipſomet Urbano IIX. pontifice literatiſſimo ac ſapientiſſimo, quod & Caramueli *n.364. Pacis licita* eſt notatum, contempta Venetorum ob id indignatione, jam dudum inter commenta damnatæ fidei omnia iſthæc numerata ſunt.

5. NIHIL proinde ſupereſt dubii, quin urbs quidem ipſamet Venetiarum extra fines imperii Germanici habenda ſit. Præter inſulas tamen illas Venetas, quas modo audivimus in tabulis iſtis enarratas, nec in Adriatico ſinu, nec in Tyrrheno mari, Italiæ quidem vicinæ, inſulæ ullæ fuerunt, quæ non pertinuerint ad jus ſive imperii veteris ſive Italici regni, atque adeo non ſimul fuerint juris imperii novi Germanici. Et vero nullæ in utroque mari viciniores inſulæ memorantur alterius ditionis. Ex adverſo jam audivimus, Romano pontifici maritima multa utriusque littoris donata cum proximis inſulis: *Corſicam* (a) *item & Sardiniam* (b) in donis numeraram. Quin imo certum eſt, ceſſantibus papis binas haſce inſulas ſibi vindicare, in utramque ab ipſis cæſaribus manum injectam. Quemadmodum Fridericus I. in utramque inſulam regiæ adminiſtrationis ergo legatos deſtinaverit, fruſtratus tamen *à Piſanis & Genuenſibus*, (c) quorum curæ legatos illos commiſerat, Sardinia ab utraque urbe in proprios uſus occupata, narrat Radevicus *l. 2. cap. 9.* Fridericum II. cæſarem filium ſuum Enzium, rebus geſtis clarum, Sardiniæ regem conſtituiſſe, notiſſimum eſt. Siciliam quidem itidem ab Ottone magno & Henrico II. in tabulis legitur donatam, ſed adjecta diſerte illa clauſulâ: *ſi Deus noſtris illam tradiderit manibus.* Nunquam autem venit in cæſarum Germanicorum poteſtatem. Nec apparet, quei aliquid juris in inſulam potuerit iis competere, quum pacto illo æterno inter Carolum magnum & Nicephorum Calabria ſimul & hæc inſula in perpetuum jus Conſtantinopolitanis ceſſiſſet: nec poſtea novo juri occaſio fuiſſet data. Par eſt ratio inſularum mediterranei maris aliarum.

6. At in continente ipſa nihil non, ſi Italiæ extrema excipias, de quibus poſtea, jam tum magno Ottoni paruit. *Henrico quarto cæſare* (d) jura regia per bella civilia cœperunt quidem multum imminui, & ex eo ad libertatem, *urbes* (e) cumprimis nonnullæ Longobardicæ, adſpirare,

(a) *Corſicam*) *CONR. A. E.* Obſervandum, neque Corſicam neque Sardiniam in poſſeſſionem Carolovingicæ familiæ, ut nec forte ſequentium imperatorum Germanorum perveniſſe. Unde equidem non dubito aſſerere, imperio Germanico nihil amplius in iſtas inſulas juris competere. Corſicam nihilominus a Carolo magno papis fuiſſe donatam, liquet etiam ex epiſtola VI. Leonis papæ III. ad Carolum magnum mea cura ex membranis eruta. Hæc etenim verba ibi legere eſt: *De autem inſula Corſica, unde & in ſcriptis & per miſſos veſtros nobis emiſiſtis, in veſtrum arbitrium & diſpoſitum committimus, atque in ore poſuimus Helmengaudi comitis, ut veſtra donatio ſemper firma & ſtabilis permaneat, & ab inſidiis inimicorum tuta perſiſtat per interceſſionem ſanctæ Dei genitricis & beatorum principum apoſtolorum Petri ac Pauli & veſtrum fortiſſimum brachium, & domino miſerante, tempore apto per fidelem miſſum noſtrum omni utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ veſtræ imperiali potentiæ liquidius innoteſcimus.* Hæc ibi Leo III. papa. Nonnulli jam Pipino acceptam referunt donatam Corſicam Leonis Oſtienſis fide, ſed perquam incerta, præſertim quia modo audivimus ſoli Carolo propter donum illud actas gratias. Quicquid tamen hujus malis, nihil hunc locum juvat.

(b) *Item & Sardiniam*) *C. annot. mſc.* Inſulæ illæ ſitæ ſunt in mari Tyrrheno, & ſunt ſic ſatis magnæ. Quæritur autem, utrum collocatæ ſint intra limites Germ. nec ne? Carolum M. tenuiſſe Corſicam notum eſt, ſed illa poſſeſſio ſæpe fuit interrupta, quia in mari illo Saraceni, qui occuparunt ſæpiſſime has inſulas, imo magnam partem Italiæ, ut in commentario ad epiſt. Leon. III. obſervavi. GöBEL. Corſicam Carolo M. paruiſſe putarem, quam ſententiam hic autor, ſecus ac in præcedenti annotat, defendit. Occuparunt eam præſidio orbam anno DCCCX. Saraceni, ut ex *annalibus BERTINIANIS* pateſcit. Rediiſſe autem oportet ad Carolingos. Nam in legibus Lotharii I. §. 4. comes jubetur maleficos in Corſicanum mittere exilium. Fridericus I. in eam æque ac in Sardiniam jus imperii exercere voluit, ſed in eo a Piſanis & Januenſibus impeditus eſt. *RADEVICVS lib. 2. c. IX.* Qua ratione Genuenſium factæ ſit ditionis, *LEANDER ALBERTI in deſcriptione Genuæ docet.* Nec minus Sardiniam a Francis aliquando rectam exiſtimem, quanquam illa deinde plus una vice potiti ſint Saraceni, quibus inde a Piſanis & Januenſibus pulſis, lites inter has gentes de ea exortæ. Piſani inter alia argumenta & papæ donum allegabant: *varia chronica Piſana a Muratorio edita. tom. VI. ſcript. Ital. p. 108. 167.* Cauſam coram Friderico I. qui noc de jure imperii in eam decedere voluit, acta. *Caffari annales Genuenſes lib. 2. p. 295. & alibi paſſim. BIZAR. de bello Piſano p. 628. ſqq.* Quid ſub Friderico ſecundo circa Sardiniam actum, alibi docuimus. Quomodo vero ad Arragonios pervenerit ex *LEANDRI ALBERTI deſcriptione Sardiniæ addiſci poteſt*, poſſeſſionem ejus Arragoniis a papa Bonifacio confirmatam eſſe, tradit *BERNARDVS GVIDANVS in vita ejus.*

(c) *A Piſanis & Genuenſibus*) *C. annot. mſc.* Utramque inſulam alteram Piſani, alteram Genuenſes occuparunt, quæ etiam magnæ in mari Tyrrheno potentiæ fuit. Piſani vero potentia olim florebant; hodie urbs Piſa Florentinis paret. Imo hæc urbs non dubitavit claſſe pugnare cum Venetis, & parum abſuit, quin occuparent Venetias. GöBEL. De Venetorum expeditione in Piſanos vid. *JOANN. BAPTIST. VER. rerum Venet. lib. I. p. 45.* Maximum autem, ſi quod unquam a Genuenſibus, cum quibus varia geſſerunt bella, imminuit periculum. Confer *l'hiſtoire du gouvernem. de Veniſe par Amelot de la Houſſaie t. I. p. 108.* Piſæ anno MCCCCVI. a ſtrenuo belli duce Gino Caponio ſub Florentinorum poteſtatem redactæ ſunt. Manſerunt itaque ſub Florentinis usque ad ann. 1494. ubi a Carolo VIII. Galliæ rege libertati reſtitutæ ſunt. *Parte II. delle iſtorie del mondo di TARCOGNOTA p. 860.* Poſtquam autem Venetorum opes ad Chieram d'Ada, anno 1609. a Gallis profligatæ ſunt, a Florentinis denuo ſub jugum coactæ. *Memoires de Florence p. 45.*

(d) *Henrico quarto cæſare*) *C. annot. mſc.* Iſto tempore immane quantum majeſtas cæſaris per Italiam & Germ. eſt fracta, ſi non fracta, ſaltem imminuta, cumprimis per bella civilia, quorum auctor Gregorius VII. Hactenus autem auctoritas cæſaris fuit ſatis magna. Cum autem viderent pontif. majeſt. cæſ. illis adverſam eſſe, utpote cum & ipſi ad monarchiam aſpirarent, artibus ejusmodi auctoritatem imminuerunt. Auctoritate cæſaris imminuta, urbes Italiæ cœperunt ad libertatem adſpirare, & ſibi respublicas plane liberas condere. Legendus hac de re SIGON. aut ex antiquis OTTO FRISING. & RADEVICVS *in vita Frid. I.* Inter omnes urbes Italiæ Mediolanum erat potentiſſima, contra eam urbem inſurrexit Fridericus I. & fere totam exſtirpavit: attamen iterum e cineribus emerſit.

(e) *Urbes*) *C. annot. ed. PLATINA in vita Lucii papæ* ita ſcribit: *Ab imperatore Friderico, qui, cum in pace vixit, obtinuit, ne Etruſci alia quam moneta Lucenſi uterentur; quemadmodum Longobardi ſolam papienſem admitterent, ſignatam imperatoria nota.* Saltim itaque Lucius papa juribus imperatoriis ſeſe hoc ipſo aliis æquiorem præ-

Digitized by Google

rare, Friderici tamen I. felicibus armis, ad priſtinum obſequium omnia pene reducta ſunt. *Unius Radevici verbis* (a) ex *l. 2. cap. 5. & 6.* hoc loco narrabimus, quid de juribus regiis in comitiis Roncalienſibus ultro omnes Italiæ epiſcopi, principes & urbes fuerint anno 1158. profeſſi. „Deinde „ſuper juſtitia regni & de regalibus, quæ longo jam tempore, ſeu temeritate pervadentium ſeu „neglectu regnum imperio deperierant, ſtudioſe differens, (cæſar) cum nullam poſſent invenire „defenſionem excuſationis, tam epiſcopi, quam primates & civitates, uno ore, uno aſſenſu, in „manum principis regalia reddidere. Primique reſignantium Mediolanenſes extitere. Requi„ſitique de hoc ipſo jure quid eſſet, adjudicaverunt ducatus, marchias, comitatus, conſulatus, „monetas, thelonea, fodrum, vectigalia portus, pedatica, molentina, piſcarias, portus, omnem„que utilitatem ex decurſu fluminum provenientem. Nec de terra tantum, verum etiam de „ſuis propriis capitibus *cenſus annui* (b) redditionem. Hisque omnibus in fiſcum adnumeratis, „tanta circa priſtinos poſſeſſores (cæſar) uſus eſt liberalitate: quicunque donatione regum aliquid „horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio & „regni nomine idipſum perpetuo poſſideret. Ex his tamen qui nullo jure, ſed ſola præſumpti„one de regalibus ſe intromiſerant, XXXmillia talentorum, plus minusve, redditibus publicis „per ſingulos annos acceſſere. Præterea & hoc ſibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum „eſt: in ſingulis civitatibus *poteſtates*, (c) conſules, cæterosve magiſtratus aſſenſu populi per „ipſum creari debere, qui fideles ſimul & prudentes, & principi honorem, & civibus patriæque „debitam juſtitiam noſſent conſervare. De his autem omnibus, fideliter & ſine fraude reci„piendis & obſervandis, ab omnibus civitatibus, & ſacramenta præſtita, & vades pro libitu im„peratoris exhibiti ſunt.

7. Hæc omnia Radevicus. *Ubi obſervandum*, (d) ipſos quoque epiſcopos Italicos tum agnoviſſe regiam in ſe & ſua auctoritatem, non minus atque alios. Qua de re ne dubitemus, faciunt verba etiam *Ottonis Murenæ* (e) coævi ſcriptoris à Baronio adducta. Cum enim, regalia à delectis judicibus indicata eſſe, narraſſet, pergit: *Hoc ſic peracto, Mediolanenſis ARCHIEPISCOPVS una cum conſulibus Mediolani, omnes alii præſentes Lombardiæ EPISCOPI, comites, marchiones, duces, cæterique Italiæ principes, & omnium Lombardiæ civitatum conſules ibi adſtantes, publice, in colloquio ipſo ſurgentes, in manu ipſius imperatoris omnia, quæ prædicti judices jura regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipſis omnibus fecerunt.* Et vero hæc occaſio fuit Hadriano papæ, denuo (per ſummam tamen injuriam) incandeſcendi. Guntherus l. 9. ita narrat de Hadriano:

Præcipue poſtquam ſua jura recognita fiſco
Aſſenſu procerum per cunctas comperit urbes,
Indoluit facto: quantumque videbat honoris
Acceſſiſſe viro (cæſari) *tantum pater ipſe putabat*
Deceſſiſſe ſibi.

Radevicus diſerte l. 2. c. 15. de eodem: *Occaſionem quærens, cum audiſſet, quod regalia principi tam ab epiſcopis & abbatibus, quam à civibus & proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores, diligentius vero conſideratas acriore comminatione plenas, de hoc negocio dirigit.* Exſtat in appendice Radevici a *Nauclero* (f) inventa Hadriani ad cæſarem epiſtola, & hujus reſponſum. In epiſtola papæ hæc leguntur: *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & jurata? quomodo eam obſerves, cum ab iis, qui dii ſunt & filii excelſi omnes, epiſcopis videlicet, homagium requirens fidelitatem exigis, & manus eorum*

buit. Obiter hic duco monendum, lectu digna eſſe, quæ idem *PLATINA in vita Gregorii IX.* diſſerit de bellis a Friderico II. imperatore per Italiam geſtis, atque enatis illhac tempeſtate factioſis nominibus Guelphorum & Gibellinorum.

(a) *Unius Radevici verbis*) *C. annot. mſc.* Quæ hic recitantur a Radevico, leguntur etiam *lib. I. feud. cap. un. quæ ſunt regalia.* Nam hoc conditum tempore Friderici I. cum repeteret ille jura cæſarea.

(b) *Cenſus annui*) *C. ann. mſc.* Cenſus regius in Italia erat de omnibus capitibus & in omni terra.

(c) *Poteſtates*) *C. ann. mſc.* Vocab. poteſtatis tum temporis apud Italos & ſeqq. temporibus denotavit primarium magiſtratum cujuslibet urbis per Italiam. Conſulum nomen deinde cœpit frequentius enaſci in Italia & quidem exemplo veterum Romanorum. Nam urbes Italiæ cœperunt tum ſibi respublicas condere ad ſtatum Rom. quod præclare obſervat OTTO FRISINGENS. & ſec XIII. Germaniæ urbes etiam cœperunt rerumpublicarum formas in Italia imitari. Tum enim plane alia facies urbium Germaniæ facta. Omnis conſulatus collatio fuit juris regii & in Italia cœperunt tales conſules creari conſenſu populi, ſed hoc tantum ex parte permiſit cæſar, antea enim non requirebatur conſenſus populi. GöBEL. De poteſtatibus Italiæ urbium prætoribus late in comment. meis de Italiæ regno agitur.

(d) *Ubi obſervandum*) *C. ann. mſc.* Hodie juris canon. DD. ſolent docere, epiſcopos eſſe ab omni bonorum & corporis jurisdictione immunes. Hoc autem aliter fuit. Cœpit autem, quando decretales condi cœperunt, qua ipſa exemtione decreverunt principes, accreverunt pontifices. Hodie noſtri epiſcopi Germ. quoad perſonalia ſe credunt exemtos, non quoad bona, quod tamen cæſares concedere nolunt. GöBEL. Italiæ epiſcopos ſe imperatoribus obnoxios profeſſos, infinita propemodum apud Ughellum diplomata, in quibus bonorum & jurium ſuorum eccleſiarum confirmationem impetrarunt, comprobant. Cæterum quod ad perſonarum & bonorum eccleſiaſticorum immunitatem a poteſtate ſeculari attinet, ea paulatim pontificum artibus & principum indulgentia invaluit, ſcivitque clerus imperatoribus non ſolum de libertate ſua perſonali ſed & reali, quæ olim non fuit, ſanctiones pragmaticas importunis extorquere precibus. Ad hoc argumentum Friderici II. aut potius pontificis ejus quondam tutoris & Caroli IV. conſtitutiones referuntur.

(e) *Ottonis Morena*) GöBEL. *ad ann. 1158.* apud *LEIBNIT. tom. I. rer. Brunſv. p. 818.* Judices autem, de quibus Morena loquitur, erant duo uniuscujusque civitatis Lombardiæ, cum quatuor legum doctoribus Bononienſibus Bulgaro, Martino Groſia, Jacobo atque Hugone de porta Ravegnana. Conf. quoque OTTO de S. Blaſio c. XIV. & *SIGONIVS ad ann. 1158. GOLDAST. conſtitut. imperial. tom. 3. p. 335.*

(f) *Nauclero*) *C. ann. mſc.* Vixit tempore Maximiliani I. cæſaris ejusque aulæ fuit familiaris: ejus enim juſſu congeſſit hiſtoriam. Epiſtola ſane illa, cujus hic fit mentio, eſt lectu digna.

eorum ſacratas manibus tuis innectis. Cæſar ita reſcripſit: *Ab iis autem, qui Dii ſunt, per adoptionem & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? cum ille noſter & veſter inſtitutor ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, pro ſe & Petro cenſum cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis. Doceat vos dicens: quia mitis ſum & humilis corde. Aut igitur regalia noſtra dimittant: aut ſi hæc utilia judicaverint quæ DEI DEO, quæ cæſaris cæſari, perſolvant.* Epiſtolas ſubſecuta mox eſt in eandem ſententiam pontificia legatio, & cæſaris extemporanea reſponſio. Nam legati quidem inter alia propoſuerunt; *Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere domino imperatori: Neque nuncios imperatoris in palatiis epiſcoporum recipiendos.* Reſpondit verò imperator: *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium: ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano præſule: quid tibi & regi? Conſequenter quoque eos ab imperatore non pigeat audire: quid tibi & poſſeſſioni? Nuncios noſtros non eſſe recipiendos in palatiis epiſcoporum aſſerit, concedo: ſi forte aliquis epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, non de noſtro, palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio ſint palatia epiſcoporum, cum profecto omne, quod ædificatur, ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia Injuria ergo eſſet, ſi quis nuncios a regiis palatiis prohiberet.* Narrat hæc omnia Radevicus, & ut fide digna repetit ex illo Baronius ad annum MCLIX. Fruſtra vero fuit Hadrianus. Nam & illum *mors abripuit:* (a) & epiſcopi Italiæ in homagio cæſari præſtando ſaltim ad Friderici II. fata perrexerunt. Quæ obiter duxi heic notanda: ut appareat, cum iſthac tempeſtate epiſcoporum quoque ſacra bona in cæſarum fuerint jurisdictione, multo magis omnia alia eidem paruiſſe. Et vero unice obſervari & hoc meretur: etſi in epiſtola conqueratur papa non de *homagio* tantùm, ſed & de *fidelitatis* ſacramento, legatos tamen concedere, fas eſſe, ut *fidelitatem* jurent cæſaribus epiſcopi.

8. Non multo poſt quidem urbes Italiæ complures, primum Hadriani inde Alexandri pontificum inſtinctu, *facta conjuratione* (b) in libertatem ſeſe aſſerere ſtuduerunt, bellis cum cæſare Friderico geſtis multo acerrimis; tandem tamen anno MCLXXXIII. Conſtantiæ pace publica reſtituta, ita aliquid urbibus indultum, ut auctoritati regiæ per conſcriptas tabulas ſancte ſimul in futurum cautum ſit. *Reperiuntur paſſim tabulæ* (c) illæ de *pace conſtantiæ* vulgo dictæ, & nonnihil ſunt prolixiores: eoque non eſt, quur eas hic inſeramus. Merito tamen magni faciendæ, ut quæ doceant regia omnia jura, ſtatumque adeo publicum regni Italici, qualia iſthæc *in poſterum* (d) habere ſe debeant.

9. INFELICIOR regni illius fortuna fuit in defendendis finibus Italiæ citerioris. *Vexabant Apuliam* (e) *& Calabriam* (f) finitimaque loca Saraceni pariter *& Græci:*

(a) *Mors abripuit*) GöBEL. Hadrianus IV. obiit anno 1154.

(b) *Facta conjuratione*) GöBEL. Civitatum contra Fridericum conſpirantium nomina & jurisjurandi formulam, quo ſe ſibi invicem obſtrinxerunt, refert *SIGONIVS lib. XIV.* ad ann. 1167.

(c) *Reperiuntur paſſim tabulæ*) *CONR. annot. mſc.* Illæ ſolent haberi in corpore juris ad finem feudorum, & inſcribuntur de pace Conſtantiæ. GöBEL. Vid. *SIGONIVS de regno Italiæ lib. XIV.*

(d) *In poſterum*) *C. ann. edit.* Sic ſatis ſubmiſſe proximis poſt Fridericum I. imperatorem annis Italos ſe geſſiſſe, liquet non tantum ex Henrici VI. ſed etiam Ottonis IV. hiſtoria. Ut enim nunc non attingam ea, quæ Henrico VI. imperante contigerunt, cum Otto IV. ante Italicam expeditionem conventum imperii ordinum Auguſtæ Vindelicorum inſtitueret, ad comitia illa ſtatim venerunt. Italicarum civitatum legati, offerentes ſingularum inſignia cum clavibus aureis, & multis aliis donis, ac per hoc ſubjectionem profitentes: ut loquitur *OTTO DE S. BLASIO cap. 50.* Jam tranſalpes & in Italiam progreſſum Ottonem nullo non debitæ ſubjectionis officio ipſimet Italici principes pariter & urbes. Id quod liquidum eſſe unicuique poteſt ſaltim ex indubitatæ fidei teſtimoniis illis, quæ præclara opera in unum congeſſit decus quondam hujus academiæ Juliæ Henricus Meibomius, illa, quæ jam tum a nobis eſt laudata apologia pro Ottone IV. imperatore pag. 41. & quatuor ſequentibus. Nec vero iſthæc doctiſſima ſcrinia hic compilare fas fuerit.

(e) *Vexabant Apuliam*) *C. ann. mſc.* Meminiſtis, quo tempore Carolus M. pacem inierit cum Cpano & tum nihil reliqui manſiſſe præter Calabriam. Erat tum extrema pars Italiæ, quæ hodie ita appellatur. Apulia vero ceſſit Carolo M. Poſt hæc tempora manſere iidem fines, niſi quod circa tempora Ottonis II. ſint mutati. Hic enim voluit occupare Calabriam, imo ipſam etiam Siciliam, ſed victus a Græcis, quibus ſociæ aderant Saracenorum copiæ, tumque præ dolore obiit. Saraceni gens Arabica jam olim celebris inclaruit ſec. VII. auſpicio Muhammedis. Inuſitata autem infelicitate ſtatim magnam partem Hiſpaniæ devictis Viſi-Gothis 60. annorum ſpacio occuparunt. Mox inſtructis claſſibus deprædati Siciliam, Græciam & ipſam Italiam, ubi & ſedem fixerunt, deinde Apuliam & Calabriam ſibi ſubjecerunt tempore Henrici II. & Conradi II. ſec. XI. poſt C. N. GöBEL. Gens Saracenica præclare res geſſit. Dolendum ſane, multos ad hiſtoriam ejus attinentes arabicos codices paſſim in bibliothecis latere, neque in idioma intellectu magis frequens transferri. Hiſpaniæ potiti, cui a Juliano comite, ſtuprum, quo filia ejus a rege commaculata erat, ulturo, inducti ſunt, inde in Galliam irruptiones fecerunt, & Italiam, inſulasque ad eam ſpectantes claſſibus adierunt, & ibi pedem fixerunt, aut prædas inde egerunt. Siciliam ducentis annis & Sardiniam longo etiam tempore interruptis licet vicibus detinuerunt, usque dum illa a Normannis, hac a Piſanis & Januenſibus exuti. *Anaſtaſius bibliothec. in vita papæ a Deodati p. 141. tom. III. Scr. Ital. Brevis hiſtor.* liberatæ *Meſſanæ apud Baluz. tom. VI. miſcell. & tom. VI. ſcript. Ital. chron. Vulturn. tom. I. ſcript. Ital. p. II. p. 390. chron. Sicul. ex codic. arab. in lat. traduct. & hiſtor. Saracen. ei juncta tom. I. ſcript. Italic. p. II. p. 245. ſeqq. Caffari annal. genuenſes paſſim, chron. Piſan. incerti autoris, tom. VI. ſcript. Ital. p. 108. Varia chron. Piſan. p. 167. ſeqq. Camillus peregrin. hiſtor. Longobard. lib. 2. p. 230.* Imo & ipſa Roma potiti ſunt, *CAMILLVS PEREGRINVS l. c. p. 266. tom. 2. ſcript. Ital.* ubi notat, eos a Ludovico III. cladem paſſos, additque alia eorum geſta. Confer quoque *JOAN. DIACONVM p. 817.*

(f) *Et Calabriam*) *C. ann. edit.* Ottone II. imperante hunc fuiſſe Calabriæ miſerum ſtatum & infelice prælio imperatorem a Græcorum exercitu victum vix aufugere potuiſſe, vel illa nos doceant, quæ narrat Ditmarus l. 2. pene ſub finem. Ex quo ſimul diſcere eſt, pacis redimendæ cauſa quotannis certum auri ſummam Græcis fuiſſe ſolutam, & Conſtantinopolitanis rebus tunc præfuiſſe Baſilium imperatorem. GöBEL. Imperatorius exercitus potiſſimum a Saracenis, Græcis militantibus, novoque pugnandi genere inſignibus cæſus eſt. Quo miraculo quaſi hoſtium manibus evaſerit a permultis,

Digitized by Google

Græci: (a) *quos cum Normanni* (b) nonnulli ex Gallia Normannica oriundi, qui iſthuc terrarum forte appulerant, & prudentia & dexteritate ſingulari feliciter retudiſſent, ab ipſo cæſare datæ ſunt illis ibi ſedes in regni præſidium. Diſerte *Wippo* (c) in vita Conradi ſalici: *Facta pace inter Romanos & Teutonicos, imperator in Apuliam proceſſit: & Beneventanum & Capuam ac reliquas civitates illius*

in quibusdam tamen diſcrepantibus, memoriæ proditum eſt. *HEPIDANVS ad ann.* 982. *MARIANVS SCOTTVS lib. 3. chron. ætate VI.* Dolore autem tantæ cladis mortem ejus maturatam eſſe, docet *SIGEBERTVS GEMBLACENS. ad ann.* 983.

(a) *Et Græci*) GOEBEL. Græci, qui nonnunquam ob novam Romam Romanorum nomine veniunt, ad tempus aut tota aut magna Italiæ inſularumque ejus potiti ſunt parte. Neapolitani regni, ut hodie dicitur, partem, quam habebant, per *Catapanos ſuos* regebant, qua pedetentim a Normannis privati, quibus deinde gentis Longobardicæ ibi reliqui principes clientelari quaſi obnoxii facti ſunt vinculo. Tandem, Roberto Guiſcardo & fratre ejus Rogerio res dirigentibus, Barium quoque, munitiſſimum, quod Græcis in Apulia reliquum erat, propugnaculum, expugnarunt. *GAVFRIDVS MALATERRA in hiſtor. Sicula lib. 2. c. XL.* Autor hic tam inter ſcriptores rerum Italicarum, nuper editos, quam *tom. III. Hiſpaniæ illuſtratæ*, una cum ALEXANDRO ABBATE TELESINO, reperitur.

(b) *Quos cum Normanni*) *CONR. ann. mſc.* Sec. XI. poſt C. N. gentes ſeptentrionales piraticam cœperunt exercere, & quidem inuſitata felicitate. Erant autem præcipue Dani, Norwegi, Sueci, Juthæ, decreſcentibus rebus Francici imperii. Vexarunt in primis regnum Lotharingiæ & Franciæ occidentalis, nempe Caroli calvi. Sane qui legit hiſtoriam illam, non poteſt ſatis admirari illorum felicitatem. Tandem vero tempeſtas conquievit, ſed ita, ut pars piratarum reſederit in Gallia, unde & hodie dicitur die Normandie. Hoc factum ſeculo XI. rege Carolo ſimplici. GOEBEL. Normanni collectitia, ut autor eſt ADAMVS BREMENSIS, rerum ſeptentrionalium peritiſſimus, ex Danis, Norwegis & Suedis gens, fortitudinis ſuæ famam prædarumque aviditatem longe lateque circumtulit. Caroli M. poſterorum terras in primis male habuerunt, quodque tam faciles ipſis fuerint irruptiones, inter cauſas merito crudeliſſimum poſt hominum memoriam ad Fontiniacum prœlium fuit. Coactum ſe deinde Carolus ſimplex, quem aliqui ſcriptores *ſtolidum* vocant, videt, Rolloni Normannorum capitaneo Franciæ occidentalis partem, quæ poſtea *Normanniæ* nomen induit, ut ducatum, ſub nexu clientelari tamen, permittere. Fidei autem Normannicæ addebantur vincula Chriſtianiſmus & matrimonium cum Giſala regis filia. *MEZERAI abregé chronologique tom. I. p.* 328. Quænam prima Normannis invadendæ Calabriæ & Apuliæ occaſio fuerit, non ſatis certum eſt. Probabilior videtur ſententia, Melum ex Longobardorum, qui ibi degebant, proceribus quendam, Baro a Græcis ejectum, Normannis qui ad ædem S. Michaëlis in Gurgano monte voti rei, ex terra ſancta reduces erant delati, primum fuiſſe ſuaſorem, ut venirent viri, muliebribus Græcis nimirum terras illas jucundiſſimas omnique rerum commeatu abundantiſſimas eriperent. *GVILIELMVS APPVLVS de Normannis lib. I. c. I. p. 253. tom. V. ſcript. Ital.* Habetur etiam hoc *hiſtoricum poëma in ſcript. Brunſv. LEIBNITII*, *Conf. CHRON. CASSINENSE lib. 2 c.* 37. qui domum reverti conterraneos, depellendæ durioris aut conſequendæ melioris fortunæ cupidiſſimos, facile ad Italicum, multa de terræ abundantia & amœnitate fati, inducunt iter. Adventantes, apertis ut ajunt ulnis, recipit Melus, eosque armis ſua cura inſtructiores in Græcos ducit, nec ſub initium infeliciter pugnat; afflictus tamen a Græcis clade, ſuorum paucitate hoſtibus impar, ad Henricum ſanctum imperatorem profugit, eumque ad imperii jura contra Græcos vindicanda excitat. Imperium enim occidentale in Apuliam & Calabriam jure non deſtituebatur, quod & ab Ottonibus haud neglectum. Sed Melus ab imperatore promiſſis de ferenda ope pellectus, ad proprios reverſurus lares vitam poſuit. Henricus autem deinde in Neapolitanas terras expeditionem ſuſcepit, atque Beneventum, Trojam, Neapolim, Capuam, Salernum aliaque cepit loca, & Normannis, qui ſe ſtrenue in exercitu ejus geſſerant, opes diſtribuit. Et alii imperatores hujus veſtigiis inhærentes, utpote Henricus IV. aliique, notante LEIBNITIO, imperii jurium hic non fuerunt negligentes, quanquam hæc omnia GVILIELMVS APPVLVS diſſimulet. Sed revertamur ad Normannos. Hi, memorante GVILIELMO, poſt Meli mortem animum quaſi deſpondentes mox huic, mox illi bellicam ſuam locant operam; principes autem & rerum rectores ſibi conſtituunt in urbe *Averſa* confidentes, inter quos celebrantur *Ranulfus* & ex ipſo geniti *Richardus* filius, *Jordanus* nepos & *Richardus* pronepos. Interim *Arduinus* Dochiano Græcorum duci, a quo injuria læſus, ſuccenſens, Longobardos Apuliæ inducere conſtituit, & ad hujus expeditionis ſocietatem invitavit Normannos, qui demigrationis ſocietate accepta res præclare gerunt, multaque Græcis eripiunt loca. GVILIELMVS APPVLVS *l. c. p. 255. & CHRON. NORTMANN. ad ann.* 1041. *ſeqq. p. 278. tom. V. ſcript. Ital.* Ab Arduino tranſeunt ad *Falernitanum* principem, qui in *Averſa* autem remanſerant Normanni, ſibi *Argyroium* Meli filium, qui Moniaco Græcorum duci adverſabatur, caput eligunt. Interea accidit, ut *Tancredi* ex Normannorum proceribus ſtrenuiſſimi viri, filiorum duplicis thori numero Jacobum patriarcham æquantis, ex primo matrimonio tres priores natu filii, *Guilielmus Ferreabrachius*, *Drogo & Hunfridus*, cum manu popularium ſuorum gloriæ bonorumque avida, in Italiam contenderent, iique tunc in Falernitani principis, qui a Capuano diſſidebat, caſtris ſtipendia meriti ſunt; ſed Longobardi ipſis invidentes, principis ſui animo odia in eos inſinuabant, remque eo deducere ſciverunt, ut Falerni princeps conſultum putaverit, Normannis ſub ſpe magnorum præmiorum ſuadere, ut ſe Moniaco Græcorum duci, expeditionem in Siciliam molituro, & a ſe in ſubſidium viros fortes expetenti, jungerent. Cui conſilio morem gerentes, Moniacum adeunt & ab eo, tanquam viri fortitudine celebres, perhumaniter excipiuntur. Cumque in Sicilia una cum aliis Moniaci copiis appuliſſent, ſuper omnes bellica eminuerunt virtute. Accidit autem, ut illis hoſtium, quos magna affecerant clade, tergis cupidius inhærentibus, prælii locus ſpoliis repletus a ſupervenientibus Græcis occupatus fuerit, qui prædam inter ſe, Normannorum copiis penitus excluſis, diſtribuerunt. Hanc rem indigne ferentes Normanni ex Sicilia ſe in Calabriam proripuerunt, eamque & quæcunque Græcorum juris eſſe ſciebant, vaſtantes in Apuliam pervenerunt. Hanc provinciam ſibi ſubjicere animum induxerant. Et ut loco quodam munito tutiores eſſent, caſtrum *Melfam* in ſuam redegerunt poteſtatem. Atrociora deinde cum Græcis orta ſunt bella, quæ potiſſimum *Guilielmi Ferreabrachii*, primi Apuliæ comitis, prudentia & fortitudine, plerumque ex Normannorum parte, ſecunda gerebantur fortuna. Augebantur deinde horum vires, cum Tancredi filii natu minores omnes, exceptis duobus, qui domi manebant, popularium ſuorum adducerent ſupplementa. Inter illos erat *Robertus*, qui ab aſtutia *Guiſcardus* cognominatus eſt, ſecundi tori Tancredi filius primogenitus, poſtea totius Apuliæ princeps & Calabriæ dux, ad quem deinde minimus omnium fratrum *Rogerius*, & animo & corpore præſtantiſſimus juvenis acceſſit, qui præter Calabriæ partem, Siciliam ſua inprimis virtute Saracenis ereptam, ut comes a fratre Roberto ejusque filio, clientelari obtinuit nexu, atque regum Siciliæ, qui in Guilielmo defierunt, Sator fuit. *GAVFREDVS MALATERRA lib. I. c. 4. ſeqq. lib. 2. c. 1. 3. 4. CHRONICON NORTMANNICVM l. c. LVPI PROTOSPATÆ chronicon p. 41. tom. V. Scriptor. Ital. ANONYMI BARRENS. chron. p. 148. 151. l. c.*

(c) *Wippo*) *C. A. M.* Fuit presbyter Conradi II. imper. cujus vitam ſcripſit, quæ hodieque extat: primus eam edidit *JOH. PISTORIVS tom. III. rer. Germ.*

illius regionis, ſive vi ſive voluntaria deditione, ſibi ſubjugavit, & Normannos, qui de patria ſua, neſcio qua neceſſitate compulſi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos regni adverſus Græcorum verſutias, eos principibus ſuis coadunavit. HERMANNUS CONTRACTUS id jam Henrico ſancto cæſare factum narrat *ad annum MXXII. Henricus imperator Campaniam petens, Trojam, Neapolim, Capuam, & cæteras civitates in deditionem accepit, & Normannis quibusdam, qui tempore ejus illo confluxerant, quoddam, ut ferunt, in illis partibus territorium conceſſit; ſicque ipſe per Romam victor rediit in Italiam.* Datum erat jam ante Romano pontifici in terras illas juris aliquid: Normanni autem iſti jam novo numero aucti, Roberto Guiſcardo duce, & hæc imperii occidentalis & alia, quæ *hactenus* (a) Conſtantinopolitani juris fuerant, excuſſa omni cæſarum pontificumque reverentiâ, in ſuam ditionem redegere. BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS appendice ad *Hermannum Contractum* (b) *ad annum MLIII. Normannorum gens à temporibus prioris Henrici imperatoris in partes Calabriæ, Samniæ Campaniæque confluxit. Et quia indigenis, contra Græcorum & Saracenorum incurſiones audacter præliando, auxiliabatur, primo gratanter accipitur. Poſtea vero pluribus eorum ad uberem terram* (c) *concurrentibus, viribus adaucti, ipſos indigetes & res eorum violenter poſſedere.* Ut plenius, ita aſperius ipſe CONTRACTUS ad eundem annum: *Ea gens à temporibus prioris Henrici imperatoris in Calabriæ, Samniæ Campaniæque partes paulatim, ex Gallici oceani oris adventitia, confluebat. Et quum bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primo gratanter accepta, crebro indigenis, contra Græcorum & Saracenorum incurſiones audacter præliando, auxiliabatur. Poſtea vero pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti ipſos indigenas bello premere, injuſtum dominatum invadere, hæredibus legitimis caſtella, prædia, villas, domus, uxores etiam vi auferre, res eccleſiarum diripere, poſtremo divina & humana omnia prout viribus plus poterant, jura confundere; nec jam pontifici, nec ipſi imperatori, niſi tantum verbotenus, cedere.*

10. Hæc CONTRACTUS. Operæ fuerit pretium audire hic de ipſo etiam *Roberto Guiſcardo* (d) diſſerentem OTTONEM FRISINGENSEM *l. 1. de geſtis Friderici cap. 11.* „Robertus iſte ex mediocri ſtirpe in Normannia, ex eorum militum ordine, quos *Vavaſſores* (e) vulgo ibi dicere ſolent, in plaga, quam Conſtantiam indigenæ dicunt, editus. Cum Rogerio fratre, tam patri famis tempore morem (ut ajunt) gerens, quam ob locorum ſterilitatis moleſtiam à natali ſolo progreſſus, multo tempore multas provincias, opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberravit. Unde & ab oberrandi circuitu, patria lingua *Guiſtardus, tanquam oberrator, vel girator,* appellatus eſt. Cum ergo non paucis, ut dictum eſt, diebus *multarum regionum girator* exiſteret, à citeriori Italia, quæ modo *Apulia* ſeu *Calabria* dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Langobardis poſſeſſam inertis plebis inhabitatione, tanquam induſtriæ defenſionis vacuam inveniret, *remiſſis in Galliam nunciis,* (f) expoſitaque locorum idoneitate ac gentis inertia, ad expugnationem earum provinciarum conſocios invitavit. Et ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignavi populi victor exiſtens, Campaniæ, Apuliæ, *Calabriæ*, *Siciliæ* (g) ad ultimum poſ-

„ſeſſor

(a) *Hactenus*) CONR. A. E. An qui Lotharium imperatorem ſunt ſecuti imperatores, ad fatalia tempora interregni, juſta diligentia imperii juribus in Neapolitanas iſtas terras conſervandis ſtuduerint, fortaſſis licuerit dubitare. Dixerit ſane quis haud injuria, Henricum ſextum & Fridericum ſecundum ſuis privatim rebus potius ſtuduiſſe. Vereor igitur, ne jam tum imperii jura ibi ſenſim exſpiraverint.

(b) *Hermannum contractum*) *C. annot. mſc.* Vixit ſub initium ſec. X. gente ſuevus, nobili ortus familia. Falſo exiſtimatur a vitio corporis dictus *Contractus*.

(c) *Ad uberem terram*) *C. ann mſc.* Nempe ad Campaniam; nusquam enim tam felix eſt Italia, quam in illa parte. Ibi autem incaleſcit igne ſubterraneo, qui in Veſuvio monte paucis abhinc annis aliquoties exæſtuavit, cum ſummo damno vicinarum terrarum.

(d) *Roberto Guiſcardo*] GOEBEL. Omnes *Tarquinii de Altavilla* in Italia degentes filii Apuliæ aut Calabriæ territoriis quibusdam ut comites præerant; primogenitus autem eorum, ut caput in reliquos, autoritate quadam valebat. Quem principem locum primus obtinuit *Guilielmus Ferreabrachius*, hoc exſtincto *Drogo*, quem Riſi Longobardi cujusdam inſidiis ſublatum ſecutus eſt *Humfridus*, hunc *Robertus Guiſcardus*, a papa Nicolao II. dux ſalutatus. Ex hujus filiis *Boëmundus* Tarenti & Antiochiæ principatum nactus eſt; ex quo filius patri cognominis ſuperſtes fuit. UGHELL. *Ital. ſacra tom. 7. p. 75. tom. IX. p.* 128. Rogerius patri in ducatu ſucceſſit. Claruit etiam hoc tempore princeps *Tancredus* Roberti ſororis filius, cujus geſta a RADVLPHO CADOMENSI deſcripta *tom. V. ſcript. Ital.* exſtant. VGHELL. *tom. IV. p.* 847. Varii ſane in hiſtoria Neapolitana occurrunt Tancredi, qui non ſunt confundendi. Sed ut ad Apuliæ & Calabriæ ducatum redeamus, Rogerii filio Guilielmo, ob matrimonium cum Græciæ imperatoris filia ineundum; abſente, ducatum illum Rogerii Boſſi Siciliæ comitis filius invaſit, de quo infra pluribus agendum erit. *vid* GAVFRID. MALATERRA, GVILIELMVS APPVLVS, ALEXANDER *abbas* TELESINVS, IOHANNES *de varia Tarentinorum fortuna lib. 7. c. 3.* NICOL. PARTHEN. GIANETT. *hiſtor. Neapolit. decad. 1. lib. 1. p.* 228. Robertus Guiſcardus ſe vocare ſolebat: *divina clementia ducem.* VGHELL. *tom. VII. p.* 389. Rogerius autem filius ejus: *ducem Italiæ, Calabriæ & Siciliæ.* VGHELL. *Ital. ſacr. tom. 9. p. 450. tom. 1. p.* 775. Adſunt tamen diplomata, ubi hic ſe tantum *divina gratia* aut *divinam per gratiam ducem* appellat. VGHELL. *tom. 7. p.* 610. Robertus vero titulo *Calabriæ & Siciliæ ducis* utitur.

(e) *Vavaſſores*) Solent hoc illi appellari nomine, qui aliquid in feudum tenent infimæ nobilitatis. GOEBEL. Autor hic per Valvaſores haud dubie eos, qui *medii* ſunt, intelligit. Erant autem apud Longobardos Valvaſores majores ſive capitanei, medii & minores ſive minimi, qui & *Valvaſini* dicebantur. Jure autem feudali Longobardico non tam diverſi nobilitatis gradus, quam diſtincti vaſallorum ordines indicantur. Conf. CANG. & SPELM. *in gloſſar. ſub vocab. Valvaſor.* SCHILT. *ad codicem. juris feud. Alemannici.*

(f) *Remiſſis in Galliam nunciis*) CONR. *annot. mſc.* Ad populares ſuos.

(g) *Calabriæ, Siciliæ*) CONR. *annot. mſc.* Utrumque regnum olim eſt dictum regnum utriusque Siciliæ, ſcil. cis & trans fretum, ſed perperam, utpote cum Sicilia ſit inſula trans fretum tantum, quo jure igitur quave injuria, jam non dicam. Sequentibus temporibus regnum Siculum fuit diviſum & poſt C. N. ſec. 13. poſſederunt Arragones. *Neapolin* occuparunt primum Alfonſus Arragoniæ rex, poſtea Ferdinandus catholicus, & hac ratione utriusque regni poſſeſſio pervenit ad domum Auſtriacam.

„ſeſſor inventus eſt. *Reliquit autem Rogerio* (a) fratri ex parte ſui comitatum Siciliæ tenendum, „ipſe vero ducatum Apuliæ cum Calabria ſibi retinuit.„

11. His initiis ortum in Italia NEAPOLITANUM, quod hodie vocatur, REGNUM; qua ratione regno Italico omne, quod in Calabriam usque inferiorem (inde enim Græcorum ditio incipiebat) à Campaniæ finibus protenditur, deceſſit. *Etſi enim iniqui* (b) illi invaſores cum Romanis pontificibus tandem pepigerint, atque ita illis ſaltim aliquatenus fuerit ſatisfactum, cæſarum tamen diſpar fortuna fuit; præſertim ex quo factionem illam pontifices cæſaribus oppoſuere in uſum ſuum. Exercitum, ſed nebulonum potius quam militum, primus contra illos jam ſacris diris devotos duxit, qui primus etiam Romanorum pontificum, minus laudabili ſane ad poſteritatem exemplo, *bellum movit Leo IX.* (c) papa anno 1053. *cum illi*, verba ſunt CONTRACTI, *pacem petentes ſubjectionem ſervitiumque ipſi promitterent, & quæ prius injuſte ſibi uſurpantes invaſerant, ejus beneficio gratiaque retinere velle ſe dicerent.* Verum ille ingenti ſtrage victus, coactus inſuper eſt, hoſtem victorem communioni eccleſiæ reſtituere. Sexto anno poſt, quod recuſavit Leo, acceptavit Nicolaus II. prout docet BARONIVS ad *annum MLVIIII. divino* id factum *conſilio* judicans, rectius ſi *utili* dixiſſet. Sequuti Nicolai exemplum pontificum alii. Imo Anacletus, Innocentio II oppoſitus papa, non dubitavit regio titulo & diademate Rogerium ornare: qua de re idem BARONIUS legendus *ad annum MCXXX. n. 52.* At recte quidem S. BERNHARDUS cenſuit, epiſt. 119. *Omnis, qui in Sicilia ſe regem facit, contradicit cæſari*: ipſemet tamen Innocentius anno 1139. dignitatem illam, cæſare inconſulto, confirmavit Rogerio. Movit aliquid, in gratiam tamen Romanæ eccleſiæ potius fortaſſe quam imperii, contra Normannos illos cæſar Lotharius, & minitatus multa eſt Fridericus I. Fruſtra vero *omnia.* (d)

(a) *Reliquit autem Rogerio)* CONR *annot. mſc.* Robertus quidem omnes illas terras tenuit, ſed abſtinuit a regio nomine. Apuliam & Calabriam ducis nomine obtinuit. Fratri dedit Siciliam comitis nomine.

(b) *Etſi enim iniqui*] C. *annot. mſc.* Romani pontifices paulatim cum Normannis pepigerunt, & male imperatoribus noſtris cum iis convenit. Normanni enim ſunt conſtituti, tanquam æmuli, & pontifices cœperunt uti potentia illorum adverſus cæſares, ut excuterent reverentiam & potentiam cæſarum. Quam perfidus igitur eſt Romanus pontifex!

(c) *Bellum movit Leo IX.*) *C. annot. mſc.* Initio non minus Romano pontifici, quam cæſaribus cum Normannis peſſime convenit, quare Leo IX diris illos devovit, cum vero diras ejus non curarent, arma cepit adverſus eos, quod maxime notandum. Hic eſt primus ille pontifex, qui militavit, ſed male. Etenim ejus exemplum ſucceſſores ſtatim ſunt ſecuti. Leo autem IX. conduxit exercitum in Germania, & ſpem illis fecerat expiandorum peccatorum: erant autem nebulones. Devotis igitur diris Normannis promiſerunt, ſe ſervitio pontificis parituros. GOEBEL. Pontificium jus in Apuliam & Calabriam non niſi figmentum & umbra erat. Hinc Leo IX. in epiſtola ſua ad imperatorem Conſtantinopolitanum, nullam aliam ſumtorum anno 1054 (1052. 1053.) in Normannos armorum allegat cauſam, quam ſolicitudinem, qua eccleſiæ ſaluti invigilare debeat. Ait enim: *illa ſollicitudine, qua omnibus eccleſiis invigilare debeo, videns indiſciplinatam & alienam gentem crudeli & inaudita rabie & plus quam pagana impietate adverſus eccleſiam Dei inſurgere, paſſim Chriſtianos trucidare &c.* WIBERTVS *in vita Leonis IX tom. 3 ſcript. Ital. p.* 297. Fateor tamen, Leonem ab Apulejenſibus, ut ſibi præſto eſſent, ſub prætextu, quia hæc terra olim Romanæ eccleſiæ fuiſſet, invitatum eſſe. GAVFREDVS MALATERRA *c. XIV.* Sed infelicem ſatis ſacri præſulis cum Normannis conflictus habuit exitum. Aut enim a civibus Capitanæ, quo ſe poſt prœlium recepiſſe dicitur, Normannis traditus, aut in fuga Beneventum verſus captus fuit: certum eſt, ipſum in Normannorum veniſſe poteſtatem; cum pauci Germani, quos adduxerat, a Longobardis deſerti, tantæ Normannorum & aliorum, qui in eorum caſtris militabant, multitudini in acie impares fuiſſent. Sed humaniter ſatis Leo a victoribus habitus, quibus indulgentiam & benedictionem impertiit, aſſenſusque eſt, ut *omnem terram, quam pervaſerant & quam ulterius verſus Calabriam & Siciliam lucrari poſſent, de S. Petro hæreditario feudo ſibi & hæredibus ſuis poſſidendam haberent.* LEO PROTOSPATA *in chron. tom. V. Script. Ital p.* 44. ANONYMI *Caſſin. chron. l. c. p.* 57. GVIL. APPVLVS *lib. 2. p.* 159. 160. GAVFREDVS MALATERRA *lib. 1. c.* 16. GODEFRID. VITERB. *Pantheon Script. Ital. tom. 7. p.* 447. CHRON. CAVENSE *l. c. p.* 922. Indecens erat Leoni, tela corripere, qui nonniſi precibus adverſus eccleſiæ hoſtes pugnare debuiſſet, neque injuſte obinde reprehenditur a PETRO DAMIANO, cujus verba refert PALATIVS *in vita Leonis VIII. (IX)* atque papam quovis modo excuſat, modo legitime excuſari poſſet. Morem illum ſacerdotio non convenientem, alii papæ & eccleſiarum antiſtites imitati ſunt. Vid. ZIEGLERI *diſſertat*, quæ inſcribitur: *Epiſcopus miles.* Sed denuo in Normannos a Nicolao II. papale vibratum eſt fulmen, a quo per Leonem liberati fuerunt. Erat autem Nicolaus Leonis IX. non immediatus, ſed interjacentibus Victore II. & Stephano IX. (X) ſucceſſor. Verum enim vero & Nicolaus iram tandem deponere debuit, cum, ſacra ſua tela & inepta fulmina inutilia plane eſſe, perciperet. Dux autem Robertus, ut gratum pontifici, ad ſaniora redeunti conſilia, teſtificaretur animum, & ſanctiori Neapolitanas terras poſſideret titulo, id, cui dominabatur in Apulia & Calabria, Romanæ eccleſiæ in feudum obtulit. CARDINALIS ARRAGONIVS *in vita Nicolai II. tom. 3. ſcript. Ital. p.* 301. Quod autem hoc feudum potius oblatum, quam datum ſit, & vocabulum *confirmare*, quo LEO OSTIENSIS *lib. 3. c.* 16. utitur, ſatis indicat. *Iisdem quoque diebus*, inquit, *& Richardo principatum Capuanum & Roberto ducatum Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ confirmavit cum ſacramento, fidelitate Romanæ eccleſiæ eis primo recepta &c.* Conf. ANON. *Caſſin. chr. tom. V. ſcript. Ital. p.* 57. GVILIELMVS APPVLVS *l. c. p.* 262. CHRON. NORTHMANNOR. *ad ann.* 1059. Novo deinceps fulmine Normannos percuſſit Gregorius VII. a cujus ictu tamen pontificis amica ſanati manu, ut eorum ope adverſus Henricum IV. tutior eſſet, quam & commodam valde in eo negotio expertus eſt. Non tamen Robertum omni eo, quod injuſte poſſidebat, inveſtivit, ſed expreſſe Salernum, Amalphiam, & partem marchiæ Firmianæ excepit. Nihilominus Robertus non procul a morte, reſtrictionem papalem vilipendens, Guidoni filio ex ſecundo matrimonio natu minori, non diu poſt patris mortem vitam ponenti, Amalphin & Surrentum; fratri autem ejus germano Rogerio ducatum Apuliæ & Calabriæ cum principatu Salerni addixit, in cujus favorem Roberti filius ex primo thoro unicus Boëmundus jure, quod forte in has terras habere poſſet, pacto deceſſit, ita ut poſt Guidonis mortem etiam Amalfiæ ducatus Rogerio accreverit. JVLIVS CÆSAR CAPVC. *hiſtor. Neapolit. lib.* 1. *c.* 13. SVMMONTE *hiſtoria di Napoli lib.* 1. *p.* 474.

(d) *Omnia*] C. A. B. Memoratu tamen dignum eſt, quod de Lothario imperatore ſcribit OTTO FRISINGEN-

12. *Imo Friderici filius* (a) Henricus VI. cæſar, ducta anno MDLXXXIX. Conſtantiâ, novi illius regni poſſeſſionem quaſi in dotem conſecutus eſt. Nec tamen vel ſic in ditionem imperii terræ per vim ſubductæ redierunt: etſi, certis legibus & illas & univerſum Siciliæ regnum imperio

SIS *L. 7. cap.* 19. *Auguſtus tam fortia in Apulia & Campania geſſit, ut nullus ex Francorum regibus a Carolo magno usque ad id temporis tanta ibi feciſſe inveniatur. Denique non ſolum civitates, utpote Capuam, Trojam, Salernum, Beriettum, Barram cepit, verum etiam munitiſſima caſtra & arces inacceſſibiles expugnavit. Cap.* 20. *Rogerio hoſte judicato, Reginaldo viro forti ac nobili ducatus Apuliæ, relicta ſibi parte militum, traditur: & ſic princeps victor de reditu diſponit. Verum ſilentio præterire nolumus, quod in dando ducatu inter ipſum & Romanum pontificem pene controverſia orta fuit, utrique ducatum ſui fore juris affirmante. Quæ lis conſilio tandem hoc modo deciſa dicitur, ut in dando duci vexillo uterque manum adhiberet.* Hæc OTTO. Quæ docent, Lotharium cæſarem & vindicaſſe illas terras, & haud exiſtimaſſe, illarum jus non amplius imperii, ſed unius Romani eſſe pontificis. Verum Lothario in Germaniam reverſo, Rogerius rex omnia recuperavit. Et Friderici I. cæſaris conatus intra minas ſubſtiterunt, flexo ipſomet ad ultimum in Normanni favorem. GOEBEL. Lothario Germaniam repetente, res Rogerii ſuperiores factæ, ut ex ſequentibus *Caſſinenſis chronici lib. IV. c.* 126. verbis apparet: *Rogerius rex, ubi Lotharium imperatorem de Campania receſſiſſe cognovit, aggregato exercitu, præter Barum, Trojam atque Neapolim omnem terram, quam facile amiſerat, facilius cœpit recuperare. E contra Reginulfus dux imperatoris cum Teutonicis & Apulis ei fortiter reſtitit.* Mortuus autem eſt Lotharius anno 1137. in itinere, Germaniam repetiturus. GODEFRIDVS VITERB. *part. XVII. chron. p.* 510. CAVITELL. *annal. Cremon. p* 1298. CHRONOGRAPHVS SAXO *ad ann.* 1137. OTTO FRISING *chron. lib.* 7. *c.* 20. De anno, die & loco mortis ejus diſcrepantes autorum habemus ſententias. *Vid.* PFEFFING. *J. publ. tom.* 1. *p.* 566. 567. De reſtaurata inter Fridericum I. & Wilhelmum Siciliæ regem amicitia, alibi dictum.

(a) *Imo Friderici filius*) *CONR. annot. mſc.* Friderico I. cæſari erant graviſſimæ inimicitiæ cum Normannis, at deficiente familia regia, Conſtantia tantum ſupererat monialis, pene annis 50 nata; curavit cæſar matrimonium iniri inter filium Henricum & Conſtantiam. GOEBEL. Tancredi, filiorum numero celebris, gnatus natu minimus *Rogerius* cognomento *boſſus*, ad fratrem Robertum, virtutis bellicæ ejus æmulus, & ſæpe cum ipſo deinde ſimultates fovens profectus eſt, ipſique belli ſocius, ſua inprimis virtute Saracenis Siciliam eripuiſſe fertur. Filio ejus ex priori matrimonio mortuo, ſecundi thori filius in paternas ſucceſſit terras, ſed augendorum finium cupidiſſimus, *Guilielmo* conſanguineo ad Græcam profecto ſponſam, quæ ſub illo in Apulia & Calabria erant, invaſit. Dehortatus quidem eum eſt a propoſito Caliſtus II. ſed admonitiones pontificiæ in Rogerium nihil valuerunt, igitur arma in refractarium torquere molitus; ſed fata tantis eum auſibus ſuperſtitem eſſe noluerunt, atque ſic conamina in ſucceſſorem tranſmittere coactus fuit, qui ſe Rogerii viribus imparem videns, quanquam omnia etiam anathematibus antea tentaſſet, ut accepto ducali vexillo ſibi juramentum fiduciarium præſtaret, cum eo pactus eſt. Non autem ducis Calabriæ & Apuliæ elogium adhibuit, niſi poſt mortem Guilielmi, qui & imperatoriæ filiæ nuptiis & paternis territoriis excidens, apud principem Salernum ſibi affinitate junctum mœrore contabeſcens, in flore ætatis evanuit. Poſtea Rogerius II. ſi TELESINO ABBATI fides habenda, procerum ſuorum efflagitationibus ſatisfacturus, anno MCXXIX. Panormi ſe regem ungi paſſus eſt. Anno proxime inſequenti Anacletus pontifex recenti huic dignitati applauſit. ALEXANDER ABBAS TELESINVS autor coætaneus *paſſim.* ANONYMVS CASSINENSIS *ad ann.* 1127. *CONTINVAT. chron. Caſſin. lib. IV. c.* 96 THOMAS FACELLVS *de rebus Siciliæ decad. poſter. lib.* 7. *c.* 3. FELINVS SANDEVS *epit. reg. Siciliæ & Apuliæ c.* 8. HVGO FALCANDVS *de Siciliæ calamitatibus* ſub initium. CAMILLVS PEREGRINVS *in hiſtoria principum Longobardorum.* SVMMONTE *lib.* 1. FRANCESCO CAPECELLATO *hiſtoria del regno di Napoli lib.* 1. Dubium eſt, an adhibuerit *regis utriusque Siciliæ* titulum Vid. BRENCMANNI *differt. alt. de Amalphi a Piſanis direpta p.* 47.

Diplomata hujus regis, quæ apud VGHELLVM reperiuntur, non niſi *Siciliæ*, aut *Siciliæ & Italiæ* regis titulum referunt, *tom. VI. p.* 479. *tom. VII p.* 77. *tom. IX. p.* 152. 477. Rogerius in tutandis Siciliæ juribus adverſus pontificem Romanum ſtrenuus fuit. Hinc pati noluit, ut Urbanus legatum Robertum epiſcopum Trainenſem ad exſequendum jus Romanæ eccleſiæ, ut ajebant, mitteret, ſed papa ſuffragari neceſſe habuit, ut legatio beati Petri ad Rogerium ejusque filium Simonem & alios legitimos hæredes transferretur. ALEXANDER ABBAS TELESINVS, *tom. V. ſcriptor. Italic. p.* 602. ubi Urbani bulla refertur. Antequam vero hic ſcriptor anno 1578 curante ZVRITA prima vice in lucem prodiret, eam jam tum THOMAS FAZELLVS *in decad. hiſtor.* ediderat. Hunc illam privilegiorum & jurium Siciliæ compilationi, quæ ſub *capitis brevii* titulo JO. LVCAM BARBERIVM autorem habet, debere, GVNDLINGIO *part. V. Gundl. c.* 3. §. 5. *de monarchia Siciliæ* videtur. *Rogerio exſtincto*, filio ejus Guilielmo regium impoſitum eſt diadema, poſt quem Henricus VI Conſtantiæ, Rogerii II filiæ poſtumæ maritus, rem Neapolitanam & Siculam regere debuiſſet. Sed præripuit ipſi regnum *Tancredus*, Rogerii ducis filius naturalis, & Rogerii regis nepos, comes Leucenſis, aſtutiſſimi ingenii homo, novorumque cupidus, qui papæ & procerum quorundam, peregrinam in odio habentium dominationem, ſtudiis in Siculum elatus eſt ſolium, HVGONIS FALCANDI *hiſt. Sicula p.* 169. *tom. VII. Scrip. Ital.* CHRON. FOSSÆ NOVÆ *p* 877. 878. RICHARDVS *de S. Germano p.* 972. *ſeqq.*

Obiter moneo, dubium valde eſſe, quod PAND. COLLENVTIVS *lib. II.* tradit, Tancredum brevi ante patris mortem per ſubſequens fuiſſe legitimatum matrimonium. Tancredus quidem poſteritati ſuæ regnum aſſerere voluit, utrique filio diadema ſucceſſive procurans; ſed primo ante ſe extincto, altero poſt patris mortem ſuperſtite, ab *Henrico VI* & oculis & purpura privato & in monaſterium detruſo, res proſpero caruit eventu. OTTO DE S. BLASIO *c.* 41. Summa rerum itaque ad Henricum VI. pervenit, qui filium Fridericum II. in utroque regno ſucceſſorem habuit, quem filius *Conradus*, alienatos in ordinem redigere probe callens, excepit. Hoc denato *Manfredus* Friderici II. nothus, terras illas *Conradino* filio ejus impuberi detrahens, rerum potitus eſt: ſed a Carolo Andegavenſium duce, qui papæ ſtudiis in Italiam, ad invadendas Siciliæ & Neapolis terras, allectus, & vita & regno privatus eſt. SALLAS MALASPINA *apud* BALVZIVM *in miſcell. tom. VI.* Nec melior *Conradini*, avita territoria vindicaturi ſors fuit, qui poſt acceptam cladem ex fuga ad Carolum pertractus, in publico loco, una cum Friderico Auſtriæ duce, gentis ſuæ ultimo, ſuadente papa, capite plexus eſt. SALLAS MALASP. *lib. IV. c.* 16. RICOBALDVS FERRARIENSIS *in hiſtoria imperator. p.* 1181. Antequam amputatum habuit caput, ipſum Petrum Arragoniæ regem Manfredi generum per chirothecæ jactum, ſuum dixiſſe hæredem, tradunt. CONTINVATOR MARTINI POLONI p. 1224. Verum, quæ de jactu aut traditione chirothecæ in manus Walburgiorum cujusdam, ut eam ad Arragoniæ regem, tanquam traditionis terrarum ſibi debitarum ſymbolum deferret, non abſque ratione dubitat GUNDLING. *in monitis ad Conradini hiſtoriam ſpectantibus.* Maximum profecto pro negante ſententia eſt argumentum, quod ipſe *Petrus*, ex Siculis veſperis ad inſulam illam occupandum audacior, nunquam ad Conradini traditionem, ſed ad jus conjugis ſuæ provocaverit. Vid. RAYNALD. *in contin. ann. Baronii.* NICOL SPECIALIS *rer Sicul.* apud. BALVZ. *in Marca Hiſpanica p.* 602. *ſeqq.* Num facinus hoc, quo, jubente Carolo, tanti ſanguinis principes uterque juſtum bellum gerentes capite truncati, eo excuſari poſſit, quod Conradinus Caroli

perio unire ſtuduerit Henricus ille cæſar. Ea de re, in collectione magni Chronici Belgici, quam PISTORIVS edidit, Joannes neſcio quis monachus ita diſſerit. *Imperator Henricus videns regnum Alemannia & imperium Romanum propter frequentes mutationes imperatorum multa mala perpeſſum, priusquam vota principum in perſona imperatoris poſſent convenire, ordinavit: ut amplius electio non fieret, ſed per ſolam ſanguinis ſucceſſionem imperium conferretur, ita ut, qui propinquior imperatori eſſet, imperator fieret. Ut autem Henricus a filio ſuo Friderico, quem de Conſtantia uxore ſua habuit, ſumeret exordium, REGNUM SICILIÆ & CALABRIÆ, & ducatum APULIÆ, & principatum CAPUÆ, quæ filius ejus ab avis hæres acceperat, Romano imperio univit, ut perpetuo terrarum iſtarum unus dominus eſſet.* De ſtudio Henrici, hereditariam ſucceſſionem cæſarum revocandi in uſum, meminit nonnihil & GOBELINUS PERSONA *in Coſmodromio*, addens irritum redditum negotium, quod *Saxonici principes adverſati fuerint*: de unione autem Siciliæ cum imperio ſilet. Non eſt tamen vero abſimile & hoc. Certe niſi ab initio hereditaria quaſi *obtinuiſſet ſucceſſio* (a) cæſarum regumque noſtrorum, non tot

ſummum belli prætorem, ſub regiis indumentis pro rege fallentem, in prælio ad *Tagliocozzam* captum, in caſtris capite mulctari juſſerit, ut autor eſt SALLAS MALASPINA. *c.* 9. *p.* 302. apud BALVZ. *tom.* 6. *miſcell.* dubito. Differentia enim in eo eſt, (1) quod Jacobus de Gaucelmo, calente adhuc pugna, capite mutilatus ſit. (2) Verendum, ne hic occaſionem elabendi reperiret, & ſic prælium ſuorum, quod poſt ejus captivitatem inclinare cœperat, reſtitueret. (3) Fama quadam opus erat, regem periiſſe. (4) Inter Jacobum illum & principes, in ſpem tantarum regionum natos, ſumma erat diſcrepantia, & jus retorſionis, ſi juſte fieri queat, æqualitatem poſtulat. (5) Conradinus a Longobardorum comitibus incitatus, cum tempus deliberandi idoneum non haberet, &, ut eorum ſuffragiis morem gereret, ejus requirere viderentur rationes, juſſa illa ſeveriora dedit. Carolus autem inermes illos juvenes, cum amplo deliberandi ſpacio, in poteſtate habuit. (6) Quod ſummum eſt, Conradini bellum juſtum, Caroli impium erat, quod Jacobus ille ignorare non potuit. Nec conjectura, Conradinum de Carolo non aliter ſtatuturum fuiſſe, ſi illo potitus eſſet, truculento huic facinori apologiæ loco eſſe poteſt. Dubium enim adhuc valde eſt, an ſi tali modo, ut Conradino contigit, in hujus veniſſet poteſtatem, totque principum, ut Carolum ſalvum eſſe ſineret, fatigatus eſſet precibus, ac Carolus, ut nihil in Conradum & Fridericum ſtatueret, cervicem ejus carnificis ſubjeciſſet ſecuri. Deinde ſi hoc accidiſſet, illud in Conradino magis adhuc excuſari potuiſſet, cum in avitarum ſuarum terrarum detentorem & direptorem contumacem, tot ſanguinis profuſi cauſam, tam ſevere ſtatuiſſet. Rationes politicæ, nullo æquitatis & juſtitiæ fundamento innitentes, hic attendi nequeunt. *TACITE avec les notes de AMELOT DE LA HOVSSAIE part.* 1. *p* 48. Legenda ſunt, quæ de crudeli hoc Caroli facto Henricus eremita ad Robertum ejus nepotem ſcribit, apud NICOLAVM SPECIALEM *in hiſtor. Sicilia.*

1. *Pervenit tandem Neapolitanum regnum ad Arragonios.* Joanna enim, poſterior Caroli III. filia, poſt fratris Ladiſlai mortem, regens, Gallicæ ſtirpis ultima, Alphonſum Arragoniæ & Siciliæ regem adoptavit, qui deinde cum Renato Andegavenſi, Ludovici, cui papa regnum Neapolitanum contulerat, fratre, bellum geſſit. Renatus enim Joannæ ultimo innitebatur elogio, Alphonſus vero tabulas illas falſas eſſe dicebat, & ad adoptionem Joannæ provocabat. Ancipiti fortuna bellum, dum Alphonſus Neapoli potiretur, geſtum eſt. Pacatum deinceps regnum in filium ſuum naturalem Ferdinandum tranſtulit, cui Joannes Renati filius, eodem cum patre nitens jure, bellum obinde intulit. Varia illud ductum fortuna, usque dum Joannes, Scanderbegi potiſſimum auxilio, ſuperatus regnoque expulſus ſit. MARIANA *de rebus Hiſpan. lib.* 21. *c.* 17. *HVBERI hiſtoria civil. part.* 2. *lib.* 1. *ſect.* 2. *c.* 5. *LVNIG. C. I. D. p.* 1235. *ſeqq.* Everſio huic regno a Gallis, Andegavenſis prætenſioni incubantibus, vivo adhuc Ferdinando ſed ſene admodum, Ludovici Mori Mediolanenſis ducatus uſurpatoris potiſſimum artibus, parabatur. Alphonſus Ferdinandi filius, quod ipſe & pater crudeliter ſatis imperaſſent, ſe Neapolitanis parum acceptum ſciens, regno in filii Ferdinandi, populo gratioris, favorem ſe abdicavit &, Siciliæ ad Mazaram monaſterio mancipavit. Sed hæc regis mutatio triſtia, quæ Ferdinandi ſtirpi imminebant, fata non correxit. Nam Galli, ſub Caroli VIII. auſpiciis regno armis, viris, opibus longe firmiſſimo ſine ſanguine, ſine vulnere potiti ſunt. *Sed Gallorum gens parandis quam conſervandis regnis aptior*, non celerius, aut minori negotio Neapolim acceperunt, quam inde expulſi ſunt. *Memoires de COMINES liv.* 7. 8. Ferdinandus enim, poſtquam mirifice a fortuna exagitatus erat, Hiſpanis & Venetis ipſum inprimis adjuvantibus, Gallis patriam repetentibus fœdere contra eos icto territis, avitum recuperavit regnum. Verum brevi poſt ex intemperantia & frequentioribus, quam par erat, amplexibus, quibus novæ nuptæ indulgebat, graviſſimum contraxiſſe fertur morbum, ex quo in medio juventæ flore, nulla relicta prole, exſtinctus eſt. Eo mortuo Fridericus patruus, vir mitis admodum ingenii, a Neapolitanis rex ſalutatus: ſed breviter admodum regia gaviſus eſt dignitate. Clam enim agebant Ludovicus XII. & Ferdinandus Catholicus, qui ſub ſpecie conſanguinei regis calidiſſime fallebat, de dividendo Neapolitano regno conſilia, atque in fœdere hunc in finem icto erat, ut ipſa Neapolis cum Campania, Samnio, Marſis ac Pelignis, Galli Brutii, Lucani atque Apulia omnis Hiſpano cederent. Hisce imparem ſe videns Fridericus, ſe Ludovici permittere clementiæ decrevit: ſed a Ludovico non, ut ſperaverat, habitus, ingenti inde dolore concepto, non multo poſt morbo interiit; filius autem ejus, qui *Tarentum* munitiſſimum locum ea Hiſpanis dediderat lege, ut ei cum rebus ſuis libere, quo vellet, abire liceret, contra fidem datam in Hiſpaniam deportatur. Initio libertatis umbra gaudebat, poſtea autem cum, ipſum ad Gallos parare aditum, manifeſtum fieret, in captivitatem ductus, in qua delituit usq; ad Caroli V. tempora, quo regnante inde eductus, regiam, quam ipſi offerebant alienati Hiſpani, dignitatem ſpernens, ab imperatore libertatem & regiam conjugem, ſed ſterilem, cum lautiori vita nactus eſt. Verum enim vero *Gallorum & Hiſpanorum in Neapolitano regno haud diuturna fuit concordia*; bello namque occaſionem lites de vectigalibus quibusdam præbuerunt. Secunda ab initio Gallis favebat fortuna; ſed mox adverſa ipſos urgere cœpit. Conſalvi enim, ſummi Hiſpanicarum copiarum prætoris, inprimis virtute Hiſpani, quas in regno Neapolitano occupaverant, ditionibus Gallos exuerunt. Et ex hoc tempore Neapolitani ſub Hiſpanorum, licet nonnunquam mutantes, permanſerunt imperio. *FACCIVS de rebus geſtis Alphonſi ac ipſius regni Neapolitani acquiſitione.* Conf. *ANTON. MARIA GRATIANVS de caſibus viror. illuſtr. c. de Arragoniis regibus. Hiſtoire de Louis XII. par IEAN d' AVTON, HVBERVS in hiſtoria civili. Hiſtoria del regno di Napoli da GIOV. BATTIST. CARAFFA Part. X. & da ANGELO DI CONSTANZO* paſſim. *Le rivolutioni di Napoli deſcritte da ALESSANDRO GIRAFFO.* Summo jam hoc regnum auguſtiſſimus imperator CAROLVS VI. poſſidet jure, quod ipſi per Badenſem confirmatum eſt pacem. Hoc thema infra pertractabimus.

(a) *Obtinuiſſet ſucceſſio*) *C. A. M.* Hæc in Ottonibus & regibus Franciæ Salicæ ſtirpis primum obtinuit. De hiſtoria Neapolitana præ ceteris conf. PANDVLF. COLLENVTIVS. Eſt enim ſcriptor doctiſſimus, cui addi poteſt JOVIANI PONTANI *hiſtoria regni Neapolitani* & quæ de Alfonſo Arragoniæ rege commentatus eſt ANTON. PANORMITA. GOEBEL. COLLENVTIVM ex italico idiomate in latinum tranſtulit ſermonem STVPANVS. Italicæ editioni, latina præſtantiori, TOMASO COSTO notas addidit. Quod autem ad ipſum Collenutium attinet, recte GVNDLINGIVS judicat, ipſum erroribus fabuliſque admodum eſſe obnoxium, in quo BAYLIVM alioſque rerum peritos habet conſentientes. Obiter hic notare liceat, SPI-

regna in unum reipublicæ corpus coaluiſſent: nec inutile fuiſſet Henrico, ea quaſi permutatione in familiam ſuam jus hereditarium cæſareæ dignitatis transferre.

13. Quicquid vero hujus ſit, id conſtat, ab Henrici usque III. cæſaris ætate terras illas nobiliſſimas in ditione fuiſſe Normannorum magis, quam cæſarum; hos tamen perpetua contradictione imperii jura integra tunc ſervaſſe, nemo merito negaverit.

CAPUT XII.

Burgundiæ & Arelatenſe regnum per injuriam in terris Germanico imperio debitis enatum, eidem rurſum perpetui fœderis lege ſociatum eſſe, idque qua ratione ſit factum.

1.

De Italia & cæſarea dignitate quemadmodum ad Germanos devenerit, propagata ad Fridericum usque II. poſſeſſione, ſatis eſt dictum. Venimus ad id, quod reliquum fuit quondam Lotharii cæſaris. Ejus filius Carolus Provinciæ ſive Galliæ Narbonenſis cis Rhodanum egit regem. Si aliis credimus, ceſſerunt eidem & *Burgundiæ minoris* (a) nonnulla. Verum Carolo mortuo hæc quidem Lotharius Lotharingiæ rex, illam vero Ludovicus cæſar, ſuperſtites fratres quaſi hereditario jure creverunt. Jam tum audivimus *cap. VII.* quemadmodum Burgundica illa, quaſi portiones Lotharingici regni, initio Ludovicus Germanicus & Calvus patrui diviſerint inter ſe, inde vero omnia ad Ludovicum, Ludovici Germanici filium, devenerint.

2. Ludovico cæſare Lotharii filio mortuo, ut Italiam cum cæſarea dignitate, ita & Provinciam ſolus Calvus, fratri Ludovico Germanico majori natu præripiens, per injuriam occupavit; ſed ita, ut novum ibi regnum vana inflatus ambitione conderet. Unus apud illum omnia pene aliquamdiu potuerat Judithæ uxoris frater *Boſſo* (b) aut Boſo dictus: hunc Provinciæ regem creavit. Ea de re REGINO ad *annum DCCCLXXVII. Carolus ſenior Romam ſecundo profectus eſt, ubi jam pridem imperatoris nomen a præſule ſedis apoſtolicæ Joanne ingenti pretio emerat. Ab urbe Roma in Longobardiam reverſus, Boſoni Hirmingardam, filiam Germanichildis reginæ & Ludovici imperatoris, in matrimonium jungit. Dedit inſuper eidem Boſoni Provinciam, & corona in vertice capitis impoſita eum regem appellari juſſit. Ut more priſcorum imperatorum regibus videretur dominari.* ÆMILIUS narrat, Boſonem ad regium nomen amplexandum ab uxore Hermengarde majoribus Auguſtis tumida, *quod negaret jucundam ſibi vitam fore, niſi virum regem amplecteretur*, fuiſſe incitatum. Addit: *Calvus quoque Auguſtus, ut non duces modo ſed & reges crearet, eisque jura dicere, uxoris fratrem Provinciæ regem appellat, quæ Hermengardæ illius uxoris patri avoque Auguſtis paruiſſet: ita facilius & ſanctiore jure minorique invidia Provinciam ad Francorum imperium redituram.* Haud negaverim, tale aliquod conſilium animo Calvi ſediſſe, obſervans, illum quidem faſtum in Calvo ab ANNALIBUS etiam FULDENSIBUS ad *annum DCCCLXXVI.* notatum: *Carolus rex de Italia in Galliam rediens, ut majorem ſuæ mentis elationem oſtenderet, ablato regis nomine, ſe imperatorem & Auguſtum omnium regum cis mare conſiſtentium, appellari præcepit.*

3. Hæc ſunt prima initia novi illius regni, quod ARELATENSE *a regia primaria ſede* (c) ſolet nuncupari. *Boſonem* tamen nihilominus non alio, quam *comitis titulo* frequenter ſcriptores illius temporis appellitant, quaſi regii nominis invaſorem eum habentes. Ille vero altiora etiam tentare non dubitavit, uxorii forte juris prætextu. Nam & cum papa Joanne Italiam intravit, regni illius occupandi cauſſa, anno 878. ut habent annales, ſpe licet fruſtratus, & ſequente anno Ludovico balbo defuncto *Burgundiæ* ſe *regem* dixit. Ea de re ſic ÆMILIUS:
„Erant nobiles inimicitiæ inter Boſſonem & Theodoricum, quod uterque Eduenſium comitatum
„ſuum eſſe diceret: eoque usque contentiones exarſere, ut Boſſo a pontifice Lugdunenſium regiis

NELLI *ephemerides Neapolitanas*, quæ tom. VII. *Script. Ital.* habentur, ad Conradini tempora non pertingere. PONTANI libellus minoris eſt pretii.

(a) *Et Burgundiæ minoris*) C. A. M. Burgundi populi erant Germani & occuparunt partem Galliæ, quæ hodie dicitur Burgundia. Quæ trans Rhodanum, dicitur *Burgundia major*, quæ cis Rhodanum, *Burgundia minor*. Ad poſteriorem etiam pertinet *Burgundiæ comitatus*, quem Hiſpanus poſſidet, ſed ita, ut nomine illius loci cogatur agnoſcere ſupremum Cæſarem. Ducatum Burgundiæ trans Rhodanum hodie tenet Galliæ rex, de quo jure Hiſpanus diſputat, & quidem non male. GOEBEL. Hodie & Burgundiæ comitatus, ex Neomagenſi pace, ad Gallos ſpectat. Burgundiæ ducatum, Carolo audace in pugna adverſus Helvetios Lotharingosque ſublato, ſub fabulæ legis ſalicæ prætextu invaſerunt, cum tamen per ſequioris ſexus jus Galliæ ſit unitus, & deinde a Joanne rego ob Anglicam captivitatem celebri, Philippo filio datus.

(b) *Boſſo*) C. A. M. De Boſſo memorant illius ævi ſcriptores, ipſum propriam ſuam uxorem veneno intereiniſſe, ut Hirmengarde potiretur. Vid. ſupra cap. 9. GOEBEL. Carolus Calvus Boſoni, comitis Bovinenſis filio, affini abbatiam S. Mauritii Vallacenſem, ex more illo tempore recepto, confert, deinde Viennenſi urbi præficit, & filii Ludovici Balbi juventutem ipſi regendam committit. Nec minus eum de Biturigum comitis Gerardi terris inveſtit, ipſumque in Guiennenſi principatu regendo ſuas habere vices voluit, unde nonnullis autoribus *Principis Guiennenſis* nomine venit. A Carolo calvo ſurreptum imperium & Italiæ regnum ipſi Italiæ vicarii & *magni magiſtri ſacri palatii* titulum procuravit. Primam conjugem ejus *Engeltrudem*, Matefredi Aurelianenſium comitis filiam, ab ipſo veneno ſublatam ferunt, ut ſibi *Hermengardem* Ludovici II. imperatoris filiam, matrimonio jungeret, quo forte majori prætextu ad regiam aſpirare dignitatem poſſet. Regem Provinciæ ipſum anno 876. conſtituere, Carolo placuit, ut imperator regem ſub ſe haberet. Burgundiam quoque poſtea invaſit Boſo, ipſique anno 879. ab Aurelianenſi archiepiſcopo diadema impoſitum eſt. Sed magna terrarum, quas injuſte detinebat, parte a Ludovici balbi filiis privatus, ut reliqua ſalva haberet, ad juramentum fiduciarium, Carolo craſſo Wormatiæ anno DCCCLXXXII. præſtandum, confugit. Poſt quæ tempora ejus penes ſcriptores antiquos non amplius ſit mentio. Filium ejus Ludovicum Provinciæ regem a Carolo adoptatum eſſe, ferunt; ſed adoptionis illius nullus haud dubie fuit effectus. Vid. *Hiſtoire de la Bourgogne par du CHENE tom. I. lib. 2.*

(c) *A regia primaria ſede*] GOEBEL. *Les antiquites & recherches des villes &c. de France par* DU CHENE *t. 2. p. 293.*

„gii inſignibus ornaretur ſacrareturque, ac rex non Provinciæ modo, ſed & Burgundiæ declara„retur, ipſe primum, deinde Ludovicus ejus filius. Et Richardus, Theodorici filius, item ſe regem „Burgundiæ dictitabat, quod *Edua*, quam ſibi vindicabat, Burgundiæ caput eſſet. Paulo poſt de filiis Ludovici Balbi: *Boſſonem ejusque filium Ludovicum Provinciæ finibus continere ſe cogunt.* De hoc novo Boſſonis conatu operæ fuerit pretium, audire etiam differentem REGINONEM ſcriptorem pene σύγχρονον „Anno dominicæ incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo nono. Boſo, de „quo paulo ſuperius mentionem fecimus, audita morte Ludovici (balbi ſcilicet) a Provincia egre„ditur, totamque Burgundiam occupare nititur. Denique nonnullos epiſcopos, partim minis, „partim ſuaſionibus, in ſocietatis fœdera colligit, & *Lugdunum* ingreſſus, ab *Aureliano* ejusdem „urbis metropolitano, & aliis pontificibus in regem ſuper præfatum Burgundiæ regnum inun„gitur, pro nihilo ducens adoleſcentes filios Ludovici, & velut degeneres (*filii nothi nempe erant Ludovici balbi*) „deſpiciens, eo quod juſſu Caroli eorum genitrix ſpreta atque repudiata fuerit. „Quæ res attulit illi magis continuum odium ac periculorum diſpendium, quam gloriæ & digni„tatis emolumentum. Siquidem jam dicti adoleſcentes Ludovicus & Carolomannus, induſtria „ac ſtudio *Hugonis abbatis* & aliorum procerum in regnum ſublimati, & eundem Boſonem die„bus vitæ ſuæ omni inſtantia ſunt perſecuti. Nec ſolum illi, verum etiam alii reges Francorum, „per ſuccedentia tempora adeo graviter nomen ejus tulerunt atque exoſum habuerunt, ut inre„cuperabili ejus dejectione & mortis exitio, non modo principes ac duces, ſed etiam eorum ſa„tellites ſacramentis & execrationibus obligarentur. Fuit autem tam perſpicacis ingenii, ut cum „a multis, ut dictum eſt, regibus & regnis aſſidue infectatus ſit, a nullo tamen aut capi aut cir„cumveniri aliquando potuerit: tantæ moderationis, ut, cum ſibi faventes proſcriptionibus da„mnarentur, bonisque omnibus privarentur, nunquam inſidiis ſuorum militum fuerit petitus, ne„que fraude proditus, cum utrumque hoſtes ſæpe ſperaſſent.

4. Hæc omnia REGINO. Diſcere vero hinc eſt, Boſonem invaſiſſe etiam nonnulla, quæ Carolo calvo ex Lotharingiæ regno obvenerant, & deinde filiorum Ludovi balbi ceſſione Ludovico, Ludovici germanici filio, debebantur: ut Lugdunum & Viennam. Et vero hinc ſine dubio hoſtem quoque nactus eſt Boſo Ludovicum illum regem noſtrum, qui eum anno DCCCLXXX. bello perſecutus eſt, ut tamen ille *Vienna* (a) urbe ſe tutaretur, quod eſt in annalibus Fuldenſibus. Iidem annales ad annum DCCCLXXXVII. *Mortuo Boſone, parvulus erat ei filius de filia Ludovici Italici regis. Quem imperator Carolus craſſus ad Rhenum villa Chiricheim veniens obviam, honorifice ſuſcepit ad HOMINEM, ſibique adoptivum filium eum conjunxit.* Itaque Ludovicus Boſonis filius reconciliatus procul dubio regi noſtro Craſſo, & regnum ejus feudi legibus juris Germanici factum eſt. Neque vero vel ab *Arnolpho* (b) ſucceſſore quidquam in illum inclementer actum. Imo de illius matre diſerte annales ad annum DCCCXC. *Ibi ad eum filia Ludovici Italici regis, vidua Boſonis tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorifice ſuſcepta ac ad propria remiſſa eſt.* Num tamen præter Provinciæ regnum aliquid *Burgundiæ* (c) Ludovico illi Boſonis filio obtigerit, haud certo dixeris, in alto monumentorum antiquiorum ſilentio. Veriſimilius eſt, ſponte reddita, vel certe erepta, ſi non omnia, ſaltim pleraque, per novum Burgundiæ regnum: quo de nunc etiam aliquid dicendum eſt.

5. Cum anno DCCCLXXXVII. a ſuis per ſummum nefas deſertus, omni dignitate excidiſſet Carolus imperator, pauloque poſt obiiſſet, præbita eſt occaſio ſolvendi prope omnis Francorum imperii. REGINO prudenter *ad annum* DCCCLXXXVIII. „*Poſt Caroli mortem* (d) regna, quæ

(a) *Vienna*) C. A. E. AVENTINVS *l.* 4. recte notat, Viennam imperatori Carolo craſſo, Wormatiam ad conventus agendos profecto, deditionem facere coactam, Boſonis uxore & filia captis. Idem de Hirmintrude vidua refert: *Mortuo Boſone conjuge, Ludovicum filium impuberem ad Auguſtum deduxit, eidemque illum commendavit. Qui liberis carens, puerum ſobolem juſtam Auguſtorum, nepotem Ludovici II. cæſaris Auguſti, patruelis ſui, cognatum ſuum, apud Kirchaum pagum Rheni adoptavit, hæredem atque ſucceſſorem deſignavit.*

(b) *Arnolpho*) C. A. E. AVENTINVS refert, Arnolphum Ludovico Boſonis filio Galliam Narbonenſem in fidem conceſſiſſe, Hugone e Francia oriundo Arelatenſi præfecturæ præfecto. Fuit autem ille Hugo Lotharii comitis Provinciæ filius, Lotharii regis Lotharingiæ nepos, imperatoris Lotharii pronepos, Ludovici pii abnepos, Caroli magni adnepos: ut recte ſcribit ONVPHRIVS. Ludovicum autem Boſonis illum filium poſt ad Italiæ regnum ab Italicis nonnullis evocatum Berengarius Veronæ cepit & oculis privavit: quod memorat LVITPRANDVS. Hugo etiam infelici ambitione Italicum regnum petens, ſua Arelatenſia perdidit.

(c) *Burgundia*) C. A. E. AVENTINVS teſtatur, viduam Boſonis in conventu Wormatienſi ab Arnulpho cæſare pro filio ſuo *Burgundiæ quasdam urbes impetraſſe.* REGINO *ad annum* 849. *Soluto conventu Wormatienſi, cum Loraham idem princeps Arnolphus veniſſet, Ludovico filio Boſonis, matre Hirmintrude interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rudolphus (qui ſeſe in Burgundia regem extulerat) tenebat, dedit. Sed & hoc ei in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rudolphi eripere potuit.*

(d) *Poſt Caroli mortem*) *C. A. M.* Inculcat ibi Regino prudens monitum. Quandocunque regnum aliquod conſtat civibus generoſi animi, tum impoſſibile eſt, regnum ſervari integrum absque hæreditaria ſucceſſione, niſi eligantur exteri. Habemus exempla in Dania. Deficiente ibi familia regia, coacti ſunt petere peregrinum, nempe Chriſtiannm I. ex familia Oldenburgica. Ita & Poloni petierunt ſibi reges peregrinos, deficiente ibi familia Jagellonica, (1) Valeſium Gallum, (2) Stephanum Hungarum. (3) Sigismundum Suecum. Niſi igitur unanimi conſenſu eligatur rex, tum regnum in partes diſſolvitur. Idem accidit etiam regno Germaniæ. Carolus craſſus enim habebat ſucceſſorem *Carolum. Simplicem, ſed cum ille ſtupido ingenio præditus, ad capeſſendum regnum ineptus*, alium coacti eligere, nempe Arnolphum hominem ſpurium. GOBBEL. Familia Piaſtea exſtincta, reges a ſtirpe arceſſi deſierunt. Negari tamen nequit, in ſtirpe Jagellonica reliquias quasdam ſucceſſionis fuiſſe ſuperſtites. Ut autem omnis deinde ſucceſſionis ſpecies plane exſularet, ſanctio pragmatica facta, ne vivo rege circa ſucceſſorem aliquid tentaretur. Vide plura apud HARTKNOCH *de republ. Polonia lib. II. c.* 1. *p.* 228. *ſeqq.* Qua ratione a Chriſtiano I. Danica ſceptra in familiam Oldenburgicam translata ſint,

„quæ ejus ditioni paruerant, velut legitimo deſtituta herede, in partes a ſua compage reſolvuntur, etiam non naturalem dominum præſtolantur, ſed unumquodque ſuis viſceribus regem ſibi „creare diſponit. Quæ cauſa magnos bellorum motus excitavit: non quia principes Francorum „deeſſent, qui nobilitate, fortitudine & ſapientia regnis imperare poſſent; ſed quia inter ipſos „æqualitas generoſitatis, dignitatis ac potentiæ diſcordiam augebant, nemine tantum cæteros præ„cellente, ut ejus dominio reliqui ſe ſubmittere dignarentur. Multos enim idoneos principes ad „regni gubernacula moderanda Francia genuiſſet, niſi fortuna eos æmulatione virtutis in perni„ciem mutuam armaſſet. Cum hiſce ſubjunxiſſet Regino, quemadmodum Italiam Berengarius & Guido, Galliam Odo regia auctoritate occupaverint, pergit in hunc modum, „Per id tempus „*Rudolphus filius Chunradi*, (a) minoris Burgundiæ comitis, nepos Hugonis abbatis (de quo ſupra „meminimus) Provinciam inter Juram & Alpes Penninas occupat, & *apud ſanctum Mauritium* (b) „accitis ſecum quibusdam primoribus & nonnullis ſacerdotibus, coronam ſibi impoſuit, regem„que ſe appellare juſſit. Poſt hæc mittit legatos per univerſum regnum Lotharii, & ſuaſionibus „pollicitationibusque epiſcoporum ac nobilium virorum mentes in ſui favorem demulcet. Quod „cum indicatum eſſet Arnolfo, illico cum exercitu ſuper eum irruit. Ille per arctiſſima itinera „fuga dilapſus, in tutiſſimis rupium locis ſalutis præſidium quæſivit. Omnibusque diebus vitæ „ſuæ Arnolfus & Zuentiboldus filius eundem Rudolphum perſecuti ſunt, nec tamen eum læde„re potuerunt, quia, ut ſupra expreſſum eſt, loca inacceſſibilia, quæ ſemitis tantum pervia ſunt, „inſequentium confertas acies procul ab ingreſſu repellebant. Idem REGINO *ad annum* DCCCLXXXXIV. de Arnolpho ex Italia cum exercitu revertente: „Inde converſus per Alpes „Penninas Galliam intravit, & S. usque Mauritium pervenit, Rudolfo, quem quærebat, nocere non „potuit, quia Montione confidens in tutiſſimis locis ſe abſconderat. Regionem inter Juram & „montem Jovis exercitus graviter attrivit. Paulo poſt: „Soluto conventu Wormacienſi cum „Loraham idem princeps Arnolfus veniſſet, Ludovico filio Boſonis, matre Hirmingarde interve„niente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rudolfus tenebat, dedit. Sed & hoc ei „in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rudolphi eripere potuit. Hæc ita Regino.

6. ANNALES autem FVLDENSES *ad annum* 888. ſcribunt: *Rex Arnolfus contra Rudalfum Eliſaciam progreditur, unde ad eum miſſo Alemannico exercitu*, (c) *ipſe per Franciam Bajowariam reverſus eſt. Rudolfus enim, inito conſilio cum primoribus Alemannorum, ſponte ſua ad regem urbem Ratisbonam usque pervenit, multaque inter illos convenienter adunata, ipſe autem rex cum pace dimiſſus, ſicuti venit, ad ſua remeavit.* HERMANNVS etiam CONTRACTVS ad *eundem annum*: *Arnulfus Italiam Burgundiamque ſuo regno ſubjicit. FRANCISCVS quoque GVILLIMANVS* (d) recens quidem tamen accuratus veterum rerum ſcrutator & ſcriptor *l.* 3. *Origenum Habſpurgicarum p.* 99. ſcribit, neſcio quo auctore: Anno DCCCXCVI. ad Arnolphum cæſarem ex Italia reverſum & Ratisbonæ regni conventum agitantem Rudolphum quoque acceſſiſſe. *Eo quoque*, inquit, *cum Rudolphus tetendiſſet, ejus quod invaſerat Burgundiæ regni confirmationem denique impetravit.* Claret autem, quæ in annalibus ad annum DCCCLXXXVIII. memorantur, a GVILLIMANNO in annum DCCCXCVI. rejecta: omnia vero a REGINONE multum diſſentire. Num Reginonis aut aliæ illæ narrationes vero magis ſint conſentaneæ, difficile eſt dictu, utpote quum uterque REGINO & Annalium ſcriptor illis plane temporibus vixerint.

7. Id certum eſt, Rudolfi iſthoc novo regno detractum haud parum Germanicis quoque iis, quæ cum diviſione illa ſolenni inter Ludovicum & Carolum fratres anno DCCCLXX. jam in poſſeſſionem Germaniæ venerant, tum ceſſione Ludovici balbi filiorum ei debebantur: adeoque jure merito vel delendum illud regnum fuiſſe, vel in Germaniæ obſequio retinendum. Recte enim de Rudolfo illo GVILLIMANNVS *pag.* 95. *Rudolfus rex Burgundiæ apud B. Mauritii coronatus, continuo in Lotharingiam, Elſatiam, Sequanos miſit, qui reliquos proceres ad partes ſollicitarent, & traducerent. Et* facile

docet MEURSIUS *in hiſtor. Danica part.* 2. *p.* 1. Domeſticum ſibi conſtituere regem haud dubie grave videtur iis, qui ejusdem cum eligendo inter proceres ſunt dignitatis. Quod autem ad Carolum ſimplicem attinet, Carolo craſſo exauctorato, a Germanis, cum tantis rebus impar cenſeretur, neglectus videtur.

(a) *Rudolphus filius Chunradi*] *C. A. M.* Hic eſt ille Rudolphus, qui accepit Burgundiam minorem, & magnam partem Helvetiæ. GOEBEL. Rudolphus fuit Conradi junioris, qui frater erat Hugonis abbatis, filius, Conradi ſenioris, Judithæ uxoris Ludovici pii fratris, ex Adelheide Ludovici pii filia nepos, & Welphonis pronepos. *BLONDELLVS in aſſertione genealogiæ Franciæ p.* 31. 49. 172. 186. 187. *L' abregé chronologique du Pere LABBE ad ann.* 862. 864. *FELLERUS in hiſtoria genealogica domus Brunsvicenſis p.* 47. Conradum juniorem Pariſiorum comitem fuiſſe, aſſerit; a qua tamen ſententia GUNDLINGIUS *in epiſt. ad eum exarata*, quæ *parti XX. Gundling.* eſt inſerta, non ſine ratione diſcedit. Ut alia hujus ſileamus argumenta, ex FULCUINO *de geſtis abbatum Lobienſium c. XII. p.* 734. *tom. II. ſpicileg. Acher.* apparet, Conradum juniorem, cæſo ab eo in prælio Hucberto Abbate, Thietbergæ fratre, qui Burgundiæ parti præerat, Jurenſium & Rhæticarum partium ducem creatum eſſe; quo veterum loca, quæ FELLERUS citat, tendunt. Quis autem crederet, uni tot terrarum tractus, latiſſime a ſe invicem diſſitos, regendos datos, niſi forte dicendum ſit, Conradum, ex quo Jurenſibus & Rhæticis partibus præſidere cœperit, Pariſienſium pagi moderamini valedixiſſe.

(b) *Apud S. Mauritium*) GOEBEL. S. Mauritii abbatia eſt in tractu Cabiloneuſi (en Chablais) Vid. *STUMPF. chron. Helvet. lib.* 4. *c.* 32. *GUNDLINGII diſſertatio de Guelfis & Hohenſtaufiis p.* 110. *part.* 6. *Gundlingianorum.* A Rudolpho Barones de Straitlingen originem trahere, ex *GUILLIMANNO de rebus Helvet lib.* 2. *c.* 12. *FELLERUS l. c. p.* 57. tradit.

(c) *Alemannico exercitu*) *C. A. E. AVENTINVS Lib.* 4. *pag.* 178. narrat, quod a Burchardo Sueviæ duce, ſuo poſt ſocero, juſſu Arnolphi bello preſſus *Rudolphus ſuppliciter colloquium petierit, atque ad imperatorem Reginoburgum perrexerit, Burgundiaque ab eo in tutelam accepta, ſacramentum dixerit, ſe Arnolpho regibusque Francorum perpetuo fidem ſervaturum.*

(d) *Franciſcus quoque Guillimannus*) *C. A. M.* Eſt ſcriptor recens, ſed doctus, gente Helvetius; ſcripſit etiam de *Helvetiæ rebus.*

facile Elſatios & Sequanos perpulit, Luitfrido comiti Altenburgenſi, *& fratri Hugoni ſubjectos aut amicos, tuendoque nepoti* (erat ſcilicet Rudolfus Luitfridi ex Ermentruda nepos) *omnes opes contulerant, aut rurſus imperatoris acerbitate iniquos & offenſos. Lotharingios Arnulfus retinuit, filio Zuendibaldo duce conſtituto. Denique brevi tempore regnum Rudolfus ab Rhodano & Arari ad Rhenum & Urſam perduxit, adeoque firmavit, ut contra utriusque, Arnulfi & Zuendibaldi, incurſiones copias ad arma fortiter ſervaverit, & ad poſteros feliciter transmiſerit.*

8. Sive in gratiam Arnolphi receptus tandem ſit Rudolfus, ſive non: poſt ejus obitum, cum nemo eſſet, qui jura Germaniæ fortiter tueretur, invalidis per Hungarorum excurſiones & bella civilia regum noſtrorum rebus, haud dubie imperii quoque reverentiam Burgundici illi exuerunt. Princeps Henricus auceps anno circiter DCCCCXXIX. ut numerat Sigebertus, *lanceam* (a) *clavis dominicis ſacram* (b) creditam auſus eſt Rudolfo Burgundo alteri extorquere: nihil tamen præterea tentavit. Alter hic patri ſuo anno DCCCCXII. ſucceſſit: quem Æmilius aliique nonnulli præſtantes ſcriptores, cum ejusdem nominis & ætatis ex Burgundiæ duce anno DCCCCXXIII. Francorum rege contra Carolum ſimplicem conſtituto, *perperam eundem faciunt.* (c) *De Burgundo* (d) autem illo ita Frodoardus ad annum DCCCCXXII. *Berengario Longobardorum imperatore, regno*

(a) *Lanceam*) *C. A. E.* Præter Sigebertum etiam Luitprandus l. 4. cap. 12. narrat quædam de illa lancea, quam Henricus auceps Rudolpho Burgundo regi extorſerit, & reddiderit filio Ottoni magno in hæreditatem. Otto quoque FRISINGENSIS *l. 6. cap. 18.* lanceæ illam impetrationem Henrico regi acceptam refert. Cum vero Luitprandus Ottonis magni coævus fuerit, & quamvis forte gente Hiſpanus, in Italia tamen Ticinenſem egerit epiſcopum, rerumque Ottonis fuerit peritiſſimus, facile apparet, perperam GOTFRIDVM VITERBIENSEM, ut alia complura, ita & hoc, referre, quaſi lanceam Otto magnus demum ſit conſecutus ab Hugone Burgundo. Fortaſſe plures tunc ſacræ habitæ lanceæ: una nempe, quæ credita ſit fuiſſe quondam Conſtantini magni, altera, quæ fuerit tributa S. Mauritio. Et vero Luitprandus diſerte illam Henrico aucupi ceſſam Conſtantini fuiſſe ſcribit: Gotfridus Ottoni magno Mauritii lanceam refert oblatam. Etenim ſuo more canit, regem Hugonem, cucullum monaſticum cum indueret, Ottoni magno hoc modo ſua reliquiſſe:

Trado tibi regnum: cunctos depono decores,
At modo noſtra tibi SACRA LANCEA præſtet honores:
Sola mihi monacho vita colenda foret.
Do tibi Vruarium: Lugduni ſede ſedebis.
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, caſtra tenebis.
Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
LANCEA MAVRITII, mea quam tibi dextera tradit,
Eſt caput illorum, quæ nunc mea regna notavi.
Nunc caput imperii LANCEA SANCTA dabit,
Qua dubius Sauna, Rhodanus fluit, eſtque Vienna,
Cis mare Tyrrhenum fuerant Boſonica regna:
Huic ſimul Allobroges & Morienna favent.

Theodoricus tamen *de Niem*, ſcriptor longe recentior libro, cui titulum fecit: *Nemoris unionis tr. 6. c. 31.* hanc etiam noſtram conjecturam reddit dubiam, ita loquens: *Præterea Boſonem regem Arelatenſem pro tunc, qui impias manus in epiſcopum Arelatenſem in nocte ſacratiſſimæ nativitatis Chriſti injicere non verebatur, idem Otto magnus cepit in Gallia, & captivatum totondit, & monachum fieri fecit: a quo etiam SACRAM LANCEAM, quæ magni Conſtantini fuiſſe legitur, acquiſivit: quæ ex tunc unum de imperialibus inſigniis usque ad hæc tempora fuit.* Non ſane, niſi una lancea ſacra Norimbergæ oſtenditur inter imperii inſignia: cujus autem fidei illa ſit, & quando, aut quomodo comparatæ, ad hoc de finibus imperii argumentum non attinet diſquirere. GöBEL. Sacram a Rudolpho perceptam lanceam inter inſignia imperii, quæ Noriberga aſſervat, reliquam eſſe, tradunt. Vid. LUDWIGII *diſſert. de Noriberga inſignium imperialium tutelari. GUNDLING, de Henrico aucupe p. 61.* Quapropter, ſi quam unquam Otto balthico immiſerit ſinui, aliam fuiſſe oportet. Eſt autem, qui lanceam hanc Henrico aucupi exhibuit, Rudolphus II. qui Burcardi Sueviæ ducis hoſtis, deinde gener factus eſt. HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 919. FELLERVS in geneal. dom. Brunſv. p. 61.*

(b) *Clavis dominicis ſacram*) *C. A. M.* Rudolpho, qui auctor regni Burgundiæ, fuit filius nomine Rudolphus, qui ſucceſſit anno 912. Rumor tum erat, penes hunc Rudolphum eſſe lanceam aliquam, quæ confecta eſſet ex clavis crucis dominicæ. Poſtquam hoc percrebuit, creditum eſt, in hoc regno latitare maximum theſaurum. Henricus auceps igitur minatus eſt bellum, niſi redderet lanceam illam. Hinc tum lancea illa inter *κειμήλια* imper. Germ. venit. Imperium enim Germ. habet ſua quædam inſignia, quæ hodieque Norimbergæ aſſervantur. De quibus ſcripſit peculiarem librum GRETSERVS Jeſuita & nuper HöPPINGIVS in libro: *de inſignibus.* Inter illa hodieque oſtenditur lancea ſacra. Quod autem Norimbergæ iſta ſervantur, Sigismundi temporibus cœpit. Alias qui pro tempore præerant imperio, penes illos fuerunt inſignia. Ita & Noriberg. aſſervatur die Kayſerliche Krone. Corona imp. Germ. GöBEL. Conferatur AUGUSTI FRIDERICI DE ZANTHIER *clenodiographia.*

(c) *Perperam eundem faciunt*) GöBEL. Burgundia inferior, ex Ludovici pii tempore ſuos habuit rectores. Chenio docente, Ludovici illius & Caroli calvi tempore Hugo, Caroli M. filius naturalis, Burgundiæ ducis titulo uſus eſt, quem ob abbatias, quibus fruebatur, abbatis, & ob res præclare geſtas, magni cognomen nactum eſſe, memoriæ proditum eſt. Hujus filia natu major Roberto, forti Saxonicæ gentis comiti, deinde a Normannis cæſo nupſit. Carolus calvus eum Franciæ marchionem creavit, illique tractum inter Sequanam & Ligerim cum Andegavenſis comitatus parte regendum tradidit. Poſteritas ejus Burgundiæ ducatum usque ad Robertum II. Franciæ regem habuit. Hic, Henrico patruo absque prole mortuo, ducatum ab Othone Guilielmo, cui peregrini cognomen fuit, vindicavit. Otho Guilielmus a vitrico Henrico illo adoptatus, Burgundiam trans Saonam acceperat, quæ deinde comitatus Burgundiæ (Franche comte) nomine venit, & Giſelæ, matris Adelberti, Italiæ regis viduæ artibus reliquæ in teſtamento ſucceſſor ſcriptus erat. Roberti autem avi ſororem in matrimonio habuit Rudolfus, ducis Richardi filius, in Galliæ regno Carolo ſimplici oppoſitus, quem partem Burgundiæ inferioris cum uxore Emma in dotem accepiſſe ſuſpicor, unde deinde Burgundiæ ducis nomen adhibuiſſe videtur, quam, cum Galliæ rex electus, fratri Boſoni, qui cum Boſone, provinciæ rege, non eſt confundendus, dediſſe fertur. *L' hiſtoire de Bourgogne par du Chene tom. 1. lib. 2. c. 35. ſeqq. Chr. S. Benigni Divionenſis p. 380. MEZERAI dans l' abregé chronologique tom. 1. p. 334. 476. GLAB. RODULPH.*

(d) *De Burgundo*) *C. A. M.* Hic Rudolphus Burgundus II. accitus in Italiam, & a proceribus rex Italiæ conſtitutus, ut & rex Italiæ & Burgundiæ eſſet. Sed contra hunc iterum proceres Italiæ ſurrexerunt. GöBEL. Rudolphus ſecundus ab Italis Berengario oppoſitus tribus annis regno præfuit. Poſtea autem ex pacto cum Hugone provinciæ ſive Arelatenſium comite eo deceſſit. LVITPRANDVS *lib. II. c. 16. 17. 18. lib. 3. c. 3. 4. 13. Chron. FRODOARDI ad ann. 922. 926. SIGEBERTVS ad ann. 924.* Uſum autem hunc Italiæ regis axiomate eſſe, ex diplomatibus conſtat. UGHELLI *Ital. ſacr. tom. II. p. 153. tom. IV. p. 430. tom. V. p. 740.*

regno ab optimatibus ſuis deturbato, Rudolfus Ciſalpina Gallia rex ab ipſis in regnum admittitur. Id prolixius perſecutus Luitprandus l. 2. cap. 16. appellat hunc *regem Burgundionum ſuperbiſſimum.*

9. Huic per Italicorum principum rebellionem ſubſtitutus quarto poſt anno in Italiæ regno Hugo, ut a recuperando illo regno Burgundum averteret, ceſſit, quicquid hactenus *in provincia Arelatenſi* (a) *tenuerat.* (b) Nam in provincia quidem illa Arelatenſi ſucceſſerat Boſoni patri, idque conſenſu regum noſtrorum, Ludovicus filius: verum is cum Italiæ regnum affectaret, a Berengario captus & excœcatus eſt. Neque ſatis conſtat, num & ille *regio titulo* (c) fuerit uſus: nec enim eum hoc nomine ſive Luitprandus *l. 2. c. 16.* ſive annalium ſcriptor, ſive quis veterum alius, temere dignatus eſt. Hujus autem hereditatem videtur *creviſſe Hugo* (d) hic, quem *Berthæ filium* (e) appellant, patris nomine diſſimulato. Luitprando l. 3. cap. 3. is audit: *potentiſſimus & ſapientiſſimus provincialium comes:* & videtur eſſe ipſe ille, qui Frodoardo in Chronico ad annum 924. eſt Hugo Viennenſis, Æmilio dicitur *Arelatenſis rex*, perperam tamen, niſi quod Arelaten tenuerit. De hoc itaque Hugone Luitprandus cap. 13. l. 3. „His temporibus Italienſes in Burgundiam ad Rudol„fum mittunt, ut adveniat. Quod Hugo rex ut cognovit nunciis ad eundem directis omnem „terram, quam in Gallia ante regni ſuſceptionem tenuit, Rudolfo dedit: atque ab eo jusjuran„dum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit. Similiter Æmilius: „Hugo ut Rudolfum, quem „mox mutatis animis revocari ab adverſa factione compertum habebat, ab illis conſiliis penitus „adverteret, cum bello imparem ſe opibusque ſciebat, icto fœdere quicquid ipſe in Gallia urbium „finiumque obtinebat, ei tradidit, jurejurando adacto, in Italiam deinceps non ducturum ſe. Eodem de negotio videtur agere Frodoardus ad annum DCCCXXVIII. paulo tamen diverſa tradit. *Hugo rex habens colloquium cum Rudolfo, dedit Heriberto comiti provinciam Viennenſem vice filii ſui Odonis.* Forte *in filiorum aliquem Rudolfi* (f) facta eſt translatio, ut tamen ejus nondum adulti vices interim obiret Heribertus. Guillimannus l. 4. orig. Habſpurgicar. pag. 108. hæc habet: *Rex Burgundus, damnata gentis Italicæ nobilitate, in patrium ſe regnum recepit, & cum Guidone Arelatenſi comite, quem Itali regem nominarant, transegit, Arelatenſis regni titulum primis Burgundiæ regibus celebratum & quicquid Guido in provincia habuerat, ab eo accepit: cæterum Italiæ regnum ejuravit.* In quibus per *μνημονικὸν ἁμάρτημα Guidonis* nomen pro Hugonis adductum eſſe, nemo non videt. Id certum eſt, hac ratione regni Arelatenſis dignitatem cum Burgundico conjunctam & in unum quaſi corpus *duo regna illa coiiſſe:* (g) cujus fines ex eo, *a monte Jura, quem D. Claudii montem* (h) *vulgo appellant, Rheno, Arari & Rhodano, usque ad Alpes & mare Lugusticum pertinuere:* quod ipſum & Joannes Bodinus *l. 1. de republ. pag. 128.* ingenue profeſſus eſt.

10. Etſi vero utroque illo Rudolpho rege pene avulſa fuerit a Germaniæ corpore Burgundicum hoc regnum, exinde tamen ſenſim ad officium rediit, initio facto circa annum quadrageſimum poſt nongenteſimum. *Rudolfus Jurenſis* (i) *ac Ciſalpinæ Galliæ rex obiit: cui filius parvus Conradus* (k) *in regno ſuccedit:* ſcribit ad annum DCCCCXXXVII. Frodoardus. Ætate hujus Conradi abuſus, cum regnum ejus ut & Lotharingiam invadere niteretur Ludovicus Transmarinus Gallicus, Otto noſter magnus rex, qui rerum ea tempeſtate feliciter potiebatur, prævertendum ratus, cum optimo jure poſſet, & regem & regnum illud ſuam in poteſtatem redegit. Witikindus Corbejenſis l. 2. *Rex Otto de die in diem proficiens, patrio regno nequaquam eſt contentus, ſed abiens*

(a) *In provincia Arelatenſi*) GöBEL. Veterum de hac provincia tradita in MADERI *præfatione*, quam Gervaſio Tilbenienſi præmiſit, memorantur.

(b) *Tenuerat*) GöBEL. *L' hiſtoire de Bourgogne par du Chene tom. 1. lib. 2. c. 23. ONUPHRIUS in principibus Romanis, p. 187. ſeqq. FELLERVS in geneal. domus Brunsv. p. 62. 63.* Hugonis hujus & filii Lotharii, Italiæ regum, plurima apud UGHELLUM extant diplomata. Eum Thibauti & Emmæ filium, tractus Viennenſis & Arelatenſis comitem, & provinciæ marchionem fuiſſe, Labbeus in tabulis genealogicis tradit.

(c) *Regio titulo*) GöBEL. Non ſolum Italiæ regis, ſed & imperatoris titulo Ludovicum uſum eſſe, e diplomatibus manifeſtum eſt. UGHELLI *tom. 2. p. 255. tom. 4. p. 422. 341. 586. tom. 5. p. 271. 273.*

(d) *Creviſſe Hugo*) GöBEL. Pars maxima ipſi ceſſiſſe videtur; aliquam enim partem, nempe Viennenſem principatum, retinuit filius ejus Carolus Conſtantinus, feudum deinde Rudolphi Alemanniæ & Burgundiæ regis. DU CHENE *l. c. c. 12. p. 135.*

(e) *Quem Berthæ filium*) GöBEL. Dixi, matrem ipſius a Labbeo Emmam vocari, & patrem ejus Thibautum; CHENIUS *l. c. c. 44.* Thibauti & Boſonis fratrum Arelati comitum, ex LVITPRANDO neptem memorat, Bertham autem Hugonis Italiæ regis neptem primo matrimonio alii cuidam Boſoni, quem Hugo Arelatenſem fecit comitem, altero Raymundo Gothiæ principi junctam fuiſſe, dicit, ſed dubitat, an comites Arelati aut provinciæ hæreditarii, de quibus *tom. 1 lib. 3.* agit, ex primo ejus aut ſecundo conjugio deſcendant.

(f) *In filiorum aliquem Rudolphi*) GöBEL. Non videtur, aliam reliquiſſe prolem, quam Conradum, patre vitam ponente admodum infantem, & Adelheidam, quæ primo matrimonio Lothario Italiæ regi, altero Ottoni I. imperatori nupſit.

(g) *Duo regna illa coiiſſe*) GöBEL. *DU CHENE l. c. c. 23. p. 154.*

(h) *D. Claudii montem*) GöBEL. In vernacula noſtra der Leber-Berg vocatur. STUMPF. *chr. Helv. P. II. fol. 257.*

(i) *Rudolfus Jurenſis*) *C. A. M.* circa montem Juram.

(k) *Parvus Conradus*) *C. A. M.* Sub illo, tempore Ottonis magni cœpit reſpicere Burgundicum imperium ad jura Germ. Hic videre etiam eſt, quanta fuerit felicitas Ottonis M. GöBEL. Conradum hunc, quem a pietate varia commendant diplomata, Ottonis I. imperio obnoxium fuiſſe, præter auctores a Conringio citatos, URSPERGENSIS *in Ottone I.* & SIGEBERTVS *ad ann. 945.* tradunt. Conf. *hiſtor. GENEVRINA DA GREGOR. LETI P. 1. p. 376.* Nupſerat ei Mathildis Galliæ regis Lotharii ſoror, cui a fratre in urbe Lugdunenſi cum adjacente territorio dos conſtituebatur. VIGNIERIUS *in chron. Burgundionum P. III.* Si Labbeo, quem FELLERUS *l. c. p. 71.* citat, fides habenda, Conradus Burgundiam & Arelatum in unum compoſuit regnum. Ex Mathilde præter Rudolphum III. ipſi natæ ſunt Giſala, Hezilonis Bavar. ducis uxor, & Henrici ſancti mater, Bertha, quæ Odoni Bleſarum comiti Odonem ſecundum Campaniæ comitem Conradi II. in occupando Burgundiæ regno æmulum; Gerberga, ex qua Hermannus II. Alemanniæ dux Giſalam Conradi II. thori ſociam ſuſcepit; & Mathildis Arnulphi Flandriæ comitis conjux.

abiens Burgundiam, regem cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Albertus Stadenſis iisdem prope verbis uſus, notat illud contigiſſe anno CXLI. Sed Frodoardus, ætate rei geſtæ ſuppar, refert idipſum ad annum præcedentem quadrageſimum. Verba ejus ſunt: *Otto rex Henrico fratri ſuo regnum Lothavienſe committit: tumque cum diverſarum gentium, quas ſecum adduxerat, multitudine, poſt Ludovicum Francorum regem in Burgundiam proficiſcitur, habens ſecum Conradum filium Rudolfi regis Jurenſis: quem jamdudum dolo captum, ſibique adductum, retinebat: caſtraque metatus ſuper Sequanam (forte Saonam) obſides ab Hugone nigro accepit.* Permiſſus quidem regnare Conradus: ſine dubio tamen haud alio *quam fiduciario jure.* (a) Etſi enim more ſuo annales iſtius ævi minus explicate rem tantam narrent, potentiam tamen, quæ tunc erat, imperii Germanici ſimulque imbecillitatem Conradi, & receptos iſthoc ævo regnandi mores, accurate ſcrutantibus, non poteſt non idem videri. *Si verum eſt*, (b) quod traditur a nonnullis, in Allobrogibus Sabaudiæ comitatum Beraldo Saxoni ab Ottone III. beneficiaria lege conceſſum, teſtimonio id fuerit magnæ in regno illo auctoritatis cæſareæ; utpote quum Allabroges ſine dubio ad regnum illud tum pertinuerint. Sed incerta idipſum fide traditur, *fabulæ ſimilius quam hiſtoriæ.* (c) Et ſane alii veriſimilius Morienam a Rudolpho rege datam *Beraldo*, (d) *Sabaudiam vero* (e) longe demum poſt Amadæo conceſſam memorant.

11. Jam ex eo itaque fuit in clientela Germaniæ regum illud Burgundiæ regnum. Per Rudolfum id nominis tertium propiùs nobis conjunctum, pars factum eſt reipublicæ. Hermanni contracti antiquus codex ad annum DCCCCXCIV. *Conrado rege Burgundiæ mortuo Rudolfus filius ejus ignavus ſucceſſit.* Hic ille eſt, qui ipſummet utile (ut ita loquar) Burgundiæ illius dominium, cum eſſet ἄπαις, primum Henrico II. iterum Conrado II. regibus noſtris liberrima donatione conceſſit. *De priore* (f) *Dithmarus* (g) Mersburgenſis epiſcopus ætate ſuppar l. 8. *Jam loquar imperatoris noſtri* (Henrici II.) *proſperitatem. Avunculus namque ſuus Burgundionum rex Rudolfus coronam* (h) *ſuimet & ſceptrum, cum uxore ſua, privignis & optimatibus univerſis ſibi conceſſit, reiteraturque ſacramenti confirmatio: Actumque eſt iſtud Moguntiæ.* Jam tum l. 7. notaverat Ditmarus nonnihil de illo Rudolphi dono pag. 92. ubi agit de cæſaris cum uxore & privignis Rudolphi conventu. *Imperator ſapiente uſus conſilio, hoc voluit cum his id ſibi firmius ſubdere, quod longe prius rex prædictus ei ſacramento poſt mortem ſuam ſancierat. Omnem namque Burgundiæ regionis primatum per manus ab avunculo ſuimet accepit, & de maximis rebus ſine ejus conſilio non fiendis ſecuritatem firmavit.* Et prioris & ſecundæ donationis meminit in hunc modum Wippo *in vita Conradi ſaliqui:* „Rudolfus rex Bur„gundiæ dum in ſenectute ſua regnum molliter tractaret, maximam invidiam apud principes „regni ſui comparans, ſecundum Henricum imperatorem, filium ſororis ſuæ in regnum invita„vit, eumque poſt vitam ſuam regem Burgundiæ deſignavit, & principes regni jurare ſibi fecit. „Ad quam rem commedandam imperator Henricus infinitam pecuniam ſæpe & ſæpiſſime con„ſumpſit: ſed defuncto imperatore Henrico Rudolfus rex promiſſa ſua irrita fieri voluit. Chon„radus autem rex magis augere quam minuere regnum intentus, anteceſſoris ſui labores metere „volens, Baſileam ſibi ſubjugavit, ut animadverteret, an rex Rudolfus promiſſa attenderet. Quos „poſtea Giſela regina, filia ſororis ipſius regis Rudolfi, bene pacificavit.„ Paulo ante vero, *Baſileam urbem ad Burgundiam pertinere* dixerat. Non multo poſt, ubi egiſſet de congreſſu cæſaris cum Rudolfo in civitate Baſilea, ſcribit: *Confirmata inter eos pace, Giſela imperatrice hac omnia mediante, regno-*

(a) *Quam fiduciario jure*) GöBEL. Cum regnandi cupido nulla neceſſitudinis curet vincula, nec affinitatis affectu Ottonem jus ſibi in Burgundiam partum reddidiſſe arbitror, quicquid etiam DU CHENE *l. c. lib. II. c. 24.* in contrarium ſine veterum autoritate aſſerat.

(b) *Si verum eſt*) *C. A. M.* De origine familiæ ſuæ duces Sabaudiæ ſolent narrare incredibilia. Ajunt auctorem familiæ eſſe Beraldum Saxonem, & quidem filium Ottonis M. a quo patre ſuo accepit beneficia lege DUCATUS SABAUDIÆ. Verum de Beraldo, Ottonis filio, ſilent omnia monumenta. Sane legitimus filius Ottonis non fuit. Duos enim tantum filios legitimos habuit, Ludolphum & Ottonem, qui ſucceſſit.

(c) *Fabulæ ſimilius quam hiſtoriæ*) GöBEL. Communem multis errorem, quem & GUICHENON, diligens cætera monumentorum ad rem Sabaudicam ſpectantium ſcrutator, ſequitur, Sabaudicam domum Saxonicæ eſſe originis, DOM. Dr ECCARD *in originibus Sabaudicis* exploſit, oſtenditque ejus natales a Mauriennæ comitibus ex Alpibus, Cottiis & vicinia repetendos eſſe.

(d) *Beroaldo*) GöBEL. Auctor noſter non tam de origine Saxonica domus Sabaudicæ, quam de Sabaudiæ collatione in Beroaldum per Ottonem III. facta, dubitat, ſed autumat Maurienam ei a Rudolpho Burgundiæ rege conceſſam eſſe, quæ etiam GREGORII LETI eſt ſententia *l. c. p. 879.*

(e) *Sabaudiam vero*) GöBEL. *LETI l. c. p. 377.* Sabaudiam Rudolphi ignavi tempore hæreditariam eſſe cœpiſſe, *CHENIUS l. c. lib. IV. c. 32.* opinatur.

(f) *De priore*) *CONR. A. E.* Liber ille agit de iis, quæ geſta ſunt anno 1018. ut liquet ex his, quæ continentur ipſo ejus exordio.

(g) *Dithmarus*) *C. A. E.* Quæ ille l. c. narrat de ſtatu Burgundiæ, qualis tunc temporis fuit, & quemadmodum procerum regni malis artibus promiſſa Rudolphi regis fuerint irrita reddita, merentur cum juſta cura expendi. Dithmari inter alia hæc ſunt verba: *Sed Burgundionum rex mollis & effæminatus bona, quæ nepoti ſuimet promiſit, impedire eorum inſtinctu voluit, quibus relaxato juſtitiæ freno, velut infelici vitulo, per latum liberos currere placuit. Cum vero iterum coeptis perſiſtere ſtuduit, eorum conflatione & peſſima reluctatione non potuit. Nullus enim, ut audio, eſt, qui ſic præſit regno. Nomen tantum & coronam habet &c.* GöBEL. *Henricum II. cæſarem hæredem regni fecit, poſt quem ad Conradum pervenit imperium, qui ſororem (ſororis filiam) Rudolphi regis nomine Giſlam habuit conjugem, de qua genuit Henricum &c. Chr. S. B. Divionenſis* apud *ACHIERIUM tom. II. p. 393. Chron. REICHERSP.* apud *LUDWIG. p.* 224. tradit, Rudolphum Henrico Conradi filio regnum cum diademate aliisque regni inſignibus per teſtamentum reliquiſſe. Rudolphus autem ignavus, in charta, qua archiepiſcopo Viennenſi caſtrum Pupetum & comitatum Viennenſem donavit, Pius dictus, ex conjuge ſua Hermangarde (frainſide) nunquam pater factus DU CHENE *l. c.*

(h) *Rudolfus coronam*) *CONR. annot. mſc.* Hoc factum MCIIX. poſt C. N.

regnoque Burgundiæ imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius anteceſſori ſuo Henrico imperatori datum fuerat, rex Rudolfus iterum donis ampliatus reverſus eſt Burgundiam. Otto Friſingenſis aliique non ipſum Conradum ſed ejus filium Henricum, qui nobis eo nomine poſt factus fuit rex tertius, heredem à Rudolfo ſcriptum referunt. Ille l. 6. c. 30. *Ea tempeſtate Rudolfus Burgundiæ ſeu Galliæ Lugdunenſis rex, moriens Henrico filio regis Conradi, nepoti ſuo, regnum cum diademate aliisque inſignibus ſub teſtamento reliquit.* Sed idem ille Wippo alibi diſerte ſcribit: *Regnum Burgundiæ Conrado imperatori, & filio ejus Henrico regi à Rudolfo rege confirmatum eſt:* ipſumque Conradum anno MXXXIII, Henricum vero filium, conceſſu patris, anno demum MXXXVIII. regem Burgundiæ coronatum eſſe narrat.

12. Quicquid hujus ſit, id certum: mortuo Rudolfo regnum illud (niſi duo malis regna dicere) Germanico imperio acceſſiſſe, idque anno MXXXII. Hinc Sigebertus: *Rex Rudolfus regnum Burgundiæ Conrado imperatori tradidit: quod à tempore Arnulfi imperatoris* (i. e. ab obitu Craſſi) *per annos plusquam centum triginta gentis ſuæ reges tenuerat: ſicque Burgundia iterum redacta eſt in provinciam.* Illam eandem Burgundici regni cum imperio conjunctionem latè deſcribit l. 3. Paulus etiam Æmilius, Gallicarum rerum fide & eloquentia præſtans ſcriptor, & quidem ita, ut unum atque alterum ex illa narratione huc adferre, pretium operæ fuerit. *Non parum*, (a) ait ille, „virium „Germani proceres acceſſurum rebus ſuis ducebant, Burgundionum regno ſibi contributo, quod „(excluſo ducatu, qui Franco regi ſine controverſia parebat) ſi quis veterem memoriam repetat, „Sequanos, Allobrogumque ac Arelatenſium regias urbes complecteretur, ac ab extremis Ger„manorum finibus ad mediterraneum mare pertineret; opportunum Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, „Africæque rebus conſiliisque expediendis, ac conatibus capiendis, ut Auguſtum, nomen Ger„maniæ finibus ac anguſtia clauſum, prodire in totius orbis terrarum lucem ac priſtinam maje„ſtatem tandem poſſit.„ Idem Æmilius, cum narraſſet, quemadmodum Conradus cæſar, *pulſo Odone Campano*, (b) in Burgundiæ poſſeſſionem veniſſet, ſubjungit: *Urbium illarum proceres, in quibus & Lugdunenſis pontifex numeratur, dicto audientes ſunt, præſidia arcibus recipiunt, & ut fidem ſuam oppignorent, obſides dant.* Paulo poſt addit: *Pax inter Francos & Germanos, fraternumque nomen inviolatum permanſit, regnique Francici jura imperio, & imperii Francico regno ſancta exſtitere.* Ex quibus Æmilii verbis apparet, cum quantum momentum ſitum fuerit in illius regni poſſeſſione, & quam illud late patuerit, tum nihil amplius in illud juris Francorum reges tum temporis ſibi arrogaſſe, atque adeo citra omnem controverſiam Germaniæ illud optimo jure acceſſiſſe.

13. Ex eo igitur promoti ſunt admodum imperii fines: Ab Urſa ſcilicet in Helvetiis, & Rheni ripa ac Jura monte, ad Rhodanum usque mare mediterraneum & alpes: Ita ut Lugdunum etiam, Valentia, Vienna, Avenio, Arelate, Maſſilia, aliæque præclaræ urbes Lugdunenſis & Narbonenſis Galliæ, in nomen & ditionem imperii *Germanici pervenerint.* (c)

14. Non poſſum non addere, quæ de Burgundiæ comitatu, qui tunc maximam Burgundici regni integri partem abſorpſit, & Arelatenſi regno Guntherus *l. 5. Ligurini* cecinit, quoniam eleganter

(a) *Non parum*) *C. ann. ed.* Idem jam pridem memoraverat GERVASIUS TILBERIENSIS in libro, quem *otiorum imperialium* titulo inſcripſit. Etſi enim in codice Helmſtadienſi tantum pauca reperiantur capitula, quia mutilus eſt & imperfectus, in meliore tamen *deciſ. 2. c. 12.* hæc verba occurrunt: *Ecce enim audacter loquor, fidelitate, qua tibi teneor*, (affatur autem Gervaſius Ottonem IV. imperatorem; ab illo marſchallus regni Arelatenſis conſtitutus) *denuncio, quod inter omnes imperii tui regiones non eſt angulus imperio tuo commodior; ſic omnibus confinibus tuis, regi Francorum, regibus Hiſpanorum, barbaris gentilium, terræ ſanctæ, Italiæ tuæ regno, Siciliaque domino, conterminalibus tuis, terribilis aut oportunus ac neceſſarius, quàm regnum eſt Arelatenſe.* Quod ut in antiquiſſimis imperii regiſtris continetur *Biſuntina, Tarentaſienſi, Lugdunenſi pro capite ſuo antiquiſſimo, Viennenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi provinciis circumcluditur, quaſi nodus retinaculi: commonitoriam faciens ſententiam, ſua ſtrenuitate, acceſſusque facultate regno Francorum maritimo adituque facili, terra Hiſpanorum, ac gentilium Africanorum, levi ac brevi Alpium Cottiarum tranſitu, in ultimo Lombardorum regno Januenſibus, Piſanis ac Siculis, aliisque tuo imperio ſubjectis adjutorium ex tua voluntate ferre potes, aut ex contrario tuo motu nocumentum.* Hactenus GERVASIUS. GÖBEL. Otia imperialia IV. Ottoni a Gervaſio, Arelatenſis regni mareſchallo, inſcripta, ex codice membranaceo academiæ noſtræ inter ſcriptores ad hiſtoriam Brunſuicenſem pertinentes edidit LEIBNITIUS *tom. I.* vid. *introductio hujus tomi n. LXIII.* ubi notatu digniora quædam, quæ in hoc libro reperiuntur, enarrantur.

(b) *Pulſo Odone Campano*) GÖBEL. Odonis filium Reginaldum Burgundiæ comitem Henrico III. de Burgundia lites movere auſum fuiſſe, conſtat, ſed mox ab imperatore in ordinem redactus, ab eo, procerum Burgund. ſtudiis comitatus inveſt. nactus eſt. LETI *p. I. p.* 393.

(c) *Germanici pervenerint*) *C. ann. ed.* WILHELMUS PARADINUS plenius exſequitur regni Burgundici membra hiſce verbis: *Ditionem Burgundionum exornarunt* (ut hodie vocant) *ducatus comitatusque Allobrogum, Sabaudiæ, Octodurenſium, Aſtenſium, (nam alpes quoque ſupergreſſos, ne ipſa quidem Italia temperantes; ſcriptores commemorant) Auſtraſionenſis, Pedemontenſis, landgraviatus Alſatiæ, comitatus Sequanicus, (qui eſt hodie penes cæſarem) palatinatus Ferratenſis, (quem jam alio divulſum, per aliquot annos patrum memoria Carolus dux Burgundiæ, a Sigismundo Auſtriæ Archiſtratego, ſive archiduce, cæſaris Friderici fratre, publico commercio redemit) montis Bericardi, Quadrelenſis, Nivernenſis, Matisconenſis, Cabilonenſis (qui a rege Ludovico juniore regis Craſſi filio legitur translatus in poteſtatem ducis Burgundiæ) Antiſſiodorenſis, Turnodorenſis, Suniacenſis, Valentinenſis, Avenionenſis, aliaque ditiones permultæ: cujusmodi ſunt Sebuſianorum, Salinenſium, Nuceriorum, Vindeliorum, Foſſinorum. Sunt qui adjiciant juga Helvetiorum, & quicquid fuit in amplexu Maximæ Sequanorum.* Hæc Paradinus. Quæ tamen omnia ex parte neutiquam mihi probantur, etſi nec juſtum eorum examen nunc inſtituere ſit pretium operæ. GÖBEL. Addere juvat hæc CHENII verba ex ejus *hiſtoria Burgundiæ lib. 2. c. 22. Car ils appellent* (inquit) *tantot Gaule Ciſalpine & tantot Bourgogne Jurane. Les Roys, qui l'ont tenu de puis Rudolphe ce ſont auſſi qualifiez Roy d'Alemagne. Et finalement apresque la province & le Viennois y ont été joints, comme nous le remarquerons en ſuite, ils encore porté le titre de Roys d'Arles ou de Province.* Conf. quoque *MEZERÆUM tom. I. p.* 402. Autores, qui rerum Burgundicarum notitiæ inprimis inſerviunt, recenſet FELLERUS *l. c. p.* 59.

ganter faciem univerſæ illius terræ quaſi ob oculos ponunt. Quanquam ille, ut ſolet, paraphraſtem ibi egerit eorum, quæ ab Ottone Friſingenſe *l. 2. de vita Friderici cap. 29.* differuntur:

Hæc adeo tellus à ſedibus incipit illis,
Quà Baſilea ſuos vicino flumine muros
Alluit, & Rhenum venientem læta ſalutat:
Innumerosque tenens populos, hinc Gallica rura
Mordet, at hinc rigidis ſcopuloſa rupibus Alpis
Arctatur, tractuque pari protenditur, usque
Qua rapidus primas Rhodanus maris influit undas
Quaque caput regni ſedesque fuiſſe vetuſti
Fertur, Arelatum priſcorum curia regum,
Teque ſibi jungens æquo provincia jure.
Nomen apud veteres regni titulumque gerebat,
Cujus Arelatum ſedes, & finis ab illa
Parte ferebatur: donec ſuprema voluntas
Regis Rudolfi regnis accedere noſtris
Juſſit, & antiqui detraxit nomen honoris:
Ut jam non regnum, ſed ſit bona portio regni.
Has ibi metropoles, & primi nominis urbes,
Chryſopolim (a) *placidam, Lugdunum, ſive Viennam*
Quaque tuos ſpumante mari provincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis:
Chryſopolim Dubius, reliquas prælabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominatur aquarum.

CAPUT XIII.

Cæſarum & imperii in Burgundicum & Arelatenſe regnum auctoritatem, cumprimis ubi eſt per Fridericum I. ſibi reſtituta, ad fatale imperii interregnum usque integram manſiſſe.

1.

De iis, qui Conradi ſaliqui cæſareæ electioni interfuerunt principibus, ex omnibus imperii provinciis congregatis differens *Wippo*, (b) hiſce inter alia verbis utitur: „Burgundia nondum *Romano imperio* (c) ita ut nunc acclivis erat. Quod autem ſubjecta eſt modo, trium regum „gloriæ adſcribitur. Secundus Henricus imperator primum eam ſubjicere intendit, & bene in „hoc ſtudio perſeveravit. Deinde Conradus imperator animoſo impetu Francos (Odonem ſcil. „Campanum) hoſtiliter ex ea ejecit, belloque eum ſubjugavit. Ad extremum rex Henricus ter„tius, pius, pacificus, lumen juſtitiæ, bello & pace eandem Burgundiam temperavit cum magni„ficentia. Ubi quæ divinâ providentiâ tam pacis quam belli conſiliis, conciliis & conventibus, „quibus interdum ipſe interfui, peregit, alias commemorabo.„ Id quod promittit Wippo, num præſtiterit incertum. Tantum enim carmen aliquod ſive *Tetralogus*, ut appellavit, in laudem Henrici tertii, nomine illius hactenus prodiit in lucem, idque unius *Henrici Caniſii* (d) cura in ſecundo tomo antiquarum lectionum. In illo vero nihil legas, quod huc pertineat, præter illa:

Præterea tibi, rex, mandat Burgundia: ſurge
Atque veni. Noviter ſubjecta vacillant
Interdum domino per tempora multa remoto.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen in te cernere quærit,
Semper & in regis ſua lumina paſcere vultu.

2. Cæterum non etiam eſt hujus inſtituti, res per Burgundiam geſtas *enarrare.* (e) Satis nobis eſt illud modo adductum Wipponis teſtimonium, de Henrici III. cæſaris in Burgundiam *magni-*

(a) *Chryſopolim*) *C. annot. mſc.* Valentiam.

(b) *Wippo*) GÖBEL. Præter hunc, qui ſatis ample rem enarrat, adhibendi ſunt OTTO FRISING. *lib. 6. chr. c. 31.* HEPIDANUS *ad ann. MXXXVIII.* Ex ARNULPHO MEDIOLANENSI *p. 733. tom. 3. Scr. Leibn.* non ſatis æquo Burgundos Conradum recepiſſe animo cognitum habemus. In Odonem enim, quem ſuæ gentis civem meliori jure inſtructum & mitiorem futurum rectorem credebant, proniores erant. Nec dubito, quin Conrado multa faceſſiſſet negotia, niſi in prœlio, quo cum duce Lotharingiæ decertabat, occiſus fuiſſet, præſertim cum ex Italia imminerent motus. GLABER RODULPHUS *tom. IV. ſcript. Franc. p. 37. 38.* ARNULPH. MEDIOL. *lib. II. c. 9.* FELLER. *p. 93.*

(c) *Romano imperio*) *C. annot. mſc.* Hæc demum appellatio cœpit Henrici III. cæſaris tempore: ante illa tempora vix, & tunc temere ſaltem Romanum imperium de Germania uſurpatum reperies.

(d) *Henrici Caniſii*) *C. ann. mſc.* JCtus Ingolſtad. edidit aliquot tomos antiq. lect. in quibus varii ſcriptores partim boni, partim mali. GÖBEL. CANISIUS NOVIOMAGENSIS *J. U. D.* & canonum in acad. Ingolſtad. profeſſor, in lectionibus antiquis multa futilia edidit. SCALIGER *in Scaliger. p. 42. 43.* Novam jam earum habemus editionem Baſnagii opera, additis nonnullis, ſed non æque magni momenti auctiorem.

(e) *Enarrare*) *C. ann. edit.* Ex re tamen erit, ut hujus argumenti curioſus ſcrutator ſaltim expendat, quæ GLABER RODULPHUS ſcriptor Gallus οὐχ χείρων refert *l. 5. cap. 4. & 5.* Huc illa adferre, ſupervacuum fuerit.

Digitized by Google

magnifico, (a) ut ipſe loquitur, imperio. Et vero ab hoc demum Henrico nonnulli & *Morienæ & Alboniæ* (b) in Arelatenſi ſolo ſiti, comitatus inſtitutos referunt: quod regiæ auctoritatis haud leve eſt monumentum. Epiſcopatuum regni illius, perinde ut alibi, collationem ab eodem Henrico tum pependiſſe, luculenter apparet, vel ex uno Halinardi archiepiſcopi Lugdunenſis exemplo, de quo *Albericus* (c) in chronico ad annum MXLVI. „Abbas Halinardus S. Benigni „Divionenſis factus eſt archiepiſcopus Lugdunenſis: & quia civitas Lugdunenſis tunc erat ſub „imperatore, dominus Halinardus curiam imperatoris adiit pro regalibus ſuis accipiendis. Im„perator jam erat in procinctu Romani itineris, & voluit, ut archiepiſcopus ſecundum morem „juraret ei fidelitatem: Ille dixit ſe eſſe monachum, nec debere facere juramentum. Dictum „eſt, ut vel ad minus ſe offerret ad juramentum: reſpondit, ſe non debere ſimulationem facere. „Tandem, mediantibus epiſcopis, Theodorico, antequam moretur Metenſi, Brunone Tullenſi, „Richardo Virdunenſi; Imperator pro ſua religione juramentum ei quitavit, deinde Romam abiit.„

3. *In Henrici IV. hiſtoriis* (d) comparet quidem memoria exercitæ per Burgundiæ regnum cæſareæ poteſtatis, rarior tamen: absque dubio præ multitudine civilium bellorum.

4. Henrico V. *Sabaudiæ comitatus* (e) originem ſuam acceptum refert: quod ipſum hoc loco ſilentio haud prætereundum duxi. *Ea de re ita loquitur in originibus *Sabaudiæ ducum Lambertus van der Burch.* (f) „Amadæus ejus nominis ſecundus Mauriennæ comes Seguſianorumque mar„chio (Otto Friſingenſis Taurinorum vocat marchionem) decora juventa, corpore ingens, animi „immodicus, dignus Humberto patre, cui ſucceſſit, filius, primus ab Henrico quinto imperatore, „quod optima fortiſſimaque variis bellis illius opera fuerat uſus, Sabaudiæ (quæ imperii Germa„nici, inquit Bodinus, provincia, & imperii feudum antea fuit) creatur comes, ea lege, titulum „hunc cæteris omnibus, quibus præfulgebat, uti præferret, utque clientelari feudalive impoſte„rum jure imperium Romanum Sabaudia reſpiceret. Beauioiſii quoque ab eodem illo impera„tore dominio donatur. Dependebat quidem (ut obiter hoc dicam) a Burgundia olim regno „ſolum Sabaudicum; ſed Burgundia in Romanorum tandem imperatorum concedente poteſta„tem, per magiſtratus ab imperatoribus miſſos adminiſtrari Sabaudia cœpit: qui cum ſuperbe ac „avare imperarent, bonique publici nullam haberent curam, Henricus imperator Amadæum hunc „provinciæ illi, cum comitis (uti diximus) titulo præfecit.„

5. *Ab eodem Henrico* (g) ſive Lothario Conradum Zeringenſem Burgundiæ comitem & ducem conſtitutum, idque quoniam Reinholdus, cui poſt mortem Wilhelmi *hereditario jure* illa ditio obtigerat, *curias principis* h. e. comitia â cæſare indicta, *adire neglexiſſet*, refert Otto Friſingenſis

l. 2. in

(a) *Magnifico*) GöBEL. Conradus filio Henrico, proceribus & populo Burgundiæ ſuffragantibus, regnum contulit, eique homagium præſtitum eſt. Henrici autem regimen non ſine motibus fuit, & proceres ad officium redacti. GVILLIMANNVS *de rebus Helvetiorum lib. 2. p.* 279. Quod ſi vero CHENIO *in hiſtoria Burgundiæ lib. II. c. 38. & lib. IV. c. 1. p.* 468. aſſenſus præberi debet, ex Rudolphi ignavi tempore procerum autoritas & in terris ei concreditis poteſtas in immenſum crevit, & regia eviluit majeſtas.

(b) *Morienæ & Alboniæ*) *C. annot. mſc.* Comitatus hodie poſſident duces Sabaudiæ. Fabulantur ipſi inſtitutos comitatus ab Ottone M. & II. ſed veriſimile, hoc factum ab Henr. III.

(c) *Albericus*) GöBEL. Intelligit Albericum trium fontium monachum, quem QVERCETANVS ALBERICVM DE AQVES vocat. Conjicio, Contringium Guelferbytano uſum eſſe manuſcripto. Typis illud mandatum eſſe, Leibnitio debemus. Vid. *præfat. ejus II. tom. acceſſ. hiſtor.* præmiſſa.

(d) *In Henrici IV. hiſtoriis*) GöBEL. Henricum IV. patri in Burgundiæ & Arelatenſi regno ſucceſſiſſe, docet QVERCETANVS *l. c. lib. IV. c. 2.* Nec ab imperio ejus tempore comitatum Burgundiæ deceſſiſſe, & ex iis, quæ de itinere hujus imperatoris in Burgundiam ex SCHAFNABVRGENSI GVILLIMANNVS *l. c. p.* 280. ſeq. tradit, pateſcit. Tametſi hoc tempore majora affectare, et: DEI GRATIA, titulum Burgundiæ comites adhibere cœperint. Quæ ad Burgundiæ comitatus rectores attinent, ea ex hoc autore & QVERCETANI *hiſtor. Burgundiæ lib. IV.* addiſci poſſunt.

(e) *Sabaudiæ comitatus*) GöBEL. Vide *hiſtor. Genevr. da* GREGORIO LETI *part. I. lib. VI. p.* 424. 425. ubi alios citat autores. CANTERIVS hoc tempore Sabaudo ab eodem imperatore cum vicariatu jus in Genevam urbem datum eſſe aſſeverat AGOSTINO DELLA CHÆSA, ut huic aſſerto fidem faciat, in Sabaudiæ ducum archivo Henrici diploma aſſervari ait, &, ut rei majorem veritatis conciliet ſpeciem, veterem aliquam ſcripturam, in qua hujus rei mentio fit, producit. Verum licet pro illius antiquitate & fide ad veterum provocet teſtimonia & ex illo Leti: attamen veritas ejus nihilominus dubiis obnoxia manet. Ut ſileam, ſcripturam, quam & LETI affert, ad genuinorum diplomatum requiſita minus recte quadrare: non levem de narrati veritate dubitationem exoriri cenſeo, quod ipſum Henrici productum non ſit diploma.

(f) *Lambertus van der Burch*) *C. annot. mſc.* Fuit Belga, ſcripſit libros originum, qui editi primum in Belgio, deinde compendioſe inter aliarum rerumpublicarum deſcriptiones.

(g) *Ab eodem Henrico*) GöBEL. Conducit, ad hæc illuſtranda, *GVILLIMANNI ex lib. II. c. XV. de rebus Helvetiorum* hæc adducere verba: *mortuo Guilielmo puero, ſtatim Burgundiæ etiam comes ex eadem Viennenſi familia hereditatem propinquitatis jure adivit, nulla habita Henrici V. imp. ratione, locaque omnia ab utroque Juraſſi latere occupavit. Quam ob rem ſæpe ab imperatore in concilium vocatus, contemſit, indignum ſe, & regia, quam præferebat ſtirpe & nomine ratus alterius parere aut ſubjici mandatis. Ea cauſa Lotharium II. imp. qui, Henrico V. eodem tempore vita ſoluto, ſucceſſerat, perpulit, ut omnia, quæ Guilielmi pueri fuerant, Conrado Zaringo, cujus, ut prædiximus, ex ſorore nepos erat, imperii nomine traderet, qua quidem ratione Zaringiæ duces totius Helvetiæ principatum obtinuerunt: Cum jam ante Conradi pater Berchtoldus II. pro Sueviæ ducatu præfecturam Tigurinam ab Henrico IV. accepiſſet.* Obtinuit deinde, ut Conradus cum ſucceſſoribus ſuis Zæringiæ ducibus Burgundiæ rectores dicti ſint. *GVILLIM. l. c.* Ex *QVERCETANI hiſtor. Burgundiæ lib. IV. c. 3.* conſtat, poſt mortem Henrici de regnis Burgundiæ & Arelatenſi altercationes inter Fridericum Sueviæ ducem & Guilielmum comitem Viennenſem ejusque fratrem enatas eſſe, Lotharium vero utrumque illud regnum imperio vindicaſſe. Hoc innixus jure Lotharius Renaldum tertium, ut ſibi fiduciarium præſtaret juramentum, adeſſe jubebat: Sed hic ſummum imperii dominium cum utili confundens, morem ei gerere noluit, ſub prætextu, quod Lotharius illius non eſſet ſtirpis, in quam Rudolphus ignavus Burgundiæ regnum tranſtuliſſet.

l. 2. in vita Friderici cap. 29. Qui tamen ſimul narrat, Conradum occupaſſe quidem ſibi vicina loca (*Tiguro ut reor proxima:* (a) illa enim urbe Bertholſum patrem ejus donaverat Henricus IV. cæſar, teſte eodem Ottone *l. 1. cap. 8.*) Reinholdum tamen *minime ceſſiſſe*, (b) ſed bello utrinque excitato, eximiam comitatus partem ſibi retinuiſſe, non attenta cæſarum ſententia. De illo negotio ita canit Guntherus l. v.

Proximus agnatus comitis (Guilhelmi) *Reinaldus & heres*
Legitimus, tanta nactus moderamina ſumma
Jure ſuo nimium & claro ſanguine fretus,
Teutonicos reges edictaque ſæpe vocatus
Sprevit, & Allabroges aliis ſub regibus eſſe
Indignum reputans, nimium memor ille vetuſtæ
LIBERTATIS erat, regemque ſuperbus agebat.
Donec ob innumeros faſtus, ſententia tandem
Ultrices in eum depromſit regia vires,
Ereptamque viro, regni ſub judice, terram,
Nomine Chunrado fiſci conceſſit habendam.
Ut quaſi proſcripto regni ſpretore rebelli,
Proximus extincto ſuccederet ille nepoti.
Qui mox conceſſos armato milite fines
Irrumpens, regale ſibi defendere donum,
Et valida ſancire manu tentabat: at ille
A patribus ſuſcepta ſuis retinere laborans,
Plurima conſervit adverſo prælia caſu.

6. Hæc Guntherus. Ubi notandum obiter illud, quod dicit de *vetuſta libertate.* Reſpicit nimirum ille ad tempora Rudolfi ignavi regis, quando comites Burgundiæ vix comiter reges ſuos venerabantur. De Wilhelmi comitis aliorumque Burgundiæ procerum protervia, & ſocordia Rudolphi illius regis, quæ jam tum Henrico II. cæſare notavit Dithmarus Mersburgenſis epiſcopus *lib. 7. chronicor.* illa digna ſunt, quæ hic recitemus: *Nullus*, inquit de Rudolpho rege, *ut audio, eſt, qui ſic præſit in regno. Nomen tantum & coronam habet, & epiſcopatus his dat, qui à principibus his eliguntur: ad ſuam verò utilitatem pauca tenens, ex impenſis antiſtitum vivit, & hos vel alios in aliquo extrinſecus laborantes eripere nequit. Unde hi manibus complicatis cunctis primatibus velut regi ſuo ſerviunt & ſic pace fruuntur, ob hoc ſolum talis rector inter eos dominatur, ut eo liberius malignorum furor invicem vagetur, & ne lex nova alterius regis ibi adveniat, quæ inolitam conſuetudinem rumpat. Wilhelmus comes miles eſt regis in nomine, & dominus terræ re. Et in his partibus nullus vocatur comes, niſi is, qui ducis honorem poſſidet. Et ne illius poteſtas in hac regione paulo minus minueretur, conſilio & ductu imperatoriæ majeſtati, ſicut prædixi*, (memoraverat autem facinus aliquod ſane horrendum) *reluctatur.* Ad hujus igitur Wilhelmi exemplum, videtur Reinoldus ſpreta majeſtate regum Germaniæ, ex arbitrio rebus præfuiſſe, atque ita imperium ingentem jacturam feciſſe auctoritatis ſuæ.

7. Et vero illâ præpotentum comitum rebellione, & provinciam & optimam Burgundiæ partem imperio *ſubtractam aliquamdiu eſſe*, (c) donec Fridericus I. cæſar, ducta in matrimonium Beatrice

(a) *Tiguro ut reor proxima*) *C. annot. mſc.* Tigurum eſt Zürch, ſitum in regno Burgundiæ. Hac urbe erat donatus Zæringenſis; occupavit loca vicina Tiguro, & ita magnam partem Helvetiæ cepit. Imo ipſa urbs paruit Zæringenſibus, ſed ipſum Burgundiæ comitatum nunquam potuerunt occupare. GöBEL. Tigurini deſcriptionem vide apud *GVILLIMANNVM l. c. p. 290. STVMPHII chronic. Helvetiæ lib. VI.*

(b) *Minime ceſſiſſe*) GöBEL. *Mais pour cela Renaud ne laiſſa pas de tenir bon, & ſe maintenir franc & libre de tout homage, d'ou vient peût etre, que la comté de Bourgogne fut depuis appellée franche comté. L'hiſtoire de Bourgogne par DV CHENE liv. IV. c. 20. p. 530.*

(c) *Subtractam aliquamdiu eſſe*) GöBEL. Conradum II. inter imperatores Arelatenſi regno ſumma præfuiſſe poteſtate, diploma, quod KNESEBECKIVS ex Petri Saxii pontificio Arelatenſi Aquis Sextiis typis impreſſo, produxit, probat. Sunt autem diplomatis verba ſequentia: „In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: „Ego Colradus Dei gratia Romanorum rex ſecundus reverendo Raimundo urbis Arelatenſis archiepiſcopo, „ejusdem civitatis clero & populo gratiam ſuam & „omnem bonam voluntatem. Antiqua regni conſuetudo celebris & imperatorum inſtituta regum Romanorum diſcretionem noſtram ſollicitant; quatenus eccleſiarum utilitatibus noſtro imperio ſubjectarum & ſpecialiter Arelatenſi eccleſiæ, cui quadam prærogativa „privilegiorum tenemur. Audeamus ſubvenire, & ut „propriæ ſedi noſtræ providere, clericos defendere, „bona illorum ad laudem & gloriam nominis Chriſti „illibata ſervare, & ne aliqua imperiorum tiremnide „(tyrannide) affligantur, maxime operam dare, ſi qua „etiam eisdem damna injuſte & abſque ratione ab aliquibus inferantur, pie & miſericorditer reformando, „eadem reſarcire. Imperialia itaque decreta ſequentes „& anteceſſorum noſtrorum clementiam imitantes tibi, „venerande Raimunde, Arelatenſis civitatis archiepiſcope, & per te eccleſiæ tuæ & ſucceſſoribus tuis noſtra „regalia in urbe Arelatenſi & totius tui archiepiſcopatus „diœceſi concedimus, S. juſtitias, monetam, judæos, „fornarias, cordam, quitale, ſeſtariam, reditus navium, montationes, ſtagna Salinarum, lacus, paludes, „paſcua de Cravo, ut habeas perpetuo tu Arelatenſis „eccleſia auctoritate noſtræ munificentiæ in pace poſſideas, & recte tui ſucceſſores, quicunque in eccleſia „Arelatenſi catholica extiterint. Concedimus etiam tibi „jurisdictionem NB. poſt nos in civitate Arelatenſi; „Inſuper confirmamus tibi dominum de Trencatalliis, „caſtrum de Salone, caſtrum de Alvernico, caſtrum de „Avalone, caſtrum S. Amantii, caſtrum Vercum, caſtrum de Mornacio, caſtrum montis Draconis, caſtrum „de Nioms, caſtrum de Vinzobrio, abbatiam S Gervaſii cum omnibus ſuis pertinentiis, piſcaria de Ponte, „quicquid Arelatenſis eccleſia in civitate vel extra per „ſeculares ſeu eccleſiaſticas perſonas habet, & poſſidet; „vel juſte habere debet, vel in antea acquirere poterit, „tibi jam dicto Raimundo & eccleſiæ Arelatenſis & ſucceſſoribus tuis concedimus. Verum ut iſta donatio ſeu „hujus privilegii confirmatio firma & ſtabilis poſteris „tuis æternaliter permaneat, præſentem paginam bulla

Digitized by Google

Beatrice *ipſiusmet Reinoldi filia* (†) & unica herede, collapſam rempublicam præclare erexit, diſerte teſtantur,

,,noſtra antea muniri juſſimus; ſi qua vero improbo-
,,rum temeritas confirmationem iſtam inquietare volu-
,,erit, banno regali ſubjaceat & pro pœna quadraginta
,,libras auri ſe daturum cognoſcat; cujus dimidium
,,fiſco noſtro & dimidium Arelatenſi archiepiſcopo fore
,,cognoſcimus. Hujus autem dor ationis, ſeu privile-
,,gii confirmationis teſtes eſſe vo'umus Henricum Mo-
,,guntinum archiepiſcopum, epiſcopos, Buccani Ger-
,,macienſem, Olibrium Baſileenſem, Surcardum Ar-
,,gentinum, Titerium archi-diaconum, Albertum
,,notarium, & alios multos.

Factum eſt hoc privilegium ab incarnatione domini MCXLIV. Anno quinto VII. regni ejus.

Largior quidem, Arelatenſes comites, qui deinde provinciæ comitum nomen aſſumebant, æque ac Burgundiæ aliarumque provinciarum comites, terras, quibus præerant, jure hæreditario habere cœpiſſe. *Hiſtoire de Bourgogne par DV CHENE liv. 1. c. 4. & 58.* Imperii tamen obſequium nondum exuerant. Arelatenſium comitum primus memoratur Boſo quidam, quem aliqui falſo Conradi Burgundiæ regis fratrem dicunt. Hic per matrimonium forte cum Bertha Boſonis Thuſciæ marchionis filia & Hugonis Arelatenſium ducis conſanguinea Arelati vicarium regimen obtinuit. Bertha, finito ſterili matrimonio cum Boſone, Raimundo Gothiæ principi nupſit. Incertum, an & hic Arelato præfuerit. A LVITPRANDO Guiennenſium princeps dicitur. Enixa autem eſt Bertha ex altero matrimonio præter Poncium Tholoſæ comitem & Guiennæ ducem (cujus filia terras has deinde attulit Wilhelmo octavo, Pictavii comiti) Wilhelmum Arelati comitem. ODILO ABBAS CLVNIENSIS ipſum *in vita S. Majoli* vocat *provinciæ præfectum*, virum illuſtriſſimum & principem Chriſtianiſſimum. DV CHENE *l. c. c. 59.* Plures poſtea provinciæ exſtitere comites. Ex poſteritate enim Guilielmi ſecundi Giſelberti I. filia primogenita Alfonſo Tholoſano comiti connubiali juncta fuit vinculo illique dos conſtituta provinciæ pars, quod cauſa fuit, quare Tholoſani comites deinde ſe provinciæ marchiones appellare cœperint. Altera Giſelberti filia Raymundo Barcinonenſium comiti nupſit, qui ex hoc matrimonio itidem provinciæ, cujus maximam conſecutus erat partem, comitis titulum aſſumſit. Nec diſceſſit ab hujus maſcula prole, usque dum, Raymundo Berengario ſine maſcula denato ſtirpe, filia ejus Beatrix illas terras una cum comitatu Forqualquierenſi marito ſuo Carolo Andegav. duci, Ludovici ſancti Galliæ regis fratri addidit. DV CHENE *l. c. lib. 4. c. 60. p. 634.* Delatus tandem eſt provinciæ comitatus ex Caroli Andegavenſium ducis & provinciæ comitis ſtirpe ad Ludovicum XI. Galliæ regem. Conquerebatur hac de re graviſſime Lotharingiæ dux, utpote natus ex filia Renati Siciliæ regis, Andegavenſium ducis & provinciæ comitis. *Septieme livre des memoires DE COMINES ch. 1.* Sed nihil impetrare potuit a Carolo VIII. quam Barri ducatum, quem Ludovicus quoque detinuerat. Conſtituebantur quidem in ſpeciem judices, qui cauſam deciderent; ſed illi ad conſuetudinem aliquam Galliæ, minus recte ad hunc quadrantem caſum, provocantes, ſententiam pro rege ferebant. Confer quoque *KNESEBECK in prodromo juris publici univerſ.* Prætexebant etiam Galli, provinciæ comitis teſtamentum, & ex diſpoſitione antiquorum provinciæ comitum filias & ex iis natas ab alius lineæ prole maſcula excludi. *Preuves ſur les memoires de Comines p. 113.* Sed jus teſtamentorum in terris imperii, citra imperatoris ut domini directi confirmationem, nullum eſt, & multa in Arelatenſium comitum hiſtoria adſunt exempla, propter ſexum a linea ad lineam non factum fuiſſe ſaltum. *KNESEBECK prodr. juris publ. univerſalis.* Avinione provinciæ comitatum Joanna Neapolitana regina mutilavit; nam eum pontifici, artibus & adulationibus ejus indulgens, cum fugam in provinciæ comitatum, ut a Ludovici Hungariæ regis, qui Neapolitano regno exercitum induxerat, tuta eſſet, capeſſeret, octoginta millibus aureorum florenorum Florentini valoris vendidit. *Abregé chronologique DE MEZERAI tom. III. p. 29.* Verum illa alienatio ex capite minoris ætatis reginæ reſcindi potuit, & quod non adeſſet imperii conſenſus, nulla fuit. Nec juvat hic provocare ad Carolum IV. quaſi ille omni ſuperiori in eum jure ſive dominio directo deceſſerit. Verum quomodo hæc res ſeſe habeat ad XXV. cap. lib. II. ubi etiam de comitatu Venuſino agitur, examinabimus. Inter regni Arelatenſis partes merito etiam auriacus refertur principatus. Autore Quercetano Renaudus quidam expeditionis in terram ſanctam, quæ anno MXCVII. ſuſcipiebatur, ſocius auriacum ſe dixit comitem. Regio deinde principatus nomine venit; mutati tituli cauſas enarrat VIGNIERIVS *in hiſt. domus Luxeburg.* & QVERCETANVS *lib. IV. c. 61.* Hic recenſet quoque, qua occaſione principatus ex terrarum, quæ Bauziennæ ſive Baſiennæ vocabantur, tractibus concreverit. JOSEPHVS DE LA PISE *in hiſtoria principum Auriacorum* primæ ſtirpis, quæ comitatum ſ. principatum Auriacum habuit, Guilielmum quendam, cui a Carolo M. fortitudinis fuiſſe præmium dicit, autorem facit. Rambaudo IV. extincto ad gentem Bellorum (Beaux) in Bertrando I. pervenit. Ab his per matrimonium Mariæ unicæ filiæ Raymundi IV. cum Joanne domino de Harlay comitum Burgundiæ propagine ad domum Cabilionenſem pervenit. JOSEPH DE LA PISE *l. c. p. 103. ſeqq.* DV CHENE *l. c. liv. 4. c. 61. 62. p. 641. ſeqq.* Naſſoviis poſtea ceſſit propter matrimonium Claudiæ Cabilionenſis, quæ ex Henrico Naſſoviæ comiti Renatum Philiberto fratri ſucceſſorem peperit. JOSEPH DE LA PISE *l. c. p. 200. ſeqq.* DV CHENE *l. c. c. 65. p. 647. ſqq.* Exſtincto deinde Guilielmo III. Angliæ rege ad Pruſſiæ regem Fridericum ut Friderici Henrici ex filia primogenita nepotem pervenit. Propter naturam enim ſucceſſionis linealis & fidei commiſſum a Renato ſtabilitum & a Guilielmo primo, nec non Friderico Henrico confirmatum, id fieri debuit. *Advis impartial d'un Avocat de Bruxelles dans l'affaire de la ſucceſſion des biens d'orange entre ſa majeſté le Roy de Pruſſe & S. A. le prince de Naſſau Siegen.* Novi, Gallos imperii in Auriacum principatum juribus opponere, quod Guilielmus Cabilonenſis ad homagium aut potius juramentum fiduciarium Ludovico XI. præſtandum ſe obſtrinxerit. Sed illud pactum captivo extortum, imperii jura imminuere non potuit. Imo ſuperioritati ipſorum principum per hoc pactum, quod dixi invalidum, non æque abrogatum eſt, cum pleraque jura territorialia & in pacto ipſis reſervata fuerint. *DV CHENE l. c.*

Annectendum adhuc aliquid erit de Delphinatu, qui Arelatenſis etiam regni partem conſtituit. Olim immediate Arelati regibus paruit; poſtea vero ipſi comites præfecti ſunt, qui non minorem ac alii, ut ad poſteros ſuos transmittere poſſent, operam impenderunt. Ex hoc tempore Delphinorum nomen, forte ab inſignibus eorum derivandum, adhibuiſſe videntur. Dicunt Guigem III. primum fuiſſe, qui Delphini nomine uſus eſt; ſed fateor, quæ ad gentis Alboniæ comitum propaginis & nominis primordia ſpectant, admodum eſſe obſcura. *Memoires de Thomaſſin. du Dauphiné.* *DV CHENE l. c. c. 68. p. 653. ſeqq.* Humberti filia & Guigis III. neptis Guilielmo Auvergnenſi comiti nupta fuit. Hunc filiæ Beatricis ſibi cognominis patrem & Delphinatus adminiſtratorem fecit. Beatrix altera, quæ cum matre ad exemplum Vignierii non eſt confundenda, ex ſecundo conjugio, quo Hugoni III. Burgundiæ duci juncta fuit, Andream Burgundiæ ducem & Delphinum Viennenſem edidit. Ex hoc ortus eſt Guiges IV. qui a Friderico II. ut rege Arelatenſi, terrarum confirmationem nactus. Poſt hujus unici filii Joannis mortem Delphinatum ad Humbertum maritum de la tour, Anna Joannis ſoror, invito Roberto II. Burgundiæ duce, ut proximiore agnato, detulit. Ex Humberti antedicti poſteris Humbertus III. Viennenſis Delphinus & comes Alboniæ (d'Albon) palatinus a papa generalis Chriſtianorum dux adverſus Turcas conſtitutus, poſtquam filium Andream (Adrianum) immatura & fatali morte amiſit, ſeculo Joannis Birelii monachi ſuaſionibus valedixit, & terras ſuas, excepto Puillenſi & Auvergnenſi tractibus, Philippo Valeſio Galliæ regi, certam pecuniam & annuos reditus ſibi & matri conjugique ſtipulans, ſalvis tamen imperii in eas juribus, ut infra probabitur, donavit

teſtantur, qui vitam magni illius cæſaris deſcripſerunt, Otto, Radevicus, Guntherus. Otto l. 2. c. 29.

DV CHENE l. c. c. 71. ſeqq. Terræ, quæ Galliæ datæ ſunt, ſequentes enarrantur: *Le Dauphiné, le duché de Campſor, le principauté Brianconnois, le marquiſat de Seſaine, les comtes de Vienne, d'Albion, de Graiſinandan, d'Embrun, de Gapencois avec les Baronies de Vaulbonne, Fucigny, Meuillon, Montalban.* Notandum autem, Viennenſium terrarum partem ſub Delphino, aliam ſub Viennenſi archiepiſcopo, & demum tertiam ſub Maſconiæ comitibus fuiſſe. Ex his Hugo partem ſuam archiepiſcopo Viennenſi vendidit, ſed illam alienationem Henricus VII. imperator ratam habere nolens, Maſconenſium gentem de ea inveſtivit; Humberto tamen Delphino deinde per ſimilem contractum, ſuffragante forte imperatore, obtigit. *DV CHENE l. c. cap. ult. p. 676.*

Conducet, ni fallor, ex Humberti donationis tabulis, quas *QVERCETANVS in probationibus geneal. Delphin. Viennenſ. p. 60. ſeqq.* integras exhibet, notabiliores quosdam paſſus afferre. *Savoir faiſons*, inquit, *que comme à la divine grace, à laquelle humaine nature ne puet, ne doit conteſter, ne ſoy deſeſperer d'icelle n'ait pleu pour voir a nous Dalphin deſſudit de fecondité de lignie deſcendant de notre corps & eué conſideration & regard a la grand conjonction & proximité de lignage, qui eſt entre le roy noſtre dit ſeigneur & ſes enfans d'une part & notre tres chere Dame & mere & nous & notre tres chere compagne la Dalphine de l'autre -- en preſence de notre ſaint pere, qui a preſant eſt par certains conſeillers du Roy notre dit Seigneur -- eué ſur tout grande & meure deliberation avec ques pluſieurs prelats, Barons, nobles & autres nos faux conſeillers & ſubjugités de notre pure & franche volonté. -- generalement & ſpecialement toutes nos autres terres comtés & baronies, que nous tenons a preſent ou autres pour nous & que nous devons tenir -- excepte nos terres de Puillo & d'Auvergne & deux mille livres de rente, que nous prenons au threſor de notre dit Seigneur à Paris, & Sauf & reſervé à nous & excepté -- auſſi dix mille livres de rente annuelle & perpetuelle de Aevirien, de Crimien, de Sablonieres, de la Balme & tout ce qui dedenz l'ile de Charnit, & les chateaux & villes de S. Donat & de Bellegarde en Viennois, de Montfort, de Montfleury, de Montbonont, de Veſile, de la Mure, de corp, & de Biaumont en Graiſvodan, & de Vulpure en Brianconois & de Chatillon & de Salanchi en la terre de ſuſigni avec toute juſtice mere & mixte impere, pour en faire & ordonner a toute notre volonté, ſoit en egliſes, ou autre part les fiez & la ſouvrainité demourant toujours a celui, qui ſera Delphin -- Et par telle condition & maniere auſſi, que le dit Monſeigneur Philippe, ou celui qui ſera Dalphin & ſes hoirs & ſucceſſeurs ou Dalphines s'appelleront, & ſoient tenus de faire ſoy appeller Dalphin de Viennois & porteront les armes du dit Dalphin eſquartelés avec les armes de France & ne laiſſeront ne puiſſent laiſſer le nom de Dalphin, ne les dites armes -- Et ne ſera ne puiſſe etre uni ne adjouté le dit Dalphiné au Royaume de France fors tant, que l'empire y ſeroit uni -- Et eſpecialement que les plus proches de lignage males & femelles en montant & en deſcendant & les collaterals auſſi nobles ſuccedent ſans teſtament au per teſtament. -- Et reſerve auſſi a notre tres chere Dame & mere ſon douaire, tant comme elle vivera; & reſervé auſſi a notre tres chere compaigne la Dalphine ſon douaire de dix mille livres, que nous lui avons aſſigné le cours de ſa vie. -- parmi dix mille livres de rente, que le Roy notre dit Seigneur nous a promis & donnés a prente en certains lieux & convenables le cours de notre vie ſeulement. -- Et parmi deux mille livres de vente a heritage a aſſevir en ce tems & convenables lieux en recompenſation & pour cauſe de deux mille livres d'heritage, que nous prenons au threſor de Paris. Et auſſi parmi ſix vingt mille florins d'or de Florence ou la valué, qu'il nous a donné & promis a payer en trois ans -- Et ſi toute la ſomme ne nous etoit paye en notre vivant, ce qui en faudroit, ſoit payé a nos enfens & leurs ſucceſſeurs deſcendans d'eux. -- -- Et en cas que nous aurions hoirs de notre corps deſcendans par loyal mariage un ou pluſieurs males ou femelles, & qu'ils mouroient ſans hoirs de leurs corps niz en loyal mariage Philippe (dux Normanniæ Philippi filius ſecundo genitus) avec les hoirs de ſon corps niz en loyal mariage doit ſucceder dans le Dalphiné &c.* Verum, quod hic de Philippo ſecundo genito filio dicitur, per aliud pactum mutatum eſt, cujus vi ad Valeſii filium primogenitum ejusque hæredes pervenire debuit. *DV CHENE l. c. p. 90.* Deinde translatio in Carolum Joannis filium ab ipſo Humberto facta eſt. *DV CHENE l. c. p. 97. 98.* Terris Arelatenſibus annumerabantur quoque marchionatus Saluciarum inter Sabaudum & Gallum aliquando controverſus, *PETRVS MATHÆVS in hiſtoria Henrici IV. lib. 3. p. 272. ſeqq.* nec non Valentinenſium, Pictavienſium & Tholoſarum comitum territoria. *DV CHENE l. c. p. 101. ſeqq.* Hic refert epiſtolam Ademarii comitis Valentinenſium, quæ Raymundo comiti Tholoſæ & marchioni provinciæ inſcripta, *regnante domino Friderico II. Romanorum imperatore*, data. Quod reliquum, forte veniam precari oportet, quod, quæ de Arelatenſis regni territoriis hic prolata ſunt, non convenientori ſunt reſervata loco. Veritus ſum, ne in tanta rerum, circa quas jam verſor, copia, ſi unum aut alterum hic poſitum alii dare conſtituiſſem loco, ejus oblitus eſſem.

(†) *Ipſiusmet Reinoldi filia)* GÖBEL. *ALBERICVS in chr. ad ann. 1156. VRSPERGENSIS p. 217.* Et hoc modo Veſontio cum aliis primariis comitatus Burgundiæ ſuperioris locis in ejus pervenit poteſtatem, ita ut dominio directo utile adjungeret. Atque ipſum Arelatenſis regni diadema ſumſiſſe, *ANTON PAGI tom. IV. critica Baron.* duobus diplom. quæ in SAXIO reperiuntur, probat. Guilielmus quidem Beatricis patruus ſibi in comitatu, ad minimum partem quandam, deberi contendebat, & cum primogenitis ſuæ ſtirpis Burgundiæ comitis titulo ubi non deſtitit, usque dum lites, interveniente matrimonio quodam, componerentur. *L'hiſtoire de Bourgogne par DV CHENE liv. IV. c. XX.* Sed cum Friderici conjuge omnino cauſæ juſtitia ſtetit: permultis enim doctorum teſtimoniis conſtat, feuda Burgundica fuiſſe promiſcua, in quibus linealis ſucceſſio locum habuit. *OTTO FRISINGENSIS lib. 2. c. 29.* cujus autoritate potiſſimum CHIFLETIVS & ZYPÆVS nituntur. Quæ hic a perſonato Petro von Hohenhard ſive *DOMINO DE LVDWIG in Neoburgo Pruſſico p. 178. ſqq.* obmoventur dubia, a perſpicaciſſimo Gundlingio, Neoburgum illud Burgundiæ olim partem vindicanti *p. 9. ſeqq.* egregie diſcutiuntur. *Hiſtoria nos docet*, inquit *KNESEBECK in prodromo juris publici univerſalis, in regnis Arelatenſi & Burgundico omnia fere feuda fuiſſe fœminina. Sic Burgundia comitatum ad Suevos, Meranicos, Burgundos, Matiſconenſes & Cabilonenſes, Francos, Burgundos ducales priores, Flandros, Burgundos ducales poſteriores, Auſtriacos Delphinatum ad Burgundos & Turrios; quin & provincia comitatum ad Barcinonenſes, Andegavos ſecundos & tertios per fœminas tranſiiſſe.* Deſumta hæc ſunt ex *BLONDELLI præfat. apologetica plag. XX. n. 6.* Otto I. filius natu minimus Friderici Barbaroſſæ, una cum Burgundiæ comitatu, Arelatenſis palatini & regis titulum nactus eſt. OTTO FRISINGENS. & GVNTHERVS, quos QVERCETANVS *liv. IV. de l'hiſtoire de Bourgogne* citat. Hujus filia Ottoni Meraniæ comiti nubens, ei Burgundiæ comitatum procuravit. Alix filia Ottonis III. ut VIGNIER & GOLLVT docent, vel ejus ſoror, ut PARADINVS opinatur, conſanguineo Hugoni Cabilonenſi in dotem attulit, atque ſic lites, quæ inter utriusque familiam vigebant, ſublatæ ſunt. DV CHENE *l. c. c. 25. ſeqq.* Porro Joanna Otholonis ſive Ottonis IV. filia cum Philippo Pictav. comite, Philippi pulchri filio, matrimonium contraxit. Dicunt, ab Ottone IV. conſtitutum eſſe, ut ad Philippum comitatus tranſiret, licet ſibi adhuc maſcula naſceretur proles. Atque ita Robertum poſt illud pactum natum æque ac Blancam omni ſuo in Burgundiam juri renunciare coactos fuiſſe. Verum diffiteri non poſſum, mihi cum GOLLVTO *in comment. de Burgundia comitatu*, hanc rem dubiam videri. Forte magis veritati conveniens eſt, quod, Roberto demum exſtincto, ad Galliæ regem comitatus pervenerit, quem poſtea Joanna de Francia ex Philippo longo Galliæ rege & matre cognomine nata Ottoni (Eudes) in dotem dedit. MEZERAI *abrége*

c. 29. *Beatricem imperator in matrimonio ſortitus, non ſolum Burgundiam ſed & provinciam imperio JAMDIV ALIENATAS, ſub uxoris titulo familiariter poſſidere cæpit.* Radevicus *l. 1. c. 11.* agens de comitiis imperii.

chr. tom. 2. p. 837. LEIBNITII *Cod. dipl. Mantiſſ. P. I. p. 29.* Natus eſt ex hoc matrimonio Philippus Burgundiæ comes, qui filium habuit cognominem prolis expertem. Hoc denato, comitatus ad ſponſam ejus Margaretham Flandriæ comitem, Margarethæ, quæ Joannæ de Francia ſoror erat, filiam delatus eſt. Hæc poſtea Philippum audacem Burgundiæ ducem maritum habuit. *DV CHENE l. c. lib. IV. c. XXXI. p.* 561. 562. Nec minus, quod feminina ſucceſſio in illis terris locum habuerit, comprobat exemplum Stephaniæ, Gilberti II. provinciæ comitis anno 1140. denati filiæ. Etenim contra patruum Berengarium ſibi provinciæ comitatus partem attribuit, atque de illa Raymundus maritus ejus burgi novi Arelatenſis & Falthiarum urbium dominus, haud dubie filii nomine, a Conrado II. (III.) inveſtitus eſt. Marito quidem e vivis ſublato, Stephania jure ſuo in provinciam decedere adacta: Verum filius ejus primogenitus Hugo hoc pacto ſtare noluit, & dubio procul comitatu potitus eſſet, niſi Fridericus I. eum Raimundo Berengario per Richildam Caſtellæ reginam filio Berengarii nuptum datam, ſibi imprimis charo, contuliſſet. KNESEBECK hæc ex PETRI SAXII *pontificio Arelatenſi ſub Guslielmo primo & Raimundo II. a Boleno archiepiſcopis* tradita refert. Sed neſcio, an hæc KNESEBECKII, ut ait, ex *pontificio Arelatenſi* allata, ubique recte ſe habeant, cum mihi, brevi ſaltem temporis ſpacio pontificii illius copiam habenti, locum illum inſpicere non fuerit datum. Non dubito tamen, quin hæc ſit Stephania illa Dulciæ Raymundi Barcin. comitis uxoris ſoror, de qua AVTOR *geſtorum comitum Barcinonenſium* apud *PETRVM DE MARCA in Marca Hiſpanica c. XVI. p.* 546. loquitur. Sed ſi hoc ita ſe habet, Girberti comitis annus emortualis minus recte 1140. dicitur, quoniam 1112. non amplius fuit ſuperſtes. *BALVZ. append. ad M. H. p.* 1238. Pactum illud, per quod Stephania Raymundi de Baucio vidua una cum filiis Hugone, Bertrando & Guilielmo, juri ſibi in provinciæ comitatum attributo renunciavit, non cum Dulciæ marito, ſed cum ejus filio eſt initum: nam ille anno MCXXXI. diem obiit ſupremum; pactio autem anno MCL. eſt confecta. *MARCA in appendice Marca Hiſpan. p.* 1308. *n.* 410. Quod autem Stephaniæ ejusque proli nullæ in provinciæ comitatu debitæ fuerint partes, in pacto hæc additur ratio: *quia Giſebertus comes pater ſuus & mater ſua mater Girberga eam maritaverant & hæreditaverant.* Hæc ſane Gundlingii adjuvant ſententiam, in feudis Burgundicis, deficiente maſcula prole, filiam paterni mortis tempore capillos, ut virginitatis ſymbolum, oſtentantem, licet natu minorem, maritatæ in ſucceſſione prælatam: quodſi vero utraque nuptum data & dotata fuerit, natu minorem cum poſteris ſuis per natu majorem ejusque deſcendentes excluſam eſſe. Addebat haud dubie Raymundi Barcinonenſis juri momentum aliquod, quod poſt Girberti mortem uxor ejus Girberga provinciæ comitatum cum aliis terris in filiam ſuam Dulciam ejusque maritum tranſtulerit, quæ translatio deinde ab uxore in viro eſt repetita. Loca quædam ex documentis hoc docentibus, quæ in *BALVZII append. cit. p.* 1237. ſeqq. recenſentur, afferre conducit. *Omnibus*, inquit Girberga comes in inſtrumento donationis, „innoteſcit hominibus, quod ego Girberga comitiſſa dono tibi Dulciæ filiæ meæ omnem honorem, quem habeo, vel habere debeo quocunque modo, comitatum; videlicet provinciæ & Gavaldanenſis & Carladenſis, & illum honorem, qui eſt in comitatu Rutenenſi. Quæ omnia advenerunt mihi voce parentum meorum & largitione viri mei Girberti comitis patris tui. Præſcriptum quoque honorem, ſicut ego habeo & habere debeo, ſic dono eum tibi, ut habeas & poſſideas omnibus diebus vitæ tuæ ſine blandimento alicujus perſonæ, & de meo jure in tuo trado dominio & poteſtate, ut facias exinde, quicquid tibi placuerit.„ In inſtrumento autem matrimonii Raymundi & Dulciæ ſequentia habentur: „Ad cunctorum notitiam hominum deducere volumus, quod ego Gerberga comitiſſa Arelatenſis trado tibi Raymundo Berengarii comiti filiam meam in conjugium nomine Dulcem cum omni honore meo & cum illo honore, qui fuit Girberti comitis patris puellæ, ut habeatis & poſſideatis vos & filii veſtri, progenies atque poſteritas veſtra omni tempore absque alicujus contrarietatis obſtaculo, nominatim provinciam, quod ibi habeo & habere debeo, & comitatum Gavallanenſem, & vicecomitatum Carladenſem, & omnem honorem, quem habeo in comitatu Rutenenſi, ſicut fuit Girberti comitis & habuit & habere debuit, & ego comitiſſa Gerberga habeo & habere debeo. Advenerunt autem mihi comitiſſæ Gerbergæ præſcripta omnia partim voce parentum meorum, partim largitione viri mei Girberti comitis.„ In Dulciæ donationis diplomate hæc denique leguntur. „Quod juſtum eſt, ideo litteris commendari debet, ne geſtorum veritas oblivione deleatur. Unde ego Dulcia Barchionenſis & provinciæ comitiſſa per hanc ſcripturam omnibus innoteſcere volo, qualiter tibi venerabili comiti Raymundo, quem Dei diſpoſitione mihi juſto matrimonio copulavi, dono atque concedo totum meum honorem, quem habeo vel habere debeo per paternam ſive maternam hæreditatem vel alio modo in provincia & in Rutenenſi comitatu, vel ubicunque ſit, & in tuam poteſtatem omnino trado, ut libere & ſine ulla diminutione mecum, quamdiu vixero, habeas & poſt nos ſoboles, quæ ex nobis utrisque ſuperſtes fuerit, vel ſi forte poſt obitum meum Deus te vivere conceſſerit, totum ipſum honorem quiete & libere absque ulla contradictione habeas & poſſideas, quamdiu tibi vita comes fuerit.

Ejusmodi translationes per actus inter vivos ſive ultima elogia in Burgundiæ & Arelati feudis non fuerunt infrequentes. Nihil autem inde deceſſit ſupremo imperatorum in Arelatenſe regnum dominio; imo citra illorum expreſſum aut tacitum conſenſum diſpoſitiones illæ non valuerunt. Dolendum ſane, multas confirmationum & inveſtiturarum tabulas eſſe amiſſas. De hoc imperatorio jure egregie docent *acta conventionum inter imperatorem & Raymundum comitem Barcinonenſium ejusque fratris filium anno 1162. habitarum.* Eſt autem earum ſequens tenor: „Hæc eſt concordia facta inter imperatorem Fridericum & comitem Barcilonenſem Raymundum & filium fratris ejus comitem provinciæ Raymundum. Imperator concedit & dat in feodum comitatum provinciæ ſicut tenet comes Barcinonenſis & prædeceſſores ejus tenuerunt, a Durencia ſcilicet usque ad mare, & ab Alpibus usque ad Rhodanum, & ſicut diviſit cum comite. Amfuſo, & quod habet ultra Durenciam, ſive in Aviniona, ſeu aliis caſtris, cum omnibus pertinentiis ſuis & pertinentibus ad regale ſeu imperiale ſervitium. Inſuper dat ei in feodum civitatem Arelatenſem, ita ut omnes cives ſint ad ejus fidelitatem & ſervitium ſicut eſſe deberent ad ſervitium ipſius imperatoris, tam milites, quam populares. quod omnia regalia ipſius ſint tam in monetis quam in portubus & in ripaticis, pratis, paſcuis, ſalinis, & omnibus aquis, aquarumque decurſibus, & omnino omnia hæc, quæ ad jus imperiale ſpectant, excepto eo, quod archiepiſcopus & eccleſia Arelatenſis habet vel habuit a centum annis retro in ea. Præterea dat ei in feodum comitatum Forochalkerii cum omnibus regalibus ſuis pertinentibus ad comitatum, ita quod idem comes de Forochalkerii faciat hominium & fidelitatem comiti provinciæ, quemadmodum deberet imperatori; &, ſi noluerit, perdat comitatum. Comes provinciæ jurabit fidelitatem domino imperatori Friderico contra omnes homines, & hominium faciet ei, & ſervitium faciet imperio pro ſupradicto feudo. Pro regalibus autem, quæ concedit ei, tam in Arelati quam in ſupradicto feodo debet ſingulis annis in purificatione ſanctæ Mariæ apud Arelatum tam ipſe, quam ejus ſucceſſores, imperatori ejusque ſucceſſoribus, regibus & imperatoribus XV. marchas auri boni ad juſtum pondus Colonienſe. Et comes faciat nuntium ejus ſecure conduci & ei bene ſerviri per totam terram ſuam. Et cum placuerit imperatori intrare provinciam

imperii, quæ anno MCLVII. *Veſontione* (a) inſtituerat fortiſſimus ille cæſarum noſtrorum Fridericus, ita loquitur: „His ita geſtis, Fridericus ad ordinanda imperii negotia in regno Burgundiæ „animum intendit. Cumque Burgundia aliquando per ſe fortes reges habuiſſet, & per eos ſuis „gentibus præcepta dare ſolita fuiſſet, EX APPETITU LIBERTATIS, quæ, ut dicitur, res inæſti„mabilis eſt, jamdudum inſolentiam & deſuetudinem induerat obſequendi. Ea itaque terra, „quæ nonniſi multo labore & bellico ſudore ſubigenda putabatur, ita Deo ordinante paruit, quod „(niſi alia in regno diſponenda imperatorem retraxiſſent) familiariter & cum paucis usque ARE„LATVM, SEDEM REGNI BURGUNDIÆ, properare potuiſſet. Denique (*quod modo viven„tium* (b) excidit memoriam hominum aliquando contigiſſe) STEPHANUS Viennenſis archi„epiſcopus & archicancellarius de Burgundia, & ERACLIUS archiepiſcopus & primas Lugdu„nenſis, & ODO Valentinus epiſcopus, & GAUFREDUS Avinionenſis, & SILVIO magnus prin„ceps & præpotens de Claria, tunc ad curiam venientes FRIDERICO FIDELITATEM FECE„RUNT ATQVE HOMINIUM, & beneficia ſua de manu illius reverenter ſuſceperunt. Are„latenſis autem epiſcopus, & alii omnes archiepiſcopi, epiſcopi, primates & nobiles veniſſent, „idemque feciſſent, niſi mora principem adeundi compendio ſuæ brevitatis præſtitiſſet impedi„mentum: miſſis tamen per honeſtos valde & induſtrios nuntios literis, OMNIMODAM SUB„JECTIONEM ET DEBITAM FIDELITATEM IMPERIO ROMANO compromiſerunt. Brevius idem quod Radevicus perſecutus eſt Guntherus l. 6.

Interea magnos proceres Burgundia dives
Pontificesque ſuis excitos ſedibus, ultro
Regis in occurſum commoverat, omnia late
Oppida, ſeu validis munita turribus urbes,
Excipiunt illum valvis reverenter apertis.
Quaque RELICTA SIBI jam libertate vetuſta
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoſcit DOMINIUM ſupplex REGEMQUE fatetur.

8. Hæc tres illi σύγχρονοι. Superſunt vero etiamnum tabulæ variæ cæſaris illius, ordinatæ ab

„ſeu civitatem Arelatenſem, tam comes quam comitatus „& civitas & tota terra ſint ad ejus fidelitatem & ſervi„tium & mandatum. Comes etiam provinciæ dabit do„mino imperatori XII. millia morabatinorum bonorum, „& dominæ imperatrici II. millia, & curiæ mille usque „ad nativitatem Domini. Comes quoque provinciæ do„minum papam victorem recipiet, & per totam terram „ſuam tanquam catholicum & univerſalem papam recipi „faciet, & obediet, & ei obediri faciet bona fide absque „fraude & malo ingenio, & legatos ſuos recipiet. Et ſi „aliquem epiſcopum dominus papa victor depoſuerit, co„mes eum non manutenebit, & laborabit bona fide, quod „alius ſubſtituatur, qui ei obediat. Rolandum autem & „ejus cardinales ceteroſque nuntios ejus terram ſuam in„trare non permittet, & ubicunque poterit, bona fide ca„piet eos, & tanquam hoſtes tractabit.

Sed quæritur, an Fridericus I. eadem in Burgundiæ ducatu, qui cum aliis terris per Ludovicum, Ludovici germanici filium, Teutonibus eſt acquiſitus, & ab Ottonibus aliisque imperatoribus conſervatus, uſus ſit autoritate. Antequam ad hanc reſpondeamus quæſtionem, monendum erit, Robertum, Galliæ regem, filio ſuo ſecundo genito Henrico Burgundiæ ducatum dediſſe. Nactus autem illum erat, Henrico Burgundiæ duce ſine prole mortuo. GLABER RODULPHUS *lib. 3. c. 9.* QVERCETANUS *in hiſtor. Burgundiæ lib. 3. c. 3.* diplomata, in quibus Burgundiæ dux vocatur, exſtare teſtatur. Henricus autem Gallica adeptus ſceptra, ducatum fratri Roberto Burgundiæ ducatum permiſit, cujus poſteritas eo fruita, usque ad Philippum, quem *robur* cognominabant. Hoc ſine prole exſtincto ad Joannem Galliæ regem, ex Joanne Burgundica Odonis ſorore natum, delatus eſt. Hic vero filio ſuo ſecundo Philippo contulit. QVERCETANUS *l. c. c. 4. & ſeqq.* Philippi hujus poſteritas maſcula in Carolo audace, in pugna adverſus Helvetios & Lotharingos cæſo, deſiit, cumque Ludovico XI. jura Mariæ Maximiliani I. deinde conjugis nihil curante, invaſit. Quod autem ad quæſtionem antedictam attinet, eam affirmandam puto. Notum enim eſt, & illas terras, quæ ducatum Burgundiæ deinde conſtituerunt, Germaniæ fiduciario obnoxias fuiſſe vinculo; mutatio autem non præſumitur. Nec huic nexui obeſt, quod Galli Rudolphum adverſus Carolum ſimplicem regem elegerint, quod non facturi fuiſſe videntur, ſi Germanico imperio fidelitate devinctus fuiſſet. Sed reſpondetur: Galli potiſſimum ad ejus fortitudinem & prudentiam reſpexerunt, cui ex qualicunque fiduciario vinculo, quo Germaniæ tenebatur, nihil decebat. Nec ignorabant, in eadem perſona alium fore Galliæ regem, alium Burgundiæ partis rectorem. Fridericus autem in epiſtola ad Henricum Trecarum comitem exarata ducem Burgundiæ a regionis capite divionenſem appellatum, *noſtrum dilectum & noſtrum obligatum* vocat. GUNDLINGIO, qui has literas *part. 8. c. 4. §. 9.* refert, contraria placet opinio. Verum notiſſimum eſt, vocem obligati in medii ævi ſcripturis non in communi, ſed feudali accipi ſenſu. Atque hic nexus cauſa fuit, quod imperator conſtituerit, *ducem cum toto robore imperii*, ſi Ludovicus Galliæ rex ipſum opprimere pergeret, *juvare & defenſare*. Opinatur quidem GUNDLINGIUS, Burgundiæ ducem Friderico nonniſi ex fœdere fuiſſe obligatum; ſed hujus fœderis nullibi mentio injicitur. AUCTOR *Vicelacienſis monaſterii*, qui in QVERCETANI *ſcriptorum Francicorum tom. 4.* conſpicitur, memorat quidem, Ludovicum Galliæ regem Burgundiæ comiti dixiſſe: *Miror, unde tibi fiducia, quod me inſcio, neque inconſulto talia cum imperatore condixiſti.* Verum hoc pactum nonniſi de eo, quod mentem imperatoris, in amplectendo Victore papa, ſequi velit, intelligendum eſt. Hoc vero Ludovico diſplicebat, quia illo tempore, qui duorum vaſallus erat, neutri opem ferre, aut ejus partes ſequi potuit, ſi bello contenderent, aut a ſe invicem diſſentirent, niſi illo, cum quo non ſtabat, conſentiente, aut vaſallo fiduciariam ad tempus ponente qualitatem. Enimvero nullus dubito, quin Burgundus & a Galliæ rege quædam habuerit feuda. Huc pertinent, quæ *l. c.* reperiuntur: *At vero, ſi tua majeſtas noluerit, nec prædictis pactionibus acquieſcere, nec arbitrio judicum aſſenſum præbere, ego jurejurando juravi, quod ad illius partes tranſibo, & quicquid de fiſco regis in feudum habeo, imperatori tradens ab illo deinceps tenebo.*

(a) *Veſontione*) *C. A. M.* Veſontio hactenus fuit libera urbs imperii, permanſit etiam urbs Burgundiæ. In proximis autem comitiis conſenſu procerum imperii data eſt regi Hiſpaniæ, tanquam comiti Burgundiæ. GÖBEL. De Veſontione vide CHIFLETIUM. A Ferdinando III. Hiſpanis permiſſa. *GASTELIUS de ſtatu publ. Europæ p. 459. 460. LUNDORP. tom. 5. lib. 4. c. 161. PFEFF. tom. 1. p. 765.*

(b) *Quod modo viventium*) *C. A. M.* Nemo tum temporis meminerat, epiſcopos Burgundiæ fuiſſe conſtitutos ab imperatore.

ab ipſo per Burgundiam reipublicæ luculenta teſtimonia. Ad Viennenſem archiepiſcopatum pertinentes recenſet *Johannes de Boſco* (a) Cœleſtinus cœnobita Lugdunenſis in *Viennenſibus antiquitatibus*, quæ Floriacenſis bibliothecæ eodem auctore publicatæ lævo xyſto continentur. *Quarum duæ* (b) cumprimis nobiles ſunt de archicancellariatu regni Burgundici Viennenſi archiepiſcopo compromiſſo, alteræ anno 1151. alteræ anno 1176. exaratæ. In prioribus legitur: Videlicet, ut in regno Burgundiæ ſacri palatii noſtri, archicancellarius & ſummus notariorum ſemper exiſtas, & poſt te ſucceſſores tui. In poſterioribus: „Viennenſis eccleſia, ſicut inter cæteras eccleſias & metropolitanas ſedes regni Burgundiæ gloria & honore quaſi clariore ſidere refulget, ita peculiaris gratiæ prærogativa apud imperialem celſitudinem meruit præeminere, ut metropolitanus ejus inter cæteros archiflamines principalem locum ac dignitatem obtineat, & quia princeps conſilii noſtri & archicancellarius in regno Burgundiæ & primus in aula regali & in adminiſtratione reipublicæ cæteris excellentiori dignitate præpolleat &c. Similiter Guilhelmus Paradinus *Hiſtor. Lugdunenſ. l. 2. c. 35.* producit tabulas ejusdem Friderici, quibus inveſtivit Eraclium archiepiſcopum *de regalibus eccleſiæ Lugdunenſis, & de omnibus quæ in Lugdunenſi epiſcopatu ad imperium pertinent: civitatem Lugdunenſem & totum epiſcopatum liberum facit ab omni extranea poteſtate: SALVA per omnia IMPERIALI JUSTITIA. Datum Arboſii Cab. XIV. Decemb. indict. V. anno dominicæ incarnationis MCLVII.* De eodem Friderico *l. 4. Burg. hiſt. c. 7.* ſcribit Andreas Cheſneus: *Vidi plures chartas hujus imperatoris* (c) *pro eccleſiis, Viennenſi, Lugdunenſi, Bellicenſi, aliisque in Burgundia conſtitutis; quæ fidem faciunt eum in regno Burgundiæ pro ſupremo principe agnitum fuiſſe.* (d)

9. De Ottone IV. cæſare Jacobus Spigelius ad l. 5. Guntheri: *Otto ejus nominis imperator IV. ſe Arelatenſem regem appellavit, & poſſedit. Prius illud* (e) haud memini alibi a me lectum. Poſterius certum eſt vel ex eo, quod ſigillatim regno illo qui ſumma cum auctoritate præeſſet *Marſchalli* titulo, conſtituerit Gervaſium Tilberienſem dictum, Henrici II. Angliæ regis nepotem. Hujus ſane ſui muneris meminit ipſemet Gervaſius libro, cui titulus *Otium imperiale:* hactenus quidem, quod ſciam, nondum typis edito, ſed qui MS. *in bibliotheca* (f) academiæ Juliæ & teſte Voſſio,

---

(a) *Johannes de Boſco*) *C. A. M.* Fuit monachus, ſcripſit librum de Viennenſibus antiquitatibus, loquitur autem de Vienna Galliæ.

(b) *Quarum duæ*) *C. A. M.* Archicancellariatum regni Burgundiæ quaſi in perpetuum conceſſit Fridericus archiepiſcopo Viennenſi; hodie audit Trevirenſis. De archicancellario imperii præclarum librum ſcripſit BERNH. MALLINCROT, vir ut prudentia excellens ita doctrina politiſſimus. GöBEL. MALLINGROTIUS monaſterienſis canonicorum collegii cathedralis decanus, uti eruditione, ita adverſa, qua ad epiſcopatum monaſter. adſpirans conflictatus eſt, fortuna celebris fuit. *JOHANN. AB ALPEN de vita & rebus geſtis Chriſtophori Bernhardi part. I. p. 24. ſeqq.* Liber de archicancellariis magnam autoris oſtentat eruditionem. Sunt tamen, quæ ab eruditis in eo deſiderantur. Extat hodie nova ejus editio in Wenceri de archivis collectaneis, annotationibus quibusdam auctior.

(c) *Hujus imperatoris*) GöBEL. Henricum VI. æque ac alios imperatores in ampliſſima illa terrarum ſpatia, quæ Burgundiæ & regni Arelatenſis nomine venêre, & a KNESEBECKIO *in fine prodromi J. P. U.* ex *PUTEANO*, nec non a *SCHWEDERO in J. P. p. 78.* ex *CHARONII hiſt. univerſali* enarrantur, ſummum exercuiſſe imperium, & ipſo Quercetano *in hiſt. Burgund. lib. 4. c. 8. p.* teſte conſtat. In exemplum jam adduxiſſe ſufficiat, quod lites inter Ottonem fratrem Arelatenſis regni rectorem, & palatinum & comitis Viennenſis filium, qui ſe Burgundiæ comitem vocabat, deciderit *DU CHENE lib. IV. c. 22. l. c.*

(d) *Agnitum fuiſſe*) *C. A. E.* Quaſi in ſuperpondii tamen duntaxat vicem; ſubjungam hoc loco nonnulla, quæ PETRUS DE MARCA incomparabili peritia eccleſiaſtici regiminis, præſertim quale illud fuit ſequiore ævo, longe clariſſimus, tradidit *diſſertatione de Primatibus*, cujus editionem orbis debet, ut complura alia, doctiſſimo BALUZIO §. *121.* ubi agit de primatu Lugdunenſi. „Attamen, *inquit*, aliqui hoc ſibi perſuadent ex epiſtola Philippi Auguſti regis, qui ad Innocentium III. ſcribens, his verbis utitur: Sola Bituricenſis eccleſia in toto regno noſtro primatiæ obtinet dignitatem. Alia eſt mens regis. Quæ ut aperiatur, obſervandum eſt: illis temporibus, ſcilicet anno milleſimo ducenteſimo undecimo, Lugdunenſem civitatem imperii jura coluiſſe, licet ager Lugdunenſis cis Ararim regno Galliarum accenſeretur. Quod ex antiqua diviſione, inita inter filios Ludovici pii, Rhodano, Arari, Moſæ parte & Schaldi terminabatur. Excitato deinde Burgundiæ regno, Lugduni ſolida civitas illi tributa eſt, & inter proceres regni, quod poſtea Arelatenſe dictum eſt, archiepiſcopus locum obtinuit; ut patet ex Boſonis & Ludovici ejus filii inaugurationibus, aliisque publicis actis. Unde Henricus III. imperator Adelricum Lugdunenſi eccleſiæ archiepiſcopum præfecit anno MXL. ex Glabro libro V. cap. IV. Fridericus primus collatam a deceſſoribus ſuis, poſt adjunctum imperio Arelatenſe regnum, donationem jurium regalium, tam in urbe, quam ejus agro trans Ararim, confirmavit anno MCLVII. juſſitque, ut Heraclius archiepiſcopus Lugdunenſis, exarchus & ſummus princeps palatii Burgundiæ nuncuparetur. Conceſſit ergo Heraclio, ut edicti verbis utar, totum corpus civitatis Lugdunenſis & omnia jura regalia per omnem archiepiſcopatum citra Ararim (loquitur ratione habita loci, ubi tunc conſiſtebat) in omnibus rebus, quæ in Lugdunenſi epiſcopatu ad imperium pertinet. Guido comes Lugdunenſis & Forenſis ægre tulit hanc donationem, belloque illato archiepiſcopum Lugduno expulit & ad Carthuſiam portarum aufugere coëgit, ut notat quidam ſcriptor illius ætatis apud Surium. *Item:* Civitas vero Lugdunenſis paulatim ad jus regni rediit, tuitione beati Ludovici regis a civibus adverſus archiepiſcopum interpellata; qui motus exortus arbitrio ſuo compeſcuit anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono.

„Eadem cura exercuit Philippum III. ejus filium; quæ derivata eſt in Philippum IV. qui tuitionem in dominium aperte vertit, non invita civitate, quæ opem ejus adverſus archiepiſcopum provocatione facta imploravit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo.

Ejusdem *de primatibus* libri §. 123. MARCA ſic loquitur de Viennenſi primatu, quod nonnihil faciat ad noſtrum argumentum. Ex *ODILONE in vita Adelandis Vienna dicitur SEDES REGNI BURGUNDIÆ, ejusque archiepiſcopus, comes & cancellarius regni. Comitatum Viennenſem archiepiſcopis donavit Rodulphus III. rex Burgundiæ anno 1023. eisdemque Fridericus contulit ann. 1157. ut eſſent in regno Burgundiæ SACRI PALATII ARCHICANCELLARII.*

(e) *Prius illud*) *C. A. E.* Habet tamen & PARADINUS *hiſtoria Lugdunenſis pag. 57.* Eſt autem & ille ſcriptor recens. Cæterum de Henrico VI. diſertis verbis ſcribit *GERVASIUS lib. otior imperialium* pene σύγχρονος, quod *Fridericus I. imperator peregrinationis iter in terram ſanctam arrepturus, filium primogenitum Henricum prius in regem Teutonicorum, Arelatenſium, & Lombardorum creaverit.*

(f) *In bibliotheca*) *C. A. E.* Codex academicus perquam mutilus eſt. Ideoque & vir optimus MADERUS potuit

ſio, Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti reperitur. Theodoro Niemio Gervaſius ille *l. 2. de ſchiſmate cap. 19.* audit: *Orator Arelatenſis & Ottonis IV. Cancellarius.* (a) Si Arelatenſe autem regnum ita fuit in poteſtate Ottonis, multo id magis veroſimile eſt de Burgundici regni provinciis aliis.

10. Sunt qui tradant, ab hoc Ottone datum Petro Sabaudo clientelare dominium in Taurinos, Veragros, Saluſſios, Vaulxioſque. Sed fugit illos ratio: ut recte notavit in Petri illius hiſtoria Lambertus van der Burch. Verius eſt, quod Lambertus idem narrat de Thoma Sabaudiæ tertio comite: Illum *adverſus pontificem Romanum, in Friderici ejus nominis imperatoris ſecundi gratiam, bellum invitum reluctantemque ſuſcepiſſe.* Quod eſt inſigne teſtimonium imperii in Sabaudum a Friderico illo cæſare exerciti.

11. Eidem cæſari Raimundum comitem Toloſanum anno MCCXXXV. de Marchia Provinciæ *hominium feciſſe,* (b) teſtis eſt Andreas Cheſneus. l. 4. Burg. cap. 9. Ab eodem cæſare Raimundum Berengarium provinciæ comitem in equeſtrem ordinem fuiſſe aſcitum, notavit in Chronico ſuo Gotfredus S. Pantaleonis monachus Agrippinenſis. Inter tabulas Viennenſes, quas Joannes de Boſco collegit, non unæ exſtant hujus cæſaris; interque eas cumprimis nobiles ſunt anno MCCXIV. exaratæ, quibus Viennenſi archiepiſcopo ejusque ſucceſſoribus *ſacri palatii archicancellariatus* confirmatur. Provinciæ comitatum *de imperio eſſe,* comitem provinciæ *imperatoris fidelem* fuiſſe, eodem tempore diſerte tradidit Matthæus Paris in Henrico III. *Angliæ rege.* (c) Ipſemet Ludovicus ſanctus Galliæ rex, *Arelatenſis eccleſia ſitu eſt in imperio,* ſcripſit anno MCCLIX. in charta quadam de caſtro Balecrienſi; & conventionis cum Raimundo Toloſæ comite initæ tabulis paſſus eſt inſeri: *Terram*

publicare typis otiorum illorum nomine tantum pauca operis capitula.

(a) *Cancellarius, C. A. E.* Laudatus a nobis paulo ante *MADERUS in præfatione ad lectorem* quædam ex Gervaſiani operis, neſcio quo codice, attulit ad noſtrum hunc locum pertinentia. Partem eorum jam ſupra produximus, nunc ſubjungemus nonnulla alia, petita ex capitulo de inſulis mediterranei maris. Igitur cum dixiſſet, *juxta fluenta Rhodani vigere flatus, & homines generari ventoſos, inanes, inconſtantes & in promiſſis ſuis maxime mentientes; quod, qualis ſit materia, tale ſit materiatum, qualis aer, talis in humano corpore ſit complexio;* ſubjungit ſtatim illa, unde liqueat, tunc temporis exiguam fuiſſe imperatoris illius Ottonis IV. in regno Burgundiæ auctoritatem, nec juſtam curam in illo adminiſtrando fuiſſe adhibitam, ac proinde populum laſcivíſſe. Quod Gervaſius cupiit emendatum. Unde & ait: *Princeps ſacratiſſime ac domine, ſatius eſſet muniri imperium in diviſione terrarum, quam ſic ſine correptione a ſua iniquitate corrumpi, propter tuæ defectum juſtitiæ.* Cum addidiſſet porro nonnulla de utilitate illius regni jam ſupra producta, tandem ita loquitur: „Eſt enim gens, quam provincialem appellamus, conſilio perſpicax, ope cum vult efficax, ſine armorum pondere bellicoſa, pro ſua paupertate in cibando larga, in nocendo inſidioſa: inter probra tacitura, „cum locus aut tempus ſuppetit, malefacta memorat: „bello navali circumſpecta & victorioſa: caloris patiens „ac frigoris famisque tolerans. Pergit: Si dominum „continuum haberet, nulla gens citius frangeretur ad bonum, ac nulla, quia non eſt, a quo regitur, paratior ad „malum. Item: Terra præ omnibus fructuoſa, ſalibus, „piſcibus, lapidicinis, ſtagnis, lacubus, montibus, paludibus, fontibus, rivis, fluviis, nemoribus, ſilvis ac paſcuis „delicioſa. Cum in omnibus abundet, in ſolo rectore ac „principe bono egena eſt. Tibi hoc eſt, Domine, quod „imputetur, qui caput tenes imperii; & cum membra „extranea moderaris, quod non minus eſſet commodum, „regere ac moderari contemnis. Hactenus Gervaſius, & quidem prudenter, ſed quaſi ſurdo cantaſſet cantilenam, in turbatiſſimo totius imperii ſtatu. GÖBEL. *vid. Leibnit. Ser. Br. T. [illegible]22.*

(b) *Hominium [illegible]ciſſe)* GÖBEL. Videtur huic obſtare, quod Guilielmus V. Auriacus princeps a Friderico II. anno 1214 Meti Arelati rex conſtitutus ſit. JOSEPH. DE LA PISE *dans l' hiſtoire des Princes d' Orange p. 70.* cui hoc juramentum præſtandum fuiſſet. Verum huic dubio ſatisfacit QVERCETANUS ſ. CHENIUS, monens Guilielmum pontificis ſequentem partes, Fridericum pro legitimo amplius non habuiſſe imperatore, idque Tholoſanum comitem imperatori addictum iniquo tuliſſe animo, atque ſic non Wilhelmo, quem imperator haud dubie Arelatenſi excidiſſe regno pronunciaverit, ſed Friderico clientelari jurejurando adſtringere voluiſſe. Merentur ex eodem autore l. c. p. 500. ſequentia addi: *Mais en un mot, il n'y eut rien, qui diſſipa tant cette ſouvrainité pretenduë par les empereurs, comme firent les cenſures apoſtoliques fulminées contre ce Frideric. Car elles donnerent ſujet aux comtes de Bourgogne & d' Arles & a quelques autres princes, de s' affranchir entierement de la ſubjection de l' empire. Et d' ailleurs les droits du royaume d' Arles revinrent presque en meme tems a la maiſon de France. Car Charles frere du roy ſaint Louis comte d' Anjou de provence & de Forquelquier les aquit de Raymond de Beaux prince d' Orange & d' Ermengarde ſa femme par un transaction de l' an MCCLVII. non obſtant, que toutes fois les empereurs ſubſequents ne laiſſerent d' y pretendre, jusques a Charles IV. empereur & R. de Boheme. Celui ci finalement pour quelques bons offices receus de Louis duc d' Anjou frere de Charles V. lui transporta encore entierement le Royaume d' Arles, pour lui & ſes heretiers, le demembrant & ſeparant a perpetuite de l' empire.* Sed quæ hic de Carolo IV. traduntur, pro quibus THEODORICUS DE NIM *in labyrintho nemor. union. citatur, falſa eſſe* infra docebitur. Colophonem huic capiti addent Labbeï verba, quæ in libro, qui *tableaux genealogiques* inſcribitur, tom. 2. p. 347. ſeq. extant, & in tantum, in quantum Conringii probationes non niſi nuda poſſeſſione inniti, affirmant, falſa ſunt. Jus enim non melius, quam per operationes, quæ, altera parte nihil moliente, fiunt, probari poſſunt. Origines & tituli in valde antiquis ſæpe ſunt maxime obſcuri, & a ſcriptoribus neglecti. Inquit autem Labbeus: *De Henry troiſieme ce Royaume, aux moins quant aux droits de la ſouvrainité & les reconnoiſſances feodales, paſſa a Henry IV. & a Henry V. ſes deſcendans, & nous n' ignorons par, que les autres empereurs, quoique de differentes familles de Suabe, de Saxe, de Habsbourg, de Naſſau, de Luxembourg, de Bavieres & autres de puis Frederic I. du nom ſurnommé barberouſſe (qui ſe maria l' an 1167. dans Beſançon a Beatrix fille & heretiere de Renaud comte de Bourgogne) yont auſſi pretendu avoir droit, jusques en ces dernieres ſiecles, ou on a traitté ces matieres avec plus de raiſonnemens & de connoiſſance de l' hiſtoire, que dans le tems de nos anceſtres. Herman Conringius, quoique tres habil homme, en ſon traitté de l' etenduë & des limites de l' empire, montre aſſez par la foibleſſe de preuves, qu' il allegue, que ſes droits ne ſont fondez, que ſur une poſſeſſion, qui a ete ſouvent debatuë de puis ſon commencement &c.*

Nec merentur attendi, quæ de Hungaria, Polonia, Francia & Hiſpania affert. Illæ enim Germanico imperio non niſi tributi onere fuerunt obnoxiæ, & ſi quod majus forte interceſſit vinculum, illud deinde neglectum. Gallia aliquando unum cum Germania regem habuit, Hiſpania autem nullo unquam jure ipſi fuit addicta.

(c) *Angliæ rege) C. A. E.* Idem narrat in hiſtoria anni 1240. provinciæ comiti, a Friderico II. cæſare mandatum eſſe, arma adverſus Flandrum expedire: cumque dicto non eſſet audiens, terras ejus a Toloſano comite imperatoris juſſu eſſe occupatas.

ram, quæ eſt in imperio citra Rhodanum: (a) ceu videre eſt apud Cutel. *Hiſtoria Toloſana l. 1. cap. 4.* Petrus Sabaudus cum Richardo Anglo, *tanquam imperatori, Sabaudiæ Maurienneque intuitu fidem ſuam obſtrinxiſſet, in Taurinos, Veragros, Saluſſios, Vaulxiosue plenum merumque pro ſe poſteriſque ſuiſque imperium ab eo obtinuit*, teſte Lamberto Van der Burchio.

12. Sed fruſtra ſum in colligendis ejusmodi hiſtoriis. Abunde enim vel ex hiſce paucis conſtat, poſt reſtitutam imperii per Burgundiam & Arelatenſe regnum a Friderico id nominis primo cæſare reverentiam, fines integros manſiſſe usque ad Rudolphum Habſpurgicum. Quod nunc quidem demonſtraſſe ſatis eſt pro inſtituto.

CAPUT XIV.

Regnum Daniæ binis per intervalla vicibus imperio Germanico fuiſſe obnoxium, ſed libertatem recuperaſſe.

1.

Recte Otto Friſingenſis *l. 6. Chronici c. 35.* cum feciſſet verba de Francorum imperii, inter Ludovici pii filios, tres in partes diviſione, ſubjungit: *Ex hinc diviſo regno, regna modo* (i. e. ſua ætate) *duo, orientale ac occidentale, inveniuntur: quorum alterum* (orientale) *partem Ludovici ac Lotharii, ſedemque regni Francorum palatium Aquisgrani, ac imperium urbis Romæ habet: aliud vero,* (occidentale) *quod adhuc Francorum, eo quod iſtud Romanorum vocatur, appellatur, partem Caroli tenet.* Id quemadmodum factum ſit, quave aliquamdiu fortuna propagati illi ampli fines ſint imperii Germanici, ſive novi hujus Romani, hactenus. Quoniam vero ne intra illos quidem limites continere ſe potuit imperii illius majeſtas, nobis quoque ad alia pergendum venit: quamvis pleraque illorum minus firma poſſeſſione reges cæſaresque noſtri tenuerint.

2. Illa inter primo loco DANIA in obſequium flexit, proferente jam Henrico I. aucupe, Danicis incurſionibus & rapinis irritato, *ultra Eidoram,* (b) veterem Saxoniæ limitem, vim imperii. Iſthac de re Adamus Bremenſis cap. 40. *Henricus rex cum exercitu ingreſſus Daniam, Worm regem* (c) *primo impetu adeo perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret. Sic Henricus victor apud Schliaſwich, quæ nunc Heideba* (d) *dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem ſtatuit, & Saxonum coloniam habitare præcepit.* Paulo aliter Dithmarus l. 1. *Inſuper Nortmannos & Danos armis ſibi obtemperantes fecit, & ab errore priſtino revocatos cum rege eorum Cnutone, hos Chriſti jugum portare edocuit.* Superat quidem ætate Adamum Dithmarus: quia tamen ille longe eſt iſto in rebus ſeptentrionalibus narrandis accuratior, nec *Danica hiſtoria* (e) *Cnutonem quendam* (f) regem ſed *Worm* (g) eo tempore agnoſcunt, Adamo potius fidendum eſt. Victoria iſta Henricus in ipſa Italia inclaruit. Hinc Luitprandus l. 3. c. 5. *Primus etiam hic Danos ſubjugavit, ſibique ſervire coëgit, ac per nomen ſuum multis nationibus celebre fecit.* Repetit idem c. 13. *Henrici apud Italos nomen tunc maxime clarebat, quod Danos nulli antea ſubjectos ſolus ipſe debellaret, ac tributarios faceret.* Witekindus l. 1. eam rem ita narrat: *Cum omnes in circuitu nationes ſubjeciſſet, Danos, qui navali latrocinio Freſones incurſabant, cum exercitu adiit, vicitque, & tributarios* (h) *faciens regem eorum nomine Nubam baptiſmum percipere fecit. Mendum eſſe* (i) in nomine regio non eſt dubium. De *limitaneo*

(a) *Terram quæ eſt in imperio citra Rhodanum*) *C. A. M.* Nobis cis Rhodanum.

(b) *Ultra Eidoram*) *C. A. M.* Noviſtis ex iis, quæ ſupra ad caput 4. ſunt dicta, terminum Daniæ & Sax. fuiſſe Eidoram, atque adeo, quicquid cis Eidoram, id tum Caroli M. tempore pertinuiſſe ad Francorum regnum, quicquid trans Eidoram, id Daniæ ceſſiſſe. At Henricus auceps Danicis incurſionibus & rapinis incitatus ultra Eidoram veterem Saxoniæ limitem pertulit.

(c) *Worm regem*) *C. A. M.* Hunc regem agnoſcunt illo tempore Danicæ hiſtoriæ, ſed de Marchia ibi conſtituta altum ſilentium.

(d) *Schliaſwich, quæ nunc Heideba*) *C. A. M.* Eſt proprie cis Schliano fluvium. Certe cum hic crederetur terminus Saxoniæ, Henricus tamen usque ad Schliam fluvium terminum poſuit Saxoniæ & Daniæ. Ex eo igitur tempore cœpit ibi habitare colonia Saxonum, & poſtea vero perpetuo. GöBEL. EDELWERDUS, quem DANCKWERTS *in chron. Holſatiæ* citat, hæc habet: *Anglia vero ſita eſt inter Saxones & Gothos, habens oppidum capitale, quod ſermone Saxonico Šleſwick, ſecundum vero Danos Hatby* dicitur. In originationem hujus nominis inquirit *DANCKWERTS l. c. p. 113.*

(e) *Danicæ hiſtoriæ*) *C. A. E.* Saxo L. 9. poſt Frothonem ſextum recenſet filium Gormonem, quod ex Anglia eſſet oriundus dictum Anglicum: Subjungit iterum Haraldum & huic Gormonem. Sed facile apparet, erraſſe hic Saxonem, & rerum illius temporis non ſatis fuiſſe peritum.

(f) *Cnutonem quendam*) *C. A. M.* Dani non memorant hunc regem hac ætate, nec voluerunt videri, tum temporis illos accepiſſe chriſtianiſmum. Sed Dania tum temporis eſt diviſa in varias partes; videtur itaque varios habuiſſe regulos, inter quos & Cnuto.

(g) *Worm*) *C. A. E.* ALBERTUS STADENSIS verba Bremenſis ſua faciens regem appellat GVV[illegible], alibi GORMONEM fol. 102. ita loquitur: *Apud Danos eo tempore filius Hartewich Guurm regnabat; crudeliſſimus inquam vermis & chriſtianorum populis non mediocriter infeſtus. Ipſe enim chriſtianitatem, quæ in Dania fuit, prorſus delere molitus, ſacerdotes Dei de finibus ſuis depulit: plurimos quoque per tormenta necavit.*

(h) *Tributarios*) *C. A. E.* Quod LUITPRANDUS & WITIKINDUS memorant de Danis ſubjectis & tributariis factis, neutiquam ad Daniam univerſam pertinet, ſed ſolam illam cherſoneſi partem, quam armis devicit cæſar Henricus. Non deſunt tamen, qui & hoc negent. Quos inter fuiſſe etiam ANDREAM VELLEJUM, doctum virum, merito mireris; ſi præſertim expendas illa, quibus conatus eſt fidem pene coævorum Henrico cæſari ſcriptorum, (quales utique fuerunt Luitprandus pariter & Witikindus) ac perpetuam famam convellere. GöBEL. Et ſi quis forte WITEKINDI, DITHMARI & ADAMI BR. ut Germanorum, in rebus, in quibus de gentis ſuæ præclare geſtis tradunt, ſuſpectam haberet fidem: LUITPRANDO tamen Italo memoratur, Henrici victoriam in Danos eo delatam eſſe. Nec puto, Luitprandum per dignitates, quibus in Ottonis florebat aula, ita abreptum, ut veritatem contaminare voluerit mendacio.

(i) *Mendum eſſe*) *C. A. E.* Forte Nuba aliquis fuit tunc unus regulorum Danicorum, ut & Cnuto DITHMARO memoratus. Ipſemet rex Gormo ſane manſit chriſtianorum hoſtis, nec filius ejus & poſt ſucceſſor Haraldus tunc baptizatus fuit. Diſerte ABBAS STADENSIS, cum narraſſet, poſt victoriam Henrici aucupis, religionis chriſtianæ propagandæ cauſſa in Daniam profectum eſſe Vnonem archiepiſcopum, ait: „Gurmium quidem pro inge-

neo autem magiſtratu (a) trans Eidoram conſtituto nihil etiam habet Witikindus. Nec tamen eſt, quod de Adami fide dubitemus, qui ſancte affirmat, ſibi hæc à Danico epiſcopo quodam prodita. Erat vero jam tum oppidum illud ad Sliam *nobile emporium*, (b) Rembertus in *vita S. Anſcharii c. 12.* ſcribit, ſua ætate h. e. Ludovico Ludovici pii filio regnante, *ex omni parte conventum ibi fieri negotiatumque.* Notat *Cypræus* (c) in annalibus Sleswicenſib. *l. 1. c. 7.* ab Henrico arcem extructam, *cujus veſtigia non longe ab æde Heidebujenſi ſuperſint, ut ea de re dubitare nemo poſſit, vulgo Oldenburgum vocari.* Ex quibus liquet: hac Henrici victoria promotis regni limitibus, acceſſiſſe & nobile illud emporium & vicinum agrum uſque ad Sleſwicum: ita tamen, ut ipſa illa urbs pro termino regni utriusque eſſet, quod ultra eſt Daniæ relicto. Et vero jam audivimus diſerte ita limites definientem Adamum: qui idem repetit, ut mox audiemus, *cap. 50.* Quem ſecurus Helmoldus *c. 9.* itidem ſcribit: *Fines Danorum, qui olim fuerunt apud Sleswic, transgreſſus Otto.*

3. Henrico defuncto, cum Dani legatos Ottonis & *Marchionem trucidaſſent*, (d) Otto ille magnus inſtructo exercitu omnem iſtam Cimbricam Cherſoneſum non tantum pervaſit, ſed & regem Haraldum adegit, cum Chriſtianam religionem admittere, tum regnum recipere in feudum. Hoc de Ottone non habet, quod mireris, Witekindus. Itaque juvat iterum audire Adamum Bremenſem *cap. 50.* diſſerentem. „Otto, ait ille, rex poſtquam omnia ferme regna, quæ „poſt mortem Caroli defecerant, ſuo imperio ſubjugarat, in Danos arma corripuit, quos ante „pater ejus bello compreſſit. Enimvero tunc rebellare moliti apud Heidebam, legatos Othonis „cum marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam „rem ulciſcendam rex cum exercitu invaſit Daniam, transgreſſus terminos Danorum apud Schliaſwich, olim poſitos, ferro & igne totam vaſtavit regionem, usque ad mare noviſſimum, quod „à Danis *Nortmannos dirimit*, (e) & usque in præſentem diem à victoria regis Otten Sund dicitur. „Cui regredienti Haroldus apud Sliaſwich occurrens, bellum intulit: in quo utriusque viriliter „certantibus, Saxones victoria potiti, *Danos ad naves cedere* (f) coëgerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni ſubjicitur, REGNVMQVE AB EO SVSCIPIENS „Chriſtianitatem in Dania recipere ſpoſpondit. Nec mora, ipſe Haroldus cum uxore ſua Gunhild „& filio parvulo baptizatus eſt: quem filium rex noſter à ſacro fonte ſuſceptum, *Suen Otto* (g) „voca-

„nita flectere nequivit ſævitia, filium autem ejus Haraldum ita fidelem Chriſto perfecit, ut Chriſtianitatem, quam pater ejus ſemper odio habuit, ipſe haberi „publice permitteret, quamvis nondum baptiſmi ſacramentum percepit. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS in hiſtoria anni 934. ſcribit: Rex Henricus Danos, „qui per piraticam Friſones incurſabant, vincit & tributarios facit, & Cuipiam regem eorum baptizari fecit. Videtur autem Cuipia rex eſſe illi, qui Witekindo audit Nuba.

(a) *Limitaneo autem magiſtratu*) *CONR. annot. ed.* Marchionem Sleswici fuiſſe conſtitutum ab Henrico, refert quoque CRANTZIVS, non tantum in Saxonia ſua, ſed etiam Dania. Poſteriore volumine l. 4. ita ſcribit: „Rebus Germaniæ rex præerat, qui tutandis regni finibus vigiles oculos circumferens, quum intelligeret, „Danos ex conſuetudine majorum in Saxoniam excurrere, duxit in eos, limitibus etiam tranſcenſis ultra „Eidoram, exercitum, & expugnatam urbem tunc florentem Sleſwicum fecit Saxonum coloniam, conſtituto „ibi Marchione, qui rem adminiſtrans fines imperii „tutaretur. Perquam ſane veriſimile eſt, ortum hinc „eſſe Denemarcæ nomen in Germania uſitatum: Cumque primum pertineret ad ſolam illam Cherſoneſi „Cimbricæ partem ab Henrico I. & Ottone magno ſubjugatam, poſt ad totum Daniæ regnum, etiam quod „eſt ultra Balthicum ſinum, uſu populari fuiſſe tranſlatum.

(b) *Nobile emporium*) GöBEL. *DANCKWERTHS in chr. p. 113.*

(c) *Cypræus*) *C. annot. mſc.* Recens ſcriptor, vixit ante 30. præter propter annos, præſtantis patris filius, qui pater fuit conſiliarius ducis Holſatiæ: deinde filius patri longe impar ex monumentis patriis annales Sleswicenſes congeſſit, ut merito laus debeatur patri, qui ſane vir fuit longe doctiſſimus. GöBEL. *De CYPRÆORVM annalibus Møllerus in iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi Cimbricæ part. I. c. VII. §. VII. ait:* „Liber plane egregius, „qui dum, in titulo annales tantum epiſcoporum Sleſvicenſium pollicitus, in univerſam tamen utriusque „ducatus, Slesvic. & Holſatici, hiſtoriam, civilem pariter atque eccleſiaſticam, ſe poſtea diffundit, fraude „honeſta & laudabili ſuis imponit lectoribus. Pro ſyſtemate hiſtoriæ noſtræ perfecto non auſim quidem „illum venditare, cum nonnulla in eo deſiderari, plurima vero addi poſſe, facile videam. Nihil tamen „illo doctius, nihil elegantius, nihil veterum teſtimoniis, magno cum delectu conquiſitis, ornatius, nihil „denique accuratiori ſcriptum judicio, me de rebus „noſtris legiſſe fateor, & proinde eundem hiſtoriæ patriæ ſtudioſis præ omnibus aliis hujus ſcriptoribus, „cupio eſſe commendatiſſimum.„ Johannem Adolphum Cypræum filium patriſſantem *MOLLERVS l. c.* & *LAMBECIVS in notis ad vitam Anſcharii* doctiſſimum ſcriptorem vocant. Evangelica religione, cui ut eccleſiaſtes operam dabat, derelicta, Romanæ ſe addixit eccleſiæ, & popularibus ſuis, nova quæ ſequebatur ſacra, non criminando, ad aliorum proſelytorum morem, religionem, a qua diſceſſerat, ſed modeſtia inſinuare ſategiſſe, ex annalibus ejus conſtat.

(d) *Marchionem trucidaſſent*) GöBEL. Henricum I. ad juſtum bellum Dani rapinis & invaſionibus ſuis excitaverant, atque ut ejus victoriarum curſum ſiſterent, eo, quod marchionatus Slesvicenſis nomine deinde venit, pacem redemerunt. Poſt Henrici mortem ad novas Dani redierunt injurias, legatos Ottonis ſucceſſoris ejus violando, & Slesvici marchionem jugulando, munimenta ibi dejiciendo, Vandalos, vel rectius, Vendos ſubigendo, & chriſtianam religionem profitentes ſæve habendo, quæ imperatorem in infidos hos vicinos denuo arma expedire permoverunt. Atque belli fortuna cum cauſæ juſtitia egregie conſpirante, tropæum ſibi in maris, quod Daniæ inſulas a cimbrica cherſoneſo diſtinguit, littoribus, injecta haſta ſua ſinui, qui poſtea ab eo nomen habuit, poſuit. Cumque Ottoni, ex juris rigore, in hoſtem ſuum jus in infinitum eſſet, hic fiduciario vinculo, quo ſe ſuamque gentem Germaniæ adſtringebat, ſe ab ulteriori belli mole liberare partemque terrarum amiſſarum recuperare conſultum putavit.

(e) *Nortmannos dirimit*) *CONR. annot. mſc.* Norwegiam. Hoc ſane fatentur Dani, & Otto in partem oceani projecit lanceam ſuam, ut appareret, eum hucusque pertuliſſe vim imperii, vocatur adhuc hodie Otten-Sund.

(f) *Danos ad naves cedere*) *C. ann. mſc.* Si Jutiam exceperis, Dania ſemper fuit tuta, quia Germani non fuerunt claſſe inſtructi, quod & apparet in nupero bello inter Ferdin. II. & regem Daniæ.

(g) *Suen Otto*) *C. ann. mſc.* Sueno eſt nomen gentibus ſeptentrionalibus commune: Suenotto autem hic eſt, qui devicta Britannia tanta gloria inclaruit. GöBEL. Suen Ottonem, a barba bifida apud Danos cognomentum habentem, jus Danorum in Angliam, quo pater

„vocavit. Eo tempore Dania ciſmarina, quam Jutland incolæ appellant, in tres diviſa epiſcopatus, Hamburgenſi epiſcopatui fuit ſubjecta. *Servantur in Bremenſi* (a) eccleſia præcepta regis; „quæ ſignant, regem Othonem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe, adeo ut etiam ille epiſcopatus donaverit.„ Hactenus Adamus; quem Helmoldus, Albertus abbas Stadenſis, Crantzius & alii ſolent diſſimulato nomine deſcribere. Alibi *cap. 208.* ſcribit: Jutiam ab Ottone tributo ſubjectam, & in tres epiſcopatus diviſam. Illi vero, quod ait Adamus, epiſcopatus Jütiæ ab Ottone definitos, teſtimonium luculentum præbet diploma illud Ottonis I. quod *inter Lindenbrogiana* (b) *pag. 130.* ut & alterum Ottonis III. quod *p. 133.* continetur: quæ paulo poſt adducemus.

4. Non

ejus potitus erat, renovaſſe, tradit MEVRSIVS *in hiſt. Danica lib. 3. p. 52.* Vid. etiam SAX. GRAMMAT. *in vita ejus*, & ERICI *Daniæ regis hiſtoric. narrat. de origine gentis Danorum apud Lind. p. 267.* Saxo Suenothenis nomen exilio apud Scotos deberi aſſerit.

(a) *Servantur in Bremenſi*) *C. ann. mſc.* Hodie ſuperſunt in archivo Bremenſi tabulæ Otton. M. in quibus dicitur, illum in Jutia tres epiſcopatus conſtituiſſe. Quod ſi hoc factum, adparet, Jutiam fuiſſe in ejus poteſtate.

(b) *Inter Lindenbrogiana*) *C. ann. mſc.* ERPOLD. LINDENBR. primus edi curavit in addit. ad Bremenſem. Duplex Adami hujus, curante Lindenbrogio, extat editio: altera illa in folio habet adjecta plurima diplomata, multum juvantia & lectu digna. Ex quibus etiam illa petere licet, quæ pertinent ad decidendas nuperas controverſias inter Suecos & Bremenſes. GöBEL. Autor noſter haud dubie hic loquitur de privilegiis & juribus, quæ Otto I. Adaldago archiepiſcopo largitus eſt, ex quibus conſtat, ei etiam in ipſam urbem Bremam territorialem conceſſam eſſe poteſtatem. Hæc diplomata reperiuntur etiam in dem gründlichen Bericht von der Landes-Fürſtl. Ertz-Biſchöflichen Hoch- und Gerechtigkeit. *c. VI.* Aliorum autem imperatorum idem ſtatuentium chartæ c. IIX. legi poſſunt. Notæ ſunt archiepiſcopi Bremenſis Danici ſanguinis principis cum civitate Bremenſi de hujus per artes & errorem, ut loquebatur archiepiſcopus, impetrato voto & ſeſſione in comitiis lites, cum archiepiſcopus contenderet Bremam nonniſi urbem municipalem variis privilegiis donatam eſſe. Varia utriusque partis de hoc argumento in lucem prodiere ſcripta, quorum pars tom. V. & VI. Lundorpiano continentur: Potiora autem id negotii reſpicientia ſunt ſcripta, quæ inſcribuntur: Der Vortrab, & Nachtrab. Cum Suecis archiepiſcopatus per pacem Weſtphalicam in ducatum daretur, controverſiæ recruduerunt, & Suecorum cauſa potiſſimum acta eſt in tribus ſcriptis, quorum nomina ſunt; 1) Abdruck der von den Königl. Schwediſchen ꝛc. plenipotentiarien bey ihrem Abzuge aus der Stadt Bremen hinterlaſſene remonſtration. 2) Eines vornehmen Jure Conſulti rechtliches Bedencken. 3) Gründlicher Bericht von der Landes-Fürſtl. Ertz-Biſchöfl. Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen. Sed placuit Carolo Guſtavo anno 1654. facta conventio, cujus vi Brema in quaſi poſſeſſione præſentanea immedietatis, ut ajunt, ſalvo interim regis jure maneret, usque dum res plane componerentur, ita tamen, ut regi homagium præſtaret. LVNDORP. *tom. VII. actor. publ. pag.* 963. 970. & a Bremenſibus per Königsmarckium & Roſenhamium ſumtum. *PVFENDORFF. de rebus Caroli Guſtavi lib. I. §. 36. ſq.* Verum enim vero, poſtquam hic anno 1662. de terris per inſtrumentum pacis ad Suecos in Germania translatis, inveſtitus eſſet, Bremenſium libertatem, & exemtionem a ſubjectione territoriali denuo in dubium vocare cœpit, nec putabat, ſe antedicto pacto ſtare neceſſum habere, cum leges ejus Bremenſes non una ratione violaſſent. Interim & urbs ſuam cauſam publicis agere ſcriptis non neglexit. *LVNDORP. tom. VIII. p.* 842. 966. *tom. IX. p.* 384. *ſeqq.* Et cum ferale immineret bellum, ſereniſſimorum principum Brunſuico-Lüneburgenſium interventu lites ita ſunt anno 1666. terminatæ, ut Bremenſes a voto & ſeſſione in comitiis usque ad ſeculi XVIII. primordia abſtinere deberent. *LVNDORP. tom. IX. lib. 10. p. 459.* Hodie ad votum & ſeſſionem redierunt, &, ſi recte memini, hoc, poſtquam Suecorum res in Verania peſſum ire cœperunt, conſecuti ſunt. Aliquot utriusque partis rationes, ex ſcriptis hinc inde editis referre lubet. Civitas Bremenſis urget: (1) ſibi falſo objici, quod anno 1640. 1641. per errorem ad comitia vocata ſit, atque illud per veritatis ſuppreſſionem & falſi ſuggeſtionem obtinuerit; cum ab antiquiſſimis temporibus hoc jure gaviſa ſit, quo tamen, ob privilegium ſuum, quod nullis imperii oneribus ſint obnoxii, non eſſent uti, quoniam in comitiis plerumque non niſi de oneribus imperii-ſtatibus ferendis ageretur: Cum autem tricennalis belli mala & ſe in partem onerum vocaverit, conſultum putaſſe, per deputatos ſuos & deliberationibus, quæ de iis in comitiis haberentur, adeſſe. (2) Si quas imperii collectas pendere ſuſceperit, eas immediate imperatori eſſe præſtitas. (3) Nomen urbis in vetuſtioribus imperii matriculis conſpici. (4) Se ab imperatoribus regalibus terra marique & mero mixtoque imperio donatam eſſe, illaque jura ſine ullo archiepiſcopi concurſu exercere. (5) Bremam in ſtatu publico & privato, quoad regimen, judicia, jura, ſtatum politicum & ordinationes ſoli imperatori immediate ſemper ſubfuiſſe & in regimine civitatis ab archiepiſcopo non dependiſſe. 6. Hinc rectiſſime ab imperatoribus liberam imperii urbem vocatam, & pro imperii membro habitam (7) in inſignibus ſuis habere claves & aquilam imperii. Addunt (8) urbis Bremæ cives in receſſibus cum archiepiſcopis & capitulo initis ſuos vocari ſubditos. (9) Bremæ jus ſacrorum per transactionem Verdenſem confirmari. (10) Urbem gaudere jure cudendæ monetæ, muniendi urbem, præſidii militaris, ſtapulæ, territorii &c. (11) Eam ad conventus circulares & cum aliis immediatis imperii urbibus ad Oſnabrügo-Monaſterienſem conventum vocatam eſſe, (12) cum ejus deputatis ab ipſis Suecis tanquam liberæ & imperialis civitatis legatis actum eſſe, (13) in inſtrumento pacis civitati Bremenſi ejusque territorio & ſubditis præſentem ſuum ſtatum, libertatem, jura & privilegia in eccleſiaſticis & politicis relinqui. Atque ſic merito eam omnibus illis, quæ per Ferdinandi III. diploma de anno 1646. ipſi parta aut confirmata ſunt, frui debere. Pro ducalis autem jam territorii in urbem Bremam jure ſequentia allegantur: (1) Imperatorum diplomata, quæ apud LINDENBROG. *in diplomat. Bremenſ.* item *in appendice* des Nachtrabs, & in dem gründlichen Bedencken reperiuntur. (2) Jura territorialia per tot centum annorum tractum quiete in ipſam etiam urbem eſſe exercita (3) in matricula imperii de anno 1521. quæ ex imperii placito univerſalis normæ rationem haberet, Bremam non eſſe poſitam. (4) Ab electoribus publicis ad Ferdinandum III. datis literis, quæ Gutachten vocantur, a directore moguntino, ut rerum imperii peritiſſimo, nomine eorum conſcriptis, archiepiſcopi in civitatem jus agnitum eſſe. (5) Bremenſes anno 1562. in literis ſupplicibus ad electorale collegium exaratis conqueſtos eſſe, conſules & ſenatores ex urbe profugos, ab archiepiſcopi ſui judicio avocari & ad aliud trahi forum. (6) Bremenſem ſenatum Ferdinando I. ſupplicem obtuliſſe libellum, quo imperatoris immediatam in ſe jurisdictionem deprecatus ſit, petieritque, ut cauſa ad archiepiſcopum tanquam competentem & immediatum ſuum judicem remitteretur, hisque petitis Imperatorem annuiſſe. vid. alia adhuc im Nachtrabe p. 35. 36. 38. 55. 76. 82. (7) Bremam archiepiſcopo homagium præſtitiſſe, (8) archiepiſcopo in variis cum civitate initis conventionibus, inprimis Stadenſi, teſtatos eſſe; den Ertz-Biſchof für ihren Landes-Fürſten und regierende Obrigkeit unterthänigſt zu erkennen und [illegible] ehren, und demſelben auch alle Pflichte, Folge, Gehorſam, und was ſonſt die Schuldigkeit von getreuen Unterthanen erfodert, alten Herkommens nach unweigerlich zu præſtiren und zu leiſten, (9) onera provincialia, ut aliæ civitates municipales, usque ad annum 1641. ſine

4. Non meminit hujus victoriæ, ceu ante dixi, Witekindus (nam Cypræus ineptit, quando *lib. 1. c. 8. p. 5.* ab Odone in Gallia contra Danos geſta cum hiſce confundit) ſub finem tamen *l. 3.* teſtatur, inter laudes Ottoni cæſari defuncto à populo dictas jactatum & hoc: quod cum alios *ſuperbos hoſtes*, tùm *Danos ſubjugaſſet:* & de Wigmanno rebelle ſcribit, illum ad Haroldum confugiſſe belli redintegrandi contra Ottonem cauſa. Ditmarus quoque ſilentio victoriam illam præterit, Ottonem tamen appellat *Dacia* h. e. Daniæ *ſalutem.*

5. *Saxo Danus* (a) patriæ hiſtoriæ ſcriptor ſic ſatis diſertus *l. X.* bellum illud Ottonis cum Haraldo narrat quidem, ſed & cauſſa ejus diſſimulata, & eventu falſa narratione plane corrupto. *Sed* (ait de Haraldo) *eo ſuperveniente, cæſar Jutiam, utpote regio ductu vacuam, nullo reſiſtente permenſus, cum Limici ſinus* (Lymfiord) *objectu tunc temporis Wendalam aquis claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conjectâ in undas lanceâ non ſolum iter ad Eidoram reflexit, verum & ſimilimum fuga reditum habuit. Siquidem haſtam, cujus uſum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia jaculatus, ſuum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentiſſimo curſu abſcedentes hoſtium reliquias inſecutus, Epponem extremi agminis ducem cum iis, quos repperit, trucidavit.* Hæc ille. Verum ut aliàs paſſim ita & heic prodit iniquum in Germanos animum, fidem omnem habens inſuper, & per ficta mendacia ac fabulas ineptorum poëtarum fortiſſimæ genti ſuæ laudem

omni contradictione tuliſſe, quoad imperii onera autem ſub archiepiſcopo contineri, ut & ex ipſa prima imperii in circulos diviſione pateſceret. (10) Urbem Bremam in imperii receſſibus non niſi metropolin vocari, (11) judicia urbica ſub archiepiſcopi auſpiciis & ejus nomine eſſe celebrata, & archiepiſcopum judicem in controverſiis inter ſenatum & cives exertis egiſſe, (12) archiepiſcopum omnia ſuperioritatis jura in civitatem exercuiſſe, ut ex *c. 24.* **des gründlichen Berichts** conſtat, (13) ſatis certum eſſe, Bremenſem urbem anno 1640. 1641. per errorem ad imperii comitia eſſe vocatam, & Ferdinandeum diploma per ſub- & obreptionem obtinuiſſe, (14) in comitiis memorati anni, ſæpe a legitimo tramite deflexum eſſe, (15) jus immedietatis ab imperatore per modum privilegii dari non poſſe, longe alia ejus eſſe requiſita, (16) Statuum imperii juri in ſuas urbes quæſito per imperatoria privilegia noceri non poſſe, (17) ab urbe nullo plane legitimo documento, quod unquam jus comitiorum imperii habuerint, probari poſſe, & quæ de cauſa, quod jure ſuo non ſint uſi, proferantur, vanos eſſe prætextus. (18) Quod in imperii ærarium immediate intulerit tributa, a veritate abhorrere, & ſi hoc aliquando factum fuerit, nullum inde civitatis rationibus auxilium, quoniam ex actis imperii conſtet, ſæpe illud & in aliis civitatibus municipalibus ex errore contigiſſe. (19) Non deeſſe exempla, urbes hanſeaticas & variis privilegiis imperatoriis inſtructas ceteroquin municipales cum liberis & imperialibus civitatibus confuſas, eorumque nomine compellatas eſſe. Præterea (20) argumentum a nomine, inſignibus, & ſtatuis Rolandinis ex accuratiorum jureconſultorum ſententia admodum infirmum eſſe, (21) vetuſtiores matriculas non niſi catalogos eſſe eorum, qui forte in comitiis præſentes fuerint, & olim civitates etiam municipales in comitiis comparuiſſe, ut ex matriculis de anno 1431. 1467. 1476. 1481. conſtaret, (22) vocabulum ſubditi æquivocum eſſe, nec inconſuetum illud etiam hominibus propriis & civibus ratione obſequii, quo magiſtratui municipali adſtricti ſunt, indi. (23) Bremam non ſolum aliquo ſacrorum, ſed & aliis juribus ab archiepiſcopis eſſe donatam, **gründliche Beantwortunge** *c. 15.* (24) Regalia minora & fiſcalina, nec non jus muniendi civitatem, præſidii militaris & ſtapulæ etiam aliis, quam immediatis imperii civitatibus competere exemplum in urbe Hildeſiæ eſſe & olim in Brunſuico, Minda & Magdeburgo fuiſſe. Vid. *Inſt. pac. art. X. §. V. VIII.* (25) Bremam ad conventus circulares ut liberam imperii civitatem nunquam eſſe vocatam, ut patet ex litteris conventus circularis Brunſvigæ anno 1649. inſtituti ad ſenatum Bremenſem, & ex ejuſdem conventus protocollo; ad circularem autem conventum ex ordinatione exſecutionis quælibet circuli immediata imperii membra convocanda eſſe, (26) nec vocationem illam urbis Bremenſis ad conventus extraordinarios, ubi de militiæ Succicæ ſatisfactione actum, nec directorum circuli ad civitatem Bremenſem, ne penes ſe peregrinorum militares conductus admitterent, datæ literæ jus ſtatus circularis inferre aut juribus domini territorialis Bremenſis nocere poſſe, quod & directorium circuli hujus rei ergo facta declaratio manifeſto indicat, (27) non eſſe inconſuetum, quod inter dominum territorii & ſubditos ejus pactiones conficiantur. (28) Falſum eſſe, quod Brema tanquam libera imperii civitas ad pacis negotia, quæ Monaſterii & Oſnabrügæ pertractabantur, invitata aut ad deliberationes admiſſa ſit, & ſi quid forte hic accidiſſet, erroneo illo præſuppoſito, quod Brema 1641. jus civitatis imperii immediate, rite & legitime exercuerit, inniti, (29) compellationes civilitatis, quæ complementa dicuntur, verborum lenocinia & titulorum vana nullum procreare poſſe jus. (30) Ex inſtrumento pacis civitati nulla ſarta tectaque eſſe jura, quam quæ illo tempore habuit; jus vero immedietatis non habuit, igitur illi etiam non potuit conferri: territorium ſæpe etiam in ſenſu grammatico & latiori accipi. Denique ſalvam ſaltim ex eo utrique ſuam eſſe poſſeſſionem. (31) Idem etiam tantum in pacto de anno 1654. contineri. (32) In tractatibus Habenhauſenſibus tantum ſtatutum eſſe, quod finito ſeculo XVII. civitas ad votum & ſeſſionem in comitiis adſpirare poſſet, non autem, quod inde domini territorialis juribus petitorii aliquid decedere deberet.

(a) *Saxo Danus*) *CONR. annot. mſc.* Ortus eſt Selandia Danic. vixit ſub finem ſec. XII. & initio XIII. Danicæ hiſtoriæ ſcriptor diligentiſſimus, adeo ut eloquentia ſuperet omnes ævi ſui ſcriptores, ſed gentis ſuæ admodum ſtudioſus, & ejus amore ſæpius a vero aberrat. GöBEL. SAXONIS GRAMATTICI vita & laudes in prolegomenis autore STEPHANIO editioni ann. 1644. quæ ex quatuor optima eſt, præmiſſis enarrantur. Vid. MöLLERI *Iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi Cimbrica part. I. p. 32. 33.* *CONR. annot. ed.* De Saxone hoc id, quod notavit magni & æqui judicii vir GERARDVS JOANNES VOSSIVS *l. 2. de hiſtoricis Latinis cap. 55.* dignum eſt, quod etiam hic legatur. *Saxo Grammaticus Sealandicus, Roſchildenſis in Dania eccleſiæ præpoſitus, ad Andream, Daniæ epiſcopum, hiſtoriam ſcripſit libris XVI. in qua non pauca ſunt fabuloſa: ut haud cuncta recipi debeant ἀβασανίστως. Nec tamen tantus eſt fabulator, ac nonnullis videtur, qui eum nullo habent loco. Inter hos eſt Goropius Becanus: de quo minus eſt mirandum, cum argumentum tractet, non παράδοξον modo, ſed etiam ἄδοξον. Rejicit igitur, non quicquid debet, ſed quicquid obeſt cauſſæ ſemel ſuſceptæ. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus eſt elegantia, ut ætatis illius captum plane excedat: imo cum antiquiorum & noſtri ſeculi plurimis certet. Cæterum Saxonis hiſtoricam fidem ipſimet etiam optimi quique Danicarum rerum ſcriptores, interque eos ipſe Huytfeldus magnus, Daniæ regni cancellarius, ſuſpectam orbi fecerunt, dum frequentiſſime ab ejus narrationibus abeunt, ſecuti potius ea, quæ de Daniæ rebus ſcriptores Germanici prodiderunt. Ut nunc taceam Runorum poëticas fabulas, quibus Saxo hiſtoriam ſuam, elegantiſſimo ſtilo conſcriptam, deridendam omnibus paulo prudentioribus, non exteris duntaxat, ſed etiam domeſticis, propinavit.*

dem aliquam conquirere, magno & veritatis diſpendio & famæ ſuæ dedecore, nihil penſi habens. Hinc Henrici aucupis de Wormo rege victoriam & marchionatum Sleſwicenſem ab illo conſtitutum ſilentio tegit: cauſam moti ab Ottone belli diſſimulat; imo impudenter audet victoriam Haraldo adſcribere. Verum Henrici quidem res Italico etiam teſte locupletiſſimo *Luitprando* (a) jam probavimus. Ottonis autem victoriam vel illa produnt quæ mox ſubjungit ipſemet ſui oblitus Saxo. Haquinum ſcil. Norwegum, *auditis quæ cæſar apud Jutiam geſſerat, plus opis ac fiduciæ ex Saxonicis armis quam ſuis viribus capientem, tributum Haraldo negaſſe. Haraldum vero rebus cum imperatore compoſitis, conſortium catholicæ religionis amplexum.* Nec profecto vel Hacquinus vel Haraldus ita res ſuas compoſuiſſet, ſi Otto turpi fuga ex Jutia ſe recipiens extremum ſuorum agmen Haraldo trucidandum expoſuiſſet. Imo quei Otto æternum nomen potuiſſet freto Jutico indere, ſi dignitatem ſuam fuga ejusmodi maculaſſet; Enimvero *Ottonianæ victoriæ* (b) luculenta teſtimonia ſunt hæc ipſa Saxoni narrata, non Haraldinæ.

6. Cypræus *l. 1. c. 8.* quatuor mille Danos prælio ad Slesvicum commiſſo cæſos, memorat longè veroſimiliore fide. At quod idem vult Cranzium ſecutus, marchionatum Sleswicenſem paſſum eſſe Ottonem *antiquari*, (c) & Eidoram veterem limitem regni reſtitutum, id cùm omni caret ex illo ævo ad fidem idoneo teſtimonio, tum a vero eſſe alienum, mox patebit. Cæterùm omnem Jutiam, ſive Cimbricam Cherſoneſum, in ditionem Germanici imperii veniſſe Ottonis magni auſpiciis, propagatamque aliquandiu eam dignitatem, longe clariſſimum argumentum exhibent, quas ante laudavi, *tabulæ*, (d) eoque operæ fuerit pretium utrasque heic integras legere. Priores ipſiusmet Ottonis magni, novendecim circiter annis poſt devictum Haraldum (hunc enim baptizatum ferunt anno 946.) exaratæ, ita ſeſe habent. „In nomine ſanctæ & in„dividuæ Trinitatis Otto divina favente clementia imper. Aug. Quum imperatoriæ dignitatis „officium eſſe conſtet, ut erga divini cultum officii pervigili cura inſiſtant, & quicquid augmen-

„tum

(a) *Luitprando*) CONR. *annot. ed.* Vis veritatis expreſſit hujus rei confeſſionem optimis quibusque, Danicæ gloriæ quamvis ſtudioſiſſimis, hiſtoricis. Unum pro omnibus nunc in medium adducere JOANNEM MEVRSIVM, ſatis erit, *qui lib. 3. hiſt. Danicæ* de Gormone III rege agens alia inter hæc habet: *Quæ dum foris gerunt filii, ipſe arma in Saxones capit, odio religionis Chriſtianæ, quam exſtinctam cupiebat: & auxiliis e Vandalia advocatis, miſere gentem univerſam ferro, ac flamma, populatur. Quibus rebus Henrico aucupi, Romanorum per id tempus imperatori, nunciatis, arma ille ocyus ſumit; &, ingenti quoque prælio fuſum, reprimit. Tum, ingreſſus in Holſatiam, atque agrum Sleſvicenſem, ipſum mox Sleſvicum capit, diripitque; oppidum commerciis tunc florentiſſimum, ac vicino adeo loco novam civitatem ſtruit, & Coloniam appellat: ipſo nomine poſteris teſtatum cupiens, quod huc usque imperii fines extendiſſet. Tum imponit & præfectum, qui hunc limitem tueretur; atque, ut id melius poſſet, arcem ponit munitiſſimam in propinquo illic colle, qui a Slia circumluitur: & veſtigia etiamnum muri veteris ruinæ oſtenduntur. Inſuper & eam pacis legem ſtatuit, ut religionem Gormo Chriſtianam, cui eſſet infeſtiſſimus, toto ſuo regno admitteret. Hæc omnia habet unus Meurſius.* Non poſſum non in ſignum potentiæ cæſareæ & ſubmiſſionis Danicæ ſubjungere hoc loco illud, quod memoravit *DITHMARVS l. 1.* Quod nempe Henricus coëgerit Danos abſtinere impoſterum ab hominibus in victimas immolandis; qui mos hactenus, ut olim apud omnes gentes Germanicas, fuerat Daniæ ſacerrimus. Agens enim Dithmarus de Henrico aucupe, cum dixiſſet: *Inſuper Normannos & Danos armis ſibi obtemperantes facit, & ab errore priſtino revocatos cum rege eorum Cnutone, hos Chriſti jugum portare docuit.* Addit: *Sed quia ego de hoſtiis eorundem antiquis mira audivi, hæc indiſcuſſa præterire nolo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius regni, Lederum nomine, in pago qui Selon dicitur, ubi poſt novem annos menſe Januario, poſt hoc tempus, quo nos Theophaniam domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi diis ſuismet XC. & novem homines, & totidem equos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo, ut prædixi, putantes eosdem placaturos. Quam bene rex noſter fecit, qui eos a tam execrando ritu prohibuit. Acceptabilem enim domino patri hoſtiam fert, qui humano ſanguini parcit. Præcipit enim dominus, innocentem & pium ne interficias.*

(b) *Ottonianæ victoriæ*) *C. annot. ed* Lanceam ab Ottone magno in fretum Limicum eſſe miſſam, cum eo usque exercitum duxiſſet, & nomen Ottenſund ab Ottonis illo ductu eſſe natum, usque eſt adeo certum, ut non tantum Saxoni, ſed etiam aliis Danicis ſcriptoribus expreſſerit veritas illius facti commemorationem. Etiam vero Ericus Pomeranus Daniæ rex, deceptus a ſuis, Ottonem ab Haraldo fugatum prodit in chronico, cum aliis ſeptentrionalium rerum ſcriptoribus a LINDENBROGIO edito. *Dumque*, ait p. 267. *Haraldus rex in extremis finibus regni ſui erat, ſcilicet in Hollandia, imperator totam Jutiam vaſtavit usque mare, quod ab eo Odeſund dicitur. Ibi enim lanceam ſuam in mare miſit, ad perpetuam rei memoriam. Quo audito Haraldus vehementer commotus, verſus Jutiam feſtinavit, cum furore magno. Quod intelligens imperator fugit, & in Lobete ſuperveniens Haraldus occidit Upponem ducem exercitus imperatoris, reliqui vero Teutonici fugerunt.* Quantumvis vero fugam illam Ottonis jactitent Danici ſcriptores, non tamen auſus fuit ipſe JOANNES MEVRSIVS narrationem illam tanquam dubio carentem admittere. Etenim cum dixiſſet: *nullo reſiſtente Otho usque Vendilam pervenit, ubi progredi prohibitus ſinu maris interjecto, jacta in eandem haſta, fecit, ut deinde Othonis, in memoriam expeditionis hujus, diceretur: incolæque etiamnum utrobique ubi caſtra habuere, citra fretum quidem Otho, ultra Haraldus, loca advenis oſtendunt. Hiſce paulo poſt ſubjungit: Exitum belli varie produnt. Et auctores ſunt Germani, Haraldum haud Sleſvico procul, qua peninſula coarctatur, regni viribus collectis, caſtra ſua collocaſſe, ut Othonem aut interciperet, aut ad pugnam vel invitum loco oportuno traheret; verum prælio conſerto victum eſſe, Saxo autem Vendilam usque proceſſiſſe; &, Othoniano freto mox prohibitum, fugienti, quam vincenti, magis ſimilem receſſiſſe, cæſo Epone, agminis extremi duce. Idem traditur ab Erico Pomerano: quin in fugam actum ab Haraldo Othonem, etiam Anonymus refert, in compendioſa hiſtoria regum Daniæ. Illud quidam certum putant, inſtituto cum Othone mox colloquio, ac compoſitis regni rebus, pietatem Chriſtianam amplexum Haraldum, operam navante Unno magnæ tunc exiſtimationis viro, pacem regno, ſacram pariter ac profanam, comparaſſe.*

(c) *Antiquari*) GöBEL. Addit *CYPRÆVS p. 48. Hinc Vellejus ſcribit marchionatus durationem cum mora Adami in Paradiſo recte conferri poſſe.*

(d) *Tabulæ*) *C. annot. ed.* Hæ ſunt illæ per Lindenbrogium editæ, quarum Adamus Bremenſis, quem conſtat vixiſſe Henrico IV. imperante, centum amplius annis ante Saxonem, hiſce verbis meminit: *Servantur in Bremenſi eccleſia præcepta regis: quæ ſignant, regem Othonem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe, adeo ut etiam ille epiſcopatus donaverit.* Danici tamen ſcriptores inſtitutionem illam trium Jutiæ epiſcopatuum ſolent vulgo Daniæ regibus adſcribere. Veriſimilius eſt, quod iidem narrant Suenonem II. tres illos epiſcopatus viris inſignibus contuliſſe.

„tum ſanctæ Chriſtianæ religioni adhibere potuerit, indeſinenter in hoc ſtudeant: idcirco nos „interventu dilecti archiepiſcopi noſtri Adaldagi, pro proſperitate & incolumitate imperii noſtri, „quicquid proprietatis in marca vel regno Danorum ad eccleſias in honorem Dei conſtructas, „videlicet SLIESWICENSEM, RIPENSEM, ARVSENSEM, vel adhuc pertinere videtur, vel in „futurum adquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri juris abſolvimus. Et ut epiſcopis præ„ſcriptarum eccleſiarum, absque ulla comitis vel alicujus FISCI NOSTRI exactoris infeſtatione, „ſerviant & ſuccumbant, volumus & firmiter jubemus. Servos verò & colonos in eisdem pro„prietatibus habitantes, nulli niſi eisdem epiſcopis ſervituros ab omni etiam noſtri juris ſervitio „abſolvimus, & ſub nullius banno vel diſciplina illos, niſi ſub illarum eccleſiarum advocatis eſſe „volumus. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmum & inconvulſum permaneat, hanc „chartam conſcribi, annulique noſtri impreſſione ſigillari juſſimus, quam & manu propriâ „ſubtus firmavimus. Data VI. Kalend. Julii. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXV. indi„ctione IIX. anno Domini Ottonis imperii IV, regni autem XXX. Actum Magadeburch in Dei „nomine, Amen.„

7. Alteræ hæ ſunt. „In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto Dei clementia rex. „Omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum piæ devotioni pateat, quomo„do nos ob petitionem & interventum dilecti noſtri Adaldagi, Bremenſis eccleſiæ videlicet ve„nerabilis archiepiſcopi, ac pro ſtatu & incolumitate regni noſtri, quicquid proprietatis in regno „Danorum ad eccleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet SLIESWICENSEM, RIPENSEM, „ARVSENSEM, *OTTONESWIGENSEM*, (a) vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum ad„quiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri juris abſolvimus. Et ut epiſcopis præſcriptarum „eccleſiarum, absque ulla comitis, vel alicujus fiſci noſtri exactoris infeſtatione, ſerviant & ſuc„cumbant, volumus & firmiter jubemus. Inſuper concedimus prædictarum eccleſiarum epiſco„pis, ut poteſtatem habeant emendi agros, poſſeſſiones, & prædia in omnibus regni noſtri par„tibus, ubicunque velint aut poſſint. Servos verò & colonos in eorum proprietatibus habitantes, „nulli niſi iisdem epiſcopis ſervituros, ab omni etiam noſtri juris ſervitio abſolvimus, & ſub nul„lius banno vel diſciplina illos, niſi ſub illarum eccleſiarum advocatis eſſe volumus. Ad hoc „etiam omnes fideles noſtri dignoſcant, quod nos Folgberti .... eccleſiæ epiſcopi .... „ſive qualicunque paratu euntibus in noſtri regni finibus, theloneum prorſus perdonavimus. „Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum firmum atque inconvulſum permaneat, hanc chartam „conſcribi, annulique impreſſione ſignari juſſimus; quam & manu propria ...... firmavimus. „Data XV. Kal. Aprilis, anno Dominicæ incarnationis DCCC LXXXIIX. Indictione I. anno autem „III. Ottonis regnantis V. Actum Wildeshuſen in Dei nomine feliciter, Amen.„

8. Hactenus tabulæ illæ. De Ottone II. ita ſcribit Dithmarus l. 3. p. 28. *Imperator prima expeditione Buſchuth* (b) *civitatem cepit, Danos ſibi REBELLES petens ad Sileswig properavit. Ibi etiam hoſtes ſuos foveam, quæ ad defenſionem patriæ parata eſt, & portam quæ Wiglesdor vocatur, armis præoccupari videns, conſilio Bernhardi ducis & avi meimet Henrici comitis, omnes has munitiones* (c) *viriliter exuperat*, (d)

9. Per autem eſt veroſimile, non multò poſt excuſſam iterum à Danis Germaniæ reverentiam eſſe: cumprimis ubi Sueno rex regno avito reſtitutus eò potentiæ excrevit, ut claſſe Angliam ſibi ſubjicere non dubitaret. *Quin arbitror*, (e) Henricum Sueonum regem, qui Suenone pulſo

(a) *OTTONESWIGENSEM*) *CONR. annot. ed.* De quarto illo epiſcopatu per Ottones conſtituto nullum alibi teſtimonium hactenus reperi.

(b) *Buſchuth*) *C. ann. mſc.* Quodnam oppidum fuerit, me latet, ſed ſine dubio fuit in Holſatia.

(c) *Omnes has munitiones*) *C. ann. mſc.* Prope Schleswich hodieque reperiuntur rudera antiquiſſimi monumenti, quibus reges Daniæ voluerunt munire ſuam terram ab incurſionibus, appellatur hodieque *Dänegelt.*

(d) *Exuperat*) *C. annot. ed.* Paulo poſt idem Dithmarus ſcribit: *Urbem unam in his finibus cæſar ædificans præſidio firmat.* Hæc acta eſſe anno Chriſti 976. patet ex iis, quæ mox ſubjungit. Haud dubie autem Foveæ & Portæ nomine intelligenda illa, quæ in Danewerka etiamnum ſunt conſpicua. Cæterum urbem illam ab Ottone II. exſtructam, anno ſtatim octogeſimo ſecundo a Danis iterum eſſe captam & deſtructam, dum imperator in Italia abeſt, idem Dithmarus teſtatur. Vindicatum id eſſe non proditur. Attamen ne ita quidem tunc periiſſe ibi potentiam omnem imperii, docent nos tabulæ illæ Othonis III. jam tum in medium productæ.

(e) *Quin arbitror*) *C. annot. mſc.* Ab antiquiſſimis temporibus tria in ſeptentrione fuere regna, Sueonum, Danorum & Norwegorum. His nunquam bene convenit, & modo hoc, modo illud prævaluit. Sæpiſſime major Sueonum potentia fuit, quod ipſe fatetur Saxo, niſi quod Oldenburgica familia cumprimis Margaretha regnante cœperit decreſcere Sueonum potentia. GOBEL. De Erico Sueonum rege, cognomento victorioſo, quod ab Ottone III. victus ſit, rerum Germanicarum ſcriptores, Adamum Bremenſem antecedentes non memorant, & apud ſcriptores Suecicos altum eſt ejus ſilentium. *LOCCENIVS hiſt. Suecana l. 2. p. 49.* Norwegiæ regnum ſæpe ſub Suecis aut Danis fuit. Atque ſic in nonnullis auctoribus ſub Suecorum & Danorum nomine & aliæ gentes ſeptentrionales, verſus illam plagam habitantes comprehenduntur. Diſceſſit autem Norwegia a Suecis ad Danos per matrimonium Margarethæ, Waldemari Danorum regis filiæ, cum Haquino Sueciæ regis magni Smeck filio, qui pater invitis proceribus Norwegiæ regnum permiſit. Conf. *LOCCENIVS in Magno Smeck.* Ex hoc matrimonio natus, quo defuncto mater celeberrima ſeptentrionis heroina, Norwegiæ regnum æque ac Daniam retinuit iisque deinde Sueciam adjecit. Junctaque Calmarienſi pacto regna uni paruerunt capiti, licet interdum unio illa graviter adflicta & interrupta fuerit, usque dum, Chriſtierno ſæviente, ſub Guſtavi I. auſpiciis ſe prorſus a Dania ſeparabit. Ceterum plura præclare geſſit Margaretha, virilis animi & conſilii mulier, quæ Albertum Sueciæ regem a ſuis captum, antea non dimiſit, iisque dum juri in Sueciæ regnum, ejus, ut dixi, poſtea accedens ſceptris, renunciaret. Conf. LOCCENIVS *in Alberto & Guſtavo.* MEVRSIVS *in Margaretha & Chriſtierno.*

pulſo Daniam occupaverat, jam tale aliquid molitum: ut cujus auſpiciis valida illa piratarum manus Saxoniam & Friſiam afflixerit; de qua re verba facit *Ditmarus* (a) *l. 4. p. 40.* Adamus *cap. 40.* Hunc tamen ab Ottone III. prælio ſuperatum, idem Adamus teſtatur *cap. 79.* Certe provinciam illam, utpote peninſulam atque ita hoſtium appulſibus nauticis expoſitam, claſſe valente Danos quâ Germaniæ reges nunquam inſtructi fuere, difficillimum fuit retinere.

10. *Canuto tamen* (b) primum Suenonis filio, jam non per Daniam duntaxat ſed & Angliam longe potentiſſimo, imperii parta hactenus jura ceſſit Cunradus cæſar id nominis ſecundus, filio ſuo Henrico Canuti filia in uxorem ducta. Qua de re diſertis verbis ita teſtatur Adamus *cap. 94.* de cæſare iſto differens. *Cum rege etiam Danorum ſive Anglorum, mediante archiepiſcopo* (Bremenſi ſcil. qui Unwanus dicebatur) *pacem fecit; cujus & filiam filio ſuo depoſcens uxorem, dedit ei civitatem Schliaſwich, cum marchia quæ trans Eidoram eſt, in fœdus amicitiæ. Et ex eo tempore fuit regum Daniæ.* Unde diſcimus: per Ottonem magnum non fuiſſe ſublatum marchionatum, ſed Conrado demum cæſare priſcos limites Daniæ redditos. Quâ occaſione haud dubie omni etiam reliquo per Ottonem in Daniam parto juri renunciatum eſt. Hac de cauſſa Henrici IV. ætate in hæc verba locutus eſt idem Adamus cap. 208. *Hanc Daniam à noſtris Nordalbingis* (c) *flumen Egdora* dirimit. Diuturni verò illius Germanorum in terras illas dominii luculentum teſtimonium præbet vetuſta Saxonum iis in locis & perpetua habitatio. Nec enim firmas adeo ſedes poſuiſſent ibi Saxones, ſi in plenam Danorum ditionem marchia ipſa jam tum Ottone cæſare rediiſſet. Sane Helmoldo jam tum audit Sleſwicum *civitas Saxonum Tranſalbianorum opulentiſſima.*

11. Verum extincti dudum marchionatus argumentum fortè petas ab eo: quod Saxone teſte, poſt prælium Haraldi cum Ottone cæſare, Thyra Wormonis conjux ſive vidua, Haraldi mater, vallo admirandi operis à Slia ad Threnam amnem, qua Hollingſtedium adjacet, ducto, intra munimentum hoc Danicum urbem Sleſwicum retraxit. Utique enim pro ſigno hoc habendum Danico juri redditi Sleſwici. Sed ut non fraudaverim fœminam animoſi facinoris laude, Saxoni tamen credere non poſſum, tum demum opus illud extructum. Veroſimilius eſt, factum illud eſſe, quum Henrico aucupe defuncto rebellantes Dani Marchiam deſtruxere. Tunc ſane rerum adhuc potiebatur rex Wormo ſed oculis captus: cujus proinde vices uxor maſculo animo ſubivit. Haraldo autem rege ſi opus fuiſſet conditum, laus illa non *Thyræ* (d) matri ſed filio Heraldo ceſſiſſet. Ab Ottone igitur dirutum ex parte dixeris Danorum illud Hexamilium, tota inſuper Jutia ſubacta. *Obiter advertendum eſt*, (e) perperam à Cypræo *cap. 10.* & aliis credi, *idem* hoc

(a) *Dithmarus*) *CONR. annot. mſc.* L. 3. p. 53. notat, Ottone III. cæſare defuncto, Danos demolitos eſſe urbem illam ab Ottone II. exſtructam.

(b) *Canuto tamen*) *C. ann. mſc.* Scilicet illo, qui Magnus dicitur ob res præclare geſtas. Pater hujus eſt Suenno, qui primus Angliam ingreſſus, ſed multo felicior fuit Canutus magnus. GÖBEL. JANUS DOUSA *in annalibus Hollandiæ p. 69.* contra Cambdenum docet, ante Egbertum jam tum Danos in Angliam impreſſiones feciſſe. Quod autem ad Canutum M. attinet, ille patre Suenone in oppugnatione S. Edmundi monaſterii in provincia Suffolckenſi ſiti, gladii ictu exſtincto, in Daniam revertere coactus eſt. Sed rebus domi compoſitis, Angliam repetiit, ſuæque naves validiſſimum ibi expoſuerunt exercitum. Verum res ipſius forte ibi parum proſpere ceſſiſſent, niſi Edmundus a fortitudine *ferrei lateris* cognomen habens, in monomachia cum Canuto ſuperior, Edrici cujusdam dolo inductus, cum eo partitus regnum, & deinde ab eodem proditore interfectus aut morbo ſublatus eſſet. SAXO GRAMMAT. & MEURSIUS *in Canuto M.* CAMBDENUS *in Britannia p. 110.* WILHELMUS MALMESB. *lib. II.* HENRICUS HUNTIGDON. *lib. V.* POLYDOR. VERGIL. *hiſt. Angl. lib. VII. p. 125. ſeq.* Non autem diuturnum fuit Danorum regimen in Anglia. Nam denato Hardiknuto ad Anglos in Eduardo confeſſore rediit. GÖBEL. *Regum Daniæ chronographus Saxo ad annum 1026.* Sæpe miratus ſum, WIPPONEM, auctorem coævum, *in vita Conradi ſalici*, ubi de matrimonio Henrici, cum Canuti filia contracto, loquitur, nullam hujus rei feciſſe mentionem. Imo majus adhuc dubium creat, quod de eo altum penes SAXONEM *lib. X. H. D.* ſilentium. Nullibi autem traditur, in terras illas, aut in Daniam imperii jus directum eſſe remiſſum: Imo dubium eſt, an Conradus circa imperii patrimonium ferro & ſanguine Germanorum acquiſitum aliquid ſine procerum conſenſu, ſtatuere potuerit. Deinde vacillat conſequentia: Eydora Nordalbingiam a Danis diremit; igitur Cherſoneſus cimbrica & Dania Germanico non ſubſunt imperio. Nam Dania jus Germanicæ civitatis nunquam eſt conſecuta, & ſic, licet Germaniæ paruerit, dici tamen potuit, ipſam a Germania Eydora diſtingui.

(c) *Nordalbingis*) *C. ann. mſc.* Sunt omnes Saxones trans Albim in Holſatia, Stormarſia, Ditmarſia.

(d) *Thyræ*) GÖBEL. *ERICUS in chronico p. 267. apud Lindenbr.* ait, Haraldum Germanis retrogreſſis, conſilio matris ſuæ opus illud inſtaurare cœpiſſe. Vid. quoque MEURSIUS *l. c. p. 48.* AUTORIS ANONYMI *hiſtor. reg. Daniæ p. 25.* Addiderunt deinde operi Waldemarus rex & Abſalon epiſcopus coctos lateres, &, quæ erant prolapſa, reſtaurarunt. AUTOR ANONYMUS *in Haraldo.* SAXO *p. 183.* & STEPHANIUS *in notis ad illum p. 200.* CYPRÆUS *c. X. p. 68.*

(e) *Obiter advertendum eſt*) *C. ann. mſc.* Memoratur Gothofredus, ut ſe tueretur, monumentum condidiſſe. Creditur igitur hoc opus idem eſſe cum opere Thyræ. Hic autem obiter nota, non eſſe plane ignotum, ita munire aliquam terram, ſi illa fuerit alicubi anguſta. Ita cæſare Septimio Severo Romani in Britannia contra Scotorum irruptiones muros duxerunt, quorum rudera hodieque ſuperſunt. Ita etiam in aliis Germaniæ locis factum, non ſemper quidem muris, ſed quandoque foſſis, unde in tot foſſas ductus eſt Rhenus a Romanis, ut exinde & hodie in Hollandia tam multi fluvii reperiantur. Ita Chinenſes moenibus ſe voluerunt defendere contra Tartaros, ſed Tartari ante paucos annos mœnibus fractis univerſum illud regnum occuparunt. GÖBEL. Primum murorum, ad Scotorum invaſiones reprimendas, exſtructorum autorem Adrianum fuiſſe, poſtmodum vero a Severo eſſe reparatos, magisque inſtructos, nonnulli tradunt. Videntur tamen levia eorum jam tum ante Adrianum exſtitiſſe initia, ſiquidem dici poterit, opus a Julio Agricola communitum, ab Adriano continuatum eſſe BUCHERIUS *in Belgio Romano p. 190. 496.* CAMDENUS *in Britannia in muro pictico p. 711.* CYPRÆUS *in annal. Sleſvic. p. 63.* Celebratur deinde etiam Gallionis Ravennatis opus. Verum enim vero agrimenſor, qui valli longitudinem ſub finem præteriti ſeculi dimenſus eſt, tres ibi muros multis in locis parallelos procurrere, affirmavit. THOMAS GALE ad *Antonini iter Britann. p. 31.* De Chinenſium opere, quo in vanum Tartarum impreſſiones avertere moliti ſunt, non ita admirando, ut vulgo creditur, vid. *Memoires de Chine par le P. Comte.*

hoc opus (a) jam à Gotfredo rege ætate Caroli magni inceptum. Gotfredi enim illud ipſam Eidoræ annis ſeptemtrionalem ripam munivit, ut diſerte retulit Aimoinus & annalium Francorum auctor ad annum DCCCVIII. Verum hoc obiter: Redeundum ex diverticulo in viam.

12. Poſt Conradi cæſaris tempora in Danos nihil tentatum legas usque ad Lotharium cæſarem, circa annum MCXXX. *Ea tempeſtate* (b) Magnus Nicolai regis Daniæ filius patruelem Canutum, pridem Sleſwicenſium ducem conſtitutum, quem Lotharius Sclavorum quoque regem creaverat, perfide ac ſummo ſcelere interemerat. Itaque in vindictam excitus Lotharius magnum in gratiam recepit, *ſi Romani imperii MILITEM* (c) *ageret*. *Qui* (verba ſunt ipſiusmet Saxonis) *cupide conditione uſus SVPPLEX Lotharium veneratus eſt. Sed inſidias parabat obſequio. Imperatore ſiquidem Eidoram remenſo, Adolfum extremos ab eo curare juſſum Magnus per inſidias adortus, non ſolùm copiis ſpoliavit, ſed etiam arma deformiter abjectantem nando fugam capeſſere coëgit.* Cæterum illâ *perfidia* (d) notâ immeritò fortaſſis affectus à Saxone Magnus eſt. Enimvero videtur huic ſcriptori, ſuperbo Germaniæ hoſti, fuiſſe perſuaſum, ſubjectionis imperio juratæ culpam poſſe à regibus ſuis ſubſecuta perfidia quadam ſe amoliri. Sane quod de Adolfo cæſo narrat, non illâ Lotharii expeditione contigit, ſed pòſt demum, cum ille Erici tutelam contra Magnum ſuſcepiſſet: quod diſerte memorat Helmoldus *cap. 52.* & Albertus Stadenſis ad annum MCXXXIII. *pag. 150.* Ad hoc idem Stadenſis ad annum MCXXXIV. ſcribit: *Lotharius imperator Coloniæ natalem Domini celebravit, paſcha vero Halverſtade, ejus curiæ affuit rex Danorum Magnus: quem pacifice ſuſcepit, ac cum HONORE ad propria remiſit.* *Quod* profecto haud facile feciſſet Lotharius, ſi perfide adeo fuiſſet auſus Magnus majeſtatem ejus *lædere.* (e) Fingit vero in illa narratione Saxo etiam hoc: tantas fuiſſe *Nicolai Dani copias, ut imperator cum eo manum conſerere formidarit.* Quis credat enim, ſi illa vis fuit Nicolao, ſupplicem illum fidelitatem cæſari juraſſe? ille vero non minus ac filius Magnus cæſari factus fuit ſupplex. Sed & aliud plane noſtri ſcriptores loquuntur. Helmoldus l. 1. cap. 5. *Magnus virtute Teutonici militis territus, apud cæſarem immenſo auro & HOMINIO impunitatem indeptus eſt.* Albertus Stadenſis: *Cæde Canuti audita, Lotharius imperator uxorque ejus Rikenza contriſtati ſunt: venitque cum gravi exercitu prope civitatem Sleſwich ad vallum Denewerch, ulturus mortem Canuti. Territi igitur reges pater & filius, venerunt SVPPLICITER ad præſentiam imperatoris, datoque ſibi immenſo auro, juſtitiam faciendam de interfectione Canuti promittunt.*

13. Major ſolito cæſaris Friderici I. in Daniam fuit auctoritas. Ipſemet cæſar, quod huc pertinet, ita memorat, *in epiſtola ad Ottonem* (f) Friſingenſem patruum ſuum. *Poſt primam unctionem Aquisgrani & acceptam coronam Teutonici regni,* (g) *generalem curiam Merſeburg in Pentecoſte celebravimus: ubi rex Danorum Petrus ad curiam noſtram vocatus venit, & HOMINIO ac FIDELITATE nobis facta, coronam regni de manu noſtra ſuſcepit.* Plenius rem omnem narrat Otto l. 2. de rebus geſtis Friderici cap. 5. *Erat illo tempore in regno Danorum inter duos conſanguineos, Petrum ſcilicet, qui & Sueno, & Gunotonem, de regno gravis controverſia. Quos rex ad ſe venire PRÆCIPIENS, curiam magnam in civitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merſeburg, cum multa principum frequentia, habuit. Eo præfati juvenes venientes,*

(a) *Idem hoc opus*) *CONR. annot. edit.* Quoniam AIMOINVS & REGINO procul abfuerunt, nec niſi fama aliquid de Gotfredi regis opere potuerunt accipere, nolim præfracte a vulgi ſententia amplius diſcedere. Sed & nihil facit ad noſtrum argumentum, quicquid credideris. GöBEL. Vid. STEPH. *in notis ad SAXON. GRAMM. p. 199. CYPRÆVS A. S. p. 63. ſeq.* Dicendum forte erit, valli prima a Godefrido jacta eſſe fundamenta, cui ſecundam addidere manum Gormo & Thyra, tertiam Haraldus & demum ultimam Waldemarus & Abſalon.

(b) *Ea tempeſtate*) *C. ann. mſc.* Canuto huic obtigerat ducatus Sleſvicenſis. Hic enim cum valeret virtute & gratia Lotharii, creavit eum in regem Slavorum, *der Wenden*, & ita fuit rex per duc. Meclenburg. & magnam partem Pomeraniæ usque ad Oderam. His enim limitibus tum conſtabat Slavorum regnum, at patruelis ejus eum perfide interemit. GöBEL. Danorum rex Ericus iter in ſanctam ſuſcepturus terram, fratri Nicolao ex concubina nato regni & filii Canuti curam commiſit, fide ab eo ſub jurejurando accepta, fore, ut, ſi forte in itinere ſupremum obiret diem, Canutum moderandis ſceptris maturum factum regere pateretur: Verum Erico inde reduce in itinere extincto Nicolaus regnandi libidini & jus & juramenti religionem poſtponendam ratus, regnum invaſit, Canutumque, ut injuriam hanc patientius ferret, Sleſvicenſi ducatu paterni regni parte placare ſategit. Sed verens Nicolaus cum filio Magno, ne Canutus aliquando paterni regni vindicem ageret, ipſum e medio collere ſtatuerunt. Quibus animis novum acceſſit incitamentum, nempe collatum Canuto a Lothario imperatore Slavorum regnum, quod ægre admodum ferebant. Periit itaque ad Rinchſtedum Canutus, Magni haud dubie manu, & ſucceſſorem reliquit fratrem Ericum, qui deinde paternum obtruncatis uſurpatoribus recuperavit ſolium. ERICVS *in chron. Daniæ p. 265. 269.* HELMOLDVS *in chr. Slav. lib. I. c. 49. 50. 51. ALBERICVS ad ann. 1130. Chron. mont. Sereni. Chron. BIGAVGIENS. p. 258. Anon. in hiſt. compend. Dan. p. 31.* SAXO GRAMATT. *lib. III. p. 236. ſeqq.* MEVRSII *hiſtor. Dan. lib. IV. p. 71. ſeqq.* Canuti mortem Lotharius ulturus militem admovit, ſed donis & juramento fiduciario a Magno expugnatus, pedem retulit. Quid autem juramentum illud præſtitum complexum ſit, dubium eſt; quoniam non Magnus, ſed Nicolaus pater ejus Danicis præerat rebus. Forte Lotharius ſibi ſufficere putavit, habere vaſallum, quem Dani, ut credebatur, mox habituri eſſent regem; niſi dicendum, Magnum patris nomine, qui itidem Lothario ſupplex factus eſt, ad fiduciarium, mandante illo ſe obſtrinxiſſe obſequium.

(c) *MILITEM*) *C. annot. mſc.* Vaſallum. GöBEL. Vid. CANGIVM & SPELMANNVM *in gloſſar.* & ANTHON. MATH. *de nobilitate lib. IV. c. X.* ubi etiam de voc. militis homonymia agitur.

(d) *Perfidia*) GöBEL. Saxoni hic adſtipulantur CRANZIVS *in Dania c. 13.* & MEVRSIVS *l. c. p. 75.*

(e) *Lædere*) *C. annot. ed.* Quinimo videtur tunc contigiſſe, quod hiſce verbis refert OTTO FRISINGENSIS *l. 7. cap. 19. In Saxoniam divertens regem Daniæ, in ſignum ſubjectionis, ad decorem imperialis reverentiæ, gladium ſibi ſub corona deferri fecit.*

(f) *In epiſtola ad Ottonem*) GöBEL. Reperitur illa epiſtola apud VRSTISIVM *tom. I. S. G. p. 403.*

(g) *Coronam Teutonici regni*) *C. ann. mſc.* Corona, quæ eſt in Germ., non eſt corona cæſarea, ſed regni Teutonici.

nientes, ejus MANDATO HUMILITER SUPPOSUERUNT, eorumque ad ultimum cauſa, judicio ſeu conſilio primatum, ſic deciſa fuiſſe dicitur. Gunoto, relictis ſibi quibusdam provinciis, regium nomen per PORRECTUM gladium abdicaret: (Eſt enim conſuetudo Curiæ, ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à principe tradantur vel recipiantur) Petrus vero ACCEPTO AB IPSIUS MANU REGNO, fidelitate & hominio ei ſe obligaret. Ita corona regni per manum principis ſibi impoſita, in die ſancta Pentecoſtes ipſe coronatus gladium regis ſub corona incedentis portavit. Gualdemarus etiam, qui ejusdem ſanguinis particeps fuit, ducatum (a) *quendam Daniæ accepit.* Rem eandem hiſce verbis cecinit l. 1. Ligurini Guntherus.

Huc etiam geminos, Petrum ſimul atque Guidonem
Danorum proceres; quos inter ſanguine junctos
Moverat ejusdem regni diſſenſio litem,
Evocat, ac tali cauſam ratione diremptam
Terminat; ut quædam provincia tota Guidoni
Cederet, at regnum cum nomine Petrus haberet,
Ergo ubi vexillo PARTEM quam diximus ille
Hic autem gladio REGNUM SUSCEPIT ab ipſo:
(Hunc etenim longo ſervatum tempore morem
Curia noſtra tenet) poſito diademate Petrus,
Regali dextra tulit alti Principis (i. e. cæſaris) *enſem,*
Præceſſitque ſacram brevius diadema coronam.

Breviter Albertus Stadenſis ad annum MCLII. *Fridericus Pentecoſte Mersburg celebravit, ubi regi Danorum Suenoni regnum confirmavit, & Canutum parte regni & poſſeſſionibus ſuis propriis contentum eſſe fecit.* Canutus eſt is, quem Guidonis nómine perperam Guntherus & Otto Gunonem appellat. *Bella illa civilia Danica* (b) Helmoldus *cap. 68. 74. & 85.* latius enarrat: omnium pleniſſimè Saxo Danicus, ſed hanc de regno Daniæ per Fridericum collato hiſtoriam maligne, more ſuo. Cum enim omnes tradant, *evocatum ad curiam* à cæſare Petrum ſive Suenonem Canutumque, Saxo contra, tantum *ad colloquium invitatum, veteris amicitiæ & commilitii monitum Suenonem, promiſſo honoris incremento, doloſa charitatis ſimulatione.* Nec Suenonem alia de cauſa comparuiſſe Mersburgi, quàm ut *ſolà ſe Germanis famâ cognitum etiam ſpectandum ſubjiceret, præſentemque famæ ſuæ miratoribus exhiberet.* Quis dubitet autem, cæſari ipſi & tot aliis rei geſtæ coævis ſcriptoribus potius fidendum, quam Saxoni huic falſimoniæ toties convicto? In clientelarem militiam cæſari Suenonem ſe dediſſe, negare non audet Saxo. Sed addit: *Reverſus in regnum Sueno, deque æmulo comitem nactus, remiſſis e veſtigio literis, fidem cæſaris aperta fraudis exprobratione damnavit, initasque cum eo pactiones OBSEQUII NEGATIONE ſubvertit; in eas ſe conditiones fallaciter adductum affirmans, in quas Danicorum adhuc regum nemo conceſſerit.* Hæc num ita geſta ſint nec ne, relinquo in medio. *Si fecit hoc Sueno,* (c) nihil præter ſolitum egit: ut quem, ceu hominem perfidia plusquam Punica, ipſemet Saxo deteſtetur. Quo ipſo teſte licet etiam hoc refellere, quod Danicorum regum nemo ante Suenonem in clientelare obſequium cæſarum conceſſerit. At veriſimilius eſt, reverenter magis cultum â Suenone cæſarem: cum ex aula reverſus ſpreto Danico ritu Germanicum amplexus ſit, cultuque Saxonico aſſumpto & in omnem militiam ſuam pertracto, uxorem etiam ex Saxonia duxerit, & regno pulſus reſtitui meruerit per Henricum leonem. Quæ omnia ipſemet Saxo fatetur.

14. Verum quicquid egerit Sueno, haud eſt, quare in magno id ponamus diſcrimine. Qui *Suenoni victo & occiſo* (d) ſucceſſit anno MCLVIII. Waldemarus I. illico quid officii ſui eſſet memor, eidem

(a) *Ducatum*) *CONR. annot. cit.* Fridericus itaque imperator etiam ducatum illum Waldemaro contulit.

(b) *Bella illa civilia Danica*) GÖBEL. Sueno Erici Edmundi filius, Canutus Magni filius, & Waldemarus Canuti filius, in Danorum regnum ſibi jus competere autumabant. Sed proceribus quibusdam Suenonem ſibi regem conſtituentibus, inter ipſum & Canutum bellum exarſit. Ad hoc componendum, res ad Fridericum Barbaroſſam delata eſt. Danici ſcriptores imperatorem arbitri munus hic exercuiſſe, contendunt MEURSIUS *part. I. lib. V. p. 89.* qui Saxonem ſequitur. Sed judicem egiſſe, tot probatorum autorum aut coætaneorum aut propius ad Friderici tempora, quam Saxo, accedentium, conſtat teſtimoniis. Quis crederet, Suenonem, victorem, Friderici effato cauſæ deciſionem permittere voluiſſe, niſi juris religione ſe ad hoc obſtrictum ſciviſſet. Si Daniæ regnum antiquo fidelitatis vinculo non fuiſſet obnoxium, dici non potuiſſet, Canutum illud in manus Friderici reſutaſſe. Nam per Fridericum de eo nondum inveſtitus erat. Sub privilegio autem Corbejenſibus in curia illa, Merſeburgi 1152. celebrata, dato, teſtium numero ſunt: *Sueno rex Danorum, qui ibidem regnum ſuſcepit de manu domini regis. Knut alter Danus, qui ibidem regnum in manum domini regis refutavit.* *SCHATEN. annal. Paterbornenſ. lib. VIII. p. 793.* A nullo veterum edocti ſumus, veritati eſſe conſentaneum, quod Meurſius tradit, in imperii tribunali pronunciatum, Daniam nullo imperio devinctam eſſe nexu, Fridericum autem ab iſta ſententia diſceſſiſſe & Suenonem, ut regnum cæſaris beneficium agnoſcere coëgiſſe, illum autem hoc alia ratione non ratihabuiſſe, quam ſi regni ordines calculum ſuum adjicerent.

(c) *Si fecit hoc Sueno*) GÖBEL. Perfidiæ crimen in Suenone ſive Petro notant rerum Danicarum ſcriptores, *SAXO GRAMM. p. 269. ANONYMUS in hiſtor. regum Daniæ p. 33. 34.* qui tamen in reliquis a recto rerum geſtarum tramite deflectere videtur. *MEURSIUS l. c.* perfidiam Suenonis, qua imperator deceptus dicitur, emollire cogitat, prætextu, eum ſub hoc pacto beneficiariam ſuſcepiſſe legem, ſi regni proceres ratum habituri eſſent. Cumque hi a tali plane abhorruiſſent nexu, id regem imperatori ſignificaſſe, ſeſeque jam a promiſſi onere liberum teſtatum eſſe. Sed hæc efficta eſſe, ex eo apparet, quod a nullo veterum, illorum injiciatur mentio. Et ſi quid tale factum, inde tamen regnum a vinculo, quo Germaniæ tenebatur, non fuiſſet liberatum. Reſtauratum enim erat, imperante Friderico, ad quod Dani imperio Germanico, optimo maximo jure ab antiquiori tenebantur tempore.

(d) *Suenoni victo & occiſo*) GÖBEL. Ad durum, quo a Suenone premebantur, jugum nauſeantes Dani, paſſi ſunt, ut a Canuto & Woldemaro, qui ipſi a Friderico in regno ſubordinati erant, aliorum procerum ope adjutis, ſolio excuſſus fuerit, ab exilio, quod apud ſocerum Conradum Wettineum toleraverat, redux, Hen-

eidem Friderico cæſari obſequium detulit. Degebat tunc cæſar Auguſtæ Vindelicorum, in Italiam moturus, jamque ſtans in procinctu. Ea de re ita Radevicus l. 1. cap. 24. *Eodem loco hisdemque diebus nuncii regis Daciæ nuper electi principis adeunt præſentiam, poſtulantes quatenus INVESTITVRAM DE REGNO ſuo regi mittere, ac electionem de ipſo factam ratihabitione confirmare dignaretur: Exaudivit eos imperator, præbito & accepto ab iis ſacramento jurisjurandi, poſt reditum ſuum de Italia infra dies quadraginta regem ad curiam venturum, & regni adminiſtrationem de manu principis, debita FIDELITATIS interpoſita ſecuritate, ſuſcepturum.* Guntherus l. 7.

Jamque precatores aderant à rege Dacorum,
Electo nuper populique favore creato,
Principis arbitrio ſceptrorum jura petentes.
Annuit hoc pacto rex, ut poſt bella reverſum
Ante quater denos properaret regulus illum
Cautus adire dies, regnum ſumpturus ab ipſo,
Obſequiique fidem jurando rite daturus.

Anno demum MCLXIII. in Germaniam reverſo cæſare, Waldemarus ille inveſtitus eſt. Abbas Stadenſis: *Anno domini M. C. LXIII. Imperator tam Rolandum quam Octavianum* (a) *vocat ad judicium, curiam indicens Biſanziæ. Venit imperator, venit rex Daciæ Waldemarus, in cujus comitatu dux Borius erat, quem ipſe poſtea ſubmerſit, quia regnum affectavit. Ibi Waldemarus duo regna Daciæ & Sueciæ ab imperatore ſuſcepit.* (b)

15. Saxo *Metis* (c) id contigiſſe fatetur etiam ipſe: ſed & heic multa admiſcet fidei plane abſimilia. Primum enim non erubuit Fridericum cæſarem doli & perfidiæ incuſare, quaſi Waldemarum domo pellexerit, tantùm ſchiſmatis pontificii ſedandi prætextu, & facta ſpe totius Slaviæ præfecturæ; â jam pertracto ad ſeſe denique præter expectationem poſtulaverit, ut in imperii clientelam regnum traderet. At vero jampridem ultro id ſe facturum Waldemarus promiſerat, & jam tenebatur inveſtituræ capiendæ ergo Curiæ reducis ex Italia Friderici ſe ſiſtere: ceu modò audivimus. Ipſemet porro Saxo ſatis prodit, Waldemarum iſthoc animo ad cæſarem iviſſe: ſcribens Esbernum quendam hiſce verbis ad regem ſuum proficiſcentem ad cæſarem uſum: *Videri quod liberam gentis ſuæ cervicem, nullisque barbarorum* (hoc nomine Saxo Germanos traducit) *obſequiis aſſuetam per fœdam & ignobilem ſervitutem miſerabili Teutonicorum jugo ſubigere cupiat. Quid autem ſtultius, ad deditionem perdurare, ſummamque libertatem extrema ſervitute mutare: inſuper regno precario quàm potenter præeſſe malle: Itaque cæſarem cum Daniam ſuæ ditionis effecerit, miraturum, quod tam validam gentem ante promiſſis ſuperaverit, quam armis tentaverit.* Ad illum ſermonem incanduiſſe quidem regem refert Saxo, nullo tamen verbo negaſſe id ſibi eſſe conſilium. Idem narrat, regi adventanti illico moram & tarditatem à cæſare exprobratam, *injurioſum eſſe, quod ante non venerit, cum ob regnum quod Romani imperii beneficio gerat, ſibi ſervitiorum debitor exiſteret.* Hæc indigne quidem tuliſſe regem, ſcribit Saxo: aſt ſatis æquo animo à rege accepta indicat illa mox ſubſecuta infeudatio. Nec enim ſpeciem veri habet, quod addit Saxo, *de omni Slavia Waldemaro* (d) promiſſa, quaſi

rici Leonis & Slavorum auxilio, terrarum amiſſarum partem recuperavit. Sed dolis plus quam armis fidens, æmulos ſuos pactione quadam, cujus vi Canuto Jutia, Woldemaro Sconia cederet, ſibi autem Selandia, ſalva eſſet, ineſcare ſtatuit, ut eo facilius deinde utrumque obtinere poſſet. Quod ad Canutum attinet ipſi res ex voto ceſſit: Woldemarus autem ex Rodſchildenſibus epulis, in quibus Canutus a Suenone obtruncatus eſt, ſalvus, licet gravi vulnere ſaucius, ipſi bellum intulit, eumque acie ſuperatum vita privavit. Interemto tyranno, Waldemarus reliquo, quod ad Daniæ regnum pertinebat, potitus eſt. *HELMOLDVS lib. I. chron. Slav. c. LXX. ſeqq. ERICVS in hiſtor. gentis Danorum p. 270.*

(a) *Tam Rolandum quam Octavianum*) *CONR. annot. mſc.* Hi duo fuerunt Antipapæ, ideo vocavit eos in judicium cæſar.

(b) *Suſcepit*) *C. ann. ed. OTTO DE S. BLASIO in appendice chronici Friſingenſis c. 28.* de Friderico I. imperatore agens: *Præterea*, inquit, *ante hæc omnia in curia Tholenſi juxta Biſuntium regi Danorum corona impoſita, REGNVM SVB HOMINIO CONCESSIT.* Omnem illum actum *GOTFRIDVS MONACHVS S. PANTALEONIS in Agrippinatibus*, chronico, quod *MARQVARDVS FREHERVS edidit tomo I. ſcriptorum Germanicorum*, hiſce verbis deſcripſit: *Eodem tempore Ludovicus rex Franciæ legatos ad imperatorem pro componenda pace & unitate ſanctæ eccleſiæ miſit, quos ipſe gratanter ſuſcepit, igitur generali ſynodo indicta in municipio, quod Leona dicitur, ſuper fluvium Pœnam in epiſcopatu Biſontino, imperator cum papa Victore, multisque archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibusque affuit, in die decollationis S. Johannis baptiſtæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie advenerat, ſed ex conſilio papæ Alexandri & ſibi parentium in proximo caſtro reſedit, nec ad imperatorem pervenit. Affuit huic Synodo rex Danorum Waldemarus, qui ibidem coronam de manibus imperatoris ſuſcipiens, HOMO EJVS FACTVS EST.* GöBEL. Domeſtici ſcriptores forte ſuſpecti erunt. Fateor in iis, quæ de rebus in popularium ſuorum gloriam aut emolumentum tendentibus tradunt, tuto illis haberi non poſſe fidem; Vix enim ſe a ſtudio in patriam & ira in hoſtem temperabunt: Verum fiduciario ſe Waldemarum mancipaſſe vinculo, & ex ipſo SAXONE, quem MEVRSIVS, CYPRÆVS, aliique recentiorum ſequuntur, notum eſt. Quod autem de perfidia imperatoris, Danici ſcriptores, quorum numero etiam eſt ERICVS rex *l. c. p. 270.* loquuntur, domeſticum redolet teſtimonium, quod ad probandum dolum ineptum eſt. Nota eſt jureconſultorum regula, *dolum non præſumi*, præſertim, ſi perſona honeſtioris eſt conditionis; nec conjecturæ ſe offerunt, ex quibus colligi poſſet, imperatorem dolos adhibuiſſe. Porro dolus bonus, quo juri alterius non nocetur, & noſtrum adjuvatur, nihil mali involvit. Fiduciarium Daniæ obſequium, quo Germaniæ adſtrictum erat in Suenone, adſtipulante Waldemaro, renovatum erat; igitur nihil æquius, quam ut Waldemarus, Suenone exſtincto, in ſolium aſcendens, juxta feudalium placitorum indolem, de beneficio fidem daret.

(c) *Metis*) GöBEL. Hunc etiam ERICVS memorat locum.

(d) *De omni Slavia Waldemaro*) GöBEL. Fortaſſis hoc aliquid ex vero habet. Nam ad Canutum Waldemari patrem ex pacto cum Henrico, Slavorum principe, quod Lotharius imperator ratum habuerat, obotritorum terræ pervenerant. *CYPRÆVS in annal. p. 135. 145.* atque ita forte Fridericus pollicitus eſt, & de Obotritorum regno, unde Daniæ reges Vandalorum regum nomen

quaſi illo demum beneficio animum regis cæſar mercatus ſit: ut capite altero ſequente oſtendemus. Denique verò addit Saxo de feudo illo, quo Dania fuit imperio tum obſtricta: *Cæterum ei non Curiam communi principum more petere; non in Romani imperii præſidium copias ductare*, (a) *ſolaque ſpecie non re cæſari parere, conceſſum: Filio vero poſt eum proxime regnaturo liberum fore, paternas conditiones adjicere, ne ad omnem Danorum gentem hereditarium maneret obſequium.* Illa neque affirmare neque negare mihi promptum eſt. Niſi quod dubium me nonnihil reddit repetita per Fridericum à filio Canuto inveſtitura & cum faſtidiretur cæſaris ſubſecuta indignatio, & Canuto enim facile fuiſſet cæſari petenti homagium, bona cum excuſatione id negare, & cæſari nullæ fuiſſent juſtæ propterea quidem indignandi cauſſæ.

16. De Canuto autem illo *Waldemari filio* (b) & ſucceſſore, adhuc ſub tutoribus vivente, narrat ipſemet Saxo l. 16. *crebris* illum *cæſaris legationibus* CURIAM ADIRE, paternæque amicitiæ ſucceſſionem EXPETERE JUSSUM, *quam modeſtiſſime reſcripſiſſe, excuſationis verbis a regnandi novitate quæſitis. Cui cum cæſar erepturum ſe regnum aliique daturum plenam minarum epiſtolam reſpondiſſet, ſolum hoc reſcribere contentum fuiſſe: quærendum cæſari eſſe, priusquam ſibi regnum adimat, qui Daniam in ejus beneficio reponere cupiat.* Miſſum deinde a cæſare Sigfridum Thuringum ſororium Canuti, ab archiepiſcopo Abſalone, penes quem tum adminiſtrationis regiæ ſumma erat, hoc tuliſſe reſponſi: *Canuto cæſarique æquum regnandi jus eſſe, nec minore cum libertate hunc Danici regni quam illum Romani imperii gubernacula continere; proinde abiret, imperatorique ſuo perferret, Danorum regem ne minimam quidem obſequii partem dignitati ejus ac nomini delaturum.* A cæſare ultionem mediante, inductum mox Bogislaum Pomeranum claſſe Daniam petere, *victum autem ab Abſalone*, (c) coactum ſeſe & ſua in clientelarem ſubjectionem Daniæ regis tradere. Meminit hujus negati a Canuto homagii & Arnoldus l. 3. cap. 2. hiſtoriæ Sclavorum: *Jam inter imperatorem & ipſum* (Canutum ſcilicet) *diſcordia erat; quia imperator ab ipſo hominium exigebat, quod ei rex negabat.* Idem cum narraſſet cladem Bogislai Pomerani, addit cap. 7. *Hæc autem non ſine indignatione imperatoris facta ſunt, qui ſe dicebat dupliciter a Canuto rege injuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos imperio ſubditos ſuo dominio per tributum & hominium ſubdiderit.*

17. Verum miſera tempora mox rempublicam exceperunt, ut Dani quidem auſi fuerint aliquandiu & Slaviam & Nordalbingicam Saxoniam redigere in ditionem ſuam, nemo autem cæſarum ex eo usque jus aliquod in Daniam prætenderit, multo minus armis vindicaverit. Ac proinde, per annos *quadringentos* (d) ſeptuaginta amplius, Dania nexu clientelari ſoluta priſtinam ſuæ majeſtatis libertatem conſtanter tenuit, & imperii Germanici legibus ſubducta eſt. Antea vero non ſolo errore quodam regum, ſed populi quoque Danici conſenſu præſtitum eſſe homagium, indicio ſatis manifeſto eſt: cum quod regibus homagium præſtantibus populus non fuerit refragatus, tum quod ſubjectionem illam detrectans Canutus populi aliquem diſſenſum non attulerit in excuſationem; & tamen in *patrimonio regum* (e) pleno nunquam fuerat Dania, eoque nec fas fuit regibus de reipublicæ ſumma populo inconſulto diſponere.

18. Obiter coarguendus venit Albertus Stadenſis in eo, quod Sueciæ quoque regnum Waldemarum I. homagii jure a cæſare Friderico accepiſſe refert. Nec enim ille ſimul *Suecia regem egit*, (f) & cæ-

habere dicuntur, ei, ut Canuti filio, inveſtituram conferre. Videatur *CRANZ. in Vandalia lib. 3. p. 72.* Sed quid inde imperatoris imperiique juribus in Daniam decedere potuerit, non video, cum forte inveſtituram hanc cauſæ impediverint legitimæ. Imo ſi *MICRÆLIO in chronico Pomerania p. 245.* fides habenda, Waldemaro jus in Venedos ſ. Slavos a Friderico conceſſum eſt. Suaſiones enim, cui nihil injuſti eſt admixtum, omni carent vitio: prudentia eſt, potius illis, quam armis jus ſuum conſequi.

(a) *Copias ductare*) GöBEL. Feuda a ſervitiis immunia ſ. franca non feuda, ſed propria eſſe deſinunt. 2. f. 76, 38.

(b) *Waldemari filio*) *C. A. M.* Waldemaro ſucceſſit Canutus, vivens adhuc ſub tutoribus. Tutor autem ejus fuit archiepiſcopus Abſolon, qui ſtudioſiſſimus gentis. Hujus conſilio & Canutus res magnas geſſit. Nam Pomeraniam & alia ſubegit, imo nemo regum tam feliciter ad mare Balthicum pugnavit.

(c) *Victum autem ab Abſalone*) GöBEL. Bogeslaum ob claſſem quinquaginta navium, quam inſtruxerat, incaute agentem, a Danis maritimo victum eſſe prælio, præter ARNOLDUM LUBECENSEM, & ſcriptores Danicos, etiam CRANZIUS *in Dania lib. 7. cap. 4. p. 158. & CYPRÆUS l. c. p. 198.* teſtantur. *MICRÆLIUS in chron. Pomerania lib. 2. p. 265.* Veteres Pomeraniæ chronographos cladis alius non injicere mentionem, ſed Bogislai claſſem a tempeſtate graviter fuiſſe afflictam, memoria prodidit.

(d) *Quadringentos*) GöBEL. Neque forte fœderum, aliarumque conventionum tabulæ deerunt, ex quibus conſtat, cum Daniæ regibus, ut talibus, tanquam liberæ plane gentis capitibus, ab imperatore & imperio actum, atque ita factis & non factis jure ſuo renunciatum eſſe. In pace Lubecenſi inter Ferdinandum II. imperatorem, & Chriſtianum IV. Daniæ regem 1629. facta ſequentia habentur: *Hingegen Ihr. Römiſche Kayſerl. Majeſtæt ſich derſelben in ihrer Königl. W. und M. Königreichen und ſouverainen Landen vorgehenden Sachen nicht anmaſſen, noch der Königl. Regierunge Eintrag thun wollen.* *THEATRUM EUROPÆUM part. 1. p. 1309.* Sed forte dixeris, pacem hanc ad imperium non attinuiſſe, ſed particulare inter Ferdinandum & Chriſtianum fuiſſe negotium, deinde & imperii principes fiduciario nexu imperatori & imperio obligatos, titulo: Souverane Fürſten, uti; verum reſponderi poteſt, Lubecenſem pacem ab imperio ſi non expreſſe, tacite ſaltim, ratihabitam eſſe; porro non eſſe moris, ut ab imperatore & imperio principibus imperii memoratus impertiatur titulus. Denique addendum, in literis ab imperatore & imperii proceribus ad Daniæ reges perſcriptis alias adhuc compellationes, quibus nonniſi ab omni verſus imperium nexu liberi adficiuntur, occurrere.

(e) *In patrimonio regum*) GöBEL. Daniam æque ac Sueciam olim mixtam habuiſſe reipublicæ formam, & maximam populi in expediendis plerisque majeſtaticis actibus fuiſſe autoritatem, e rerum geſtarum commentariis notum eſt. vid. *præfat. libri gallici*, qui inſcribitur: *Status Daniæ*, ejusque *cap. 7.* nec non *ſtatus Suecici c. 11.* Nulla regna ſive electione, ſive ſucceſſione, ſive occupatione acquiſita in pleno eſſe poſſe patrimonio, contra GROTIUM & HOBBESIUM, docet COCCEJUS *in autonomia J. G. c. 12.*

(f) *Suecia regem egit*) GöBEL. Waldemari I. tempore, Sueci reges habuerunt Ericum IX. Carolum VII. & Canutum. Conf. *CRANZIUM & LOCCEN. in hiſtor. Suecia.*

& cæſarum nemo in Sueciam aliquid *uſque huc vel tentaverat.* (a) Eoque nihil juris in regnum illud vel Waldemarus petere vel cæſar dare potuit.

Caput XV.

Sleſwicenſem & ducatum & epiſcopatum jamdudum non Germanici ſed Danici juris fuiſſe nec non eſſe hodieque.

I.

Daniam omnem jampridem nequaquam amplius Germanici eſſe imperii partem, ſed ſui arbitrii rempublicam, proxime oſtendimus. Nec arbitror quenquam facile inveniri, id qui hodie in dubium vocet. At ne ſic quidem labore inſtituto defuncti, aut ſatis firmiter limites Germaniæ Daniæque definiiſſe fortaſſis videmur. Sunt enim qui exiſtiment, non integrum quidem Daniæ regnum, partem tamen ejus aliquam, ducatum nempe & epiſcopatum Sleſwicenſem, Germanico juri deberi. Qui mihi videntur non alio magis eam in ſententiam adducti argumento, quam quod terram illam incolant Germanicæ linguæ homines, quodque jamdiu non alii quam ſanguinis Germanici principes Holſatiam & Sleſwicenſem ducatum rexerint.

2. *Et ſane ſeculo ſuperiore* (b) epiſcopatus ille Sleſwicenſis in ipſas tabulas ordinum imperii Germanici eas, quæ anno viceſimo primo in comitiis ſunt conſcriptæ, ac omnium creditæ fuerunt accuratiſſimæ, eſt redactus; eoque quum *Gotſcalcus* (c) epiſcopus fiſco imperii, prout erat juſſus, haud ſatisfeciſſet, per ſententiam Spirenſis judicii regalibus, quæ appellantur, beneficiis eſt privatus anno ſexto poſt viceſimum. Cæterum ille ipſe epiſcopus illico Epiſcopatus ſui bona omnia non Germanici ſed Danici juris eſſe literis ad judicium illud Spirenſe exaratis, probavit: quas Hiſtor. Sleſwicenſ. l. 3. cap. V. pag. 423. Cypræus recitavit. Rex ipſemet Daniæ tabulis illis nomen epiſcopatus iſtius eximi, ut vitio inſertum, cum poſceret, ab imperialis fiſci advocato mota Chriſtiano III. & Friderico II. regi lite, ſecundum Daniæ regnum in ipſo Spirenſi foro judicatum eſt. Formula ſententiæ cum aliis ad negotium hoc pertinentibus continetur libro primo deciſione undecima operis deciſionum ſive rerum in Camera imperiali indicatarum, quod collegit edidítque *Adrianus Gylmannus.* (d) Quum idem autem advocatus Chriſtiano III. regi de ducatu quoque Sleſwicenſe controverſiam moveret, rex vero de injuria conqueſtus eſſet Carolo V. cæſari juſſus eſt advocatus rem illam miſſam facere: prout loco jamjam laudato apud Gylmannum legere eſt.

3. Et vero jam a Conrado II. cæſare ad usque Eidoram amnem regni Danici jus revocatum, adeoque antiquiſſimum illum limitem rurſus confirmatum eſſe, jam tum ſupra Adami Bremenſis teſtimonio, comprobavimus. Nec reperire eſt vel leviſſimum veſtigium in omnibus ſecuti ævi monumentis, novi iterum limitis conſtituti. Econtra jam tum ſeculo chriſtiano duodecimo Helmoldus ſcripſit l. 2. c. 14. *Egdora eſt limes regni Danorum.* Helmoldi continuator, ut ita dicam, Arnoldus Lubecenſis l. 4. c. 17. *Adolphus comes cum multitudine gravi tranſiens Egdoram fluvium, omnem terram regis vaſtavit usque ad Sleswig.* Saxo præfatione hiſtor. Danicæ: *Jutia Teutoniæ finibus admovetur, a cujus complexu fluminis Eidora interrivatione diſcernitur.* Ejusdem Helmoldi ipſo illo citato loco hæc verba ſunt: *Rex Danorum miſit legatos ad fortiſſimum ducem* Saxoniæ, Henricum Leonem, *rogans præberi ſibi locum familiaris colloquii ad Egdoram.* Rem illam latius perſequitur Saxo l. 14. hiſtor. Danicæ: notans congreſſos illos in ponte quodam, quum & rex nihil ſe indignum committere, & dux ſeſe rege nulla parte minorem oſtendere vellet. Arnoldus l. 3. cap. 2. narrans, quemadmodum Fridericus cæſar fecerit filio ſuo ſponſam Danicam adduci, ſcribit: *Venerunt igitur ad Egdoram fluvium legati imperatoris cum quadringentis equis.* Idem l. 3. c. 15. narrans, matrem Canuti regis a novo marito Thuringo exceptam: *occurrit ei*, inquit, *Landgrafius ad Egdoram fluvium ſuſcipiens eam de manu regis & epiſcoporum.* Quæ utique manifeſto indicant imperii & Daniæ limitem etiam tunc Eidoram habitum. Rerum omnium ſeptemtrionalium longe peritiſſimus Crantzius, etſi ſub initio ſuperioris chriſtiani ſeculi floruerit, paſſim tamen Eidoram limitem agnoſcit Danicæ & Saxonicæ nationis. Diſertis id verbis profitetur Saxoniæ l. 1. cap. 6. & l. 5. cap. 27. Daniæ

(a) *Usque huc vel tentaverat*) GöBEL. Picturæ, quæ apud SCHARDIUM *tom. II. S. G. p. 517.* inter ſtatus imperii, qui anno 1471. in comitiis auguſtanis Friderico III. adfuiſſe dicuntur, reges Poloniæ, Daniæ, Suediæ & Norwegiæ refert, nulla eſt tribuenda fides. Nam fide dignis non conſtat monumentis, eos Friderico in comitiis adfuiſſe; deinde illo tempore Suecia, Dania & Norwegia ſub uno erant rege. Sic & in annalibus nexus, quo Suecia imperio Germanico debuiſſet eſſe obnoxia, nullum apparet fundamentum. Porro Polonia & Dania, quamdiu in imperii fuerunt obſequio, jus civitatis Germanicæ & comitiorum non habuerunt. Tandem adjiciendum adhuc eſt, neminem vetuſtioribus in errorem duci debere matriculis; illæ namque non tam ordinum imperii matriculæ, quam omnium, qui adfuerunt, catalogi ſunt.

(b) *Et ſane ſeculo ſuperiore*) *C. A. M.* Matriculæ imperii reperiuntur nullæ antiquiores, quam quæ ſec. 15. conditæ. Superiore ſeculo anno 22. nova confecta, quæ licet antiquioribus multo accuratior, tamen ſcatet multis erroribus. GöBEL. Vid. MAURITII *exercit. de matricula imperii in opuſcul. p. 169. ſeqq.*

(c) *Gotſcalcus*) *C. A. M.* Fuit oriundus ex generoſa ſtirpe de Alfelde. GöBEL. CYPRÆUS *in annal. epiſcopor. Sleſvicenſium. p. 414.* Hic fuit ultimus ab eccleſia & ſede Romana electus & conſtitutus epiſcopus. Literas ejus ad camerale judicium, quibus Daniæ regis cauſam agit, refert *CYPRÆUS l. c. p. 423.*

(d) *Adrianus Gylmannus*) *C. A. M.* Ingens opus, diſtinctum variis tomis, *deciſionum cameralium* edidit. Illud opus plurimum juvat ad res privatas, & ad jus publicum, utpote cum plurimæ deciſiones in illo libro ſint, quæ pertinent ad jus publicum Germaniæ. Nec facile quis perfectam absque illo opere notitiam juris publici ſibi comparabit. GöBEL. Deciſiones camerales a ſymphorematum opere ſunt diſtinctæ. LIPEN. *biblioth. realis juridica p. 50.*

niæ l. 7. cap. 5. & cap. 8. Idem lib. 1. cap. 22. Daniæ ita loquitur: *Hic lector attende manifeſtum antiquitatis teſtimonium, quia pugna vel duellum inter Uffonem regis Daniæ Wermundi filium & Saxoniæ regem ad Eidoram commiſſum refertur, Holſatiam, quæ ab illo flumine ſumit principium, ſemper Saxoniæ fuiſſe annumeratam, multo ante natum Chriſtum tempore.* Verum huic quidem rei ut Saxonis fabulis tantum innixæ, per me ſive præbeat quis, ſive *adimat fidem.* (a) Poſt Crantzium autem & *Chytræus* (b) rerum illarum peritia nihilo Crantzio inferior, Chronici Saxoniæ l. 2. & 24. ſcripſit: *Danici juris & imperii ditionem Eidora fluvio terminari, & ab Holſatia imperii Romani provincia extrema dirimi.* Alia teſtimonia in cauſa pene non controverſa addere nihil attinet.

4. Jam vero ducatus ipſiusmet Sleſwicenſis dignitas nunquam a cæſarum aliquo cui quam eſt attributus ſed a Daniæ regibus, ad Germanici ſanguinis ducem ſerius quoque demum pervenit. Princeps ſiquidem illum circa annum 1118. a Nicolao rege obtinuit *Canutus* (c) Erici regis filius, quem per inſidias cæſum ſanctum appellitant. Eundem fratri Waldemaro conceſſit Canutus rex. Anno MCCXXII. *Abel ducatum Jutiæ accepit*, ut loquitur Ericus Pomeranus rex in ſuo chronico. Ille autem Jutiæ ducatus etiam Sleſwicenſem complexus eſt. Cumque viveret tum adhuc pater Abelis, Waldemarus rex, ab hoc utique ad Abelem devenit. Abelis filio Waldemaro rex Chriſtophorus anno 1253. *tradidit ducatum cum vexillo apud Koldingen:* ut fere loquitur rex Ericus. Crantzius l. 7. Daniæ c. 22. refert: *a Chriſtophoro rege patruo permiſſum eſſe Waldemaro adminiſtrare ducatum Sleſwicenſem.* Succeſſerunt Ericus filius & nepotes duo Ericus & Waldemarus; quorum poſtremus Erico regi hominium præſtans fidelitatem, juravit ducatus ſui nomine. In easdem leges ſucceſſerunt Ericus Waldemarus & Henricus. Henrico demum anno MCCCLXXXVI. defuncto *ad Gerhardum Holſatiæ comitem* (d) principem Germanicum, ducatus ille

(a) *Adimat fidem*) *C. A. E.* Veriſimile tamen eſt, jam tunc temporis vixiſſe Saxones extra Cherſoneſum, & quidem inter Albim, Eidoram & Travam fluvios. Et vero Saxonum nomina non comparent quidem hodie, vel in *Taciti de Germanorum moribus* libello; verum illud videtur factum vitio ævi, quo pars libelli periit. Apud Ptolomæum autem ſic ſatis clare ſedes Saxonibus aſſignatur extra Cimbricam peninſulam: quoniam illa vero incipit circa Eidoram, conſequens eſt, illuc tantum usque Saxones tunc degiſſe. Jam tum illa de re a nobis dicta ſunt, quæ huc pertineant libro, quem *de Helmſtadio ejusque vicinia* edidimus, neque ulla opus nunc eſt eorum repetitione. An Dani autem jam tum ibi degerint, merito dubites, ſi attendas Ptolomæi & Taciti dicta de Cherſoneſi incolis.

(b) *Chytræus*) *C. A. M.* Theol. Prof. Roſtochi, magnum nomen invenit rerum ſacrarum, ſed majus hiſtoriæ notitia. Auſim pene pronunciare accuratiorem Cranzio, poſt quem ſtatim legendus, quia ubi deſinit Cranzius, ibi incipit Chytræus.

(c) *Canutus*) GöBEL. An feudi titulo ducatum nactus ſit, CYPRÆO *in annal. p. 133.* dubium videtur. SAXO quidem GRAMATTICUS paſſim beneficium vocat; ſed nihilominus Cypræo dubium manet, quia nummis redemtus dicitur. Verum enim vero & emtitia dari feuda, non ignotum eſt, quanquam irregularibus annumerari ſoleant.

(d) *Gerhardum Holſatiæ comitem*) GöBEL. Chriſtophoro II. Daniæ ſolio non injuſte deturbato, in id, procerum & populi ſuffragiis, Waldemarus Slesvicenſis dux elevatus eſt. *AUCTOR continuat. chronic. Slavor.* apud LEIBNIT. *acceſſ. hiſtor. tom. 1. p. 42. ANONYMUS apud Lindenbrog. in Chriſtophoro II. CYPRÆUS in hiſt. eccleſ. Slesv. c. 15. p. 312. PETERSEN in chronica Holſatiæ part. 2. p. 217. PONTANUS rerum Danicarum lib. 7. p. 425. 435. ſeqq. Waldemarus Gerhardo*, Holſatiæ comiti, ob navatam ſibi in obtinendo Daniæ regno operam, *Slesvicenſem ducatum in feudum* contulit. Forte Gerhardus hic bellica laude magis, quam opibus celebris fuit. Interim tam ambeſam ejus fuiſſe fortunam, ut ne quidem equos ſuos & canes venaticos alere potuerit, vix mihi perſuadere poſſum. Videntur BERINGIUS *in vita Chriſtophori II.* p. 442. & AMTHORIUS, ante undecim, & quod excurrit, annos Daniæ regis cauſam virulento ſatis ſtilo tuitus, loco quodam *AUTORIS continuat. chron. Slavor.* in errorem eſſe ducti. LEIBN. *acceſſ. hiſtor. tom. 1. c. 20. p. 47.* Sed forte hæc extra oleas, ad rem ipſam redeundum erit. Gerhardus anno 1326. a Waldemaro avunculo ſuo, *Danorum Slavorumque rege, quondam duce Jutiæ*, de ducatu Slesvicenſi, ſive Jutia meridionali eſt inveſtitus. CRANTZIUS *in Dania lib. 7. p. 312.* Literas inveſtituræ legimus in PONTANI *Dania p. 441. LEIBNIT. C. D. mantiſſ. part. 2. p. 247. 248.* nec non *in append. ſcripti* ſub titulo: *Des Hochfürſtl. Hauſes Sleswig-Holſtein, Gottorp &c. gegründete Gerechtſame* 1683. typis impreſſi, & LONDORPII *tomo 12. p. 325.* inſerti. Idem ſcriptum cum aliis ad hoc negotium ſpectantibus denuo anno 1716. editum eſt. Peculiare merito habendum, quod Gerhardo una cum utili, directum traditum ſit dominium, quod naturam feudi maxime irregularis ſapit. *wolgegründete Behauptunge p. 16.* Placuit eodem tempore fundamentalem, ut loquuntur, ſtabilire legem, *quod ducatus Suderjutiæ regno & coronæ Daciæ non unietur nec annectetur, ita quod unus ſit dominus utrinsque.* AMTHORIUS *in dem in jure & facto gegründeten Beweis &c. p. 5.* Anteriorum cauſæ Danicæ propugnatorum veſtigia legens, Waldemarum Daniæ regum claſſi excutit, omniaque ab ipſo geſta juris effectu deſtitui, ſentit. Huic reponitur a Gottorpienſium partibus addictis, Waldemarum in Chriſtophori ſecundi, pacti leges, ſub quibus aſſumtus erat, violantis, locum in comitiis Neoburgenſibus ſuffectum eſſe CHYTRÆUS *in Saxonia ad ann. 1326. p. 362. Beylage zum wiederhohlten Abdrucke der in ann. 1683 und 1700. bereits publicirten Holſteinſchen Schriften n. 6.* PONTANUS *p. 441.* CYPRÆUS *p. 318.* tamque conſtitutionem Waldemarianam, quam inveſtituræ diploma proceribus placuiſſe, & a quamplurimis eorum una cum perſonis quibusdam illuſtriſſimis in majorem rei fidem ſubſcriptum eſſe. Provocant illi ad PONTANUM, a quo traditur, ſubſcribentibus eccleſiaſticis proceribus, *ſuum adjeciſſe calculum ix ſenatoribus ceteros, & in his Laurentium Jonæ Satrapam, Ludovicum marchallum & ducem Canutum fuiſſe.* Addunt deinde, quamvis temporis brevitas, ut cauſa phyſica, juri regnandi nihil demere queat, attamen obinde, autore PONTANO *in hiſtoria Danica l. c.* in regum catalogo omiſſum eſſe. Conducet haud dubie, ipſum PONTANUM audire: *Sicque rex electus*, inquit, *non tamen coronatus, niſi Neoburgi fortaſſe, Woldemarus dux inter Daniæ reges nonniſi inſititius & hypobolimæus, quamvis regia ubique autoritate egerit. Non autem inſertum catalogo regio, vel ideo exiſtimo, quod brevi admodum tempore eam perſonam ſuſtinuerit, atque inde in Waldemarum Chriſtophori filium translato ſceptro, regio etiam vocabulo abſtinuerit.* Ope namque Hölſatiæ comitum, poſt aliquod temporis intervallum, Chriſtophorus ſceptris eſt reſtitutus. Regiis partibus ſtudentes, hoc ex ſubditorum voto, ducalibus vero addicti, id illis invitis factum eſſe, dicunt. Vide, quæ pro priori ſententia habet AMTHORIUS *l. c. p. 5.* CYPRÆUS *l. c. p. 318. 319.* rem ita enarrat: „Sequenti anno Chriſtophorus rex Lubecam venit, & cum comitibus tranſegit. „Pax his conditionibus coiit: ut rex comitibus octo mille marcas ſolveret, quibus ſolutis, in regnum, quo pulſus eſſet, reſtitueretur, exceptis tamen provinciis, quas „Waldemarus comitibus utendas fruendas conceſſiſſet, „& ut Waldemarus ducatum Slesvicenſem reciperet. His „ita pactis & conventis, in Daniam rediit Chriſtophorus, „a comitibus contra voluntatem & conſenſum procerum

ille devenit, & tamen itidem beneficio Danici regni. *Multis ſcilicet regni Daniæ proceribus aſtantibus, & rem omnem verbo & opere commendantibus, tradito per manus regis vexillo*, ille eſt inveſtitus, teſte Crantzio l. 7. Daniæ cap. 40. Idem a Margarita anno MCCCLXXXVIII. confirmatum eſſe in conventu Nieburgenſi *præſentibus omnibus regni prælatis & proceribus*, teſtis idem Crantzius eſt, cap. 41. & l. x. Saxoniæ cap. 9.

5. Gerhardo a Ditmarſis anno MCCCCIV. cæſo, Margarita potentiſſima regina & ejus ſucceſſor Ericus pomeranus rex, omnem ducatum filiis Gerhardi Holſati ereptum regno ſtuduerunt vindicare: Idque probante ipſomet Sigismundo cæſare, in quem arbitrarium judicem *utraque pars compromiſerat.* (a) Partem ſententiæ cæſareæ recitat Cypræus l. 2. c. 21. quam & hic legi ex uſu erit, ſaltim ut eo clarius liqueat, in terras illas imperio Germanico nihil eſſe juris. „Nos Sigismundus rex præfatus arbiter, per dictas partes electus, vigore compromiſſi in nos facti, dicimus, decernimus, laudamus & arbitramur, & his ſcriptis pronunciamus: Totam Jutiam auſtralem, in qua ſituata ſunt Sleswick & Gottorp, & alia loca ad ipſam Jutiam pertinentia, una cum ſylva Danica, & inſula Alſen, & provincia Friſiæ vulgariter Heerden nominata, cum omnibus juribus & pertinentiis, pertinuiſſe & pertinere debere jure directi ac utilis domini, ad regem ac regnum Daniæ, ipſumque inducendum fore, & induci debere in poſſeſſionem ducatus ſupradicti, & terrarum cum ſuis pertinentiis, ut ſupra, prænarratarum: & dictis Henrico Adolpho & Gerhardo, comitibus præfatis, in & ſuper dicto ducatu & terris ſuis cum pertinentiis, ut ſupra, nullum jus ratione feudi competiiſſe & adhuc competere. Et ita per hanc noſtram arbitralem ſententiam, ſecundum allegata & probata, in his ſcriptis definimus & arbitramur pro jure, dictis partibus ſuper aliis hinc inde petitis ex cauſis animum noſtrum moventibus, utrique parti actionem reſervantes. In quorum omnium & ſingulorum præſcriptorum fidem, præſentes noſtras literas fieri fecimus, ſigillisque noſtræ majeſtatis appenſione muniri. Data, lecta & exhibita eſt præſens ſententia & arbitrium Budæ anno 1424. 28 Junii.

6. Summe quidem hæc ſententia diſplicuit Holſatiæ comitibus, eoque rem *ad pontificem Romanum*

manum

„in regnum reductus. Proceres hominem Wardenburgæ repertum circumſident, & in cuſtodiam tradunt, qui tamen facili negotio, faventibus regi comitibus, cædi ac profligari potuiſſent &c. Conf. quoque PETERSEN *in chron. Holſat. p. 229. part. 2.* PONTANUS vero procerum animos Chriſtophori promiſſis expugnatos eſſe, p. 447. tradit. Verba ejus ſunt ſequentia: „Chriſtophorus autem dum una cum filiis, utroque Woldemaro & Othone peregre agit, haud unquam deſiit cauſam ſuam epiſcopis ac nobilitati commendare, adjiciens, paratum ſe fore, quodcunque in Deum, eccleſiam, atque ipſos a ſe eſſet commiſſum, corrigere atque emendare, & velle quoque ipſos univerſos ſuo favore atque gratia peculiariter proſequi, omnesque actiones ſuas ac regimen quoque ipſum ad nutum & voluntatem ipſorum componere. Chriſtophorus promiſſis proceres Daniæ in ſuas traxit partes, præſertim cum animadverterent, Gerhardum ſibi potius, quam regi electo ſtudere. Huic accedebat, quod Waldemarus Teutones regiis præfecerat arcibus, & quod Canutus, qui inter regni erat primates, gravem nimis proceribus affectaret potentiam. Si dicendum, quod fas eſt, Gerhardus tempori inſervire calluit, animadvertensque, procerum in Waldemarum nutare animum, primariæ in Chriſtophori reſtitutionem collatæ operæ laudem & præmium aucupari conſtituit. Sed reverſo vix Chriſtophoro, bellum inter eum & Gerhardum exarſit, quod inſigni Gerhardi victoria, & Chriſtophori captivitate nobilitatum eſt. Si CYPRÆO *l. c. p. 322.* fides habenda, Chriſtophorus, Fionia Gerhardo cum munitionibus & arcibus regni tradita, ſuam ſuorumque in bello captorum redemit libertatem. Ex PONTANI vero ſententia, Chriſtophori in Daniam ab exilio reditus Gerhardo inſulam hanc peperit. Ita enim *l. c. p. 451.* loquitur: WALDEMARUS *in regnum Daniæ deceſſit, ope potiſſimum Joannis, Wagriæ comitis, ipſi Waldemaro, Slesvicenſis ducatus eſt relictus, Gerhardo autem in reſarcitionem Fionia in feudum hereditarium eſt permiſſa, comes viciſſim regi quinquaginta equitibus auxilio eſſet: pro impenſis autem belli, usque dum ea ipſi redderentur, borealem Jutiam in pignus haberet.* CHYTRÆUS *p. 665.* addit: *Woldemarus de regno cedens, hereditarium ducatum Slesvicenſem, recepit, & cum Gerhardo Holſatiæ comite ita tranſegit, ut ſibi mortuo ſine herede, Gerardus illiusve heredes ſuccedant, ac ut in præſentia omnes illius ducatus vaſalli ac armigeri jurent, ſe nulli alii, quam Gerardo parituros & arces tradituros eſſe.* Neque ambigendum forte, pactionem hanc a Chriſtophoro, tanto ardore ad ſceptra reditum anhelante, ratam eſſe habitam. Chriſtophoro morte deleto, filius ejus & in regno ſucceſſor Waldemarus, cui Gerardi potentia maxime inviſa erat, belli aleam tentare conſtituit; verum in prælio ad Wiborgum captus, nonniſi ſub conditionibus, Gerardo admodum faventibus, libertati & regno reſtitutus eſt. Sed promiſſum fallens Waldemarus, novo anſam præbuit bello, quod Gerardo, nobilis cujusdam Danici *Nicolai Esbeni* audacia & dolo e vivis ſublato, a filiis ejus ſtrenue admodum continuatum eſt, usque dum marchionis Brandenburgici opera anno 1341. pax conciliata. CYPRÆUS *lib. 2. c. 17. p. 330. 331.* Waldemari Slesvicenſis & Daniæ regis filio Henrico absque prole denato, *Olaus* Daniæ rex, Margaretha matre, Waldemari III. filia annuente, *Gerardo* Henrici ferrei filio, & Gerardi prioris nepoti, *anno 1386. Neoburgi* in publicis regni comitiis *Slesvicenſem contulit ducatum*, ea ſcilicet lege, ut regis ac regni Danici beneficium agnoſceret, eaque præſtita promiſſaque fide, vexillum illi de manu in manum pro more tradidit, ipſeque dux ac regni cliens declaratus eſt, univerſis, qui aderant, bonum factum acclamantibus. PONTANUS *hiſt. Dan. lib. 8. p. 509.* *MEURSIUS lib. 4. p. 95. part. 1.* Pacto hoc inter Waldemarum & Gerardum jam memorato deberi, Holſati contendunt. AMTHORIUS autem *l. c. p. 6.* pactum illud ut nænias ridet, additque *Margaretham, ſeptentrionum Semiramidem*, nunquam hoc ſolœcismo tam graviter in dominationis regulas peccaturam fuiſſe, niſi de Suecico timuiſſet bello. Sed negari nequit, dominationis arcana a juſtitiæ regulis nonnunquam abhorrere. Verum quomodocunque hæc ſe habeat res, Gerardo juniore in bello adverſus Ditmarſos cæſ., Margaretha Slesvicenſi inhiavit ducatui, & forte voti compos facta, niſi ſpe Gottorpio potiundi deturbata fuiſſet. CONTINUATOR *chron. Slavor. lib. 23. 24.* Margaretha exſtincta, ſucceſſor ejus Ericus de occupando ducatu ſolicitus fuit, ſed parum feliciter armis diſceptans, ad conſiliorum arcana ſe contulit.

(a) *Utraque pars compromiſerat*) GöBEL. Detulit Ericus de ducatu Slesvicenſi controverſiam ad Sigismundum imperatorem, tunc temporis in comitiis Conſtantienſibus hærentem. Hic Glogauvienſem ducem, ut de componendis rebus cogitaret, eo ablegavit, qui ducibus autor fuit, ut in cæſarem compromitterent, quo arbitro accepto, laudum ducibus minus favens, Budæ in Hungaria, Henrico præſente, latum eſt, quod CONTINUATOR HELMOLDI *c. 45.* injuſtam & iniquam vocat ſententiam. Vid. CYPRÆUS *c. 21. p. 364. 365.* *MEURSIUS part. 1. lib. 5. p. 104. ſeqq.*

manum (a) detulerunt, & armis adverſus Danos ſua defendere conati ſunt. Attamen in controverſiam haud vocavere deberi rectum, ut loquuntur, Daniæ in ducatum illum jus dandum ſibi jus utile idque feudi ratione prætenderunt, regibus id negantibus. Proinde pace compoſita filiis Gerhardi feudi legibus ducatus iterum anno MCCCCXLVI. conceſſus eſt. Libro XI. cap. 31. Saxoniæ Crantzius ejus rei ita meminit: *Adolphus per ea tempora dux Slesvicenſis & comes Holſatiæ, qui difficili ac diu diuturno bono pro eo ducatu cum Danorum rege dimicaſſet, jam Chriſtophoro Bavaro in regem aſſumpto ducatum de manu regis accepit in feudum, redditaque ſunt ei omnia, quæ olim ad ducatum pertinebant, quæque longo tempore inquieta fuere a diebus caſi patris ejus: cum primum Margareta regina, deinde Ericus rex, ejus adoptione filius, multa inde per annos ſupra triginta tuliſſent, de quibus concertatio fuit usque ad noviſſima ejusdem Erici regis tempora. Limites autem ducatus ſunt ad pontem usque Coldingen. Quæ tum omnia ſunt reddita Adolpho duci juſſis regis novi Chriſtophori.* Perſequitur eandem rem idem Crantzius l. 8. Dan. cap. 18. & 22. idque longe uberius: ſed noſtro inſtituto hæc ſatis ſunt.

7. Adolpho anno MCCCCLIX. ſine liberis defuncto, *ducatus coronæ* Danicæ (verba ſunt Crantz. l. 11. Sax. c. 37.) *conſolidatur: quod diu a regibus per multos labores erat quæſitum. Sed filii regis chriſtiani* (b) *eundem ducatum patre moriente denuo a corona ſeparatum, inter ſe, ut Holſatiam, per partes*

(a) *Ad pontificem Romanum*) GöBEL. Hic rei ſcrutinium Theodorico, coloniæ electori, injunxit. Dani interim juri, quod ſibi ex laudo partum credebant, inhærentes, arma in duces, laudi illius, utpote ſuſpectum habentis autorem, nullam eſſe vim, dicentes ingerere conſtituerunt: Verum urbium Hanſeaticarum ſtudio eo facilius bellum illud eſt ſopitum, quo certior Suecorum in Danorum terras videbatur irruptio. Ex pacis deinde legibus Adolpho ducatus ſub antiqua qualitate permiſſus eſt.

(b) *Regis chriſtiani*) GöBEL. Dani Chriſtophoro III. ſine prole ſupremum obeunte diem, ſua ADOLPHO, SLESVICENSI DUCI, committere decreverunt ſceptra. Verum ille impar ſibi ipſe viſus, & ſub Margaretha pariter atque Erico bello diuturno fractus, *raro principum exemplo*, honorem oblatum cum modeſte recuſaret, ut gratificari tamen Danis ſe paratum oſtenderet, CHRISTIANUM his commendat, Diderici comitis Oldenburgici & ſororis ſuæ Hedwigis filium, quem a puero educaſſet. Quæ Danis cum accepta fuerit commendatio, Chriſtianum ſibi regem conſtituerunt. MEURSIUS *hiſtor. Dan. part. 2. lib. 1. p. 2.* HAMELMANNI *Oldenb. Chron. part. 3. p. 199.* Antequam Chriſtiano regii committerentur faſces, 1448. fidem dare coactus eſt, Woldemarianam conſtitutionem: *Ducatus Suderjutiæ regno & coronæ Daciæ non uniatur nec annectatur ita, ut unus ſit dominus utriusque*, ſalvam fore. *In facto gegründete und umſtändliche Nachricht &c. p. 3.* Hoc ſcriptum illuſtrem quendam virum, in non ita remota aula purpuratorum principem autorem habere, traditur. Scio equidem, eſſe quæ huic a Danis opponantur, quæ examinare meum non eſt. Vid. AMTHORII *in jure & facto gegründeten Beweis, p. 7.* Item *im hiſtoriſchen Bericht von dem vormahligen und gegenwärtigen Zuſtande der Schleswig-Holſteiniſchen Ritterſchaft §. 26. 27. 28.* Id certum, Adolpho extincto, in Chriſtiano, tam Jutiam meridionalem, quam Holſatiam Daniæ additam. Sed hoc ad tempus toleratum videtur, cum Chriſtianus deinde teſtamento conſtituerit, ut filio natu minori Friderico integer ducatus Slesvicenſis cum Holſatia & Stormaria cederet. Quo etiam aliquo modo reſpicit art. 10. privilegiorum, quæ hic rex ordinibus Slesvico-Holſatis Ripæ 1640. dedit. *Holſatiam & Slesvicum nunquam diviſum iri.* Verum mortuo Chriſtiano, Fridericus a Joanne Daniæ rege, ut illum in terrarum Slesvico-Holſaticarum partem admitteret, permotus eſt. vid. *Erbtheilunge zwiſchen König Hanſen und Hertzog Friderichen de anno 1490.* in adjuncto ſcripto, cui titulus: *Gegründete Gerechtſame des Hauſes Gottorp n. 1.* Danici ſcriptores contendunt, penes Joannem a voluntate paterna, Woldemarianæ innitenti conſtitutioni, diſcedendi jus fuiſſe, cum ſtirps ſua Dania, Sueciaque, electioni obnoxiis regnis, aliquando excidere poſſet. Joannis filius Chriſtiernus in Suecos pariter & Danos non, ut par erat, imperans, rerumpublicarum negotia ſuſpenſo pertractans brachio, & Suecos inprimis crudeliſſime habens, utroque regno exutus eſt. Hic forte non prætermittendum erit, Chriſtiernum ab affine Carolo V. privilegium impetraſſe, cujus vi Fridericus patruus ab ipſo Holſatiam in beneficium haberet. Sed bellum in Suecos moliturus, ne ipſi a Friderico arma inferrentur, privilegio illi ſubrepto, cujuscunque demum fuerit valoris, in congreſſu Bordelholmenſi renunciavit: *Danckwerths Holſt. Chr. p. 181.* CHYTRÆUS *Sächſ. Chr. p. 387.* HAMELMANNI *Oldenburg. Chron. p. 228.* Exauctorato deinde Chriſtiano, ſuum ad Fridericum detulerunt diadema, urgentque Danici ſcriptores, novum hoc eſſe exemplum, Woldemarianæ conſtitutionis non habitam eſſe rationem, quoniam Slesvicenſis ducatus & Holſatia hoc modo ad Daniam redierunt. Sed reſpondent Gottorpicam cauſam perorantes, id, quod in Friderico factum eſt, exceptionis rationem habuiſſe, cum nullus, expulſo Chriſtierno, gentis a Chriſtiano I. oriundæ præter illum & filios ad regendas provincias adhuc immaturos, ſuperſtes fuerit. Neque ducatus Daniæ junctos, ſed cum ea ſaltim ſub uno fuiſſe capite. *Wolgegründete Behauptunge p. 12.* Imo Fridericus Chriſtiano filio adultioris ætatis facto utrumque ducatum tradidit. Extincto autem Friderico I. terras Slesvico-Holſaticas tres ejus filii, Chriſtianus II. Daniæ rex, Johannes & Adolphus anno 1544. Rendsburgi inter ſe diviſerunt, & Joanne prolis experte e vivis ſublato, duæ poſtea, anno nempe 1583. conſtitutæ ſunt partes, quarum una Friderico II. altera Adolpho ceſſit. *Adjunct. ſcript. gegründete Gerechtſame des Hochfürſtl. Hauſes Schleswig-Gottorp. N. II. III.* Contendunt autem Dani, regiæ familiæ, ut capiti & lineæ primogenitæ, terrarum illarum ſupremum merito competere directorium; *in jure & facto gegründeter Beweis §. 12.* Verum Gottorpienſes regerunt, naturam primo partui nullam tribuere prærogativam: Si quid forte prioribus natalibus tribuendum ſit, illud omne ex lege eſſe aut conventione. Utrumque autem hic deficere, ET LEGEM, cum in terrarum Slesvico-Holſatarum utili dominio rex Daniæ non ut ſuperior, ſed ut æqualis concurrat. *Ausführliches in der Theologie und denen Rechten wolgegründetes Bedencken, quæſt. 1. §. 35. p. 275. quæſt. 2. §. 18. §. 15. p. 281.* apud *LONDORP. tom. 12.* ET CONVENTIONEM, cum talis non exſtet. Imo cum fiduciarius adhuc nexus, quo Slesvicenſis ducatus Daniæ adſtringebatur, duraverit, domino non licuiſſet, uni vaſallo præ alio hoc invito prærogativæ quoddam jus elargiri. Dominus enim directus naturam feudi, pluribus diviſim competentis, uno eorum contradicente, nec quoad extrinſecam, nec quoad intrinſecam qualitatem mutare poteſt. Ut dicam, quod res eſt, per centum & viginti fere annos feudi Slesvicenſis inveſtitura neglecta, tandem per Odenſeenſes tractatus anno 1579. Saxone, Haſſo, & Mecklenburgo ad id incumbentibus, reſarciri cœpit, ſub ea nimirum beneficiaria lege, ut feudalia ſervitia utriusque vaſalli 80. pedites, & 40 equites complecterentur, ad quæ præſtanda & regia in partem venire tenebatur familia. Ad hanc conventionem in diplomate inveſtituræ Friderici III. de anno 1648. provocatur. *l. c. n. 8. adjunct. ad gegründete Gerechtſame.* Dictum jam eſt de terrarum illarum hereditariis diviſionibus, quas ne in nimium ſerperent, UNIONEM & COMMUNIONEM in controverſiis Dano-Gottorpicis, notiſſima vocabula, placuiſſe, Danici aſſerunt ſcriptores. *In jure & facto gegründeter Beweis §. 13. ſeqq.* Antagoniſtæ autem eorum aliam unionis originem produnt. Dicunt enim, cum Friderico e vivis ſublato, turbæ Da-

partes diviſerunt. Ex iis, quæ Chytræus l. 24. Saxoniæ fol. 718. narrat, non vere rediiſſe tum ducatum in corpus regni, adeoque errore ductum Crantzium apparet quidem: attamen etiam ſic liquet, nihil ejus ducatus Germanicum imperium ſibi vindicaſſe. Inter Friderici I. regis filios quoque

nico imminere viderentur regno, Daniæ proceres cum Holſatiæ ducibus fœdus, cui *unionis* nomen impertitum, 1533. iciſſe, atque hoc pactum ad regni Danici potiſſimum ſalutem tendens, ad decidendas controverſias, ratione ducatuum, inter regem & ducem obortas, non aptum eſſe medium; Sed illas ex receſſibus hereditariis aliisque pactionibus ad id negotii pertinentibus, definiendas eſſe. *Facti ſpecies in elect. J. P. p. 409.* Dani autem contra contendunt, uniones & inter duces pacta eſſe reciproca, & familiæ: *Kurtze jedoch gründliche Anzeige in electis juris publici curioſ. contin. p. 3.* Unionis duo potiſſimum ſunt capita 1) *Si inter reges ducesque, vel hos aut ordines aut inter ordines ipſos controverſia quædam exſtitura ſit, placuit, ut illorum ſedecim, horum octo adſeſſorum, a rege & duce pari numero conſtituendorum, arbitrio illa decideretur, appellandi poteſtate etiam præciſa. His tamen auſtregis conventionalibus diſertis verbis exemtæ ſunt de ducatu Sleſvicenſi lites.* 2) Caput ad bellica ſpectat negotia, & in eo conſtitutum, *ne alter altero inſcio & inconſulto bellum ullum, quamvis neceſſarium, aggrediatur.* Vide ſcriptum, cui titulus: *Unionis & communionis in cauſa ſereniſſimi ac potentiſſimi Daniæ & Norwegiæ regis, adverſus domum Gottorpienſem præſidium deſtructum juſſu ſereniſſimi Sleſvici & Holſatiæ ducis Gottorpienſis* apud LONDORPIUM *tom. XII. p. 288. 291. Gegründete Gerechtſame apud eundem p. 331.* Pactum hoc unionis anno 1623. incrementa ſumſit, & novum 1637. additum augmentum; Sed hoc ſaltem quinquennale eſſe debuit. Acceſſerunt porro anni 1634. 1636. defenſionis receſſus. *Adjuncta der gegründeten Gerechtſame, n. 12. 13. 14. 15.* Quod autem ad communionem attinet, ea involvit, quod Prælati, ordo equeſtris ac oppida nonnulla, ob privilegia antiquitus obtenta, a corpore ac compage communi ſejungi ac divelli non poſſint, ſed quod communi ſubeſſe debeant regimini, alternatim per annuas vices adminiſtrando. Vid. *Unio & communio ſcript. anni MDCC. typis impreſſum*, & collectioni, quæ inſcribitur: *Wiederholter Abdruck p. 57.* nec non *actorum publicorum faſciculo* inſertum Dani communionem ad omnes omnino civitates ſpectare ajunt, atque ſe in eo ad receſſum hereditarium de anno 1544. referunt, imo & præfecturas ſub ea contineri volunt. *In jure & facto gegründete Nachricht §. 14. 15.* Gottorpicas ſequentes partes defendunt, communionis pacta ſtricte eſſe interpretanda, cum communio ſit mater diſcordiarum. In *receſſu diviſionis de anno 1544.* ea tantum monaſteria eæque urbes communioni ſubjacent, quarum privilegia hoc requirunt: in *receſſu* autem *diviſionis de anno 1351.* alia monaſteria, caſtra, terras & præfecturas a communione excipi. Addunt, eam fuiſſe paciſcentium mentem, quod præfecturæ cuique parti ſeorſim ſubeſſe debeant, inde conſtare, quod præfecturarum ſubditi in diætis provincialibus communibus non compareant. *Facti ſpecies in electis juris publici p. 409.* Danicis juribus tuendis e contrario operam dantes aſſerunt, omnium pariter civitates & præfecturas ſub communi onere eſſe, atque ſic regem ut caput familiæ in omnibus negotiis ſuperioritatis territorialis expediendis cum duce in ſua concurrere parte. Argumenta eorum hæc ſunt: diætarum provincialium placita, præfecturarum ſubditos, æque ac alios obſtringere, judiciis inferioribus in decidendis controverſiis normam eſſe. Etiam præfecturis utriusque principis nomine juſſa dari nec præfecturas niſi quoad utilitates eſſe diviſas: plura vide *in dem in jure & facto gegründeten Beweis der vielfältigen Treuloſigkeiten §. 15.* Ad quæ Gottorpienſes reſpondent, non ignotum eſſe, ſancita quædam ſæpe libera admitti voluntate, ad quæ ſuſcipienda nulla erat obligatio, aliaque facta, ex quibus tanquam operationibus univerſalis communio profluere deberet, non immerito in dubium vocari; pecuniam dotalem in principum filiarum uſum a ſubditis colligendam ad provincialia ſpectare tributa, quæ ante æquationis receſſum, de anno 1663. communiter exigebantur, communique imponebantur ærario; quod autem hoc receſſu mutatum, eoque conſtitutum, ut quilibet ſuas collectaret terras, & communi arcæ non inferretur, niſi quod ex appanagiatorum terris eſſet redactum. Sæpe per pacta quid commune eſſe, illud tamen communionem univerſalem non inducere. Quæ a Chriſtiano rege in epiſtolis ſuis tradita ſunt, Gottorpicæ domui ut regulam obtrudi non poſſe, & in Adolphi inſtructione anno 1555. ad circularem conventum ablegato data, aperte præfecturas & emolumenta a communione excludi. Gottorpienſem ducem ſua ſeorſim habere jura regalia, tam in Sleſvicenſi etiam per pacem Weſtphalicam art. 17. §. 10. a Germanico exempto imperio, per Rotſchildenſem autem & Hafnienſem paces ab omni Daniæ nexu libero ducatu; quam Holſatia, illuſtris imperio immediate ſubjecti feudi rationem habente. Non equidem ignoro, ex Danorum mente liberationem illam a vinculo vaſallitico ex iniquo aliquid trahere. Ducem enim cum Suecis contra Danos conſpiraſſe, & in arctius amicitiæ fœdus, pactis inter regiam & ducalem domos initis adverſans, filiam ſuam Carolo Guſtavo in matrimonium collocaſſe; generum ſuum in Danos incitaſſe, eique omnia eorum conſilia prodidiſſe, nec non in ſecunda Caroli Guſtavi in Daniam expeditione, ubi crudelia nimis in regiam domum agitata dicuntur, primogenitum ducis filium Suecorum caſtris adfuiſſe. Imo Danis dominii directi jus in ducatum Sleſvicenſem vi & injuria extortum eſſe. Vid. *in jure & facto gegründeter Beweis §. XIX. ſeqq.* Nec non ſcriptum, cui titulus: *negotia domeſtica*, apud LONDORPIUM *tom. XII. p. 439. ſeqq. Nachricht von Ihrer Königl. Majeſtät von Dännemarck Norwegen wider des H. H. zu S. H. annoch habende rechtmäſſige Beſchwerden und Anſprüche p. 378. Deſenſe du Danemarck p. 271. ſeqq. Memoires de TERLON tom. I. p. 52. PUFFEND. in vita Caroli Guſtavi lib. I. §. VII. & rer. Brandenb. lib. XIII. §. 28. & lib. XIX. §. 61. ſeqq.* Ad hæc Gottorpienſes regerunt: 1) Cum Sueci bellum in Polonia geſſerint, ducem nullius culpæ compertum a Danis male habitum eſſe. *PUFFEND. l. c.* 2) Bellum Suecis illatum ab eo admodum diſſuaſum, 3) bellum invito duce & Holſatiæ ordinibus, per unionum pacta & privilegia Holſaticæ nobilitati Ripæ data & deinde Kiloniæ confirmata, ſuſcipi non licuiſſe, 4) ingentia mala, ruinas & detrimenta, ducalia perpeſſa eſſe territoria, quæ juxta æquitatis præcepta reſarcienda omnino fuiſſent. 5) In bello injuſto vaſallum domino ſuo opem ferre non teneri, 6) rationes belli in duobus diplomatibus anno 1657. promulgatis allegatas non niſi Danicarum partium ſtudioſis probari. LONDORP. *tom. XII. p. 81.* 7) Adverſariorum dicta eſſe, quod dux in conſanguineum regem cum Suecis conſpiraverit, 8) matrimonia jure gentium eſſe libera, nec huic libertati a Gottorpica domo unquam renunciatum eſſe, 9) juſtæ cauſæ ope & conſilio inſervientem non peccare, 10) alteram Caroli Guſtavi in Daniam expeditionem duci plane fuiſſe incognitam, non tamen ſine omni cauſæ juſtitia fuiſſe. 11) Ducis filium in caſtris affinis non bellatorem, ſed ſpectatorem egiſſe. 12) Exceptionem metus inter gentes; ſi abſque dolo & fraudibus agitur, non habere locum, præſertim ſi penes ſtipulantem juſtitia cauſæ ſit. Vide *ſcript. Gottorp. apud LONDORP. tom. XII.* inprimis *die Beantwortunge der Nachricht. p. 436. Wohlgegründete Behauptunge. p. 28. 29. AMTHOR vom Zuſtande der Schleſwig-Holſteiniſchen Ritterſchafft §. 31. Memoires de TERLON. p. 122.* 13) Hafnienſis pacis tempore Suecorum res inferiores fuiſſe. *Pact. union. de anno 1533. Tranſactio Othonienſis de anno 1579. Concordata regni Danici & ducatuum Sleſvico-Holſat. de anno 1593. Extendirte union de anno 1623. Unio anno 1624. renovata. Expoſitio cauſarum, quibus ſacra reg. majeſtas Sueciæ bellum a rege regnoque Daniæ ſibi illatam etiam poſt pacem Rotſchildenſem initam continuare coacta* apud LONDORPIUM *tom. VIII. p. 390.* Fateor tamen, eſſe apud

quoque contentiones quidem & multæ & diuturnæ fuerunt de feudi hujus natura, hereditarium ſit nec ne, maſculinum an fœmininum, liberum vel ſervitio cuidam obnoxium: at de jure ſummi dominii, Daniæ debiti, nunquam fuit dubitatum, ac proinde ſalva Daniæ auctoritate omnia tandem

TERLONIVM, quæ rationes in hoc ſcripto adductas enervare videntur; ſed hæc ad me non attinent, cum non judicem, ſed referentem tantum agam. Id certum eſt, *art. 22. pacis Rotſchildenſis* anno 1658. factæ, regem Daniæ pollicitum eſſe, Gottorpienſi duci ſecundum æquitatem intra duos menſes ſatisfacere. PVFFEND. *in append. vit. Caroli Guſtavi p. 27.* liberavitque ſe etiam rex promiſſo, dominio directo, in Slesvicenſem ducatum diſcedendo. *Memoires de Terlon p. 129.* Inſecutum ſuvrainitatis, ut ajunt, diploma habet. LONDORP. *tom. XII. act. publ. p. 348.* Atque illud artic. XXVII. pacis Hafnienſis anno 1660. initæ ratum habitum. PVFFENDORF. *l. c. p. 36. Aizma libr. XL. p. 557. 568. La vie de l'amiral Ruyter. p. 151.* Spectant etiam huc *pacis Olivienſis* 1660. concluſæ *art. 22. 26. 31. 35.* apud PVFFENDORF. *l. c. p. 48. ſeqq.* & quæ ad hoc caput ſpectantia in receſſu Glückſtadenſi anno 1667. contracto reperiuntur. *In facto gegründete umſtändliche Nachricht. §. 42. Nouveau recueil de traitez par DV MONT tom. I. p. 139. ſeqq.* Sed cœperunt mox motus inter Daniæ regem & Gottorpienſem ducem recrudeſcere. Pœnitebat forte Danos, ſe dominio directo in Slesvicenſem ducatum valedixiſſe. Verum irarum ſuarum cauſam allegabant, quod fœdus cum Sueco 1661. eſſet initum, & anno 1674. renovatum. Gottorpienſes autem, cum tantum defenſivum eſſet, nihil mali & pactis, quibus dux Daniæ adſtrictus, inimicum, complecti principique imperii & ſuperiori omnimode in ducatu Slesvicenſi paciſci licere aſſerebant. Et cum Suecicum terris Brandenburgicis immineret bellum, de novis moliendis ſolicitos fuiſſe Danos, Gottorpienſes dicunt; illi autem omnem in hos conjiciunt culpam; *in jure & facto gegründeter Beweis §. 26. La defenſe du Danemarck p. 280. 281.* monentes, inter alias rationes, id, quod in ducem factum eſſet, ſtabilientes fuiſſe, quod Suecis ad Fehrbellinum profligatis, literæ a rege Sueciæ ad Wrangelium datæ, Danis omne ominantibus malum, reperta fuerint. Sed quomodocunque hæc ſe habeat res, dux Rendsburgum ſub ſpe de litibus Oldenburgenſem comitatum a cæſare, Dano poſtea adjudicatum concernentibus, tranſigendi allectus, libertati, vel potius honeſtæ Gottorpienſi cuſtodiæ non niſi *ſub ſuvrainitatis*, quo vocabulo utuntur, *in ducatum Slesvicenſem abdicatione* reſtitutus eſt. Gottorpici ſcriptores truculenta dicunt, quæ Rendsburgi acta ſunt; Danici autem hæc quovis modo excuſare annituntur. Sed forte addendum TACITI illud: *omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo.* PVFFEND. *rerum Brandenburg. lib. XIII. §. 42.* LONDORP. *tom. XII. p.* 299. 308. 311. 313. 322. 323. *In facto gegründete umſtändliche Nachricht. §. 44. ſeqq. L'etat de Danemarck p.* 321. Dux conjugi Danicæ principi ad matrem tendenti, itineris ſocium ad aliquot fere milliaria ſimulans, cuſtodiæ ſe ſubtraxit & Hamburgum ſalvus attigit. Unde in pacis negotio Neomagenſi, quæ adverſus Danos habebat gravamina, per legatos exponere curavit, ſeſeque in integrum reſtitui operam dedit. Ducis rationibus Danici legati graviter adverſati ſunt, nec æquum eſſe, quod optaret in *epiſtola amici ad amicum*, qua ad Gottorpientium ablegatorum memoriale reſpondetur, docere allaborarunt. LVNIGII *Sylloge negotiorum publicorum tom. I. p.* 618. *ſeq.* Et quidem talis rei eventus fuit, ut ducis reſtitutio ad Fontibellaquienſes tractatus remiſſa fuerit. Hac deinde pace conſtitutum: *prædictus rex ad teſtandum finiendi præſentis belli deſiderium ad requiſitionem regis chriſtianiſſimi atque in ejusdem reſpectum conſentit, uti vigore hujus articuli conſentit in reſtitutionem præfati ducis, in ipſius ditiones, provincias, loca & urbes, in eo, quo nunc inveniuntur ſtatu, uti & in ſuvranitatem, uti vocant, quæ ipſi vigore tractatuum Rotſchildenſis & Hafnienſis competit, ita, ut quicquid poſtmodum actum quive tractatus initi fuerint, nullum illis adferant præjudicium, ſupra nominati autem tractatus Rodſchildenſis, Hafnienſis & Weſtphaliæ, in omnibus & ſingulis articulis quoad ſupra dictum Gottorpienſem in pleno vigore permaneant, ita ac tractatui huic verbotenus eſſent inſerti. Et quoniam uniones & pacta hereditaria, quæ tunc temporis inter utramque, regiam ſcilicet ducalemque Holſaticam-Gottorpienſem domum interceſſerant, per ſupradictos tractatus confirmata ſunt, conventum eſt, quod prædicta uniones, & pacta hereditaria, in pleno vigore permaneant atque utrinque bona fide & exacte obſerventur, ita, ut nec quicquam ſub quocunque prætextu contra illa agatur.* LONDORP. *tom. XII. p.* 359. Sed vix Chriſtianus Albertus terris ſuis pedem intulerat, cum denuo diſſidiorum materiæ ſe offerrent, quæ ducem Hamburgum retroverti coëgerunt. Dani urgebant 1) ſibi adhuc ex ducalibus terris 900000. uncialium deberi, nec hæc per Fontibellaquienſem pacem eſſe ſublata, quem in finem excluſo duce tributa imponebantur, 2) nefas eſſe, quod dux contra tenorem Rensburgenſis transactionis, quæ in hoc paſſu in Fontibellaquienſi pace non eſſet extincta in dimidium collectarum venire, illamque partem in ſuos privatos uſus convertere contenderet. 3) duci non licere, Tonningæ loco, quæ munimentis a Danis nudata, alium aut eundem munire locum, cum illud omnino in regiæ familiæ præjudicium vergeret, præſertim cum 4) fœderibus alienis ſtuderet. PVFFEND. *rer. Brand. lib. XVIII. §. 24.* 5) Si quid forte diſcordiarum enatum eſſet, non ad exteros deferendum, ſed juxta medium in unionis pacto præſcriptum componendum fuiſſet; ante omnia autem 6) quod Suecorum opera uti vellent, peccare, cum illis per Lundinenſem tractatum rebus eorum accedere, ne quidem licitum eſſet. *In jure & facto gegründeter Beweis §. 28.* Plura capita, quæ Dani in Gottorpientibus requirebant, enarrantur apud LONDORPIVM *tom. XII. p.* 360. Verum 1) hi ſe pacis & quietis amantiſſimos profitebantur, Chriſtianum autem Albertum conditionibus regiis durioribus adhuc paululum Rendsburgenſis pacti capitibus, regiis ſibi d. 22. aprilis ann. 1684. manifeſtatis codicillis, ſubſcribere non poſſe. LONDORP. *actor. public. tom. XIII. p.* 414. *ſeqq.* 2) Per pacem Fontibellaquienſem, quamvis non liceret contributionum militarium reſiduum exigere; attamen ducem tranquillitatem & regiam amicitiam 300000. imperialibus redimere conſtituiſſe; Sed hujus oblati juxta & aliorum, quæ ſibi ex pactorum religione præſtanda & permittenda precatus fuerit, repulſam tuliſſe, 3) duci Gottorpienſi juxta legem conventionum, dimidiam tributorum partem deberi, nec regiæ lineæ ullum hic præcipuum eſſe jus, 4) ducem omnium regalium, etiam majorum in territoriis ſuis gaudentem merito facultate, quoque loca quædam munimentis vallandi, gaudere, 5) jus fœderum ſibi, ut principi imperii & ſupremo Slesvicenſis ducatus domino pro dimidia parte & abſoluto dominio competere, non tamen nova ſe iniiſſe fœdera, quod regis intuitu aliter ſe haberet. 6) Ex ipſius regiæ majeſtatis Danicæ literis conſtare, Auſtregarum illud judicium, quod in unionum pactis ſtabilitum eſſet, in rebus, quæ ad uniones illas haud ſpectarent, quales ſunt de regalibus lites, non habere locum, 7) imperatorem ratione Holſatiæ ducatus judicem eſſe, & ratione Slesvicenſis ducatus fidejuſſorem, vid. *in facto gründliche umſtändliche Nachricht §. 66. ſeqq.* nec non GOTTORP. *apologia* & alia *ſcripta utriusque* partis eriſtica nec non literæ regiæ ducaleſque, quæ in LONDORPII *tom. XII.* conſpiciuntur. Lites tandem cæſareæ majeſtatis, ut & Saxonici & Brandenburgici electorum ſtudiis Altenaviæ ann. 1684. d. 20. Junii ſopitæ ſunt. Hujus pacis articulus ſecundus jus ſuvrainitatis, uti appellatur, regalium, collectarum, fœderum, muniendi firmat. Exorta eſt etiam hoc tempore de Lubeccenſi epiſcopatu controverſia. Inter Lubeccenſe enim capitulum cum Gottorpica domo pactum eſt, fore ut ſex ex hac ſumantur gente epiſcopi, ſalvo tamen libero eligendi jure; Atque hoc pactum a Daniæ rege in receſſu Glückſtadenſi comprobatum eſt. Nihilominus Daniæ rex, ut ex filiis coadjutorem epiſcopo conſtituerent, capituli membra commovere ſategit. Et forte voti compos eſſet factus, niſi illa cæſa-

tandem ſunt compoſita. De qua lite merentur legi, quæ refert Chytræus l. 21. & 24. chronici Saxoniæ, unde, ut in quam multis Germanicis negotiis ſolet, deprompſit Thuanus quæ l. 39. de cauſſa hac commemorat. Subſequuta eſt ſolennis infeudatio per Fridericum II. Daniæ regem anno MCLXXX. & ad noſtra usque tempora, nunquam reclamante Germania, ſæpius repetita.

8. Nihil

reis mandatis pœnalibus a propoſito deterrita eſſent. *Acta publica* ad hoc negotium ſpectantia refert FABER *in der Staats-Cantzeley part. II. p. 71. ſeqq.* Conf. quoque LONDORP. *tom. XII. p. 419. ſeqq.* Quæ poſt pacem Altenavienſem facta ſunt, ab AVTORE *der in facto gegründeten umſtändlichen Nachricht*, §. 96. & eo, qui Danicas tuitus eſt partes, *in dem in jure & facto &c.* 28. 29. diverſimode tamen, enarrantur. Hic diſcordiarum, poſt Chriſtiani Alberti anno 1694. denati ex hac vita diſceſſum, recrudeſcentium cauſſas ſcribit, 1) Fridericum ejus filium in Suecia educatum, odium in Danos imbibiſſe, 2) Suecicum militem ducatibus induxiſſe, 3) ut occaſio bello præberetur, propugnacula quædam (*Schantzen*) reſtaurata iisque nova quædam addita. Vid. *Gründliche doch kurtze Anzeige in continuatione electorum juris publici p. 1. ſeqq.* Gottorpicæ cauſæ patrocinantes hæc tradunt, 1) & Danorum parte impedimenta ſtructa, ne dux homagii fidem a ſubditis ſuis exigere potuerit, 2) diætæ provinciali, cui novus dux Fridericus juxta pactorum tenorem præſidere debuiſſet, remoram injectam, nec Danos in ejus celebrationem conſentire voluiſſe, niſi (a) Chriſtiani Alberti primum aperiretur teſtamentum, (b) uniones renovarentur, (c) copiæ peregrinæ dimitterentur (d) a conducendo milite abſtineretur. *Reſcriptum regium ad Liliencronum & Schröderum in hac cauſa regis commiſſarios, in contin. elect. juris-publ. p.* 24. 25. Poſtulata vero hæc contra jus fasque fuiſſe, cum 3) Daniæ regis in Chriſtiani Alberti teſtamento nullæ eſſent partes, nec de jure primogenituræ illud in ducatibus obtinere, ullum dubium, 4) unionum pactis, prout Glückſtadenſi innitereutur receſſui, ſatisfieri deberi, 5) nec Suecicam educationem, nec Suecicum matrimonium mali quid involvere, aut diminuiſſe affectum, quo dux in conſanguineum eſſe deberet regem, 6) juxta *inſtrumentum pacis artic. 8. §. gaudeant*, & Altenauenſ. pac. §. 2. imo ex ducatus Slesvicenſis, ab omni plane nexu liberi, natura duci jus belli cæteraque omnia regalia, ſicque etiam jus legendi militem & loca foſſis, vallis, & muro ſepiendi competere. Vide *Nochmalige und endliche Behauptunge Sleſvico-Holſati juris armorum, armandæ, fortalitii, fœderum &c. faſcic. IV. actorum publicorum p. 32. ſeqq.* 7) indifferens eſſe, ſive quis ipſe milites contrahat, ſive ab alio conductos ſuis addicat ſtipendiis, 8) ducales copias a Rheno reduces a tranſitu per regias terras eſſe prohibitas. Hæc etſi quæ alia ſunt hujus argumenti, graviter a ducalibus urgebantur miniſtris variæque ex utraque aula ad hoc negotium ſpectantes dimittebantur epiſtolæ, quas vide *in contin. elect. juris publici.* Conf. quæ *in act. public. faſciculis* ad res Sleſvico-Holſaticas ſpectantibus continentur. Sed omni plane literaria hæc commercia caruerunt ſucceſſu, non minus ac tractatus, qui Hamburgi, cæſare, Saxone, Brandenburgico & Brunſuicenſi electoribus, officia ſua interponentibus, 1699. ſuſcepti, & Friderico IV. ſceptra Danica poſt patris mortem capeſſente repetiti ſunt. Tentatis igitur in vanum pacis conſiliis, ad arma conclamatum eſt, licet articulus 6. pacis Altenavienſis armatam controverſiarum deciſionem excluderet, atque ducalibus deſtructis propugnaculis, Dani obſidione Tönningam cinxerunt. Sed confœderatorum ad ſopiendum hoc bellum contracto exercitu appropinquante, ab obſidione diſcedere, & pacem poſtea Traventhalenſem cum duce inire conſultum putarunt. Hujus pacis ſub cæſaris, Anglorum, Hollandorumque repetita ſponſione factæ articulus II. & III. ſequentis ſunt tenoris: *uniones inter regnum Daniæ &c.* Vide adjuncta *zu dem wiederholten Abdruck p. 75. Nouveau recueil des traitéz par DV MONT. tom. I. p. 118. ſeqq.* FABRI *Staats-Cantzeley tom. V. p.* 693. Brevi poſt Traventhalenſis pacis concluſionem, novas inter regiam & ducalem domum, epiſcopatus Lubecenſis diſcordias diſſenſionesque excitavit. Erat majeſtatis Danicæ frater CAROLVS, ut in Danicis eſt ſcriptis, per majora & ſaniora in epiſcopi Lubecenſis coadjutorem electus: mortuo autem AVGVSTO FRIDERICO epiſcopo d. 2. Octobris 1705. CHRISTIANVS AVGVSTVS nuper pie defunctus epiſcopus, epiſcopatus poſſeſſionem apprehendit. Vide *Wahrhaftigen Gegenbericht auf den ſo genannten gründlichen und kurtzen Bericht* apud FABRVM *in der Staats-Cantzeley p. 706. part. X.* Bellici quidem obinde ferveſcere incipiebant motus, ſed epiſcopatu in CHRISTIANI AVGVSTI poteſtate permanente, ſponſorum Traventhalenſium potiſſimum ſtudiis compoſiti ſunt. Non alienum forte erit, potiores utriusque partis rationes afferre, judicio diſcretionis benevolo lectori relicto. DANI ALLEGABANT 1) articulum 8. pacis Traventhalenſis & 2. receſſus Glückſtadenſis, Gottorpicæ domui Lubecenſem epiſcopatum ad ſex addicentem generationes, fictitio pacto de anno 1647. inter Gottorpicam domum & Lubecenſe capitulum inniti; nam ejusmodi conventionis nec in protocollis, nec in archivo capituli ulla exſtare veſtigia, deinde a Gottorpica domo nunquam niſi exempla illius eſſe producta, 2) adverſari ejusmodi pactum canonibus & *inſtrum. pac. art. 5. §. 16. 17.* 3) Ab imperatore conventionem illam præſumtivam per decretum de anno 1698. eſſe ſublatam, 4) decretum cæſareum de anno 1700. d. 28. Julii non ad receſſum Glückſtadenſem, ſed ad placita duorum generalium capitulorum, ex domo Gottorpica epiſcopum eſſe eligendum, reſpicere; ſed probe notandum, maximæ capitularium parti placita illa diſplicuiſſe, quod in ſuis ad imperatorem literis teſtati ſint, 5) decretum hoc vel reſcriptum caſſatorium per falſa narrata eſſe ſubreptum, 6) conventionem illam, ſi quæ unquam exſtitiſſet, jam diu evanuiſſe, quia plus ſimplici vice in domo Gottorpica non bini, quod tamen conventionis caput eſſet, fuiſſent, qui ad epiſcopalem aſpirare potuiſſent dignitatem, 7) per domus Gottorpicæ contrarios auſus jus, quod ei forte ex Glückſtadenſi receſſu competere poſſet, amiſſum eſſe; quoniam promiſſo non ſatisfactum, operam nempe datum iri, ut alternativa inter regiam & ducalem domum a capitulo epiſcopum electuro obſervaretur. Confer *epiſtolam miniſtri ad amicum* apud FABRVM *part. X. St. C. p.* 661. *ſeqq. & den warhaftigen Gegen-Bericht apud eundem p.* 706. *ſeqq.* GOTTORPIENSIVM vero RATIONES pro ſuæ cauſæ juſtitia ſunt ſequentes: 1) verba receſſus Glückſtadenſis & pacis Traventhalenſis de Lubecenſibus epiſcopis ad ſextam usque generationem ſucceſſive ex domo Gottorpica eligendis, diſponentia, ab adverſaria parte negari non poſſe, 2) nullam mereri fidem, FRIDERICVM III. Daniæ regem prudentiſſimum, optimis miniſtris, tantis totque rebus exercitis viris inſtructum, conventionem ratam habiturum, de cujus exiſtentia dubitatum fuerit, 3) exiſtentiam conventionis a capitulo nunquam negatam nec negari poſſe, cum literæ reverſales a Gottorpientium domo eodem prorſus tempore datæ hoc confirment, 4) Archivorum interdum iniqua eſſe fata, quod de Gottorpienſi notiſſimum eſſet, 5) originalis amiſſione obligationem non tolli, ſed illam aliunde etiam probari poſſe, 6) ipſum pactum coram capitulo Hamburgenſi authenticum cum exemplo notarii fide munito eſſe productum, 7) veritatem ejus ex Daniæ regis literis anno 1684. ad electores datis manifeſtiſſimam eſſe. 8) Hinc autorem *des warhaftigen Gegen-Berichts* nihil circa veritatem conventionis movere, 9) canonibus & paci Weſtphalicæ non adverſari. Nam his conſtitutum, ut jura eligendi & poſtulandi juxta cujusque loci conſuetudines & ſtatuta antiqua ſalva maneant, modo non ſint iniqua, 10) decretum de anno 1698. minus rectæ cæſaris informationi, ac ſi domus Gottorpica omne jus eligendi & poſtulandi, capitulo Lubecenſi conveniens, tollere vellet, deberi, 11) in decreto ex conſilio cæſaris ſanctiori prodeunte, pactum illud de anno 1647. non ſimpliciter, ſed in quantum Weſtphalicæ repugnet paci, rejici; inſtrumento autem pacis contrarium eſſe non poſſe, cum illud alternativam ſucceſſionem pro

8. Nihili vero eſt argumentum illud, quod petitur ab incolarum Sleſwicenſis terræ lingua & moribus Germanicis. Nec enim limites imperiorum regnorumque hinc dependent: ideòque omnibus ſeculis paſſim terrarum diverſæ linguæ variorumque morum homines in unam tamen rempublicam cogerunt. Ipſum imperium Germanicum per varias linguas, Germanicam, Gallicam, Italicam, Sclavonicam, alias, diſtinguitur. Sed & per eſt veroſimile Saxonum coloniis habitari illas terras cœpiſſe demum poſt inſtitutum ibi ab Henrico aucupe marchionatum, cumque Sclavorum incurſionibus omnis illa regio tantum non in ſolitudinem redacta Canuti I. ducis auſpiciis exculta eſt, quod ille Germanis cumprimis faveret, populoſam Saxoniæ gentem ex eo in vacuos agros oppidaque commigraſſe: quem in modum omnem *vicinam Sclavoniam* (a) numeroſis coloniis in linguam & mores ſuos commutavit.

Caput XVI.

Daniæ reges Venedorum terras & Nordalbingicam Saxoniam aliquando occupaſſe quidem, ſed cum poſſeſſione tum omni jure non multo poſt excidiſſe.

I.

Poſſemus jam Daniam cum honore dimittere, niſi ipſa Germaniæ fuiſſet aliquando moleſta & fortaſſis poſſit iterum eſſe moleſta juris cujuſdam in Venedorum terras & Saxoniam Nordalbingicam

domo Brunſuicenſi in epiſcopatu Osnabrügenſi ſtabiliat, item Merſeburgenſe & Naumburgenſe capitulum in eligendis ſive poſtulandis epiſcopis domui Saxonicæ eſſe adſtrictam 12) ſententiam de anno 1700. cauſa cognita in judicio aulico latam, decreto de anno 1698. & ſi quid aliud ejus tenoris adeſt, derogare, 13) placita capitularia unanimi aut majoris ſaltim partis conſenſu ortum habuiſſe, 14) & veritate remotum, quod decretum de anno 1700. ſit ſubreptum, 15) omnium pacis Traventhalenſis capitum ſponſorem eſſe, 16) Gottorpicam domum ad unam perſonam electioni, aut ut poſtulari queat, aptam non eſſe redactam, & ſi quid hic arbitrandum, id ſoli Lubecenſi capitulo eſſet relinquendum, 17) caſum nondum exſtitiſſe, ubi domus Gottorpica, juxta receſſus Glückſtadenſis tenorem, ut alternativa invaleat, officia ſua interponere, ſit obſtricta: *Reſponſio amici ad epiſtolam miniſtri cujuſdam* apud FABRVM *p.* 687. *ſeqq.* Quæ poſt pacem Traventhalenſem & FRIDERICI Gottorpienſis ducis, in prælio *ad Cliſchovvam in Polonia* anno 1702. cæſi, mortem in terris Sleſvico-Holſatis geſta ſunt, late proſequuntur, Autor *der in facto gegründeten umſtändlichen Nachricht, wie der Königl. Däniſche Hof des Fürſtl. Holſtein-Gottorpiſchen Hauſes Untergang und ruin beſtändig geſuchet; & der in jure & facto gegründete Beweis der vielfältigen Treuloſigkeiten, ſo das iezt regierende Allerdurchl. Königl. Däniſche Haus von dem Fürſtl. Holſteiniſchen Gottorpiſchen bisher erlitten.* Plura ſcripta ad negotium hoc ſpectantia FABRI *St. C. partibus XXII. XXIII. XXIV.* inſerta ſunt. Puto tamen, ſi recte memini, ibi omiſſa eſſe: *Höchſtgemüſſigſte Vorſtellunge &c. & Abermal höchſtgemüſsigtes Memorial &c. Gründliche Widerlegunge der ſuccincten deduction &c. Der Fürſtl. Gottorp. Geſandtſchaft abgenöhtigte Antwort.* Cumque terræ illæ *bello* deinde, quod *ſeptentrionale* dicitur, & contra CAROLVM XII. Suecorum regem geſtum eſt, implicarentur; Danorum rex utroque potitus eſt ducatu, & Holſatia reſtituta, Sleſvicenſem in damni accepti compenſationem retinere conſtituit, nec ſponſores, qui de hoc fidem dederint, deeſſe, traditur. De recipiendo DVX HOLSATIÆ *in Ruſſica jam hærens aula*, hactenus in vanum laboravit. Reſtituendum autem ſibi ob has putant rationes Gottorpienſes 1) a Danis, antequam Suecicus ſub Steinbockio accederet exercitus, ducalibus ſubditis multa eſſe illata mala, 2) Traventhalenſi paci, ut par erat, non eſſe ſatisfactum, 3) ducalibus juribus ubique nocitum, 4) injuſta Suecis eſſe illata arma, quibus Gottorpica domus defenſivo juncta eſſet fœdere. 5) Ex jure & praxi gentium illis, qui neutrarum eſſent partium, in bello inferiores, quos hoſtis premeret, recipere licere, ita ut neutralitati, quam vocant, nihil inde decederet, 6) antequam ad arma provolatum, primum componendarum controverſiarum modos, qui in pace Traventhalenſi decernuntur, tentari debuiſſe. 7) Curatorum facta minoribus nocere non poſſe, 8) reſtitutionem in integrum ob imbecillem ætatem, eſſe juris naturalis beneficium & ſic etiam inter principes attendi debere. Ad hæc convellenda ſequentia DANI allegant 1) Gottorpienſes a Danis nulla paſſos eſſe mala, ſi quæ forte belli incommoda in ipſos redundarint, illa ſolutione eorum, quæ eis abeſſent, corrigi potuiſſe 2) Traventhalenſem pacem aliaque pacta, quæ regiæ domui cum Gottorpica domo intercederent, ſancte fuiſſe ſervata, 3) juribus Gottorpicis, quibus ex pactis & æqua eorum interpretatione gauderet, nihil illatum detrimenti, probationem omnino hic deficere, 4) ſummam Gottorpicis vitio vertendam eſſe temeritatem, quod ſibi judicis ſpartam, penes quem in bello inter Danos, & Suecos cauſæ juſtitiæ fuerit, arrogare auſi ſint, 5) ſi quis duobus fœdere adſtrictus eſt, & utrique auxilia præſtari nequeant, antiquiori paciſcentium potius, quam poſteriori ſubveniendum eſſe, niſi cauſa ejus aperte ſit injuſta, 6) manum aliquam militum fugientium illum, qui neutrarum eſſet partium, in ſuum recipere territorium poſſe, illæſa, quam cum altera parte coleret, amicitia. Nihil enim huic a tam exigua manu timendum eſſe: Aliter autem ſe rem habere, ſi integro exercitui & in ipſa propugnacula aditus concedatur. 7) In vanum ad pacis provocari conſilia, ubi cum hoſte jam inita ſint conſilia & pacta, 8) territoriis graviſſima imminere exitia, ſi immaturæ ætatis principi, contra ſua ſuorumque tutorum facta beneficium reſtitutionis in integrum competeret.

(a) *Vicinam Slavoniam*) *CONR. annot. ed.* Non Slavoniam duntaxat vicinam cis & trans Albim, usque in Bohemos & Polonos, ſed etiam Pruſſiam & Aeſtiorum vaſtas provincias Germanicis coloniis compluribus Germania in linguam & mores ſuos commutavit: ne quid nunc dicamus de vicinis circumquaque regionibus aliis. Haud abs re fuerit hic expendere, quæ princeps noſtri ævi hiſtoricorum, JACOBVS AVGVSTVS THVANVS *l. 2. hiſtoriar.* de iſthac Germanorum ſolita migratione ſcripſit; etſi nonnihil laborent. Cum enim de finibus Germaniæ antiquis pauca attuliſſet in medium, in hæc verba progreſſus eſt: *Quos poſtremos limites populoſa æque ac bellicoſa gens transgredi non potuit, quippe inſuperabiles; flumina facile ſuperavit. Nam & inde trans Viſtulam in Boruſſiam & Daciam; inde ultra Rhenum, omnem trans & citra Juram Helvetiorum civitatem complexa, ad Vogeſum usque montem & Belgici maximam partem, fines protulit, & inſulam Batavorum ambigui antea juris ſuam effecit, omni ea portione Gallis ademta. Itaque & omnibus iis locis lingua ex Germanica detorta utuntur. Apud Helvetios, inquam, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Menapios, Treviros, Tungros, Sicambros, Ubios, Eburones, Atuaticos, & Pleumoſios. Quin & Anglicam, quæ hodie eſt, & Scoticam, Teutonica eſſe dialectos quis neget? Uti a Saxonibus nomen, ita & linguam mutuatos eſſe, vero ſit ſimile. Quin & iidem Saxones orientem verſus veteres fines egreſſi, Boruſſos & Transſilvanos, qui hodie appellantur, Germanice loqui docuerunt. Etiam Livonia, licet in Sarmatia Europæa ſita ſit, quia tamen verſus occidentem ſinuoſo tractu reſſe-*

bingicam prætextu. Nec vero vel hodie abſtinent Daniæ reges nomine regio Venedorum, ſive, ut perperam vulgo loquimur, *Vandalorum*, (a) quum rectius olim Sclavorum reges dicerentur. Niſi autem vehementer fallor, & ortum eſt nomen illud & nunc adeo more priſco retinetur, reſpectu regii cujusdam juris in illas Venedorum terras, quæ Albim inter & Balthicum mare ſitæ ſunt. Nordalbingiæ titulus dudum quidem deſiit, olim tamen uſurpatus & Nordalbingia ipſa in ditionem Danicam fuit redacta. Igitur anteaquam pergamus, videbimus, jure an injuria Daniæ utraque vel alterutra tellus hæc etiamnum competat aut olim competierit, initio a NORDALBINGIA (b) facto.

2. Non

ſitur, & a Vandalis proximis inſeſſa eſt, Germaniæ annumeratur, eamque ob cauſam Rigenſis archiepiſcopus, qui in Livonia eſt, inter Germanicos antiſtites recenſetur. At enim, quod in Gallia Germanis, id in Germania Illyris uſu venit, ut ſuæ ibi dominationis veſtigia relinquerent alte impreſſa. Nam & hodie Marcomani ſeu Moravi, Quadi ſive Sileſii, ac denique Boëmi, (qui omnes priſcis Germaniæ finibus continentur) Illyrica ſeu Slavica lingua utuntur, atque eadem adeo, quæ inter Iſtros, Dalmatas, Boſnenſes, Bulgaros, ac denique per totam Sarmatiam Europaam ſuperiorem in uſu eſt.

(a) *Vandalorum*) *C. A. M.* Vandali tandem conſederunt in Africa. Veneti ſemper a quam plurimis ſunt habiti gentes Germaniæ. Primus publico ſcripto nomen Vandalorum pro Venetis cœpit uſurpare ALBERT. CRANZIUS, ut ex ipſo titulo apparet. Intra hos 150 annos reges dicti ſunt non amplius reges Slavorum, ſed Vandalorum. GöBEL. Rectius tamen docent illi, qui Venetos ut gentem Slavicam ex Polonia in Germaniam migraſſe dicunt. De Danorum in terras Slavicas ſibi arrogata dominatione agit SCHWEDERUS *in theatro prætenſionum illuſtrium p. 115.* Ceterum de Vandalorum æque ac Gothorum regis titulo inter Suecos Danosque lites agitari, conſtat ex PUFENDORF. *L. XIV. §. 69. rerum brandenburgicarum.*

(b) *Nordalbingia*) *C. A. M.* Hodie Holſatia, Ditmarſia, Stormaria, quibus accedit pars ducatus Luneburgici, quæ quoque olim Venetorum fuit. GöBEL. Terras haſce a ſitu verſus cœli plagam, & flumine, quo a reliqua diſtinguuntur Germania, id nominis ſortitas, in vulgus notum eſt. Legi meretur LAMPERTI ALARDI *Nordalbingia ſive hiſtoria rerum præcipuarum in Nordalbingia a temporibus Caroli M. ad annum 1643. a principibus & populis geſtarum.* Gluckſtadi 1643. Transalbinis his regionibus ALBIONEM, Wedekindi in bello adverſus Carolum M. ſocium imperaſſe, recentiorum errorem dicit LAMBECIUS *in originibus Hamburgicis p. 3.* Transalbinarum regionum etiam *Saxoniam*, quæ a metropoli *Lauenburgi* cognomen habet, numero fuiſſe, extra omne ponendum eſt dubium. Ad Guelficam domum, JULIO FRANCISCO anno 1689. abſque maſcula exſtincto prole, rediit, Saxonibus imperfectum, & ad juri Brunſvicenſium nocendum invalidum *confraternitatis* jus urgentibus, non modica pecuniæ ſumma, ut lis redimeretur, placatis. Quæ transactio 1697. compoſita eſt, & viro illuſtri de HUGO Zellenſis cauſſæ patrocinium peculiari tractatu agere, commiſſum. Vide CHRISTOPH. JOH. de MüNCHHAUSEN præſide RECHENBERGIO, in academia Lipſienſi anno 1716. habitam diſſertationem, cui titulus: *Succeſſiones in Ser. domo Guelfica uſitatæ cap. 2. §. 10.* Cumque Sereniſſimæ Guelferbytanæ ſtirpi ad recuperanda a majoribus amiſſa, par cum conſanguineis eſſet jus, Luneburgicæ autem terræ, interjectis aliis terris Guelficis, a Guelferbytano territorio penitus ſeparatæ eſſent, placuit ei, Campenſi præfectura, aut alia decem millium uncialium annuum ferente reditum, ſuo decedere jure. Pars actorum publicorum, ad hoc ſpectantium negotium, FABRI *Stats-Canz. part. 8. c. 11.* eſt inſerta. LUNIG. *part. ſpec. ſub dom. Br. Lun. p. 171.* Scio, ANHALTINUM reditum hunc avitarum terrarum ad Guelficam domum ægre ferre: Verum nullum ipſi conquerendi jus eſt. Nam nihil proprie dicti juris Anhaltinis in terras Lauenburgicas partum eſt, niſi usque dum OTTO PUER anno 1235. allodio avito imperio in beneficium oblato, Saxoniæ ducis titulo & juri in beneficiarias illas terras, quibus avus exutus erat, valediceret. Sed inde nullum jus in HENRICUM, ſatorem principum Anhaltinorum hodie vigentium devolutum eſt, illi enim nullæ in terris Lauenburgicis erant partes, ſed iis tantum ALBERTUS I. frater ejus potiebatur, & ab eo in ejus filium JOANNEM tranſierunt, qui *Lauenburgicis ducibus originem dedit. HENNINGES tom. 1. genealog. tabul. p. 170.* Deinde ſunt, qui negant, Henricum I. quem Fridericus II. Aſcaniæ, Ballenſteti & Wölpæ comitem, nec non Bernburgenſem dynaſtam creaſſe dicitur, Bernhardi filium fuiſſe. Neque ullum eſt dubium, OTTONI PUERO juri ſuo in terras illas decedenti, ſpem reſervatam fuiſſe, fore ut aliquando ſua poſteritas, Alberti propagine deficiente, eas recuperaret. Et hunc in finem inſigne, quo Billingiani utebantur, conſervatum fuit. *CRANZIUS lib. 8. c. 28.* Huic accedit, quod inter ERICUM Saxoniæ illius, quæ Lauenburgica vocatur, ducem & WILHELMUM, MAGNUMQVE anno 1369. pacta inita ſint ſucceſſoria. Quibus alia ejusdem tenoris ſucceſſerunt inter RUDOLPHUM, ALBERTUM & WENCESLAUM, Wenceslai filios cum MAGNI ducis Brunſv. Luneb. filiis, FRIDERICO, BERNHARDO & HENRICO anno 1389. inita. Omnia in his confraternitatis fœderibus rite peracta eſſe præſumuntur; porro principum pacta ſucceſſoria antiquioribus temporibus non ita abſolute imperatoria indiguiſſe videntur confirmatione. Denique per Leopoldinam & ſequentium imperatorum capitulationes omnia principum, quæ *confraternitates* dicuntur, rata habita ſunt pacta.

HADELIAM TERRAM, quæ jam cæſarem habet ſequeſtrem, ducatus hujus Saxoniæ inferioris integrantem conſtituere partem, non eſt in incerto poſitum. Vide *DANCKWERTHS Holſteiniſche Chron. p. 297. Sachſen-Lauenb. Stamm-Fall p. 46. 47.* Permultæ ſunt rationes, quibus hoc evincitur. (1) Lauenburgicum territorium eam comprehendere, Saxonicus teſtatur gloſſator. (2) In imperii matricula non comparet, tacite igitur ſub Lauenburgico haud dubie continetur ducatu. (3) *Hadelia* inter terras, quæ JOANNES dux Saxo-Lauenburgicus filio ſuo anno 1500. regendas dedit, fuit. (4) In omnibus inveſtituræ diplomatibus, de Lauenburgicis terris datis, hæc reperitur regio. (5) Cum ERICUS anno 1370. Hadeliam cum aliis ducatus ſui partibus Lubecæ urbi pignori dare conſtituerit, nobilium & ordinum provincialium ducatus Lauenburgici adhibuit conſenſum. *Et inſuper* TERRAM NOSTRAM HADELENE &c. ſunt verba diplomatis. (6) Grave erat æs alienum, quod FRANCISCUM SENIOREM urgebat. Ut igitur ab eo liberari poſſet, anno 1573. conſultum viſum, inſignis ducatus partis creditoribus deſtinare reditus, Lauenburgi tantum præfectura & Hadelia duci in alimenta relictis. Ab hoc deinde Hadelia filio ejus HENRICO poſtulato, archiepiſcopo Bremenſi donata; hæc vero donatio a cæſare nulla declarata. (7) Exſtincto Henrico, Franciſcus Hadeliam repetiit, & palam profeſſus eſt, etiam in reſponſo fratri ſuo MAURITIO, Hadelenſem terram ambienti, dato, eam a reliquis Lauenburgicis terris eſſe inſeparabilem. (8) Illi, qui ex Hadelenſibus ordinum provincialium numero fuerunt, in diætis provincialibus Saxo-Lauenburgicis comparuerunt. (9) Tam ad imperii, quam circulares & provinciales collectas, quas ducatus ſuſcipere debuit, Hadelia concurrit. (10) Cauſæ in Hadelenſi territorio in prima inſtantia ventilatæ ad dicaſterium aut cancellariam Lauenburgicam per appellationem devolutæ ſunt. Documenta, quibus hæc fulciuntur, habentur: *In der nochmahligen Vorſtellunge und Beweis, daſs das Land Hadeln pars integrans, oder ein weſentliches Stuck des Hertzogthums Sachſen-Lauenburg ſey*, & cæſareæ majeſtati ab illuſtriſſimo comite ab HULDENBERG auguſtiſſimi Britanniarum regis ad Viennenſem ablegato aulam, Viro ſummo tot tantisque negotiis exercito, in copia a duobus peregrinis Notariis in camera immatriculatis vidimata, ut ajunt, ſunt exhibita. Ceterum de Hadelenſi territorio Hamburgum, Ry-

2. Non movebimus autem illa, quæ ante Caroli magni ævum acciderunt, utpote quum omnia illa incerta ad nos fide pervenerint. Enimvero habet quidem multa ejusmodi Saxo Danicus: ſed quæ ipſa narratione ſtatim refelluntur. Tum vero, ſi quod res eſt, velimus fateri, Danis non minus atque aliis Germaniæ populis, ante chriſtianæ religionis in ſua gente exordia, nulla domi geſtarum rerum dubio carentia monumenta fuere. Eoque & Saxo in fabuloſis *poëtarum* (a) Danicorum carminibus & paucis nonnullis *rupium quarundam inſcriptionibus*, (b) quæ tamen nihil habeant, quod multum ſit memorabile, venuſtarum & incredibilium narrationum ſuarum omne præſidium collocat.

3. Semotis igitur ſive fabulis ſive dubiæ fidei narrationibus, ſecuti teſtimonium eorum, qui a Caroli magni ævo ſive inter Danos ſive apud nos res geſtas memoraverunt, id ſecure poſſumus affirmare; ſaltim ad Friderici usque I. cæſaris & Waldemari primi regis tempora, Nordalbingicam Saxoniam neque ultro a Germanis traditam Daniæ neque belli aliquo jure ad illam devenisſe. Nihil ſane hujus legas: ſed potius partem Daniæ, imo Daniam univerſam, in jus Germanicum iſthac tempeſtate conceſſiſſe: ceu jam tum capite quartodecimo oſtenſum eſt. Friderici demum cæſaris liberalitate datum eſſe aliquid juris Dano, non deſunt, fateor, qui memorent. In chronico, quod Erici regis nomine primum Erpoldus Lindenbrogius, iterum Stephanus Joannis *Stephanius*, (c) publicaverunt, hæc habentur: „Anno Domini MCLXXXI. rex Waldemarus occurrit Friderico imperatori apud Thraven, ubi duas filias ſuas maritavit, unam filio imperatoris, „aliam comiti Sifrido. Ubi etiam obtinuit ab imperatore dominium totius Nordalbingiæ, h. e. „omnium terrarum ad aquilonarem partem Albiæ. Super quo habuit literas imperiales cum „bulla aurea, & literas papales, videlicet Innocentii papæ tertii de confirmatione dictæ collationis „pro jure perpetuo habendæ. Sed has literas, poſt mortem regis Abel, quædam mulier Teutonica filia diaboli in odium Danorum deſtruxit. Hæc Ericus ille. At vero quum ducentis amplius annis Waldemaro ſit poſterior, utique nonniſi auditione hoc acceperit alicunde, neceſſum eſt: nec meretur proinde hæc illius narratio inter idonea veritatis teſtimonia referri. Deceptum autem eſſe regem, argumento mihi certiſſimo eſt, quod Saxo omnia, quæ in congreſſu illo cæſaris regisque accidere, ab Abſalone archiepiſcopo, ſummo rerum omnium Danicarum tunc adminiſtro accepta, ad invidiam usque libro XIV. memoret quidem, *de donata* (d) tamen Nordalbingia habeat nihil. Nec enim ad Nordalbingiam faciunt, quæ de promiſſo Slaviæ dominio ibi commemorantur. Ex adverſo narrant illius ævi ſcriptores, *Fridericum cæſarem* (e) illo ipſo plane tempore,

pulſo

zenbuttelam & novum opus (*das neue Werck*;) archiepiſcopatus autem Bremenſis caſtrum & vicum Nienhuſum nacti ſunt.

(a) *Poetarum*) GöBEL. Non aliud veteribus fuiſſe annalium genus, præter virtutis illum concentum, quem, autore Tacito, majores noſtri *barditum* vocabant, cenſent. Hujusmodi carminibus multa ſe debere, SAXO *in prolegomenis hiſtoriæ ſuæ* faſſus eſt. Danorum vetuſtati *Vüſa* dicta, variaque eorum fuiſſe genera, STEPHANUS JOH. STEPHAN. *in notis ad Saxonis prolegomena* teſtatur. Conf. quoque WORMIUS *de Danica literatura antiquiſſima, vulgo Gothica pag. 176.* Haud dubie & in iſtis ab ætatis noſtræ memoria remotiſſimis temporibus poëtæ ſuo indulſerunt genio, ſub tegumentis autem iſtis & rerum geſtarum nimiis amplificationibus, veritates reconditæ latent.

(b) *Rupium quarundam inſcriptionibus*) *C. A. M.* Omnes inſcriptiones Danicas & Suecicas collegit OLAUS WORMIUS ſub tit. *Antiquit. Danicarum.* GöBEL. Græcis uſitatiſſimum fuit, res majorum præclare geſtas poſteritati in virtutis æmulationem, nec non pacta, leges, & ſi quæ alia hujus ſunt generis, lapidibus incidere. Apud gentes borealiores idem in more poſitum fuiſſe, multa monumenta hodienum conſpicua comprobant. Vid. STEPH. *l. c. p. 15.* WORMIUS *in monumentis Danicis* inſcriptiones, quæ in ſaxis ſepulchralibus reperta ſunt, exhibuit. Forte magno antiquitatum ſtudio commodo foret, ſi & iſtæ, quæ rupibus & aliis ſaxis inciſæ ſunt, in publicum prodirent.

(c) *Stephanius*) GöBEL. MöLLER *in iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricæ part. 1. p. 32.* eum vocat antiquitatum Danicarum vindicem & Saxonis ſoſpitatorem. Erici chronicon tomus ſcriptorum ſeptentrionalium, qui nuper curante JO. ALBERTO FABRICIO editus eſt, complectitur.

(d) *De donata*) GöBEL. Donationem hanc & MEURSIUS *P. I. hiſt. Dan. L. V. p. 117.* perſuadere nititur: verum ea tantum, quæ Chronicon Erici habet, refert.

(e) *Fridericum cæſarem*) *C. A. M.* Henricum Leonem Bavariæ ducem exuit pene omni ditione feudali. Tum temporis ad comitem Holſatiæ pertinebat omnis Nordalbingia, Stormariæ pars, Wagria, ipſa Lubeca, Hamburgum. Ditmarſia ad archiepiſcopatum Bremenſem pertinebat, & nonniſi ante annos 100. ad Holſatiam pervenit. Lubecam conceſſerat Leoni ADOLPHUS comes Holſatiæ, fuitque Henrici Leonis ducis potentiſſimi vaſallus. Ex eo igitur tempore comites Holſatiæ non fuerunt amplius vaſalli ducum Saxoniæ, ſed vaſalli imperii. GöBEL. Fabula haud dubie eſt, *Ditmarſiam* una cum *Stadenſi comitatu* ſancto WILLIBALDO a Carolo M. eſſe donatam. Veteris ævi enim epiſcopi non urbes & territoria, ſed animos curabant. Nec Willibaldi II. prædicatio verbi divini, qua Ditmarſios inſtruxit, hanc Bremenſi diœceſi vindicavit provinciam. Nam illo ſeculo epiſcopi adhuc ex Chriſti præcepto omnibus, quos attingere dabatur, divina pandebant oracula, licet diœceſis ſuæ non conſtituerent partem. Id ſane dubium non habet, quin ſub Saxoniæ fuerit ducatu. Nec male conjicit DANCKWERTUS *in Holſatiæ chronico p. 290.* quod idem comes & Ditmarſiam, & comitatum Stadenſem, qui olim *Heeſefeld* vel potius *Roſefeld* dictus, etiam antiquioribus temporibus rexerit. Marchiones Brandenburgicos & Soltwedelenſes comites utrique regioni præfuiſſe, in certo eſt. *DANCKW. l. c. p. 291. 292.* Rudolfo II. comite a Ditmarſis obtruncato, frater ejus Hartwicus, Magdeburgenſis eccleſiæ canonicus & præpoſitus Bremenſis, poſtea archiepiſcopus Hamburgenſis Ditmarſiæ (Diethmaringenſium) ditionem cum aliis terris, Friderico Magdeburgenſi vendidit archiepiſcopo. Hanc venditionem Conradum II. (III.) imperatorem, & Henricum Saxoniæ ducem ratam habuiſſe, diploma apud *LINDENBROG. p. 155.* docet. Sed gens Ditmarſiorum obſequii impatiens, Magdeburgenſis archiepiſcopi imperata facere nolens, Henricum Leonem ducem ſuum ſibi infenſum reddidit, qui eam graviſſima affecit clade. Ex hoc tempore Ditmarſia Henrico immediate paruiſſe videtur. Sed Leone exauctorato, Friderico imperatore jubente, ADOLFUS Holſatiæ comes hac potitus eſt terra. Ab hoc ad Hartwicum II. Bremenſem archiepiſcopum pervenit. Deinde huic archiepiſcopo, Sleſvicenſi epiſcopo, Adolfo Holſatiæ comiti & Danis per vices ſubfuit. Poſtquam vero Adolfus a Woldemaro Sleſvicenſi duce victus fuerit, Ditmarſiis nobilem quendam Holſatum SCHACKONEM DE WESTENSEE comitem dedit, cujus regimen, Woldemaro Daniæ rege a Sueri-

pulſo Henrico Leone duce, (†) Holſatiæ comitem, cui pleraque Nordalbingiæ competebant, ex beneſi-

tienſi comite capto, finem habuiſſe videtur, creduntur que Ditmarſii ſub archiepiſcopi Bremenſis rediiſſe imperium. Sed rege ex captivitate reduce, magno prælio victi Ditmarſii ad obſequium redire coacti: quod autem non fuit diuturnum. Danis enim a Gerhardo II. Holſatiæ comite, Ditmarſiorum ope, acie ſuperatis, Ditmarſii Bremenſi archiepiſcopo ſe denuo addixiſſe videntur. Bella poſtea inter eos & Holſatiæ comites exorta ſæviſſima, quæ improſpere ſatis a comitibus geſta, & Gerhardi II. a Ditmarſiis, in inſidiis latitantibus, cæſi morte nobilitata. Seculo XV. cum SIGISMUNDUS imperator tributum aliquod ab ipſis exigeret, archiepiſcopo Bremenſi, ſi eos eximere vellet, tributa, fidem & obſequium polliciti ſunt. Sed promiſſis, ex quo voti compotes facti, non ſtetiſſe dicuntur. Ad Oldenburgicam jam domum Danicis ſceptris, & deinde Holſatia Slesvicenſique ducatu delatis, belli diſſidia recrudeſcere cœperunt. Obtinuerat Chriſtianus I. a FRIDERICO III. imperatore inveſtituram in Ditmarſiam & a gente obſequium exigebat: Sed ejus dicto non obſequentes Ditmarſii, ſe Bremenſis archiepiſcopi eſſe ſubditos, profitebantur. Idem ab eis aſſertum eſt, cum Joannes rex & Fridericus frater ejus, denuo illos, ut imperata facerent, admonerent. Igitur principibus in immorigeros arma induere conſultum viſum. Non tamen ex parte illorum in prima expeditione ſecunda pugnatum eſt fortuna; in altera vero, reiterato ſæpe prælio, Ditmarſii ad internecionem propemodum deleti ſunt, eoque adacti reliqui, ut homagiali ſe ad unum omnes principibus obſtringerent jurejurando, illudque pactum a FERDINANDO I. & RUDOLPHO II. confirmatum eſt. Atque ita Ditmarſia cum Wagria, Stormaria & Holſatia, *ad ducatum Holſatiæ conſtituendum*, conjuncta eſt. Libertatis tamen priſtinæ quædam Ditmarſia relicta eſt ſpecies. CYPRÆI *annales p. 403. PETERSEN, Holſt. Chr. p. 279. ſeqq. p. 395. ſeqq. KRANZII de bello Ditmarſico libr. duo & in Saxon, lib. 12. c. 12. lib. 13. c. 24. CHYTRÆUS lib. 6. p. 112. DANCKW. chron. p. 298. 299. HOSII hiſtor. belli Dithmarſici apud SCHARD. tom. 3. p. 65.* Succus ut Bremenſis dux in pace Rodſchildenſi art. XIII. & Hafnienſi juri ſuo in Ditmarſiam æque ac in Delmenhorſtanum comitatum renunciavit. PUFENDORF. *in appendice vitæ Caroli Guſtavi p. 25. SCHWED. theatr. pratenſ. p. 313. ſeqq.* Diploma Friderici III. quo Holſatia axiomate ducatus inſignita, refert MEIBOM. T. III.

HAMBURGUM olim nobile archiepiſcopali ſede, Stormariæ eſſe partem, celeberrimum Hanſeatici fœderis emporium notum eſt. *CRANZIUS lib. 8. c. 15. SPANGENB. in chron. Schauenb. lib. 1. c. 5. WERDENHAGEN & HAGENMEIER de urbibus Hanſeaticis*, in caſtello Hobbuoch vel Hochenbug, a Carolo M. contra Slavos condito, urbem cepiſſe originem, tradunt. EGINHARDUS *ad ann. 808. 810.* Confer LAMBECII *origines Hamburgenſes*, qui vetera usque ad ann. 1223. exſequitur. Erat ſub Saxoniæ ducatu & Nordalbingiæ comitibus. DANCKWERTHS *Holſteiniſche Chronica p. 252.* Multis hæc urbs ab imperatoribus donata privilegiis, quæ ipſam ad immedietatem ut ajunt, aſpirare fecit, quam & 1641. per impetratam in comitiis votum & ſeſſionem, proteſtantibus tamen Holſatiæ ducibus, conſecuta eſt. Quæ circa hanc rem inter domum Holſaticam inprimis Daniæ reges & urbem acta ſunt, in LONDORPIO *tom. 2. 3. 4. 5. 9. 12.* reperiuntur. Cum brevitatis ſtudioſos nos eſſe oporteat, potiores tantum utriusque partis recenſebimus rationes. HAMBURGENSIUM ſequentia ſunt ARGUMENTA: 1) Ex Sigismundi privilegio *Holſatiæ comites urbi auſtregas datos*, ſummum autem ſuum dominum & judicem immediatum eſſe imperatorem, 2) forum ſuum in judicio aulico aut camera habere, 3) ſub Sigismundo ad aulicum ſe vocatam eſſe judicium, ibique condemnatam, proſcriptam & deinde a pœna banni abſolutam, 4) ſe immediate a Carolo V. quod Smalcaldico acceſſerit fœderi, mulctatam, 5) ad comitia eſſe vocatam, 6) ab imperatoribus Romano-Germanicis inſignia multa habere privilegia, 7) Anno 1618. in judicio camerali, quod immediata eſſet imperii civitas, pronunciatum eſſe, 8) in Holſaticis inveſtituris Hamburgi non injici mentionem, 9) incertum, an ſit pars Stormariæ, 10) jura, quæ Holſatiæ comitibus in urbem competierunt, non involviſſe jus ſuperioritatis, 11) ab hiſce juribus ſe urbem anno 1608. liberaſſe, 12) urticæ folium portis aut monetis impreſſum non ſubjectionis, ſed fœderis; non clientelæ, ſed honoris eſſe ſignum, 13) ab antiquioribus Holſatiæ comitibus pro immediata imperii civitate habitam, 14) ſibi ab Adolpho, ad imperatorem immediate provocandum, procuratum eſſe privilegium, 15) cum comitibus principum conventibus adfuiſſe, 16) bella cum comitibus ſub imperatoris auſpiciis geſſiſſe, & cum eis aliisque fœdera, paces & pacta iniiſſe, 17) nunquam comitibus jus ſequelæ præſtitiſſe, ſed ut vicinis, acceptis reverſalibus, ſuppetias tuliſſe, 18) in pace a comitibus facta Hamburgum non habuiſſe partes, 19) civitatem inter comites & inimicos eorum pacis conciliatricem egiſſe, 20) in diætis provincialibus ſe æque ac Lubecam non ut ſubditos, ſed ut ſocios, ſua ſponte comparuiſſe, 21) a ſe non homagium, ſed aſſumtionem ſaltim Holſatiæ ducibus præſtitam, 22) a ducibus promiſſum eſſe, illam aſſumtionem juribus & privilegiis civitatis non debere, 23) multas eſſe liberas civitates, ut Colonia, Spira, quæ archi- & epiſcopo ſe homagio adſtringerent, 24) per Steinborgenſem pactionem juribus urbis nihil ademtum eſſe, 25) reviſionum, cui pactio modo dicta innititur, concernere litem, quæ inter civitatem & cæſareum eſſet fiſcalem, cui ſe Holſati ſine cauſa interveniendo immiſcuiſſent, 26) antiquioribus imperii comitiis ob privilegium exemtionis adeſſe noluiſſe, nec 27) aliquid novi eſſe, quod anno 1641. ad votum & ſeſſionem admiſſa; illud enim ex comitiorum jure ſequi, 28) Stormariæ eſſe membrum non ratione ſubjectionis, ſed protectionis. 29) in edicto CHRISTIERNI regis anno 1480. die Margarethæ, Rendsburgi contra confœderationem nobilium Holſatiæ, promulgato, Hamburgum terris Holſaticis non annumerari. Ita enim illud finiri: Datum *auf Unſerm Schloſſe Rendesburg, in Gegenwart unſerer gemeinen Prælaten, Ritterſchaft, Mannſchaft und Stadten dieſer unſer Lande, und deren von Lubeck und Hamburg Geſandten und Rahten.* Vide *JOH. PETERSEN Holſteinſche Chronick L. 10. pag. 367.* Plura occurrunt *in apologia Hamburgenſium* apud LONDORPIUM *tom. 5. pag. 825. 826.* DANIÆ REX ut Holſatiæ dux urget: 1) Hamburgum in territorio Stormariæ ſitum, & ſic ſibi ut principi ſuo & hæreditario domino homagii fide obſtrictum eſſe, 2) Hamburgenſes illud homagium olim non denegaſſe, & ſe ducatus Holſatiæ membrum profeſſos, 3) eosdem in ſcriptis ſuis contra fiſci cæſarei actorem teſtatos eſſe, quod non imperio Romano-Germanico, ſed Holſatiæ immediate ſubjecti ſint, 4) in comitiis provincialibus ſe ſtitiſſe, 5) differentiam inter *homagium & aſſumtionem* non eſſe, niſi in verbis luſum, atque id ex verbis, quibus civitas uſa eſt, cum fidem & obſequium regi promitteret, conſtare, (6) nec deeſſe exempla, homagii vocem aliquando etiam eſſe adhibitam, 7) parum referre, quæ formula vetuſtioribus adhibita fuerit temporibus, (8) ſententiam de anno 1618. in curia Spirenſi latam & urbi exemtionem adjudicantem, per interpoſitam reviſionem a viribus rei judicatæ eſſe ſuſpenſam, 9) in conventu deinde Steinburgenſi anno 1621. Hamburgenſes promiſiſſe, ſe omnia in priſtino relicturos ſtatu, & in obſequio devoto erga domum Holſaticam perſeveraturos, fiſcali imperii nullum in puncto reviſionis auxilium laturos, & regi ejusque ſucceſſoribus homagium & aſſumtionem præſtituros, 10) ad hunc usque diem (1686) reviſionem illam non eſſe expeditam, 11) Reſcripta cæſarea urbi immedietatem tribuentia, ſub- & obreptitie & pendente reviſione eſſe obtenta, nec non contra ipſa a domo Holſatica eſſe proteſtatum, 12) nullam eſſe conſequentiam in conventione regis CHRISTIANI IV. cum urbe, nec Steinburgenſis pacti, nec homagii Holſatiæ ducibus inpoſterum præſtandi ullam factam eſſe mentionem, pacta enim non revocata per ſe durare, 13) per verba & actus plures poſtea teſtatos eſſe, ſe eodem adhuc vinculo regi obnoxios, 14) ex receſſu Pinnebergenſi anno 1679. facto nihil pro Hamburgenſium opinione depromi poſſe, cum in eo regi omnia jura & prætenſiones ſint conſervatæ, 15) in Pinnebergenſi receſſu homagii punctum tranſactione eſſe ſepoſitum, a

neficiario Saxoniæ ducis *clientem vaſallumque imperii reddidiſſe*, (a) *Lubeca oppido incluto* (b) in numerum imperii urbium recepta. Alios Saxoniæ illius comites *Raceburgenſem*, (c) *Dannebergenſem*, *Luchovienſem*, (d) Suerinenſem, Bernardo novo Saxoniæ duci hominio ſeſe obſtrinxiſſe diſerte teſtatur ſcriptor σύγχρονος Arnoldus Lubecenſis l. 3. c. 1. Nordalbingiæ ſane Dano conceſſæ ne quidem leviſſimum veſtigium deprehendas.

4. Imo nihil obſervare eſt, quo probes, Waldemarum I. regem quidquam ſibi in Saxoniam arrogaſſe. Illius ſucceſſorem Canutum, tunc demum quando ſororem ipſi remiſit Cæſar Fridericus, (hoc eſt, circa annum MCLXXXVIII.) moliri aliquid cœpiſſe, narrat idem, quem modò laudavimus ex ævo illo teſtem, Arnoldus Lubecenſis l. 3. Chron. Slavor. cap. 20. Verba integra „ hæc ſunt: „ Eo autem tempore miſit imperator ad Canutum regem legatos honoratos pro pecu- „ nia, quam pater illius Waldemarus cum ſua filia ipſius filio ſocianda pollicitus fuerat, quam et- „ iam idem Canutus partim perſolverat. Qui propter occaſiones ſupra dictas, quæ inter impe- „ ratorem & ipſum verſabantur, pecuniam perſolvere timuit. Imperator verò non propter repu- „ dii occaſionem, ſed propter pactionis immutationem, regi ſororem ſuam intactam cum tali ap- „ paratu, quo eam acceperat, reſtituit. Quod Canutus graviter accipiens, manifeſtas ex illa die „ inimicitias contra imperatorem exercere cœpit, ita, ut omnem terram Wagriorum, Holſatorum, „ Stormariorum, & Polaborum uſque ad Albim ſui juris eſſe diceret, & eam per Slavos, quos ſibi „ obſtrinxerat, frequenter vaſtaret. Mater etiam ejus à Ludovico landgrafio repudiata, & ad ter- „ ram nativitatis ſuæ ſine honore reverſa, conqueſta eſt in multis ſe à marito injuriatam. Unde etiam magis inſtimulatus juſtam ſe cauſam contra Teutonicos habere arbitratus eſt. „ Hactenus Arnoldus. Pene eadem habet Crantzius *l. 6. Wandalia cap. 27.*

5. Ubi

qua Hamburgenſes ſibi hactenus quovis modo cavere ſtuduiſſent. *Vide remonſtrat. anno 1642. jura domus Holſatica in urbem tuentem*, ut & *brevem & ſummariam refutationem ſcripti cujusdam Hamburg. &c. apud LONDORP. p. 535. ſeqq. tom. XII.* His accedere, quod, cum Carolus IV. anno 1375. Lubecæ commoratus ſit, Hamburgumque comites Holſatiæ amplius dominos ſuos agnoſcere detrectaverit, imperator, probe excuſſis utriusque partis rationibus, ſtatuerit, quod Hamburgenſes comiti Holſatiæ ſe ſubjicere debeant, ſalvis tamen ab imperatoribus iis conceſſis privilegiis. Quo iudicio accepto, Hamburgenſes ſtatuam ſuam Rolandinam deſtruxiſſe, comitesque Holſatiæ ſponte pro dominis ſuis agnoviſſe. Vid. PETERSEN *Holſteiniſche Chronick Lib. 2. p. 263.* Id tamen certum, urbem hanc in actis imperii publicis & diplomatibus Cæſareis recentioribus liberis imperii civitatibus annumerari. Spectant huc, quæ Auguſtiſſim. Cæſarem CAROLUM VI. auctorem habent, in FABRI *Staats-Cantzeley Part. XXI.* Qui plura de hoc argumento legere cupit, adeat STRAUCHIUM Diſſ. *exotica I.* & GASTELIUM *de ſtatu Europa c. 32.*

(†) *Pulſo Henrico Leone duce.*) GOEBEL. Summus Friderici in Henricum conſanguineum, ſub initium imperii, erat favor, aut verus aut ſimulatus; imo, ut, ALBERICO TRIUM FONTIUM, & ex eo NUSSIENSI monachis teſtibus, cum primum in Italiam ſuſciperet iter, in frequenti procerum Germaniæ conventu, conſtituerit, in Henricum Leonem, exſtincta forte Weiblingiadum gente, transferendum eſſe imperium. Suborbæ deinde aut abſconditæ ad tempus iræ inter utrumque. Cauſæ videntur (1) Antiquum inter Guelforum & Weiblingiadum gentes odium virtutisque & potentiæ æmulatio. Illa enim, auctore OTTONE FRISINGENSI, orbi magnos duces, hæc magnos imperatores dabat. (2) Iniquo videbatur Henricus ferre animo, quod Conradi filio, ſceptris jam deſtinato, imperium præripuerat. (3) Rebatur, Cæſaris ſtudiis, ſe ſpe Guelfi patrui Italicis potiundi terris excidiſſe. (4) Imperator potentiores quosdam in partibus Saxoniæ, quibus dux iter in terram ſanctam ingrediens urbes commiſerat, terroribus vel promiſſionibus ſecreto circumvenit & juramento conſtrinxit, ſi forte dux non rediret, urbes ſibi cum terra contraderent. (5) Goslariæ repulſam ægri Henrici in Cæſarem animi cauſis annumerant. Scio, contemtum cæſareæ majeſtatis feloniæ crimen a nonnullis vocari, quod infimis etiam Cæſaris precibus locum dare, ipſique in Italiam expeditionem molituro comes eſſe noluerit. Memoratu digna ſunt verba CHRONICI MONTIS SERENI edit. Mader. p. 44. „ Imperator in octava epiphaniæ Herbipoli curiam celebravit, ad „ quam Henricus tertio vocatus venire renuit. Quamobrem „ ex ſententia omnium principum reus majeſtatis damnatus eſt, omnisque ei hæreditaria proprietas & beneficiaria poſſeſſio abjudicata eſt. Horum vero malorum cauſſa „ fuit duci ſuperbia ipſius. Fertur enim, quod, cum imperator Mediolanum obſideret, viribus ſuis jam valde attritis, „ principes Saxoniæ ad locum, qui Bartenkirke dicitur, & „ eſt in introitu Alpium, evocavit, &, ut negotiis ſuis auxilium ferrent, rogavit. Omnibus autem aliis hoc alacriter ſpondentibus, dux, licet in prioribus expeditionibus fidelem ſe ei exhibuiſſet, hac tamen vice, quia jam „ cum Longobardis contra imperatorem conſpiraverat, ſuum ei prorſus auxilium denegavit. Imperator vero cum „ tanta humilitate ei ſupplicavit, ut etiam pedibus ejus proſterneretur, cum quidem ille, eum negligens, nec jacentem attolleret, nec in eo, quod petebatur, aliquatenus conſentiret. QUOD FACTUM IMPERATORIS EI ODIUM „ ACQUISIVIT, ET UTRUM JUSTE AN INJUSTE, „ LECTOR JUDICET. „ Sed puto adeſſe, quæ Henrici apologiæ inſerviant. Filium Henricum cum lectiſſima manu cæſarea ſecuturum caſtra pollicebatur. Ipſe popularium ſuorum ductorem agere non potuit, cum æmuli & inimici potiſſimum ex clero, qui avidiſſime deinde in partem prædæ venerunt, abſentis haud dubie invaſiſſent terras. Porro ſibi forte perſuaſum habuit, arma, quæ in papam ſumerentur, injuſta fore, & filii juvenis factum citius, quam patris, ſi ipſe adeſſet, excuſari poſſe. Conf. ARENPECK *de Guelfis apud LEIBNITIUM T. III. p. 673. Hiſtor. Henrici Leonis apud MEIBOMIUM T. I. p. 430. ARNOLDUS in Chron. Slavor. L. 2. c. 36.*

(a) *Clientem imperii reddidiſſe.*) GOEBEL. Adolfum tamen ſub Saxoniæ eſſe ducatu non deſiiſſe, ſequentia ARNOLDI *L. III. c. I.* ſuadent verba: „ Cumque ſe ei, „ (BERNHARDO,) exhibuiſſet comes de Raceburg, co- „ mes de Daneberg, comes de Luchow, & comes de Sue- „ rin, expectabatur etiam comes Adolfus, & non venit. „ Unde eum dux ſuſpectum habere cœpit & exinde occa- „ ſiones diſcordiæ inter eos exortæ ſunt. „

(b) *Lubeca oppido inclito.* GOEBEL. Nobilem hanc urbem ab Adolfo I. Schauenburgenſi, cui Lotharius Saxo Holſatiam tribuit, conditam eſſe, traditur, ab Henrico Leone autem amplificatam. HELMOLD. *L. I. c. 36. T. II.* LEIBN. p. 568. *LERBECKII Chron. epiſc. Mindens. p. 177. ARNOLD LUBECENS. L. 2. c. 34. BOTHO in chron. picturato apud Leibnit. p. 352. SCHATEN annal. Paderb. L. 9. p. 855. SAGITTARII Lubeca, KIRCHRING & MULLER Compend. chr. Lubec. p. 13.* Henrico Leone exauctorato, urbem hanc imperator obſidione cinxit, & poſtquam ſe illi, ſuadente duce, permiſit, immedietate, ut ajunt, donata fuit, paſſusque eſt imperator, ut & impoſterum jure Suſatiæ, quod eo Henricus Leo detulerat, uteretur. Danorum reges & Holſatiæ duces ſibi in hanc urbem aliquod arrogant jus, quod ab aliis exoletis annumeratur.

(c) *Raceburgenſem.*) GOEBEL. HAMELMANNI *geneal. & famil. illuſtr. & nobil. Comit. p. 410. 412.*

(d) *Danneberg. & Luchow.*) GOEBEL. Qua ratione uterque comitatus in Ottonem Strenuum Duc. Brunsv. & Luneb. pervenit, docet BUNTING *in chron. p. 407.*

5. Ubi hæc tandem ſubjungit. „Quid juris prætenderit rex in terras memoratas, annales non „exponunt: niſi quod conjecturæ promptum eſt, recordari illum eorum temporum, quæ erant „ſub Canuto Obotritorum rege, qui omnibus his terris præerat, cujus ſucceſſionem rex præfere- „bat, ut eſſet Albis fluvius limes ſuæ ditionis. Sed quum interceſſiſſent tot anni, legitima trans- „ibat præſcriptio. Principes vero non legibus ſed armis provincias quærunt.„ Non inanis cui videatur Crantzii iſthæc conjectura: certe longe eſt veroſimilior, quam illa Erici regis, de donata Waldemaro Canuti patri Nordalbingia omni, fabula. Fallitur tamen & Crantzius, vel certe Canutus rex, qui per injuriam hoc quidem prætextu Nordalbingiam invaſit. Ne quid enim nunc dicam, Canuto nihil omnino hereditarii juris vel in Obotritos à Lothario cæſare datum, ut paulo poſt apparebit: conceſſam Nordalbingiam profecto nusquam legas ſed ſolum Obotritorum regnum: quod diſerte teſtatur Helmoldus lib. I. cap. 50. & ipſemet Saxo l. 13. Nec Saxoniam ille tranſalbinam poſſedit, utpote quæ jam tum magnam partem in ditione erat Adolphi Holſatiæ comitis, adeoque Saxoniæ ducum, in quorùm comes tum vivebat clientela: quod ſole clarius eſt vel ex iis, quæ narrat Helmoldus illo ipſo citato capite. Wagriam tenuit quidem Canutus; ſed erat illa tunc pars Obotritorum aut Venedici regni. Auctor quidam incertus chronici Sclavorum, quod Lindenbrogius edidit, cap. 21. ſcribit; contendentibus de regno Suenone Canuto & Waldemaro. Adolphum Holſatum *homagium* feciſſe Canuto: at *homagii* (a) voce non niſi *commilitium* (b) intelligit, & Canutus ille non fuit filius S. Canuti ſed Waldemarus.

6. Mihi veriſimilius videtur, Canutum injuriam acceptam cauſſatum injuria compenſare voluiſſe. Et vero fatendum eſt, poſtquam Ditmarſi ſponte ſua in Danorum ditionem perfide conceſſiſſent, hujus Canuti primum, mox fratre anno MCCII. defuncto, propriis auſpiciis Waldemarum ſecundum regem omnem Nordalbingiam debellaſſe. De illo fratri ſuccedente ita etiam ſcribit Arnoldus l. 6. cap. 17. *His ordinatis rex Waldemarus cum magna gloria & infinita multitudine venit Lubecam, ibique cum multa jucunditate REX Danorum* (c) *& SLAVORUM & NORDALBINGIÆ DOMINUS ſalutatur.* Itaque, ſi verum dicendum eſt, non niſi illa gentium lege, qua bello ſolenni capta jure *victoribus cedere* (d) creduntur, & Canutus & Waldemarus ille Nordalbingiam quidem poſſederunt: aliud jus, aut alium juris prætextum, deprehendere non eſt. Quin autem pari igitur jure Nordalbingiam potuerint amittere Dani, citra dubium eſt. Eſt autem non multis poſt annis ipſe ille victor Waldemarus omni iterum occupata per vim ditione iſthac exutus.

7. Initium Saxonicæ libertati præbuit *regis captivitas.* (e) Qua de re breviter ita Albertus Stadenſis. *Anno domini M. CC. XXIII. rex Danorum in propria terra à comite Henrico de Zwerin, cui duras, ut fertur, gratia ſua recuperanda conditiones impoſuit, inopinato caſu in papilione propria capitur, & Danneburg gravi cuſtodia coarctatur.* Item, *anno domini MCCXXV. rex Danorum XLV. marcarum millibus ſe redemit, exceptis clenodiis circa tria millia marcarum æſtimatis.* Ad conditiones relaxatæ cuſtodiæ cumprimis pertinet, quod narrat Crantzius l. 7. Wandal. c. 9. *Ferunt Daniæ regem, quum ante hos dies captus teneretur ab Henrico comite de Zwerino, in ſua relaxatione jurejurando firmaſſe, nunquam ſe Nordalbingiam repetiturum.* De eadem re ita memorat Hermandus de Lerbecke in chronico comitum Schawenburgenſium, auctor tamen, quod fatemur, minus ſecuræ fidei. *Rex Daniæ de captivitate libera-*

(a) *Homagii*) C. A. E. Auctor ille, ut incertus, ita etiam merito exiguæ in plurimis eſt fidei. Nec alius quisquam memorat, *homagium* Canuto præſtitum. Igitur hæc quidem narratio nullius eſt momenti.

(b) *Commilitium*) *GOEBEL. vid. CANGIUM in gloſſario tom. II. p. 762.*

(c) *Rex Danorum.*) *C. A. E.* Operæ pretium eſt, hoc loco expendi, quæ GOTFRIDUS S. Pantaleonis monachus notavit in „Chronico ad annum 1224. Per idem (ait) tempus, „Henricus rex (Friderici II. imperatoris filius) cum En- „gelberto Colonienſi archiepiſcopo, & Cunrado legato „ſedis apoſtolicæ, & quibusdam principibus, pro libera- „tione regis Daciæ & reſtitutione terræ imperii ab eodem „injuſte poſſeſſæ Saxoniam intravit. Ubi per biennium a co- „mite Henrico de Zwerin in firmiſſimo & inacceſſibili ca- „ſtro nomine DANNENBERG idem rex cum filio ſuo ca- „ptus tenebatur. Venientes itaque ad Alviam fluvium præ- „dicti principes; Herimannum magiſtrum hoſpitalis teu- „tonicorum, qui ab imperatore miſſus fuerat in Teutoni- „am cauſa reconciliationis & compoſitionis faciendæ ad „utrosque, ſcilicet regem & comitem, præmittunt. Quo „mediante ad hoc inductus eſt idem rex, ut totam terram, „quam imperio abſtulerat, reddere & coronam de manu „imperatoris ſuſcipere, inſuper centum millia marcarum „pro abſolutione ſua dare promitteret. Quod cum accepta- „rent principes, qui cum rege præſentes aderant, Alber- „tus comes de Vorlemunde filius ſororis ipſius regis & Ba- „rones Daciæ hanc compoſitionem reprobantes, & ea, quæ „promiſſa erant, caſſantes, aſcenſis navibus cum indignatio- „ne receſſerunt, infinitam pecuniam, quam ad redimen- „dum regem attulerant, ſecum deferentes. Unde prædicti „principes infecto negotio confuſi diſceſſerunt. Albertus „ergo de Vorlemunde poſt natale domini congregato exer- „citu, Henricum comitem adgredi ſtatuit. Quod ut co- „gnovit Henricus comes in obſidione cujusdam caſtri poſi- „tus relicta obſidione illi occurrit. Ubi pugna commiſſa „cum magna animoſitate & multorum ſanguinis effuſione, „ab hora diei prima uſque ad veſperam dimicatum eſt. Mul- „tis ibi corruentibus, ipſe etiam Albertus cum pluribus „nobilibus captus & in caſtrum Dannenberg ad avunculum „ſuum perductus ibidem cuſtodiæ mancipatur.„ Idem GODEFRIDUS in hiſtoria anni 1227. „Ipſo anno in die „Mariæ Magdalenæ rex Danorum, prævaricator fidei & „juramenti pro abſolutione ſua præſtiti, vindicare ſe pa- „rat: & contracta infinita multitudine comitem de Zwerin „bello laceſſit. A quo adjutorio archiepiſcopi Bremen- „ſis & ducis Alberti de Saxonia idem rex ſuperatus, per fu- „gam vix evadit, ex parte ſua quatuor millibus virorum „interemtis.„

(d) *Victoribus cedere.*) GOEBEL. GROTIUS *de J. B. & P. Lib. III. c. VI. §. II.*

(e) *Regis captivitas*) *C. A. M.* Vivebat tum temporis rex in Dania victor Nordalbingiæ. Propoſuerat vero duras recuperandæ gratiæ conditiones comiti Suerinenſi, & tum inopinato caſu cepit regem in tabernaculo vendendi cauſa extructo, & incluſit in arcem *Tanneberg*, quæ nobis cis Albim. GÖBEL. Captivitatis regiæ cauſa fuit, quod rex, comitis in terra ſancta abſentis conjuge abuſus fuerit. Eam enim profecturus Waldemaro commendaverat, MEURSIUS *part. I. ſect. II. p. 17.*

liberatur, pro quadraginta quinque millibus marcarum, & terram Holſatiæ & omnes terras, quas violenter poſſederat, in integrum reſtituit: pro cujus fide tres filios & multos fideles ſui regni obſides poſuit. Auctor incertus chronici Slavorum ab Erpoldo Lindenbrogio editus: *Reges redemti ſunt pro L. millibus marcarum, & juraverunt ſe amplius non venturos in terram Holſatiæ, & reliquerunt obſides potentes.* Vi hujus pacti jam ſuæ libertati reddita erat Saxonia illa. Cum non ſtaret autem promiſſis rex, biennio poſt (ut quidem habet Albertus Stadenſis, alii enim referunt in annum MCCXXVI.) memorabili prælio ad Bornhovedam cæſus omnem exiſtimationem perdidit. Plenius Crantzius & alii enarrant bellum illud, at breviter Albertus ad annum MCCXXVII. *Rex Danorum à Bremenſi archiepiſcopo, duce Saxoniæ Alberto, comitibus Henrico de Zwerin & Adolpho de Schawenburg, Slaviaque dominis, in Bornhoveda prælio devincitur. Rex per fugam elabitur, ſed Dominus de Lunenburg* (a) *ab Henrico comite captivatur.* Crantzius narrat, ſequente anno redintegratum a rege bellum ſed infeliciter: quæ tamen contigiſſe memorat, illa Lerbeckius refert in annum viceſimum ſextum, idque videtur veriſimilius, quia etiam Albertus illo anno teſtatur partès Tranſalbinas à rege invaſas: poſt prælium autem illud ad Bornhovedam nihil tentatum refert.

8. Quicquid hujus ſit, usque adeo fractæ prælio illo fuere regiæ vires, ut omni Saxoniæ Nordalbingicæ imo & Slaviæ (ut poſt audiemus) poſſeſſione exciderit, nec ex eo vel ipſe Waldemarus vel ejus ſucceſſorum aliquis Daniæ recuperare amiſſa unquam ſit molitus. Et vero in id videtur tandem pax iterum conſtituta. Quanquam enim rudes illius ævi annalium ſcriptores hæc & ſimilia ſilentio prætereant, attamen firmam perpetuamque inter Danum & Saxoniæ illius principes pacem mox initam, indicio vel illud mihi eſt, quod paulo poſt ipſemet Waldemarus oppugnanti Lubecam urbem Adolpho Holſato, hoſtium antehac præcipuo, ſuppetias tulerit, teſte Crantzio cap. 12. l. 7. Wandaliæ. Cypræi verba ſunt hæc pag. 5. cum ſcripſiſſet, inter Carolum magnum & Danos conventum, *ut impoſterum fines Daniæ & Saxoniæ Eidora terminarentur: quod*, inquit, *poſtea ab imperatore Friderico anno MCCXIV. confirmatum, papa Alexander IV. ratum habuit anno MCCLVII.* Vero per eſt ſimile, pace reddita terminos veteres cæſarea auctoritate reſtitutos eſſe & pro ſeculi more pontificis quoque Romani ſanctam vim in majus perpetuæ pacis robur acceſſiſſe. Mendum autem ſic fuerit in annorum numero, quando Friderici illa cæſarea conſenſio intervenerit: Utut ſit, certe cum Waldemarus Nordalbingiæ dominus audiverit, omnes tamen poſteri titulo iſthoc abſtinuerunt in amiſſi juris, ſi quod fuit, confeſſionem.

9. Superioris tamen ſeculi anno viceſimo primo tantum in affinis cæſaris Caroli V. aula potuit *Chriſtianus id nominis ſecundus* (b) rex, ut nulla exigente neceſſitate, contra imperii antiquiſſimum decus, Holſatiæ ducatus ſit juſſus *in Daniæ obſequium* (c) ſe flectere. Ea de re ita ſcribit *Joannes Meurſius* (d) l. 3. hiſtor. Danicæ pag. 231. aut 80. edition. Batavicæ: *Ita ſubjugata Suecia, cum in Daniam rediiſſet* Chriſtianus rex, *ad affinem Carolum V. ſumpta veſte peregrina eſt profectus, ut deinceps feudum Holſati à ſe acciperent. A quo perbenigne exceptus, cum non difficulter idem poſtulata impetraſſet, feſtinato domum redit.* Cypræus l. 3. hiſtor. Sleſwicenſ. c. 5. „Non multo poſt ad imperatorem Carolum V. affinem profectionem ſuſcepit. A quo ſumma pompa, ſplendore, ac magnificentia, quam honorificentiſſime exceptus, novoque inſuper honore ac dignitate auctus ac ornatus fuit, collato nimirum ipſi pleno dominio, jure, ac poteſtate ſuper feudum Holſatiæ: quod ipſe nimirum impoſterum tanquam legitimus dominus illud conferre, & à ſe unice peti ac impetrari debeat.„ Inter capita à rege ſequente anno Borsholmii patruo Friderico, tum duci, propoſita primum iſtud fuit, ſcribente Meurſio, pag. 237. „Quod à Carolo imperatore, affine ſuo, Chriſtianus ſingulari indulgentia PRIVILEGIVM accepiſſet, quo ducatum Holſatiæ aliosque huic conjunctos, uti ipſe Fridericus ac majores quoque ejus ab epiſcopo Lubecenſi inſtar beneficii petere conſueviſſent, ita eosdem in futurum â Chriſtiano REGIBVSQVE SVCCESSVRIS ipſe & hæredes ejus deinceps petere juberentur. Quæ quantumvis hunc in modum ſe haberent, tamen, uti controverſia qualiscunque inter ipſum patruumque qualicunque cauſſa orta per ſequeſtros neutri partium obnoxios aut ſuſpectos tolleretur, promptum BENEFICIO renunciare; ea lege, ut contrarias Fridericus literas petat impetretque, quibus Carolus privilegium pridem indultum revocaret; ſeque nec laturum ægre nec prohibiturum eſſe.„ Hæc Meurſius. Bene vero, quod brevi hæc quidem fœda macula emendata ſit. Etenim Chriſtianus quidem ille rex cum altero ſtatim poſt anno regno pelleretur & archiva regni populatus privilegia abduceret, hoc quoque, uti ferunt, ſubduxit. Nec Fridericus jam rex aut ſucceſſores illud ſibi

(a) *Dominus de Lunenburg*) *C. A. M.* Tum, cum nondum ducatus eſſet, dicti *domini de Brunſuic, domini de Luneborg.* GöBEL. Otto puer in literis inveſtituræ Friderici II. de terris Brunſuico-Lüneburgicis imperio 1235. in feudum oblatis, vocatur OTTO DE LVNEBORCH. Vide MEIBOMIVM *tom. III. rer. germ. p.* 207. In diplomate autem, quo conſenſum ſuum de quibusdam agris per Arnoldum abbatem, a Thiderici militis de Warberge vidua coëmentem impertit, duobus annis ante: *Dux de Brunſchwig* appellatur. LVNIG. *part. ſpec. tom. IV. p. 3. contin. II. tom. II. p. 252.*

(b) *Chriſtianus id nominis ſecundus*) *C. A. M.* Hic erat adfinis Caroli V. erat autem tyrannus crudelis, qui ſævitia ſua meruit expelli ex regno Sueciæ & Daniæ. GöBEL. Vid. MEVRSIVS *part. II. lib. 3. p. 63. ſeqq.* LOCCENIVS *hiſtor. Suec. lib. V. p. 156. ſeqq. Hiſtoire des revolutions de Suede p. 125. ſeqq.*

(c) *In Daniæ obſequium*) GöBEL. In antecedentibus de hoc jam actum.

(d) *Johannes Meurſius*) *C. A. M.* Batavus, ſcripſit hiſtoriam Danicam, præclaro opere; ſed ſingulari libro perſecutus eſt Chriſtiani I. Johannis & Chriſtiani II. hiſtoriam. GöBEL. MEVRSIVS primum hiſtoriæ & græcæ linguæ in academia Lugduno-Batava, poſtea in regia Sorana hiſtoriarum & politices profeſſor, ab autore noſtro paſſim in ſcriptis ſuis laudatur. Illuſtr. EIBENII *addit.* ad TOBIÆ MAGIRI *eponymologicum p. 594.*

ſibi in Holſatiam jus arrogaverunt; ſed hodie quidem non minus ipſi atque agnatorum alii, titulo ducatus illius, cæſaribus ſine controverſia hominii ſacramento obſtringuntur.

10. Quum ducatus autem illius pars ſit Dithmarſia, obiter non tam perſtringi quam rideri meretur putida & geographo indigna fabula, quam Petrus Bertius refert in tabulis geograph. ubi Ditmarſiam deſcribit, fol. 289. *Dithmarſiam* nimirum *regnum Daniæ imperio ſubeſſe, & primogenitum regis filium ibidem ex lege habitare, ut Galliæ principes in Delphinatu.* Quod recitaſſe jam refutaſſe eſt.

11. Sed de Saxonia illa Nordalbingica in imperii jus aſſerta, fortaſſe plus ſatis. De Sclavorum VENEDORVM, aut, ut vulgo minus recte Crantzium auctorem (hic enim videtur popularis erroris princeps auctor) ſecuti loquimur, VANDALORVM terris nunc etiam eſt dicendum, num illas bono titulo quondam tenuerint Dani vel hodieque in illas regno Daniæ ſolidi quidquam juris ſuperſit.

12. Perdubium autem videtur, quæ demum ſit cauſſa regii de Venedis aſſumpti nominis, quo jam aliquot ſeculis Dania uſa eſt: ſi quidem non alii Venedi intelligantur quam illi, qui mari Balthico â Danicis inſulis ſeparantur, inter Albim & littora illius maris ad Viſtulam usque fluvium protenſi, imperii Germanici cives quod per eſt veroſimile, cum in Scandinavia aliisque vicinis inſulis Venedi nulli vixiſſe unquam memorentur.

13. Crantzius non ſatis quidem ſibi hac in re conſtat, dubius ipſe: Videtur tamen cauſſas tres adferre, ſola autem conjectura ductus, non certo ſubnixus argumento, l. I. cap. X. narrans, fide Saxonis, Venedorum illorum antiquiſſima cum Danis prælia, ſcribit: *Velitabat diu incerta victoria, quibus ſignis inclinaret, demum Danis ceſſit, oppreſſo in acie rege Wandalorum Sturmicone. Concidente enim rege ſors quoque regni concidiſſe videbatur. Venit iterum in ditionem Daniæ Wandalia. Unde videri poteſt: permanſiſſe in hodiernum eum Danorum regibus titulum,, ut ſe Gothorum & Wandalorum reges inſcribant, quamvis nihil in Wandalia à multis diu ſeculis tenuerint. Sed eſt poſterioribus ſeculis renovata ejus tituli cauſſa: quod ſuis locis non ſilebimus.* Hæc prima itaque fuerit origo juris pariter illius & *regii tituli*, (a) ſi Crantzium audimus. Verum enimvero ante omnia obſervandum eſt, hanc quidem narrationem univerſam ex fabulis Saxonis Grammatici deſumptam, eoque pereſſe incertam. Ne quidem verò Saxo ipſe hinc arceſſit originem regii illius tituli: & fatetur pene iisdem damnis ſæpenumero tum à Slavis illis Daniam affectam. Sed & mox oſtendemus, titulum illum cœpiſſe demum Canuti forte ultimis annis aut Waldemaro ſecundo rege, adeoque ad illa fabuloſa tempora nequaquam pertinere. Ut perinde hæc quidem Crantzii conjectura ſit omnino inanis.

14. *Altera longe* (b) veroſimilior eſt, atque ideo plures ſectatores invenit, à S. Canuto Obotritorum rege per Lotharium II. cæſarem conſtituto petita. Qua de re ille l. 3. Wandal. cap. 30. *Kanutus Obotritorum rex apud omnes habebatur. Quæ res initium præſtabat, (ut eſt promptum conjecturæ,) noſtri ſeculi Danorum regibus ut ſe Danorum Wandalorumque reges effecerant in titulo: nam moriens Kanutus regium titulum transmiſit ad poſteros.* Idem c. 36. de Erico rege Haſenfues per ludibrium dicto, S. Canuti fratre: *Is quum in Dania ſuccederet regi, fratris quoque jura ad ſe devoluta arbitratus primus* (ut arbitror) *ſe in titulo præferebat regem Wandalorum. Unde ſumpſiſſe poſteros reges conjectura eſt, ut ſe etiam Wandalorum reges inſcriberent.* Hæc conjectura multis exinde arriſit, eoque illam & Cypræus probat l. 1. cap. 20. & Lyſcander Danus antiquitat. Danicar. ſerm. IIX. pag. 91. Cæterum Canutum, quem ſanctum appellant, Obotritorum regem eſſe creatum à Lothario cæſare, id quidem conſtat. At vel regno Daniæ hinc aliquid juris in Venedos illos acceſſiſſe, vel reges Daniæ ab hac origine olim ſuum illum regium titulum petiiſſe, mihi, fateor, perſuaderi hactenus non potuit. Ut enim de poſteriore dicam prius: ſi ea fuiſſent olim in ſententia reges iſti, ſtatim poſt Canuti obitum nomen illud ſibi aſſumpſiſſent: nemo autem id fecit fortaſſis ante Waldemarum II. ut nemo ante Canutum Waldemari illius fratrem, florentibus imperii Germanici rebus, auſus fuit vel tentare aliquod in Slavos omnes dominium. Falſum profecto eſt, quod dicebat Crantzius, S. Canutum illum ad poſteros titulum regium transmiſiſſe, & fratrem ejus Ericum Daniæ regem omnium primo *regem Wandalorum* ſe jactaſſe. Recitat enim utique Cypræus *l. 1. cap. 28.* tabulas Canuti regis, ſcriptas anno MCLXXXII. inſertas tabulis Erici regis Chriſtophori I. filii, in quibus Canutus *rex Danorum* tantum audit; Ericus vero ille *Danorum Slavorumque rex.* Ut proinde ſaltem ad illud usque tempus reges Daniæ titulo iſthoc abſtinuerint. Nec ſane reperias ejus tituli veſtigia in ipſa Saxonis hiſtoria, quæ tamen nihil, quod ad Danicam gloriam pertinet, temere omittit, Danicas autem res perſequitur usque ad obitum Bugislai Pomerani, hoc eſt annum MCLXXXVIII. Similiter nec in Helmoldi nec in Alberti Lybecenſis ſcriptis titulus ille Daniæ regibus tributus legitur, præterquam quod Waldemarum ſecundum ſe ita proclamari feciſſe memoret Albertus: & tamen hi res illas Slavicas ſatis barioſe tradiderunt. Ad hoc Helmoldus diſerte, quem Albertus Stadenſis exſcripſit ad annum MCXXXIII. non *Slavorum* ſed *Obotritorum* regem Canutum dictum, teſtatur l. 1. c. 50. *Adiit*, inquit de Canuto, *Lotharium imperatorem, emitque multa pecunia regnum Obotritorum, omnem ſcilicet poteſtatem, qua præditus fuerat Henricus. Et poſuit*

(a) *Regii tituli*) GÖBEL. Hanc fabulam etiam propalat MEVRSIVS *lib. I. part. I. ſect. I. p. 18.* nomen in Frothone, Sturmiconis Vandalorum regis victore cœpiſſe, aſſerens.

(b) *Altera longe*) *C. A. M.* Henricus regium nomen Slavorum, confirmante imperatore Lothario, aſſumſit, is obiit ſine liberis atque ita cum eo regium nomen interiit. Mox Canuto Dano Lotharius obtulit regium nomen Slavorum.

poſuit imperator coronam in caput ejus, ut eſſet REX OBOTRITORVM, recepitque eum in hominium. Idem cap. 51. *Circa tempus dierum illorum accidit, ut Canutus REX OBOTRITORVM veniret Sleſwich, habiturus cum patruo ſuo Nicolao curiale colloquium. Cum autem populus veniſſet in concionem & rex ſenior ſediſſet in throno indutus cultu regio, Canutus aſſedit ex oppoſito, geſtans & ipſe coronam REGNI OBOTRITORVM.* Longe vero amplior eſt titulus ille REX SLAVORVM, nec Daniæ reges regio *Obotritorum* (a) titulo unquam audierunt: adeoque ſuum illud nomen à S. Canuto non accepere. Quid? quod Saxo l. 13. ſcribat, cum Canutus apud Nicolaum Daniæ regem male audiret quaſi regio nomine pateretur ſe coli, in excuſationem ſuam hæc inter alia dixiſſe: *Rejice queſo nugarum auctores mendaciter obſtrepentes, falſaque hujus criminationis figmentum reſpue. Neque enim injurioſo tibi nomine cenſeri ſuſtineo. HERVM me mei non regem appellant. Itaque cum à Slavis DOMINVS ſalutari conſueverim, ſiniſtri tanta comitatis interpretes aliena urbanitatis occaſione inſimulationis materiam aucupantur. Ego vero NON REGNVM, ut aiſti, vocabulo uſurpo, ſed temperata nominis dignitate faſtuoſum ſalutationis decus fugio: invidendum honoris faſtigium ſperno.* Hæc ſi vera ſunt, non ſane S. Canuti exemplo ad regium illum de Slavis nomen Daniæ uſurpandum reges olim ſunt invitati: utpote qui regio nomine abſtinuerit. Regium porro ſuum in Slavos jus nunquam Daniæ reges Germanico imperio iverunt tributum: Canuti autem dignitas illa omnis beneficiaria erat; ut modo audivimus differentem Helmoldum, & diſerte quoque teſtatur Saxo l. 13. ac proinde jus hoc Daniæ regum ab illo Canuti honore plane aliud quid eſt & diverſi ordinis. Ad ſeſe quoque à Canuto quidquam juris in Slaviæ illam partem derivatum, regum nemo præ ſe tulit eoque ſtatim à cæde Canuti teſte Helmoldo l. 1. cap. 53. *ſucceſſerunt in locum ejus Pribezlaus* (b) *atque Niclotus bipartito principatu, uno ſcilicet Wagrienſium atque Polaborum, altero Obotritorum provinciam gubernante.* In illos ipſos adeoque in omnem illam terram, poſt dominatum exercuit *Henricus leo*, (c) nemine regum contradicente. Waldemaro regi ſpem aliquam factam à Friderico I. cæſare Slaviæ beneficiaria lege ab imperio conſequendæ, refert quidem Saxo: at tametſi ille eſſet S. Canuti filius, paternum tamen aliquod jus ab illo prætextum Saxo non memorat. Unde & hoc colligere eſt, quicquid datum fuit Canuto, cum ipſo illo ſtatim deſiiſſe, neque adeo hereditarium aliquod jus illi conceſſum. Alioquin ſane urſiſſet hoc Waldemarus ejusque filius Canutus: Saxo certe injuriam illam nequaquam diſſimulaſſet, pro eo quo in Germanicos cæſares fuit animo. Si ad Waldemarum autem Canuti unicum filium nihil devenit juris hereditarii in Slavos, multo minus ad reges alios à Canuto quidquam ejus eſt profectum. Longe minus ad ipſum Daniæ regnum potuit ejus aliquid pervenire: quum Lotharius imperator non regnum Daniæ, imo *nec aliquem Daniæ regem*, (d) beneficio iſthoc affecerit, ſed Canutum, qui dux tum erat Sleſwicenſis.

15. Tertia à Crantzio adducta cauſſa mihi omnium videtur veriſimillima, ſubjugatio nempe Venedorum. Imo Crantzio ipſi videtur hæc præplacuiſſe. Itaque hanc alteri illi de S. Canuto ſemper addit. Hinc illis ex libro 3. Wandaliæ à nobis productis ſubjungit è veſtigio cap. 30. *Sed & multis deinde bellis magna pars Wandaliæ littoralis paruit regibus Danorum, ut inde quoque titulum mutuati credantur.* cap. 36. *Sed quod ante dixi & ſuo tempore commemorabitur, etiam poſterioribus ſeculis magnam Wandaliæ partem Danorum reges ſuo imperio conjunxerunt, eam videlicet, quæ littora maris tangit. Sed nec ipſorum Danorum in Wandalos imperium ſtabile manſit.* Similiter l. 6. cap. 24. ubi narraviſſet, Obotritorum regulos Niclotum & Burewinum in Canuti regis hominium deditos: *Hæc*, inquit, *eſt altera cauſſa, cur Daniæ reges titulum ſibi deſumant, ut ſe Wandalorum quoque reges profiteantur. Nam primam ex Canuto Obotritorum rege ſub Lothario ejus nominis noviſſimo recepere.* Et vero ex eo demum tempore ortus eſt in Dania ille regius de Venedis ſive Slavis titulus. Ita etiam demum liquet, & nullo imperii Germanici beneficio illud nomen Danis partum, & haud inani illud fundamento innixum. Armis ſiquidem devicta Slavonia & in provinciam redacta nomen quoque regium haud immerito ornavit, Germaniâ etiam inconſulta. Sane initio Rugii jam à *Waldemaro I. rege* (e) ſubacti erant. Canuti vero denique auſpiciis Abſalon archiepiſcopus Bogislaum Pomeranum ad tributa & hominium, Rugiorum more, Dano præſtandum adegit. Quod utrumque Saxo late deſcribit, libris duobus ultimis hiſtoriæ ſuæ. Poſtremam victoriam hoc quaſi epiphonemate perſecutus; *Ita Slavicarum rerum dominium aſſiduis Waldemari laboribus negatum, parvulo Canuti negotio contributum eſt, felici ejus militia paternam ſupergrediente fortunam.* Pomeranum fraude circumventi Obotritorum bini principes inter ſe diſcordes, eadem fortuna, non multo poſt ſecuti ſunt. *Rex Daniæ* Canutus ait Crantzius l. 6. Wandal. cap. 24. *qui Burewinum* in Rugia captum *tenebat, arbiter factus inter diſſidentes, ita litem diremit, ut Nicloto Roſtockium cum terra Kiſſinorum, Burewino vero Ilow & Magnopolis* (ea eſt terra Obotritorum) *proveniret, & VTERQVE DE MANV REGIS terram ſuam recognoſceret.* Eadem deinde armorum felicitate per Nordalbingiam omnem excurrente, tandem & inclyta urbs Lubeca in jus Danorum conceſſit. Quæ poſtrema cum narraſſet ſub finem l. 6. & initium

(a) *Obotritorum*) GöBEL. Obotriti terras Mecklenburgicas & Wagriam inhabitarunt. Wendorum autem regnum cum his terris Pomeraniam & Marchiam complectebatur.

(b) *Pribezlaus*) GöBEL. HENNINGES *in theatro genealog tom. I. p.* 292.

(c) *Henricus Leo*) GöBEL. Hic graviſſima cum obotritis, ſibi obſequii quodam obnoxiis vinculo, geſſit bella. Nicolotto cæſo, filius ejus Prebezlaus infeliciter primum belli tentans aleam, tandem paganiſmo & regio valedicens titulo, ſe ducis imperata facturum, promiſit. HENNING. *l. c. p.* 294. BüNTING. *chr. p.* 145. *ſqq.*

(d) *Nec aliquem Daniæ regem*) GöBEL. Impingit itaque LVDWIG. *in diſſ. de formula ducatus Brand. p.* 28. *n.* 9. aſſerens, Lotharium Daniæ regi ejusque poſteris familiæ regalis illum titulum dediſſe, quam gens Oldenburgica hoc nexu non attingere videtur.

(e) *A Waldemaro.*) GöBEL. MEURSIUS *P. I. p.* 98. *ſeqq. & ſect. II. p.* 3. *ſeqq.*

Digitized by Google

initium 7. Wandaliæ ſuæ Crantzius, addit: *Hic eſt interim rerum ſtatus, ut unus Canutus regem ſe Danorum, Wandalorum & Nordalbingiæ ferat & in titulo ſcribat. Erat autem tum annus milleſimus ducenteſimus.* Stadenſis tamen Abbas, Adolpho Holſato victo Lybecam anno demum MCCI. ſubactam, ſcribit. Obiit autem Canutus anno ſequente, ſucceſſorem nactus fratrem Waldemarum, principem ſane multis virtutibus eximium, &, ſi initia ſpectes, fratri armorum felicitate haut imparem. Etiam hic vero ſimul ac in Dania res ſuas nonnihil compoſuiſſet, Lybecam veniens REX DANORVM & SLAVORVM & NORDALBINGIÆ DOMINVS ſalutatus eſt; quod non multo ante ex Arnoldi Lybecenſis l. 6. cap. 17. jam tum narravimus. Vnde confirmatur id, quod diximus, ſubacta illa ad Balthicum mare Slavonia, illud regium novum nomen Dani titulis acceſſiſſe, nullo habitu reſpectu ad terras alias. Et tamen aliquot annis poſt ab eodem rege Waldemaro Pruſſia quoque & *Eſthonia* (a) devicta eſt. Ericus rex in chronico: „Anno MCCVI. Andreas Archi-„epiſcopus duxit exercitum in Revaliam. Anno MCCX expeditio facta eſt in Pruciam & Sam-„land; Miſtwin dux Poloniæ factus eſt homo regis. Anno Domini MCCXIX. rex Waldema-„rus congregato exercitu permaximo, cum mille quingentis longis navibus Eſthoniam intra-„vit, & poſt multa bella totam terram illam ad fidem Chriſti convertit, & Danis ſubdidit usque „in præſens.

16. Igitur haud dubito equidem, non alia ratione natum illud novum nomen, quam cepit alterum illud NORDALBINGIÆ DOMINI, poſt ſcilicet bello ſubactam Slavoniam illam Balthico mari proximam. In juſtitiam vero armorum ſi inquiras, illa cum imperii Germanici injuria conjuncta fuiſſe, vix quisquam negaverit. Omnes illas Slavorum terras usque ad Viſtulam amnem, jam tum à Carolo magno in obſequium Francici imperii redactas, *ante oſtendimus.* (b) Cum ab officio receſſiſſent poſt Ludovici Germanici obitum, Henricus I. rex ut *Bohemos & Sorabos ab aliis regibus edomitos, ita & cæteros Slavorum populos uno grandi prælio ita percusſit, ut cæteri (qui per pauci remanſerant) & regi tributum & Deo chriſtianitatem ultro promitterent.* Henrico defuncto Slavi novas res affectantes rebellare moliti ſunt. Otto autem *rex, quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipſe tanta deinceps virtute conſtrinxit, ut tributum & chriſtianitatem pro vita ſimul & patria libenter offerrent victori; baptizatusque eſt totus gentilium populus.* Qui quidem ad Oderam usque habitabat: Nam Pommerani trans Oderam armis non Germanicis ſed Polonicis flexi iterum ſunt, eoque non niſi per Polonos in imperii Germanici ditionem pervenerunt. *Hoc obſequium duravit* (c) pene per annos ſeptuaginta amplius. Pene, inquam: multa enim illos Slavos etiam Ottonis II. ætate molitos, ex Dithmaro conſtat. *Tunc verò* (d) *Theodoricus* (e) Marchio Brandeburgenſis & dux Saxoniæ *Bernhardus*, (f) quorum alter orientalem alter occidentalem Slavoniam illam poſſidebat, Venedos iſtos *tanta crudelitate inſectati ſunt, ut excuſſo tandem ſervitutis jugo libertatem ſuam armis defendere cogerentur.* Id quod ipſis ex ſententia tum ſucceſſit. „Poſtquam autem placuit piiſſi-„mo cæſari Henrico curiam celebrare in caſtro Werbene, quod eſt juxta Albiam, ad experiendos „animos Slavorum, venerunt omnes principes Winithorum in præſentiam cæſaris, ſeque imperio „ad bonum pacis, & ſubjectionis obtemperaturos proteſtati ſunt.„ Qui illi ſucceſſit Conradus, *frequentibus præliis Winithos attrivit.* Id quod & Wippo in ejus vita commemorat. Hinc Henrico etiam III. cæſare in officio fuerunt. Henrici vero IV. ætate, quum omnia imperii concuterentur, Venedi quoque & religione deſerta & excuſſo jugo *in libertatem ſeſe vindicaverunt.* (g) Cum hujus filius Henricus V. rerum potiretur, quidam Venedicæ proſapiæ ſed Chriſtiana religione imbutus præclarus princeps Henricus Slaviam illam pene omnem debellavit. Duci tamen Saxoniæ *fecit juramentum fidelitatis ac ſubjectionis.* Hic eſt Henricus ille, de quo Helmoldus: „Servierunt Ranorum „ſive Rugiorum populi ſub tributo, quemadmodum Wagiri, Polabi, Obotriti, Cycini, Circipani, „Lutici, Pomerani, & univerſæ Slavorum nationes, quæ ſunt inter Albiam & mare Balthicum, & „longisſimo tractu protenduntur usque ad terram Polonorum. Super omnes hos imperavit Hen-„ricus, vocatusque eſt *rex in omni Slavorum* (h) & Nordalbingorum provincia. Hæc ſunt initia Wegii per Slaviam illam nominis, populari magis acclamatione quam cæſarum auctoritate: in hunc

(a) *Eſthonia*) GöBEL. Hæc Danos potitos variasque ibi condidiſſe arces & oppida, conſtat. MEVRSIVS *p. 17. ſect. II. part. I.* In Pruſſiam vero ſaltim impetum feciſſe videntur.

(b) *Ante oſtendimus*) GöBEL. Et nos de Slavis, Germanico imperio parentibus, jam locuti ſumus.

(c) *Hoc obſequium duravit*) *C. A. M.* Saxoniæ gentes duriſſime habuerunt Slavos more mancipiorum; quando mancipium denotare volunt, dicunt *Slavum.* Hujus veſtigium adhuc ſupereſt. Nemo enim Slavorum, qui ſcilicet gente Slavus, in tribum aliquam artificum cooptatur: unde in omnibus tabulis artificum adſcribitur: *Nicht Wendiſch gebohren.* Vox Slavi apud eos denotat gloriam, qui ſcilicet gloria dignus.

(d) *Tunc vero*) *C. A. M.* Cum Otto II. obiret, Marchionibus Brandenburgicis & ducibus Saxonicis ab imperatoribus olim datum jus in Slavos. Tota Marchia Brandenburgica media & nova, excepta vetere, eſt Slavica, & ſoli Venedi eam inhabitarunt. Henricus Auceps maxime ſæviit in Slavos, ut ſint coacti, armis in libertatem ſeſe aſſerere.

(e) *Theodoricus*) GöBEL. Elati animi homo, Slavos contemtim habens, eos ad corripienda arma incitavit. *ANGELI annales march. Brandenb. p. 36.*

(f) *Bernhardus*) GöBEL. Sermo haud dubie hic de Bernhardo, I. Hermanni Billingi filio eſt, qui Ditmari Merſeburgenſis ſororem ſibi matrimonio copulaverat.

(g) *In libertatem ſeſe vindicaverunt*) GöBEL. Multa crudelia a Slavis, incitante Pluſſone, in Holſatia & terris vicinis patrabantur. *HELMOLDVS in chron. Slav. lib. I. c. XXIV. ADAMVS BREMENSIS lib. IV. c. XIII.* Domiti tamen ſunt a MAGNO Saxoniæ duce & VDONE marchione Brandenburgico. *Annales Hildesh. ad ann. 1093. CHRONOGRAPHUS SAXO ad annum 1101. p. 278.*

(h) *Rex in omni Slavorum*) GöBEL. Hujus mentionem injicit *BROTAFF. in chron. Anhaltino p. 62. lib. II. CHRONOGRAPHVS BRANDENBVRGICVS*, quem

hunc modum quoque aliquatenus Slavi iſti in imperii ditionem redierunt. Aliquatenus, dico: tantum enim non libera poteſtate Henricus quidem ille rex inter ſuos uſus eſt, niſi quod ad extremum hujus quoque dominium Rugii excuſſerint. Defuncto cum filiis Henrico, Canutus dux Danus *adiit Lotharium imperatorem emitque multa pecunia regnum Obotritorum; omnem ſcilicet poteſtatem, qua preditus fuerat Henricus. Et poſuit imperator coronam in caput ejus, ut eſſet rex Obotritorum recepitque eum in hominium.* Paulo aliter *id refert Saxo:* (a) nos autem ut in omni hac narratione ita & heic maluimus uti verbis Helmoldi, ex L. 1. chronici Slavorum hinc inde petitis.

17. Canuto non multo poſt cæſo, ſi Rugiam excipias (cujus ut & Pomeraniæ nomine Polonus Lothario cæſari homagium præſtitit, teſte Ottone Friſing. L. 7. cap. 19.) Venedicæ terræ omnes usque in Pomeraniam ſub graviſſimo tributo *Saxonia ducibus ac marchionibus* (b) paruerunt, imo recuſantibus incolis ſacra Chriſtianorum admittere, iisque propterea partim fugatis, partim trucidatis, per aſſidua bella *in ſolitudinem redacta* (c) ſunt; donec *novis colonis* (d) ex Flandria, Hollandia, Friſia, Weſtphalia, Saxoniaque omni, *ducum illorum & marchionum* (e) cura accitis, excoli & habitari iterum cœperunt, Friderico I. cæſare imperante. Ipſe ille imperator Bogislaum & Caſimirum Pomeraniæ principes, quum pulſo Henrico Leone duce, in cujus clientela vixerant, in caſtris ad Lybecam commoraretur (agebatur annus MCLXXXI.) datis ſolenniter aquilis in numerum *ducum imperii* (f) adſcivit, coram præſente ipſo rege Danorum Waldemaro.

18. Huc igitur usque, continua pene ſeculorum aliquot poſſeſſione, in jure imperii Venedorum utique hi populi fuerunt. Soli Rugii poſſint videri nonnihil præ aliis fuiſſe ſoluti imperii legibus, diuturna rebellione partâ ſibi majore aliqua libertate: non minus tamen jura priſca imperio ſalva manſere, aut ſi quæ damnum erant paſſa integrum imperio fuit illa iterum vindicare. Daniæ certe nec in Rugios quidquam fuit vel juris vel poſſeſſionis jam à ſeculis compluribus. Debellavit autem illos & in ſuam ditionem quaſi redegit circa annum demum 1168. rex Waldemarus primus id nominis. *Nec tamen* (g) vel ea ratione Rugii imperio plane ſubducti, in ſolius Daniæ dominium conceſſere. Ipſi enim Daniæ reges in hominio tum fuerunt cæſarum, adeoque illa, quæ à regibus iſtis tum occupabantur, quaſi in peculium ſimul imperii venerunt. Adhoc videtur Waldemarus indultu cæſaris Friderici ejusque beneficio arma illa expediviſſe: adeoque ſalvis haud dubie imperii ſummis juribus. Datum ſane eſſe regi Waldemaro, cum homagium præſtaret, à Friderico cæſare poteſtatis aliquid in Slavos illos Balthici maris accolas, refert diſerte Saxo L. 14: quod itaque factum fuerit quinquennio ante Rugiæ illam occupationem. In partem quoque victoriæ *Henricum Leonem ducem* (h) admiſit Waldemarus, ut ne tota quidem Rugia illa Dano ceſſerit. Helmoldus L. 2. cap. 14: „Occurrit duci rex Danorum & exhibuit ſe pronum ad omnem „voluntatem ducis. Et recognovit ei medietatem tributorum & obſidum, quæ dederant Ra„ni & de ærario fani æquam portionem, & ad ſingula, quæ dux indicavit exigenda, devote pa„ruit rex.

19. NON poſſumus non hoc loco animadvertere in Saxonem. Scribit ille, invitatum ad curiam Waldemarum à cæſare Friderico, *in premium itineris una ex Italia provinciis cum totius Slavia prefectura* propoſita. Verba ejus etiam hæc ſunt de Friderico cæſare: *Univerſos Germania princi-*

pes

MADERVS edidit *ad annum 1151.* de eo ita loquitur: *Hujus temporibus fuit in Brandenburg rex Henricus, qui Slavice dicebatur Pribezlaus, qui Chriſtianus factus, idolum, quod fuit in Brandenburg, cum tribus capitibus, quod Triglau Slavice dicebatur, & pro Deo colebatur, deſtruxit, cum filium non haberet, Adelbertum marchionem dictum Urſum inſtituit heredem ſui principatus.* Confer quoque *ANGELI chron. march. p. 74.*

(a) *Id refert Saxo*) GöBEL. Equum ſoleis aureis ornatum Canuti ad cæſarem donum fuiſſe, *lib. XIII. p. 234.* tradit.

(b) *Saxonia ducibus &c.*) GöBEL. Summa & abſoluta tandem Henrici Leonis in illas terras fuit poteſtas, ita, ut etiam, Friderico conſentiente, Suerinenſibus & Raceburgenſibus Epiſcopos dederit. Diploma SCHATEN & MADERVS habent.

(c) *In ſolitudinem redacta*) *C. A. M.* Sec. 12. omnes pene Slavorum terræ ſunt in ſolitudinem redactæ perpetuis bellis. Hodie ſane quam pauciſſimæ gentes Venedicæ ſuperſunt: in ducatu Mecklenburgenſi nonnulli reperiuntur. Hinc in Brandenburgica terra multos reperias nobiles, qui omnes originem debent illis militibus, qui Slavos vicerunt. GöBEL. Sunt tamen & in terris Luneburgicis, Brandenburgicis, Pomeranicis, Luſaticis hujus gentis quædam reliquiæ. Doctiſſimo PFEFFINGERO vocabularium Vendicum, quod LEIBNITII collectaneis etymologicis adhæret, debemus.

(d) *Novis colonis*) GöBEL. HELMOLDVS *in chron. Slav. lib. I. c. 57. 87.*

(e) *Ducum illorum &c.*) GöBEL. Loquitur hic haud dubie de Saxoniæ ducibus, & marchionibus Brandenburgicis, qui nonnunquam ob imperium in Slavos a ſe invicem diſſidebant. SCATEN. *annal. Paderb. tom. I. p. 522.*

(f) *Ducum imperii*) GöBEL. MICRAELII *chron. Pomer. part. I. p. 261.*

(g) *Nec tamen*) *C. A. M.* In Rugiam plus, quam in Slaviam reliquam, Dani crediderunt ſibi eſſe juris, quod ſcilicet Waldemarus I. Rugiam ſibi ſubjeciſſet. Hic obiter notandum, inſignem idololatriam fuiſſe in inſula Rugia; nunquam per univerſam Germaniam major fuit; TACITVS appellat eam *inſulam Oceani.* Itaque cum olim inhabitarent eam Germanicæ gentes, ſemper ſacra habita. Manſit ita ſuperſtitio & fanum illud maxime dives: Nam omnia belli ſpolia ſunt in illud collocata. Deus dictus eſt *Suarte-Witus.* Hiſtoriam Daniæ poſt SAXONEM optime perſecutus eſt JSAAC PONTANVS Batavus, quamvis multa in eo inveniantur haud convenientia. GöBEL. *Protinus deinde ab oceano Rugii. TACITVS in Germania c. 43. n. 8.* Latiora olim Rugios inhabitaſſe terrarum ſpatia, quam inſula complectitur, dubio procul eſt. CLUVER. *in Germania antiqua lib. III. c. 35. §. 1.* De idolo Suantovito vid. SCHEDIVS *de diis Germ. Syngr. IV. cap. 12.* MICRAELII *chr. p. 254.* Sub imperio inſulam Lotharii tempore fuiſſe, ex diplomate, quo eam Corbeienſibus monachis donavit, conſtat. Sed ejus monaſterii in pace Weſtphalica nullam habitam rationem, PVFFEND. *R. B. l. 1. §. 37.* teſtatur. Quod autem ad Pontanum, cujus hic autor mentionem facit, attinet, ille a GROTIO *de veritate religionis Chriſtiana lib. 2. c. 7. §. 27.* in notis vocatur: *eruditiſſimus ſummaque diligentia vir.*

(h) *Henricum Leonem ducem*) GöBEL. Vide MICRAELII *chron. Pomer. p. 248. ſeqq.*

pes ſacramento adactos jurare compulit, ſe ejus (Waldemari ſcil. regis) *ditioni Slaviam ſubſtraturos.* Idem l. xv. narrat, cæſarem eundem oraſſe Waldemarum regem, pateretur Pomeraniæ principes *Caſimirum & Bogislaum* (a) à ſe inter duces aſciſci, ſe *memorem, quid olim Waldemaro de ſubigenda Slavia pollicitus fuerit, profligato Henrico* Saxoniæ duce, Pomeraniam *ei ſubjicere curaturum.* Ita Saxo. Sed in his multa hominis figmenta haud difficulter deprehendas. Quei potuerit enim cæſar totius Slaviæ præfecturam Waldemaro regi aut promittere aut concedere, cum bona ejus pars jam multo tempore fuiſſet juris ducum Saxoniæ & marchionum Brandenburgenſium? Quei jurarint illi, ſe Slaviam Waldemaro Dano ſubſtraturos? Qui hoc fecerit Henricus Leo? is, qui, ut oſtenderet, ſe rege illo nihilo inferiorem, quoties cum illo ad Eidoram colloquium aliquod inſtituit, non niſi in medio ponte illum convenit; id quod ipſe Saxo notavit. Quid? quod verum ipſe Saxo narret: ſtatim nempe à reditu ſuo ex Burgundia & cæſaris aula Waldemarum *Slavorum orientalium, ſibi virium fiducia rebellantium, defectionem expertum* cum Henrico *belli ſocietatem* contraxiſſe. Ejusdem verba ſunt: „Henricus Bugislavi Danorum metu ad ſe decurrentis obſequium pactus, ini„tam cum rege ſocietatem, tanquam ineptum & ignobile vinculum, disjicere parvi habuit. Quin „etiam apud Crempinum fluvium in colloquium cum eo deſcendens queſtus eſt, quod militem „ſuum Bogislavum coram ſe non accuſatum bello laceſſat: quem ſi injurioſum exiſtimet, prius „accuſationibus quam armis aggredi debeat. Contra rex negare, ſe ullius potentiæ reſpectu ceſ„ſaturum, quo minus acceptas injurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perſtante „controverſia fœdus cum colloquio ſolvitur.„ Semel iterumque poſt inter Henricum & Waldemarum ſocietatem bellicam adverſus Slavos æquis conditionibus repetitam, Slavos etiam interdum adverſus vim Danicam ab Henrico Saxoniæ duce in tutelam ſuſceptos, idem commemorat. Quæ ſi vera ſunt (vera autem eſſe confirmat Helmoldi hiſtoria) non utique ſacramento fuere aſtricti omnes principes Germaniæ, Waldemaro Dano Slaviam ſubjicere. Nemo etiam facile crediderit, Fridericum cæſarem Waldemaro adulatum, cui herois illius animus magnus ex rebus præclare geſtis non eſt ignotus. Et quare *oraverit* cæſar Waldemarum, pateretur Pomeranos illos in ſuam fidem adigi, cum illi non eſſent obſtricti Dano, & jam tum hominium duci Henrico Leoni feciſſent? Nam quod exprobrat Pomeranis Saxo, quaſi ducum titulis à cæſare acceptis, *veterem atque hereditariam patriæ libertatem variis atque fucoſis dignitatum nominibus vendit averint:* id quam ſit iniquum, oſtendunt ipſamet ejus verba. 14: „Interea Caſimirus & Bugislaus Danicarum virium „metu Henrico ſe ſubdunt, regnumque ſuum hucusque liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo „dum ex hoſtibus alterum metuunt, alterius jugum ſumpſerunt, auxiliumque petendo antiquæ „libertatis beneficium amiſerunt.„ Imo jam tum ante in militari clientela duces hi fuerant, ceu „jam audivimus.

20. VERUM Saxonis contumelia & figmentis relictis, redeundum eſt ad propoſitum. Clariſſimum jam autem fecimus, ne quidem rege Waldemaro ullam Slaviæ partem in pleno Daniæ jure fuiſſe: ſed omnem illam ſummo merito in Germanici imperii obſequio degiſſe. Filius igitur Waldemari Canutus rex imperii jura idque non niſi per vim invaſit, dum non Rugiam duntaxat Daniæ omnino vindicavit, ſed & Pomeranos & Obotritorum principes in verba ſua ſacramento adegit. Prætextus ipſe belli ineptus fuit. Ita enim Arnoldus l. 3. cap. 5. „Canutus multam pa„cem habens in regno ſuo animadvertit, quod Slavi in diebus patrum ſuorum multas calamitates „terræ ſuæ intuliſſent. Videns etiam eos auxilio Henrici deſtitutos, qui freno dominii ſui maxil„las eorum conſtrinxerat, ſuſcepta adverſus eos occaſione, bello eos aggreſſus eſt. Contra quos „tamen, conſilio uſus Abſolonis Archiepiſcopi, prudentia magis quam viribus prævalebat.„ Fuit mera πρόφασις ſcil. injuriæ veteris ultio: quaſi non jamdudum pace conſtituta omnis damni, quondam hinc *inde dati, oblivio* (b) ſancita ſimul fuerit. Merito igitur in Canutum excanduit cæſar. Qua de re ita Arnoldus l. 3. c. 7. „Sic humiliatæ ſunt vires Slavorum & ſervierunt Danis ſub „tributo. Hæc autem non ſine indignatione imperatoris facta ſunt: qui ſe dicebat dupliciter à „Canuto rege injuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos imperio ſubditos ſuo „dominio per tributum & hominium ſubdiderit.„ Merito etiam, ubi licuit, jugo illo iniquo Danico excuſſo principes in corpus imperii redierunt. Id quod factum eſt ſtatim poſt prælium illud ad Bornhovedam: quo tempore ſimul & Nordalbingiam vindicatam, ante diximus.

21. Vnus victorum erat Burevvinus Obotritorum princeps. Itaque & ſibi ille libertatem peperit, & aliis ſignum extulit ad eam recuperandam. Cranzius cum prælii illius res memoraſſet l. 7. Wandaliæ cap. 10. ita ſcribit: „Per quæ tempora Demynum oppidum orientalis Wandaliæ, „quod tum etiam Danorum regi impoſito paruit præſidio, quum audirent cives, verſa Danorum „fortuna Lubecam & omnem Nordalbingiam excuſſiſſe jugum regis, & ipſi de ſua libertate co„gitarunt. Interpellavere autem congentiles ſuos, vicinos VVandalos: & facto impetu in præſi„dium militum, quod rex Daniæ impoſuerat, omnes aut ceciderunt aut abegerunt. Nec manſit „ex eo die quicquam in fide regis ex VVandalia præter ſolam Rugiam: quæ virtute Iaromari ſub „regis imperio conquievit.„ Sicuti tamen & Rugiani ſunt ejusdem ſeculi anno ſexageſimo exemplum aliorum: imo Iaromarus ſecundus ejus nominis non ſatis habens in libertatem ſe aſſeruiſſe claſſe infeſta Daniâ, petitâ; Selandiam omnem devaſtavit. Qua de re diſſerit Crantzius l. 7. cap. 28.

(a) *Caſimirum & Bogislaum*) GöBEL. Erant Pomeraniæ citerioris principes.

(b) *Inde dati oblivio*) GöBEL. Hos amneſtiam dicunt. HENNIGES *ad art. II, J. P.*

28. addens: *Per hæc tempora Dania in illum contemptum pervenit, ut facile à quovis impugnaretur.* Hujus filius Witzlavus III. hominum cæſari Rudolpho præſtitit anno 1283. Neque poſthæc unquam in Daniæ ditionem ulla Slaviæ pars rediit, qui regni illius infelix diu fuit ſtatus. Ericus rex in chronico: „ Anno Domini MCCXLI. obiit inclytæ recordationis rex Waldemarus II. in cœna Domini: „ in cujus morte vero cecidit corona capitis Danorum. Nam ab illo tempore bellis inteſtinis & „ deſtructioni mutuæ vacantes, omnibus in circuitu nationibus facti ſunt in derſum. Sed & „ terræ, quas patres eorum gladio ſuo glorioſe acquiſierant, non ſolum ab eorum dominio receſ„ ſerunt, verum & plagas maximas regno intulerunt & illud miſerabiliter confuderunt, princi„ pibus regni non reſiſtentibus, ſed ſe invicem lacerantibus & vaſtantibus. „ Witzlavo IV. ultimo Rugiæ principe defuncto anno MCCCXXV, Regi Daniæ juris priſtini prætextu *major Rugiæ pars*, ut loquitur Crantzius l. 8. cap. 12. Wandaliæ, *conceſſit:* mox tamen ipſe Rex jus ſuum omne in Rugiam Pomeraniæ ducibus tradidit. Nec legas, ſecuto tempore quidquam à Dano vel tentatum eſſe. Niſi huc trahere velis controverſiam à Chriſtiano III. rege Pomeraniæ ducibus motam, de bonis quibusdam ſacris. Nihil enim illa facit ad reipublicæ ſummam: ceu liquet ex iis, quæ narrat Chytræus chron. Saxon. l. 16. Ultimus quoque *Roſtochii dominus* (a) ſe quidem Dano ſubmiſit: ſed non alicujus veteris juris ergo, ſed quod ſibi à marchione Brandenburgenſi metueret. Et hoc quoque novum jus ſuum Henrico Mecklenburgico ceſſit rex Chriſtophorus ſecundus: teſte Crantzio l. 8. Wandal. cap. 6. Illum regem cogitaſſe de revocanda aliquando in Danicum jus Lubeca, idem ibidem memorat. Sed ejusmodi cogitata nihil juris multo minus dominii quidquam tribuunt.

22. Ut proinde jam quadringentorum amplius annorum ſpacio imperium Germanicum & Nordalbingiam & Venedicas ſive Slavicas illas terras à Danis ſibi iterum vindicavit, priſcis limitibus reſtitutis.

Caput XVII.

Hungaria regnum in obſequio imperii aliquamdiu ſed non multo poſt aſſeruiſſe ſeſe in libertatem. Reges quoque Cypri & Armeniæ imperium Germanorum, brevi tamen duntaxat momento, coluiſſe.

1.

Brevis temporis fuit in Daniam dominium. Minus adhuc duravit Hungariæ obſequium: vix momenti ſpacio reges Cypri & Armeniæ cæſares noſtros coluerunt. Eoque pene tædet de hiſce verba facere: ne quid tamen videamur neglexiſſe, *pauca in medium adferemus*, (b) omnia uno capite comprehendentes.

2. *Arnolphus* (c) cæſar imperabat, quando Hungarorum audita primum ſunt arma. Nomen ipſum ignotum hactenus, niſi ſint Hungari, qui Jorandi *libro de reb. Gethicis* dicuntur, inter Attilæ militantes Scythiæ populos: quod mihi ſane per videtur *veriſimile*. (d) Ab Hunnis Avaribus iis, quos Carolus magnus devicerat, plane alios eſſe, & Arnolphi temporibus demum Pannoniam Daciamque eos occupaſſe, diſerte memorant, qui illi tempeſtati ſunt vicini ſcriptorum noſtrorum præſtantisſimi. Quibus cum faciunt etiam Regino ad annum DCCCLXXXIX. & Otto Friſingenſis l. 6. chron. cap. X. Conſentiunt vero & Hungarorum annales, novam tum Scytharum

(a) *Roſtochii dominus*) GöBEL. *CRANZIVS in Vandalia lib. VII. p. 175.*

(b) *Pauca in medium adferemus*) *C. A. M.* Res Hungaricas quam optime licet cognoſcere ex monumentis Germanorum. M. ANTON. BONFINIVS Italus tempore regis Matthiæ res Vngaricas quam maxime perſecutus eſt, & vixit in aula regis, qui fuit fautor artium liberalium ſummus, & cum quo Hungariæ decus occidit; pervenit enim in tyrannidem Turcarum. Alios in unum collectos ediderunt WECHELII Francofurti. GöBEL. BONFINIVS Aſculo Piciui agri oppido oriundus humanioribus literis & philoſophia optime imbutus, ut par eſt, ad hiſtoriam ſcribendam acceſſit. Confer. IOHANN. SAMBVCVS *in præfat. decad.* BONFINII.

(c) *Arnolphus*) *C. A. M.* Vngari & Hunni non fuere iidem populi. Hungari tamen ſucceſſerunt Hunnis. Hungarorum nomen in monumentis non reperitur ante Arnolphum cæſarem. Tum venit Scythicus populus immanis, cui Arnolphus dedit expugnandam Moraviam, ſed progreſſi ſunt ulterius. A Sarmaticis gentibus etiam lingua plane differunt, ita ut Polonus non poſſit loqui cum Hungaro. Hungarorum lingua videtur propius accedere ad linguam Tartaricam, quanquam Tartari ſec. 13. primum innotuerint. GöBEL. Hungaros ab Hunnis non diſcrepare, ſupra docui. Neque Hunnos ab Avaribus diſtinctam fuiſſe gentem; ex veterum liquet teſtimoniis. *Alboin vero cum Avaribus, qui primum Hunni, poſtea de regis proprii nomine Avares dicti.* *PAVL. DIAC. lib. I. c. 27.* Vide eund. autorem *lib. II. cap. 10. lib.* IV. *c.* XII. Non autem fuerunt Slavi. Contradiſtinguuntur enim his a PROCOPIO *hiſt. Goth. lib.* I. p. *212. apud* GROT. & PAVL. DIAC. *lib.* IV *c. 25.* Scio quidem, a REGINONE & OTTONE FRISINGENSI, Hungaros Avaribus opponi: Verum quid impedit, quo minus ſtatuamus, unius gentis diverſos populos ſive colonias diſtinctis temporibus avitis diſceſſiſſe ſedibus, poſteriusque advenientem priorem, ut in terrarum recuperatarum partem ſe admitteret, adegiſſe, notum eſt. Plures enim fuerunt Hunnicæ originis populi, Scythicas terras inhabitantes. PROCOPIVS *hiſtor. Gothica lib. 4. p. 415. 416.* PAVLVS DIACON. *lib. 5. cap. 11.* Nec dubito, quin per Uturguros apud PROCOPIVM *l. c. p. 418.* Hungari intelligantur. WITIKINDVS CORBEIEN. *lib. 1. annal. p. 641.* Hungaros, cum quibus HENRICO AVCVPI pugnandum fuit, *Avares* vocat.

(d) *Veriſimile.*) *C. A. E.* PROCOPIVS memorat Hunnos *Uttugaros:* AGATHIAS Unnos *Onogaros.* Videtur autem ſcribi debuiſſe Hungaros, non alios certe ſignificatos. In Eclogis legationum Conſtantini porphyrogeniti imperatoris extat lectu digniſſima deſcriptio legationis Theodoſii ſecundi imperatoris ad Attilam inſtitutæ, a Priſco Rhetore uno legatorum exarata. Eo libello inter alia memoratur, Hunugaros fuiſſe ſuis ſedibus ejectos a Sabiris, quos

Digitized by Google

tharum manum duce Cuſala *in Daciam* (a) & vicinas regiones, per varia bella incolis exhauſtas commigraſſe. Ut proinde huic ſententiæ tutò forte liceat accedere. Hi ubi magnam Moraviæ quoque partem Arnolpho non invito occupaſſent, eo defuncto proximam Pannoniam, fertiliſſimam terram, quæ ad Dravum uſque (ſi credimus Aventino l. 4.) Bajoariæ tum pars erat, ſui juris fecerunt: inde populabundi Germaniam, Italiam & Galliam multos annos fœde habuerunt, *donec ab Henrico Aucupe* (b) primùm repulſi, *ab Ottone magno penitus fracti*, (c) intra Pannoniæ proximos limites ſe recepere. *Aventinus* (d) de illa ultima clade l. V. ita loquitur: „ Otto adſerta „Germania, populo Chriſtiano liberato, eaque cæde perpetrata, ab exercitu imperator & pater „patriæ ſalutatus eſt. Porro Ungri, qui domi reliqui erant, tantâ ſuorum ruinâ animo fracti, „vallo foſſa ſudibus contra nos ſeſe in locis paluſtribus muniunt, nedum fines alienos invadere „(ſicuti per annos quinque & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo poſthac „conciperent: contuſi viribus territique potentia Ottonis, ne muttire quidem de cætero auſi „fuere.„ Antonius Bonfinius l. X. dec. I. „Hoc bello cum innumera multitudo occubuiſſet, Un„garorum vires adeo enervatæ ſunt & exhauſtæ, ut multis annis in Pannonia ab omni ſe expedi„tione continuerint. Item: Ungari primi Othonis conflictu enervati, in quiete manſere.

3. Idem vero ille Bonfinius Germanis nobis per hic eſt injurius. „Quin etiam, inquit, eo „inſolentiæ profecta eſt Germana ſuperbia, ut ob hanc unam calamitoſam & cruentam Ottonis „victoriam, ex Ungaro neque fuſo neque cedente relatam, imperii quoque Pannoniæ titulos uſurpet. „Blandiri ſibi potius ex re parva, quam alienam gloriam recenſere ſtudet.„ Num *parva res* fuerit, qua *innumera multitudo cecidit, & Ungarorum vires ſunt enervatæ*, quilibet judicet. Tantum abeſt vero, ut hujus victoriæ ergo titulos Pannonici regni Germania ſibi uſurpaverit, ut iis nunquam ſit uſa. Imo, quod ſciam, reperitur noſtrorum ſcriptorum nemo, qui hac quidem clade Ungariam aſſerat in provinciam eſſe redactam. Factum quidem illud eſt, ſed multo poſt, Henrico III. Cæſare: quo de poſtea.

4. Non poſſum non in medium heic adferre, quæ idem Bonfinius narrat de Auſtria ab Hungaris rege Guiskone ſive Geiſa occupata & viciſſim imperio vindicata: quoniam id facit ad rectam limitum notitiam. *Bellum*, ſcribit, „in Auſtriam tantum aliquanto obſtinatius geſſit: „quam mortuo Rudigerio tyranno occupavit. Sed Henricus primus Cæſar in Germania declaratus „Leopoldo illuſtri Sueviæ duci, qui ſororem ejus uxorem duxerat, Auſtriam imperio Romano re„cidentem, ea conditione delegavit, ut ſi Ungaros hinc ejiceret, ea, quæ quondam Orientalis mar„chia dicebatur, ducis primus nomine potiretur. Leopoldus expeditionis conditionem accepti, „in Geyſam comparato exercitu proficiſcitur. Ad Mellicum oppidum, quod Danubio prominet, „cum hoſte congreditur. Cedentibus Ungaris, Geyſa ne rem alienam vi occupatam pervica„cius tenere videretur, Auſtria excedit, & cum Alemannis pacem facit. Henricus ex cognomen„to rebellis, Leopoldi filius, poſt mortem patris in Ducatu ſucceſſit: ſed cum imperio parere recu„ſaret, dominatus jure privatur. Quod ubi ſenſere Ungari, ut armis olim parta recuperarent, „regnante Aba (quem Albuinum, vel Ovenium annales plerique nominant) ea validiſſimis copiis „repetunt, occupantque. Sed quum Henricus depoſita contumacia ad imperii fidem rediiſſet, ut auxi„lium pro recuperando ducatu imploraret, ex Ungarorum manibus eruere nequivit. Demum Albertus „ejus filius & Leopoldi frater, impetratam ab Henrico divo provinciam, paucis menſibus in poteſtatem ſuam

expulerunt Avares. Unde ſimul confirmatur, Hungaros ab Avaribus fuiſſe diverſos. GOEBEL. Sabiri erant Hunni. PROCOPIVS *hiſt. Goth. lib. IV. p. 415.* de eis ita loquitur: „ Hæc ſunt, quæ de caucaſis jugis dicenda erant. „Habitantur Hunnis, quibus Sabiri cognomentum, & „aliis gentibus Hunnicæ paritur originis.

(a) *In Daciam.*) C. A. M. Per hanc intelligitur Tranſſylvania.

(b) *Donec ab Henr. Aucupe.*) C. A. M. Hic primum devicit Hungaros, & quidem in vicinia prope *Quedlinburgum*. GöBEL. De Hungaris per Henricum Aucupem & Ottonem primum devictis jam monui. Vide WITIKINDVM *lib. I. annal.* FRODOARDVM *ad ann. 933.* LVIDPRANDVM *lib. II. c. IX.* WITIKINDVM *lib. III. annal. p. 656. ſeq.* DITMARVM *lib. II. annal. p. 332.* HERMANNVM CONTRACTVM *ad ann. 955.*

(c) *Ab Ottone M. penitus fracti.*) C. A. M. Quanquam hoc factum, nunquam tamen Hungari ſunt ſub jugum miſſi, ſed retinuerunt libertatem. GOEBEL. IOHANNES *de Thwrocz part.* Victoriam ab Hunnis ad Auguſtum Vindelicorum reportatam, falſo Conrado I. adſcribit.

(d) *Johann Aventinus.*) C. A. M. Bavarus, vixit ante 230. præter propter annos, deſcripſit res Boioaricas magno judicio, quibus inſperguntur res totius Germaniæ. Pontificii Aventino plerumque ſunt infeſti, ſolet enim experiri variorum judicia, & ſi tum ratio poſtulat, illorum vitia non diſſimulat, ſed aperte prodit. Interim ONVPHR. PANVINIVS Aventini nonnunquam meminit non ſine laude; cum nominat diligentiſſimum ſcriptorem rerum Germanicarum. inter quos etiam non poteſt non numerari. GOEBEL. Natus eſt Aventinus anno Chriſti 1466. patre Johanne Thurmaier pandocheo oppidi Abuſinæ, quod vulgo Abensberg dicitur, in ſuperiori Bavaria ſitum. Quod vero ſeſe Aventinum nominarit, in cauſa eſt, quod Abensberg in vetuſtiſſimis litteris *Aventinum* ab Antonino Rom. imperatore in itinerario ſuo *Abuſina* vocetur. Ingolſtadii in philoſophia & liberalibus artibus jactis probe fundamentis, *Lutetiam Pariſiorum* profectus eſt, ubi ſeptem artium *Magiſtri* axiomate ornatus. Poſtea Viennam, inde Ratisbonam ſe contulit, ſub qua profectione in graviſſimum morbum incidit. Pauliſper ſanitati reſtitutus ad patrios lares reverſus eſt. Deinde Viennam rurſus abiit, ubi, in aula imperatoris Maximiliani, a viris ſui ſeculi doctiſſimis *Conrado Celte*, primo inter Germanos pöeta laureato, *Johanne Stabio*, S. Cæſ. Majeſtatis mathematico, *Johanne Cuſpiniano*, imperatoris oratore, *Joachimo Vadiano* aliisq; humaniter exceptus fuit. Anno ſeptimo *Cracoviam* ſe conferens, grammaticam græcam & matheſin ibi publice legit. In patriam tamen brevi rediit. Officio præceptoris apud Ludovicum & Erneſtum fratres Germanos, & itinere Italico defunctus, annales Bojorum ſcribere incœpit. Quod cum duces Bojorum WILHELMVS, LVDOVICVS & ERNESTVS intelligerent, eum liberaliſſime adjuvarunt, datis ad omnia utriusque Bojariæ monaſteria diplomatis. Anno ætatis ſuæ 64. demum uxorem duxit, ex qua filium Carolum & filiam ſuſcepit, ao. ætatis 68. autem diem obiit ſupremum Ratisbonæ.

„ſuam redigit: unde cæteri Auſtriæ duces ac divus Leopoldus rite profluxere.„ Hæc Bonfinius.
Quæ tamen omnem Hungariam non attinent, ſed ejus quæ Germaniæ adjacet partem.

5. Ut autem eo rectius pateat ratio limitis illius omnis, operæ fuerit pretium, ex Aventino
etiam, accuratiſſimo Bajoaricarum rerum ſcriptore, referre quæ ille l. 4. pag. 34. recitat, ubi *Ca-
roli magni* (a) bellum Hunnicum perſequitur. *Arno* (ait) *Archymyſtes Juvavienſis* (ita appellat
archiepiſcopum Salisburgenſem) „qui jam ex Italia redierat, & Pipinus filius Magni, juſſu regis
„cum exercitu in Orientalem Bojariæ limitem, quam maturrime infeſta intentaque acie conten-
„dunt, Hunnos ac Avares ulciſcuntur, gentem excidunt, nomen delent, & rejectis Avaribus,
„fines Bojoariæ usque ad Dravi fluenta promovent: ibi colonias Bojorum Venedorumque dedu-
„cunt. Cœpere itaque in eo tractu, unde Hunni extruſi fuerant, multiplicari Boji atque Vene-
„di: qui adhuc ibi mixti Ugris habitant. Atque is Bojariæ Orientalis limes firmis præſidiis utrius-
„que gentis munitur. Bojorum præfecti fuere Goteramus, Wernerus, Albericus, & Godofri-
„dus. Sed Venedorum ex ipſis rectores fuere Primislaus, Cemicas, Stomarus, Otogerion. Poſt
„hos duces & hujusmodi, Venedorum natio, & qui inter fontes Savi Dravique conſident, cum
„finitimis gentibus, Bojariæ nobilitati commiſſa eſt. Porro in rebus divinis religioneque procu-
„randis, eam omnem provinciam à Dravo flumine Anaſſum verſus, unde Hunnos & Avares ex-
„actos diximus, Arnoni Pontifici Juvavienſi, ejusque ſucceſſoribus, perpetuo addixit Carolus.
„Idcirco ab Arnone rex ſacrificulus creatur Theodericus, qui in iſta nuper parta regione templa
„quidem dedicet, ſacerdotes cooptet, populum inſtituat, rerum cœleſtium curam gerat, ritus
„colendi ſummum Deum, ejusque voluntatem condoceat. Verum ipſe tamen ſubditus ſit & pa-
„reat pontificibus Juvavenſibus. Confectum itaque eſt octavo tandem anno bellum Avarorum,
„quod & Hunnorum appellant: non ſine magno (ut verbis Ludovici pii Cæſaris Auguſti, filii
„Magni, quæ refert Reginerio Batavenſi epiſcopo, utar) præliorum labore. Bojariæque regnum
„uſque ad Dravum flumen ejusque oſtia prolatum eſt. Unde ea regio Oſterricha, Auſtriaque,
„id eſt Orientale Bojorum regnum, ac limes poſthac cognominata eſt. Cujus etiam pars nunc
„ſupra Litham flumen ac occiduum ſolem vergens, Teutonice Oſtericha, & facto nomine Au-
„ſtria Latine vocari ſolet: peculiaribus ſubjecta principibus, qui jam diu Romano potiuntur im-
„perio. Infra Litham nunc pars Ungariæ eſt. Divus enim Henricus ſecundus Cæſar Auguſtus,
„regulus Bojorum tertius, Stephano regi Giſalæ ſororis ſuæ marito, quo facilius gens effera reli-
„gionem noſtram reciperet, quaſdam urbes Bojorum, regnique Bojariæ, quæ infra Litham ſitæ
„ſunt, quaſi dotis nomine, tradidiſſe legitur: Nempe Poſonium, Vratislaburgium, Sempronium,
„Oedenburgium, & alia hujusmodi oppida: alioqui Ugri in principio quoque regnum Bojariæ in-
„vaſerant. Iſthæc omnia ex vetuſtis imperatorum, & pontificum noſtrorum diplomatibus & epi-
„ſtolis excepimus.

6. Idem Aventinus l. V. pag. 512. cum narraſſet, legatos Hungarorum cum Henrico II. Cæ-
ſare pacem & perpetuum fædus compoſuiſſe, rectori eorum filio Geizonis, qui obierat anno
DCCCCXCVI. Henrici Cæſaris ſorore Giſala deſponſata, ea lege, ut ille exploſa falſorum deorum
ſuperſtitione Chriſti cultum cum popularibus reciperet: eaque conditione ab Hungaro principe ac-
cepta, illum baptiſmo initiatum *Stephani nomen accepiſſe*, (b) & à CÆSARE REGEM NVNCVPA-
TVM: Stephanum item ſuos *à pietate Chriſtiana abhorrentes; in obſequio religionis* vi continuiſſe, ſub-
jungit hæc verba: „Quod ut facilius aſſequeretur, dotis nomine ei coloniæ Bojorum, Vratisla-
„burgium, Poſonium, infra Phyſcam, amnem Oedenburgum, Sempronium, Sabaria, & alia
„plæraque oppida quondam Bojorum infra Phyſcam, attribuuntur.„ Idem porro Aventinus pag.
529. narrat, Ovonem regem pacis impetrandæ ergo Henrico tertio Cæſari reddidiſſe, „quicquid
intra

(a) *Caroli magni.*) C. A. E. Ex annalium Francorum libel-
lo, ubi agitur de rebus anni 791. haud obſcurum eſt de-
prehenſu, Hunnos tunc incoluiſſe utramque ripam Danu-
bii, Carolum vero magnum ipſum non eſſe progreſſum
ultra confluentem Arrabonis & Danubii. Ex iisdem por-
ro annalibus liquet, Pipinum Magni filium anno 796.
Hunnos victricibus armis fugaſſe ultra *Teizam* ſive *Tibe-
ſcum* fluvium. EGINHARTVS *in vita Caroli* ſcribit de
bello Hunnico: „Quot prælia in eo geſta, quantum
„ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore
„Pannonia, & locus, in quo regia Cagani erat, ita de-
„ſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ habita-
„tionis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobi-
„litas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & con-
„geſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt.„ Idem
EGINHARTVS inter Caroli armis acquiſita c. 15. nume-
rat, „utramque Pannoniam & oppoſitam in altera Danu-
„bii ripa Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam atque
„Dabuatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob
„amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopoli-
„tanum imperatorem habere permiſit.„ GOEBEL. De
Caroli in Hunnos expeditione, in qua gentis nobilitas
ad internecionem propemodum 'eſt deleta, agit EGIN-
HARDVS *in vita Caroli M. c. XIII.* Duce ejus filio Pipi-
no expugnata deinde Hunnorum metropolis eſt: Ringum
vel Hringum Cagani & Campum veteres dicunt. EGINH.
l. c. c. 13. *Annales* LAVRISHAMENSES & PITHÆA-
NI *ad ann. 796.* Schuttæ inſulæ nomine locum illum ho-
die venire, intelligunt, alii aliam adhuc fovent opinionem.

(b) *Stephani nomen accepiſſe.*) C. A. M. Corona regni Hun-
gariæ, quæ adhuc hodie circumfertur, vocata eſt *coro-
na St. Stephani*, non illius martyris, ſed hujus, de quo
jam fit mentio, & quod ab eo ideo nomen accepit, quia
primus eſt, qui inter Hungaros Chriſtianam religionem
amplexus. GOEBEL. Stephanum a ſuis creatum aut vo-
catum regem, tali nomine ab imperatore Henrico ſalu-
tatum eſſe, veritati conſentaneum eſt. Audiamus hac de
re loquentem PETRVM RANZANVM DE ORIGINE
„Hungar. tom. I. c. IV. p. 102. Haud multo interjecto
„deinde tempore, inquit, cum Hungariæ optimatibus
„placuiſſet, ut qui titulo ducis tot præeſſet populis, tot-
„que viris, generis claritudine auctoritateque magna in-
„ſignibus, uteretur magis honorata appellatione, regiam
„elegerunt dignitatem. Ceterum ad eum evehendum
„neminem niſi Stephanum, quippe cum jure ſucceſſor
„fuiſſet paternarum opum, atque ita duxiſſet anteactam
„vitam, ut ſolus natus ad regnum viſus fuerit. Pru-
„dentum igitur omnium miro conſenſu & applauſu eli-
„gitur appellaturque ipſe rex ac regia corona regum
„more donatur. Attilæ quidem ab exteris regium im-
„pertiebatur nomen, ſed eo à ſuis non ſalutabatur.

„intra amnes Litham Phiſcamque continetur, quæ pars quondam divo Stephano amicitiæ cauſa „tradita erat.

7. Si Aventinum itaque audimus, per Carolum magnum limites imperii in Pannonia quidem Dravo ſunt definiti. Ut proinde bello Hunnico acceſſerit Bajoariæ, omne quod eſt Aniſum inter & Dravum flumina, Hunnis ereptum. Aniſum enim antehac terminum fuiſſe Bajoariæ, diſerte teſtantur annales Francici ad annum DCCXCII. „Atque ſic inchoato itinere prima caſtra ſu„per Aniſum poſita ſunt. Nam is fluvius inter Bajoariorum atque Hunnorum terminos medius „currens, certus duorum regnorum limes habebatur.„ Hungari porro ſui juris iterum fecerunt & incolis repleverunt omne, quod eſt â Dravo uſque ad Litham: ſed viciſſim coacti ſunt recedere ultra Piſcham, donec amicitiæ cauſa ab Henrico II. Cæſare Hungaris omnia ſunt reddita *ad Litham uſque.* (a) Hæc ex antiquis tabulis Aventinus cum affirmet ſibi deprompta, nolim equidem in dubium temere vocare. Quum donationem autem illam Henrici non agnoſcant Hungari & parum interſit, non eſt, quare nos illam Hungaris moleſte exprobremus. Nec tamen Bonfinio etiam aſſentiri tuto poſſumus, Henrico primum Cæſare Auſtriam Hungaris ereptam, etſi forte ſit vindicata. Ducis titulum Leopoldo propoſitum Auſtriæ cauſſa, à vero alienum eſt: *Marchiones* (b) enim non duces agnovit terra hæc ad Friderici I. Cæſaris tempora, eosque non proxime atque immediaté imperii ſed Bajoariæ ducum clientes. Ab Ovone Auſtriam fœde vaſtatam narrat quidem etiam Aventinus l. 5. pag. 522. ſed cauſam & eventum longe aliter. Verum quum hæc omnem Hungariam non attineant, aut firmam aliquam poſſeſſionem ſive Hungariæ ſive Germaniæ non dederint, nihil eſt cauſæ, quare illa nos remorentur.

8. Stephano Hungariæ regi Conradus cæſar bellum quidem intulit: ſed nec tum aliquid Hungaricæ majeſtati deceſſit. De illo bello ita Wippo in Conradi vita: „Eodem tempore mul„tæ diſſenſiones inter gentem, Pannonicam & Bajoarios, culpa tamen Bajoariorum factæ ſunt: „ita, ut Stephanus rex Ungarorum multas incurſiones & prædas in regno Noricorum, id eſt Bajo„ariorum, faceret: unde commotus imperator Chuonradus cum grandi exercitu ſuper Ungaros „venit. Rex autem Stephanus minime ſufficiens adverſus imperatorem, orationibus & jejuniis „in univerſo regno ſuo indictis, præſidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam „munitum regnum fluviis & ſylvis intrare non valens, multis tamen prædationibus & incendiis „circa terminos regni injuriam ſuam ſatis ulciſcens, reverſus eſt: volens tempore oportuniore „cæpta ſua peragere. Sed filius ſuus rex Henricus adhuc puerulus Eigelberto Friſingenſi epi„ſcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unico conſilio principum regni, „patre neſciente, gratiam conciliationis annuit; juſte & ſapienter agens, qui regem injuſte inju„riatum, ultro petentem gratiam, recepit in amicitiam.„ De hac Conradi expeditione Hermannus Contractus: *Anno MXCIII. Conradus imperator Stephanum regem cum exercitu petit. Anno MXXXI. Stephanus rex miſſis legatis cum imperatore Conrado pacificatus eſt.* Prius illud etiam *Lamberto Schafnaburgenſi* (c) notatum eſt.

9. Hactenus igitur ſalva Hungariæ libertas. Sed qui Conrado ſucceſſit Henricus III. jam tum cæſar, majore vi aliquot per annos repetitis bellis, Hungariæ regnum in provinciam demum redegit, *quod ante diximus.* (d) Hinc Wippo in vita Conradi cæſaris: *Ungaria, quam idem rex Heinricus tertius nobili atque admirabili victoria domuit, & poſt victoriam ſapientiſſimo conſilio ſibi & ſucceſ-*

ſoribus

(a) *Ad Litham uſque.*) C.A.E. OTTO FRISINGENSIS *l. 1. de geſtis Friderici cap. 32.* ita loquitur: „Dux etiam „Auſtriæ non longe ex altera parte ejusdem fluvii, (Li„thæ) qui imperii Romani & regni illius ex uno Danu„bii latere, nam ex altero Marahe fluvius limes eſt.

(b) *Marchiones*) GOEBEL. Auſtriam à principio comites poſtea marchiones habuere. Hi a Carolo M. conſtituti, ut Avares a limitibus imperii arcerent. Ducis titulum in Henrico II. Fridericus I. fratris filius inſtituit. ANN. FRANCIC. FULD. *ad ann. 884.* CUSPIN. *Auſtr. p. 9. 10. chron. Auguſtan. ad ann. 1156.* PFANNER, *de præcipuis German. princip. gentib. p. 1. 2.*

(c) *Lamberto Schafnaburgenſi*) GöBEL. *Cunradus imperator Ungariam cum exercitu intravit.* LAMBERTUS *ad ann.* 1030. Conf. quoque WIPPO *p.* 436. Occaſionem bello inter Hungariam & Bavariam lites dediſſe videntur. Huic accedebat, quod legatus imperatoris Wernerus epiſcopus Argentinus in Conſtantinopolitanam tendens aulam ab Hungaris tranſitu prohibitus fuerit.

(d) *Quod ante diximus*) *C. A. E.* De hac re GLABER RODULPHUS ſcriptor Gallicus σύγχρονος. *Hiſtor. cap. I.* agens de iis, quæ contigerunt anno Chriſti quadrageſimo quinto poſt milleſimum. „Henricus filius „Conradi rex Saxonum jam in re, Romanorum veró „imperator in ſpe, duxit uxorem filiam Wilhelmi Pi„ctavorum ducis, nomine Agnetem, quam etiam de„ſponſavit in civitate Chryſopolitana, quæ vulgo Ve„ſontio vocatur. Illuc denique ob amoris ac benevo„lentiæ gratiam utriusque convenit maxima nobilium „multitudo, epiſcoporum vero viginti octo. Prove„nerat enim in deditionem prædicti regis regnum Au„ſtraſiorum, quod illi a progenitoribus competebat, „ſimul etiam genti Ungarorum PROPRIO MODE„RAMINE regem Abbonem nomine inſtituerat.„ Idem ibidem: „Ipſo itidem anno prædicta gens Unga„rorum, ejus imperio rebellis extitit: quam ille hoſti„liter aggreſſus, potenter devicit, ſibique TRIBU„TARIAM SUBJUGAVIT.„ Capite IV. narrat: „Poſtmodum gens Ungarorum jam ſecundo prædicto „regi rebellis exiſtens adverſus eundem præliari diſpo„ſuit. Contra quem egreſſus, licet impar numero, „confidens tamen in Dei auxilio, confligere cum ipſis „non timuit. Non enim erat in exercitu ipſius plus „quam ſex millia virorum, cum in Ungarorum phalan„gibus æſtimarentur ducenta millia armatorum. Erant „enim cum rege quamplures epiſcopi cum clericis mul„tis, qui pietatis gratia inermes cum eo in certamen „introierunt. In eoque certamine tamen caligo ac „tenebræ occupaverunt Ungarorum partem, ut vix „virum juxta ſe poſitum quis illorum poſſet agnoſcere. „Exercitus quoque regis videbatur clariſſimo ſole cir„cum & infra perluſtratus: qui fortiter dimicans innu„merabili cæde proſtravit adverſarios fugavitque, cum „de eis perpauci corruiſſent. Capta vero præda hoſti„um, ac regno ut primitus cœperat ordinatio, trium„phans rex devenit ad propria.

ſoribus ſuis ſtabilivit, prædicto tempore (electionis Cunradi ſalici) *nec audire nos ſuſtinuit.* Quod ſi ſupereſſet hiſtoria rerum Henrici ab eodem Wippone conſcripta, conſtaret nobis rectius tota geſti negotii ratio. Otto Friſingenſis l. VI. chron. cap. 32. ita communius rem omnem narrat. *Ungaros quoque variis ac diverſis præliis premens, Petrum regem eorum ab Ovone rege fraudulenter pulſum, interceſſione Alberti marchionis,* (Auſtriæ ſc.) *cujus levir erat, exulem ſuſcepit ac cum exercitu Pannonias ingreſſus, congreſſu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Ungarorum fudit, Petrum regno reſtituit. Unde eſt ille rithmus Hermanni Contracti de præfato triumpho, qui ſic incipit: Vox hæc malos pangat.* Contracti illud carmen, ut & liber de rebus geſtis Conradi & Henrici, cujus meminit Otto Friſingenſis l. VI. cap. 32. forte periit: ex chronico tamen ejus diſcimus, geſta illa bella ab anno MXLII. usque ad MXLVI. pene quatuor annos continuos.

10. Haut abs re fuerit ſaltim eventus varios *bellorum iſtorum* (a) ex optimæ fidei ſcriptoribus hic adſcribere. De eo, quod anno MXLII. geſtum eſt, ita Aventinus l. 5. „Cæſar cum fines hoſtium nemine prohibente intraſſet, delectus agit, exercitum luſtrat. Dumque meridionalem „Ungariam invadere, munimentum (quod ripæ Rabiniſſæ ad arcendos noſtros Ovo impoſuerat) „confectis jam machinis poſt triduum expugnare parat; Ovo miſſis nunciis pacem ſupplex pe„tit, partem regni ab oſtiis & finibus mari fluminis, ad fines Charionum, & quicquid intra „amnes Litham Piſchamque continetur, quæ pars quondam divo Stephano amicitiæ cauſa tra„dita erat, cæſari reddidit: inſuper ſe quadringenta auri talenta Teutonica, totidem ſerica pallia, „mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere damnum a ſe datum compenſaturum, capti„vos omnes, Giſalæ reginæ quoscunque Petrus ademerat, reſtituturum pollicetur. Pezilonem „ducem, cum ſeptem aliis optimatibus, in quos animadvertendi more majorum, ſi pactis non „ſtaret, & poſtridie calendas Decembris verba promiſſa factis non comprobaret, jus foret, obſi„dem tradit. Unum poſtremo orat, ut timori ſuo concedatur, ne in conſpectum cæſaris venire „cogatur. Cæſar, conſilio habito, conditiones accipit: Henricum Bojorum & Uratislaum Bojemiæ „rectorem ad Ovonem concedere jubet: coram quibus præeunte ſacrificulo Ovo ſacramentum „dicit, pacta jurisjurandi religione. Hiſce confectis cæſar regione recepta, eaque in fidem Al„berto ejusque filio commiſſa, in Sueviam ſe confert.

11. Idem Aventinus paulo poſt pergit: *Interea loci Ovo tanto periculo metuque liberatus, partem quidem regni, quam commemoravi, & ut dixi jam Henrico reddiderat, verum cætera omnia mentitus eſt, captivos pleroſque, at non omnes, reddidit, pactam pecuniam die dicto non ſolvit.* Late deinde perſequitur Aventinus, quemadmodum iterum pertractus Ovonis illa perfidia in Pannoniam Henricus, parva manu ingentem Hungarorum multitudinem ſtraverit, inſigni parta victoria, anno ſalutis MXLIII. quarto nonas julii, qui dies inde feſtus habitus ſit. Quibus deſcriptis addit Aventinus: „Cæſar „ob fœtorem cadaverum triduo diverſo itinere exercitum victorem circumduxit, Albamque regi„am Ungariæ caput, ſedemque regni (quamobrem Teutones Stuelweiſſenburg vocant) cum „victricibus ſignis intrat. Certatim epiſcopi, proceres, cives populusque Ungrorum ad cæſarem „coëunt, ob tam inſignem victoriam gratulantur: Cæſaremque in templum Deiparæ virginis „deducunt, in regio ſolio collocant, regem conſalutant, in verba ejus jurant. Cæſar Ungros „Bojorum jure donat, convocatoque conſilio, Petrum cum popularibus in gratiam redigit, pro„ceres illi ſacramentum dicere, eundem precario regnare jubet, Bojorum Bojemorumque copias „eidem præſidii cauſa permittit. Hiſce peractis in occidentalem Bojariam revertitur, Regino„burgiique ſupplicatione decreta, per omnia urbis templa (quæ complura ſunt) ſacrificia Deo „facit, ſacerdotes, monachi, virgines, populus, frequentes ſalutatum ſuperos ivere.„ Breviter de eadem re Sigebertus Gemblacenſis: *Henricus imperator iterum Hungariam ingreſſus cum paucis Abbonem regem de bello fugavit, & lanceam inſignem regis recepit. Petrum vero quem Abbo expulerat Hungarorum regno reſtituit, & Hungariam ſibi TRIBUTARIAM facit.* Idem fere habet Contractus: eſt autem & hic & ille rei geſtæ pene ſuppar ætate, eoque non eſt, quare audiamus Bonfinium, quaſi in bello illo major Bajoariorum multitudo ceciderit. Etiam ille tamen fatetur victoriam fuiſſe Henrici, tantum diſſimulat Ungariam tributo obnoxiam tunc factam. Sub finem addit: „Dum „victor cæſar ex ingente labore reſpirat, milesque aut corpora aut vulnera curat, Ungaricæ rei„publicæ legati continuo adfuere: vim, prædam, & agri devaſtationem deprecantur. Petrum „regem repetunt, quem Abæ ſcelere exactum indoluere, proinde veniam exorant, & cæſaris „EDICTA ſervaturos pollicentur. Benigno hilarique vultu hos cæſar admiſit omniaque poſtu„lata ultro præſtiturum ſe recepit. Poſt hæc una cum legatis ac exercitu univerſo Albam per„ventum eſt, ubi in æde divæ genitricis Petrum regno ejectum his rite reſtituit, diadema, ſceptrum „cæteraque inſignia reddidit: & regem Ungaris Ungarosque regi reconciliavit. Omnesque „antiſtites & optimates cæſari edicto in regis manus ultro jurarunt, ſe perpetuo ejus imperata „facturos, neque legitima unquam obſequia detrectaturos. Mox rebus compoſitis pacataque „Ungaria, Henricus Ratisbonam ſe recepit, Petrusque Alemannorum auxilio recuperato regno „potitur.

12. Anno MXLV. Petrus rex, quo ferocientem populum in officio contineret, denuo cæſarem Henricum invitavit. *Cæſar*, ait Aventinus, *in Ungariam navigat Albamque regiam petit: ubi honorifice quinquagenalibus excipitur. Ipſo die feſto Petrus regnum cum haſta aurata reddit, faſces regni ad*

PEDES

(a) *Bellorum iſtorum*) GÖBEL. Triplicem in Hungaros eo Petri precibus per tractus ſuſcepit expeditionem, de quibus videndi HERMANN. CONTR. & LAMBERT. SCHAFN. *ad ann.* 1040. 1042. 1043. 1044. URSPERGENSIS *p.* 216.

PEDES cæſaris deponit cum maximo auri pondere, quod militibus ſuis cæſar diſtribuit. Regio inde luxu convivium initur, cœna dubia apponitur. Cæſar armatus, armatiſque ſeptus ob perfidiam inimicorum, epulatur: ſeptem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos accerſiri jubet, quos idoneos ducebat, eorum conſilium habet. Ita more majorum ex conſilii decreto regnum rurſus IN FIDEM Petro tradit, (a) *Ungros ſacramenta redintegrare imperat, eos non alium regem præter Petrum & filium ejus recepturos: cæterum poſt horum fata in POTESTATE cæſarum fore perſancte dejerare, ritu ſolenni ſancire præcepit.* Ita Aventinus. Paulo aliter Bonfinius: *Inſequente poſt reſtitutum Petrum anno Henricus Ungariam reviſit. Quem rex Petrus tam mirifice excepit, ut ab eo regnum, ut revera acciderat, ſe recepiſſe oſtenderet: cum omnibus optimatum magiſtratuumque ordinibus obviam prodiit, diadema cum aurata haſta detulit, moxque munificentiſſime donatum in Germaniam remiſit.* Iterum diſſimulat Bonfinius datam Petro *in fidem ſive feudum Hungariam.* (b) Ex recentioribus quoque Hungariæ ſcriptoribus nonnulli plane id negant: quos inter eſt Petrus a Rewa & reipublicæ Ungaricæ deſcriptor ille in Batavis ab Elzevirio editus pag. 245. Sed cum præter Aventinum optimæ fidei auctores ex ipſo illo ævo, Wippo Contractus & Sigebertus; id narrent, licet, niſi fallor, tuto id credere. Diſerte Contractus in chronico ad annum MXLV. *Petrus rex Henricum regem in feſtivitate pentecoſtes ad ſe invitatum magno paratu ſuſcepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum FIDELITATEM ILLI ET SVCCESSORIBVS EJVS juramento firmantibus reddidit.*

13. Fatemur tamen & nos, non ſatis in ſolido fuiſſe collocatum Hungariæ illud obſequium. Nam Petrus ſequente mox anno a ſuis perfide eſt interemptus, *electo Andrea rege* (c) cæſare in Italia abſente. De illo tamen etiam Andrea Aventinus: „Deinde legatos ad cæſarem in Italiam „proficiſci jubet, qui ipſum muneribus, purpuratos donis placarent, docerentque Petrum dome„ſtica ſeditione interemptum, percuſſores omnes pœnas dediſſe, ſe a popularibus regem ſaluta„tum. Quod ſi cæſar auctor fieret, ſe TRIBVTVM quotannis penſitaturum, reddituru mque „omnes conſpirationis auctores, pollicetur. Se nihil impenſius cupere, quam cum amicitia & „GRATIA cæſaris regnare.„ Cæſare jam in Germaniam reverſo miſſos iterum legatos ab Andrea refert Aventinus. „Eadem, inquit, tempeſtate Andreas Ungrorum rector crebro legatos „ſupplex mittit: primo de nece Petri ſe purgat: deinde ſe invitum coactumque ab Ungaris re„gnum ſuſcepiſſe: eos qui adverſus Petrum conjurarant, partim a ſe trucidatos partim in cuſto„dia, quos traditurus ſit imperatori, ſervari docet. Poſtremo annuum TRIBVTVM pollicetur, „ſe in CLIENTELAM cæſari dicat, ſe ejus beneficio, auctoritate & pace rerum Ungaricarum po„tiatur.„ Etiam hoc in dubium vocat Bonfinius. Sed habet & hoc diſerte Contractus ad annum XLVII. „Andreas, qui regnum Petri obtinuit, jam crebro legatos ſupplices miſerat, regnum ab „Hungaris coactum ſuſcepiſſe confirmans: de Petri ſeſe injuriis excuſans: quique adverſus eum „conſpiraverant, partim a ſe trucidatos partim imperatori tradendos denuncians, ſuamque impe„ratori SVBJECTIONEM, annuum cenſum & devotam SERVITVTEM, ſi regnum ſe habere „permitteret, mandans. Quibus ex cauſis dilata expeditio illa.„ Etiam alia quam multa de Andreæ hujus cum Henrico cæſare negotiis aliter Contractus, & hunc ut videtur quam maxime ſecutus Aventinus & alii Germanici ſcriptores, aliter *longe Bonfinius & cæteri* (d) quidam Hungaricarum partium narrant. Sed nihil attinet illa huc adducere. Non invenio tamen apud noſtros, Andream tributum pendiſſe, aut fidem cæſari juraſſe, perinde ut Petrus fecerat: multo minus id fatentur Hungarici. Fortaſſis tamen hoc voluit innuere Contractus, ad annum MLIX. ſcribens: *Andreas Pannoniæ rex cum prius pacem PACTVMQVE per legatos cum Henrico* (loquitur de Henrico IVto) *rege confirmaſſet, etiam ſororem ejus minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit.* Itaque forte nec Andrea rege Ungaria a promiſſo obſequio reſiliit. At non par ſtatus fuit Bela rege: utpote

(a) *In fidem Petro tradit*) GöBEL. *Petrus rex Henricum regem in feſtivitate pentecoſtes ad ſe invitatum magno paratu ſuſcepit eique regnum Panoniarum principibus Ungarorum fidelitatem illi & ſucceſſoribus ejus juramento firmantibus reddidit, quod tamen ab eo, ipſe dum viveret, poſſidendum recepit. HERMANNVS CONTRACTVS ad ann.* 1045. Eadem fere habet ALBERICVS *ad annum* 1045. Traditio regni, auctore TWROCZIO *P. II. Chron. Ungar. c. 38.* mediante lancea aurea facta eſt. Ceterum nec tributi legem, nec fiduciarium vinculum ſubjectionem proprie dictam inducere probatum ivit GROTIVS *de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 22. 23.* Sed ex verbis HERMANNI CONTRACTI ad an. 1047. Hungaria ſtrictiori nexu Germaniæ, ad minimum Andreæ tempore, devincta fuiſſe videtur.

(b) *Sive feudum Hungariam*) GöBEL. Attamen *decad. II. lib. 2. p.* 192. tradit: Henricum inſigni ab Aba reportata victoria ab Hungariæ legatis ſalutatum eiq; promiſſum, quod Petrum regem recipere, & cæſarum ſervare vellent edicta. Addit deinde: *Poſt hæc una cum legatis ac exercitu univerſo Albam perventum eſt, ubi in ſede divæ Genetricis Petrum regno ejectum bis rite reſtituit. Diadema, ſceptrum ceteraque inſignia reddidit.* Et pagina 194. *Inſequenti poſt reſtitutum Petrum anno Henricus Ungariam reviſit, quem rex Petrus tam mirifice excepit, ut ab eo regnum, ut revera acciderat, ſe recepiſſe oſtenderit, cum omnibus optimatum magiſtratuumque ordinibus obviam prodiit, diadema cum aurea haſta detulit, meque magnificentiſſime donatum in Germaniam remiſit.* Conf. quoque REWA *cent. I. rer. Hungar. p. 4.*

(c) *Electo Andrea rege*) GöBEL. Petrus tyrannide odium ſuorum in ſe concitavit, quo factum, ut Hungari ſe Andreæ & Leventæ fratri deinde ſuam cedenti partem, ex ruſtico reducibus exilio ſub reintroducendi paganiſmi pacto ſubjecerint. Petrus vero ex fuga, quam in Auſtriam moliebatur, retractus, excoecatus brevique mortuus eſt. HERM. CONTR. *ad an.* 1046. BONFINIVS *p.* 195. 196.

(d) *Longe Bonfinius & cæteri*) GöBEL. Cæſarem in bello, quo Andream perſequebatur, adverſa plane, commeatus potiſſimum defectu uſum fortuna, Hungarici ſcriptores tradunt. BONFIN. *dec. 2. lib. 2. p.* 199. 200. TWROCZ *P. II. c. 43.* Ancipiti haud dubie bellum geſtum eſt fortuna, ita, ut dubium ſit, an cæſar pacem dederit, ſi quæ facta eſt, an vero acceperit. Vid. *ſcriptor. Hungar. l. c.* nec non HERMANNVS CONTRACT. *ad ann.* 1035. 1051. OTTO FRISING. *lib. VI. chron. c. 33.*

utpote qui Germanica auxilia adverſum ſe Andreæ miſſa (non tamen ipſum cæſarem ut fabulantur Hungari) aſtu circumventa fame expugnavit.

14. Cæterum *Bela rege* (a) anno LXIII. defuncto nonnihil ad officium Hungaria rediit. Lambertus Schafnaburgenſis ipſa illa ætate ita ſcripſit: „ Bel qui regnum invaſerat Ungariorum „ obiit. Joas (ita appellat quem alii Geizam vocant) filius ejus ſatius putans moderatis opibus in „ pace perfrui, quam immoderatas ambiendo calamitatem atque excidium parere genti ſuæ, „ mandavit regi Henrico, ſi ſibi apud Salomonem filium Andreæ regis, natalibus & meritis ſuis „ condignus honor haberetur, ſubditum ſe ei fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eo „ quam armis, fide quam acie dimicare. Eadem Ungarii omnes aſſidua legatione pollicebantur. Ita rex Henricus Ungariam cum exercitu ingreſſus, Salomonem in ſolium patris reſtituit, „ juncta ei in conjugium ſorore ſua; ablatiſque omnibus, quæ regi ſcrupulum movere, vel re„ gni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias. „ Aliter nonnihil hæc narrat Aventinus. At nec ille nec Schafnaburgenſis nos docet, quibus conditionibus Stephanus in clientelam cæſaris fuerit receptus. Bonfinius vero l. 3. decad. 2. longam fingens orationem, qua Hungarorum mores Henricus cæſar perſtrinxerit, inter alia ita locutum illum narrat: „ Vos pontifices „ ac ſatrapæ, hunc ex more create regem, ac ſolemnibus ceremoniis ſacroſanctum facite. Ego „ vero quem vos juſſeritis eſſe regem, Salomonem, AVGVSTALI AVCTORITATE CONFIR„ MABO. Addit Bonfinius: „ Imperatoris dicta primum a pontificibus & primatibus, deinde ab „ univerſa multitudine approbata. „ Ipſo itaque Bonfinio fatente, Salomon rex cæſarea auctoritate regno præfuit. Idem pag. 244. ſcribit, rebellantes Salomoni Geizam & Ladiſlaum dixiſſe: *Ungaricam gentem a Germanorum ſervitute liberare contendimus.* Quæ verba Germaniæ auctoritatem, quæ tum erat, itidem indicant. Multo maxime vero ita elucet ex querela Salomonis jam regno pulſi, qua uſus eſt apud Henricum IV. cæſarem: quam hiſce verbis l. 4. refert Bonfinius. „ *Eo vehementius,* (b) inquit, apud imperatorem Salomon in querelas exarſit, non tam ſibi quam „ imperatoriæ majeſtati injuriam illatam eſſe, ſubjiciens, quandoquidem ad JVS ROMANI IM„ PERII ſpectare dicebat Ungariam, Ubi cum AVGVSTALI AVCTORITATE regnabat, im„ perata cuncta præſtabantur, ſtatuta vectigalia ſolvebantur, & nil erat, quod cæſareæ ditioni non „ obtemperaret. Nunc poſtquam ipſe regno, quibus minime decuit, ejectus eſſet, legitima „ abnegari obſequia referebat, nihilque cæſareo nomine in Ungaria infeſtius audiri.

15. Lambertus Schafnaburgenſis narrat, Salomonem tunc, *magnam partem regni & ſex muniтiſſimas Ungariæ civitates, ſeque tributarium fore*, ſi regno per cæſarem reſtitueretur, obtuliſſe. „ Hac „ mercede, pergit Lambertus, redemptus cæſar illico miſſis circumquaque nunciis principes in „ expeditionem ſolemni indictione evocavit. Sed alii temporis anguſtias, alii rei familiaris ino„ piam, plærique quod opes ſuæ bello ſolemni nimium attritæ fuiſſent, item alii aliud excuſatio„ nis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipſe tamen, ne tantum reipubli„ cæ commodum caſu oblatum ſua ignavia corrumperetur, gregario tantum ac privato milite con„ tentus, infeſto exercitu ingreſſus eſt Ungariam, & nonnullas ejus regiones hoſtiliter peragravit. Subjungit tandem, peſtilentia & fame compulſum regem, *nullo inſigni facinore perpetrato Ungaria exceſſiſſe.* Contigit autem illa Salomonis expulſio, & hæc Henrici irrita expeditio anno MLXXIV. ut quidem habet Schafnaburgenſis. Sigebertus tamen ad annum ſequentem demum notat: *Hungari CONTRA IMPERATOREM ſuum rebellant, & regem ſuum Salomonem ſub diuturna cuſtodia excruciant.* Utut ſit; brevi fuit hoc novum etiam Ungariæ obſequium: ab anno nimirum MLXIII ad LXXIV. aut LXXV. tantum ſpacio undecim circiter annorum exporrectum. Nec vero pereuntem imperii gloriam principum illa ſocordia & civilibus bellis undique impeditus Henricus cæſar, potuit, quoad vixit, recuperare.

16. *Non poſſumus hoc loco ſilere* (c) inſignem injuriam Hildebrandi ſive Gregorii ſeptimi Papæ: utpote quem, & Salomone illo rege & poſt rege Geiza id operam malis artibus dediſſe, ut Hungariam Germanico imperio ereptam, ſibi & pontificibus Romanis ſubjiceret, ipſæmet illius literæ loquantur. In hæc verba enim ad Salomonem quidem epiſtolam dedit, quæ decima tertia eſt libri ſecundi & a Baronio recitatur ad annum M. num. 20. & annum MLXXIV. n. 81. „ Gregorius ſervus ſervo„ rum Dei Salomoni regi Ungarorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Literæ tuæ ad nos „ tarde propter moram nuncii tui, allatæ ſunt. Quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſ„ cepiſſet, ſi tua in cauſſa conditio non adeo B. Petrum offendiſſet. Nam ſicut â majoribus patriæ tuæ „ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ proprium eſt, à rege Stephano „ olim *beato Petro* (d) cum omni jure & poteſtate ſua oblatum & devote traditum. Propterea Henricus

(a) *Bela rege*) GöBEL. Hic, deturbato fratre Andrea, Hungariæ præfuit. BONFIN. *p.* 203.

(b) *Eo vehementius*) *C. A. M.* Salomoni ſe oppoſuit Geiza; cum eo Salomone concidit auctoritas cæſarum noſtrorum in Hungaria. Erat ibi ſtatus imperii confuſiſſimus, adeo, ut fere neceſſe eſſet aliquando labefactari hanc cæſarum in Ungaria auctoritatem.

(c) *Non poſſumus hoc loco ſilere*) *C. A. M.* Gregorius VI. papa fuit capitalis hoſtis imperii: ex eo tempore imperium ad priſtinas vires redire non potuit. Lectu dignæ ſunt epiſtolæ Gregorii: ibi patebit, quanto cum ſcelere voluerit regibus noſtris imperium eripere. Hodie Romani papæ dicunt, regnum Ungaricum ſibi eſſe ſubjectum, imo dicunt, ipſis olim a regibus donatum, ſed pura puta ſunt mendacia: etſi Hungari ſint ſatis addicti partibus papæ. Ille Gregorius VII. hoc fere, quod ſedi Romanæ ſubjecta eſſent, de omnibus regnis totius terræ adfirmavit, ut hujus hominis impudentiam nemo ſatis poſſit admirari. Quatuor præter propter ſunt ſecula, quibus Ungari noluere papæ concedere, ut dominium in illos haberet.

(d) *Beato Petro*) GöBEL. Errori originem præbuiſſe videtur, quod pontifex diadema Polono Miſiconi fabricatum, ſed ei deinde negatum, Stephano donum miſe-

„ ricus piæ memoriæ imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo rege, & facta „ victoria, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni „ direxit inſignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen „ in cæteris quoque a regia virtute & moribus longe diſcedens, jus & honorem S. Petri (quantum „ ad te) imminuiſti & alienaſti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in beneficium (ſicut audi- „ vimus) ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam b. Petri, aut noſtram benevolentiam „ ſperare debeas, tu ipſe, ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habitu- „ rum, nec ſine apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni, quod tenes, cor- „ recto errore tuo, apoſtolicæ non regiæ majeſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos ti- „ more vel amore, aut aliqua perſonali acceptione (quantum Deo adiuvante poterimus) debitum „ honorem ejus, cujus ſervi ſumus, irrequiſitum relinquimus. Verum ſi hæc emendare, & vitam „ tuam (ut regem decet) inſtituere, & Deo miſerante adornare volueris; procul dubio dilectionem „ ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere „ poteris. Dat. Romæ 5. Kal. Novembr. indict. 13. Alibi Gregorius ad eundem Salomonem ſcribit: No- „ ris de hoc regno, quod cum a barbaris Scythis ac Pannonibus non chriſtianis fuiſſet poſt Conſtantini „ tempora occupatum, ereptumque Romano imperio, cui eccleſia hæres ſucceſſit, fuiſſe a chriſtia- „ nis regibus eccleſiæ Romanæ, cui debebatur, reſtitutum. Quod de *Hiſpania* (a) luce clarius eſt, „ quæ & ipſa a barbaris occupata cum eſſet eccleſiæ reſtituta a regibus eſt. „ Idem Hildebrandus in epiſtola quadam ad Geizam regem: „ Notum vero tibi eſſe credimus, regnum Hungariæ & „ alia nobiliſſima regna in propriæ libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli regi alterius regni ſubjici, niſi „ ſanctæ & univerſali matri eccleſiæ Romanæ: quæ ſubjectos habet non ut ſervos, ſed ut filios: „ Quod quia conſanguineus tuus (Salomon ſcil. rex) a rege Teutonico non a Romano pontifice uſur- „ pative obtinuit, dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit. „ In quadam alia ad eumdem Geizam epiſtola hæc habentur: „ Verum ubi correpto dominio nobili beati Petri „ Apoſtolorum principis, cujus regnum eſſe prudentiam tuam non latet, rex ſubdidit ſe Teutonico „ regi & regale nomen obtinuit, dominus injuriam ſuo illatam principi Petro prævidens, poteſtatem „ regni ſui ad te judicio tranſtulit. Et ita conſanguineus tuus, (rex Salomon ſcil.) quicquid in „ obtinendo regno juris prius habuit, a ſe ſacrilega uſurpatione privavit. Petrus enim a firma „ petra dicitur, quæ portas inferni conſtringit, atque adamantino rigore deſtruit & diſſipat, quic- „ quid obſiſtit.

17. Hæc & ſimilia alia tunc ſcripſit Hildebrandus. Et Geiziæ quidem rebellionem contra legitimum regem ac dominum ſuum ut & imperium Germanicum, ejusmodi epiſtolis fuiſſe confir- matam

rit. Ut autor eſt CHARTVITIVS *in vita St. Stephani* apud SVRIVM *p. 270.* LVDWIGII *differt. de auſpicio regio p. 89.* Quis mortalium ex eo, quod Anaſtaſius imperator Chlodovæum, Chriſto nomen dantem, corona aurea donaverit, colligeret, Francorum regnum in Romani imperii obſequium conceſſiſſe. FLACIVS *de translat. imperii Romani c. 4. p. 38.* Rideantur igitur merito STEVCHVS *de jure pontificis in regnum Hungariæ* aliique Romanæ ſedis aſſeclæ fabulam de pontificio jure in Hungariam propalantes. Adjungenda ſunt, quæ refert TWROCZIVS, regni candidatum a papa Hungaris commendatum reprobatum eſſe, ut eo magis pontifici opinio adimeretur, ac ſi in regnum ſedi pontificiæ aliquod competeret jus.

(a) *Hiſpania*) *C. A. E.* Quod Gregorius VII. papa de Hiſpania inquit, illud a vero itidem eſſe alienum, patet ex hiſce verbis ipſiusmet IOANNIS MARIANÆ, hominis Romanæ ſedi deditiſſimi, quæ habentur *l. 9. de rebus Hiſpaniæ cap. 5. Romani pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem reddere cogitarunt: uti argumento ſunt literæ Gregorii ſeptimi ad reges, comites, cæterosque principes Hiſpaniæ, id confirmantes antiquis temporibus obſervatum, prinsquam a Mauris Hiſpania eſſet everſa. Verum iis conatibus nihil eſſe profectum, ac vero pari animorum conſtantia itum obviam, rerum eventus declarat, retenta ſemper a noſtris immunitate.* Hæc ipſe MARIANA, Qui & c. 8. narrat, eundem Gregorium papam ſcripſiſſe de Ramiro rege, *quod regnum ſeque & liberos Romanis pontificibus obnoxios vectigalesque fore, lege in æternum lata voluerit & ſanxerit.* Pari autem fide ſcripſit hoc Gregorius papa atque illud de Stephano Ungariæ rege, quod modo audivimus. Qualia tamen mere commentitia in epiſtolis papæ illius de aliis quoque tantum non omnibus mundi regnis legere eſt

p|ima.

GöBEL. Vid. SCHWEDERI *theatrum prætenſ. p. 335. ſeqq. Päbſtl. Unfug wider die krohn Preuſſen, p. 66. ſeqq.* Gregorii VII. epiſtola ad Hiſpaniæ reges & proceres data iniquam ejus in illud regnum proponit prætenſionem. Literas ex Steucho MARCELLVS *de jure ſecul. Romani pontificis c. 31.* recenſet. Arragoniæ potiſſimum & Navarræ inhiat ſacra fames, atque jubente aut permittente papa, has gentes reges habere cœpiſſe, vociferantur CHERVBIMVS *tom. I. bullarii p. 56.* BARON. *tom. XIII. annal. ad annum 1200. n. 12.* Sed ineptiæ ſunt. Dona eleemoſynarum, vel, ut ſtylo Romanæ curiæ forte convenientius loquar, ſacra & pia ſubſidia, eccleſiæ Romanæ ſubminiſtrata, in ſignum agniti dominii, quod affectat, interpretari, nefas eſt. Notum enim, cenſum nihil pleno demere dominio cenſusque ejusmodi plerumque renitentibus ordinibus, ſunt promiſſi. Nec ſuſcepti diadematis ſignificatio, & pontificiæ benedictionis expetitio aut ſumtum ex papæ manibus diadema ullum jus in regna pontifici parere potuerunt. HIERONYMVS BLANCA *in commentar. de rebus Arragon. p. 615. Hiſp. ill. tom. 3.* ZVRITA *in annal. Arragon. ad annum 1255.* reges Arragoniam jam diu ante vaticanas illas chartas, quarum fides ſit penes autorem, habuiſſe teſtatur. Quod autem ad Navarram attinet, ipſe RAYNALDVS *ad ann. 1257.* fatetur, longo tempore ante ejus comitem regio quoque uſum titulo. Imo apparet, cenſum illum, u precarium quid, aut etiam invalidum habitum fuiſſe. Igitur Henricus rex maluit ſolennitate pontificiæ coronationis carere, quam id tributi papæ ut coronationis conditionem ſtipulanti, præſtare. Notari merentur *ex indicib. rer. ad Arrag. reg. geſt. tom 3. Hiſp. illuſt. p. 109.* ſequentia: *Rege a ſummo pontifice expoſcente, uti corona regia inſignibus ejus manu decoretur, id rennuit: niſi tributa a patre indicta denuo eccleſiæ ſanciantur: & quæ perſolui in ſingulos annos deſita erant, pendantur. At rex, cum potius glorioſam mercedem a ſummo pontifice pro tantis rebus geſtis, & tam inſigni decore chriſtianæ reipublicæ parto expetendam, quam regni majeſtatem, & immunitatem ſe auctore minui æquum cenſeret: ab ea re deſtitit; & Mompellerium regreditur.*

matam, & imperii jura Hungarorum animis contra pacta jurata exempta, prudens quiſque facile intelligit. Eandem rebellionem forte haud ſine cauſſa dixeris, ſtatim initio illis epiſtolis ſi non motam ſaltim promotam. Nam prior utique illa ad Salomonem epiſtola ſcripta eſt anno LXXIII. (ut recte notavit Baronius ad annum 1000, non vero LXXIV. ut ſui oblitus ſcribit alibi) qui proxime Geizæ rebellionem anteceſſit. Quid enim ad motus excitandos eſſe potuit promptius, quam ubi fuit perſuaſum populo ab ipſo ſummo Pontifice, Deo inviſam & injuſtam eſſe beneficiariam illam clientelam, qua tum Salomon rex cæſari erat devinctus? Quid ad negandum imperio obſequium efficacius?

18. Haud difficile tamen videre eſt, quàm inique iſthæc tum Hildebrandus excitaverit. Etenim ſi in omnia accurate inquiras, videas Gregorium nunc hoc nunc illud prætendere ſuo pontificio in Hungariam juri ſtabiliendo, & inconſtanter admodum: modo ſcil. hereditarium jus eccleſiæ Romanæ in omnia veteris imperii Romani; modo donationem Stephani & Henrici III. cæſaris confeſſionem, modo *regnorum omnium* (a) *αὐτοκρατορίαν.* Quàm ineptum vero eſt illud, regnum omne ſui arbitrii eſſe debere & ſubjectum nulli niſi Romanæ eccleſiæ? Cui hoc *παράδοξον* vel auditum unquam fuit, tantum abeſt, ut cui unquam fuerit perſuaſum. Hereditarium illud jus porro nititur utique ſola Conſtantini magni donatione: quam turpiter fictam eſſe jamdudum innotuit, & Baronius ipſemet jam agnovit. A Stephano rege præterea ejusmodi donationem aliquam factam S. Petro, nusquam alibi legas: ne quidem in ſacra regis illius hiſtoria: etſi benedictionem & coronam regiam Roma ſibi impertiri, pro more ſeculi illius, voluerit. Qui vitam ejus deſcripſit Gertvitus ita loquitur: „Erat rex fidelis & integer in omnibus factis ſuis, DEO toto pectore deditus & addictus: ſeipſum quoque & regnum ſuum per votum & oblationem in perpetuæ virginis Mariæ tutelam aſſiduis precibus contulit. Cujus ſacratiſſimæ virginis honor & gloria tam eſt celebris apud Hungaros, ut feſtum aſſumptionis ejus, tacito proprio nomine, ſua lingua, diem dominæ appellent. Atque ut rex piiſſimus propenſiorem tantæ virginis defenſionem & patrocinium poſſet promereri, in ipſa regiæ ſedis civitate, quam Albam vocant, in ejusdem perpetuæ virginis laudem & honorem grandem & inſignem atque inprimis celebrem baſilicam condidit, opere ſane mirifico cælatis chori parietibus, & pavimento marmore ſtrato.„ S. Virgini itaque, devotam a Stephano rege Hungariam dixeris forte: Petro apoſtolo non item. Et vero in alicujus ſingularis erga Deiparam cultus memoriam, ab antiquiſſimis temporibus non S. Petri ſed virginis imagine ſignat numeros ſuos Hungaria, addita hac inſcriptione: *Patrona Hungariæ.* Henricum III. cæſarem Ovone devicto *lanceam ejus & coronam:* (b) pio affectu Romam miſiſſe non negaverim: at illum judicaſſe Hungariæ regnum papis deberi, hoc profecto omni illi repugnat, quod jam oſtendimus de Hungaria a cæſare iſto in provinciam redacta. Commenta hæc ſunt hominis, qui hoc ſolum ſibi negotii credebat datum, ut imperium Germanorum everteret, ſibi autem ſuisque poſteris ſucceſſoribus dominatum aliquem divinum in omnem mundum compararet: qualia proinde de omnibus pene regnis finxit plurima ſine rubore.

19. Num Geiza illam de Stephano fabulam perſuaſerit Hildebrandus, neſcio. Bodinus l. 1. de rebell. cap. 9. n. 114. ita ſcribit: „In actis Vaticanis exſtat interceſſio principum Hungariæ adverſus pontificis Romani legatum anno MCCCIIX, cui *cum diceret,* (c) Stephanum I. Hungariæ regem a pontifice Romano coronam regiam accepiſſe, acerrime reſtiterunt, neque id Romano pontifici jus eſſe denunciarunt. Sed noſtra nihil refert, quid Hungari poſt admiſerint, nec ne. Satis eſt oſtendiſſe, citra papæ injuriam potuiſſe & illos in obſequium imperii venire & cæſares noſtros Hungaris imperare.

20. COETERUM poſt Salomonis illa tempora, non temere obſerves indicium aliquod ſuperſtitis in Hungaros imperii, fractis jam nimium reipubl. noſtræ viribus. De Henrico V. cæſare tanquam memorabile narrat Otto l. 7. chron. c. 13. „Eo tempore Calomannus Ungarorum rex fratrem ſuum Almum, de conſortio regni ſuſpectum habens, perſequitur. Qui profugus ad regem Henricum veniens injuriamque ſuam deplorans, auxilium ejus impetrat. Itaque condicta rex expeditione, Ungaros bello petit, ſed caſtrum, quod Poſonium dicitur, inconſulte occupans, parum proficere potuit, ſicque infecto negocio ad propria rediit.„ Idem cap. 14. de Lothario Saxone: *Ungarorum rege timore perculſo multa & magnifica munera ſuſcepit.* De Friderico I. ita ſcribit idem Otto Friſingenſis l. 2. de geſtis Friderici c. 6. „Ibi etiam princeps, eo quod omnibus in proprii imperii finibus ad ejus voluntatem compoſitis, virtutem eam, quam intus gerebat, extra ferre diſponeret, Hungaris bellum indicere ipſosque *ad monarchiæ apicem* (d) reducere volebat. Sed

(a) *Regnorum omnium*) GÖBEL. Falſam hanc Romanæ ſedis aſſertionem jam dudum viri celebres MOLINÆUS, RICHERIUS, HOTTOMAN, LAUNOIUS. PETRUS de MARCA, BARCLAII pater & filius, & qui primo merito loco nominandus fuiſſet, MARC. ANTONIUS de DONINIS oſtenderunt. Φλυαρίαι ſunt, quæ BELLARMINUS & BECANUS pro papa urgent. Vide *Päbſtl. Unfug wider die Cron Preuſſen p. 16. ſeqq.*

(b) *Lanceam ejus & coronam*) GÖBEL. Olim jam tum receptum, hoſti detracta aut ab eo exhibita ſpolia Numini conſecrare & in manus ſummi ejus deponere ſacerdotis. Unde mos in templis trophæa ſuſpendendi profluxit.

(c) *Cum diceret*) *C. A. M.* Hic imperator perpetuo cum pontificiis bellum gerere debuit. Qui legit hiſtoriam illius ævi, non poteſt ſatis mirari ſcelera pontificum.

(d) *Ad monarchiæ apicem*) *C. A. M.* Ad imperium noſtrum. Limites enim regni Ungarici & Germanici fuere, quæ ſunt hodie, ut apparet ex verbis OTTONIS FRISING. *l. 2. de geſtis Friderici c. 21.* Hujus nepos Fridericus tempore Friderici II. ex ultima Scythia magna Tartarorum copia totam Aſiam & magnam Europæ partem vaſtabat. Antea nomen eorum non erat auditum, quoniam ex remotiſſimis terris pervenerunt, & infeſtarunt Aſiam & Europam, Poloniam, Ungariam, imo ipſam Sileſiam adorti ſunt. Sed in Sileſia magna pars eorum cæſa eſt & Cherſoneſum,

Sed cum aſſenſum ſuper hoc principum, quibusdam de cauſis latentibus, habere non poſſet, ad effectum tunc producere ea, quæ volvebat mente, non valens, ad opportuniora diſtulit. Poſt Fridericum hunc in Hungariam, imperii quidem Germanici nomini, nihil eſt *tentatum.* (a)

21. Ut proinde, quicquid fuit juris, id jam dudum tot ſeculorum decurſu petierit. Quod ipſum non ſemel etiam ultro profeſſi pridem ſunt, idque in publicis comitiis, imperii Germanici ordines. Exſtat ejusmodi confeſſio in conſtitutionibus imperii, quæ anno MDLXVI. Auguſtæ in comitiis fuerunt promulgatæ. Ubi Maximilianus Cæſar ita loquitur: *Uber voriges haben* (b) *uns Churfürſten, Fürſten und Stande, in ihrer bedencklichen anzeigen, unter andern auch fürbracht und anlangens gethan. Dieweil ſie nun etliche mal mehrgedachtem unſerm geliebten Herren und Vater Käyſer* Ferdinando *hœchſtlœblicher Gedachtnis ihre mitleidentliche Hülfe, zu Rettung des Kœnigreichs Hungarn, gutwillig erzeigt, und ſich mit anſehnlichen* contributionen *des gemeinen Pfennigs, und anderer Reichshülſen beladen, an Geld und Leuten getreulich zugeſetzet, auch jetzund uns zu allem unterthanigſten Gehorſam, in eine mercklich anſehnlich hohe Reichshülfe, abermals gedachtem Land fürnemlich zu gutem einlaſſen, da doch ſolche Landſchaft dem heiligen Reich teutſcher* nation, *in nichts nicht verwand, oder zugethan &c.* Non negavit hoc Cæſar, tantum cenſuit, non iniquum videri, ut aliquando Hungaria in ſignum gratitudinis propius cum imperio coëat in unum corpus. *Daß es nicht unziemlich und unbillich, daß zu einer Danckbarkeit gemelt Land zu Hungern, da es durch Gœtliche milde Gnade, von dem Feind errettet, in etwas Aufnehmen gedeihe und zu Kraften keme, es dem heiligen Reich auch zugewandt verbunden und zugethan, auch gegen andern Feinden, wo ſichs zutrüge, und als Rœmiſcher Käyſer, Churfürſten, Fürſten und Standen, behülſlich beyſtandig ſeyn, auch gleichfals mit in gemeine Reichs-* contributionen *eingezogen werden ſolte.*

22. VERUM de brevi illo Hungariæ obſequio forte juſto prolixius jam diſſeruimus. De cultu, quo imperium & CYPRI & ARMENIÆ reges aliquando ſunt proſecuti, quum ille momentaneus fuerit, erimus eo ſtrictiores. *Igitur quo tempore* (c) expeditionem ſacram in Palæſtinam inſtituebat Henricus VI. imperator, quaſi in clientelam Occidentalis imperii ſe dedidit rex CYPRI, coronam à Cæſare noſtro imponi ſibi expetens. Eam rem ita narrat Arnoldus Lybecenſis l. 5. cap.

quæ *Taurica* dicitur, occuparunt, ubi adhuc hodie degunt. Usque ad mare tartaricum fere totus orbis trepidavit. Ex Hungaria vero eos pepulit Fridericus. GöBEL. Latius tamen habitant, & varios unius gentis conſtituunt populos. Crudelisſime omnia, quæ irruptionibus ſuis Tartari attigerunt, habuiſſe & plures ab eis inprimis in Sileſia chriſtianos paſſos eſſe clades, quamplurimi teſtantur autores. Sufficiat nobis nominaſſe *Guilielmum Nangium ad ann. 1241. IOANNEM de THWORCZ part. 2. chron. Hung. c. LXXIV. DUGLOSSUM hiſtor. Polon. lib. 6. p. 612. 613. 640. 670. 691. HANCKIUM de rebus Siles. CROMERUM p. 315. 141. 209.* & alibi paſſim.

(a) *Tentatum.*) C. A. E. Teſtatur tamen ARNOLDVS LVBECENSIS coævus ſcriptor *l. 7. cap. 18.* Ottonem quartum imperatorem Hagenocenſi conventu ſoluto, dum in Saxoniam tenderet, Aldenburgum, imperiale tunc temporis ad Pleiſſam oppidum, divertiſſe, „ ubi, ait, convenere Miſnenſes & Ciſnenſes, Poloni quoque Böemi, & „ VNGARI, ibique multis negotiis determinatis, & pa„ ce jurata, quæ in omnibus curiis præcedentibus firma„ ta erat „ Cæſarem in patriam rediiſſe. Verum illi conventui Hungaros, ut imperii ordines, interfuiſſe, hinc non poteſt tuto colligi. Maioris momenti eſt, quod de Friderico II. imperatore refert MATTHÆVS PARISIENSIS, ſcriptor Anglicanus celebris & *σύγχρονος*: nempe „ anno 1248. pulſis Tartaris Vngariam ab imperatore illo „ factam iterum feudi vinculo obnoxiam. „ Non poſſumus non ipſa hujus verba ex hiſtoria Henrici III. Angliæ regis repetita in medium heic adferre. „ Per eosdem „ dies rex Hungariæ expu[illegible] de regno ſuo per Tartaros, „ ad alas protectionis in[illegible]alis convolavit, ab eodem in „ tali articulo conſilium [illegible]cax & auxilium contra com„ munes hoſtes petiturus. Habito igitur diuturno & ſe„ cretiſſimo conſilio, procuratum eſt, Quod dominus „ imperator ab irruptione hoſtili & barbarica potenter re„ gnum Hungariæ liberaret, ut ſcilicet dictus rex re„ gnum illud liberatum & pacificatum, ab ipſo imperato„ re, & deinceps ab imperio teneret, quaſi a domino „ capitali. Miſſo igitur innumerabili exercitu, impera„ tor regnum memoratum, non ſine magnis ſumtibus & „ periculis ab inhumanis tartaris liberavit, & eosdem „ procul a finibus regni potenter & prudenter eliminavit. „ Fuerunt, qui dicerent, quod machinante imperiali aſtu„ tia illuc pervenerunt ipſi deteſtandi Tartari, domina„ tui imperatoris attendentes & obligati; hæc omnia fa„ cientes, ut imperator regem & regnum taliter poteſta„ ti ſuæ ſubjugaret. Sed hæc lividorum ſuſurra fuit, nec „ credi debet oblocutio hæc. Igitur liberato regno Hun„ gariæ & regi pacifice reſtituto, ſubjecta facta eſt Hun„ garia imperio & obligata in trecentis militibus, & eorum „ ſequela, imperatori in confiniis pugnaturo fideliter ex„ hibendis. „ Hactenus MATHÆVS ille. Etſi vero hæc narratio non temere ſit rejicienda, quoniam auctor ille & tum temporis vixit, & valuit quoque eximia cum induſtria, tum veri ſtudio; non tamen, fateor, auſim ſecure omnia credere, quoniam deſunt forte Germanicorum ſcriptorum idem narrantia teſtimonia, (mihi ſane hactenus nulla ſunt viſa,) imo quæ a noſtris de Friderici illius imperatoris rebus referuntur, multum ab his diſſentiunt. Merentur legi, quæ in unum congeſta habentur pag. 153. oratione de Friderico II. cæſare, in NICOLAI CISNERI orationum volumine. GöBEL. Conſtat Fridericum ſecundum de Tartaris reprimendis admodum fuiſſe ſolicitum, non tamen ſpe deſtitutum, fore, ut furori eorum obicem ponere poſſet. Niſi dixeris, imperatorem imminens periculum callide diſſimulare noviſſe, & quo magis animi ſenſa tegeret, Tartarorum regi officium aliquod imperii & terram fiduciariam ambienti, per ludibrium falconarii munus obtuliſſe ALBERICVS *P. II. p. 567. tom. II. acceſſ. Hiſt. Leibnitii.* Quomodocunque autem hoc ſeſe habeat, de Friderici propoſito, Tartaros bello perſequendi, epiſtolæ ejus apud PETRVM DE VINEIS *n. XI. XXIX. XXX.* teſtantur, merito itaque fabulis annumerandum, quod ille ſedibus ſuis exciverit Tartaros.

(b) *Uber voriges haben*) C. A. M. Hiſtoriæ veteres ignorantur, pauci tractant eas: quoties bellum in Hungaria recanduit, factum id eſt viribus Germanorum: Sed Ungari ſemper recuſarunt imperii noſtri conſortium. Voluere quidem a noſtris defendi, ſed non uniri cum noſtro imperio. GöBEL. Hungaria ex ſucceſſoriis pactis, potiſſimum vero matrimonio Ferdinandi cum *Anna Ludovici*, Hungariæ & Bohemiæ regis, in prælio ad *Mohazum* extincti, ſorore, hodie jure hæreditario & independenti Auſtriacæ domui ſubeſt.

(c) *Igitur quo tempore.*) C. A. M. Henricus VI. nactus eſt imperium Neapolitanum & factus eſt rex potentiſſimus, adeo ut ſuſceperit expeditionem in Armeniam. Eo vero tempore perexigua erat Cplitanorum auctoritas & poteſtas. Imo ille ipſe dux, qui præerat Cypro, malebat ſub Henrico VI. eſſe, quam ſub imperatore Cptano. Poſt Henricum VI. vero concidit hæc auctoritas Cæſarum in Cypro.

cap. 2. „Circa feſtum B. Ægidii de Maſſana civitate profecti ad portum Accon in feſto B. Mauri„cii, cum ſumma tranquillitate & ſalute integroque navium numero applicuerunt. Cancellarius „tamen Cæſaris Conradus cum comite Adolpho aliiſque amicis apud Cyprum adlittavit, regem „ejusdem inſulæ coronaturus diademate à domino imperatore tranſmiſſo. Sane idem rex ſub di„tione Conſtantinopolitani imperatoris prius ſubſiſtens, ad majorem glorioſiſſimo Romanorum „Auguſto coronari deſiderantiſſimè expetiit. Illuc itaque glorioſe veniens glorioſius excipi„tur, lautiſſime detinetur, expletisque inſtantis negotii rebus exquiſitiſſimis ditatus muneribus, „omnibusque ſuis, prout cujuſque exigebat magnificentia, repedatu navibus Accon proſpere *veli-ficabat.* (a)

23. Eadem expeditione & *ARMENIÆ* (b) rex in clientelam imperii pari ratione conceſſit. Narrat etiam hoc idem Arnoldus cap. 5. idque factum refert, jam increbreſcente fama de morte Cæſaris, eoque plæriſque jam domum redeuntibus. *Remanſit*, inquit, „Dominus Moguntinus „& dominus Verdenſis & quidam de nobilioribus cum populo Dei miſericordiam ipſius & con„ſolationem expectantes. Moguntinus tamen tunc aberat, in Armenia conſtitutus pro coronan„do rege ejuſdem terræ, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus fuerat, qui, ut dictum „eſt, in Cypro ſimilia perpetraverat. Sed cum eſſet apud Baruth, viſum eſt principibus, ut rema„nente cancellario Moguntinus vicem ejus ſuppleret, & ipſum regem diademate impoſito ad ti„tulum Romani imperii coronaret: ipſe enim rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis „populi Dei, & quia dominus ad ipſorum introitum omnes inimicos eorum terruiſſet, & quia „glorioſe multa loca munita obtinuiſſent, miſſis nunciis honoratis cum muneribus non paucis, „ipſos principes devote ſalutavit, & quanto deſiderio ipſorum adventum expectaverit, per ſcri„pta ſimul & verba ampliſſima intimavit: paratiſſimum ſe dicens Romano ſubdi imperio, ſi coro„nam diu deſideratam ab ipſius mereretur ſuſcipere nuncio. Glorietur eccleſia Romana, quæ „non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam favente Chriſto dilatatur in temporalibus, ut etiam reges „tranſmarini hoc titulo affectent inſigniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus „diminutionem quam Romam orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur, ut diximus, glo„rioſe expleto hoc negotio, ipſum regem Armeniæ & principem Antiochiæ, ad pacis concor„diam reformavit, quorum diſſenſione non modicum eccleſia Dei in partibus illis turbata *fuerat.* (c)

24. Hæc ita tunc geſta. Num & poſt repetita per occaſionem, aut alia obſequii edita ſint indicia, ignoro. Nec fortaſſis refert, ſcire illa aut ignorare.

Caput XVIII.

Poloniam ab Ottonis Magni ævo ad Friderici II. tempora, pene ſemper, & ſubjectam & tributariam fuiſſe imperio Germanico.

I.

Gentem *Polonorum*, (d) quorum erga imperium diuturnam ſatis reverentiam nunc dicturi ſumus, jam illo ſuo nomine cognitam, videor mihi obſervare primo omnium apud Jornandem l. de rebus Gothicis c. 4. ubi ille ſcribit: Gothos trajecto Viſtula amne ex Germania in Scythiæ terras perveniſſe, *quæ lingua eorum Ojum vocabantur*, & illico ad gentem SPALORUM profectos, conſerto prælio victoriam adeptos, ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina eſt, properaſſe. Habitaverant ſcil. hactenus Gothi littora maris Balthici, inter Oderam fere & Viſtulam. Circa Thorunium igitur præter propter trajecto Viſtula pervenere in Maſoviam: quæ omnis terra frequentia admodum nomina in Oju aut Ou terminantia habet. Inde Poli aut Spali Gothis occur-

(a) *Velificabat.*) C. A. E. WILLEBRANDUS ab OLDENBORCH, canonicus Hildeshemenſis, qui anno Chriſti 1211. imperatore Ottone IV. Palæſtinam cœpit luſtrare, in itinerario ſuo, quod reperitur inter LEONIS ALLATII ΣΥΜΜΙΚΤΑ, pag. 144. agens de rege Cypri, ita loquitur: „Et notate, quia imperator Henricus (VI.) do„minum hujus terræ primum regem conſtituit, & per „manus Conradi cancellarii coronavit: hinc eſt, quod rex „hujus terræ Romano imperatori, domino ſuo, tenetur „ex fidelitate.

(b) *ARMENIÆ.*) C. A. M. Non adeo pridem LEO ALLATIUS homo græcus vivens in Italia, ſub tit. *opuſculorum miſcellaneorum*, edi curavit *itinerarium comitis Oldenb. ibi p. 134.* teſtatur, regem illum non fuiſſe Armeniæ ſed Hennenitorum, qui maxime differunt.

(c) *Fuerat.*) C. A. E. Willebrandus ab Oldenborch pap. 134. itinerarii ſcribit: „Inde procedentes intravimus Horme„niam. Et ſciendum, quod dominus terræ illius Leo de „montanis conſueverat appellari: Quem noſtris diebus „Henricus, glorioſus Romanorum imperator, qui ſem„per rempublicam & Romanum imperium augere labo„ravit, regem conſtituit & coronavit, unde poſtmodum „rex Hormeniæ eſt appellatus, & deinceps terram ſuam „a Romano imperio recipere conſuevit. Cujus nepotem „Otto (IV.) imperator, ad petitionem Leonis ſenioris „regis coronavit.„ Vult vero ille ſcriptor *Hormenios* hoſce diverſos eſſe ab Armenis, ab illis tamen ortos ſedes iſthic poſuiſſe, Græcis pulſis. GöBEL. Cumque non ſit, quare ARNOLDI LUBECENSIS teſtimonium in dubium vocare velimus, merito, quæ pro pontificis hic ſtabilienda auctoritate a Baronio & PAYNALDO adducuntur diplomata, aut ſubleſtæ fidei, aut papalis audaciæ nova ſunt indicia. Poloniam ab Ottonis magni ævo ad Friderici II. tempora pene ſemper, & ſubjectam & tributariam fuiſſe imperio Germanico.

(d) *Polonorum.*) C. A. M. Polonorum nomen apud ſcriptores antiquos non occurrit, ſed reperitur demum apud JORNANDEM epiſcopum Ravenatenſem, qui tempore Juſtiniani hiſtoriam Gothorum ſcripſit. Tradit cap. 4. quædam de Polonia adeoque in meliorum defectum liber eſt non adeo inutilis. Ferunt autem Poloni originem ſui ad Venedos, cujus ampliſſimæ gentis nomine comprehenſi olim Poloni, Bohemi omnesque populi, qui in Germaniam migrarunt, inter Salam, Albim & mare Balthicum. GöBEL. Dubium eſt, quonam tempore hæc Sarmatarum gens Polonorum nomine venire cœperit. Fateor, mihi id nominis in JORNANDE non occurriſſe. Forte auctori noſtro Polonorum vox in Spalorum vocabulum apud dictum auctorem cap. 4. corruptum videtur: Unde nomen derivandum *Comment.* KADLUBKONIS p. 596. traditum Slavicæ origini Polonos vindicat CROMERUS *L. 1. cap. 12.*

currerunt hodieque ex parte occurrunt. Quibus emenſis ad Ponticum mare jam facilius deſcenditur.

2. CÆTERVM huic conjecturæ meæ pro ſe quisque addat ſive demat fidem. Inſtituti noſtri eſt, duntaxat videre, quid in gentem illam juris imperium aut habuerit olim aut habeat hodieque. Qua in re multum profecto intererit, noſtra an Polonica monumenta ſequaris: usque adeo à ſe invicem diſſident. Noſtris tamen, iis præſertim, quæ rei geſtæ ævo ſunt ſcripta, ab hominibus piis & fidei alias haud ſuſpectæ, niſi vehementer fallor, præ Polonicis fidendum potius. *Utpote quum Polonica omnia* (a) recentia admodum ſint, ceu Poloni ipſi fatentur, & excuſſo jam Germaniæ obſequio ſcripta, cum puderet vel memoriam priſtini ſtatus ſupereſſe: noſtra ex adverſo, præterquam quod antiquitate veneranda ſunt, aliorum quoque teſtimoniis corroborentur.

3. Prima cum Polonis bella Ottonis magni Cæſaris auſpiciis memorantur geſta. Quo tempore ſola Sileſia, Polonia major minorque & Maſovia fortaſſis rempublicam gentis conſtituerunt, præerat certe rector Miſico. Dithmarus, quem Mersburgenſem conſtat epiſcopum nobili genere natum & inſigni probitate fuiſſe Henrico II. Cæſare, ita loquitur l. 2. p. 28. *Gero Orientalium Marchio*, (b) *Luſitzi & Selpali*, (c) *MISICONEM quoque cum ſibi ſubjectis IMPERIALI SVBDIDIT DITIONI.* Miſiconem hunc *Miceslai nomine* (d) etiam Polonorum annales celebrant, reliqua pene omnia cum noſtris conſentientes, niſi quod hanc gentis ſuæ ſubjectionem diſſimulent. At tributarium illum fuiſſe, diſerte idem prodit Dithmarus pag. 22. *Udo Marchio Miſiconem IMPERATORI FIDELEM, tributumque usque Vurta fluvium ſolventem, exercitu petivit collecto.* (e) Hæc niſi fallor ita accipienda ſunt: *tributariam* (f) tum fuiſſe omnem Miſiconis regionem ad Wartam usque à Bohemiæ & Luſatiæ finibus. Idem Dithmarus l. 4. teſtatur, Ottone II. mortuo, cum Henricus Bavarus imperium ambiret, advolaſſe inter alios & Miſiconem. *Huc Miſico, & Miſtui* Obotritus, *& Boliſlaus* Bohemus, *duces cum cæteris ineffabilibus confluebant, auxilium ſibi deinceps ut REGI & DOMINO cum juramentis affirmantes.* Ipſomet rerum potiente Ottone III. huic ſeſe Miſico dedidit. Dithmarus lib. cit. pag. 36. *In diebus illis Miſico ſemet ipſum regi dedit, & cum muneribus aliis camelum præſentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* (g) Hoc illud, quod Lambertus notat ad annum DCCCLXXXVI. *Otto rex puer Miſchonem cum muneribus obvium ſuſcepit.* Quam reverenter idem Miſico ipſos Germanicos Marchiones habuerit, liquet ex hisce verbis ejusdem Dithmari ex lib. 5. pag. 54. *Vivente egregio Udone marchione, pater iſtius Bolislai Miſico, domum, in qua eum eſſe ſciebat, intrare, vel eo aſſurgente nunquam præſumpſit ſedere.* Hic eſt ille, quem Witikindus amicum & fidelem Ottonis Magni Cæſaris laudat: defunctus *anno CMXCII. regni tertii Ottonis octavo*, ut quidem diſerte refert Dithmarus l. 4. p. 46. ubi multa alia de illo narrat. Polonorum annuales mortem ejus referunt in CMXCIX annum.

4. Non in alias leges initio quidem patri ſucceſſit haud dubie Bolislaus; quem Poloni Chrobri cognominant. Cæſarum in Poloniam quod tum erat jus, loquitur, inſtitutus ab Ottone III. (qui anno CMXCIX. religionis ergo ſepulchrum *S. Adalberti* (h) martyris miraculis clarum viſitaturus,

(a) *Utpote cum Polonica omnia,*) C. A. M. Sunt enim eorum ſcripta omnia recentia, quod ipſi fatentur, & quæ niſi intra hos 200. annos primum nata. Optimus eſt MARTIN. CROMERVS, qui deſinit in Stephano rege. Recentiſſimam autem hiſtoriam ſuppeditabit PAVLVS PIASECIVS ſenator Polonus. GöBEL. Scriptorum Polonicorum notitia affatim hauriri poteſt ex SAMVELIS JOACHIMI HOPPII ſchediaſmate, Addit. GRODEKII & SCHLIEFFII auctiore, DVGLOSSIO præmiſſo, & celeberrimi KRAVSII *præfatione* Tomum II. ſcript. Polon. exornante.

(b) *Orientalium Marchio.*) C. A. M. Brandenburgenſis. Fuerunt autem omnes epiſcopatus Poloniæ in diœceſi Magdeburgenſi, qui archiepiſcopatus fuit ſuper omnes epiſcopos. Dicit enim DITHMARVS Lib. 4. Poſnavicenſem epiſcopatum etiam ſubjectum archiepiſcopo Magdeburgenſi. GöBEL. De Gerone, Slavorum marchione, viro fortiſſimo vid. WITIKIND *lib. 3. annal. pag. 655.* DITMAR *lib. 6. p. 389.* ALBERIC. *in chron. ad ann. 945.* Gernrodenſe monumentum cum belli ducibus, non illa dignitate, qua imperii duces gaudent, præfulgentibus annumerat.

(c) *Selpali.*) C. A. E. An hoc nomine Sileſii veniant, aliis diſpiciendum committo. Cæterum Ottonis magni auſpiciis ſaltim ex parte ita tunc fuiſſe domitam Poloniam, ut Poſnanienſis epiſcopatus fuerit conſtitutus, liquet ex iis, quæ idem DITHMARVS narrat de archiepiſcopatus Magdeburgenſis prima fundatione *pag. 20.* nempe quod primo archiepiſcopo Adelberto præter alios fecerit Otto imperator ſubiici Jordanum epiſcopum Poſnanienſem.

(d) *Miceslai nomine.*) GöBEL. DVGLOSSVS *lib. 1. p. 90.* CROMERVS *lib. 3. p. 33.* HERBERTVS de FVLSTIN *p. 17. lib. 2. Florus Polonicus* PASTORII AB HIRTENBERG *pag. 24.* Vocatus haud dubie in vernacula gentis lingua MIESZKO KADLVBKONIS *hiſtor. Polonia lib. 2. p. 641.*

(e) *Collecto.*) C. A. E. Illud bellum propria auctoritate fuit geſtum ab Udone contra Miſiconem tunc imperio tributarium & ſatis fidelem. Manifeſtum hoc eſt ex iis, quæ Dithmarus ſubjungit. *Ad cujus*, (Udonis ſcilicet) „ auxilium pater meus comes Sigefridus, tunc juvenis, venit „ ſolum cum ſuis, & in die S. Johannis baptiſtæ adverſus „ eum pugnantes, primoque vincentes, a fratre ejusdem „ Cidebuto, exceptis tantum comitibus præfatis, omnes „ optimi milites, oppetierunt in loco, qui vocatur Cidini. „ Hac de fama miſerabili imperator turbatus, de Italia „ nuncios miſit, PRÆCIPIENTES Udoni atque MISECONI, ſi gratiam ſuimet habere voluiſſent, uſque dum „ ipſe veniens cauſam diſcuteret, in pace permanerent. „ Paulo poſt narrans, ab imperatore paſcha celebratum eſſe Quedilingiburgi, addit: „ Huc confluebant IMPERATORIS EDICTO MISECO atque Boliſlaus duces, cum omnibus regni totius primariis.

(f) *Tributariam.*) C. A. E. Poloni nonnulli fatentur, ad DONA Polonos fuiſſe obſtrictos, non autem ad tributa. Eleganter vero jam tum de Romanis pacem annuis muneribus a gentibus Barbaris quaſi mercantibus SALVIANVS l. 6. *de providentia divina: Aurum, quod pendimus, MVNERA vocamus.* Ad quem locum, quæ ex CASAVBONO addidit RITTERSHVSIVS, merentur legi & cum cura expendi.

(g) *Cum eo fecit.*) GöBEL. *Annal.* HILDES. *ad ann. 986.*

(h) *S. Adalberti.*) C. A. M. Hunc occiderunt Poloni, poſt mortem tamen martyr factus, multis inclaruit miraculis; ob hujus famam religionis ergo profectus in Poloniam Otto III. ibique in vico tum inſtituit archiepiſcopatum Gneſnenſem. GöBEL. Ottonem ex gravi decumbentem morbo, votum feciſſe, ſi priſtinæ S. Adalberti interceſſione reſtitueretur ſanitati, ad ſepulchrum ejus iter ſe ſuſcepturum, tradunt. Cumque reconvaluiſſet, nihil prius

turus, in Poloniam ad Boliſlaum profectus erat) archiepiſcopatus Gneſnenſis. *Fecit*, inquit Dithmarus l. 4. pag. 43. „ ibi archiepiſcopatum, committens eundem prædicti martyris fratri Kadimo, ei„demque ſubjiciens Reinbernum ſanctæ *Cholbergenſis* (a) eccleſiæ epiſcopum, Popponem Gracuen„ſem, Joannem Wiotislaenſem, (forte Wratislaenſem) *Ungero Poſnanienſe excepto*, (b) factoque „ ibi altari ſanctas in eo honorifice condidit reliquias. „ Non habent hoc Polonici ſcriptores: ſine dubio autem meretur fidem Dithmarus auctor pene *αὐτόπτης* eoque & Baronius ad annum DCCCCLXXXXIX. n. 12. Dithmari fidem ſequi non dubitavit. Poloni vulgo ſic ſatis conſtanter referunt ab Ottone Cæſare tunc corona *donatum eſſe* (c) & in ordinem regium cooptatum Boliſlaum. Hinc jam ævo barbaro Gneſnæ Boleslai ſepulchro inter alia hoc inſcriptum eſt:

Ob famam bonam (d) *tibi contulit Otto coronam.*

Argueret etiam hoc cæſaream auctoritatem, ſi eſſet verum, & deberet Polonia beneficio huic Germanici cæſaris gratias immortales. At vero nuſquam Dithmaro Boliſlaus regio nomine nuncupatur ſed dux; & tamen perſecutus ille eſt Boliſlai omnia ſic ſatis accurate, ad annum uſque MXVIII. Paulo poſt etiam audiemus Wipponem narrantem, à Boliſlao aſſumptum regium nomen defuncto demum jam Henrico II. Baronius ad annum uſque MXVIII. ex hiſtoria Romualdi à Petro Damiano deſcripta præclare notat, Boliſlaum à Romano Pontifice coronam ſibi petiiſſe, ſed fuiſſe impeditum ab Henrico cæſare: recte hinc colligens, illum ab Ottone III. Boliſlaum regium titulum non obtinuiſſe. Cartuitus Hungarus in vita S. Stephani narrat, anno regni quarto Stephanum Roma coronam adeptum, quæ Miſicæ Polono erat deſtinata. Incidit autem ille quartus annus in Chriſti milleſimum: adeoque ſi vera eſſet Cartuiti narratio, vel hinc appareret fabulæ illius de donato ab Ottone regio titulo vanitas. Sed etiam illam fabuloſam eſſe, patet ex eo, quod Miſicam Polonum in tempora illa referat: *qui dudum erat mortuus*, (e) rerum jam potiente per annos complures Boliſlao filio. Sed non eſt, quare ejusmodi teſtimonia in clara veritatis luce advocemus in medium.

5. NON poſſumus hoc loco non, levi ſaltim brachio, tangere & Baronium & *Bzovium*, (f) quanquam hic ſcuticam pene meruerit. Baronius ad an. CMXCIX. cum narraſſet ex Dithmaro iter illud Polonicum, & archiepiſcopatus Gneſnenſis ab Ottone inſtituti primordia; ſubjungit de ſuo n. 13. hæc verba: „ Porro cum audis tot ſacra munia exhibita ab imperatore, ſcias male ipſi ut auctori eſſe tributa, quæ le„gatus à latere cum eo miſſus archidiaconus cardinalis S.R.E. ſua auctoritate facienda curavit. „ At legatum aliquem à latere cæſarem in Poloniam usq; comitatum eſſe incertum eſt: & epiſcopatus archiepiſco-

duxiſſe, quum votum implere. DVGLOSSVS *lib. 2. p. 128. 129.* SARNICIVS *annal. Polon. lib. 6. p. 1049.* CROMERVS *p. 36.*

(a) *Cholbergenſis.*) C. A. M. Hodie in Pomerania.

(b) *Ungero Poſnanienſe excepto.*) C. A. E. Scilicet Poſnanienſis erat jam ſubjectus archiepiſcopatui Magdeburgenſi. Quinimo ut diſerte hic ſcribit Dithmarus: *Archiepiſcopatus illius diœceſi omnis hac regio Polonica ſubjecta eſt:* ideoque quod archiepiſcopatus Gneſnenſis fuerit inſtitutus ſine conſenſu præſulis Magdeburgenſis, dubitat Dithmarus, an *legitime* hoc fieri potuerit.

(c) *Donatum eſſe.*) GöBEL. HERBVRTVS DE FVLSTIN *p. 21.* CROMERVS *p. 37.* DVGLOSSVS *p. 133.* SARNICIVS *p. 1050* KADLVBKO *p. 644.*

(d) *Ob famam bonam.*) GöBEL. Totum epitaphium HARTKNOCHIVS *de republ. Polon. L. I. c. 2. §. 8.* ex pariete vel monumento ſepulchrali, eccleſiæ cathedralis Poſnanienſis, ubi Boleslaus ſepultus, ſequens refert:

Hac jacet in tumba princeps glorioſa columba,
Chrobri tu es dictus, ſis in ævum benedictus,
Fonte ſacro lætus ſervus domini puta totus,
Præcidens comam ſeptennii tempore Romam,
Tu poſſediſti velut athleta Chriſti,
Regnum Slavorum, Gothorum ſeu Polonorum.
Cæſar præcellens te ducalia pellens,
Plurima dona ſibi, quæ placuere tibi,
Huic detuliſti, quia divitias habuiſti,
Inclyta dux tibi laus, ſereniſſime Boliſlae,
Perfido patre natus, ſed credula matre,
Viciſti terras faciens bellum quoque guerras.
Ob famam bonam tibi Otto contulit coronam,
Propter luctamen ſit tibi ſalus amen.

Magnam ſepulchralia monumenta & epitaphia in probationum materia habere ſolent fidem medii ævi foetum eſſe, ſuadet genus ſermonis neque fictio præſumitur. Huic accedit, Polonicorum ſcriptorum teſtimonium, qui, niſi tanta veritatis lux ipſis obſtitiſſet, & hanc diſſimulare voluiſſe creduntur coronationem, quam Germanos in Cæſareæ autoritatis ſignum interpretaturos eſſe, prævidere potuerunt. Omiſſus a Dithmaro Boleslai regius titulus rei veritati officere non videtur. Nam non deſunt in Ditmaro, quæ cenſoriam merentur virgulam; deinde tempora illa ſuppeditant exempla, ducis titulum nonnunquam ut regis ſynonymon adhibitum fuiſſe. Sæpe tituli cujusdam uſus quieſcit, qui poſtea renovatur. Porro Boleslaus, teſte DAMIANO *in vita S. Romualdi* §. 48. §. 295. de corona a papa obtinenda ſolicitus, eam non regii tituli defectu ſed deſiderio benedicto a papa diademate utendi ambiiſſe videtur. Sed nobis perinde eſt, quam quisque hic elegerit ſententiam, ubi non niſi de nudo veritatis ſtudio agitur. Id quod autoris noſtri ſententiæ maxime favet, eſt, quod VINCENTIVS KADLVBKO *hiſtor. Polon. vetuſtiſſimus* regii ab Ottone impertiti tituli nullam faciat mentionem; ſed ſaltim tradat *lib. 2. hiſt. Polon. p. 644.* Ottonem ſplendidiſſime a Boliſlao exceptum in læti & grati animi ſignum *imperiale diadema detrahens capiti Boleslai impoſuiſſe.* Inepte autem ſatis Kadlubkonis commentator has eo interpretatur blanditias, ac ſi Otto Boliſlaum imperii conſortem habere voluerit. Nec minus ponderis cujusdam eſt, vetuſtos Polonorum ſcriptores, & alias gentis rectores Boleslaum Chobri antecedentes regio inſignire titulo.

(e) *Qui dudum erat mortuus.*) GöBEL. Quæ CHARTVITVS tradit, ſcriptorum Polonicorum calculo comprobantur. DVGLOSSVS *lib. 2. p. 121.* CROMERVS *p. 35. Florus Polon.* HIRTENB. *p. 26. aliique.* Quidni credi poſſet, jam tum anno 997. de eo Romæ actum vivo Micislao, & demum nuncio de morte Micislai accepto aliquot annis præterlaptis papam diadema Stephano dediſſe, qui deinde anno 1001. illud publico & ſolenni ritu ſibi imponi curavit. Vid. DVGLOSS. *l. c. & chronolog. reg. Hungariæ*, quæ BONFINIO adhæret. *p. 916.* Tales enim res ſæpe moram patiuntur. Interim ego hujus controverſiæ me non facio arbitrum. Eam tamen puto conſequentiam vacillare, Miſico a papa regium expetiit diadema, igitur Boleslaus regio non eſt donatus titulo.

(f) *Bzovium.*) C. A. M. Abrahamus Bzovius, Polonus monachus ordinis Prædicatorum, Romæ tamen vivens ſummo ſtudio & labore continuavit annales Baronii, cujus epitomen quoque ſcripſit, ad nauſeam uſque adulator pontificiæ ſedis. Accepit vero hodie Romæ Baronius etiam continuatorem, Bzovio eruditione longe ſuperiorem, ODERICVM REINALDVM. Contra Bzovium ingens volumen conſcripſit JOH. GEORG. HERWARTVS, & quidem juſſu Maximiliani Bavari. Licet enim is minime infenſus ſit pontificibus, tamen quod attinet ad Bzovii de Ludovico IV. Bavaro commenta, refutare publice voluit.

Digitized

piſcopatusque illo ævo a regibus eſſe inſtitutos, tantum papali confirmatione requiſita, docent utique multæ ad nos usque translatæ cæſarum regumque illius argumenti tabulæ. Bzovius ad eundem annum, licet epitomatorem ſe Baronii profiteatur, in majus figmenta auxit & corrupit. *Otto*, inquit n. 3. *præſente, atque conſentiente ſedis apoſtolicæ legato S. R. E. archidiacono cardinali, tum regium diadema Bolislao dedit, tum archiepiſcopalem dignitatem Gneſenenſi eccleſiæ conceſſam non irritavit. Namque eo tempore Gneſnenſis eccleſia metropolitana dignitate ordinata non fuit.* Nova hæc ſunt unius Bzovii commenta. Adfuiſſe aliquem a latere legatum & circa archiepiſcopatum Gneſnenſem aliquid actum, a Baronio acceperat; de ſuo: datum Bolislao diadema ab Ottone, conſenſum legati acceſſiſſe ad regii diadematis collationem, item non irritam reddidiſſe Ottonem archiepiſcopalem dignitatem. Hæc inquam ſunt mere Bzoviana. Illa vero, eccleſiam Gneſnenſem fuiſſe tunc ornatam metropolitana dignitate, & dignitatem tamen illam jam anno LXV. cæpiſſe, quod idem prodit, vel ut hic loquitur fuiſſe jam eccleſiæ Gneſnenſi *commiſſam*, ſibi mutuo adverſantur & falſimoniæ ſeſe coarguunt. Si admittas tamen vel illud, quod ait Bzovius, Ottonem dignitatem archiepiſcopalem non removiſſe, argumento id fuerit Ottonianæ per Poloniam auctoritatis: quippe quum in beneficio numerandum fuerit, quod Otto dignitatem iſtam non loco moverit.

6. Stephanus Neugebauerus l. 3. hiſtor. Polonicæ cap. 53. de eodem negotio ſcribit: *Volens* Otto *tam ſplendido hoſpiti & amico parem referre gratiam, regem eum appellat ſociumque & amicum Romani imperii, a tributo & omni jurisdictione imperatorum immunem: ac diadema ſuum, Gaudentio archiepiſcopo ſolemnes ceremonias peragente, ipſe imponit, eumque honorem ſempiternum ipſi ac poſteris ejus in Polonia regnaturis eſſe jubet.* Etiam heic autem multa deprehendere eſt nunquam a quoquam antehac prodita. Ejusmodi ſunt: Ottonem voluiſſe parem Bolislao referre gratiam: Bolislaum ſocium & amicum imperii appellatum: Bolislaum immunem ab omni jurisdictione imperatorum pronunciatum: diadema Ottonis Bolislao impoſitum. *Immunem* (a) a tributis redditum Bolislaum Ottonis beneficio, haud negaverim. Multum ipſi indultum apparet ex Dithmaro, qui ubi dixiſſet, quam humili cultu Miſico Udonem Marchionem fuerit proſequutus, addit: *Dominus indulgeat imperatori, quod tributarium faciens dominum, ad hoc usque elevavit, ut oblita ſui genitoris regula ſemper ſibi præpoſitis auderet in ſubjectione paulatim detrahere, viliſſimoque pecunia tranſeuntis ineſcato hamo, in ſervitutis libertatisque detrimentum, capere.* De Ottone enim imperatore videtur loqui, non de Henrico. Utut ſit, immunis a *tributo & omni cæſarea jurisdictione* (b) factus eſt Bolislaus Ottonis beneficio, obnoxius ille fuerit ante neceſſum eſt. Adeoque ipſomet Neugebaueri judicio intelligimus ſubjectum antehac fuiſſe Bolislaum cæſari: quod tamen ipſe cum Polonicis ſcriptoribus aliis unice ſtudet diſſimulare.

7. Henrico II. cæſare idem ille Bolislaus *hoſtilia etiam auſus* (c) vicinam Germaniam & Bohemiam latroniis atque excurſionibus infectam ſæpe habuit: ſubinde tamen domitus rediit ad officium. Quæ omnia, quemadmodum geſta ſint ad annum quidem usque milleſimum decimum octavum, nemo diligentius & majore fide perſequutus eſt, ac Dithmarus epiſcopus ſanctimonia vitæ clarus, qui rebus iſtis frequenter ipſe interfuit. Legi cumprimis meretur liber ſextus, quo narrat expeditionem ſanctiſſimi cæſaris adverſus Bolislaum, qua ille anno milleſimo quinto, ex Bohemia omni quam occupaverat pulſus, & Poſnaniam usque fugatus, aliorum interceſſione gratiam cæſaris denique impetravit, pace iterum conſtituta. Ibidem legas, cum denuo

(a) *Immunem*) *C. A. E.* Imo vero æque hoc falſum eſſe, atque *immunem* redditum *ab omni jurisdictione imperatorum*, docet ſequentis temporis conſtans hiſtoria. Nec quod adduxi ex Dithmaro, *tributarium Bolislaum factum eſſe dominum*, aliter accipi debet, quam majorem ſolito datam Bolislao libertatem, qua effectum, ut oblita *ſui genitoris*, qui nempe humiliter ſeſe geſſerat erga Udonem Marchionem *regula, ſemper ſibi præpoſitis, Marchionibus nempe, auderet in* SUBJECTIONE *paulatim detrahere, & pecunia eos capere in ſervitutis libertatisque detrimentum.*

(b) *Tributo & omni cæſarea jurisdictione*) GÖBEL. HERBURTUS DE FULSTIN *lib. 2. p. 21.* Scriptor recens PASTORIUS ab HIRTENBERG addit, *remittens inſuper quicquid unquam juris in Polonos prætendiſſent.* Sed a nullo veterum hoc traditur. Somnia ſunt, quæ SARNICII cerebrum defatigarunt, ac ſi vera Ottoniani in Poloniam itineris cauſa fuerit, quod Boleslaum bellicoſum virum ſibi beneficio aliquo devincire voluerit. Id quidem Sarnicio largimur, quod Otto III. non fuerit autor tributi Germanis pendendi, ſed quo certius hoc eſt, eo incertius, quod ab avo ſtabilitum, ab eo ſit remiſſum.

(c) *Hoſtilia etiam auſus*) GÖBEL. Inimicitiis inter Henricum & Boleslaum præbuit cauſam, quod hic rebus ſe immiſceret Bohemicis atque invito Henrico eam occuparet. Bohemicum Boleslaum ſuis, cum ſæviſſime imperaret, admodum inviſum contra hoſpitii religionem & ſanguinis nexum, cum ſe adiiſſet, oculis privatum exilio mancipavit. Et hic mortalibus documento fuit, regnandi cupidinem omne neceſſitudinis ſpernere vinculum. Ea res Henricum militem contrahere coëgit. Et ne quam ſervandæ pacis prætermitteret occaſionem, Poloni Bohemiam eſſe, pati voluit, ea tamen lege, ut ſibi ad exemplum aliorum Bohemiæ ducum fiduciario adſtrictus eſſet vinculo. Cumque huic continuandæ pacis pacto Boleslaus obtemperare nollet, Henricus arma in ipſum induit, bellumque per vices ſumtum non ubique a Germanis ſatis proſpera, ſed ancipiti plerumque geſtum eſt fortuna, Germanicis ſcriptoribus Henrici, Polonicis Boleslai belli gloriam ad cœlum usque efferentibus. ADELBOLDUS *in vita Henrici S. §. 45. ſeqq.* DITMARUS *lib. VI. VII.* CHRONOGRAPHUS SAXO *ad ann. 1005. ſeqq.* *Vita* MEINWERCI. SARNICIUS *annal. lib. VI. p.* 1048. KADLUBKO *& ejus comment. p. 645. ſeqq.* CROMERUS *lib. 3. p.* 41. 42. Quanquam igitur dubius fuerit belli eventus: certum tamen eſt, Bohemiam vindicatam, & Jaromiro traditam, Boleslaumque, ut alterum ſopiretur bellum, Henrico Martisburgi vaſalliticam dedit fidem. CHRONOGRAPHUS SAXO *ad ann.* 1004. COSMAS PRAGENS. *lib. I. p.* 20. CHRONOGR. SAXO *ad ann.* 1013. HARTKNOCH. *de republ. Polon. lib. I. c. 11. §. 10.* Polonicorum ſcriptorum ſilentium hujus rei veritatem non minuit; cognitum enim habemus, autores gentis ſuæ adverſa diſſimulare ſæpe aut tegere.

denuo contra fidem datam rebellaret Bolislaus, & cæſar rurſum in illum ducturus eſſet, metu coactum pacem rurſus petiiſſe cæſarique reconciliatum. *Pentecoſten*, ſcribit Dithmarus pag. 11. *nobiſcum*, i. e. Merſeburgi egit rex Henricus. *In cujus vigilia Bolizlaus cum ſecuritate obſidum apud ſe relictorum, venit & optime ſuſcipitur. In die* (a) *ſancto manibus applicatis MILES efficitur, & poſt ſacramenta regi ad eccleſiam ornato incedenti ARMIGER habetur. In ſecunda feria regem magnis muneribus a ſe & contectali ſua oblatis placavit. Deindeque regia largitate his meliora ac multo majora, cum BENE ICIO diu deſiderato ſuſcipit, & obſides ſuos cum honore & lætitia remiſit.* Ex quibus verbis liquet, Bolislaum Henrico regi ſacramento militari & feudali tunc obſtrictum. Hujus ſacramenti vi debuiſſe Bolislaum comitari cæſarem in Italiam euntem, liquet ex querela Dithmari, quam non multo poſt addit. *Ad ſupplementum hujus itineris Bolizlaus antea invitatus nil aſpiravit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit.*

8. Victoriæ illius de Bolislao reportatæ meminit ad annum milleſimum quartum Marianus Scotus: *Henricus rex Italiam, Bohemiam & Bolislaum ducem cum omni Slavorum gente ſubjugavit.* Totidem verbis uſus eſt Hermannus Contractus, quorum uterque non multo poſt floruit. Ottonem Friſingenſem, Albertum Stadenſem aliosque in teſtimonium vocare nunc nolo, cum unus Dithmarus omni ſit exceptione major. Et tamen ea eſt impudentia Bzovius Polonus, ut Dithmarum dicat hæc ſomniaſſe. Ipſe ex adverſo affirmat, Bolislaum ſemper & ubique de Bohemis & Saxonibus trophæa retuliſſe; & mira mox narrat de omni Venedorum terra, usque ad Albim & Salam fluvios & Cimbricam Cherſoneſum, per Bolislaum in ditionem redacta, Magdeburgo item & Hildeshemo urbibus incenſis. Verum hanc hominis inſolentiam egregie excepit Herwartus in Mantiſſa Lud. IV. defenſi pag. 130. Et ſane non diſſimulat quidem etiam Dithmarus hoſtiles Boleslai excurſiones: plane alia vero tradit & de amplitudine & de eventu conatuum. Ut proinde ad annum usque milleſimum decimum octavum nihil tale contigerit: qualia Bzovius narrat poſt Cromerum aut *Dlugoſſum* (b) (cujus hiſtoria, *quod pleraque ſine reſpectu ſcripſerit, in lucem prodire haud permittitur*, teſte ipſo Simone Starovolſcio l. de ſcript. Pol.) civesque alios ſuos, homines nuperos. Nihil etiam tale in omnibus aliis Saxoniæ monumentis reperias, quæ damna ab hoſte aliquo accepta ſumma cura referunt. Fabulæ itaque ſunt, non minus atque illæ de Lechi ampliſſimis victoriis, quæ itidem ſine ullo idoneo teſte contra fidem Francicorum annalium jactitantur.

9. Hand negaverim tamen, Henrico etiam vivo conatum tandem eſſe Bolislaum, excuſſa omni imperii reverentia, regium nomen *coronamque Roma petere:* (c) quod jam tum ex vita Romualdi attulimus. Aſt Conrado demum cæſare regem ſe dixiſſe, diſerte teſtatur *Wippo* (d) hiſce verbis: *Eodem anno, quem ſupra notavimus* (i. e. anno primo Conradi, qui eſt Chriſti *MXXV.*) *Bolislaus Sclavigena dux Polonorum inſignia regalia & regium nomen in injuriam regis Chuonradi ſibi aptavit. Cujus temeritatem cita mors exinanivit.* Pergit Wippo: *Filius autem ejus Miſico ſimiliter rebellis fratrem ſuum Ottonem, quoniam regis partibus favebat, Rubbiam* (Ruſſiam forte) *pepulit. Qualiter vero ejusdem Miſiconis protervitatem, & cujusdam Udalrici ducis Boemiæ perfidiam, rex Chuonradus poſtea compeſcuerit, in loco ſuo dicam.* Albertus Stadenſis ad annum MXXVII. de Miſicone hoc Bolislai filio ita ſcribit: *Conradus imperator Polonos & regem eorum* (e) *Miſingum cum virtute perdomuit, & auxilatores eorum Bohemos cæterosque Sclavorum populos ſub tributum miſit.* Ita ille. Wippo autem Bohemicum Sclavicumque illud bellum in annum demum milleſimum trigeſimum quartum, Polonicum in 1032. rejicit: cui potius ut ſcriptori σύγχρονῳ credendum, cum præſertim Albertus ille in obſervandis geſtarum rerum annis per ſit negligens. Sed de Polonico bello ita loquitur ipſemet Wippo: „Bolislaus dux Polonorum mortuus reliquit duos filios Miſiconem & Ottonem. Miſico dum fratrem ſuum Ottonem perſequeretur, expulerat eum in Ruſſiam. Dum ibi aliquantum tempus „miſerabiliter viveret, cæpit rogare gratiam imperatoris Cunradi, ut ipſo imperante & juvante „reſtitueretur patriæ. Quod dum imperator facere vellet, decrevit, ut ipſe cum copiis ex una „parte,

(a) *In die*) *C. A. E.* Attendendum eſt ad illa verba: *Miles efficitur.* Item: *Regi ad eccleſiam incedenti Armiger habetur.* Item: *Beneficium diu deſideratum ſuſcipit.* Alterum enim ſignificat, Polislaum gladium imperatori incedenti prætuliſſe, quod ſignum jam olim fuit ſubjectionis. *Beneficii* item nomine feudum indigitari, in *militis* nexum militarem, eſt notiſſimum.

(b) *Dlugoſſum*) GöBEL. JOH. DLVGOSSVS, nomine gentilitio LONGINVS dictus, nobili familia *Wienlama* oriundus, lucem aſpexit 1415. in oppido Brzeznica, cui pater ipſius a Wladislao rege præfectus conſtitutus erat. Duris admodum initiis uſus, virtute tandem & ſingulari eruditione in canonicum Cracovienſem evectus, & paulo antequam mortuus, in epiſcopum Leopolienſem electus, non tamen, ut quidam falſo putant, introductus fuit: Scripſit plurima, ex quibus *hiſtoria* ipſius *Polonica*, cujus hic auctor mentionem facit, tres tomi, autoritate & ſumtibus *Herbulti Dobromilski*, Dobromili in officina Joh. Steligæ 1615. in folio, primum prodierunt. Integrum autem ipſius hiſtoriæ Polonicæ Opus XIII. libris comprehenſum, in duobus tomis, variis adjunctis rerum Polonicarum ſcriptoribus aliis, ſplendide 1711. & 12. Lipſiæ typis impreſſum eſt. Diem obiit Dlugoſſus 1680. Vita ipſius elegantiſſimo ſtilo tomo I. recentioris ejus hiſtoricæ Polonicæ editionis, præmiſſa eſt, ubi & variorum doctorum de eo occurrunt judicia.

(c) *Coronamque Roma petere*) GöBEL. Hoc forte LVBIENSKIVM in errorem pertraxit, quod in vitis epiſcoporum Plocenſium p. 306. aſſerere non dubitaverit, Polonos ſuum pontifici debere diadema.

(d) *Wippo*) GöBEL. OTTO FRISING. *lib. 6. chronic. c. 28.* CHRONOGR. SAXO & ALBERICVS *ad ann.* 1025.

(e) *Regem eorum*) *C. A. E.* Patris exemplo igitur rebellem Miſiconem regio ſeſe titulo jactaſſe, hinc eſt manifeſtum. Sed & infra ex Ottone Friſingenſi notamus, *facientem hunc Miſiconem quadam regni inſignia fregiſſe.* Miſico igitur hic *rex* audet, quomodo ejus pater Polislaus HELMOLDO *l. 1. chron. Slavor. c. 15.* dicitur *rex Chriſtianiſſimus*; quia ſcilicet uterque regium nomen aſſumſerat, quamvis contra jus & fas.

„parte, ex altera frater Otto Miſiconem aggrederentur. Hunc impetum Miſico ferre non valens „fugit in Boemiam ad Udalricum ducem, cui tunc temporis imperator iratus fuerat. Sed ille, „ut ſic placaret imperatorem, voluit ſibi reddere Miſiconem. Quod factum ſceleratum renuit „cæſar, dicens, ſe nolle inimicum emere ab inimico. Otto reſtitutus patriæ & dux factus a cæſa„re, dum poſt aliquod tempus minus caute ageret, a quodam familiari ſuo clam interfectus eſt. „Tum Miſico omnibus modis quærebat gratiam imperatricis Giſale & reliquorum principum, ut „mereretur redire ad gratiam imperatoris. Cæſar miſericordia motus dedit ſibi veniam, & di„viſa provincia Polonorum in tres partes, Miſiconem fecit Tetrarcham: reliquas duas duobus „aliis commendavit. Sic imminuta poteſtate minor facta eſt temeritas. Defuncto Miſicone Ca„ſimirus filius ejus FIDELITER SERVIEBAT usque huc imperatoribus noſtris.

10. Hactenus Wippo. Eandem plane rem ita narrat Otto Friſingenſis l. 6. chronici c. 28. *In primordio regni ejus* (ſcil. Conradi II.) *Boleslaus Polonorum dux, qui ab anteceſſore ſuo Henrico pariter ſubjectus fuerat, ab regno* (Teutonico) *dividi, rexque per ſe vocari molitur. Qui non multo poſt moriens, Miſiconem filium ſuum ſucceſſorem reliquit. Is dum patrem imitari cogitaret, inſuperque fratrem ſuum Ottonem expuliſſet, rex Conradus tam profugum in patriam reducturus, quam de contumace Miſicone regni Germanici injuriam vindicaturus, in Poloniam procinctum movet. Miſico regis impetum* (a) *ferre non valens, fractu quibusdam REGNI INSIGNIBVS ad Ulricum Bohemenſium ducem, qui & ipſe tum temporis hoſtis regni erat, fugit.* Paulo poſt: *Otto vero libere ducatu potitus, diadema, quod pater ejus ad ignominiam regni Germanici illicite fecerat, regi Conrado miſit, ſeque per omnia ditioni ejus ſubjecit. Ipſe vero Otto non multo poſt fraude armigeri ſui vita privatus eſt. At Miſico ab rege exul factus, ad ipſum ſupplex venit, interventuque regina, diviſa in tres partes provincia, tertiam partem ipſe obtinuit. Exin provincia illa Polonia regibus noſtris ſub tributo* (b) *ſervire cognoſcitur.* Hæc omnia Otto: deſumpta fortaſſis ex hiſtoria vitæ Conradi, ab Hermanno Contracto conſcripta, quam alibi Otto laudat.

11. Nihil horum habent Polonici annales, ſi excipias Bolislai & Miſeconis nomina, hujusque infeliciorem ſtatum: Sed non eſt, quod eos moremur. Ipſi tamen etiam narrant, *ducatum Maſovia* (c) per hæc tempora cœpiſſe, primo duce Maslao expocillatore Miecizlai ſive Miſeconis, & regiam coronam in Germaniam delatam per Rixam Miſeconis viduam. Quæ omnia, quemadmodum ſint geſta, rectius ex noſtris diſcimus. Cæpit ſcilicet ducatus Maſoviæ ex inſtituto cæſaris Conradi; eſtque ille unus illorum trium, in quos diviſa tum fuit vetus Poloniæ provincia, longa ſeculorum ſerie exinde a Poloniæ κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ republica ſeparatus. De ſubjectione & tributo, quod ea tempeſtate pendit Polonia imperio, exſtat memoria in Ungarorum etiam hiſtoriis apud Bonfinium l. 2. decad. 2. *Henricus tertius*, inquit ille, *graviter indignatus, quod Poloniam injuſſu ſuo devaſtarit, Udalrico Bohemo filioque bellum indixit. Quia Romano imperio ducatus ille ſubjectus erat quotannisque* (d) *boves centum & viginti, item argenti puſtulati quinquaginta pondo pendere cogebatur.* Sermo autem Bonfinio eſt de bello, quod Bohemo intulit Henricus tertius anno milleſimo quadrageſimo primo. Quo anno Caſimirum ſexcentorum equitum præſidio ab Henrico munitum, ſimulque facta ſpe Bohemum in officium redigendi & ab illius injuria Poloniam vindicandi, rempublicam monaſterio relicto aggreſſum iterum ipſimet Poloni referunt. Ut proinde accedente hoc Ungarorum teſtimonio de ſubjectione & tributo Poloniæ minus fas ſit amplius dubitare.

12. Is rerum ſtatus manſit ad annum usque milleſimum ſeptuageſimum ſeptimum. Nam Caſimirum quidem ſervaſſe fidem Henrico etiam III. cæſari, jam audivimus affirmantem Wipponem. De eodem Contractus loquitur ad annum MLI. *Imperator contra Gazmarum* (e) *ducem Polonorum rebellionem molientem expeditionem parat, gravique infirmitate detentus pacem PACTVMQVE eum petentem ſuſcipiens diſceſſit.* Huic autem anno demum milleſimo quinquageſimo nono ſucceſſit filius Bolislaus, quem ſui Audacem cognominant. Ad annum MLXXI. Lambertus Schafnaburgenſis, qui tunc temporis floruit, de hoc Polono ejusque adverſario Bohemo hæc notavit: *Inter ducem Polonorum & ducem Bohemorum infeſtiſſima diſſenſio erat. Propter quod eos rex Henricus quartus in civitatem Miſina autumnali tempore evocatos, durius corripuit, & ut deinceps ſuis ſinguli terminis contenti eſſent, nec ſe viciſſim temerariis incurſionibus laceſſerent, ſub obtentu regia majeſtatis præcepit: alioquin ſe hoſtem*

(a) *Miſico regis impetum*) GöBEL. Hæc & ſequentia totidem verbis repetit ALBERICVS *ad ann.* 1 26.

(b) *Sub tributo*) *C. A. E.* Igitur Poloniam denuo tunc factam eſſe tributariam, hinc certum eſt. Videtur autem hoc quam maxime intelligendum de Polonia proprie ſic dicta, prout diſtingui illa tunc cepit a Maſovia & Sileſia, quæ hactenus itidem Poloniæ nomine fuerant comprehenſæ.

(c) *Ducatum Maſovia*) *C. A. M.* Ex eo tempore ſemper fuit liber & ſejunctus a rebus publicis in Polonia. Deſiit primum ſuperiori ſeculo ducatus ille. Ipſi duces fuere principes imperii, ut vel ex matriculis conſtat. GöBEL. Maſoviæ ducatum & illo tempore, cum prima conderetur matricula, quod anno 1431. quando Huſſiticum imminebat bellum, factum eſſe, ferunt, ſub imperii fuiſſe obſequio, multum ſane habet dubii. Vid. HARTKNOCH. *de republ. Polonia p.* 209.

(d) *Quotannisque*) *C. A. E.* Tale fuit etiam tributum annuum ducatus Pohemiæ. Quapropter fortaſſis memoria lapſus Bonfinius eſt, cum hanc tributi ſummam Polono ducatui adſcriberet. Quod ſi tamen boves excipias, certum eſt, Poloniæ tributum fuiſſe tunc quingentas auri libras, diſerte id ipſum teſtante Ottone Friſingenſi, aut quingentas marcas, ut habet GVNTHERVS *l. 6. Ligurini.* GöBEL. Quod autor noſter ait, Bohemicum fuiſſe tributum, cujus BONFINIVS mentionem facit, HARTKNOCHII adjuvant ſententiam, Bonfinium per tributarium ducatum non Poloniam, ſed Bohemiam intellexiſſe.

(e) *Gazmarum*) *C. A. M.* Alias Caſimirum dictum. GöBEL. Ni fallor, in gentis polonicæ lingua latorem vel conſervatorem pacis ſignificat.

ſe hoſtem & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma tuliſſet. Subjectum itaque fuiſſe tunc Polonum non minus atque Bohemum, clariſſimum eſt. Anno milleſimo ſeptuageſimo quinto non niſi ducis titulo fuiſſe inſignem adhuc Boliſlaum, docet epiſtola Gregorii VII. papæ, quæ eſt libri tertii ſeptuageſima tertia: Hactenus itaque per Poloniam integra ſuperfuerunt imperii Germanici jura.

13. Biennio demum poſt Audax ille Boliſlaus altiora ſpirare cœpit. Ea de re cumprimis notatu digna ſunt Lamberti Schaffnaburgenſis, ſcriptoris ſane ſupra ſeculi captum prudentis, verba. „Anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo dux, inquit, Polonorum, qui per multos jam „annos regibus Teutonicis tributarius, cujusque regnum jam olim Teutonicorum virtute „ſubactum, atque in provinciam redactum fuerat, repente in ſuperbiam elatus, propterea quod „principes Teutonicos cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda „cæteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem regiumque nomen ſibi uſurpavit, diadema „impoſuit, atque ipſo die Natalis domini *a 15. epiſcopis* (a) in regem eſt conſecratus. Quæ brevi „poſt comperta principes Teutonicos, quibus reipublicæ dignitas curæ fuit, graviter affecere; „ſibique invicem ſuccenſebant, quod dum inteſtinis in ſe atque ſua viſcera odiis ſævirent & di„gladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluiſſent, ut jam tertio dux Bohemicus „regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragraſſet, & nunc dux Polonorum in igno„miniam regni Teutonici contra leges & jura majorum regium nomen regiumque diadema „affectaſſet.„ Mirari ſe ſatis non poſſe, ſcribit Cromerus, hæc ita a Lamberto memoriæ eſſe prodita. *Atqui*, inquit, *plus ſeptuaginta annis ante hoc tempus Polonia regem cum habuiſſet, & quidem Ottonis Ruffi Germani imperatoris beneficio, per hoc tempus habere deſiit? Jam vero quindecim epiſcopos Poloniam non modo tunc ſed unquam omnino habuiſſe, ipſa rei evidentia falſum eſſe convincitur.* Verum fabuloſa eſſe illa ab Ottone III. usque repetita tituli regii Polonici exordia, jam probavimus. Et cum in exprimendo epiſcoporum numero zifris, quas appellant, fuerit uſus Lamberti codex, facile error ſurrepere potuit citra Lamberti culpam.

14. Hanc Boliſlai autem furtim raptam dignitatem regiam brevi interiiſſe, ipſimet Poloni commemorant. Cum ſceleribus, libidinibus, crudelitate, tandem & cæde immani Staniſlai Cracovienſis epiſcopi, omnium ſibi odium conciliaſſet, ferunt ipſi, regno pulſum anno milleſimo trigeſimo nono in Ungariam aufugiſſe, ibique furore correptum *mortem ſibi ipſi conciviſſe*; (b) fratre *Uladiſlao Hermanno* (c) jam tum usque a Boliſlai fuga rerum potiente, & a regio nomine cum illo tum omnibus ad Præmiſlaum abſtinentibus. Tradunt vero ſimul, a Gregorio ſeptimo papa toti Poloniæ, ob cædem Staniſlai, ſacris interdictum, Boliſlao regnum abrogatum, & edictum pariter, ne quem epiſcopi regem injuſſo ſuo ungerent & coronarent. Nec ego negaverim, Gregorii illius facta intuens alia, tale quid contigiſſe: dubito tamen, propterea quod nec in antiquis ævi illius *monumentis* (d) hiſtoricis, nec in Gregorii epiſtolis, veſtigium ejus reperiatur. Religione illa ductos Polonos regium nomen haud uſurpaſſe, veroſimile non eſt: utpote quum Ulatiſlaus ille ſtatim initio regiminis relaxationem interdicti impetraverit a papa, & tamen rex audire noluerit. Cauſſa verior eſt, quod & Uladiſlaus ille & ſucceſſores ejus ad Præmiſlaum usque reverenter coluerint imperii vim, & injuſſu cæſarum haud fuerint auſi nomen illud *oſtentare.* (e) Et vero Uladiſlaus ille duxit in uxorem Sophiam Henrici IV. cæſaris ſororem *viduam Stephani* (f) Hungarici, eoque in gratia illius fuit. In ejus filium *Boliſlaum tertium* (g) movit tamen

(a) *A 15. epiſcopis*) *C. A. M.* Mendum ibi. Fuerunt enim tum vix 5. epiſcopi in Polonia, licet forte ante hoc ferale Polonorum bellum XV. nominaveris.

(b) *Mortem ſibi ipſi conciviſſe*) GöBEL. *FLORVS Polonic. p. 45. HERBVRTVS DE FVLSTIN p. 44. CROMERVS in Boleslao Audace, p. 62. KADLVBKO lib. II. p. 665. ſeqq.* Vide tamen *DVGLOSSVM lib. III. ad ann.* 1081. *p.* 289. *& commentar. ad KADLVBKONEM p.*667.

(c) *Uladiſlao Hermanno*) GöBEL. Neſcio, qua fide COSMAS PRAGENSIS autor coævus *ad ann.* 1086. p. 41. aſſerat, Henricum III. (IV.) in ſynodo Moguntina Wratislaum non ſolum Bohemiæ, ſed & Poloniæ regem creaſſe; Forte *DVBRAVIVS*, qui *lib. 9. hiſt. Bohemica p.* 65. Poloniæ mentionem non fecit, de hujus rei veritate dubitavit. Præerat enim illo tempore Polonis Wladislaus primus, quem Henrici IV. poſt Stephanum Hungariæ regem, generum fuiſſe, falſo affirmat. Stephano enim Henrici S. ſoror nupſerat. Nec conſtat, Henrico aliam fuiſſe filiam, præter Agnetem, quæ primo marito Friderico Sueviæ duce mortuo, in Leopoldi Auſtriæ marchionis conjugium conceſſit. Atque ſic corruit etiam illud SARNICII aſſertum, non eſſe veriſimile, quod genero ſeſe inimicum præbere voluerit. Et ponamus, nexum illum ita ſeſe habuiſſe, numne inde quis ſibi perſuaderet, quod Henricus jus imperii in Poloniam neglexerit. Neque turbæ, quas ei papa excitavit, ipſum ab hoc avertere potuerunt propoſito. Si vera ſunt, quæ COSMAS PRAGENSIS de Wratislao teſtatur, Henricum, quem Boleslao Audaci ob denegatum tributum regiam arrogaſſe dignitatem, nonnulli contendunt, Wladislaum pro legitimo rege aut duce Poloniæ non habuiſſe, apparet.

(d) *Monumentis*) GöBEL. *DVGLOSSVS, CROMERVS, SARNICIVS* aliique recentiores Polonorum ſcriptores hoc tradunt, non tamen apud *KADLVBKONEM* legitur.

(e) *Oſtentare*) GöBEL. Verum Wladislaum regio uſum titulo, ex literis ejus ad patres monaſterii S. Ægidii in provincia perſcriptis, liquet; cum patrono hujus monaſterii donum mitteret, quo ſterilitati reginæ conſuleretur. *RADLVBKO ad ann.* 1082.

(f) *Viduam Stephani*) GöBEL. Viduam Salomonis Hungariæ regis, Juditha prima conjuge in primo puerperio extincta, ſibi thori legit ſociam. *KADLVBKO l. c. p.* 668. Stephani autem eſſe non potuit vidua, licet hunc errorem etiam SARNICIVS commiſerit. Nam Stephanus anno 1036. diem obiit ſupremum & Henrico III. filiæ, teſte *HERMANNO CONTRACTO anno* 1045. 47. 48. natæ ſunt. Sed fecit primo, ut dictum eſt, matrimonio copulata. Salomoni Andreæ filio, quem frater regno, cui a patre deſtinatus erat, privavit.

(g) *Boleslaum tertium*) GöBEL. Henrici V. (IV.) in Boleslaum cognomento Criovuſto, tributum Germanis a Polonis pendendum fuiſſe, ex epiſtola Henrici, Boleslao Polonorum duci inſcripta & hujus ad eum reſponſo apud *SARNICIVM annal. Polon. lib. VI. c. XI. p.* 1063. apparet. Conf. queque *KADLVBKO lib. III. epiſt. XIX. p.* 716. *CROMERVS lib. III. de rebus geſtis Polonor. p.* 304. & *SARNICIVS l. c.* tributum a Polonis

tamen bellum Henricus V. anno MCIX. Abbas Stadenſis de bello iſthoc ita ſcribit: *Henricus rex Poloniam cum exercitu ingreditur eaque vaſtata revertitur.* Urſpergenſis in hunc modum: *Poſt hac ad Polonicam gentem longinquam movit exercitum, multoque ibi diutino deſudans labore, diu negatum a terra illa tributi exegit debitum.* Cromerus aliique illum ſecuti Poloni latius bellum hoc deſcribunt, haud auſi negare exactum ab Henrico tributum; at æquis conditionibus pacem ajunt compoſitam, cum ſequente anno Bolislaus ad cæſarem Bambergam proficiſceretur. Sed per illas novas etiam pacis leges non remiſſum eſſe tributum, imo bona illud fide a *Bolislao* (a) expenſum usque ad annum ſeculi illius viceſimum ſecundum, haud difficile collectu eſt ex iis, quæ de Lothario cæſare narrat Otto Friſingenſis l. 7. chronici ſui cap. 19. de reditu Lotharii ex Italia, qui contigit anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto, verba faciens. *Inde*, inquit, *in Saxoniam divertens Polonorum ducem cum multis muneribus obviam habuit; quem tamen non ante dignatus eſt ſuo conſpectui præſentari, quam tributum duodecim annorum, hoc eſt, quingentas libras ad ſingulos annos perſolveret, & de Pomeranis & Rugis* (quos ſc. ille occupaverat) *homagium ſibi faceret, ſubjectionemque perpetuam ſacramento ſibi firmaret.* (b)

15. Conrado tertio cæſare quid acciderit circa Polonos in noſtris monumentis haud clare legas. At Poloni fatentur, illum anno circiter 50. ab Vladislao, uno Poloniæ ducum, permotum, Bolislao Criſpo, qui fratrem expulerat, bellum minitatum; deſiiſſe tamen, excuſatione Bolislai in caſtris cum ampliſſimis muneribus accepta. Quod argumentum eſt nondum exutæ tunc reverentiæ imperio debitæ. Imo & tributum non fuiſſe tunc negatum, indicat utique Otto Friſingenſis in chronici ſui l. 6. cap. 28. ſcribens, Poloniam regibus noſtris ſub tributo ſervire; velut jam audivimus. Eſt autem chronicon illud conſcriptum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, ut ipſe teſtatur *l. 7. c. 36.* (c) Videtur tamen ſenſim Bolislaus ille Criſpus ad libertatem aſpiraſſe, eoque imperata juſto minus eum feciſſe: quantum colligere eſt ex iis, quæ de cauſis belli Polonici a Friderico cæſare anno MCLVII. geſti, diſſerit Radevicus l. 1. c. 2. Ubi poſt multa ſub finem capitis ita loquitur: *Acceſſit ad hæc, quod vel debitum fidelitatis ſacramentum* (d) *offerre, vel ſolitum ſingulis annis tributum quingentarum marcarum publico ærario inferre jam deſueverant. Talibusque indiciis aperte ſe ab imperio deſciviſſe, & non clancularium ſed evidentem rebellionem moliri proteſtabantur.* Guntherus l. 6. ſcribit:

Nec jurare fidem, nec priſco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas.

Hiſtoriam belli perſequitur Radevicus cap. 2. & illum ſecutus Guntherus: ſed non eſt hujus loci illam referre. De illius autem belli eventu quæ idem Radevicus diſſerit cap. 4. & 5. digna ſunt, quæ huc afferantur. „Boleslaus, inquit, dux rebus ſuis ultimum fatum cernens imminere, cum „totam terram populumque ſuum periclitari & prope eſſe ad interitum cerneret, barones & prin„cipes noſtros tum per nuncios, tum in propria perſona conveniens, multis precibus, multis lachry„mis, multis quoque promiſſionibus, ut ſub JUGUM ROMANÆ DITIONIS, & in gratiam „principis recipi mereretur, poſtulavit. Salutare ſecutus conſilium, ante intolerabilem calamita„tem rebellionis mutare ſententiam: debere autem dedignari dominos humiliores, non eum, „cujus

exactum, bello cauſam dediſſe, fatentur: Sed illud tum primum cœpiſſe contendunt, *DUGLOSSUS lib. IV. p. 377. ſeqq.* præter tributum aliam addit belli rationem, nempe quod Boleslaus Colomannno Hungariæ regi, Henrici inimico, opem tuliſſet. A Mutio tertia adjicitur cauſa, nimirum, quod Poloni regiæ dignitatis reſtaurationem, ut interpretatur SARNICIUS, Roma petierint. Aſt ultimæ huic cauſæ veri ſpecies deeſſe videtur, cum ipſe Boleslaus ſe non regem, ſed ducem vocaverit. Cladem deinde imperatorem Henricum a Polonis paſſum, Polonici docent ſcriptores, pacemque, cæſaris ſorore Boleslao, & cæſaris filia ejus filio in matrimonium promiſſis, reſtauratam eſſe. Vide præter citatos auctores FLORUM POLONICUM.

(a) *Bolislao*) *C. A. M.* Debent huic initia Chriſtianæ religionis Pomerani, quam illis per vim impoſuit. GÖBEL. Vid. DUGLOSSUS & CROMERUS. Pro primo Pomeranorum apoſtolo vulgo habetur Otto Bambergenſis, inter ſanctos obinde relatus, cujus canoniſationis bullas exhibet *VALENT. JASCHIUS in vita S. Ottonis p. 445.* Vide etiam vitam Ottonis hujus ab ANDREA abbate Babebergenſi conſcriptam & a GRETSERO notis illuſtratam, quæ reperiuntur in tomo ſcriptorum Bambergenſium LUDWIGII p. 394. ſeq. ſed jam ante Ottonis tempora in Pomerania fuiſſe Chriſtianos, peculiari diſſertatione oſtendit FRANCISC. WOCKENIUS, Lipſ. 1726.

(b) *Firmaret*) *C. A. E.* Huc pertinet, quod *AUTOR chronici montis Sereni* narrat *ad annum* 1135. *Imperator Lotharius, aſſumtionem S. Mariæ in Mersburg celebrat. Ubi Bolislaus, dux Poloniæ, & Othelmus dux Bohemiæ cum cæteris principibus adfuerunt; ubi etiam Bolislaus gladium imperatori reportavit.* GÖBEL. De Henrici expeditione in Polonos evolvi etiam poteſt *URSPERGENSIS ad ann.* 1109. De Lothario autem a Polonis tributum poſtulante, agit *chronicon montis Sereni ad ann. 1135. p. 14.* & *ENGELSHUSII chronicon* apud *LEIBNITIUM tom. II. ſcriptorum rerum Brunſuicenſium p.* 1098.

(c) *L. 7. c. 36.*) *C. A. E.* Autor chronici montis Sereni ad annum 1106. ſcribit: *Fratres Uladislai ad reſiſtendum parati, ſemitas obſervantes, regem, ſeu Conradum imperatorem ingredi prohibebant. Tandem conſilio Adalberti & Conradi Marchionis, obſidibus viciſſim datis, regem adeunt & promiſſa pecunia PATRIAM AB IPSO SUSCIPIUNT, juniore fratre obſide dato.* GÖBEL. Polonici ſcriptores in vanum contendunt, munera tantum Conrado & aulicis data, ut belli moles a Polonia averteretur. *DUGLOSSUS lib. V. p. 478. CROMERUS lib. VI. p. 497. SARNICIUS lib. VI. p* 1069. *ſeqq. KADLUBKO lib. III. epiſt. XXXI. FLORUS POLONICUS lib. II. c. 8. HERBURTUS DE FULSTIN p.* 80. 81. Rebellionis cujusdam alius Poloniæ ducis meminit. ENGELSHUSIUS in Conrado apud *LEIBNIT. p.* 1101.

(d) *Fidelitatis ſacramentum*) GÖBEL. Cauſas belli, quod Fridericus in Polonos moliebatur, ſequentes a *DUGLOSSO lib. V. p.* 493. præter Wladislai reſtitutionem, quam Fridericus graviter urgebat, allegantur cauſæ: quod *Poloniæ duces cæſaris imperio recalcitrabant, ſacramentum fidelitatis præſtare & tributum quingentarum marcarum argenti annis ſingulis ærario imperii inferre ab eis exigenti negabant, ſatius ducentes mori, quam Poloniæ regnum ſubjici tributis.*

„cujus in poteſtate ſit Romanum imperium. Imperator jamdudum edoctus hanc nobilitatem,

Parcere proſtratis & debellare ſuperbos,

„præmaturam, ſubitam, & a Deo datam nolens cruentare victoriam, ducem ad deditionem recipiendum decrevit. Itaque in prædicto territorio epiſcopatus Poſnanienſis circa partes *Criſgonva*, (a) præfatus dux pedibus imperatoris provolutus, interventu principum hoc tenore in gratiam receptus eſt, primo juravit pro ſe & pro omnibus Polonis, quod frater ſuus exul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulſus. Deinde pollicitus eſt dare duo millia marcarum imperatori & principibus mille, imperatrici 20. marcas auri, curiæ 200. marcas argenti, ob eam negligentiam, quod ad curiam non venerat, nec de terra DEBITAM FECERAT FIDELITATEM. Juravit quoque Italicam expeditionem. Deinde juravit, ut in proxima nativitate domini ad curiam Magdeburgi celebrandam venire deberet, *juxta judicium & ſententiam* (b) Bohemorum & Polonorum ſuper querimonia fratris ſui expulſi plenarie reſponſurus. Sicque jurata principi FIDELITATE, ſicut mos eſt, & de ſupradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obſidibus, Gazimiro videlicet fratre ducis & aliis nobilibus, glorioſam adeptus victoriam, feliciter Deo duce Auguſtus revertitur. Ipſe tamen dux dolis plenus & acerbam dominationis cupidinem mente ferens, jam ſuis promiſſionibus moliebatur inſidias. Nam nec ad curiam venit, nec ſufficientes pro ſe procuratores miſit, Italicam quoque expeditionem violato ſacramento mentitus eſt.„ Hæc omnia Radevicus. Ex quibus, quænam fuerint jura Germaniæ iſta quidem ætate in Polonos, pulcherrime eſt perſpicere.

16. Fatetur Cromerus, tributum poſtulaſſe Fridericum & negatum a Bolislao: addit vero inepte, tributum forte pollicitum fuiſſe exulem Vladislaum, qui per cæſarem volebat reſtitui. Adeo inviſum homini eſt, tributum ex more & lege imperio pendere Poloniam ſolitam. Non memorant annales noſtri Bolislaum plene ad officium rediiſſe. Ego tamen non dubito: quum videam a Friderico cæſare omni ſecuto tempore nihil in Poloniam tentatum eſſe; quem tamen injuriarum impatientiſſimum, ſtudioſiſſimumque jurium imperii, ſimul vero & a viribus inſtructiſſimum fuiſſe, ſatis conſtat. Sed & tradunt Poloni, pacem tandem *hiſce legibus* (c) conſtitutam: ut Vladislaus exul ad Sileſiæ modo dominatum reſtituatur, cæteris ſe abſtineat: & ut Bolislaus una cum fratribus trecentos haſtatos equites Friderico imperatori in auxilium ad Mediolanenſe ſive Longobardicum bellum mittat. Et quo firmior pax eſſet, Adeleidam imperatoris ſororis filiam a Miecizlao ductam. Cæſarem autem in bello Italico adjutum fuiſſe Polonorum auxiliis. Quæ ſi vera ſunt, nova utique conventio quædam facta, & Bolislaus in gratiam receptus eſt. Iidem Poloni memorant, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio inſtante apud Bolislaum Friderico imperatore, cum is ab Italica expeditione capto Medolano revertiſſet, Vladislai jam defuncti filios ab exilio revocatos, Sileſiam omnem, quæ continentibus ſylvis a reliqua Polonia dirimitur, usque ad Bohemorum Miſnenſiumque fines in ditionem ſuam accepiſſe, & hac adeo origine *Sileſia duces* (d) cœpiſſe. Id quod magnum iterum eſt argumentum, ſalvæ in Polonos cæſareæ auctoritatis. Per eadem tempora conſueto more ſoluta etiam tributa eſſe, ſignificat Helmoldus, quem circa annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſua ſcripſiſſe, ex ultimis duobus capitibus l. 2. ſatis perſpicuum eſt. Is enim de Polonia ita loquitur cap. 1. l. 1. *Polonia magna Slavorum provincia, cujus terminum in Ruzia regnum dicunt connecti: & dividitur in octo epiſcopatus. Quondam habuit regem, nunc autem DVCIBVS* (e) (diviſa ſcilicet in partes) *gubernatur. SERVIT & ipſa ſicut Boemia, SVB TRIBVTO* (f) *imperatoriæ majeſtati.* Totidem pene verbis hoc habet auctor chronici Slavor. Lindenbrogianus cap. 2. Feruntur tamen Friderici I. cæſaris *tabulæ Regionoburgi.* (g) anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono conſcriptæ de regia Bohemo collata dignitate: in quibus tributum, quod hactenus ex Polonia fiſcus cæſaris acceperat, Bohemiæ regibus tribuitur. Germanice verſas exhibet illas Goldaſtus parte 2. *Reichsſatzungen* pag. 13.

17. Ne cum Friderico quidem exſtinctam imperii auctoritatem, argumento mihi eſt, quod Poloni non ſecus atque Bohemi Ottone IV. cæſare anno milleſimo ducenteſimo nono ad Comitia imperii vocati venerint. Luculenter id teſtatur Arnoldus Lybecenſis ſcriptor σύγχρονος & forte αὐτόπτης l. 7. cap. 18. *Sequente anno* (is erat ille quem diximus) *INDICTA EST CVRIA* (h) *in Aldenburg. Illuc convenerunt Myſnenſes & Cunenſes, POLONI quoque, Bojemi, & Ungari: ibique multis negotiis determinatis & pace jurata, quæ in omnibus curiis firmata eſt, dominus rex faciem ſuam convertit in Brunswich.* Ipſe cæſar Fridericus in iis tabulis, quibus regnum Bohemiæ anno milleſimo ducenteſimo duodecimo plurimum ornavit, ita verbis conſtituit: „De noſtræ liberalitatis munificentia ſtatuimus: „quod illuſtris rex Bohemiæ prædictus vel heredes ſui ad nullam curiam noſtram venire teneantur,

(a) *Criſgonva*) *C. A E.* Videtur indicari Crosmera, ſatrapiae Breſtenſis urbs in Cupavia. Conferatur STARIVOLSCIVS *l. de rep. Pol. pag. 38.* editionis meæ Brunſuicenſis.

(b) *Juxta judicium & ſententiam*) *C. A M.* Olim hic mos obtinuit, ut judicia ſemper peragerentur a paribus curiæ. Ita judicia ruſticorum ab aſſeſſoribus ruſticis, principum a principibus, feudalia a feudalibus. Vide *diſſert. de judic. Germaniæ.*

(c) *Hiſce legibus*) GöBEL. *KADLVBKO lib. 3. epiſt. 31. DVGLOSSVS l. 5. p. 405. CROMERVS lib. VI. p. 499.*

(d) *Sileſiæ duces*) GöBEL. Conſ. HENELII *Sileſiographia part. 2. c. 8. §. 68. p. 219.*

(e) *Ducibus*) *C. A. M.* Non duce: Nam & Sileſia ſuos habebat duces & Maſovia & Polonia major & minor.

(f) *Sub tributo*) GöBEL. ANONYMUS *chronici Stederburg. apud Meibomium p. 278.* ſequentia habet: *Fridericus imperator in Poloniam profectus, provinciam cum duce ſuo honorifice in deditionem ſuſcepit.* GOBELINUS *in Coſmodr. ætate 1. p. 8.* Poloniam inter Germaniæ provincias numerat. HARTKNOCH. *l. c. p. 53.*

(g) *Tabula Regionoburgi*) GöBEL. Diploma authenticum a Carolo IV. imperiali ſigillo munitum in archivo Carlſteinenſi aſſervari, teſtatur BALBINUS *lib. 3. hiſtor. Bohemica c. 5. p. 209.*

(h) *Indicta eſt curia*) *C. A. M.* Comitia imperii.

„ tur, niſi quam nos apud Bamberg vel Nurnberc celebrandam indixerimus, vel ſi apud Merſe-
„ burc curiam celebrare decreverimus, ipſi ſic venire teneantur. Quod ſi DVX POLONIÆ VO-
CATVS acceſſerit, ipſi (reges ſcilicet Bohemiæ) *ſibi ducatum præſtare* (a) debeant, ſicut anteceſſores
„ ſui quondam Bohemiæ reges facere conſueverunt, ſic tamen ut ſpacium ſex hebdomadarum ve-
„ niendi ad prædictas eis ante præfigatur.

18. Saltim itaque comis reverentia imperii ſuperfuit in Polonia usque ad infelicia illa tempora, quando cum Friderico II. cæſare *priſca cæſarum auctoritas* (b) & Germanici imperii decus concidit. Et vero poſtea demum auſa eſt Polonia Præmislao auctore regiam ſibi dignitatem *vindicare.* (c) Ut proinde jure affirmaveris, Poloniam ab Ottonis magni ævo usque ad Fridericum illum ſecundum, tantum non ſemper & ſubjectam fuiſſe & tributariam imperio Germanico. Nec enim illam obſequii originem ab Henrico demum III. repetendam eſſe, quod facere videtur Otto Friſingenſis, ſatis oſtendimus.

19. PRIVS hinc quam abeamus, adferemus Radevici verba ex l. 1. c. 1. de limitibus Polonis, qui tum fuerunt. *Eſt*, inquit, *Polonia quam habiti modo Slavi inhabitant, ſicut placet his, qui ſitus terrarum deſcriptionibus notant, in finibus ſuperioris Germaniæ, habens ab occidente Oderam fluvium, ab oriente Viſtulam, a ſeptemtrione Ruthenos & mare Scythicum, a meridie ſylvas Bohemorum.* Unde liquet, Pomeranos aliquos ut & novæ marchiæ partem Poloniæ tum accenſita. Mare enim Scythicum eſt illud, quod hodie orientale aut Balticum audit. Rutheni ſi Ruſſi ſunt, haud apparet, qui illi a ſeptemtrione Polonos clauſerint. Sed videtur Radevico non ſatis nota terræ illius omnis ratio; quin ipſe id indicat: eoque non etiam eſt, cur illi ut & illum ſecuto Gunthero, hac in re tuto credamus.

Hermanni Conringii de finibus imperii Germanici liber ſecundus.

Caput XIX.

Facta digreſſione ſternuntur fundamenta dijudicandi juris amiſſarum imperii poſſeſſionum.

1.

Hactenus fines imperii Germanici ita deſcripſimus, ut quemadmodum quidem ſe illi ad Friderici II. cæſaris tempora usque habuerint, ſimus proſequuti: ibi vero quaſi ſubſiſtentes ſecutorum temporum nullam pene rationem habuimus. Fecimus vero illud haud temere, aut quod arbitremur ſatis jam factum officio noſtro. Nam utique id maxime nobis expediendum cenſemus, quæ hodie demum ſit conditio imperii finium, & hunc in uſum potiſſimum a prima usque origine omnia arceſſivimus; quod ſcilicet ita denique noſtri temporis jura clare omnibus pateant, ſi quibus illa exordiis cœperint, ex tenebris, quibus involuta ſunt, in apertam lucem fuerit protractum. Deſiimus autem in Friderico illo cæſare, quod ad illum usque priſca imperii Germanici facies, priſcique adeo limites ſibi *ſic ſatis recte* (d) conſtituerint. Exinde vero non gradu, non curſu, ſed præcipite quodam lapſu corruens propemodum reſpublica ſimul & fines vehementer turbavit pene ubivis, alibi confudit, alibi tantum non omnino perdidit. Sane *& ſi quos acquiſivit*, (e) iterum perdidit. Ut longe ſit difficillimum, eos hodie citra cujusquam injuriam diſcernere.

2. Ea res nos cogit, prius reliqua quam pertexamus, in parte operis præfari nonnihil, & hiſtoriæ filo quaſi abrupto, in *publici juris philoſophiam*, (f) non multis tamen, ut ita loquamur, paſſibus

(a) *Sibi ducatum præſtare*) *C. H. M.* Ipſum deducere.

(b) *Priſca cæſarum auctoritas*) GÖBEL. Vid. HARTKNOCH. *p. 53.* Polonorum cauſam SCHVLZIVS *in tractatu hiſtorico-politico de Polonia nunquam tributaria*, peroravit. Sed liber iſte ad rationes ab autore noſtro adductas evertendas non ſufficit. Conf. *annotat. ad* HENELII *Sileſiograph. part. 1. p. 99.* in libello autem, cui perſonati MARINII nomen præpoſitum, hoc non pertractat argumentum, quod auctori antedictarum annotationum creditum videtur, ſed alium a Conringii ſententia Poloniæ vindicat ſcopum.

(c) *Vindicare*) *C. A. E.* Hinc fortaſſis MATTHÆVS PARISIENSIS ſcriptor Anglicanus, ſive ejus continuator, Richardi Angli cæſaream electionem narrans, in hiſtoria anni 1257. inter Germaniæ magnates recenſet ducem Poloniæ. GÖBEL. Vinculo igitur illo, quo Germania olim ſibi Poloniam obnoxiam habuit, jamdudum valedixit, & Poloniam pro gente plane libera habuit, & cum ea, ut tali, egit.

(d) *Sic ſatis recte*) *Conr. annot. mſcr.* Nam jam tempore Henrici IV. magnum ceperat detrimentum.

(e) *Si quos acquiſivit*) *C. A. MSpt.* Tempore nempe Friderici II. Pruſſiam & Livoniam.

(f) *Publici juris philoſophiam*) De jure tum privato tum publico poteſt aliquid tradi philoſophice, ex argumentis nempe petitis ex certis fundamentis omnium rerum. Deinde ex fundamentis aliquibus poſitivis. Ego autem non de poſterioribus fundamentis, ſed de prioribus, æternis nempe, agam. In omnibus controverſiis rerumpubl. tria ſunt expedienda: (1) Ut ſimus certi de juribus, ad quæ res controverſæ expendendæ. (2) Factorum notitia adeſſe debet. Illa enim ad jura ipſa expendenda requiritur. (3) Ut bona fiat collatio factorum cum juribus. Si hæc tria probe ſeſe habent, omnia probe ſe habent expedita. Ad hunc enim modum in privatis quoque controverſiis proceditur. Noſcendæ enim ſunt 1) leges. 2) Factum ipſum. 3) Collatio facti cum juribus, ad quam multum peritia logices confert, quæ judicium tribuit. Monui hoc ipſum in libello, quem edidi *de controverſiis Sueco-Polonicis*. Sæpiſſime enim hi (1) non ſunt ſatis periti juris, (2) non ſatis periti rerum geſtarum, (3) deſtituuntur arte logica, ut nihil poſſint cum judicio conferre, & unum ex alio deducere. Res geſtas hactenus expoſui: ipſa igitur jura non ſunt prætereunda. Jura autem hæc talia non in hac tantum materia, ſed aliis quoque uſum maximum præ-

paſſibus,(nec enim id fas fuerit) ſed aliquantulum digredi. Enimvero multis in locis limitum priſcorum poſſeſſione excidiſſe imperium, id quidem vacat controverſia; ſed num haut ſuperſint recuperandi jura, adeoque an liceatne jure illa vindicare rurſum, merito dubites. Jubet autem inſtitutum noſtrum, ut non tantum de poſſeſſione ſed & de ipſis illis poſſidendi juribus ſimus ſolliciti. Eſt vero hoc expeditu nonnihil difficilius: quandoquidem quid in ejusmodi negotiis juſtum ſit æquumve, præclariſſimorum virorum diſſidentibus ſententiis perquam dubium ancepsque redditum eſt. Operæ itaque pretium facturi videmur, ſi antea, quam pergamus, brevibus indicemus, quid ipſimet nos juri æquitative omnibus in univerſum iis in rebus conſentaneum exiſtimemus: ut ad illa directis oculis, procul amore, procul odio, imperii limites deinceps eo promptius conſtituamus.

3. I. *PRINCIPIO* (a) igitur, ut acquirendæ ita & amittendæ poſſeſſionis juri inter liberas civitates ac reſpublicas non alia arbitramur intercedere, quam illa, quæ vel natura *omnibus hominibus* (b) injunxit, vel mutuo quodam conſenſu *gentes moratiores* (c) pepigere. Argumento eſt, ipſamet omnium qui ſui ſunt juris populorum *αὐτονομία*, quæ utique ſignificat omnes illos nullis teneri civilibus legibus, niſi in quantum velint. *Eoque ne quidem* (d) etſi inter ſuos cives populi plures easdem obſervent civiles leges, non tenentur tamen iidem inter ſe mutuo easdem obſervare, niſi

ſtant. GöBEL. Per philoſophiam juris publici autor intelligit leges illas æternas, quas jus naturæ & gentium dicimus. Nec male etiam hæc philoſophiæ veræ & non ſimulatæ, quam jureconſulti tradunt, pars, *jus publicum univerſale* vocatur. Tria autem iſta in dijudicandis gentium controverſiis eſſe neceſſaria, ipſa rei natura oſtendit. Nam leges non poſſunt recte applicari, niſi factum ſecundum omnes ſuas circumſtantias cognitum habeamus. Sic & legum, quas ad factum applicare volumus, ſcire & intelligere debemus ſenſum. Et licet hæc duo adſint, facultate autem judicandi & jus ad factum applicandi ſi quis deſtituatur, inepte ad hanc accedit ſpartam. Facultas autem judicandi tria habet principia, *naturam*, *artem & exercitationem.*

(a) *Principio*) *C. A. M.* Controverſiæ poſſunt oriri aut inter cives unius reipublicæ, aut cives plane liberos. Priores exiguntur optime ad jura civilia cujuslibet reipublicæ. Ita ſi tu vivas in Dania, res controverſa judicanda ſecundum leges Danicas. At vero de illis nobis hic non eſt ſermo. Nec enim Germaniæ, ſi quæ controverſiæ ſunt, cum adjacentibus regnis, ſunt controverſiæ inter cives unius reipublicæ, ſed liberos populos. LIBERI NAMQVE NOS GERMANI SVMVS, ET NISI DEVM NON AGNOSCIMVS SVPERIOREM: Facile igitur apparet, non debere illas controverſias exigi ad ea jura, ad quæ controverſiæ privatæ. Jura autem divina poſitiva eandem vim habent apud omnes homines, quam jura naturæ, etiamſi non ſint jura naturæ. Jam dico ſic: Controverſiæ, quæ oriuntur, debent expendi ad illa jura, quæ obligant; ſi inter privatos, ad ea, quæ obligant privatos, ſi inter liberos, non niſi ad naturæ & gentium jura. Civilium hic nulla habetur ratio. Jura autem gentium ſunt duplicis generis; alia eadem cum juribus naturæ, & dicuntur *jura gentium primæva*, (2) *Mere arbitraria.* Ita olim quædam fuerunt juris gentium, quæ hodie non ſunt, ut bello captum eſſe ſervum. Olim is, qui bello erat captus, æque a ſuis civibus habebatur ſervus, quam aliis excidebatque talis aliquis poſſeſſione, & non poterat recuperare bona, niſi *poſtliminio.* Hodie qui capitur bello, æque rerum ſuarum dominus eſt, ut antea, poteſtque ſuis imperare, ut pretio ſe redimant. Ex quo Germanæ gentes inundaverunt imperium Romanum, multa Germanica inſtituta facta ſunt jura gentium Europæicarum. DION. HALICARNASSEVS notat de Græcis, eorum inſtituta facta juris gentium, quod etiam in Germanicis legibus accidit. Qui eſt liber, non tenetur alterius populi civilibus inſtitutis. Atqui hic populus & ille &c. Ergo non tenentur &c. GöBEL. Sunt in hac autoris annotatione, quæ elucidatione indigent. Quando enim ait, jura poſitiva divina eandem vim apud omnes homines æque ac jus naturæ habere, id non de jure poſitivo particulari, quod tantum Judæis datum, GROTIVS *de jure belli & pacis l. 1. c. 1. §. 16.* ſed de jure poſitivo univerſali ſive legibus Adamo & Noæ datis, ut narrant Hebræorum magiſtri, intelligit. Talia Noachidarum præcepta, omnes homines æque ac jus naturæ obſtringentia, dari, GROTIVS l. c. & SELDENVS aſſerunt. *Hic lib. 1. de jure naturæ & gentium juxta diſciplinam Hebræorum c. 10.* eorum ſeptem illuſtriora ex Judæorum mente recenſet: nempe 1) agit de cultu extraneo 2) de maledictione nominis ſanctiſſimi ſeu Numinis, 3) homicidio, 4) de turpitudine ex concubitu 5) de furto ac rapina 6) de judiciis ſeu regimine forenſi ac obedientia civili; 7) de membro animalis viventis non comedendo. Priora ſex Adamo, ultimum Noæ, promulgata eſſe dicuntur. Quanquam Dn. THOMASIVS omnibus his Rabbinorum placitis non ſubſcribat; acceſſit tamen in *jurisprudentia divina lib. 1. c. 2. n. 120.* affirmantium ſententiæ, nimirum dari jus poſitivum univerſale juri naturæ contradiſtinctum: ſed mutavit deinde opinionem. Mihi videtur negantium ſententia veritati eſſe convenientior. Omnis enim veritas divina aut lumine *rationis*, aut lumine *revelationis* nota eſt. Sed lumen naturæ tale jus poſitivum univerſale ignorat, & lumen revelationis inter *præcepta poſitiva ſingularia & univerſalia* non diſtinguit. Certum eſt, quæ juris poſitivi univerſalis dicuntur, aut ad juſtum naturale, ſive ſimplex ſive hypotheticum: HOBBES *de cive cap. 4. 5* aut honeſtum & decorum, vel pudorem, ut loquitur VELTHUYSEN in tractatu *de pudore & dignitate naturali tom. 1.* APP. *p. 165. ſeqq.* ſpectare. Vide THOMASII *fundam. juris natur. l. 3. c. 2.* aut denique ad jus poſitivum divinum ſingulare referri. Porro admittit Auctor noſter cum aliis nonnullis diſtinctionem inter jus gentium primævum & ſecundævum: verum, quæ juris gentium ſecundævi eſſe dicuntur, juris proprie dicti nomen non merentur. THOMASII *jurisprudent. divin. l. 2. c. 2. §. 104.* Et ſi per primævum ipſa prima naturæ intelligimus, per ſecundævum autem, quod recta ratio inter omnes gentes peræque conſtituit, manifeſtum eſt, juris ſignificationem in primævo admodum eſſe impropriam. Ceterum obſervari meretur, in legum Romanarum libris gentium jus nonnunquam idem eſſe, quam jus civile pluribus gentibus commune, quod rebus quibusdam moralibus aut originem dedit aut certa tantum deſcripſit forma.

(b) *Omnibus hominibus*) GöBEL. Non autem, quæ jus naturæ permiſit, negligenda ſunt, quoniam occurrunt controverſiæ, quæ ex licitorum regulis decidi debent.

(c) *Gentes moratiores*) GöBEL. Gentium dantur pacta & mores, non jus proprie dictum, juri naturæ contradiſtinctum, ut minus recte putat GROTIVS de J. B. & P. *lib. 2. c.* 1. *§.* 14. cum gentes, quarum una ab altera non dependet, vivant in ſtatu naturali & æqualitatis. HOBBES *de cive c.* 14. BöCLER. *ad Grot. l.* 1. *c.* 1. *§.* 14. PVFFENDORF. *de I. N. & G. lib. 2. c. 3.* THOMAS. *Inſtit. J. D. lib.* 1. *c.* 2. Nec non actus, quos juri gentium peculiares tribuunt, aut ſunt recte intellecti juris naturalis aut pendent ab arbitrio principis. Omittendum fuiſſet *moratiores.* Nam omnibus gentibus fides ſervanda, & una gens intuitu ſuorum morum, quos alia non amplectitur, eam male moratam & barbaram appellare ſolet. Vide ZIEROLDI diſſertationem *de prærogativa barbarorum populorum præcultioribus.*

(d) *Eoque ne quidem*) *C. A. M.* Poteſt fieri, uti aliquot populi habeant communia quædam jura civilia poſitiva. Quæritur, ſi controverſia oriatur inter eos, an ex iis legibus debeant decidi? Videtur hoc eſſe valde æquum, ut nempe populi liberi teneant hoc pro juſto & æquo, quod cenſuerunt juſtum & æquum: ſed mihi ſecus videtur,

niſi ita placeat: utpote cum meri ſit arbitrii, in quantum populus aliquis liber civilibus juribus adſtringi velit nec ne. *Unde porro* (a) conſequens eſt, Romana etiam jura, (quæ quidem eorum mere ſunt civilia & a naturæ ac gentium aliena inſtitutis, quanquam in variis ſint rebuspublicis ad civium uſus recepta, illas ipſas tamen reſpublicas haud obligare, ad controverſias, ſi quæ inter eas ortæ fuerint, decidendas. *Non enim Romana jura* (b) in univerſum omnia, etſi haud adverſentur naturæ legibus, pari cum legibus illis ſunt auctoritate. Plurima quippe eorum ideo juſta ſunt quod non injuſta, reipublicæ vero Romanæ utilia fuerint, non autem, quaſi quæ ab illis abeunt, injuſta ſint: ut juſti vox eſt πολύσημος. (c) Nec eadem illa jura pro gentium juribus haberi merentur, ut ridicule nonnulli cenſent. Utique enim multæ gentes moratiores ipſiusmet Europæ noſtræ illa in ſuas reſpublicas haud admiſerunt: aliæ omnes non niſi quædam eorum approbavere & quidem alia atque alia, longe maximam partem rejecerunt: omnes item ſui arbitrii fecerunt mutare admiſſa in uſum, ſi ratio poſtulet; ac proinde nulla omnino gens hactenus legibus Romanis in univerſum ſeſe obſtrinxit, tantum abeſt, ut in earum obſervantiam gentes omnes conſenſerint. Haud me latet, poſſe hæc videri nonnullis παραδοξότερα, longe tamen eſſe veriſſima, pridem obſervatum eſt a longe præclariſſimis ſcriptoribus haud paucis: quos inter honoris cauſſa Ferdinandum Vasquium & Hugonem Grotium, viros ſummos, nunc laudare ſatis eſt pro inſtituto.

4. II. Non minus porro quam res alias, integras quoque regiones & populos ſubditos (ſi quidem vere in ditione ſint,) *ab eo, penes quem* (d) civitatis alicujus ſumma eſt poteſtas, libere per donationes, per venditiones, per ſimplices permutationes, aliosque receptos modos transferri poſſe exiſtimamus. Haut deſunt, fateor, qui id iniquum cenſent, propterea quod liberos homines in commercium venire ipſi repugnet libertati. Nonnulli cauſantur, quod omnis reſpublica in populi uſum conſtituta ſit, ejusmodi autem alienationes populo ſumme ſint noxiæ, adeoque nulli poteſtati fas eſſe transferre ita populorum regionumque dominia in eorum detrimentum. Cæterum pro nobis facere omni ævo & paſſim terrarum receptos mores, manifeſtum eſt. Nec vero latere id poteſt cuiquam hiſtoriæ humanarum rerum perito: imperitiorem uberrime doceant ſaltim

---

quoniam tales leges civiles mere ſunt arbitrariæ. In libera itaque populi poteſtate eſt, quatenus illis velit obligari. Ita in populi alicujus arbitrio, leges inſtituere, quæ non totum obligant populum, ſed tantum partem.

(a) *Unde porro*) *C. A. M.* Jura romana & olim fuere alia atque alia ante tempora Juſtiniani, hodie vero ejus nomine audiunt, quæ continentur corpore Juſtinianeo: ſi reſpicias ad priſca jura, longe alia fuerunt, ut vel ex LL. XII. tabularum patet. Porro occurrunt in iis multa, quæ ſunt juris naturæ, multa juris gentium, multa, quæ mere civilia, conſtituta in uſum reipublicæ romanæ. Et hoc in omnibus licet obſervare legibus gentium moratiorum. Ita quæ in legibus Moſaicis habentur, ſunt pleraque juris naturæ, ut omnia in Decalago, ſi illud excipias *de ſabbatho*. Alia ſunt gentium, alia mere civilia. *Audi Iſraël, dicit Dominus*, Ita & cum jure Juſtinianeo ſe res habet. Ex quibus principiis illa jura naturæ ſint petenda, alias dicam. Jam quæ ſunt in iis juris naturæ, obligant omnes homines, aſt non in quantum ſunt leges romanæ, ſed quatenus naturæ. Ita & ſe res habet in juribus gentium. Sed de mere civilibus quæritur, an illæ vim habeant obligandi liberos populos. Hoc eſt, quod nego, quoniam arbitrariæ ſunt & receptæ ab illis in uſum, quatenus voluerunt. Uti igitur liberrimo arbitratu receperunt, ita rejicere ipſis liberum eſt. GÖBEL. Non leges civiles unius gentis aliam gentem, quæ ei non ſubeſt, obligant: ſed præcepta & conſilia juris naturæ omnibus gentibus actionum norma ſunto. CUMBERLAND *de lege naturæ ejusque obligatione c. 5. p. 304.* SCHAROCKIUS *de officiis c. 2. p. 84.* GROTIUS de J. B. & P. *lib. 1. c.* 1. §. 1. Multa tamen ſunt in juris civilis romani voluminibus, quæ ſummam habent æquitatem, igitur a permultis Europæis gentibus in ſua fora, ut ſubſidiarium ſaltem jus, introducta ſunt. Vid. *ARTHUR. DUCK de uſu & autoritate juris civilis romani in dominiis principum Chriſtianorum.* STOCKMAN. *deciſ.* 1. *Brabant. Maurit. de uſu librorum juris comm.* Nec in decidendis gentium controverſiis omnem ipſis abrogandum uſum, WERLHOFIUS in peculiari de hoc argumento conſcripta docuit *diſſertatione*.

(b) *Non enim Romana jura*) *C. A. mſpta.* Multi exiſtimant, jura romana eſſe eadem cum naturæ juribus, quia æquitati conſentanea. Negamus majorem. Nam conſentaneum & juri naturæ eſt, quod non eſt diſſentaneum. Ita non contradicitur juri naturæ, ſeptem habere teſtes in teſtamento, nam apud Hebræos duo tantum erant. Utrumque juri naturæ conſentaneum. Neutrum autem eſt juris naturæ; permiſſa enim ſunt hæc liberrimo arbitrio humano. Omnes leges Moſaicæ non adverſantur legibus naturæ; poſſes ita dicere, omnes homines iis obligari. Vox juſti eſt ambigua: (1) Dicitur id juſtum, quod non eſt injuſtum, nec repugnat juri naturæ. (2) Quod jus naturæ mandavit. Dico igitur omnia jura romana juſta priori modo, non poſteriori. Alii exiſtimant, jura romana eſſe jura gentium, quod nego. Jus enim gentium eſt, quod obligat gentes. Receperunt itaque tot gentes romana jura. Reſpondetur: ſi eſſet juris gentium, non foret in arbitrio, rejicere. Exſtat libellus ARTHURI DUCKII, hominis Angli, de *jure romano & ejus obligatione.* Non apud Moschos, non apud Suecos nec Ungaros obtinent jura romana, & quæ illi habent eadem cum juribus Romanorum, illa profecta ſunt non ex legibus romanis, ſed legibus naturæ. Profecto ſi reſpublica deberet conformari in totum legibus romanis, omnibus rebuspublicis certiſſimum impenderet exitium. GÖBEL. Ipſe ARTHURIUS DUCK. *l. c. l. 2. p.* 461. teſtatur, apud Suecos pauca exſtare legum romanarum indicia. LOCCENIUS *in præfatione ſynopſis juris ad leges Suecicas accommodata*, ab Autore noſtro tradita egregie corroborat. *Non enim leges*, inquit, *romanas ac alias peregrinas ideo cognoſcimus, ut earum autoritatem & ſanctionem, ſed æquitatem naturalem omnibus communem* (quæ in *ipſis rerum argumentis obtinet*) *quoties opus eſt, ſequamur.* Quod ad Moſcowiticas attinet leges, inter eas & romanas convenientiam aliquam oſtendere molitus eſt Dn. GEORGIUS ENGELBRECHT, tum Juliæ noſtræ JCtus, jam in ſupremo, quod Cellis eſt, tribunali conſiliarius: ſed idem de hac convenientia, quod Auctor noſter de legum Suecicarum cum romanis harmonia concedit, dicendum eſt, nimirum illas quatenus æquæ ſunt, ex eodem principio, id eſt jure naturæ, profluxiſſe. De legibus vero Hungaricis nonnulli teſtantur, illas ex cæſarei & canonici juris fontibus promanaſſe. ARTHUR. DUCK. *p. 419.* qui idem de Danicis legibus p. 455. aſſerit.

(c) Πολύσημος) GÖBEL. Vid. GROT. *de J. B. & P. lib.* 1. *c.* 1. §. 3. 4.

(d) *Ab eo, penes quem*) C. A. M. Civitatis poteſtas non ſemper eſt penes eoſdem. Interdum penes unum regem, interdum penes multos aut optimos, aut nobiles, aut penes omnes. Multi enim ſunt, qui credunt, omnibus rebuspublicis populum imperare, ſed iſti oppido falluntur, & exitium ſua ſententia rebuspublicis introducunt. Sunt nonnulli, qui credunt, repugnare hoc juri naturæ, his freti argumentis: 1) Quiquid repugnat naturali libertati illorum, qui vivunt in civili ſocietate, illud non eſt juri naturæ

ſaltim quæ congeſſit Grotius l. 1. de jure belli ac pacis cap. 3. n. 12. & ad locum illum in annotatis. Quod, minimum juri gentium conſentaneam eſſe transferendi illam facultatem, certo eſt indicio. Juri vero naturæ etiam haud illam adverſari, ſignificat Salomonis factum, qui viginti urbes omnemque adeo terram Chabul & a ſocero Ægypti rege dotales accipere & Hiromo Phœnici donare haud dubitavit, non improbante id ipſum divino numine, haud connivere ſolito ad inhoneſta vel quod perinde eſt, naturali juri repugnantia facinora. Sed & ratio juris illius haud obſcura eſt, ſi attendas, eorum, quod vere in ditione imperantium eſſe ſit idem atque eſſe in patrimonio aut in plena proprietate; quæ liberam utique alienandi facultatem concedit. Et vero plane ſicut homines ſinguli aut pauci, ita & integer aliquis populus in domino alterius eſſe poteſt: nulla ſane eſt ratio, quare illud liceat, hoc non liceat.

5. Quod objicitur, liberos homines in commercio non eſſe, fatemur: aut omnem populum liberum eſſe & ſui juris, longe eſt falſiſſimum. Liber non eſt is, qui in alterius eſt ditione: de quo ſolo tamen nobis ſermo eſt. Etſi enim ille omnis non ſerviat infimam ſervitutem, in quantum tamen caret juribus majeſtatis quadamtenus ſervit, atque in jure & in poteſtate eſt imperantium. Varii nimirum libertatis & ſervitutis gradus ſunt ſpecieſque. *Falſiſſima* (a) etiam illa ſunt, etſi πολυθρύλλητα, omnem rempublicam ſubjecti populi uſum ſpectare, aut omnem ejuſmodi alienationem populo detrimentoſam eſſe. Datur enim civitatis aliquod genus idque haud injuſtum, quod non niſi per accidens populi commodum quærit, per ſe vero & potiſſimum ab im-

naturæ conſentaneum. Atqui translatio alicujus reipublicæ in alterius dominium repugnat naturali libertati. Ergo. 2) Quod populo noxium eſt, illud ipſum non licet exerceri ab eo, penes quem eſt reipublicæ alicujus poteſtas ſumma. Atqui translatio ejusmodi eſt populo noxia. Ergo. *Majoris probatio:* Quia ſummæ poteſtati nihil licet, niſi quod ad commodum populi faciat. Ergo probo (1) tales *translationes eſſe juri gentium conſentaneas.* Quodcunque ſemper receptum per omnes populos in univerſo orbe, illud eſt juris gentium. Atqui translatio unius populi in alterius dominium &c. Ergo. *Minor probatur*, quod neminem etiam latere poteſt rerum Germanicarum peritum, Oſnabrugæ & monaſterii utique translationes factas regionum; multa data Gallorum regi, multa marchionibus Brandenburgicis, Suecis de imperio &c. Adeoque nec hodie illud deſiiſſe & eſſe juris gentium, patet, ſed & olim obtinuiſſe, docet GROTIVS. (2) *Non adverſari juri naturæ.* Quicquid Deus non reprehendit, illud non adverſatur juri naturæ. Atqui tales translationes &c. Ergo. *Majoris probatio.* Deus non vetuit omnia, quæ permiſſa jure naturæ. *Minor.* Salomon rex acceperat a ſocero ſuo, rege Ægypti XX. urbes dotales. Has donavit aut pro munere potius operarum dedit *Hiramo.* Hiſtoria nota eſt ex 1. *Regum.* Itaque Salomon non dubitavit illas iterum dare regi Phœniciæ, & tamen Deus nullibi legitur hoc improbaſſe. Non dico autem, omnes, qui adminiſtrant rempublicam, tanquam magiſtratus habere tale jus. Ita in democratiis conſules quidem imperant, ſed tanquam magiſtratus officiarii, & his tale quid non licet. Contra vero alii in ditione habent populum. Hinc jam argumentor: Quisquis habet in ditione populum & in patrimonio, illi licet transferre, ut bona patrimonialia. At multi ita habent populum. Ergo. Liberi homines, in quantum liberi, non ſunt in commercio: in quantum, autem non liberi, eſſe poſſunt in commercio. Omnes ſubditi ex parte ſerviunt, ex parte vero alteri obligati, & quidem ita, ut alteri ex parte obligatus ſit ſervus. Filius familias patre mortuo eſt perſona libera. Interim tamen fieri poteſt, ut ſit ſub tutore. Perſona igitur libera, ſed ſecundum quid; non vero ex toto. Ad eundem modum ſe res habet cum ſubditis. In republica bene conſtituta omnes ſunt homines liberi; ſed in quantum tenentur obedire, non ſunt liberi. Hinc in veteri teſtamento hebræi ſuos agnoſcebant dominos. In priore igitur ſyllogiſmo allato negamus minorem, conceſſa majore. GöBEL. De malis, quæ ſententiam, quod *ſumma poteſtas ubique & ſine exceptione ſit populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur, & coërcere & punire liceat*, comitantur, agit GROTIVS *de J. B. & P. lib. 1. c. 3.* §. 8. Vide quoque HOBBESIVM *in Leviathane c. 19. 21 22.* Sunt tamen, qui putant, omnium aut plerarumque ſaltim rerumpublicarum ſibi caput conſtituentium, intentionem fuiſſe, illud habere rectorem & protectorem, non dominum; nec amplius decedere a libertate, quam in pacto huic fini conformi eſt, voluiſſe. Conf. VAN DER MüLEN *in comment.* ad citat. GROTII §. 8. MEMOIRES *de* LVDOW. *tom. 1. p. 27. tom. 3. p. 11.* BVCHNANVS *de regno Scotorum p. 3.* Cum principe itaque & aliis ſociis ad conſtituendum unum corpus concurrente mutua coaluerunt voluntate, illo autem, quo quid conſtitutum, modo, re in eodem ſtatu manente, ut eodem etiam diſſolvatur, oportet. Nec credi poteſt, in ſocietatem civilem confluentium mentem fuiſſe, ut a capite ſuo jus, quod illi in ſe conceſſerunt, pro lubitu alienari poſſit. Nam non indifferens eſt, cui pareamus, & talia pacta, ubi agitur de libertate cujusdam reſtringenda, ſtricte ſunt interpretanda. Et ſi reliqui ſocii ſuam aliter tueri non poſſunt ſalutem, quam a ſocio diſcedentes, eum derelinquere, non autem invitum alii cedere poſſunt. Vid. PARVTÆ *hiſtor. Venet. p. 7.* Rediit enim tunc ſocius ad ſtatum ſui juris, nec legibus ſocietatis & majoris partis amplius tenetur. GROT. *lib. 1. c. 3.* §. 13. 21. *lib. 2. c. 6.* §. 4. 18. & VAN DER MüLEN *in comment.* Excipiunt tamen hi æque, ac auctor noſter & PVFFEND. l. 5. c. 5. §. 1. præſuppoſitum regnum patrimoniale, de quo GROTIVS. *lib. 1. c. 3.* §. 12. & *HOBBES de cive c. 9.* agunt. Sæpe quædam fiunt, quæ juſte fieri nequeunt, & renunciant aliquando juri ſuo vel expreſſe, vel tacite, qui eo uti poſſent. Ceterum patrimonialia regna mere talia non dari, COCCEJVS non ſine rationibus aſſeruit. Vide ejus *autonomiam juris gentium c. 12.* Illud autem, quod de Salomone, civitates dotales conjugis ſuæ Ægyptiacæ alienante, ex Grotio traditur, huc non ſpectat. Enim vero illas urbes in alienationem conſenſiſſe, maxime veriſimile, cum haud dubie regi pagano, quam judaico ſubeſſe maluerint. Status controverſiæ hic eſt, an princeps ſubditos invitos, omiſſis, quæ de regno patrimoniali vulgo traduntur, jure & cum effectu alienare poſſit, ubi juxta præcepta æquitatis negativam, ob rationes ſupra adductas, omnino veriorem eſſe, arbitror. Quod reliquum, & illa conſequentia vacillat, factum aliquod in ſacra ſcriptura non eſt notatum ut injuſtum, igitur fuit juſtum. e. g. Lothi concubitus cum filiabus ſuis in S. S. non reprehenditur, & tamen turpiſſimus fuit. Ceterum, ſi ſubditi alienandi ſilent, tacite conſentiunt, imo pacto nonnunquam expreſſo reſpublicas moderantibus alienandi competit facultas.

(a) *Falſiſſima.*) C. A. M. Ad ſecundum argumentum reſpondetur: Major eſt falſa & minor. Major limitanda ita: quicquid detrimentoſum, illud non licet in illa republica, ubi ſpectatur utilitas populi. Duo enim genera ſumma reipublicæ. Aliæ reſpublicæ ſpectant utilitatem dominantium per ſe, ſubjectorum autem per accidens; aliæ quærunt ſalutem tantum populi. In prioribus itaque utique licet interdum ſummæ poteſtati agere, quod noxium populo, & utile imperantibus. Ita apud Athenienſes fuit reſpublica maxime popularis, ibi imperabant multis populis, & tamen penes unum illum populum Atticum fuit ſumma poteſtas. Ita & apud Romanos, quamdiu illi democratia uſi, fuit majeſtas non provincialis, quam Claudius aſſeruit demum in libertatem. Minor etiam eſt falſa: ſæpe enim fit maximo translatorum commodo. Integri enim populi maxime liberi tranſtulerunt ſæpe ſe in ditionem alterius. Argumentor ita: Quicquid populi ſæpe faciunt ſponte, illud non eſt ſemper noxium. Atqui tranſire populum in alterius dominium &c. Ergo. GöBEL. vid. GROT. de *J. B.*

imperantium, ſive unius ſive paucorum ſive complurium, facit utilitatem. Imo rempublicam nullam reperias quamvis maxime popularem, quæ non alat hujus conditionis homines, ejusque inſigni ſæpe multitudine. Nihil item prohibet, quo minus per alienationem res populi alienati non ſemper fiat deterior. Imo fieri poteſt, ut reddatur melior: perinde atque ſervus aliquis dum venditur, dominum durum ſæpe mutat benigno & molli. Qua de cauſſa nonnunquam ipſe meliorum populi integri in aliorum ditionem ſponte ſua concedunt, & quaſi in voluntariam ſe tradunt ſervitutem: puta, quod vel ſibi ab hoſte defendendis non ſufficiant, vel diſcordia civili defatigatis interſit parere potius aliis, vel preſſi egeſtate emere quaſi ſpontanea ſervitute ſibi cogantur copiam qua ſe ſuſtentent. Utque interdum noceat populo ejusmodi alienatio, non propterea etiam iniqua eſt, quoniam non ſemper, qui imperant, tenentur unice ſubjecti populi commodum quærere. Quantumvis igitur populi illi, qui hujus ſunt conditionis, ab alienationibus diſpendii aliquid patiantur, non minus tamen hoc æquo illis animo venit tolerandum atque ſingulari alicui ſervo, ſi domino vendatur, plagoſo aut iniquo. *Nec vero alienantium* (a) is ſemper animus eſt, ut ægre faciant populo, quem alienant. Sæpe neceſſitas jubet alienare & imperat invitis. Eoque etſi haud ſit fas ultro & ſine cauſſa vel ſervum unum vel populum aliquem in damnum conjicere: ſi aliter tamen non poſſis ſaluti tuæ conſulere, citra tuam culpam damnum illud eſt, præſertim ſi jure non tenearis noxam populi tuæ anteferre, quod omnibus in univerſum herilibus imperiis eſt commune. Imo in ejusmodi dominiis licet imperantibus commodum ſuum quærere, etiam cum aliquo incommodo ſubjectorum: utpote quum non teneantur illorum utilitatem ſpectare niſi per accidens & propter uſum proprium, adeoque ſubditi iſti ſint jure obſtricti in uſum imperantium, perinde atque ſervi dominis. Non idem tamen licet in civitatibus, quæ inſtitutæ ſunt cauſſa eorum qui reguntur, non autem eorum qui regunt. Heic enim primario utilitas quæritur populi, ſecundario autem duntaxat & per accidens imperantium. Eoque heic non eſt fas imperantibus, cum populi incommodo ſibi aliquid lucrari. Ne defendere quidem ita licebit ſua: injuſtum enim fuerit, id quod per accidens duntaxat quæri poterat, ejus, quod per ſe & primario petendum eſt, damno parare.

6. III. *Hiſce probe* (b) expenſis facilior jam eſt definitu illa etiam quæſtio; num talem aliquam alienationem fas ſit inſtituere populo inconſulto, aut etiam non probante. Nam qui alienationem admittunt illorum, plærique tamen conſenſum populi requirunt. Quo & Vaſquius propendet *l. 1. controverſ. illuſtr. cap. 5. n. 5.* & Gailius *l. 2. de pace publ. cap. 15. n. 13. & 14.* &, quod mireris, Grotius ipſe *l. 2. de jure belli ac pacis c. 6. n. 4.* At vero cum in herilibus quidem rebuspublicis ea fere ſit imperantium ratio, quæ dominorum in ſervos, haud videtur in iis quidem conſenſum populi poſtulari. In iis ſane ne quidem ſpeciem aliquam invenit Grotii argumentatio; voluntarie ſcilicet rempublicam coiiſſe perpetui boni gratia, eoque nec niſi voluntate eorum, quorum intereſt, dirumpendam ſocietatem. Ipſemet ſane agnoſcit illud herilium rerumpublicarum genus *lib. 1. c. 3. n. 8.* quas omnes non ita coire, ſed pleraſque ſi non omnes longe aliis legibus certum eſt. Suſpenſum eſſe ex conſenſu ſubjecti populi, adverſatur ei juri, quo poteſt imperans primario ſibi conſulere, & non niſi per accidens tenetur commodum quærere ſubditorum. Si herile itaque imperiorum genus juſtum eſt, conſenſum illum negligere etiam haud fuerit injuſtum. Vazquius enim in ipſa, quod ajunt, janua aberrat: utpote qui pro fundamento quaſi omnium diſputationum ſuarum habet, quod reſpublica omnis coierit *ſpontaneo arbitratu* (c) civium in communem utilitatem: quo nihil eſt falſius.

7. *Attamen nec in* (d) rebuspublicis illis melioris ordinis, quæ potiſſimum eorum, qui parent, utili-

& P. lib. 1. c. 3. §. 8. Sed ſunt, quæ hic a Grotio traditis opponi poſſunt. Omne regimen conſenſui inter imperantes & parentes debetur, & quamdiu inter victos & victorem talis non eſt conſenſus, licet victi metu ad id adacti imperata faciant, tamdiu nullus inter illos eſt imperantium & parentium nexus civilis: Figmentum eſt integras gentes ad illorum, quos philoſophi natura ſervos vocant, claſſem ſpectare. Sic & itidem fictio eſt, aliquem patremfamilias tot latifundia poſſediſſe, ut integram gentem ad conſtituendam rempublicam ſufficientem recipere potuerit. Imo etſi hoc unquam contigiſſet, & recipienti placuiſſet, cum eis rempublicam conſtituere, ſi ſalus reipublicæ non ſuprema lex eſſe debuiſſet, non civium multitudo, ſed mancipiorum cœtus fuiſſet. Id & de aliis populis, qui in plenam ſeſe ſervitutem dediſſe feruntur, dicendum eſt.

(a) *Nec vero alienantium.*) C. A. M. Non debemus credere, quod is, qui alienat populum, velit illi male facere: ſæpe coactio accedit. Ita nos Germani multa alienavimus & conceſſimus regi Galliæ, quod exigeret ſalus reliquorum & tueri ea loca non poſſet Germanum imperium.

(b) *Hiſce probe.*) C. A. M. Quæritur, an pars aliqua civitatis poſſit transferri populo inconſulto? An ad illam translationem, ut ſit rata, requiratur illius, qui transfertur, populi conſenſus? Hoc multi docent, & contractum reddi irritum, ſi conſenſus abſit. Diſquirendum igitur de vero. Nos vero contra Grotium, Gailium, Vaſquium ſtatuimus, non requiri. Repetendum memoria, duplex eſſe rerumpublicarum genus, alias reſpicere ſalutem populi per ſe, imperantium per accidens, & contra. Primum probo de herilibus imperiis, in iis non requiri. Non autem valet Grotii argumentatio. Nam non omnis ſocietas ſponte coiit. Plerique vero illorum, qui politica vel juridica tractant, ignorant heriles reſpublicas, quaſi repugnent iuri naturæ, quod tamen falſum eſt, & Grotius agnoſcit. Præclarum porro eſt *Vaſquii* opus: verum multa ibi diſputantur, quæ non poſſunt rigidum ferre examen, quod exoritur ex male locato fundamento, quod tale eſt, omnes populos ſua ſponte coiiſſe & elegiſſe ſibi dominos. Falſum vero fundamentum, quo nititur: non igitur eſt mirum, cetera quoque corruere & labi. GöBEL. GROTIVS non in regno ex ſua hypotheſi patrimoniali, ſed populi voluntate delato, populi conſenſum requirit. Nam hic non eſſe præſumendum, eam fuiſſe populi voluntatem, ut alienatio imperii ſui regi permitteretur, docet *l. c. lib. 1. c. 3. §. 13.*

(c) *Spontaneo arbitratu.*) GöBEL. Neque Vaſquium a tramite veri aberrare, ex iis, quæ a nobis tradita ſunt, conſtabit.

(d) *Attamen nec in*) C. A. M. In rebuspublicis talibus illi, penes quos ſumma eſt majeſtas, non habent quidem liberam voluntatem de rebus ad ſuam utilitatem; habent tamen ad populi utilitatem: ſi jam neceſſitas ita efflagitaverit, utique licebit. Sæpenumero autem integra reſpublica ſervari non poteſt, niſi parte abalienata. In hunc modum ceſſerunt imperii ordines Gallo Mez, Tullum, Virodunum,

 quod

utilitatem ſibi habent propoſitam, videtur requiri vel prævia cum populo conſultatio vel ejus conſenſio, niſi in ſola democratia. Habent enim & in iis civitatibus hi, penes quos eſt τὸ κύριον, liberam agendi facultatem circa omnia, quæ ſalus exigit publica. Si hæc itaque poſtulaverit partis alienationem, inſtituere illam poterunt imperantes ex ſuo arbitratu. *Perinde ſcilicet* (a) atque pater & oppignorare & vendere filium poteſt, ubi alia ratio illum alendi non ſuppetit: quod apud ipſos Hebræos olim licuit divino jure: & tamen pater filii commodum prius habere debet, ſuum poſtponere, & ex filio ſibi nihil utilitatis niſi per accidens quærere. Quod ſi tamen alienatio non vergat in ſalutem publicam, in illam nihil juris eſt hiſce quidem imperantibus; ideoque, ſi quid tale moliantur, conſenſus ante populi captandus fuerit: cum cives invitos in damnum conjicere haud liceat. Nec vero, etſi in perpetuam ſocietatem coierint populi, huic rei quidquam obeſt: perpetuum enim omne, in his quidem negotiis, moraliter accipiendum eſt, cui ſcilicet non obeſt moralis quædam impoſſibilitas, qualis oritur a neceſſitate pereundi niſi ſocietate diſſoluta patiatur pars populi ſeſe alienari. *In democratico ſtatu* (b) ipſe populus αὐτοκρατορίαν habet, qui quidem vere conſtituit civium ordinem, itaque injuſſu illius nihil effici jure poteſt: incolæ tamen omnes alicujus civitatis, utpote cum non ſunt veri cives ſed ſubditi, iſthuc haud pertinent, eoque nec horum conſenſio opus eſt ut impetretur.

8. Quorum autem conſenſione non eſt opus ad contractum, illorum diſſenſio etiam non poteſt contractum reddere irritum. Ea propter non poſſumus Vazquio & Grotio ſubſcribere, qui, ſi in contrarium populi voluntas manifeſta ſit, *nihil actum exiſtimant.* (c) Nec huic obſtat, quod regimen civile debeat eſſe in volentes. Intelligendum enim id eſt de voluntate reipublicæ ſcopo conſentanea. Alioquin enim & invitis jure imperat poteſtas publica: perinde ut immorigeris & refractariis liberis bonus & æquus pater.

9. *Perperam idem* (d) Vazquius negat, ob neceſſitatem & ſalutem publicam poſſe partem alienari: quaſi injuſtum ſit, ut univerſitatis cauſſa pars damnum faciat. Præterquam enim quod etiam heic ille non diſtinguat herilia imperia ab alteris illis magis civilibus: unique in omni ſocietate, etiam maxime civili, quilibet ſaluti publicæ eſt obſtrictus & re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum reſpublica ſi poteſt, aſt magis in præmium quam ex debito: itaque ſi non poteſt, neceſſum eſt, ut pars quæque ferat quod mutari non poteſt, ob reliqui corporis ſalutem.

10. IV.

quod utique abſque parte illius abalienata non potuiſſet conſervari tota Germania: aliter enim a cervicibus Germaniæ depelli Gallus non potuiſſet.

(a) *Perinde ſcilicet.*) C. A. M. Illuſtro hoc exemplo. In ſocietate paterna quæritur filiorum commodum per ſe, & tamen patris per accidens. GöBEL. vide GROT. *de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 5.* Sed a patria poteſtate, quæ patri, mediante generatione, in filium aliquo modo neceſſario competit, ad nexum civilem, qui omnis recte intellectus, ex libera voluntate venit, argumentari non licet. Porro conſenſus filii recens nati, vel ejusmodi ſaltim ætatis, quod ſe alere nequeat, præſupponitur. Quodſi enim judicii diſcretionis capax interrogaretur, an vendi, an vero perire malit, haud dubie in venditionem ſui conſentiret, ex generali illa propenſione, quæ homines in vitæ conſervationem, licet eorum ſors ſit duriſſima, ferri ſolent. Nec dici poteſt, filii conſenſum eſſe neglectum: illius enim, qui conſentire nequit, conſenſus non poteſt negligi. Sic & pater in queſtum alienans manet adhuc pater, nec ejus imperium in filium, quod a natura habet, tollitur, ſed exercitium ejus ſaltim ſuſpenditur. Quinimo dubium eſt, utrum juxta naturalis juris ſimplicitatem, pretium filii venditi aut oppignorati ad patrem, an ad filium ſpectet. Imo non deſunt viri docti, qui ejusmodi alienationem naturali juri plane repugnare ſtatuunt, ut FELDENVS, BöCLERVS, VAN DER MüLEN *ad. §. 5. c. 5.* GROT. l. c. vid. CVLPISIVM *in colleg. Grot. p. 52.* atque omne, quod in veterum libris de oppignoratione & venditione liberorum dicitur, ex lege eſſe civili. Addunt, & Romanis hunc patriæ poteſtatis rigorem, nempe vendendi liberos in ſervos, aliquando diſplicuiſſe, & a Conſtantino magno tandem non niſi in ſanguinolento partu i. e. recens nato, venditionem permiſſam eſſe. *Valent.* autem, *Theodoſ. & Arcadius* conſtituerunt, ut hoc modo venditi abſque recepto pretio ingenuitati reſtituerentur. EICHEL *de patria poteſtate §. 22.*

(b) *In democratico ſtatu.*) C. A. M. Non omnes in democratiis ſunt mere cives, ſed multi ſubditi, quemadmodum antea attuli exempla provincialium apud Romanos. Iam tum ſæpe monui & inde calumniis impetitus ſum, quod ſtatuerim, *non ſemper penes populum omne eſſe imperium.* In omnibus Germaniæ urbibus non omnes ſunt cives, ſed multi indigenæ tantum. In ipſa urbe vicina Brunſuiga ſunt, qui mere ſunt ſubditi, quorum conſenſus ad aliquid conſtituendum requiritur. GöBEL. De differentiis proprie dictis ejus, qui jus civitatis nactus eſt, ab incola, vide ZAHN. *in ichnograph. provinciali c. 90.*

(c) *Nihil actum exiſtimant.*) GöBEL. Aliter de principatibus & regnis, ut ajunt, inſtitutivis ſentire non potuerunt. Ibi enim, ſi alienatio locum habere debeat, populi conſenſus requiritur, & ſi ille diſſenſum ſuum aut re aut verbis teſtatur, eum non conſenſiſſe ſatis apparet. In regno vero patrimoniali, ex mente GROTII, ad alienationem imperii populi conſenſus non requiritur, & ſic etiam nullibi de eo aſſeruit, quod diſſenſus populi ibi alienationem irritam reddat. Quod autem ad exiſtentiam regnorum patrimonialium attinet, eam valde dubiam eſſe, jam tum monui. Atque longe plures & fortiores de ea dubitandi adeſſe rationes, quam quarum Grotius meminit, ex COCCEII *autonomia l. c.* conſtat. Id ſaltim hic adiicere liceat, reſponſionem Grotii ad objectionem, liberos homines non eſſe in commercio, non ipſos homines, ſed tantum jus in eos alienari, admodum vacillare. Enim vero, quando quis alteri in ſervum vendebatur, etiam nihil aliud, quam jus domini, quod in ſervum habeat, alienabatur.

(d) *Perperam idem.*) C. A. M. Vaſquius negat, licere ob univerſitatis ſalutem abalienare partem, hoc argumento: Si eſt injuſtum, ut pars damnum patiatur propter totum, injuſtum etiam eſt, ut pars abalienetur in ſalutem totius. At verum eſt prius, Ergo & poſterius. Nego autem minorem. In omni enim republica civis & re & corpore eſt obſtrictus commodo reipublicæ. Simili enim ratione eſſet injuſtum, pro ſalute publica cives perire in bello. Eadem enim hic ratio. Præterea omnis pars eſt propter totum, ideoque pro modulo ſuo toti tenetur inſervire. GöBEL. vid. VASQVIVS *lib. 1. c. 5. n. 11.* Partem reipublicæ ſine ejus conſenſu alienari non poſſe, jam ſupra demonſtravi. Potiſſimum autem cives ſui commodi cauſa in ſocietatem civilem cum aliis coiverunt, & in ſalutem publicam, non niſi quatenus illa certa ratione privatam continet, conſpirarunt. Conſtitutum quidem, quod ſingula membra, quamdiu talia ſunt, publicam rem tueri velint, & in ejus ſalutem & conſervationem quævis conferre, licet hoc aliquo ſuo detrimento fieri debeat, modo, quod præcipuum mortales habent, vita conſervari queat, ſi bona ſalva eſſe nequeant. Et licet tale pactum, quod reipublicæ defenſionem involvit, tacite etiam obligationem ad corripienda arma, & hoſti obviam eundum, complectatur: illud tamen eo non eſt intelligendum, ac ſi ſocii ſe ob-

Digitized by Google

10. *IV. Quamvis* (a) vero ea ſit libera alienandi facultas aut penes unum aut penes paucos aut penes multitudinem, ſi in manu aliqui horum rempublicam teneant: ſi quaſi diviſa tamen fuerit majeſtatis ratio, ut pars ejus ſit penes populum, pars penes unum aut multos, aut ſi illi, qui in dignitate ſunt, non niſi magiſtratu fungantur, nulla tunc injuſſu populi & aliorum, quorum intereſt, fieri alienatio poterit, quippe quum *τὸ κύριον* ad illos quoque pertineat. Quicquid igitur contra ſit, ut & quicquid non ſit in rebuspublicis melioribus ad communem uſum, id omne ipſo jure nullum & irritum eſt, adeoque populum omnino non obligat.

11. *V. Perimpeditum* (b) præterea videtur, num ut expreſſo ita tacito quodam conſenſu eorum, quorum eſt ſumma in republica poteſtas, bona & jura civitatis amitti queant, ita ut illa jure

ſtrinxerint, certam pro civitate ſubire mortem, & ſe ſuaque liberæ omnimode univerſitatis diſpoſitioni permittere, quicquid etiam de ſe ſtatuat. Tunc enim civitatem cum aliis non ſuæ ſalutis, ſed miſeriæ & exitii cauſa iniiſſent, quod eſt contra indolem humanæ naturæ. Hinc tradunt, civem innocentem, quem hoſtis ad exitium depoſcit, deſeri poſſe, ſi appareat, civitatem hoſtium viribus multo imparem eſſe, non autem dedi. Neque civem ad ſe permittendum hoſti ex jure proprie dicto teneri, civitatem autem illud requirere, docet GROTIUS *lib. II. de J. B. & P. lib. II. c. 25. n. 3.* Verum cum homini nullum directo ſit jus in vitam, ſic nefas videtur, cum ſe certæ offerre velle morti, ita ut nec ex caritatis præcepto ad hoc ſit obſtrictus; tametſi hic limitatio ex obligatione erga patriam admitti ſoleat. Quando autem quis deſeritur, ſive ſit una perſona, ſive hominum cœtus, nullum amplius in eum civitas jus habet, & ſic nullum etiam in alium transferre poteſt; ſed deſertus ſui juris factus eſt.

(a) *IV. Quamvis*) Reſpublicæ aliæ ſunt ſimplices, aliæ mixtæ. Simplices dicuntur, in quibus omnia jura majeſtatis penes quosdam, aut penes unum, aut penes multos, aut penes omnes. Mixtæ, quando omnia jura majeſtatis ex parte penes unum, ex parte penes multos, ex parte penes omnes. In talibus rebuspublicis longe alia eſt ratio. Nam ibi non licet uni aut alteri ſtatim decidere altero inconſulto. Germana reſpublica eſt mixta. Non igitur eſt in poteſtate cæſaris, alienare terras, ſed ordinum, qui jura majeſtatis participant, conſenſus accedere debet. Ita nec ſoli ordines abſque imperatore quid ſtatuere poſſunt. Hæc eſt ratio, quod cum primum de pace ageretur, rex Galliæ & Sueciæ noluerint paciſci cum ſolo imperatore, inconſultis ordinibus, licet cæſar voluerit, qui & cum Saxonico electore inaudito exemplo pactum Pragenſe de tota Germania inierat, adeoque revera nemo illo tenebatur, niſi qui volebat. Interdum illi, qui ſunt in dignitate in republica non ſunt principes reipublicæ nec habent jura majeſtatis, ſed ſunt meri officiarii, ſumma autem poteſtas eſt penes populum. Ideoque in democratiis ſenatui non eſt fas, pacta inire, niſi conſenſu populi impetrato. Ita ſæpe conſules, proconſules Romani pacta inierant, quæ populus pronunciavit irrita. GÖBEL. Simplicium reipublicæ formarum tres ſunt: Oligarchia enim, tyrannis & ochlocratia non ſunt niſi rerumpublicarum, cum quibus ſimilitudinem habent, defectus. Accedit deinde civitatum ſyſtema. Porro actus ſummæ poteſtatis civilis, quos partes potentiales majeſtatis vocant, nonnunquam per plura exercentur ſubjecta, vel diviſim vel indiviſim, æqualiter vel inæqualiter, ita ut unus actus quosdam privative exerceat, ad quos reliqui non concurrunt. PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib. VII. c. V. §. 13.* GROTIUS *de jure B. & P. lib. I. c. 3. §. XVII.* Tales reipublicæ formas nonnulli mixtas vocant, ut ARNISÆUS 2. relect. polit. *c. 24. §. 6.* KULPISIUS *in not. ad Monz. p. 225. ſeqq.* COCCEJUS *in jure publico c. 7.* VITRIARIUS *aliique.* Ejusmodi dari mixturam, docet BODINUS *de republ. lib. 2. c. 1.* E contrario negant HOBBES *de cive c. 6.* & in LEVIATH. *c. 18.* HUBERUS *de jure civit. lib. I. c. 40. §. 2.* THOMASIUS *in notis ad c. VI. Monzamb.* ubi contra Kulpiſium diſputat. Hic cum PUFFEND. *l. c. §. 14.* eas reſpublicas irregulares ſ. monſtroſas i. e. infrequentes, vocare mavult: Verum licet mixtas vocantes, ab iis, qui eas irregulares dicunt, verbis diſcrepent, re tamen ipſa conveniunt, & inutilem puto laborem, inquirere, quænam appellatio magis ſit propria. Exempla irregularium ſ. mixtarum rerumpublicarum in Polonia, Anglia, & Germanico noſtro imperio refert HERTIUS *in prud. civil. P. I. ſect. XI. §. IIX.* Nec a tali forma Romanorum reſpublica poſt plebis in montem ſacrum ſeceſſum, & Judæorum regnum diſcrepaſſe, idem docet. De Germania COCCEJUS *in diſſert. de imperio in pares §. 23.* ſequentem in modum loquitur: *At falluntur quam maxime, qui hodienum imperium Germanicum tale ſyſtema, quin corpus irregulare & monſtroſum, calumniantur, ut Monzamb. de ſtatu imperii c. 5. §. ult. Eſt enim illud juſtum imperium cum ſumma poteſtate, ſed triplicis ſtatus forma temperatum ac nihilominus monarchicum.* Sed an monarchicum revera dici poſſit, ſunt, qui dubitant.

(b) *V. Perimpeditum*) Quæſtio eſt hæc: an nempe præſcriptione longi temporis poſſint amitti jura rerumpublicarum, & poſſint ita uſu capi, quod quidem apud Romanos licitum. Quæritur autem, an etiam inter liberas quoque gentes, ſi alterius poſſeſſiones gens aliqua teneat, poſſit præſcribi. In omni præſcriptione autem præſumitur facta derelictio, & in eo eſt magna difficultas, quomodo ſciamus, an præſumenda talis derelictio. In jure Romano aperte docetur, poſſe fieri bonorum amiſſionem, abſque ulla facta contractione inter partes. Dico autem, omnino id fieri poſſe, & quidem ita, ſe nempe pars una derelinquat dominium. Cedit enim occupanti, quod nullius eſt, quod derelictum. Derelictio hujusmodi poteſt fieri duobus modis 1) aperte, 2) non ita aperte. Poteſt quis regionem aliquam plane deſerere. Ita cadente imperio Romano, Romani multos deſeruerunt populos. Ita notum, multa Hadrianum, quæ antea Romani populi erant, dereliquiſſe aperte, ut Daciam & Armeniam, quam anteceſſor Trajanus occupaverat. Jam dico, ſi rei derelicta poſſeſſio poteſt cedere occupanti, etiam regiones citra apertum contractum tranſire in alterius dominium poſſunt. GÖBEL. Differt derelictio ab abdicatione & deſertione, quæ tamen a nonnullis confunduntur. Abdicatio eſt, quando quis in manus illorum, a quibus regnum vel principatum accepit, reſignat. Illuſtria duo ante alia abdicationis habemus exempla Caroli V. & reginæ Sueciæ Chriſtinæ, quæ Catholicam deinde ſequens religionem Alexandrina dicta eſt. Vide GODELMANNI *abdicat. Carol. V. in Goldaſt. polit. imperialibus p. 7.* THUAN. *lib. 16.* ad ann. 1556. FAMIAN. STRADA *de bello Belgico* circa initium CABRERA *in Philippo II. c. 5. p. 8.* SANDOVAL. *hiſtor. vit. Caroli V.* PUFFEND. *rer. Brand. lib. V. §. V. de rebus Suecicis lib. XXVI. §. 31. de rebus Caroli Guſtavi lib. I. §. 4. ſeqq. THEATRUM EUROPÆUM tom. VII. p. 635. Memoires de Chanut. tom. I. p.* 305. *tom. II. p.* 336. 342. Poſſe autem quem, juxta æquitatis regulas, principatu ſe abdicare, contendunt, quoniam pactum ſocietatis inæqualis inter populum & principem non involvat, ut illa ſocietas ſit perpetua, & principem, ſicut non invitus regnare cœpit, ita etiam non invitum regnare pergere. GROT. *de J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 26.* PALTHENIUS *de dethroniſatione §. 11.* Addunt tamen, hanc abdicationem non debere eſſe intempeſtivam, & id, quod dictum eſt, exceptionem pati, ſi pacto regis cum populo inditum, ne penes principem, ſe regno abdicandi, ſit facultas. Talem pactis, ſub quibus Poloni, Caſimirianæ abdicationis memores, Michaëli Wieſnovizkio regnum detulerunt, legem inſeruerunt, quam tamen ſibi remitti conditionem ſucceſſor ejus Joannes tertius petiit; quod etiam haud difficulter obtinuit, uti conſtat *ex diario electionis* ejus de anno

1674.

jure tandem fiant aliorum: præcipue vero dubites, quibus indiciis ille tacitus conſenſus ſignificetur. Cæterum id quidem, quod derelictum eſt, tacite concedi occupantibus, videtur natura omnibus notum. Atque hactenus, tacite amittere poſſe & ſummas poteſtates varia publica bona, non poteſt negari; niſi ejusmodi bona naturalibus amittendi juribus obnoxia non eſſe dixeris: quod ſane pronunciatu nimis fuerit abſurdum. Obſervandum autem eſt; nos loqui diſerte, de tacito conſenſu eorum quorum vere eſt ſumma poteſtas, non eorum quibus titulo tenus forte ea dignitas tribuitur. Sunt autem illi plane iidem cum iis, qui in ditione atque adeo quaſi in patrimonio rempublicam tenent; quales non ſemper eſſe illos, qui reges aut principes audiunt, ultro fatemur. Poſſe autem imperia in homines, imo populum & urbem regionemque aliquam, derelinqui, fatendum utique venit, niſi eadem occupari & acquiri poſſe velis negare. Et vero aperto conſenſu ſæpe integra regna regionesque latiſſimas ditiſſimasque aliis relinqui, idque nunc ſponte ac ultro mera interdum donatione, nunc majoris mali evitandi cauſſa, omnium ſeculorum gentiumque hiſtoriis & uſu paſſim etiamnum recepto usque eſt adeo compertum, ut neminem arbitrer ſupereſſe qui vocet in dubium. *Poſſe autem & tacendo* (a) nos ita in aliquid conſentire, itſdem natura omnibus eſt notum. Conſequens proinde eſt, etiam imperium in populos tacendo aliis relinqui interdum poſſe, nec ad eorum derelictionem expreſſum conſenſum ſemper requiri.

12. Verum hactenus quidem expedita ſatis res eſt: difficilius definitu, quemadmodum fiat illa tacita conſenſio, & unde ac qua ratione de illa certo nobis queat conſtare. Nec vero id uno, ut ita dicam, verbo licet pronunciare: nec a magiſtris fortaſſe ſatis tuto & ſecure omnia ſunt tradita. Nos nonnullis quaſi fundamenti loco poſitis, intricatum negocium brevibus exponere tenta-

1674. vid. PALTH. *l. c. p. 9.* HARTKNOCH. *de republica Poloniæ lib. 2. c. 1. §. 5.* Sunt, qui circa jus principatum deponendi, dubium movent, nimirum principem & ſubditos in civilem coaleſcentes ſocietatem tacite, quando de tempore nihil expreſſe additum, convenire, ut nexus ille ſit perpetuus, quamdiu uterque juxta leges pacti vivit, cum gravia mutationis incommoda & mala non ſint ignota. Sicut autem populo illicitum, principi ſecundum pacti leges imperanti, ſe ſubtrahere: Sic etiam principi, ſe populi, juxta pactionis placita obtemperantis, regimine, eo invito, ſe abdicare, non eſſe licitum, dicunt. Illud enim pacti hujus inæqualis æqualitatem, de ſervanda promiſſorum fide, requirere addunt. Quod autem ad deſertionem & derelictionem attinet, deſertio videtur dicenda, quando quis ſe principatui, cui ſe addixerat, ſubtrahit, ita tamen, ut regimen & reditus ſibi ſalvos velit. Exemplum nobis ſiſtit Henricus III. Galliæ rex, Poloniam deſerens. Conf. FREDRO *in Henrico Polonorum rege p. 146. ſeqq.* PIASECII *chron. p. 2.* Monet clariſſimus GVNDLINGIVS in *otiis*, ubi PALTHENII diſſertationem de dethroniſatione examinat, Henricum regnum Poloniæ non ſolum deſeruiſſe, ſed & dereliquiſſe, quo etiam HEIDENSTEINIVS *rerum Polonicarum lib. 2. p. 63.* inclinare videtur: Verum huic obſtare videtur, quod Henricus regni curam non depoſuerit. Vide literas ejus ad archiepiſcopum primatem datas, apud FREDRO *in hiſt. Henrici opuſc. p. 205. ſqq.* An autem Jacobus ex Anglia in Galliam, appropinquante Wilhelmo, fugam capeſſens, huc ſpectet, dubium eſt. Quod ſi vero princeps in principatu quidem permanet, ſed officio ſuo minime defungitur, is regnum derelinquere vel potius pro derelicto habere dicitur. PVFFENDORFF. *de J. N. & G. lib. 7. c. 8. §. 4.* non autem pro derelicto rem habere cenſendus eſt, qui eam negligentius tractat. GROT. *de J. B. & P. lib. 1. c. 11. §. 9.* Dubium itaque eſt, an Wenceslaus imperium pro derelicto habuiſſe dici queat. Cæterum princeps regnum deſerens, pro derelicto habens, aut plane in tyrannum degenerans, quod rariſſimum eſt, a ſubditis deſeri ſolet, quod exauctorationem vocant. Ex quo enim princeps pacto, quo ſubditis eſt adſtrictus, non amplius ſatisfacit, ſubditos etiam ad obſequium ipſi amplius præſtandum non teneri, eumque principatu excidiſſe, docent, licet pacto nulla addita ſit clauſula commiſſoria. Citant pro hac ſententia verba GROTII *de J. B. & P. lib. 3. c. 19. §. 14.* *Unius ejusdemque contractus capita ſingula alia aliis ineſſe videntur, per modum conditionis, quaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam, ſi & alter faciat, quæ promiſit.* Quod cum HOBBESIVS viderit, pro ſubditorum jure principis male reipublicæ moderantis regimen abrogandi, naturam pacti urgeri, tale inter principem & ſubditos pactum dari negavit, quoniam ſibi perſuaſum habet, in omni civitate ſubditos ita voluntatem ſuam ſummo ſubjeciſſe imperio, ut impune debeat eſſe, quicquid a ſummo fiat imperio: *de cive c. 6. §. 12.* Sed refutatur a PVFFENDORFFIO *de J. N. & G. lib. 7. c. 2. §. 9. & 10.* Largior tamen GVNDLINGIO, determinatu admodum eſſe difficile, quis judex in tali controverſia, an rex contra pacti leges egerit, futurus ſit. Porro monere adhuc liceat ab exauctoratione dethroniſationem, quam vocant, diſtinguendam eſſe. Hæc enim, auctore PALTHENIO eſt, quando cum populo, ſuo principi regnum abrogaturo, extraneus victor concurrit. Quodſi vero ſolus extraneus victor devictum regno privat, illud deinde jure conqueſtus habere dicitur. Quæ in Polonia ſub Caroli XII. Suecorum regis auſpiciis geſta ſunt, in recenti omnium eſt memoria.

(a) *Poſſe autem & tacendo*) Conſenſus fit duplici modo, aut aperte, ſcil. loquendo aliisque ſignis, aut tacite, quemadmodum ille in comœdiis ait: *qui tacet, conſentire videtur.* Tacendo fieri conſenſionem in derelictione alicujus rei, eſt natura quaſi notum, ſed unde poſſit conſtare, homines jam tacendo conſenſiſſe, hoc vero eſt dubium. Super tacita conſenſione fundatur omne jus uſucapionis. Nam illa tantum poſſunt uſucapi, de quibus eſt præſumtio, factam eſſe derelictionem. Fuerit ergo uſucapio aut plane injuſta, aut fundatur hoc jure. Uſucapionem excipit præſcriptio longi temporis. Si vivamus in aliqua republica, poteſt legislator definire certum tempus, quo debet præſumtio fieri, factam tacite derelictionem. Ita in jure Romano, canonico aliisque legibus hac de re leges conditæ non eædem leges. Aliæ in civili, aliæ in canonico, aliæ in Saxonico. Certe intereſt reipublicæ, ut tempus tale definiatur lege, prout naturæ eſt conſentaneum & ſalus publica requirit. Aliter autem in jure Romano præſcriptio eſt definita de rebus mobilibus, & de rebus immobilibus, de rebus eccleſiaſticis, de rebus profanis, de iis, quæ adſunt, & quæ abſunt. Cæterum tametſi hæc Romanis ita ſint definita, tamen quoniam tales definitiones tantum factæ in uſum ſingularium rerumpublicarum, non obligantur illis liberi populi. Dicendum igitur nobis de tacita derelictione, non ex legibus civilibus humanis, ſed naturæ inſtitutis. GöBEL. De ſignis, ex quibus animi actus colliguntur, agit GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 4. §. 3. ſqq.* VASQVIVS *in controv. illuſtribus c. 52.* Quæ ſit uſucapionis & præſcriptionis natura, ſecundum juris Romani, canonici & Saxonici tenorem ex libris, qui de his juribus evulgati ſunt, addiſcendum eſt. Cæterum in vulgus propemodum notum, legislatorem per uſucapionem & præſcriptionem domini, tanto temporis tractu rei ſuæ nullam habentis curam punire neglectum.

tentabimus. *Primo* (a) igitur notandum, nonnulla quæ poſſidentur, niſi iis utaris, perire ſtatim, alia non item. Illius generis ſunt imperia omnia ſaltim civilia quæ dixeris, h. e. ea, quæ inſtituta ſunt commodo imprimis eorum qui obtemperant. Anima enim quaſi talis civitatis eſt is qui imperat: itaque illo ſublato civitas corruit. At nec herile quidem imperium niſi curante domino poteſt conſiſtere: ſed & ipſum in partes dilabitur peritque. *Secundo.* (b) In rebuspublicis illis civilioribus, quia merito quæritur potius utilitas populi quam dominantis, ſi utrumque ſervari nequeat, jure tenetur dominantis commodum cedere commodo populi. Ex duobus enim malis id quod minimum eſt majori cedere, natura juſtum eſt. Ex adverſo igitur ſeſe res habet in civitatibus herilibus, ubi dominantium utilitas quam maxime attenditur. *Tertio.* (c) Jure naturæ obſtrictus eſt imperans omnis, quoad licet, curare ſive per ſe ſive per alios tantundem valentes rempublicam ſuam. In rebuspublicis illis melioribus ipſum earum ſcopum tale officium imponere imperantibus, eſt ſole clarius. Cum ſinguli domini etiam debeant ſuis ſervis aliquam curam (nec vero arbitrarium aliquod jus vitæ ac necis in ſervos, niſi illi capitale quid commiſerunt, jus naturæ dominis permittit) quam niſi præſtent injurii in ſervos ſunt; multo magis tenentur imperantes domini ſubditorum rationem habere, utpote quum rariſſime civitas aliqua infimam ſervitutem ſerviat, ſed earum plæræque in liberaliores leges dominos patiantur, prout varii ſunt ſubjectionis libertatisque gradus. *Quarto.* (d) Id credendum eſt, hominem nullo, quod vir bonus ac prudens nolit, non quod improbus aliquis ac ſtultus. Etenim viri demum boni & prudentis voluntas naturæ eſt juri conſentanea: quæ illi adverſatur cupiditas iniqua eſt, eoque jure merito haud attendenda. At vir bonus non vult quidquam cum injuria alterius: nec vir prudens aliquid cum ſuo majore damno conjunctum. *Quinto.* (e) In re dubia exiſtimandum eſt, quemlibet id velle aut non nolle, quod vir bonus & prudens velit. Hic vero velit utique ſibi tribui quod ſuum eſt. Eoque nec quis temere exiſtimandus eſt res ſuas jactare velle, niſi neceſſitate coactus aut alio aliquo commodo inductus: ſecus enim agere minus prudentis fuerit.

13. Hiſce poſitis conſequens eſt *principio* quidem, imperium illarum civitatum, quæ ſalutis publicæ omnium cauſa coierunt, quando amiſſum fuerit, recuperari jure non poſſe, ſi id fieri nequeat abſque civitatum illarum ſummo detrimento, adeoque teneri quemvis illarum recuperandarum curam dimittere, imo exiſtimandum eſt illam dimiſſam eſſe. Alioquin enim commodum dominantis præferretur uſui populi: quod eſt contra naturam illarum civitatum, nec a viro bono probatum. At non licet ita colligere, factam derelictionem in civitatibus herilibus. In iis enim etiam cum incommodo ſubditorum licet dominantium jura tueri. Atque ea propter licet illa amiſſa etiam cum eorum noxa recuperare. Si noxa tamen illa conjuncta fuerit cum manifeſto periculo extremi damni omnium ſubditorum merito derelinquendum eſt imperium illud: nec enim hoc vir bonus ac prudens egerit. *Secundo.* Derelinquit ille imperium in civita-

(b) *Prima hypotheſis*) Eſt illa, quæ poſſidentur, eſſe varia. Alia ita ſe habent, ut non ſtatim pereant, e. g. apis, & ſi quid aliud animalium ferarum genus, ſi poſſideantur actu, habentur, ſi plane non, pereunt. Hoc eſt, quare apes, ſi avolarunt, occupanti cedunt. Nam *eorum, quorum fera natura eſt,* ut ait JCTVS, *ſtatim pereunt, ſi non actu teneantur.* Certe ſublato in republ. ordine illo, tota civitas perit, cui pro ſcopo eſt ſalus populi. Etiam herilia imperia non multum diſpari conditione: nam niſi illa conſerventur, actu facile pereunt. Nam homines viventes in civili poteſtate, ſi abſit reſpublica, ſtatim dilabuntur. Ita ſi dominus in herili republica abſit, ſervi ſtatim dilabuntur. GÖBEL. Sermo hic eſt de apibus, quarum fera eſt natura. Ex licet in tua ſedeant arbore, quam diu a te non ſunt alveo incluſæ, aut alio modo in poſſeſſionem redactæ, cedunt primo occupanti, quod & fit, ſi occupatæ deinde animum revertendi mutaverunt. Mens autem auctoris noſtri videtur hæc eſſe: ſicut apes feræ in naturalem revertentes libertatem, a quovis occupari poſſunt: ſic etiam homines ad naturalem libertatem a ſtatu civili pervenientes, ſublato illo nexu, quo cum imperante cohærebant, de ſe pro lubitu ſtatuere, ſeſeque alii permittere poſſunt; ita ut ipſi, a quo deſerti aut derelicti ſunt, reliqua non ſit facultas, nulla alia accedente cauſa ad priſtinum in eos revertendi jus. De modis, quibus dominia vel imperia deſinant, agit *GROTIVS lib. 2. c. 9.*

(b) *Secunda hypotheſis*) In rebuspublicis civilioribus, in quibus ſalus populi potiſſimum quærenda, ſi non poſſit utrumque obtineri, tunc quæritur, quænam debeat alteri cedere? Dico debere cedere commodum dominantis. Atque adeo, ſi dominans non poſſit commoda tueri, niſi cum populi exitio, tum dominus non poteſt ulla ratione quærere ſua jura, ſed debet juri ſuo cedere, ut populo bene ſit. Minus enim in tali republica commodum dominantis, quam populi. Hoc per ſe, illud per accidens ſpectatur. Ex adverſo ſe in herilibus rebuspublicis res habet, ubi poteſt retinere ſuum commodum dominus cum diſpendio populi.

(c) *Tertia hypotheſis*) Omnis imperans jure naturæ obſtrictus eſt, pro virili curare rempublicam. Civiliores enim reſpublica in id coaluerunt, ut quæratur ſalus populi. In naturali ergo imperantium illorum officio eſt, videre ne quid detrimenti reſpublica capiat. At vero non minus in herilibus rebuspublicis illud natura fieri debet, quia natura eſt dominis mandata cura ſervorum. Si natura mandata dominis cura ſervorum, multo magis imperantibus cura ſubditorum in herili republica. (Gaudent enim ſubditi ſemper adhuc majori jure, quam mancipia.) At verum prius, & poſterius. Apud multas quidem gentes obtinuit jus vitæ & necis in ſervos, ſed hoc non licet jure naturæ, quinimo illi expreſſe repugnat. GÖBEL. Quid circa pœnas jure naturæ obtineat, tradit *GROT. de J. B. & P. lib. II. c. XX. §. 3.* In ſtatu vero naturali ſive æqualitatis non tam jus puniendi, quippe quod ſuperioritatem præſupponit, quam jus belli locum habet.

(d) *Quarta hypotheſis*) Variorum morum homines ſunt, alii probi, alii improbi, prudentes, imprudentes. Voluntas improborum non eſt conſentanea juri naturæ, ſed proborum. Ita & prudens nemo aliquid velit adverſum juri naturæ, licet id velit imprudens. Hinc facile apparet, non velle hoc, quod eſt cum jure alterius conjunctum, quia hoc non vult vir probus, nec ſibi fieri damnum, quod non vult vir prudens.

(e) *Quinta hypotheſis*) Coincidit fere cum quarta, differt tamen nonnihil. Quodcunque homo probus & prudens velit, id quoque præſumi velle dicimus. Vir bonus autem, quemadmodum alteri tribuit, quod ſuum eſt; ita etiam vult ſuum tribui, quod & prudens vult. Facit quidem interdum jacturam, ſed aut neceſſitate, aut majore commodo inductus.

civitatem quamvis, qui ſciens volensque patitur illam perire aut in ſummum diſcrimen adduci, nec in ſalutem ejus quidquam movet dignum memoratu. Nec enim ita ſe gerit erga rem quam pro ſua vendicat vir bonus aut prudens, ſed erga rem alienam. Multo maxime hoc locum habet in civitatibus illis melioribus: utpote cum earum curam diligentiſſimam ſuo etiam cum incommodo gerat princeps bonus ac prudens. Quod ſi vero & in herilibus cura ea, qualem dominus prudens & bonus adhibet, plane omittatur etiam ibi id pro argumento poteſt eſſe derelictæ dominationis. Etiamſi igitur fortaſſis longo poſt tempore curam velis denuo ſuſcipere: id nimis ſero eſt: utpote cum ratio rerumpublicarum non patiatur ejusmodi (ut ita loquar) ſomnolentiam. *Tertio*, Illud imperium eſt derelictum, quod ab alio exercetur, te nullo nutu adverſante. Nec enim profecto vir prudens aut bonus vel rem levem ita curaverit, quam ſui juris credit; longe maxima vero cura debetur civitatibus. Sunt, qui requirant in illo ita tacente ſcientiam rei & liberam voluntatem. At vero nec ſupina quidem inſcitia tolerabitur in viro prudente. Ideoque ſi neſcias cum poſſis & deberes ſcire, etiam illud pro indicio eſt inſuper habiti adeoque derelicti imperii. Nec vir prudens ac bonus omnino tacebit ad ſuarum rerum occupationem alienam, niſi in eam conſentiat. Et vero ſatis eſt, ut conſenſio ſit *mixta*, (a) ut loquuntur, voluntatis, quamque expreſſit majoris vel mali metus, vel boni exſpectatio. Niſi enim illæ actiones habeantur pro voluntariis, plerique hominum contractus fuerint irriti, & everteretur ſocietas humana. Si pro derelicto autem habendum eſt imperium, quod pênes alium eſt te haud adverſante, multo magis eo cenſu habendum eſt illud, ſuper quo inter poſſeſſorem & te contractus ineuntur nulla omnino juris tui *mentione facta*. (b) Nec enim hoc commiſerit vir bonus & prudens in rebus exigui momenti, tantum abeſt, ut id fecerit in iis, quorum curatio perpetua exacte ipſa quaſi naturæ lege imperatur. *Quarto*. (c) Quod ita derelictum eſt imperium, id tametſi initio bona fide non fuerit occupatum, tamen poſteaquam innotuit jam derelictio illa, bona fide poteſt teneri. Acceſſit ſcilicet novus titulus isque bonus. Perinde enim ferme eſt, atque ſi illud, quod furto fortaſſis eſt ſubductum, poſtea furi dones. Illud enim, quod dicitur: *quod ab initio non valet, ex poſt facto convaleſcere non poſſe:* verum denique eſt, ſi nova cauſſa juris haud acceſſerit. *Sexto*, denique manifeſtum ex ſuperioribus eſt, non requiri ad indicium derelicti imperii tempus aliquod perlongum: utpote quum reſpublicæ omnes etiam & ſedulam poſtulent curationem naturali inſtituto, quæ ſi negligatur ipſa rerumpublicarum natura illam ad alium quaſi devolvit. Cumprimis ſane id verum eſt de rebuspublicis illis melioribus. Nec vero centum annis videtur opus ad indicandum illas derelictas eſſe.

14. In hunc modum videtur mihi per tacitam derelictionem, jure æquiſſimo & quaſi naturæ lege, ut alias res ita & imperia ad alios transferri. *Nec enim poſſum* (d) adſentiri illis, qui omnem uſucapionem vel naturali æquitati adverſari, vel ſolo civili Romanorum jure introductum exiſtimant. Et vero cum prius tum poſterius illud neſcio an ulli populo unquam fuerit perſuaſum. Videre enim utique eſt illam moribus gentium quarumvis optimarum approbatam & receptam, idque in ipſiſmet imperiorum controverſiis: ceu innumeris teſtimoniis facile eſt oſtenſu. Usque adeo illud eſt manifeſtum, ut hinc tuto colligere ſit, ſi non naturali ſaltèm gentium arbitrario jure, ejusmodi neglectorum imperiorum juſtam occupationem conſtitutam & ratam eſſe redditam. *Et ſane ut* (e) ad cujuslibet civitatis ita etiam ad gentium quietem pertinet,

(a) *Mixta*) Notum ex ethicis, alias actiones eſſe ſpontaneas, alias invitas, alias mixtas. Mixtæ in moralibus habentur quidem magis pro voluntarijs. Humani contractus ſunt plerumque actiones mixtæ. Multi homines coguntur minori pretio vendere ſuas merces, quam velint. Si dicas, has tunc non eſſe voluntarias, poſſent reſcindi. Bene igitur æquiparantur voluntariis. GöBEL. Actio mixta dicitur, cujus cauſa quidem libera eſt voluntas, ſed affectu quodam graviori turbata & ad agendum pertracta. Habet autem hæc actio ſubſtantiam ſpontaneæ, affectum autem moralem nonnunquam invitarum vel in totum, vel ex parte. HEBENSTR. *ethica part. 2. theſ 46.*

(b) *Mentione facta*) Docet experientia, interdum inter varios principes & ordines factos contractus, ita, ut eorum jurium, quæ habuere, nullam faciant mentionem. Quæritur ergo, an ita ab iis facta derelictio? Ego affirmo. GöBEL. Nonnulli hic addunt, requiri, ut cum alio de re, de qua quæſtio eſt, agatur: Alii autem, id non eſſe præciſe neceſſarium, putant, modo ille, qui forte in conventionis negotio ob metum de jure ſuo nihil monere auſus, & deinde ſileat. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 4. §. 6.*

(c) *Quarto*) Sunt nonnulli in ea ſententia, præſcriptionem non habere locum, niſi adſit bona fides. Ego puto, diſtinguendum eſſe inter illam fidem, quæ ab initio poſſeſſionis, & quæ poſt aliquod tempus. Ita per vim ſæpe numero occupantur imperia. Ille, ſi initio reſpicias jura naturæ, eſt malæ fidei poſſeſſor. At poteſt fieri bonæ fidei poſſeſſor, ſi accedat novum jus. Fieri autem hoc poteſt, ſi præſcriptio accedat, ut is, qui poſſeſſor bonæ fidei erat, derelinquat, poſt illam derelictionem cognitam eſt bonæ fidei poſſeſſor. Niſi hoc dicas, pleraq; fere imperia in hoc mundo eſſent malæ fidei. Nam per violentiam initio occupata. Non requiritur ergo bona fides ab initio: ſufficit, ſi accedat deinde. GöBEL. Confer. WERLHOFII *vindicias præſcript. inter gentes liberas p. 24. 25. & HVBERVM de jure civit. ſect. 3. c. 9.*

(d) *Nec enim poſſum*) Sunt nonnulli, qui credunt, omnem uſucapionem naturæ jure vetitam eſſe, ſed ego credo, illam naturæ cenſentaneam, & quidem fundatam ſuper derelictionis jure.

(e) *Et ſane ut*) Argumentor ita, a cauſa finali demonſtratione ducta:

Sine quo jure naturæ non poteſt amicitia inter gentes conſervari, illud licet:

Atqui: ſine uſucapione juris naturæ non poteſt &c.

Ergo.

Maj. probo. Quia natura intendit ſalutem omnium gentium, & id judicat eſſe juſtum, ſine quo gentes conſervari nequeunt. *Min. probo:* Nam niſi hanc admittas, erunt perpetuæ lites & in incerto rerum dominia. Intereſt autem generis humani, ut certa ſint rerum dominia & litium aliquis finis. GöBEL. Si quæ unquam quæſtio eruditorum exercuit ingenia, eſt profecto illa, qua ventilatur, an quædam præſcriptio ſit juris naturæ & gentium. Si auctoritatibus contendendum eſſet, facile utriusque ſententiæ patronorum magnus conglomerari poſſet numerus. Ut alios ſileam, negativam ex recentioribus tuentur ſententiam VASQVIVS *lib. 2. c. 51.* FELDENVS *in ſtrictu-*

tinet, *ne quarundam rerum diu & fere ſemper incerta dominia ſint, & ut aliquis litium ſit finis:* id quod unice præſtare poteſt ejusmodi quædam uſucapio. Haud ignoro, a Romanorum Juriſconſultis, & quidem ab Ulpiano ipſo, uſucapionem inter poſitivos civiles acquirendi dominii modos relatam: verum pari ratione ac donatio in eum ordinem computata eſt. Nempe non quaſi naturali

ris ad c. 4. lib. 2. GROT. PVTEANVS in diſſertatione, quæ de Galliæ regis prætenſionibus volumini eſt inſerta, *ſi la præſcription a lieu entre les princes ſouverains.* Veterum, qui opinioni ſubſcribunt, quod uſucapio & præſcriptio ſit merum juris civilis inventum, magnum refert catalogum VASQVIVS *l. c.* pro affirmativa militant, GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 4.* cum commentatoribus ſuis, quibus etiam HENNINGESIVM & GRASWINCKELIVM accenſeo. SELDENVS *de jure N. & G.* juxta *diſciplin. Hebræor. lib. 6. c. 4. p. 714. ſeqq.* PVFFEND. *de jure N. & G. lib. 4. c. 12.* THOMASIVS *in jurisprud. divin. lib. 2. c. X. §. 192.* HVGO de ROY *lib. 3. tit. 4. 5.* ZEVECOTIVS *in jure & judicio feciali part. 2. quæſt. 8.* ALBERICVS *de jure belli lib. 1. c. 22.* HVBERVS *de jure civitatis lib. 2. ſect. 4.* Statum controverſiæ perſpicue propoſuit illuſtris quondam WERLHOFIVS noſter in diſſertatione *de præſcriptione inter gentes*, qua Grotii ſententiam adverſus Puteanum defendit. Largiri neceſſum habemus, hunc Grotii mentem de præſcriptione juris naturalis optime illuſtraſſe, ſolidis fulſiſſe rationibus & ab objectionibus vindicaſſe. Ego, ut aliunde conſtabit, in eam inclinavi ſententiam, vetuſtatem, quam immemorialem poſſeſſionem dicunt, inter gentes fortem admodum producere præſumtionem, non autem excludere probationem in contrarium, quod quis derelinquendi animum non habuerit, quæ etiam GROTII videtur fuiſſe ſententia l. c. §. 8. Largior tamen difficilem ad modum illam futuram probationem, cum gentes non niſi ferrum litium ſuarum habere ſoleant arbitrum: & ſi in arbitros forte conpromiſerint, penes illos eſt, quamdiu illorum velint ſtare arbitrio. Non enim deerunt aut juſtæ cauſæ, aut prætextus, quos æquitati laudi opponere queant, & cum non ſit ſuperior, ad cujus, ut boni viri judicium provocare queant, denuo ad arma eſt redeundum. Unde conſequitur, lites de territoriis fore perpetuas & bella in exitium generis humani infinita, ſi poſſeſſio quædam, partis adverſæ proteſtatione aut alio modo, quo quis ſibi jus ſuum conſervare queat, non interrupta has controverſias plene decidendi, aptum non eſſet medium. Nam tanto temporis tractu licet ab initio poſſeſſio vitioſa fuerit, haud dubie vitium, nova ex derelictione accedente cauſa, correctum eſt. Atque cum talem conſervatio rerumpublicarum & generis humani requirat, quod vitium acquiſitioni deinde demtum ſit, pro certo habendum. Et per me licet, ſi quis hoc præceptis juris naturæ hypothetici ſive gentium, pactis tacitis, juri naturæ non repugnantibus, adſcribat. PVFFEND. *de J. N. & G. lib. 4. c. 12. §. 9.* ſufficit, aliquam præſcriptionem in decidendis gentium controverſiis ut normam admitti. Ne autem ſaltem aliorum ſententias attuliſſe videar, id quod aſſerui, nempe quendam temporis lapſum, nimirum, cujus memoria auditionis non extat, inter modos acquirendi pactis gentium receptos & a jure naturæ poſt introducta dominia & inſtitutas civiles ſocietates ſuaſor rationibus evincere annitar. Si humanæ naturæ indolem & conſtitutionem recte contemplemur, facile inveniemus, nihil ei conformius, nihilque deſideratius eſſe, quam vitam felicem & longiſſimam vivere: quippe quam omnes, recte monente illuſtri THOMASIO, ſapientes pariter & ſtulti appetunt, ſuarumq; obinde actionum primum principium & regulam, licet diverſimode, habent. Vita felix eſt, quando rebus, in quibus felicitatem ponimus, tranquille & ſine interruptione frui queamus; felicitatem illam autem in quacunque etiam re, juxta voluntatum noſtrarum diſcrepantiam, nihil magis impedit & interrumpit, magisque mortem promovet, quam bellum. Hoſti enim juxta rigorem juris naturalis in hoſtem quidvis licet, & ſic ipſi etiam in felicitatem & vitam hoſtis omnia licebunt; quæ licentia hoſti non niſi ſummam infelicitatem, calamitates ærumnasque, imo ipſam mortem, paritura eſt. Et cum incertum ſit, quis noſtrum in bello occubiturus ſit, cum omnibus mors immineat, omnes bellum, ut certam nobis allaturum mortem, maxime averſamur. Id autem, quod de felicitatis noſtræ turbatione per bellum diximus, non ſaltim de actu, ſed & de ſtatu belli intelligendum, quoniam metus malorum non poteſt eſſe ſine inquietudine. Inquies autem impedit, imo tollit felicitatem noſtram, quæ in quieta & tranquilla fruitione illius rei, in qua felicitatem noſtram collocamus, conſiſtit. Id autem quod intuitu ſingulorum hominum obtinet, etiam intuitu univerſarum gentium, locum habet. Quod ſi vero poſt introducta dominia & inſtitutas ſocietates civiles non eſſet medium terminandi controverſias, de rebus ſingulorum, aut de rebus gentium ſive territoriis & eorum juribus exortas, inter privatos lites haud dubie eſſent æternæ, & inter gentes bellum perpetuum aut gereretur, aut metueretur, atque ſic perpetuo in ſtatu hoſtili, turbulento & infeliciſſimo viveremus, a quo ſtatu, ut antea demonſtravi, omnes homines abhorrent. Cumque tanta ſit titulorum & cauſarum, quibus res habentur, incertitudo, merito ad temporis cujusdam lapſum, derelinquendi animum deſignantem, ut aptum medium controverſias illas, ſi aliter fieri nequeat, finiendi, confugimus. Et cum inter gentes ſit æqualitas, id, quod una vult, ut alii placeat, illud etiam ſibi placere debet. Nos hic de illa præſcriptione, quam quilibet princeps in ſua vigere vult republica, ibique tempus pro lubitu ſtatuere poteſt, non ſumus ſolliciti: ſed de ea, quam gentium dicunt, in qua immemoriale placet tempus, id eſt, ut deſcribi ſolet, ſi nulli exſtent, qui dicere queant, ſe ſcire aut unquam audiviſſe, rem aliter ſe habuiſſe, aut aliquem, talem rem ad ſe pertinere, verbis aut factis, generaliter aut ſpecialiter monuiſſe. Sola annalium fides, in quibus memoriæ proditur, rem aliquando aliter ſe habuiſſe, hic non attenditur. Fac, omnium gentium rerum geſtarum commentarios, quotquot eorum exſtant, evolvas; in controverſiis de terris earumque limitibus ad poſſeſſionis vetuſtatem, memoriam excedentem, eas provocare reperies. Exempla affert GROTIVS *l. 2. c. 4. de J. B. & P.* cum commentatoribus ſuis. Conf. etiam PVFFENDORF. *l. 4. de I. N. & G. c. 12. §. 10.* Atque omnium quaſi gentium ore prolatum eſt, quod imperii ſtatus Gallo, ſub omnis generis prætextu de reunionibus ſolicito, apud PVFFENDORF *de rebus Brandenburgicis l. 18. §. 5. p. 1399.* loquuntur: *Longe iniquius eſſe*, dicentes, *ſtatus immemoriali, quam plurium ſeculorum poſſeſſione nixos, ad editionem ſuorum titulorum, contra omnia jura cogere.* Id vero, quod de ſilentio longiſſimi & immemorialis temporis, quod inde naturalis juris ductu animus derelinquendi colligatur, pro ſtatu rerum, quo ſunt & juxta indolem hominum, qui tamdiu rebus, quas ſibi habere volunt, non abſunt, intelligendum eſt. Neque enim credendum, tanto temporis tractu aliquem, rem ſuam ab alio detineri, non eſſe expertum. Nec dici poteſt, quod propterea ſuum cuique non tribuatur. Nam quod quis dereliquit, ejus non amplius eſt, & ſic, ut ſibi tribuatur, poſtulare non poteſt. Atque ita omnia FELDENI argumenta *in ſtricturis ad GROTII l. 2. c. 4. de I. B. & P.* contra poſſeſſionis vetuſtatem, ut legitimum juris naturalis acquirendi modum claudicant. Enim vero neceſſitatem præſcriptionis, ſive quocunque alio titulo eam appellare velis, inter gentes locum habere, ex hypotheſi illius ſcil. ſtatus, quo res earum ſunt, Grotius cum aliis defendit, & præſuppoſito illo ſtatu juxta æqualitatis regulam uſucapio querelas non auget, ſed minuit, ut ex iis, quæ præmiſſa ſunt, conſtat. Inſtantia a duellis deſumta, huc non quadrat: nam aliud aptum medium expediendi controverſias ſufficiens inter privatos habemus, nullam per ſe injuriam admixtam continens, judicia ſcilicet, & ſic duello non eſt opus, quippe quod injuſtum eſt terminandi controverſias medium & fallax, ſi vires & fortuna cum cauſæ juſtitia non ſint conjunctæ, uſucapio autem nihil iniqui habet, cum derelinquendi animum ex tam longiſſimo temporis ſpatio præterlapſo præſupponat. Et ſi uſucapio non admitteretur, dominia ſæpe eſſent in incerto, quod tamen, omiſſo duello, non eſt verendum. Porro a duello & bello per

rali æquitati adverſetur, aut quaſi natura non permiſerit uſucapiendi vel donandi facultatem, ſed quod *Romani* (a) hos modos acquirendi peregrinis inviderint & ſuis Quiritibus voluerint eſſe proprios: perinde ut in multis aliis duros ſeſe præbuerunt erga peregrinos, *vetita ipſis omni teſtamenti* (b) factione & hereditatis additione. Uſucapione profecto & præſcriptione Romani ipſi multorum imperiorum poſſeſſionem adverſus alios tutati unice ſunt: quod nequaquam juſte potuiſſent, ſi tantum a civitatis ſuæ inſtituto omne illud jus profectum exiſtimaſſent. In ſua vero civitate naturalem illam libertatem multum & varie reſtrinxerunt, pro commodo ſuæ reipublicæ ſuorumque civium, quos præ aliis ornari multis prærogativis publice intereſſe arbitrati ſunt. Eoque non eſt etiam, quare ex Romanorum civilibus inſtitutis jura hæc, populis omnibus ex naturæ & gentium arbitrio communia, æſtimemus. Sane cum injuria liberarum gentium

per ipſam naturæ humanæ conſtitutionem omnes abhorrent, non autem ab uſucapione. Nemo enim facile citra neceſſitatem aut abſolutam aut hypotheticam bello aut duello ſe exponet, cum utrumque cum vitæ periculo ſit conjunctum. Deinde falſum eſt, uſucapionem præſumto derelinquendi animo, æque in juſtum ac injuſtum propendere. Ut autem uſucapio vel præſcriptio locum habere poſſit, requiritur, ut præſcribens ſit ſubjectum capax. Igitur conſtat, ſubditum, ut talem, nec per immemorialem præſcriptionem jurium illorum, quæ majeſtatem conſtituunt, participem fieri poſſe. Involvit enim contradictionem, aliquem eſſe ſubditum & concurrere cum alio ad conſtituendum ſubjectum majeſtatis exiſtentiæ. Per jura autem majeſtatis, & non reſiſtentiæ pactitiæ intelligo illa, quæ potiſſimum principem conſtituunt, qualia ſunt, quæ ad rempublicam, a vi externa & interna ſervandam, tendunt, ut jus belli & pacis, jus fœderum, jus vitæ & necis, jus dandi leges, nec non, quæ cum ipſis nexum neceſſarium habent, ita ut ſine horum concurſu exerceri nequeant, aut pro ſtatu, quo jam res ſunt, ſine iis plane eſſent inutilia. Huc refero judicia: quem enim uſum habere poſſent leges, ſi non adeſſent judices, qui definirent, an ſubditi actiones ſuas legibus conformaſſent, nec ne. Putat quidem OCKELIVS *de præſcriptione immemoriali cap. 5.* & jura hæc ſumma, quæ regalia majora vocari ſolent, cum ſubditis communicari poſſe. Sed ſi per communicationem OCKELIVS non intelligit, quod princeps ad hæc exercenda ſubditis, ut inſtrumentis, uti queat, ita ut ſummum arbitrium penes ipſum ſolum maneat, hoc falſum eſt. Sunt deinde adhuc alia regalia minora ſive fiſcalina, quæ nec eſſentiam majeſtatis ut partes potentiales conſtituunt, aut, ut alii loqui amant, quæ non ſunt effectus majeſtatis ſive non-reſiſtentiæ eſſentiales, nec cum eis neceſſario cohærent. Hæc diſtinguere liceat in hypothetice neceſſaria, quæ populus principi ſuo in neceſſarios conſtituit reditus, unde ſe & domum ſuam ſuſtentare queat, ut ſunt jus collectarum, fiſci, &c. Ad hanc claſſem etiam refero bona domanialia, ſive œconomica & menſæ; & voluptuaria magis ad ſplendidam & lautiorem vitam, quam ad neceſſarios uſus facientia, licet inde etiam quædam percipi poſſint emolumenta. Quod autem ad regalia minora & bona domanialia hypothetice neceſſaria attinet, ea quoque in ſubditos transferri non poſſunt: nam ſubditi illa ad ſuſtentationem principis neceſſaria. per pacta conſtituerunt, determinaruntque, ut hunc in finem perpetuo ſubſiſtant. Alias novo principi nova ſemper conſtituenda eſſent bona & jura, unde cum familia ſua ali poſſet, quod in ſummum vergeret reipublicæ detrimentum. Parti autem invitis reliquis ab illo pacto non licet recedere. Neque enim ſimilis hic eſt neceſſitas in præſupponendo animo derelinquendi, ac inter gentes, quoniam non facile inter principem & ſubditos bellum eſt extimeſcendum. Argumentum hoc, quod nec regalia minora præſcribi poſſint a ſubditis, late perſequitur THOMASIVS *in diſſert. de præſcriptione regalium*, & ad objectiones ex juris canonici & receſſuum imperii textibus reſpondet. Non tamen huic in eo accedere poſſum, quod *loco cit. cap. 3. §. 4.* præſcriptionem juris naturæ & gentium ideo inter principem & ſubditos non poſſe habere locum, exiſtimat, quia princeps expreſſam contrariam declararet voluntatem, ubi autem expreſſa ſit voluntas, ibi tacitam non attendi. Id enim & genti, quæ deinde de contraria ſua voluntate expreſſe teſtatur, applicari poteſt. Deinde & in eo a viro illuſtri diſſentio, dum opinatur, quodſi etiam præſcriptio juris gentium inter ſubditos & principem locum haberet, id jus tamen ſubditis, ut privilegium mere beneficum, pro lubitu eripi poſſe. Nam a veritate abhorret, principem ſubditos privilegiis gratioſis, quæ rationem perfectæ donationis habent, ſine cauſa privare poſſe. Quod reliquum, de voluptuariis regalibus & ad lautiorem ſplendidioremque vitam facientibus, quatenus ad neceſſarios principis non ſpectant uſus, & a ſubditis præſcriptione acquiri poſſe, arbitror, cum inde nullum nec reipublicæ, nec ſubditis aliis incommodum enaſcatur. Hinc videmus, principes adverſus ſe in jure venandi præſcriptionem admittere. Sic in terris Brunſvicenſibus a ſubditis jus venandi per immemorialem præſcriptionem acquiri poteſt. *Receſſus Salzthalenſis de anno 1597. §. 38. it. Gandersheimenſis de anno 1601 §. 8.* Et rex Boruſſiæ adverſus ſe præſcriptionem quinquaginta annorum admittit. Idem dictum eſto de principis patrimonio privato & de fructibus patrimonii populi. Enim vero hæc tales ſunt res, in quibus locum habent, quæ a GROTIO *lib. 2. c. 4. §. 13. c. 14. §. 2. de I. B. & P.* afferuntur, nimirum, ut communi legum regulæ, in provincia receptæ ſubſint, aut ſi actus ſuos circa eas legibus princeps ſolvere velit, ut adverſus ſe, quæ in iis jus naturæ & gentium ſuadeo, admittat, cum penes eum talia alienandi ſit facultas.

(a) *Romani*) Populus romanus imperabat multis peregrinis & provincialibus; Ille ſibi plus juris tribuit, quam aliis, & multa ſibi habuit, quæ aliis denegavit. Hinc illa, quæ alias jure naturæ licita, noluerunt permittere peregrinis. Huc pertinet uſucapio, per quam quisque acquirere, uti & per donationem, peregrinis negarunt usque ad Claudium. GÖBEL. Peregrini Romanis erant civium numero, nec Quiritum jure gaudebant. Atque inde multorum jurium non erant capaces. Fuit in cenſu eorum ante Juſtinianum etiam præſcriptio. Conf. GOTHOFREDVS *in not. ad l. 11. C. de hæredibus inſtituendis lit. P.* Notum eſt, Romanis conſuetum fuiſſe, id, cui jus civile certam & determinatam indiderat formam, licet & juri naturæ inniteretur, a jure naturæ ſeparare. Æquitatem præſcriptionis Romanos in dubium vocaſſe, PVTEANVS aliique ex nov. IX., ubi impium dicitur præſidium, probare ſatagunt: Verum huic novellæ fidem penitus omnem DVARENVS, BALDVINVS & WISSENBACHIVS derogant, & GILKENIVS cum IMOLA eam ad malæ fidei poſſeſſores reſtringunt. Alia incedit via WERLHOFIVS *in diſſert. cit. p. 38-39.* ex antiquitate, quid de novella hac ſtatuendum ſit, docens. Enimvero ſatis conſtat, præſcriptionem recte ſe habentem a Romanis inter bona & æqua eſſe relatam. Conf. VACONIVS a VACVNA *declarat. jur. lib. 1. declarat. 28. n. 4. 5.* VASQVIVS *quæſt. illuſtr. lib. 2. c. 52. n. 12.* WERLHOFIVS *l. c. p. 40.*

(b) *Vetita ipſis omni*) Hoc obtinet adhuc in Gallia: [illegible] amicorum tuorum aliquis ibi mortuus, tu tamen non poteris hæreditatem accipere, ſed bona cedunt fiſco. Excipiuntur tamen certæ perſonæ, ut ſi quis regi Galliæ militaverit. GÖBEL. A jure Albinagii in Gallia Belgii ſubditi exemti ſunt. *Traité d'amitié, de commerce &c. entre le Roy tres chretien & Meſſieurs les Etats generaux de P. U. de pays bas de l'an. 1662. §. 40. Traité de commerce, navigation &c. a Nimegue du mois d'Aouſt. 1678. artic. 10. D'Utrecht du mois d'avril. art. 14. Pax Badenſ. art. 24.*

gentium fuerit conjunctum, ſi uſucapionem & præſcriptionem contra Romanos neges valere, qua Romani in ſuam utilitatem contra alios populos uſi ſunt. Id quod tamen multi nimium doctores non dubitarunt profiteri. At vero nobiſcum nata non ex edicto prætoris orta eſt naturæ illa lex, Romanis quoque prudentibus prodita: *Quod quisque juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.*

15. VI. SED de his ſatis ex propoſito. Nonnihil dicendum etiam venit de conceſſionibus a ſumma poteſtate ſubdito factis, quam vim habeant, num ita obligent, ut revocari jure queant, idque vel ab eo qui conceſſit, vel a ſucceſſore. Sunt enim, qui nihil non ejus generis revocabile eſſe cenſeant; propterea quod ſumma quævis poteſtas ſoluta ſit legibus, easque figeree & refigere poſſit: conceſſiones autem ejusmodi non niſi vim legum, aut privilegiorum potius, habeant. Sunt qui negent: quia ſumma poteſtas obligatur naturæ juribus, *quæ mandant ſervare contractus.* (a) Videtur autem perperam ita, nullo facto diſcrimine, pronunciari. Multum diverſa enim ratio eſt & ejus qui concedit, & ejus cui conceditur, & ejus, quod conceditur, & denique modi concedendi: ideoque diſtinctio multiplex venit obſervanda. *Primum* ergo, ſi diſerte additum ſit conceſſioni revocandi arbitrium, ſive ſimpliciter ſive ſub conditione, ſine dubio revocatio juſte inſtitui poteſt. Imo etiamſi illa clauſula addita non ſit, ſi tamen aut lege aut uſu permiſſa ſit arbitraria revocatio ſaltem ſucceſſori, perinde id fuerit quaſi diſerte ſit addita: niſi nova concepta clauſula legi & uſui ſit derogatum: Si lex aut conſuetudo certa non vetet irrevocabilem alienationem, tunc ex ipſo concedendi modo, quid juſtum ſit, decidi non poteſt, ſed aliunde deciſio petenda eſt. Ita alibi lege publica cuivis ſucceſſori permittitur jus revocandi ea, *quæ ab anteceſſore conceſſa ſunt*; (b) ceu apparet in legibus Suedicis collectis per *Raynaldum* (c) Ingemundi l. 2. c. 2. Alibi incertum jus eſt. Ut Romæ Tiberius & eum proxime ſecuti non aliter rata habuerunt ab anteceſſoribus conceſſa, niſi & ipſi in eadem diſerte conſenſiſſent: Titus & Nerva plane aliter ſe geſſerunt. *Deinde ſi is*, (d) qui ſumma poteſtate fungitur, non pleno jure dominii poſſidet ea quæ concedit, utique illa conceſſio, tanquam vitio facta, per ſe nulla ac proinde revocabilis eſt ab eo cujus intereſt. Sic ubi in commodum populi unice adminiſtranda venit reſpublica, nulli ſubditorum ſeorſim in damnum reliquorum ab imperante poteſt aliquid concedi, quin populo reliquo id liberum ſit reſcindere: nec enim imperanti, in tali quidem republica, ſumma licet poteſtate fungatur, fas eſt quidquam concedere cum publico damno. Diverſa herilium civitatum ratio: itaque in his illud etiam, quod cum populi noxa conceſſum eſt uni vel alteri, non poteſt tamen a populo revocari. Quæ feudi jure tenentur, illa, ſi aliis conceſſa, num poſſint revocari a ſucceſſore, non poteſt ex ſolis naturæ inſtitutis recte decidi: quoniam omne feudale vinculum eſt civilis poſitivi juris; quod obſervandum eſſe ab eo, qui eo tenetur, naturalis eſt æquitatis. *Variant autem* (e) feudalia inſtituta plurimum. Itaque nunc quidem ſufficit monuiſſe, legibus illis, prout ratio exigit, conſentanee vivendum eſſe. *Tertio*, quæ

(a) *Quæ mandant ſervare contractus*) GöBEL. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 6.*

(b) *Quæ ab anteceſſore conceſſa ſunt*) GöBEL. Communis eſt opinio, non oneroſa ſed gratioſa privilegia æque ac precarium. etiam ab ipſo concedente, quovis tempore revocari poſſe. FELIN. *ad c. novit. n. 10.* ZOëS. *ad tit. ff. de conſtit. princip. n. 30.* Verum hæc ſententia mihi videtur iniqua, quando princeps id largitur, quod valide donare poteſt. Sunt enim quædam beneficia, quæ rex de ſuo facit, & quæ, niſi adſit precarii clauſula, vim habent perfectæ, ut monui, donationis, & ſic absque juſta cauſa revocari nequeunt. GROT. *de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 6. 13.* De obligatione ſucceſſoris in principatum, variorum opiniones tam juxta juris naturalis, quam civilis placita affert Dn. de LVDWIG *in diſſert.* de hoc argumento conſcripta. Ego, omiſſis ambagibus & ſententiarum, quas alii fovent, enarrationibus, exiſtimo, imprimis hic ad conſuetudines, & pacta, reſpiciendum; quod ſi vero hæc deerunt, ad æquitatis recurrendum eſſe conſilia. De regnis patrimonialibus quippe quæ a figmento haud procul abeſſe cum COCCEIO credimus, parum ſoliciti, de regnis & principatibus inſtitutivis loquimur, ubi ſucceſſor anteceſſoris factum in re, ubi hic ſe valide obligare potuit, & probabilem ſe obligandi habuerit cauſam, præſtare tenetur. Quanquam enim ſucceſſor jus ſuum in principatum non ab anteceſſore, ſed a populo conſequatur, obligatur tamen ex anteceſſoris conventione, quia illa ſe ut caput populi, qui adhuc exiſtit, obſtrinxit, atque ſic non tam principis, quam populi eſt obligatio. Quod ſi vero ſucceſſor in principatu anteceſſoris etiam in privato patrimonio ſuccedat, quin omne ejus præſtare teneatur factum, non eſt dubium, GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 10. 11.*

(c) *Raynaldum*) GöBEL. In regis Sueciæ juramento, quod diadema ſumens præſtat, articulus V. hic eſt: *Rex tenetur arces, caſtella & provincias, cum omnibus eorum reditibus ſervare & fines regni defendere pro viribus ſuis, ita nihil ex his prænominatis minuatur pro ſucceſſore rege, qui habet poteſtatem jura illa reducendi.* LOCCENII *Sueciæ regni leges provinciales tit. 1. c. 4.* Hoc jure utens Suecorum rex Carolus XI. filium ſuum Carolum XII. Heroum maxime illuſtribus, merito adſcribendum, exitioſo tandem implicuit bello. *Les campagnes du Roy de Suede tom. 2. p. 188.*

(d) *Deinde ſi is*) Hæc conſuetudo admodum utilis eſt; niſi enim hoc fieret, multa regna perirent ob prodigalitatem regum. Interdum autem illi, qui funguntur ſumma poteſtate, ex parte tamen obtinent ſummam poteſtatem, ut fit in mixtis tantum rebuspublicis & etiam in Germania. Similiter plerique reges univerſæ Europæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, Bohemiæ non funguntur plane ſumma poteſtate, ſed ex parte tantum. Hinc ſi illi quid donant, non eſt in illorum poteſtate, ſed licet revocare.

(e) *Variant autem*) Feudalia inſtituta quam maxime obtinuerunt apud gentes Germanas, ſive vixerint in Germania ſive aliunde migraverint inde. Imo ubi non ſunt Germanæ gentes, ibi non reperiuntur feudalia inſtituta, niſi quod in Turcia reperiantur, ſed omnia ad Germanum nomen inſtituta. Iſta autem feudalia non concordant cum Saxonicis, neque cum Sueciis aut Bataviciis. GöBEL. Ad gentes Germanicas, non præciſe Longobardos aut Francos, feudorum originem ſpectare, nec apud alias gentes, niſi feudorum analogum reperiri, verior eſt ſententia. Hoc & de Turcarum prædiis ſtipendiariis, quæ Timariotis dantur, dicendum. COCCEJ. *hypomnemata juris feudalis tit. 1. §. 6. tit. 1. §. 6.* De obligatione ſucceſſoris in feudo Germanico tam illuſtri quam vulgari variæ doctorum proditæ ſunt opiniones. Ubi conſtitutiones & conſuetudines domeſticæ ſunt, ibi ſanctiones & mores in peregrino ſolo nati ad decidendas

quæ ſumma poteſtas, cum haberet iſthæc in pleno patrimonio, ſubditis ſive omnibus ſive aliquibus, concedit, *ſi lex aut uſus* (a) non prohibeant, illa irrevocabiliter poſſunt concedi. Nec enim reſcindi ea poſſunt a populo, utpote cujus jus non pertingat ad talia: non a ſucceſſore, quum is nihil habeat juris aliud, quam quantum ejus a ſuperioribus relinquitur: non a ſeipſo, quoniam dominio jam privavit ſeſe. Maximus tamen Grotius *l. 2. de jure bell. ac pac. c. 14. n. 7.* ſtatuit, poſſe ſubditis jus etiam quæſitum auferri duplici modo: aut in pœnam, aut jure ſupereminentis dominii. Verum enimvero ipſo etiam ſupereminente dominio poteſt a principe *ſubditus ſolvi.* (b) Saltim itaque tunc non habebit locum poſterior ille modus. Ad hoc ea, quæ ita conceſſa ſunt, non aliter principi amplius obligantur, quam aliunde quæſita bona. Si in pœnam itaque aut vi ſupereminentis dominii aliquid petatur, non proprie conceſſæ rei fit revocatio, ſed per accidens, per ſe vero tantum ſubtractio aliqua, qualis etiam jure poſſit fieri rerum aliarum. Si in alia bona principi tantum juris non ſit, nec in hæc fuerit: utpote quum hæc in eandem cum reliquis conditionem abierint. Vi ſupereminentis dominii autem publicæ utilitatis cauſſa poteſt aliquid in publicum revocari ex privata poſſeſſione, in rebuspublicis duntaxat melioribus; in *herilibus non item*, (c) ubi nulla attenditur publica ſalus niſi ex accidente.

16. Igitur revera aliter atque aliter ſeſe habet jus conceſſionum facta vere ſubditis a ſumma poteſtate. Falſum enim eſt, quod nonnulli ponunt: Omnes conceſſiones habere tantum vim legum poſitivarum. Hæ enim ſubditos tantum adſtringunt: at conceſſiones ſive liberaliter ex dono ſive ex contractu factæ obligant quoque ipſum regem; eoque non eſt regii arbitrii, ita

dendas cauſas adhiberi non ſolent. Neque enim ſanctio quædam pragmatica in imperio noſtro reperitur, quod per peregrina jura domeſtica tolli debeant. Quod itaque ad feuda illuſtria attinet, illa ejusmodi naturæ ſunt, ut nec in totum, nec pro parte citra imperatoris & ipſorum ſucceſſorum, nec non ordinum provincialium conſenſum, niſi ſi qui adſunt, qui tacite aut expreſſe jure ſuo deceſſerint, alienari queant. Scio equidem, eſſe Jureconſultos, qui imperatoris ut in alienatione feudorum imperii ratio habeatur, non eſſe neceſſum contendunt, quibus & LVDWIGIVS accedere videtur: verum neſcio, quare cæſari, quod ex natura dominii directi in omni ſeniore obtinet, abrogandum ſit. Et miror eo magis, negantibus Ludwigium adeſſe, cum primarium formulæ, in principatibus Germanicis locum habentis, fundamentum ponat in Henrici imperatoris conſtitutione, quam in Fridbergenſi curia CCXXX. aſſidentibus imperii proceribus tulit. Eruit eam nominatiſſimus autor *ex lib. IV. rerum Brabant. CHRISTOPH BVTKENS*, ſequentibus verbis: *Notum facimus, quod, cum Henricus major filius illuſtris principis, ducis Lotharingiæ matrem habuerit, & illa ſit mortua, per ſententiam principum in curia noſtra eſt judicatum. Si idem dux de bonis, quæ poſſidet, aliquid alienaret, vel in manus vellet transferre, alienus dictus Henricus filius ſe de iisdem bonis poſſet intromittere aut occupare licenter ad uſus ſuos & tenere.* Imo & in allodiis imperii imperatoris conſenſus neceſſarius videtur, ſi in extraneum forte, unde imperio malum quid aut juribus ſuis adverſum timendum, transferenda ſint. Succeſſorum autem conſenſus ideo neceſſarius eſt, quia in feudis Germaniæ illuſtribus, quæ ex pacto & providentia dicunt, ſucceſſio linealis locum habet, ita, ut factum patris liberis natis aut etiam conceptis ſaltim, nec nocere, nec eos obligare poſſit, cum jus quæſitum a majoribus habeant. Unde conſequitur & illud, quod in *capitul. Caroli XX. de agnatis* traditum, etiam ad deſcendentes pertinere. Late rem *RVSDORF in vindiciis palatinis* perſequitur: Corroborando huic aſſerto inſerviunt tot diplomata a collectoribus eorum relata, ubi in alienationibus & conjugis & filiorum mentio injicitur. Quod autem & conjugis ſæpe mentio fiat, exinde factum opinor, quod inter Germaniæ conjuges etiam illuſtres per matrimonium omnium fortunarum & bonorum quoad fructus ſaltem inducta fuerit communio, quæ, cum per ejusmodi alienationes detrimentum patiebatur, uxoris quoque conſenſu opus erat. Imo & beneficiariæ ſæpe terræ promiſcuæ naturæ in dotem afferebantur, in quarum alienatione ex ipſa rei natura conjugis quoque conſenſus adhibendus fuit. Denique ordinum provincialium, uti in aliis rebus magni momenti, ſic & in alienationibus provinciarum ſuffragia poſtulat mixtæ reipublicæ natura, quæ uti in toto imperio, ita etiam in ſingulis ejus territoriis ex gentis indole olim viguiſſe dicitur. Huic accedit, quod bona dominicalia non exigua ex parte principibus a populo, quem ordines provinciales repræſentant, conſtituta ſint. An ſucceſſor in territorio Germanico æs alienum, quod princeps futuri ſucceſſoris ordinumque provincialium conſenſu conflavit, a ſucceſſore delendum ſit, & auctorum opinionibus, & judicialium ſententiarum effectis maxime controverſum eſt. Aliorum opiniones examinare, jam noſtrum non eſt. Paucis ſaltim dicam, quid ego ſentiam. Quamvis enim non exiſtimem placitum *Longobardicarum conſuet. 2. f. 45.* quod filius omiſſa hæreditate paterna ejusque onere feudum capeſſere nequeat, ad Germaniæ principes pertinere: interim tamen exiſtimo, ſucceſſorem deſcendentem pariter & agnatum ad æs alienum ab anteceſſore contractum delendum, ſi non ex rigidæ juſtitiæ rationibus, ſaltim ex decori ſuaſionibus, ut principis memoria omnibus ſancta ſit, teneri, niſi hoc urgentes reipublicæ rationes diſſuadeant. Succedunt jam feuda minora, & mediata ſive Landſaſſica, uti *LVDWIGIO l. c. c. VI.* vocantur, in quibus non juxta textum 2. feud. 45. ſed jura Germanica antiqua ſtatuendum eſt. Quis enim putaret, domeſtica jura per aſcititia in peregrino ſolo nata & ſubſidii ſaltim cujusdam vicem habentia, extincta eſſe. In jure autem Saxonico & Suevico clare traditum, ſucceſſores in feuda, licet ex deſcendentium numero ſint, in facta & æs ab anteceſſoribus contracta non ſuccedere. *Sächſiſches Landrecht lib. II. art. 21. lib. I. art. 9. artic. 22. 55. Schwäbiſches Lehnrecht c. 83. 89. 98.* quos textus LVDWIGIVS ex juris Suevici & Saxonici interpretum codicibus allegavit. Id quod dixi, tantum de eo caſu intellectum volo, ſi recentiores non adſint conſtitutiones, aut mores feudales, qui ſucceſſorem talem ad exſolvendum æs paternum feudale obſtringunt. Qualis in terris Brunſuicenſibus, ducatu Magdeburgico, Mecklenburgico, Bavarico, Pomeranico adeſſe conſtat. Quid in epiſcopatibus Oſnabrug. Monaſt. Paderborn. Wurtzburgico, Bambergenſi archiepiſcopat. Mogunt. Colonienſi & Trevirenſi obtineat, docet LVDWIG. *l. c.*

(a) *Si lex aut uſus*) Illa, quæ donantur, aut talia ſunt, ut donari poſſint ſalva republica & ſalvis legibus publicis: aut ſunt talia quæ non poſſunt donari, ſalva republica aut ſalvis legibus publicis: illa poſſunt irrevocabiliter concedi.

(b) *Subditus ſolvi*) GöBEL. De hoc dubitandum videtur. Supereminens enim dominium non habet locum, niſi hoc reipublicæ ſalus neceſſario requirat, & ab obligatione, ut civis reipublicæ neceſſitatibus ſubveniat, nulla lex, nulla exemtio eum liberare poteſt. Caſus enim neceſſitatis & publicæ utilitatis in omni conceſſione & privilegio exceptus eſt. *GROTIVS de J. B. & P. lib. II. c. XIV. §. VII.*

(c) *Herilibus non item*) GöBEL. Herilia ſive patrimonialia, in quibus dominium ſtricte dictum cum imperio, regnum cum tyrannide confunduntur, nulla eſſe, niſi ex uſurpatione, ſupra docui.

ita libere mutare conceſſiones atque *mutat leges poſitivas.* (a) Ex adverſo jus naturæ obligat quidem quamlibet etiam ſummam poteſtatem humanam: non tamen omnes ejus conceſſiones irrevocabiles pronunciat, ac proinde nec jubet omnes illas ſtricte obſervare.

17. VII. NON indiget quidem prolixa refutatione: rejicienda tamen verbo hic etiam eſt Ferdinandi Vazquii illa ſententia, quam defendendam ſuſcepit *l. 2. quæſt. illuſtr. cap. 82.* ſubditis quibusque, ſive illi ſponte ſive vi adacti in ditionem alterius conceſſerint, licere in libertatem ſeſe aſſerere, modo velint & poſſint, quamvis tempore memoriam omnem excedente in obſequio vixerint. Et ſane ſatis pene eſt illi rejiciendæ unum illud, quod id qui docuerit, præter Vazquium, nemo forte reperiatur. Fatetur id ipſemet n. 7. inquiens; *Nullus unquam, in cujus ſcripta inciderim, ſic declaravit:* quamquam juſtis de cauſis interdum & raro poſſe imperium excuti, multi affirmaverint; neque nos id negemus. Nec vero temere id poteſt rectum eſſe, quod omnibus ſapientibus, uno forte excepto, diſplicet. Adeo levia porro ſunt argumenta, quibus innititur Vazquius; ut iis nihil ſit ſolutu facilius. Homines ſcilicet omnes natura liberos natos; eoque fas eſſe recuperare illam libertatem naturalem, idque vel vi vel mutata ſubditorum voluntate. *Etenim natura* (b) non quidem juſſit, ſi aliud nullum hominum factum acceſſerit vel me vel alium in numero parentium eſſe: attamen permiſit obſequium, &, ſi promiſſum illud ſit, juſſit promiſſis ſtare. Perinde ut de aliis contractibus omnibus nihil eſt naturali lege juſſum, niſi poſito quod ſint initi: hos nimirum ſanctos ſervandosque jubet naturæ lex, nondum initos permittit iniri, antehac nihil jubet, nihil vetat. *Nihil tam naturale eſſe, quam unumquodque eo modo diſſolvi, quo colligatum eſt*, fatemur cum Vazquio & nos. Hinc vero ſequitur, quæ mutuo conſenſu imperantium & parentium conſtituta ſunt imperia, non niſi utriusque partis conſenſu, nequaquam vero ex arbitratu unius partis diſſolvi poſſe: atque adeo plane ab eo, quod Vazquius vult, quid diverſiſſimum. *Certe etiam illa*, (c) quæ ſponte a populo deferuntur, obſequia, non ante imperium aliquod pariunt, quam is, cui deferuntur, conſenſerit, & inter utramque partem contractus fuerit ratus & ſtabilitus. Nam & delata ejusmodi obſequia *poſſunt rejici*: (d) quod & vetuſti & noſtri temporis exemplo non ſemel eſt factum. Etiam quæ vi quadam in bello victos conſtituuntur imperia, conſenſione ſubſecuta populi, mutuo tandem contractu roborantur. Tacebo nunc, quod ſevere omnis injuſta rebellio divina lege ſit prohibita; quodque ſaltim gentium moratiorum communi conſenſu ſtabilitis imperiis, arbitraria ejusmodi dominantium rejectio inter deteſtanda numeretur. Quo patet, Vazquii illam ſententiam non tantum naturæ ſed & divino & gentium juri adverſari, evertendisque fere omnibus rebuspublicis idoneam eſſe. In civitatibus, quæ populi commodum unice ſpectant, ſi imperans plane aliud agat, iniquum jugum excuti jure poſſe: in herilibus rebuspublicis ſi omnem omnino ſubditorum ſalutem quaſi exciſam velit dominus, a populo utut minus libero fieri idem poſſe, haud diffitemur. At ſi cauſæ etiam illæ deſint, tantum ex arbitrio ſubducere ſe ſubditos ſuis principibus poſſe, nova eſt & impia doctrina, eoque nec toleranda.

18. XIII. DE RESTITVTIONE denique in integrum, verbo aliquid annectendum eſt, num illa inter liberos populos aliquando debeat admitti. Et vero ipſe Grotius lib. 2. cap. 14. n. 1. Joanni Bodino ſeſe opponit, cenſenti, *iisdem ex cauſis regem ſive aliena fraude ac dolo ſive errore circumventum, ſive metu, reſtitui poſſe ex quibus ſubditus reſtitueretur tum in iis quæ ad jura majeſtatis imminuta, tum in iis, quæ ad privata commoda pertinent.* Negat igitur in actibus regum vere regiis, non autem privatis, reſtitutionem locum invenire; idque propterea, quod reſtitutio veniat ex jure civili nec a ſuperiore inſtitui poſſit. Cæterum ſi quidem reſtitutio mere civilis eſſet juris, fatemur eam inter liberos populos non intercedere, quoniam illi talibus inſtitutis non obligantur. Aſt ipſa naturalis æquitas poſtulat, ut unusquisque fraude ac dolo circumventus in negotiis, ubi bona fide agendum erat, reſtituatur in integrum, præſertim cum ejusmodi circumventiones jure ipſo actus irritos reddant. Par ratio eſt quorundam aliorum, quæ reſtitutioni ſolent cauſam dare.

Quo-

(a) *Mutat leges poſitivas*) GÖBEL. *GROTIVS de J. B. & P. lib. II. c. XIV. §. IX. PVFFENDORF. in elementis jurisprudentiæ univerſalis lib. I. definit. 13. §. 2. FELDEN. ſtrict. ad GROT. lib. II. c. 14.*

(b) *Etenim natura*) Quæ naturalia dicuntur, illa ſunt varia. Naturale 1) dicitur id, quod eſt virtutis. 2) Naturale dicitur id, quod natura permiſit. Jam libertas homini non eſt mandata; permiſſum ſaltim eſt, libere vivere; At illa, quæ permiſit natura, non ſunt talia, ut humano inſtituto non liceat ab iis abire. Libertatem permiſit natura; at vero interim etiam permiſit, obſequium præſtare. Natura nec me, nec alium fecit ſubditum principis, ſed ex hominum inſtituto ſumus ſubditi; & permiſit hoc natura mandavitque, ut, ſi hoc facias, ſtes etiam promiſſis.

(c) *Certe etiam illa*) Duplici modo poſſunt incipere imperia, vel ut ſubditi ſe ſponte ſubjiciant, vel ut vi trahantur ad obſequium. Si ſponte, tum revera dicunt uniri utrinque contractus, niſi enim hoc fiat, non oritur jus. Hoc probo inde, quia & vetus & noſtri temporis hiſtoria hoc docet. Ita cum ante 100. annos Livones a Moſchis vehementer vexarentur, obtulerunt obſequium regi Daniæ, ſed noluit ſuſcipere: dein Suecis, qui etiam noluerunt, poſtea tamen cum Eſtonibus contraxerunt. GÖBEL. Fuit tamen Eſthonia ad aliquod tempus in Danorum poteſtate, condidit enim Waldemarus II. Revaliam: Sed Waldemarus III. eam crucigeris vendidit. Cumque poſtea Ruſſorum irruptiones in Livoniam ingraveſcerent, Livoni a Carolo V. diplomate, Bruxellis 1556. dato, Suecorum ſe regis permittere tutelæ juſſi ſunt. Hoc in literis ad Guſtavum, Gandavi eodem anno exaratis, repetitur, quibus accedunt literæ Ferdinandi I. ad Guſtavum de anno 1555. nec non pactum inter Maximilianum II. & Joannem Sueciæ regem hoc negotium concernens. Eſthonia autem Erico Sueciæ regi 1561. ſubjecta eſt, & Livoniæ pars victricibus Guſtavi Adolfi armis acceſſit. Conf. Suecorum ſcriptum, Poloniæ regi Livoniam Suecicam bello aggredienti oppoſitum, cui titulus: *Veritas a calumniis vindicata p. 16. ſeqq. PVFFEND. in reb. Suec.*

(d) *Poſſunt rejici*) GÖBEL. *GROTIVS de J. B. & P. lib. I. c. 3. §. 8.*

Quorundam ajo. Nec enim diffitebor, Romano aliarumque gentium civili jure inter reſtitutionis cauſas numerari nonnulla, quæ non adeo *evidens æquitas*(a) *poſtulat*, quum tamen ipſi Romano prætori ſola hæc in univerſum credita olim ſit reſtitutionem promovens ratio: quod diſputare hujus fori non eſt. Nos illam ſolam reſtitutionem profitemur locum inter liberos populos reperire, quam *æquitas evidens* exigit: hæc enim tota ab ipſamet natura eſt. Quapropter etiam tempus, intra quod reſtitutio hæc inſtitui debet, non definimus ex civilibus Romanorum inſtitutis. Sed ſimpliciter eo, intra quod & potuit & debuit publicæ rei accurata cognitio ab illo, cui cura reipublicæ incumbit, comparari: de quo jam tum aliquid dictum eſt. Si enim illud tempus patiatur quis effluere, indicat is eo ipſo negligenter ſe habere rempublicam & quæ amiſſa ſunt dereliquiſſe. Quo ipſo poſſeſſori etiam fraudulento ac malæ fidei novum jus conceditur. Non eſt vero quare quem turbet, quod reſtitutio debeat fieri a ſuperiore, qualis rege nemo datur in republica. Id enim non ſimpliciter, ſed tantum inter cives obtinet. Perinde ut inter cives nemo poteſt eſſe judex in cauſſa propria. At ſi ſuperior deſit, tum unuſquiſque αὐτόδικος ſibi jus dicit, ſeſe vindicat, ſeſe *reſtituit*. (b) Nonnemo hæc omnia vult præſtari ab uno, cui exiſtimat jure naturæ totius humani generis μοναρχίαν competere. Sed inepte. Fac enim, (quo tamen nihil eſt ſtultius) talem aliquem a natura eſſe inſtitutum; ſi & ipſemet afficiatur injuria: quem inveniet ille judicem, vindicem aut reſtitutorem? Utique aut nullum aut ſeipſum.

19. VERUM hæc & alia id genus pro dignitate perſequi, ejus philoſophiæ eſt, quæ juſtum omne naturale exponit. Quod tametſi fortaſſis haud ſatis ſit factum hactenus, tamen a nobis hoc ſane loco nequaquam eſt expectandum. Sufficit nunc pauca tantum hæc produxiſſe, propterea, quod argumentum noſtrum propius attingant & tamen impeditiora ſint. Duo hiſce adjicienda ſunt ad publicum jus imperii pertinentia, ſic ſatis quidem difficilia explicatu, nec itidem hujus loci; quæ tamen non minus atque illa, quæ jam attulimus, ſumme ſunt neceſſaria ad argumentum noſtrum expediendum, ac proinde ſaltim paucis præmittenda, ut iis tanquam firmis hypotheſibus impoſterum uti liceat. Alterum eſt, quemnam penes ſit τὸ κῦρος, adeoque alienandarum imperii partium juriumque poteſtas ſuprema. Alterum, an illa ſumma poteſtas obligetur, provincias imperii omnes ad populi vel unice vel maxime commodum adminiſtrare.

20. Prius quod attinet, nonnulli quidem exiſtimant, omnem ſummam imperii poteſtatem penes unum cæſarem eſſe: hunc vero propterea quod ſi mundi dominus habere omnia in liberrima poſſeſſione, ac proinde & alienandi facultate eſſe præditum. Ex adverſo complures, utut cæſari omnium tribuant plenum dominium, alienandi tamen poteſtatem ipſi denegant, idque eo argumento, quod cuncta alienatio cedat in imperii detrimentum, cum cæſar omniſque adeo ſumma poteſtas unice obligatur ad commodum reipublicæ quærendum. Cæterum hæc quidem poſterior ratio levis eſt, & jam ante a nobis falſi convicta ac rejecta. Æque autem elumbe eſt argumentum paulo ante adductum pro cæſarea alienandi poteſtate. Etenim potiſſimæ imperii parti cum Ciſalpinæ tum Tranſalpinæ cæſar imperat, non tam ut cæſar quam ut rex aliquis Germanicus; ſi ſane velimus exacte rem omnem definire. Id quod late oſtenſum eſt a nobis libro de Germanorum imperio Romano. Igitur quamvis cæſari in ea, quæ ipſi cæſareo jure proprie ita dicto competunt, dominium plenum fuerit, minime tamen hinc ſequitur in reliqua omnia par illi jus eſſe. Sed nec facile probaveris, cæſari hodie vi tituli cæſarei ullum tale *plenum dominium* (c) convenire. Eſto enim; fuerit illa cæſarum olim poteſtas: hinc tamen colligere non licet, hodieque illam ſupereſſe, etſi ita argumentari videas ſic ſatis multos. Nam utique ut Romanorum omnia, ita etiam cæſarum jura mutationibus ſunt obnoxia. Nihil in his æternum, perinde ut nec in aliis humanis rebus. Eadem ſane veriſimilitudine collegeris ex eo, quod Germanicorum regum perexigua olim ætate Cornelii Taciti fuerit exiſtimatio, nunc itidem eos duntaxat valere ſuadendi magis auctoritate quam imperandi. Atqui tanto temporis ſpatio etiam hoc mutari potuit.

21. Certioribus igitur rationibus innixi, *primum* id quidem dubio credimus carere, ſaltim poſt Maximilianum id nominis primum nullam alienandi bona imperii poteſtatem cæſaribus ſuper-

(a) *Evidens æquitas*) GÖBEL. Neſcio, quænam inter cauſas, ob quam prætor in integrum reſtituit, non evidentem habeat æquitatem. Neque clauſula generalis aliam, quam ſimilem legali abſentiæ cauſam admittit. Dubium forte eſſe poſſit circa æquitatem reſtitutionis in integrum civilis ex *l. 2. c. de reſcind. vendit.* cum æquitas naturalis perfectam requirat æqualitatem. *GROTIUS de J. B. & P. lib. II. c. 12. §. 8.*

(b) *Reſtituit*) GÖBEL. Plerique autores hic a Grotio, reſtitutionem in integrum juri civili omnimode adſcribente, diſcedunt, & aliquam ejus ſpeciem juris naturalis eſſe docent. *ZIEGLERUS, FELDENUS, VAN DER MUELEN, ad lib. II. c. 14. §. 1. Grot. BOECLER in notitia imperii lib. II. c. 3. ALBERICUS GENTILIS c. 3. §. 4. KULPISIUS in colleg. Grot. p. 91. VITRIARIUS in inſtit. J. N. & G. lib. II. c. 14. §. 3. & IV.* quo etiam *GRASWINCKEL in ſtricturis contra Feldenum p.* 150. inclinare videtur. Ita ut & principibus, ſuperiorem non habentibus, utile eſſe queat, quando forte dolo per vim, aut ætatis imbecillitate læſi ſint. Cui ſententiæ calculum adjiciendum eſſe reor, modo quæſtio cum *PUFFENDORFIO de jure N. & G. lib. VIII. c. X. §. 2.* recte formetur in hunc ſenſum: *Si rex in aliqua obligatione contrahenda læſus fuerit, an poſtea, læſione deprehenſa, propriam per autoritatem declarare poſſit, obligatione illa, ſe ob adhærens ei vitium non teneri.* Conf. *PUFFEND. l. c.* & *§. 3.* Addam adhuc ſequentia ex *comment. VAN DER MUELEN ad loc. GROTII* citat. *p. 505. dicimus principem ſe non tam in integrum reſtituere, quam uti jure naturali & æquitate, quæ cuique tribuit facultatem reſiſtendi ab ejuſmodi contractu & irritam declarandi obligationem, cui tale vitium adhæret. Talis itaque in caſu æqualis in eo princeps cæteris, non reſtituit ſemetipſum in integrum, ſed reſtituit eum jus naturæ.*

(c) *Plenum dominium.*) GÖBEL. Et ad ea, quæ Germanico imperio in Italia parent, regenda ſtatus concurrunt. Eſt enim Italia cum imperii Romani reliquiis Germanorum ſanguine Germaniæ quæſitum.

ſuperfuiſſe. *Diſerte enim id* (a) vetitum eſt iis legibus, quas ſecuti omnes ſunt ad cæſarem dignitatem admiſſi. Nonus capitulationis, ut vocant, cum Carolo quinto initæ paragraphus noſtrate Germanica lingua ita ſeſe habet: *Zudem und inſonderheit ſollen und wollen wir dem heiligen Ræmiſchen Reich und deſſen Zugehœrigen nicht allein ohne Wiſſen, Willen und Zulaſſen gemeldter Churfürſten ſamtlich, nichts hingeben, verſchreiben, verpfanden, verſetzen, noch in andern Wegen veranſern oder beſchweren, ſondern Uns auch aufs hœchſte bearbeiten, und allen müglichen Fleiß und Ernſt fürwenden, dasjenige, ſo daven kommen, als verfallen Fürſtenthumben und Herrſchaften &c. zum förderlichſten wieder darzubringen, zueignen auch dabey bleiben laſſen, doch menniglich an ſeinen gegebenen* privilegien, *Rechten und Gerechtigkeiten unſchadlichen.* In eandem ſententiam aliquid legitur in capitulationibus omnibus eorum, qui *Carolo ſucceſſerunt.* (b)

22. Etiam vero dudum ante, etſi non ſcripta lege, tamen recepta conſuetudine id fuiſſe imperio probatum ſaltim a Caroli IV. ævo, manifeſtum fit ex eo libello, quo Wenceslao Caroli filio dignitas cæſarea detracta fuit ab electoribus. Inter alias enim abdicandi illum cauſas juſtas etiam hoc adferunt electores: *complures urbes terrasque tam in Germania quam Italia ad imperium pertinentes alienavit*, (c) *parum penſi habens, ut eas retineret.* Idem inſimulant Wenceslaum, *quod pernitioſe mutilaſſet imperium, & mutilum reddi permiſiſſet, dum ex vicario imperii creaverat ducem Mediolanenſem.* Patrem Wenceslai Carolum ob alienationes, *alterum Craſſum, imperii vitricum & diſſipatorem*, (d) appellare non dubitavit Maximilianus primus; haud dubie non ita dicturus, ſi liberum alienandi jus cæſaribus competere judicaſſet.

23. Jam ſeculo tertiodecimo adſtringi ſacramento ſolere cæſares, ne quid patiantur imperio decedere indicat Ottonis IV. hiſtoria. De illo enim ita narrat Matthæus Paris ad annum MCCX. „Circa dies feſtos iſtos Otto Romanorum imperator, memor juramenti, quod fecerat, cum a pa„pa ad imperium fuerat ſublimatus, quod videlicet DIGNITATES IMPERII CONSERVARET „ET JURA DISPERSA PRO POSSIBILITATE SUA *REVOCARET*, (e) fecit per ſacramentum „legalium hominum imperii, dominica caſtella ſua ad dignitatem imperialem ſpectantia perqui„ri, & quæcunque per recognitionem ad jus imperii ſpectare didicerat, in uſus ſuos convertere la„borabat. Hac autem de cauſſa orta eſt diſſenſio graviſſima inter dominum papam & imperato„rem memoratum.„ Idem non multo poſt addit: „Imperator nunciis domini papæ tale perhi„betur dediſſe reſponſum. Si, inquit, ſummus pontifex imperii jura injuſte poſſidere deſiderat, „a ſacramento, quod tempore conſecrationis meæ ad dignitatem imperialem me jurare compulit, „me abſolvat, quod videlicet DISPERSA IMPERII JURA REVOCAREM. Denique cum papa „ipſum

(a) *Diſerte enim id*) Antea ac ſemper ab antiquiſſimis temporibus reges coacti ſunt, ſeſe in certas leges ſacramento adſtringere, ſed formula fuit brevis & paucis conſcripta, in quam jurarent. At cum Carolus V. eligeretur, formula eſt ampliata, atque etiam ampliores capitulationes inſtituerunt. Hoc autem propterea factum, quoniam Carolus rex vixerat in Hiſpania natus in Germania. 2) Erat fortis & potens rex. 3) Erat etiam rex Hiſpaniæ. Ut igitur magis ſecura gens Germana eſſet, capitulatio illa longe uberior facta: capitulationes autem, in quas admiſſi reges, non ſunt plane uniusmodi, ſed in aliquibus variæ capitibus. Omnes illas collegit & uno opere edidit, quas etiam commentario prolixe illuſtravit IOH. LIMNÆVS. Deeſt autem ultima capitulatio, in quam immiſſus nuper defunctus rex Romanus. GöBEL. Pauca ſane erunt regnorum & rerumpublicarum, quæ Chriſto nomen dederunt, in quibus principes pactis quibusdam, quæ a variis capitibus, ex quibus conſtant, capitulationum penes Germanos nomen habent, non ſunt obſtricti. *LIMNÆVS in prolegom. ad capitulat. Sect. IX. HARTKNOCH. de republica Polonia lib. 2. c. 2. §. 2. CHWALKOWSKY de jure publico regni Poloniæ lib. 2. c. 8. §. 2. ZAWADSCIVS de fœderibus p. 225.* & tales leges palatinas, ſive conditiones, ſub quibus regnum eſt delatum, ante Caroli V. capitulationem in Germania fuiſſe, non dubito. Reſpublica enim noſtra mixta, plura ſubjecta majeſtatis exiſtentiæ habens, ejusmodi pactis innititur, ſive ſcripta, ſive non ſcripta fuerint. Atque tale Germanici imperii eſſe indolem, variis ſanctionibus pragmaticis, quæ in corpore receſſuum conſpiciuntur, expreſſum eſt. *R. J. de anno 1500. §. Wenn das Geld R. J. Trevirenſis & Colon. de anno 1512. R. J. Wormatienſis de anno 1518. R. J. Norinbergenſis de anno 1524. R. J. A. de anno 1525. de anno 1566.* Quo & varia in imperatorum capitulationibus exſtantia loca pertinent. Sufficiat nobis quædam ſaltim recentiorum citaſſe; nimirum capitulationis Leopoldi art. II. XII. Joſephi. X. XII. *Caroli VI. art. II. IV. VI. X. XI. XIII.* Cæterum capitulationum, quæ jam in Limnæi volumine uſque ad Leopoldinam incluſive, ut ajunt, omnes leguntur, prima, quæ hactenus comparuit, formaliter talis, ut terminorum loquuntur magiſtri, eſt, in quam imperium per electores cum Carolo V. convenit. Sed de hoc argumento alibi ex profeſſo agendum erit. Vid. *PFEFFINGER tom. 1. tit. 7. p. 536. 537.*

(b) *Carolo ſucceſſerunt.*) GöBEL. *Ferdinandi I. art. 8. Maximiliani II. art. 6. Rudolphi II. art. 8. Matth. art. 8. Ferdinandi II. art. 8. Ferdinandi III. art. 9. Ferdinandi IV. art. 9. Leopoldi art. 12. Joſephi art. 12. Caroli VI. art. 10.* cui ex perpetuæ capitulationis projecto additum eſt: *Fürſten und Stande.* Quæ in receſſibus exſtant, quod imperator actus ad ſummam poteſtatem civilem pertinentes in imperio exerceat *von Keyſerlicher Macht und Vollkommenheit*, juxta naturam & indolem formæ regiminis, quæ in Germania ſtabilita, interpretanda ſunt.

(c) *Alienavit.*) GöBEL. Verba diplomatis exauctorationis Wenceslai, apud OBRECHTVM in app. J. P. p. 64. ſic ſe habent: *Idem etiam S. R. J. graviter & damnabiliter dimembravit, & dimembrare permiſit ſignanter, Mediolanum & provinciam Lombardiæ, quæ ad ſacrum ſpectant imperium, & de quibus imperium magnas utilitates & ſubſidia reportavit. In quibus ille Mediolanenſis ſacri imperii ſervitor & officiatus exſtitit, quem idem rex jam deſuper ducem & in Papia comitem creavit pecunia; ab hoc contra ſuum titulum & æquitatem per eundem recepta. Idem etiam multas civitates & provincias in Italia partibus ad ſacrum ſpectantibus imperium, quarum aliquæ ad ſacrum devolutæ fuerunt imperium, dereliquit, non curavit & ſacro imperio minime conſervavit.* Sunt tamen, qui factum illud, quod Mediolanenſem vicecomitem ad ducalem extulerint dignitatem, excuſant. Nam & ducatus Mediolanenſis in obſequio imperii permanſit. Quod autem Wenceslaus Italici regni curam non omnimode neglexerit, & ex eo conſtat, quod Jodocum Moraviæ marchionem vicarium ſuum generalem in Italia conſtituerit. BALVZIVS *in notis ad vitas paparum Avenionenſium tom. I p. 1200.*

(d) *Vitricum & diſſipatorem.*) GöBEL. Vid. CVSPINIANVS *in Maximiliano I.* Nec Schurzfleiſchius ipſum aliter defendere annixus eſt, quam quod imperii patrimonium, quatenus pertinet ad regnum Arelatenſe, non diſſipaverit.

(e) *Revocaret.*) GöBEL. Vide *Chron. montis ſereni ad annum 1211. p. 63.*

„ipſum imperatorem a præſtito juramento, quod omnes imperatores in ſua conſecratione, inſpe-„ctis ſacroſanctis Evangeliis jurare tenentur, abſolvere noluit, & imperator è contra imperii ju-„ra, quæ jam parte maxima in manu potenti revocaverat, reddere contempſit, idem papa in ipſum „imperatorem ſententiam excommunicationis tulit, & univerſos tam Alemanniæ quam imperii „Romani magnates ab ejus fidelitate abſolvit. „ Hæc omnia Paris. Cui tuto poſſumus credere, quoniam & ipſo ævo illo floruerit, & valuerit multum prudentia induſtriaque. Diſcimus vero hinc præter illud de Ottone, in vulgari juramenti cæſarei formula Romæ tunc uſitata, fuiſſe tum illa quæ Otto juraverat. Ottonem vero tale quid juraſſe, ex Gervaſii quoque Tilberienſis, quem imperator regno Arelatenſi præfecerat, admonitione ad Ottonem haud difficile eſt collectu. Ita enim ille loquitur: „Si times conſcientiam tuam, quaſi in juſtitiam propter ſacramentum Augu-„ſtale patiatur, conſule famam publicam, quæ tibi impinget criminationem de ingratitudine, „ in papam ſcilicet. Simili ſi non eodem ſacramento devinctum fuiſſe ab ipſomet papa Fridericum etiam ſecundum Ottonis æmulum & hoſtem, patet ex eo, quod cum Sardiniam occupaſſet, papæ ex vi jurisjurandi de Romanæ eccleſiæ bonis defendendis ſibi facti, illam repetenti reſponderit, „ prius ſe juraſſe ad repetendas res imperii, a quibus cum Sardinia injuſte eſſet abaliena-„ta, priori juramento ſe fortius urgeri. „ Quæ omnia plenius narrat Sigonius *octavo decimo libro hiſtor. Ital.* Hodie tale quid a cæſaribus coronandis Romæ non exigitur, ceu conſtat ex ceremoniali Romano. Forte etiam poſt Fridericum illum ſecundum ſtatim id exigi deſiit, quod experimento non uno didiciſſent Pontifices ſuis rebus id non ſatis aptum eſſe. Videtur vero & in Germania jam tum *in ſimile jusjurandum* (a) unumquemque noviter electum regem admiſſum eſſe. In ſpeculi ſane Saxonici (quod illa ætate conſcriptum eſſe alibi demonſtravimus) lib. 3. art. 54. ita legitur: „ Cum rex eligetur jurejurando imperio homagium præſtet: & jurare debet, ſe velle ju-„ſtitiam confortare & deſtruere injuſtitiam & IMPERII ſecundum ſuum poſſe JURA DEFEN-„DERE. „ Qui ſacramento adſtrictus eſt defendere jura, illius arbitrio non relinquitur alienatio; itaque ſi & in Germania obtinuit tunc illud ſacramentum cujus meminit auctor ſpeculi, liquido patet diſerta lege alienandi poteſtatem cæſaribus fuiſſe prohibitam. Pertinet quadamtenus ad morem hunc id, quod de *Guilielmo Hollando* (b) in cæſarem electo narrat Joannes a Beka *chronici Epiſcoporum Ultrajectinor. pag. 77. edit. Trajectina*, dum militaris dignitas more illius ævi ante cæſaream inaugurationem ipſi conferretur, inter regulas illius diſciplinæ hanc etiam ipſi ſacramento firmandam propoſitam: *Rempublicam illibatam in vigore permittere, feudalia bona regni vel imperii NEQVAQVAM ALIENARE.* Sed ſi in has leges juraverunt tum omnes militaris ordinis, utique cæſares vel hoc juramento fuerunt alienare quidquam prohibiti. Sed non eſt fortaſſe, cur huic quidem argumento multum innitamur, cum de juramento cæſareo ipſo abunde conſtet, ſaltim ab exordio usque ſeculi tertii decimi.

24. Nec vero eſt, cur heic quidem ſimus ſolliciti de cæſarum poteſtate, quæ ante illud ævum obtinuit, quoniam de ſolis alienationibus, quæ forte poſt contigere, nobis agendum veniat, nec hujus ſit inſtituti arduum hunc locum, prout alias fieri par eſt, nunc aggredi: hinc ne utimur quidem nunc operoſis aliis argumentis, ut oſtendamus, nullam fuiſſe jam ab aliquot ſeculis cæſaribus poteſtatem alienandorum imperii bonorum: qualia cæteroquin non pauca poſſunt peti ex illa ſummæ poteſtatis ratione, quæ in imperio jam dudum obtinuit. Illam enim nequaquam & olim fuiſſe & hodie eſſe in unius cæſaris manu, ſed imperii ordines illam ſemper participaſſe, more antiquitus pene omnibus Germanicis populis recepto, liquido eſt manifeſtum. Non multum ante autem demonſtravimus, ſi quando diviſa ita eſt ſumma poteſtas, ut illa ex parte quidem ſit penes unum, ſed ex parte penes populum, tunc alienationem injuſſu populi inſtitui non poſſe. Verum enim vero, ceu ante diximus, non eſt neceſſum, ut illis ſimilibusque argumentis nunc utamur, cum ſeorſim oſtenderimus, ipſo ſacramento hac in re cæſaris poteſtatem ab aliquot ſeculis fuiſſe circumſcriptam, & ab inſtituto ſit alienum, operoſe id nunc agere.

25. Omnino tamen explicatius definiendum eſt, ſi non uni cæſari, cuinam ergo aut quibus præter cæſarem alienandi illud jus competat. Itaque hoc ut expediatur, ante omnia accipiendum eſt, nullam alienationem fieri poſſe, niſi accedente cæſaris auctoritate. Cujus rei ratio eſt, quoniam ille caput eſt reipublicæ ſive imperii: cujus proinde auctoritas ut ad aliam omnem reipublicæ adminiſtrationem, ita ſine dubio ad hanc etiam, quæ magni adeo eſt momenti, requiratur. Penes cæſarem igitur omne omnino alienandi jus potiore ex parte eſt. Ex alia parte autem & penes electores eſſe, ſaltim a Carolo quinto usque, liquido patet etiam vel ex illis verbis capitulationis, quam vocant, a nobis productis: quæ fere omnia repetita etiam ſunt in capitulationibus cæſareis reliquis. Non cœpiſſe vero hoc juris demum cum Carolo quinto, ſed jam ante & quidem ab illo tempore, quo a Carolo quarto aurea, quæ dicitur, bulla eſt condita, argumento eſt magna illa & prope æmula cæſarea electorum in republica poteſtas, quæ exinde multum invaluit. *Summa enim*

(a) *In ſimile jusjurandum.*) GÖBEL. Maxime veroſimile eſt, articulos præcipuos, qui in imperatorum capitulationibus reperiuntur, qui ab antiquiſſimis Germanici imperii temporibus obtinuiſſe, inter quos & hic eſt, quod diſperſa recuperare, conſervare & fideliter adminiſtrare velit. FERAR. *in coronat. Joſephi. P. 3. c. 4. p. 125.*

(b) *Guilielmo Hollando.*) Hic & in cæſarem electus poſt Fridericum II. GÖBEL. Hic ſtudiis potiſſimum pontificis Innocentii IV. & archipræſulum Moguntini, Colonenſis & Trevirenſis Friderico II. datus eſt antagoniſta. Diadema ſumſit Aquisgrani, & antequam inauguratus fuerit, eques creatus, ea, quæ autor memorat, promiſit. NICOLAVS DE CVRBIO *in vita Innocentii IV. c. XXII. magn. chron. Belg. p. 245. MATH. PARIS ad annum 1247. JOH. A LEIDIS chron. Belg. lib. 19. c. 63. BROWER. annal. Trevir. lib. 16. p. 141. Rymeri acta publica regni Angliæ.*

enim poteſtatis pars (a) eximia inde usque penes electores fuit utique, ac proinde ad illos non potuit non ex parte alienandi quoq; poteſtas pertinere. Ad hoc certum quoq; eſt, electores illos ſive officiales inter principes Germaniæ dudum ante, & quidem etiam tum, *quum illis ſolis* (b) nondum eſſet electio cæſarea commiſſa, primario fuiſſe loco: principes vero illos Germaniæ nunquam non in partem veniſſe non ſolicitudinis duntaxat ſed auctoritatis etiam regiæ, cumprimis a ſeculo uſque duodecimo vim auctoritatemque eorum plurimum creviſſe, ut nihil magnæ rei potuerit agi in republica niſi de illorum conſenſu. Quamobrem vel hoc titulo apud electores; & quidem ſemper non levi ex parte, jus illud alienandi fuit.

26. De electoribus ſive officialibus quidem igitur non eſt quod dubitemus, ſaltim a Friderici II. cæſaris ævo usque, ſine ipſorum conſenſu nihil rite alienari potuiſſe. *Incertius eſt, num hoc jus etiam* (c) aliis principibus atque ordinibus ſit commune; & ſi aliis, num pari jure Italici cum Tranſalpinis & inprimis cum Germanicis gaudeant. Non ſolis electoribus id juris competere, haud injuria forte ex eo collegeris; quod a primis usque reipublicæ noſtræ exordiis, ad omnia pariter ſummæ poteſtatis munia in publicis conventibus proceres omnes ſint tracti, *nulla officialibus* (d) qui appellantur aut electoribus conceſſa prærogativa usque ad ſeculum tertiumdecimum. Exinde hi prælati quidem ſunt aliis attamen quarumvis maximarum rerum conſultatio comitiis imperii publica & communis permanſit. Inter maxima autem omnino numeranda eſt alienandi licentia. Nec vero huic juri reliqui proceres unquam renunciaverunt, aperte quidem. Ne agitatum quidem unquam fuit palam, ut illo cederent. Imo ſicubi ab exteris aliiſq; violata fuerunt imperii jura, cæſares identidem injuriam illam conqueſti ſunt non apud ſolos electores, ſed ordines imperii univerſos. Quo ipſo videntur indicaſſe, ad omnium judicium pertinere, ſi quæ fiat imperii bonis detractio. *Quin etiam non adeo* (e) pridem cum de alienandis quibusdam fuit actum inter cæſarem & Gallum aliosque, delatum id negotium eſt ad conventum publicum, definitumque conſenſu non electorum duntaxat ſed omnino omnium ordinum, cum Monaſterii tum Oſnabrugæ. Non ſane exteri quoque illi ſatis ſibi cautum exiſtimaverunt, niſi ubi & aliorum ordinum probatio acceſſit.

27. Ex

(a) *Summa enim poteſtatis pars*) Septem officiales imperii, adeoque ſeptem quaſi ſenatores imperii videtur conſtituti tempore Friderici I. Ad illos ſolos autem pervenit eligendi poteſtas ſec. XIII. quamquam etiam jam tum magna fuerit auctoritas electorum. Caroli IV. tamen tempore longe major fuit, adeoque tum præ reliquis coeperunt multum eminere, & in aurea Bulla illis pene æmula cæſareæ majeſtatis poteſtas tribuitur. Si igitur hoc factum, etiam ab eo usque tempore illorum conſenſus requiritur. GöBEL. STRAVCHIVS in differtat. *de oppign. bonor. imperii theſ. 20.* exempla affert, quibus probare allaborat, ante Carolum V. imperatorem abſque archiprincipum & ordinum imperii conſenſu alienare potuiſſe: Verum exempla a STRAVCHIO adducta, & a SCHWEDERO *in J. P. ſect. I. c. 25.* repetita, nihil quam conceſſiones quorundam monaſteriorum imperii, de quibus imperator vi juris ſupremi, quod circa ſacra habebat, diſpoſuit, complectuntur. Neque enim illa imperii obſequiò adempta, aut nexu aliquo civili pergrinis facta ſunt obnoxia. Vid. LYNCKER *in diſſert. de alienat. bonor. imperii*, quæ *juri domaniali* ante aliquot annos edito inſerta, & *ad capitulat. Joſeph. p. 35.* ubi docet, quanta ſit circumſpectione opus, ſi exteri ex imperii bonis aliquid valide acquirere velint, provocatque ad Gallos, ſibi *art. XVI. pac. Ryſwic.* de Argentorato accurate proſpicientes.

(b) *Quum illis ſolis*) Vsque ad ſeculum XIII. fuit nulla prærogativa officialium, niſi forte in coronatione excipias Moguntinum & Colonienſem: quoad reliqua non video ullam prærogativam officialium. Olim enim officiales imperii dicti, qui hodie electores, quod publica imperii officia ſuſceperint gubernanda. Seculo demum XIII. pervenit ad ſolos electores jus eligendi, ut alibi dicam. GöBEL. Illud tamen fateri neceſſum habemus, & ante ſeculum illud XIII. penes ſummos illos imperii officiales fuiſſe jus aliquod prætractandi & prætaxandi, ut loquitur ALBERTVS STADENSIS, ad rerum ſummam autem, & in ipſa electione & alios concurriſſe proceres. Nemo enim ſibi facile perſuaſum habebit, reliquos proceres a re tanti momenti, qualis eſt alienatio aut oppignoratio rerum imperii, diſcedere, illamque plene aliorum permittere voluiſſe arbitrio. Nec puto, reliquos imperii ordines, cum paſſi ſint, in capitulationibus, electorum ſaltim, qui alienationibus imperii validis ſuffragari deberent, factam eſſe mentionem, ſibi jus cum effectu monendi, ſi forte circa imperii alienationes in transverſum iretur, ademiſſe. Sicut enim in electione, ita & in alienatione imperii electores omnes repræſentant ſtatus. Cumque deinde dubium exortum, an etiam reliquis ordinibus jus ſuum circa tales actus, ad ſummam imperii attinentes, ſalvum eſſet, perpetuam urſerunt capitulationem, cujus tandem poſt tot deliberationes comitiales, quibus hanc materiam inſtrumentum pacis ſepoſuit, projectus comparuit, ex quo capitulationi Caroli VI. inſertum, tales alienationes & cum reliquorum ordinum conſenſu fieri debere.

(c) *Incertius eſt, num hoc jus*) Electores putant, ſibi ſolis hoc competere. Reliqui principes ad ſe hodieque pertinere credunt, ideoque de auctoritate magna eſt diſſenſio. Etſi principes non talem, qualem electores, tamen magnam in hac re ſibi arrogant poteſtatem. Sane nobilis & illuſtris eſt hæc controverſia, & a paucis tractata. Cognoſcendum vero omnino eſt, an, quia electorum tanta vis eſt, ut iis inconſultis nihil poſſit decerni in rebus imperii, tanta etiam ſit eorum prærogativa, ut principes nulla valeant auctoritate.

(d) *Nulla officialibus*) Archicancellariatus ab initio noſtri imperii pertinuit ad Moguntinum electorem. GöBEL. Non ſolum conjecturarum veriſimilitudine, ut putat MALLINCROT apud WENCKERVM *de archivis p. 267.* ſed certa documentorum in archivo Moguntino reconditorum fide innititur, Ottonis Magni filium ex nobili Slava naturalem, ſuo archiepiſcopatui Archicancellariatus dignitatem in perpetuum a patre obtinuiſſe. THVLEMARIVS *de octovirat. c.* 13. §. 28. SPENERVS *in opere Heraldico lib.* 1. *c. 64. §. 17. p. 264.* Fateor, & ſub Carolingis archipræſules Moguntinos Archicancellariorum munere perfunctos fuiſſe; verum illud eo tempore aliarum quoque eccleſiarum præſulibus datum. Vid. MALLINCROT *de archicancell. imperii* & ad eum WENCKERVM *l. c. p. 223.* LEHMAN. *in chron. Spirenſ. lib. 2. c. 7. p. 57.* PFEFF. *T. 1. p. 1075. ſeqq.* Impingit itaque RVTGERVS ZVR HORST, qui hoc jus ſoli archiſedi Moguntinæ a temporibus Caroli magni competiiſſe aſſerit.

(e) *Quin etiam non adeo*) GöBEL. Suecia & Gallia fœdere junctæ, in pacis negotio Osnabrugo-monaſterienſi ſtrenuam impenderunt operam, ut & ordinum legatis ibi comparendi facultas daretur, quo deinde eo magis ceſſiones imperii partium, quas moliebantur, ratæ eſſent. Et quamquam cæſaris mens ab initio fuerat, abſque ordinum interventu pacem tractare: attamen, rem graviter regiis urgentibus ablegatis, concedere conſultum putavit, ut non ſolum imperii deputatio Francofurtana ad congreſſus transferretur loca; ſed &, ut reliquis ſtatibus, eo ſuos mittendi legatos

27. *Ex adverſo dixeris*, (a) electoribus hoc quoque præcipuum deberi; quoniam in capitulationibus, quas appellant, nulla aliorum principum ordinumque facta mentione, electorum conſenſionem ſe ſectaturum cæſar promittit. Sed fortaſſis non ea mens eſt illarum legum, quaſi ſoli electores a cæſare ſint compellandi, ſed quod hi primario conveniri debeant, ut poſt factam ab his præconſultationem, ex omnium denique arbitrio aliquid conſtituatur. In quem ſenſum & capitulationum ejuſdem notæ omnia ſolent accipi. Si ſane aliunde conſtet, auctoritatem alienandi reliquis quoque principibus communem eſſe, non poteſt alius ſenſus capitulationis admitti. Nec enim Electores, quorum eſt lex illa, principibus aliis jura ſua ereptum ivere: nec ſi vellent, ejuſmodi quidem legibus potuere illis quidquam præjudicare. Utut ſit, cum in capitulationes ſerodemum hoc receptum ſit, non licet hinc petere argumentum ejus, quod ante Carolum quintum obtinuit.

28. Et vero olim promiſcue ad omnes principes jus illud pertinuiſſe, non eſt forte, quod multum dubitemus. De hodierno tamen ſtatu equidem malo in re dubia nunc ἐπέχειν, arbitrandi facultate aliis relicta. *Quod ſi vero ad principes* (b) alios etiam jus illud vel etiamnum pertinet, vel olim pertinuerit, tutius definieris illud, quod itidem conſultandum propoſuimus, num ſcilicet & in quantum ad Italicos Germanicosque principes jus illud ſpectet. Etenim ſaltim prærogativam deberi Germanicis, & ad hos ex parte ſpectare omnium omnino etiam Italicarum rerum curationem, juſtum utique eſt, utpote quum horum ſanguine & ſtudio omnia, quæ vel in Gallia vel in Italia imperialis ſunt juris, fuerint acquiſita & in commune reipublicæ corpus pertracta. Accedit, quod omni ſecuto ævo, quotiescunque de rebus etiam Italicis conſtituendum aliquid fuit majoris momenti, ſemper ex conſilio & auctoritate Germanicorum etiam principum omnia geſta fuerint: quod infinitis exemplis facile oſtenſu eſt. *Huc facit*, (c) quod Italia omnem pene poteſtatem cæſaris aut regis conſtituendi, adeoque ejus qui & Italis omnibus imperandi jus habeat, uni Germaniæ citra omnem controverſiam numquam non conceſſerit, ex quo ab Ottone fuit devicta. Hinc jam olim Friderico I. cæſare Mediolanenſibus ſuis comes Blandratenſis objecit illa, quæ refert Guntherus lib. 8.

Reges Alemannia nobis (d)
Urbibus Italicis leges & jura daturos
Mittere rite ſolet: poſtquam de partibus illis
Carolus, & magni regnum ſurrexit Othonis,
Auſoniaque frui (e) *reges capere corona*
Teutonici.

Apud eundem Guntherum l. 1. ita neſcio quis alloquitur Germaniæ proceres:

Ex quo Romanum (f) *NOSTRA virtute redemptum,*
Hoſtibus expulſis, AD NOS juſtiſſimus ordo

Tranſtulit

gatos poteſtas eſſet. PVFFEND. *de reb. Suecic. lib. 17. §. 69. 70. 71.* PFANNERI *hiſtor. pacis Weſtph. lib. 2. §. 10. ſeqq. 19. 20. 21.* ADAMI *relatio hiſtorica de pace Oſnabrugo-monaſterienſi. p. 47. 49. 53. 54. 57. 72.*

(a) *Ex adverſo dixeris*) Cum Ferdinandus II. adfectaret monarchiam, abhorruit a comitiis imperii Germanici, niſi quod ſaltim conventus electorales interdum inſtituerit, & celebraverit: verum hactenus melius ſibi caverunt principes; ſi enim imminuta foret horum auctoritas & poteſtas, atque illo ipſo quoque mutaretur reſpublica. GöBEL. Sunt, qui contendunt, Ferdinandum II. ejecto Bohemiæ palatino, ſuperatis unionis capitibus & victo pulſoque Daniæ rege, arbitrariam in imperio ſtabilire poteſtatem, animo voluiſſe. HVBERI *hiſtor. civil. part. 3. lib. 1. ſect. 1. c. 1.* PVFFENDORFII *introductio ad hiſtor. tom. 1. p. 604.* a qua vero incuſatione alii ipſum liberant. Id certum, ex aliquo tempore imperii comitia fuiſſe neglecta. Et cum imperii ordines de hoc graviſſime in pacis Weſtphalicæ tractatu conquererentur, conſtitutum; *ut comitia imperii intra ſex menſes, a die ratificata pacis habeantur, poſtea vero, quoties id publica utilitas, aut neceſſitas poſtularet*, ad minimum, ut eſt in *capitulatione Caroli VI. art. 13.* omni decennio. Quod autem ad electoralia attinet comitia, ea varia eſſe, ex RACHELII *diſſert. de comitiis electoralibus*, conſtat. Potiſſimum autem diſtinguuntur in ea, quæ imperatore convocante fiunt, & in ea, quæ Moguntino monente, inſtituuntur; de prioribus in A. B. art. 12. ſermonem eſſe, jus poſteriorum autem ex obſervantia imperii ipſis deberi, aliquibus videtur; atque propterea *in capitulatione Joſephi* legi, conventus electorales celebrari: *Vermœge der güldenen Bulle und der Obſervantz*, dicunt: verum ab eorum diſcedendum eſſe reor opinione, quoniam, ſi Carolus IV. electoribus noluiſſet indulgere peculiare jus, etiam imperatore conventum non indicente, coëundi, illa aureæ bullæ diſpoſitione non fuiſſet opus. Nam quis ei vitio verteret, etiamſi pactum aureæ bullæ non exſtaret, cum interioribus imperii membris de reipublicæ Germanicæ negotiis deliberare. Quæ autem de obſervantia Joſephinæ capitulationi inſerta, in noviſſima vero omiſſa, fuerunt, eo intelligenda, quod tales conventus jam tum ante auream bullam ipſo uſu invaluerint. Id peculiare eſt, in comitiis electoralibus ab imperatore non convocatis, quod cæſaris commiſſarius, ſi quis forte advenerit, audiatur quidem, ſed ad deliberationes non admittatur. Cæterum, de quibusnam rebus in comitiis electoralibus pertractari queat, non ſatis certum. Conf. RACHELII *diſſert. cit.* ARVMÆVM *de comitiis.* LIMNEVM & LVDWIG. *ad c. 12. A. B.*

(b) *Quod ſi vero ad principes*) Otto magnus primus in unum corpus redegit imperium, in quo manſit ad tempora Friderici II. Jam quæritur, an Italicorum principum conſenſus ſit neceſſarius in alienationibus.

(c) *Huc facit*) Etſi Italia fuerit portio imperii, tamen non ſemper adfuit omnibus rebus imperii. Quando vero in Italia conſulendum fuit de rebus arduis, Germaniæ principes adeſſe neceſſum fuit. Coiit Germania cum Italia ſub Carolo M. & permanſit in eo ſtatu usque ad Fridericum II. Hodie vero Germaniæ principes res illorum non curant, ibique omnia viciſſim agunt inconſultis principibus noſtris. Principum vero noſtrorum auctoritas multum rurſus crevit in nuperrimis comitiis Ratisbonenſibus, cum antea valde decreviſſet. GöBEL. Sed, proceres Germaniæ non omnem Italiæ depoſuiſſe curam, & ex eo conſtat, quod capitulatio ab imperatore requirat, ut amiſſorum in Italia rationem habeat.

(d) *Reges Alemannia nobis*) Cogimur venerari & agnoſcere regem nos Itali, quia electum & creatum nobis mittunt Germani, inde quoque major eſt poteſtas.

(e) *Auſoniaque frui*) A tempore Ottonis M. usque huc imperium ad Germanos pertinuit.

(f) *Ex quo Romanum*) Cum Romanum imperatorem eligunt, & paret & parere tenetur Roma, & quidem, ſit hoc

Tranſtulit imperium: Romani gloria regni
Nos penes eſt. Quemcunque ſibi Germania regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit & verſo Tiberim regit ordine Rhenus.

Numquam tamen ita Germaniæ Ciſalpina illa fuerunt unita, ut omne omnino reipublicæ ſuæ arbitrium uni Germaniæ commiſerint. *Semper enim & illis* (a) ſua comitia fuerunt, in quibus res majores componerentur: quamdiu quidem priſco more unum reipublicæ corpus unamque rempublicam aluerunt. Ita ſcilicet illa cum Germanicis aliisque Tranſalpinis fuerunt unita, ut hiſce quidem præcipuum aliquod jus in omnia datum, illis tamen in ſua & proprium aliquod ſemper ſuperſtes manſerit. Quod fide ac teſtimonio optimorum monumentorum haud adeo difficile probatu eſt. Verum Italici aliquamdiu nulla communia comitia inſtituerunt, huc illuc in partes diviſi, adeoque communis reipublicæ nulla ipſis curatio fuit. Germanicis jura ſua integra manſerunt, niſi forte illa ad ſolos electores tranſire paſſi ſint. Quicquid vero hujus ſit hodie quidem; non videtur citra Germaniæ conſenſum ullam omnino hactenus imperii partem potuiſſe abalienari, ubicunque illa fuerit locorum ſita: videtur tamen & Italicorum conſenſu opus, ſi quid in Italico regno fuerit alienandum. *Burgundici & Lotharingici* (b) regni diſpar ratio eſt; quoniam hæc cum Germanico arctius coaluerunt, & quidem ita, ut ſingularia ſibi comitia publica ad modum Italici haud ſervaverint.

29. HISCE pro ratione inſtituti ſic expoſitis, licet jam & *alterum* illud, quod expediendum ſupereſt, *num ſcilicet uſum publicum ſpectet imperii adminiſtratio, an vero imperantis commodum?* verbo abſolvere. Etenim ubicunque ſua eſt comitiis auctoritas, non ſolet neque poteſt reſpublica ad eorum uſum, qui magiſtratus officio etiam ſummo funguntur, vel unice, vel etiam potiſſimum inſtitui: ſed ſaltim illorum ſalus quæritur, qui comitiis interſunt, ſi non & aliorum. Igitur cum non

more inverſo, ut Tiberis jam pareat Rheno, cum Rhenus olim paruerit Tiberi.

(a) *Semper enim & illis*) Habuere comitia Italiæ proceres, ſed decidere nihil potuere magni, niſi in plenis comitiis imperii: verum poſt tempora Ludovici Bavari nos negamus habita eſſe comitia a regibus Italiæ; nullam enim vel parvam reipublicæ ſuæ curam foventes, neglexere conventus. GÖBEL. Et Italicos proceres aliquam in rebus regendis partem habuiſſe, extra omne pono dubium. Cum Italiæ regnum tam Gothorum & Longobardorum, quam Carolingorum & illorum, qui eos inſecuti ſunt, tempore monarchiam, ariſtocratia & aliquo modo populari etiam mixtam ſtatu, complexum eſt; nec formula hæc, cum Otto I. regnum adipiſceretur, mutata; ſed ſub eo & ſucceſſoribus ejus continuata. Et cum Cæſares in Italiam iter facerent, cum iis æque ac germanicis proceribus res ſub deliberationem vocatæ, habueruntque æque ac illi vota deciſiva. Non tamen inficior, aliquando Italiæ ordinum parvam aut nullam habitam eſſe rationem, præſertim ab imperatoribus, qui elatiori paululum fuerunt animo, quod ciendis motibus aliquando præbuit occaſionem. Nihil enim vehementius mortalium animos commovere ſolet, quam in illis rebus, quæ ad rempublicam regendam pertinent, negligi. Enimvero nihil magis hominibus ad palatum, quam regere alios, eisque imperare. Sed nobis hic ſermo non eſt de eo, quod factum, ſed quid juxta regni formulam fieri debuerit. Proceres, qui laicos Italiæ ordines conſtituebant, erant comites, duces & marchiones. Et ſi ABBATI CASTILIONÆO *in annotationibus ad theſaurum de regno Italiæ* p. 307. 308. fides habenda, marchionis dignitas ducali antecellebat; in comitiis autem, & duces & marchiones nonniſi ut comites comparuerunt, & regulariter actis comitialibus comitum nomine ſubſcripſerunt. Ex omni tempore, in Italia res regni ad comitia eſſe delata, idem teſtatur *l. c. p.* 424. 425. Ottonem III. vel etiam II. conventum ordinum in Roncaliis celebraſſe me alicubi legiſſe memini. Henrici II. legum, in comitiis anno 1013. in Roncaliis celebratis latarum una, memorante SIGONIO, hæc refert: *Super hoc, dum in regni univerſali conventu Longobardorum ſederemus, hujusmodi legem epiſcoporum, marchionum, comitum aliorumque multorum conſenſu & autoritate probari ſancimus; in altera autem hæc leguntur: cum in regni univerſali conventu noſtrorum fidelium, principum Italicorum ſederemus, orta quæſtione de illicitis conjugiis, conſilium noſtrorum principum &c.* Non ſolum autem in illis proceres, ſed etiam urbium deputati, comparebant. Conf. SIGONIVM *de comitiis, quæ Conradus II. in Roncaliis anno* 1026. *habuit.* Idem pateſcit ex SIGONII verbis *de regno Italiæ ad annum* 1154. quando ſequentia de comitiis a Friderico I. in Roncaliis convocatis, tradit: *Conventu in Roncaliis ingenti principum ac civitatum coacto.* Notatu digna ſunt, quæ Fridericus I. Italiæ proceribus, in conventu ad Brixiam præſentibus loquitur: *Imperii Romani*, inquit, *cujus apud nos adminiſtratio, penes vos vero, qui optimates regni eſtis, auctoritas reſidet.* Præter Italicos autem & Germanici proceres, qui aderant, vocabantur. Etenim SIGONIVS *de regno Italiæ lib.* 12. *p.* 560. memoriæ prodit, ad comitia, in Roncaliis poſt Brixienſem conventum celebrata, utriusque regni principes evocatos. Conf. quoque RADEVIC. *lib.* 1. *c.* 46. *tom. VI. ſcript. Ital. p.* 781. *& lib.* 2. *c.* 1. *p.* 783. adjungenda ſunt ex eodem RADEVICO *lib.* 2. *c.* 56. verba epiſtolæ Friderici I. ad Brixienſem epiſcopum de curia papienſi ad dijudicandam duorum pontificum, qui eodem tempore a cardinalibus electi erant, cauſam datæ: *Coadunatis*, inquit imperator, *itaque in unum omnibus epiſcopis tam Italicis, quam Teutonicis ceterisque principibus ac viris religioſis.* Per viros religioſos intelligo abbates immediatorum imperii monaſteriorum, quæ erant in Italia. In curia a Friderico II. Cremonæ celebrata, autore CAFFARI *in annal. Genuenſ. tom.* 6. *ſcript. Ital.* p. 442. comparuerunt *innumerabiles epiſcopi, archiepiſcopi, abbates, marchiones, comites, duces, capitanei, valvaſores, caſtellani, principes, barones & quamplures poteſtates, ſive rectores civitatum & locorum.* Ab Henrico VII. & Ludovico Bavaro in Roncaliis comitia eſſe celebrata, me legiſſe non recordor. Ex longiſſimo itaque & quidem aliquot centum annorum tempore res Italicæ in Germania pertractatæ ſunt. Neſcio autem, annon conduceret, ſi forte per rationes politicas liceret, antiquum illud jus comitiorum in Italia repetere, ut eo magis Italiæ ordinibus nexus, quo Germaniæ junguntur, in recenti eſſet memoria.

(b) *Burgundici & Lotharingici*) GÖBEL. *Lotharingici regni portio Germaniæ quæſita, usque ad Moſam ei incorporata, & juris Germanici facta eſt:* ait COCCEJVS *in juriſpublici prudent. c.* 5. §. 33. Burgundicum autem regnum non tali modo Germaniæ junctum fuit, ſed ſeparati regni retinuit rationes; ita tamen, ut Germaniæ pareret, nec jus comitiorum haberet; licet quædam ejus membra juris teutonici facta. Ex Maximiliani & Caroli V. placito conſtitutum fuit, ut terræ, quæ Caroli audacis, Burgundiæ ducis, fuerant & a Gallorum occupationibus liberæ manſerant, in imperii circulum reciperentur. Vide COCCEJVM *l. c.* §. 35. LIMNÆVM *lib.* 5. *c.* 2. *n.* 50. Sic & Sabaudiam jus civitatis Germanicæ nactam, & in comitiis imperii comparuiſſe, jusque voti & ſedis excercuiſſe, ex *receſſibus imperii de anno* 1541, 1542. conſtat; licet ex aliquo tempore facultate illa non ſit uſa. SCHVZ. *in J. P. lib.* 1. *tit.* 1. *poſit.* 12. *p.* 41. Anno 1666. tamen Sabaudum adhuc

non uni Germaniæ locus fuerit in comitiis, ſed ad ſua omnia ſemper admiſerit *Burgundici & Lotharingici* (a) regni proceres, & quidem ex æquo admiſerit: facile patet, horum non minus atque Germaniæ ordinum ſalutem, nequaquam vero ſolius cæſaris commodum, imperio Tranſalpino propoſitam eſſe. Non diſpar ratio eſt Italici regni: quippe quod magna propriorum etiam comitiorum cum libertate tum auctoritate ſemper olim floruerit. *Nec vero eſt, quare velis* (b) Germaniæ tribuere in reliqua omnia herile aliquod jus, propterea, quod illa victricibus ſuis armis reliqua ſubegerit. *Non enim victoria* (c) ſemper idem ſcopus aut eventus eſt. Alii domiti ſunt, ut ſerviant, alii ut pareant, alii ut in communia ſocietatis jura tranſeant. Quibus nullum in comitiis imperii ſuffragiorum jus eſt, qua illi vivant conditione, non eſt hujus loci ut vel moneamus, utpote quum ad noſtrum inſtitutum non attineat. Et vero de omni ſtatu populorum imperii Germanici, ut & de legibus, in quas illi uniti ſunt, proprius diſputandi locus eſt, ubi de ordinibus & comitiis imperii agitur: quod argumentum ampliſſimum quidem eſt ſed propoſito alienum. Nobis in viam redeundum, unde digreſſi ſumus.

Caput XX.

Bona pontificibus Romanis donata non omnino imperii limitibus excidiſſe per ulla cæſarum dona.

1.

IN diverſas forte reprehenſiones incurrimus apud eos, qui legerunt quæ modo attulimus. Aliis enim illa juſto breviora, aliis prolixiora debito queant videri. Cæterum fatemur ultro, longe exactius illa & poſſe & debere tractari, ſed alibi, *& loco ſuo.* (d) Hic vero nec omitti plane potuerunt, ne ſalebræ paſſim remorentur inſtitutum noſtrum ſermonem: nec plenius tradi debuere, ne πάρεργον ipſo ἔργῳ fiat majus, quo nobis quidem nihil magis inviſum eſt. Fatemur etiam, potuiſſe multa brevius proponi, imo & omitti potuiſſe omnia, modo lectores plærique ſatis jam tum ab iis inſtructi eſſent. At quoniam in quam multis multa merito deſideres, deſecandum fuit illorum judicium ſaltim aliqua ex parte, prius reliqua illi quam aggrediantur. Quod ſi qui tamen jam inſtructi ſatis acceſſerint, (quales utinam fuerint omnes!) poterunt illi ſine damno ſuo iſthæc prætermittere; modo nobis non ſuccenſeant, quod & imperitiorum aliquam rationem habuerimus.

2. *IGITUR quod ſuper eſt* (e) expedituri, definiemus deinceps limites imperii, quales illi ab ævo Friderici ſecundi cæſaris ad nos usque ſeſe habuere. Exordium vero novi operis nobis Italia, & in hac ea pars, quæ Papæ ceſſit, merito præbet, quod hanc dignitatem quaſi exigat ſibi urbs Roma, nullumque aliud regnum perinde ſit controverſi juris. *Principio igitur* (f) videndum fuerit, num ea, quæ dono cæſarum poſſidet Papa per Italiam, ſint adhuc intra limites imperii comprehenſa. Exemta illa eſſe, & unius pontificii juris, a quamplurimis hodie creditur, & ut ita loquar, συμπάσῃ κεφαλῇ aſſeritur. Imo jam tum ab aliquot ſeculis, id qui docerent, haud defuerunt, iique non infimæ dignitatis aut eruditionis doctores, cum paſſim terrarum alibi, tum in Italia præcipue & curia papali. Quorum cum magnus ſplendidusque numerus poſſit produci, vel illo uno tot illuſtrium ſcri-

adhuc votum & ſeſſionem in comitiis exercuiſſe ex actis comitialibus illius anni conſtat.

(a) *Burgundici & Lotharingici*) Hæc regna proprie comitia non celebravere. Multi principes imperii, ut archiepiſcopus Colonienſis, Trevirenſis, dux Juliæ, Cliviæ & Montium, palatinatus Rheni & alii ſunt partes regni Lotharingici. Dux inde Sabaudiæ, & ex parte rex Hiſpaniæ vocantur ad comitia imperii. GöBEL. Hiſpanus ad comitia potiſſimum ut Burgundiæ comes vocatus eſt. Hinc votum ejus in actis comitialibus Bizantinum a metropoli dici ſolet. Æque ac Sabaudus votum latine edidit; quanquam in actis comitialibus invenerim, & hoc Germanice factum. Poſtquam Galli Burgundiæ comitatu aliisque Belgii terris potiti ſint, ad votum & ſeſſionem aſpirarunt. Docet hoc ſcriptura quædam a Gravelio Galliæ oratore in comitiis anno 1668. exhibita; additur tamen: *aut ſi imperium ipſum* (regem) *ad votum & ſeſſionem admittere nollet, ut regi Galliæ in forma valida & convenienti, prout obſervatum in tractatu Monaſterienſi, cedantur omnia jura generaliter, quæcunque imperatori & imperio competunt, vel competere potuerunt in dictas ditiones.* Sed ejus, quod tempore pacis Weſtphalicæ ſpreverunt, jam compotes fieri non potuerunt. Lotharingia idem, quod elector, matriculare ſubit onus, Burgundia duplex. An autem Sabaudia matriculari ſubfuerit oneri & quid præſtiterit, dubium eſt.

(b) *Nec vero eſt, quare velis*) Prærogativam aliquam merito habet Germania: non tamen plenam monarchiam ei quis tribuerit. Et ſi ea quaſi ſubjugaverit Italicas, Burgundicas & Lotharingicas regiones. Horum enim populorum adhuc maxima eſt auctoritas.

(c) *Non enim victoria*) Falſiſſimum eſt id, quod multi affirmant, omnem victum eo ipſo, quo vincitur, fieri ſervum, ut olim Romani omnes illos, quos devicerant, pro ſervis habuere: ſed multos populos tamen illi ſibi ſubjugarunt, quibus non ſolum reliquere ſua jura & privilegia, imo & quidam populi devicti gaviſi ſunt iisdem cum Romanis juribus. GöBEL. Plus ſimplici vice jam exploſimus opinionem, quæ nonnullorum de herilibus & patrimonialibus regnis occupavit cerebra. Societas civilis ſua natura requirit, ut liberis hominibus imperetur. Et quamdiu victor cum victis in pactum, quo imperans cum parentibus in ſocietatem civilem coaleſcit, ſive expreſſe, ſive tacite non conſpirat, cum iis adhuc vivit in ſtatu herili ut cum mancipiis, quæ autem conjunctio ne nomen quidem ſocietatis civilis meretur.

(d) *Et loco ſuo*) GöBEL. Ex hiſce verbis conjicio, auctorem noſtrum opus aliquod juris gentium, conſcribere ſibi propoſuiſſe, in quo dogmata illa, quæ c. XIX. inſeruit, prolixius pertractare conſtituerat: verum, an ei unquam manum admoverit, me latet. De præſcriptionibus ipſum aliquid ſingulari tractatu meditatum eſſe, fama ad me perlatum eſt, ſed libellum hactenus detegere non potui.

(e) *Igitur quod ſuper eſt*) Jam erit dicendum, quomodo imperii fines ſe habuerint ad noſtra tempora, ibi minus læta audiemus. Debet vero in animo nobis eſſe ordo & ſeries cæſarum a Friderico II. usque ad noſtra tempora: Deinde ad manus nobis ſint mappæ geographicæ, quia de variis regnis erit aliquid dicendum; mappæ vero recentiores ſunt omnium optimæ, & huic rei maxime inſerviunt. GöBEL. De melioris notæ tabulis geographicis agit HVBNER *in muſeo geographico.*

(f) *Principio igitur*) Papa poſſidet tertiam Italiæ partem actu, beneficiario vero jure ut dominus directus totum regnum Neapolitanum.

ſcriptorum teſtimonio videatur illa ſententia jure poſſe adſtrui. Adferuntur vero præterea ad eandem confirmandam & donationes cæſarum & longi temporis præſcriptio, & alia denique nonnulla. Quæ nunc ordine examinabimus.

3. Igitur ad Fridericum quidem II. cæſarem uſque non ulla donatione, non ulla præſcriptione, regiones illas imperii fuiſſe juribus ſubductas, ſed in ejus manſiſſe ditione & finibus, ſatis eſt a nobis integro capite decimo jam oſtenſum. *RVDOLPHO Habſpurgico* (a) cæſare quoniam primum poſt Fridericum illum repetita aliqua eſt donatio, illa ante omnes excutienda venit. De Rudolpho iſthoc narrat Bzovius ad annum MCCLXXIV. num. 13. ex neſcio quo codice Vaticano, quod per legatum epiſcopum Spirenſem in concilio Lugdunenſi, *omnia jura, privilegia, immunitates, libertates, bona, poſſeſſiones, civitates & provincias apoſtolicæ ſedi a prædeceſſoribus imperatoribus, præſertim Ottone IV. & Friderico II. datas conceſſasque, nec non juramentis & tabulis publicis confirmatas, Gregorio X. pontifici confirmaverit & renovaverit.* Narrat idem ad annum MCCLXXV. num. 13. ipſummet Rudolphum illi Gregorio Lauſannæ tum degenti coram omnia illa per tabulas, quæ hodie in caſtro S. Angeli ſerventur, promiſiſſe, cereo addito ſigillo, donec poſt coronationem aurea bulla omnia ſignarentur. Idem repetitum eſſe Romæ anno MCCLXXVIII. per legatum ad Nicolaum III. papam miſſum, narrat Bzovius in hiſtoria illius anni numer. X. In ſequentis anni commentario num. 1. tradit Bzovius, in conventu publico ordinum imperii Viennæ tabulis aurea bulla obſignatis, quæ exſtent in caſtro S. Angeli a Rudolpho omnia denique confirmata. Tabularum ipſa verba non exhibet Bzovius, ſummam tamen earum deſcribit, quam huc non poſſumus non adducere, rei magnitudine id flagitante, præſertim quum ad hoc exemplum formatæ dicantur tabulæ ſecuta ætate a cæſaribus exaratæ. *Satis*, inquit, *ſuperque diſertis verbis confitebatur*, Rudolphus, *quia ad magnificentiam munerum & gratioſam quodammodo ineffabilem largitatem, quæ imperatores Romani & prædeceſſores ſui reges Romanorum de Romanæ matris eccleſiæ uberibus ſuſceperunt, ſpectare videbatur, ut & ipſi velut devoti filii facie[illegible]titudinis erga matrem eccleſiam converterint: maxime quod eadem eccleſia ipſos in dulcedine benedictionis p[illegible]venerit, imperiumque de Græcis in Germanos transferens eiſdem, quod illorum fuerat, dederit; ut iſti quoque nonnulla eidem eccleſiæ grati animi cauſſa conceſſerint, donaverint, confirmaverint: ſcilicet totam terram, quæ eſt a Raticoſano uſque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitiſſæ Mathildis, comitatum Bretenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, & Maſſam Trebariam cum adjacentibus terris, poſſeſſionibus ac locis, deſcriptis in privilegiis imperatorum, a temporibus Ludovici uſque ad præſens. Quamobrem & ad ſe quoque pertinere teſtabatur, eadem omnia ſedi apoſtolicæ non tantum confirmare, verum quantum opus fuiſſet, de novo concedere, & ut ejus regales actus in omni claritate procederent, & omnis obſcuritas, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, imperiali expreſſione tolleretur, & jura ſedis apoſtolicæ per imperatoriam declarationem, quam perpetuam fore decernebat Rudolphus, ſolidarentur: recognoſcebat, fatebatur, & oraculo præſentis edicti ad æternam memoriam declarabat, præter omnia ſupra numerata, civitatem Ravennatem, Æmiliam, Bobium, Ceſenam, Forum populi, Forum Livium, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montem fereti, & territorium Balnenſe, provincias, civitates & loca cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra marique ad prædictas civitates, territoria, & loca ſupra dicta, quoquo modo pertinentibus, ad B. Petrum principem apoſtolorum & ad eundem Nicolaum III. pontificem max. ſucceſſoresque ipſius atque ad ipſam Romanam eccleſiam PLENO JVRE AC INTEGRE, non ſolum in ſpiritualibus, verum etiam in temporalibus ſpectare, ac ipſorum PLENI JVRIS ditionis ac principatus exiſtere. Inſuper ad omnem dubitationis ſcrupulum inpoſterum abolendum, ut & ipſius imperialis devotio erga matrem eccleſiam Romanam innoteſceret, prædicta omnia & ſingula, tam propriis ſeu ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, & locorum expreſſa vocabulis, quam etiam non expreſſa, prout melius valere & efficacius intelligi potuiſſet, B. Petro & ipſi ſummo pontifici Nicolao III. ac ſucceſſoribus illius, nec non Romanæ eccleſiæ LIBERE & PLENARIE, quantum opus erat, de novo conceſſit, contulit & donavit: ut ſublata omni diſſenſionis & contentionis materia firma pax, & plena concordia, inter eccleſiam & imperium jugiter perſeveraret. Actum & datum Viennæ XVII. cal. Mart. anno MCCLXXIX. indict. 7. regni VI. præſentibus, conſentientibus & diplomati ſubſcribentibus Friderico archiepiſcopo Salizburgenſi, Joan Chimen & Bernardo Segonenenſibus epiſcopis, Rudolpho regiæ curiæ cancellario, Magiſtro Gothifredo, præpoſito Solienſi, regio protonotario, abbate Monten. archidiacono Tridentino, Alberto & Hermanno fratribus comitibus & Chiburgen. Comitibus filiis landgravii Holſatiæ, Friderico Burgravio Nurenbergenſi, Marchione Othergen, & compluribus aliis.* Subjungit mox Bzovius: omnia illa in tabulis Rudolphinis enumerata, *pleno jure ad ſedem apoſtolicam ſpectare*, decreviſſe, ſuisque literis *teſtatos eſſe principes imperii*, (b) Henricum Treviren-

(a) *Rudolpho Habſpurgico*) Hic eſt auctor dignitatis cæſareæ in domo Auſtriaca; fuit comes Habsburgenſis. Habsburgum autem eſt civitas in Helvetia & tenetur hodie ab urbe Berna. Inde familia Auſtriaca & reges Hiſpaniæ orti ſunt. Cæſar hic electus eſt ſec. XIII. maxime vero papa & ejus aſſeclæ omnes gloriantur de donatione hujus Rudolphi. Variæ donationes factæ ſunt papæ a Carolo magno & aliis, quas ſupra examinavimus. Ab hoc Rudolfo Habsburgico dicunt ſæpe, ſibi in liberrimam poteſtatem data eſſe omnia bona a cæſaribus, ita, ut nihil juris ſibi reſervaverit.

(b) *Teſtatos eſſe principes imperii*) GÖBEL. Ut, quæ ad hoc negotium ſpectant, ex integro cognoſci queant, adhuc teſtimonia & ratificationes principum, nec non brevia pontificis addam, & deinde argumenta, quæ inde eliciuntur, examinabimus.

Diverſorum archiepiſcoporum pariter atque epiſcoporum, nec non quorundam Germaniæ principum teſtimonium de recognitione & confirmatione privilegiorum, ab Ottone IV. & Friderico II. Romanis imperatoribus, eccleſiæ Romanæ conceſſorum, tempore concilii Lugdunenſis, ſub Gregorio X. pontifice maximo, in publico conſiſtorio, per Ottonem, S. Guidonis

virenſem, Suffridum Colonienſem, Wernerum Moguntinum archiepiſcopos, Ludovicum comitem palatinum Rheni, Joannem & Albertum duces Saxoniæ, Joannem & duos Ottones marchiones

nis Spirenſis præpoſitum, ac Rudolphi I. Romanorum regis nuncium, 6. Junii anno 1274. habito facta.

In nomine Domini, Amen. Nos Henricus Treverenſis, Guarnerus Moguntinus, Enguebertus Colonienſis, Conradus Magdeburgenſis, Giſelbertus Bremenſis archiepiſcopi; Conradus Argentinenſis, Leo Ratisbonenſis, Bruno Brixinenſis, Otho Mindenſis, Fredericus Merſeburgenſis, Uvidego Miſnenſis, Joannes Kimenſis, Ildebrandus Eiſtetenſis epiſcopi, Fredericus Burclavius de Nurenberg, & Gotifredus comes Sainenſis, præſenti ſcripto fatemur, nos vidiſſe, ac diligentur reſpexiſſe privilegia, nec non & juramenta claræ memoriæ Ottonis IV. & quondam Frederici II. imperatorum, tunc regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua ſui parte vitiata, ſed in prima ſui facie aureis bullis regum ipſorum, regiæ majeſtatis impreſſis typario conſignata, quorum tenores tales ſunt:

Inſerantur ſuperius inſerta:

I. Forma juramenti Ottonis IV. imperatoris, tunc regis Romanorum, fel. rec. Innocentio papæ III. die 27. Maji anno 1201. præſtiti.

II. Tenor privilegii Ottonis IV. imp. tunc regis Rom. eidem Inn[illegible]tio & eccleſiæ Romanæ die 22. Mart. (II. Kal[illegible]) anno 1209. conceſſi.

III. Tenor [illegible]vilegii Friderici II. imperatoris, tunc regis Romanorum, eidem Innocentio papæ III. & eccleſiæ Romanæ die 12. Jul. (IV. id. Jul.) conceſſi.

IV. Simile privilegium ab eodem Friderico, tunc rege Roman. fel. rec. Honorio papæ III. menſ. Septembri, anno 1219. conceſſum.

V. Forma juramenti ejusdem Friderici, tunc regis Romanorum præfato Innocentio papæ III. die 12. Jul. (IV. id. Julii) anno 1213. præſtiti.

VI. Forma juramenti ejusdem Friderici, tunc regis Romanorum, memorato Honorio, papæ III. menſ. Sept. anno 1219. præſtiti.

Prædicta quidem privilegia & tenores juramentorum in conſiſtorio veſtro, ſanctiſſime pater & domine Gregori, divina providentia papa X. aſſiſtentibus vobis reverendis patribus, Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, vice-domino Preneſtino, Bonaventura Albanenſi, Petro Oſtienſi epiſcopis; Simone ſancti Martini in Montibus, Anchero ſanctæ Praxedis, Guillelmo ſancti Marci, Simone tit. S. Cæciliæ presbyteris, Ottobono ſancti Adriani, Jacobo S. Mariæ in Cosmidin, Gottifredo ſancti Georgii ad velum aureum, Uberto ſancti Euſtachii & Matthæo S. Mariæ in porticu diaconis cardinalibus, ac nobis, in veſtra præſentia inibi conſtitutis, per venerabilem virum Ottonem, ſancti Guidonis Spirenſis præpoſitum, domini noſtri Rudolphi, regis Romanorum illuſtris cancellarium & procuratorem, lecta, & propter nos ſupra dictos Burclavium, & comitem, qui nec literas, nec linguam latinam novimus, fideliter fuerunt expoſita, idem quoque cancellarius habens ab eodem rege Rudolpho poteſtatem & ſpeciale mandatum ſubſcripti tenoris, de noſtro conſilio & aſſenſu, omnia & ſingula in eisdem privilegiis, & juramentorum contenta tenoribus, ejusdem regis Rudolphi nomine ratificavit, rata & firma ſe habere, ac ab aliis haberi velle, profeſſus eſt, & eadem innovavit, ac denuo conceſſit.

Promiſit inſuper eodem nomine, adjuravit in animam ipſius regis Rudolphi, quod ipſe rex per ſe, vel per alium, ſeu alios non occupabit, nec invadet, in totum, vel in partem, terras eccleſiæ Romanæ, aut terras vaſallorum ejus, quas jure feudali, vel ſub cenſus, aut alterius præſtationis titulo, ſive alio quocunque modo tenent ab ipſa eccleſia: nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, ſeu alios, vel invadi. Quin etiam nec ipſas, nec tenentes easdem, ſe, vel terras ipſas ſibi ultro volentes ſubjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque poteſtatem in terris eisdem, & ſpecialiter in civitate Romana, recipiet ſub quocunque colore, ſine veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum licentia ſpeciali, & ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolum denegabit illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum; verum etiam ad requiſitionem veſtram, dictorumve ſucceſſorum, adjutor erit contra illos in defendendis & conſervandis eisdem.

Item quo idem rex Rudolphus per ſe, vel per alium, non offendet vaſallos eccleſiæ, & ſpecialiter magnificum principem, dominum Carolum, regem Siciliæ illuſtrem, ſeu hæredes ipſius: nec regnum Siciliæ, quod idem rex Carolus ab eadem Romana tenet eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per ſe, vel per alium; aut occupari vel invadi procurabit; nec invadere aut occupare tentantibus præſtabit auxilium, conſilium, vel favorem publicum, vel occultum. Alios etiam devotos eccleſiæ, qui eidem adſtiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes vel ſucceſſores ipſius, propterea non gravabit; ſed nihilominus favorabiliter proſequetur: Vaſallos autem ſuos, contra prædictorum aliquod facientes, pro poſſe, bona fide compeſcet. Servabit præterea, & faciet omnia & ſingula, quæ in canonibus poſitis LXIII. diſtinctis, quorum quidem canonum alter: *Ego Ludovicus*; alter vero: *Tibi domino papa*, incipit, continentur.

Quodque idem rex Rudolphus prædicta omnia, tam in privilegiis contenta, quam alia, inviolabiliter obſervabit, ac de præmiſſis omnibus & ſingulis obſervandis præſtabit, tactis ſacroſanctis evangeliis, corporaliter juramentum: & privilegia, per omnia, verbis tamen aliquibus competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, ſimilia ſupraſcriptis continentia, & nihilominus plene omnia alia, quæ præter privilegiorum præmiſſorum tenores ſuperius exprimuntur; ac inſuper ratificationem, confirmationem, innovationem, ac novam conceſſionem, omnium renunciationum, dimiſſionum, promiſſionum, pollicitationum, ſponſionum, conceſſionum, ceſſionum, & confirmationum, quas tam dictus Fredericus II. quam alii reges, & imperatores Romani præcedentes eundem, beato Petro, apoſtolorum principi, ſummis pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel eccleſiæ Romanæ præſtitiſſe noſcuntur, præfato apoſtolorum principi, ac vobis, ſanctiſſimo patri, ejus ſucceſſori, cæterisque veſtris catholicis ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ concedet, quandocunque per ſedem apoſtolicam ſuper hoc literis fuerit vel nuncio requiſitus: & juramenta etiam præſtabit, & literas ſuper hujusmodi præſtatione concedet, prout dicti reges Romanorum præſtiterunt, ac conceſſerunt. Poſtquam autem Romam, ad recipiendam unctionem, coronationem, ſeu imperiale diadema, pervenerit, ipſaque ceperit, præmiſſa omnia & ſingula innovabit, ſeu de novo faciet; ac ſine aliqua difficultate juramenta præſtabit, quæ imperatores Romanorum hactenus præſtiterunt. Item quod dictus rex Rudolphus bona fide, ſine fraude, & malo ingenio procurabit, quod omnes principes Alemanniæ, Laici promittent, & jurabunt, ſe bona fide curaturos, quod præfatus rex Rudolphus præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter obſervabit; & ſi, quod abſit, ipſe rex Rudolphus prædicta non ſervaret, iidem principes in hoc ipſi aliquatenus non aſſiſtent.

VII. Tenor autem mandati, quod idem cancellarius ejusdem regis Rudolphi nomine præſentavit, per omnia talis eſt:

Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino ſuo, domino Gregorio &c.

Nos itaque memorati archiepiſcopi & epiſcopi, omnia præmiſſa, quæ per eundem cancellarium acta ſunt, de noſtro, ut præmittitur, conſilio, & aſſenſu, habentes rata, & firma, promittimus in verbo ſacerdotis, & ſacroſanctis evangeliis coram poſitis: ac nos præfati Fredericus, & comes, eisdem evangeliis tactis, promittimus, & juramus, nos bona fide curaturos, quod idem rex eadem omnia & ſingula obſervabit plenarie: nec per ſe, nec per alium veniet contra ea, ſeu aliquod eorundem. Et ſi quando, quod abſit, ſecus facere attentaret, nos in hoc aliquo modo non aſſiſtemus eidem. Acta ſunt hæc Lugdini in prædicto conſiſtorio, anno domini MCCLXXIV. menſe Julii, die Martis ſexta menſis ejusdem, pontificatus veſtri anno III. Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, nos memorati archiepiſcopi, epiſcopi, burclavius &

ones Brandenburgenſes. *Diplomata*, ait, *ſingulorum cereis ſigillis, eodem anno ſignata extant in archas molis Hadriani.* Addit deinde ipſa diplomatis principum verba. Ubi poſt alia complura, cumprimis

comes, præſentes literas fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari.

Eorundem recognitio diplomatis illius, in quo principes imperii ea, quæ a Friderico II. Romanorum imperatore, eccleſiæ Romanæ anno 1220. erant confirmata, rata habuerunt, d. d. 6. Junii, anno 1274.

IN nomine Domini, Amen. Nos Henricus Treverenſis, Guarnerus Moguntinus, Engebertus Colonienſis, Conradus Magdeburgenſis, Giſelbertus Bremenſis archiepiſcopi, Conradus Argentinenſis, Leo Ratisbonenſis, Bruno Brixinenſis, Otto Mindenſis, Fredericus Merſeburgenſis, Widego Misnenſis, Joannes Kimenſis, Ildebrandus Eiſtetenſis epiſcopi, Fredericus Burclavius de Nurenberch, & Gottifridus comes Seunenſis præſenti ſcripto fatemur, nos vidiſſe, ac diligenter inſpexiſſe patentes literas principum imperii ſubſcripti tenoris, ſigillis eorundem pendentibus conſignatas, quorum tenor talis eſt: Inſeratur atteſtatum ſtatuum ſacri Romani imperii, d. d. 9. Kal. Maji, anno 1220. ſuperius. Prædictæ quidem literæ in conſiſtorio veſtro.

Sanctiſſime pater, & domine Gregori divina providentia Papa X. aſſiſtentibus vobis reverendis patribus, Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, vice-domino Preneſtino, Bonaventura Albanenſi, Petro Oſtienſi, epiſcopis, Simone S. Martini in Montibus, Anchero S. Praxedis, Guillelmo S. Marco, Simone tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Ottobono, S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gottifrido S. Georgii ad velum aureum, Uberto S. Euſtachii & Matthæo S. Mariæ in Porticu, diaconis cardinalibus, ac nobis in veſtra præſentia inibi conſtitutis, per honorabilem virum Ottonem ſancti Guidonis Spirenſis præpoſitum, domini noſtri Rudolphi, regis Romanorum illuſtris, cancellarium & procuratorem lectæ, & propter nos ſupradictos Burclavium, & comitem, qui nec literas, nec linguam latinam novimus, fideliter fuerunt expoſitæ. Præfatæ quoque literæ erant non cancellatæ, non abolitæ, nec in aliqua ſui parte vitiatæ, ſed per omnia in prima ſua figura. Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto conſiſtorio, anno Domini MCCLXXIV. menſe Junii, die Martis, VI. menſis ejusdem, Pontificatus veſtri anno III.

Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum nos memorati archiepiſcopi, epiſcopi, burclavius, & comes præſentes literas fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari.

Rudolphi I. Romanorum regis, diplomatis principum imperii recognitio, in quo rata habuerunt ea, quæ a Friderico II. Romanorum imperatore, eccleſiæ Romanæ confirmata erant, d. d. 12. Kalend. Novembr. anno 1275.

IN nomine Domini, amen. Nos Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus. Patentes literas principum imperii ſubſcripti tenoris, non abolitas, non cancellatas nec vitiatas in aliqua ſui parte, ſed in prima ſui figura, ſigillis eorundem principum pendentibus conſignatas, inſpici fecimus diligenter, & de verbo ad verbum ad perpetuam rei memoriam præſentibus annotari; auctoritate regia decernentes, ut idem tenor ipſarum, inſertus præſentibus, easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales, ita, quod ſi forſan ipſas principales literas quomodolibet contingeret deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, in omnibus; & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ literæ principales facerent, in ſua prima figura, & integritate manentes, lege, ſeu conſtitutione aliqua non obſtante. Tenor autem prædictus per omnia talis eſt:

Nos principes imperii &c. ut ſupra.

In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri fecimus, & ſigillo, typario regiæ poteſtatis impreſſo, muniri. Datum Lauſanne XII. Kal. Novembris anno Domini MCCLXXV. Indictione tertia, regni noſtri anno tertio.

Breve Nicolai III. Pontificis maximi, in quo Rudolphum I. Romanorum regem, præmiſſis rebus inter ipſum & Romanam eccleſiam geſtis, rogat atque hortatur, ut privilegia per Giffridum, Decanum ſancti Andomari, ſedis apoſtolicæ nuncium, ſibi præſtanda, exequatur, atque, ut ſacri Romani imperii principum conſenſus eodem accedat, procuret.

NIcolaus epiſcopus &c. Regi Romanorum illuſtri &c. Claret in gentibus tuæ Serenitatis amoenitas, refulgent in ea radii claritatum, & ſua claritate proſpere ſuccreſcente, reſplendent, ſicque infra matris eccleſiæ moenia regale ſolium roboras, honoribus amplias, & adauges, feliciter magnificas incrementis. Talis quidem ſplendor mentem noſtram clarificat, ſerenat, intrinſecat, & excitat affectus patris ad filium, infra clauſtrum pectoris recumbentem, ut claris ſuccreſcas auſpiciis, ſecure proſpicias, & ipſa matre, ſicut præclarus filius, ſolideris. Ad hoc enim cogitatus noſtros extendimus; & plenis vigiliis roboramus, ut in quibuslibet tuis proceſſibus omnis maturitas obſervetur, ut ipſi conſulte, & provide dirigantur: ad hoc intendimus, & ipſa laborat eccleſia, quod omnibus deliberatione plenaria limitatis & diſcuſſis, attentius nos, & eadem eccleſia, grata jurium noſtrorum perceptione lætemur, & illis clara diſtinctione fruamur, tuque tali præponderatione in omni puritate procedens, quiete fulciaris accepta, & a futuris anfractibus præſerveris. Ad hoc quoque tua cum noſtris debent vota concurrere, cum ex iis quies ſuccedat ſalubrius utriusque, tua potiſſime, qua ipſi eccleſiæ charus aſtringeris, & eſſabiliter præſentaris. Sane dudum, ſicut noſti, fili chariſſime, dilectus filius frater Conradus, Miniſter ordinis fratrum minorum ſuperioris Alemanniæ, pro te ad ſedem apoſtolicam deſtinatus, devotionem ſinceram, & intentionem puram, quam ad Romanam geris eccleſiam, nobis, & fratribus noſtris prudenter expoſuit, & omnia & ſingula per quondam Ottonem præpoſitum eccleſiæ ſancti Guidonis Spirenſis, regiæ aulæ cancellarium, dicta ſive promiſſa, acta, ſeu geſta, & demum per te ipſum in præſentia fel. record. Gregorii papæ X. prodeceſſoris noſtri recognita, confirmata, innovata, & de novo conceſſa, promiſſa, dicta, acta, ſeu geſta, ſtatuta, ſive jurata, dictus frater in noſtra, & eorundem fratrum præſentia tuo nomine, & pro te debitis & plenis ſolemnitatibus recognovit, ratificavit, & etiam approbavit; & poſtmodum dilectus filius Gottifridus, Præpoſitus eccleſiæ Solingenſis, Salzeburgenſis dioeceſeos familiaris clericus & protonotarius tuus, ex parte tua, cum ſpecialibus mandato, & literis, ad ſedem transmiſſus eandem, traditi ſibi a te auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rudolphus cancellarius tuus a civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Forolivienſibus, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravennatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliarum civitatum & terrarum illarum partium, atque locorum, quæ ipſius eccleſiæ juris exiſtunt, pro te dicitur recepiſſe, & quicquid per eundem cancellarium, ſeu quemcunque alium in eisdem civitatibus, terris & locis, ſeu per per poteſtates, capitaneos, conſiliarios, & communia, ſeu alios homines ipſorum civitatum, terrarum, atque locorum, actum, geſtum, & recognitum extitit, remittens, revocans, caſſans, annulans, irritans, caſſa, nulla & irrita, nuncians, ac omnibus viribus vacuans, eisdem poteſtatibus, capitaneis, conſiliis, & communibus, ac aliis univerſis, & ſingulis, ex parte tua, omnia & ſingula prædicta, & alia in regiis contenta literis nuntiavit, & denunciando ſolicitavit, & induxit eosdem, quod noſtrum & ejusdem eccleſiæ recognoſcentes dominium, nobis & eidem eccleſiæ, tanquam vero domino, in omnibus, & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant; prout hæc omnia, & alia in inſtrumentis publicis inde confectis, tenores quorum per eundem fratrem tibi transmitimus, & in aliis noſtris tibi directis literis, ſerioſius continentur. Nos autem, ut tuæ ſerenitatis integritas reluceret, petivimus, quod tu præmiſſa omnia & ſingula per ſpecialia privilegia, regali aurea bulla munita, diſtincte recognoſceres, ratificares, confirmares, innovares, & de novo concederes, omnia corporali præſtito juramento firmando, & ipſa privilegia ſuper iis, & aliis, in eisdem noſtris contentis literis, de tua conſcientia, & expreſſo mandato conſcripta, faceres aurea bulla, typario tuæ majeſtatis impreſſa, muniri, ipſamque ad perpetuam ſoliditatem, & certitudinem pleniorem, nobis, & ipſi eccleſiæ ſub formis, quas per eundem fratrem tibi transmiſimus, exhiberi. Tu

primis ad antiquam cæſarum & novam Rudolphi conceſſionem pertinentia, hæc digna notatu occurrunt: *Nos noſtri nomine principatus in omnibus ac per omnia approbamus & ratificamus ac iisdem omni-*

vero benedictionis alumnus, apoſtolicis beneplacitis te conformans, aliqua ex iisdem privilegiis, nobis per eosdem fratrem & protonotarium deſtinaſti, ſuper quo tuæ promptitudinis ſtudium multipliciter in domino commendamus. Verum quia nonnulla, quæ per nos ordinata fuerant, & maxime præſtationem juramenti petitam, & aſſenſum principum, omiſſa comperimus, dilectum filium Giffridum de Anagnia, decanum eccleſiæ S. Audomari, Morinenſis diœceſeos capellanum noſtrum ad te duximus deſtinandum, ut ſuppleantur omiſſa, & omnia ſoliditate debita compleantur, & pro celeriori præmiſſorum expeditione prædicto Gottifrido ad te ad præſens cum eodem decano remiſſo, prædictum patrem Conradum in Romana curia retinemus, ut ipſe tractatum inter te, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum, regem Siciliæ illuſtrem, prout negotii qualitas exigerit, proſequatur, proſpera, dante domino, proſecutione complendum. Ut igitur affectus tuæ devotionis, quem ſic gratanter inhærere ſenſibus noſtris inſpicimus, in effectum perfectæ ſoliditatis appareat, & reſidere in omni puritate probetur, & ut proſperitas tuorum depreſſione victoriæ, quos diebus iſtis in manibus tuis divini judicii virga concluſit, in manſuetudinis gratia, quæ poſt triumphum regales actus adornat, te nobis gratum, & aliis repræſentet acceptum, ac de regia gratitudine poſt felicitatem majorem, nobis & eidem eccleſiæ manſueta præſagia repromittat, & ſucceſſive nos reddat de tua ſinceritate, majori perfectione ſecuros, ſerenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eadem privilegia, juxta intentionem noſtram, quam dictus decanus tibi ex parte noſtra explicabit, aperias, ſuppleas; & perfici facias, & procures, quod principum Alamanniæ, quibus ſuper hoc ſcribimus, ad id accedat aſſenſus; ita quod eisdem privilegiis in omni claritate ac ſoliditate perfectis, ipſorum nova data ſuppletionis & perfectiones hujusmodi comprehendat, & nos, ac eadem eccleſia fructus, quos repromittis, in floribus, perfectione ſincera, juxta noſtra deſideria colligamus, ut exinde nobis & tibi quietis arrideant incrementa. Super præmiſſis autem per prædictum decanum, de cujus fidelitate ac circumſpectione confidimus, plenarius informati, & ejus inſtructionibus percipere poteris, quid præſens negotium ex eminenti ſua qualitate requirit. Datum Romæ XV. Kalend. Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

Ejusdem breve ad Joannem, electorem Brandenburgicum, & mutatis mutandis, ad omnes electores exaratum, in quo eos rogat atque hortatur, ut illis, quæ Rudolphus I. Romanorum rex, vel ipſe, vel per alium, in ſedis apoſtolicæ gratiam atque favorem recognoverit, & approbarit, ſuum aſſenſum præbere haud cunctentur, d. d. 12. Kal. Januarii, anno 1278.

Nicolaus epiſcopus &c. Dilecto filio nobili Joanni marchioni Brandenburgenſi &c. ſtatuit in terris altiſſimus Romanum imperium, & ejus culmina dirigi voluit providi ſtabilitate conſilii, & maturitate provida gubernari, ut ſecure procederet, & in negotiis non erraret, cujus præſidi per te, ac alios Alamanniæ principes datur in electione principum; vos ipſos illi columnas adjungitis, & aſſiſtitis in ejus gubernatione cuſtodes. Certe multa te, ac alios prædictos potentia dignitatis amplificat, quam arctat in providis circumſpectio veritatis: nam quanto eminentius conſilium veſtrum extollitur, tanto maturius vos oportet attendere, quod in agendis expediat, ut ex quibuslibet veſtris actibus pater collaudetur æternus, decor ſervetur eccleſiæ, amplietur cultus juſtitiæ, ac in omnibus debitum obſervetur, cum ex iis regnorum & principum quietes adveniant, & eorum ſolia roborentur, incrementa vigoris & gratiæ perceptura. Cum igitur ex tenoribus privilegiorum, & declarationibus Romanorum imperatorum, quæ in archivis ſuis Romana ſervat eccleſia, evidenter appareat, totam terram, quæ eſt a Radicophano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitiſſæ Mathildis, civitates Ravennæ, Æmiliæ, Bobii, Cæſenæ, Forumpopuli, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, Bononiæ, & Ferrariæ, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemfereri, territorium Balnenſe, comitatum Brittenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, & Maſſam Trabariam, cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad prædictam eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra, marique ad civitates, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus, nec non civitatem Romanam, regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum pertinentibus, tam citra Pharum, quam ultra, Corſicam quoque, atque Sardiniam, cum cæteris terris, & juribus ad ipſam eccleſiam ſpectantibus, ad nos, & eandem eccleſiam pleno jure pertinere, ac noſtri, & ipſius eccleſiæ juris, ditionis & principatus exiſtere, & chariſſimus in Chriſto filius noſter Rudolphus, rex Romanorum illuſtris, hæc omnia prædicta, & plura alia, quæ per eosdem imperatores, & alios prædeceſſores ſuos facta, promiſſa, & geſta fuerant, recognoverit, ratificaverit, declaraverit, ac de novo conceſſerit per ſe, ac ſuos nuncios ſpeciales. Nos cupientes, ut hæc omnia in ſua ſoliditate permaneant, in futurum, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus præmiſſis omnibus, & aliis, quæ per eundem regem, vel alios de mandato ſuo, facta, geſta, promiſſa, recognita & ratificata ſunt, vel fieri, promitti, recognoſci, & ratificari contigerit, tuum præbens aſſenſum, ſic ea ſtudeas promptis ſtudiis approbare, juxta formam, quam tibi per dilectum filium Giffridum de Anagnia, decanum eccleſiæ ſancti Audomari, Morinenſis diœceſeos capellanum noſtrum transmittimus, quod devotio tua, promptitudine vigente, reluceat, obvietur futuris anfractibus, & Nos, ac eadem eccleſia, dictus rex, & tu etiam ſucceſſive, plenæ quietis ubertate fruamur, & in prædicti regis, & veſtris ſucceſſoribus proſperis non immerito delectemur. Ut autem de præmiſſis plenius informeris, prædictum capellanum, de cujus fidelitate ac circumſpectione confidimus, ad partes illas duximus deſtinandum, cujus inſtructionibus percipere poteris, quid præſens negotium ex eminenti ſua qualitate requirit. Datum Romæ XII. Kal. Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

In eundem modum dilecto filio nobili viro Joanni, duci Saxoniæ.

In eundem modum dilecto filio nobili viro Ludovico, comiti palatino Rheni, duci Bavariæ.

In eundem modum dilecto filio nobili viro Alberto, duci Saxoniæ.

In eundem modum archiepiſcopo Trevirenſi.

In eundem modum archiepiſcopo Colonienſi.

In eundem modum archiepiſcopo Moguntino.

Rudolphi I. Romanorum regis, eorum, quæ Conradus, ordinis minorum miniſter, coram Nicolao III. pontifice maximo, pro confirmandis ejusdem Rudolphi regis apud Lauſannam, tempore Gregorii X. actis, geſſerat, ratificatio, d. d. 16. Kal. Martii, anno 1279.

In nomine Domini, Amen. Nos Rudolphus, Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus, ad æternam rei geſtæ memoriam recognoſcimus, & fatemur, religioſum virum, fratrem Conradum, miniſtrum ordinis fratrum minorum ſuperioris Alamanniæ, habuiſſe a nobis mandatum, ſigilli noſtri munimine communitum, infra ſcripti tenoris, cujus mandati auctoritate noſtro nomine proceſſit coram vobis, ſanctiſſimo patre, domino Nicolao, papa III. & reverendo cœtu dominorum cardinalium & prælatorum, & aliorum clericorum & laicorum multitudine copioſa ad omnia infra ſcripta, quæ in literis inde confectis, quarum tenor infra ſubjicitur, ſerioſius continetur. Quæ quidem omnia & ſingula per eundem fratrem Conradum recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata, atque conceſſa, dicta, promiſſa, acta ſeu geſta, confirmata, ſive jurata, prout in eisdem literis & tenore plenius exprimitur, recognoſcimus, & fatemur nomine noſtro, & voluntate noſtra recognita, ratificata, approbata,

omnibus & ſingulis, & quibuscunque aliis ſuper eisdem, per eundem regem quoque modo factis, & impoſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum, atque conſenſum unanimiter & concorditer exhibemus; & promittimus,

innovata, de novo donata atque conceſſa, dicta, promiſſa, acta, ſeu geſta, confirmata, atque jurata, eaque nihilominus acceptamus, ratificamus, rata & firma volumus & decernimus permanere, ac inſuper ea omnia & ſingula confirmamus, innovamus, & nihilominus ipſa de novo concedimus atque donamus, & ad noſtram conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenarie ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur; compleantur, & perficiantur, revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus, quicquid contra prædicta vel aliquod prædictorum per nos, ſeu per alios noſtros nuncios vel officiales noſtro nomine vel mandato, ſeu quemcunque alium, vel alios quocunque modo, quacunque via factum eſſet & promiſſum, ſive juratum, volentes & conſentientes expreſſe, quod per hoc, quod contra hoc factum eſſet, nullum jus nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris, regibus aut imperatoribus Romanis accreſcat, vel in aliquo eccleſiæ Romanæ depereat tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem; conſentimus inſuper atque concedimus, quod vos, ſanctiſſime pater, domine Nicolae, P. P. III. & eadem Romana eccleſia per vos, & per alios nunc, & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis, abſq; ulla noſtra, ſucceſſorum noſtrorum vel alterius requiſitione, auctoritate vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem & quaſi omnium contentorum in noſtris, & prædeceſſorum noſtrorum privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus ſeu juramentis, & omnium eorum, quæ quoquo modo pertinent ad prædicta, & promittimus, quod nos, vel per alium ſeu alios non impediemus vos, vel nuncios veſtros, in prædictis, & quolibet prædictorum, ſeu potius in omnibus præfatis tam adipiſcendis, quam tenendis, & habendis, noſtro poſſe perpetuo adjuvabimus, & ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & ſolidationis habeant firmitatem, tactis ſacroſanctis evangeliis juramus in animam noſtram, prædicta omnia & ſingula nos perpetuo inviolabiliter ſervaturos. Statuimus præterea regali auctoritate atque decernimus, ut idem tenor, inſertus præſentibus, eaſdem per omnia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipſæ literæ principales, ita quod ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat in judicio & extra judicium, & in omnibus & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ literæ principales facerent in ſua prima figura & integritate manentes, lege ſeu conſtitutione aliqua non obſtante. Promittimus inſuper, quod, poſtquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, infra octo dies præmiſſa omnia & ſingula innovabimus & de novo integre ac plenarie faciemus, tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis eſt:

In nomine Domini, Amen. Ego Frater Conradus, miniſter fratrum minorum ſuperioris Alamanniæ, gloriosiſſimi & illuſtriſſimi principis, domini mei, Rudolphi, Dei gratia regis Romanorum ſemper Auguſti procurator & nuncius, habens ab ipſo poteſtatem & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, beatiſſime pater, domine Nicolae divina providentia P. P. III. in conſiſtorio veſtro in papali palatio apud ſanctum Petrum, in urbe Romana, aſſiſtentibus vobis reverendo cœtu dominorum cardinalium, videlicet venerabilibus patribus, dominis Orduno Tuſculano, Bentevenga, Albanenſi & Latino, Oſtienſi & Velletrenſi, epiſcopis: Anchero tituli ſanctæ Praxedis, Guillelmo tituli ſancti Marci, & Gerardo, Baſilicæ, duodecim apoſtolorum presbyteris: Jacobo, S. Mariæ in Cosmidin, Gottifrido, ſancti Georgii ad velum aureum, Matthæo, ſanctæ Mariæ in via lata diaconis cardinalibus, recognoſco & fateor, quod idem dominus meus rex, conſtitutus in præſentia piæ memoriæ domini Gregorii papæ X. in eccleſia Lauſannenſi, aſſiſtentibus ſibi reverendo cœtu dominorum cardinalium videlicet fel. rec. domino Innocentio V. tunc Petro, Oſtienſi epiſcopo, & domino Adriano V. tunc Ottobono, ſancti Adriani diacono cardinale, romanis Pontificibus & reverendis patribus, dominis Anchero, tituli ſanctæ Praxedis, & Guillelmo, tituli ſancti Marci Presbyteris, Jacobo ſanctæ Mariæ in Cosmidin, Gottifrido, ſancti Georgii ad velum aureum, Matthæo, ſanctæ Mariæ in Portica, diaconis cardinalibus, & præſentibus multis prælatis, principibus & nobilibus imperii, ipſi domino papæ, ſuisque ſucceſſoribus ſpoſpondit; pollicitus eſt, promiſit atque juravit, omnia & ſingula infra ſcripta, prout in ejusdem regis literis, ſuo ſigillo cereo communitis, plenius ac ſerioſius continetur, quarum tenor per omnia talis eſt: In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, vobis domino meo &c.

Vide formam juris jurandi d. d. 13. Kal. Novembr. Anno 1275. ſupra.

Quæ omnia & ſingula, ut præmittitur, per eundem regem ſponſa, pollicita, promiſſa atque jurata, nec non & alia in literis eiſdem quocunque modo, quibuscunque verbis inſerta: Ego prædictus frater Conradus, ejusdem domini & regis nomine, & pro ipſo habens ab eo expresſum & ſpeciale mandatum, libere, diſtincte & expreſſe recognoſco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominus ea omnia & ſingula de novo dono atque concedo beato Petro, cæleſtis regni clavigero, ac vobis, patri ſanctiſſimo, ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ. Et ad domini mei regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenariæ ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, caſſo, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo, quicquid contra prædicta vel aliqua prædictorum, per ipſum dominum regem, ſeu alios ejus Nuncios, vel officiales ſuo mandato, vel nomine ſeu quemcunque alium, vel alios quocunque modo, quacunque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum, ac volo & expreſſe conſentio, quod per hoc nullum jus ipſi domino meo regi accreſcat, vel in aliquo eccleſiæ Romanæ depereat tam circa posſeſſionem, quam circa proprietatem. Conſentio inſuper & concedo, quod vos, ſanctiſſime pater, & eadem Romana eccleſia per vos, & per alios nunc & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis abſque ulla ipſius domini regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato abſentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad eam, & promitto, quod ipſe dominus rex per ſe, vel per alium ſeu alios non impediet vos, vel nuncios veſtros in prædictis & quolibet prædictorum, ſed potius in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quam tenendis & habendis, ſuo poſſe perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & ſolidationis habeant firmitatem, tactis ſacroſanctis evangeliis juro in animam prædicti domini mei regis, habens ab eo ſemper hoc ſpeciale mandatum, eundem dominum regem omnia & ſingula prædicta perpetuo inviolabiliter ſervaturum, & promitto, quod idem dominus rex per ſe ipſum ea & omnia & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plene ſolidabit, firmabit, perficiet atque jurabit, quandocunque per vos & prædictam eccleſiam literis & nunciis extiterit requiſitus. Tenor vero mei procuratorii ſuper his habiti per omnia talis eſt:

Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, univerſis præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Notum eſſe volumus &c.

Vide confirmationem privilegiorum d. d. 14. Kal. Febr. anno 1278. ſupra.

Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, & ut hæc omnia vobis memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Nicolao, ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores, Romanorum reges & imperatores, perpetuo obſerventur, firmaque ſemper & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum aurea Bulla typariæ noſtræ majeſtatis impreſſa, munitum fieri fecimus, & vobis ad perpetui roboris memoriam exhiberi. Teſtes, quibus præ-

timus, quod contra præmiſſa vel aliquid præmiſſorum nullo unquam tempore veniemus. Sed ea omnia & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſen-

præſentibus hæc ſunt acta, ſunt hi, venerabiles, Fridericus, archiepiſcopus Salzburgenſis, Joannes Kymenſis & Wernhardus Secovienſis epiſcopi, Rudolphus, curiæ noſtræ cancellarius, magiſter Gottifridus, præpoſitus Solienſis, protonotarius noſter, abbas Admontenſis, archidiaconus Tudertinus, illuſtres Albertus & Hartmannus, fratres de Hapſpurch & de Kyburch comites, landgravii Alſatiæ, filii noſtri ac ſpectabiles viri Fridericus, burgravius de Nurenberch, marchio de Hochberch, Burchardus de Hohenberch & Henricus de Fürſtenberch comites, Henricus Sulzzellenſis, capellanus noſter, magiſter Conradus de Herwelingen, magiſter Angelus H. de Laubenberch, Joannes de Hedingen, milites hoſtiarii noſtri. Datum Viennæ per manum magiſtri Gottifridi, protonotarii noſtri prædicti. Acta ſunt hæc decimo ſexto Kalend. Martii, indictione ſeptima, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, regni noſtri anno ſexto.

Ego Fridericus, Salzburgenſis eccleſiæ archiepiſcopus, interfui & per manum Joannis Chymenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Ego Joannes, Chymenſis epiſcopus, interfui, recognovi & ſubſcripſi.

Ego Rudolphus, imperialis aulæ cancellarius interfui, recognovi & ſubſcripſi.

Ego magiſter Gottifridus, præpoſitus Solienſis, regalis curiæ protonotarius, interfui & ſubſcripſi.

Ego abbas Henricus, Admontenſis interfui & ſubſcripſi.

Ego Nicolaus, archidiaconus Tudertinus, interfui & ſubſcripſi.

Ego Albertus, domini Rudolphi Romanorum regis primogenitus, interfui & ſubſcripſi.

Ego Hartmannus, domini Rudolphi Romanorum regis filius, interfui & ſubſcripſi.

Ego Fridericus, burgravius de Nurenberch interfui & per manum R. notarii mei ſubſcripſi.

Ego Henricus, marchio de Hochberch, interfui, & per manum Alberti, notarii Comitis Henrici de Fürſtenberch, interfui, ſubſcripſi.

Ego Burchardus, comes de Hohenberch, interfui, & per manum Petri, notarii mei, ſubſcripſi.

Ego Henricus, comes de Fürſtenberch, interfui & per manum Alberti notarii mei, ſubſcripſi.

Ego Henricus Sulzzellenſis, Romanorum regis capellanus, interfui & ſubſcripſi.

Ego Conradus de Herwellingen, notarius regis Romanorum interfui & ſubſcripſi.

Ego Angelus, canonicus eccleſiæ S. Valentini de Ferentino, interfui & ſubſcripſi.

Ego Johannes de Hedingen interfui & ſubſcripſi.

Adeſt bulla aurea pendens.

Rudolphi I. Romanorum regis, diploma, in quo non ſolum privilegia ab anteceſſoribus ejus Romana eccleſia conceſſa confirmavit, verum etiam juramenta, quæ ejusdem cancellarius, Rudolphus, a diverſis exarchatus urbibus exegerat, nullius eſſe valoris, declaravit, d. d. 16. Kalend. Martii, anno 1279.

SAnctiſſimo in Chriſto patri & domino, Nicolao, papæ III. Rudolphus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus: Ad perpetuam rei memoriam.

Summa reipublicæ tuitio, de ſtirpe duarum rerum, ſacerdotii, & imperii, divina inſtitutione proveniens, vimque ſuam exinde muniens, humanum genus ſalubriter gubernabit in poſterum, & reget, Deo propitio, in æternum. Hæc ſunt duo dona Dei, maxime quidem in omnibus a ſuperna collata clementia, videlicet, auctoritas ſacra pontificum, & regalis excellentia poteſtatis. Hæc duo Salvator noſter, Mediator Dei & hominum, Jeſus Chriſtus, ſic per ſe ipſum actibus propriis & dignitatibus diſtinctis exercuit, ut utraque ab ipſo, tanquam ex uno eodemque principio, manifeſte procedere omnibus indicaret.

Ab eo igitur ſolo, vivo & vero Deo, recognoſcentes omnia, a quo reges & regna ſumſere principia, & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ beneficia erga Nos innumera recolentes, plenis excitamur affectibus, ea, quæ poſſumus, illi retribuendo rependere, a qua nobis & noſtris prædeceſſoribus, regibus Romanorum tam grandia, tam excellentia dona conſpicimus eſſe tributa.

Præfati itaque prædeceſſores ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quam de ipſius matris eccleſiæ uberibus ſuſceperunt, faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quod eadem mater eccleſia, ipſos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de græcis imperium in Germanos, eisdem dederat id, quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabili recognitionis effectu, inter cætera, quæ ipſi Romanæ eccleſiæ confirmarunt, dimiſerunt, ſeu etiam conceſſerunt, totam terram, quæ eſt a Radicofano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitiſſæ Mathildis, comitatum Brittenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Maſſam Trabariam cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, poſſeſſiones & jura, ad Romanam eccleſiam pertinentia, in multis privilegiis imperatorum, a tempore Ludovici expreſſa, ſive contenta, ipſi beato Petro, cœleſtis regni clavigero, ejusque ſucceſſoribus, & Romanæ eccleſiæ dimiſerunt, renunciaverunt, reſtituerunt & confirmarunt; & ad omnem ſcrupulum movendum, prout melius valeret, & efficacius poſſet intelligi, contulerunt, conceſſerunt, & etiam donarunt, ſicut in eorum privilegiis, ſeu literis continetur: Nosque poſtmodum, prout domino placuit, ad regalis excellentiæ culmen aſſumti, ut de ſuſceptis donis innumeris, quæ de manibus dictæ matris accepimus, non minoris recognitionis debitum ſolveremus, prædicta omnia in præſentia recolendæ memoriæ domini Gregorii papæ X. recognovimus, ac ea omnia & ſingula ipſi, pro Romana eccleſia, ſe ſuisque ſucceſſoribus recipienti, confirmavimus, innovavimus, & de novo conceſſimus atque donavimus, ipſa nihilominus proprio præſtita corporaliter juramento firmantes. Verum quia poſtmodum, absque noſtro conſenſu, conſcientia vel mandato, Rudolphus, cancellarius noſter a civibus Ravennatis, Bobienſibus, Cæſenatibus, Foropopulienſibus, Forlivienſibus, Faventinis, Imolenſibus, Bononienſibus, Urbinatibus ac hominibus Montis ferretri, Bertenorii, nec non & aliis aliarum civitatum, atque illarum partium & locorum, quæ ipſius eccleſiæ Romanæ juris exiſtunt, juramentum fidelitatis nomine noſtro dicitur recepiſſe; Nos conſpicientes id in præjudicium juris dictæ matris eccleſiæ ſubſecutum, quicquid per eundem cancellarium, ſeu quemcunque alium in prædictis civitatibus, locis & terris, ſeu per homines ipſarum civitatum, terrarum atque locorum, actum, geſtum, recognitum extitit, ſive juratum, & ſpecialiter prædicta juramenta, remittimus, relaxamus, & iis expreſſe renunciamus, ac prædicta omnia revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus, caſſa & irrita nunciamus, ac omnibus viribus vacuamus, volentes, ſtatuentes & conſentientes expreſſe, quod per id nullum jus nobis & imperio accreſcat, vel ipſi eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſesſionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris & locis præfatis, ac hominibus, juribus & jurisdictionibus eorundem.

Et quia decet regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obſcuritatem, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, noſtra tollat regalis expresſio, ac jura ipſius matris eccleſiæ per noſtram declarationem, quam decernimus eſſe perpetuam, plenarie ſolidentur; recognoſcimus, fatemur & oraculo præſentis edicti ad æternam memoriam declaramus, civitatem Ravennatem & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferretrum, territorium Balnenſe, ſupraſcriptas provincias, civitates, loca & territoria, nec non & omnia ſupradicta cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis in terra marique ad provincias, civitates, territoria & loca ſupradicta quoquo modo pertinentibus, ad beatum Petrum cœleſtis regni clavigerum & ad vos patrem beatiſſimum dominum Nicolaum papam III. & ad ſucceſſores veſtros Romanos pontifices, & ad ipſam eccleſiam Romanam pleno

aſſenſus atque promiſſio, a nobis eisdem Romanis pontificibus & eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roboravimus.

4. Hæc

jure ac integre, non ſolum in ſpiritualibus ſed etiam in temporalibus in ſolidum pertinere, ac veſtri ipſius Romanæ eccleſiæ pleni juris, ditionis, ac principatus exiſtere.

Et ad omnem dubitationis ſcrupulum inpoſterum abolendum, & ut noſtra devotio erga ipſam matrem eccleſiam clarius eniteſcat; prædicta omnia & ſingula tam propriis ſeu ſpecialibus, provinciarum, terrarum, civitatum atque locorum expreſſa vocabulis, quam etiam non expreſſa, prout melius valet, & efficacius intelligi, ipſi beatiſſimo Petro & vobis, ſanctiſſime pater, domine Nicolae, papa III. & per vos ſucceſſoribus veſtris Romanis pontificibus & ipſi Romanæ eccleſiæ de novo libere & plenarie concedimus, conferimus & donamus, ut ſublata omnis contentionis, & diſſenſionis materia, firma pax & plena concordia inter eccleſiam & imperium perſeverent.

Ut autem hæc omnia vobis, memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Nicolao, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus & ipſi Romanæ eccleſiæ per nos & noſtros ſucceſſores, Romanorum reges & imperatores in perpetuum obſerventur, firmaque ſemper & inconcuſſa permaneant: præſens noſtræ recognitionis, declarationis, conceſſionis & donationis privilegium de conſcientia noſtra & expreſſo mandato conſcriptum, juſſimus aurea bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa muniri, ac ipſum ad perpetuam ſoliditatem & certitudinem vobis & ipſi Romanæ eccleſiæ exhiberi. Promittimus inſuper, quod, poſtquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & imperiale diadema pervenerimus, infra octo dies præmiſſa omnia & ſingula innovabimus, & de novo integre ac plenarie faciemus.

Teſtes autem hi ſunt, venerabiles, Fridericus, archiepiſcopus Salzburgenſis, Joannes Kymenſis, & Wernhardus Secovienſis eccleſiarum epiſcopi, Giffridus, decanus eccleſiæ ſancti Audomari Morinenſis diœceſeos, domini papæ capellanus, Henricus, abbas Admontenſis, Nicolaus archidiaconus Tudertinus, illuſtres, Albertus & Hartmannus, fratres de Habspurch & de Kyburch, comites landgravii Alſatiæ, filii noſtri, ac ſpectabiles viri Fridericus burggravius de Nurenberch, Henricus, marchio de Hahberg, Burcardus de Hohenberg, & Henricus de Fürſtenberch comites, Henricus Sulzzellinus, capellanus noſter, magiſter Conradus de Herwelingen, magiſter Angelus, canonicus ſancti Valentini de Ferentino, Henricus de Laubenberch & Joannes de Hedingen milites Hoſtiarii noſtri, & quam plures alii. Signum domini Rudolphi Romanorum regis invictiſſimi. Ego Rudolphus, imperialis aulæ cancellarius, vice-domini (*locus Monogrammatis.*) Wernheri, archiepiſcopi Moguntini ac per Germaniam ſacri imperii archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXIX.

Indictione VII. regnante domino Rudolpho, Romanorum rege, glorioſo anno regni ejus VI. Datum Viennæ per manus magiſtri Gottifridi, præpoſiti Solienſis, protonotarii noſtri XVI. Kalend. Martii. Sequitur bulla pendens.

Diploma, in quo ſacri Romani imperii electores antea inſertam Rudolphi I. Romanorum regis, confirmationem ratam habent, de anno 1279.

Nos principes imperii, univerſis præſentem paginam inſpecturis.

Complectens ab olim ſibi Romana mater eccleſia quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram, plantans in ea principes tanquam arbores præelectas, & rigans ipſas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipſius eccleſiæ auctoritate ſuffulti, velut germen electum per ipſorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret imperii, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis eccleſiæ per luminare majus Chriſti vicarium illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit & convertit, ut ejus præſidio paſtorum paſtor adjutus, oves ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet & corrigat ad vindictam maleficorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam eccleſiam & imperium auferantur; & ii duo gladii in domo domini conſtituti, debito fœdere copulati, ſe ipſos exerceant in utilem reformationem regiminis univerſi; & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis & pacis, qui tam eccleſiam, quam imperium, conſovere tenemur; quicquid per dominum noſtrum Rudolphum, Dei gratia Romanorum regem ſemper Auguſtum, ſanctiſſimo patri & domino noſtro, domino Nicolao, papæ III. ejuſque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum & de novo donatum, declaratum, ſive conceſſum, juratum & actum, ſeu factum eſt per privilegia vel quæcunque alia ſcripta quorumcunque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus & factis ſeu geſtis, tam aliorum imperatorum & regum Romanorum, prædeceſſorum regis ejuſdem, quam ipſius regis; & ſpecialiter ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia & reverentia per Romanos imperatores & reges Romanis pontificibus & ipſi eccleſiæ impendendis; ac poſſeſſionibus, honoribus, & juribus ejuſdem eccleſiæ; & nominatim ſuper tota terra, quæ eſt a Radicoſano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatu Spoletano terra comitiſſæ Mathildis, civitate Ravennæ & Æmilia, Bobio, Cæſena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, territorio Balnenſi, comitatu Brittenorii, exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis, in terra marique ad provincias, civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo ſpectantibus; nec non ſuper civitate Roma & regno Siciliæ, cum omnibus ad ipſam ſpectantibus, tam citra Farum, quam ultra; Corſica quoque atque Sardinia & cæteris terris ac juribus ad ipſam eccleſiam pertinentibus, Nos, noſtri nomine principatus, in omnibus & per omnia approbamus & ratificamus: ac eisdem omnibus & ſingulis, & quibuscunque aliis ſuper eisdem per eundem regem quoquo modo factis, & in poſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum atque conſenſum unanimiter, & concorditer exhibemus; & promittimus, quod contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, nullo unquam tempore veniemus, ſed ea omnia & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus, inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus atque promiſſio a nobis eisdem Romanis pontificibus & eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratum. Actum & datum anno Domini MCCLXXIX. Indictione VII. (circa menſem Octobris) regnante domino noſtro, prædicto domino Rudolpho, Romanorum rege glorioſo, regni ejus anno VI.

Adſunt novem ſigilla pendentia, ſcilicet, Henrici archiepiſcopi Trevirenſis, Siffridi, archiepiſcopi Colonienſis, Varneri, archiepiſcopi Moguntini, Ludovici, ducis Bavariæ, Joannis, ducis Saxoniæ, Alberti, ducis Saxoniæ, Friderici, marchionis Brandenburgenſis - - - marchionis Brandenburgenſis. Eorum nomina ſuper ſigillis ſcripta & appoſita ſunt.

Ludovici, comitis Palatini ad Rhenum atque electoris diploma, in quo ſupra inſertam privilegiorum a Rudolpho I. Romanorum rege, ſedi apoſtolicæ indultorum confirmationem approbavit, d. d. kalend. Aprilis, anno 1279.

Ludovicus, Dei gratia comes palatinus Rheni, dux Bavariæ, univerſis præſentem paginam inſpecturis, ſalutem in auctore ſalutis. Complectens ab olim ſibi Romana mater eccleſia, quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terrenæ dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen, temporaliter tantum

4. Hæc omnia ita quidem Bzovius. Verumenimvero cum illo quidem non eſt, ut tuto liceat in tenebris micare. Fidem hominis dubiam pridem reddidit doctiſſimus Herwartus, ne de aliis nunc dicam. Et vero, utique tabulas illas Rudolphi, quas ita confidenter aſſervari in archivo ille affirmat, ipſe non vidit: alioquin illas produxiſſet. Subſcriptiones porro corruptis no-

præſidentium ſuper terram, plantans in ea principes, tanquam arbores prælectas, & rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum tam mirandæ potentiæ, ut ipſius eccleſiæ auctoritate ſuffulti, velut germen electum per ipſorum electionem illum, qui frena Romani imperii teneret, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis eccleſiæ per luminare majus Chriſti vicarium illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit & convertit, ut ejus præſidio paſtorum paſtor adjutus, oves ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refrenet & corrigat ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam eccleſiam & imperium auferantur, & duo gladii in domo domini conſtituti debito fœdere copulati ſe ipſos exerceant, in utilem reformationem regiminis univerſi, & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis & pacis, qui tam eccleſiam, quam imperium confovere tenemur: quicquid per dominum noſtrum Rudolphum, Dei gratia Romanorum regem ſemper Auguſtum, ſanctiſſimo patri & domino noſtro Nicolao, papæ tertio, ejusdemque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum ſive conceſſum, juratum, & actum ſeu factum eſt per privilegia, vel quæcunque alia ſcripta quorumcunque tenorum ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus & factis, ſeu geſtis, tam aliorum imperatorum & regum Romanorum, prædeceſſorum regis ejusdem, quam ipſius regis ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia per Romanos imperatores & reges Romanis pontificibus & ipſi eccleſiæ impendendis, ac poſſeſſionibus, honoribus & juribus ejusdem eccleſiæ, & nominatim ſuper totam terram, quæ eſt a Radicophano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatu Spoletano, terra comitiſſæ Mathildis, civitate Ravennæ & Æmilia, Bobio, Cæſena, Foropopuli, Forolivii, Flaventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetro, territorio Balnenſi, comitatu Brectenorii, exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria cum adjacentibus terris ſuis, & omnibus aliis ad prædictam eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terra marique provinciis, civitatibus, territoriis, ad prædicta quoquo modo ſpectantibus, nec non ſuper civitate Romana, & regno Siciliæ, cum omnibus ad eam ſpectantibus tam citra Pharum quam ultra, Corſica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac juribus, ad ipſam eccleſiam pertinentibus, Nos noſtri nomine principatus in omnibus & per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus & ſingulis & quibuscunque aliis ſuper eisdem per eundem regem quoquo modo factis, & inpoſterum faciendis voluntatem noſtram, aſſenſum, atque conſenſum, unanimiter, atque concorditer exhibemus atque promittimus, quod contra promiſſa, vel aliquod promiſſorum nullo unquam tempore veniemus; ſed ea omnia & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus atque promiſſio a nobis eisdem Romanis pontificibus & eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtrorumque ſigillorum munimine roboratum. Actum & datum anno Domini 1279. 14. kalend. Aprilis. Indictione ſeptima regnante prædicto domino noſtro Rudolpho, Romanorum rege glorioſo, regni ejus anno ſexto.

Adeſt ſigillum pendens.

Ottonis, marchionis Brandenburgenſis, atque ſacri Romani imperii electoris, diploma, in quo Rudolphi I. Romanorum regis paulo ante inſertam privilegiorum ſedis apoſtolicæ confirmationem ſuo comprobavit calculo, d. d. 2. Id. Sept. anno 1279.

Otto, Dei gratia marchio Brandenburgenſis, univerſis præſentem paginam inſpecturis. Complectens ab olim ſibi Romana mater eccleſia quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam ea terreno dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram, plantans in ea principes, tanquam arbores prælectas, & rigans ipſas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipſius eccleſiæ auctoritate ſuffulti, vel ut germen electum, per ipſorum electionem illum, qui frena Romani teneret imperii, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis eccleſiæ, per luminare majus, Chriſti vicarium, illuſtratum. Hic eſt, qui materialem gladium ad ipſius nutum excutit, & convertit, ut ejus præſidio paſtorum paſtor adjutus, oves ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refrenet & corrigat ad vindictam malorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam eccleſiam & imperium auferantur, & ii duo gladii in domo domini conſtituti, debito fœdere copulati, ſe ipſos exerceant in utilem reformationem regiminis univerſi; & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis & pacis, qui tam eccleſiam quam imperium confovere tenemur; quicquid per dominum noſtrum Rudolphum, Dei gratia Romanorum regem ſemper Auguſtum, ſanctiſſimo patri & domino noſtro, domino Nicolao, papæ III. ejusque ſucceſſoribus & ipſi Romanæ eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo datum, declaratum ſive conceſſum, juratum & actum, ſeu factum eſt per privilegia, vel quæcunque alia ſcripta quorumcunque tenorum, ſuper recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, conceſſionibus & factis, ſeu geſtis, tam aliorum imperatorum & regum Romanorum, prædeceſſorum ejusdem regis, quam ipſius regis; & ſpecialiter ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia & reverentia per Romanos imperatores & reges, Romanis pontificibus, & ipſi eccleſiæ impendendis; ac poſſeſſionibus, honoribus & juribus ejusdem eccleſiæ; & nominatim ſuper tota terra, quæ eſt a Radicoſano usque Ceperanum, marchia Aconitana, ducatu Spoletano, terra comitiſſæ Mathildis, civitate Ravennæ & Æmilia, Bobio, Cæſena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, territorio Balnenſi, comitatu Brittenorii, exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis, ad prædictam eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis in terra marique ad provincias, civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo ſpectantibus; nec ſuper civitate Romana, & regno Siciliæ, cum omnibus ad ipſam ſpectantibus, tam citra Farum, quam ultra, Corſica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac juribus ad ipſam eccleſiam pertinentibus; Nos noſtri nomine Principatus in omnibus & per omnia approbamus & ratificamus; ac eisdem omnibus & ſingulis, & quibuscunque aliis ſuper eisdem per eundem regem quoquo modo factis, & in poſterum faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum atque conſenſum irrevocabiliter exhibemus: & promittimus, quod contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, nullo unquam tempore veniemus, ſed ea omnia & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus, inviolabiliter obſervari. Et ut hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus, conſenſus atque promiſſio a nobis eisdem Romanis pontificibus & eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, noſtri ſigilli munimine roboratum. Datum & actum anno Domini MCCLXXIX. II. Idus Septembris, regnante prædicto domino noſtro, domino Rudolpho, Romanorum rege glorioſo, regni ejus anno ſexto.

Digitized by

nominibus & titulis ſatis indicant, non deſcriptas illas ex autographo aliquo. Tabulas principum itidem non vidit ipſe: ſed eas jam Baronius recitaverat *tomo X. anno CMXCVI. num. 44. & ſeq.* Cujus verba de literis illis hæc ſunt num. 43. *Extant literæ marchionis Brandeburgenſis unius ex electoribus, quarum hic eſt titulus: Otto marchio Brandenburgenſis univerſis præſentem paginam inſpecturis. Datæ autem, ut in fine habetur, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, pridie iduum Septembr. anno VI Rudolphi imperatoris. Aliæ Joannis & Adalberti ducum Saxoniæ eodem titulo, dataque eodem anno, die vero & menſe diverſo, nempe decimo quarto Kalendas Aprilis. Aliæ comitis palatini Rheni, eodem die data & anno. Juxta quam præſcriptam ab iſtis formam & reliqui electores ſcripſere. Quibus omnibus pariter confirmant donationes factas, vel innovatas a Rudolpho Romanorum rege & aliis prædeceſſoribus imperatoribus Romanæ eccleſiæ. Extant ipſa in ſcripto codice eodem tempore una cum aliis monumentis, de donationibus & privilegiis a diverſis eccleſiæ Romanæ factis, quæ aſſervantur ſeorſim a Vaticana bibliotheca Romæ in caſtello S. Angeli, loco tutiore, ubi ſelecta majoris momenti monumenta recondita habentur, ne pereant.* Hæc Baronius: ex quo uno tabulas illas ſine dubio Bzovius deprompſit. Ubi notandum primo occurrit, Baronium fateri deſcriptas illas ex codice quodam Vaticano, Bzovium id diſſimulare: deinde Baronium memorare unum tantum Ottonem Brandenburgicum, Bzovium duos, & Joannem nempe marchionem: tertio Baronium non meminiſſe diſertis quidem verbis trium electorum archiepiſcoporum, quod facit Bzovius. Quarto cum expreſſe fateatur Baronius ſeorſim & diverſo tempore ſcriptas Brandenburgici & Saxonicorum literas, diſtinctas quoque fuiſſe literas palatini, Bzovius itidem affirmet *ſingulorum* diplomata aſſervari: Uterque tamen non dubitavit ita illas producere quaſi multi ſimul easdem condiderint. Nam Baronius ita illas orditur: *Ludovicus Dei gratia comes palatinus Rheni, dux Bavariæ, Joannes & Adelbertus duces Saxoniæ, Otto marchio Brandenburgenſis, univerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis. Complectens &c.* Bzovius ita: *Nos principes imperii univerſis præſentem paginam inſpecturis. Complectens &c.* Uterque porro, Bzovius pariter & Baronius, illas producunt loquentes ſemper in plurali numero: quod non eſt conveniens literis, ſiquidem ſinguli electores ſingulas miſerunt. Quæ utique falſimoniæ luculentiſſima ſunt teſtimonia.

5. Cæterum eſto. *Admittantur ut genuina.* (a) *Primum* id certum eſt, probari non poſſe, omnes

(a) *Admittantur ut genuina*) GöBEL. Tabulas ad hoc negotium pertinentes inſerere conſultum putavimus, cum ex potiſſimum ſint, ad quas aulæ Romanæ addicti, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram. Deſumta ſunt ex LVNIGII *C. J. D.* Exſtant etiam *appendice diſſertationis hiſtoricæ, pro ſede pontificia, in cauſa Comaclenſi conſcripta.* Quæ ad præpoſitum Ottonem S. Guidonis Rudolphi cancellarium & legatum ſpectant acta publica, primum occupabunt locum, reperiuntur ea apud LVNIG. *l. c. tom. II. p. 719.* Primum diploma eſt mandatum, quo ſedi Romanæ, Rudolphi nomine, conſuetum jubetur præſtare juramentum; alterum ea, quæ ab hoc præpoſito in concilio Lugdunenſi geſta ſunt, continet. Primi tenor hic eſt:

Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo, domino Gregorio, ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici. Rudolphus Romanorum rex ſemper Auguſtus, pedum oſcula beatorum ſanctitati veſtræ præſentibus noteſcat, quod ego devotus veſter & eccleſiæ Romanæ filius honorabilem virum Ottonem, præpoſitum S. Widonis Spirenſis, regalis aulæ meæ cancellarium, meum nuncium & procuratorem conſtituo, dans ei liberam poteſtatem & ſpeciale mandatum, faciendi nomine meo B. Petro apoſtolo, cœleſtis regni clavigero, ac vobis, ejus ſucceſſori, cæteriſque veſtris canonicis ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ confirmationes, conceſſiones, privilegia, juramenta, & cætera omnia, quæ mei prædeceſſores, reges Romanorum, feciſſe noſcuntur, ſeu inveniuntur; nec non & alia promittendi ſeu faciendi, quæ vos, ſanctiſſime pater, & domine, ſine demembratione imperii ſecundum Deum & honeſtatem videritis expedire, & in animam meam jurandi, quod ea omnia & ſingula rata habebo & inviolabiliter obſervabo, nec contra ea per me, vel per alium publice, vel occulte venire tentabo. Do etiam ei poteſtatem promittendi nomine meo, quod ego per me ipſum eadem faciam & promittam atque jurabo, quandocunque per vos literis vel nuncio fuero requiſitus. Et ſuper his omnibus patentes literas meas dabo, aurea bulla, typario regiæ majeſtatis, impreſſa bullatas. Do præterea eidem cancellario poteſtatem & ſpeciale mandatum dandi ſuper omnibus præmiſſis & ſingulis patentes literas, ſeu publicum inſtrumentum, & omnia faciendi, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa fuerint neceſſaria, vel etiam opportuna: etiamſi mandatum exigerent ſpeciale. In cujus rei teſtimonium præſentem procurationem fieri feci, & mei ſigilli munimine roborari. Datum Rotenburc, anno domini MCCLXXIV. in craſtinum dominicæ, quæ cantatur Quaſimodogeniti, regni noſtri anno primo.

Secundum diploma ita ſeſe habet:

In nomine Domini, Amen. Ego Otho ſancti Guidonis Spirenſis præpoſitus, regiæ aulæ cancellarius, glorioſiſſimi principis domini mei Rudolphi, Dei gratia regis Romanorum ſemper Auguſti, procurator & nuncius, habens ab ipſo mandatum in forma ſubſcripta, præſenti ſcripto confiteor, me privilegia nec non & juramenta claræ memoriæ Ottonis quarti, & quondam Friderici II. imperatorum, tunc regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua ſui parte vitiata, ſed in prima ſui facie aureis bullis regum ipſorum regiæ majeſtatis impreſſis typario, conſignata, diligenter inſpexiſſe, de verbo ad verbum legiſſe, ac in Theutonico idiomate, propter infra ſcriptos nobiles expoſuiſſe in conſiſtorio noſtro, ſanctiſſime pater & domine, domine Gregori papa X. adſtantibus vobis reverendis patribus Joanne Portuenſi, Petro Tuſculano, vicedomino Peneſtrino, fratribus Bentivenga Albanenſi, Petro Oſtienſi, epiſcopis, Simone tituli ſancti Martini in montibus, Anchero tit. S. Praxedis, Guilielmo tit. S. Marci, Simone tituli ſancti Ceciliæ Presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gottifrido S. Georgii ad velum aureum Uberto S. Euſtachii & Matthæo S. Mariæ in Porticu diaconis, cardinalibus, & præſentibus inibi venerabilibus patribus, Henrico Trevirenſi, Guarnero Moguntinenſi, Engueberto Colonienſi, Conrado Magdeburgenſi, Giſelberto Bremenſi, archiepiſcopis, Conrado Argentinenſi, Leone Ratisbonenſi, Brunone Brixinenſi, Ottone Mindenſi, Frederico Merſeburgenſi, Guidone Miſnenſi, Joanne Kimenſi, Illebrando Eiſtetenſi, epiſcopis, & nobilibus viris Frederico Burclavio de Nurenberch, ac Gottifredo comite Seunenſi. Tenores autem prædictorum privilegiorum & juramentorum, de verbo ad verbum tales ſunt:

I. Forma juramenti Ottonis IV. imperatoris, tunc regis Romanorum, præſtiti felicis recordationis Innocentio papæ III.

Ego Otto &c. ut ſupra pag. 705.

II. Tenor privilegii dicti Ottonis IV. imperatoris, tunc re-

omnes imperii ordines iſthac ætate conſenſiſſe in ejusmodi donationem. Horum autem, non vero

regis Romanorum, conceſſi eidem Innocentio papæ III. & eccleſiæ Romanæ.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto IV. divina favente clementia Romanorum rex & ſemper Auguſtus.

Recognoſcentes ab eo &c. ut ſupra pag. 707.

III. Tenor privilegii Friderici II. imperatoris, tunc regis Romanorum, conceſſi eidem Innocentio papæ III. & eccleſiæ Romanæ.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus II. divina favente clementia Romanorum rex & ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Regnum noſtrum &c. ut ſupra pag. 709.

IV. Simile privilegium conceſſum ab eodem Friderico, tunc rege Romanorum, fel. rec. Honorio papæ III.

In nomine dei æterni, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Fridericus II. divina favente clementia Romanorum rex ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Regnum noſtrum tunc &c. ut ſupra pag. 713.

V. Forma juramenti ejusdem Friderici, tunc regis Romanorum, præſtiti præfato Innocentio papæ III.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. Dei gratia Romanorum rex, & ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Tibi domino meo &c. ut ſupra pag. 709.

VI. Forma juramenti ejusdem Frederici, tunc regis Romanorum, præſtiti præfato Honorio papæ III.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fredericus II. Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Tibi domino meo &c. ut ſupra pag. 713.

De prædictorum itaque archiepiſcoporum, epiſcoporum, ac nobilium conſilio, & expreſſo conſenſu, ego memoratus cancellarius omnia & ſingula in eisdem contenta privilegiis, ejusdem regis Rudolphi nomine ratifico, rata, & firma habeo, & ab aliis haberi volo, & eadem innovo, atque de novo concedo, promittens eodem nomine B. Petro, cœleſtis regni clavigero, ac vobis patri ſanctiſſimo, ejus ſucceſſori, cæterisque veſtris ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ, ac jurans in animam ipſius regis Rudolphi, quod ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios, non occupabit, nec invadet, in totum, vel in partem aliquam, terras ipſius eccleſiæ Romanæ, aut terras vaſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, aut alterius præſtationis titulo, ſive alio quocunque modo tenent ab ipſa eccleſia, nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, ſeu alios, vel invadi: quin etiam nec ipſas, nec tenentes easdem, ſe, vel terras ipſas ſibi ultro volentes ſubjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque poteſtatem in terris eisdem, & ſpecialiter in civitate Romana recipiet, ſub quocunque colore, ſine veſtra, ſeu ſucceſſorum veſtrorum licentia ſpeciali; & ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolum denegabit illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum, verum etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumque ſucceſſorum, adjutor erit contra illos in defendendis & conſervandis eisdem. Item quod idem rex Rudolphus per ſe, vel per alium non offendet vaſallos eccleſiæ, & ſpecialiter magnificum principem D. Carolum, regem Siciliæ illuſtrem, ſeu hæredes ipſius, nec volentibus ipſum offendere præſtabit conſilium, auxilium, aut favorem publice, vel occulte; nec regnum Siciliæ, quod idem rex Carolus ab eadem Romana tenet eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per ſe, vel per alium, aut occupari vel invadi procurabit, nec invadere, aut occupare tentantibus præſtabit auxilium, conſilium, aut favorem publicum, vel occultum. Alios etiam devotos ipſius eccleſiæ, qui eidem eccleſiæ aſtiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes, vel ſucceſſores ipſius, propterea non gravabit, ſed nihilominus favorabiliter proſequetur: Vaſallos autem ſuos, contra prædictorum aliquod facientes, pro poſſe bona fide compeſcet. Servabit præterea, & faciet omnia, & ſingula, quæ in canonibus poſitis LXIII. diſtinct. quorum quidem canonum alter, *ego Ludovicus*; alter vero, *tibi domine papa*, incipit, continentur. Quodque idem rex Rudolphus præmiſſa omnia, tam in privilegiis ipſis contenta, quam alia, inviolabiliter obſervabit, ac de præmiſſis omnibus & ſingulis obſervandis præſtabit, tactis corporaliter ſacroſanctis evangeliis, juramentum: & privilegia per omnia, verbis tamen competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, ſimilia ſupra ſcriptis continentia; & nihilo minus plene omnia alia, quæ præter privilegiorum præmiſſorum tenores ſuperius exprimuntur: ac inſuper ratificationem, confirmationem, innovationem ac novam conceſſionem omnium renunciationum, dimiſſionum, promiſſionum, pollicitationum, ſponſionum, conceſſionum, ceſſionum, confirmationum & confeſſionum, quas tam dictus Fredericus II. quam alii reges, & imperatores Romani præcedentes eundem, B. Petro apoſtolorum principi, ſummis pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel eccleſiæ Romanæ præſtitiſſe noſcuntur. Præfato apoſtolorum principi, ac vobis, ſanctiſſimo patri, ejus ſucceſſori, cæterisque Catholicis veſtris ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ concedit, quandocunque per ſedem apoſtolicam ſuper hoc literis fuerit, vel nuncio requiſitus: & juramenta etiam præſtabit, & literas ſuper hujusmodi proteſtatione concedet, prout dicti reges Romanorum præſtiterunt, ac conceſſerunt. Poſtquam autem Romam, ad recipiendum unctionem, coronationem, ſeu imperiale diadema pervenerit, ipſaque perceperit, præmiſſa omnia, & ſingula innovabit, ſeu de voto faciet; ac ſine aliqua difficultate juramenta præſtabit, quæ imperatores Romani hactenus præſtiterunt. Item quod dictus rex Rudolphus bona fide, ſine fraude & malo ingenio procurabit, quod omnes principes Alemanniæ laici promittent, & jurabunt, ſe bona fide curaturos, & facturos, quod ipſe rex Rudolphus prædicta non ſervaret, iidem principes in hoc ipſi aliquatenus non aſſiſtent.

Tenor autem mandati, quod ab eodem rege Rudolpho recepi, per omnia talis eſt.

Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino ſuo, domino Gregorio, ſacroſanctæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, Rudolphus, Romanorum rex ſemper Auguſtus, pedum oſcula beatorum.

Sanctitati veſtræ præſentibus innoteſcat, quod ego devotus veſter, & eccleſiæ Romanæ filius, honorabilem virum Othonem, præpoſitum ſancti Guidonis Spirenſis, regalis aulæ meæ cancellarium &c. ut in diplomate antea inſerto ſub num. XIX.

Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto conſiſtorio, anno Domini MCCLXXIV. menſe Junii, die Martis VI. ejusdem menſis, pontificatus veſtri anno III. Porro ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum de præmiſſis omnibus præſentes literas fieri feci, & mei ſigilli munimine roborari.

Apud LVNIGIVM *l. c. p. 716. ſeqq.* tam jus jurandum, quod Rudolphus Lauſannæ pontifici Gregorio X. anno 1275. d. 13. Kalend. Novemb. præſtitiſſe, quam ipſum diploma, quo uno die ante omnia privilegia ab anteceſſoribus eccleſiæ Romanæ conceſſa confirmare dicitur. Apponamus utriusque tenorem unius poſt alterum, & ei adjungamus ratificationem eorum, quæ præpoſitus Spirenſis in aula pontificis Gregorii X. geſſiſſe fertur, ab hoc imperatore eodem tempore, ut perhibent, factam.

Forma jurisjurandi, quod Rudolphus I. Romanorum rex Gregorio XI. pontifici maximo, in eccleſia Lauſanenſi, die Kal. Novembr. anno 1275. præſtitit.

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Ego Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus. Vobis, domino meo ſanctiſſimo & patri chariſſimo, Gregorio, divina providentia papæ X. veſtrisque ſucceſſoribus, præſentibus ſubſcriptis prælatis, principibus & nobilibus imperii ſpondeo, polliceor & promitto & juro, quod omnes poſſeſſiones, honores & jura Romanæ eccleſiæ pro poſſe meo bona fide protegam & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas eccleſia Romana recuperavit, liberas & quietas ſibi dimittam, & ipſam

Digitized by Google

vero ſolorum electorum conſilio & approbatione fuiſſe tunc opus ad donationis robur, jam oſten-

ad eas retinendas bona fide juvabo. Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, ſecundum poſſe meum, ero ſine fraude defenſor; & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicophano uſque Ceperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quiete dimittam cum omni juriſdictione, diſtrictu & honore ſuo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocatus acceſſero, de mandato ſummi pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ. Vobis etiam, domino meo, Gregorio papæ, & ſucceſſoribus veſtris, omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici imperatores conſueverunt ſedi apoſtolicæ exhibere. Et ſi propter negotium meum Romanam eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit in expenſis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam ſcripto firmabo, cum imperii coronam fuero adeptus. Præter reverendum autem cœtum dominorum cardinalium, videlicet, venerabiles patres, Petrum, Oſtienſem epiſcopum, Ancherum tit. S. Praxedis, Guillelmum tit. ſancti Marci Presbyteros, Ottobonum, ſancti Adriani, Jacobum, ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Gottifredum, ſancti Georgii ad velum aureum, & Matthæum, ſanctæ Mariæ in Porticu diaconos cardinales, qui vobis tunc temporis aſſiſtebant. Prælati, principes & nobiles imperii, coram quibus juravi, hi ſunt: Ademarus Lugdunenſis, Odo Mediolanenſis, Bonifacius Ravennas, Jacobus Ebredunenſis, Odo Biſuntinus, archiepiſcopi: Joannes Leodienſis, Stephanus Pariſienſis, Rudolphus Conſtantienſis, Henricus Baſilienſis, Guillelmus Lauſanenſis, Henricus Tridentinus, Amedeus Valentinenſis, Raymundus Maſſilienſis, Aymo Gebennenſis, Alanus Siſtaricenſis epiſcopi, Gerardus, electus Virdunenſis, Ludovicus, comes palatinus Rheni, dux Bavvariæ, Fridericus, dux Lotharingiæ, Conradus, dominus de Tekke, Fridericus, burggravius de Nurembergh, Albertus & Burchardus, comites de Hoheuberg, Emico & Fridericus, comites de Liningen, Eberhardus, comes de Kazenellenbogen, Sigebertus, comes de Werde, Tibaldus, comes de Phirreto, Henricus, comes de Vriburch, & Ludovicus, comes de Honberg, Hermannus, comes de Sulz, Mangoldus, comes de Nellemburch, & Eberhardus, comes de Habesburch. Ut autem hæc omnia vobis, memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Gregorio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, veſtris ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores Romanorum reges & imperatores obſerventur, firmaque ſemper & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum noſtro juſſimus ſigilli cereo communiri: promittentes nihilominus illud de verbo ad verbum, & per omnia ſimili aurea bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa munitum, infra tempus coronationis noſtræ vobis & ſedi apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere. Actum in eccleſia Lauſanenſi, anno Domini MCCLXXV, indictione III. XIII. Kalend. Novembris, regni mei anno III.

Rudolphi I. Romanorum regis, diploma, in quo omnia privilegia a Romanorum imperatoribus ſedi apoſtolicæ conceſſa, nec non provinciarum atque urbium donationes ipſi factas, confirmavit, d. d. 12. Kalend. Novembr. anno 1275.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Rudolphus, divina favente clementia Romanorum rex ſemper Auguſtus. Ab eo ſolo, per quem reges regnant, & potentes ſcribunt juſtitiam, recognoſcentes inæſtimabilem noſtræ promotionis gratiam, qui regali jam in nobis culmine conſummato, nos ad obtinendum imperialis gloriæ ſolium ſua ſola pietate diſponens, ut non ſolum cum principibus ſedeamus, ſed ut illis præſideamus, erexit; Sanctæque matris eccleſiæ, ac veſtra, pater reverendiſſime domine, Gregori, divina providentia papa X. univerſa beneficia, quibus nos in benedictione diadematis prævenistis, felicibus ejuſdem promotionis noſtræ auſpiciis multiplicibus concurrendo favoribus, & ipſam favorabilis proſecutionis auxiliis confovendo, attenta ſolicitudine recenſentes, reddimus corde ſoliciti, cogimur cogitare profundius, qua tantæ dignationis gratiam, digne ſaltem, prout humana ſufficientia ſufficit, gratitudine proſequamur. Illi ergo, a quo cuncta procedere novimus, & humiliter confitemur, quod ab eo recepimus, offerentes ejus & apoſtolicæ ſedis, & veſtris obſequiis, nos, quicquid poſſumus, quicquid ſumus, in perpetuum humili voto, & incommutabili propoſito devovemus: Vobisque, beatiſſime pater, & omnibus ſucceſſoribus veſtris Catholicis, ac eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ, omnem obedientiam atque reverentiam ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri reges & imperatores Catholici veſtris prædeceſſoribus impendiſſe noſcuntur; nihil exinde volentes minui, ſed magis augeri, ut noſtra magis devotio eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum exercuiſſe dicuntur, & dicuntur in electionibus prælatorum, concedimus & ſancimus, ut electiones prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum: dummodo nihil deſit de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis & cauſis eccleſiaſticis ad ſedem apoſtolicam libere fiant; earum proſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum aut etiam eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere, pro motu propriæ voluntatis, omnia vero ſpiritualia vobis & aliis eccleſiarum prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt cæſaris, cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem.

Poſſeſſiones etiam, quas Romana eccleſia recuperavit ab anteceſſoribus noſtris, ſed quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad obtinendas eas bona fide promittimus, adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores; & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicophano, uſque Ceperanum, marchia Aconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat Romana eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Verum tamen cum ad recipiendum coronam imperii vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam eccleſiam, de voluntate, conſcientia, conſilio & conſenſu principum imperii, liberi illi dimittimus, renunciamus, & reſtituimus: nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus & donamus, ut ſublata omnis contentionis & diſſenſionis materia, firma pax & plena concordia inter eccleſiam & imperium perſeverent. Adjutores erimus ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tam citra Pharum, quam ultra: nec non Corſicam & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius & catholicus princeps. Promittimus quoque beato Petro, cæleſtis regni clavigero, ac vobis, patri ſanctiſſimo, ipſius beati Petri ceteriſque veſtris ſucceſſoribus, & eidem eccleſiæ Romanæ, quod per nos, & per alium,

oſtendimus. Narrat quidem Bzovius, *conſenſu publico* illas Rudolphi literas exaratas, item *præſentibus*

ſeu alios non occupabimus, nec invademus in totum, vel in partem aliquas terras ipſius eccleſiæ Romanæ, aut vaſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, ſeu alterius præſtationis titulo, ſive alio quocunque modo tenent ab ipſa eccleſia: nec eas, vel earum aliquam procurabimus occupari per alium ſeu alios, vel invadi. Quin etiam, nec ipſas, nec tenentes easdem, ſe, vel terras ipſas nobis ultro volentes ſubjicere; nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque poteſtatem in terris eisdem, & ſpecialiter in civitate Romana, recipiemus ſub quocunque colore, ſine veſtra, ſeu ſucceſſorum veſtrorum licentia ſpeciali. Et ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolum denegabimus illis auxilium, conſilium & favorem publicum & occultum, verum etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumque ſucceſſorum, adjutores erimus contra illos in defendendis & conſervandis iisdem.

Nec offendemus per nos, & per alium vaſallos eccleſiæ ipſius, & ſpecialiter magnificum principem, dominum Carolum, regem Siciliæ illuſtrem, ſeu hæredes ipſius, nec volentibus ipſum offendere præſtabimus auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte. Nec regnum Siciliæ, quod idem rex Carolus ab eadem Romana [illegible] eccleſia, vel aliquam ejus partem occupabimus [illegible] invademus per nos vel per alium, aut occupari vel invadi procurabimus, nec invadere, aut occupare tentantibus præſtabimus publicum vel occultum auxilium, conſilium aut favorem. Alios etiam devotos ipſius eccleſiæ, qui eidem eccleſiæ aſtiterunt contra quondam Fridericum, olim Romanorum imperatorem, hæredes aut ſucceſſores ipſius, propterea non gravabimus, ſed nihilominus favorabiliter proſequemur. Vaſallos autem noſtros, contra prædictorum aliquod facientes, compeſcemus pro viribus bona fide. Servabimus præterea & faciemus omnia & ſingula, quæ in canonibus poſitis LXIII. diſtinctione, quorum quidem canonum alter, *ego Ludovicus*; alter ego, *tibi domine papa*; incipit, continentur. Poſtquam autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, præmiſſa omnia & ſingula innovabimus, ſeu de novo faciemus, & ſine aliqua difficultate juramenta præſtabimus, quæ imperatores Romanorum hactenus præſtiterunt.

Promittimus inſuper, quod bona fide ſine fraude ac malo ingenio procurabimus, quod omnes principes Alemanniæ laici, promittent & jurabunt, ſe bona fide curaturos & facturos, quod nos præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter obſervemus; & ſi, quod abſit, eadem non ſervaremus, ipſi principes nobis in hoc aliquatenus non aſſiſtent. Ut autem hæc omnia vobis memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Gregorio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, veſtrisque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores, Romanorum reges & imperatores obſerventur, firmaque ſemper & inconvulſa permaneant. Præſens privilegium conſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communiri. Promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia ſimile, aurea bulla typario noſtræ majeſtatis impreſſa, munitum, infra tempus coronationis noſtræ, vobis & ſedi apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere.

Teſtes hi ſunt Ademarus Lugdunenſis, Bonifacius Ravennas, Odo Biſuntinus & Jacobus Ebredunenſis archiepiſcopi, Stephanus Pariſienſis, Joannes, Leodienſis & Amedeus, Valentinenſis epiſcopi, Ludovicus, comes palatinus Rheni, dux Bawariæ, Philippus, dominus Karinthiæ, Conradus, dominus de Tekke, Henricus, marchio de Batlerch, Fridericus, burggravius de Nurenberg, Henicho & Fridericus, comites de Liningen, Albertus & Burchardus, comites de Hohenberch, Theobaldus, comes de Pherreto, Eberhardus, comes de Kazenellenbogen, Gibertus, landgravius Alſatiæ inferioris, Henricus, comes de Vriburch, Mangoldus, comes de Nellemburch, Eberhardus, comes de Habesburch, Hermannus, comes de Sulz, Ludovicus, comes de Honberch, Gottifredus, comes de Leuſtein, Conradus, nobilis de Wartemberch, Ebhardus, nobilis de Luphe, & Reinhardus, nobilis de Hanavve, comes de Buchekke. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXV. indictione IV. regnante domino Rudolpho Romanorum rege glorioſo regni ejus anno III. Signum domini Rudolphi Romanorum regis invictiſſimi. Datum Lauſannæ per manum Henrici, epiſcopi Tridentini, regalis aulæ protonotarii XII. kalend. Novembris.

Ejusdem eorum omnium, quæ Otto, præpoſitus S. Guidonis Spirenſis, ipſius nuncius in aula pontificia, Gregorio X. pontifici maximo, promiſerat, ratificatio, de anno 1275.

In nomine domini, Amen. Nos Rudolphus, Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus. Conſtituti in præſentia veſtra, beatiſſime pater, domine Gregori, divina providentia papa X. in Conſiſtorio veſtro apud Lauſannam, aſſiſtentibus vobis reverendo cœtu dominorum cardinalium, videlicet venerabilibus patribus, dominis Petro, Oſtinenſi epiſcopo, Anchero, tituli ſanctæ Praxedis Guillelmo, tituli ſancti Marci Presbyteris, Ottobono, ſancti Adriani, Jacobo, ſanctæ Mariæ in Cosmidin, Gottfrido ſancti Georgii ad Velum aureum, Uberto ſancti Euſtachii, & Matthæo, ſanctæ Mariæ in porticu diaconis cardinalibus, recognoſcimus & fatemur quondam Ottonem, præpoſitum ſancti Guidonis Spirenſis, regiæ aulæ cancellarium, habuiſſe a nobis mandatum, ſigilli noſtri muninime communitum, infra ſcripti tenoris, cujus auctoritate noſtro nomine proceſſit ad omnia infra ſcripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem cancellarii ſigillo ſignatis, quorum tenor de verbo ad verbum infra ſubjicitur, ſerioſius continentur, quæ quidem omnia & ſingula dicta, ſive promiſſa, acta ſeu geſta per eundem cancellarium, prout in eis literis & tenore plenius exprimitur, recognoſcimus, & fatemur nomine noſtro & de voluntate noſtra, dicta promiſſa, acta & geſta, eaque nihilominus acceptamus, ratificamus, rata & firma volumus, & decernimus perpetuo permanere, ac inſuper, prout idem cancellarius promiſit, ea omnia & ſingula, confirmamus, innovamus & de novo concedimus. Et vobis, ſanctiſſime pater, ſumme pontifex, pro Romana eccleſia vobis veſtrisque ſucceſſoribus recipientibus ea omnia & ſingula promittimus ſtipulatione ſolemni bona fide nos in perpetuum & inviolabiliter ſervaturos & contra ea, vel eorum aliquod per nos, vel per alium nullo unquam tempore & modo venturos, ipſa nihilominus proprio præſtito juramento firmantes. Statuimus præterea regali auctoritate atque decernimus, ut idem tenor inſertus præſentibus easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent & obtinent ipſæ literæ principales: ita, quod ſi forſan ipſas principales literas contingeret pro modolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, & in omnibus & per omnia fidem faciat, ſic, ut ipſæ principales literæ facerent in ſua prima figura, & integritate manentes lege ſeu conſtitutione aliqua non obſtante; tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis eſt: in nomine Domini, Amen. Ego Otto, ſancti Guidonis Spirenſis &c. inſeritur totum inſtrumentum ut ſupra pag. 719.

Ut autem hæc omnia vobis, memorato ſanctiſſimo patri noſtro Dn. Gregorio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, veſtrisque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores Romanos reges & imperatores obſerventur, firmaque ſemper & inconvulſa permaneant, præſens ſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communi cereo communiri, promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum & per omnia ſimile aurea bulla, typario noſtræ majeſtatis impreſſa munitum infra tempus coronationis noſtræ, vobis & ſedi apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere. Teſtes hi ſunt Ademarus Lugdunenſis, Bonifacius Ravennas, Odo Biſuntinus & Jacobus Ebredunenſis, Bonifacius archiepiſcopi, Stephanus Pariſienſis, Henricus Baſilienſis, Joannes Leodienſis, Amedeus Valentinenſis epiſcopi, Ludovicus, comes palatinus Rheni, dux Bawariæ, Philippus, dominus Karinthiæ, Conradus, dominus de Tekke, Henricus, marchio de Bitslerch, Fridericus, burggravius de Nüremberch, Hennio & Fridericus, comites de Liningen, Albertus & Burchardus, comites de Hohenberch, Theobaldus, comes de Pherreto, Ebhardus,

tibus conſentientibus & diplomati ſubſcribentibus Friderico archiepiſcopo &c. At vero ipſa illa paucarum manuum

comes de Kazenellenbogen, Gibertus, landgravius Alſatiæ inferioris, Henricus, comes de Vriburch, Mangoldus, comes de Nellemburch, Eberhardus, comes de Habesburch, Hermannus, comes de Sulz, Ludovicus, comes de Honberch, Gottifredus, comes de Leuſtein, Conradus, nobilis de Warcemberch, Eberhardus, nobilis de Ruphe, Renhardus, nobilis de Annawe, comes de Rukekelle. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXV. Indictione III. regni noſtri anno III.

Sequuntur alia diplomata de anno 1278. ad hoc negotium pertinentia.

Rudolphi I. Romanorum regis, iterata omnium privilegiorum a Romanorum imperatoribus ſedi apoſtolicæ conceſſorum; nec non donationum ipſi de quibusdam provinciis & urbibus factarum confirmatio, d. d. 14. Kal. Febr. anno 1278.

Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, univerſis præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Notum eſſe volumus per præſentes literas univerſis, quod nos devotus eccleſiæ Romanæ filius, recognoſcentes beneficia, quæ nobis ſunt ab ipſo Deo, & ejus vicario papa Romana conceſſa, ratificamus, approbamus, innovamus, concedimus, & nihilominus de novo donamus ſanctiſſimo patri noſtro domino Nicolao papæ III. & ipſi Romanæ eccleſiæ matri noſtræ diſtincte, libere, plenarie, & expreſſe confirmationes, conceſſiones, privilegia, & cetera omnia; quæ Nos hactenus fecimus, & noſtri prædeceſſores reges Romani, ſeu imperatores confirmaſſe, conceſſiſſe, & feciſſe noſcuntur, ſeu inveniuntur. Et ad majorem prædictorum omnium firmitatem conſtituimus religioſum virum fratrem Conradum, miniſtrum fratrum minorum ſuperioris Alemanniæ, noſtrum nuntium, & ſpecialem procuratorem; dantes ei expreſſum & ſpeciale mandatum pro nobis & noſtro nomine recognoſcendi, ratificandi, approbandi, innovandi, concedendi, & nihilominus de novo donandi omnia & ſingula diſtincte, libere & expreſſe, quæ facta, acta, promiſſa, dicta, confirmata, donata, ſive conceſſa, recognita, ſeu etiam jurata fuerunt hactenus per bonæ memoriæ Ottonem præpoſitum ſancti Guidonis Spirenſis, regalis aulæ noſtræ cancellarium, ſeu per quoscunque alios & per Nos ipſos poſtmodum, felicis recordationis domino Gregorio papæ X. ſive ipſi domino papæ, ſive alii, ſive aliis, ejus nomine, & Romanæ eccleſiæ recipienti, vel recipientibus; & nos ipſi nihilominus ea omnia & ſingula recognoſcimus, ratificamus, approbamus, confirmamus, innovamus, concedimus, & de novo donamus. Et etiam ad noſtram conſcientiam ſerenandam revocamus, caſſamus, annullamus, irritamus & omnibus viribus vacuamus, quicquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per Nos, ſeu per alios noſtros nuncios, vel officiales mandato noſtro, vel nomine, ſeu quemcunque alium, vel alios quocunque modo, quacunque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; volentes & conſentientes expreſſe, quod per hoc nullum jus Nobis accreſcat, vel in aliquo eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem.

Concedimus inſuper, & conſentimus, quod eccleſia Romana per ſe, & per alios accipiat, nanciſcatur, intret, & apprehendat, abſque ulla noſtra, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi, omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, & juramentis & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta: & promittimus, quod nos per nos, vel per alium, ſeu alios non impediemus ipſam eccleſiam, vel nuncios, cujus in prædictis, & quolibet prædictorum; ſed eam in omnibus præfatis, tam adipiſcendis quam tenendis & habendis noſtro poſſe perpetuo juvabimus. Damus etiam ipſi procuratori noſtro ſpecialem, generalem & liberam poteſtatem plenarie ſtabiliendi, ſolidandi, firmandi, complendi, & perficiendi, ac jurandi omnia & ſingula prædicta in animam noſtram; ita quod plenam omnimodæ perfectionis, & ſolidationis habeant firmitatem; & promittendi, quod nos per nos ipſos eadem faciemus, promittemus, ſtabiliemus, plene ſolidabimus, firmabimus, perficiemus atq; jurabimus, quandocunque per ipſam eccleſiam literis, vel nunciis fuerimus requiſiti; & faciendi omnia, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa fuerint, ipſi eccleſiæ Romanæ utilia, neceſſaria vel etiam opportuna, etiamſi mandatum exigant, vel exigerent ſpeciale; promittentes nos ratum habituros, & firmum, quicquid per ipſum procuratorem in omnibus & ſingulis ſupradictis fuerit recognitum, ratificatum, approbatum, innovatum, conceſſum, donatum, firmatum, ſtabilitum, ſolidatum, completum, perfectum, atque juratum, actum ſive factum. In cujus rei teſtimonium, & prædictorum omnium firmitatem præſentes literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli munimine roborari. Datum Viennæ anno Domini MCCLXXVIII. XIV. Kal. Februarii regni noſtri anno V.

Ejusdem inſtrumentum de recognitione ſuper omnibus, quæ tam ipſe rex Romanorum Rudolphus, quam cancellarius ipſius Otto, S. Guidonis Spirenſis præpoſitus, in præſentia Gregorii X. pontificis maximi, apud Lauſannam recognoverat, per fratrem Conradum, nuncium & procuratorem laudati regis facta, conſcriptum, d. d. 4. Maji anno 1278.

In nomine Domini, Amen. Ego frater Conradus miniſter fratrum minorum ſuperioris Alemanniæ, glorioſiſſimi & illuſtriſſimi principis, domini mei Rudolphi, Dei gratia regis Romanorum ſemper Auguſti, procurator & nuncius, habens ab ipſo poteſtatem & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, beatiſſime pater, domine Nicolae, divina providentia papa III. in conſiſtorio veſtro, in papali palatio apud S. Petrum in urbe Romana, aſſiſtentibus vobis reverendo cœtu dominorum cardinalium, videlicet, venerabilibus patribus, domino Ordono Tuſculanenſi, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi epiſcopis; Anchero tituli S. Praxedis, Guillelmo tituli ſancti Marci, & Gerardo, tituli Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Coſmodin, Gottifredo ſancti Georgii ad velum aureum, Matthæo S. Mariæ in porticu, Jordano ſancti Euſtachii, & Jacobo S. Mariæ in via lata diaconis, cardinalibus. Recognoſco & confiteor, quondam Ottonem præpoſitum eccleſiæ ſancti Guidonis Spirenſis, regiæ aulæ cancellarium, habuiſſe a prædicto ſereniſſimo principe domino Rudolpho, Dei gratia rege Romanorum ſemper Auguſto, mandatum, ſigilli ſui munimine communitum, infra ſcripti tenoris, cujus auctoritate, nomine ejusdem domini regis coram piæ memoriæ domino Gregorio papa X. aſtantibus ſibi felicis recordationis domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi, & Velletrenſi epiſcopo, Adriano V. tunc Ottobono ſancti Adriani diacono cardinali, & domino Johanne XXI. tunc Petro epiſcopo Tuſculano, Romanis pontificibus, & bonæ memoriæ Joanne Portuenſi, vice-domino Præneſtino, & fratre Bonaventura Albanenſi epiſcopis, Simone tituli ſancti Martini Presbytero, & Vberto ſancti Euſtachii diacono, cardinalibus, ac reverendis patribus prædictis Dominis Anchero tituli ſanctæ Praxedis, Guillelmo tituli ſancti Marci, Simone tituli S. Siciliæ presbyteris, Jacobo ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Gottifredo ſancti Georgii ad velum aureum, & Matthæo ſanctæ Mariæ in porticu diaconis, cardinalibus, & præſentibus inibi venerabilibus patribus, Henrico Treverenſi, Guarnerio Moguntino, Eugueberto Colonienſi, Conrado Magdeburgenſi, & Giſelberto Bremenſi archiepiſcopis, Conrado Argentinenſi, Leone Ratisbonenſi, Brunone Brixienſi, Ottone Mindenſi, Frederico Merſeburgenſi, Widegone Miſnenſi, Joanne Kimenſi, Ildebrando Eiſtetenſi, epiſcopis & nobilibus viris, Frederico Burclavio de Nurenberch, & Gottifrido comite Seunenſi, proceſſit ad omnia infra ſcripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem cancellarii ſigillo ſignatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra ſubjicitur, ſerioſius continentur.

Quæ quidem omnia & ſingula dicta, promiſſa, recognita, innovata, conceſſa, acta, ſeu geſta, ratificata, confirmata, ſive jurata per eundem cancellarium, prout ineisdem, & tenore plenius exprimitur, ejusdem domini regis nomine, & pro ipſo diſtincte, libere, & expreſſe recognoſco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominus ea omnia & ſingula

manuum ſubſcriptio ſignificat, vel non veniſſe negotium ad omnium notitiam, vel non omnes con-

gula de novo dono atque concedo beato Petro cœleſtis regni clavigero, ac vobis, pater ſanctiſſime, ejus ſucceſſori, cæterisque veſtris ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ: & ad domini mei regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenarie ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur & perficiantur, revoco, caſſo, annullo, irrito & omnibus viribus vacuo, quicquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per ipſum dominum regem, ſeu per alios ejus nuncios vel officiales, ſuo mandato, vel nomine, ſeu quemcunque alium, vel alios, quocunque modo; quacunque via factum eſſet vel promiſſum, ſive juratum; ac volo & expreſſe conſentio, quod per hoc nullum jus ipſi domino meo regi accreſcat, vel in aliquo eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem. Conſentio inſuper & concedo, quod vos, ſanctiſſime pater, & eadem Romana eccleſia per vos, & per alios, nunc, & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis absque ulla ipſius domini regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi omnium contentorum in prædictis privilegiis, conſummationibus, conceſſionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta. Et promitto, quod ipſi dominus rex per ſe, vel per alium, ſeu alios, non impediet vos, vel nuncios veſtros in prædictis, & quolibet prædictorum; ſed potius in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quam tenendis, & habendis, ſuo poſſe perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & ſolidationis habeant firmitatem, tactis ſacroſanctis evangeliis, juro in animam prædicti domini mei regis, habens ab eo ſuper hoc ſpeciale mandatum, eundem dominum regem prædicta omnia, & ſingula perpetuo inviolabiliter ſervaturum: & promitto, quod idem dominus rex per ſe ipſum ea omnia & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plene ſolidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit, quandocunque per vos, & prædictam eccleſiam literis, vel nunciis extiterit requiſitus. Prædictarum autem literarum ejusdem cancellarii & mei procuratorii ſuper his habiti tenores de verbo ad verbum per omnia tales ſunt:

In nomine Domini, Amen. Ego Otto &c. inſeratur inſtrumentum editum pag. 706.

Inſtrumentum, in quo frater Conradus, Rudolphi I. Romanorum regis, procurator atque nuncius, ea omnia, quæ Otto, S. Guidonis Spirenſis præpoſitus, ac laudati regis procurator & nuncius, nec non ipſemet rex Rudolphus I. Nicolao III. pontifici maximo Lauſannæ confirmaverant, denuo corroboravit, d. d. 4. Maji 1278.

In nomine Domini, Amen. Ego frater Conradus, miniſter fratrum minorum ſuperioris Alemanniæ, glorioſiſſimi & illuſtriſſimi principis domini mei Rudolphi, Dei gratia regis Romanorum ſemper Auguſti, procurator & nuncius, habens ab ipſo poteſtatem & mandatum in forma ſubſcripta, conſtitutus in præſentia veſtra, beatiſſime pater, domine Nicolae, divina providentia papa III. in conſiſtorio veſtro in papali palatio apud S. Petrum in urbe Romana, aſſiſtentibus vobis reverendo cœtu dominorum cardinalium, videlicet, venerabilibus patribus, dominis Ordono Tuſculanenſi, Bentevenga Albanenſi, & Latino Oſtienſi, & Velletrenſi epiſcopis; Alchero tituli S. Praxedis, Guillelmo tituli S. Marci, & Gerardo tituli Baſilicæ duodecim apoſtolorum, Presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Cosmidin, Gottefrido ſancti Georgii ad velum aureum, Matthæo ſanctæ Mariæ in porticu, Jordano S. Euſtachii, & Jacobo ſanctæ Mariæ in via lata diaconis cardinalibus, recognoſco, & fateor, quod idem dominus meus rex conſtitutus in præſentia piæ memoriæ domini Gregorii papæ X. in conſiſtorio ſuo apud Lauſannam, aſſiſtentibus ſibi reverendo cœtu dominorum cardinalium, videlicet, piæ memoriæ domino Innocentio V. tunc Petro Oſtienſi epiſcopo, & domino Adriano, tunc Ottobono, S. Adriani diacono cardinali, & reverendis patribus dominis Anchero tituli S. Praxedis, Guillelmo tituli S. Marci presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Coſmidin, Gottifrido ſancti Georgii ad velum aureum, & Matthæo ſanctæ Mariæ in porticu, diaconis cardinalibus, Recognovit, & confeſſus eſt, quondam Ottonem præpoſitum ſancti Guidonis Spirenſis regiæ aulæ cancellarium, habuiſſe ab ipſo rege mandatum, ſigilli ſui munimine communitum, infra ſcripti tenoris; cujus auctoritate idem cancellarius, nomine ipſius regis proceſſit ad omnia infra ſcripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem cancellarii ſigillo ſignatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra in tenore literarum ipſius domini regis ſubjicitur, ſerioſius continentur. Quæ quidem omnia & ſingula dicta, ſive promiſſa, acta, ſeu geſta per eundem cancellarium, prout in ejusdem literis & tenore plenus exprimitur, idem rex recognovit, & confeſſus eſt nomine ſuo, & de voluntate ſua, dicta, promiſſa, acta & geſta, eaque nihilominus acceptavit, ratificavit, & firme voluit, & decrevit perpetuo permanere; ac inſuper, prout idem cancellarius promiſit, ea omnia & ſingula confirmavit, innovavit, & de novo conceſſit; & ipſi domino Gregorio pro Romana eccleſia, ſibi, ſuisque ſucceſſoribus recipienti, ea omnia, & ſingula promiſit ſtipulatione ſolemni; bona fide ſe in perpetuum, & inviolabiliter ſervaturum, & contra ea, vel eorum aliquod, per ſe, vel per alium nullo unquam tempore, vel modo venturum, & ipſa nihilominus, proprio præſtito corporaliter juramento firmavit. Statuit præterea regali auctoritate, atque decrevit, ut tenor literarum ejusdem cancellarii, literis ipſius regis inſertus, eaſdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent & obtinent ipſæ literæ principales; ita, quod ſi forſan ipſas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, ſicut ipſæ principales literæ facerent, in ſua prima figura & integritate manentes, lege, ſeu conſtitutione aliqua non obſtante; & ad certitudinem eorum, quæ tunc agebantur, & memoriam futurorum, de ipſis omnibus ſuas literas fieri fecit, & proprii ſigilli munimine roborari; & ut ea omnia ipſi domino Gregorio, ſuisque ſucceſſoribus per ipſum regem & ſuos ſucceſſores Romanorum reges, & imperatores obſervarentur, firmaque ſemper, & inconvulſa permanerent, ſcriptum inde confectum juſſit idem rex ſuo ſigillo cereo communiri. Promittens nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia ſimile, aurea bulla, typario ſuæ majeſtatis impreſſa, munitum, infra tempus ſuæ coronationis ipſi domino Gregorio, & ſedi apoſtolicæ ſine difficultate qualibet exhibere, prout hæc omnia in literis ipſius domini regis ſuo ſigillo cereo communitis, quarum tenor de verbo ad verbum infra ſubjicitur, ſerioſius continentur.

Quæ quidem omnia & ſingula dicta, promiſſa, recognita, innovata, conceſſa, acta, ſeu geſta, ratificata, confirmata, ſeu jurata per eundem dominum meum regem, prout in eisdem literis, & tenore plenius exprimitur, ejusdem domini regis nomine & pro ipſo diſtincte, libere, & expreſſe, recognoſco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominus ea omnia & ſingula de novo dono atque concedo beato Petro, cæleſtis regni clavigero, ac vobis, pater ſanctiſſime, ejus ſucceſſori, cæterisque veſtris ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ: & ad domini mei regis conſcientiam ſerenandam, & ut prædicta omnia plenarie ſolidentur, ſtabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, caſſo, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo, quicquid contra prædicta, vel aliquod prædictorum, per ipſum dominum regem, ſeu per alios ejus nuncios, vel officiales, ſeu mandato, vel nomine, ſeu quemcunque alium, vel alios, quocunque modo, quacumque via factum eſſet, vel promiſſum, ſive juratum; ac volo & expreſſe conſentio, quod per hoc nullum jus ipſi domino meo accreſcat, vel in aliquo eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem.

Conſentio inſuper & concedo, quod vos, ſanctiſſime pater & eadem eccleſia per vos, & per alios, nunc & ſemper accipiatis, nanciſcamini, intretis, & apprehendatis, absque ulla ipſius domini regis, vel alterius requiſitione, auctoritate, vel mandato obtentis, ſive petitis, poſſeſſionem, & quaſi omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, conceſſionibus,

conſenſiſſe. Deſideratur enim utique plerorumque & maximorum principum manus. Nec in ipſis

innovationibus, recognitionibus, donationibus, ſeu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta. Et promitto, quod ipſe dominus rex per ſe, vel per alium, ſeu alios, non impediet vos, vel nuncios veſtros in prædictis & quolibet prædictorum; ſed potius in omnibus præfatis, tam adipiſcendis, quam tenendis & habendis, ſuo poſſe perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & ſolidationis habeant firmitatem, tactis ſacroſanctis evangeliis, juro in animam prædicti domini mei regis, habens ab eo ſuper hoc ſpeciale mandatum, eundem dominum regem prædicta omnia & ſingula perpetuo inviolabiliter obſervaturum: & promitto, quod idem dominus rex per ſe ipſum ea omnia & ſingula faciet, promittet, ſtabiliet, plene ſolidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit, quandocunque per vos, & prædictam eccleſiam literis, vel nunciis, extiterit requiſitus. Prædicti autem literarum ejusdem domini regis, & mei procuratorii ſuper his habiti, tenores de verbo ad verbum per omnia tales ſunt:

In nomine Domini, Amen. Nos Rudolphi Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus &c. Conſtitui &c. ut ſupra.

Rudolphus Dei gratia &c. Notum eſſe volumus &c. ut ſupra.

Gottifridi, præpoſiti Solienſis, Rudolphi I. Romanorum regis, nuncii ac procuratoris inſtrumentum, in quo juramenta fidelitatis, quæ exarchatus & pentapoleos urbes eidem Rudolpho I. regi præſtiterant, nullius eſſe valoris declaravit d. 11. kal. Jul. 1278.

In nomine Domini, Amen. Nos Gottifridus, præpoſitus eccleſiæ Solienſis, Salzeburgenſis diœceſeos, magnifici principis, domini Rudolphi, regis Romanorum illuſtris, familiaris clericus & protonotarius, ad futuram rei memoriam notum eſſe volumus univerſis, quod excellentiſſimus princeps, dominus Rudolphus, rex Romanorum illuſtris, ſacroſanctam Romanam eccleſiam, matrem & dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non præripere, ſed ea potius illæſa ſervare, nos ad ſanctiſſimum patrem & univerſalem dominum, dominum Nicolaum, divina providentia ſummum pontificem, cum ſpecialibus literis deſtinavit, quarum tenor talis eſt:

Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino, domino Nicolao, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, Rudolphus, Dei gratia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, cum filialis obeditionis reverentia devotiſſima pedum oſcula beatorum ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ imperatores Romani, & prædeceſſores noſtri, reges Romanorum, de Romanæ matris eccleſiæ uberibus ſuſceperunt ipſi velut devoti filii faciem gratitudinis convertentes, nec minus attendentes, quod eadem eccleſia ipſos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis imperium ad Germanos, eisdem dederat id, quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabilis recognitionis effectu, interea, quæ ipſi eccleſiæ confirmarunt, dimiſerunt, ſeu etiam conceſſerunt totam terram, quæ eſt a Radicophano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitiſſæ Mathildis, comitatum Brittenorii, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Maſſam Trabariam cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras & poſſeſſiones, & jura ad dictam eccleſiam pertinentia, in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici, expreſſa ſive contenta, ipſi beato Petro, cæleſtis regni clavigero, ejusque ſucceſſoribus, & eidem eccleſiæ dimiſerunt, renunciarunt, reſtituerunt & confirmarunt, & ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valeret, & efficacius poſſit intelligi, contulerunt, conceſſerunt, & etiam donaverunt, ſicut in eorum privilegiis ſeu literis continetur, nosque poſtmodum, prout domino placuit, ad regalis excellentiæ culmen aſſumti, prædicta omnia in præſentia recolendæ memoriæ domini Gregorii, papæ X. recognovimus, ac ea omnia & ſingula ipſi pro prædicta eccleſia, ſe, ſuisque ſucceſſoribus recipienti confirmavimus, innovavimus, & de novo conceſſimus, atque donavimus, ipſa nihilominus præſtito corporaliter juramento firmantes.

Verum quia poſtmodum absque noſtro conſenſu, conſcientia & mandato Rudolphus, cancellarius noſter, a civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravenatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliorum civitatum atque locorum illarum partium, juramentum fidelitatis noſtro nomine dicitur recepiſſe, nos dilectum familiarem clericum noſtrum, magiſtrum Gottifridum, præpoſitum Solienſem, regalis aulæ protonotarium, transmittimus ad veſtræ præſentiam ſanctitatis, cui damus præſentibus noſtris patentibus literis in mandatis, ut quicquid per eundem cancellarium, ſeu quemcunque in prædictis civitatibus, locis & terris, ſeu per homines ipſarum civitatum, terrarum atque locorum actum, geſtum, recognitum extitit, & prædicta juramenta ſpecialiter revocet, caſſet, annulet, irritet, caſſa, nulla & irrita nunciet, ac omnibus viribus vacuet, volentes & conſentientes expreſſe, quod per hoc nullum jus nobis accreſcat, vel eccleſiæ Romanæ depereat, tam circa poſſeſſionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris & locis præfatis, ac hominibus, juribus & jurisdictionibus eorundem, & univerſis & ſingulis civitatibus, communitatibus, locis & hominibus ſupradictis ex parte noſtra omnia & ſingula prædicta denunciet, denunciando ſollicitet, & inducat eosdem, quod veſtrum & eccleſiæ prædictæ dominium recognoſcentes, vobis & eccleſiæ memoratæ, tanquam eorum vero domino, in omnibus & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant, promittentes nos ratum habituros & firmum, quicquid idem magiſter Gottifridus ordinandum ſeu faciendum duxerit in præmiſſis. Datum Viennæ, IV. kalend. Junii, indictione VI. anno domini MCCLXXIIX. regni vero noſtri anno V.

Nos itaque traditi nobis ab eodem domino rege auctoritate mandati juramenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Rudolphus, cancellarius ejusdem domini regis, a civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropopulienſibus, Cæſenatibus, Ravenatibus, Ariminenſibus, Urbinatibus, Cervienſibus, & Forlivienſibus ac hominibus caſtrorum Montisfeltri, & Brittinorii, ac aliis communitatibus, univerſitatibus, & incolis civitatum, & locorum partium earumdem, ſeu eorum aliquibus, pro ipſo domino rege dicitur recepiſſe; ac quicquid per eundem cancellarium, ſeu quemcunque alium, in eisdem civitatibus, terris & locis, ſive per cives, aut alios ſupra dictos actum, geſtum & recognitum extitit, remittentes, revocantes, caſſantes, annullantes, irritantes, caſſa, nulla, & irrita nuntiantes ac omnibus viribus vacuantes, eisdem civibus, incolis, & aliis, univerſis & ſingulis ex parte ipſius domini regis omnia & ſingula prædicta, in eisdem contenta literis, denunciamus & denunciando eosdem cives, homines, communitates, univerſitates & incolas ſollicitamus & inducimus, quod eorundem domini papæ & eccleſiæ recognoſcentes dominium, dictis domino papæ & eccleſiæ, tanquam vero domino in omnibus & per omnia, ſicut debent, obediant, pareant, & intendant.

Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi per magiſtrum Paulum de Reate, apoſtolica auctoritate tabellionem ſubſcriptum, fecimus, atque rogavimus, & proprio ſigillo munivimus. Volumus tamen, & conſentimus, quod ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet. Actum Viterbii in epiſcopali palatio, in magno conſiſtorio in præſentia ſanctiſſimi patris ſummi pontificis prædicti domini Nicolai papæ III. & venerabilium patrum ſacri cœtus dominorum cardinalium coram his teſtibus, ſcilicet domino B. archiepiſcopo Ravennate, domino G. archiepiſcopo Corinthienſi, domino H. epiſcopo Lunenſi, domino P. epiſcopo Firmano, domino --- epiſcopo Viterbienſi, domino R. epiſcopo Maſſilienſi, domino --- epiſcopo Burgenſi,

ipſis tabulis fit mentio impetrati principum conſenſus, cum tamen in Friderici II. tabulis apud Bzovium

genſi, domino --- epiſcopo Gallicenſi, domino --- epiſcopo Balneoregenſi, domino --- epiſcopo Eugubino, domino V. epiſcopo Egitanienſi, domino --- epiſcopo Taurinenſi, domino --- epiſcopo Auraſicenſi, ac multis aliis clericis, & laicis in multitudine numeroſa, anno domini MCCLXXVIII. II. kalend. Julii, indictione VI. pontificatus domini Nicolai papæ III. anno I.

Ego Paulus de Reate, apoſtolica auctoritate, & nunc cameræ domini papæ notarius, prædictis interfui, & ut ſupra legitur, rogatus, ſcripſi, publicavi, & ſignum feci.

Epiſtola ab eodem Gottifrido, de fidelitatis jurejurando, eccleſiæ Romanæ praſtando, ad exarchatus & pentapoleos urbes conſcripta.

Providis viris, poteſtatibus, capitaneis, conciliis & communibus Bononienſi, Imolenſi, Faventino, Foropopulienſi, Cæſenati, Ravennati, Ariminenſi, Urbinati, Cervienſi, & Forlivienſi, Montisfeltri & Brittenorii, ac aliis communitatibus, univerſitatibus & incolis aliarum civitatum, caſtrorum, terrarum & locorum, partium earumdem. Gottifridus, præpoſitus eccleſiæ Solienſis, Salzeburgenſis diœceſeos, magnifici principis domini Rudolphi, regis Romanorum illuſtris, familiaris clericus & protonotarius, ſalutem in domino.

Excellentiſſimus princeps, dominus Rudolphus, rex Romanorum illuſtris ſacroſanctam Romanam eccleſiam matrem & dominam recognoſcens, ac intendens ejus jura non proripere, ſed ea potius illæſa ſervare, nos ad ſanctiſſimum patrem & univerſalem dominum, dominum Nicolaum, divina providentia ſummum pontificem cum ſpecialibus literis deſtinavit, quorum tenor talis eſt:

Vide mandatum plenum, quod in inſtrumento antea inſerto continetur a verbis:

Sanctiſſimo in Chriſto patri &c. usque ad finem: Regni vero noſtri anno quinto.

Nos itaque traditi nobis ab eodem domino rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis ſeu alia, quæ Rudolphus, cancellarius ejusdem domini regis, a vobis, ſeu aliquibus veſtrum, pro ipſo domino rege dicitur recepiſſe, ac quicquid per eundem cancellarium ſeu quemcunque alium in veſtris civitatibus, terris & locis, ſeu per vos aut alios homines ipſorum.

Civitatum, terrarum & locorum actum, geſtum & recognitum extitit, remittentes, revocantes, caſſantes, annullantes, irritantes, caſſa, nulla & irrita nunciantes, ac omnibus viribus vobis univerſis & ſingulis ex parte ipſius domini regis omnia & ſingula prædicta in eisdem contenta literis denunciamus & denunciando vos ſollicitamus, & inducimus, quod eorundem domini papæ & eccleſiæ recognoſcentes dominum, dictis domino papæ & eccleſiæ, tanquam vero domino in omnibus & per omnia, ſicut debetis, obediatis, pareatis, & etiam intendatis porro ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum hæc omnia conſcribi, & in publicum inſtrumentum redigi, per magiſtrum Jacobum Sorbolenſem de Parma, ejusdem domini papæ cameræ clericum, imperiali auctoritate notarium publicum infra ſcriptum fecimus atque rogavimus, & proprio ſigillo munivimus. Volumus tamen & conſentimus, quod ſi dictum ſigillum quovis modo, vel caſu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus inſtrumentum ipſum in ſuo vigore permaneat, ac ſi de ipſo ſigillo facta mentio non fuiſſet. Actum Viterbii, in epiſcopali palatio in magno conſiſtorio in præſentia ſanctiſſimi patris ſummi pontificis prædicti domini Nicolai papæ III. & venerabilium patrum ſacri cœtus dominorum cardinalium coram his teſtibus, ſcilicet domino B. epiſcopo Ravennate, domino G. archiepiſcopo Corinthienſi, domino H. epiſcopo Lunenſi, domino P. epiſcopo Firmano, domino epiſcopo Viterbienſi, domino epiſcopo Gallicenſi, domino Aprutino, domino epiſcopo Balneoregenſi, domino B. epiſcopo Lugubino, domino V. epiſcopo Egitanienſi, domino episcopo Taurinenſi, domino P. epiſcopo Famaguſtano &c. domino epiſcopo Auraſicenſi, ac multis aliis clericis & laicis in multitudine numeroſa. Anno domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo II. kalend. Julii, indictione VI. pontificatus prædicti domini Nicolai, papæ III. anno primo.

Ego Jacobus Surbulenſis de Parma ſanctiſſimi patris domini papæ prædicti cameræ clericus, imperiali auctoritate notarius prædictis interfui, prout ſuperius legitur, rogatus ſcripſi & in publicam formam redegi.

Jam in una ſerie, quæ diplomatibus illis obſtant, monebimus. Vbi præmittendum eſt, in conventibus illis Romæ inter marchionem de Prie & comitem Carvellum, cæſareos miniſtros, & cardinales Gozzadini, Conradini & abbatem Rivera, papæ mandatarios anno 1710. ſuper cauſa Comaclenſi inſtitutis, nulla fere producta eſſe originalia, & quæ oſtentata, viſibilibus laboraſſe vitiis. Primæ, quæ ſe offerunt tabulæ Ottonis Spirenſis præpoſiti, factum comprehendunt. Hic ab imperatore 1274. juſſus dicitur, fidem juramento dare, illamque promiſſionem in concilio Lugdunenſi repetere, quod Rudolphus ab anteceſſoribus ſuis, inprimis Ludovico pio, Henrico II. Ottone IV. Friderico II. data rata habere vellet: Sed ut taceam, Ludovici pii diploma ſuppoſititium eſſe; nec deeſſe, quæ circa aliorum imperatorum donationum tabulas a viris harum rerum peritis monentur. Omnia illa diplomata nihil de conceſſo dominio directo & ſuprema poteſtate involvunt, imo plerumque in illis reperiuntur clauſulæ, quibus ſummum illud cæſari & imperio reſervatur. Nec prætermitti debet, quod Otto IV. in juramento ſibi facultatem, procurationem ex terris pontifici conceſſis, exigendi reſervaverit. Porro promittit, quod arbitrio & conſilio pontificis circa bonas conſuetudines ſervandas & exhibendas populo Romano, uti velit. Quodſi vero omni jure in illas terras ſe abdicaſſet, cui bono hæc pollicitus eſſet? Huic accedit, quod idem Otto papæ Innocentii III. amicitia exciderit, quia diſperſa imperii jura revocare conſtituerit. MATH. PARIS. p. 229. Vid. *act. convent. I. p. 20. II. p. 40.* Sic & Fridericus II. probe diſtinguere ſcivit, quæ ſunt cæſaris, & quæ ſunt papæ, ſibique in terris pontifici permiſſis, ut dominii ſignum, reſervavit fodrum. GOLD. *tom. 3. p. 375. tom. I. p. 290.* Quinimo & ipſius Spirenſis præpoſiti mandato clauſula inſerta omnia ſine imperii demembratione fieri debere. *Les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 254.* Deinde præpoſitus haud dubie mandati fines exceſſit: nam non legitur, quod ei injunctum ſit, veritatem eorum, quæ ipſi in concilio Lugdunenſi exhibita ſunt, inquirere. Sic nullatenus conſtat, principes & præſules, qui recognitioni interfuiſſe dicuntur, ad hoc ab imperatore fuiſſe electos. Prout neque conſtat, quam facultatem habuerint præſules illi, qui die 6. Junii 1274. recognoviſſe principum confirmationem diplomatis Friderici II. feruntur. Conf. *act. conventus I. d. 4. Auguſti 1710. p. 2. 14. Convent. II. d. 18. Sept. p. 51.* Quod autem ad conventum Lauſannenſem attinet, eum inter Rudolphum & papam Gregorium X. celebratum eſſe, ANNALISTA COLMARIENSIS tradit; verum eorum, quæ pontificiæ ſedis aſſeclæ ibi facta eſſe contendunt, mentionem non injicit. Etſi forte ex vero aliquid haberent: nullibi tamen legitur, quod Rudolphus ſupremo imperii in pontificis terras dominio renunciaverit. Imo, quod Lauſannæ a nullo plane jure, quod ad imperium ſpectabat, deceſſum ſit, ex eo quoque liquet, quod poſt conventum illum Rudolphus, hujus cæſaris cancellarius, a multis exarchatus & Romandiolæ civitatibus juramentum fidelitatis acceptaverit. Videtur Rudolphus, quod hoc ſe ſciente factum ſit, diſſimulare voluiſſe, ne papæ animam magis adhuc in ſe exacerbaret, quem irritaverat, quoniam, ut promiſerat, non in Italiam veniſſet, & inde, ſumto diademate, iter in terram ſanctam ſuſcepiſſet. Tradit VILLANI, rerum Florentinarum ſcriptor, *libr. 7. c. 44.* ex RICORD. MALESPINI, cui pleraque ſua debet, *cap. 98. 99.* ut Rudolphum, ab anathemate, ſub quo iter illud promiſerat, liberaretur, Romandiolæ comitatu decedere conſtituiſſe. Papalis cauſæ patroni hoc in dubium vocant, quod veterum nulli hanc Rudolphi memorent excommunicationem: verum MVRATORIVS in laudatiſſimo libro, quem *de jure imperii in terras pontificis*, conſcripſit, ad NAVCLERVM & RICORDANVM MALESPINI, qui Rudolphi I. tempore vixit, provocat, traditque & Maleſpinio Rudolphum comitis de Firimberg (Friburg) nomine

vium ad annum MCCXIII. num. 2. ita legitur: *Omnia ſupradicta* (a) *& quæcunque alia pertinent ad Romanam eccleſiam, de voluntate & conſcientia, conſilio & conſenſu principum Romani imperii libere illi dimittimus, renunciamus & reſtituimus.*

6. *Secundo*, nihil ad papam hac quoque donatione pervenit præter utile dominium, ſummi vero imperii auctoritas translata non eſt. Habetur quidem in illa tabularum Rudolphinarum Bzovina ſumma, quaſi *plenum jus* ſit conceſſum. Sed incertum eſt, num illa verba tabulis ſint inſerta. Nam Bzovius quoque narrat, in tabulis etiam principum decretum, *pleno jure ad ſedem apoſtolicam omnia pertinere:* & tamen illa in tabulis iſtis haud occurrunt. Utut vero illa verba ibi habeantur, tamen multis modis patet, non ultra dominii utilis limites plenum illud jus extendendum eſſe.

7. Principio enim cum a Rudolpho nihil aliud flagitaverit antehac papa quam confirmationem venire, quod in Villanio, ut falſitatis narratorum de hoc cæſare ſignum, ſedis pontificiæ patroni graviter vellicant. Id ſane ex GOLDASTO *tom. I. conſtitut.* liquet, imperatorem a profectione in Italiam abhorruiſſe. Nec minus deinde papas hanc omnimode avertere anniſos eſſe. Non ſolum enim Johannes XXI. ſed & Nicolaus III. Germanis Italiam intervertere, & ibi duplicem ſtabilire regem, unum Longobardiæ, alterum Hetruriæ, cogitarunt. Atque Nicolaus III. Rudolphum epiſtola monuiſſe dicitur, ne iter in Italiam ingrederetur, ut ſi forte jam tum in eo eſſet, ut tunc reverteretur. RAYNALDUS *ad annum 1277.* PTOLOMÆUS LUCCENS. *in biblioth. patr. tom. 25. p. 966.* PLATINA *in vita Nicolai III.* Sed ad principale redeamus negotium. Gothfridus præpoſitus Solienſis, ad juramenta, Rudolpho imperatoris cancellario præſtita, revocanda miſſus dicitur, quæ tamen ipſo papa non omnino improbante, a Bononienſibus, Imolenſibus, Tarentinis & aliis præſtita videntur. Venerabilis enim, *fratris Ferarienſis epiſcopi*, ſunt verba Johannis XXI. ex quadam ejus epiſtola, quæ *in appendice differt. hiſtor. n. 23.* reperitur, *in Lombardiæ partibus apoſtolicæ ſedis legati*, permiſſione hoc *factum* dicitur, qui juris imperatorii ſatis peritus haud dubie ſcivit, papam nec velle, nec poſſe illud indigne ferre. Hinc illæ terræ eo tempore & quoad dominium utile imperatoris partes ſecutæ ſunt, quod de Romandiola BLONDUS teſtatur. Sed quomodocunque hæc ſe habeat res, Solienſis præpoſitus, ut monui, quo juramenta revocaret, ablegatus fuit, literæ pro iis revocandis in calce dictæ *differt. p. 81.* leguntur. Sed revocatio illa ad dictum dominium plane non ſpectat. Sic & in inſtrumentis a papa Nicolao III. ad Rudolphum, ut fertur, ad ratihabitionem miſſa, nihil aulæ romanæ eſt ſolatii. Ut ſileam, ea in conventu Romano, ob Comaclum inſtituto, in forma probante produci non potuiſſe. Species illorum prout *in append. differt. hiſtoricæ* conſpiciuntur, ſatis oſtendit, fuiſſe præparata, ut mitterentur, non autem fuiſſe miſſa, aut a Rudolpho in actum redacta. Neque epiſtolarum ejusdem pontificis ad Rudolphum & Germaniæ principes datarum, quibus rogantur, quæ a Rudolphi nunciis ipſoque Rudolpho ejusq; anteceſſoribus geſta ſunt, ratihaberent, authenticum non eſt viſum documentum. Exemplaria earum habentur in *appendice diſſertationis hiſtoricæ, p. 45. 50. 53. 89. 92.* Privilegia a Rudolphi anteceſſoribus eccleſiæ Romanæ data eique transmiſſa mutila fuerunt. *Acta conventus Romani d. 4. Auguſti 1710. inſtituti p. 171.* & ſi quæ data ſunt, non profecta ſunt a libera imperatoris voluntate, ſed per ſuggeſtionem pontificis, cauſa non cognita, & ad importunas Nicolai ſollicitationes. Nec minus hic attendi debet, quod Nicolaus III. nihil novi a Rudolpho rogaverit, ſed ſaltem eorum, quæ ab anteceſſoribus data ſunt, confirmationem: aſt in eorum donationibus ſemper ſummum imperii in illas terras jus exceptum fuit. Merentur apponi, ex Nicolai III. epiſtola anno 1278. ad Rudolphum exarata ſequentia: *Ne autem*, inquit, *per hæc nos aliquid novi petere, vel a tuis prædeceſſoribus imperatoribus Romanis inſolitum exiſtimes poſtulare, & ad tuam conſcientiam plenius ſerenandum &c. tibi de verbo ad verbum tenores privilegiorum ipſorum imperatorum transmittimus.* Quod tamen non eſt factum: videri tamen exinde poteſt, Nicolaum nihil novi a Rudolpho precatum eſſe. Deinde hic non reſpiciendum ad illud, quod Nicolaus efflagitavit, ſed quod Rudolphus dedit. Præterea mandatum, quod fratri Conrado, confirmandi, ratificandi, & denuo donandi, quæ a præpoſito Spirenſi & imperatore Lauſannæ facta & donata ſunt, datum ferunt, in congreſſu Romano, non eſt viſum: ſed habetur tantum in *appendice diſſertationis hiſtoriæ p. 60.* Ita & inſtrumenta, quæ a fratre hunc in finem confecta dicuntur, in forma probante non ſunt producta: ſed tantum in ſæpe memorata appendice leguntur; illa vero inſtrumenta, quæ Conrado a Nicolao exhibita feruntur, ut ea a Rudolpho ratihaberi curaret, nec ibi reperiuntur. Cæterum, quod ultimam Rudolphi ratihabitionem concernit, eam in diplomate de anno 1279. quærunt: ſed illud evidentibus ſuppoſititii partus ſignis laborare, ex *jure imperii in terras pontificis p. 248.* conſtat. Conjicio, hoc idem eſſe diploma, circa cujus tenorem BARONIUS & BZOVIUS diſcrepant, & cujus originale in Hadriani mole aſſervari, aurea bulla munitum aſſerebat ABBAS RIVERA in conventu Romano: ſed originale ejus tunc temporis oculis non fuit ſubjectum. Exemplar ejus in *appendice differtat. hiſtoricæ p. 101.* habetur, vel potius cum altero, quod inter diplomata a dicto abbate d. 14. Febr. 1279. exhibitum fuit, confunditur. Sed quomodocunque hæc res ſe habeat, in neutro horum diplomatum reperitur, quod aliud quid, quam anteceſſores, quibus dominium directum & ſuperius ſalvum fuit, dederint. Porro formulæ: *donamus, pleni juris, ditionis & principatus, integre & in ſolidum dominio directo & ſupremo*, non nocent, quoniam ingens tabularum, quibus monaſteriis quædam donantur, reperitur numerus, in quibus eædem adhibentur locutiones; cum tamen nihilominus illis donata, ſub reipublicæ manſerint imperio. In diplomate, quo Ludovicus Bavarus Caſtruccium Lucenſem creat ducem, ipſi datur *pleniſſima juriſdictio & libera autoritas i. e. plena ſuperioritas civilis*, qui tamen ducatus in imperii ſubſtitit obſequio. Quod vero ad electorum confirmationem attinet, ea caret die, menſe, & loco, & facta eſt ad ſuggeſtionem pontificis, non cauſa cognita, ex falſo præſuppoſito, GOLDAST. *tom. I. conſtitut. p. 313.* Nec prætermittendum, quod in epiſtola papæ ad electores perſcripta, Corſica & Sardinia memorentur, quas Pontifices non poſſederunt. Et licet omnia circa electorum confirmationem recte ſe haberent: illi tamen nihil confirmare potuerunt, quam quod a Rudolpho ejusque anteceſſoribus datum fuit; ab illis autem imperio directum reſervatum dominium antea demonſtratum eſt. Idem & de ſingulorum electorum ratihabitionibus, quæ inter adducta comparent diplomata, dicendum eſt. Principum ratihabitio, ut ajunt, eorum, quæ a Rudolpho Lauſannæ geſta dicuntur, in *diſſertationis hiſtoricæ appendice p. 36.* refertur: ſed in forma authentica non fuit producta. Imo hæc res multum dubii habet, quia Nicolaus ſuos in Germaniam dimiſſos ſedulo monuit, ut ante omnia de principum confirmatione ſolliciti eſſent: Quinimo licet omnia, quæ inter Rudolphum & Nicolaum III. geſta eſſent, imperii principes ratihabuiſſent; illa tamen ratihabitio non poſſet eſſe magni momenti, cum non præmiſſa debita deliberatione & cognita cauſa in principum conventu facta eſſet. Denique, ut ſæpe monui, plus non potuit ratum haberi, ac datum fuit. Id adhuc addendum, Papæ forte dominium utile male admodum ſe habiturum, ſi ſuarum poſſeſſionum titulos edere teneretur: quod in temporalibus cæſari, ut ſuo ſuperiori, denegare, neque non poteſt ad præſcriptionem contra ſuperiorem ſuum, etiam ratione regalium fiſcalinorum primariorum, confugere fas eſt.

(a) *Omnia ſupradicta*) Hoc eſt firmiſſimum argumentum pro principibus, quod olim eorum conſenſus fuerit neceſſarius, ſi quid abalienandum fuerit ab imperio.

nem tabularum *Ottonis IV. & Friderici ſecundi*, (a) nec ille aliud promiſerit, ex horum tabulis etiam hæ interpretandæ veniunt. Jam vero Ottonis IV. ad annum MCCIX. num. 2. Friderici autem ad annum MCCXIII. num. 3. & 4. recitat quidem Bzovius: & in utriſque conferuntur papæ illa bona

(a) *Ottonis IV. & Friderici II.*) GÖBEL. Conducet haud dubie & horum imperatorum tabulas ſubjungere ſequentes:

Ottonis IV. Romanorum imperatoris diploma, in quo privilegia omnia a Romanis imperatoribus ſedi apoſtolicæ conceſſa, itemque donationes provinciarum ac urbium ipſi factas, non confirmavit ſolum, verum etiam auxit, d. d. 11. kal. April. anno 1209.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto IV. divina favente clementia Romanorum rex & ſemper Auguſtus. Recognoſcentes ab eo noſtræ promotionis donum miſericorditer proceſſiſſe, a quo eſt omne donum perfectum. ipſum, ejusque vicarium & ſponſam ejus ſanctam eccleſiam diſpoſuimus, & decrevimus, magnifice honorare, ut qui nobis in præſenti temporale contulit regnum, in futuro quoque tribuat ſempiternum. Proinde vobis, reverendiſſime pater & domine ſumme pontifex, Innocenti papa, quos pro multis beneficiis nobis impenſis ſinceriſſimo veneramur affectu, veſtriſque catholicis ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reverentiam, ſemper humili corde ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri reges & imperatores catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil ex iis volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra devotio, clarius eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus prælatorum, concedimus & ſancimus, ut electiones prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur, eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil obſtet de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis eccleſiaſticis ad apoſtolicam ſedem libere fiant, eorumque proſecutionem, ſive proceſſum, nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores admittere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis eccleſiarum prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt cæſaris, cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare.

Quas vero nondum recuperavit ad recuperandum pro viribus, erimus adjutores, & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate, ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ a Radicoſano uſque ad Ceperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis imperatorum & regum a tempore Ludovici, ut eas habeat Romana eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtrictu & honore ſuo: Verum tamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius & catholicus princeps. Ut autem hæc omnia memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Innocentio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, ejusque ſucceſſoribus, per nos & noſtros ſucceſſores, Romanorum imperatores & reges, obſerventur, firma & inconvulſa ſemper permaneant, præſens exinde privilegium conſcriptum, majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri.

Signum domini Ottonis IV. Romanorum regis invictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis epiſcopus, vice-domini Siffridi, Moguntí archiepiſcopi, & totius Germaniæ archicancellarii, regalis aulæ cancellarius recognovi. Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis MCCIX. Indictione XII. regnante domino, Ottone IV. Romanorum rege glorioſo, anno regni ejus undecimo. Datum apud Spiram, XI. kalend. Aprilis.

Forma juriſjurandi, quod Fridericus II. Romanorum imperator, Innocentio III. pontifici Maximo præſtitit, d. d. 4. Id. Julii anno 1213.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. Dei gratia Romanorum rex & ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ. Tibi, domino meo ſanctiſſimo, ac patri chariſſimo, Innocentio papæ III. tuiſque ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ, præſentibus ſubſcriptis principibus imperii, & nobilibus ſpondeo, polliceor, & promitto, & juro, quod omnes poſſeſſiones, honores, & jura Romanæ eccleſiæ, pro poſſe meo bona fide protegam & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas eccleſia Romana recuperavit, adjutor ero ad recuperandum & recuperaturum, ſecundum poſſe meum, ero ſine fraude defenſor, & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicoſano uſque Ceperanum, exarchatus Ravennæ, pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam, & quiete dimittam, cum omni juriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo. Veruntamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocatus acceſſero, de mandato ſummi pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ. Tibi etiam domino meo Innocentio papæ & ſucceſſoribus tuis, omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & catholici imperatores conſueverunt ſedi apoſtolicæ exhibere, & ſi propter negotium meum Romanam eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit, in expenſis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam ſcripto firmabo, cum imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem imperii, & nobiles, quibus præſentibus juravi, hi ſunt: Evirhardus, Salzburgenſis archiepiſcopus, Berardus, Barenſis archiepiſcopus, Mangoldus, Patavienſis epiſcopus, Engilhardus, Nuenburgenſis epiſcopus, Conradus Metenſis, & Spirenſis epiſcopus, imperialis aulæ cancellarius, Luppoldus, dux Auſtriæ & Stiriæ, Ludovicus, dux Bawariæ, comes Albertus, de Evvirtein, Henricus Mareſchalcus de Callindun, Gualterus Pincerna. Actum in Capella in caſtro Egræ, anno Dominicæ incarnationis MCCXIII. IV. Idus Julii indictionis primæ.

Friderici II. Romanorum imperatoris, diploma, in quo privilegia omnia a Romanis imperatoribus ſedi apoſtolicæ indulta, inſimulque donationes provinciarum atque urbium ipſi factas calculo ſuo comprobavit, d. d. 4. Id. Julii anno 1213.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus II. divina favente clementia Romanorum rex & ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ. Regnum noſtrum tunc ſtabiliri confidimus, cum altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim domino, qui bona tribuit nobis, ad afferendas hoſtias operis & devotionis aſtringimus, quanto ipſum miſericordem in nobis & mirabilem. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo; habentes quoque præ oculis immenſa & innumera beneficia veſtra, chariſſime domine & reverendiſſime pater, protector & benefactor noſter, domine Innocenti, Dei gratia ſumme pontifex venerande, per cujus beneficium, operam & tutelam aliti ſumus, protecti pariter & promoti, poſtquam in ſolicitudinem veſtram mater noſtra felicis memoriæ Conſtantia imperatrix & Siciliæ regina, ex ipſo quaſi utero nos jactavit, vobis, beatiſſime pater, & omnibus ſucceſſoribus veſtris catholicis, ſanctæque Romanæ eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ,

bona *cum omni juriſdictione, diſtrictu & honore ſuo*, illa tamen etiam verba ad ſolum utile dominium pertinere produnt, quæ ſtatim ſemper ſubjunguntur: *Veruntamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro neceſſitatibus eccleſia ab apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi pontificis recipiemus procurationes ſive fodrum ab ipſis.* Fodri enim exactio dominii utilis pars eſt: eamque ſolam cæſares

omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri, reges & imperatores catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil exinde volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra magis devotio eniteſcat. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, & dicuntur in electionibus prælatorum concedimus & ſancimus, ut electiones prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit ei de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis, & cauſis eccleſiaſticis ad ſedem apoſtolicam libere fiant, earum proſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum, aut etiam eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis, & aliis eccleſiarum prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt cæſaris, cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris ſeu quibuslibet aliis ante detentas liberas & quietas ſibi dimittimus & ipſam ad eas obtinendas pro bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicoſano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, maſſa Trabaria cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat Romana eccleſia in perpetuum, cum omni juriſdictione, diſtrictu & honore ſuo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro neceſſitatibus eccleſiæ, ab apoſtolica ſede vocati, venerimus, de mandato ſummi pontificis recipiemus procurationes ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam eccleſiam, de voluntate & conſcientia, conſilio & conſenſu principum imperii libere illi dimittimus, renunciamus & reſtituimus; nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet, & efficacius intelligi, concedimus, conferimus & donamus, ut ſublata omnis contentionis & diſſenſionis materia, firma pax, & plena concordia in perpetuum inter eccleſiam & imperium perſeverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum ſpectantibus tam citra Farum, quam ultra, nec non Corſicam, & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius & Catholicus princeps. Ut autem hæc omnia memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Innocentio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici ejusque ſucceſſoribus, per nos & noſtros ſucceſſores Romanorum reges & imperatores obſerventur, firmaque & inconvulſa ſemper permaneant; Præſens privilegium conſcriptum majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri. Teſtes autem hi ſunt: Siffridus Moguntinæ ſedis archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, Eberhardus, Salsburgenſis archiepiſcopus, Conradus, Ratisbonenſis epiſcopus, Otto, Würtzburgenſis epiſcopus, Menegoldus, Pactavenſis epiſcopus, Engelhardus Zizenſis, Othacharus, Boëmorum rex, Ludovicus, dux Bawariæ, Liupoldus, dux Auſtriæ & Stiriæ, Hermannus, landgravius Thuringiæ, comes Albertus de Eberſtein, comes Adolphus de Sowenberg, comes Burcardus de Manesfeld, Berardus de Dets, comes Lodovicus de Wartenberch, Gebeardus, burcravius Meigdeburgenſis, Henricus de Stahelberch, Walterus de Lagenberch, Heinricus de Chalandina, mareſchalcus imperii, Walterus Siph, pincerna imperii, & alii quam plures. Signum domini Frederici II. Romanorum regis invictiſſimi, & regis Siciliæ. Ego Conradus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Metenſis & Spirenſis epiſcopus, imperialis aulæ cancellarius, vice-domini Sifridi, Moguntini archiepiſcopi & apoſtolicæ ſedis legati, ac totius Germaniæ archicancellarii, recognovi. Acta ſunt hæc anno Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCXIII. indictione I. regnante domino Friderico II. Romanorum rege glorioſo & rege Siciliæ, anno regni ejus Romani primo, regni vero ejus Siciliæ XVI. Datum apud Eyram per manus Bertholdi de Niſſe, regalis aulæ protonotarii IV. idus Julii.

Forma jurisjurandi, a Friderico II. Roman. imperatore, Honorio III. pontif. max. praſtiti, d. d. menſ. Sept. an. 1219.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ. Tibi domino meo ſanctiſſimo, & patri chariſſimo Honorio papæ III. tuisque ſucceſſoribus & eccleſiæ Romanæ, præſentibus ſubſcriptis principibus imperii & nobilibus, ſpondeo, polliceor & promitto & juro, quod omnes poſſeſſiones, honores & jura Romanæ eccleſiæ, pro poſſe meo bona fide protegam & ſervabo. Poſſeſſiones autem, quas eccleſia Romana recuperavit, liberas & quietas ſibi dimittam, & ipſum ad eas retinendas bona fide juvabo, quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperaturum, ſecundum poſſe meum, ero ſine fraude defenſor; & quæcunque ad manus meas devenient, ſine difficultate reſtituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicoſano usque Ceperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro poſſe meo reſtituam & quiete dimittam, cum omni juriſdictione, diſtrictu & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocatus, acceſſero, de mandato ſummi pontificis accipiam procurationem ab eis; Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ, tibi etiam domino meo Honorio papæ, & ſucceſſoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & catholici imperatores conſueverunt ſedi apoſtolicæ exhibere; & ſi propter negotium meum Romanam eccleſiam oportuerit incurrere Guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit in expenſis. Omnia vero ſupra dicta tam juramento quam ſcripto firmabo, cum imperii fuero coronam adeptus. Principes autem imperii & nobiles coram quibus juravi, hi ſunt: Henricus, Argentinenſis epiſcopus, Henricus, Baſilienſis epiſcopus, abbas S. Galli, Hugo, abbas Morbacenſis, Golfradus de Wizeburch, Tibaldus, dux Lotharingiæ, comes Egeno de Urach, comes Lodovicus de Wurtenberch, comes Everhardus de Elfratem, Henricus de Niſſen & quam plures alii. Actum apud Hagnovæ, anno dominicæ incarnationis MCCXIX. menſis Septembr. indictione VIII.

Friderici II. Romanor. imperatoris, diploma, in quo omnia privilegia, a Romanis imperatoribus ſedi Romanæ indulta, nec non donationes provinciarum atque urbium ipſi factas, confirmavit, d. d. menſis Septembr. an. 1219.

In nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

Fridericus II. divina favente clementia Romanorum rex, ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ.

Regnum noſtrum tunc ſtabilire confidimus, cum altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona

cæſares exceptam voluerunt recepturi coronam aut pontificis rogatu venientes. Hactenus ſcilicet magna pars bonorum iſtorum, etiam utili aliquo dominio & jurisdictione omni, poſſidebatur a cæſaribus reliquum omne, non minus ac aliorum principum eccleſiaſticorum terra aliqua, exactionibus cæſareis promiſcue omnibus obnoxium erat. Quum illo ſolo onere itaque levare ſeſe hactenus ſtatuiſſent papæ nonnulli, ſed fruſtra, pacis cauſſa tandem id indultum ipſis eſt, primum ab Ottone, mox a Friderico. Quorum ille aliter a cæſarei juris peritis inſtitutus, paulo poſt dominium utile multorum locorum repetiit: hic terram Mathildis & multa alia demum anno MCCXXI. in manus nuncii pontificii reſignavit, teſte ipſo Bzovio, & deinde tamen ſibi recuperavit. Denuo itaque cavit Rudolphus pontifici, nonnullis in eadem jura additis. Idem vero ex eo

recepimus, honoramus. Tanto enim domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hoſtias, operis & devotionis aſtringimur, quanto ipſum miſericordem in nobis, & mirabilem experimus. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo. Habentes quoque præ oculis immenſa & innumera beneficia veſtra, chariſſime domine, & reverendiſſime pater, protector, & benefactor noſter, domine Honori, Dei gratia ſumme pontifex venerande, per cujus beneficium, operam & tutelam aliti ſumus, protecti pariter & promoti, poſtquam in ſollicitudinem veſtram mater noſtra fel. mem. Conſtantia imperatrix, & regina Siciliæ ex ipſo quaſi utero nos lactavit, vobis, beatiſſime pater, & omnibus ſucceſſoribus veſtris Catholicis, ſanctæque Romanæ eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam ſemper humili corde, ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri reges & imperatores catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nil exinde volentes diminui, ſed magis augeri, ut magis noſtra devotio eniteſcat. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem interdum quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe noſcuntur & dicuntur, in electionibus prælatorum concedimus & ſancimus, ut electiones prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit de canonicis inſtitutis. Appellationes autem in negotiis & cauſis eccleſiaſticis ad ſedem apoſtolicam libere fiant, earum proſecutionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum aut etiam eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis eccleſiarum prælatis, libere relinquimus diſponenda utque ſunt cæſaris, cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur, ſuper eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus & operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus & ipſam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: Et quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ac mora ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a Radicofano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitiſſæ Mathildis, comitatus Brittenorii, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, maſſa Trabaria, cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad Romanam eccleſiam pertinentibus, ut eas habeat Romana eccleſia in perpetuum cum omni jurisdictione, diſtrictu & honore ſuo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro neceſſitatibus eccleſiæ ab apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi pontificis recipiemur procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupra dicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam eccleſiam de voluntate & conſcientia, conſilio & conſenſu principum imperii libere illi dimittimus, renunciamus & reſtituimus, nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet, & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, & donamus, ut ſublata omnis contentionis & diſſenſionis materia, firma pax & plena concordia inter eccleſiam & imperium perſeverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ cum omnibus ad ipſum ſpectantibus tam citra Farum, quam ultra, nec non Corſicam & Sardiniam, & cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquam devotus filius & Catholicus princeps. Ut autem hæc omnia memorato ſanctiſſimo patri noſtro, domino Honorio, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, ejusque ſucceſſoribus, per nos & noſtros ſucceſſores Romanorum reges & imperatores obſerventur, firmaque & inconvulſa ſemper permaneant, præſens privilegium conſcriptum, majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri.

Teſtes ii ſunt: Henricus, Argentinenſis epiſcopus, Henricus, Baſilienſis epiſcopus, abbas ſancti Galli, Hugo, abbas Morbacenſis, Golfradus, abbas de Wizburch, Tibaldus, dux Lotharingiæ, comes Egeno de Vrach, comes Ludovicus de Wirtemberch, comes Everardus de Elphinſtein, Henricus de Niſſen & alii quam plures. Signum domini Friderici, Dei gratia Romanorum regis ſemper Auguſti & regis Siciliæ. Ego Conradus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Metenſis & Spirenſis epiſcopus, imperialis aulæ cancellarius, vice-domini Siffridi Moguntini archiepiſcopi, & totius Germaniæ archicancellarii, recognovi. Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis MCCXIX. menſe Septembris indictione VIII. regnante domino Frederico II. Romanorum rege glorioſo, & rege Siciliæ, anno Romani regni ipſius in Germania VII. & in Sicilia XXII. feliciter, Amen. Datum apud Hagnoviæ per manus Henrici, regalis aulæ protonotarii, anno, menſe & indictione præſcriptis.

Statuum ſacri Romani imperii atteſtatum, quod privilegiorum ſedis pontificiæ confirmationi, paulo ante inſerta, aſſenſum præbuerint d. d. 9. kal. Maji an. 1220.

Nos principes imperii univerſis præſentem paginam inſpecturis. Ut tollatur de medio omnis materia ſcandali, diſſenſionis, ſeu etiam rancoris occaſio inter eccleſiam & imperium, & ii duo gladii in domo domini conſtituti intimæ dilectionis fœdere copulati exſurgant, in reformationem univerſi populi Chriſtiani & merito mundo appareant in omnem exhibitionem juſtitiæ & veritatis illa duo magna luminaria, poſita in medio firmamenti, & nos in opere & voluntate filii inveniamus omni tempore devotionis & pacis, qui tam eccleſiam quam imperium confovere tenemur, ac etiam unanimiter gubernare, quicquid ipſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ matri noſtræ factum eſt per dominum noſtrum Fridericum, Dei gratia Romanorum regem ſemper Auguſtum & regem Siciliæ per privilegia, ſeu etiam ſcripta ſua pro omni diſcordia ſopienda & evitanda impoſterum, & pro pace totaliter reformanda pariter & obſervanda, ut ſit in omnibus eisdem omni tempore idem velle, & nolle, & nos bonorum operum ſectatores feliciter gaudeamus, noſtri nomine principatus ſicut olim ad petitiones & preces, nec non & mandatum prædicti domini noſtri regis Friderici tempore bonæ mem. domini Innocentii III. papæ pro bono pacis ad omnia ſcandala evitanda ipſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſuper privilegiis ipſius regis ſibi datis noſtram tunc voluntatem præbuimus & conſenſum noſtrum noviter innovamus & per omnia approbamus. Et ut hæc noſtra voluntas & approbatio ſive renovatio a nobis ſanctæ Romanæ eccleſiæ in perpetuum obſerventur, ut liqueat in effectu in teſtimonium illi & ad perpetuam memoriam noſtri. Hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus noſtrorum ſigillorum munimine roboratum, ſuper omnibus privilegiis ab ipſo rege usque nunc ſibi datis, & etiam adhuc dandis tam ſuper facto regni Siciliæ, ita quod imperium nihil cum dicto regno habeat unionis vel alicujus jurisdictionis in ipſo. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCCXX. dat. apud Franckenfort in ſolemni curia IX. kal. Maji indictione VIII.

ex eo quam maxime liquet, quod in tabulis illis, ut & in ſecutis aliis, ſummo imperii juri numquam ſit diſertis verbis renunciatum, ex adverſo autem ipſi pontifices ſummam illam auctoritatem ſemper confeſſi ſint; ut infra pluribus adſtruetur. *Huc facit, quod Rudolphus* (a) annò MCCLXXVIII. Carolo Siculo regi ſenatoris titulo urbem Romam gubernanti, dignitate illa interdixerit, idque pontifice Nicolao approbante, quod late narrat Bzovius ad annum illum num. 9. Non potuiſſet autem hoc ullo jure Rudolphus, niſi ſumma imperatoria auctoritate ſalva. Neque obſtat huic, quod Rudolphus cancellarii ſui factum, qui in verba cæſaris jurare fecerat complures urbes pontificii juris, irritum pronunciaverit, teſte eodem Bzovio num. 12. Juramentum enim illud pertinuit ad dominium utile & jurisdictionem, quo utroque cæſares hactenus fuerant uſi.

8. *Tertio*, quamvis nulla clauſula dominio utili aliqua ex parte videatur imperio conſuluiſſe Rudolphus, illud tamen de fodri exactione ab Ottone & Friderico in imperii uſum publicum reſervatum, non eſſe remiſſum docet uſus ſequentis ævi; utpote quum papæ non gravati fuerint coronandis cæſaribus fodrum illud ſuppeditare. Quamvis etiam Rudolphus multa præter morem poſſidenda pontifici tradiderit, eoque optima imperii bona fiſco regio fuerint ſubducta, ſi tamen ſcriptoribus aliis credimus, factum id eſt certis additis conditionibus. Diſerte *Aventinus* (b, *lib. 7. annal.* cúm narraſſet, prætextu belli ſacri gerendi Gregorium decimum papam a clero omni & monachis decimas extorſiſſe, niſi quod eas nonnulli redemiſſent, ita pergit: *A cæteris omnibus decima ſuperbe atque avare exacta; & licet Decimus eodem anno animam efflaſſet, nihilo ſecius tamen Romani flamines decimas per ſex annos, extorta per vim pecunia, a Germanis emunxerunt. Rumore diſſipabant ſe ſuo periculo atque ſtipendio Palaſtinam, Ægyptum, Aſiam, Africam, erepturos Turcis, Saracenis, Tartaris. Quamobrem & Rudolphus, ILLA LEGE atque omine primario ſacerdoti dono Romam, præfecturas, ducatus, urbes, regiones Italiæ hactenus imperatoribus parentes (Romaniolam Martinus vocat) quæ quotannis millia drachmarum auri ſeptingenties penſitarant, conceſſit. Quemadmodum & imperator Maximilianus anno abhinc decimo principibus aperuit, edictoque dato ex Oenobriga 13. kal. Auguſt. anno Chriſti MDXI. conqueſtus eſt. Dum eodem anno ad calendas Septembris Piſam adverſus Julium ſecundum pontificem maximum, ſenatum Chriſtianum, novem Romani flamines idem Maximilianus, atque Ludovicus Franciæ occidentalis rex convocarent, pro revocatione morum (ut eorum verbis utar) univerſalis eccleſiæ in capite & membris plurimum collapſorum, ac emendationi criminum graviſſimorum, interiorum, continuorum ac incorrigibilium, univerſalem eccleſiam enervantium. Sed ego heic miſſa faciam: extant hujusmodi diplomata;* (c) *qui curioſus & ea legere velit, inquirat & ipſe.* Hæc Aventinus. *Quæ ſi ita ſeſe habent*, (d) ne utile quidem dominium Bononiæ & Romandiolæ acceperit pontifex aliter quam titulo oneroſo, idque in commodum inſigne toties imperii.

9. Nihil hujus habet quidem Bzovius in ſua ſumma: ſed ejus ſilentium non meretur opponi Maximiliani laudatiſſimi cæſaris voci & querelæ publicæ. Sine dubio non niſi gravi cauſſa permotus, ultra Ottonis & Friderici liberalitatem, bonorum imperii prodigus adeo fuit Rudolphus. Bzovius tamen tomo 19. in hiſtoria anni MDXXX, acta coronationis Caroli quinti diſcribens, non dubitavit ea de re num. 3. ita referre: „Rudolphus primus ex Auſtriaca ſtirpe Habsburgia imperator, „accepti gratus beneficii a Gregorio X. collati; videlicet quod Paulum Caſtellum principem Na„hartium, habitu Franciſcano (ut res occultior ſecuriorve eſſet) indutum ad ſe miſerit, deque futu„ra electione admonuerit, operamque ſuam omnem ad eam dignitatem conſequendam obtulerit, „ut Joannes Baptiſta Collecipolius in faſtis ſuis memorat; quod audiens congregatos eſſe imperii „principes, & petierit & mandaverit, ut ſinceræ puræque electioni intenderent, ac tam eccleſiæ quam „imperio providerent, adeoque Rudolphum imperatorem eligerent, ut Cuſpinianus ſcripſit, quod „denique audita electione ipſius, ut res illius conſilio ſuo & opera conſtabiliret, non niſi eodem „Paulo Caſtello ſocio & conſcio, privatus ad fines Germaniæ usque, occultata alieno habitu maje„ſtate pontificia proceſſerit, eique animum ad res præclare ſuſcipiendas, ut Petrus Meſſias inſinuat, addi-

(a) *Huc facit, quod Rudolphus*) Carolus, Rex Siciliæ & Neapolis occuparat urbem Romam, & in eam dominabatur nomine ſenatoris. Hoc ægre cum ferret papa, nec eum repellere poſſet, quia viribus ejus erat impar, perfugit ad cæſarem Rudolphum, qui Carolo eam dignitatem interdixit. Si hoc cæſar interdicere potuit, patet, Rudolfum in urbem Romam jura habuiſſe & quidem non invito papa.

(b) *Aventinus*) Rerum Germanarum ſcriptor prudens, diligens & diſertus, non quidem caret etiam nævis, ſed tamen eſt eximius ſcriptor, magnus oſor ſiderum papalium, ideoque etiam tam infenſi ipſi ſunt Jeſuitæ.

(c) *Exſtant hujusmodi diplomata*) GöBEL. Dubium tamen valde eſt, an Aventinus de iis diplomatibus. quorum exemplaria a Romanæ ſedis patronis producta ſunt, loquatur. In archivo autem imperatoris diplomata illa latitare, ex LAMBECII *diario ſacri itineris cellenſis imperatoris Leopoldi*, ſibi perſuaſum habent: Verum Lambecius tantum tradit, in catalogo quodam documentorum a Seyfrido abbate Zweythalenſi confecto, & diplomatum Rudolphi I. mentionem injici; ſed de tenore illorum nihil ibi dicitur; cumque nec ipſe abbas *in dedicatione genealogiæ domus auſtriacæ* memoret, quid 120. epiſtolæ Rudolphi, quas ſe vidiſſe affirmat, continuerint. Alterius quidem adhuc codicis idem Seyfridus mentionem facit, ibique ſe principum imperii Rudolphinæ donationis confirmationem inveniſſe ait: ſed nihil additum, an authenticorum documentorum codex fuerit. Neque LAMBECIVS, quamcunque etiam impenderit diligentiam, nihil codicum, qui abbatis Zweythalenſis fuerunt, reperire potuit, & maxime eſt incertum, an codex 149. epiſtolas Rudolphinas continens, cujus LAMBECIVS *in catalogo librorum a ſe edendorum meminit*, ille fuerit, de quo Seyfridus loquitur, & an originalia complexus ſit documenta.

(d) *Quæ ſi ita ſeſe habent*) C. A. M. Bononiam & Romandiolam ante ea tempora ſemper tenuit papa, & accepit ea conditione, ut Turcas repelleret, quod tamen non fecit. Ideoque jure poſſent repeti, quia non ſervavit conditiones, in quas ei datæ ſunt.

„addiderit, adeoque imperatorem fecerit. Hujus, inquam, beneficii memor Rudolphus, ex tabula „confirmationum ſeu donationum, quas ANTE SE CVM CERTIS ONERIBVS Romanæ eccleſiæ „cæſares offerebant, omnibus his abrogatis, pure, ſimpliciter, abſolute, ſine ullis conditionibus, aut „oneribus eadem concepit, dedit, obtulit, confirmavit: ſuadente Paulo Caſtello Romanæ ſedis ſtudioſiſſimo.„ Ita quidem Bzovius. At non eſt veriſimile, Rudolphum unius privati commodi cauſſa voluiſſe reipublicæ juribus multum adeo detrahere: aut in Rudolphi gratiam electores principes in illud facinus conſenſiſſe, quo haud aliud temere magis iniquum & venia nulla dignum invenias. Sed & nonnulla eorum, quæ de Gregorii ſtudio in Rudolphum narrantur a Bzovio, fabulis per ſunt ſimilia; carent ſane teſtimonio fide digno. Nec vero quiſquam forte ante Bzovium de Rudolpho impia adeo ſuſpicatus eſt. Itaque totum hoc videtur deberi Bzovianis commentis. Tutius utique credi poteſt Maximiliano cæſari, allectum Rudolphum promiſſis illis (etſi vana fuiſſe eventus docuerit) a papa in ſacrum bellum ſubſidiis, affirmanti. Acceſſit haud dubie petentis papæ importunitas, & memoria tot funeſtorum tumultuum, qui inter cæſares & papas de bonis hiſce fuerunt ab aliquot ſeculis, cumprimis Ottone quarto & Friderico II. regnantibus, exorti. Illa certe anteacti temporis memoria non potuit non terrere in futurum. Vt tranquillitatis publicæ interfuerit, jacturam facere eorum, quæ ſervari non poterant contra vim papalem, niſi cum ſummo reipublicæ periculo. Vtut ſit, nec donatio illa vim habet, utpote quæ ab imperii principibus non eſt confirmata: nec imperii ſummæ quidem auctoritati per eam quidquam deceſſit.

10. *Poſt Rudolphum etiam ALBERTVS* (a) tabulas aliquas Pontifici Bonifacio IIX. fertur dediſſe anno MCCCIII. Meminit quidem illarum Bzovius in illius anni hiſtoria: ſed non niſi paucis verbis earum ſummam attigit. Baronius partum illarum recitat ad annum CMXCVI. num. 4. unde eam tranſcripſit in ſua Goldaſtus: ſed illa nihil facit ad noſtrum negotium. Baronius addit: *Confirmat itidem privilegia ab eodem Rudolpho & aliis imperatoribus eidem eccleſiæ Romanæ conceſſa. Ratificat, quæ ſtatuta fuerant per Ludovicum imperatorem Paſchali papæ, & per Ottonem Joanni pontifici. Et poſt reverentiam patri exhibitam, & filialem amorem inſinuatum, eccleſiæ jura defendit, & libertatem ejusdem eccleſiæ defenſurum adverſus quoscunque ejusdem perturbatores, adverſus quos bella movere, ſi opus ſit, pollicetur, ſpondens ſuum cum exercitu in Italiam adventum, ſi placeret.* Hæc Baronius. Unde diſcimus, nihil novi ab Alberto datum, ſed vetera tantum & patris dona eſſe ratihabita. Antiqua autem illa cæſaream auctoritatem plane confirmant: & Rudolphi donum, utut nimis ſit pingue, ſummo cæſareo juri nihil detrahit: itaque nec per Albertum quidquam illi deceſſit.

11. HENRICI ſeptimi tabulas ipſas ſuo quidem loco itidem non habet Bzovius: at vero recitat ille ad annum MCCCXXXVI. prolixas Ludovici IV. cæſaris literas ad Benedictum XII. papam, quibus reconciliationem ſuam expetiit, & ad MCCCLV. annum Caroli IV. tabulas papæ transmiſſas, quæ utræque inſertas illas Henrici complectuntur. Ne fraudare velle videamur quenquam rerum ejusmodi æquum & veri cupidum judicem, recitabimus illas hoc loco, quales a Bzovio accepimus. Licet enim nonnihil poſſint videri prolixiores, tamen vitandæ ſuſpicionis omnis cauſſa, ne vocabulum quidem detrahemus.

12. „Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo, domino Clementi ſacroſanctæ Romanæ ac „univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, cum „reverentia debita, devota pedum oſcula beatorum. Ferventi deſiderio cupientes ſanctitatis veſtræ pedibus, & apoſtolicæ ſedi toto corde & animo zelum noſtræ reverentiæ, fidei, & devotionis „offerre, veſtris ſanctis monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro viribus coaptando, & honorem „veſtrum, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ & aliarum eccleſiarum jura diligere, & pro poſſe protegere „& ſervare; attendentes propenſius: quod nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta „fides in principe, nihilque eſt, quod ita nequeat occaſui ſubjicere, quam vera religio: & quod „ad Dei timorem ſervandum, mandataque ejus cuſtodienda factus eſt omnis homo, ſed præcipue „imperialis & regalis poteſtas, quæ a Domino Deo eſt & ad ejus miniſterium exequendum, & ad fidem & reverentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones & regna: promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, vobisque domino noſtro Clementi ſummo pontifici, veſtrisque ſucceſſoribus, & ſacroſanctæ ſedi apoſtolicæ & Romanæ eccleſiæ, quæ eccleſiarum „omnium eſt caput & magiſtra, quod ſacroſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam, fidemque „catholicam fundatam ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſcilicet angulari lapide Chriſto JESU, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in cujus nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum, nec eſt nomen aliud cœlo, „in quo ſalvari oporteat credentes, toto corde & animo, pura fide & ſancta intentione conſervabimus revere-

(a) *Poſt Rudolfum etiam Albertus*) Hic fuit filius Rudolfi. Poſt Rudolfum diſſenſio orta inter electores. Alii enim Albertum, alii Adolfum Naſſovium elegerunt, quem tamen prœlio vicit hic, de quo loquimur, Albertus, & ſic obtinuit cæſaream dignitatem. Hic nihil donavit, ſed veteres donationes confirmavit. GöBEL. Hæc, quæ auctor noſter habet, quod Albertus & Adolphus in diſcordia ſint electi, ex GOBELINO hauſit: Verum id a veritate alienum eſt; cum Moguntini ſtudiis Adolphus omnium electorum ſuffragia nactus eſt, licet Alberto potiundi imperii quædam enata eſſet ſpes. STERO ALTAHENS. *ad annum 1291.* de artibus, quas Moguntinus adhibuit, ut Adolfo ſibi neceſſitudine juncto imperium procuraret, agit. SIGEFRIDVS PRESBYTER *ad annum 1292.* GERARDVS DE ROO *in annal. auſtriacis p. 52.* LVNIGII *archiv. imperii tom. 3. p. 233.* Sed cum ad hujus nutum imperare nollet, ſub variis prætextibus, quos refert SIGFRIDVS PRESBYTER *ad annum 1296.* ejus potiſſimum opera imperio privatus, & deinde ab Alberto in prælio cæſus eſt. *Chron. auſtral. ad ann. 1298.* STERO ALTAHENS. *ad annum 1297. 1298. Chron. Colmarienſ. p. 58. ſeqq.* ALBERTVS *Argentin. p. 110.* GERARD. DE ROO *l. c. p. 61.*

„reverebimur, atque defendemus totis viribus, & toto poſſe: ac omnem hæreſin & ſchiſma, extollentem ſe contra ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam, exterminabimus pro viribus: ac „omnes hæreticos, cujuscunque ſectæ & conditionis exiſtant, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabaoth perdere & vaſtare nituntur: omnesque fautores, adjutores, validores, & receptores ac defenſores eorum; & quod nullo tempore conjungemur, confœderabimur parentela vel fœdere, vel unione quacunque, cum quocunque Sarraceno vel pagano, vel ſchiſmatico rege, vel principe, vel quocunque alio, fidei catholicæ communionem non habente; neque cum aliquo rebelli vel inimico ipſius Romanæ eccleſiæ, vel eidem „manifeſte ſuſpecto. Item promittimus & obligamus nos omni efficacia & effectu, quod perſonam veſtram, ſtatum & honorem & ſucceſſorum veſtrorum, contra quemcunque ſeu quoscunque „homines, cujuscunque ſtatus præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, conſervabimus, defendemus, „manutenebimus: nec non omnia privilegia regum & principum & imperatorum Romanorum „prædeceſſorum noſtrorum, cujuscunque tenoris vel continentiæ exiſtant, quocunque tempore, „conceſſa ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac Romanis pontificibus, & ſedi apoſtolicæ, & quibuscunque eccleſiaſticis prælatis & miniſtris ipſorum, conſervabimus & manutenebimus, nec in aliquo unquam „tempore contra veniemus, vel aliquem, quantum in nobis erit, venire permittemus, quacunque occaſione, vel titulo allegato juris vel facti. Imo ad perpetuam rei memoriam, & ſanctæ eccleſiæ „ſecuritatem, atque cautelam, ipſa privilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, „confirmamus, recognoſcimus, innovamus, & denuo concedimus, prout melius & plenius poſſumus, „ex certa ſcientia, ac omni efficacia, & effectu: volentes ac etiam decernentes, quod ipſa generalis „ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo conceſſio perinde robur obtineat perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula privilegiorum verba ſingulariter, & expreſſe, ac de verbo ad „verbum præſentibus inſerta fuiſſent. Specialiter autem & expreſſe, cum omni efficacia & effectu „ſupradictis, ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innovamus & denuo concedimus omnia privilegia Conſtantini, Caroli, Henrici, Ottonis quarti, Friderici ſecundi, atque Rudolphi regnum & „principum ſeu imperatorum Romanorum, quocunque tempore conceſſa, ſuper quibuscunque, cujuscunque continentiæ vel tenoris exiſtant, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Romanisque pontificibus & „apoſtolicæ ſedi. Promittimus etiam & obligamus nos, eam omni efficacia & effectu, omni modo „& forma, quo melius & efficacius fieri poteſt, manutenere, & conſervare omnia privilegia, cujuscunque conditionis, vel tenoris exiſtant; & nullo unquam tempore contravenire, vel aliquem, quantum in nobis eſt, venire permittere, quacunque occaſione, vel cauſſa, vel titulo allegato juris vel „facti, per quoscunque reges, vel principes, ſeu imperatores Romanos, & præcipue per ſupra dictos „Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fridericum ſecundum, atque Rudolphum „conceſſa ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac Romanis pontificibus & apoſtolicæ ſedi, ſuper recognitione, „innovatione, adnotatione, conceſſione, quietatione, renunciatione, & libera dimiſſione terrarum & „provinciarum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ubicunque poſitarum, præcipue marchiæ Anconitanæ, cum „omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis, integraliter cum omnibus juribus, „& jurisdictionibus earundem, exarchatus Ravennæ & pentapolis ac Romandiolæ & Bertenorii comitatus, cum civitate Bononienſi & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, vallis quoque, quæ Spoletana dicitur, ſive ducatus cum civitatibus Peruſi atque Caſtelli, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Maſſæ quoque, quæ Trebaria nuncupatur: cum omnibus civitatibus, terris, limitibus & confinibus integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Patrimonium etiam „beati Petri in Tuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narniæ, urbis veteris, & Reatæ & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Comitatibus quoque Sabinæ, civitate Interamnenſi: & cum arce cæſaris & terra, „quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Comitatus quoque Campaniæ atque Maritimæ, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis, integraliter „& cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Et ex abundanti, denuo, & ad majorem „cautelam, ſupradictas omnes terras atque provincias cum omnibus juribus & jurisdictionibus, „terminis, limitibus & confinibus earundem, & jus, & poſſeſſionem, & proprietatem ipſorum, cum „omni plenitudine recognoſcimus, jure pleniſſimo ad jus & proprietatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ „ſpectare & omnimodo pertinere. Ac ipſas omnes terras atque provincias adnotamus, innovamus, atque concedimus, quietamus libere & dimittimus, reſtituimus & renunciamus. Nec non „ad omnem ſcrupulum removendum, & ut pax & quies, atque tranquillitas inter eccleſiam & imperium jugiter vigeat, & futuris dante domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contentionis & „diſſenſionis cujuslibet materia præcidatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus & donamus de novo. Promittentes, & obligantes nos, prout plenius & „efficacius poſſumus, quod nullo unquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis „eſt, permittemus, civitates, loca, caſtra, terras & provincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earum partem, nec in ipſis vel aliqua ipſarum, vel earum parte, jurisdictionem aliquam per nos vel „per alium geremus, vel exercebimus, nec jura aliqua, poſſeſſiones, vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eisdem terris vel provinciis, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum, nec officium aliquod geremus per nos vel per alios poteſtariæ vel capitaniæ, ſeu quocunque nomine cenſeantur,

„in ipſis, vel aliqua ipſarum vel earum parte: & quod tanquam princeps catholicus, advocatus &
„defenſor ſanctæ Romanæ eccleſiæ, juvabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus contra quoscunque oc-
„cupantes, invadentes, vel turbantes provincias ipſas, civitates, loca, caſtra, & terras, vel aliquas ipſa-
„rum vel earum partem: & quoscunque inobedientes ſeu rebelles eccleſiæ, præcipue in provin-
„ciis, civitatibus, locis, caſtris & terris eisdem in nullo fovebimus, vel manutenebimus, ſeu per quos-
„cunque foveri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt, permittemus; ſed contra ipſos aſſiſtemus,
„conſiliis, auxiliis, & favoribus opportunis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac Romanis pontificibus & apo-
„ſtolicæ ſedi, quousque rebelles & ſubditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur.
„Promittentes quoque, ſanctam Romanam eccleſiam, & eccleſias alias, & libertatem eccleſiaſti-
„cam, & bona, jura, prælatos & miniſtros ipſarum manutenere, conſervare, & pro viribus defen-
„ſare; Vaſallos quoque Romanæ eccleſiæ contra juſtitiam non offendere; & quod devotos & fi-
„deles eccleſiæ, etiam in imperio conſtitutos benigne tractabimus, & contra juſtitiam non oppri-
„memus, nec per alium, quantum in nobis eſt, opprimi permittemus, ſed conſervabimus in juribus
„& juſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inviolabiliter obſervare & obſervari fa-
„cere; & nullo unquam tempore contra venire, juramus ad ſancta Dei evangelia, facto libro in
„manibus diſcreti viri Joannis de Malans, ſcholaſtici eccleſiæ Tullenſis veſtri capellani, nomine Ro-
„manæ eccleſiæ & ſedis apoſtolicæ ac veſtro, ac de veſtro mandato ſpecialiter recipientis, de qua
„etiam receptione tam per noſtras præſentes quam per ipſius recipientis literas ſeu publicum in-
„ſtrumentum plane conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & ſanctæ
„Romanæ eccleſiæ ac ſedis apoſtolicæ & Romanorum pontificum ſecuritatem atque cautelam, præ-
„ſentes literas Regio majeſtatis ſigillo munitas fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos
„cum omni efficacia & effectu, quod poſt imperialis diadematis coronationem ſuſceptam, prædicta
„omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus, & ſervabimus atque jurabi-
„mus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas,
„harum ſeriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem, & cautelam veſtram
„& ſucceſſorum veſtrorum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & apoſtolicæ ſedis, imperialis majeſtatis ty-
„pario communitas. Datum Lauſannæ V. Idus Octobris anno Domini milleſimo trecenteſimo de-
„cimo, regni vero noſtri anno ſecundo.

13. Hæc ſunt tabulæ Henrici illius Luxelburgici cæſaris, per ſane liberales in Romanum pontificem, & bonorum imperii multum prodigæ. Verumenimvero parum in iis roboris invenitur, nec imperium illæ obligant. Non enim electorum multo minus reliquorum imperii principum conſenſu probatæ ſunt: quod ad robur earum unice requiritur. Adhoc certum eſt imperatori fuiſſe doloſe impoſitum a Legatis pontificiis, quaſi tantum juris papæ competeret per antecedentium cæſarum liberales donationes. Bzovius utique in hiſtoria anni MCCCIV. num. 1. notat ex ore cardinalis Neapolionis Clementis papæ nomine, legatos Henrici *Avenione* (a) *formulam inaugurationis Henrici audiiſſe & ſcriptam accepiſſe, in ſe recipientes, ut Henricus futurus imperator verba quædam in præjudicium apoſtolicæ ſedis & omnium eccleſiarum prolata antiquaret.* Et tamen in formulis donationum anteacti ævi tale quid inveniri, nemo docuerit: præſertim cum & ipſarum plæræque ſine dubio ex præſcripto Romanæ curiæ fuerint confectæ. Quid eſt notius præterea, quam donationem Conſtantini merum eſſe curiæ papalis commentum? & tamen cæſar inductus eſt eam hiſce ſuis tabulis, contra morem omnis retro ævi, confirmare. Non tangam fraudulentas doloſasque, perſuaſiones reliquas in clariſſima luce. Itaque cum mala adeo fide cum cæſare fuerit actum, ſummo merito *reſtitui in integrum* (b) jura imperii debuerunt; ſi illa imprudente iſthac donatione aliquid detrimenti cœpiſſent. Et vero vix illas tabulas curaverat confici Henricus, cum meliora edoctus, itinere in Italiam ſuſcepto, minime omnium ex præſcripto illarum videndum ſibi exiſtimavit: ſi Bzovio hoſti jurium imperii credimus illa narranti num. 4. 5. & 6. Quamvis ampliſſima porro ſit donatio iſthæc, tamen ſummam auctoritatem cæſarum per eam non eſſe extinctam, argumento luculentiſſimo eſt, quod ipſemet Clemens papa in eam mitem ſententiam tabulas illas fuerit interpretatus. Etenim ipſi urbi Romæ Henricus usque in adventum ſuum, ſenatorem ſive præfectum ſummum dedit Ludovicum Sabaudum quingentis equitibus armatum; ubi adveniſſet, primores Romanos in fidem ſuam ſacramento adegit, obſides imperavit: hiſce inter alia verbis Romanos cives affatus eſt: *Non longi itineris laborem ſibi fuiſſe gravem, conſideranti SUOS ſe Romanos, amantiſſimum SIBI populum viſurum, cum quo lætos jucundosque dies peragerat.* Nihil horum latuit Clementem jam ante coronationem: & tamen per delectos cardinales Henricum ungi & imperatorem renuntiari curavit, nullo verbo injuriam aliquam conqueſtus. *Cum peracta coronatione* (c) Henricus graviſſime tuliſſet ſcriptum ſibi a Clemente, quaſi *ſacra-*

(a) *Avenione*) Papæ vixerunt in Gallia ultra 70. annos; habitarunt autem in urbe Avenione. GöBEL. *conſ.* BALUZIUS *in vitis paparum Avenionenſium.* Numerus eorum complectitur Clementem V. Joannem XXII. Benedictum XII. Clementem VI. Innocentium VI. Urbanum V. Gregorium XI. Clementem VII.

(b) *Reſtitui in integrum*) GöBEL. Tabulæ Henricianæ anteceſſorum ſuorum donationes confirmant. Nullum autem novum Romanæ ſedi dant jus: Nec officit, quod in eis dicatur, traditionem fieri *cum omni plenitudine, jure pleniſſimo integraliter & cum omnibus juribus & juriſdictionibus.* Nam & has formulas in chartis, quibus monaſteriis quædam donantur, reperiri, dixi. Vid. *annales Trevirenſes BROWERI tom. 1. p. 351.* HUNDIUS *in metropoli p. 98.*

(c) *Cum peracta coronatione*) Clemens V. in literis Henricum VII. juramentum fidelitatis ſibi eſſe præſtitum ſcribit. In jure canonico ſcriptum eſt ab eccleſiæ Romanæ antiſtitibus, Ottonem magnum ſeſe juramento obſtrinxiſſe papæ, quod vocant juramentum fidelitatis: ægerrime vero id tulit Henricus, & dixit, ſe velle ſervare juramentum, quo promiſit, ſe velle defendere papam; ſed non præſtitiſſe juramentum fidelitatis.

ſacramentum fidelitatis præſtitiſſet: *Clemens hoc quidem* (a) ad animum revocavit, edita in concilio Viennenſi illa proteſtatione, quam lib. 2. tit. 9. Clementinarum edidit Joannes XXII. at ne tum quidem inclementer quidquam in Henricum jam defunctum dixit, quaſi pontificum jura Romæ invaſiſſet. Non profecto ſilentio præteriiſſet talia Clemens & quidem offenſus, niſi rite & jure facta illa ab Henrico exiſtimaſſet. Habet hæc omnia ipſe Bzovius ad annum MCCCX. num. 2. & ſequentibus, multum quidem conquerens de cæſare, ſed ex ſuo perverſo ingenio, non autem quaſi idem fecerint Clemens & delecti ab illo cardinales.

14. Henrico defuncto qui ſucceſſit LUDOVICUS IV. cæſar, cum iniquiſſimis pontificibus omnem vitam colluctatus, tabulas donationis nullas edidit. Nam etſi in iis literis, quas anno MCCCXXXVI. ad Benedictum XII. datas, recitat Bzovius atque ex illo Herwartus, longe ampliſſimorum munerum ſpem fecerit, pacis ergo: effectu tamen caruit negotium per inſolentiam ipſiusmet papæ. Ex adverſo jura vetera imperii multis modis Ludovicus fortiſſime aſſerta quaſi poſtliminio recuperaſſe poſſit videri: quod ſequente capite fiet clariſſimum.

15. Omnibus cæſaribus, qui anteceſſerant magis benignum ſe papis exhibuit CAROLUS quartus. Hujus autem binæ donationum tabulæ feruntur, alteræ anno MCCCLV. Innocentio ſexto, alteræ MCCCLXIIX. Urbano VIto datæ. Priores ipſas recitat Bzovius num. 8. earum argumentum num. VII. poſteriorum ſummam num. 1. ſuo utrumque anno. Nimis prolixæ ſunt tabulæ ipſæ: ergo ſatis videtur eſſe, ſi ſummas ambarum adferamus, & quidem quales eas produxit ipſe Bzovius. Priorem hiſce verbis auctor ille una cum coronationis cæſareæ hiſtoria proponit. *Inter Miſſarum ſolennia, Petrus Oſtienſis epiſcopus, & Ægidius S. Clementis cardinales legati, poſtquam ſacramentum ab eo ex preſcripta formula eccleſiæ & ſummo pontifici dictum audiviſſent, ſacro oleo innunxerunt, & imperatorem conſecratum, diademate ac reliquis inſigniis imperii ornarunt: cum is omnia, quæ olim V. Cal. Maji anno MCCCXXXXVII. Tridentini, in manibus Gerardi archidiaconi, ſedis apoſtolicæ nuncii, nunc epiſcopi Tridentini, ad inſtar Henrici VII. promiſeras* (de quibus videatur Bzovius ad annum illum) *tum ante, tum poſt coronationem confirmaſſet, innovaſſet, conceſſiſſetque Romanæ eccleſiæ: datis literis, in quibus Henrici VII. diploma datum Lauſanne V. Idus Octob. inſeruit, & ad cujus inſtar, Romanum ducatum, marchiam Anconitanam, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Romandiolam, comitatum Bretenorii, civitatem Bononienſem, vallem Spolitanam cum toto ducatu, comitatum Peruſii & Caſtelli, Maſſam Trebariam, Patrimonium beati Petri in Thuſcia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, urbis veteris & Reate, comitatum Sabinæ, civitatem interamnem, arcem cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus civitatibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad eam ſpectantibus, regnum Siciliæ cis & ultra Pharum, Sardiniam & Corſicam, comitatum Venuſinum, civitatem Avinionem, & omnia alia bona ac jura eccleſiæ, pontifici Romano ab imperatoribus olim data approbavit, & aurea bulla quatuor diplomata ejus approbationis, innovationis & conceſſionis ſignata, legato ſedis apoſtolicæ dedit lateráni nonis Aprilis, anno Domini M CCC LV. regnorum IX. imperii I. Inter alia Carolus juravit, quod* 1. *in Italia, nullos Vicarios urbibus imperialibus præficeret, ſine ſcitu pontificis.* 2. *Vicariis, quos urbibus præficeret, neceſſitatem jurisjurandi imponeret, ut eccleſiam Romanam adverſus quosvis hoſtes tuerentur.* 3. *Ipſe pro eccleſia bonis ac juribus, propriis ſumptibus tamdiu militaret, quoad illa ab iniquis poſſeſſoribus vindicaret.* 4. *Pontificiarum partium homines a Gibellinis tueretur, neque illos opprimi fineret.* 5. *Ægidium cardinalem legatum adverſus tyrannos laborantem juvaret.* 6. *Proceſſus ab Henrico avo contra Florentinos & Robertum Siciliæ regem factos abrogaret.* 7. *Univerſitatibus, communitatibus, ac ſingulis perſonis in Italia omnes injurias anteceſſoribus imperatoribus & ſibi quoquo modo factas remitteret.* 8. *Ex eo, quod propter abſentiam pontificis, formula antiqua inaugurationis imperatorum, in eis conſecratione ſervata non fuit, nihil contra recens in literis legatorum præſcriptam opponeret, aut privilegiis apoſtolicæ ſedis derogaret: quo minus ejus impoſterum ſucceſſor, aut non poſſit a Romano Pontifice coronari, aut eidem Romano pontifici ea omnia obſequia*

(a) *Clemens hoc quidem*) Legi meretur hic locus allatus. Ibi papa decidit, juramentum hoc, quod cæſares præſtant, eſſe juramentum fidelitatis, & ſcripſit id quoque ad Henricum VII. qui ſerio id negavit. Locus autem hic cum maxima imperatorum noſtrorum conjunctus eſt injuria, adeo, ut quilibet prudens & peritus jurisconſultus non poſſit non eum execrari. De Maximiliano II. notandum eſt, eum non obtuliſſe papæ obedientiam, ut alii cæſares & principes. Ferdinandus II. etſi ſuperſtitioſus fuerit defenſor paparum, obedientiam tamen papæ offerre noluit. Inter Maximilianum vero & curiam Romanam graviſſimæ ortæ ſunt controverſiæ, ob negatam obedientiam. GöBEL. Impudentiſſimum pontificis eſt facinus, ſuperiori ſuo legem præſcribere velle, ut ſibi fidelitatis præſtaret juramentum. Talis audacia a læſæ majeſtatis crimine non procul abeſt, & eo ipſo papa ſe omnium, quæ ab imperatoribus data fuerunt, indignum reddidit. Ut tamen, falſum eſſe Pontificis aſſertum, quod Henricus ei fidelitatis præſtiterit juramentum, conſtet, quod imperatoris procuratores Avenione in domo fratrum prædicatorum 1308. præſtiterunt ex LEIBNITII *mantiſſa C. D. p. 257.* addamus: *Vobis ſanctiſſimo patri & domino, domino Clementi divina providente clementia papa quinto, rite & nomine dicti domini noſtri regis & in animam ipſius promittimus & juramus per Patrem & Filium & Spiritum & per hæc ſancta Dei evangelia, & per hoc lignum vivificæ crucis & per has reliquias ſanctorum, quod nunquam vitam aut membra, neque ipſum honorem, quem habetis, ſua voluntate aut ſuo conſenſu aut ſuo conſilio aut ſua exhortatione perdetis, & in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, quæ ad vos pertinent aut Romanos, ſine veſtro conſilio & conſenſu; quicquid de terra eccleſiæ Romanæ pervenit ad ipſum, aut perveniet vobis, reddet, quam citius poterit; & quandocunque in Lombardiam & Tuſciam aliquem mittet pro terris & juribus ſuis gubernandis, quoties mittet eum, jurare faciet illum, ut adjutor veſter ſit ad defendendum terram St. Petri & Romanam eccleſiam ſecundum ſuum poſſe: & ſi permittente domino dictus dominus noſter rex Romam venerit, ſanctam Romanam eccleſiam & vos rectorem ipſius & ſucceſſores veſtros exaltabit ſecundum ſuum poſſe: & cum Romæ vel alibi per vos in imperatorem coronandus fuerit dominus noſter rex, prædictum ſacramentum & aliud fieri conſuetum & requiſitionem veſtram tempore coronationis ſuæ perſonaliter renovabit.*

obſequia præſtare, quæ in antiqua formula præſcripta ſunt. 9. Romana urbe ſtatim a coronatione diſcederet, neque invito pontifice reverteretur. Extat in libr. 3. privileg. Roman. eccleſ. pag. 132. 234. 328. & autographum in mole Hadriani. De poſterioribus Bzovius ita loquitur: *Carolus antequam Italiam intraret, Gerardum Naumburgenſem epiſcopum oratorem miſit qui pontifici adventum imperatoris inprimis renunciaret: deinde ſolitum diploma imperiale confirmationis jurium eccleſiæ Romanæ, & obedientiæ debitæ deferret. In eo, ad 3. idus Aprilis, bulla aurea ſignato & jurejurando affirmat ſe pro dignitate ſedis apoſtolicæ in Italiam venire, neque velle juribus & libertatibus illius quicquam detrahere: quin potius tyrannos adverſus eam ſævientes, bonaque illius uſurpantes & occupantes reprimere, neque vel minimum ei eripere, quod exemplo antecedentium imperatorum, & præſertim HENRICI avi (cujus diploma ſuo diplomati inſeruit) præſenti inſtrumento, conſentientibus imperii principibus, Romanæ eccleſiæ confirmaret omnia jura, privilegia, bona, urbes, terras, provincias, regna olim ab imperatoribus Chriſtianis, Conſtantino magno, Ottone, Carolo, & reliquis ſeu donata ſeu probata: & præcipue marchiam Anconitanam, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Romandiolam, comitatum Bretenorii, civitatem Bononienſem, vallem Spoletanam cum toto ducatu, comitatum Peruſii & Caſtelli, maſſam Trebariam, patrimonium B. PETRI in Tuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narniæ, urbis veteris & Reatæ, comitatum Sabinæ, civitatem Interamnenſem, arcem cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus civitatibus, Romam & Ferrariam, cum omnibus ad eam ſpectantibus, regnum Siciliæ cis & ultra Pharum, Sardiniam & Corſicam, civitatem Beneventi, comitatum Venuſinum, civitatem Avinionenſem cum omnibus pertinentibus. Hæc Carolus quartus Romanæ eccleſiæ inſtrumento publico, & ſacramento confirmabat, inſertis literis Henrici VII. imperatoris datis Lauſannæ. Præſentibus teſtibus, quorum hæc ſunt nomina: Albertus Pataviensis, Lambertus Spirenſis, Joannes Brixienſis, Gerhardus Naumburgenſis, & Otto Mindenſis eccleſiarum epiſcopi. Illuſtres, Albertus & Leopoldus fratres, Auſtriæ, Stiriæ & Carinthiæ duces: Johannes & Jodocus imperatoris filii, marchiones Moraviæ. Spectabiles, Joannes de Habesburg, Burchardus burggravius Magdeburgenſis, Joannes & Burchardus de Retz comites: Nobiles Ulricus de Boczkovicz, Sdenco & Albertus fratres de Sterenbergh, Rudolphus de Eckertſon, Stephanus de Lembergh, Conradus de Baccendorff, & alii quamplures comites, nobiles, imperatoris & imperii ſacri fideles. Extat diploma authographum in mole Adriani.*

16. *Hæc ita Bzovius.* (a) Cujus fides licet multum ſit ſuſpecta, nunc tamen in dubium illam non vocabimus, quum a moribus Caroli illius nihil alienum hic deprehendamus. Obſervandum autem venit, priores tabulas a poſterioribus longe diverſas eſſe. Nam in prioribus quidem fœda multa & indigna promiſit Carolus: quorum in poſterioribus memoria nulla reperitur. Nec tamen in ulla earum alia bona papæ donantur, præter illa quæ præcedentium cæſarum tabulis jam continebantur: ſi comitatum Venuſinum & Avenionenſem urbem excipias, de quibus infra agendum erit in regni Burgundici rebus. Laborant vero utræque tabulæ hæ non minus quam illæ Henrici. Nec enim ulla harum conſenſu electorum, multo minus aliorum principum roborata eſt. Hinc in prioribus nulla omnino ſit conſenſus illius mentio. In poſterioribus legas quidem illa: *conſentientibus imperii principibus:* ſed principum nomine non electores aut omnium principum ordo intelligitur, ſed ſoli hi, qui teſtes ſcribendo adfuerunt, pauci illi & minime primarii. In fœda certe illa priorum tabularum promiſſa nemo principum conſenſit. Eoque neutræ harum tabularum magni momenti; priores plane nauci ſunt. Nec tamen hiſce etiam tabulis exhauſta eſt univerſa imperii in papalia bona auctoritas: ſed omnia reſtringenda ſunt intra limites dominii utilis pleni. Hinc ſtatim a coronatione, ſimul ac Tibur conceſſiſſet cæſar, *ſeveriſſimum MANDATUM dedit, ut finem tandem Romani mutandis novandisque rebus imponerent, memores ſacramenti apud Romanum pontificem ſemel depoſiti: quod ſi violatum iverint, aut ſi legato etiam pontificis rebelles fuerint, perfidiam illorum ſe armis vindicaturum:* quæ ipſiſſima ſunt verba Bzovii num. 9. ad annum MDLV. Nihil vero mandare ille potuiſſet Romanis, & quidem papa non repugnante, (ut hoc ſane fecit ipſo petente) niſi aliquam cæſaream auctoritatem crediſiſſet cæſar in Romanos ſibi ſupereſſe. Quod enim noluerit Romanis illis aſſentiri, *qui urgebant, ut urbis poſſeſſionem invaderet, & Romanos in antiquum ſtatum reſtitueret,* (quod heic refert Bzovius) *id pro indicio* (b) omnis cæſareæ auctoritatis depoſitæ, minime accipi debet; utpote quum Romanorum illud

(a) *Hæc ita Bzovius)* GöBEL. In LUNIGII *C. J. D. tom. II. p. 767.* legitur inſtrumentum ſuper juramento, a Carolo IV. antequam Romanorum eligeretur rex, ſedi pontificiæ præſtito, d. 22. april. 1346. conditum. In hoc confirmat omnia, quæ in favorem pontificiæ ſedis ab Henrico VII. aliiſque imperatoribus data aut facta ſunt, & quæ contra illam ſedem a Ludovico Bavaro facta, irrita declarat, promittitque & jurat, ſe nihil ad eccleſiam Romanam vel directe vel indirecte, ſive in Italia, ſive extra eam, ſpectans occupare, aut ut illud ab alio fiat, pati velle, vel illi in eo auxilium præſtare. De terris extra Italiam ſitis deinde additur: *Sicut eſt comitatus Venuſinus, qui ad Romanam eccleſiam pleno jure noſcitur pertinere, & plura etiam alia ad eandem eccleſiam pertinentia, extra eccleſiam conſtitutæ, & ſpecialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ de directo dominio, jure & feudo ejusdem Romanæ eccleſiæ eſſe noſcuntur &c.* Inter terras Italiæ, a quibus Carolus abſtinere pollicitus eſt, nominatur Ferraria. Nec non additur, illa loca jure territorii, ad regem vel imperatorem nulla ratione pertinere. Haud dubie tamen hoc Carolus de dominio utili intellectum voluit. Apparet etiam ibi, maximo Caroli dedecore, quod ante coronationis diem Romam non ingredi & illa die, niſi legitimum adſit impedimentum, diadema ſumere, illoque accepto eodem die urbe excedere velit: verum tale indignum plane imperatoria majeſtate promiſſum, ſi quid ex vero habet, imperii & ſuccedentium imperatorum juribus non potuit eſſe noxium, in Carolo tamen aliquo modo excuſari poſſe videtur. ALBERTUS ARGENTINENSIS *p. 163.* Porro promittit, quos ad *Tuſciam* vel *Longobardiam* regendas miſſurus ſit, domini papæ adjutores fore. Repetuntur deinde illi inſtrumento inſerta d. 5. kalend. Maji 1347. apud LüNIG. *p. 774.* ibique in Ludovicum Bavarum graviter invehitur, eosque, qui ab hoc & Henrico VII. proſcripti erant, a tali liberat incommodo. Non tamen diplomata hæc, prout a Lunigio exhibita, cum Bzovianis illis coincidunt.

(b) *Id pro indicio)* GöBEL. Sic & non judices & rectores provinciæ Garfagnanæ, ſed & epiſcopum Bononienſem de variis inveſtivit locis. SIGONIUS *in epiſc. Bonon.*

illud deſiderium tenderit ad exuendam omnem papalem jurisdictionem, quam tollere non ſane fas erat, & licebat integram tueri ſalvis imperii ſummis juribus.

17. *QVI Carolum ſecuti ſunt* (a) cæſares, num & ipſi omnes confectis tabulis aut vetera confirmaverint pontificibus, aut dederint nova, non ſatis compertum habeo. Nec enim tabulæ illæ hactenus, quod ſciam, prodierunt in lucem. Ex Bzovii annalium tomis viginti tamen deprehendere eſt, non tantum ab iis, qui a papis coronati ſunt, ſed etiam ab aliis ad Ferdinandum primum usque, tabulas aliquas profectas eſſe in confirmationem donationum priorum. Num quid a nonnullis ſit additum demptumve, me, fateor, latet. Additum nihil eſſe, videtur ſignificare juramenti a Sigismundo cæſare præſtiti formula, quam in hiſtoria anni MCCCC XXXIII. recitat Bzovius. Inſeremus illam heic etiam nos in majorem fidem. *Hoc ipſo die, tum ante tum peracta inauguratione, Sigismundus, juramenta, quæ per literas & oratores Eugenio & ſedi apoſtolicæ aliquoties ſcripſerat, feceratque, tum voce coram omnibus, quorum intererat, tactis evangeliis, cruce, & ſanctorum reliquiis innovavit, tum datis ſignatisque ex more quatuor diplomatibus confirmavit juravitque, ſcilicet eccleſiam & fidem catholicam pura fide totis viribus conſervare reverenter ac etiam defendere: omnem hæreſin & ſchiſma & hæreticos quoslibet, fautoresque & receptatores, ac etiam defenſores eorum exterminare pro poſſe; nunquam cum Saraceno, pagano, hæretico, ſchiſmatico, ſeu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente; aut cum aliquo alio Romanæ & univerſalis eccleſiæ inimico, vel rebelli, ſeu eidem manifeſte ſuſpecto, unionem quamlibet, parentelam, aut confœderationem inire; ſed tam Eugenii quam ejus ſucceſſorum Romanorum pontificum perſonas, honorem, & ſtatum manutenere, defendere, ac conſervare contra omnes homines, cujuscunque exiſterent præeminentiæ dignitatis aut ſtatus: privilegia omnia per prædeceſſores ſuos reges & imperatores Romanorum, Romanæ eccleſiæ ac aliis quibuslibet eccleſiis, quocunque tempore conceſſa, & cujuscunque continentiæ, ſpecialiter per Conſtantinum & Carolum magnos, per Henricum, Ottonem IV, Wenceslaum & Rupertum prædeceſſores ipſius, præſertim ſuper conceſſione, advocatione, recognitione, quietatione, & libera admiſſione terrarum & provinciarum Romanæ eccleſiæ ubilibet poſitarum, præcipue marchiæ Anconitanæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis integraliter, cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Exarchatus Ravennæ & Pentapolis, ac Romandiolæ, & Bertenori comitatus, cum civitate Bononienſi, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, vallis quoque, quæ Spoletana dicitur, ſive ducatus, cum civitatibus Peruſii atque Caſtelli, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Maſſæ quoque, quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Patrimonii etiam beati Petri in Thuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narniæ, urbis veteris, & Reatæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum civitate interamnenſi, & cum arce cæſaris & terra, quæ dicitur Arnuiphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus & cum omnibus juribus & jurisdictionibus eorundem. Comitatus quoque Campaniæ atque Maritimæ, urbis Romæ, Ferrariæ, regnorum Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, comitatus Venayſini, cum omnibus provinciis, ducatibus, comitatibus, civitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, limitibus, & territoriis ubilibet poſitis, ſedi apoſtolicæ Romanisque pontificibus ſub quocunque tenore conceſſis, confirmare, & ex certa ſcientia innovare, ac etiam, quatenus opus eſt, de novo concedere, eaque omnia ad proprietatem ipſius eccleſiæ pertinentia eſſe recognoſcere; quemadmodum de facto per diplomata data, ſignataque, recognovit, conceſſit, innovavit, confirmavitque; addito jurejurando, quod ipſas nullo, inquit, unquam tempore occupabimus vel occupari, quantum in nobis eſt, permittemus, civitates, loca, caſtra, terras, regna, & provincias ſupra dictas, vel aliquas ipſarum vel earum partem, nec in ipſis vel aliqua ipſarum vel earum parte jurisdictionem aliquam per nos vel per alium geremus, vel exercebimus: nec jura aliqua poſſeſſiones, vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eisdem terris vel provinciis, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios, Poteſtariæ, vel Capitaniæ, ſeu quocunque nomine cenſentur, in ipſis vel aliqua ipſarum, vel earum parte: & quod tanquam princeps catholicus, advocatus, & defenſor ſanctæ Romanæ eccleſiæ juvabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus, contra quoscunque occupantes, invadentes vel turbantes, provincias ipſas, civitates, loca, caſtra & terras, vel aliquas ipſarum, vel earum partem: & quoscunque inobedientes, ſeu rebelles eccleſiæ, præcipue in provinciis, civitatibus, locis, caſtris, & terris, eisdem in nullo favebimus, vel manutenebimus ſeu per quoscunque faveri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt, permittemus; ſed contra ipſos aſſiſtemus, conſiliis, auxiliis, & favoribus opportunis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac Romanis pontificibus, & apoſtolicæ ſedi, quousque rebelles & ſubditi, ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque, ſanctam Romanam eccleſiam, & eccleſias, & libertatem eccleſiaſticam, & bona, jura, prælatos, & miniſtros ipſarum manutenere, conſervare, & pro viribus defenſare, vaſallos quoque Romanæ eccleſiæ, contra juſtitiam non offendere: & quod devotos, & fideles eccleſiæ, etiam in imperio conſtitutos benigne tractabimus, & contra juſtitiam non opprimemus, nec per alium, quantum in nobis eſt, opprimi permittemus, ſed conſervabimus in juribus & juſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inviolabiliter obſervare, & obſervari facere, & nullo unquam tempore contra venire juramus ad ſancta Dei evangelia, &c. Datum Romæ pridie kalendis Junii, anno Domini MCCCC XXXIII.*

18. Heic *nihil additum* (b) obſervare eſt, imo Avenionis nulla fit mentio præter morem, vitio

(a) *Qui Carolum ſecuti ſunt*) Romanus papa non audet niti veterum cæſarum donationibus; ſed ſemper vult eas confirmari, quod indicat, cæſares non teneri, ſtare promiſſis anteceſſorum.

(b) *Nihil additum*) GÖBEL. Verba: *Integraliter & cum omnibus juribus & jurisdictionibus eorundem eaque omnia ad perpetuitatem ipſius eccleſiæ pertinentia*, ſummis imperii juribus æque ac fabuloſam Conſtantini donationem

vitio tamen forte deſcriptoris. *Carolo V.* (a) cæſare Parmam & Placentiam novo dono pontificibus acceſſiſſe, ſunt qui memorent. Et vero cæſar ipſe in literis ex Hiſpania ad cardinales anno XXXVI. miſſis, in quibus de papa Clemente VII. vehementer conqueritur, hiſce inter alia verbis utitur: *Parmam & Placentiam a Romani imperii feudo disjunctas, ſedi Romana nullo jure coacti poſſidendas reſtituimus.* Id quando & quemadmodum ſit factum, haud conſtat: niſi quod ſuſpicet, quo tempore Carolus primum cæſar dictus eſt, illum ad hæc donanda inductum. Jam tum ſcilicet anno MDXII. quum Gallis Mediolano pulſis utraque urbs illa Julio pontifici ultro ſeſe dedidiſſet, hic illas ut partem exarchatus Ravennatenſis pontificio juri aſſerere niſus eſt, ſed vehementer conatibus illis adverſante Maximiliano primo cæſare: quod ex Guiccardini libro decimo & undecimo manifeſtum eſt. An noviter electo itaque cæſari Carolo, nondum ſatis imperii jurium perito, per malas artes aliquid extortum eſt? In iis tabulis, quas Bononiæ in ſolemnibus coronationis ſuæ Clementi exhibuit, idem eſſe repetitum, ab omni eſt veroſimilitudine alienum. Plane alio animo fuiſſe, quando Bononiam Carolus tenderet, teſtis eſt *Surius* (b) in hiſtoria anni MDXXIX. *Hoc etiam*, inquit ille, *anno Clemens pontifex adventanti e Genua cæſari, & Placentiam contendenti tres legatos obviam miſit, qui a pontificiæ ditionis fines intrante ſolitum jusjurandum acciperent, nunquam ipſum pontificis libertatem violaturum. Juravit cæſar verbis rite conceptis, ſed ita tamen, ut ſe de ſuo jure nihil remiſſurum teſtaretur. Quod putant quidam ideo eum feciſſe, quod Placentiam & Parmam a Mediolanenſi imperio antiquitus attributas repeteret, quandoquidem Mediolanenſe dominium imperatorum ſemper beneficiarium fuiſſet.* Hæc Surius: aut potius Paulus Jovius, qui hæc totidem pene verbis narrat *lib. 27.* Quinimo jam tum anno MDXXVI. Carolus ad ipſum Clementem VII. papam hiſce verbis uſus eſt in literis illis apologeticis ex Hiſpania, tum quando aliæ ad cardinales mitterentur, curatis. §. 39. *In quem uſum non tam exagitandum videretur, ſi noſtri duces & milites, qui ſua virtute ac viribus Parmam & Placentiam eccleſiæ reddidere ac ab hoſtium finibus evulſere totiensque tutati ſunt, ut illis victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab hoſtibus recuperatis diſponendum cenſerent. Potiſſimum cum ita hæ civitates eſſent ex fœdere Leonis conſignatæ, tenendæ duntaxat eo jure, quo ante per ipſum Leonem tantæ fuerant. Quod jus tamen nullum erat, quandoquidem ad feudum pertinerent imperii, eſſentque pars, ducatus Mediolani: & illis nullum eccleſia Romana titulum validum, nec ab imperio, nec ab eo, qui dare poſſet, obtinuerit.* Utcunque vero hæc ſeſe habeant, id certum eſt, cæſarem Carolum diu poſt, utramque urbem illam, ſumme licet indignante Paulo III. Farneſio, qui illas filio ſuo *Petro Aloiſio* (c) Romanæ eccleſiæ nomine dederat, tanquam cæſari juris urbes & partes Mediolanenſis ducatus, vindicaſſe; imo Placentiam a cæſare occupatam, ſero demum & poſt graviſſimum bellum, Farneſiis redditam. Quam rem cum alii tum inprimis præclare perſecutus eſt hiſtoricorum ævi noſtri princeps Jacobus Auguſtus Thuanus libris quarto, ſexto & octavo. Non diſputabo heic, utrum urbes illæ ad Ravennatem exarchatum, an ad ducatum Mediolanenſem jure pertineant, quamvis alias non fuerit probatu difficile, ſaltim unam illarum non fuiſſe antehac pontificii juris: Ex iis tamen, quæ modo attulimus, id patet, ægre cæſarem Carolum tandem illas urbes pontifici conceſſiſſe: nec id quidem factum prævio ordinum imperii conſilio: quod fieri par erat, ſi robore aliquo valere debeat cæſaris ceſſio. Papam certe Paulum III. propriis juribus diffiſum, & Carolum agnoviſſe non competere ſibi alienandi arbitrium, argumento eſt, quod donationem filio ſuo factam papa a cæſare ratihaberi petierit: Cæſar vero id recuſaverit, eo prætextu, *ſi illæ civitates ad imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis imperialis præjudicium eas alienare.* Quæ cum narrat Thuanus lib. 4. non equidem dubito ita tandem conceſſiſſe illas urbes Carolum, ut juribus imperii ſatis caverit. Et vero procul dubio non in aliud jus tranſierunt illæ urbes, quam quo tenentur a pontificibus reliqua omnia: hoc eſt ſalva ſumma auctoritate imperii: quam ſalutarem clauſulam omni donationi cæſarum tacite ſubeſſe, ſæpius jam tum monuimus.

19. POST Carolum num quid novatum ſit in tabulis cæſarum, equidem neſcio. Id conſtat,

---

non præjudicare, ſæpiſſime dictum eſt. Contendunt ſedis papalis aſſeclæ, & Friderici III. diploma anno 1452. factum exſtare, in quo anteceſſorum in ſummum præſulem enormia rata habuiſſe dicitur beneficia: verum AVGVSTINVS PATRITIVS, aulæ pontificiæ ceremoniarum magiſter, qui hujus imperatoris coronationi adfuit, nihil de eo memoriæ prodidit. Libellus ejus in MABILLONII *muſeo Italico tom. I. p. 2.* habetur. Quod autem imperii juribus nequaquam decedere voluerit, ex eo quoque apparet, quod Eſtenſem de Comaclo inveſtiverit. *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 257.* 258. Neque, Maximilianum I. pontifici, quid ex imperii terris largitum eſſe, apparet. Comaclum, a Feraria vicariatu independens imperii feudum, eum pontifici non permiſiſſe *in conventu VI. d. 12. Auguſti 1710.* habito §. 37 *ſeqq.* evictum eſt. Sic & de illo æque, ac de Mutino Regio Lepidi, & Feraria Alphonſum inveſtivit. *Les droits de l'Empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 404.*

(a) *Carolo V.*) GÖBEL. Carolum V. non deceſſiſſe ſummo imperii jure in Comaclum, *l. c.* §. *56.* probatur. *Les droits de l'Empire ſur l'etat eccleſiaſtique chapitr. XI. XLI.* De Florentia, Parma & Placentia infra dicetur. Nec ſucceſſores Caroli ullo modo juri in eas terras, quas pontifices ſibi vindicant, valedixerunt: ſed præbita occaſione ſtrenue illud vindicarunt. Illuſtre in Comaclo habemus exemplum, quod, ut imperii feudum, Eſtenſi cæſari a ſede Romana ereptum, Rudolphus II. iniquiſſimo ferebat animo, & de imperii juribus, ut forent ſalva, proteſtatus eſt. Quam ſollicitus Leopoldus de his juribus fuerit, ex ANDLERI *jurisprudentia lib. I. tit. V. part. 6. p. 149.* conſtat. vid. *Les droits de l'Empire ſur l'etat eccleſiaſtique c. 45.* Et cum aula Romana palam teſtabatur, ſe nullum imperii in Comaclo agnoſcere jus, Joſephus anno 1708. eo potitus eſt, quod quidem ab hodierno imperatore CAROLO VI. ſub certis pontifici redditum eſt legibus, ſalvis tamen ubique in id ſummis imperii juribus.

(b) *Laurent. Surius*) Vixit ſuperiori ſeculo. Fuit Lubecenſis & in Polonia monachus, infenſiſſimus evangelicæ religionis hoſtis; Scripſit librum ſimilis hiſtoriæ cum Sleidano. Et quamvis fuerit homo non indoctus, multa tamen ſcripſit, quæ neque doctrinam, neque prudentiam Sleidani referunt.

(c) *Petro Aloiſio*) Hic fuit filius nothus Pauli III. papæ, a quo duces Parmæ & Placentiæ deſcendunt.

ſtat, ordinum imperii conſenſu nihil præter ſolitum pontificibus acceſſiſſe. Ex quibus omnibus liquido patet id, quod probandum initio ſuſcepimus: aperto aliquo & expreſſis verbis concepto dono, imperii limitibus pontificum bona hactenus ſubducta non eſſe.

20. Claudemus hunc omnem ſermonem verbis magni juriſconſulti *Antonii de Roſellis*, (a) deſumptis ex libro, cui fecit quondam titulum *de monarchia*. Etſi enim liber ille per ſacrum prohibitorum librorum indicem patrum memoria proſcribi cœperit: quoniam tamen ætatem habet, & multa eſt doctrina refertus, nec alia qua culpa ſævam illam meruerit pontificiam pœnam, quam quod juribus cæſarum plus juſto viſus ſit favere, non eſt fortaſſe, quod nunc quidem illa cenſura moti, omnem verbis ejus auctoritatem detrahamus. „Pontifex, inquit, in dictis bonis „donatis ſummi principis exequitur poteſtatem, quaſi ſignificet, quod exercitium habet jurisdi-„ctionis & poteſtatis. Et ſic utile dominium jurisdictionis habet: quia directum eſt penes cæ-„ſarem, quod non poterat nec poteſt in perpetuum ab ejus oſſibus ſeparari. Habet ergo papa „executionem poteſtatis, & non dominium poteſtatis, id eſt, jurisdictionis, quia jurisdictio eſt „poteſtas de publico introducta, l. 1. ff. de jur. omn. jud. Unde infero, quod quoad directum „& utile dominium ipſarum rerum donatio tenuit, ſicut tenuiſſet alia particularis alienatio rerum „particularium: ſed quoad jurisdictionem, dico quod quantum ad utilem jurisdictionem, non „directam, adhuc teneat alienatio. Sicut videmus, quod cottidie princeps ducatus, comitatus, „& regna elargitur; & tamen retinet in habitu & directo dominio ipſam jurisdictionem & jus „imperii in bonis aliis commiſſis. Ut in cap. 1. de feud. March. ducat. & comit. & in juribus ſu-„pra illis. Ita & in his bonis eccleſiæ donatis jus imperii & jurisdictionem retinuit atque retinet, „quamvis utile dominium, ejus etiam exercitium pontifici commiſerit.

CAPUT XXI.

Terras pontificum Romanorum, non præſcriptione vel alio aliquo titulo, imperii ditione & juribus excidiſſe.

1.

Cum dono cæſarum non ſublata eſſe ſumma imperii jura in paparum bona, jam pateat; conſequens eſt, uti videamus, num id factum ſit titulo quodam alio: aut ſi nondum ſit factum, num merito id fieri debeat. *Et quidem præſcriptione* (b) longi temporis amiſſa illa ſumma jura, ſunt qui cenſeant. Quos ab aliis fateor minus recte confutari eo argumento, quaſi præſcriptio adverſus imperii auctoritatem locum non inveniat, propterea quod unice illa valeat ex arbitrio legum civilium Romanorum. Etenim jam tum aſſeruimus, ut uſucapionem ita & præſcriptionem aliquam ex ipſo naturæ inſtituto vim habere. Ergo non omnino improbanda ſunt illa Bellarmini lib. 5. de Rom. pontif. cap. 9. de bonis pontificum: *Etiamſi nihil horum* (donationum cæſarearum ſcilicet) *exſtaret, abunde ſufficeret præſcriptio DCCC annorum. Nam etiam regna & imperia per latrocinium acquiſita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioqui enim quo jure Julius Cæſar occupavit Romanorum imperium? & tamen tempore Tiberii Chriſtus ait, Matth. 22. reddite quæ ſunt cæſaris cæſari. Quo jure Franci Galliam, Saxones Brittanniam, Gothi Hiſpaniam invaſerunt? & tamen quis hoc tempore regna ab illis conſtituta illegitima eſſe diceret?* Ut ingenue etiam, ita non omnino male, Paulus III, *cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere ſolitus eſt ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui a Chriſto eam tam anxie repeterent, cujus ſe poſſeſſionem vel ſolam optimum & firmiſſimum titulum habere dicebat, quam viribus opibusque ſummis, civitatibus munitiſſimis, & potentiſſimorum principum ſibi conjurantium auxilio tueri ac defendere poſſit.* Quæ alicubi refert Petrus Pithœus. *Hæc, inquam, non omnino* (c) rejicula ſunt, ſi de poteſtate ſermo ſit non illa divinarum rerum & quæ creditur cœlitus collata, quam ſcilicet nulla uſucapio poteſt tueri, ut quæ in rebus mere humanis tantum valeat: nec de omni exceptione majore aliqua vi in bona pontificia, quæ imperatoriam excludat; huic enim nondum eſſe præſcriptum, jam demonſtrabimus. Admittimus igitur & nos, ſi dudum

(a) *Anthon. de Roſellis*) Fuit hic JCtus Italicus magni nominis. Romani papæ librum ejus numerant inter libros prohibitæ lectionis. Edidit illum GOLDASTUS in *monarch* conſcriptum ante 200. annos & amplius. GÖBEL. Hic pontificis partibus addictis ſudes eſt in oculis. Quamobrem NEVITANUS *in ſylva nuptiali lib. I. n. 152.* eum vocat virum impiiſſimum, cui, dum agitur de poteſtate papæ, non eſt multum credendum.

(b) *Et quidem præſcriptione*) Multi JCti putant, papam non poſſe præſcriptione niti, quia hæc & uſucapio eſſet inventa a jure Romano in utilitatem populi. Et ſic jura Romana poſitiva, quæ ſunt inventa, non poſſe nocere imperio Romano, ſed falſum hoc eſſe ex ſuperioribus liquet. Nam ipſa æquitas præſcriptionem & uſucapionem introduxit. Deinde etſi ſint inventæ a Romanis, tamen non poſſunt & debent pro lubitu obſervari. GÖBEL. MEVIUS *in nucl. juris naturalis & gent. inſpect. VI. §. 24.*

(c) *Hæc inquam non omnino*) Pontifex Romanus varia jura tribuit ſibi. Potiſſima, quæ ſibi tribuit, ſunt jura divina. Dicit, ſe vicarium Dei eſſe & proregem divinum. Præter, hæc alia jura humana habet: verum illa, quæ poſſidet, bona, non poſſidet jure divino, ſed humano, ut donationibus cæſarum &c. Uſucapio vero & præſcriptio valent in humanis rebus tantum, non vero in divinis, ut in arrogato illo vicariatu divino. Id ipſum diſputavi cum EBERMANNO Jeſuita, qui objiciebat, Romanum papam non teneri, vicariatum ſuum probare, quod adeſſet præſcriptio longi temporis. Papam enim me concedente per aliquot ſecula hoc nomen tenuiſſe. Ego negavi præſcriptionem longi temporis habere locum in rebus divinis, ad quas vicariatus ille pertinet. Nam quod non poteſt uſucapi, non poteſt præſcriptionem longi temporis admittere. Sed res divinæ non poſſunt &c.

Ergo &c.

Fateor itaque, pontificem poſſe uſucapere omnia bona, quæ ſunt ſc. juris humani. GÖBEL. Quando ſcil. nihil eſt, quod hanc præſcriptionem impediat.

dudum nemine imperii cauſam agente, pontifices in terris ſuis omnem excluſerunt imperii auctoritatem, illum unum tacitum conſenſum ſufficere pontificibus poſſe ad omnimodo plenam bonorum ſuorum poſſeſſionem, nullo licet alio jure ſuffultam. Verum enimvero aliter ſe rem habere, niſi fallor, liquido probabimus.

2. Principio enim conſtat apud omnes, ad hæc usque tempora regibus Germaniæ nomen cæſarum Romanorum *illibatum manſiſſe.* (a) Idque non tantum quod ipſi ſoli hoc ſibi nominis fortaſſis dederint, ſed quia & omnes populi, reges ac principes extra imperii limites poſiti, & ipſimet *Romani pontifices* (b) ultro ac communi quodam conſenſu idipſum, nemine diſſentiente, hactenus ſemper approbaverint. Nec vero cuiquam alii in omni orbe Chriſtiano Auguſtum illud nomen a quoquam tribuitur. Involavit quidem barbara ambitione Ruſſorum princeps in *cæſareum nomen*, (c) eoque czar vult audire, quaſi major regia dignitate: non Romanorum tamen ſed Ruſſorum czar, cupit ipſemet cenſeri. Hiſpanorum etiam nonnulli reges imperatorium titulum affectaverunt inani quadam arrogantia: ſed a prudentioribus caſtigata ſuperbia, intra juſtos modeſtiæ fines titulus illorum dudum rediit. Nec quisquam tamen eo vecordiæ proceſſit ut Romanorum ſe imperatorem diceret: Hiſpaniæ vel ſimpliciter imperatorio nomine, quamvis faſtu turgidi, fuere contenti. Quum Ferdinandus id nominis primus Caſtellæ rex imperatorem ſe feciſſet appellari, & cæſar noſter Henricus III. ac Victor papa, acriter eum perſtrinxerunt: quam rem late perſequutus eſt *Joannes Mariana*, (d) accuratiſſimus omnium Hiſpaniæ hiſtoricorum *lib.9. cap.5.* Ipſemet Mariana de Alfonſo VI. ita loquitur: *Omnino ex hoc tempore Alfonſus rex imperatoris* (e) (*JVRE AN INJVRIA non diſputo*) *ſed nomen tamen deſumpſit imperii.* Idem Alfonſo Arragonio lib.X. cap. 8. *Alfonſus ſoceri exemplo ſe Hiſpaniæ imperatorem dicit, ſi amplitudinem ditionis conſideres haud temere, cum regum potentiſſimus evaſiſſet omnium qui poſt Hiſpaniæ cladem extiterunt: IMPRVDENTER tamen, cum ex alieni juriſdictione atque temporario imperio tantos ſumeret ſpiritus.* Ex quibus diſcimus, non reges tantum Hiſpaniæ ſed & alios quosque Hiſpanos prudentiores ipſos arrogatum temere nomen improbaſſe. Certe Romani imperatoris nomen etiam ipſi illi regibus noſtræ Germaniæ non fecere controverſum. At vero non eſt Romanus imperator niſi cui ſummum ſaltim jus competit in urbem Romam. Recte enim jam olim Fridericus I. cæſar legatis Adriani papæ reſpondit: *Cum divina ordinatione ego Romanus imperator dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane ubique porto nomen ac ſine re, ſi urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa. Non negaverim*, (f) regalia quæ appellantur pontifici competere, nec hactenus bene argumentatum Fridericum cæſarem, quaſi regalia illa ſi ſint pontificis, ipſe non ſit Romanus imperator: ſatis enim eſt ad cæſareum nomen tuendum ſumma poteſtas, unde

(a) *Illibatum manſiſſe*) GöBEL. Titulorum in conſervandis juribus magnam eſſe vim, docet PVFFENDORF. *de J. N. & Gent. lib.1. c.1. §.18.* Significant enim, non adeſſe animum derelinquendi. Imperatores noſtri titulo imperatorum Romanorum etiam Romana non redimiti corona uſi ſunt. Lotharius Saxo eum adhibuit, antequam caput ejus papali illitum fuerit unctura, & Conradus III. eum ſumſit, licet nec poſtea a papa fuerit coronatus. Conf. GOLD. *in replicat. pro imperio* contra GRETZERVM c. 36. FRISINGENSIS *de geſtis Friderici I. c. 23.* Imo ipſe papa Gregorio VIII. Henricum VI. Friderici I. filium, electum tantum Romanorum regem, hoc ſalutavit nomine. LEIBN. *prodr. cod. J. G. diplomatici n.5.* Maximilianus I. publica lege ſanxit, ut ab omnibus, quamvis a papa non eſſet coronatus, imperator Romanus vocaretur. Vide DATTIVM *rer. Germ. lib.3. c.7.* Atque mos ille a Ferdinandi I. temporibus ad noſtrum usque diem conſtanter invaluit. Coronatio enim eſt res meræ facultatis, ad rem ipſam nihil faciens, & ſic abeque juris imminutione omitti poteſt.

(b) *Romani pontifices*) GöBEL. Hi ex rationibus politicis æquo ferunt animo, quod imperatores ad ſumendum Romanum diadema non accedant: In literis tamen ad imperatores, quantum fieri poteſt, a Romani imperatoris titulo abſtinent. In ELECTI adjectione latibulum aliquod invenire ſibi falſo perſuaſum habent, cum illud imperium non eſſe ſucceſſivum tantum indigitet.

(c) *Cæſareum nomen*) GöBEL. Czarium in Ruſſica lingua nihil aliud, quam regem, denotare, compertum habemus. In aula Viennenſi diu PETRO ALEXEVICIO majeſtatis titulus denegatus, tandem datus eſt. PFEFFINGER. *tom. I. juris publici p.* 407. Cumque PETRVS, rebus geſtis Magni cognomen promeritus, a cæſare noſtro imperiale ſibi elogium impertiri allaboraret, ad Maximiliani diploma provocavit: Sed habuit, quæ contra illud dn. D'ECCARD monuit. Puto tamen, Ruſſorum IMPERATRICEM CATHARINAM, nuper defunctam, voti competem factam. Hæc miraculo quaſi ex humili loco ad tantum omnium fortunarum apicem aſſurrexit, ita, ut non ſolum regiis ſocia lecta thalamis; Sed & marito, ob virtutem & fidem in eum, in latiſſimis Ruſſiæ ditionibus ſucceſſerit, imperiumque Ruſſicum ad mariti tranſmiſerit nepotem.

(d) *Joannes Mariana*) Scriptor rerum Hiſpanicarum peritiſſimus, & omnibus anteferendus in hoc genere argumenti. GöBEL. MIRÆVS *de ſcript. ſec. XVII. c.129.*

(e) *Rex imperatoris*) GöBEL. Hiſpaniarum reges, qui imperatorio uſi ſunt titulo, VALDESIVS *c. XVIII. §.31. de Hiſpaniæ dignitatibus* memorat, & tale a Pio IV. Philippum II. expetiiſſe axioma, *§.33.* negat. Titulus imperatoris a Ferdinando Hiſpaniæ rege ſumtus, Henrico III. imperatori occaſionem præbuiſſe dicitur, Hiſpaniæ, Victore II. papa rem juſtam putante, ad imperii jus vindicandum, arma inferendi. Sed exercitum ejus a Roderico Varario Cido profligatum eſſe, docet GARIBAI *lib. II. hiſtor. c.7.* Cæterum, quid Hiſpani ſibi de ſui regis dignitate perſuaſum habeant, vide in libro, qui ſub titulo, *origen de la dignitat de Grande de Caſtilla* ALPHONSVM CARILLVM auctorem habet, *diſcurſu XIII.*

(f) *Non negaverim*) Regalia quæ ſint, vide *lib.2. feud. cap. un. quæ ſint regalia.* Omnes principes Germaniæ regalia habent, ſed inde non habent plenam poteſtatem, ſed accipiunt in feudum ab imperatore, cui jurare tenentur, ſi quis teneret omnia regalia per ſe, ille eſſet *ἀνυπεύθυνος*, i. e. qui non tenetur reddere rationem rerum geſtarum ſuarum, & ſi papa non teneretur reddere rationem rerum geſtarum ſuarum; & haberet poteſtatem plenam in omnia bona Italiæ, certe eſſet in Italia monarcha & legibus ſolutus. GöBEL. Conſtat, regalia, quorum in *c. un. 2. feud. 54.* mentio fit, maximam partem ad minora ſpectare, majora autem, quæ jure directo a majeſtate ſeparari nequeunt, conjunctim ſumta majeſtatem denotant, aut etiam analogum quid majeſtati, juxta plerorumque loquendi modum, in ſuperioritate territoriali. COCCEJVS *in jure publico c. XXI.* Sunt, qui putant majeſtatem illa ſaltim ratione, qua principibus imperii competit, papæ tribui poſſe, de quo alii dubitant, RVMELINVS *ad A. B. p. 3. diſſ. II. p. 703.* Cæterum ex privatis compellationibus & formulis orationum, quæ ſæpe adulationibus obnoxiæ ſunt, pro majeſtate in ſenſu

unde regalia illa pontificum dependeant. Hac vero etiam ſublata, inane forte nomen illud ultro fatemur. Cum jure igitur & merito nomen illud convenire regibus noſtris fateantur ipſi pontifices; apertiſſimum eſt, ſummam poteſtatem hodieque cæſaribus noſtris ſupereſſe. Quoniam ipſius urbis Romæ autem illa eſt conditio, multo magis & reliqua in ditione eſſe imperii, vel uno illo titulo cæſareo innuitur, atque extra omnem controverſiam collocatur.

3. Illius ſummæ poteſtatis perpetuo ſuperſtitem poſſeſſionem, indicat quam maxime præterea, jus illud regum noſtrorum coronæ Romani imperii in ipſa urbe *ſibi ſumendæ*, (a) idque itidem omni carens controverſia. Nec enim alicui fas fuerit coronam capere, niſi ubi eidem ſumma poteſtas competit. Etſi vero non omnes cæſares noſtri patiantur Romæ ſe coronari, in omnium tamen arbitrio id fuiſſe poſitum & poſitum eſſe etiamnum, longe eſt certiſſimum.

4. Haut fuerit abſque pretio operæ, recitare heic nonnullas ſacras preces, quibus ipſe pontifex cæſarem coronaturus Deum obteſtatur, repetitas ex opere illo *ſacrarum ceremoniarum* (b) Romanæ eccleſiæ, quod Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis archiepiſcopus Leoni X. inſcriptum publicavit. *Oremus, Deus regnorum omnium & Chriſtiani maxime protector imperii, da ſervo tuo N. IMRERATORI NOSTRO triumphum virtutis tuæ ſcienter recolere, ut qui tua conſtitutione ſit princeps, tuo ſemper munere ſit potens.* Poſt communionem ante ſolennia coronationis: *Deus, qui ad prædicandum æterni regni evangelium Romanum imperium præparaſti, prætende famulo tuo IMPERATORI NOSTRO N. arma cæleſtia, ut pax eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum, per Dominum noſtrum JESVM Chriſtum.* Finita jam coronatione: *Benedic, quæſumus, Domine, hunc PRINCIPEM NOSTRVM N. quem ad ſalutem POPVLI NOBIS a te credimus eſſe conceſſum. Fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis robore vigentem, ad ſenectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo.* Similes preces & in libro iſto & in pontificali ut & ceremoniali Romano, etiam illis, quæ ex Clementis IIX. recenſione prodierunt, habentur paſſim; in quibus identidem legas illud IMPERATORI NOSTRO. Non adferam huc verba, quibus papa utitur gladium, pomum, ſceptrum & coronam cæſari tradens: ne videar quaſi pulviſculum congerere velle. Obſervatu tamen unice dignum eſt, pene eadem eſſe cum iis, quibus in pontificali jubentur archiepiſcopi, uti in ſolemnibus coronationum regiarum, per orbem Chriſtianum. Cum hæc vero omnia peragantur a papa in conſpectu quaſi Dei opt. maximi ſine dubio non ludicrus aliquis, ſed ſerius ſenſus ſubeſt & dicto & facto omni usque adeo ſancto. Conſequens proinde eſt, agnoſci ab ipſo papa cæſaris illud ſupremum jus in Romam & reliqua veteris imperii Romani bona, quæ a Romanis pontificibus hodie poſſidentur. Sane id niſi ponas, fatearis neceſſum eſt, in ipſis ſacris ludum ab illo agi: quod vel dictu nefas eſt. *Non me latet*, (c) in pontificali Romano, dum præſcribitur *ordo ad recipiendum proceſſionaliter regem aut principem magna potentia*, itidem in formulis precum haberi illud *regi noſtro*, *& principi noſtro:* ſed niſi vehementer fallor, illa verba pronuncian a ſunt in locis, qui regibus aut principibus iſtis ſunt ſubditi. Et vero in opere Chriſtophori Marcelli, ubi l. 1. ſect. 3. cap. 2. accurate deſcribitur, quibus ritibus rex ad urbem veniens excipi ſoleat, in omnibus precum formulis vox illa NOSTRI regio nomini haud additur. Utcunque ſit; ſaltim omnis reliqua benedictionis & coronationis cæſareæ ceremonia, ſummam cæſarum auctoritatem in Romam & alias Romani imperii provincias ſatis indicat.

5. Arguit porro confeſſionem ſummæ cæſareæ poteſtatis etiam id, quod papæ curent a cæſaribus recens electis aut ad urbem proficiſcentibus novis ſibi tabulis demortuorum cæſarum donationes *confirmari:* (d) perinde ut alii ſibi de privilegiis antiquis caveri faciunt. Nec enim iis opus foret, ſi illa bona nullo amplius nexu imperatoribus devincta eſſent. Certe id ſi exiſtimarent pontifices, non ſollicite adeo caveri ſibi curarent. Huc pertinent etiam fides, quam Romanis civibus dat coronandus cæſar, urbem mox introiturus. Ea de re ita legitur in libro Marcelli: *Conſueverunt etiam electi imperatores hac die* (pridie ſcilicet adventus) *antequam ponticulum, qui primus ante ingreſſum urbis poſt deſcenſum montem occurrit, pertranſeant, præſtare juramentum Romanis in hanc formam: Ego Carolus rex Romanorum futurus imperator, jure me ſervaturum Romanis bonas conſuetudines ſuas: ſic me DEVS adjuvet.* Nec vero regum aliquis, cui in urbem nihil eſt juris, tali ſacramento Urbano populo ſolet cavere.

6. *Indicium ſuperſtitis* (e) & a pontificibus ipſis confeſſi ſummi juris præſtat quoque illa equitum

politico nihil ſolidi concludi poteſt. De varia vocabuli majeſtatis ſignificatione egi in *differt. de juribus procerum imperii majeſtaticis c. II.* Confer quoque dn. PFEFFINGER. *tom. I. p.* 391.

(a) *Sibi ſumendæ*) GöBEL. Qui animus retinendi jus in Romam & terras pontificis, ex omnibus pateſcit cæſarum capitulationibus, quoniam in eis ſibi facultatem ſumendæ Romanæ coronæ reſervant. PFEFFING. *l. c. p. 320. Capitulatio Caroli VI. art. 3.*

(b) *Sacrarum ceremoniarum*) Exſtat volumen, quod appellatur *ceremoniale Romanum*, in quo continentur preces illæ, quibus utuntur in coronandis regibus. GöBEL. LAVRENTIVS *a Dript in antidecalogo theolog. polit. artic. V. p. 296.* argumentum nullius eſſe pretii, ait, cum exoletæ formulæ, quibus preces pro pontificiæ ſedis advocato, non domino, fundantur, juris cujusdam ſignum eſſe nequeant: verum mutatio non præſumitur, & ſi quæ ex uſurpatione eſt, in ſe nullum habet juris effectum. Deinde in formulâ illa ab autore citata non ſolum *protectoris*, ſed & *imperatoris* & *principis noſtri* verba reperiuntur.

(c) *Non me latet*) In pontificiali Romano traduntur omnes ritus ſervandi ab epiſcopis & archiepiſcopis in coronatione regum.

(d) *Confirmari*) GöBEL. Privilegiorum confirmatio eſt actus ſuperioris poteſtatis. A Rudolpho quoque Habſpurgenſi Nicolaus III. ſtipulatus eſt, ſi ad diadema Romanum ſumendum accederet, fore, ut ſibi privilegia confirmaret. *Differt. hiſtor. appendix n. 17.*

(e) *Judicium ſuperſtitis*) In ponte libero ſolent imperatores noſtri creare equites auratos. Ita & Carolus V. cum

tum auratorum creatio, quam cæſares, Romæ & aliis in locis papali jurisdictioni ſubditis degentes, ſolent inſtituere ipſis papis applaudentibus. *Imo dum comites* (a) ſacri palatii Lateranenſis cæſares inſtituunt, produnt eo ipſo ſuam in media Roma ſuperſtitem auctoritatem: Pontificibus itidem tamen annuentibus. Eodem facit, quod cæſares, pontificibus minime reclamantibus, privilegia & immunitates terris papalibus ſoleant nonnunquam concedere. Sic de eccleſia & ſchola Bononienſi in hiſtoria anni MCCCLXV. num. 13. ſcribit Bzovius: *Eodem anno Urbanus a Carolo imperatore impetravit confirmationem privilegiorum eccleſiæ & Studii Bononienſis,* (b) *quæ alii imperatores & præſertim Fridericus ſecundus conceſſerat. Dedit ea de re diploma Pragæ 4. Id. Februarii anno Domini MCCCLXV. imperii anno X. regnorum XIX.* De eadem ſchola *Middendorpius* (c) l. 4. *Carolus quintus Romanorum imperator ad bene merendum de republica Chriſtiana natus princeps, cum a Clemente pontifice Bononiæ coronaretur, optimis eam privilegiis, ne quidquam ejus gloriæ deeſſe videretur, optimis eam privilegiis, ne quidquam ejus gloriæ deeſſe videretur, ornavit.* Et vero Bononienſes illi *Caroli V.* (d) tabulas hodieque maxime jactant, tanquam ille ſcholam illam vera demum libertate atque immunitate ornaverit! *Ad ſignum ejusdem juris* (e) cæſarei merito referas, quod præfectus urbis Romæ cæſari creato enſem præferat; imo ipſa illa præfectura ex parte credatur cæſarei juris. Quamplures actus ſummæ poteſtatis, exercitos ab Rudolpho, Henrico, Carolo quarto & aliis jam memoravimus capite præcedente. Quibus omnibus nullus paparum itidem interceſſit.

7. *Ludovico IV.* (f) cæſari cum ſui ævi papis plus fuit litium: eoque ejus actibus reclamatum quidem a curia fuit pontificia; interim & ipſum cæſarem illum nunquam ſatis laudandum, & proceres cum Germaniæ omnis tum Italiæ, imo tantum non populum univerſum imperii, cum cis tum trans Alpes, illa ætate judicaſſe, cæſari Romano in omnia pontificum bona illa integrum ſupereſſe jus ſummum, plurima utique ſignificant, quæ cum applauſu publico & auxilio epiſcoporum & principum præcipuorum a cæſare illo Romæ & alibi geſta ſunt, quæ heic recenſere nimis prolixum fuerit. Cumprimis vero lectu & accurata obſervatione digna ſunt geſta anni MCCCXXVI. & duorum ſequentium, ut & anni MCCCXLII. qualia illa ad nos per ejus ævi ſcriptores devenere, & non ita pridem accurato apologetico contra Bzovium defenſa ab Joanne Georgio Herwarto prudentis ſtili facundia ornata ſunt *a Nicolao Burgundo*, (g) viris longe præclariſſimis, idque cura & auſpiciis Maximiliani sereniſſimi Bavariæ ducis & imperii electoris potentiſſimi. Bzovius fatetur in hiſtoria anni MCCCXXVII. num. 2. perſuaſum cæſari & aliis tum fuiſſe: *Chriſtum adeoque etiam ſummum pontificem & reliquos eccleſiaſticos imperatorii terreno ſubjectos: Imperatorem poſſe papam inſtituere & deſtituere ſeu deponere: Papam & epiſcopos amplitudinem juriſdictionis non a Chriſto ſed ab imperatore obtinere: Papam in imperatorem nullam poteſtatem habere: Papam nullum dominium in imperio in temporalibus poſſidere,* (h) quod ſcilicet non ſit legibus imperii obnoxium ad inſtar bonorum aliorum: *Imperialem dignitatem immediate ab ipſo ſolo Deo eſſe, neque quicquam in eam pontificem Romanum aut eccleſiam poſſe: Joannem pontificem notorium hæreticum debere cenſeri.* Ut proinde non ſit mirum, auctoritatem cæſaream præclare adeo a Ludovico illo cæſare tum fuiſſe aſſertam. Hinc ſane ille

degeret Romæ, in medio ponte Tiberis creavit illos. Hoc profecto non eſſet licitum, niſi poteſtatem aliquam habeat in urbem Romanam.

(a) *Imo dum comites*) Cæſares noſtri Romæ ſolent creare comites ſacri palatii Lateranenſis. Palatium Lateranenſe eſt palatium cæſareum. GöBEL. LAURENTIUS *a Dript l. c.* huic argumento omne derogat robur. De veritate rei dubitandi tot in hiſtoria obſtant exempla. Vel ſolum Caſtruccii nobis jam ſufficiat, & hic poſt Hildebrandi tempora a Ludovico Bavaro ad illam evectus eſt dignitatem. LEIBN. *C. J. G. D. p. 138.*

(b) *Studii Bononienſis*) Id eſt Bononienſis Academiæ. Cæſares noſtri concedunt Romanis civibus privilegia. Cum Carolus V. Bononiæ viveret, Academiæ illi multa dedit privilegia; quæ adhuc hodie jactant in libris ſuis.

(c) *Middendorpius*) De academiis ſcripſit, qui liber eſt non magni pretii, ſed in defectum meliorum omnino legendus. GOEBEL. MEYFARTHUS quoque circa hoc argumentum verſatus eſt, & ITTERUS *de gradibus & honoribus* eruditum conſcripſit librum. VALENTINUM ROTMARUM *in annal. acad. Ingolſt.* academias, quæ pontificis non ſunt munitæ privilegiis, pro talibus non habentem refellit LIMNÆUS *in jur. publ. lib. 8. c. n. 40. ſeqq.*

(d) *Caroli V.*) Si hodie adhuc affiguntur diplomata, in multis locis additur, eam academiam gaudere iisdem privilegiis cum Bononienſi, Venuſina &c. Vid. privilegium Maximiliani II. academiæ Juliæ datum in tract. *de antiquitat. acad.* GöBEL. *in annal. academ. Igolſtad. part. 1. p. 35.* & apud LIMN. *in jure publico.*

(e) *Ad ſignum ejusdem juris*) De præfectura urbis Romæ eſt controverſia inter cæſarem & papam. Papa Urbanus contulit eam pronepoti. Nuper vero dictum eſt, cæſarem conſenſiſſe, ut papa eam daret, cui vellet; an ita ſeſe habeat, nec ne, ignoro. GöBEL. Interim præfectura urbis nonnunquam papæ jure dependente permittebatur. Sic Friderici I. legati promiſerunt, quod imperator papæ ejusque ſucceſſoribus urbis præfecturam reſtituere vellet. PAGI CRIT. BARONII *ad annum 1176.*

(f) *Ludovici IV.*) Hic eſt Ludovicus Bavarus, non poſtremus inter Romanos cæſares. Lectu digna ejus hiſtoria, quia perpetua ei fuit cum papa contentio, adeo ut bis anathemate fuerit percuſſus. GöBEL. A Joanne XXII. anathemate vapulavit eccleſiaſtico, quod ſub Benedicto XII. continuatum, & ſub Clemente VI. renovatum eſt. HERWARTUS *tom. 1. p. 251. ſeqq. tom. 2. ad annum 1330. ſeqq.*

(g) *Nicol. Burgundus*) *C. A. M.* Fuit codicis Profeſſor in academia Ingolſtadienſi, vir longe doctiſſimus. Hic protulit apologiam pro Ludovico in hiſtoria ejus. Utriusque, Herwarti ſcilicet & Burgundi, liber a papa numeratus eſt inter libros prohibitæ lectionis. Hic nota, tres præcipue præclaros viros fuiſſe, qui defenderunt partes Ludovici IV. *Marſilius Patavinus*, cujus liber extat ſub *defenſoris pacis* nomine. Alter fuit Monachus *Fr. Wilh. Occam*, qui grande opus conſcripſit, ſub titulo: *Opus 90. dierum*, quod forte ita appellavit, quod opus 90. dierum ſpatio abſolvit. Tertius fuit *Joh. de Janduno*, quem credo admodum vanum eſſe ſcriptorem.

(h) *In temporalibus poſſidere*) GöBEL. Acta publica huc ſpectantia vide apud GOLDASTUM *conſtitut. imper. tom. 1. p. 324. ſeqq.* LEIBN. *C. J. G. D. part. 1. p. 148.* Benedicto papatum conſecuto, & Ludovico receptionem in eccleſiæ gremium concedere non audente, ab imperii ordinibus, Rheenſeæ & Coloniæ conſtitutum publicisque inſertum placitis, papæ nec in imperatorem nec in imperium ullum eſſe jus. Scriptum, publica deinceps autoritate in lucem prodiit, in quo papales auſus rationibus, & legum, canonum, patrum doctorumque allegatis proſtrati ſunt.

ille & præfectum urbi dedit Caſtrucium, iis tabulis, quas notis ad Petrum de Andlo inſeruit Marquardus Freherus. Hinc multis aliis pontificiæ ditionis oppidis principes cæſarum *vicarios præfecit:* (a) idque quoniam papæ ſuis inſanis motibus donata ſibi a cæſaribus jura in illa loca perdidiſſent. *Et vero usque adeo juſtum illud* (b) tunc eſt viſum, ut nullis minis aut cenſuris paſſi illi ſint, a papis iterum arrepta poſſeſſione ſe excuti: donec novis tabulis juſſi ſunt pontificia auctoritate oppida illa retinere. Nec vero hos inviſos ſibi principatus tollere licuit pontificibus prius quam Alexandri ſexti & cæſaris *Borgiæ* (c) ſcelere vi illorum fracta, *Julio* tandem *ſecundo* (d) integrum fuit papalem omnem illam ditionem unum in corpus revocare; iis artibus, quas Nicolaus Machiavellus *l. de principe cap. XI.* prudenter & ſic accurate ſatis prodidit. Hinc porro idem ille Ludovicus Joannem viceſimum ſecundum papam, ceu multis facinoribus & hæreſi infamem dignitate exui, & *Petrum de Corbonia* (e) nomine Nicolai Vti curavit pontificia dignitate in media Roma ornari. Haud fuerit absque operæ pretio, recitare hoc loco, quæ de illa Joannis papæ cæſarea abdicatione, ipſe Bzovius ut hoſtis Ludovici ita pontificum adulator maximus, narrat in hiſtoria anni MCCCXXVIII. num. 5. quamvis nonnihil poſſint videri juſto prolixiora. „Ludovicus inde qua-
„tuor poſt diebus, omnibus, qui Joannem pontificem oderant, quique eum ſtudio partium diverſa-
„rum ſequebantur, comitatus, imperatorio cultu ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ in throno ſuperius
elevato reſplendens, impoſito omnibus ſilentio, fratri Nicolao Fabrianenſi ordinem D. Auguſtini
Eremitarum profeſſo, trina vociferatione inquirere & percuntari juſſit, num aliquis in tanto nu-
mero eſſet, qui Jacobum Cadurcenſem (ita Joannem per contumeliam nominabat) ſummi ponti-
„ficatus uſurpatorem defendere proponeret. Nullo usquam reſpondente, abbas *aliquis ex Germa-*
„*nia*, (f) omnibus cæteris procacior, propoſitis illis verbis ſacræ ſcripturæ. Hæc eſt dies boni nuncii,
„multa in ſummum pontificem Joannem dicteria, ſcommata & maledicta evomuit, deinde ſenten-
„tiam depoſitionis omnium iniquiſſimam, cujus initium eſt, glorioſus Deus ſublimis dominantium
„Dominus, impudentiſſima temeritate, adverſus eundem Joannem ſummum Antiſtitem divul-
„gavit: nec non Robertum Siciliæ regem una cum eo inter Patarenos hæreticos prædamnatum,
„multis cum deriſionibus & contumeliis per calumniam & impoſturas, ignibus utrumque addi-
„xit ſecularique poteſtati tradidit puniendos. Summa criminationum fuerat in ſententia con-
„vitiorum & maledictorum plena. Fingebat Ludovicus, quaſi Joannem pontificem clerus po-
„pulusque Romanus miſſis Syndicis & literis accuſaret, quod is 1. Romam ſedem, a Chriſto prin-
„cipe paſtorum, maximis pontificibus Romæ erectum, deſereret, neque præcepto Chriſti,
„neque Petri principis apoſtolorum exemplo, de reſidentia Romana ſatisfaceret, aut un-
„quam Avinione Romam reverti, quanquam ab univerſis & ſingulis interpellaretur, co-
„gitaret. 2. Pecuniarum acervos per impoſitiones ſeu decimationes iniquas non tantum a
„clero, verum etiam ab univerſo chriſtiano populo per ſpeciem belli ſacri extorqueret. 3. Sa-
„cra pecunia, non adverſus Saracenos, ſed adverſum ipſos Chriſti fideles, recens adverſus
„Gibellinos in Italia ſuſcepto bello, abuteretur. 4. Crucem ſanctam, indulgentias & re-
„miſſiones peccatorum, gratias & theſauros ſpirituales, in ſtipendia homicidiorum, ſchiſmatum,
„& ſacri Romani imperii rebellionum, tum prædicaret, tum largiretur. 5. Romanos, Mediola-
„nenſes, & reliquos, utroque gladio ob id ſolum perſequeretur, quod Romano imperio fideles
„eſſent. 6. Copias a rege Galliarum & reliquis principibus chriſtianis in ſubſidia regis Armeni-
„orum contra Saracenos miſſa, pars in Romanos, pars in Genuenſes, pars in Brandeburgicos ſubmiſe-
„rit; unde tanta occidio, ſtupra, & rerum Deo ſacratarum violatio, ut Saraceni inter cætera cru-
cem

(a) *Vicarios præfecit*) GöBEL. Adhibebo hic verba autoris libri, qui inſcribitur; *riſtretto della ragioni, che la ſereniſſima caſa d' Eſte hà colla camera apoſtolica p. 280. Il papa ſe molti ſignori ita ſuoi vicari in quelle medeſime terre, e citta, ch'eglino riconnoſcevano dall' imperio, come Luchino, Viſconti & Giovanni, ſuo fratello in Milano, e nell' altre città, che poſſedevano; Maſtino della ſcala in Verona & Vicenza ed altri in altri luoghi. Il Bavaro all' incontro fece ancor egli molti altri ſignori ſuoi vicari in quelle terre e città, ch'erano della chieſa, come Galeotto maleteſta in Rimini Antonio Feretrano in Urbino, Guido da Polenta in Ravenna.*

(b) *Et vero usque adeo juſtum illud*) Variis principibus donaverat Ludovicus bona, quod ægerrime tulit papa. Bona enim illa a vicariis imperii & principibus fuere poſſeſſa, ut papa ea non poſſet recuperare. Graviter quidem in eos eſt anathemate invectus, quod non curarunt. Tandem tabulis, autoritate pontificia confectis, donata ſunt hæc bona principibus, ut papam, non vero cæſarem, proxime reſpicerent.

(c) *Borgia*) Eſt filius nothus Alexandri VI. papæ. Hoc Alexandro nihil monſtroſius ſol vidit. Omnem ditionem pontificiam voluit redigere in poteſtatem filiorum. Machiavellus egregie dicit, quomodo papa omnia bona acceperit. GöBEL. Vid. GRATIAN. *de caſibus virorum illuſtrium in Roderico & Borgiis p. 3. ſeqq. & diarium curiæ Romanæ, ſub Alexandro VI.* JOANNIS BURCHARDI apud ECCARDUM *in corpore hiſtor. medii ævi tom. II. p. 2058. ſeqq.*

(d) *Julio ſecundo*) GöBEL. Ipſum alieni fuiſſe avidiſſimum, ex documentis fide dignis liquet. Audiemus de eo loquentem LEANDRUM ALBERTI *fol. 13. Il primo,* inquit de Sixto IV. & Julio II. loquens, *fu molto letterato & ſagace, l' altro che fù ſuo nepote, merite volement e fù nominato Giulio II. per le grand' opere, che fece, delle quale ſono pieni i libri ſcritti de noſtri tempi. In vero egli grande oſſervatore della libertà eccleſiaſtica, & non meno dell Italia. Acquiſtò alla chieſa molte città, caſtella & luoghi dell' Emilia, Flaminia, Umbria e Marca Anconitana* &c. confer quoque *les droits de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique p. 292. 293.*

(e) *Petrum de Corbonia*) GöBEL. Hunc Franciſcani ordinis monachum virtutibus inclytum fuiſſe, ex fide dignis monumentis apparet; quanquam non deſint, qui ipſum criminentur. Sed papalis ipſius dignitas non fuit diuturna; cum enim videret, ſe ab omnibus propemodum eſſe derelictum, Johanni ſe ſubmiſit, & ab eo in gratiam receptus, in palatio ejus laute quidem exceptus, ſed captivus triennium ſuperſtes fuit. MARTINUS MINORITA *in corpore hiſtor.* apud ECCARD. p. 163. WADIUS *in annal. ordinis Benedictini.* Antequam monaſterio ſe mancipavit, nomine *Petri Raynalducci* utebatur.

(f) *Aliquis ex Germania*) GöBEL. Fuit Henricus abbas Fuldenſis.

„cem Chriſti configentes improperarent: *Ecce Deus Chriſtianorum.* 7. Preces & gemitus Armeniorum Chriſti fidelium totis quinque annis auxilia implorantium, tanquam aſpis ſurda non exaudierit, adeoque illos gladiis barbarorum objecerit. 8. Cathedrales eccleſias, nullo jure aut merito jure electionis privaverit. 9. Beneficiorum eccleſiaſticorum diſtributionem, præter jus & fas ſibi de facto reſervet, ſeu uſurpet. 10. Dignitates eccleſiaſticas perſonis, nec ætate nec moribus, nec doctrina præſtantibus, ſed prorſus immeritis ac indignis conferat ac concedat. 11. Per Simoniacam pravitatem beneficia & bona eccleſiaſtica vendat atque largiatur. 12. Potentia auxilio & conſilio novi Joab principis militiæ, & novi Abiathar ſacerdotis, ſcilicet Roberti regis Siciliæ & Urſini cardinalis legati, fretus, ſchiſmata peſtifera in eccleſia Dei ſuſcitet, dum aſtutis ac doloſis utens inventionibus, rebellionem in ſacro imperio contra imperatorem legitimum commovet, & in effuſionem ſanguinis ovium Chriſti ſceleratos amat: & velut ille in Apocal. præſignatus, equo rufo inſidens, gladioque ancipiti præcinctus pacem tollit de terra, cruoremque innocentem miſcet ac bibit, duobus uſus antichriſti præcurſoribus, Roberto & Neapoleone. 13. Patriarchas, cardinales, archiepiſcopos, epiſcopos, & cæteros eccleſiæ prælatos, poteſtate ſua & ſuorum premat, ut ſub jugo ſervitutis gemant, & voluntati ejus in omnibus dictis & factis mancipati, neque verbum mutire audeant aut valeant. 14. Non ad ſeriem evangelicæ veritatis aut apoſtolicæ traditionis, ſed ad ſuum reprobum (ita reprobus Bavarus pronunciabat) ſenſum, tanquam magiſter erroris & hæreſiarcha notorius, doctrinam Chriſti & apoſtolorum verba de ſuperioritate ac dominio temporali imperatorum ſuper omnes traditam ſubvertat, adeoque contra illa verba: Reddite, quæ ſunt cæſaris, cæſari, prævaricetur, ac prævaricationem coloratis verbis & ſententiis excuſans, evangelicæ veritatis & poteſtatis impugnator & ſubverſor, inter hæreſiarchas cenſeatur. 15. Imperialem ſimul cum ſacerdotali poteſtate dignitateque, a Chriſto & apoſtolis in diverſa ſuppoſita diſtinctam, confundat ſibique uſurpet; cum tamen Chriſtus & fugeret eo tempore, quo turbæ illum voluiſſent facere regem, & regnum ſuum dixerit non eſſe de hoc mundo, & recuſaverit ſimul regia ac ſacerdotali auctoritate præſtare. 16. Jus & adminiſtrationem temporalium, quod ſoli imperatori, a ſolo Deo immediate collatum eſt, ſibi arroget, temereque vicarios imperii inſtituat. 17. Præter officium & æquitatem Romanos & Romano imperio fideles proceſſibus infamet, anathemate percellat, ſacrorum juſtitio affligat, ac non niſi impudenter & cognitionem ſibi de electione imperatoris, & auctoritatem in confirmatione aut reprobatione electi, & poteſtatem in diſſolvendis juramentis fidelitatis, ac reliquis in proceſſibus contra Bavarum expreſſis attribuat. 18. De paupertate Chriſti & apoſtolorum, ex ſenſu catholico definitionem evulgarit, ſed inter hæreticos notorios propter eam opinionem ſe rejecerit, adeoque ſe ipſum is ipſe lapſus pontificatu maximo privum fecerit.

8. Hactenus Bzovius. Jure an injuria tot nominibus accuſatus damnatusque fuerit Joannes papa, jam non diſputo. Nihil pro defendendo illo adfert Bzovius præter convitia & querelas: Herwartus vero omnium pene illum convincit reum. A me uni huic fini iſthæc allata jam ſunt, quo liquidum omnibus fiat, illa etiam ætate, qua ſuperſtitioſus paparum cultus religionis ſpecie tantum non omnibus impoſuerat & imperii excuſſerat veterem reverentiam, vera & antiqua cæſarum in ipſos papas jura, exemplo ad omnem poſteritatem memorabili, fuiſſe exercita: multumque adeo abeſſe, ut iſthac ætate cæſares omnes tacito & ignavo quodam conſenſu cæſaream in bona paparum vim auctoritatemque remiſerint. *Ubi non poſſumus non* (a) & hoc monere, quum defuncto Ludovico imperatore excommunicatos ejus fautores, urbium imperialium cives, papa iſthoc vinculo ſolvi non niſi his conditionibus juſſiſſet: ut jurarent 1. *ſe credere, quod non ſpectat ad Imperatorem papam deponere, & oppoſitum eſſe hæreticum.* 2. *Nulli deinceps ut imperatori ſe velle obedire, niſi prius per eccleſiam ille fuerit approbatus*, quod ex Rebdorfio ad annum MCCCXLVII. narrat Bzovius: nusquam fuiſſe in id abſolutionem admiſſam: ceu præclare in hiſtoria ejusdem anni oſtendit Herwartus. Usque adeo ſcilicet plane aliud tunc paſſim fuit perſuaſum de cæſarum juribus. Sed de Ludovico cæſare ſatis.

9. *ANTE hoſce centum annos* (b) avorum memoria, quemadmodum occupata per vim ipſamet urbe Roma, & papa Clemente ſeptimo quaſi in cuſtodiam dato, cæſaream auctoritatem vindicaverit Carolus quintus cæſar, nemini eſt ignotum. Quid alii fecerint dignum memoratu, præter ea, quorum jam tum meminimus, non attinet recenſere: quandoquidem jam tum probe expenſis iis, quæ modo attulimus, ſatis nemini non liqueat, nequaquam cæſaribus fuiſſe hactenus

(a) *Ubi non poſſumus non*) Favebant Ludovico Bavaro omnes fere Germaniæ principes, & partes ejus tutabantur, maxime vero urbes imperiales. Contra eum inſurrexit & creatus fuit cæſar Carolus IV. Cum mortuus eſſet Ludovicus, in gratiam iterum recepti ſunt a papa excommunicati, Ludovici Bavari amici, & præſertim urbes imperialos. Has tamen conditiones obtulit, quas hic in textu proponimus. Ordines vero & cives noluerunt: ſed potius maluere eſſe excommunicati, quam in tales conditiones a papa recipi. Notandum autem hoc ideo eſt, quia ex his videmus, quam generoſo animo fuerint non ſolum ordines, ſed cives etiam Romani, qui non tam ſuperſtitioſi paparum cultores ſunt, ut hodierni.

(b) *Ante hoſce 100. annos*) Seculo ſuperiore & paulo ante, Carolus V. non dubitavit urbem Romam occupare & papam in caſtro ſuo obſidere & quaſi tenere captivum per integros octo menſes. Per totam fere Hiſpaniam publice pro papa preces inſtitui curabantur, cum tamen ille ipſo obſeſſum teneret. Sic Ferdinandus II. præfectum urbi dare voluit: tandem coactus fuit, dignitatem illam familiæ Barbarinæ confirmare, cui ea præfectura a papa erat collata. GöBEL. Sed id, quod a Caroli V. copiis in papam & urbem Romam factum, non tam vindicandorum imperii jurium, quam papæ, Gallis fœdere juncti, corrigendi cauſa ſuſceptum eſt. GVICCIARDINVS *lib. 17.* BELCARIVS *lib. 19.* SCHARD. *rer. Germ. tom. II. p. 1197.*

nus animo, imperii jura omnia pontificibus concedere ſed uſque huc illos ſupremam ſaltim poteſtatem integram illibatamque ſtudio eximio conſervaſſe.

10. ERGO id quidem jam evicimus, pleni & a cæſaribus omnino liberi dominii poſſeſſione *nondum reapſe* (a) potitos pontifices. Non deberi idipſum etiam illis ullo aliquo titulo, ſed cæſares ac imperii ordines, jure meritoque nixos, id quod reliquum eſt auctoritatis cæſareæ tueri, minus operoſa indiget probatione. Sufficit unum illud pro argumento, quod nullus juris titulus queat produci, quo illimitata illa poteſtas pontificibus adſeratur. Etſi enim alia atque alia ſoleant in id adferri, ea tamen ſunt, ut ne quidem digna cenſeas recitatione. Omnia collimant ad illam, quæ divinitus creditur commiſſa pontificibus *ſummi Numinis vicariam* (b) in terris poteſtatem. Quæ dignitas videtur tanta, ut ab omni obſequii vilitate pontificem eximat perinde atque moribus Romanis antiquis magiſtratus ſervo conceſſus, illum ſervitutis nexu liberabat. Ut habetur *l. Barbarius ff. de off. prætor. l. c. cod. de jurisdict. omn. judic.* Verumenimvero ut admittas, illam dignitatem papæ divini eſſe inſtituti, non tamen ſequitur, omnia papæ bona eſſe nemini obſtricta. Tum demum nempe id ſequeretur, ſi omnia bona ab eodem illo divino inſtituto papæ eſſent conceſſa ad dignitatem iſtam tuendam. Sic ſi princeps jubeat ſervum ſuum gerere magiſtratum, quem ſolis liberis licet aſſequi, eo ipſo illum tacite manumittit. Si ſervo alieno illum committat, diſpar eſt ratio: niſi dominus conſentiat. Nec enim moribus Romanis antiquis de aliena libertate ſive principi ſive populo fas fuit ſtatuere *l. quæ religioſ. in fine de rei vindicatione*, eoque & *Barbarius* (c) ille poſt a domino eſt vindicatus & in priſtinam ſervitutem redactus teſte Suida *in voce Bar-*

(a) *Nondum reapſe*) GöBEL. Conſ. BöCLER. *in notitia imperii lib. 2. c. 2.* Illuſtriſſ. COMES DE WVRMBRAND *de foro S. R. I. principum.* Contrariam ſententiam tuentibus ſe adjungit quoque AVTOR HEROLDI EVROPÆI *part. 1. p. 986.* cujus argumenta, quibus rationes, pro juribus imperii allegatas infringere nititur, breviter percurrenda erunt. Dubium, quod obmovet, ac ſi Rudolphus tot aliis implicitus negotiis, papæ plenum dominium ambienti, refragari non potuerit, argumentis probabilibus, non demonſtrativis, annumerari poteſt, atque illud vacillare, ex iis, quæ ſupra de geſtis Rudolphi, ad hoc negotium attinentibus, allata, conſtat. De electorum & principum conſenſu, quod cæſareis adeſſe deberet alienationibus, ſupra monitum. Nec neceſſum erat, ut principes imperii proteſtationibus operam navarent, cum illis non potuit eſſe ignotum, ex ratione reipublicæ Germanicæ, quicquid abſque eorum conſenſu, legitimo modo & cauſa cognita, impetrato fieret, ipſo jure nullum eſſe. Fuggero & Sigonio, cum genuina deſint monumenta, imo in contrarium exſtent veterum teſtimonia, tuto fides adhiberi nequit. Demonſtratum quoque ſupra, ex illorum temporum ſtylo, *pleno jure & integre cum omni jurisdictione*, ſummum in terras & territoria non excludere imperium; præſertim cum in illis diplomatibus, ad quæ ſe Rudolphina, ut confirmatoria referunt, clauſulæ reſervatoriæ compareant. Quæ ex PALATIO de Henrico Baſileæ epiſcopo afferuntur, ac ſi jubente Rudolpho juri in exarchatum renunciaverit, ſi quid ex vero habet, juxta æquæ interpretationis regulas, ad utile eſt reſtringendum dominium. Idem de annullato homagio, quod Rudolphi cancellarius a quibusdam patrimonii Petri civitatibus ſumſerat, dicendum eſt. Quod ad Princevalli Fliſci vicariatum imperii in Italiæ terris attinet, ille a papa imperatori commendatus fuit, & ante imperatoris ratihabitionem, vel potius conſtitutionem nihil ibi vicarii juris habuit. Id non inconſuetum eſt, quod principes ſuos miniſtros & vicarios terrarum rectores, qui vicinis diſplicent, rogati ex amicitia revocare ſoleant, unde vicinis tamen nullum exoriri poteſt jus. Porro hic non ad illum ſenſum, in quem papæ eorumque aſſeclæ fodrum interpretati ſunt: ſed ad eum, in quo, juxta rerum & cauſarum nexum, ſumendum eſt, reſpici debet. Illud precarium non fuiſſe, ex eo conſtat, quod papæ ſe obſtringere neceſſum habuerint, ſe etiam tempore coronationis illud ex bonis ſuis dominicalibus ſolvere velle. Neque ſatisfit rationi, ex Aventini teſtimonio deſumtæ, nimirum terrarum, ſuper quibus controvertitur, utile dominium papæ ad tempus eſſe conceſſum, ut inde ſumtus in turcicum impendendi bellum exigerentur, quod exceptionibus Romana ſedes hic non deſtituatur. Nam quæſtio eſt, quænam ſint exceptiones? Quam tenues fuerint illæ plerumque, quas papales miniſtri in conventibus Romæ de Comaclo habitis oppoſuerunt, ex actis conventuum apparet; ita ut nullum dubium, quin & ea ratio juri proceſſus recuperationis firmando commode inſervire poſſit. In Alberti, Henrici, Caroli IV. Sigismundi diplomatibus ſupremum imperio dominium ſalvum manſiſſe, nec non juramentum, quod imperatores papæ præſtabant, non fidelitatis, ſed protectionis fuiſſe, ſupra probatum eſt. Honores nimii, quo imperatorum nonnulli papam venerati ſunt, & id, quod forte Carolus IV. cæſareæ dignitati adverſum fecit, imperii juribus nocere nequeunt. Sit & ex eo, quod papa Friderico III. non uſque ad Sutrium, more antiquo obviam iverit, nihil ſolidi pro ipſis juribus attenuatis concludi poteſt. Imo ei majores, quam cæteris cæſaribus in receptione factos eſſe honores, contendebant. Vid. ÆNEAM SYLVIVM, a papalium partium ſtudio non ubique alienum *in hiſtoria Friderici III. p. 144.* Denique Borſo Eſtenſis a Friderico III. dux eſt creatus. *Hiſtoria de prensipi di Eſte DI PIGNA p. 682.* Fateor quidem, eundem Borſonem, invitum quaſi, poſt multas tergiverſationes, Romæ a papa, magnis adhibitis ſolennitatibus, Ferariæ ducem proclamatum eſſe, quod Fridericus ob rationes politicas tum temporis diſſimulaſſe videtur, forte ne papæ animum a ſe alienaret, cujus ope ad capitaneatum, ut ajunt, generalem totius chriſtiani orbis, in Turcas pugnaturi, aſpirabat: ſed apparet, Eſtenſem domum ducalem illam Ferrariæ dignitatem Maximiliano I. & ſequentibus imperatoribus, ducalem dignitatem in genere ipſi confirmantibus, potiſſimum acceptam tuliſſe. PIGNA *l. c. p. 704. 770. 774. 776.* A veritate abhorret, Carolum V. papæ directum in Parmam & Placentiam dominium conceſſiſſe, ut infra pluribus docebitur. Sufficit in capitulationibus imperatores generaliter ad operam dandam, ut, quæ ab imperio injuria alienata ſunt, recuperanda, ſe adſtringere. Et quis aſſerere auderet, de repetendis imperii terris, in Italia uſurpatis, in vaſtis actorum comitialium voluminibus, nihil plane reperiri. Apparet itaque, & papas in mala fuiſſe & eſſe fide. Et videtur autor Europæi Heroldi diſſimulaſſe ex tenore juris canonici & æquitatis, quod in materia præſcriptionum ſequimur, & in præſcriptione, quam immemorialem vocant, bonam fidem requiri. Sed non neceſſum eſt, ut huc confugiamus, cum illa, quam pontifices prætendunt, præſcriptio ſemper interrupta fuerit. De natura terrarum papalium, ſive ſint feudum proprie, ſive improprie dictum, ſive allodium imperii, jam non ſumus ſolliciti. Sufficit eas ab imperio dependere. Quinam in jure imperii vindicando adhibendus ſit modus, alterius tractationis eſt. Interim id negare non poſſum, in illo ſtatu, quo hodie res imperii & Europæ ſunt, ipſam vindicationem & modum vindicandi jurium imperii, non levibus obnoxium fore difficultatibus.

(b) *Summi numinis vicariam*) GöBEL. De falſa hac hypotheſi, quo tot pontificis aſſeclarum immodeſta collimant dicteria, alibi actum. Hujus hypotheſeos autoribus incumbit probare, vicariam poteſtatem pontifici, natura, lege aut pacto competere, qualem probationem hactenus exſpectamus. Vid. *traité ſur le ſujet de l'excommunication, & de la depoſition des Roys.*

(c) *Barbarius*) GöBEL. Locum SVIDÆ refert CONTIVS

Barbarins. Quod ſi omnia ſane paparum bona illius divinæ dignitatis cauſſa ab omni ſunt nexu libera, nullum papæ æs alienum contrahere, nihil ſolvere cuiquam, teneantur. At vero nulla omnino bona papæ iſthoc quidem titulo poſſident: ne quidem id illi præ ſe ferunt. Certe iſta, de quibus modo nobis ſermo eſt, ipſimet papæ liberalitati cæſarum ferunt accepta. Et in univerſum *omnia, quæ ad vitam terrenam ſpectant, ſubjecta ſunt terrenæ poteſtati*, ut dicebat Hugo de S. Victore. Scite Ambroſius: *Non vis obnoxius eſſe cæſari, noli habere quæ ſunt mundi*; & Auguſtinus: *Noli dicere, quid mihi & regi; quid tibi ergo & poſſeſſioni?* Ipſi pontifices clericos quidem jurisdictioni civili divina *quadam benignitate* (a) volunt exemtos, ſi quod tamen feudum poſſident, patiuntur eos ſectari *forum laicorum:* (b) idque paſſim terrarum ſolet obſervari. Et vero ex communi doctorum ſententia, etiam ipſi papæ tenentur feudalibus juribus, & ſi feudum velint ſibi acquirere tenentur præſtare, ad quæ alii adſtringuntur, niſi dominus jure ſuo velit cedere.

11. *Veroſimilius pro pontificibus* (c) forte adferas, quod papæ, cum habeant jus cæſares confirmandi, etiam in bona imperii ſummam quaſi habeant poteſtatem. Cæterum illa confirmandi auctoritas per eſt controverſa, imo, ut alibi demonſtratur, fictitia & nulla. Utque competat papæ, atque adeo quadamtenus illi jus aliquod ſit in bona imperii non tamen hinc jure colligas, bona iſthæc cæſarum jurisdictioni eſſe exemta. Habent enim & electores inſtituendi cæſares poteſtatem, nec minus tamen bona electorum ſubſunt cæſarum legibus. Et poſſit papa aliquis in regno Neapolitano quædam poſſidere obnoxia regni legibus, etſi regnum ipſum feudum ſit papale. Et vero in libera republica conſtituendorum magiſtratuum jus penes cives eſt, qui tamen legibus reipublicæ propterea ſoluti non ſunt: poteſtque unus idemque ratione una eſſe ſui juris, altera ſubditus.

12. Nec vero eſt, quod quem terreat & a vero ſeducat multitudo doctorum pontificibus adulantium, & nihil non iis tribuentium. Fatemur enim eorum numerum ſat magnum eſſe. At vero totidem, ſi non plures, ex ipſa Italia, in facili eſt adducere, qui cæſari in omnem mundum aliquod æternum, & nullo tempore, nulla alienatione, nulla uſucapione aut præſcriptione, violabile jus adſcribant. Firmis hos rationibus pugnare non dixerim: imo illos, jam alibi affirmavi, minus bene niti dictis nonnullis, petitis ex juris Romani corpore Juſtinianeo. Æque infirmæ vero ſunt canoniſtarum ratiocinationes & perinde ridiculæ, ex decretalibus pontificum plerumque deſumptæ: quaſi jactabundæ hominum voces in propria cauſſa argumentum juris præbeant. Et vero ipſa illa pontificia volumina de cæſarum auctoritate non ſatis ibi conſtant. Eoque jam Ludovico IV. cæſare prudentiores, teſte N. Burgundo l. 2. hiſtoriæ Bavaricæ, *ajebant, majeſtatis cæſareæ magnitudinem non æſtimandam eſſe ex pontificum decretis: nihil enim illis hac in parte inconſtantius, nihil incertius: modo ſupra pontificem imperatores extollere, modo longe infra deprimere, prout expediiſſet tempori ſervientibus: Recentiores conſtitutiones ambitu pleniſſimas tum maxime illuſiſſe imperio, cum adverſus publicas injurias nemo ſe auderet invidiæ offerre: nihil tamen faſtigio potuiſſe detrahi inconſultis & invitis ordinibus.*

13. Hoc inprimis dignum eſt obſervatu, quod in ipſis pontificum decretalibus nusquam diſertis verbis, illa paparum bona omnimodæ jurisdictioni cæſarum ſubducta eſſe, affirmetur: quantumvis multa in iis deprehendere ſit *cæſarum* (d) & imperii juribus periniqua. *Ne quidem derogat*, (e) diſerte quidem, juribus cæſaris illa excommunicatio, quæ *l. 6. de elect. cap. fundamenta* detonatur in uſurpatores dignitatum ſeu officiorum urbis Romæ, *absque licentia ſedis apoſtolicæ ſpeciali, per ipſius ſedis literas conceſſionem licentiæ hujusmodi ſpecialiter exprimentes.* Fatemur enim, niſi papa indignum ſe præbeat conceſſis privilegiis, haud par eſſe cæſari, invito papa Romæ obtrudere

diſputat. juris civil. lib. 1. c. 2. Explicationem legis hujus vide apud GOVEANVM *lib. 1. lect. c. 6.* SOZIN *reg. 166. & 282.* Id tamen dubio procul eſt, penes populum & principem jus fuiſſe, ſervo alieno, invito domino, libertatem dandi, ſi neceſſitas, aut ſumma quædam utilitas, hoc requiſiverit. Huc ſpectant verba ipſius *legis 3. ff. de officio prætorum: Cum enim potuit populus Romanus ſervo decernere hanc poteſtatem, ſed & ſi ſciviſſet, ſervum eſſe liberum, effeciſſet. L. 41 ff. de rei vindicatione*, ad quam autor, ut contrarium continens, provocat. In eo enim nihil aliud continetur, quam quod lapides alieni, a privato monumento cuidam adhibendi, monumento nondum facto, a domino vindicari queant. Id quidem certum eſt, nemini jus quæſitum eripi poſſe, *l. 4. C. de emancipationibus liberorum, l. 2. §. 10. 16. ff. ne quid in loco publico fiat. l. 40. ff. de adminiſtr. & pericul. tut. vel curat.* patitur tamen hoc ob ſupereminens dominium exceptionem: aſt tunc damnum datum a republica eſt reſarciendum. Et quidni populus Romanus ſervum liberum velle potuiſſet ob reipublicæ utilitatem, cum juſſerit dominos, ob intolerabilem ſævitiam ſervos bonis conditionibus vendere.

(a) *Quadam benignitate*) GöBEL. Sed hoc ſacræ repugnat ſcripturæ; ea enim vult, ut quilibet magiſtratui ſubſit. Conf. GROTIVS *de jure ſummarum poteſtatum circa ſacra.* PVFFENDORF. *de habitu religionis ad vitam civilem*, mea diſſert. *de jure principis circa religionem.*

(b) *Forum Laicorum*) GöBEL. Vid. SCHRADERVS *de feudis part. 1. quæſt. 2. n. 2. 3. 5.*

(c) *Veroſimilius pro pontificibus*) *C. A. M.* Papa arrogavit ſibi poteſtatem confirmandi cæſares. Id ante paucos annos ſibi tribuit INNOCENTIVS X. in bulla ſupra inſtrumentum pacis Osnabrug. & Monaſterienſis. Bulla iſta ſuperba & adeo imperio noxia, ut non poſſimus ſatis admirari, eam eſſe acceptam a principibus in aula cæſarea & aliis. Contra illam ſcripſit AMANDVS FLACIVS, quod ſcriptum eſt elegans, ſed non abſolutum. Autor vero eſt BLONDELLVS, qui ſub hoc nomine latet.

(d) *Cæſarum*) GöBEL. Ad hanc claſſem potiſſimum ſpectant *c. 6. X. de majoritate & obedientia. c. 7. 8. 9. 10. 11. 12. diſt. 96. c. 1. 2. 3. 4. 6. diſt. 10. c. unic. de jurejurand. in Clement. 8. c. unic. ne ſede vacante in extravag. Joannis XXII.*

(e) *Ne quidem derogat*) *C. A. M.* Pontifices ſolent quotannis excommunicare tempore cœnæ dominicæ, (*am grünen Donnerſtage*) omnes, quos cenſent hereticos, cumprimis Lutheranos per ſingularem bullam, & tum quoque excommunicant omnes eos, qui tenent officia in urbe Roma absque conceſſione papæ. GöBEL. Bullam de cœna domini, in qua excommunicatio fit, edi-

dere magiſtratus Urbanos. Nec in proceſſu cœnæ Dominicæ fulmen intenditur in cæſarem ſuprema jura ſibi vindicantem, ſed omnino alios. Verba ipſa id indicant. „Excommunicamus „& anathematizamus omnes illos, qui per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte ſub quo„que titulo vel colore occupant, detinent, vel hoſtiliter deſtruunt ſeu invadunt, aut occupare, „detinere vel deſtruere aut invadere hoſtiliter præſumunt in totum vel in partem, almam ur„bem, *regna Siciliæ ſeu Trinacriæ* (a) inſulas Sardiniæ & Corſicæ, terram citra Pharum, patrimo„nium beati Petri in Tuſcia, ducatum Spoletanum, comitatum Venayſinum, Sabinenſem, „marchiæ Anchonitanæ, maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimæ provincias, ac „terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, civitatesque noſtras, Bononiam, Ferrariam, Bene„ventum, Peruſium, Avinionem, civitatem Caſtelli, Tudertum, & alias civitates, terras & lo„ca, vel jura ad ipſam Romanam eccleſiam ſpectantia & adhærentia, ac fautores & defenſores „eorum, ſeu in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

14. Quum omnia ergo hæc ita ſeſe habeant, jam amplius nihil ſupereſt, quare non aperte ac libere pronunciemus: omnes Romani pontificis terras, ſaltim Italicas, eſſe limitibus imperii adhuc comprehenſas, adeoque ipſum papam, ratione utique illorum bonorum, ſubditum cæſaris eſſe. Subditum inquam, nec enim cum Joanne Bodino auſim illum *vaſallum cæſaris appellare:* (b) quod ille non dubitavit *l. 1. de republ. cap. X. n. 136.* profiteri. Ratione etiam dico bonorum illorum: quoniam hujus loci non eſt diſputare, num etiam papa ipſe, in quantum eſt Romanus epiſcopus, cæſarum ſit *legibus obnoxius:* (c) multo minus idipſum heic a nobis demonſtratum eſt.

Caput XXII.

Terras Italicas pontificum Romanorum beneficiarias, videri etiam hodie pertinere ad ditionem imperii.

1.

Pontificum Romanorum terras, & reapſe & ſummo jure, etiamnum intra limites imperii contineri, oſtendimus. Proximum eſt, ut inveſtigemus, quemadmodum habeant ſeſe Italiæ reliqua. Horum autem quædam a pontificibus beneficiaria lege aliis ſunt conceſſa: quædam diverſis conditionibus tenentur. Quæ citra controverſiam ſemper in tabulis cæſariis nominatim traduntur conceſſa papis, (cujusmodi ſunt ipſa etiam *Sardinia & Corſica*) (d) illa, tametſi ab aliis feudi aliquo jure poſſideantur, omnino & ipſa non excidiſſe imperii juribus, exiſtimandum eſt. Cum enim non diverſa conditione ſeſe habeant, atque alia pontificibus donata, utique non minus hæc atque illa finibus imperii nequaquam exempta ſunt. Nec vero exemptionis alicujus ſingularis ullum licet indicium obſervare.

2. Terras omnes, quæ (ſi Calabriam inferiorem excipias) uno regni Neapolitani nomine veniunt, juris cæſarii fuiſſe, & cæſarum dono ad pontifices cœpiſſe pertinere, idque ad ſeculum usque tertium decimum, Normannorum vero nullum fuiſſe in eas jus recte quidem partum, prolixe demonſtravimus capite XI. Etiam ſequente tempeſtate omni, jus ſuum in terras iſtas a cæſaribus per tabulas publicas curaſſe pontifices ſibi confirmari, manifeſtum eſt ex iis, quæ cap. 20. in medium allata ſunt. Quamobrem non fortaſſis etiam licet dubitare, de ſuperſtite in illa quidem loca, ut in pontificia alia, imperii ſumma auctoritate. *In quibusdam vero* (e) tabularum illa-

dit Clemens X. anno 1671. Habetur in *bullario Romano ſect. 1. p. 518. edit. Lugdun.*

(a) *Regna Siciliæ & Trinacriæ*) *C. A. M.* Regnum Siciliæ proprie ita dictum & Neapolitanum regnum. Hæc duo regna tenet rex Hiſpaniæ, & ſic ille quotannis excommunicabatur, quod ille tamen parum curans nihilominus regna illa tenet, & *ridet papæ veſaniam*, qui tot annos excommunicavit, nec tamen regna accepit. GÖBEL. Sicilia Trinacriæ nomen a tribus promontoriis, quibus olim celebrabatur, ſortita eſt.

(b) *Vaſallum cæſaris appellare*) GÖBEL. Sed nihil refert, quocunque demum vinculo imperio & imperatori obnoxius dicatur, ſive allodiali ſive feudali: ſufficit, terras ejus ſub ſummo eſſe Germaniæ imperio.

(c) *Legibus obnoxius*) GÖBEL. Ab eis enim nec legibus divinis, nec humanis, nec pacto exemtus eſt. Juris canonici placita, conciliorum canones, patrum ſententiæ & gloſſatorum canoniſtarum dicteria hic allegari non poſſunt, cum in propria cauſa effata ſint & teſtimonia. Varios autores, pontificis hic defendentes partes, refert GONZALEZ *ad c. 6. de majoritate & obed.*

(d) *Sardinia & Corſica*) GÖBEL. Corſica æque ac Genua, cui paret, imperio ſubeſt; nec jure ſuo in utramque cæſares unquam vel tacite ſaltem deceſſerunt, verum ferente occaſione per exercitium actuum ex ſuprema poteſtate profluentium jus ſuum conſervarunt. Imo & huc generales in capitulationibus clauſulas *de non alienandis rebus & injuſte oblatis repetendis*, collimare, ſupra docui. Cæterum de fatis & mutationibus inſulæ Corſicæ BIZARRVS *de republ. Genuenſi* paſſim agit. Papam circa Corſicam aliquod ſibi tribuere jus, & ex eo conſtat, quod Arragoniæ regibus illam in feudum largitus ſit. vid. LVNIG. *C. J. D. tom. II. p.* 1415. 1422. 1426. Sed illa papæ conceſſio irrita fuit. Idem de Sardinia dicendum; confirmavit enim in Sardiniæ regno Clemens V. Arragonum regnum anno MCCCV. dictusque rex juravit fidelitatem papæ pro dicto regno. BERNARDVS GVIDO *in vita Clementis V.* apud BALVZ. *in V. P. A. tom. I. p. 63.* Sardinia hodie Sabaudo pro Sicilia, quæ cæſari ceſſa, paret. Et quanquam imperator anno 1718. in tractatu Londinenſi omnibus juribus in illud regnum renunciaverit, illud tamen non ut imperator, ſed ut archidux Auſtriæ, quoad dominium utile vel inferius, fecit. Deinde quomodocunque etiam hæc cæſaris renunciatio ſe habuerit, imperium tamen juri ſuo non renunciavit, quod ipſi ſemper integrum manet, & conſervatur per id, quod imperator in capitulatione promittit, de vindicandis imperii juribus & repetendis, quæ ei injuſte ablata ſunt; quo ſatis declaratur, quod non habeat animum derelinquendi.

(e) *In quibusdam vero*) *C. A. M.* Audiviſtis ſupra, regnum Neapolitanum ſolere a temporibus Normannicis appellari regnum Siciliæ, quaſi ſitum eſſet in Italia. Quando vero dicitur *regnum utriusque*, tum & regnum Neapolitanum & Sicilia proprie dicta intelligitur.

illarum comparet nomen ſimpliciter regni Siciliæ, imo diſerte memoratur, *regnum Siciliæ cis & ultra Pharum:* ceu jam vidimus. Et tamen inſula Siciliæ qui ſit juris imperii occidentalis Francici, quod penes Germanos eſt, non facile apparet: ut nec illud, qui regnum, quod Siciliæ & Neapolitanum dicitur, omnibus ſuis partibus ſit itidem intra imperii limites, cum Calabria inferior ab ipſius Caroli magni ævo usque extra fines illos cenſita ſit. Nec tamen eſt, cur credas, temere illa nomina in tabulas nonnullas irrepſiſſe, utpote quum omnes illæ ex præſcripto curiæ pontificiæ ſint exaratæ. Papas hoc ipſo ſibi aliquid quæſiviſſe, quis dubitaverit? Aſt partum ſimul aliquid veri ac ſolidi juris ipſimet imperio, haud videtur. Sane in Siciliæ inſulam reges Arragoniæ ne pontifici quidem hodie quidquam concedunt, fruſtra illo ringente. *Notum eſt*, (a) quam acriter pontificiam cauſam egerit cardinalis Baronius undecimo annalium tomo, quantumque illi ſeſe oppoſuerit rex Hiſpanus. Nos ut incertis rationibus imperio quidquam arrogemus, adduci non poſſumus.

3. At non poſſumus ſilentio præterire: Cæſares noſtros dudum poſt Fridericum ſecundum non ſemel vi ſummæ ſuæ poteſtatis uſos in Neapolitanos reges imperii rebus adverſos. A Ludovico IV. cæſare, anno MCCCXXVIII. non minus Robertum regem proſcriptum eſſe atque Joannem papam, jam tum patuit ex breviario illo ſententiæ cæſareæ, quod ex Bzovio præcedente capite recitavimus. Proſcripſerat vero eundem regem jam anno MCCCXI. Henricus Luzelburgius cæſar, tanquam reum læſæ majeſtatis, ac *privationis omnium dignitatum quocunque comprehenſarum titulo* illum damnaverat. In ejus defenſionem, defuncto jam Henrico, Viennæ in concilio promulgavit quidem bullam aliquam Clemens V. papa, cujus pars potior hodie conſtituit cap. ſecundum tit. XI. libri ſecundi Clementinarum; inter alia prætendens, regem, quo tempore citatus fuit, extra imperii territorium in regno ſuo degiſſe. Sed non eſt, quare ejusmodi nudis aſſertionibus in damnum imperii credamus: cum ſuppetant rationes plurimæ pro cæſarum juribus. Niſi fortaſſis degerit tum Robertus rex in Calabria inferiore. Certe perinde injuſta eſt excuſatio illa, atque illud, quod perſuadere conatur Clemens, neminem rite in judicium citari poſſe tum quando vivit extra citantis territorium; in adverſam ſententiam tanquam juſtiorem pene omni orbe conſpirante. *Caroli Molinæi* (b) in animadverſionibus ad Clementinam illam verba hæc ſunt: *Hanc decretalem Baldus in l. liberti libertaque col. V. c. de oper. libert. arguit de injuſtitia, dicens, quod in hoc cap. ſunt quædam dicta quæ ſapiunt, & quædam quæ non ſapiunt, & quædam quæ non ſapiunt veritatem juris.* Cæterum Henrici illam in regem Robertum latam ſententiam recitat *Albericus de Roſate* (c) JCtus in *l. quisquis ad leg. Jul. majeſtat.* & Goldaſtus tomo uno conſtitutionum imperial. pag. 321. & in annalibus ſuis Abrahamus *Bzovius.* (d) Poſtulat magnitudo rei, hoc quoque loco ſententiam adeo memorabilem legi: itaque lectoribus illam non invidebimus. „Henricus Dei gratia Romanorum imperator, & ſemper Auguſtus, ad certitudinem præſentium „& memoriam futurorum. Deus judex juſtus fortis & longanimis omnes ſecundum merita ſua „judicans, ſuperbientem illum ſpiritum, qui ante ſuum thronum demens ſe gloria & honore „ornatum conſpiciens, ſedem ſuam ad Aquilonem, ut eſſet ſimilis altiſſimo, ponere cogitavit; „de altis cœlorum faſtibus ad inferiora terræ in opprobria ſempiterna demergens, ipſum omni „gratia & ſpe minime condigne privando duxit æternalibus ultionibus exponendum. Sic ad „præſens juſtitiam reſpiciat, & æquitatem videat ipſe cœleſtium, terreſtrium, & infernorum domi-

(a) *Notum eſt*) *C. A. M.* Regnum Siciliæ hodie eſt feudum Romani pontificis. At alia eſt ratio regni Siciliæ proprie dictæ. Romani quidem pontifices prætendunt, ad ſe pertinere hoc regnum, & a ſe beneficiarium debere cognoſci. At rex Hiſpaniæ negat, & ſe eſſe monarcham illius regni profitetur, neque agnoſcit ſuperiorem, niſi ſolum Deum. Itaque initio hujus ſeculi Baronius acerrime & prolixe diſputavit hac de re *tom. XI. annal.* Verum rex Hiſpaniæ hunc tomum proſcribit vel non patitur in ſuo regno, niſi ſit ex illo tomo diſputatio illa de Sicilia exemta, & in editione Plantiniana, quæ Antwerpiæ prodiit, tota eſt ſublata. GöBEL. BARONII liber de monarchia Siciliæ etiam ſeparatim prodiit *Pariſiis 1609.* cum ASCANII CARDINALIS COLVMNÆ de hoc tractatu judicio & Baronii reſponſione apologetica epiſtolaque ad Philippum III. regem Hiſpaniæ. Baronio ſe oppoſuit quoque GVEVARA in diſcurſibus *de monarchia Siciliæ.*

(b) *Caroli Molinæi*) *C. A. M.* Fuit præclariſſimus JCtus Gallus, & tanti nominis, ut nemo illi prævaluerit in Gallia. Scripſit plurima, ſed omnia perdocta. Hujus etiam *animadverſiones* extant *in jus canonicum.* Opus poſthumum, in quo perſtringit omnia vehementer. GöBEL. MOLINÆI operum ſequentia celebrantur: *Comment. ad conſuetud. Pariſienſes; Liber de mutatione monetæ; Tractatus commerciorum & contractuum; De commerciis & uſuris; De donat. & inofficioſis teſtamentis; De verborum obligatione; Notæ ad Freroti ſynopſin juris canonici.*

(c) *Albericus de Roſate*) *C. A. M.* Eſt JCtus Italus, vixit ſec. XV. fuit rebus cæſaris vehementer addictus; & ſingularem librum conſcripſit *de juribus imperii.*

(d) *Bzovius*) GöBEL. Diploma etiam in LVNIGII *codice Italiæ diplomat. tom. II. p. 1075. ſeqq.* reperitur. Argumenta tam Germanici imperii, quam pontificiæ ſedis pro jure ſibi in utramque Siciliam vindicando refert SCHWEDER. *in theatro prætenſionum;* reſpondetque ad ea, quæ pontificia aula pro ſe allegat. Provocant etiam pontificis partibus addicti ad diploma, in quo principes Germaniæ, regnum Siciliæ ſacro Romano imperio nunquam nexu aliquo obſtrictum fuiſſe, teſtatum faciunt: vid. LüNIG. *C. J. D. tom. II. p.* 874. Verum tenor diplomatis ſatis oſtendit, Germaniæ principes ſaltim declaraſſe, Siciliæ regnum non eſſe Germaniæ partem, aut ejus dominio utili obnoxium. Idem dicendum de diplomatibus Rudolphinis, in quibus juri imperii in Siciliam renunciatur. Ut ſileam alia, quæ diplomatibus Rudolphinis opponuntur. Conſtat pontificem potiſſimum Friderici II. tempore Siciliæ inhiaſſe, & ut orbi glaucoma objiceret, modo Angliæ regis filio, modo Carolo Provinciæ comiti, Ludovici IX. Galliæ regis fratri, obtuliſſe. LüNIG. *l. c. p.* 914. 915. 918. 927. 930. 934. 935. Diploma Friderici II. quo Innocentio III. Siciliæ regnum eccleſiæ Romanæ retinendum & defendendum promittit, ipſi juveni ab hoc papa extorſum aut etiam ab ipſo fabricatum Friderico obtruſum eſt. Imo quomodocunque etiam hoc ſe habeat promiſſum, illud imperii juribus nocere nequit. Quæ præſcriptioni obſtant, ſupra monui. Nec hactenus conſultum viſum, jus imperii in actum mittere.

„dominus, qui novit occulta cordium, & ante cujus tribunal ceſſat omnis calumnia, & veritas „nullius nequitiæ tenebris obſcuratur. Deponat & nunc de ſede potentem, qui tentavit & exacerbavit ipſum, & concitavit eum in iram: perdat eum qui male quærit, & dat illi, qui obſtinato animo viam innocentiæ refugit, & gloriatur in malitia, opprobrium ſempiternum: faciat „in eum judicum conſcriptum, & ſit gloria omnibus ſanctis ejus. Nequitiæ ſiquidem & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Caroli ſecundi, qui ſe Siciliæ regem intitulat, „& imperii Romani adipe impinguatus, incraſſatus & dilatatus, contra illud (cui etiam cauſa feudorum multorum & bonorum ipſius imperii, quæ hactenus tenuit, & quæ injuſte principaliter occupat, humiliter obedire debet) vitiis & iniquitatibus eminens, odia, dolos & fraudes pro „fidelitare retribuens, ex deteſtando ingratitudinis vitio calcaneum rebellionis reſumpſit erigere: & contra ſtimulum indurata nequitia recalcitrare non ceſſat, nefandaque ſuperbia tumefactus ſedem ab Aquilone, hoc eſt, ab oppoſito majeſtatis cæſareæ, quam ejus dominam & magiſtram revereri & honorare tenetur, ſupponere ſatagens, ipſam conviciis & contumeliis provocavit hactenus, & continuo animo protervo continue provocare præſumit. Ipſe namque inter „cœteros ſuæ malignitatis conatus, licet antequam imperialis coronationis cauſa proficiſceremur „ad urbem, per ſuas literas ſpeciales pluries culmini noſtro ſcripſiſſet, quod ipſe (ſicut ex cauſa „prædicta debebat, & nos, qui nec opere, nec verbo gravavimus, nec gravare, ſed potius gratioſe „tractare intendebamus, eundem ex gravitate conſcientiæ credebamus) ad exhibendam nobis „debitam reverentiam & honorem, tam in dicta coronatione quam alibi intendebat, & ad id „pro viribus ſe parabat: confœderationes tamen, conſpirationes, uniones & ligas in offenſam & „impedimentum proceſſus cæſarei una cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus, & aliis noſtri imperii Romani ſubditis per Lombardiam, & ut eos in rebellionis præcipitium excitatos foveat, „omne contrarium (ſicut expreſſe dignoſcitur) per ſe ſuoſque procuratos nuncios & ambaſſatores, in noſtræ majeſtatis injuriam & offenſam, & impedimentum proceſſus cæſarei, facere procuravit & fecit. Tractavit etiam, quod civitas Cremonæ, Parmæ & Rhegii, quæ ſub noſtra obedientia conſiſtebant, contra nos & imperium rebellarent, inducendo tam communia ipſarum „civitatum, quam ſubditos noſtros prædictos ad rebellionem hujuſmodi, & eis ad id pollicendo „auxilium, conſilium & favorem. Et nihilominus dicti Roberti fulti favoribus, ſuæque nequitiæ „conſcii & miniſtri civitatis aſſenſis, & caſtra Valentiæ, Caſalis, S. Evaſii, & alias nonnullas civitates & caſtra provinciæ Lombardiæ, quæ mandata noſtra juraverant, & nos in eorum dominum „recognoverant, & officiales noſtros receperant & habebant, officialibus ipſis violenter ejectis, nequiter occupatis, & occupatas, & occupata pro Roberto detinent ſupraſcripti. Denique Robertus „Joannem fratrem & ſtipendiarios Romam, videlicet ea intentione tranſmiſit, ut urbe (ſi poſſet) „ſuæ proditioni doloſe ſubjecta, vel ſaltem turbata, in ejus periculo nefandæ ſeditionis immiſſio „dictæ coronationis impediret ſolemnia. Prout dicti Joannis & ſtipendiariorum in ingreſſu noſtro „in urbem prædictam, quamdiu in partibus illis moram traximus, efficaciter operum argumento „probantes, una cum copioſa ſubditorum dictorum multitudine, quæ per inſtigationem dicti Roberti ſubmiſſi ſibi ſubſidii & defenſionis fiducia cum armis & equis ad opponendum ſe nobis, & „exercendum per excogitatam malitiam, ſimul cum Joanne ſtipendiariiſque prædictis convenit „ibidem contra nos & gentes noſtras hoſtiliter poſuerunt inſidias, fecerunt inſultus, ſpoliationes, „violentias & homicidia perpetraverunt, viaſque publicas & loca, per quæ ad tendendam Baſilicam principis apoſtolorum de urbe omnibus religionem profitentibus Chriſtianam liber aditus „patere debebat, bellicoſis apparatibus claudere nobis ac gentibus noſtris ad baſilicam ipſam, ne „ipſa coronatio celebrari valeret, acceſſum totis viribus prohibere, ac alias omni modo, quo poterat majeſtatem noſtram offendere, procurarunt. Aliaque præfatus Robertus committebat, & erat „in ſitu contra nos committendi omnia, quæ ad noſtri imperii damnum tenderent, & ad ea modis omnibus, quibus poterat, nitebatur. Hæc ſiquidem creſcente clamore notorio, & in pluribus „rerum experientia edocente, licet ipſa tam publica & notoria eſſent, quod nulla poſſent tergiverſatione celari, & nos, qui ſubjecti non ſumus, contra dictum Robertum propter præmiſſa eo irrequiſito potuiſſemus procedere: tamen ex Auguſta clementia (quæ libentius emendat in ſubditis „pœnas, quam puniat, nec exercet ferrum in eos, quos ſanare poteſt lenitas medicinæ) poſt ſeceſſum noſtrum de urbe prædicta, ſuper dicto notorio, & prædictis per ipſum Robertum contra „noſtram majeſtatem commiſſis, ad inquiſitionem deſcendimus, quam ut fidei vel amoris ſcintilla (ſi qua forſitan remanſit in eo) ipſius viſcera tangeret, & ipſe interim ſpatium ad cor redeundi haberet, uſque in præſens deliberationibus rationis duximus protrahendam. Robertum prædictum citari legitime fecimus, ut comparere curaret, ſuam (ſi poſſet) innocentiam oſtenſurus. „Verum idem Robertus in ſua protervia perſeverans, in terminis ſibi ad hoc præfixis, vel eorum „aliquo, vel per ſe, vel per alium comparere contumaciter non curavit. Quare nos ſuper præmiſſis in ipſius Roberti contumacia fide dignis & ſufficientibus receptis teſtibus, & eorum dictis „in ſcriptis redactis, & per nos ſolemniter publicatis, & de mandato noſtro a proceribus noſtri palatii cum diligentia recenſitis, & facta nobis de ipſis & per ipſos relatione fideli, per ea, quæ probata fuerunt, prædicta omnia & ſingula publica & notoria eſſe, in ſcriptis interloquendo pronunciavimus & declaravimus, exigente juſtitia & poſtmodum eum requiri & citari ſufficienter & peremptorie fecimus, ut certo termino jam elapſo coram nobis (ubicunque eſſemus) ad hanc noſtram „ſententiam audiendam comparare curaret. Quod ipſe præſcius & diffuſus injuriis & offenſis in ſua „obſtinatione & contumacia & fraudibus pernitioſis induratus, facere prætermiſit.

4. „Quia igitur de præmiſſis omnibus & ſingulis (prout apertius in inquiſitione continetur) „ſpecialiter per dictos teſtes plenarie nobis conſtat, nos prædictos & alios prædicti Roberti exceſ- „ſus nefarios & opera deteſtanda maturo & juſto librantes examine, ac illud notiſſimum nullate- „nus omittentes, quod ipſe Robertus dum in urbe prædicta cauſa prædictæ coronationis eſſemus, „dilectiſſimi noſtri Piſani (qui inter cæteros noſtros ſubditos, fidelitatis ac opinionis ſinceritate, „galeas ac gentes ad noſtrum ſervitium & honorem Romam miſerant) galeas ipſas in noſtræ ma- „jeſtatis injuriam invadi, ſpoliari & gentes prædictas capi & incarcerari & in carcere detineri „mandavit & fecit; & nihilominus in hujusmodi continuationis terminis perſeverando mala ma- „lis addendo, & pejora continue committendo, dum contra rebelles noſtros dereximus ſigna cæ- „ſarea, rebellibus ipſis (ſicut publicum & notorium eſt, & facti evidentia docebat & docet) „miſit plures armatorum in ſubſidium, ut eos diutius in eorum rebellionis erroribus confove- „ret: & attendens, quod dum ipſe potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem „expectare, ad noſtram benevolentiam & dilectionem, quam ſibi ex animi ſinceritate parave- „ramus obtinere, noluit, bella quæſivit, iniquitates exercuit, & pro poſſe curavit, ſicut etiam „procurare non ceſſat in imperii populos ſeminare zizania, ſuſcitare odia, immittere ſcandala, „concitare tumultus, nutrire ſchiſmata, & fovere diſcordias; & ſine intermiſſione in actu com- „mittendi continuandique perſtare contra noſtrum imperium non omiſit, non ſolum in noſtri „imperii contemptum, reique publicæ detrimentum, ſed etiam in perturbationem proſperitatis „eccleſiaſticæ, quæ ad imperii ſtatum plurimum dignoſcitur tendere, & in retardationem ne- „gotii terræ ſanctæ, ad quod (teſte Deo qui omnia novit) totis conatibus & affectibus anhelamus, „& videntes aperte, quod dictus Robertus irrevocabiliter in ſignum erroris prolapſus, & obſtina- „tus in dolis, viam veritatis expiavit omnino, & tanquam aſpis ſurda non obtinens auditum, „nec mandata noſtra nec legis pœnam, in quam ſuis culpis (nam omne quod eſt ex Deo vincit „mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra) incidiſſe ac incidere noſcitur, „nec etiam imperatoriæ plenitudinem poteſtatis veretur, ſed quotidie cervicis durioris efficitur, „& quantum ipſum ad pœnitudinem expectamus, tanto majorem aſſumit audaciam malignandi. „Conſiderantes etiam, quod ipſe Robertus de imperii crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illi- „citis ſibi laxatis habenis fuerit, & nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito in- „jurias refert, noſque ac quoſcunque fideles imperii nobis obedientes pro poſſe impugnare cona- „tur, ejuſque pravitas non in ædificationem, ſed in deſtructionem, non ad fructum & juvamen, „ſed ad peſtem eſſe dignoſcitur: & volentes præmiſſis injuriis & ipſius fraudibus obviare, & „evangelicam ſequi doctrinam, quæ nos monet, quod omnis arbor, quæ fructum non fert bo- „num, abſcindatur & mittatur in ignem, licet fideles reges & principes in ſuorum dignitatis emi- „nentiam libenter condignis honoribus & gratioſis favoribus proſequamur, tamen ut culpa ſup- „plicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum prædictum, cujus elegimus domare „ſuperbiam, & præſumptionem erectam conterere, ipſumque, a ſtatu ſuo quantumcunque ſub- „limi deponere, cum propter præmiſſa majeſtatis criminis reus ſit, univerſis & ſingulis dignita- „tibus quocunque titulo comprehenſis, quibus ſe intitulat & decorat, auctoritatibus, honoribus, „libertatibus, immunitatibus, & privilegiis, provinciis, comitatibus, civitatibus, caſtris, terris, „villis & aliis feudis, vaſallis, bonis, rebus, juribus & jurisdictionibus univerſis tam perpetuis „quam temporalibus, quos, quas & quæ habet, tenet & poſſidet, vel quaſi, ſeu habuerunt & poſ- „ſederunt hactenus quomodolibet ipſe vel ſui prædeceſſores, privamus eundem Robertum re- „bellem, proditorem & hoſtem imperii, dictæque majeſtatis crimine reum, de toto prædicto im- „perio exbannimus & diffidamus: Ipſum, ſi quo tempore in noſtram & imperii fortiam perve- „nerit, vita, per capitis multilationem privandum, in his ſcriptis ſententialiter condemnamus. „Statuentes & mandantes, quod nulla perſona cujuſcunque nobilitatis, excellentiæ, ſtatus, vel „conditionis exiſtat, nullaque civitas, caſtrum, villa, vel univerſitas eidem contra nos & impe- „rium præbeat publice vel occulte conſilium, auxilium, vel favorem, ſub pœna centum librarum „auri, pro qualibet civitate libras 50, pro quolibet caſtro, villa, marchione, duce, comite, baro- „ne & quolibet nobili, viginti librarum auri, & pro qualibet ſingulari alia perſona pro vice qua- „libet contra fecerint, committenda: quodque cuilibet liceat impune, cives, incolas, habitatores „civitatum, caſtrorum, villarum, & quaslibet alias ſingulares perſonas, cujuſcunque ſtatus vel „conditionis exiſtant, quæ contra noſtrum honorem obediant ei, vel darent conſilium, auxilium „vel favorem, publice vel occulte offendere in perſona, rebus & juribus; & ipſos, & ea capere, & „arreſtare, & retinere. Inhibentes etiam & præcipientes expreſſe, ne aliqui debitores ipſius „Roberti, de bonis, in quibus ei tenentur, in aliquo ſatisfaciant, vel reddere quomodolibet præ- „ſumant, ſed alioquin tantundem cameræ noſtræ perſolvant, & ad hæc ſine ſtrepitu & figura „judicii compellantur. Adhæc univerſitates & provincias noſtras, civitates, villas, & ſingulares „perſonas cujuſcunque præeminentiæ vel excellentiæ, etiamſi regia dignitate, vel cujuſcunque „alterius dignitatis conditionis vel ſtatus exiſtant, quæ ex aliquo pacto vel promiſſione ſeu obli- „gatione dicto Roberto, aut prædeceſſoris ſui facto, pacto, vel pœna ſub qualicunque forma „comprehenſo, vel comprehenſi ſint, ratione, cauſa vel titulo, & ſpecialiter de aliquo ſervi- „tio faciendo, vel hominum armatorum aliudque ſubſidium dando, per mare vel per terram, „teneretur eidem Roberto: ab ipſis, pacto, promiſſione, obligatione & pœna appoſita vaſal- „los quoque & feudatarios, omnes & ſingulos, qui eidem fidelitatis vinculo, vel alia quacunque „ratione vel cauſa, ad aliqua ſervitia realia vel perſonalia tenerentur, ab omni vinculo fideli-

„tatis, ſubjectionis & obedientiæ ei vel ſuis heredibus faciendis abſolvimus penitus & in „totum, ita quod nec civitates, caſtra, villæ, univerſitates & perſonæ prædictæ, pacto vel obligati„one prædictorum, aut Vaſalli, aut feudatarii præfati cives fidelitatis, ſubjectionis & obedientiæ, „ratione, cauſa vel titulo, ſibi vel ſuis heredibus quomodolibet teneantur. Ipſas etiam contra„ctas, civitates, caſtra, villas, feudatarios, vaſallos, bona, res, jurisdictiones, ſervitia & jura, & quæ„cunque alia ſub noſtra contenta privatione & abſolutione hujusmodi confiſcamus. Demum „omnibus & ſingulis militibus, auditoribus, judicibus, jurisperitis & notariis, qui ejusdem Roberti „domeſtici ſeu familiares exiſtunt, ſive aliis, qui in ejus ſervitio eſſe noſcuntur, & quibusvis aliis, „diſtricte præcipiendo mandamus, quod ab ipſius Roberti familiaritate, conſiliis, directione, & „obſequiis quibuscunque, infra duorum menſium ſpatium ab hodie computandum, cum effe„ctu recedant, & nunquam ad ejus ſervitium vel conſilium accedere publice vel occulte præ„ſumant: alioqui ipſos milites honore ac dignitate militiæ, judices adjudicandi & aſſidendi „omnibus & ſingulis privilegiis & immunitatibus, ac notarios notariatus officio: eos videlicet ex „dictis militibus, auditoribus, judicibus, juriſperitis, notariis, qui hujusmodi mandato noſtro non „paruerint cum effectu, exnunc prout extunc, privamus termino ſupra ſcripto, & inhabiles & in„fames reddimus: ita quod elapſis menſibus ſupradictis, ad nullos actus legitimos quocunque „tempore poſtmodum admittantur. Hujusmodi autem privationis, confiſcationis, exbannitio„nis, diffidationis, condemnationis & abſolutionis ſententias in his ſcriptis fecimus, & omnia alia „ſingula facta & incerta facimus exiſtente juſtitia, & bono reipublicæ requirente, ac ex certa ſcien„tia & plenitudine poteſtatis, ſupplentes omnem defectum, ſi quis forſan in inquiſitione prædi„cta, de quibuscunque proceſſibus propterea habitis ob aliquam juris ſolennitatem omiſſam eſſet „habitus. Non obſtantibus aliquibus legibus, conſtitutionibus contrariis, vel privilegiis ſub qua„cunque forma verborum conceſſis: etiamſi oporteret de ipſis ad verbum in præſentibus fieri „mentionem: quæ contra præmiſſa vel præmiſſorum aliquid poſſent quomodolibet aliquid objici, „ſeu opponi, quibus ſpecialiter derogamus. Actum Piſis in præſentia noſtrorum principum „& Baronum, ac populi multitudine copioſa 7. kal. Maji, regni noſtri anno quinto, imperii „vero anno primo.

Caput XXIII.

Quod reliquum eſt Italiæ, præter bona pontificia, pauciſſimis exceptis, hodieque ad regni Italici adeoque imperii, ditionem pertinere.

I.

Vindicata illa Italiæ parte, quæ Romano pontifici patet, aut ejus beneficio poſſidetur, fortaſſis haud adeo difficile fuerit imperii jura in id, quod Italiæ reliquum eſt, ab interitu, quem minatur, defendere. Etiam hic tamen vehementer turbatur a ſcriptoribus non Italicis ſolum ſed Germanicis etiam, quod mireris. In id enim velut ex compacto videas multos eorum eosque longe præclariſſimos conſentire, quaſi cum Friderico II. regnum omne Italiæ, quod primus Otto felicibus armis Germaniæ aſſeruerat, conciderit; illum ſcilicet Italiæ regum fuiſſe ultimum, qui ſucceſſerunt vero, in Italiam nihil habuiſſe juris, ſaltim nunc ejus nihil quicquam ſupereſſe. Hinc ſane politiſſimus ſcriptor Carolus Sigonius ſuum de regno Italiæ opus Friderici illius temporibus fere definivit. *Opportunam*, ait poſtumorum operis illius librorum editor Alexander Caprara, clauden„dæ hiſtoriæ rationem adinvenit. Cum enim, poſt pernicioſum & eccleſiæ Romanæ infeſtum „Friderici II. principatum, per viginti circiter annos imperium interregno laboraſſet, ita regni Ita„liæ poteſtas delibata eſt, ut ſequentes imperatores ejus poſſeſſionem aut omiſiſſe, aut amiſiſſe viſi „fuerint; vix certe ejus regni in Italia nomen adhuc extat, ad hoc igitur usque tempus hiſtoriam „perduci placuit, ad quod, unius quaſi auſpiciis, in Italia dominante imperatore, omnia gereban„tur. Iis de cauſſis Fridericus idem cæſarum ultimus audit Onuphrio Panfinio, magni ſane judicii viro.

2. Cæterum etſi non abnuam ſplendorem regiæ majeſtatis cum Friderico fere extinctum: ipſam tamen illam ne nunc quidem omnino interiiſſe ſuperſtite ſcilicet etiamnum ſaltim parte ſumma regiorum jurium, liquidum facere jam conabor: *idque illo argumento*, (a) quod nec aperte nec tacite juribus illis Germania hactenus renunciaverit, eoque ne quidem longi temporis aliqua præſcriptione integram libertatem ſibi Italia pepererit.

3. APERTE id factum non eſſe, ex eo colligo, quoniam ſi excipias id, quod *pacis publicæ* (b) tabulis nuper Galliæ eſt conceſſum, nihil reperire licet ſolenni quodam contractu alienatum. Rudolphum tamen Habſpurgicum cæſarem pretio accepto Italiæ *urbes potentiores* (c) quasque plena donaſſe libertate, non deſunt qui memorent. Carolus Sigonius *l.* 20. *de regno Italiæ* colophonem toti

(a) *Idque illo argumento*) C. A. M. Si Italia accepit libertatem plenam, neceſſe eſt, remiſſa jura Cæſarea vel aperte vel tacite. Ergo primum jam diſputo, an aperte factum ſit.

(b) *Pacis publicæ*) GöBEL. De Pinerolo loquitur Inſtrumentum Pacis Gallicum. Rediit ad Sabaudum anno 1696. per pacem Turinenſem, quæ in pace ultrajectina §. XVI. confirmata eſt.

(c) *Urbes potentiores*) C. A. M. Tum temporis ſeculo XIII. non erant niſi pauci principatus in Italia, ſed plurimæ VRBES potentes, quæ ſibi jus dicebant, & dicebantur IMPERIALES. Sed deinde illa urbium libertas mutata & ſucceſſere principes adeo, ut hodieque non niſi tres in Italia urbes liberæ ſint, VENETIÆ, GENVA & LVCCA.

toti illi operi impoſiturus, quæ hac de re adfert, digna ſunt quæ heic legantur. „Hujus, inquit, „regni jura ſuperioribus temporibus conſtanti populorum contumacia immutata, ut primus ultro „alienaſſe Rudolphus cæſar DICITVR, ſic primus etiam viam aperuiſſe ipſius regni excidio EXI-„STIMATVR. *Etenim Guelfas* (a) civitates ad obſequium redigere priſtinum cupiens, ut in Ita-„liam ad coronam imperii accipiendam non venire oportunis viribus deſtitutus decrevit, quod „diceret, ſe ineuntium Italiam veſtigia cernere, exeuntium non videre; ſequenti anno princival-„lem Fliſcum Genuenſem, vicarium imperii generalem a ſe conſtitutum hujus officii gratia de-„ſtinavit: cum ejus adventus omnium in ſe animos convertiſſet, ipſe in Etruriam progreſſus Flo-„rentiæ trans Arnum ad S. Gregorii ædem conſedit, ac magiſtratus ad ſe civitatum publico edicto „vocavit. Qui ubi venerunt, Rudolphi nomine antiquum ac regibus præberi ſolitum fidelitatis „ab eis ſacramentum popoſcit. Quod illæ, vetere jam pridem uſurpata libertate prælata, diſer-„tiſſime præſtituras eſſe negarunt. Qua re audita ira incenſus, extemplo Florentia ſe proripuit, „atque Aretium profectus, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, Piſtorienſes, cæteroſque populos con-„tumaces pronunciavit, ac ſolemni edicto proſcripſit. Inde cum ſe a Guelfis deſertum, Gibellinis „vero ſuſpectum eſſe, quia cum Guelfis aliquando ſenſerat, ac propterea parum rei ulli admini-„ſtrandæ idoneum eſſe videret; protinus ad Rudolfum in Germaniam ſe recepit, ac difficultates „oblatas revocandæ ad regiam auctoritatem Etruriæ retulit. Quibus Rudolfus permotus, atque „opibus ſuis, ſi arma vellet adhibere, diffiſus, vetus ei obſequium remittere, atque integram Italiæ „libertatem concedere ſtatuit, ſi certam, qua maxime egebat, pecuniam pependiſſent: atque eun-„dem cum his mandatis in Italiam ſe referre præcepit. Is profectus populos regiæ voluntatis ac „gratiæ ſtatim admonuit, quaque ipſe poteſtate inſtructus rediſſet, edocuit. Quod ubi illi co-„gnoverunt, confeſtim ſinguli, qui luce libertatis aliqua fruebantur, indictam pecuniæ ſummam „ſolverunt, ac libertate redempta, præcipua ad eam rem privilegia elicuerunt. Hoc vero non ſo-„lum Italici ſed etiam Germanici ſcriptores memoriæ commendarunt.

4. Hæc quidem Sigonius. At illis fidem *nemo prudens* (b) adhibuerit. Etenim id *primo* obſervandum, cum tantæ res ſoleant in robur & memoriam tabulis publicis comprehendi, in univerſa Italia tamen nullas reperiri hujus argumenti, & proinde vel hinc fabulæ incerto rumori ſubnixæ ineptias non poſſe non patere. Tabulas ſeſe nullas nanciſci potuiſſe, diſertis verbis ac ingenue ipſe ille fatetur mox Sigonius, eoque in teſtimonium rei maximi ponderis pro tabulis verba adfert Blondi, Platinæ, Trithemii, Cuſpiniani, Crantzii & Naucleri. Is vero eſt Sigonius, qui epiſtola, qua ad Jacobum Boncompagnum in opus illud ſuum eſt præfatus, non dubitavit affirmare, ſeſe „vetera Italiæ & maxime Lombardiæ tabularia perluſtraſſe, atque omnia fere, quæ apud civitates, „eccleſias, monaſteria pontificum, regum atque imperatorum diplomata reſidebant, aut præſentem „inſpexiſſe, aut certe abſentem beneficio amicorum hoſpitumque cognoviſſe.„ Etſi etiam controverſiæ de libertate & privilegiis motæ ſint florentiſſimis Italiæ urbibus, à ſequentium ſeculorum imperatoribus, nulla tamen illarum tabulam aliquam Rudolphi pro cauſſa ſua adduxit: certiſſimo indicio nullam ejuſmodi tabulam reperiri. In graviſſima illa lite cum marchione Finalienſi, ipſamet Genua provocare tantum potuit ad Caroli V. aliquod diploma.

5. Obſtat *Secundo* multum, quo minus Sigonianæ illi narrationi credas, quod nemo etiam hiſtoricorum ætati Rudolphinæ propinquorum tale quid memoriæ prodiderit. Antiquiſſimus enim eorum, quos in teſtes citare potuit Sigonius, eſt Flavius Blondus ducentis amplius annis Rudolpho junior. Et tamen Sigonius ad ſcribendam hiſtoriam ſuam "ſingularum etiam chronica „civitatum, quæ poſt milleſimum à Chriſto annum confici in Italia cœpta, apud privatas nunc etiam familias aſſervantur, adjunxiſſe" ſeſe, gloriatur nec vane. Quid quod ex Blondo Sabellicus & Platina, ex Italis iſtis Germani noſtri, aucta, ut ſolet, nonnihil fama, narrationem hanc omnem deſumpſerint, ipſomet Sigonio obſervante? Ut merito dixeris omnem ejus fidem unius Blondi auctoritate niti: ceu qui primus hanc fabulam terrarum orbi paſſim prodit. Quod itidem magnum eſt indicium incertitudinis, ſi non falſitatis.

6. Id *Tertio* loco etiam venit cumprimis notandum, quod Sigonius affirmet quidem a Rudolpho *integram Italiæ libertatem conceſſam*, Platina item & hunc ſecuti Sabellicus Trithemius Nauclerus dicant, Lucenſes Florentinoſque *ſtatim omnino liberos* factos eſſe: Blondus tamen, &, qui hunc deſcripſere, Cuſpinianus & Crantzius, caute teſtentur, pretio accepto Lucenſes, Florentinos alioſque *in libertate quidem dimiſſos*, ſimul tamen *imperii fideles*, a cæſare iſthoc eſſe *pronunciatos*. Ut proinde ipſomet

(a) *Etenim Guelfas*) C. A. M. Tum temporis & diu poſt aliquot ſeculis univerſa Italia ſciſſa in duas factiones, *Gibellinam & Guelfam*, & nemo repertus, qui non alteri addictus fuerit. Nulla urbs, in qua non Guelfi & Gibellini. Vnde factum eſt, ut non Italia tantum ipſa, ſed ſingulæ in Italia urbes factione laboraverint. Summum enim inter utraſque factiones odium. Gibellina factio, in qua plerique nobiliores, favebat imperatoribus, Guelfa pontificibus, in qua plebs, quæ conabatur conculcare autoritatem imperatoris. Nomina Guelficæ & Gibellinæ factionis cœperunt circa tempora Friderici I. & jam tum paulo ante. Creduntur autem nata in Germaniæ partibus, *Suevia & Bavaria.* Poſtquam ad duces Sueviæ pervenit imperatoria poteſtas, maxime adverſati ipſi ſunt duces Bavariæ, qui dicti Welfi. Fridericus autem I. dux Sueviæ natus Waiblingæ, unde nata Gibellini vox. In Germania tacite illæ factiones deſierunt, ſed in Italia receptæ per integra duo ſecula ingentes turbas dedere. GöBEL. Waiblingiadum nomen Waiblingæ urbi deberi, & Guelforum appellationem ab *auxilio* (*Hülf*) & beneficiis, ad quæ præſtanda gens illa paratiſſima erat, ortum traxiſſe, ſunt qui putant.

(b) *Nemo prudens*) GöBEL. Ex eo ſolo, quod Rudolphus & ipſum ſequentes imperatores urbibus Italiæ vicarios dederint, pluresque ibi actus majeſtaticos exercuerint, BLONDI & SIGONII aliorumque narrationem falſam eſſe, conſtat.

ipſomet primo narratore Blondo fatente, nequaquam in plenam aut integram libertatem Italici qui populi ſint aſſerti, per cæſarem Rudolphum. Nec enim qui fidelis imperii eſſe cogitur, is integram libertatem nactus eſt. Porro diſerte dicit Platina: *Rudolphus imperator, comparanda pecuniæ ſtudioſus, cancellarium ſuum e gente Fliſca in Etruriam miſit, qui populos omnes liberos faceret.* Nauclerus idem iisdem verbis repetit, niſi quod explicatius dicat, miſſum cancellarium: *qui populos in Etruria omnes liberos faceret.* Verba etiam Blondi ſunt: *Princivallis in Italiam remiſſus omnes, qui pecuniam attribuerunt, in libertate dimiſſos* IMPERII FIDELES *pronunciavit.* Nec vel Blondus, vel Platina, vel Sabellicus, vel Tritthemius, vel Crantzius, vel Nauclerus, nominatim quidem, alios quam Lucenſes & Florentinos memorant, qui libertatem ita ſint conſequuti. Solus Cuſpinianus addit Bononienſes & Genuenſes: quem falli certum eſt; utpote quum ſaltim Bononia Rudolphi auctoritate in pontificum ditionem conceſſerit; ceu jam tum præcedente eſt capite dictum. Igitur ſi audiendi etiam fuerint Blondus & qui eum ſunt ſecuti, ipſis illis teſtibus conſtabit, non Italiæ omni ſed ſolis Hetruriæ aliquot populis nec integram ſed minutam aliquam libertatem a Rudolpho impetratam: adque adeo ſeſe rem habere, ferme prout de Rudolpho *l. de comit. imperialib. cap.* 6. loquitur Onuphrius: Rudolphus omnibus *urbibus, quæ juris imperii in Tuſcia erant, libertatem multis aureorum millibus vendidit: quo mercatu eis paulatim ab imperio deſciſcendi occaſionem dedit.* Quibus verbis judicio præſtantiſſimus Onuphrius indicat, ſolas Hetruriæ urbes beneficio quodam libertatis, ſolito quidem majoris & quæ anſam dederit ſibi captandi pleniorem, affectas, tum temporis tamen imperii omnibus juribus ſolutas non fuiſſe.

7. *Quarto* ex hiſtoria omnis ſecuti ævi conſtat liquido, nullam urbium Italici regni omne obſequium, ſtatim a Rudolphi ævo, negaſſe cæſaribus; ſed non comiter tantum, verum etiam humili modeſtia dominos illos obſervaſſe, aperuiſſe adventantibus plærisque portas, obtuliſſe claves, imperatam pecuniam miniſtraſſe, detuliſſe illis ſæpenumero ſuas controverſias, & ſententiæ dictæ paruiſſe: modo ad clavum urbium ſederent Gibellini qui appellabantur. Si quid enim ſecius interdum accidit, uni Guelphicæ factioni adſcribendum eſt, quæ nonnunquam prævalebat. Omnes certe cives nunquam obedientiam cæſaribus denegavere, etſi & ipſi libertatis eſſent ſtudioſiſſimi: neque temere patriam cæſarib[illegible]erum ſubjeciſſent, ſi quidem illis de omnimoda quadam libertate a Rudolpho conceſſa conſtitiſſet.

8. Repugnant ſcilicet hæc omnia Sigonianæ iſti narrationi: atque adeo ſole clarius indicant, ſi quid datum fuit libertatis a Rudolpho, id omne exigui fuiſſe momenti. Quid? quod ipſe Sigonius eodem libro viceſimo ita loquatur de cæſare illo, anni ſeptuageſimi ſeptimi decimi tertii ſeculi hiſtoriam deſcribens *Rudolphus cæſar Rudolphum vicarium imperii in Hetruria miſit, qui ſacramenta ab amicis & in fide manentibus civitatibus poſceret, ac jura, quæ relinquebantur, regni ſive imperii retineret. A quo Gerardus præfectus monachorum Camaldulenſium XV. kal. Septembr. confirmationem privilegiorum veterum impetravit.* Ad hoc certum eſt, vel ex iis quæ Bzovius narrat, & jam ante Rudolphum ægerrime tuliſſe *Carolo Siculo tributum* (a) a pontificibus vicariatus imperii per Etruriam titulum, & demum ipſomet curante Nicolao III. papa anno MCCLXXVIII. armorum minis Carolo invito principatum illum imperii majeſtati adverſum extorſiſſe. *Antonius Florentinus* (b) ſumma hiſtoria tit. 20. cap. 4. §. 4. in hæc verba ſcribit: „Anno Domini MCCLXXXI. Rudolphus, rex romanorum a „pluribus annis electus etſi non coronatus, in Alemannia moram trahens, ad requiſitionem Gi„bellinorum Tuſciæ, deſtinavit ex Alemannia quendam Comitem cum trecentis militibus in Etru„riam, ut Tuſci jurarent fidelitatem imperatori & ſibi obedirent. Sed nulla civitas ei obedivit (præ„valente ſcilicet factione Guelphica) aut ſe ſubjecit, exceptis Piſanis & Caſtro S. Miniatis, quod „vulgariter dicitur *Altedeſcho.* (c) Et reſidentiam dictus comes faciens in S. Miniate, cum copiis „ſuis & adjutorio Piſanorum bellare cœpit contra Florentinos & Lucenſes, & alias civitates adhæ„rentes parti Guelphæ. Demum compoſitione facta & pace cum Florentinis, reverſus eſt in re„gionem ſuam.„ Hæc Antoninus: quæ tantum non totidem verbis repetiit Sigonius ante recitato ejusdem anni commentario. Omnia autem cum item multum ſint diverſa ab altera illa Sigoniana narratione, utique illam, ſi non manifeſti arguunt errores, ſaltim ſuſpectam reddunt.

9. Advertendum *denique* eſt, ipſummet Sigonium iis verbis uti, quæ oſtendunt illum non ſatis ſibi fiſum. Subdubitantis enim utique verba illa ſunt: *Regni jura primus ultro alienaſſe Rudolfus cæſar DICITUR, primus etiam viam aperuiſſe Regni excidio EXISTIMATUR.*

10. Quibus omnibus probe, ut par eſt, expenſis, haud temere ſane prudentior aliquis amplius perſuaderi ſibi patietur, illam vulgo receptam hodie fabulam de vendita Italis a Rudolpho integra libertate. Datum aliquid pertinacibus illis urbibus, in ea virium imperii debilitate, haut equidem negaverim: non ignarus, tenues Rudolphi res etiam in Germania eum adegiſſe, ad ſolito majora privilegia urbibus paſſim ſpe pretii concedenda. Refert ſane Spigelius cæſaris hujus epiſtolam,

(a) *Tuliſſe Carolo Siculo tributum*) GÖBEL. *Villani lib. 6. c. 76. lib. 7. c. 15.* ANTONINUS ARCHIEPISCOPUS *part. 3. tit. 20. c. 8. §. 14.* LEONARD. ARETINUS *lib. 2. & 4. de libertate civitatis Florentiæ p. 9. 10.* Suæ reipublicæ gubernacula tractanda tradit populus Florentinus anno 1313. regi Neapolitano ad quinquennium, eique imperium illud ad triennium prorogatum eſt. Nec minus filius ejus anno 1325. huic urbi ſumma cum poteſtate ad decennium citra imperatoris conſenſum præpoſitus dicitur. Verum omnia illa, quæ a Papa & Florentinis ſumma cæſarum & imperii injuria facta ſunt, juribus eorum non poſſunt nocere. Admodum hoc indigne imperatores tulerant, & de juribus ſuis imperiique vindicandis & conſervandis maxime fuerunt ſoliciti.

(b) *Antonius Florentinus*) C. A. M. Vixit Sec. XV. & fuit Epiſcopus, relatus deinde in numerum ſanctorum.

(c) *Altedeſcho*) C. A. M. Itali nos vocant Tedeſchi, *Teutſche.* Hinc Altedeſcho ipſis caſtrum Germanicum.

lam, qua in gratiam principum de injuria ſibi facta conqueſtorum, revocavit & irrita reddidit nimis prodige de alieno facta beneficia.

11. At vero quidnam tandem Hetruriæ illis urbibus conceſſum ſit, ignoramus. Nec vero vel id ſatis conſtat, quod Blondus, Platina & alii videntur dicere, auctoritate recenter ita partæ libertatis, *Florentinos novam* (a) regiminis formam inſtituiſſe, opificum plebi loco in ea conceſſo. Id enim jam ante ibi factum Manfredo rege, notat Machiavellus *l. 2. hiſtor. Florentina.* Leonardus Aretinus l. 4. & hunc ſecutus Antonius illa quidem Rudolphi ætate id inſtitutum narrat, at de aliqua nova per Rodulphum accepta libertate altum apud utrumque, ut & apud Machiavellum, eſt ſilentium. Bodino ſi liceret credere, res expedita fortaſſis eſſet. Is enim *l. 1. de republ. cap. X. n.* 123. teſtatur, quo tempore Maximilianus cæſar junctis Ludovici Galliæ regis legionibus Italiæ urbes ter„ruit, Florentinos legatos ad cæſarem miſiſſe, ut obſequium præſtarent, & imperata facerent. Ille „inquit acceptis aureorum quadraginta millibus, beneficia a Rudolpho indulta confirmavit, ut „ſcilicet ſuæ reipublicæ ſtatum gubernare ac regere ſibi PRECARIO liceret.„ Verum meminit quidem legationis miſſæ a Florentinis, & privilegiorum juriumque confirmationis a cæſare factæ etiam Guicciardinus l. 8. Rudolfinarum tamen donationum nulla facta mentione. Eſt proinde etiam id incertum, an unquam pecuniam Lucenſes aut Florentini Rodolfo dederint, aut quem in finem dederint, ſi quam dedere. Nec vero inanis fortaſſean eſt Joannis Bodini eodem quem ante laudavimus loco præſcripta ſuſpicio: *eas pecunias, quæ a civitatibus Italiæ pro libertate adipiſcenda exactæ fuerunt, tributi aut penſionis nomine ſolutas fuiſſe.* Nihil tamen in re dubia certi definimus.

12. Cæterum fac ita eſſe. Vendiderit ita Italicis quibusdam urbibus imo Italiæ univerſæ libertatem integram Rudolfus: omni tamen jure & omni proinde vi deſtituitur contractus, quoniam is utique non ex conſenſu imperii ordinum eſt initus, quo uno alienandi ſtat arbitrium. Bene enim Bodinus: *Jura majeſtatis imperii Germanici venalia non ſunt; nec ſi eſſent, ab imperatoribus ſine Principum Germanicorum conſenſione diſtrahi potuerunt.* Et vero magna imperium injuria affeciſſet Rudolfus, ſi pretio inductus jura imperii, quæ tueri ſarta tecta debebat, prodidiſſet. Eoque non ſine cauſſa effuſæ a ſuſpicacibus animis in illum eſſent duræ & [illegible]peræ increpationes. Merito ſcilicet factum illud Rodolfi Platina *rem tanto principe indignam*[illegible] Tritthemius *rem principe turpem:* Cuſpinianus *gravem imperii jacturam*, appellaſſent. Recte etiam in hæc verba erupiſſet Albertus Crantzius l. 8. Metropol. „Hic noſtrorum imperatorum primus Italiam pro deſerta videtur habuiſſe. „Quamvis nonnulli ex ſucceſſoribus ſint illis colluctati, nullus tamen hanc civitatibus vendidit libertatem. Fecit quod ſolent, qui, rebus melioribus deſperatis, non quod volunt ſed quod velle coguntur, faciunt. Aliquanto tamen melius erat, ſi nihil ille armorum pro recuperandis imperii juribus „intentare voluit, cauſſam tamen ipſam integram ſervare ſucceſſoribus.„ Cæterum nos & Rudolphum cæſarem & ſimul imperii ordines hactenus, niſi fallor, ab ejusmodi malignis ſuſpicionibus ſatis vindicavimus.

13. NON deſunt porro, qui & *Henricum Lucelburgium & Carolum IV.* (b) cæſares ejusdem criminis inſimulent. Hinc Bodinus, cum de Rudolfo egiſſet, addit: *Lucenſes ac Senenſes eadem libertate donati ſunt; cum Henrico V.* (reſcribendum vero VI. aut VII.) *cæſari pretium libertatis, hi decem, illi duodecim florenorum millibus ſolviſſent. Totidem Petrus Gambarcurtius Carolo IV. cæſari numeravit, ut ſummam in Piſanos poteſtatem adipiſceretur.* At vero Lucenſibus Blondus, Platina, Sabellicus, Tritthemius, Cuſpinianus, Crantzius, a Rudolfo iſthoc pretio libertatem emptam tradunt. Nec eſt alius antiquior fide dignus ſcriptor, qui tanto facinore Henricum magnanimum cæſarem ſeſe maculaſſe affirmet. Carolum imperii jurium prodigum fuiſſe modo ſuis rebus ſtuderet, notum quidem eſt. At nec illum quis omnia imperii in Piſanos jura Gambacurtio ceſſiſſe memorat. In fabulis igitur etiam hæc numeranda, aut mitius certe interpretanda ſunt. Utque indignum ejusmodi quod facinus horum aliquis commiſerit, ſalva nihilominus manent imperii jura, cæſarum ejusmodi venditionibus nequaquam obnoxia.

14. POST illos cæſares aliorum nemini aliquid vel tribuitur quidem. Ut proinde jam appareat, verum eſſe id quod diximus, aperta quidem alienatione nihil regni Italici veteris omni imperii ditioni eſſe ſubductum, præter id, quod nuper admodum in Galliæ poteſtatem communi auctoritate cæſaris & ordinum devenit. Quid vero translatum nuper ſit in Gallum, non aliunde quam ex ipſis tabulis pacis publicæ cum Ludovico rege initæ rectius poteſt peti. Verba earum, quæ huc faciunt, ita ſeſe habent: *Secundo imperator & imperium cedunt transferuntque in regem christianiſſimum, ejusque in regno ſucceſſores, jus directi dominii, ſuperioritatis, & quodcunque aliud ſibi & Romano imperio hactenus in Pinarolum competebat, & competere poterat.* Alibi in iisdem tabulis, de Montisferratenſis ducatus locis inter Sabaudum & Mantuanum controverſis, facto ſermone, ita legas: *Conventum eſt, quod tractatus Cheraſci 6. April. MDCIX. cum ſubſecuta ſuper eodem ducatu Montisfer-*

(a) *Florentinos novam*) C. A. M. Antehac in univerſa Italia ſoli nobiles obtinuerunt imperium. Eſt autem in Italia moris antiqui, ut nemini permittatur vivere in agro, niſi & nomen daret civitati. Unde adhuc hodie nullus nobilis eſt in Italia, qui non vivat in urbe aliqua. Hinc urbs Genua inter cives ſuos numerat marchiones &c. Ante hos 400. annos in urbibus celebribus ad Rhenum ſoli dominati nobiles; deinde ſucceſſere democratiæ, quæ hodieque obtinent tantum non in omnibus urbibus. Ita & apud Florentinos mutata respublica ſeculo 13. & collegia opificum in partem imperii adſcita. GöBEL. Licet forma reipublicæ Florentinæ aliquam paſſa ſit mutationem, & majorem nacta libertatis ſpeciem: inde tamen ſummo imperatoris & imperii juri in Italiam nihil decedit. Neque enim privilegia obſequium tollunt, ſed faciunt aliquando, ut laxius ſit.

(b) *Henricum Lucelburgium*) GöBEL. Henricum VII. æque ac Carolum IV. nec non alios imperatores perplures ſummi imperii actus in Italia exercuiſſe, *in commentario de regno Italiæ docet.*

tiſferratenſi executione, firmus ſtabilisque in omnibus ſuis articulis in perpetuum manebit, excepto tamen Pinarolo ac pertinentiis, inter ſuam majeſtatem chriſtianiſſimam ac dominum ducem Sabaudiæ definitis, & chriſtianiſſimo regi regnoque Galliæ acquiſitis per peculiares tractatus, qui eadem ſtabilitate & firmitate conſiſtent in iis omnibus, quæ translationem aut ceſſionem Pinaroli & pertinentium concernunt. Hactenus tabulæ. Ex quibus de alienato Pinarolo quidem ſatis liquet: num vero & in alia illa, de quibus convenit inter Sabaudum & Gallum, perdiderit imperium ſuperioritatis jura, multum merito forte dubites. Imo illa manſiſſe integra, & Gallo confirmatum duntaxat eſſe per tabulas dominium locorum illorum utile, per cui fiat veroſimile ex eo, quod diſertis quid verbis de ſolo Pinarolo id ſit expreſſum, nec fas ſit prodiga quadam interpretatione uti in negotiis minus favorabilibus, ubi literæ, ut ajunt, ſtricte eſt inhærendum.

15. Aperte quidem igitur & rite cæſar ac imperii ordines nihil regni Italici præter unum Pinarolum alienavere. Quid TACITO conſenſu in aliorum jura tranſierit, proximum jam eſt videamus. Ubi initio obſervandum venit: *Ut ante* (a) ita & poſt Fridericum II. complures cæſarum corona regni Italici inſigniri ſe curaſſe, aliis omnibus id integrum fuiſſe hactenus & eſſe hodieque. Id quod unum certo eſt argumento, & ſupereſſe etiamnum regnum illud, & eſſe illud juris cæſarum Germanicorum. Eoque nec Germaniam ſua in regnum illud jura tacito quidem conſenſu perire paſſam, nec Italiam non agnoſcere amplius id, quod debet obſequium. Quod ſi excutiantur monumenta geſtarum in Italia rerum poſt Fridericum illum, jam etiam haud difficulter perſpicere fuerit, quemadmodum perpetuo quodam tractu ad noſtra uſque tempora, regia in Italiam vis & auctoritas Germanicorum cæſarum perduraverit. Verum operoſius id eſt quam inſtituti ferat ratio. Itaque nunc duntaxat paucis oſtendemus, quemadmodum hodie regni illius res ſeſe habeant, initio facto *a principatibus*, (b) interque hos a MAGNO qui appellatur HETRURIÆ DUCATU.

16. *Atque hic* (c) quidem binas in partes vulgo ſolet dividi, dominium *vetus ſcilicet & novum:* (d) quorum illud Florentinæ Piſanæque urbis omnia, hoc Senenſem urbem aliaque noviter magnis ducibus acquiſita comprehendit. Jam vero inter nova illa *Filaterra* (e) & alii marchionatus, olim a Malaſpinis poſſeſſi, citra controverſiam feuda ſunt imperii, & hactenus vaſallum ſe imperii, magnus dux ultro profitetur, paſſim recepta ſcilicet vaſſallagii lege Cæſari ea in re obſtrictus. Raticoſanum & Burgum S. Sepulchri in Umbria, a pontifice accepit cum pignori tum beneficio. Itaque cum pontificia omnia ſint ſummæ poteſtati cæſarum obnoxia, ut proxime quidem magnus ille dux horum ergo in pontificis ſit clientela, tamen hactenus etiam imperii legibus tenetur. Regis Hiſpaniæ beneficiario jure poſſidetur Senenſium reſpublica & *Ilua* (f) dominium. Utriusque autem nomine Hiſpanus ipſe agnoſcit ſeſe imperii vaſallum: ut proinde etſi non proxime, ſubvaſallus (liceat ſic loqui) tamen ſit imperii horum etiam locorum ergo magnus ille dux. Et vero *Senas* (g) quod attinet, notiſſimum eſt conſtanti fama, ſi non aliunde, ſemper eam urbem fuiſſe cæſarii juris, morigeram etiam, niſi ſi quando rebelles Guelphi

(a) *Ut ante*) C. A. M. Quemadmodum ante Fridericum II. cæſares noſtri ſeorſim ſe reges Italiæ fecere coronari & Romanos Romæ, ita & nonnulli poſt Fridericum II. hoc fecerunt; Henricus Lucenburgicus, Ludovicus Bavarus. Ultimus fuit Carolus V. qui hoc ſumſit diadema. GöBEL. Henricus VII. anno 1310. (1311.) Mediolani ferrea redimitus eſt corona. VECERIUS *ad ann. 1310.* & CHRON. ELWANGENSE *ad ann. 1311.* nec non PANVINIUS de *comitiis* c. XI. PTOLOMÆUS LUCENSIS apud BALUZ. *in vit. papar. Avenionenſ. p. 39.* NICOLAUS *epiſcop. Botrontin. de itinere Italico Henrici VII. &c.* apud BALUZ. *in vit. papar. Avenionenſ. p. 1160.* Ludovicus Bavarus quoque idem Mediolani anno 1327. ſibi imponi curavit inſigne. ALBERTUS ARGENTINENSIS. *p. 124.* NICOL. BURGUND. *p. 99.* Porro Carolus IV. anno 1354. 1355. Mediolani corona velatus eſt Longobardica. REBSDORF. *p. 448.* ALBERTUS ARGENTIN. *p. 163.* Fridericus III. a papa Nicolao V. 1452. & Longobardiæ rex & imperator Romanus coronatus eſt. ÆNEAS SYLVIUS *in vita Friderici III. p. 39.* MUTIUS *p. 293.* Poſtremo Carolus V. anno 1530. utrumque etiam diadema Bononiæ ex Clementis VII. manibus cepit.

(b) *A principatibus*) C. A. M. Exſtat elegans libellus *de Principatibus Italiæ*, editus in Batavia verſus ex Italico a THOMA SEGOTTO, dein auctior redditus a JOHAN. de LAET.

(c) *Atque hic*) C. A. M. Superiori ſeculo inſtitutus fuit a Carolo V. ducatus Florentinus: ad illum pertinet omne, quod antehac poſſederat populus Florentinus. Is autem antehac multa occupaverat: ipſa urbs potentiſſima Florentia & Piſanam ſui jam fecerat juris.

(d) *Vetus ſcilicet & novum*) C. A. M. Diſtinguunt imperium ſuum in vetus & novum dominium.

(e) *Filaterra*) GöBEL. Catalogum feudorum Florentinorum recenſet BERGER in *vindic. jur. imperial. in magnum Tuſciæ ducatum:* 1) Territorium Florentinum ſpeciatim conſideratum, quod complectitur *Florentiam, Piſtojam, Empolim, Filaterram*, (de quo oppido pariter ac de *terra Roſſa, Luſulo & Ricco*, impetrata prius feloniæ, commiſſæ ob non petitam inveſtituram, condonatione magnus dux anno 1701. a cæſare Leopoldo inveſtitus fuit) *Aretium, Montem, Politianum, Cortonam, Fieſolam &c.* 2) *Territorium Piſanum.* 3) Marchionatum Lunenſem, *Lunigii.* 4) Portum ad mare mediterraneum *Livorno.* 5) Civitatem *Pontremolii*, quæ olim ad ducatum Mediolani pertinuit, emptionis titulo Hetruriæ inſerta. Vide LIMNÆUM ad *capitul. Ferdin. IV. art. 31.* quem citat. ITTER de *Feud. Imp. cap. VI. §. 22.*

(f) *Ilua*) C. A. M. VIRGIL. *Ilua inexhauſtis chalybum generoſa metallis.*

(g) *Senas*) C. A. M. Urbs Sena ſemper fuit urbs libera imperii & ſatis morigera, niſi ſi quid prævalerent Guelfi. Hanc Carolus V. ſuperiori ſeculo contra datam fidem in magnum detrimentum imperii dedit filio ſuo PHILIPPO regi Hiſpaniæ in feudum, qui deinde iterum dedit magno duci Hetruriæ, unde adhuc hodie ægro animo magno duci Hetruriæ obſequitur, & ægre fert M. dux Hetruriæ, ſi quis ex Senenſibus creatur Pontifex, uti hodie ſibi metuit a Pontifice Alexandro VII. Senenſi, ne ſcilicet patriæ ductus amore libertatem antiquam reddat Senenſibus. GöBEL. de Senis agit LEANDER ALBERTI *in deſcriptione Italiæ fol. 57. ſeqq.* Qua ratione diſcordiis civilibus feſſæ ſub plenum Caroli V. venerint imperium, & quod a filio ejus Philippo ex patris voluntate tandem COSMO Hetruriæ duci *in ſubfeudum* ab Hiſpania recognoſcendum datæ ſint, ut hoc modo ipſi bellici refunderentur ſumtus, docent THUANUS *lib. X. XVI. XIIX. XXIII.* NATALIS COMES *lib. XI. p. 239.* Inter loca ceſſa fuerunt Urbatellum, Portus longus, Portus S. Stephani: Portus Herculis autem & Telamonium ſub Hiſpani utili etiam manſerunt dominio. Hodie Hiſpaniæ regi PHILIPPO V. non

phi prævalerent. Non alio etiam prætextu præſidium in eam induxit, mutavitque ejus rempublicam, iterumque cepit eam aut in filium Philippum Hiſpaniarum regem tranſtulit cæſar Carolus quintus. Inter conditiones, in quas anno MDLV. poſt gravem obſidionem dedita urbs eſt, prima fuit (verba ſunt Thuani l. 15.) *Ut Cæſar civitatem ac rempublicam Senenſium in fidem ſuam & imperii acciperet.* Eodem anno cum miſſus a cæſare Toletanus Senenſibus perſuaſiſſet, ut ſe & omnia ſua cæſaris & Philippi arbitrio aut voluntati ſine conditione & exceptione permitterent, *novum cæſar inſtrumentum confici mandavit*, *quo ditionem Senenſium* (verba iterium ſunt Thuani) *jure imperii ad ſe devolutam Philippo filio conceſſit.* Jam ante, cum cæſareum Hiſpanorum præſidium urbe ejeciſſent arce diruta, Senenſes *inſtigante cæſare & imperiali Camera proſcripti erant:* ceu apud eundem Thuanum refert Monlucius. Par eſt Iluæ ratio: *quam ad cæſaream jurisdictionem pertinere, non ambigitur*, ut idem Thuanus loquitur l. 5. quo loco prolixe perſequitur, quemadmodum eam cum Plombino Carolus V. ſui juris reddere cœperit Apianis ereptam.

17. Vetus dominium quod vocant abſolutum & liberum a quam multis creditur, nullique obnoxium, libertate illa a pluribus imperatoribus jam olim imperata. At vero jam ante a nobis oſtenſum eſt, fabuloſum eſſe id omne, quod refertur vulgo, de empta a Rudolpho cæſare Florentinæ urbis integra libertate, certe momenti nullius & tamen huic fabulæ unice innititur illa quorundam perſuaſio. *Ut propioris* (a) temporis acta nunc tantum expendamus, nemini

non

non niſi Portus longus paret, reliqua loca a cæſareis copiis, domus auſtriacæ jus & cauſam in Hiſpanicas agentibus ditiones, occupata ſunt. In pace vero Viennenſi anno 1725. inita, in qua imperator juri ſuo in Hiſpaniam renunciavit, Hiſpaniæ rex *art. VI.* promiſit, fore, ut Portus longus filio ſuo Carolo, actualem Hetruriæ poſſeſſionem nacto, cedat.

(a) *Ut propioris*) C. A. M. Florentini aliquamdiu in ſummo honore habuerunt familiam *Mediceam*, quæ olim non niſi plebeja fuerat. Cum autem jam urbi ad libertatem adſpiranti gravis eſſet, omnes Medicei per tumultum ejecti ſunt ex urbe domibus dirutis. Hoc contigit, quando Clemens VII. a Carolo V. obſidebatur. Erat enim Clemens ipſe Mediceus, cujus rebus ſalvis contra familiam ipſam nihil tentare auſi ſunt, dein occaſione ſumta perfecerunt. Convenit dein inter Carolum V. & papam talibus conditionibus, ut Florentiam domaret, & Mediceos reſtitueret. GöBEL. Rerum geſtarum peritis ignotum eſſe non poteſt, Etruriæ terras, deleto ibi Romanorum imperio, ſub Herulis, Gothis, Græcis, & Longobardis fuiſſe. Quo magis tamen Gothicum in ditiones illas imperium incertum; GVNDLING. *de jure imperat. Et imperii in Etruriam* §. 2. eo minus habet dubii, quod Longobardis paruerint. Non ſolum enim ex PAVLO WARNEFRIDO & GREGORII IX. *epiſtolis* patet, univerſam propemodum Italiam a Longobardis eſſe occupatam, ſed & AGNELLVS *lib. pontif. part. II. c. II. T. II. ſcript. Ital. p. 123.* memoriæ prodidit, uſque in Etruriam ſe victoriarum Longobardicarum curſum extendiſſe. GVNDLING *l. c.* Ex eo quoque huic rei fides accedit, quod in codice pergameno abbatiæ S. Salvatoris, in monte Ammiatino a Rachide Longobardorum rege conditæ dicatur: *hunc regem memorem fuiſſe voti, quod Deo ſecerat, ſcilicet, ſe in Tuſcia partibus monaſteria in locis habilibus editurum &c. VGHELLI Ital. Sacr. tom. III. p. 590.* Atque ſic graviſſime titubat BORGHINIVS in *differtat. ſe Firenza fù disfatta*, quando adſtruit, Etruriam Longobardicæ non fuiſſe ditionis. Non ſolum autem mediterranea, ſed & littoralis Tuſcia Longobardis, ſi non ex integro, pro parte ſaltim, paruiſſe videtur. Vid. LEANDRO ALBERTI *fol. 27. ſeqq.* qui & de antiquiſſimo Tuſcorum ſtatu, & quomodo ſe ſub Romanis habuerint, tradit. Confer quoque MARCHIAVELLI *hiſtor. Florentinam lib. I.* Omnia enim circumquaque Longobardi occupabant, nec ab illorum imperio Mutina aliæque terræ, quæ deinde Mathildis fuerunt, vacuæ manſerunt. In tanta teſtimoniorum copia, nobis tantum ſufficiat referre, quod rex Aiſtulphus Anſelmo in agro Mutinenſi facultatem condendi monaſterii Nonantulani dederit, idque privilegio donaverit. *Opuscul. de fundat. monaſt. Nonantul. tom. I. p. 2. ſcript. Ital. p. 189. VGHELL. tom. II. p. 86.* Ob hanc forte rationem MATHILDIS, quod terræ ſuæ olim regni Longobardici partem conſtituerint, *Longobardia marchioniſſa* dicta, quanquam alibi aliam allegaverim rationem. Sed relicto diverticulo in viam redeamus. Devictis Longobardis Florentina civitas una cum aliis Etruriæ locis in Caroli M. venit poteſtatem. Huic Florentiam paruiſſe, ex eo colligunt, quod ibi anno 786. natalem Domini celebraverit. vid. ANN. METENS. *ad hunc ann. POETA SAXO de geſtis Caroli M. h. ann. GVNDLING c. I. §. 2. HAHN, de jure imperii in FLORENTIAM. p. 8.* Quanquam hoc argumentum non magni putem roboris. Quæ MALESPINI & BVONINSEGNIVS, quod Carolus ſecunda vice Florentiæ commoratus fuerit, monent, ab aliis in dubium vocantur. vid. JOANN. BAPTISTA RECANATI *not. ad POGGII BRACCIOLINI hiſtor. Florentinam p. 3. ſub lit. q.* Major argumentorum vis pro hujus rei veritate inde enaſcitur, quod varios actus, qui ad ſummum ſpectant imperium, a Domino HAHNIO p. 9. enarratos, ibi exercuerit. Per Hunnos deſtructam urbem reſtauravit. BORGHINI *diſcurs. part. II. diſcurs. III.* eam privilegiis ornavit, cenſumque illi impoſuit. RICORDANVS MALESPINI *c. 45.* & equites creavit. MALESPINI *c. 58.* SCIPION. AMMIRATO *lib. I. delle hiſtorie Fiorentine p. 22. PETR. BVONINSENIVS L. I. dell' hiſtorie Fiorentine p. 18.* Non autem de cenſus illius quantitate ſcriptores inter ſe conveniunt. vid. MATHÆVS VILLANI *lib. 3. c. V. p. 208. della cronica univerſale de ſuoi tempi.* Hæc AVTOR ſcripti: *de libertate civitatis Florentiæ, p. 3.* negare audet. Nec leve rei addit momentum, quod Florentini donationum tabulis annos regiminis Caroli & filii ejus Pipini inſeruerint. Charta donationis, qua ſe Atroald, Adonald & Adopald filii Ariperti civis Florentini opulentiſſimi monaſterio D. Bartholomæi liberales exhibuerunt, eos refert. vide diploma apud VGHELLVM *Ital. ſacra tom. 3. p. 22.* Non ſolum autem Florentiam, ſed & alia Etruriæ loca Carolingis ſubfuiſſe, ex eo liquet, quod *Carolus M.* epiſcopo Aretino omnia ſua confirmaverit jura & privilegia, & *Ludovicus pius* Gherardo Luccenſi epiſcopo quædam reſtituerit jura, quibus exciderat. Hic quoque imperator quædam terræ Senenſis monaſterio S. Anthymi donavit. *VGHELL. tom. V. p. 174. tom. I. p. 798. vid. Dn. MASCOW. de jure imperatoris in Etruriam p. 3. §. IV. VGHELL. tom. 3. p. 530.* Rodingus epiſcopus Florentinus, in charta, qua Bertam Hucpoldi comitis palatii filiam monaſterio a ſe ex abbatiola S. Andreæ erecto præficit, non ſolum *annorum imperii Ludovici & Lotharii* mentionem injicit, ſed & tradit, Ludovicum *per ſuum præceptum* ad epiſcopi petitionem *domui S. Joannis confirmaſſe abbatiolam quandam &c. VGHELLI tom. III. p. 26.* Pertinent huc privilegium Ludovici II. epiſcopo Volaterano datum ejusque diploma, quo aliquot jura Lucenſi eccleſiæ reſtituuntur, nec non decretum, quo Carolomannus eccleſiam S. [illegible]centii epiſcopo Lucenſi reddi jubet. VGHELLI *tom. I. p. 1425. 798.* Carolum Craſſum ab archiepiſcopo Florentino æque ac aliis Italiæ civibus Ticini in regem aſſumtum, docet diploma apud PITHÆVM in *annal. hiſtoria Francorum p. 507.* cui ille æque ac alii optimates ſubſcripſit. Novum huic accedit argumentum, quod Carolingi præfecerint Tuſciæ comites, marchiones & duces, quorum conſtitutio deinde ſub aliis Italiæ regibus continuata eſt. Catalogum eorum vide apud MASCOW. *l. c. p. 4. ſeqq.* Conferatur quoque SCIPIO AMMIRATO *lib. I. hiſtoria Florentina part. I. p. 53.* & *part. II. p. 549.* & *Nova eaque plena aſſertio juris imperatoris & imperii in magnum Tuſciæ ducatum. p. 4.* Regibus quoque illis,

non conſtat, urbem illam a cæſare *Carolo quinto* (†) acri bello ad officium revocatam, anno ſeculi ſuperioris triceſimo. Quo in bello cæſarem uſum eſſe non alio quam cæſareo jure, idque ultro petente

qui poſt Carolingos, antequam Otto I. ibi rerum potiretur, Italiam moderabantur, Etruriam ſubfuiſſe, variæ docent diplomata apud VGHELLVM *J. S. tom. I. p. 335. 801. tom. 3. p. 27. 28.* Cumque Otto I. devicto Berengario Italiæ juſſa daret, & Etruriam ſub ſuo habuit imperio, Florentiamque ob inſignem, quam imperio præſtitit, fidem, donis affecit. RICARDANVS MALESPINI *c. 2. p. 34. 35.* POGGIVS lib. I. *hiſtoria Florentina p. 4.* Idem imperator per Fridericum miſſum ſuum, in atrio domus epiſcopatus Florentini jus dixit. VGHELLI *tom. 3.* & Hubertum, quem, ut Berengarium regno pelleret, ſuaſorem habuiſſe dicitur, Etruriæ ut marchionem aut præfecit, aut ei hoc officium confirmavit. Vide plura apud GVNDLINGIVM *de jure Auguſti in Italiam c. I. §. VIII. & c. III. § IV.* ſub Ottonis III. auſpiciis provinciam illam rexit Hugo M. Huberti filius. VGHELLI *tom. 3. p. 38. ſeqq.* Henrico II. & epiſcopus & cives Florentini obedientiam præſtiterunt. ADELBOLDVS *in vita Henrici ſancti §. XLI.* DITMARVS *lib. VI. annal. p. 378.* HAHNII *jus imperii in Florentiam p. 9.* Adde BVONINSEGNIVM *part. I. dell' hiſtorie Fiorentine p. 21.* qui Henricum II. longo temporis tractu Florentiæ commoratum eſſe, ibique S. Miniati templum reſtauraſſe teſtatur. Sed hanc narrationem falſam eſſe, docet diploma apud VGHELLIVM *tom. 3. p. 47.* Interim negari nequit, Ottonem III. æque ac hunc Henricum multis Hetruriæ templis & cœnobiis privilegia dediſſe. VGHELLI *l. c. & p. 44. eodem tomo*; item ſuum ibi habuiſſe marchionem Hugonem. VGHELL. t. III. *p. 42.* Porro Tuſcia fuit ſub Conrado II. WIPPO *in vita ejus*; qui ei imperavit per marchionem Bonifacium. MVRATORIVS in *appendice* libri, cui titulus: *les troits de l' empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 479.* VGHELLI *tom. 3. p. 60.* Aliorum adhuc Tuſciæ præfectorum ex MVRATORIO, OTTONE FRISINGENSI & SCIPIONE AMMIRATO meminit AVTOR *plenæ aſſertionis p. 5.* Vigebant quoque in illis terris jura fiſci imperatorii. GVNDLINGIVS *p. 12. 13.* diploma refert. Id quoque conſtat, in ſignum obſequii debiti epiſcopos aliosque proceres, ſuas donationes ab imperatoribus, ut Italiæ regibus, confirmari curaſſe. Vide diploma Conradi apud VGHELLI *tom. 3. p. 60.* Nec minus chartis ſuis annos regni Italiæ imperatores Germaniæ inſerere perrexerunt usque ad Henrici IV. tempora, cujus autoritas, Gregorii pontificis artibus ſacrum perficientibus dominatum, decreſcere cœpit. VGHELLI *Ital. S. tom. 3. p. 35.* 47. 48. 60. POGGIUS BRACCIOLINUS *lib. 1. hiſtor. Florentinæ lib.* 1. *p. 4.* Ante eum cum Henricus III. adhuc rerum potiretur, Etruriam impenſius adhuc majeſtatem & ſummum jus imperii coluiſſe, ex iis, quæ SCHAFFNABVRG. *ad ann.* 1055. memorat, liquet. Accedit aliud argumentum, quod non pauca optimatum diplomata a notariis cæſareis confecta & ab imperatoriis judicibus ſubſcripta ſint. VGHELLI *l. c. p. 60. 62. 67. 92.* Poſtmodum Florentiam aliasque Etruriæ partes, Henrici V. ſummum agnoviſſe imperium, ex ſolutis ei tributis apparet. CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 254.* DONIZO *p. 286.* Et quis crederet, Henricum V. de locis quibusdam in urbe Florentia aut tractu ad eam pertinente, pacate ſtatuere potuiſſe, ſi fiſco imperatorio non acceſſiſſet incrementum, de quo teſtatur PVCCINELLI, & ex eo Dn. GVNDLING. *de jurib. auguſtiſſimi imperat. & imperii in magn. Etruria ducatum p. 4. §. 14.* Nec officit, Mathildam terris illis præfuiſſe, ſeſeque Henrico IV. oppoſuiſſe. Nam non totum & erga hunc imperatorem exuit obſequium, quanquam Gregorio ſtimulante elatius ſe gerere cœperit. Sub Henrico V. deinceps ad moderatiores rediit animos. Summam rerum Florentiæ apud Mathildam ſub auſpiciis tamen imperatoriis fuiſſe, & ex eo patet, quod in civitate Florentiæ jus dixerit. VGHELLI *tom. 3. p. 87.* Nec tantum Luccam, ſed & Piſam aliaque Etruriæ regebat loca. MONACHUS WEINGARTENSIS *in hiſtoria de principibus Guelphis c. 13.* Aberrat itaque graviter AUTOR *de libertate civitatis Florentiæ p. 5.* qui nullum Mathildæ in territorio Florentino fuiſſe jus, aſſerit præter id, quod in quadam habuit bona privata. Lotharius Florentino epiſcopo Gothefredo poſſeſſionem caſtellorum montis jovis ac montis acuti confirmavit. VGHELLI *tom. 3 p. 93.* generumque ſuum Henricum Bavariæ ducem marchionatu Tuſciæ, qui omnia, quæ in territorio erant, complectebatur loca, donavit. Hanc in rem teſtes citat GUNDLING. *C. 1. §. 13.* CONRADUM VRSPERGENSEM, OTTONEM FRISINGENSEM, ac WEINGARTENSEM MONACHVM. Ante ipſum Ramprettus quidam Tuſciam moderatus videtur, FLORENTINUS *p. 347.* MASCOVIUS p. 13. Deinde notandum, PAGIUM *in critica Baroniana ad ann.* 1134. non male refellere ANTONIUM MARIAM FLORENTINUM, qui chronicon Piſanum ſecutus *in vita Mathildis lib. 2. p. 317.* Ingelbertum hoc tempore Tuſciæ præfuiſſe tradit. Forte Ingelbertus ex comitum & marchionum minorum, qui ei, ut imperatoris & imperii vicario ſuberant, numero fuit. Quæ de hoc Ingelberto GUNDLINGII ſit conjectura, *vide l. c.* §. 24. Sed Henricus ſuperbus a Conrado III. cui in adipiſcendo imperio rivalis fuerat, Etruriæ terris haud dubie privatus eſt, atque tunc provinciæ Vlricum quendam præſidere cœpiſſe, memoriæ proditum. Cum Conradus regnum Italiæ adiret, quod deinde, S. Bernhardi ſollicitationibus, ut ex Lotharii æmulo *imperii ſignifer* fieret, ad tempus depoſuit, *& Tuſciæ comites & marchiones una cum aliis Italiæ ordinibus eum cum gaudio ſusceperunt & amaverunt.* Erant tamen, qui ipſi ſuffragari nollent, Anſelmus marchio del Boſco, & comes illuſtris, cujus nomen apud LANDULPHUM JUNIOREM *hiſtor. mediol. c. 39. non exſtat.* GUNDLINGIUS l. c. opinatur, anonymum hunc fuiſſe Albertum ſeu Ingilbertum, quem papa Honorius II. in Tuſcia habuerat marchionem & ſui Vicarium. Verum hoc a veritate alienum eſſe, oſtendit SAXIUS *in notis p. 512. tom. 5. ſcript. Italic.* cum illuſtris comes, cujus mentionem facit LANDULPHUS, ann. 1130. truncatus, Albertus autem adhuc anno 1135. imo anno 1146. ſuperſtes fuerit. Id quidem fatendum eſt, ſub Conrado ad ſceptra redeunte & in Germania abſente, permultas civitates criſtas erexiſſe, inter quas Florentia cum aliis Etruriæ civitatibus fuit, nec non Friderici epocham magis turbidam reddidiſſe. *Nam principem*, inquit OTTO FRISINGENSIS *de geſtis Friderici lib. 2. c. 13. cui voluntariam exhibere deberent ſubjectionis reverentiam, vix aut nunquam reverenter ſuſcipiunt, vel ea, quæ ſecundum legum integritatem ſanciverit, obedienter excipiunt, niſi ejus multi militis adſtipulatione coacti ſentiant auctoritatem.* Vid. GUNDLING. p. 25. 26. Eas vero ſui plane juris eſſe, Germaniam paſſam eſſe, omnium hiſtoricorum, etiam domeſticorum & diplomatum repugnat fidei. Confer *aſſert. nova p. 6. ſeqq.* Enimvero Fridericus a Florentia aliisque Etruriæ locis fodrum exegit. SIGONIUS p. 303. De hoc cenſu conf. OTTO FRISING. *de geſtis Friderici I. L. 2. cap. 13.* judicesque & Vicarios urbibus præfecit, aliosque ſummum imperium redolentes exercuit actus. RICORDANUS MALESPINI c. 82. BUONINSEGNIUS *L. 1. p. 32.* Quo minus itaque a vero abludunt, qui judicant, Fridericum I. in Roncaliis regalia, ad retundendos utique civitatum aliorumque conatus repetiiſſe, eo magis aberrant, qui ſtatuunt illis civitatibus in pace Conſtantiæ per fœdus, quod cum Friderico I. inierant, plenam libertatem & exemtionem ab imperii obſequio partam eſſe. Ut taceam, quæ hic BERGERUS p. 10. profert, ſi quam tunc temporis conſecuti ſunt libertatem, major ea, quam habent Germaniæ civitates, non fuit. Vide GUNDLING. p. 28. Nec novum eſt, ſuperiores cum inferioribus paciſci. Fœdera ineuntur quoque cum iis, qui obſequii fiduciarii & juris clientelaris vinculo obnoxii ſunt. Quod autem Florentia aliaque Etruriæ loca ſub Friderici fuerint imperio, ex eo magis adhuc eluceſcit, quod Welpho VI. avunculo ſuo marchiam illam contulerit, nec non dominium utile aut potius ſpem ejus ab eo redemerit, ita tamen, ut quædam ejus terræ ad Fridericum vivo Guelfo perveniſſe videantur. RADEVICUS *de geſtis Friderici I. lib. 2. c. 10.* GUNDLING. *c. 1. §. 28.* MURATORIUS *in antiquitatibus Eſtenſibus c. 30. p. 227.* *OTTO DE S. BLASIO & GODEFRIDUS monachus ad ann.* 1167. *MONACHUS WEINGARTENSIS apud LEIBN. tom. 1. Scr. Br. p. 798.* Et licet papæ terris iſtis inhiaverint, neque ſub hoc tamen

petente & conſentiente Clemente VII. papa, adeoque omni Medicea familia, negari non poteſt. Utemur nunc tantum teſtimonio fere unius Pauli Jovii, quo nemo alius omnem hanc rem ma-
jore

cæſare, neque ſub filio ejus Henrico VI. voti compotes facti ſunt. GUNDLING. *c.*1.*§.*26. *MASCOVV. ſect.*1.§.11. Miror, *AUTOREM* libelli *de libertate civitatis Florentinæ p. 61.* ex eo falſæ ſuæ doctrinæ fucum quærere, quod Florentini Friderici I. vicario archiepiſcopo Moguntino obtemperare noluerint, ac ſi argumentum libertatis refractariorum ſubditorum molimina ſuppeditare poſſent. Condignas deinde immorigeri defectionis ſuæ luerunt pœnas, quas maſculæ hic virtutis archiepiſcopus ab iis ſumſit. Mortuo Friderico patre, quem jam nominavi, Henricus, aſperi cognomine mactatus, fratri ſuo Philippo Tuſciæ ducatum regendum tradidit, qui juribus imperii in hac provincia tuendis admodum intentus, Cæleſtini III. iram & vaticanum fulmen incurrit, quod ultimum tamen Philippus in epiſtola ad Innocentium III. exarata negavit. Vid. *INNOCENT. epiſtol.* apud *BALUZIUM tom.* I. Odium illud Cœleſtini, quo Philippum proſequebatur, in Innocentium III. ejus ſucceſſorem poſtea transplantatum eſt. Quem ut Philippus Ottonis Brunſvicenſis, ſui in imperio æmuli partibus abſtraheret, ſibique liberationem a ſacro vibramine conciliaret de terris Mathildis Richardo, fratris Innocentii filio, cum filiæ ſuæ nuptiis tradendis, ei perſuaderi curavit. Otto quoque jurium ſuorum & imperii in terras Italicas non ſatis gnarus, Mathildæa territoria pontifici pollicitus erat. Sed melius deinde edoctus promiſſo ſtare noluit, cum nec juramentum iniquitatis eſſe debeat vinculum; pontificem tamen non niſi utile ambiviſſe dominium, ex literis, quæ Innocentii III. geſtis p. 4. inſertæ ſunt, conſtat. Fridericus importunis tandem papæ ſollicitationibus feſſus, terras ſub illius venire imperium, paſſus eſt. Interim ſummo in Etruriæ regiones, & eas, quas ſibi ſedes Romana a Mathilde donatas jactabat, jure nullatenus deceſſit. Non ſolum enim Florentia pro urbe & membro imperii habita fuit, & cives *imperatoris fideles* vocati; ſed & Pandulphum Tuſciæ marchionem dedit, & poſt eum terras illas Friderico filio ſuo naturali, ut in eis jura imperii obſervaret, regendas conceſſit. *PETRUS DE VINEIS lib. 3. epiſt.9. & lib. 5. epiſt.*126. *GOLDAST. tom. 2. Conſtit. p. 64. 65.* MALESPINI *c. 29. 30.* BERGER. §. *XI.* GUNDLING. *c.*1. §. *36. HAHN.p.*11.*cc.* Infauſta deinde interregni tempora, ut elatiori eſſent animo, & nova magis affectarent, Florentinis occaſionem præbuerunt: *Ma venuto*, inquit *MACH. delle hiſtor. Fiorent. libr.* 2. *p. 45. Federigo a morte, quelli che in Firenze erano huomini di mezzo & havevano piu credito con il popolo, penſarano, che foſſe più toſto da riunire la città, che mantenendola diviſa rouinarla. Operarono adunque in modo, che i Guelfi, de poſte l' ingiurie tornarono, & i Ghibellini depoſto il ſuſpetto, gli riceverono. Et eſſendo uniti parve loro tempo di poter pigliar forma, di poter vivere liberi, & ordine di poter defenderſi, prima che il nuovo imperatore acquiſtaſſe le forze.* Sævientibus interregni malis Manfredum Etruriæ præſediſſe, eoque in prælio occiſo, Carolo Andegavenſi a papa imperii nomine, ſub *paciarii* nomine regendam datam, memoriæ proditum eſt. SALLAS MALASPINA *lib.* 1. *c. 4.* MONACHUS PADUANUS *lib. 3. p.613.* SCIPIO AMMIRATO *lib. 3.* LEONARDUS ARETINUS *lib.* 2. *hiſtor. Florentin. p. 31.* VILLANI *lib. 6. c.* 81. 85. *lib. 7. c.* 21. *HAHN. p.* 12. *MASCOW. p.* 18. qui in appendice documentorum ſub *lit. E.* ex RAYNALDO *ad ann.* 1301. refert bullam Bonifacii VIII. qua Carolus ſenator ac patricius Romanus, imperii nomine Tuſciæ præficitur. Poſtquam vero Rudolphus Habspurgenſis Germanica nactus eſt ſceptra, Carolus Tuſciæ provincia, quam per ſub-vicarios moderatus erat, deceſſit, eamque Rudolphus per ſuos gubernare cœpit vicarios, quorum numero præcipui ſunt FüRSTENBERGIUS, Rudolphus ab HOHENECK cancellarius, deinde archiepiſcopus Salisburgenſis, & Joannes de AVESNIS. Vid. RAYNALDVS *ad ann.* 1278. VILLANI *lib. 7. AMMIRATUS lib. 3. RAYNALDUS ad ann.* 1281. 1288. *GUNDLING. p. 49. ſeqq.* qui p. 53. ex MARTENII & DURANDI *anecdotis* diploma, quo Joannes de Avesnis Rudolpho Cancellario in vicariatu Tuſciæ ſufficitur, refert. Idem habet BERGERUS p. 165. HAHN. p. 13. MASCOW. *in appendice* p. 4. *Autor plen. aſſert. p. 67.* Atque eo magis conſtat, fictitium eſſe, quod dicunt, Rudolphum Etruſcis terris valedixiſſe, Florentiniſque plenam vendidiſſe libertatem, ita, ut nullum amplius in eos imperatori & imperio ſupereſſet jus. Nænias illas de redemtione libertatis ab hoc, quam *BLONDUS, PLATINA, SIGONIUS, DECIUS, TRITHEMIUS* aliique recentiorum ſcriptorum propalarunt, ipſe *Autor de libertate civitatis Florentinæ p. 40.* ut lubricum admodum deſpicit fundamentum, in quo ipſum præivit VINCENTIUS BORGHINUS *in diſſertat. ſe Firenze ricomperò la libertà da Rudolfo imperadore.* Nec minus deinde Adolfum & Albertum Tuſciam per vicarios rexiſſe, indubitata annalium fide conſtat, ita tamen, ut Joannes de Cabillorio non hujus, ſed illius fuerit vicarius. Vid. HENRICUS STERO *ad ann.* 1293. PTOLOMÆUS LUCCENSIS *in annal. ad ann.* 1269. SCIP. AMMIRAT. *lib. 3. p.* 243. *GUNDLING. p. 58. 59. HAHN p.* 13. Nec ſcriptores Florentini negare audent, Joanni illi non levem pecuniæ ſummam eſſe numeratam, licet illud non obſequii notam, ſed prudentiæ cautionem, ut averterentur periculum, fuiſſe, contendant. Sed quis non videt, huic glaucomati omne deeſſe robur? Notum eſt, Bonifacium VIII. Albertum pro legitimo non habuiſſe cæſare. Hinc Carolum Valeſium, Galliæ regis Philippi fratrem, ex imaginaria illa, quam ſibi vacante imperio arrogabat præſul Romanus poteſtate, in Italiam accerſivit, ut Tuſciæ, quam imperii eſſe fatebatur, vicarius eſſet rector. Sed redeamus ad propoſitum. Nec Henricus VII. Alberti ſucceſſor, nec Ludovicus Bavarus, qui eum excepit, jurium imperii in Tuſciam erant ignari. Imo Florentini ſeſe Henrico immorigeros non exhibuerunt, niſi usque dum injuria Florentia ejectos in ſuum reciperet ſinum. Inter hos vena poëtica maxime illuſtris erat DANS ALIGHERIUS, imperialibus addictiſſimus partibus, ut ex epitaphio ejus, quod UGHELLI *tom. 3. J. S.* affert, conſtat. Poſtmodum palam obniti cœperunt, ſic ut non ſolum Henricus, ſed & Ludovicus Florentiam obſidione, irrita tamen, clauſerint. Ut autem imperio ſua vindicaretur autoritas, Henricus ſeveriſſima quæque in rebelles ſtatuit, honoribus, juribus & privilegiis excidiſſe pronunciavit, bona eorum Genuæ inventa aut fiſco addixit, aut militibus largitus eſt, & populi primates, ut ultima paterentur, promeritos eſſe, teſtatus eſt. VILLANI *lib. 9. c. 28.* SCIPIO AMMIRATO *lib. 5.* ARETINUS *lib. 5.* CARTVSIVS *de novit. Pad. lib* 1. *c.*21. PTOLOMÆUS LUCENSIS *in vita Clementis V.* apud BALUZ. *in vitis paparum Avenionenſium tom.* I. *p. 39. ſeqq.* VECERIVS *p.* 71. 72. & alii, quos citat HAHN *de jure imperii in Florentiam p.* 14. Confer quoque ſententiam proſcriptionis, qua Robertum Apuliæ regem percuſſit, apud MUSSATUM *in hiſtoria Henrici VII. lib. 13. p. 91.* GOLDAST. *tom. unic. Conſtit imperial. p. 72.* Ficulneum eſt argumentum defenſoris libertatis Florentinæ: Henricus VII. ſe propediem in Italiam venturum, Florentinis comiter nunciari curavit, atque ut neceſſaria ad ſe & copias ſuas excipiendum, iisque tranſitum parandum recte curarent, monuit; ſed Florentini dicto ejus non obtemperarunt, neque vocati coronationi ejus Mediolanenſi adfuerunt: Igitur hujus imperatoris tempore ab imperii obſequio plane immunes fuerunt. Quis ſanæ mentis ita colligeret, herus ſervum ſuum benignis officii ſui admonet verbis, & ille nihilominus refractarius eſt, propterea a ſubjectionis vinculo liberatur; præſertim quando dominus ad ſervi inobedientiam caſtigandam ſe accingit. In vulgus notum, *principum preces juſſa eſſe.*

Quam ſedulus CAROLVS IV. in tuendis imperii juribus in Florentiam fuerit, admonitio ejus ad Florentinos, ſub imperii primordia data, ut ab omnibus novitatibus & rebellionibus abſtinerent, prodit. Cumque imperator ſuſcepto in Italiam itinere Piſis commoraretur, Florentini æque ac aliæ Etruriæ civitates, ſe Caroli imperata facturos promiſerunt; quanquam & de hoc negotio Senis actum eſſe, conſtet. LAMBECIVS *lib. II. comment. de biblioth. Vindobon. c. 8. n. 59.* JA-
COB.

jore eſt diligentia perſequutus. Ille l. 27. leges fœderis inter Clementem & Carolum initi recenſens. *Adjectum eſt*, inquit, *ut poſtquam Florentini adverſum cæſarem, conſici incerta Gallorum victoria, arma*

COB. PHILIPP. BERGOMAS *lib. XIII. repercuſſ. hiſtor. p. 341. Auctor plen. aſſert. p. 17.* Huic accedit, quod VILLANIO teſte ab hoc imperatore ipſis confirmata ſint privilegia. Nec officit, quod Carolus IV. ſententias proſcriptionis contra Florentinos ſine effectu eſſe voluerit. Jus abolendi enim & aggratiandi eſt ſignum ſuperioris poteſtatis. Atque hanc abſolutionem centum millium florenorum ſumma redimere coacti fuerunt. Sic & in tractatu Piſano inter hunc imperatorem & Florentinos 1355. JCto, his tantum facultas condendi ſtatuta legibus imperii non contraria & ab imperatore adprobanda, conceditur. Ex quo & ſolo conſtare poteſt, libertatem ipſis indultam obſequium, quo imperatori & imperio obnoxii erant, non excluſiſſe. Deinde objiciunt, imperatorem pollicitum eſſe, ſe nunquam Florentiam aut alium ejus locum munitum introiturum eſſe: verum hoc ex ſpeciali gratia, ut eſt in inſtrumento apud TRONCIUM *in annalibus Piſanis*, ipſis datum, ut hoc modo a metu eſſent vacui, fore ut imperator circa regimen ſuæ civitatis, quod ad Piſanorum exemplum, prioribus artium & Gonſalenorio, ut imperialibus vicariis concreditum erat, aliquam induceret mutationem & huic aut illi forte loco vicarium aut poteſtatem imponeret. Porro id pacti quatenus imperii juribus derogavit, nullius fuit valoris. Quinimo ut manifeſtum eſſet, beneficium illud ſalva imperii & imperatoris autoritate datum, additur: *Dal altro canto doveſſero Sindachi della republica Fiorentina, a nome d'eſſa far la debita ſommiſſione & rendere obedienza alla M. S. e riconoſcerla per vero imperatore.* Aut, ut eſt in mutilo dictæ compoſitionis tenore, quem refert SCIPIONE AMMIRATO *lib. XI. I Sindici dall' altro canto a voce & a nome delle republica doveſſono a lui in publico far la ſommeſſione e l'ubbedienza, riconnoſcendo lo per vero eletto imperadore.* Cui accedit, quod annuum tributum quatuor millium florenorum exſolvere polliciti ſint. Neque huic juri inde aliquid decedit, quod cenſus ille tantum ad Caroli vitam promiſſus fuerit. Credo enim, hunc ultra ſolitum auctiorem fuiſſe, quia imperator, ut vicariatus penes urbis antiſtites eſſet, pati voluit. Quæ conceſſio autem ad vitæ dies Caroli erat reſtricta, & ſic etiam auctius tributum, quod ad eam reſpiciebat. Ita, ut deinde novo imperatori liberum fuerit, quod ſibi e re imperii viſum, ſtatuere. Alia pro juribus imperii in Florentiam ſub Carolo vigentibus affert HAHNIUS *p. 15. ſeqq.* nimirum, quod Florentinis, arma juſſu ſuo in Barrabonem Mediolanenſem vice-comitem ſumere detrectantibus mulctam indixerit; Petrum Florentinum epiſcopum, imperii principem ſuumque in Tuſcia ſupremum judicem, tam in civilibus quam criminalibus cauſis creaverit, academiam Florentinam confirmaverit, eique antedictum epiſcopum *Petrum* cancellarium dederit. Diplomata ſunt apud UGHELLI *tom. 3. p. 151. ſeqq.* Aſtipulandum igitur omnino GUNDLINGIO, qui aſſerit, Florentinos, ſi quid unquam Caroli liberalitate conſecuti fuerint, plus tamen jurium, quam quæ liberæ imperii urbes habent, non eſſe indeptos. Adde epiſt. VI. & VII. quas MADERUS GERVASII *otiis* adjunxit.

Quod de prodigalitate Caroli & in diſſipando hoc imperii patrimonio facilitate nonnulli, absque juſta tamen, ut oſtendimus, cauſa criminantur, id alii majori adhuc impetu ad Wenceslaum ſpectare contendunt. Sed hos quoque verum non attingere, & ex illo tantum liquet, quod Jodocum marchionem Moraviæ vicarium ſuum generalem in Italia conſtituerit. STEPHANUS BALUZIUS *in collect. actor. veter. ad vit. pontific. Aven. n. CCXI. p. 890. & in not. ad illas vitas p. 1200.* Volvebat etiam animo ipſe Italiam adire, cumque de eo Florentinis conſtaret, deputatos ſuos ad eum miſerunt, ut benevolum ſibi imperatorem redderent. AMMIR. *lib. XIV.* Exulceratam enim habebant conſcientiam, quoniam fidei, qua imperio tenebantur, adverſa cum aliis civitatibus machinati erant. *Libell.* apud DATTIUM *lib. 3. c. 9.* Wencealao exauctorato Germaniæ ſceptra Rupertus capeſſivit, quem ut dominum ſuum Florentini venerati ſunt, fidemque de cenſu annuo, qui ipſis incumbebat, præſtando dederunt. Quo minus igitur imperatoria ope adverſus Mediolanenſem ducem, Comitem Virtutum deſtitui potuerunt, eo alacriores ad ea, quæ erant partium ſuarum, in actum deducenda donaque addenda fuerunt. GOBELINUS *in Cosmodromio ætate VI. c. LXX.* NAUCLERUS *in chronographia generat. 47.* SCIPIO AMMIRATUS *lib. XVI. p. 884.* BUONINSEGNIUS *lib. IV. p. 763.* HAHN *p. 18.* Comprobant hæc egregie, quæ apud MARTENE & DURANDUM hanc in rem *tom. I. theſ. anecdot. p. 1661. ſeqq.* reperiuntur. His adde privilegium Ruperti, Florentinis a Ruperto datum, ex archivo imperiali erutum, & a MASCOWIO, GUNDLINGIO & AUCTORE *plenioris aſſert.* relatum. In literis & tabulis, quæ apud MARTENIUM reperiuntur, imperator a Florentinis vocatur: *Singulariſſimus dominus noſter, & priores artium populus & communis Florentinus, vexilliferi juſtitiæ,* ſe dicunt majeſtatis ejus *devotiſſimos ſervitores & filios,* & ab imperatore appellantur: *fideles & devoti, fideliſſimi & devotiſſimi, fideliſſimi ſervitores.* In privilegio autem *Florentinos dilectos filios* vocat, deprædicatque *fidem eorum in imperium Romanum, devotionis officium & obedientiæ debitum,* additque, *populi illius vires & potentiam robur imperii & ſuam fortitudinem eſſe.* Quapropter eis omnia, quæ poſſident, confirmat, immunitatem a conſuetis oneribus & regalia fiſcalina largitur, ſtatuitque, ut priores artium & vexilliferi juſtitiæ ſint, ſui & imperii vicarii ad tempus vitæ ſuæ, *nec non in perpetuum, donec forent expreſſe per ſucceſſores ejus, legitime tamen intrantes, nominatim & ſpecialiter revocati.* Porro Bonacurſum ſyndicum populi & communis *per annuli traditionem* de prædictis omnibus inveſtivit. Neſcio, quid impediat, quo minus vocabulum *inveſtire* hic pro ſigno collationis feudalis accipiamus. Interim quoad rem ipſam ſummum nempe imperii jus unum idemque eſt, ſive Florentiam feudum dicamus, ſive æque ac Piſam cum GUNDLINGIO allodium & bonum dominicale imperii, cum negari nequeat, vocabulum *inveſtire* in rebus medii ævi etiam de *collatione allodii* adhiberi. Scio, iniquos Florentinorum defenſores ex Ruperti tabulis urgere, quod jura regalia ipſis pleniſſimo jure una cum libertate concedantur. Verum hæc non abſolute, ſed comparate ſunt intelligenda, ſcilicet quod imperatoriis vicariis ad hoc ex aula imperatoris delegandis & poteſtatibus non debeant ſubeſſe, immunitateque & libertate, qua liberæ imperii urbes fruuntur, gaudere deberent. Pergunt, *Florentinis jus fœderum tribui.* Sed reſpondetur, & liberæ imperii civitates fœdera & cum popularibus & cum extraneis pangere poſſunt, modo in Germanici imperii detrimentum non vergant. Imo & conſociationes quævis, utpote mercimonii cauſa, quæ etiam in civitates municipales cadunt, nonnunquam fœderum nomine veniunt. Sufficiat nobis jam nominaſſe *fœdus Hanſeaticum*, cui quamplures etiam urbium municipalium nomen dederant. Sed linquamus Rupertum, & ad Sigiſmundi & Friderici III. (IV. V.) tempora accedamus. Neuter horum jurium imperii in Italiam fuit incurioſus, nec Albertus II. Friderici anteceſſor, optimus princeps hic aliquid haud dubie in ſe deſiderari paſſus eſſet, modo diutius ſuperſtes fuiſſet. In Sigiſmundum ſaltim non omne depoſuerunt obſequium, licet elatius ſe gerere cœperint, qui haud dubie ſeverius in eos animadvertiſſet, niſi aliarum rerum negotia ipſum ab hoc avertiſſent propoſito. GUNDLING. *de jure A. J. & J. in magnum Etruriæ ducatum p. 85.* Majori reverentia & obſequio proſecuti ſunt Fridericum III. ex quo certiores facti, falſum eſſe rumorem, Fridericum animum induxiſſe, Tuſcis Alphonſum Arragoniæ regem vicarium dare. Excipiebant illum, cum Florentiam veniſſet, ut imperatorem & dominum, quem jam tum Bononiæ ſubmiſſiſſime coluerant. Hæc idem GUNDLINGIUS ex S. ANTONINI *hiſtoria mſcr.* & MACHIAVELLI *hiſtor. Florentina* refert. Adde

arma tuliſſent, majeſtatis rei facti, libertate & antiquis ſuperiorum cæſarum conceſſis immunitatibus frueretur privarentur, obiterque civitati principem Alexandrum adoleſcentem imponeret, Florentinorum legatis imperata

ÆNEAM SYLVIVM *in vita Friderici III. p. 63. ſeqq.* SCIP. AMMIRATO *part. II. hiſtor. Florentin. lib. 22. p. 69. 70.* Nec minus attendi meretur, quod idem imperator Florentinos cum Januenſibus, Senenſibus & Luccenſibus ad Francofurtana vocaverit comitia. ÆNEAS SYLVIVS *epiſtol. 127.* Figmentum vero eſt, exemtionis Florentinorum jus ex ſalvi conductus tabulis, quas Fridericus Romam aditurus expetiiſſe dicitur, profluere. Nam in literis pontificis Pauli II. ad Florentinos, & in reſponſione Friderici ad Florentinorum codicillos ſalvus conductus nihil aliud denotat, quam neceſſitas cæſarem Romam perrecturum comitandi, ad quam omnes imperii ſubditi obligati erant. Comitaturis autem illud aliquo tempore ante ſignificabatur, ſolebantque molliora & precaria adhiberi verba, promittique integra ſecuritas, ut ipſis anſa eriperetur verendi, ne imperator aliquid in privilegia eorum auſurus ſit, quorum terras tranſiret. In vanum igitur ſalvum conductum imperatori promiſſum, AVCTOR *de libertate civitatis Florentinæ p. 90.* pro erronea ſua allegat ſententia.

Veniamus jam ad MAXIMILIANVM I. qui non minus de imperii juribus tuendis, ac pater ejus, ſollicitus fuit. Indigne admodum ferebat, quod Florentini Gallorum in Neapolitanum regnum irruptionem moliturorum partes ſecuti eſſent, ſeſeque in eorum dediſſent clientelam. COMINÆVS *comment. libr. 7. c. 9.* hæc habet: *Or etant le Roy Charles VIII. en la cité de Florence ſe fit un traité avec eux & crois qu'ils le firent de bon cœur. Ils donnerent au Roy ſix vingts mille ducats, dont ils en payerent cinquante mille contant & le reſte en deux payemens aſſez briefs, & preterent au Roy toutes les plaçes, dont j'ai parlé &c.* Confer quoque IPSVM *de bello Neapolitano lib. 1. p.* 616. *ſeqq. & lib. 2. p.* 624. Poſtea cum Ludovico XII. itidem clientelare inierunt fœdus, eique *quinquaginta millia ſcutorum de auro* promiſerunt, ſub ea lege, ut Piſarum civitatem ſub eorum reducerent obſequium, quam tamen a Galliæ rege recognoſcere eique aut ejus vicario Genuenſi *equum curſorium* aut *dextrarium* in recognitionis ſignum quotannis præſtare conſtituerunt. *Hiſtoire de Louis XII.* par JEAN D'AUTON *ch.* 36. 47. Eos tamen deinde facti pœnituit, atque Maximiliano iter Romam facturo centum cataphractis ſuis ſumtibus per annum alendis, ſe præſto futuros promiſerunt. NARDI *delle hiſtorie Fiorentine p.* 128. In illos tamen forte durius quid ſtatutum fuiſſet, niſi Maximilianus, Ludovici XII. Galliæ regis precibus locum dans, ipſis ut & aliis fidei, qua imperio obſtringebantur, temeratoribus in pace Beſenſi condonaſſet. *Corps univers diplomatique du droit des gens par DU MONT tom. IV. p.* 55. Rerum geſtarum modica tantum peritia inſtructorum notitiam effugere non poteſt, Florentinos deinde imperii ſubditis ſe lubentes annumerari paſſos atque privilegiorum ſuorum confirmationem & eorum, quæ ſuæ erant ditionis inveſtituram a cæſare impetraſſe: Memoratur illud beneficium quatuor auri centenariis redemtum eſſe. GERARDVS DE ROO *annal. Auſtr. lib. 13.* SCIPIO AMMIRATO *lib. 28. p.* 289. Verum hanc aut etiam minorem ſummam, quam aliqui ad 40000. ducatos a Florentinorum legatis Maximiliano Veronæ promiſſos reſtringunt, non ob privilegiorum confirmationem, quæ gratuita eſſe ſolet; ſed ob cenſum annuum non ſolutum, ſponſam eſſe tradunt. Hæc eſt ſententia Bodini, quem autor h. c. §. 11. citat, quæ cum iis, quæ JACOBVS NARDI *delle hiſtorie Fiorentine lib. V. p.* 212. habet, coincidunt. Autor quidem libelli *ſur la pleine liberté & independence de la liberté de Florence p.* 20. Cæſari a Florentinis nihil promiſſum eſſe, ex GVICCIARDINO *lib. 3. p.* 89. probare allaborat: Sed quis ob ſilentium hujus autoris Bodino, cui gentis ſuæ, rebus Italiæ tunc maxime intentæ, chartas & commentarios inſpicere datum, & ſcriptori domeſtico, quos conterraneorum ſuorum tabularia adire licuit, fidem demeret. Et in allegato Guicciardini loco, qui de Florentinorum oratoribus, imperatorem Genuæ ſalutantibus agit, cæſareæ ſupremæ in Florentiam poteſtatis ſunt veſtigia. Etenim Maximiliani legati juſſi erant, Florentiæ palam teſtari, ad cæſaream pertinere auctoritatem, illorum cum Piſanis cauſam cognoſcendi; igitur Florentinorum deputatis injunctum fuit, imperatorem certiorem facere: *per la divotione, che ſi portava al nome ſuo, ſi poteva promettere della republica Fiorentina tutto quelle deſideraſſe,* modo adjutor eſſet, ut Piſæ Florentinis redderentur. Imo ipſe GVICCIARDINVS *lib. 8. p.* 235. (*b.*) quadraginta millia ducatorum Maximiliano per Florentinorum legatos promiſſa eſſe, docet. *A Verona riceve il giuramento della fideltà & in quella città gli ambaſciatori Fiorentini trà i quali fu pierro Guicciardini mio padre convennero con lui in nome della loro republica, indotta à queſto oltra le altre ragioni d'a conforti del rè di Francia di pagarli in brieve tempo quaranta milla ducati.* Denique ex CAMILLI GILINII *de' expedit. Ital. Maximiliani apud Freberum,* nihil ſolidi pro iniqua Florentinorum prætenſione arceſſi poteſt. Nam memorat ille tantum, imperatori non diſplicuiſſe, ut Florentinus populus in aliorum Italorum ſocietatem, ſi fieri poſſet, pertraheretur & Florentinos amicis verbis, ut Gallorum ſocietatem derelinquerent, admonitos eſſe, ipſiſque in memoriam revocatum, quantum imperio deberent. Notum enim eſt, ſæpe temporum rationem requirere, ut princeps ſubditos ſuos officii amice & precibus quaſi commonefaciat.

(†) *Carolo quinto*) GöBEL. Ne diſperſa exſtent, quæ ex Caroli V. rebus geſtis ad Florentinorum negotia pertinent, una ſerie tam imperii rationes, quibus jura ſua ſub hoc imperatore in Florentiam non eſſe imminuta, demonſtrant; quam Florentinorum allegata, quibus contrarium evincere annituntur, & quæ ad ea ab imperio reſpondentur, proponam. Quis ſibi perſuaſum haberet, Carolum V. tanti animi cæſarem & latum unguem a jure, quod ſibi & imperio in Etruriam debebatur, diſcedere voluiſſe? præſertim cum illius, quod in capitulatione promiſerat, non poſſet eſſe immemor. Cohortem quidem JCtorum, quæ & Germanos quosdam complectitur, ſuam adſtruere libertatem, plenis clamant buccis Florentini. *Memoire ſur la liberté de l'etat de Florence in append. Autoris de libertate civit. Florentiæ.* Sed maxima illorum juris interpretum pars rerum geſtarum imperita fuit, aut externa rerum ſpecie & verborum æquivocatione ſe falli paſſi ſunt, aut etiam eam tantum Florentiæ libertatem, quam revera habet, ut mox conſtabit, vindicarunt. Ne dixerim, nonnullos eorum venalem Florentinis addixiſſe pennam. Imo non auctoritatibus, ſed rationibus, & in rebus facti, annalium fide dignis pugnandum eſt teſtimoniis. Crepant deinde Florentini diploma hujus imperatoris de anno 1523. illudque omnimodam ſibi adſerere libertatem, contendunt; Verum in illo diplomate non omnimodæ Florentinæ libertatis mentio fit, ſed tantum dicitur, papam precatum eſſe: *ut Carolus privilegia omnia per imperatores & imperium reipublicæ Florentinæ conceſſa, confirmaret, ſimulque civitatem, terras, caſtra, oppida & loca quæcunque quæ eadem reſpublica poſſidet, & in quibus imperator ſeu imperium jus aliquod forſan haberet, aut habere prætenderet;* & imperator promittit quidem, pontificis precibus poſt coronationem ſuam ſe ſatisfacturum; additur tamen, *& nihil negare eorum, quæ concedere poſſumus.* Omnimodam libertatem, quatenus plenam exemtionem ab imperii obſequio denotat, imperator propter ſtatum imperii & capitulationis pactum nec dare nec confirmare potuit, cum civitas eam antea non habuerit. Diploma vide apud LüNIGIVM *in C. Ital. diplom. tom. 2. p.* 1154. *& in plen. aſſert. jur. imper. in Florent. p.* 131. Nec Barcinonenſe fœdus, de quo GVICCIARDINVS *lib. 19.* & SCIPIO AMMIRATO *lib. 30.* agunt, Florentinorum patrocinatur cauſæ; quippe quod libertatis eorum, cujuscunque etiam, ne quidem mentionem injicit. Sed multo magis in eo agebatur, quomodo libertati ex populari reipublicæ forma profluenti, arctiores, Alexandro Medicæo Pennæ duce & futuro cæſaris genero eis capite impoſito, ponerentur limites. Conſultumque rebus ſuis putavit,

perata omnia cives facturos promittentibus, *modo urbem vetere conſuetudine liberam, ſua, qua potiti erant, libertate frui pateretur*, eoque, *ut civitati parcendam duceret, demiſſe poſtulantibus* reſpondiſſe cæſarem,

cum pontifice redire in amicitiam, Carolus, idque ejus dare precibus, ut gens ſua priſtinum aut etiam majorem potentiæ in civitate imperio Germanico ſubjecta occuparet gradum. Huc Barcinonenſis conventionis articulus IV. pertinet. GVICCIARDINI *lib. 19. fol. 95. ſeqq. capitulum fœderis Barcinonenſis* eſt apud *auctor. libert. Florent. p.* 95. Imo, ſi Jovio habenda fides, in iſto fœdere de pœnis, quibus in Florentinos, a cæſare ob amicitiam cum Gallis alienatos, animadvertendum ſit, actum eſt. Inepte prorſus argumentantur Florentinorum advocati: ex Barcinonenſi fœdere imperator pontificem habuit ſocium, igitur ille in urbem vi ſupremi ſui dominii animadvertere non potuit. Quis dubitaret, principem adverſus rebelles ſuos ſubditos cum aliis ſocietatem inire poſſe. Et ut ſe promiſſo liberaret cæſar, trajecto in Italiam milite Florentiam dictis ſuis refragantem obſidione cinxit, eamque ſub Gonzaga ſummo poſt cæſum *Auraſionenſem* principem Philibertum exercitus duce ad deditionem coëgit. Antequam imperatoriæ copiæ urbem obſidione cingerent, cæſaris Genuam delati iram legatis quatuor lenire, omnemque defectionis ſuæ culpam in papam, quum ſibi ut Medicæum ſcilicet tempore fœderis cum Gallo contracti imperaſſe, ſibique ejus autorem fuiſſe dicebant, conjicere voluerunt. Nullus dubito, quin hæc legatio potiſſimum inſtituta fuerit, ut quantum fieri poſſet, ab accelerata imperatorem averterent obſidione, quo ſibi tempus daretur, munitionum numerum augendi. Id & ex eo apparet, quod cum pontifice, quem de cæſaris amicitia ex Barcinonenſi conventione certum eſſe non ignorabant, nullo lites componendi inſtructi eſſent mandato; & cum de eo obtinendo, monente cæſaris cancellario, ad civitatem, a qua deputati erant, literas dediſſent, petiti repulſam tulerunt. Exinde infectis rebus diſceſſerunt, cum cæſar, antequam lis cum papa non eſſet ſopita, de recipienda in gratiam urbe nihil omnino audire voluerit. Merentur notari, quæ cæſaris cancellarius ipſis loquebatur legatis: *civitatem ob fœdus cum imperatoris hoſtibus initum, & copias contra ipſum miſſas privilegia amiſiſſe, atque ad imperium recidiſſe, ideoque cæſarem de ea, quicquid vellet, ſtatuendi habere poteſtatem.* GVICCIARDINVS *lib. 19.* additque JOVIVS *lib. 27.* legatos monuiſſe, Florentinum populum cæſaris imperata facturum, ſi libertate, qua potiti eſſent, imperator eos frui pateretur, i. e. ut SCIPIO AMMIRAT. *lib. 30. pag.* 383. recte interpretatur, ſi ipſis reipublicæ formam, qua uterentur, retinere liceret. Verum imperator eis *inexpiabile delictum, noxam & totum majeſtatis crimen*, quo per amicitiam cum Gallis ſe commaculaverant, condonare noluit, niſi pontificem, quem patria ejecerant, viciſſim reciperent. Conducit, ex VARCHIO *de Florentin. legatis lib. 9. p.* 234. ſequentia adducere: *Andarano*, inquit, *poi a trovare il grand cancelliere, il quale aſpettava il capello di ora in ora, & gli raccommandarono con molte parole & per molte ragioni la città; ma elgi aſſai rigidamente riſpoſe loro, quaſi Firenze fuſſe feudo del imperio, che i Fiorentini per aver eſſi mandato le genti in ajuto del re di Francia a Monſignore Lauterec contra la maëſta del imperatore avevano tutti i loro privilegi antichi & conſequentemente della loro libertà per ſi grave exceſſo e mancamento caduti.* Cæcutiret profecto ad lumen diei, qui talia in arbitrum, principi ſupremo contradiſtinctum, cadere crederet. Pacta dedit, *ut cæſar rempublicam Florentinam, incolumi libertate, prout ſibi videretur, ordinaret, captivis libertas, extorribus civitas redderetur, injuriarum omnium ac præteritarum rerum memoria deleretur, octoginta aureorum millia in ſtipendia militum a Florentinis perſolverentur.* E contrario GVICCIARDINI *lib. 20. fol.* 105. deditionis leges ſequentes enarrat: *Che il papa & la città dettero autorità a ceſare che intra tri meſi dichiaraſſe quali haveſſe ad eſſere la forma del governo ſalva non dimeno la liberta &c.* Hinc colligunt, imperatorem non niſi arbitrum a partibus, ut lites componeret, eſſe electum, in eumque, ut reipublicæ ordinaret ſtatum, compromiſſum eſſe, ipſumque pontificem antea duodecimviratum per Bartholomæum Valeſium legatum ſuum conſtituiſſe. GVICCIARD. *lib. 20.* JOVIVS *lib. 29.* MEMOIRES *ſur la liberté de Florence p. 22. ſeqq.* Conducit adjicere inſtrumentum ipſum de anno 1530. prout illud AVCTOR *libertatis Florentinæ n. X. p. 98.* refert, ſequentis tenoris:

,,In Dei nomine Amen. Anno Domini noſtri Jeſu
,,Chriſti ab ejus ſalutifera incarnatione 1530. indictio-
,,ne tertia, die vero decima ſecunda menſis Auguſti,
,,actum in feliciſſimis caſtris cæſareis apud inclitam civi-
,,tatem Florentiæ, & in populo S. Margheriæ de Mon-
,,tici, & in domo Reſidentiæ infra ſcripti magnifici do-
,,mini Bartholomæi de Valoribus, generalis commiſſarii
,,ſanctiſſimi domini noſtri Clementis PP. VII. Præſenti-
,,bus illuſtriſſimis dominis comite Petro Maria de Rubeis,
,,Alexandro de Vitellis, Pyrrho de ---- Johanne Ba-
,,ptiſta Sabello, Martio de Columna, Johanne Andrea
,,de Caſtaldis, omnibus Coronnellis, nec non magnifi-
,,co domino Federico de Uxies magiſtro caſtrorum exer-
,,citus cæſarei teſtibus. Cum inclyta civitas Florentina
,,fere XI. menſium obſidione a cæſareo exercitu attrita,
,,& multis jacturis & calamitatibus adflicta, eo redacta
,,eſſet, ut non procul ab ultimo excidio abeſſe videretur,
,,quod ab omni homine Chriſtiano, nedum Italo, deplo-
,,rari debuiſſet, niſi illi fuiſſet opportune ſubventum, id
,,procurante inprimis ſanctiſſimo domino noſtro Cle-
,,mente VII. pontifice maximo, ipſius civitatis patre
,,amantiſſimo, & glorioſiſſima majeſtate cæſaris, quæ
,,ſuis ducibus civitatis ſalutem ſumma cum pietate ſem-
,,per commendavit, & mandavit, adnitentibus etiam
,,ad id bonis civibus, præſertim magnificis dominis
,,Bardo Johannis de Altovitis, Jacobo Hieronymi de
,,Morellis, Laurentio Philippo de Strozzis, & Petro
,,Franciſco Folchi de Portinaris oratoribus a dicta civi-
,,tate deſtinatis ad illuſtriſſimum dominum Don Ferdi-
,,nandum de Gonzaga capitaneum generalem velitum,
,,& gubernatorem feliciſſimi exercitus cæſarei, ac ma-
,,gnificum Bartholomæum de Valoribus ſanctiſſimi do-
,,mini noſtri in dicto exercitu commiſſarium generalem
,,& propterea cum pro ſalute & conſervatione dictæ ci-
,,vitatis inter præfatos illuſtriſſimum dominum Don
,,Fernandum, ac Bartholomæum de Valoribus magni-
,,ficum, & præfatos magnificos dominos oratores pro-
,,ximis diebus facta, & ceu tractata fuerit quædam con-
,,cordia & capitulatio, cujus copia tranſmiſſa fuit ad
,,magnificos dominos Florentinos, & per dictos magni-
,,ficos dominos, & eorum collegia, & conſilium octu-
,,aginta virorum benigne acceptata & ratificata ſub die
,,XI. præſentis menſis, prout adparet per rogatum manu
,,domini Sylveſtri de Aldobrandinis, & F. Nicolai de
,,Nellis notariorum & cancellariorum dictorum ma-
,,gnificorum dominorum, & cum pro perfectione tanti,
,,ac tam ſanctiſſimi, & ſaluberrimi & optati operis per
,,eosdem magnificos dominos, & collegia, & conſilium
,,octuaginta virorum dicta eadem die factum & datum
,,fuerit pleniſſimum mandatum prælibatis, & infra
,,ſcriptis magnificis dominis oratoribus, prout adparet
,,per inſtrumentum rogatum manu præfatorum cancel-
,,lariorum ſub dicta die inferius in fine præſentis inſtru-
,,menti inſertum & regiſtratum de verbo ad verbum,
,,& propterea pro prædictorum explicatione præfatus
,,illuſtriſſimus dominus Don Fernandus Gonzaga capi-
,,taneus & gubernator, ut ſupra, ac illuſtris dominus
,,Joachimus Devia, dominus de Balancon nobilis, &
,,camerarius ſecretus cæſareæ majeſtatis & quilibet eo-
,,rum inſimul in ſolidum, & de per ſe, vigore cujusvis
,,eorum, & cujuslibet eorum, & reſpective auctorita-
,,tis, ac poteſtatis, ac etiam vice, & nomine ipſius ma-
,,jeſtatis cæſareæ, ut infra, nec non præfatus magnificus
,,Bartholomæus de Valoribus commiſſarius generalis
,,ſanctiſſimi domini noſtri Clementis ad infra ſcripta
,,omnia peragenda facultatem, ac poteſtatem habens, ut
,,conſtat per literas in forma Brevis ſuæ ſanctitatis in fine
,,præſentis inſtrumenti inſertas, ac etiam vice, & no-
,,mine præfati ſanctiſſimi domini noſtri papæ, & præ-
,,fati omnes reſpective ſingula ſingulis congrue, ac tute

rem, narrat idem, *Florentinos inexpiabili delicto ſuperiorum caſarum conceſſas libertates, immunitates vel ingrate vel perfidioſe corrupiſſe, ſe tamen noxam & totum eorum majeſtatis crimen pro ſua humanitate magnitu-*

,,referendo pro prædictis præciſe, & cum effectu de
,,rato ratihabitione promiſerunt, ut infra alias, &c. ex
,,parte una, ac etiam præfati magnifici dominus Bardus
,,Johannis de Altovitis, Jacobus olim Hieronymi de
,,Morellis, Laurentius olim Philippi de Strozzis, & Pe-
,,trus Franciscus, Folchi de Portinaris, Cives Florenti-
,,ni & oratores civitatis, & Reip. Florentinæ vigore au-
,,ctoritatis in dicto, & infra ſcripto mandato, eiſdem at-
,,tributæ ex parte altera, ſolemniter, benigne, & con-
,,corditer ſolemnibus ſtipulationibus, & promiſſionibus
,,hinc inde intervenientibus devenerunt ad infra ſcriptas
,,capitulationem, conventionem, concordiam, promiſ-
,,ſiones, obligationes, & alia, ut infra videlicet.

1. ,,Inprimis, che la forma del Governo abbia da ordinarſi,
,,e ſtabilirſi dalla maëſtà ceſarea fra quattro meſi proſſi-
,,mi auvenire, intendoſi ſempre, chelia conſeruata la
,,libertà.

2. ,,Item, che ſi abbino a liberare ſubito gli ſoſtenuti den-
,,tro Firenze per cauſa di ſospizione, ò d'amicizia, e
,,ſervitù con noſtro ſignore, ò ſua magnifica Caſa de me-
,,dici, e coſi tutti gli fuoruſciti, e banditi per tal cauſa,
,,ſieno ſubito ipſo fatto reſtituiti alla patria, e beni loro,
,,e gli altri ſostenuti per le medeſime cauſe Drento Piſa,
,,Volterra, ò altri Luoghi del dominio abbino da eſſer
,,liberati, doppo che ſarà levato l' eſſercito, ed uſcito
,,del dominio.

3. ,,Item perche la Citta ſi trova molto povera, e affaticata per
,,la preſente guerra, & anco e neceſſario pagare d' Eſercito,
,,la Città ſia obligata pagare ſino allo ſomma di ottanta
,,mila Ducati, da quaranta in cinquanta mila contanti di
,,preſente, & il reſto ſino alla detta ſomma d' ottanta mila
,,in tante promeſſe buone, e valide ſi nella Città come di
,,fuora da pagare di promeſſe ſi poſſa trovare il contante
,,da pagare, e levare l' eſercito.

4. ,,Item, che la prefata Città ſia obligata dare, e conſegnare
,,in potere dell' illuſtriſſimo ſignore Don Fernando frà
,,due giorni dopo fatto il preſente concordato, quelle per-
,,ſone di qual ſi voglia condizione, e ſtato Cittadine della
,,Città, che ſaranno nominate dal prefato Signore per
,,ſicurtà del oſſervatione del preſente accordo ſino al nu-
,,mero de cinquanta, e di quel manco, che piaceſſe alla ſan-
,,tità di noſtro ſignore, quali perſone abbino da reſtar in
,,potere di eſſo ſignore, finche ſieno adempite da eſſa Città
,,tutte le preſenti convenzioni, e promiſſioni; E che la
,,Città di Piſa, e Volterra con le Rocche, e Fortezze loro,
,,e coſi la Fortezza di Livorno, & altre Terre, e Fortalize,
,,che ſono all' obedienzza del preſente Governo, che ſarà
,,ſtabilito da S. Maeſtà.

5. ,,Item, oltre queſto il Sr. Malateſta Baglione, & il ſignoro
,,Stefano Colonna abbiano da renunziare in mano delli
,,Magiſtrati di Firenze il giuramento per loro in qualſi
,,voglia modo, e tempo preſtato di ſervire eſſa Città, e
,,promettere, e dare la fede, e giurare in mano di Monſr.
,,Balanſon Gentilhuomo della Camera della Maëſtà Ceſa-
,,rea di reſtare conquelle Genti che à loro S. S. parer anno
,,convenienti nella Città, ſino che ſiano adempite, & oſ-
,,ſervate tutte la preſenti convenzioni, e promiſſioni ſino
,,nel termine de quattro Meſi ſopra ſcritti, & ogni volta,
,,che ſarà loro comandato in nome di ſua Maëſtà di uſcire
,,con le genti della Città, che abbino à uſcire, fatto però
,,prima la dichiarazione, della qual ſi confiene nel
,,primo Capitolo, volendo però eſſo S. Stefano eſſer libe-
,,ro d'andarſi di detta Città, qual volta foſſi neceſſitato
,,per alcuna ſua occorrenza, reſtaſſi il Sr. Malateſta in ob-
,,bligo ſino all' ultima determinazione.

6. ,,Item, che qualunque Citta dino Fiorentiono di che gra-
,,do, ò condizione ſi ſia, volendo, poſſa andar ad abitare a
,,Roma, ò in qualſivoglia luogo liberamente, e ſenza eſſer
,,moleſtato in conto alcunone in roba, ne in perſona.

7. ,,Item, che tutto il Dominio, e Terre acquiſtate dal feli-
ciſſimo eſercito abbiano à ritornare in potere della Città
di Firenze.

8. ,,Item, che l' eſercito pagato che ſia, ſubito abbia da le-
,,varſi e marciar fuori del Dominio, e dal canto di noſtro
,,ſignor, e di ſua Maeſtà ſi farà ogni prouviſioni poſſibile
,,dipagare d'eſercito, e quando detto eſercito non ſi poſſa
,,levare frà otti, ſi promette dare vettovaglia alla Città,
,,doppo datigli gli Oſtaggi, e ſeguito il detto giuramento.

9. ,,Item, che dal canto di noſtro ſignore, e ſuoi Amici, Pa-
,,renti, e ſervitori ſi ſcorderanno, e perdoneranno, e ri-
,,metteranno tutte le ingiurie ricevute da qualſivoglia
,,Cittadino, e uſeranno con loro, come buoni Cittadini,
,,e fratelli, e ſua ſantità moſtrerà, com ſempre hà fatto,
,,ogni affezione, pietà, e clemenza verſo la patria ſua, e
,,Cittadini di quella, e per ſicurtà dell' una, e dell' altra
,,parte prometterà S. Stà; e ſua Maëſtà l' oſſervanza del
,,ſopra ſcritto, & obligaſi il ſignor Illuſtriſſimo Don Fer-
,,nando Gonzaga Generale Capitano dei Cavalli leggieri,
,,e Governator al preſente dell' eſſercito feliciſſimo ſopra
,,Forente il ſuo proprio, e privato nome di fare, e curare
,,con effetto, che ſua Maëſtà ratificherà nel tempo di due
,,meri proſſimi il preſente Capitolato, & il magnifico Bar-
,,tolommeo Valori Commiſſario generale di noſtro ſigno-
,,re, al ſi in ſuo nome proprio, e privato promette fare, e
,,curare con effeto, che ſua ſantità frà il detto tempo di
,,due meſi ratificherà quanto detto Commiſſ. hà promeſſo
,,in nome di ſua ſantità.

10. ,,Item, promettono l' illuſtriſſimo ſignor Fernando à
,,nome di ſua Maëſtà, & il magnifico Bartolommeo Valori
,,à nome di ſua ſantità, che à tutti i ſudditi di eſſa Maëſtà,
,,e ſantità ſi farà general remiſſione di tutte le pene, che
,,foſſero incorſe per cauſa di disobbedienza dell' eſſere
,,ſtate al ſervizio della Città di Firenze nella preſente
,,guerra, e coſi ſi farà la reſtitutione dei beni, della patria
,,loro, quando pero eſſi ſudditi, e Vaſalli non abbiano
,,perſa la patria, e beni per altro delitto, che di disobbe-
,,dienza.

,,Quæ omnia, ut ſupra, capitulata, promiſſa, & con-
,,venta præfatæ partes dictis modis & nominibus ſolemni-
,,bus, ſtipulationibus, & promiſſionibus hinc inde inter-
,,venientibus promiſerunt obſervantiam, & propterea
,,dictis modis, & nominibus, & eorum, & cujuslibet eo-
,,rum dictis modis, & nominibus reſpective heredes, &
,,bona omnia præſentia & futura, & dicti magnifici Ora-
,,tores dictam civitatem Florentiæ, & homines & perſo-
,,nas ejusdem, quas obligare poſſunt, vel eis licet, & etiam
,,pro majori robore, & efficacia, & perpetua firmitate præ-
,,fatorum omnium, & obſervatione omnium prædictorum
,,ſcripturis corporaliter tactis ſolemniter juraverunt ob-
,,ſervationem omnium prædictorum in pleniſſima forma
,,rogantes &c.

,,Ego Martinus quondam Dominici Franciſci Agrippa
,,clericus & civis Minſis publicus apoſtolica, & imperiali,
,,ac curiæ archiepiſcopalis Minſis auctoritatibus Not. de
,,præmiſſo inſtrumento, ut ſupra in præſenti charta &
,,tribus aliis præcedentibus ſcripto, & notato manu mea
,,propria rogatus fui, ſimul cum Domino Bernardo de
,,Gamberellis nobili, ut ipſe adſeruit, Florentino, & in
,,fidem præmiſſorum me ſubſcripſi, quorum omnium
,,aliam, & ſimilem fidem habeo penes me manu dicti
,,Notarii.

Provocant deinde ad literas a Carolo V. ad Clementem VII. datas, in quibus inter alias civitates imperio fiduciario vinculo obnoxias, Florentia non nominatur. GOLDAST. *rat. p. 83.* ſeqq. & ad conventionem inter Clementem & Philibertum Arauſienſem principem. *Libert. civitat. Florent. p. 97.* Addunt, in cæſareo Auguſtæ Vindelicorum 1530. de ordinanda reipublicæ Florentinæ forma lato diplomate, imperatoria Florentinis quidem confirmari privilegia, ſed illud nihil involvere ſuperioritatis, quoniam tralatitium eſſet, principes in ſuis territoriis & aliis, quam ſubditis largiri & confirmare privilegia; nec non protectionem nullam tribuere poteſtatem aut jurisdictionem, quod & ex eo conſtaret, quod in Barcionenſi fœdere imperator & papa mutuam ſibi promiſerint protectionem, & verba: *in fide & devotione* ſubjectionem non involvere, cum vaſalliticus non appareat nexus, aut aliud ſubjectionis vinculum, ad quod ſe verba referre queant. MEMOIRES *de la liberté de Florence p. 24. ſeqq.* Oportet jam hæc Florentinæ cauſæ patronorum examinare argumenta. Ex Mauroceno aliisque autoribus urgent, quod omnia ſalva Florentinorum liber-

gnitudineque animi remiſſurum, ſi pontificem eundemque civem ſuum, quem imprudenter patria ejeciſſent, converſis voluntatibus reciperent. Guicciardinus l. 19. itidem ſcribit, reſponſum a cæſare legatis: *Civitate* peracta ſint: Verum boni & æqui interpretis eſt, verbis, quæ dubium quid habent, ex antecedentibus, conſequentibus & conjunctis lumen affundere. Permulta adſunt teſtimonia, libertatem illam non exemtionem ab imperii obſequio, ſed priſtinæ reipublicæ formæ, ne ſcilicet Medicæis dominatus daretur, continuationem ſignificaſſe. Non enim animus erat, aliud quid Medicæis præter principatum ſenatus ad exemplum Venetorum & Genuenſium ducum conferre. Adhibeamus hic teſtem NARDIVM *p. 387. Alexandre de Medici*, inquit, *fut creato & chiamato duca della republica Fiorentina. La qua parola ſecondo la ſua vera ſignificazione non ſignifica ſignore, ma ſolamente capo & guida & con uno ſtipendio limitato per ſuo ſalario &c.* Et cum Alexander majora affectaret, graviter de eo coram cæſare conqueſti ſunt. SCIPIO AMMIRATVS *lib. XXXI. p. 431.* ADRIANI *lib. I. p. 1.*

Quod adſunt diplomata, in quibus & municipalibus libertas ſua conſervatur urbibus, ut jam de liberis imperii civitatibus ſileam? In pacis Weſtphalicæ inſtrumento *art. X. §. XVI. & §. XI.* Stralſundæ & Magdeburgo municipalibus urbibus competens & priſtina reſervatur libertas, nec non Mindæ & Halberſtadio. Sic Halberſtadio & Mindæ regalia & territoria ſalva ſunt. *art. XI. §. 1. & 4.* Quis autem non hæc reſtrictive & pro ſubſtrata materia, nimirum quod civitatibus illis jura & privilegia ſua ſalva eſſe debeant, eſſe intelligenda aſſereret. Sed ut omnis plane dubitandi ratio tollatur, id quod ex Caroli V. rebus geſtis de urbe *Siena* notum eſt, adjungere licet. Illa enim ſe plenæ cæſaris permiſit poteſtati: interim in pactionis tabula conſtitutum, ut urbi ſalva ſua ſit libertas. NATALIS COMES *lib. IX. hiſtor. ſui temporis p. 190. ſeqq.* AVTOR *plen. aſſert. p. 26. 27.* Non ignoro, a Florentinis inter affectatæ ſuæ libertatis & plenariæ exemtionis argumenta allegari, ſuos in Hiſpania deputatos a cæſare illorum principum, qui potentatum habent, legatis æquiparatos eſſe, cum Mediolanenſium longe aliter haberentur. Sed licet hæc narratio aliquid ex vero habeat; attamen nihil inde eorum cauſæ accedit roboris, quoniam & Germaniæ principes jus mittendi legatos habent, & ad ipſum imperatorem, quamvis ei fiduciario obnoxii ſint vinculo. Arbitri poſtea tantum vicem imperatorem habuiſſe, & ipſi a papa civitatis formam ordinare & lites inter Medicæos & Florentinam rempublicam componere mandatum eſſe, a veritate, in eo ſcilicet ſenſu, ut hoc Florentini intellectum volunt, plane abhorret. Dicam, quod res eſt: haud dubie papa de familiæ ſuæ reſtitutione ſolicitus fuit, precatusque imperatorem, ut in hac cauſa arbitraretur, id eſt, rem pro autoritate ſua, ut caput imperii & ſummus judex, componeret. Nec in legibus Romanis infrequens eſt, judicem arbitri nomine venire. Notum eſt vocabulum *mandare* ſæpe cum voce *intercedere* confundi. Nec dubito, quin reipublicæ rebelli ad obſequium redactæ regiminis formam Medicæos excludentem induxiſſet. *lib. 2. delle lettere di principi p. 45.* Niſi papæ in gentis ſuæ favorem ſollicitationibus locum dare voluiſſet. Igitur quando GVICCIARDINVS *lib. 20.* JO. BAPTIST. ADRIANI *lib. 1.* aliique Pontifici Florentinorum inſtitutam reipublicæ formam tribuant, id non niſi eo intelligi poteſt, quod papa ſuæ familiæ ad priſtinos honores reditum precibus & obteſtationibus graviſſime urgens illi reipublicæ formæ, qua deinde fuit, occaſionem præbuerit. Eſſe quidem poteſt, quod imperator a papa formulam aliquam, qua ratione reipublicæ Florentinæ ſtatus conſtitui poſſet, ſibi ſuppeditari curaverit, cum illius reipublicæ & ſtatus priſtini accuratam haberet notitiam: Sed tale quid non niſi ut conſilium aliquod, vel projectus, quem non raro principes ſubditis ſuis, qui aliqua in re ſuam gratiam & opem implorant, injungunt, conſiderari poteſt. Quod vero & inter deditionis Florentinorum leges jus ordinandi rempublicam fuerit, id ideo factum, ut eo magis conſtaret in publicum, cæſarem & hic jus ſuum exercere decreviſſe. vid. *Convent.* quam capitulationem vocant, *inter ſe de dentem civitatem Florent. & ſummum cæſarei exercitus prætorem.* GONZAGAM *in autore de libert. civit. Florent. n. X. p. 98.* Nec in conventione inter Papam & Philibertum apud citatum autorem n. IX. ullum verbulum iniquæ Florentinorum aſſertioni favens reperitur. Quod ad Caroli epiſtolam, quam Goldaſtus rationali ſuo inſeruit, attinet, de iis tantum civitatibus imperii in Italia ibi mentio fit, quibus papa inhiabat, aut in eas aliquid molitus erat. Deinde rei, ubi de ea non principaliter agitur, omiſſio negationem ejus non infert, præſertim, quando ejus exiſtentiæ tot aliæ adſint probationes. *Ottoviratus*, qui papæ, ut civis Florentini juſſu vel potius ejus ſuaſu inſtitutus fuit, diutius non duravit, quam uſque dum cæſar ut ſupremus Florentinorum dominus reipublicæ formam ordinaſſet. Sed ut Florentinam cauſam agentibus omnis elabendi occludatur via, ipſum diploma Caroli V. quo reipublicæ ſtatum anno 1530. Auguſtæ vindelicorum ordinavit, afferam: Tenor ejus ſequens eſt: „ Carolus quintus Auguſtus divina favente
„Clementia Rom. imperator, ac Germaniæ, Hiſpaniarum,
„utriusque Siciliæ, Hieruſalem, inſularum Balearium,
„fortunarumque, & magni orbis Indiarum, &c. rex, ar-
„chidux Auſtriæ, dux Burgundiæ & Galliæ Belgicæ domi-
„nus, &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoſcimus,
„& notum facimus tenore præſentium univerſis; Poſt-
„quam ſumma Dei optimi maximi benignitate & clemen-
„tia, Romani imperii cura nobis commiſſa eſt, ſummum
„ſemper noſtrum ſtudium fuit, ne quid damni, aut in-
„commodi, nobis imperantibus, reſpublica pateretur.
„Hinc relicta Hiſpania, ea potiſſimum ratione in Italiam
„venimus, ut ab his, quibus aſſidue vexabatur, malis,
„eam liberaremus, pacemque illi atque otium pro bellis
„& ſeditionibus concederemus, noſtroque animo, ac vo-
„luntate illa perſpectis, cum depoſitis armis ad noſtram
„& Romani imperii devotionem atque amicitiam facile
„advenerint, una tantum Florentia excepta, quæ non-
„nullorum perditorum hominum conſiliis, atque arti-
„bus, præterquam quod nobis abſentibus arma in nos &
„Romanum imperium ceperat, regnum noſtrum Nea-
„politanum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus nos advoca-
„ti ſumus, ditionem, armis infeſtaverat, nobis quoque
„præſentibus, animo noſtro non ſatis perſpecto, legio-
„nibus noſtris portas hoſtiliter occludere, urbem muni-
„re, ſeque intra moenia continere, atque noſtram & Ro-
„mani imperii auctoritatem contemnere præſumſit, ac
„nos, qui non ad perdendam, ſed ad ſervandam eam ur-
„bem veneramus, quique a priſtino noſtro de pacanda
„Italia inſtituto, non receſſeramus, tantum militibus no-
„ſtris imperavimus, ut tamdiu eam obſidione preme-
„rent, quousque facti poeniteret, ad noſtramque & Ro-
„mani imperii devotionem veniret: cumque poſt lon-
„gam obſidionem ſeſe nobis ea lege dederit, ut nos ejus
„regimen, gubernium & ſtatum, arbitrio noſtro diſpo-
„neremus: nos eam civitatem in ditionem acceptam, ta-
„metſi ex cauſis ſuper narratis, & quam multis aliis le-
„gitimis rationibus omnibus privilegiis, quæ a majoribus
„noſtris Romanis imperatoribus ac regibus & ſacroRoma-
„no imperio majores ſui obtinuerunt, de univerſoque ejus
„dominio atque ſtatu, tanquam ad nos & Romanum impe-
„rium devoluto, arbitrio noſtro diſponere jure nobis li-
„cuiſſet. Cupientes tamen, ut ipſa quoque civitas cle-
„mentiam noſtram experiatur, favore etiam atque in-
„tuitu beatiſſimi patris noſtri Clementis VII. pontificis ma-
„ximi, qui tanquam ejusdem reipublicæ ſalutis, quietis
„& libertatis ſtudioſiſſimus, pro ea intercedere dignatus
„eſt, motu proprio, ex certa noſtra ſcientia, firmo &
„deliberato animo, non per errorem aut improvide, ſed
„ſano principum, baronum, comitum, procerum atque
„aliorum noſtrorum & Romani imperii fidelium dilecto-
„rum ad hoc accedente conſilio, & de noſtra imperialis
„poteſtatis plenitudine eidem reipublicæ Florentiæ, quic-
„quid in his omnibus ſupra dictis & alias quomodocun-
„que contra nos & Romanum imperium commiſit,
„tenore præſentium remittimus, eamque in noſtram
„& Romani imperii gratiam recipimus, reponi-
„mus, reſtituimus, & redintegramus, ac ſi ea nun-
„quam per ipſam commiſſa forent. Decernentes ac vo-

vitatem ob fœdus cum caſaris hoſtibus initum & copias contra ipſum miſſas, privilegia amiſiſſe, atque ad imperium recidiſſe, ideoque Caſarem de ea, quicquid vellet, ſtatuendi poteſtatem habere. Inter leges porro ditionis prima

,,lentes, ut dicta civitas Florentina, ejus cives, incolæ &
,,ſubditi, hujus gratiæ & indulti noſtri vigore ejusque
,,beneficio, omnibus privilegiis, gratiis, exemtionibus,
,,& libertatibus per totum Romanorum imperium &
,,ubique locorum & terrarum utantur, fruantur & gau-
,,deant, quibus, antequam a devotione noſtra recede-
,,rent, utebantur, fruebantur, & gaudebant, absque ullo
,,impedimento vel contradictione. Præterea, cum ſum-
,,mi pontificis tantum apud nos valeat authoritas, ut ni-
,,hil illi negare velimus, ejus favore atque intuitu, ut-
,,que Florentini ſuæ ſanctitatis & noſtram benignitatem
,,& gratiam magis ac magis agnoſcant & amplectantur,
,,eisdem motu, ſcientia, animo, authoritate & poteſtate
,,prædictis omnia & ſingula privilegia, jura, conceſſio-
,,nes, exceptiones, libertates, gratias & indulta reipublicæ
,,Florentinæ a majoribus noſtris Romanis imperatoribus
,,& regibus conceſſa & conceſſas, quibus, antequam a no-
,,ſtra & Romani imperii fide ac devotione recederent,
,,utebantur in omnibus ſuis articulis, punctis & clauſu-
,,lis, ac ſi his noſtris de verbo ad verbum eſſent inſerta,
,,confirmavimus, ratificavimus, approbavimus, ac teno-
,,re præſentium confirmamus, ratificamus, approbamus,
,,hisque univerſis robur & authoritatem noſtram imper-
,,timur, ipſamque rempublicam Florentinam cum re-
,,gimine a nobis inferius diſponendo in noſtram & Ro-
,,mani imperii gratiam, tuitionem, protectionem & ſal-
,,vam guardiam ſuſcipimus & aſſumimus, ſuſceptam &
,,aſſumtam eſſe dicimus, decernimus & declaramus.
Cum autem ad perpetuam hujus reipublicæ Florentinæ
,,libertatem, pacem, quietem & tranquillitatem, utque
,,in noſtra & Romani imperii devotione perpetuo ma-
,,neat, ſuperſit, tum ratione imperialis noſtræ dignita-
,,tis & authoritatis, ad quam ſpectat rerum publicarum
,,ſalutem & pacem curare, tum vigore conventionis in-
,,ter Ill. Ferdinandum Gonzagam pro nobis interveni-
,,entem & ipſam rempublicam Florentinam, cum dedi-
,,tionem faceret, firmatæ ejusdem reipublicæ regimen,
,,gubernium & ſtatum diſponamus & inſtituamus & pro
,,ſolito inſtituto nihil aliud quam ejus & univerſæ Italiæ
,,ſalutem, pacem, quietem & libertatem quæramus,
,,animadvertentes rempublicam ipſam veluti & alias
,,complures, ejus eſſe naturæ atque ingenii, ut ſub hu-
,,jusmodi regimine & magiſtratu, in quo eſſet unus, cui
,,ejus præcipua cura incumbat, longe melius ac felicius
,,regatur & gubernetur, quam ubi res ad populares ma-
,,giſtratus defertur, quodque quamdiu Ill. Mediceo-
,,rum familia, quæ diu ſuo merito in ea republica floruit,
,,tanquam caput regiminis ſupremum illius curam ha-
,,buit, tum vere & publicis & privatis opibus floruiſſe,
,,multumque & rei & dignitatis illi acceſſiſſe, contra ve-
,,ro ubi æmulorum malitia atque invidia ab ea auctori-
,,tate illa dejecta extiterit, resque ad popularem factio-
,,nem delata eſt, tunc omnia, quod noviſſima hæc cala-
,,mitas & illius dominii devaſtatio facile teſtantur, pu-
,,blica atque privata corruiſſe, & ad eam usque miſeri-
,,am redacta eſſe, ut niſi beatiſſimus pontifex ac noſtra
,,clementia illi ſuccurriſſet, de ejus dominio ac liberta-
,,te actum eſſet. Cupientes ejusdem reipublicæ ſaluti,
,,libertati quieti & tranquillitati optime conſultum eſſe,
,,atque univerſali Italiæ pacem ſtabilire, noſtramque &
,,Romani imperii dignitatem & authoritatem, ut tene-
,,mus, conſervare, ne res iterum ad popularem factio-
,,nem devenire & propterea dominium atque libertas
,,dictæ reipublicæ periclitari & opprimi valeat, eisdem
,,motu, ſcientia, animo, conſilio, & auctoritate prædi-
,,ctis, tenore præſentium, ſtatuimus, decernimus, & de-
,,claramus, volumus & jubemus, ut deinceps perpetuis
,,futuris temporibus magiſtratus dictæ reipublicæ eis-
,,dem modis & formis eligantur, diſponantur & inſtitu-
,,antur, quibus ante ejectam ipſam Mediceorum illu-
,,ſtrem familiam eligebantur atque inſtituebantur, ut-
,,que eadem Ill. ipſa Mediceorum familia, & inprimis
,,Ill. Alexander de Medicis, dux civitatis Pennæ, cui nu-
,,per Ill. Margaritam filiam noſtram naturalem deſpon-
,,dimus, quamdiu vixerit, atque eo e vivis ſublato, ejus
,,filii, hæredes, & ſucceſſores ex ſuo corpore deſcen-
,,dentes maſculi, ordine primogenituræ ſemper ſervato,
,,& illis deficientibus, qui proximior maſculus ex ipſa
,,Mediceorum familia erit, & ſic ſucceſſive usque in in-
,,finitum, jure primogenituræ ſervato, ſic atque eſſe de-
,,beat dictæ reipublicæ Florentinæ gubernii ſtatus, at-
,,que regiminis caput, & ſub ejus præcipua cura & pro-
tectione ipſa civitas & respublica cum univerſo ejus ſtatu
,,& dominio regatur, manuteneatur & conſervetur &
,,tam ipſe Ill. Alexander quam ſui prædicti poſſint, &
,,valeant ac debeant in omnibus ſupradictis magiſtrati-
,,bus, qui in præſentia ſunt & pro tempore modo, quo
,,ſupra, aut aliis quomodocunque diſponentur, inter-
,,eſſe, hisque præeſſe, ac ſi is, qui pro tempore juxta or-
,,dinem ut ſupra diſpoſitum, præeſſe debebit, ad ſingu-
,,los ipſos magiſtratus publicis ſuffragiis tanquam ca-
,,put electus & deſignatus foret. Decernentes ac vo-
,,lentes, & hoc noſtri imperiali edicto, perpetuo valitu-
,,ro ſtatuentes, ut ſi quando dicta respublica Florentina
,,hoc regimen, modo, quo ſupra a nobis inſtitutum, vio-
,,lare aut invertere, aut ei quovis temerario auſu con-
,,traire audebit, tanquam nobis ac Romani imperio in-
,,grata, rebellis & inobediens, ſuæque ſaluti, libertati,
,,quieti, paci & tranquillitati contraria, ſupra ſcriptis no-
,,ſtris, remiſſione, indulto, confirmatione, approba-
,,tione, ratificatione & gratiis, aliisque omnibus & ſin-
,,gulis privilegiis, conceſſionibus, exemtionibus, liber-
,,tatibus, & gratiis, eidem a prædeceſſoribus noſtris Ro-
,,manis imperatoribus, & regibus & ſacro Romano im-
,,perio, quomodolibet ex quacunque cauſa conceſſis,
,,privata atque univerſum ejus dominium ad nos &
,,ipſum Romanum imperium devolutum cenſeatur,
,,quemadmodum eam nos ex nunc, prout & tunc, & e
,,contra privamus, eaque omnia & ſingula ſupra ſcripta
,,revocamus, caſſamus, annullamus, & caſſa, nulla atque
,,irrita, & univerſum dictæ reipublicæ dominium ad nos
,,& Romanum imperium ipſo facto devolutum eſſe volu-
,,mus, decernimus, declaramus & pronunciamus, quibus-
,,cunque in contrarium facientibus non obſtantibus, etſi
,,talia forent, de quibus ſpecialis, expreſſa, ac de verbo ad
,,verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus &
,,ſingulis, eisdem motu, ſcientia, animo, authoritate &
,,poteſtate prædictis derogamus, & derogatum eſſe volu-
,,mus per præſentes, ſupplentes omnes defectus, tam juris
,,quam facti, & ſolennitatum omiſſiones, ſi qui aut quæ
,,forſan in his interveniſſent, aut allegari quovis modo
,,poſſent, quæ omnia & ſingula, ut in favorem dictæ Me-
,,diceorum illuſtris familiæ interpretentur, volumus & ju-
,,bemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ
,,remiſſionis, indulti, confirmationis, approbationis, rati-
,,ficationis, ſtatuti, decreti, voluntatis, declarationis, & in-
,,ſtitutionis paginam infringere, aut ei quovis temerario
,,auſu, directe aut indirecte contraire; ſi quis autem id
,,attentare præſumſerit, noſtram & imperii ſacri indigna-
,,tionem graviſſimam, & pœnam centum marcharum auri
,,puri, ſe noverit irremiſſibiliter, quoties contra fecerit in-
,,curſurum, quarum medietatem fiſco noſtro imperiali,
,,reliquam vero partem, injuriam paſſi, aut paſſorum uſi-
,,bus decernimus applicandam, harum teſtimonio litera-
,,rum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri cæſarei
,,appenſione munitarum. Datum in civitate noſtra im-
,,periali Auguſta die XXVIII. menſis Octobris anno Do-
,,mini MDXXX. imperii noſtri XI. regnorumque noſtro-
,,rum omnium XV. Ad mandatum S. cæſareæ & cathol.
,,majeſtatis.

Atque diploma illud cæſareum per Antonium Muſetolam, Caroli legatum, publicatum eſſe, ſequens docet inſtrumentum:

,,In nomine individuæ Trinitatis per hoc præſens publi-
,,cum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quemad-
,,modum convocatis, ac perſonaliter conſtitutis in ſala
,,magna inferiori, palatii magnificorum dominorum Flo-
,,rentinorum excellentiſſimis dominis, dominis Priori-
,,bus libertatis, & vexillifero juſtitiæ, populi Florentini,
,,una cum venerabilibus collegis, cæterisque magiſtratibus
,,civitatis. Quorum nomina ſunt &c. Hinc eſt, quod in

prima fuit teſte Jovio l. 29. *Ante omnia conſtituendæ atque ordinandæ reipublicæ facultas arbitrio cæſaris permittitor.* Guicciardinus l. 20. habet: *Pontifex & civitas cæſari, quænam eſſe debeat reipublicæ forma, inter menſes tres conſtituendi poteſtatem dato.*

18. Cum-

„præſentia magnificorum dominorum magiſtratuum prædictorum, nec non plurimorum aliorum civium Florentinorum, in prædicta ſala magna exiſtentium, ubi ad infra ſcripta audienda, & peragenda, januis apertis, & in maxima multitudine, veluti in actu publico convenerant, perſonaliter exiſtentes, & in medium aſſurgens magnificus vir, & U. J. D. præclariſſimus dominus Jo. Antonius Muſetola, de Neapoli, orator, nuntius, & commiſſarius a ſacratiſſimo domino dn. Carolo V. Romanorum imperatore ſemper Auguſto ad infra ſcripta & alia peragenda, ut dictum, ſpecialiter deputatus, & legitima facultate ſuffultus, cum ea, qua decuit, circumſpectione, non minus ornate quam copioſe, in latino ſermone, ut melius ab omnibus intelligi poſſit, ita elocutus dixit. Cum idem ſereniſſimus dominus imperator, ut rebus Italiæ, diuturno bello non mediocriter afflictis occurreret & pacem inter diſſidentes componeret, ad effectum, ut rebus pacatis, arma Chriſtianorum in Turchas, Chriſtiani nominis hoſtes, felicius converti poſſent, ex Hiſpania in Italiam applicuiſſet, & cum Venetis, & aliis civitatibus & dominiis ab eo diſſidentibus capitula pacis & concordiæ, modum in pace vivendi concernentia iniiſſet. Cum illuſtri Florentinorum dominio, quod ſemper ipſe & ſui prædeceſſores, Romani imperatores, peculiari quodam amore perſecuti fuerunt, qui tum ab eo diſcordabat & contra eum arma ſumſerat, & ab obedientia & reverentia ſedis apoſtolicæ diſceſſerat, & ſanctiſſimum dominum noſtrum, cum quo dudum fœdus percuſſerat, & ejus illuſtriſſimam familiam, de hac excelſa republica amantiſſimam ſine cauſa expulerat, ſeu recedere coëgerat, in eum ſtatum, a quo expulſus una cum ejus familia illuſtriſſima erat, admittere & reſtituere negabat, per diverſa media honeſtatis & concordiæ conditiones proponeret; ſed particularium civium pertinacia, qui tunc rempublicam potius arbitrio, quam ratione regebant, & ad privatum commodum magis, quam ad publicam utilitatem non ſano conſilio ducti, reſpiciebant, id aſſequi non poſſet; ut improborum malitiam expugnaret, & injuſte oppreſſis ſubveniret, coactus fuit, licet contra ejus mentem, exercitum comparare, ac veſtrum territorium armis invadere & obſidione civitatem veſtram cingere, armis infeſtare, ac fame premere, quo reſpicientes & ſua errata cognoſcentes, more pii patris, qui filios errantes ſæpe corripit, & reductos paterna charitate avidius complectitur, benignius exciperet. Licuit eidem Sereniſſ. imperatori, ſi voluiſſet, civium veſtrorum pertinacia exigente, veſtram civitatem longa obſidione oppreſſam, fame ſupra modum laborantem, omnium humanarum ferme rerum auxilio deſtitutam, facile ſuperare, diripere & expugnare; Sed ſuæ imperialis celſitudinis bonitate, ac ejusdem ſanctiſſimi domini noſtri interceſſionibus delinitus, potius divino auxilio, quam humano conſilio ſui exercitus milites repreſſit atque continuit, vosque tandem ad cor reverſi, vos erraſſe fatentes, ſaniori conſilio ducti, ad capitula pacis & concordiæ cum ſua cæſarea majeſtate ac ſereniſſimo domino noſtro deveniſtis, illaque obſervare & adimplere promiſiſtis, & ad ea vos & civitatem veſtram obligaſtis. Et quia & in dictis capitulis inter alia cautum fuit, quod idem ſereniſſimus dn. imperator, intra certum tempus, modum & formam, quibus civitas ipſa in poſterum regi & gubernari deberet, declararet & ordinaret, ideo his & aliis rationibus, idem ſereniſſimus dn. imperator ad civitatis veſtræ ſuæ curæ commiſſæ pacificum & tranquillum ſtatum attendens, ſanctiſſimi domini noſtri contemplatione & intuitu, qui ſuam hanc patriam paterna charitate proſequitur & illius ſtatus, ac honoris & gloriæ incrementa ſummis deſiderat affectibus, pro indulgentia & remiſſione a cæſarea majeſtate eidem reipublicæ Florentinæ facienda, & ſæpius præſtita, per imperiale edictum ſive decretum, ſigillo ejus aureo, ut videtis, munitum, de ſuæ imperialis celſitudinis ſuprema autoritate & poteſtate declaravit, ſtatuit & ordinavit; illuſtriſſimam familiam de Medicis, & conſequenter illuſtriſſimum dominum Alexandrum Medicem ducem civitatis Pennæ, ex qua familia dux ipſe deſcendit, ipſius ſereniſſimi domini imperatoris generum dilectiſſimum ad gradum, ſtatum, honores, privilegia, immunitates & jurisdictiones, in privilegio contentas, etiam uti ante eorum ultimum diſceſſum erant, recipiendos & acceptandos, ac reſtitui, redintegrari, & plenarie reponi ac admitti debere, juxta tenorem ipſius privilegii & indulti. Itemque idem illuſtriſſimus dominus Alexander dux, ſit, & eſſe debeat primus, caput & præpoſitus in regimine dictæ civitatis, & in quolibet officio & magiſtratu ejusdem, ad illa regenda, & gubernanda, & alias prout, & ſicut alias per legem municipalem dictæ civitatis ſancitum & ordinatum fuit. Item, quum idem ſereniſſimus dominus imperator omnia & ſingula privilegia, indulta, gratias & conceſſiones, per ſuos prædeceſſores, divos imperatores, Florentinæ civitati & ejus illuſtri dominio conceſſa & facta, ac conceſſas & factas, ex ſua mea liberalitate confirmavit, atque de novo conceſſit, mandavit, juſſit & voluit, præmiſſa ſic per eum declarata & ordinata, inconcuſſa ſervari & adimpleri, atque nulli liceat ea infringere, vel eis auſu temerario contravenire ſub eorundem privilegiorum revocatione & aliis pœnis tunc expreſſis, ipſo facto incurrendis, prout latius hoc, & alia in publico documento dicti edicti ſive decreti, quod idem magnificus dominus orator in ſuis manibus tenebat, & eisdem magnificis dominis prioribus & vexillifero juſtitiæ, cæterisque magiſtratibus ibidem congregatis oſtendit, ac in manibus egregii viri domini Franciſci Campani, primi cancellariæ, dictæ comitis, tradidit, ac publice legi, ac intimari, illius formam fieri, & debitæ executioni mandari petiit, latius contineri dixit. Vide diploma cæſareum præcedens. Quibus ſic peractis, & dicto inſtrumento imperialis edicti ſive decreti, per dominum cancellarium publice lecto, & omnibus in eo contentis diligenter diſcuſſis & conſideratis, præſentes domini excellentiſſimi priores, & vexillifer juſtitiæ, communicato inter ſe conſilio, matura deliberatione præcedente, de eorum voluntate dominus Benedictus Buondelmontes Vexillifer juſtitiæ, nec non ipſius reipublicæ Florentinæ nomine, in hæc vel ſimilia verba reſpondit: Primum omnipotenti Deo gratias egit, aſſerens civitatem & populum Florentinum, qui ſemper cæſareæ majeſtati magnopere tribuit, ejusque nomen ſincera fide, devotione, affectu & religionis veneratione, ſemper coluit & colere intendit, obſervatam rempublicam, civitatem ejus cives e faucibus militum liberatos, pupillos & viduas defenſas, libertatem denique reſtitutam: & demum, ob regiminis gubernii caput ejusdem, illuſtriſſimum dominum Alexandrum Medicem, qui poſſit eorum infirmitatibus mederi datum, quicquid ingenio, labore, opibus, induſtria & potentia præſtare poſſit, eidem cæſareæ majeſtati perpetuum debere: dictumque decretum, ordinationem, & declarationem, & cæſaris edictum, gratanter, nomine totius civitatis recipiendo, eundem illuſtriſſimum dominum Alexandrum ibidem præſentem, ac illuſtriſſimam Mediceorum familiam in particulari, ac univerſali, ad gradum, ſtatum, honores & privilegia, immunitates & jurisdictiones in privilegio contentas, & in quibus ante eorum ultimum diſceſſum erant, accepit, reſtituit, reintegravit, & plenarie repoſuit: ipſumque illuſtriſſimum dominum Alexandrum ducem, & ejusdem ſereniſſimi domini imperatoris generum in primarium dictæ civitatis, ejusdemque regiminis, & gubernii, ac omnium ac ſingulorum officiorum, & magiſtratuum dictæ civitatis caput, præpoſitum, & directorem acceptavit, & il-

18. Cumprimis vero digna memoratu & expenſione ſunt, quæ Jovius ille narrat de cæſareo diplomate, quo reſpublica in futurum fuit tunc ordinata, & Mediceæ familiæ principatui ſubjecta, ſimul addens, quemadmodum diploma illud Florentiæ exceptum, & ad illam formulam

,,lum nomine totius civitatis, & populi Florentini pro tali, & ut talem perpetuo tenere, habere, colere, & obſ[e]rvare velle aſſeruit, & ita ab omnibus teneri & reputari mandavit, juxta continentiam, & tenorem dicti privilegii: promittens præfato illuſtriſſimo domino Alexandro præſenti, pro ſe ipſo, ac ejus hæredibus & ſucceſſoribus, & eidem magnifico domino Johanni Antonio Oratori præſenti, & pro dicta cæſarea majeſtate recipienti, prodicta omnia & ſingula, ac omnia in privilegio prodicto contenta perpetuo attendere & obſervare, & contra non facere, dicere, vel venire, per ſe, vel per alias ſubmiſſas perſonas, ſub quovis quæſito colore, & ſub pœnis & aliis cenſuris in dicto præ inſerto privilegio contentis, & ſub omni juris & facti renunciatione, ad hoc neceſſaria pariter cautela: Et dicti domini Vexilliferi ſermone completo, magn. XVI. Gonfalonerii ſocietatum populi Florentini, ... eorum reſpective locis aſſurgentes, & coram præfatis dominis, magnifico domino Oratore cæſareo & illuſtriſſimo duce Alexandro perſonaliter exiſtentibus, in unam & eandem animi ſententiam convenientes prædicta omnia & ſingula per dictum magnificum dominum Benedictum de Buondelmontibus, Vexilliferi præfate dicta, expoſita, narrata & promiſſa, nomine dictorum reſpective laudaverunt & approbaverunt, ac rata & grata perpetuo habere & tenere voluerunt, & velle dixerunt, & prædictum imperatorium edictum, ut præmittitur, publicatum & præinſertum & omnia contenta in illo, nemine diſſentiente approbaverunt & illud gratum, & ratum, & firmum ſe perpetuo habituros, nomine dictorum reſpective magiſtratuum, & dictæ reipublicæ Florentinæ promiſerunt & convenerunt: ac prædictum illuſtriſſimum ducem Alexandrum Medicem, ibidem præſentem, & omnia ſuper & infra ſcripta pro ſe, & poſteris ſuis juxta formam, & diſpoſitionem, producti imperialis edicti recipientem ut perpetuum caput primarium regiminis, & gubernii civitatis, & illius pacifici & quieti ſtatus, & præpoſitum omnium & ſingulorum magiſtratuum ejusdem, in omnibus, & per omnia juxta tenorem præinſerti privilegii receperunt, remiſerunt & acceptaverunt, promittentes, & ſolemni ſtipulatione convenientes, tam prædicto magnifico domino oratori cæſareo, quam domino illuſtriſſimo domino Alexandro de Medicis, & nobis notariis infra ſcriptis, ut profertur & pro omnibus, quorum intereſſe poterit, quomodolibet ſtipulantibus & acceptantibus, ſe perpetuo obſervaturos prædictum imperatorium edictum, & non venire contra illud quovis modo, ſub pœnis, & aliis in prædicto imperio edicto contentis, & non obitantibus his, quæ prædictus ſereniſſimus imperator in prædicto ſuo cæſaris edicto voluit non obſtare, de & ſuper quibus omnibus & ſingulis, tam prædictus illuſtriſſimus dominus Alexander Medices, nec non prædictus Vexillifer mandaverunt, & petierunt przſens fieri documentum, & inſtrumentum unum ſeu plura. Acta & celebrata fuerunt omnia, & ſingula ſcripta, in prædicto palatio, prædictorum magnificorum dominorum Florentinorum, & in ſala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis dominicæ 1531. indictione V. & die 6. menſis Aprilis P. ſereniſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, Clementis divina providentia P. P. VII. anno VIII, & præſente & aſſiſtente magna parte populi, nec non venerabilibus viris, domino Albizo . . . . de nobilibus, clerico Florentino. Ego Johannes Juliani de Durazinis, imperiali, apoſtolicaque autoritate notarius & ſcriba prædictorum excellentiſſimorum dominorum libertatis civitatis Florentinæ, præmiſſis omnibus, & ſingulis, quæ in præſenti, & in novem aliis ſemper procedentibus cartis in hoc libello, ſimul lectis, & meo ſigno interlineatis deſcripta ſunt, dum ſic agebantur, interfui, & agitari, ut ſcripſi, vidi & auſcultavi in ſuperſcripto loco, & demum demandato magnifici domini Vexilliferi juſtitiæ, & excellentiſſimorum dominorum, requiſitus una cum infra ſcriptis aliis cancellariis palatii, in præmiſſorum fidem, & robur, & teſtimonium, me ſubſcripſi, & ſignum meum conſuetum appoſui.

Veritati rei magis adhuc firmandæ omnino inſerviet diploma, quo Coſmus I. Florentiæ dux, a Carolo V. confirmatur, adjicere, eique alterum, quo Coſmus hic per conſilium 48. virorum, vi privilegii imperatorii, caput reipublicæ declaratur, ſubjungere: ,,Carolus quintus divina favente gratia Romanorum imperator Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniæ, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, inſularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum, ac Indiarum, & terræ firmæ, Maris Oceani &c. rex, archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgii, Lucemburgiæ, Geldriæ, Virtembergiæ &c. comes Hapsburgi, Flandriæ, Tirolis, Artetiæ & Burgundiæ, palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi & Zutphaniæ, landgravius Alſatiæ, marchio Bergoniæ & ſacri Romani imperii, princeps Sueviæ, dominus Phriſiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. ad perpetuam rei memoriam recognoſcimus, & notum facimus tenore præſentium univerſis &c. Ad alias rationes imperialis dignitatis & muneris noſtri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, hoc vel imprimis pertinere arbitramur, ut fidelium rebus ad otium & tranquillitatem redigendis, & confirmandis aſſidua cura & perenni ſtudio incumbamus, eorum præcipue, qui pro ſumma ſua erga nos, devotione & obſervantia a nobis omnia exſpectare, ſuæque dignitatis nedum aſſerendæ, verum etiam augendæ, & ſtabiliendæ, in nobis ſpem omnem ponere & poſſe, & velle, dignoſcuntur; Qua de re, cum excelſæ reipublicæ Florentinæ ſtatus aliquandiu, & præſertim poſt fata illuſtris quondam Alexandri de Medicis, ducis Pennæ, affinis noſtri, nonnihil fluctuari, atque periculo expoſitus, & ob id præſenti ope juvandus videretur, nos, qui nihil antiquius aut carius unquam habuimus, quam ejus ſtatus, cujus patrocinium jam olim ſuſceperamus, ad augmentum & exiſtimationem promovere, & rerum ipſius firmitati conſulere, etſi aliis maximis Chriſtianæ reipublicæ negotiis eramus impediti, nolumus tamen deeſſe, quin ad depellendum motus & pericula ipſi ſtatui & reipublicæ Florentinæ impendentia, & ad providendum ea, quæ optimæ illius adminiſtrationi congruere viderentur, omnem curam, operam & diligentiam noſtram converteremus. Itaque inter cæteros noſtros in Italia & pacis & belli miniſtros, illuſtri Johanni Ferdinando Manrique marchioni ab Aquilar, conſanguineo noſtro & magnifico fideli nobis dilecto Ferdinando a Silva, comiti a Cifuentes, conſiliariis & apud beatitudinem pontificis maximi oratoribus noſtris, dedimus in mandatis, ut uterque aut alter ipſorum noſtro nomine hanc provinciam ſuſciperet, atque ea omnia ageret, tractaret, faceret & exequeretur, quæ huic rei convenire, expedireque viderentur, quemadmodum ex ipſius mandati & facultatis noſtræ ſerie, inferius inferenda, quam hoc loco pro recitata haberi volumus, perſpicere eſt. Cumque alter ipſorum mandatariorum, videlicet præfatus comes a Cifuentes, inhærendo eisdem mandatis & decreto per nos alias pro illuſtri quondam duce Alexandro, & familia Medicea facto, virtute facultatis & auctoritatis ſibi a nobis traditæ, communis tranquillitatis & quietis præfatæ reipublicæ Florentinæ cauſa declaravit, magnificum noſtrum & imperii ſacri fidelem, dilectum Coſmum de Medicis, ut proximiorem ex ipſa familia Medicea, majoremque natu, & tam vigore memorati edicti ſeu privilegii noſtri & in ejus executione, quam ex decreto publico, vocatum ad ipſum primatum & caput gubernii & ſtatus reipublicæ Florentinæ addiſcendum fuiſſe, eundemque primatum ipſi Coſmo deberi hac lege, ut excluſo Laurentio nuncupato a Me-

lam omnia inſtituta fuerint. Quamvis enim nonnihil poſſint videri prolixiora; quoniam tamen ad hoc argumentum noſtrum unice pertinent, & clariſſime oſtendunt, ſola cæſarea auctoritate illum, qui hodie Florentiæ obtinet Mediceæ familiæ principatum, & cepiſſe & in univerſum niti, operæ facturi

,,dicis, qui ob parricidium in perſona præfati quondam
,,illuſtris Alexandri ducis, affinis ſui, perpetratum læſæ
,,majeſtatis reus factus, condemnatus, atque ipſo jure
,,expers omnis gratiæ declaratus fuerat, & ejusdem Lau-
,,rentii poſteris uti inhabilibus & legitime privatis, ipſe
,,Coſmus de Medicis durante ſua vita ſit, & eſſe debeat
,,prædictæ reipublicæ Florentinæ gubernii ſtatus, dominii
,,& regiminis caput & primarius, ac ſub ejus præcipua
,,cura & protectione ipſa civitas & reſpublica cum uni-
,,verſo ejus ſtatu & dominio regatur, manuteneatur & con-
,,ſervetur, quamdiu ipſe Coſmus ſuperſtes fuerit, eo autem
,,vita functo, ipſius filii hæredes & ſucceſſores ex ejus cor-
,,pore legitime deſcendentes maſculi, ita, ut tam ipſe Co-
,,ſmus, quam ejus ſucceſſores jam dicti, poſſint & valeant
,,ac debeant omnibus magiſtratibus intereſſe ac præeſſe, ut
,,primarii & caput omnium prædictorum magiſtratuum,
,,poſſitque ex gratia noſtra uti & frui ea omnia autoritate,
,,qua præfatus quo dam dux Alexander tempore ſui obitus
,,uti poterat & utebatur, in contrarium facientibus non
,,obſtantibus quibuscunque, & quemadmodum hæc
,,omnia in ipſa declaratione ſupradicti comitis mandata-
,,rii noſtri, in qua prædictum mandatum & edictum no-
,,ſtrum inſerta ſunt, diffuſius continentur, quorumque
,,omnium tenor ſequitur in hæc verba: Nos Ferdinan-
,,dus de Silva, Comes de Ciſuentes, magnus Vexillifer
,,Caſtellæ, Conſiliarius Cæſareus, & in hac cauſa per ſa-
,,cram cæſaream, catholicam & regiam majeſtatem ſpe-
,,cialiter delegatus, prout conſtat cæſareo privilegio, cu-
,,jus tenor talis eſt: Carolus quintus & quæ ſequuntur:
,,Nos cupientes virtute facultatis & autoritatis nobis a
,,cæſarea majeſtate conceſſæ, quieti & tranquilitati hujus
,,excelſæ civitatis & dominii Florentini proſpicere, ac
,,conſulere, quæ ob infra ſcriptum obitum ducis Alexan-
,,dri quaſi fluctuari videtur: declaramus mentem cæſa-
,,reæ majeſtatis fuiſſe, & eſſe, hanc excelſam rempub-
,,licam & protegere & fovere & quotidianis beneficiis &
,,gratiis ſemper afficere, & ab imminentibus procellis &
,,periculis illæſam ſervare, illuſtremque Mediceorum fa-
,,miliam, prout ſemper fecit, paterna caritate amplecti &
,,ſub ſua protectione fovere & conſervare. Cumq; ex pri-
,,vilegio conceſſo illuſtri duci Alexandro & Mediceorum
,,familiæ clare conſtet, quod poſt obitum ducis Alexandri
,,absq; filiis decedentis, proximior ex familia de Medicis ad
,,primatum & caput gubernii magiſtratuum omnium civi-
,,tatis Florentinæ vocetur, ad quod iniquitatis filius, Lau-
,,rentius de Medicis, parricida, ſi hujusmodi crimen læ-
,,ſæ majeſtatis non commiſiſſet, aſpirare potuiſſet, & ob
,,dictum crimen, & parricidium jure læſæ majeſtatis reus,
,,judicatus & condemnatus, ac ipſo jure privatus ab o-
,,mni gratia, declaratus exiſtit, ob quam cauſam prima-
,,tus prædictus ad illuſtrem Coſmum de Medicis ut pro-
,,ximiorem ex familia de Medicis, & majorem natu de-
,,volutus eſt, ac decreto publico & municipali edicto in
,,executionem dicti privilegii & juxta intentionem ſacræ
,,cæſareæ majeſtatis contentam in dicto privilegio ad pri-
,,matum & caput reipublicæ, ſtatus & gubernii Florentini
,,aſcitus fuit, cujus privilegii tenor dicitur eſſe talis: Caro-
,,lus quintus & quæ ſequuntur. Inhærentes nos dicto pri-
,,vilegio, cæſarea, qua fungimur, autoritate, dicimus & de-
,,claramus, primatum reipublicæ ſtatus & gubernii civita-
,,tis & dominii Florentini deberi illuſtri Coſmo de Medicis,
,,filio magnifici Johannis de Medicis, excluſis penitus dicto
,,Laurentio & ejus poſteris ut inhabilibus & incapacibus
,,& legitime privatis, quodque illuſtris Coſmus de Me-
,,dicis ſit atque eſſe debeat reipublicæ Florentinæ, guber-
,,nii, ſtatus atque dominii, & regiminis caput & prima-
,,rius, & ſub ejus præcipua cura & protectione ipſa civi-
,,tas & reſpublica cum univerſo ejus ſtatu & dominio re-
,,gatur, manuteneatur, & conſervetur, quamdiu præ-
,,fatus Coſmus vixerit, eoque e vivis ſublato ejus filii, hæ-
,,redes, & ſucceſſores, ex ſuo corpore legitime deſcen-
,,dentes maſculi, ita, ut tam præfatus Coſmus, quam ſui
,,ſucceſſores prædicti, poſſint & valeant, ac debeant in
,,omnibus magiſtratibus intereſſe & præeſſe ut primarius
,,& caput omnium prædictorum magiſtratuum, poſſitque
,,ex cæſaris gratia uti & frui ea omni autoritate, qua illu-
,,ſtris quondam Alexander tempore ejus obitus uti pote-
,,rat, & utebatur, in contrarium facientibus, non obſtan-
,,tibus quibuscunque, in quorum omnium fidem & teſti-
,,monium præmiſſorum, nos præfatus Ferdinandus de
,,Silva, Comes de Ciſuentes, nomine quo ſupra has pa-
,,tentes literas fieri juſſimus, manu noſtra firmatas, ſigil-
,,loque noſtro munitas, & ex noſtro Secretario roboratas.
,,Datum in civitate Florentina in domo & palatio illuſtris
,,familiæ de Medicis in parte inferiori in Camera noſtræ
,,ſolitæ reſidentiæ, die 12. menſis Junii anno a nativitate
,,domini 1537.

CONDE ALFERETZ.

,,Nos igitur omnia & ſingula per prædictum comitem a
,,Ciſuentes, mandatarium noſtrum, ut præmittitur,
,,noſtro nomine & autoritate in vim mandati, ac executio-
,,nem decreti ſeu privilegii noſtri, in beneficium publicæ
,,quietis prædictæ excelſæ reipublicæ Florentinæ, & pro
,,ornamento familiæ Mediceæ facta & declarata plenum ef-
,,fectum ſortiri cupientes; atque eo quidem magis, quod
,,id ipſum non ſolum præfatus Coſmus, verum etiam ipſa
,,reſpublica Florentina ſe gratum habere declarantes, per
,,ſuos ad nos oratores magnificos noſtros & imperii ſacri
,,fideles dilectos, Averardum Serriſtorum & Joannem Ban-
,,dinum a nobis ſuppliciter & cum omni ſtudio petierunt,
,,ut præmiſſa confirmare & ratificare dignaremur. Idcir-
,,co attentis præmiſſis, & tam ipſius reipublicæ ſtatus Flo-
,,rentini, quam ſupradicti Coſmi & familiæ Mediceæ cau-
,,ſa, quam una cum ipſa republica & ſtatu, paterno amo-
,,re & benevolentia proſequimur, ac non modo fovere
,,ac protegere, ſed etiam beneficiis augere & ornare ſem-
,,per cupimus; harum præſentium tenore, ex certa ſcien-
,,tia, non ducti errore aut improvidentia, ſed de omni-
,,bus prædictis bene edocti animoque deliberato ac ſano
,,& maturo, procerum noſtrorum & imperii ſacri fide-
,,lium, dilectorum accedente conſilio, prænarratam de-
,,clarationem, atque alia omnia & ſingula per ſæpe nomi-
,,natum comitem a Ciſuentes, mandatarium noſtrum, ut
,,præfertur, acta, geſta, & ſuperius enarrata, & inſerta
,,in omnibus ſuis punctis, clauſulis, ac articulis, parti-
,,bus & ſententiis, rata & grata habentes, approba-
,,mus, ratificamus, confirmamus & autorizamus de im-
,,perialis noſtræ poteſtatis plenitudine, & quatenus opus
,,eſt ea omnia de novo decernimus, declaramus & con-
,,ſtituimus, ac imperialis autoritatis & decreti noſtri ro-
,,bore & firmitate munimus; decernentes ea omnia &
,,ſingula valida & firma & perpetua eſſe & cenſeri & in-
,,tra extrave judicium, plenumque ſortiri effectum, ac
,,inviolabiliter obſervari debere. Promittentes in verbo
,,noſtro cæſareo & regio, nos quoque ea omnia & ſingu-
,,la inviolabiliter obſervaturos & non contraventuros ul-
,,lo ingenio, colore ſeu prætextu, omni dolo & fraude
,,ſemotis; ſupplentes etiam ex præfata noſtra vera ſcien-
,,tia & poteſtatis plenitudine omnes & quoscunque defe-
,,ctus tam juris, quam facti, & ſolennitatis, cujuscun-
,,que omiſſiones, qui quæve in præmiſſis quovis modo
,,interveniſſent, ſeu dici & allegari poſſent, non obſtan-
,,tibus quibuscunque legibus, ſtatutis, decretis, ordi-
,,nationibus, conſuetudinibus, privilegiis, conceſſioni-
,,bus, aut aliis in contrarium facientibus quibuscunque,
,,etiamſi talia forent, de quibus in præſentibus ſpecialis
,,mentio fieri deberet, nos enim eis omnibus & ſingulis,
,,ac ſi ſpecifice & de verbo ad verbum hic inſerta & ex-
,,preſſa eſſent, derogamus, & derogatum eſſe volumus,
,,& decernimus, & jubemus ſcientia, autoritate & pote-
,,ſtate ſupradictis, noſtra tamen & imperii ſuperioritate
,,& juribus ſemper ſalvis. Nulli ergo omnino homi-
,,num liceat has noſtras violare, aut eis quovis auſu te-
,,merario contraire, aut contra præmiſſa aut præmiſſorum,
,,aliquid, ſive intra ſive extra judicium facere aut veni-

 re,

facturi pretium videmur, ſi illa omnia huc adducamus. „Per hunc modum temperatæ ſeveritatis urbe pernicioſis civibus repurgata, advenere ab Auguſta Vindelicia decreti cæſarei diplomata, ſolennibus latæ membranæ codicillis perſcripta, obſignataque aureo ſigillo. Quibus cæſar diſerte

re, ſi quis autem ſecus attentare præſumſerit, noſtram & imperii ſacri indignationem graviſſimam, ac pœnam mille marcarum auri puri imperiali fiſco ſeu ærario noſtro irremiſſibiliter applicandam ſe noverit incurriſſe, harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & bullæ noſtræ aureæ appenſione munitarum. Datum in oppido noſtro Montiſoni, die ultima menſis Septembris, anno Domini quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, imperii noſtri decimo ſeptimo, & regnorum noſtrorum vigeſimo ſecundo.

Carolus V. Perenotus.

Ad mandatum cæſareæ & catholicæ majeſtatis proprium.

Jo. Obernburger.

Il Signr. Luoghotenente, & ſuoi Magſi. conſiglieri, inſieme ragunati, con li magn. capit. de conſiglio di XLVIII. inteſo la ſubita, & inopinata morte, del quondam illmo ſigr. duca Alexandro di Medici, & conſiderato per queſto la citta reſtar ſenza il capo, del ſuo gouerno e pero volendo, quanto piu preſto ſi puo, provedere a quel inconveniente, acchioche la citta, e ſuo dominio per queſto ne patiſca; e conſiderato le indulto, e privileggio della maëſta ceſarea, altra volta conceſſo a ſua Exza, inſino l'anno 1530. di eſſer capo del gouerno della citta ſucceſſivo e doppo la vita ſua, conceſſo ſimilmente a piu alteri della Illma famiglia de Medici, in detto indutto compreſi; evedendo, che in tal gouerno, manchando il præfato ſigr. duca ſenza figlioli legitimi, e non ci eſſendo indicio alcuno, che la ſigra duchezza ſia reſtata gravida, doveva in ſuo luogho ſuccedere ſecondo il tenore, di detto indulto e privileggio, Lorenzo di Pier Franceſco di Medici, come quello ch'e de piu proximi, & di maggior eta Ma per haver ſi luy tolto tal luogo, per eſſer intervenuto perſonalmente, alla morte del detto Illm. ſigr. duca; pero i preſati magnif. capit. del conſiglio di XLVIII. commedi ſopra, inſieme ragunati, per loro ſolenne partiti vinto ſecondo li ordini, & per ogni meglior modo, che ſepino e poterono, elegono e deputorono, in luogho del quondam preſato ſigr. duce Aleſſandro, il illmo ſignor Coſimo, figliolo del magnf. ſignor Giovanni di Medici come piu proſſimo, per capo & primario del governo della cita di Fiorenza, e ſuoi dominii, dichiarando ch'el habbia la medeſima autorita preeminentia, & podeſtà, conceſſa li per detto indulto, e privileggio de la maëſta ceſarea, in tutto & per tutto, con espreſſa riſervatione, che ſi quondam ſignora ducheſſa foſſe gravida e parturiſſi figlio maſchio, che in tal caſo habbia a ſeguitare l'ordine del indulto predetto di ſua maëſta, e ſimilmente quella encora, che per alteri proviſione fatte qui, della citta piu volte, al preſato ſignor duca Aleſſandro de Medici fu conceſſa, con quelle non di manco limitationi, e dichiarationi, che per tutto il giorno di domani, che ſaranno a di dieci del preſente meſe di genaro, ſaranno ordinati, e fatti, e vinte per partito, delli magnif. infra ſcritti Otto capitanei, coiè, --- equali, il preſato conſiglio di 48. elegono e deputorono, con autorita piemiſſima a fare, & ordinare le dette dichiarationi, e tutto quello che intorno accio pareſſi loro neceſſario, per ſalute della citta, e ſuo governo, baſtando l'approbatione colla mettà delle ſavenere.

Quo facto Benedictus Bandelmontius juſtitiæ vexillifer cum ſenatu & cunctis civitatis ordinibus, ſe leges imperatoris ſervaturos promiſerunt, promiſſumque illud juramento corroboratum eſſe, auctorum ſuadent teſtimonia. JOVIUS *lib. 2. tom. XIX. hiſtor. ſui temporis pag. 402.* SCIPIONE AMMIRATO *lib. XXXI. p. 418.* HAHN. *p. 34.* Et quid juris inde Florentinis accreſcere potuiſſet, ſi juramentum omiſſum eſſet. Equidem illis ut ſubditis obſequii gloria relicta, nec promiſſi nec feudi eſſentia juramentum requirit. Quam ſolida etiam Florentinorum ſubjectionis, qua imperio adſtricti ſunt, in hiſce documentis contineantur argumenta, nihilominus adverſæ cauſæ patroni nihil inexpertum reliquerunt, quo veritati vim inferre poſſent. Dicunt, & aliis quoque quam ſubditis privilegia dari; ſed reſpondetur, talia privilegia non concernunt jura ſingularia ad terras, in quibus habitant, ſpectantia. Ea enim nemo, niſi territorii dominus vel imperium aliquod ſuperius in illud habens, dare poteſt. *Memoires de la liberté de Florence p. 24.* Quod autem privilegia, quæ Florentinis confirmantur, talia ſint, quæ ad ipſum Florentinum ſpectent territorium, præter alia argumenta, ex eo liquet, quod ſi quis peregrinis privilegia in ſuis confert aut confirmat terris, quænam illa ſint, & in quibus terris concedentis obtinere debeant, addi ſoleat. Imo Florentini nunquam probare poterunt, majoribus ſuis in Germanico ſolo, vel etiam in Italiæ regno extra Hetruriæ ducatum a cæſaribus talia conceſſa eſſe privilegia. Pergunt, fidem & devotionem, cujus in diplomate mentio fit, non eſſe hic nexus ſubditi vel vaſalli ſignum; cum nullum adſit ſubjectum capax, in quo hoc ſignificare queat, neque protectionem, ut notiſſimum, inferre ſuperioritatem aut juriſdictionem; verum & fidem & devotionem ſubditis incumbentem & protectionem ex ſuperioritate profluentem hic deſignari formulæ in diplomate cæſareo occurrentes clariſſime indicant ſequentes: *Atque noſtram & imperii Romani autoritatem contemnere præſumſit; ad noſtram imperiique devotionem veniret; ut nos ejus regimen, gubernium & ſtatum arbitrio noſtro diſponeremus atque ordinaremus; omnibus privilegiis, quæ a majoribus noſtris Romanis imperatoribus ac regibus & ſacro Romano imperio majores ſui obtinuerunt de univerſoque ejus dominio atque ſtatu, tanquam ad nos & Romanum imperium devoluto arbitrio noſtro diſponere nobis jure licuiſſet; de noſtra imperialis poteſtatis plenitudine eidem reipublica Florentiæ, quicquid in his omnibus ſupradictis & alias quomodocunque contra nos & Romanum imperium commiſit, tenore præſentium remittimus, eamque in noſtram & imperii Romani gratiam recipimus; cum autem ad perpetuam hujus reipublicæ Florentinæ libertatem, pacem, quietem & tranquillitatem utque in noſtra & Romani imperii devotione perpetuo maneat; noſtramque & Romani imperii dignitatem & autoritatem ut tenemus confirmare; ſtatuimus, decernimus & declaramus, volumus & jubemus; ut ſi quando dicta reſpublica Florentina hoc regimen modo, quo ſupra a nobis inſtitutum, violare aut invertere, aut ei quovis temerario auſu contraire audebit, tanquam nobis ac imperio Romano ingrata rebellis & inobediens ſuaque ſaluti, libertati, quieti, paci & tranquillitati contraria ſupraſcriptis noſtris remiſſione indulta & cetera privata & univerſum ejus dominium ad nos & ipſum Romanum imperium devolutum cenſeatur.* Quis tam ſtupidi eſſet ingenii, tantusque in rerum & verborum civilium notitia hoſpes, ut illas locutiones arbitro compromiſſario & ſimplici protectori convenire affirmet. Hiſce argumentis GUNDLINGIUS *p. 116.* ex VARCHIO alia addit argumenta, nimirum, quod urbem antea rebellem ingredienti Carolo, Alexander claves ejus demiſſiſſimo obtulerit cultu, arcus triumphales inſcriptionibus, de fide & obſequio Florentinorum in cæſarem teſtantibus, exornatis exſtructi fuerint, & Carolus equo albo, ſummæ poteſtatis ſigno, in urbem vectus fuerit. Quod ad oblationem clavium attinet, ea etiam peregrinis principibus amicis fieri ſolet. Sic electori Bavariæ ex Gallia in ſuas terras reduci Argentorati claves urbis offerebantur, quod etiam regi Stanislao Landavium ingreſſuro factum eſt. Nec alia hujus rei in hiſtoria deerunt exempla. De equo albo ſcribere liceat, quæ habet AUCTOR *de l'entrevue de Charles IV. empereur & de Charles V. Roy de France, à Paris l'an 1378. & apenſement*, inquit, *le Roy de France le leur donna de celui poil* (morel) *qui eſt plus loing, & oppoſité du blanc, pource qui es coutumes de l'empire: les empereurs ont accoutumed entrer ès bonnes villes de leur empire, & qui ſont de leur ſeigneurie ſur cheval blanc, ſi ne vouloit pas le Roy, qu'en ſon royaume le feit ainſi,*

„diſerte explicabat, ſe idcirco ab Hiſpania veniſſe in Italiam, ut ſublatis bellis certam atque opti-
„mam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, partaque cum omnibus, qui-
„buscum antea armis contendiſſet, concordia, ſacrum bellum contra barbaros Turcas indiceret,
„quo nihil ſibi antiquius atque nobilius vel Chriſtianis utilius fore exiſtimaret. Unos omnium
„vero repertos eſſe Florentinos, qui pacis & tranquillitatis nomen odiſſent, animos feroces iniquiſ-
„ſime retinerent, & cum privato tum publico commodo obſtinatius adverſarentur. Utpote qui
„antea rebelles animos induerint: Mediceam familiam, a qua privatim & publice commoda at-
„que ornamenta ingentia omnibus temporibus accepiſſent, patria pepulerint: oblitique prorſus
„beneficiorum, & immunitatum, quas ſuperiorum cæſarum indulgentia liberalitateque retuliſſent,
„ab ipſius demum autoritate deſciverint: ipſorum copias & duces adverſum ſe Neapolim miſe-
„rint: adventantique exercitui ſuo portas occluſerint. Quas multiplicis injuriæ contumelias
„quum pati non poſſet, & ſuæ dignitatis eſſe ſtatueret rebellem civitatem perdomare, coactum
„fuiſſe inferre arma: poſtquam tentata ſæpe concordia, atque æquiſſimis oblatis conditionibus,
„vel vitio temporum vel pertinacium quorundam civium malignitate corrupta, a pace ſe prorſus
„alienam oſtendiſſet, propterea que integrum fere annum obſederit. Se tamen quum armis fa-
„meque perdomitam jure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere poſſet: ni-
„hilo ſecius cæſareæ clementiæ nunquam oblitum, populi reſipiſcentis pœnitentia fuiſſe conten-
„tum: atque ipſam Pontificis maxime precibus adductum conſervare voluiſſe. Quum vero,
„ſicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipſius Auguſtæ poteſtatis imperatoriique arbitrii ſit
„leges condere & rempublicam ordinare, ideo optimum fore exiſtimabat, quod perpetuam civita-
„tis tranquillitatem reſpicere videatur, Mediceam familiam reduci, atque reſtitui in priſtinam di-
„gnitatem. Et quoniam præclare manifeſteque conſtat, in liberis civitatibus nunquam vigere
„concordiam propter diverſa diſſidentium facile civium ſtudia, easque improſpere ſemper atque
„infeliciter regi, niſi ſtabili perpetuoque reipublicæ capite gubernentur, declarat Alexandrum
„Medicem, quem ſibi generum aſciverit, reipublicæ caput: cujus ſinguli magiſtratus authorita-
„tem ſequantur: eaque dignitas ad liberos ejus legitimos pertineat: atque his deficientibus, ad
„proximiores Mediceæ ſtirpis totius ejus præeminentiæ & dignitatis jura devolvantur. Subinde-
„que cæſar cuncta veterum beneficiorum atque immunitatum privilegia, quæ alias promeruerint,
„ſincero affectu confirmat. Hæc ut perpetuo ſerventur, imperat, & his, qui violaverint decem
myria-

a fin qu' il ne peut etrè notè aucun ſigne de denomination. En ce tems & heure ſe partit le roy de ſon palais, monti ſur un grand palefroi blanc &c. Sed inſtant, imperatorem ab Alexandro fidem, quam vaſallus domino debet, non exegiſſe, nec eum de ducatu inveſtiiſſe; & cum deinde imperatorii miniſtri monuerint, ut fiduciarium ſuſciperet vinculum, potius Neapoli, ubi cæſarem futurum ſocerum ſalutaverat, ſe proripere, quam in id conſentire voluit. Deinde Coſmum ejus ſucceſſorem non eſſe conſtitutum, ſed a ſenatu Florentino electum, cæſarisque deinde adhibitam confirmationem, ut ejus protectione adverſus Strozzium, rebbellium caput, tutiores eſſent. Quod vero ad clientelare attinet vinculum, & ab illo Coſmum quoque conſtantiſſime abhorruiſſe, nec cæſarem in controverſia de proëdria cum Ferariæ duce ut judicem, ſed ut arbitrum admiſiſſe, atque cum Siena ipſi in feudum ligium daretur, expreſſe ſtipulatum eſſe, ne hoc aliis ſuis in præjudicium vergeret terris: MEMOIRES *de la liberté de Florence p. 27. ſeqq. Libertas Florentiæ civitatis p. 63. 64. 65.* SIGISMVNDVS FREIBERGERVS *part. 2. Germ. perturbata pag. 241.* VARCHI *lib. 14. hiſtor. Florentina* ADRIANI *p. 74. 75.*

Videbimus jam, quomodo novi hi Florentinorum ſeſe habeant arietes. Alexandrum de Etruriæ ducatu per frequentem aliquem modum non eſſe inveſtitum, naturæ feudi non officit: nec enim inveſtituræ ſymbolum de feudi eſſentia eſt. Imo licet ex feudi indole Florentia tum nihil plane habuerit, propterea tamen non ſequitur, igitur ab imperii obſequio libera fuit. Quod autem Alexander potius Neapoli ſine cæſaris diſcedere maluerit venia, quam ſuadentibus ejus miniſtris ſuſcipere vinculum, fabulam eſſe, GVNDLINGIVS docet. RABELESIO enim in *epiſtola ad Godefredum epiſcopum Malleacenſem* teſte, non deerant, qui de novo duce graviſſime conquererentur, & ſi ille voluntati huic cæſareæ obniti voluiſſet, haud dubie homo non niſi peſſimis moribus & corporis deformitate notabilis cæſaris gratia, ducatu & Margarethæ nuptiis excidiſſet. Alexandrum inſalutato Carolo Neapoli diſceſſiſſe, novum AVTORIS *libertatis civitatis Florentiæ*, commentum eſt, quod ex VARCHIO non hauſit. Quod autem Alexander, ſe ſub imperatore & imperio Germanico eſſe, palam profeſſus ſit, ex eo quoque conſtat, quod Florentiæ palatium, cui *Roqua* nomen ejusque portæ appingi curaverit aquilam cum lemmate; *qu' il ne tient, que l' empire.* Serius ducis Florentini titulo Alexandrum a cæſare mactatum eſſe, atque imperatorem ſub initium ab illius collatione abhorruiſſe, eique placuiſſe, ut ſenatus principis titulo contentus eſſet. JOVIVS *lib. XXIX.* GVICCIARDINVS *lib. XX.* ADRIANVS *lib. II.* CINIUS *lib. II.* ALDVS MANVCIVS *in vita Coſmi p. 55.* aliique ab HAHNIO *citati.* Impingit itaque CAVITELLVS *in annalibus Cremonenſibus* cum NARDIO ſtatuens, in Barcinonenſi tractatu jam conſtitutum, Alexandrum ducis Florent. axiomate exornatum iri.

Sublato deinde Alexandro Coſmus rerum Florentiæ potitus eſt, non ſenatus ſuffragiis, ſed voluntate cæſaris. Si enim hujus non adfuiſſet decretum, haud dubie Florentini Medicæos a rerum ſumma prorſus iterum excluſiſſent. Cumque imperata cæſaris, quid Alexandro a Laurentio cognato enecato facto opus eſſet, & quid ille circa ſucceſſionem recte curatum vellet, non addeſſent, ex tacito & præſuppoſito cæſaris mandato cardinali Cibo, Medicæorum cognato, quem ei carum eſſe non ignorabant, vicarium Etruſcarum terrarum regimen commiſerunt, uſque dum Carolo jubente, Coſmo ſummo proximum Florentinarum rerum datum ſit arbitrium. Videtur enim Laurentii frater Julianus ab Aquarum ſextiarum archiepiſcopatu ad ſeculum redire noluiſſe, cum nec Julii, Alexandro ex concubina nati, quicquid etiam Caniſianus ſenator in ejus moliretur favorem, nec Laurentii parricidæ ejusque poſterorum ex cæſaris voluntate aut ſenatus conſilio ulla haberetur ratio. JOVIVS *lib. 38.* MANNVCC. *in vita Coſmi p. 39.* ADRIANVS *lib. 1. p. 12. lib. 2. p. 75.* CINIVS *lib. 1. p. 19. lib. 2. p. 87. 100. Plenior aſſertio p. 32. 33.* Coſmi autem principatus ſeu primatus incertus & fluctuans fuit, nec ab eo ducis titulus adhibitus, donec a cæſare ille ſtabilitus & hujus ſumendi poteſtas data fuerit. JOVIVS *lib. 38. p. 174.* NATALIS COMES *lib. 26. 27.* SCIPIO AMMIRATO *lib. 32. lib. 35.* ADRIANI *lib. 1.* MANVCC. *in vita* COSMI *p. 74.* CINI *lib. 2. p. 87. 89.* Neque vero eodem tempore Coſmus urbis & ducalem nactus eſt dignitatem. Diploma enim Caroli, quod Dn. HAHNIO refert, ducalis dignitatis nullam injicit mentionem, ſed tantum memorat: *imperatoris & imperii fidelem dilectum Coſmum de Medices ut proximiorem ex ipſa familia Medicea, majoremque natu & tam vigore memorati edicti ſeu privi-*

„miriadum puri auri mulctam indicit. Hujus diplomatis ſententias, quæ latine præſcriptæ erant, „Italica locutus lingua, ut ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgavit Antonius Muſettola „Neapolitanus jureconſultus, qui tum cæſaris legati munere fungebatur: membranam explica„tam aureoque ſigillo & manu cæſaris ſubſcriptam ſæpe oſtendens, & legenda his, qui vellent, „libentiſſime præbens. Ipſo autem Muſettola perorante aſſurrexit dictator Benedictus Blontel„montes, qui nuper eductus fuerat e Volaterranæ turris carcere, in quem antea populares rele„gerant. Is juxta aſſidebat, hisque verbis reſpondit. Grata nobis atque lætiſſima erit hodiernæ „diei recordatio in omnem ævi poſteritatisque memoriam: quandoquidem præclaro magni nu„minis munere, & invictiſſimi cæſaris beneficio, optime conſtitutæ reipublicæ ac duraturæ tran„quillitatis initium auſpicamur. Quod igitur felix fauſtumque ſit Florentino populo, leges nobis „latas a cæſare, ad non dubium hujus recte atque apposite ordinati ſtatus incrementum ſuſcipio, „veneror que, ſervaturumque polliceor, ac pari ſtudio atque obſequio magiſtratus, cunctique ci„vitatis ordines, qui præſentes adſunt, ſuſcipient, atque optima fide ſervabunt. Tum vero ad „dictatorem, legatumque ſimul a dextris aſſidentem ſinguli magiſtratus viritim acceſſerunt, ta„ctoque diplomate, atque honoris cauſa inclinatis capitibus, quæ dixerat dictator, approbarunt. „Primi fuere decuriones, octoviri & decemviri, qui ab integritate judicis, famaque probitatis boni viri „vocantur. Ad hos tres Guelpharum partium duces defenſoresque, qui magiſtratus in urbe vetuſtiſ„ſimus habetur: itemque octoviri, qui belli & pacis negotio præſunt, ideoque practici nuncupantur. „Hos ſubſecuti ſunt octoviri, qui ſummam vitæ & necis habent poteſtatem. Cum his iere quinquevi„ri, qui ærario præſunt: itemque ſeptemviri, conſervatores legum appellati. Poſt hos triumviri „fiſco præpoſiti, & ſecundum hos mercaturæ ſextumviratus, & quartumviri urbis muniendæ cura„tores. Poſtremo duodecemviri, quibus ab initio ordinandæ reipublicæ munus fuerat deman„datum. Hic acceſſerunt ex Mediceorum amiciſſimis viginti & ſeptem primores. Ita ut univerſim „centum & viginti primatum civium numerum implerent.„

19. Hæc omnia Jovius. Guicciardinus notat, cæſareo illo diplomate Carolum *civitati omnia privilegia, alias a ſe atque aliis cæſaribus conceſſa reſtituiſſe, ſed ea lege, ut quotiescunque aliquid contra Medicea familia amplitudinem molirentur, ea privilegia amitterent.* Addit de ſuo ſed quaſi ægro animo: *In hac autem conſtitutione hujusmodi verba, quæ ipſorum jura non modo poteſtate ſibi a partibus conceſſa, verum*

legii noſtri & in ejus executione, quam ex decreto publico vocatum ad ipſum primatum & caput gubernii & ſtatus reipublicæ Florentinæ adſciſcendum fuiſſe, eundemque primatum ipſi Coſmo deberi hac lege, ut excluſo Laurentio appellato a Medicis, qui ob parricidium in perſona præfati quondam illuſtris Alexandri ducis affinis ſui perpetratum læſæ majeſtatis reus factus, condemnatus, atque ipſe jure expers omnis gratiæ declaratus fuerat & ejusdem Laurentii poſteris uti inhabilibus & legitime privatis ipſe Coſmus durante ſua vita ſit & eſſe debet prædictæ reipublicæ Florentinæ gubernii ſtatus dominii & regiminis caput & primarius... eo autem vita functo illius filii hæredes & ſucceſſores ex ejus corpore legitime deſcendentes maſculi. GVNDLING *p. 121. ſeqq.* LVNIG *C. J. D. tom. 1. p. 1171.* Eſſe tamen poteſt, quod *Cherubino Buonano* Icto & *Bernhardo Medicæo*, a Coſmo ad Carolum legatis, ſpes facta, fore, ut Coſmo illico etiam ducalis daretur dignitas. JO. BAPTISTA ADRIANI *lib. 1. p. 28. 75.* Sed quid etiam de tempore conceſſi Florentinorum huic capiti ducalis tituli ſtatuendum ſit, id certum eſt, eum non devictis & triumphatis hoſtibus, ut GRATIANVS *in vita Commendonii lib. 3. c. 8.* opinatur, ſed gratiæ cæſaris deberi. JOVIVS *lib. 38. p. 174.* NATALIS COMES *lib. 27. p. 588.* Quicquid itaque etiam ſtatuæ Coſmo poſitæ ſubſcriptum fuerit, id in tanta veritatis luce, ubi tot rerum & verborum teſtimonia in contrarium adſunt, attendi nequit. Ejusdem farinæ eſt, quod Eberhardus Serriſtorius & Bandinius Coſmi legati ad impetrandam cæſaream confirmationem miſſi ex principis ſui juſſu inveſtituram recuſaſſe dicantur. *Libertas Florentinæ civitatis p. 63.* Sed ſi hoc aliquid ex vero habet, dicendum, legatos imperialem repudiaſſe inveſtituram, non quod hoc ipſis a principe ſuo juſſum, ſed quia ipſam rogare vel recipere in mandatis non habebant. Quo ſpectant verba ADRIANI: *addit legatus, ſe nihil rogare juſſum, quam confirmationem eorum, quæ facta eſſent, & privilegiorum Alexandro conceſſorum.* Imo licet a Coſmo juſſus ſit eam non recipere, inde tamen non ſequitur, igitur Coſmus ab imperii nexu abſolutus fuit. Multa ſæpe fiunt, quæ nullo juris nituntur fundamento; deinde ſolennis ejusmodi inveſtitura, quæ in ducatibus adhiberi ſolebat, in Tuſcia hactenus uſu non erat recepta, a tali igitur ut innovatione quadam Coſmus alienus fuit, cum alias tot adſunt rerum & ſcriptorum veterum teſtimonia, ex quibus colligi poteſt, ipſum, ſe imperatori fidelitate & obſequio obnoxium eſſe, profeſſum fuiſſe. THVANVS *lib. 5.* BERGERI *vindicatio juris imperialis in magn. Tuſciæ ducatum §. 51.* Quod autem ad Senenſem inveſtituram attinet, quid in ea inter Philippum II. Hiſpaniæ regem & Coſmum actum, illud imperii juribus præjudicare nequit, & reſtrictio, quæ ibi adhibetur, ad Philippum, quod ſcilicet ille nihil dominii directi in aliis ducalibus ſibi tribuere debeat terris, ſpectat. In diplomate enim reperitur: *ſuper aliis vero ſtatibus & bonis dicti illuſtriſſimi ducis, ejusque ſucceſſorum nulla jurisdictio nullumque jus modo aliquo regiæ aut catholicæ majeſtati quæratur.* LVNIG. *C. J. D. p. 115.* Et licet in diplomate legendum: *aut cæſareæ majeſtati quæratur*, recte ſeſe habeant; attamen nihil inde imperii juribus decederet, quoniam nihil aliud involvunt, quam quod reliquæ ducis terræ non pro mediato imperii feudo, ac eſſet Siena, haberi deberent, nullumque inde cæſari aut regi novum quæri jus. Notæ ſunt ſuperfluæ ſæpe & non ſatis convenientes inſtrumentorum & diplomatum clauſulæ. Tandem quicquid etiam ſit, quod inveſtituræ illius diplomate contineatur, juribus imperii neutiquam inde præjudicari potuit. Ut ſileam, a nullo tradi ſcriptorum, Ferdinandum jam tum cæſarem circa Siennæ inveſtituram in Philippum quædam contuliſſe mandata.

(Ad pag. 332.)

Pauli Jovii) C. A. M. Florentiſſimus ſcriptor, ſi ſtilum videas & prudentiam. Vixit ſuperiori ſeculo in aula Clementis VII. & Leonis X. conductus hiſtoricus pontificius, alias præſtans arte medicus, præſtantior tamen hiſtoricus. Hic fuit Mediceæ familiæ addictiſſimus, ut nonnulla in eorum gratiam credatur finxiſſe. Is lib. 27. T. II. multa narrat de hac obſidione. GÖBEL. Sed multum etiam habet, quæ Florentinis graviter diſplicent. Unde JOANNES MICHAEL BRVTVS *in præfat. hiſtoriæ Florentinæ* in Nucerinum episcopum, cum popularium ſuorum libertati minus faveat, vehementius invehitur. Magni cæteroquin Tuſcos Jovium feciſſe, ex eo apparet, quod VARCHIVS inſignis eorum hiſtoricus, jubente Coſmo, opus ejus hiſtoricum, triginta annorum res geſtas complectens, in lucem ediderit. Imprimis ipſi vitio vertunt, quod in elogiis nimius; unde nonnulli ſuſpicantur, venalem hic ipſum habuiſſe pennam.

Google

rum etiam cæſarea auctoritate dignitateque niti oſtenderent, paſſim inſeruit. Teſtatur Thuanus l. 1. Alexandrum primum ducem *accuſatum a civibus apud cæſarem*, fruſtra tamen, *quod contra præſcriptum ab ipſo ordinem rempublicam adminiſtraret.*

20. Quibus omnibus probe expenſis haud ſane video, qui poſſit ullo amplius juris prætextu aſſeri, dominium antiquum cæſaribus obnoxium non eſſe. Eſto enim, fuerit Florentia in libertatem plenam extinctis cæſarum juribus antehac aſſerta, (quod probari tamen non poteſt:) utique a familia omnis Medicea & ipſi cives Florentini, faſſi ſunt excidiſſe Florentiam illo priſtino ſtatu, & cæſari licuiſſe rempublicam ex arbitrio ordinare, & nunc adeo pœnis obnoxios cives niſi præſcriptis a cæſare legibus pareant: faſſi imo ſunt, etiam olim non niſi ex cæſarum privilegio immunitatibus ornatos fuiſſe Florentinos, & quidem mutabili ob admiſſam culpam. Adhoc nemini non apparet, Mediceos novum illum principatum ſuum non urbi & civibus ſuis, ſed ſoli cæſari debere, atque auctoritate cæſarea cum Alexandrum tum omnes ſucceſſores Florentinis præeſſe.

21. Hæc quum ſint clariſſimæ veritatis, mirum ſane, ſtatim Alexandri ſucceſſorem Coſmum, *a pontifice creari ſe Magnum* (a) Hetruriæ ducem addita regali corona, paſſum anno MDLXIX. idque cauſſatum, *quod Florentina reſpublica ſui juris eſſet, neque ad imperium pertineret: adminiſtratio ipſius ex fœdere cum Carolo V. initio a Clemente VII. ordinata eſſet: Mediceos illius Principes ducum titulum a ſe non cæſarum auctoritate ſibi ſumpſiſſe:* ceu loquitur Thuanus l. 46. Sed bene eſt, quod illam ignominiam imperii juribus fieri, nequaquam permiſerit cæſar Maximilianus ſecundus, & ad meliorem ſententiam redierit Coſmi ſucceſſor Ferdinandus. Nam cæſar quidem primum ipſis ceremoniis illis pontificiis per oratores ſuos interceſſit: deinde lite Coſmo intentata ab Alphonſo Ferrarienſe duce, nihil motus vel pontificis legationibus vel proteſtatione Florentini, Coſmum *tanquam imperii beneficiarium* (verba ſunt Thuani l. 54.) *citavit ad dicendam cauſam*, (b) Coſmo judicio ſe ſiſtere coacto, eo eventu, quem his verbis narrat Thuanus l. 60. ad annum 1574.

Joannes

(a) *A pontifice creari ſe magnum*) GOEBEL. Antequam Coſmus Romam novi tituli impetrandi cauſa ſe converterat, illum a cæſare obtinere jam tum ſollicitus fuerat, quanquam non negaverim, Paulum IV. & Pium IV. primam rei præbuiſſe occaſionem. THVANVS *lib. XXVI.* NATALIS COMES *lib. XXI. p. 454. 455.* Varii ſunt, qui de auſibus Pii V. Coſmo magni ducis titulum cum regio diademate conferentis, tradiderunt. NATALIS COMES *l. 21. p. 455.* GRATIANVS *in vita* COMMENDONII *lib. 3. c. 8.* J. BAPTISTA CINI *p. 481.* MANVCCIVS *in vita Coſmi p. 156.* Factum illud juribus & prærogativis imperialibus admodum adverſans, cum in exemtionem ducis a nexu, quo imperio adſtrictus tenderet, imperator Maximilianus II. & imperium indigne admodum tulerunt, omniaque hac occaſione acta irrita & nulla ab imperatore declarata ſunt. THVANVS *lib. 44.* SIMON SCHARDIVS *de geſtis ſub Maximiliano II. p. 2443. Adriani lib. 21. p. 1520. 1521.* NATALIS COMES *lib. 26. p. 587.* Non dubito, quin cæſaris & imperii indignatio graviter inde aucta fuerit, quod fictitiæ cujuſdam & immodicæ Florentinæ libertatis, cujus vi Coſmus abſoluta gauderet poteſtate, nulliusque directo ſubeſſet dominio in bulla mentio facta; quondam & hæc ibi reperiatur adjecta clauſula: *Salva imperatoris & regum ſuperioritate, jurisdictione ac quibusvis juribus reſpective in locis mediate vel immediate eis ſubjectis.*

(b) *Citavit ad dicendam cauſam*) GOEBEL. Diverticula quidem hic Florentinæ cauſæ patroni quærunt, contendentes, Coſmum in illa de præcedentia controverſia, quam cum Alphonſo Feratiæ duce habebat, cæſarem non ut judicem, ſed ut arbitrum admittere voluiſſe. Id quidem largior, papam omnem moviſſe lapidem, ut imperator non judicis munere, ut par erat, fungeretur, ſed arbitri ſpeciem haberet, quod etiam papales Codicilli, quos Breve vocant, ad imperatorem dati involvebant: Verum abſit de Maximiliano II. ſaltim cogitaſſe, cum hic in ſuis & imperii juribus vindicandis negligentem fuiſſe. Contemtis namque technis pontificis Coſmum ut competens judex, ut coram judicio aulico tanquam ordinario tribunali compareret, & ad ea, quæ Ferarienſis prolaturus eſſet, reſponderet, verbis non arbitrum, ſed ſupremum judicem decentibus citavit. Atque Coſmus & filius Franciſcus, quem principatus conſortem ſibi junxerat, imperatoriis quidem obtemperarunt juſſis, conſtitueruntque perſonas, quæ ſuam Viennæ ſub Concini directione agerent cauſam: verumtamen aliquam de reſervatione Florentinæ libertatis mandato adjecerunt appendicem, quæ in ſano ſenſu intellecta nihil juribus imperii inimicum continet; quod ſi vero ad perverſum detorquetur, merito pro non adjecta habenda eſt. Confer. CINI *in vita Coſmi p. 456. 481.* ADRIANI *lib. 20. 22.* *Il imperadore*, inquit hic auctor p. 15. *mandò un decreto al grand duca citando lo o in perſona propria, o per legitimo procuratore frà tre meſi, per agitare la ſua cauſa.* Quid hæc domeſtici ſcriptoris verba aliud, quam juſſum ſuperioris in inferiorem, ſignificare poſſunt? Salva igitur omnino eſt THVANI, hiſtoricorum recentioris temporis facile principis, & qui eum in hoc ſequitur, magni CONRINGII fides & autoritas, quicquid etiam in contrarium Florentinæ cauſæ patroni obmoveant. Confugiunt hi ad WICQVEFORTII locum, quem *in legato lib. 1. p. 362.* habet: ſed hic nihil aliud refert, quam quod Coſmus, papæ inſtigationibus haud dubie audentior factus, litem illam proëdriæ non imperatoris judicio, ſed arbitrio permittere voluerit; addit tamen WICQVEFORTIVS *Maximilien l'en facha.* Adhibeamus hic interpretem nobilem dominum de BERGER, illuſtris magnique parentis veſtigiis preſſe inhærentem, qui *in vindiciis ſuis* ſequentia ex Maximiliani II. epiſtola anno 1570. ad Coſmum exarata & in archivo Vindobonenſi reperta tradit: *inſciis nobis utpote Romanorum imperatore, cui in Hetruriam ſuperioritatis jus competere, efficaciſſimis rationibus & quidem magna ex parte veteribus & recentibus inveſtituris probari poteſt, acceptare, ne dum quoad Florentiæ ſtatum noſtram illam ac ſacri imperii ſuperioritatem, jurisdictionem ac autoritatem non ſolum in dubium vocare, verum etiam inani quodam libertatis prætextu prorſus negare, vel certe abſurdum eſt, illud a dilectione tua negari, ſine quo nec prædeceſſoris ſui Alexandri erectio, nedum dilectionis tuæ vigore ejuſdem inſtitutionis ad ſe delata ſucceſſio valida eſſet atque ſubſiſteret - nobis ac ſacro imperio noſtra autoritas, præeminentia, dignitas & jurisdictio ſalva, integra & illæſa maneat, retractando ſcilicet ea, quæ ſic a ſanctitate ſua illegitimo modo inſtituta ſint.* Integras literas, in quibus imperator Coſmum vocat ſuum & imperii vaſallum, refert GVNDLING *p. 129. ſeqq.* & LVNIG *C. J. D. tom. 1. p. 1303.* Tantus profecto erat laudatiſſimus imperator in tuendis imperii juribus, ut nec Coſmi precibus locum dare & magni ducis axioma ipſi a pontifice collatum confirmare voluerit, quo & electorum tendebat conſilium. LVNIG *C. J. D. p. 1307.* Unde Franciſcus filius Coſmi, ut ab Italia belli arceretur moles, MAGNI DVCIS elogium ſibi ab imperatore conferri precatus eſt, votique, adjunctis nummis, compos factus. Conducet haud dubie tam reſcriptum Maximiliani II. quo conceſſionem tituli *magni ducis* Coſmo I. a pontifice factam irritam declarat, quam diploma ejuſdem imperatoris, quo Franciſcum magnum

Etru-

Etruriæ ducem creat, hic ſubjungere. Eſt autem primi documenti ſequens tenor: ,,Illuſtriſſime dux, affinis, & princeps chariſſime, cum nobis aliquoties per dilectionis tuæ oratorem in curia noſtra reſidentem, expoſitum fuerit, dilectionem tuam ſcire cupere, quid illam de prætenſa magni ducatus Hetruriæ inauguratione facere velimus, nos, etſi accepto præteritis mentibus ſanctiſſimi domini pontificis reſponſo, ad factam longo ante tempore coram ſanctitate ſua & reverendorum in Chriſto patrum S. R. E. cardinalium collegio inſinuationem proteſtationis noſtræ contra ejusmodi inaugurationem præteritis menſibus in arce noſtra regia Praga ſolemni modo interpoſitæ, ad ſanctitatem ſuam ea ſcripto referri curavimus, quæ noſtra & imperii ſacri neceſſitas, hoc loco expoſcere, viſa eſt, adeoque cum iſta, cum ſanctitate ſua, utpote a qua aſſerta illa inauguratio proficiſcitur, agere ſtatuerimus, nihilominus tamen ad prædicti dilectionis tuæ oratoris inſtantiam prætermittere noluimus, quin dilectioni quoque tuæ animi noſtri voluntatem benigne, ac eo candore, quo in hujusmodi, & quibuscunque aliis negotiis verſari conſuevimus, aperiremus. In primis igitur dilectioni tuæ illud in mentem vocandum occurrit, quod ſicut ſanctitati ejus nullo jure licuit tale quid de Hetruria ſtatuere atque diſponere, ſic certe dilectionem tuam, tanquam noſtrum, & imperii noſtri ſacri vaſallum, longe minus decuit, oblatam dilectioni tuæ novam illam dignitatem, (ſi tamen dignitas dici debet, quæ indigno modo ac nulliter fit,) inſciis nobis, utpote Romanorum imperatore, cui in Hetruriam ſuperioritatis jus competere, efficaciſſimis rationibus, & quidem magna ex parte veteribus, & recentibus inveſtituris probari poteſt, acceptare, nedum quoad Florentiæ ſtatum, noſtram illam ac ſacri imperii ſuperioritatem, jurisdictionem & autoritatem non ſolum in dubium vocare, verum etiam inani quodam libertatis prætextu prorſus negare. Nam cum fieri nequeat, quin dilectio tua memor ſit, quo pacto, & quas ob cauſas, divus quondam imperator Carolus quintus &c. dominus, patruus & ſocer noſter chariſſimus, auguſtæ memoriæ, poſtquam Florentiæ civitatem, quæ a majeſtatis ſuæ & ſacri imperii devotione deſciverat, longe obſidione cinctam ad deditionem adegiſſet, ac imperatoriæ poteſtatis plenitudine, & inter alia eam quoque ob rationem, quo deinceps in majeſtatis ſuæ, & ſacri imperii fide, & devotione perpetuo maneat &c. quondam ducem Alexandrum, reipublicæ illius Florentinæ gubernio præfecerit, eadem civitate in gratiam recepta, ac in ſpecialem majeſtatis ſuæ, & ſacri imperii protectionem, & ſalvaguardiam aſſumta, nec non confirmatis illius privilegiis, juribus, & exemtionibus, quæ a majeſtatis ſuæ anteceſſoribus Romanorum imperatoribus, & regibus, ac ſacro Romano imperio, antequam a devotione iſta recederet, obtinuerat; ac denique eadem ſuperioritate ſibi, ac ſacro imperio ita reſervata, ut ſi forſan reſpublica, ei inſtitutæ a majeſtate ſua regiminis formæ contraveniret, tanquam a majeſtate ſua & ſacro imperio rebellis, ingrata & inobediens, conceſſa ipſi remiſſione, indulto, confirmatione & privilegiis &c. privata, atque univerſum ejus dominium ad ſacrum Romanum imperium devolutum cenſeri, & eſſe debeat, &c. quæ quidem omnia ejusdem remiſſionis, inſtitutionis & creationis literis, expreſſis verbis continentur. Cum dilectio autem tua præfato duci Alexandro, eodem plene pacto ſucceſſerit, ſane dilectionem tuam, vel eorum omnium parum memorem fuiſſe credendum, vel certe abſurdum eſt, id a dilectione tua negari, ſine quo nec prædeceſſoris ſui, ducis Alexandri erectio, nedum dilectionis tuæ, vigore ejusdem inſtitutionis ad ſe delata ſucceſſio, valida eſſet, atque ſubſiſteret.

,,Quæ cum ſic ſe habeant, ac proinde nos dilectionis tuæ nulliter factam in magnum Hetruriæ ducem creationem, ac ſubſecutam paulo poſt coronationem, absque graviſſima a noſtræ cæſareæ, ac ſucceſſorum noſtrorum, ſacrique Romani imperii autoritatis, jurium, & præeminentiæ diminutione nulla omnino ratione ferre queamus, prædicto ſanctiſſimo domino pontifici hanc noſtram mentem, ſacrique adeo imperii neceſſitatem memorato ſcripto fuſius declaravimus: eundem obnixe rogantes, atque monentes, ut hac in re talia convenientia, opportuna & efficacia remedia providere velit, quo ſublato gravi iſto ac intolerabili præjudicio, nobis ac ſacro imperio, noſtra autoritas, præeminentia, dignitas, & jurisdictio, ſalva, integra & illæſa maneat: retractando ſcilicet ea, quæ ſic a ſanctitate ſua illegitimo modo inſtituta ſint. Et quia dilectio tua ex iis omnibus ſatis intelligit, id, quod dilectionem tuam ſcire cupere ejusdem orator aliquoties nobis retulit, de dilectione tua ſic nobis plane pollicemur, dilectionem tuam ſe huic animi noſtri declarationi, ut quæ ipſa æquitate nititur accommodaturam, ac non ſolum ſanctitatis ſuæ retractioni ſe facile ſubmiſſuram, verum etiam, ubi forte ſanctitas ſua in eo ſe difficiliorem exhiberi velit eidem ſanctitati ſuæ, ut noſtris monitis locum faciat, ſuaſorem fore: vel ſaltem ipſam & dilectionem tuam novo illo prætenſi magni ducatus titulo, & nomine, quæque præterea eidem adhærent, ſe ultro prorſus abdicaturam eſſe, quo ſic negotio iſto, in priſtinum ſtatum reſtituto, diverſarum diſſenſionum, ſcandalorum, & turbarum, quæ hac ex re facile oriri poſſent, præſcindatur occaſio, quod uti dilectionem tuam facturam eſſe omnino confidimus, ſic dilectioni tuæ certo perſuaſum cupimus, nos in aliis omnibus, quæ, citra noſtræ ac ſacri imperii, jurium & autoritatis præjudicium, & deminutionem fieri poſſunt, dilectionis tuæ, ac ejusdem filii illuſtriſſimi Florentiæ principis, ſororii & principis noſtri chariſſimi, dignitati & commodis promovendis, pro ſingulari & benevolentiæ & propenſionis ſtudio, quo utramque complectimur, nusquam eſſe defuturas. Quod ſupereſt, dilectionem tuam diu recte feliciterque valere, optamus. Datum in oppido noſtro imperiali, Dunckelſpuhl 26. Dec. 1570.

Secundum vero hæc continet:

,,Maximilianus ſecundus &c. Ad perpetuam rei memoriam, recognoſcimus harum ſerie literarum, ac univerſis & ſingulis notum facimus, quemadmodum unicus ille parens rerum, ac mundi opifex, cum mortale hominum genus cœleſti civitate donat, id ipſum non promiſcue quidem, neque citra delectum facit, ſed ut vel virtus, vel officia uniuscujusque expoſcunt, & merentur, in feliciſſimas quemque divorum claſſes & ordines digerit, atque collocat, alterumque alteri præfert, ſi noſtrarum quoque partium eſſe plane cognoſcimus, terreſtre hoc nobis concreditum imperium ad cœleſte illud quam ſimillime referre, noſtraque & ſacri Romani imperii beneficia, inſignia & honores, pro uniuscujusque dignitate, & meritis, diſtribuere, ac impertiri. Quo ſane diligenter reſpexerunt olim divi prædeceſſores noſtri, Romanorum imperatores, & reges, omni cura adhibita, ne ſuum a bene meritis officium deſiderari paterentur, quod intelligerent illud ad ſuſtinendam, amplificandamque gloriam & exiſtimationem ſuam maxime pertinere. Hinc eſt, quod præclariſſimo more ab iisdem divis imperatoribus, majoribus noſtris accepto, nihil antiquius, nihil charius unquam habuerimus, quam principes, de cæſarea majeſtate noſtra, ſacro imperio, inclytaque domo noſtra Auſtriaca, ac tota denique republica Chriſtiana optime meritos, maximorum honorum præmiis proſequi, & ornare, ut intelligant virtutes, egregia facta, excellentiaque merita nobis eſſe chariſſima, ac tum ipſi, eorumque deſcendentes & poſteri, ad virtutem, ac de nobis, ſacro imperio, inclytaque domo noſtro Auſtriaca, bene merendum magis etiam excitentur, tum alii etiam ad eadem ſtudia ſectanda alliciantur & inflammentur. Ejus vero benignæ ac piæ mentis noſtræ declarandæ, amplam & idoneam nacti ſumus occaſionem, in exornando illuſtriſſimo Franciſco Medices, reipublicæ Florentiæ, & Senarum duce tertio. Quum quidem

ducis titulum, Coſmo & Franciſco, qui ſororem ipſius in matrimonio habebat, ſuccenſentem, miſſus, tandem obti-

,,tum propter animi ſui egregias excellentiſſimas virtutes,
,,generisque ac familiæ Mediceæ, ex qua in utraque re-
,,publica, tam eccleſiaſtica quam politica, multi inſignes,
,,præſtantiſſimique heroës prodiere, nobilitatem, tum
,,luculenta & utilia obſequia tam nobis, quam anteceſ-
,,ſoribus noſtris Romanorum imperatoribus & regibus,
,,ac præmemoratæ inclytæ domui noſtræ Auſtriacæ
,,hactenus præſtita, nec non maxima in univerſam rem-
,,publicam Chriſtianam merita, plurimi ſemper fecimus,
,,& ſingulari benevolentiæ affectione proſecuti ſumus,
,,adeo quod in ſingularis ac vere ſinceri amoris, clemen-
,,tiæ & benignitatis noſtræ teſtimonium, affinitatem ſe-
,,cum inivimus, & utramque familiam eo vinculi gene-
,,re, quod idem eſt omnium arctiſſimum atque ſanctiſ-
,,ſimum, aſtrinximus, ipſumque in ſororium noſtrum
,,cooptavimus. Cum igitur eundem ducem Franciſcum,
,,cujus in nos ſacrumque Romanum imperium, præcla-
,,ræ, propenſæque voluntatis ſtudium, nec non in admi-
,,niſtranda, moderandaque juſtitia, ac ſubditis ſuis re-
,,cte, feliciterque regendis ſingularis religio, virtus at-
,,que prudentia, nobis jam diu perſpecta, cognitaque
,,eſt, dignum omnino cenſeamus, quem una cum ſuc-
,,ceſſoribus ſuis, illuſtriori quodam dignitatis & honoris
,,loco collocemus, ſicque inſigne aliquod noſtræ in di-
,,lectionem ſuam propenſiſſimæ voluntatis documentum
,,poſteris relinquamus, atque inſuper, præter memora-
,,ta, ipſius ducis Franciſci obſequia, virtutes, atque me-
,,rita, generis item nobilitatem, atque ſplendorem, ac
,,arctiſſimæ affinitatis neceſſitudinem animo clementiſſi-
,,mo repetamus, quæ nobiſcum ab aliquot annis per il-
,,luſtrem Coſmum Medicem, (cujus etiam in divos quon-
,,dam imperatores, Carolum quintum, & Ferdinandum,
,,dominos, patruum, ſocerum & genitorem noſtros cha-
,,riſſimos, auguſtiſſimæ memoriæ, ac nos ipſos, inſi-
,,gnium meritorum grata apud nos extat memoria,)
,,eoque poſtea defuncto, per ipſum filium & ſucceſſo-
,,rem ſuum præfatum Franciſcum Medicem duces, de
,,magno Hetruriæ ducatu acta ſunt, omnibusque tum
,,ſacri Romani imperii principibus electoribus in matu-
,,ram deliberationem deductis, tam ſupra memoratis,
,,quam aliis juſtis, & rationabilibus cauſis impulſi, mo-
,,tu proprio, ex certa ſcientia noſtra animo bene delibe-
,,rato ac ſano, noſtrorum & ſacri imperii fidelium ac-
,,cedente conſilio ea, qua fungimur cæſarea autoritate,
,,ac de noſtræ imperialis poteſtatis plenitudine, in no-
,,mine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, a quo omnis
,,principatus, & honor promanat, eundem illuſtrem Fran-
,,ciſcum Medicem ducem, ejusque deſcendentes in infi-
,,nitum, maſculos legitimos & naturales, ac illis defi-
,,cientibus, vel non extantibus, proximiores maſculos
,,ex Medicea familia, in perpetuum, ut ſupra, omnes tamen
,,ſucceſſuros ordine ac jure primogenii, in magnos duces
,,Hetruriæ, eorum locorum, quæ ibidem ipſe dux Franciſc9
,,poſſidet, ſeu ad eum pertinent, & ipſam provinciam reſpe-
,,ctive ad propriam dignitatem, nomen & titulum magni
,,ducatus re ipſa & cum effectu eveximus, exaltavimus, ſu-
,,blimavimus, & amplificavimus: ipſumque ducem Fran-
,,ciſcum, ad dictos ſucceſſores ſuos, ejusdem provin-
,,ciæ Hetruriæ magnos duces vere creavimus, fecimus,
,,conſtituimus, extulimus, & declaravimus, aliorum-
,,que, cujuſvis provinciæ magnorum ducum nomero,
,,cœtui & conſortio realiter aggregavimus, in eorumque
,,ordinem, ac gradum pleno jure cooptavimus. Atque
,,inſuper omnia & ſingula privilegia, jura, indulta, di-
,,gnitates, libertates, honores, immunitates, titulos,
,,gradus, honorantias, facultates, autoritates, præemi-
,,nentias, ac omnes & quascunque gratias, quibus alii,
,,vere & proprie provinciarum magni duces, & princi-
,,pes, quavis dignitate præfulgentes, ac quacunque po-
,,teſtate fungentes, de jure vel conſuetudine utuntur,
,,potiuntur & gaudent, ſeu uti, frui, potiri & gaudere
,,poſſunt, & debent, & in futurum quomodolibet po-
,,terunt, vel ſoliti fuerint, illis perfecte tribuimus, de-
,,dimus, tradidimus, atque conceſſimus, prout per præ-
,,ſentes eadem ſcientia & autoritate erigimus, exaltamus,
,,ſublimamus, amplificamus, creamus, facimus, aggre-
,,gamus, cooptamus, damus, concedimus, tradimus,
,,& cum effectu ampliſſime tribuimus, decernentes, &
,,hoc noſtro cæſareo edicto firmiſſime ſtatuentes, ut poſt-
,,hac perpetuis futuris temporibus dicta provincia Hetru-
,,riæ, una cum ſuis civitatibus, terris, caſtris, oppidis,
,,arcibus, fortalitiis, villis, locis, & juribus, ac univer-
,,ſis & ſingulis pertinentiis ab eodem illuſtriſſimo duce
,,Franciſco poſſeſſis, ſeu ad eum quomodolibet perti-
,,nentibus, pro vero magno ducatu habeatur, teneatur,
,,reputetur, tractetur, & ſic idemque magnus dux Fran-
,,ciſcus, ejuſque præfati deſcendentes, & poſteri, in ma-
,,gno iſto ducatu ſucceſſuri, ordine & modo, qui dictus
,,eſt, ab hac hora in perpetuum ſint, inſcribantur, di-
,,cantur, appellentur & nominentur, magni duces Hetru-
,,riæ, ac ut alii cujuscunque provinciæ magni duces ho-
,,norentur, tractentur, & reputentur, ab omnibus & ſin-
,,gulis, cujuscunque gradus, ſtatus, ordinis, conditionis,
,,& dignitatis extiterint, tam in ſcriptis, quam viva vo-
,,ce, aut alias quotiescunque, & quomodolibet illorum
,,mentio erit facienda, aut eorum ratio habenda fuerit,
,,omnibus & ſingulis prænarratis privilegiis, titulis, ho-
,,noribus, libertatibus, gratiis, & effectibus, tam de ju-
,,re, quam ex conſuetudine, in genere, vel in ſpecie ipſis
,,magnis ducibus competentibus in ſeſſionibus, cele-
,,britatibus, pompis, ceremoniis, & actibus, publicis
,,vel privatis, in quibuscunque locis ubique terrarum,
,,etiamſi aliqui alii magni duces, ſimilesque principes,
,,ut ſupra præſentes fuerint, uti, frui & gaudere poſſint,
,,& debeant, non quidem ad illorum inſtar, & ſimilitu-
,,dinem, ſed pariformiter, vere, proprie & absque ulla
,,prorſus differentia, non obſtantibus quibuscunque con-
,,ſtitutionibus, legibus, ordinationibus imperialibus, ac
,,provinciarum, civitatum, & locorum quorumlibet ſta-
,,tutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirma-
,,tione imperiali, vel quavis firmitate alia roboratis:
,,privilegiis quoque, indultis, & diplomatibus imperia-
,,libus, quibusvis perſonis, etiam ducibus, forſan im-
,,periali, aut quavis alia autoritate conceſſum ſit, quod
,,privilegiis, favoribus, præeminentiis & gratiis, ad in-
,,ſtar magnorum ducum, perinde, ac ſi ipſi magni du-
,,ces realiter, & cum effectu eſſent, uti & gaudere poſ-
,,ſint, in genere vel in ſpecie, ſub quibuscunque teno-
,,ribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogato-
,,riis, & quantumcunque efficaciſſimis clauſulis, & de-
,,cretis, quomodolibet conceſſis, confirmatis vel inno-
,,vatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque
,,tenoribus ſpecialis, expreſſa, individua, ac de ver-
,,bo ad verbum mentio ſeu quævis alia expreſſio haben-
,,da, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet,
,,eorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter
,,expreſſis habentes (illis alias in ſuo robore permanſu-
,,ris) hac vice duntaxat, ad effectum præſentium, ſpe-
,,cialiter & expreſſe derogamus, totaliterque & latiſſime
,,derogatum eſſe volumus, & decernimus: cæteris con-
,,trariis quibuscunque non obſtantibus, ſupplentes ex
,,eadem poteſtatis plenitudine, & certa ſcientia, omnes
,,& ſingulos defectus, tam juris, quam facti, ſi qui for-
,,ſan in præmiſſis comperti fuerint.

,,Volumus tamen, quod hæc conceſſio minime debeat
,,præjudicare, juribus cujuscunque prætendentis domi-
,,nium, ſuper dictis locis, & ut porro ſalva ſit ſuperio-
,,ritas noſtra, ſacri imperii, ac cujuslibet alterius, ut-
,,que omnia & ſingula interpretentur in favorem dictæ
,,familiæ Mediceæ. Nulli ergo hominum liceat hanc no-
,,ſtræ erectionis, exaltationis, ſublimationis, amplifi-
,,cationis, creationis, diſpoſitionis, declarationis, con-
,,ceſſionis, decreti, voluntatis, derogationis, ſupple-
,,tionis & gratiæ paginam infringere, vel ei, quovis auſu
,,temerario, contraire: ſi quis autem id attentare præ-
,,ſumſerit, præter noſtram & imperii ſacri indignatio-
,,nem graviſſimam, poenam mille marcharum auri pu-
,,ri, pro dimidia fiſco, ſeu ærario noſtro imperiali, re-
,,liqua vero parte injuriam paſſis, irremiſſibiliter appli-
,,candam, ſe noverit ipſo facto incurriſſe, harum teſtimo-
,,nio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & bullæ no-
,,ſtræ aureæ appenſione munitarum.

obtinuit, ut hi Franciſco tituli TANQVAM IMPERII BENEFICIARIO confirmarentur, eaque de re amplisſimum

„Datum in civitate noſtra Viennæ, die vigeſima ſexta „Januarii, anno Domini milleſimo quingenteſimo „ſeptuageſimo ſexto, regnorum noſtrorum Romani „decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici „vigeſimo ſeptimo.

GVNDLING. *p. 134. ſeqq.* LVNIG. *p. 1307. 1310. ſeqq.* MASCOV. *append. p. 28. ſeqq.* Pro Florentinis & papæ auſibus verba facientes inde magni ducis & papæ juribus nihil decedere, ajunt, cum Franciſcus proteſtatione ſe muniverit, axioma magni ducis ſibi ab imperatore datum ei, quod patri ſuo Coſmo a pontifice conceſſum eſſet, derogare non debere. LVNIG. *l. c. p. 306.* Porro dicunt in diplomate recentiori de magni ducis dignitate Franciſco impertita, poteſtati ejus abſolutæ in terras Florentinas ſatis cautum, cum in eo omnes ſint omiſſæ clauſulæ diplomatum cæſareorum ad Alexandrum & Coſmum in civitatis Florentinæ capita ſucceſſive elevatorum ſpectantium, ex quibus aliquid immunitati & plenæ exemtioni ab imperii nexu, nec non juri proëdriæ novi magni ducis repugnans arceſſi poſſet. Provocat AVCTOR *libelli de libertate civitatis Florentiæ p. 70.* ad NATALEM COMITEM eumque memorare tradit, Joanne Baptiſta Concino Franciſci legato operam dante, duo cæſarea diplomata clauſulas tales referentia rejecta eſſe. Negari nequit, memoratum hiſtoricum *libr. 26. p. 588. 589.* de rejectis tribus cæſareis diplomatibus monuiſſe, atque quartum tandem, in quo omnes omnino clauſulæ juribus imperii faventes neglectæ eſſent, acceptatum fuiſſe. Idem addit, cæſarem nihil abnuere conſtituiſſe. Idem addit, cæſarem nihil abnuere conſtituiſſe, quo Franciſci auxiliis in rebus Polonicis, quibus implicatus erat, uti poſſet. Sed hic NATALIS, ut & in aliis quamplurimis hiſtoriæ ſuæ capitibus, dubia eſt fides: nec hactenus a Florentinis partibus addictis quartum illud diploma in authentica productum eſt forma. Et ſi tale adeſſet, ut ſub- & obreptitium merito rejiciendum eſſet, quoniam tertium illud a nobis ſupra appoſitum diploma, adjectam habens clauſulam: *volumus tamen, quod hæc conceſſio minime debeat præjudicare juribus cujuscunque prætendentis dominium ſuperdictis locis, & ut porro ſalva ſit SVPERIORITAS NOSTRA, SACRI IMPERII*, ſecundum illud, quod in Ratisbonenſibus comitiis 1575. ex collegii electoralis ſententia placuit, & a NATALI quoque recitatum, Vindobonæ 1576. efformatum fuit, hic norma eſſe debeat; a quo imperatori vi capitulationis ſuæ diſcedere non licuit. Cumque hic non eadem dati diplomatis ratio eſſet, quæ in decretis ab Alexandro & Coſmo impetratis locum habebat, eædem etiam clauſulæ hic adhiberi non potuerunt, atque ſic eo magis figmentum videtur, quod Natalis de omiſſis quibusdam formulis blaterat. Vid. AVCTOR *plen. aſſert. p. 51.* & HAHN *p. 54.* Nec officit juribus imperii, additamentum illud: *atque omnia & ſingula interpretentur in favorem dictæ familiæ Medicea*; illud enim ſecundum æquæ interpretationis regulas ad verba præcedentia eſt reſtringendum, quatenus ſcilicet inde ſuperioritati imperatoris & imperii non noceatur. Quod vero ad Franciſci proteſtationem attinet, illa ut clancularia & facto contraria nullum habere potuit juris effectum. Cui accedit, quod hæc proteſtatio ſolenni Vindobonenſi decreto ſit anterior. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1306. 1310.* Sunt, qui & id in commentitiæ Florentinorum libertatis argumentum detorquent, quod idem imperator Etruriæ ducis legato primum a Venetorum oratore in capella aſſignaverit locum. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1314.* Sed quid hoc ad imaginariam illam libertatem? Et electoribus præ liberis rebuspublicis & omnibus aliis, ſolis regibus exceptis, & Sabaudo, potiſſimum ut imperii vicario, præ Florentino magno duce cæſar jus proëdriæ addixit. PVFFEND. *rerum Brandenb. lib. 2. p. 17. 23. Capitulat. cæſar.* LVNIG. *l. c. p. 1314.* Quis inde colligeret, ab omni propterea, quo imperio tenebantur nexu, ſunt immunes. Cordi maxime eſſe imperio Germanico terrarum Italiæ conſervationem, ex eo quoque apparet, quod cæſarum capitulationibus a tempore Matthiæ expreſſe etiam inſeratur, quod imperator de inveſtigandis feudis imperii in Italia alienatis velit eſſe ſollicitus. *Capit. Caroli VI. art. X.* Imo & imperatores Maximilianum II. ſequentes, & verbis & actibus ſummum ſuum & imperii in Florentiam jus declarare non deſtiterunt. Miror, celeberr. PFEFFINGERO, viro de publico Germaniæ jure meritiſſimo, exprobrari, quod Florentinæ ſubjectionis argumentum, tributa anno 1692. Germanico ſoluta imperatori, alleget. Largior quidem GROTIO, ſolam ſummæ alicujus penſionem ſubjectionis vinculum non inducere; ſæpe enim victoris ira ſubſtantia quadam quotannis ſolvenda placatur, aut tutela potentioris cujusdam comparatur. Sed victi jugum non ſubeunt, & clientes ſubditorum nexum non induunt. Quodſi vero, ut hic, alia ſubjectionis occurrant argumenta, ad illa firmanda tributorum præſtatio maxime facit. Et quomodo a probationis onere ſe liberabit Florentinus cauſidicus, popularibus ſuis invitis nummos excuſſos eſſe. Si in largiori ſignificatione vocabulum *extorti* accipitur, Florentino, id factum eſſe, concedere poſſumus. Nam pauci ſunt ſubditorum, qui alacri tributa pendent animo. Quod vero addit, pecuniam illam non niſi de quibusdam terris Tuſciæ, magno duci parentibus & imperio fiduciario obnoxiis vinculo, ſolutam eſſe, & obinde ad cæſarei exercitus prætoris Caraffæ deſignationem, quæ in *Commentarii de Florentinorum libertate*, & in alterius etiam *libri fine* conſpicitur, provocat, id ei nulli poteſt eſſe commodo. Etenim notus philoſophorum canon, *unius poſitio non eſt alterius excluſio*; neque id, quod a Caraffa factum, imperii juribus detrahere poteſt, cum nullo ab eo, ut ex denominatis tantum terris tributa exigeret, mandato inſtructus fuerit, quale haud dubie, nec ab imperatore habuit. Majores tamen, quam ab hoc notatæ ſunt, ſummas exactas eſſe, cæſareorum commiſſariorum rationes & liquidationes abunde teſtantur. Efflagitavit quidem magnus dux, ne nimio tributorum onere opprimeretur, quando nova ea exigendi ſe præbuit occaſio, &, pecunia numerata, ſe proteſtatione munivit, atque de eo coram electorali collegio, Francofurti ad Carolum VI. eligendum congregato, graviter conqueſtus eſt. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1338.* Verum, ut verba AVTORIS *de libertate civitatis Florentiæ* in noſtros adhibeamus uſus, ille tantum, *ſe immodice gravari*, conteſtatus eſt. Eo ipſo ad moderata ſe teneri onera confeſſus eſt. Neque de eximendis ab hoc onere Florentinorum & Piſanorum terris monitum eſt. Clamores iſti, quibus electores fatigati ſunt, cum in militis cæſarei, Italiam ab imperii hoſtibus purgaturi, alimenta Florentinus quoque nummos pendere admoneretur, ſereniſſimo collegio *codicillos*, quos *interceſſionales* vocant, ad imperatorem expreſſit, ut in colligendis tributis modus adhiberetur; LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1337.* rem ipſam autem nec improbarunt, nec improbare potuerunt. Quid enim æquius, quam ab eis belli ſubſidia exigere, ad quorum vindicationem a peregrino jugo bellum geritur; atque tempore neceſſitatis feuda quoque & allodia ejusmodi ſubſunt oneri. Imo licet, quod a magno Tuſciæ duce præſtitum, honorarii vicem habuerit; id tamen, exemtam plane ab imperii obſequio Florentiam eſſe, indigitare nequit. Nam feuda a ſervitiis & allodia ab oneribus per privilegium immunia dari, in vulgus notum eſt, in quibus nec dominium directum, nec ſuprema poteſtas civilis deſinit. Vid. BERGER. *§. 72. & Plen. aſſert. p. 57.* Summa ſemper auguſtiſſimam Auſtriacam domum clementia & benignitas exornavit, non tamen per illam unquam ſe eo abripi paſſa eſt, ut imperii juribus aliquid inde decederet. Tametſi enim LEOPOLDVS magno Florentinorum duci Coſmo III. ejusque ſucceſſoribus honores, qui regiis capitibus in aula cæſarea exhibentur, anno 1691. largitus ſit, volueritque, ut magni ducis miniſtri regiis æquales a ſuis haberentur, tam in ſua aula, quam extra illam. LVNIG. *l. c. p. 1334.* nihilominus eodem anno terris Florentinis tributa, de quibus ſupra memoravi, imperavit. Alia documenta, Leopoldum virtute, pietate & rebus geſtis magnum, jurium imperii in Tuſciam aliaque Italiæ territoria curioſiſſi-

pliſſimum a caſare diploma impetravit. Quæ faciunt, ut nunc quidem amplius, de jure imperii in magnum illum ducatum, non liceat ſine aliqua ſive inſcitiæ ſive malitiæ nota dubitare.

22. Multo minus fas eſt *quempiam ambigere* (a) de MVTINÆ & REGII principatu. Sigonius l. 20. de regno Italiæ ſub finem, cum diſſeruiſſet de illa a Rudolpho urbibus Italiæ conceſſa libertate: *Triennio poſt*, inquit, *Opizo marchio Ateſtinus Mutinam & Regium ſibi, eodem permittente Rudolpho, ſubjecit.* Tradit idem *Joan. Baptiſta Pigna* (b) l. 3. hiſtoriæ Ateſtinæ. Ex quo diſcere etiam eſt: Anno MCCCXII. Franciſcum *Picum Mirandulanum* (c) ab Henrico VII. imperatore, vicarium Mutinæ eſſe conſtitutum, *ſic tamen, ut integrum urbis jus imperator ſibi reſervaret:* inde Paſſarinum & Butironem Boneculſium tyrannos *Mutinam* (d) invaſiſſe ad annum 1327. quadriennio poſt Manfredum pium a *Johanne, Bohemia rege*, (e) vicarium imperii conſtitutum principis nomine aſſumpto ab hoc urbem Opizoni ſecundo Ferrariæ marchioni conceſſam anno MCCCXXXVI. & in familiæ illius *Ateſtina* (f) ditione permanſiſſe, donec anno MDX. *Julius*

mum fuiſſe, apud FABRVM *in cancellaria imperii tom. VI. p.* 624. 627. ſeq. & LüNIG. *archiv. imper. tom. I. p.* 714. exſtant. Neque tantis teſtimoniis minimum quid demit ſchedula, a comite SINZENDORFIO ad electorem palatinum b. m. Guilielmum exarata, quæ extremum, *in commentario de Florentinorum libertate*, occupat locum; nam & ex ea ſatis liquet, imperatorem omnimode ſummo imperii in Florentinas terras juri inniti velle, neque pati, ut ad aliquem imperio ſuæque archiducali domui minus faventem perveniat. Porro ejusmodi ſchedulæ nonnunquam, re non ſatis penſitata, perſcriptæ imperii juribus nocere nequeunt. Denique paternis veſtigiis non ſolum glorioſiſſimus JOSEPHVS, ſed & CAROLVS VI. MAGNVS preſſe inhæſerunt. Mirum profecto eſt, in tanta actuum ſupremi juris in Tuſciæ ducatu exercitorum copia & continua ſerie, aliquos eo ferri cœco partium ſtudio, ut præſcriptionem urgeant. Nihil igitur ex iniquo trahit, quod in *quadruplicis fœderis*, Londini anno 1718. cæſare, Magno Britanno, Gallo & Hiſpano paciſcentibus, initi *artic. V.* & in *Viennenſis pacis* inter cæſarem & Hiſpanum factæ *artic. VI.* Hetruriam eſſe feudum imperii maſculinum, in gentium uſum, publicis conſignatum ſit tabulis.

(a) *Quempiam ambigere*) GöBEL. Sub Carolingorum & Germanicorum imperatorum poteſtate MODENAM & REGIVM jam olim fuiſſe, varia docent diplomata, cum antea Longobardorum paruerint regibus. Vide VGHELLI *tom. II. in epiſcop. Mutin.* qui *l. c. p. 91.* diploma habet, quo Carolus magnus, devicto Deſiderio, *Geminiano* Mutinenſi epiſcopo privilegia confirmavit. Adſunt etiam chartæ Ludovici pii, epiſcopo Mutinenſi *a Deo dato*, Ludovici II. *Hernido*, Vidonis *Leodoindo*, Lamberti & Berengarii *Gamenulpho*, & hujus Gothefredi, Ottonis I. *Vidoni*, Conradi II. *Varino*, Henrici II. *Hereberto*, Friderici I. *Hildebrando & Martino*, Friderici II. *Guilielmo e Sabaudia*, Honorii III. pontificis *vice-cancellario*, privilegia attribuentes aut confirmantes. *l. c. p. 91. ſeqq.* Nec minus Regii-Lepidi epiſcopi ab Italiæ regibus & cæſaribus privilegiis mactati ſunt. Apollinaris epiſcopus a Carolo M. Francorum & Longobardorum rege & patritio Romano, inſignia conſecutus eſt privilegia. VGHELLI *tom. II. p. 243. ſeqq.* Vitalis omnium privilegiorum confirmationem impetravit. VGHELLI *l. c. p.* 248. & Ludovicus II. Rotfredo dedit inſulam Suzariam juris regni Italici in comitatu Brixienſi. Aaron a Carolo craſſo privilegium conſecutus; Otto M. Regienſi eccleſiæ privilegium largitus eſt, cum Hermandum rectorem haberet. VGHELLI *tom. II. p.* 269. idque uxoris & *Adelberti incliti comitis Regienſis ſ. Mutinenſis* precibus dedit. Henricus quoque II. eam privilegio ornavit. VGHELLI *l. c. p.* 275. Sic & Lotharius ſe canonicis S. Mariæ Regienſis beneficum exhibuit, *l. c. p.* 288. Hujus imperatoris uxor Regiliza (Richiza) in urbe Rhegio jus dixit, *l. c. p.* 288. 289. Exſtat quoque Friderici II. privilegium, quo epiſcopi Nicolai Maltraverſi tempore ſibi in paucis chari, eccleſiam Regii Lepidi auxit. VGHELLI *tom. II. p.* 308.

(b) *Joan. Baptiſta Pigna*) GöBEL. Verba AVCTORIS *p.* 248. ſunt hæc: *Il marcheſe ritornato nel ſuo dominio con applauſo di tutta la Lombardia per le due fattioni riconciliate, fù creato ſignore de Modena &c.* Ex verbis Mutinenſis epiſcopi, quæ *l. c. p.* 248. 249. referuntur, colligitur, cives ſe ſua ſponte Obizoni Ateſtino permiſiſſe: verum *p.* 250. additur: *habbiamo fatta riſolutione con l'aſſentimento & conforto di ceſare, che ce n'ha data la permiſſione, di ricorrere a voi principe giuſtiſſimo, & chiedervi per noſtro ſoprano.* Conſtat tamen ex rerum geſtarum commentariis, & antea jam tum Modenam per Ateſtinos rectam fuiſſe. Vid. diploma in LVNIG. *Cod. J. D. tom. I. p.* 1522. Quis ignorat? terras has cum multis aliis Mathildi paruiſſe.

(c) *Picum Mirandulanum*) GöBEL. LEANDRO ALBERTI *fol. 350.*

(d) *Mutinam*) GöBEL. Hanc Guelforum ope anno 1319. in Paſſarini & Butrionis Bonacultii, Mantuani tyranni, poteſtatem veniſſe, tradit LEANDRO ALBERTI *l. c.* & AVCTOR *commentario de Mutino*, gallice conſcripto *p.* 116. Anno autem ab autore indicato Joannes XII. civitate hac potitus eſt, eamque a Paſſerini liberavit tyrannide. Cum pontificis copiæ admiſſæ fuerint, Mutinenſis populus cum pontificis pactus eſt legato, *in his omnibus & ſingulis ſalvum ſemper debere eſſe jus imperii*, & quod rector, quem papa pro Romana eccleſia urbi præficeret, non ſubſiſteret, niſi vacante imperio. Quamplurimæ enim Italiæ civitates ſibi a papa perſuaderi paſſæ erant, *Ludovicum Bavarum* non eſſe verum imperatorem. Atque ita, qui ibi tunc temporis ſummæ poteſtatis exerciti ſunt actus, non papæ ut tali, ſed ut imperii vicariatum affectanti, tribuendi ſunt.

(e) *Johanne Bohemiæ rege*) GöBEL. Hic ſub imperii generalis vicarii titulo, cum adhuc Ludovici partes ſequeretur, Italiam moderatus eſt, deinde ab eo alienatus, ut filio ſuo Carolo regnum procuraret, allaboravit. Manfredus autem, cui cum cognato Guidone Modena regenda data, *capitanei* primum, deinde *domini* titulo uſus, Joanne patriam repetente, ad Opizonem II. Ateſtinum, reſervatis ſibi Carpi & S. Felicis urbibus detulit. CORIO *parte terza dell' hiſtorie Milaneſe.* LEANDRO ALBERTI *l. c.*

(f) *Ateſtina*) *Conringii annotatio mſpta.* In Italia hodie antiquiſſima familia Longobardica dicta Ateſtina ſ. Eſtenſis. Hæc jam a quam multis ſeculis multa obtinuit bona, imprimis ducatum Ferrarenſem, feudum pontificium. Ex illa familia hodieque ſunt noſtri SERENISSIMI DVCES BRVNSVICO LVNEBVRGICI. Pervenerunt ex Italia in Bavariam, dein in haſce terras. GöBEL. Ab iſto prurito, illuſtrium gentium origines non niſi Romanis tribuere majoribus, plane propemodum eſt diſceſſum, & pauci haud dubie noſtro erunt ævo, qui PIGNAM ſequentes, ſereniſſimæ Ateſtinorum propagini natales tributuri ſunt Romanos. Non tamen e contrario aſſerere audeo, omnia, quæ de Lombardica proponuntur origine, ſatis certa eſſe. Genealogica tabula, quæ autore ECCARDO, Ateſtinos ex veterum Guelforum ſanguine repetit, usque ad ſeculum V. in *Welfo* ſive *Uulfo* Scyrorum principe aſcendit, ejusque gentis ſatorem aliquem a Catulo ſ. Welfo aut Bonifacio Alemanniæ duce deſcendentem marchionem Tuſciæ, unde Ateſtini derivantur, fuiſſe tradit. Conferantur quoque, quæ GAMVRRIVS *in deſcriptione familiarum Tuſciæ & Umbriæ*, & MVRATORIVS in præfat. tractatus *delle antichità eſtenſe & italiane*, habet. Sed tabula illa non una laborat lacuna. ALFONSVS LOSCHI primum ponit ſtipitem in Sigifredo, quem ad annum 903. refert, perſonasque aliter ponit & nominat, ac tabula

Julius II. (a) papa a ſe captam Maximiliano ceſſit: hunc vero illam quarto poſt anno Leoni X. papæ decem (*Guicciardinus* (b) l. 12. ſcribit *quadraginta* (c)) aureorum millibus pignori dediſſe, ſed

bula Eccardina, lineamque, quæ Bavariæ deinde præfuit, plane omittit: LEIBNITIVS *nella lettera ſu la conneſſione delle ſereniſſime caſe di Bronſuic & d'Eſte* prætermiſſis antiquioribus, primo loco agit de ALBERTO, qui & Azo & magnus marchio dicitur, Mathildi ducatrici, ut vocatur, coëtaneo. Quamobrem anteriora incerta putans, ab hoc tabulam domus Eſtenſis IMHOFIVS auſpicatur. Nonnulli Eſtenſes Malaſpinorum conſanguineos putant: Vide MARCHIONIS DE REFFVGE *epiſtolam* apud FELLERVM *p. 130.* quam ſententiam etiam marchio JVLIVS DEL POZZO *in memorabilibus comitis Mathildis* fovet. Nomen ab antiquiſſimo agri Patavini oppido & caſtro habere dicuntur, cui forte gens hæc præſedit, aut etiam ſub arctiori ſua habuit poteſtate. MONVMENTA PATAVINA *lib. 1. p. 3. lib. 3. p. 232.* ANONYM. RAVENN. *lib. 4. p. 205. lib. 5. p. 272.* Romanæ ſedis in cauſa Comaclenſi patroni, Eſtenſium majores civium Patavinorum numero fuiſſe, contendunt: Sed licet hoc aliquid ex vero trahat, natalibus illorum illuſtribus inde tamen non officitur. Haud dubie enim illo tempore Patavii mos viguit, qui hodie Venetiis obtinet, quo jus civitatis etiam perſonis maxime illuſtribus & sereniſſimis, qui illud aſpernari non ſolent, confertur. Vid. *Oſſervationi ſopra una lettera p. 64.* Sic & ſplendori eorum nihil propterea decedit, quod aliquando a Patavinis victi ſint. Quænam enim unquam gens tam proſpero rerum ſucceſſu eſt uſa, ut nunquam ab alio victa ſit. Conf. LEIBNIT. *introduct. tom. 2. ſcript. Brunſv. p. 7.* Sed quomodocunque hæc ſe habeant, id certum, nullam in Italia eſſe principem domum, quæ Ateſtinam antiquitate & rerum geſtarum gloria aut æquat aut ſaltim ſuperat. JOVIVS *de vita Alfonſi Ferar. duc.* SCARDEONIVS *in antiquitatibus Patavinis.* Non deſtituimur diplomatibus ſeculi X. & ſequentium, qui Eſtenſium, ut comitum & marchionum mentionem injiciunt. AZZO I. Sigefridi filius, in contractu, quem Ottonis I. & filii ejus regni ſocii tempore, anno nimirum 961. iniit, *comes Lucenſis* vocatur. Idem in diplomate de anno 966. quod permutationis contractum inter illum & abbatem monaſterii S. Benedicti complectitur, *comes Mutinenſis* appellatur. LüNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1518. ſeqq.* In diplomate Henrici II. de anno 1014. OTBERTVS marchio memoratur. LVNIG. *l. c. p. 1523.* In diplomate Conradi, Oberti filius VGO etiam marchio vocatur, LVNIG. *l. c. p. 1526.* Exſtat etiam diploma Henrici III. de anno 1055. quo AZO II. marchio, Henrici IV. de anno 1072. quo AZO III. marchionis nomine venit. Friderici I. diploma de anno 1182. habet: *cum omnes marchiones d'Eſte.* Hic imperator AZONEM IV. marchionem Eſtenſem de marchiis Genuæ & Mediolani inveſtivit. Henricus VI. OPIZONI marchioni Eſtenſi Rodigii ejusque comitatus poſſeſſionem anno 1191. reſtituit. Philippus Suevus anno 1207. AZONI V. Eſtenſi marchioni ejusque conjugi villas quasdam in epiſcopatu Vicentino ſitas in feudum dedit. LVNIG. *l. c. p. 1527. ſeqq.* ubi permulta alia adhuc reperiuntur documenta, in quibus Eſtenſes continuata ſerie *marchiones* nominantur. Aberrant igitur graviſſime advocati romani, quando negant, Eſtenſes ante tempus illud, quo Innocentius III. Azoni VI. (II.) marchiam Anconitanam anno 1208. in feudum dare auſus eſt, marchionum titulo uſos eſſe. Vid. MVRATOR. *in epiſtola ad LEIBNIT. tom. 3. ſcript. Brunſvic. p. 8. 9.* Habemus etiam diploma Ottonis IV. imperatoris, quo Azonem VI. marchionem Eſtenſem anno 1210. de marchia Anconitana inveſtivit. Unde apparet, id quod a papa contra jus factum, in imperatoris odium, a quo diſſentire cœperat, tetendiſſe, & ab imperatore plane improbatum eſſe. Sic & in diplomate Friderici II. quo AZONEM VII. (III.) anno 1221. de quibusdam inveſtit terris, non ſolum pater ejus *Azo*, ſed & avus *Obizo marchiones* dicuntur. Hujus atavus primam ſibi junxit uxorem CVNIGVNDAM, Guelforum in Germania hæredem, ex quo matrimonio natus GVELFVS, AVGVSTISSIMÆ BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM STIRPIS AVCTOR. Cuniza denata comitis Gallici Mainii filiam in uxorem duxit, quæ ipſi *Hugonem & Fulconem* peperit. HVGO comes Cenomanorum, vulgo de Manſo dictus, maternas in Gallia ditiones nactus eſt, ejusque poſteritas maſcula in nepote ejus MANFREDO deſiit. FVLCO maximam paternarum in Italia terrarum partem obtinuit, atque ab eo duces Mutini & regii originem trahunt. Vid. dictiſſimi FELLERI *hiſt. genealog. domus Brunſvic.* OSSERVAZIONI *ſopra una lettera p. 106. 107.*

(a) *Julius II.*) GöBEL. Uſque ad illa tempora marchionibus Eſtenſibus ſub imperii auſpiciis parebat. Sic Obizo III. teſte PRISCIANO, ſe vocavit: *Dei gratia Eſtenſem marchionem civitatis Mutinæ & diſtrictus ac totius Fregnoni dominus generalis.* Porro Carolus IV. anno 1354. 1361. & Sigiſmundus anno 1433. Eſtenſi domui confirmarunt: *Vicariatum civitatis noſtræ imperialis Mutinæ ac territorii & diœceſis & comitatus ipſius & ſpecialiter in juriſdictione & imperio, quæ ſeparatim ab eadem civitate, videlicet in Fregnone & Monteſio dignoſcimus obtinere.* LE DROIT *de l' empire p. 236.* Quod autem Julius II. Alphonſo bellum intulerit, eumque anathemate verberaverit, Modena rhegioque exuerit, variæ fingebantur cauſæ. 1) Quod nonnulla tenuerit loca, quæ Alexander VI. filiæ ſpuriæ in dotem collocaverat. 2) Ferarienſe tributum penderet diminutum. 3) In Pado novum inſtituiſſet vectigal. 4) In grave damnum ecclesiæ Romanæ, ut dominæ directæ, in comitatu Comaclenſi ſal coqui curaret. GVICCIARDINVS *lib. 10.* JOVIVS *in Alfonſo*, PALATIVS *in Julio II. p. 757.* DROITS *de l' empire ſur l' etat eccleſiaſtique c. 39.* Verum Alfonſus ſibi hæc omnia, utpote juribus regalibus gaudenti, licita eſſe, nec fiduciarium vinculum jura ſua imminuere poſſe, contendebat HIST. *de la ligue de Cambrai lib. 2. p. 147. 148.* Cumque in eum, ut Feloniæ reum & refractarium, fulminatricem anno 1510. ejaculaſſet bullam, arma quoque corripuit. Et ut Maximilianum arctiori ſibi jungeret amicitia, captam Modenæ urbem ipſi ceſſit, civesque, ut cæſari fidelitatis præſtarent juramentum, ſerio adhortatus eſt. TARCAGNOTA *parte 2. delle iſtorie del mondo p. 922.* HISTOIRE *de la ligue de Cambrai liv. 2. p. 161. 190.* LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p. 1663.*

(b) *Guicciardinus*) *C. A. M.* Florentinus patria, nobiliſſima familia natus. Is hiſtoriam ſcripſit omni antiquitati non ratione ſtili, ſed prudentiæ parem. Fuit generalis Commiſſarius exercitus Leonis X. papæ. GöBEL. Si recte memini, & alibi jam tum de hujus hiſtorici vita dictum eſt. *Philippi Decii & Caroli Ruini* Paduanorum juriſconſultorum auditor fuit, doctoris titulo in patria ornatus, prælegendorum deinde juris elementorum provinciam nactus eſt. Nec cauſas perorare omiſit. Publicis deinde adhibitus negotiis, pro popularibus ad Arragoniæ regem legati munus, cum nondum ætatem, ex patriæ legibus ad talem ſuſcipiendam ſpartam ſufficientem haberet, omnium ex voto egit. Redux ad Leonis X. miniſteria vocatus, regendis terris, imprimis Modenæ & Rhegii, præfuit. Quo munere & ſub Adriano functus eſt. Sub Clemente ſexto & hac fruitus eſt dignitate, usque dum ab hoc pontifice Romandiolæ ſumma cum auctoritate præſidere juſſus fuerit. Addidit Clemens *Franciſco* huic legati ſive *Locumtenentis generalis exercitus ſui* axioma, eumque poſtea Bononienſibus rectorem dedit. Clemente fatis functo, in patriam rediit, ubi privatus vixit; patriam tamen rempublicam ſub Alexandro duce, eoque obtruncato, ſub cardinale Cibo ad tempus Florentinorum res moderante, & ſub Coſmo duce conſiliis ſublevavit. Totus quidem Paulus III. in eo erat, ut tantis rebus exerciti viri operam ſibi addiceret; Sed Guicciardinus partim ob politicas rationes, partim, ut eo melius hiſtoriæ ſcribendæ vacare poſſet, ſe a novis præſulis Romani manu impertiendis dignitatibus excuſavit. Sed quanta etiam diligentia ad ſcribendum incumberet, perfecta tamen nondum hiſtoriæ tela, febri maligna annum agens 58. anno 1540. mortalibus ereptus eſt. Vide REMIGIVM *in vita ejus.*

(c) *Quadraginta*) GöBEL. LEANDRO ALBERTI *fol. 349.* ONVPHRIVS *in vita Leonis X.* ait, hunc papam a Maximiliano I. triginta aureorum millibus coëmiſſe,

ſed iterum ab Alfonſo Ateſtino illam recuperatam anno 1527. poſſeſſione per auctoritatem & ſententiam *Caroli V. caſaris confirmata*, (a) multum licet fremente Clemente VII. papa, & ex ſententia cæſaris oblatam a Ferrarienſe pecuniam repudiante. Per idem tempus Carolus cæſar *ſexcentis* (verba ſunt Guicciardini l. 20.) *auri libris a Ferrarienſium duce acceptis ei Carporum oppidum in perpetuum beneficium conceſſit.* Jovius in vita Alfonſi Ferrarienſis ita refert: *Alio quoque ingenti caſaris beneficio Alfonſus cumulate eſt auctus: nam Carpum oppidum*, (b) *de quo diuturna lite cum Alberto Pio contenderat, ei ceſſit legitimaque poſſeſſionis jura peramplis caſaris codicillis eſt conſecutus, quoniam Albertus Gallicis addictus partibus, propterea que majeſtatis reus factus, de jure totius fere decidiſſet. Ex hac benignitate centum millia aureorum nummum, honorarii muneris nomine, ab Alfonſo perſoluta ſunt, ut in ærarium caſaris pervenirent.* Hæc proinde imperialis juris oppida, cum Alfonſo II. *duce Ferrarienſe* (c) ſine liberis

---

(a) *Caroli V. caſaris confirmata*) GöBEL. LEANDRO ALBERTI *l. c.* Dominium directum in illas terras Carolus V. in epiſtola ad Clementem VII. anno 1526. perſcripta imperio egregie vindicat: GOLDASTI *ſtatut. & reſcripta imperialia p. 86. 87.* Siſtitque pontifici cum Ferariæ duce lites componere, a quo tamen ille abhorrebat. Ut autem Alphonſus recipiendis locis commodam nanciſceretur occaſionem, Borbonio, ut militem Romæ admoveret, præcipuus fuiſſe dicitur ſuaſor. Cumque miles cæſareus urbe potiretur, papamque captivum detineret, imperatoriarum copiarum auxilio Modenam recepit, atque poſtea pacis inter cæſarem & papam factæ tabulis inſertum, ut Clemens Alphonſum, quod hactenus denegaverat, de Feraria inveſtiret, & quod Alfonſus Modenam, Rhegium & Carpium ab imperatore nexu fidelitatis & homagii recognoſceret, excluſa plene ſede papali. MEMOIRES *de Modene p.* 117. *p. 408.* Sed cum nihilominus diſcordiæ inter papam Clementem & Alphonſum gliſcere pergerent, res, Carolo V. arbitro, Gandavi 1531. plene compoſita eſt. Vid. laudum apud LVNIGIVM *p.* 1663. *C. J. D. tom.* 1. In compendio, quid in eo deciſum ſit, MAVROCENVS *lib.* 4. *hiſtor. Venet.* ſequentibus edocet: *inter hac caſar, qui Gandavi in inferiori Germania erat, de Mutina atque Rhegio controverſias inter Clementem & Alphonſum Feraria ducem diremit; in Ferarienſis jura Mutina ac Rhegium concederent; is urbium loco centum aureorum millia pontifici ſolveret, quorum dimidia pars ſtatim iis receptis, altera vero ſex poſt exactis menſibus penderetur, quod ad Ferariam ſpectaret, cum antea centum cataphractis equitibus eccleſia, uti beneficiarius, ſi occaſio ac tempora tuliſſent, praſto eſſe deberet Ferarienſis: ſubſidium illud annua ſeptem aureorum millium penſione commutatum eſt, ea conditione, ut Ferarienſis ducatus privilegia Alphonſo duci a pontifice praſtarentur, vades ſolutionis, fide publica interpoſita, adſentiente ſenatu, undecim e patricia nobilitate cives Clementi prabuit.* Inſecuta deinde eſt transactio inter Paulum III. pontificem & Herculem II. Mantuæ ducem, quæ papæ 18000. aureorum, Herculi autem Ferariæ ducatus inveſtituræ ſpem conciliavit, atque liberatio ab anathematis vinculo & inveſtitura de dicto ducatu hanc anno 1533. exceperunt tranſactionem. Vid. diploma apud LVNIGIVM *C. J. D. tom.* 1. *p.* 1679.

(b) *Carpum oppidum*) GöBEL. Manfredus pius Opizoni Modenæ vicariatum ceſſit, reſervato ſibi Carporum terra & loco alio, qui S. Felix dicitur. Ex hujus poſteris Albertus pius Alphonſo in aula pontificis ſupplantavit, unde hujus in ſe excitavit iram, qui ipſum deinde jure, quo in Carporum territorio gaudebat, exuit, tandemque eo adactus fuit, ut patrium vertere ſolum & Lutetiæ Pariſiorum exulem agere coactus fuerit. Et inter literatos nomen profeſſus eſt, quoniam *in Eraſmi colloquia ſtricturas* conſcripſit. Sed ab hoc poſt mortem in Satyra, quæ *ſeraphina ſepultura* nomen habet, graviſſime ſugillatus eſt. *La ligue de Cambrai p. 241. 242.*

(c) *Duce Ferarienſe*) GöBEL. Ferariam imperio ſubfuiſſe, varia docent diplomata. Eccleſiam a Sabino exſtructam Ludovicus II. anno 869. privilegiis exornavit. VGHELLI *Ital. Sacr. tom. II. p. 532.* Nec minus Germanicos imperatores rerum in Ferarienſi potitos tractu, varia exſtant argumenta. Henricus II. anno 1014. Ferarienſis eccleſiæ canonicos ſua complexus eſt protectione. VGHELL. *l. c. p. 532.* Henricus III. eccleſiæ Ferarienſi ſub Rotlando epiſcopo bona ſua confirmavit & privilegia. VGHELLI *l. c. p. 533.* Porro ex annalibus conſtat, Ferariam a Mathilda & majoribus ejus, ſub imperii jure rectam, & cum inter eam & Henricum IV. lites exorirentur, munitam eſſe. Vide PIGNAM p. 104. & alibi paſſim. Memorat VGHELLI *l. c. p.* 592. monumentum aliquod, cui inſcriptum:

Hic jacet Eurilla, qua pocula prabuit Alma
Mathildi Domina, Ferrea, terra tua.

Cum deinde Friderici I. juſſa deſpicere auderet, ab Ottone comite palatino in ordinem redacta eſt. RADEVICVS *de geſtis Friderici lib.* 1. *c.* 45. Romanæ ſedi addicti, in Pipini & Caroli magni dono fuiſſe, quo illi Romanam affecerint eccleſiam, tradunt. *Buffier hiſtoria Francic. lib.* 4. *p.* 172. quanquam inter loca ab ANASTASIO *p.* 171. nominata non reperiatur, ut alibi dictum eſt. Et ponamus, doni partem conſtituiſſe, alio in loco tamen jam tum demonſtratum eſt, ſupremum imperio dominium in donationibus ejusmodi, earumque confirmationibus ſalvum fuiſſe. Contendunt quidem pontificis partibus ſtudentes, Eſtenſem domum vi Ferariæ principatum habuiſſe, & in teſtem vocant RICOBALDVM FERARIENSEM, qui *anno* 1297. *chronicon* conſcripſit. Sed monuit MVRATORIVS in tractatu ſæpius laudato, qui inſcribitur: *le droit de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique*, in codice Eſtenſi vocem *vi* non reperiri, nec in fragmento ejus, quod eſt *in collectaneis manuſcriptis* CASPARI SARDI. Ad Alphonſum urbem hanc nuptiis eſſe delatam, idem Ricobaldus docet; ait enim: *nam huic nupſerat marcheſella filia fratris Guilelmi de marcheſella viri optimi ſummatis.* Hic Guilielmus alio in loco a Ricobaldo vocatur *vir princeps in populo Ferarienſi.* Poteſt quidem eſſe, quod pro rationibus illorum temporum Ferariæ domini urbem papæ in aliquod obtulerint jus, quod ille ſat ample deinde interpretatus eſt, ut apparet ex mandato, quo Raynaldus & Obizo, urgente pontifice, anno 1328. 1331. Caſparinum de Stangiis & Albertinum de Bobus legatos ſuos, libere confitendi, Ferariam Romanæ eccleſiæ eſſe ſubjectam, inſtruxit. LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 1587. Duobus deinde annis & quod excurrit, poſt *Raynaldo, Obizoni & Nicolao* Eſtenſibus JOHANNES XXII. comitatus & ditionis Ferarienſis vicariatum contulit. Quæ collatio ab aliis eſt repetita pontificibus. Vid. *bulla Sixti IV. apud* LVNIG. *l. c. p.* 1647. Apparet ex hac charta, in cenſum annuum quinque millia florenorum auri cameræ apoſtolicæ ſolvi debuiſſe, quæ ſumma in bulla Alexandri VI. qua Herculem I. Ferariæ ducis titulo condecoravit, ad quinque mille florenos eſt redacta. LVNIG. *l. c. p.* 1655. Ducalem autem Ferariæ dignitatem jam tum antea PAVLVS II. Borſo Herculis I. fratri, quem Fridericus III. Mutini ducem fecit, conferre auſus erat. Cæterum quod ad canonem attinet, ille in renovatione collationis, Herculi II. & Alphonſo II. impertitæ, ſeptem millium ducatorum auri ſtatutus eſt. Præterea 18000. aureorum ad leniendam ſancti patris iram præſtari debuerunt. *Riſtretto delle ragioni, che la ſereniſſima caſa d'Eſte ha colla camera apoſtolica p.* 51. *ſeqq.* LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 1674. *ſeqq.* Poſtquam ſupremum obierat diem, Alphonſo II. cæſar Eſtenſis, Alphonſi I. ex Laura Euſtochia natus, uti in Rhegio & Mutino, ſic & in Ferara & Comatlo ſuccedere voluit. In prioribus quidem duabus regionibus Carporum oppido & aliis quibusdam locis, quæ immediate, ſub ſumma imperii erant poteſtate, acquirendis, & Maximiliani II. & Rudolphi II. placito, voti compos factus. Refert LVNIGIVS diploma Rudolphi II. *l. c. p.* 1705. qu Alphonſo II. facultatem ſibi hæredem in terris, imperio obnoxiis, ſcribendi dedit, quo factum, ut hic in illum eventum, ſi maſculæ prolis expers decederet, cæſarem hæredem ex aſſe inſtituerit. THVANVS *hiſtor. lib.* 23. Fecit

liberis anno 1597. mortua cætera Clemens IIX. papali ditioni reddidiſſet, *cæſari Eſtenſi* (†) ejusque poſteris

enim haud dubie ſpem Alphonſus, fore, ut cæſar imperatoris & principum quorundam Italiæ, de quorum foedere ſibi multa pollicebatur, ope ſubnixus, ea, quibus aula romana inhiabat, armis tueri poſſet. Cupidinem quidem dictæ aulæ, oblata non levi pecuniæ vi, ab illis avertere Alphonſus cogitavit, ſed operam perdidit. Occupaverat quidem cæſar, Alphonſo extincto Feraram, ſed eam deinde dereliquit, dubiam in ſe civium percipiens fidem & viribus pontificis ſe longe inferiorem eſſe ratus, cum fœdere Eſſenſi domo juncti nullas ſubmitterent copias, ob eam dubio procul rationem, ut a Vaticano immunes manerent fulmine, quo cæſar, Clemente octavo auctore, percuſſus eſt. LVNIGII *codex Ital. diplomat. tom. 1. p. 1713.* atque adactus, quo ab eo liberaretur, jure in ducatum Ferariæ decedere: verum ſe illa ceſſione, ut vi metuque extorta, non teneri, anno 1598. in publicum teſtatus eſt. LVNIG. *l. c. p. 1740.* Extſtant etiam apud eundem *p. 1745. ſeqq.* Alphonſi III. cæſaris filii & Franciſci illius nepotis hodierni ſereniſſimi ducis REINALDI patris contra illam ceſſionem proteſtationes. Potiores, quibus cæſaris jus innitebatur, rationes adducere, non incongruum erit. 1) Eſtenſem cæſarem ex gente, penes quam ab antiquo dominium Ferariæ fuerat, deſcendiſſe, 2) cum in bulla Alexandri VI. cui cardinalium collegium ſuffragatum eſt, nominatum, cum illud, quod in Sixti IV. bulla de ſucceſſione dictum, ad omnes ex Hercule deſcendentes extendat, 3) Alexandri VI. bullam Eſtenſibus Feraram non in feudum, ſed allodium, reſervato ſibi annuo cenſu, dediſſe, cum papa nec dominium directum, nec ſervitia ſibi reſervaverit, imo ipſi bullæ hæc addita ſint verba: *non obſtantibus &c. natura quoque & conſuetudine feudi*, 4) Pauli III. bullam Alexandri VI. bullæ non adverſari, cum juxta ejus tenorem Feraria in Eſtenſi domo manere deberet, usque dum tota extincta eſſet ſtirps, deinde Herculis II. facto, bullam Pauli III. recipientis, aliorum ex Hercule I. deſcendentium juri quæſito noceri non potuiſſe. 5) in Caroli V. laudo hæc haberi: *Et tenebitur prædictus dominus noſter ad dandum & concedendum antedicto Alphonſo pro ſe ſuisque hæredibus & ſucceſſoribus inveſtituram dicti ducatus Ferarienſis cum ſuis pertinentiis univerſis juxta formam ſolitam & conſuetam.* Eo tempore autem nulla Alexandri ſexti bulla recentior aderat. Quo & collineant, quæ in Adriani VI. ſunt capitulis, ubi de Alphonſo I. ſequentia traduntur: *ac ſui hæredes & ſucceſſores quicunque teneantur in recompenſam reductionis cenſus ad omnem requiſitionem S. D. N. papæ dare ſingulo anno, quo SS. ejusque ſucceſſores ipſum D. ducem ejusque ſucceſſores & hæredes requiſiverint; centum equeſtres armatos.* 6) Lauram Euſtochiam Alphonſo legitimo fuiſſe junctam matrimonio, & ſic legitimæ proli originem dediſſe, idque variis conſtare argumentis, quoniam a) de eo teſtes ſint LEANDRO ALBERTI *in deſcriptione Italiæ*, PAVLVS JOVIVS *in vita Alphonſi*, FRIDERICVS SCOTTVS *lib. 3. part. 2. conſil. 4.* MARCVS ANTONIVS GVARRINI *de eccleſiis Ferrariæ*, SANSOVINVS *de familiis illuſtribus*, JOANNES BAPTISTA CINTIVS GIRALDI *in lib. de Ferar. & Ateſt. principib.* ALEXANDER SARDI *in collect. notit. hiſtor. manuſc.* & licet aliqui auctorum eam in numero Alphonſi uxorum omiſerint, illud negativum tamen eſt argumentum, & nihil probat, nec OSSATII, THVANI aut aliorum recentiorum hic haberi poteſt ratio, cum pennam nimio affectu in Romanam ſedem infectam habuerint, aut ex errore vel ob aliam rationem ejus traditionem ſecuti ſint. b) Ex concubina Lauram per ſubſequens matrimonium legitimam factam Alphonſi uxorem, in communi fuit fama, ut & teſtes hac de re examinati ejus veritatem aſſeverarunt. c) Ferariæ pro Alphonſi I. conjuge habita, illaque ſe ut talem & deinde ut ejus viduam geſſit, d) in epiſtolis ſuis & mandatis in plurali locuta eſt numero, e) *illuſtriſſimæ & excellentiſſimæ* titulo, qui eo tempore non niſi principibus natis aut principum conjugibus impertiebatur, compellata eſt, ſeſeque Lauram d'Eſte vocavit; f) duo adſunt documenta de anno 1550. & 1551. in quorum uno hæc leguntur: *illuſtriſſima domina Laura Euſtochia, VXOR quondam illuſtriſſimi & excellentiſſimi ducis*; in altero ſequentia: *illuſtriſſima & excellentiſſima domina Laura Eſtenſis relicta quondam illuſtriſſimi & excellentiſſimi domini Alphonſi felicis memoriæ ducis Feraria*, g) nec obſtat, quod Lauræ in Alphonſi I. teſtamento, ut legitimæ ejus uxoris & liberorum, quos ex eo ſuſceperat, ut legitimæ prolis non ſit facta mentio, cum inter illud conditum & ducis mortem adhuc annus, ubi illam ſolenni ritu ſibi uxorem junxit, interceſſerit, h) ab Hercule II. in odium fratris Alphonſi, quem pater impenſe amaverat, nuptiale inſtrumentum eſt abolitum, i) quæ ab Alphonſo II. Romæ facta, ut agnatus cæſar aliquando Ferariæ impetraret poſſeſſionem, juribus cæſaris, cum de ejus non conſtet conſenſu, nocere nequit, præſertim cum illud non ex cauſæ diffidentia, ſed ut omnes quieſcerent motus, quos aula minabatur Romana, factum ſit. k) Conſtitutio papalis, qua per ſubſequens matrimonium legitimati a feudis excluduntur, cæſaris ejusque poſterorum juri quæſito nocere non potuit. Vid. plura *nel riſtretto delle ragioni &c. p. 16. ſeqq. & nell' oſſervazioni ſopra una lettera intitolata: il dominio temporale p. 119. ſeqq.* Erat autem & Comaclum illarum terrarum numero, quibus aula romana domum Eſtenſem exuit, quod eo magis mirum, cum Ferarienſis vicariatus nunquam conſtituerit partem. Cumque hoc ad controverſiam, quæ noſtro tempore recruduit multisque agitata eſt colloquiis & voluminibus, attineat, a noſtro non erit alienum propoſito, paulo latius hic in utriusque partis inquirere argumenta. Antequam Pipinus Italiæ exercitum ad refrenandos Longobardorum, papæ graviter inſultantium, conatus induceret, Comaclum Græcis & poſtea Longobardis, non autem ſedi Romanæ paruit. ACTA *convent. Rom. d. 27. auguſti & d. 9. octob. 1710. habiti §. 5.* Liberalem deinde ſe Pipinus ſedi romanæ, cujus tot tantisq; fatigabatur precibus, exhibiturus, in dono & *Comaclum* eſſe voluiſſe fertur. Provocant hic aulæ Romanæ addicti ad librum, qui ſub ANASTASII BIBLIOTHECARII nomine notus eſt, in quo inter cætera dona & Comaclum nominatur: verum Eſtenſis cauſæ patroni non male reſpondent, autorem illum non tradere, quod Comaclum in donatione, quæ a Pipino Stephano III. in Caroſiaco facta, fuerit; ſed quod Aiſtulphus, durante ſecunda obſidione papæ, civitatibus, quas in primo pacto Romanæ eccleſiæ permittere pollicitus, *Comaclum* addiderit, eum autem ex ſententia quoque papalem perorantium cauſam, tanquam uſurpatorem & tyrannum nihil donare potuiſſe; cum nullo juris titulo Græciæ imperatoribus illa detraxerit loca. Neque Pipinus id, quod juxta æquitatis regulas Græciæ imperatoribus reſtituendum erat, de quo monebat protoſpatharius imperatoris, ſedi pontificiæ valide donare potuit. CARDIN. SFONDRAT. *in Gallia vindicata p. 547.* VOLATERANVS *lib. 3. p. 39.* *OSSERVATIONI ſopra una lettera intitolata: il dominio temporale p. 2.* ACTA *convent. Rom. d. 27. Aug. §. 3. & d. 9. octob. §. 2.* Imo dubium eſt, quid per donum illud ad papam devolutum ſit, cum ex Adriani vita, quæ Stephano tribuitur, conſtet, in Cariſiaco dono & *Corſicam* fuiſſe, quæ tamen ad pontificem non eſt delata, nova vero illa donatio, quam Anaſtaſius in archivo Romanæ eccleſiæ ſervari dicit, non eſt viſa. Quod autem ad exarchatum attinet, ſub eo Comaclum non fuiſſe comprehenſum, inde apparet, quod *exarchatus* antiquis temporibus *non niſi ſex complecteretur urbes*, & Pipinus exarchatum donaverit, ut antiquitus erat. ACTA *convent. R. p. 34.* Nec hic prætermittendum, Comaclum & epiſcopatum & comitatum conſtituiſſe, atque ſic pro more illius temporis nec Ferariæ, nec alterius cujusdam ex vicinis urbibus partem fuiſſe. Nec ullibi Anaſtaſius dixit, Comaclum Ferariæ fuiſſe partem. Quod & Adrianus *epiſt. 51. & 54. codic. Carolini* fatetur, quando Comaclum Ferariæ aliisque urbibus contradiſtinguit. Hujus exemplum alii papæ in ſuis bullis & imperatores in ſuis diplomatibus ſecuti ſunt. LES DROITS *de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique c. 35.* Dicendum forte, Carolum M. in Romanam eccleſiam patre liberaliorem fuiſſe: verum illum præter Cariſiacam patris donationem, in qua Comacli non fit mentio, nihil papæ confirmaſſe, conſtat. Neque Comaclum eſt inter fines donatarum regionum, quas Anaſtaſius deſcribit, ut taceam, illo tempore Carolo quoque facultatem donandi defuiſſe,

poſteris a Maximiliano II. primum, deinde & a Rudolpho cæſaribus facta gratia, remanſerunt, ſed jure

cum jus in Italiam ipſi a Græciæ imperatoribus nondum eſſet ceſſum. PIETRA *comment. ad conſtit. apoſtol. conſtit. 7. Alexand. IV. F. 3.* ACTA *conv. Rom. p. 70. 71. 79. 139.* Pergunt, Fuldradus tamen Romam detulit diverſarum civitatum exarchatus *claves*, igitur & Comacli: Sed dictum jam tum, Comaclum eo tempore partem exarchatus non conſtituiſſe, *l. c. p.* 139. §. 4. Hinc non ſtringit argumentum AVCTORIS *epiſtola c. 9.* exarchatus reſtitutionem, vel potius donationem fuiſſe pleniſſimam. Vide *OSSERVAZIONI ſopra una lettera p.* 12. Ulterius objiciunt, Sergio archiepiſcopo Ravennatenſi Comaclum cum aliis exarchatus civitatibus a Stephano III. regendum datum; verum hoc ex epiſtola Adriani, quæ eſt 54. *in cod. Caroli*, probari non poſſe, docetur in *actis convent. Rom. p.* 35. Imo ex illa epiſtola potius contrarium elucet, quia in ea dicitur, Sergium in Comaclo & aliis civitatibus habuiſſe poteſtatem, quam Leo ipſius ſucceſſor affectavit; jam vero Leo jus, quo in Comaclo utebatur, non a ſede Romana, ſed a Carolo M. habebat. Atque hoc confirmat AGVELLVS *in archiepiſcopis Ravennatenſibus*, quem citant celeb. MVRATORIVS *in obſervation. p.* 15. & ABBAS ZACAGNIVS *in differt. hiſtoric. n. 5.* quando de Sergio memoriæ prodit, quod *judicaverit a finibus Pertia totam pentapolim & usque ad Tuſciam, usque ad menſam Vualani, velut exarchus, & diſpoſuerit ſuo modo omnia, ut ſoliti ſunt modo Romani.* Ad hujus exemplum Italiæ exarchi titulum ſumſit Leo, exarchatumque, nullius ibi pontificis admiſſis partibus, rexit. Adrianus quidem de eo coram Carolo conqueſtus eſt, miſitque Leo procuratorem in Galliam, qui ibi ſuas adverſus papam tueretur partes. Neque conſtat, archiepiſcopum cauſa lapſum; ſed potius contrarium ex eo patet, quod, teſte ROSSIO *in hiſtor.* ſucceſſores ejus titulum, qui vicarium imperatoris ſignificabat, cum adminiſtratione conjunctum adhibuerint. Refert RVBEVS *in hiſtoria Ravennatenſi lib. 5. p. 230.* diploma, quo Carolus magnus Gratioſo Ravennatenſi archiepiſcopo Comaclum cum aliis multis conceſſit civitatibus. Non autem Ravennatis videtur data niſi adminiſtratio, cum dominium penes Carolum maneret. RVBEVS *l. c. p.* 234. Apparet ex his omnibus, ſummum imperium in Comaclum totamque Italiam penes Carolum manſiſſe, ipſique ſalvam fuiſſe poteſtatem, & terras, quæ pontifici donatæ erant, aliis regendas concedere. *Oſſervationi p. 13.* Summi autem illius imperii plura in annalibus & veteris ævi monumentis exſtant veſtigia. Ravennatenſes querelas contra pontificem ad Carolum magnum deferebant; imo ipſe papa Carolum magnum imploravit, ut in invaſorem bonorum, quæ eccleſia Romana in exarchatu habebat, animadverteret. CODEX *Carol. epiſt. 75. 88.* verum imperator hic non favori in pontificem, ſed juſtitiæ cauſæ locum dedit. Urgent adhuc Adriani & Leonis VIII. literas, quas brevia vocant, in quibus comitatum Comaclenſem ſuum vocant comitatum: Sed ſcripturas illas ſubleſtæ eſſe fidei, docet AVTOR *obſervationum p. 73.* Non ſolum autem Carolus M. ſed & ſucceſſores ejus in exarchatum aliasque Italiæ terras, imo Romam ipſam ſuos ablegabant miſſos, qui recte curarent, quæ in regendis terris emendari debebant, judiciisque ibi præſiderent. ANNAL. *reg. Franc. ad annum 801.* CANGIVS *in gloſſario ſub voc. miſſus.* MABILLON *de re diplomatica p.* 17. CAPITVL. *reg. Franc. paſſim.* Et quanquam deinde Carolus Comaclum una cum reliquo Italiæ regno Pipino filio tradiderit, ſummum tamen penes ipſum in omnia Italiæ loca manſit imperium. ACTA *conventus II. d. 27. Auguſti 1710. §. 11. & d. 9. Octobr. §. 12. 13. 14.* Male autem pontificis cauſam agentes ad Ludovici pii diploma confugiunt; illud enim ſubleſtæ eſſe fidei, jam dudum a viris doctis probatum eſt. Sufficiat jam, perſpicaciſſimi PAGII verba *in critica BARONII ad annum 817. §. 7.* afferre. *Donatio*, inquit, *quæ a Gratiano dicitur facta eccleſiæ Romanæ a Ludovico pio, non minus commentitia eſt, quam quæ Conſtantino magno affingitur.* Porro nunquam ab aula Romana exemplar authenticum hujus diplomatis eſt productum; nec non in ſpurio illo diplomate ita confirmavit donationem avi & Caroli M. patris, *ut donata in ſuo ſuorumque ſucceſſorum permanerent jure & ditione.*

ACTA *convent. Rom. p. 38. 39.* 150. *OSSERVAZIONI ſopra una lettera p.* 19. Nec minus ſub ſequentibus Carolingicæ ſtirpis in Italia fuit regibus, tranſiitque quoad inferius dominium a Ravennatenſibus ad Eſtenſes. Habemus diploma Lotharii & Ludovici II. quo Ottoni Eſtenſi, quem *dilectum ſuum* dicunt *equitem*, Comaclum conferunt. LVNIG. *C. J. D. tom. 5. p.* 1515. verum ſunt, quæ hoc diploma ſuſpectum reddunt. Vid. *tabulam chronologicam*, quæ libro *de juribus imperii in terras pontificis* eſt præmiſſa *p. XIII.* Interim ad dubia, quæ contra illud a Zacagnio & Fontaninio obmota ſunt, reſpondetur in *actis conventus romani d.* 12. *octobr.* 1710. §. 62. Quis ſibi perſuaderet, hoc diploma, quod in archivo Eſtenſi exſtat, a PIGNA *viro optimæ notæ, rerumque geſtarum peritiſſimo, qui ſua potiſſimum collectaneis comitis Girolami Faleti debuit*, eſſe confictum, cum nulla fingendi illud eo tempore cauſa daretur. Et quis crederet, hic RVBEVM, ROSSIVM, VGHELLVM, FERRIVM aliosque, qui de hac teſtantur inveſtitura, Pignæ tantum fidem ſequi voluiſſe? Tradunt Pigna & Rubeus, Ottonem in Gallia commoranſem filio Marino Comaclum regendum dediſſe. Id extra omnem eſt dubitationem, Marinum Comaclum contra Venetos ſtrenue tutatum eſſe. Hi florentis Eſtenſium fortunæ æmuli, atque ex Comaclo natura & arte munitiſſimo & ad commercia aptiſſimo, rebus ſuis non leve imminere detrimentum arbitrantes, ſibi in illud, ut in ſuo ſitum territorio, jus competere, prætexebant. Tandem multitudini cedere coactus, rebusque præclare geſtis, non ſine vitæ periculo ex undis, quibus ſe, ne in hoſtium veniret poteſtatem, commiſerat, eluctatus ad matrem Ludam rediit. Veroſimile, tunc temporis Ottonem jam tum fuiſſe mortuum, quoniam Latta una cum filio Comacli comes acclamata fuerit. Fateor tamen, dubii mihi aliquid enatum eſſe, quod Latta in marmoreo monumento ſibi & ſervato filio poſito, *Comitiſſa Comacli Ottonis uxor*, non autem *vidua*, vocetur. *Ughelli tom. II. p. 527.* Et licet illo tempore Otto Eſtenſis adhuc ſuperſtes fuerit, titulus tamen comitis Marinio impertitus rei hujus veritatem ſuſpectam reddere nequit, cum eo quoque tempore jam tum obtineret, ut comitum filii, præſertim ſi a patre terræ cuidam regendæ præfecti eſſent, *comites* dicerentur. Sed ulterius inſtant pontificiæ ſedi addicti, quomodocunque hæc de Marino ſeſe habeat narratio, ſub ſumma tamen pontificis tum temporis Comaclum fuiſſe poteſtate, & inde colligi poteſt, quod antequam Veneti vi illud caperent, dux eorum *Partiatius* Romam miſerit nepotem ſuum *Badoarium*, ut comitatum Comaclenſem a Benedicto III. poſtularet: verum Badoarius ille a Marino interceptus non aliam ob cauſam Romam debuit mitti, quam ut papæ, cujus magna jam tum inter Chriſtianos principes erat autoritas, cauſæ juſtitiam, quam prætexebant, exponeret, ne forte ab eo ut temere belligerantes ſacro vapularent vibramine. *ACTA conv. Rom. d. 27. Auguſti* 1710. §. 16. Poſtquam igitur Veneti Comaclo potirentur, papa nihil de jure quodam in illud ſibi debito, monente, nihilominus in imperii manſit obſequio, quod ex fœdere Caroli craſſi cum Venetis inito, in quo itidem ac in fœdere, quod antea cum Lothario pepigerant, imperii vel potius regni Italiæ ſubditi dicuntur, apparet. Facies autem illa ſub imperatoribus & Italiæ regibus, qui Carolingorum tempora ſecuti & imperatores regesque Italiæ ex Germanis oriundos anteceſſerunt, non eſt mutata. CONVENT. ROM. *p. 42. 43. 73. 74. 153. ſeqq.* *OSSERVAZIONI ſopra una lettera p. 27.* *DROIT de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique chap. XIV.* Cumque deinde Otto I. Italiæ moderaretur ſceptra, non minus ac prædeceſſores ſui ſummum in Comaclos exercuit imperium; *DROIT de l'empire p.* 164. Imo & Venetos illo tempore ejus dominio inferiori iterum excidiſſe reor, quia Adelheidis altera Ottonis uxor illud poſſedit. *Convent. Rom. p.* 155. Hoc poſtea, una cum Pompoſiæ monaſterio, S. Salvatoris monaſterio Ticinenſi deſtinatum: ſed mutata haud dubie imperatricis voluntate, poſt ejus obitum archiepiſcopatui Ravennatenſi ceſſit. BVLLARIVM CASSINENSE *tom. II. conſtit. 52.* PVCINELLI *nella cronica della Badia Fiorentina* §. 18. Videtur papæ aliquod poſtea in Comaclum datum eſſe jus. Etenim legitur apud UGHELLI

jure fiduciario. Auctor commentarii de principatibus Italiæ a Thoma Segetho editi teſtatur, pro jure

tom. 3. p. 353. bulla Gregorii V. de anno 997. qua Gerberto archiepiſcopo Comacli potiundi ſpem facit, & quidem ſequentibus verbis: *tibi tuaque eccleſia ſancta Comaclenſem comitatum poſt mortem Adelaidis imperatricis Auguſtæ, ut tu tuaque ſancta eccleſia tuique ſucceſſores illum cum omnibus & inibi pertinentibus libere teneant tuaque eccleſia in perpetuum donamus Ceſenam*: Verum non dubito, ſi hæc bulla non eſt ſuppoſititia, (ut tamen ex quibusdam ſignis apparere videtur,) quin Gregorius V. Adelheidis fuerit mandatarius, ejusque nomine Ravennatenſi præſuli doni ſpem fecerit, Ottone III. quoad dominium utile ſuffragante. Archiepiſcopus quidem Corradinus in conventu Romano aſſerere auſus, Comaclum ad Adelheidam a ſede Romana perveniſſe: ſed refutatus eſt. *Acta C. R. p. 46.* Verum redeamus ad Ottonem I. Hic in pacto cum Venetis inito Comaclenſes pro ſuis habet ſubditis. Præterea Ravennam Ottonis feciſſe imperata, ex eo conſtat, quod Eccico miſſus imperatorias Ravennæ lites deciderit. Plura habet AVTOR *du droit de l'empire pag. 164. ch. XV. & dell' oſſervazioni ſopra una lettera c. 16.* Habent, quæ pontificis rationibus velificantes objiciant, nimirum CONTINVATORIS REGINONIS teſtimonium, qui *ad annum* 962. memorat, Ottonem apoſtolico Joanni *urbem & terram Ravennatium multis retro temporibus Romano pontifici ablata reddidiſſe:* Sed quis, derelictis tot in contrarium exſtantibus rationibus, fidem hujus autoris, non parum haud dubie Ottonis ætate recentioris & impingentis, ſequeretur. Deinde addunt, adeſſe diploma Ottonis I. de anno 962. in quo Comaclum & Ferara cum permultis aliis locis papæ donantur. GOLDASTVS *tom. II. conſtit. p.* 44. Verum authenticum hujus diplomatis exemplar hactenus non eſt in lucem productum, & ejus copia, quam habemus, non una falſitatis laborat nota. Porro licet genuinum eſſet hoc diploma, nihil tamen inde imperii juribus decederet, cum adſcripta ſit clauſula: *Salva in omnibus poteſtate noſtra, poſterorumque noſtrorum.* Vid. *LES DROITS de l'empire p.* 108. 109. Nec majoris roboris eſt argumentum, quod ex *bulla Leonis VIII.* eliciunt; eam enim a *Cecarellio de Bevagna*, aut ab alio impoſtore fabricatam eſſe, maxime veriſimile eſt, quamobrem aula Romana eam in lucem protrahere non eſt auſa. *LES DROITS de l'empire p.* 163. Sunt, qui contendunt, nihil bullam illam pontificis cauſæ prodeſſe, licet non ſit ſuppoſititia, quoniam hic Leo omnes deinde terras ſedi pontificiæ donatas Ottoni reſtituerit: ſed ſunt, quæ hoc diploma ſuſpectum reddunt. *LES DROITS de l'empire p.* 165. Quod autem ad Ottonem II. aliosque ipſum ſequentes imperatores usque ad Rudolphum I. attinet, illos Comaclum, ut ſui regni partem habuiſſe, variosque ſupremæ poteſtatis civilis in exarchatu aliisque urbibus & terris, quas ſibi pontifex adſcribit, exercuiſſe actus atque inveſtituras dediſſe, conſtat. Qui actus eo magis probant, quoniam non contradicentibus papis abſoluti ſunt. Hæc late deducuntur & ad contraria reſpondetur in *actis convent. Roman.* & a MVRATORIO in libris ſæpe citatis, quorum nomina ſunt, *oſſervazioni ſopra una lettera*, &: *droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique*, quo benevolum remittimus lectorem. Ne tamen omnia hæc ſicco tranſiiſſe videamur pede, notabimus ſaltim, Ottonem II. ſumma in Romandiola uſum eſſe poteſtate, & in conventione cum Venetis, *Comaclenſes* ſuos dixiſſe *ſubditos.* Huic acceſſit, quod ſæpe Ravennæ, ut in ſua ſit commoratus urbe. Imo fatente SIGONIO *lib. VII. de regno Italiæ, pontifex Romam Ravennamque & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quam imperio, quod civitates pontificem, ut reipublicæ principem, regem vero ut ſummum dominum intuerentur. OSSERVAZIONI ſopra una lettera p.* 29. 30. *LES DROITS de l'empire ch. 15. p.* 164. Quis dubitaret, cum Otto III. Romæ imperavit, ipſi etiam Comaclum ſubfuiſſe. Atque pontifici nihil in Comaclum tunc fuiſſe juris, etiam ex conſtitutione hujus imperatoris, quæ *ſpretis commentitiis præceptis & imaginariis ſcriptis*, S. Petro ex ſua liberalitate non donat niſi 8. civitates, liquet. Harum enim numero nec Feraria nec Comaclum fuit. Sunt, qui de authentia hujus diplomatis, quod apud GOLDASTVM & LüNIGIVM *in ſpicilegio eccleſiaſtico* exſtat, dubitant; vide tamen *Oſſervazioni ſopra una lettera p. 32. & les droits de l'empire p.* 119. 169. Imo magis adhuc theſis illa, Comaclum ſub imperio, rerum Ottone III. potiente, fuiſſe corroboratur, quoniam hic imperator non ſolum Leonem, ſed & Fridericum, archiepiſcopos Ravennatenſes, ſucceſſive anno 999. & 1001. de Comaclenſi comitatu inveſtivit. *ACTA convent. Rom. p.* 44. 45. *LES DROITS de l'empire p.* 166. Neque cum præter ſuperiora alia adhuc non deſint argumenta, ſupremi ab Ottone III. in Ravennam exerciti dominii, quæ HIERONYMVS ROSSIVS *in hiſtoria Ravennatenſi* collegit, probatio juris imperii in Comaclum imminueretur, etiamſi diploma de anno 999. ſuppoſititium eſſet. Qui *Ottonem* unus poſt alterum exceperunt, *Henricus II.* & *Conradus II.* itidem exarchatum, & ſub eo Comaclum ſumma rexerunt autoritate. Teſtantur de eo actus jurisdictionales, quos ibi per miſſos ſuos expediri curaverunt. ROSSIVS *hiſtor. Ravennat. lib. 5. p.* 275. 278. Quod autem ad inveſtituras attinet, & Henricus per miniſtrorum ſuorum aliquem archiepiſcopum Ravennatenſem Harnaldum de variis comitatibus, quorum numero haud dubie etiam Comaclum fuit, inveſtivit. De hoc omnino conſtaret, modo integrum ab interitu conſervatum fuiſſet diploma, cum in eo reperiantur expreſſi comitatus, cum quibus Comaclum in diplomatibus conjungi ſolet, conſpicianturque ibi lacunæ, ubi manifeſto unum aut alterum verbum eſt omiſſum. Huic autem non obſtant donationum tabulæ, quippe quæ, licet genuinæ eſſent, imperatori tamen ſummum ſuum reſervant jus, Conradus vero Gebeardum Ravennatenſem archiepiſcopum de Faventiæ comitatu inveſtivit, LVNIG. *C. J. D. tom. II. p.* 702. Ex quo colligi poteſt, quæ Ravennatenſis fuerunt eccleſiæ, in ſuprema cæſaris poteſtate fuiſſe. Sic & Henricum III. Comaclenſibus imperaſſe, pactorum cum Venetis renovatio prodit, ut MVRATORIVS ex DANDOLI *chron. manuſcr. p.* 189. *des droits de l'empire* affert. Quod & de Feraria liquet, quia Rolando Ferariæ epiſcopo idem imperator privilegium largitus eſt. VGHELLI *Ital. ſacr. tom. 2. p.* 534. Patris deinde veſtigiis inhæſit Henricus IV. imperii jura in Comaclum conſervando; contulit enim anno 1063. Henrico archiepiſcopo Ravennatenſi inter alias exarchatus partes comitatum Comaclenſem. Vide diploma ex archivo vaticani depromtum apud VGHELLVM *Ital. ſacr. tom. 3. p.* 362. Neque hujus rei veritati detrahit bulla Paſchalis II. quoniam ſuppoſititiam aut ſaltim corruptam eſſe, conſtat. *LE DROIT de l'empire ch. 19.* Perveniendum jam erit ad *Henricum V.* & *Lotharium II.* quorum uterque in conventionis cum Venetis initæ tabulis Comaclenſes ſubditorum ſuorum numero adſcribunt. *LE DROIT de l'empire ſur l'etat eccleſiaſt. p.* 201. 211. Cui addendum, quod Henricus V. ſummum jus in *Romandiæ* urbes exercuerit, *l. c. p.* 204. quod vero eas romanæ eccleſiæ permiſerit, nec ex Malmesburienſi, nec ex alio autore conſtat. Quod autem Lotharius exarchatum ſub ſuo habuerit imperio, probat MVRATORIVS *l. c. p.* 211. Ad deſtruenda ea, quæ dicta ſunt, pontificiæ ſedis advocati paparum bullas in medium protrahunt: verum Gelaſii II. bulla non niſi de confirmatione ſive benedictione papali, nullum inferente effectum civilem, loquitur. Opinio enim illo tempore hominum occupaverat animos, fore, ut omnia meliori eſſent loco, ſi talis acceſſiſſet confirmatio vel benedictio ſacerdotalis. *Calixti* vero II. bulla de bonis privatis, quæ Romana eccleſia in exarchatu habebat, loquitur, & *Innocentii II.* bulla ſubleſtæ eſt fidei, aut corruptoris ſenſit manum. *DROIT de l'empire ch. 19.* Nec dubium, hoc jus in Comaclum ſub Conrado III. eſſe continuatum. Bullæ namque Cœleſtini & Lucii II. ſuppoſititiæ aut corruptæ ſunt, vel ſaltim nihil probant, *l. c. p.* 197. Quo magis autem *Fridericus I.* ad res magnas gerendas impetu quaſi ferebatur, eo minus credendum eſt, ipſum aliquid circa jura imperii in Italia negligere voluiſſe. Imo tot rerum teſtimonia, nihil ab ipſo hic neglectum, nobis documento ſunt. Non ſolum enim *Anſelmo* archiepiſcopo Ravennatenſi anno 1154. exarchatum Ravennatenſem regendum dedit, ut ex OTTONE FRI-

jure illo impetrando numerata imperatori ducenta millia ſcutatorum, fœnori a Genuatibus ſumpta, ut hodieque cogatur dux ſedecim millia ſcutatorum quotannis in uſuram pendere.

23. De

SINGENSI *lib. 2. de geſtis Friderici I. c. 20.* conſtat: ſed & *Widonem* archiepiſcopum, Anſelmi ſucceſſorem, anno 1160. de multis comitatibus, inter quos *Comaclum* erat, inveſtivit. VGHELLI *J. S. tom. II. p. 372.* Non tantum ex allegatis actibus de hujus rei veritate conſtat: ſed & alia adſunt argumenta. Scio quidem, pontificiæ cauſæ patronos diploma illud, quo imperator Comaclenſes in ſuum recepit mundiburdium, ſive protectionem, ad probandum eſſe invalidum, aſſerere, cum jus protectionis non involvat ſuperioritatem. Fateor, hoc interdum ita ſeſe habere; interim negari nequit, mundiburdium ſæpe etiam in veteris ævi monumentis eam ſignificare tutelam, qua princeps ſubditos ſuos complectitur; præſertim hunc ſignificatum non raro in imperatoriis habere diplomatibus, rei diplomaticæ & hiſtoriarum peritis non ignotum erit. *LES DROITS de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p.* 213. 214. 215. Atque illud hic eo minus dubii habet, quo plura alia rerum & verborum adſunt teſtimonia, Friderico imperante Comaclum ſub imperio fuiſſe. In pactione inter cæſarem & Venetos inita, Comaclenſium ut imperii ſubditorum mentio facta. Et quem fugit, in pace anno 1183. Conſtantiæ concluſa, Ferariam aliaque Romandiolæ loca terris imperio obſequio & ſubjectione obnoxiis annumerata eſſe? Imo populus Mediolanenſis, papam imprimis ſumma proſequens reverentia, Friderico, ad cujus redierant gratiam, anno 1185. pollicebatur, *defendere imperium in Lombardia, Marchia & Romandiola*, papa nihil in contrarium monente. Hæc CLARAMONTII teſtimonio *ex hiſtor. Caſenæ* 1185. firmantur. Unde prono alveo ſequitur, papæ Alexandro Comaclum & alia Romandiolæ loca in pace Veneta a Friderico non fuiſſe ceſſa, quod ex ipſis tractatus Veneti verbis pateſcit. Vide *l. c. p.* 221. *ſeqq. Acta convent. R. p.* 4. 46. *ſeqq.* 194. 227. *ſeqq.* Cæterum nec minus ſub Henrico VI. hæc duravit ſubjectio. Teſtatur de eo confirmatio terrarum, quæ anno 1195. ab hoc imperatore archiepiſcopo Ravennatenſi impertita eſt, ut & Marquardus quidam, cui Henricus ducatum Ravennæ cum Romania, marchiam quoque Anconæ contulit. Hic Marquardus pactus eſt cum Ravennatenſibus, *ſalvis regalibus, quæ imperator & ipſe Marchoaldus in civitate Ravennæ & ipſo diſtrictu habere conſuevit.* ABBAS VRSPERGENSIS *in Henrico VI.* ROSSI *in hiſtoria Ravenn. lib. 6. p.* 163. Exſtat etiam epiſtola hujus imperatoris ad Guilielmum archiepiſcopum Ravennatenſem, in qua ipſum vocat *membrum ſacri imperii.* VGHELLI *Ital. ſacr. tom. 2. p.* 374. Huic accedit, quod in renovatione pactorum cum Venetis a prædeceſſoribus ſuis factorum, Comaclenſes ſuis accenſeat ſubditis. Sed objiciunt pontificis aſſeclæ, Henricum VI. in teſtamento ſuo Marquardum illum juſſiſſe, ducatum Ravennatenſem cum aliis terris ſedis Romanæ ſuperioritati ſubmittere: Sed teſtamentum illud multis obnoxium eſt dubiis, & licet Henricum VI. autorem habuerit, illius tamen diſpoſitionis nulla habita eſt ratio, nec haberi potuit, quum imperii juribus inde noceri nefas fuiſſet. Conf. *les droits de l'empire ch. 22.* Quod autem hujus imperatoris tempore Comaclum pro parte Ferariæ non fuerit habitum, probat MVRATORIVS *in obſervat. p. 54. ſeqq.* Sed progrediamur ulterius; adſunt quoque diplomata, quæ archiepiſcoporum Ravennatium inveſtituras, quibus ab Ottone IV. & Friderico II. affecti ſunt, reſpiciunt. In diplomate, quo Otto Hubaldo archiepiſcopo bona & terras eccleſiæ Ravennatis confirmat, *Ferarienſis & Comaclenſis* quoque memorantur. VGHELLI *tom. 2. p.* 374. Sic & diploma Friderici II. quo Simeoni archiepiſcopo idem præſtat beneficium, cum aliis terris Comaclum continet, tanquam *imperii domanium*, ſalvo tamen imperii jure; quæ clauſula & in Ottonis reperitur diplomate. Porro uterque cæſarum conventiones cum Venetis renovans, de Comaclenſibus tanquam ſuis loquitur ſubditis. Huic quidem juri adverſari videntur Honorii III. & Gregorii IX. bullæ, eccleſiæ Ravennatenſi ſua jura & territoria confirmantes. ROSSI *in hiſtoria Ravenn.* VGHELLI *in J. S. t. 2. p.* 378. verum papalis ejusmodi confirmatio, quæ aliis quoque eccleſiis tam in Italia, quam extra eam impertiebatur, quod jam dictum, ut ſignum, pontifici in terras Ravennates in temporalibus competiiſſe jus, imperii ſuperioritati detrahens, urgeri nequit. ACTA *convent. Rom. p.* 162. 163. LES DROITS *de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p.* 227. Hoc ex eo magis adhuc patet, quod Fridericus II. & poſtea in Ravennatenſibus partibus ſupremi dominii actus ediderit. Vide *les droits de l'empire p.* 236. Addidit quidem Gregorius anathematis, quod in Fridericum vibrabat, cauſas, ipſum Ferariam, Pigognagum & Bondonum detinere, Comacli autem aliarumque exarchatus ditionum mentionem non facit. Atque ita de jure imperii in exarchatum eo tempore tam liquido conſtitit, ut nec illud a pontificibus impugnatum ſit, ita ut & *Henricus Landgrafius Thuringiæ*, qui papalibus potiſſimum artibus Friderico oppoſitus, Ravennatem archiepiſcopum *membrum ſacri imperii ſpeciale* vocet. RAYNALDVS *ad ann. 1246. §. 10.* Quod autem ad inferius & dependens jus in Comaclum attinet, illud per vices penes Eſtenſes, Venetos & Ravennates archiepiſcopos fuiſſe conſtat; tametſi his ultimis Comaclenſes inæquali potius fœdere, quam ſubjectionis nexu, juncti fuiſſe videantur. Vinculum illud forte precarium fuit aut temporarium, ita ut pro lubitu vel ſtatuto tempore elapſo, alii pro more tunc in Italia recepto in clientelam ſe dare potuerint, ſalvis tamen imperii juribus. Et quomodocunque hæc ſeſe habuerint, id certum, Comaclenſes ſe Widoni de Polenta 1275. permiſiſſe. MVRATORIVS *in obſervationibus p.* 45. ex diplomate, quod in Eſtenſi aſſervatur archivo, tradit: *communem civitatem Comacli duos conſtituiſſe procuratores ad eligendum virum nobilem dominum Guidonem, quondam domini Alberici de Polenta filium in ſuum perpetuum dominium, & gubernatorem.* Neque ullum in ævi illius monumentis apparet veſtigium, quod Polentani pontifici aliquo ob Comaclum vinculo fuerint adſtricti, aut jubente papa tutelam illius urbis ſuſceperint. Cumque deinde Comaclenſes ſibi ſuisque rebus per Eſtenſes rectius conſuli poſſe crederent, ſe anno 1297. eis ad exemplum Modenæ & Rhegii, quæ aliquot annis ante Eſtenſibus obtemperare cœperant, ſubjecerunt; ut ita a veritate alienum ſit, Comaclenſes demum Ludovico Bavaro imperante, ad Eſtenſes perveniſſe. Redierunt tamen deinde ad tempus in Polentanorum & Ravennatenſium poteſtatem. *Oſſervazioni ſopra una lettera intitolata: il dominio temporale p. 45. LES DROITS de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 351. ſeqq.* Finitis interregni malis, imperialibus admotus eſt ſceptris RVDOLPHVS HABSPVRGENSIS, de cujus diplomatibus, quæ pontificiæ ſedi addicti plus juſto devincti tantopere crepant, ſupra prolixe monui: ſcilicet nihil dominii directi in Comaclum aut alia Italiæ territoria, quæ a papa detinentur, ſedi Romanæ per illa collatum eſſe. Confer. *Les droits de l'empire ch. 24. ACTA conventus Romani p. 11. ſeqq. p. 74. ſeqq.* ibique *p.* 174. 175. probatur Comaclum neque ante, neque poſt annum 1332. Ferarienſis comitatus partem fuiſſe; latius autem hoc argumentum proſequitur *AVTOR jurium imperii in terras pontificis p. 362. ſeqq. OSSERVAZIONI ſopra una lettera p. 61.* Sæpe duo diſtincta territoria uni ſubſunt, & ab eodem reguntur vicario, quæ obinde ab imperitis confunduntur. Neque tempore Adolfi, Alberti, & Henrici VII. jura hic imperii deminuta ſunt: *LES DROITS de l'empire ch. 25. ACTA conventus Romani p.* 69. 70. Circa hæc autem tempora Comaclenſes ab Eſtenſibus ad Ravennatis archiepiſcopi protectionem reverſi ſunt. Sed mox, nempe anno 1317. ad Eſtenſium obſequium reverſi ſunt. *LES DROITS de l'empire p.* 354. *ſeqq.* Objiciunt quidem pontificis aſſeclæ, in propatulo eſſe, eo tempore Comaclum in pontificis fuiſſe ditione, quoniam ſacro fulmine Johannes XXII. in Eſtenſium caput detonuerit, quia illud occupaverant. Sed quis auſus pontificis, & quidem tot hujus actiones, pontificem minime decentes, pro juſtitiæ & æquitatis regula

23. *De PARMA & PLACENTIA*, (††) quam hodie Farneſii Principes tenent, complura pro

gula haberet. Conſtat, alias fuiſſe rationes, ob quas Vaticanæ, vel potius Avenionenſis iræ fulgura emiſſa fuerint; imprimis inique ferèbat præſulum princeps, quod Eſtenſes a clero tributa exegerant. Quinimo & veritati adverſatur, Eſtenſes a papa veniam precatos, quod Comaclum occupaverint, illudque tum temporis Ferarienſis vicariatus partem conſtituiſſe. In conceſſione enim Ferariæ, quæ marchioni *Renaldo* & fratribus a *Johanne II.* facta eſt, Comaclum non continebatur. *RISTRETTO p.* 243. *LES DROITS de l'empire p. 230. 369. 370.* Quam religioſus LVDOVICVS BAVARVS in defendendis imperii juribus fuerit, ex iis, quæ HERWARTVS & NICOLAVS BVRGVNDVS ex genuinis afferunt fontibus, admodum manifeſtum eſt. ‚Vnde eo minus credendum, ipſum ſe juri in Comaclum abdicare voluiſſe, *l. c. ch. 25.* Turbida illo tempore erant omnia, & papæ nefas haud putabant, imperii terras in Italia invadendi, ſibique earum arbitrium tribuendi. Aptiorem forte conatibus ſuis connivendi putarunt CAROLVM IV. ſed illum non tam liberalem fuiſſe circa res imperii, ut vulgo creditur, jam dudum a viris doctis evictum eſt. Nobis hic ſaltim Comaclum curæ eſt, de quo certo conſtat, ab eo Eſtenſibus in feudum datum, & ab his ipſi juramentum fiduciarium præſtitum. Inveſtituræ tabulas de anno 1354. 1361. refert LVNIG. *tom. I. C. J. D. p. 1594.* Veritati hujus rei derogare contendunt pontificis cauſam agentes, 1) donationem tabulas, quibus Carolus ſedem Romanam beaſſe dicitur, 2) in inveſtiturarum diplomatibus nec canonem, nec ſervitia exigi. Verum in illis Comacli non injicitur mentio, & quæ ibi memorantur loca, non tam in papam transferuntur, quam ipſi, titulos eorum adhibendi, facultas datur. Quod autem ad reditus & ſervitia attinet, notum eſt, *franca dari feuda*, quæ ab omni onere fiduciario ſunt immunia. *LES DROITS de l'empire p. 25. ſeqq.* ACTA *convent. Romani p.* 218. *ſeqq.* 226. Opponunt ulterius, Carolum IV. omnes anteceſſorum ſuorum donationes ſedi Romanæ confirmaſſe; illas vero & Comaclum complexas. Sed dictum, in donationum illarum tabulis multa recenſeri loca, quæ aut in poteſtate eorum non fuerunt, aut liberam de iis diſponendi non habuerunt poteſtatem. Atque ita Carolus IV. in tantum aliorum duntaxat imperatorum donationes confirmavit, in quantum validæ fuere & effectum habuerunt. Nec male MVRATORIVS argumentum, inſtantia a fictitia Conſtantini magni donatione, quam itidem Carolus IV. confirmat, deſumta, convellit. Pergunt deinde, cardinalem Anglicum anno 1371. Comaclum, ut urbem ſedi Romanæ ſubjectam, viſitaſſe & ab eo tributum exegiſſe. Verum hoc falſum eſſe, docetur in *juribus imperii in terras pontificis p. 397. 380.* Confer *Acta conventus Romani p.* 184. Operam quoque eſt & oleum perdere, ad WENCESLAI & RVPERTI donationum ab antecedentibus imperatoribus in ſedem pontificiam collatarum confirmationes confugere. Idem enim de iis, quod de Caroli IV. confirmatione monitum, dicendum eſt. *LES DROITS de l'empire p.* 287. 269. 367. ubi auctor errorem papalium advocatorum excutere pergit, Comaclum Ferarienſis vicariatus partem fuiſſe, oſtenditque, nunquam cenſum aliquem obinde ſedi Romanæ præſtitum eſſe. *l. c. p. 367. 386.* ſuccedunt SIGISMVNDVS & exſtincto Alberto II. FRIDERICVS III. quorum uterque Eſtenſem domum de Comaclo inveſtivit, & quidem hic anno 1452. ille 1433. LVNIG. *l. c. p.* 1634. *LES DROITS de l'empire p.* 257. Quæ hic obmoventur dubia, quod ſcilicet *Paulus II. Borſonem Feraria* & eorum, quæ ad eam ſpectabant, *ducem fecerit*, inter quæ & Comaclum fuiſſe dicitur; Sixtus IV. Ravennatibus jus ſuum in Comaclum confirmaverit; Herculemque I. de Ferariæ ducatu, & cum eo de Comaclo inveſtiverit, nec non, quod a Venetis huic duci, ut Ferarienſis ditionis pars, reſtitutum fuerit, removentur a MVRATORIO *in juribus imperii &c. p.* 348. 349. 359. 360. Papa namque confirmationi ſuæ addit, eam in nullius vergere debere præjudicium; directum autem Comacli dominium penes imperatorem eo tempore, & utile penes Eſtenſes una cum poſſeſſione erat. Habemus quoque MAXIMILIANI diplomata de anno 1494. 1509. quæ de inveſtitura Comacli, Herculi I. & Alphonſo I. collata teſtantur. Detorquent quidem Mutinenſium adverſarii Romani, quod relatum legitur, ab Hercule I. & Alphonſo I. eccleſiæ Romanæ cenſum eſſe ſolutum. Erroneum namque eſt, & a nullo fide digno autore ſuo firmatum teſtimonio, *Comaclum ſedi Romanæ ſtipendiarium* fuiſſe. Si quid in contrarium aſſeritur, falſo illo innititur principio, *Ferariam ſub ſe Comaclum comprehendiſſe.* Provocant quidem pontificis aſſeclæ ad cenſuales Raphaëlis Camerlingi libros, ſed illi ſunt recentiores pontificum bullis, & veteris ævi actis repugnantes & genuinis deſtituti requiſitis. *LES DROITS de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p.* 386. 387. 223. 257. 275. 435. Plures ſunt objectiones, ad hanc periodum ſpectantes, quibus pontificis partium ſtudioſi immunitatem Comacli a ſedis Romanæ obſequio contundere allaborant, quarum potiores nos in compendio referemus. *Alexandrum VI. Herculi I.* non ſolum *de Ferara*, ſed etiam *Comaclo* ſub annui tributi lege inveſtituram impertiiſſe loquuntur: ſed in bulla Alexandri VI. nulla Comacli mentio injicitur, aſſertumque hoc falſæ iterum ſuperſtructum eſt hypotheſi, Ferariam continuiſſe Comaclum, quod & de Alphonſo I. objicientibus, eum nempe quotannis cenſum aliquem Romanæ ſedi exſolviſſe, reſpondendum eſt. Quod ad Julium II. attinet, ille Comaclenſibus Salinis invidebat, utpote ſibi perſuaſum habens, ſalinis ſuis Cervienſibus ſuoque fiſco damnum inde oborturum. Cumque deinde de cauſis in Alphonſum excommunicatione animadvertendi, ipſumque privandi libertate ſalis coquendi, ſolicitus eſſet; haud dubie miniſtrorum aliquis ipſi ſuppeditavit prætextum, quod Comaclum ad ſedem Romanam ſpectans injuſte ab Alphonſo detineretur. Apparet hoc ex GVICCIARDINI *lib. 9. p.* 415. ubi ſequentia leguntur: *havendo trovato ſecundo diceva nelle ſcritture della camera apoſtolica l'inveſtitura fatta da' pontefici alla caſa d'Eſte della terra di Comachio.* Sed quæcunque deinde adhibita fuerit diligentia, nullæ inveſtiturarum tabulæ in archivo pontificis reperiri potuerunt. Atque Alphonſus palam profeſſus, Comaclum non pontificis, ſed imperii feudum eſſe, quod ex ipſa bulla, qua Julius in Alphonſum ſæviit, conſtat. Nec non in Concilio Turonenſi hanc cauſam ventilatam eſſe, in aprico eſt. Partes Alphonſi Maximilianus I. ſtrenue tutatus eſt. *BARDI etá del mondo p. IV. p. 352. BELCARIVS rer. Gall. comment. p. 342. VARILLAS hiſt. de Louis XII. tom. IV. p. 94. HISTOIRE de la ligue de Cambrai tom. I. p. 240.* Novus porro admovetur aries, nimirum teſtimonium Calcagnini, agri Ferarienſis partem Comaclum dicentis, idque argumenti eo fortius reputant, quoniam Alphonſi fuerit vaſallus: ſed reſpondent Mutinenſes, dubium eſſe, an Calcagninus ducis Alphonſi fuerit vaſallus, deinde orationem hujus auctoris ſcholaſticam, inſcio duce habitam, juribus ejus nocere non potuiſſe; denique nec Comaclum a Cincio expreſſe nominari. Sed aliud adhuc eſt, quod pro ſua cauſa urgent ſedis pontificiæ cauſam tuentes, nimirum cardinalem *Hyppolitum*, Comacli Alphonſi vices gerentem, jubente pontifice Comaclenſes deſtruxiſſe ſalinas: verum haud dubie pontifici ferocienti gerere voluit Hyppolitus morem, non quod ad id teneretur, ſed ut iram pontificis, cui Eſtenſes impares erant, placaret. Neque enim conſtat, an Hyppolitus ad ſalinas corrumpendas ab Alphonſo mandato inſtructus fuerit. Vide plura *in juribus imperii in terras pontificis c. 39. ACTA conv. Rom. VI. d. 12. octobr. 1710. p. 189. ſeqq.* Cenſum quoque illorum pontificum, qui ſedi Romanæ de Comaclo proſpexiſſe feruntur, augent *Leo X. & Adrianus VI.* Leo X. Alphonſo I. eorum, quibus in Iulium II. ob ſalinas Comaclenſes inſtitutas peccaverat, veniam dediſſe dicitur, atque adeſſe codicillos ab Alphonſo I. contra Leonem X. poſt ejus mortem Carolo V. inſcriptos, in quibus fatetur, Comaclum juris eſſe pontificii. Sed quomodocunq; etiam hæc, quæ de data venia memorantur, ſe habeant; & nullo tamen fide digno conſtat autore, illum, quæ pro aſſerendis imperii ſuæque domus juribus in Comaclum in medium protulerat, revocare coactum fuiſſe. Ex quo colligitur, papæ de nullo prorſus valore pontificiæ prætenſionis in Comaclum ſatis perſuaſum fuiſſe.

pro juribus cæſaris, jam cap. viceſimo diximus: eoque nunc nihil addimus quam hoc tantum, quum

Porro quæ de codicillis ad Carolum V. directis allata ſunt, anonymi cujusdam autoris figmentum eſſe, Mutinenſes addunt. Adriani vero VI. capitulum III. nihil aliud, quam pactum inter hunc papam & Alphonſum involvit, vi cujus Alphonſus libertati coquendi ſalis in urbe Comaclenſi renunciat; unde tamen nec imperii nec Eſtenſium juribus in Comaclum a majoribus quæſitis, aliquod illatum eſt detrimenti. Tralatitium eſt, ſæpe aliquem jure quodam in ſuo, in alterius favorem decedere, ita tamen, ut cæteroquin dominium ipſi ſalvum maneat. Ejusdem farinæ eſt, quod Comaclenſes in decidendis cauſis Ferariæ ſtatuta adhibuerint. Enimvero quis ſanæ mentis aſſeret, gentem, quæ ſua ſponte alterius recipit placita, ipſius fieri partem. Quot in terris jus Lubecenſe & Saxonicum eſt receptum, quæ tamen Lubecæ vel Saxoniæ non ſunt partes, nec ab eis dependent. *DROITS de l'empire p. 405. 344. ſeqq.* Tangit jam ordo illa, quæ ſub CAROLO V. geſta ſunt. Hic anno 1526. *Alphonſum primum* de Comaclo inveſtivit, eamque inveſtituram in *Hercule II.* 1535. repetiit. Nugæ ſunt, has inveſtituras clam eſſe factas, nec unquam pontificis partes foventes ſe a probandi nexu liberare poterunt: ultimam quidem inveſtituram in dubium vocant, quoniam EVTROPIVS *ad annum 1525.* tantum memoret, Herculem II. a Carolo V. de Modena, Rhegio, Rubiero & Carpio eſſe inveſtitum. *OSSERVAZIONI p. 78.* Verum notum eſt, argumentum a ſilentio hujus vel illius autoris nihil habere roboris; Eutropius ſaltim potiorum meminit locorum, ita tamen, ut reliqua non excluſerit. Aliud argumentum petunt ex laudo Caroli V. quo controverſiæ inter Clementem VII. & Alphonſum I. componuntur: ajunt nempe, in laudo illo nulla Comacli fit mentio: oportet igitur, ut ſub Ferara tanquam ad eam pertinens comprehenſum fuerit: Sed Mutinenſes rectius ſtatuunt, ex hoc ſilentio nihil aliud colligi poſſe, quam cauſam Comacli ut dubiam ſub Caroli V. deciſionem non vocatam, ſed eo loco, ubi jam erat, relictam eſſe. Hoc ex eo apparet, quod Carolus Herculem II. ut monui, anno 1535. de Comaclo inveſtiverit, cum laudum illud anno 1531. latum fuerit. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 1663. Nec *Hercules* inter reliqua ſua axiomata *Comacli domini* titulum omiſit. Atque ita Paulus III. eundem Herculem non de Comaclo, ſed Ferara inveſtivit. Novum argumentum, quod in proſcenium protrahunt, eſt, quod Eſtenſes principes, lites ad res in Comaclenſi ditione ſitas, definiendas, Rotam Romanam adierint. Sed elementariis jurisprudentiæ non ignotum, a partibus jurisdictionem huic vel illi judici prorogari poſſe. Tandem addunt, Paulum IV. ab Hercule II. pro domino directo Comacli habitum: aſt hoc a veritate eſſe alienum, docet MVRATORIVS *in juribus imperii p.* 409. vid. quoque *p. 221. ſeqq. 312. 421.* Sequuntur jam inveſtituræ cæſareæ, quas Alphonſus II. anno 1558. & 1560. nactus eſt. Redeunt hic pontificiæ cauſæ patroni ad nænias ridendas profecto, inveſtituras illas in occulto eſſe factas, Alphonſum II. titulo Comacli domini non eſſe uſum, qui nec a Carolo V. nec a Ferdinando I. ipſi impertitus fuerit, papas Pium IV. V. & Gregorium IX. ſupremos Comacli dominos eſſe reputatos. Sed hæ & ſimiles φλυαρίαι nulla munitæ probatione, in laudatiſſimo Muratorii libro profligatæ ſunt. Mortuo Ferdinando I. inveſtitura Alphonſo II. anno 1565. a Maximiliano II. renovata eſt, in cujus cenſura pars adverſa ad figmentum relabitur, ac ſi hæc quoque inveſtitura furtim conceſſa eſſet. Cumque pontificis in hac cauſa defendentes partes ſibi perſuaſum habeant, cauſæ ſuæ magnum accedere adjumentum, ſi Comaclum Ferariæ partem eſſe evincere queant: tres pro adſtruenda hac re adducunt teſtes, FALETTVM, PIGNAM & SARDIVM, quorum duo Eſtenſium hiſtoriographi, ultimus Ferarienſis fuit hiſtoricus. Sed illi falſo nituntur principio, ac ſi Comaclum Ferariæ ab Henrico VI. inſertum fuerit. Deinde non aſſerunt, conjuncta ſemper manſiſſe; neque inveſtituras imperatorias in dubium vocant. Cæterum quod in aliorum imperatorum inveſtituris orbi obtrudere glaucoma, ac ſi ſubreptitiæ fuiſſent, nimii ſedis Romanæ fautores auſi ſunt; ad hoc denuo in inveſtitura *Rudolphi II.* quam Alphonſus II. anno 1577. 1598. impetravit, recurrunt: Sed figmentum illud referre, eſt id refutare. Ejusdem furfuris eſt, quod in literis inveſtiturarum Comacli non injiciatur mentio: contrarium enim ex inveſtituræ tabulis, quæ in Mutinenſi archivo aſſervantur, pateſcit. Igitur nullius plane momenti ſunt teſtimonia Guini & Canteloſi, quæ in contrarium adducuntur. Numerum deinde ſolœciſmorum veritatis auget aulæ Romanæ effatum, Alphonſo II. ab imperatore Rudolpho, ſibi in Comaclo ſucceſſorem nominandi non eſſe datum, nec fidem & annuos reditus, ut ex feudo imperii, inde ab imperatore eſſe exactos. Nam in genere Alphonſo poteſtas permittebatur, ſibi ſucceſſorem conſtituendi, neque fides vaſallitica ad Modenam & Rhegium reſtringebatur, & ut reditus quidam præſtentur, ex eſſentia feudi non eſt. LVNIG. *C. J. D. p. 1705. LES DROITS de l'empire p. 226. 282. 283. OSSERVAZIONI p. 82. ACTA convent. Roman. p. 74. 75. 76.* Elumbe quoque eſt argumentum, quod pro ſuperioritate pontificis in Comaclum a lite, quam Cardinalis Eſtenſis fratri ſuo Alphonſo II. in judicio rotæ Romanæ intentavit, petunt. Sed repetenda hæc ſunt, quæ ſupra de prorogatione jurisdictionis notavi. Vid. *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p. 430.* Tranſeunt porro Romanæ cauſæ propugnatores ad alia, nimirum exſtincto Alphonſo II. Clementem VIII. *totum ſedi pontificiæ apertum eſſe ducatum*, pronunciaſſe; Eſtenſem cæſarem una cum Feraria Comaclum ceſſiſſe; a Clemente VIII. & poſtea a Paulo V. id æque ac Ferariam *bullæ in cœna domini* eſſe inſertum: verum injuſtam admodum Ferariæ occupationem, nec non Comaclum ab ea ſemper diſtinctam fuiſſe, ſupra docui. Præterea Clemens octavus occupationem illam moliens, nullam Comacli mentionem injicit; oportet igitur, ut poſtea demum aulicorum forte & perverſorum conſiliariorum inſtinctu, aviditatem ſuam usque ad Comaclum extenderit, illoque, armorum ope, ductu Cardin. Aldobrandini, potitus ſit. Is denique ardor patrimonium Petri hac acceſſione auctius habendi, ad Paulum V. alioſque Romanæ eccleſiæ ſummos præſules tranſplantatus eſt. Pudeat merito Romanos, ad bullam de cœna domini confugere, quæ teſtimonium in propria cauſa eſt, & nihil niſi iniqua continet; imo pudeat, ipſos quoque cæſaris ceſſionem, ut injuſtæ detentionis titulum prætexere. Quis enim ignorat, hunc vi metuque juſto admodum ad Ferariæ poſſeſſionem dimittendam adactum eſſe, atque contra violentiam illam aulæ Romanæ in integrum reſtitui debuiſſe. Quod vero ad Comaclum ſpectat, ejus nec poſſeſſio nec dominium dimiſſum eſt. Illud & ex eo apparet, quod cæſar Eſtenſis a Rudolpho II. de Comaclo inveſtitus ſit. Proteſtabatur quoque hic imperator de occupatione terrarum, quæ ſub ſummo Germaniæ erant imperio, nec dubito, quin papales milites ejus ejeciſſet, niſi aliis impeditus fuiſſet negotiis. Gloriantur quidem papæ adulatores de literis gratulatoriis a Rudolpho II. ad Clementem VIII. de capta Feraria datis; ſed earum originale in conventu Romano produci non potuit. *LES DROITS de l'empire, p.* 438. 445. 454. Rudolphi ſucceſſores MATHIAS & FERDINANDVS II. in defendendis imperii juribus, veſtigiis ejus preſſe inhæſerunt. Ille cæſari anno 1613. hic anno 1620. Comacli inveſtituram collocavit, eamque repetiit in Franciſco I. anno 1629. Denato Ferdinando II. idem Franciſcus anno 1637. illam a FERDINANDO III. eſt conſecutus. Urgent papalis cauſæ tutores, nec in Weſtphalica, nec in Pyrenæa pace de Comaclo aliquid monitum fuiſſe: verum hi pacis tractatus non inſtituti erant, ut in iis componerentur lites de partibus Italici regni, imperio cum aliis enatæ, ut & controverſia de dominio utili non ad ejusmodi conventus, ſed ad cæſaris, tanquam domini directi tribunal pertinebat. Neque in conventu, ad eligendum cæſarem Ferdinando III. denato inſtituto, de omnibus Italiæ feudis aut de imperii in ea jure actum eſt. Atque LEOPOLDVS de hoc imperii in Comaclum

jure

quum Placentia a cæſare redderetur Octavio Farneſio, diſerte adjectum, *manerent imperio ſalva* & *ratio-*

jure plene perſuaſus, anno 1659. *Alphonſum IV.* anno 1663. *Franciſcum I.* & 1695. *Raynaldum* inveſtivit. Poſt Leopoldi mortem illam inveſtituram idem RAYNALDVS, qui feliciſſime hodie res Mutinenſes moderatur, a JOSEPHO obtinuit. *LES DROITS de l'empire p.*257. 447. 455. 460. Tot igitur actus, ſi forte præſcriptione hic opus eſſet, efficiunt, ut ea non ſedi Romanæ, ſed imperio & domui Eſtenſi faveat. Joſephus igitur clariſſimis imperii juribus innixus, ſedem Romanam Comacli poſſeſſione exuit, cum Leopoldus jam tum edicto Romæ affixo feuda imperio ſubtracta reclamaverat, manſitque in ea imperium, usque dum glorioſiſſimus noſter imperator CAROLVS VI. conſultum putaverit, eam ſalvis imperii & domus Mutinenſis juribus d. 20. Febr. anno 1725. *ſedi Romanæ reſtituere.* Hæc ſunt, quæ de Comaclenſi controverſia multis & pereruditis ſcriptis ventilata, in compendio referre conſtituimus. Antequam autem ad alia diſcedamus, monendum eſt adhuc, Argentam quoque eſſe imperii feudum Eſtenſi domui collatum, licet ex pacto eccleſiæ Ravennatenſi aliquot inde præſtandi fuerint reditus. Adſunt imperatorum inveſtituræ ex Caroli IV. tempore de hoc imperii jure teſtantes. *RISTRETTO delle ragioni p.* 286. *ſeqq. LES DROITS de l'empire p.* 257. 258. 269. 273. 274. 275. Cotignolæ quoque terra imperii eſt feudum, atque dominium ejus utile a ſede pontificia independens Eſtenſi domui in laudo Caroli V. eſt adſcriptum. RISTRETTO *delle ragioni, che la ſereniſſima caſa d'Eſte ha colla camera imperiale p.* 278.

(†) *Caſari Eſtenſi* p. 352.) *C.A.M.* Alfonſus I. habebat filium Alfonſum ex Laura Euſtochia naturalem, qui cæſaris pater fuit.

(††) *De PARMA & PLACENTIA* p. 356.) GöBEL. Harum terrarum vetuſtiſſima, quatenus ſub Romanis aliisque fuerunt gentibus, excutere, propoſiti ratio non patitur. Vid. LEANDRO ALBERTI *p.* 361. *ſeq.* 364. *ſeqq.* EXCERPTA *ex Agathiæ hiſt. apud Grotium p.* 544. PROCOPIVS *in hiſt. Goth. lib. 3. p.* 335. 342. Sufficiat nobis monuiſſe, devictis Longobardis in Francorum veniſſe poteſtatem. In Longobardorum ditione fuiſſe, ex SIGONIO & VGHELLO probatum ivit dominus BöHMERVS *in vindiciis imperialibus pro Parma & Placentia ducatibus.* Notandum autem, in diplomate RACHISIVM apud VGHEL. *tom. 2. p.* 198. & 199. dici: Placentiam ſuam vocaſſe civitatem. Francorum deinde etiam poſt Carolum M. fuiſſe, annalium & diplomatum fide conſtat. VGHELLI *Ital. ſacr. tom. 2. p.* 199. 201. 202. 245. Sic & in legibus Lotharii Parmæ & Placentiæ, ut urbium regiarum, mentio injicitur. *Tom. 1. ſcriptor. Ital. part. 2. p.* 153. Id ſaltim reliquum eſt dubii, an Parma & Placentia exarchatus partem conſtituerint? Quanquam vero hanc quæſtionem paulo majoris momenti putem, quam eam, an Parma etiam *Julia Chryſopolis* dicta fuerit: attamen ſive eam affirmemus, ſive negemus, nihil inde in jus imperii derivatur detrimenti aut commodi. Nam tot rerum & verborum adſunt teſtimonia, exarchatum pontifici, ut volunt aſſeclæ ſedis Romanæ, datum ſub ſummo manſiſſe imperii jure. Nonnullis maxime veroſimile videtur, papæ inde nihil, quam ſpecialis protectoris eccleſiaſtici titulum cum reditibus quibusdam obtigiſſe, cætera autem ad archiepiſcopum Ravennatenſem, ſalvis imperii juribus, ſpectaſſe. Conſtat, exarchatus non unos eosdemque ſemper fuiſſe limites. Aliquas enim ei detraxerunt partes Longobardi, antequam totum occuparunt; atque deinde ſcriptores ævi Carolini non uno modo de eo loquuntur. Sunt, qui tam late accipiunt, ut etiam Pentapolis ſub eo comprehendatur, alii anguſtiores longe ipſi conſtituunt terminos. Ex recentioribus LEANDRO ALBERTI *in deſcriptione Italiæ fol.* 290. ſequentia habet: *Et furono dette città Ravenna ſeggio delgi Eſſarchi Ceſena, Cervia, Forli, Brittenore, Faenza, Imola & Bologna; benche ancor foſſeʒ molte altre città ſotto queſto Eſſarcato, come Modena, Reggio di Lepido, Parma & Piacenza ſecondo il Bibliothecario Agnello, Biondo, Platina & Sabellico.* Porro de Parma *fol.* 362. hæc leguntur: *Vero e che credo che ſempre ella foſſe ſoggetta al Romano imperio, ſi come l'altre città del paeſe, in fino che fu mantenuta la maeſtà di quello in riputatione cor dalgi imperadori, come da i ſuoi commiſſarii & poi dalgi eſſarchi. Mancata detta maeſta ſi riduſſe anche ella alla libertà come fecero l'altre città d'Italia hora ubbidendo algi imperadori, & altre volte ai pontifici Romani.* Et de Placentia ita loquitur *fol.* 366. *Fù queſta città ſempre fidele ai Romani inſino che hebbero forze gli Eſſarchi di Ravenna. Poſcia anch' ella divenne ſotto i Gotti & Longobardi, come fecero l'altre città d'Italia. Scacciati i Longobardi eſſendo fatto prigione il loro Rè Deſiderio da Carlo magno fu ſoggetta i Rè d'Italia creati da Carlo antidetto & poi ſotto altri Rè & Signori, che ſi faciano Tiranni d'Italia, & coſi perſevero inſino che gli imperadori, (quoi poi pigliarono imperio) poterono mantenerſi.* Illi, qui Parmam & Placentiam exarchatus fuiſſe partem negant, contendunt, fuiſſe Æmiliæ partem. PAVLVS WARNEFRIDI *de geſtis Longobardorum lib. 2. c.* 18. Sed & provinciæ, quæ hanc Italiæ partem conſtituebant, quamdiu a Longobardis non fuerunt abſorptæ, ab exarcho regebantur. Porro addunt, non fuiſſe inter donum, quo Carolus magnus ſedem Romanam pellexerit. Ubi fatendum, nec in pacto inter Pipinum & Aiſtulphum de iis, quæ hic redditurus erat, inito, Parmæ & Placentiæ mentionem fieri, nec deinde, cum prius ei confirmaretur, ut de Comaclo dicitur, additum. Neque enim nomina illarum inter civitates, quarum claves Fuldradus Romanæ ſedi offerre debuit, citantur. Verumenimvero Carolo magno per Euletherium promittente, quæ in loco, qui Cariſiacus vocatur, facta erant, ſe rata habiturum, in locorum catalogo cum Mantua & Rhegio & univerſo exarchatu ſtricte dicto aliisque locis etiam Parma memoratur. Porro de Fulrado dicitur, ipſum cum miſſis Aiſtulfi regis Ravennatium partes Pentapolis & Æmiliæ civitates ingreſſum, easque recepiſſe & obſides ab unaquaque ſumſiſſe, atque primates ſecum una cum clavibus portarum civitatum Romam detuliſſe. ANAST. BIBLIOTH. *p.* 171. 186. *tom. 3. ſcript. Ital.* Sed dictum jam tum, quæ in donationis ſic dictæ cenſu reperiuntur, omnia nunquam ad pontificem perveniſſe. Non igitur neceſſum, ad ſilentium cæſarearum donationum, imprimis fictitiæ illius Ludovici pii, cum autore vindiciarum imperialium confugere; præſertim cum in ſuppoſititia illa Ludovici tabula Æmiliæ mentio injiciatur. Sic & in Ottonis I. & II. nec non Henrici II. tabulis Æmiliæ & Parmæ, Mantuæ & Rhegii mentio fit. GOLDAST. *Conſtit. tom. 1. p.* 228. *tom. 2. p.* 44. Impingit itaque auctor Hallenſis, horum nominum in Ottoniano diplomate mentionem non fieri; aberrat quoque in eo, quod exiſtimet, per ſubſequentia vocabula: *Bobium*, *Ceſenam* &c. imperatorem explicare, quid per Æmiliam intelligat. Nam Bobium monaſterium ſpectabat ad Italiæ provinciam, quæ Alpes Cottiæ dicuntur, aliud autem ad eam, quæ in Apenninis eſt Alpibus. *Forum Pompilii* Tuſciæ pars erat. Nec omnia illa loca, quæ deinde Romaniolæ tributa, antea Æmiliæ fuere. Vide tamen, quæ de his & aliis ejusmodi donationum tabulis alibi diximus. Quod autem ad reges & imperatores, qui exſtincto Carolo craſſo, Italiæ, antequam ea Otto I. potiretur, præfuerunt, attinet; & illos Parmam Placentiamque moderatos eſſe, nullum eſt dubium. Vide diploma apud VGHELLVM *tomo 2. p.* 147. 148. 149. 150. *ſeqq.* Ottoni primo utramque paruiſſe provinciam, non ſolum ex argumento *imperialium vind. Hallenſ.* a Roncaliis haud procul Placentia ſitis, in quibus comitia celebrari ſolebant, deſumto: Sed validioribus adhuc rationibus liquet. In diplomate de anno 962. Humberto epiſcopo Parmenſi bona & jura ſuæ eccleſiæ ab hoc confirmantur cæſare. VGHELLI *tom. 2. p.* 157. In diplomate, quo, Humberto hoc precante, Jugoni cuidam paterna & materna, quæ in Italiæ regno habebat, bona confirmat, inter alios comitatus Parmeſini quoque & Placentini mentio injicitur. VGHELLI *tom. V. p.* 431. Porro in diplomate, quo idem imperator anno 963. epiſcopum Regienſem privilegio aliquo donat, comitatus quoque Parmenſis Ottoni ſubjectus memoratur. UGHEL. *tom. 2. p.* 268. Ottone II. imperante in Ronca-

rationes, quas in Parmenſi ditione habet. Etſi vero etiam principatus illius omnia a pontifice dependeant

liis etiam habita campis comitia, & dotalitii nomine Adelheidis Placentia inſignita. LOCAT. *de origin. Placent. ad annum 979.* SIGONIVS *lib. 7. ad annum 980. edit. Bonon. p. 328.* Nec non adſunt diplomata, ex quibus conſtat, Ottoni III. Parmam & Placentiam ſubjectam fuiſſe. Confirmat namque Savini monaſterio bona in territorio Placentino ſita, quæ ipſi a Sigefrido epiſcopo Placentino donata erant. Exſtat quoque Benedicti VIII. confirmatio. UGHELLI *tom. 3. p. 207.* Sed monui jam tum ſupra, papales confirmationes aliam, quam benedictionum eccleſiaſticarum rationem non habuiſſe. Atque de hujus imperatoris in Parmam jure egregium adhuc exſtat documentum. In diplomate enim, quo Sigefrido Parmenſi epiſcopo ſuæ eccleſiæ res anno 979. confirmat, hæc leguntur: *qualiter interventu ac petitione noſtra genitricis Theophaniæ, imperatricis Auguſtæ, Sigifridus S. Parmenſis eccleſiæ epiſcopus noſtram adiens clementiam petiit, ut more prædeceſſorum noſtrorum omnes res Parmenſi epiſcopo attinentes, videlicet Burgum S. domini cum ſua pertinentia, abbatiam de Berceto cum ſua pertinentia, nec non diſtrictum Parmæ civitatis cum muro & telonio inſuper & tria milliaria in circuitu ipſius civitatis, quæ divæ memoriæ avus noſter Otho imperator Auguſtus prælibatæ Parmenſi eccleſiæ per præceptum contulit, cujus precibus annuentes, & mala omnia, quæ acciderint, ſæpe & epiſcopos ipſius eccleſiæ conſiderantes, ut penitus præterea lis & ſchiſma evelleretur, inſuper etiam concedimus, ut ſi aliqua navis alicujus caſtelli epiſcopii Parmenſis per padum aut per aliquem aquæ ductum Ferariam tranſierit, nullum exinde tributum exigat aut requirere tentet.* Huic accedit, quod referente domino BöHMERO *in vindiciis imperialibus p. 18.* ex LOCATO & SIGONIO ille Lanfrancum Braciſortium, Placentinum una cum fratribus Vicojuſtino agri Placentini caſtello donaverit. Sub Henrico ſancto hoc imperii jus nullam paſſum eſſe mutationem, diploma, quo Brumienſi monaſterio jura ſua & bona, quæ in Parmenſi habebat comitatu, confirmantur, comprobat. VGHELLI *tom. IV. p. 984.* Hic autor exhibet quoque *tom. II. p. 162.* diploma, in quo idem imperator anno 1015. Bernardo comiti Parmenſi ab Ottone III. donata confirmat, eisque curtem Neronianam cum aliis adjicit: *quoniam*, inquit, *ſenioris noſtri Ottonis prædeceſſoris imperatoris cognoſcentis hujus remunerationis fautricem gratiam Bernardo Parmenſi comiti fideliſſimo noſtro curtem Neronianam cum capellis, caſtris, dominicatis, maſſaritiis, villis & terris omnibusque ad eam pertinentiis, curtem Rocham etiam & caſtrum de Valle Viſenerina cum omnibus ibi pertinentiis &c. &, ſicut quondam Hugo Tuſciæ marchio per omnia tenuit, in integrum ad petitionem Cunigundæ conjugis noſtræ donamus, concedimus, atque largimur.* Quin etiam compertum habemus, præter conventum ordinum in Roncaliis, jubente hoc imperatore, convocatum, ab eo fratribus de vico Vallecarii caſtellum in Placentino agro in beneficium datum, & nobilem de Fontana gentem capitaneatu mactatam eſſe. *Nota ad Landulfum juniorem tom. VI. ſcriptor. Italic. p. 518. LOCATVS ad annum 1004. 1014.* Neque nexus, quo Parma & Placentia imperio junctæ erant, ſub Conrado Salico mutationem paſſus eſt. Non ſolum enim comitia in Roncaliis celebravit, SIGONIVS *lib. 8.* Sed & Placentinum epiſcopum cum Mediolanenſi, Vercellenſi & Ticinenſi præſulibus iniqua agentem exilio mancipavit. WIPPO *in vita Conradi Salici p. 441.* ANNALES HILDES. *apud Leibn. p. 728.* ANTONIO CAMPO *hiſtoria di Cremona p. 14.* In diplomate, quo epiſcopo Lunenſi jura & bona confirmantur, & illorum, quæ in comitatu Placentino habebat, meminit. VGHELLI *Ital. ſacr. tom. I. p. 840.* Parmenſem urbem obſidione cinctam, Bonifacii Eſtenſis auxilio, ad obſequium reduxit. *DONIZO in vita Mathildis c. 10. p. 354. tom. V. ſcript. Ital. PIGNA p. 82.* Rediit itaque utile ejus dominium ad Eſtenſes, qui eo longo jam tum tempore uſi erant. *PIGNA p. 62. 72.* Placentini tamen, qui eodem ſe tempore Eſtenſis domus obſequio ſubtraxerant, ſerius ad bonam rediiſſe mentem videntur. Parmenſi epiſcopo idem imperator abbatiam Bercetto donavit, & curtem quandam regiam intra civitatem Parmam. UGHELLI *tom. II. p. 164.* Non inutile forte erit ſequentia diplomatis verba ſubjungere: *quamobrem hoc noſtrum imperiale edictum & hujus noſtræ autoritatis paginam conceſſa largimur & largita confirmamus & corroboramus, id eſt, præfatam abbatiam Bercetto cum omnibus appertinentiis ſuis & prædictam curtem regiam intra civitatem Parmam cum omni officio ſuo præter hæc etiam & omne jus publicum & omne teloneum & omne diſtrictum ejusdem civitatis, ac omnem habitum murorum in circuitu & pratum regium in integrum, atque diſcurſus & alveus omnium fluviorum infra comitatum Parmenſem defluentium & diſtrictum & omne jus publicum omnium caſtrorum Parmenſis epiſcopi.* Quinimo imperatori conſtituere placuit, Bernhardo Parmenſi comite prolis experte fatis functo, Parmenſem comitatum epiſcopo illius eccleſiæ cedere debere. Ex quo tempore *epiſcopi Parmenſes comitum titulo uſi* ſunt. Iſthoc beneficii anno 1035. 1036. Hugoni epiſcopo confirmavit. VGHELLI *tom. II. p. 164. ſeqq.* Erant hæ terræ ſub Bonifacii eccleſiæ prætectoris Ferariæ, Rhegii, Mantuæ, Lucæ, dominii & Veronæ marchionis vicariatu, quem ab imperio habebat, generali. SIGONIVS *de regno Italiæ lib. 8. p. 359. PIGNA nell' hiſtor. de princip. d'Eſte p. 82.* Subtraxerat quidem ſe ejus obſequio Parma æque ac Placentia. Sed Parma mox iterum in ordinem redacta eſt; Placentia vero eo tempore ad priſtinum redigi non potuit obſequium. SIGONIVS *de regno Italiæ p. 360.* Henrici III. vices in regendis his terris poſt Bonifacii mariti mortem habuit *Beatrix* ejus ſoror, PIGNA *lib. 1. p. 86.* quæ tamen imperatoria gratia excidit, quoniam Gothefrido Lotharingiæ duci inimico ejus nupſerat. LAMBERTVS SCHAFNABVRGENS. *ad annum 1055.* SIGONIVS *lib. 8. circa finem.* Henricus hic, quem Nigrum dixerunt, lites inter epiſcopum Bobienſem & Placentinum compoſuit. VGHEL. *tom. 4. p. 928.* Quod autem Cadeolo epiſcopo Parmenſi comitatum Parmenſem confirmaverit, ex ſubjecto apparet diplomate: *In nomine Dei æterni. Henricus ejus ſuffragante clementia Romanorum imperator Auguſtus. Quia omnipotentiæ Dei &c. Omnibus igitur tam noſtris quam S. Dei eccleſiæ fidelibus præſentibus & futuris notum fieri volumus, quod interventu & petitione Henrici noſtri cancellarii concedimus & conferimus, & perpetua donatione firmamus atque corroboramus hoc, quod patrem noſtrum bonæ memoriæ Conradum feciſſe cognovimus pia voluntate, Parmenſem ſcilicet comitatum tam intra urbem, quam extra, totum per circuitum, ſecundum priſcos fines ipſius, & deſcriptionis terminos per hanc noſtri præcepti paginam S. Parmenſi eccleſiæ, cui Cadeolus epiſcopus præeſt, integre largimur cum omni diſtrictu ad eundem comitatum pertinente cunctisque publicis functionibus & exactionibus, ſicut noſtræ pertinet poteſtati, omni noſtra & noſtrorum ſucceſſorum contradictione ſeu moleſtatione remota. UGHELLI tom. II. p. 166.*

Veniamus jam ad HENRICVM IV. Hic pontificum, imprimis Gregorii VII. & Mathildis multas moderantis terras, graviſſimis divexatus fuit motibus. DONIZO *p. 345. tom. V. ſcript. Ital.* Gregorius & Mathildis pietatis præ ſe ferebant ſpeciem, & hæc, ut humilitatis ſuæ in diplomatibus ſuis publicum exſtaret documentum; aliqua eorum auſpicata eſt aut finivit hac formula: *Mathilda Dei gratia, id quod ſum, aut ſi quid eſt.* VGHELL. *tom. I. p. 216. 817. 818. tom. II. p. 170. tom. III. p. 537. tom. IV. p. 596.* Verum enim vero Henricus, quo ſibi & imperio jus in Italiam conſervaret, nihil inexpertum reliquit. Nec invenio, quod Mathildis ſummo imperii juri, quod in Parmam & Placentiam habuit, derogare voluerit. Vid. PIGNA. Placentiam illo tempore imperatoris juſſu *Cadolum Pallaricinam* rexiſſe, ex PLATINÆ *vita Benedicti X.* conſtat. Legimus quoque, quod Hugoni & Fulconi, Azonis marchionis Eſtenſis filiis, terras quasdam in comitatibus Gavellenſi, Paduano, Ferarienſi, Vicentino, Britino, Cremonenſi, Parmenſi, Lunenſi, Aretino, Placentino, Mutinenſi & Tertonenſi donaverit. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 1520. Henricus V. qui patrem imperio privavit, in tuendis imperii rebus in Italia, ejus inhæſit veſtigiis. Placentinos moras nectentes ad jusjurandum & conſuetum ſibi præſtandum munus adegit. Parmenſes autem ipſum, ut ſupremum ſuum

deant proxime, fuerit tamen totus cæſarei juris ſaltim remote, prout omnia pontificum clientibus poſſeſſa.

24. Citra

principem, ut par erat, receperunt. Exſtincta Mathilda, Parmæ & Placentiæ ſupremo dominio, quod ſibi ut imperatori competebat, etiam utile addidit. SIGONIVS *ad annum 1115.* Henricum V. in regenda Italia Lotharius excepit, qui animum ſuum in nullo plane ab imperii juribus diſcedendi ſufficienter manifeſtavit, quod comitia in Roncaliis coëgerit campis, alienataſque civitates in ordinem redegerit. SIGON. *lib. 11. p. 499.* Conradum Lotharii æmulum & rebus compoſitis deinde ſucceſſorem, Placentinis jus cudendæ monetæ largitum eſſe, diploma, quod BöHMERVS *in vindiciis imperialibus ex LOCATI originibus Placentinis* & Dn. LVNIGIVS *C. J. D. tom. II. p.* 1431. referunt, docet. Deinde hujus imperatoris tempore & Parmam & Placentiam jus imperii in ſe agnoviſſe, ex eo quoque apparet, quod in illius fœdere cum Mutino & hujus cum Papienſibus debita imperii fides ſervata ſit. *SIGONIVS ad annum 1151. LOCATVS ad annum 1141.* Imperante Friderico I. vinculum illud ſubjectionis, quo utraque gens imperio adſtringitur, magis adhuc ob oculos poſitum eſt. Vt ſileam eos ordinum in Roncaliis comparentium cœtui per deputatos adfuiſſe; nam ex omnibus regni partibus, præter proceres, conſules & civitatum judices ibi confluxere. RADEVICVS *lib. 2. c. 1.* Fœderi deinde, vel potius conſpirationi eorum, qui in cæſarem, concitante pontifice, inſurgebant, ſe adjunxerunt. SIGONIVS *lib. 14. ad annum* 1167. CORIO *parte ſecunda p.* 165. 174. Cum non ita longum ante tempus Placentini fidem ſuam, qua imperatori adſtringebantur, juramento firmaverant, additisque promiſſis: *di dar al imperadore ſei milla marche d' argonto le diffar tutte le mure e foſſe della citta e di ricever tutte quelle poteſtarie imperatorie, che gli Saranno mandate.* CORIO *parte prima dell' hiſtorie Melaneſe p. 103.* Tales magiſtratus, quos latino idiomate prætores, Italico podeſtà dicunt, imperatorios etiam Parmenſes nacti ſunt. TRISTANVS CALCHVS *hiſtor. Mediolan. lib. 9. p.* 136. *apud Græv. t. 2. part.* 1. *antiq. Ital.* CORIO *p.* 165. 166. Arialdus epiſcopus imperatoris nomine prætura ibi anno 1174. functus eſt. VGHELLI *tom. II. p.* 174. MALESPINI *in hiſtor. Florentina c. 99.* POGGIVS *lib. I. hiſtor. Flor. p. 5.* LEANDRO ALBERTI *fol.* 16. Impingit itaque Merula, qui opinatur, poteſtates primum pacis Conſtantinæ tempore cœpiſſe. In hac pace ſub ea lege Parmenſes & Placentini cum aliis alienatis in gratiam recepti ſunt, ſi de fide ſervanda juramentum præſtarent, idque quovis quinquennio renovarent. SIGONIVS *lib.* 14. *ad annum* 1183. Huic accedit, quod SIGONIVS ad ann. 1185. memoriæ prodat, pace Veneta cum Alexandro III. inita imperatorem loca in Italia Germaniæ ſubjecta adiiſſe ibique jura populorum recognoviſſe, inter quæ etiam Parma & Placentia nominantur. Denique & id memorari meretur, quod in diplomate, quo Fridericus anno 1179. cum filio Henrico novo privilegio Parmenſem augent eccleſiam, Bernardus epiſcopus inter capitales imperii columnas referatur. VGHELLI *t. 2. p. 172.* Qui poſt Fridericum I. imperio præfuerunt, ut Henricus VI. Otto IV. Fridericus II. itidem Parmæ & Placentiæ ſuos habuerunt vicarios & poteſtates. SIGONIVS *lib.* 15. LOCATVS *ad ann. 1200. & ad ann.* 1256. LVDOVICVS CAVITELLVS *ad ann.* 1253. Habemus Henrici VI. diploma, quo Opizoni epiſcopo Parmenſi ejusque ſucceſſoribus anno 1195. in perpetuum confirmat *bonos uſus & conſuetudines, quas huc usque Parmenſis eccleſia habuit, concedit quoque & confirmat præfata eccleſia juriſdictionem Parmenſis civitatis & juriſdictionem in placitis & bandis &c.* VGHELLI *tom. 2. p.* 174. Atque hoc privilegium ab Ottone IV. anno 1207. in gratiam Opizonis epiſcopi renovatum eſt, additque Otto: *Item ut Parmenſis poteſtas ſeu conſul, qui pro tempore fuerit de Clericis compellendis ad judicem ſe non intromittant, nec ponant in banno Clericos, quousque ſuo epiſcopo eſſe voluerint obedientes, nec negent facere juſtitiam epiſcopo & Clericis & aliis eccleſiaſticis perſonis conquerentibus de Laicis, & quod nullus ſe intromittat de regimine civitatis Parmenſis, antequam confirmationem & inveſtituram recipiat de manu epiſcopi, & poteſtas ſeu conſul vel alius officialis, qui contra fecerit, ſi admonitus ab epiſcopo infra quindecim dies tibi non ſuffecerit, pro conſule, poteſtate vel alio officiali non habeatur.* VGHELLI *Ital. ſacr. tom.* 2. p. 175. Subjicitur hic epiſtola ejusdem imperatoris, ex qua liquet, quod etiam communi Parmenſi privilegium largitus ſit. Idem a Friderico II. factum. VGHELLI *l. c. p.* 176. Placentia quidem ſe ad tempus ſubjectioni, quam imperio debebat, ſubtraxit, & ſacerdotii, quod tum ab imperio maxime diſſentiebat, ſecutus eſt partes: ſed ab imperatore in ordinem redacta fuit. CAFFARI *in annal. Genuenſ. tom. 6. ſcript. Ital.* MATH. PARIS. *p.* 746. *Platina in Innocentio IV. c. 25.* ROLAND. *rer. in march. geſt. lib. 5. c.* 21. 22. Antequam Rudolphus Habsburg. in ſolium veheretur imperiale, ſub Carolo Andegavenſi, qui ſe imperii mentiebatur vicarium, erant, poſtmodum autem æque ac aliæ civitates imperatoriis legatis, ſe cæſaris imperata facturas, fidem jurejurando dederunt. Vide BöHMERI *vindicias imperiales p. 27. ſeqq. &* STRUV. *diſſert. de ducatu Parm. p.* 11. Porro nec Adolfus, nec Albertus curam imperii in Italia depoſuerunt. Ille enim Mediolani Mattheum vicecomitem generalem in Italia vicarium habuit, Joanni vero Cabilionenſi Burgundiæ principi Tuſciam regendam tradidit. CORIO *p.* 303. HENRICVS STERO *in annal. ad annum* 1293. PTOLOM. LVCC. *ad annum* 1296. Alberto vero multa pontifex faceſſebat negotia, quem haud dubie in ordinem redegiſſet, niſi violenta mors, fratris filio Joanne autore, ipſum rebus humanis abſtuliſſet. Henricus VII. ut Gilbertus ſuo Parmæ præeſſet nomine, paſſus eſt. LEANDRO ALBERTI *fol. 362.* Sed eo familias, maxime in luce viventes, nimis duriter habente, hominumque ſtudia comitate & quodam blanditiarum artificio ad ſeſe attrahere ignorante, aut negligente, omnium ſibi conciliavit odia, quæ in exitio ejus deſiere. Pulſus enim a Mattheo vicecomite, ſolum vertere coactus eſt. Ratum deinde habuit cæſar, ut ſua in regenda urbe Matheus fungeretur vice, qui & Placentinum adeptus eſt vicariatum, quo deinde, ut filius Actius eo potiretur, deceſſit: Sed hic a Verguſio Laudo munere illo, ut pater a Can grande della Scala Veronenſi vicario, Parmenſi privatus eſt vicariatu. Memoratur quoque Lambertus Cyprianus, Placentiæ ab imperatore vicarius conſtitutus, quem Scotus inde expulit. Vid. Dn. STRUV. *diſſert. de Parma & Placentia p.* 11. MERVLA *lib.* 10. *lib.* 12. TRISTANVS CALCHVS *lib.* 20. Imperante Ludovico Bavaro, utraque civitas proditione potiſſimum in Romanæ ſedis pervenit poteſtatem, quæ eas ad aliquod, ſub prætextu vacantis imperii, detinuit tempus. *Diſſertat. Hallenſis autor. p. 33.* LVNIG. *C. J D. t. 2. p.* 1442. *ſeqq.* ubi varia Johannis XXII. refert diplomata. CORIO *delle hiſtorie milaneſe parte terza p. 425.* Quanquam Ludovicus vicarios ipſis conſtituere haud neglexerat, qui ſub generali Mediolanenſium vicecomitum eſſent vicariatu. CORIO *p.* 410. 411. Annalium quoque memoria conſtat, totius Italiæ vicariatu Johannem Bohemiæ regem functum, qui eo munere, ut illud ad Carolum filium perveniret, ſe exuit. VILLANI *lib.* 10. *c.* 70. CORIO *p.* 412. *vita Caroli apud* GOLDAST. *p.* 97. Poſtea Parma a Corregiana gente, quæ alios ſibi junxerat ſocios, a papali liberata eſt, dominatu, rectoresque inde habuit, quorum Azzo, deturbato fratre Guidone, Opizoni Eſtenſi ſeptuaginta millibus aureorum florenorum urbem vendidit. CORIO *ad annum* 1344. LEANDRO ALBERTI *f.* 362. PIGNA *p.* 375. Ab hoc eam Lucinus vicecomes Mediolanenſis ſexaginta mille ducatis redemit. Atque ſic Mediolanenſibus usque ad Joannis Galeacii, qui primus ducali decoratus fuit axiomate, paruit. Cæterum nihil ab imperio ſummi in eam juris remiſſum eſſe, & ex eo apparet, quod Carolus IV. Ugelino epiſcopo 1355. in diplomate Romæ conſcripto omnia jura & privilegia confirmaverit. VGHELLI *tom. 2. p.* 182. In diplomate imperator epiſcopum *principem devotum ſuum* vocat. Nec diuturniora propemodum Placentiæ fuerunt papalia imperia; ejecto enim eccleſiaſtico milite, ſuadente præſertim Franciſco Scotto ad obſequium actio præſtandum

Placentini reverti ſunt cives, manſeruntque arctiſſimis cæſari conſtricti vinculis. Matthæus namque vice-comes Parmenſes & Placentinos gubernans ſub fratrum imperiali, quo a Carolo IV. donati erant, vicariatu rexit, vide *epiſtolas Caroli IV. a MADERO Gervaſio Tilberienſi* additas. *Corps diplomatique du droit des gens p.* 144. 145. CORIO *p.* 477. Verum vicecomitum fide aut obſequio fluctuante, Carolus æque ac Ludovicus Bavarus vicariatu eos emunxit. Rediit tamen ad G. Galeazium, quem Wido epiſcopus Portuenſis per totam Italiam imperatoris habuiſſe vices, dicit. *Bullarium Caſſinenſe tom. 2. ad ann.* 1369.

Sed veniamus ad Wenceslaum; habet forte ſibi quis perſuaſum, ipſum omnem Italiæ curam depoſuiſſe: aſt hoc a veritate longe alienum eſt. Quodſi enim nullum obſervatæ ibi cæſareæ auctoritatis exſtaret veſtigium, ex eo ſolo id colligi poſſet, quod *Jodocum*, Moraviæ marchionem, Generalem ſuum in Italia juſſerit eſſe vicarium. STEPHANVS BALVZIVS *in notis ad vitas paparum Avenionenſium tom. I. p.* 1200. Atque hic ſicut aliis civitatibus, ita & Parmæ & Placentiæ vicaria imperatoris poteſtate præfuit; inferior autem poteſtas erat apud Joannem Galeazium vice-comitem Mediolanenſem, quem acceptis nummis anno 1395. ad ducalem elevavit dignitatem. CORIO *parte quarta p.* 536. *ſeqq.* LEIBN. *C. J. G. D. p.* 207. LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 420. Sed quo magis incertum nova hac Galeazii dignitate imperii rationibus damnum illatum; licet hoc inter cauſas depoſitionis ejus apud OBRECHTVM *in collectaneis jurispublici* referatur, eo certius eſt, Parmam & Placentiam illorum locorum, qui novo duci confirmabantur, numero fuiſſe. Quamvis enim in diplomate ipſo expreſſe Parmæ & Placentiæ mentio non injiciatur; ſub ampliſſima tamen formula omnia, quæ majorum fuerunt, Joanni Galeazio conceduntur. Et ſi fides CORIO *l. c. p.* 538. habenda, inter alia loca, quæ ducatus complecti deberet, Parma & Placentia nominatæ ſunt, cum Beneſius, nobilis Germanus, allato imperatorio diplomate, quid Pragæ factum eſſet, nunciaret. Porro diploma de anno 1396. quo prius confirmatum, & dux comitis papiæ titulo auctus, urbes hujus cum aliis nominatim enarrat. LVNIG. *C. J. D. p.* 426. Huic accedit, quod Placentiæ civibus anno 1399. facultatem dederit, in ſua civitate *generale ſtudium utriusque juris, videlicet tam canonici, quam civilis; nec non philoſophiæ, medicinæ & artium liberalium ac quarumcunque ſcientiarum approbatarum erigendi.* Provocat in diplomate ad tabulas imperatorias, *de ducali monarchia conceſſas.* LOCATVS *in originibus Placentinis p.* 102. LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 1479. Denique cum Johannis Galeacii filii paternas ditiones poſt ejus mortem dividerent, in portione, quam fratrum natu major conſequebatur, Parma & Placentia fuerunt. JOAN. BAPTISTA VILLA NOVA *hiſtor. laud. Pompej. p.* 913. Objici quidem poſſet, omnia, quæ a Wenceslao facta, a Ruperto irrita eſſe pronunciata. LVNIG. *C. J. D. tom. I. p.* 431. *ſeqq.* Sed hujus conatus in vanum ceſſiſſe, ex illorum temporum annalibus manifeſtum eſt: videtur tamen Nicolaus Eſtenſis a Ruperto Parmenſibus vicarius datus. TARCOGNOTA *lib.* 17. *p.* 688. Verum, ſi quid hæc narratio ex vero habet, certum tamen eſt, ipſius jus non diu admodum valuiſſe. Sub Sigismundo namque omnia ad priſtinum redierunt ſtatum. Hic Parmenſi epiſcopo Delphino de Pergula omnia privilegia, quæ alii cæſares aliquando Parmenſi ſunt largiti eccleſiæ, confirmavit. VGHELLI *tom.* 2. *p.* 185. Novo quoque diplomate Philippo Mariæ id, quod Wenceslai diplomatibus continebatur, confirmavit, atque & hic *Parmæ & Placentiæ* expreſſa ſit mentio. ZARI *in Parm. & Placent. imperiali* §. 9. Id quidem ex hiſtoria conſtare videtur, alios adhuc præter nominatos Parmæ & Placentiæ ante Ottobonem tertium dominatos eſſe. Etenim ex LEANDRO ALBERTI innoteſcit, hunc Ottobonem tertium, ejectis demum Roſſiis, urbem regere cœpiſſe. Ottobone deinde a Sfortia interfecto, & Cottignola in vanum ſibi urbis pollicente regimen, in Nicolai II. Eſtenſis Ferariæ marchionis rediit poteſtatem. Hic ſe reprimendis hoſtium inſultibus, & avertendis æmulorum machinationibus imparem ratus, ut ad Philippum Mariam Mediolanenſem rediret ducem, paſſus eſt. PIGNA *lib. ſexto p.* 542. Hoc exſtincto, tam Parmenſes, quam Placentinæ terræ, res ſuas ſeorſim habere molitæ ſunt: Sed a Franciſco Sforza, Philippi Mariæ ex naturali filia genero, cui Mediolanenſes, ut duci, ſeſe tandem permiſerunt, in ordinem redactæ & Mediolanenſi ducatui vindicatæ ſunt. CORIO *Delle hiſtorie Milaneſe parte quinta p.* 703. 705. 711. 715. 717. 718. 742. 752. 787. *ſeqq.* PIGNA *p.* 677. *ſeqq.* TARCOGNOTA *lib.* 19. *p.* 775. Sub Sfortiis deinde fuerunt, usque dum Gallis ſub Ludovico XII. jus Valentinæ armis perſequentibus ceſſerint. HISTOIRE *de Louis XII. par Jean d'Auton*, GVICCIARDINI *lib. IV. p.* 126. *ſeqq.* BEMBO *lib. IV. rer. Venet.* Sed nec ſub Sforziis, nec ſub Gallis jus imperii in Parmam & Placentiam ullum cepit damnum, utrique enim ut ducatus Mediolanenſis partes imperii faſſi ſunt eſſe feudum. Ex quo enim Franciſcus Sforzia Mediolano potitus erat, imperium bello partum ſibi a Friderico confirmari rogavit, ſed cæſar niſi præſtita notabili quadam argenti ſumma, beneficio hoc ipſum pellicere noluit. GRATIANVS *de caſibus virorum illuſtrium in Ludovico Sforzia cognomento Mauro.* De inveſtituris a Maximiliano I. Wenceslai diploma ſequentis, Ludovico huic & Gallis impertitis latius in Mediolanenſibus agitur. Cæterum JVLIVS II. militaris animi papa, Francorum nimium quantum reformidans viciniam, odioque ingenti in Ludovicum XII. & archiminiſtrum ejus cardinalem *Ambroſium*, olim ejus in adipiſcendo papatu æmulum, eos Italia ejicere decrevit. Cumque huic incumberet propoſito, & Parmam & Placentiam cepit, locaque hæc Petri patrimonio, ſub vaniſſimo, quod exarchatus olim fuerint pars, jungere animum induxit. GVICCIARDINI *lib.* 9. *&* 10. PALATIVS *in Julio II.* MEZERAI *abregé chronologique tom.* 3. *p.* 464. ONVPHRIVS *in vita Julii II. p.* 364. CAVITELLVS *in annal. Cremon. ad ann.* 1512. Vitam Julio ponente, Neapolitanus prorex urbium illarum amplexus imperium: ſed conſultum viſum, voto Leonis X. eas repetentis ſubſcribere, placato juxta aliquos Maximiliano Sforzia ſacro ære: Verum triennio elapſo papale hoc exſpiravit dominium; Galli enim Franciſco I. duce in Italiam reduces, Leonem X. non bellico ardore, ut anteceſſor ejus, ſed molliori vita, luxu & magnificentiæ nomine commendatum facili negotio, ut has ducatus Mediolanenſis partes ſibi dimitteret, commoverunt. HISTOIRE *de François I. par* VARILLAS *tom.* 1. *p.* 68. PALATIVS *in Leone X. p.* 774. *tom.* 1. ONVPHRIVS *in vita Leonis X. p.* 349. *Hiſtoire ſecrete de la maiſon de Medices par* VARILLAS. Sed brevi poſt pontifex Gallorum exoſus amicitiam, Carolo V. imperatori fœdere, ad exturbandos ex Italia Gallos tendente, ſe junxit. In ipſis forte pactionis tabulis ſanctum perſcriptumque fuit, ut bellicorum in Gallos negotiorum in obſidenda Parma primordia ponerentur: Sed obſidium illud non ceſſit ex voto, cujus variæ ab autoribus ſtatuuntur cauſæ. MARTINVS BELLAJVS *in comment. de reb. Gall. lib.* 2. *ad ann.* 1521. *p.* 36. 37. GIOVIO *nel lib.* 1. *della vita di Leone X. & nel libr.* 2. *della vita di Peſcara.* GVICCIARDINI *libr.* 14. *f.* 404. *edit. di* PORCACHI. HISTOIRE *ſecrete de la maiſon de Medicis par* VARILLAS *p.* 301. 302. *Memoires de Parme p.* 539. Verum haud multo poſt uterque locus a Gallorum præſidio derelictus eſt. GVICCIARDINI *fol.* 415. Conſentiebat quidem imperator, ut præſidium urbium ex pontificiis ſumeretur copiis, haudquaquam tamen inde intuitu jurium imperii negligenter actum, quippe quæ ubique ſalva fuerunt. Nec dubito, quin imperator urbes præſidiario pontificis milite liberaſſet, niſi amori, quo Adrianum VI. olim præceptorem complectebatur, aliquid dediſſet. PALATIVS *in Adriano VI p.* 22. Hoc e vivis ſublato a Clemente VII. ejus ſucceſſore Parmam & Placentiam imperator repetiiſſe videtur, & hæc haud dubie primaria fuit cauſa, quod ad Gallorum provolaret amicitiam. PALATIVS *in Clemente VII. p.* 78. *ſeqq.* Infelix quidem Gallorum ad Ticinum prælium effecit, ut eorum ami-

obſtricti ſunt: idque fatentur utriusque poſſeſſores Gonzagæ. *Primus ejus familiæ* (*) Mantuanæ capi-

amicitia rejecta ád imperatorias redierit partes: verum propenſum in Gallos animum novo mox declaravit argumento; ſed ſpe, quam inde ſibi augurabatur, plane fruſtratus, maleque mulctatus eſt. JOVIUS *lib. 14. p.* 236. 237. Pacis deinde redeuntibus halcyoniis, imperator ſummi præſulis manu corona velari Romana concupivit, atque antequam Bononiæ ſe ſacramento tutorio Romanæ adſtringeret ſedi, ſtipulatus eſt, jura ſua in Parmam quoque & Placentiam ſalva fore. Audiamus hac de re SURIUM *in commentario brevi rerum in orbe geſtarum p.* 137. ore vel ſtylo potius Jovii loquentem: *Juravit cæſar*, inquit, *verbis rite conceptis, ſed ita tamen, ut de ſuo jure nihil diſceſſurum teſtaretur, quod putant quidam, ea ratione eum feciſſe, quod Placentiam & Parmam Mediolanenſi imperio antiquitus attributas reperiret.* Videtur imperator, ex reverentia, qua in Romanam ferebatur ſedem, mollia ſecutus conſilia, nec duriora ad contundendam Clementis tenacitatem expedire voluiſſe media, ne novo bello inde anſa præberetur. Quod in ſuos applicuit uſus Paulus III. ex Farneſia gente pontifex. Suum enim cuique tribuendum, inter vulgaria & infra papales reputans rationes, nothorum ſuorum, Ludovico pro ſe & Octavio ejusque primogenito & aliis deſcendentibus, memoratas ſæpe provincias in feuda ducalia ſub 9000. attribuit ducatorum annuo cenſu; Octavio autem ejusque deſcendentibus legitimis frater ſubſtitutus Horatius. Atque traditur, pontificem hoc modo Ludovico Caſtri, Octavio Camerini ducatus ſedi Romanæ reſtitutos penſare conſtituiſſe. Sed Ludovici, qui primus ducatus moderabatur, non longa fuit dominatio. Nobilium enim, quorum inexpiabilia ſibi irritaverat odia, autoritatem eorum accendendo, conſpiratione interfectus eſt. Eo ſublató copiis cæſareis in propinquo latitantibus apertæ ſunt portæ, atque iis intromiſſis, in cæſaris nomine proclamatum eſt. Conf. JOANNIS FOLIETTÆ *cædes Ludovici Farneſii.* LUNIG. *l. c. p.* 1490. *ſeqq.* Contenderat quidem papa omni ope, ut cæſar conceſſionem fiduciariæ ditionis ſua comprobaret auctoritate: verum ad hoc nunquam adduci potuit; ſed reſpondit, *ſi Placentia & Parma juris eſſent Romani imperii, ſuæ fidei non eſſe, quicquam de rebus imperii largiri; ſi pontificii, tum eas eſſe pontificis partes.* Quin etiam litteris, quas ad Petrum Ludovicum dabat, nunquam ſolitus erat adſcribere, duci Placentiæ ac Parmæ; ſed veteri titulo: ducatus caſtri hominem nominabat. FOLIETTA *l. c.* Quod liquidius ſignum conſervati imperii exſtare queat, ignoro. Atque pontifex, ne Parmam cæſareus caperet miles, ut ei conſtitutum fuit, auctius urbi immiſit præſidium, res ſumma ibi Camillo Urſino moderante auctoritate, ipſumque juſſit, ne ulli mortalium nec nepotibus ſuis locum concederet. MAUROCEN. *hiſtor. Venet. lib. VII. ad annum* 1549. *p.* 252. *ſeqq.* Neque *Octavius Farneſius*, Ludovici primogenitus, quascunque etiam adhiberet artes & obteſtationes, ditionem, quam paternam dicebat, recuperare potuit, niſi usque dum Julius III. ad papalem elevatus eſſet dignitatem, cujus electioni Farneſiorum amici ſub hac lege calculum ſuum adjecerunt: Sed cæſar hanc rem inique admodum tulit, locum hunc ſine ſuo arbitrio nulli permitti potuiſſe contendens, militem Parmenſibus immiſit terris, ut metropolim obſidione cingerent. Varii deinde hac de re exorti ſunt motus, imo bellum inter Gallum, Octavio fœdere junctum, & cæſarem hac occaſione recruduit, papa modo in has, modo in illas propendente partes. LUNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 1514. Indigne quidem admodum tulit papa, quod Octavius in urbem Parmam Gallicum receperit præſidium. LUNIG *l. c. p.* 1507. *ſeqq.* VARILLAS *hiſtoire de Henry ſecond p.* 143. 144. *ſeqq.* 174. 175. MAUROCENUS *p.* 253. *ſeqq.* PALATIUS *in Paulo III. p.* 153. 154. ONUPHRIUS *p.* 384. *Memoires de Parme p.* 405. Sed Octavius animadvertens, rebus ſuis nunquam fore conſultum, niſi Gallicis derelictis partibus ad imperatoris ſoceri rediret gratiam, hanc, cum cæſarem depoſita purpura in Hiſpaniam ad monaſticam navigaturum vitam Gandavi adiret, impetravit eo pacto, ut plane ab imperatorio penderet nutu, conciliatore & pacis ſponſore Coſmo Hetruriæ duce uſus. A nullo ſane autorum, qui de pactione inter cæſarem & Octavium aliquid memoriæ prodiderunt, traditur; Carolum imperii juribus adverſi quid pactum eſſe. *Hiſtoire de Henry II. par* VARILLAS *p.* 130. 131. *Memoires de Parme p.* 137. Notandum eſt, ipſum jam tum antea ſocero, proteſtantium principes debellanti adfuiſſe. GUICHENON *hiſt. genealogique p.* 662. Maxime quidem ſollicitus fuit Octavius, ut & Placentia ſibi redderetur; ſed voti tantum quoad urbem compos factus dicitur, in arcibus præſidio Hiſpanico relicto. Hæ redierant tandem, dimittente eas Philippo II. ad *Alexandrum* Octavii filium, rebus in Belgio præclare geſtis celeberrimum: ſed redditio illa, cum ſit res inter alios, acta, nullam imperii juribus poteſt afferre noxam. Imo Placentia ad Farneſios non aliter, niſi ducatus Mediolanenſis ſubfeudum rediit. Hoc ex inveſtitura, qua Philippus II. Octavium Gandavi beavit, conſtat. Hactenus quidem literarum inveſtituræ hujus non comparuerunt tabulæ, de facti autem veritate dubitandum non eſſe, *in Hallenſi diſſertatione p.* 125. duabus evincitur rationibus, nimirum 1) pontificiæ cauſæ patronos hoc non in dubium vocare, *diſquiſitio de natura ſtatuum Parmenſis & Placentini* §. 1. 2) Papam obinde in Hiſpanum ferrum ſtringere & Vaticanum vibrare fulmen, caſtrisque infeſta inferre ſigna conſtituiſſe. RIPAMONTIUS *in hiſtoria Philippi II. lib. 4. p.* 1162. Ridiculum eſt, vitii quid ineſſe rei papales clamitare cauſidicos, quoniam papæ non adhibitus ſit conſenſus. Quid enim pontificis requiri debuiſſet ſuffragium ad rem, cum ex nullo juris titulo tangentem? Nec deſunt actus, ex quibus ſatis apparet, Hiſpanos nunquam clientelarem illum nexum, quo ſibi Parmenſes devincti erant, omittere voluiſſe. Et quicquid etiam hic ab Hiſpaniæ regibus factum ſit, illud imperii juribus nullatenus nocere poteſt. Domino enim jus in ſubfeudum ſemper ſalvum manet, etiamſi vaſallus & dominus intermedius in jure ſuo exercendo ſit negligens. Omnes imperatores Carolum V. ſequentes, in capitulationibus ſuis polliciti ſunt, de rebus juribusque imperii conſervandis & vindicandis. Solenni autem tali proteſtationi præſcriptio ſi quæ locum habere poſſet, haud dubie interrumpitur, dominoque jus ſuum oportuno tempore vindicandum reſervat. Nec huic juri obſtat, quod forte Farneſii deinde cum ſede pontificia in detrimentum ejus machinati ſint; illi enim fiduciario, quo imperio devincti ſunt vinculo, ſe ſubtrahere & in pontificis clientelam concedere non potuerunt. Digni merito ſunt ejusmodi refractarii vaſalli, ut ſecundum id, quod feudalibus traditum placitis, in illos agatur. Vindicati juris imperii in Parmam & Placentiam notabile habemus exemplum in JOSEPHO, qui juxta conſuetudinem in Italiæ feudis receptam militem ſuum in Placentinum & Parmenſem agrum hibernatum ire juſſit. Cumque Franciſco duci viſum, onus illud determinata quadam redimere ſumma, marchio de Prie cæſareæ majeſtatis ablegatus & ducis Parmenſis deputati Placentiæ in monaſterio S. Sevini anno 1706. d. 14. decembr. in quosdam convenere articulos. Hanc rem indigniſſime tulit papa Clemens XI. atque publico diplomate bellum ſacraque minitante fulmina pactionem illam d. 27. Julii anni 1707. irritam dixit. *Memoires de Parme p.* 541. *ſeqq.* FABRI *Staats-Cantzeley tom. 13. p.* 631. *ſeqq.* Accedunt binæ epiſtolæ a pontifice menſe Junio 1708. ad imperatorem non ſine bile exaratæ. FABRI *Staats-Cantzeley tom. cit. p.* 620. *ſeqq. Vita Joſephi p.* 368. *ſeqq.* Joſephus autem cæſareo edicto papalia contudit glaucomata. Refutationem hanc inſecutæ ſunt collegii cardinalium ad cæſarem literæ, in quibus rogant, ut amicitia inter imperium & ſacerdotium fluctuare deſineret. Nos ex domini LUNIGII *Cod. diplomat. tom. 1. p.* 240. documenta hæc adjiciamus, & deinde papales rationes breviuſculo tantum ſubjiciamus examini, cum tam ex iis, quæ in cæſareo diplomate adducta, quam quæ a nobis prolata ſunt, falſitas illarum affatim pateſcat. Sunt autem ſequentis tenoris:

„ Joſephus, divina favente clementia electus Romano-
„ rum imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ,

capitaneus dominuſque, & vicarius Romani imperii perpetuus, auctoritate publica inſtitutus eſt *Ludo-*

,,Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. rex, Archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, dux Lucemburgiæ ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Würtembergæ & Teckæ, princeps Sueviæ, comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, landgravius Alſatiæ, marchio ſacri Romani imperii Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c.

,,Compertum eſt omnibus, noviſſimorumque temporum ſeries demonſtrat, quam inſigni cura, labore ac ſumptu hoſtes ex Italia ejecti ſint, atque huic libertas, quamvis Gallica labeſactarat, victricibus noſtris fœderatiſque armis feliciter reſtituta: ut proinde perſuaſi omnino fuerimus, neminem potuiſſe e totius Italiæ proceribus reperiri, qui non eſſet gaudium propterea & condignum erga nos amorem gratitudinemque teſtaturus.

,,Verum memorare nunc, haud abſque juſto doloris ſenſu, cogimur, miniſtros curiæ Romanæ, ſeu alieni inſtinctu genii, ſeu proprii qualiſcunque emolumenti fiducia, eo abreptos eſſe, ut auſi fuerint, ad ſtuporem univerſi, & cum reipublicæ Chriſtianæ ſcandalo, ſecularibus in rebus ſpiritualia arma intentare, & ſcriptum typo impreſſum in vulgus edere, tenoris ſequentis: Declaratio nullitatis cujuſdam concordiæ in ſedis apoſtolicæ, & S. R. E. præjudicium initæ ſuper hybernis ſtationibus, quas milites Germani in ducatu Parmæ & Placentiæ locarunt: Firmis remanentibus eccleſiaſticis cenſuris eidem ſedi reſervatis, per eos quovis modo incurſis, qui tam ea occaſione loca ducatus prædicti invaſerunt, & perturbarunt, quam nuperrime onera, & gravamina bonis perſonarum eccleſiaſticarum ejuſdem ducatus intulerant, Romæ M. DCC. VII.

Clemens XI. P. P.

,,Ad apoſtolatus noſtri notitiam non ſine gravi animi noſtri moleſtia ante aliquot menſes pervenit, quod cum prius, videlicet menſe Novembri proxime præterito, nonnullæ Germanorum militum legiones in plura loca ducatus Parmæ & Placentiæ ex inopinato irrupiſſent, dictorumque locorum incolis plurima, & ſane graviſſima damna intuliſſent, ac inſuper legionum hujuſmodi ductores, ſeu moderatores hybernas ibidem ſtationes de facto, ac violenter ſe figere velle declaraſſent: nec ad mala iſta avertenda quidquam profuiſſent, plures tam a dilecto filio nobili viro Franciſco Farneſio Parmæ & Placentiæ duce, quam a dilectis filiis communitatibus & hominibus civitatum Parmenſis & Placentinæ adductæ rationes, eo potiſſimum fundamento innixæ, quod ducatus ipſe, & ejus loca prædicta Nobis, & huic ſanctæ ſedi, etiam in temporalibus, mediate ſubjecta eſſent, ideoque ab ejuſmodi oneribus, ac gravaminibus libera prorſus, & immunia eſſe deberent; tandem menſe decembri ſubſequenti, communitatibus, & hominibus præfatis aſſentientibus, qui tamen vi, & neceſſitate coacti, nec alio, quam imminentia graviora mala propulſandi conſilio, hæc peragere proteſtati fuerunt, ipſoque Franciſco duce ob eaſdem rationes annuente, inita fuit ſuper præmiſſis quædam concordia in decem capitula, ſeu articulos diſtincta, cujus tenor eſt, qui ſequitur, videlicet:

,,Articuli concordati trà S. E. il Sig. Marcheſe di Priè, come Plenipotentiario di Sua Majeſtà Ceſarea in Italia, in virtù dell' Imperiale Diploma delli 4. Maggio ſcaduto, e l'illuſtriſſimo Sig. Governatore Franceſco Malpeli Deputato da S. A. Sereniſſima il Sig. Duca di Parma coll' intervento dell' illuſtriſſimi Signori Conte Gio, Franceſco Marazani Viſconti, e Marcheſe Annibale Scotti, due Cavalieri di queſto Publico di Piacenza, dal quale coll' approvazione, e conſenſo dell' A. S. Sereniſſima, come da ſuo benigniſſimo foglio in data de 20. Novembre proſſimo paſſato, ſopra il regolamento del preſente Quartiere d'Inverno, che ſi e preſo de fatto ne Stati di Parma, e Piacenza, mediante l'ingreſſo delle Truppe Ceſaree, e Collegate, non oſtanti li varii ricorſi, e le rimoſtranze più efficaci fatte dal predetto Sig. Duca, e col mezzo de ſuoi Miniſtri, come pure da queſte Communità di Parma e Piacenza, s'è venuto all' accordo infra ſcritto, affinche ſi ſtabiliſca il buon ordine e ſi ſcanſino li maggiori danni, e pregiudizii.

I.

,,Si e fiſſato dal ſodetto Sig. Marcheſe Priè per parte del Commiſſario Ceſareo l'ammontare di eſſo quartiero alla ſomma. Di doppie nonanta milla di Spagna, ò loro valore, delle quali ne toccheranno doppie ſeſſanta ſettemilla ſettecento cinquanta alli particolari ſecolari d'eſſi due Stati (eſcluſa la tangente delli eccleſiaſtici riſervata nell' Articolo nono) da sborſarſi ne termini e madi infrà eſpeſſi alla Caſſa Ceſarea per il mantenimento delle Truppe, che reſtaranno acquartierate in queſti ſtati, e de Regimenti di Cavalleria, che ſi ſono rimoſſe per maggior ſollievo di eſſi, mediante la qual ſomma ſarà buonificato tuttociò che verrà ſomminiſtrato in natura dal Paeſe tanto per le porzioni da bocca, che di Canalli, e douranno pure non meno li Signori Generali, ed Officiali che li Soldati communi (eſcluſe le infra ſcritte porzioni) pagare puntualmente la Carne, vino, e tutti li Commeſtibili, che ſaranno taſſati à giuſti prezzi, e ſeguendo qualche diſordine contro il buon regolamento, che ſe publichera, e ſtabilirà ne quartieri, ſarà riparato con ogni più accurata diligenza da Signori Commandanti de Reggimenti, che douranno obligare li traſgreſſori ad una congrua indennizazzione, la quale one non ſi otteneſſe col loro mezo, ſi ricorrerà all' Eccellentiſſimo Sig. Generale della Cavalleria Marcheſe Viſconti Commandante in queſto quartiero, che farà dar loro la dounta ſadisfazzione.

II.

,,Hà pure condeſce ſo detto Sig. Marcheſe di Priè alla compenſa di doppie cinquemille dalla total ſomma delle Doppie 90000. tanto a favore deg l'Eccleſiaſtici, ſecondo la loro porzione che de Secolari, in ſconto del pane ſomminiſtrato in occaſione del paſſaggio dell' Armata Ceſarea nello ſcorſo meſe d'Agoſto, di cui ſi promiſe la reſtituzione, come pure del Pane, & altri Commeſtibili riceunti in più occaſioni, dalle Truppe Aſſiane, e dal Corpo delli 500. Cavalli commandati ultimamente dal Tenente Colonello Sant' Amor, e ſi è hauuto in ciò pure qualche riguardo alli Carri, che verrauno proveduti da eſſi Stati per la vettura de Grani, ed Avena, che converrà introdurre da varie parti per la ſaſſiſtenza delle Truppe e per non accreſcere la penuria de Paeſe, cui verrano conceſſi gl' opportuni Paſſaporti, che ſaranno bramati tanto per acqua, che per terra per l'introduzione pure de Grani, che mancaſſero al loro biſogno.

III.

,,Per facilitar maggioremente il Paeſe al paggmento della ſudetta ſomma ſpettante à Secolari, ſi è convenuto per patto espreſſo, che ſaranno sborſate le due terze parti, che importano doppie 21250. mediante l'obligazione de migliori Banchieri di queſti Stati in due termini, civè la metà nel meſe d'Agaſto, e l'altra metà in Ottobre dell' anno proſſimo venturo, con le quali ſomme ſi dichiara da detto Sig. Marcheſe di Priè, che s'intende ſodisfatto per parte del Sig. Duca alle obbligazioni feudali, che gli coronno verſo S. Maeſtà Ceſarea.

IV.

,,Come ſi e creduto ſpediente per minore peſo di queſti Stati di deuexire all' erezzione d'un Monte per un Capitale di doppie trenta ſeimilla, e più, coſe ſi publicherà ſenza ritardo nel meſe corrente. Sarà deſtinato perfondo di eſſo Monte: che aſcenderà a doppie Spagna 36000. e più, un reddito annuo da aſſegnarſi ſopra li proprii effetti di S. A. Sereniſſima a raggione del cinque per cento, che dal giorno dell' impiego

Ludovicus, (**) qui anno MCCCLXIX. rerum potiri cœpit. Ejus nepotem Joannem Franciſcum Sigismundus

,,correrà a favore de Compratori. Si daranno inoltre
,,tutte le cautele poſſibili per ſicurrezza, & invito di
,,eſſi Compratori, & a queſto fine s'obbligheranno non
,,ſolo, li Publici delle Caſe più commode, e beneſtanti,
,,e limigliori Banchieri d'ambedue dette città, al pon-
,,tuale pagomento de frutti come ſopra di trimeſtre a
,,termini maturati, & alla reſtituzione del capitale in
,,due termini, cioè doppie 18000. in Ottobre dell
,,anno 1708. e l'altre 18000. o più nello ſteſſo meſe
,,del 1709. Perche poi detti Signori hanno dubitato
,,(atteſale circo ſtanze de preſenti tempi) di non poter
,,ritrovare tutta la ſomma per riempire il Monte, pe-
,,ro ſi è benignamente accollato S. E. il Sig. Marcheſe di
,,Priè (nel caſo ſudetto) di prendere ſopra di ſe il cari-
,,co, di trovare una, o più perſone, che ſuppliſcano ſi-
,,no alla ſomma didoppie vintimilla nella campra d'eſſo
,,Montela quale fra tanto dall' E. S. ſacrà compenſata in
detti termini. Si è pero convenuto, che ſi pratichino
,,ſenza ritardo da ſudetti Signori tutte le poſſibili dili-
,,genze a Milano, Genova, o Bologna per rinvenire
,,il più protamente che ſi potrà, tutta eſſa ſomma, ed
,,ove ciò rieſca, & a miſura ch'entrerà il denaro, ſi fa-
,,rà ſhorſare indilatamente alla Caſſa di gverra.

V.

,,Afine d'accertare il ponto più eſſenziale, che ſi è
,,diſcoſſo, civè il modo di patere ſtabilire, e combinare
,,col ſerviggio Ceſareo, e la ſaſſiſtenza delle Truppe,
,,la conſervazione del Paeſe, e Perciò il ſoſtentamento,
,,del Popolo, e del Beſtiame (atteſi li frequenti paſſa-
,,gi di Truppe, la penuria de granni, e de foraggi, che
,,ſi prova nel corrente anno per la ſiccità della ſcorſa
,,Eſtate, el, eſtraordinarie inondazioni ultimamente ac-
,,cadutè) ſi è convenuto, che l'obbligazione per parte
,,del Paeſe, di provedere il paneſia puramente riſtretta
,,alli tre Reggimenti Imperiali di Cavalleria, e Droga-
,,ni, e ſacrà bonificato per oncie trenta di peſo, che im-
,,porta per cadauna porzione, & oncie dieciotto carne
,,al giorno, che ſarà ſomminiſtrata dal Paeſe, doppia
,,una di Spagna al meſe, compreſe lire dodecidi que-
,,ſta moneta di Piacenza, che ſaranno pagate per il vino,
,,che ſi venderà a Soldati nel Paeſe ſteſſo a giuſti prezzi;
,,Quanto poi alle Truppe di Pruſſia ſarà totalmente
,,a carico del Commiſſariato Ceſareo il provedere, e
,,l'introdurre grani per la ſaſſiſtenza loro, e ſaranno
,,paramenta ſomminiſtrate le vetturre dal Paeſe entro
,,il Territorio; Si ferà pero l'anticipazione per un me-
,,ſe di tre milla porzioni di pane ogni giorno, il quale
,,ſarà puntualmente reſtituito in tanto grano della me-
,,deſima ſpecie; Doura pur anche ſomminiſtrarſi il fo-
,,raggio con Carri del Paeſe, e diſtribuirſi, con tutto il
,,miglior ordine, e la più e ſatta miſara che ſarà poſſibi-
,,le, cioè a ragione di quindeci libre di fieno per ogni
,,porzione da Cavallo, e ſi provederà per quattro milla
,,in circà, ſeconde la riparzione, ſpecificaizone, che ſa-
,,rà data da Commiſarii di guerra di Sua Majeſtà Ceſa-
,,rea, purche ſi laſci la neceſſaria ſoſſiſtenza per il Beſti-
,,ame, ſenza la quale non haurebbe patuto queſto Pae-
,,ſe aſſumere, ne ſupplire alle ſudette obligazioni; Si
,,reſtringerà pero eſſo Beſtiame al numero puramente
,,indiſpenſabile alla coetura de terreni, & alla metà delle
,,Vaccherie, e ſi deſtineranno puz anche Commiſſarii da
,,ambe le parti per fare la ricognizione de foraggi, e
,,procurare, che tutto ciò ſià poſto pontualmente in
,,eſecuzione.

VI.

,,Si è fiſſato il prezo del ſoraggio, regolato alle ſu-
,,dette libre 15. al giorno, e due terzi di doppie di Spa-
,,gna ogni meſe, e l'altro terzo per l'avene di libri 8.
,,per porzione, che ſi ſomminiſtrazà dal paeſe ſino al
,,fine di Genaro proſſimo (paſſato il qual tempo ſarà te-
,,nutto il Commiſſariato Ceſareo a provederle) conſa-
,,coltà, al Paeſe medeſimo di pater ſomminiſtrare in
,,diffetto dell' acena ſudetta altri grani confacevoli alla
,,ſaſſiſtenza della Cavalleria Imperiale, ſecondo una giu-
,,ſta porzione, che doarà ſtabilirſi col ſadetto Sig. Mar-
,,cheſe Generale Viſconti, e doue veniſſero dette porzio-
,,ni da Cavallo adeſſere calcolate a maggiore prezzo nel-
,,lo Stato di Milano, ſi ſeguirà la ſtreſſa regola.

VII.

,,Mediante le accennate preſtazioni, & obligazioni, non
,,douranno li ſudetti Stati eſſere aſtretti, ne ſoggetti ad
,,alcun' altro peſo, toltone il coperto con l'uſo del fuoco,
,,lume, e letto, o pure pagliarizzo, ſecondo il commodo
,,de Paeſani per li Soldati in caſa de porticolari, & eſigen-
,,doſi di più ſi farà ſadisſare da loro Officiali. Parimen-
,,te non ſaranno aſtretti li Stati ſodetti, che a dare il puro
,,coperto, e la legna (in quella quantica, che ſarà limitata
,,dal Sig. Generale Viſconti) per li Signori Generali, &
,,Officiali, li quali pure non patranno obbligare il Paeſe a
,,ſomminiſtrare il, ſoraggio per il loro Cavalli, il quale
,,poteſſe accedere le porzioni, che ſono a loro eſſe-
,,gnate &c.

VIII.

,,Sarà compenſato nella detta ſomma l'ammontare del
,,foraggio per tutti li Reggimenti Ceſarei, e Pruſſiani dal
,,tempo, che ſono entrati in queſto Paeſe, e ſono Stati
,,di paſſaggio dal principio dello ſcorſo meſe di Novem-
,,bre, e perche non ſi può ſare preſentement un' eſatto
,,calcoſo di tutto ciò, che di foraggio, & avena hanno
,,riceuuto, ſidi chiara, che per temperamento d'equita ſi
,,compenſarà ogni porzione a quarto quinti di duppia
,,ſi farà pure rimborſare da Reggimenti il Pane, Carne,
,,e Vino, che ſi giuſtificarà eſſere ſtato dal ſudetto tem-
,,po ſomminiſtrato, o ricavato dal Paeſe. Lo ſteſſo par-
,,ticarà eſattamente nell' auvenire per tutte le Truppe
,,che eccorreſſe di far paſſare per queſti ſtati, eccettuato
,,il ſoraggio in erba, che ſi ſomminiſtrarà ſenza alcun'
,,pagamento del Paeſe, ſpirato il termine de quartieri.

IX.

,,Per egnegliari il peſo del preſente quartiere, ſolle-
,,vare queſti ſtati douranno concorrere li particolari
,,tutti indiſtintamente, ancorche privilegiatiſſimi, men-
,,tre C. A. S. ſereniſſima iſteſſa effettivamente concorre
,,per la quota de ſuoi beni, e come li eccleſiaſtici, ſiano
,,ſecolari, a regolari poſſe, dono buona parte de terre-
,,ni in ambidetti ſtati, & hanno già concorſo altre volte
,,a quartieri, come pure concorrono anche attualmen-
,,te, per la quarta parte de ſecolari al mantenimento de
,,preſidii di Parma e Piacenza, coſi ſi riſerua il Commiſ-
ſario Ceſareo la facaltà nelle douute, e legitime forme,
,,di ricavare da eſſi la loro rata ſino a doppie ventun-
,,mille, e ducento cinquanta, modiante il che reſtano
pure eſenti li beni de ſudetti eccleſiaſtici dalli danni
,,maggiori, che haurebbero potuta patire indiſtinta-
,,mente, quando non ſi foſſero divertiti con li ſudetti
,,temperamenti, nel che tutto pero ſi proteſta per parte
,,de ſecolari di non volez hauere alcuna parte, ne in
,,gerenza.

,,Il Sig. Marcheſe Generale Viſconti Commandante
,,di queſte Truppe farà oſſervare ogni più eſſatta diſci-
,,plina nelli ſudetti quartieri alla mente, e conſormità
,,di queſto ſtabilimento, & invigileranno pure li Signo-
,,ri Commiſſarii di S. A. Sereniſſima, e di queſti Stati,
,,acciò ſi adempiſca a tutto ciò per parte di eſſi, & affin-
,,che ſi faccia la più giuſta, e proporzionata diſpoſizione,
,,& diſtribuzione, de quartieri.

In fede che ſi è ſottoſcritta la preſente, e munita de
,,reſpetittui Sigilli: Piazenza nel Convento di S. Sa-
,,vino li 14. Decembre 1706.

,,Il Marcheſe di Priè. Franceſco Malpeli Governa-
,,tore, e Delagato: Gio: Franceſco Marazzani Viſcon-
ti. Annibale Scotti.

,,Porro licet explorati juris eſſet concordiam prædi-
,,ctam; quam non quidem approbandi, ſed penitus, &
,,omnino reprobandi animo præſentibus inſerendam
,,duximus, utpote noſtrorum & dictæ ſedis jurium, nec
,,non directi, ac ſupremi domini Nobis, & ſanctæ Ro-
,,manæ eccleſiæ in ducatu ſupra dicto competentis ma-
,,nifeſte læſivam, nullius prorſus eſſe roboris, & mo-
,,menti; ac inſuper notum eſſet fel. rec. Urbanum
,,PP. VIII. prædeceſſorem noſtrum apoſtolicæ ſedis, &

Sigiſmundus imperator anno MCCCCXXXII. *Marchionem dixit :* (*a*) quemadmodum *Carolus quintus*

,,Romanæ eccleſiæ præfata jam jura a quibuscunque
,,præjudicialibus hujusmodi per quasdam ſuas die
,,quinto Junii 1641. expeditas literas ampliſſime præ-
,,ſervaſſe : adeoque nulla prorſus opus eſſet ulteriori
,,declaratione, ad hoc ut eadem concordia, tanquam
,,irrita, inanis, ac invalida ab omnibus haberi deberet :
,,nihilominus cum ad Nos delata res eſſet occaſione pe-
,,titi a nobis beneplaciti ſuper iis, quæ in nono capi-
,,tulo, ſeu articulo ejusdem concordiæ, quoad portio-
,,nem ſeu ratam pecuniarum a perſonis eccleſiaſticis
,,tam ſæcularibus, quam regularibus ducatus prædicti
,,perſolvendam, ſicut præmittitur, conventa fuerant,
,,Nos beneplacitum hujusmodi denegando, concor-
,,diam præfatam non modo a Nobis approbari non
,,poſſe, ſed ſemper reprobari, ac damnari debere non
,,obſcure declaravimus; quinimo animo revolventes
,,quam diras, omnique humanæ poteſtati terribiles cen-
,,ſuras, & poenas irrogent canonicæ ſanctiones Spiri-
,,tu Dei conditæ, quæque deterrima ingeminatæ quo-
,,tannis eccleſiæ voces imprecentur iis, qui eccleſiaſti-
,,ca jura violant, aut bona diripiunt vel illis damna, &
,,onera divinis, humanisque legibus vetita inferre non
,,verentur, per quasdam noſtras ad eundem Franciſcum
,,ducem die 5. Januarii proxime præteriti manu noſtra
,,conſcriptas literas eos omnes, qui loca prædicta, ſicut
,,præmittitur, invadere, illaque, ac ſupremam jurisdi-
,,ctionem in eis Nobis, & eidem ſanctæ Romanæ ec-
,,cleſiæ competentem perturbare, & vexare temere, &
,,de facto præſumſerunt, cenſuras, & pœnas ſupradi-
,,ctas incurriſſe, nec eis illas a Nobis quovis modo re-
,,miſſas, vel condonatas intelligi debere, diſerte ſignifi-
,,cavimus : ſperantes ,,ubi hæc innotuiſſent, abunde
,,ſufficere poſſe, ut redirent prævaricatores ad cor, abs-
,,que eo quod Nos apertius ad ſeveriora procedere co-
,,geremur. Cum autem, ſicut accepimus, non ſolum ſtu-
,,dia hæc noſtra optato quem ſperabamus fructu va-
,,cua remanſerint, ſed quod maxime deplorandum eſt,
,,perſonis eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam regula-
,,ribus prædictis portionem, ſeu ratam pecuniam in
,,dicto nono capitulo, ſeu articulo, ſicut præmittitur,
,,conventum ſolvere merito recuſantibus, eo, quia neceſ-
,,ſarium ad id noſtrum & dictæ ſedis beneplacitum non
,,modo non conceſſum, ſed expreſſe, ut præfertur, a
,,Nobis denegatum fuerat, inaudito ac deteſtabili auſu
,,plures militum turmæ in earundem perſonarum ec-
,,cleſiaſticarum domos, prædia, ac bona immiſſæ fuerint,
,,ibidem expenſis perſonarum hujusmodi permanſuræ,
,,donec illæ tædio affectæ portionem, ſeu ratam præ-
,,dictam realiter, & cum effectu perſolverint : hæc vero,
,,quæ non niſi ſummo omnium recte ſentientium horro-
,,re, ac moerore audiri potuerunt, nullatenus tolerabi-
,,lem libertatis, immunitatis ac jurisdictionis eccleſiaſticæ
,,violationem importent. Hinc eſt, quod Nos, qui omnia
,,paternæ charitatis officia, quæ pro ejusmodi tollen-
,,dis malis ſedulo adhibere curavimus, vana hactenus
,,& inania experti fuimus, quique ex commiſſi Nobis di-
,,vinitus paſtoralis muneris debito, quorumcunque ei-
,,dem Romanæ, aliisque inferioribus eccleſiis, nec non
,,quibusvis perſonis, & bonis eccleſiaſticis competen-
,,tium jurium aſſertores in terris a Domino conſtituti
,,ſumus : tametſi non dubitemus, venerabiles fratres
,,epiſcopos illarum partium, quorum zelum excitare
,,non prætermiſimus, ſtrenue, ac fortiter hac in re
,,muneris ſui partes impleturos eſſe, & forſan etiam
,,jam impleviſſe, ac inſuper certo credamus, tam ini-
,,qua militum facinora, ac etiam iniquiora conſilia lon-
,,ge ab æquiſſima chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joſe-
,,phi Romanorum regis in imperatorem electi mente
,,aliena eſſe, quinimo ipſum in eos, qui illa perpe-
,,trarunt, ſevere, ut omnis juſtitia exigit, animadverſu-
,,rum eſſe ſperemus : nihilominus, ne in tanta eccle-
,,ſiæ afflictione diutius ſilentes ac ſacerdotibus mini-
,,ſtris domini inter veſtibulum, & altare plorantibus,
,,& dicentibus : Parce, Domine, parce populo tuo, & ne
,,des hæreditatem tuam in opprobrium : otioſi, ac de-
,,ſides incumbenti Nobis apoſtolicæ ſervitutis officio
,,deeſſe videamur, ac nimia longanimitate proditores
,,eccleſiaſticæ libertatis, deſertæque turpiter Dei cauſæ
,,rei efficiamur, exurgentes in Domino, ac tam memo-
,,rati Vrbani prædeceſſoris, quam recentis memoriæ
,,Leonis PP. X. etiam prædeceſſoris noſtri, qui per
,,quandam ſuam octavo calend. Junii anno 1515. editam
,,conſtitutionem perſonas omnes etiam ſpecifica, & in-
,,dividua mentione dignas, quæ civitates, terras, & lo-
,,ca ad dictam Romanam eccleſiam mediate, vel im-
,,mediate, pertinentia, præſertim vero Parmenſes &
,,Placentinenſes civitates invaſiſſent, excommunicavit,
,,anatematizavit, ac maledictionis, & damnationis æternæ
,,mucrone percuſſit ; veſtigia ſectantes ; ac inſuper
,,apoſtolicis literis, quas plurimi Romani pontifices præ-
,,deceſſores noſtri die cœnæ domini legi, & promul-
,,gari fecerant, & nos ſimiliter ſingulis annis legi, &
,,promulgari fecimus, ac ſignanter canonibus decimo
,,octavo, & vigeſimo litterarum hujusmodi firmiter
,,inhærentes motu proprio, & ex certa ſcientia, & ma-
,,tura deliberatione, deque apoſtolicæ poteſtatis pleni-
,,tudine, præinſertam concordiam, ejusque articulos,
,,& capitula quæcunque cum omnibus, & ſingulis in eis,
,,eorumque quolibet contentis, ac inde ſecutis, & quan-
,,documque ſecuturis, ipſo jure nulla, irrita, invali-
,,da, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribus-
,,que & effectu penitus, & omnino vacua ab ipſo ini-
,,tio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuo fore, neminemque ad
,,illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento val-
,,lata ſint, obſervantiam teneri, imo nec ea a quopiam
,,obſervari potuiſſe, vel debuiſſe, nec ex illis cuiquam
,,aliquod jus, vel actionem aut titulum etiam coloratum,
,,vel poſſidendi, aut præſcribendi cauſam acquiſitam, vel
,,acuiſitum fuiſſe, vel eſſe, aut quandocunque acquiri,
,,vel competere poſſe, neque illa ullam ſtatum facere,
,,vel feciſſe, ſed perinde ac ſi nunquam emanaſſent, vel
,,facta non fuiſſent, pro non extantibus, & non factis
,,perpetuo haberi debere, tenore præſentium declara-
,,mus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam,
,,& quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula, motu,
,,ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus
,,damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus, &
,,annulamus, viribusque, & effectu penitus, & omni-
,,no vacuamus.

,,Firmas præterea, ac ſalvas eſſe volumus, atque de-
,,cernimus quascunque cenſuras, & pœnas eccleſiaſti-
,,cas, quas ii omnes, qui præmiſſa perpetrarunt, ab
,,epiſcopis ſupra dictis juxta ea, quæ ipſis mandavimus,
,,palam & publice de more denunciandi, vel forſan jam
,,denunciati, tam ſcilicet, qui terras & loca ducatus
,,ſupradicti, ut præfertur, invadere, perturbare, &
,,prænarratis modis vexare, quam qui prædicta onera,
,,& gravamina perſonis, ac bonis eccleſiaſticis ducatus
,,hujusmodi inferre, & imponere per ſe, vel alios, di-
,,recte, vel indirecte præſumſerunt, nec non adhæren-
,,tes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxi-
,,lium, conſilium ; vel favorem quomodolibet præ-
,,ſtantes, quocumque tandem gradu, ſeu dignitate præ-
,,fulgeant, propter eadem præmiſſa quovis modo incur-
,,rerunt; a quibus poſt debitam damnorum illatorum re-
,,fectionem, ac alias condignam eccleſiæ præſtitam ſatiſ-
,,factionem, non niſi a Nobis, aut Romano pontifice
,,pro tempore exiſtente (præterquam in mortis articulo
,,conſtituti, nec etiam tunc, niſi de ſtando eccleſiæ man-
,,datis, & ſatisfaciendo cautione præſtita atque cum re
,,incidentia eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & li-
,,berari valeant.

,,Decernentes etiam easdem præſentes literas, & in
,,eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod præfati, &
,,alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu ha-
,,bere quomodolibet prætendentes, etiam ſpecifica, &
,,individua mentione digni illis non conſenſerint, nec
,,ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas
,,eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, ve-
,,rificatæ, aut nullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex a-
,,lia quacunque cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam
,,in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſub-

quintus(β) Fridericum Gonzagam, anno ſeculi ſuperioris triceſimo, ducem nominavit, quum cæſarem

,,reptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invali-
,,ditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe ha-
,,bentium, vel haberè prætendentium conſenſus aliove
,,quocumque, etiam quantum libet magno, ac incogita-
,,to, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capi-
,,te a jure, vel facto, aut ſtatuto, conſuetudine, vel pri-
,,vilegio reſultante notari, impugnari, invalidari, retra-
,,ctari, in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris
,,reduci ullatenus poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſem-
,,per, & perpetuo firmas, validas & efficaces exiſtere, &
,,forte, ſuosque plenarios, & integros affectus ſortiri, &
,,obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat,
,,& pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabili-
,,ter obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis omni-
,,bus, & ſingulis per quoſcunque judices ordinarios, &
,,delegatos, etiam cauſarum palatii apoſtolici auditores,
,,ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & ſedis
,,apoſtolicæ præfatæ nuncios, aliosve quoslibet quacun-
,,que præeminentia, & poteſtate fungentes, & functu-
,,ros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judi-
,,candi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judi-
,,cari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus
,,ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel
,,ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis ac apoſtolicis, & in univer-
,,ſalibus, provincialibusque, & ſynodalibus conciliis
,,editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus,
,,& ordinationibus & quatenus opus ſit, noſtra & can-
,,cellariæ apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo,
,,legibus quoque etiam imperialibus, & municipalibus,
,,nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione
,,apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatu-
,,tis, & conſuetudinibus, etiam immemoralibus, pri-
,,vilegiis quoque, indultis, & apoſtolicis quibuscunque
,,perſonis etiam quantumvis ſublimibus, ſpecialiſſima
,,mentione dignis ſub quibuscunque verborum tenori-
,,bus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoria-
,,rum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficaciſſimis,
,,& inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis,
,,etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimili-
,,bus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in con-
,,trarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis ac plu-
,,ries iteratis, confirmatis, & innovatis. Quibus omni-
,,bus, & ſingulis, etiam pro illorum ſufficienti deroga-
,,tione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpe-
,,cifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum
,,nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata
,,exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro plene,
,,& ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias
,,in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum
,,hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus,
,,ac derogatum eſſe volumus, cæterisque contrariis qui-
,,buscunque.

,,Volumus autem, ut earundem præſentium literarum
,,tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu ali-
,,cujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in
,,eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem pror-
,,ſus fides ubique locorum & gentium, in judicio, &
,,extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus,
,,ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud
,,ſanctam Mariam majorem ſub annulo piſcatoris die 27.
,,Julii. 1707. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

F. Oliverius.

,,Anno a nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1707. die 1. Au-
,,guſti, indictione 15. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto
,,patris & D. N. D. Clementis divina providentia Papæ
,,XI. anno ſeptimo ſupra dictæ literæ, apoſtolicæ affixæ,
,,& publicatæ fuerunt ad valvas eccleſiæ Lateranenſis, &
,,Baſilicæ principis apoſtolorum, nec non cancellariæ
,,apoſtolicæ, curiæque generalis in Monte citatorio, ac
,,in Acie campi Floræ, aliisque locis ſolitis, & conſue-
,,tis urbis per me Benedictum Baldi Apoſt: Civis.

Sebaſtianus Vaſſellius,
Magiſter Curſ.

,,Nos habita declarationis præinſertæ, clauſularum-
,,que ejus omnium ac ſingularum attenta conſideratione,
,,non poſſumus non graviter inter cætera ex eo commo-
,,veri, quod antiquiſſima noſtra & imperii Romani in
,,Italia, atque inde dependentia ducatus Mediolanenſis
,,jura in Parmam ac Placentiam, velint a Romana curia,
,,per aſſertionem dominii quaſi ſibi competentis, præ-
,,fidenter convelli, cum plena hiſtoriarum fide & ipſis in-
,,veſtiturarum per prædeceſſores noſtros Romanorum im-
,,peratores datarum tabulis, aliisque actibus evidentibus,
,,in hunc uſque diem conſtet, directum, ſupremum & ma-
,,jeſtaticum dominium in præfatam Parmam Placentiam-
,,que, non niſi nobis ſacroque Romano imperio compe-
,,tere, legitimosque ducatus Mediolanenſis poſſeſſores
,,deſuper inveſtiri. Oſtendi profecto nequit, directum
,,hoc & ſupremum dominium, reſervatumque majeſta-
,,ticum, ab ullo unquam imperatore abdicatum eſſe, aut
,,ſine expreſſo ejusdem ac imperii conſenſu à ducibus
,,Mediolanenſibus abdicari, cedi, vel transferri, mul-
,,to minus a curia Romana valide uſurpari, ab eave per
,,duces Parmenſes legitime recognoſci potuiſſe. Innuunt
,,hoc plures hiſtoriarum libri, & prolixe ſimul notant,
,,quæ hoc in materia pro conſervatione jurium imper-
,,ſonalium non interrupto ordine peracta ſint. Neque
,,latet publici ſtatus peritos, quantopere prædeceſſores
,,noſtri, & ſpeciatim Carolus quintus glorioſæ memo-
,,riæ, cæſarea ſua imperiique jura, non in curriculo vi-
,,tæ ſolum, ſed ultimæ etiam voluntatis elogio, ſit tui-
,,tus teſtatusque. Et aliunde ſat liquet, imperialia jura
,,ſic eſſe imperio innexa, ut ab illo, ſine totius aſſenſu,
,,nequaquam ſeparari, multoque minus ab invito per
,,bullas pontificias, qualibuscumque fulminum minis re-
,,fertas, abſtrahi & ſeparari queant. Irritus idcirco la-
,,bor fuit, & vix non exploſione dignus, quo allegati in
,,ſupra tacta declaratione pontifices judicium in cauſa
,,propria arrogare, & ope bullarum ejusmodi jura ter-
,,ritorium ſibi aſſerere conati ſunt. Nec certe poteſt in-
,,telligi, quid in mentem Romanæ venerit curiæ, quan-
,,do a militia noſtra bona eccleſiæ invadi ſcripſit, cum
,,ſciet aut ſcire ſaltem debeat, noſtra & imperii eſſe feu-
,,da, in quæ miles dispertitus eſt; alimenta quoque vi-
,,tæ neceſſaria tantopere per jus naturæ ac gentium pri-
,,vilegiata haberi, ut poſſint etiam in territorio neutra-
,,li tunc potiſſimum quæri ſumique, cum ſuſtentatio in
,,propriam alentis defenſionem præſervationemque, ab
,,ulteriore hoſtili damno & periculo cedit: quales cir-
,,cumſtantias in præſente inveniri caſu, & per canones,
,,leges, rationemque ſtatus, ad communia onera ipſum-
,,met clerum pro pace ac libertate ſtabilienda obligari, ne-
,,mo eſt, qui non videat; præſertim illa in provincia,
,,in qua & mos hujusmodi antiquus circa communionem
,,tributorum militarium ſervatur, & poſſeſſiones cleri
,,Parmenſis tam amplæ exiſtunt, ut quartam ducatus inte-
,,gri partem pene exſuperent. Indignum itaque clericali
,,felicitate eſt viſum, quod, cum alii eguerint, ipſa
,,tenacitatem ſuam prodere, nec cum laicis, quanquam
,,inſtanter a commiſſario noſtro imperiali ſolicitata, ne
,,ad obulum quidem erogandum, concurrere voluerit,
,,ſed pertinaci ſuo refractarioque inhæſerit propoſito,
,,quamvis ipſe conſenſus pontificiis pro collectis ad com-
,,munem neceſſitatem utilitatemque conferendis, non
,,ſine illuſtri reverentiæ nota in tractatu per dictum com-
,,miſſarium noſtrum concluſo fuerit reſervatus.

,,Quæ omnia & plura alia, quibus tam provide ac
,,juſte ex parte noſtra procedi placuit, adeo luculenta
,,ſunt noſtræ æquitatis & muneris cæſarei legitime exer-
,,citi teſtimonia, ut, ex quo juris fonte acres iſtæ ſu-
,,perius expoſitæ cenſuræ ſpirituale confeſtim profluxe-
,,runt, diſpicere haudquaquam valeamus. Fecimus,
,,quod noſtra & imperii jura poſtularunt; & eo quidem
,,modo fecimus, quem conſtitutiones imperii, illa-
,,rumque uſus dictavere, ac ſingularis etiam obſervan-
,,tia, qua communem Chriſtianitatis patrem ſedemque
,,apoſtolicam extra patrium ſtudia proſequimur, deſidera-
,,re viſus eſt, prout cardinalis Grimani negotiationes
,,complures, tum pro impetrando ſuperfluo pontificis
,,aſſenſu, tum ad remonſtrandum auctoritatis eccleſiaſti-
,,cæ, præpropere nimis ac perperam adhibitæ, abuſum,
,,non uno loco convincunt.

cæſarem Bononiæ coronatum Gonzaga ſplendididiſſimo hoſpitio excepiſſet. *Ducatus* (γ) hujus quondam

,,Obſervamus exempla in ſimili collectarum & onerum eccleſiaſticorum genere, ſed modo agendi prorſus diſpari cum hoſtibus noſtris, ut communem Europæ libertatem infeſtantibus, & nullo favore dignis; quibus tamen a Romana Curia, vel conſenſus etiam ſæpe contra fas ipſum præbetur ſubito, vel ita indulgetur conniveturque, ut animoſitas contraria, qua & nos liberrime in conſpectu totius mundi impertimur, & aperta noſtra ac imperii jura paſſim verbis, typis, factisque impugnantur, jam pridem duriorem in nobis motum excitaſſet, niſi hunc innata bonitas Auſtriaca & alia momenta, intuitu ſanctæ eccleſiæ molliviſſent. Et vellemus adhuc ulterius longanimitatem noſtram, etſi jam ab origine noſtri regiminis cæſarei ſat laceſſitam, lubenter manifeſtam reddere, ſi in omittendis noſtrorum & imperii jurium defenſionibus longior mora permiſſa foret, poſſemusque erga Deum & poſteros de illa recte excuſari; Nunc autem, cum in contrarium a lege divina & humana, recta ratione, gentium jure, & aliis juſtitiæ pietatisque principiis moneamur.

,,Hinc omnibus iſtis ac ſingulis innixi, nec non juratæ capitulationis noſtræ conſtitutionumque imperialium memores, adhibito conſiliariorum noſtrorum arcanorum, totiusque conſilii noſtri imperialis aulici ſcrutinio, conſultis etiam extraneis præſtantibus theologis, canonumque & legum civilium peritis, pro noſtrorum atque imperii jurium tutela.

,,Declaramus ſupra inſertam ſic dictæ nullitatis declarationem, inanem, irritam, & nullam, ſimulque excommunicationem in ea expreſſam, aut ſi quæ alia hujuscemodi prætenditur, aut prætendi poteſt, omnino pro invalida reputandam eſſe, eoque minus hanc ſubſiſtere, quo evidentius patet, ejusdem requiſita (nimirum peccatum mortale, contumaciam in notabili errore, prævicam perſonarum citationem &c.) defeciſſe, ac deficere, ſcriptumque Romanæ curiæ, non ad defendendam hæreditatem Domini, ſed ad jura imperialia ſuper ducatibus Parmæ ac Placentiæ porro uſurpanda, tendere.

,,Et cum juxta ſanctorum patrum conciliorumque mentem, non illis, quibus, ſed his, a quibus injuſte infliguntur, timendæ ſint cenſuræ, nos judici omnis carnis, cordiumque ſcrutatori, omnipotenti Deo, ſicut & cuilibet mortalium ab affectibus libero, diſcernendum atque æſtimandum relinquimus, quid oporteat de ploratu cleri ſentire, qui tunc aures obduratas habet, cum noſtri ac ſacri Romani imperii hoſtes in Germanicis Italicisque provinciis, imo in ipſis pontificum ditionibus, miniſtros Dei & eccleſiæ pro lubitu opprimunt, crudeliterque diſcruciant; in nos vero & ſereniſſimum ac potentiſſimum principem dominum Carolum tertium Hiſpaniarum regem, ac adverſus Neapolitanum regnum Sabaudiæque ducem, tunc primum inſurgit, cum nobis & juſtæ cauſæ noſtræ tam proſpera affulſere ſidera, ut ex hoſtilibus prævalidisque manibus, ſi cum aliis Italiæ oppreſſæ partibus Neapolis & Belgium prodigioſe ereptum.

,,Ad perpetuam præterea rei memoriam tenore præſentium declaramus, & efficaciſſime, quantum opus, proteſtamur, nullum omnino jus & multo minus directum ſupremumque dominium in Parmam & Placentiam ſedi Romanæ a nobis dimitti poſſe, quin potius omnia & ſingula ſuprema dominia, quæ in prædeceſſorum noſtrorum noſtrumque præjudicium uſurpata ſunt unquam, & adhuc uſurpantur, quocunque etiam nomine appellentur, nobis & ſacro Rom. imperio firmiter reſervamus, & confirmamus omni meliori forma ac modo; cunctas poſſeſſiones illegitimas & prætenſiones, exceptis iis, quæ ex magnanimitate & munificentia cæſarea in antedictam ſedem expreſſim tranſlatæ ſunt, annulando, abolendo & caſſando, eoque magis pro nullis, injuſtis ac invalidis declarando, quo manifeſtius per ſe corruit, quicquid imperatoriæ majeſtati, clam palamve, auctoritate propria ſubtractum eſt, aut etiam ab imperatore extra normam debitam alienari nequiit.

,,Solenniſſime pariter & ſpeciatim Romanæ contradicimus Curiæ præſentem illam quoad jura tertiorum bonave temporalia poteſtatem, quam bullæ pontificiæ exercere præſumunt, cum hæ, nec validæ hoc in genere, nec receptæ ſint, quibuscunque inſigniantur nominibus, & nos Romanumque imperium obligare non poſſint debeantve; neque facultatem nos ullam admittamus, aut tolerare poſſimus in ſæpe fata curia, quæ ceſſare vel annullare conetur ea, quæ nos vi muneris authoritatisque noſtræ cæſareæ diſponimus ac ordinamus; nullatenus dubitantes, quin conventus univerſi imperii, ac omnes ejusdem electores, principes, & ſtatus, vaſallique ac ſubditi, conſilio nobis ac auxilio ſuo efficace, ubi opus fuerit & ordo rerum demandarit, ſint actutum adſtituri.

,,Iterato igitur, & deliberato animo; ſanoque & maturo accedente conſilio, atque ex plenitudine poteſtatis noſtræ cæſareæ, hiſce publice declaramus, contradicimus, abolemus, caſſamus, & proteſtamur, ut ſupra, ſolenniſſimo, quo poteſt fieri, pacto & modo, annulantes, & irritum injuſtumque decernentes, quicquid in ſæpius memorato ſuperiore ſcripto quoad formam aut materiam in præjudicium noſtrorum & ſacri Romani imperii jurium, vel etiam contra noſtros miniſtros, commiſſarios, milites vel alios quoscunque exprimitur, aut intellectum videri poteſt. Inhibemus quoque omnibus ac ſingulis eccleſiaſticis ac ſæcularibus noſtris & imperii vaſallis, miniſtris ac ſubditis, ſive in terris eccleſiæ, ſive in ducatibus Parmæ & Placentiæ, ſive alibi exiſtentibus, ſub graviſſima noſtra & imperii indignatione, omnium bonorum confiſcatione, corporisque pœna, ne quam rationem ejus, quod in adducto ſcripto continetur, in ulla re habeant; ſed diſtricte mandamus, ut noſtris juſſibus, & ordinationibus conſtanter & debite pareant: dum viciſſim protectionem noſtram clementiamque cæſaream fidelibus ac obedientibus impertiri non intermittemus; Monituri idcirco etiam modo debito Parmenſem ducem, ut nullum aliud dominium quam noſtrum & dicti Hiſpaniarum regis, fratris noſtri chariſſimi, utpote legitimorum ducatus Mediolanenſis reſpective dominorum & poſſeſſorum, ratione Parmæ ac Placentiæ, recognoſcat, cum potiſſimum etiam aliunde in propatulo ſit, quod reſpondere nobis de noſtris & ſacri Romani imperii juribus non immerito teneatur.

,,Rogamus denique omnipotentem ac juſtiſſimum Deum, ut ardentem omnibus & ſincerum honeſtæ, fidæ ac perpetuæ pacis concordiæque amorem inſtillare, nobismet autem largiri gratiam dignetur, qua continuo & fortiter, quæcunque ad nos & ſacrum imperium pertinent, tueri valeamus, cum ſubmiſſiſſima gratitudine id totum, quod cæſaris eſt, divinæ majeſtati acceptum ferentes, publicaque hac declaratione, proteſtatione & reſervatione repetita profitentes, circa temporalia imperii bona & jura nihil alteri cuipiam, niſi quod expreſſo prædeceſſorum noſtrorum & imperii conſenſu munitum eſt, atque in ſpecie nullum dicti imperii dominium temporale ſupremum legitime unquam competere, aſſeri, aut vindicari poſſe; iis omnibus ac ſingulis, quæ ſecus facta ſunt aut reputantur, hiſce pro nunc ut ex tunc, & pro tunc ut ex nunc, ac futuris æternum temporibus, quam fieri poteſt ſolenniſſime, graviſſime, firmiſſimeque contradicentes, vigore diplomatis hujus manu noſtra ſubſcripti, & ſigillo noſtro cæſareo muniti, quod dabatur in civitate noſtra Viennæ, die vigeſima ſexta menſis Junii anno Domini 1708. regnorum noſtrorum Romani decimo nono, Hungarici vigeſimo primo, Bohemici vero quarto.

JOSEPHVS

(*L. S.*)

Ut Frid. Carolus comes de Schönborn.

Ad mandatum ſacr. caſ. Majeſtatis proprium.

Franciſcus Wimandus de Bertram.

Sequuntur litera collegii Cardinalium ad Joſephum d. 12. Auguſt. 1708. data.

,,Miſeratione divina epiſcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, ſereniſſimo cæſari ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

quondam partes fuere, quæ ceſſerunt minoribus natu; ut *Guaſtella* (s) *Novellaria*, (t) S. Martino, Berro-

„Literis unius exempli nobis a majeſtate veſtra cæſa-
„rea conſcriptis, qua par eſt reverentia communi hac
„epiſtola, ſingularis obſequii noſtri teſte, reſcribere ſa-
„tis duximus, ut unus omnium noſtrum ſenſus eidem fa-
„cilius & expeditius innoteſceret. Veſtræ itaque maje-
„ſtati cæſareæ certo affirmare poſſumus, primo loco
„legimus, velle ſcilicet majeſtatem veſtram, veſtigia ſui
„invictiſſimi genitoris ſectando, omni filiali obſervantia
„ſummum pontificem proſequi, ea nos ſummo gaudio
„affeciſſe, quod tamen gaudium non parum perturba-
„vit a majeſtate veſtra cæſarea de ipſo ſummo pontifice
„præconcepta opinio, qua eum ab Auguſtiſſimæ domus
„Auſtriacæ rationibus alienum arbitratur, cum longe ali-
„ter perſuaſum ſit nobis, animum illius propius ſpectan-
„tibus ſancte conſtanterq; teſtari valentibus ſuam ſanctita-
„tem amore prorſus Paterno erga majeſtatem Veſtram te-
„neri, quod non indicio tantum & fide noſtra, ſed & præ-
„teritarum & præſentium rerum experimento facile eſſet
„comprobare; & quidem Cæſarea quoque majeſtas ve-
„ſtra nobiſcum haud ægre conſentiret, niſi abruptum
„jam diu & quidem importune nimis inter utramque au-
„lam commercium eo rem adduxiſſet, ut interdicto ipſis
„prorſus officiis adhuc omnis inde apud majeſtatem ve-
„ſtram veritati obumbrandæ locus factus eſſet, relictus
„eidem revelandæ pene nullus. Nos ſane quod ſcimus
„loquimur, & quod vidimus teſtamur, ſi qui vero aliter
„majeſtati veſtræ forte ſuadere contendunt, illi quidem
„non ſatis noſtrarum rerum conſcii, animove præoccu-
„pato ac parum æquo eſſe deprehendentur, & ex his de-
„mum eſſe videntur, a quibus cavendum eſſe ſacræ li-
„teræ admonent: A conſiliario ſerva animam tuam, &
„conſiliarius ſit tibi unus de mille. Jam vero quod at-
„tinet declarationem nullitatis concordiæ initæ ſuper hy-
„bernis ſtationibus, quas nuper cæſarei milites in ducatu
„Parmenſi locarunt, majeſtatem veſtram cæſaream ob-
„ſecramus, ne credat, ſummum pontificem, cum eam con-
„cordiam annularet, de lædendis violandisve ullo pacto
„imperialibus juribus cogitaſſe, ea enim jura ad Parmæ &
„Placentiæ ditionem minime extendi pro comperto habuit
„ac habere debuit, cum ſatis conſtet, tribus abhinc ſeculis
„ducatum illum jure optimo poſſideri ab apoſtolica ſe-
„de, directoque ſummi pontificis dominio jam diu ſub-
„eſſe tum quidem antea, tum vero poſtquam jure feudi
„Farneſiis principibus obvenit, quo nomine ad hæc usque
„tempora cenſus annuus cameræ apoſtolicæ ab iiſdem
„libere ac publice penditur. Hinc eſt, quod Auguſtæ
„memoriæ Leopoldus majeſtatis veſtræ parens datis die
„14. Decemb. 1691. ad S. memoriæ Innocentium XII.
„literis aperte declaravit, Parmæ & Placentiæ ducem va-
„ſallagio ſanctæ ſedi adſtrictum eſſe, ac rurſus, ſcilicet
„die 27. Julii 1697. ſolenni conſilii Aulici cæſarei decre-
„to profeſſus eſt eundem ducem pauca tantum feuda a
„S. Cæſ. Majeſtate & ſacro Romano imperio recognoſce-
„re. Mirum popterea videri poteſt, cur hæc omnia ad
„majeſtatis veſtræ cæſ. notitiam deducta non fuerint, niſi
„& forte conſilio elata ſint, ut majeſtas veſtra a juribus
„ſacræ Romanæ eccleſiæ hac etiam in parte tuendis ab-
„ſtraheretur, atque interim locus daretur, malis conſi-
„liariis, theologis & canoniſtis ea præbendi conſilia,
„quæ in adjuncto literis ſuis typis impreſſo libello vul-
„gata ſunt. Eum quidem libellum, Auguſtiſſime cæſar,
„non ſine intimo cordis dolore omnes, aliqui etiam No-
„ſtrum non ſine lacrymis legere voluimus. Siquidem
„majeſtas veſtra æquo ac pacato animo expendere velit,
„quousque abripi ſe paſſi fuerint ejusdem libelli auto-
„res, quibusve dicendi formulis uſi ſint, cum de ſupre-
„mo catholicæ eccleſiæ paſtore, Chriſti in terris vica-
„rio, eique ab eodem Chriſto traditis cœli clavibus,
„cæteriſque Dei miniſtris, ac ſacris eccleſiæ juribus aga-
„tur, minime dubitamus, quin ipſa majeſtas veſtra pro-
„be agnitura ſit, non immerito animos noſtros tam vehe-
„menter eſſe commotos, ut pro inſita ſibi eximia ac vere
„Auſtriaca pietate & religione, ea omnia ſit facile im-
„probatura. Atque inde anſam forte arripuerunt ma-
„jeſtatis veſtræ cæſaris milites, quibus non ita pridem non
„ſemel ditionem eccleſiaſticam pertranſeuntibus viati-
„cum a ſubditis pontificiis liberaliter ſuppeditatum
„fuit, inermem atque rebus omnibus imparatum Co-
„maclenſem civitatem in ducatu Ferarienſi inopinato oc-
„cupandi, eamque operibus muniendi, de quo manife-
„ſto apoſtolicæ ſedis gravamine removendo non cogita-
„ri videmus. Quæ cum naturali & gentium juri adver-
„ſentur, & a majorum tuorum, cæſar, virtute ac pietate
„diſſentiant, nullo modo credimus ab æquitate & recta
„voluntate majeſtatis veſtræ cæſareæ proceſſiſſe; imo
„ſperamus pro vindice, qualem eam eſſe agnoſcimus,
„ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe geſturam, ut quæ erepta ſunt
„eidem apoſtolicæ ſedi, reddantur, utpote, quæ tot Ro-
„manorum imperatorum declarationibus, ac tam longa
„temporis poſſeſſione in eccleſiæ Romanæ dominium
„tranſiiſſe probantur. Nam niſi longa poſſeſſio & anti-
„qua & repetita pacta & publica documenta, jura ac ratio-
„nes eccleſiæ & pontificis muniant atque conſolident, qui
„demum principatus, aut quæ regna conſiſtent, utpote
„quæ non alio certe jure. quam quo ditio eccleſiæ, nem-
„pe diuturnitate temporis & publicis fœderibus ſtabilita
„ſunt? Iisdem exemplis nixa plane videtur prohibitio
„illa adhuc inaudita, qua tum in ducatu Mediolanenſi,
„tum in regno Neapolitano; eccleſiaſticis abſentibus inter-
„dicuntur proventus beneficii aut penſionis titulo debiti,
„& priſtinum fere commercium cum ſubditis pontificiis,
„cumque ipſis Romanæ curiæ incolis tollitur, quam ta-
„men prohibitionem benigna validaque majeſtatis ve-
„ſtræ interceſſione & autoritate quam primum ſublatum
„iri confidimus. Sed de his quidem fuſius & liberius
„loquimur forſan, quam opus eſt apud principem, recte
„& pro juſtitia ſentientem, ſed ad id nos admonet officii
„purpura, immaculati agni ſanguine conſperſa, quam cum
„induimus, ſolenni jurejurando Nos obſtrinximus fidem
„& obedientiam Nos præſtituros eſſe beato Petro & ſuc-
„ceſſoribus eccleſiæ Romanæ pontificibus eisque præſto
„futuros, ut papatum Romanum & regalia ſancti Petri
„retineant, defendant, & recuperent, ut proinde minus
„candidi erga majeſtatem veſtram haberemur, niſi in-
„timos ſenſus noſtros perinde ac Deo ſcrutatori cordium
„majeſtati veſtræ Cæſareæ panderemus, qua ex ratione
„hiſce etiam ad extremum addere cogimur, quod cum
„majeſtas veſtra cæſarea Chriſtianæ religionis commodis
„& concordiæ Sacerdotium inter & imperium concilian-
„dæ ſummopere ſtudeat, eoque tam pie nos provocet, ve-
„lit cæſarea majeſtas veſtra ſummo pontifici aures ani-
„mumque iterum patefacere, ſimulque rogamus maje-
„ſtatem veſtram cæſaream. ut ſicut patientia ac felicitate
„majores ſuos inclytos æquat ac ſuperat, ita eosdem vali-
„do eccleſiæ jurium patrocinio una cum imperio ſuſcepto
„vincere contendat, ita ut Nos priſtinæ tranquillitati red-
„damur, nec tam ad repellenda arma, ſed ad fundendas
„pro imperii ſui diuturnitate ad Deum preces, quod ma-
„gis noſtrum eſt, ſecura libertate attenti, ac majeſtati
„veſtræ cæſareæ aſſidua gloriæ incrementa ex animo au-
„gurari queamus. Datum Romæ, die 12. Auguſti 1708.
„Sub ſigillis trium noſtrum in ordine priorum, ſe-
„de plena.

(*L.S.*) *Cardinalis Maraſcotti.*
(*L.S.*) *Cardinalis Carpegna.*
(*L.S.*) *Cardinalis Pamphilii.*
Guido Paſſioneus, Secretarius.

Oſtenſum eſt a nobis, aulam Romanam nihil inde juvari, etſi concedatur, Parmam & Placentiam aliquando exarchatus partes fuiſſe. Salvum enim ſemper imperio in exarchatum fuit ſuum jus, & non omnia, quæ in tabulis donationum nominantur, reipſa ad pontificiam delata ſunt ſedem. Notum quoque, quantæ fuerint exarchatus mutationes, & jam latiores, jam anguſtiores comprehendiſſe limites. Atque ita pro pontifice adverſus imperium pugnantium argumentis nullum ex diplomate Caroli magni, quo ecclesiam Ravennatem privilegio, ſe etiam ad Parmam & Placentiam extendente, donavit, accedit robur. RVBÆVS *libr. 5. hiſtor. Ravenn. p. 230.* Ut ſileam eſſe, qui hoc diploma ſubleſtæ aut dubiæ ſaltim fidei credunt. Deinde ambiguum eſt, an Parma & Placentia inter ea, quæ pontifici a Mathilde donata ſunt, fuerit. Conſtat enim, Ma-

Berrolo Guazzado *alia cum oppidis* (ζ) & caſtellis. Sed qui illa tenent, *non agnoſcunt Ducem ſuperio.*

thildem non niſi allodium ſuum ſedi Romanæ donaſſe. LEIBNIT. *S. B. tom. I. p. 687.* Quanquam & hæc donatio ob pactum dotale inter Mathildem & Guelfum nullius fuerit valoris. LEIBN. *introd. ad tom. I. ſcript. Brunſv. tom. I. n. 40. 41.* Præterea ſunt, qui chartulam illam genuinam eſſe negant, cum hactenus inter Vaticani tabularii cimelia in forma probante non ſit repertum. Deinde maxime a vero aberrat, Maximilianum I. juri in Parmam & Placentiam penitus renunciaſſe. Ut enim taceam, omnes imperatorum renunciationes & alienationes abſque imperii conſenſu nullas eſſe, & ſic nec præſcriptioni locum dari, cum *quod non alienabile, illud etiam non ſit præſcriptibile. BALBVS de præſcript. I. part. 5. part. pr. n. 2.* hæc GVICCIARDINI verba *lib. XI. fol. 312. 320.* ipſum ab omni liberant ſuſpicione: *querelavaſi*, inquit, *oltra queſto inſieme con ceſare, che il pontefice a ſe proprio, premii della vittoria commune attribuendo, & quel che ad altri manifeſtamente apporteneva uſurpando, haveſſe coragioni, o finte, o conſumate dalla vechiezza occupate Parma & Piacenza citta poſſedute lunghiſſimo tempo da quelli che havevano dominato Milano come feudatorii del imperio ... ma viſorgeva del veſcovo gurgenſe & delgi ſpagnuoli dell' occupationi di Parma & di Piacenza in pregiudicio delle ragioni dello imperio in troppo grandeza de pontifici, & in troppo debolezza del ducato di Milano ... ſe bene ſi tolerava il poſſedere Parma, non ſ' intendeſſe preguidicato alle ragioni dello imperio.* Atque poſſeſſio quoque Julio II. mortuo ad Mediolanenſem rediit ducatum: *morto il pontifice*, inquit GVICCIARDINI, *il Vicere di Napoli andato co' ſoldati Spagnuoli verſo Piacenza conſtrinſe quella citta a ritornare ſotto l' imperio de' duchi di Milano, l'eſſempio de Piacentini ſeguitavano per lo medeſimo terrore Parmigiani.* Deſperatis itaque rebus ſuis in Maximiliano I. pontificiæ cauſæ patroni ad Caroli V. literas cardinalium collegio inſcriptas confugiunt; in quibus imperator eo juſtiores ſibi conquerendi de Clemente VII. adeſſe cauſas exiſtimat, quoniam pontifici Parmam & Placentiam ceſſerit. Et hæ literæ haud dubiæ ſunt, ad quas reſpicit PALATIVS *in Paulo III. p. 153.* affirmans, Carolum Parmæ & Placentiæ traditioni ſubſcripſiſſe: Verum in illis literis non dicitur, quod Carolus juri, quod ei ut imperatori in regiones illas competebat, deceſſerit; ſed quod paſſus ſaltim ſit, loca illa penes pontificem eſſe, ad illud haud dubie tempus, usque dum controverſia de illis cum ducatu Mediolanenſi, ope tractatus cujusdam, eſſet compoſita, cum de injuſtitia Romanæ poſſeſſionis ſatis perſuaſus armorum auxilio, ut ſupremus arbiter, Parmam & Placentiam Mediolanenſi ducatui reſtituere potuiſſet. Præterea literarum harum, aut etiam tranſactionis fides multis videtur ſuſpecta; cum in negotiatione inter Carolum V. & Paulum III. de hiſce terris Mendozæ cæſareo legato authenticæ tabulæ exhiberi non potuerunt. THVANVS *lib. IV. p. 132. 133.* Cæſarem e contra nihil in terras illas remittere voluiſſe juris, *epiſtola d. 18. Sept. 1526.* Granadæ perſcripta documento eſt, ex qua hæc notari merentur verba: *Potiſſimum cum hæ civitates Parma & Placentia eſſent eccleſiæ ex fœdere Leonis conſignatæ tenendæ duntaxat eo jure, quo ante per ipſum Leonem tentæ fuerunt, quandoquidem ad feudum pertinerent imperii eſſentque pars ducatus Mediolani, & de illis nullum eccleſia Romana titulum validum, neque ab imperio, nec ab eo, qui dare poſſet, obtinuit.* GOLDASTVS conſtit. *imper. tom. I. p. 495. tom. III. p. 493.* Corroborat hæc quoque, quod haud procul a morte adhuc teſtatus ſit, ſe nihil ab imperio alienaſſe. Idem quod Carolus, etiam illius ſucceſſores, ut monitum, ex fide pactorum ſuorum, quæ capitulationes dicunt, ſectari voluerunt propoſitum. Atque ita cardinalium collegium in ſuis ad Joſephum glorioſiſſimum quondam imperatorem datis literis in vanum ad Leopoldi codicillos ad papam Innocentium XII. exaratos provocat, ac ſi imperator in eis faſſus eſſet, Parmæ & Placentiæ ducem ſacro imperio vaſſallagio eſſe adſtrictum, ſed ponamus, haſce literas non eſſe ſuppoſititias, apparet omnino, imperatorem non ſecundum propria animi ſenſa, ſed ſecundum falſa aulæ Romanæ principia locutum eſſe. Sic & tales epiſtolæ, non cognita & ſatis ponderata cauſa, in rebus tanti momenti nullum habent effectum. Porro recentius fiduciarium vinculum, ſi concedamus, hujus vel illius vaſſallo licitum eſſe, ſeu alii quoque de eodem feudo clientelari nexu obſtringere, antiquiori non derogat, & dominus, qui in recentiori connivet, priori ſuo non renunciat juri. Et ſi Parma & Placentia ducatus Mediolanenſis ſubfeudum eſſe deſiiſſent, inde tamen imperii juribus nihil decedere poſſet, qualitas enim feudalis rei adhæret & citra conſenſum domini directi, qui hic eſt imperator & imperium, amitti nequit. Quam ſollicitus ſit CAROLVS noſter VI. bello paceque vere magnus & optimus, uti circa alia, ita & circa imperii jura in Parmam & Placentiam juxta *capitulat. ſuæ art. X.* defendenda, ex eo quoque apparet, quod comiti Borromeo commiſſario & plenipotentiario ſuo mandaverat: *ut ſupremæ dignitatis præeminentiæ jurium, regalium & feudorum imperatoriæ majeſtatis ipſique Romano imperio ſubjectorum exquiſitam rationem habeat, atque in omnibus & ſingulis ad authoritatem noſtram cæſaream, nec non ad noſtra directique imperii jura ſarta teſtaque conſervanda quoquo modo pertinentibus juxta præſcriptum inſtitutionis noſtræ, tanquam commiſſarius & plenipotentiarius, agat & procedat. LVNIG Cod. Ital. diplom. tom. I. p.* 2107. Obiter hic notandum ducimus, feudorum imperialium catalogos, qui a *Dn. LVNIGIO l. c. p.* 2414. 2418. referuntur, multis ſcatere defectibus. Sed ad rem ipſam redeamus. Luculentius adhuc imperatorii zeli monumentum exſtat, quod *quadruplicis fœderis Londinenſis artic. V.* inſertum, quod *Parma & Placentia ab omnibus partibus contrahentibus pro indubiis imperii feudis haberi debeant.* Atque ita Europæarum gentium potentiſſimos Germanicum imperium hujus juris jam habet ſponſores. Pervenit autem vi ejusdem tractatus & pacis inter cæſarem & Hiſpanum altero abhinc anno initæ æque ac Hetruria ad primogenitum Hiſpan. reginæ filium, hodierno Parmenſi duce abſque deſcendentibus maſculis decedente. Id ſane audaciſſimum foret facinus, ſi ANTONIVS, qui Parmam & Plácentiam jam detinet, neglecta cæſarea inveſtitura, pontificiam ſuſciperet. Nonnullis forte hæc feloniæ ſpecies feudorum amiſſione penſanda videbitur. Niſi forte dixeris, aliquali Antonii excuſationi inſervire poſſe, quod in dubio poſſeſſionem ſequi debeamus, pontifices autem hactenus in quaſi poſſeſſione juris inveſtiendi fuiſſe. Abſit tamen inde colligere velle, imperii juri aliquid decedere.

(*) *Primus ejus familiæ* ad p. 362.) GöBEL. Gonzagarum gentem natales ſuos Germaniæ debere, cum aliis aſſerit ALFONSVS LOSCHI *in compendio hiſtorico p.* 367. Quinam ante hunc Mantuæ imperatorum vices geſſerint, docet LEANDRO ALBERTI *fol.* 384. 385. Waltherum ab Ottone I. vicarium eſſe conſtitutum ex diplomate apud LVNIG *C. J. D. tom. I. p.* 1342. pateſcit. Franciſcus comes de Gonzaga in fœderis, quod cum Carolo, ut Galliæ rege, iniit, *cæſaris & S. R. I. partibus Lombardiæ vicarius generalis* vocatur. LVNIG. *C. J. D. tom. I. p.* 1359.

(**) *Ludovicus* ad p. 364.) GöBEL. A Carolo IV. id factum eſſe relatum legimus. GVICCIARD. *lib. I.*

(α) *Marchionem dixit* ad p. 365.) GöBEL. Vid. diploma apud LVNIGIVM *l. c. p.* 1371. ALEXANDER LOSCHI *l. c. p.* 380. lapidi cuidam prope turrim, in qua horologium ſervatur, ſequentia inciſa dicit: Adi 16. Agoſto *virilimente ſi fece ſignor di Mantua il magnifico Lois Gonzaga atavo dell' illuſtre ſignor marcheſe Gio Franceſco di Gonzaga al quale ſuccedette la ſignoria adi 9. Marzo 1407. in la età d' anni II. meſi 9. di 9. quale a. 22. di ſeptembre 1433. il ſereniſſimo Sigismondo con ſue mani e bocca creó e fece marcheſe di Mantua ſopra un trionfante tribunale ſu ſola Piazza di ſan Pietro di Mantua Gio Franceſco predetto. Dipoi gli donó l' aquile Nero, che le portaſſe con una croce roſſa.*

(β) *Caro-*

periorem: (α) *quin & dicunt directe ſe cæſaris eſſe vaſallos:* (δ) quod etiam in commentario Sigehiano eſt annotatum.

25. Man-

(β) *Carolus V.* p. 366.) GöBEL. ALEXANDER LOSCHI *p.* 383. MASENIVS *in anima hiſtor. p.* 178.

(γ) *Ducatus* p. 367.) GöBEL. Succeſſionis lites plus ſimplici vice hunc afflixerunt ducatum. Franciſci enim conjuge Sabauda uterum prætexente, & deinde ventre vacuo patre ejus ſucceſſionem fœmininam in Montisferati potiſſimum ducatu urgente, res ad arma venit, cui bello Hiſpani & Galli implicati ſunt. Convenit poſitis mox armis anno 1615. d. 21. Junii de pace, quæ Ferdinando antea cardinali Mantuani & Montisferati regimen permiſit, imperatori autem de controverſia judicium reſervavit. GVICHENON. *tom. 1. p.* 798. GRAMONDVS *hiſtor. Galliæ lib. 1. p. 35. ſeqq. Hiſtoire du regne de Louis XIII, par VASSOR tom. 2. premiere partie p.* 195. *ſeqq.* ANTONII FABRI *compendium facti in cauſa Montisferati.* Sed bellum hoc ſæpe recruduit & novis pacibus ſopiri debuit, quæ omnia late proſequitur GVICHENON. Alterum bellum, quod Mantuano ducatui & vicinis terris admodum grave fuit, exortum eſt, Ferdinando ſine ſuſcepta ex Medicea conjuge legitima prole denato, & fratre Vincentio olim etiam purpurato addicto ſacerdotio, deinde ejus ſucceſſore, eadem habente fata: Sabaudus enim novam induit ſpem, fore, ut Mantuani & Montisferatenſis territorii, Margarethæ neptis jura vindicaturus potiri poſſet. Ferdinandus Guaſtallæ princeps ſibi præ Carolo Nivernii ex conjuge in Galliæ duce potius jus competere contendebat, quoniam deficiente recta Friderici II. linea, ad lineam Ferdinandi Guaſtallæ principis proavi ſui recurrendum eſſet. Nivernius autem ſucceſſionis linealis indolem urgebat, quæ ut ad proximiorem ſemper aſcenderetur lineam requireret; jam vero ſe, non autem Ferdinandum cum Vincentio ex Friderico primo, Montisferati marchione, ut communi ſtipite, deſcendere. Sed huic imperator & catholicus rex odio Gallicæ in Italia dominationis minus favebant. Atque indigniſſime ferebat imperator, quod Nivernius Gallorum opibus fretus, lite nondum deciſa terras illas invaderet. Hunc igitur, ut amoveret, ſubditos, ne ejus imperata facerent, juſſit, minatusque Carolo eſt, imperiale anathema, niſi terras occupatas comiti de Colalto copiarum ſuarum ſummo prætore, ſuoque nomine ſequeſtris munere functuro extraderet. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 1439. *ſeqq.* Verum hoc durum admodum ratus Niverni dux, cauſam ſuam CYRIACO & BOSIO JCtis publicis tuendam ſcriptis commiſit aut permiſit. Hi potiſſimum apologiæ ducis ſui fundamentum in eo poſuerunt, quod notorium ſit, nulli præ Carolo ad Mantuanum ducatum potius eſſe jus, & ſucceſſorem in feudo antiquo propria auctoritate poſſeſſionem ſumere poſſe. Igitur nec ſequeſtro nec imperatoriis animadverſionibus locum eſſe poſſe. Sed quomodocunque hæc ſeſe habuerint, id quod a cæſare peragebatur, non ſine ratione erat. Nam non omnis veriſimilitudo Ferdinandi Gonzaguæ ducis cauſæ deerat, & Carolo obſtabat, quod pater ejus contra imperatorem feudi Mantuani dominum militaſſet. LOSCHI *p.* 385. GRAMONDVS *p.* 385. Cæterum quum pacis conſilia locum non haberent, ad bellum ventum, quod Nivernio fatale fuit; captus enim una cum marechallo Etræo in urbe Mantua, quam miles cæſareus, ſub Colalti ductu, aſtu cepit. Sed hæc ducis captivitas haud dubie pacem, quæ Ratisbonæ 1630. facta eſt, acceleravit. Totum tandem pacis negotium per Chiraſcenſem tractatum abſolutum eſt, qui Carolo Mantuanum ducatum cum aliqua Montisferati parte adſcripſit, reliquum autem penes Sabaudum maneret. Quæ huic permitti debuerunt octoginta quatuor complectebantur loca, & inter ea Albam & Trinum, ut inde quindecim mille thaleros (15000. coron.) legere poſſet. Ea tamen lege hæc data ſunt, ut Mantuano, in aliqualem compenſ. 50000. thal. ſolveret. Proteſtatus quidem eſt Mantuanus per magnum ſuum cancellarium Trajanum Guiſcardum contra hujus pactionis articulos, qui Montisferati mutilationem inferebant: ſed ejus proteſtationis nulla habita eſt ratio. Inter proſpera tamen merito a duce habendum fuit, quod cæſar Gonzagua Guaſtallæ dux pro ſe & hæredibus ſuis, retentis tantum Doſoro, Luzzara, Surara & Regiſtro, omni in Mantuanum ducatum deceſſerit prætenſione, in eum ſaltim finem, ut ex iis locis 6000. florenorum quotannis perciperet, cumque circa tradenda illa loca moræ necterentur & per transactionem inter epiſcopum Mantuanum ducis legatum & Guaſtallæ ducem 1631. initam de illis locis lis non terminaretur, ſed ſuſpenderetur, Ferdinandus II. Odoardum Farneſium, Guaſtallæ ducem in terrarum illarum poſſeſſionem ducere, juſſit. LVNIG. *C. J. D. p.* 1804. 1805. Quo facto Carolus a Ferdinando II. juxta conventionis art. VIII. anno 1631. inveſtituram contulit. VASSOR *hiſtoire du regne de Louis XIII, lib. 35. p.* 798. *ſeqq.* BRVSSONI *hiſtor. d'Italia libro 1. p.* 26. 67. NANI *hiſtor. Venet. part. 1. p.* 300. *ſeqq. La vie du pere Joſef p.* 237. *ſeqq. Miniſtere du cardinal de Richelieu tom. 2. p.* 71. 106. *Memoires de Mantouë p.* 267. 268. 269. JOH. BAPTIST. VERVS *rerum Venetarum lib. 5. p.* 318. LONDORP. *act. publ. tom. IV. p. 87. ſeqq.* LVNIG. *archiv. imperii part. ſpec. contin. II. ſect. 4. p.* 101. *ſeqq.* 694. 800. 801. *& Cod. Ital. dipl. p.* 1454. Denique id, quod Ratisbonenſi pace & Chiraſcenſi tractatu conſtitutum, pace Weſtphalica confirmatum eſt. Vicariatus, quem Ferdinandus III. affini collocavit, Sabaudum excitavit. Neſcio, an præter affinitatem amicitia, qua tenaciſſime Sabaudi mater Gallos imperatoris hoſtes perſecuta erat, huic vicariatui anſam præbuerit. Id quidem videtur, cum diplomata, quibus Sabaudus gaudet, vicariatum illum ad certa reſtringant loca, penes cæſarem fuiſſe, alium etiam conſtituere vicarium, qui munus hoc in locis a Sabaudi vicariatu vacuis exerceret. Sed quomodocunque hoc ſe habeat, compertum eſt, omnia Sabaudo, Mantuani vicariatum ſuo detrahere contendenti, ex voto ſucceſſiſſe. Mantuanus enim collaborantibus Gallis deſtructus, & Sabaudicus vicariatus univerſalis ſive directe ſive indirecte, non tamen ſine Mantuani ducis proteſtatione, declaratus, idque cæſarum deinde capitulationibus confirmatum eſt. LONDORP. *act. publ. tom. 8. p.* 243. 295. 313. 383. *Capitulatio Leopoldi art. 4. Joſephi artic. 4. Caroli VI. art. 26.* Carolo II. in vivis eſſe deſinente, filius ejus Ferdinandus Carolus per Leopoldum cæſarem de Mantuæ ducatu aliiſque terris inveſtitus eſt. LVNIG. *C. J. D. p.* 1491. Inveſtituræ hujus tabulæ ideo quoque memorabiles ſunt, quod imperatorum, Carolum V. inſequentium, inveſtituræ enarrentur. Verum enim vero Ferdinandus Carolus vaſalliticam fidem, quam jurejurando firmaverat, non ſervavit: ſed Gallorum partes, cum, Carolo II. fatis functo, de ſucceſſione Hiſpanica lites enaſcerentur, ſecutus eſt. Quamobrem juſtam Leopoldi ſibi attraxit indignationem, quæ & in Joſephum filium & ſucceſſorem ejus patris derivata eſt, quique ipſum ad ſaniora redire nolentem conſilia proſcripſit. LVNIG. *C. J. D. p.* 1508. *ſeqq. Arch. imp. contin. 2. p.* 698. 700. FABRI *Staats-Cantzeley tom. 13. p. 670. ſeqq.* Cumque imperatorius in Italia exercitus ſecunda uteretur fortuna, ſolum vertere coactus in exilio animam efflavit, terris ejus juxta imperii pacta in uſus cæſareos concedentibus. Guaſtallæ quidem princeps ſibi ut agnato proximiori ducatum tradendum precatus, cum cæſar Gonzaga Mantuano ducatui renuncians, ſibi ſuisque hæredibus in eo jus ſuccedendi, exſtincta Caroli linea maſculina, reſervaverit. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 1454. Sed voti non inique repulſam tulit. Etenim ſecundum Longobardica feudorum placita feloniæ crimina, in ipſum dominum commiſſa, ei vacans aperiunt feudum, ita ut agnatorum in eo nullæ ſint partes, *2. F. 24. §. denique ſæpe quæſitum.* Id autem, quod capit. Caroli VI. art. XX. traditum, ad Italicum regnum ſpectare non videtur, imprimis autem ad hunc pertrahi non poteſt caſum, quippe cum feloniæ crimen antea eſſet commiſſum. Neque electorum interceſſio pro Guaſtallæ duce comitis Fautonii ablegati ejus ſolicitationibus elicita, aliud involvit, quam ut imperatori placeret, prætenſionum ejus rationem habere, ſi juſtitiæ niterentur fundamento. LVNIG. *l. c. p.* 1808. 1809.

(δ) *Guaſtella* ad p. 368) GöBEL. Hæc domus originem

25. Mantuano *MONTISFERRATENSIS* (a) ducatus junctus eſt, idque primum beneficio *Caroli V.* (b) Cæſaris. *Nam cum Joan. Georgius Palæologus* (verba ſunt Thuani L. 1.) *qui Bonifacio Montiſferratenſi Marchioni Wilelmi fratris filio ſucceſſerat, ſine liberis deceſſiſſet, & Fridericus, qui Margaritam Bonifacii ſororem in matrimonio habebat, hereditatem adire vellet, contra Sabaudo & Saluciarum principe tendentibus, cæſar oppida & arces impoſito præſidio ſequeſtris jure occupavit, & poſtea tradita poſſeſſione ſecundum Fridericum pronunciavit.* Alibi Thuanus ſcribit: *Cum poſtea Guilielmus Gonzaga Friderici filius, idem ſibi jus a Ferdinando cæſare confirmari peteret, non primo tenuit, obreptum Carolo fratri contendentibus, qui circa eum erant.* At vero idem ille Guilielmus a *Maximiliano II.* (c) imperatore ex Marchione in ducem Montis-

trahit a Ferdinando I. principe Wolfettenſi, & dynaſta Guaſtallenſi. Ex tabula genealogica, quæ in Loſchio reperitur, apparet, ipſum fuiſſe Franciſci filium primogenitum & Friderici primi Mantuani ducis fratrem. Cæſar Guaſtallenſi domui ducalem intulit dignitatem.

(ε) *Novellaria* ad p. 368.) GöBEL. Novellariæ & Bagnoli comites Gonzaganæ gentis de terris ſuis per imperatores noſtros inveſtitos eſſe, ex diplomate Rudolphi II. Alphonſi viduam nomine filiorum ſuorum inveſtitam eſſe, teſtante, liquet. LVNIG. *Cod. Ital. diplomat. tom. 2. p. 186. ſeqq.* Imperatorii ſummi in Novellariæ comitatum juris & hoc exſtat ſignum, quod comiti Baromæo junxerit, Alphonſi de Gonzaga, qui in diplomate cæſareo *feudi noſtri imperialis comes* vocatur, conjugem ex monaſterio, in quod eam maritus compegerat, retrahat, & fratri ejus Maſſæ duci reſtituat; imprimis autem ex imperatorio reſcripto hæc notanda ſunt verba; *Simul vero etiam marito filiisque & agnatis Novellariæ comitibus, quibuscunque noſtro nomine & ſub pœna amiſſionis feudorum juriumque ſuorum interdices, nec ſæpe dictam comitiſſam, neque in itinere ſuo, neque etiam in ipſo Maſſæ loco aggredi, turbare aut moleſtare per ſe aut per alios auſint vel attentent.* Alphonſo mortuo ejus filius Camillus a Leopoldo anno 1679. inveſtitus *de noſtris & ſacri imperii feudis Novellariæ & Bagnoli*, ut eſt in diplomate, *nec non de quinque partibus ex octo caſtri Veſcovati ad ſe mortem quondam Alexandri Gonzagnæ fratris ſui jure primogenituræ devolutis.* LUNIG. *C. J. D. t. 1. p. 195.*

(ζ) *Alia cum oppidis* ad p. 369.) GöBEL. De marchionibus Caſtilionenſibus a ſtyveriis & ſulferinis ex Gonzagana familia oriundis, ut imperii vaſallis, varia Caroli V. Rudolphi II. Leopoldi & Joſephi apud LVNIGIVM *l. c. c. 14.* teſtantur diplomata. Principum imperii dignitatem & prærogativas Joſephus contulit *Franciſco Gaetano, Ferdinando Carolo; Octavio* ejusque fratribus *Joanni & Joanni Franciſco*, patruisque *Aloyſio & Aſcanio; Franciſco Jordano* ejusque fratribus *Nicolao Feranti; Aloyſio* ejusque fratribus *Ferdinando & Carolo* patruoque omnibus de illuſtri & ingenua domo Gonzaga a Johanne Franciſco Mantuæ primo marchione naturaliter & legitime, deſcendentibus. LVNIG. *l. c. p. 171.* Enim vero Franciſcus I. Mantuæ marchio filium habebat Ludovicum, ex quo geniti ſunt Johannes Franciſcus, a quo principes *Bozoli & Sabion* aliique deſcendunt, Fridericus ſator marchionum, deinde Mantuæ & Montisferati ducum, & Rudolphus, cui principes Caſtilionenſes, Sulferini aliique originem debent.

(η) *Ducem ſuperiorem* ad p. 370.) *C. A. M.* Primogenitis ſemper ceſſit Mantua, hodieque ſunt quidam principes, licet valde exigui, Guaſtallæ, Novellariæ &c. Male autem inter illos & duces Mantuanos convenit, qui volunt ſuos eſſe beneficiarios, cum ſe imperii vaſallos agnoſcant.

(ϑ) *Cæſaris eſſe vaſallos* ad p. 370.) GöBEL. Quod ex inveſtituris cæſareis apparet.

(a) *Montisferatenſis*) GöBEL. Alramum patre Saxone ortum ab Ottone II. ſocero anno 967. Ravennæ primum Montisferati creatum eſſe marchionem, ALEXANDER LOSCHI *in compendio hiſtorico p. 389. & auctor libelli germanici de Sabaudi in Montisferati ducatum jure, ſtatuunt.* Sed hoc a veritate aberrat: nam diploma collationis præ ſe fert annum 967. ubi Otto I. adhuc ſuperſtes fuit. LVNIG. *archiv. imper. part. ſpec. contin. 2. tom. 2. ſect. 4. p. 769. in ſupplem.* Rectius igitur SIGONIVS *l. 7. p. 315.* hoc ab Ottone I. factum eſſe, tradit, ſi quid ex vero habet, Almeronem vel Aledramum cæſaris fuiſſe generum, Alteſiam, quam ejus conjugem dicunt, filiam Ottonis naturalem fuiſſe oportet, cum eam autores fide digni inter legitimam ejus non memorent prolem. In feudorum deinde imperii numero fuiſſe, omni dubio procul eſt. Caroli IV., Wenceslai, Sigismundi, Friderici III. Maximiliani, Caroli V. diplomata ad hoc argumentum ſpectantia refert LVNIG.

(b) *Caroli V.*) GOEBEL. Hic imperator anno 1532. Friderico, Mantuæ marchioni, ejusque conjugi Montisferati marchioniſſæ eventualem de Montisferati feudis inveſtituram confert, ea lege, ut ſi *Johannes Georgius* absque liberis decederet, illi eorumque hæredes tam maſculi, quam fœminæ ſuccederent. LVNIG. *l. c. p. 418.* Cumque Johanne Georgio denato Sabaudus & Saluziarum marchio ſibi Montisferati terras deberi contenderent, Carolus V. cardinali Antonio de Leyva aliisque delegatis cauſam hanc cognoſcere mandavit. Hoc facto a cæſare adhibitis in conſilium proceribus, pro Mantuano in poſſeſſorio judicatum eſt, ita tamen, ut Sabaudo petitorium ſalvum eſſet, & octoginta millia ducatorum, quæ dos Blancæ conſtituta, exſolverentur, ſalvis tamen exceptionibus ſolut. & compenſat. & Saluziarum marchioni nihil, quam jus ſuum in civitatem Albam in petitorio eſt reſervatum. LVNIG. *l. c. p. 1423.* Sabaudorum argumenta, Montisferatenſis ſibi deberi ditiones, præcipua erant, 1) matrimonium Yolantæ de Montferat cum Aymonio Sabaudiæ comite anno 1330. contractum, quoniam in pactis nuptialibus conſtitutum, ut ſi Theodorici Yolantæ patris maſcula deficeret progenies, ad Yolantæ ſtirpem marchionatum perventurum eſſe, 2) Alerano ejusque deſcendentibus, tam maſculis, quam fœminis, illas terras ſub fidelitatis lege datas eſſe, 3) maſculum ex filia ut ducem Carolum Margarethæ Montisferatenſi præferendum eſſe. 4) Provocabatur quoque ad tractatum Tononenſem anno 1432. inter Amadeum VIII. & Jacobum marchionem Montisferatenſem ejusque filium Johannem factum. Vid. GVICHENON. *hiſtoire genealogique de la maiſon de Savoye p. 106. 107. & les preuves p. 178.* Sed in ſententia imperatoris pronunciabatur & *declarabatur, nullum jus univerſale ex allegatis a Sabaudo cauſis & petitionibus ei in dicta marchia Montisferati & bonis ſupradictis competere.* Et licet anno 1708. dux Sabaudiæ de toto Montisferatenſi ducatu a Joſepho ſit inveſtitus, contra illum tamen actum Lotharingiæ dux ſe proteſtatione munivit; quem ut cæſar placaret, æquivalens aliquod ipſi promiſit, atque ut huic promiſſo ſatisfieret, ſe operam daturos, Angliæ regina & uniti Belgii ordines polliciti ſunt. Vide FABRI *Staats-Canzley P. 19. p. 742. ſeqq.* De Lotharingicæ prætenſionis fundamento vide SCHWEDERVM *in theatro prætenſionum pag. 659.*

(c) *Maximiliano II.*) GöBEL. NATALIS COMES *lib. 23. hiſtor. in fine.* Non inconſultum forte erit, diploma Maximiliani, quod in Dn. LVNIGII *collect.* non animadverti, adjicere. Illius ſequens eſt tenor:
„Dictum marchionatum Montisferati, ejusque principatum & dominium una cum civitatibus, terris, caſtris, oppidis, fortalitiis, villis ac locis, nec non mero ac mixto imperio, & jurisdictionibus omnimodis, ſuperioritatibus, ac ſuperioritatum dominiis, fidelitatibus, ac fidelitatibus vaſallorum, aliisque quibuscunque regalibus, titulis, dignitatibus, honoribus, pertinentiis & aliis ſupradictis, quæ omnia hic pro expreſſis haberi volumus, in nomine Domini Salvatoris noſtri, a quo omnis principatus & honor promànat, in verum imperialem ducatum, ac ad dignitatem ac titulum ducatus imperialis ereximus, ſublimavimus, & exaltavimus, ipſumque illuſtrem Guilielmum ducem Mantuæ, ejusque hæredes & deſcendentes, qui jure & ordine primogenituræ, quod in marchionatu illo, nunc in duca-

Montisferrati electus, & magnis privilegiis eſt ornatus anno MDLXXIII. Pertinet huc Caſale S. Evaſii. „Id quondam (verba iterum ſunt Thuani) variis & amplis privilegiis & immunitatibus „ab imperatoribus ornatum, ac poſtremo meri ac mixti imperii jurisdictione donatum fuit a „Friderico I. anno ſalutis ſexto ſupra milleſimum octogeſimum: quam & gratiam illis CXXVII. „annis poſt confirmavit Henricus. Sed cum poſtea Caſalenſes tanti beneficii immemores cum Ticino, Alba Pompeja, Vercellis & Valentia contra Henricum ipſum conſpiraſſent, univerſæ illæ urbes „privilegiis & gratia a cæſaribus conceſſa exciderunt, indicto etiam imperiali exilio, ut Albericus „Rolatenſis illius temporis JCtus loquitur, h. e. tanquam perduelles edicto cæſareo proſcriptæ „ſunt. Hujus edicti ſeveritatem veriti Caſalenſes in patrocinium Andronici Palæologi Orientis „Imperatoris confugerunt, cujus filius Theodorus Montisferrati Principatum tenebat. Hoc Theodoro natus Joannes Palæologus a Carolo IV. cæſare in fidem *publico inſtrumento* (a) tanquam Montisferrati & Caſalii marchio acceptus eſt, eique ac ſucceſſoribus Calanenſes, annuum tributum pacti, juxta diploma cæſareum, jure jurando fidem obſtrinxerunt. Itaque cum Caſalenſes in libertatem ſe aſſeri peterent a cæſaribus Carolo Ferdinando & Maximiliano II, non auditi primum, denique Montisferrati principatui per ſententiam cæſaream addicti ſunt.

26. Igitur non obſequii tantum ſed etiam beneficiario jure, utrumque ducatum illum, Mantuanum inquam & Montisferratenſem, imperio obnoxium eſſe manifeſtum eſt. Et vero usque id adeo eſt certum, ut cum non adeo pridem Sabaudus, Gallicis armis adjutus, partem Montisferratenſis provinciæ tanquam ſibi debitam occupaſſe, per leges transactionis *Cheraſci* (b) anno 1631. inſtitutæ & poſt tabulis pacis imperii cum Gallo initæ confirmatæ, Sabaudus feudali vinculo ſeſe cæſari obſtringere horum quoque locorum ergo, ſit adactus. Adducam nunc tantum verba tabularum iſtarum, quæ huc faciunt. „Cæſarea majeſtas decenter requiſita concedet domino duci Sabaudiæ, una cum inveſtitura antiquorum feudorum & ſtatuum, qualem inclytæ „memoriæ Ferdinandus II. duci Sabaudiæ Victori Amedæo conceſſerat, inveſtituram quoque locorum, ditionum, ſtatuum, omniumque jurium Montisferrati, cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti Tractatus Cheraſcenſis, nec non executionis inde ſubſecutæ, decreta & remiſſa fuerunt, ſicuti quoque feudorum Novelli Montfortis Sinii, Moncherii, & Caſtelletti cum appertinentiis, juxta tenorem inſtrumenti acquiſitionis, ab eodem duce Victore Amedæo factæ ſub decimo „tertio Octobris anni MDCXXXIV. & congruenter conceſſionibus ſeu permiſſionibus, nec non approbationibus cæſareæ majeſtatis, cum confirmatione quoq; omnium & quorumcunque privilegiorum, quæ Sabaudiæ ducibus hactenus indulta fuerunt, quotiescunque a domino duce Sabaudiæ „requirentur & poſtulabuntur.„ In iisdem tabulis cautum aliquid eſt ad feudum Mantuanum pertinens, quod proinde itidem adſcribemus. „Similiter declarabit imperator, in inveſtitura ducatus „Mantuæ comprehendi caſtra Reggioli & Luzzaræ cum ſuis territoriis & dependentiis, quorum „poſſeſſionem dux Guaſtallæ duci Mantuæ reſtituere teneatur, reſervatis tamen eidem juribus pro „ſex millibus ſcutatorum annuorum quæ prætendit; de quibus agere & judicio experiri coram ſua „cæſarea majeſtate valeat adverſus ducem Mantuæ.

27. Pervenimus ad ducatum *MEDIOLANENSEM.* (c) Rudolphus cæſar *Napum* (†) *ſuo Augu-*

„ducatum erecto obſervari hactenus ſolitum fuit, in „principatu iſto ſucceſſuri ſunt legitime natos, & naſcituros in infinitum duces Montisferrati fecimus, creavimus & extulimus, aliorumque noſtrorum & ſacri „imperii ducum, quantumvis magni illi ſint, numero, „cætui, ac conſortio tam hujus novi, quam ducatus Mantuæ ratione aggregavimus, in eorumque ordinem cooptavimus. Atque inſuper omnia & ſingula privilegia, jura, indulta, dignitates, libertâtesque, immunitates, titulos, poteſtatem, vicariatus, officia, honorantias, „auctoritates, & facultates a divis Romanorum imperatoribus, & regibus prædeceſſoribus noſtris, & maxime prælibatis Carolo IV., Sigismundo, Federico, „Maximiliano, Carolo quinto & Ferdinando Auguſtæ „memoriæ, ac nobis dicto duci Guilielmo, ſeu ejus anteceſſoribus marchionibus Montisferrati, tam ex domo Saxona, quam Palæologa ac Gonzaga, & cuilibet „eorum & quibus ipſi marchiones uſi ſunt, vel uti potuerunt, ſeu debuerunt, conceſſas, & conceſſa, confirmata & confirmatas, licet eis, vel aliquo eorum per non „uſum, vel contrarium uſum, etiam per tantum temporis, cujus initii memoria non extaret, de jure fortaſſe „foret derogatum, denuo in omnibus eorum clauſulis, „punctis, articulis, & verborum expreſſionibus, ac ſi eorum omnium tenores de verbo ad verbum totaliter „eſſent inſerti, quemadmodum etiam illa pro inſertis, „ac ſufficienter expreſſis haberi volumus in perſonam „ejusdem Guilielmi ac deſcendentium ſuorum prædictorum confirmavimus, prout per præſentes eisdem „ſcientia, & auctoritate erigimus, ſublimamus, exaltamus, facimus, creamus, extollimus, aggregamus & innovamus; Decernentes & hoc noſtro cæſareo edicto „firmiſſime ſtatuentes, ut poſthac perpetuis futuris temporibus principatus Montisferrati una cum ſuis civitatibus, terris, caſtris, oppidis, Fortalitiis, villis, locis, „& juribus, ac univerſis & ſingulis pertinentiis & aliis „ſupradictis pro vero imperiali ducatu habeatur, teneatur & reputetur, ipſeque illuſtris Gulielmus dux Mantuæ, ac ejusdem hæredes & deſcendentes, eo, quo dictum eſt, modo, & ordine in principatu iſto ſucceſſuri „virtute hujus noſtræ creationis, ſublimationis & exaltationis, ab hac hora in perpetuum ſint, dicantur, appellentur, & nominentur duces Montisferrati, ac ut alii „duces ſacri imperii, quantumvis magni ſint, honorentur ac reputentur ab omnibus & ſingulis cujuscunque „gradus, ſtatus, ordinis, conditionis aut dignitatis extiterint, tam in ſcriptis, quam viva voce, aut alias, quotiescunque & quomodolibet illorum mentio facienda „erit.

(a) *Publico inſtrumento*) GöBEL. LVNIG. *C. J. D. tom. I. p.* 1350. *ſeqq.* Atque illa, quæ Carolus IV. largitus eſt, a Wenceslao, Theodoro marchioni confirmata ſunt. LVNIG. *l. c. p.* 1358. Hunc Theodorum Sigismundus ad imperialis vicarii dignitatem in Lombardiæ partibus evexit *l. c. p.* 1366.

(b) *Cheraſci*) GöBEL. De his in Mantuanis dictum.

(c) *Mediolanenſem*) GöBEL. De rebus Mediolani, ad fines ejus ſpectantibus, & mutationibus conſuli debent PROCOPIVS, PAVLVS DIACONVS, CAMILLVS, PEREGRINVS „in hiſtor. princip. Longobard. tom. „ſcript. Ital. opuſculum de ſitu civitatis Mediolanenſis „tom. I. part. 2. ſcript. Ital. LVITPRANDVS, aliique „rer. German. ſcript. ARNVLPHVS, LANDVLPHVS „SENIOR & JVNIOR in rebus Mediolanenſibus, MO-

Auguſtali jure præſidem procuratoremque in Inſubribus conſtituit, alamque Germanorum equitum mirificam ad eum præſidii cauſa miſit: ut loquitur Jovius in vita Othonis vicecomitis. *Adolphus* (a) Naſſavius cæſar Mathæum vicecomitem vicaria poteſtate iisdem Mediolanenſibus præfecit: eundemque loco a Turrianis pulſum Henricus Lucelburgius imperii nomine *reſtituit.* (b) Succeſſit patri in easdem leges *Galeacius*: (c) ſed quum ad pontificias partes cæſari inimicas inclinaret, a Marco fratre accuſatus, cum Actio filio & duobus fratribus in carcerem *conjectus* (d) eſt a Ludovico Bavaro cæſare. Jovius *in Galeatio* teſtatur, Canem Scaligerum, *oblata ingenti pecunia petiiſſe eum a cæſare, ut Mediolani Auguſtali jure princeps diceretur.* Marcum item Galeacii fratrem dixiſſe, „ ſi „cæſar impetrari a miſeris civibus æqui juris libertatem pateretur, Mediolanenſes quantam opor- „teret in ſtipendium pecuniam præbituros, nec a fide atque amicitia cæſarum ullo unquam tem- „pore diſceſſuros, „ cæſaris conſilio viros inſignes viginti quatuor a ſingulis tribubus regendæ reipublicæ creatos, imperata pecunia honorari ſubſidii nomine: nec multo poſt qui ſummæ rerum præeſſet cum Germanorum manu delectum Gulielmum *Monfortium*: (e) Galeacium denique cum ſuis juſſu Ludovici cæſaris a Caſtruccio exorati *carcere liberatum.* (f) Volunt alii eundem priſtino

„RENA in rebus Laudenſibus. L'hiſtoria di Milano par „CORIO. LEANDRO ALBERTI fol. 416. ſeqq. AL- „LATII hiſtoria Mediolanenſis, MERVLÆ antiquita- „tes vice comitum Mediolanenſium. TRISTANI CAL- „CHI reſidua hiſtoriæ Mediolanenſis. „ Nobis ſufficiat in compendio actus quosdam tradere, ex quibus manifeſtum erit, Mediolanum olim quoque Germanico ſubfuiſſe imperio. De Carolingis & aliis ante Ottonem regibus nihil trado, de quibus VGH. *tom. IV. p.* 62. 70. 74. 81. Bonicium quendam Seroſatum e plebe hominem, quippe lanium ab Ottone Mediolani ducem eſſe creatum, autor eſt SIGONIVS, penes quem ſit fides. Id minus dubii habet, Mediolanenſibus ab imperatore facultatem, Walperto e vivis ſublato, Arnoldum archidiaconum archiepiſcopum ſibi conſtituendi, datam eſſe. Hic erat in illo territorio comes & vicarius cæſaris. PVRICELLI *nella memoria della baſilica Ambroſiana Vol. I. p.* 46. Ottones II. & III. Mediolanenſium rerum curam habuiſſe, extra omne dubium. Ottonem III. Arnulpho ut legato ad aulam Conſtantinopolitanam, ut ſibi imperatoris filiæ nuptias pararet, uſum eſſe, conſtat. Sed ob Ottonis mortem propoſitum proſpero caruit ſucceſſu. Vid. VGHELLI tom. IV. p. 100. qui hæc ex DATII *chronica* & GALVANI FLAMMÆ *florum manipulo c.* 137. refert. Idem archiepiſcopus Henrici ſancti partes contra Arduinum Epirodiæ marchionem ſecutus & ſtrenue tutatus eſt; eumque Papiæ coronavit. DITMARVS, ex quo ſua BARONIVS deſumſit. GALVANVS FLAMMA *in manipulo florum c.* 138. RIPAMONTIVS *in vita Arnulphi p.* 613. ſeqq. VGHELLI *tom. IV.* Obiter hic memorare liceat, a Galvano & autore catalogi epiſcoporum Mediolanenſium tradi, Henrico ab Heriberto archiepiſcopo diadema impoſitum eſſe: Sed hoc a vero alienum eſſe, docet abbas CASTILIONÆVS in notis ad EMAN. THESAVRI *tract. de regno Italiæ p.* 581. Henrici veſtigiis circa Mediolani imperium Conradus II. inhæſit, eique ſe Herbertus archiepiſcopus addixit, cum alii proceres de alio ſibi Italiæ rege conſtituendo eſſent ſoliciti. FVLBERTVS CARNOTENSIS *epiſt. n.* 55. *n.* 66. *tom.* 4. *ſcript. Brunſv. p.* 126. *Caſtilion. in not. ad Theſaur. p.* 616. SIGONIVS *lib.* 8. *p.* 353. Verum cum deinde cæſaris auctoritatem vilipenderet, & cum epiſcopis Placentino & Vercellenſi res novas moliretur, ſibi iram imperatoris & captivitatem procuravit, unde tamen evaſit. WIPPO *in vita Conradi Salici p.* 441. *annal. Hildesh. p.* 728. Mediolanenſes, qui ab Herberti partibus ſtabant, obſidione cincti, cum in eo eſſet, ut vi caperentur, pollicebantur, ſe imperata facturos cenſusque conſuetos præſtituros, atque ita ſe ab obſidione liberarunt. Quæ hic de S. Ambroſii apparitione aut alio miraculo, quod imperatorem, ne urbis obſidionem continuaret, deterruiſſe dicitur, narrantur, haud procul a fabula abeſſe videntur. Vid. quæ VGHELLI *tom. IV. p* 102. ex ARNVLPHI *chron.* refert. Redeunte Herberto ad Mediolanenſem ſedem, ſibi ab eo Henricus III. diadema imponi paſſus eſt. Cæterum Mediolanenſibus, ad vetera dilabentibus odia, arma illis intulit imperator, quæ res efficit, ut Herbertus Meodeciam concederet: verum, hoc bello ſopito, in urbem reverſus eſt. VGHELLI *p.* 102. Nec illud prætermittendum, quod hic archiepiſcopus teſtamento ſuo nomen & annos Conradi præmiſerit. Nec minor Henrici IV. rerum Mediolanenſium cura fuit, quam anteceſſorum ſuorum. Medaldum Mediolanenſem archiepiſcopum per baculum & annulum inveſtivit. LANDVLPHVS *lib. IV. c.* 2. Henricus V. Mediolani aut Meodeciæ ferreum ſumſit diadema: incertum tamen eſt, cujus manu. PVRICELLI *monum. eccleſ. Ambroſianæ n.* 310. LANDVLPH. *junior c.* 18. FLAMMA *in chron. major. c.* 251. Ejus vices in Mediolanenſi & aliis Italiæ territoriis regendis ſuſtinuit Mathildis. DONIZO *apud* LEIBN. *p.* 682. ANTONIO CAMPI *nell' hiſtoria di Cremona p.* 17. Quod ad Lotharium attinet, ab ipſo alieniores fuere Mediolanenſes, ſecutique ſunt Conradi III. partes, qui ibi Italica induebatur corona. LANDVLF. *jun. ſcript. Ital. tom. V. p.* 510. Quam male mulctati ſint Mediolanenſes, in Fridericum I. inſurgentes, ex temporum illorum annalibus conſtat. Conf. GOTHOFR. *in panth. part. XVII.* MOREN. *tom. VI. ſcript. Ital. p.* 107. *ſeqq.* SICARD. *in chron. tom. VII. ſcript. Ital. p.* 594. GVNTHERVS, RADEVICVS, OTTO de S. BLASIO. CORIO *p.* 162. *ſeqq.* Henricus VI. & ſuos in Italia habebat vicarios & Mediolani tria dominia haud dubie ſub ſummo ejus fuerunt imperio. CORIO *parte I.* ABBAS VRSPERGENSIS *in Henrico VI.* Exſtant hujus Henrici & aliorum cæſarum diplomata, quibus Cremonæ, quæ ducatus Mediolanenſis deinde pars facta, res, jura & privilegia dabantur aut confirmabantur. Vid. *hiſt. di Cremona* di ANTONIO CAMPO *libr. II. p.* 30. 33. & alibi paſſim. Atque Henricus eam de rebus ſuis cum lancea & Confanono inveſtivit. Ottonis IV. in Mediolano aliisque Italiæ territoriis moderandis vices Aquileienſis patriarcha geſſit. Merentur hic adjici verba epiſtolæ, quam ad Mediolanenſes dedit: *Significamus*, inquit, „ad hoc vobis, quod dilectiſſimo patri noſtro per totam „Italiam officio fungatur noſtri & imperii legati, quic- „quid ipſi de honore noſtro & imperii tractaveritis, nos „per omnia ratum ſumus habituri. CORIO dell' hiſto- „rie Milaneſe part. II. p. 153. „ Fridericus II. in coërcendis Mediolanenſibus rebellibus non ſatis proſpera uſus eſt fortuna. CORIO *parte II. p.* 196. Cremonenſibus autem, qui cum eo ſtabant, jura & privilegia confirmavit. ANTONIO CAMPO *hiſtor. di Cremona p.* 45. 49. Filium ſuum Henricum Lombardiæ generalem dedit vicarium. CAMPO *l. c. p.* 57.

(†) *Napum* ad p. 372.) GöBEL. TRISTANVS CALCHVS *hiſtor Mediol. lib.* 16. *p.* 361. 362.

(a) *Adolphus*) GöBEL. CORIO. p. 303.

(b) *Reſtituit*) GöBEL. CORIO p. 344. 346. 353. JOVIVS *in Mathæo M.* TRISTANVS CALCHVS *lib. XX. p.* 431.

(c) *Galeacius*) GöBEL. LOCATVS *ad annum* 1327. CORIO p. 391. 401. Ante eum hoc munere functus videtur Nicolaus de Bonſignoribus. MVSSATVS *lib. I. p.* 7. TRISTANVS CALCHVS *lib. XX. p.* 429.

(d) *Conjectus*) GöBEL. CORIO p. 396. 400. BVRGVND. *in hiſtor. Ludov. Bavari lib. II. p.* 99.

(e) *Montfortius*) GöBEL. ALBERTVS ARGENTINENSIS p. 124.

(f) *Carcere liberatum*) GöBEL. Caſtruccii favorem donis ſibi comparaverant. CORIO *p.* 402. *ſeqq.* TARCAGNOTA *p.* 2. *lib.* 15. *p.* 124.

priſtino loco reſtitutum, ſed id Jovius non habet. Galeacii filius *Actius* (a) (verba iterum ſunt Jovii in Actio) *ad cæſarem Piſas profectus, poſt multa colloquia, egregie navante operam Marco patruo, cæſaris animum inflexit, promiſſaque pecunia ad ſummam quindecim myriadum, ut paterni imperii princeps appellaretur, impetravit.* Erat autem nomen *dignitatis* (b) illud, ut vicarius imperii audiret: isque titulus manſit ad Wenceslai (Jovius perperam Ladislaum vocat) cæſaris ætatem, qui Joannem Galeacium ſceptro pileoque transmiſſis ducem *nuncupavit.* (c) Id quod ægre adeo tulerunt tunc electores, ut inter alia hoc quoque juſtam crediderint cauſam Wenceslai *abdicandi.* (d) In tabulis abdicationis, *Mutilaſti*, inquiunt electores, *imperium Mediolano & provincia Longobardia, quæ juris ſacri Romani imperii fuerant, redeuntibus inde ad imperium ampliſſimis emolumentis, in qua ditione Mediolanenſis veluti miniſter ſacri imperii partibus fungebatur: eum tu, contra quam tuam ſublimitatem & dignitatem debebat, accepta pecunia Mediolani ducem & comitem Papienſem creaſti.* Et vero illis quidem verbis ſubindicari videtur, hactenus aliquam proventuum partem fiſco cæſareo *ceſſiſſe:* (e) nonnihil ſcilicet ejus quod olim cæſaribus depenſum fuit. Quo de ita loquitur Philippus Cominæus l. 1. de bello Neapolitano: *Quo tempore Mediolanenſem provinciam cæſares adminiſtrabant, magna erat populi libertas, & ſingula domus aureum ſolummodo pendebant annuum.* Quicquid hujus fuerit, in Joannis Galeacii duobus filiis Joanne Maria & Philippo, quorum alter alteri ſucceſſit, ſtirps illa legitime natorum vicecomitum interiit. Inde cum Carolus Aurelianenſis Joannis Galeacii ex filia Valentina nepos, & Franciſcus Sfortia Blancæ *ſpuriæ maritus*, (f) ſibi opimum illum ducatum vindicarent, atque ille niteretur *tabulis* (g) dotalitiis quibus matri, fratribus ſine prole maſcula defunctis, jus ſuccedendi erat datum, interceſſit Fridericus III. cæſar, & ceu caducum & feudorum legibus imperio aſſeruit, idque quoniam in dotalitias illas tabulas non cæſarum aliquis ſed pontifex tantum, cujus in talia nullum jus eſt, conſenſiſſet, & Blanca natalium infamia a ſuccedendi jure arceretur. Etſi vero omnem illam provinciam in poteſtatem ſuam *redegerit*, (h) eximia armorum felicitate, Franciſcus Sfortia: *pacatis tamen rebus* (verba iterum ſunt Pauli Jovii in hiſtorica narratione Mediolanenſi hæreditatis) *ut imperium armis partum cæſaris auctoritate ſtabiliret, per legatos poſtulavit a cæſare, ut quod adoptionis jure conſecutus eſſet, Auguſtali diplomate confirmaretur.* Nec ille tamen nec filius Galeacius, quod neuter imperatos ſumptus vellet facere, gratiam cæſarum impetraverunt. Ludovicus tamen, Galeacii frater, *quem Morum* (i) falſe cognominant, quater centum milli-

(a) *Actius*) GöBEL. Hic, cæſare nummis ſibi faventiore reddito, vicariatum Lombardiæ obtinuit, quo tamen deinde ſe abdicavit, eumque vicecomes Johannes ſprevit. Reverſus tamen eſt vicariatus ad vicecomites. Nam ſub Carolo IV. eo Barnabas uſus, quem eo deinde cæſar privavit. Vid. *corps diplomat. du droit des gens p.* 144. chartas, quæ GERVASII otiis, a MADERO editis, adhærent *n.* 13. *ſeqq.* CAVITELLVS *ad annum* 1395. CORIO *p.* 473. Velatus quoque hic cæſar Mediolani ferrea eſt corona.

(b) *Dignitatis*) GöBEL. Imperatoris enim nomine cuncta regebat, niſi quæ ſpecialiter eſſent excepta.

(c) *Nuncupavit*) GöBEL. Antea *Joannes Galeacius* Mediolani civitatis imperialis vicarii generalis titulo utebatur. CORIO *p.* 513. Anno 1395. autem ad ducalem a Wenceslao, non tenui pecuniæ ſumma pellecto, provectus eſt dignitatem. CORIO *p.* 536. *Corps diplomatique du droit des gens tom.* 2. *p.* 236. 260. 261. LEIBN. *C. J. D. p.* 257. Rei autem hujus patrem Wenceslai Carolum fundamenta jeciſſe dicunt, quod Galeacii patrem vicecomitem creaverit. SCHVRZFLEISCH *de juribus Auguſti in Italiam.* RIPAMONTIVS *p.* 257. GOLDAST. *in polit. imperial. p.* 85.

(d) *Abdicandi*) GöBEL. Acta depoſit. *Wenceslai apud OBRECHT. p. 6. ſeqq. GOLDAST. tom. 1. conſtit. p.* 379.

(e) *Ceſſiſſe*) GöBEL. Præterea hoc exemplo & alii Italiæ vicarii inducti, ut officia ſua hæreditario habere jure operam darent.

(f) *Spuriæ maritus*) GöBEL. Cum Philippus *Blancam*, filiam naturalem, ſtudiis potiſſimum pontificis Martini *Franciſco Sforzæ* nuptum collocaret, ipſum una cum deſcendentibus in vicecomitum familiam ſuſcepit: CORIO *p.* 645. Sed hoc ei jus ſuccedendi in feudo imperii dare non potuit.

(g) *Tabulis*) GöBEL. MEZERAI *abrege chronol. tom.* 3. *p.* 138. tradit, quadringenta millia aureorum florenorum, Aſtenſem & virtutis comitatus cum aliis infiniti pretii rebus Valentinæ in dotem datos eſſe, ita tamen, ut Virtutis comitatus in Campania ſitus, quem Johannes Galeacius cum Galliæ regis Caroli V. ſorore in dotem acceperat, CORIO *p.* 460. non niſi ſocero exſtincto Ludovico cederet. Spe autem ſuccedendi in Mediolanenſi ducatu maſcula prole exſtincta Mezeræus non commemorat. Id tamen rei ab aliis memoriæ proditum eſt. Sufficit, jam SERRIVM *in inventario hiſtor. Gallica p.* 217. & PVFFENDORFIVM *in introduct. ad hiſtor.* nominaſſe.

(h) *Redegerit*) GöBEL. CORIO *dell' hiſtorie Milaneſe parte V. p.* 739. *ſeqq.* GRATIANVS *in Ludovico Sfortia p.* 48.

(i) *Quem Morum*) GöBEL. Ob fuſcum vultus colorem id cognominis nactus eſt. Suſpicabantur nonnulli, ipſum æthiope patre progenitum eſſe. Hujus artibus fraudibusque fratris filius ſiniſtra educatione ad regendum impar redditus, deinde plane e medio ſublatus. Venenum enim ei, patruo machinante, propinatum eſſe, haud dubiis argumentis compertum auctores tradidere. Hoc facto non admodum difficile Ludovico fuit, Galeacii exſtincti, immaturo ad reipublicæ moderamen filio, ducatum præripere; omnium enim, qui quadam in republica erant autoritate, ſibi devinxerat animos. Nec deerat Ludovico juſtitiæ color. Ajebat enim, ſibi ducatum iniquo patris judicio ereptum, qui, etſi Galeacio minor ætate, primus tamen in lucem poſt partum Mediolanenſe regnum editus. Hinc ſenatusconſulto decernitur puero, turbidis maxime Italiæ rebus, & circumſtrepentibus fere undique armis, rempublicam non eſſe committendam: ſed Ludovicum rogandum cogendumque, amplecti rempublicam, & ducis nomen & civitatis imperium accipere. Ita ille primo ſpecie recuſantis, mox etiam prolato Maximiliani diplomate dux appellatus. GRATIANVS *in Ludovico Moro p.* 65. GVICCIARD. *lib.* 1. *p.* 27. CORIO *p.* 929. LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 483. Inveſtituræ diploma maſculis tantum favens anno 1494. (1495.) impetravit; *Corps diplomatique du droit des gens tom.* 3. *part.* 2. *p.* 333. *Preuves & obſervations ſur les mem. de COMINES p.* 237. *ſeqq.* Cauſam, quod Joanni Galeacio ducatum conferre noluerit, ſequentem in diplomate de anno 1493. allegat: *Et quia eſt de conſuetudine ſacri Romani imperii,* inquit, *neminem unquam inveſtiri de aliquo ſtatu ſibi ſubjecto, ſi eam de facto uſurpavit, vel ab alio recognovit, genitor noſter perpetuæ memoriæ imperator ſereniſſimus, neque electores unquam conſentire voluerunt, neque conſentierunt, quod talis ducatus & comitatus in ipſum transferretur, & quia idem illuſtris dux Ludovicus in eo gubernando admodum ſapiens eſt & valde idoneus in maximum commodum ſubditorum & non parvam ſacri Romani imperii commoditatem, utilitatem & ornamentum ei obtulimus ſive privilegium in perſonam ſuam & filiorum ac

millibus aureis nummis a cæſare Maximiliano primo, ſibi ſuisque legitime natis ſucceſſoribus, conſecutus eſt. Cum hunc *captum* (a) omni ditione exuiſſet Ludovicus XII. Galliæ rex, juſtum ſe hæredem ferens, quod armis vindicaverat, *auctoritate tamen cæſaris corroborandum exiſtimavit. Igitur* (ait Jovius) *cum Maximiliano Cæſare, qui ex Tridentinis Alpibus ad Benaci lacus forte pervenerat, numerata pecunia transactum eſt in hanc formulam: Ut Ludovicus ejusque gener ex Claudia filia Franciſcus Angoliſmorum regulus, liberique demum ejus poſteri ſucceſſores bene ciario jure* (b) *Mediolani Duces appellarentur.* Sed caute additum erat, id fieri, *ſalvo jure tertii.* Itaque non multo poſt, quod Sfortiis jura integra crederentur relicta, Julii pontificis cura, ut Maximilianus Sfortia in paternum principatum *reduceretur*, (c) laboratum eſt. Et vero Galli tandem omni illa Italiæ parte iterum ejecti ſunt, reſtitutis Sfortiis. Quibus extinctis, Carolus cæſar, quod *Franciſcus* (d) rex Galliæ juribus, ſi quæ habuiſſet, reddidiſſet ſe indignum universum Mediolanenſem ducatum, tanquam feudum imperii vacuum, jure cæſareo

---

ſucceſſorum ſuorum & accedente electorum conſenſu ei tanquam bene merito contulimus privilegium & inveſtituram ducatus Mediolanenſis & Lombardiæ ac comitatus papiæ. CORIO *p.* 935. In diplomate I. tam inſignia ducatus, quam ſucceſſio ſtabiliuntur: Verum & deinde Ludovico datum, ut & filii naturales & illegitimi in ducatu ſuccedere queant, CORIO *p.* 935. quod autem ætatem non tulit.

(a) *Captum*) GöBEL. Ludovicus XII. Galliæ rex, legitima Galeaccorum prole exſtincta, derivato in ſe aviæ Valentinæ jure, Ludovico Moro, qui ducatum invaſerat, arma intulit, eoque ſe in Germaniam recipere coacto, terris Mediolanenſibus potitus eſt: Verum enim vero, Mediolanenſibus ad Gallorum illico nauſeantibus dominationem, ipſi ducatum recuperandi occaſionem præbuerunt. Sed hoc Ludovici non diuturnum fuit imperium; novis enim Gallorum accedentibus copiis, exercitus Novariæ, qui ſe Ludovico permiſerat, admotus eſt. Cumque Ludovici miles ex variis collectus gentibus, eo ductore, urbe excederet, ut manus cum Gallis conferret, accidit, ut his victoribus Ludovicus a ſuis eis traditus, & in Galliam captivus abductus ſit, ubi in Locenſi turri æternis mancipatus carceribus, ingratam vitam ad decennium adhuc produxit. *Hiſtoire de Louis XII. par Jean d'Auton ch. 5. ſeqq.* GRATIANUS *in Ludovico Sfortia p.* 82. 83.

(b) *Beneficiario jure*) GöBEL. MEZERÆO autore, Ludovicus primum cum Maximiliano fiduciariam in Mediolanenſi ducatu fœminis tantum pactus eſt ſucceſſionem: Sed hoc a veritate abludere, tam Bleſenſis tractatus, quam Hagenoenſis & Tridentinæ inveſtituræ probant documenta. In Bleſenſi tractatu hæc leguntur: *Dabit inveſtituram ipſi Chriſtianiſſimo domino regi pro ſe & heredibus ſuis maſculis, ex ſuo corpore deſcendentibus, pro filia ſua primogenita, & pro domino duce Luxemburgo ejus ſponſo.* Hagenoenſis inveſtituræ diploma hæc continet: *pro illuſtri Claudia, filia ſua primogenita, ac pro illuſtri Carolo archiduce Auſtriæ principe Caſtellæ &c.* alterum autem ſequentia habet: *pro illuſtri domina Claudia ejus filia illiusque futuro ſponſo.* Putant nonnulli, Franciſci, cui ſolenniter deſponſata erat, nullam, ut ſponſi Claudiæ, factam eſſe mentionem, quoniam Maximilianus a ſe obtinere non potuerit, ut illum in diplomate exprimeret, quem domui ſuæ, altera demum vice partam ſpem, per Caroli & Claudiæ matrimonium Britanniæ ducatu potiundi, præripere ſciebat. *Corps diplomatique tom. 4. p. 55. ſeqq. Diſcours hiſtorique des traités par Amelot de la Houſſaie p. 66. ſeqq.* LEIBN. *C. J. G. dipl. tom. 1. p. 257.* GUICCIARD. *lib. 4. p.* 128. *Hiſtoire de Louis XII. par Jean d'Auton. ch.* 58. MEZERAI *tom.* 3. *p.* 420. 421. BUSSIER *part. II. p.* 87.

(c) *Reduceretur*) GöBEL. Julio II. potiſſimum in id incumbente, ut Galli, devictis Venetis, elatiores facti Italia ejicerentur, in fœdus Ferdinandum catholicum, Henricum VIII. Angliæ regem & Helvetios coëgit, MEZERAI *tom.* 3. *p.* 451. BUSSIER *part. II. p.* 115. 116. qui ancipiti imo inferiori, quamdiu Gaſto de Foix dux ſtrenuiſſimus ſuperſtes erat, cum Gallis contendebant fortuna: verum hoc poſt magnam a fœdere junctis ad Ravennam reportata victoria tergis fugientium imprudenter inhærente, & ab hoſtium manu pedem ſiſtente cæſo, res Gallorum in Italia peſſum ire cœperunt, donec ea plane exuti ſint. Hac rerum viciſſitudine freti Helvetii Maximilianum Ludovici Mori filium avitis reſtituebant laribus. MEZERAI *tom.* 3. *p.* 462. BUSSIER *part. II. p.* 131. *ſeqq.* Et licet Galli Mediolani dominationem repetere conarentur, minus proſpera tamen uſi ſunt fortuna; nam opibus eorum ad Novarram Helvetiorum virtute graviter attritis pedem referre coacti ſunt. MEZERAI *p.* 466. *Buſſier p.* 129.

(d) *Franciſcus*) GOEBEL. Hic Valentinæ Galeaciæ pronepos, ex quo, exſtincto Ludovico, Gallicum ſumſit diadema, nihil prius duxit, quam Sfortias Mediolanenſi privare ducatu. Quamobrem lectiſſimum in Italiam duxit exercitum, qui, Helvetiis, ad Marignanum fortiſſime pugnantibus, tandem terga vertere coactis, Mediolanenſem ducatum ſub principis ſui redegit poteſtatem. BUSSIER *p.* 2. *p.* 141. *Hiſtoire de François I. par Varillas p. 54. ſeqq.* Maximilianus itaque Sfortia ſe Gallorum viribus imparem videns, ſibi triginta ducatorum millia in annuos ſtipulatus reditus, ducatu deceſſit. LUNIGII *C. J. D. p.* 523. *ſeq.* PALATIUS *in geſt. pontif. Vol. III. p.* 295. Extat diploma, quo Franciſcus, ut Mediol. dux, epiſcopo Novarienſi privilegia confirmavit. UGHELLI *t.* 4. *p.* 722. Exardeſcente deinde inter Carolum V. & Franciſcum bello, Galli denuo Mediolanenſi exuti ſunt ducatu, qui ab imperatore Carolo V. Franciſco II. Sfortiæ reſtitutus eſt. Quo ſine prole, feudi capace, exſtincto terras illas filio Philippo in feudum contulit. GALEAZIUS CAPELLA *de rebus geſtis pro reſtit. Franciſci apud* SCHARD. *p.* 176. *ſeq.* GOLDAST. *ſtat. & reſcript. imperial. p.* 83. Nec fas puto, quod Galli de amiſſo Mediolano conquerantur. Nam ex Wenceslai diplomate, quo Joanni Galeacio ducalem confert dignitatem, conſtat, id beneficii ad maſculos tantum pervenire debere; quoniam illi in jure feudali tantum hæredum & ſucceſſorum ſimpliciter poſitorum nomine veniunt.

(*1. F. 1. §. 3. 1. F. 14. §. etſi client.*) GöBEL. Quapropter pactum, quod inter Joannem Galeacium & Ludovicum Aurelianenſem de ſucceſſione prolis ex Valentina ſuſceptæ, in ducatu Mediolanenſi, initum erat, nullius fuit valoris. Quod autem ad inveſtituras, quas Ludovicus XII. a Maximiliano I. obtinuit, attinet, in earum leges peccavit Ludovicus, & ſic iis ſe indignum reddidit. Conſtitutum enim erat, ut primum Claudia progenita, cum poſteris, deinde Renata ejus ſoror aut ejus deſcendentes Mediolanenſibus potirentur terris: verum hoc ordine ſuccedendi mutato, Ludovicus Renatæ hunc in finem emancipatæ ſæpe memoratum ante ſororem deſtinavit ducatum. Forte & huc ſpectat, quod Claudia in mariti favorem juri ſuo in hunc ducatum omnimode renunciaverit, quoniam nihil, quod inveſtitura continet, citra domini conſenſum mutari poteſt. Porro id, quod inter Franciſcum I. & Maximilianum Sfortiam celebratum eſt negotii, imperii juribus præjudicare non poteſt. Denique in conventione Madritenſi, qua Franciſcus libertatem, quam in prælio ad Ticinum amiſit, recuperavit, inter alia juri in Mediolanum renunciavit. PRUDENTII SANDOVAL *hiſtoria captivitatis Franciſci I. p.* 170. *Hiſtoire de François I. par Varillas p.* 351. Et vana ſunt, quæ Galli pro nullo conventionis illius valore adducunt, ſcil. eam Franciſco extortam eſſe, nec illi regni conſenſum ad alienationes neceſſarium acceſſiſſe: Sed notum eſt juris naturæ dogma, inter liberas gentes exceptionem metus non admitti. GROT. *de J. B. & P. lib. 3. c. 19. §. 11.* Deinde Madritenſis conventio a Franciſco, archiepiſcopo Ambronenſi, Joanne de Silva, Parlamenti Pariſienſis præſide, & Philippo de Chabot Burdegalenſi conſule ſubſcripta eſt. Hi a Franciſci matre, quæ vice abſentis rem Gallicam regebat, mandatum a parlamento, ut regnum repræſentante, confirmatum, ad ineundam illam conventionem exhibuerunt. MAUROCENI *hiſtor. Veneta lib. 2. p. 62. Hiſtoria*

cæſareo occupavit. & mox in filium Philippum ejusque *poſteros* (a) transſcripſit, beneficiaria lege ab imperio acceptandum. Ex eo Hiſpaniæ reges & hunc ducatum, & Marchionatum *Finalienſem*, (b) & *Senas* (c) & *Plombinum* (d) in Italia clientelari jure poſſident. Ut proinde clariſſimum ſit, jam pene a Rudolphi temporibus usque, citra controverſiam principatum illum Mediolanenſem in imperii fuiſſe obſequio; perinde ut ante inſtitutum principatum terræ illæ omnes imperii legibus paruerunt.

28. Poſt Mediolanenſia de Pedemontanis diſſerendum eſſet. Quandoquidem vero illa Sabaudiæ ducem agnoſcunt dominum, de hujus vero rebus inter Burgundica eſt agendum, in id usque Pedemontana quoque differre, haud inconſultum arbitramur. Non videtur etiam ex re fore,

captivitatis Franciſci I. p. 169. MEZERAI *abregé chronologique tom. 4. p.* 540. Nec minus Franciſcus renunciationem juris ſui in Mediolanum in Cameracenſi pace & Nicenſibus induciis repetiit. MAVROCENI *hiſtoria Veneta p.* 128. Veritati quidem conſentaneum, in pace ad Creſpinam in Laonenſibus placuiſſe, ut Aurelianenſi duci Franciſci nato ſecundo genito Caroli V. fratris ejus filia cum Mediolanenſi ducatu in matrimonium daretur: Sed cæſarem Aurelianenſis ducis mors ab hoc liberavit promiſſo. Reliquum eſt, quod Galli de Caroli V. pollicitatione, cum per Galliam iter ſuſciperet, ad motus, qui Gandavi exorti erant, componendos, facta loquuntur, refellere. Nec ipſe Varillatius aſſerere audet, quod Mediolani reſtitutio promiſſa ſit: Sed Montemoranciunı honoribus, uti Eſtampia donis, oneratum a cæſare reſponſum tuliſſe, ſe in nulla re, quo Franciſco fratri gratum quid exhibere poſſet, ſuo defuturum officio. Audiamus ipſum Varillaſium vernacula ſua hac de re dicentem: „lorsqu' il fut queſtion, inquit, de reſoudre le principal „article, qui regardoit la reſtitution du duché de Milan, „Charles pria le connetable, de ſe contenter de la pa„role, qu' il lui donnoit, de vouloir, tout ce que le Roy ſon frere voudroit; & le connetable eut aſſéz de complaiſance, pour ne pas inſiſter d' avantage la deſſus. Hiſtoire de Henri II. tom I. p. 1. ſeqq.

(a) *Poſteros*) GöBEL. In diplomate, quo vacans Mediolani feudum Philippo II. a patre collatum fuit, ratione ſucceſſionis ſequentia reperiuntur: „deficiente vero li„nea maſculina ſuccedat & ſuccedere debeat in dicto „Mediolanenſi dominio & comitatibus Papiæ & Angle„riæ cum earum pertinentiis filia primogenita ejusdem„que primogenitæ, primogenitus maſculus, idemque „ordo ſucceſſionis intelligatur & ſervitus in ſecundo, „tertio & quarto genitis filiabus, ita ut alii filii aut filiæ „nullum jus prætendere poſſint ad ducatum & comita„tus &c. LVNIG C. J. D. p. 531. ſeqq. „ Moliebatur quidem, quod obiter dixerim, Carolus Philippo, ut imperii vicariatum per Italiam conferret: at res proſpero caruit eventu. Vide THVANVM. Sed redeamus ad Mediolanenſem ducatum: ordo ſuccedendi, aurea bulla per Carolum V. ſtabilitus, per Ferdinandum I. II. III. & Leopoldum confirmatus eſt. LVNIG *C. J. D. tom. I, p.* 547. 570. 578. 583. Carolo II. Hiſpaniæ rege exſtincto, Galli hunc ducatum renunciationum jurejurando ſusque deque habito, occuparunt: Sed tandem liberum ſibi pacti ſunt diſceſſum, ducatu in imperialis domus poteſtate relicto. Hæc eam, Gallorum jure, per validas renunciationes ſublato, optimo maximo jure poſſidet. Hinc Gallus in pace Badenſi art. XXX. „ promittit & ſeſe „obſtringit, quod ſuam cæſaream majeſtatem relinquat „in tranquilla & pacifica poſſeſſione omnium ſtatuum & „locorum, quæ in Italia modo tenet, & quæ antea a re„gibus domus Auſtriacæ poſſeſſa erant, videlicet regni „Neapolitani, ut id ſacra majeſtas actu poſſidet, ducatus „ſimiliter Mediolanenſis, ut eum cæſarea majeſtas actu „poſſidet &c. „ Cumque tot ſereniſſimi Sabaudiæ principis EVGENII omnis ætatis & memoriæ ſtrenuiſſimi herois in rem Germanicam imo Chriſtianam exſtent merita, ut vix condigno affici queat præmio, majeſtati cæſareæ placuit, ut aliqua grati animi in ipſum exſtaret teſſera, & ſponte depoſiti Belgii vicarii regiminis ipſi penſarentur reditus, eum ducatui Mediolanenſi aliisque regnis & terris, quæ in Italia habet, generalem præficere vicarium. Diploma refert LVNIG *C. J. D. tom. I. p.* 335.

(b) *Finalienſem*) GöBEL. De hoc paulo poſt dicetur.

(c) *Senas*) GöBEL. De veteribus Senarum rebus, ut & quod Longobardis & Carolingis ſubfuerint, agit VGHELLI *tom. III. J. S. in epiſcopis Senenſibus.* Ottoni III. tractum illum paruiſſe, ex diplomate, quod apud VGH. *l. c. p.* 534. reperitur, apparet. Sic Joannes Senenſis epiſcopus ſolemni conventui, ab Hermanno Colonienſi archiepiſcopo, ad juſtitias faciendas a Conrado II. miſſo, celebrato interfuit. VGHELLI *l. c. p.* 536. Fridericum I. Senis imperaſſe, ex privilegio quoque, quod monaſterio S. Eugenii prope Senas largitus eſt, pateſcit. VGHELLI *l. c. p.* 549. Paruit deinde & aliis imperatoribus. Carolus IV. Senas per Erneſtum archiepiſcopum Pragenſem generalem ſuum in Hetruria vicarium rexit, earumque ſcholam ampliſſimo donavit privilegio. VGHELLI *l. c. p.* 564. 565. Omnes Senarum civitatis mutationes excutere, meum non eſt, inveſtigentur ex apud THOMASIVM *in hiſtoria Senenſi*, & NATALEM COMITEM *in hiſtor. ſui temporis.* Mediolanenſi duci Senas ſubfuiſſe, ex CORIO *parte IV. p.* 550. diſcimus. Nec jam ſcrutabor, ſi quid ex vero Guicciardini habeat narratio, Senas triginta ducatorum millibus a Maximiliano I. pontifici, ut Urbinatenſi cederent duci, venditas eſſe. *Lib. XI. fol.* 321. vid. NATAL. COM. *p.* 106. *ſeqq.* MAVROC. *hiſtor. Venet. p.* 271. Nobis jam monuiſſe ſufficiat, Senas cæſareani exercitus obſidionem ſatis diu patienter ferentes, ſtrenueque ſeſe defendentes, tandem hac præcipue ſeſe Cæſari dediſſe lege: „ quod cæ„ſar protegendam urbem ac rempublicam Senenſem ac„ciperet in tutelam ſacri Romani imperii ac denuo eidem „reipublicæ libertatem antiquam confirmaret. MAV„ROCENVS p. 274. NATAL. COM. hiſtor. lib. VI. „p. 139. lib. VII. p. 167. ſeqq. lib. VIII. p. 183. lib. IX. p. 190. Invitis admodum civibus ſuis Senæ poſtea in ſubfeudum Mediolanenſis ducatus Coſmo Florentinorum duci a Philippo II. ex patris cum Coſmo inito pacto traditæ ſunt, ſervavit tamen ſibi Philippus pleraque ad mare munita loca. THVANVS *lib.* 18. NATALIS COMES *lib.* 9. *p.* 191. *lib.* 12. *p.* 239. MAVROCENVS *hiſtor. Venet. lib.* 9. *p.* 293. Subjungam, quæ PIASECIVS *in chron. p.* 258. habet: *Ex pacto Caroli V.* inquit, „ cum „Hetruriæ duce ejus provinciæ locorum munitorum præ„ſidia non niſi ex Hiſpanis conſtare debeant. Hoc ſub„jectionis jugum deinde Ferdinandus excuſſit, ſenſim „ſuffectis in locum Hiſpanorum Italis. Res deinde ami„cabiliter compoſita eſt, ut Hiſpanis loca munita præter „Livorno manerent. „ Multa ad rem Senenſem ſpectantia in VARILLASII *hiſtoria Henrici II. lib.* 3. leguntur. Quod autem Senæ non quidem immediate, mediate tamen in imperii manſerint obſequio, ex diplomate, quo Leopoldus Philippum IV. ut Mediolani ducem de vicariatu Senenſi rebusque ad eum pertinentibus inveſtivit, liquet. LVNIG *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2287.

(d) *Plombinum*) GöBEL. Paruit Plombinum ad tempus Florentino duci, ab Appiano ejus domino, permittente cæſare, venditum fuit. *Hiſtorie de Henry II. par* VARILLAS *tom. I. p.* 259. 260. Principatus hic ſtatus præſidii partem conſtituit. Principes Ludovigii & Gregorii XV. gente oriundi, ut Hiſpanorum jam Auguſtiſſimi noſtri imperatoris & Mediolanenſis ducis vaſalli, præſunt. Ad hunc quoque principatum inſula Ilva ſpectat, in qua munimentum, cui portus ferrei (ferrajo) nomen Florentino, portus longi vero Hiſpano paret. In pace autem Vienenſi anno 1725. concluſa, rex catholicus ſe art. VI. obligat, „ quod oppidum portus longi una cum „parte inſulæ Ilvæ, quam in ea tenet, præfato princi„pi (Carolo) ſuo & reginæ filio cedet tradetque, quam„primum iſte tempore & ordine debito ad actualem du„catus Hetruriæ partem pertingat.

fore, ut de aliis *minutioribus* (a) Italiæ principatibus ſingulatim hoc loco tractemus, quum præcipuos illos & potentiores jam aſſeruerimus imperii ditioni. Et vero plærosque illorum clientelari jure teneri ab imperio partim proxime, partim quaſi in ſubfeudo, conſtat. Si qui ſunt allodiales, imperii tamen *legibus tenentur*, (b) haut ſecus ac bona alia ejusdem notæ. Nec enim vel aperto vel tacito quodam imperii conſenſu hactenus integram & exceptione carentem libertatem ſeſe conſequutum, eorum quisquam vel probare conatus eſt: & tamen nihil eſt certius, quam omnia illa in univerſum, florentibus Italici regni rebus & omnimoda ſalva adhuc priſca Germanicorum cæſarum majeſtate, imperii leges *devote* (c) audiviſſe.

29. Sunt qui de *MIRANDVLÆ* (d) principibus dubitant, eo, quod ſeculo ſuperiore, primum Ludovicus fratrem Joannem Franciſcum maximum natu Mirandulæ poſſeſſione ejecerit, inde reſtitutum Ludovici filius Galeotus miſerrime obtruncaverit, Mirandula in Henrici II. Galliæ regis manus tradita, acceptaque in Gallia ex regio patrimonio compenſatione, ſed mox regio beneficio Mirandula Galeotto reddita. Cæterum Picorum gentem, jam a temporibus Ludovici IV. Bavari, in clientela fuiſſe cæſarum & Fridericum III. cæſarem adjeciſſe comitatum Concordiæ, vacat dubio. A *Ludovico* (e) porro *violatum jus gentium*, & hujus filium Galeottum *immani parricidio* in patruum ſæviiſſe, & *per ſummum ſcelus Mirandula potitum*, ingenue fatetur magnus, Gallicis tamen partibus addictus: ſcriptor Thuanus l. 8. Sed & abunde liquet, nec Galeotto fuiſſe fas Mirandulam Gallo *cedere* (f) nec Gallo defendendam illam ſibi capere. Jamdudum vero etiam ad juſtum obſequium *Pici redierunt*, (g) & nunc adeo, ut olim, *principatum fiduciario jure ab imperatore agnoſcunt:* ut recte obſervavit auctor commentarii illius, quem Segetho nos debere non ſemel jam diximus.

30. Ergo de principatibus Italicis hæc fortaſſe nunc ſufficiunt. Adjicienda nonnulla etiam ſunt de URBIBUS hodieque LIBERIS, hoc eſt principis alicujus imperio non obnoxiis. Has inter *LVCCAM* (h) ſibi nummo comparaſſe libertatem integram ac imperatore Rudolpho, vulgo quidem fertur, eoque & Socinus junior conſil. 83. in pr. vol. 4. non dubitat illam nulli ſuperiori addictam pronunciare. Verum illam fabulam jam ſupra falſi convicimus. Sed & ex hiſtoria abunde conſtat, etiam non multo poſt Rudolphum, aliam plane fuiſſe illius urbis conditionem. Et vero ſaltim id nemini temere eſt ignotum, Caſtruccium *Lucenſibus* (i) auctoritate cæſarea præfuiſſe, Ludovico IV. imperante, qui illum ducem Lucenſem & Lunenſem appellavit. Hujus ſucceſſor Carolus IV. vicarium eidem urbi præfecit cardinalem *quendam Gallum*; (k) quem tamen, acceptis

(a) *Minutioribus*) GöBEL. Plurimi ſunt horum, qui ab imperio Germanico feuda recognoſcunt, ut ſunt principes, marchiones & comites ab Auria, comites Boromæi, principes Carpinci, domini Cacherani, marchiones Saronæ ex familia Carettona, Caſtruccii de Antiminellis, principes ac marchiones centuriones, domini Cazullini, domini Coſti, domini Fliſci, Maſſæ principes & Carariæ marchiones, domini Grimaldi, domini Guarzones de Piſcia, comites Hypolythi de Gazoldo, domini Lercarii, marchiones de Malaſpina, comites a Mollarti, princeps Monaci, principes Odeſchalci, marchiones Pallavicini, S. Petri duces, marchiones & comites Roboreti, domini de Romano domini de la Scala, domini de Scarampis, Soranez marchiones, marchiones & domini Spinulæ, domini de Triſſuno, principes & marchiones Vaſti. Vid. LVNIG. *Cod. Ital. diplomat.*

(b) *Legibus tenentur*) GöBEL. Vid. *Dn.* STRUV. *diſſert. de alodio imperii.*

(c) *Devote*) GöBEL. Ex profeſſo de hoc argumento in commentariis noſtris *de regno Italiæ* agetur.

(d) *Mirandula*) GöBEL. Picorum genus a Manfredo, Saxoniæ principe, & Euride Conſtantii filia repetunt. vid. *compend. hiſtor. di Loſchi p.* 411.

(e) *Ludovico*) GöBEL. Hic & frater Fridericus, Herculis Ferariæ armis adjuti, Johannem Franciſcum fratris conſanguinei filium Mirandula exuerunt, qui illos antea in exilium miſerat, rerum novarum cupidos: Verum eorum non diuturna fuit poteſtas, quoniam urbe a Julio II. capta Joanni Franciſco reſtituta fuit. *Part. II. delle iſtorie del mondo lib. XXII. di* TARCAGNOTA *p.* 923. Cumque Johannes Franciſcus ſatis ſe tutum crederet, Galeotto, Ludovici filio, una cum conjuge & filio Alberto obtruncatus eſt, parricida nocturnis tenebris tectus ſe in munitum, ubi commorabatur, Johannes Franciſcus locum cum aliis ſceleris ſociis contulerat, atque ſic nefandum patravit facinus. LOSCHI *l. c. p.* 413.

(f) *Cedere*) GöBEL. Hoc anno 1548. factum eſſe dicunt, quod Gallus imperii feudum a Galleotto per ſcelus occupatum ſub ſuam ſumſerit protectionem. Mirandula deinde Gallorum manibus erepta, ſub imperii obſequio manſit. *Hiſtoire de Henry II, par Varillas liv.* 3. Ex induciarum tamen decennalium anno 1538. initarum tabulis apparet, ante annum 1548. Mirandulam in Gallorum jam tum fuiſſe poteſtate. Placebat enim Carolo V. ut arbitrante papa, in quem compromiſerant, penes Franciſcum maneret. LVNIG C. J. D. *tom. I. p.* 1773.

(g) *Pici redierunt*) GöBEL. Id poſt annum 1572. factum, ex epiſtola Caroli IX. Galliæ regis ad Nicolaum Loſchium perſcripta conſtat. Ferdinandus II. principem Alexandrum anno 1618. ducem creavit. LOSCHI *p.* 421. Poſtea imperatores noſtri, occaſione ferente, ſupremi dominii in terras illas actus exercere non intermiſerunt. Leopoldus autoritate ſua cæſarea diſſidia, de appanagio Galeotto, Joanni & Ludovico fratribus Germanis ac Mirandulæ principibus ex Alexandri I. teſtamento præſtando exorta, cauſa coram tribunali judicii aulici ventilata, compoſuit. LVNIG *C. J. D. tom. I. p.* 1788. *ſeqq.* Et cum Franciſcus Maria Picus, bello poſt Caroli II. Hiſpaniæ regis mortem exardeſcente, Gallorum ſequeretur partes, imperiali vapulavit anathemate, feudisque imperii excidit. LVNIG. *l. c. p.* 1791. *ſeqq.* Allaboravit quidem inſigniter Galleottus Picus proximior agnatus, ut ſibi imperii feuda concederentur, LVNIG *p.* 1800. *ſeqq.* Sed ob eandem haut dubie rationem, quam ſupra in Mantuanis adduxi, voti non eſt compos factus.

(h) *Luccam*) GöBEL. Hanc urbem æque ac Piſam ſub Thuſciæ vicariis fuiſſe, ex annalibus conſtat. Conf. LEANDRO ALBERTI 38. *ſeqq.* & *deſcriptio Lucenſis*, reipublicæ, quæ eſt apud LVNIGIVM *in C. J. D. tom.* 3. *p.* 2249. *ſeqq.*

(i) *Lucenſibus*) GöBEL. *Caſtruccius* primum factus eſt Piſtorii Lucæque, in gratiam imperialem receptæ, vicarius & dominus Piſæ; poſtea dux Luccenſis, comes Palatinus Romæ & magnus Signifer Italiæ. Conf. vita *ejus* a MACHIAVELLO conſcripta. *Hiſtoria di caſa Orſina per Saſorino lib.* 3. *p.* 43. TARCAGNOTA *lib.* 15. *part.* 2. *p.* 608. CORIO *part.* 3. *p.* 318. 402. LEIBNIT. *C. J. G. D. p.* 127. *ſeqq.* LVNIG. *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2213. *ſeqq.*

(k) *Quendam Gallum*) GöBEL. Erat cardinalis de Bononia. CORIO *p.* 476. Quæ poſt Caſtruccii mortem inter poſteros ejus & Pogginghiorum gentem exortæ de vicariatu lites

acceptis 25000. aureis, deſeruiſſe provinciam demandatam, refert Leander Albertus in deſcriptione Italiæ, ubi de Tuſcia agitur. Ex eo ſibi quidem & ſuæ libertati fuit relicta urbs, tamen & ipſa haud illubenter urbs imperii hodienum audit, nec a cæſaribus aut vulgo etiam illa aliis ſolet titulis uſurpari: eoque & *Carolum cæſarem* (a) excepit, prout dominum excipere par erat, quod vel ex Jovii l. 26. abunde notum eſt.

31. GENVÆ item plena libertas & ab imperii legibus exemtio a quam multis vulgo tribui ſolet: imo ipſa non obſcure illam ſatis diu jam affectavit. Qua in aſſerenda riſui ſeſe hiſtoriæ peritorum hominum exponere non dubitarunt præclari aliquot Romani juris doctores. Quos inter Menochius in reſponſo in cauſa Finalienſi pro Genuenſibus conſcripto art. 1. n. 46. aſſerit, Genuam plena ſemper libertate eminuiſſe, non tantum florentibus Francorum & Germanorum cæſarum rebus, ſed etiam rerum adhuc potientibus Romanis: idque probat teſtimonio epiſcopi Nebienſis (is autem eſt Aupuſtinus Juſtinianus) & Leandri Alberti: quorum neutri fortaſſis unquam hoc in mentem venit. Verum hæc narraſſe refutaſſe eſt. Citra controverſiam enim ponendum eſſe, Genuam imperii Germanici *legibus paruiſſe* (b) usque ad Rudolphum, cuivis monumentorum veterum paulo peritiori, non poteſt non conſtare. A Rudolpho Genuenſibus non eſſe conceſſam libertatem, jam tum demonſtravimus. Quantum illa non multo poſt coluerit *Henricum cæſarem*, (c) dignum eſt, quod ex Conradi Vecerii libro de rebus geſtis imperatoris illius, hic memoretur. *Cæſar*, ait, *ad diem undecimum calendarum Octobrium maximo apparatu Genuam eſt invectus. PRINCIPEM DOMINVMQVE ſolenni more appellantibus: mox componendæ diſcordiæ ratio habita. Itaque Opicino Spinola ſociisque jampridem exulantibus conſerta reſtitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem civium pepererunt. Ipſi millia aureorum dono data centum, regia vero conjugi viginti.* Sed & *a nemine cæſarum* (d) plenum rerum ſuarum arbitrium Genuenſes impetraſſe, luculento argumento eſt id, quod in nobiliſſima illa cauſſa Finalienſi tabulas nullas potuerint pro aſſerenda illa ſua libertate producere, præterquam Caroli V. cæſaris, quæ plane aliud liquido præ ſe ferunt. In illis videlicet multum quidem urbi illi indulſit Carolus, ſed diſerte addita ſalutari illa clauſula: *ſalvo jure imperii*; (e) ita etiam, ut non ſemel inſerta tabulis ſint illa verba: *Civitas NOSTRA Genua.* Utique

lites, & inde pendentes motus, nec non aliæ, quas ſubiit mutationes, traduntur a BVRGVNDO in *Ludovico Bavaro p.* 121. TARCAGNOTA *lib.* 15. 16.

(a) *Carolum cæſarem*) GöBEL. Carolus IV. non ſolum, quænam loca ad Lucanum commune & civitatem ſpectare deberent, determinavit: ſed & homagium ſibi a Lucenſi præſtari civitate curavit, eique privilegium cudendæ monetæ dedit. LVNIG. *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2223. *ſeqq.* In diplomate de anno 1396. in quo de territorio Lucenſium ſermo eſt, legitur: *Salvo nihilominus pleno ſuperioritatis directo & utili dominio.* Tenebantur enim imperiales civitates, annuos cenſus imperatoribus præſtare; in formula juramenti autem de anno 1369. hunc cæſarem vocant, „verum, ordinarium, naturalem & „legitimum dominum ſuum, promittuntque & jurant, „pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum „quodammodo in antea eidem clementiſſimo, vero, or„dinario, naturali, & legitimo domino noſtro & eo ex„ſtincto Romanis imperatoribus & regibus, ſucceſſori„bus ſuis, tanquam veris, naturalibus, legitimis & „ordinariis dominis noſtris, obediemus perpetuo tem„pore absque renitentia in ſingulis eorum beneplacitis „& mandatis, & ad eos nec non ſacrum Romanum impe„rium immediatum reſpectum habebimus, nullius al„terius obtemperando nutibus ſeu mandato, quodque „tanquam fideles ſubditi eorundem dominorum noſtro„rum profectum, ſtatum, honorem & vitam cuſtodie„mus fideliter -- & ſpecialiter juramus & promittimus, „quod eis de gabellis introitus, proventibus & aliis qui„buscunque juribus eorum ad plenum reddemus & ſol„vemus & hujusmodi ſubjectioni obedientiam & fideli„tatem juramus.„ Denique in diplomate ejusdem anni, quo facultas monetæ cudendæ huic datur civitati, dicitur *peculiaris & fideliſſimus populus ſacri Romani imperii -- Lucana noſtra civitas.* Hinc apparet, ceſſionem illam Luccenſis civitatis & comitatus, quæ Philippo Valeſio a Johanne Bohemiæ rege, qui tunc temporis etiam Poloniæ regis titulo adhuc utebatur, ſui & Caroli filii nomine facta dicitur, nullum haud dubie habuit effectum. Vide eam in corpore J. G. D. tom. X. p. 147. ſi quem habuiſſet, nihil tamen inde imperii juribus deceſſiſſet. Porro Maximilianus I. denuo non ſolum, quæ a Ludovico Bavaro & Carolo IV. data erant, ſed & ab aliis imperatoribus Luccenſibus conceſſa jura & privilegia 1509. confirmavit. LVNIG *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2216. Recentiſſimum eſt, quod Carolus VI. in eam, utut fractæ pacis publicæ ream, quoniam Maſſæ ducis terras invaſerat, animadvertit, eamque bis mille marcis auri puri mulctavit. Rem inveſtigandam & deinde etiam componendam Raynaldo Mutinenſi duci commiſit. Citatio cum mandato inhibitorio Auguſtiſſimi noſtri imperatoris in capite hæc habet: *illuſtriſſimis ſpectabilibus noſtris & ſacri imperii fidelibus dilectis, N. Antianis & vexillifero juſtitiæ, populoque civitatis noſtræ imperialis Lucenſis notum facimus.* Neque de incompetente judice reſpublica monuit, ſed precata ſaltem, ut cauſa a judicio aulico, ad quod delata, avocaretur, & Mutinenſis ducis arbitrio permitteretur. LVNIG *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2243. *ſeqq.*

(b) *Legibus paruiſſe*) GöBEL. Jam alibi hoc demonſtratum. Imprimis, quod ad tempora Fridericorum attinet, hunc in uſum CAFFARI *annales*, qui collectioni ſcriptorum Italicorum, a palatinis ſociis editæ, inſerti, a nobis citati ſunt; quibus ſcriptores Genuenſium domeſtici FOGLIETTA aliique, nec non CORIO in Mediolanenſibus addi poſſunt. Hi tales referunt actus, ex quibus affatim pateſcit, Genuenſes ſub Romanorum & Germanorum cæſarum imperio fuiſſe. Conf. quoque LVNIG *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2089. *ſeqq.*

(c) *Henricum cæſarem*) GöBEL. Non ſolum Ugutius Fajola hanc urbem, ut cæſaris vicarius; ſed alii eodem munere donati, rexerunt. VECERIVS *de Henrico VII.* *p.* 73. TRISTANVS CALCHVS *hiſtor. Mediol. lib.* 20. *p.* 435. BIZARRVS *lib.* 5. *p.* 98. JVSTIN. *annal. Genuenſ. ad ann.* 1311. VECERIVS *in vita Henrici* teſtatur, eum Genuam invectum principem dominumque appellatum fuiſſe.

(d) *A nemine cæſarum*) GöBEL. Habemus Maximiliani I. diplomata de anno 1496. & 1513. quorum primo bona, jura & privilegia Januenſibus confirmat, ſecundo autem eis jus in pontico ſeu Liguſtico & Genuenſi mari ac a monte Argentario usque in Marſiliam ſal privative conducendi, indulget. LVNIG. *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2147.

(e) *Salvo jure imperii*) GöBEL. LVNIG. *C. J. D. tom.* 2. *p.* 2151. Exſtant etiam Maximiliani II. Rudolphi II. Mathiæ diplomata anni 1565. 1577. 1613. quibus Cameræ & civitati imperiali Januenſi jura & privilegia confirmantur. LVNIG. *l. c. p.* 2153. 2202. In his diplomatibus dicuntur *noſtri & imperii ſacri fideles dilecti dux & magiſtratus cameræ & civitatis noſtræ imperialis Genuæ.* Conſtat quoque ex Gezwileri conſiliarii aulici & imperialis in Italia Rudolphi II. tempore in Italia commiſſarii commemoratione, quod 1563. 25000. coronas ad uſus bellicos, nec non 1601. 1606. 30000. coronas ſolverit. LVNIG. *C. J. D. tom.* 1. *p.* 2430. De viciſſitudinibus,

Utique enim pronomen illud *noſtrum* dominium arguit; quod apud omnes eſt in confeſſo, ne ſit neceſſum ad *l. id quod noſtrum de R. I.* aliaque teſtimonia provocare: & qui jus imperii ſalvum excipit contra privilegiorum auctoritatem, agnoſcit profecto, eſſe ipſis privilegiis majora imperii jura. Aſſeruit itaque potius imperii vim Carolus, quam prodiderit. Imo dum ejusmodi tabulas tradi ſibi fecerunt Genuenſes, non uno modo ipſi agnoverunt imperii ſuperioritatem: cum per illas clauſulas & inſerta quæ diximus verba, tum petita a cæſare immunitatum libertatumque ſuarum, non quæ extra urbem debeant obſervari, ſed quæ ipſam rempublicam tangunt, confirmatione. Ea imperii majeſtas eluxit etiam Ferdinando I. & Maximiliano cæſaribus in negotio Finalienſi. A variis illud ſcriptoribus agitatum eſt, qui alterutrius partis defenſionem ſuſceperunt: narratum etiam eſt a non uno hiſtoricorum, breviter a Thuano l. 36. initio. Quæ ſcripta ſunt in medio. Contenti nunc erimus uno Joanne Bodino, cujus hæc ſunt verba l. 1. de republ. cap. X. n. 124. *Tametſi Genuenſes minus quam cæteræ civitates Italicæ imperatorum juſſa antea fecerint: cum tamen a marchione Finalienſi*, (a) *quem domo expulerant, ac bonis omnibus ſpoliatum ejecerant, ad imperatoris Maximiliani II. tribunal vocarentur, ſeſe judicio ſtiterunt 15[illegible]. & cum arbitrum putarent non judicem, imperator tamen judicem ſe ferens, Genuenſes antea vocatos citari juſſit, ac poſt edicta peremptoria, cum abeſſent, vadimonium deſeruiſſe pronunciavit, hoc addito, niſi feciali ſuo parerent, urbem & agrum Genuenſem ſeſe proſcripturum.* Paulo poſt: *Itaque cum Genuenſes a ſententia interlocutoria Maximiliani pontificem Romanum appellaſſent, appellatione deſerta judicato paruerunt. Ac tandem imperator pro marchione pronunciavit, cum ſe imperii Germanici vaſallum profiteretur, Genuenſes vero quaſi ſuum vindicarent. Nec multo poſt ab eodem imperatore, alio judicio damnati ſunt, cum in exilium egiſſent Antonium Fliſcum, qui provocatione ad cæſarem vicit.* Hæc omnia Bodinus.

32. Cum VENETIS nihil heic nobis rei eſſet, ſi illi intra littora & inſulas ſuas, quemadmodum antea, ſeſe continuiſſent: jam tum enim faſſi ſumus, in ipſam illorum civitatem nihil juris *Germanico imperio* (b) competere. Anonymus ille auctor Scrutinii, quod appellavit, conatur quidem oſtendere, Venetos ante annum milleſimum trecenteſimum pro liberis ſeſe nunquam geſſiſſe. Verum illa, quæ antecedunt Fridericum II. tempora, cur nunc attingamus, nihil refert. Attamen nunc Rudolpho imperante inclytam urbem illam integra fuiſſe libertate, veroſimile videtur reddi eo, quod auctor ille *cap. 16. §. 40.* referat ex Sanſovino, verba quædam privilegii producti de cudenda moneta, a Rudolfo cæſare conceſſi, traditique in manus Mediolanenſis Dominici Metamaucenſis epiſcopi, & Venetorum legati Stephani Caleprimi. Et vero fidem Sanſovini, nec is, qui auctori illi Anonymo ſeſe objecit, ſingulari libro pro libertate Veneta, Theodorus Graſwinckelius auſus fuit in dubium vocare; tantum conatus eſt perſuadere, *talem cudendæ monetæ* (c) conceſſionem, non eſſe argumentum alicujus cæſarei in Venetos ſuperſtitis juris; utpote quum ejusmodi conceſſio nullum arguat ſuperioritatis jus, in eum cui conceditur. Verum hoc ipſum haud ita in univerſum eſt verum; ſed tunc demum, ſi quando conceſſum ſit cudere monetam, quæ alibi extra territorium debeat valere. Alias vero non video, qui talis conceſſio non arguat, & illum, cui tale quid conceditur, propria auctoritate jus monetæ cudendæ non habere, adeoque deſtitui ſaltim aliqua parte *αὐτεξουσίας*, & illum qui concedit iſthoc loco ſupremi aliquid juris obtinere. Videtur autem, conſecutos Venetos a Rudolfo monetæ jus, non ſimpliciter, ſed ejus quæ in regni Italici vicinis locis poſſit & *debeat valere.* (d) Quæ domi (Venetiis nimirum) valeant, fuit illis jam olim liberum ex uſu ſuæ reipublicæ cudere; non tamen ille idem nummus etiam alibi valuit, in regno Italiæ

quas reſpublica ſub Mediolan. & Gallorum dominio ſubiit, & quomodo ultimo a Gallorum dominatu per Doriam ſit liberata, diſſerere, jam noſtrum non eſt. Sunt quædam clientelares terræ in Genuenſi territorio, propter quas reſpublica ſpeciatim inveſtitur. Vide juramentum fiduciarium, quod obinde Joanellus, ſuæ reipublicæ juſſu, imperatori JOSEPHO præſtitit, apud *LVNIG. l. c. p.* 2214.

(a) *Marchioni Finalienſi*) GöBEL. Quinque reſponſa ad hanc controverſiam ſpectantia MENOCHII tractatui *de recuperanda poſſeſſione* adhærent, inter quæ id, quod Menochium autorem habet, Genuenſium intentioni favet: Sed ipſius rationes, modo ſtatus controverſiæ recte formetur, admodum elumbes ſunt, & facillimo negotio profligari poſſunt, quod & in reſponſis contrariis aliqua ex parte factum eſt. Jam ubi omnis hic exulat controverſia, ſupervacaneum eſſet, Menochii argumenta ſpeciatim examinare. Enimvero marchionatus hic ab imperatore quoad utile dominium venditus eſt reipublicæ Genuenſi, & quoad dominium directum imperatori & imperio competenti in contractus tabulis hæc conſpiciuntur: *quemadmodum marchionatus Finarienſis jure feudali imperatoribus & imperio perpetuo ſubjacet, nec ſubjacere unquam deſinat, cum non ſub alia, quam feudi, ea quippe omni, qua a nobis noſtrisque anteceſſoribus poſſidebatur ratione ſereniſſimæ reipublicæ Genuenſi vendatur ac cum feudali collatione cedatur.*

(b) *Germanico imperio*) GöBEL. Vide, quæ nos hac de re ſupra diximus.

(c) *Talem cudendæ monetæ*) *C. A. M.* Conceſſio *cudendi monetam*, eſt ſane jus ſummum. Nulla enim reſpublica ſine ea eſſe poteſt ſalva. Quæcunque igitur civitas tale jus habet, illa eſt libera. Sunt tamen in imperio noſtro civitates quædam municipales, quæ hoc jure ex ſpeciali cæſaris privilegio gaudent. Pertinent autem ejusmodi jura ad regalia. Imo omnes noſtri principes debent jura cudendi monetam cæſari. Si igitur Veneti tale jus habent, non, niſi privilegio cæſaris, ſunt illud aſſecuti. Nuper editus eſt a medico quodam Hafnienſi OLAO WORMIO liber, cui tit. *Muſæum Wormianum*: In illo reperitur nummus, ubi in uno latere Rudolfi nomen, in altero Venetiarum, qui & indicium eſt, ſe privilegio cæſaris cudere monetam.

(d) *Debeat valere*) GöBEL. Sed mihi hæc autoris opinio valde dubia videtur, quoniam imperator jus cudendi monetam Venetis, nulla addita reſtrictione, in quem uſum dari debeat, Venetis largitur, jam vero abſque omni dubio tum temporis Venetiis viri prudentes fuerunt, qui facile conjicere potuiſſent, quantum juribus ſuis ex verborum illorum ſimpliciter poſitorum ſiniſtra interpretatione exoriri poſſet; atque ſic haud dubie ſoliciti fuiſſent, ut adſcriberetur, ſibi hanc dari conceſſionem, ut nummi ſui in terris imperio ſubjectis expendi poſſent, niſi ipſa facultas cudendi monetam ſibi reapſe confirmata eſſet.

Italiæ videlicet, niſi auctoritate cæſarea accedente. Interfuit autem Venetorum, quod cum in illa continenti Italiæ parte ſibi frequentiſſima atque opulentiſſima commercia intercederent, nummo uti, cui & in illis regni Italici locis, auctoritate publica imperii, de pretio eſſet cautum. Hanc mentem eſſe privilegii illius cæſarei a Sanſovino in lucem producti, videntur non obſcure ipſa illa verba indicare: *ſimulque eis nummi monetam concedimus, ſecundum quod eorum duces a priſcis temporibus habuerunt.* Quapropter in eundem ſenſum accipienda etiam ſunt, ſi fidem merentur, quæ Petri Participatii Venetorum ducis imagini ſubſcripta ſunt:

Multa Berengarius mihi privilegia fecit,
Et nunc monetam cudere poſſe dedit.

Nec vero *Berengario* (a) in Venetias quidpiam utique fuit juris.

33. Quicquid ſit, ſaltim Rudolfum aut ejus ætatis cæſares, in Venetos ipſos *nihil ſibi arrogaſſe,* (b) clarum adeo eſt, ut putidum ſit velle id negare. Non ignoro, Albericum de Roſate, magni quondam nominis juriſconſultum, teſtari ad *l. cunctos populos cod. de ſancta trinitate: Vidiſſe ſe privilegium exemptionis, conceſſum duci & civitati Venetiarum, bullatum bulla aurea: & per illam dicunt* (inquit) *ſe imperio non debere ſubeſſe, & ita etiam videtur ſentire magiſter Joannes Pariſienſis.* At vero vidit fortaſſis ille aliquam tabulam cæſaream, ſed in confeſſionem libertatis confectam, non in teſtimonium a cæſare quodam *factæ exemptionis:* (c) quæ inter ingens diſcrimen eſt. Utque viderit Albericus, quod vidiſſe ſeſe exiſtimavit, non addit tamen, fueritne illud documentum impetratæ libertatis. Utque demum ab anno ſupra milleſimum trecenteſimo integram ſibi libertatem Veneti adſcripſerint: cum tanto temporis ſpacio nemo id vocarit in dubium (ut nemo fortaſſis vocavit) etiam ita libertati illius urbis ab imperio jam ſatis fuerit cautum.

34. At de iis, quæ Veneti in Italiæ continente ora occupaverunt, multum diſpar eſt ratio. Nec enim vel ipſi negaverint, illa fuiſſe in ditione regni Italici, ſaltim etiamnum Rodolfo cæſare. Adhuc autem Henrico VII. cæſare anno MCCCXI. tributum illos ex more veteri ſolviſſe, locuples auctor eſt Conradus Vecerius l. de rebus geſtis cæſaris illius. Ejus verba ſunt hæc de epiſcopo Geneyenſi cæſaris legato: *Idem Antiſtes profectus Venetias, TRIBVTVM PRO VETERE CONSVETVDINE poſtulavit. Appulſo honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam talenta Veneta mille.* Hæc ſine dubio data fuerunt earum cauſſa quæ regno Italico tum adhuc accenſebantur, a Venetis licet poſſiderentur. Ex eo demum ſuorum ſaltim pleraque poſſeſſione imperii excidiſſe, Veneti ipſimet ultro fatentur. Et tamen hodie marchiam omnem Tarviſinam, Forum Julium, Iſtriam, Lombardiæ transſpadanæ partem, territorium nimirum Brixienſe, Bergomenſe & Veronenſe, Cremam denique in regione Cenomannorum tenent. Multa alia per Italiam jam tenuerunt: quorum bona pars pontificibus & Mediolani ducibus potentioribus reddita quidem, hæc tamen in ditione illorum ita permanſere, quaſi cæſarum juribus extinctis, extra imperii territorium jam ſint collocata.

35. Verum enimvero aut juſto aliquo bello cum imperio geſto illa Venetis ceſſerunt; ut ſolent belli jure ea quæ devicta ſunt in victorum poteſtatem pervenire, atque ita armis & vi vetere dominio exciderunt: aut acceſſit aliqua imperii conſenſio ſive aperta ſive tacita. Bello pleraque occupata haud negaverim. Nullum autem cum imperio bellum eſt geſtum, aſt *cum Scaligeris,* (d) Carariis, *vicecomitibus,* (e) & aliis, quorum nemini integra fuit in bona ſua poteſtas, ſed imperio obnoxia. Itaque utut illi Venetorum hoſtes juribus ſuis exciderint, (nec enim hoc nunc diſputo) illo tamen belli jure imperium ſummam ſuam majeſtatem non perdidit. Nunquam etiam imperium, aperte quidem & non diſſimulanter, juribus ſuis in vetus illud ſuum patrimonium renunciavit.

36. Majus dubium eſt, annon tacite conſenſerit, quando nunquam illud ſibi iterum vindicaverit. At vero non, qui rem ſibi non vindicat, conſentit in poſſeſſionem alienam: eſt enim, ut *prohibeatur* (f) recuperare deſiderata. Sed & Maximilianus cæſar magnam partem occupatarum a Venetis urbium aſſeruit quondam imperio, inprimis, Patavium, Vicentiam, Veronam: etſi viciſſitudine

(a) *Berengario*) GöBEL. Sed Berengarius, ut ex diplomatibus conſtat, toti imperavit Italiæ, quidni & Venetis juſſa dediſſet? Imo ex ipſis verbis ab autore noſtro allatis hæc conſtant: in eis enim dicitur, quod Berengarius Petro Partuipato multa dederit privilegia.

(b) *Nihil ſibi arrogaſſe*) GöBEL. Fridericum III. tamen non aliter ac ſubditos decet, receperunt, eique principi ſuo Italiam commendarunt. ÆNEAS SYLVIUS *p.* 91. 96.

(c) *Factæ exemtionis*) GöBEL. Sed neſcio, an autoris noſtri conjectura aliquid ex vero habeat. Audiamus BARTOLVM & BALDVM hac de re loquentem; prior *in l. hoſt. 24. ff. de capt. & poſtl. reverſis: quidam,* inquit, *ſunt populi, qui nullo modo obediunt principi, nec iſtis legibus vivunt, & hoc dicunt, ſe facere ex privilegio imperatorum, & iſti ſimiliter ſunt de populo, ut faciunt Veneti. Nam cum illam libertatem ipſi ſe habere dicant ab imperio Romano, & privilegio quodammodo precario teneant ab eo ET poſſet privilegium illud revocare, quando vellet, cum ei liceat mutare voluntatem ſuam;* poſterioris vero hæc, citante ea CANNONHERO *in diſc. ad TACIT.* ſunt verba: *libertatem ab imperio Romano recognoſcunt & vivunt tanquam filii emancipati, debentque illi reverentiam, quam ſi non exhibent, poſſunt in ſervitutem revocari.* SQVITINIO *p.* 203.

(d) *Cum Scaligeris*) Ante 200. annos potentia Venetorum formidoloſa cœpit eſſe. Jam tum autem non ſemel dictum, olim quidem urbes Italiæ fuiſſe liberas. At vero poſt Fridericum II. a principibus ſ. tyrannis ſunt occupatæ. Inter illos tum fuere Scaligeri, Curani & vicecomites: hi Mediolanum, Curani (Cararerii) Patavium, quæ antehac libera civitas, Scaligeri Florentinum, tum urbi illi florentiſſimæ, tum territorio Veronenſi præfuere. Cum illis bellum fuit, & etiam omni ditione eos exuerunt, vicecomites non item. Sed tantum ex nonnullis civitatibus hos ejecerunt. Bellum hoc præclare deſcribitur a Friderico Guicciardino. GöBEL. Adde BAPT. VER. *lib.* 10. JVST. *in reb. Venet.*

(e) *Vicecomitibus*) GöBEL. Vid. HELIANI orat. apud FREHERVM *p.* 262.

(f) *Prohibeatur*) GöBEL. Apertam & ad ipſa loca directam conſenſionem Veneti nunquam producere potuerunt. Quod ad tacitam attinet, & ea multum dubii habet; nam libere velle quis dici non poteſt, quem neceſſitas quædam moralis, quæ ex circumſtantiis enaſci ſolet, impedit, quo minus jus ſuum exſequatur.

tudine fortunæ rurſum amiſerit. Cumprimis lectu digna eſt accuſatio publica cæſaris illius, qua tanquam per fecialem Venetis, initio anni 1509. bellum indixit, poſt fœdus Cameracenſe: quapropter illam heic, ſaltim potiore ex parte, recitabimus, ut omnibus appareat, tunc temporis utique, non diſſimulato diſſenſu, turbatam imperij nomine Venetorum quietam aliquamdiu poſſeſſionem. „Maximilianus divina favente clementia electus Romanorum imperator ſemper Augu„ſtus, rex Germaniæ, & Hungariæ, Archidux Auſtriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, „Carinthiæ, ac marchio ſacri Romani imperii &c. Recognoſcimus, & præſentium tenore notum „eſſe volumus univerſis, quod cum ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus, Julius, divina pro„videntia ſacroſanctæ Romanæ univerſalis eccleſiæ ſummus pontifex, dominus noſter reveren„diſſimus, ſæpius & repetitis vicibus, nos pariter & ſereniſſimum atque excellentisſimum princi„pem, dominum Ludovicum, regem Franciæ, fratrem noſtrum charisſimum, aliosque chriſtianos „principes inſtantisſime admonuerit, ut tanquam veri & devoti filii eccleſiæ, vellemus ad conſer„vationem reipublicæ chriſtianæ intendere, quæ indies a truculentisſimis Turcis, & cæteris infi„delibus maximas jacturas patitur, ac etiam ad conſervationem jurium & bonorum ſanctæ ſedis „apoſtolicæ, atque beatitudini ſuæ totis viribus aſſiſtere, ad recuperationem eorum, quæ poſtpoſi„ta fide omni religione contempta, nulla habita ratione æqui, honeſti & juſti, Veneti, pluribus „jam annis de beati Petri ſanctæ Romanæ eccleſiæ patrimonio tyrannicæ invaſerunt, & occupa„runt, ac de præſenti nullo juſto titulo indebite occupant & detinent. Cui exhortationi ſanctiſſi„mi domini noſtri, nos imperator præfatus, pro ſincera noſtra in ſedem apoſtolicam obſervantia, „(ut par eſt) parere volentes, hujuſcemodi defenſionem & conſervationem reipublicæ chriſtianæ, „nec non incrementum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, juxta majorum noſtrorum veſtigia & exempla, „tanquam etiam illius advocatus & protector, cum ſummo deſiderio amplecti & ſuſcipere fui„mus ſemper ex animo inclinati. Conſiderantes etiam graviſſimas jacturas, injurias, rapinas & „damna, quæ præfati Veneti nedum ſacroſanctæ ſedi apoſtolicæ, ſed & ſacro Romano imperio, „domui Auſtriæ, ducibus Mediolani, regibus Neapolitanis, & aliis multis principibus, violenter „intulerunt, illorum bona, poſſeſſiones, civitates, oppida, perinde ac ſi in communem omnium „perniciem conſpiraſſent, tyrannice occupando & uſurpando. Propter quod non ſolum ſalubre, „utile & honorificum, ſed omnibus prædictis neceſſarium eſſe exiſtimamus, ut omnibus ad ju„ſtam vindictam excitatis, tandem ad reſtringendum inſatiabilem Venetorum cupiditatem, & „dominandi libidinem, tanquam ad commune incendium accuratur, junctisque viribus & armis, „bona per eosdem Venetos ablata, & occupata recuperentur & redintegrentur. Eaque de cauſa „nuper illuſtriſſimam principiſſam, Margaritam archiduciſſam Auſtriæ, duciſſam Burgundiæ, reli„ctam viduam Sabaudiæ, filiam noſtram chariſſimam, ad civitatem noſtram imperialem camera„cenſem miſimus, quæ vigore pleni & ſufficientis mandati noſtri, tanquam ſpecialis noſtra in hac „parte procuratrix, poſt concluſam generalem pacem inter nos, ſupranominatum ſereniſſimum „fratrem noſtrum regem Franciæ, cum reverendiſſimo in Chriſto patre, D. Georgio de Amboſia „tit. V. Sixti ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero cardinale Rothomagenſi, ac ſedis apoſtolicæ per „Franciam a latere legato, faciente ſe in hac parte fortem nomine ſanctiſſimi domini noſtri, & etiam „jam dicti ſereniſſimi regis Franciæ fratris noſtri ad hæc deputato Procuratore, ac cum ſpectabili „Jacobo de Albion milite Sereniſſimi regis Arragonum oratore, & ad hæc etiam ſpeciali procurato„re? tractavit, fecit, concluſit, & juravit, ac literis ſuis roboravit fœdus, confœderationem, unionem „& ligam, contra ipſos infideles ac etiam contra Venetos, juxta capitula, puncta & articulos: qua„rum literarum, capitulorum, punctorum & articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt „talis &c. Imprimis, quia hodie nos cum præfato domino cardinali Rothomagenſi legato, & ex „prædictorum ſacratiſſimi domini imperatoris & chriſtianiſſimi Francorum regis nominibus, ini„vimus, & concluſimus pacem generalem, atque confœderationem, in qua etiam inter cætera ſan„ctiſſimum in Chriſto patrem & dominum, D. Julium II. divina providentia ſanctæ Romanæ eccle„ſiæ ſummum pontificem, dominum noſtrum obſervandiſſimum, & ſereniſſimum Arragoniæ re„gem incluſimus, atque utrique parti adhuc facultatem reſervavimus, infra quatuor menſes poſſe „alios ſuos confœderatos nominare, & eidem paci, ſeu confœderationi includere. Et quoniam „Veneti in maximum præjudicium ſanctæ ſedis apoſtolicæ, ſacrique Romani imperii, & domino„rum Auſtriæ ac chriſtianiſſimi regis Franciæ, ad cauſam ducatus Mediolani, ipſiusque ſereniſſimi re„gis Arragoniæ ad cauſam regni Neapolitani, jamdudum tyrannice & violenter occuparunt, detinue„runt, & præſentialiter uſurpant, occupant & detinent quamplurimas provincias, urbes, & dominia, „ipſis ſacratiſſimo domino imperatori, & regibus prænominatis, ſingula ſingulis referendo pleno ju„re pertinentia: Tractatum & conventum eſt, inter nos nominibus antedictis, quod nec ſacratiſſimus „dominus imperator Romanorum, nec chriſtianiſſimus Francorum rex, debeant nec poſſint ducem „& dominum Venetorum, aut eorum ſubditos, nec alios communes hoſtes, contra quos eſt moven„dum bellum, pro confœderato vel confœderatis ſuis, nominare, ſeu huic paci ſeu confœderationi „hodie factæ qualitercunque includere: quinimo præfatus dux & dominium Venetorum atque „eorum ſubditi a præfata pace & confœderatione prorſus debeant excludi. Item actum eſt „& conventum, quod ſit una ſpecialis liga, unio, amicitia & confœderatio, inter ſanctiſſimum domi„num noſtrum Papam, & inter prædictos ſacratiſſimum D. imperatorem Romanorum & ſereniſſi„mum Franciæ & Arragoniæ reges, contra ipſum ducem, & dominium Venetorum, atque ipſorum „ſubditos, pro recuperatione, ſeu redintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori hu-

 jus

„jus rei expeditione actum & conventum eſt, quod ipſi ſanctiſſimus dominus noſter, sereniſſimi „Franciæ & Arragoniæ reges, & ipſorum quilibet cum ſufficienti militum, & peditum exercitu, ac „cum artellaria neceſſaria, teneantur infra diem primam Aprilis proxime venturam, pro recuperatio„ne antedicta, communibus armis eosdem Venetos hoſtiliter invadere: nec prius a prædicta in„vaſione, ſeu guerra aut armis per aliquem eorum deſiſtetur, quam omnino & integre apoſtolica „ſedes recuperaverit Ravennam, Cerviam, Faventiam & Ariminum eorumque diſtrictus, ac alia „oppida Imolæ & Cæſenæ, cum omnibus earum juribus & pertinentiis, ac omnia alia, quæ de ſta„tu & juribus eccleſiæ Romanæ dicti Veneti occupant & detinent: & præfatus ſacratiſſimus domi„nus imperator recuperaverit Roveretum, Veronam, Paduam, Vicentiam, Tarviſium, Forum Ju„lium, cum territoriis ac pertinentiis eorum: nec non patriarchatum Aquilegienſem, cum ſingu„lis ſuis pertinentiis, omniaque alia loca & dominia, per ipſos Venetos in hoc ultimo bello capta, & „occupata, ex terris & dominiis domus Auſtriæ. Et pari modo ipſe chriſtianiſſimus Francorum „rex recuperaverit totaliter Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, Geradactam, cum ſingulis „ipſorum locorum diſtrictibus, territoriis ac pertinentiis, & generaliter omnia ea, quæ fuerunt „antiquitus de ducatu & dominio Mediolani, ac prædeceſſorum ipſius chriſtianiſſimi regis in eo„dem ducatu. Et ſimiliter ipſe sereniſſimus rex Aragonum recuperaverit ea omnia, quæ ipſi Ve„neti de regno Neapolitano & ex prædeceſſoribus in ipſo regno quovis modo abſtulerunt, & „uſurparunt, ac de præſenti quovis colore uſurpant, detinent & occupant, videlicet Tranum, „Brunduſium, Otrantum, & Gallipolim, ac omnia alia, quæ de regno Neapolitano per eos occu„pantur. Item poterunt etiam illuſtris dux Sabaudiæ pro regno Cypri & marchio Mantuæ pro „recuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent & occupant, ſe huic ligæ adjungere, & in „hac confœderatione ſe includere. Item quod etiam ſit facultas sereniſſimo regi Angliæ ſe in„cludendi in hac confœderatione & liga ſive ad offenſionem, ſive ad defenſionem tantum, ſive „ad utrumque, prout ei melius videbitur.

37. Hactenus cæſar Maximilianus. Non minus digna memoratu eſt oratio, quam, poſt infelix ad Abduam prælium, eodem anno Antonius Juſtinianus, Venetorum tunc legatus, coram cæſare habuit, qualem illam l. 8. Guicciardinus refert. Sane probe expendi illam argumenti hujus plurimum intereſt. „Veteres Philoſophos atque ſummos illis temporibus viros, invictiſſimus „cæſar, cum eam gloriam, quæ ex ſui ipſius victoria comparatur, veram, firmam, æternam, im„mortalemque eſſe affirmarunt, eamque ſuper omnia regna trophea atque triumphos extulerunt, „minime erraſſe manifeſtum certumque eſt. Hæc Scipioni majori tot victoriis claro, majorem „ſplendorem quam Africa devicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum il„lum Macedonem immortalitate donavit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, Deos immor„tales, ut regnum ſuum ſtabilirent, precatus eſt: quod ſi ſecus ſtatuiſſent, ſe non alium ſucceſſo„rem, quam tam benignum hoſtem, tam manſuetum victorem ab illis petere. Cæſar ille dictator, „a quo cæſaris cognomentum habes, & cujus fortunam, liberalitatem, magnificentiam aliasque „virtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in deorum numerum referretur, „dignus eſt judicatus? Denique Senatus populuſque Romanus, ille mundi domitor, cujus impe„rium in terris in te ſolo eſt, cujuſque amplitudo & majeſtas in te conſpicitur, nonne plures po„pulos atque provincias, clementia, æquitate & manſuetudine quam bello armiſque imperio ſuo „ſubjecit? Quæ cum ita ſint, minime inter poſtremas laudes id tibi adſcribitur, cæſar, ſi cum vi„ctoriam adverſus Venetos in poteſtate tua habeas, quam humanæ res caducæ ſint memor, ea mo„derate uti noveris, magis ad pacis ſtudia, quam ad dubios belli eventus propenſus. Quanta „enim rerum humanarum inconſtantia ſit, quam incerti caſus, quam dubius, varius, fallax, obnoxi„uſque periculis ſit mortalium ſtatus, externis priſciſque exemplis oſtendere non eſt opus. Satis „ſuperque Veneta reſpublica docet, quæ paulo ante florens, ſplendens, clara atque ita potens erat, „ut ejus nomen & fama non jam Europæ finibus contineretur, ſed egregia pompa Africam Aſiam„que percurreret, atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plauſu reſonaret: hæc eadem „nunc, unico eoque levi adverſo prælio, rerum geſtarum gloria orbata, opibus ſpoliata, lacerata, „conculcata, atque everſa, omnium rerum ac præſertim conſilii egens ita corruit, ut omnis priſti„næ virtutis imago conſenuerit, omniſque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul du„bio, falluntur Galli, ſi hæc propriæ virtuti, tribuunt. Ante hac enim Veneti gravioribus incom„modis agitati, maximis detrimentis cladibuſque perculſi atque attriti, nunquam animum abje„cerunt, ne tum quidem, cum ingenti periculo cum ſæviſſimo Turcarum tyranno multos „annos bella geſſerunt: imo ſemper ex victis victores facti ſunt. Idem & nunc ſperaſſent, „niſi majeſtatis tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum vivida invictaque virtute au„dita, ita omnium animi concidiſſent, ut nulla non modo vincendi, ſed ne obſiſtendi qui„dem nobis ſpes relicta fuerit. Quocirca armis abjectis, in majeſtatis tuæ incredibili clementia, „vel potius divina pietate ſpem omnem locavimus, quam nos rebus noſtris perditis inventuras „minime diffidimus. Itaque principis, ſenatus, populique Veneti nomine, humili devotione ſup„plices oramus, obteſtamur, atque obſecramus, ut clementiæ oculis res noſtras afflictas reſpicere „digneris, iiſque ſalutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges, quas tu nobis impoſueris, „amplectemur: omnes juſtas, honeſtas & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus. Sed „fortaſſe qui nobis ipſis mulctam inponamus digni ſumus. Ad te VERUM & legitimum princi„pem omnia, quæcunque majores noſtri ſacro imperio & Auſtriæ ducatui ademerunt, redeant: „quæ ut decentius veniant omnia, quæcunque in continenti poſſidemus, adjungimus, quarum

rerum

„rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis tuæ majeſtati, & legiti„mis imperii ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus. Im„periis, decretis, legibus præceptisque tuis libenter obtemperabimus. Defende nos quæſo ab „illorum, cum quibus paulo ante arma noſtra conjunximus, inſolentia: quos nunc ſævisſimos „hoſtes experimur: qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua iſta cle„mentia conſervati, te urbis noſtræ parentem, genitorem conditoremque appellabimus: ingen„tia beneficia tua in annales referemus: libris noſtris perpetuo memorabimus. Nec vero par„va hæc erit ad tuas laudes acceſſio, te primum eſſe, ad cujus pedes Veneta reſpublica ſupplex „ſe humi proſternat, cui cervices ſupponat, quæ velut Deum cœlo delapſum colat, revereatur, „obſervet. Si Deus optimus maximus eam mentem majoribus noſtris dediſſet, ut res aliorum at„tingere non ſtuduiſſent, jam noſtra reſpublica gloriæ plena reliquas Europæ civitates longe ſu„peraret: quæ nunc in ſqualore & fœtore langveſcens, ignominia probroque deformis, ludibrio „atque contumelia referta, unico momento omnium victoriarum laudem amiſit. Sed ut, unde „incepit, eo mea revertatur oratio: in tua poteſtate eſt, cæſar, Venetis tuis ignoſcendo & con„donando nomen laudemque comparare, qua nemo unquam vincendo majorem ſplendidio„remque adeptus eſt. Hoc monumentum nulla vetuſtas, nulla antiquitas, nullus temporum „curſus eſt mortalium mentibus delebit: ſed omnia ſecula te pium, clementem, omnium prin„cipum glorioſiſſimum prædicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod vive„mus, quod auras cœleſtes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, „felicitati, clementiæque tribuemus.

38. Hactenus oratio legati Veneti. Ex quo illud tantum addiſci nunc cupio, quod Veneti eorum, quæ in continenti imperio abſtulerunt, verum & legitimum dominum imperatorem tum agnoverint, eoque omni continentis poſſeſſione cedere ultro fuerint parati. Sunt, qui omnem illam orationem *in dubium vocent*: (a) ſed ſatis fortiter fidem ejus defendit anonymus Scrutinii auctor, nequicquam hic ſudante doctiſſimo Graſwinkelio. Injurius tamen illo idem anonymus eſt in eo, dum orationem iſtam ita interpretatur, quaſi Veneti ipſammet etiam urbem ſuam Maximiliani imperio obtulerint: hactenusque eos ſtrenue defendit & recte Graſwinkelius. Utcunque ſeſe oratio illa habeat, fatemur, Venetos, pace tandem conſtituta, vix ſperata felicitate, omnia recu-

(a) *In dubium vocent*) GöBEL. Scriptores Veneti, inter quos nominaſſe ſufficiat JOANNEM BAPTISTAM, LEONI, PETRVM JVSTINIANVM & PAVLVM PARVTAM, ſuppoſititiam a Guicciardino hanc dicunt orationem. Rationes eorum hæ ſunt: dicunt, a ſe viſam in archivo reipublicæ latentem inſtructionem, Juſtiniano a ſenatu datam, in qua ille legatus tantum juſſus fuerit, Maximiliano quinquaginta millia thalerorum annuam penſionem in decennium offerre, ſi Gallicam derelinquere vellet armorum ſocietatem; deinde, ne id quidem, quod Juſtinianus juſſus erat, ipſum executum eſſe, quoniam procuratorium in hunc finem ipſi datum, adhuc in hæredum ejus manibus ſit, & hiſtorici teſtentur, imperatorem ipſum audire noluiſſe; porro, Juſtiniano monente, nulla ex ratione neceſſum habuiſſent, tributum aliquid de inſulis ſuis Maximiliano promittere, ſi animum habuiſſent, terras, quas in continenti habebant, derelinquendi, cum ante hoſtes inſigniter claſſe valerent, atque ſic in inſulis nihil ab ipſis metuendum haberent. Vid. *hiſtoire de la ligue de Cambrai. p. 80. ſeqq.* Denique omnes autores præter Guicciardinum de hac ſilere oratione. Verum hæc argumenta autor Scrutinii, ſive cardinalis *de Cueva* ſive alius ſit, evertit, & quæ ipſis antagoniſtæ GRASWYNCKEL & RAPHAëL DE LA TORRE opponunt, levioris ſunt pretii. Optimas admodum pacis conditiones a Venetis per legatum ſuum Maximiliano fuiſſe oblatas, & ex iis, quæ Venetorum ſcriptores memoriæ produnt, colligi poteſt. PETRVS JVSTINIANI *lib.* 11. *p.* 222. ait: „Qui (Veneti) in tantis „rerum anguſtiis pacis cupidiſſimi, Antonium Juſtinia„num legatum in Germaniam ad Maximilianum miſere, „a quo, quibus poſſet conditionibus, feſſæ afflictæque ci„vitati pacem ille peteret.„ BEMBVS autem *hiſtoria Veneta lib.* 8. *fol.* 188. 189. hæc profert: „latum etiam, „ut Antonius Juſtinianus, qui Cremam legatus a ſenatu „lectus proficiſcebatur, ad Maximilianum recta conten„deret, & cum illo ſi poſſet, pacem quantumvis duris „conditionibus, faceret, Tergeſteque oppidum & por„tum Naonis, reliquaque municipia, quæ reſpublica ſu„periori anno ex ejus ditione ſuperiore ceperat, Sena, „paratum eſſe ei reſtituere, ac quæ oppida ex Romano„rum imperatorum ditione in Carnis & Gallia & Vene„tia poſſideret, ea ſe omnia illi tanquam accepta relatu„rum.„ Hiſce jungi poſſunt, quæ JOANNES BAPTISTA VERVS *lib.* 3. *rer. Venet.* habet: „ab urbe etiam „diſceſſit Antonius Juſtinianus ad cæſarem legatus, ut „pacem impetraret, reſtituto Tergiſto.„ quanquam, hunc omnia propemodum in patriæ amorem diſſimulare, appareat. Quis crederet, Guicciardinum autorem gravem tanti nominis, cujus viventis hiſtoria prodiit, auſum eſſe, illam confingere orationem. Haud dubie hac de re coram Guicciardini ſuperiore conqueſti eſſent Veneti, ut de Uſucoquo hiſtoria, quæ Amelottum autorem habet, in aula Gallica fecerunt, ſi oratio illa ſuppoſititius eſſet partus. Hoc ſi ita ſeſe haberet, dubio procul conſilium ex decemviris conſtans, cui librorum cenſura data eſt, ex Guicciardini editionibus, quæ Venetiis magno prodierunt numero, eradicari juſſiſſet, cum tamen omnes etiam illa, quæ anno 1616. cum annotationibus PORCHACHII in lucem prodiit, *fol.* 221. eam referant, alia autem longe minoris momenti in iis omiſſa ſint; deinde Antonium Juſtinianum illuſtris proſapiæ virum neceſſitudine attingentes omnino de Guicciardino queſti eſſent, quod agnato ſuo tali fictione tantam inureret ignominiam, ſi ejus commemoratio a vero aliena fuiſſet. Porro quis fidem dabit, ea, quæ LEONI de inſtructione a ſe perſpecta tradit, veritati eſſe conſentanea; aut ſaltim generalia quædam continuit, a ſecretioris inſtructionis capitibus diſcrepantia. Sic & procuratorium, ſive credentiales, quæ vocantur literæ, in Juſtinianæorum manibus reliquæ ipſum ab imperatore non eſſe admiſſum, probare nequeunt. Potuerunt enim plures eſſe procuratorii conſcripti codicilli, ut ſi uni forte amitterentur, alii eorum occupare poſſent locum. Aut forte etiam dicendum erit, illas inſtructionis tabulas, quæ apud Juſtinianæam gentem manſerunt, priori Juſtiniani legationi fuiſſe deſtinatas; quæ autem ad ſecundam datæ ſunt legationem, imperatori hac vice legatum Linzii in conſpectum ſuum admittenti, eſſe exhibitas. Quod ad objectionem attinet, non credibile eſſe, Venetos cenſum annuum inſularum ſuarum imperatori obtuliſſe, quando animum induxerant, ea, quæ in continenti habebant, derelinquendi, neque ullius maritimæ vires ipſis terrori eſſe potuiſſent, ea non magni ſane momenti eſt; nam infelici in Adæ ripis commiſſo prælio, tanta animos eorum invaſerat conſternatio, ut de ſe actum eſſe credentes, quævis ſectari conſilia, quam ultimum omnis fortunæ exitium expectare maluerint. Nec in inſulis ſuis a Gallica & Hiſpanica claſſe ſatis tuti erant, & in Italia navigia conduci potuiſſent ad trajiciendum militem. Valde

recuperaſſe. An ex eo tempore imperii nomine Venetis controverſia ſit mota, non ſatis compertum habeo: quamobrem non meum quoque eſt definire, num longi temporis *præſcriptione*, (a) per diuturnum imperii ſilentium, Veneti firmum ſibi jus acquiſiverint in continentem, an vero etiamnum imperii jura integra ſuperſint. Certe ante hoſce centum circiter annos, non ſatis cauſſæ ſuæ adhuc fiſos Venetos, eoque a Germanis, ſi quidem illi in unum conſpirent cumprimis, ſibi vehementer tum metuiſſe, non obſcure ſignificavit apud Jannotum l. de republica Veneta Tryphon Gabrielius ſenator. *Germaniæ vires*, inquit, „quantumvis magnæ cum diſtractæ „ſint hoc tempore non videntur valde formitandæ, & qui res illius rationesque teneat facillime „cognoſcere poteſt, ægre eas admodum in unum contrahendas eſſe. Quæ ſi diſſociatæ non exi„ſterent atque diſſipatæ, nulli dubium eſt, quin multo plus terroris atque adeo periculi impen„deret ab iis Italiæ, quam ab ipſis Turcis.

39. SED de Venetorum atque adeo de liberarum Italiæ urbium rebus, in quantum illæ ſint imperii juribus obſtrictæ, pro inſtituti ratione ſatis. Nec enim libet adferre pro imperii cauſſa quaſi

---

Venetos poſt dictam ſuorum cladem attonitos fuiſſe, ſequentibus PARVTA *in hiſtoria Veneta lib.* 1. *p.* 7. 8. teſtatur: „Combattuto ſopra le rive del fiume Ada & da „poi queſto cattivo ſucceſſo di bataglia quaſi che la repu„blica da certo colpo fatale fuſſe percuſſa, con una præ„ſta deſperatione di tutte le coſe liberate dal giuramento „nobiliſſime citta del ſuo dominio volſe, che a' nemici „elle poteſſero arrender ſi. „ Tandem & aliorum autorum ſilentium in vanum allegatur, poſtquam JACOBVS TRETERVS conſiliarius Pomeraniæ ducis orationem, prout habita fuerit, latiali ſermone anno 1613. ediderit. GOLDAST. *politic. imperial. p.* 977. LVNIG C. J. D. tom. 2. p. 1999.

(a) *Præſcriptioni*) GöBEL. Multa ſunt profecto, quæ Venetorum præſcriptioni obſtant. Quid luculentius monumentum exſtare poſſet ad enervandam præſcriptionem immemorialem, quam Venetorum confeſſio, reſtituenda eſſe, quæ majores ſui ſacro imperio & ducatui Auſtriaco ademerunt. Imo ſi quid juris a veteribus illorum locorum poſſeſſoribus ope armorum, & deinde pacis pactionibus conſetuti erant, nihil quam dominium utilè ſpectare potuit, non autem directum, quod penes illos non fuit, id autem, quod apud eos non fuit, ejus poſſeſſio analogica ab illis ad Venetos devolvi nequivit, & ſic ab eis ad hos nullum præſcribendi fundamentum pervenire potuit, quoniam in non exiſtente animus ſibi habendi revera locum habere non poteſt. Nec dici poteſt, quod patientia, ſilentio „& negligentia imperii aliquid juris acquiſiverint. Suo enim uti jure, eſt res meræ facultatis, & poteſt quis ad jus ſuum exercendum commodum exſpectare tempus, modo ab alio non exerceantur actus ejus juri repugnantes, aut actum aliquem ſui juris exercituro alius ſe opponat, & ille quieſcat, nihilque in contrarium aut re aut verbis moveat, tunc demum exoritur patientia, ut aptum præſcriptionis fundamentum. Sufficit autem hic levior etiam proteſtatio, ſive re ſive verbis fiat, modo adjunctum tantum aliquod ſpectet, ob inſignem canonis illius juris naturalis hypothetici favorem, ſuum cuique tribuendum. Quod autem ſupra dictum eſt, ſolum lapſum temporis, hominis memoriam excedentis, ad præſcriptionem inter gentes ſtabiliendam ſufficere, id eo intelligendum, ſi pacifica & continua adſit poſſeſſio, & pars illa, contra quam quis præſcriptionem adhibere vult, nullo plane actu, ſibi non ineſſe animum derelinquendi tanto temporis tractu, qui hominis memoriam ſuperat, declaraverit. Jam vero non ſolum annales de actibus, quibus poſſeſſio Venetorum, ſi quam habuerint, interrupta fuit, commemorant, ſed & acta imperii, quod imperium in publicum ſemper teſtatum ſit, ſe nequaquam jure ſuo in terras ab aliis occupatas decedere velle, docent. Neque actus in contrarium adſunt, ex quibus pateſcere poſſet, imperium cum Venetis tacite aut expreſſe pactum eſſe, ut terrarum illarum plenum habeant dominium. Nec dubito, quin omnia Venetis permiſſa ſint, ſalvis imperii juribus. Imo ne quidem dominium utile ad Venetos tranſire potuiſſe videtur, cum illud in feudis & allodio, ex clientelari vinculo aliquid habente, citra domini conſenſum tranſire nequeat: illud autem, quod ſua natura non eſt alienabile, illud etiam non eſt præſcriptibile. Atque hic reſpiciendum ad illa jura, quibus alienantes ſuperant. Huic accedit, quod quieta dici non poteſt poſſeſſio, ubi adeſt proteſtatio continua quaſi & quidem publica & ſolemnis in imperatorum capitulationibus, de recuperandis imperio in Italia interverſis. Quæ jam dicta ſunt, ad illa, quæ autor libri *la ligue de Cambrai p.* 227. *ſeqq.* Hieronymo donato Venetorum oratori, ad Gurcenſis epiſcopi Maximiliani cæſaris legati Romæ prolata reſpondere volenti, tribuit, refutanda ſufficiunt. Monendum tamen adhuc, dubium admodum eſſe, penes quem in bello inter Venetos & Scaligeros Careroſque cauſæ juſtitia fuerit, & magis adhuc incertum, an unquam Veneti coram imperatore de vaſſallorum ſuorum impreſſionibus, quibus Venetorum terras divexabant, ut par eſt, conqueſti ſint. Et licet queſti eſſent, imperatoris tamen rerum, quas cum Scaligeris & Careriis habebant, examen & deciſionem non exſpectarunt, ſed illos feudis, quæ ab imperio habebant, emunxerunt. Tantum abeſt, quod imperium in controverſiis ad jus gentium ſpectantibus leges ſuas & conſuetudines alicui obtrudere velit: id tamen certum eſt, ex gentium pacto expreſſo aut tacito unicuique ob mutuam rerum utilitatem, ſuos ad puniendum & ab iis damni injuria dati compenſationem exigendam permittendos eſſe; quod ſi autem ſuperior in iis, quæ ſuarum ſunt partium plane negligens eſt, ubi officio ſuo commode fungi poteſt, tunc demum alter ſibi ipſi conſulendi jus habet. GROTIVS *de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 21. §. 2. 3. 4. Quod autem ad illum canonem ſpectat, gentium jure ea, quæ victorum ſunt, victoribus cedere: ille tantum locum habet, ſi bellum inter eos, quorum neuter ſuperiorem habet, cui in eorum bona jus aliquod competit & qui ſe belli participem non fecit, geritur; deinde ab imperio cum Venetis, ut illarum terrarum poſſeſſoribus nunquam actum, ita ut nec ad tacitam earum ceſſionem provocari poſſe videatur. Inſtantia denique, quam affert Donatus, aut potius autor antedicti libri, a Galliæ regni jure in Germaniam ipſi a Carolo M. aut ejus anteceſſoribus parto deſumta, ejusdem eſt imbecillitatis, cum eo argumento, quod a ſilentio epiſcopi Gurcenſis circa Venetorum inſulas, cum, quæ in continenti imperio erepta erant, ab iis repeteret. Nam Germania a Galliæ regno procerum conſenſu ita diviſa, ut ſeparatum plane & independens conſtitueret regnum, permiſſaque eſt Carolingorum lineæ, quæ a Francica res ſuas plane ſeorſim haberet, nec videtur, quod aliqua Carolingorum ſtirpi, quæ occidentali præerat Franciæ, ſalva fuerit ſuccedendi ſpes. Cui accedit, quod ſucceſſiones illius temporis electione fuerint temperatæ, ita ut a regia diſcedi potuerit ſtirpe, ſi nullus in ea ad moderandam rempublicam idoneus repertus fuerit. Sic & Carolingorum jam diu in Francia, maſcula potiſſimum, deſiit proles; atque ita Germani adverſus Gallos præſcriptionem adhibere non neceſſum habent, ut ſileam, nullum adeſſe actum per tot retro ſecula, quo animum ſibi in imperium aliquod competere jus oſtentaverint. Sed tot in contrarium exſtant documenta, quod cum imperio ut tali a ſuis prætenſionibus plane libero ſemper egerint. Econtra Germania ab Ottonis I. tempore, jus, quod imperio in Italiam partum, ſemper ſalvum habuit, nec unquam Italiam ex nexu, quo ipſi adſtrictus erat, dimiſit. Nec cum ſtirpe rectoria, aliqua contingere potuit mutatio, cum ſit regnum electivum, in quo magis præſumitur, quod acquiritur, acquiri imperio. Tot denique ſunt continuati actus, quibus imperium animum de conſervando ſuo in Italiam jure manifeſtum reddidit; ita ut abſonum ſit Gurcenſis epiſcopi ſilentium in ſignum animi derelinquendi jus,

quaſi vice argumenti *numerum magnum doctorum*, (a) qui illam omnem, quæ tabulis pacis, inter Fridericum I. & Italiæ urbes tum fœderatas initæ Conſtantiæque conſcriptis adverſatur, libertatem urbium iniquam arbitrantur. Poteſt enim æque magnus numerus diſſentientium opponi; & hi pro fundamento ſententiæ ſuæ habent nihil aliud, quam quod tabulæ illæ in juris corpus receptæ vulgo ſint, quod ſane ridiculum magis eſt, quam dignum confutatione: quaſi ſcilicet res humanæ non ſint viciſſitudinibus obnoxiæ, quæ jura populorum utique multum immutant. Abſit igitur, ut inepto ejuſmodi argumento nos quidem imperio patrocinemur. Et vero (niſi vehementer fallimur) ſic ſatis rite intra limites antiquos imperii urbes illas Italiæ jam revocavimus. Imo haud dubitamus, omnibus, quæ in medium adduximus, cum cura expenſis, liquidum jam eſſe, id quod hoc capite ſumpſimus demonſtrandum, & in fronte ſtatim collocavimus: *Quod reliquum eſt Italiæ præter bona pontificia*, (b) *pauciſſimis exceptis, hodieque ad regni Italici, adeoque imperii, ditionem pertinere.* Quod ſi & præcedentium aliquot capitum doctrina, de pontificum ditione addatur, ſimul jam in propatulo eſt, quam juſtis de cauſſis per ſacras imperii leges Ferdinando ſecundo, tertio & quarto, Auguſtis cæſaribus & regibus noſtris, diſertis verbis id ab electoribus datum negotii fuerit, ut ſerio & diligenter imperii per Italiam jura ab interitu *vindicent*, (c) ne quid hinc detrimenti reſpublica capiat. Ecquis enim non dixerit nefas, ingentem adeo theſaurum imperii, a majoribus, quorum virtute & ſanguine eſt comparatus, ad poſteros translatum, ſi non ignavia, ſaltim incuria & negligentia perdere?

Caput XXIV.

Quæ reges Galliæ poſſident in regno Burgundico vel Arelatenſi, ea, paucis exceptis, etiamnum ad imperii ditionem pertinere, (d) *haud eſſe vero abſimile.*

1.

Luſtratis Italiæ rebus licet jam trans Alpes proficiſci, &, quæ propius imperii ſunt Germanici, percurrere. Italiæ ſcilicet & ſua ſemper propria corona regia atque imperatoria, & ſua quondam propria comitia fuerunt: Transalpina vero omnia in unam magis rempublicam coierunt, obſervatis communibus comitiis, & abolitis dudum propriis diadematibus Burgundici & Lotharingici regni, una ſuperſtite omnibus communi corona, quæ aliquot jam ſeculis Norimbergæ media in Germania ex lege publica adſervatur. Servabimus tamen nos priſcum ordinem, ſeorſim de iis, quæ ad Burgundicum aut Lotharingicum regnum quondam pertinuerunt, dicturi, inde demum commeaturi in Germaniam, ſive regnum, ut vulgo loquuntur, Teutonicum. Objicit ſeſe autem primum Italia egreſſis BVRGVNDICVM regnum, cujus potiora cum hodie reges Galliæ teneant, in illa ante omnia inquirendum venit, exciderintne omnino imperii juribus, necne.

2. Ac ſupra quidem cap. XIII. multis evicimus, adhuc *Friderico II. cæſare* (e) Galliæ regibus trans

quod imperio in Venetorum inſulas competebat, detorquere velle. Notum eſt, quam infirmia ſint argumenta negativa, nec miniſtri illius cæſarei actus, juribus imperii nocere potuerunt, nullo enim ad aliquid cedendum ab imperio inſtructus fuit mandato. Quod reliquum, objicitur adhuc Maximilianum I. in pace, Burſelis cum Venetis 1519. inita, omni in terras illas, acceptis ducentis aureorum nummum millibus, deceſſiſſe jure. PETR. JVSTINIAN. *hiſtor. Veneta lib. 12. p.* 254. PARVTA *lib. 2. p.* 247. Verum quacunque demum ratione Maximilianus cum Venetis pacem fecerit, ſive ut imperator, ſive ut Auſtriæ dux: illud tamen, quod in ea placuit, imperii juribus nocere non potuit, quoniam cum eo Veneti non ſunt pacti, & imperator ſua pactione ipſi præjudicare nequivit. Nota ſunt, quæ ordines imperii contra Cameracenſe fœdus, utpote ſine ſuo contractum conſenſu, diſſeruerunt; ſcilicet imperatori ſine ordinibus nec fœderum, nec belli, nec pacis jus eſſe. GOLDAST. *Reichs-Handlungen p.* 85. DATT. *p.* 625. Deinde Maximilianus haud dubie in poſſeſſionem tantum conſenſit, reſervato ſibi, ut imperatori, jure petitorii.

(a) *Numerum magnum doctorum*) GöBEL. Unus enim ſæpe alterius errore ducitur, & ſic omnes eadem aberrant chorda.

(b) *Præter bona pontificia*) GöBEL. Cum brevi ante de Maximiliani rebus diſſeruimus, nobis inde occaſio naſcitur, quænam ei circa Romanæ ſedis bona fuerit mens, PARVTA teſte, proferre: *Solito in tutti*, inquit *lib. 3. p. 211. i ſuoi ragionamenti di dire apertamente lo ſtato della chieſa appartenir ſi al imperio dell' occidente & a lui eſſer coſa fatale di ritornare con l'armi la dignità dell' imperio in Italia nella ſua priſtina grandezza.*

(c) *Vindicent*) GöBEL. Vid. *Mathiæ capitulat. artic. 30.* Idem reperitur in *capitulat. Ferdinandi II. art. 29. Ferd. III. art. 23. Ferdinandi IV. art. 31. Leopoldi art. 31. Joſephi art. 30. In capitul. Caroli VI. art. X.* additum: *ſonderlich in Italien.* Quod ſi autem ejuſmodi feuda momenti cujuſdam vacaverint, non ſine ordinum conſenſu viciſſim conferenda, ſed reditus eorum in uſus cæſareos ſunt applicandi. *Capit. Caroli V. art. 24. Ferdinandi I. art. 23. Maximiliani II. art. 11. Rudolphi II. art. 24. Math. art. 24. Ferdinandi II. art. 28. Ferd. III. art. 32. Ferd. IV. art. 32. Leopoldi art. 30. Joſephi art. 31. Caroli VI. art. 11.*

(d) *Imperii ditionem pertinere, paucis exceptis*) C. A. M. Superiori anno prodiit ingens opus PETRI PVTEANI viri doctiſſimi, conſcriptum juſſu regis Galliarum, in quo jura regum in Arelatenſe & Burgundicum regnum aſſeruntur. Sed hoc opus hactenus in manus meas non pervenit, alias certius quidem poſſem forte concludere, quam vulgo traditur. Nam ipſi ſcriptores gallici diſſentiunt & ignorant, quo jure Galli illas terras poſſideant; & hoc ſignum eſt, injuria hoc fieri. GöBEL. PVTEANI varii tractatus de juribus regis chriſtianiſſimi uno volumine Pariſiis 1650. & Rothomagi 1670. editi ſunt. De Arelatenſi regno p. 211. 212. vulgares Gallorum ſequitur fabulas, ac ſi emtionis titulo delatum eſſet, quam opinionem infra explodimus.

(e) *Friderico II. cæſare*) GöBEL. Juris imperii in regnum Arelatenſe non leve quoque argumentum eſt, quod imperatores ſuos in Burgundia habuerint, archicancellarios. Vide diploma Henrici III. apud PERAR *dans le recueil de pluſieurs pieces ſervans a l'hiſtoire de Bourgogne p.* 189. 190. Id muneris a Friderico I. in perpetuum archiepiſcopo Viennenſi Burgundiæ primati datum eſt. JOANNES a BOSCO *in bibliotheca Floriacenſi p.* 87. Atque ex hoc tempore Viennenſes archiepiſcopi archicancellariorum regni Arelatenſis titulo uſi ſunt. Vide diploma Friderici I. apud PARADIN. *lib. 2. c. 35.* Henrici VI. & Friderici II. apud LVDEWIGIVM *in comm. ad A. B. tom. 2. p.* 600. Conf. quoque CHIFLETII *vindic. Hiſpanica c. 13.*

trans Rhodanum, ſive (ut noſtro more loquamur) cis Rhodanum, nihil juris, illudque flumen imperio & Galliæ regno pro certo fuiſſe limite, Jacobus Auguſtus Thuanus l. 2. etiam nunc memoriam rei illius fatetur ſupereſſe in ipſo ſermone vulgi. *Regnum Arelatenſe*, inquit, *antequam in poteſtatem regum noſtrorum veniret, ſub imperio fuit: cujus rei memoria poſt ſublatam imperii jurisdictionem aboleri non potuit; nam & hodie in ſermone vulgari ulterior Rhodani ripa IMPERII, citerior REGNI indigitatur.* In ea tamen, quæ poſſident Galliæ reges, ſumma quæque ſibi adſcribunt hodie, omni imperii reverentia excuſſa: idque competere illis vetere cæſarum beneficio, præclaris auctoribus aſſeritur. Cæterum ſi excipias illa, quæ nuperrime Gallo ceſſerunt, hactenus equidem nihil vidi, quod liquido oſtendi queat, ſive imperii ordinum omnium, ſive quorundam cæſarum prodiga ejusmodi in Galliæ regem liberalitas, etiamſi non de omnibus, ſed de aliquibus ſolummodo Gallicanis poſſeſſionibus moveatur controverſia.

3. Idipſum uti omnibus fiat manifeſtum, producam primo varias nonnullorum narrationes, inde examine inſtituto, quid veri falſive ſubſit, definiemus. Alberti Argentinenſis verba ſunt: *Circa idem tempus rex Arelatenſis ſine heredibus moritur, & hereditas ad regnum devolvitur Romanorum. Rudolfus tunc temporis rex extitit Romanorum: qui propter nimias occupationes, quas habuit in Teutonia, ad Arelatenſe regnum non potuit pervenire, ut in poteſtatem traheret. Intelligens hoc rex Francia, mandavit baronibus, quibus rex regnum Arelatenſe commiſerat cuſtodiendum, ut ſibi regnum in poteſtatem ſuam darent, alioquin totum regnum cum armatis hominibus devaſtaret.* Addit mox, re a proceribus ad Rudolfum delata, reſpondiſſe hunc, *quod ſe defenderent, vel cum rege Franciæ componerent, ſicut poſſent, quia ſecundum temporis ſtatum non poſſit eis in aliquo ſubvenire.* Goldaſtus vero in epiſtola dedicatoria operis, cui titulus *Reichshandlungen*, ita loquitur: *Es ſeynd noch aber Königliche* diplomata *verhanden, darinnen ſich befindet, daſs der Rœmiſche König Wilhelm aus Holland* anno 1251. *alle ſeine Gerechtigkeit, Renten-Gülten, Einkommen und Nutzbarkeiten, ſo er als Römiſcher König im Königreich Arles und den Reichs-Städten Biſantz und Loſannen hatte, dem Grafen in Burgund um zehen tauſend Marck Silbers verſetzet und verpfändet hat. Doch iſt es bald nach Keyſer Wilhelms Tod durch Reicharden aus Engeland, erwehlten Römiſchen König, wieder abgelöſet, und darnach von Rudolffen von Habſpurg, auch erwehlten Römiſchen König, mit Hülff und Beyſtand der Fürſten, Herren und Städte in Oberland, zu des Reichs Händen mit Gewalt erobert und wiederbracht worden. Als aber der König in Franckreich in Zwytracht und Uneinigkeit der Teutſchen Fürſten die Gelegenheit bey den Haaren erhaſcht, und den beſten Theil dieſes herrlichen Königreichs unter ſeinen Klauen mit Hülff und Zuthun des Papſts von Rom geriſſen, thät Käyſer Adolff von Naſſau* anno 1295. *den Frantzoſen in ſeine und des Reichs Acht, zoge darauf mit einem Teutſchen Heer, ſonderlich der Oberländiſchen Fürſten, Herren und Städten, in Franckreich, den König zu bekriegen und das Königreich Arles wiederum zu dem Heiligen Reich, als deſſelben getreuen Voget und Geehab, zu bringen. Aber der Papſt verſchaffet ſo viel durch König Albrechts Anhang, daſs Keyſer Adolph von ſeinem Heldenmuht und Heroiſchen Fürnehmen muſte abſtehen, die Heeresfart quittiren, und ſeinem Feind in Teutſchland begegnen. Nach Keyſers Adolphen Niederlag, als Albrecht im Keyſerthumb confirmiret und beſtetigt worden, ſol er haben einen Reichs-Tag in Lothringen ausgeſchrieben, auf welchen auch der König in Franckreich beruffen und erſchienen ſey. Da ſchreibet man, ſey die Erbeinung zwiſchen den Teutſchen und Frantzoſen erneuert, und der Spann beyder Reichen und Marchen auf folgende Manier entſchieden, daſs nemlich der König von Franckreich behalten und haben ſol alle Fürſtenthum, Land und Herrſchafften, die ſeine Vorfahren und Er in dem Königreich Arles dem Teutſchen Reich abgenommen und entzogen: hergegen ſol der Keyſer für ſich eigenthümlich beſitzen und beherrſchen alle Fürſtenthüm, Städt und Herrſchafften in Lothringen und Elſaſs gelegen, zu welchen der Frantzoſs vermeynt Anſpruch und Gerechtigkeit zu haben.* Hæc omnia Goldaſtus. Qui etiam addit nonnulla, ſed quæ heic nunc repetere nihil attinet: partim etiam infra commodiorem locum nanciſcentur. Diſcimus autem hinc, primum Albertum Auſtriacum credi nonnullis, donaſſe imperii in Arelatenſe regnum jura Gallorum regi.

4. Joannes Bodinus l. 1. de republ. cap. 9. n. 128. initium jurium Gallicorum in regnum Arelatenſe, videtur adſcribere contractui cuidam emptionis & venditionis, inter Henricum cæſarem & Philippum Valeſium inito. Verba ejus ſunt: *Philippus Valeſius Caroli VI. proavus Arelatenſis regni ditionem univerſam ac jura majeſtatis ſibi coëmit ab Henrico V. cæſare: qui argenti pondo ducenta millia pretii nomine ſolvit; coëmptionem vero imperii ordines ratam habuerunt; cujus ratihabitionis pradem dedit cæſar Johannem Bohemia regem. Emptionum tabula & ſolutionis & ratihabitionis exſtant in Archivis regum noſtrorum; quas legi decuiſſet ab iis, qui ab rege Henrico legati ad Allabrogum ducem ad controverſias utriusque principis componendas miſſi ſunt anno MDLXII. Illud autem animadverſione dignum mihi viſum eſt, quod emptionum tabulis omnia jura majeſtatis comprehenſa ſunt, quæ imperatores Germani ſibi tribuunt in omnes Arelatenſis regni regiones, quibus continentur Allobroges, Belloieci, provinciales, Burgundia libera, quam Carolus IV. cæſar Philippo Audaci, Burgundia duci, prole maſcula comitum extincta, imperiali jure fruendam dedit.* Idem Bodinus paulo ante regum Gallicorum jura illa derivaverat, a *perpetuo* quodam *vicariatu*, quem Carolus IV. cæſar Carolo VI. Viennenſium Delphinati conceſſerit. „Carolus, inquit, IV. imperator Carolum VI. Viennenſium Delphinatem vicarium perpetuum „creavit anno MCCCLXXVIII. & quia nondum exceſſerat ex ephebis, adjecit ætatis beneficium co„pioſiſſimo & gratioſiſſimo diplomate, unde aurea ſigilla dependent, quod in archivis regum no„ſtrorum me legiſſe memini. Vicarium autem perpetuum Arelatenſi regno præfecit (excepta „Sabaudia) eique jus vitæ ac necis in imperii ſubditos, ac poteſtatem, quæ a Regia proxime abeſ„ſet, conceſſit: id eſt, ut capite damnatos ſupplicio eximere, tributa imperare, vectigalia indi-

„cere,

„cere, vacationes munerum concedere, beneficia ac munera publica largiri, bellum decernere ac „finire, leges jubere aut latas antiquare, provocationes ad cæſarem diſceptare, & id genus alia „efficere poſſit: quæ inepte provinciarum præſidi ſeu vicario ab imperatore tributa videmus.„ Mox ſubjungit: „Provinciæ comites ab imperio Germanico jampridem ſeipſos exemerunt. Inter „quos extitit Raimundus poſtremus, cujus filia altera Ludovico IX. Francorum regi, altera Carolo „duci Andium nupſit: hinc ad comites Andium provincia, inde ad reges noſtros Renati comitis „largitione delata eſt.„ Hæc cum ita ὕστερον πρότερον more ſuo attuliſſet Bodinus, tandem concludit: *Ex quo planum fit, reges Francorum in omnes Arelatenſis regni populos jura majeſtatis habere; nec imperii Germanorum fiduciarios eſſe.*

5. Porro Joannes etiam Aventinus, & dudum ante illum *Theodoricus de Niem*, (a) Germani ſcriptores, alienationem Arelatenſis regni per Carolum IV. imperatorem factam eſſe, & agnoverunt & graviter conqueſti ſunt. Hujus hæc ſunt verba: *Ecce Carolus IV. Auguſtus & Bohemorum rex, hypocrita inſignis, & avaritia alter Craſſus, cum quali pertinacia & calliditate ad imperii culmen aſcendit? Ecce quales fructus attulit illi? Nam quondam Ludovico Andegavenſi Caroli Francorum regis Germano, ſimulque heredibus, pro uno prandio ſolenni, ſibi apud Villam novam prope Avenionem preparato, regnum Arelatenſe, ab imperio dimembrando ſeu ſeparando conceſſit.* Aventinus in hunc modum loquitur l. 4. annal. Bojoar. de Carolo IV. cæſare verba faciens: *Galliam Narbonenſem, quam Vienna principatum, Delphinatum regnum Arelatenſe vocamus, ab imperio abalienavit, Joanni, ſororis ſua marito, ejusque filio Carolo V. regi occidentalis Francia, tribuit. Sigismundus filius ejus, qui poſt rerum potitus eſt, adprobavit. Diploma in bibliotheca Pariſienſium ampliſſima, qua in templo ſuburbano D. Victori dedicata exſtat, legi anno abhinc decimo octavo, cum Lutetia philoſophia operam darem.* Idem ab aliis proditur. Quibus tamen ſeſe opponunt recentiores quidam Gallici ſcriptores, quorum alii non dubitant aſſerere, ne quidem in Delphinatum a cæſare Carolo quidquam juris datum eſſe Gallo, quoniam ille principatus jam tum multis retro temporibus fuerit ſui juris. Illos inter Scipio du Pleix hiſtoriæ general. Francicæ tomo 2. pag. 484. num. 6. & 7. cum multis fuiſſet, invectus in Niemium, & qui eum ſequuntur Germanos, in hæc verba ſuæ linguæ prorumpit: *Tout cela eſt notorement ſuppoſé, puiſque long temps auparavant il y avoit eu des Seigneurs particuliers, qui poſſedoient en proprieté le pais du Daulphiné. Lequel par l'union, qui en a eſté faicte à la couronne de France, eſt cenſé de meſme nature, & portant independant que de Dieu, & le eſpée royale.*

6. Hæc autem tametſi ita a variis vulgo tradantur, in quam multis tamen a vero fortaſſis abeunt: ac proinde noſtrum jam eſt, heic etiam ingenue, procul amore & odio, ſententiam noſtram in medium depromere.

7. *Principio* igitur etiam atque etiam duco obſervandum: Galliæ reges nunquam hiſce quinque proximis ſeculis, vel rerum potitos per omne regnum Burgundicum, vel in omnes ejus partes jus aliquod ſummum ſibi arrogaſſe. Utrumque ex hiſtoriis eſt notiſſimum. De priore certe nemo dubitat. Sed nec in Sabaudiam, nec in Burgundiam minorem, nec in Helvetios, aliosque, Burgundici regni incolas, hactenus Gallicorum regum quisquam, tanquam ſibi jure ſubditos quid tentavit. Et vero juris, quod in Arelatenſe regnum ſibi competere volunt, nomine videas plærumque non intelligere eos aliud, quam ſupremam in provinciam poteſtatem. Quod ipſum usque eſt adeo notum, ut non dubitaverit diſerte idem affirmare ipſemet *Nicolaus Vignierius* (b) Gallus, parte tertia bibliothecæ hiſtoricæ quam appellavit, ubi de juribus Chriſtianiſſimi regis ſui in regnum Arelatenſe diſputat. Verba enim de illo faciens ſubnectit, ſua lingua: *l'entendens encor ce droit ſur la Provence ſoulement: Carles Rois de France à ont iamais cherchè aucun droit ſur les autres provinces du Royaume d'Arles.* Unde obiter patet, perperam ab Aventino pronunciatum, quaſi Gallia Narbonenſis, Viennæ principatus, & regnum Arelatenſe idem ſignificent: quamvis haud negem Arelatenſis regni vocem Viennæ illum principatum ſive Delphinatum ut & alia quam multa ſolere olim comprehendere.

8. Notandum *Secundo*, neutiquam admitti poſſe, quod de Delphinatus & provinciæ principibus antiquis Bodinus, Scipio & alii tradunt, illos dudum in libertatem aſſertos imperii leges non audiviſſe. Nos certe jam tum cap. XIII. cum de aliis, tum diſerte de provinciæ dominis, longe alia probavimus. Sed & non multo poſt liquido oſtendemus, ipſos Gallicæ familiæ regiæ principes aliquot, ſimulac in bona iſta ſucceſſerunt, ultro in clientelam ſeſe imperii dediſſe, cæſaribus nonnullis difficulter eos admittentibus. Quod profecto haud feciſſent, ſi terras illas imperii finibus jam tunc antehac excidiſſe fuiſſent arbitrati, ſive cæſares ſive regii illi principes. Et vero videas Bodinum & alios

(a) *Theodoricus de Niem*) *C. A. M.* Vixit ſub initium ſec. XV. patria Weſtphalus ex urbe Niem ditionis Paderbornenſis; vixit in curia Romana aliquot annos, & a ſecretis epiſtolis aliquot fuit pontificum. Gnarus igitur omnium rerum fuit. Tum temporis vero grave ſchiſma ortum, dum tres pontifices ſederunt. Creatus epiſcopus Verdenſis, & mox archiepiſcopus Cameracenſis. Extat ejus hiſtoria diviſa in duas partes, prior vocatur *Schiſma*, poſterior *Nemus unionis*. Scripſit etiam *hiſtoriam Johannis XIII. papæ*. Lectu digniſſimus liber, in quo multa arcana pontificiæ curiæ deteguntur. Hiſtoriam Johannis papæ edidit hic MEIBOMIUS. Verba autem citata inveniuntur in *cap. 23. parte 6. in Nemore unionis*. Alias a pontificibus relati illi libri inter libros prohibitæ lectionis. GÖBEL. Niemius non Virdunenſium, ut BALBINUS rerum Bohemicarum ſcriptor aberrat, ſed Verdenſium apud Weſtphalos epiſcopus factus eſt. SCHURZFLEISCH. diſſert. *quod Carolus IV. non diſſipaverit imperii patrimonium*, qui Niemii errores notat.

(b) *Nicolaus Vignierius*) *C. A. M.* Scripſit Gallica lingua *bibliothecam hiſtoricam*: ſolet in maximo pretio a nonnullis haberi, ſed ut ego exiſtimo, mediocrem tantum meretur laudem.

& alios ſine ullo teſte hæc ita aſſerere, idque in gratiam regum ſuorum, quo illos omnibus imperii juribus eximant.

9. Id *Tertio* dignum eſt obſervatu, Rudolfo cæſare provinciam in poteſtatem regiæ familiæ Gallicæ quidem perveniſſe, non alio tamen quam fiduciario jure a Rudolfo collato. Nugatur ſane Albertus ille Argentinenſis narrans, obiiſſe tunc ultimum regem Arelatenſem, atque ita regnum illud per vim a Galliæ rege occupatum, Rudolfo fruſtra indignante. Nec enim illa tempeſtate rex aliquis rex Arelatenſis vixit. Fabula vero nata eſt inde, quod ſine maſculis hæredibus defuncto tunc Raimundo Berengario, ultimo familiæ ſuæ longe tamen potentiſſimo provinciæ comite, generi illius duo, Ludovicus IX. rex ejusque frater Carolus Andegavenſis poſt Siciliæ rex, uxorum ſuarum nomine hæreditatem illam creviſſent. Id initio proceres illius regionis ægre tuliſſe, ut qui maluerint mollibus imperii habenis regi; nec placuiſſe Rudolpho, utpote cum novo exemplo in tam amplum patrimonium imperii, familia regia, æmula ſemper imperii rebus, tum perveniret, haud quiſquam negaverit. Nec tamen in Gallicarum rerum diligentiſſimis ſcriptoribus, quales utique ſunt *Gaguinus* (a) & Æmylius, de regni Arelatenſis illa occupatione quidquam legas: idque, quantum arbitror, quod tum temporis non tam regibus Galliæ illa poſſeſſio ceſſerit, quam Carolo ejusque poſteris Siciliæ regibus. Nec temere item reperias in ejus ævi monumentis, id quod Goldaſtum audivimus memorantem, a Rudolfo per vim aſſertum imperio Arelatenſe regnum: itaque vix eſt, ut huic fidem tuto ea in re adhibeas.

10. At vero a Rudolfo conceſſam *fiduciario jure* (b) regionem illam Carolo Siculo, indubitatis licet teſtimoniis probare: imo ex iisdem per fit veroſimile, ipſum Ludovicum ſanctum Galliæ regem, vel certe uxorem ejus Margaritam, Raimundi filiam, illo nexu fuiſſe imperio obſtrictum. Provocabo nunc duntaxat ad unius Nicolai III. papæ epiſtolas: quoniam vero illæ & numero complures ſunt & prolixiores, quam ut commode huc queant adferri, contentus nunc ero hiſtoria, quam ex illis Bzovius confecit, & rebus anni cum ſeptuageſimi noni tum octogeſimi poſt milleſimum ducenteſimum, decimo tertio annalium eccleſiaſticorum tomo inſeruit. Priora hæc ſunt num. 3. *Per id tempus nondum erant pacata omnia, Rudolfum inter & Carolum Siciliæ regem.* Is autem eſt Andegavenſis ille alter gener defuncti Raimundi comitis provincialis. *Margareta, Divi Ludovici*

Galliæ

(a) *Robert. Gaguinus*) *C. A. M.* Minus quidem comta oratione uſus eſt, quam Æmilius, ſatis tamen diligenter res Gallicas perſecutus eſt. Fuit homo gallus, ut Aemilius Verronenſis fuit.

(b) *Fiduciario jure*) GöBEL. Diploma inveſtituræ ex LEIBNITII C. J. G. D. refert DVMONT *dans le corps diplomat. tom. 1. p. 246.* Volvit animo Rudolphus, filio ſuo Hartmanno Arelatenſe procurare regnum. In diplomate apud RYMERVM *in actis publicis regni Anglicani ad annum 1278. ſe laborare velle*, inquit, *quod cariſſimus noſter Hartmannus comes de Habsburg & de Kyburg Alſatiæ Landgravius regnum Arelatenſe Romani imperii principum applaudente conſenſu benevolo valeat adipiſci.* Aliud adhuc diploma, quod eſt apud GVICHENON *dans les preuves de l'hiſtoire genealogique de la Royale maiſon de Savoye p. 80.* illum circa Burgundiæ terras imperii jura non neglexiſſe, docet. Operæ pretium erit integrum adſcribere. „Rudolphus Dei gratia Ro„manorum rex ſemper Auguſtus, univerſis ſacri Romani „imperii fidelibus, præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Non immerito regalis majeſtatis munificentia, iis, quos ſanguinis prærfert charitas, quosque „laudabilis claræ fidei commendat conſtantia, propitiam & „munificam ſe offert, & exhibet promotricem. Sane „illuſtris Robertus Burgundiæ dux tam ſincera immarceſ„ſibilis fidei conſtantia erga nos, ſacrumque Romanum „claret imperium, quod proinde dignum cenſemus & ra„tioni conſonum judicamus, ut ei aliqualis munificentiæ „regalis beneficia, largius offerat & impendat, maxime „eum, ut certius credimus, agnoſcimus, non ſolum eſt „hujusmodi oblationis beneficentia ipſius ducis utilitas, „verum etiam noſter imperii honor & gloria fructuoſius „inſtauretur. Quod attendentes provide, diſcrete „perpendentes juribus omnibus, tam nobis & imperio, „quam etiam ipſi duci competentibus, vel quæ viden„tur, aut dicuntur competere in Dalfinatu, ex morte „quondam Joannis Delfini autoritate regia infeodamus, & „de eis ipſum tenore præſentium feodali titulo ſolemniter „inveſtimus, ſalvo tamen jure ſpectabilis dominæ Beatri„cis Delfinæ, filiæ quondam Petri comitis Sabaudiæ, com„petenti in eodem Delfinatu, cui per conceſſionem ſeu „infeodationem præmiſſam in nullo penitus volumus de„rogare. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum ex„inde conſcribi & majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus com„muniri. Dabam apud Romaricum montem pridie no„nas Februarii, induct. XII. anno Domini MCCXXCIV. „regni noſtri anno XI. Largimur quidem, Rudolphum aliis impeditum negotiis, refractarios & obſequio, quod imperio debebant, adverſa molientes, in ordinem redigere non potuiſſe: hoc tamen imperii jus in illud regnum non imminuit. Per plures enim manifeſtum eſt actus, imperatori & imperio animum derelinquendi non adfuiſſe, qui ex ſilentio longiſſimi temporis præſumitur. Merentur hic jungi, quæ in CHRONICO COLMARIENSI *parte altera p. 54.* leguntur: „Circa idem tempus, inquit autor „chronici, rex Arelatenſis ſine hæredibus moritur. Ru„dolphus tunc temporis rex exſtitit Romanorum, qui pro„pter nimias occupationes, quas habuit in Teutonia, ad „regnum Arelatenſe, non poterat pervenire, ut illud in „propriam poteſtatem traheret. Intelligens hæc rex Fran„ciæ mandavit Baronibus, quibus rex regnum Arelaten„ſe commiſerat cuſtodiendum, ut ſibi regnum in poteſta„tem ſuam darent, alioquin totum regnum cum armatis „hominibus devaſtaret. Cuſtodes Arelatenſis regni re„gem Franciæ ſuppliciter rogaverunt, quatenus regnum „non ſuum deleret. Vellent enim voluntatem ſuam regi „Romanorum demandare, & quod regnum contra volun„tatem regis Franciæ non poſſent per tempus aliquod re„tinere, quia regnum cum armatis hominibus faciliter „poſſit devaſtare. Cum hæc & his ſimilia cuſtodes regni „Arelatenſis, regi Roman. demandaſſent, ſcripſit eis, quod „ſe defenderent, vel componerent, ſicut poſſent, quia ſe„cundum temporis ſtatum non poſſit eis in aliquo ſubve„nire. Hæc audientes Arelatenſis regni cuſtodes, regnum „regi tradiderunt tali conditione ſeu pacto, ut regi Roma„norum regnum redderet, vel cum eo pacifice compone„ret, temporibus opportunis. Rex autem Galliæ accepto „regno cum eo filiam copulavit. Neque Adolfus, Rudolphi ſucceſſor, quod ſuarum hic fuerat partium, non omiſit: ad recuperandum enim Arelatenſe regnum cum Anglo armorum contraxit ſocietatem. Sed infauſta hiſce rebus expediendis ipſum abſtraxerunt fata. *Chron. Colmar. l. c.* Dolendum eſt, hæc tempora non in tales incidiſſe ſcriptores, qui aliqualem rerum civilium habuerunt notitiam, & utile a directo, inferius a ſuperiori, diſtinguere ſciverunt dominium. Id Galliæ regi inprimis exprobrandum fuit, quod imperio directum & ſuperius intervertere auſus ſit dominium, quod minus cum Ludovici ſtare potuit ſanctitate. Fœminas in Arelatenſis regni feudis jam Fridericorum tempore ſucceſſiſſe, jam alibi monui.

Galliæ regis id nominis IX. itidem jam defuncti, *relicta, jus in provincia comitatum atque Folcaquerii provinciam prætendebat: ſeque* BENEFICIARIO TITVLO (erat igitur jam in clientelari jure cæſaris
„Rudolphi provincia) iſthæc poſſidere aſſerens, Rudolphum rerum ad imperium ſpectantium
„vindicem implorabat, adeoque contra Carolum poſſeſſorem incitabat. Negotium proinde Caro-
„lo Rudolphus faceſſebat, & armis contra ſuſceptis, poſſeſſione exuere cogitabat. Interceſſit Ni-
„colaus Pontifex, ne ferro inter ſe decernerent, ſed arbitrio ſedis apoſtolicæ totum negotium per-
„mitterent, huicque rei nuncios ad ſubſellia Romana deſtinarent. Quamobrem tam Rudolpho
„quam Carolo ad pacis conſilia inclinante, & auxilia a Nicolao implorante, is reginæ Margaritæ
„ſcripſit, authorque fuit diſſidii dirimendi atque concordiæ ineundæ: miſſo ad eandem Simone
„cardin. tit. S. Ceciliæ tunc legato in Galliis. Ad Rudolphum quoque miſit epiſcopum Tripoli-
„tanum, qui capitula & articulos conventionis illi proponeret atque exponeret, ut tandem pax
„atque concordia inter reges ſtabiliretur: inter quas præcipua fuerat conditio, ut Rudolphus Cle-
„mentiam filiam Caroli principi Salernitano, Caroli regis Siciliæ primogenito, in matrimonium
„collocaret, dotisque nomine comitatum provinciæ & Folcaquerii concederet, ſeque moleſtia in-
„utili liberaret, ac inſuper eadem ratione finem controverſiis inter Margaritam & Carolum impo-
„neret. Cumque Carolus rex Petrum epiſcopum Caputaquenſem, Lucam de S. Aniano, & Richar-
„dum Ayrolam, milites conſiliarioſque ſuos primum ad Nicolaum Pontificem, deinde ad Rudol-
„phum ire nuncios in eo negotio juſſiſſet, Nicolaus illos remittens ad Rudolphum majorem in
„modum commendavit." Plenius & accuratius omnia traduntur in hiſtoria anno octogeſimi
num. 2. & quidem hunc in modum: „Cum hæc in Italia agerentur, non intermiſit Nicolaus ma-
„jora & gravia odia componere, inter Rudolphum regem Romanorum & Carolum Siciliæ jam pri-
„dem exorta. Jam dignitatem ſenatoriam, & poteſtatem Vicariam Carolus depoſuerat. Comita-
„tus provinciæ & Folcaquerii poſſeſſio in controverſiam vertebatur. Rudolphus, ad imperii jura
„pertinere, aſſerebat: Carolus rex & Margarita D. Ludovici relicta, altrinſecus contendebant,
„præſtantiamque juris beneficiarii obtendebant. Nicolaus itaque pontifex, arbitrio partium ar-
„biter factus, Matthæo Urſino tituli S. Mariæ in porticu cardinali, & Benedicto Anagnino notario
„apoſtolico, id, quicquid erat controverſiæ, commiſit, ut cognoſcerent & diſſidentes animos concilia-
„rent. Convenit, ut Carolus utramque provinciam jure beneficiario retineret, Rudolphus clemen-
„tiam filiam Carolo principi Salernitano in matrimonium daret: Nicolaus id, quicquid impedi-
„menti, ex eo, quod clementia Andreæ fratri regis Hungariæ, avunculo Caroli principis, promiſſa,
„atque ipſi Carolo Gotta clementiæ ſoror deſponſa jam fuerat, tolleret; Margarita, ſi quid juris ſe
„habere exiſtimaret, apud ſubſellia Rudolphi Romanorum regis proponeret, declarationem au-
„tem & ſententiam, quam ajunt, definitivam a ſede apoſtolica expectaret, Carolus rex & princeps,
„ex formula a Rudolpho rege præſcripta, regi & imperio homagium ligium præſtarent, atque Sa-
„cramento ſe obligarent. Rudolphus literas in forma privilegii omnium transactorum concede-
„ret: & ad ad extremum Nicolaus Legatum a ſede apoſtolica deſtinaret, qui non ſolum præſens
„omnibus actionibus intereſſet, verum etiam omnia auctoritate apoſtolica ſtabiliret. Miſit in eam
„rem Nicolaus pontifex Hieronymum tit. prudentianæ Presbyterum cardinalem legatum, qui pa-
„cem inter reges Rudolphum & Carolum conciliavit. Nicolaus quoque ipſe, ut deſideratum ma-
„trimonium contraheretur, omne impedimentum tulit: atque, ut quam citiſſime ſponſalitia acce-
„larentur, omnino præcepit. Rudolphus porro ex pactis conventis utramque provinciam Carolo
„ejusque hæredibus & deſcendentibus in perpetuum, jure quod vocant fiduciario conceſſit; &
„Margaritæ reginæ, ne vel ipſa, vel aliquis alius nomine ſuo, impedimentum Carolo præſtaret,
„edixit: ac ſi quid juris ſe habere putaret, ut ad ſe deferret, atque declarationem a ſede apoſto-
„lica expectaret, præſcripſit." Hactenus Bzovius. Cui tuto poſſumus utique credere hac in re,
cum literæ pontificis Nicolai, unde hæc deprompſit, paſſim vulgatæ ſint. Quin imo extant inter
illas Nicolai epiſtolas, tertio anno ſcriptas loco ſeptimo decimo ipſius Rudolphi cæſaris literæ, be-
neficiariæ, Carolo Siculo tunc conceſſæ: id quod Bzovius quoque jam monuit.

11. *Quarto præterea* (a) hoc quoque meretur notari, etſi in illum modum in ditionem familiæ regiæ Gallicanæ fiduciario titulo Provincia devenerit, viſam tamen rem illam indignam & minime ferendam ſucceſſori Rudolphi Adolpho Naſſavio. Veriſſimum ſcilicet eſt, quod audivimus, Goldaſtum narrantem de Adolpho, provinciam illam Gallis eripere conato. Hinc etiam Eberhardus Ratisbonenſis Archidiaconus in chronico ad annum 1294. annotavit: *Orta eſt controverſia inter regem Franciæ* (is erat Philippus Pulcher) *ex una parte & Eduardum regem Angliæ ex altera. Et Adolfus Romanorum rex plus favens regi Angliæ, repetivit a rege Franciæ regnum Arelatenſe, & quasdam alias terras, quas dicebat, eſſe imperii, easque, quod in manu forti vellet requirere, demandavit.*

12. Albertum Auſtriacum cæſarem cum Philippo Pulchro anno MCCXCIX. firmam pacem & concordiam pactum eſſe, haud videtur quidem negari poſſe: jamque tum cap. 8. in id conditas tabulas produximus. Nec negaverim, a patre in Gallos collatum beneficium circa Arelatenſem pro-

(a) *Quarto præterea*) *C. A. M.* Rudolphi tempore mortuus comes provinciæ reliquit duas filias, quarum una regi Galliæ, altera ejus fratri, nupſit, qui deinde rex Siciliæ factus eſt. Hi duo generi comitis provinciæ occuparunt magnam partem provinciæ, unde graves motus orti ſunt, qui deinde ſic ſunt compoſiti, ut rex Siciliæ teneret provinciam jure beneficiario. GÖBEL. Raymundi Berengarii filia Margaretha Ludovico ſancto Galliæ regi, & altera Beatrix fratri ejus Carolo, qui Siciliam invaſit, thori ſocia fuit.

Provinciam, quod impugnaverat Adolfus, ab illo confirmatum eſſe. At vero (id quod *Quinto* loco eſt obſervandum) imperialia omnia jura illum alienaſſe, neutiquam ſit veroſimile. Utique enim in tabulis illis, quas attulimus, quibusque pax tunc publica conſtituta eſt, nihil ejusmodi reperias. Sed & repugnat huic narrationi uſus ſubſecuti temporis: qui liquido oſtendit, imperialem ſummam poteſtatem in Arelatenſia iſthæc, diu etiam poſt, Gallo haud repugnante, fuiſſe ſuperſtitem; ceu mox demonſtrabitur. Qui vero id contigerit, ſi ea prodigalitate imperii omnia iſthæc jura Gallo ceſſiſſent? Ad hoc usque adeo de Alberti illo dono Galli inter ſe diſſident, ut ipſum illud diſſidium fabulam omnem ſuſpectam reddat. Quid? quod eorum nonnulli adeo impudenter nugentur, ut a prudentioribus aliis vapulent? Ejusmodi ſane eſt commentum *VVilhelmi Nangiaci* (a) & aliorum conceſſum ab Alberto, *ut regnum Franciæ, quod ſolummodo usque ad Moſam fluvium, illis in partibus ſe extendebat, de cætero usque ad Rhenum poteſtatis ſuæ terminos dilataret.* Præclare enim in illud animadvertit Belleforeſtius *tom. 1. l. 4. cap.* 43. docens, *Philippum Pulchrum & ſucceſſores ejus Franciæ reges illa nunquam potitos juriſdictione, quinimo fluvium Moſam ſemper fuiſſe limitem regni Franciæ: quæ ultra Moſam ſunt ad Rhenum usque a ſupremo imperii jure dependiſſe.* Vignierius ſatis habuit Nangæi narrationem illam attuliſſe: minime probavit. Producam illius de Albertino illo dono ſententiam, qualem illam ex Gallico latine vertit diligentiſſimus Limnæus in Addition. ad l. 1. c. 9. Juris publici, quoniam digna ſunt quæ memorentur. „Imperator „Albertus Auſtriacus & rex Galliæ Philippus convenerunt Vocoloribus in Lotharingia, magno „principum & Prælatorum tam Germanicorum quam Gallorum comitatu. Ubi pacto inito & „renovatione antiqui fœderis facta, imperator renunciavit juri, quod nomine imperii habere „poterat in regnum Arelatenſe, cujus poſſeſſionem reges Galliæ poſt mortem imperatoris Fri„derici invaſerant. Rex autem Galliæ ceſſit in emolumentum Rudolphi filii primogeniti impe„ratoris, favore matrimonii, quod cum Blanca ſorore regis contraxerat, anno autem inſequen„ti conſummavit, omne illud, quod ſibi competere arbitrabatur, tam in Lotharingia quam in co„mitatu Auſſenſi & diſtrictu Friburgenſi. Uti ſcriptum vidi in copia tranſactionis hac de re „confectæ & in quadam hiſtoria archiepiſcoporum Trevirenſium nondum impreſſa. Quod (ut „eadem hiſtoria refert) maxime diſplicuit archiepiſcopis Trevirenſi, Moguntino & Colonienſi, ſic, „ut imperator poſtea fuerit coactus ſe apud ipſos excuſare, prout refert Cuſpinianus. Licet „annales Wilhelmi de Nangiaco & annales Galliæ etiam hoc addant; eodem pacto fuiſſe con„ceſſum, ut limites poteſtas & juriſdictio regni Galliæ, quæ antea Moſella terminabantur, im„poſterum ad Rhenum usque ſe extenderent. Hæc Vignierius. Qui ſi legit tabulas illas Alberti, & quidem usque adeo liberales, quare non *vulgavit eas* (b) & omnium examini expoſuit? Certe quoniam hoc neglexit, etiam ipſo illo fides illius ſuſpecta redditur. Jam vero ſubjungit mox Vignierius, Henricum Lucelburgium vendidiſſe imperii jura Gallo: quod profecto fieri non potuit, ſi paulo ante Alberti illa donatio fuiſſet inſtituta. Quod ſi porro electores principes Alberti illud donum improbavere, non acceſſit utique, ipſomet Vignierio teſte, conſenſus principum: quo uno ſtat robur cæſareorum munerum. Non dicit vero id Cuſpinianus, quod Vignierius illius teſtimonio vult probare, ſed hoc: Blancam, Philippi regis ſororem, Rudolfo filio in matrimonium datam eſſe, *id Moguntino & Colonienſi epiſcopis diſplicuiſſe, easque ob nuptias Alberto dehinc inviſos ac rebelles fuiſſe.* De donato a cæſare Arelatenſi regno, ne quidem verbulum aliquod memoravit Cuſpinianus.

13. Veluti autem Alberti donatio, ita fabuloſa & commentitia eſt quoque Henrici *Lucelburgii venditio*, (c) quod *Sexto* obſervandum venit. Etiam huic enim repugnant ſecuti temporis acta, quæ loquuntur ſuperſtitem cæſarum auctoritatem in regni Arelatenſis populos regionesque. Imo ipſemet ille Henricus paulo ante obitum, ſententia illa, qua Robertum Siculum proſcripſit, non tantum *regno illum paterno*, ſed etiam *comitatu provinciali excidiſſe pronunciavit*, ut diſerte in vita cæſa-

(a) *Wilh. Nangiaci*) *C. A. M.* Eſt monachus, ſcriptor Gallicus, qui omnia finxit in gratiam eorum. GöBEL. Vide Chronicon ejus apud D'ACHERY *tom. 3. p.* 53. Errorem Nangiaci approbarunt *Sammarthani fratres*, ſed obinde a *Puteano* caſtigati ſunt. Fatetur quoque BELLEFORESTIVS, non a Rheno, ſed a Moſa limitem utriusque regni ducendum eſſe. OBRECHT. *prodr. rer. Alſat. vol. 1. c. 7.* SCHVRTZFLEISCH *l. c.*

(b) *Vulgavit eas*) GöBEL. VIGNIERIVS *lib. 3. biblioth. hiſtorial.* tradit, id quod ab Alberto coeptum, ab Henrico VII. abſolutum eſſe, Philippoque ſine ulla conditione & exceptione Arelatenſe regnum eſſe venditum: verum ex BROWERI *hiſtoria lib.* 16. *p.* 176. 177. conſtat, Boëmundum & Wichboldum per regnum Arelatenſe archicancellarios & alios imperii proceres conſenſum impertire noluiſſe. Denegavit etiam Boëmundus ad coronationis negotium ſigillum. Magis veritati conſentanea ſunt, quæ MEZERÆVS in vita Philippi pulchri habet; *La ville de Leon*, inquit, *avoit long tems relevé des Rois d'Arles, qui en avoit donné la ſeigneurie temporelle a l'archevêque: mais depuis les Rois de France profitant de la foibleſſe & de l'eloignement des empereurs Rois d'Arles avoient peu a peu retiré la ſouveraineté de ce Royaume, & cette ville avoit commencé de relever d'eux.*

(c) *Lucelburgi venditio*) GöBEL. Ex Petro Saxio conſtat, Henrico VII. regni Arelatenſis comites inveſtiiſſe: mihi ſaltim per tranſennam quaſi rariſſimum ejus *pontificum Arelatenſe* inſpicere datum. Notum eſt, PEIRESCII ſuaſu illud publico ſubtractum eſſe uſui, vide GASSENDVM *in vita Peireſcii l.* 4. Habemus tam Henrici VII. quam Philippi Pulchri mandata, quibus legatis ſuis controverſias, quæ inter eos erant, componere injungunt: ſed in tabulis illis ne verbulum quidem legitur, quod Henrico animus fuerit juribus imperii in Burgundicas terras valedicendi. LEIBN. *C. J. G. D. tom. 1. p. 59. ſeqq.* CORPS DIPLOMAT. *du droit des gens tom. 1. p.* 359. magnum e contrario, quod Henricus ſua & imperii jura in illas terras ſarta tectaque eſſe voluerit, argumentum eſt, quod venditionem partis comitatus Viennenſis, quam Hugo Maſconiæ comes in archiepiſcopum Viennenſem transferre conſtituit, ratam habere noluerit; ſed de ea illos, qui Viennenſis Maſconiæ erant gentis, inveſtiverit. *Hiſtoire de Bourgogne par* DV CHENE *liv. IV. c.* 77.

cæſaris illius ſcribit Conradus Vecerius. Nec tamen, etſi Pontifex ſententiam illam improbaverit, cauſatus eſt vendita imperii jura: quod merito objici potuit Henrico, ſi illa venditio fuit inſtituta. Qui vendidiſſet porro Henricus Gallo imperii jura, cum conſtet fuiſſe illum infeſto in Galliæ regem animo, & quidem usque adeo, ut nonnulli memorent agitaſſe illum conſilia de Gallia omni ſubjuganda in obſequium imperii? Fuiſſe illum ſane jurium imperii eximium vindicem, monumenta omnia loquuntur. Adhoc ante Bodinum nemo memoravit illam Henrici venditionem, non Æmylius, non Gaguinus, non quisquam alius eorum etiam, qui majore cura res Gallicas tradere aggreſſi ſunt. Num vero tacituri fuiſſent rem magni adeo momenti, ſi illæ tabulæ, ad quas provocat Bodinus, in regiis tabulariis tum comparuiſſent? Quid? quod & nuperi propugnatores regiorum jurium unius Bodini fide hac in re nitantur magno utique argumento, nuſquam hodie tabulas illas amplius reperiri. Viderit vero illas Bodinus: non dubitandum tamen eſt, a falſaria manu profectas, viro docto, at nimium forte regiarum partium ſtudioſo, in facili credulitate impoſuiſſe. Præcipiti ſane judicio illas a Bodino probatas vel illud indicat, quod ſcribat; contractum initum inter Henricum V. cæſarem & Philippum Valeſium Caroli VI. proavum. Quæ plane ſunt ἀσύστατα. Valeſius enim ille rerum potitus eſt, ab anno viceſimo octavo poſt milleſimum trecenteſimum usque ad quinquageſimum: interea vero temporis nullus Henricus imperii rebus præfuit, ſed Ludovicus IV. cæſar, cui cum Valleſio tantum non capitales inimicitiæ interceſſerunt. Nec integro illo ſeculo Henricus aliquis quintus, ſed id nominis ſeptimus cæſarem egit. Par ἀβλεψία eſt *Caſſani*, (a) ſtrenui ſcilicet illius Gallicorum jurium propugnatoris, qui cæſarem hunc, cui adſcribit famoſam iſtam venditionem, *l. 2. cap. 2.* nunc Conradum nunc Henricum appellat, conjiciens contractum illum in annum MCCCXXX, quo nec Conradus aliquis nec Henricus imperavit. Quam ineptum porro eſt illud Bodini ordines imperii conſenſiſſe in contractum illum, & regem Bohemiæ Joannem conſtitutum prædem. Quid opus enim præde illo, ſi ordines conſenſiſſent? Jam vero Johannes ille Henrici cæſaris filius Bohemiæ regem cœpit agere demum anno MCCCXII. eo plane tempore, quo graviſſimum diſſidium erat inter cæſarem & Robertum Siciliæ regem qui tunc erat, provinciæ comes, Gallici ut ſanguinis ita partis. Cui fiat veroſimile, illo tempore multum adeo a cæſare iſthoc Gallis indultum? Quam pene ridiculum etiam illud: Arelatenſia omnia emiſſe ab Henrico Philippum Valeſium, & tamen anno ſeptuageſimo octavo ejusdem ſeculi curaſſe Carolum regem filio ſuo a cæſare Carolo IV. conferri vicariatum imperii in regno Arelatenſi & quidem excepta Sabaudia, quæ tamen diſerte in tabulis emptionis jam ante Gallo ceſſerat. Taceo nunc, nunquam Galliæ reges in omne Burgundicum renum quidpiam ſibi juris arrogaſſe, & tamen a Bodino aſſeri, *tabulis emptionum comprehenſa eſſe omnia jura majeſtatis, quæ imperatores Germani ſibi retribuunt, in omnes Arelatenſis regni regiones, quibus continentur Allobroges, Bellojoci, provinciales, Burgundia libera.* Adeone videlicet reges immemores fuere illius contractus, nec quisquam eorum, qui a conſiliis ſunt adhibiti, in memoriam præclara adeo jura illis revocaverunt? Quin igitur inepti adeo commenti propugnatores illos merito potius pudeat.

14. *Ceterum Ludovico IV.* (b) cæſare Delphinatum Humberti, ultimi ſuæ familiæ principis, conceſſu, in Galliæ regum poteſtatem certis legibus deveniſſe, notum eſt. Ea de re ita Paulus Æmylius l. 9. in hiſtoria Philippi Valeſii: „ Ad ſolatium rerum adverſarum, Umbertus Delphinatium princeps, dolore amiſſi unici filii ſtatuebat cœnobio prædicatorum ſe ſacrare, dominatumque ſuum, cujus caput eſt Vienna Allobrogum, eccleſiæ ac pontificibus Maximis, non magno pretio addicere. Gentis ejus nobilitas regum quam pontificum ſigna ſequi malebat: & quod a comitibus Sabaudis bello (ut inter finitima imperia aſſolet) continenter vexaretur, perſuaſere, ut Francorum fidei tutelæque traderentur. Placuit, filii regem, ut quisque in proximam ſpem regni ſuſcepti eſſent, Delphini vocarentur, juraque Delphinatibus redderent. „ Ita quidem Æmylius, de cæſareis juribus nihil addens. At vero Philippum Valeſium regem, qui tum regno præerat, a Ludovico cæſare ratihaberi hanc Delphinatus translationem petiiſſe, cumque id non impetraret, curaſſe illum ſibi a pontificibus Romanis confirmari, fortaſſis haud difficulter probari poteſt luculentis teſtimoniis: id quod in hoc negotio cumprimis, & quidem loco *Septimo*, notandum ducimus. Utemur nunc duntaxat teſtimoniis Villani & Pauli Jovii. Ille l. 11. cap. 54. ubi res anni MCCCXXXVI. enarrat, cum dixiſſet de Ludovico cæſare recipiendo, fuiſſe jam cum Papa Benedicto conventum, ſubjungit: *rex Galliæ literis ſuis & oratoribus, ad papam & cardinales miſſis, turbavit hanc conventionem, quia pro filio REGNUM ARELATENSE VIENNÆ habere volebat.* *Papirius Maſſonus* (c) l. 4. hiſt. Franc. ita quidem loquitur: *Edoardus* Angliæ rex *per ſeſe impar, fœdus cum Ludovico Bavaro, qui cæſarem agebat, iniit, Philippo inimico: quod pacem, quam a Pontifice & collegio cardinalium impetraturus fuerat, impediſſet; rem ut videbatur iniquam petens, ut cæſar regno*

(a) *Caſſani*) C. A. M. Eſt ſcriptor recens, qui ſingulari libro voluit oſtendere, ad regem Galliæ pertinere jura veterum Francicorum regum adeoque, quæ Carolus M. habuit, in ea regem Galliæ habere jura occupandæ totius Germaniæ. Hic liber fere profectus ab homine inſano, qui tamen ita movit hominum animos, ut multi Galli crediderint, ſe non tantum Germaniæ, ſed totius Europæ occupandæ jura habere. Tandem vero ab aliquibus prudentibus eſt exploſus, deinde ab ipſo rege Galliæ.

(b) *Ceterum Ludovico*) C. A. M. Quamvis hæc ita ſe habeant, tamen ſuperiori ſeculo Franciſcus amplius diſtinxit Delphinatum a regno Galliæ, quo ipſo indicabat, jure Delphinatum non ad regnum Galliæ, ſed ad imperium pertinere. GöBEL. In diplomate, quo Delfinatus anno 1343. in regnum Galliæ ab Humberto Delphino transfertur, dicitur, *hoc ſalvis imperii juribus fieri debere.* LEIBN. *C. J. G. D. p. 158.*

(c) *Papirius Maſſonus*) C. A. M. Diſcipulus Balduini, ſcriptor ſane egregius eſt.

regno Arelatenſium filium ejus donaret. Verum tamen decepit memoria Maſſonum: nec enim univerſum Arelatenſe regnum, ſed illud tantum, cujus caput Vienna erat, hoc eſt, Delphinatum petiit filio ſuo Philippus, ut diſerte dicit Villanus, ex quo tamen omnia hæc ſua hauſiſſe ipſe Maſſonus mox addit. Itaque Villani teſtimonio jam ſcimus, & petiiſſe regem a cæſare quaſi ratihaberi Delphinatus illam ab Humberto factam translationem, & a cæſare id Gallo negatum, accerrimis hinc inimicitiis exortis. Paulus Jovius autem in illo libello, quo argumentum devoluti ad Aurelianenſium principum domum Mediolanenſis ducatus exponit, cum narraſſet: Italos nonnullos, factam a pontificibus Romanis in Gallos collationem Mediolanenſium rerum, vehementer improbaſſe, *quod nullum omnino jus pontifici eſſe videretur, in transferendis adjudicandisque regnorum feudis.* Subjungit mox pro Gallis, quæ haud dubie ex illorum ſcriptis hauſerat, hæc verba: *Verum hac aliquanto cavilloſius quam probum juris profeſſorem deceret, inducta, vel hoc uno vividæ rationis exemplo falſiſſima Aurealiani cenſere: quum & Delphinatus perampla veterum Allobrogum ditio, & Arelatenſis provincia regnum, auctoritate pontificia, non dubio tum ſed certo jure, translata atque adjudicata fuiſſe conſtet.* Ex hoc Jovii teſtimonio jam etiam alterum illud diſcimus. Et vero ea tempeſtate pontifices volebant credi, Ludovicum cæſarem vitio eſſe creatum ac vacare proinde imperiale munus, ſui vero juris eſſe vacante imperio reipublicæ adminiſtrationem. A Pontifice itaque, tanquam imperialis auctoritatis vicario, curari fecit Gallus, quod negaverat ipſemet cæſar. Huc pertinet id, quod Cuſpinianus teſtatur, Valeſium regem inter alia a Pontifice Benedicto poſtulaſſe: *ut filium primogenitum regem Viennæ crearet.* Ex quibus liquidum eſt omnibus, tunc temporis utique non fuiſſe creditum ipſis etiam Galliæ regibus, quæ hodie Gallicani quidam ſcriptores & ſibi & aliis conantur perſuadere; namque univerſa imperii jura in regnum omne Burgundicum ab Alberto & Henrico cæſaribus fuiſſe translata ad Gallos, vel vero Delphinatus principes ſui fuiſſe juris, ut cæſaribus inconſultis potuerint terram illam Gallo reddere. Quorum poſterius etiam inde refutaveris: quod Henricum Lucelburgium Romam coronæ acceptandæ cauſſa proficiſcentem, officii gratia, inter alios clientes principes, comitati ſint Guido Viennenſis Delphini frater, & ipſe Viennæ comes Robertus: quod in vita Henrici memorat Conradus Vecerius.

15. Carolum IV. cæſarem in Gallum regem ſolito benigniorem fuiſſe fatemur: illum tamen cæſarea jura Gallo in perpetuum ceſſiſſe, falſum eſt: fitque ea in re a Niemio Aventino & aliis cæſari illi ingens injuria; quod nunc quaſi *ſeptimo loco* demonſtrabimus, ubi nonnulla præmiſerimus ad rem omnem plenius cognoſcendam facientia, quæ annum ſeptuageſimum octavum illius ſeculi anteceſſere. Etenim Melchior Goldaſtus quidem, Carolum Galliæ regis filium, in Comitiis imperii Metenſibus, Delphinatus nomine Carolo IV. cæſari homagium præſtitiſſe, non dubitavit affirmare, illo quem ſupra indicavimus loco. Verba ejus hæc ſunt: *Kayſer* Maximilianus *Auſſchreiben wider den Frantzoſen lehret mich, daß der Kœnig in Franckreich mehrbenante Fürſtenthum und Herrſchaften vom Rœmiſchen Kayſer und dem heiligen Reich zu rechtem ordentlichen Lehn empfangen. Und ſoll mit Namen* Carolus *Delphin aus Franckreich, als ein Fürſt des Reichs, auf den Reichs-Tag gen Metz* Anno 1356. *beruffen, ſeinen Sitz und Ort neben andere Fürſten des Reichs vertreten, und Kayſer* Carolo *dem vierten, in Gegenwart aller Chur- und Fürſten des Reichs und Päpſtlichen* Legaten, *den Lehn-Eyd œffentlich geleiſtet, und die* Regalia *der Hertzogthum Wien oder Delphinat, Provintzen &c. von Ihrer Majeſtat, als ordentlichen Lehen-Herrn, empfangen haben. Die Lehen-Brieffe ſollen noch verhanden ſeyn, und im Kloſter* S. Victors *bey Pariß zu finden.* Hæc Goldaſtus: quæ, quoniam alibi mihi lecta non ſunt, in medio relinquo. Et vero Cuſpinianus tantum habet, interfuiſſe Metenſi conventui *Delphinum Viennæ ducem, primogenitum Joannis regis Franciæ*: imo cum addit, adfuiſſe etiam epiſcopos, Senonenſem ac Rothomagenſem, ducem item Britanniæ ac comitem Pictaviæ, quorum nemo inter ordines imperii meruit cenſeri, multo minus ex Cuſpiniani narratione iſthac, certi aliquid de Delphini ſubjectione poſſumus colligere. Aſt de Carolo IV. cæſare in ceremoniali Romanæ eccleſiæ l. 1. ſect. 5. cap. de triplici imperatoris corona, tradit *Chriſtophorus Marcellus*: (a) coronatum illum eſſe Arelatæ anno 1365. *Legimus* (inquit) *& in aliis hiſtoriis, quoſdam imperatores Arelate etiam coronam ſuſcepiſſe de regno Arelatenſi, & alibi alios pro aliis regnis. Nam & Carolus quartus Avenionem venit ad Urbanum quintum, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, multo ante juſſu Innocentii ſexti Romæ imperator coronatus. Qui rebus, quarum gratia ad Pontificem venerat, abſolutis, Arelate profectus eſt.* Quod profecto magnum fuerit argumentum, nondum adhuc perditi cæſarei juris in Aurelatenſe regnum. Cum porro jam ante, anno quadrageſimo octavo, *Avenionem* (b) ſibi emiſſet, partem provinciæ Arelatenſis, Romanus Pontifex, ratihaberi id fecit ſibi a

Carolo

a) *Chriſtophorus Marcellus*) C. A. M. Hic ante 30. annos edidit libellum, ex quo videri poteſt, quomodo rex & cæſar creetur epiſcopus item & cardinalis, quomodo ſe gerere adverſus reges & cæſares debeant. GöBEL. GVILIELMVS DE GARDIA Carolum IV. in Arelatenſem regem in D. Triphonini templo unxit, præſentes fuere Sabaudiæ & Borboniæ duces ac provinciæ Seneſchallus. Teſtes ſunt SAXIVS, NOSTRADAMVS *in hiſtoria provinciæ*, PIENTINVS *in libro ſacrarum ceremoniarum* edito a CHRISTOPHORO MARCELLO epiſcopo Corcyrenſi, autore JACOBO BOVIS in libro *de regia corona regum Arelatenſium p.* 350. Huic cerimoniæ etiam interfuerunt archiepiſcopi Ebredunenſis & Aquenſis, tum etiam epiſcopus Aurificanus, Maſſilienſis, Vaſionenſis, Tricaſſinus, Dinienſis, Senecenſis, Kicienſis, Vencienſis, Aptenſis, Rejenſis & Siſtaricenſis. Vid. BALVZ. *in not. ad vit. paparum Avenionenſium p.* 986. Quæ autem Baluzius ex Bonifacii IX. epiſtola, adverſus Clementem VII. depromere ſatagit, quod Arelatenſe regnum ad Gallum tum temporis ſpectaverit, nihil probant.

(b) *Avenionem*) GöBEL. Clemens Avenionem a Joanna Siciliæ regina emiſſe dicitur. *Civitatem etiam Avenionenſem*, inquit, AVCTOR *vitæ Clementis VI.* apud BALVZ. l. c. *tom.* 1. *p.* 263. „cum ſuo territorio a Joanna

Carolo cæſare: non facturus utique, ſi cæſarum in provinciam jura jam extincta eſſe agnoviſſet. In celeberrima denique illa conſtitutione de Electoribus, quam vulgo κατ' ἐξοχὴν auream bullam nuncupamus, anno quinquageſimo ſexto idem ille cæſar pronunciavit Trevirenſem Archiepiſcopum *Archicancellarium* (a) imperii per regnum Arelatenſe; quod tunc nondum erat factum.

16. Saltim hactenus itaque citra controverſiam, & cæſares & alii, ſummam imperii in regnum illud Arelatenſe poteſtatem agnoverunt. Quæ præterea de alienato per Carolum cæſarem regno illo narrat Theodorus de Niem, illa profecto non conſentiunt illius ævi monumentis: utpote cum non utique Ludovico Andegavenſi, ſed Carolo tum Delphino poſt ſexto id nominis dicto regi ceſſerint Caroli cæſaris dona, ut alii quidem omnes conſentiunt. Nec quis alius memorat ſolenne aliquod prandium, quo cæſar a Gallo ſit exceptus apud Villam Novam: quanquam haud taceant, quam ſplendide cæſarem illum ejusque filium Wenceslaum Pariſiis Carolus quintus rex habuerit. Aventinum memoria falſum vel inde patet, quoniam vult in Joannem regem ejusque filium alienationem regni Arelatenſis factam eſſe, & tamen mox apparebit, in Caroli quinti filium aliquid collatum eſſe, ſed non niſi temporarium, ac vicariæ conditionis. Sed & Golnitzius in Itinerario ſuo Belgico Gallico, ubi de Vienna agit, cum feciſſet verba de Delphinatus in Gallum translatione, ſubjungit neſcio quo auctore: *Quod ſub Joanne rege anno 1340. etiam factum: cujus filius Carolus fuit Delphinus primus, aſſentiente imperatore Carolo quarto, MODO Delphinus ille & primogenitus regis feudum illud*

„regina Siciliæ, ad quam per prius ſpectabat tenebatur„que in feudum ab imperio, pro Romana eccleſia dato „magno pretio emit, conſenſu tamen & voluntate me„morati Caroli regis Romanorum in imperatorem ele„cti, qui etiam auctoriſando, approbando & confir„mando emtionem hujusmodi voluit & conceſſit, quod „in perpetuum pertinerent ad jus & proprietatem dictæ „eccleſiæ & præfati papæ ſuorumque ſucceſſorum cano„nice intrantium, quodque per eos libere teneantur & „poſſideantur in Franco allodio, nec pro ipſis homa„gium ſeu fidelitatem, ſervitium, recognitionem cu„piam inpoſterum facere teneantur.„ Videatur quoque *quarta vita Clementis VI. ex Ptolomai Lucenſis appendice* apud BALVZIVM *l. c. p.* 30. Sed neſcio, an illis, quæ allata ſunt, tuto fides adhiberi poſſit. Et licet veritati conſentanea eſſent; inde tamen imperii juribus nihil decedere poſſet, cum absque ordinum ſuffragiis tale factum irritum ſit. Deinde dicitur, quod Avenionenſis tractus a vinculo fiduciario, non autem a ſubjectione, qua imperio adſtringitur, debeat eſſe immunis.

(a) *Archicancellarium*) GöBEL. Idem eſt, ſi cum *Browero* ac *Schurtzfleiſchio* primordia hujus archicancellariatus ad *Arnoldum II.* Trevirenſem archiepiſcopum, qui Friderico II. & Conrado IV. æqualis fuit; ſive ad tempora *Rudolphi Habspurgenſis*, qui ordines Burgundiæ convocans, res Germaniæ in illis oris aliquantulum prolapſas reſtaurare cogitavit, referamus; conjecturæ enim ſunt, quarum utraque habet aliquid ex incerto. Id certum omnino, cum AVTORE noſtro de *officialibus* §. 10. THVLE MARIO *de octoviratu c.* 13. *Strauchio diſſ.* 2. veritatem non ſtare, per auream bullam primum Trevirenſi archicancellariatus Arelatenſis dignitatem eſſe collatam. Nam Boëmundum I. qui ab anno MCCXXCVIII. usque ad annum MCCXCIX. Trevirenſem rexit ſedem, & ſic Rudolphi I. poſtremos annos, Adolphi Naſſovii & Alberti attigit tempora, hoc titulo uſum, ſcriptor Boëmundi ejus temporis æqualis docet. BROWERVS *lib. 16. annal. p.* 178. Tabulas Boëmundi, ad quas provocat SCHVRTZFLEISCH, apud Browerum non vidi. Probabile eſt, Friderici II. papalibus odiis maxime obnoxii, & turbidi interregni tempora, Gallorum conatibus Arelatenſe regnum imperio paulatim ſubtrahendi majorem præbuiſſe occaſionem, præſertim cum archiepiſcopus Viennenſis æque ac multi procerum illius regni in Gallorum favorem plus juſto propenderint. Quo factum videtur, ut Germani ſuis rebus conſultius putaverint, ex ſuo numero iſti regno archicancellarium conſtituere. Interim hanc memini obtrudere volumus conjecturam. In decreto electionis Henrici VII. papæ Clementi V. tranſmiſſo *Baldewinus Trevirenſis Archipræſul ſacri imperii per regnum Arelatenſe archicancellarius* vocatur. BALVZ. *act. vet. ad Vit. Pont. Arelat. p.* 266. Porro Balduinus Trevirenſis archiepiſcopus aliquot annis ante auream bullam in curia Moguntina privilegiorum eccleſiæ ſuæ confirmationem obtinuit, in qua & archicancellariatus Trevirenſis mentio injicitur. Conf. BALDEWINI *geſta* apud BALVZ. *tom. 1. miſcell. p.* 155. Nihilominus poſt conditam auream bullam rara ſunt diplomata, ſub quibus Trevirenſis ut Arelatenſis archicancellarii mentio habetur. Id haud dubie inde provenit, quod diplomata, quæ extra Trevirenſis archicancellariatum in Germania ſubſcripta ſunt, Moguntinum referant archicancellarium. MALLINKROT *de archicancell. p.* 37. ex GEWOLDO *de ſeptemviratu* adducit ſubſcriptionem diplomatis, quod Trajecti ad Moſam datum eſt, ſequentem: *Ego Joannes, epiſcopus ſacræ imperialis aulæ cancellarius, vice reverendi in Chriſto patris Boemundi, Trevirenſis archiepiſcopi, S. R. I. per Gallias & regnum Arelatenſe archicancellarii, recognovi.* Sed cavendum, ne archicancellariatum regni Arelatenſis cum illo, quem per Galliam Belgicam, ut ejus primas habet, confundamus. Interim archicancellarii hæc dignitas cum Arelatenſi eodem propemodum tempore cœpiſſe videtur, quanquam primatus Belgii longe antiquior ſit. Sed de hoc alibi agendum erit. Vid. SCHVRTZFLEISCH. *diſſert. de Carolo IV. auguſt. §. XVI.* LVDEWIG. *comm. ad aur. bull. part. II. p.* 605. *ſeqq.* Hiſce argumentis, imperatorem nimirum Carolum IV. neutiquam juri in Arelatenſe renunciaſſe regnum, alia accedunt. Papa Innocentius in epiſtola, ad hunc imperatorem, de ſocietate quadam in comitatu provinciæ, in ejus detrimentum contracta, ait: *quemadmodum nonnullæ gentes de diverſis partibus inſimul congregatæ, comitatum provinciæ, qui de feudo imperii tui eſt, invaſuræ &c.* Hæc res Carolum ad colligendum militem, qui contra invaſores illos expeditionem ſuſcepturus, exercitum in Aurelatenſe duceret regnum, commovebat: ſed hoc propoſitum ſine effectu fuit, & in literis adhoratoriis ad regni ordines, ut vires ſuas contra ſocietatem illam conjungant, ſubſtitit. Mandatum imperatorium hunc in finem ad eos directum hoc habet initium: *Karolus &c. univerſis principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, nec non comitibus, baronibus, militibus, clientibus, poteſtatibus, rectoribus, & officialibus, judicibus, conſiliis, comitatibus præcipue & nominatim per regnum Arelatenſe conſtitutis, ad quos præſentes pervenerint, noſtri & ſacri imperii fidelibus dilectiſſimis, gratiam &c.* Vid. adj. *MADERI ad GERVAS. TILB. otia p. 87. ſeqq.* Nec minus notatu dignum eſt, quod in Clementis VII. bulla de comitatu provinciæ Forcalquerii & Pedimonti apud LEIBN. in C. J. G. D. p. 239. dicatur: *prædicta tam ex ſuperioritate, quam ad ipſum imperium habere dignoſcimus, quam ex poteſtate, quæ eodem vacante imperio imperatori ſuccedimus.* Quod ultimum tamen falſum eſſe, alibi demonſtravimus. Tandem memoratu dignæ ſunt literæ, quibus Carolus IV. jubet archiepiſcopum Lugdunenſem, item epiſcopos Grationapolitanum & Maſconenſem, ut juramentum fiduciarium, quod imperio deberent, comiti *Viridi* generali imperii vicario præſtent. GVICHENON *dans les preuves de l' hiſtoire genealogique de la royale maiſon de Savoye p.* 208.

illud ab imperio ſuſciperet. Bodinus ſemetipſum confutat. Agnoſcit enim anno MCCCLXXIIX. Carolo Delphino ætatis beneficium datum a cæſare, ſimulque vicariam poteſtatem in regnum Arelatenſe, excepta tamen Sabaudia. Hinc enim utique ſole eſt clarius, antehac regno Galliæ non fuiſſe plenum aliquod jus in regnum illud, imo tale ne quidem tunc datum. Vicaria enim poteſtas non profecto ſumma eſt, ſed minor utique ea, cujus eſt vicaria. Ergo ſi a cæſare perpetua quædam vicaria poteſtas fuit data Gallorum regibus, non ſane eo ipſo omnia imperii jura alienata ſunt, ſed ſumma majeſtas imperio relicta.

17. Cæterum Carolo quidem Delphino datum fuiſſe ejusmodi quoddam jus, & perpetuum quidem, fatemur: non hæreditarium tamen, aut transferendum in omnes Galliæ reges, ſed cum vita illius Caroli finiendum. Hinc Robertus Gaguinus l. 9. ubi Caroli quinti regis hiſtoriam perſequitur, narrans, quemadmodum ille cæſarem Pariſiis exceperit: *Traditum,* inquit, *a Gallis ſcriptoribus comperio, imperatorem quibusdam caſtellis terra Delphinatus donaſſe Delphinum, eumque in Arelatenſi regno imperii vicarium inſtituiſſe. Arelaten enim regni Burgundiorum primariam civitatem & caput fuiſſe, imperioque paruiſſe, certum eſt.* Apertius id fatentur alii ſcriptores Gallicani. Vignierius tractatu, quem ſupra jam laudavimus, interprete Limnæo: *Duci Andegavenſi donavit caſar Carolus reliquias, qua ſuperfuerant imperatoribus in Delphinatu, h. e. Pompam & Charnacum, & ſimul eum conſtituit AD TEMPVS VITÆ (la vie durant) irrevocabilem majeſtatis ſua vicarium, ejus quod tenebat in regno Arelatenſi.* Similiter pene loquitur Belleforeſtus l. 5. annalium: *Le faiſant Vicaire irrevocable de l'empire ſa vie durant,* Agnoſcit idem diſerte Theodorus Gothofredus v. c. advocatus Pariſienſis, in libello, quo principum illorum congreſſum deſcripſit. Datum ſcilicet vicariatum illum, *à la vie du dit Dauphin:* Præclariſſime omnium univerſam hanc rem, quoniam memoriæ mandavit nobiliſſima virgo, *Chriſtiana Piſana* (a) in hiſtoria Caroli V. regis, producemus hoc loco ejus verba, quemadmodum ex manuſcripto codice regio Bruxellenſi *vindiciis* (b) ſuis Hiſpanicis inſeruit illa doctiſſimus Chifletius. „Imperator (ait virgo) motu proprio in gratiam regis, & filii ejus natu majoris Delphini, conſtituit „& fecit LOCVM TENENTEM SVVM & VICARIVM GENERALEM IN REGNO ARELATENSI DICTVM DELPHINVM, voluitque idem obtinere AD VITAM DICTI DELPHINI „irrevocabiliter: & ea de re literas ſuas ſigillo aureo munivit tanta tamque ampla cum facultate, „quanta concedi poteſt, quæque antea dari minime ſolita fuit. Et pariter eundem LOCVM TENENTEM ET VICARIVM SVVM GENERALEM creavit aliis quibusdam literis pari modo „ſigillatis, parique cum facultate in DELPHINATV feudisque immediatis & mediatis, & aliis „quibuscunque clientelis, ſine ulla exceptione. Deditque & conceſſit CASTELLVM POMPETI „SVPRA VIENNAM, alteramque domum in dicta urbe CHAMAVX appellatam. Similiter eidem BENEFICIVM ÆTATIS impertivit, & alia omnia SVPPLEVIT, quæ OB ÆTATIS DEFECTVM dicto Delphino dictis gratiis & præfecturis obtinendis impedito eſſe poſſent. Quæ „quidem ut rite perficerentur, & alia nonnulla, in gratiam & emolumentum regis, ejusque liberorum, CANCELLARIVM SVVM PARISIIS triduum aut quatriduum a ſuo diſceſſu reliquit, „literis ſuis obſignandis tradendisque. Subdit deinde poſt pauca: Ubi rex Pariſios reverſus eſt, „cancellarius imperatoris Delphino, qui apud regem erat, attulit obtulitque literas gratiarum ipſi „ab imperatore conceſſarum ſigillo munitas. Unde imperatori grates egit, & cancellario in hoſpitio ſuo verſanti miſit dono pateram elegantem argenteam, bene & accurate inauratam, viginti „beſſes pendentem: inſuperque intra doni calicem mille Francos aureos, quos illi Delphinus in „ſuſcepti pro ſe laboris mercedem conceſſit.„ Hactenus Gallicani illi. Ut proinde jam nefas fuerit affirmare, per Carolum univerſa imperii jura Arelatenſia in Gallos tranſlata: quum ſumma poteſtas imperio non ſit derogata, & vicaria illa ita tantum data, ut mortuo Carolo illo ſexto, qui obiit MCCCCXX. cæſaribus reſtitui debuerit.

18. Quæ omnia ita ſeſe habere, confirmatur etiam ſecuti temporis hiſtoria. Id quod *octavo loco* memorabile occurrit. Etenim Carolo ſexto rege anno MCCCXCII. inſania correpto, & reipublicæ adminiſtratione patruis ejus commiſſa, credidiſſe Rupertum cæſarem palatinum videtur, imperii intereſſe, regno Arelatenſi alium aliquem idoneum gerendis rebus præficere, eoque in Italiam profecturus filium ſuum Ludovicum ibi vicarium creavit. Diploma ipſum cæſaris exhibuit nobis *Marquardus Freherus* (c) l. 1. cap. XVI. ex tabulariis palatinis, ſcriptum anno MCCCCI. quod quia prolixius eſt, & multa aliena continet, non eſt quod in medium producamus.

19. Ruperto qui ſucceſſit Sigismundus cæſar approbavit a patre Carolo factam conceſſionem: quod audivimus dicentem Aventinum. At non ſatis conſtat, num vicariatum imperii probaverit, an vero Delphinatus poſſeſſionem: nec enim Aventinus ſatis id explicat. Si autem confirmavit tantum ea, quæ a patre ſunt acta, per utique eſt veriſimile, confirmatum vicariatum imperii Carolo VI. regi, quoad viveret, quem videlicet Rupertus imperator filio ſuo erat largitus, contra quam Carolo illi ſexto promiſerat cæſar Carolus quartus. Et vero inviſit Sigismundus Pariſiis Carolum illum ſextum anno MCCCCVI. componendæ pacis cauſſa inter illum & Henricum Anglum. Quicquid hujus ſit, Sigismundi illa probatio certiſſimo eſt argumento, etiamnum initio ſeculi decimi quinti non tantum cæſares, ſed ipſos etiam Galliæ reges ſummam imperii poteſtatem in regnum Arela-

(a) *Chriſtiana Piſana)* *C. A. M.* Vixit ante 200. annos; ſcripſit Gallice hiſtoriam Caroli V. ſed opus hactenus ineditum.

(b) *Vindiciis)* *C. 13.*

(c) *Marquardus Freherus)* *C. A. M.* Scripſit inter alia *origines palatinas*, quæ ad intelligentiam plenam rerum Germanicarum plurimum faciunt. GÖBEL. *In originibus palatinis p.* 133. Idem exhibet LEIBN. *in C. J. G. D. p.* 263. TÖLNER *in cod. diplom. p.* 136. GOLDAST. *tom. 1. c. p. p.* 381. LVNIG. *A. J. part. ſpec. ſect. IV. membr. 1. p.* 263. DATT. *vol. nov. rerum German. p.* 722. CORPS DIPLOM. *du droit des gens tom. 1. p.* 280.

Arelatenſe & Delphinatum agnoviſſe. Nec vero hi curaſſent ſibi poſſeſſionis ſuæ jura confirmari per cæſares, niſi utique agnoviſſent, plenum jus ſibi nequaquam competere.

20. Num Caroli ſexti ſucceſſores Galliæ reges ab imperatoribus noſtris curaverint eodem ſibi modo caveri, equidem neſcio. Obſervo tamen in tabulis Caroli VII. ut & in annalibus Ludovici XI. ſtudioſe Delphinatum a regni Galliæ provinciis ſemper diſtinctum eſſe, ſecus quam poſtea fieri ſolitum. Saltim itaque his etiam regibus fuit agnitum, non Regio, ſed ſingulari alio aliquo jure Delphinatum poſſideri, nec poſſe illum in corpus regni Gallici jure coaleſcere. Æque olim provinciæ comitatus a Gallico regno diviſus fuit, utpote qui in patrimonio fuerit Siciliæ regum ad Joannam usque reginam, inde ad *Andegavenſes* (a) translatus, demum Ludovico XI. regi *a Renato Andegavenſi* (b) fuit donatus. Etiam ille itaque hactenus non potuit regni Gallici provinciis accenſeri, nec eſt accenſitus.

21. Interea vero usque ad noſtra hæc tempora, perpetuo, archiepiſcopis Trevirenſibus, nullo Gallicorum regum adverſante, archicancellarii per regnum Arelatenſe titulus ſolennis fuit: atque ita ſaltim perpetua ac ſolennis quidem memoria manſit jurium imperii, imo illa tantum non ſemper quaſi renovata eſt. De Friderico etiam III. cæſare illo ſæpius laudato loco Goldaſtus ita ſcribit: *Mir iſt nicht weiters eröffnet und bekant, denn daß Anno 1444. Kayſer Friderich, als die Eyd-Genoſſen die Stadt Zürich belägert, ließ Ludwig den Delphin aus Franckreich, als den Heiligen Reich Verwanten und* Vicari, *aufmahnen, und zur Hülff und Entſchüttung der belagerten Stadt des Reichs zu Arles begehren.* In cæſaris Maximiliani querelis ſuper injuria Gallorum, frequens fit mentio, per injuriam denegati imperii homagii, Delphinatus & regni Arelatenſis nomine. *Delphinatum eſſe imperii terram,* (verba ſunt Chifletii in vindiciis Hiſpanicis pag. 123.) *aſſeruit ſeculo præterito Carolus V. imperator. Cum enim apud Likercanum, Lombeca vicecomitem, ejus legatum, FRANCISCVS I. Franciæ rex conqueſtus fuiſſet, quod cæſar marchionem Saluciarum in judicium vocaſſet, quem rex cauſa Delphinatus aſſerebat eſſe vaſallum ſuum; ſcripſit Likercano Carolus imperator, literis datis in Aſtenſi civitate XIIX. Junii anni MDXXXVI. dictum marchionem vel ex ipſa Franciſci regis confeſſione eſſe imperii clientem, cum certum eſſet, terram Delphinatem pendere ab imperio: addens inſuper, a Franciſco rege ducem Sabaudiæ injuſte bello laceſſiri, qui & princeps imperii & cæſareæ majeſtatis vaſallus eſſet.*

22. Quid poſtea pro imperii juribus ſit geſtum, non ſatis mihi eſſe exploratum, fateor. Itaque etſi ſecure fortaſſis pronunciare poſſim; hactenus nullo aperto conſenſu ſive cæſaris alicujus, ſive imperii, ea, quæ Galliæ reges hodie in Burgundico regno poſſident, imperii juribus ſubducta eſſe; num tamen non per neglectum & ſilentium noſtrum iis aliquid detractum ſit, & longi temporis *præſcriptione* (c) illa perierint, aliis rerum imperii peritioribus dijudicandum relinquo. Certe, ſi præ-

(a) *Andegavenſes*) GöBEL. Joanna Neapolis regina Ludovicum I. anno 1350. adoptavit. Hic, *Durazio*, qui Joannam captam vita privaverat, a palatino quodam Hungariæ interfecto, anno 1385. (1386.) in provinciæ poſſeſſionem miſſus eſt. *Hiſtoire de Bourgogne par du CHENE lib. 4. c. 61. MEZERAI abregé chronol. tom. 3. p.* 131.

(b) *A Renato Andegavenſi*) GöBEL. Hic inconſtantiæ deditiſſimus, alternis vicibus Ludovico XI. Galliæ regi & Mayenæ comiti fratris filio terras ſuas deſtinavit; unde diverſa ſunt ejus enata teſtamenta & donationes. Donationis inſtrumentum, quo Ludovico provinciæ comitatum addixerat, aureis conſcriptum literis, ipſum impedire non potuit, quo minus omnes ſuas terras, excepto Barrenſi ducatu nepoti ex filia relicto, in Mayenæ comitem anno 1474. tranſtulerit, a quo deinde cum aliis ejus terris per teſtamentum ad Ludovicum anno 1481. delatus eſſe, dicitur. MEZERAI *abregé chronologique tom. 3. p.* 326. 327. 346. Quasnam hic artes Ludovicus XI. adhibuerit, ex PETRO SAXIO conſtat. Curavit etiam ſibi a Margaretha, Henrici Angliæ regis conjuge, jus in provinciam donari. Diploma eſt in LEONARDI *collect. tractat.* Unde colligere licet, Ludovicum ſucceſſionem fœmininam in provinciæ comitatu, quæ Arelatum, quam veteres Momilianam vocabant, caput habuit, agnoviſſe. Atque ſic tacite, notante etiam KNESBECKIO, Jolanthæ alius Renati filiæ, Friderico Lotharingiæ duci nuptum datæ, ſuccedendi jus competere faſſus eſt; quæ tamen, ut primogenita, Margarethæ præferenda fuiſſet. Opinatur quidem AMELOT DE LA HOUSSAIE *in notis ad Caroli Andegavenſis teſtamentum*, in gratiam Ludovici XI. ut monui 1481. conditum, domum Lotharingicam jus ſuum in Carolum Burbonicum tranſmiſiſſe: Sed hoc a veritate abhorrere, ex eo pateſcere videtur, quod inter articulos cæſaris legatis, Monaſterii cum Gallicis de pace agentibus, a Lotharingo tranſmiſſis, & hic ſit: *Denique ſalva ſint duci & ſucceſſoribus jura ac prætenſiones in ducatus Bretagne & Anjou nec non comitatus provinciæ* &c. Vid. *arcana pacis Weſtphal.* De cetero cum circa Arelatenſis regni terras non una occurrant teſtamenta, quæ tamen ex capite deficientis facultatis teſtandi, nulla eſſe dicta, in annalibus aut diplomatibus non reperitur. Inde colligunt, feuda illa Francica & hereditaria fuiſſe.

(c) *Præſcriptione*) GöBEL. Ex variis auctoris noſtri locis conſtat, ipſum per præſcriptionem longi & longiſſimi temporis illam, quæ hominis memoriam excedit, intelligere. Verum nec hæc juribus imperii in Arelatenſe regnum officit, quoniam iſta præſcriptio ſæpiſſime ab imperatoribus noſtris proteſtationibus realibus & verbalibus interrupta eſt, & continuata ſerie per capitulationes cæſarum & conſtitutiones archicancellarii interrumpitur. Neſcio, quare LVDWIGIVS ita nauſeet ad argumentum ab archicancellario deſumtum. Quis enim crederet, principem, qui academicum habere cancellarium pergit, ipſam academiam habendi animum depoſuiſſe. Porro ipſi Galli contendunt, inter gentes liberas nullum præſcriptionem habere locum. *Quod* autem *quisque juris in alium ſtatuere molitur, ut ipſe eodem utatur jure, neceſſum eſt.* Nec omitti debet, cujus KNESBECK commeminit, reges Galliæ in diplomatibus apud PETRVM SAXIVM ſe non reges, ſed *Arelatenſes dominos* vocare. Si Caroli V. expeditio in provinciæ comitatum, aut etiam illa, quam in nupero bello confœderati in eum moliti ſunt, proſperum habuiſſet eventum, contingere potuiſſet, ut juri noſtro & poſſeſſioni civili poſſeſſio naturalis addita fuiſſet. Carolo V. omnino animum fuiſſe, Hiſpaniæ in provinciam dominium utile, & imperio dominium directum, vindicandi, fide dignis comprobatum habemus documentis. Vid. *La reponſe de l'empereur Charles V. à l'apologie contre le traité de Madrit*, apud SANDOVAL *p.* 772. DV PVY *des droits du Roy de France ſur pluſieurs etats.* Ceſſerat enim quoque Conneſtabilis Burbonius imperatori jus ſuum, quod in provinciam ex teſtamento Annæ Franciccæ, in quam jus ſuum Renatus dux Lotharingiæ tranſmiſerat, nactus erat. *Diſcours hiſtorique des traités p.* 87. quanquam ſint, qui aſſerant, Carolo V. animum fuiſſe, Borbonium provinciæ regem creandi. Quod autem in tractatibus pacis Madritenſibus de eo actum, ut Franciſcus imperatoris & imperii domi-

ſi præſcriptionis titulo non poteſt, nullo forte jure rex Galliæ, ſaltim ſummam poteſtatem, ſibi poterit vindicare. Et vero jam ſupra audivimus Thuanum ipſum fatentem, non obſtitiſſe hactenus diuturnam regum poſſeſſionem, quo minus more priſco ripa Rhodani ulterior imperio a vulgo adjudicetur. Sed & prudentiores nonnulli Gallicorum ſcriptorum, vi veritatis adacti, infirmitatem regiorum prætextuum, non auſi ſunt diffiteri. In hiſtoria vitæ Nicolai Fabri Pereskii l. 4. Petrus Gaſſendus de *Petri Saxii* (a) opere, cui titulus: *Pontificium Arelatenſe*, hæc notavit, digna quæ a nobis etiam heic commemorentur. *Tandem legit per id tempus* Peireskius, *quod tum e prælo primum prodibat, Arelatenſe pontificium, auctore Petro Saxio ejus eccleſiæ canonico. Plurimum vero fuit indignatus, quod ille, ſtudio neſcio quo affectaſſet elevare principum noſtrorum jura, & non modo non repoſuiſſet, quæ opponi poterant, ſed interdum etiam tentaſſet præter fas illa enervare. Quamobrem non interquievit, donec placito curiæ evulgatio libri prohibita fuit.* Hæc ille: quæ ſimul nobis poſſunt certo eſſe argumento, plura ejusmodi proditura forte in lucem Gallicis auctoribus, ſi vis abeſſet. Oliverium Marcanum diſerte ſcribere, Breſſiæ comitatum *terram imperii eſſe*, teſtatur Chifletius in vindiciis Hiſpanicis. Is qui clariſſimo Chifletio ſeſe oppoſuit, Gallicarum partium vindex Jacobus Alexander Tenneutius, in Aquitanico vectigalium ſenatu conſiliarius regius, extremum finem partis ſecundæ, *Veritatis* quam appellat *vindicàta*, hiſce verbis claudit: *Idem ſane dicendum ad ea, quæ de imperatoris jure in varias jamdiu a regibus noſtris poſſeſſas ditiones, temere effutiit Chifletius. Præterquam enim quod illas legitime ad eos perveniſſe facile oſtendi poteſt, etiamſi ab iis primum injuſte occupatas fuiſſe conſtaret; optimo tamen jure jamdudum ab iis poſſideri, nemo inficiabitur, propter varia nimirum inter ipſos & imperatores inita pacta (præcipue autem Monaſterienſe nuperrimum) quibus omnes inter eos controverſiæ, non modo utrinque ſopitæ, ſed & penitus deciſæ & definitæ fuerunt, aureaque pax ſummi numinis beneficio, verbis, ſcriptis, factis, perfecte ſtabilita firmataque tandem eſt.* Hæc omnia Tenneutius, vir multæ eruditionis & acerrimi judicii. Etſi vero dicat ille: *facile oſtendi poſſe* legitimam poſſeſſionem regum; facile tamen apparet, illum multo potius ad præſcriptionem & nuper initæ pacis leges (quæ tamen *non loquuntur* (b) de Arelatenſibus aliisque id generis) provocare, quam illis *oſtenſionibus*, quibus popularium ſuorum plerique vulgo nituntur, fidere.

23. LONGE manifeſtiore titulo, poſteaquam ſane ita convenit, poſſident plena omnia majeſtatis jura Galliæ reges, quæ ipſis cæſar & imperii ordines *in Alſatia* (c) ceſſerunt. Fuit & illa regio,

nium directum in terras Burgundici regni recognoſceret, PVTEANVS *l. c. p.* 342. docet. In apologia conventionis hæc leguntur: *Provinciam Phocenſem non antiquam Francorum regum, ut comminiſcimini patrimonium, ſed ad cæſarem imperii jure ſpectantem, aggreſſi ſumus.* Falſiſſimum igitur eſt, quod BLONDELLVS *in præfat. apologetica* habet; Gallum jure coronæ & proprietatis regnum Arelatenſe poſſidere.

(a) *Petri Saxii*) *C. A. M.* Fuit Arelatenſis & ſcripſit librum, qui hic citatus, ſed proſcriptus eſt.

(b) *Non loquuntur*) GöBEL. Cum rege enim Galliæ non ut regni Arelatenſis detentore, aut de partibus ejus in Weſtphalica & ſubſequentibus pacibus actum eſt. Nam hoc regnum ſollicite ſemper ab aliis Galliæ terris diſtinctum eſt. Atque ita ſilentium imperatoris & imperii in pacis tractatibus, de reſtituendo hoc regno nullum juſtæ Germanorum in terras Arelatenſes prætenſioni inferre poteſt damnum.

(c) *In Alſatia*) GöBEL. Deceſſerunt enim domus Auſtriaca, imperium & imperator *Briſaco*, quod ad imperium reverſum eſt, landgraviatu ſuperioris & inferioris *Alſatiæ*, *Suntgovia*, præfectura provinciali *decem civitatum* imperialium in Alſatia ſitarum, omnibusque pagis & aliis quibuscunque juribus, quæ a dicta præfectura dependent. *Inſtr. pacis Gallico-Weſtphalic. §. 73. ſeqq. §. 79. 80.* Quamquam ceſſionem civitates illæ decem præfecturæ, quæ Hagenuenſis dicitur, ægre admodum tulerint, jusque illud in alium ſe invitis transferri non poſſe monuerint. PFANNERI *hiſtor. pacis Weſtph. lib. 4. §. 60.* LONDORP. *act. publ. tom. 6. lib. 3. c. 45.* Haud dubie civitates illæ divinarunt, de ſua deinde libertate actum fore. Tametſi enim *art. 87. ſequentibus* juribus ſuis cautum: *Teneatur rex chriſtianiſſimus non ſolum epiſcopos Argentinenſem & Baſileenſem, cum civitate Argentinenſi, ſed etiam reliquos per utramque Alſatiam Romano imperio immediate ſubjectos ordines, abbates Marbacenſem & Luderenſem, abbatiſſam Andlovienſem monaſterium in valle S. Gregorii Benedictini ordinis palatinos de Luzelſtein, comites & barones de Hanaw, Fleckenſtein, Oberſtein totiusque in terris Alſatiæ nobilitatem item prædictas decem civitates imperiales, quæ præfecturam Hagenauenſem agnoſcunt, in ea libertate & poſſeſſione immedietatis erga imperium Romanum, qua hactenus gaviſæ ſunt, relinquere, ita, ut nullam ulterius in eo regiam ſuperioritatem prætendere poſſit, ſed iis juribus contentus maneat, quæ ad domum Auſtriacam ſpectabant, & per hunc pacificationis tractatum coronæ Gallicæ ceduntur; ita tamen, ut præſenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de eo omni ſupremi dominii jure, quod ſupra conceſſum eſt.* Attamen hæc ſatis liquida verba, quibus ordinum declaratio Galliæ regi tranſmiſſa majus adhuc addidit lumen, regem chriſtianiſſimum in libertatem civitatum illarum aliquid audendi, avertere non potuerunt. Etenim illas homagium ſibi præſtare anno 1662. jubebat, ſibique de omnibus eccleſiaſticis & civilibus negotiis diſponendi, nec non militaris præſidii imperandi, hoſpitationum & muniendi jus competere, palam profitebatur. Cumque civitates, talia jus præfecturæ non complecti, docerent, & in comitiis de injuſtis Gallorum auſibus conquererentur, imperium Germanicum querelas ſuas hac de re Gallicæ inſinuari curavit aulæ. Quibus factum, ut Gallico regi in ſpeciem placuerit, cauſam illam arbitris permittere. Vide regis Galliæ epiſtolam ad imperii ordines de anno 1665. apud OBRECHTVM in *prodr. rer. Alſat. p.* 160. Arbitrorum nomina recitat DN. SCHWEDERVS *in theatro prætenſionum p.* 53. Habiti ſunt hunc in finem conventus quidam Ratisbonæ in Moguntini, quem Gallus inter arbitros eſſe voluit, ædibus: ſed fruſtranei fuerunt. Videtur Gallus ordines imperii vana ſaltem lactaſſe ſpe, ne bello, quod pacem Aquisgranenſem antecedebat, ſe immiſcerent. Accedebant *motus Wildfangiatus*, quibus ordines in partes diſtrahebantur, & tandem bellum, quod Belgio unito exitium minitabatur. Hoc per pacem Neomagenſem finito, Galliarum rex *reunionum*, ut ajunt, *cameras Briſaci & Meti* inſtitui curavit, quæ multas alias terras, quas olim ad territoria ceſſa ſpectaſſe dicebantur, regi addicebant. Ea inter Briſacenſis cameræ molimina hoc erat præcipuum, quod immediatam nobilitatem & decem illas liberas civitates regi ſubeſſe debere ſtatueret; nec alia Argentoratum manere debere fata muſſitabant. PVFFEND. *rer. Brand. lib. 18. §. 13.* LONDORP. *tom. 9. act. publ. lib. 10. c. 205.* & liber, cui titulus: *Nullitas iniquitasque reunionis Alſaticæ.* Quo clariora jam inſtrumenti pacis Weſtphalicæ ſunt verba, quod Gallo nihil deberet eſſe ceſſum, quam quod domus Auſtriaca habuit; jam vero hæc domus nec in nobilitatem illam, nec in decem illas liberas civitates ſuprema gaviſa eſt poteſtate, igitur etiam hæc ad Gallos devolata eſſe nequeunt. Deinde additum adhuc, quod priſtinam ſuam retinere deberent libertatem. Et hæc verba reſtrictiva ſpecialia ſatis indicant, in quem ſenſum generalia illa, *cedunt omnibus juribus, proprietatibus, do-*

regio, ſaltim magnam partem, olim *portio* (+) Burgundici regni: itaque quid de illa cautum ſit, oportunum eſt hoc loco adjicere. *Tertio, imperator pro ſe totaque Sereniſſima domo auſtriaca, itemque imperium,*

miniis, poſſeſſionibus, ita tamen, ut præſenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de eo omni ſupremi dominii jure, quod ſupra conceſſum eſt; intelligi debeant. Quod autem ad reuniones attinet, eas nullo plane juſtitiæ innixas fuiſſe fundamento, ex eo apparet, quod in pace Weſtphalica non minus cæteris ſtatibus, quam civitatibus imperialibus *rata & intacta manere* jubeantur *regalia atque jura longo uſu ante motus belli germanici obtenta, poſſeſſa & exercita.* Cumque in hoc caput Galli in pacis negotio conſenſerint, irritæ ſunt quæſtiones, quæ illud apud OBRECHTVM *l. c. p. 159.* inſequuntur, quæ tamen omnes juxta æquitatis præcepta & juris publici Germanici regulas pro imperio reſolvi deberent. Et quanquam Gallici miniſtri, ut ad compromiſſum de *decem civitatibus* Neomtgi rediretur, inſtructionum defectum prætexentes, conſentire noluerint, ſæpiſſime tamen declararunt, regi ſuo animum eſſe, ut pax Weſtphalica ſarta tectaque maneret. COMES AVAVXIVS *in libello ordinibus fæderati Belgii generalibus anno 1678. exhibito* inquit: *Sa Majeſtè, declara alors* (in pacis propoſitionibus) *bien expreſſement, qu'à l' egard de l'empereur & de l' empire, elle demandoit le retabliſſement entier des traites de Weſtphalie, a l' exception ſeulement de l' alternatiue de Philipsbourg ou de Freibourg; ACTES & MEMOIRES des negotiations de la paix de Nimegue tom. 3. p. 290.* Imo ipſe articulus II. inſtrumenti pacis Neomagenſis hæc continet: *Et cum hac pax monaſterii Weſtphalorum 24. Oct. 1648. concluſa ſolidiſſimum hujus mutua amicitia tranquillitatisque publicæ fundamentum factura ſit, reſtituatur illa in omnibus & ſingulis ſuis partibus vigori manebitque in poſterum ſarta tecta tanquam ſi hic ejuſdem pacis inſtrumentum de verbo ad verbum inſertum legeretur, niſi quatenus eidem hoc tractatu expreſſe derogatum eſt.* Sed quam ſancta regi Galliæ fuerit pactorum fides, ex eo apparet, quod Neomagenſis pax menſe Februario 1679. concluſa, & menſe Novembre ejuſdem anni reunionum camera Meti erecta fuerit. Non inutile erit, acta quædam publica, non cuivis forte obvia, hic inſerere.

Sur la requeſte preſentée au Roy eſtant en Son Conſeil par Meſſieurs George d'Aubuſſon de la feuillade, an-,,cien ArchEvesque d'Ambrun, & preſentement Evesque de Mez, Jacques de Fieur, Evesque de Toul, & Jean Ar-,,mand de Mouchii d'Hucquincourt, Evesque de Verdun, ,,tant pour eux, que pour le Clergé ſeculier & regulier ,,de leurs egliſes, contenant, qu'Ils ont eu advis, que le ,,Procureur general du Parlement de la Chambre des ,,comptes de Mez vouloit faire Saiſir les revenus tem-,,porels de leurs Eveschéz & du Clergé Seculier & regu-,,lier de leurdits Egliſes de Mez, Toul & Verdun, & ,,faute d'avoir par eux fait repriſe de Sa Majeſté des ,,biens & droits temporels, dependans de leurs Egliſes & fourny a la Chambre des Comptes les aveus & denom-,,bremens, contenans bien particulierement tous les biens ,,& droits, dont eſtoient compoſés lesdites trois Eve-,,ſchez & Clergé, bien qu'il leur ſoit impoſſible pour le ,,preſent de fournir lesdits aveus & denombremens, à ,,cauſe du mauvais uſage, que leurs predeceſſeurs, Eves-,,qués & Clergé de Mez, Toul & Verdun ont fait des ,,biens & droits dependans de leurs Egliſes, cequi fait, ,,qu'il s'en faut beaucoup, qu'Eux & leur Clergè ne jouis-,,ſent à preſent des biens & droits, qui leur appartien-,,nent, les quells Ils ont tellement negligé, que depouis ,,pres de Cent ans ils onteeſſé de faire repriſes aux Vaſſaux ,,des dites Egliſes, des biens & droits, qu'Ils en detien-,,nent, & de contraindre ceux, qui en jouiſſent à titre ,,d' engagement, d'eschange, ou par l' uſurpation, de ,,les descharger au profit de leurs Egliſes, & d'obliger ,,leurs vaſſaux a Se rendre en leur Cour, & y exercer ,,la juriſdiction feudale de leurs Egliſes, en laquelle ju-,,riſdiction feudale Ils ne pourroient meſme les pou-,,voir, quand elle ſeroit reſtablie, d'autant, qu'il n'y a ,,pas un de leurs Vaſſaux, dont les fiefs ne Soyent com-,,mis de druit faute par eux d' avoir fait repriſes de ,,leurs Egliſes des biens & droits, qui en dependent; ,,ainſi qu'ils y eſtoient obligéz à chacqune mutation, ,,enſorte qu' ils ſoyent juges departies en leurs cauſes. ,,Ce qui les oblige, d' auvoir recours à Sa Majeſté, com-,,me à leur Souverain & Protecteur de toutes les Egliſes ,,de ce Royaume, à ce qu'il lûy pleuſt, leur donner des ,,juges, par devant lesquels ils puiſſent faire aſſigner ,,tous les detenteurs des biens & droits dependans de ,,leurs Egliſes & Clerge, pour repreſenter & produire ,,les titres, & vertu desquels ils pretendent, avoir droit ,,de jouir desdits biens & droits, ſi non & à faute de ,,le faire dans le temps preſcrit, par les ordonnances, ,,que lesdits bienr & droits ſeront reunis au DOMAI-,,NE de leurs Egliſes & Clergè, & que ce pendant il ,,plaiſe a Sa Majeſté, faire deffences audit Procureur ,,General, de faire contre eux & leur Clergé aucunes ,,pour ſuittes, faute par eux, de fournir à la Chambre ,,desdits aveus & denombremens, Seu ladite requeſte, ,,& tout conſideré Sa Majeſté eſtant en Son Conſeil à or-,,donné, & ordonne, qu'il Sera eſtably une Chambre ,,Composée d' un nombre d' officiers du Parlement de ,,Mez, qui Seront choiſy par Sa Majeſté, pour prendre ,,connoisſance des uſurpations & alienations faites ,,desdits biens & droits appartenans & dependans des-,,dites Egliſes & Clergé de Mez, Toul & Verdun, par-,,devant lesquels il Sera loiſible auxdits Evesques de ,,Mez, Toul & Verdun & à leur Clergé de proceder ,,contre ceux, qu'ils pretendent eſtre detenteurs des-,,dits biens & droits. Cependant à ſurſis & ſurſevit ,,toutes pourſuites, qui pourroient eſtre faites par ledit ,,Procureur General pour raiſon des dits aveus & de-,,nombremens, jusques à ce qu' autrement par elle en ,,ayt eſté ordonné. Fait au Conſeil d' Eſtab du Roy, Sa ,,Majeſtè y eſtant, tenu à St. Germain en laye le 23. ,,jour de mois d' octobre 1679. Signe le Tellier.

Louys par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce re-,,quis. Nous demandons & Commandons par ces pre-,,ſentes Signées de noſtre main, que l'arreſt ce jourd-,,huy donné en noſtre Conſeil d'eſtat nous y eſtant cy ,,attaché ſous le contreſeel de noſtre Chancellerie à la ,,requeſte de nos Amés & feaux Conſeilers en noſtre ,,Conſeil d' Eſtat, les Sieurs Evesques de Mez, Toul & ,,Verdun, tu ſignifie à tous qu'il appartiendra & faſſe ,,auſurplus pour l' entiere execution d'iceluy tous ex-,,ploits & autres actes requis & neceſſaires ſans pour ,,cé demander autre Congé ny permiſſion. Car tel eſt ,,noſtre plaiſir donné à St. Germain en Caye le 23. Jour. ,,du mois d' octobre 1679. Signe Louys, par le Roy & ,,plus bas le Tellier.

Louys par la grace de Dieu Roy de France & des Navarre, à nos ames & feaux, Thomas de Bragelogne ,,premier preſident en noſtre cour de parlement de ,,Mez, Francois Joabl-Bernard Geoſtry, Jean Morel, ,,Louys Fremin, Matthieu Andry Jean Batiſte Elie, ,,Pierre de Viellemur, Pierre l' Anglois, Francois Chaſ-,,faux, Nicolas d' Auburtin & Pierre Cogney, tous ,,Conſellrs. en noſtre dite Cour de Parlement Salut.

,,Ayant par l'arreſt cy attaché Sous le contreſeel de ,,noſtre Chancellier rendu en noſtre Conſeil d' Eſtat, ,,nous y eſtant le 22. octobr. dernier, ſur la requeſte, ,,qui nous avoit eſtè preſentée en ice luy par nos amés ,,& feaux Georges d'Aubuſoh de la feuillade ancien Ar-,,chevesque d'Ambrun & preſentement Evesque de Mez, ,,Jaques de Fieux, Evesque de Toul & feu Jean Armand ,,de Moutry de Hocquincourt Evesque de l' Egliſe de ,,Verdun, tant pour eux que pour le Clergé ſeculier & ,,regulier desdites Egliſes, & pour les cauſes & conſi-,,derations portees par ladite requeſte ordonné, qu'il ,,ſera eſtably une Chambre Compoſée d'un nombre ,,d' officiers de noſtre dite Cour de parlament de Mez, ,,qui Seront par nous Choiſis pour prendre connois-,,ſance des uſur, pations & alienations faites des biens & droits appartenants & dependans desdites ,,Egliſes & Clergé de Mez. Toul & Verdun par de-

imperium, cedunt omnibus juribus, proprietatibus, dominiis, poſſeſſionibus ac jurisdictionibus, quæ hactenus ſibi, imperio & familiæ Auſtriacæ competebant in oppidum Briſacum, landgraviatum ſuperioris & inferioris Alſatiæ, Suntgo-

,,par devant leſquels il ſera loiſible aux dits Srs. Eveſques et á leur Clergé de proceder contre ceux qu'ils ,,pretendent eſtre detenteurs deſdites biens & droits, ,,ainſy qu'il eſt plus particulierement porté par ledit ,,arreſt, & deſirant en execution d'iceluy commettre des ,,juges de noſtre dite Cour le Parlement de Mez, pour ,,compoſe, ladite Chambre, Nous avons eſtimé ne pouvoir faire un mellieur choix que de Vous à ces cauſes & autres à ce nous mouvans, nous vous avons ,,commis, ordonnées & deputés, & par ce preſentes Signées de noſtre main commettons, ordonnons & deputons pour toùs enſemble où au ,,moins au nombre de cinq, en l'abſence, maladie ou ,,legitime empeſchement des autres, juger en dernier ,,reſſors, & ſans appel tous les proces & conteſtations & à mouvoir par leſdits Eveſques & Clergé ,,pour raiſon des droits, terres & Seigneuries, faiſants ,,partie des biens temporels deſdites Egliſes Eveſchés ,,& Clergé de Mez, Toul & Verdun engagés & uſurpés ,,circonſtances & dependances d'iceux, dont la Souveraineté nous appartient à cauſe des traittes de Munſter, ,,en quelques lieux que le dits biens, droits, terres & ,,Seigneuries ſoyent aſſis & ſitués: vous en attribuant ,,à cette fin toute la Cour juriſdiction & connoiſſance ,,d'jcelle inter diſant & deffendant a tous nos autres ,,Cours & juges. Et parce qu'il eſt neceſſaire, qu'en ,,ladite Chambre & Commiſſion il y ayt un Procureur ,,general, qui puiſſe pour nous & le public conclure ,,& faire en noſtre nom toutes les requiſitions, qu'il ,,adviſera bon eſtre. Nous avons pour ces effet commis, ,,& commetons par ces dites preſentes, noſtre amé & feal ,,Roland Ravaulx auſſy Conſeiller audit Parlement de ,,Mez, auquel nous donnons pouvoir de prendre pour ,,Subſtitus perſone que bon luy ſemblera, pour en cas ,,de maladie ou autres legitimes empeſchemens dudit ,,Ravaulx l'employer aux dites fonctions. Et pour ,,Greffier en ladite Commiſſion, nous avons commis & ,,commettons Jacques oudart Advocat au dit Parlement, ,,voulons auſſy que les Advocats & Procureurs dudit ,,parlement, qui ſeront choiſy par ledit Sr. Ravaulx puiſſent en ladite Commiſſion occuper pour les parties, ,,& pour Huiſſier ceux qui ſeront commis par noſtre ,,dit Procureur General en i celle. Et affinqu'il y ayt ,,un lieu certain, où ceux qui ſeront aſſignes par devant vous puiſſent comparoiſtre, Nous voulons & entendons, que vous aſſemblies & teneres voſtre Seance ,,en l'hoſtel commun de noſtre dite Ville de Mez où autres lieux, qui ſeront eſtimes à propos par vous, & ,,noſtre dit procureur general, aux jours & heures, que ,,vous & luy adviſerez & arreſterez. De ce faire nous ,,vous avons donné & donnons pouvoir, authorité, ,,Commiſſion & mandement ſpecial par ces dites preſentes, mandons & ordonnons à tous nos officiers & ,,Sujets, qu'il appartiendra, qu'à vous, en ce faiſant, Ils ,,obeiſſent & entendent ſans difficulté. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à St. Germain en Laye le 9. Jour ,,du mois de Novembr. l'an de grace 1679. & de noſtre ,,regne le 37. Signé Louys par le Roy & plus bas le ,,Tellier &c.

Extrait des Regiſtres de la Chambre Royale établie à Mez.

La Chambre a ordonné & ordonne, qu'il ſera mis ſur les lettres, ſous le Contreſéel deſquelles eſt l'arreſt ,,donne par le Roy eſtant en ſon Conſeil, quelles ont ,,eſte leûes, publiées & regiſtrées, pour le tout eſtre ,,executé ſuivans la forme & tenneur ouye, & ce requerant le Procureur general du Roy copies tionées ,,envoyes au preſidial de Sedan Conſeil provincial ,,d'Alſace Baillages, prevoſtes & autres juriſdictions ,,Civiles & feudales des Seigneuries dependantes des ,,principautés ou ſituées dans l'eſtendue des dioceſes ,,des Egliſes de Mez, Toul & Verdun, dont l'Empire a ,,cedé la Souverainité à Sa Majeſté par le traitté de Munſter, Confirmé par celuy de Nimegue, meſme par tout ,,ailleurs ou beſoin ſera, pour y eſtre auſſy leûes, publiées regiſtrées, affichées & executées, Enjoint aux ,,Subſtituts du procureur general du Roy d'y tenir la ,,main, & en certifier la Chambre au mois; fait en la dite ,,Chambre le 11. jour du mois de Decembr. 1679. Signe ,,Oudart.

,,Lû, publié & affiché par moy premier Huiſſier en ,,la Chambre Royale &c.

L'an mil Six Cent, quatre vingt, le ſixieme jour du mois de Janvier à la requeſte de Monſ. George d' ,,Aubuſſon de la Feuillade, ancien Arch Eveſque de Mez, ,,qui a eleu ſon domicile en ſon palais Epiſcopal audit ,,Mez, & d'abondant au logis de Monſ. Louys, Loucon ,,Advocat en Parlement, demeurant à Mez, rue Chapliere ,,par Viſſe de St. Martin qu'il a conſtitué, pour occuper ,,pour luy. Je ſoubſigne Claude de Vardavoine, commis ,,par Monſgr. le Procureur General en la Chambre Royale, ,,eſtablie à Mez pour premier Huiſſier en la dite Chambre, certifie m'eſtre expres tranſporté à Cheval au ,,lieu de Deuxponts, diſtant de la ville de 24. lieues, où ,,eſtant, J'ay donné aſſignation au pretendu Seigneur de ,,la terre & Seigneurie de la dite comté de Deuxponts ,,appartenances & dependances d'icelle, en parlant à ,,George Muller baillif pour le pretendu Seigneur au ,,domicile du dit George Muller, auquel j'ay enjoint ,,de le faire ſcavoir, affinq il ne s excuſe à cauſe d ignorance à eſtre & comparoiſtre le premier jour du mois ,,de mars prochain venant par devant nos Seigneurs les ,,commiſſaires deputés par Sa Majeſté par la declaration ,,du 9me Novembr. dernier devans aud. Mez au lieu ,,& heure deſtinée tenir leurs aſſemblées, pour repreſenter & exhiber les titres & papiers Juſtificatifs, en ,,vertu deſquels led. pretendu Sgr. du dit Comté de ,,Deuxponts à preſent Duché, appartenances & dependances d'icelle pretend avoir droit d'en jouir, ſi non ,,& faute de ce faire voir eſtre ordonné, que ledit Comté de Deuxponts avec ſes appartenances & dependences ſeront & demeureront au Domaine de l'Egliſe de ,,Mez, Comme faiſant partie de ces anciens Domaines & ,,uſurpés ſur i celle, Ce faiſant que ledit pretendu Sgr. ,,de ladite terre & Comté de Deuxponts à preſent Duché ,,avec ſes appartenances ſera condamné à reſtituer à ladite Egliſe les fruits qu i l'en a receu ou deû recevoir, ,,depuis ſon injuſte detention & aux depens, dommages ,,& Intereſts de la dite Egliſe, ſans prejudice au Seigr. ,,Eveſque et à Son Clergé de prendre telles autres & ,,plus amples concluſions, qu ils trouveront eſtre à faire ,,cy apres contre ledit pretendu Seigneur, au quel parlant comne deſſus, j'ay laiſé copie, tant du preſent exploit, que de l'arreſt du Conſeil du 23. Octob. dernier, , commiſſion ſur iceluy du meſme jour de la declaration du 9me Novembr & de l'enregiſtement & publication d'icelle du 11. Decembr dernier attaché avec les ,,preſentes, l'intimation, l'Edit du Controlle notifié le ,,tout en preſence du Sr. Simon Prevoſt, & Juge Royal ,,à Cierck, & de Jean Nicolas Kirchhans Soldat de Sarbourg y demeurant ces moins, qui ont Signé avec ,,moy ſur la preſente Copie & ſur mon original le jour, ,,mois & an ſusdit.

Simon Kirchhans,

De Verdavoine,

Louys par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, au premier Huiſſier de noſtre conſeil. Comme ce ,,jourd huy a eſté remonſtré par noſtre procureur general audit Conſeill, qu'il auroit eu advis, que pluſieurs ,,villages dependans de la prefecture Royale de Hagenaw en ont eſté diſtraits & uſurpés par des Seigrs. voiſins, qui ſe en ſont emparés & en jouiſſent preſentement ,,ſans autre titre que celuy d'une bienſeance, qui n'eſt ,,pas ſuffiſante pour authoriſer une poſſeſſion de cette nature cequi nous faiſoit prejudice, requeroit à cet effet ,,commiſſion luy eſtre decernee pour faire appeller en ,,noſtre dit conſeil tous les pretendant poſſeſſeurs & detenteurs des dit villages, pour voir reconnoiſtre la ,,juriſdiction de la dite prefecture Royale de Hagenaw

,,de deſiſter de la poſſeſſion & jouiſſance des dits vil-
,,lages avec reſtitution des fruits depuis la dite uſurpa-
,,tion, pour eſtre reunis à ladite prefecture Royale d'
,,Hagenaw à nous cedée, par le traitté de Weſtphalie,
,,comme en dependant, ce que noſtre dit conſeil luy au-
,,royt octroyé à ces cauſes demandons & commitons,
,,d' aſſigner à jour certain en noſtre dit conſeil, comme
,,Juge naturel & competant du preſent different, tous
,,les poſſeſſeurs & detenteurs des dits villages de la pre-
,,fecture de Hagenaw, de quelque qualité & condition, qu'
,,ils ſoyent, pour repondre aux concluſions de noſtre-
,,dit procureur general; ce faiſant ſe voir condamner, de
,,deſiſter des dits villages ainſy par eux uſurpés nous en
,,laiſſer la poſſeſſion & jouiſſance avec reſtitution des
,,fruits depuis la dite uſurpation, & proceder ainſy.
,,Car tel' eſt noſtre plaiſir. Donné à Briſac le 2. Jan-
,,vier l' an de grace 1680. & de noſtre regne le 37. par
,,le conſeil. Signé Bourdelet, avec paraphe & ſcellé du
,,grand Seau.

L' an mil ſix cent quatre vingt, le dix huictiéme Jour
du mois de Janvier en vertu de la commiſſion don-
,,née par nos Seigrs. du conſeil ſouverain d' Alſace du
,,2me du preſent mois. Nous ſouſignés faiſant les
,,fonctions de prevoſt general de la haute & baſſe Alſa-
,,ce, & d' Huiſſier dudit conſeil, nous ſommes trans-
,,portés dans la ville de Berg Zabern, ou eſtant & par-
,,lant aux officiers des baillages & villages dans la reſi-
,,dence de Berg Zabern, où nous avons bien & deue-
,,ment aſſigné & donné aſſignation au Seigneur proprie-
,,taire & à tous les habitans des villes, baillages & vil-
,,lages cy aprés nommes ſcavoir de Berg Zabern, Ca-
,,pel, Horbach, Thiernbach, Partarot, Obernhau-
,,ſen, Truchweiler, Alberweiler, & Querichheimbach,
,,à eſtre & comparoiſtre dans le mois à Briſac par de-
,,vant nos dits Seigneurs dudit conſeil, pour répondre
,,aux fins de la commiſſion, dont copie eſt d' autre part,
,,afinqu' ils n' en ignorent, luy ay laiſſé copie tant de
,,la commiſſion, que de mon preſent exploit. Fait au dit
,,lieu le jour & an ſusdit. En preſence de Joſeph Boi-
,,chot Archer de la Mareſchauſſée & de Jean Pfaure, Huiſ-
,,ſier du billage de Weiſenbourg &c.

Blanſire.

L' an mil Six cent quatre vingt, le huictieme jour du
mois de Janvier à la requeſte de Mons. George d'
,,Aubuſſon de la Fevillade ancien Arch Eveſque de
,,Mez, qui a eleu ſon domicile en ſon palais epiſcopal
,,de Mez, & d' abondant au logis de Mons. Louys
,,Laucon, advocat au parlement demeurant à Mez, rue
,,Chapliere, paroiſſe St. Martin, qu' il a conſtitué
,,occuper pour luy. Je Soubſigné Claude de Verdavoi-
,,ne commis par Monsgr. le procureur de la Chambre
,,Royale eſtablie à Mez pour premier Huiſſier de la dite
,,Chambre, certifie m' eſtre expres transporté à Cheval
,,au lieu de Lichtenberg diſtant de ladite ville 45. lieües,
,,ou eſtant. J' ay donné aſſignation au pretendu Seigr.
,,du dit Comté de Hanaw Lichtenberg appartenances &
,,dependences d' icelles, en parlant au Valentin Marſtal,
,,Receveur general pour ledit pretendu Seigneur au do-
,,micile dut dit Marſtal Valentin, auquel j' ay enjoint de
,,le faire ſcavoir, affinqu' il rien pretende cauſe d'
,,ignorance, à eſtre & comparoiſtre le premier jour du
,,mois de Mars prochain, venant par devant nos Seigneurs
,,les commiſſaires deputéz par ſa Majeſté par ſa decla-
,,ration du neufiéme Novembre dernier devant ou au dé
,,dans Mez au lieu & heure deſtinée tenir leur aſemblée
,,pour repreſenter & exhiber les titres & papiers juſtifica-
,,tifs, en vertu deſquels ledit pretendu Seigr. du ſuſdit
,,Comte de Hanaw-Lichtenberg appartenances & depen-
,,dences d' icelles pretend avoir droit d' en jouir, ſi
,,non & faute de ce faire, voir eſtre ordonné, que la-
,,dite terre & Comté de Hanau-Lichtenberg avec les ap-
,,partenances ſeront & demeureront reunies au domai-
,,ne del' egliſe de Mez, comme faiſant partie de ſes an-
,,ciens domaines & uſurpés ſur icelle; ce faiſant que le-
,,dit pretendu Seignr. de la dite terre de Lichtenberg avec
,,ſes appartenances & dependances ſera condamné, à re-
,,ſtituer à ladite egliſe, ſans prejudice au Sgr. Eveſque
,,& à ſon clergé, de prendre telles autres & plus amples
,,concluſions, qu' ils trouveront eſtre à faire cy apres
,,contre ledit pretendu Seigneur, auquel parlant comme
,,deſſus, J' ay laiſſé copie tant du preſent exploit, que
,,del' arreſt du conſeil du 23me Octobre dernier, com-
,,miſſion ſur iceluy du meſme jour de la declaration du
,,9me Novembr. & de l' enregiſtrement & publication
,,d' icelle du 11. Decembre dernier attachez avec ces
,,preſentes l' intimation de l' edit du controlle, notifie le
,,tout en preſence du ſieur Simon prevoſt & de Jean
,,Kirchhans, Soldat de la Garniſon de Saarbourg y do-
,,meurant temoins, qui ont ſigné avec moy ſur la pre-
,,ſente copie, & ſur mon original, le jour, mois & an
,,ſusdit.

Simon Kirchhans.

de Verdavoine.

Cumque Briſacenſis camera Metenſi, quæ epiſcopatui Metenſi comitatum Hanauic, Lichtenberg, & Palatinatum Bipontinum vindicabat, in indicando vel potius promulgando reunionis edicto, nollet eſſe inferior, regi Argentoratum ut Alſatiæ acceſſorium adjudicavit. Id erat, quod *Lovoiſius archiminiſter Gallicus* Illirchæ, quo venerat poſtero die, ex quo *Monclaſius* Argentorati mœnibus Gallicum admoverat militem, Argentoratenſibus deputatis, quid hoc ſibi vellet rei, ſciſcitaturis, loquebatur. *Is ſolita cum ferocia*, inquit PVFFEND. rer. Brand. lib. XVIII. §. 21. *proponebat, regem velle, quæ ſibi pace Weſtphalica & Neomagenſi ceſſa ſint, penitus exſequi. Et quia tota Alſatia eidem attributa ſit, ſolum jam Argentoratum ſupereſſe, cui nunc deditio facienda ſit. Igitur adhuc ea veſpera hora quinta liquido reſponderent, num regis ſe arbitrio citra exceptionem dedere velint. Addebanturque graviores minæ.* Quo factum fuerit, ut deditio, ſuadente *Gunzelio* a Gallis corrupto, fieret. Civibus in ſpeciem conditiones concedebantur, quas petebant, niſi quod rex cathedralem ædem, velut a majoribus ſuis exſtructam, ſimul portas & armamentarium ſibi depoſceret: Vide deditionis leges in *appendice*, *quæ lib. IV. additionum* nomen fert, quibus junge librum, cui titulus *Mercure galand de l' ann. 1681. p. 323. ſeqq.* item LONDORP. *tom. XI. p. 16. ſeqq.* Indigne quidem imperium Galli ſub reunionum vocabulo occupationes ferebat, quod cæſarei legati ſcripto quodam Gallis exhibito publice teſtati ſunt. PVFFEND. *l. c.* §. 60. 68. Levidenſia Gallorum argumenta examinat auctor libelli, cui titulus: LE MICROSCOPE POLITIQVE, *par lequel la poſterité pourra decouvrir viſiblement les demarches, les intrigues & les moyens les plus cachés, dont le miniſtere de France ſe ſervit pour immortaliſer le regne de Louis XIV. p. 41. ſeqq.* Adde *reflexions politiques ſur le memoire du comte d' Avaux, offert aux etats generaux, touchant la priſe de la ville de Strasbourg.* Non dubito, quin Germania ad recuperanda abrepta & armorum ope uſa fuiſſet, niſi ingruens bellum Turcicum ſuaſiſſet, cum Gallo vicennales pangere inducias, quibus res in præſenti ſtatu relinqueretur, ſalvo tantiſper imperii jure. PVFFEND. *l. c.* §. 134. 135. LONDORP *tom. XI. lib.* 12. *c.* 45. Sed paucis annis elapſis, Palatina ſucceſſio novo bello occaſionem præbuit, quod Ryſwicenſi anno 1697. eſt terminatum pace. Conſtitutum quidem erat Germaniæ, nullam admittere pacem, niſi Argentorati aliorumque imperio abſtractorum reſtitutio fieret: verum Gallicæ effecere artes, ut Argentoratum in regis manſerit poteſtate; *Art. XVI. pacis Ryſwicenſis.* Vide FRITSCHII *notas ad pac. Ryſw. p.* 89. 90. 263. *ſeqq.* Atque hæc pax deinde per imperium rata habita eſt, quod ex concluſo communi de anno 1697. pateſcit. Poſtquam vero in nupero bello Gallorum res admodum fluctuarent, maxima Germaniæ enata erat ſpes, fore, ut optimum hoc propugnaculum, quod *Germaniæ clavem* vocare ſolent, recuperaretur. Et hoc inter articulos præliminares, qui

Turingbaim, omnesque pagos & alia quacunque jura, qua a dicta prafectura dependent, eaque omnia & ſingula in regem Chriſtianiſſimum regnumque Galliarum transferunt: ita, ut dictum oppidum Briſacum cum Villis Hachſtatt, Niederrimſing, Harten & Acharren, ad communitatem civitatis Briſacenſis pertinentibus, cumque omni Territorio & banno, quatenus ſe ab antiquo extendit, ſalvis tamen ejusdem civitatis privilegiis & immunitatibus ante hac a domo Auſtriaca obtentis & impetratis. Itemque dictus Landgraviatus utriusque Alſatia & Suntgovia, tum etiam prafectura provincialis in dictas decem civitates & loca dependentia, itemque omnes Vaſſalli, Landſaſſii, ſubditi, homines, oppida, caſtra, villa, arces, ſilva, foreſta, auri, argenti aliorumque mineralium fodina, flumina, rivi, paſcua, omniaque jura, regalia & appertinentia, absque ulla reſervatione, cum omnimoda jurisdictione & ſuperioritate, ſupremoque dominio, a modo in perpetuum ad regem Chriſtianiſſimum coronamque Gallia pertineant, & dicta corona incorporata intelligantur, absque caſaris, imperii, domusque Auſtriaca vel cujuscunque alterius contradictione. Adeo ut nullus omnino imperator aut familia Auſtriaca princeps quicquam juris aut poteſtatis in eis pramemoratis partibus cis & ultra rhenum ſitis, ullo unquam tempore pratendere vel uſurpare poſſit aut debeat. Sic tamen rex obligatus in eis omnibus & ſingulis locis catholicam ſervare religionem, quemadmodum ſub Auſtriacis principibus conſervata fuit, omnesque, qua durante hoc bello novitates irrepſerunt, removere.

24. Hactenus tabulæ publicæ: quarum ſententiam, quamvis gravem & imperii rebus detrimentoſam, abſit ut impugnemus. Quamobrem non etiam eſt, cur de Gallicis per hoc regnum poſſeſſionibus amplius nos hoc loco diſceptemus.

Caput XXV.

Reliqua plerasque Burgundici regni partes videri imperii finibus jure meritoque etiamnum comprehendi.

1.

Pergimus ad reliquas Burgundici olim regni partes. Quas inter merito luſtranda loco primo venit pontificum Romanorum ditio, cum ob dignitatem poſſidentis domini, tum quod ditio ipſa quondam partim in patrimonio provinciæ comitum, omnino provinciæ terminis comprehenſa, de provincia autem proxime a nobis actum fuerit. Duo autem tenent heic loci pontifices, comitatum nempe Venayſinum & Avenionem. Quemadmodum vero utrumque ad pontifices devenerit, ante omnia forte eſt præmittendum.

2. Abrahamus Bzovius ad annum MCCCIX. num. X. ita ſcribit: „Quod comitatum Venayſinum attinet, fuit is olim Raimundi comitis Toloſani, ejus, contra quem D. Dominicus, prædicatorum ordinis conditor, una cum Simone Montio ſacram militiam pugnabat. *Albigenſium* (a) hæreticorum patronum & fautorem Innocentius III. diris devoverat, eique ſubditos omnes vinculo ſacramenti exſolverat: inſuper & cruce ſignatorum exercitum contra refractarium ſubmiſerat. Feliciter piam militiam profeſſis ſucceſſerat. Namque multis victoriis divinitus partis, plurima de eo receperant. Illo extincto filius cognominis ſucceſſit. Cum quo tandem pace per cardinalem S. Angeli legatum anno 1228. menſe Aprili inita, convenit, ut Raymundus junior, omne jus, quod ultra Rhodanum in regno Galliarum potuiſſet prætexere, & in his comitatum Tholoſanum, provinciam linguæ Occitanæ, comitatum Venayſinum, ſedi apoſtolicæ reſignaret, inque manibus Ludovici regis Galliarum deponeret, qui eas provincias & comitatus, nomine apoſtolicæ ſedis adminiſtraret. Fuerunt ea omnia in poteſtate Romani pontificis, ſed a regibus Galliarum adminiſtrata, usque ad Gregorii X. pontificatum. Qui concilio Oecumenico Lugduni convocato, cum cætera pro dignitate & libertatibus egiſſet, tum præcipue comitatum Venayſinum, eccleſiæ Romanæ addictum, a rege Galliarum vindicavit.„ Idem Bzovius ad annum MCCCXLIIX. num X. recitat tabulas, ſive inſtrumentum publicum ex archivo Vaticano depromtum, quod illa tempeſtate tabellio confecit, ſuper contractu emptæ per pontificem Clementem VI. a Joanna regina Neapolitana Avenionis, pretio octoginta mille florenorum aureorum.

3. Accuratius tamen rem hanc omnem noviſſe quibuſdam viſus eſt, vir ſane eximius & ut in provincia illuſtri genere natus, ita regius quondam Aquæſextinenſis ſenator, Nicolaus Fabricius Peire-

Hagæ comitum anno 1709. concepti fuerunt, octavus involvebat. *La conduite du duc de Marlborough p.* 151. eratque ille articulus inter eos, quos rex Galliæ non improbabat. *l. c. p.* 194. Verum Gallorum artes & fœdere junctiorum ad Denainum clades, quæque aliæ ipſam inſecutæ ſunt res improſperæ, ut iterum Germania ſua exciderit ſpe, cauſatæ ſunt. Nam in *pace Badenſi art. 5.* cæſari & imperio nihil, quam *Kehl*, *Briſacum & Friburgum* reſtituta, & Neomagenſis, Ryswicenſisque paces in ea confirmatæ ſunt. Imminuta admodum hodie libertate civitas Argentoratenſis gaudet, quam pulchra etiam in puncto juris AVCTOR *libertatis Argentoratenſium ſtylo Ryswicenſi non expuncta*, proponat.

(†) *Portio* ad p. 397.) GöBEL. Alſatiæ, quæ a fluvio *Illa*, *Ella*, *Alſa* nomen habet, vetera excutit OBRECHT *in prodromo rerum Alſaticarum.* Huic adde KöNIGSCHOVII *chron.* & ad illud Schilderi notas, HERTZOGII *chron.* *Wimpheling.* & GVILLIMAN. *de epiſcopis Argentor.* VIGNIERII *hiſtor. Alſat.* & *qua* BLONDELLVS & CHIFLETIVS de Alſatia literis mandarunt.

(a) *Albigenſium*) C. A. M. Ita dicti a *Petro de Waldis*, cive divite Lugdunenſi. Acceſſerunt autem illi parti ſatis multi ex proceribus, etiam *rex Arragonia*, & in Gallia comes Tholoſanus *Raimundus.* Huic tum temporis ipſa urbs *Toloſa* paruit, & *comitatus Venuſinus.* Contra hos Albingenſes crucem primus prædicavit *Dominicus Hiſpanus*, autor monachorum Dominicanorum. Illorum Albingenſium reliquiæ hodieque ſuperſunt in Sabaudia, in quos dux Sabaudiæ ſuperiori ſeculo ſæviit crudeliter. GöBEL. Vide TABLEAV *de l' hiſtoire d' orange p.* 72. SPANHEIMII *introd. ad hiſtor. ſacr. p.* 868. GVILIELMI CAVE *ſecul. Waldenſe. Hiſtor. Genevrin. di Leti.* Et Albingenſium dogmata Avenionenſi urbi detrimento fuerunt. Recepit enim aliquos, qui illa ſecuti ſunt, obinde a papa anathemate vapulavit, & Ludovicus VIII. Galliæ rex iræ papalis executor, mœnibus eam nudavit. TABLEAV *de l' hiſtoire d' orange. p.* 73.

Peireſcius. Quapropter ejus etiam ſententiam producemus, qualem illam memoriæ mandavit in vita viri præclariſſimi doctiſſimus Petrus Gaſſendus l. 2. „Incidit, inquit, ſermo de tempore deque „titulis, quibus Avenio comitatusque Venaſcinus ad pontificem maximum pervenit. Cumque alii „nihil ſcirent aliud, quam factam a Joanna Regina Clementi ſexto venditionem, anno ſupra mille-„ſimum trecenteſimo quadrageſimo octavo, ac die nona Junii, pretio florenorum octuagies mil-„le; retexuit ipſe totam hiſtoriam ab anno usque ducenteſimo nono, quo Raymundus tertius To-„loſatum comes, hæreſeos Albigenſium fautor, & legati interfecti auctor creditus, fuit ab Inno-„centio tertio iterum excommunicatus. Inde enim cœpit ditione ſpoliari, ac poſt annos novemde-„cim transactio Pariſiis ſic fuit inita, ut Alfonſo illius filio ſola urbs Toloſa cum paucis adjacentibus „ceſſerit; cætera ultra Rhodanum loca ad regem attinuerint, quæ citra vero poſſidebantur, ad „pontificem ſpectarint. Cum homines autem ejuſce regionis non ſatis lubentes id ferrent, quod „Romam paſſim provocarentur, ac ideo Alfonſi partibus faverent, Bonifacius quidem octavus pro-„vocationes illas remiſit, Clemens vero quintus, ut amplius demereretur animos, etiam ſedere illic „voluit; & cum, poſt Joannem vigeſimum ſecundum, Clemens ſextus pontifex foret, facta eſt „venditio eorum jurium, quæ comitis provinciæ erant, a partitione usque facta inter Raymun-„dum Berengarium comitem provinciæ, & Alphonſum comitem Toloſæ, anno ſupra milleſimum „centeſimo vigeſimo quinto.

4. Hactenus Peireſcius. Cæterum Bzoviana dixerim ego in plerisque vero magis eſſe conſentanea. *Avenionem* (a) enim ante annum 1348. non fuiſſe juris pontificii, videtur ex tabulis a Bzovio adductis poſſe tuto colligi: utpote cum in iis juris alicujus, quod hactenus in eam pontifici competierit, nullo verbulo fiat mentio: ex adverſo Joanna audiat: *Provinciæ & Fontalquerii comitiſſa & domina civitatis Avenionis*, ac merum mixtumque imperium in urbem dicatur tum vendere. Jam tunc vero comitatum Venayſinum poſſidebant pontifices. Utique enim jam anno MCCCIX. Clemens V. papa comitatui iſti rectorem dedit Raimundum Guillermi de Rudas: ceu liquet ex illis binis diplomatibus pontificiis, quæ recitat Bzovius in hiſtoria illius anni num. IX. & XI. Itaque id quidem Peireſcio conceſſerim, per transactionem *Pariſiis* (b) inſtitutam comitatum Venayſinum Toloſano ereptum pontifici ceſſiſſe, idque circa annum MCCXXIIX. ut recte notavit Peireſcius & Bzovius: at ipſam Avenionem urbem ſimul tunc factam juris pontificii, fefellit memoria virum doctum; nec enim urbs illa in ditione Toloſani fuit unquam. Recte etiam hoc Peireſcius: Toloſani bona, quæ ultra Rhodanum erant ſita, facta fuiſſe juris regii. Non enim in illa pontifices quidquam ſibi arrogaverunt: & errat Bzovius ſcribens, omnia etiam illa ad pontificem translata eſſe. Et vero idem Bzovius manifeſti erroris poteſt convinci etiam in eo, quod comitatum Venayſinum numerat inter ea, quæ comes Toloſanus in *regno Galliæ* poſſederat; cum tamen illum intra limites imperii cis Rhodanum comprehenſum tunc fuiſſe, nemo unquam negaverit. Credere tamen Bzovio poſſumus, comitatum illum conceſſu pontificis a Gallo rege adminiſtratum eſſe, donec eum ſedi Romanæ Gregorius X. vindicavit.

5. Verum hæc accuratius excutere non eſt noſtri inſtituti. Videndum potius eſt, num illæ terræ finibus imperii exciderint. Ac Bzovius quidem, cum recitaſſet tabulas emptionis circa Avenionem inſtitutæ, mox ſubjungit hæc verba num. XI. *Hoc anno Carolus rex Romanorum Alietum Lucenſem, canonicum Narnienſem, Clementis ponti, cis nuncium, ea qua par erat benignitate audivit, & dato aureo diplomate, juri omni, ſi quod in urbem Avenionenſem titulo imperii habere poſſet, ſedi apoſtolicæ & Romano pontifici volens lubens ceſſit, datis literis in opido Görlizio, calendis Novembris anno Chriſti 1348. regni ejus anno tertio.* Addit, ſibi id depromptum ex *Archeo Vaticano & Molis Adriani, & epiſtola Clementis hoc anno ſcripta num. 85. 128. & 658.* At vero ex iis ſane, quæ modo diſputavimus, liquido apparuit utique, provinciæ univerſum comitatum ea tempeſtate fuiſſe juribus imperii obnoxium: non itaque potuit illis ſoluta tum eſſe Avenio. Quod ſi etiam pontifex Clemens VI. credidiſſet, in illam imperialis juris nihil ſupereſſe, non profecto, miſſo legato, Caroli IV. cæſaris tabulas ſtudioſe adeo ſuper illo contractu exegiſſet. Quid Carolus pontifici promiſerit, non auſim decernere, cum nec Bzovio liceat tuto credere, nec tabulæ cæſareæ ex latebris ſuis in lucem ſint protractæ. Certe haud parum ſuſpectam facit Bzovii fidem, quod edere illas noluerit, cum & res id exigeret ipſorummet pontificum, quorum maxime cauſam agit in annalibus ſuis, & facile potuiſſent ab illo produci, ſi vera narrat. Jam vero quicquid promiſerit etiam Carolus ille, cum nullus acceſſerit ordinum imperii conſenſus, invalidum id omne eſſe, nemini non liquet. Illum vero non acceſſiſſe, ex ſilentio Bzoviano licet ſecure colligere. Ex eo in tabulas iſtas, quibus cæſares ſolent pontificibus Romanis de bonis cavere, comitatum Venuſinum & Avenionem tranſiiſſe, jam notavimus capite viceſimo. Cum vero & illo & ſequente capite ſimul oſtenſum jam ſit a nobis, vi tabularum iſtarum nihil illorum bonorum omnium imperii juribus eſſe ſubductum, jam tum ſimul etiam probatum dedimus, Arelatenſia quoque iſthæc juribus illis adhuc eſſe obnoxia, utpote quum horum par cum reliquis illis ſit conditio.

(a) *Avenionem*) *C. A. M.* Seculo XIV. Clemens V. relicta ſede Romana, migravit Avenionem: tum temporis autem Avenio adhuc erat in poſſeſſione comitum provinciæ. Manſit ibi ſedes pontificum per annos 70. & interea temporis, cum Clemens tantum precario ſederet, illam urbem ſibi emerunt. GöBEL. Vide, quæ hac de re ſupra diximus.

(b) *Pariſiis Toloſanum*) GöBEL. In conventione inter Ludovicum S. Galliæ regem & comitem Tholoſanum hæc reperiuntur: *terram, quæ eſt in imperio citra Rhodanum.* Vide CATELII *hiſtor. Toloſonam lib. 1. c. 4.* & CHIFLETII *vind. Hiſpanic. p.* 194.

tio. Ac proinde non etiam eſt, cur iterum ſeorſim hoc negotium nunc agitemus. Fabuloſum tamen fortaſſis eſt, quod Merula ſcribit parte 2. Coſmogr. l. 3. c. 42. *loca non pauca comitatus Venuſini cameræ imperialis juriſdictionem hodieque agnoſcere.*

6. Pars etiam provinciæ ARAVSIO eſt. Illius principatum ſaltim ad Rudolfi ætatem imperii leges audiviſſe, & poſt demum in fidem comitum provinciæ conceſſiſſe, non alio nunc teſte probabimus, quam unico, qui tamen pro multis eſt, viro fide & doctrina illuſtri Jacobo Auguſto Thuano, quem Gallum eſſe ignorat nemo. Is libro trigeſimo primo hiſtoriæ ſuæ de Arauſione ita commentatus eſt: „Arauſio imperio Franco-Germanico olim ſubjecta fuit, ut ex bulla aurea academiæ
„ejus inſtitutionem complectente conſtat: aliaque præterea, quæ privilegiorum eccleſiæ primariæ
„a Friderico II. anno CIↃ CCXXV. conceſſorum confirmationem ſanxit: ex moneta item, quæ cum
„imperii inſignibus cudebatur: & tabellionum privilegiis, qui auctoritate imperiali inſtrumenta
„publica conficiebant. Poſtea imperii per Galliam noſtram infracta potentia, peculiares princi-
„pes provinciam tenuere, & cum ea *Arauſionenſem principatum*; (a) qui tandem ad Bauſciorum regu-
„lorum familiam, ſeu ſucceſſione ſive alio titulo devolutus eſt, eadem prærogativa ac immunitate,
„quibus hodie imperii principes fruuntur, de quibus inſtrumentum fuit confectum a Bertrando
„Bauſcio anno CIↃ CCXLII. eid. Decembr. In eo principatu & partem habebant Hieroſolymitani
„Equites, a principibus, ut vero ſit ſimile, in ſocietatem aſciti, ob virtutis famam & præcipuum
„belli adverſus Saracenos gerendi, cui illi deſtinati erant, ea ætate ſtudium; ut a Rigenſi epiſcopo
„in Livonia alibi factum memoravimus. Idque ex nummis pleriſque patet, quibus in antica parte
„Arauſionenſis principis, in poſtica Hieroſolymitani ordinis inſignia viſuntur inſculpta. Et ita res
„in eo principatu fuerunt usque ad ann. CIↃ CCLVI. quo Carolus Andinus Ludovici IX. frater, qui
„Beatricem Raimundi Berengarii, ultimi ex Barcinonenſium comitum illuſtri familia provinciæ
„comitis, filiam uxorem duxerat, eam ditionem crevit, & Guilielmum Bauſcium Arauſionis prin-
„cipem tanquam beneficiarium in fidem accepit, per Odonem Fortenarium, magnum provinciæ
„Seneſchallum. Carolo Carolus II. filius ſucceſſit; qui tot regulorum ſuſpectam potentiam habens,
„ab Hieroſolymitanis equitibus permutationis titulo partem, quam in Arauſionenſi principatu ha-
„bebant, comparavit, anno CIↃ CCCVII. XI. kal. Novembris, eamque mox Bertrando Bauſco attri-
„buit, lege adjecta, ut ipſe poſterique ejus de principatu univerſo, tanquam beneficiarii, provin-
„ciæ comitibus fidem deinceps præſtare tenerentur. Ea de re inſtrumentum confectum anno
„ſequenti XI. kal. April.

7. Perſequitur deinceps Thuanus res Arauſionenſium principum, ad Ludovicum Cabilonum matre *Maria Bauſca* (b) genitum. De hoc vero ſubjungit. *Ludovicus* (c) *Cabilonus*, inquit, *a Renato Siciliæ rege in fidem acceptus eſt, eique quindecim millia librarum commodavit, anno MCCCCXXXVI, dum capti-*

(a) *Arauſionenſem principatum*) *C. A. M.* Creditur hodie eſſe mere liber, & hoc ſpargunt principes, adeoque præferri volunt aliis omnibus principibus Germaniæ, & non agnoſcunt ſuperiorem, niſi ſolum Deum. GöBEL. De hoc principatu ſupra actum eſt. Satius fuiſſet, auctorem noſtrum in una ſerie uniuscujusque provinciæ nexum cum imperio propoſuiſſe. Cumque de illis diverſis in locis agit, occaſionem mihi præbet, nonnunquam ea repetendi, quæ jam tum dicta ſunt. Etenim annotationum folia ſeparatim typographo excudenda tradi debuerunt, ita, ut unum cum alio conferri nequiverit. Quod ſi igitur forte in annotationibus noſtris quædam occurrant repetitiones, ut illas æque bonique conſulat benevolus lector, eſt quod rogo.

(b) *Maria Bauſca*) GöBEL. Ob quasnam cauſas Auriacus comitatus in principatum ſec. XI. transmutatus ſit, VIGNIERIVS *in hiſt. Luxenburg.* docet. »A Guilielmo, qui a cornu cognomentum habuit, rebus geſtis Ludovici pii tempore clariſſimo, ſtirpe terræ Auriacæ pro parte tantum ſub initium in Bertrando ad Bauſcos devolutæ ſunt. Hujus filius Guilielmus V. adhibuit titulum: *Par la grace de dieu, prince d'Orange. Tableau de l'hiſtoire d'Orange p. 71.* Hunc cæſar Fridericus II. Arelatenſem regem anno 1214. creavit. Diploma Meti aureis literis ſcriptum dicitur. *Tableau de l'hiſtoire d'Orange l. c.* Neſcio, quid NOSTRADRAMI narratio ſibi velit, Fridericum huic principi coronam dediſſe imperialem, illique promiſiſſe, ut ea redimeretur. Arelatenſem forte intelligit, quam imperialem haud dubie vocat, quia ab imperatore imponi debuit. Poſtquam Auriaca domus Arelatenſis regni dignitate ad quadraginta tres annos uſa eſt, eam Carolo Andegavenſi, regni Neapolitani invaſori, cedere coacta. *Tableau de l'hiſtoire d'Orange p. 77.* Sed hæc ceſſio violenter exacta & ab imperio non rata habita eſt. Atque ita, ſi unquam facta fuerit, nullius fuit valoris. Quod autem ad Auriacum attinet principatum, ille in domo Bauſaca permanſit, usque dum Raymundi unica filia *Maria*, Joanni Cabilonenſi, baroni Harlæo ex Burgundiæ comitum ſtemmate oriundo, eum in dotem attulerit. TABLEAV *de l'hiſtoire d'Orange 3. partie, p. 91. L'hiſtoire de Bourgogne par du CHENE liv. 4. c. 61. 62.* Sub hoc Joanne Sigismundus imperator Auriacum adiit principatum ibique vectigal mercibus, quæ Rhodano vehuntur, a Carolo impoſitum confirmavit.

(c) *Ludovicus*) GöBEL. Hic a Sigismundo imperii vicarius generalis in regno Arelatenſi eſt conſtitutus. *TABLEAV de l'hiſtoire d'Orange p.* 113. Iſabellæ deinde Caroli VI. Galliæ regis conjugis partes ſecutus, Delphini, qui deinde ſub Caroli VII. nomine Galliam moderatus eſt, ſibi odium conciliavit, quod in multorum locorum, quæ in Delphinatu habebat, amiſſionem deſiit. Ut hos vindicaret Ludovicus, militem contraxerat, ſed a Delphinatus regali vicario delinitus, pacis ſecutus eſt conſilia, hac ſub lege, ut terræ allatæ ſub fiduciario ſibi reſtituerentur vinculo. Vid. *TABLEAU de l'hiſtoire d'Orange p.* 117. Et quamvis Ludovicus omnibus, ad quæ ſe in pactione illa adſtrinxerat, ſatisfeciſſet; attamen novus Delphinatus vicarius, comitis de Cominges, ſucceſſor, nova molitus eſt, locaque ad Ludovicum in Delphinatu ſpectantia occupavit. Poſtquam hac de re Ludovicus certior factus, quasdam collegit copias, quibus inſtructus, ad liberandas terras ab hoſtibus tetendit: ſed a Gaucurto ipſi obviam facto fuſus profligatusque eſt. Hæc clades ipſi non ſolum omnium, quæ in Delphinatu habebat, locorum, ſed & ipſius urbis Auriacæ amiſſionem peperit. Verum Auriaci ſe mox a Gallico liberant milite. Cumque vererentur, ne demum ab hoſtibus invaderentur, quibus ſe impares ſciebant, Siciliæ regis cuſtodiæ ſe una cum principatu permiſerunt. Cœperunt tamen deinde Ludovici res ſe melius habere. Carolus namque VII. in pacem cum Burgundo redire ſategit, atque a ſuis percepit, ei conciliandæ præter Ludovicum, nullum melius adhiberi poſſe inſtrumentum. Hæc res commovit regem, ut Ludovico tecte ſignificari curaret, ſe non amplius averſo ab eo eſſe animo. Hanc commodam Ludovicus ad ſua redeundi ratus occaſionem, pacem per legatos precatus eſt. Nec defuit, quin eam obtineret.

captivus Divione a Philippo Burgundione detineretur, viciſſim Renatus, ut iis de hujus ſummæ reſtitutione caveret, jus ſupremi imperii, quod ipſe in principatu habebat, obligavit. Cumque carcere liberatus ea illud diſſolvere paratum ſe oſtenderet, Cabiloni tergiverſatione effectum eſt, ut negocium exitu caruerit. Addit, quemadmodum Ludovici filius *Guilielmus*, (a) poſtquam licentioſe cum injuria ſubditorum ſuorum ſummo imperio eſſet uſus, pacto cum Ludovico XI. rege, qui jam rerum in provincia potiebatur, inito, in beneficiariam clientelam Delphinatus Viennenſis conceſſerit; quo nexu tamen Ludovicus XII. rex *Joannem* (b) Guilielmi filium liberaverit: Franciſcum regem revocata illa gratia, *Philibertum*, (c) Guilielmi filium, in fidem iterum accepiſſe, ſed qui huic ſucceſſit, Renatum Naſſavium Auſtriacas partes ſecutum; Igitur poſt Ticinenſem cladem Madritiana pacificatione fuiſſe cautum, ita, „ ut nulla habita juris, quod regibus competebat, ratione, Arau„ſionenſis principatus cum ſummo imperio ipſis reſtitueretur. Et quanquam, *pergit Thuanus*, „bellis poſtea inter Carolum V. & Henricum II. ſubortis, regii magiſtratus manum in principatum „injeciſſent, & Gratianopolitanus ſenatus per id tempus de appellationibus cognoviſſet, tandem „pacificatione ultima anni CIↃ IↃ LIX. rurſus ſupremum Auroſionenſis principatus imperium, „*Naſſavis* (d) juxta Madritiana pacta reſtitutum eſt: & Guilielmus Guilielmi F. Renati frater patrue„lis præfectum urbi impoſuit, & magiſtratus denuo inſtituit, qui citra provocationem cum ſum„ma poteſtate jus dicerent. Hæc omnia Thuanus.

8. Cre-

Erant autem pacis illius leges, ut Ludovicus regi adverſus anglos militaret; nec non inter eum & Burgundum pacis eſſet conciliator; e contrario rex ipſi promittebat omnium locorum, quibus exutus erat, reſtitutionem, ſub lege fidelitatis tamen, atque ſe operam daturum, ut Siculo perſuaderet, Auriaco diſcedere principatu. Sed ut hunc recuperaret, Ludovicus, *Renati Andegavenſis Barri ducis*, Ludovici II. Siciliæ regis & provinciæ comitis filii, captivitas anſam præbuit. Hic enim in prælio ad Villæ montem in hoſtium veniens poteſtatem, a Ludovico quindecim millia florenorum, ut iis libertatem redimere poſſet, mutuo accepit. Ut autem de ſolutione Ludovicus ſecurior eſſe poſſet, Renatus fide juſſores dedit, qui etiam fidem ſuam in reſtitutionem principatus Auriaci adſtrinxerunt. Non enim Siculo, niſi temporarium cuſtodiæ jus competebat. Præterea cum Raymundi in Caroli Andegavenſis favorem Arelatenſi decederent regno, hic pollicitus erat, ſe ad id incumbere velle, ut quarta Auriaci principatus pars, quam Tibur Guilielmi IV. ſoror Hoſpitalariis S. Joannis Hieroſolymitani equitibꝰ dederat, reſtitueretur; cujus autem promiſſi Siculi hactenus immemores fuerant. TABLEAV de l'hiſtoire *d'Orange p.* 125. *ſeqq.*

(a) *Guilielmus*) GöBEL. Hic in bello inter Ludovicum XI. & Carolum Audacem Burgundiæ ducem, neutrius ſecutus partes, tranquille ſatis Auriacis præfuit rebus; usque dum filius ejus, Burgundi derelictis partibus, Ludovici caſtra ſecutus ſit. Hæc res Burgundum graviter commovit, ita, ut omnium, quas Guilielmus in Burgundico habebat comitatu, terrarum potiretur: Sed certior factus eorum, quæ filius ſuſceperat, patrem non eſſe participem, terras ablatas ei reſtituere conſtituit. Ex quo vero hæc Guilielmus cognitum habuit, ſe eo conferre ibique locum tenere decrevit, cum a fratribus in Auriaco principatu non ſatis tutus eſſet, & ſubditi ob inſtitutum ſupremum tribunal, quod *parlamentum* dicunt, ipſi non admodum faverent. Simulavit quidem, ne a fratribus in via invaderetur aliud iter; verum Lugdunenſis præfectus detecto ejus animo, in occulto, quod aliquibus ſaltim ſatellitibus & amicis ſibi adjunctis moliebatur, itinere illi obviam venit, eumque cepit. Cumque Ludovicus XI. de Guilielmi captivitate nuncium acciperet, ut munitiſſimam, quæ *Burdagali* erat, turrim, adduceretur, præcepit; atque inde non niſi perſolutis quadraginta uncialium millibus dimitteretur. Et cum hanc Guilielmo procurare ſummam impoſſibile eſſet, captivitatis tædio inductus, ut libertatem recuperaret, ſuperioritati (ſouvrainité) in Auriacum principatum renunciavit. „Ainſi donc „obligé par la força & par la neceſſité à Loui XI. en paye„ment de quarante mille ecus de ſa rancion Le Roy aſſaiſo„ner une vente ſi inſipide, & la faire avaler plus douçe„ment au priſonier la pesle & mesle de cette ſauſſe de „reſerve, qu' il ſe pouvoit intituler par la grace prince „d'Orange, luy ſeroit loiſible de faire battre monoye a ſon „coing & armes & de donner graces, remiſſions & pardons „à ſes ſubjects ſi non crime d' hereſie & de leze majeſté. „JOSEPH de PISA dans le tableau de l hiſtoire de Orange „p. 137.

(b) *Joannem*) GöBEL. JOSEPH DE PISA *l. c. p.* 147. ubi ſequens Ludovici XII. de anno 1498. habetur declaratio: „que pour raiſon de certain different meu entre le Roy „Louis XI. & Guilaume de Chalon prince d' Orange le „dict Roy l' auroit fait detenir priſonnier par aucuns „temps & contraint de luy faire foy & hommage de ſa „principauté, encorqu' elle ne lui fut aucunement ſubjet„te, ny que jamais hommage en eut eſté fait par autres „a luy le roy, a ſe precedeſſeurs, caſſé & annullé le „dit hommage & remet le prince & ſa principauté en „l'état qu' ils etoient auparavant.

(c) *Philibertum*) GöBEL. Franciſcus I. promulgare curavit *edicta* alienationum bonorum domanialium *revocatoria*, & ne novæ fierent, *prohibitoria*. CHOPPINVS *de domanio Gallico lib.* 1. *p.* 12. Inde parlamentum delphinatus Rabottum, ex ſuo numero conſiliarium, Auriacum mittit, ut Regi-Potentum repeteret. Cumque Philibertus de iniquitate parlamenti illius coram rege conquereretur, quoniam Auriacus principatus nunquam Dephinatui inſertus fuiſſet, rex quidem juſſit, ut principi ſua ſalva eſſe deberet ſuperioritas, huncque in finem patentes promulgavit literas; ipſis tamen mos non eſt geſtus. Interea bellum inter Carolum V. & Franciſcum ingruebat, & cum ea, quæ ex parte regis Franciſci fierent, Philibertus non ſine ratione ſimulata crederet, rebus ſuis non aliter conſuli poſſe putavit, quam ſi Caroli V. ſequeretur caſtra. Id deinde conſilii in actum deducens, omnibus ſuis terris a Franciſco privatus, comitatus principatus Auriacus a rege Caſparo Colignio domino Caſtilionæo & Franciæ marechallo collatus fuit. Sed *Madritanæ pacis art.* 32. qui in Cameracenſi eſt confirmatus, ad Philibertum cum omnibus juribus & prærogativis rediit. Error itaque eſt in autore, qui ſub *Renato* demum *Naſſovico* Madritana pace a Gallis principatum dimiſſum putavit; illa enim anno 1526. & Cameracenſis 1529. eſt inita; Philibertus autem obſidioni Florentiæ præſidens, anno 1530. cum auxiliis, quæ Florentini Piſis expectabant, lectiſſimo militum numero obviam iret, cæſus eſt. JOSEPH DE LA PISA *l. c. p.* 159. 185.

(d) *Naſſoviis*) GöBEL. Naſſoviorum elogia Joſephus de la Piſa celebrat. Ad eos in Renato, ex Philiberti ſorore & Henrico comite nato, pervenit, qui partim jure materno, partim Philiberti teſtamento hanc obtinuit hæreditatem. Recrudeſcente poſtea bello Renatus, qui Caroli V. erat partibus addictus, Auriaco principatu iterum excidit. Sed induciæ Nizzenſes illi eum reddiderunt. JOSEPH DE LA PISA *p.* 253. 255. Ex quo autem denuo bellici actus inter Franciſcum & Carolum, ex cujus Renatus ſtare pergebat partibus anno 1542. revocati fuerunt, & Auriacus principatus viciſſim Gallorum ſubire jugum coactus eſt. Sed redditione Renatus non fuit ſuperſtes. Occubuit enim in urbis, quæ a S. Deſiderio nomen habet, obſidione ex tormenti ictu, hærede ſibi Guilielmo Naſſovio, patrui filio, ex aſſe ſcripto. Huic pace Crepiacenſi anno 1544. concluſa principatus redditus eſt. JOSEPH DE LA PISA *p.* 263. Renato poſtea bello inter Carolum V. & Henricum II. Galliæ regem Auriacus

8. Creditur vero hodie is principatus imperii quoque legibus omnimodo ſolutus, atque adeo uni obnoxius Deo. Cæterum *principio* quidem obſervandum arbitror id, quod Thuanum audivimus fatentem: donec in clientelam deveni[...] *provincia comitum*, (a) citra controverſiam principatum illum juris cæſarei fuiſſe, & intra terminos imperii collocatum. *Secundo* id quoque exiſtimo vacare controverſia, quod nemo cæſarum auctoritate publica ſolverit principatum illum imperii legibus. Nec enim *Madritana pactione* (b) abſoluta omni ex parte poteſtas Arauſionenſi conceſſa, ſed inductum duntaxat eſt illud clientelare jus illaque juriſdictio, quam ſibi in principatum iſtum Galliæ reges aſſerebant. Utque fortaſſis aliquid tale conceſſiſſet Naſſavio Carolus, imperio illa privata prodigalitate non potuit præjudicari. *Tertio* cum ad Ludovici duodecimi regis tempora principatus ille ab anno usque MCCLVI. fuerit perpetuo in fide & clientela vel provinciæ comitatus, vel delphinatus Viennenſis, uterque autem ſaltim ad eandem usque tempeſtatem intra imperii fuerint fines, quod præcedente capite probavimus: utique hactenus etiam Arauſionem extra imperii limites non fuiſſe, exiſtimandum eſt. Num ex eo tempore cæſares noſtri neglexerint, ſummæ ſuæ poteſtatis indicium aliquod Arauſionenſibus oſtendere, nec ne, non habeo dicere. Niſi tamen memoria me fallit, legi, auctoritate cæſarea a Carolo V. & ratihabitum Renati Naſſavii teſtamentum, & *Guilielmum* (c) in poſſeſſionem miſſum eſſe. Quod fuerit magnum argumentum exercitæ tunc cæſareæ ſummæ poteſtatis.

9. Ad Auraicorum principum patrimonium pertinet quoque *CABILONENSIS principatus*, (d) minoris Burgundiæ pars in quantum eſt; ipſam enim urbem Cabilonum in ripa Gallica Araris & Burgundia Ducali ſitum eſſe certum eſt. De quo multo minus dubitandum eſt, num intra imperii ſit fines conſtitutus, quum ſuperioris ſeculi anno viceſimo, auctoritate Caroli V. cæſaris, is qui tum rerum ibi potiebatur Philibertus, in album ſeu matriculam eorum, qui imperii Germa-

quoque principatus anno 1543. denuo a Gallis occupatus fuit. JOSEPH DE LA PISA *p.* 259. nec ante pacem Caſtro-Cambracenſem ad Guilielmum reverſus eſt. *Guillaume*, ſunt verba pacis, „ ſeroit remis en ſa principau-„té de Orange ſuivant les precedents, comme auſſi en „tous ſes biens de Dauphiné &c.

(a) *Provincia comitum*) GöBEL. Invenio in CHENII *hiſtoria Burgundiæ*, Raymundum de Bauſco provinciæ comiti anno 1355. fiduciarium præſtitiſſe jusjurandum: Sed iſte nexus non fuit perpetuus.

(b) *Madritana pactione*) GöBEL. In pactione Madritana Philiberto nihil amplius datum eſt juris, quam pater ejus habuit: aſt ille aut ejus majores nunquam ab obſequio, quo imperio fuerunt devincti, ut par eſt, ſunt dimiſſi. Nec in pace Crepiacenſi aut Caſtro-Cambracenſi aliud quid Guilielmo nec datum eſt, nec dari potuit.

(c) *Guilielmum*) GöBEL. Hujus rei *auctor hiſtoriæ Auriaca* nullam habet mentionem. Interim apud alium forte ſcriptorem hoc autor noſter legit. PONTVS HEVTERVS *in genealogiis præcipuis p. 36.* ita loquitur: *Imperator vero Carolus V. approbato Reineri teſtamento, Guilielmum Naſſovium dicti Reineri patruelem in ejus bona admiſit.* Sed quomodocunque hoc ſe habeat, imperio ſemper ſuum jus ſalvum & illæſum fuit, ipſique quam ſolenniſſime per imperatorum capitulationes conſervatur. Nec repugnat, aliquem *potentatu* gaudere, & tamen alteri feudali obnoxium eſſe vinculo. Quod autem ad dominium utile attinet, in Naſſovica domo eſſe Galli paſſi ſunt, uſque dum *Wilhelmus Auriacus* princeps, qui inter reges Angliæ *tertium* illius nominis conſtituit, Belgico bello, ſpreta neutralitate, ut ajunt, quam Gallus ſub opimis ipſi offerebat conditionibus, ſe Hollandis addixerit. *Hiſtoire de Guillaume III. par SAMSON tom. 2. p.* 44. 325. *ſeqq.* Tunc enim dictus principatus a rege chriſtianiſſimo Auvergniæ comiti datus: Sed ad *Guilielmum* Neomagenſi 1679. pace cum aliis ejus terris, quas Galli occupaverunt, rediit. *Article ſeparé touchant Monſieur le prince d'Orange dans les memoires & negotiations de la paix de Nimegue p. 599. tom. II. partie 2.* Oborto poſtea novo bello inter Gallum & imperium, cui Belgæ & Angli, Jacobi II. exauctorati locum Guilielmo occupante, acceſſerunt, Gallus Auriaco demum dominandi principatui occaſionem nactus eſt: verum Ryſwici anno 1697. reſtaurata pace, articulus pacis Neomagenſis ad Guilielmum ſpectans *in inſtrumento pacis Anglo-Gallico art.* 13. confirmatus eſt. Exſtincto Guilielmo rege de ſucceſſione in Auriaco principatu inter Pruſſiæ regem gubernatorem Friſiæ occidentalis hæreditarium & principem Naſſovio-Sigenſem exortæ ſunt lites. *Boruſſiæ regi* jura, *Friſiæ gubernatori* Guilielmi codicillus favebant: Sigenſi autem nihil præter documenta quædam detorta & minus recte intellecta. In Auriaca domo *fidei commiſſum familiæ & ſucceſſio cognatica*, a variis deinde ultimis adjuta voluntatibus, eſt introducta. Eſt autem indoles ſucceſſionis cognaticæ, quod nec propter ætatem, nec propter ſexum a linea ad lineam fiat ſaltus; quanquam in eadem linea ſexus maſculinus præferatur. Neque tali ſucceſſioni ſtabilitæ per unius aut alterius diſpoſitionem deſcendentium derogari poteſt; habent enim proximi in illa linea jus a majoribus quæſitum, quod ipſis eripi nequit. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7.* Audiamus JOSEPHVM DE LA PISA de ſucceſſione Guilielmi IX. loquentem: *le troit de la ſucceſſion*, inquit p. 260. „la „lui donnoit, & cette derniere volonté ne fit que corro-„borer l'uſage & la nature de cette ſouvraineté, qui por-„te à un inſtant la couronne du mourant ſur la tete du ſur-„vivant plus proche & aux femelles a defauts de males, „comme il ſ'eſt practique depuis pluſieurs ſiecles.„ Nupero autem bello iſte principatus in Galli demum pervenerat poteſtatem. Cumque Gallicis terris obſitus ſit, Pruſſiæ rex rebus ſuis conſultius putavit, accepta Geldriæ ſuperioris parte, quæ Hiſpanica dicta, & Galliæ regis fidejuſſione de Neo-caſtro (*neufchatel*) & *Vallangio*, jure ſuo in eum diſcedere, illumque Gallo permittere. Continent illud tabulæ *Ultrajectina* pacis inter Galliæ & Boruſſiæ reges anno 1713. concluſæ art. 7. 8. 9. 10. & *Badenſis* inter cæſarem & Gallum 1714. initæ art. 19. Quemnam hæc ceſſio intuitu aliorum, quibus proxima poſt Pruſſiæ regem ejusque deſcendentes in illis ſuccedendi terris ſpes, ex jure a majoribus quæſito, competit, habitura ſit effectum, meum jam non eſt inquirere. Id ſane adhuc monendum eſt, Pruſſiæ regem in eadem pace Ultrajectina, heredum principis Naſſoviæ, Friſiæ occidentalis quondam gubernatoris hæreditarii, prætenſionibus ſatisfacere pollicitum eſſe.

(d) *Cabilonenſis principatus*) C. A. M. *Cabilonum* ſitum eſt in ripa Araris. Quod ad urbem itaque attinet, illa ſita in Burgundia majori, vel ducali; magna tamen pars ducatus Cabilonenſis eſt ſita in Burgundia minori. Nam *Arar* fl. dividit Burgundiam in duas partes. GöBEL. Comitatus & urbis Cabilonenſis rudera excutit ANDREAS DV CHENE *dans les antiquites & recherches de villes &c. tom. II. ch. 9.* Præterfluit urbem, ut dictum, Araris, quem hodie Saonam vocant. *Geographie univerſelle par DELA CROIX tom. 3. p. 254.* Veteres Cabilonenſes dynaſtæ ſe Burgundiæ comites vocarunt. *JOSEPH DE LA PISA dans l' hiſtoire de la principauté d' Orange p. 92. ſeqq. L' hiſtoire de Bourgogne par du CHENE lib. IV. c. 65. Tabula genealogica XI. apud PONTVM HEVTERVM in reb. Burgund. p. 33.* Suſpicor, Cabilonenſem tractum aliquando Burgundiæ ſubfeudum fuiſſe. Tradit enim JOSEPH DE LA PISA *p.* 96. Joannem Cabilonenſem Philippo Burgundiæ duci, Galliæ regis & Joannæ Burgundiæ comitatus hæredis filio, homagium præ-

Germanici comitiis interſunt ejusque onera publica ferunt, recipi ſeſe fecerit. Etſi enim ex eo tempore principes illi comitiis non interfuerint forte, nec indictos ſumptus penderint; ex matricula tamen publica nomen eorum non eſt expunctum: adeoque etiam hactenus integra aliquo modo ſuperſunt imperii jura, multo magis ea quæ ad fines pertinent.

10. *De comitatu illo ampliſſimo* (a) BVRGVNDIÆ ita loquitur Bodinus l. 1. cap. X. num. 120. „Tametſi variis fœderibus noſtri principes Flandriæ & Arteſiæ Principatum Carolo cæſari conceſſerint: adhuc tamen reſtat Burgundiæ regio, quam appellant Carolium comitatum. Cujus „quidem proprietas ad regem Hiſpaniarum, dominatus ad regem Francorum pertinet: & fiduciario jure ab Hiſpano rege poſſidetur: ut in eo ipſo ſe regis noſtri vaſallum profiteatur.„ Sed cum ratio, tum memoria Bodinum vehementer fefellit. Nunquam enim comitatus ille vel in dominio vel in clientela regum Franciæ fuit: etſi eam aliquandiu poſſederint Burgundiæ duces regia Gallorum familia nati. Ipſemet Bodinus eodem capite num. 128. rectius docet, quemadmodum comitatus iſte ad duces illos pervenerit. *Burgundiam*, inquit, *liberam Carolus IV. cæſar Philippo Audaci Burgundiæ duci, prole maſcula comitum extincta, IMPERIALI JVRE fruendam dedit.* Quod ſi tabulæ ipſæ forent ad manus, multo clarius id ipſum omnibus pateret. Earum loco producimus ejuſdem Caroli tabulas, quibus beneficium ætatis Philippo iſti contulit. Protulit eas ex archivo Divionenſi Chifletius in *vindiciis Hiſpanicis cap.* 13. *p.* 28. in argumentum, quod Burgundiæ ducatus imperii majeſtatem obſervaverit, fruſtra tamen: teſtantur vero Philippum illum ſaltim ut Burgundiæ comitem imperii legibus fuiſſe obnoxium; utpote cum ætatis venia concedi nequeat, niſi ab eo, qui jus habet ſupremi dominii. Tabulæ iſtæ habent ſeſe in hunc modum: „Carolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ „rex, illuſtri Philippo duci & COMITI Burgundiæ, principi & conſanguineo noſtro dilecto, gratiam noſtram & omne bonum. Imperialem decet magnificentiam ſic pro SVBDITORVM commodis adaugendis (illorum præſertim, qui radiantes generis claritate, & communione ſanguinis ac aliis virtutum exercitiis ſe charos efficiunt) interdum illis uti remediis, ſic illis viis etiam „dirigi in agendis, ut rigorem juris diſpenſationis gratia temperet, & pro neceſſitate temporis a „lege prohibita de ſpeciali gratia facienda relaxet. Sane pro parte tua Celſitudini noſtræ extitit „CVM INSTANTIA SVPPLICATVM, ut cum tibi PRO TE & TERRA TVA, in pluribus „prætoriis, & civilibus negotiis exercendis, majorum eorum, qui ætatem legitimam attigerunt, „ſit beneficium opportunum, & præpediente ætatis defectu, ex eo quod minor annis exiſtis, „ad gerenda, exercenda & facienda hujusmodi negotia inhabilis reputeris, ſuper hoc de opportuno

ſtitiſſe, *de toutes les terres, qu' il y poſſidoit, excepté le chateau de S. Anne, lequel il declare ne relever point du comté de Bourgonge.* Eſt hic Joannes, quem Adolphus Naſſovius *imperii generalem vicarium in Vaſcania provincia* feciſſe dicitur. Poſt Guilielmi Naſſovii, qui prima libertatis ab Hiſpanorum poteſtate Belgii uniti fundamenta jecit mortem, Cabilonenſem tractum Gallorum factum eſſe reor. Nam Guilielmo huic eum adhuc paruiſſe, ex apologia ejus apud JOSEPH DE LA PISA *p.* 475. pateſcere videtur; quanquam non ignorem, eſſe qui contendunt, jam tum ſec. XIV. Cabilonum non amplius apud Auriacos fuiſſe.

(a) *De comitatu illo ampliſſimo*) C. A. M. Dictum ſupra, magnam ſemper fuiſſe potentiam Burgundiæ comitum & quidem tantam, ut reges non coluerint, ſed ipſi regibus formidabiles fuerint. *Caroli comitatus* nomen eſt ambiguum; alii ſolent intelligere illum comitatum, qui *inter Ligerim & Ararim* ſitus, & quidem in Gallia: ſi de illo loquitur BODINVS, fateor, pertinere ad Gallum: ſi de minore Burgundia, tum fallitur. Nam comitatus pertinet ad regnum Burgundiæ. Carolus IV. primus fuit, qui comitatum hunc contulit Burgundiæ duci, ita ut eo tempore ducatus & comitatus eosdem dominos habuerint. Ingens ante adeo non multos annos lis fuit inter Hiſpanum & Gallum de ducatu Burgundiæ. Hiſpani agnoſcunt Avum ducem Burgundiæ, adeoque credunt, ſibi deberi ducatum illum. Gallus non concedit. At Hiſpani comitatum tenent. Nam Philippus rex Hiſpaniæ natus ex Maria quadam Burgundica. GöBEL. DE LA CROIX *dans la geographie univerſelle tom. III. p.* 227. affirmat, Arelatenſe ſive Burgundiæ regnum complexum eſſe *Sabaudiam, Helvetiam, Zeringiæ ducatum, terram Lugdunenſem, provinciam, Delphinatum, ducatum & comitatum Burgundiæ:* atque *Juram* montem, qui hodie *S. Claudii* dicitur, diviſioni Burgundiæ in Ciſjuranam & Tranſjuranam ortum dediſſe. An ducatus Burgundiæ regni Arelatenſis pars fuerit, controverſiæ ſubeſt. Sententiam, Burgundiæ ducatum quovis modo ad Gallum ſpectare, defendit GVNDLINGIVS *part. VIII. Gundling.* Sed, quod pace hujus viri dixerim, non omne remotum mihi videtur dubium, quod ex venia ætatis Philippo Roberetano Burgundiæ duci a Carolo IV. imperatore data profluit. Certum quidem eſt, Carolum Philippum non ſolum Burgundiæ ducem, ſed & comitem fuiſſe, quibus diſtinctis nominibus imperator illum etiam in diplomate compellat: Verum, ſi hæc venia ætatis ſaltim Burgundiæ comitatum reſpicere debuiſſet, illud haud dubie additum fuiſſet; æque ac ſi Sueco quoddam ab imperatore conceditur jus, ſemper additur, hanc conceſſionem reſpicere terras, quas habet in Germania. E contrario Carolus dictum ducem ſimpliciter ſubditis ſuis annumerat, eique pro ſe & terra ſua ex auctoritate & plenitudine cæſareæ poteſtatis, abſque omni limitatione, ætatis veniam largitur. Et ſi Gallia tum temporis Burgundiæ ducatus feudum fuiſſet, haud dubie etiam illius ratione a Galliæ rege ætatis veniam precatus eſſet, quales autem tabulæ inter tot alias a nullo hactenus productæ ſunt, nec aliquis autorum, quantum memini, hoc factum eſſe tradit. Nec video, quare PARADINO *annal. Burgundiæ lib.* 1. *p.* 143. *& lib.* 2. *p.* 155. fidem derogare debeamus Conradum II. jus obtendiſſe in Burgundiæ ducatum, atque cæſares noſtros, ducatus illius eccleſias privilegiis donaſſe. Autor enim hic Burgundiæ tabularia inſpexit, nec ulla eſt ratio, quare hic mendacio locum dare voluiſſet. Neque enim ſequitur, hic in uno aut altero aliquid humani paſſus eſt, igitur omnis ipſi derogari debet fides. Quod autem ad ſecundum argumentum, a Joanne Galliæ rege Philippo Roberetano S. Roverio ſuccedente defunctum, attinet, concedo viro celeberrimo, non magni eſſe ponderis, quod & ſatis perſpicue probatum irit. Apparet ex diplomate *Joannis*, quo Philippo filio quarto genito, ob probatum ſibi multis modis in acie prope *Pictaviam*, in qua ab Anglis captus fuit, filialem affectum, anno 1363. (aliud diploma in LEIBNITII C. J. G. D. *p.* 220. non inveni) Burgundiæ ducatum contulit, eumque primum parem Franciæ fecit, imperio nec in ducatum nec comitatum aliquid concedere juris. Nam utrumque dat auctoritate regia & regiæ poteſtatis plenitudine, reſervata Franciæ regno ſuperioritate & reſſorto. Verum enim vero ex illo Joannis auſu imperii juribus nihil decedere potuit.

„tuno remedio providere dignaremur. Nos igitur conſiderantes magnificum ſtatum tuum, & „negotiorum qualitates, quibus intendere cum utilitate teneris; & volentes TE ſuper præmiſ„ſis de ſpeciali gratia reddere conſolatum, TIBI AVCTORITATE NOSTRA, ET DE PLENI„TVDINE IMPERATORIÆ POTESTATIS, veniam ætatis & beneficium majorum & majoren„nium damus & concedimus gratioſe: tecum ſuper defectum ætatis ſeu minorennitatis, quem „pateris, etiam diſpenſantes. Volentes & EDICTO IMPERIALI, decernentes omnino, ut omnia „& ſingula facta, & negotia civilia & prætoria, in judicio & extra, ubique locorum, & quibuscun„que perſonis eccleſiaſticis vel mundanis, agere, facere & exercere libere valeas atque poſſis, non „obſtante defectu prædicto. Et per te acta, facta & geſta perinde valeant & teneant, ac ſi major „annis & majorum fultus beneficio exiſteres de præſenti. Nos enim juribus & ſententiis omnibus „& ſingulis, ſcriptis & municipalibus, de quibus in genere vel ſpecie in contrarium facientibus „oporteret ſpecialem in præſentibus fieri mentionem, expreſſe & ex certa ſcientia derogamus præ„ſentium, ſub noſtræ imperialis majeſtatis ſigillo, teſtimonio litterarum. Datum Pragæ anno „Domini MCCCLV. indictione IIX. XII. kalend. Sept. regnorum noſtrorum, Romani anno X. Bo„hem. IX. imperii vero I. P. D. Cancellarius Jacobus Auguſtini.„ Hucusque illæ tabulæ. Conſentiunt porro in hoc omnes Burgundicarum rerum ſcriptores, etiam qui partibus ſuorum principum plus nimio favent, a priſcis usque temporibus ſemper imperialis juris fuiſſe Burgundiam illam: itaque nihil eſt quod dubitemus. Non eſt etiam quod multis probemus, etiamnum Burgundiam illam ab ipſo poſſeſſore *Hiſpano* (a) haberi imperii regionem, cum diſerte ita cautum ſit in eo pacto, quod Carolus V. cum imperii ordinibus de omnibus regionibus, quæ circuli Burgundici nomine ſolent uſurpari, inivit. Tabulas illas recitabimus, ubi de Lotharienſis regni provinciis, quas hodie Hiſpaniæ reges tenent, acturi ſumus.

11. Burgundici quondam regni *pars etiam fuit* (b) SABAVDIA. At hodie non deſunt, qui illam omnibus imperii juribus exutam, principemque ejus ſui omnino eſſe juris & arbitrentur & pronuncient. Fortaſſis vero ſatis eſt unum audire Joannem Bodinum Gallum hominem, quem vis veritatis adegit, apologiam quaſi ſcribere pro imperio, adverſus iniquos ejus detractores. *Ducem* (ait ille loco iſthoc ſæpius laudato num. 129.) *Allobrogum jura majeſtatis habere*, (c) *una voce tradunt Italorum juriſconſulti juniores*, (provocat vero in margine libri ad Socin. conſ. 4. l. 3. Caſtrenſ. conſil. 106. Brev. conſil. 45. Jaſonem conſil. 227. lib. 2.) *idque in ſuprema curia Allobrogum judicatum eſſe: quæ omnino cum vicarii ac vaſalli munere pugnant. Ac etiam Ozaſcus Taurini præſes* (in deciſ. Pedemontana 155. & deciſ. 101.) *ſcribit, Allobrogum duces ſummam illam ac plane imperialem poteſtatem ab imperatoribus adeptos eſſe. Quæ certe poteſtas imperatoris vicario tribui non poteſt: ut veriſſime Felinus, optimus juris interpres, ſcriptum reliquit. Quid enim majeſtati tam contrarium, quam ſe legatum (id enim appellatione vicarii ſignificatur) profiteri, a quo jura majeſtatis habere te putes, in ea ipſa provincia, cui præſis? At enim Allobroges ipſi confitentur, totaque eorum hiſtoria declarat, hanc imperii Germanici provinciam, quæ nunc Sabaudia dicitur, imperii feudum exſtitiſſe, & duces ab Henricho V. fiduciarios comitum dignitatem aſſecutos; ac tandem duces Sigismundi cæſaris beneficio appellatos fuiſſe. Certe quidem antea ſemper duces, nec ita pridem Carolum patria reſtitutum, imperatori fidem dediſſe conſtat. Biennio poſt, id eſt MDLXI. procuratoris tabulas ad Arcarum comitem cæſaris cubicularium a duce miſſas legi, ut novam fiduciæ formulam ab imperatore ſuo nomine poſtularet; quia non ſatis copioſa illa ſibi videretur, quam Auguſta acceperat. Id tamen effici non poteſt, cum vicarii munus jura majeſtatis ejus provinciæ, cui præfectus ſit, non admittat; at ne fiduciarium quidem aut feudatarium eſſe patiatur ejus provinciæ, cujus ſummam habeat poteſtatem. Rex Hiſpanus quidem in univerſa Inſubria, Hetruria; duces item Saxoniæ & palatini comites, imperatoris vicarii ſunt ac legati perpetui, ut jurisdictionem abſente cæſare exerceant, ſi qua civitatibus aut principibus inter ipſos aut etiam contra cæſarem ipſum controverſia intercedat: quod quidem munus perſonale eſt, non prædicatorium; nec vero poteſt quisquam fiduciarius eſſe ejus prædii, cui præficiatur. Neceſſe igi-* tur

(a) *Hiſpano*) GÖBEL. Cum Galliæ rex juris devolutionis prætextu Hiſpanicum invaderet Belgium, Burgundiæ quoque comitatum occupavit: Sed eum anno 1668. per pacem Aquisgranenſem reſtituere coactus eſt. DIAR. EVROP. *contin. XVI. in append.* Cumque deinde bello, quod Gallus unitis Belgis inferret, Hiſpani ſe his addicerent, Galloque inde Burgundiæ comitatu denuo potiundi occaſionem præberent, comitatu illo anno 1678. per Neomagenſis pacis art. XI. exciderunt. ACTES ET MEMOIRES *de la paix de Nimegue tome ſecond partie II. p. 718.* LONDORP. *act. publ. tom. X.* Sed Gallo nihil ceſſum præter id, quod Hiſpanus habebat, hic autem dominio directo, quod ad imperium ſpectat, deſtitutus fuit. Imo domui Auſtriacæ, imperialia tenenti ſceptra, ſuum ſalvum manſit jus, quod a majoribus quæſitum habuerunt; ea namque illi ceſſioni non ſubſcripſit. Cogitatum quidem, cum eorum, qui contra Gallum ſocia in nupero bello junxerant arma, res adhuc ex voto fluerent, de repetendo per pacem Burgundiæ comitatu: ſed vacillante deinde belli fortuna & diſſoluta quodammodo ſocietate, & hoc evanuit propoſitum.

(b) *Pars etiam fuit*) GÖBEL. Hinc Sabaudia Burgundiæ ſæpe nomine venit. Exempla affert AGOSTINO DELLA CHIESA *nella corona reale di Savoya p. 8. ſeqq.* Sumitur autem Sabaudia interdum ſtrictiſſime pro ſolo tractu Sabaudico, in quo metropolis eſt *Camberium*, interdum ſtricte, & tunc præter hunc tractum comprehendit etiam Genevenſem, agrum Cabellicum, Tarentaſiam, Maurianam, tractum Foſſigniacum; interdum autem tam late accipitur, ut etiam reliqua, quæ Sabaudo ſubſunt, ſignificet, ut Pedemontium, ducatum Agoſtanum, tractum Vercellenſem, Canapitium, marchionatum Seguſinum, comitatum Saluziarum, comitatum Nizzenſem, comitatum Aſtenſem, ducatum Oneliæ & Waldenſium valles AGOSTINO DELLA CHIESA *l. c. p. 2. 11. ſeqq.*

(c) *Jura majeſtatis habere*) *C. A. M.* Majeſtatis ſcilicet jura regalia poſſunt haberi duplici modo, aut *dependenter*, quod agnoſcimus, a quo dependent; aut *independenter*, quod non agnoſcimus. Omnes principes imperii habent jura regalia, & fruuntur illis. Interim agnoſcunt, illa dependere ab imperatore. De duce Sabaudiæ tantum dicunt, quaſi ille habeat jura regalia independenter. Sed hoc falſiſſimum: nam ille eſt vaſallus & princeps imperii.

tur eſt, ducem Allobrogum imperatoris vicarium eſſe, extra fines ſua ditionis; quod nec Helvetii, nec rex Hiſpanus, multo minus etiam rex Francorum ferre poſſit. Hæc Bodinus. Contra quem *Antonius Teſſaurus* (a) in præfatione deciſ. n. 13. & 14. pro Sabaudi ſumma poteſtate diſputat: ſed, ne quid gravius dicam, fruſtra & inique. Ut tamen nihil diſſimulem; id quidem certiſſimum eſt, vicariam poteſtatem neutiquam eſſe omnibus numeris abſolutam & ſui juris, idque ipſa illa voce indicari, hactenusque recte ac probe Bodinum ratiocinari: attamen fortaſſis haud volunt hoc ipſum, qui jura illa ampliſſima Sabaudo attributum eunt. *Solent enim* (b) & aliis Germaniæ principibus jura imperatoria quadamtenus adſcribi, idem enim illos in ſuo territorio valere, quantum valet imperator: ſed non alio ſenſu, quam regalibus juribus maximis principes beneficio cæſarum valere, non autem aliqua auctoritate minoris momenti. Quod ſi igitur nihil aliud voluerunt illi Sabaudici laudatores, non eſt, quare in eos acriter animadvertatur. Non videtur autem Bodinus etiam id jure merito affirmaſſe: Sabaudum in ſua ditione non poſſe vicarium cæſaris agere: cum omnis imperii vaſallus, qui quidem regalia quæ appellantur, beneficio cæſarum tenet, reapſe non niſi vicaria quadam gaudeat poteſtate. *Notandum etiam*, (c) antiquo quidem more comitis & ducis jura non abſorbere omnia, quæ appellantur regalia, ſed ea licet poſſiderentur, multo tamen maxima cæſaribus in regionibus illis fuiſſe reliqua: itaque dux etiam aut comes vicariam illam cæſaris poteſtatem adipiſcens, in ſua quoque ditione nova quondam & longe majora conſequutus eſt. Hac ſane de cauſſa ipſe *Philippus Hiſpaniæ rex* (d) vicarii illam auctoritatem in propriam ditionem Burgundici circuli a Ferdinando cæſare conferri ſibi petiit. Adhoc Sabaudus vicariam illam ſuam poteſtatem etiam in alia extendit, quæ extra territorium Ducatus ſunt, vel certe olim fuerunt: etſi paulatim prætextu etiam vicariatus in ditionem ſuam illa traxerit. Luculente id mox apparebit, ex iis quæ de urbe Geneva dicturi ſumus.

12. Cæterum præter Bodinum etiam Caſſanus, famoſus ille regiorum Galliæ jurium præco, in defenſor. l. 2. cap. 2. pag. 46. negat, Sabaudum poſſe ſimul vicarium eſſe imperii & vaſallum. Verba hujus ex Gallico ita vertit clariſſimus Limnæus in additionibus ad l. V. cap. 14. n. 4. *Titulus, quo duces Sabaudiæ ſe prædicant perpetuos imperii vicarios, ab imperatore Carolo IV. anno 1366. Amedeo IV. qui comes Viridis dictus, conceſſus, ejusque poſteris ab imperatore Maximiliano I. & Carolo V. confirmatus fuit. Ex eodem autem ſatis apparet, quod male affirment, ſe ab imperatore feuda ſua tenere. Fuit enim hic titulus poſtea, ad inſtantiam & querelam Andrucii epiſcopi Genevenſis, cum cognitione cauſa per eundem Carolum IV. anno 1383. revocatus, ſimulque prohibitum, ne ſub pœna mille marcarum revocationi huic contraveniretur. Illud vero maxime perpendi debet, quod titulus, vicarii perpetui, incompatibilis eſt cum juramento, quod præſtant imperatori. Neceſſarium enim omnino eſt, ut qui nomen habet vicarii, aut locum tenentis, non ſit vaſallus ejus, cujus locum tenet. Quia poteſtas abſoluta, quam accipit vicarius, non poteſt ſimul ſtare cum ſubmiſſione, quam debet vaſallus domino: alias enim ſibimet ipſi juramentum fidelitatis facere poſſet, quod maxime abſurdum.* Hæc quidem ille, Bodinum ut videtur ſecutus. Etiam hæc vero perinepte ita aſſeruntur: utpote quum ipſa illa vicaria dignitas feudi conditione poſſit teneri; quomodo illam tenent Saxo & palatinus electores, ne quid dicam de aliis. Sed & quidni una in re ſis vaſallus, in alia titulo diverſo vicarius cæſaris? Tricæ igitur tantum hæ ſunt ſciolorum, uſui ipſi communi repugnantes.

13. Non eſt autem, quare iis nunc immoremur, quum ad noſtrum argumentum non ita proxime pertineant. Sabaudiam vero imperii hodieque limitibus contineri, usque eſt adeo notum omnibus, ut ipſemet Thuanus l. 2. hiſtoriæ ſuæ, enarrans imperii omnem rationem, nihil dubitaverit in hæc verba prorumpere: *Sabaudia & Allobroges imperio ac legibus imperii parent.* Jam ante ſcilicet audivimus diſſerentem Bodinum, quemadmodum ipſa *ducalis dignitas*, (e) Sigismundi denique

(a) *Antonius Teſſaurus*) *C. A. M.* Fuit JCtus Sabaudicus magni nominis: ſcripſit multas *deciſiones*, inter alias & *Pedemontanas*: GöBEL. Teſſaurus nihil aliud probat, quam Sabaudiæ duci competere jura majeſtatica: verum quæſtio hic eſt, an competant dependenter aut independenter. Independenter ei jura regalia competere, nemo facile dixerit, cum de iis ab imperatore inveſtiatur, a quo & actus ejus irriti pronunciari poſſunt, inque eum committi crimen læſæ majeſtatis. Cum Chriſtina ducis Sabaudiæ Victoris Amadæi conjux, poſt mariti mortem, ut filii tutrix, Gallorum ſequi partes pergeret, imperator Ferdinandus III. eam juſſit, ſe Gallico abdicare fœdere, & geſtorum coram judicio Aulico rationem reddere. Et cum cæſaris dicto audiens eſſe nollet, tutela & terrarum Sabaudicarum regimine privata & utrumque munus in ducis impuberis patruum eſt collatum. BRVSSONI *H. J. lib. 5. 6. 7. p. 171.* Adde *Cop. patentium ad magiſtratus ſubditosque Sabaudenſes de non agnoſcendo duce Sabaudiæ anno 1701. Viennæ datarum*, cum & hic Gallorum amplexus eſſet partes. FABRI *Staats-Cantzley part. 6. p. 631. ſeqq.* Imo vicariatus nomen, dependentem involvit poteſtatem.

(b) *Solent enim*) *C. A. M.* De principe imperii vulgo ſolet aſſeri, tantum valere principem in territorio, quantum valet imperator in imperio. Hæc propoſitio ſi commode explicetur, veriſſima eſt, quia tenent regalia: at vero non debet intelligi, quaſi illa teneant independenter, tum enim falſa eſt. Hoc dictum multos decepit, ut & ipſum Grotium, qui hoc dictum vult oſtendere, comites Hollandiæ eſſe ſui juris. GöBEL. Id axioma ita explicandum eſt, quod principes noſtri tantum habeant poteſtatis dependentis in ſuo territorio, quantum imperator Romanus habuit in imperio.

(c) *Notandum etiam*) *C. A. M.* Si videamus antiqua tempora ante 200. annos, tum apparebit, duces & comites non habuiſſe omnia regalia, ſed pauca tantum. Nam pleraque pars penes cæſarem erat. Certe ante 340. annos omnes duces coacti, quotannis certam pecuniæ ſummam adferre in fiſcum cæſaris. Hodie vero omnia regalia habent. GöBEL. Nos de hac materia alibi ex profeſſo agemus.

(d) *Philippus Hiſpaniæ rex*) GöBEL. Vid. THVANVM *in fine lib. 17. hiſtor.*

(e) *Ducalis dignitas*) GöBEL. De origine Sabaudiæ ducum erudite agit dominus D'ECCARD. Diploma vero, quo Sigismundus Sabaudiæ comitatum in ducatum evehit, habet GVICHENON *tom. 1. p. 456.* LEIBNIT. *C. J. G. D. p. 309. 312.* LVNIG. *C. J. G. D. tom. 1. p.* 686. 687.

denique cæſaris beneficio, principibus Sabaudiæ ſit primum conceſſa: imo a Carolo etiam V. cæſare clientelari lege Carolo duci attributa. Sane ipſi ferunt ſeſe non niſi cæſarum *vicarios.* (a) Nomen Sabaudi porro matriculæ imperii inter principes inſertum eſſe, addito onere in expeditiones quidem publicas imperii mille octingentorum ac viginti octo, in ſuſtentationem vero judicii Spirenſis annuorum trecentorum florenorum, notum eſt omnibus. Sed & diſerte idem princeps in conſtitutionibus imperii paſſim audit princeps & vaſallus imperii: *Der Hertzog von Saffoia iſt des Heiligen Reichs Fürſt und Lehnman.* Eundem a Spirenſi judicio, anno ſeculi ſuperioris viceſimo primo, die octavo decimo decembris, delicti cauſſa per ſententiam proſcriptum eſſe, notatur in *Symphoremate præjudiciorum cameralium, voce Bannum p.56.*

14. *Non tantum* vero *Sabaudia* (b) ipſa a principe illo tenetur fiduciario jure, ſed etiam in Italia *PEDEMONTIVM.* (c) quod anno MCCCLXIII. pulſa Joanna Neapolitana in ditionem ſuam majores illius *redegerunt.* (d) *Comitatum ASTENSEM* (e) etiam & marchionatum *CERÆ* (f) iisdem principibus eodem jure Carolus V. imperator conceſſit. Quorum feudorum diſertam mentionem facit etiam clariſſimus jureconſultus Cacheranus *conſil. 9. n. 39.* & *conſil. 27. n. 21.* De iis, quæ ex *Mon-*

(a) *Vicarios*) GöBEL. Diploma, quo Carolus IV. Arnulpho VI. vicariatum confert, habet GVICHENON *tom. 2. p.* 207. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 662. Cumque deinde Amadeus ab eodem cæſare vicariatu privaretur; LVNIG. *l. c. p.* 2444. Ludovicus de Sabaudia Achajæ princeps eum a Sigismundo cæſare recuperavit. LEIBNIT. *l. c. p.* 303. LVNIG. *l. c. p.* 682. GVICHENON *tom. 2. p.* 129. Vicariatum hunc Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus I. & Maximilianus II. domui Sabaudicæ confirmarunt. GVICHENON *p.* 495. 521. LVNIG. *l. c. p.* 750. 755. 758. 766. 767. Idem factum a Rudolpho II. Matthia, Ferdinando II. & haud dubie quoque a Ferdinando III. Leopoldo I. Joſepho, & Carolo VI. LVNIG. *cod. Ital. diplomat. tom. 1. p.* 687. 807. 826. 850. 875. quanquam Ferdinandi III. Leopoldi, Joſephi & Caroli VI. diplomata hanc in rem conceſſa, apud Lunigium non reperiantur. Quod reliquum, benevolum lectorem ad perilluſtris MVNNICHHAVSII regis M. Britanniæ & elect. Brunſuicenſis ad comitia imperii ABLEGATI *diſſ. de Italiæ vicariatu* remitto eruditiſſimam.

(b) *Non tantum Sabaudia*) *C. A. M.* Ante biennium reges Galliæ Sabaudiæ ducem appellare cæperunt ALTITVDINEM REGIAM, ut eo arctius ejus ſibi devincirent animum. Nititur autem illa appellatio hoc fundamento. Ante 250. annos plus minus ultimus rex Cypri reliquit filiam, quam in matrimonium duxit dux Sabaudiæ. Illa filia tum *prætendit jus in Cypri regnum*; ſed a republica Veneta occupata. Ante 200. fere annos Veneti iterum pulſi; ex eo tempore in poteſtate Turcarum fuit. Duces Sabaudiæ poſſeſſionem nunquam acceperunt. Ideoque ridiculum id, in cujus poſſeſſione majores nunquam fuerunt, hoc ſibi velle titulo comparare. GöBEL. Quod ad prætenſionem in Cypri regnum attinet, ea ex Ludovici Saubaudi matrimonio cum *Carola*, Joannis Cypri regis filia & herede ex Joanne Portugallico vidua, exorta eſt. Hæc cum anno 1470. diem obiret ſupremum, Sabaudiæ duces, qui alioquin ex amita ejus *Anna* deſcendebant, hæredes inſtituit. Sed illa inſtitutio fruſtranea fuit. Carola enim a Jacobo fratre ſuo notho, antea epiſcopo Nicoſienſi, qui Soldani Aegyptiaci auxiliis ſub tributi pacto utebatur, regno exuta eſt. *Jacobus* autem, ut ſe in regno magis firmaret occupato, *Cornaram* nobilem Venetam a republica adoptatam, ſibi matrimonio junxit. Hanc, cum anno 1470. moreretur, gravidam reliquit, eaque, cum rebus gerendis ſe imparem crederet, regni adminiſtrationem *ſenatui Veneto* permiſit. Veneti autem, quo certiores de ſucceſſione eſſent, ipſi per patrem & avunculum Bembum perſuaſerunt, ut patrium repeteret ſolum. Venetiis commorans partum maſculum enixa eſt, qui tamen non diu fuit ſuperſtes; quo facto illa regnum ſenatui donavit. Suſceperat quidem *Jacobus*, Cornaræ maritus, ex nobilibus concubinis *Janum*, *Joannem & Carlotum*, eisque, ſi nulla ex Cornara proles adeſſet, ſpem ſuccedendi tribuerat: ſed Venetiis, quo a Cornara adducti erant, vivere deſierunt. THVANVS *lib. 49. p.* 910. Hoc itaque modo ſe Cypri potiundi ſpe excidiſſe, Sabaudi indigniſſime tulerunt. Titulum Cypri regis princeps Carolus dux anno 1455. ſumpſit, cujus præſumto juri filius *Carolus Joannes Amadeus* ſucceſſit. Poſt enim Carolus III. agnatus a Venetis inſulam 1530. repetens, reſponſum tulit, *cælum cælorum domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tentavit quidem anno 1601. inſulam *Carolus Emanuel*, eamque Turcis eripere molitus eſt, archiepiſcopi fide fretus: ſed re detecta, archiepiſcopus aufugere coactus, & Sabaudi conatus irriti fuerunt. In *Turcorum* autem poteſtatem *Cyprus* anno 1570. pervenit. SPENER. *op. Herald. part. 2. p.* 329. Vide plura apud AVGVSTINVM DELLA CHIESA *p.* 522. *ſeqq.* Sunt qui putant, neutri, nec Venetis, nec Sabaudis, in regno jus fuiſſe. Regnatrice enim familia extincta, populo de novo ſibi proſpiciendi rectore jus oritur, & *ſucceſſio regni non eſt ſub jure regni.* Igitur Carola de regno non potuit diſponere, aut illud marito in dotem dare, niſi hoc fuerit in formula regni, quod tamen non præſumitur. Multo minus autem *Cornara* aliquod in Venetos transferre potuit jus, cum illa ne quidem ex ſtirpe regnatrice fuerit oriunda: ſed filii illegitimi regni invaſoris conjux, & ſic jus, quod non habuit, in alios etiam transferre non potuit. GROTIVS de *J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 16. 27.* Quousque hæc vera ſint, aliis diſcutiendum relinquam.

(c) *PEDEMONTIVM*) GöBEL. Id ex inveſtiturarum diplomatibus in aprico eſt. In diplomate Sigismundi de anno 1416. Amadæus dux inveſtitus de *Chabloiſe & Auguſta, marchionatu Italiæ, comitatu Gebennenſi & Pedemontio, dominio Niezza civitatis & terræ &c. item civitate & comitatu Aſtenſi terra & valle domus Oſella.* Hæc deinde in aliorum imperatorum tabulis ſunt repetita. Vid. Fernandi II. diploma apud LVNIG. *l. c. p.* 554. De Pedemontio *Taurinoque* ejus metropoli, vetuſtioribus etiam temporibus ſub imperatoribus conſtituto, diplomata apud VGHELLVM *tom. 4. p.* 1025. 1031. *ſeqq.* 1040. *ſeq.* teſtantur. Impenſe igitur aberrat BRVSSON. *in hiſtoria Italiæ lib. 7. p.* 182. quando aſſerit, Sabaudum non niſi de Montisferati quadam parte cæſaris eſſe vaſallum.

(d) *Redegerunt*) GöBEL. Pedemontium, Suſa & Vallis Auguſta per Adelheidem ad Oddonem Sabaudum ſunt delatæ. Thomas III. autem Thurinum, quæ ſe diu Sabaudorum imperio ſubtraxerat, ad obſequium reduxit. *Corona reale di Savoja de AGOSTINO DELLA CHIESA p.* 359. *ſeqq.* 384.

(e) *Comitatum ASTENSEM*) GöBEL. Henricus VII. hunc Amadeo V. S. Magno donaverat: ſed ante Caroli V. tempora in Sabaudorum non venit poteſtatem. *Corps diplomatique tom. 1. p.* 166. GVICHENON *tom. 2. p.* 139. Cum Sabaudo bellum anno 1614. cum Hiſpanis eſſet, hi illum ut feloniæ reum comitatu Aſtenſi & terra *Samtya* excidiſſe, dicebant: ſed camera, ut ajunt, Pedemontana docuit, terras illas immediatum eſſe imperii feudum.

(f) *CERÆ*) GöBEL. Hæ una cum *Savigliano* anno 1547. ad Sabaudum pervenerunt. De aliis ejus terris vide SPENERVM *oper. Herald. p.* 328. *ſeqq.* Tertia pars ad PVFFEND. *introd. p.* 103. *ſeqq.* Id adhuc commemorandum, Saluziarum marchionatum, bello civili Galliam affligente, a Sabaudo occupatum eſſe. Sed hic victricibus Gallorum armis anno 1600. adactus, ut Saluziarum marchionatum, quem ſibi Galli omnino reſtitui voluerunt, tota regione Breſſiana redemerit. PETRI MATHÆI *hiſtor. Henrici IV. lib. 3. p.* 273. *ſeqq.* BOTERI *comment. de reb. in toto orbe geſtis p.* 237. *ſeqq.* THVANVS *ad ann. 1600. lib. 125. p.* 741. *ſeqq.* LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 794.

ex *Montiſferratenſi* (a) regione nuper adeo ipſis ceſſerunt, & tabulis pacis publicæ ſunt confirmata, præcedente jam capite dictum eſt.

15. Poſſit tamen videri, hiſce in locis a Sabaudo teneri quædam, abſoluta omnino poteſtate, omnique adeo imperii lege exempta. Et vero tale quid ipſismet tabulis pacis cum Gallo Monaſterii initæ videtur diſerte confeſſum eſſe. Verba hæc ſunt: *Conventum eſt, quod dux Sabaudiæ, hæredes & ſucceſſores ejus, nullatenus turbentur aut inquietentur in ſuperioritate, ſeu jure ſuperioritatis, quod habent in feudis Rocheverani, Olmi & Caſolæ cum appertinentiis, quæ a Romano imperio NVLLATENVS dependent: & revocatis annullatisque donationibus & inveſtituris, in dictorum feudorum poſſeſſione ſeu quaſi, dominus dux manuteneatur, &, quatenus opus ſit, redintegretur. Parique ratione ejusdem vaſallus comes Veruæ, quoad eadem Feuda Olmi & Caſolæ, & quartæ partis Rocheverani, ſuæ poſſeſſioni ſeu quaſi reſtituatur, & in eadem pleniſſime cum fructibus omnibus redintegretur.* Verum enim vero fortaſſis hæc verba non alio ſunt ſenſu accipienda, quam terrarum illarum clientelare jus non dependere proxime ab imperio & cæſare, ut exiſtimabatur, ſed ab uno Sabaudiæ duce. In univerſum enim illas imperii eſſe legibus exemptas, non ex illis quidem verbis *fit veroſimile.* (b) Citra enim controverſiam nihil in omni illa vicinia non fuit, ſaltem quondam, juris imperialis, ut jam tunc eſt notum. Habet itaque, ut in foro loquuntur, imperium in illa etiam fundatam intentionem. Atque adeo probanda Sabaudo venit omni exceptione clarioribus argumentis omnimoda illa libertas: quod tamen hactenus factum non eſt: nec fortaſſis fieri poteſt. Fac enim feudi legibus iſthæc a Sabaudo non teneri, non tuto tamen hinc colligas imperii etiam finibus excidiſſe: nec enim ſola feuda legibus imperii obnoxia ſunt, ſed alia etiam numero plurima.

16. Poſt Sabaudiam ut nonnihil ſtatim *de GENEVA urbe* (c) dicamus, monet quod cum illa urbe Sabaudo eſt diſſidium: præſertim cum a quam multis exiſtimetur & illa urbs extra imperii fines

(a) *Montiſferratenſi*) GöBEL. Et nos de hoc argumento ſupra egimus. Cæterum inveſtituræ diplomata, quibus Sabaudo primum pars, deinde totus ducatus traditur, refert LVNIG *l. c. p.* 855. 963.

(b) *Fit veroſimile*) GöBEL. Hæc ventilata eſt controverſia, imperante JOSEPHO, cum de feudis in Lungunarum diſtrictu inter imperium & Sabaudum lites exorirentur. Vid. LVNIG. *C. J. D. tom. 1. p.* 261. 379. 378. 971. 975. ubi permittente cæſare Sabaudus in poſſeſſorio beatus fuit. Quod autem ad *inſtr. pacis Weſtph. Gall. art.* 95. 96. attinet, ibi non eſt dictum, quod imperium ſe omni in loca ibi nominata abdicare vellet poteſtate: ſed tantum quod pro immediatis imperii feudis haberi non debeant.

(c) *De GENEVA urbe*) *C. A. M.* Hæc eſt nobilis illa urbs ad lacum Lemanum ſita, dicta *Genff;* ſedes primaria eorum, qui ſunt reformatæ religionis. Ibi enim vixit CALVINVS, BEZA & alii, qui quaſi columnæ fuerunt iſtius religionis. De hac urbe jam dudum fuit contentio inter Sabaudum & Genevam. Nam Sabaudus in eam prætendit dominium: at Geneva dicit, ſe eſſe liberam. Sabaudus eam voluit occupare: ſed Henricus III, licet fuerit ſuperſtitioſus cultor romanæ religionis, nihilominus in tutelam illam urbem accepit. Hoc vehementer dolent omnes pontifices & credunt, Henricum III. indignum facinus ſuſcepiſſe, quod in tutelam eam acceperit. Acres contentiones ſunt agitatæ in aula cæſaris inter Sabaudum & urbem Genevam. Pro urbe Geneva & contra eam multa ſunt edita, ſed omnia, quæ ſunt edita, teſtantur jura imperii: Dux Sabaudiæ voluit probare, ſe accepiſſe a Carolo V. in feudum. Urbs Geneva pertinet etiam ad fœdus Helvetiorum, interim non recenti pacto inter Bernenſes & alios. At vero Helvetii plane dicuntur exempti ab imperio, ut nihil juris ſit in eos. Cum igitur Geneva ſit itidem in fœdere Helvetico, fortaſſis etiam tum libera reddita: Verum num ita ſit, ego in medio relinquo. GöBEL. Thuanus ſua, quæ in compendio autor refert, habet ad annum 1600. *tom. V. p.* 725. ſeqq. Conducet haud dubie, ut eo magis controverſiæ hujus fundamenta eluceſcant, quæ in hanc rem apud GVICHENONIVM *hiſtor. genealog. p. 95. ſeqq.* leguntur, afferre. Sabaudi autem ſequentes ſunt rationes: 1) Comites Genevenſes Sabaudicis comitibus homagium præſtiterunt. 2) Feloniæ crimen pecunia redemerunt. 3) Sabaudorum actus & ſigna ſuperioritatis in Genevam exſtant. 4) Caſtrum munitiſſimum in inſula Rhodani ſitum in Sabaudiæ comitum erat manibus. 5) Inſignia eorum ibi conſpiciebantur, quæ 1527. adempta ſunt. 6) Quando clerus crucem præ ſe ferens illa præteribat, crux demittebatur. 7) Comitum Sabaudiæ in urbe Geneva domus & inveſtiturarum reditus notari merentur. 8) Comites Sabaudiæ ſuos Genevæ habebant officiales, quorum numero fuit vicedominus, cujus magna erat auctoritas, 9) Comitatus Genevenſis ad Sabaudiæ comites anno 1257. translatus per teſtamentum Eubuli comitis Genevenſis, filii comitis Humberti, & per emptionem, qua Amadeus VIII. anno 1401. eum comparavit. GVICHENON. *tom. 2. p.* 1401. CORPS DIPLOMATIQVE *tom. 2. p.* 278. de quo a Sigiſmundo per diploma datum Norimbergæ anno 1422. inveſtitus eſt illudque confirmavit per aliud diploma Budæ 1425. conſcriptum. 10) Geneva ſpectabat ad ducatum Burgundiæ, 11) Subjecta fuit imperio, ita, ut ipſa gloriaretur, ſe urbem imperialem eſſe, & in frontiſpicio eccleſiæ S. Petri aquilam habere; ſi igitur imperatores comitibus ducibusque Sabaudiæ omnem ſuam poteſtatem in dictam urbem conceſſerunt; quomodo in dubium vocari poteſt, principibus Sabaudiæ ſuperioritatem in eam competere? 12) imperator Carolus IV. per diploma Thilani datum, & Cremonæ anno 1355. Pragæ d. 16. Aug. 1356. Bernæ d. 1 Jul. 1365. Camlerii d. 4. May. 1368. confirmatum declaravit comitem Verd, vicarium generalem S. R. I. trans montes, inprimis in epiſcopatu Genevæ, Lauſannæ, Syonii eorumque diœceſibus. 13) idem imperator conſtituit, ut impoſterum appellationes temporales & eccleſiaſticæ, quæ antea ad cameram imperialem ſpectabant, devolverentur ad comitem Verd, cui omnia jura regalia, & ſuperioritatis in dictos epiſcopatus conceſſerat. 14) Carolus IV. cum Genevæ univerſitatem ſeptem artium liberalium, theologiæ, juris civilis atque canonici, & medicinæ, ad preces ejusdem comitis, erigeret, nominabat eum *conſervatorem privilegiorum hujus academiæ*, & declarabat, hanc civitatem ipſi, ut vicario generali imperii eſſe ſubjectam, per diplomata data Avenione menſe Junio 1365. 15) Succeſſores Caroli IV. easdem has declarationes & & privilegia confirmarunt, *Sigismundus* per diploma datum Budæ d. 20. Jul. 1412. *Fridericus III.* d. 23. Januar. 1493. *Maximilianus* d. 25. Julii 1496. d. 10. Mart. 1499. Inſprugi & Auguſtæ Vindelicorum d. 5. Aug. 1518. *Carolus V.* Wormatiæ d. 3. Maji 1521. Toleti d. 17. Nov. 1525. In quibus ultimis imperatoriis literis Carolus V. expreſſe injungit Genevæ, Lauſannæ & Lugduni epiſcopis, ut obediant & homagium præſtent Carolo duci Sabaudiæ, mentionemque in iisdem literis fecit arrogantiæ Genevenſium, quod in præjudicium edicti Caroli ducis, Lauſannæ d. 4. Novemb. 1517. dati, tractatus fœderis & civitatis concluſiſſent cum Bernenſi & Friburgenſi pagis. 16) Idem Carolus V. per literas patentes Sevilæ d. 28. April. 1526. datas, Genevenſes juſſit ad officium ſuum redire, & ſub pœna rebellionis, omnibus fœderibus & ſocietatibus renunciare. Quod ut executioni daretur, imperator Adrianum de Salives dominum de

fines hodie collocata. Et vero Geneva *Henrico III. rege* (†) in clientelam Gallicam ſuſcepta eſt, Gallis

de Fretes conſiliarium parlamenti Dolenſis, una cum domino de Commenaille præfecto Dolenſi eo miſit: Et cum Genevenſes voluntati imperatoris obedire recuſarent, Carolus V. Sevillæ d. 28. Octobr. ejusd. anni ad ducem Carolum literas dedit, ut eos vi compeſceret armorum. (17.) Poſtea Carolus V. *Bononiæ* d. 13. Mart. 1530. *Bruxellis* d. 3. Mart. 1554. d. 6. Novemb. 1555. pro ſuperioritate, duci Sabaudiæ in urbem Genevam ejusque diœceſin competente, pronunciavit. Quod & fecerunt poſtea *Ferdinandus* Pragæ d. 6. Mart. 1562. *Maximilianus II.* Augsburgi die ultimo Maji 1566. Et ut (18.) paulo altius rem repetant, citatur imperator *Fridericus*, in matrimonium ducens *Beatricem*, filiam unicam & heredem *Renaldi* comitis Burgundiæ, & cupiens Bertholdum IV. ducem Zernigiæ, regno Burgundiæ & Arelatenſi privare, concedebat ipſi ſuperioritatem Lauſannæ, Genevæ & Syonii. Quod jus (19.) devolutum eſt ad regiam ducum Sabaudiæ domum, per Germanam Zeringiæ principem, Humberti III. conjugem & Bertholdi V. ultimi Zeringiæ ducis ſororem & heredem, & per matrimonium Agnetis Foucigny filiam & heredem Aymonis domini de Foucigny, qui anno 1225. a Verniero & Hermanno comitibus Kiburgenſibus omne, quod *Bertholdus dux Zeringiæ* patruus eorum in regno Burgundiæ habebat, nactus eſt. Præterea (20.) Papæ Romani per diverſas bullas confirmarunt ducibus Sabaudiæ ſuperioritatem & nominationem epiſcopatus Genevenſis, cum juſſis exquiſitiſſimis, ut epiſcopi & incolæ ducibus ſuis parerent, ut vicario generali imperii & domino territoriali. Tales ſunt bullæ Martini de anno 1419. Leonis X. de anno 1515. Clementis VII. de anno 1524. & 1525. & alia data Bononiæ Idibus Martii ann. 1529. Pauli III. de ann. 1540. 1554. Clementis VIII. de ann. 1575. Subditi (21.) cum epiſcopo Genevenſi controvertentes ſe ſubmiſerunt protectioni duci Sabaudiæ, ut ſui domini; ceu factum eſt 1285. comiti Amadeo V. Porro (22.) duces Sabaudiæ nobilibus Genevenſibus permiſerunt duella committere, ſicuti hoc factum legitur anno 1297. ſub Oliviero de Pagerne, vicedomino Genevenſi. (23.) In tractu Genevenſi duces crearunt nobiles notariosque, tributa exegerunt, diſpenſarunt in variis criminibus capitalibus. (24.) Judæi ſola ducum Sabaudiæ permiſſione ibi tolerantur, eique tributa pendunt, cujus rei exemplum anno 1398. tempore comitis Petri Sabaudiæ theſaurarii generalis occurrit. (25.) Duces Sabaudiæ palatium ſuum Genevæ habuerunt, ſæpius ibi reſidentes ad tempus, nec non cancellariam foverunt. (26.) Amadeus VIII. primus Sabaudiæ dux anno 1430. ibi publicari fecit ſtatuta & ordinationes, omnes ſuas terras concernentes. (27.) Ludovicus dux Sabaudiæ ibi anno 1453. conventum trium ordinum terrarum ſuarum celebravit. (28.) Anno 1457. ipſis jus nundinarum conceſſit. (29.) Carolus anno 1484. ſolennem introitum Genevæ celebravit. Nec non dux Philippus 1496. ut & Carolus bonus 1504. qui ut dominus ejus urbis agnitus, plurima edicta ibi emiſit. Atque ibi (30.) Laurentium de Garreva Baronem de Montenoy anno 1525. comitem de Pont de Vaux creavit, ubi aſſiſtebant principaliores prælati, domini & nobiles Sabaudiæ & Pedemontis; & cum dux cum conjuge ſua Beatrice de Portugal ibi adventarent, urbis incolæ illis, ſolenniter eos excipiendo, claves ſuæ urbis obtulerunt, ut dominis ſuis, & qui ſunt horum actuum plures. (31.) Duces Sabaudiæ monetam quoque in Genevenſi civitate cudi fecerunt auream & argenteam; civitas ipſa autem ab anno 1535. Jus cudendæ monetæ propriis ſibi arrogavit auſpiciis. GVICHENON *p.* 102.

Genevenſes pro ſua libertate duo potiſſimum proferunt 1. Quod ſi comites Genevenſium præſtiterint homagium, aut terras vendiderint ducibus Sabaudiæ, id urbis juribus nocere non potuerit, quippe quæ nunquam ſub terris traditis aut venditis comprehenſa fuerit, quoniam ſuperioritas ejus a tempore Friderici Barbaroſſæ, epiſcopum Ardutium per diploma de anno 1162. ibi conſtituentis, ad epiſcopum ſpectavit. Dux Sabaudiæ reſpondet his: præterea quod hoc diploma ſit ſuſpectum, nec unquam in originali productum, Fridericum imperatorem, qui antea Bertholdo, duci Zeringiæ, ſuperioritatem in urbem conceſſerat, jus illud ſine cauſſa Bertholdo adimere & epiſcopo conferre non potuiſſe; & quamvis hoc fecerit, ſucceſſores Friderici hanc conceſſionem revocare & ſuperioritatem ad duces & comites Sabaudiæ transferre potuiſſe. Alterum, quod Genevenſes pro ſe adferunt, eſt, quod Carolus IV. qui comiti Verd conceſſerat vicariatum imperii generalem ſuper Genevam, per aliud diploma id revocaverit. Sed num hoc ſine cauſa facere potuit? Et ſi potuiſſet, nonne ſucceſſores ejus dignitatem ademtam ducibus Sabaudiæ reſtituere potuerunt? Conferatur quoque *comma reale di Savoya d'* AGOSTINO DELLA CHIESA p. 133. ſeqq. Latius omnia perſequitur LETI *in hiſtoria Genevenſi Italice conſcripta, part. 1. lib. 7. p. 453. ſeqq. 450. ſeqq. 457. ſeqq. part. 2. lib. 4. lib. 5. part. 3. lib. 7.* Letium ſe non omnimodo a ſtudio & ira temperaſſe, ſunt, qui putant, cauſam fuiſſe ferunt, quod anno 1679. ex urbe Geneva proſcriptus, eradicato ejus nomine ex civium matricula, & deletis igne Sixto ejus nominis V. & Philippo II. *Hiſtoria Genevrina parte V. lib. 3. pag.* 312. Exilii cauſa princeps fuit odium, quo Calandrinus presbyter aliique ex clero in ipſum ferebantur, occaſionem autem libri, ut dictum, Vulcano dedicati, & itinerarium Romanum præbuerunt l. c. *parte V. lib. 1. p. 23. lib. 3. 4.* Tantum tamen abeſt, Letium Geneva diſceſſiſſe, ut potius Galliæ regis munitus protectione, ſub ejus umbra ibi aliquod tempus commorari perrexerit? *Parte V. p. 331. ſeqq.* Sed ad propoſitum redeamus, quamvis autor hic libertati Genuenſium omne deroget fundamentum, eam tamen illi urbi per pacem cum Sabaudiæ duce anno 1603. in S. Juliani caſtro initam, partam eſſe fatetur. *Hiſtoria Genevrina parte 3. lib. 6. p. 468. ſeqq. p. 488. 492. 496. 497.* Declaraverat quidem Henricus IV. Genevam in tractatibus Vervinenſi & Lugdonenſi inter ſe & Sabaudum 1601. factis *l. c. part. 3. p.* 408. 410. incluſam eſſe. *l. c. p.* 475. Sed hæc declaratio Carolum Emanuelem inquietiſſimi animi principem avertere non potuit, quin per nocturnas tenebras, admotis mœnibus ſcalis, urbem per ſuos occupare tentaverit. Verum enim vero res admodum male ceſſit. l. c. *part. 3. lib. 6. p. 411. ſeqq.* *THVANVS lib. 129. p. 884. ſeqq. tom. V. ad annum* 1602. Adde *le memoire d'* AGOSTINO DELLA CHIESA. Sabaudi conatus Henricus IV. Galliæ rex indigniſſime tulit, Genevenſesque, ſi quid ulterius Sabaudiæ dux auſurus eſt, de auxiliis ipſis ſubmittendis certiores reddidit. *l. c. p.* 449. Intereſt enim Gallorum, ne hanc urbem Sabaudi ſub ſuam redigant poteſtatem. Curavit enim Henricus Sabaudo ſignificari, ſi contra datam fidem infeſta Genevenſibus inferre ſigna pergeret, ſibi cum eo belli aleam denuo tentandum fore. Hae minæ haud dubie pacem in S. Juliani caſtro concluſum accelerarunt. Extincto deinde impia Ravalliaci manu Henrico IV. commodam ſibi natam eſſe occaſionem credens Genevam ſubjiciendi, ante omnia de Helvetiorum catholicorum animis perſcrutandis fuit ſollicitus. l. c. parte V. lib. 1. p. 24. ſeqq. Sed legatus ejus reſponſum tulit: *che in quanto all' intereſſe con Geneva non vidervano ragione alcuna legitima, che poteſſe muovere S. A. a rompere con la dichiaratione d'una guerra un trattato egli ſolemnamente giurato, con quello de S. Giuliano, che come alcuni del loro cantoni.* (Glaris, Baſilea, Solothurna, Schafhauſa, & Appenzella) *erano ſtati mallevadori di tal trattato coſi ſi ſtimavano obligati di protegere tutti inſieme la parole, che gli altri promeſſo havevano.* Hoc & fœdus inter Gallos & Helvetios ad conſervandam Genevenſium libertatem anno 1611. ictum l. c. p. 38. 39. Id verum, in pace in S. Juliani caſtro facta, Sabaudum expreſſe prætenſioni ſuæ in urbem non renunciaſſe, aut eam liberam declaraſſe, niſi dixeris, per conſecutionis filum colligi, hoc eſſe factum; cum dux per illam pacem perpetuæ pacis Vervinenſis acceſſorium conſenſerit, ut civitas maneret in illo ſtatu, in quo tempore conditæ pacis erat: Sed quomodocunque hæc ſe habeant, novæ ſemper ſubortæ inter Sabaudum & Genevenſes ſunt lites, aut veteres continuatæ & reſuſcitatæ. De Genevenſibus Sabaudus per legatum ſuum Baronem de Geyſi anno 1667. coram Helvetiis graviter conquerebatur. Vide inſtructionem ei datam apud LETIVM *l. c. parte 4.*

Gallis id fœdus ad regni ſui ſecuritatem utile exiſtimantibus: *quod clauſura, qua iter tutiſſimum & compendioſiſſimum auxiliaribus Helvetiis ab illa parte venientibus patet, non aliter in poteſtate haberi poſſit, quam ſi Genevenſes amicos habeant.* Cæterum ab antiquo urbem illam imperii leges audiviſſe, non Gallicas, certum eſt, & produnt hodieque id inſignia urbis ſua aquila. Non opus ſane eſt, quo multis id demonſtrem: ut tamen eo magis omnibus pateant, adferam in medium nonulla ex lib. CXXV. Hiſtoriarum Thuani excerpta, ubi præclariſſimus ille Hiſtoricus recitat breviter, quæ utrinque a partibus, in diſſidio illo Sabaudi & Genevenſium, in jurium defenſionem ſunt per id tempus edita. Ex his enim multo plurima licet petere de imperii perpetuo in urbem illam jure; & hactenus etiam tantum nos illa attingemus. *Geneva*, inquit ille, „quam ex veteri inſcriptio„ne equeſtrem civitatem olim dictam volunt, poſt everſum imperium Romanum & novum a „Franco - Gallis noſtris in occidente fundatum ſub ejus patrocinio diu libertatem ſervavit, bici„pitis Aquilæ, cujus imago etiam nunc pro valvis majoris templi viſitur, & ad Caroli Magni tem„pora refertur, aliis veluti defenſa, quousque exortis in imperio diſcordiis civilibus, cum a cæſaribus „deſereretur, ad epiſcopos, quorum tunc etiam in iis, quæ ad civilem jurisdictionem ſpectabant, „magna auctoritas erat, confugit. Dein nova inter epiſcopos ipſos & vicinos Sabaudiæ comites „ſuborta diſſidia urbem miſeram, ſemel atque iterum incendio vaſtatam varia peſte deſtruxe„runt. Juris autem, quod Sabaudus ſibi arrogat, hæc fere teſtimonia & argumenta ante trien„nium, ſtatim poſt pacificationem Veruinienſem, cum Octobri menſe Hermancæ ab utraque par„te conventus indictus eſſet, ejus delegati in medium afferebant. Petrum videlicet ex antiquo „Genevenſium comitum ſtipite ultimum anno MCCCXCII. 24. Martii, heredem univerſalem „inſtituiſſe Hombertum Villarii comitem ex ſorore nepotem, qui poſt avunculi mortem Gene„venſem comitatum crevit, & ejus inveſtituram a Wenceslao cæſare tertio poſt anno exeunte obti„nuit. Humbertum dein MCCCC. poſt anno menſe Martio morientem, cum nullos ex ſe natos „haberet, poſtumos inſtituiſſe, & iis deficientibus Odonem Villanium patruum; qui cum here„ditatem anno ſequenti adiiſſet, V. Auguſti mox comitatum Genevenſem titulo venditionis in „Amadæum Sabaudum tranſtuliſſe. Amadæum autem, ut emptionem a ſe factam novo jure con„firmaret, ejusdem comitatus denuo inveſtituram a Sigismundo cæſare impetraviſſe anno MCCCCXXII.

lib. 4. p. 270. ſeqq. ad quæ gravamina reſponderunt *l. c. p. 283. ſeqq.* E contrario in aula Gallica a Sabaudo S. Juliani pacem multis infringi modis, Genevenſes proponebant, Mazarinius ab Alexandro VII. admodum incitabatur, ne, ut loquebatur papa, hæreticorum vigere ſineret receptaculum, ab epiſcopo deinde Genevenſi, qui Anicii locum tenebat, preces, religionis quoque obtentu incruſtatæ, accedebant, ut juribus ſuis reſtitueretur priſtinis. Matrimonium cum Mancinia quadam, ſi Sabaudo placuiſſet, urbs hæc dotalis forte prædii locum habere debuiſſet. Deinde Mazarinii juſſu Sabaudiæ duci proponebatur, Gallicis armis & ſumtibus ei urbem ſubjiciendam eſſe, ſi, ut Nizza Gallorum eſſet, pateretur. LETIVS lib. IV. p. 175. Hæc plene ad Sabaudicam domum poſt Ludovici II. regis Siciliæ mortem, tractatibus inter Jolantham filiorum impuberum tutricem, & Amadeum VIII. Camberii initis, pervenit. Conventionis tabulas vide apud GVICHENON *dans les preuves p. 257. corps diplomatique tom. II. p. 142. ſeqq.* GVNDLING. *in otiis part. I. c. 3. p. 120. ſeqq.* Hic vir, quem ob magnum ingenium, acre judicium, & conſummatam eruditionem magni ſane facio, Sabaudi jura in Nizzam tanquam provinciæ, imperii feudi, partem vindicavit. *l. c. p. 103. ſeqq. 150. 151.* ubi ex MARCÆ *marca Hiſpanica* transactionis, inter Raymundum Barcinenſem & Raymundum provinciæ comitem initæ, partem affert, ex qua pateſcit, quod Friderico I. a provinciæ comite fiduciarium præſtari debuerit juramentum. Confer quoq; MARIANAM *in hiſtor. Hiſpan. lib. 11. c. 9. tom. 2. Hiſpan. illuſtrata. La recherche des droits du Roy de CASSAN liv. II. p. 925. ſeqq.* Litibus autem illis inter Sabaudum & Genevenſes ſe Ludovicus immiſcere noluit: verum catholici Helvetiorum pagi minitabantur, ſi Genevenſes ducem non uno aut altero modo placarent, fore, ut ei ſuppetias ferrent, & proteſtantium pagi a bello abhorrentes, aliquo modo duci ſatisfaciendum eſſe, arbitrabantur. Hæc res eos obſtrinxit, cum alii modi Sabaudo diſplicerent, deputatos Auguſtam Taurinorum, ſibi ducem faventiorem redditum, mittere, qui de reverentia, qua ducem & regiam ejus domum colebant, prolixe teſtati, & ut S. Juliani pax ſalva eſſet, ab eo precati, a duce reſponſum tulerunt: „qu'il croy oit Meſſ. de „Geneve aſſéz honetes gens pour lui donner de la ſatisfa„ction, & pour ſe tenir a Leur devoir.„ Interim digniſſime ſatis recepti ſunt, & dux parti orationis, quam Syndicus *Duplan* habuit, aperto capite auſcultavi. LETI *p. IV. lib. IV.* Neque hac deputatione res compoſitæ ſunt, ſed Sabaudus adhuc ſibi de Genevenſibus conquerendi rationem adeſſe profitebatur. Quæ res Genevenſes commovit, ut Delfinum Syndicum in Taurinenſem mitterent aulam, qui perhoneſte exceptus exacerbatum ducis animum aliquo modo lenivit. LETI *parte V. lib. III.* Difficile admodum eſt, illi favere civitati, quam obſequio, quod nobis debebat, ſe ſubtraxiſſe credimus. Quænam Genevæ intuitu Sabaudi obſervanda ſint, docet LETI *l. c. parte V. lib. V. p. 568. ſeqq.*

(†) *Henrico III. rege* ad pag. præc.) GöBEL. Cum papa Paulus V. conſtituerat, Sabaudo ad ſubjiciendos ſibi Genevenſes opem ferre, Henrici IV. vidua, filii impuberis nomine Galliam regens, legatum cardinalem Joyeuſem Romam miſit, papæ ſignificatum: „che la città di Geneva, & il „pace di Vaux trovandoſi in virtù di trattati d' Henri„co III & d Henrico IV. ſotto della protettione, ſi trove„va la regente obligata per honore & per giuſtitia, d'im„pedire, ch'il duca, non ſene rendeſſe ſignore tantopiù, „che le maſſime di ſtato non permettevano, che queſto „prencipe ſtendeſſe i ſuoi confini conpotenza maggiore „verſo la Francia. Vid. Hiſtoria Genevrina di LETI part. „IV lib. I. p. 44. lib. III. p. 203.„ Satis exploratum eſt, Galliam aliquando conſilia agitaſſe, num Genevam ſuæ adjicere poſſit ditioni. Vide LETIVM *H. G. parte V. lib. 4. p. 354.* Hic autem autor *l. c. p. 359.* imperii Germanici jus in Burgundicum regnum ignoravit, aut diſſimulavit. Neſcio, an verum attingat, quando p. 390. ſtatuit, prætenſionum Gallicarum ſcriptores eam, quam rex in Genevam habet, in catalogis ſuis omiſiſſe, nec Henricum IV. aut Richelium & Mazarinium aliquid circa eam moviſſe: „Sapendo beniſſimo, che non e della gloria d'uno de „monarchi il piu formidabile, metterſi a diſputare di „dritti, & di pretentioni con una delle più picciole ſi„gnorie del mondo &c.„ Nullum profecto dubium eſt, a longo jam tum tempore Gallos cum Genevenſium republica, ut a ſe plane independente, egiſſe. Ut alia ſileam, provoco jam ſaltem ad tractatum, Solodauri inter Galliæ regem Henricum III. & Helvetiorum pagos anno 1579. initum. LETI *parte IV. lib. I. p. 37.* Cui accedit tractatus de anno 1589. quem Henricus IV. 1592. confirmavit. LVNIG *arch. imp. parte ſpeciali tom. II. p. 262.* Atque ſic omni juris umbræ, quam unquam Galli in hanc habuerunt urbem, renunciatum eſt.

„M CCCC XXII. 10. Kal. Septembr. Cum vero de comitatu Genevenſi, quaſi morte Petri ad „imperium devoluto, ab imperiali Syndico controverſia Amadæo facta eſſet, & Arauſionenſis „princeps eundem comitatum, quaſi Petri ab inteſtato heres vindicaret, Sigiſmundum apocha „ſecreta Amadæo caviſſe, ſi ſententia ſecundum imperialem fiſcum ferretur, fore, ut jus omne, „quod in comitatum Genevenſem tanquam imperii beneficarium ipſi competebat, ei ſucceſſo„ribusque ejus bona fide attribueret. Quod cum contigiſſet, Sigiſmundum poſt ſententiam la„tam novo inſtrumento apocham ratam habuiſſe, & anno ſequenti IX. Kal. Nov. comitatum „Genevenſem Amadæo conceſſiſſe, & Arauſionenſi interdixiſſe, ne comitis Genevenſis titulos Sa„baudo attributos ſibi impoſterum arrogaret. Ea de re publicum inſtrumentum confectum anno „CIↃ CCCC XXIV. IV. Kal. Jun. Jam vero ante Sabaudiæ principes omne ſupremum dominium, juris„dictionem, ac jura regia, quæ imperio in eo competebant, a cæſaribus habuiſſe; & vicarios imperii „conſtitutos, epiſcopo Genevenſi mandandum curaviſſe, ut principes Sabaudiæ tanquam perpetuos „imperii vicarios coleret. Id a Carolo IV. anno CIↃ CCC LVI. decretum: cum jam ante, anno ejus„dem ſeculi LVI. idem Carolus conſtituiſſet, ut appellationes a Genevenſibus interpoſitæ, coram „Sabaudiæ duce tanquam imperii vicario diſceptarentur. Id jus a Maximiliano cæſare in comi„tatum Genevenſem & nominatim in civitatem Genevam ejusque territorium Sabaudiæ duci con„ceſſum eſſe, diplomate ea de re condito III. Eid. Maj. anno CIↃ IↃ XIX. Secundum hæc anno de„cimo poſt prid. Non. Xbr. a Carolo V. mandatum Genevæ civitati ejusque epiſcopo fuiſſe, ut „omne obſequium Carolo Sabaudiæ duci deferrent. Quod & idem Carolus anno ſequenti, cum vi„carii titulo aliisque juribus plenius deſignatis confirmavit, inſtrumento ea de re facto III. Eid. „Mart. idem juris ſub Ferdinando & Rodolpho cæſaribus fuiſſe.

17. Hactenus pro ſuis, imo pro imperii juribus, Sabaudum audivimus. Si Genevenſes ipſi quoque producantur, non minus in liquido ſunt imperii in urbem illam jura. Eodem enim Thuano teſte, ſeſe *ſemper liberam & imperialem urbem fuiſſe* affirmaverunt: id patere ex diplomate quodam *Friderici Ænobarbi* (a) cæſaris & ſecutorum temporum actis, eoque ſibi non obſtare Wenceslai, Sigiſmundi & Caroli V. reſcripta, ut vitio & obreptitia fraude impetrata. Carolum ipſum cum ſuam Sabaudo principi factam conceſſionem imperio ſumme detrimentoſam agnoſceret, contrario reſcripto dignitatem vicarii Sabaudiæ comiti abrogaſſe, juribus priſtinis tam epiſcopo quam Amaoppido, quod *nobile imperii membrum* vocat, competentibus confirmatis. Sigiſmundum imperatorem dæo Sabaudo enixe imperaſſe, ne quid contra jura regalia & libertates eccleſiæ Genevenſis, quam itidem *inſigne imperii membrum* appellat, attentare præſumeret. Carolum V. cæſarem anno MDXXX. monuiſſe Genevenſes, ne quid in perniciem epiſcopi, eccleſiæ ac civitatis, a Sabaudiæ ducibus inducti, facerent, atque decimo anno poſt eos denuo monuiſſe: ut priſtinam jurisdictionem & libertates a deceſſoribus ſuis Genevæ, *tanquam civitati imperiali* conceſſas, *tuerentur*. (b) Temporibus Petri Balmi epiſcopi fœdus ab oppidanis ictum eſſe cum Bernatibus & Friburgi pago: itaque Henricum III. regem Galliæ anno MDLXXIX, renovato cum Bernatibus & Solotumenſibus fœdere, in eo rempublicam Genevenſem *comprehendiſſe*, (c) ejusque patrocinium ab eo tempore reges chriſtianiſſimos ſuſcepiſſe. Mitto alia.

18. Cum hæc vero ita ſint in utramque partem diſputata anno poſt milleſimum ſexcenteſimo, manifeſtum utique id eſt, ſaltim illo etiam tempore Genevam urbem non a Sabaudo, non a Gallo, non a ſuis civibus habitam, tanquam ſit extra imperii limites, etſi in patrocinio degeret Gallico. Nec vero urbs illa hactenus deſiit Aquila imperiali exornare inſignia ſua, in argumentum imperialis ſubjectionis. Num vero una cum aliis fœderatis Helvetiis ipſa hæc urbs per tabulas pacis publicæ nuperas mutaverit conditionem, *non ſatis novi*, (d) eoque nihil etiam definire audeo.

19. Re

(a) *Friderici Ænobarbi*) GöBEL. *Hiſtoria Genevrina di Gregorio Leti parte I. p. 480. ſeqq.* Sed diplomata cæſarea præcipue primum, in quo dicitur, *Amadeum comitem Gebennenſem ipſam ſibi ſuperioritatem vindicare cupientem, nullo tamen ſubſiſtere fundamento.* AVGVSTINVS *della chieſa* ſuppoſititia vocat, putatque Friderici diploma, cujus in PARADINI *hiſtoria Sabaudiæ* & in libro, cui titulus: *il cavaliere ſavoiardo*, Genevenſium ſcriptum, quod *civis* nomen habet, inimicum expertus, ab illo diplomate, quod A. 1162. in archiepiſcopatu Biſantinenſi conſcriptum dicitur, longe alienum eſſe. Negari non poteſt, non levis eſſe momenti dubia, quæ contra primum illud Friderici diploma apud LETIVM *p. 430.* leguntur. Etenim ex OTTONE DE S. BLASIO aliisque fide dignis auctoribus conſtat, Fridericum anno 1162. in Italia commoratum eſſe. Adjiciendum adhuc ex SPONII *Genevenſi hiſtoria*, epiſcopum in urbem ſibi ſuperioritatem competere contendentem, his potiſſimum initi diplomatibus: ſed non deſunt Genevenſibus, quæ ejus rationibus opponant. Vide LETI *parte I. libr. 7. p. 493. ſeqq.*

(b) *Tuerentur*) GöBEL. Cum Carolus V. relatum acciperet, non ſolum Sabaudo, ſed & Bernatibus; Genevam occupare, conſtitutum eſſe, ad ſyndicos & conſilium urbis anno 1540. d. 8. Auguſti literas dedit, ex quibus LETIVS *part. 3. lib. 1. p. 67.* hæc refert: „di riuſcirgli molto ſtra„no l'aviſo, che quei di Berna voleſſero eſſigere da lo„ro, un giuvamento di fedeltà, ché non credeva, cheſſo„ſero mai per fare, defendendo glielo ſotto pena d'in„correre nella ſua indignatione, ſperando ché li Ber„neſi, a qualé ſcrivera, deſiſtere bono di tal pretentioné, ordinando alla cittá di Geneva, di reſtare nell' ubbidienza dell' imperio come cittá imperiale.

(c) *Comprehendiſſe*) GöBEL. Varia Genevenſes cum Bernatibus aliisque Helvetiorum pagis inierunt fœdera: Vide LETI *part. 3. lib. 1. p. 33. p. 73. 89. 99. 100. Parte 4. lib. 1. p. 38. p. 120.* Nec parum intereſt Helvetiorum, fœdere & amicitia Genevenſes ſibi junctos habere. Satis ſuperque illud manifeſtum eſt ex initialibus verbis pactionis inter Henricum III. Helvetiorum pagos & Genuenſes anno 1579. Soleduri initæ, quæ in hunc ſe habent modum: *in riguardo chè Geneva è una delle chiavi e principal balvardo del paeſe de Cantoni confederati a perpetuità al Cantone di Berna.*

(d) *Non ſatis novi*) GöBEL. Imo fœdus Genevenſe cum Helvetiorum pagis & Gallo, ut ejus fruantur clientela, contractum juribus imperii nocere non poteſt. Licet enim imperii membris, cum exteris etiam fœdera inire, modo non ſint contra imperium, & quatenus contra illud ſunt, ipſo jure nulla ſunt. Deinde in pace Weſtphalica

Digitized by

19. Re igitur illa in medio relicta in HELVETIOS (a) fœderatos jam inquiremus. Et vero maxima eorum pars intra veteris regni Burgundici fines continetur, ut qui ad Rhenum & Urſam usque amnes fuerint extenſi, ceu ſupra probavimus. Merito igitur hoc loco de iis agendum, trahente ſecum huc majore parte eam, quæ tenuior eſt. Omnem igitur Helvetiam illam imperii fuiſſe ditionem, antequam in fœdus aliquod populi illi coaluerunt, usque eſt adeo palam in omnibus, etiam domeſticis illorum *annalibus* (b) proditum, ut demens ſim, id ſi tentem teſtimoniis probare. Ne id quidem in controverſia eſt, an ſtatim ab icto fœdere in plenam illi libertatem ſint aſſerti. Refragantur enim omnia itidem monumenta, & fœderati ipſi immunitates plerasque adſcribunt demum privilegiis cæſarum Adolphi, *Henrici ſeptimi*, (c) Ludovici quarti, *Caroli quarti*, (d) Wenceslai, Ruperti & Sigismundi. Friderico III. cæſare in comitiis Reginoburgenſibus anno MCCCCLXXI. in bellum Turcicum juſſi ſunt Helvetii conferre auxilia: excipientibus tamen eorum, qui aderant, legatis, id conceſſis genti privilegiis repugnare; jure an injuria, alibi diſputatur: ſatis eſt hic obſervaſſe, quod & comitiorum imperii partem tum fecerint, & juſſi ſint ferre onera reipublicæ. Comitiorum illorum decretum ita ſeſe habet: *Item, ſo ſollen die Eidgenoſſen von Bern, Lucern, Zürich, Solothurn, Freyburg in Uchtland und andere, ſo in Einung mit ihn ſeyn, haben 100. zu Roſſe, 900. zu Fuſſe., Doch ſollen die Apt, Prälaten, Graven, Herrn und Städt, die als hievor ſtehet, angeſchlagen und in der Eidgenoſſen Land beſeſſen, nicht in der nechſtgemelten Summa begriffen ſeyn, ſondern bey dem Anſchlag bleiben, der auf ieden, wie hievor von ihn geſchrieben ſtehet, inſonderheit geſatzt iſt.* Interfuere Helvetiorum legati & comitiis Baſileenſibus anno MCCCCLXXIV. Nonnulli fœderatorum etiam legibus ibi conſtitutis teneri ſeſe arbitrati, auxilia juſſa exercitui imperii ad Nuſſiam contra Carolum Burgundum ſubmiſerunt: Alii noluerunt quidem videri legibus illis obſtricti, officium tamen ſuum fecerunt, diſerte imperii ſe membra profitentes. Verba literarum fecialium, quibus hi Carolo iſti Burgundo bellum tunc indixere, ſunt notatu digna: „Illuſtriſſimo principi ac domino Carolo duci Burgun„diæ, vel ejusdem vicariis & officialibus, quibuscunque nominibus nuncupentur, ubicunque reſe„derint, inſinuamus nos burgimaiſtri, ſculteti, ammanni, conſules & communitates magnæ ligæ „Alemanniæ ſuperioris, videlicet *Zurich, Bern, Lucern, Underwalden, Uri, Zug, Claris* & oppidi *Solo„thurn*, hoc tempore in oppido Lucernæ congregati, quod nos ad grandes exhortationes, & requi„ſitiones invictiſſimi & ſereniſſimi Herois noſtri gratioſiſſimi, cui TANQVAM S. IMPERII MEM„BRA NON INIVRIA OBEDIENTER PAREMVS &c.

20. Maximiliano cæſare anno MCCCCXCVI. juſſi fœderati omnes more aliorum imperii ordinum legibus publicis obſequi, & ſubire communia onera, *recuſarunt* (e) id quidem, & bello hinc exorto, quam ſibi deberi credebant libertatem, fortiter tutati ſunt: pace tamen deinde confecta non niſi privilegiorum ſuorum confirmationem, exemtionem item a judicio Aulico, Camerali, & Rotwilenſi, libertatem fœderum, & immunitatem ab omnibus oneribus realibus imperio debitis impetraverunt, ea inſuper addita lege, ut evocati ab imperio adverſus vim peregrinam, juſtis auxiliis eam arcere ſint obſtricti. Ita enim cautum eſſe, cum Baſileæ anno MCCCCXCIX. tum Conſtantiæ ſequentis ſeculi anno undecimo & tertio decimo, & fama id communi ferri, teſtatur Goldaſtus, vir & gente Helvetius & hujusmodi rerum diligentiſſimus indagator, epiſtola dedicatoria, quam operi, cui *Reichshandlung* fecit titulum, præfixit. Ubi ſimul ingenue fatetur, illa quæ Maximiliano cæſari oblata ſunt Helvetiorum privilegia, a quodam ſacerdote Nicolao Schradino & Petermanno Etterlino Lucernæ publicata, usque adeo putide fabuloſa eſſe, ut nemo prudens poſſit ſatis mirari, ea fuiſſe tum Helvetios ſimplicitate, ut ejusmodi anilia commenta non dubitaverint privilegiorum titulo producere.

21. Sunt qui referunt, Julium II. papam Helvetios anno MDX. populum liberum & omni imperii

art. VI. tantum Baſileæ cæterisque Helvetiorum pagis poſſeſſio vel quaſi libertatis & exemtionis ab imperio firmatur; ſociorum autem Helveticorum mentio non injicitur. Cumque odioſum ſit, ſe alicujus obſequio legitime parto ſubſtrahere, ſequitur, quaſi poſſeſſionem illam libertatis & exemtionis Helvetiis conceſſam ad Genevenſes, ut Helvetiorum ſocios, trahi non poſſe. GROTIVS *de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 16. §. 12. & 13. Atque igitur hodie quoque Geneva urbs pro imperii parte eſt habenda. Idem propter eandem rationem de reliquis Helvetiorum ſociis, ut Rhætis aliisque, dicendum eſt.

(a) *HELVETIOS*) *C.A.M.* Helvetii ſunt illi populi, qui dicuntur die Schweitzer, appellati ita a pago Schwietz, qui omnium primus ſe in libertatem aſſeruit, & quaſi originem dedit fœderi Helvetico. Quemadmodum hodie VII. provinciæ fœderatæ appellari ſolent *Hollandia*, quia hæc provincia magna potentia præ aliis valet, ita de pago illo reliqui appellati. Sunt igitur populi fœderati varias habentes respublicas. Hodie ſunt omnino liberi, olim non item. Omnium optime deſcripſit rempublicam Helveticam JOSIAS SIMLERVS; prolixius eam perſecutus eſt STVMPFIVS: præ aliis meretur legi CHRISTOPH. GVILLIMANNVS; favet autem vehementer domui Auſtriacæ. Hæc gens ab iniqua præfectorum tyrannide ſe in libertatem aſſeruit. Fœdus autem illud cœpit efflorescere ſec. XIV. poſt. C. N. GöBEL. Acta publica ad Helvetiorum ſyſtema civitatum ſpectantia leguntur apud LEIBN. *in cod. diplomat. tom.* 1. *p.* 141. 189. *p.* 255. DATTIVM *vol. nov. rer. German. tom. I, c.* 13. *tom. II. c.* 2. LVNIG. *archiv. imper. parte ſpecial. continuat.* 1. *tom. II. p.* 204. 205. 227. 209. 212. 221. 223.

(b) *Annalibus*) *C. A. M.* Vide SIMLERVM, GVILLIMANNVM *c.* 15. STVMPFIVM. Fatentur hi, Helvetiorum pagos ſe ab Auſtriacorum præfectorum duritie, non autem ab imperii obſequio liberare voluiſſe.

(c) *Henrici VII.*) GöBEL. Vid. GVILLIMANNVS *lib.* 2. *p.* 294. *ſeqq.*

(d) *Caroli IV.*) GöBEL. Exhibet GOLDASTVS *tom. II. der Reichs-Satzungen fol.* 93. mandatum Caroli IV. imperatoris *an die Reichs-Städte Zürich und die Reichs-Städte Ury, Sweitz und Unterwalden, daſs ſie die Bündnis unter ſich und mit den benachbarten Fürſten und Städten aufgerichtet, fahren laſſen und des Reichs Schutz und Schirm allein geleben ſollen.* DATT. *vol. nov. tom. I. c.* 13. *n.* 13.

(e) *Recuſarunt*) GöBEL. Vid. DATT. *tom. III. c.* 9. *n.* 52. 53. LVNIG. *archiv. imperii part. ſpecial. continuat. I. tom. II. p.* 226.

perii reverentia ſolutum declaraſſe; ſed fide incerta. Utque id fecerit papa, nihil juvat libertatem Helvetiorum factum hominis, qui diſponendi de imperii rebus poteſtate deſtituitur. Sed & ipſimet Helvetii Leone X. papá, anno MDXIX. non diſſimulanter imperii ſe membra profeſſi ſunt. Id liquet ex epiſtolis binis, altera ad Leonem ipſum, altera ad Albertum cardinalem & Moguntinum archiepiſcopum per id tempus perſcripta, quam utramque exhibet Goldaſtus in laudato illo opere actorum imperii ſive *Reichshandlungen* fol. 101. & 403. & ex parte inſeruit ſuæ pro imperio replicationi c. 41. ex quibus etiam hic nobis omnino quædam ſunt repetenda. In epiſtola ad papam ipſum ita loquuntur: *Und wer Jemants, wer der wäre, der Euer Heiligkeit bereden oder fürtragen würde, daß wir einen König oder Kayſer, der nicht aus Teutſcher Nation wäre, bewilliget oder gefallens hatten, dem wolle Euer Hochwürdigkeit nicht Glauben geben. Dann wir als Glieder mit ſampt andern des Heiligen Reichs Ständen, ſo Teutſcher Nation ſeind, keinen ſo nicht unſer Nation Kayſer wäre, leiden noch gedulden würden.*

22. Magis adhuc clare exprimunt hanc ſuam mentem in epiſtola ad Moguntinum cardinalem hiſce verbis: *Und daß bemeldter König von Franckreich, auch Euer Hochwürdigkeit und E. K. G. möcht unterſtehen zu bewegen, indem daß Er mag fürgeben, Er hab guten Willen bey etlichen Ständen des Reichs, und nemlich bey uns Eydgenoſſen, damit dann Euer Hochwürdigkeit und F. G. unſerer Herren und Oberen Willen und Meinung verſtahn, berichten wir ſie deß, daß wir Aydgenoſſen alſo ſind herkommen, daß wir uns von den zweyen Hauptſtänden, von dem heiligen Stul zu Rome, und dem Heiligen Römiſchen Reich, nie haben geſundert, beſonder denen, als dann billich und recht iſt, und auch zu thun ſchuldig und pflichtig geweſen, und auch noch ſind, und auch allweg hinfür thun wollen, mit unſerm Gut und Leib beygeſtanden. So iſt kundbar und offenbare, wir ſeyen, ſetzen zu wellichem Herrn der iſt, zu dem vvir uns verbunden haben, gegen vveme das ſey, ſo haben vvir allvveg ausgelaſſen und vorbehalten, das Heilige Römiſche Reich, und nicht unbillig: Dievveil vvir von dem unſere höchſte und beſte Freyheiten haben, den Adler und das Reich ob unſern Schilten führende, berühmt und gebrauchen, ſind auch Glieder, und des gäntzlichen Ehr und Lobe haben vvollen, vvie andere Stände und Glieder. Solte nun ſolche höchſte Ehre, Würde des vveltlichen Schatzs, das Kayſerthum, &c. in andere frembde Nation und Sprache gevvendet vverden, und beſonder die Franckreichiſchen, die lang darnach gedürſt und geſtelt hat, vväre uns fürvvar von vvegen unſerer Herren und Obern, als einem dapffern Glied des Reichs, leyde, und gedencken nichts gevviſslichers, dann daß unſere Herren und Obern, mit ſambt andern Gliedern und Standen des Heil. Reichs, die dann nicht minder damit beſchvvahret vverden, in ſolcher Wahl gar nicht vervvilligen, noch der ſtatt thun, ſondern mit Hülffe GOtt des Allmächtigen, und mit der Teutſchen Nation ſolches vvenden und vvehren nach allem Vermögen.* In fine epiſtolæ: Datum *und mit unſer getreuen lieben Aydgenoſſen von Zürch Stadt aufgedruckten* Secret *Inſiegel beſchloſſen, in Ihrer und aller unſer Namen,* 1519. &c. Subſcriptio.

23. Hactenus ipſi Helvetii. Quorum hanc profeſſionem, illi ævo familiarem, liceret alias etiam ex Wimphelingii & Bebelii, qui tum floruerunt doctrinæ laude, teſtimoniis petere. Nam ille quidem in ſuo Soliloquio pro pace Chriſtianorum hiſce verbis utitur: *Recognoſcunt Suitenſes imperium Romanum.* Item: *Dicunt ſe imperio Romano deferre.* Item: *Dicunt ſe obedire imperio.* Bebelius in ſua cohortatione ad Helvetios: *Poſtquam nuper acceperam, Conſtantia,* inquit, *viri Helvetii fortes, vos communi conſenſu paribusque ſtudiis & voluntate rediiſſe in corpus ſacri imperii.* Item: *Cum dicere ſoleatis, paratos eſſe obedire cæſari, dum contra Turcas & infideles eatis.* Item: *Aquilam ubique & Romanum imperium præfertis.* Item: *Libere profitemini, vos membra eſſe imperii.* Operæ fuerit pretium, quæ in replicatione iſthac de ſuo adjicit Goldaſtus, huc referre. „Electo deinde (inquit) Carolo quinto „imperatori, principi Germano ex familia Auſtriaca potentiſſimo, univerſi Helvetiorum ordines, „una pariter cum Rhætis Curienſibus & Valleſianis fidem ac obedientiam præſtiterunt, ab eoque in „comitiis Wormatienſibus anno 1521. confirmationem omnium ſuorum privilegiorum in genere; „& deinde privilegiati & exempti Pagi in ſpecie pro ſe & ſuis territoriis, ſeparatim Tigurini, quo„rum quinque diplomata confirmationum variarum vidi tum ab imperatore impetrata; Item Solo„durani, Bernates, Friburgenſes, Nuichtonum, & cæteri, quos veteres pagos dicunt, accepe„runt. Qui vero immunitatem & exemptionem demonſtrare non potuerunt, in matriculam im„perii cum aliis ſtatibus ſub indicto cenſu relati ſunt. Et quidem in circulo Suevico nominantur „epiſcopi, Conſtantienſis & Curienſis; Archiabbas Sanctigallenſis: Abbates, Schaphuſianus, „Stainenſis ad Rhenum, Petershuſanus, Crucilinganus, Eremitanus ſive Einſidelenſis, ſancti Jo„hannis in Turtalia: Civitates, Conſtantia, Schaphuſia, Sanctigallum. In circulo Rhenano po„nuntur epiſcopi, Baſilienſis, Sedunenſis in Valeſia, Genevenſis & Lauſannenſis: Magiſter Jo„hannitarum: Civitates, Baſilea & Mulhuſium. Hi ordines hodieque in matricula imperii compre„henduntur, & a fiſcali cæſareo pro collecta impoſita & ſubventionibus publicis compellari ſolent.

24. Hæc omnia Goldaſtus. Qui paulo poſt ſubjungit literas Nurembergenſis ſenatus, quibus anno MDXXII. teſtati ſunt, abbatem *S. Galli* (a) ſolviſſe, quod in comitiis imperii tribuere erat juſſus. Quas itidem non poſſumus non hic repetere. *Wir Bürgermeiſter und Räthe der Stadt Nürnberg verjehen öffentlich mit dieſem Brieff, daß im Namen und von vvegen des Hochvvürdigſten Fürſten und Herrn, Herrn Gotharden, Abte des Gotteshauſes zu Sanct Gallen, unſers gnädigen Herrn, auf Dato dis Brieffs bey uns erlegt und bezahlt ſind hundert und zvvantzig Gulden in Gold, ſo ſeinen Gnaden in vermög des Abſchieds jungſt gehaltenen Reichs-Tags zu Wurms, fur den gantzen Theil ſeiner Gnaden auferlegten gepürung zu Unterhaltung des Reichs verordenten Regiments und Cammer-Gerichts die nechſtvergangen Franckfurter Herbſt- und Faſten-Meſſ,*

(a) *S. Galli*) GöBEL. Nec hujus in inſtrumento pacis artic. VI. facta eſt mentio.

Meß, als bede friſten des erſten Jahrs zu erlegen gepurt hat: Die vvir alſo angenommen und empfangen, der Meynung, obgemeldtem Regiment damit zu gevvarten. Und haben des zu Bekäntnuß unſer Stadt Secret *Inſiegel zuruck auf dieſen Brieff thun drucken, der geben iſt am Donnerſtag nach unſer lieben Frauen Tag* Viſitationis *genant, als man zahlt nach Chriſti Geburt unſers lieben HErrn 1522. Jahrn.*

25. A Ferdinando porro I. cæſare Helvetii, miſſis communi nomine legatis ad Auguſtana comitia, privilegiorum ſuorum confirmationem expetierunt. Atque adeo hactenus eo ipſo ſeſe ſubditos imperii ultro profeſſi ſunt.

26. Verum hæc quidem ita tunc ſeſe habuerunt. Ex quo autem *fœderibus Gallicis* (a) fuere ſubnixi Helvetii, ſenſim ad majorem libertatem aſpiraverunt. Nec tamen unquam remiſſionem omnium ſuorum jurium ab imperatore & ordinibus nanciſci potuerunt, ipſo camerali judicio frequenter cumprimis eos impetente. *Per tabulas tamen pacis* (b) nuperæ videntur denique in plenam libertatem aſſerti, expreſſa ſimul ejus publica confeſſione. Quarum partem proinde non poſſumus non heic adferre. „Cum item cæſarea majeſtas ad querelas, nomine civitatis Baſileenſis & univerſæ Helvetiæ, coram ipſius plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas, ſuper „nonnullis proceſſibus & mandatis executivis a camera imperiali contra dictam civitatem aliosque „Helvetiorum unitos Cantones eorumque cives & ſubditos emanatis, requiſita ordinum imperii „ſententia & conſilio, ſingulari decreto die XIV. menſ. Maji anno proxime præterito declaraverit, „prædictam civitatem Baſileam cæterosque Helvetiorum Cantones in poſſeſſione vel quaſi plenæ „libertatis & exemptionis ab imperio eſſe ac nullatenus ejusdem imperii dicaſteriis & judiciis ſubjectos; placuit hoc idem publicæ huic pacificationis conventioni inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi proceſſus una cum arreſtis, eorum occaſione quandocunque decretis, prorſus caſſos & irritos eſſe debere.„ Hæc tabulæ illæ. Poſſis tamen forte dubitare, an non illa *poſſeſſionis* confeſſio multum diverſa ſit a jurium remiſſione. Sed non eſt, quare hoc ipſum heic diſputemus.

27. Quicquid vero præter ea, de quibus egimus hactenus, in Burgundico regno ſupereſt, illud omne jam citra controverſiam hodieque imperio paret. Quapropter operam quoque perdiderimus, ſi imperii in illa omnia vim & jura velimus multis ex omni ævo adductis teſtimoniis hoc loco approbare. Abrumpemus igitur tandem hanc telam, ad alia properantes, ubi nonnulla adduxerimus ex diplomate quodam Caroli IV. cæſaris in gratiam Veſontinorum confecto, anno MCCCLXIV. quo pateat, quantum, fatentibus ipſismet Veſontinis, cæſari tum in urbem illam licuerit. „Sane, cum honorabilis univerſitas Biſontina Nobis & Romano imperio immediate ſubjecta, „poſt diuturni temporis lapſum accurate conſiderans, quod pace & commodo ſub amœna tranquil„litate non poſſet gaudere felicius, nec habitu ſecuriori progredi, ac in ſtatu honeſtatis ſuæ perſi„ſtere, quam ſub imperio ultimo & ordinario ſibi domino, ad magnificentiam cæſaris & honores „ſacri imperii vehementer aſpirans, animo deliberato & ſingulorum, quos illud cenſebat proſpice„re, connato conſilio, nec per errorem aut improvide, ſed de certa ſcientia, miſſis ad hoc notabili„bus & famoſis nunciis, ut ea, quæ tranſacti temporis neglexit curriculum, ad debita ſtatus incre„menta felicia reſtaurentur, imperialia jura, quæ Nobis & imperio ſacro in & ſuper civitate Biſon„tina prædicta competierunt & competunt, diſtinguenda, publicanda & declaranda duxerunt: „votis communibus publice profitentes, inprimis quod ſedes & Regio, quæ uſitato vocabulo regalia „nominatur, ad Nos & S.R.I. rite pertinuerit, & pertineat ab antiquo, quodque dicta ſedes præ„fato nomine nuncupata ſit, & eſſe debeat ſuperior juſtitia civitatis, & ab ea aliæ juſtitiæ particula„res & jurisdictiones loci, ipſius nominatim vicecomitatus & majora in feudum dependeant, & „quod quilibet gravatum ſe ſentiens a prædictis duobus, vicecomitatu & majora, & ſingulis aliis „jurisdictionibus ab ante dicta regia in ſedem noſtram, quæ regalia dicitur, ſicut & ab antiquo fa„ctum extitit, valeat appellare: Et quod ipſi & eorum univerſitas dudum, & a tempore, cujus con„trarium in hominum non extat memoria, reputatione veraci tenuerunt, & firmiter teneant, civi„tatem Biſantium prædictam noſtram & ſacri Romani imperii fore absque ullo medio: quodque „Nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum imperatoribus & regibus, dum & quoties Nos ibidem „venire contingeret, claves portarum & valvarum civitatis aſſignare & tradere velint & debeant, „atque ſine omni reſiſtentia tenentur. Quodque ad mandatum noſtrum vicariis, quos celſitudo „cæſarea ſtatuendos duxerit, portas ipſas ad exitum & introitum eorum pro imperialibus honoribus, „juribus & negotiis, gerendum, diſponendum & proſequendum, manutenere, cuſtodire & obſer„vare velint & debeant, & eis, quos ad regendum noſtram ſedem regiam in civitate prædicta, quæ „regalia dicitur, deſtinando duxerimus, & nulli alteri obedire velint & debeant fideliter & parate. „Et

(a) *Fœderibus Gallicis*) GöBEL. Fœdera Helvetiorum cum Gallis inita a LVNIGIO *Archiv. imp. part. ſpec. continuat. I. tom. 2.* ſequentia referuntur: cum Ludovico XI. ut Delphino Viennenſi, *p.* 214. cum Carolo VII. *p.* 217. Ludovico XI. ut Galliæ rege, *p.* 218. 219. ubi agitur de fœdere, quod ab Helvetiis anno 1475. 20000. florenorum Gallicorum annuo reditu redemtum: cum Ludovico XII. p. 225. Franciſco I. p. 227. Henrico II. p. 233. Carolo IX. p. 238. Henrico III. p. 242. 247. Henrico IV. p. 266. Ludovico XIV. p. 256. Vid. MEDAILLES *ſur le regne de Louis le grand p. 76. & diſcours hiſtorique* D'AMELOT DE LA HOUSSAIE p. 157. ſeqq. COMINÆVS hoc fœdus Helvetiis aliquando exitio futurum, præſagiit. DATT. *lib. 3. p. 4.*

(b) *Per tabulas tamen pacis*) GöBEL. In tabulis pacis non niſi de poſſeſſorio ſermo eſt. Imo videtur imperium plus dediſſe, quam petitum eſt. Baſilienſes enim nihil, quam exemtionem ab imperii judiciis & oneribus, vi privilegiorum ſuorum, precabantur. Igitur ſunt, qui putant, verba inſtrumenti pacis juxta tenorem precum illarum eſſe interpretanda. Sed abſit a me, in tam ardua controverſia, quid Helvetiis per pacem Weſtphalicam partum ſit, judicem agere velle.

„Et quod dum præſentes fuerimus in loco prædicto, licite poſſumus pro noſtro beneplacito, auri, „argenti & alterius cujuscunque metalli, fabricare monetas, ad quarum receptionem obligabun- „tur omnes & ſinguli, quamdiu noſtra ſerenitas ibi dignabitur demorari.

Verum hæc hactenus.

Caput XXVI.

Quæ reges Galliæ in regno Lotharingico poſſident, illorum magnam partem finibus imperii jam fortaſſis excidiſſe.

I.

Peragrato Burgundico regno, ducit nos ordo in Lotharingicum. Hujus autem alia quidem citra omnem controverſiam intra imperii limites continentur, utpote quæ & onera ejus publica ferant, & audiant leges, & pareant judiciis. Nonnulla vero dubii ſunt juris, certe opinionibus hominum varias in partes differuntur: qualia ſunt, quæ Galliæ ac Hiſpaniæ reges tenent, & in ducum Lotharingiæ patrimonio cenſentur. De quibus ſolis proinde nunc diſputabimus, initio a Gallicis facto.

2. Ac GALLIÆ quidem reges ab Ottonum usque temporibus in omne illud regnum per complura ſecula *nihil ſibi arrogaverunt*, (a) & pax inter regnum illud & imperium ſumma, limitesque rati & certi ſibi conſtiterunt. Hoc ſtatu ſane omnia ad Fridericum usque ſecundum cæſarem perducta eſſe, a nobis capitibus VI. & VII. luculente oſtenſum eſt.

3. Unum tamen hic addemus, quod ibi docere intermiſimus. Nempe a cæſaribus noſtris ultra antiquos regni Lotharingici limites vim imperii fuiſſe protenſam in Campaniam Gallicam. Non auſim cum doctiſſimo Chifletio repetere illius juris originem ab anno MXXXVI. quo Odo Campanus *ſacramento* ſe obſtrinxit Henrico III. Illud enim duntaxat pertinuit ad non offendendum amplius, ſecus quam fecerat Odo. Diſerte Otto Friſingenſis l. 6. cap. 31. *Auguſtus, contumacia Odonis audita, Gallias ingreſſus eſt, vaſtataque per tres continuos dies Odonis terra, ille ſupplex venire compellitur, interpoſitoque jurejurando, ne amplius REGNUM PRÆFATUM* Lotharingiæ *quoquomodo laceſſeret, imperator revertitur.* Veriſimilius deduxeris ab Theobaldo II. Odonis illius filio, Campaniæ itidem comite: quo de ita Hermannus Contractus. *Anno MLIV. Imperator Henricus Moguntia paſchale feſtum celebravit, ubi Theobaldus Othonis de Galliis veniens, & MILES EJUS effectus, auxilium ſuum ipſi pollicitus eſt.* Notat Chifletius ex Andreæ Cheſnei libri *de urbibus Franciæ c. 1.* (b) Theobaldum hunc II. ab Henrico imperatore titulum *comitis palatini imperii* accepiſſe. Id quod in medio relinquo, quum videam *Petrum Pithœum*, (c) quo nemo majore judicio & candore in ejusmodi argumento eſt verſatus, l. 1. de comitibus Campaniæ ita loquutum: *Primus, quem invenio ſe palam in chartis palatinum nominaſſe, fuit Theobaldus magnus,* (d) *qui Ludovicum Craſſum regem & ejus patrem bellis continuo laceſſivit.* Hic vero centum annis junior eſt Theobaldo illo Odonis filio.

4. Verum utut illud ſeſe habeat, ſaltim hunc magnum Theobaldum in clientela fuiſſe imperii, videtur pene vacare controverſia: utpote quum ille palatini titulus non niſi ab imperatore profectus ſit. Diſerte Pithœus: *Palatini appellatio generalis eſt, & communis iis omnibus, qui munus aliquod habent in palatio imperatoris.* Item paulo poſt: *Id me compellit, ut dicam, noſtros Campaniæ comites illam Palatini dignitatem non obtinuiſſe a rege Franciæ, attento vel maxime, quod cum primum illum titulum aſſumpſerunt, non in bona regis gratia, ſed aperti ejus hoſtes erant.* Iterum alibi: *Comites noſtri cum regem Franciæ haberent hoſtem, ut ſe fortiores exhiberent, acceperunt ab imperatore illum palatini ſuæ regionis titulum.* Chifletius (e) ita ſcribit: *In chartis antiquis apud Nicolaum Camuzarium Tricaſſinum Henricus comes Campaniæ anno MCLXXX. inſcribitur Trecenſis comes Palatinus: Theobaldus item anno MCCXXIV. nec non & Henricus alter anno MCCLXXIII. Campaniæ & Briæ comes Palatinus.* Idem Chifletius præclare obſervavit, inter epiſtolas Friderici I. cæſaris binas ſic incipere: *Fridericus Dei gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus, dilecto FIDELI & conſanguineo noſtro Henrico comiti Trecarum,* (i. e. Campano) *gratiam ſuam & omne bonum.* Idem adducit verba hæc Petri Sanjuliani decani Cabilonenſis ex libro antiquitatum Cabilonenſium: *Toparcha Jonevillæ in hiſtoria regis Ludovici ſatis oſtendit, comitatum Campaniæ non fuiſſe obnoxium coronæ Franciæ, ſeque marſchallum Campaniæ hereditarium non fuiſſe regis Franciæ decretum.* Et vero Jonevillæus parte 2. hiſtor. S. Ludovici agens de apparatu illius regis, quem anno 1248. in ſacram expe-

(a) *Nihil ſibi arrogaverunt*) GöBEL. MEZERAI tom. II. de Odone inquit: *il ſe jetta avec une armée dans le royaume de Lorraine, qui appartenoit a l'empereur.*

(b) *De urbibus Franciæ c. 1.*) GöBEL. *Les antiquitès & recherches &c. tom. I. du pays de champagne & de Brie ch. 1. p.* 323. ubi hæc reperiuntur: *Celui ci* (Odo Campanienſis) *eut pour fils Thibaud deuxieme, lequel pour les inimities, qu'il exercoit contre le roy Henry premier ſemit ſous la protection d'un autre Henry empereur d'Allemagne, qui l'honora du titre de Palatin de l'empire (ainſi appelloient les empereurs ceux, qui ètoient leurs conſeillers ordinaires) qualitè qui ne tomba depuis de la famille de comtes de Champagne en tous leurs titres & enſeignemens.* Ut ex MEZERÆO *tom. 2. abregè chronologique tom. 2. p.* 493. conſtat, non Thibaut, ſed Odo patri Odoni in Campaniæ comitatu ſucceſſit. Id quidem certum, utrumque ab Henrico I. alienato fuiſſe animo, idem tradit autor, Henrico Galliæ regi fiduciarium præſtare noluiſſe juramentum, quoniam patri eorum adverſus Conradum auxilium non tuliſſet. Addebant, non Henrico, ſed Odoni fratri ejus regnum deberi. Interim hic ſcriptor memorat, Theobaldum ſe Henrico III. Moguntiæ tunc temporis commemoranti addixiſſe, quia Henricus rex illum Turonum comitatu privaverat.

(c) *Petrum Pithœum*) GöBEL. Apud FREHERUM *orig. lib. 1. c. 4.*

(d) *Theobaldus magnus*) GöBEL. Hic Theobaldus in diplomate de inſtitutione canonicorum regularium in abbatia S. Martini Sparnæc. anno 1127. facta ſe vocat DEI *diſpoſitione comitem Palatinum. D'ACHERY tom. 3. p.* 480.

(e) *Chifletius*) GöBEL. *in vindic. Hiſpaniæ p.* 199. *ſeqq.*

expeditionem inſtituit, diſerte dicit, ſe regi jurare noluiſſe, *quia*, inquit, *ego cliens ejus non eram.* Attamen non fortaſſis hinc firma collectione deduxeris, Campaniæ omnem comitatum regibus Galliæ non fuiſſe obnoxium.

5. Fortius argumentum traxeris ab eo, quod nec *Theobaldus*, (a) rex Navarræ, nec ejus filius, ubi Campaniam hæreditate creviſſent, regum Galliæ beneficiarios ut ſe agnoſcerent, compelli ſe ſint paſſi, imperii majeſtatem obſervantes: modo verum ſit, quod ita ab aliis refertur. Id certum eſt, comitatum hunc in patrimonium regum Galliæ anno demum MCCCXXXV. fuiſſe cooptatum, rerum potiente Philippo Valeſio.

6. Nolui hæc, quum ſupra agerem de finibus Lotharingici regni, movere: quod exiſtimem, rebellione potius quadam hæc ita contigiſſe quam jure ſubnixa, utpote quum de finibus æterno pacto aliter fuerit regibus Galliæ ab imperio cautum. Nec vero ipſi cæſares noſtri videntur Campaniam imperio ſubductam olim quidem inter damna a Gallis illata numeraſſe. Notat enim ex Alberto Argentinate quidem Chifletius, Ludovicum Bavarum imperatorem anno MCCC XXXVI. literis Philippum Gallum admonuiſſe: *ne ab occupatione terrarum imperii deſiſteret*, id exiſtimans pertinere ad occupatam Campaniam. At vero nos jam tunc cap. 24. oſtendimus, Delphinatus *præcipue occupati* (b) cauſſa Ludovicum ſuccenſuiſſe. Videtur nimirum facinus illud Campanorum pene geminum illi Flandriæ comitis Guidonis, qui teſte Mejero l. x. literis datis apud Malcam anno MCCXCVI. *propter malefacta & infidelitatem Philippi regis Franciæ, declaravit ſe LIBERVM, & abſolutum ab omnibus legibus, fœderibus, obligationibus, conventionibus & pactis, quibus ipſi antea fuerat devinctus & obligatus, quocunque modo, & per quamcunque cauſſam id fuerit.* In veteri ms. Flandriæ chronico legi, notatum eſt Chifletio Alſatiæ Vindicatæ cap. 11. *eundem Guidonem de comitatu Flandriæ tunc feciſſe HOMINIVM Adolpho imperatori; qui illud admiſit, eique opem & auxilium, adverſus noxios omnes pollicitus eſt.* Nec vero etiam homagium ejusmodi admittere *debuit forte* (c) Adolphus, nec a ſecutorum cæſarum quoquam id exactum eſt, ac proinde juribus imperii certis liquidisque ejusmodi quædam connumerari non merentur: quamvis alioquin ad regnum Lotharingicum merito pertinerent. Ut vero aliquid juris *in Campaniam aut Flandriam* (d) im-

(a) *Theobaldus*) GÖBEL. Theobaldus Campaniæ comes poſt Sanctii VIII. mortem, ex cujus filia Blanca natus fuit, anno 1236. Navarræ regnum obtinuit. MEZERAI *in Henrico*.

(b) *Præcipue occupati*) GÖBEL. Sed donatione Delphinatum Humbertus animo & corpore debilis, ex filio unico fatali caſu amiſſo triſtis, ære alieno oppreſſus, Sabaudico bello feſſus, & a neceſſitudine ſibi conjunctis alienus, nobilitatis deſiderio & Lugdunenſis archiepiſcopi, Gratianopolisque epiſcopi ſuaſu in Gallum anno 1343. tranſtulit. LEIBNIT. *C. J. G. diplom. p.* 158.

(c) *Debuit forte*) GÖBEL. Inter Adolphum & Guidonem fœdus aliquod concluſum clientelare ex OUDEGHETSTI *chron. pag.* 222. pateſcere videtur; commemorans enim Philippum, in eo totum fuiſſe, ut Adolphum ab amicitia Flandri abſtraheret, his utitur verbis: *Il praetiqua peu après l'alliance d'Adulphus Roy des Romains, auquel pour le divertez de l'aſſiſtence, qu'il avoit promiſe & fermie ès mains du comte de Flandre.* Cæterum hic autor multa fabuloſa admiſcet. An autem Guido juſtam habuerit cauſam vinculo, quo Galliæ obſtrictus erat, valedicendi, ſeſeque Adolphi clientelæ permittendi dubium eſt. Quod ſi enim dicimus, contra vinculum fiduciarium fuiſſe, quod Guido filiam ſuam Angliæ regis filio, Philippi hoſti, deſponderit, Philippum haud peccaſſe aſſerendum erit, quod Guidonem cum conjuge ad ſe allectum tam diu in cuſtodia detinuerit, usque dum in fidei pignus Anglicam ſponſam acceperit. MEIERVS *in annal. Flandriæ fol.* 23. 24. Atque ſic nefas fuit, refractarium illum vaſallum ab Adolpho in clientelam receptum eſſe. Verumenimvero, quomodocunque hæc ſe habeant, redierunt Flandri ad obſequium vaſaliticum, quo Galli obnoxii erant. Atque hoc ſub Burgundis, ad quos per matrimonium Philippi Audacis cum Margaretha Flandrica pervenerunt, continuatum eſt, usque tum nexus ille per Madritanam pacem, quæ quoad hunc paſſum in Cameracenſi pace & aliis deinde ſubſequentibus inter Gallos & Hiſpanos tractatibus eſt confirmata, fuerit ſublatus. *Corps diplomatique du droit des gens tom. IV. parte II. p.* 9. 170. 281.

(d) *In Campaniam aut Flandriam*) GÖBEL. De jure in Campaniam aliquando imperio parto a nonnullis dubitatur. Nec enim ſecundum illos ſolus ille comitis Palatini titulus hoc ſatis indicat. Sic & Flandria, quatenus Galliæ fuit feudum, ad imperium Germanicum non ſpectavit, nec Maximilianus I. cum eo tempore a nexu vaſalitico, quo Gallis junctus erat, nondum immunis eſſet, circulo Burgundico includere potuit. Rectius dici poſſet, ſupremum in illam jus ad imperium per Carolum V. Belgium imperii feudum conſtituentem, delatum eſſe. Inſtrumentum ſuper hoc negotio 1548. confecto. LIMNÆVS *J. D. tom. I. lib. IX. n.* 16. refert, eſtque negotium receſſui de illo anno incluſum. ARVMÆVS de *comitiis lib. V. c.* 2. LONDORP. *tom. IX. lib. X. p.* 556. Scio quidem, Puffendorffio ſub Monzambani nomine *valde ſimplices videri, qui non animadverterint Caroli V. ludibrium, Belgium ſuum partem imperii declarantis, magnifica cum pollicitatione, ut illud imperio tantundem penderet ac duo electores. Nam iſta omnia inſumebantur in bellum Turcicum adeoque ad conſervationem ditionum Auſtriacarum.* Verum ſumtus in bellum Turcicum non ſunt perpetui; deinde per conſervatam a Turcis Auſtriam conſervatur ipſum imperium. Porro Philippus II. dixiſſe fertur, imperii ordines falli, ſi crederent, Flandriam & reliquas provincias ſibi ſubjectas, habere aliquid commune cum imperio, conventionem illam reciproca tantum complexum eſſe auxilia. Hæc Philippi urgentur in ſcripto Gallico apud LONDORP. tom. IX. lib. X. p. 566. Interim tamen Ferdinandus I. & Rudolphus II. de hoc imperii jure ſoliciti fuerunt. LIMNÆVS *l. c. n.* 19. 20. Sic & cum Galli, ſub juris devolutionis prætextu, Belgium Hiſpanicum invaderent, res Hiſpanicas anno 1667. in imperii comitiis curans varia exhibuit ſcripta, Gallorum ratiociniis oppoſita, in quibus imperii eſſe Flandricas provincias aliasque, ut ad Burgundicum ſpectantes circulum, a Gallorum invaſionibus tueri, docuit. Conf. LONDORP. *actor. publ. tom. IX. p.* 551. *ſeqq.* Galli e contrario imperio incumbere, ut neutrarum eſſet partium, clamabant; utrique *ad inſtrument. pac. Weſtph. Gall.* provocabant, ubi hæc traduntur. „Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque „membrum imperii, poſt controverſias inter Galliam „Hiſpaniamque ſopitas, hac pacificatione comprehen„ſas, bellis tamen in eo jam vertentibus, nec impera„tor nec ullus imperii ſtatus ſe immiſceat." Et quemcunq; etiam hiſce verbis ſenſum inferre laboraverint Galli, illud tamen ex ipſis verbis ſat manifeſtum eſt, imperium conſtituiſſe, illi tantum bello, quod inter Gallos & Hiſpanos adhuc durabat, ſe non immiſcere; adde *capitulationem Leopoldi artic.* 13. 14. Cæterum, quemcunq; demum bellum illud, Pyrenaica deinde pace terminatum, eventum haberet, Burgundicum circulum eſſe & manere de-

imperio accreverit, id omne dudum utique periit: cum intra hoſce trecentos quinquaginta annos nemo cæſarum imperii nomine a Gallo terras illas vel ferro vel calamo repetierit, tantum abeſt, ut quisquam vindicaverit. Nec enim tanti eſt querela unius Maximiliani primi cæſaris, qui inter injurias a Gallis imperio illatas, occupatam Campaniam recenſuit.

7. De IIS igitur tantum nunc agemus, quæ hodie Galliæ reges poſſident, etſi *æterno pacto* (a) cum omni Lotharingico regno quondam imperio ceſſerint, & dubio carentibus priſcis regni ejus finibus contineantur. Illa vero, ut compendium faciamus, poſſunt tres in claſſes quaſi dividi. In ea ſcilicet, quæ ad Maximilianum usque primum cæſarem tenuerunt, in ea, quæ ſecuta usque ad proximum ferale Germaniæ bellum, & denique in ea, quæ nuper acceſſerunt.

8. PRIMA, quæ diximus, quod attinet, jam ſtatim a ſeculo usque decimo tertio, poſt lapſas cum Friderico II. imperii vires, videntur Galli reges, ut in regnum Burgundicum, ita & in Lotharingicum ſenſim magis magisque involaſſe: plura haud dubie occupaturi, ſi domi res fuiſſent tranquillæ, & primum ab Anglis inde a Burgundicis principibus æmulis, non fuiſſet violentis conatibus repagulum injectum. Et vero jam tunc Ludovicus IV. Edoardum Anglum *Vicarium imperii* (b) inſtituit, contra regem Galliæ, hoſtem judicatum, *quod oppida imperii Romani obtinere eum diceret, in queis Cameracum, circumjectosque fines*, ut ſcribit Æmilius. Froſſardus ita loquitur: *Quod cæſar Ludovicus tanto honore Anglum urgebat, præcipua fuit cauſa, ut hac occaſione inter cæteros tumultus bellicos recuperare poſſet Cameracum:* (c) *quæ quidem civitas cum ſit imperio conjuncta, tamen a Gallis fuit occupata bello.* Albertus Argentinas teſtatur, Ludovicum cæſarem, cum Philippum regem monuiſſet, *ut ab occupatione terrarum imperii deſiſteret*, mentionem ſimul feciſſe *feudorum*, *quæ rex Franciæ tenebat ab imperio*, *neque illas recognoverat.* Maximiliani ætate Gallum adhuc ſic ſatis multa Lotharingici regni tenuiſſe, idque viſum cum imperii injuria fieri, quandoquidem quaſi indiculo quodam eſt comprehenſum in illa charta, quam ex manuſcripto plenæ auctoritatis exhibet clariſſimus Chifletius in vindiciis Hiſpanicis cap. XIII. pag. 126. operæ fuerit pretium, illam cum ſua inſcriptione huc adferre. Quanquam enim & alia comprehendat, quæ ad Burgundiam pertinent, pleraque tam Lotharingico regno ſunt erepta.

Excerptum è juridica disquiſitione tempore Maximiliani I. imperii facta, de terris imperii intra Gallias.

9. „Papalma in Arteſia, verſus truncum Berengarii, TRIBVTVM QVODDAM VINARIVM, quod vernacule TRAVERS appellant, ab Normannico mari, ad Ardennam usque exigebatur: a quo nullus niſi imperio ſubditus eximebatur: ſi quis peregrinus id fraudaſſet, jure in eum agere vel in ipſo imperio poterat exactor; & juſta repetens obtinebat.

10. „In Cameracenſium & Veromanduorum confinio quidam HVNECVRTENSEM VICVM, jure nexi ſuum, ad Favellæ dynaſten jure dominii ſpectare, aliquando profeſſus eſt. „Favellam poſtea ſuperior ille dynaſtes comiti Bleſenſi vendidit: hic ſuo Guiſiæ comitatui addixit, eoque Franciam reddidit.

11. „Petrus Bellomontii Baro BEAUVOISIENSEM clientelæ ſuæ agrum, olim alienatum, „ab emptore redemit, & Franciæ primus accenſuit. Hoc tractu Franci plus quam ſeptem leucarum agros imperio avulſerunt.

12. „Ab Cœnobio Fervaquio imperii fines in adverſum ASIAM protenduntur, ad Hutrinium „usque pontem. Huic Monachorum prioratus adhæret, Caroli magni regis & imperatoris privilegiis nobilis. In eo multa finium imperii & regni monimenta ſupereſſe dicuntur.

13. „Hutrinio ad eam Laudunenſis civitatis portam, quæ Ardennam ſpectat, imperii ora „producitur, quo tractu Aubentonium usque crebræ ſylvæ: eæque olim imperii, late ſternuntur. „Sed AVBENTONIVM Teraſciæ oppidum, jure nexi ſuum, vicinus dynaſta Ruminiacenſis Franci-

cici

bere imperii membrum. Et ipſi Galli hujus rei veritatem agnoverunt; ſiquidem ob loca Flandriæ ut Inſulæ, Tornacum, Duacum aliaque ipſis Aquisgranenſi pace, Anglis Hollandisque conciliantibus facta, permiſſa: ut ſibi in comitiis ſeſſio & votum concedatur, aut ſi adhoc admitti non deberent, ut ſibi in forma valida & convenienti, prout obſervatum in tractu Monaſterienſi, cedantur omnia jura generaliter, quæcunque imperatori & imperio competebant, vel competere potuerunt in dictas ditiones, ad incorporandas & uniendas coronæ ſuæ. Talia Gravellus orator Gallicus in comitiis Ratisbonenſibus 1668. ſcripto quodam proponebat; ſed voti non fuerunt compotes facti. Neque hoc, quod terras illas aliis ſuis provinciis inſerere poſſent, nec poſtea per Neomagenſem, Ryswicenſem aut Badenſem pacem ipſis eſt datum. Neque enim Galli Burgundiæ comitatum alia ratione habere poſſunt, quam illum Hiſpani habuerant. Res enim, quæ non ſunt hoſtium, bello non acquiruntur. GROTIVS *de J. B. & P. lib. III. c. 6.* §. 6. Sed quid de Biſantia dicendum erit? Illa ſane imperii civitas a cæſare & electoribus anno 1651. Hiſpano eſt conceſſa „poſſidenda & tenenda pleniſſime & perfectiſſime, ejusque „cives & incolæ ab omni juramento, humagio, fidelitate & obligatione, quibus imperio devincti fuerunt.„ Verum additur: *immediate*, ex quo colligitur, nexum, quo erat imperii civitas, non autem, quo erat ſub imperio, eſſe remiſſum. LVNIG *arch. imper. Part. ſpec. contin. I. tom. II. p. 109.* Ceterum quæ olim Biſantiæ fuerint jura & privilegia, docet diploma Caroli IV. apud LVNIGIVM *parte ſpecial. continuat. I. tom. II. p.* 105.

(a) *Æterno pacto*) C. A. M. Graviter & juramento adfirmavit, ſe nolle quicquam amplius prætendere in id regnum.

(b) *Vicarium imperii*) GÖBEL. ALBERTVS ARGENTINENSIS *p.* 127. FROSSARDVS *lib. I. p.* 29.

(c) *Cameracum*) C. A. M. Eſt urbs ſita ad Scaldim, quæ eſt limes imperii, ſed perpetuo præſidio gallico tenetur. Alias rex Galliæ per 200. & 300. annos ea, quæ tenet, fere poſſedit, adeoque ſi verum eſt dicendum, optime ſe poteſt tueri præſcriptione longi temporis. GÖBEL. Hæc libera imperii civitas anno 1670. a Gallis eſt occupata. PFEFFINGER. tom. II. p. 771. & in Neomagenſi pace ipſis conceſſa.

„cici juris effecit, tametſi antea merum imperii eſſet allodium. Sic ROSOII BARO, illi vicinus, im-„perii ab antiquo cliens, Francorum ſe regno adjunxit.

14. „Idem RVMINIACI DYNASTA ſuam ipſam ditionem, Campaniæ & imperii ſemper „feudum, Francorum jura transtulit.

15. „Ab dicta Ardennenſi Laudani porta imperium porro in NOVUM CASTELLVM ad „AXONAM, inde adverſo amne CONDATVM, caſtrum POCIANENSE RETELIAMQVE pro-„currit. Ea regione quidquid Axonam & Ardennam intercipit (licet hodiernæ Campaniæ adſcri-„batur) purum imperii allodium eſt: eoque titulo a Campaniæ quondam comitibus poſſeſſum.

16. „ISTIVS COMITATVS hereditatem Theobaldus rex Navarræ aliquando adivit, nec „Franciæ tamen regem, velut ejus beneficiarius, umquam agnovit; tametſi eo nomine ſæpius „appellatus. Filius ejus natu maximus, ejus in illo comitatu juxta & regno hæres, quantum-„vis regis Franciæ filiam uxorem accepiſſet, nunquam tamen comitatum a Francia, ſed ab im-„perio habuit: frater ejus ceu improlis ſucceſſor, primus eum in Franciæ clientelam invexit. „Ante illum nulla unquam, ultra caſtrum Porcianenſe, Francicorum adminiſtrorum acta viſa „vel audita. RELLIÆ GRANDIPRATIQVE eo tractu comites terras ſuas ejusdem naturæ pro-„fitentur.

17. „Reteliæ comes MASERIAM, ſuum ad Moſam oppidum, a Franciæ quidem rege re-„cepit, ſed novo jure, quod ab omni prius ævo erat juris imperii.

18. „Ad eundem fluvium, paulo ſuperius, DONCHERY oppidum aliud eſt pleno jure cæ-„ſaris; tametſi jam ibi Franci publica munia obeant: quia ſcilicet ad Sueſſionenſe ſancti Medardi „monaſterium attinet.

19. „Ceterum in Campaniæ comitatu caſtellum nomine HAYS viſitur ducis Barrenſis, ju-„rium adhuc hodie imperialium: quod quia a Franco recipere non vult, ingentes ab eo mole-„ſtias patitur. Poſtea ad COMMERCY, municipium Moſæ ſuperius adſitum, inde ad aliud ejus-„dem fluminis adverſi, nomine VAVCOVLEUR, pergit imperium: inde fere ſecundum Ara-„rim in Burgundiæ urbem Auſonam, ac denique Rhodanum, communem imperii Franciæque „ad mediterraneum usque mare limitem. Unde patet, Lugdunum, Viennam, Valentiam, „Arauſicam, Avenionem cum Venaſcino comitatu, Taraſconem, Arelatum, Maſſiliam juris eſſe „cæſarei: qui terrarum ingens tractus eſt, novaque Francicarum virium acceſſio, urbium, ho-„minum, procerumque, plusquam MD numero, ac potentia maxime æſtimanda.

20. „Tanti mali origo a Francis maxime manaſſe videtur epiſcopis, imperio conterminis. „Hi quippe cum decimæ exactionem regi Francorum a papa indultam juſſu regis urgent, eam-„dem a Diœceſanis omnibus ſuis, etiam imperio jure profano ſubditis exigunt. Quod dum cæ-„ſar & ejus adminiſtri diſſimulant, factum, ut epiſcopatum iſtorum cæſareæ partes Franciæ haberi „cœperint. Quod a vero procul abeſt.

21. „Succeſſione porro non acquiritur, ſed electione imperium: quare nec vendere, nec „oppignorare, nec alienare quidquam poteſt imperator. Recipiendi vindicandique jus ſemper „eſt ſucceſſori & Electoribus.

22. „Quod quia jam pridem negligit imperator, munera omnia pacate jam & publice obeunt „Franci: nulla juris antiqui, pactorum aut ſacramentorum toties iteratorum habita ratione. Pro-„videre dignetur bonus Deus.

23. „Hactenus illa charta. Et quidem de iis, quæ ad Burgundicum regnum pertinet, jam ante dictum eſt. Lotharingico regno, perinde ut hic audivimus, nullo juſto titulo ea, quæ hic recenſita ſunt, ſubtracta eſſe per Gallum, non eſt forte, quod dubitemus. Attamen etiam illud vacat dubio, hactenus neminem cæſarum illa in ditionem imperii revocaſſe. Et vero a primo fere Maximiliano variæ querelæ ſuper ea re publice privatimque fuſæ ſunt. Num a ſucceſſoribus idem ſit factum, numve ſerio a Gallis iſthæc quis repetierit, fateor me ignorare. Itaque nec de-finire audeo, num quadam longi temporis *præſcriptione* (a) tueri ſe Gallus poſſit, & uſu diuturno per vim occupata fecerit ſua.

24. AVORUM memoria in eodem Lotharingico regno Henricus II. rex Metim, Tullum & Vi-rodunum *in poteſtatem ſuam redegit*. (b) Quas urbes qui ſecuti ſunt reges ſtudioſe ſibi ſervaverunt, fruſtra illas repetentibus & cæſaribus & omnium imperii ordinum delegatis. Nec tamen adeo dif-ficilis oſtenſu fuit retentionis illius iniquitas, ſi attendas ad ea, quibus Gallici patroni regum ſuo-rum cauſſam tutari conati ſunt.

25. *Alii enim leges fœderis* (c) cum Mauritio pacti prætexerunt. Sed ne quid dicam de robore il-lius fœderis, cum ipſa formula pacti a Gallis illis non ſoleat adduci, & plerique aliis maluerint præ-

(a) *Præſcriptione*) GÖBEL. Hæc ſemper per capitulatio-nes cæſarum aliosque actus interrupta eſt.

(b) *in poteſtatem ſuam redegit*) GÖBEL. Vid. BROWERVS *annal. Trevirenſ. lib. XXI. p.* 379. *Hiſtoire de Henry II. par* VARILLAS *tom. I. p.* 222. *ſeqq.* NATALIS COMES *lib. V. p.* 114. *ſeqq.*

(c) *Alii enim leges fœderis*) C. A. M. Notum eſt ex *Sleida-ni hiſtoria*, Carolum V. anno 1546. & ſeqq. graviſſimis prœliis affeciſſe proceres fœderis Smalcaldici. Juvit eos *Mauritius* dux Saxoniæ, qui exinde factus eſt elector. Tandem Mauritius cœpit conſpirare cum rege Galliæ, & in libertatem aſſerere Germaniam voluit. In hoc pacto ex Gallorum relatione conſtitutum fuit, ut rex Galliæ ur-bes, quas poſſet, devinceret & regno ſuo adjiceret, qui deinde Lotharingiam invaſit & has urbes occupavit, quas fortiter defendit contra Carolum V. GÖBEL. De fœdere Mombartico vid. ARVM. *diſc. XXI.* Metim a Guiſco con-tra Carolum V. ſtrenue defenſam eſſe, ex illorum tem-porum annalibus liquet.

prætextibus uti, per eſt veroſimile, nihil ejusmodi tabulis illius fœderis contineri. Et vero ipſe Thuanus l. 8. ita ſcribit: *Adjectum conventionibus, videri e re omnium eſſe, ut rex quamprimum Cameracum, ſi poſſit, Divodurum ſive Metim, Tullum & Virodunum Lotharingiæ civitates occupet, & præſidio firmatas VICARII IMPERII* (a) *nomine inpoſterum teneat.* Et tamen reges Galliæ plenam omnino poteſtatem in urbes illas ſibi arrogaverunt. Adhoc Henricus rex publicis literis profeſſus eſt, ut ſcribit Sleidanus l. 24. ſe toto in negotio nullum privatum compendium atque fructum, ſed hoc ſolum ſpectare, ut reſtituta ſuis juribus Germania, liberato Saxoniæ duce & landgravio, laudem atque gloriam immortalem conſequatur.

26. Thuanus l. IX. cum dixiſſet, *præter fœdus cum Mauritio initum, non defuiſſe rationes, quibus id jure ſibi licuiſſe ſui contenderent*, ſubjungit: *Ac primum quidem a naturali Galliarum limite argumentum ducitur. Quem etſi Germani longius protulerunt, & in Gallias effuſa multitudine etiam citra Rhenum Germanicam linguam ſecum intulerunt, nunquam tamen trans Moſam ſe extenderunt.* Ridicule ſane. Quaſi vero limites gentibus poſſeſſionum ſuarum natura ipſa in hiſce terris diſcreverit: & non veriſſimum ſit Horatii illud:

> - - *Propria telluris herum natura nec illum,*
> *Nec me nec quenquam ſtatuit.*

Et ſi Germani ad Moſam usque a Rheno omnia ſua fecerunt, ſatis utique hoc fuerit ad Lotharingicarum illarum urbium poſſeſſionem jure ſervandam. Qui vero Germani non ultra Moſam ſe extenderint, cum vel ſoli Franci univerſam Galliam in ditionem ſuam redegerint? Nec illi, qui ibi rerum potiuntur, reges, in Galliam, quatenus eſt Gallia, aut jure aliquo veteri Galliæ competente, imperant, ſed quatenus reges ſunt Francorum, quibus facta diviſione tertia pars ceſſit imperii univerſi Francorum Carolini.

27. Diffiſum ineptæ illi argumentationi virum eximium, indicant, quæ ſubjicit, verba: *Sed validiora ſunt, quæ ab antiquitate petuntur jura hujus cauſſæ.* Sunt autem æque imbecillia, imo jugulant omnino cauſam regiam. Poſtquam enim narraſſet, quemadmodum Auſtraſia ad Caroli magni poſteritatem devenerit, fatetur eam denique Carolo craſſo & Arnolpho obtigiſſe, qui utique Germaniæ reges fuerunt. Imo addit, a Carolo ſimplice *Auſtraſiam* (b) Henrico Saxoni conceſſam & ab Ottone magno vindicatam. *Carolus*, inquit, *cum poſtea procerum factione regno Galliæ depulſus eſſet, Henrici Saxonis, qui Conrado in imperio ſucceſſerat, ope in regnum reſtitutus, remunerationis loco Auſtraſiam ipſi permiſit, atque in ejus gratiam jure ſuo ceſſit, anno ſalutis IↃCCCCXX. Henrico Otho magnus ſucceſſit, cui facile fuit, captivo Carolo & in carcere Peronæ mortuo, jus a patre in ea provincia acceptum firmare.* Non multo poſt addit: *Hugo Capetus tertiæ ſtirpis, quæ hodie feliciter imperat, princeps, nuper in regno conſtitutus, cum Othonem potentiſſimum principem placatum habere vellet, injuriam regno potius quam ſibi factam diſſimulavit & poſteritati vindicandam reliquit.* Hæc, inquam, ſubruunt omnino fundamenta cauſſæ Gallicæ. Si enim jam Henrico aucupi ſponte conceſſa eſt, ab illo, qui omnium Francici regni per Galliam erat heres & legitimus dominus, Auſtraſia, ſi illam Germaniæ reges quieta poſſeſſione ab anno usque DCCCCXX. tenuerunt, quid juris Capetanæ ſtirpis regibus poteſt ſupereſſe vi Gallici ſui ultra Moſam regni, quod a Lotharingico ſtatim ab obitu Ludovici pii fuit diviſum? Non omnia iſta ſatis exacte a Thuano recenſita eſſe, patet quidem ex iis, quæ nos ſupra diſputavimus: ipſa tamen hæc ſufficiunt propugnandis imperii juribus. Hugonem Capetum *reliquiſſe poſteris vindicandam* Lotharingiam, nullo poteſt idoneo teſtimonio probari. Nos ex adverſo cap. VI. adduximus Æmylium confitentem, ab Hugonis filio Roberto, compoſitis Lotharingiæ rebus, *pacem fidam* inter regnum imperiumque cum Henrico II. cæſare eſſe initam.

28. Aut vehementer fallor, aut ipſe Thuanus ignaviam & imbecillitatem ſuæ diſputationis agnovit. Illa enim finita, addit hæc verba: *Has Lotharingiæ civitates, SIVE jure antiquo ad Galliæ regnum pertinentes, SIVE ex fœdere nuper cum ſociis Germaniæ principibus inito ſibi conceſſas, SIVE ne in hoſtis poteſtatem devenirent, occupatas, alioqui tutando Campaniæ limiti neceſſarias, rex cum retinere decreviſſet &c.* Hæc ſane verba animum produnt ambiguum & non ſatis ſibi fidentem, quique adeo voluit quidem aliquid pro regia cauſſa dicere, ſed non potuit: quorum illud ut ſit boni civis, boni tamen viri eſt cauſſam injuſtam vanis coloribus non fucare.

29. Antequam a Thuano heic abeamus, verbo obiter animadvertendum eſt in ejusdem ſermonem, quem ibi interſerit de Metenſibus. *Adelberto*, inquit, *mortuo cum Theodoricus Othoni proximus creatus eſſet epiſcopus, primariis civibus auctor fuit, ut rejecto unius, qui perſæpe aut durus aut incertus eſſet, dominatu ſub imperii nomine libertatem impoſterum colere mallent. Quorum exemplo Baſileenſes, Argentinenſes, Spirenſes ac denique Colonienſes libertatis dulcedine ineſcati, legitimum dominorum jugum, cæſarum patrocinio freti, excuſſerunt, & ſenatu conſtituto rempublicam ordinaverunt. Ita Metim & reliquas illas Lotharingiæ civitates Otho I. a Francorum imperio divulſit.* His ſane commentis nihil eſt futilius;

(a) *VICARII IMPERII*) GÖBEL. VARILLUS eandem fabulam cantat *in hiſtor. Henrici II. tom. 1. p.* 213. nec non MEZERAI *abr. chronol. tom. 4. p.* 667. & *inventaire de l'hiſtoire de France par JEAN de SERRES p.* 643. Rectius hac de re ſentit autor *de nouveaux interêts de princes*, quando *p. 21*, inquit: *Nous ne ſommes plus dans le tems ou l'on voyoit des princes aſſez genereux, pour & reſpouſez par le ſeul motif de retirez les autres de l'oppreſſion. Nous en avons un bel exemple en la perſonne de Henry II. de France, lequel etant appellé par les proteſtans d'allemagne, que l'empereur vouloit achever d'opprimer ſe pay a lui meme de ſes peines en ſe ſaiſiſſant de Mez, Thoul & Verdun.*

(b) *Auſtraſiam*) GÖBEL. Confer. SCHURZFLEISCH. & VAGADES *diſſert.* & FRANCOPOLITÆ *wahrer Bericht von dem alten Königreiche Auſtraſien §. 23. p.* 117. ſeqq. Coacta autem deinde inter Rhenum, Moſam, Sabim & Sylvam Carbonariam, a Caroli M. deſcendentium aliquo Lotharingiæ nomen, omiſſo pæne Auſtraliæ vocabulo, ſortita variasque paſſa eſt mutationes.

lius; nec enim vix verbulum hic reperias veritati conſonum. *Longe enim ſerius* (a) cœpit illa urbium libertas, & quidem demum ſeculo duodecimo, ut alibi demonſtravimus. Spira nunquam Lotharingici regni pars fuit, ſed in ditione Germanici regni ab anno usque 842. adeoque a trina illa partitione imperii Francorum Carolini. Argentoratum & Colonia ſemper fuerunt itidem in ditione noſtrorum regum ab anno usque 870. Baſilea ætate Othonis magni urbs erat Burgundici regni non Lotharingici, & demum longe poſt Othonem magnum nobis ceſſit. Nec imperii Romani ulla erat trans Alpes reverentia aut mentio, quo tempore Otho Lotharingiam vindicavit. Quæ omnia ex iis, quæ jam ſupra narravimus, manifeſta ſunt. Sed & ipſe Thuanus jam narraverat, univerſam Lotharingiam ab Henrico Othonis patre occupatam; inque eandem poteſtatem ſucceſſiſſe Othonem: qui ergo Otho voluerit demum urbes illas, propoſito libertatis pretio ineſcatas, a Gallis divellere?

30. Verum non eſt, quare hiſce fabulis (quibus tamen & alii vulgo Gallici ſcriptores in tanti momenti cauſſa, uti hactenus ſolent) confutandis immoremur. Et vero prudentiores quique ſilere maluerunt, quam regiam cauſſam in illum modum prodere. Sed & in ipſis tabulis publicæ pacis non diſſimularunt nuper regii legati, imperii in urbes & regiones illas jura HACTENVS fuiſſe integra, uti paulo poſt apparebit.

31. Ultimo porro hoc bello plenius jus Galli, non tantum in tres illas urbes, ſed & epiſcopatuum cognominum omnem diſtrictum, ut & jus præſidii collocandi in Philippiburgo, cæſaris & imperii ordinum conſenſu impetraverunt. Iidem Bullionenſem oppido *Sedanenſi*, (b) Lotharingiæ vero ducem *omni exuerunt ditione*, (c) & regi Hiſpaniæ ſimiliter multa eripuerunt, quæ ille hactenus poſſedit jure imperii. Adeoque eximiam Lotharingici regni partem in poſſeſſionem ſuam

(a) *Longe enim ſerius*) *C. A. M.* Otto III. pene omnibus urbibus epiſcopalibus præfecit epiſcopos, & eos urbibus dominos dedit: nihil ergo alienius a vero, quam tales urbes ſemper gaviſas eſſe libertate. Urbium enim noſtrarum libertas cœpit ſeculo XII. & ſeculo XIII. GöBEL. Undecimum & duodecimum ſeculum ſunt, ubi quarundam imperii civitatum libertas cœpiſſe dicitur. PFEFFINGER. *tom. 2. p.* 816. Cæterum, de hoc argumento alibi agendi, dabitur occaſio.

(b) *Sedanenſi*) *C. A. M.* Sedanum eſt urbs validiſſima ad Moſam ſita, quam tenuit familia Bullionenſis. Hunc ducem exuit rex Galliæ urbe hac, & fecit eam ſui juris. GöBEL. De ducatu Bullioneo vide *deſcript. epiſcopatus Leodienſis p.* 26. & de Sedano GRAMONDVM *lib. 1. p.* 39. *lib. 7. p.* 381. Sedano ceſſo, dux Bullionenſis vitam redemit; ſecutus enim erat Cinymarſii partes, qui cum Hiſpano contra Galliæ regem, vel potius Richelium cardinalem, amicitiam contraxerat. VASSOR *tom. 10. p.* 645. *ſeqq.* BVSSIERIS *hiſtor. Franciæ p.* 646. Non ſatis certum eſt, an hic Campaniæ ad Moſam locus munitiſſimus unquam ad imperium ſpectaverit Germanicum.

(c) *Omni exuerunt ditione*) GöBEL. An Carolus IV. Lotharingiæ dux majori animi, an fortunæ inconſtantia fuerit, ambiguum eſt. Bello, quod tricennale vocant, exorto, in Auſtriacorum propendere cœpit partes. Et cum hæc non ſatis tegerentur conſilia, Gallica ſibi ne quidem ſatis milite adhuc bellique apparatu inſtructo, attraxerat arma. Tantus igitur duci inde incuſſus eſt terror, ut omnem ſuam ſpem in pace collocaverit, ita ut eam non ſolum ejurata Hiſpanorum amicitia, ſed & Marſallo in fidei pignus tradito anno 1631. in oppido Vico redimere conſultum putaverit. FREIBERGERI *German. perturbata part. 4. p.* 31. THEATRVM EVROPÆVM *tom. 1. p.* 1040. CHIFLET, *comment. Lothar. c. XV.* AMELOT DE LA HOUSSAIE *diſcours hiſtorique p.* 187. LA VIE *du cardinal de Richelieu tom. 2. lib. 4. p.* 19. 40. Fluctuavit illico amicitia hæc Gallica, ſi tale nomen meretur, quia coacta erat conjunctio, quam Carolus cum Gaſtone, Galliæ regis fratre, cardinalis archiminiſtri faſtum & in regiam matrem ingratum animum deteſtante, colebat, novum Lotharingiæ excitavit bellum, quod Livordunenſi finitum eſt pace. Inter hujus leges erat, ut regi urbes Stenacum, Jametſum & comitatus Clermontanus contraderentur. AVBERY *tom. 1. liv. 4. ch. 25.* LA VIE *du cardinal de Richelieu tom. 2. p.* 46. 47. THEATRVM EVROPÆVM *tom. 2. p.* 567. CHIFLET. *l. c. c. 16.* LEONARD. *theatre des traités tom. 3. p.* 10. Halcyoniis quadantenus reintroductis, inquietus ducis animus ad manus cum Suecis conſerendas provolavit; ſed ab illis plus ſimplici vice male mulctatus eſt. PVFFEND. *rer. Suecic. lib. 5. p.* 110. 116. 117. Cumque in Vicenſi pace Galliæ rex ſtipulatus eſſet, nihil ducem auſurum, quo fœderi ſibi cum Sueco intercedenti noceri poſſet, nec Galliæ inimicos, ſub quibus Aurelianenſis dux & regia mater, ut in arcano erat articulo, intelligebantur, recipere poſſet, temerarii illi bellici inſultus, quibus Suecos perſequi moliebatur, & continuata cum Gaſtone amicitia, ejusque cum Margaretha Lotharingica nuptiæ tertium Lotharingiæ pepererunt bellum. *Hiſtoire de Louis XIII. par VASSOR, tom. 6. liv. 29. p. 616. ſeqq. tom. 7. p. 15. ſeqq. L'hiſtoire du cardinal de Richelieu par AUBERT tom. 1. chapitr. 37. lib. 4.* Illis enim rebus Richelius iracundia exarſit & ſtomacho, militemque terris inducere Lotharingicis decrevit. Quo auctiores autem adhuc belli eſſent rationes, non recogniti feudi reum dicebant, atque ſic terras ob feudale crimen in commiſſum cecidiſſe huncque in finem in *curia Metenſi*, quam *Parlamentum* vocant, ſententia privatoria pronunciabatur. PVFFEND. *R. S. lib. V. p.* 116. Neque Lotharingici fratris in aulam Gallicam legati preces & artes Richelium ab hoc avertere potuerunt propoſito, AVBERY c. 38. nec aliud imminenti malo remedium afferri potuit; cum arma & *Nancei obſidio* in oculis eſſent, quam cardinalis Lotharingici promiſſum, fore, ut regionis caput in fidei firmamentum Gallicæ permitteretur cuſtodiæ. AVBERY c. 40. Sed hoc promiſſum Carolo diſplicebat; Mutavit vero deinde mentem purpurati fratris ſuaſionibus ad tempus & cum Richelio in *Nancei traditionem*, quam frater pollicitus erat, *Charmii* (charmes) 1633. convenit. AVBERY *l. c. ch. 41. p.* 385. LA VIE *du Cardinal de Richelieu tom. 2. p.* 115. Verum extemplo ipſum concluſi negotii pœnituit, & cum ſalutatum iviſſet regem, qui in propinquo hærebat, ſub nocturnarum umbrarum tegumento poteſtati Gallorum ſe ſubtrahere meditatus eſt; ne obſtringeretur marquiſio de Mouy, penes quem ſumma rerum militarium Nancei erat, juſſa dare, ut Gallis urbem concederet. Sed Richelius, in hæc penetrans conſilia, militibus quibusdam locum, ubi commorabatur, ſepire curavit; nec dux, antequam ſui Nanceo non diſceſſerant, proficiſcendi copiam habuit. LA VIE *du cardinal de Richelieu l. c. p.* 119. Autor quidem libri, cui titulus: *Eclairciſſement ſur les affaires de Lorraine pour tous les princes chretiens*, illos tres tractatus nullius fuiſſe valoris affirmat, quoniam dux ad illos ineundos neceſſitate adactus fuerit; verum ſunt, qui dicunt, ducem contra datam omnino egiſſe fidem, ſumtuumque, quos Gallia in illas fecerat, expeditiones cauſam fuiſſe. Neque enim inter gentes in bello, potiſſimum ex parte allegantis injuſto, exceptio metus locum habere ſolet. AVBERY *l. c. ch. 42.* Promiſerat Carolus in Charmenſi pace, ſe omnem impendere velle operam, ut ſuam regi ſororem ab Aurelianenſi, cui Ludovico inſcio & invito nupſerat, ſeparatam exhibere poſſet: Sed cum tribus a Charmenſi pace elapſis menſibus

ſuam redegerunt. Cæterum fervente adhuc cum Hiſpano & Lotharingio alea belli, non eſt quod de imperii juribus in iſta quidem loca heic diſputemus: Sed & cum de his tum de aliis conſtitutum jam eſt & conventum. Adeoque res exigit, ut, quæ huc faciunt, ex tabulis pacis publicæ Monaſterienſibus deprompta in medium adferamus, & quidem primo de iis, quæ jam pleno jure Gallo ſunt ceſſa, deinde de Hiſpanicis & Lotharingicis.

32. Verba

hoc non præſtaret, in aula Gallica decretum fuit, in ſuprema, quæ Lutetiæ eſt, curia matrimonium Aurelianenſis ducis cum Margaretha invalidum declarare, quoniam absque regis ſuffragio, quod Galliæ tamen leges requirunt, illud contractum eſſet. Et cum Lotharienſes duces, ac ſi Aurelianenſem abripuiſſent ducem, incuſarentur, Carolusque, ut Margaretha Nancejo Bruxellas abduci potuiſſet, conniviſſe crederetur, conſtitutum, ut tanquam ob Barrum vaſallus ad reddendas geſtorum rationes citaretur: Verum tantum abeſt, ducem ibi comparuiſſe, quod dignitati, in qua erat, adverſari profitebatur. Galli quidem deinde remiſſius agebant: ſed dux ſe nullo propemodum haberi loco, admodum indignatus, delatis ad fratrem *Nicolaum Franciſcum* terrarum reliquiis, Auſtriacas palam ſequi conſtituit partes. Galli fictam quodammodo rati donationem, Nicolai Franciſci rationibus, quem præterea omnium conſiliorum participem credebant, non æque velificabantur. LA VIE *du Cardinal de Richelieu tom. 2.* militemque in Lotharingiam mittebant. Franciſcus autem alteram patrui Henrici filiam & Nicolææ ſororem uxorem duxerat, ut ſe cum ea, quam in Galliam abducere conſtitutum erat, captivitati eriperet igitur ſub ignoto habitu, primo Aprilis die proſpero ſucceſſu fugam capeſſiverunt. *Les memoires du Marquis de BEAUVEAU p. 47. ſeqq.* Cogitavit quidem Lotharingiæ dux armorum ope ad avitum redire ducatum, quo Galli toto jam potiebantur: ſed belli aleam minus habuit faventem. Igitur pacis Pragenſis pollicitationi non æque fidens, moræ impatiens, & diu in iisdem ſtare conſiliis pertæſus, ad Gallicam reverti ſtatuit amicitiam, tectis ad id Richelii artibus incitatus. Hic comiti, quam de Cantecroix cognominabant, perſuaderi curavit, ad Gallos reducti ducis præmium fore, ut ſuis ſtudiis pontificis impetraretur conſenſus, quo, divortio cum Niclæa conſanguinea inito, duci, ſecum quam adulterio pellexerat, matrimonium contrahere licitum eſſet. LA VIE *du cardinal de Richelieu tom. 2. p. 459. ſeqq.* SIRI *mercure tom. 1. lib. 2. p. 291.* Conditiones pacis, de quibus inter regem & ducem conveniebat, in hoc potiſſimum conſiſtebant, ut dux Lotharingiam & Barrum, hoc tamen ſub clientelari nexu, reciperet; *Stenacum* autem, *Jamethum* & *Clermontanus* comitatus Gallicæ inſereretur coronæ, & Nancæjum usque ad belli finem in Gallorum maneret cuſtodia. LA VIE *du cardinal de Richelieu tom. 2. p. 462.* CHIFLET. *comment. Lothar. c. 19.* SIRI *tom. 1. lib. 2. p. 296.* Vix & ne vix quidem hæc concluſa erat pax, cum tædium ejus ducem ceperit. Opperiebatur enim in vanum pontificis placitum, ut pellicem, cujus amore vecors erat, ſibi matrimonio jungere poſſet. Atque ſe vanis Richelii promiſſis deluſum videns, Auſtriacorum repetere partes ſibi propoſuit. Interea Nicolæa, de mariti novarum nuptiarum cupidine certior facta, Lotharingiam, ut dotale prædium, ad ſe ſpectare cauſata eſt. *Memoires D'ARTAGNAN tom. 3. p. 353.* Nota eſt controverſia, an in Lotharingia promiſcua ſucceſſio locum habeat, nec ne; ubi CHIFLETIVS in *commentario Lotharienſi* negativam, BLONDELLVS in *præfat. apologetica & genealog. Francica pleniori aſſert.* item *GRAMMONDVS lib. 13. hiſtor. ARTAGNAN in comm. tom. 3. p. 349.* affirmativam tuentur. Sed omiſſa hac jam controverſia, ad propoſitum redeamus. Lotharingiæ dux in Belgium ad Hiſpanos contendebat, Gallique Lotharingiam in provinciæ redigebant formam. PRIOLVS *hiſtor. Gall lib. 2. §. 26. p. 66.* Verumenimvero Hiſpani ſuſpicati ſunt, clandeſtinam illam cum Gallis fovere amicitiam. Hinc cum in Hiſpaniam captivum abduxerunt. HISTOIRE *d'empriſonnement de Charles IV. duc de Lorraine*, qui liber BEAUVAUSII comment. adhæret. *Hiſtoria Veneta di NANI tom. 2. libr. 6. p. 286.* & *Les memoires de ROCHEFAVCAVT.* Rediit quidem ad libertatem, ſed non ad amiſſas terras; Galli enim in Weſtph. pace Lotharingiam, non niſi dejectis omnibus munimentis, quibus quædam circumvallata erant loca, reſtituere voluerunt, quascunque etiam papalis nuncius Bagnius & Venetorum legatus Nanius Mazarinio proponerent rationes. Sed nec duci, nec Hiſpanis tales tum placebant conditiones, unde hoc continuati inter Gallos & Hiſpanos belli aut prætextus aut cauſa fuit. Verum nec multo meliores fuerunt conditiones, ſub quibus pace Pyrenaica art. 62. & ſedecim ſequentibus articulis ipſi Lotharingicæ reſtitutæ ſunt terræ. LONDORP. *act. publ. tom. 8. lib. 5. c. 475.* GASTELIVS *de ſtat. Europ. noviſſ. part. 1. c. 6. n. 24.* Autor libri, qui inſcribitur: *Eclairciſſement ſur les affaires de Lorraine p. 77.* de illa Lotharingiæ redditione hunc in modum loquitur; *c'etoit vendre la Lorraine, comme le Chat lache le ſouris, pour ſe jouër avec, & que ce duc n'en ètoit plus, que le fermier & le cuſtodinos pour le Roy de France, qui empruntoit le nom du duc pour la poſſeder avec moins d'envie.* Carolus ferociſſimi animi princeps, male admodum rebus ſuis per Pyrenaicam conſuli pacem ratus, --- nec a verborum atrocitate in Ludovicum de Haro abſtinuit, eoque propemodum rem deduxiſſet, ut cuſtodiæ mandatus fuiſſet. Interim proteſtari non ceſſabat, illam ad ſe plane non ſpectare pacem; cum paciſcentium nulli, ut de ſuis rebus eſſent ſolliciti, mandatum dediſſet. *Diſcours hiſtorique p. 185.* Tantis malis ducem, ſui quaſi oblitum, inductum putant, ut, vix a Galliæ rege Barrenſi accepta inveſtitura, omnes ſuas ei terras contignaverit, alias ſibi in Gallia, ducenta millia librarum in annuos reditus, ferentes terras ſub ducatus nomine, ſuæque domui, exſtincta Borboniaca propagine in Gallico regno ſucceſſionem ſtipulando. Hiſce omnibus magna adhuc ſumma ex Lotharingicis reditibus & centum mille libræ ex regio accederent fiſco. *MEDAILLES ſur le regne de Louis le grand. p. 64. HISTOIRE de Louis XIV. par Riencourts p. 330. 331. MEMOIRES d'Artagnan tom. 3. p. 350. ſqq.* Sed hanc conventionem ob varias rationes nullius eſſe momenti, Nicolaus Franciſcus in literis ad Galliæ regem exaratis docebat, quod filius ejus Carolus in aula Gallica coram profitebatur. Nec minima rationum fuit, quod feuda imperii citra domini directi conſenſum alienari non poſſint: vide PVFFEND. *rer. Brandenb. lib. 14. §. 60.* WICQVEF. *dans l'ambaſſadeur p. 193.* Imo ducem, more ſolito celeris invaſit pœnitentia; Galliæ autem rex de mutato ejus animo certior factus, ne quid ab eo timendum haberet, ipſum, ut Marſalum, locum munitiſſimum, Gallico permitteret præſidio, coëgit. RIENCOURT *l. c. p. 343.* THEATRVM EVROPÆVM *tom. X.* MEMOIRES *d'Artagnan tom. 3. p. 359. 513.* Et cum res ſuas ibi nondum ſatis certas Gallus crederet, ſub Crequii imperio novum Lotharingiæ immiſit exercitum, qui variis potitus eſt locis. RIENCOURT *tom. 1. p. 375.* Quo facto tædium exilio lenire, quam iniquas tractatus cum rege initi leges ſubire maluit. Poſtquam autem 1675. vitam poſuerat, Nicolai Franciſci filius *Carolus*, quem quintum dicunt, avitas terras a Gallo repetebat; ſed ſurdo narrabatur fabula. Sollicitationes itaque ſuas Neomagum, ubi pacis ventilabantur negotia, detulit: ſed Galli ſub variis prætextibus poſtulata ejus eludere auſi ſunt. Sic nullum ejus primi ordinis miniſtrum admittere voluerunt, quod tamen Lotharingus æque ac Brunſuicenſes principes ſibi competere jus, egregie deduxerunt. LETTRES & NEGOTIATIONS *de meſſieurs le marechal, d'Eſtrades, Colbert. &c. tom. 1. p. 193. ſeqq. p. 252. ſeqq.* Interea per legatum ſuum præſidem Canonem juſta ſua proponi curavit: verum Galli tam diu ſuas ad ea differebant reſponſiones, usque dum pax cum unitis concluſa eſſet Belgis. Qua facta elatiores adhuc ſe gerere cœperunt, nec in alias, quam quæ artic. XII. ſeqq. pacis Neomagenſis cum imperatore initæ expreſſæ ſunt conditiones; conſentire voluerunt. *Memoires de TEMPLE p. 256. 306. 380. MEMOIRES & negotiations de la paix de Nimegue tom. III. p. 427.* ſed hiſce ſe adſtrictum eſſe articulis, dux negavit. Enimvero nec munitum locum,

32. Verba hæc ſunt: „Quo magis autem dicta pax atque amicitia inter imperatorem & chri„ſtianiſſimum regem firmari poſſit, & ſecuritati publicæ melius proſpiciatur, ideo de conſenſu, „conſilio & voluntate electorum, principum & ſtatuum imperii, pro bono pacis conventum eſt. „Primo, quod ſupremum dominium, jura ſuperioritatis aliaque omnia in epiſcopatus, Metenſem, „Tullenſem & Virodunenſem, urbesque cognomines eorumque epiſcopatuum diſtrictus, & nomi„natim Moyenuicum, eo modo, quo hactenus ad Romanum ſpectabant imperium, impoſterum „ad *coronam Galliæ ſpectare*, (a) eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, reſervato ta„men jure Metropolitano ad archiepiſcopatum Trevirenſem pertinente. Quarto chriſtianiſſimæ „majeſtati ejusque in regno ſucceſſoribus de conſenſu imperatoris totiusque imperii perpetuum „jus ſit tenendi præſidium in caſtro Philipsburg protectionis ergo, ad convenientem tamen nume„rum reſtrictum, qui Vicinis juſtam ſuſpicionis cauſam præbere non poſſit, ſumptibus duntaxat „coronæ Galliæ ſuſtentandum. Patere etiam debebit regi liber tranſitus per terras & aquas impe„rii ad inducendos milites, commeatum & cætera omnia, quibus & quoties opus fuerit. Rex ta„men, præter protectionem, præſidium & tranſitum in dictum caſtrum Philipsburg, nihil ulteri„us prætendet, ſed ipſa proprietas, omnimoda jurisdictio, poſſeſſio, omniaque emolumenta, fru„ctus, acceſſiones, jura, regalia, ſervitutes, homines, ſubditi, vaſalli, & quicquid omnino antiquitus „ibidem, & in totius epiſcopatus Spirenſis, eccleſiarumque illi incorporatarum diſtrictu epiſcopo & „capitulo Spirenſi competebat & competere poterat, eisdem in poſterum quoque ſalva, integra & „illæſa, excepto tamen jure protectionis, permaneant.

33. De Hiſpanicis & Lotharingicis earundem tabularum initio ſic cavetur: „CIRCVLVS „quidem BVRGVNDICVS ſit maneatque membrum imperii, poſt controverſias inter Galliam Hi„ſpaniamque ſopitas, hac pacificatione comprehenſas. Bellis tamen in eo jam vertentibus, nec „imperator nec ullius imperii ſtatus ſe immiſceat. In futurum vero, ſi inter ea regna controver„ſiæ oriantur, firma ſemper maneat inter univerſum imperium & reges regnumque Galliæ de „mutuis hoſtibus non juvandis, ſupra dictæ reciprocæ obligationis neceſſitas: ſingulis tamen ſta„tibus liberum ſit huic illive regno extra imperii limites ſuppetias ferre, non tamen aliter quam „ſecundum imperii conſtitutiones. CONTROVERSIA LOTHARINGICA vel arbitris utrin„que nominandis ſubmittatur, vel tractatu Gallo-Hiſpanico, vel alia amicabili via componatur: „liberumque ſit tam imperatori, quam electoribus, principibus, & ſtatibus imperii, ejus compo„ſitionem amicabili interpoſitione, aliisque pacificis officiis, juvare ac promovere, non tamen armis „aut bellicis mediis.

CAPVT XXVII.

Quæ in Lotharingico regno duces Lotharingiæ tenent, illa pene omnia hodieque juris eſſe imperialis Germanici.

1.

Expeditis regum Galliæ rebus, pergemus ad Lotharingiæ ducum patrimonium, quoniam & illa hodie rex Galliæ tenet, & de Barrenſi ducatu non calamis tantum, ſed etiam armis diſceptatur, Gallis illum ſuæ ditioni ducibus imperio vindicantibus.

2. Continentur autem patrimonio illo varia, quæve, ut nunc quidem ſeſe res habent, non una ſunt conditione imperio obnoxia. Alia quippe feudi vinculo adſtricta ſunt, eoque de iis quidem, quin jure ſint intra imperii limites collocata, non eſt forte quod dubitemus. Ipſum ducatum Lotharingiæ liberum plane & ſui juris, legibusque imperii omnino ſolutum *nonnulli arbitrantur*: (b) eſt autem ille pars patrimonii iſtius potiſſima. Non exigui etiam pretii inter membra patrimonii

nec facultatem quid armorum ſibi circumponendi, ſed modicos duntaxat reditus accipiebat infra centum millia uncialium, quæ & vetera nomina a Gallo eruta abſorptura eſſent. PVFFENDORF. *rer. Brandenb. lib.* 17. *p.* 1319. Quamobrem nihil æquius fuit, quam ut dux ſe convenienti in ipſo congreſſus loco contra talem pacem muniverit proteſtatione; quanquam non defuere, qui putarunt, conſultius fore, præſentem fortunam æquo ferre animo: addebatur tamen, hanc proteſtationem neutiquam inimicitiæ inter Chriſtianiſſimum regem & ducem renaſcentis ſignum eſſe debere. Et ne quem ſuſpicioni relinqueret locum, ſuas imperatori tradere vellet copias. *Hiſtoire des negotiations de Nimegue par Desdier p.* 212. *p.* 230. 264. 282. 294. LVNIG. *archiv. imperii part. generali tom. I. p.* 1051. Interea maluit adhuc terris ſuis extorris vivere, quam ſub legibus in Neomagenſi pace ſtatutis eas accipere. Aula ipſum Leopoldi cæſaris, cum Gallicam, ob proteſtationem ſupra memoratam, dereliquerat, cupidis ulnis amplexa erat, tantusque ipſum ob inſignia merita cepit favor, ut non ſolum Polonicum ipſi imperator procurare laboraverit diadema: ſed & ut tantus heros firmiſſimo imperatoriæ domui adſtringeretur vinculo, in cæſaris affinem per ſororem ejus Poloniæ regis viduam electus eſt. *Memoires d' Artagnan tom. III. p.* 439. Quantus militia fuerit, res in Turcico & Gallico bellis præclare geſtæ mirifice ob oculos ponunt. Nec ad togam & conſilia ſuppeditanda ipſum ineptum fuiſſe, teſtamentum politicum, quod nomen ejus præ ſe fert, ſi genuinum eſt, ſatis probat. Ejus filius Leopoldus Joſephus Carolus, cum anno 1683. 1684. hoc reſtitutionis negotium varie in comitiis ſub deliberationem vocatum eſſet, per Riſwicenſis tandem pacis *art.* 28. in priſtina Lotharingiæ ducatus jura reſtitui debuiſſet, ita tamen, ut urbis novæ valla & propugnacula non minus ac omnia utriusque urbis munimenta exteriora impenſis ſacræ regiæ majeſtatis Galliæ ſolo æquarentur, nullo deinceps tempore reparanda, niſi quod dominus dux ejusve ſucceſſores urbem novam ſimplici ac æquali muro abſque angulis claudere poſſint, quandocunque libuerit. *Artic.* 29. Verum Galli pacis legibus non ſatis fecere. *Fabri Staats-Canzel tom.* 19. *p.* 745. *ſeqq.*

(a) *Coronam Galliæ ſpectare*) GöBEL. Graviter contra hanc ceſſionem, cujus quædam in pace Ratisbonenſi *artic.* 15. jacta videntur fundamenta, Lotharingus proteſtatus eſt. Vide LVNIG. *archiv. imperii parte ſpeciali continuat. II. p.* 320.

(b) *Nonnulli arbitrantur*) GöBEL. Quam falſam ſententiam dux Carolus IV. etiam foviſſe videtur. Niſi dixeris,

monii illius eſt ducatus Barrenſis: quo de nunc acriter adeo contendi, paulo ante diximus. De utroque igitur illo nobis agendum potiſſimum venit, initio a Barrenſi facto; qua occaſione ſimul diſputabitur de feudalibus bonis.

3. Ac caſtrum quidem ipſum BARRI *non Gallico ſed imperii ſolo* (a) accenſitum, & comites Barrenſes, caſtri quidem illius cauſſa, non Campaniæ comitum ſed imperii in clientela vixiſſe, usque ad ſeculum quartum decimum, niſi vehementer fallimur, clare probatum eſt a nobis capite ſeptimo. Quid exinde contigerit, jam docebimus, ſine amore & odio, quorum & cauſas procul habemus.

4. *Igitur* Henricum Barri comitem, quod Joannæ reginæ terras Campanicas incurſaſſet, armis domitum, a Philippo Pulchro rege anno MCCCI. ad ligium hominium ſibi præſtandum compulſum eſſe, id ante omnia arbitror extra omnem eſſe controverſiam collocandum. Et vero non tantum fatetur id Chifletius Lotharingicus [illegible], ſed etiam teſtimoniis variis confirmat in *commentario Lotharienſi cap. 2.*

5. Id *porro* ſine ullo exemplo *tum primo factum*, (b) non negat ipſe, qui Chifletio *accurata diſputatione* (c) ſeſe pro partibus regiis oppoſuit doctiſſimus vir David Blondellus. Diſerte enim pag. 20. libri, cui titulus eſt: *Barrum Campano-Francicum*, ſcribit de illo Pulchro rege: *Regum omnium primus Barri comitem (cujus majores non regum ſed Campaniæ comitum vaſalli erant) hominem nullo medio habuit.* Fatente ergo Blondello, tum primum Barri comes factus eſt regius vaſallus, ſed ejus majores nullo tali nexu regibus iſtis fuere obſtricti. Quod vero addit, fuiſſe illos vaſallos Campaniæ comitum, id non negamus: Barri tamen cauſſa non fuiſſe in tali clientela, jam tum ſupra oſtendimus, & in ipſis illis Henrici Barrenſis tabulis, quas Blondellus ex Andrea Cheſneo eadem pagina producit, tantum non diſerte adfirmatur: ceu mox patebit.

6. Obſervandum *tertio* venit, multa tunc quidem jam fuiſſe in patrimonio Barri comitum, non tamen a rege jure fiduciario aliud Henrico comiti datum, quam ſolum *Barri caſtrum & caſtellaniam Barrenſem, cum omnibus, quæ Henricus ante citra Moſam fluvium ex Franco allodio tenuerat.* Notat ſcilicet ipſemet Blondellus, anno MXXVII. Barro adjunctum fuiſſe Moncionis comitatum: „ei „(inquit pag. 17.) A. D. MCXXIV. Dunum caſtrum, Rouretum, Malaudi, mons S. Luciæ, & Curti„cellæ, cum ruſticis de Armincort & domino Remigio, Henrico Virdunenſium epiſcopo donante, „accrevere: anno MCXXXI. Clarus Mons, Hans & Vienna, cedente Alberto epiſcopo, acceſſere. „Anno vero circiter MCL. Agneti, filio Rainaldi II. nuptæ, Lincium caſtrum cum territorio adja„centi, dotis nomine donavit Theobaldus magnus Campaniæ comes Palatinus. Non omnia vero illa, ſed ſola iſthæc, quæ modo diximus, in feudi legem Henrico data eſſe, ſole clarius patet ex ipſis Henrici laudatis ante tabulis. Adferemus illas ipſas in medium, quales ex Cheſneo produxit *Blondellus.* (d) *Nous Henris Cuens de Bar, faiſons cognoiſſant à tous, que treitiei de pais à eſté ens, accordés, & fermeiz, & ſomes venus à pais à noſtre treſchier Seigneur, Philippe par la grace de Dieu Roy de France,* en

eum tantum ſuperioritatem territorialem, quæ gallico nomine *ſouverainité* venire poteſt, ſibi tribuiſſe. Vid. *l'ambaſſadeur de WICQVEFORT tom. I. p. 32.* Potentatui autem tali fiduciarium non officit nexus. Neque huic Lotharingiæ dux, invito imperio repudium mittere potuit. BLONDELLVS quidem in *Barro-Campano-Francico* falſo aſſerit, Lotharingiæ ducem tantum propter quædam loca, non autem propter ipſam Lotharingiam imperii eſſe vaſallum; quoniam hæc non ad imperium vel regnum Germanicum, ſed ad Lotharingicum ab hoc plane independens ſpectaverit, licet eosdem aliquando cum Germania habuerit reges: verum ex iis, quæ allata ſunt, manifeſtiſſimum eſt, Lotharingiæ regnum Germaniæ fuiſſe ſubjectum. Ut ſileam jam, quæ quoad recentiora tempora de transactione Noribergenſi infra monebuntur. Vide SCHVRZFLEISCHII *diſſert. de diviſione imperii Carolini §. 73. ſeqq.*

(a) *Non Gallico ſed imperii ſolo*) GöBEL. Barrum, qui veteribus quibusdam Barris dicitur, non in regno Francorum occidentalium fuiſſe, ut BLONDELLVS *p. 16.* opinatur, ſed intra regni Lotharingici limitem, argumentis minime infirmis doceri poteſt. SCHVRZFLEISCH. *de diviſione imperii Carolini p. 65.* Vide ALBERICVM *ad annum* 1033. *apud* LEIBN. *in acceſſ. hiſtor.* cui loco BLONDELLVS *l. c.* graviter iraſcitur.

(b) *Tum primo factum*) GöBEL. Ceterum ab omni tempore ſub Campaniæ comitibus & deinde Navarræ Galliæque regibus fuiſſe, BLONDELLVS contendit *p. 17. ſeqq. 20. 39. ſeqq.* verum tanta non ſunt, ut quod hic eſt dubium, tollere queant. Moris erat illis temporibus, ſi quis aliquem fiduciario vinculo ob locorum aliquid obnoxium habebat, a loco primario, a quo ille appellationem habebat, ſuum nominare vaſallum. Sæpe enim unum ſaltem locum potentiori aut æquali, vel etiam eccleſiæ in feudum offerebant, ut eo tutiores eſſent, vel etiam quod ſummam rerum non tangebat, ab iis, quibus ſuberant, ſæpe diſſimulabatur, cum in priori conſtantes manerent obſequio; præſertim autem illud fiebat, quando ei aliquid in feudum offerebant, cum quo ſub eodem erant domino ſuperiori. Feuda plerumque concedebantur, ut illius, cui beneficium dabatur, auxilia largienti præſto eſſent, qui locus vel territorium primariis deinde terris, quas accipiens habebat, annumerabatur, & ſub earum generali denominatione comprehendebatur. Neque hodienum mos ille, quo aliquem ſimpliciter hujus vel illius vaſallum vocamus, licet minorem etiam terræ partem ab eo in feudum recognoſcat, exolevit. Sic Daniæ regem, absque *Boutjadinæ terræ* appellatione domus Brunſuicenſis vaſallum dicunt; quis autem citra inepti notam inde colligeret, Daniam ſereniſſimæ illius domus feudum eſſe? Sic forte unus aut alter locus Galliæ regibus a Barrenſibus comitibus in feudum oblatus fuit, quis autem inde, niſi Galliæ partibus ultra id, quod par eſt, favens, colligeret: igitur Barrenſis comitatus eſt Galliæ feudum? Dolendum profecto, veteres autores tot ſæpe tenebris & ſententiis ſibi adverſantibus eſſe implicitos. Sæpe enim externa rerum ſpecie ſe fallere paſſi ſunt, & res non ſatis intellectus memoriæ prodiderunt, unde tot principum & eruditorum enatæ ſunt digladiationes, totque illorum, qui infirmo nituntur jure, elabendi occaſiones. Fateor, me circa ipſam Campaniam ſuſpenſo ſemper eſſe animo. Illis, qui imperio Germanico eam ſubfuiſſe contendunt, argumentum aliquod eſt in ſententia, quam Fridericus II. imperator inter *Blancham*, Trecarum, quæ Campaniæ partem conſtituunt, comitem, & Lotharingiæ ducem de feudali nexu, quo hic illi adſtringebatur, controvertentes tulit. Vide BLONDELLVM *in Barro Campano Francico p. 39.*

(c) *Accurata diſputatione*) GöBEL. Sed ſtylo in adverſarium ſuum nimis mordaci utitur, ſeſeque, ut ille ex Blondelli opinione Galliæ odio, patriæ amore excæcari paſſus eſt.

(d) *Blondellus p. 20. commentariolo*) GöBEL. Dubia, quæ hic CHIFLETIVS movet, apud ipſum legenda ſunt.

en la forme & en la maniere qui s'enſuit. Premierement nous avons fait (hommage lige) audit noſtre Seigneur le Roy; pour luy, & pour ſon hoir Roy de France; de Bar & de la Chaſtellerie de Bar, de tout ce que nous y teniens en franc allué par deça la Mueze. Multisque interjectis. *Encores eſt accordé que les Chaſteaux, & les Chaſtelleries de Conſlans, de Chaſtillon, & de la Marche, & tous les accommodemens, fiéz, arriere fiéz, demaines, jouſtices, droiz, droitures, & Seignenries, quelconque il ſoyent, demorent perpetuellement à noſtre Seigneur le Roy, à ſes hoirs, & ſes ſucceſſeurs &c. avons donné pleges & principaux reſpondeurs, & enterins à noſtre Seigneur le Roy, Monſeigneur Tuibaut, & Monſeigneur Jean de Bar nos freres, Monſeigneur Jeffroy Seigneur de Aſpremont, & Monſeigneur Liebaut Seigneur de Beffremont &c. fait à Bruges l'an de grace 1301. le jour des Octaves de la Trinité.*

7. Hactenus illæ tabulæ. Ex quibus ſimul diſcimus, ceſſiſſe Henricum regi pulchro caſtra & caſtellanias de caſtellione, Confluentia & Marchia. Verum hæc Eduardo I. Henrici filio a Philippo Valeſio reddita. Donatam porro eidem a rege illo anno MCCCVII. Gundricuriam, ex Cheſneo probat idem Blondellus pag. 21. Et quidem Gundricuriam feudi lege datam, clariſſimum eſt ex diplomate Valeſii regis, quod ibidem Blondellus adfert. Non alia conditione vero & reliqua reddita, per fit veroſimile ex tertiis tabulis Theobaldi Leodienſium præſulis, quas eodem loco teſtes laudat Blondellus, tum ex eo, quod hæc nominatim ſoleant numerari a regibus inter feuda ſua.

8. *Quarto* loco igitur notandum venit, hæc fortaſſis omnia, quæ diximus, a regibus Galliæ ſecutis temporibus pro feudis regiis habita quidem, reliqua autem quæ ducatus Barrenſis titulo hodie veniunt, & partes ducatus creduntur, nunquam in cenſum iſtum veniſſe. Quam multa nimirum ducatui illi hodie adſcribantur, docet nos accurate Chifletius cap. XXI. & repetit ex illo Blondellus pag. 99. At vero cum in quatuor præfecturas & appendices aliquot omnis provincia hodie dividatur, nihil earum præfecturarum aut appendicum pertinet ad feuda illa regia; in prima & quarta præfectura demum illa occurrunt aliis addita. Jam vero pauca illa denique, clientelaria ſua bona credita eſſe a Galliæ regibus, liquido patet cum ex pacto Bolonienſi inter Carolum IX. regem & Carolum Lotharingium anno 1571. inito, tum ex diplomate Henrici III. regis conſcripto Pariſiis anno 1575. quorum illud cap. XIII. hoc cap. XIX. ex archivo Barrenſi recitat Chifletius. In pacto hæc verba habentur: „ Nimirum ad pacandas & finiendas lites, controverſiasque omnes „cum natas tum naſcituras ratione dictorum jurium regalium & ſummæ poteſtatis, dictus rex an„nuit conceſſitque ſuo & ſucceſſorum regum Franciæ nomine, dicto duci Lotharingiæ & Barri, ſo„rorio ſuo, ut tum ipſe, tum ejus poſteri, qui terras infra deſignatas poſſidebunt, fruantur utan„turque libere & quiete juribus regalibus, legibusque ſummæ poteſtatis, in TERRIS PRÆTO„RII BARRENSIS, PRÆPOSTVRA MARCHIENSI, CASTILLIONENSI, CONFLVENTINA, „GONDRECVRTENSI, DICTO REGI SVBJECTIS, de quibus dictus dux ipſi fidem & homa„gium ligium facit. „ In diplomate Henrici III. regis legitur: „ Quod ad ſummam poteſtatem, „jura regalia, & jurisdictionem attinet: IN PRÆTORIO BARRENSI, IN PRÆFECTVRIS „MARCHIENSI, CONFLVENTINA, CASTILLIONENSI & GONDRECVRTENSI, originem „clientelari ratione a Nobis trahentia &c. „ Nec de aliis poſſunt intelligi literæ Caroli VI. Franciæ regis a Cheſneo ex neſcio quo commentariolo editæ, in quibus ait Chifletius cap. 7. pag. 28. *declarat rex, avunculum ſuum Barri ducem ſibi feciſſe fidem & homagium ligium de caſtro & caſtellania Barrenſi, deque aliis quibusdam caſtellaniis citra Moſam.* Sintne illæ literæ genuinæ nec ne, non diſputo: ſufficit, quod nec illæ doceant quid, ab eo quod diximus alienum ac diverſum.

9. Obſervandum *quinto* loco venit, illa quæ Galliæ reges ſuo juri vindicant feuda, haud numerari inter ea, quæ tranſactione Norinbergenſe cum cæſare & electoribus inita, Antonius dux Lotharingiæ imperio ſe debere profeſſus eſt, & cæſar atque ordines intra imperii fines quaſi receperunt. Multo minus illa pertinent ad ea, quæ duces Lotharingiæ a cæſaribus fiduciaria ſolent lege accipere. Fruſtra certe tranſactionem illam in argumentum adducit Chifletius cap. 9. In illa enim (ut ipſe fatetur cap. X.) *agitur de ducatu Lotharingiæ, ne Barrenſi quidem nominato.* Cavetur etiam de ſolo Lotharingiæ ducatu ejusque appenditiis, Albimonte, Muſſiponte & ſimilibus. Chifletius conatur quidem nobis perſuadere, Barrenſem ducatum univerſum *Lotharingici ducatus titulo* (a) involvi. Verum Barrenſis ducatus aut comitatus ſemper fuit diſtinctus a Lotharingico: diſtinctos initio dominos habuit, & tanquam geminæ dignitates ſplendent hodieque in ducum titulo. Nec vero fas fuit in re adeo ſeria ludos agi, a cæſare, electoribus, aut Antonio duce. Hinc vero jam liquet, ſaltim ultra centum annos Barrum aliaque illa, quaſi finibus imperii excluſa eſſe, *cæſaris & ordinum non minus* (b) quam ipſorum ducum conſenſu. Jam ante vero & interea temporis in clien-

(a) *Lotharingici ducatus titulo*) GÖBEL. Non tamen, quæ Chifletius habet, plane de nihilo ſunt. *Comment. Loth. p. 8.* Negari quidem non poteſt, territoria illa ſub diſtinctis aliquando fuiſſe capitibus; deinde autem ſub uno eſſe cæperunt. BLONDELLVS *p.* 24. 25. 41. 73. *ſeqq.* Ipſe Blondellus negare non poteſt, ducem Renatum anno 1506. utrumque ducatum perpetua unione junxiſſe.

(b) *Cæſaris & ordinum non minus*) GÖBEL. Vide tamen CHIFLET. *p.* 62. 66. 74. 78. 87. Nec ſufficiunt, quæ BLONDELLVS ad objectionem, Barrenſem ducem renovatæ anno 1470. Germaniæ matriculæ eſſe inſcriptum, affert. Objicit quidem hic, unioni illi vitium adeſſe, quia citra regis Galliæ conſenſum facta: Verum pauca illa, quæ Galliæ regi fiduciario vinculo ex Barrenſi territorio forte obnoxia fuerunt, loca nullum inducere potuerunt unioni vitium; potuit enim ille nexus vigente & valente unione ſalvus manere. Imo ſi quid etiam ob regii conſenſus defectum habuiſſet vitii, illud omne demtum eſt, poſtquam Franciſcus II. Galliæ rex omni, quod in quibusdam Barrenſis ducatus locis directum habebat dominium, renunciavit. *Apres le ſacre*, inquit, MEZERAI „abreché chronol. tom. V. p. 10. ils mererent le roy à Bar

clientelari obſequio regum Galliæ iſthæc fuerunt. Quamvis igitur ante centum amplius annos fuerint juris Germanici, tanti temporis tamen ſpacio quum ſint derelicta, fortaſſis vel ideo merito videantur imperii poteſtate excidiſſe.

10. Eſt autem ex iis, quæ jam tertio loco monuimus, manifeſtum, *Gundricuriam*, (a) Caſtellionem, Confluentiam & Marchiam a Philippo Valeſio rege, ante hos trecentos annos jam fuiſſe in clientela regni Gallici. Nec video ullum aliquod certum indicium, quo oſtendi poſſit hæc fuiſſe unquam imperii finibus comprehenſa. De uno Barro nos quidem probavimus, fuiſſe illud quondam in ditione imperii, ad usque initium ſeculi quarti decimi. Poſtquam vero illud in clientelam Gallicam eſt receptum a Philippo Pulchro, num vindicatum rurſum fuerit imperio, per eſt incertum. Quo tempore ſane *Marchionatum Pontenſem* (b) inſtituit Carolus IV. anno ſc. 1354. creditum fuiſſe, Barrum juris eſſe Gallici, veroſimile mihi facit ipſa illa Marchionatus inſtitutio. Voluit ſcilicet cæſar Robertum Barri comitem conſanguineum ſuum in principum ordinem referre, nec tamen invenit commodiorem locum in omni ejus ditione, unde titulus adderetur, præter Villam Moncionem; quam proinde limitaneo principatui novo metropolim eſſe juſſit. Commodius autem Barro potuiſſet tum illa dignitas conferri, ut quæ jam dudum inclaruiſſet, & magis in limitè imperii eſſet collocata. Id magis confirmatur ex iis, quæ Cheſneum ſecutus diſputat clariſſimus Blondellus *pag. 30.* (c) Nempe anno 1352. ætatis veniam Roberto illi

„à Bar. Le duc de Lorraine ſon beauferre l'y etant venu ſaluer, il renonſa par lettres patentes à la ſouverainité, qu'il avoit ſur le Barroit en faveur de ce prince.„ Confer quoque „inventaire de l'hiſtoire de France par JEAN DE SERRES p. 655.„ Redditum itaque eſt, monente Chiſletio, quod injuſtè erat occupatum. BLONDELLVS quidem in verbis THVANI *hiſtoriar. lib. XXIII. p.* 1032. aſylum quærit. Inquit autem ille: „Peractis inaugurationis atque ordinis ceremoniis, rex „Barrum venit atque ibi jam tum, Catharina & Guiſianis auctoribus, actum eſt, ut vox ſupremum jus ac imperium in Barrenſi principatu in Lotharingiæ ducis ſororis gratiam a ſe abdicaret, detrimentoſo ac perfidioſo conſilio, quo imperii Gallici majeſtas manifeſte minuebatur ac convellebatur.„ Verum dura hæc verba Thuano imminuti regni excuſſit dolor, non autem renunciationem, quam proceres haud improbabant, Franciſci invalidam pronunciare audet. Neque enim ignotum ipſi eſſe potuit, vinculum illud Lotharingiæ duci a Philippo Pulchro aliisque regibus, illud renovantibus, injuſte & in imperii Germanici injuriam fuiſſe impoſitum. Quæ nobis diſplicent, plerumque aliquid iniqui aut ex principali aut minus principali cauſa trahere dicimus. Notum eſt, doctos tradere viros, *inter gentes exceptionem ætatis non admitti.* Franciſcus imbecillitate quadam corporis laborabat, mentis autem non æque. JEAN DE SERRES *l. c. p.* 655. Et licet vera eſſent, quæ BVSSIERES H. F. habet, Franciſcum tam animo imbecilli ad tantam regni molem, quam corpore fuiſſe; annum tamen 17. decurrebat, cum patrem amitteret, atque ſic ex fundamentali Gallorum lege ætatem jam tum habebat majorem. Nec quæ de Palatino, Wurtenbergico, Mecklenburgenſi, ſalvo dominio directo reſtitutis, a BLONDELLO proferuntur, huc quadrant. Nam imperator hos reſtituens juri, quod in eorum terras, ut imperii caput habebat, non renunciavit; ſed eos tantum in jura & bona vaſallorum, quæ amiſerant, reſtituit; dux Lotharingiæ autem utile dominium non amiſerat, & ſic Franciſcus II. nulli alii rei, quam dominio directo, quod anteceſſores ejus ſibi injuſte arrogaverant, renunciare potuit. Quod autem ad tranſactionem Caroli ducis cum rege Franciæ Carolo II. de regalibus Barrenſis ducatus attinet, ea juri imperio quæſito & Noribergenſi tranſactioni renovato, noxia eſſe non potuit. Ea enim ob jus imperio quæſitum, quod ei invito & abſque cauſa eripi non potuit, plane nulla fuit. Neque Blondello inſervit, quod tam in transactione, quam in multis ſubſequentibus cæſarum inveſtituris ducis Lotharingiæ ſeparatim mentio injicitur. Etenim non ignotum eſt, ſi quædam territoria ſunt unita, principem omnium nihilominus titulos adhibere ſolere, ut eo plura jurium ſuorum exſtent ſymbola. Interea ſi primariæ provinciæ nomen tantum exprimitur, & reliquas, quæ non excluduntur, tacite includi, unusquisque colliget. Imo in tranſactione Noribergenſi legitur: „Cum ducatu Lotharingiæ & iis, „quæ ad illum pertinent, tanquam ad ducatum, nempe „album montem, Muſſipontem & ſimilia; ducatum Lotharingiæ & ejus dependentias;„ ſub dependentiis autem non poſſunt non intelligi ea, quæ ipſi in perpetuum ſunt unita. Nec robur aliquod habet Blondelli argumentum, feloniam ſapere, quod Noribergæ in præjudicium Galliæ Lotharingiæ dux cum imperio tranſegerit. Nam ex antecedentibus jam liquet, Gallo nullum ad vinculum fiduciarium Barrenſi ob ipſum Barrum imponendi jus fuiſſe, & ſi quam juris forte umbram habuiſſent, ea per Franciſci renunciationem penitus fuit amiſſa. Et quicquid demum alii cum BLONDELLO in contrarium diſputent, id extra omne ponendum eſt dubium, imperium juri ſuo in Barrenſem ducatum nunquam renunciaſſe. Nec quas Galli Lotharingiæ ducibus extorſerunt inveſtituras, majoris eſſe poſſunt valoris, quam quod Pyrenaicæ inſeri curaverant paci, plenum in dictum ducatum ſibi cedi debere jus. Audiamus, quid ordines imperii futuræ inſerendum paci anno 1709. monuerint; *auch mit der hohen alliirten Beyſtand dahin die Sache ferner zu* diſponiren *ſeyn würde, daſs das Hertzogthum BAR dem Hertzogen von Lothringen alſo* plenarie reſtituiret *werde, daſs ſie auch wegen der Lehnſchaft von der Krohn Franckreich völlig erlaſſen, von dieſer Sache begeben, und abgetreten, und dahin zu endigen Zeiten kein* nexus feudalis *von dem Hertzogen von Lothringen mehr getragen werde, ſondern, daſs gleichwol die Hertzogen von Lothringen dieſes Hertzogthum Bar vor Zeiten von dem Römiſchen Kayſer völlig zu Lehn empfangen, als damals die Hertzogen von Bar ſich an die Krohn Franckreich gehenget, und diſelben in vorgeweſenen damaligen Kriegen* aſſiſtiret, *die* feudalitat *gedachten Herrn Hertzogen, dem Römiſchen Reich aber das Eigenthum entzogen worden, damahlen wieder zum Reich* quoad proprietatem *gebracht, und bey Kayſerl. Majeſtat von denen Herrn Hertzogen in Lothringen zu Lehn wieder empfangen &c.* Vide quoque literas ordinum imperii ad uniti Belgii ordines generales.

(a) *Gundricuriam*) Vide BLONDELLVM *p.* 21. 22.

(b) *Marchionatum Pontenſem*) GöBEL. Hoc in conventu principum Meti habito factum eſſe, ex Edmundo Dintero docet BLONDELLVS *p.* 29. additque apud Albertum Argentinenſem pro: *ex comitatu Barrenſi marchionatum feciſſe*, Legendum *ex comitatu Pontenſi marchionatum.* Sed unde probabit Blondellus, DINTERO majorem, quam ALBERTO ARGENTINENSI autori coævo fidem eſſe adhibendam, aut ſcribentis manu talem, ut putat, irepſiſſe errorem. Eodem & majori adhuc jure quis tabulæ, qua Joannes Roberto comiti Barrenſi ætatis veniam conceſſiſſe dicitur, authentiam in dubium vocare poteſt, inprimis cum, ſi recte memini, Blondellus nullum citare noverit ſcriptorem, qui ejus rei mentionem faciat. Deinde Johannes, ut imperatoris Caroli IV. cum quo arctior ipſi intercedebat amicitia, commiſſarius, hoc ipſi contuliſſe privilegium dici poſſet. Et quid ni novo duci ab imperatore ſimul commiſſum eſſe potuerit, ut limitum haberet curam, quæ & Moncioni adſtricta eſſe potuit.

(c) *pag. 30*) pag. 23.

illi comiti, ſequente anno eidem proviſionem aſſignavit rex Joannes: adeoque cliens ille tum habitus fuit regni Galliæ. Poſt hæc comitatui Barrenſi dignitas quidem collata eſt ducalis: ſed incertum, a *Carolo cæſare* (a) an a rege Joanne. In neutram enim partem ſuppetunt diplomata: quod & Chifletius pariter & Blondellus confitentur: & in utramque partem non deſunt cum teſtimonia ſcriptorum, tum veriſimiles rationes. Ut vero a Carolo IV. dignitas illa tandem ſit profecta, hoc ipſo tamen non fuerit clientelare jus Gallicum everſum, ſed tantum ſuprema poteſtas vindicata. Nec reperias tamen quenquam cæſarum, qui poſt Carolum quartum vel eam curam Barri cauſſa impenderit: omni ſcilicet illa cauſſa neglecta. Illa ipſa Caroli ætate autem Galliæ reges inter fideles ſuos numeraſſe duces Barri, vel ex uno illo diplomate Caroli V. regis, ſcripto *anno* 1564. (b) quod capiti XII. Luminum Salicorum inſeruit ipſe ille Chifletius, manifeſtum eſt. Quibus omnibus expenſis, videtur ſecure pronunciari poſſe; non eſſe, quamobrem intra fines imperii Gundricuria quidem, Caſtellio, Confluentia & Marchia, merito poſſint revocari: imo talem conatum cum injuria fore conjunctum. Cum Barrum porro ipſum vel nunquam vel niſi leviter trecentorum annorum ſpacio ſit imperio *vindicatum*, (c) etiam illud potius videri inter ea, quæ dudum perdita ſunt, numerandum eſſe. Id quod *ſexto* loco notandum ducimus.

11. ETSI vero hunc in modum expedita fortaſſe res ſit de feudis illis Gallicis, minime tamen hinc ſequitur, in univerſum omnia, quæ hodie Barrenſi ducatui accenſentur, itidem juris Gallici eſſe & imperii finibus excludenda. Perinde enim atque ex eo, quod Moncionis & Hattonis caſtri Marchionatus, ut & comitatus Clarimontis, in feudum Lotharingiæ ducibus imperii nomine a cæſaribus hactenus ſint conceſſi, & tamen cenſeantur in præſens ducatus Barrenſis membra, non obtinetur, ducatum illum univerſum in imperii eſſe ditione: ita nec ex eo, quod ducatus caput aliaque nonnulla Gallici ſint juris, de univerſo ducatu ſequius quid præſumendum eſt. Solent nimirum ſæpenumero unum in corpus, commodioris regiminis cauſſa, conjungi, quæ diverſiſſimæ alias ſunt conditionis: nihilque ineptius fuerit & iniquius, quam ſi ex unius partis ſtatu de reliquis omnibus velis judicare. Et vero video doctiſſimum Blondellum ab ejusmodi argumentationibus prudenter abſtinere, ſecus quam fit ab aliis permultis.

12. Ille tamen aliis rationibus & Clarimontis dominium, & Hattonis caſtri, & Moncionis ditiones, imo & Albimontem ac Belliſteinium aliaque conatur juribus Gallicis vindicare. Recitabimus ſummi viri ipſa verba, qualia habentur pag. 82. *Cum Clarimontis dominium in Barri comites anno 1131. ab Alberone de Chiſneir Virdunenſium præſule translatum, inter Moſam, communem Lotharingici & Francici regnorum limitem, & Axonam jaceat, nec imperii Germanici membrum cenſeri, nec a Germanicis imperatoribus in feudum recipi jure potuit; Moſam autem Lotharingici regni limitem occidentalem fuiſſe, docent inveſtiturarum a te prolata diplomata, quibus tota Lotharingia ducum poteſtas Rheno & Moſa concluditur. Hattonis caſtri, Albimontis, Moncionis, & Belliſtheinii ditiones, cum Advocatia Tulli & Romarici montis, etiamſi inter Moſam & Rhenum poſita, ab imperio Germano Lotharingico pependiſſe videantur; ex quo Metenſis, Tullen-*

(a) *A Carolo cæſare*) GöBEL. VETVS CHRONICON METENSE, DECANVS S. THEOBALD. METENSIS, qui circa annum 1400. vixit, BOVLLAYVS, JACOBVS RVRANTIVS, FRANCISCVS THOUVENINVS, Barrum per Carolum IV. in ducatum eſſe evectum, tradunt. Vide CHIFLETIVM *p.* 13. Sed quid ad hæc Blondellus *p.* 30? Hic profecto nihil regerere novit, quam eundem illos cum Alberto Argentinenſi errorem commitere, & *Mancionem* Lotharingiæ comitatum cum Barro confundere; in Franciſcum Roſierum autem, qui illis jungendus eſt, ut teſtem invalidum graviſſime invehitur. Sed videamus jam, quid pro ſententia Robertum a Joanne Galliæ Barrenſem creatum eſſe ducem proferre noverit, diploma non adeſſe fatetur. Gaguinus, Belleforeſt & Hallianus hoc anno 1357. factum eſſe perhibent; quo tempore tamen Joannes in Anglica erat captivitate, & ſic Robertum, ipſo etiam Blondello fatente, regem conſtituere non potuit. Provolat quidem Blondellus ad annum 1354. 1355. 1356. ſed nullum ex veteribus, id in uno illorum annorum factum eſſe, aſſerentem adducere poteſt. Sed ſufficiant hæc circa controverſias Lotharingico Barrenſes. Conſtitueram quidem latius omnia, quæ ad res Lotharingicas ſpectant, proſequi: verum ſollicitationibus, quibus premor, ut Conringianorum maturetur editio, debetur, quod in hac æque ac aliis egregii de finibus operis materiis non pauca intacta aut non ſatis excuſſa relinquantur.

(b) *Anno 1564.*) GöBEL. Haud dubie hic de Carolo V. Galliæ rege loquitur, & tunc ſphalma typographicum emendandum erit, & loco 5. poni debet 3. Lumina Chifletii ſalica jam non ſunt ad manus, ideo in diploma citatum inquirere non poſſum. Non tamen Gallorum uſurpationes, quod Barrenſes duces, ipſius Caroli IV. ætate inter ſuos numeraverint vaſallos, imperii jus imminuere poſſunt. Sufficit, Carolum IV. per actus aliquos imperio ſummum ſuum in Barenſem ducatum vindicaſſe jus. Temporis ratio haud dubie tunc non tulit, ut Gallo ad deponendum jus illud, quod uſurpabat, arma fuerint illata.

(c) *Vindicatum*) GöBEL. Hæc autor ex Blondelli ſententia locutus eſt. *Vid. l. c. p.* 80. Hujus argumenta ſunt, quod in Noribergenſi tranſactione Barri non fiat mentio: Sed vide, quæ de Barro ſub Lotharingia incluſo antea diximus. Huc ſpectant Thowenini Franciſci II. Lotharingiæ ducis miniſtri *apud CHIFLETIVM c. X.* verba: Nec Carolum V. jure imperii in Barrum decedere voluiſſe, ex eo quoque colligi poteſt, quod a Vaudani montis comite pro pupillo ejus Carolo II. Lotharingiæ duce juramentum fiduciarium pro utriusque ducatus feudis ab imperio dependentibus acciperet; deinde, quod Chriſtiernæ duciſſæ interdixerit, ne Henrico II. Galliæ regi filii nomine hominium præſtaret. CHIFLET. p. 56. Porro, non ita a vero alienum eſt, ut Blondello videtur, & inveſtituris Ferdinandum I. ſequentium cæſarum ſub Lotharingia Barrenſem ducatum contineri. Tum non ita firmo nititur talo Blondellianum illud, neutrum Henricum & Carolum de Lotharingiæ & Barrenſi ducatu inveſtitum dici. Nam in diplomatibus de omnibus feudis inveſtiuntur, & quædam ſaltim eorum, ut marchionatus pontis montis, Hattonis caſtri & comitatus clari montis, ut exempla, nominatim ponuntur. *CHIFLETIVS c. XII.* Tranſactio autem Noribergenſis & ſubſequentes cæſarum inveſtituræ non in alium adhibentur finem, quam ut iis ſignificetur, Germaniam etiam in juris ſui exercitio & quaſi poſſeſſione eſſe. Huic accedit, quot tot ſolennes de juribus imperii in Barrenſem ducatum, contra Gallorum uſurpationes, adſint proteſtationes, quod imperatorum habemus capitulationes. Vide, quæ paulo ante hac de re dicta ſunt.

Tullenſis, & Virdunenſis diœceſes, quarum membra ſunt, ſupremumque in eas jus, communi ordinum Monaſterienſia pacta confirmantium decreto, Francico regno accrevere, in eandem partem inclinare debent. Hactenus Blondellus, qui mox ſubjungit verba quædam Tabularum pacis præcedente capite a nobis producta.

13. Videtur autem forte haud difficile dictu eſſe, in hac re quid ſit ſtatuendum. Quod Clarimontis enim dominium attinet, eſt quidem illud ultra Moſam ſitum: At non ultra fluvium illum jura imperii Germanici extendi debere, eumque fluvium præciſe in limitem imperii & regni Gallici eſſe olim conſtitutum, non probavit Blondellus, nec unquam quis probaverit, Quo de jam cap. ſexto a nobis actum eſt. Adhoc ſi Clarimons Gallici juris fuiſſet habitus olim a Galliæ regibus, utique & hujus dominium ſui feciſſent juris. Vindicarunt autem ſibi de ultra-Moſanis Barrenſis ducatus partibus ſolam præfecturam Barrenſem. Itaque ipſorum propria & per omnia ſecula hactenus continuata confeſſione, nihil juris in Clarimontem regno Gallico competit. Si porro Virdunenſium præſul jam anno 113.. Clarimontem in Barrenſes comites tranſtulit, quod fatetur Blondellus, pro argumento id poteſt eſſe imperialis juris. Illo quippe tempore regibus Galliæ non fuit obſtrictus Barrenſis comes: quod jam oſtenſum eſt: & quando Virdunum Germaniæ acceſſit, ſimul & pagus Virdunenſis factus eſt juris Germanici, cujus pars ab antiquo fuit Clarimontenſe dominium. Non fugit denique Galliæ reges, Clarimontanum illud dominium inter alia clientelari lege Lotharingios duces jamdudum a cæſaribus accepiſſe. Et tamen nemo eorum quiſquam contradixit, nemo vel ægre tulit. Non tacituri profecto, niſi ad ſe dominium illud non pertinere, veritate ipſa fuiſſent convicti. Et vero etiamſi jure quondam fuiſſet in ditione Gallorum, dudum tamen vel ſola diuturni temporis uſucapione, & perpetua Gallorum negligentia, in imperii illud jura tranſiiſſet. Igitur inique profecto nunc demum, neſcio cujus antiquati juris prætextu, Clarimons imperii finibus ſubduceretur.

14. Hattonis Caſtrum, Moncionem aliaque illa regno Galliæ conceſſa eſſe vi pactorum Monaſterienſium, non ſane hominum quiſquam probaverit, cum de iis ne quidem actum fuerit. *Diœceſin* univerſam Metenſium, Tullenſium & Virdunenſium ceſſam, non profecto in tabulis legitur, ſed *epiſcopatuum illorum diſtrictus*: quibus vocibus territoria tantum indicari, uſus docet. Longius ſane voces illæ extendi nequeunt *abſque injuria recepti moris* (a) loquendi.

15. Sed non eſt, quare de his prolixius nunc diſſeramus. LOTHARINGIÆ Ducatum, ex quo univerſum regnum illud Germanici eſt juris factum, perpetuo fuiſſe finibus imperii incluſum, ſaltim usque ad tranſactionem Norimbergenſem, nemo effrons adeo repertus eſt hactenus, qui auſus ſit negare. Nihil ſane fuerit facilius, quam perpetuum exercitium jurium ſuperioritatis imperii in regionem illam, per ſeptingentos amplius annos deducere. In formula tranſactionis Norimbergenſis fateor hæc verba haberi: *Ducatus Lotharingiæ cum ſuis appertinentiis LIBER ET NON INCORPORABILIS DVCATVS erit & manebit ſemper: & a cæſarea Majeſtate, nobis, & electoribus, principibus atque ſtatibus imperii, pro LIBERO ET NON INCORPORABILI DVCATV, ſuperioritate & principatu recognoſcetur, nominabitur & habebitur ſemper.* Horum autem verborum non alius eſt ſenſus quam ille, quem doctiſſimus Chifletius attulit cap. 8. *Lotharingiæ Maſculinæ pag.* 31. *Principum*, inquit, *imperii vacuæ hereditates ordinario caducei jure ad imperatorem tanquam ad ſupremum dominum devolvuntur, rurſumque incorporantur imperio, a quo primitus emanarunt, in aliam familiam, ſi lubet, transferendæ. At Norimbergica pactione duci Lotharingiæ indultum eſt, ut ejus ducatus eſſet membrum imperii liberum, imperio nunquam incorporabile, hoc eſt, ut perpetuo tranſiret ad heredes, ita, ut ab ejus ſanguinis ſtipite non recederet.* Idem in commentario Lotharienſe cap. X. pag. 42. *Libertatem* ducatus illius recte interpretatur de exemptione a *proceſſibus, mandatis & judiciis ſacri Romani imperii tam in prima quam aliis inſtantiis*, prout diſerte habetur in tabulis illis Norimbergenſibus. Dabimus paulo poſt illas tabulas integras. Interim expendat pro ſe quiſque tantum illa tabularum verba: *Pro ſolutione talium collectarum & contributionum, pro conſervatione publica pacis erecta in imperio, pro ſecuritate & ſalvo conductu, cæſareæ Majeſtati & Nobis, Romanorum regibus & imperatoribus, qui quoque tempore erunt, SACRO ROMANO IMPERIO EJVSDEMQVE JVRISDICTIONI SVBERVNT.*

16. Non utemur in re liquida alio interprete, quam conſiliario arcaniorum negotiorum ipſius Franciſci II. Lotharingiæ ducis. Eſt ille Franciſcus Thouveninus, vir ſane doctus & ingenioſus: qui apologetico, quem pro heri ſui juribus Gallice ſcripſit, de Norimbergenſi pactione in hæc verba diſſerit, ut quidem illa ex Gallico vertit Chifletius, & capiti X. commentarii Lotharienſis inſeruit. „Verum eſt, LOTHARINGIÆ DVCES poſtremis temporibus conatos fuiſſe plenam „obtinere ab imperio libertatem; ſed qualicumque cura adhibita manſerunt ſemper tali obliga„tione imperio obſtricti, ut nullo modo ſe a veris clientelæ officiis liberare potuerint. Pactum, „quo majorem acquiſivere immunitatem, fuit tranſactio Norinbergæ inita anno MDXLII. inter Fer„dinandum, Romanorum regem, fratris ſui Caroli V. imperatoris nomine, & ducem ANTONIVM. „Abſolvuntur duces a reſumptione & hominio ſui ducatus: prohibetur appellari ab eorum ſen„tentiis ad cameram imperialem: in ſumma declarantur PRINCIPES LIBERI: obligantur ni„hilominus ad ſolutionem ſubſidiarii imperialis tributi, inita proportione duarum tertiarum ad „ratam partem unius principis electoris: obſtringuntur ad obſervationem publicæ pacis ſancitæ „in imperio, & ad ſalvos conductus, quos Germani vocant GLEIDES; horumque ratione reſpondere

(a) *Abſque injuria recepti moris*) GöBEL. Juris civilis doctorum regula: renunciationes ſtricte eſſe interpretandas, juris naturalis hypothetici innititur themati, neminem ſuum ſolere jactare.

„dere debent, & cameræ imperialis jurisdictionem ſubire. Hæ profecto prærogativæ inſignes
„ſunt & præcellentes, cum pauci principes ſint in imperio, ſi Belgicos excipias, qui tales usquam
„ſunt adepti. Verum non abſolvuntur nec liberantur duces a FIDE, quam cliens debet domino
„ſuo, in qua vera & unica feudi eſſentialis forma conſiſtit, quandoquidem obligantur ad obſerva-
„tionem edicti publicæ pacis, vulgo LANDFRID; quæ nihil eſt aliud, quam merus fidelitatis effe-
„ctus; quemadmodum ejusdem pacis infractio eſt fidei violatio. Præterea non eximuntur duces
„a feudali obſequio, quandoquidem obſtricti ſunt ad ſolutionem ſubſidii pecuniarii, vulgo GLEI-
„DES, quod unusquisque vaſallus imperii conferre ſolet pro ſubſiſtentia exercitus imperialis, pro-
„que ſumptibus comitatus imperatorii, quando cæſares cauſa coronationis Romam proficiſcuntur.
„Quam ſubſidii præſtationem omnes jurisconſulti ponunt in primo ordine debitorum feudalium.
„Ultra quod, quia per dictam transactionem dicitur, permanſuros duces ſub imperii protectione,
„altero fidelitatis vinculo eo ipſo ſunt obſtricti: illud enim de fide ſimplicis protectionis non eſt
„intelligendum, ſed de fidelitate feudali. Ratio eſt, quia perſona ſimpliciter protecta nihil habet
„a ſuo protectore, nec ipſi aliam debet fidem, quam pro ſecuritate defenſionis & auxilii, quod ab
„eo ſperat & expectat. Contra vaſallus fidem debet domino ſuo cauſa feudi, quod ab ipſo accepit.
„In cujus poſſeſſione & fruitione tenetur eum tutari & conſervare. Eſt porro manifeſtum, fideli-
„tatem imperatori a Lotharingiæ ducibus obſervari debere, non ratione ſimplicis protectionis dun-
„taxat, ſed etiam cauſſa ipſius ducatus, qui alias a cæſaribus ipſis datus eſt & infeudatus.„ Hæc
Thouveninus. Quæ cum tabulis illis Norimbergenſibus quam accuratiſſime conſentire, nemo
negaverit, niſi partium ſtudio excæcatus.

17. Confirmatur porro illa ſubjectio haud parum ſacramento iſto, quo more aliorum princi-
pum dux Lotharingius cæſari devinctus eſt. Nec enim illud ad ſola feuda pertinet: imo ab inve-
ſtitura quodammodo diſtinguitur. Perſpicere id eſt ex iis, quæ adfert Chifletius cap. XI. ejusdem
Lotharienſis commentarii, petita ex cancellaria imperiali. Franciſco nimirum I. defuncto, cum
legati Lotharingici ad Carolum V. cæſarem miſſi eſſent, rogaturi, ut Carolus dux Franciſci filius
adhuc pupillus a præſtatione homagii aliquamdiu excuſaretur, in conſilio decretum eſt: *quod tuto-
res ejusdem illuſtriſſimi Caroli ducis SECUNDUM MOREM IMPERII, debeant pro pupillo PRÆSTARE
JURAMENTUM ET ACCIPERE INVESTITURAM de feudis ab imperio dependentibus. Ubi autem
pupillus ad ætatem legitimam pervenerit, ipſemet renovare tenebitur.* Formula porro præſtiti juramenti
hæc fuit. „Ego NICOLAUS a Lotharingia, tanquam tutor illuſtriſſimi principis D. CAROLI DU-
„CIS LOTHARINGIÆ ET BARRI, nomine tutorio tam pro me quam illuſtriſſima domina
„CHRISTIERNA a DANIA duciſſa Lotharingiæ ac Mediolani vidua, tamquam contutrice, conſti-
„tutus ab ea ad negotium legitimus actor & procurator, promitto & juro ad hæc ſancta Dei evange-
„lia corporaliter per me tacta, quod Nos eo nomine ex nunc in antea fideles & obedientes erimus,
„Vobis ſereniſſimo principi & domino noſtro CAROLO Romanorum imperatori ſemper Auguſto,
„domino noſtro clementiſſimo, & omnibus majeſtatis veſtræ ſucceſſoribus Romanorum imperato-
„ribus & regibus legitime intrantibus, & ſacro Romano imperio contra omnes homines: & non eri-
„mus in conſilio, participatione, vel tractatu, ubi quidquam agatur contra perſonam, honorem,
„aut ſtatum majeſtatis veſtræ, & ſacri Romani imperii; neque in id ullo modo conſentiemus: ſed
„bonum, utilitatem & honorem majeſtatis veſtræ & S. Romani imperii fideliter promovebimus: &
„ſi quid tractari cognoverimus contra majeſtatis veſtræ perſonam, honorem & ſtatum, huic pro
„virili obſtabimus, & majeſtatem veſtram incunctanter admonebimus; omniaque alia & ſingula
„faciemus, ad quæ fideles principes & vaſalli imperii domino ſuo Romanorum imperatori & ſacro
„Romano imperio de jure vel conſuetudine tenentur, dolo & fraude penitus ſemotis. Ita me De-
„us adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

18. Hactenus juramenti illa formula. Cui in argumentum *ſubjectionis Lotharingicæ* (a) alia
adjicere, fuerit, niſi fallor, facem in meridie accendere. Itaque iis ſepoſitis, annectemus dunta-
xat transactionem illam Norimbergenſem integram, & tabulas fiduciarias, quas Henrico Lotharin-
gico cæſar Rudolfus tradi juſſit, qualia omnia illa ex archivo imperii deprompta publicavit ille, quem
ſæpe laudavimus, Chifletius in commentario Lotharienſi, nono & duodecimo capitibus.„ Nos Caro-
„lus quintus Dei gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus: Rex Germaniæ, Caſtellæ, Arra-
„goniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ,
„Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ,
„Giennis, Algeroniæ, Algericæ, Gibraltarii, inſularum Canariæ, Balearium, & Indiarum, ac
„terræ firmæ maris Oceani: Archidux Auſtriæ: Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ,
„Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ & Wirtembergæ:
„Comes Hapsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Gorciæ, Barcinonæ, Arteſiæ, Burgundiæ: Palatinus Han-
„noniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Cerinthaniæ & Zutpha-
„niæ: Landgravius Alſatiæ: Marchio Burgoviæ, Oriſtani & Gotziani: PRINCEPS SACRI RO-
„MANI

(a) *Subjectionis Lotharingicæ*) GöBEL. Hinc imperium, cum in nupero bello res adhuc ex voto fluerent, conſtituit, omnem cum ſibi fœdere junctis impendere operam, ut ducatus Lotharingiæ in illum plane reſtitueretur ſtatum, in quo ante Henrici III. tempora fuerat, FABRI *Staats-Cantzeley tom. XIV. p.* 820. 821. Verum rebus fœdere adverſus Gallum junctorum male deinde cedentibus, ſpe ſaltim in pace Badenſi art. XII. lactatus, fore, ut omnia a Gallia præſtarentur, quæ in Riſwicenſi promiſſa eſſent pace; atque ſic imperium non ſolum ſpe Metim, Tullum & Verdunum recuperandi, ſed & multorum aliorum excidit.

„MANI IMPERII, Sueviæ, Cataloniæ, Aſturiæ: Dominus Friſiæ, Marchiæ Schlavonicæ, Portus „Maonis, Biſcayæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Certificamus per præſentes „pro Nobis & noſtris in imperio ſucceſſoribus, & notum facimus univerſis: quod cum illuſtriſſimus „DVX LOTHARINGIÆ, ANTONIVS, conſanguineus & PRINCEPS NOSTER, Nobis repræ„ſentaſſet pactum & tractatum perpetuum, qui (poſt multas propoſitiones, allegationes & negoti„ationes, ratione eorum, quæ Nos & ſacrum Romanum imperium tangunt in DVCATV LOTHA„RINGIÆ ET IN EJVS DEPENDENTIIS, VELVTI ALBO MONTE, MVSSI PONTE & ſimi„libus) initus fuit, adæquatus & concluſus in ultimis comitiis anni MDXLII. in noſtra & imperiali „civitate NORINBERGA, inter sereniſſimum & potentiſſimum principem, dominum FERDI„NANDVM, Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regem, archiducem Auſtriæ, & comitem Ty„rolis, noſtrum fratrem dilectiſſimum, noſtro nomine, ex una, & dictum noſtrum conſanguine„um DVCEM LOTHARINGIÆ ANTONIVM, ex altera partibus; de ſcientia, conſilio & aſſenſu „noſtrorum & ſacri imperii ELECTORVM, principum & ordinum, in dictis comitiis congregato„rum, nec non Ambaſciatorum eorum qui abſunt; in eo quod inpoſterum debebit obſervari cum „dilectione ſua, ejus heredibus & ducatu LOTHARINGIÆ, CVM SVIS DEPENDENTIIS (uti „ſupra dictum eſt) in futuris taxis, negotiationibus & cauſis tam fiſcalibus quam aliis. Qui tracta„tus de verbo ad verbum eſt tenoris ſequentis:

FERDINANDVS I. ROMANORVM REX.

19. „Nos Ferdinandus Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus, rex Germaniæ, Hungariæ, „Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ: Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, „Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Princeps Wirtember, æ, Sueviæ; MARCHIO SACRI ROMANI „IMPERII, Burgoviæ, Moraviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Vicecomes Habſpurgi, Tirolis, „Ferreti, Kiburgi & Goriciæ: Landgravius Alſatiæ, dominus marchiæ Schlavonicæ, Portus Mao„nis, & Salinarum &c. Certificamus per præſentes, & notum facimus univerſis; quod cum illu„ſtriſſimus dux LOTHARINGIÆ per ſuos legatos repræſentaſſet ſacræ cæſareæ majeſtati, dilecto „FRATRI NOSTRO ac domino, nec non electoribus, principibus & ordinibus ſacri imperii, in „quibusdam præteritis comitiis, & nominatim in poſtremis Ratiſponæ & Spiræ celebratis; quod non „obſtante, quod ejus DVCATVS LOTHARINGIÆ eſſet ſtatus liber & nemini ſubjectus; tantum „quod ipſe feudatarius erat, & ad ſuam majeſtatem cæſaream, & ſacrum imperium attinebat, rati„one quarundam ditionum particularium ſui ducatus, ipſe tamen & ſubditi ejus frequenter mole„ſtabantur collectis imperialibus & litibus fiſcalibus judicum & aſſeſſorum cameræ imperialis, in „cauſſis appellationum, mandatorum & aliis: id quod nunquam antea fuerat factum, ut ipſe con„fidebat ſe poſſe ſufficienter oſtendere, ſi eſſet neceſſarium. Quod illo non obſtante, atque ut ſua „majeſtas cæſarea, electores, principes & ordines imperii manifeſte cognoſcerent, quod ipſe magis „cupiebat vivere in quiete & pace cum ſua majeſtate & ſtatibus ſacri Romani imperii, quam in di„ſcordia, rogabat, ut ipſe cum cæſarea majeſtate, electoribus, principibus, & ordinibus ſacri im„perii ad pactionem & rerum adæquationem admitteretur, etſi nulla obligatione obſtrictus eſſet: „offerebatque, quod ratione feudorum particularium, quæ pauca erant, conſentiret annis ſingulis „juſtam & congruentem ſummam pro ſuſtentatione cameræ imperialis perſolvere; nec non & alias „taxationes & collectas, quæ inter S. R. I. ordines generales exæquari ſolent; cum ea tamen condi„tione, quod ipſe volebat illud onus ſupra ſe ſuſcipere, & illud perferre non tantum ratione FEV„DORVM PARTICVLARIVM, ſed & propterea, quod illa incorporata erant in ſuo ducatu, ut „etiam IPSE & totus LOTHARINGIÆ ducatus protegerentur, & defenderentur eodem modo & „forma, quo cæteri ducatus & ſtatus ſacri imperii protegi ac defendi ſolent: ſub conditione etiam, „quod ratæ partes, quas ipſe deberet perſolvere, moderatæ eſſent, ita ut ipſe & ejus heredes illas „ferre & pati poſſent; cum TERRÆ ipſius FEVDALES, quas relevarat à ſacro imperio ex feudo „& feudo ſubalterno, tam tenues annui reditus eſſent, ut in multis annis non poſſent adæquari cum „rata parte unius principis electoris.

20. „Contra quæ fuit replicatum, quod Nos & ordines imperii generales ex facta inquiſitione „credebamus, & exiſtimabamus DVCATVM LOTHARINGIÆ eſſe, & de jure eſſe debere ſubdi„tum ſacro imperio, habita ratione, quod duces Lotharingiæ temporibus præteritis & huc usque „comprehenſi ſunt & fuerunt in taxationibus imperii, quemadmodum probari poſſet; præter alia „in hanc rem haud minimi momenti argumenta.

21. „Nihilominus viſa & cognita bona & propenſa voluntate, quam dictus illuſtriſſimus dux „habet erga ſacrum imperium, Nos ex parte ſuæ majeſtatis cæſareæ dilecti noſtri fratris & domini, „& pro Nobis ipſis ad ulteriorem conferentiam tranſivimus cum ejus legatis, ſcilicet Claudio de Pil„liers, Baillivo Spinalli, domino de Jandelencourt, Dominico Champenoys jurium doctore, ſup„plicum libellorum magiſtro, Nicolao de Leſcut, & Joachimo Groninger jurium doctore: & illi „reciproce Nobiſcum nomine dicti ſui Heri DVCIS LOTHARINGIÆ, virtute litterarum credentiæ „& poteſtatis ſufficientis, quas in hunc effectum producebant, cum ſcientia, conſilio & conſenſu „electorum, principum, ordinum, & pro abſentibus legatorum: poſtque multas propoſitiones, „allegationes & negotiationes ex utraque parte, tandem inter nos convenimus virtute præſentis in„ſtrumenti meliori forma, pactione & modo, quo id fieri debet & poteſt; ita ut dictus noſter con„ſanguineus, DVX LOTHARINGIÆ ANTONIVS & ipſius heredes, non tantum cum MEMBRIS

aut

„aut STATIBVS PARTICVLARIBVS DEPENDENTIBVS EX FEVDO & FEVDO SVBALTERNO AB IMPERIO, verum etiam cum DVCATV LOTHARINGIÆ, & iis, QVÆ AD ILLVM PERTINENT, tanquam ad ducatum, nempe ALBVM MONTEM, MVSSIPONTEM, & ſimilia, manere debeant inpoſterum & in perpetuum ſub tutela & defenſione imperatoris, regis Romanorum, & ſacri imperii, defendique ac protegi eodem modo, quo alii ducatus & ſtatus ſacri imperii; uti virtute præſentis pacti ex parte cæſareæ majeſtatis per Nos ipſos, recipimus dictum noſtrum conſanguineum ducem ANTONIVM & ejus heredes, nec non & DVCATVM LOTHARINGIÆ ſub protectione, tutela & defenſione cæſareæ majeſtatis, Noſtra & ſacri imperii.

22. „Cujus rei cauſſa offert DVX ANTONIVS pro ſe & ſuis hæredibus ferre & perſolvere ratam ſuam portionem de omnibus & qualibuscunque taxis & contributionibus, quæ imponentur, aut concedentur a ſtatibus generalibus ſacri imperii, quod eſt tertia parte minus eo, quod uni principi electori imponitur: ita ut ſi alicui electori trecenti floreni collectæ loco imponuntur, prædictus DVX ANTONIVS ejusque heredes ducentos florenos ſolvant; atque ita etiam in majoribus & minoribus collectis computando. Præterea pro ſolutione talium collectarum & contributionum, pro conſervatione publicæ pacis erectæ in imperio, pro ſecuritate & ſalvo conductu, cæſareæ majeſtati & Nobis, Romanis imperatoribus & regibus, qui quoquo tempore erunt, ſacro Romano imperio ejusdemque jurisdictioni ſuberunt, & ad id ſpectabunt. Alias autem ipſi cum ducatu Lotharingiæ ejusdemque ſubditis, ab omnibus proceſſibus, mandatis & judiciis ſacri Romani imperii, tam in prima quam aliis inſtantiis, LIBERI & exempti erunt. Nullisque proceſſibus, mandatis, citationibus, appellationibus acceptandis, aliisque negotiis quocunque ſub titulo, nullo excepto (niſi iis, quæ ad ſolutionem collectarum & impoſitionum, ad manutenentiam pacis publicæ, & ad ſecuritatem & ſalvum conductum, uti prædictum eſt, ſpectabunt) relinquentur immunes; DVCATVSQVE LOTHARINGIÆ CVM SVIS APPERTINENTIIS, LIBER ET NON INCORPORABILIS DVCATVS ERIT, ET MANEBIT SEMPER, & a cæſarea majeſtate, Nobis & electoribus, principibus atque ſtatibus ſacri imperii, pro libero & non incorporabili ducatu, ſuperioritate, & principatu recognoſcetur, nominabitur & habebitur. Quidquid autem prædicti noſtri conſanguinei ducis ANTONII majores LOTHARINGIÆ DVCES, & ipſe hactenus a Romanis imperatoribus, regibus & ſacro Romano imperio alias in feudum habuerunt, receperunt ac tulerunt, idem ipſe DVX ANTONIVS ejusque ſucceſſores in futurum eodem modo in feudum habebunt, & decenti modo recipient, & ferent: in hoc tamen excepto LOTHARINGIÆ DVCATV, qui liber & non incorporabilis ducatus erit, & manebit ſemper. Et quia prætactus DVX ANTONIVS pro ſe ſuisque heredibus iſtum tractatum & compoſitionem agnovit, & acceptavit, promittimus & aſſecuramus nomine Romanæ cæſareæ majeſtatis, & pro Nobis ipſis, vigore harum litterarum, quod ſua majeſtas, uti Romanus imperator, Nos omnesque noſtri ſucceſſores in imperio, prædictum ducem ANTONIVM ejusque & ducatus Lotharingiæ ſucceſſores, ad inſtar aliorum ſacri Romani imperii ducatuum & ſtatuum tuebimur, & defenſabimus, neque ulterius, quam pro iis, quæ ſpectant ad impoſitiones, pacem publicam, ſecuritatem & ſalvum conductum, ut ſupra, in Noſtram & ſacri imperii ſubjectionem & jurisdictionem trahemus, aut cogemus.

23. „Cujus accommodationis gratia, ex parte cæſareæ majeſtatis & Noſtra abſoluta poteſtate imperiali & regia omnibus & quibuscumque electoribus, principibus, prælatis, eccleſiaſticis & ſecularibus, comitibus, baronibus, militibus, nobilibus, præfectis civitatum & oppidorum, judicibus, maxime aſſeſſoribus cæſareis & Noſtris in camera imperiali, aulicis conſiliariis, juſtitiæ Rotwillenſi, & cunctis aliis judicibus, tribunalibus, burgenſibus, communitatibus, omnibusque ſubditis & fidelibus Noſtris & ſacri imperii, cujuscumque dignitatis, ſtatus aut conditionis exiſtant, ſerio mandamus & jubemus, ne inpoſterum moleſtent vel perturbent dictum conſanguineum noſtrum ANTONIVM, ejus heredes aut ſubditos, vel DVCATVM LOTHARINGIÆ, contra hunc noſtrum tractatum, pactionem & transactionem; imo quod eos in illa manuteneant, tueantur & protegant ex parte cæſareæ majeſtatis, Noſtra & ſacri imperii, permittendo illis libertate & conceſſione iſta penitus gaudere; ita ut iis non fiat aut fieri permittatur quidvis in contrarium. Pari modo ex ſupra dicta poteſtate mens Noſtra, ordo & voluntas eſt, ut impoſterum dictus DVX ANTONIVS, ejus heredes & ſucceſſores DVCES LOTHARINGIÆ & ſubditi eorum, tam partiatim quam generatim, nulla moleſtia afficiantur, neque per fiſcalem cæſareæ majeſtatis in camera Spirenſi, neque per ullum alium, ratione taxationum & contributionum, quæ ante diem harum litterarum efflagitatæ fuerint, vel conceſſæ in ſacro imperio, neque pro trium annorum ſubſidio, quod ad reſiſtendum Turco conceſſum fuit in ultimis comitiis Auguſtæ, Ratiſponæ & Spiræ, ita ut nullo modo pro eo moleſtia iis inferatur, neque procedatur aut formetur ulla prætenſio contra illos, ſive in judicio ſive extra: quandoquidem illos & eorum heredes declaramus omnimodo ab eo liberos, immunes & exemptos. Annullamus virtute harum litterarum omnes lites, ſententias & judicationes, quæ ob hanc cauſam & in hanc usque diem factæ fuerunt vel declaratæ.

24. „Declaramus inſuper, jubemus & volumus ex certa ſcientia & ex prædicta poteſtate, ut quicquid fuerit intentatum, factum vel obtentum contra præſens pactum noſtrum & capitulationem, aut inpoſterum facturum ſit vel intentaturum, nullius ſit effectus, quemadmodum hiſce litteris ex parte cæſareæ majeſtatis & Nobismetipſis, poteſtate cæſarea ac motu noſtro proprio, pro-

„nullo

„nullo habemus, quodque valorem nullum habeat aut vigorem; volumusque ut ſit & maneat in-„tegre conſervatus in hoc tractatu noſtro, transactione & pacto, & quod præciſe & ſine fraude ob-„ſervetur. In cujus rei fidem regium noſtrum ſigillum hiſce litteris apponi mandavimus.

PRINCIPES ELECTORES.

25. „Et Nos ALBERTVS Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ Presbyter cardinalis, tituli S. „Petri ad vincula, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatus natus in Moguntia, & in epiſcopatu Magdebur-„genſi: primas, archiepiſcopus Moguntinus, adminiſtrator Halberſtadienſis, marchio Brandebur-„gi, dux Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum & Wandalorum, burggravius Norinbergæ, princeps „Rugiæ, ſacri Romani imperii archicancellarius per Germaniam; JOHANNES LVDOVICVS „electus & confirmatus archiepiſcopus Treverenſis, S. R. I. archicancellarius per Galliam & regnum „Arelatenſe; HERMANNVS archiepiſcopus Colonienſis, dux Weſtphaliæ & Angriæ, adminiſtra-„tor Paderbornenſis, S. R. I. archicancellarius per Italiam; LVDOVICVS comes Palatinus Rheni, „dux Bavariæ, S. R. imperii archidapifer; omnes electores, fatemur virtute harum litterarum, „quod ſupra dicta omnis negotiatio, transactio & pactio, jam ante ventilatæ fuerant in imperiali-„bus comitiis Spirenſibus per ſuam majeſtatem Romanorum regem, dominum Noſtrum clemen-„tiſſimum, nomine & ex parte cæſareæ majeſtatis, Noſtri item domini clementiſſimi; & nunc ite-„rum transactæ fuerunt & concluſæ in his ultimis comitiis Norimbergenſibus cum ſupra dictis con-„ſiliariis & legatis illuſtriſſimi principis ANTONII DVCIS LOTHARINGIÆ Noſtri dilectiſſimi „Avunculi, cognati & amici, coram Noſtris conſiliariis & aliorum principum electorum, cum ma-„turo conſilio, bona notitia & voluntate illorum, nec non aliorum principum & ordinum imperii, „ac legatorum pro abſentibus, ad dicta comitia Norimbergenſia congregatorum. Cui pacto nos „conſentimus, illud ratificamus & confirmamus per præſentes in omnibus & quibuscunque punctis „& articulis pro Nobis, noſtris ſucceſſoribus & heredibus. In cujus rei fidem Nos & collegæ Noſtri, „& abſentium legati in hac Norimbergenſi civitate congregati, ad inſtantiam & requiſitionem lega-„torum dicti ducis, ſinguli Noſtra ſigilla præſentibus litteris appoſuimus, cum ſigillo ſuæ majeſtatis „regiæ Romanæ. Actum in Noſtra & imperiali civitate Norimbergenſi die XXVI. menſis Auguſti „anni gratiæ MDXLII, regnorum Noſtrorum, Romani duodecimo, aliorum decimo ſexto.

CAROLVS QVINTVS IMPERATOR.

26. „Cum autem a Nobis humiliter poſtulaſſet DVX ANTONIVS, ut Nobis placeret confir-„mare & ratificare transactionem iſtam ſecundum ſuam formam & tenorem, prout ſupra deſcripta „eſt, attenta humili ejus petitione, continuoque amore & affectu, quo ſua dilectio fertur erga Nos „& ſacrum imperium, confirmavimus & ratificavimus ex certa ſcientia, animo deliberato & maturo „conſilio, ſupra dictum tractatum in omnibus ſuis punctis, clauſulis & articulis juxta ſuum teno-„rem, partium intentionem, & contenta in illo, confirmamus illum & ratificamus plenaria poteſtate „cæſarea per præſentes: eſtque Noſtra intentio, declaratio & voluntas, ut dicta transactio exacte „obſervetur & vigorem habeat in omnibus ſuis punctis, ut ante eſt dictum; & quod dictus DVX „ANTONIVS ejusque heredes & ſubditi illorum, DVCATVS LOTHARINGIÆ ET DEPEN-„DENTIÆ illius, ea inpoſterum uti frui & gaudere poſſint absque ullo impedimento per Nos aut „ſucceſſores noſtros aut quemvis alium. Promittimus etiam, ut ante dictum eſt, virtute præſenti-„um, quod dictum DVCEM ANTONIVM, ejus heredes, & eorum ſubditos, DVCATVM LO-„THARINGIÆ ET EJVS DEPENDENTIAS ſinemus illa gaudere & frui: & quod manebunt in-„tegre cum illa ſine impedimento noſtro, ſucceſſorum noſtrorum & heredum & quorumvis aliorum: „& quod illum conſervabimus, tuebimur & defenſabimus in hac transactione & pacto; in quo ſi „inveniatur aliquis error aut defectus, ſuppleri volumus & emendari ſupra dicta Noſtra cæſarea & „plenaria poteſtate, non obſtantibus quibusvis mandatis, conſuetudinibus, uſibus, aut exemptio-„nibus, in contrarium, quibus omnibus in hoc caſu volumus eſſe derogatum. Et idcirco omnibus „& quibuscunque electoribus, principibus, eccleſiaſticis & ſecularibus, comitibus, baronibus, „militibus, nobilibus, capitaneis, & aliis officialibus, præfectis civitatum & oppidorum, judicibus „& juſtitiis, præſertim vero judici Noſtro & aſſeſſoribus cameræ noſtræ imperialis, Rotwilenſis, & „aliis omnibus judicibus, juſtitiis, conſiliariis, burgenſibus, communitatibus, aliisque Noſtris & „imperii fidelibus ſubditis, cujuscumque ſtatus, qualitatis, conditionis exiſtant, ſerio injungimus, „ne dicto DVCI ANTONIO, ejus heredibus, aut eorum ſubditis, neque etiam DVCATVI LO-„THARINGIÆ, CVM EJVS DEPENDENTIIS ullum impedimentum adferant in iſta transactio-„ne & pacto, neque in hac Noſtra illius confirmatione; quin imo illos tueantur & defendant ex No-„ſtra & imperii parte, ſinendo illos in ſua fruitione conſueta, absque ulla re in contrarium attentata „nec attentari permiſſa: neque Noſter cameræ procurator generalis cæſareus, nec alius, in rebus „contentis in prædicto pacto lites movere poſſit contra dictum DVCEM ANTONIVM, ejus here-„des, & eorum ſubditos, & ducatum Lotharingiæ, neque procedere, aut actum ullum contra illos „formare in judicio aut extra, neque gravare, aut moleſtiam illis quovis modo inferre. Quia talis „eſt expreſſa voluntas Noſtra, harum teſtimonio litterarum manu Noſtra propria ſubſcriptarum, & „ſigillo Noſtro imperiali munitarum. Actum in Noſtra & imperiale civitate Spirenſi XXIIX. die „menſis Julii anni MDXLIII. regnorum noſtrorum XXIIX.

27. Huc usque transactio. „Sequitur jam inveſtituræ formula. Rudolphus SECVNDVS „divina favente clementia electus Romanorum imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hun-„gariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ &c. Rex; Archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, „Braban-

„Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ; Marchio Moraviæ; dux Luxemburgiæ, ac ſuperioris &
„inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ; princeps Sueviæ; comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferre-
„tis, Kiburgi & Goritiæ; Landgravius Alſatiæ, marchio ſacri Romani imperii, Burgoviæ ac ſuperio-
„ris & inferioris Luſatiæ; dominus marchiæ Schlavonicæ, portus Maonis & Salinarum, &c. Ad
„perpetuam rei memoriam recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod
„cum nobis illuſtris HENRICVS DVX LOTHARINGIÆ ET BARRI, marchio Pontis Montis, co-
„mes provinciæ Vaudemontis & Albimontis, conſanguineus & PRINCEPS NOSTER chariſſi-
„mus, per magnificum FIDELEM Nobis dilectum Eliſæum ab Haraucort, Gubernatorem Nan-
„ceianum, conſiliarium & oratorem ſuum, ad Nos ablegatum, demiſſe Nobis exponi curavit,
„patrem quondam ſuum illuſtrem CAROLVM, LOTHARINGIÆ ET BARRI DVCEM, mar-
„chionatum PONTIS MONTENSEM, comitatum de Blanckenberg, ſive ALBIMONTIS BELLI-
„STHEIN & CLARIMONTIS, marchionatum HATTONIS CASTRI, cum univerſis & ſingulis
„illorum pertinentiis, item advocatiam civitatis in Tolleia, & Monaſterii in Rumelsberg Diœceſis
„Tullenſis, aliaque nonnulla jura a ſacro Romano imperio in Feudum recognoviſſe, deque illis
„omnibus & ſingulis à ſereniſſimo & potentiſſimo quondam principe Maximiliano ſecundo ele-
„cto Romanorum imperatore, Auguſtæ memoriæ, domino & genitore noſtro obſervantiſſimo,
„legitime INVESTITVM fuiſſe, ac neceſſarias deſuper & opportunas inveſtituræ litteras de data
„anni MDLXVII. impetraſſe, quarum nobis exemplum in authentica & fide digna forma fuit ex-
„hibitum, earundemque contenta hic pro inſertis haberi volumus: nunc porro prænominato IL-
„LVSTRI quondam CAROLO patre ſuo vita functo, ſuppliciter nos rogarit, ut ipſum de prædictis
„caſtris, terris, locis, juribus, omnibusque & ſingulis eorum pertinentiis, ad ſe tanquam primoge-
„nitum illius filium & heredem devolutis, quemadmodum illuſtris quondam CAROLVS LO-
„THARINGIÆ ET BARRI DVX ea omnia tenuit & poſſedit, ipſeque illuſtris HENRICVS jam
„nunc tenet & poſſidet, clementer inveſtire, atque REGALIA hujusmodi caſtrorum & terrarum
„auctoritate noſtra cæſarea ipſi benigne concedere dignaremur. Nos ſane perpendentes fidelia
„atque utilia obſequia non minus ab ipſomet illuſtri HENRICO LOTHARINGIÆ ET BARRI
„DVCE, quam illius majoribus nobis ac ſacro Romano imperio, totique reipublicæ Chriſtianæ,
„ſæpe hactenus ſtrenue fortiterque præſtita, quæque etiamnum indies non ſine magna heroicæ
„virtutis à majoribus ſuis velut per manus ſibi tradita commendatione præſtat, ac in poſterum
„non minori cura atquę ſtudio præſtiturum eſſe confidimus, humilibus ejusmodi precibus ipſius
„clementer annuendum duxerimus, uti vigore præſentis noſtri diplomatis annuimus. Ac pro-
„inde ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ſano ac maturo accedente conſilio, & de cæ-
„ſareæ poteſtatis noſtræ plenitudine, ac alias omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus vali-
„dius & efficacius fieri poteſt & debet, eundem illuſtrem PRINCIPEM & conſanguineum NO-
„STRVM HENRICVM, LOTHARINGIÆ ET BARRI DVCEM, de prædictis caſtris, terris & lo-
„cis, ac nominatim de marchionatu Pontis-Montis & de comitatu Blanckenberg, ſeu ALBIMON-
„TIS, BELLISTHEIN & CLARIMONTIS, item de marchionatu HATTONIS CASTRI, cum omni-
„bus & ſingulis eorum honoribus, homagiis, gratiis, juribus, libertatibus ac pertinentiis univer-
„ſis, item de advocatia civitatis in Tolleia & Monaſterii in RVMELSPERG, diœceſis Tullenſis,
„& aliis certis juribus in dicto Monaſterio ei competentibus, item de conducti[illegible] terris & aquis parti-
„um ſuarum, ac villa YVE, cum MONETA, quam in jam dicta villa poteſt cudi facere, una cum jure,
„quod ipſe dux prætendit antiquitus ad ſe ſpectare, & ad prædeceſſores ſuos ſpectaſſe; nempe quod
„quicumque in terra inter Rhenum & Moſam DVELLARE voluerit, quod hujusmodi DVELLA co-
ram eo fieri debeant & non alibi conſummari, & quod filii clericorum, qui in terris ſuis naſcuntur, ad
„ipſum debeant pertinere, clementer INVESTIVIMVS & in feudum conceſſimus, ac tenore præſen-
„tium INVESTIMVS & in feudum concedimus. Recepto tamen prius a ſupra nominato ipſius ducis
„conſiliario ac legitimo procuratore ſufficienti ad id mandato inſtructo, magnifico, FIDELI, Nobis
„dilecto, Eliſæo ab Haraucourt, Gubernatore Nanceyano, in prædicti ducis animam debito &
„conſueto fidelitatis, ſubjectionis & obedientiæ juramento: reſervato nobis quoque & imperio
„ſacro ratione Feudi HATTONIS CASTRI jure proprietatis directi dominii ac reſortus; & ſimi-
„liter quoad reliqua ſupra dicta bona & jura, aliis etiam quibuscunque Noſtri ac ſacri imperii ac
„quorumlibet juribus ſemper ſalvis. Quocirca mandamus univerſis ac ſingulis principibus ec-
„cleſiaſticis & ſecularibus, archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus,
„militibus, nobilibus, clientibus, capitaneis, magiſtratibus, communitatibus, rectoribus, & locum
„tenentibus eorundem, ac ceteris Noſtris & ſacri imperii ſubditis & fidelibus, cujuscumque di-
„gnitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant: ut prædictum illuſtrem
„DVCEM HENRICVM in hac noſtra infeudatione, conceſſione & gratia non impediant, nec
„perturbent, ſed illis libere uti, frui & gaudere permittant, & contrarium non faciant, nec fieri
„procurent quovis modo: quatenus noſtram & imperii ſacri indignationem graviſſimam, & pœ-
„nam quadraginta marcarum auri puri, pro una dimidia fiſco Noſtro imperiali, & pro altera di-
„midia injuriam paſſi vel paſſorum uſibus irremiſſibiliter applicandam, toties quoties contra fa-
„ctum fuerit, incurrere formidant; harum teſtimonio litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, &
„ſigilli noſtri cæſarei appenſione munitarum. Datum in arce noſtra regia Pragæ die nona menſis
„Septembris, anno milleſimo ſexcenteſimo nono, regnorum noſtrorum Romani trigeſimo quarto,
„Hungarici trigeſimo ſeptimo, & Bohemici itidem trigeſimo quarto.

CAPUT XXVIII.

Quas partes Lotharingici regni Hiſpaniæ rex poſſidet, eas hodieque finibus imperii comprehendi, fœderatas autem ſeptem Belgico Germanicas provincias in plenam libertatem eſſe aſſertas.

I.

Reſtat, ut de iis, quæ in Lotharingico regno *reges Hiſpaniæ* (a) obtinuerunt, nunc diſſeramus. Quoniam vero illorum imperium etiam cis Rhenum in ea, quæ proprie dicti Germanici regni quondam fuere partes habitæ, ſeſe extendit, cujusmodi eſt Hollandia & Selandia ex parte, Friſia, Geldria, Tranſiſulania, Trajectenſis & Groningenſis ditio, ipſa vicinia & par omnium conditio nos invitat, ut ſimul de iis quoque agamus.

2. ATQVE iſta quidem ſine diſcrimine omnia ad tempora usque Friderici II. cæſaris ab Henrici Aucupis ætate in imperii fuiſſe obſequio, non eſt forte, quod dubitemus. Etiam multo poſt, ſaltim donec ad Burgundicæ familiæ principes iſthæc devenerunt, omnia imperii fuiſſe habita membra, pene vacat controverſia. HANNONES tamen & HOLLANDI jamdiu nonnihil turbavere. Nec adeo pridem Hollandorum patrocinium ſuſcepit in aureo pleraque libello de antiquitate reipublicæ Batavicæ *Hugo Grotius* (b) cap. V. levioribus tamen argumentis quam exigit rei dignitas. Controverſia orta inter Brabantinos & Hollandos, Carolo V. cæſare, dixiſſe hos, „ſe & „comites ſuos ſummam poteſtatem nulli quicquam debentem, & omnis generis jurisdictionem „habere antiquitus, ex quo Didericus primus terram nulli regno obnoxiam, barbarorum ereptam „manu recuperaſſet: Eosdem comites ab omni ævo pari poteſtate fuiſſe in comitatu ſuo, qua eſſent „imperatores in Germania aut Italia, neque ullo obſtrictos feudi vinculo: multo minus imperii „Germanici leges unquam in Hollandia publicatas, aut ulla in parte iis ipſis legibus obtempera„tum: Sed neque cauſas aut comitum aut ordinum a Germanico ſenatu unquam dijudicatas." Hæc inquam ab iis dicta non negaverim. Dixerit etiam Philippus Leidius, *comitem Hollandiæ imperatorem eſſe in ſua ditione.* Indubitatis tamen monumentis facile hæc poſſunt falſi convinci.

3. *Non tangam* (c) nunc fabulas illas de Diderico ejusque proximis ſucceſſoribus: ipſe Wilhelmus comes, qui cæſaream dignitatem indeptus eſt, ejusque poſteri ſaltim ad Burgundos usque, imperio ſe obnoxios ultro agnovere & profeſſi ſunt. Diſerte Joannes de Beka in chronico epiſcoporum Ultrajectinorum teſtatur, Wilhelmum in ipſa formula juramenti militaris hiſce verbis

(a) *Reges Hiſpaniæ*) C. A. M. Hic initio notandum, ante 100. annos & amplius integras XVII. provincias uni familiæ ducis Burgundiæ paruiſſe, quæ ante hac varios habuerunt dominos. Illæ enim provinciæ ita coaluerant in unum, adque ad unum dominum pervenerunt. Hac ratione familia ducum Burgundiæ cœpit eſſe præpotens, & quidem ita, ut formidabilis eſſet regi Galliæ & imperio toti. De [illegible]risque præclarum opus exſtat LVDOV. GVICCIARDINI Itali, qui omnia perſecutus eſt quam optime, quæ ſpectant ad deſcriptionem provinciarum. Quomodo omnes illæ pervenerint ad ducem Burgundiæ. Vide hiſtor. Burgund. PONTI HEVTERI, qui optime pertractat, quomodo a duce Burgundiæ deinde pervenerint ad Auſtriacos ex matrimonio. Carolus Audax, poſtquam cæſus ab Helvetiis, reliquit unicam filiam Mariam Burgundicam. Hæc nupſit Maximiliano Friderici III. filio. Et ſic ampliſſimæ illæ familiæ pervenerunt ad domum Auſtriacam; niſi quatenus rex Galliæ, qui quasdam earum in feudo habuit, ſtuduerit ſibi comparare, ut ducatum Burgundiæ, Flandriæ, Arteſiæ. Interim non niſi in uno obtinuit, ducatu Burgundiæ nempe. Duces autem Burgundiæ, quanquam ornarentur tam titulo maximo, maxime tamen Flandriam adamarunt, ubi etiam ſedem ſuam habuerant. Maximilianus ex Maria Burgundica filium unicum Philippum omnium bonorum maternorum heredem habuit. Hic ex Ferdinandi catholici filia duos ſuſcepit filios Carolum V. & Ferdinandum. Carolus V. primogenitus conſecutus eſt Belgium ex paterna & regnum Hiſpaniæ ex materna hereditate. Et ita provinciæ iſtæ non pertinuerunt ad regnum Hiſpaniæ: ſed omnes illæ provinciæ pertinuerunt ad Germaniam. Cœperunt ſub Maximiliano & Carolo V. dici circulus Burgundicus. Rex Hiſpaniæ in Lotharingiæ regno obtinent ducatum Brabantiæ, Marchionatum imperii Antwerpienſis ducatum Luxenburgenſem & Limburgenſem, comitatum Hannoniæ, partem magnam Geldriæ, portionem Flandriæ & Seelandiæ, comitatum Namurciæ. GöBEL. Quotquot terrarum a Gallorum occupationibus vacuæ manſere, quæ Hiſpanicum conſtituere dicuntur Belgium, ad Auguſtiſſimum noſtrum imperatorem CAROLVM VI. ſpectant, eique per Badenſem pacem art. XIX. ſeqq. confirmatæ ſunt, exceptis aliquo modo, quæ Hollandorum ſecuritati inſerviunt, & vocabulo Gallico *barriere* vocantur, in quibus tamen ordinibus uniti Belgii generalibus nil niſi jus præſidii competit. Repagula autem hæc conſtituunt: Tornacum, Namurcum, Furnæ, Menena, Warnetonum, Ipra, & Teneremonda; ita tamen, ut in ultimi hujus loci præſidii partem copiæ veniant cæſareæ, & præfectus urbi (gouverneur) ab imperatore conſtituatur, qui cum aliis ſubordinatis, generalibus uniti Belgii ordinibus juramento obſtringat, ſe nihil unquam facere aut admittere velle, unde urbi aut Belgico ejus præſidio damnum exoriri poſſit. *Vid. art. IV. ſeqq. tractatus Antwerpienſis de anno 1715.* Ex hujus tractatus artic. I. apparet, quantopere a Francica unitum Belgium abhorreat vicinia; in eo enim hæc reperiuntur: *Ihro Kayſerl. und Cathol. Majeſtät verſprechen und verbinden ſich dagegen, keine Provintz, Stadt, Platz, Feſtunge oder ſonſt ein Stücke Landes der Niederlanden wieder an die Krohn Franckreich noch einigen dahin abſtammenden Printzen, noch einem andern, der kein* ſucceſſor *derer Landen des Hauſes Oeſterreichs in Teutſchland ſeyn wird, wiederum zu überlaſſen, es ſey durch Geſchenck, Verkauf, Tauſch, Heyrats-* contract, *Erbſchaft, Teſtament,* diſpoſition, *oder* ab inteſtato *oder ſonſten unter was vor Titul oder Vorwant es wolle.* Quod autem ad ſucceſſionem in provinciis Belgicis imperatori parentibus attinet, in eis æque ac in aliis ad Auſtriacam domum ſpectantibus jus primogenituræ, tam quoad maſculos, quam quoad fœminas, quando illi plane deficiunt, obtinere debet. Vide Sanctionem cæſaris pragmaticam ordinem ſuccedendi concernentem de anno 1724.

(b) *Hugo Grotius*; C. A. M. Librum *de antiquit. reipubl. Batav.* adhuc juvenis vix 22. annos natus conſcripſit. In illo multa præclara habet, niſi quod ob nimium erga patriam amorem voluerit oſtendere, Hollandiam nunquam obnoxiam fuiſſe juribus imperii.

(c) *Non tangam*) GöBEL. Cum ſatis late de eis, quæ hic autor habet, ſupra egerim, brevis jam ero, ne tædioſis accumulem repetitiones.

verbis uſum: *Ego Wilhelmus Hollandienſis militia princeps, ſacrique imperii vaſallus liber.* Idem Beka in vita Theodorici ſecundi epiſcopi expreſſe ſcribit de Wilhelmo I. comite: *Wilhelmus comes poſt obitum Ada neptis ſua comitatum Hollandia de manu Friderici caſaris* (is erat primus id nominis, Barbaroſſa dictus) *in feudum accepit.* Erat Ada illa primæ ſtirpis comitatum quaſi ultima, nec ſine controverſia reipublicæ præfuit, etſi maritum ſibi accepiſſet comitem Loſſenſem, quod ſcilicet ſequior ſexus a regimine tum arceretur. *Guilielmus* (a) itaque primus Adæ patruus quaſi novæ ſtirpis auctor, cæſaris beneficio dignitatem illam impetravit. Fuit autem ille Guilhelmus alterius Guilhelmi Romani cæſaris avus. Etiam vero hæc ſtirps in maſcula prole extincta eſt, cum Joanne comite id nominis primo. Ac proinde etſi Hollandiam tum occupaſſet Joannes Hannonius filius Adelheidis ſororis Wilhelmi regis Romani, imperio tamen deberi illam cenſuit Albertus cæſar, nec quievit controverſia, donec Joannes ille Hannonius a cæſare feudo comitatus inveſtiretur. Ea de re ita ſcribit Beka in vita Wilhelmi XLI. epiſcopi: „ Joannes de Renes devictus transfugit ad Albertum „Romanorum regem pro ſubſidio, aſſerens, quod comitatus Hollandiæ poſt obitum domicelli „Joannis Romano vacaret imperio. Albertus ergo rex deſcendens ad Hollandiam, deſtinavit hu„jusmodi literas per univerſam Provinciam: Noverint univerſi, quod Albertus Romanorum rex „invictus vacantem Hollandiæ principatum Romano potenter incorporabit imperio, quem Caro„lus rex Theodorico comiti donavit in feudo. Igitur Albertus rex anno domini MCCC. deſcen„dit usque Noviomagium, ad ſubjugandum comitatum Hollandiæ: adducens ſecum Mogun„tinenſem, Treverenſem & Colonienſem archiepiſcopos, cum plerisque primatibus regni Ale„maniæ. E contra vero Joannes comes armipotenter advenit in Bonswend, ubi metatis caſtris ſu„per alveum Wale, aſſidue cœpit inveſtigare, qualiter ad expugnandum regis exercitum ma„gis commode poſſet pertranſire. Sed ecce rex multitudinem vexillorum, pulchritudinem ca„ſtrorum, & fortitudinem armigerorum Hollandienſis exercitus a cacumine turris procul intuens, „& ſe deluſum a Zelandis æſtimans, retroceſſit ad Cranenburgiam, ut altera die repatriaret in Au„ſtriam. Archiepiſcopus vero Colonienſis pro regis honore conſervando pacem extunc elabo„rare ſtuduit, qui tandem ſub hac forma compoſitionis arbitrium ſuum edidit: quatenus ipſe „domino regi fidelitatis præſtaret homagium; quo facto, primates extemplo reverſi ſunt ad „propria.

4. Ad hunc Bekæ locum Arnoldus Buchelius Batavus, vir ingenuus & antiquitatum patriæ ſuæ ſi quis alius peritiſſimus, hæc verba annotavit edition. Ultrajectinæ pag. 204. *Hic ſi jure diſcepandum foret, imperatoris cauſſa prævaleret. Wilhelmus enim primus hunc comitatum a Friderico imperatore in feudum accepit, teſte Beka in ſuperioribus: ſicut poſtea Margarita a Ludovico IV. imperatore. Sed cum ipſe imperator parum valeret, & comitatus poſſeſſores loci commoditate gauderent, imperatorium ſimul ac epiſcopale jus paulatim evanuit. Verum hæc brevibus notis includi non poſſunt, & dabitur forſan, ſi Deus mihi vitam prorogaverit, alias commodior dicendi locus.* Hæc ille, candide & prout decet ſcriptorem verba profeſſum: nec tamen forte, quæ promiſit, unquam præſtitit, huic ipſi Bekæ editioni immortuus. Meminerunt vero illius cæſareæ expeditionis etiam *Annales Colmarienſes*, (b) *Albertus Argentinenſis*, (c) & Tritthemius in *chronico Hirſangienſi:* (d) ſed in teſtimonium verba illorum huc adducere non eſt pretium operæ.

5. Stirpi huic Hannonicæ, etiam deficientibus maſculis in nepote Wilhelmo, quid contigerit, iterum non alio quam Beka teſte narrabimus. Cui tuto ſane licet credere, quum illo ipſo tempore vixerit canonicus Ultrajectinæ eccleſiæ, & Hollandiæ principi opus ſuum inſcripſerit. *Ludovicus*, inquit, *imperator audita jam nece Wilhelmi comitis, pro tribunali ſedens in ornamentis imperialibus, exquiſivit æquirectam juſtitiam a plerisque Romani regni principibus. Quorum dictante ſententia, decretum eſt, quod Hollandia principatus Romano vacet imperio; pro eo, quod Wilhelmus comes abſque liberis diſceſſit a ſeculo. Quem extunc principatum idem cæſar donavit imperatrici Margaritæ ſuæ conjugi, quæ germana fuit eidem Wilhelmo comiti. His itaque geſtis, eadem imperatrix apparatu pulcherrimo mox ad Hollandiam deſcendit, fidelitatem cunctis incolis juravit, homagium de vaſallis ſuis accepit, libertates & gratias omnibus ampliavit, benevolas treugas cum Trajectenſibus fecit, & in Bavariam exinde rediens, comitatus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ gubernandos Wilhelmo duci Palatino ſuo filio commendavit.* Hæc Beka. Imo in hiſce verbis finit ille chronicon ſuum: quod & Trithemius notavit, & obſervatum fuit in manuſcripto Suffridi Petri, ut fatetur Furmerius, & in manuſcripto codice bibliothecæ noſtræ Juliæ nos itidem obſervavimus.

6. Quin hactenus itaque ſaltim comitiva dignitas in clientelari jure imperii fuerit, non eſt dubitandum. Aliquamdiu poſt etiam integrum manſiſſe hoc jus ad Burgundicos uſque, docet nos *hiſtoria Jacobæ*, (e) quæ patre Guilhelmo defuncto rempublicam hereditario quaſi jure conata eſt arripere. Adducemus hoc loco tantum illa, quæ ipſe Petrus Scriverius, parum æquus imperii jurium arbiter, annotavit ad Grotii illum libellum pag. 131. editionis Leidenſis: „ Cum anno „MCCCCXIIX. *Joannes Bavarus*, (f) electus Leodienſis, ſed ſacerdotio initiari nolens, Joannem Braban-

(a) *Guilielmus*) GöBEL. Hic Adam imperio privavit. MATTHÆVS VOSSIVS in *annalibus lib. II. p. 93. & lib. III. p. 96. ſeqq.* Non primus ſed ſecundus fuit Fridericus, a quo Hollandiam in feudum accepit. *Hiſtor. Loſſenſis p. 141. ſeqq.*

(b) *Annales Colmarienſes*) *p. 445.*

(c) *Albertus Argentinenſis*) *p. 111.*

(d) *Chronico Hirſangienſi*) GöBEL. Adde VOSS. *annal. Hollandiæ p. 215. ſeqq.*

(e) *Hiſtoria Jacobæ*) VOSS. *l. c. p. 496. ſeqq.*

(f) *Johannes Bavarus*) GöBEL. Quomodo inter hunc & Jacobum ejusq; maritum amicitia reſtaurata, terræque Hollandiæ diviſæ ſint, docent tabulæ, quæ referuntur *dans le corps diplomatique du droit des gens tom. II. p.* 102. 103.

„Brabantiæ ducem, maritum Jacobæ, Hollandia ceteriſque uxoris opibus potiri fremeret, ducta „Eliſabetha, ducis noverca, & fœdere, cum *Sigiſmundo* (a) imperatore inito, Hollandiam, Ze„landiam ac Hannoniam beneficiario jure ab eo poſſidendas accepit: quaſi ad imperium, mortuo „Guilielmo comite ſine maſcula prole, devolutas. Et tum pariter interdicta Joanni Brabanto „earundem regionum adminiſtratio, datis literis Conſtantiæ, XXIX. Martii. Quarum literarum „munimini fiſus Bavarus, cum jam Hollandiæ, Zelandiæ ac Hannoniæ oppida ſolicitaret, hoc re„ſponſum tulit: Regiones has neque feudum imperii eſſe, nec ad mares ſolos devolvi; cum cer„tiſſimo experimento conſtet, Valtrudem Carolomanni Auſtriæ principis neptem, Richildim quo„que comitatum Hannoniæ, Adam ac Margaretam comitatum Hollandiæ, maritis dotales attuliſ„ſe, &c. quæ refert Petrus Divæus rerum Brabanticarum lib. XIIX. quem ſuadeo, legas.

7. Hæc omnia Scriverius: is enim eſt notarum illarum auctor. Joannes Dinterus l. 6. cap. 159. ab Hannoniis ſcribit anno MCDIIX. ita reſponſum Joanni illi Bavaro: *Se multum admirari, quod Romanorum rex prætendebat aliquod jus habere ad terras Hollandiæ & Zelandiæ, attento quod ipſi viderunt antiquas litteras, per quas Ludovicus IV. tunc Romanorum rex, recognovit, quod in dictis terris Hollandiæ ac Zelandiæ nullum jus ſibi competiit, quam ſolum homagium. Viderunt etiam ſub Bulla aurea alias literas ejusdem Ludovici IV. tunc Romanorum imperatoris, per quas de ſuorum principum conſenſu ſupradictas literas confirmavit.* Cæterum hæc ita tum affirmata eſſe, non quidem negaverim: quam falſo autem & quanta cum imperii injuria ita affirmata hæc ſint, non obſcurum amplius eſt ex iis, quæ in medium attulimus. Bene tamen, quod etiam tunc faſſi ſint omnes, & extra controverſiam fuerit poſitum, *ſaltim HOMINIÆ* (b) nexu Hollandiæ comites hactenus imperio fuiſſe obnoxios: id quod ad tuendos imperii fines nobis in præſens ſufficit.

8. Non latuit hæc antiquorum comitum clientela Grotium: alium itaque libertati æternæ quærens colorem, ſcribit: *Quod ſi qui comitum adducti neceſſitate temporum aut propriis de cauſis imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamen ipſum, præcipue ordinibus in factum non conſentientibus, nec reipublicæ nec poſterorum principum jus deterius potuit reddere.* At vero ordines unquam hactenus diſſenſiſſe, nullo diſerto indicio quisquam probaverit: ne nunc dicam, ordinum conſenſu ad talia olim non fuiſſe opus. Sed & audivimus, per aliquot ſecula comitatum perpetuo feudi nexu fuiſſe imperio obſtrictum. Utut igitur fortaſſis aliquando in illo nexu non fuiſſet (quod tamen itidem oſtendi non poteſt) ſaltim a Friderici Barbaroſſæ ævo libertate illa perdita, jus clientelare imperio accreviſſet.

9. Falſum proinde eſt, quod dixerat ſecutus alios Grotius, comitivam Hollandiæ dignitatem nunquam feudi vinculo imperatoribus paruiſſe. Comitum porro cauſſas a ſenatu imperii ac cæſare non fuiſſe dijudicatas, itidem falſo aſſeri a Grotio, ex ipſo Beka jam intelleximus. Privilegia Brabantinorum non eſſe promulgata aut publicata in Hollandia, non arguit Hollandiam imperii legibus non teneri: nec enim privilegia ſolent paſſim promulgari. Nec quod Philippus Leidius dixit, facit ad probandam omnimodam libertatem: ſolet enim hoc pronunciari de omnibus imperii principibus, quibus regalia potiſſima a Cæſaribus conceſſa ſunt.

10. Veriora ſunt, quæ ſubjungit Grotius: *Burgundos & Auſtriacos principes, quorum certior memoria eſt, compertum ſatis habemus, cæſaribus fidem pro Hollandia non dediſſe. Legibus autem judiciisque cæſarum & imperii, quod præcipuum eſt, ſubjectam non eſſe Hollandiam, Germani etiam ipſi confitentur.* Ita ſcilicet eſt. Primi Burgundi principes non de Hollandia, non de aliis provinciis per Lotharingicum regnum longe lateque occupatis, fidem cæſaribus juraverunt, ingente imperii jurium diſpendio. Sed & legibus ac judiciis imperii, communibus quidem, una cum aliis Hollandia etiam ſoluta eſt. Forte tamen non ante tranſactionem cum Carolo V. initam: de qua paulo poſt. At vero non debuiſſet Grotius præterire, quod ipſi Burgundi & Auſtriaci principes faſſi ſemper ſint ultro, Hollandiam cum Zelandia non minus ac reliqua illa imperii eſſe membra, atque adeo imperii finibus incluſa, etſi magnam libertatem conſequuta. Ut proinde nequaquam audiendi ſint, qui Hollandiam & Zelandiam antiquitus jam extra imperii limites fuiſſe poſitam jactitant, & vulgo perſuadere annituntur.

11. Eſt autem par & *HANNONIÆ* (c) ratio. Nam refert quidem Dinterus, eo quem ſupra laudavimus loco, ab Hannoniis Joanni Bavaro anno 1408. reſponſum eſſe, *quod Romanorum regi ſeu imperatori in terra Hannonienſi nullum jus penitus competit, nec unquam competiit: quamvis verum ſit, quod in Romanorum imperio eſt ſituata.* Vulgo etiam jactitant illi Hannones: *Hannoniæ dominus Deus & Sol.* Verum ipſa vocum abſurditas illos ineptiarum convincit. Utique enim addicte ſemper coluerunt hactenus ſuos principes: præter Deum itaque & Solem ſaltim principes ſuos dominos agnoſcunt. Jam ſi Hannonia eſt intra fines Romanorum imperii, ut ipſi fatentur, utique ſaltim aliquid juris in Hannoniam competit cæſari capiti Romani imperii. Non difficile vero eſſet, ex monumentis omnis ævi deducere perpetuum jus clientelare imperii in principes Hannonienſes non minus ac modo in Hollandiæ comites id demonſtravimus, ſi opus foret. Verum ſatis eſt inſtituto noſtro, quod ipſi hodieque reges Hiſpaniæ, Hannoniæ perinde atque aliarum provinciarum nomine, imperio ſeſe obſtrictos fateantur: ceu mox patebit.

12. IN

(a) *Sigiſmundo*) GÖBEL. Literæ, quibus imperator Sigismundus ordinibusque Hollandiæ & Zelandiæ ſignificat, ſe terras illas Joanni Palatino in feudum dediſſe, leguntur apud DU MONT *dans le corps diplomatique tom. II. p.* 107. 108.

(b) *Saltim hominii*) GÖBEL. Vid. quæ nos ſupra adverſus Antonium Matthæum diſputavimus.

(c) *HANNONIÆ*) C. A. M. Eſt ampliſſima provincia, gaudens tamen tantum titulo comitatus. Adjacet Brabantiæ, Flandriæ & Arteſiæ; omnes vero, qui in illo comitatu ſunt, loquuntur lingua Gallica.

12. IN univerſum igitur licet pronunciare id, qud ante profeſſi ſumus, omnes illas Belgicas provincias, quæ in patrimonium Hiſpaniæ regum denique pervenere, ſaltim donec Burgundos principes acceperunt, in obſequio fuiſſe imperii. Quamvis vero hi potentia ſua freti imperii jura multum debilitaverint, ſolito majore ſibi libertate per vim parta: a cæſaribus tamen & imperii ordinibus nihil eſt jurium Burgundis remiſſum, quin imo hi in modum aliorum principum ad comitia imperii eos vocavere, & Carolum Audacem turbantem res imperii non dubitaverunt proſcribere. Sed & Philippus, *quem bonum* (a) ſui cognominaverunt, vocatus ad aliquot comitia imperialia, aliis ipſe interfuit, ad alia miſit legatos. Carolus a cæſare petiit ſe *regem* (b) Belgii declarari; non facturus, ſi exiſtimaſſet cæſari & imperio regiones illas obnoxias non eſſe: quo erat elato animo. Quod Auſtriacos principes attinet, usque adeo illi agnoverunt imperii jura, ut Maximilianus cæſar ſtudioſe id egerit, quo omnes illæ regiones uno Burgundici circuli (ut loquntur) titulo in corpus imperii cooptarentur, conſtituta certa ſumma oneris in publicum conferendi, etſi vivo cæſare non plene hoc omne fuerit conſtitutum. *Non enim ex vero*, (c) ſed quodam ex odio potius, cum defuncto Maximiliano de ſucceſſore cæſaris deliberaretur, dixit Trevirenſis elector id, quod apud Sleidanum legitur: *Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus, non video. Sunt quidem nobis vicini, ſed ſocietatem nobiſcum aut fœdus nullum habent, nec imperii leges ad ſe quidquam pertinere ducunt, nec ad publicos uſus quicquam contribuunt, non magis quam Brittanni vel Scoti.* Ex affectu hæc inquam profluxerunt. Certum vero eſt, Carolo etiam cæſare, *nomine & ex parte domus Burgundicæ* (quatenus Belgis ſcil. illa imperabat) *ordinatas & oblatas eſſe perſonas tam ad regimen imperii quam ad Cameram imperialem, quibus interdum vel per Carolum ipſum, vel per ipſius majores ſubſidium & tributa, ſicut aliis ſtatibus, imperata fuerunt, ut in pluribus receſſibus & regiſtris imperii invenitur:* Quod ordines imperii, teſte Carolo ipſo, affirmavere, & bona profecto fide.

13. Quamvis porro cæſare Carolo, plus ſolito libertatis indultum ſit ab imperio Belgicis illis provinciis, nec ita tamen plane ſui ſunt juris factæ. Id haud poteſt rectius diſci, quam ex tabulis pacti inter Carolum cæſarem & imperii ordines initi, anno ſeculi ſuperioris poſt quadrageſimum octavo. Et vero ſunt illæ omnium ſuperſtitum hodie imperii jurium unicum fundamentum. Eoque ut ratio finium tanto rectius ſibi conſtet, inſeremus nunc *illas* (d) hoc loco, quamvis prolixiores poſſint videri, quæ hunc debeant transferri. Verba illarum in hunc ſeſe habent modum:

14. I. „Nos CAROLVS quintus, Divina clementia Romanorum imperator, ſemper Auguſtus; rex Germaniæ, Caſtellæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Jeruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, „Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, „Corſicæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziriæ, Gibraltar, inſularum Canariæ, & Indiarum, ac terræ firmæ „maris Oceani; archidux Auſtriæ; dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, „Carniolæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtenbergæ, „&c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Barcinonis, Arteſiæ, Burgundiæ, Comes Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferretis, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Carinthaniæ, „& Zutphaniæ: Landgravius Alſatiæ: Marchio Burgoviæ, Oriſtani, Gotziani, & ſacri imperii; „princeps Sueviæ, Cataloniæ, Aſturiæ, &c. Dominus Friſiæ, Marchiæ Slavonicæ, Portus Maonis, „Biſcaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechlinæ, &c.

15. II. „Notum facimus univerſis, in præſentibus comitiis imperialibus, habitis in civitate „hac Auguſtana, inter cetera urgentia S. R. I. negotia, ſignificata nobis fuiſſe, ſcriptoque exhibita a principibus electoribus atque communibus ſtatibus ac deputatis abſentium, ea quæ a conſiliariis circulorum circa negotium moderationis taxæ in ultimis comitiis imperialibus Wormatiæ „habitis diſcuſſa actaque ſunt; atque inter alia mentionem in iis fieri, celeberrimæ feliciſſimæque recordationis imperatorem Maximilianum, quondam Avum noſtrum, inſtituiſſe circulum „Burgundiæ, eumque cæteris dicti S. R. I. circulis inſeruiſſe, eumque ſua taxa, quæ tunc definita & conſtituta fuit, inſcribi curaſſe (prout hodieque in regiſtris dicti S. R. I. reperitur) atque „etiam, nomine provinciarum noſtrarum Inferiorum atque Burgundiæ, conſenſerit, certam taxam „imponi iis, quæ a dicto S. R. I. dependent, atque ad illud ſpectare debent; quemadmodum id „fuſius declararunt atque diductius explicarunt.

16. III. „Item tempore feliciſſimæ recordationis Friderici, quondam imperatoris, Philippum „ducem Burgundiæ, tanquam principem imperii, convocatum eſſe ad aliquot comitia imperialia, ad quorum una miſerit ſuum cancellarium, in aliis ipſe perſonaliter comparuerit. Præterea „nomine & ex parte dictæ domus Burgundicæ ordinatas & oblatas eſſe perſonas, tam ad Regimen dicti imperii, quam ad cameram imperialem, quibus interdum vel per nos, vel per majores noſtros ſubſidium & contributionem, ſicut aliis Statibus, imperata fuerint, ut in pluribus „receſſibus & regiſtris dicti imperii invenitur. Propterea ſupplicare dictos ſtatus, ut dictum Circu-

(a) *Quem bonum*) GÖBEL. Vid. tranſactionis inſequentis §. 16.

(b) *Regem*) GÖBEL. PONTVS HEVTERVS *rerum Burgundicarum lib. V. p.* 412. 413. In novæ dignitatis præmium Friderici cæſaris filio Maximiliano unicam, quam habebat, filiam ſe deſponſurum pollicebatur: Sed quod res effectu caruerit, Ludovici Galliæ regis artes effecerunt.

(c) *Non enim ex vero*) GÖBEL. Trevirenſis, ut Franciſco Galliæ regi imperiale procurare poſſet diadema, omnia, quibus Carolo V. nocere potuit, conſarcinavit.

(d) *Illas*) GÖBEL. Tranſactio illa in comitiis Auguſt. anno 1545. facta eſt. *Corp. ſanct. pragm.* p. 806. ſeqq. CHIFLETIVS *Alſatia vindicata c. 10. p. 59. ſeqq. LIMN. in addit. ad libr. V. cap. 3.*

„circulum Burgundicum, cum ſubſidiis & contributionibus S. R. I. dari ſolitis, in ſuo ſtatu tanquam „MEMBRUM dicti imperii benigne velimus relinquere.

17. IV. „Præterea, cum ducatus Geldriæ, cum comitatu Zutphaniæ, plane ab imperio de„pendeant, cumque iidem in aliquibus regiſtris contributionum dicti imperii inveniantur, Nobis „placeat clementer eis concedere, ut in tales contributiones ipſi conſentiant.

18. V. „Similiter faciamus cum ſtatibus Ultrajectenſis patriæ; ut, quoniam ea ſine contra„dictione ad dictum S. R. I. ſpectat, ab eoque ex antiquo dependet, ſolvant ultimam exactionem „imperii contra Turcam: item ut ſolvant communem pecuniam, & participent aliis contributioni„bus dicti imperii, quandoquidem duæ hæ provinciæ, Geldria & Ultrajectum, comprehendantur „in circulo Weſtphaliæ; prout hæc omnia Nobis repræſentata ſunt cum ampliori allegatione plu„rium rationum.

19. VI. „Sed contra, neque aſſentimur, neque aſſentiri poſſumus iis, quæ per communes „ſtatus dicto modo Nobis propoſita ſunt: ac potius curavimus eis claram dari informationem ſtatus „dictarum noſtrarum provinciarum Belgicarum & Burgundiæ: & inter cætera, non poſſe oſtendi „aut probari, fuiſſe unquam ex parte provinciarum patrimonialium Belgicarum aut Burgundiæ „datas ullas contributiones; quin imo illas ab omni tempore tum a dictis contributionibus, tum a „conſtitutionibus, ordinationibus, jurisdictione & proceſſibus dicti imperii exemptas fuiſſe; „dictumque circulum Burgundicum ad exitum perductum non fuiſſe.

20. VII. „Et quamvis dictus Philippus Burgundiæ dux, tempore dicti Friderici imperatoris, „legatos ſuos ad comitia imperialia miſerit; ac ipſemet in aliis quibusdam comitiis comparuerit: „id tamen factum eſſe ab eo voluntate libera, non autem ex obligatione aut debito ſeu munere: ac „potius ut ſatisfaceret ſolemni voto ſubveniendi provinciis Chriſtianorum contra fidei noſtræ ho„ſtem, amiſſa antiqua & imperiali civitate ac reſidentia Conſtantinopolitana; atque etiam ut capi„ta nationis Germanicæ incitaret ad ſubſidium aliquod notabile pro recuperanda dicta civitate Con„ſtantinopolitana, liberandisque bonis Chriſtianis Græcæ nationis; atque hac in cauſſa ſeſe quanta „maxima fieri potuit diligentia uſum, prout hæc aliaque huc ſpectantia, ſi opus foret, demon„ſtrari poſſent.

21. IIX. „Et quoad ducatum Gelriæ jam Nos oſtendiſſe ſtatibus communibus, agnoſcere „Nos eum eſſe imperii, & priusquam eum haud ita pridem ad obedientiam noſtram reduxiſſemus, „Nos eum in feudum accepiſſe ab avo noſtro bonæ memoriæ Maximiliano imperatore. Verum „quoad contributionem a dictis ſtatibus dicti ducatus Gelriæ, petitione communium ſtatuum im„perii ſcripto alias ipſis facta, ſolvendam, Nos declaraſſe, ejusmodi contributiones nunquam an„tehac ab iis fuiſſe petitas, & multo minus ſolutas: contra fuiſſe eos ſemper exemptos, nullam un„quam ea de cauſſa moleſtiam paſſos; rogantes, quandoquidem ſe nobis ea conditione ſubdidiſ„ſent, ut eorum libertatem & immunitatem conſervaremus; ſineremusque eos pacifice in poſſeſſio„ne earundem permanere.

22. IX. „Idem Nobis ex parte provinciæ Ultrajectenſis ſignificatum eſt; præſertim, nullum „unquam ſubſidium, quo tempore epiſcopi temporale dominium habebant, ab iis petitum, aut „ſaltem acceptum, & juxta ſua privilegia & veteres conſuetudines ſe ad hoc minime teneri.

23. X. „Et quamvis reperiretur, ducatum Gelriæ cum provincia Ultrajectenſi fuiſſe in cir„culo Weſtphaliæ comprehenſum, iidemque ducatus & provinciæ recenſeantur in contributioni„bus & matriculis imperii, non ideo tamen ſequitur, teneri & obligari ad ſolvendas dictas contri„butiones; quandoquidem tales circuli initio tantum excogitati ſunt ad perſonas cameræ imperiali „nominandas & præſentandas, imperiumque nunquam fuiſſe in poſſeſſione aut uſu cognoſcendi „rem qualemcunque aut nomen dicti circuli.

24. XI. „Ac præter hæc, dictas provincias patrimoniales ab omni antiquitate fuiſſe liberas & „exemptas a jurisdictione imperii, ita ut illæ non minus, quam cæteræ noſtræ provinciæ Belgicæ, in „ſuis neceſſitatibus & indigentia nunquam, usque in præſens, protectionem, tuitionem, aut auxi„lium ullum a dicto S. R. I. habuerint, quemadmodum rationabiliter habent alii imperii ſtatus.

25. XII. „Unde concludi facile poteſt, dictas noſtras provincias non teneri ſuſcipere in ſe, „aut ſolvere ullas contributiones imperii, & ſecundum æquitatem in antiquis libertatibus & ex„emptionibus relinquendas eſſe.

26. XIII. „Nihilominus pro ſingulari Noſtro affectu erga S. R. imperium nationis hujus Ger„manicæ, & quia mens Noſtra nunquam fuit rem ullam ipſi adimere, at potius idipſum augere „atque amplificare; illis ſignificavimus, ad fovendum cum iis amicitiæ bonæque vicinitatis com„mercium, Nos contentos fore, ut omnes provinciæ noſtræ patrimoniales, ſimul cum ducatu Gel„riæ, comitatu Zutphaniæ, & temporalitate Ultrajectina, cæterisque eo ſpectantibus vaſallis & „dominiis dictarum provinciarum, quemadmodum jam a Nobis poſſidentur, omnes conjunctim „ſub uno circulo comprehendantur, aliquamque pecuniæ ſummam contribuant; tantam nimirum, „quanta eſſe poteſt contributio duorum principum electorum, at ne ultra hanc onerentur: & ut „viciſſim ſuſcipiantur in protectionem, tutelam, conſervationemque S. R. imperii, dummodo „ipſæ in rebus aliis maneant in omnibus ſuis libertatibus, juribus, appellationum & jurisdictionis „exemptionibus.

27. XIV. „Super qua ita fundata informatione, & clementibus oblationibus, electores, prin„cipes, & communes ſtatus, etiam conſiliarii & deputati abſentium, ulteriores conferentias Nobis„cum iniverunt: & poſt varia utrimque ſcripta, informationes, tractatus, Nobiſcum ſub conditio-

nibus

„nibus modisque ſequentibus concordarunt, capitularunt, tranſegerunt, Noſque cum illis in vir-„tute præſentium harum litterarum, meliori & validiori forma, modoque, quo fieri jure aut con-„ſuetudine poſſet, concordamus, capitulamus, & tranſigimus.

28. XV. „Nimirum Nos veros hereditarios & ſupremos dominos dictarum noſtrarum pro-„vinciarum patrimonialium Belgicarum, pro Nobis, noſtris heredibus & ſucceſſoribus, ſimul dictæ „noſtræ provinciæ patrimoniales Belgicæ, nominatim ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, „Luxemburgi, Gelriæ; Comitatus Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Ze-„landiæ, Namurci, Zutphaniæ; Marchionatus ſacri Romani imperii; Dominia Friſiæ, Ultrajecti, „Tranſiſalaniæ, Groningæ, Falcomontis, Dalhemii, Salinis, Mechliniæ & Trajecti, una cum omni-„bus eorum appendicibus & incorporationibus, mediate & immediate, tam eccleſiaſticis quam „ſecularibus, principatibus, prælaturis, dignitatibus, comitatibus, baroniis, & dominiis ad ea per-„tinentibus, vaſallis & appendicibus, futuros imposterum & ſemper ſub protectione, cuſtodia, „conſervatione & auxilio imperatorum, & regum Romanorum, & S. R. I. eosque fruituros liberta-„tibus & juribus ejusdem, & per dictos imperatores & reges Romanorum & ſtatus dicti S. R. I. ſem-„per, ſicut alii principes, ſtatus & membra ejusdem imperii, defendendos, conſervandos, foven-„dos, & fideliter juvandos.

29. XVI. „Item, convocabuntur ad omnes conventus & comitia imperialia, ut cum aliis ſta-„tibus compareant, aut deputatos ſuos, ſi eis viſum fuerit, mittant. Dabitur etiam illis, noſtrisque „heredibus & ſucceſſoribus vel Nobis, horumque deputatis, ſeſſio & ſuffragium nomine dictarum „provinciarum tanquam archiduci Auſtriæ.

30. XVII. „Viciſſim Noſtro, dictarumque provinciarum noſtrarum, ſubditorum & poſte-„rorum eorum conſenſu, debebunt dictæ omnes provinciæ, cum ad conſervationem & bonum S. „R. I. atque etiam ad fovendam pacem & juſtitiam neceſſarium erit, in omnibus communibus tri-„butis, quæ quovis tempore a ſtatibus communibus imperii conceſſa decretaque fuerint, præſtare „& contribuere tantum, quanta duorum principum electorum contributio eſſe poteſt. Adeo ut „cum elector unus præſtabit ad contributionem centum florenos; aut cum centum equites & cen-„tum pedites mittet, Nos, heredes & ſucceſſores noſtri tenebimur pendere ducentos florenos, & „ducentos equites, ducentosque pedites ſubmittere; idemque in magnis & parvis ſubſidiis, augen-„do minuendoque cum proportione, ſervabitur. Niſi tamen caſu aliquo Nos, aut dictæ noſtræ „provinciæ hereditariæ, ipſi milite indigeremus, aut alias conſultius foret loco militum accipere „pecuniam; quæ eo caſu, loco dictorum militum, prout ſubſidium conceſſum magnum parvum-„que fuerit, ſingulis menſibus perſolvetur eo modo, quo electores pro tempore militem, capitaneos „& officiarios ſtipendio duplici, aut aliis ſolutionibus cæterisque rebus alent.

31. XIIX. „Tali quoque expreſſa conditione, ut ſi citius ſeriusve contingeret dictos ſtatus „S. R. I. concedere pro majore aut minore ſubſidio, exigi communem aut certam pecuniam; Nos „tamen & dictæ noſtræ provinciæ patrimoniales, earumque ſubditi non teneantur, nec obligati „ſint, exigere aut præſtare dictam communem pecuniam; ſed Nos nomine dictarum noſtrarum „provinciarum patrimonialium inferiorum præſtemus tantum, quantum duo principes electores „Rheni (qui quoque tempore a dictis ſtatibus denominabuntur) exigent & colligent, cum omnibus „ſuis provinciis, ſubditis & adhærentibus, atque ad nihil amplius, quod ad dictam communem „pecuniam ſpectat, per reſtitutionem ullam aut receſſum, verbis, clauſulis aut derogationibus, vel „in genere, vel in ſpecie, quocunque modo aut quocumque nomine, ulterius ullatenus tenebimur, „ſine conſenſu noſtro dictarumque noſtrarum provinciarum; niſi conveniret, generalem expedi-„tionem contra Turcam ſuſcipere. Quo caſu, Nos, dictæque noſtræ provinciæ tenebuntur præ-„ſtare pro ſubſidio noſtro non minus quam tres electores, qui ſingulis vicibus per communes ſtatus „Nobis denominabuntur & ſignificabuntur.

32. XIX. „Viciſſim Nos, heredes & ſucceſſores noſtri, & ſupradictæ noſtræ provinciæ, una „cum omnibus principibus, prælatis, comitibus & vaſallis ad eos pertinentibus, qui hucusque ſub „iis comprehenſi fuerunt, nihilque S. R. I. ſolverunt, proprium circulum habebunt, dictum cir-„culum provinciarum patrimonialium Burgundiæ, ſub quo omnes comprehendentur, etiamſi ali-„qui eorum antehac conſtituti & attributi fuerint aliis quibusdam circulis.

33. XX. „Item caſu, quo provinciæ noſtræ patrimoniales inferiores deeſſent dictæ contribu-„tionis ſolutioni, eamve differrent, nec præſtarent, aut ſolverent tempore præfixo, ob fatalem no-„ſtræ ſolutionis & præſtationis defectum; reſpondebunt in camera imperiali, ibique contra eos, „ſicut contra alios ſtatus S. R. I. procedetur, ad cogendum, ut ſolvant quod debent: ſed excepto „caſu dictæ contributionis, dictæ noſtræ provinciæ earumque ſubditi, manent omnino in pacifica „poſſeſſione omnium & quarumcumque libertatum ſuarum, jurium, exemptionum, appellatio-„num & jurisdictionum, nullo modo ad contraria coacti: nec gravabuntur aut moleſtabuntur ſub-„diti aut adhærentes dictarum provinciarum per mandata, citationes, admiſſiones appellationum, „& aliorum proceſſuum, omnium aliarum, cujuscumque ſint nominis, materiarum; nulla ex-„cepta, niſi in cauſſa dictæ contributionis; eruntque exempti & liberi a dicta jurisdictione noſtra „& S. R. I. ſive in prima ſive in ſecunda inſtantia.

34. XXI. „Item, dictæ provinciæ noſtræ patrimoniales inferioris Burgundiæ, cum ſuis per-„tinentiis, erunt manebuntque perpetuo provinciæ & principatus omnino liberi, & non ſubditi, ac „a Nobis tanquam ab imperatore, atque ab aliis omnibus futuris imperatoribus ac regibus Romano-„rum, ab electoribus etiam, principibus & ſtatibus S. R. I. agnoſcentur pro provinciis, principati-bus,

„bus, & ſuprematibus liberis, & non ſubditis; ita ut deinde pro adeptione dictarum contributio„num, ſicut hic ſupra & infra ſcriptum eſt, non trahantur, nec vocentur ad jus & jurisdictionem „S. R. I. Similiter, ut in nulla re ad ordinationes, conſtitutiones, receſſus S. R. I. ulterius quam hic „ſupra & infra dictum eſt, obligentur; dummodo tamen dicti principatus & provinciæ, in quan„tum earum aliqua dependeat a feudo S. R. I. impoſterum debite recognoſcantur, & releventur, & „in feudum a S. R. I. ut ex ante in præſens factum eſt, recipiantur.

35. XXII. „Ulterius, ſtatus & ſubditi omnium noſtrarum provinciarum patrimonialium tene„buntur obſervare, & manutenere conſtitutionem pacis publicæ, dictam *Landfried.* Quique ad „S. R. I. attinent, cum in provincias noſtras inferiores venerint, ſuave bona in iis poſſederint aut „habuerint, comprehendentur in protectione, patrocinio & libertatibus earum, & conformiter „cæteris dictarum, provinciarum ſubditis manutenebuntur & ſervabuntur, & ad jus æquumque „obtinendum juvabuntur.

36. XXIII. „Et viciſſim incolæ dictarum provinciarum noſtrarum inferiorum protectionum „& patrocinium habebunt in dicto S. R. I. ſicut ſtatus & ſubditi ejus. Ita, ut ſi cui ex imperio, aut „ex dictis principatibus & provinciis, & earum ſubditis, aliquid contra dictam *Landfried* eveniret; „aut ſi quis aliis quibuscunque rebus prætenderet habere in alium actionem: is tum tenebitur eum, „ut oportet, coram ſuperioritate ordinaria, & in foro ejus, qui pacem fregit, aut ejus, qui poſtulatur, „reum agere; debetque ibi jus ſuum perſequi: jusque ei ibidem prompte recteque dicetur, atque „ita utrimque æqualitas ſervabitur.

37. XXIV. „Modo, quo dictum eſt, Nos nomine ſupradictarum aliarumque noſtrarum pro„vinciarum patrimonialium, cum electoribus, principibus, & communibus ſtatibus S. R. I. cle„mentiſſime, iique Nobiſcum nomine S. R. I. matura & plena deliberatione humiliter concorda„runt, capitularunt, & tranſegerunt. In quam tranſactionem Nos quoque per Nos & provincias „noſtras patrimoniales, liberos quoque noſtros, eorundemque ſucceſſores: ſimiliterque per dictos „electores, principes & communes S. R. I. ſtatus, nomine dicti S. R. I. conſentientes, eamque „acceptantes, promittentesque eam ſervare, definimus, promittimusque juxta hæc, verbo impe„ratoris, pro Nobis, liberis noſtris, & ſucceſſoribus, & pro omnibus noſtris provinciis patrimonia„libus inferioribus & Burgundia, Nos dictam tranſactionem, concordationem, & capitulationem „in omnibus & ſingulis ſuis articulis & capitulis, in ea contentis, Nosque & noſtros concernentibus, „debere, & velle rata, firma & ſtabilia habere, & inviolabiliter obſervare & adimplere, ſine contra„ventione ulla, nec permittere, ut noſtri iis contraveniant. Et quicquid contra ſupradictam tracta„tionem vel capitulationem factum, ordinatum, ſtatutum, aut impetratum fuit, vel in futurum „fiet, ordinabitur, ſtatuetur, obtinebitur, aut impetrabitur, non poterit allegari, nec uſui eſſe in „contrarium; ſed erit manebitque ſine ullo vigore.

38. XXV. „Similiter omnes poſtulationes, quas Nos, aut ſtatus noſtri habere prætendimus, „ratione ſubſidiorum & contributionum præteritarum, mortuæ, ſopitæ, exſtinctæ & ſine ulla vi, „nullæ, & nullius effectus erunt; ſicut etiam Nos, conſultu & conſenſu ſupradicto noſtrorum „principum electorum, principum & ſtatuum, eas per has de certa noſtra ſcientia & plenaria pote„ſtate imperiali declaramus, vim nullam & nullum vigorem habere, ſed caſſas, nullas & nullius „effectus permanere debere.

39. XXVI. „Et viciſſim pro majori ſecuritate, S. R. I. & ſtatuum ejusdem promittimus Nos, „ratificationem & conſenſum, dictarum noſtrarum provinciarum patrimonialium inferiorum & „Burgundiæ, dictis ſtatibus imperii, aut eorum nomine, reverendiſſimo noſtro S. R. I. principi „electori, & archiepiſcopo Moguntino tanquam archi-cancellario, ſub ſigillis quatuor præcipuo„rum prælatorum, dictarum noſtrarum provinciarum patrimonialium, quatuor item præcipuo„rum dominorum, & quatuor præcipuarum urbium, nomine omnium provinciarum, & eas atti„nentium, intra annum ut quam maxime ſero, poſt datas præſentes præbituros.

40. XXVII. „Et Nos electores, principes, & ſtatus communes, S. R. I. conſiliarii item & „deputati abſentium, prout omnes comparuimus in hiſce comitiis imperialibus, & denominati, „ſpecificati ſumus in receſſu eorum, fatemur pro Nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſimiliter „pro dominis & principalibus noſtris, poſteris & ſucceſſoribus eorum, dicta, concordatum, capi„tulationem & tranſactionem, facta eſſe de ſcientia & conſenſu noſtro; ideoque promittimus pro „Nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſub honore & verbo principis & fide bona, omnes & ſingu„los articulos, & capita in iis contenta, quæ Nos & dictum S. R. I. concernunt, Nos fideliter & fir„miter tenturos, obſervaturos, & impleturos ſine contradictione, nec contra facturos aut molitu„ros, nec ullatenus, ut id alii faciant, paſſuros; id reſervantes, ut præſens tractatus & conſenſus non „importet præjudicium, nec per eum quidquam S. R. imperio, quoad terras, quæ antehac ad illud „pertinuerunt, neque quoad communes & particulares ſtatus ejusdem; Similiter nec provinciis „patrimonialibus inferioribus & ſubditis Caroli imperatoris, excepto eo, quod præſenti tractatu con„tinetur, & omnibus aliis modis, qui eorum ſupremitates, dominia, libertates, jura, antiquas „conſuetudines & uſus concernunt.

41. XXIIX. „In quorum teſtimonium Nos Carolus imperator, tam nomine imperatoris Ro„manorum, quam etiam nomine veri & ſupremi domini dictarum noſtrarum provinciarum patri„monialium, ſigillum noſtris his apponendum curavimus: quarum duæ ad unum exemplum „factæ ſunt.

42. XXIX. „Et Nos Sebaſtianus D. G. archiepiſcopus Moguntinus, archicancellarius S. R. I.

Et

„Et Fridericus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, archi-dapifer S. R. I. ambo principes electo-„res pro Nobis & reliquis electoribus; & Nos Erneſtus confirmatus archiepiſcopus Argentinenſis, „& Wilhelmus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ ſuperioris & inferioris, pro Nobis & aliis prin-„cipibus tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, Gerwinus abbas Vingartenſis, &c. pro nobis & aliis „prælatis; Fridericus comes de Fürſtenberg, &c. pro nobis & comitibus & baronibus; Et nos con-„ſul & conſiliarii civitatis Auguſtanæ pro nobis & aliis urbibus liberis & imperialibus, ad requiſitio-„nem & preces Nobis per electores, principes & ſtatus S. R. I. factas, noſtra quoque ſigilla poni & „affigi curavimus præſentibus hiſce literis, datis in urbe noſtra Auguſtana die Martis 26. menſis Ju-„nii anno a nativitate Domini MDXLIIX. & imperii noſtri anno XXIIX. Regnorum noſtrorum „XXXIII. Ita ſignatum: Carolus. Sebaſtianus archiepiſcopus Moguntinus, per Germaniam „archicancellarius, & per ordinationem imperatoris I. Obernburger.„

43. Hactenus illæ tabulæ: quæ anno ejusdem ſeculi LX. ſunt confirmatæ. Quoniam vero nonnulla in iis reperire eſt, quæ videri controverſa queant, fuerit haud abs re, ex Paulo Matthia Wehnero audire, quid hodie cum alibi tum in Spirenſi ſummo imperii judicio obſervetur. Habentur illa tomo ſexto ſymphorematis ſupplicationum cap. ſecundo fol. 39. „Ducatus Burgundiæ „non modo peculiaris circulus eſt ſacri Romani imperii, *der Burgundiſche Kreiß*, *Reichs-Abſchied zu* „*Nürnberg* de anno 1522. fol. 3. ſed & ipſe dux Burgundiæ ſub tutela & membris imperii compre-„henſus in comitiis ſeſſionem atque votum habet, ſicut archidux Auſtriæ. *Er iſt aber den gemeinen* „*Pfennig zu ſenden nicht ſchuldig*, ſed tantum contribuit, quantum duo electores. In expeditione „contra Turcam tantum præſtat, quantum tres electores. Si ceſſat contribuere, poteſt contra eum „in camera imperiali per fiſcalem procedi: in reliquis a cameræ jurisdictione immunis ac exemptus „eſt. Imperii tamen feuda ab eodem recognoſcere & conſtitutionem de pace publica ſervare tene-„tur. Nam dux Burgundiæ pro ſua perſona tanquam vaſallus imperii Romani non eſt exemtus, ſi „delinquat & frangat pacem publicam contra ſtatum imperii. Ideo contra eum & officiales ejus in „camera imperiali proceſſus decerni poſſunt. Tilman. de benign. in Apoſpaſm. ſu inter obſerv. „ſuppl. cent. obſ. 64. fol. 13. Vide tranſactionem Burgundicam in magnis comitiis Auguſtæ Vin-„delicorum, anno 1548. inter Carolum V. imperatorem & ſtatus imperii editam ac erectam, & „poſtea anno 1560. confirmatam. Juxta quæ pacta & tranſactionem etiam ſubditi regis Catholici „Hiſpaniarum, quoad conſtitutionem pacis publicæ, jurisdictioni cameræ imperialis ſunt ſubjecti. „Gilman. tom. 2. Symphon. part. 3. tit. 4. ſuppl. 3. fol. 78. pr. Nec obſtat, quod Mynſingerus cent. 5. „obſ. 58. num. 2. Gail. l. 1. de pace publ. c. 11. n. 6. Gilhauſ. in arb. jud. c. 4. ram. 1. §. 13. n. 3. „fol. 163. & alii quidam ſolam domum Burgundicam etiam in hoc caſu cum ſuis ducatibus & domi-„niis liberam adſerant, ex privilegio d. concordiæ anno 1548. erectæ, qua cautum, *ut ſubditi ducis* „*Brabantiæ* (a) in cauſa violatæ pacis a loco domicilii non evocentur, ſed coram judice loci ordinario „ad pœnam banni & juris communis conveniantur. Quia hoc admiratione ſatis dignum & iniquum „videtur. Petr. Frider. Mindan. l. 1. de proceſſ. in camer. extrah. cap. 22. n. 1. Quid enim aliud „eſt a legibus pacis publicæ eximere, quam in communis reipublicæ ſocios armare, & quaſi fene-„ſtram aperire ad vis publicæ exercitium? Et exemplo pernitioſum videtur, publicæ tranquillitatis „turbatores, tanquam communis patriæ hoſtes, a cæſarei numinis jurisdictione eximere, fori pri-„vilegiis muniendo. Unde etiam principes iſtam concordiam aliquoties impugnarunt, & in camera „contra regem Hiſpaniarum tanquam Burgundiæ ducem mandata de non offendendo decreta. Ut, „ultra ſupra dicta in cauſa, *Dierich von Gellern* contra d. regem, ubi cum referens mandatum de non „offendendo *bey einer namhafften Pein* decernendum diceret, alius dominus communi forma decer-„nendum evincebat: ſe enim anno 1550. interfuiſſe *dem Fürſten-Rath, da die Burgundiſchen Verträge* „*nicht allein* impugniret, *ſondern gar für nichtig gehalten.* Cui alii addebant, utut tranſactio valeret, „eam de ſubditis ducis ſaltem intelligendam. Burgundiæ vero ducem pro ſua perſona tamquam „imperii vaſallum, non eſſe exemptum, idque recte. Nam & in eam ſententiam, quod pacem „publicam ſervare teneatur, prædicta tranſactio anno 1560. confirmata, ut ſupra dictum, & nota-„vit Frid. d. n. 1. Ac, quod dicta tranſactio Burgundica de ſubditis Burgundiæ intelligenda ſit, „quodque agat tantum de mere perſonalibus, non realibus, ſcribit Tilman. de benign. loco ſupra „allegato fol. 15. Ex conſtitutione tamen pignorationis contra domum Burgundicam, proceſſus „in ca-

(a) *Ut ſubditi ducis Brabantiæ*) *C. A. M.* Brabantini prætendunt, privilegium ipſis datum eſſe a Carolo IV. & a cæſaribus confirmatum, cujus vi non poſſent ad alia judicia vocari, & ſi quid delinquerent in alio loco, ut & bona alieno loco haberent. At Brabantini dicunt, ſe tantum forum habere Brabantinum, & ſic ad aliud non vocari poſſe. Si igitur accuſandi eſſent, hoc fieri debere in Brabantia. Id privilegium epiſcopi Mechlinienſis & Gandavienſis, cum illos pontifex Romam vocaviſſet, illi objecerunt, cum non poſſe Brabantinos Romam vocare vi privilegii. Hac ratione doctiſſimi & elegantiſſimi libri editi Francofurti *de privilegio Belgarum de non evocando.* Dolendum, quod mendis adeo ſcateant, ut vix poſſint intelligi. Fuit autem olim tale privilegium commune, antequam camera Spirenſis inſtitueretur. Imo ipſa urbs Brunſuiga tale privilegium habuit, ſed jam antiquatum. Sunt enim talia data in præjudicium principis, & totius imperii. GöBEL. Bullam Brabantinam, ſive privilegium, ut a DINTERO *lib. 5. cap. 9.* vocatur, aureum Carolus IV. anno 1349. Joanni Lotharingiæ & Brabantiæ duci de non evocando dedit. Refertur a THVLEMARIO *in tractatu de bullis*, confirmatum eſt a Sigismundo, Ferdinando IV. (III.) Maximiliano I. & Carolo V. CHIFLET. *in Alſatia vindicata c. 11. p.* 69. LVNIG. *archiv. imp. part. ſpec. contin. 1. tom. 3. ſect. 3. p. 111.* LIMN. lib. V. cumque illi, quibus hæc favebat bulla, ea abuterentur, & vicinorum Germaniæ ſtatuum ſubditos ad ſua evocarent fora, tales proceſſus evocationis ſunt ſublati, & ſtatibus per eam gravatis, per jus retorſionis, neceſſitate id ferente, auxilia præſtantur. *Capitulat. Caroli VI. art. 27.*

„in camera non decernuntur, ex ſpeciali transactione ducis Burgundiæ cum Romano imperio: „quæ hodie etiamnum in camera in viridi obſervantia habetur. Tilman. de Benign. in Apoſpaſm. „**[illegible]** de Impetr. proceſſ. obſerv. 4. fol. 50.

44. Hæc omnia Wehnerus. Et vero hunc in modum hodieque regiones illæ, quæ quidem parent Hiſpano, ſeſe habent. Memorat Thuanus *lib.* XVI. Carolum cæſarem cum Ferdinando fratre egiſſe, *ut ipſe & Maximilianus filius Philippum Caroli filium Imperii per Italiam & Belgium cum plena poteſtate Vicarium conſtituerent; ſed hos non aſſenſos, quod dixerint, tantum de Cæſarea dignitate ac majeſtate, quam integram & illibatam tueri recepiſſent, deceſſurum, quantum ex ea alteri conceſſiſſent.* Quod hoc loco repetere fortaſſis haud eſt alienum.

45. QVAMVIS vero ita olim cautum fuerit imperio, & huc usque ea qua diximus ratione habeant ſeſe regiones illæ Belgicæ, quibus etiamnum Hiſpanus imperat: poſt Carolum tamen cæſarem ea tempeſtas Belgium illud excepit, *ut denique ſeptem* (a) longe nobiliſſimæ & potentiſſimæ provinciæ, ſceptro Hiſpanico abjecto, in libertatem ita ſeſe aſſeruerint, ut ſimul etiam omne exuerint imperii obſequium: Hollandia ſcilicet, Zelandia, *Geldria* (b) cum comitatu Zutphanienſi, Weſtfriſia, Trajectina regio, *Tranſiſalania* (c) & *Groningenſis* (d) ditio. Nec enim poſt annum ſuperioris ſeculi octogeſimum primum, quo Hiſpano ſeſe ſubduxerunt, imperio ſe quidquam amplius deberi videri voluerunt, ſuntque paſſim per omnem terrarum orbem a potentiſſimis regibus habitæ & cultæ quaſi ſui ſint juris, nec ulli principi ſuperiori obnoxiæ. Hinc ne a cæſare quidem titulum *dilectorum fidelium* dari ſibi paſſi ſunt amplius, nec a principibus imperii æſtimari ullo indicio in cenſu eorum, qui imperio ſunt obnoxii. Idque obtentu vel priſcæ exemptionis ab imperio, vel armis ſibi partæ libertatis interim dum ab imperio deſererentur. *Quod tamen fortaſſis mirere*, (e) inter eos nonnullæ urbes nummos ſuos imperii aquila & cæſareo nomine, perinde ut olim fecerunt, etiamnum inſigniri curant. Sed & non adeo pridem, Hiſpano plene jamdudum exacto, ſerio in provinciarum conſiliis deliberatum, de reditu in corpus imperii Germanici. Qua de re prudens epiſtola ſummi viri Hugonis Grotii, inter opuſcula ante biennium Amſtelodami curante Iſaaco Grutero publicata, comparet. *Caterum in univerſum* (f) omnes ab imperii obſequio ſeſe liberos, illo quem dixi-

(a) *Ut denique ſeptem*) *C. A. M.* Inter VII. illas provincias omnia fuerunt pacata, donec ſub Philippo II. Caroli V. filio magni motus cæpere. Orti autem ſunt duabus de cauſis. Prima fuit, quod Philippus II. hiſpanicis moribus eſſet addictus, & prætenderet dominatum, populo propugnante priſtinum ſtatum. (2) Quia cum religio Romana tum cœperit ſordeſcere, ingens multitudo deſcivit per vim, ut ſartam tectam repurgatam religionem ſervaret. Dicunt nonnulli, tantum argenti huic bello eſſe impenſum, ut ex pecunia tegi fere poſſint omnes hæ provinciæ. Eſt autem tanto animorum impetu geſtum, ut fere tota Europa una pugnaverit. De occaſione hujus belli quam optime a partibus Hiſpaniæ duo ſcripſerunt FAMIANVS STRADA Jeſuita & NICOL. BVRGVNDVS. A parte fœderati Belgii cumprimis PETRVS BOM. Latine meretur præferri is, quem e Belgico vertit RHEIDANVS, cujus annales ſunt doctiſſimi. Jungendi huic ſunt METERANVS & GROTII *annales*. Tandem eo deventum eſt, ut novo fœdere junctæ inter ſe provinciæ regi Hiſpaniæ, cum ſævire non deſineret, anno 1579. Ultrajecti renunciaverint. GöBEL. De vera origine motuum Belgicorum vide Epiſtolam ad Philippum II. Hiſpaniæ regem, *quam* SCHVRZFLEISCHIVS cum notis edidit. De ſcriptoribus belli Belgici agit STRUVE *biblioth. hiſtor. cap.* 5. §. 10. 11. Ultrajectinum fœdus primum inter Geldriam, Hollandiam, Selandiam, Friſiam & Trajectum ad Rhenum icebatur. TEMPLE *l'etat des provinces unies p.* 50. *ſeqq.* LVNIG. *archiv. imperii part. ſpec. contin.* 1. *tom.* 3. *p.* 148. huic deinde Tranſiſulana & Gröninga accedebant. Atque inter omnes deinde fœdus Hagæ comitum repetitum. Non ita multo poſt, icto Trajectino fœdere, omni, quod Philippo debebant, obſequio renunciarunt. Vid. LVNIG *l. c. p.* 157. Præter ſeptem autem hæc provincias, & quæ in ducatu Brabantino ad Hollandos ſpectant, Galli non pauca Belgii loca in ſuam redegere poteſtatem, ut ſunt Arteſia tota, inſulæ Tornacum, Duacum, Ipra, Baſea, Armentariæ, Dunquerca, Gravetina, Mons S. Winoci, caſtellum Marinarum, Menena & alia Flandriæ loca, Valentianus, Cameracum, Bochanium, Condate, Quercetum, Malobodium, Landrecium, Avenna, Bavacum, Philippopolis, Mariæburgum in Hannonia, Carolomantium in Namurco, Mons medius, Theodonis villa, Epoiſus, Damuillerium & Martiavilla, Stenacum, quæ in eorum, pace Aquisgranenſi, Neomagenſi, Ryswicenſi aut antea, pervenere ditionem. Menenum autem, Tornacum, Ipram, quæ Hollandorum repagulis (barriere) annumerantur, Dixmudam & alia quædam loca pace cum Hollandis Trajecti ad Rhenum 1713. facta dimiſit. Hoc in pace Radtſtadenſi & Badenſi art. XX. XXI. confirmatum eſt.

(b) *Geldria*) *C. A. M.* Diu ſuos habuit comites, tandem duces. GöBEL. Rainaldus a Ludovico Bavaro A. 1339. Geldriæ dux eſt creatus. PONTANVS *lib.* 7. *p.* 228. TESHENMACHERI *annales Cliviæ p.* 127. Geldriam Guilielmo, qui & Cliviæ dux erat, cedente & Gallo ſopito nactus eſt. HENRICVS ab ERP *annal. vernac.* apud ANTON. MATTHÆVM *in veteris ævi analectis tom.* I. PONTAN. *H. G. lib.* 12. quomodo ad Burgundos pervenerit, alibi dixi. Erat Geldria inter illas provincias, quæ per Mariam Burgundicam ad domum Auſtriacam pervenere, ſed tributum impoſitum Geldros commovit, ut ſeſe Carolo permiſerint, quem Maximilianus uſurpatorem dicebat, ſuumque filium Philippum anno 1505. de hoc ducatu & Zutphaniæ comitatu inveſtivit. LVNIG. *archiv. imperii part. ſpec. contin.* I. *tom.* 3. Bellum inde exortum, imperante Carolo V. in eas terminatum leges: ut imperator Carolum ducem ejusque heredes legitimos utriusque ſexus ducatu Geldriæ & comitatu Friſiæ inveſtiret, atque ornaret; non vero uſurparet cæſar, vivo Carolo aut ejus legitimis heredibus titulum ducis Geldriæ ac comitis Zutphaniæ. Poſt Caroli mortem Geldri ſe Cliviæ duci addicebant; ſed eum ducatu, cogente Carolo V. deceſſiſſe, jam dictum eſt. PONTANVS *hiſtor. Geldr. lib.* 10. *p.* 580. *ſeqq. p.* 595. *ſeqq.* 782. *lib.* 12. 13. Maximam nunc ejus partem habent Hollandi, atque ea complectitur Veloviam, Betaviam & comitatum Zutphanienſem. Superior autem Geldria per pacem, Trajecti ad Rhenum concluſam, ad Boruſſiæ regem ſpectat. Vid. pacis illius art. 9.

(c) *Tranſiſalania*) *C. A. M.* Fuit exigua ditio, olim tantum portio epiſcopatus Trajectinenſis, ſed per transactionem ceſſit domui Burgundicæ. GöBEL. Tranſiſalanam Henricus comes Palatinus & Trajectenſis epiſcopus Carolo V. ceſſit. Conſtituunt autem hanc provinciam Sallandia, Taventia & Drentia.

(d) *Groningenſis*) *C. A. M.* Provincia fuit libera, ſed urbs ipſa Gröninga prætendit dominatum. GöBEL. Carolus V. a Georgio Saxoniæ duce jus ſuum in Friſiam 150000. redemit.

(e) *Quod tamen fortaſſis mirere*) *C. A. M.* Nulla urbs in univerſa Hollandia habet *jus cudendi monetam*, nec in Zelandia, nec in Geldria, niſi tres in Tranſiſulana, *Campena, Dawentria & Zwolla.*

(f) *Caterum in univerſum*) *C. A. M.* Cum per annos 40. &

diximus obtentu, venditare certum eſt. Ab Hiſpano ipſomet confeſſionem remiſſi omnis juris, quod in provincias illas quondam habuit, tandem impetratam eſſe, notum jam itidem in vulgus eſt. Nec enim eſt, cur amplius attendantur tabulæ illæ ambiguæ pactarum induciarum, quæ ſeculi hujus anno nono in duodecim annos fuerunt initæ: poſteaquam nuper adeo Monaſterii Weſtphalorum claris & perſpicuis verbis id pactis æternæ pacis pronunciatum eſt. Promiſit porro Rex Hiſpanus in iiſdem chartis capitulo quinquageſimo tertio, ſeſe daturum operam, ut tam cæſar quam ordines imperii declarent, amicitiam & bonam vicinitatem cum provinciis illis fœderatis ſeſe obſervaturos. Eſt autem talis profeſſio ſimul tacita fortaſſis quædam omnium ſuperioritatis jurium renunciatio. More ſane gentium receptum eſt, vicinitatem & amicitiam colere non niſi cum eo, in quem nihil tibi ſuperioris juris eſt. Et vero cæſar noſter declarationem ejusmodi ipſo anno conſtitutæ pacis edidit. Factum fortaſſis idem jam eſt ab *imperii ordinibus:* (a) nec tamen certo affirmaverim. Si ſane & ordines in id conſenſerint, jam fortaſſe ſeptem illæ nobiliſſimæ provinciæ finibus imperii ſubductæ ſunt, nec eſt cur amplius diſputemus, jure an injuria ab imperii obſequio illæ deſciverint.

46. Tantum obſignabimus igitur hanc disquiſitionem literis Auguſtiſſimi cæſaris noſtri, quæ ad omnem poſteritatem ſane ſunt memorabiles. Sunt autem hæ: *Ferdinandus Tertius, divina favente clementia Electus Romanorum imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ &c. rex; Archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ; marchio Moraviæ; dux Luxemburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, VVirtembergæ, & Teckæ; princeps Sueviæ; comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiæ; landgravius Alſatiæ, marchio ſacri Romani imperii, Burgoviæ ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ; dominus marchiæ Schlavonicæ, Portus Maonis & Salinarum. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis; Quod, cum Nobis ex parte ſereniſſimi Hiſpaniarum regis catholici & conſobrini, generi & fratris Noſtri chariſſimi, demiſſe fuerit expoſitum, in pace nuper inter ſerenitatem ſuam ex una, atque ſtatus & ordines generales fœderatarum Belgii provinciarum ex altera parte, Deo bene juvante, concluſa ac publicata, inter alia contineri articulum, ordine quinquageſimum tertium, hujus, qui ſequitur, ex gallico in latinum tranſlati tenoris:*

47. „*Dictus dominus rex obligat ſe effective ad procurationem continuationis & obſervationis neutralitatis, amicitiæ & bonæ vicinitatis ex parte ſuæ cæſareæ majeſtatis & imperii, cum dictis dominis ordinibus: ad quam continuationem & obſervationem prædicti domini ordines reciproce pariter ſe obligant. Sequaturque ſuper eo confirmatio ſuæ cæſareæ majeſtatis intra ſpacium duorum menſium, ex parte vero imperii intra annum a concluſione & ratificatione præſentis tractatus.*

48. *Ac proinde ſupplicatum, ut Nos pro noſtra parte dictum articulum clementer approbare, ratum habere atque confirmare dignaremur. Nos re mature ac diligenter deliberata, pro ſingulari ac propenſiſſimo noſtro in pacem quaqua verſum promovendam ac propagandam ſtudio, in ejusmodi petitionem clementer annuerimus, dictumque articulum ejusque contenta, quatenus ea ad Nos pertinent, pro Noſtra parte approbaverimus, ratificaverimus & confirmaverimus, prout hiſce ex certa ſcientia, authoritate noſtra imperiali approbamus, ratificamus & confirmamus. Eadem authoritate & ſcientia volentes, declarantes & ſtatuentes, quod non modo Nos contra eundem articulum ejusque contenta, quatenus ea ad Nos pertinent, directe vel indirecte nihil committere, ſed nec ab aliis fieri vel committere velimus. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigilli Noſtri cæſarei appenſione communiri fecimus; quæ dabantur in arce Noſtra Linzii, ſexta Julii, anno domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo; Regnorum Noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici vigeſimo tertio, Bohemici vero vigeſimo primo.*

Ferdinandus.

Ferdinandus Comes Curtius.

Ut

Ad mandatum ſacræ cæſ. majeſtatis proprium, ſignatum erat

J. Walderode.

Hactenus literæ cæſareæ: quas per Antonium Brynium, legatum Hiſpanicum ordinarium, Hagæ Hollandorum, concilio ordinum generalium fœderatarum provinciarum, anno ſequente, poſt quadrageſimum nono die XXII. Octobris oblatas eſſe, in libro concilii illius actorum publico annotatum eſt.

CAPVT

amplius graviſſimis bellis pugnatum inter Hiſpanum & ſubditos, tandem regem pœnituit belli. Exhauſtus vero ita erat, ut fuerit coactus, cum VII. provinciis inducias duodecennales inire, anno hujus ſec. IX. Provinciæ autem illas noluerunt inire, niſi profiteretur, ſeſe cum iis provinciis tanquam liberis inducias paciſci. Hoc etiam fecit, ſed verbis ambiguis. Verum nunc cum illis ita pepegit, ut illas agnoſcat revera liberas eſſe, remiſſo omni prætextu juris. GöBEL. Induciarum duodecennalium, quæ anno 1609. cœperunt, tabulas refert MEIERVS *in Londorpio ſuppleto & continuato tom. 1. lib.* 2. *p. 3.* ipſam autem pacis pactionem Weſtphalicam, præter AIZMAM, LONDORP. *act. publ. tom. VI. lib. 3. c. 218.* LVNIG. *arch. imperii part. ſpecial. contin. I. tom. 3. ſect. 1. p. 179.*

(a) *Imperii ordinibus*) GöBEL. Publicum quidem diploma aut conventionis tabulæ, quibus imperii ordines juri in unitum Belgium imperii ſupremo renunciarunt, non exſtant: actus tamen non deſunt, quibus animum ſuum declaraſſe videntur; admittuntur enim uniti Belgii, ut talis, legati non ſolum in imperatoris aula, ſed & in imperii comitiis, ut aliorum principum nullo imperio vinculo obnoxiorum legati, & cum eo hactenus, ut terris plane liberis, actum eſt.

Caput XXIX.

Bohemiæ regnum cum Sileſia, Moravia & Luſatia, finibus imperii bodieque includi: Poloniam vero, Maſoviam, Pruſſiam & Livoniam videri illis excidiſſe.

1.

Tres in partes inter filios totidem Ludovici pii omne, quod tunc erat, Francorum imperium diviſum, & præter eam, quæ Ludovico ceſſit, illam etiam, quæ Lotharii fuerat, in ditionem imperii Germanici tranſiiſſe, pene ſub initium operis diximus. Proxime nunc Italici, Burgundici, & Lotharingici regni, ſimulque proprie ita dicti Romani imperii Francorum, ſive ejus, quæ Lothario quondam obtigit, partis limites, quales illi a temporibus Friderici II. cæſaris usque huc ſeſe habuerint, perluſtravimus. Conſequens igitur eſt, ut tandem aliquando in Ludovici patrimonium, atque adeo Germanicum, ſive (ut olim fuit appellatum) Orientale Francorum regnum reverſi, in hujus quoque fines, ab eadem Friderici cæſaris ætate repetito negotio, inquiramus. Audivimus vero jam tum, Germanorum induſtria, cum ante Fridericum tum circa illius ætatem, ut & paulo poſt, regno huic multa adjecta, & vim ejus longe lateque porrectam, ea tamen fortuna, ut Dania & Hungaria jam ante Fridericum ſuo ſint juri redditæ, in ſolam Poloniam nonnihilo noviter partæ auctoritatis adhuc ſuperſtite. Commode ergo partiri ita diſputatio poterit, ut ante omnia quidem ea, quæ jam olim a Francis poſſeſſa, inde ea, quæ ante Friderici ævum, & denique ea, quæ illius ævo aut paulo poſt in ditionem imperii ſunt redacta, quibus finibus contineantur, inveſtigemus.

2. Ut de iis, quæ primi ſunt ordinis, multum agamus, neceſſum non eſt. Si enim excipias, de quibus modo verba fecimus, Belgico-Germanicas fœderatas, & quæ cis Urſam & Rhenum amnes ſunt Helvetici & Rhætici fœderis, provincias, citra controverſiam pene omnia & legibus & oneribus iisdem publicis obnoxia ſunt, unumque reipublicæ ac civitatis corpus propius conſtituunt. Nam & illa, quæ nuperrime regno Sueciæ æterno pacto aſſerta ſunt, intra limites tamen imperii & illius, quod dixi, communis corporis permanſere: quod cum ex tabulis pacis initæ, tum aliunde omnibus hodie eſt notiſſimum. Unum BOHEMIÆ regnum cum annexa ſibi Sileſia, Moravia & Luſatia, quoniam ab oneribus reliquæ Germaniæ ferendis eſt ſolutum, & præ aliis magis ſuæ ſpontis, nonnihil heic turbat: quibusdam Bohemorum auſis plenam & ab imperio non dependentem regno illi libertatem adſcribere. Itaque de uno illo paucis diſputandum fuerit.

3. At vero Bohemorum *illa tempora*, (a) quæ Fridericum II. cæſarem anteceſſerunt, non eſt, quod nos multum morentur. Usque enim adeo certum pariter notumque eſt, ſaltim ad illam ætatem, a Carolo magno usque, Bohemiam omnem tributariam fuiſſe imperio, & principes illorum imperatori Germanico fuiſſe obnoxios, ut id probare ſupervacuum ſupra duxerimus. Tantum igitur ſatis eſt, breviter nunc ex monumentis antiquis quædam in memoriam quaſi revocare, quo major lux affulgeat iis, quæ poſt Fridericum II. contigere. *Primum* itaque *Caroli magni* (b) auſpiciis ſeculo nono a filio ejus Carolo devicti ſunt usque adeo Bohemi, ut annuum tributum pendere more aliorum Slavorum coacti ſint. Et vero id præſtiterunt *florente* (c) familiæ illus Carolinæ potentia. Illa deficiente & tandem emortua, denuo ſub idem jugum redacti ab *Henrico Aucupe & filio ejus Ottone magno*: (d) nec onere hoc ſoluti ſunt niſi per Fridericum II. cæſarem ſeculo tertio decimo: quo de paulo poſt. Huc ſane pertinet, quod Brzetislaus I. anno 1042. cum conſiliariis ſuis & primatibus Bohemicis, provinciam illam totam *imperatorium fiſcum* (e) eſſe confeſſus eſt. *Secundo*, Bohemorum duces

(a) *Illa tempora*) C. A. M. Illa terra, quæ hodie dicitur regnum Bohemiæ, olim inhabitata eſt a gente gallica Bojorum. Hi fuere enim populi Galliæ, ab iisque primum nata appellatio Bojohemorum. Hoc nomine etiam ſemper ſcribitur in antiquiſſimis ſcriptoribus Romanis, etſi Boji expulſi. Hos vero expulit gens Germana, *Marcomanni* dicti, tempore Auguſti. Hi videntur vixiſſe in Weſtphalia & hodie in comitatu Marcæ. Hæc gens, cum videret, ibi imminere bellum a Romanis, profecta eſt in Bojohemum duce Marobaudo. Etſi ibi habitaverit gens Germana, tamen manſit nomen Bojohemi. Marcomannis vicini fuere *Quadi*, itidem gens Germanica. Marcomanni an ſponte reliquerint iſtas terras, an pulſi ab aliis, hoc certo non conſtat. Videtur, illas ſponte reliquiſſe & commigraſſe trans Danubium in Noricum & Pannoniam, & ſic videntur eſſe Bajoarii. Nam tandem nomen amiſerunt, & quaſi ſucceſſores Bojorum facti, unde & nomen manſit. Ceterum in vacuas illas ſedes gens Slavica profecta *Zeccho* duce, uti in viciniam gens Polonorum *Leccho* duce migravit, quod factum videtur ſeculo poſt C.N. VI. tempore Juſtiniani. Illis novis incolis idem accidit, quod Marcomannis. Slavi enim tunc etiam dicti Bojohemi, qui ſcilicet antiquam ſedem Bojorum occupaſſent. Ab ætate igitur Juſtiniani ultra 1000. annos illam terram Slavi incoluerunt. Hiſtorias Bojohemorum quam optime ſunt perſecuti ÆNEAS SYLVIVS, DVBRAVIVS. & COSMAS PRAGENSIS. GöBEL. Pulſis Bojis Moravi Bohemiam occuparunt. Hi a Romanis ſubacti ſunt. Migrantium autem ſedes a Slavis aut Venedis ſunt occupatæ. COCCEJVS *in juris publici prudentia c. 3. ſect. 4.* Vid. plura apud GOLDASTVM *de regno Bohem.* & LAZIVM *de migrationibus gentium.*

(b) *Caroli M.*) GöBEL. EGINHARDVS *in vita Caroli* §. 54. ANNALES ADELMI *ad ann.* 792. HELMOLDVS *in chron. Slavorum lib. I. c. 3.* AVTOR *magn. chron. Belgici p. 41.* DVBRAVIVS *lib. 3.* GOLDASTVS *de regno Bohem. ex edit. dn.* SCHMINCK. *p. 146. ſeqq.*

(c) *Florente*) GöBEL. REGINO *ad ann.* 500. DVBRAVIVS *lib. 4.* GOLDASTVS *p. 154. ſeqq.*

(d) *Henrico Aucupe & filio ejus Ottone M.*) GöBEL. Et Conrado Bohemi paruerunt. GOLDAST. *p.* 155. de Henrico Aucupe videatur AVTOR *vita Mathildis c. 2.* *p.* 139. WIDEKINDVS *lib. 1. p.* 939. CONTINVATOR REGINONIS, HERMANNVS CONTRACTVS, *ad ann.* 930. GOLDASTVS *l. c. c. III.* Otto primus adverſus Bohemicos Slavos res non ſemper ſatis proſpere geſſit. DITMARVS *lib. 3. p.* 343. Interim docent, ſub hoc imperatore Bohemiam Germaniæ incorporatam eſſe. GOLDASTVS *p. 163. ſeqq.*

(e) *Imperatorium fiſcum*) GöBEL. Otto quoque II. Otto III. Henricus II. & Conradus II. in Bohemos, nova affectantes, expeditiones ſuſceperunt, GOLDASTVS *c. III. p. 170. ſeqq. c. 4. p. 173. ſeqq.* Henricus III. autem tributi legem introduxit aut potius renovavit. OTTO FRISINGENS. *lib. 6. chron. c. 33.* LAMBERTVS SCHAFNABVRG. *ad ann.* 1041. De imperatoribus,

duces ad cæſarum juſſa non minus atque alii principes imperii arma expediverunt, aut commeatu juverunt imperii exercitus. Poſterius enim factum jam eſt *Carolo magno* (a) cæſare. Militaverunt vero cum alii, tum in primis *Sobieslaus* (b) Conrado in Saxonia, Vladislaus & alter Sobieslaus Friderico I. in Inſubria, Brzedislaus Henrico VI. in Luſatia, Wenceslaus II. denique Friderico II. cæſaribus. *Tertio*, iidem duces Germanicos cæſares dominorum titulo ſemper *honoraverunt:* (c) idque diſertim memoratur de Boleslao Sævo, utroque Brzetislao, & Friderico, poſtquam ad officium redierunt domiti a cæſaribus. *Quarto*, vocati iidem duces *ad curiam cæſaream* (d) comparuerunt, cauſſas ſuas dicturi. Sic Ludovico pio adſuit Francofurti cum muneribus Neclanus, Ratisbonæ Henrico Aucupi Wenceslaus, quem ſanctum cognominant, Iaromirus & Uldricus Henrico II. Sobieslaus I. Bambergæ Lothario Saxoni, Vladislaus Roncaliis Friderico I. Eidem Norimbergæ Fridericus, Przemislus Philippo Moguntiæ, & Friderico II. Baſileæ Wenceslaus II. *Quinto*, multi ducum, invitis etiam & reluctantibus Bohemis, a cæſaribus dati ſunt, donec populo eligendi facultas per *Philippum reddita*, (e) ſed confirmandi inveſtiendique auctoritate cæſaribus ſuperſtite. Ita enim *Uldricus I. ab Henrico II.* (f) *Borzwogus II.* (g) Vldricus II. & Vladislaus ab Henrico V. cæſare, Vladislaus poſtea rex *a Conrado*, (a)

Henricum hunc excipientibus, alienatosque Bohemos in ordinem redigentibus, vide GOLDASTVM *c. 5. 6. 7.* Ceterum Bohemiam Germaniæ tributariam fuiſſe, ex iis, quæ GOLDASTVS *de regno Bohemiæ lib. 2. c. 11. 12. 17. 18.* habet, pateſcit.

(a) *Carolo M.*) GÖBEL. Hujus expeditioni Romanæ Wenceslaus rex Bohemiæ & Leopoldus dux Moravienſis interfuiſſe dicuntur.

(b) *Sobieslaus*) GÖBEL. Henrico I. adverſus Hunnos & Slavos Bohemorum duces adfuiſſe, RIXNERVS tradit: Sed notum eſt, quam tenuis imo nulla libelli Rixneriani ſit fides. Neque enim hiſtoria Bohemica illius temporis tres novit Bohemiæ duces, Wenceslaum, Wratislaum, & Wectislaum. Ottoni I. in expeditionibus adverſus Hungaros *Brezetislaus* ſuppetias tuliſſe dicitur. GOLDASTVS *c. 14. p.* 293. SCHMINCKIVS *in notis ad Goldaſtum* citat *hic chronic. Colonienſe* & BECHERERI *chronic. Thuringiæ*: Sed Ottonis I. tempore nullus Bohemorum dux, cui Brezetislai nomen fuit, extitit; niſi dixeris, per eum *Boleslaum Sævum* intelligi, qui poſt duodecennale bellum cum Ottone in gratiam rediit. Ottonis III. Slavos debellantis caſtra Meſico & Boleslaus ſecuti ſunt. *Vita S. Adalberti*, quam citat GOLDASTVS. Henricus II. Boleslaum in expeditione Polonica comitem habuit. DITTMARVS *lib. 4.* Henrico III. Udalricus in bello Polonico & filius ejus Bretislaus in bello Hungarico opem tulerunt. HERMANNVS CONTRACTVS *ad annum* 1051. DVBRAVIVS *lib. 7. hiſtor. Bohem.* Uratislaus Henrico IV. Saxonibus bellum inferenti lectiſſimas adduxit copias. GOLDASTVS *p.* 296. & celeberr. SCHMINCKIVS ad eum, qui alios citat autores. Si Aventino fides habenda, eidem cæſari idem Bohem. dux adverſus Rudolphum anticæſarem præſto fuit. Henrici V. bello patrem, Hungaros & Saxones Lothario addictos proſequentis caſtra Bohemiæ ducem milite inſigniter auxiſſe, docent HAGECIVS, COSMAS PRAGENSIS *p.* 64. Vide GOLDASTVM *p.* 296. Lotharius Sobieslai ducis nactus eſt auxilia. GOLDASTVS *p.* 297. Hic eſt Sobieslaus, cujus autor noſter meminit. Adfuit etiam Conrado III. in bello adverſus Saxones. ALBERTVS STAD. & HAGECIVS *ad annum* 1139. Uladislaus, Sobieslaus II. & Fridericus imperatori Friderico I. in Polonica, Longobardica & Suevica expeditionibus non vulgarem præſtitere operam. GOLDASTVS *p.* 297. *ſeqq.* & ad eum SCHMINCK, qui antiquos citat autores. Henrici VI. res bellicas Conradus II. & Henricus ejus ſucceſſor notabiliter adjuverunt. HAGECIVS *in chron. Bohemiæ anno* 1194. *BOREGK in chron. Bohemiæ part. I. fol.* 155. Primislaus Ottocarus Philippo adverſus Ottonem Brunſuicenſem bellum gerenti imperatum militem adduxit, ab eo autem deinde ad Ottonem defecit. GODEFRIDVS monachus *Pantalionis in annalibus ad ann.* 1198. Hunc Primislai Ottocari copiæ ſub Marchionis Moraviæ ductu in expeditione Romana ſequebantur. DVBRAVIVS *lib. 4.* Derelicto deinde Ottone Primislaus ſe Friderico II. adjunxit eique auxilia ſubminiſtravit. HAGECIVS *in chron. Bohemiæ ad annum.* 1212. Militarunt porro ducis illius copiæ in Friderici II. caſtris, expeditionem in terram ſacram molientis. MVTIVS *in chron. lib.* 20. Wenceslaus Bohemiæ rex cæſaris juſſu Friderico Auſtriaco immorigero infeſta intulit ſigna. GODEFRIDVS COLON. *ad ann.* 1236. STERO *in chron. Auguſt. ad ann.* 1279. Joannes Bohemiæ rex, patre in Italia bellum gerente, militem contraxit, ut cum in ſupplementum imperatorii exercitus in Italiam contenderet. HAGECIVS *in chron. Bohemiæ ad ann.* 1313. Idem Joannes Ludovici Bavari id præcipientis caſtris, Friderico Auſtriaco oppoſitis, cum inſigni militum manu acceſſit. HENRICVS REBSTORF *in annal. ad ann.* 1322. Quid Friderici III. & Caroli V. tempore circa Bohemorum copias imperii militi jungendas actum ſit, tradit GOLDASTVS *de regno Bohemiæ lib. 2. c. 14. p.* 300. Adde Dn. PFEFFINGER *J. D. tom. 3. p.* 563. *ſeqq.* Neque enim dici poterit, quod Bohemiæ duces cæſaribus ex pacto ſocia adjunxerint arma; nam citra omne ſpeciale pactum ad nutum monentis fuerunt parati.

(c) *Honoraverunt*) GÖBEL. GOLDAST. *lib. II. c.* 18.

(d) *Ad curiam cæſaream*) GÖBEL. PFEFFING. *tom. 3. p.* 865. GOLDAST. *lib. 4. c. 3.* DVBRAVIVS *lib. 13. 14.* COSMAS PRAGENSIS p. 41. Reperitur hic privilegium, quod ab Henrico IV. Pragenſi præſuli in ſynodo Moguntina, anno 1056. datum eſt. GOLDASTVS *p.* 32. *ſeqq.* ÆNEAS SYLVIVS *hiſtor. Bohem. c.* 22. Sed hæc dignitas tantum perſonalis fuiſſe videtur. ÆNEAS SYLV. *cap.* 24.

(e) *Philippum reddita*) GÖBEL. Vid. *Chron.* quod actis Bohemiæ eſt inſertum. De electione regum Bohemiæ & ordine ſuccedendi, quem Carolus IV. in Bohemia introduxit, vide GOLDAST. *lib. 6. c.* 20. 21. Adde tamen JVSTI ASTERII *deplorat. pacis German. p.* 54. *ſeqq.* & HENEL. *in Sileſiograph. part. II. c. 9.* §. 43.

(f) *Ulricus I. ab Henrico II.*) GÖBEL. Hic Bohemis, ejecto Boleslao Poloniæ rege, quem Henrico invito antea ſibi caput conſtituerant, facultatem dedit, principatum Jaramiro conferendi, DITTMARVS *lib. 6. p.* 379. Verum hic Othelrico fratri, a quo ſolio deturbatus eſt, Henrico, ad quem ſe receperat, eum in captivitatem dante, regnum cedere coactus fuit: Sed non invenio, quod Othelricus Bohemis invitis ab Henrico rex datus ſit. DITMARVS *lib. 6. p.* 391.

(g) *Borzwogus*) GÖBEL. Hic a COSMA PRAGENSI Borivoy vocatur, cui cæſar Bohemiæ ducatum dedit: Sed idem Cosmas p. 54. commemorat, Odalricum imperatorem in urbe Ratisbona adiiſſe, & eum per amicos ſollicitaſſe precibus, quo ſibi reſtituat injuſte præreptum a fratre ſuo Juniore Borivoy Boemiæ ducatum. *A quo cæſar*, ſunt verba Cosmæ, *accepta pecunia dat ſibi ducatus inſignia & vexillum, ſed in ducem eligendi obtentum ponit in arbitrio Bohemorum.* Sed hæc ad Henricum II. ſpectant. De Henrico V. vero idem autor tradit, eum ad ſe Zuatoplucum, qui Borivoyum Bohemia privaverat, vocaſſe, & cum ſe ſiſterat, in captivitatem compegiſſe, qui autem Zuatoplucum comitati ſunt, a cæſare Borivoyum in ducalem reducere ſedem jubentur. Hoc invitis quodammodo Bohemis factum eſſe videtur. Etenim, cum Zuatoplucus ingentis ſummæ promiſſo ſe ex carcere liberaſſet, haud difficulter æmulum ducatu iterum diſcedere coëgit, Bohemiæque, Henrico permittente, quem filio recens nato compatrem elegerat, præfuit. DVBRAVIVS *hiſtor. Bohem. lib. 10. p.* 75. Hic haud dubie eſt, quem autor noſter ULDRICVM II. vocat. Wladislaus autem ejus ſucceſſor principatum omnibus aſſentientibus obti-

rado, (a) *Sobieslaus II. & Fridericus* (b) a Friderico Barbaroſſa, Henricus Brzetislaus *ab Henrico VI.* (c) Wenceslaus I. *a Friderico II.* (d) creati ſunt. *Sexto*, ipſum regium nomen ſolo Germanicorum cæſarum beneficio Bohemis obtigit, & quidem ita, ut primum perſonalis duntaxat illa dignitas fuerit, a cæſarum nutu dependens, donec eam perpetuam fecit cæſar Philippus anno MCXCIX. Nec vero antehac nomen illud impetravere, niſi ab Henrico I. (ſi fas eſt credere) Wenceslaus ſanctus, ab Henrico IV. Wratislaus juſtus, a Friderico I. Wladislaus. Quæ omnia non tantum Germanicorum, ſed & Bohemicorum ſcriptorum veterum teſtimoniis probare in facili eſt, & jam tum cum ab aliis tum a Goldaſto præclare oſtenſum. Sole autem clarius utique exhibent hæc *imperii in Bohemiam*, (e) ſaltim ad Fridericum usque II. perpetua jura.

4. Bohemiæ vero fortunam *MORAVIA* (f) haud dubie comitatur. Etenim Moravorum omne regnum jam a Carolo magno leges accepiſſe, & Arnolphi cæſaris juſſu proſcripto ultimo rege Zuentepolco, in partes diſcerptum a Polonis & Ungaris aliisque occupatum eſſe, jam tum ſupra narravimus. Quod hodie quoque nomine illo audit, non niſi illud eſt, quod Polonis tum occupatoribus ceſſit. Id vero ſeculo undecimo Uldricus & Brzetislaus duces, faventibus cæſaribus, ereptum Polonis Bohemiæ vindicaverunt, atque ita Moravia iſta Bohemorum quaſi provincia facta fuit. Quo de ne dubitemus; effecit conſenſus Bohemicorum pariter & Polonicorum ſcriptorum.

5. *LVSATIAM* (g) itidem omnem a Carolo magno ſubactam eſſe, jam tum diximus. Illius ea pars, quam inferiorem appellitant, quum in Germanici ſanguinis principum dudum fuiſſet poteſtate ex cæſarum beneficio, anno 1075. cæſaris Henrici IV. dono, in præmium navatæ variis bellis operæ, Wratislao Bohemorum tum regi & Bohemis in perpetuum jus eſt tradita: atque adeo nec ipſa imperii finibus excidit. Quinimo cum ab aliis aliquandiu fuiſſet occupata, Ludovici IV. cæſaris beneficio Joanni regi eſt reddita. Superior, ſive Hexapolis, Bohemici juris fuit usque ad annum ſeculi decimi ſexageſimum quintum, quando in dotem Miſeconi Polono ceſſit. Ab iis ad Brandeburgicos marchiones devenit, & Joanne demum rege, itidem Ludovici IV. cæſaris auctoritate, ſeculo quarto decimo rediit in Bohemicum corpus. Haut dubie itaque & Luſatia ſaltim ad Fridericum II. cæſarem, ab ævo usque Caroli magni finibus imperii fuit comprehenſa.

6. Igitur ſi Bohemia una cum Moravia & Luſatia deſiit eſſe in ditione imperii, id factum fuerit oportet a ſeculo usque tertio decimo. Et vero una cum titulo illo perpetuo regio integram libertatem Bohemiæ redditam, ſunt qui affirment. Verum enim vero tametſi ſolito *majorem dignitatem* (h) Bohemiæ reges acceperint a Philippo & Friderico cæſaribus, tamen vel ipſæ illæ tabulæ Friderici II. cæſaris anno MCCXII. exaratæ ſatis roborant imperii jura. Diſerte ſiquidem in illis eſt cautum: *Quicunque ab ipſis* (Bohemis ſcilicet) *in regem electus fuerit, ad imperatorem accedat, REGALIA DEBITO*

---

nuit, & imperator in Bohemiam contendens, ut lites, quæ de ducatu inter Wladislaum, Borivoyum & Wigeberti filium erant, decideret, his in captivitatem datis pro Wladislao pronunciavit. COSMAS *p.* 62. Sed Wladislaus aliquo temporis ſpacio præterlapſo Borivoyum fratrem ex exilio revocavit, eique regnum reſtituit, qui autem non niſi dimidiam ducatus recipere voluit partem. *l. c. p.* 66.

(a) *A Conrado*) GöBEL. Sermo hic eſt de Uladislao II. Nam primus anno 1128. jam tum mortuus fuit, cumque Sobieslaus primus excepit. Quod autem in chronico, parti primæ actorum Bohemicorum inſerto, reperitur, huic a Friderico ob navatam in bello Mediolanenſi operam, anno 1141. regium eſſe impoſitum diadema, a veritate abhorret. Nam Conradus III. anno 1152. adhuc ſuperſtes fuit, & Mediolanum ante anno 1162. (1163.) non eſt exciſum. DVBRAV. *p.* 102.

(b) *Sobieslaus II. & Fridericus*) GöBEL. DVBRAVIVS *lib.* 11. Dederat Fridericus I. Uladislao duci Bohemiæ anno MCLIX. privilegium, ut in illis diebus, quibus imperator coronam & diadema portaret, ipſi circum capiti circumponere licitum eſſet. Dies autem illi erant feſtum nativitatis Domini, paſchatos, pentecoſtes, S. Wenceslai, & S. Alberti. *Appendix documentorum ad Goldaſtum p.* 33. *Beylagen p.* 173. ubi Germanica verſio reperitur, quæ multis ſcatet ſphalmatibus. Deinde ab eodem cæſare Wenceslaus rex eſt creatus. RADEVICVS *de geſtis Friderici lib.* 1. *c.* 13. Cumque hic imperator primus ipſi regno hanc attribuerit dignitatem, eorum ſententiæ, quæ eum regiæ dignitatis in Bohemia autorem faciunt, defendi poteſt. Conf. SCHMINCKIVS *ad* GOLDAST. *lib.* 3. *c.* 10. *p.* 432.

(c) *Ab Henrico VI.*) GöBEL. De hoc, quod Bohemos habuerit obſequioſos & paratos, quum res poſtularet, aut tempus exigeret, GOLDAST. *l. c. p.* 201. tradit. Ceterum Philippus ejus frater & ſucceſſor in imperio Primislaum Ottocarum, quod Ottonis Brunſuicenſis ſecutus partes, proſcripſit regnoque excidiſſe pronunciat & Theobaldum, ex Magdeburgenſi Gymnaſio evocatum, in ejus locum ſubſtituit: ſed hunc in ſpeciem tantum regem creatum eſſe, forte arbitreris. Poſtquam enim Ottocarus a Philippo inſignem paſſus cladem, ad obſequium rediit, in gratiam recepti filio Kunigunda (Catharina) imperatoris filia Egræ deſponſata eſt. GOLDAST. *lib.* 2. *c.* 6. *p.* 204.

(d) *A Friderico II.*) GöBEL. Vid. GOLDAST. *p.* 204. *ſeqq. & appendix docum. ad eum p.* 27. *ſeqq.* Germanica verſio Fridericiani diplomatis mendis admodum ſcatet.

(e) *Imperii in Bohemiam*) GöBEL. Quod Bohemia a Carolingorum usque temporibus in obſequio & clientela Germanorum fuerit, alia adhuc affert argumenta celeberrimus PFEFFINGER *p.* 564. Hic autor etiam *l. c. p.* 866. ad eorum, qui Bohemiam ad Germanicas provincias non ſpectare contendunt, rationes reſpondet.

(f) *MORAVIA*) GöBEL. Vid. GOLDAST. *de regno Bohemiæ lib.* 1. *c.* 11. *lib.* 2. *c.* 9. 10. *LVNIG. archiv. imperii part. ſpecial. contin.* 1. *tom.* 1. *ſect.* 2. *p.* 248. ſeqq. 258. 260.

(g) *LVSATIAM*) Fuit itidem portio Slaviæ. Sunt autem dicti Luſatiæ olim populi Luſizi & fuerunt Slavi. Hanc terram duces Saxoniæ jam olim, & quidem tempore Henrici aucupis & Ottonis M. occuparunt, & ſub jugum miſerunt, condito ibi marchionatu, uti & omnes terræ Slavorum appellatæ ſunt marchionatus nomine. GöBEL. *GOLDAST. de regno Bohem. lib.* 1. *c.* 16. *appendix document. ad eum p.* 83. *GOLDAST. lib.* 2. *c.* 10. *lib.* 3. *c.* 16. Adde *Scriptor. du. HOFFMANNI collect. & GROSSERI Lauſnitſche Geſchichte mitlerer Zeiten. LVNIG. arch. imperii part. ſpec. contin.* 2. *ſeqq. p.* 97. *ſeqq.* ubi diplomata, quæ de translatione hujus marchionatus ad domum Saxonicam ſpectant, habentur.

(h) *Majorem dignitatem*) GöBEL. De prærogativis regis Bohemiæ. Vide SWEDERI *J. P. parte ſpeciali ſect.* 2. *c.* 5. VITRIAR. *J. P. lib.* 3. *tit.* 12. *§.* 7. & ad eum PFEFFINGER *tom.* 3. *p.* 855. *ſeqq.* STRAVCH. *differt. exotic. II.* Referunt huc, quod Bohemica vexilla in actu inveſtituræ non lacerata & inconfertam circumſtantium multitudinem abjecta, ut in aliorum principum inveſtituris factum: ſed Bohemiæ regi integra reddita fuerint. GOLDASTVS *lib.* 3. *c.* 14. *p.* 508.

DEBITO MODO RECEPTVRVS. Quotieſcunque etiam comitia imperii fuerint inſtituta *Bambergæ*, (a) Norimbergæ, & Mersburgi, reges teneri in curia comparere, ſi vocentur: trecentos itidem cataphractos ſubmitti a regibus debere, Romam coronæ cæſareæ cauſſa profecturis electis imperatoribus. Quicquid præterea ipſis immunitatum a Friderico eſt datum, privilegii tantummodo illis concedi, proditur: quod ipſum a pleno jure multum eſt diverſum. Jam vero notum eſt nec negare poſſunt Bohemici, ab ipſo illo *Friderico cæſare* (b) anno MCCXXVI. Wenceslaum primum, Ottocarum ſecundum a *Richardo* (c) anno MCCLXII. iterum a *Rudolpho* (d) anno MCCLXXVI. Wenceslaum ſecundum anno MCCXCII. ab *Adolpho*, (e) Joannem *ab Henrico VII.* (f) patre anno MCCCX. Georgium anno MCCCCLIX. & Vladislaum anno MCCCCLXXVII. Ferdinandum I. a fratre Carolo V. anno MDXLI. Matthiam a Rudolpho II. fratre anno MDCIIX. Ferdinandum ſecundum anno MDCXVII. a Matthia cæſare, alios ab aliis, regalibus beneficiis inveſtitos eſſe. Hinc ipſo illo ſeculo tertio decimo & gloriati ſunt ipſimet reges titulo principum imperii, & a cæſaribus illo affecti. Refert Gewoldus l. de Septemviratu cap. 9. Tabulas Rudolphi I. cæſaris ſcriptas Erphordiæ anno MCCXC. quæ & alibi paſſim produci ſolent, de dignitate Pincernatus: ubi cæſar Wenceslaum regem appellat *principem & filium cariſſimum.* Ipſe Wenceslaus in aliis tabulis ab eodem Gewoldo ex autographo deſcriptis ſeſe nuncupat: *Sacri Romani imperii principem & Pincernam.* Quo pertinent & illa a Gewoldo annotata: *Principem imperii & Germaniæ ſtatum eſſe regem Bohemiæ, docent inter cætera imperatorum documenta, quæ in Bohemia concepta vice archiepiſcopi Moguntinenſis, archicancellarii Germaniæ, ſubſcripta & recognita fuerunt, & adhuc hodie recognoſcuntur & ſubſcribuntur a vicecancellariis aulæ cæſareæ.* Spectans huc & Carolus IV. cæſar, iis tabulis, quibus tabulas Friderici II. auctoritate cæſarea confirmavit, regnum Bohemiæ profeſſus eſt eſſe *nobilius S. R. imperii membrum.* Adhoc, dum & cæſar Carolus IV. & proceres Bohemiæ auctoritate imperii principum fecerunt anno MCCCXLVIII. tabulas Friderici II. confirmari: agnoverunt utique eo ipſo imperii in Bohemiam jura. At vero nonnulli cæſarum Friderici illas tabulas non habuerunt ratas, quantum videtur: ut nec ipſe Carolus videtur illas omni ex parte probaſſe. Et quidem cum Albertus tum Henricus VII. cæſar, extincta regia familia maſcula, in imperii recidiſſe poteſtatem regnum illud, nulla habita ratione electionis popularis, crediderunt, ſi monumentis fidendum eſt. Sane Crantzius l. 7. Wandal. cap. 46. notat, Wenceslao III. rege cæſo *perveniſſe regnum jure feudi ad Romanum imperium*, atque ita ab Alberto cæſare filium veluti *Romani regni feudatarium in regnum profectum eſſe.* Eandem rem deſcribens *Gerhardus de Roo* (g) hiſtor. Auſtr. l. 1. cap. 5. tradit: *Boiemiæ proceres extincta in Wenceslao regum familia virilis ſeminis, de novo creando rege conſilia Pragæ iniiſſe, diſſidentibusque in Rudolpho Alberti cæſaris filio & Henrico Carinthio procerum ſtudiis, Wenceslai filias Annam & Elizabetham in comitia veniſſe, ut ſui ratio haberetur oraſſe. Fuiſſe itaque Henricum Annæ maritum in regem electum. Cæſarem vero electionem, NON ACCEDENTE IMPERII AVCTORITATE FACTAM, nullius momenti eſſe docuiſſe.* Inſeruit Goldaſtus tomo II. operis, cui fecit titulum *Reichs-Satzung* pag. 29. hiſtoriam ſenatusconſulti procerum aliquot imperii coram Henrico VII. cæſare inſtituti, ubi cæſar ſcribitur in hæc locutus verba: *Das Kœnigreich Bohemen, welches erbloß worden, achten wirs dafür, daß es an den Rœmiſchen Kayſer gefallen ſey, und wir haben es Macht zu geben werhin es uns gefällig.* Proceres hanc pronunciant ſententiam: *Daß der Heinrich aus Kernten, welcher ihme das Kœnigreich Bœhmen, dem Heiligen Rœmiſchen Kayſerthum zuwider, ſelbſt muthwilliger Weiſe zugeeignet und noch beſitzt, durch dieſe That alle ſein Recht bey dieſem Kœnigreich ſampt ſeines Gemahels anfallen verlohren habe. Denn es iſt unbillich, daß derjenige, der ſich wider die Kayſerliche Rechte anſtehmet, ein Kœnig, noch der, ſo das Leben vom Kayſer nicht empfangen, ein Fürſt genennet werden ſoll. Derhalben wollen Eure Kayſerliche Majeſtat ihme das Kœnigreich Bœhmen ſamt dem Furſtenthum Kernten nehmen, und dieſelben anderweit verſehen.* Porro & Carolum IV. electionem populo Bohemiæ, tantum familia regia *omnino extincta*, (h) permiſiſſe clariſſimum eſt: ut proinde etiam ipſe crediderit, juris cæſarii eſſe, privilegium a Friderico conceſſum, cum imperio eſſet detrimentoſum, *nonnihil reſtringere.* (i)

7. Arguit præterea imperii in Bohemos auctoritatem hodieque ipſa illa dignitas *Pincernatus & electoralis*, (k) qua reges gaudent. Nec vero leve indicium eſt ſubjectionis, quod reges teneantur cæſari in comitiis imperatoriis in prandio aut cœna primum poculum miniſtrare: etſi ex privilegio

(a) *Bambergæ*) GöBEL. Vid. GOLDASTVM *de regno Bohemiæ lib. 5. c. 4. & 5. & appendicem document. p.* 29. ubi Fridericus II. primus habetur. Hodie ad plenum jus comitiorum aliaque, quæ ordinum & electorum imperii ſunt, rediit. FABRI *Staats-Cantzley part. 13. c. 9.* PFEFFINGER *tom. 1. p.* 1030. Adde HERTII & LVDWIGII *differt.* quas SCHMINCKIVS Goldaſti de Bohemia libro adjunxit.

(b) *Friderico cæſare*) GöBEL. Vide LVNIGIVM *archiv. imperii parte ſpeciali continuat. 1. tom. 1. p. 1. ſeqq.*

(c) *A Richardo*) LVNIG. l. c. p. 6.

(d) *Rudolpho*) *l. c. p.* 10.

(e) *Adolpho*) *l. c. p.* 11. & 12. ubi varia Alberti I. diplomata huc ſpectantia leguntur.

(f) *Ab Henrico VII.*) GOLDASTVS *de regno Bohemiæ p.* 223. 629. ſeq.

(g) *Gerhardus de Roo*) *C. A. M.* Habetur omnium luculentiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Auſtriacæ.

(h) *Omnino extincta*) GöBEL. GOLDASTVS *lib. 6. c. 21. p.* 1185. ſeqq.

(i) *Nonnihil reſtringere*) GöBEL. Vid. *art. 7. §. 5. A. B.* In Friderici II. privilegio hæc leguntur: *Volentes ut, quicunque ab ipſis in regem electus fuerit, ad nos vel ſucceſſores noſtros accedat, regalia debito modo accepturus:* Attamen & hæredum hic mentio injicitur, quod videlicet & illis privilegia illa data ſint. Ab omni tempore regnum hæreditarium fuiſſe, GOLDASTVS *lib. 6.* probare allaborat. Videntur huic aſſerto aliqua, quodammodo, ut jam monui, obſtare, niſi ea ſecundum Goldaſti principia explicaveris. Vide omnino dn. de LVDWIG. *ad A. B. tom. 1. p. 758. ſeqq.* Idem jam hic, qui in cæteris quoque terris Auſtriacis ſtabilitus eſt, ordo ſuccedendi, primogenituræ adſtrictus, obtinet.

(k) *Pincernatus & electoratus*) GöBEL. LVNIG. *arch. imp. part. ſpec. contin. 1. tom. 1. ſect. 1. p.* 22. Pincernatum Bohemi a Bavaris acceperunt. De hoc argumento

legio *Alberti cæſaris* (a) aliorumque, nulla corona tecti præſtare idipſum illis ſit indultum. Quid? quod non deſint, qui etiam nunc judicio imperii reges teneri libere profiteantur? Goldaſtus ſane ita loquitur l. 4. de regno Bohem. cap. XIII. num. X. *Licet ſubditi ſint exempti, ipſe tamen rex Bohemiæ, quia eſt immediatus imperii princeps, recte riteque poteſt in camera conveniri,* (b) *in cauſis prima inſtantia ad judicium cameræ pertinentibus. Et hæc eſt communior interpretum opinio, exemplis & præjudiciis Saxonis, Brandenburgici, Auſtrii, Burgundi, Lotharingi, & Sabaudi firmata.* Idem Goldaſtus l. 2. cap. 16. operoſe nititur probare, teneri adhuc Bohemos ad onera *imperii ferenda.* (c) Nec me latet, in quam multis imperii comitiis acriter ea de re diſputatum eſſe, ab imperii ordinibus. Verum quoniam res illa eſt controverſi juris, nolo ego hinc in re liquida pro auctoritate imperii argumentum capere. Cum tamen forte extra dubium ſit, teneri reges hodieque in iter Romanum *comitari cæſares*, (d) ſubmiſſis *aliquot centum cataphractis*, (e) (etſi enim illo ſe onere ſolvi quondam voluerint, reges, minime tamen in id ab electoribus eſſe conſenſum, conſtat ex libro Hartmanni Mauri de coronatione Caroli V. cæſaris, & iis quæ recitat Goldaſtus tom. 2. *Reichs-Satz.* pag. 178.) poſſit hoc in ſignum ſubjectionis adferri certiſſimum. Cæterum imperii finibus Bohemiæ regnum includi, quum jam abunde oſtenderimus, ne huic quidem aut ſimili argumentationi immorabimur.

8. Quæ Bohemiæ, eadem & *SILESIÆ* (f) conditio eſt. Pars hæc quondam Poloniæ, eoque ad Fridericum II. cæſarem usque, prout univerſa Polonia, & ipſa ſine dubio in obſequio fuit imperii. Concidente vero cum Friderico imperii auctoritate, reverentiam exuit quidem Polonia pleraque, ut mox audiemus, Silesia tamen rediit intra imperii limites. Nec vero niſi auctoritate cæſarea & imperii ordinum conſenſu *Bohemiæ unita eſt.* (g) Quo de ne dubitemus (etſi alias apud hiſtoricorum vulgus, imo & apud alios doctiores, ceu liquet ex Nicolai Henelii *Sileſiographia cap. VII.* altum

latius agitur in LVDWIGII *comment. ad A. B. tom. 1. p. 37. tom. 2. p. 659.* & a nobis, ut par eſt, ad differtat. *de officialibus imperii* pertractabitur.

(a) *Alberti cæſaris*) GöBEL. Vide diploma apud LVNIG. *in arch. imperii part. ſpecial. contin. 1. tom. 1. p. 11.* LVDWIG. *ad A. B. part. 1. p.* 498. 499.

(b) *In camera conveniri*) GöBEL. BARTHII *cam. fol. 95.* BVXTORF. *ad A. B. concl. 88.* GOLDAST. *de A. B. lib. 4. c. 13.* VITRIARIVS *in J. P. lib. 3. tit. 12. §. 8.* & ad eum PFEFFINGER. *tom. 3. p.* 876. Aliter docet NEVMANNVS VON PVCHOLTZ *in annot. ad Schwederi J. P.* Sed an ipſius argumenta debitum habeant robur, dubium habet. Non enim video, quomodo Auſtriacæ domus privilegium ad regnum Bohemiæ, quod ab Auſtria ſemper diſtinctum manſit, extendi poſſit. Deinde obſervantia illa, ad quam provocat, admodum in ambiguo eſt. Nec readmiſſione Bohemica hic aliquid immutatum eſt. In communi enim concluſo de anno 1708. hoc negotium ſpectante nihil aliud dictum, quam trecentorum florenorum in camera ſuſtentationem a rege Bohemiæ præſtandorum ſummam, ejus fori privilegiis nocere non debere. Etenim, ajunt illi, qui contrariam defendunt ſententiam, nullum hactenus comparuit privilegium, quod regem Bohemiæ a cameræ jurisdictione eximat.

(c) *Imperii ferenda*) GöBEL. PFEFFINGER. *tom. 3. p.* 866. Probat illud Goldaſtus hac ratione, quod rex Bohemiæ membrum ſit imperii, & ſic communia onera cum aliis membris ferre debeat. Deinde provocat ad imperii conſtitutiones, quas receſſus dicunt, & quidem Mergentheimenſem de anno 1387. qui publici non eſt factus juris, excerpta tamen ejus in LEHMANNI *chronico lib. 7. c. 48.* WENCKERI *append. archiv. p.* 242. leguntur: Ratisbonenſem de anno 1479. Auguſtanum de anno 1500. Noribergenſem de anno 1522. Auguſt. de anno 1530. Ratisbonenſem de anno 1541. Spirenſem de anno 1542. Noribergenſem de anno 1542. Spirenſem de anno 1544. His accedunt matricula Norib. de anno 1431. Noriberg. de anno 1467. Ratisbonenſis de anno 1471. Noriberg. de anno 1451. Noriberg. de anno 1458. Noriberg. de anno 1481. Francofurt. de anno 1489. Conſt. de anno 1507. Auguſt. de anno 1510. Catalogus ordinum, qui redituum ſuorum vires profiteri debuerunt, matricula Wormatienſis de anno 1521. Spirenſis de anno 1426. Wormatienſis de anno 1545. Auguſt. de anno 1545. Auguſt. de anno 1553. Wormatienſis de anno 1557. Francof. de anno 1571. Spirenſis de anno 1576. Ex his omnibus, quod oneribus imperii, tam quæ expeditio Romana requirit, quam aliis etiam ſubſit, apparet. Vide GOLDASTI *lib. 2. c.* 16. & SCHMINCK. *in notis.* Et licet Bohemia ab oneribus per privilegium eſſet exemta, inde tamen ab obſequio imperii non liberaretur. ARVMÆVS *diſcurs. IV. ad A. B. p.* 206. GOLDAST. *p.* 335.

(d) *Comitari cæſares*) GöBEL. GOLDAST. *lib. 2. c. 15.*

(e) *Aliquot centum cataphractis*) GöBEL. Ex privilegio Friderici anno 1462. dato. *Rex Bohemiæ non teneatur in antea eidem dare & mittere; niſi centum quinquaginta armatos, aut marchas argenti totidem, quamvis ſuperiori tempore trecentos armatos dare aut tot argenti marchas dare fuerit adſtrictus.* LVNIG. *archiv. imperii part. ſpec. continuat. 1. tom. 1. ſect. (Abſatz) 1. p.* 54. Addit tamen GOLDASTVS *lib. 2. c. 15.* jure noviſſimo conſtitutum eſſe, quod rex Bohemiæ in expeditionem Romanam, quadringentos equites & ſexcentos pedites mittere debeat.

(f) *SILESIÆ*) GöBEL. De Sileſia ſupra actum. Vide HENELII *Sileſiographiam part. altera c. 9. p.* 509. *ſeqq.* 533. 857. 865. 870. BOREGH. *in chron. Bohemiæ part. 1. fol. 94.* GOLDASTVS *lib. 1. c. 14. lib. 2. c. 9. 10. lib. 3. c. 16.* CVRÆVS *in annal. Sileſiæ p.* 95. ſeqq. qui tradit, Caſimirum magnum circa medium pæne ſeculi XIV. cum Johanne Bohemiæ rege transegiſſe, cumque juri in Sileſiam renunciaſſe; de quo etiam conſuli poſſunt HENELIVS, STANISLAVS LVBIENSKY & SCHVLZIVS *in tractatu hiſtorico-politico de Polonia nunquam tributaria.* E contrario Bohemi omni, quod in Poloniam habebant, jure ſe abdicaſſe dicuntur. BALBINVS *lib. 3. rer. Bohem. c.* 16. *p.* 301. Renunciabat Joannes Bohemiæ rex omni anno 1335. juri in Poloniam regisque Poloniæ titulo & Caſimirus Poloniæ rex jure in quasdam Sileſiæ terras, quod ſibi competere dicebat, deceſſit; anno autem 1339. renunciatio in omnes Sileſiæ ditiones eſt inſecuta: vide diplomata apud LVNIG. *arch. imperii part. ſpec. contin. 1. tom. 1. membr. 3. p.* 16. 17. 30. cui deinde haud dubie ordinum conſenſus expreſſe aut tacite acceſſit. Quæ hic Polonorum ſcriptores moveat dubia, refert SCHVLZIVS *l. c. p.* 242. quæ tamen non ſunt magni ponderis. Licet enim tunc forte non omnia ſe Bohemo ſubjecerint; reliqua tamen deinde inſecuta ſunt; nec Caſimiro regnum & jus defuit. LVNIG. *l. c. p.* 313. His accedit, quod Sileſia non niſi inæqualis fœderis, nihil ſuperioritati dementis, nexu cum Polonia juncta fuerit. Et cum Poloni contra leges fœderis, in conſtituendo ſibi rege Sileſiacos negligerent principes, ipſis omnino liberum fuit; ſe a Polonia penitus ſeparare, & alii, ſalvo imperii jure, ſe ſubmittere. Vide HENEL. *in Sileſiogr. & ad eum not. part. 2. p.* 809. ſeqq. Atque ita ne quidem Polonorum renunciatione opus fuit.

(g) *Bohemiæ unita eſt*) GöBEL. Ante Johannem jam tum aliquas Sileſiacarum terrarum Bohemiæ obnoxias fuiſſe, ex diplomatibus, a LVNIGIO *l. c. p.* 275. ſeqq. relatis, pateſcit. Tabulæ autem Sileſiacarum terrarum, quibus Johanni de ſubjectione fidem dederunt, ab eodem autore p. 279. ſeqq. referuntur. Carolus autem IV. Sileſia-

altum ea ſit de re ſilentium) efficiunt tabulæ cæſarum, quarum apographa hodie in medio ſunt, ipſa autographa apud Bohemos hodieque in archivis integra detinentur. Germanice verſas illarum aliquot publicavit Melchior Goldaſtus tomo ſecundo operis ſui, cui nomen *Reichs-Satzungen:* alibi Latine prodierunt, & quidem non ſemel. Eas inter primo merito loco memorabiles ſunt tabulæ a *Rudolpho cæſare* (a) anno MCCXC. conſcriptæ; quas proinde non poſſumus non hoc loco inſerere ſaltim Germanice verſas. *Wir Rudolph von Gottes Gnaden Ræmiſcher Kænig, allezeit Mehrer des Reichs, entbieten allen unſern des Ræmiſchen Reichs Getrowen, denen dieſer Brieff vorkomt, unſere Gnade und alles Gutes. Und thun Euch zu wiſſen, daß wir die Ordnung und Vertrag, wie es mit dem Bresliſchen oder Schleſiſchen Fürſtenthumb, ſo uns und dem Kayſerthum unters Lehen gehærig, künfftig gehalten werden ſollte, beſiegelt geſehen: als nemlich, vvann unſer Herre GOtt den Durchleuchtigen Heinrichen, Hertzog in Schleſien, Todes halben abfodern vvürde, daß der Durchleuchtigſte Ottogarus Kænig in Bæhmen, oder ſein Erbe und nachfolgende Bæhmiſche Kænige, Ihme die gantze Landſchafft Schleſien erblich einnehmen und beſetzen mæchte. Dievveil dann dieſes Recht auf dießmal Kænige* Wenceslao, *unſerm allerliebſten Sohne, angefallen, und Er ſich deſſen anmaſſen vvil, ſo thun vvir ihme ſolches hiemit in Krafft unſers Ræmiſchen Kænigreichs beſtættiget übergeben.* Datum *Erdfurt* Anno 1290. *den* 25. Septembr. *unſers Reichs im 17. Jahre.*

9. Argumentum integrum harum literarum repetiit Carolus IV. cæſar in tabulis ſcriptis Pragæ anno MCCCLV. facta mentione & aliarum quarumdam literarum cum Rudolphi illius tum Friderici II. cæſaris, quibus ſimiliter Bohemiæ regibus jus in Poloniæ illas partes auctoritate cæſarea eſt attributum. Dabimus illas integras: quum ſint noſtro inſtituto cumprimis utiles: & quidem emendatas nonnihil ex Gerlaci archiepiſcopi Moguntini tabulis: quæ ſimul cum Carolinis Goldaſtus tomo I. conſtitutionum imperialium pag. 346. & ſequentibus, ut & poſt illum *alii* (b) ediderunt.

10. „In nomine Domini ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus &c. ad perpetuam rei memoriam. Inſignes laudabilis famæ titulos „moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, ſi quod prædeceſſorum illuſtrium circumſpecta „pridem inſtauravit proviſio, vigilanti cura proſequitur, & gratæ ſolicitudinis munit officio, ut „fructuoſi laboris ſolertia perenni ſucceſſorum commendentur memoriæ, & ex perfectione bonorum operum, quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis ſurgat de felicibus mortuis felix memoria „rediviva.

11. I. „Sane licet pridem recolendæ memoriæ divus FRIDERICVS Romanorum imperator „Auguſtus, prædeceſſor noſter, de ſingulari ſuæ benignitatis munere, claræ recordationis illuſtri „Vladiſlao quondam Bohemiæ duci, qui regnum Bohemiæ ante coronationem ſuam regebat, & „ſuis heredibus Bohemiæ regibus cenſum de TERRA POLONIÆ, QVEM ANTECESSORES „EJVS DVCES BOHEMIÆ a POLONIA MVLTIS TEMPORIBVS ACCIPERE CONSVEVERANT, QVEMQVE POLONIÆ ET SILESIÆ DVCES SACRO IMPERIO SOLVERE TENEBANTVR, prout in literis imperatoris præfati evidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum, ipſi quoque duces Poloniæ & Sileſiæ eundem cenſum illuſtribus progenitoribus & prædictis „noſtris Bohemiæ regibus in ſignum ſubjectionis debitæ, & in recognitionem ſui ſuperioris dominii „rite perſolverint, multis temporibus retroactis: tamen ad abundantius cautelæ præſidium tractu „temporis DICTI DVCES ſuorum heredum & ſucceſſorum nomine atque vice, principatus, terras ac dominia ſua a claræ memoriæ illuſtri Joanne quondam Bohemiæ rege, genitore noſtro cariſſimo, dum viveret, & demum præfato genitore noſtro defuncto, a nobis & a corona regni Bohemiæ, in feudum cum ſolemnitate debita ſuſceperunt, nobisque ac noſtro genitori, dum viveret, „tanquam Bohemiæ regibus, & coronæ regni Bohemiæ præſtiterunt ſolemniter, obedientiæ, homagii, ſubjectionis & fidelitatis debitæ juramenta corporalia.

12. II. „Et licet inſignis DVCATVS VRATISLAVIENSIS & SILESIÆ, cum ſuis omnibus „pertinentiis, ad utile & immediatum dominium illuſtrium quondam Bohemiæ regum, progenitorum & prædeceſſorum noſtrorum, & coronam regni Bohemiæ ſpectaverit ab antiquo, ſicut hoc „literæ recolendæ memoriæ domini Rudolphi Romanorum regis prædeceſſoris noſtri oſtendunt. In „quarum prima quandam ordinationem inter illuſtrem Ottocarum quondam Bohemiæ regem, proavum noſtrum chariſſimum ex una, & Henricum ducem Vratiſlavienſem parte ex altera: videlicet quod dictus Ottocarus rex eidem Henrico Vratiſlavienſi & Sileſiæ duci, in caſu, ſi ducem præmori contigerit, in præmiſſo ducatu Vratiſlavienſi & Sileſiæ, terris, & omnibus ſuis dominiis deberet ſuccedere, pro ſe factum adſerit: Et in ſecunda ipſarum, dicto Henrico duce jam ſublato „de medio, prædictum regem Ottocarum, heredes & ſucceſſores ſuos, reges Bohemiæ, de ducatu „Vratiſlavienſi & Sileſiæ, terris & dominiis præfatis, tanquam ACTV VACANTIBVS, propter „multa grata ſervitia, quæ illuſtres Bohemiæ reges ſacro Romano imperio fecerant, SOLENNITER „INVESTIVIT, lucidius atteſtatur. Tamen illuſtris quondam Joannes Boemiæ rex, genitor noſter præfatus, cum Henrico ſeptimo & ultimo Vratiſlaviæ & Sileſiæ duce, ſororio noſtro, dum „uterque ipſorum vitam ageret in humanis, quandam ordinationem iniit & tractavit; videlicet quod

eus Bohemiæ inſeruit terras, quod ab electoribus ratum fuit habitum. LVNIG. *arch. imperii part. ſpecial. tom.* I. *contin.* I. *membro* (*Abſatz*) 3. *p.* 309. HENELIVS *parte altera p.* 565.

(a) *Rudolpho cæſare*) GÖBEL. Latinum diploma eſt apud LVNIGIVM *l. c. p.* 277.

(b) *Alii*) Vid. LVNIG. *l. c. p.* 309. ſeqq.

„quod dictus dux Henricus TERRAM & DISTRICTVM GLACENSEM cum vaſſallagiis, feudis, „dominiis & aliis omnibus pertinentiis ſuis, de conſenſu dicti genitoris noſtri, ad vitæ duntaxat tem„pora habere deberet, ut tamen moriente, DVCATVS SVI (PVTA VRATISLAVIENSIS & SI„LESIÆ) AC PRÆDICTVM GLACENSE dominium ad uſum & poſſeſſionem genitoris noſtri, „heredum & ſucceſſorum ipſius regum & coronæ regni Bohemiæ, ſine difficultate qualibet reveni„rent: Sicut hoc proceſſu dierum ad finem devenit intentum. Eoque dictus genitor noſter, dum „viveret, moriente duce præfato, ducatum Vratislavienſem & terram Glacenſem præfatam tenuit „& poſſedit, & nos utrumque de præſenti velut Bohemiæ rex in poſſeſſione tenentes, utrobilibet „dominamur.

13. III. „Et quamvis marchia BVDISINENSIS & GORLICENSIS, quæ cum cæteris civita„tibus, oppidis & pertinentiis ſuis ad regnum & coronam Bohemiæ ab antiquo pertinuerunt, per „illuſtrem Ottocarum quondam regem Bohemiæ, proavum noſtrum, in perſonas quondam illuſtri„um Brandenburgenſium marchionum, ex certis cauſis & rationibus alienatæ fuerint: aliquando „tamen marchionibus prædictis, absque ſexus maſculini heredibus decedentibus ex hac vita, „nobiles, milites, clientes, cives, univerſique incolæ marchiæ Budiſinenſis & Gorlicenſis præfatæ, „animadverſione debita cognoſcentes, qualiter ad Coronam & regnum Bohemiæ, tanquam ad im„mediatum & naturalem Dominum dudum pertinuerant, ad ſubjectionem & obedientiam illu„ſtris Joannis quondam Bohemiæ regis genitoris noſtri, tanquam ad ordinarium, legitimum & „naturalem dominum ſuum & ad coronam regni Bohemiæ, de cujus gremio jamdudum conſti„terant, ut præſcribitur, deliberatione non improvida redierunt.

14. IV. „Nos igitur indefeſſam ſolicitudinis operam, & diligentiam exquiſitam, quam ſæ„pe dicti, proavus, pater, ac progenitores noſtri cariſſimi, quondam Bohemiæ reges, ad obtinen„dum ſubjectionis vaſallagium, & obedientiam illuſtrium Sileſiæ & Poloniæ ducum, videlicet „LIGNICENSIS, BRIGENSIS, MVNSTERBERGENSIS, OLSNENSIS, GLOGAVIENSIS, SA„GANENSIS, OPPOLIENSIS, FALCKENBERGENSIS, STRELICENSIS, TESCHINENSIS, „TOLNENSIS, BRVTHVNIENSIS, STENAVIENSIS, OSACTIENSIS: PRINCIPATVS MA„SOVIÆ, & DVCATVS IN PLOTZKA, principum & fidelium noſtrorum, principatus ſeu duca„tus Vratislavienſis & Sileſiæ, nec non civitates, videlicet Vratislaviam, novum forum, Fran„ckenſtain, Stinaviam, Goraw & mediam partem Glogoviæ, Namslaviam, & pertinentiarum „ipſius: & etiam Budiſinenſem & Gorlicenſem marchiam, ut præfertur, non absque magnis im„penſis & infinitis laboribus habuerunt: in noſtræ majeſtatis acie continuo revolventes, ut vir„tutum ipſorum frequentia, & ſolicitudo laborum præterita, ſub felice noſtro regimine ſolidetur: „ſicut dudum de plenitudine Romanæ regiæ poteſtatis ſtatuendum diximus, ita & nunc ex certa „ſcientia STATVIMVS DE NOSTRÆ IMPERIALIS PLENITVDINE POTESTATIS, quod „omnes ſupradictæ ſententiæ & clauſulæ imperialium & regalium literarum, quas ad probationem „dictarum intentionum adduximus, ſemper & ubique in judicio & extra, & in ſingulis actibus „publicis & privatis, quotiens tenorem præſentium legi & publicari contigerit, ejuſdem efficaciæ, „vigoris & auctoritatis exiſtant, ac ſi in ſignis propriis originalia viderentur. Et præcipue cum „eadem originalia per nos & nonnullos ſacri imperii principes, barones, proceres, auſcultata & „examinata fuerunt diligenter. Et demum communicato ſuper omnibus præmiſſis, nonnullo„rum ſacri imperii principum, baronum & nobilium conſilio ſpeciali, prædictis omnibus de „verbo ad verbum, prout ſuperius exprimitur, intellectis, & in examine deliberatæ & providæ „diſcuſſionis adductis, ne ex interpretatione ſiniſtra quorumlibet, noſtris heredibus & ſucceſſo„rum noſtrorum regum Bohemiæ, & coronæ regni ejuſdem, juribus, honoribus & ſtatui valeat „impoſterum derogari: AVCTORITATE IMPERIALI dictos Sileſiæ, Poloniæ & cæteros præ„dictos duces, noſtros principes & vaſallos, cum principatibus, feudis & vaſallagiis ipſorum, „præſertim cum a corona regni præfati immediate dependeant: dictum quoque ducatum Vra„tislavienſem, cum civitate Vratislavia, Noviforenſi, Franckenſtain, Stinavienſi, Gorenſi, Glogo„vienſi & cæteris oppidis ibidem: necnon marchiam Budiſinenſem & Gorlicenſem, cum vaſal„lis, vaſallagiis, feudis, feudatariis, utilitatibus, fructibus, obventionibus, juriſdictionibus, ju„diciis, honoribus, juribus, conſuetudinibus & omnibus dictorum ducatuum & marchiæ perti„nentiis, velut utile & immediatum dominium noſtrum & regni Bohemiæ præfati, eidem regno „& ejus felici coronæ IN PERPETVVM ADJVNGIMVS, incorporamus, inviſceramus, adſcribi„mus, adpropriamus, & indiviſibiliter & inſeperabiliter counimus.

15. V. „Speciali etiam ex nomine interpretamur, pronunciamus, diffinimus, proteſtamur, „& dicimus, ac de certa noſtra ſcientia declaramus, quod præfati duces Sileſiæ & Poloniæ here„des & ſucceſſores ipſorum in perpetuum, quotiens ducatus eosdem aut alterum ex iis vacare „contigerit, ipſos vel ipſum a nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris Boëmiæ regibus & coro„næ regni ejuſdem, homagii, obedientiæ, fidelitatis & ſubjectionis debitæ teneantur ac debeant „præſtare & facere corporalia juramenta; SVPPLENTES OMNEM DEFECTVM, ſi quis in „literis vel privilegiis dictorum imperatorum & regum Romanorum memoriæ recolendæ, aut „etiam in ordinatione ſeu tractatu dicti genitoris noſtri, quem cum præfato Henrico ſeptimo & ulti„mo Vratislavienſi & Sileſiæ duce habuiſſe dignoſcitur, ſeu in reditu nobilium, militum, clien„tum, civium & incolarum Budiſinenſis & Gorlicenſis marchiæ, qui ad regnum Bohemiæ, ut „præmittitur, ex cauſis legitimis redierunt: vel in præſentibus noſtris literis verborum defectus,

inter-

„interpretatione dubia, ſententiarum obſcuritate, vel alia quavis occaſione, compertus fuerit; de „certa noſtra ſcientia, ac de prædicta IMPERIALIS PLENITVDINE POTESTATIS, non obſtantibus legibus, conſuetudinibus, uſibus, obſervantiis, juribus, municipalibus vel communibus, ſtatutis ſeu edictis, publicis vel privatis, factis & editis in contrarium, quibuscunque, quas „& quæ, quantum adhæc, ac ſi nominatim de verbo ad verbum præſentibus inſcripta & inſerta „conſiſterent, etiamſi de his jure vel conſuetudine deberet fieri mentio ſpecialis, revocamus, „caſſamus, irritamus, annihilamus, & de prædictæ imperialis poteſtatis plenitudine decrevimus „firmiter, fore nullius penitus momenti.

16. VI. „Nulli ergo hominum liceat hanc noſtræ adjunctionis, appropriationis, conjunctionis, incorporationis, inviſcerationis, adſcriptionis, interpretationis, pronunciationis, definitionis, „proteſtationis, declarationis, diſcreti defectus ſuppletionis, revocationis, caſſationis, irritationis „& annihilationis paginam infringere. Contraria vero facientes ſi qui fuerint, (quod abſit) ultra „indignationem noſtræ celſitudinis, quam ob hoc ſe noverint incurſuros, mille marcas auri puri noſtro & ROMANI REGNI FISCO componant: ipſarum videlicet medietatem noſtræ ſeu ſucceſſorum noſtrorum curiæ ſeu cameræ, reliquam paſſis injuriam irremiſſibiliter applicandam.

17. „Signum sereniſſimi principis ac domini, domini CAROLI quarti, Romanorum imperatoris ſemper Auguſti.

18. „Teſtes hujus ſunt: Venerabilis Erneſtus Pragenſis archiepiſcopus. Illuſtris Rudolphus „ſenior dux Saxoniæ, ſacri imperii archimarſchallus, avunculus noſter. Ac venerabiles Pretzlaus „Vratiſlavienſis, cancellarius aulæ noſtræ, Johannes Olmicenſis, Johannes Luthonienſis, Theodoricus Mindenſis, Henricus Lamudenſis, epiſcopi.

19. „Illuſtres Rudolphus junior Saxoniæ, & Joannes Opaviæ duces. Spectabiles Burghardus magiſter curiæ noſter, burggravius Magdeburgenſis & Albertus de Anchtal comites.

20. „Et nobiles Johannes de Roſenberg, Johannes de Sternberg, Ztrincko de Haſſenberg, „Gonslaus de Schwanberg, Batzcko de Conſtat, Dionyſius de Romnitz, & Vlricus de Viſa: & alii „quam plures noſtri fideles, præſentium ſub bulla aurea. Datum Pragæ, anno Domini 1355. „Indictione octava 7. idus octobr.

21. Hactenus Tabulæ Carolinæ. Docent vero nos illæ, *Friderici II.* (a) cæſaris beneficio deberi exordium omnium jurium, quod in Sileſiam Bohemiæ reges ſibi comparaverunt: & feudi demum lege Vratiſlavienſem ducatum ex conceſſione cæſaris Rudolphi ad Bohemum tranſiiſſe: Carolum porro ipſum Bohemiæ regem proceresque Bohemicos agnoviſſe ſumma imperii jura in omnem Sileſiam, ac proinde auctoritate cæſarea poſſeſſionem ejus Bohemiæ regno transſcripſiſſe mulcta addita, cujus pars imperii fiſco cedat; & haud obſcure facto indicio, abſque illa cæſarea foret auctoritate, jus regum in Sileſiam juſta controverſia haud cariturum. Usque adeo ſane ſuſpexit cæſar ille imperii ſuperioritatem in Sileſiam, ut quum forte vereretur, ne ſuæ tabulæ, quaſi in propria cauſſa ſcriptæ, minus fidei & roboris mererentur, fecerit illas a Moguntino archiepiſcopo tanquam imperii per Germaniam archicancellario confirmari. Exhibent illud Moguntinum diploma, ceu ante diximus, cum Goldaſtus, tum alii: neque attinet illud integrum hoc loco recitare, quum occupetur magnam partem in argumento literarum Carolinarum recenſendo: operæ tamen fuerit pretium ſaltim ultimam ejus clauſulam & exordium heic expendere.

22. „NOS GERLACVS Dei gratia ſanctæ Moguntinenſis ſedis archiepiſcopus, & ſacri imperii per Germaniam archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Sereniſſimus ac invictiſſimus princeps & dominus, Dominus CAROLVS divina favente clementia Romaniæ imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ rex, dominus noſter gratioſus, provida ſua circumſpectione „advertens; qualiter inſignes & laudabiles famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, quod prædeceſſorum illuſtrium circumſpecta pridem inſtauravit proviſio, vigilanti „cura proſequitur, ac gratæ ſolicitudinis munit officio, ut fructuoſi laboris ſolertia perenni ſucceſſorum commendetur memoriæ, & ex conſequentia bonorum operum, quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis, reſurgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva.

23. Hactenus exordium. Quæ ſub finem annectuntur, auctoritatem imperii luculentius demonſtrant. Habent vero illa ſeſe hunc in modum. „Nos igitur, qui ſupra, Gerlacus ſedis „Moguntinenſis archiepiſcopus, ex iisdem rationabilibus & evidentibus cauſis, quibus ante dictus ſereniſſimus princeps, dominus noſter imperator CAROLVS, circumſpecta ſua providentia motus dignoſcitur, & ex omnibus prædictis tanquam ex motivis legitimis, ſacri Romani imperii ſtatum & augmentum proſpicientibus, propenſius animati, ſupradictis adjunctioni, incorporationi, inviſcerationi, adſcriptioni, adpropriationi, communioni, interpretationi, pronunciationi, definitioni, proteſtationi, declarationi, decreto, defectuum ſuppletioni, revocationi, „caſſationi, irritationi, annihilationi, pœnarum adjectioni, & omnibus aliis, quæ expreſſantur, „aut ſunt expreſſata ſuperius, VELVT archiepiſcopus Moguntinenſis, ſacri Romani imperii per „Germaniam archicancellarius, & princeps elector, animo deliberato, & ſano procedente conſilio noſtrum benevolum conſenſum & aſſenſum præſentibus adhibemus; ac ſupradicta omnia „& eorum quodlibet, ſingulaque in omnibus ſuis tenoribus, ſententiis, punctis & clauſulis de „verbo ad verbum, prout ſupra evidenter expreſſa, ex officii noſtri debito, laudamus, approbamus

(a) *Friderici II.*) GÖBEL. HENELIVS *l. c. p.* 812.

„mus, & de certa noſtra ſcientia confirmamus, pleniſſime perpetuis temporibus valitura, præſen„tium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum in Nurnberg, anno Domini MCCCLV. „in die beatæ Luciæ virginis.

24. Ex hiſce verbis Moguntinarum tabularum jam luce meridiana clarius patet, vera eſſe, quæ de imperii in Sileſiam juribus diximus. Non latuit vero res illa etiam auctorem magni chronici Norimbergenſis, quod anno MCCCCXCIII. editum eſt, ut qui teſte *Henelio* (a) memoriæ prodiderit, reges Bohemiæ Sileſiam clientelari jure imperatorum beneficio tenere. Nec fortaſſis aliunde orta eſt fabula illa vetus de vicariatibus quatuor imperii, quorum unus ſit *penes Sileſiam.* (b) Fabulam ajo: nec enim univerſa illa in quaterniones Germanici imperii diviſio quidquam trahit ex vero, ſed pictoris alicujus aut poëtæ otioſi inane commentum eſt.

25. Hæc quamvis ita ſeſe habeant, *hærent tamen quidam ex Bohemis*, uti quidem refert *Paulus Stransky* (c) reipubl. Bojemæ cap. VII. *& quærunt, quo jure ſubnixi Rudolphus I. vel Carolus IV. imperatores, in Sileſiam provinciam nuper, alioquin Polonis non imperio obnoxiam, quamque aliis titulis quam ipſorum beneficio reges Bojemi ſuam jam ante fecerant, non dubitarint poteſtatis imperatoriæ plenitudinem exercere, idque adeo, quod nec in deceſſorum, nec in ſua ditione unquam fuiſſe norant, aliis vel dare vel occupatam confirmare.* Verum enim vero hæſitationem hanc vel ignorantiam arguere eorum, qui ita hærent, vel nominis Germanici impotens odium, (quo vitioſe etiam laborare Stransky, nimium prodit) ex iis, quæ jam attulimus in medium, ſatis apparet. Fuit ſcilicet Polonia atque adeo & Sileſia jam a multis ſeculis in ditione imperii, & ſervivit tributaria. Poſtquam Friderico I. cæſare annitente ceſſit Sileſiam patria quaſi per vim pulſis Vladislai filiis, inque eam terram coloniæ Germanicæ tranſierunt, ſolito magis videtur terra illa omnis cæſaribus obnoxia reddita. Et vero quum Rudolphus cæſar diſerte feudi jura ſibi in terram illam adſcribat, eaque ultro agnoverint tot illuſtres Bohemiæ proceres & cumprimis ipſe Carolus IV. ſi quis alius vafer & ſuarum rerum privatarum ſtudioſus, quei mordet illa cura aut invidia hodie demum homines nuperos, infimæ ſortis, & rerum veterum parum gnaros?

26. Sileſia igitur vindicata, licet jam nobis POLONIAM, ſigillatim hoc nomine ita appellatam, inviſere. Illam vero univerſam non minus atque Bohemiam imperii leges audiviſſe ad Friderici ſecundi cæſaris ætatem, ſupra capite decimo octavo oſtendimus. Cum minus dicto eſſet obediens, ab eodem cæſare *cenſum imperiali fiſco* (d) debitum eſſe Bohemiæ regibus conceſſum, modo audivimus Carolum IV. affirmantem. Secuta tempeſtate fractis multum imperii rebus, Polonia magis magisque imperii ſeſe obſequio ſubduxit, & ad plenam libertatem aſpiravit. Cujus conatus ingens indicium orbi prodidit anno circiter MCCXCV. *Premislaus* (e) dux majoris Poloniæ, Sendomirenſi & Cracovienſi principatu ſibi addito adeo tumidus, ut non dubitaverit, inconſulto cæſare regium diadema titulumque ſibi attribuere: cujus exemplum ſucceſſores omnes ſunt imitati. Etſi enim non deſint qui narrent, Vladiſlaum Lecticum auctoritate Ludovici IV. cæſaris anno MCCCXX. eſſe coronatum, cumque illo defuncto Caſimirus, quem ſui magnum nuncupant, idem minime admitteret, hunc eodem cæſare publico imperii decreto eſſe proſcriptum; refragantur tamen huic narrationi non tantum Polonorum ſed & Germanorum illius ævi monumenta. Diſerte Cranzius l. IIX. Wandaliæ cap. 2. „Poloni ſicut & Bohemi „reges habuere, perinter valla creatos a Romanis imperatoribus: ſed quum illos tæderet geminæ „ſubjectionis, omiſſis regibus duces creavere. Lakoldus„ (ita appellatur Crantzio Vladiſlaus ille Locticus) „hac tempeſtate dux erat Cracoviæ, & qui per omnem Poloniam facile principaretur. „Hic a Joanne Pontifice Romano ſuſcepit coronam, quod Ludovicum, quem execrabatur Papa, „non duceret legitimum imperatorem, evitans etiam, ne per eam occaſionem ſubjectus Romano „imperio cenſeretur. Jam enim Pontifices in eam venerant majeſtatem (quam principes ſecu„lares dicunt præſumptionem) ut reges crearent, citantes verbum primi poſt Chriſtum Pontificis: „Ecce (inquit Petrus) duo gladii hic &c. Lakoldus autem a Pontifice rex nominatus & conſecra„tus, ut videretur eccleſiæ gratus, omne regnum fecit beato Petro tributarium: ut per ſingula „quotannis capita ſolvatur nummus unus, qui appellatur S. Petri.„ Eadem de re ita ſcribit is, qui

(a) *Henelio*) C.A.M. Fuit ille ſyndicus Breslavienſis, ſcripſit librum, cui titulum dedit: *Sileſiographia*, lectu dignum. Scripſit & Breslographiam, in qua tradit, ducatum Breslavienſem καθ᾽ ἐξοχὴν dici ducatum Sileſiæ. Unde autem nomen illud acceperit, non conſtat, niſi quod nonnulli dicant a monte Sile nomen habere. GöBEL. Monti etiam Zabothi nomen eſt *der Zottenberg*. Originem vocis quærunt in ſilentio, quoniam in illo monte olim ſacra, quæ ſilentium requirebant, celebrata fuerint. Alii dicunt, nomen regionis Silufis, Slavicæ genti deberi, atque jam Dittmari tempore pagum Silenſem notum fuiſſe. Vid. HENELII *Sileſiograph. part. 1. p.* 104. *ſeqq.* Epitomen Breslographiæ inſeruit autor annotat. ad Sileſiograph. *part.* 1. *c.* 7. *p.* 16. *ſeqq.*

(b) *Penes Sileſiam*) GöBEL. In fabula eſt, vicariatus dignitate quatuor provincias Brabantiam, Saxoniam, Weſtrichiam & Sileſiam, cohoneſtatas fuiſſe. Vide HENEL. *Sileſiograph. parte altera c. 9. p.* 573. Miror profecto, GOLDASTUM *de regno Bohemiæ lib. 3. cap.* 16. Fabulæ illi de quaternione, vel de quadripartito imperii corpore ſubſcribere. Vide VITRIANUM *lib. 2. tit. 6. §. 30.*

(c) *Paulus Stransky*) Fuit Bohemus, exſul in Batavia, conſcripſit librum *de republica Bohemica.* GöBEL. Hujus autoris libellus omnes alios de republica Bohemiæ vincit, quanquam non omnibus, quæ in eo leguntur, meum adjicio calculum. Dn. Schminckius eum novæ Goldaſti de regno Bohemiæ editioni adjunxit.

(d) *Cenſum imperiali fiſco*) GöBEL. Hæc verba produnt, autorem noſtrum, tributum illud Bohemis ab imperatore donatum, in dubium non vocare; licet incorporationem Carolinam non, niſi de Sileſiæ ducatibus, qui & Poloniæ nomine venire ſolebant, intellectam velit. Nec aliam fuiſſe mentem Goldaſto *tom. 1. imperialium p.* 345. conſtat: quicquid etiam SCHULZIUS recitatis Carolinis tabulis *p.* 252. in contrarium putet.

(e) *Premislaus*) GöBEL. HARTKNOCH. *lib. 1. c. 11. p.* 38.

qui Ludovici IV. cæſaris hiſtoriam ſumma prudentiæ, eloquentiæ, & *παῤῥησίας* laude noſtra ætate eſt perſequutus Nicolaus Burgundus l. 2. de Joanne papa verba faciens: „Denique Vladislaum „Locticum Poloniæ ducem AVVLSVRVS a CORPORE IMPERII, miſſo diademate regem appel„lat, fide accepta, quod in tanti beneficii gratiam propelleret ille in provinciam Brandenburgen„ſem Lituanos, qui cæſarem detinerent in Germania occupatum bello domeſtico. Cæterum Li„tuani ea tempeſtate Chriſtiana ſacra nec dum acceperant, cum Teutonico ordine continenter „bellare ſoliti: at tum quidem Pontifex magiſtrum ordinis ad duorum annorum inducias compu„lerat, quo liberius barbari graſſarentur.„ Hæc illi.

27. Itaque non eſt quidem quod dubitemus, ſaltim a Premislai illius conatibus Polonos obſequium omne imperio, jam per annos trecentos quinquaginta amplius inolitum detrectaſſe. Sed & id certum eſt, tanto temporis ſpacio pro juribus imperii tuendis, vi quidem & armis in Poloniam nihil eſſe tentatum. A nonnullis imperatoribus aliquo tamen modo (quo uno ſcilicet poterant) aliquamdiu cautum eſt fugitivæ imperii dignitati. Sic quum anno mileſimo trecenteſimo Wenceslaus Bohemiæ rex, pulſo Vladislao Loctico, a Polonis in regem eſſet electus, Albertus cæſar clientelari jure imperii nomine Poloniam poſſidendam eidem conceſſit. Edidit cæſaris literas Germanico idiomate Goldaſtus parte ſecunda operis, cui nomen *Reichs-Satzungen* pag. XXIV. & merentur huc a nobis transferri, quales ſunt editæ. Albertus *von Gottes Gnaden Ræmiſcher Kænig, allezeit Mehrer des Reichs: dem Durchleuchtigen Groſsmachtigen Fürſten* Wenceslao *Kænige in Bœhmen, unſerm liebſten Bruder, unſere Gnad und alles Guts. Die unzweifelhaftige Aufrichtigkeit deines getreuen Gemüths, welche gegen uns und dem Kayſerthum von dir, vor allen Kænigen und des Ræmiſchen Kayſethums Fürſten zu ſpuren, beweget und fuhret uns dahin, daſs wir dasjenige, was zur Erweiterung deiner Ehren dienlich, nicht unterlaſſen mægen. Derentwegen vergœnnen und verleihen vvir dir, in Kraft des Ræmiſchen Kayſerthums, daſs du ſamt deinen Erben und Nachkommen den Kænigen in Bœhmen, die Lander, vvelche du nachm Hertzogen* Vladislao *in groſs Polen erlanget und inne haſt, ervveitern, und nach Geſtalt der Lehn-Rechten, jetzt und in künftigen evvigen Zeiten halten mægeſt. Deſſen zu Uhrkund haben vvir dieſen Brief mit unſerm Inſiegel bekraftigen und verfertigen laſſen.* Datum *zu Maintz im* Julio, anno 1300. *Unſers Reichs aber im andern Jahre.*

28. Ab Henrico VI. cæſare quidquam actum pro ſervanda imperii in Poloniam auctoritate, haud reperio. Nec ſatis certa fide traduntur, quæ a nonnullis de Ludovico IV. cæſare memorari, paulo ante monuimus. Tantum fatentur Polonorum annales, lite orta inter Cruciferos & Caſimirum Polonum, auctoritate ſua interpoſita vetuiſſe cæſarem illum, ne apud *alios judices* (a) cauſſa iſthæc diſceptaretur præter aſſenſum ſuum. Sed hoc non tam pertinet ad res Polonicas quam Pruſſicas. Carolum IV. regium nomen non detuliſſe Polonorum principibus (haud dubie memoria veterum imperii jurium) obſervare quidem eſt, at pro imperii illis juribus aliud quidquam conatum haud legas. Multo minus ſuccedentium cæſarum quiſquam vel in controverſiam vocavit Polonicam libertatem. Imo jam amplius ducentos annos regium nomen Polonis, quaſi jure partum, ſponte conceſſum eſt; & multi contractus cum iis initi tanquam cum vere liberis populis. Quæ res (niſi vehementer fallor) certo eſt indicio, vetera imperii jura derelictione, ut ita loquar, & tacito cæſarum ordinumque conſenſu dudum exſpiraſſe; atque ita Poloniam omnem imperii finibus non amplius ut olim comprehendi.

29. Quæ Poloniæ, eadem & *MASSOVIÆ* (b) fortuna fuit. Accepit illa *duces proprios* (c) (perinde atque hodie a Polonico regno peculiari ducatus titulo eſt diviſa) ex inſtituto *Conradi II. cæſaris*, (d) imperio unice non autem Poloniæ proprie ſic dictæ obnoxios; ceu jam tum ſupra cap. XIIX. monuimus. Poſt ſeculum tertium decimum inclinare cœpit etiam iſthæc imperii reverentia. Itaque ſeculi quarti decimi anno viceſimo nono Joannes rex Bohemiæ, prætexens tamen imperii auctoritatem, Wenceslaus ducem gentis adegit in verba ſua jurare. At vero Caſimiro ſecundo rege, a Polonis provincia iſthæc in fidem recepta eſt. Ea de re ita loquitur, Cromerum, ut ſolet, deſcribens *Salomon Neugebauerus* (e) l. 3. hiſtor. Polonicæ. „Acceſſit eodem anno Maſovia „ad ſocietatem cæteræ Poloniæ, Ziemovico duce iis pactis in regni regisque poteſtatem ſe ſub„mittente, ut totius quidem Maſoviæ dominatum ipſe obtineret, verum nón hereditario jure, ſed „regia

(a) *Alios judices*) GöBEL. Diploma habet GOLDAST. *tom. 2. conſtit. p. 86. ſeqq.* & SCHVLZ. *in tractat. hiſtor. politico de Polonia nunquam tributaria p. 283. ſeqq.*

(b) *MASSOVIÆ*) Eſt hodie inſignis portio regni Poloniæ, non tamen regni proprie dicti. Nam reges Poloniæ ſingillatim ſe etiam nominaverunt duces Maſſoviæ. Metropolis Maſſoviæ eſt Warſovia, ubi olim habita comitia.

(c) *Duces proprios*) GöBEL. Secul. XI. Maſſovia a Polonia avelli cœpit atque illud autore Maslao, a quo provinciæ nomen impertitum eſſe quidam volunt, factum eſſe contendunt. DVGLOSSVS *tom. 1. lib. 3. hiſtor. Polonicæ ad annum* 1040. CROMERVS & alii: vide HARTKNOCH. *p.* 208. Non tamen hujus poteſtas diu valuit; a Caſimiro enim I. in bello captus, in furcam actus eſt, Maſſoviaque ad Poloniam rediit. Anno autem 1220. Leſcus Albus fratri ſuo Conrado ducatum hunc cum Cujavia & Dobrinia contulit. Ex quo tempore per longum ſatis tempus ſuos habuit duces.

(d) *Conradi II. cæſaris*) GöBEL. Notat HARTKNOCH. *l. c. p.* 209. autorem noſtrum aſſerti ſui, Maſſoviæ ducatum ab imperatore Germanico eſſe inſtitutum, nullum produxiſſe teſtem. Sed haud dubie autori noſtro ſuæ aſſertionis non defuere fundamenta. Notum eſt, ex rerum geſtarum commentariis, hunc imperatorem ſtrenue jus imperii in Poloniam vindicaſſe. De hoc jam traditur a WIPPONE in ejus vita, quod Poloniam in tres diviſerit partes, ex qua una Maſſoviæ ducatum conſtituiſſe potuit, quanquam aliqui dubitent, an hæc diviſio de ipſa Polonia intelligi queat.

(e) *Salomon Neugebauerus*) C. A. M. Compendioſe conſcripſit hiſtoriam Polonicam *in hiſtor. Polon. libris.* GöBEL. In decem hiſtoriæ Polonicæ libris Cromerum in compendium redegit. Vid. HOPPII *Schediasma de ſcriptoribus hiſtoriæ Polonicæ* §. II.

„regia munificentia, & in feudum ſe eam habere, regisque majeſtatem ſe cum poſteris ſuis co„miter conſervaturum, & contra quosvis hoſtes, barbaros juxta ac Chriſtianos, auxilio Polonis „ſemper affuturum, nec cum ullo fœdus ullum inconſulto rege ſanciturum, ſolenni ritu ac jure„jurando profiteretur. Acta ſunt hæc Caliſſii ad ſextum calendas Januarii, anno Chriſti milleſi„mo trecenteſimo quinquageſimo quinto.„ Et ex eo tempore fuere Maſoviæ duces in clientela Polonica, donec anno MDXXVI. repente non ſine ſuſpicione veneni e medio ſublatis *duobus fratribus*, (a) omnis illa familia expiravit, & ditio iſthæc integra Poloniæ addita eſt. Nec vero fortaſſis pro juribus imperii in provinciam illam quidquam auctoritate publica eſt actum: niſi quod in tabulis illis Carolinis, quas paulo ante recitavimus, Bohemiæ regno Maſoviæ etiam duces adſcripti ſint, & in matriculam imperii ordinum ſeculo ſuperiore relati, certo iis cenſu indicto. Hi enim ſunt illi *Hertzogen von der Maas* (b) dicti: quo nomine alii alios intelligunt. Ne verbulo autem occupanti terram illam Sigismundo regi Polono ab imperio forte eſt contradictum: imo ne quidem jam ante, cum pene omnem ſibi ſubjiceret Joannes Albertus rex, imperii in gratiam quisquam eſt reluctatus: tametſi cum Sigismundus rex illam totalem eſſe juſſiſſet Bonæ uxori ſuæ, noluerint ordines regni in id conſentire, quod *vererentur, ne quo caſu Maſovia a Polonia ſepararetur*, quod diſcimus ex l. 1. annalium *Orichovii*: (c) nondum ſcilicet firmatis tum in eam provinciam Poloniæ viribus. Multo minus ex eo Maſovia a noſtris repetita eſt. Ac proinde & illa ſic ſatis lata Sarmatica ditio imperii finibus exceſſit.

30. Utinam haud pari ſucceſſu PRUSSIAM quoque & LIVONIAM amiſiſſemus! cum utraque ſine exemplo a ſeculo decimo tertio demum in imperii jura tranſierit, & quidem a Germanis occupata Germanos incolas acceperit, inque mores noſtros tranſmutata, plenius quam unquam Polonia, imperii dignitatem coluerit defenderitque.

31. Viſtula amne ad Balthicum mare a Caroli magni ævo usque terminabatur imperium Germanicum: Ulteriora proxime *BRUZII* (d) dicti populi aut Sembi tenebant. Horum ſimplices & probos mores, quales erant ætate Henrici IV. cæſaris, miris laudibus proſequitur Adamus Bremenſis; ſed cum tractu temporis mutaviſſent, nec exemplo vicinarum gentium ſacra Chriſtianorum obſervaret populus, ſed odio potius religionis ductus vicinis gravis eſſet, cumprimis vero Maſovios infeſtaret, horum dux Conradus hoſtibus impar, Culmenſem terram ereptam ſibi dolens, in auxilium ordinem ſacrum militum Germanicorum, qui & *Mariani & Crucigeri*, (e) & Milites

(a) *Duobus fratribus*) GöBEL. Regnante Joanne Alberto Januſus Maſovio-Plocenſium dux cælebs deceſſit, & terræ ejus ut feudum vacans regno junctæ ſunt. Id vero, quod reliquum erat ducatus, ſub certis legibus penes ejus fratrem Conradum manſit. Vide CROMERUM *c. 30. p. 515. ſeqq.* Hujus ſub Sigismundo rege maſcula exſtincta prole, quod habuit terrarum, itidem Poloniæ vindicatum. NEUGEBAUR. *lib. 7. p. 511.*

(b) *Hertzogen von der Maas*) C. A. M. Duces Maſſoviæ relati ſunt quidem in album imperii *die Hertzogen von der Maas*. In matricula autem imperii multa nomina reperiuntur, quæ nemo intelligit, quia neſciverunt antiquorum memoriam. GöBEL. Rectius mihi per ducem *von der Maas* alii ducem Moſanum, qui Bullioneus dicitur, intelligere videntur.

(c) *Orichovius*) C. A. M. Polonus, vixit ſuperiori ſeculo ætate *Sigismundi Augusti*, in religionis negotio admodum inconſtans. Initio defendit partes Lutheri, poſtea contra eum pugnavit. Hic annales Poloniæ conſcripſit parvo libello & vitam Sigiſmundi, libri ſunt lectu digni. GöBEL. Vid. Dn. KRAUSII doctiſſ. *præfat. ſcriptor. Polonic.* præmiſſam. STANISLAUS ORICHOVIUS de antiquiſſima Ockſtiorum gente Wittebergam adiit ibique Lutheri & Melanchthonis auditorem egit. Poſtmodum Venetias profectus, ex *Baptiſta Egnatii*, Venetorum oratoris & hiſtorici, ore pependit, tantosque in eloquentia fecit progreſſus, ut *Demoſthenes Roxalanus* ſit dictus. Demum redux ſacerdotio & canonicorum eccleſiæ cathedralis Præmislienſis ordini adſcriptus, puriorem publice & privatim profeſſus eſt religionem. Quapropter epiſcopi incurrit odium, quod magis deinde auctam, cum derelicto ſacerdotio, ſibi uxorem jungere conſtituerit: Sed res eo tandem omnium ore delata, ut repudiata haud dubie uxore, ad epiſcopi gratiam & canonicorum numerum reverſus ſit. Quo facto, in repurgatam profitentes doctrinam autore *Staravolſcio* graviter ore & calamo debacchatus dicitur. Annales ejus ſat eleganti conſcriptos ſtylo in editione ſcriptorum Polonicorum, quam Dn. KRAUSIUS curavit, integros habemus, cum priores editiones illos, non niſi hac parte, quæ artes, quibus adverſus epiſcopos uſus continet, mutilos, retulerint. Alia ejus opuſcula, inter quæ etiam *oratio in funere Sigismundi* habita, a KRAUSIO l. c. enarrantur.

(d) *BRUZII*) C. A. M. In antiquis hiſtoricis, qui vixerunt ante 400. 500. 600. annos hæc nomina reperiuntur, Nomen Semborum reperitur etiam in vicinia Poloniæ: Iſti populi non fuerunt Sarmatæ, ſed diſtincti ab iis, ut ex Tacito obſervare eſt, qui inquit, trans Viſtulam habitaſſe populos, qui dicti *Æſtii*, qui quidem fuerunt ritibus Germanicis, ſed lingua Brittannis propiores. Et hodieque plane utuntur lingua diſtincta a Polonica, ſed quam maxime accedit ad Finnonicam. GöBEL. Pruſſiam a Polonia diſtinctam ſemper fuiſſe, nec ipſi ſcriptores Polonici in dubium vocare audent. Intulit quidem Boleslaus Chobri Pruſſis arma illisque, memorantibus Polonicis ſcriptoribus, tributum impoſuit, non autem Pruſſiam in provinciæ formam redegit. VINCENTIUS KADLUBKO *lib. 2. epiſt. 13. Scriptor. Polonic. tom. 2. p.* 649. DUGLOSSUS *hiſtor. Polon. lib. 2. p.* 119. 162. CROMERUS *lib. 3.* Sed a tributi onere aliquando repetito, tandem Polonorum exercitu ad internecionem deleto, ſe penitus liberarunt.

(e) *Mariani & Crucigeri*) C. A. M. Mariani appellantur, quod ſint conſecrati virgini Mariæ; Crucigeri, quod crucem ferant: genere autem omnes nobiles Germani eſſe debent. GöBEL. Crucigerorum ordini non omnes unam ſtatuunt originem. Autor chronici Slavorum apud LINDENBROGIUM in ſcriptoribus ſeptentrionalibus eam civibus quibusdam Lubecenſibus & Bremenſibus, qui in Adolphi Holſatiæ comitis exercitu, ad ſuppetias chriſtianorum, qui Ptolemaidem ſive Acconem obſidione cinxerant, adducti erant, tribuit. „Hi enim, miſericordia „moti, *ſunt verba autoris*, acceperunt latum velum de „quadam magna navi & inde facientes tentorium, col„legerunt ſub illo infirmos tales & curam eorum ege„runt. Ipſis quoque cum comite Adolpho redeuntibus, „commiſerunt illud cappellano Friderici ducis Sueviæ „filii imperatoris, tunc noviter ſubmerſi ſeu Friderici, „& camerarii ejuſdem cappellani, qui ædificaverunt ibi „domicilia & cappellam in honorem B. Mariæ virginis „domus Teutoniceque illud nominaverunt hoſpitale B. „virginis, quibus plures alii ſe junxerunt intra muros „ejusdem captaque urbe Accon ædificaverunt intra mu„ros ejusdem quoddam templum &c.„ Alii autem conditi ordinis initia Germano cuidam, opibus valenti, adſcribunt. Hic capta, ſub Gothefredi Bullionei auſpi-

Milites domus hoſpitalis in Hieruſalem appellantur, præcipua tum virtute & geſtarum rerum fama, advocavit. *Cœperat ille ordo* (a) in caſtris ad Ptolemaida non adeo pridem, circa annum ſeculi duodecimi nonageſimum: cumque iſthac tempeſtate crederetur, chriſtianis in omnes a ſacris illis alienos juſtum & æterna mercede dignum bellum eſſe, vocati mox Culmenſi provincia Pruſſos ejecerunt. Num dono Conradi plene ceſſerit ipſis illa terra, an vero conventum ſit, quod

ciis, Hieroſolyma, ædes ſuas Germanorum peregrinantium Syriacæ linguæ ignarorum commune conſtituit diverſorium, & ut omnes excipi poſſent, *hoſpitale* quod vocant, exſtrui curavit, cui tandem *capella* in *Mariæ virginis* honorem, patriarchæ conſenſu eſt addita, atque tandem celebris inde illa *Marianorum* enata dicitur ſocietas. VENATOR *von teutſchen Ritter-Orden p.* 1. *ſeqq.* Dom. DITMAR in notis ad BECKMANNVM *vom Johannitter-Orden p.* 17. JACOB *de* VITRIACO *hiſtor. Hieroſolymitanæ c.* 66. *in geſtis Dei per Francos p.* 1055. *MENDO diſquiſit. I. n.* 31. 32. Sed parum intereſt, quum ex his duabus elegeris ſententiam. A papa Cæleſtino III. ordinis privilegia cum nigra nacti ſunt cruce, cui ab Hieroſolymitano rege Henrico, aut ejus filio Joanne, aurea, a Friderico imperii aquila, & a Ludovico Galliæ rege quatuor lilia addita ſunt. Nec non magiſtri ordinis ab imperatore privilegium, membra ordinis in equites feriendi, nacti ſunt. VENATOR p. 7. ſeqq. 13. 15. 37. Diplomata quædam huc ſpectantia, a LVNIGIO *in ſpecilegio eccleſiaſtico* referuntur. Nemo autem ad hunc admittitur ordinem, niſi gente Germanus. *Receſſ. imperii de anno* 1500. §. 41. §. 22. VENATOR p. 8. Quamobrem, cum papa Italum illis insereret, de eo in comitiis Noribergenſibus anno 1522. graviter conqueſti ſunt. GOLDAST. *ſtatut. & reſcript.* p. 45. DITMAR. p. 39.

(a) *Cœperat ille ordo*) C. A. M. Tempore Henrici IV. populo perſuaſum eſt, non poſſe quid acceptius præſtari Deo, quam ſi quis ex terra ſancta expellat Muhammedanos. Hac ratione innumera multitudo hominum adiit Hieruſalem. Primus dux *Gotfridus Bulionius*, cujus expeditio feliciter etiam ſucceſſit; utpote cum recuperarent Hieroſolymam. In illo vero bello tantum ſanguinis effuſum, ut integri fluvii fuerint ſanguine repleti: nam aliquot 100 millia hominum interemti. Hiſtoriam illius belli ſancti inter omnes præclare conſcripſit WILHELMVS in libr. *geſta de bello ſancto.* Illa etiam ætate cœpit ordo militum hoſpitalium Hieruſalem. Cum vero ingens numerus ægrotantium eſſet, nemo autem reperiretur, qui eorum curam haberet, tandem nonnulli ex Germanis reperti, qui eos ſuſceperunt, atque etiam defenderunt adverſus vim hoſtilem. Qui etiam tum conſtruxerunt domum iſtam, in qua habitarent, & dicta *domus hoſpitalis.* Ceterum res Chriſtianorum ſunt iterum prolapſæ in Palæſtina. Nam Saladinus pene omnia rurſus eripuit. Præterea etiam fuit *ordo Johannitarum*, & hic habuit bona maxima. Magiſter hujus ordinis ſedem aliquamdiu habuit in inſula *Rhodi*, unde dictus *der Rhodiſer-Orden.* Verum cum hic ordo oppugnaret Turcas, ab hiſce ex Rhodi pulſus, & tum ſedem fixit in inſula *Malta*, quam una cum inſula *Gozzo* Carolus V. ipſis dedit. Commendatores hujus ordinis ſunt diſperſi in Germania & Gallia & non conveniunt, niſi bellum Turcicum immineat. Talia inſtituta ordinum cœperunt ſeculo XII. Tum enim paſſim terrarum inſtituta militia ſacra adverſus Turcas & alios. Nulla regio Europæ plures habuit ordines, quam Hiſpania, & rex Hiſpaniæ eſt *magiſter omnium ordinum per Hiſpaniam.* Inter omnes autem ordines nullus adeo opibus potens quondam fuit, quam Marianus, qui ſcilicet ordo teneret integram *Pruſſiam & Livoniam.* Hodie autem multum decrevit. De ordinibus equeſtribus ſcripſit ALBERTVS MIRÆVS, qui liber lectu dignus. GöBEL. Non unius argumenti ſunt, quæ autor in hac conjunxit annotatione. Expeditiones in terram ſanctam non tam principum & papæ religionis zelo & juſtitiæ, quam illorum aviditati, a turbulenta & otioſa quodammodo plebe, qua abundabant, & aliis quibusdam liberari; & hujus cupidini, ſummum quod moliebatur in rebus ſacris imo etiam ſæcularibus imperium, magis firmandi, deberi largior. Autores veteres, qui de illis expeditionibus, quarum octo numerantur, aliquid literis mandarunt, BONGARSIVS *in geſtis Dei per Francos* collegit. Vid. DITMARVS *l. c. p.* 71. *ſeqq. SCHILT. de libert. eccleſ. Germ. lib.* 5. §. 9. 10. *BVDDEI diſſert. de cruciatis.* Quod ad ordines ſacros in Hiſpania, celebrantur *ordin. S. Jacobi*, *Calatrava*, & *Alcantara.* Vid. Chronica trium horum ordinum a FRANCISCO DE RADES hiſpanice conſcripta, & ANDREAS MENDO *in diſquiſit can. de ordin. militar.* ubi catalogum ordinum & militiæ vigentium & exſtinctarum habet, quem ex eo refert DITMAR. *l. c. p.* 9. Legitimi hic & nobiles ex quatuor generationibus pure chriſtianis requiruntur natales. Plura vide apud DITMARVM in *annotat. ad BECKMANNVM c.* 1. In Portugallia vigent *ordin. Jeſu Chriſti & Aveſis.* In utroque regno ſuffragantibus Pontificibus Adriano VI. & Julio III. ordinum caput REX conſtituit, qui non magiſtri ſed *adminiſtri* titulo compellatur. Rationem aſſignat MENDO, quia magiſtri dignitas, quæ eccleſiaſtica eſt, regibus in titulum non potuerit conferri. Vide BECKMANNVM & ad eum DITMARVM l. c. p. 28. Sed redeamus ad illos ordines, qui Germaniam tangunt. *Templariorum* ordo Hieroſolymæ viris duobus præclaræ virtutis auctoribus natus, Philippi pulchri Galliæ regis artibus exſtinctus eſt. Hoc facto multa, quæ in Germania, Gallia, Italia & Belgio habuit bona, ad Marianos & Johannitas aliquam partem pervenere. Multi ſunt, qui eos a graviſſimis, quas enarrat GAGVIN. *fol.* 38. liberant accuſationibus, adduntque, prætextus fuiſſe, ut immenſæ propemodum hujus ordinis opes deglutiri potuerint. Conf. *MEZERAI T.* 2. *p.* 804. 805. *Hiſtoire de Malte par BAVDOIN. GVRTLERI hiſtor. Templariorum. RENALDVS ad annum* 1310. *PVTEANVS in hiſtoria condemnationis Templariorum*, truculenta illa & ſanguinaria in templarios conſilia defendere auſus eſt. Sed argumenta a Dn. THOMASIO in diſſ. *de templariorum ordine ſublato* refutantur. Adde MENDO *diſquiſit.* 1. *quæſt.* 2. *n.* 15. Alter ordo, qui non quidem exſtinctus, ſed deſiit, eſt *Enſiferorum.* Ordinis enim hujus magiſter, cum auxilia contra Ruſſos ab imperio Germanico, cujus æque ac ordinis Teutonici princeps erat, in vanum exſpectaret, *Livoniam Polonis*, ut *Curlandiæ & Semigalliæ ducatum* conſequeretur, anno 1561. ceſſit. *BALVZ. epiſtol. innocent. lib.* 2. *epiſt.* 191. *lib.* 13. *p.* 141. *BECKMANN. l. c. p.* 49. Omnes autem jam enarratos ordines & antiquitate, opibus & rebus præclare geſtis longe ſuperat *Johannitarum ordo.* In vulgus propemodum notum eſt, ipſum a mercatoribus Amalphatinis primam accepiſſe originem. Aucto deinde membrorum numero rectorem, qui deinde magiſter vocatus eſt, ſibi conſtituerunt. Cumque victoriis a Saracenis reportatis celeberrimi eſſent, papa Paſchalis II. aliique ejus ſucceſſores privilegiis donare decreverunt. Verum enim vero rebus illorum in Palæſtina fluctuantibus ſolum vertere coacti ſunt. Contigit tamen, ut inſula *Rhodi* potirentur, qua a Turcis exuti, a Carolo V. tandem *Maltæ* inſulam in feudum nacti ſunt, ubi *magnus magiſter*, qui principis axiomate gaudet, cum quibusdam ordinis membris locum tenet. Dividuntur autem ejus membra in *equites, ſervientes & cappellanos*, nec non in octo nationes, quas linguas dicunt, quarum unaquæque ſuum habet Priorem. Tales ſunt 1.) *Provinciæ* 2.) *Alvernia* 3.) *Francia* 4.) *Italia* 5.) *Arragonia, Catalonia & Navarra* 6.) *Angliæ & Hibernia* 7. *Germania*, quæ præter ſuum Priorem & *ſupremum magiſtrum*, quem Carolus ad principis extulit dignitatem, complectitur quoque Prioratum *Hungaria*, *Bohemia*, *Dania* & *Baliam Brandenb.* quæ *das Meiſterthum* vel *Hermeiſterthum* vocari ſolet, cum ipſi aliæ ſubſint commendæ 8.) *Caſtilia*, ſub qua etiam Prioratus Portugalliæ includitur. Interim negari non poteſt, ordinem multis minutum eſſe bonis. Plura de hoc ordine, ejusque bonis, ſtatutis & privilegiis vide apud BECKMANN. l. c. *Hiſtorie de Malthe par BAVDOIN livr.* 1. *ch.* 1. *ſeqq.* Hic ſatis late de Johannitarum rebus agit, eique acceſſerunt *NABERATI* ſupplementa.

quod Poloni tradunt, ut debellatis Pruſſis Culmavia Maſovio Polonisque *redderetur*, (a) nihil attinet nunc diſputare. At vero *Friderici II.* (b) cæſaris beneficio, non ſolum terræ Culmenſis, ſed totius Boruſſiæ, omniumque terrarum, in quas ejectis barbaris religionem Chriſtianam propagaturi eſſent Crucigeri, poſſeſſio ac dominium ipſis ac eorum ſucceſſoribus decretum & confirmatum eſt; ceu tabulæ cæſaris ſuperſtites loquuntur. Sic brevi ab anno circiter MCCXX. rara armorum felicitate, Boruſſia univerſa usque ad mare Balthicum & Lithuaniæ fines, priſcis incolis, non laudando inſtituto tamen, extinctis partim, partim in miſeram ſervitutem pariter & Chriſtiana ſacra vi adactis, imperii provinciis acceſſit: & quidem ſaltim hactenus non immerito, quod & auctoritate imperii & bonis Germaniæ publicis ordo univerſus niteretur. Haud multo poſt pari ſucceſſu Gedanum cum *vicina Pomerellia* (c) trans Viſtulam occaſum verſus Poloniæ regibus, verſus orientem Samogitia Lithuanis erepta eſt. Quo & Polonorum & Lithuanorum perpetua fere odia in ordinem ſunt concitata. Poſt varias tamen contentiones, *cum Caſimiro* (d) quidem ſecundo Polonorum rege transactum eſt æquiſſimis conditionibus. Eam rem hiſce verbis enarrat poſt Cromerum Neugebauerus *l. 3. hiſtor. Pol. pag. 201. Lite cum cruciferis ad extremum perducta, cum ii diris devoti, nil tamen auctoritate pontificia moverentur, ut judicata facerent, facile Caſimirus conceſſit petentibus, ut jure omni, quodcunque ipſi a majoribus ſuis haberent in Pomerania, Culmenſi, & Michalovienſi ditione, ſeſe poſterosque ſuos, jurejurando interpoſito, & literarum monumentis conſignatis abdicaret, ac de ſigillo etiam, quo diplomata regia ſignantur, Pomerania nomen eraderet, Cujaviam ac Dobrinenſem ditionem ab eis reciperet. Itaque conſtituto cum magiſtro cruciferorum congreſſu Inouladislavia, ad vigeſimum ſecundum diem menſis Julii comitia quoque ſuis indixit. Ubi abdicatio illa promulgata, Caliſſia vero non modo regis, ſed etiam Ziemoviti Viſnenſium, Ziemoviti Cirnenſium, ac Boleslai Plocenſium, Maſoviorum, & primariarum civitatum, nempe Cracovienſis, Poſnanienſis, Sendomirienſis, Sandecenſis, Caliſſienſis, Vladulavienſis, ac Breſtenſis diplomatis conſignata eſt. Epiſcopi neque ut ſignarent, neque ut approbarent, adduci ulla ratione potuere. Annus, quo hac acta ſunt, fuit milleſimus trecenteſimus quadrageſimus tertius.*

32. Hactenus Neugebauerus. Floruerunt porro res ordinis Teutonici usque ad annum circiter quadringenteſimum poſt milleſimum. Inde cum non neceſſariis, imo iniquis, bellis Lithuaniam & Poloniam infeſtantes, Vladislaum Jagellonem regem, Polonicis, Lithuanicis & Tartaricis copiis ſolito potentiorem hoſtem irritaſſent, ab illo anno MCCCCX. *ingente prælio* (e) ad Drevanciam fluvium in Maſoviæ finibus cæſi bonam Boruſſiæ partem amiſerunt. Fide ſubditorum pene in inte-

(a) *Redderetur*) GöBEL. Vid. Conradi tabulas donationis in *LEIBNIT. C. J. D. prodrom. n. 9.* Nec injuſte cruciferis in præmium navatæ operæ, aut potius victoriæ jure Pruſſia ceſſit. *HARTKNOCH. chron. Pruſſia part. 2. c. 1. §. 14. SCHüTZIVS lib. 1. chron. Pruſſia c. 1. §. 14.* Scriptores autem Polonici hic in omnia alia abeunt, quibus *SCHVLTZIVS in Polonia non tributaria* adſtipulatur. *CROMERVS lib. 7. p.* 195. tradit, antiquum mſcr. ſecum a Stanislao Huſia communicatum eſſe, cujus tenor fuiſſe dicitur, Maſoviæ ducem cum cruciferis pactum eſſe, ut perdomitis Pruſſis ſibi Culmenſis redderetur terra & quæ barbaris erepta, ex bonorum virorum arbitrio diviſioni ſubeſſent. Confer quoque *DVGLOSSVM lib. 6. ad ann.* 1230. *MIECHOVIVM lib. 3. c. 33. SARNITIVS* vero *lib. 6.* aſſerit, cruciferis ad tempus tantum Pruſſiam jure feudi fuiſſe permiſſam. Polonicas ſequentes partes, quicquid hoc etiam fuerit pacti, ſine omni plane fuiſſe valore, contendunt, cum illo tempore clientelæ nexu Maſoviæ dux Polonis fuerit obnoxius. *MIECHOVIENSIS c. 32. CROMERVS lib. 7. STANISLAVS LVBIENSKI in monitis de gerendo epiſcopatu p.* 290. Sed Conradus nulla a Polonis contra Pruſſos ope ſuffultus, eo validius cum crucigeris paciſci potuit, quo magis a Pruſſis terris ſuis exitium propemodum immineret. Deinde jam tum monitum eſt, Polonis in Pruſſiam nullum fuiſſe jus, & quicquid *Mariani* acquiſiverint, id *victoria* juri potiſſimum deberi. Miſſis aliis, cum in illo ſtatu, ubi jam res ſunt, inutile plane ſit, late hanc pertractare controverſiam, tantum adhuc addamus verba PETRI de DVSBVRG autoris coævi: *Dux Polonia* (Maſſoviæ) inquit, *prahabita matura deliberatione, de conſilio, voluntate unanimi & conſenſu expreſſo uxoris ſua Agafia & filiorum ſuorum Boleslai & Caſimiri & Semoviti, dedit dictis fratribus domus Teutonica præſentibus Culmenſem & Lubavienſem & terram, quam poſſent favente domino inpoſterum de manibus infidelium expugnare cum omni jure & utilitate, quibus ipſi & progenitores ſui poſſederunt in perpetuum poſſidendam.* Partes forte quædam terrarum olim ad Maſoviæ ducatum ſpectantes a Pruſſis fuerunt occupatæ: ſed licet hæ a Maſoviæ duce non eſſent ceſſæ; non tamen dici poſſet, quod injuſte eos detinuerint; nam id, quod quis hoſti eripit, jure gentium ei, cujus antea fuit, reſtituere non tenetur. Porro ordini haud dubie Maſoviæ dux ob non ſoluta ſtipendia devinctus fuit. Nec puto a SCHVLTZIO & OSSOSTEVICIO *lib. 7. c. 2.* prolata tanti eſſe, ut obinde Petro de Dusburg omnis adimi debeat fides. Non enim ſequitur, ſacris ordinis Teutonici fuit addictus, igitur in eorum favorem a veritate diſcedere voluit. Et longe abeſt, Oſſoſtevicium, Petrum hunc nimis credulum fuiſſe, probatum dediſſe.

(b) *Friderici II.*) GöBEL. De hoc ſupra dictum eſt. Diploma refert SCHVLTZIVS *l. c. p. 273. 274.* Adde WAISSELIVM *in chron. Pruſſia fol. 48.* SCHüTZIVM *in chron. Pruſſia fol.* 16. LVNIG. *in ſpicileg. eccleſ. part. 1. cont. de Joh. & Teuton. ord. p. 5.* Contra illud diploma inſurgunt CROMERVS *lib. 7. p. 195.* HARTKNOCH *in chron. Pruſſia* aliique ſcriptores Polonici, urgentes, imperatori in Pruſſiam nullum competiiſſe jus: ſed ordo Teutonicus imperatorem ut caput ſuum reverebatur; atque igitur ab eo ſibi confirmari voluit, quod ſuæ potiſſimum virtuti militari debebatur.

(c) *Vicina Pomerellia*) GöBEL. Vid. SCHüTZ. *lib. 2. chr. Pruſſia fol. 55.* CROMERVS *ad ann.* 1329.

(d) *Cum Caſimiro*) GöBEL. Pacis anno 1339. factæ arbitri erant, *Johannes* rex Bohemiæ, cum filio *Carolo*. Primariæ ejus leges erant, ut cruciferi Pomeraniam cum terris Pruſſicis, rex vero Cujaviam retineret: Sed e veſtigio propemodum repetita ſunt arma, acceſſitque regi anno 1339. pontificis decretum, quod ei *Pomeraniam, Cujaviam, Dubrinenſem, Culmenſem & Michlavienſem* ditiones adjudicavit. CROMERVS *lib. 12. p. 299.* Hanc rem indigne admodum tulit Ludovicus IV. imperator. Vide GOLDASTVM *tom. 2. conſtit. p.* 86. ſeqq. Sed crucigeri armis inferiores, duram ſatis anno 1341. (1343.) inire coacti ſunt pacem. WAISSELIVS *in chron. Pruſſia p.* 118.

(e) *Ingente prælio*) GöBEL. Dicuntur in hoc prælio 50000. militum, qui in crucigerorum erant caſtris, & inter eos ordinis magiſter VLRICVS ab JVNGINGEN, nec non *magnus*, ut ajunt, *commendator*, marchallus, magnus hoſpitalis magiſter, & ſexcenti equites cæſi. MARTIN. BIELSKY *lib. 2. chron. Polonia ad ann.* 1410. DVGLOSSVS *ad eundem annum.* CROMERVS *lib. 16. p. 355.* NEVGEBAVER *lib 5. p.* 152. SCHVLZ. p. 286. At SCHüTZIVS *in chron. Pruſſia lib. 3. fol.* 102. in prælio deletorum numerum 40000. complexum eſſe, commemorat.

integrum *reſtituti*, (a) impotente mox dominatu horum quoque animos usque adeo a ſeſe abalienaverunt, ut omnis nobilitas urbesque Boruſſiæ, fœdere mutuo, anno ejusdem ſeculi quadrageſimo, adverſus ordinis vim ſeſe munierint. Cumque ne ſic quidem ſaniora illi conſilia ſequerentur, imo effeciſſent apud cæſarem Fridericum III. ut atroce lata ſententia anno MCCCCLIII. fœdus illud ceu vitio factum irritum pronunciaretur, addita mulcta graviſſima, & amiſſæ libertatis privilegiorumque pœna: nobiles plerique oppidaque ſequenti anno, renunciato ordinis magiſtro fidelitatis ſacramento, regi Poloniæ (erat is tum Caſimirus tertius) ſeſe ſuaque in fidem obtulerunt, & a rege ac proceribus Polonicis in ſocietatem regni recepti ſunt. Per tredecim annos cum adverſa fortuna fortiter luctati quidem ſunt cruciferi, ſed & ipſi tandem certis conditionibus in ſacramentum & fidem Poloniæ regum & regni ſeſe dediderunt, anno ſeculi illius ſexto poſt ſexageſimum. Ita tota Pruſſia in Polonicæ reipublicæ corpus tunc conceſſit. Detrectavit quidem illud ſacramentum Fridericus Saxonicus magiſter ordinis, ſed nihil præterea movit. Fecit idem Albertus Brandenburgicus correptis inſuper armis, ſed cum imparem ſeſe ſentiret, & nulla ab imperio auxilia liceret ſperare, tandem & ipſe pro ſe & hæredibus ſuis anno MDXXV. cum Polono pactus eſt; &, ceu ante, Pruſſia univerſa in ditione reipublicæ Polonicæ ex eo jam permanſit.

33. In hunc modum & acquiſita intra hos quadringentos annos fuit Pruſſia & viciſſim amiſſa. Jure an injuria imperio ſubducta ſit nobilis adeo provincia, difficilius nonnihil eſt expeditu. *Primum* tamen id videtur patere ex iis, quæ attulimus: quo tempore ordines Pruſſiæ in fidem Polonicam conceſſerunt, nihil in terram illam univerſam juris fuiſſe Polonis. Nec enim unquam tota illa fuerat Polonorum, & quæ portio illis paruerat, illa ſaltim ex pacto cum Caſimiro ſecundo, non dubio amplius jure facta fuerat jam anno MCCCXLIII. cruciferorum. Tametſi etiam Vladislaus Jagello omnem pene Pruſſiam ſubegiſſet, eandem tamen viciſſim amiſerat, per nova pacta ſalvis iterum ordinis rebus. *Secundo* ſi usque adeo impotens & ſæva fuit cruciferorum in provinciam dominatio, qualem vulgo ferunt, nec oppreſſis ſubditis *a cæſare* (b) & imperii ordinibus, poſtquam illis deſiderium ſuum detuliſſent, quidquam licuit ſperare mollius, nemo eos temere damnaverit, quod tandem jugum intolerabile & tyrannicum excuſſerint. Nec enim mancipiorum ritu obſtricti erant cruciferis: ſed plerique vel ipſi vel eorum majores, propoſita conditione magnæ libertatis & multarum immunitatum, in vacuas terras ex Germania acciti a cruciferis: quas proinde hi ex pacto quaſi, ſaltim provincialibus illis Germanicis coloniis, præſtare tenebantur, niſi irritum vellent fidelitatis ſacramentum. *Tertio* ſi potuerint Pruſſi fidelitatis ſacramentum jure magiſtri imperio renunciare, licuit illis etiam *alteri ſeſe ſubjicere.* (c) Et vero is, qui ſui eſt juris, poteſt utique in fidem alterius jure concedere. Quidni itaque & illis licuerit idem, ſi ſane fas ipſis fuit in plenam libertatem rejectis antiquis dominis ſe vindicare? *Quarto:* Non videtur, vel cæſarem vel imperii ordines, imperii quidem cauſa, ullo aliquo auxilio juviſſe cauſſam cruciferorum quinto decimo ſeculo: nec quando primum illi in fidem Polonicam conceſſerunt, imperii ergo defectioni iſti ſive interceſſiſſe ſive contradixiſſe. Non ſane in monumentis hiſtoricis fide dignis tale quidquam memoratur. Eſt autem talis negligentia, & tale ſilentium indicio haud obſcuro factæ derelictionis: ceu jam ſupra diſputavimus. *Quinto:* nec *Albertus Brandeburgius* (d) ſeculo decimo ſexto quidquam opis ab imperio

(a) *Reſtituti*) *C. A. M.* Faventior deinde belli fortuna cruciferorum armis aſpiravit, & Poloni, cum æquas ſuas, quas ordinis magiſter Plavenius eis afferebat, pacis conditiones reſpuerent, unam aut alteram ab ordine paſſi ſunt cladem. Inde factum, ut inter Wladislaum Jagellonidem & cruciferorum magiſtrum *Paulum de Rusdorf* anno 1436. pax perpetua coaleſceret. Leges ejus vide apud SCHVLTZ. *in tract. de Polonia non tributaria p.*258. CROMERVM *lib.* 21. *p.* 461. MATH. STRYKOFSKY *Olſowicium in chron. Lithuaniæ lib.* 13. *c.* 4. & 8. SCHüTZIVM *in chron. Pruſſiæ.* Propullularunt quidem poſt illam pacem nova diſcordiæ ſemina, quæ admodum ab imperatoribus Sigismundo & Alberto rigata eſſe Poloni loquuntur, citatque hanc in rem SCHVLTZIVS BORNBACHIVM *in chron. mſcr. ad ann.* 1434. & *annal. Pruſſor. mſcr. part.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. Quod autem in apertum non proruperit bellum, Schultzio tradente, provectior inprimis magiſtri *Conradi von Erlingshauſen* ætas effecit.

(b) *A cæſare*) GöBEL. Indicebant cruciferi Pruſſis tributa, quibus aſſueti non erant eaque inſigni ab ipſis exigebant violentia. Hac de re Pruſſi coram Friderico III. conqueſti ſunt.

(c) *Alteri ſeſe ſubjicere*) GöBEL. Recruduit igitur bellum, cum Poloni Pruſſos ſeſe ab ordinis imperio alienantes reciperent: Sed improſpere ſatis ex ordinis Teutonici parte geſtum eſt; ita ut tredecim poſt annis illam, quæ Polonica nunc dicitur, Pruſſia Polonis concedere, & quod retinuerunt fiduciario vinculo Poloniæ annectere coacti ſint. Vid. JANVSCZOVIVS *part.* 3. *tit.* 1. *p.* 8. 63. SARNICIVS *annal. Polonic. lib.* 7. WAISELIVS *in chron. Pruſſiæ p.* 143. SCHüTZ. *l.* 7. *chron. Pruſſiæ.* PROLVSIVS *diplomat. Polon. p.* 202. LVNIG. *Spicil. eccleſ. part.* 1. *contin. de Johan.* & *Teuton. ordin. p.* 28.

(d) *Albertus Brandeburgius*) GöBEL. Vid. VENATOR *p.* 234. *ſeq. Diplom. proteſtat.* & *caſſat. Caroli V. apud LVNIG. archiv. imp. part. ſpec. in Brand. dipl. p.* 34. SCHVLTZIVS *in Polonia nunquam tributaria p.*30. ubi Bœcleri objectiones, quod Pruſſia ab imperio non ſit derelicta, examinat. Diploma inveſtituræ de feudo ad deſcendentes maſculos & fratres transmittendo, eſt apud JANVZOV. *conſtit. lib.* 7. *part.* 3. *tit.* 1. LVNIG. *l. c. p.* 39. cujus vi, exſtincta ſtirpe Pruſſica ad electoralem lineam Brandenburgicam in Johanne Sigismundo delatus eſt. Vide LVNIGIVM *in archiv. imp. parte ſpeciali p.*60. Alibi dixi de recentioribus Pruſſiæ rebus, & quomodo a clientela Polonica per pacta Velavenſia anno 1657. liberata ſit: *LVNIG. l. c. p.* 166. & *part. ſpec. cont.* 2. *p.* 112. nec non Brandenburgicam domum in Friderico III. regium ſumſiſſe Pruſſiæ diadema, contradicente licet papa, ut ex ipſius codicillis, quos breve vocant, ad Ludovicum XIV. Galliæ regem datis, pateſcit. *LVNIG. arch. imperii part. ſpec. in diplomatibus Brandenb. p.* 281. Atque ut magis in publicum conſtaret, ſe coronam ſuam nulli, niſi ſoli Deo debere, eam FRIDERICVS ſibi ipſi impoſuit, & deinde REGINÆ caput corona a ſe dependenti velavit. Vid. *Preuſſiſche Krönungs Geſchichte p.* 20. 21. Quod autem ad jus imperii attinet, etiamſi derelictio non adeſſet, jamdudum imperator & imperium per varios actus affirmativos & negativos quos vocant, ſe nihil amplius in Pruſſiam habere juris, teſtati ſunt, & quæ ab ordine Teutonico prolata ſunt, ab *autore defenſæ Boruſſiæ* refutantur.

perio potuit ſperare. Itaque aut plane pereundum ordini tum fuit per Pruſſiam, quouſque tamen ille imperio non fuit unquam obligatus: aut vero conditiones a Polono propoſitæ fuerunt ordini illi neceſſario ineundæ. Nec vero tam hoc vitio datum fuit Alberto & reliquis cruciferis, quod ille in fidem iterum Poloni rediiſſet more multorum deceſſorum; quam quod paſſus eſſet, bona ordinis in hereditariam poſſeſſionem ſibi tradi: & hoc maxime nomine cameræ Spirenſis judicio Albertus anno MCXXXI. proſcriptus eſt. At vero hoc quidem controvertere non eſt hujus inſtituti; utpote quum nihil aliud agendum mihi veniat, quam ut diſpiciam, num jure an injuria Pruſſi & cruciferi ab imperio ſeceſſerint. Id quod eos feciſſe jam ante Albertum ſeculo quarto decimo, palam eſt ex iis, quæ jam narravimus.

34. Supereſt, ut LIVONIAM perluſtremus. Illam terram ab antiquiſſima usque memoria Æſtyorum gentes incoluere: quas a Germanis fuiſſe diverſas ipſa lingua ſatis prodidit, *ut qua ætate* (a) Taciti Britannicæ propior fuit, etſi ritus habitusque Suevicum quid præ ſe ferret; quod ille libro de moribus Germanorum memoravit. Ex Plinio aliisque diſcimus, alios Æſtyorum Hirros, allios Scyros tum appellatos. Quorum vocabulorum veſtigia nec dum deſierunt: Æſtyorum communi appellatione in Æſthonia, Hirrorum in Harria & Wiria, Scyrorum in curis ſuperſtite. Priſcam terræ fortunam, cum deſint monumenta, ignoramus. Seculo nono autem Curos a Sueonum claſſe ſubactos, legere eſt in hiſtoria vitæ *S. Anſgarii.* (b) Danorum quoque in provinciam illam expeditiones aliquot felices, loquuntur illorum annales. Sed & Ruſſos & Lithuanos haud parum ibi potuiſſe conſtat. Germani noſtri ſerius quidem ibi vim ſuam exercuerunt, at dominatu certo & conſtante conſtituto, tarditatem illam compenſavere. *Primam huic occaſionem* (c) negotiatores Bremenſes dederunt, qui circa annum MCLX. tempeſtate in Dunæ fluvii oſtium rejecti, cum vicinis Livis & commercia & in futurum pro mercandi libertate pacta quædam inierunt, eorundem conſenſu ſacello in Dunæ inſula extructo, quæ a re Kirchholm deinceps nuncupata eſt. Paulo poſt *Menardus monachus* (d) a Bremenſibus adductus, ſparſo rite divini verbi ſemine, cum feliciter ſacra chriſtiana propagaſſet, meruit ab Alexandro III. papa anno MCLXX. epiſcopus gentis conſtitui, ſede ad Dunæ ripam Uxkillæ ipſi attributa. Qui ſucceſſit defuncto Bartholdus, cum vim & arma intentaret, a barbaris trucidatus, locum fecit Alberto ex canonicorum Bremenſium collegio evocato: qui triginta trium annorum ſpatio, majore armorum felicitate, miſeræ & pene excisæ genti, & ſacra imperavit, quæ docere debuiſſet, & perpetuam ſervitutem impoſuit, Riga urbe circa annum MCC. condita in firmum ſedis ſuæ domicilium. Eam in rem uſus eſt cumprimis ope ſacræ iſtius militiæ Germanicæ, quæ ordinis fratrum militiæ Chriſti & *enſiferorum* (e) titulo inclaruit, non multo poſt in corpus Mariani cruciferorum ordinis cooptata, Teutonico magiſtro alteri illi Pruſſico certis legibus ſubjecto. Quæ omnia cum a cæſaribus publica eſſent auctoritate confirmata, a ſeculo usque decimo tertio, ingens terrarum tractus, ad orientale maris Balthici litus, centum & viginti octo milliaribus Germanicis in orientem, a Croni fluvii, quem Memelam hodie vocant, oſtio ad Narvam Ruſſorum emporium, in meridiem ad Lithuanus & Ruſſos exporrectus, ſenſim in provinciam imperii Germanici receptus eſt: Archiepiſcopo Rigenſi & epiſcopis in numerum pontificum Germaniæ, & magiſtro ordinis denique, cum libertatem a Pruſſico ſibi ære redemiſſet, anno ſeculi ſuperioris tertio decimo in claſſem imperii principum, relatis.

35. Hic ſtatus rerum duravit, donec anno MDLIIX. Joannes Baſilides Moſchorum tyrannus, devictis duobus Tartarorum regnis *Caſane & Aſtracane* (f) ferox, *immanem in modum in Livoniam* (g) omnem cœpit ſævire. Incolæ tantæ moli tantisque malis impares, cum ab imperio auxilia fruſtra flagitaſſent, nec ſpes ulla melior ſeſe oſtenderet, aliena auxilia circumſpicientes, alii ad alios ſeſe inclinaverunt. Primi Revalienſes cum nobilibus ejus diœceſeos, quibus paulo ante ſuperbiſſimis literis Moſchus bellum denunciaverat, urbem & agrum vicinum omnem Daniæ regis dominio & tutelæ obtulerunt, ſed repulſam paſſi ſunt. Biennio poſt cum Moſchi iterum ſupra quam dici poteſt imma-

(a) *Ut qua ætate*) *C. A. M.* Hodierna Britannica lingua eſt dialectus Saxonica. Nam omnes gentes Germanicæ, quæ Taciti ætate fuerunt, & ad mare Balthicum habitarunt, Suevi fuerunt, ita ut plerique populi Germanici ita ſint dicti; mare Balthicum etiam dictum eſt *mare Suevicum.*

(b) *S. Anſgarii*) *C. A. M.* Fuit ille archiepiſcopus Hamburgenſis & epiſcopus Bremenſis: hic per Suecos & Danos propagavit chriſtianam religionem. GöBEL. *Vitam Anſgarii* S. RAMBERTO conſcriptam habemus, quæ una cum CLAVDII ARRHENI *breviario vita Anſcharii* in tomo LINDENBROGII, a celeb. JO. ALBERTO FABRICIO edito, legitur.

(c) *Primam huic occaſionem*) *C. A. M.* Sec. XI. & XII. præ omnibus urbibus commerciis vacaverunt *Bremenſes.* Hamburgum tum erat in exiguo pretio. *Lubeca* tum primum cæpit condi. Olim ante V. ſecula non illa ratio commerciorum fuit, quam hodie. Deinde non etiam obtinuit mos ille navigandi per *fretum Oriſuedicum.* Nam ſemper fuit infeſtum piratis ferocitate infamibus: Majorum tandem primi *Friſii* per id navigarunt, poſtea *Bremenſes.*

(d) *Menardus monachus*) GöBEL. Vide *HENNINGES Lieffländiſche Chronicke part. 1. RVSSAV Lieffländiſche Chronicke fol. 3. ſeqq. VENATOREM von Teutſchen Ritter-Orden p. 270.*

(e) *Enſiferorum*) GöBEL. Vide SCHVRTZFLEISCH *diſſert. de enſifer. ordine.*

(f) *Caſane & Aſtracane*) GöBEL. RVSSOWES *Lieffländiſche Chronicke fol. 60. The voyage of ſtroys fol.* 178.

(g) *Immanem in modum in Livoniam*) *C. A. M.* Cum Ruſſis fuerunt plurima bella Livonibus, ex quo occupata fuit a Germanis. WALTHER a KLETTENBERG tanta felicitate pugnavit cum Ruſſis, ut pene 60000. eorum cæſi fuerint, & tum coacti ſunt, in 60. annos inducias facere. Notandum, Livoniam primum incoluiſſe multas colonias Germanicas, ſed quæ maxime oriundæ fuerunt ex Saxonia. Omnis etiam nobilitas, quæ in Livonia eſt, debet originem his terris, & in numero magiſtrorum neminem videbimus, niſi ex Saxonia & Weſtphalia ortos. GöBEL. De Baſilidis impetu in Livoniam conf. HEIDENSTEIN. *de bello Moſcow. lib. 1.* RVSSOWS *Lieffländiſche Chronicke fol.* 195. *ſeqq.* HENNINGES *Lieffländiſche Chronick fol.* 61. *ſeqq.* ODERBORN *vita J. Baſilidis.*

immaniter ſævirent, & tandem Vellino munitiſſimo oppido capto ad ipſas Revaliæ portas excurrerent, nec *in tantis anguſtiis ulla ab imperio vel propria virtute & viribus ſpes defenſionis appareret, Revalienſes neceſſitate adacti extrema* (verba recito Davidis Chytræi locupletiſſimi ſcriptoris ex libro XX. chronici Saxoniæ) *Ruſſis aſſidue ad eorum portas excurrentibus, & non ſolum pecora, ſed cives & incolas ab urbe egreſſos abducentibus, ab ERICO Suecia rege vicino, pecuniam mutuam, &, ſi a Moſcho urbs obſideretur, auxilium & defenſionem petiverunt. Cum autem Ericus, non eſſe pecuniam regno Suecia aliis mutuo dandam, reſponderet: verum ſi imperio & tutela ipſius ſe civitas Revalienſis ſubjiceret, ſe non cupiditate proferendi fines ſui regni, quod alioquin ſatis amplum haberet, ſed Chriſtiana charitate, ac ut Moſchum vicinum, ſi ea urbe potiretur, regno ſuo intolerabilem futurum, arceret; ſe patrocinium ad defenſionem illius urbis ſuſcepturum, omniaque privilegia & immunitates antiquas urbi relicturum eſſe polliceretur: Revalienſes, re cum nobilitate vicina & civibus communicata, magiſtro Livonia juramentum fidelitatis ſuperiori anno praſtitum renunciant, ac Erico Suecia regi, qui paulo ante patri Guſtavo ſucceſſerat, ſe ſubjecerunt.* (a)

36. Præcedente anno, poſt milleſimum quingenteſimum quinquageſimo nono, aliter nonnihil archiepiſcopus Rigenſis & magiſter ordinis cum Polono pepigerant: at vero coacti & illi fuere tandem Polono ſeſe totos dedere, anno ſexageſimo primo illius ſeculi. Recitabimus utrumque ex eodem Chytræo: qui hæc omnia diligentiſſime & ſumma fide poſteritati tradidit. De priore pactione ita ſcribit: *In Livonia graſſante ingentibus copiis Moſcho, & loca munita paſſim occupante, catera impune pervagante, & infinitam hominum multitudinem captivam hoc biennio abducente: Archiepiſcopus Rigenſis & ordinis coadjutor, cum ſe ab imperio Romano non juvari, & ſolos ad reſiſtendum hoſti tam potenti impares eſſe cernerent; Sigismundum Polonia regem vicinum, & archidiœceſis Rigenſis protectorem rogarunt, ut defenſionem Livonia, ſalvo tamen imperii Romani jure, ſuſciperet, & pro ſumptibus belli novem arces ac prafecturas pignoris loco acciperet; quas Livonia magiſtratibus poſtea redimere ſexcentis millibus aureorum liceret. Hac defenſionis pacta, ſolennibus literis & juramentis utrinque confirmata ſunt.* Quæ anno ſexageſimo primo contigerunt, hiſce verbis narrat idem Chytræus: *POLONIÆ rex, ad cujus patrocinium & tutelam, magiſtrum ordinis Livonia, & archiepiſcopum Rigenſem, ac nobilitatem illis ſubjectam confugiſſe diximus, cum diſtractiones Livonia inteſtinas, varias & multiplices, & urbem Revaliam cum tota vicinia SVECO ſe ſubjeciſſe, aliquot etiam provincias a Magno Holſatia duce teneri cerneret; non amplius teneri prioribus pactis de defenſione, cum magiſtro ordinis & archiepiſcopo initis, multo minus conatum defenſionis aliquem adverſus Moſchos ſuſcipere voluit, niſi archiepiſcopus & magiſter ordinis, cum omnibus ſubditis ſuis, ſe regno Polonia & Lithuania penitus ſubderent, & ſolenni ſubjectionis juramento devincirent. Cum igitur archiepiſcopus & magiſter ordinis, ab imperio Romano, cujus auxilium & opem aſſiduis legationibus ſupplices imploraverant, ſe plane deſertos judicarent; & ingentia Livonia, jam magna ex parte a Moſcho & aliis occupata, vulnera remedium praſens flagitarent: extrema coacti neceſſitate, ut reliquas adhuc Livonia provincias, ne in Moſchi poteſtatem pervenirent, nomini & religioni Chriſtiana conſervarent; conditionem ſubjectionis a rege Polonia flagitatam ſubire coacti ſunt. Quare poſt multorum menſium tractationes, tandem rex Nicolaum Radzevilum, principem Lithuanum in Olica & Niſchevvitz, palatinum Vilnenſem, cum plenis mandatis in Livoniam miſit, ut executioni tranſacta daret, & permiſſas ſibi ab ordinis magiſtro arces, provincias, documenta & literas acciperet, & a Rigenſi civitate, juramentum fidelitatis, nomine regis Polonia exigeret.* Hæc Chytræus, qui mox ſubjungit & tabulas regias, quibus dedititiis Livonibus cautum eſt & alia multa ad negotium illud pertinentia. Jam tum ante vero Daniæ rex Fridericus fratri ſuo *Magno* (b) ab Oeſelienſi & Curonienſi epiſcopo reſignari curaverat epiſcopatuum illorum ditiones. Et hoc illud erat, quod cauſabatur Polonus, quo minus pacto priori ſtaret.

37. Neutri deditioni, ut nec Danicæ illi, lego a cæſare aut imperii ordinibus interceſſum. Attamen cum anno ſeptuageſimo pax inter Daniæ & Sueciæ reges, poſt octo annorum bellum, Stetini conficeretur, & Magnus Holſatus a Moſcho Livoniæ rex eſſet renunciatus, qui tranſactioni pacis aderant, *caſareani legati, Livoniam ab imperio avelli, & a Magno Holſatia duce, regis Dania fratre, titulum regis Livonia, in prajudicium & contumeliam Romani imperii a Moſcho acceptum uſurpari, agerrime ferebant.* Inter capita pacis hoc ante omnia tum conſtitutum fuit: *Caſarea majeſtati & imperio, Suecus, qua in Livonia poſſedit, velut ſupremo magiſtratui & domino cedit. De quibus diœceſin Revalienſem & Oeſilienſem, Padis, Sonneburgam & Habſel, Dania regis tutela imperator ſtatim ſubjiciet. Urbs vero Revalia & Wittenſteinum tantiſper in Sueci poteſtate manebunt, donec caſarea majeſtas cum eo imperii nomine, de belli ſumptibus in defenſionem Revalia impenſis, tranſegerit. Qua de cauſa, rex Dania, Moſchum & fratrem ſuum, ſe ab obſidione urbis Revalia tam diu avocaturum ſperat, dum imperii totius nomine, caſarea majeſtas & principes electores deputato die, conſilio & ope regia majeſtatis Dania, Polonia & Suecia, de ſplendida legatione ad Moſchum inter ſe conveniant, ut vel pacem cum Moſchis conſtituant, vel acri bello conjunctis viribus eum reprimant.* Ita quidem tranſactum fuit initio anni. Sequentis vero anni Junio menſe, *caput illud primum pacis de urbe Revalia & diœceſi vicina caſari & imperio a Suecia rege conceſſa, Maximilianus imperator per Jonam Offenburgerum Revaliam miſſum ſenatui Revalienſi expoſuit. Qui nihil adhuc ſibi de ceſſione illa regis ſui nomine ſignificatum eſſe, indicavit. Velle autem ſe mandata ipſius regia majeſtati Suecica prima occaſione nunci-*

(a) *Subjecerunt*) GöBEL. Conf. RVSSOWENS *Liefflandiſche Chron. fol. 80. ſeqq.* THVANVS *ad ann.* 1560. HENNINGES *Liefflandiſche Chronicke fol. 30.* RVSSOWENS *Liefflandiſche Chronicke fol. 52.* PIASECII *chron. geſtor. in Europa ſingul. p. 51.* HEIDENSTEIN. *res Polon. lib. 1. p. 3.*

(b) *Magno*) GöBEL. Ab Oeſelenſi epiſcopo Fridericus Daniæ rex jus illud ære redemerat, atque ut parte, quam habebat frater in Holſatia, potiretur, ipſi in compenſationem, quod ab epiſcopo emtum habebat, ceſſit. THVANVS *ad ann.* 1560.

nunciare, & paulo poſt cæſareæ Majeſtati reverenter reſpondere. Quæ omnia is, quem ante laudavimus, Chytræus libro XXII. his ipſis, quæ adduximus, verbis memoravit.

38. Ex eo tempore motam aliquam ex pacto Suecis controverſiam imperii nomine, haud invenio. Duravit vero in Livonia omni Moſchorum ſævitia adhuc deinceps annos complures: Revalia ipſa anno ſeptuageſimo ſeptimo denuo *totas ſex hebdomadas obſidione cincta, & aſſiduis ac horribilibus tormentorum fulminibus & globis igneis in tecta vibratis, irrito tamen conatu, oppugnata eſt.* Nec acquieverunt Moſchi, donec multis præliis feliciter a Joanne Sueciæ rege devicti Eſthonia omni, quam pene ſuam fecerant, cedere, & pacem tandem duris conditionibus petere coacti ſunt: quæ demum anni nonageſimi quarti initio fuit conſtituta. Cum Polonis quoque haud lego imperii nomine occupatæ Livoniæ ergo diſputatum vel actum eſſe. Geſſerunt vero & ipſi acerrimum cum Moſchis bellum usque in annum octogeſimum primum: quo exeunte demum pax compoſita, & Livonia cedere Moſchi compulſi ſunt. Haud invenio etiam cum Dano expoſtulatum, occupatæ Oeſiliæ cauſſa, a cæſare & imperii ordinibus, etſi ille poſt obitum magni ducis ſui illam juris feciſſet. Ex adverſo Eſthoniam ſibi dedi poſtulantibus Polonis, electus tum Polonorum rex Sigismundus III. qui & Sueciæ ſimul imperabat, anno octogeſimo ſeptimo reſpondit teſte Chytræo lib. 28. *Suecos, Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. imperatorum literis ad Guſtavum Ericum & Joannem reges diverſis temporibus ſcriptis, tutelam ejus provinciæ ab imperio ipſis commendatam, demonſtraturos eſſe.*

39. ATQVE ita quidem & Livonia nobis periit poſt Pruſſiam. Quicunque vero omnia iſthæc cum cura expenderit, niſi vehementer fallor, culpa aliqua imperii hæc ita contigiſſe non diffitebitur. *Primum* enim in officio utique fuit imperii, Moſcho non verba ſed arma opponere, iisque ſalutem civium enixe opem implorantium ſaltim pro virili defendere: & tamen omne hoc fuit ſurdis auribus exceptum. Imo ne quidem aliqua miſſa legatione Moſchum mitigare tentatum eſt. Quod ipſum apud omnes prudentes & probos ſolet haberi indicium certum derelictionis, prout capite nono decimo multis diſputavimus. *Secundo* facta jam illa Livonum ab imperio defectione, nec a Polono nec a Dano quidquam imperii nomine fuit repetitum, pene jam integros centum annos. Quæ cum Sueco erant pacta itidem nulla facta vindicatione aut etiam repetitione, ſpacio nonaginta pene annorum irrita itidem ſunt facta: omni republica celerem, certe præſentem magis, curam exigente. Ut proinde etiam hoc alterum ſignum fuerit factæ derelictionis. *Tertio:* quo tempore facta eſt illa ab imperio ſeceſſio, ne verbulo quidem fuit contradictum, tametſi minime omnium lateret, quid fieret: adeoque non obſcure fuit indicatum, illam ſeceſſionem nihil iniqui habere, ab imperio nullis auxiliis ſuppetentibus. *Poſtremo:* ita comparatum eſt, ut absque ſummo Livonum incommodo recuperari priſtina imperii auctoritas nequeat, & tamen imperio non fuere illi ſubditi quondam ad utilitatem dominantium, ſed ſuam. Fuerit igitur & recuperandi conatus cum aliqua injuria conjunctus. Quæ cum ita ſeſe habeant, jam & Livonia jure imperii finibus excidit.

CAPVT XXX.

De finibus imperii Marinis, & totius operis peroratio.

I.

Peragravimus jam omnia imperii regna, eorumque jura ab exteris vindicavimus. Poſtquam igitur ſatis eſt factum inſtituto noſtro, licet fortaſſis, bona cum venia lectorum, argumentum hoc deſerere. Et vero quod ſuperſit dicendum, pro modulo quidem noſtri inſtituti, nihil ſupereſt; niſi forte *de maris*, (a) quod & Germaniam & Italiam & Arelatenſe regnum alluit, dominio nonnihil

(a) *Maris*) *C. A. M.* Si rem in theſi velimus agitare, tum obſervare eſt diverſas ſententias de imperio oceani, & quidem hac de re contenderunt præclari ICti, etiam integri populi. Quod ad populos attinet, qui lucrum ſpectant ex mari, qui hactenus jus prætenderunt, illi ita diſputant, quaſi *mare liberum.* Illi, qui utilitatem capiunt ex dominio, dicunt poſſe dari *maris dominium.* Quod jurisconſultos attinet, plerique ſtatuunt, mare jure gentium eſſe liberum, inducti verbis VLPIANI male intellectis. Neque enim dicit, illud ſimpliciter eſſe liberum, ſed non eſſe ſub peculiari poſſeſſione. Ita etiam viæ ſunt publicæ, ſed cum jurisdictione reipublicæ. Inter illos, qui aſſeruerunt ſimpliciter, mare incapax eſſe dominii, primarius eſt FERDIN. VASQVIVS, Hiſpanus in *controv. illuſtr.* Quamvis ille non ignoret, longe alia in ſententia eſſe Hiſpanos. Hunc ſecutus GROTIVS librum ſcripſit, cui tit. *mare liberum.* Edidit illum adhuc juvenis; eſt vero elegantiſſimus libellus, & qui prodit ingenium tum temporis longe ſuperaſſe ætatem. Prodiit primum anonymus, anno ſeculi hujus nono, quo tempore agitatum de induciis inter regem Hiſpaniæ & ordines Belgicos. Rex autem volebat Batavos a commerciis Indiæ arcere. Tum enim temporis florebant vires *ſocietatis Indiæ occidentalis* & ſic Hiſpano illæ opes erant formidoloſæ. Neque etiam ignorabat, velle etiam Belgas inire ſocietatem cum Americanis. Multi Batavorum erant in ea ſententia, hoc eſſe juſtum. Grotius autem diſſuaſit. Ob librum antedictum vehementer quidem indignatus eſt Grotio JACOBVS *R. M. Britanniæ.* Et non multo poſt cœpit magna controverſia de *piſcatura halecum* inter Britannos & Hollandos. Jam dudum Hollandi non procul remoti a Britannia halecces piſcati ſunt: ſed complures invidentes illis hoc lucrum, incitarunt regem Angliæ, ut prohiberet & permitteret tantum Anglis; ſed Batavi objecere libertatem maris. Hoc quoque ſupra modum ægre tulit rex Brittanniæ. Ex adverſo mare eſſe dominii capax, & noſtro tempore aliquot præclari JCti diſputavere, quos inter SELDENVS Anglus in *mari clauſo.* Hic in lib. 2. vero plane paradoxam proponit ſententiam, GROTIVS autem *l. 2. I. B. & P.* eandem hanc controverſiam tractat, ſed paulo cautius. Interim hoc vult probare, mare ſeu integrum ſive magna ex parte non eſſe capax dominii. Videtur autem, magnam portionem maris poſſe dominio privato poſſideri. Non exiſtimo operæ pretium, ut in theſi hanc controverſiam tractem, ſed poteſt quis ea legere, quæ habet GROTIVS & VASQIVS, & in libello, quem nuper edidit THEODOR. GRASWINCKEL. Dirigit autem diſputationem ſuam adverſus Italos de mari Liguſtico. Potuiſſet eodem modo etiam adverſus Venetos

nonnihil ſit adjiciendum. Sane hunc locum hactenus non attigimus, & tamen ad diſputationem de finibus videtur pertinere, quo conſtet, num extrema ora continentis aut inſularum ſit pro termino, an vero ultra exporrecta ſit imperii vis, & in ipſo mari fines ejus ſint quærendi. Ne quid ergo in nobis deſideretur, breviter & de illa re diſſeremus.

2. Ac principio quidem, quin poſſit mare & ipſe immenſus Oceanus, ſaltim magna ſui parte, privata poſſeſſione teneri, ceu certum & dubio carens, nunc quidem conſtituimus. Nec enim hujus eſt temporis cum iis contendere, qui exiſtimant, omnimodo mare dominii aut propriæ poſſeſſionis eſſe incapax: & jam tum cum olim tum non adeo pridem viri doctiſſimi, Joannes Seldenus præcipue & Jacobus Gothofredus, rem iſtam omnem hactenus quidem liquidam reddidere. Id hujus eſt officii, ut inquiratur, num quod maris dominium reapſe imperio competat, & ſi quod competat, quemadmodum illud ſeſe habeat, quove usque extendatur.

3. Ab ipſis igitur cæſaribus noſtris vim aliquam imperii in omnia illa maria unquam eſſe exercitam, haud liquet. Scio quidem titulum Caroli V. cæſaris noſtrate lingua ita perſcribi ſolere, quaſi ille dominus fuerit Oceahi. At vero non imperii ſed Hiſpaniæ cauſſa quondam verba, id quæ præ ſe ferunt, titulo addita ſunt; perinde ut omnia, quæ proxime adjacent, de inſulis Canaris, Indiis, & terra firma: eoque nemo ſecutorum cæſarum Oceani ullam in titulo ſuo fecit mentionem. Sed & error quidam videtur in interpretatione Hiſpanici tituli commiſſus ab hominibus noſtris, quod ètiam Joannes Seldenus annotavit *l. 1. Maris clauſi cap. 17.* Nam noſtri quidem ita pene loquentem Carolum introducunt: *Inſularum Canariæ, nec non Indiarum & terræ firmæ, maris Oceani &c. rex, archidux Auſtriæ:* quaſi & maris Oceani regem ſeſe Carolus dixerit. *Sed hallucinatio eſt,* (ut recte ſcribit Seldenus.) *Hiſpanica enim ſunt: Rey de las Islas, y terra del mar Oceano &c. id eſt rex inſularum, & terræ firmæ maris Oceani, ſeu in Oceano poſitas ſpectes (quas Ferdinando V. Hiſpaniarum regi conceſſit Alexander VI. Pontifex Romanus univerſas a primo longitudinis circulo in Occidente poſitas) earum ſe regem nuncupat, non ipſius Oceani.*

4. Porro etſi principibus marium accolis regalia quæ appellantur cæſares conceſſerint, haud tamen fortaſſis eorum cuiquam maris aliquod dominium conceptis quidem verbis ſunt largiti. Mihi ſane in omnibus, quas vidi, tabulis feudalibus cæſarum (vidi autem complures) nihil tale eſt obſervatum. Inſulæ tamen maris continenti viciniores paſſim ſolitæ in beneficium dari: ut & fluvii inſignes in mare retento ſuo nomine late excurrentes. Mutant ſcilicet identidem littora vices ſuas; & quem locum aliquando fluvius tantum aliquis alluit, illum mare tandem occupat ſuperſtite tamen nomine priſco fluvii in loco iſto. Id quod in Oſtfriſia patria mea circa Amaſum obſervare eſt: cujus nomine etiam pars illa Oceani venit hodie, quæ continentem inter & inſulas quasdam proximas diffunditur: adeoque cum alia tum & Amaſi appellatione principibus meis a cæſaribus ſolet diſertis verbis in fidem concedi. Sic in tabulis pacis cum regno Sueonum nuper initæ art. X. conceditur in feudum Sueonum regno: *è Pomerania ulteriore Stetinum, Gartz, Dam, Golnou, & Inſula Wollin, una cum interlabente Odera & MARI, vulgo das friſche Haff vocato, ſuisque tribus oſtiis Peene, Schvvine & Drevanovv, atque adjacente utrinque terra ab initio territorii regii* VSQVE IN MARE BALTHICVM. In tabulis, quibus Otto magnus cæſar olim papæ Romano multa donavit Adriatico pariter & Tyrreno mari vicina, fit mentio *maritimorum* & quæ *terra marique ad civitates* nonnullas *pertinent:* ceu liquet ex illis, quæ cap. X. in medium adduximus: ſatis tamen apparet, per ea, quæ *mari* dicuntur pertinere ad civitates, inſulas vicinas intelligi, ut per *maritima*, partem continentis mari proximam, eoque hanc opponi *montanis* ſive montis Appennini partibus.

5. Non deſunt, ſcio, ex juriſconſultis, qui vicini maris dominium omnibus littorum dominis competere exiſtiment, eamque ſententiam ſic ſatis pervulgatam eſſe: & inter eos a nonnullis usque illuc, ubi vox ex littore clamantis poteſt exaudiri, ab aliis ſagittæ jactu, ab aliis centum milliaribus, ab aliis ſexaginta Viciniam iſtam definiri. Verum enim vero cum omnis privata poſſeſſio unice ab hominum ſit inſtituto, & gentium mores hac in re plurimum varient, neque naturali neque omnium gentium legibus de dominii hujus marinis finibus certi aliquid eſt conſtitutum, atque ideo ex illis quidem fontibus peti nihil certi poteſt, quod huc pertineat. Romanorum legibus nihil itidem hujus eſt definitum: & quamvis eſſet, non tamen illæ imperii Germanici dominia maritima oſtendere idoneæ forent. Ergo omne hoc definiendum unice eſt ex moribus & inſtitutis receptis ſingulorum populorum. At vero Germanici quidam populi olim maris dominium plane videntur contempſiſſe. De Autharito Longobardorum rege ſcribit Paulus Warnefredus l. 1. de geſtis Longobardor. cap. 33. illum regium usque, extremam ad fretum ſiculum Italiæ urbem, vim regiam exercuiſſe. *Et quia,* inquit, *ibidem intra maris undas columna quædam eſſe poſita dicitur, usque ad eam equo ſedens acceſſiſſe, eamque de haſta ſua cuſpide tetigiſſe dicens; Usque huc erunt Longobardorum fines.* *Ferunt alii,* (a) ſimilem in modum magiſtrum ordinis Germanici, limites dominii ſui

diſputare: Verum cum hos defendiſſet adverſus *autorem ſcrutinii*, noluit eos offendere. JOH. SELDENVS obiit ante paucos annos. Valuit autem tanta peritia linguarum orientalium, ut pene neminem habuerit parem; in diſputando vero fuit minime laudandus. Scripſit etiam plurima, quæ pertinent ad *jus Hebræorum.* Non adeo pridem prodiit etiam ſingularis *diſputatio de dominio maris* in Acad. Jenenſi. GÖBEL. Nos de hac controverſia alibi agimus. Diſputatio Jenenſis, cujus hic mentio fit, STRAVCHII forte eſt *de imperio maris.*

(a) *Ferunt alii*) *C. A. M.* Quod hic narratur, ante non multos annos objectum eſt regi Daniæ in nobili illa controverſia inter Danum & Polonum. Vladiſlaus vero rex Poloniæ voluit vectigalia imponere *Dantiſcanis.* Cum

ſui in mare Balthicum Pruſſiam alluens, equo candido in littore extremo inſidentem exſerto gladio definiiſſe. Alii lanceæ in extremum mare Cimbricum jactu Ottonem magnum terminos imperii conſtituiſſe narrant: ſed qui referunt lanceæ illum jactum, Saxo Sialandicus l. x. & alii, iſtum in finem id factum haud affirmant. Saxo diſerte *monumenti gratia* id actum memorat. Cæterum ne hoc quidem perpetuum fuit omnibus germanicis gentibus; nam Norwegicæ ac Danicæ, quæ itidem Germanicæ quodammodo ſunt, ipſiusmet vaſti Oceani bonam partem ſuæ ditionis jam olim crediderunt, qua de re præclare diſſerit *Iſacius Pontanus* (a) l. 2. Diſcuſſion. Hiſtoricar. cap. XI. & XXI. Fecerunt idem & Angli Saxonesque Britannici, Germanicæ & illi originis. Quod pulchre oſtendit Seldenus; at hujus loci non eſt enarrare.

6. Præterea vero imperii quidem Germanici, ſaltim poſt Carolum magnum, auſpiciis nunquam forte claſſis aliqua in maris dominium inſtructa eſt. Ne alteri quidem maris alicujus cura publico eſt imperii nomine tradita; ſi excipias id, quod ſemel forte atque iterum eſt factum. Certe non in regno vel Arelatenſi, quod a mari Tyrrheno, vel in Lotharingico, quod ab Oceano alluitur, tale quid unquam legas factum. In regno Germanico de Oceani Ammiralio, ut loquuntur, conſtituendo, actum quidem eſt Rudolpho II. cæſare ſub initio hujus ſeculi, ſed ſucceſſu conſilium caruit. Ferdinandus II. cæſar *Wallenſteinium* (b) & Oceani & Balthici maris Ammiralium creavit: at res novi exempli ſtatim magnis motibus occaſionem præbuit, & mox irrita evanuit. In Italico regno ſimilem magiſtratum mari Tyrrheno præfecit primus, *quod ſciam*, (c) Fridericus II. cæſar. In cujus epitaphio proinde hunc verſiculum etiamnum legit Sicilia: *Qui MARE, qui terras, populos & regna SVBEGIT.* Ad illud exemplum præfecturam ejusdem maris Henricus VII. Lucelburgius Friderico Siciliæ regi, Carolus quintus *Andreæ Auriæ* (d) commiſerunt.

7. Claſſe tamen nonnullæ imperii civitates maritimæ plurimum valuerunt jam ab aliquot centum annis; & quidem usque adeo, ut quædam haud dubitaverint omne vicinum mare ſuam in poteſtatem redigere, & tanquam rem privatæ poſſeſſionis ſibi vindicare. Ita ſane *Piſani* (e) vicinum omne Tyrrhenum mare, Genuenſes Liguſticum ſui juris fecerunt. In Balthicum etiam mare urbes vicinæ, cumprimis *Lubeca*, (f) late ſatis jam dudum imperium exercuerunt. Aliæ, etſi non plenum dominium ſibi aſſeruerint, tamen piſcandi jus ſolis ſibi per ingentem maris tractum occupavere: de reliquo maris illius, qua littoribus noſtris vicinius eſt, uſum liberum & communem omnibus, privata omni dominatione excluſa, permittentes. Et vero florentibus adhuc Slavorum rebus, in ipſo Balthico iſto mari valida fuerunt potentia Venedi, Danis ipſis ſæpe ſuperiores, quod paſſim fatetur Saxo. In eandem potentiam mox Saxonicæ coloniæ, oppida maritima occupantes, ſucceſſerunt. Imo aliquamdiu univerſi illius maris imperium potiſſima ex parte penes *Hanſici fœderis* (g) urbes fuit.

8. In Oceano multum quoque ſemper potuerunt urbes proximæ, in Saxonia cumprimis *Brema & Hamburgum*, (h) in Friſia & Hollandia complures. Etſi vero dominium aliquod Oceani proximi ſibi nunquam arrogaverint, tamen piſcandi jus ſibi proprium effecere, & ab aliis dominium aliquod ibi arripi nunquam paſſæ ſunt, libertati ſuæ Oceano relicto. Et vero nullus populus, nullus princeps in omnem Oceanum illum Germanicum vel affectavit unquam antehac dominandi aliquod jus. Primus ſane *Albericus Gentilis*, (i) homo Italus, ſed in Anglia degens, univerſum Oceanum Anglicano ſceptro obnoxium pronunciavit, *l. 1. Advoc. Hiſpanicæ cap.* 8. cujus inſanum illud dogma deinceps defendendum ſuſcepit, magna quidem & ingenioſa opera, invalida tamen, integro libro ſecundo maris clauſi, lectionis fere infinitæ ſcriptor Joannes Seldenus, cum ipſamet ſapientiſſima Elizabetha longe aliter & rectius judicaverit, quod diſcimus *ex Cambdeno* (k) ad annum 1580. & Jacobus rex limites regni ſui marinos publico edicto exacte diſtinxerit,

vero hi non ferrent regem, coactus fuit rex, naves quasdam circa littus illud continere & inſtituere illas ad vectigal quærendum. Hanc rem Dantiſcani ægerrime tulerunt; provocarunt itaque ad auxilium regis Daniæ, qui haberet imperium in littus illud. Ille omnes in fugam egit, & negavit, quod eis ibi aliquod jus eſſet.

(a) *Iſacius Pontanus*) *C. A. M.* Natus in Dania parentibus Hollandis; egit profeſſorem Hardevvici, fuit dein hiſtoriographus regis Daniæ. Hic ſe oppoſuit Seldeno: librum appellat *diſcuſſiones hiſtoricas*. GöBEL. Hic contendit, univerſum mare non poſſe eſſe in dominio. *lib. 2. c.* 1. cui ſe opponit STRAVCHIVS *l. c. c.* 2.

(b) *Wallenſteinium*) GöBEL. Vid. PVFFEND. *rer. Suec. lib. 2.* §. 5. BRACHELIVS *lib. 3. p.* 191. THEATR. EVROPÆVM *part. 1. p.* 1198. LONDORP. *actor. publicor. tom. 3. p.* 1017. *ſeqq.* TEXTOR *de ratione ſtatus imperii cap.* 20.

(c) *Quod ſciam*) GöBEL. Mihi talis in annalibus non occurrit.

(d) *Andrea Auria*) GöBEL. Sed neſcio, an hic a Carolo V. imperii Germanici nomine mari illi præfectus fuerit.

(e) *Piſani*) GöBEL. Quanta olim horum & Januenſium in mari fuerit poteſtas, ex CAFFARI FOGLIETÆ & BIZARRI *annalibus* conſtat.

(f) *Lubeca*) GöBEL. Hæc claſſe olim admodum valebat; Quod ex PVFFENDORFFII *hiſtoria ſuecica* pateſcit. Vide WERDENHAGEN *de rebus publicis Hanſeaticis parte 3. c. 12. ſeqq.* 17. 18.

(g) *Hanſici fœderis*) GöBEL. Videatur WERDENHAGEN & HAGEMEIER *de civitatum Hanſeaticarum fœdere c. 1. Apologeticus Hanſ. Teutonica apud Werdenhagen.*

(h) *Brema & Hamburgum*) GöBEL. *Werdenhagen c.* 2. 3. 19. 20. 21.

(i) *Albericus Gentilis*) *C. A. M.* Eſt præclarus juriſconſultus. Hic eſt frater SCIPIONIS GENTILIS, uterque oriundus ex Italia; ſed ob religionem profugerunt. Et quamvis Albericus valuerit ingenio, Scipionis tamen fuit longe exactius. Vixit autem Albericus æque ac Seldenus ſub Jacobo.

(k) *Ex Cambdeno*) *C. A. M.* WILH. CAMDENVS Anglus præclare deſcripſit res geſtas *Eliſabethæ* Angliæ reginæ: Eſt liber lectu dignus iis, qui ad conſilia accedere volunt. GöBEL. Puto, autorem noſtrum reſpicere ad reſponſum, quod legatus Hiſpanicus de Draconis navigatione & malis ab eo Hiſpanis illatis conquerens, in Anglia ab Eliſabetha tulit *l. c. p.* 318. *Hiſpanus*, inquit, *iniquitate in Anglos, quos commercio contra jus gentium prohibuerunt, hæc ſibi mala acceſſiſſe, præterea illam non intelligere, cur*

xerit, ut ab aliis ita & a Germaniæ vicinia: quod ipſemet Albericus non potuit diffiteri. Eadem olim conditio fuit maris Adriatici, donec illius dominium uſu ſuum effecerunt Veneti: quod tamen demum exercere cœpiſſe videntur *Theupolo duce* (a) circa annum MCCLXIII. quantum ex l. 8. Decad. 2. *Blondi* (b) colligere eſt, etſi alii ad ſeculum duodecimum ejus initia referant. Quamvis vero non imperii univerſi mandato urbes & populi dominium illud maris exercuerunt; reapſe tamen omnia imperii tacita auctoritate ſunt geſta, utpote quum ſubditi lucrari ſoleant ſuæ reipublicæ.

9. In unverſum igitur omnia æſtimantibus haud difficulter apparet: *Primum*, ultra littora extenſos ubivis imperii limites, atque adeo non ſola continente imperii vim & jura circumſcribi. *Deinde*: non ubivis æqualiter tamen exporrigi maris illud dominium, ſed alibi illud latius patere, alibi arctioribus finibus includi, idque non niſi exploratis cujusvis loci priſcis moribus juribusque exacte poſſe definiri. Quod ipſum demonſtraſſe, nunc quidem ſatis eſt pro inſtituto. Ut proin de Finibus imperii, quod nos quidem hoc loco diſſeramus, nihil ſit reliquum.

IMPERII FINES, per longi temporis actus,
Inque vicem bona ceſſa malis, immenſaque quondam
Anguſto contracta loco, ſed jure perenni
Ampla tamen ſatis, & reliquo ſat robore tuta,
Perſcripſi: quæ rara pedum veſtigia ſignant,
Avia jamdudum peragrans dumisque referta.
Interea miſere lapſas res erigit omnis
Teutoniæ, magnique agitans comitia regni
Magnus, & Auguſto ſubolem diademate cingens,
Vocibus innumeris applaudente æthere, cæſar,
Fortunate nimis triplici jam murice ſplendens,
O JUVENIS, jam tum Heſperii ſpes ultima mundi,
Et vos Sethidei Proceres, generoſa propago
Heroum: Vobis hoic ſanctus panditur ordo
Imperii, quondam ſeu duro Marte regendum
Mollibus aut fuerit ducendum pacis habenis.
Fas mihi ſit dare thura ſacris, ubi maxima Roma
Auſoniique omnes adolent; ubi victima multa
Burgundo mactante cadit; Lotharingius ingens
Ipſeque cum Venedo ſupplex Theotiſcus adorat;
Mille alii feſtosque dies ritusque celebrant,
Danubio multum lætante, faventibus & Diis.
Salve, magne Iſter, liceat mihi dicere verum,
Et caſus memorare graves, durosque labores
Imperii. Meminiſti autem & felicia ſecla,
Germanam quando trepidabant undique gentes
Ferri aciem; rurſumque eadem præſaga futuri
Fata ſecuturis Ponto minitaris ab annis.
O utinam ſua priſca animis concordia noſtris,
Cana fides, pridemque Themis proſcripta redirent!
Sat felix Germane fores in finibus arctis.
Fallor, an & priſcam longe trans culmina celſa
Pyrenes, transque aërias vim dideret Alpes
Teutonia, ac noſtrum, victo licet orbe ſuperbus,
Pronus adoraret veſtigia Turcus equorum?
Tunc ego jam multo fortaſſis tempore fractus
Jam tremulusque licet, frontem redimitus oliva,
Et niveam indutus vittam, Finesque reverſos
Dicerem & æternis celebrarem laudibus ævum.

Ad B. Hermanni Conringii Tractatum de Finibus imperii Germanici Annotationes ulteriores, ſive liber quartus, continens varias easque noviſſimas finium mutationes, modernumque eorum ſtatum, juxta diverſas recentesque Europæ conventiones pacificas.

Ad libr. I. cap. II. §. 5. pag. 133.

D*Evicto Friſiorum rege &c. omnis maritima Germaniæ ora a Rheni oſtiis &c. Francorum rebus adjecta.*) Friſia hodie communiter in orientalem & occidentalem diſtinguitur, vulgo *Oſt- und Weſt-Frieſland*; ex quibus Weſt-Friſia ad ordines confœderati Belgii pertinent, unde & generalis

ſui & aliorum ſubditi ab Indiis prohibeantur, quas Hiſpanici juris eſſe ſibi perſuadere non poſſet ex Pontificis Romani donatione, in quo prærogativam in ejusmodi cauſis agnovit nullam, nedum authoritatem, ut principes obligaret, qui nullam ei obedientiam debent, & Hiſpanum novo illo orbe quaſi infeudaret, & poſſeſſione inveſtiret. Cæterum quod ad Cambdenum attinet, ipſum aliquando aulæ ſtudiis abreptum fuiſſe dicunt.

(a) *Theupolo duce*) C. A. M. Apud Venetos multa ſunt nomina græca, quod ſemper reſpexerint imperium Conſtantinopolitanum; & ad illud res ſuas compoſuerint, & ex illo regno nonnulla poſſident, ut *Cretam*. Notandum autem eſt, ſolere ſibi deſponſare ducem Venetorum annulo *mare Hadriaticum* quotannis. Non redit autem ad duces, niſi pretio reddito. *Donatus* legatus ad pontificem Alexandrum VI. eleganter reſpondit quærenti Pontifici; unde tale privilegium acceperint Veneti. his verbis: *mirari ſe, hoc ignorari, cum iisdem tabulis factum fuerit, quibus Pontifici Conſtantinus M. dominium Italiæ legavit.* GÖBEL. Vide *AMELOT de la Houſſaie tom. 1. p.* 256. *MORISOTI orbem maritimum lib. 2. c. 19. p.* 486. Varia pro Venetorum dominio in mare Adriaticum exſtant ſcripta, ut ſunt 1.) *Allegazioni in jure di CORNELIO Frangipane per la vittoria navale contro Friderico I. imperatore & atto del papa Aleſandro III. per il dominio della republica Veneta del ſuo Golfo contra alcune ſcritture de Napoletani.* 2.) *I. articulo delle ragioni del dominio, che ha la Sereniſſima republica di Venetia ſopra il ſuo Golfo per il jus belli propoſto da CIRILLO MECHELE contre le ſcritture impugnative d'alcuni Napolitani.* 3) *JO. PALATII de dominio maris Adriatici.* 4.) *ANGELI MATHEACII de jure Venetorum & juriſdictione maris Adriatici.* 5.) *JULII PACII de dominio maris Adriatici.* 6.) *PAULI SARPII del dominio del mare Adriatico della ſereniſſimâ republica di Venetia.* 7.) *FRANCISCI DE INGENUIS de juriſdictione ſereniſſima reipublica Veneta in mare Adriaticum* apud *LONDORP tom. 1. lib. 2. c. 15.* Hujus argumenta examinat *Dn. JO. AUGUST. de BERGER in ſuccincta commentat. de imperio maris Adriatici cæſari qua regi Dalmatarum ac principi Iſtriæ ut & regi Neapolis ac Siciliæ proprio.* In hac imperatori, ut regi Dalmatiæ, dominum in mari Adriatico conſtitueram ego utriusque partis argumenta hic examinare: Sed ob nimiam typographi feſtinationem hoc alii reſervare tempori coactus ſum.

(b) *Blondi*) C. A. M. Scripſit hic hiſtoriam Venetam non male, licet ab aliis pluribus ſit ſuperatus. GÖBEL. De Blondo judicium vide apud VOSSIUM *de hiſtor. latin. lib. 3. p.* 555.

ralis ipſorum titulus eſt: *Die Herren Staaten von Holland und Weſt-Frießland &c.* Friſia orientalis vero ſive *Oſt-Frießland*, titulo novi principatus, imperii finibus ut feudum continetur, eſtque princeps Oſtfriſiæ ſtatus imperii & vaſallus.

Ad libr. I. c. IV. §. 8. pag. 145.

Ducatui Forojulienſi &c.) Ducatus Forojulienſis, vulgo *Friaul*, eſt limitanea Italiæ Germaniam verſus provincia, cujus potiſſimam partem Veneti hodie poſſident; domus Auſtriaca tamen civitatem Gradiſcam cum nonnullis caſtris ſimul quoque ex illo retinent. Nomen ducatui huic impoſuit primaria quondam illius urbs Forum Julii, ſive Forojulienſis civitas a Julio cæſare ædificata, & inde ſic dicta, quam Itali hodie la cità di Friuli vocant, licet non amplius ſit metropolis, ſed civitas Udinum, vulgo Weiden, in ejus locum nunc ſurrogata eſt. Ad ducatum hunc pertinet quoque urbs quondam ampliſſima cæſarumque quorundam ſedes, hinc & altera Roma dicta, Aquileja, nunc admodum deſtructa, quæ ſuperioribus ſeculis civitas ſedesque patriarchalis quoque fuit.

Ipſe ducatus Forojulienſis, quem Itali patria di Friuli vocant, inter Italiæ provincias olim Romanis, poſtea Longobardis, & his tandem depulſis, Carolinis paruit, a quo tempore Berengarius Italiæ invaſor illum occupavit, donec Berengarius III. ab Ottone imperatore victus & captivus ductus victori provinciam hanc cedere coactus fuit, quam prædictus imperator patriarchæ Aquilejenſi maximam partem donavit, ſecutusque cæſar Conradus non ſolum donationem hanc approbavit, ſed & reſiduam ducatus partem ſimul junxit.

Cum autem increſcens Venetorum potentia late patentem patriarchæ Aquilejenſis jurisdictionem ſtudiumque dominandi amplius ferre nolebat, adeoque anno 1420. ſub duce Thoma Mozen. Patriarcham integro territorio & patriarchatu exuerunt, Venetoque imperio ſubjecerunt, ſede patriarchali in urbem Venetum, ubi & hodienum eſt, translata.

Hoc modo ducatus Forojulienſis a Venetis occupatus fuit, ſed tamen ideo jure finibusque imperii nunquam excidit. *Conf. infra lib. I. cap. 9. & lib. II. c. 23. ibique Not.* Megiſer. *de Venet. republ. c.* 29. Quapropter Ferdinandus II. anno 1628. ad jura imperii vindicanda in prædict. patriarchat. Aquilejenſ. proteſtationem ſolennem Pontifici inſinuari juſſit. *Vid. Theat. Europ. ad d. Ann.*

Ad libr. I. cap. VII. §. 2. pag. 156.

Straßburck:) Dn. Autor *infra lib. II. c.* 26. *pag.* 415. ſcribit, quod Argentoratum cum urbe Colonia ad Rhenum ſemper in ditione Germani imperii manſerit. Verum non multo poſt pacem Noviomagenſ. urbs Argentor. deteſtando poſteris & vix audito exemplo, violata imperii fidelitate, anno 1681. M. Septembr. Gallico jugo, neglecta priſtina libertate ſe ſubmiſit, & quidem haut expectato tormentorum hoſtilium ictu. Id quod multis ſuſpicionem movit, transgreſſionem iſtam non ſine colluſione & corruptelis Gallicis, per aliquot annos antea diſſimulatis, peractam fuiſſe.

Galli quidem ſub futili prætextu fallacique argumento urbem tum aggrediebantur: 1. enim cum ſenatus Argent. ſecretarium Günzer. ad Baron. de Montclar. Locumtenent. General. exercit. reg. ablegaverat, d. 18. Sept. d. ann. de exploranda cauſa hoſtilis invaſionis. Reſpond. ille: accelerare 6000. cæſareos milites, ad urbem præſidio muniendam; quam ipſe ex mandato regis, ante illorum adventum præoccupare ſibique aſſerere teneatur. 2. Cum ſenatus, ex juſſu, deputatos d. 19. Sept. ad regium miniſtrum, omnis hujus invaſionis fraudisque artificem Marchion. de Louois miſerat, propoſuit illis; Quod ipſos non lateat, totam Alſatiam per pacem Monaſterienſem regi & coronæ Galliæ conceſſam, hancque conceſſionem a cæſare & imperio paceque Noviomagenſ. approbatam; neque Argentinenſ. diffiteri poſſe, urbem ipſorum in Alſatia ſitam eſſe; quam itaque rex præoccupandam duxiſſet, antequam appropinquantes cæſar. præſidiarii imponerentur.

Hinc brevi horarum ſpatio ſe declararent, num ad exemplum aliarum Alſatiæ civitatum, ſe ut fideles ſubditi regi ſuo ſponte ſubmittere, an bombardas incendiarias vimque armorum expectare vellent? Quapropter etiam atque etiam præſentem urbis ſtatum perpendant: nullam enim ſubſidii apparere ſpem, nec a vicinis Helvetiis, qui, ut ſatis ipſi exploratum, Argentoratenſium cauſa, contra regem Galliæ certe nulla moturi eſſent arma.

Senatus, exigio deliberandi ſpacio impetrato, ut duram hanc propoſitionem cum Tribunis in utramque partem examinet, civibus interim in muris & propugnaculis arma oſtentantibus, quaſi patriæ libertatem acerrime contra Gallum defenſuri; verum mox mutato animo, ſenatus cum civibus, velut ex condicto, in deditionem urbis inclinant conſentiuntque, hac ratione moti, quod licet urbem per aliquot dies defenderent, tamen ab hoſtili violentia & ruina ſalvam tueri non poſſent. Videndum potius ſit, quo pacto, ſine cæde & ruina urbis & incolarum, honeſta deditio, ſalvis urbis privilegiis & juribus, ab hoſte impetrari poſſit.

Plerique civium omnes decreto huic applaudebant, mox concipiebantur deditionis pacta d. 20. Septembr. per urbis deputatos, Gallic. Plenipotentiariis M. Louv. & Baron. Monclar. ſubmiſſe ad probandum & ſubſignandum exhibita, id quod etiam in plerisque factum, promiſſa ſimul intra XX. dierum ſpacium, ratificatione regia. Prædicto jam die 20. Septembr. urbs 13000. fere milites Gall. præſidii loco recipere, d. 22. cathedralem eccleſiam, vulgo *das Münſter*, evacuare, & 23. d. M. civium examatorum arma Gallis tradere debuit.

Quod concernit famoſæ hujus deditionis pacta, præcipua illorum ſequentia ſunt: Artic. I. Civitas Argentoratenſis, ad exemplum domini de Fleckenſtain & nobilitatis Equeſtris inferioris Alſatiæ, *recognoſcet majeſtatem chriſtianiſſimam pro abſoluto ſummo domino & protectore ſuo.*

Rex

Rex civitatem & dependentias ejus in regiam ſuam protectionem recipit.

II. Majeſtas ſua omnia antiqua privilegia, jura, ſtatuta & conſuetudines civitatis Argentinenſis tam eccleſiaſtica, quam politica, juxta tractatum pacis Weſtphalicæ per Noviomagenſem illum confirmatum confirmet.

Conceſſus & hic Artic.

III. Majeſtas ſua relinquet liberum exercitium religionis civitati, eo in ſtatu, in quo ab anno MDCXXIV. inde huc usque fuit, cum omnibus eccleſiis (templis) & ſcholis, nec concedet, ut aliquis, quisquis etiam is erit, eorum aut bonorum eccleſiaſticorum, fundationum & conventuum, nempe Abbatiæ S. Stephani, capituli ad S. Thomam, S. Marcum, S. Guilielmum, ad omnes ſanctos & eccleſiarum aliarum quarumcunque hic comprehenſarum, aut non comprehenſarum, ratione, litem eidem moveat. Sed eadem in perpetuum urbi & incolis ejusdem conſervet.

Conceſſus; & ut eodem iisdemque gaudeant omnibus, quæ bona eccleſiaſtica concernunt, ſecundum modum in tractatione Monaſterienſi præſcriptum, excepta ſola eccleſia ad S. Mariam, quæ alias dominica, ſive eccleſia cathedralis appellatur, quæ catholicis reſtituetur.

IV. Majeſtas ſua relinquere vult magiſtratum in ſtatu præſenti, cum omnibus ſuis juribus & libera electione collegarum ſuorum, nominatim tredecim-virorum, quindecim-virorum, viginti-virorum cum uno, majoris minorisve ſenatus, ſcabinatus, officialium civitatis & cancellariæ; conventibus eccleſiaſticis, univerſitate, ut & ejusdem doctoribus, profeſſoribus & ſtudioſis, cujuscunque conditionis illi erunt, collegiis, tribubus & opificiis, per omnia, prout ſe nunc temporis habent, cum jurisdictione civili & criminali.

Conceſſus, cum reſervatione tamen, ut de actionibus, quæ mille librarum monetæ Gallicæ ſummam capitalem excedunt, integrum ſit, ad parlamentum Briſacenſe appellare, ſic tamen, ut appellatio non ſuſpendat executionem rei judicatæ &c.

V. Indulget quoque majeſtas ſua, quod civitati omnium redituum, jurium, vectigalium, pontagiorum & commerciorum cum telonio, quemadmodum ea hucusque exercuit, cum libera diſpoſitione *des Pfennig-Thurns*, & rei monetariæ, ut & locorum, in quibus tormenta bellica conſervantur & apparatus armorum, tum eorum, quæ in armamentario, quam quæ in vallis & domibus civium reperiuntur &c. liber uſus & perceptio conſervetur.

Conceſſus, exceptis tormentis bellicis, apparatu bellico, & armis in armamentario publico, quæ in poteſtate officialium ſuæ majeſtatis erunt &c. Quam fideliter autem rex Galliæ pacta hæc ſervaverit, eventus docuit, urbsque Argentinenſis cum maximo detrimento experta fuit, utpote brevi interjecto tempore ſtatus illius non ſolum in politicis, ſed & eccleſiaſticis, contra datam fidem & pacta, valde mutabatur; non obſtante ratificatione regia, quæ Germanica verſione ita ſonat:

Nachdem Se. Majeſt. alle von dem Raht und Obrigkeit der Stadt Straßburg vorgeſchlagene Articul ſamt denen darauf beſchehenen Erklarungen geleſen und examiniret, *hat Sie dieſelben vor genehm gehalten*, ratificiret *und* confirmiret.

Und heiſſet demnach gut, ratificiret *und* confirmiret *alles dasjenige, vvas in Dero Namen von dem* Marquis *von* Lovois, *und Freyherrn von* Montclar, *nach Innhalt beſagten Erklarungen, zugeſaget und verſprochen vverden iſt.*

Verſpricht demnach bey Kœniglichen Worten und Glauben, dieſelben unverbrüchlich von Puncten zu Puncten zu halten, zu beobachten, und denenſelben nachzukommen, und nicht zu geſtatten, daß denenſelben vveder directe *noch* indirecte *zuvvider gehandelt vverde.*

Zu vvahrer Uhrkund deſſen hat Se. Majeſt. gegenvvartiges dieſes mit ihrer eigenen Hand unterſchrieben, und Dero geheimes Siegel vordrucken laſſen.

So geſchehen zu Vitry *den* 3. Octobr. 1681.

Louis.

Colbert.

Quam inique & perfide vero urbs hæc a rege Galliæ imperio ſurrepta fuerit, vel maxime ex inſtrumento pacis Monaſterienſis & Noviomagenſis liquet; utut enim Alſatiæ Landgraviatus, in quo Argentina ſita eſt, regi & coronæ Galliæ ſit per dict. Pac. inſtrum. conceſſus, civitas tamen Argentinenſis expreſſe fuit excepta inque ſuo immedietatis ſtatu imperio reſervata, uti ex artic. III. d. Monaſt. Pac. conſtat, *verbis ſeqq.*

Teneatur rex chriſtianiſſimus non ſolum epiſcopos Argentinenſem & Baſileenſem cum civitate *Argentinenſi &c.* in ea libertate & poſſeſſione immediatis erga imperium Romanum, qua hactenus gaviſi ſunt, relinquere, ita, ut nullam ulterius in eos regiam ſuperioritatem prætendere poſſit &c.

Id quod artic. II. Pac. Noviomag. expreſſe corroboratur; cujus *verba hæc ſunt*:

Et cum pax Monaſterii Weſtphalorum &c. ſolidiſſimum hujus mutuæ amicitiæ tranquillitatisque publicæ fundamentum futura ſit, reſtituetur illa in omnibus & ſingulis ſuo priſtino vigori manebitque impoſterum ſarta tecta, tanquam ſi hic ejusdem pacis inſtrumentum de verbo ad verbum inſertum legeretur, niſi quatenus eidem hoc tractatu expreſſe derogatum eſt.

Jam autem nihil plane inſtrum. Pac. Monaſt. qua civitatem Argentin. per pacem Noviomag. derogatum reperitur, ergo perfido & injuſtiſſimo titulo rex Galliæ dictam civitatem imper. Roman. German. ſubtraxit. Nec quicquam occupatio iſta legitimari poteſt altero Gall. prætextu,

textu, 6000. cæſar. præſidium urbis augere voluiſſe. Anceps fama ſaltem vel Gallorum figmentum erat. Et licet vera fuiſſet, quid juris prohibendi Gallo inde naſcitur, dum cæſar urbem imperii limitaneam, & quæ potiſſimum ejus propugnaculum erat, valido præſidio munire velit. Quidnam in vicennali Armiſtit. de hac occupatione diſpoſitum ſit, *conf. not. ad lib. 2. cap. XXVIII. infr.*

Ad libr. I. cap. IX. §. 6. pag. 168.

Breve admodum fuiſſe illud Calvi imperium, vindicante numine injuriam Germanicis regibus factam.) Ex his patet, quam calva ſit regum Galliæ in imperium Romanum ejusque dignitatem & titulum prætenſio, utpote a Carolo calvo ipſorum anteceſſore deducta, adeoque calvo & lubrico fundamento ſuperſtructa. Tempeſtuoſus namque & ſolſtitialis rex Italiæ cæſarque Carolus calvus a Johanne VIII. pontifice Gallicis partibus plus æquo, in odium Germanorum, favente, promotus Italiam in tranſitu magis vidit, quam tenuit, Carolomanno & fratre Carolo craſſo, ejectis Italia Saracenis, jura imperatoria repetentibus.

Poſt quæ tempora nullus Franciæ regum quicquam juris in Italiam Romanumque imperium habuit. Sed hæc omnia penes Germaniæ reges, ultra 800. annorum ſpatium, jure permanſerunt, contra quosvis æmulos hoſtesque propugnata. Nec quicquam in contrarium facit, quod *Grammond. in præfat. oper. hiſtoric.* ad regem Ludovicum XIV. non ſemel exclamet: *Eris cæſar!* Adulatoria enim & fanatica hæc Gallorum prognoſtica ſunt, quibus nihil ponderis ineſt, aut ſi quid demum poſſunt, chartaceam coronam imperatori Galliæ regi imponere poterunt, quæ Germanis pro ludibrio eſt; quicquid etiam in electione Caroli V. & Leopoldi Franciſci I. & Ludovici XIV. hujus cauſa tentaverunt.

Quod attinet Auberii conſiliarii regii & advocati parlamenti Pariſienſis prætenſiones Gallicas ante aliquot annos in lucem editas, quas non ſolum cæſar, ſed & alii Europæ principes ægre admodum tulerunt, illæ ficulneis fundamentis nituntur, adeoque dudum exploſæ & refutatæ ſunt, earumque autorem ipſe rex Galliæ, ne approbando cæſarem & Europæ principes offenderet, in carcerem præmii loco, conjici mandavit.

Nihilominus tamen paucis abhinc annis rex Galliæ Ludovicus XIV. in caſtra prædicti Auberii ipſe quaſi tranſiit, & ſi non prætenſionem, ambitionem tamen ſuam libidinemque erga imperatorem coronam ſatis audacter vel denique impudenter prodidit, dum per legatum ſuum *de Verjus* comitem de Creci, electoribus cæterisque imperii ſtatibus in comitiis Ratisbonæ adhuc durantibus, primogenitum ſuum Delphinum, ut in regem Romanorum eligerent, ſub certis promiſſis non ſolum commendare, ſed &, in caſum repudii, minas addere non erubuit, uti ex actis comitialibus conſtat, inque propoſitione prædicti legati Gallici inter alia ſequentia audiebantur verba: *Es laſſen des Allerchriſtlichſten Kœnigs in Franckreich Majeſtat der hochanſehnlichen Diete alhier in Krafft dieſes proponiren, und freundlich angeſinnen, daß zu Begleitung hochgedachter Kœnigl. Majeſtat Qualitat, vermittelſt einer gedeylichen Wahl ſie Dero Durchlauchtigſten Dauphin dieſes Nahmens Ludwigen den XV. zum Rœmiſchen Kœnig erwehlen; oder aber, im Fall deßwegen eine difficultirliche raiſon verhanden, ſolche zu unterthænigſter Rapportirung an meinen Großmachtigſten Principaln communiciret werden mœchte &c.*

Ambitioſus Gallus haut dubie reſponſum ex voto ſibi ab electoribus imperiique ordinibus jam perſuaſerat; Aſt nimium ſpe ſua deceptus nullum plane ad odioſam iſtam propoſitionem reſponſum obtinuit, ſed potius ſurdis, ut in proverbio dicitur, fabulam narravit, hæcque prætenſio ambitioque Galli forſan impoſterum quoque fabula manebit.

Ex his tamen aliisque rerum circumſtantiis interim liquet, quam ſollicite tranquillis juxta & turbulentis mediis hunc in finem Gallus hactenus laboraverit, omniaque velut miſcuerit elementa. Nec dubium eſt, quin repudium hoc illi haut leviter bilem moverit, ut arma anno 1688. pacifraga vel in vindictam contra imperium capeſſeret, omniaque pacis fœdera uno quaſi ictu & impetu perfide ſatis violaret.

Ad lib. I. cap. IX. §. 14. pag. 171.

Nec eſt, quod Creſcentii irritis & momentaneis conatibus &c.) Hic Creſcentius, ſub Ottone III. imperatore Romæ conſul erat, temerarius & impotens dignitatis cæſareæ æmulus, quem ambitioſa ejus uxor dominandi libidine adeo incenderat, ut cum nonnullis complicibus conſilium inierit, Ottoni coronam Romanam eripere ſibi imponendam, quæ impoſterum, excluſis Germanis, Romanos tantum ornaret.

Otto imperator nefaria Creſcentii perfidia commotus cum inſtructo exercitu maturabat in Italiam ad coërcendum tumultuarium iſtum conſulem, qui ſtatim mutato conſilio pelleque vulpina ſuperinducta cæſari appropinquanti obviam ibat, humillima ſubmiſſione offenſam deprecans, quam & cæſar mitigatus illi condonavit, mox iterum Germaniæ fines repetiturus.

Quo diſcedente Creſcentius, ex libidinoſæ conjugis incitamento, nova in cæſarem iterum molitur, miſſo in exilium Gregorio V. pontifice, ab Ottone quamvis conſtituto, quod ipſum Romæ coronare recuſaverat; cæſar ſtatim ac cognoverat novum Creſcentii tumultum, denuo expeditionem in Italiam ſuſcipit, urbem Romam obſidet & expugnat ſimul cum mole Adriani ſive caſtro S. Angeli, quo ſe receperat tumultuarius conſul Creſcentius, nunc autem captivus cæſaris, qui illum aſino retrorſum impoſitum per plateas urbis ignominioſe circumduci, & tandem ad coërcendam illius ambitionem, in prominentiſſima Romæ arbore ſuſpendi juſſit, ut a Jove pluvio ſolſtitialis iſte & aſininus Romanenſium rex inungeretur, inconſultæ temeritatis exemplum poſteris relinquens.

Ad idem cap. IX. §. 14. pag. 171.

Ad ferale illud &c. Friderici II, cæſaris fatum, vim imperii per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes

penes Germaniæ reges fuiſſe.) Imo imperatoria jura, dignitatem & titulum Germanici reges etiam tempore funeſti illius interregni mortem Friderici II. inſecuti, & poſt illud ad præſentia usque tempora retinuerunt, quamvis ab exceſſu laudati Friderici non pari efficacia, ut Ottones quondam cæſares, exercuerunt;

Rudolphus I. enim poſt interregnum illud in cæſarem electus, ex vulpino, non leonino axiomate, quod ipſum nempe anteceſſorum veſtigia terreant, Italiam intactam relinquere, quam exercenda per partes illas autoritate cæſarea, ſe periculo exponere maluit, id quod nec majeſtati imperatoris glorioſum, nec imperio Romanorum Germanico proficuum adeo fuit, utpote quod ab eo usque tempore non ſolum Romani pontifices, ſed & ſedi pontificis addicti principes per Italiam multa quidem per uſurpationem ſibi attribuerint cæſarumque poſſeſſionem turbarint, quamvis juribus imperii & cæſarum hoc facto nihil periit, nec longiſſimo temporis tractu inde præſcriptum fuit; imperatores namque Romano-Germanici illis poſſeſſoribus, per retentionem tituli, autoritatis & poſſeſſionis civilis, injuſtam poſſeſſionem ſemper exprobrarunt, ſicque præſcriptionem interruptam effecerunt.

Conſultius tamen Rudolphus imperator ejusque ſucceſſores egiſſent, ad exemplum Ottonum imperatorum jura cæſarea per Italiæ provincias pariter proſequendo; ad quod ipſis cum egregia occaſio, tum juſtiſſima cauſa, tempore Clementis IV. pontificis fuit oblata per iniquum ſimul & truculentum Conradini Sueviæ ducis legitimi regni Neapolitani hæredis ſupplicium, Carolique ducis Andegavenſis inveſtituram, a dicto pontifice injuſta hac atque ignominioſa conditione illi collatam, ut imperium ejuraret, cæſarumque autoritatem impoſterum, velut pontificis tantum vaſallus, haudquaquam agnoſceret. Quæ injuria & uſurpatio certe Germaniæ reges ad acerrimam vindictam contra pontifices accendere debuerat, ſi vel interim regni diſſidia, vel ſocordia denique non impedimento fuiſſent.

Ad lib. I. cap. XI. §. 2. pag. 184.

Venetam urbem ipſam &c.) Multi, inter quos & dn. Conringius, hanc opinionem fovent, Venetorum urbem in Adriatico mari poſitam, per pactum inter Carolum M. & orientales cæſares a finibus occidentalium imperatorum exemtam, imo & libertate donatam fuiſſe, ut alii exiſtimant, unde & laudatus noſter Conringius in ſeq. pag. de illa ſcribit:

Ad lib. I. cap. XI. §. 3. pag. 185.

In ea itaque libertate, ſi non majore, reperit Otto magnus Venetam urbem, in qua Caroli magni conſenſu collocata eſt.) Sed quicquid demum hujus ſit, longe alia tamen ratio eſt de provinciis & locis, quæ Veneta urbs in terra continente Italiæ ac in Archipelago poſſidet, quod ipſe dn. Conringius fatetur.

Imo a tempore Maximiliani I. qui vi fœderis Cameracenſis anno 1509. Venetos in anguſtias per arma redegerat, cæſares Romano-Germanici in ipſam hanc urbem jus quoddam impetrarunt, a Venetis ipſis, redimendæ pacis cauſa, prælaudato Maximiliano per legatum oblatum.

Tum temporis enim, cum infenſus iſte imperator tormentis bellicis urbem Venetam affligeret, ſenatus reipublicæ ad cæſarem miſit legatum Juſtinianum, qui nomine Venetorum inter alia hæc promiſit atque pronunciavit:

Itaque principis, ſenatus, populique Veneti nomine humili devotione ſupplices oramus, obteſtamur atque obſecramus, ut clementiæ oculis res noſtras afflictas reſpicere digneris, iisque ſalutarem medicinam afferre. Omnis pacis leges, quas Tu nobis impoſueris, amplectemur; omnes juſtas, honeſtas & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus.

Sed fortaſſe qui nobis ipſis multam imponamus, digni ſumus. Ad Te, verum & legitimum principem, omnia, quæcunque majores noſtri ſacro imperio & Auſtriæ ducatui ademerunt, redeant. Quæ ut decentius veniant, omnia, quæcunque in continenti poſſidemus, adjungimus, quarum rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis tuæ majeſtati & legitimis imperii ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo, tributi nomine pendemus. Imperiis, decretis, legibus, præceptisque Tuis libenter obtemperabimus. &c. Conf. Guicciard. hiſtor. lib. VIII. & cum eo Conring. lib. 2. cap. 23.

Digna certe ſunt hæc verba & promiſſa, ut bis repetantur penitiusque expendantur. Venetorum namque urbem & rempublicam, ſi non plane ſubditam, maxime tamen tributariam, omnesque terræ continentis provincias cedentem imperio Romani Germanici ejusque cæſaribus exhibent atque declarant.

Neque hoc novum quid aut inſolitum fuit, Venetos imperio noſtro a multis retro temporibus tributum ſolviſſe; conſtat namque, quod ſub Henrico VII. cæſare epiſcopus Genevenſis illius legatus anno 1311. Venetias miſſus fuerit, ad tributum pro vetere conſuetudine poſtulandum.

Recte igitur Maximilianus I. & inſecuti cæſares feciſſent, ſi jura prædicta maxime tributi ſalva retinuiſſent & executioni dare nunquam intermiſiſſent erga Venetam rempublicam, quæ tamen poſt illa tempora, diſtracto hoſtium fœdere, nec promiſſum tributum ſolvere, nedum imperio bellis Turcicis licet afflicto opem ferre voluit. Unde patet, quod non minor ſit virtus, parta tueri, quam quærere.

Ad lib. I. c. XI. §. 12. pag. 197.

Regnum Siciliæ, & Calabriæ, & ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ.) Hæc omnia eodem jure cenſentur, eodemque vinculo ad imperium referuntur, quo ipſum regnum Neapolitanum, de quo *v. infr. l. 2. c. 22. ibique not.*

Ad lib. I. c. XII. §. 14. pag. 204.

De Burgundiæ comitatu, qui tunc maximam Burgundici regni partem &c.) Quo pacto & quo jure Gallus hunc comitatum occupavit retinuitque hactenus, *vid. inf. lib. 2. cap. XXIIX. not.*

Ad libr. I. c. XV. rubr. pag. 225.

Sleſwicenſem ducatum &c. jamdudum non Germanici, ſed Danici juris fuiſſe, nec non eſſe hodieque.) De ducatu hoc Sleſwicenſi jam ab antiquo usque anceps periculoſaque controverſia inter Daniæ reges Holſatiæque comites & poſtea duces agitata fuit; neque enim ducatum iſtum ut imperii membrum feudumque, ſed Danicum agnoſcere voluerunt, ut autor h. l. deducere ſatagit. Superiori ſeculo, poſtquam ad familiam Oldenburgenſem Dania cum ducatu hoc delata, diſputabatur inter regem ducemque, num ducatus Sleſw. feudum maſculum, an fœmineum quoque, in caſu deficientis prolis maſcul. cenſendum ſit?

Quæ tamen controverſia anno 1579. per Tranſactionem Odenſeam ita compoſita, ut Holſatiæ duces illud tanquam feudum maſculum a Daniæ regno recognoſcere deberent; quo titulo duces & illud ſucceſſu temporis retinuerunt, non tamen ſine æmulatione novisque dubiis, quæ magis magisque increverunt, exorto ſuperioribus annis bello Suecico-Danico, quo durante dux Fridericus tum partes Svecicas ſectabatur, cui coercendo retinendoque ſub feudali clientela & obſequio rex Daniæ milites imponebat; aſt militaribus iſtis violentisque mediis dux tanto magis irritatus eo ſpectabat, quo pacto, Suecis huic conatui admodum faventibus, ſeſe penitus a nexu illo feudi Danici exſolvere ducatumque iſtum ut abſolutus dominus impoſterum retinere queat, cujus ſpem haut inanem Sueci ipſi fecerunt, utpote tum arma victricia per Daniam circumferentes, ſub auſpiciis Caroli Guſtavi regis.

Nec ſpes illa eventu fruſtranea fuit, utpote ductu pac. Roſchildenſ. Suec. Dan. artic. 22. inter Daniæ regem & Holſat. ducem anno 1658. m. Mart. Hafniæ, ad interpoſitionem reg. Gall. Suec. & reipubl. tum Anglican. tranſactio concluſa fuit, qua rex dicto duci ejusque maſculis deſcendentibus vinculum onusque feudale, reſpectu illius ducatus, cum dependentiis, nominatim Inſul. Femern, relaxat atque remittit, ex adverſo autem ipſi abſolutam ſuperioritatem ſive dominium ſupremum cum directo & utili concedit.

Et hæc declaratio Danica mox inſequenti pace Suec. Dan. anno 1660. expreſſe confirmata fuit, in artic. XXVII. *verb.*

Cum artic. XXII. Pactorum Roſchildenſium cautum ſit, quod ſua R. M. Daniæ tenebitur ſecundum æquitatem ſatisfacere celſiſſimo principi Slesvici Holſat. Gottorpienſi duci; poſtea quoque ea de re utriusque partis tum R. M. Daniæ, quam S. Celſitudinis commiſſarii inter ſe tractarunt, atque Hafniæ 12. Maj. 1658. tandem tranſegerunt atque concluſerunt; conventum hiſce eſt, ut ea omnia pacta & tranſacta accurate obſerventur, & undecunque fideliter & ex amuſſi adimpleantur.

Pacta hæc atque tranſacta valida perſtituerunt usque ad an. 1675. defunctis jam antea duce Friderico & rege Daniæ ejusdem nominis, cujus ſucceſſor Chriſtianus V. ſtatim ab ingreſſu regiminis ſupremattum iſtum duc. Sleſwicenſ. ægris oculis ſpectabat, donec d. A. quo bellum German. Gall. flagrabat, fœdus contra Svecos cum imperio ejusque fœderatis contraxit, indeque occaſionem arripuit, diſcutiendi duc. Sleſwic. ſuperioritatem.

Rex invitabat ducem ad colloquium Rendsburgi habendum, ubi ipſi ſequentia propoſuit: 1. ut dux priſtino more, juxta tranſactionem Oldenſ. Sleſwic. ut Vaſallus Dan. recognoſceret, præſtito fidelitatis juramento. 2. Cederet regi in majorem ſecuritatem, munimentum Tonningæ cum aliis fortalitiis. 3. Nullum ſine regis conſenſu fœdus iniret. 4. Militem ſuum cum præfectur. Schabſtad. regi relinquat. &c.

Dux in poteſtate regis conſtitutus conditionibus illius quamvis duris tandem certo modo ſatisfecit, non tamen eas approbavit, adeoque rex ducatum occupabat, relaxato ſubditis juramento, cum expreſſa inhibitone, ne quicquam ipſi contribuerent; eo tempore quoqe bellum inter Danos & Suecos exortum, duce interim reſtitutionem & jura ſua variis ſcriptis & proteſtationibus urgente, cui rex gravibus ſcriptis reſpondebat, adeo ut prætenſum Sleſwic. ſupremat. vel pro reatu læſæ majeſtat. perjurii & feloniæ acciperet.

Tandem tamen, ad interpoſitionem cæſaris, regg. Gall. & Britann. anno 1679. vi Pacificat. Noviomag. dux in priſtinum ſtatum reſtitueretur; ita enim pax dict. cæſar. Suec. artic. VII. loquitur:

Sacra cæſarea majeſt. pro munere Cæſareo domino Chriſtiano Alberto Sleſwic. & Holſatiæ duci Gottorpienſi non minus, quam reliquis imperii ſtatibus, juxta leges conſtitutionesque imperii protectionem ſuam impertietur, ut eidem ditiones in imperio ſitæ & competentia jura ſarta tectaque ſint, interponetque officia, ut reliquæ etiam controverſiæ inter regem Daniæ & prædictum ducem componantur, add. artic. XXV. Pac. cæſ. Gall. maxime quoque tractat. Londinenſ. & Fontisbell. anno 1679. reſtitutionem hanc promoverunt.

Verum reſtitutione illa dux minus diu gaviſus, ſed paucos poſt annos iterum poſſeſſione dejectus, ducatusque cum aliis Holſatiæ partibus per militiam Danicam occupatus fuit. Hinc ad ſolicitationes querelasque ducis non ſolum cæſar, ſed & rex Suec. cum elector Saxon. & Brandenb. ſerio ſeſe interpoſuerunt, ducis cauſam & reſtitutionem penes Danum graviter urgentes.

Rex quidem anno 1684. m. April. literis cauſas publicis ſequentes repetitæ occupationis & retentionis expoſuerat. 1. Ducem recidiſſe in priſtina molimina conſiliaque Daniæ regno noxia. 2. Fœdera cum externis principibus iniiſſe, contra expreſſum pactorum tenorem. 3. Convertiſſe collectas provinciales, velut Camerales reditus, in uſum privatum. 4. Contra regem hæc improbantem imploraſſe aliena auxilia. 5. Excitaſſe hinc inde quovis ſtudio & ſumptu Daniæ regi hoſtes. 6. Non appro-

approbaſſe propoſitas conditiones, quæ tamen pactis familiæ conformes eſſent. 7. Igitur ducem, qui toties pactis illis & pacificationibus contraveniſſet, ſeipſum omnibus juribus & beneficiis indignum reddidiſſe.

Contra hæc gravamina & cauſas dux prolixam reſponſionem & declarationem repoſuit, & quidem ad 1. Domum Holſat. Sleſwic. jam a centum & quinquaginta annis pacem foviſſe, nullo bello implicitam, cujus tamen quantumvis pacificæ detrimentum & ſuppreſſionem a parte Daniæ fuiſſe quæſitam.

Ad 2. Ducem a cæſare regnique Sueciæ majeſtate proprio motu in partes fœderis invitatum; & poſito, quod ipſe huic ſe obtulerit, id tamen ſine crimine atque reatu cenſeri, dum ſtatus imperii, pro ſecuritate ſua, ſe capiti aſſociet.

Ad 3. Ducem de jure dimidiam collectarum provinc. partem prætendiſſe; quod autem illas in uſus privatos convertiſſet, haut probari poſſe.

Ad 4. Daniæ regem videri quaſi improbaturum ducis efflagitata circuli inferior. Saxon. auxilia.

Ad. 5. Illud non probatum eſſe; nec tamen vitio duci hoc vertendum, quando imploraret exterorum auxilia, ad redintegrandum ſtatum ſuum, quo inique deturbatus inque privatam ſortem redactus ſit.

Ad 6. Inanem eſſe minusque fundatum prætextum, quin potius cuivis in propoſito eſſe, qua ratione Daniæ rex contra ducem hactenus proceſſerit, quodque divina Nemeſis tandem vindicaret.

Ad 7. Inanem & hunc eſſe prætextum, neque ducem de jure obſtrictum fuiſſe, ſupra dictis conditionibus ſe ſubmittere.

Tum temporis rex Daniæ in literis prædictis propoſuerat ſimul modum, quo diſſidia hæc & controverſiæ componi poſſint; 1. Ut dux omnibus fœderibus, quæ cum exteris, diſſidia utriusque familiæ foventibus iniiſſet, renunciet. 2. Cum hoſtibus & adverſariis Daniæ neque privatim neque publice impoſterum correſpondeat, multo minus illis conſilium opemve præſtet. 3. Tam in conventibus imperialibus, quam circularibus amicabilem cum rege Daniæ, tanquam duce Holſatiæ, communicationem obſervet, communeque intereſſe utriusque promoveat. 4. Ad tollenda radicitus iſta diſſidia dux, ejusque ſucceſſores, priſtino more, ducatum Sleſwicenſ. a rege in feudum recognoſcant. 5. Regi ſumptus belli contra exteros ſecuritatis cauſa factos reſtituat. 6. Collectas provinciales tantum ad defenſionem territorii & ſuſtentandam militiam impendat. 7. Omnem locorum munitionem intermittat, neque 8. Militem amplius conſcribat, nec 9. adeo vilem, uti hactenus, monetam excudat &c.

Verum enim vero ſub his conditionibus pactisque nec dux Holſatiæ cum Dano tranſigere voluit, cum iſtæ non ſolum ducatum Sleſwicenſ. ſed & ducatum Holſat. ut membrum imperii afficerent non ſine præjudicio, provocans ſimul ad reſcriptum cæſaris m. Jun. 1684. exhibitum, quo cum recuſatio dictarum conditionum approbata, tum quoque illarum admiſſio, ſub jactura protectionis imperii, prohibita ſit.

Ad dictas autem conditiones a rege propoſitas ex parte ducis Gottorp. ſequenti modo reſponſum fuit, prout verba German. ſonant:

1. *Daß Ihre Hochfürſtl. Durchl. ſolten* tractaten *und* engagementen *mit Frembden genommen haben, welche mit der alten* union incompatibel, *wære nicht zu erweiſen: denn wie die alten* unionen *anders nichts als Allianzen waren, als gebührete Ihrer Hochfürſtl. Durchl.* das jus fœderum, *und kanten ſie, ungehindert der* union, *auch mit andern* Souverainen *Allianzen machen, inſonderheit da Gegentheil* continuirlich *wider die* unionen *handelte; daß aber Ihrer Hochfürſtl. Durchl zugemuhtet werden wolte, ohne* communication *mit Ihrer Kœnigl. Majeſt. in keine Handlung und Bündniß ſich einzulaſſen, ſolches vvære denen* unionen *und der Billigkeit zuvvider &c.*

Ad 2. *Wenn dieſer Punkt von Kriegsverfaſſung und Hülfleiſtung, nach dem Rendsb.* receſſ, *ſolte* reguliret *vverden, vvürde die vornehmſte* diſpoſition *der alten* unionen *zerfallen, da doch Ihre Kœnigl. Majeſt. dieſelbe in dem* Fontainebleau*iſchen Frieden beſtætiget, und den nichtigen* receſſ caſſiren *laſſen. Solten demnach die alten* unionen effect *und* vim obligandi *haben, ſo vvürden Ihre Kœnigl. Majeſt. ſich gefallen laſſen. ſo viel das* jus belli *betrift, den* unionen *nachzukommen, und nicht* contrariis factis *Ihre Durchl. davon zu befreyen.*

Ad 3. *Wenn Hollſtein-Gottorff mit Hollſtein-Glückſtadt auf Reichs- und Kreyß-Tagen* de concerto *gehen ſolte, müſte Glückſtadt ein gleiches thun, und mit Gottorff vor das Reich und den Creyß gleich gute* intention *haben. Falls aber Glückſtadt ſich hierinnen ein* directorium *anmaſſen, und Gottorff nach dem* intereſſe *und* maximen *Ihrer Kœnigl. Majeſt. vvie vveit dieſelben auch von dem* intereſſe *des Reichs entfernet ſeyn mœchten, beypflichten ſolte, ſo lieffe es vvider die Reichs-*Conſtitutionen, *vvider die Holſteiniſche Lehns-Pflicht und vvider Billigkeit.*

Ad 4. *Was Ihre Hochfürſtl. Durchl.* titulo valde oneroſo *und vvohlbefugter maſſen aus dem Nordiſchen Frieden erhalten, und durch ſo viele Friedens-Schlüſſe, auch von Ihrer Kœnigl. Majeſt. in dem Glückſtadtiſchen* receſſ, *und hernach in dem* Fontainebl. *und Lundiſchen Frieden freyvvillig beſtætiget, das kœnne ohne groſſe Unbilligkeit nicht* revociret *vverden, inſonderheit da es auf die* renunciation *der* ſouverainitæt *ankæme; es kœnte Gegentheil nicht verborgen ſeyn, daß die Hertzoge zu Schleſvvick, vvenn ein Kœnig in Dennemarck habe ſollen erkohren vverden, das erſte und letzte* votum *gehabt &c.*

Ad 5. *Ihre Hochfürſtl. Durchl. hætten niemals gegen jemand feindſelige Gedancken geführet, zugeſchvveigen, daß da dergleichen gegen einen ſo mæchtigen Kœnig, ihrem nahen Anvervvandten, und mit deſſen Landen*

dero Lande faſt vermiſchet waren, ſolte geheget haben, ſondern verlangten nur das ihrige mit Ruhe. Da aber hingegen Ihre Kœnigliche Majeſt. des Hauſſes Gottorff Lande und Unterthanen ſeithero Anno 1675. ohne einigen Fug ſo hart mitgenommen, und ſo viele Millionen Reichsthaler daraus erpreſſet, ſo rede die Billigkeit, und würde es GOTT richten, ob Ihre Hochfürſtl. Durchl. der Kœnigl. Majeſt. das, was ſie auf unnœhtige Kriege und gewaltſame Proceduren *verwendet, zu* reſtituiren.

Ad. 6. *Daß die* Collecten *zur Landes*-Defenſion *angewendet würden, darzu hatten ſich Ihre Durchl. vielfaltig erboten, ob gleich der* erogationum publicarum *noch mehr vvaren; daß ſie ſich etvva der* Collecten *begeben, und die Helfte davon nicht* prætendiren *ſolten, vvare hœchſt unbillig, auch denen* Unionen, *Vertregen, der kœnigl. Bekantniß und* Obſervantz &c. *entgegen &c.*

Ad 7. *Weiln dieſes* poſtulatum *dem Ihrer Durchl. zuſtehendem* Juri Fortalitii, *wie auch dem Weſtphaliſchen und Nordiſchen Frieden* præjudicirlich, *der Rendsburgiſche Vergleich aber* caſſiret *ſey, ſo kœnte ihr dieſes mit Recht nicht entzogen werden, man verlange ſonſt nichts mehr, als die in denen alten* Unionen *enthaltene gemeine* Defenſion, *und zwar eine ſolche, worzu ihre Durchl. als* Compaiſant *mit ihren Kreften und Raht* concurriren *kœnten, ſie durften aber nicht daran verhindert, und ihre Veſtungen von dem* Compaciſcente rege Daniæ *niedergeriſſen werden.*

Ad 8. *Beantworte ſich aus vorigen, man ſolle aber nur ſagen, wie die verſprochene* Unions *und andere Hülffe kœnne aufgebracht und geleiſtet vverden, vvenn nicht mehr Volck, als zu Beſetzung der Fürſtl.* Reſidentz *und* Garde *angenommen vverden ſolte? Die alte* Union *beſtunde in zvveyen Haupt-Puncten: als den* Conventional-*Austrægen, und dem Kriege; Der erſte vvare niemals zur* Obſervantz *kommen; der andere erlaſche durch dieſes* poſtulatum. *Wie vvolte man ſich dann auf die alte* Union *gründen? Wolte nun Ihre Kœnigliche Majeſtat die* Defenſion *alleine an ſich ziehen, vvo bliebe die* Union? *Wo bliebe das* jus belli *und die* Souverainitat?

Ad 9. *Ware ſehr zu zvveiffeln, ob die Kœnigl. oder Gottorffiſche Schiede-Müntze beſſer ſey: vvenn an dieſer ein Mangel, muſte man es der jetzigen allenthalben vvaltenden Müntz*-Confuſion *und Kipperey zuſchreiben; dieſem Unheil aber zu ſteuren vvare ein Potentat nicht gnug, vvievvol man Beſſerung und ſattſame* Remedia *vvunſchete &c.*

Ad libr. I. c. XVII. §. 21. pag. 253.

Non iniquum videri, ut aliquando Hungaria, in ſignum gratitudinis, propius cum imperio coëat in unum corpus.) Regnum Hungariæ jam a Sigismundi I. imperatoris tempore cruentum maxime Martis theatrum per Europam fuit, ubi arma Turcica unam poſt alteram partem, ſucceſſu temporis, principumque Chriſtianorum, præcipue vero Hungarorum diſcordia ſimul & ſocordia, ſurripuerunt, adeo ut anno 1683. ſub ultima tum Turcarum irruptione totum videretur perditum.

Verum mutata divinitus rerum fortuna, principum Chriſtianorum excitata concordia unitis viribus, ſtomachante licet Gallo, Mahometanorum amico, ſolitas antea Turcarum victorias in cruentas clades, per aliquot annos, hactenus verterunt, totamque, paucis exceptis, non ſolum Hungariam, expugnato anno 1688. Belgrado, ſed & alias vicinas regni provincias, Tranſylvaniam, Sclavoniam, Serviam &c. fortiter feliciterque recuperarunt.

Niſi quod maxime dolendum, Belgradum anno 1690. Turcæ, nequiſſimis Gallorum artibus excitati, & inſtructi ſummis viribus iterum invaſerunt & poſt exiguam invalidamque cæſareorum reſiſtentiam quoque expugnarunt, patefacto ſibi, per hoc munitiſſimum clauſtrum, de novo in Hungariam aditu.

Partes belligerantes belli hujus jam ferme decennalis, viribus admodum exhauſtis, pertæſi in pacis fœdera, ad interpoſitionem Anglorum & Batavorum, inclinant, quæ tempus futurum revelabit.

Ex dictis præmiſſiſque autoris locis patet, Hungariam maxime imperio Romano-Germanici ejusque prævalidis auxiliis ſalutem & conſervationem ſui debere. Quod enim tota Hungaria jamdudum Turcarum armis & jugo haut ſubacta fuerit, non certe levis Hungarorum militia, ſed ponderoſa Germanorum maxime peditum arma impedimento fuerunt. Horum quoque ſubſidio & manu potiſſimum tot munimenta Hungariæ regnique Metropolis Buda Turcis iterum erepta ſunt, quibus recuperandis Hungari cum ſtricto gladio certe ſat validi non erant.

Vident itaque Hungari & moderni Hungariæ reges, quantum Germanis debeant! Quapropter non immerito imperii electores & ordines, jam a tempore Maximiliani II. poſtularunt, ut Hungariæ, regnum, ad compenſanda inſignia iſthæc auxilia, imperii circulis vel corpori inſeratur, uti dn. autor h. l. allegat; Aſt talis unio ex variis ſtatus rationibus, vix ſperanda, tam reſpectu Hungariæ quam domus Auſtriacæ. Hinc cum ante aliquot annos electores & ſtatus imperii iſtam unionem denuo apud cæſarem urgerent, reſpondebatur illis: *Man vvolle ſolches das Rœmiſche Reich andervveit genieſſen laſſen, und bey vorfallenden Feindſeligkeiten mit deſto mehrer Hulffe gleichfalls beyſpringen;* ex quo reſponſo minus difficulter conjicere licet, quid imperio de hac unione ſpei ſuperſit.

Domum Auſtriacam quod concernit, ea victricibus quidem armis jura & prætenſionem in illud regnum præſenti bello admodum ſtabilivit, nec tamen hactenus in patrimonium, inſtar Bohemici, redigere potuit, regni proceribus reclamantibus. Hi namque hodiernum usque in diem qualemcunque ex priſtino libertatem in electione regis prætendunt, id quod patet ex recenti electione & coronatione Joſephi anno 1687. celebrata.

Nec tamen Hungariæ magnates domum Auſtriacam, quamdiu proles habilis in ea fuerit, facile præteribunt in eligendis regibus. Tandem & hoc annotandum venit, quod in comitiis regni

anno

anno 1687. ante electionem & coronationem Joſephi, Poſonii habitis, duo potiſſimum cæſar in compenſationem belli ſumptuum, a ſtatibus Hungariæ poſtulavit;

I. Ut ſucceſſionem regni hæreditariam familiæ Auſtriacæ concederent, pro tot immenſis ſumptibus in recuperanda Hungaria collatis.

II. Ut proceres ſic dictum articul. S. Andr. ex fundamentalibus regni legibus delerent & abrogarent, utpote ſecuritati publicæ maxime noxium omniumque bellorum civilium ſeminarium, proceres in hoc poſterius probandum magis inclinabant, quam in prius.

Ad lib. II. cap. XX. rubric. pag. 284.

Bona pontificibus Romanis donata non omnino imperii limitibus excidiſſe &c. Eſt contra intentionem donantis, & contra naturam harum donationum, ſub illis præter dominium utile, ſummum imperium quoque comprehendere velle. Nullus enim princeps eccleſiæque patronus, quam munificus demum & liberalis in eccleſiam ejusque Antiſtites ſit, cenſetur donaſſe & abdicaſſe ſummum ſimul in bonis donatis imperium, vel ſupereminens dominium, quod in omnibus hiſce donationibus vel expreſſe vel tacite excipitur atque donanti principi reſervatur.

Merito itaque Romani pontifices erubeſcant, quod tam impudenter cæſarum donationes extenderint, contra omnem illorum intentionem, tamque audacter, in contemptum cæſareæ majeſtatis & detrimentum reipublicæ ſummum in bonis iſtis ſibi arrogaverint imperium, cum vel uſufructuarii vel domini utiles ſaltem de jure eſſe debeant. Interim haut diffitendum eſt, quod veterum imperatorum nimia atque inconſulta in eccleſiam ſedemque pontificiam liberalitas imperio magis nocuerit, quam variorum hoſtium arma, conf. de h. Quæſtion. Conring. ſupr. lib. 1. c. X.

Ad lib. 2. c. XXII. §. 2. p. 321.

Terras omnes, quæ regni Neapolitani nomine veniunt, cæſarum dono ad pontifices cœpiſſe pertinere &c.) Patet inde, quod immoderata & inconſiderata cæſarum liberalitas pro ſuperſtitioſa ſeculi ſimplicitate, Romanis pontificibus eorumque ſedi vel integra regna donaverit, quæ illi poſtmodum aliis principibus tanquam vaſallis in feudum contulere, non ſine ſummo præjudicio & contemptu cæſarum.

Id quod maxime factum cum prædicto regno Neapolitano, quod Clemens IV. pontifex Carolo duci Andegavenſi hac conditione conceſſit, ut imperium cæſarumque autoritatem ejuraret, uti jam ſupr. ad lib. I. c. X. annotat. Hæc mala pluraque alia nocumenta ex ſuperſtitioſa iſta cæſarum liberalitate inſecuta ſunt.

Rectius itaque ſibi & reipublicæ proſpexiſſent imperatores, ſi regnum Neapolitanum cum Sicilia & aliis partibus ſibi reſervaſſent, per vicarium adminiſtrandum; Hoc enim modo ſummum pacis & belli arbitrium per totam Italiam vel contra omnes hoſtes æmulosve, in maximum imperii commodum tueri potuiſſent, ſimulque cæteros Italiæ principes retinere in obſequio.

Nunc autem vel invidioſis oculis e longinquo ſpectare debent, quo pacto cum pontifex tum rex Hiſpanor. iſto regno fruuntur gaudentque. Nam hodiernum usque in diem pontifex Romanus ſe oſtentat ſummum feudi dominum illius regni; Rex autem Hiſpaniæ eſt illius vaſallus regnique fructuarius poſſeſſor, ſimulque tributarius, qui ſingulis annis, in recognitionem feudi 7000. aureos cum albicante equa pontifici, per ſolennem legationem mittere tenetur, id quod tanto regi equidem minus decorum putandum eſt; ſub hoc onere namque & tributaria conditione vix infimæ ſortis vaſalli feuda ſua recognoſcunt.

Ad lib. II. cap. XXIII. §. 16. pag. 329.

Et hactenus vaſallum ſe imperii Magnus dux Florentiæ ultro profitetur &c.) Id quod vel maxime quoque patet ex Maximiliani II. imperatoris oppoſitione & improbatione facta pontifici Pio V. Coſmum I. Florentinum ducem titulo Magni ducis exornanti. Nam anno 1570. cæſaris legatus Romæ d. 5. Martii, quo pontifex ſolenniter in capella Sixti inſolitum iſtum titulum duci collaturus erat, contradicebat ipſi publice ſequentibus formalibus:

Quandoquidem Florentia & Sena cameræ (feuda) ſunt Romani imperii, neque poteſt neque debet circa titulum ducis Florentini aliquid innovari, citra voluntatem cæſareæ majeſtatis: alioqui enim pertinebit ea res ad manifeſtum ejusdem majeſtatis præjudicium, atque ita tanquam non facta habebitur &c.

Cum vero pontifex nihilominus in opinione ſua regaliumque imperatoris uſurpatione, præfracte perſiſteret, duce conſentiente, adeoque hic a cæſare ut vaſallus citabatur ad judicium aulicum cæſaris, coram quo & per mandatarium Concinum dictum comparuit, gravem illic cenſuram audiens, donec controverſia hæc in favorem ducis compoſita fuit.

De urbibus Florentia & Siena *conf. Limnæus tom. 1. lib. 1. c. 9. J. publ.* ubi Maximilianus I. in literis ad pontificem ita ſcribit, apud Goldaſt. *in Reichs-Satzungen p. 64. gebæren dem Reich ohn mittel zu.*

Ad d. c. XXIII. §. 22. p. 349.

De Mutina & Regii principatu &c.) Ducatus Mutinenſis ab imperatoribus Romano-Germanicis maxime Frideric. III. tanquam feud. domin. ſecul. XV. conſtitutus fuit, neque ab eo tempore feudali imperat. nexu ſolutus legitur. *Conf. pacif. Monaſt. cæſar. Gall. p. m. 264. verb.* Ducatus Sabaudiæ & Mutinæ, quod pro rege Chriſtianiſſimo bellum in Italia geſſerint & etiamnum gerant, nullum unquam adferat præjudicium; unde patet, illis ut imperii vaſallis amneſtiam ideo neceſſariam promiſſamque fuiſſe.

Ad d. l. pag. 352.

Cætera Clemens IIX. papali ditioni reddidit &c.) Autor h. l. mentionem injicit controverſiæ de ſucceſſione

ceſſione Mutinenſ. maxime ducat. Ferrarienſ. inter d. pontificem & cæſarem Eſtenſ. quæ tandem ita compoſita inter ipſos fuit, ut ducatus Ferrarienſis pontifici Romano relinqueretur, qui tamen nihilominus ſub clientela imperii manſit. Anno 1658. dux Moden. quidem in conventu elect. Leopold. Francofurt. per legatum tantum de negata cæſar. inveſtitura principatus regii conqueſtus fuit, nulla feudorum reliquorum adjecta mentione.

Ad id. C. & L. §. 23. pag. 356.

De Parma & Placentia &c.) Pontifex Alexand. III. filium ſuum naturalem Petrum Aloyſium Farneſium anno 1545. inveſtivit cum ducatibus Parma & Placentia tanquam feudis eccleſiaſt. unde Farneſiorum Familia in ducalem dignitatem elevata fuit; ſed tamen hac inveſtitura Pontificia imperii juribus & clientelæ nihil deceſſit. Dux Parmenſ. ante & ducatum Caſtro poſſidebat, quem & vi tranſactionis inter Ludovic. XIV. reg. Gall. & Alexandr. VIII. Pontif. anno 1664. concluſæ retinere debuit, nihilominus tamen Pontific. hactenus eum ſibi reſervarunt. De comitatu Ruiſconenſi, vulgo Rouſſillon, *conf. Pac. Pyren. Gall. Hiſpan. Artic. XLII. verb.* Dominus rex Chriſtianiſſim. maneat in poſſeſſione & realiter fruatur comitatu & dynaſtia Ruiſconenſi &c. regionibus, urbibus, munimentis, arcibus, oppidis, pagis & locis &c.

Dux Parmenſ. eſt quidem dicto modo Pontific. vaſallus, & quotannis, ad exemplum Hiſpan. regis ratione regni Neapolitani, 10000. ſcudos, vulgo ſcudi, in recognitionem feudi ſedi Roman. ſolvere tenetur; nihilominus tamen imperii vaſallus quoque eſt, cum omnia, quæ Pontifices in Italia poſſident, cæſaris imperiique beneficio habeant, prout ſupra fuſius ab Autor. oſtenſum. *Conf. h. c. 23. &c. c. 19. l. 2.*

Habet quoque dux Parmenſis vaſallos ſuos eosque non minoris nominis, inter quos nominantur marchio Soregnanus, vulgo di Soregna, marchio della Coſte Maggiore, marchio de Sala, marchio de Colorno &c. quibus iterum plures nobiles ut ſubvaſalli obſtringuntur; iſti tamen omnes recentioris farinæ principes ſunt, quorum licet nonnulli quotannis 12000. ſcudos in reditibus habent, ſeu ex feudis percipiunt. Adeo in quamplurimos minorum gentium regulos partes Italiæ ſucceſſu temporum diſtributæ fuerunt. *Conf. inf. plur. ad h. c. Notat.*

Ad lib. II. cap. 23. §. 24. pag. 361.

Mantua & Montisferrati ducatus clientelari jure imperio obſtricti ſunt &c.) Et hodienum ducatus iſti ſunt imperii feuda, eorumque poſſeſſores vaſalli imperatoris, quem & pro ſupremo judice in controverſiis dictorum feudorum agnoſcere, ab eoque inveſtituram ſolenniter impetrare debent, quod non ſolum ex capitulatione cæſar. ſed & inſtrumento pacis Monaſter. & Noviomag. ſimulque ex controverſiis & bello de Mantuan. ſucceſſione ſuperioribus annis agitata conſtat. Sed tamen comitia imperii duces iſti, maxime Mantuanus, ut ordinarius ſtatus, non frequentant. *Conf. Theatr. pac. Part. 1. p. 252. verb.* cæſarea majeſtas decenter requiſita concedet &c. inveſtituram Montisferrati.

In noviſſima reg. Roman. Joſephi I. capitulatione *artic.* 18. ſpecialiter hæc diſpoſita leguntur de ducatu Montisferratenſi ejusque inveſtitura; *Inſonderheit aber ſollen und vvollen vvir dem Hertzoge zu Savoya durch die Perſon ſeines rechtmaſigen Gevvalthabern, die in dem zu Munſter und Oſnabrück aufgerichteten* Inſtrument. Pac. §. Cæſ. Maj. *frey und unbedingt neben anderer verſprochenen Belehnung des* Montferrats, *auf die Form und Weiſe, vvie ſie von vveyland Rœm. Kayſerl. Majeſt.* Ferdinand. II. *dem Hertzoge zu Savoya* Victor. Amadeo *ertheilet vvorden, ſo bald vvir nach angetretener unſerer Kayſerl. Regierung hierum gebührend erſuchet und angelanget vvorden, denen Reichs-*conſtitution*en und Lehn-Rechten gemaß; zumaln ohne Anhang einiger ungewœhnlicher* general- *oder* ſpecial-reſervatori-ſalvatori *oder dergleichen Clauſul, ſamt übrigen allen, vvas in gedachten* inſtrumento pacis, *und deme darinnen* confirmirt*en* tractatu Cheraſcenſi, *dem Hauſe Savoya mehrers zum guten verordnet und zugeſaget vvorden, erfolgen laſſen, und ihme darzu durch unſer Kayſerl. Ampt* executive *verhelſen, auch deren keines unter einigen Schein, Urſache oder Fürvvand, ſonderlich auf die Belehnung des* Montferrats, *vvegen der von dem Kœnig in Franckreich dem Hertzog zu Mantua ſchuldiger und noch nicht bezahlter* 494000. *Cronen, vvorvon der* §. Ut autem omnium &c. diſponir*et, und das Haus Savoya allerdings davon befreyet, in geringſten verſchieben oder aufhalten; benebens unſerer Kayſerl.* autoritæt *bey dem Kœnig in Hiſpanien kraftiglich einvvenden, daß daſſelbe dem Hertzoge von Savoja die Stadt* Trino *unverzüglich, gentzlich und ohne Entgeld* reſtituir*en thue.*

Dem Hertzoge von Mantua aber von Kayſerl. Macht und Gevvalts vvegen alsbald ernſtlich befehlen, auch ihn durch gehœrige Mittel vvürcklich dahin anhalten, in einem vorgeſetzten kurtzen peremtoriſchen termin, *ſich alles* exercitii jurisdictionis *daſelbſt und an andern in dem* Montferrat *gelegenen, und dem Haus Savoya durch die Reichs- und vorhergegangenen Friedens-Handlungen zuerkandten Orten zu entſchlagen, damit der Hertzog von Savoya ſeiner ihme in denenſelbigen zuſtændiger* jurisdiction *gebührend und ruhiglich genieſſen mœge.*

Wie vvir denn nichts vvenigers darob ſeyn, und durch Ausfertigung ernſtlicher pœnal-mandat*en verfügen vvollen, daß vveder er, der Hertzog von Mantua, und ſeine Nachkommen, noch auch jemand anders vor ſich, oder von ihrentvvegen fürterhin demjenigen, vvegen des* Montferrats *vor das Haus Savoya in dem æfters angezogenen Frieden-Schluß, und dieſer unſer* capitulation *begriffen, auf einerley Weiſe und Wege im geringſten etvvas zu* contravenir*en, und zuvvider zuhandeln ſich unterſtehen.*

So thun vvir auch dasjenige, vvas das Churfürſtl. collegium, *unterm* dato *den* 4. Jun. *in langſt vervvichenen* 1658. *Jahrs an ihme vvegen* annullir- *und Aufhebung des dem Hauſe Savoyen zum Nachtheil unterfangenen Kayſerl. und Reichs-*vicariats *und* generalats *in Italien geſchrieben, hiermit allerdings einvvilligen und beſtatigen, dergeſtalt, daß vvir ob deſſelben Begrif veſtiglich halten und die Hertzogen von Savoya bey ihrer in Italien habender* vicariats-*Gerechtigkeit und* privilegi*en gebührend ſchützen und handhaben wollen;*

welches

welches alles jedoch auf die condition *geſtellet wird, wann ſich der Hertzog von Savoyen denen von Ihrer Kayſerl. Majeſt. von Reichs wegen* publicirten inhibitoriis *und* avocatoriis *gemeſs bezeigen und verhalten wird.*

Per pacem Noviomag. cæſar. Gall. de anno 1679. Artic. XXXI. eadem, quæ pace Monaſterienſi de Montisferratenſ. cauſa diſpoſita ſunt, expreſſe confirmantur *verb. ſequent.*

Licet ſatis declaratum ſit artic. 2. hujus tractatus, inſtrumentum pacis Monaſterienſ. in omnibus & ſingulis confirmari, expreſſe tamen placuit, ut omnia, quæ in cauſa Montisferrati dicto inſtrument. pacis Monaſterienſis cauta ſunt, & deinceps ſuum obtineant robur ac vigorem, inter quæ & ea ſpecialiter firma manebunt, quæ pro domino duce Sabaudiæ ibidem proviſa reperiuntur.

Sed quicquid tamen de hac re in capitulationibus cæſar. & pac. inſtrument. aliisque tractatibus maxime Cheraſcenſi diſpoſitum fuerit, nihilominus dux Mantuanus ſub nutu & protectione Galliæ regis, ſe pro poſſeſſore Montisferrat. hactenus gerere voluit; adeoque dux Sabaud. ſuperioribus annis in comitiis Ratisbonenſibus, per ablegatum intercellionales a collegio Electorali ad imperatorem, ſequenti memoriali exhibito petiit.

Eminentiſſimi & ſereniſſimi ſacri Romani imperii Electores,
Domini mei Clementiſſimi.

Ex ſcripto, decima octava Julii anni proxime effluxi ſereniſſimo huic Electorali collegio a me reverenter exhibito clementiſſime colligere poterunt, eminentiæ & ſerenitates veſtræ Electorales, quod ſollicita non minus quam reverenti cura regia Celſitudo ſereniſſimi victoris Amadei II. Sabaudiæ ducis, domini mei clementiſſimi, ſubmiſſis literis ante annum cæſar. majeſt. miſſis, una cum inveſtitura antiquorum feudorum, inveſtituram etiam eorum omnium, quæ ad ſereniſſimum Sabaudiæ dominum ſpectant, & præcipue partis illius Montisferrati, quæ eidem vigore tractatus Cheraſcenſis & executionis inde ſubſecutæ, adjudicata & remiſſa fuit, cum confirmatione etiam omnium & quorumcunque privilegiorum, juxta in conteſtabilem diſpoſitionem tractatuum Monaſterienſium & Neomagenſium, nec non juratæ capitulationis Francfurtenſis promiſſam, ab eadem decentiſſime petierit, ſeque paratiſſimam exhibuerit, dictam inveſtituram ſumere, debitum præſtare juramentum, cæterisque obligationibus feudalibus ſatisfacere, quotiescunque cæſareæ voluntatis abſque ulla reſtrictione & ambiguitate certior fieret.

Expectatum per medium ultra annum cæſareum reſponſum tandem accepit alte memorata regia celſitudo, ſed ab omni ejus ſpe & expectatione alienum. Placuit nihilominus ad exercendam præcipue ſummam, quam profitetur, reverentiam erga cæſaream majeſt. iterata epiſtola 6. elapſi Decemb. eidem miſſa reſpectuoſiſſimis repræſentationibus humillimas inſtantias & poſtulationes ſuas repetere.

Nulla tamen hucusque accepta cæſarea benigna reſolutione aut ſaltem reſponſo, incertumque, an poſt longiorem expectationem ſit ſecuturum & juſtitiæ & exigentiæ conſentaneum. In omnem eventum indemnitati ſuæ conſulere volens regia Sabaudiæ Celſitudo, in mandatis mihi clementiſſime dedit, ut hæc omnia eminentiarum & ſerenitatum veſtrarum electoralium ſummæ notitiæ exponam humillime ad hoc, ut pro integerrima earundem æquitate, cauſam hanc tam juſtam, in earundem magnanimæ protectionis continuationem ſuſcipere, ac eam (uti tandem regia Sabaudiæ Celſitudo æquiſſimam intentionem ſuam plene conſequatur) collegiali epiſtola omni meliori modo & efficacia ſacr. cæſar. majeſtati commendare benigniſſime dignentur.

Tandem ſperat regia ſua Celſitudo ab inclyta eminentiarum & ſerenitatum veſtrarum electoral. magnanimitate, ſemper ſtudioſiſſime has & alias ſingularis favoris teſtificationes pro viribus reponere. Ratisbonæ d. 18. Jan. 1682.

Eminentiarum & Serenitatum Veſtr. Electoralium

Ad Collegium Electorale.

humillimus obſequentiſſimus Servus
Carolus Caroccius.

Quod attinet ultima verba: *Solches alles jedoch auf die* condition *geſtellet wird, wenn ſich der Hertzog von Savoyen &c. Supra allegat. artic. IV.* capitulat. Joſeph. illa ideo huic adjecta ſunt, quod dux Sabaudiæ ab initio hujus pacifragi belli Gallic. partes Galliæ magis quam imperii & confœderatorum ſectari videbatur; poſteriores autem, propter injurias perfidiamque Gallorum anno 1691. amplexus, quibus propugnandis hactenus ſtrenue incubuit irruptione facta in Galliam.

Ad L. II. c. XXIII. §. 25. pag. 372.

Pertinet huc Caſale &c.) Munimentum Caſalenſe eſt unum ex præcipuis & validiſſimis non ſolum ducatus Mantuani, ſed totius Italiæ, imo Europæ, in quo expugnando celeberrimus belli dux Ambroſ. Spinola ſuperioribus annis omnem operam artemque militarem perdidit. Nihilominus tamen, quo nulla armorum vis, Galli tandem pecunia penetravit, & anno 1681. locum iſtum expugnavit, duce Mantuano ejusque primariis miniſtris corruptelis Gallic. occupatis, ut certis pactis regi Galliæ, eodem tempore, quo Argentoratum, traderent.

Pacta vero illus memorabilis deditionis digna ſunt, quæ huc inſerantur:

Artic. I. *Wolte ſeine Majeſt. der Kœnig in Franckreich die* cittadell *zu Caſſall des Hertzogs von Mantua Kindern, wenn er dieſelben bekommen mœgte (wozu doch wegen Alters keine Hoffnung iſt) ins künftige, gegen Wiedererſtattung derjenigen Summa Geldes, ſo ihme der Kœnig darauf vorgeſchoſſen, wieder abtreten und einraumen.*

II. *Nimmt Sr. Allerchriſtl. Majeſtat ermeldten Hertzog gegen alle und jede in ſeine* Protection *und Schutz.*

III. *Wil Se. Majeſt. alles, vvas dem Hertzog unrechtmaſſiger Weiſe abgenommen vvorden, zu vvege bringen, daß es ihme erſetzet oder vvieder zugeſtellet vverde.*

IV. *Die zvviſchen dem Hertzog und Savojiſchen Hofe annoch ſchvvebende Strittigkeiten vvill der Kænig vergleichen und beylegen helffen.*

V. *Auch die Cron Spanien dahin vermægen, dem Hertzog alle Schulden und Forderungen zu bezahlen.*

VI. *Soll der Hertzog alle ſeine in Franckreich habende Gutter geruhig beſitzen und genieſſen, auch aller Schulden erlaſſen und entzlich davon befreyet ſeyn.*

VII. *Daß S. Kænigl. Majeſt. ſo vvol in die* Citadell *als in das Schloß und Stadt Caſall eine Beſatzung von fünf tauſend Mann hinein legen mægen.*

IIX. *Nimmt Sr. Majeſt. den Hertzog von* Bozolo *gleichfalls in dero* Protection, *und erkaufft deſſen Recht und* Prætenſion *auf* Sabionette *vor acht tauſend Duplonen, vvelche der Kænig davor auszahlen leſſet.*

Itaque rex Galliæ unius anni ſpatio duo maximi momenti munimenta & urbes, Caſalam nempe & Argentinum, maxime per pecuniam aliasque corruptelas a marchion. de Louvois ſubornatas imperio ſurripuit. Omnimodo igitur, quod in proverbio alias dicitur: Pecuniæ obediunt omnia; id de pecunia Gallica intelligendum patet, cum haud exigua pars Europæ non ſolum obſequioſam, ſed & venalem illi ſe hactenus expoſuit, non ſine ludibrio atque publico detrimento.

Tandem obſervandum h. l. venit, quod in pace Monaſterienſi Gallica de duce Mantuano ut imperii vaſallo ſequentia reperiuntur diſpoſita; *p. m. 254. verb.*

Similiter declarabit imperator in inveſtitura ducatus Mantuæ comprehendi caſtra Reggioli & Luzzaræ cum ſuis territoriis & dependentiis, quorum poſſeſſionem dux Guaſtallæ duci Mantuæ reſtituere teneatur &c.

Ad lib. II. cap. XXIII. §. 27. pag. 375.

Mediolanenſem ducatum tanquam feudum imperii vacuum &c. in filium Philippum ejusque poſteros transſcripſit &c.) Carolus V. nimium adeo familiæ ſuæ intereſſe & incrementum, haud ad communem imperii ſalutem, intendit atque promovit; id quod patet tum ex collatione prædicti ducatus Mediolanenſis in filium, tum ex totius circuli Burgundici noxia magis quam proficua exemtione; *de qua infr. ad c. XXVIII. vid. plura.* Conſultius interim magisque de commodo imperii fuiſſet, ſi dictus ducatus, qui præcipuus inter Europæos putatur, ſimul cum regno Neapolitano, imperio ejusque ærario tanquam feudum apertum inſertus retentusque fuiſſet, unde neceſſitas publica immenſique bellorum ſumtus tanto magis ſublevari potuiſſent.

Præter ſupra dictos varii adhuc in Italia reperiuntur obſcurioris nominis & ſortis principes, uti ſunt:

I. Princeps de Maſſa; Maximilianus I. imperator principem imperii declaravit primo Albericum de familia Cibor. urb. Genuenſ. unde principes iſti deſcendunt.

II. Dux Sabionetta.

III. Princeps de Guaſtalla, cujus mentio ſupra in pac. Monaſt. cæſar. Gall. facta.

IV. Dux de Bozolo, qui eſt ſub reg. Gall. protectione: *vid. ſupr.* Pacta dedition. Caſal.

V. Princeps de Stiliano.

VI. Princeps de Maſſerano ex familia Ferrer. pontificis vaſallus.

VII. Marchio de Caſtiglione ex familia Gonzagarum.

VIII. Princeps de Scala, cujus familia quondam amplum territorium, in quo civitates Verona, Breſcia, Lucca &c. comprehenſæ, poſſedit, ſucceſſu temporis autem partim per duces Mediolanenſes, partim a Venetis imminutum.

IX. Dux de Signa & Villemona, qui deſcendit ex familia Sfortia; illi quoque ſubeſt comitatus Sanct. Floræ.

X. Marchio de Bentivoglio, qui ſimul eſt vaſallus ducis Modenenſis.

XI. Principatus Caraffa, qui hodie ad comites de Turre, vulgo de las Torres, pertinet.

XII. Comites Petigliani ſive de Petigliano, qui & duces Bracciani ſive de Bracciano ſcribuntur.

XIII. Marchio de Monte & Plombino in Hetruria; qui tamen ſub regis Hiſpaniæ protectione eſt.

XIV. Marchio de foro novo.

Prædicti principes, duces & marchiones utplurimum pontificis, regis Hiſpaniæ aliorumque majorum Italiæ principum vaſalli aut ſubvaſalli ſunt, eorundemque protectione partim fruuntur, interim tamen de jure cæſari & imperio fidelitatis vinculo obſtricti manent.

Illis quoque annumerari non immerito poteſt princeps Monacenſis ſive Monaconis, vulgo de Monaco, a primaria illius principatus urbe ſic dictus; ea namque ad maris mediterranei litora Genuenſis urbis quaſi propugnaculum & aditus eſt, adeoque ob commodum ſitum rex Galliæ iſtam certis pactis a principe obtinuit, non ſolum protectionis, ſed &, ut nonnulli referunt, ſuperioritatis jure. Eſt antiqua hujus principis familia, quæ jam tempore Ottonis I. imperatoris hoc titulo, in Guidone Grimaldo inclaruit, qui a dicto cæſare in ſtatum principum elevatus.

Scribit ſe principem ſupremum de Monaco &c. ſed ſuprematus iſte, poſtquam primaria ejus urbs, ut modo dictum, in Galli arbitrium venit, admodum circumſcriptus hactenus fuit. Præterea poſſidet princeps iſte territoria nonnulla & loca in partibus regni Gallici v. c. ducatum Valentinenſem, vulgo Valentinois, ſub quo comprehenduntur ditiones Buys, Montelinart, Grane &c.

Habet quoque in ducatu Mediolanenſi & regno Hiſpaniæ bona, quorum reſtitutio ipſi in *pacif. Pyren.*

Digitized by Google

Pyren. Gall. Hiſpanic. artic. CIV. promittitur, *verb.* dominus princeps Monaconis reſtituatur ſine mora in tranquillam poſſeſſionem omnium bonorum, jurium & redituum &c. quibus ante bellum in regno Neapolitano ducatu Mediolanenſi gaviſus fuerat. Imo in artic. CXXII. vocatur quaſi Fœderatus Galliæ &c. *verb.* & principem Monaconis, qui tanquam Fœderatus Galliæ &c.

Ad id. cap. XXIII. lib. 2. §. 29. pag. 377.

Sunt qui de Mirandula principibus &c. Mirandula in Henrici II. Galliæ regis manus tradita &c.) Tales feudorum imperii permutationes in ejus præjudicium ſine conſenſu publico factæ illicitæ ſunt. Dux Mirandulæ igitur hodienum eſt imperii vaſallus, ſub protectione regis Hiſpaniæ. Deſcendunt iſti duces ex familia Picorum urbis Mutinenſis, ubi Ludovicus IV. (aliis Henricus VII.) imperator quondam Franciſcum Picum vicarium imperii conſtituit.

Ad lib. II. cap. XXIII. §. 30. 31. pag. 377. ſq.

Adjicienda nonnulla etiam ſunt de urbibus hodieque liberis &c. has inter Luccam &c. Genuæ item plena libertas &c. vulgo tribui ſolet.) Omnes prædictæ aliæque Italicæ urbes, quæ libertatem independentem jactant, eamque vel a Rudolpho I. imperatore vel Carolo IV. aut anterioribus cæſaribus, Friderico II. Henrico VII. titulo oneroſo ſibi comparatam deducunt, hoc ipſo nihil aliud probant, quam privilegiatam quandam imperio obnoxiam immedietatem, ſeu a principum Italiæ jurisdictione, imo a tribunalibus Germanicis exemtionem; in cæteris autem ſub clientela & fidelitate imperii de jure reſervatæ ſunt, quemadmodum liberæ Germanicæ urbes, quæ pariter a principum territoriali jurisdictione per cæſares, diverſis titulis exemtæ & libertate ſive immediata imperii ſubjectione donatæ ſunt, neutiquam vero his privilegiis titulisque abſolutæ & independentes reſpublicæ factæ ſunt, uti quidem nonnullæ ex prædictis Italicis urbibus ſomniant, præſertim Genua, Lucca, Geneva &c. quamvis per uſurpationem hactenus pro talibus ſe gerunt, conf. *Conring. ſupr. h. c. 23. verb.* Id tertio loco etiam venit cumprimis notandum &c.

Inconſulte interim & pernicioſe veteres egerunt cæſares, quod pecuniæ comparandæ cauſa urbibus iſtis tanta privilegia conceſſerint, juribus cæſareis in illas dilapidatis; cum tamen alia minus noxia corradendæ pecuniæ ſupererant media, nimirum impoſitio collectarum, majorum onerum, vectigalium, tributorum, capitum cenſus, crediti &c.

Ad lib. II. cap. id. XXIII. §. 32. p. 379.

Cum Venetiis nihil hic nobis rei &c.) De urbe Veneta ſupra *ad lib. 1. c. XI. conf. not.*

Ad lib. II. c. XXIV. rubric. pag. 385.

Quæ reges Galliæ poſſident in regno Burgundico, ea, paucis exceptis, etiamnum ad imperii ditionem pertinere.) Verum de hac Galliæ poſſeſſione & titulo hodie judicandum erit non tantum ex pace Monaſterienſi, ſed & Pyrenæa, maxime vero Noviomagenſi cæſareo Gallica & Hiſpano Gallica, uti in ſequentibus locis pluribus notatum.

Ad lib. II. cap. XXIV. §. 23. pag. 396.

Longe manifeſtiore titulo &c. poſſident plena omnia majeſtatis jura Galliæ reges &c. in Alſatia.) Et hæc quidem vi pacis Monaſterienſis, ubi tamen expreſſe immediati imperii ſtatus tam eccleſiaſtici, quam ſeculares per utramque Alſatiam excipiuntur & imperio reſervantur, adeo ut nullum amplius jus & ſuperioritatem rex Galliæ in eos prætendere poſſit; uti ex d. *artic. VII. verb. ſequent.* patet:

Teneatur rex Chriſtianiſſimus non ſolum epiſcopos, Argentinenſem & Baſileenſem cum civitate Argentinenſi, ſed etiam reliquos per utramque Alſatiam, Romano imperio immediate ſubjectos ordines, abbates, Murbacenſem & Luderenſem, abbatiſſam Andlavienſem, Monaſterium in valle S. Gregorii, Benedictini ordinis, palatinos de Lützelſtein, comites & barones de Hanavv, Fleckenſtein, Oberſtein, totiusque inferioris Alſatiæ nobilitatem.

Item prædictas decem civitates imperiales, quæ præfecturam Hagenoenſem agnoſcunt, in ea libertate & poſſeſſione immedietatis erga imperium Romanum, qua hactenus gaviſæ ſunt, relinquere; ita, ut nullam ulterius in eos regiam ſuperioritatem prætendere poſſit, ſed iis juribus contentus maneat, quæcunque ad domum Auſtriacam ſpectabant, & per hunc pacificationis tractatum coronæ Gallicæ ceduntur.

Sed quam male rex Galliæ has pacis Monaſterienſis leges pactave hactenus ſervaverit, lacrymabilis eventus præſensque rerum ſtatus ſatis demonſtrant; dum omnes ex prædictis imperii ſtatibus immediatis hodie ſub Gallico jugo gemunt, maxime poſt occupationem urbis Argentorati, cui recuperandæ ſervandoque Philipsburgo imperium jampridem potiſſimas vires impendere debuiſſet, hoc modo namque infinita illius detrimenta, quæ jacturam illorum inſecuta ſunt, præcaveri poterant.

Fallitur enim opilio, qui ovibus quibusdam lupo conceſſis rapacitatem ejus ſatiare vel reſtinguere putat, quin potius guſtata hac dulcedine rapacitas illius in majorem rapinam proritatur. Haut diſpari ratione Gallus jamdudum ſe ad imperium Romano Germanicum habuit, quo plura enim hoc pacis cauſa ſatiandæque iſtius dominationis illi reliquit, tanto plura ſucceſſu temporis quæſivit, rapuit. Adeoque longe aliis aſperisque mediis coërcenda fuerat pacifraga iſtius vicinia & inſatiabilis rapacitas. Quæ autem amplius ab imperio extorſit, de illis in *ſeq. capp. & not.* agitur.

Ad lib. II. c. XXV. §. 1. p. 400.

Comitatum nempe Avenionem &c.) Rex Galliæ poſt ingreſſum belli præſentis, anno 1689. pontific. Romanorum Innocentium XI. quod prætenſionibus partibusque Gallicis obniteretur, de poſſeſſione hujus comitatus & urbis dejecit, legato pontificio in arreſtum deducto, ſed tamen Alexandro VIII. illius ſucceſſori Gallis magis faventi ea omnia reſtituit.

Ad Lib. II. c. XXV. §. 8. pag. 404.

Creditur vero hodie is Principatus (Arauſion.) *Imperii quoque legibus omnimodo ſolutus.*) Poſtquam jura imperii cæſarumque autoritas in his Galliæ partibus decreverant, principatum quoque Auriacum, vulgo Orenge, principes primo, mox Galliæ reges ex finibus nexuque imperii ſuo dominio abſoluto vindicarunt. Tempore Ludovici IX. Galliæ regis frater ejus Carolus, dux Andegavenſis jure uxoriæ ſucceſſionis, ut feudum fœmineum occupabat & tanquam feudi dominus principatum illum Auraſionenſem Wilhelmo principi de Beaux contulit, donec hujus familia ſecul. XV. anno 1412. extincta, feudum illud ad principes de Chalon pervenit, quorum ultimus ſtemmatis hujus anno 1530. in caſtris Caroli V. imperatoris Italicis defunctus, relicto ex ſorore nepote, Renato comite Naſſovienſi ſucceſſore, qui in familiam hanc principatum prædictum tranſtulit, jam a Ludovico XII. Galliæ rege, titulo & jure ſuprematus donatum.

In hac qualitate principes Naſſovienſes illius poſſeſſionem tenuerunt, usque ad annum 1660. quo rex Ludovicus XIV. ſub prætextu componendi inter viduas Auriacas, quarum junior regimen principatus tum adminiſtrabat, diſſidia, urbem primariam ejusque caſtrum per deditionem, ſine ulla reſiſtentia, occupabat, depoſito loci gubernatore, comite de Dona. Rex quidem promittebat, urbem in eodem ſtatu cum territorio principi Wilhelmo Henrico, ſi ad pubertatem perveniſſet, reſtituere;

Verum promiſſa fidemque pro more ſervabat, urbis quippe munimentis & propugnaculis, ex mandato illius, mox deſtructis, quaſi ratio ſtatus regni Galliæ exterorum principum fortalitia intra fines regni tolerare nequeat. Reſtituebatur quidem in tali ſtatu, poſt aliquot annos, principatus iſte Wilhelmo, ſed brevi, ingruente bello Gallico Hollandino iterum a rege occupatus, quem hodienum ſummo arbitrio retinet, principi, nunc Britanniæ regi, prætenſione relicta.

Ad L. II. c. XXV. §. 12. pag. 407.

Cæterum præter Bodinum etiam Caſſanus negat, Sabaudum poſſe ſimul Vicarium eſſe imperii & vaſallum.) Verum Bodinus & Caſſanus debebant in hac quæſtione magis ſpectare jura moresque imperii Romano Germanici, quam communia iſta politica & feudalia principia. 2. Diſtincta ſunt jura & diverſæ qualitates, vicarium eſſe & vaſallum eſſe, quæ tamen bene ſimul ſtare in uno ſubjecto imo in uno territorio poſſunt; quæ enim v. c. dux Sabaudiæ vel in ſuo territorio agit, ut vicarius ſive locumtenens cæſaris, non agit tanquam vaſallus, eaque nihil quicquam cum jure & officio vaſalli commune habent, ſuntque certis limitibus circumſcripta ipſique a cæſare ut ejus vicario commiſſa; e contrario autem quæ agit dux iſte ut vaſallus, non agit ut imperii vicarius, neque exercitia feudalia confundi debent cum officio & exercitiis vicariatus.

3. Scire debebant iſti cenſores, ducem Sabaudiæ non ſolum per Sabaudiam, ſed & alias Italiæ partes vicarium eſſe; & in tantum ipſe Bodinus concedit, aliquem ſimul eſſe poſſe vaſallum & vicarium; uti ex verbis ejus a Conringio d. l. allegatis patet: Neceſſe igitur eſt, ducem Allobrogum &c. Ita Galli cenſores & ſcriptores in judicandis exteris rebus maxime imperii noſtri vel affectibus ſtudioque partium ceſpitant, vel non ſatis exploratis expenſisque rerum argumentis & circumſtantiis judicium præcipitant.

Ad Lib. II. cap. XXV. §. 13. pag. 408.

Sed & diſerte idem princeps (Sabaudus) *in conſtitutionibus imperii audit vaſallus &c.*) Id quod maxime hinc conſtat probandumque venit. 1. Namque dux iſte a cæſare inveſtituram ducatus ſui, ut imperii vaſallus & princeps, ſolenni modo petere ſolet debetque, quod eſt maximum certiſſimumque vaſallagii argumentum. *Conf. inſtrum. pac. cæſ. Gall. artic. 3. verb.* Cæſarea majeſtas decenter requiſita concedet domino duci Sabaudiæ una cum inveſtitura antiquorum Feudorum &c. add. *artic. IV.* capitulat. Leopold. & capitul. Joſeph. item literas ſive memoriale ſupr. *ad lib. 2. cap. 23. adduct.* quod legatus ducis collegio electorali hujus inveſtituræ impetrandæ cauſa anno 1682. exhibuit. 2. In matricula imperii obſtrictus reperitur; quamvis hactenus imperio non amplius contribuere voluit, niſi ad expeditionem Turcic. 3. Eſt ſtatus imperii, ſed tamen comitia non niſi pro lubitu frequentare, neque receſſibus imperii ſe omnimodo obſtringere cupit.

Ad d. l. §. 14. ej. pag.

Sed etiam in Italia Pedemontium.) Ratione principatus Pedemontani dux Sabaudiæ a nonnullis in libertatem vindicatur, quaſi nullo vaſallagii nexu imperio obnoxius ſit; quibus tamen Conring. h. l. non immerito ſe opponit; cum dux iſte ſupra allegatis pacis tabulis & legibus non reperiatur hoc fiduciario nexu ſolutus; quamvis ratione quorundam aliorum feudorum, nempe Rocheverani, Olmi & Cæſolæ independens ſuperioritas illi attribuatur, in inſtrumento pacis Monaſter. cæſar. Gallic. *verbis ſequentibus:*

Item conventum eſt, quod dux Sabaudiæ, heredes & ſucceſſores ejus, nullatenus a cæſarea majeſtate turbentur aut inquietentur in ſuperioritate, ſeu jure ſuperioritatis, quod habent in feudis Rocheverani, Olmi & Cæſolæ, cum appertinentiis, quæ a Romano imperio nulla ratione dependent, revocatis annullatisque donationibus & inveſtituris, in dictorum feudorum poſſeſſione ſeu quaſi dominus dux manuteneatur, & quatenus opus ſit, redintegretur &c.

Ex prædictis igitur patet, quod dux Sabaudiæ præcipue triplici reſpectu & feudo ſit princeps & vaſallus imperii; 1. ratione Sabaudiæ. 2. Pedemontii. 3. Ducatus Montisferratenſis, de quo ſupra *lib. 2. cap. 23. ibique not.* Nec obſtat, quod imperator præſenti bello dicto duci titulum *regiæ celſitudinis* tribuat, id quod ſit non ratione prædictorum imperii feudorum, ſed prætenſionis in regnum Cypri.

Ad

Ad Lib. II. cap. id. XXV. §. 17. pag. 412.

Si Genevenſes ipſi quoque producantur &c.) Quæ de hujus aliarumque Italiæ urbium jactata ſuperioritate ac libertate habenda ſint, *conf. ſupr. not. ad c. XXIII. lib. 2.* De cæteris Geneva urbs per protectionem Gallicam & fœdus Helvetiorum non ſolum contra imper. Roman. German. ſed etiam contra ducem Sabaudiæ in libertatis poſſeſſione vel quaſi hactenus ſeſe defendere voluit.

Ad idem cap. XXV. §. 23. pag. 414.

Carolo V. imperatori &c. univerſi Helvetiorum ordines &c. fidem ac obedientiam præſtiterunt, ab eoque in comitiis Wormatienſibus anno 1521. confirmationem omnium ſuorum privilegiorum &c.) Num omnia iſta, quæ imperium Rom. German. ejusque cæſares ſuperiori ſeculo adhuc in Helvetiam habuerunt, per artic. VI. inſtrum. pacis Oſnabr. cæſar. Svecic. penitus remiſſa atque abdicata fuerint, non immerito dubitari poſſit, in qua opinione & Conring. h. l. eſſe videtur, *verb.* ſeq. poſſis tamen forte dubitare &c.

Dictus namque artic. maxime loquitur de querelis Helvetiorum, quod ad imper. German. judicia per proceſſus trahantur; contra quæ ipſis d. pac. poſſeſſio libertatis vel quaſi aſſeritur confirmaturque. Num vero iſta diſpoſitio ad plenariam imperii jurium abdicationem in Helvetios extendi debeat, merito dubites, utpote quod in odioſis extenſi extenſiva interpretatio regulariter non admittatur.

Poſito tamen, Helvetiam confœderatam dict. pac. tabulis pro libera republ. fuiſſe declaratam, nihilominus iſta declaratio ita venit intelligenda & limitanda, ut Helvetii comiter venerentur imperium; id eſt, cum imperii hoſtibus ſe nec conſocient, nec aperte aut occulte armis militibusque illos roborent contra imper. ſalutem & ſecuritatem.

Sed quam male Helvetii maxime Roman. cathol. conditionem iſtam hactenus impleverint, docent ſæpius repetitæ cæſaris aliorumque imperii fœderatorum querelæ & gravamina; quod vel triginta & amplius Helvetiorum millia, durante hoc bello, in Gallic. exercitu numerata fuerint, quibus hoſtis in expugnandis circul. Burgund. primariis urbibus ſtrenue uſus, id quod certe ſine gravi in Helvetios cenſura & animadverſione prætermittendum non eſt.

Ad Lib. II. cap. XXVI. §. 24. pag. 419.

Avorum memoria in eodem Lotharingico regno Henricus II. rex Metim, Tullum & Virodunum in poteſtatem ſuam &c.) Sed tamen Gallus prædicta loca dubia poſſeſſione & ſine legitimo titulo, contra imperii contradictionem, retinuit usque ad pacif. Monaſterienſem, qua ipſi pleniori jure ceduntur. *v. infr. h. c.* tabulas pac. Ex quibus patet, quam nociva ut plurimum Germaniæ fuerint exterorum fœdera & auxilia haut levi imperii damno empta, uti cum Schmalcaldicum tum maxime tricennale bellum hinc inde enormia documenta in finibus Germaniæ reliquerunt.

Ad lib. II. c. id. XXVI. §. 32. pag. 423.

Supremum dominium, jura ſuperioritatis aliaque omnia in epiſcopatus, Metenſem &c. ad coronam Galliæ ſpectare eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter &c.) Ita in pace Monaſterienſi anno 1648. in favorem coronæ Gallicæ dipoſitum, & poſt pace Noviomagenſi inſecuta artic. II. confirmatum legitur. Verum ſi iſtam ceſſionem juxta præſentem belli ſtatum & noviſſimam capitulationem Joſephinam expendas, rex & corona Galliæ iſta omnia de jure nunc itérum perdiderunt per fœdiſſimum pacifragium anno 1688. frivole patratum.

Ita enim expreſſis verbis in allegata Joſephi Romanorum regis capitulatione artic. II. conſtitutum legitur: *In dem zu Münſter und Oſnabrück aufgerichteten Reichs-Friedens-Schluß, der gleichwol, als viel zu Vortheil der Cron Franckreich darinnen enthalten, wegen des von ihr beſagter Cron wider das Heilige Rœmiſche Reich verübten Friedenbruchs, nunmehro zerfallen, und ferners nicht mehr verbindlich iſt &c.* nimirum reſpectu regis & regni Galliæ idque merito, quod Gallus ſe omnino indignum pacis prædictæ beneficiis & ceſſionibus per injuſtiſſimam illius violationem, hactenus de jure gentium reddidit; quicquid etiam Sycophantæ Gall. in contrarium garriant.

Nec tantum pax Monaſterienſis ſed & alii pacis tractatus, v. c. Pyrenæus, Noviomagenſis & vicennale Armiſtitium, Monaſterienſis pacis fœderi ſuperſtructa, Gallo fidem frangenti amplius haut ſervari debent. Unde & hoc conſequitur, ſi imperii confœderati Gallo omnia intra fines imperii quæſita & dictis pacificis ipſi confirmata hoc bello iterum eripere poſſent, jure hoc factum eſſe cenſeretur.

Ad d. l. pag. 423.

Caſtrum Philipsburg &c.) Hoc munimentum jam multis retro annis ſanguinolentum Germanos inter & Gallos pomum Eridos fuit, mox his, mox iterum illis occupantibus; pacis Monaſterienſis Gallo relinquitur, ſed pace Noviomagenſe Germanis iterum a Gallis conceditur. Tabulæ hujus pacis artic. IV. in hæc verba ſunt conſcriptæ;

Sacra regia majeſtas chriſtianiſſima tam pro ſe, quam hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis renunciat, ceditque in perpetuum ſacræ cæſareæ majeſtati ejusque hæredibus & ſucceſſoribus omne jus protectionis, perpetui præſidii, & quicquid ſibi virtute pacis Monaſterienſis in caſtrum Philipsburgo competiit, nihil in dictum caſtrum, & in munimenta ei juncta, vel cis vel trans Rhenum extructa, juris aut prætenſionis, ſibi ſuisque hæredibus & ſucceſſoribus regnove Galliæ, ſub quocunque titulo vel prætextu reſervans; non obſtantibus quibuscunque legibus, conſtitutionibus, ſtatutis, aut aliis in contrarium facientibus, utpote quibus omnibus & ſingulis hoc tractatu expreſſe derogatum ſit; *huc usque dict. pac. verb.*

Sed quam ſancte ſacra majeſtas illa chriſtianiſſima pacta hæc ſervaverit, docet annus 1688.

quo Gallus fœdifragus ſubitanea irruptione in Germaniam facta prædictum caſtrum iniqua violentia iterum ſurripuit, non obſtante, quod cæſar domusque Auſtriaca ipſi d. pac. Noviomag. art. V. caſtrum & oppidum Friburgenſe in compenſationem ceſſerat, quorum utrumque Galli hactenus tenent.

Ad eund. l. §. 33. pag. 423.

Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque membrum imperii &c.) Eſt quidem imperii circulus, uti pax Monaſterienſis diſponit, ſed jam a ſuperiori usque ſeculo miſere partim per Belgas confœderatos, partim per Gallos dilaceratus, variis munimentis ſive caſtris & urbibus, imo integris provinciis per illos hinc avulſis, per inſecutos poſtmodum pacis tractatus poſſeſſoribus in illis confirmatis, uti in ſeq. plur. notat. *cap. XXVIII. libr. 2.*

Ad libr. II. c. XXVII. §. 8. pag. 425.

Reliqua autem, quæ ducatus Barrenſis titulo hodie veniunt, in cenſum iſtum nunquam veniſſe.) Verum quod controverſiam ducatus hujus attinet, in pace Pyrenæa Gall. Hiſpanic. aliud diſpoſitum, Galloque expreſſe ducatus iſte reſervatus reperitur; *conf.* artic. XLII. LXIII. &c. d. pac. quorum præcipua verba *ſeq.* ſunt artic. LXII. Cum Carolus Lotharingiæ dux ingens faſtidium ex geſtis contra dominum chriſtianiſſimum regem conceptum &c. Majeſtas ſua chriſtianiſſima, reſpectu efficaciſſimorum officiorum ſuæ majeſtatis catholicæ, recipit ex nunc memoratum dominum ducem in gratiam ſuam &c. & reſtituet memoratum dominum Carolum Lotharingiæ ducem in poſſeſſionem ducatus Lotharingiæ, & ipſas urbes &c. ita tamen, ut reſervetur primo atque excipiatur Maijenvicum &c. Secundo excipiatur univerſus *Barri* ducatus, cum regionibus, urbibus & munimentis illum conſtituentibus, tam quoad partem, quæ a corona Franciæ dependet, quam quoad illam, quæ non dependere prætendi poſſit. Memoratus dominus Carolus Lotharingiæ dux, ante reſtitutionem ſuam in ſtatus ſuperius enumeratos, & antequam is quidquam recuperet, ſuo aſſenſu tres immediate præcedentes articulos comprobet; In vim hujus majeſtati ſuæ chriſtianiſſimæ in forma de jure validiſſima authenticaque, quæ quidem ab illa deſiderari poterit, inſtrumenta renunciationis & ceſſionis dictorum locorum &c. extradentur; ſic inter alia diſponit artic. LXV. d. pac. Pyren.

In artic. LXXVIII. ſequentia leguntur: Sua majeſtas catholica conſentit, ut ſua majeſtas chriſtianiſſima ad reſtitutionem in ſuperioribus deſcriptam memorato domino Carolo Lotharingiæ duci haut teneatur, priusquam imperator omnes articulos hujus tractatus ſtipulatos, dominum Carolum Lotharingiæ ducem reſpicientes, ſine exceptione ullius, per literas authenticas, quæ ſuæ majeſtati chriſtianiſſimæ tradentur, approbaverit atque ratificaverit. Obſtringitque ſe ipſa alte memorata ſua majeſtas catholica ad procurandum ab imperatore citeriorem & expeditiorem confectionem extraditionemque harum literarum &c. *Conf. du. autor h. l. verb. ſeq.* De uno Barro nos quidem probavimus, fuiſſe illud quondam in ditione imperii &c. poſtquam vero illud in clientelam Gallicam eſt receptum &c. ubi tamen de prædicta pacis Pyrenææ conventione nullam mentionem injicit.

Ad libr. II. c. id. XXVII. §. 13. pag. 428.

Nihil juris in Clarimontem regno Gallico competit.) Verum audiamus, quæ in ſupra dicta pacis Pyrenenſis *art.* LXIV. de hoc comitatu Clarimontano reperiuntur; *verb. ſeqq.* Tertio excipiatur comitatus Clarimontanus cum ſuo dominio & locis, præfecturis atque terris Stenæi, Duni ac Jameſſii, una cum omnibus reditibus illarum & territoriis inde dependentibus. Mentionatum autem Mayenwicum, ducatus Barri, una cum parte loci & præfecturæ Marvilii, quæ pars, ſicuti ſuperius dictum fuit, ad duces Barri pertinet, munimenta, comitatus, præfectura, terræ, & dominia Clarimontis, Stenæi, Duni ac Jameſſii cum ſuis pertinentiis, ap- & dependentiis, in perpetuum coadunita & *incorperata corona Francica* maneant. Huc quoque ſpectant omnes cautelæ & clauſulæ, quas Gallus ſupra circa reſervationem ducatus Barrenſis adjecerat.

Ad idem cap. libr. II. §. 16. pag. 428.

Verum eſt, Lotharingiæ duces poſtremis temporibus conatos fuiſſe, plenam obtinere ab imperio libertatem, ſed qualicunque cura adhibita, manſerunt ſemper tali obligatione imperio obſtricti &c.) Operoſus eſt dominus autor in adducendis examinandisque imperii decretis & tabulis, quibus Lotharingiæ duces pro adſtruenda libertate uti ſolent; ſed tamen nihil aliud inde probari poteſt, quam immunitas & exemtio a jurisdictione imperii ſive ejus judiciis & proceſſibus judiciariis, prout bene quoque ex Thouvenino, Lotharingiæ ducatu conſiliario monet Conring. *d. l.*

Conſtat quidem ex actis comitialibus & imperii receſſibus, quod duces Lotharingiæ tantum ratione marchionatus Neomenii in comitiis comparere receſſibusque in tantum ſubſcribere voluerint; Porro & hoc obſervandum, quod ſenex dux Carolus Lotharingiæ, cum ſuperioribus annis, propter intolerabiles militiæ ſuæ exceſſus, Bruxellis ex mandato regis Hiſpaniæ arreſto coërceretur, ſtatim provocaverit ad independentem ſuam ſuperioritatem, more militari in hæc erumpens verba:

Was Teuffel ſoll daß ſeyn? ſoll man mich als einen freyen Hertzog, welcher niemand als GOtt und das Schwerd vor ſeinen Obern erkennet, und ſich über diß um die Cron Spanien ſo verdient gemacht, dergeſtalt tracti*ren und in Arreſt nehmen?* Sed hæc omnia vinculum imperii, quo ducatus Lotharingiæ tenetur, non tollunt.

Hinc & imperator ſuperioribus annis mittebat legatum comitem de Windisgräz ad Galliæ regem, ut contradiceret pacto, quod ſæpe dictus Carolus Lotharingus, in præjudicium imperii & Agnatorum de hoc ducatu cum rege inierat, poſtularetque illius ut feudi imperii, quod rex Galliæ duce in partes cæſaris de novo inclinante, anno 1670. occupaverat, reſtitutionem, quæ tamen a Gallo ſuſpenſa atque denegata fuit usque ad pacem Noviomagenſem anno 1679. vi cujus quidem

patrueli

patrueli duci Carolo Lotharingiæ. (Senex enim ſupra dictus durante iſto bello vita deceſſerat) reſtitutionem ducatus promittit, ſed ſub gravi conditione, nimirum reſervata ſibi & regno ſuo Metropoli ejus Nancejo cum omnibus ſuperioritatis juribus & arbitrio, quatuor diſtinctas militares ſive regias vias per totum ducatum, pro commodo tranſitu, certis locis ducendi.

Ita enim *artic. XIII. d. pac.* loquitur: Urbs Nanceum cum ſuo Banno maneat perpetuum coronæ Galliæ unita & incorporata, ita ut illam ſacra regia majeſtas Chriſtianiſſima ejusque hæredes & ſucceſſores poſſideant cum omnibus ſuperioritatis, ſupremi dominii & proprietatis juribus &c. *Artic. XIV.* deſignat loca viarum; *Artic. XVI.* autem pollicetur duci Lotharingiæ tam limitatam & oneroſam reſtitutionem, ſimulque urbem Tullenſem ejusque ſuperioritatis jura & dominium, in compenſationem urbis Nancei; *Artic. XVII. & XVIII. d. pac. verb.* Viciſſim etiam ſacra majeſtate chriſtianiſſima pro ſe & corona Galliæ cedit in compenſationem dictæ urbis Nancei transfertque in prædictum ducem ejusque hæredes & ſucceſſores, ſuperioritatem, ſupremum dominium & proprietatem urbis Tullenſis & ejusdem ſuburbiorum cum aliis omnibus juribus, ſpeciatim patronatus, prærogativis & præeminentiis, quæ coronæ Galliæ in dicta urbe Tullenſi ejusque ſuburbiis & Banno (vulgo Finage) competebant, aut competere debebant. &c. Si tamen bannum urbis Tullenſis minoris amplitudinis eſſet aut valoris, quam bannum urbis Nanceianæ, illud domino duci compenſabitur &c.

Attamen dux Lotharingiæ ſub his conditionibus ducatum nec recipere, neque in pacem Noviomagenſem eatenus conſentire voluit; Quin expreſſam proteſtationem per plenipotentiarium ſuum in conventu Neomagenſi exhibuit, quam *v. in fin. h. c. not.* Anceps itaque & afflictus Lotharingiæ fuit ſtatus jam ab anno usque 1670. quo rex Galliæ per ducem Crequium cum exercitu 24000. militum iſtum, fuga ſalutem ſibi tum quærente duce, occupavit, & hodienum usque retinuit. Dux quidem Carolus defuncti patruelis cæſareæque militiæ generalis locumtenens præſenti bello intendebat armis iterum expellere Gallos, ſed mors improviſa Gallicique veneni ſuſpecta conatum anno 1690. interrumpebat.

Rex Galliæ quidem anno 1659. in pacif. *Pyrena. art. LXII.* mitius cum Lotharingiæ duce transegerat, ſæpe dictam urbem Nanci ipſi reſtituens, ita tamen, ut ejus munitiones deſtruerentur, & nunquam repararentur, quas tamen ipſe Gallus poſt ultimam occupationem maxime reſtauravit, jam totam urbem ducatus primariam ſibi ſervaturus, ut ducem in cæteris reſtitutum pro lubitu coërcere poſſit.

Ad lib. II. c. XXIIX. §. 11. pag. 436.

Eſt autem par & Hannoniæ ratio &c.) Neque de hoc graviter dubitandum erat, cum Hannoniæ comitatus ſit pars circuli Burgundici, qui hodienum, vi pacis Monaſterienſis Oſnabrug. ad corpus imperii refertur, *v. ſupra lib. 2. c. XXVI.* Præſenti quidem bello Germano-Gallici anno 1691. rex Galliæ cum exercitu 70000. & amplius militum Metropolim dicti comitatus, vulgo Mons, obſidione cinctam expugnavit & hactenus cum provinciæ parte tenuit, *conf. not. ad c. 28. lib. 2 infr.*

Pari armorum ſucceſſu anno ſequent. 1692. cum vaſtiſſimo exercitu 100000. militum obruebat urbem Namurcum, vulgo Namur, hujus nominis comitatus Metropolim, quam & feliciter tandem expugnavit, cumque toto fere comitatu ſibi ſubegit, & quod maxime inſolitum atque mirandum, præſente & velut ſpectante confœderatorum Germanorum, Anglorum, Batavorum haut minoris numeri exercitu: Unde vel conjicere licet, ſi imperium rexque Hiſpaniæ cum fœderatis Burgundiæ circulis impoſterum non acrius defendant, brevi temporis intervallo reſiduas ejus partes ſub Gallicum jugum eſſe tranſituras.

Ad id. cap. XXIIX. lib. II. §. 13. pag. 437.

Plus ſolito libertatis indultum ab imperio Belgicis illis provinciis &c. Id haud poteſt rectius diſci, quam ex tabulis pacti inter Carolum cæſarem & imperii ordines initi &c.) Hæc eſt famoſa illa tranſactio Burgundica quam Carolus V. imperator anno MDXLIIX. cum elector. & ordinibus imperii magis ad intereſſe domus Auſtriacæ Hiſpanicæ, quam publicam imperii utilitatem iniit, exemptis totius Belgii tum ſ. circuli Burgundici provinciis, quamvis cum collectar. imperii onere & reſervato jure ſtatus exemptio illa facta fuerit, uti ex tabulis ab autore adductis liquet;

Nihilominus tamen enormis iſta Burgundica exemptio non ſolum imperio, ſed & Hiſpaniæ regno, præprimis autem ipſi circulo Burgundico nimium quantum detrimenti, tractu temporis, attulit, id quod vix ſatis per totius anni ſpatium deſcribi exprimique poſſit, ſi tumultus & cruenta bella, quæ ab illo tempore in Burgundico circulo exorta ſunt, ſi exterorum invaſiones & occupationes, ſi religionis perſecutionem, Belgarum fœderatorum ab Hiſpanis tentatam oppreſſionem, aliaque violentæ dominationis media, innumerasque ſtrages & cædes recenſere velit.

Talem itaque, qualem vix unquam, electores tum cæterique imperii ordines ſolœciſmum politicum commiſerunt, quod Carolo V. detrimentoſam iſtam exemtionem conceſſerint.

I. Namque reliqui imperii circuli minus admodum de exempti Burgund. defenſione & ſecuritate ſolliciti fuerunt, e longinquo quaſi & frigido animorum motu illius velut alieni corporis invaſiones, bella & ruinam ſpectantes. Putabant enim, Hiſpaniæ regi illius defendendi onus maxime incumbere, dum & reditus inde ad eundem redundarent; adeoque a neutra parte circulus iſte ſatis fuit defenſus.

II. Quin potius ipſi Hiſpani haud exiguam cauſam & occaſionem irreparabili dicti circuli ruinæ atque decremento jam a Philippo II. tempore variis modis præbuerunt, præſertim vero inexcuſabili religionis perſecutione, rigoroſo in liberam gentem affectato dominatu, aliisque violentis & in-

& inconſultis ducis Albani conſiliis, ab ipſo Philippo II. in agone mortis ſero quidem deploratis. Hinc enim VII. iſtæ fœderatæ provinciæ Belgicæ avulſæ fuerunt.

III. Reges Galliæ, poſt illam exemptionem, frigidamque imperii de circulo iſto curam, multo audaciores facti ad illum inſultandum, de quo tanquam de communi præda ſucceſſu temporis non ſolum primaria munimenta & oppida, ſed & integras provincias ſurripuere finibusque Gallici regni adjecerunt, imo hodienum usque in conſpectu tantorum fœderatorum exercituum pro lubitu fere per dictum circulum Burgundicum armis graſſantur, uti ex inſtrumentis pacis Monaſterienſis, Pyrenæenſis, Aquisgranenſis, Noviomagenſis & bello præſenti ſatis liquet.

De pace Monaſterienſi jam ſupra dictum; Vi autem pacis Pyrenæi ſequentia Gallus in ſæpe memorato circulo acquiſivit, ita enim in d. pac. tabulis diſpoſitum legitur:

Artic. XXXV. Primo loco conventum eſt & concordatum, ut, quantum ad Belgium attinet, dominus rex chriſtianiſſimus maneat in poſſeſſione, & realiter fruatur locis, urbibus, regionibus & caſtellis, dominiis, terris & dynaſtiis inſequentibus:

Inprimis in comitatu Arteſiæ, utraque parte urbis Atrebatii, cum ſua præfectura & Ballivatu, Hesdino cum ſuo Ballivatu, Bupauma cum ſuo Ballivatu, Betuna cum ſua præfectura, Lilertio cum ſuo Ballivatu, comitatu S. Pauli, Tetravana cum ſuo Ballivatu, Paſſa cum ſuo Ballivatu; quemadmodum etiam in omnibus aliis Ballivatibus & caſtellaniis memoratæ Arteſiæ, quæcunque illæ eſſe poterunt, etiamſi illæ ſpecialiter hoc in loco expreſſæ aut nominatæ non ſint.

Secundo in provincia & comitatu *Flandriæ* alte memoratus dominus rex chriſtianiſſimus in poſſeſſione maneat & realiter fruatur his locis; Grevelinga, fortalitio Philippino, Sluſa & Halovina, Burburgo cum ſua Caſtellania, atque Fani Divi Venantis, ſive illud ad Flandriam ſive Arteſiam ſpectet, cum omnibus ſuis dominiis, pertinentiis, ap- & dependentiis, *v. artic. XXXVI. d. pac.*

Tertio in provincia & comitatu *Hannoniæ* maneat alte memoratus dominus rex chriſtianiſſimus in poſſeſſione & realiter fruatur his locis; Landrecæjo & Querceto cum ſuis ballivatibus, præfecturis, dominiis, pertinentiis & dependentiis. *Artic. XXXVII.*

Quarto in provincia & ducatu *Lücemburgenſi* maneat alte memoratus dominus rex chriſtianiſſimus in poſſeſſione & realiter fruatur his locis: Theonvilla, Mommedio, Damvillerio cum ſuis pertinentiis, ap- & dependentiis, præfecturis, & dominiis, præfectura Ivaſii, Caſtrochaventii, Caſtelliono cum ſua præfectura; Loco & ſtatione Marvilii &c. *Artic. XXXVIII.* Quid autem de hujus ducatus Metropoli Luxemburgico anno 1684. a Gallo occupata diſpoſitum ſit in vicennal. Armiſtit. Hiſpan. Gall. *v. infr. not. circa fin. c. XXVIII. lib. 2.*

Quinto poſtquam majeſtas ſua chriſtianiſſima firmiter declaraverit, quod nunquam in reſtitutionem locorum Baſſææ & Winocibergæ, Caſtellaniæ dictæ Winocibergæ & regii fortalitii ſuper canalem prope Winocibergam urbem extructi conſentire poſſit, ſuaque majeſtas catholica hoc eatenus approbaverit, ut ſi deſuper conveniri aut commutatio locorum eorum cum aliis ejusdem momenti & mutuæ opportunitatis iniri nequeat, quod tunc Gallia illa retineat; dicti duo domini plenipotentiarii tandem convenerunt, ut memorata duo loca Baſſæa & Winociberga &c. commutentur cum Mariæburgo & Philippopoli &c. *Artic. XXXIX.*

Sexto ſua majeſtas catholica ex alio quopiam reſpectu inferius in aliquo hujus tractatus articulo ſpecialiter expreſſo, obſtringit ſe atque promittit, quod ad manus ſuæ majeſtatis chriſtianiſſimæ extradere velit urbem & munimentum Avennæ inter Sabim & Moſam ſitæ cum ſuis pertinentiis, ap- & dependentiis, nec non dominiis, & omni re machinaria omnique bellico apparatu &c. *Artic. XL.*

Omnia ea loca, Atrebatium, Hesdinum, Bapalma, Betuna, ut & urbes Lilertium, Lendium, comitatus S. Pauli, Terravanna, Paſſa & ipſorum Balliviatus, & caſtellaniæ Arteſiæ (exceptis ſolummodo, prout dictum eſt, urbe & Balliviatu Ariæ & Fani Divi Audomari, illorum pertinentiis, ap- & dependentiis, ut & dominiis) nec non Rentejum, ſiquidem illud dependere ab Aria & Fano Divo Audomari non appareat, ut & loca Gravelinga, cum fortalitio Philippino Sluſa, Halovina, Burburgum & Fanum D. Venantii in Flandria; Loca Landrecæjum & Quercetum in Hannonia; ſicuti quoque Avenna, Mariæburgum & Philippopolis, quæ ad manus regis chriſtianiſſimi, prout ſuperius dictum fuit, tradentur, una cum Theonvilla, Mommedio & Damvillerio, urbe & præfectura Ivaſii, Caſtrochaventio, Caſtelliano & ſua præfectura, atque Marvilio in ducatu Lucemburgenſi, cum ſuis Balliviatibus, caſtellaniis, regimentis, præfecturis, territoriis, dominiis, dynaſtiis, pertinentiis, ap- & dependentiis, maneant, vigore hujus tractatus pacis, penes alte memoratum dominum regem chriſtianiſſimum & ejus ſucceſſores, aut jus habentes, irrevocabiliter & in perpetuum cum iisdem juribus ſummæ poteſtatis, proprietatis, regalibus, juribus patronatus, advocatiæ, jurisdictione nominatim & prærogativis & præeminentiis, in epiſcopatus, eccleſias cathedrales & alias abbatias &c. in tantum, ut ſua majeſtas chriſtianiſſima ab alte memorato domino rege catholico, ſucceſſoribus ſuis, aut alio principe de ſua domo, aut alio, quicunque ille fuerit, ſive ſub prætextu quocunque aut occaſione id fieri poſſit, nullatenus neque per viam juris, neque per viam facti, in memoratis juribus ſuperioritatis, proprietatis, jurisdictionis, imperio, poſſeſſione & uſu &c. turbetur aut inquietetur.

Atque eo fine alte memoratus dominus rex catholicus tam pro ſe, quam ſuis hæredibus, ſucceſſoribus & cauſam habentibus, renunciat, deponit, cedit & transfert, quemadmodum vigore præſentis tractatus, ipſius plenipotentiarius, nomine ſuo, irrevocabiliter renunciavit, depoſuit, ceſſit, transtulit, in perpetuum, in gratiam & commodum alte memorati domini regis chriſtianiſſimi, ipſius hæredum, ſucceſſorum & cauſam habentium, omnia jura &c.

Unde

Unde patet, quot quantaque loca & integras ferme provincias in d. Burgund. circulo rex & corona Gall. vi unius tantum pacis Scl. Pyren. acquiſiverunt. Interim tamen rapax imperandi libido Gallorum his omnibus haut quaquam ſatiari potuit, ſed inſecuto tempore plura occupavit paceque Aquiſgranenſi de anno 1668. jure retinuit.

Ita enim artic. II. d. pac. diſponitur: Vi hujus pacis retineat rex chriſtianiſſimus apprehenſaque ſervet & cum effectu poſſideat omnia loca, caſtra & ſtationes militares, quæ armis occupavit, aut durante expeditione præteriti anni munivit; nempe Carolo-Regium, CharleRoy, urbes Binchium, Athum, Duacum, Fortalitium Scarpæum, Tornacum, Audenardum, Inſulas, Armenterium, Cortracum, Montes, & Vurniam cum univerſo tractu ipſarum Ballivatuum, Caſtellaniarum, Territoriorum, Gubernationum, Præfecturarum, cum appertinentiis, dependentiis & annexis, quocunque nomine ea appellari poterunt, cunctis.

Dicta loca, civitates & munimenta &c. vi præſentis tractatus pacis penes altiſſime memoratum dominum regem chriſtianiſſimum & ſuos ſucceſſores, & quos id concernet, maneant irrevocabiliter & in perpetuum, cum ipſiſſimis juribus ſummæ poteſtatis, proprietatis, juribus regal. &c.

Hactenus pac. Aquisgranenſ. tabulæ, quibus tamen inſecuta pace *Noviomagenſ.* anno 1678. quoad nonnulla loca derogatum, eaque præſertim Carolo-Regium, vulgo Charleroy, regi Hiſpan. & circulo Burgund. reſtituta, uti ex ſequentibus pateſcit.

Ita namque *Artic. IV.* pac. Noviomagenſ. loquitur: Intuitu pacis, rex chriſtianiſſimus ſtatim poſt ratificationum præſentis tractatus permutationem, poteſtati regiæ cathol. reſtituet locum & fortalitium Carolo-regium, civitatem Binchium, civitatem & arcem Athum, Audenardam & Cortracum cum ſuis præfecturis, Caſtellaniis pertinentiis & dependentiis, quemadmodum a majeſtate ſua catholica ante bellum in anno 1667. ea poſſeſſa fuerunt.

Quæ civitates & loca altiſſime memorato regi chriſtianiſſimo a rege catholico omnia per tractatum Aquisgranii anno 1668. (cui per præſentem tractatum, quantum dicta loca & fortalitia concernit, expreſſe derogatum eſto) ceſſa erant. Ex adverſo autem videndum quoque eſt, quænam loca Gallus ex ſæpe dicto circul. Burgund. vi pac. Noviomagenſ. acquiſivit retinuitve; Artic. XI. d. pac. ſequentia reperiuntur:

Retineat altiſſime memoratus dominus rex Chriſtianiſſimus & in ejusdem poteſtate maneat, & cum effectu gaudeat, non ſolum univerſo *comitatu Burgundiæ*, vulgo la Franche comte dicto, ut & civitatibus, locis & dominiis hinc dependentibus, ſub quibus comprehenſa ſit urbs Beſontium, cum ſuo diſtrictu, ſed etiam civitatibus, Valencena cum ſuis dependentiis; Bochanio cum ſuis dependentiis, Condato cum ſuis dependentiis, etiamſi olim prætendebatur membrum caſtellaniæ Athunenſis eſſe, Cameraco & Cambreſio, Aria, Fano S. Audomari & eorundem dependentiis, Ipern cum ſua Caſtellania, Viroviaco, Waſtena prope Liſam, Poperinga, Balliolo & Casleto, cum ſuis dependentiis, Bavaco & Malibadio cum ſuis dependentiis.

Dictus comitatus Burgundiæ, civitates, loca & ditiones ab eo dependentes, ſub quo civitas Beſontium comprehenditur cum ſuo diſtrictu, nec non præfatæ civitates & loca Valencena, Caſtellaniæ, Condatum &c. &c. eorundem Ballivatus, Caſtellaniæ, gubernationes, præfecturæ, territoria, dominia, dynaſtiæ, pertinentiæ, dependentiæ & connexa, quocunque nomine ea appellentur, cum omnibus hominibus, vaſallis, ſubditis, urbibus, caſtris, pagis, vicis, ſylvis, fluminibus, campis, ſalinis & aliis rebus quibuscunque, quæ hinc dependent, maneant vi dicti præſentis tractatus pacis, penes majeſtatem ſuam chriſtianiſſimam & ſuos hæredes, ſucceſſores, & quos id concernet, irrevocabiliter & in perpetuum, cum ipſiſſimis eorundem juribus & ſumma poteſtate, proprietate, &c. *v. Artic. XII. d. pac.*

Inde liquet, quanta vulnera & decrementa quoque per d. pac. Noviomag. circul. Burgund. paſſus, Galliæ imperium vero hinc adauctum fuerit; quin imo rex Gall. anno 1680. Hiſpaniæ regem eo redegit, ut ne quidem titulo duc. Burgund. in literis, tractatibusve & legationibus ad ipſum Gall. reg. uti amplius poſſit, ſecus ſi cum aliis principibus rem habeat; poſtquam enim Gallus tam ducatum quam comitatum ſibi ſubjectum tenuit, ne titulum quidem Hiſpano in tantum ſupereſſe voluit.

In tantas anguſtias circul. Burgund. ejusque princeps Hiſpanus ſucceſſu temporis redactus eſt, ut reſidua ejus pars inſtar contabeſcentis corporis, ni efficax medicina promte paretur, brevi interire penitus videatur. Adeo ſegniter deſenſus maleque ab Hiſpan. gubernatoribus adminiſtratus fuit, qui privato potius commodo intenti detrimentum illius circuli magis promoverunt, quam prohibuerunt. Sic imperii Rom. German. corpori vel in hoc membro male conſultum fuit!

Præterea ex ſupr. *Not. ad libr. 2. c. XXVI.* conſtat, quod rex Gall. vi pacis Noviomag. cæſar. Gall. in partibus Rheni, & quidem in Brisgovia, caſtrum & oppidum Friburgenſe cum pertinentiis pariter acquiſiverit finibus Gall. adjectum; ita enim *Artic. V. de pac.* expreſſe diſponit:

Viciſſim ſacra cæſarea majeſt. tam pro ſe, quam hæredibus & ſucceſſoribus ſuis totaque domo Auſtriaca renunciat, ceditque in perpetuum ſacræ regiæ majeſt. chriſtianiſſimæ ejusque hæredibus & ſucceſſoribus caſtrum & oppidum Friburgenſe, cum tribus ad illud ſpectantibus pagis Lehn, Mezhauſen, & Kirchzart, cum eorum bannis, prout ad communitatem dicti oppidi Fridburgenſis pertinent, una cum omni proprietate, ſuperioritate, jure patronatus, ſupremo dominio, aliisque generaliter, quæ ſibi in dictum Friburgum competierunt, nihil ſibi, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, aut ſacro imperio, juris aut prætenſionis ſub quocunque titulo aut prætextu in iis reſervans &c.

Hoc loco denique & illud notandum, quod rex Gall. per ducem Crequium anno 1684. in ducatu

catu Luxenburgenſ. Metropolim & munimentum ejus Luxenburg armis obſidionalibus ad deditionem redegerit, in cujus quidem poſſeſſione, quemadmodum Argentinæ & Caſalis, de quibus ſupra, hactenus relictus fuit; quid autem futura aliquando pax de illis diſponet, tempus revelabit.

Interim tamen vi armiſtit. vicennalis inter Gall. & Hiſpan. anno MDCLXXXIV. Ratiſp. concluſi, regi Gall. per tempus illud induciarum poſſeſſio & retentio d. urbis cum pertinentiis relinquitur & confirmatur; ita namque loquitur *expr.* verbis *Artic. II. d. Armiſtit.*

Rex chriſtianiſſimus retinebit & fruetur, durantibus hiſce induciis quiete & ſine moleſtia, quacunque de cauſa aut prætextu fieri poſſit, civitate Luxemburgo, ejusque præfectura, aut quatuordecim vel quindecim pagis aut villis ab ea dependentibus, ſicut etiam Beaumont & tribus vel quatuor pagis, qui de ejusdem dependentia ſuperſunt; item Bouvines ſine dependentiis, Chimay cum duodecim vel quindecim pagis dependentibus.

Et hoc confirmatur quoque in vicennali armiſtitio inter Gallum & Confœderat. Holland. *Artic. II.*

Quod autem civitatem Argentinenſem attinet, de ejus retinenda poſſeſſione, in favorem Galliæ regis, ſequentia diſponuntur, *Artic. IV.* Armiſtit. cæſar. Gallic. *verbis:*

Ideo durante hoc viginti annorum armiſtitio, ſacra chriſtianiſſima majeſtas permaneat in libera quietaque poſſeſſione civitatis Argentinenſis, cum fortalitio Kehl, aliisque munimentis inter urbem dictumque fortalitium ſitis & conſtitutis, Rhenoque adjacentibus, ut & omnium quarumcunque ditionum & locorum, quæ usque ad primum Auguſti MDCLXXXI. vigore ſententiarum tribunalium, Metenſis, Briſacenſis, ut & Veſontini, in imperio occupata ſunt.

Exerceat quoque ſacra chriſtianiſſima majeſtas in iis locis ita retentis libere & absque ullius contradictione jura ſuperioritatis, ſupremique dominii, neque licitum ſit cuiquam, alte dictam ſacram chriſtianiſſimam majeſtatem, in ipſo jurium ſuorum exercitio ullo modo turbare. *Artic. V. d. Armiſtit.*

Verum enim vero cum rex Galliæ anno 1688. non ſolum hoc armiſtitium, ſed & præcedentia pac. fœdera, pyren. ſcil. & Aquisgran. cum Noviomagenſi, injuſtiſſima armorum violentia fregit, omnibus prædictis beneficiis & acquiſitis locis eorumque juribus & poſſeſſione merito ſeſe indignum exturbandumque præbuit. *v. Artic. III. & XIX. d.* Armiſtit. cæſar. Gall. *verb.* non via pacti aut armorum, &c.

Ad lib. II. cap. XXIIX. §. 45. pag. 443.

Poſteaquam nuper adeo Monaſterii Weſtphalorum claris & perſpicuis verbis id pactis æterna pacis pronunciatum eſt.) Attamen Dn. Autor contra morem ſibi conſuetum, ne artic. quidem memorabilis illius pacis Hiſpan. Hollandic. h. l. adducit. Eſt quidem pax iſta Monaſterii Weſtphalorum 30. Jan. anno MDCXLVIII. inter regem Hiſpan. & ordines general. Fœderati Belgii concluſa, a pace tamen Monaſterienſi communi cæſar. Gall. diverſa.

Primarius autem & I. d. pac. articul. quo Hiſpanus ſeptem fœderatas Belg. provincias & ordines generales pro ſtatu & republica libera declarat, ſequentibus verbis conceptus eſt:

Imprimis declarat dictus dominus rex & agnoſcit dictos dominos ordines generales unitarum provinciarum Belgicarum, & provincias ipſas reſpective, cum omnibus ſibi aſſociatis ditionibus, urbibus, & terris apparentibus, *liberos & ſupremos ordines*, provincias ac terras, in quas vel eorum earumve aſſociatas ditiones, urbes ac terras prædictas dictus dominus rex, nec nunc nec poſthac, pro ſe ipſo, ſuis ſucceſſoribus, & poſteritate unquam quicquam prætendat, & idcirco ſe contentum certumque eſſe, cum iisdem dominis ordinibus tractare, ſicut facit per præſentes, *æternam pacem*, conditionibus deinceps ſcriptis & declaratis.

Omnia regiſtra, tabulæ publicæ, chartæ, archiva, & papyri, & cauſæ proceſſuum, aliquas unitarum provinciarum, ditionum aſſociatarum, urbium membrorumve, aut privatos incolas earum concernentia, quæque in cancellariis, conſiliis, cameris politiæ, juſtitiæ, financiarum, feudorum, archivorumve avenæ, Mechlini, vel in aliis locis dicto domino regi ſubjectis extant, bona fide tradantur iis, qui a parte dictorum dominorum ordinum & reſpective dictarum provinciarum erunt deputati ad ea exigenda. Ita *Artic. LXIX. d. pac.* diſponit.

Tales fructus Hiſpania retulit ex octogenario iſto bello, quod contra ſeptem fœderatas Belg. provincias, ex abſurdis maxime ducis Albani conſiliis, cum inſuperabili detrimento, geſſit.

Circa finem h. cap. addam proteſtationem ducis Lotharingiæ, quam anno 1679. Noviomagi per plenipotentiarium Miniſtrum canon. contra pacem iſtam exhibuit Mediatoribus, d. 20. April. d. anni.

Miniſter & plenipotentiarius ſereniſſimæ ſuæ celſitudinis Lotharingicæ ad conventus de pace, ejusdem nomine exponit, quemadmodum conditiones tractatus in hac urbe d. V. m. Febr. præcedentis initi, in quantum ipſam eæ concernunt, eidem ob rationes per jam dictum ſuum miniſtrum & plenipotentiarium, dominis legatis & plenipotentiariis potentiſſimorum principum, qui hic exiſtunt, repræſentatas cunctas, haud exceptandæ videantur; ita ipſam ad tantam impoſſibilitatem redactam ſe cernere, ut illas probare nequeat.

Proinde proteſtari eam contra dictum tractatum & omnia, quæ pro ipſa a duodecimo inde articulo ejusdem usque ad vigeſimum ſecundum incluſive ſtipulata ſunt, ſic ut eidem ii nec nocere, nec juſtitiæ cauſæ ſuæ præjudicium aliquod inferre haud valeant.

Factum & traditum dominationi ſuæ illuſtriſſimæ, domino nuncio ſanctitatis ſuæ, mediatoris;

ris; excellentiæ ſuæ, domino Jenkins, legato extraordinario majeſtatis ſuæ magnæ Britanniæ, Mediatoris, &c.

Noviomagi XX. April. MDCLXXIX.

Ad lib. II. cap. XXIX. §. 2. pag. 444.

Unum Bohemiæ regnum cum annexa ſibi Sileſia &c. quoniam ab oneribus reliquæ Germaniæ ferendis eſt ſolutum, & præ aliis magis ſua ſponte &c.) Dn. Autor h. l. merito illorum refutat opinionem, qui Bohemiæ regno ejusque unitis provinciis independentem imperioque haud obnoxiam libertatem aſſerere audent.

Quamvis enim regnum hoc ſub Ferdin. II. armis auxiliaribus, maxime Saxon. elect. & Bavarici ducis, tempore belli Bohemici, vindicatum inque patrimoniale regnum dom. Auſtriacæ, præſertim per Pragenſe prælium, redactum cenſeatur, ſitque etiam ſine onere ab immediata imperii ſubjectione exemptum, nec reges Bohemiæ imperii comitia, imo ne conventus Electoral. (excepta electione reg. Roman.) frequentare ſoleant.

Ex his tamen aliisque privilegiis, immunitatibus juribusque cum Bohemiæ tum domus Auſtriacæ, hautquaquam convincere licet, quod regnum illud omni nexu civili & fidelitate, reſpectu imper. Rom. German. ſolutum ſit. Utut enim, propter exemptionem, non amplius immediatum imperii membrum putetur, eſt tamen manetque membrum ejus mediatum, conſueto vinculo illi obſtrictum cum poſſeſſore ſuo, qui, quod conſtat, ſimul eſt imperii elector, unusque ex ejus ſupremis officialibus, nimirum Archipincerna; conf. autor *ſequ. verb. h. c.* Arguit præterea imperii in Bohemos autoritatem &c.

Ad id. cap. lib. II. §. 30. pag. 454.

Utinam haut pari ſucceſſu Pruſſiam quoque & Livoniam amiſiſſemus) Duæ potiſſimum deprehenduntur graviſſimæ hujus jacturæ cauſæ: (1.) Deſpoticum & intolerabile ordin. Teutonic. ſ. Cruciferorum regimen in ſubditos. Intra LXXX. circiter annorum ſpatium ordo iſte LV. urbes, quibus & Dantiſcum interfuit, XLVIII. arces, & XIX. mill. pagos occupaverat, ſuoque regimini ſubjecerat, qua potentia & opibus inſoleſcebant, ſubditos Pruſſos tyrannice & pro lubitu tractantes; quorum inde vicinorumque Polonorum odia in ſe concitabant, tamdiu agitata, donec Pruſſiæ civitates ab ipſis deficerent, Caſimiri Poloniæ regis protectioni ſe ſubmittentes, quibus in obſequium reducendis, ordo Teuton. arma contra Poloniæ prædictum regem ſumſit, unde graviſſimum bellum exortum, quod tandem anno 1466. ita compoſitum fuit, ut Boruſſia divideretur in duas partes, ſuperiorem & inferiorem, quarum illa Polonum, hæc autem magiſtrum ordinis, ſed tanquam Polon. regni beneficiarium ſ. Vaſallum recognoſceret.

(2.) Cauſa prædictæ avulſionis erant diſſidia bellaque inteſtina inter ordin. Teuton. & ordin. Enſiferor. in Livonia, quem ille ſibi ſubjicere ſatagebat, ut in ſeq. notat. de Livonia amiſſa.

Num autem Pruſſiæ civitates & ſubditi jure ſe in clientelam Poloniæ regum, derelicto ordin. magiſtro & imperio, ſe ſubmittere potuerint, eſt omnino res alterioris indaginis. Ea enim omnia, quæ pro ipſorum partibus vel ab autore Conringio, vel ab aliis ſcriptoribus, præſertim Polonicis & Pruſſicis afferuntur, facti nec ſuſpicione vacua ſunt, indeque majori probatione indigent.

Præcipue autem expendendum venit, (1) num ordinis cruciferorum regimen adeo tyrannicum & intolerabile fuerit, ut Pruſſi eo excuſſo, Poloni protectionem de jure implorare coacti fuerint? Hic namque multa certe requiruntur, priusquam jurati ſubditi obſequium legitimo domino renunciare aliumque ſibi quærere poſſint debeantque. (2.) Videndum eſt, num alia ordinaria tentaverint prius remedia, maxime vero imperii cæſarumque auxilia imploraverint, antequam ad extrema hæc proceſſiſſent; imperium utpote neutiquam erat prætermittendum præferendumque vicinum Poloniæ regnum. *Add. Baecler. Notit. imper. L. I. c. 2. verb.* In Pruſſica & Belgica controverſia &c.

(3.) Poſito denique, quod Pruſſi ſatis cauſa & urgentis neceſſitatis habuerint, ad iſtam defectionem & quærendam Poloniæ regem protectionem; exinde tamen non ſtatim protectio a Poloniæ regibus in dominium, in maximum imper. German. præjudicium, erat immutanda.

Imperatores igitur factum iſtud graviſſime tulerunt, inſtinctuque Maximiliani I. Frideric. dux Saxon. ordin. magiſt. Pruſſic. creatus a Polonis defecit, ſed auxiliis imperat. fruſtratus Pruſſiam iterum deſeruit; cui Albertus March. Brandenb. in iſta dignitate ſuccedebat, qui tandem anno 1525. mutato ordine, a Sigismundo Poloniæ rege *dux Pruſſiæ* creatus adeoque ſecularis factus fuit, vinculo tamen vaſallagii regno Poloniæ obſtrictus. Defuncto ejus filio Alberto Friderico Johannes Sigismundus, elector Brandenburg. ſucceſſit, ducatumque Pruſſiæ ut feudum regni Polon. ad poſteros hinc tranſmiſit, qui nunc abſoluta ſuperioritate illum tenent.

Vinculo namque feudali anno 1667. Elector Brandenb. Fridericus Wilhelmus per tranſactionem Velavienſ. ſolutus, & pro independenti ſ. *abſoluto Pruſſiæ duce* a Polonis declaratus fuit, uti patet ex ſequentibus artic. IV. d. tranſact. verbis:

Ducatum Pruſſiæ iis finibus circumſcriptum, quibus ſereniſſimus elector illum olim jure feudi, ante hoc bellum exortum, poſſidebat, ipſe deinceps & deſcendentes ejus maſculi ex toro ejus legitime procreati, indeque deſcendentes omnes, donec quisquam ſupererit ex deſcendentibus maſculis ſuæ ſerenitatis electoralis, jure *ſupremi dominii* cum ſumma atque abſoluta poteſtate, ſibi habebunt regentque. Conf. Pacif. Olivienſ. anno 1660. concluſ. electorali linea vero exſtincta, expirat quoque iſte ſupremat us, Pruſſiæque ducatus ut feudum Polonic. agnaticis lineis Brandenb. conferendus eſt. Homagium prædictus elect. ut ſupremus Pruſſiæ dux, anno 1663. m. Octobr. præſentibus Poloniæ legatis, demum accepit.

Ad id. cap. XXIX. §. 33. pag. 457.

Eſt autem talis negligentia & ſilentium indicio haud obſcuro facta derelictionis &c.) Autor h. l. fovet opinionem, quod imperium defectioni Pruſſiæ, ſeculo XV. factæ, nec interceſſerit neque tempeſtive contradixerit; verum ex actis imper. & monumentis hiſtoricis aliud conſtat, quod Maximiliani I. tempore, & antea jam, adeoque XV. ſeculo, defectio iſta ab imperio fuerit improbata; Maximilianus namque ideo Frideric. Saxon. ducem, magiſtrum ordin. incitaverat, ut a Polonorum feudi nexu illicito recederet, Pruſſiamque imperio iterum vindicaret. Albertus Brandenb. fertur quoque ab imperio proſcriptus anno 1532. quod in hujus præjudicium, Polonis ratione Pruſſiæ, feudali vinculo ſe obſtrinxiſſet. Imo poſtea in imperii comitiis acerrime inter illius Status & Polon. legatos cauſa hæc diſputata fuit. *Vid. Limn. J. P. T. I. libr. 1. cap. 9. &c.*

Ad id. cap. XXIX. l. 2. §. 39. pag. 460.

Atque ita quidem & Livonia nobis periit poſt Pruſſiam.) Bella inteſtina & diſſidia inter Cruciger. & Enſifer. Livon. ordinem, quem iſte ob lata contra barbaros auxilia ſibi ſubjicere ſatagebat, Ruſſis occaſionem præbuit invadendi Livoniam, quæ imperii fruſtra implorans ſubſidia, partim Sueco partim Polono ſe protectionis cauſa ſubmiſit; ejectis denique Ruſſis, ipſi Sueci Polonique armis de Livonia tanquam de communi præda collidebantur, præſertim a tempore Johann. III. Suecorum regis, donec lis ita compoſita, ut Curlandia maxime penes Polonos, reliquæ vero partes, Eſthonia, Lettia & Oeſilia penes Suecos manerent. In pace Olivienſi de anno 1660. Sueco-Polon. Livonia diſtinguitur maxime in Septentrionalem & Auſtralem, quarum illa ad Suecos, hæc ad Polonos pertinere debebat; item in Trans-Dunamam & Cis-Dunamam, quæ tamen diſtinctio non adeo univerſalis eſt, ut antecedens.

Operæ pretium eſt, ea hic adducere, quæ in d. Pacif. & Livonia diſpoſita expreſſe leguntur; ita enim artic. IV. loquitur:

Sereniſſimus rex & ſtatus ordinesque regni Poloniæ, magnique ducatus Lithuaniæ, a modo & in perpetuum cedunt, vi hujus pacificationis, ſereniſſimo regi Sueciæ ejusque ſucceſſoribus, regibus regnoque Sueciæ omnem illam Livoniam *trans-Dunanam*, quam Suecia hactenus per tempus induciarum tenuit & poſſedit; ut & partes *cis-Dunanas* omnes, & inſulam Rügen in mari ſitam, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit & poſſedit, nec non quicquid juris regibus & reipubl. Polon. in Eſthoniam & Oeſiliam hactenus ullo modo competere poterat.

Atque hæc quidem omnia & ſingula cum omnibus ſuis dependentiis, terreſtribus & maritimis, urbibus, Arcibus, Propugnaculis, bonis & Proventibus, nec non juribus, jurisdictionibus, regalibus & ſuperioritatibus, tam in eccleſiaſticis, quam in politicis, nullis penitus exceptis, in plenum dominium & proprietatem regum regnoque Sueciæ transferunt, ordinesque & ſubditos in illa Livonia ejusque recenſitis partibus, omni erga regem & rempubl. Poloniam obedientiæ vinculo & fidelitatis ſacramento abſolvunt, nihil unquam in eos ac dictam Livoniam ejusque pertinentias poſthac prætenſuri.

Cis-Dunam autem sereniſſimi reges regnumque Sueciæ non ulterius, quam hactenus, fines ſuæ poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoveant, aut ſervitutes a ſubditis illuſtriſſimi ducis exigant, aut ullum jus lignandi aliudve quodvis in Curlandia aut Semigallia prætendant.

Artic. V. ita diſponit: Pars Livoniæ eaque Auſtralis, quæ ante hæc & per hæc bella, & temporibus induciarum ſub ditione fuit regni Poloniæ, magnique ducatus Lithuaniæ, nempe Duneburgum, Roſizen, Luzen, Marienhofen &c. itemque reliqua omnia loca, quæ per commiſſarios ad id utrinque deputandos Polonicæ poſſeſſionis per tempus induciarum fuiſſe invenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, urbibus, pagis, fructibus & proventibus, teloniisque, juribus, directoque & utili dominio, remanent in poſſeſſione ſereniſſim. regum & regni Poloniæ, magnique ducatus Lithuaniæ.

Nec ſereniſſimi reges regnumque Sueciæ in iſtam partem Livoniæ, ut ab altera diverſam, neque in ducatus Curlandiæ, Semigalliæque & diſtrictum Piltenſem, vel reſpectu Livoniæ, Septentrionalis, vel quovis alio prætextu, ullum unquam jus prætendent, aut prætendere poterunt. Cum vero magnus dux Moſcoviæ non modo dictam Livoniam Polonicam, ſed etiam partem Sueciæ armis occupatas nunc teneat, ideo conventum eſt, ut, ſi regnum Sueciæ aliquid ex Livonia Polonica quocunque tempore a Moſchis armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Poloniæ & magno ducatui Lithuaniæ ultro & gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere, &c.

Titulis autem & inſignibus Livoniæ tam reges Sueciæ, quam Poloniæ promiſcue utuntur, vi §. 2. d. art. 4. Imperator quoque Leopold. dicta Olivienſ. pac. comprehenditur, ſed forſan magis ratione domus Auſtriacæ, quam imperii.

Quod attinet loca tum temporis a Moſchis in Livonia, uti ſupra dictum, occupata, de illis in pace Pleiſſemundan. Suec. Ruſſic. anno 1661. artic. III. ita diſpoſitum legitur:

Sua Czarea majeſtas omnes in Livonia urbes & munita loca iterum reddat.

Ad id. cap. XXIX. Lib. II. §. 39. pag. 460.

Imo ne quidem aliqua miſſa legatione &c.) Dn. Autor h. l. videtur in hiſtoriam German. actaque imperii impingere; ſi enim receſſ. imper. anno 1576. inſpexiſſet, forſan aliter hic locutus fuiſſet, utpote in d. anni comitiis legatio ad Moſchum expreſſe conſenſu ſtatuum decreta, ſumtusque legationis ab ipſis cæſari promiſſi fuerunt, pro Livonia a Ruſſis afflicta, *dem bedrangten Liefland zum Troſt und Beyſtand*, uti verba d. receſſ. ſunt. Decretum præterea fuit, ut caput iſtius legationis aliquis imperii princeps eſſet. *Conf. receſſ. d. ann.* 1576. §. 107. 108. *&c.* de quibus omnibus autor h. l. ne verbum quidem injicit.

Poſſit

Poſſit quidem objici, legationem iſtam ad Ruſſum decretam, ſed realiter non miſſam fuiſſe; interim tamen in dubio præſumendum magis eſt, pro dict. imper. decreto, quodque vi illius legatio miſſa fuerit.

Ad Lib. II. cap. XXX. §. 6. pag. 462.

Imperii Germanici &c. auſpiciis nunquam forte claſſis aliqua in maris dominium inſtructa eſt &c.) Imperatores Romano-Germanici quondam in hoc paſſu haut levem commiſerunt oſcitantiam, quod, pro aſſerendo ſibi maris Germanici & ex parte Balthici, dominio, in maritimis Germaniæ finibus, ad corroborandam ſimul imperii potentiam, militiam nauticam neglexerint, claſſemque ſemper inſtructam non habuerint, ad quam tamen vel tot maritimæ, præſertim belgii, aliæque German. Hanſeaticæ urbes multum ſubſidii ſuperioribus ſeculis, ante belgii exemptionem & diſtractionem, minus difficulter contribuere potuiſſent.

Dux Wallenſteinius quidem tempore belli tricennalis claſſem quandam, nomine cæſaris in maritimis Germaniæ locis, parabat, Architalaſſi ſeu admiralis imperii nomen jam præ ſe ſat inſolenter gerens; verum claſſis illius cum titulo marisque prætenſo dominio brevi iterum evaneſcebat, non ſolum navibus, ſed & harum apparatu ad claſſem ſatis inſtruendam, deficientibus; quas quidem ab urbibus Hanſeaticis tum poſtulabat; aſt intempeſtivum & fruſtraneum hoc erat, a dictis urbibus, quibus arma cæſarea & Wallenſteinii molimina tum temporis admodum erant ſuſpecta, naves bellicas flagitare, perinde ac ſi lupus a cervo cornua peteret.

Ad id. cap. XXX. Lib. II. §. 8. pag. 462.

Brema & Hamburgum &c.) Prætenſiones regum Sveciæ & Daniæ in prædictas validas Germaniæ urbes huc non pertinent; finibus namque imperii has urbes iſtis prætenſionibus ſubtrahere non intendunt, ſed tantum redigere illas in urbes municipales, & quidem Hamburgum ducatus Holſat. Bremam vero ducat. Bremenſis, ita ut ex membris imperii immediatis fiant mediata, regibusque ut imperii principibus ſubdita; id quod tamen non ita facile ſperandum, quamvis Bremenſis urbis ſtatus & immedietas jam ab anno 1666. in ſuſpenſo fuit. Vid. tractat. Svec. Brem. d. Ann. Add. de urbe Hamburg, *den* interims-Receſs *zwiſchen dem Känig in Dennemarck und der Stadt Hamburg, Anno* 1679. artic. I. & II. ubi rex urbi jura ſua, uſque ad vel amicabilem vel legalem controverſiæ compoſitionem, inviolabiliter ſarta tectaque, (ita enim verba ſunt) reſervat, urbs vero regi humilima decentique devotione addicta ſit maneatque.

Exercitatio de urbibus Germanicis habita XXI. Decembris, Anno cIↃ IↃ c XLI. Reſpondente Gerhardo Bode Hamburgenſi.

Theſis I.

De regni Germanici urbibus agere quoniam animus eſt, prius in genere de civitatum & urbium origine atque cauſis quædam præfari, forte haud abs re fuerit: ſi modo quid civitatis, quid item urbis nomine indigitemus, paucis ante expoſuerimus. Ita enim non tantum præſtantiſſimorum philoſophorum ductum ſequemur, verum etiam multo rectius in ſequentibus progredi poterimus.

II. Eſt vero ἡ πόλις aut *civitas*, (a) juxta optimum & dicendi & ſapiendi magiſtrum Ariſtotelem, nihil aliud quam ſocietas liberorum hominum bene beateque vivendi gratia conſtituta. Vrbs autem proprie mœnibus definitur aut loci alicujus munitione.

III. Eſſe autem inter hæc maximum diſcrimen, cum per ſe manifeſtum eſt, tum vel exinde patet; quod totum aliquem ducatum aut provinciam liceat quidem appellare civitatem, (ſi nimirum iisdem legibus utatur) non tamen unam urbem. Abſurdum etiam foret, Peloponneſum v. gr. aut Cimbricam Cherſoneſum, utraque licet mœnibus cincta eſſet, unam urbem dicere, ſi quidem diverſæ in iis ſitæ fuerint reſpublicæ.

IV. Quamquam vero hæc prima ſit ſignificatio vocabuli civitatis, eaque ratione ab optimis latinis antiquis ſcriptoribus uſurpetur; ſequentibus tamen ſeculis fere urbem cœpit notare & nihil aliud. Sic & urbis acceptio cœpit diffundi ad loca neutiquam munita: modo majorem ædium frequentiam conjunctam comprehenderent. Scilicet aut ſparſim amplis ſpatiis locantur domus, aut ſedibus conjunctis habitatur. Hoc vero fit, vel paucis, vel paulo pluribus, vel denique ea multitudine coëuntibus domibus, quæ ad vitam ſic ſatis bene degendam requiritur. Prior congregatio nobis *ein Dorff*, latinis vicus, nonnullis vulgo pagus audit. Altera, imo & tertia, ſi mœnibus careat, nobis *ein Flecken*, ſequioris ævi ſcriptoribus minus latine villa, nonnunquam & urbs dicitur. Sola tamen illa tertia *eine Stadt* appellatur: præcipue ſi eadem ſit mœnibus cincta, quod proprie claſſicis ſcriptoribus latinis urbs eſt.

V. Sed quicquid ſit, quia de nomine tantum eſt illa quæſtio, non eſt quod hic operoſe ſimus ſolliciti: ſed nobis quidem *civitas & urbs* dicentur, prout modo definivimus. Interim vocabulo urbis potiſſimum utemur, utpote quod omnium commodiſſime & ſtructuram & ipſam hominum ſocietatem denotat. VI.

(a) *Civitas*) HERTII *elementa prudentiæ civilis part. 1. ſect. 2.* GROTIVS *de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 14.*

VI. HISCE præmiſſis nunc videndum: quænam cauſa primum homines commoverit civilem aliquam ſocietatem inire, & multis adeo legibus ſeſe ſubjicere.

VII. Sunt autem hac de re diverſæ diverſorum ſententiæ. Nonnulli quidem omnem civitatem a tyrannico imperio initium ſumſiſſe autumant; quaſi nimirum primum tyranni domitos a ſe populos in unum coëgerint. Alii contra credunt, ſponte homines in civitatem coiiſſe, metu tamen quaſi coactos, ſcelere improborum hominum ubivis late graſſante.

IIX. A quibus tamen utriſque longe diſſentit Ariſtoteles. Vult enim ille hominem natura, h. e. naturæ innato inſtinctu ad *civilem ſocietatem ferri*, (a) adeoque natura eſſe animal πολιτικόν. Hominem namque etiam omni malorum metu abſente, nihilominus natura civilem hanc ſocietatem appetere.

IX. Videatur autem Ariſtotelis ſententia præ aliis veriſimilis, adeoque ut in cæteris ita & fortaſſis hac in re maxime ſequenda. Nam primæ quidem illius & ſecundæ opinionis autores affirmare coguntur, quod ſi per Adami lapſum non in vitia defeciſſet humanum genus, nullam futuram fuiſſe civitatem; contra quam tamen omnino res ſe habere videtur.

X. *Primo* enim certum eſt, homini natura quaſi, ante lapſum etiam, inditum eſſe ſermonem. Quorſum vero niſi ſocietatis gratia? Quippe cum ſermo inſtrumentum ſit nulla alia de cauſa homini conceſſum, quam ut ea, quæ nocent ſibi, quæve proſunt, & per conſequens quid juſtum ſit ac injuſtum, eo ſignificare poſſit; ſi autem nullus ſit cum quo loquaris, ne quidem ſermone tibi opus fuerit. Eſt autem homini ſermo non tantum de iis, quæ ad domeſticam, ſed de omnibus etiam, quæ qualicunque modo ad vitam feliciter degendam requiruntur. Quod ſi igitur natura homini datum eſt illud, quod non tantum requiritur ad ſocietatem, verum etiam non aliam ob cauſam requiritur, quam ob ſocietatem, manifeſtum utique dixerit, hominem natura quoque ferri in ſocietatem civilem, niſi fruſtra ſermonis uſum homini a natura eſſe conceſſum, dicere velis.

XI. *Secundo* certum eſt & illud: quod licet homines non eſſent lapſi, tamen quidam ad imperandum, quidam ad *parendum* (b) fuiſſent nati; utpote cum diſcrimen hoc naturale prorſus ſit homini, uti præclare obſervatum eſt Ariſtoteli *lib. 1. Polit. c. 5.* Videmus enim natura fœminam quoad ingenii & judicii vires, non minus ac ratione corporis, *viro eſſe imbecilliorem.* (c) Videmus quoque natura inter jam adultos & pueros ut ætatis ita & ingenii diſcrimen vel maximum reperiri: habent enim pueri natura imperfectam conſultandi vim, eoque eſt aliis opus, a quibus manu ducantur, virtusque eorum perficiatur. Quod ſane diſcrimen in hominibus etiam non lapſis animadvertere licuiſſet; quippe cum & ipſemet Salvator noſter nullo licet peccato contaminatus, ſapientia ſcribatur profeciſſe. Vt autem minus prudens obſequatur prudentiorum conſilio & monitis, id vero recta ratio ſuadere videtur. Hinc itaque patet: tametſi lapſus nullus primorum parentum interceſſiſſet, futurum tamen fuiſſe ordinem quendam & diſtinctionem obſequentium & imperantium. Talis autem ordo citra ſocietatem nequaquam poteſt conſtitui.

XII. Procul dubio autem etiam tunc, alii quidem omnia illa juſſiſſent, quæ ad vitam feliciter degendam poſtulantur; alii vero iis in omnibus illis obtemperaſſent. At ubi eſt ſocietas imperantium & obſequentium in omnibus vitæ negotiis, quæ ad felicitatem requiruntur, ibi eſt civilis ſocietas. Nihil enim aliud eſt civitas quam talium hominum ſocietas perfecta, bene vivendi gratia inſtituta.

XIII. *Tertio* & illud conſtat: quoniam ob mutuam operam & vitam feliciter degendam ad ſocietates inter ſe ineundas natura homines ducuntur, licet lapſi non eſſent, multo certe magis ad civilem ſocietatem eosdem propendiſſe. Quilibet enim, quoad fieri poteſt, bene & feliciter quam potius miſere ſatagit vivere. Atqui id nemini rectius quam in civili ſocietate viventi obtingere poteſt: utpote quæ omnium perfectiſſima eſt & totius fere ſufficientiæ ſummam in ſeſe continet. Vnde recte inquit Ariſtoteles. *1. Pol. c. 2. eum, qui natura in ſocietate vivere nequit, aut extrema malitia eſſe aut homine potiorem.* Et ſane conjungi hominibus non poſſe ferorum eſt; at conjunctione non egere ſolius fere eſt Dei.

XIV. Quanquam vero tam alte arceſſenda merito fuerit origo civilis ſocietatis, omnino tamen concedendum eſt: aliam longe futuram fuiſſe faciem reipublicæ; ſi quidem homines nullis ſeſe peccatis contaminaſſent, quam nunc neceſſitate exigente paſſim ſolet inſtitui. Multa enim nobis nunc deficiunt, & tranquillitatem vitæ plurimum perturbant hominum ſcelera. Quibus omnibus occurrendum nunc eſt per varii generis artificia, arma, conſilia, opes, ſi modo velimus tranquille vivere; quorum tamen nullus fuiſſet uſus, ſi homines in primogenia integritate vitæ perſtitiſſent.

XV. Verum hoc quidem coacti ſunt homines varie ſe contra *petulantium hominum* (d) injurias munire

(a) *Civilem ſocietatem ferri*) Hoc multum habet dubii. HOBBES *de cive c. 1. §. 13.* HERTIVS *part. 1. ſect. 3.* PVFFEND. *de J. N. & G. lib. 7. c. 1. §. 5.*

(b) *Parendum*) Sunt, qui de hac dubitant ſententia, quoniam in innocentiæ ſtatu omnia perfecta fuiſſent absque omni imbecillitate & malitia: Verum autoris opinio verior videtur; ſecundum eundem enim naturæ ductum, qui hodie eſt haud dubie in hominibus, tam quoad corporis vires, quam quoad organa diverſitas fuiſſet.

(c) *Viro eſſe imbecilliorem*) In ambiguo tamen eſt, an imbecilliores corporis & animi vires in fœminis eas absque pacto maritis ſubjeciſſent, ſi revelata homines deſtituti manſiſſent ſuperioris voluntate. Nam id, cujus ego mihi non ſum cauſa, nec ille ſibi, id etiam ei in me non poteſt dare jus.

(d) *Petulantium hominum*) Et ſic cauſa impulſiva condendarum civitatum primaria fuit *metus*, ſecundaria *luxus*, quibus deinde aliæ adhuc accedunt.

munire. Inde autem progreſſu temporis urbes ſunt exortæ, in quibus jam non tantum rerum ad vitam neceſſariarum incolis copia ſuppeteret, ſed quarum etiam beneficio hoſtium injurias a ſe illi propulſare poſſent. .

XVI. CÆTERUM quo ad res Germanicas tranſeamus, urbium nullas Germanorum populis ante *ſexcentos* (a) præter propter annos habitatas fuiſſe, antiquam memoriam repetentibus facile apparet. Enimvero quæ de antiquiore urbium nonnullarum initio a quibusdam memorantur, figmenta mera ſunt & inanes fabulæ; ut quorum fides nullis neque peregrinis neque domeſticis monumentis ſit ſubnixa. De ſuo ævo, hoc eſt, ætate Trajani, diſerte *Tacitus*, (b) cui res Germanicæ fuerunt compertiſſimæ: *Nullas Germanorum populis urbes habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Loquitur autem ille de Germania magna. In ea ſcilicet, quæ parebat Romanis cis Rhenum Germania urbes tum fuiſſe, ipſe non ſemel alibi prodiderat. Et vero hæc videtur eſſe cauſa, quare plæræque urbes Germaniæ vel a fluviis, vel a campis, vel etiam a ſylvis nomina poſt acceperint. Id quod late deducitur a Philippo Cluverio *Germania antiqua l. 1. cap. 13.*

XVII. Nec tamen nos Cluverio facile in aliis adſentimur, quæ de antiqua Germanorum habitandi ratione ille memorat: quaſi nempe illum morem ſervaverint, quem Tacitus Fennis adſcribit: utut promiſcue Germanis ſimile quid tribuere Seneca videatur. Sunt autem verba Taciti de Fennis: *nullos iis penates; veſtitui pelles, cubile humum: nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc rediiſſe juvenes: hoc ſenum receptaculum fuiſſe: id beatius arbitrates quam domibus allaborare.*

XIIX. Non enim hoc ad *omnes Germanos* (c) trahendum, ſed Fennorum fuit proprium. Idem certe Tacitus Germanis omnibus non ædium uſum attribuit tantum, ſed & uſitatam fruendi rationem narrat. Venedos idem inter Germanos potius referendos cenſet, quam inter Sarmatas; *quia domos figunt, Sarmatis in plauſtro viventibus.* Neque ille Fennos audet Germanis accenſere. Quin teſtatur, Fennis *miram fuiſſe feritatem, fædam paupertatem*, quæ ſcilicet omnia Germanis erant diverſa. Ut proinde, quæ fuſe & narrat & pingit de habitaculis Germanicis Cluverius, plus ficti habeant quam veri.

XIX. Id verius & certius: priſcos Germanos non tantum hinc inde diſperſos vixiſſe, ſed & vicos inhabitaſſe. Expreſſe Tacitus: *VICOS locant non in noſtrum* (Romanorum videlicet) *morem connexis cohærentibus ædificiis: ſuam quisque domum ſpatio circumdat; ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi.* Dudum ante Tacitum cæſar *l. 4. de bello Gallico* ſcribit: Menapios ad utramque Rheni ripam *ædificia VICOSQVE habuiſſe.* Et vero hiſtorici Romani paſſim vicos Germanorum memorant & domos, rudes licet & incultas.

XX. Sed VICOS quidem incoluerunt Germani priſci, urbes tamen nullo modo ferre potuerunt; quin potius ad exemplum Lacedæmoniorum pro mœnibus juventutem & vim ſuam reputarunt, magno ſibi dedecori exiſtimantes mœniis ſe valloque cingere, Unde quoque Tencteri apud Tacitum *l. 4. hiſtoriarum*, Ubiis quaſi ignaviam exprobantes, ſic inquiunt: *Ut amicitia ſocietasque noſtra in æternum rata ſint, poſtulamus a vobis, muros coloniæ, munimenta ſervitii, detrahatis: etiam fera animalia, ſi clauſa teneas virtutis obliviſcuntur: liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris; quomodo lucem noctemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Quomodo ſcilicet Poloni hodieque ex antiquo more oppida munita non magni faciunt, nec eorum niſi exiguum habent numerum.

XXI. Neque vero Taciti fidem in dubium quis vocaverit oppoſito teſtimonio vel Julii Cæſaris vel Claudii Ptolemæi, quem paulo poſt Tacitum ætate Antonini conſtat Geographica ſua conſcripſiſſe. Enimvero Julius Cæſar & Suevis & Ubiis, utrique Transrhenano tum populo, ſua oppida adſcribit *comment. 4. Suevos poſtquam per exploratores pontem fieri comperiſſent, more ſuo concilio habito nuncios in omnes partes dimiſiſſe, uti de opidis demigrarent: liberos, uxores, ſuaque omnia in ſylvas deponerent.* Et comment. VI. *Ubiis imperat, ut pecora deducant, ſuaque omnia ex agris in oppida conferant.* Nec poteſt negari, Ptolemæum amplius nonaginta in magna Germania recenſere loca πόλεων nomine. Sed non eſt dubitandum, auctores illos per πόλεις aut *oppida* nil quicquam aliud quam vicos non munitos intellexiſſe. Etenim neque ἡ πόλις neque opidum proprie urbem ſignificat aut locum munitum. Et quidem ejus naturæ fuiſſe tunc τὰς πόλεις Germanicas, vel unum Herodiani teſtimonium evicerit *l. 7.* in hiſtoria rerum Maximini. Cum enim ſcripſiſſet: *vicosque omneis incendendos diripiendosque militibus conceſſit:* ſubjungit; *namque opida eorum* (τὰς πόλεις αὐτῶν) *atque ædificia omnia ignis depaſcitur.* Uti liqueat, Herodiano τὰς πόλεις hic eſſe idem atque τὰς κώμας.

XXII. Pari vero ratione non eſt quod ex *burgi* appellatione, jam Ptolemæi ævo nonnullis locis adjecta, mœnia & foſſas Germanis uſurpata quis credat. Etenim eſt *burgus* quidem Romanis ſequioris ævi *caſtellum parvulum*, ceu teſtatur Vegetius *l. 4. cap. 10.* at alia ſignificatio obtinuit olim apud Germanos. Diſerte enim Oroſius *l. 7. cap. 22.* & Iſidorus *l. 9. cap. 2.* de Burgundionum vocis origine diſſerentes: *crebra habitacula conſtituta burgos vulgo vocant.* Clarius Luitprandus *l. 3. c. 12. ipſi* (Germani ſcilicet) *domorum congregationem quæ non clauditur, burgum vocant.* Niſi fere τὸ *non* ſit delendum.

XXIII. SED quid in re clara opus eſt verbis? Sane nemo hiſtoricorum, qui expeditiones Romanas in Germaniam usque ad ſeculum a nato ſervatore quintum ſat prolixe deſcripſerunt, vel verbulo

(a) *Sexcentos*) Seculo VI. in Germania cis Rhenana aliquas fuiſſe urbes, ex GREGORIO TVRONENSI conſtat.

(b) *Tacitus*) *In Germania c. 16.*

(c) *Omnes Germanos*) De Germanorum habitationibus TACITVS l. c. agit.

verbulo urbis alicujus per Germaniam magnam ſtructæ meminerunt. Quin nec vicos aut ædificia aliter deſcribunt ac Tacitus; ceu ex Herodiano eſt manifeſtum. Ammianus Marcellinus *lib.* 16. *cap.* 3. narrat Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Seliſonem, *Nemetes*, (a) Vangiones & Moguntiacum civitates, Germanos transrhenanos poſſediſſe tunc quidem, non tamen ipſas urbes, ſed earum territoria inhabitaſſe, *nam*, ait, *ipſa oppida ut circum data retibus buſtra declinant.*

XXIV. QVIN IGITVR magna Germania nullam habuerit urbem ante quintum ſeculum Chriſtianum, non eſt dubitandum. Sequentibus usque ad ſeculum nonum temporibus paucæ itidem vel prope nullæ extructæ ſunt a Germanicis populis, qui certe Germanico ſolo non egreſſi ſunt. Neque vero in ullo bonæ fidei ſcriptore reperias mentionem ullius urbis tanto temporis ſpatio ſtructæ, in immenſo illo terrarum tractu, qui Danubio Rheno Bohemica & Thuringica ſylva usque in Saxoniam aut Weſtphaliam definitur: ſi unum forte exceperis *Wurtzburgum*, (b) cujus in vita S. Kiliani fit mentio, ita tamen, ut neſcias, urbsne tum fuerit, an opidum aliquod nullis cinctum mœnibus.

XXV. DE Thuringia autem proditur apud Gregorium Turonenſem *lib.* 3. *hiſt. Franc. c.* 4. & 7. & Witikindum Corbejenſem *hiſtor. Saxoniæ lib.* 1. Vrbem munitam Schidingam ad Unſtrutum ſitam a Saxonibus occupatam, quo tempore per Theodoricum Francorum regem Thuringiæ regnum eſt deſtructum, h. e. circa annum 524. Sed præter hanc unam (cujus nunc etiam veſtigia perierunt) urbs alia nulla memoratur.

XXVI. Nec in Friſia ullam urbem videntur inveniſſe Franci, quando regnum ejus everſum eſt per Carolum Martellum, ſi unum excipias Trajectum ad Rhenum a Romanis extructum. Certe ejus ævi monumenta nullam memorant urbem a Francis occupatam. Venit autem ea ætate Friſiæ nomine omnis maritima ora a Rheno ad Viſurgim, adeoque & Hollandiam & Zelandiam tunc comprehendit.

XXVII. Id certiſſimum videtur, ætate Caroli magni in omni Saxonia, i. e. Weſtphalia, Angaria, omnique illo tractu, qui eſt inter Viſurgim, Albim, Melibocum montem & Salam amnem, imo nec trans Albim ad Eidoram usque, ubi nunc floret Holſteniæ ducatus, nullam omnino urbem inventam eſſe. Cum enim ab Aimoino inque annalibus Francicis aut Fuldenſibus diligentiſſime narretur, quid quoquo anno in bello Saxonico geſtum, quibusve modis libertatem ſuam Saxones defenderint, urbis tamen nullius vel levis fit mentio. At vero obſidere & occupare utique debuiſſet urbes Carolus, ſi quæ tum extitiſſent. Quid? quod ſoli Weſtphali legantur duobus ſeſe caſtellis tum defendiſſe, Eresburgo & Sigeburgo. Sane ne arx quidem ulla a Carolo inter Viſurgim, Salam & Albim aut trans Albim occupata memoratur. Quo colligere eſt, nullam tunc extitiſſe.

XXIIX. ENIMVERO & urbibus nonnullis & caſtellis Saxonicis longe altior origo a quibusdam adſcribitur. Sed procul dubio habenda potius fides iis, qui illis, quæ narrant vel interfuere vel non procul abfuere: adeoque ad quos incorruptior fama potuit pervenire. Is vero eſt auctor annalium, quos laudavimus, & porro antiquus vitæ Carolinæ ſcriptor. Itaque nec *Bardewicum* (c) veroſimile eſt mœnibus tunc fuiſſe cinctum. Meminit enim ejus auctor annalium *anno* 795. ſed minime ut urbis munitæ. Poëta Anonymus diſerte *nobilem VICVM* indigitat. Siquidem conſtat ex iisdem annalibus, tunc primo *Hamburgi* (d) jacta fundamenta; caſtello contra Sclavos extructo nomine *Hadbecke* aut *Hubecke*. Teſtantur enim *anno* 870. ab exercitu Francico ad Albim conſtructum: caſtellum item *anno* 808. caſtella duo ad Albim a Carolo condita adverſum Sclavos. *Anno* autem 810. diſerte inquiunt: *Caſtellum nomine Hochbuchi Albi flumini contiguum, in quo Odo legatus imperatoris & Orientalium Saxonum erat præſidium, a Wilſis captum.* Hochbuchi eſſe Hamburgum, præter alios docet nos Albertus Stradenſis *ad annum* 811. *Caſtelli* tantum quoque nomine venit Hamburgum auctori annalium *anno* 845. Mitto alios errores. Itidem autem vel ex eo liquet, nullam urbem inter Viſurgim & Albim Saxonibus tunc habitatam, quoniam Carolus epiſcopos & Bremæ & Verdæ conſtituit: quam utramque epiſcopalem ſedem mœnibus tum caruiſſe conſtat. Et tamen locis potiſſimis datos tunc *epiſcopos* (e) ex more & lege veteri chriſtianorum, nullum dubium eſt.

XXIX. COETERVM in exſtruendis urbibus Germanicas gentes ſuperaverunt Venedi, illi qui circa ſeculum Chriſtianum ſextum, quicquid eſt inter Salam & Viſtulam fluvios, mare etiam Suevicum vel Balthicum, usque in Holſtenios Saxones, ea tempeſtate habitatoribus Germanis vacuum, occupavere. Hos enim jam ætate Caroli magni & urbes & caſtella coluiſſe, ſuaque habuiſſe ad Balthicum mare emporia, haud difficile eſt probatu ex Francis annalibus, omnium antiquiſſimo harum rerum monumento. Memorat enim illi *anno* 789. *Dragawiti* Wilſorum trans Albim urbem: *anno* 808. Obotritorum etiam trans Albim quædam caſtella & urbem a Danis aut capta aut expugnata:

Rerick:

(a) *Nemetes*) Vid. LEHMANN. *in chron. Spir. lib.* 1. *c.* 4. *LVDWIGS Vorbereitung zu den Würtzburgiſchen Scribenten cap. XII.*

(b) *Wurtzburgum*) *MüLLERS Würtzburgiſche Chronica p.* 391. De Auguſta Vindelicorum vide PETR. BERTIVM p. 476.

(c) *Bardewicum*) Hujus & Magdeburgi aliarumque civitatum *lib.* 3. *c.* 6. *capitularium* mentio injicitur; ſed mœnibus haud dubie non fuerunt cinctæ. De Bardewico vide MEIBOMIVM *T.* 3. *ſcriptor. rer. German.* SAGITTARIVM peculiari *diſſertatione*, & quæ hoc ſeculo prodiit, *SCHLöPCKENS* chronicam *von Bardewick*, qui hiſtoriam illius ad noſtra usque tempora perſequitur.

(d) *Hamburgi*) Vide LAMBECII *origines Hamburgenſes* l. 1. p. 2. ſeqq. REGINONEM, ANNALES PITHOEANOS & LAVRISHAMENSES *ad annum* 810.

(e) *Epiſcopos*) Vide CRANZII *metropolin*. Dubium tamen eſt, quinam epiſcopatus a CAROLO M. ſint conſtituti.

Rerich item, nobile emporium ad Oceanum vel potius mare Balthicum ab iiſdem Danis deſtructum, *translatis inde negociatoribus: anno* 809. Smeldingorum quandam *urbem maximam* ab Obotritis captam. Hi vero populi Venedici omnes trans Albim vixerunt ad Varnum uſque, ad mare Balthicum etiam & Cimbricam Cherſoneſum. Si vera quoque ſunt, quæ de *Winetha*, Vſedomi inſulæ urbe, circa annum Chriſti 830. vel ab Heldungo Sueciæ rege everſa, vel marinis fluctibus hauſta, nonnullis (inter quos & Chytræus *Saxonia lib.* 1.) narrantur, habuit jam tum & Pomeraniæ littus *urbem frequentia commerciorum, magnificentia, opibus & potentia florentiſſimam.* Forte jam tum & *Julinum* (a) famoſum emporium, & anno 1168. a Waldemaro I. Daniæ rege dirutum floruit.

XXX. SED de urbibus illis Venedicis, ab ea quidem uſque ætate, perobſcura memoria ſupereſt. Et vero quæ tunc maximo in pretio fuere, ſequenti tempeſtate una cum ipſa gentis illius libertate dudum perierunt: quæ vero nunc potiſſimæ ſunt famæ in omni illo trans Albim tractu, illæ aliquot poſt ſeculis demum ſunt conditæ.

XXXI. Si VERVM itaque fatendum eſt, (exceptis pauculis illis Venedorum) trans Danubium quidem & Rhenum, ad uſque ſeculum Chriſti nonum, nulla urbs Germanis eſt habitata. Sed *Cisrhenana* Germaniæ; ab eo uſque tempore, quo Gallia omnis per Julium cæſarem in provinciam eſt redacta, alia ſemper fuit conditio. Partim enim in ipſa Gallica Rheni ripa, partim alibi paſſim, extructa ſunt e Romanis caſtella plurima, conditæ quoque urbes, quæ paulatim in magnitudinem inſignem excreverunt. De Druſo Florus: *Druſus in tutelam provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim: nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit.*

XXXII. Germanicæ autem originis populi tunc fuerunt, non illi tantum, qui ad ripam proxime, ſed & qui remotius ab illa, Belgicæ provinciæ partem coluerunt; quod præclare demonſtravit Philippus Cluverius. Non eſt vero inſtituti mei enumerare heic omnia ea caſtella, omneſque urbes in utraque Germaniæ provincia, ſuperiore & inferiore, vel prima & ſecunda, parteque Belgica, florentibus Romanorum rebus, ad uſque ſeculum Chriſtianum quintum extructa. Id operæ eſt pretium heic notaſſe; Metropolitanas urbes tum audiviſſe Belgicæ primæ quidem Auguſtam Trevirorum; Germaniæ primæ Moguntiacum; Germaniæ ſecundæ Coloniam Agrippinenſem: quæ hodieque ſedes præbent tribus primoribus Germanici regni archiepiſcopis. Præter autem haſce tres Metropoles, libellus *provinciarum civitatumque Galliæ* celeberrimas urbes haſce recitat: Germaniæ quidem primæ, *civitatem Argentoratenſium h. e. Strasburg: civitatem Nemetum, h. e. Spira: civitatem Vangionum h. e. Wormacia.* Germaniæ ſecundæ, *civitatem Tungr.* Utriuſque autem Germaniæ potiſſima procul dubio Agrippina fuit, quod *Romana Colonia meruiſſet*, ut loquitur Tacitus. Eoque & Ammianus *lib.* 15. vocat eam *urbem magni nominis*, ac *l.* 16. *urbem munitiſſimam*, Zoſimus *lib.* 1. *urbem Rheno adjacentem maximam.*

XXXIII. ITAQVE jam ea tempeſtate habuerunt Germani Ciſrhenani florentiſſimas urbes. Fuere autem jam tunc, cum alibi in Galliis, tum in provincia etiam maxima Sequanorum aliæ iis haud impares. Cis-Danubium item celebri fama urbes floruerunt per Rhætiam, Vindelicam, Noricum, & Pannoniam. Quæ cum ſequentibus ſeculis in Alemannorum Bajoariorum aliorumque Germanicorum populorum poteſtatem devenerint, & hodie ſolis Germanis habitentur, urbium Germanicarum originem quærentibus nefas eſt latere. Eminuit autem tunc inter omnes cis Danubium in vindelicis Auguſta Colonia; non minus clara hodie fama, mutatis licet cultoribus.

XXXIV. VERVM hæ florentiſſimæ urbes & munitiſſima caſtella, a Germanicis populis, qui Rheno & Danubio trangreſſo in Galliam omnem, Pannoniam, Vindeliciam & Noricum ſeſe effuderunt, aut vaſta ſunt aut penitus exciſa, aut certe peſſimis modis mulctata. De Galliæ excidio in medio eſt querela S. Hieronymi epiſt. 11. *Moguntiacum nobilis quondam civitas capta atque ſubverſa eſt, & in eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornaſius, Nemetes, Argentoratus translatus in Germaniam.* Attingit autem ille tantum eam cladem, quam circa annum quadringenteſimum a Vandalis & confœderatis populis duce Caroco & Godegiſilo paſſæ ſunt Galliæ. Quam ludum jocumque dixeris præ illa tempeſtate, quam Attila cum omnibus fere Scythicis Germanicisque gentibus ſibi ſociatis Galliæ intulit. Et tamen de Caroco memoriæ proditum eſt ab Aimoino *lib.* 3. *cap.* 1. quærenti, quomodo *magni* nomen conſequi poſſit, reſpondiſſe matrem: *maximis urbibus & munitionibus deſtructis & incolis interfectis, neque enim poſſe eum pulcriores firmioreſque urbes condere, eoque proximum eſſe, earum everſione belli gloriam ad poſteros propagare.* Quod ille conſilium haud ſegniter ſane eſt exequutus.

XXXV. Paſſæ autem hanc cladem ad Rhenum ſunt potiſſimum maxima illa Sequanorum provincia, inque ea nobiliſſimæ urbes *Vindoniſſa* (b) & Auguſta Rauracorum, ut & Germania prima vel ſuperior, hujuſque urbs Argentoratus. Multo mitius Germaniam ſecundam & Belgicam primam alteramque Franci videntur tractaſſe: neque enim mœniis leguntur urbes nudaſſe: etſi incolarum magna parte trucidata, etiam ipſi ſolitudinem prope iis induxerint. Et ſane ea de cauſa Belgicæ utriuſque & Germaniæ primæ urbes poſt illam tempeſtatem primæ omnium videntur reſpiraſſe.

XXXVI. QVAMVIS vero de victis Alemannis, Burgundis, & Bajoariis, quicquid cis Rhenum & Danubium Germani occupaverant, in ditionem Francorum pervenerit, Merovingica tamen regia

(a) *Julinum*) Celebrantur etiam ut civitates Venedorum valde antiquæ *Stargardia*, quam Saxones *Aldenburgum* dicebant & *Wolgaſtum.*

(b) *Vindoniſſa*) Vid. GVILLIMANNVM *in Habſpurgicis lib.* 2. *p.* 36.

regia familia rerum potiente, paucæ urbium antiquarum valuerunt ex ruinis nonnihil reſurgere; tantum abeſt, ut priſtinum ſplendorem recuperaverint, vel in majorem excreverint amplitudinem. Multo minus novæ quædam urbes tunc ſunt conditæ. Nihil ſane horum leges in ejus ævi monumenti. Bene Franciſcus Guillimannus *lib. de epiſcop. Argentinenſ. cap. 3. In agriculturam, relicto deinceps bellandi ex parte ſtudio, converſi Alemanni Francique VICOS incoluere; neque quas recuperaverant urbes vel munimenta inſtaurarunt, aut vero habitavere. Sive, ne rurſus illis, ut ante ſæpius, ejicerentur a principio, formidarint: aut vetere & ex Germania allata conſuetudine manendi in aperto.* Vix ſemel legere eſt: *Chilpericum regem miſiſſe ad duces & comites civitatum,* (Galliæ ſc.) *ut muros componerent urbium, reſque ſuas cum uxoribus & liberis inter murorum munimenta concluderent, atque repugnarent viriliter, ſi neceſſitas exigeret.* Frigidum certe mandatum caruit effectu; nec quis paulo nobilior temere intra mœnia receſſit.

XXXVII. Scilicet nihil tum fuit, quod incrementum daret urbibus: non immunitas incolarum; non commercii frequentia; non inhabitatio denique illuſtrium hominum, quorum vita profuſior attrahit opificum aliorumque miniſtrantium manum. Quæ omnia diu poſtea inſequutis demum temporibus evenerunt. Igitur aut ſine mœnibus inter rudera ſua manſerunt tunc illæ Ciſrhenanæ & Ciſdanubianæ urbes, aut vero ſi mœnia antiqua ſervarunt, incolis deſtitutæ magnas ſolitudines iis comprehenderunt.

XXXIIX. Paulo melior fortuna videtur urbes reſpexiſſe ſub Carolovingis. Omnes ſcilicet nobiliores urbes epiſcopos tunc acceperunt, adeoque ædibus ſacris & monachorum clauſtris paſſim ornatæ ſunt. Mitigatus quoque imperii in cives priſtinus rigor videtur, & pacatis magis Germaniæ rebus, ſine dubio commerciis quoque locus major eſt apertus. Sed tamen & hanc fortunam una cum imperio Francorum, cis Danubium quidem Ungarorum, cis Rhenum vero Normannorum in mediam Germaniam fœdæ & crudeliſſimæ incurſiones turbaverunt. Quam rem acerbiſſimis querelis ejus ævi ſcriptores perſequuntur: ex quibus conſtat, pleraſque tunc urbes iterum ferro & igne omne decus perdidiſſe.

XXXIX. SED Saxonicorum cæſarum florente imperio, uti toti Germaniæ ita & urbibus nova lux affulſit. Eum vero ſtatum antequam exponamus, forte operæ fuerit pretium paucis exponere, quæ reipublicæ facies fuerit priſcæ Germaniæ: quæ conditio urbium provinciarumque, & antiquo Romanorum & ſubſequenti Francorum imperiis florentibus. Hiſce enim expoſitis, & urbium & vicorum Germaniæ vetus quidem fortuna clariſſime eluceſcet, & quæ poſt invaluere longe rectius poterunt doceri.

XL. DE REPVBLICA autem acturis ante omnia latere nequaquam oportet, aliud eſſe noſſe integram aliquam urbem, aliud cognoſcere rempublicam alicujus urbis. Quæ enim diſtinctio eſt inter cognitionem totius & notitiam partis principalis, ea quoque differentia eſt inter notitiam integræ alicujus urbis & cognitionem urbicæ reipublicæ. Nam omnis civitas ſignificat perfectam hominum ſocietatem beate vivendi gratia inſtitutam; *reſpublica* (a) autem ac πολιτεία eſt quaſi anima ac ratio & forma illius ſocietatis, & quidem potiſſimum circa partem imperantem alioſque magiſtratus ac judicia.

XLI. Sane qui integram aliquam civitatem novit, idem non poteſt ignorare & ſtatum ſeu formam illius ſocietatis, hoc eſt, rempublicam; at vero qui rempublicam tantum novit, non novit omnia, quæ ad civitatem iſtam pertinent. Quamplurima nempe ad eam requiruntur, quæ nequaquam reipublicæ nomine veniunt. Primum enim omnis civitas conſtat multitudine hominum, conſtat etiam loco quodam, poſtulat deinde alimenta, poſtulat præterea & munimenta, aliaque quamplurima, utpote cum non unius tantum commodi gratia ſit inſtituta, ſed omnem prorſus reſpiciat vitam. Unde qui propoſitum ſibi habet integræ alicujus civitatis naturam pernoſcere, illi profecto ad omnia iſthæc & ſimilia eſt attendendum. At cum πολιτεία ſeu reſpublica denotet ſolum conſtitutionem civilis alicujus ſocietatis circa regimen ejus ac magiſtratus & judicia, manifeſtum eſt, qui horum ſibi notitiam comparavit in aliqua civitate, illum ea, quæ ad rempublicam iſtius civitatis attinent, omnia penitus habere explorata.

XLII. IN GERMANIÆ igitur antiquam rempublicam inquirentibus, principio notandum: majores noſtros, propter ingenitam animorum ferocitatem non tantum nullam communem habuiſſe rempublicam, ſed ne junctas quidem ſedes inter ſeſe paſſos eſſe. Quod cum ex aliis, tum vero omnium optime ex C. I. cæſare licet cognoſcere. Ita enim ait ille VI. comment. libro: *Civitatibus maxima laus eſt, quam latiſſimis circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimant, expulſos agris finitimos cedere, neque quenquam prope ſe audere conſiſtere. Simul hoc ſe fore tutiores arbitrantur, repentinæ incurſionis timore ſublato.* Quapropter in Romanorum monumentis videmus, eos non cum vicinis tantum gentibus, verum etiam inter ſeſe perpetua fore bella geſſiſſe. Et certe florentibus Romani imperii rebus, nullus fuit populus magis ad bella natus, nullus Romanis plus negotii faceſſivit quam Germanorum. Et Tacitus quidem *libro de moribus Germ. cap. 37.* Martium illum animum his verbis prodit: *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Trajani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpania Galliave, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas &c.* Hæc ille: majora profecto dicturus, ſi imperii Romani vires armis Germanicis fractas conſpexiſſet.

XLIII.

(a) *Reſpublica*) *HERTII CLEM. prudent. civil. part. 1. ſect. 6.*

XLIII. VERVM enimvero tametſi non in unam rempublicam tot populi potuerint conſpirare, unius licet originis atque ejuſdem linguæ eſſent, ſingulis tamen non fuiſſe nullam reipublicæ formam, vero valde eſt ſimile, imo ex antiquis quoque monumentis licet perſpicere. Sicuti enim in univerſum nulla ſocietas ſine legibus ſtare poteſt, ita quoque populos iſtos feroces, ut non absque ſocietate, ſic nec absque legibus & ſaltem imagine quadam reipublicæ vivere potuiſſe, certiſſimum eſt; licet optimam quidem reipublicæ formam non habuerint, utpote qui rudes eſſent & veræ virtutis ignari.

XLIV. Quænam vero ea fuerit, & oſtendunt nobis clariſſime Romanorum ſcripta, & vero iis etiam tacentibus ingenium & mores ipſorum eandem abunde produnt. In tanta enim animorum ferocia & fortitudine, quis dubitaverit ingens quoque fuiſſe libertatis ſtudium? Eſt quippe libertas finis quaſi fortitudinis, omnisque militaris rei & gloriæ mater vel nutrix. Et vero hanc ubique etiam a Romanis hoſtibus noſtris deprædicatam legimus; atque eo quidem magis, quo ægriore animo ereptam ſibi eandem per cæſares dolebant. Sufficiat unius e multis Lucani teſtimonium adduxiſſe, qui *libro VII.* ſic canit:

Libertas ultra Tanaim Rhenumque receſſit,
Et toties nobis jugulo quæſita negatur,
Germanum Scyticumque bonum.

At vero ubi libertatis cura maxima, ibi indubie non potuit non ſuapte ſponte prodire aliquid illius reipublicæ, quam popularem vel Democraticam vulgo appellitamus. Hæc enim ſeſe præ omnibus effert civium ſuorum libertate: adeo ut libertatis vocabulum Regio & Oligarchico dominatui ab optimis ſcriptoribus plerumque ſoleat opponi, & multi juxta philoſophum *6. Polit. cap. 2.* in ſola hac reipublicæ forma libertatem ſe conſequi poſſe, arbitrentur.

XLV. QVAMVIS autem hæc ita ſeſe habuerint, veriſimile tamen per ſe ſtatim fit, etiam ſilentibus imo amiſſis Romanorum monumentis: non potuiſſe *meram* (a) aliquam Democratiam tunc temporis ullo in populo Germanico obtinere. Ubicunque enim populus rudis eſt, avidus tamen bellandi, ſponte ſua ſtatim abitur a pura Democratiæ forma, & nonnihil Ariſtocratici ſtatus ſuboritur: poteſtatem quamlibet majorem ipſamet neceſſitate ſolis nobilioribus adeoque prudentioribus imponente. Itaque non potuit non commune olim fuiſſe omnibus Germaniæ civitatibus, reipublicæ formam non ſimplicem habere, ſed ex populari & optimatum ſtatu temperatam.

XLVI. In quibusdam vero etiam neceſſario aliquid regium, Laconicum tamen aut Æſymneticum, non potuit non commiſceri. Neque enim bella adminiſtrari recte niſi uno imperante poſſunt. Qui perpetuus ſit neceſſe eſt, ſiquidem non multi fuerint paris prudentiæ, bellum tamen perpetuo trahendum ſit.

XLVII. AD hunc vero modum Germanicos populos rempublicam ſuam olim inſtituiſſe, multis teſtimoniis veterum ſcriptorum alias oſtenditur. In ipſis autem Germanicis vicis ex parte penes nobiles, ex parte penes plebem ingenuam arbitrium fuiſſe reipublicæ, vel unus Tacitus nos docuerit. Diſerte enim teſtatur, fuiſſe Germanis *principes, qui jura per pagos vicosque reddiderunt.* Hos autem fuiſſe nobili ſtirpe natos, idem prodit: *inſignis*, inquiens, *nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Juris itaque dicundi poteſtas in ſingulis Germaniæ vicis penes unum aliquem fuit nobilem. Verum ille ſolus quidem jus illud haud tenuit, ſed ex ipſa plebe delecti nonnulli, omni judicio aſſeſſores ſunt dati. Diſerte iterum Tacitus: *centeni ſingulis* (b) *ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Ingenuos autem hoſce *comites* ſeu aſſeſſores fuiſſe, non ſervili aut libertino genere natos; itidem nos docet Tacitus: *Liberti* (inquit) *non multum ſupra ſervos ſunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros, impares libertini libertatis argumentum ſunt.*

XLIIX. Illis vero *principibus* nullum fuit jus, aut tributum aliquod ſuis indicendi aut leges ſtatuendi: nullum item belli ac pacis arbitrium, niſi plebis conſenſu impetrato. Principum porro illorum ſucceſſio neque plane hæreditaria fuit, neque plane electitia, ætate quidem Taciti, ſed ea quæ hodie in *Dania* (c) & Polonia eſt regum. Conſtituti ſcilicet ſunt in majoribus totius populi comitiis. Clare Tacitus: *eliguntur in iisdem conciliis & principes.* Adeoque eligendi jus non fuit penes unius alicujus pagi incolas, ſed apud optimatum & delectorum ex omni plebe concilium.

XLIX. VERVM hæc alibi rectius docentur: id hoc loco adjiciendum ſolummodo eſt: *Principes* illos, quos appellat Tacitus, ab antiquiſſimis usque temporibus Germanice *Graven* (d) dictos, utpote cum hæc vox judicem ſignificet. Aſſeſſorum quoque illorum jam antiquitus receptum nomen Germanis eſt, *Schepen*, *Schæppen*, *Schæpffen.* Quo liquet: antiquiſſimis illis temporibus juriſdictionem in pagis & vicis fuiſſe penes *Graviones & Scabinos* aut delectos ex ingenuis: nuſquam autem omnem eam commiſſam vel ſoli plebi, vel uni alicui quamvis præcipue nobilitatis.

L. Quæ *juriſdictionis* (e) autem, eadem & meri mixtique imperii fuit ratio. Neque enim legas,

(a) *Meram*) Erat enim & principibus ſua autoritas, præſertim in negotiis belli, eis major tamen ſacerdotum. TACITVS *in Germania c. 11.*

(b) *Centeni ſingulis*) Vid. MEINDERS *de judiciis centenariis* & BRVMMER. *de Scabinis.*

(c) *Dania*) Hodie eſt regnum mere hereditarium: Suecia autem ad regni electivi naturam rediit.

(d) *Graven*) Bedæ dicuntur *Satrapæ.* In medio ævo comites vocari cœperunt: Principatus autem majorem nobilitatis gradum conſtituit. Ceterum in nonnullis diplomatibus *Graviones comitibus contra diſtinguuntur.*

(e) *Juriſdictionis*) Hæc in ſpecie ſic dicta imperio opponitur, l. 4. ff. de juriſdictione.

legas, vel delectos illos Scabinos ſine Gravione, vel ſine Scabinis Gravionem, in quenquam animadvertiſſe. Ita nec de ſumma reipublicæ quidquam conſtituere, vel plebi licuit ſoli, vel ſoli Gravioni: ſed ad concilium, ſi quid majoris rei eſſet conſtituendum, etiam ex plebe delegati una cum principibus convenerunt: quod expreſſis verbis docet Tacitus. Absque dubio tamen in omnibus hiſce maxima vis & auctoritas principum fuit. His enim inter ſeſe de minoribus rebus conſulere & ſtatuere fas, etiam inconſulta plebe; de majoribus negotiis *προβουλία* fuit; cujus quæ vis ſit, notum prudentioribus. In jure dicundo etiam Scabini ſuis Gravionibus *conſilium* ſolummodo & *auctoritatem* addiderunt: potiſſima autem poteſtas uſque adeo fuit Gravionum illorum, ut nulla plebis facta mentione ſimpliciter dicat I. cæſar comment. VI. *In pace nullus eſt communis magiſtratus: ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiasque minuunt.*

LI. HÆC antiquiſſima reipublicæ in Germania forma ut omnibus ejus populis placuit, ita & in hac Saxonia obtinuit ad usque ætatem Caroli magni. Omnes enim pagi ſeu Govæ (ut ſemigermanica utar voce) habuerunt ſuos comites, (quomodo Graviones cœperunt dici) qui jura dicerent cum delectis e populo aut Scabinis. Ita & in vicis omnibus, quorum pars urbium dignitatem poſt accepit, juriſdictio comitum fuit, ſimulque merum ac mixtum imperium; ut tamn & in his locum aliquem ſuum plebs per delectos ſervaret. Cum autem tres in populos, adeoque totidem civitates, Saxonia divideretur, ne ſingulis quidem pacis tempore unus aliquis communis magiſtratus fuit; ſed imminente bello, comitum aliquis prout virtute fuit major, in ſua gente *dux*(a) creatus eſt, *certis terminis exercitus congregandi poteſtate contentus:* quæ verba ſunt Widekindi Saxonicorum ſcriptorum antiquiſſimi. Nec vero trium populorum communis aliquis dux electus, *niſi univerſali bello ingruente. Quo peracto*, (iterum verba ſunt Widekindi) *aequo jure ac lege, propria contentus poteſtate unusquisque vivebat.* Verum hæc teſtimoniis oſtendere alterius eſt inſtituti.

LII. IGITVR nulli tum vici, nulli pagi non ſub Gravionibus fuerunt, illuſtri & antiquiſſima ortis proſapia. Nec tamen illis libera fuit aut infinita in plebem ingenuam poteſtas, ſed in ipſius juriſdictionis partem ipſa etiam hæc venit. Tantum abeſt, ut legum aut pacis bellique arbitrium, ad ſolos Graviones pertinuerit. Hæc autem omnia uti in proclivi eſt demonſtrare, ita fabuloſa liquet eſſe, quæ a nonnullis memorantur de ejus tempeſtatis republica. Quaſi nempe Saxonia metropoles aliquot habuerit, atque eas liberrimæ poteſtatis, nullique nobilium imperio ſubditas. Aut, quod alii narrant, omnem juriſdictionem cum mero ac mixto imperio, item arbitrium belli & pacis, tantum in comitum vel unius regis infinita poteſtate fuiſſe collocatum, plebi tantum obſequii gloria relicta.

LIII. SED ab antiqua illa liberæ Germaniæ republica ad eos pergendum eſt, qui in Romanorum imperium conceſſerunt. Ciſrhenanis igitur Germanicis populis, poſtquam in Romanorum ditionem pervenerunt, haud eſt dubium parum vel nihil priſtinæ libertatis reliquum manſiſſe. Dura quippe provinciarum ſub Romanis fuit conditio. Accipiebant enim ab iis magiſtratus ſuos & judices annuos, cum imperio & ſecuribus: qui juxta mores & præſcipta Romanorum eos vivere cogerent, propriis ipſorum legibus & inſtitutis abrogatis: imo quo magis ſervitutem agnoſcas, lingua non ſua ſed Romana uti oportuit. Civilis Batavus apud Tacitum *l. 4. Hiſtoriar.* Treveris, genti origine Germanicæ, ſervitutem illam exprobrans, ſic infit: *Vos autem Treveri, cæteraque ſervientium anima, quod pretium effuſi toties ſanguinis exſpectatis, niſi ingratam militiam, immortalia tributa, & dominorum ingenia?* Scilicet tria potiſſimum fuerunt Romanæ ſervitutis tunc incommoda. Primum, quod cogerentur habito delectu eoque ſæpe iniquiſſimo, Romanis etiam inviti militare. Alterum, quod immanibus tributis per publicanos, i. e. harpyias & hirudines, atterentur. Tertium, quod herilem magiſtratum quotannis Roma acciperent; qui cum faſcibus ac ſecuri, abolitis patriis legibus, jus diceret. Nec vero dubium eſt, hanc fuiſſe conditionem pene totius Romanorum Germaniæ. Attamen Batavis in Rheni inſula ad ſuam usque ætatem *manſiſſe honorem & antiquæ ſocietatis inſigne*, prodit Tacitus: *viros* tamen etiam Batavi *& arma imperio miniſtrarunt*, avariſſime interdum delectum exercentibus Romanis: qua de re extat civilis querela apud Tacitum *l. 4. Hiſtor.*

LIV. Vrbium quoque, ſi non omnium, multarum tamen, & cis Rhenum & cis Danubium, haud paulo melior fuit felicitas. Namque nonullæ coloniarum, aliæ municipiorum jura acceperunt. Onuphrius Panvinius *l. 3. comment.* ſeptem numerat colonias Galliæ Belgicæ: *Agrippinam Vbiorum, Auguſtam Rauracorum, qua hodie ſit Baſilea, Auguſtam Trevirorum, Auguſtam Vlpiam Trajanam, Coloniam equeſtrem, Coloniam Juhonum, Lutarburgium Tarbelliorum.* Quæ omnes in Germania Ciſrhenana fuerunt, ſi unam excipias & alteram. Quanquam forte nec Juhonum aliqua colonia fuerit, populi ſcilicet non cis ſed Tranſrhenani, quod recte oſtendit Cluverius *lib. 3. Germ. Antiq. c. 8.* Jam vero harum coloniarum Agrippinenſem fuiſſe juris Italici, ſcribit Paulus *lib. in Luſit. §. 2. ff. de cenſib.* Idem porro Onuphrius Colonias Rhetiæ quinque recenſet: *Auguſtam Quintanorum, Auguſtam Tiberii, hodie Reginoburg, Auguſtam Rhetorum, Coloniam, Conſtantiam, Curiam:* Vindelicorum unam *Auguſtam Vindelicorum.* Taceo nunc Norici colonias: quam terram omnem hodie incolunt Germani. Alias porro nonnullas urbes fuiſſe Municipia, vel unum hoc teſtimonium Ammiani Marcel-

(a) *Dux*) Illi, qui pagis præerant, comites in medio ævo dicebantur, quia ad illos regendos ex regis mittebantur comitatu; ducum autem nomine veniebant, quia ante ſigna ſtabant, & ſuos in hoſtem ducebant. Quot pagos, tot pene duces habebant. Cœperunt deinde comites a ducibus diſtingui iisque ſubeſſe.

Marcellini oſtendit *lib.* 15. *Prima*, ait, *Germania: ubi præter alia municipia Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota.*

LV. Conſtat vero, Colonias quidem reipublicæ ſua adminiſtratione effigiem quandam Romanæ retuliſſe. *Nam ut Romæ erat populus & ſenatus,* (verba ſunt Onuphrii) *ſic hi novos colonos in decuriones & plebem dividebant. Decuriones ſenatus Plebs, populi Romani imaginem referebat. Ex decurionibus ſingulis annis duo vel quatuor viri creabantur juxta Coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui duumviri vel quadrumviri juri dicundo vocabantur. Hi conſulum Romanorum ſpeciem repræſentabant. Creabatur inſuper ædilis, qui viarum & ædificiorum publicorum, item quæſtor, qui ærarii publici curam habebat. Atque hi erant præcipui Coloniæ magiſtratus. In cæteris omnibus more legibus & inſtitutis Romanis vivebant.* Jus porro Italicum, quo Agripina olim floruit, ſi communi credimus interpretationi, immunitatem tributorum dedit, ſi Cujacio *lib.* 3. *obſerv. cap.* 35. *levationem cenſitionis:* fecit autem porro, *ut in reliquis eodem jure ſit ejus Coloniæ reſpublica, quo ipſa Italia, puta in traditionibus nexi, in uſucapionibus, in annali exceptione, & in jure capiendi.*

LVI. *Municipiorum* (a) rationem Gellius nos docet *lib.* 16. *cap.* 3. *Municipes*, inquit, *ſunt cives Romani ex municipiis ſuo jure: & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti.* Itaque veroſimile fit, ſicut colonias Romanorum, ita municipia illa Germanica Germanorum mores ritus & leges maxime obſervaſſe.

LVII. CÆTERUM & alia dura multa paſſæ ſunt omnes illæ urbes: & illud præcipue non potuit non eſſe acerbum, quod perpetuo præſidio militari tenerentur. Scilicet & Germaniæ primæ & Germaniæ ſecundæ & Belgicæ primæ Metropoles ſedem ac domicilium præbuerunt *ducibus*; reliqua omnia *præfectis militum*, cum valida & numeroſa militum manu. Quæ res quomodo circa *Arcadii & Honorii tempora* (b) ſeſe habuerit, exponit optime liber vetus, cui titulus *Notitia utriusque imperii*, quem inſigni commentario illuſtravit Guido Pancirollus. Quorum ſcrinia nolumus compilare. Adeo impotens vero tandem fuit Romanorum dominatus, ut omnis libertas ſublata, omnia jura tandem confuſa ſint.

LIIX. Quo factum, ut provinciæ pertæſæ laborum & herilis dominatus Romanorum, externa novaque imperia circumſpicere cœperint: præ aliis vero Francos dominos deſideraverint. Teſtatur id Gregorius Turonenſis *lib.* 2. *cap.* 23. *Terror Francorum reſonavit in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cupiverunt regnare.* Item *cap.* 36. *Multi tunc ex Galliis Francos dominos ſummo deſiderio cupiebant.* Nec vero Romanorum corruptiſſimos mores & fere latrocinia quis ſatis mirabitur, tantum ſi Salviani Maſſilienſis libros *de divina gubernatione* ea tempeſtate ſcriptos inſpexerit. Et vero Franci, quorum teſte in *vita Caroli magni* Eginharto, *ſemper Romanis & Græcis fuerat ſuſpecta potentia*, tandem etiam omni Romanos ditione exuerunt, magnamque imperii illorum partem ſibi ſubjecere.

LIX. VERUM TAMEN nec Franci ſubactos a ſeſe populos multum leviore freno quam Romani continuerunt. Non enim verum eſt, quod *lib. de Origine Saxonum* ſcribit Reineccius: *Francos in Germanici nominis provinciis ſubactis imperio contentos, nulla alia re indigenis graves fuiſſe.* Eſt enim in promtu oſtendere, Francos more Romanorum provinciis ſuis per Germaniam, Galliam, Italiam, & *gravia tributa* (c) impoſuiſſe, & magiſtratus dediſſe, qui ex ipſorum nutu penderent, alios ordinarios, alios extra ordinem delegatos, jus quoque militem legendi ex omni ingeniorum numero ſibi ſumpſiſſe. Quorum omnium poteſtas cum regibus eſſet commiſſa, procedente tempore *regalium* vel *regaliarum* nova vox, aut nova certe vocis acceptio, hinc invaluit.

LX. Non eſt noſtri inſtituti argumentum hoc plenius exponere: ſuffecerit nunc, adducere in medium Italicæ gentis propriam de jure illo regio confeſſionem a Friderico I. cæſare iis expreſſam. Radevicus ejus ætatis ſcriptor *lib.* 2. *cap.* 5. rem illam ita narrat: *Requiſitique de hoc jure quid eſſet, adjudicaverunt ducatus, marchias, comitatus, conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piſcarias, omnemque utilitatem ex decurſu fluminum provenientem: nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem. Hisque omnibus in fiſcum adnumeratis &c.* Guntherus *lib.* 6. de eodem negotio in hunc modum canit:

> *Ac primum ligures ſuper hoc a rege rogati:*
> *Vectigal prorſus, cudendæ jura monetæ,*
> *Cumque molendinis telonia, flumina, pontes,*
> *Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,*
> *Et capitolicium certo ſub tempore cenſum:*
> *Hæc Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.*

Jus Feudale Longobardicum *l.* 2. *t.* 56. hæc loquitur: *Regalia, Armandia, via publica, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgo dicuntur telonia, moneta, mulctarum pœnarumque compendia, bona vacantia: & quæ ut ab indignis legibus auferuntur, niſi quæ ſpecialiter quibusdam conceduntur: & bona contrahentium inceſtas nuptias, condemnatorum & proſcriptorum, ſecundum* quod

(a) *Municipiorum*) De his alibi egimus. Vid. SIGONIUM *de antiquo jure civium Romanorum* & PIGHIUM *in annal. Roman.*

(b) *Arcadii & Honorii tempora*) Vid. CLAUD. & ZOSIMUS.

(c) *Gravia tributa*) Atque fraternitas illa cum Saxonibus inita nihil aliud, quam operculum Franciçæ dominandi libidinis fuiſſe videtur. vid. CAPITUL. *lib.* 3. *c.* 15. *lib.* 3. *c.* 73. LEHMANNI *chr. Spirenſe lib.* 2. *c.* 44. HEIDERI *fundamenta diſcurſus von den Reichs-Vogteien p.* 56. *ſeqq.*

quod in novis conſtitutionibus cavetur: angariarum, parangariarum, & plauſtrorum & navium præſtationes, & extraordinaria collatio ad feliciſſimam regalis numinis expeditionem: poteſtas conſtituendorum magiſtratuum ad juſtitiam expediendam: argentaria & palatia in civitatibus conſuetis: piſcationum reditus & ſalinarum, & bona committentium crimen majeſtatis, & dimidium theſauri in loco cæſaris inventi, non data opera vel loco religioſo: ſi data opera, totum ad eum pertineat.

LXI. NON tantum autem hæc in Italis poſt devictos Langobardos, ſed & per Galliam & Germaniam in ſubditis provinciis obtinuerunt. Sane hoc durum jugum & Alemannos cum Bajoariis, & Friſios omnes a Rheno ad Viſurgim uſque, & Thuringos, Ciſrhenanos etiam Germanos omnes, florente Francorum imperio paſſos, alias oſtenditur. Scilicet ſumebant ſibi Franci in populos devictos jura victorum ex more Romano. Itaque aut tributarios tantum eos reddiderunt, aut ſi plane ſibi ſubjeciſſent, magiſtratus & jura etiam dedere. Et vero illud belli in victos jus, unicum fundamentum eſt regaliarum quas appellant: ut nihil iniquius ſit iis, qui ſine diſcrimine in omni quamvis libero principatu aut regno eas regibus vel principibus conantur vindicare.

LXII. Enim vero ipſi Franci, ſive Orientales ſive Occidentales ab his oneribus *immunes*, (a) non eam regibus ſuis ſervitutem debuerunt. Neque enim tributum aut cenſum penderunt, ſed ſola annua dona regibus contulerunt, præter mulctæ partem. Servata ſcilicet priſtina conſuetudine, omnibus olim Germaniæ liberis populis uſurpata. De qua Tacitus: *Mos eſt civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubvenit.* Item: *Pars mulctæ regi vel civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.*

LXIII. De Saxonum ſub Francis conditione, res videtur explicatu impeditior. Adamus Bremenſis *cap. 9. Thuringi & Saxones, itemque cætera quæ juxta Rhenum ſunt nationes, ex antiquo Francis tributaria leguntur. Quibus deinde a regno eorum deficientibus, Papinus genitor Caroli bellum intulit.* Crantzius *l. 1. Saxon. c. 31.* Clotharium regem Francorum tributum annuum Saxonibus impoſuiſſe ſcribit quingentorum boum, circa annum 572. Annales Francici *ad annum 758. Pipinus coëgit Saxones, ut promitterent ſe omnem voluntatem ejus facturos, ſingulis annis honoris cauſa ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturos.* Sequutum deinde bellum illud atrox cum Carolo magno: ac tandem pax compoſita eſt. Leges pacis ita memorat Eginhartus: *Ea conditione a rege propoſita & ab illis ſubſcripta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum, ut abjecto dæmonum cultu, & rejectis patriis ceremoniis, chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta perciperent, & Francis adunati VNVS cum eis populus efficerentur.* Quibus verbis videtur indicari, Saxones in pari cum Francis libertate relictos. Poëtaſter, antiquus vitæ Carolinæ ſcriptor, paulo plenius rem exponit. Inter alia ita canit:

> *At vero* cenſum *Francorum regibus ullum*
> *Solvere, nec penitus deberent atque* tributum
> *Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors:*
> *Sed tantum* decimas *divina lege ſtatutas*
> *Offerrent, ac præſulibus parere ſtuderent,*
> *Ipſorumque ſimul clero, qui dogmata ſacra*
> *Quique fidem Domino placitam vitamque docerent.*
> *Tum ſub* judicibus *quos rex imponeret ipſis,*
> Legatisque *ſuis, permiſſis legibus uti*
> *Saxones patriis & libertatis honore.*
> *Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,*
> *Ut gens & populus fieret concorditer* unus,
> *Ac ſemper regi parens* æqualiter *uni.*

Faciunt huc verba nonnulla, in tabulis, quibus *epiſcopatum Bremenſem* (b) inſtituit Carolus magnus. Servavit nobis eas Adamus Bremenſis, & qui exſcribere illum ſolet Albertus Stadenſis, & poſt utrumque Crantzius. Diſerte autem ait Carolus: *Saxones priſtinæ libertati donatos & omni nobis debito cenſu ſolutos: pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios addiximus. Videlicet ut qui noſtræ poteſtatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam ſalvatori noſtro Jeſu Chriſto & ſacerdotibus ejus, omnium ſuorum jumentorum & fructuum totiusque culturæ decimas & nutrituræ, divites ac pauperes, legaliter conſtricti perſolvant.* Pertinet huc & illud antiqui ſcriptoris *de vitiis Romanorum pontificum*, qui vulgo Luitprandus creditur, in vita Hadriani ſecundi: *Carolus omnes decimas*, ait, *in Saxonia conſtituerat ad regale ſervitium, & eas rex dare potuit, cui voluit.*

LXIV. Ex his vero conſtat, tametſi Saxones initio penderint tributum Francis, more aliarum gentium victarum, illo tamen onere a Carolo liberatos, priſtinæque libertati hactenus fuiſſe reſtitutos, niſi quod decimas ſolvere tenerentur cultui divino. Conſtat porro, magiſtratuum collationem regem ſibi ſumpſiſſe. Quod ſcilicet antea penes totius populi concilium aut plerumque hereditarium fuit, id poſterum regio arbitratui eſt commiſſum. Fuit autem tunc duplex magiſtratus, alius nempe eccleſiaſticus in epiſcopis circa ſacra & cultum religioſum occupatus: alius civilis, uti vocant, isque viciſſim vel ſtatus vel extra ordinem miſſus. Et ſtatus quidem *judicum*, alter *legatorum*. Quorum nominum illo quidem *graviones*, (c) qui tunc Latinum nomen ex more Romanæ reipublicæ acceperant *comitum*; hoc vero ſignificari eos, qui alias Francis *Miſſi* (d) audiunt, bene notat

(a) *Immunes*) Sed poſtea & libera Francorum capita tributorum oneri obnoxia facta.

(b) *Epiſcopatum Bremenſem*) Sunt, qui tabulas has ſuppoſititias dicunt.

(c) *Graviones*) CANGIUS *in gloſſar.* ſub voce: *Gravio. Reichsvoigtiſche Apologie vierter præliminare p. 39. ſeqq.*

(d) *Miſſi*) Vid. CANGIUS l. c. ſub voce: *Miſſus.*

notat doctiſſimus Reineccius. Quæ juriſdictionis ratio in ipſo Francorum libero populo fuit. Ut proinde recte queat dici: conceſſiſſe Saxones in eandem cum Francis civitatem, æquali libertate gaudentes; eoque illorum conditionem longe meliorem manſiſſe quam reliquarum provinciarum.

LXV. Si hic autem fuit ſtatus Saxoniæ ſub Carolo, non poteſt non falſum eſſe, quod legitur in vita Ludovici pii a P. Pithœo edita, utut eadem verba recitet Aimoinus *lib. 5. cap. 10. Quo etiam tempore Saxonibus atque Friſonibus jus paternæ hæreditatis, quod ſub patre* (Carolo M.) *ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia reſtituit. Quod alii liberalitati, alii imprudentiæ aſſignabant: eo, quod hæ gentes naturali libertati aſſuefactæ talibus habenis deberent coërceri, ne ſcilicet effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator vero* (Ludovicus) *eo ſibi arctius eos vinciri ratus, quo eis beneficia potiora largirentur, non eſt ſpe ſua deceptus. Nam poſt hæc eaſdem gentes ſemper ſibi devotiſſimas habuit.* At jure paternæ hæreditatis ſoli ſervi carent: *Saxones autem* (a) (ſaltim non omnes) nunquam ſunt in ſervitutem redacti. Sed & Friſiis eſſe libertatem relictam, conſtat ex ordinibus Adelingorum ingenuorum lictorum & ſervorum, qui eorum legibus antiquis diſerte memorantur. Ut taceam, omnes Friſios ne quidem armis unquam victos a Francis, ſed eos, qui trans Flevum ſunt ſponte ſua poſt devictum *Radbodum* (b) in Francorum ditionem conceſſiſſe; quod legitur in *vita S. Ludgeri:* certe Carolo vivo perfidiæ nunquam ſunt notati. Quare ſi antiquæ famæ credendum, ſaltim rerum cum fide & virtute geſtarum præmium avitam ex parte libertatem recuperarunt. An Saxoniæ Friſiæque Gravionibus conceſſa tunc iterum a Ludovico hæreditaria quaſi ſucceſſio, imperito ſcriptori minus recte intellecta fuit? Quicquid ſit, ne illud quidem, quod Widekindus ſcribit *lib. 1.* S. Viti patrocinio per Henricum & Ottonem magnum, *Saxoniam ex ſerva factam liberam, & ex tributaria multarum gentium dominam,* ita accipiendum eſt, quaſi Francis illa hactenus ſerviiſſet & fuiſſet tributaria. Ad Ungarorum enim & Normannorum dominatum illa ſunt trahenda: a quo liberata eſt per Henricum & Ottonem Saxonia, quam & aliis abunde opibus illi fecerunt affluere.

LXVI. Pari autem modo liquet, alieniſſimum eſſe a vero id, quod alii narrant: in plebis Saxonicæ tunc poteſtate fuiſſe ſitum, *ex Adelingis,* (c) aut præcipua nobilitate magiſtratum ſibi creare ſi quem vellet, eamque libertatem etiam a Carolo relictam. Non enim legas, penes plebem, ipſis liberrimis Germaniæ rebus, hanc fuiſſe poteſtatem: jamque audivimus, magiſtratuum illorum inferiorum aut *judicum* creationem ſui juris feciſſe Carolum. Ne nunc adducam, plebejæ illius electionis in omnibus priſcis monumentis nec volam reperiri nec veſtigium.

LXVII. Enimvero non minus id dictu abſonum eſt, atque illud quod de Hollandiæ comitibus nonnulli viri *inſignes memorant,* (d) eos ab ordinibus illius provinciæ primum libera propriaque auctoritate creatos. Atqui conſtat, Hollandiam & Selandiam exiguas tunc habitas Friſiæ portiones. Diſerte Regino, *Gotfridum* (e) Danorum regem teſtatur, *anno 881.* cum innumerabili multitudine equitum peditumque inſidere cœpiſſe locum prope Moſam Haslou tunc dictum. Illi autem a cæſare Carolo craſſo ducatum Friſiæ conceſſum feudi jure poſſidendum ſtatim ſequente anno. Mox idem ſcriptor *anno 888.* ita loquitur: *Normanni, qui in Chienheim & Denemercam venerant adſentiente Gothofredo, Rhenum navigio aſcendunt.* Eſt autem Chienheim pars Hollandici comitatus, *Denemarca* autem nomine nihil fortaſſe intelligi poteſt præter Hollandiam atque Selandiam, a Danis ſcilicet, novis incolis, nominibus tunc Danicis appellatas. Igitur tunc quidem certe Hollandia Selandiaque ducem Gothofredum accepit a Francorum rege. Ejuſdem auctoritate Gothofredo ſucceſſit forte Eberhardus Saxo & huic frater Meginhardus *anno 898.* teſte Reginone. Ex quo etiam videre eſt; Ducibus illis ſubjectos fuiſſe illius provinciæ comites, ut Gothofredo Dano Gerolphum & Gardolphum, atque Eberhardum Saxonem poſt a Walgatio Gerolphi filio interfectum. Incidunt autem hæc tempora in extrema Francici imperii.

LXIIX. SED de hiſce obiter. Qui vero provinciarum in univerſum, idem urbium Vicorumque florente Francorum imperio fuit ſtatus. Certe non in codice legum Francorum, non in aliis ejus ævi monumentis obſervare eſt, meliore tunc fuiſſe conditione urbes aut nobiliores vicos præ aliis in agro viventibus. Primo enim incolæ urbium fiſco regio penderunt vectigalia & tributa, monetarum quoque cudendarum jus & molendinorum, telonia, portus, pontes atque ſimilia omnia, non in urbibus minus quam alibi, per omnem Germaniam ad regium fiſcum pertinuerunt. Neque vero horum quidquam in urbibus illis (Carolo certe Magno ejuſque filio Ludovico imperantibus) temere legas in ſubditorum aut nobilium aut plebeji ordinis fuiſſe peculio. Ex adverſo perſpicere eſt, ſequutis demum ſeculis regum largitionibus in variorum poteſtatem hæc deveniſſe. His certe oneribus ea ætate obnoxias fuiſſe urbes ad Rhenum & Danubium, paſſim docet Lehmannus horum peritiſſimus. Auctor etiam chronici Colonienſis jam olim ex neſcio quibus Prumienſis cœnobii annalibus annotavit *pag. 91. & 131.* a Clodovæi usque ætate ad Ottonem magnum Agrippienſes tributum regibus Francorum ſolviſſe.

LXIX. Sacra porro omnia jura adminiſtrata tunc fuiſſe per epiſcopos; non in urbibus minus quam

(a) *Saxones autem*) EGINHARTVS *c. 7.* Quoſdam eorum ſervituti mancipatos fuiſſe, veroſimile eſt, ex iis ſcilicet, qui in Galliam, alias Germaniæ partes, &, ut aliquibus videtur, in Tranſylvaniam, fuerunt delati, quorum quidam ad lares paternos & priſtinam libertatem rediere.

(b) *Radbodum*) VBBO EMMIVS *hiſtor. Friſica lib. 4. p. 134.* ſeqq. MATH. *de nobilit. lib. 1. c. 28.*

(c) *Adelingis*) HACHENBERGII *Germania media* diſſ. II. § 3.

(d) *Inſignes memorant*) Vid. GROTIVS *de antiquitate reipubl. Batavicæ cap. 5.* Sed non omnimode cum eo coincidit DOVSA *annal. Holland. lib. 3. p. 177.* Videtur tamen in Grotii ſententiam VOSSIVS *lib. I. annal. p. 4.* inclinare. Add. MATTHÆVM *de nobilitate c. 28. 29. 30. 31.*

(e) *Gotfridum*) Vid. *Geſta Normannorum & Annales Lambeciani ad ann. 882. VOSSII annal. lib. I. p. 8. ſeqq.*

quam alibi, nihil eſt notius. Sed & meri ac mixti imperii, quod vocant, vis penes *comites* fuit aut *miſſos* a regibus conſtitutos. Gregorius Turonenſ. *lib. 6. hiſtoriar. Franc. cap. 22. rex Chilpericus in civitatibus novos comites ordinat, & cuncta ſibi jubet urbium tributa deferri.* Idem diſerte variorum comitum urbibus Gallicis præfectorum meminit *lib. 9. cap. 5. lib. 5. cap. 48.* alibique. In capitulis Caroli magni *lib. 2. cap. 25.* fit mentio comitum Veſontii, Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæ, aliorumque, qui una cum epiſcopis illorum fungi debeant munere *Miſſorum* regiorum. Per comites autem & *Miſſos* (a) illos jura tunc dicta populo, argumentis oſtendere facillimum eſt. Scilicet tametſi in omnibus pene urbibus epiſcopi ſederent, juris tamen dictio non illorum ſed *comitum* (b) fuit & Miſſorum, qui regia auctoritate præerant. Neque vero inter urbium adminiſtrationem & agri, ratione juriſdictionis, in omnibus ejus ætatis monumentis quidquam eſt reperire diſcriminis.

LXX. QVVM vero præter urbes, vici villæque tunc fuerint ut & *palatia regia* (c) horum feliciorem fuiſſe conditionem, nemini fiet facile probabile. Cæterum usque ad Saxonum etiam imperium pauciſſimi vici per omnem Germaniam muniri cœperunt. Certe quæ potiſſima tunc fama fuit & auctoritate in Saxonibus Brema, ætati Caroli *villæ publicæ* audiit nomine, ut patet ex fragmentis tabularum Carolinarum apud Adamum Bremenſem *cap. 15.* nec muro cingi cœpit ante Normannicam tempeſtatem, circa annum 990, eodem teſte *cap. 75.* Etiam hanc vero non niſi diu poſt a comitum poteſtate liberatam fuiſſe, infra patebit.

LXXI. Hac vero occaſione non poſſumus non in eos animadvertere, qui urbium Saxonicarum neſcio quam libertatem jam inde a Carolo Magno arceſſere conatur. Manifeſto autem eos errore implicari, haud difficile fortaſſis eſt probatu. Ajunt enim, Carolum magnum quibusdam Saxoniæ urbibus ſtatuam Rolandinam in ſignum libertatis dediſſe: quod nimirum a Rulando juſſu Caroli liberam judiciorum poteſtatem accepiſſent. Aſt ex ſuperioribus conſtat, tunc temporis *nullam adhuc urbem* (d) præter Ciſrhenanas in Germania fuiſſe. Certe nullius inferioris Saxoniæ urbis in hiſtoria Caroli magni fit mentio: quod tamen haud dubie ſcriptores, utpote rem notatu dignam, tam ſicco pede non præteriiſſent. Imo duas tantum arces, ut ſupra etiam eſt dictum, in Germania Tranſrhenana, & quidem in Weſtphalia, obſediſſe legitur Carolus magnus; Quod ſi autem plures tunc temporis extructæ fuiſſent, non profecto ita occupare Saxoniam Carolus potuiſſet: quippe cum libertatis ſuæ Saxones fuerint tenaciſſimi. Quid? quod Eginhartus in *vita Caroli magni* inter cauſas belli Saxonici etiam hanc referat, quod termini Francorum & Saxonum pene ubique in plano eſſent contigui, præter pauca loca, in quibus vel ſylvæ majores, vel montium juga interjecta utrorumque agros certo limite diſterminarent; eoque in iis cædes, rapinas & incendia fieri non ceſſaſſe.

LXXII. Taceo, *Rolando duce* (e) Carolum in expugnandis Saxonibus uſum, nullis priſcis monumentis referri: & omnino ſtultum videri, ducis ſtatuam erectam in occupatis urbibus a *victore rege.* (f) Quin imo Rulandi coloſſos demum poſt annum milleſimum, & quod excurrit, erectos, nec non plæraſque urbes, quæ illos oſtendunt poſt tempora Caroli magni primum eſſe exſtructas, monumenta hiſtorica pervolventi non poteſt eſſe obſcurum. Denique, cum eæ urbes, quæ tempore Caroli magni ad Rhenum fuere florentiſſimæ nullam habuerint juriſdictionem, multo minus obſcuros quosdam in Saxonia vicos libertatem accepiſſe, vero valde eſt ſimile. Quare cum tota hæc aſſertio fabulæ quam veritati ſimilior eſſe videatur, non eſt, quod eam pluribus refutando operam ludamus. Interim ſi quid ea veritati habet conſentaneum, videtur id rectiſſime omnium a Goldaſto *tractatu de immunitat. & privileg. reip. Magdeb.* hactenus non edito eſſe obſervatum: nimirum omnia quidem illa, quæ de duce Rolando Caroli magni ex ſorore nepote commendantur hiſtoriographi, quaſi ejus ope & conſilio pleraque in Saxonia Carolus geſſerit, & quæ ſunt hujus generis alia, eſſe mere fictitia & nulla prorſus fide hiſtorica niti; *attamen certum*, inquit, *Rulandi nomen non eſſe proprium aliquod, ſed appellativum, quaſi dicas Rugeland;* (g) *compoſitum nimirum ex vocabulo Rügen, quod eſt veteri idiomate Germanico, cauſam ſuam proponere, & diligenter*

(a) *Miſſos*) CANGIVS *in gloſſ. ſub voc. miſſus.* BALVZIVS *tom. I. capitul. p.* 618. 654. 498. *tom. II.* 786.

(b) *Comitum*) LEHMANNI *chron. Spirenſe lib. 2. c. 18. Hildesheimiſch. Gegen-Bericht in puncto præſidii militaris.*

(c) *Palatia regia*) MABILLON *de re diplomatica lib. 4.*

(d) *Nullam adhuc urbem*) Sed a Carolo magno in Germania transrhenana, quæ quoad nos ciſrhenana eſt, conditæ dicuntur urbes. CHRONICON MASCIACENSE *ad annum* 776. in Saxonum finibus urbem a Carolo nomen habentem conditam eſſe refert. In cenſum hunc alia adhuc colligunt loca, quorum numero etiam eſt *Heriſtallum* ad Dimolam, ubi Viſeram ſubit; quod antiquorum teſtimoniis celebratur. *Engoliſmenſis p.* 56. REGINO *ad annum 797. Annal. Francor. Fuld. ad ann.* 798. Sed neſcio, an Heriſtallum moenibus unquam ſeptum fuerit. Caſtrum, quod ibi fuit, ab *Haſſis* eſt deſtructum. Vid. *monum. Paderborn. p.* 125; murorum autem nulla ibi ſunt rudera, ſed locus vilioris cujusdam pagi ſpeciem refert. Sunt alia loca, quæ in veteribus hujus ævi monumentis *civitatum* nomine veniunt, inter quæ eminet Hamburgum. Vid. Dn. HAHN. *in hiſtor. imperii p.* 70. 71. *part. I.* Sed dubium ſemper manet, an loca illa præter caſtra, quibus quædam eorum tutiora erant, moenibus cincta fuerint. Obiter autem noto, per *Lippeham*, cujus *annales Pithœani ad annum* 810. meminerunt, & *annales Laurishamenſes* Lippehem vocant, *Lipſtadium* intelligendum videri.

(e) *Rolando duce*) Fabulam de coloſſis illis Rolando dicatis explodunt. RHETIVS *in diſſert. de ſtatuis Rolandinis*; GRYPHIANDER de WEICHBILDIS *c. 72. ſeqq.* Hic Weichbildi ſynonimon vocat, ſed refutatur a RHETIO *l. c. c. 1. n. 34. ſeqq.*

(f) *Victore rege*) Nec Rhetii argumentum robore caret, ſtatuas has nec unius habitus neque ſtaturæ adparere. Cui accedit, quod ex LEODII narratione, quam *in vita Friderici II. Palatini pag.* 5. habet, conſtet, Rolandum mediocris admodum fuiſſe ſtaturæ.

(g) *Rügeland*) Vel etiam *Rothland*, quia ibi criminalia habita ſunt judicia. Hanc ſententiam improbat RHETIVS *l. c.* quoniam nulla conjecturæ appellationis hujus addita ſit ratio: Verum ratio hæc eſſe poteſt, quod magnum & eminens quid ſit, in hominis caput animadvertere poſſe, & quod ita poteſtatem in ſanguinem tali ſymbolo denotare voluerint. Interim hanc nemini obtru-

ter ponderatis cujusque litigantium partis argumentis ſententiam pronunciare, & territorio ſuo deſtrictu. Vt ita ſtatua Rolandina ſignificet ſignum, per quod notatur, ibi eſſe forum publicum cauſarum, jurisdictionem, locum juſtitiæ, territorium, ſeu, ut ſuo idiomate Germani vocarunt, malum publicum, ein Mahlſtadt, da man frey Kayſerlich Gericht helt. Hæc ille. Cujus rei indicia adhuc hodieque in urbibus nonnullis licet animadvertere. Id ſcilicet certum, coloſſos illos conſtitutos in ſignum liberæ jurisdictionis, accedente fabula, a Carolo magno illam eſſe profectam: præ rerum veterum imperitia haud diſtinguente vulgo *libertatem* (a) a Carolo conceſſam ab ea, quæ poſt demum nata eſt. Vt illa ætas fabulis obnoxia fuit. Crantzius *lib.* 10. *cap.* 2. narrat, Hamburgenſes a Carolo IV. Holſatiæ comitibus parere juſſos, *Rolandi ſtatuam, quam pro ſigno libertatis olim erectam habuerant, dejeciſſe.* Viſuntur autem hodie ejusmodi coloſſi alii & in marchia Brandenburgica, alter Kinſpergæ, alter Prinslaviæ: ne quis ſolis Saxonicis urbibus eos tribuat.

LXXIII. IGITVR ut revertamur in viam, Francorum tempeſtate omnis urbs omnisque vicus jura a comitibus aut legatis regiis acceperunt. Et vero duces ſi qui fuerunt comitum illa poteſtate ſunt uſi. Neque enim nomen ducis aut comitis, ut hodie, alicujus familiæ ſive dignitatis, ſed officii olim nomen fuit: veluti nunc aliquem marſchallum aut judicem provincialem appellitamus. Magna autem poteſtate comites illi præditi fuere; quippe cum imperatoris & imperii nomine jus belli atque pacis habuerint, & flagitante neceſſitate in aciem cives eduxerint, adeoque ipſum imperatorem in urbibus *repræſentarint.* (b) Negat quidem auctor *de præfecturis*, eos olim habuiſſe aliquando jus gubernandæ reipublicæ; ſed forte fallitur: nam ipſe Lehm. *l.* 4. *Chronic. Spirenſ.* cogitur id fateri. Sed & ratio eſt manifeſta: cum enim olim comites illi fuerint præcipui magiſtratus, omnino eosdem regimen aliquod habuiſſe neceſſum eſt, utpote cum id maxime & proprie magiſtratum conſtituat, ut recte dicit Ariſtoteles 4. *Pol. cap.* 15.

LXXIV. NEC tamen vel tum ab omni jurisdictione excluſa plebs fuit, ſed ex ſuo ordine *Scabinos* (c) judicio dedit ſeptem aut plures. Quorum eligendorum jus penes legatos regios fuit, ex parte tamen & penes populum cum comite. Nec electi ſunt ad id munus, niſi ſoli meliores & in plebe potiſſimi. Ea de re in medio hodieque ſunt leges varie ipſiusmet Caroli magni & Ludovici pii in capitulis Anſegiſi *lib.* 3. *c.* 33. *Miſſi noſtri Scabinos per ſingula loca eligant, & eorum nomina quando reverſi fuerint, ſecum ſcripta deferant.* Cap. 56. *Vt Judices, Advocati, Scabini, quales meliores invenire poſſunt & Deum timentes, conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda. Cum comite & populo eligantur manſueti & boni.* Capit. Addit. l. V. c. 73. *Miſſi noſtri, ubicunque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, &, cum electi fuerint, jurare faciant, ut ſcienter injuſte judicare non debeant.* Ibidem cap. 74. *Vt in comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri poſſunt, eligantur a Miſſis noſtris, ad inquiſitiones faciendas & rei veritatem dicendam, ut adjutores comitum ſint ad juſtitias faciendas.* Item cap. 75. *Volumus, ut quicunque de Scabinis deprehenſus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam injuſte judicaſſe, ut per fidejuſſores miſſus ad præſentiam noſtram veniat. De cetero omnibus Scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam juſtum judicium vendere præſumat.* Quæ tria ultima capitula inſerta quoque ſunt legi Longobardorum *lib.* 2. *tit.* 41. Sed de Scabinis ſatis.

LXXV. QVONIAM autem omnis civitas eſt ſocietas quædam maxima, & vero præter hanc juris-

dere volo opinionem. RHETIVS *l. c. c.* 2. has ſtatuas Carolo magno aliisque imperatoribus fuiſſe poſitas opinatur, & denominationem a TVRPINO ſeductis, ac ſi Rolandus humanæ magnitudinis formam in immenſum propemodum exceſſiſſet, atque ſic coloſſis illis originem dediſſet, deberi. Sed idem hic dici poſſet, quod ille ſupra in derivatione a *Ruge* deſiderabat, nempe conjecturæ rationem deeſſe. Sed maneat unicuique ſua opinio: parum enim intereſt, quam quisque amplectatur. Dubium eſt, quo tempore condi cœperint; GRYPHIANDER ad Caroli IV. ætatem hæc refert; Sed hic ex ſolo privilegio Bremenſibus ab Henrico IV. dato erroris convinci poteſt, in quo Rolandinæ ſtatuæ mentio injicitur. Conringius ante milleſimum a Chriſto nato annum Germaniæ tales incognitas fuiſſe ſtatuas docet: Verum ſi Rhetii opinio, & Carolingicis imperatoribus tales erectas eſſe, aliquid ex vero habet; antiquiora haud dubie ipſis figenda ſunt primordia.

(a) *Libertatem*) Falſum eſt, Rolandinas ſtatuas libertatem urbium denotare. Sunt enim multa minoris momenti loca, ubi tales reperiuntur. LEVBER *von Magd. Stapel. Unfug. n.* 1258. GRYPHIANDER *de Weichbildis c.* 78. RHETIVS *c.* 3. 4. Sic & ab aliquibus Gryphiandri c. 75. & eorum, qui cum eo ſtant, ſententia, ac ſi jurisdictionis & meri imperii ſive banni regii ſignum fuerit, in dubium vocatur. BAIER *in ſpecimine juris Germanici c.* 12. §. 39. maluntque columnas has, ut competentis, in loca, ubi erectæ fuerunt, poteſtatis ſigna interpretari. Verum prior probabilior mihi videtur ſententia. Quis enim ſibi perſuaſum haberet, ſtatuam in loco nullius propemodum momenti eſſe poſitam, ut eſſet ſignum, ad eum, cujus effigiem referret, ibi imperium ſpectare? E contrario judicia ſæpe ſub dio in locis agreſtibus, quæ ad recipiendam populi multitudinem commoda viſa ſunt, habebantur. Id quidem BAIERO facile largior, liberi mercatus non fuiſſe indicium, cum & aliis permultis Germaniæ oppidis illa nunquam exornatis ſtatua competierit. Sic & mihi veroſimile videtur, non ſolas Rolandinas ſtatuas, ſed & alia ſigna civitatis jurisdictionem indigitantia *Weichbildi* nomine veniſſe.

(b) *Repræſentarint*) DOVSA *in annalibus Hollandiæ lib.* 5. *p.* 213. *ſeqq.* Alibi de hoc argumento ex profeſſo agitur. Vid. GROT. *de antiquit. reipublicæ Batavicæ c.* 5. MATTH. *de nobilitate c.* 28.

(c) *Scabinos*) Vid. BRVMMERVM *de Scabinis*. In capitularibus eorum & judiciorum, quibus intererant, paſſim injicitur mentio. BALVZ. *tom.* 1. *p.* 250. 393. 819. 606. 882. *tom.* 2. *p.* 177. 319. 790. Pateſcit comitis fuiſſe aſſeſſores, & a Rachenburgiis non diſcrepaſſe. *BIGNONIVS ad appendicem Marculfi* apud *BALVZ. tom.* 2. *p.* 951. *CANGIVS in gloſſario tom.* 3. *p.* 712. Ad placita imperatoris a comite duodecim adducendi erant, ſi tot aderant. *BALVZIVS tom.* 1. *p.* 882. primus eorum, qui abſentis comitis habebat vices, & potiſſimum criminalia curabat, dicebatur *Schuldaſius, Scultais, Sculdachius.* Ejus mentionem habent *capit. ex leg. Longob.* apud *BALVZ. tom.* 2. *p.* 333. 342. *Capitul. Ludovici de ann.* 850. apud *Baluz. tom.* 2. *p.* 346. Sed tam Scabinorum, quam Sculteti conditio ſubſequentibus temporibus magnam paſſa eſt mutationem. Vid. BRVMM. *differtat. citat.* & HARTVNGII *diſſertat. de ſcultetis.*

juriſdictionem etiam alia varia eſt civium communio, quæ ſine rectore inſtitui non poteſt, abſque dubio omnibus urbibus jam tunc ſui *Burgimagiſtri* (a) fuerunt, dirigendis ſcilicet negotiis civilibus, minoris quantumvis momenti. Neque enim probabile fit, conſularis hujus regiminis originem Henrico quinto cæſare primum cœpiſſe. Ipſa enim ſocietatis natura aliud exigit: eoque videmus vicis licet minimis ex antiqua conſuetudine hodie ſuos eſſe Magiſtros. ATQVE urbium Germanicarum usque ad tempora Saxonum & Franconicorum imperatorum fere hæc fuit conditio.

LXXVI. Hiſce vero conſtitutis nemini jam tum non liquet, etiam illa tempeſtate urbes fuiſſe admodum ratas, earumque ſummam reipublicæ in ducum comitumque non niſi vicaria fuiſſe poteſtate, arbitrio potiſſimo penes reges conſtituto. Nec epiſcopos tunc, ut alibi, ita etiam in urbibus, ubi ſedes ſuas locaverant, præter ſacra curam civilium rerum habuiſſe. Nondum vero ullam tunc urbem libera populi poteſtate fuiſſe gubernatam. Unde & id conſectarium eſt, tunc temporis ratione regiminis quidem nullum fuiſſe inter urbes diſcrimen, quaſi nempe aliæ imperiales aut regiæ, aliæ provinciales audiverint: utpote quum omnibus æquali ratione ſui magiſtratus fuerint per reges præfecti.

LXXVII. CÆTERVM in ſequentibus temporibus omnia hæc magnam viciſſitudinem paſſa ſunt. Vici enim, villæ, caſtra, imo loca inculta hactenus, paſſim urbium dignitatem acceperunt, atque ea quidem frequentia, ut urbium numero contendere hodie Germania poſſit, cum omnibus regionibus quaqua verſum patet Europa. Inter quas nonnullæ & civium copia quam maxime abundant, natura atque arte pene inſuperabiles, ſplendore ædium opibusque prorſus ſtupendæ. Reſpublica etiam immane quantum mutata parum retinet antiquæ conſuetudinis, nec ipſa eſt uniusmodi, ſed quam maxime varia. Quæ omnia quibus initiis quaque de cauſa contigerit, nunc dicendum. Ac principio quidem eſt diſſerendum, quibus cauſis impulſi Germani tot urbes extruxerint, curve patentibus campis relictis contra morem avitum intra mœnia ſeſe tanto numero abdiderint, nec non quid urbes ad eam opulentiam evexerit. Hiſce præmiſſis autem ad rempublicam accedemus.

LXXIIX. IGITVR priſci Germani nulla opum cupidine, *nullo luxu*, (b) rudi tecti vellere, & cibo ſimplice, lacte, caſeo, agreſtibus pomis, recenti fera contenti, vitam omnem in ſtudiis rei militaris transegerunt. Eoque commodius tunc fuit diſcretis ac diſperſis ædibus habitare, ut fons aliquis, ut campus; ut nemus maximo poterat uſui eſſe, quod ita nihil poſſent ſuæ deſiderare beatitati. Nec peregrinæ mercaturæ ergo tunc locus, vilia tantum & obvia petentibus, & nullo opum honore; *opificia* (c) vero bene omnia exularunt, luxuriæ ſcilicet & molis vitæ inſtrumenta. At poſtquam veſtis elegantior & lautior cibus & domus ſplendidior, mutatis Romana conſuetudine moribus, paulatim cœpit allubeſcere, crevit neceſſario artificum copia, & mercatura ad exteros extenſa eſt. Hinc opum cupido, & rationes variæ excogitatæ faciendi nummi; unde tandem non elegans amplius vita ſed luxurioſa in pretio. Eadem vero cauſa priſcum quoque habitandi modum non potuit non flectere. Mollior enim vita exigit in proximo plures, qui aut operam præſtent aut rem ſubminiſtrent. Idem quietis ſtudium & mœniis juſſit opida cingere, tutum & exiguo quantumvis muro ſecurum adverſus magnam etiam latrocinantium hoſtium vim refugium. Quæſtui enim intentis & quieti deditis nihil magis adverſum, quam ſemper in armis, vel in excubiis ſtare, aut ſi quieſcas, prædonum hoſtiumque lubidini fortunam omnem exponere.

LXXIX. IGITVR a bellis ac raptibus in otium ac quietem converſis ſtudiis, cur habitandi ratio a priſcis moribus adeo promta populi principumque voluntate diſceſſerit, nihil admiratione dignum habet. Iſthæc autem mira animorum mutatio fere cum abjecto dæmonum cultu cœpit: ad leniſſimi ſalvatoris exemplum mitigata nonnihil priſca feritate. Cujus ſanctæ quietis occaſione, mox ad opum cupidinem & luxuriam præpropero quodam gradu tranſitum eſt. Quibus cum & populus & principes ſe dederent, pari ſtudio urbibus exſtruendis inſudarunt; quod nec principibus liceret ſplendide vivere, niſi urbium opidorumque auxilio; nec populo facile ſit, aliter ſecure quæſtum facere.

LXXX. ET numerum quidem urbium auxit indubie ingens principum per Germaniam numerus, pene cum regia poteſtate, poſt attritam cæſarum majeſtatem, ſuis imperantium: fere ſingulis familiis ſibi urbes ſtruentibus, accenſo æmulationis ſtudio, & cupidine quadam mollioris vitæ & ſimul regii faſtus. Nec vero ſtructæ tantum ſunt a principibus urbes, ſed ad eas inhabitandas multis propoſitis immunitatibus invitatus undique etiam eſt populus. Unde plebi facta per varia opificia & mercaturam ad opes perveniendi haud adeo difficili via, & ipſa relicto aratro in urbes immenſo numero commigravit. Quæ res agris quidem ſolitudinem pene induxit; ut tamen & hoc ipſo nonnuſquam agreſtium ſuperſtitum lucro haud parum acceſſerit, hiſce ſcilicet paucis in plurium rura ſuccedentibus.

LXXXI. Auxit vero hoc plebis ſtudium indubie innumera libertorum copia, quæ poſt annum Chriſti nongenteſimum ſuccrevit, omnibus pene ſervis per univerſam Germaniam *ex pietatis*

(a) *Burgimagiſtri*) In artic. eliſiv. 323. *in der Neu-Geben-Sache Nürenberg* contra *Brandenburg* hæc habentur: *Burgermeiſter iſt vor Alters ein ungewœhnlicher Nahme geweſen, und des Rahts Vorſteher und Frager genandt worden.* Vide BESOLDVM. Ante ſpeculum Suevicum id nominis jam uſu receptum fuiſſe, ex ejus c. 153. conſtat, ubi *des Lehns zu Burgemeiſterſchafe* mentio fit.

(b) *Nullo luxu*) TACITVS *annal. lib. 3. c. 26.*

(c) *Opificia*) Ortus opificiorum in Germania in ambiguo eſt, æque ac tempus illud, quo collegia opificum in Germania cœperint. Vid. *præfat.* quam *Baieri libro de collegiis opificum* præmiſi.

tis fervore (a) emancipatis. Quibus cum proprii agri nihil, adeoque ruri quidem non niſi duriſſimo ſervitio victus poterat parari, cum in urbibus per opificia aliaque miniſteria facilior eſſet vitæ tolerandæ ratio, quin & ad divitias pateret aditus, plærique illorum agris relictis urbes incolere cœperunt. Unde urbibus magna acceſſit incolarum frequentia. Nec tamen Lehmanni ſententiam *lib. 2. cap.* 19. facimus noſtram, quaſi olim *nulli ingenui* (b) vel mercaturæ ſe dederint vel opificiis. Præterquam enim quod id ipſum nullo argumento, nullo teſtimonio hic probet, cui fiet veroſimile, etiam pauperes ingenuos nulli tunc operam ſuam locaſſe, aut honeſta ratione feciſſe quæſtum?

LXXXII. CÆTERVM cauſæ quidem ejus urbium per Germaniam copiæ, hæ fere ſunt. Primus autem præ aliis ſtruendis iis operam dedit Henricus I. rex, quem aucupem nuncupant: vere *Theſeus Germanicus.* (c) Ut enim ille Athenienſes, ita hic Saxones certe, ſi non & alios Germanos, ex agro in urbes compulit. Urgentibus ſcilicet inſtitutum Vngarorum immanibus irruptionibus, quo tutus daretur miſeris receptus. Eam rem his verbis perſequitur *rer. Saxonic. l.* 1. Widekindus Corbejenſis: *Henricus rex recepta pace ab Vngaris ad novem annos, quanta prudentia vigilaverit in munienda patria & in expugnando barbaras nationes, ſupra noſtram eſt virtutem edicere. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut cæteris confamiliaribus ſuis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſervaretque, cæteri vero octo ſeminarent & meterent, frugesque colligerent nono, & ſuis eas locis reconderent. Concilia & omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari. In quibus exſtruendis die noctuque operam dabant, quatenus in pace diſcerent, quod contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent. Vilia aut nulla extra urbes fuere mœnia.* Eadem de re Sigebertus Gemblacenſis *ad annum* 925. *Rex Henricus agrarios milites recenſens, ut octo eorum in agris, nonus vero in urbe moraretur, & octo in agris etiam nono laborarent, nonus vero in urbe tertiam partem omnium frugum illorum reſervaret in ædibus a ſe ad hoc extructis, ut in bello nihil aliarum rerum deeſſet, urbesque rebus & vini plenæ eſſent.*

LXXXIII. IGITVR ex Henrici inſtituto nonus quisque ingenuus in urbem conceſſit. Soli ſcilicet *ingenui* (d) ea tempeſtate militabant. Atque omnibus his victus ex agro allatus eſt, nullo ſuo ruſtico labore. Quod ad robur urbium fecit plurimum. Sicut & illud juvit incrementum earum haud leviter, quod omnes conventus & convivia publica non niſi in urbibus ſint celebrata. Hinc enim & quæſtui urbium & dignitati conſultum eſt. Extant hodieque veteris ejus inſtituti nonnulla in Saxonicis urbibus vetuſtiſſimis indicia. Potioribus enim & antiquioribus civibus ab agro manent cognomenta, unde primum in urbem commigrarunt. Nundinæ quoque publicæ haud alibi temere quam in urbibus exercentur. Eſt & ubi hodieque nuptialia convivia non niſi in urbibus celebrent agreſtes.

LXXXIV. Multas urbes nominatim recenſet Dithmarus Mersburgenſis *lib.* 1. ab Henrico exſtructas, interque eas Miſnam, Quedelenburgum & Mersburgum. Patris vero exemplum ſecutus Otto, & ipſe haud paucas condidit; quarum præcipua Magdeburgum: vicum tamen jam diu ante, nullis licet mœnibus, commerciis celebrem, ceu liquet ex *l. 2. capitular. Carolin.*

LXXXV. Non patitur inſtitutum noſtrum urbium omnium originem exponere: id omnino monendum, rarum per Germaniam & non niſi viliorum fuiſſe commerciorum uſum, usque ad annum a nato ſervatore præterpropter poſt milleſimum centeſimum. Unde fortuna urbium in aperto eſt, ceu quæ mercaturæ magnam opum partem debeant. Hactenus ſcilicet paucæ peregrinæ merces & vix aliunde quam ex Italia; Oceano omni piratica Normannorum infeſto, & alias Germanicis navigiis pene ignoto. Et vero ipſum quoque Balthicum mare circa annum 1160. poſt exciſos Venedos, Saxonibus novis accolis per commercia demum patuit. Quos tamen Venedorum, Danorum, Sueonum aliorumque, quibus jam antiquitus major fuit in mari illo mercaturæ reique nauticæ uſus: exemplum dubio procul incitavit.

LXXXVI. Enimvero jam ſupra audivimus, Caroli magni ætate a Gothofredo Dano Rerich, Slavo-

(a) *Ex pietatis fervore*) Vid. BEYER in *delineat juris German. cap. 1. §. 17.*

(b) *Nulli ingenui*) Id certum, penes Romanos antiquioribus temporibus opificia nullo fere in pretio habita ad ſervos & peregrinos fuiſſe relegata, usque dum Julii cæſaris & ſubſequentium imperatorum ævo honoratioris cœperint eſſe conditionis, ita ut & ingenui ad opificia non amplius nauſeaverint. Sic & in Germania ſe rem habuiſſe arbitror, nimirum quod ad Romanorum imitationem, a quibus maximam accepiſſe opificiorum, quæ non ſunt recentioris inventionis, partem opinor, ſervis & libertis opificiorum curam delegaverint: ingenui autem ſive nobiles tantum ad tractanda arma animum appellebant. Sic & rem ſtatu ſuo indignam putabant, mercaturæ operam navare, atque ideo a torneamentis illi, qui ad commercia incumbebant, excludebantur. Sunt qui dicunt, patricios ad cenſum nobilium ideo non amplius eſſe relatos, quia ſe mercaturæ & quæſtuariis addixerint artibus. Cæterum & hodie vix ullum in Germania habebimus exemplum, nobilem opificio cuidam aut mercaturæ animum adjicere, in Anglia autem & Gallia rem aliter ſe habere, compertum habemus. Imo in noſtra gente & ii, quorum parentes in literatorum numero fuerunt, aut honoratiori quodam in republica officio functi, non niſi ſumma propemodum neceſſitate adacti ſe opificio cuidam aut mercaturæ mancipant.

(c) *Theſeus Germanicus*) Comparatio Henrici aucupis cum Theſeo in *projectu hiſtoriæ imperii p.* 52. & *Henrico aucupe p.* 132. GVNDLINGIO non placet: Rationem ex MEIBOMII *introduct. ad hiſtoriam Saxoniæ inferioris p.* 52. allegat, cum Theſeus non ruricolas in urbem, ſed plurium oppidorum incolas in unam coëgerit civitatem. Attamen hanc comparationem in generali ſaltim comparationis tertio tolerari poſſe, exiſtimo. Ante Henrici tempora pauca admodum aut nulla in Saxonia munita fuiſſe loca & ex LVITPRANDI conſtat verbis, qui *lib. 2. c. 8.* teſtatur, eam obinde Hungarorum irruptionibus aptam viſam.

(d) *Ingenui*) Puto tamen & ſervos libertosque ad militiam admiſſos; inter illos enim, qui ſub advocati monaſtici ducatu in hoſtem pugnarunt, aut ſub ejus vexillo regium auxerunt exercitum, non omnes haud dubie ingenui fuerunt.

Slavorum nobile emporium, fuiſſe deletum. Adamus Bremenſis, qui Henrico IV. cæſare vixit, cap. 208. *Ex portu Schleſvicenſi naves emitti ſolent in Sclavoniam, vel in Suediam, vel ad Semland & usque in Græciam.* Venit autem illi Græciæ nomine Ruſſia, ut Semlandiæ Pruſſia, ceu liquet ex *cap.* 66. Idem cap. 214. *Sconiam Daniæ inſulam*, ait, *opulentam eſſe frugibus & mercibus divitem* cap. 218. *affirmant Dani longitudinem hujus ponti* (Balthici) *ſæpe a pluribus expertam, ſecundo flatu per menſes aliquos a Dania perveniſſe in Oſtrogard Ruſſiæ.* Cap. 223. *Holms inſula celeberrimus Daniæ portus, & fida ſtatio navium, quæ a barbaris in Sueciam dirigi ſolent.* Idem cap. 227. narrat, a Pruſſis peti tunc ſolitas pelles pretioſas: nulla facta mentione ſuccini; quod merito mireris; niſi illud ea ætate haud adeo magno in pretio fuerit. Idem porro *cap. 48.* deſcribens Birkam Oſtrogothorum urbem, addit: *Ad quam ſtationem, quæ tutiſſima eſt in maritimis Sueoniæ regionibus: ſolent Danorum, Normannorum, Slavorum, atque Semborum aliique Scythiæ populi pro diverſis commerciorum neceſſitatibus ſolenniter convenire.* Cumprimis vero memoranda ſunt, quæ de Julino emporio Venedico ille memorat cap. 66. *In Odera*, inquit, *oſtio, qua Scythicas alluit paludes, nobiliſſima civitas Julinum, celeberrimam barbaris & Slavis, qui in civitate ſunt, præſtat ſtationem. Eſt ſane maxima omnium, quas Europa claudit civitatum, quam incolunt Slavi cum aliis gentibus Græcis & barbaris. Nam & advenæ Saxones parem cohabitandi legem acceperunt, ſi tamen chriſtianitatis titulum ibi commorantes mutaverint. Urbs illa mercibus omnium ſeptentrionalium locuples, nihil non habet jucundi aut rari &c.* Iisdem vero porro verbis Vinnetam urbem deſcribit Helmoldus *lib. 1. c. 2. hiſtor. Sclavic.* ut ſolet ille Adamum exſcribere. Quare fortaſſis non alia urbs eſt Vinneta, quæ nonnullis memoratur, a *Julino*; (a) corrupto ſcilicet tantum a librariis vocabulo. Quicquid vero hujus ſit, fuit nobile illud emporium jam Helmoldi ætate a Danorum rege funditus deſtructum.

LXXXVII. Ex omnibus autem hiſce diſcere eſt: Septentrionalibus populis maris Balthici accolis jam tunc ſeculo undecimo chriſtiano ſatis magnum fuiſſe mercaturæ reique nauticæ uſum, antequam in Venedorum ſedes a Saxonibus eſt penetratum. Sequente ſeculo acceſſiſſe videtur halecum ad Sconiam celebris & opulenta piſcatio. Hujus enim non meminit Adamus, qui diligenter ſatis Danica eſt perſecutus: ſed Arnoldus Lubecenſis, quem conſtat initio tertii decimi ſeculi floruiſſe, hinc maximas Daniæ divitias arceſſit *lib. 3. c. 5. Dani*, inquit, *cum olim formam nautarum in veſtitu habuiſſent propter navium conſuetudinem, quia maritima inhabitant, nunc non ſolum ſcharlatico vario griſio, ſed etiam purpura & byſſo induuntur. Omnibus enim divitiis abundant, propter piſcationem, quæ quotannis in Sconia exercetur: ad quam omnium circumquaque nationum negotiatores properantes, aurum & argentum & cætera quæque pretioſa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, quæ illi gratis ex divina habent largitate, quaſi pro vili quodam commercio ſua optima, nonnunquam etiam ſe ipſos, naufragando relinquunt.* Eandem Sconiæ felicitatem more ſuo extollit Saxo Selandicus, glorioſus Danicarum rerum præco. Notatum vero eſt aliis, hanc halecum piſcationem ex Sconia in Norwegiæ & inde in Angliæ & Scotiæ littora, neſcio qua occulta, ſive numinis vi, ſive aliarum rerum viciſſitudine, translatum.

LXXXIIX. QVAMVIS vero antiqua adeo ſit ad Balthicum mare navigatio, non eadem tamen fortuna fuit Oceani littora habitantium. Enimvero jam multis ante ſeculis per Oceanum piratica nobiles fuerunt Chauci, qui poſt Saxonum nomine majorem ſibi famam compararunt. Eos Germaniam inferiorem levibus navigiis incurſaſſe, ſcribit Tacitus *lib. 11. annal.* Saxonum Francorumque piraticam tertio quartoque ſeculo frequenter memorant Romanorum ejus ævi ſcripta: quæ nunc adducere nihil attinet. Sed hi piratæ Saxones cum Anglis videntur pene univerſi in Britanniam migraſſe. Neque enim poſt illa rem nauticam Saxonum eorum, qui in Germania remanſerunt, temere quis laudari obſervaverit. Ne Franci quidem poſtea claſſe valuerunt. Tantum de Carolo magno Eginhartus: *Molitus eſt & claſſem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ de Gallia & Germania ſeptentrionalem influunt Oceanum.* Annales Francici ſtationem ſuam habuiſſe claſſem hanc ad Bononiam Gallicam, ipſis navibus circa Gandam ad Scaldim conſtructis, teſtantur *ad annum 811.* Verum poſt Carolum nullius extat Franciçæ claſſis memoria Nordmannis aut aliis piratis oppoſitæ.

LXXXIX. NE de Friſiorum quidem aut Batavorum nauticis per illa tempora ſtudiis quidquam legas. Diu poſt tamen Henrico III. cæſare Friſios nonnullos inſtructo navigio Orcades Islandiamque luſtraſſe, quinimo in extrema ſeptentrionis ad glaciale uſque mare penetraſſe, teſtis eſt Adamus Bremenſis *cap. 247.* Hoc Friſiorum nomine Hollandos intelligi ſuſpicatur Marcus Zuerius Boxhornius, *apologia*, quam *pro navigationibus Hollandorum* edidit: ſed Friſios Orientales illos fuiſſe, rectius collegeris argumento ex ipſa Adami hiſtoria ſumpto: quoniam nempe illi reduces ſtatim archiepiſcopum Bremenſem convenerint, & *ſancto Willehado reverſionis & ſalutis ſuæ hoſtias immolarint*. Hollandi enim aut Weſtfriſii Trajectinum potius epiſcopum petiiſſent, votis S. Willebrordo ſolutis: utpote cum Willebrordus Hollandis & Weſtfriſiis, Willehadus Oſtfriſiis patrocinari præcipue creditus ſit. Sed idem Boxhornius ſimili mox errore, laudem inſignis de Normannis partæ victoriæ, iisdem Orientalibus Friſiis ereptam *Hollandis adſcribit.* (b) Eam hiſtoriam fide Bononis Corbejenſis recitat Adamus *cap. 33.* Appuliſſe ſcilicet Normannos ad Friſiæ quendam pagum in remotis ac mari magno vicinis locis ſitum, Nordwide dictum: ibique præſente S. Remberto a Friſiis cæſa hoſtium decem millia trecentos ſeptem. Quis vero crediderit Rembertum Bremenſem epiſcopum per diœceſin

(a) *Julino*) Wollinum in Julini locum ſucceſſiſſe, ſed minoribus opibus, putat MICRÆLIVS *in chr. Pomer. lib. 1. p.* 105. Hic Julinum a Veneta diſtinguit. l. c. lib. 2. p. 144.

(b) *Hollandis adſcribit*) Idem facit MATTHÆVS VOSSIVS *in annalibus Hollandiæ lib. 1. p. 7.* Vid. VBBONEM EMMIVM *rerum Friſicarum lib. 5.*

ceſin Trajectinam oberraſſe, neglecta credita ſibi provincia? Mala fide autem pro *Nordwide* Boxhornius, *Nordwicum* ſubſtituit: cêrte contra fidem exemplarium. Omnino autem ſignificari *Nordam* Friſiorum Orientalium hodie oppidum, patet ex hiſtoria archiepiſcoporum Bremenſium auctoris Anonymi, cura Erpoldi Lindenbrogii edita: ubi in vita S. Remberti diſerte legitur vox *Norden*, quem Bremenſis diœceſeos pagum jam tunc fuiſſe, habetur in *ſcholiis antiquis ad Adamum*, portu vero inſigni olim floruiſſe conſtat: quo cum careat Nordvvicum, Hollandiæ vicus, appellendis navibus ineptum eſt.

XC. SED hoc obiter. Id certum eſt, nullum hodie ſupereſſe monumentum, quo conſtet, vel Friſios vel Hollandos ea quidem tempeſtate ultra littora multum excurrere vulgo ſolitos. Ne de Flandris quidem id legas. Adducit quidem Boxhornius pro Hollandicarum navigationum antiquitate expeditionem Gothofredi Bullionii in Palæſtinam: iviſſe enim Gothofredo comites Hollandos. Sed fugit illum, *terreſtri itinere* (a) in Palæſtinam tunc itum, non claſſe. Multo minus probavit Boxhornius, navigiis Hollandicis quenquam ad ſacrum illud bellum tunc uſum, ſed ponit hoc ac ſibi credi vult ſine argumento. Piraticam tamen nonnullos tractus illius maritimi Germanos tunc per Oceanum exercuiſſe, conſtat ex auctore anonymo *chronici Hieroſolymitani*, cujus editionem R. Reineccio debemus, *l. 3. c. 14.* & Guilelmo Tyrio *l. 3. c. 23.* Uterque enim narrat, inopinato claſſem piratarum, duce Winemaro quodam in Palæſtinam adveniſſe anno 1097. piratis ipſis e Flandria, Antwerpia, Friſia oriundis.

XCI. CÆTERVM circa finem ſeculi illius chriſtiani undecimi, navigiis ultro citroque circa Oceani littora commeantibus, jam maritima commercia paſſim cœperunt inſtitui. Adamus Bremenſis illa ætate de *Ripa* Jutiæ ad Oceanum opido *cap. 208.* ita ſcribit: *Civitas Ripa alio tangitur alveo: qui ab Oceano influit, & per quam vela torquentur in Friſiam, vel in noſtram Saxoniam, vel certe in Angliam.* Unde conſtat Friſios, (quo nomine tunc dicti omnes etiam Flevi accolæ) Saxones, Jutas, littora tunc legere ſuetos, mercaturam mutuam exercuiſſe. De *Brema* idem Adamus *cap. 183.* teſtatur, eam *a negotiatoribus ex omni parte terrarum mercibus frequentatam.* Non tamen ea tempeſtate per Oreſundam commerciorum gratia forte eſt navigatum. Meminit enim ejus freti Adamus *cap.* 214. nulla autem facta mentione frequentis alicujus per illud navigiorum tranſitus: non omiſſurus indubie rem tanti momenti, ſi fuiſſet in uſu. Idem vero, omnia circa Jutiam piratis fuiſſe quam maxime infeſta *c. 208.* magnam quoque piratarum copiam circa Lundinum Scandiæ civitatem ſe continuiſſe *cap. 213.* teſtatur. Ut illa quidem tempeſtate per illud fretum liber tranſitus haud patuerit. Confirmatur idem eo, quod, ſi credimus Ubboni Emmio Friſicarum rerum longe doctiſſimo ſcriptori, primi Stauriæ Weſtfriſici opidi cives mare Balthicum ultra fretum illud Danorum luſtrarint. Quam urbem conſtat navium copia & commerciorum frequentia maxime floruiſſe ſeculo Chriſtiano duodecimo.

XCII. ERGO ab anno poſt milleſimum centeſimo melior multo fortuna urbibus Germanicis alluxit, republica etiam illarum in majorem libertatem aſſerta, ceu poſt dicetur. Urbium ad Rhenum fortunam colligere eſt ex hiſce verbis Othonis Friſingenſis, breviter deſcribentis res circa annum 1114. geſtas, per Fridericum Sueviæ ducem, in gratiam Henrici V. cæſaris. *Ipſe*, inquit *lib. 1. cap. 12. Fridericus de Alemannia in Galliam transmiſſo Rheno ſe recipiens, totam provinciam a Baſilea usque Moguntiam, ubi maxima vis regni eſſe noſcitur, ad ſuam inclinavit voluntatem.* Qualis *Moguntia* (b) tunc fuerit, latius idem narrat *cap. 13.* In Saxonibus *Brema* (c) potentiam indicant tres navales expeditiones, altera in Palæſtinam (quæ a nonnullis perperam refertur in annum 1029.) altera in *Luſitaniam* (d) circa annum 1141. victoria ereptæ Sarracenis Vlyſſiponæ nobilis, tertia iterum in Palæſtinam circa annum 1199. Quo tempore Bremenſium laudabili exemplo peregrinantium ægrorum ſuſcepta cura, Teutonico equitum, qui appellatur, *ordini initium dedit.* (e) Ab iisdem navigatum tunc & per Oreſundam in Livoniam: quin & colonia Bremenſium civium eo traducta, pactaque cum Livonis amicitia, & *Riga* (f) urbs condi, & chriſtiana religio ab ejus terræ barbaris indigenis coli cœpit circa annum 1160.

XCIII.

(a) *Terreſtri itinere*) Expeditio in terram ſanctam, quæ, incitante Petro Eremita, ſub *Gothofridi Bullionei* ductu fiebat, iter per Thraciam fecit. Vid. ANNAM COMNEN. *in hiſtor. Alexii lib. 10. c. 6. ſeqq.*

(b) *Moguntia*) Vid. rerum Moguntic. tom. 1. cap. 5. ſeqq. De Baſilea conf. STVMPFII *Schweitzer-Chronic. part. 2. pag.* 359. De Argentorato SCHILTER. *ad Kænigshovii chron. p.* 604. *ſeqq.* De Colonia GELENIVS *de admiranda Coloniæ Agrippinæ magnitudine.* De Treviri BROWERI *annal. Trevir. proparaſceve* cap. 4. ſq. De aliis Germaniæ celebribus urbibus vide MVNSTERI *Coſmograph.* item CLVVERII, CELLARII, JVNCKERI *geographias*, nec non BERTII *German.* ZEILERI *itinerarium Germaniæ* & MERIANI *topographias.*

(c) *Brema*) Bremam Caroli M. tempore parvi oppidi rationem habuiſſe, tradunt; quod tamen alii in dubium vocant; quoniam epiſcopi nonniſi in magnis locum tenuerint urbibus. Vid. *ASSERTIONEM libertatis Bremenſis p.* 261. ſeqq. Sed neſcio, an illud conciliorum & capitularium placitum ad Germaniam, urbibus inprimis magnis infrequentiſſimam ſpectaverit. An Brema eadem ſit cum Ptolomæi phabirano, diſquirit WERDENHAGEN *part. 3. p. 6.* Cum ab Anglis vetitum eſſet, ne in eorum regna merces peregrinis navibus inveherentur, niſi illarum gentium, ubi merces progenerarentur, Carolus II. Bremenſibus, ut hoc ad eos non pertineret, ſpeciale privilegium ann. 1661. dedit. De controverſia inter archiepiſcopum & civitatem Bremenſem vid. PFEFFINGER. *ad Vitr. jus publ. tom. 2.* Diplomata Bremenſia refert LVNIG. *ſpicil. eccleſiaſt. part. 1. continuat.* nec non *parte ſpecial. contin. 2. & contin. 4. parte 1. archiv. imper.*

(d) *Luſitaniam*) VASCONCELLVS *in hiſtoria Luſitaniæ* p. 17.

(e) *Ordini initium dedit*) Hæc eſt ſententia *auctoris chron. Slav.* in LINDENBROG. *ſcript.* a quo alii diſcedunt. Vid. DITMARVM in not. ad BECKMANNVM *vom Johanniter Ritter-Orden p. 37.*

(f) *Riga*) BECKMANN *vom Johann. Orden p. 48.*

XCIII. Eodem tempore *Lubeca* (a) condita brevi & incolarum multitudine & commerciorum frequentia magnum incrementum ſumpſit. Similiter & *Wiſmaria*, (b) & *Roſtochium*, (c) & *Stetinum*, (d) & *Stralſundum*, (e) maritima ad Balthen opida, novis Saxonibus incolis acceptis, refloruerunt. Imo omnis trans Albim Sclavorum terra maritima, deſolata penitus & incolis orbata, coloniis *Hollandorum*, (f) Friſiorum, Flandorum cœpit excoli, urbibus multis aut reparatis aut noviter conditis, impoſterum Germaniæ accenſendis. Non minor vero fuit fortuna, & ejus Saxoniæ, quæ cis Albim eſt & Viſurgim. In Friſiis Stauriam polluiſſe claſſe & potentia navali, jam ſupra teſtimonio Ubbonis Emmii probavimus. In Hollandia Flardingum & Renesburgum celebri tunc fama: quæ tamen fere hoc ipſo tempore haud leve damnum paſſæ ſunt ab Henrico V. cæſare. Jam tunc & Flandria cœpit maritima commercia cum Anglis inſtituere. Quæ omnia annalium teſtimoniis probare in promptu eſt.

XCIV. PROXIMO ſeculo urbium per Germaniam conditio haud parum ſolito etiam melior eſt reddita. Namque & numerus earum multum crevit in omnibus pene regionibus, & maritima commercia aucta fere in immenſum. Et vero hoc tempore primum urbes fœderibus inſtitutis ſeſe & ſua contra prædones & hoſtes armis defendere inceperunt. Primæ videntur in ſocietatem hujusmodi coiiſſe, *quæ Rhenum accolunt*, (g) anno 1255. Eo de fœdere in hæc verba loquitur Arnoldus abbas Stadenſis, qui tum vixit: „Quidam validus civis in Moguntia cœpit hortari concives ſuos, ut „pro pace reſtauranda juramento ſe invicem conſtringerent. Conſenſerunt ei & aliæ civitates plu„rimæ. Vocarunt eum Watbodonem. Non placuit res principibus, nec militibus, ſed neque „prædonibus, & maxime his, qui habebant aſſidue manus pendulas ad rapinam: dicentes, eſſe „ſordidum mercatores habere ſuper homines honoratos & nobiles dominatum.„ Notatu digna quoque ſunt, quæ chronicon Auguſtanum vetus habet. „Interea Wilhelmo rege Romano cum „comitiſſa Flandriæ & Friſonibus bellica agente negotia, civitates Rheni, quaſi deſtitutæ regia de„fenſione, vinculo ſocietatis fortiſſimo ad invicem conjunguntur. Capitaneum eligunt: telonia „ejusdem fluminis, quæ a pluribus fuerunt aggravata, removent: vicinos principes & comites ſuæ „ſocietati adhærere compellunt: undique in finibus ſuis pacem ordinantes optimam & hactenus „inauditam. Cui ſuperveniens primus Ludovicus, novus Palatinus comes Rheni, fœdus laudabile „ſocietatis iniit cum civitatibus ſupradictis. Iſta autem pax more Lombardarum civitatum incho„ata, propter malitiam reſiſtentium, non diu durat.„ Fuere autem in fœdere illo urbes 41. ut & principes aliquot, quorum nomina poſt Aventinum & Cuſpinianum conſignavit Lehmannus *lib. 5. chron. Spirenſis cap. 92.*

XCV. IN eadem pene tempora incidit quoque initium fœderis ejus, quod *HANSICUM* (h) appellatur. Sane Chytræus *lib. 23.* ſcribit: „De Hanſicorum in exteris regnis emporium initiis, ut „& de ipſius etiam Hanſicæ ſocietatis certa origine, quo anno Chriſti cœperit, & quando emporia „ſingula occuparit, ſæpe multumque ex præcipuarum urbium ſyndicis, ſecretariis, & aliis ſciſcita„tus ſum; qui non modo de emporiorum origine certi nihil docebant, verum etiam quo anno ipſo„rum civitates in Hanſæ ſocietatem primum receptæ eſſent, plerique non indicabant.„ Credit tamen ille, cœpiſſe ſocietatem paulo ante tempora Friderici II. circa annum ſalutis CIↃCC. Eum ſequitur ut in plerisque aliis Germanicarum rerum narrationibus, Thuanus *lib. 30.* verbis Chytræi non niſi leviter mutatis. In ſpiſſis ſuis quatuor centonibus Joannes Angelius nihil de fœderis origine certi prodit: ineptus autor, ut molliter dicam. Videtur tamen eam repetere interdum ab Henrici

(a) *Lubeca*) Sclavonicum nomen eſt, & ſignificat *amœnum*. Hujus Vandalicarum civitatum capitis primordia incerta ſunt. vid. KIRCHRINGS *Lübeckiſche Chronica p. 2.* Magnam ſæpe habent incertitudinem origines rerum, locorum & verborum. CRANZIUS *in Vandalia lib. 3. p. 65.* tradit, Critonem Wagriorum & magnæ partis reliquæ Wandaliæ principem, veteri *Lubica ad Zuardow* poſthabita, paulo ſuperius ad ripam ejusdem fluminis Travenæ nova cœpiſſe moliri novæ civitatis fundamenta. CORNERI *chron. apud Leibn. p. 745.* Urbis Lubecenſis conditorem facit Trutonem Slavorum principem, qui a Slavis deſtructam in eodem loco reſtauravit; anno autem 1072. ab eodem dicitur condita in illo loco, ubi hodie eſt. Inſtaurata deinde civitas eſt ab Adolpho Holſatiæ comite, & amplificata, quod ante eum Henricus regulus fecerat. A Friderico Barbaroſſa expugnata in numerum liberarum imperii civitatum eſt, relata, poſtquam Henricus Leo, ſub cujus erat ducatu, exauctoratus fuit. Hic eam, ſibi plene ab Holſatiæ comite tandem ceſſam incendio propemodum deletam reſtauraverat. Vid. LERBECCII *chron. Mind.* apud LEIBNIT. *tom. 2. p. 177.* CHRONIC. RIDDAGESH. *p. 77. l. c.* LEIBN. *tom. 1. n. 292.* HELMOLDUS *in chron. Slav. p.* 579. 585. 586. 651. BOTHONIS *chron. p.* 351. CORNERI *chron.* apud ECCARDUM. *p.* 708. 721. 762.

(b) *Wiſmaria*) Urbem hanc Gucelinus Suerinenſium comes, ut autor eſt Crantzius, condidit. PETRUS BERTIUS *in comment. rer. Germanic. p. 715.* exiſtimat, Wiſmar idem eſſe, quam Wis mer. Sed an hæc originatio recte ſe habeat, aliis dijudicandum relinquo.

(c) *Roſtochium*) CRANTIUS *in Vandalia p.* 116. CHYTRÆUS *in chr.* paſſim.

(d) *Stetinum*) Nomen a Stetinis, vel Sidinis habere dicitur. Vide MICRÆLIUM *in chron. Pomerania part. I. p.* 33. conditæ tamen urbis auctor eſt incertus. Tradunt ante Henetorum adventum prima ejus jacta eſſe fundamenta, WERDENHAGEN *rerum public. Hanſeat. part. 3. p.* 480.

(e) *Stralſundum*) CRANTZIUS *in Vandalia lib. 7. p.* 152. ejus conditorem Damum fuiſſe arbitratur; cum *Sund* ſit vox Danica, *fretum* denotans. Atque inde, & ab inſula *Strale*, quæ in propinquo eſt, id urbis nomen derivandum eſſe, ferunt. WERDENHAGEN. *l. c. p.* 483. Inter has Vandaliæ civitates, quibus accenſentur etiam Hamburgum & Luneburgum, Saxoniæ civitates, peculiare eſt fœdus. HAGEM. *c. 4.*

(f) *Hollandorum*) HELMOLDI *chron. Slavor. c.* 57.

(g) *Quæ Rhenum accolunt*) De hoc fœdere, quomodo illud reſciſſum & reſtauratum ſit, evolvendus DATT. *in vol. nov. rerum Germ.*

(h) *HANSICUM*) Aliqui fœdus hoc nomen a primariis ejus urbibus, non procul a mari ſitis, habere dicunt. Alii autem a vetuſto vocabulo Hanſa, fœdus, & meo quidem judicio, rectius derivant. Plura vid. apud LIMN. *lib. 7. c. 1. n. 62. ſeqq.* PFEFFINGERUM *J. P. tom. 2. p.* 529. ſeqq. LAMBECIUM *rerum Hamburg. lib. 2. p.* 27. Habuit hoc corpus ſuum protectorem. LIMNÆUS *l. c. n.* 76. ſeqq.

rici Leonis ævo. Scriptor Italicus *Theſauri Politici* ſeſe originem fœderis certam nullo ſtudio potuiſſe diſcere, fatetur: Henricum tamen Sudermannum ſocietatis conſiliarium eam rejeciſſe in tempora vetuſtiſſima, quæ annum Chriſti milleſimum ducenteſimum longe antecedant. Sed cum Lubeca, illius fœderis una cum aliis Vandalicis, quæ appellantur, urbibus caput ſemper audierit, non poteſt profecto ſocietatis origo excurrere ultra ipſa earum urbium primordia. Cœperunt vero illæ condi ſeculo illo duodecimo declinante. Quis porro credat, fœdus illud coiiſſe, quo tempore Lubeca, *Hamburgum*, (a) & reliqua pene omnis ora Balthica impotentem dominatum Danicum paſſa eſt anno 1226. Neque legas in bellis pro libertate contra Woldemarum ejusque filios Ericum Abelem & Chriſtophorum Daniæ reges geſtis, urbium ad Balthin ſociis armis Lubecenſes uſos. Confectum autem id bellum fuit circa annum 1259.

XCVI. Itaque poſt annum ſeculi tertii decimi ſexageſimum fœdus illud demum coiit: pace ſcil. cum Danis pacta, adeoque magis magisque florentibus jam maritimis commerciis. Ipſe Angelius *parte tertia* centonum ſuorum *cap.* 10. Urbes Hanſicas firmiorem ſocietatem iniiſſe teſtatur *anno* 1270. tabulas vero fœderis ſervari hodieque in archivis. Neque vero fidem meretur, quod idem ſcribit *cap.* 15. viſa ſibi antiqua documenta privilegiorum *anno* 1194. (b) Societati huic conceſſorum: aut quod alii narrant, ab Henrico III. Angliæ rege *anno* 1206. (c) ampliſſimis privilegiis ſocietatem hanc ornatam. Namque Henricus III. puer patri ſucceſſit primum *anno* 1217. Anno autem 1194. Urbes Vandalicæ plæræque vix cœperant coli. Credimus tamen, ab Henrico III. illo data quædam privilegia ſocietati, quoniam id ipſum teſtatur Polydorus Virgilius; at Henricus ille regia eſt dignitate uſus *ad annum* uſque 1273. Confirmatur conjectura, quod Angelius producens excerpta ex tabulis Norwegicis, non potuerit laudare aliquid antiquius *anno* 1278.

Sed

(a) *Hamburgum*) Celeberrimi hujus Germaniæ imperii res doctiſſime a LAMBECIO conſcriptæ ſunt. Originem autem ſuam Hamburgum alteri ex duobus illis caſtris, quæ Carolus M. teſte Eginhardo ad impediendas Slavorum incurſiones condidit. Nomen ei tunc temporis, forte Slavonicum, fuit Hochbuchi. LAMBECII *origines p.* 1. 2. Hic ex profeſſo docet, quomodo urbs creverit, quaſnam paſſa ſit mala & mutationes, quænam reipublicæ forma ibi obtineat, quaſnam res præclare geſſerit, & quomodo per commercia ad opes illas & ſplendorem, ubi hodie eſt, aſcenderit. Omiſſis aliis non inutile erit, adhuc monere, ab Henrico III. Angliæ rege ſpeciale Hamburgo anno 1268. conceſſum ſit privilegium, Hanſam ſuam per totum habendi regnum. In diplomate dicitur, quod hoc conceſſum *ad inſtantiam nobilis viri & ducis Alberti Brunſvicenſis mercatoribus ipſius ducis de Hamborch, ita tamen, quod mercatores inde nobis faciant conſuetudines inde debitas & conſuetas.* De litibus inter Holſatiæ duces & civitatem Hamburgenſem, ob immedietatem, ut ajunt, quam hæc ſibi optimo competere dicit jure, latiſſime agit PFEFFINGER *J. P. tom.* 2. p. 781. ſeqq. Diplomata ad hanc controverſiam ut & alia jura & privilegia Hamburgenſium ſpectantia collecta ſunt a LVNIGIO *in archivo imperii part. ſpecial. contin.* 4. *part.* 1.

(b) *1194.*) LAMBEC. *rer. Hamb. l.* 2. *p.* 27. primordia ejus ad annum 1241. refert. Et oportet jam ante annum 1260. ejus jacta fuiſſe fundamenta, quia in Henrici diplomate dicitur, quod jam habuerit Hanſa Londini domum, quæ Guildihalla vocabatur, & quod easdem libertates & liberas conſuetudines, quibus majores gaviſi eſſent, habere debeant.

(c) *1206.*) Sphalma hic eſt typograph. & legendum eſt 1260. Diploma refert HAGEMEIER *in adjunctis ad tit. act. de fœdere rerumpubl. Hanſeat. & LVNIG in archiv. imperii part. ſpec. contin.* 4. *part.* 2. *in c. de Hanſeat. urbib. p.* 3. Hoc deinde fœdus ab Eduardo I. II. III. Henrico IV. V. VI. Eduardo IV. V. Richardo III. Henrico VII. VIII. Eduardo VI. Maria, memorante Hagemeiero confirmatum eſt. Verum Eliſabetha, ſe privilegiis ab anteceſſoribus ſuis ex mera gratia Hanſeaticis civitatibus datis non obſtringi, arbitrata eſt. Vid. ejus literas, & decretum imperii ejus legato exhibitum apud HAGEMEIER *in documentis.* Ad Anglorum objectiones reſpondetur *in remonſtratione* anno 1659. Parlamento oblata. Vide CHYTRÆVM in *Saxon. l.* 23. Vigebat potiſſimum Eliſabetha Perkinſii ore, jam tum Eduardi VI. tempore anno 1551. a parlamento Londinenſi deciſum, Angliæ reges non amplius iis teneri, & quidem illud eadem, quæ ex ejus mente jam prolata eſt, ratione comprobatum eſſe addebat. Vid. CAMBDENVS *in annal. P.* 4. *ad annum* 1595. p. 651. Reſpondebant Hanſeatici fœderis cauſſam agentes, quod illa privilegia neque per importunas preces impetrata, neque ex mera gratia conceſſa, quoniam (1) populo anglicano contra Gallos auxilia ſubmiſſa ſtrenueque ab Hanſæ navibus contra illos pugnatum eſſe hoſtes, (2) multa damna ab Anglis Hanſæ ſociis illata per illa privilegia & exemtiones a telonio penſata eſſe, atque ſic hæc privilegia eſſe oneroſa, nec revocari poſſe perpetua ſub illo prætextu, quod conceſſa, cum res mercatoria & nautica apud Anglos jaceret. Aliæ adhuc ſunt, quæ pro & contra, ut ajunt, proferuntur rationes, quas vide in *remonſtratione citata* apud HAGEMEIERVM. Imperium autem, ut in publicum teſtaretur, nihil magis ſibi in vobis eſſe, quam Hanſeaticis civitatibus priſtina ſua ſalva & illibata eſſe privilegia, conſtituit adverſus Anglos jure quodam repreſſaliorum uti, ut hoc modo Anglis ad aliam redire mentem perſuaderet. Atque igitur comes Friſiæ comitiali juſſus decreto anglicos mercatores Embda, ob inſtituta monopolia, eliminare. Sed migrarunt hi ſua ſponte ob appropinquantem in vicina provincia Groningenſi Hiſpanicum exercitum. Verum hoc magis adhuc Eliſabethæ ſtomachum commovit, quod ſcilicet Anglicis mercatoribus Germania excidere injunctum fuerit. Unde factum, ut illa Hanſeaticas quoque mercatura & Angliæ regno prohibuerit: cum antea permittere conſtituiſſet, ut æquo cum Anglis jure commercia exercerent. CAMBDENVS *pag.* 694. *ſeqq.* Inſtituebatur quidem Bremæ conventus ad lites illas componendas, quo etiam Rudolphus ſuos miſit commiſſarios; ſed reginæ mors impedivit, quo minus hæc res ad optatum perduci potuerit finem. Sunt & alii principes, qui præter imperatores Germanicos hoc fœdus confirmantes, & Angliæ reges multa ei privilegia & immunitates largiti ſunt. In apologetico Hanſæ teutonicæ apud Hagemeierum nominantur reges Hiſpaniæ, Galliæ, Scotiæ, Daniæ, Norwegiæ, Poloniæ, Sueciæ, magni ducis Moſcoviæ, & Florentiæ, domus Auſtriaca & Burgundica, uniti Belgii & Venetorum reſpublicæ. Exſtant varia hujusmodi privilegia, & tractatus tam commercii, quam pacis a fœdere Hanſeatico cum aliis juiti apud LVNIGIVM *parte ſpec. Cont.* 4. *P.* 2. *arch. imp.* inter quæ & Philippi IV. Hiſpaniæ & Ludovici XII. Galliæ regum diplomata conſpiciuntur. Adde LONDORPIVM *actor. publ. t. I. pag.* 220. *VI. p.* 175. *VII. pag.* 988. 990. 992. 994. 995. *ſeqq.* Tractatum commercii inter regis catholici legatos & fœderis Hanſeatici deputatos anno 1647. monaſterii initum & confirmatum refert HAGEMEIER *in documentis.* LONDORP. *actor. publicor.* Attamen illo jam tum tempore hujus ſocietatis vigor flaceſcere cœpit, & hodie fere ejus nihil niſi nomen ſupereſt. Poſtquam enim Angli & Hollandi ſua commerciorum ſtudia ad illum, quo hodie ſunt, locum provexerint, Hanſeatici ferme fœderis nulla amplius habita eſt ratio. Nec puto, hoc multis principum, in quorum territoriis tales ſitæ ſunt civitates, diſplicuiſſe. Non enim ab omni liberi fuerunt ſuſpicione, tale fœdus juribus ſuis territorialibus quodammodo nocere poſſe.

Sed nec in compendio legum fœderis, quod a Domanno confectum *partis quartæ capiti* 11, inſeruit Angelius, ulla legitur antiquior conſtitutio *anno* 1312. Ut fortaſſis illo demum tempore juſtum corpus coierit.

XCVII. CÆTERUM ſcrupuloſior hæc indagatio forte haud convenit inſtituto noſtro. In naturam autem ſcopumque cum Moguntini illius tum Hanſici fœderis inquirentibus, facile ingens utriusque diſcrimen apparet. Illud enim pro ſalute publica ipſarum urbium eſt initum: exprimente id neceſſitate, quod everſa tunc cæſarum auctoritate omnia rapinis & potentiorum libidini paterent, adeoque nullum ſupereſſet remedium ex republica conſervandis rebus, quam facta ſocietate vim omnem prohibere. Etſi autem vix *novennium* (a) duraverit fœdus illud, & in præſens tamen fuit utile & exemplo conſuluit poſteritati. Comperto enim ſemel ſocietatis beneficio, in ſequentibus temporibus ejusmodi urbium fœdera, quoties neceſſitas viſa exigere, plurima coierunt, in diverſis locis diverſa. Donec Maximiliano I. cæſare diviſa in circulos, quos vocant, Germania, iisque optimis legibus inſtructis, inſtituto item Cameræ judicio, tranquillitati publicæ nonnihil rectius conſultum eſt. Omnia vero hæc συμμαχίας fœdera, uno Helvetiorum excepto, ad breve tempus, & plæraque intra paucas urbes ſtetere. Sed *Suevicum* (b) mole & numero præ aliis eminuit. De quo recte tamen *lib.* 1. *de republ. Helvet.* Joſias Simlerus: „Avorum memo„ria (inquit) cum Friderico Auguſto auctore & principe, Suevicæ urbes fœdus feciſſent, magna „initio apud omnes ejus fœderis fama fuit & opinio: verum bello adverſus Helvetios temere ſuſce„pto, & infeliciter geſto, multum exiſtimationi ejus deceſſit. Quam tamen pulſo duce Wir„tembergico, & arcibus prædatorum tota Suevia disjectis, recuperaſſe videbantur: niſi paulo poſt „finito præſcripto tempore fœderis, ita ſtatim in diverſum abiiſſent, ut quos ante hoſtium loco „habuerant iis ut amicis, & veteribus amicis & fœderatis hoſtium pene loco uſi fuiſſent. Ita ho„minum memoria fœdus illud cœpit & in nihilum abiit.„ Helvetica vero ſocietas paucas quidem urbes comprehendit, verum æternitate & robore plane ſine exemplo eſt. Non enim ipſa illa antiquitati celebrata vel Achaicum vel Aetolicum Græcarum urbium fœdera cum Helvetico, ſive potentia ſive tempore, contendi merentur.

XCVIII. Alia vero natura eſt fœderis HANSICI, ſi quidem primam ejus ætatem ſpectes. Contractum enim maxime illud videtur, non niſi ob commercii maritimi libertatem in regnis exteris. In eam ſane ſententiam ſcribit diſertis verbis David Chytræus, harum rerum maxime intelligens auctor *lib.* 23. *Saxon.* & qui hunc exſcripſit Thuanus *lib.* 39. Sed & Albertus Crantzius non aliter de fœderis hujus ſumma loquitur: quem tamen ejus natura non potuit fugere. Ejus verba *lib.* 9. *Metropol. cap.* 41. ſunt: „Diu laborarunt: priusqum ad memoratam communionem „iterum reponerentur, hoc eſt, ad uſum privilegiorum in mercaturis.„ Saxoniæ item *lib.* 9. *cap.* 39. „Non ſunt paſſæ (civitates reliquæ) mercatores ejus urbis in emporiis verſari. Hoc vocant Han„ſa ejicere & proſcribere, cum illis privilegiorum uſu & communione interdicitur.„ Non aliter in Wandalia *lib.* 9. *cap.* 7. „Ex quo tempore denuo admiſſi ſunt in communionem Hanſæ, hoc „eſt, ad participationem privilegiorum, quæ in quatuor emporiis, in Flandria, Brugis: in An„glia, Londonis: in Norwegia, Bergis: in Ruſſia, Novogardiæ: permiſſa ſunt olim mercatori„bus, ab retro principibus & terrarum gubernatoribus, univerſis ejus communionis participibus.„ Confirmatur idem vel eo maxime, quod in compendio illo conſtitutionum Hanſicarum Domanniano nihil habeatur, quod ad συμμαχίαν poſſit trahi. Ad hoc, cum plæraque hujus ſocietatis urbes principibus variis ſint ſubditæ, quis crediderit eorum conſenſu urbes ſubditas in ſibi etiam formidabile fœdus coiiſſe? Conſtat vero, a principibus nonnullis pro urbibus ſuis in jura Hanſæ recipiendis interceſſum. Sed nec cum bella varia ſint geſta nonnullas hujus fœderis urbes inter & principes Germanicos aliosque, tota Hanſæ ſocietas ad ſe olim pertinere id credidit. Itaque nec obſervare in monumentis eſt hiſtoricis, in defenſionem ſingularum urbium ſumpta eſſe ab omnibus ſociis arma, aut ſubmiſſa auxilia. Sane ſuppetias ſibi mutuas nonnunquam aliquæ hujus fœderis tulerunt: at non ex Hanſæ illo communi, ſed novo & ſingulari pacto. Cujus generis & inter ſeſe & cum aliis Hanſæ non conſociatis principibus & opidis, alia aliis temporibus, & quidem non niſi momentanea, certisque annis definita inierunt. Formula tamen renovati fœderis in conventu Hanſico *anno* 1579. propoſita, caput habet περὶ συμμαχίας contra vim injuſtam: ceu liquet ex iis, quæ narrat Chytræus *lib.* 24. *Chronici.* Diſerte idem continet formula fœderis *anno* 1604. conſcripta, quam poſt alios edidit Angelius ſed barbare de Germanico verſam *part.* 4. *cap.* 12. Quanquam vero ita convenerit, vix tamen ullum communibus ſocietatis viribus bellum eſt geſtum in unius earum urbis defenſionem: & formula *anni* 1604. pactum illud diſerte annis duntaxat decem definivit.

XCIX.

(a) *Novennium*) Nota eſt ſocietas inter civitates Suevicas & rhenanas anno 1331. inita, quæ in Egrano conventu anno 1389. a Wenceslao eſt diſſoluta. DATT. *P. I. c.* 6. *n.* 6. *c.* 8. & 9. Actum deinde ſæpe de reſtauratione hujus fœderis. *l. c. c.* 10. Variæ circa illa tempora pacis publicæ cauſa ſocietates ſunt conſtitutæ, quæ tamen a fine ſuo declinantes, ſæpe bello occaſionem præbuerunt. DATT. *c.* 5. 6. 7.

(b) *Suevicum*) Cauſſæ hujus fœderis, quod dicitur *die S. Jürgen-Geſellſchaft*, fuiſſe dicuntur, metus potentiæ ducum Bawariæ & ſuaſor Moguntinus. DATT. P. I. c. 6. 27. 29. P. 2. c. 4. 5. De anno, quo hoc fœdus cœpit, auctores inter ſe non conveniunt. Veroſimile tamen admodum eſt, fontem hujus fœderis fuiſſe pacem publicam decennalem Francofurtanam. DATT. *p.* 255. *ſeqq.* Huic fœderi principes quoque ſe addixerunt. DATT. *part.* 2. *c.* 9. 10. 15. Varie hoc fœdus, quod in certos icebatur annos, imperiali autoritate prorogatum eſt. DATT. c. 14. 17. 21. Erant huic fœderi ſui duces & conſiliarii, judices, aſſeſſores & actuarii *l. c. cap.* 25. 26. Idem autor de foro, de proceſſu, de diætjs, de auxiliis, de caſtigatione hujus fœderis, capitibus ſequentibus agit.

XCIX. ERGO primam ſane originem Fœderi Hanſico dedit ſtudium conſervandi maritimi commercii cum peregrinis, *Norwegis* (a) præcipue, Danis, Suecis, Ruſſis, Anglis. Hæ enim gentes cum ea tempeſtate importatis Germanicis mercibus, ingenioſa magnam partem manu confectis, indigerent, contra vero abundarent plurimis rebus in Germania deſideratis, & tamen ſive præ mercaturæ ſimul & nauticæ rei imperitia, ſive quod lucri minus cupidi periculum & labores navigantium detrectarent, ipſi conſcenſis navigiis ultro citroque commercia maritima nulla vel rara inſtituerent: factum hinc eſt, ut ad ſolos Germanicos mercatores ac nautas omne hoc negotiandi genus devolveretur. Magno vero uſui videntibus exteris & ſibi hæc commercia cedere, non dubitaverunt & vectigalium immunitatibus & aliis privilegiis ultro Germanos invitare. Qui & ipſi certa ſpe ampliſſimi lucri, non ſegniter hoc egerunt. Sed piratis infeſto Oceano marique Balthico, & exteris illis conceſſa ſemel privilegia facile mutantibus, ad tutum iter præſtandum, ſimulque ut ſemel donata integra ſervarentur, fœdus neceſſarium fuit.

C. Ac primum quidem Vandalicæ urbes, quæ appellantur, coiiſſe videntur. Manet hodieque illis, *ac præcipue Lubecæ*, (b) primarius in conſeſſu locus, ut Fœderis auctoribus. Inde plures per Pomeraniam, Pruſſiam, Livoniam, epiſcopatum Bremenſem, ducatum Brunſvico-Lüneburgenſem, Weſtphaliam, Friſiam & vicinas regiones, acceſſerunt: aſſumptis in ſocietatem multis etiam mediterranea colentibus, ut numerus ultra octoginta aliquando excreverit. Extendit numerum illum Angelius ad CIIX. *parte 4. cap. 16.* ſed indicem inſpicienti facile apparet, multas ab illo recenſitas ne nomen quidem unquam Fœderi dediſſe, alias ante aliquot centum annos illi *renunciaſſe.* (c) At in univerſum omnes in quatuor Diœceſ. aut ordines diviſæ ſunt: totidem quaſi metropolitanis opidis conſtitutis, Lubeca, Colonia, Brunſvico, & Dantiſco. Omnium principem tamen locum & auctoritatem Lubeca ſortita eſt in originis memoriam. Proxima dignitas Agrippinenſibus ceſſit: utpote quibus & jam ante hoc Hanſicum ſuum aliquod fœdus cum vicinis urbibus fuiſſet, adeoque una cum ſociis in Hanſicum corpus tranſierit. Etſi porro in omnibus pene exteris regionibus ſua ſocietati data ſint privilegia & immunitates, quatuor tamen potiſſimum emporia peregrina conſtituta: Londinenſe in Anglis, Novogrodum aut Narva in Ruſſia, Bergenſe in Norwegia, & Brugenſe in Flandris, quod poſt Antwerpiam in Brabantinos eſt translatum.

CI. VERUM hæc & alia hujus fœderis narrare non eſt inſtituti noſtri. Adeo multas autem urbes in ſocietatem accipere primi fœderis auctores ſunt coacti, quod ſoli non ſufficerent defendendis immunitatibus ſuis adverſus vim & injuriam. Lucri vero exſpectatio in adeo multis ſocietatis deſiderium excitavit: quia ſoli ſcilicet ſocii ad commerciorum hæc beneficia admittebantur. Qua de cauſa, conſenſu etiam principum dominorumque contractum eſt fœdus, alias principibus iitis *merito ſuſpectum:* (d) quia nempe & hi urbes ſuas omni commerciorum genere florentis-

(a) *Norwegis*) Primaria quatuor Hanſa teutonica habuit emporia 1) Bergæ in Norwegia, quod ab incolis vocatur Stava. Hujus quædam adhuc ſunt reliquiæ. 2) Londini, quod dictum eſt Guildehalla. Stiliard Stapelhoff ſive Staelhoff. In quo HAGEMEIER hodie adhuc mercatores Lubecenſes, Hamburgenſes, & Dantiſcanos ibi Hanſæ nomine ſubſiſtere dicit. Neſcio, an in his duobus emporiis adhuc Hanſeatici locum teneant commiſſarii, qui de litibus mercatorum cognoſcant, & de rebus majoris momenti ad directorium Lubecenſe referant. 3. Novogardiæ in Ruſſia. Sed hoc derelictum & commerciorum ſedes Revaliam & tandem Narvam eſt delata. Et licet ipſis facultas data, ibi ſub certo privilegio ædes exſtruendi, ob bella aliaque tamen impedimenta commercia in illis oris neglecta ſunt. 4) Brugis in Flandria. Inde Antwerpiam eſt translatum; ubi hodieque conſpicitur domus Oſterlingica ſuperbe quidem & magnifice extructa, ſed a tempore belli Hiſpanici cum Batavis neglecta propemodum. Vid. HAGEMEIER *c. 5.* & CHYTRÆVM *in Saxonia lib. 25.*

(b) *Ac præcipue Lubeca*) Inter urbes Vandalicas vel potius Vendicas & quæ iis annumerantur ſpeciale initum fuit fœdus, quod, ſi Cranzio fides habenda, anno 1484. Lubecæ eſt renovatum. Fuerunt autem hæ urbes ſummæ ſemper authoritatis in Hanſa Teutonica, & hodieque moris eſt, ut prius conveniant & de incidentibus negotiis deliberent, antequam univerſi corporis ſolennia inſtituantur. HAGEMEIER *c. 4.* Et de Hamburgenſibus & Lubecenſibus ait LAMBECIVS *lib. 2. rerum Hamburg. p. 27. iis tanquam fundatoribus utiliſſimæ ſocietatis is honos relictus eſt, ut in legationibus aliisque rebus communi nomine agendis aliquam dignitatis prærogativam obtinerent.* Habet Lubeca hoc præcipui, ut ibi plerumque Hanſæ Teutonicæ ſingulis tribus annis comitia celebrari debuerint univerſalia & tunc penes eam fuit directorium & jus vocandi ad ea totius nempe Hanſeatici corporis. De his comitiis, ut & de particularibus, quando unius vel alterius forte circuli aut quartirii membra conveniunt, vid. HAGEMEIER. *c. 6.* Totum corpus in duo eſt diviſum ſcamna. In dextro primum votum habent Lubecenſes, Colonienſes, quos proxime ſequuntur in ſiniſtro Hamburgenſes, poſt quos proxime votum Luneburgenſes edebant: puto, vota hic eodem modo rogata fuiſſe ac in imperii comitiis. Non autem jus ſuffragii habent civitates, niſi quæ ad uſitata concurrunt onera cum iterata, ut vocant, quotiſatione; illæ vero, quæ præter annuam penſionem nihil præſtant, & obinde annuiſtæ appellantur, non niſi in conventibus particularibus ſui diſtrictus, qui omni decennio, quando ſcilicet de renovando fœdere deliberandum eſt, coibant. Sunt autem quatuor diſtrictus ſive quartirii, quorum unius eſt caput Lubeca, Vandalicarum nimirum, Brunſvicum Saxonicarum, Gedanum Pruſſicarum & Colonia Weſtphalicarum civitatum. Habet Hanſa ſyndicum, qui in primo congreſſu deputatis directorii nomine gratias agit, quod ad invitationem, quæ per civitatis Lubecenſis miniſtrum fit, comparere voluerint. Duo denique, ut habeant, ubi comitiorum concluſa & alia acta publica aſſerventur, ipſis ſunt archiva, Lubecæ unum, alterum Coloniæ. HERMES *in jure publ. c. 31. §. 4.* Cæterum præeminentiam illam in Lubeca agnovit etiam rex Galliæ Ludovicus XI. apud LEIBNIT. *in mantiſſa C. J. G. p. 174.* & Rudolphus II. ei, ut directorium habenti, ſibi documenta ad Hanſam ſpectantia injunxit. Vid. *act. Brunſv. p. 3.* & PFEFF. *part. 2. p. 834.* Vide etiam, quæ in conventu Lubecenſi 1628. a Ferdinandi II. legato prolata ſunt. *Theatr. Europæum part. 1. p. 1197.*

(c) *Renunciaſſe*) Anno 1418. juxta Thuanum non niſi 60. remanſere civitates, quas recenſet KNIPSCHILD *de jure civit. lib. 1. c. 4.* Ex hoc autem civitatum numero non paucæ ſunt municipales.

(d) *Merito ſuſpectum*) Sunt argumenta, quibus hæc ſocietas impugnatur, ad quæ reſpondet HERMES *c. 21. n. 27.*

tiſſimas eſſe cuperent. Id vero non minimam Germanici imperii labem arguit, quod ingens adeo ſocietas coierit *nulla auctoritate publica.* (a) Eo enim effectum, ut cum exteris regnis & provinciis pacta contractus conventusque ſint initi, non publico imperii nomine, ſed privato ſubditarum aliquot urbium. Quod in bene conſtituta republica minime profecto eſt tolerandum. Fuit autem & ipſis ſociis urbibus privatim id noxium: utpote quæ publica imperii auctoritate deſtitutæ, ſolæ excipere vim omnem exterorum populorum coactæ ſint. Verum quo tempore cœpit ſocietas, & aliquot poſt ſeculis, perturbatiſſima imperii ratio, & attrita cæſarum dignitate, parum in republica præſidii fuit poſitum. Ut ergo plurimi alii errores tunc commiſſi, ita & hic recepto tunc more contigit. Alias haud forte difficile fuiſſet, & toti imperio & urbibus ſociis conſulere ab initio ad illum modum, quem in ſocietatibus mercatorum Indica, Americana, Septentrionali, aliiſque inſtituendis, Belgico Germani ordines magna cum prudentiæ laude obſervaverunt.

CII. QVAMVIS vero hæc celeberrima ac nobilis ſocietas ipſis primis centum annis in regibus principibusque, quorum beneficiis nata erat, formidabilem potentiam excreverit, bella quoque pro ſibi conceſſis ſemel immunitatibus cum Danis, Suecis, Anglis aliiſque populis magna felicitate geſſerit; poſt annum tamen milleſimum quingenteſimum ſenſim cœpit deficere, ita ut anno præterpropter ſexageſimo poſt, animam prope agere viſa fuerit. Actum quidem deinceps anno 71. de inſtauranda ſocietate Hanſica & renovando civitatum fœdere, formula quoque pacti nova in conventu propoſita anno 79. a paucis tamen in eam conſenſum eſt. Aliæ leges fœderis anno 1604. conſcriptæ, nec minus ſtrenue a nonnullis laboratum de ſocietate reparanda, ſed poſt tot etiam labores magis magiſque *ad paucas urbes* (b) ingens illa olim ſocietas magno ſane urbium damno, contracta eſt.

CIII. In cauſas vero ejus decrementi inquirentibus non unæ videntur illæ occurrere. Præcipua forte eſt, ſociarum urbium *magna inæqualitas:* (c) quæ ut omnium fere ſeditionum mater eſt & cauſa, ita quoque omnes in univerſum ſocietates ſolet diſſolvere. Cum nempe parvæ urbes exiguum ex hoc fœdere fructum percipere ſe exiſtimarent, pleraque ad ſe majoribus trahentibus, primum ab his negligi ſocietas, mox & relinqui cœpit. Adhoc, ipſæ illæ exteræ gentes nauticis commerciis operam dare Hanſicorum exemplo didicerunt, quibus tamen in Germania non eæ immunitates conceſſæ. Hinc orta invidia & ſocietati ſua libertas paſſim eſt erepta. Quæ alibi fruſtra iterum quæſita, alibi reparata quidem, non niſi ſumptuoſiſſimis tamen bellis ſuſceptis. Vnde maximum ærarii

(a) *Nulla auctoritate publica*) Acceſſit tamen deinde cæſaris & imperii conſenſus vel expreſſus, vel tacitus. A Carolo IV. hoc fœdus confirmatum eſſe, ex eo quoque colligunt, quod ad hanſeaticum corpus literas dederit, ut Brunſvico excluſo ad illud redire daretur. Idem a Friderico III. factum tradunt, cum Colonia Agrippina ex ſocietate remota eſſet. Porro cum anno 1562. inter collegium hanſicum & civitatem Bremenſem diſſidia orta, ut tollerentur Ferdinandus & Maximilianus, ſuaſerunt. Cumque deinde diſcordia totum invaderet corpus, ita ut verendum eſſet, ne plane diſſolveretur, idem Maximilianus, ut unitæ manerent civitates concordiamque & pacem alerent, cohortatus eſt. Quam ſollicitus fuerit Rudolphus de conſervandis hujus corporis juribus, ex antecedentibus conſtat. Nec inter argumenta omittendum, quod Hanſæ ſocii, ut ad tributa in bellum adverſus Turcas alioſve hoſtes impendenda concurrerent, in receſſibus imperii de annis 1524. 44. 48. 55. 57. 66. 79. 82. 92 excitati eſſent. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 829. Sic & principes imperii cum Hanſeatico collegio fœdera inierunt. In apologetico Hanſæ Teutonicæ enarrantur Ericus & Julius duces Brunſvicenſes, & Ezardus comes Orientalis Friſiæ. Scio quidem ex aurea bulla, ac ſi illa talia improbaſſet fœdera, dubium obmoveri: Verum ibi de illis fœderibus, quæ in turbas ſeditioſas & imperii detrimentum collineant, ſermo eſt; hoc autem fœdus non ſolum commerciorum cauſa, ex quibus tot in Germanicum imperium redundarunt opes: ſed & pacis & tranquillitatis conſervandæ cauſa pactum eſt. Exempla præſtitorum ab Hanſa Teutonica auxiliorum ad componendos bellicos motus in apologetico citato referuntur atque hæ & aliæ rationes haud dubie effecerunt, ut hæc ſocietas in Weſtphalica pace artic. X. §. final. confirmata fuerit.

(b) *Ad paucas urbes*) Vrbes quædam ob enarratas in receſſu de anno 1515. cauſas ab hanſeatica ſocietate aut ſunt excluſæ aut ei renunciarunt. Tales ſunt Stendalia, Soltwedel, Berlin, Brandenburg, Francfurt ad Oderam, Wratislawia, Cracovia, Aſchersleben, Quedlinburg, Halberſtadium, Helmſtadium, Kilonia & Northuſa, ita ut tunc in fœdere manſerint: Civitates Vandalicæ: Lubeca, Hamburgum, Roſtochium, Stralſunda, Wiſmaria, Luneburgum; Pomeranitæ: Stetinum, Anclamum, Golnavia, Gripswalda, Colberga, Stargardum, Stolpa, Rugenwalda; Pruſſicæ: Culma, Thorunium, Elbinga, Gedanum, Regiomontum, Braunsberga; Saxonicæ transſericanæ: (*Oberheydiſche*) Magdeburgum, Brunſvicum, Goslaria, Einbeca, Gottinga, Hildeſia, Hanovera, Ulſena, Buxtehuda, Stada, Brema, Hamelia; Weſtphalicæ: Monaſterium, Oſnabruga, Tremonia, Suſatia, Hervordia, Paderborna, Lemgovia, Bilefeldum, Lippa, Cosfelda; Clevenſes & Marchicæ: Colonia, Weſalia, Duisburgum, Emerichum, Warburgum, Unna, Hammum; Geldricæ: Neomagum, Zutphania, Ruramunda, Arenacum, Venlavia, Elburgum, Harderwicum; Tranſiſulanæ: Daventria, Svolla, Campum; Friſiacæ: Gröninga, Staverda, Bolſwerda. Videntur tamen ſolæ propemodum hoc nomen jam Lubeca, Hamburgum & Brema ſuſtinere. Hoc ex eo quoque colligere licet, quod procuratorium legatis ad Neomagenſes tractatus datum, ſaltim harum trium civitatum nomen præ ſe ferat, quanquam talem toti corpori ſalutarem fore deputationem ibi dicatur. LONDORP. *act. public. tom. 10. p.* 533. Appendicis loco ſit, a nonnullis dubitari, an hoc corpus jus belli & fœderum &c. habuerit: Sed cum permultæ in eo liberæ fuerint imperii civitates, quæ æque ac alii imperii ordines ſuperioritate territoriali gaudent, fuerint, de eo minus recte ambigi exiſtimo. Nec in annalibus reperimus, quod imperium Hanſæ Teutonicæ fœdera cum exteris, in imperii detrimentum non vergentibus, damnaverit. Præter fœdera cum ſeptentrionalibus inita regibus, tale pepigere cum Hollandis anno 1613. quod anno 1616. repetitum eſt. LONDORP *tom. 1. lib. 1. c. 62. p.* 220. nec non illud cum Bremenſibus & Hamburgenſibus anno 1645. renovatum eſt, dataque reliquis civitatibus facultas, illi fœderi æquis accedendi conditionibus; præter Lubecam autem, quod anno 1646. ei nomen dedit, aliæ Hanſeaticæ civitates de hoc fœdere nequaquam fuerunt ſolicitæ. HAGEMEIER *in documentis.* Exſtat quoque apud hunc tractatus ſuper negotiis maritimis inter Ludovicum XIV. Galliæ regem & Hanſeaticas civitates anno 1655. inſtitutus & confirmatus, in cujus artic. X. memorantur tractatus & confœderationes cum Ludovico XI. Carolo VIII. Franciſco I. Henrico II. Henrico IV. initæ.

(c) *Magna inæqualitas*) Minores enim ſui nullam pœne haberi rationem & omne propemodum lucrum ad majores pervenire ægerrime ferebant.

ærarii damnum enatum, reliquantibus plæriſque, etiam potentiam ſocietatemque ipſam ſenſim labefactavit. Denique haud parum detrimenti attulit quoque Hanſicis Flandrorum & Hollandorum mercaturæ & rei nauticæ ſtudium: quo illæ gentes ab anno usque milleſimo ducenteſimo, cumprimis autem poſt quingenteſimum, floruerunt. Primo enim interceptus monopolii fructus, mox præcipua nautici commercii vis ab Hanſicis in Hollandos tandem tranſiit.

CIV. SED de fœderibus urbium ſatis. Sine dubio autem magno & fœderatis urbibus ipſis, & toti Germaniæ commodo fœdera illa fuerunt. Nam illis quidem *συμμαχικοῖς* & tranquillitatem publicam & libertatem popularem aliquot per ſecula debemus. Ut enim nonnunquam exceſſerint modum, ſi verum tamen fateri velimus, abſque hoc remedio extrema ſervitus omnes dudum oppreſſiſſet: qualis ſane fuit aliquot centum annis Germaniæ *ἀναρχία*. Judicavit idem Caſpar Peucerus magnæ doctrinæ & prudentiæ vir; itaque de fœdere Moguntino, *lib. 6. chron.* verba faciens ita loquitur: *Profuit hoc exemplum poſteritati. Similibus enim conſiliis deinceps & malis publicis obviam itum, & multorum audaciam ac molitiones repreſſas eſſe, conſtat. Nec aliter ſervari res communes poſſunt, publicis periculis augeſcentibus.* Sic magnam partem Hanſicæ ſocietatis beneficio certum eſt ad eam opulentiam, eamque omnium rerum abundantiam, cum urbes tum & reliquam Germaniam perveniſſe. Illa certe ſeptentrionis & Britanniæ Galliæve opes cum Germanis, & noſtras cum illis viciſſim communicavit. Unde copia rerum & lucri ingens magnitudo. Nec fœdere illo ſalvo in Germaniam moliri quidquam auſi ſunt maritimi exteri populi. Ut ſecuritatem etiam Germaniæ Hanſico fœdere aliquot ſeculis ſtetiſſe, fatendum ſit.

CV. CÆTERUM quibus præcipue de cauſis ſeptingentorum annorum ſpatio, & in hunc numerum & in illam fortunam Germaniæ urbes excreverint, pene jam dictum eſt. Unum tamen addendum, de *metallorum* (a) & *ſalſorum* (b) fontium copia, quorum itidem plæraque hoc annorum intervallo aut inveniri aut excoli cœpta. Abundare autem Germaniam hodie præ aliis Europæ regionibus omnis generis ditiſſimis metallis ut & ſalis fontibus, notum in vulgus eſt. Illa vero & originem urbibus plurimis dederunt, & immenſam pecuniæ vim ſubminiſtraverunt. Hinc autem pariter ſplendore & luxu nimium quantum creſcente, opificum quoque variorum induſtria ad ſummam acuminis laudem penetravit.

CVI. CONSEQVENS eſt de urbium republica diſſeramus. De illa vero in univerſum fere licet pronunciare: poſt Carolovingorum tempora juris dicundi, cum mero mixtoque imperio, magiſtratuum item conſtitutionem, nec non fiſci jura, a cæſaribus, partim prodigis largitionibus, partim venditione, partim aliis neſcio quibus modis, in aliorum poteſtatem deveniſſe. Harum mutationum initium multi ab Ottonibus repetunt. Quod ex parte verum eſſe, ex parte non, ex iis quæ addemus patebit.

CVII. IGITVR Ottonibus auctoribus, in illis ſane urbibus, quæ in poſſeſſionem ceſſerunt epiſcopis & archiepiſcopis imo & abbatum nonnullis, pene per omnem Germaniam, admodum mutavit reſpublica. Quum enim illam hactenus per *comites, miſſos, duces* (c) momentaneos adminiſtrari reges curaſſent, Ottones eandem *epiſcopis ſuis conceſſerunt:* (d) falſa ducti perſuaſione, id cum ad *præſentis vitæ felicitatem*, (e) tum ad æternæ beatitudinis præmia capeſſenda vel maxime pro-

(a) *Metallorum*) Quando primum in Germania metalla inventa fuerint, in annotationibus ad Taciti Germaniam inveſtigatur.

(b) *Salſorum*) Sunt qui putant, Salinas Luneburgenſes ſub Ottone Henrici aucupis filio inventas fuiſſe. Teſtatur quoque LEONHARDVS ELVER *in deſc. hiſt. polit. anno* 920. Luneburgi jam tum ſal coctum eſſe. Vide tamen MEIBOMII *hiſtor. Bardewic. tom. 3. S. G. p. 77.* Salinæ Luneb. ab Hallenſibus antiquitate ſuperari videntur. Conf. HOFFMANNVM *de ſalinis Halenſibus cap. 5.* Adde HONDORFIVM in tractatu ſimilis argumenti. Imo ex diplomate Ludovici pii, quo Corbejenſibus donat, *quantumque juris noſtri in illo ſale, quod eſt ſuper fluvium Wiſera, erat,* (in pago Logi) conſtat, illo tempore in Saxonia ſalis jam tum apertos fuiſſe fontes.

(c) *Comites, miſſos, duces*) De his ad diſſert. de ducibus & comitibus imperii agetur. Vid. ALTESERRA *de ducibus & comitibus provincialibus c. 4. 5.*

(d) *Epiſcopis ſuis conceſſerunt*) Sacerdotio nullam aliam conſtat, quam animarum curam eſſe præfixam, ex Chriſti & apoſtolorum actibus & doctrinis conſtat. Cum autem ſocietates illæ chriſtianæ & talia continerent membra, in quæ mollia non omnino valerent media, ad illorum mores corrigendos, & alios, ut eorum exemplo ſapere diſcant, adhortandos, ab eccleſiis excommunicationes & pœnitentiæ ſunt adhibitæ. Et licet hæc res ad totam ſpectaret eccleſiam, multum tamen circa eas cenſuras præſules valebant. Quo factum, ut imperandi cupidis inde occaſio nata, juriſdictionis eccleſiaſticæ monſtrum, cui deinde clerus privative, ut ajunt, addicebatur, fabricandi. Hæc non male omnium malorum & dominatus Romani a Molinæo cauſa vocatur. Obtinebat enim primis temporibus, ut chriſtiani, cum ſanctæ religioni addicti deeſſent prætores, lites ſuas presbyteris & epiſcopis componendas permitterent, quod ſacerdotibus anſam deinde præbuit, audientiam epiſcopalem in juriſdictionem quandam ſecularem commutandi. In conciliis quidem conſtitutum eſt, ut ab his & aliis mundanis ſacerdotes abſtinerent curis; præſertim cum deinde chriſtiani adeſſe cœperint magiſtratus. Verum ad Servatoris ſuorumque Apoſtolorum veſtigia nauſeantes, conciliorumq; decreta piorum vota & ſanctorum hominum ſententias ſpernentes, judiciariæ poteſtati operam dare perrexerunt. Huic magno eccleſiæ chriſtianæ malo accedebat, quod principes Chriſto nomen dantes, ex nimia, quam clero præſtabant, reverentia, ejus aliquas in dijudicandis cauſis eſſe paterentur partes. ZIEGLER. *de epiſcopis c. 30.* Hoc quoque a Francorum & Germanorum regibus ante Ottonem primum factum eſſe, non ſolum ex capitularibus ſed & ex annalibus illorum temporum aliquo modo liquet. BALVZIVS *tom. 1. p.* 906. 984. 985. ubi puto, pro *non* legendum eſſe *nos. p.* 1163. Criminalia autem judicia, quæ imperatores per ſuos adminiſtrabant comites & advocatos, ſerius acceperunt.

(e) *Præſentis vitæ felicitatem*) Principes aliæque piæ animæ ſibi perſuaderi patiebantur, res per nullos plane, quam qui inprimis Deo, ut voluntatis ſuæ interpretes, curæ eſſent, rectius curari poſſe; & quo majora eſſent iis collocata beneficia, eo largiorem futuram cæli benedictionem, & promptius Numen ad diſſimulanda aut remittenda peccata. Abutebantur clerici terrenis inhiantes Servatoris dicto, id beneficii, quod minimo etiam ſuorum exhiberetur, compenſatum iri, multo magis igitur, qui clero, ſe beneficum præberet,

profuturum. Quaſi vero non multo rectius aliis ſacrorum animarumque, aliis vero civilium, cura permitteretur: quos magiſtratus omnino diſtinguendos invicem eſſe, jam olim oſtendit quoque Ariſtot. *6. polit. c. ult.* Plane ſine exemplo autem fuit hæc epiſcoporum civilis urbium cura. Cum enim ex veteri ævo recepto more, non aliam coërcitionis poteſtatem haberent quam *pœnitentiæ & excommunicationis*, (a) nec aliud ipſorum munus eſſet, quam hodie apud proteſtantes eſt alicujus ſuperintendentis, paulatim adjecta quidem jurisdictio eſt in clericos eorum, quoad perſonas & bona: ita ut monachum vel clericum coram ſolo epiſcopo accuſare licuerit. Negatum tamen etiam ſic fuit epiſcopis judicio præſidere, aut bona ſua adminiſtrare aliter quam per conſtitutos advocatos. Neque vero ferendus eſt Albertus Crantzius, qui jam a Carolo magno *omnem reipublicæ curam* (b) in Saxonia epiſcopis vult commiſſam. Repugnat enim cum omnibus aliis antiquis monumentis, tum ſufficit illi refutando unum illud diploma Caroli magni, quo *epiſcopatum Bremenſem* (c) inſtituit, quod & ipſe in *Metropoli* ac *Saxonia* recitat, dudum autem hiſtoriæ ſuæ inſeruerat Adamus Bremenſis *c. 9.* & poſt hunc Albertus Stadenſis. Ne nunc laudem formulam epiſcopatibus demandandis uſurpari vulgo tunc ſolitam, quæ habetur apud *Marculphum* (d) *1. & 3. edition. Lindenbrogiana.*

CVIII. Primus autem Bruno a fratre Ottone magno ducatum Lotharingiæ accepit, atque ita ſimul *jus gladii temporalis.* (e) Itaque rem hactenus inſolitam narrans Witichindus *l. 1.* excuſandam ſibi eam ſumpſit exemplo Samuelis. Verba ipſius ſunt: *Brunonem pontificis ſummi ac ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, quum Samuelem ſanctum & alios plures, ſacerdotes pariter legamus & judices.* Auctor chronici Belgici magni, eandem rem notatu dignam duxit: *Ante hæc ſua* (Brunonis) *tempora archiepiſcopi Colonienſes, non judiciis gladii temporalis, ſed tantummodo*

beret, & hujus & futuræ vitæ ampliſſima, pro liberalitatis ſuæ gradu, expectare poſſe dona. Hinc tot & tam opimæ profectæ ſunt piæ donationes, quæ in clero impietati ſæpe auxiliatrices præbuerunt manus. Auditus eſt, inquit SCHATEN. *lib. 1. annal. Paderb. p. 4.* aliquando Carolus homini eccleſiæ bona petenti reſpondere: *Satius nobis eſt, non habere regnum terrenum, quam æternum perdere. Plus enim confido, Deum poſſe per ſanctorum ſuorum merita & preces nos adjuvare, quam per omnem militiam ſecularem. Quid enim bona eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum.* Adde FONTANIVM *in vindic. dipl. p. 147.* SCHATEN. *p.* 92. Imo in vulgo donandi libido ſub ſpe hujus & futuræ vitæ præmiorum tanta fuit, ut a principibus ei modus poni debuerit, ne ad onera, quæ ipſis incumbebant, præſtanda inepti redderentur. Sic Mathildis, quæ ducatrix dicitur, in confirmatione privilegii Monaſterio Polironenſi a Tedaldo S. Benedicto in Mantuana terra dicato ſubditis ſuis permittit quidem feuda & alia bona, quæ a duce haberent, monaſterio donare, ita tamen, ut tantum retinerent, quo ad præſtanda ſervitia & cenſus opus eſſet. *Iſtoria del monaſterio di S. Benedetto di Polirone da BENEDETTO BACHINI p. 34.*

(a) *Pœnitentia & excommunicationis*) REGINO *de diſcipl. eccl. cum notis BALVZII.* ZIEGLER *de epiſcopis c. 32.* MOLINÆVS *de pœnitentia.* SELDENVS *de Synedriis.* FRIDERICVS KNORRE *de pœnitentia eccleſiaſtica c. 2.* Non autem excommunicatio major, imo ne minor quidem a ſacra cœna juxta aliquos, citra eccleſiæ conſenſum fieri potuit. Cumque principes chriſtianam ſequi cœperunt religionem & illorum conſenſus negligi non debuit. Ut enim alia ſileam, excommunicatio in refractarios & repugnantes ſine eorum brachio irrita fuit. Vid. ZIGLER. in notis ad LANCELL. *lib. 4. tit. 13. §. 16. p. 1031. & de ſuperintendente c. 17. §. 10. & 11.*

(b) *Omnem reipublicæ curam*) Hanc ſententiam fovet etiam SCHATENIVS *lib. 1. annal. Paderborn.* p. 3. Verum ex aliorum ſententia nullo fide digno probari poterit, aut autore aut documento, epiſcopis Germaniæ ante Ottonem in diœceſibus ſuis jura data eſſe territorialia aut omnia aut quædam ſaltem. Præterea, quæ de Caroli M. in Germania inſtitutis epiſcopatibus traduntur, non levibus ſunt obnoxia dubiis, quicquid etiam in contrarium diſputet SCHATENIVS *in hiſtoria Weſtphaliæ.* Nos ejus argumenta ad diſſertat. de epiſcopis Germaniæ examinabimus. Cæterum urgent adverſæ ſententiæ addicti, in diplomate Lotharii I. monaſterium S. Stephani in epiſcopi Argentoratenſis territorio conſiſtere dici. Vid. verba diplomatis apud SCHILT. *in comment. ad J. F. A.* p. 24. deinde inſulam Rugiam, ab eodem imperatore Corbeienſi donatam eſſe monaſterio: Verum conſtat illo tempore non ſemper ſuperioritatis jus, ſed ſæpe etiam diſtrictum, quo quis jus ſuum extendere potuerit, denotaſſe. SCHILTER. *l. c.* ut ſileam de fide hujus diplomatis, quod SCHATEN. *lib. 2. p. 28.* refert, dubitari, donatio illa nonnullis, annuum tantum cenſum a Slavis ibi habitantibus, ut hominibus ſuis propriis exigendum complexa ſit, non autem, quod monaſterio datum ſit jura ibi ſuperioritatis civilis exercere. Nam quidni nobili in certo diſtrictu omnes competere poſſent munitiones, villæ, vici, &c. cujus tamen nullæ in poteſtate territoriali eſſent partes? Idem iis dicitur de dono Huxari villæ regiæ, quo Ludovicus pius Corbeienſe monaſterium affeciſſe fertur. Scilicet, quod tantum reditus aliquos inde legere ipſis licuerit. SCHATEN. *lib. 2. p. 74.* Jura autem regalia ab advocato regio ſecundum illos ſunt adminiſtrata. Porro, quæ de regalibus Wurtzburgenſi & Campidunenſi diu ante data memorantur, ab aliis non ſine ratione in dubium vocantur. Videntur tamen diſſentientes hæ opiniones conciliari poſſe, quando dicimus uni aut alteri aliquid regalium e. g. jus monetæ cudendæ, aut aliquam etiam partem vicaria opera in republica adminiſtranda datam, plenius autem id omnino ſub Ottone primo cœpiſſe. SCHILTER *de libert. eccleſ. Germ. lib. 1. c. 2. §. 2.* In eo enim omnes pæne conveniunt, quod epiſcopi & abbates principes in ſuis diœceſibus jura regalia non ſimul & ſemel acceperint.

(c) *Epiſcopatum Bremenſem*) Hoc diploma ab Adamo Bremenſi ex ejus eccleſiæ tabulario eſt productum, deinde ab Alberto Stadenſi, Cranzio & SCHATENIO *in hiſtoria Weſtphaliæ p. 515. vulgatum eſt.* Mabillon genuinum putat, Popebrochius autem illud æque ac Verdenſe ſubleſtæ eſſe fidei arbitratur. Quæ contra illud proferuntur, in his potiſſimum conſiſtunt. 1) Formulam, quæ ibi adhibetur, *in nomine domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti non eſſe Caroli M. ſed Ludovici pii.* 2) Carolum magnum nunquam crucem circulo incluſam in ſignum adhibuiſſe. 3) Hillibaldum ibi dici archiepiſcopum Colonienſem & ſacri palatii capellanum; qui illo tempore tamen nec archiepiſcopus nec in Caroli M. aula fuerit. 4) Adeſſe annum incarnationis contra morem illorum temporum. MABILLON. *de diplomatica lib. 2. c.* 16. 5) Carolum in Julio menſe anni 788. Wormatiæ non fuiſſe. 6) Annalium fidei repugnare, quod Carolus Saxones Bremenſi eccleſiæ *tributarios & ſubjugales*, ut eſt in diplomate, addixerit. Vid. ill. DOM. D'ECCARD *cenſuram diplomatis Carolini de ſcholis Oſnabr. p. 5.* & ejusdem *Vertheydigunge der Widerlegunge p. 144.* Nos alibi in argumentorum horum robur inquiremus.

(d) *Marculphum*) Sed hic vixit ſeculo VII.

(e) *Jus gladii temporalis*) Vid. WITTECH. *lib. 1.* NORTHOF. *in chron. archiepiſcop. Colon. p. 681.* SIGEBERTVS LEVITA *in vita S. Theoderici epiſcopi Metenſis c. 1. p. 295.* RVOTGERVS *in vita S. Brunonis p.* 295. Sed recte monet SCHILTER *l. c. ad c. 1. §. 1. p. 26.* etiamſi ducalis Brunoni ducalis dignitas in Lotharingiæ ducatu ſit collata, inde tamen non ſequi, quod in ſua diœceſi ſuperioritatem nactus ſit territorialem.

modo juriſdictione uſi baculi paſtoralis. Sicut autem Brunoni fratri Lotharingiam, ita Wilhelmo filio, Moguntino archiepiſcopo, *Thuringiam & Haſſiam*, (a) aliis alia, tantum non pleni dominii jure poſſidenda dedit. Quod late oſtendere hujus loci non eſt.

CIX. DE epiſcoporum autem nova in urbes poteſtate ſeorſim nonnihil eſt dicendum. Erant bona epiſcoporum ut & Monaſteriorum jam diu ante ſecularibus quæ appellantur judiciis exempta, ſingulari libertate regum ita curante: adeoque omnibus epiſcopalium & monaſticorum bonorum cauſſis dijudicandis, paſſim advocati ac defenſores ita dicti a regibus ipſis præficiebantur. Quod hic probare non attinet. At omnia illa bona intra villarum, agrorum, ſylvarum, ſervorum aliquot, ac ſimilium aliarum paucarum rerum vilitatem conſiſtebant. Ab Ottonibus vero urbes, arces, comitatus, imo integræ provinciæ, Epiſcopis & monaſteriis donari cœperunt. Bene enim Theodoricus de Niem: *Otto primus omnibus pene cathedralibus eccleſiis, in Italia, Gallia, Germania, Burgundia & Lotharingia conſtitutis, multas civitates, Caſtra, Oppida, Villas, & multa alia dominia temporalia & jurisdictiones donavit, atque omnibus illis eccleſiis propria inſignia perpetuo deputavit. Archiepiſcopos quoque & epiſcopos ducatibus & comitatibus Baroniisque communivit, quibus nobiles & potentes vaſſallos ſubjecit: ut ſemper eſſent ad reſiſtendum, & manu forti paganis & hæreticis in oportuno tempore fortuna.* Hactenus Niemus. Qui prudenter notavit *pene omnibus* epiſcopis multa adeo largiter ab Ottone donata. Hiſtoriam enim ejus ævi accurrate ſcrutantibus liquet, ab Ottone nonnullis eorum nihil *præter decimas* (b) datum: atque ut plerique epiſcopi caſtra, urbes, & comitatus ſint *a ſucceſſoribus Ottonis* (c) nacti, aliquos tamen hodieque omnibus illis deſtitui. Iſta vero nova largitione regum multas paſſim urbes in poteſtatem epiſcoporum deveniſſe, certum eſt.

CX. CÆTERUM cum in urbibus illis cæſares, ut alibi hactenus, obtinuiſſent non tantum poteſtatem juris dicundi per comites & legatos, verum etiam fiſco regio ſua & quidem varia fuiſſent jura, notatu cumprimis dignum eſt, in donandis urbibus non eandem ſemper rationem obſervatam: ſed alibi juriſdictionem & omnia jura fiſci, alibi ſolam illam, *alibi partem etiam bonorum, epiſcopis ceſſiſſe.* (d) Manifeſtum id faciunt tabulæ donationum regiarum ejus ævi, quas omnes heic adducere, alienum eſt: quædam earum verba paulo poſt in partem citabimus. Hinc vero liquet, perperam nonnullos, ſi hoc aut illud videant donatum, omnia reliqua etiam dono illo comprehenſa autumant. Quomodo & illi falluntur, qui epiſcopis omnibus aut plerisque urbes cathe-

(a) *Thuringiam & Haſſiam*) Wilhelmum Otto ex nobili Slava extra matrimonium ſuſcepit. *Widekindus p.* 661. DITMARUS p. 338. Aberrant igitur Serarius Baronius & multi alii, quos recenſet Johann ad Serar. p 433. aſſerentes, Wilhelmum ex Editha prima Ottonis conjuge eſſe natum. In locum Friderici archiepiſcopus ſuffectus. MARIANUS SCOTTUS apud PISTORIUM *tom. 1, p.* 646. SERARIUS *p.* 433. SCHATENIUS *lib. 4. p.* 300. Wilhelmo a patre Thuringiam Haſſiamque eſſe donatam aſſerit PAULUS LANGIUS *in chron. Cezitenſi tom. 1, apud Piſtor. p.* 1133. quem multi alii recentiores ſequuntur. Vid. dom. JOANNES *ad Serarium p.* 436. Sed forte ejusdem farinæ eſt hoc aſſertum cum hujus autoris fabula, quod Wilhelmus ex Adelheide natus fuerit; quapropter illud a permultis in dubium vocatur JOANNES *l. c. p.* 437.

(b) *Præter decimas*) Monaſterio Corbejenſi monetam atque telonium in urbe Meppia donavit. SCHATEN. *lib.* 4. *p.* 88. Jus monetandi conceſſit quoqe epiſcopo Ultrajectino. HEDA, p. 51.

(c) *A ſucceſſoribus Ottonis*) Ad comprobanda, quæ hic ab autore noſtro docentur, quædam in medium proferre liceat exempla. Otto II. epiſcopo Leodienti confirmat dona a Pipino Carolo Ludovico & item Carolo regibus Francorum facta & ab Ottone I. rata habita. Inter hæc ſunt Hoyum, Foſſe, Lobies, Tungres, Maslines. Et ſi in his nominibus ſunt quædam urbes, colligere licet, & ante Ottonem I. urbes fuiſſe donatas CHAPEAVILL. *geſta pontif. Tungrenſ. &c. tom. 1. p.* 209. Sed in diplomate Ottonis III. *l. c. p.* 215. Trajectum, Hoyum, Namuchum, Deonatum donata vici vocantur. Hic Otto eccleſiæ Leodienſi confirmat comitatum de Brunengeruns & in Trajecto, quicquid regalis jus fiſci exigere poterat in moneta & telonio tam in navibus & ponte, quam foro & vicis & exitibus & reditibus ipſius loci *l. c. p.* 211. Hæc ultima verba ſuadent Trajectum illo tempore jam tum fuiſſe urbem, cum qua vici ad eam ſpectantes commune habuerint nomen. Otto III. eidem ecleſiæ donat comitatum Hoyenſem *l. c. p.* 214. 215. & BOXHORN. *in diplom. Leodienſ.* p. 484. Infinitæ propemodum ſunt donationes, quibus Henricus II. clerum inprimis Meinwercum Paderbornenſem præſulem cumulavit. De hoc teſtantur diplomata apud SCHAT. *& autor vitæ ejus* apud LEIBNITIUM. Ut aliquam ſaltim commemoremus, dedit ei comitatum, quem Haholt comes habuit. Hunc comitatum comprehendiſſe Detmoldiam, Lemgoviam, totumque illum per montes Teutonicos tractum, quem deinde epiſcopi Paderbornenſes comitibus Lippienſibus in feudum dediſſe dicuntur. *annal. Paderborn. lib. 4. p.* 394. 395. Idem imperator Berwardo epiſcopo Hildeſienſi donat. Comitatum in pago Aſtvala ſitum, quod olim Thidericus Palatinus poſtea quoque filius ejus Sirus habuit. *l. c. p.* 403. poſtea Meinwerco regia prorſus liberalitate, ut ait Schaten, vel potius prodigalitate comitatum Dodiconis, in quo erat Warteburgum ſ. Warburgum, & comitatum Immedeſhuuſanum in novum contulit donum. Notæ ſunt terræ, quas in Carinthia & alibi Cunigundæ filo, Bambergenſi monaſterio adjecit, nec minus ſucceſſor ejus Conradus II. Giſelæ conjugi obnoxius in clerum liberalis fuit. Epiſcopo Trajectino donavit comitatum in Trente *Heda p.* 113. Idem huic epiſcopo Teiſterbandiæ comitatum contulit *l. c. p.* 115. Conradi filius Henricus III. patris ſecutus veſtigia, Leodienſi epiſcopatui comitatum Hosbanienſem addidit. BOXHORN. *diplom. Leodienſ. n.* 17. *diplom. Montelii hiſtor. Loſſenſi adjecta n.* 15. Epiſcopo autem Trajectenſi Agridiocenſem comitatum contulit HEDA p. 123. porro auxit beneficium expectativa in comitatum Gozilonis p. 125. Henricus IV. eidem eccleſiæ comitatum Weſtflinge donavit *l. c. p.* 129. Idem imperator comitatu Stavero Egberto marchioni anticæſari erepto, nec non comitatibus Oſtergowe & Weſtergowe in Friſia ſitis eccleſiam Trajectinam donavit *l. c. p.* 119. hancque donationem Henricus V. confirmavit, Lothario autem imperante, Trajectina eccleſia terris illis deſtituta fuit, quæ ipſi a Conrado III. ſunt redditæ *l. c. p.* 157. Hinc tanta imperatorum profuſione & cleri aviditate patrimonium imperii exhauſtum fuit, ut Henricus V. ſuo tempore nihil fere ex eo twupereſſe, conqueſtus ſit. Quanquam ejus ſucceſſores eodem zelo vel etiam interdum neceſſitate ducti non minus ac anteceſſores præſulum cupidini vacantes imperii comitatus permiſerunt. Sic epiſcopatus Hildeſienſis, qui ex comitatibus fere concrevit, multa Lothario Saxoni debet. Sed ne jam nimii ſimus in pertractando hoc argumento, reliqua, quæ addi potuiſſent, alii reſervamus loco.

(d) *Alibi partem etiam bonorum, epiſcopis ceſſiſſe*) Vid. *Gründlicher Gegen-Bericht* in puncto juris præſidii militaris civitatis Hildeſienſis p. 3. ſeqq.

cathedrales eo ſtatim tempore ceſſiſſe credunt, quo urbes ab iis nonnihil poſſideri cœperunt. Facile enim oſtenſu eſt, a multis longo poſt demum tempore tale quid eſſe impetratum, a nonnullis nunquam, qui alias urbes haud paucas in poſſeſſionem acceperunt. Ut proinde in his omnibus ipſæ tabulæ donationum ſint conſulendæ.

CXI. Ita chronicon Colonienſe vetus vernaculum *p.* 129. ſcribit: Urbis Agrippinenſis *merum & mixtum imperium* (a) ante Brunonem penes imperatorem fuiſſe. *Pag.* 121. hujus Brunonis beneficio liberatam urbem a tributo regio in perpetuum. *Pag.* 132. etſi falſo inquit: *Quo tempore Saxones ſceptrum gerebant cæſareum, Colonia epiſcopali jurisdictioni ſubdita fuit.* An quid ulterius ceſſerit tunc epiſcopis, haud liquet. Quid epiſcopo Spirenſi ab Ottone magno in urbem Spiram conceſſum ſit, omnium optime patet ex diplomate *Ottonis III.* (b) quo ille avitum donum confirmavit. Recitat illud integrum Lehmannus *lib.* 4. *Chronici cap.* 3. Quædam ejus verba hujus argumenti ita ſeſe habent: *Epiſcopis donavit ac conceſſit, ut nullus dux ſive comes, vel nullus publicus judex ex judicaria poteſtate, aut aliqua cujuslibet poteſtatis ignota perſona, niſi ſolus epiſcopus & advocatus ipſius ſupra dicta Spirenſis eccleſia, ex juſſione & conceſſione noſtra deinceps poteſtatem habeat, pro quocunque negotio, vel pro aliqua re parva aut magna, placitum retinere, ſeu publicum judicium facere, intra civitatem Spira ſeu Nemeta vocatam, aut in circuitu extra civitatem, id eſt, in villa Spira, & in Marcha, quæ eidem urbi adjacens eſt, aut aliquid per regale bannum in uſum noſtri ſucceſſorumque noſtrorum exigere, neque aliquid de prædiis, vel de moneta, ſeu de telonio, vel ex ulla re in fiſcum regium transferre, &c.* Ex quibus claret: judiciis urbis inpoſterum eſſe præfectum epiſcopum & *ejus advocatum*; (c) proventus quoque ex prædiis,

ex

(a) *Merum & mixtum imperium*) Hoc tempore Coloniam liberæ civitatis imperii naturam induiſſe, contendunt. LIMNÆVS *lib.* 7. *c.* 11. *n.* 3. Sed ab aliis hoc merito in dubium vocatur. Licet enim ſeculo XII. jam tum urbi jura & privilegia quædam fuerint conceſſa: nihilominus & archiepiſcopi in ipſa urbe permulta erant & ſunt adhuc jura. Habuit ibi burggravium & advocatum, qui in antiquo diplomate ſchultetus archiepiſcopi vocatur. Habet ibi judicium criminale aliaque jura ex diplomatibus addiſcenda. Magiſtros civium ſcabinos & cives ſuos vocat, item ſuos dilectos. Vide dipl. Philippi de anno 1163. in LVNIGII *ſpicilegio eccleſiaſtico part.* 1. *c.* 2. *p.* 333. & Conradi p. 344. Sic in reverſalibus, quibus judices, Scabini & cives tractatum, quem de moneta & telonii privilegio, ab Henrico II. cæſare dato, cum archiepiſcopo inierant, ſervare pollicentur, archiepiſcopum ſuum vocant dominum, eiq; promittunt paratum obſequium cum reverentia debita & devota. LVNIG *l. c. p.* 918. 919. Competit archiepiſcopo in urbe pars quædam cenſus ex cereviſia redacti (*Bierpfennig*) LVNIG l. c. item jus rem monetariam curandi. Vid. Conradi diplomata apud LVNIG *l. c. p.* 343. 344. 345. Archiepiſcopus quoq; conſtituit, quid circa mercatores peregrinos in urbe Colonienſi ſit obſervandum, & malevolos quoſdam cives Colonienſes urbe ejecit. Neque hoc urbs improbavit: ſed tantúmcum archiepiſcopo ei convenit, ne ejectis, citra utriusque partis conſenſum, redeundi facultas concederetur *l. c. p.* 353. In hac conventione judices ſcabini conſilium, fraternitates & univerſi cives Colonienſes archiepiſcopum ſuum dominum vocant. Adeſt etiam pactum inter epiſcopum & civitatem, quomodo proſcriptorum bona ſint adminiſtranda p. 354. extantque varia diplomata, quibus ab archiepiſcopo civitati privilegia ſunt confirmata. Quid in Colonienſes, archiepiſcopum Engelbertum II. cuſtodiæ committentes, in laudo de anno 1246. ſtatutum ſit, vide apud LVNIG. *l. c. p.* 355. ſeqq. Hæc, qua illum Colonienſes archiepiſcopum affecerant injuria, Rudolphum I. commovit, ut promitteret, ſe nec Rhenum nec Moſellam tranſiturum, *niſi gratioſe*, ut eſt in diplomate, *primitus interponamus partes noſtras, ut cives Colonienſes ſua prædicta eccleſiæ gratia reformemus, & quod in eadem civitate conſequatur jura ſua, ſibi & eccleſiæ ſuæ jam diſtracta. LVNIG l. c. p.* 374. Sic & in reverſalibus, quibus civitas promittit, quod archiepiſcopo Sifrido fidelis & obediens eſſe velit, eum vocat, dominum ſuum archiepiſcopum. Atque civitatem ut proſcriberetur, cum ſe non, ut par eſſet, gereret *l. c. p.* 392. dignam eſſe Adolphus archiepiſcopus decrevit. Accedunt Alberti diploma p. 398. & conventio archiepiſcopi Henrici cùm civitate Colonienſi, in qua ipſi promittunt, ut cives ſui, fidem & obſequium p. 435. 441. Porro confirmatio omnium jurium & privilegiorum diœceſi Colonienſi datorum, & revocatio omnium privilegiorum, quæ civitati data archidiœceſi noxia eſſe queant, a Carolo IV. facta *l. c. p.* 466. *Spicileg. eccleſ. contin.* 1. *p.* 472. 489. ſeqq. reperitur. Hic imperator declaravit, quod magiſtratui Colonienſi non ſit licitum, vectigalia, acciſas, quas vocant, & alia onera in urbe indicere: ſed quod hoc jus ad archiepiſcopum ut dominum ejus territorialem ſpectare deberet. *Spicileg. eccleſ. part.* 1. *continuatio.* Vide alia ejus diplomata *p.* 509. 510. ſeqq. Sigiſmundi privilegia ad idem tendentia reperiuntur *l. c. p.* 572. 575. 576. Adde Friderici III. diploma p. 583. Maximiliani I. p. 622. Hic lites inter electorem & civitatem, cum amicabiliter componi non poſſint, per arbitros terminari vult. p. 939. Vide alia hujus imperatoris diplomata archiepiſcopo faventia p. 636. ſeqq. Nec minus jura archiepiſcopo varia a Carolo V. lata diplomata confirmant, inter quæ & mandatum eſt, ut ſolennis archiepiſcopo Hermanno V. in urbem concedatur introitus. *l. c. p.* 660. 662. 663. 741. ut & Ferdinandi I. p. 835. 841. Maximiliani II. p. 845. Rudolphi II. p. 856. 862. 868. Plura vide in citato *Spicilegio eccleſiaſtico tom.* 1. *part. ſpecial. tom.* 1. *p.* 453. *& contin. IV. part.* 1. Id ſaltim adhuc monebo, in conventione, quæ lites inter Maximilianum Henricum & civitatem de novis quibusdam munimentis, & civitatis præſidio compoſitæ ſunt, dictum eſſe, operam dandam, ut, quæ inter archiepiſcopum & civitatem durarent & penderent controverſiæ, brevi terminarentur. An hoc jam factum ſit, me fugit. Quæ urbi Moguntinæ ab archiepiſcopo ſuo conceſſa & confirmata ſunt jura, vid. *in den Rachtung-Brieffen zwiſchen Biſchoff Heinrichen zu Maynz und der Stadt Maynz* apud LVNIG *in ſpicilegio eccleſiaſtico tom.* 1. *c.* 2. *p.* 48. Treviris gaudet Ottonis IV. privilegio: Sed ab archiepiſcopi imperio illam eſſe debere exemtam, ex eo non apparet. LVNIG *l. c. p.* 216. quanquam illud æque ac Conradi Friderici II. filii pro libertate ſua allegaverit. Contra Trevirenſes autem non ſolum a Carolo IV. ſed & a Rudolpho II. lis deciſa eſt. Vid. diplomata apud LVNIG *part. ſpecial. in diplomat. Trevir. p.* 850. & *in contin. I. p.* 61. Totam controverſiam late proſequitur BROWERVS *in annalibus Trevirenſibus parte* 2. *p.* 109. ſeqq. 133. 181. ſeqq. 238. 293. 391. 398. 402. 411.

(b) *Ottonis III.*) *LVNIG part. ſpecial. continuat. I. in diplomat. Spir. p.* 256.

(c) *Ejus advocatum*) Notum eſt, advocatiæ jus regulariter ſuperioritatem territorialem non inferre. Quod autem Spira liberarum civitatum ſit numero, de eo nullum eſt dubium; apparet enim illud ex variis imperatorum diplomatibus, ut ſunt: Friderici I. Wilhelmi, Richardi, Rudolphi, Adolphi, Alberti, Caroli IV. Sigismundi: Deinde multæ cum epiſcopis initæ pactiones; nec non datæ ab eis urbi reverſales, libertatem ejus ab epiſcoporum territoriali ſuperioritate tutantur. Reverſales datæ ſunt ab epiſcopis Friderico, Henrico, Eberhardo, Lamberto, Philippo, Chriſtophoro: pacta autem non ſolum cum his, ſed & cum aliis ſunt icta, ut ſunt Sabothus, Adolphus, Reinhardus, Matthias. Porro Spiræ non ſolum ab electoribus ad Rhenum, Wenceslaum eſſe depoſitum & Rupertum in ejus locum ſuffectum: ſed & Sigismundum cæſarem eſſe electum a Trevirenſi, Palatino & burggravio Noribergenſi, ipſius Sigiſmundi, ut electoris Brandenburgici, vices gerente, ſignificabatur. Denique a Sigismundo ad

ex monetaria re, ex telonio aliisque fiſco Regio hactenus ſolitos ſolvi, poſt hac remiſſos. Num vero in totum remiſſi, an donati epiſcopo fuerint, non liquet. Cæterum comitibus erepta cum ſit jurisdictio urbis, facile perſpectu eſt, falli Lehmannum, quando *lib. 4. cap.* 2. Conradum II. imperatorum eſſe Spirenſem dictum *ab urbis præfectura* (a) ætate item adhuc Henrici V. & Friderici I. ſuos urbi comites fuiſſe, docet. Spirenſes enim comites dicti ſunt & illi, qui pago aut Gouæ Spirenſi præfuerunt.

CXII. Simile vero quid ab Ottone Magno & epiſcopo *Mindenſi datum.* (b) Literas cæſareas ſervavit nobis auctor chronici Mindenſis. Quæ huc faciunt, ita ſonant: *Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus* (i. e. princeps aut comes) *vel quilibet ex judiciaria poteſtate* (Scultetus vel Scabini) *in eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſesſiones dictæ eccleſiæ, quas nunc infra ditionem regni noſtri legibus poſſidet, vel quæ deinceps in jura ejus divina poteſtas voluerit augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, manſiones vel paradas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ francos liberos, & eccleſiaſticos litones malman, vel ſervos cujuslibet conditionis, ſeu colonos, contra rationem diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ullo nunquam tempore ingredi audeat; aut bannum ſive heribannum, ſeu ea, quæ ſupra memorata ſunt, ab illis penitus exigere præſumat, &c.* Item: *Inſuper bannum noſtrum & monetam teloniumque ſive macellum publicum ibi conſtrui licere, & quicquid ad poteſtatem noſtram pertinere videbatur, eidem eccleſiæ donavimus.* Quo patet, majori tunc dono affectum Mindenſem epiſcopum quam Spirenſem.

CXIII. Trahenda vero huc videntur & illa de *Adaldago* (c) epiſcopo Bremenſi, coævo Ottonis magni, apud Adamum c. 51. *Iſte eſt, qui nobis REMPVBLICAM reſtituit.* Item: *Adaldagus primo ut ingreſſus eſt epiſcopatum, Bremam longo prius tempore poteſtatibus ac judiciaria manu oppreſſam, præcepto regis abſolvi, & inſtar reliquarum urbium, immunitate ſimulque LIBERTATE fecit donari. Præcepta regis hæc continentia præſto ſunt, & alia.* Libertas ſcilicet habita tunc fuit, exemptum eſſe ſeculari, quod appellant, judicio, & epiſcopi adminiſtrationi ſubeſſe. Multa ſcilicet indigna a *comitibus* & *miſſis* regiis paſſus ante fuerat populus, ut fieri aſſolet, & ex ipſis capitulis Carolinis non poteſt eſſe obſcurum. In mitius itaque imperium relatus indubie tunc populus, ubi epiſcopis cœpit ſubjici, in libertatem ſe aſſeri exiſtimavit. Et vero ejusmodi prorſus fuiſſe *libertatem* ab Adaldago partam, probant clare ejusdem Adami verba *cap.* 122. de Adelberto: *Et quoniam*, inquit, *magnus pontifex vidit eccleſiam, epiſcopatumque ſuum, quem prædeceſſoris ſui Adaldagi prudentia liberaverat, iniqua ducum potentia iterum vexari, ſummo niſu reddere conatus eſt eandem eccleſiam priſtinæ LIBERTATI; ita, ut nec dux, nec comes, nec aliqua judicialis perſona, quampiam jurisdictionem aut poteſtatem in ſuo haberet epiſcopatu.* Tum vero ex eodem Adamo conſtat, Adelberti ætati omni, hoc eſt usque *ad annum* 1072. Bremam *urbem epiſcopo paruiſſe.* (d) Nam & Bezolinum epiſcopum muro civitatem cinxiſſe c. 103. & Adelberti juſſu eadem mœnia diruta c. 121. ab ejusdem vero miniſtris impotenti dominatu oppidanos preſſos c. 183. fuſa narratione perſequitur.

CXIV. Lucem hæc accipiunt ex verſiculis nonnullis Dithmari, barbaris illis quidem in teſtimonium tamen adduci heic aptiſſimis, quoniam Wormatiæ urbis idem fatum exponant, & auctor plane hac ætate Henrici II. vixerit, illuſtri genere & dignitate epiſcopali conſpicuus. Conſenſu ſcilicet Ottonis ducis Wormatienſis oppidum erat conceſſum epiſcopo.

Vrbs Vormacenſis gaudet temporibus iſtis
LIBERTATE SVA, cujus manebat in umbra
Hactenus, atque ducum fuerat ſub lege ſuorum.
Burckhard Antiſtes lætatur & inter heriles
Ex animo proceres, quod non timet amplius hoſtes
Nunc ex contiguo, longe ſemotus ab illo.
Aula ducis, domini domus, eſt jam prædia Chriſti.
Et Judices varios Clerus nunc deprimit illos.
Hoc rex Henricus fecit, pietate coruſcus,
Hanc propriis ſolvens rebus, Chriſtoque remittens.
Annuit iſta pius Otto dux, atque benignus
Munere regali conceſſit abunde teneri.
Ex hoc lætantes ſint ſemper quique fideles.

Idem

Egrenſia a Friderico III. ad Noribergenſia vocata eſt civitas, & per deputatum in hodiernis anno 1710. comparuit comitiis. LVNIGS *ſpicileg. eccleſ. part. ſpec. contin. t.* 2. 3. Quæ hactenus inter epiſcopum & urbem ventilantur controverſiæ, ex FABRI *Staats-Cantzley* innoteſcit.

(a) *Ab urbis præfectura*) Si recte memini, ex monumento aliquo conſtat, & Conradi hujus patrem ſpirenſis cognomine uſum: ipſum cæſarem autem urbi huic præ aliis faviſſe, ibique, Trajecti deinde exſtinctum, terræ mandari voluiſſe, annales docent. *Conradi corpus in Spira civitate, quam ipſe imperator multum ſublimavit, ſepultum eſt.* WIPPO *in vita Conradi Salici p.* 443. Potuit enim & epiſcopi nomine ut advocatus ejus judiciis præſediſſe. Deinde præfectura urbis alia adhuc præter judicia complectebatur. Fuit Spira æque ac Wormatia ſub Franconiæ ducatu, deinde autem epiſcopi advocatia, a qua autem ſe liberarunt. HEIDERI *Reichs*-Apologie *p.* 44.

(b) *Mindenſi datum*) Vide *diplomata Mindenſia* apud PISTORIVM *p.* 734. 735. & MEIBOM. *T.* 1. *p.* 754. Hoc Ottonianum diploma excerpſit GOLDASTVS, & ſub titulo: *de jurisdictione eccleſiarum*, pro univerſali venditavit. *t.* 3. *conſt. imp. ad annum* 961. Licet autem in eo non concedatur territorii jus, ſed exemtio tantum & immedietas, quod & Schilterus monuit; verumtamen originem hujus juris in epiſcopiis in illa tempora potiſſimum cadere ſtatuunt.

(c) *Adaldago*) Diploma reperitur quoque apud LVNIGIVM & *in dem gründlichen Bericht von der Landes-Fürſtlichen Ertz-Biſchofflichen Hoch und Gerechtigkeit. c.* 5. Sed de hoc diplomate quoque, quæ de Mindenſi monita ſunt, dicenda erunt.

(d) *Vrbem epiſcopo paruiſſe*) De hoc alibi dictum eſt.

Digitized by Google

Idem Dithmarus de Ottonis II. in epiſcopatum *Merſeburgenſem* (a) liberalitate *lib.* 3. ita loquitur: *Pauperem adhuc epiſcopatum Merſeburgenſem largiſſua pietate reſpexit, & ejus proviſori Giſilero, quia hunc multum dilexerat, Suencam civitatem cum appertinentibus cunctis, ad ſervitutem ſancti Johannis Baptiſtæ tradidit, & quidquid Merſeburgenſis murus continet urbis, cum Judæis & mercatoribus, de moneta & foreſto &c. permiſit.* Quo ſimul patet verum eſſe quod diximus, ab Ottone primo non omnibus epiſcopatibus amplas adeo divitias conceſſas, multo minus omnes epiſcopos ejus beneficio in urbes cathedrales ſuas jurisdictionem nactos eſſe.

CXV. SCILICET *Wormacia Henrici II.* (b) primum benignitate ceſſit epiſcopo. Ab eodem donatum eſſe epiſcopo *Argentinenſi* (c) Strasburgum, ſcribit Guillimannus *lib. de epiſcopis Argentinenſ. cap.* 2. Non probat tamen tabulis, quas adfert, aliud epiſcopo datum quam Monaſterium S. Stephani: in cujus ditione fuiſſe opidum, perperam diſputat *cap.* 4. Et vero nec ipſe negat, *palatii regii* nomine audiiſſe Strasburgum Carolinorum ætate: & paulo ante donationem illam Henrici cæſaris, *caput ducatus Alſatiæ* ſub Hermanno duce appellatur a Dithmaro *lib.* 5. Quibus temporibus paruiſſe urbem Monaſterio, nemini temere probabitur. Quin forte fuit urbs in ditione ducum usque ad familiæ illius interitum. Vrbes autem cathedrales multas in epiſcoporum poteſtatem haud deveniſſe, conſtat exemplis Baſileæ, Ratisbonæ, Auguſtæ Vindelicorum, Lubecæ, Suerini, Ratzeburgi, aliarumque: quarum rempublicam certum eſt nunquam in ditionem epiſcoporum deveniſſe. Nempe, quæ urbes jam ante hac peculium quaſi ducum & comitum potentiorum erant factæ, illarum pauciſſimæ ſunt ab epiſcopis occupatæ: utut reliquæ plæræque nimia regum liberalitate iis ceſſerint.

CXVI. CAETERVM epiſcopi ut hactenus in adminiſtratione aliorum bonorum, ita & in urbibus ſunt *uſi advocatis* (d) adeoque ex eo usq; tempore in urbibus, quarum jurisdictio epiſcopis conceſſa, judiciis nomine epiſcoporum *advocati aut Thumvægte*, (e) præfuerunt. Quibus & Scabinos aut aſſeſſores ex populo eligendi aliquatenus fuit jus, utpote quum in comitum locum ſucceſſiſſent, quibus hoc olim competierat. Et ſane horum alibi major, alibi minor fuit potentia: prout nempe plus aut minus regalium, quæ appellantur, conceſſiſſet in epiſcoporum ditionem, quorum illi advocati miniſtri erant. Hoc autem advocati munus ab imprudentioribus nonnullis, certis familiis *in feudi bene-*

(a) *Merſeburgenſem*) LVNIG. *Spicileg. eccleſ. part.* 2. *in append. p.* 100.

(b) *Wormacia Henrici II.*) Legitur apud LUNIGIVM diploma hujus imperatoris de anno 1008. in quo eccleſiæ Wormatienſi donatur, quicquid Becclinus comes habuit in pago Loginatu & in eam omne jus de eo plene diſponendi transtulit, ſed urbis Wormatiæ in eo non fit mentio. Econtra ſunt, qui docent, urbem libertatis ſuæ autorem hunc habere cæſarem, nimirum, ut ſub nullo, quam ſub imperatore eſſet. REVSNER *de urbibus imperii p.* 50. LIMNÆVS *lib.* 7. *c.* 48. Sed quomodocunque hoc ſe habeat, certum eſt a longiſſimo tempore ab epiſcopali eam liberam fuiſſe poteſtate, atque adeſſe cum epiſcopis conventiones, & lauda, in quibus hæc ejus libertas rata habita. Vid. LVNIGII *ſpicileg. eccleſ. part.* 2. & *archiv. imperii parte ſpecial. continuat.* 4. Accedunt varia ab imperatoribus conceſſa ſpecialia privilegia & privilegiorum confirmationes. In hunc cenſum referuntur diplomata Caroli IV. quo urbis poteſtati Judæos ſubjicit, ita ut omnes ab eis exigendas præſtationes fiſco ſuo adſcribere poſſent. Exſtat etiam imperatoris diploma, quo omnia urbis confirmat privilegia. Sic & Maximilianus I. declarat, epiſcopo conceſſa regalia urbis juribus & privilegiis noxia eſſe non debere. Hic urbi quoque largitus eſt privilegium primæ inſtantiæ & de non appellando, ſi ſumma litis infra 50. eſſet florenos. Adde Ferdinandi primi privilegium de judæis urbe pellendis.

(c) *Argentinenſi*) In hanc urbem epiſcopo unquam competiiſſe poteſtatem, admodum dubium. Diplomata huc ſpectantia vide apud LVNIG. *ſpic. eccl. part.* 2. & *part. ſpec. contin.* 4. Adde OBRECHT *in prodromo rerum Alſaticarum p.* 300. HEIDERI *Reichsvögteriſche apologie p.* 40.

(d) *Vſi advocatis*) De Advocatia armata extſtat MAGERI opus, ſed in eo multa conſarcinata ſunt, parum aut nihil ad rem ſpectantia. Majorem meretur laudem HEIDERI *diſcurſus von Reichs-Vægdeien* ejusque *apologia*. His addendi MYLERVS *in archologia ordinum imperialium, c.* 21. ubi de advocatis urbicis agit BESOLDVS, WEHNERVS, SPEIDELIVS, CANGIVS, SPELMANNVS, PAVLINI *de advocatis monaſticis*, & mea *diſſertatio de advocatia armata*. Advocati urbani imperatorum nomine criminalibus, in nonnullis autem civitatibus civilibus quoque judiciis, præerant, mulctasque exigebant. Præterea quod fiſco regio ex urbibus accedebat incrementum, corrogabant. Ab initio huic muneri præ ducibus & comitibus ſæpe epiſcopi admoti videntur; haud dubie ſub ſpe, fore, ut hoc ab eis, qui non niſi pietati ſtuderent, rectius curaretur. Poſtmodum autem cum experientia conſtaret, vanas ſæpe hominum ſpes & conjecturas eſſe, ſeculares plerumque & illuſtres advocatiis urbicis admotæ ſunt perſonæ. Denique & nobilibus & patriciis advocatiæ hæ committi cœperunt. Tandem aut ære vel alio modo exſtinctæ, vel etiam vicinis imperii ſtatibus oppignoratæ aut venditæ ſunt. Non tamen omnes advocatias, in imperii & aliis urbibus deletas eſſe, & ex ſola *Nordhuſiæ* præfectura, quæ REGI BORVSSIÆ, ut Hohenſteinenſi comiti, competit ut & protectione & conſervatione, quam domus Brunſvicenſis in urbe Goslaria & Hildeſia habet, apparet. Interim infrequentes maxime eſſe largior. An autem e re imperii ſit, advocatias illas inſtaurare; & an hoc jure fieri poſſit, alterius conſiderationis argumentum eſt. Attamen obiter hic adhuc monendum, duas illas quæſtiones, an ex re imperii, & an ex re civitatum ſit, non eſſe confundendas. Vid. MYLER. *c.* 21. Conf. HEIDERI diſcurs *von Reichs-Voigteien p.* 88. *ſeq.* 1275. Ej. apologia pag. 361. 470. ſq. De Northuſanis p. 58. p. 292. &c.

(e) *Aut Thumvægte*) Dicuntur etiam *Caſten-Vægte.* HEIDER. *diſcurſ. von Reichs-Vægteien p.* 8. MYLERVS *l. c. c. XIV.* Sunt ideo potiſſimum a ſupremo principe, qui ut dominus territorialis ſupremos etiam eccleſiarum & monaſteriorum advocatus & defenſor eſt, advocati monaſtici conſtitutione clerici rebus humanis a cultu divino abſtraherentur: conſiſtebat autem potiſſimum eorum officium in defenſione monaſterii, in adminiſtratione juſtitiæ, in colligendis reditibus & oeconomiæ cura. Quanquam pedetentim monaſteria œconomiæ & redituum ſtudia & jurisdictionis civilis ſibi tribuerint, ſola jurisdictione criminali, a qua ſuum vitæ genus abhorrere credebant, relicta. Sed tandem plane advocatorum tædium eccleſiaſticos cepit, vel quia ſine ejusmodi inſpectoribus ſe res ſuas magis ex voto peragere poſſe crederent, vel quod ipſis advocati & ſubadvocati nimis graves eſſe inciperent: aut etiam quod in nonnullis utrumque concurrerit. Potiſſimum autem tempore Friderici II. epiſcopi & abbates ſe a numinibus hiſce tutelaribus liberarunt. Elegans ſane hæc eſt materia, cujus reliqua themata, quæ adhuc proponenda erant, alii loco annotationum noſtrarum inſerenda erunt. Vide MYLERVM *in archologia cap.* 14. ALTESERRAM *de ducibus & comitibus provincialibus c.* 4. & HEIDERI *diſcurſ. p.* 68. 74.

beneficium (a) eſt collatum, iisque interdum magnæ potentiæ & dignitatis, adeoque ducibus, imo ipſis cæſaribus. Quo effectum, ut multarum urbium jurisdictione epiſcopi paulatim exciderint; pene æterna lege alteri mancipatis juribus ſuis, aut in miniſterium aſcitis iis, qui & invitis ſuis dominis poterant imperare. Id quod multis oſtendere, hujus argumenti non eſt, ſed ejus, quod de bonorum ſacrorum adminiſtratione alibi pluribus eſt exſequendum.

CXVII. Quæ vero epiſcoporum, eadem pene & monaſteriorum antiquorum, (quæ fere omnia S. Benedicti vivendi regulam ſolent profiteri,) conditio eſt. Namque & his a cæſaribus villæ regiæ, urbes, & arces, alibi cum fiſci juribus, alibi ſine iis, donatæ. Conſilio certe multo minus probando, quam illo priore. Quid enim alienius eſſe debet ab hominibus *ἀσκητικὸν* profeſſis & vitam contemplativam, quam negotiis hujus ſeculi ſanctum ſuum otium impendere? Fuit autem & abbatibus hiſce opus advocatis. Adeoque & horum plerique, cum auctoritate & viribus epiſcopis ipſis eſſent inferiores, præ potentia advocatorum, aut longi temporis mora, ſuarum urbium jurisdictione exciderunt.

CXIIX. PORRO ut epiſcopis & monaſteriis, ita & *comitibus ac ducibus*, (b) partim pleno dominii jure, partim in feudum, eadem regum aut prodigalitate aut negligentia, plurimæ urbes cum fiſci regii proventibus ceſſerunt. Unde in earum rempublicam eadem vis illis novis dominis nata eſt, quæ ante fuerat cæſaribus: imo nonnuſquam per vim major dominandi vis ſuccrevit. Et vero huic præcipue cæſarum largitioni debetur, quod plæraque urbes antehac regiæ, ducibus, comitibus, ratione jurisdictionis & fiſcalium onerum hodieque ſerviant.

CXIX. Eo vero usque & largitionibus illis & negligentia regum, maxime accedentibus immanibus illis turbis ab Henrici usque IV. ævo, & paulatim magis magiſque imminuta regia vi & auctoritate, tandem eſt perventum, ut pene omnium urbium Germanicarum ſumma jurisdictio cum omnibus fiſci juribus, privatorum ducum, comitum, epiſcoporum, & monaſteriorum poſſeſſio hodie cenſeatur. Extorquente regibus illa omnia nunc ſuperſtitione, nunc neceſſitate, nunc & aperta vi. Qua de re plenius diſſerere, alterius loci eſt. Id certum, paucas oppido urbes hanc conditionem effugiſſe: puta forte Aquiſgranum, *Francofurtum ad Manum*, (c) *Goslariam*, (d) *Northuſam*, (e) *Mülhuſium*, (f) & ſi quæ ſunt aliæ. Has enim ſolas in aliorum ditionem non perveniſſe dixeris, in oppidanos ipſos translata poſtmodum a cæſaribus ſumma illa vicaria jurisdictione cum multis aliis immunitatibus.

CXX. QVAMVIS vero plerarumque urbium reſpublica primis illis Germanici imperii temporibus ad eum modum potentioribus regni ordinibus ſit occupata; in univerſum tamen omnium urbium conditionem ſpeculantibus forte pronunciare liceat, ſeculo duodecimo præter propter in majorem multo libertatem cœpiſſe eas exſurgere, initio tamen a paucis facto. Procedente vero tempore multæ ab epiſcoporum, ducum, comitum, monaſteriorum, aliorumque, imperio ac poteſtate, vel prorſus vel ex parte liberatæ ſunt. Inter has aliis tandem jus ſuffragii in regni comitiis tributum, adjecto onere conferendi indictos publice nummos in ærarium regni, *quas imperiales vulgo appellamus*; (g) aliæ hac quidem dignitate deſtituuntur, iis tamen immunitatibus gaudent, ut in multis nonnullas prioris illius ordinis vincant, in paucis tantum epiſcopis, ducibus, comitibus, mona-

(a) *In feudi beneficium*) Vide exempla in MAGERO, HVNDII *metropoli*, KETTNERI *diplomatibus Quedlinburgenſibus*, LVNIGII *corpore juris feudalis* & LEVCKFELDI *antiquitatibus*. Beneficium autem tale omnino in largientis detrimentum vergebat. Nam cœnobium quicquid imperatori præſtare debuit, in inveſtitum deinde conferre tenebatur,

(b) *Comitibus ac ducibus*) MONZAMBANO *cap. 3. §. 10.* COCCEJI *jus publ. cap. 17. §. 6.*

(c) *Francofurtum ad Manum*) LIMNÆVS *lib. 7. c. 17.* PFEFFINGER *tom. 2. p. 772.* Diplomata ad hanc ſpectantia rempublicam habet LVNIG *part. ſpec. contin. 4.*

(d) *Goslariam*) LIMNÆVS *l. c. c. 20.* PFEFFINGER *l. c.* LVNIG *part. ſpecial. contin. 4.* HEIDERI *Reichsvægtiſche apologie p. 151.* HEINECCII *antiquit. Goslarienſes.*

(e) *Northuſam*) HEIDERI *Reichsvægtiſche apologie p. 151.* PFEFFINGER *l. c. p. 773.* LVNIG *part. ſpecial. contin. 4. p. 72.*

(f) *Mülhuſum*) LVNIG. *part. ſpecial. contin. 4. part. 1.* PFEFFINGER *p. 773.* LIMNÆVS *lib. 7. c. 35.* Incertum valde eſt, uniuscujusque urbis, quæ liberarum civitatum numero, libertatis & immedietatis, ut ajunt, auſpicia determinare, & æque incertum, an unquam alterius, quam cæſaris ſubfuerit poteſtati.

(g) *Imperiales vulgo appellamus*) Hæc ſunt, quæ immediate imperio ſubſunt & votum deciſivum & ſeſſionem in comitiis habent. Nonnulli civitates imperii in triplici dicunt eſſe differentia, *imperii* nempe, *provinciales* & *mixtas*. Sed hæ omnino ad claſſem provincialium ſpectant, licet ab imperatoribus privilegiis quibusdam ſint donatæ. Vid. PFEFFINGER. *tom. 2. J. P. p. 779. ſeq.* STRUV. *J. P. diſſ. XXI. §. 16.* niſi dixeris, liberas civitates illas eſſe, quæ imperio nihil plane præſtant, qualis fuit Argentoratum, & mixtas, quæ quidem immediatæ, imperatori tamen ſummam aliquam præſtare teneantur. Vid. SCHILTER *in notis ad Königshovii chron.* HERTIVS *de ſpecialibus German. rebuspubl. §. 7.* LEHMANN. *lib. 7. chron. c. 5.* DATT. *vol. novo rer. German. lib. 3. cap. 12.* HERMES *cap. 31.* Alios auctores, qui municipales, privilegiis quibusdam donatas, *mixtas* vocant, refert PFEFFINGER l. c. Et ut alia ſilentio jam prætermittantur argumenta, id unum nobis ſufficiat, quod homagium principi, in cujus ſunt territorio, præſtent, atque ille jus regalia in illa exercendi habeat. Probabilior eſt ſententia, ſeculo demum XI. vel XII. liberas imperii ortas eſſe civitates, iisque expeditiones in terram ſanctam, aliquam præbuiſſe occaſionem, ubi imperatores nummis indigentes urbibus, quas habebant reliquas, id libertatis, quod deinde nactæ ſunt, vendiderunt, ſæpe etiam imperatores recens ad iſtud faſtigium evecti civitates inſignibus ſuis confidentes opibus in ordinem redigere non valuerunt, aliquando etiam immunitates & privilegia largiti ſunt, ut civitates eo promtiores eſſent, ad auxilia ſibi contra epiſcopos & alia imperii membra obnitentia ferenda. MONZAMBANO *l. c.* HEIDER. *in diſcurſu von Reichs-Vægteien p. 37.* An pari aut impari nexu, ac duæ ſuperiorum ordinum claſſes, cum capite cohæreant, controverſum eſt. De hac quæſtione alibi a nobis agitur, ubi LVDWIGII & SCHWEDERI diſſertationes de *impari & pari nexu* examinantur. Cœterum optandum eſſet, ut vir quidam rerum patriarum & jurium peritus, manum operi admoveret & juſtum de imperii urbibus daret volumen. Quod Knipſchildi vaſtum ſatis

monaſteriis & quaſi ad ſolam eorum reverentiam adſtrictæ: aliæ addictius quidem regnantur, etiam ipſæ tamen rempublicam habent priſtino liberiorem.

CXXI. VERUM hæc omnia quando & quomodo cœperint, non una opinio eſt. Namque ante hoſce centum annos & quod excurrit, videtur multis fuiſſe perſuaſum: aut a Carolo magno aut ab Ottone III. cæſare urbes aliquas ſigillatim regni uſui eſſe adſcriptas, munere cæſarum multis immunitatibus collatis, & tributo illo ſuffragandi jure. Poſterius narrat inter alios ſcriptor vernaculus chronici Colonienſis antiqui, vir cæteroquin haud indoctus & pro captu temporis eximio judicio. Verum ut omnia alia, quæ ibi attexit ille de inſtitutis ab eodem Ottone electoribus, & regni ordinum quadripartita ſerie, *fabuloſa ſunt:* (a) ita certum eſt, hujus Ottonianæ conſtitutionis in omnibus retro monumentis nec volam nec veſtigium reperiri. Nonnullæ porro urbium, quas ille auctor ab Ottone nominatim in hoc ordine vult locatas, tunc temporis ne conditæ quidem erant, ut Lubeca, Berna, Lüneburgum, aliæ. Complures jam tunc potentioribus ordinibus parebant: aliæ nunquam ad dignitatem illam pervenerunt; quod de Antwerpia, Göttinga, Lüneburgo & aliis quibusdam extra controverſiam eſt. Caroli M. ævo omnes urbes in univerſum a regiis præfectis fuiſſe adminiſtratas, ſupra oſtenſum: nulla vero earum ſuas ita res geſſit, ut nunc fieri videmus, neque ab oneribus fiſci regii ad hunc noſtrum morem fuit immunis. Alii quidem tempus, quo cœpit hæc libertas, vel incertum putant vel varium, omnem tamen illam cæſarum dono unice referunt acceptam. Hos enim cum principibus tum epiſcopis cumprimis, quod illorum vis nimium creviſſet, ſeorſim urbium adminiſtrationem iterum eripuiſſe. Alii aliud cauſantur: pleroſque tamen errare, haud difficile eſt oſtenſu.

CXXII. Et quidem tempus quod attinet, immunitates & privilegia aliis temporibus alias urbes ſeorſim impetraſſe, certum eſt. Certum quoque, ne ſingulas quidem urbes libertatem ſuam aliter quam ſucceſſu temporum conſequutas. Origo tamen horum omnium fere poſt annum ↀↀ: a quo ſcilicet tempore & numerus urbium & oppidanorum cum frequentia tum opulentia fere cœpit: ceu ſupra narratum. Minime autem verum eſt, omnem libertatem a cæſaribus eſſe, ſed magna pars etiam ab epiſcopis, principibus, comitibus, abbatibus profluxit. Nec libera donatione omnia ſunt impetrata; ſed alia etiam emtione, alia permutatione, alia vi erepta primum, ſubſequuto contractu quodam poſt æquiore titulo poſſideri cœperunt. Sed nec omnium urbium, etiam illarum, *quas liberas nunc dicimus* (b) & imperiales, eadem eſt libertas, ſed varia admodum, multis hodieque ab aliorum ordinum regni dominio haud abſolutis.

CXXIII. HÆC omnia pro dignitate exſequi prolixius eſt, quam ut a nobis nunc quidem præſtari poſſit. Quaſi in exemplum itaque pauca tantum adducemus. *Wormatiam* ſupra diximus Henrici II. munere epiſcopo ceſſiſſe: at eadem urbs vectigalium ſolvendorum in compluribus Germaniæ locis onere liberata eſt *ab Henrico IV.* (c) oneribus bidelli manus mortuæ aliisque ſervilibus, ab Henrico V. exigua alia adjecit *Fridericus Barbaroſſa,* (d) petente id epiſcopo: quæ omnia legere eſt in tabulis Friderici apud Lehmannum *lib. 4. cap. 22.* Nec veroſimile eſt, aliis privilegiis urbem tunc quidem ornatam. *SPIRA Nemetum* epiſcopo ſubdita facta per Ottones, *ab Henrico V.* (e) liberata eſt onere bidelli in bonis defunctorum oppidanorum, ut & ab aliis oneribus fiſcalibus: ceu liquet ex tabulis, quas recitat Lehmannus *lib. 4. cap. 22.* Confirmavit eadem nonnullis adjectis Fridericus I. quas tabulas recitat Lehmann. *lib. 5. cap. 64.* Idem Henricus V. conceſſit Spirenſibus facultatem eligendi duodecim viros ex ſuo ordine reipublicæ adminiſtrandæ. Alia quædam indulſit auctoritate Henrici VI. Philippus Suevus. Tabulæ extant apud eundem Lehmannum *cap. 99.* A ſequutis

---

ſatis de liberis imperii urbibus exſtat volumen, multa ſiſtit allotria & rerum Germanicarum, nec non jurium & privilegiorum urbibus competentium exiguam admodum oſtendit notitiam; alii autem libelli de hac materia conſcripti magis adhuc ſunt jejuni.

(a) *Fabuloſa ſunt*) De quaternionum commento vid. STRUV. p. 79.

(b) *Quas liberas nunc dicimus*) Quæ votum & ſeſſionem in comitiis habent, ſequens exhibet catalogus.

Imperialium civitatum, ut in comitiis ſedent, deſignatio, quam amicus quidam Ratisbon. nobiſcum communicavit.

Scammum Rhenanum.

Cölln, *Lübeck*, *Wormbs* } alternant ſingulis ſeſſionibus	*Weiſſenburg am Rhein*
	Landau
	Ober Echenheim
Speyer	*Keyſersberg*
Franckfurth	*Münſter in S. Gregorien Thal*
Dortmund	*Roſsheim*
Goſslar	*Thüringheim*
Mühlhauſen	*Friedberg*
Nordhauſen	*Wetzlar*
Brehmen	*Gelnhauſſen.*

NB. Hamburgum hic omiſſum eſt.

Scammum Oberlandicum ſ. Suevicum.

Memmingen	*Regenſpurg*	*Nürnberg*	*Weyl*
Lindau	*Augſpurg*	*Ulm*	*Kauffbeüren*
		Eſslingen	*Wimpffen*
		Reütlingen	*Wangen*
		Rotenburg an der Tauber	*Yſſni*
		Schwabiſch Hall	*Pfuelendorff*
		Uberlingen	*Weiſſenburg in Nordgau*
		Rothweil	*Offenburg*
		Heilbron	*Leutkirch*
		Schwabiſch Gemund	*Giengen*
		Donawerth	*Gengenbach*
		Biberach	*Zell am Hammersbach*
		Ravenſpurg	*Buchhorn*
		Kempten	*Aalen*
		Ledindsheim	*Buchau am Feder-See*
		Schweinfurt	*Bopfingen.*

NB. Dunckelſpila hic eſt omiſſa.

(c) *Ab Henrico IV.*) LVNIGIVS *part. ſpecial. continuat. IV. part. 2. p.* 679. refert diploma hujus imperatoris, in quo urbem Wormatiam a vectigali Francofurti Bopartæ, Hammerſteini, Tremoniæ, Goslariæ & Angriæ liberat.

(d) *Fridericus Barbaroſſa*) LVNIG. *l. c. p.* 680.

(e) *Ab Henrico V.*) LVNIG. *parte ſpeciali continuat. IV. part. 2. p.* 462. SCHOTTELIVS *de ſingularibus quibusdam & antiquis in Germania juribus, p.* 36.

Digitized by

tis imperatoribus *alia donata ſunt*, (a) quæ heic recitare non attinet. Etſi vero hac ratione cæſaribus faventibus epiſcopi poteſtati multum deceſſerit, vel ſic tamen manſit illi facultas conſtituendi judicium, & de cætero obſequium ac fidelitatem epiſcopo, ut domino ſuo hodieque jurant oppidani. Quam rem late narrat Lehmannus *l. 4. c. 23. & c. 24.* Nihilominus Spiram inter imperiales primi eſſe ordinis conſtat.

CXXIV. *RATISBONAM* regiam urbem appellat ætate Ottonis I. Widekindus: eadem poſt ceſſit ducibus, unde Norici ducatus Metropolis audiit ætate Friderici I. apud Ottonem Friſingenſ. *lib. 2. de geſt. Frid. cap. 28.* at illa urbs *ſubducta eſt ducatui*, (b) quo tempore Henricus Leo exutus eſt omni in Bajoria poteſtate. Idem contigit *LYBECÆ*, (c) quam amplis privilegiis ornarat recenter tunc exſtructam, teſte Helmoldo, idem Leo. De quo legendus Aventinus, aliique *a Conrado ultimo duce Suevia cives AVGVSTANI ſe ſuaque in libertatem non parvo aſſeruerunt argento:* verba ſunt Cruſii *annal. pag. 3. lib. 2. cap. 17. Nunc vero utraque ſubjectione liberati, impoſterum ipſimet ſibi ex ſuis municipibus ingenuis proprium ſenatum eligere, & civitatis curatores, duumvirosve (magiſtros tunc civium dictos, Burgermeiſter, conſules) & præfectos urbis adhuc Stadtpfleger appellari ſolitos, libere creare cœperunt, ex quorum conſilio & induſtria totius reipublicæ ſua gubernatio penderet: capitalia tamen judicia, maleficiorumque actiones, ut olim ita & poſthac, penes imperatoris vicarios manſerunt.* Et vero ne hactenus quidem *capitalium rerum præturam* (d) illam potuerunt ſibi impetrare: ſed nunc penes comites, nunc penes duces, nunc penes alios fuit, qua invitis qua volentibus Auguſtanis. *VLMAM* (e) regiam olim villam Carolus magnus donavit monaſterio Augiæ, quod divitis audit cognomento: at *a Ludovico Bavaro* (verba iterum ſunt Cruſii) *impetraverunt Ulmenſes, ut ſolverentur jugo Divitaugienſis monaſterii. Itaque deinde ipſi ſibi ſenatum conſules & tribunos plebis, poteſtate a cæſare accepta, fecerunt anno circ. 1346. Ita ſe tunc fere omnino in libertatem a Richenauenſi abbate vindicarunt. Adhuc tamen monachis eos infeſtantibus Carolus poſtea eis privilegia Ludovici confirmavit. Nondum vexare deſinentibus clauſtralibus, in concilio Conſtantienſi & Baſilienſi; tandem Fridericus III. Ulmam omnino liberavit, cum ea monachis dedit grandem pecuniam.* *TIGVRI* fuere a regibus Francorum duo collegia ſacra, virorum unum, alterum mulierum inſtituta. *Penes hæc olim* (ſcribit Simlerus) *maxima ex parte imperium urbis fuit. Cæterum in arce, quæ ad Lemagum edito loco ſita olim fuit, Francicorum regum præfecti habitabant, qui collegiorum & urbis advocati erant. Poſt ſub Germanis imperatoribus itidem præfecti dati ſunt urbi & collegiis, non tamen qui in arce habitarent, nam hoc munus plerumque principes viri habebant. Cæterum temporibus illis urbs nihilominus ſuum conſilium habebat virorum 36. e quibus duodecim quadrimeſtri tempore imperabant.* Fuit autem penes illa collegia jus cooptandi idoneos ex oppidanis in conſilium, donec Fridericus II. conceſſit urbi liberam electionem hujus conſilii, & ipſa illa criminalium rerum prætura ad urbem tranſiit; circa annum 1336. ſi credimus Stumphii annalibus.

CXXV. Conſtat porro, a ducibus Zaringenſibus *BERNAM*, (f) *FRIBVRGVM*, (g) & multa alia præclara oppida poſſeſſa: ſimiliter in peculio ducum Sueviæ innumeras arces & ingentem tunc tractum & complures urbes cenſitas. Utraque autem familia ſeculo decimo tertio exſpiravit, nec ſucceſſores nacta eſt: adeoque ut omnia alia, ita & urbes illæ omnes proxime cæſarum imperio cœperunt ſubjici, qui criminalium rerum præturam ſibi ſervantes, aliorum munerum conſtitutionem libero oppidanorum arbitrio reliquerunt, confirmatis privilegiis & immunitatibus, quas a ducibus ſuis jam erant conſequutæ.

CXXVI. VERVM hæc & alia narrare, ſingularis erit operæ. Vel ex his paucis tamen patet, non uno modo nec uno tempore, natam libertatem & immunitates urbium. Cauſa vero, cur epiſcoporum præcipue ut & ducum nonnullorum vis in multis urbibus per cæſares poſt annum cIↃC. fuerit acciſa, non alia eſt, quam quod Saxonicorum cæſarum nimia liberalitate, Franconici & Suevici reges ſenſerint altius creviſſe nonnullos ordinum quam viſum expedire regno; nec tamen aliam hi viam invenirent firmandæ regiæ ſuæ dignitati, quam urbes potentiores eorum imperio ſubducendo. Id quod effectu eo facilius tum fuit, quo jam plurimum auctis oppidanorum divitiis, illi in libertatem

(a) *Alia donata ſunt*) Sunt penes LVNIGIVM, ut monui, diplomata aut novum quid tribuentia aut vetera confirmantia Ludovici Bavari, Caroli IV. Wenceslai, Sigismundi, Friderici III. Maximiliani I. Caroli V.

(b) *Subducta eſt ducatui*) AVENTINVS *lib. 6. fol.* 648. HVNDII *metropolis p.* 133. LIMNÆVS *lib. 7. J. P. c. 40.* PFEFFINGER *l. c. p.* 773. LVNIG. *part. ſpecial. contin. IV.*

(c) *LYBECÆ*) LVNIG. *part. ſpecial. contin. IV. part. 1.* LIMNÆVS *l. c. c. 31.* PFEFFINGER 773.

(d) *Capitalium rerum præturam*) Hæc per advocatos adminiſtrabatur, in quibusdam tamen civitatibus hic nullæ eis erant partes, niſi usque dum in reum pœna ſtatuenda fuerit. Hoc de Northuſæ advocato aſſerit. HEIDER. *in apologia p.* 58.

(e) *Ulmam*) LIMNÆVS *l. c. c. 52.* PFEFFINGER. *p.* 774. LVNIG. *part. ſpec. contin. II. part. 2.* Huic jungendæ ſunt Auguſta Vindelicorum, de qua LIMN. *lib. 7. c. 4.* PFEFFINGER *p. 772. tom. 2. p. 771.* LVNIG. *part. ſpecial. contin. IV. part. 1.* & paſſim HEIDER *in der Reichsvögtiſchen apologie* agunt, & Noriberga, de qua videndi LIMN. *l. c. c. 36.* PFEFFINGER *l. c. p.* 773. LVNIG. *part. ſpecial. continuat. IV. part. 2.* WAGENSEIL *in antiquitatibus reipubl. Noribergenſis.*

(f) *BERNAM*) Hanc Berchtoldus ultimus Zeringiæ dux imperio attribuit, poſt cujus mortem ei Fridericus II. præfectum dedit Ottonem equitem a Ravenſpurgo. SIMLERVS *de republ. Helvet. lib. 1. ſub rubr. Berna.* HEIDER. *fundamenta diſcurſus von Reichsvögten p.* 88. & *Reichsvögtiſche apologie p.* 56.

(g) *FRIBVRGVM*) GVILLIMANN. *de reb. Helv. lib. 3. c. 9.* Cœterum Zeringiæ duces non ſolum duabus iſtis urbibus, ſed & comitatui Burgundiæ aliisque terris imperii nomine præfuit. Delata eſt hæc provincia Conrado Zeringiæ a Lothario Saxone, cum Reginaldus Guilielmi pueri ſucceſſor ob contemtum Henricum V. ut dominum ſuum ea privatus eſſet. Conradus deinceps cum filio Berchtoldo hoc uſus eſt titulo: *Conradus vel Berchtoldus de Zeringen dux & rector Burgundiæ Dei & imperatorum gratia judex conſtitutus, & advocatus in omne Turegum imperialem jurisdictionem habens.* GVILLIM. *de reb. Helvet. p.* 284.

tatem prono admodum erant animo; ceu fieri aſſolet. Et vero ab eo usque tempore, præ rerum omnium abundantia, præſertim quum numero incolarum florerent, ad altiora nullæ non urbes adſpirarunt, priſtina tenuitate minime contentæ. Quam rem cumprimis juvit ducatuum & comitatuum *in minutas particulas*, (a) pro multitudine eorum, qui illuſtribus familiis nati erant, diviſio; qui mos a ſeculo usque decimo tertio circiter invaleſcens, potentiam & ducum & comitum plurimum debilitavit: ingraveſcente magis magiſque malo, quod in turbis illis reipublicæ plerique bellum ex bello ſererent: unde domi egeſtas. Aſt interea creſcente opulentia oppidanorum, urbibusque firmiore muro cinctis, contemta paulatim dominorum eſt impotentia, & imperium eorum detrectatum. Inde a pecuniæ egenis levi ſæpe ære immunitatis & libertatis varia jura redempta, alibi & vi expreſſa ſunt.

CXXVII. SED de hiſce alias latius. Quo autem conſtet clarius, quantum mutata ſit reipublicæ urbicæ ratio quingentis hiſce retro proximis annis, ab illo ſtatu, qui Carolovingorum temporibus fuit in uſu, age rem breviter oculo ſubjiciamus. *Primum* nullæ tunc urbes in ullius ducis aut comitis aut epiſcopi patrimonio fuerunt: hodie earum plæræque ab iis poſſidentur. *Secundo* jus conſtituendi ſenatum & *conſules*, (b) aut judices vel Scabinos, penes regem fuit ejuſque præfectos, *comites* inquam & *miſſos*: nunc in plurimis urbibus penes ipſos cives hæc facultas, alibi ducibus aut comitibus aut epiſcopis id competit, alibi partim his partim illis, imperatori autem forte nuſquam. *Tertio* deliberationes & conſultationes oppidanorum de rebus exiguis & vilibus tunc inſtitutæ, rebus ſcilicet urbium admodum acciſis: nunc de bello & pace, de fœderibus, de legibus, aliiſque negotiis momenti maximi. *Quarto* criminalium rerum judicium oppidanis nullis tunc competiit: hodie idipſum plurimi nacti ſunt. *Quinto* denique in comitiis regni ad ſuffragia ferenda rari tunc admiſſi oppidani, ſed plerumque oppidorum comites: poſt vero etiam hoc jus haud paucis ceſſit.

CXXIIX. Quantum itaque mutata ſit urbium conditio, in propatulo eſt. Igitur ratione reipublicæ quidem primaria hodie differentia urbium eſt, quod aliæ jus habeant ſuffragii in comitiis regni *cum onere contribuendi in publicum regni ærarium*: (c) aliæ hoc ipſo careant. Prioris generis nonnullæ olim dictæ ſunt *liberæ*, nonnullæ *regni* vel *imperiales*. Illis, quia aut nunquam aut non diu aliis, quam ſolis cæſaribus paruiſſent, præ his, quæ ſerius aliquanto in libertatem aſſertæ, dignitatis aliquam prærogativam ſibi vindicantibus. Inter autem illas nonnullæ & magiſtratuum & judiciorum omnium plenam habent poteſtatem, nonnullæ in quibusdam, quæ ad magiſtratuum conſtitutionem & judicia pertinent, hodieque vel a cæſare ipſo, vel ab epiſcopis, ducibus, comitibus, abbatibus dependent. Poſterioris ordinis itidem quædam liberrimam habent facultatem magiſtratuum & judiciorum cum civilium tum criminalium: quædam neque magiſtratus neque judicia poſſunt inſtituere, niſi auctoritate principum: quædam denique medio ſunt loco, diverſæ tamen & ipſæ rationis.

CXXIX. Magiſtratum porro quod attinet, facile probatu eſt, Carolina ætate conſules & ſenatores ut & ſcabinos, delectos eſſe non quidem a populo, ex populo tamen, & quidem munia hæc commiſſa ſolis primariis civibus, inſigni genere natis; opificum, inſtitorum & operariorum plebe excluſa. Neque legas ad conſultationes vocatam plebem. Servatum hoc etiam poſt, ubi jam ipſa eligendi poteſtas urbibus erat conceſſa. Hinc antiquitus in Germaniæ oppidis Oligarchiæ invaluerunt, & quidem omnis generis, ut illas optime enumerat Ariſtoteles, unicus civilis prudentiæ magiſter 4. *polit. cap.* 5. Poſt annum tamen circiter CIↃ CCC. pene ubivis exorta ſeditione inter plebem & patricios, mutavit reſpublica, & popularis ſtatus paſſim introductus eſt, ita ut hodie vix una amplius & altera *Oligarchia* (d) ſuperſit.

CXXX. Quod procul dubio contigit haud alia de cauſa, quam quod eo tempore plebs & numero & opibus jam creviſſet, ſuasque tribus paſſim & collegia haberet, patricii vero haud ſatis obſervarent artes conſervandæ Oligarchiæ. Ex eo autem pro Oligarchiis variæ paſſim vel Democratiæ vel Ariſtocratiæ vel Mixti ſtatus nati. Quorum omnium conſtitutiones, morbos, pericula, ſalutem, remedia exponere, fortaſſis operæ quidem eſſet pretium maximum; nos tamen hodie illa ne attingemus quidem, tam nobile argumentum in aliud tempus rejicientes.

Hermanni Conringii Exercitatio de Germanici imperii civibus, habita die XXVII. Martii anno CIↃ IↃCXLI. Reſpondente Chriſtophoro Guilielmo Blume, VVolferbytano.

Theſis I.

De civibus & ſtatibus imperii paucula quædam tradituris, præmittenda nonnulla erunt, quorum auxilio facilius in ipſius rei cognitionem devenire poſſumus. Nam & dicendum nobis erit,

(a) *In minutas particulas*) MYLERVS *in archolog. c.* 6. LEHMANNI *Speirſche Chronicke lib.* 2. *c.* 16. 17.

(b) *Conſules*) LAMBECIVS *lib.* 2. *rer. Hamburg. p.* 5.

(c) *Cum onere contribuendi in publicum regni ærarium*) HEIDERI *fundamenta diſcurſus von den Reichsvægteien p.* 92. & *Reichsvægtiſche apologie p.* 33. Decrevit autem valde hoc ſubſidium, cum vix 15. vel 20. millia florenorum excedere dicitur. HERMES *in jure publ. c.* 31. *§.* 16.

(d) *Oligarchia*) Talis haud dubie eſt *Noriberga*. Ulmam autem, Francofurtum, Auguſtam Vindelicorum aliquam ſtatus mixti ſpeciem referre, ſunt, qui putant.

Digitized

erit, quinam vere civium nomine veniant, & cum non uno eodemque modo cives dicantur, *æquivoca* (a) autem ſimul definiri nequeant, vox illa imprimis ab homonymia erit liberanda.

II. Erudite autem (ut ſolet) *lib.* 3. *Pol. cap.* 1. de hujus vocis ambiguitate diſſerit Ariſtoteles. Quæ quidem tam late ſe extendit, ut pro variarum rerumpubl. formis *ſpecie etiam* (b) cives diſſerant. Et vero ſi reſpublicæ priores & poſteriores ſpecie differunt, cives quoque in iis rebuspublicis eodem modo differre neceſſum fuerit.

III. Ut vero æquivocatio hæc dilucide oſtendatur, omnibusque ob oculos ponatur, advertendum eſt. Primo, nonnunquam eos dici cives, qui tantum patre & matre civibus nati ſunt: quamvis nonnullæ reſpublicæ, non contentæ parentibus, etiam de avo & tritavo inquirendum ſtatuant, an fuerint cives. Sed hæc quidem ſignificandi ratio admodum eſt incerta, cum in infinitum ita quæri poſſit; donec pervenias ad eum, qui patrem civem non habuit. Et hanc ob cauſam Gorgias Leontinus, ſive joco, ut ſolebat multa, ſive quod aliter ſe expedire non poſſet, cives fieri a civibus, ajebat. Sicut enim mortaria fiunt ab iis, qui hanc callent artem, ita eſſe Lariſſæ opifices, a quibus Lariſſæi cives fierent. Sed quam improvide hoc ſit dictum, quilibet facile animadvertit. Nam ſi ii tantum ſunt cives, qui naſcuntur e civibus, quomodo appellabuntur ii, qui primi condiderunt vel fundarunt civitatem? Improprie vero etiam ii cives dicuntur, qui reſpectu ſaltem aliquo hoc ſortiuntur nomen: quales ſunt civitate donati, qui non re ipſa ſed honorarii tantum ſunt cives. Dicuntur porro etiam cives *pueri*, (c) & qui nondum perfectæ ſunt ætatis, itemque decrepiti, qui ob venerandam ſenectutem, immunitates ac vacationes a muneribus impetrarunt, & puerili ætati rurſum ſunt proximi. Hi vero quamvis cives appellari poſſint, non tamen ſimpliciter hoc eſt aſſerendum; ſed ita, ut illi imperfecte & potentia tantum cives eſſe dicantur, hi vero jam effœti ideo hoc nomine gaudeant, quod olim verorum civium numero accenſiti fuerint.

IV. Cum autem hæ civis appellationes longæ ſint alienæ a noſtro propoſito, ſupervacaneum prorſus eſſe cenſemus, in hiſce diu morari. Proinde breviter tantum inſignem hujus vocabuli æquivocationem notaſſe ſufficiet. Nunc ut rem ipſam definiamus, & quibus vere civium nomen competat, accurate explicemus, ratio poſtulat.

V. Civis autem ſecundum Ariſtotelem (quem in omnibus ejusmodi ſequendum merito ſtatuimus) eſt ille, *cui in ea civitate, cujus eſt civis, poteſtas eſt fungendi magiſtratu vel deliberativo vel judiciali.* Quam quidem definitionem omnibus, qui vere cives appellantur, applicari optime poſſe confido. Etiamſi enim objicere quis poſſet, multos eſſe cives, quibus iſta non conveniant, (ſicut in Tyrannide aut Oligarchia multi ſunt cives, qui nullo loco ſunt, nulla dignitate aut munere funguntur) ei regerimus, æquivocam hanc civis appellationem eſſe, ut paulo ante uberius explicavimus. Maxime proprie autem & in illis corruptis adeoque falſo dictis rebuspublicis nomine hoc eſſe dignos, quibus illum magiſtratum capeſſendi facultas eſt: valde improprie vero, qui hac dignitate excluduntur.

VI. Hiſce præmiſſis obſcurum nemini eſſe poteſt, quinam hodie in noſtro Germanico imperio veri & genuini propriique ſint cives. Ii videlicet, qui poteſtatem habent judicandi de iis, quæ ad τὸ κῦρον vel *ſummam reipublica* (d) (verſatur autem ea circa pacem & bellum, circa leges publicas rogandas vel derogandas, circa fœdera cum peregrinis, circa vitam, mortem & exilium civium, denique circa bona civium aut confiſcanda aut in commune diſtribuenda) pertinent. Hinc etiam non poteſt non patere, recte illos cives *ſtatus & ordines imperii* appellari: quia nempe ſunt totius regni columnæ, vel quod legitimam in comitiis Germaniæ habeant ſtandi perſonam.

VII. Neque vero mirum ſit, hos ſolos veros cives, reliquos autem incolas potius eſſe vel ſubditos. Omnis enim civis utique ſocius eſt civilis ſocietatis: eſt autem veri ſocii ſuffragium ferre & ſententiam de rebus ad ſocietatem pertinentibus. Apertam ſane implicat contradictionem, eſſe alicujus ſocietatis verum ſocium, nec tamen *jus ſuffragii* (e) in ea ſocietate obtinere.

VIII. Scilicet hoc ſuffragiorum juſſusque adeo eſt proprium civium verorum, verorumque ordinum ac Statuum alicujus civitatis, *ut eſſentiam* (f) eorum unice conſtituat. Adeoque is, qui caret illa facultate, ſive per injuriam ſive jure, non eſt actu civis: qui fruitur illa, ſive jure ſive injuria,

(a) *Æquivoca*) *HERTII prudentia civilis P. I. ſect. 5.*

(b) *Specie etiam*) Sic in republica democratica ad ſubjectum majeſtatis exiſtentiæ conſtituendum, concurrunt omnes cives, in Ariſtocratica pauciores, in monarchica nullus, cum principe. Vide ARNISÆVM *cap. 5. ſect. 9.* ubi Ariſtotelem adverſus Bodinum, varios eſſe cives negantem, tuetur.

(c) *Pueri*) Sed tantum πῶς, vid. ARISTOT. *lib. 3. politic.* c. 3. & quidem non actu, ſed potentia ſunt cives. Atque in hoc ſenſu locutio illa tolerari poteſt, quicquid etiam KIRCHNERVS *diſput. 7. de republ. n. 2.* in contrarium differat.

(d) *Summam reipublica*) Ex his aliquis, judice MONZAMBANO c. 5. §. 3. colligere poſſet, imperium noſtrum eſſe democratiam: Verum enim vero apparet, autorem noſtrum hic tantum vocabulum civis in ſignificatu digniori accipere, prout illud proceres, cum capite ſuo in republica mixta imperantes denotat.

(e) *Jus ſuffragii*) Hoc de ſocietate æquali, non autem inæquali verum eſt.

(f) *Ut eſſentiam*) Vid. OBRECHT *ad Monzamban.* p. 17. KVLPIS *de legationibus imperii* c. 4. THOMASIVS *de feudis oblatis* c. 2. HENNIGES *de ſtatibus imperii*, qui tractatus *ſpecimini 2. meditation. ad inſtrum. pac.* adhæret. Status imperii autem eſſentiam duo conſtituunt, jus ſuffragii & ſuperioritatis territorialis. SCHILTER *J. P. tit.* 19. §. 2. SCHWEDER *J. P. Parte ſpec. ſect. II. c. 2.* §. 3. Cumque capitulationibus inſertum, neminem ad jus ſuffragii in comitiis admittendum eſſe, niſi immediatis imperii terris gaudeat, & cenſu quodam matriculari ſe circulo cuidam addixerit. *Receſſ. imp. de ao.* 1654. §. 197. *Capitulat. Ferdinandi IV. art.* 45. *Leopoldi art.* 44. *Joſephi art.* 43. *Caroli VI. art.* 1. *FABRI Staats-Cantzeley P.* 17. p. 465. ſeqq. Hodie ſtatus ſine territorio eſſe non poſſunt, quod alias contingere potuiſſe, *Auctor. actor. Lindavienſ. p.* 56. *pr.* & *BRAVN von Heerſchilden* p. 16. docent.

injuria, reapſe eſt in ſtatuum ſive ordinum, hoc eſt civium, cenſu. Neque enim refert nunc, jure hoc aut illud fiat, an injuria. Sic qui nondum gaudet illo jure, etſi gaudere debeat aut poſſit, recte loquendo non eſt actu civis ſed potentia tantum.

IX. Quoniam hoc ergo vere conſtituit civem, facile apparet, per accidens tantum fieri, ut talis aliquis *Matricula* (a) aut Albo ordinum imperii ſit inſertus, utque collectiones imperii in publicum ærarium pro rata proxime ſolvat. Quæ duo tamen nonnulli perperam inter certiſſimas quorumlibet civium atque ordinum notas recenſet. Quod enim inſertionem in Album attinet, certum eſt, in multis rebuspublicis nullum eſſe Album: quemadmodum nec ulla etiam Matriculæ memoria exſtat in republica noſtra, ante illam quam *Sigismundus* (b) imper. anno 1431. fecit conſcribi, quod recte proditum eſt a Goldaſto *lib. 2. de regno Bohem. c.* 17. Itaque nec ante illud tempus ulli fuiſſent imperii ordines: quo nihil eſt dictu abſurdius. Eodem modo etiam ſæpe in civitatum ac rerumpublicarum ærarium conferunt illi, qui meri reipublicæ alicujus ſubditi ſunt, & parere dominis coguntur. Ita ſane olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Germanico imperio ſolvit: nec tamen in conventu imperii procerum ſententiam dicendi habuit facultatem: contra Bohemiæ rex *onera imperii non fert*, (c) in electione tamen ſummi magiſtratus cæſarii quaſi civem imperii agit.

X. Fatemur tamen, ut nunc ſunt imperii mores, fere ſolos illos, qui contribuunt immediate in publicum ærarium, & qui *Albo ſunt inſcripti*, (d) ſuffragandi in comitiis jus habere. Sane ex quo placuit omnes ordines in Album referre, deberet utique nunc illud Album certam nobis notam veri civis exhibere. Quia etiam conſtitutum jam eſt, ut ſoli ordines proxime ſolvant debitum ſuum imperii ærario, deberet utique & illa collectio ſignificare veros ordines. At infra probabitur, turbatis imperii rebus eſſe factum, ut de quibusdam *jurene* (e) inferi debeant an non, item ſolverene ſua debeant publico nec ne, hodieque incertum ſit. Et vero permultis licet hiſtoriis docere, haut

docent. Sufficit autem, aliquid tantum territorii immediati habere. *Deduct. domus Schwartzburg adverſus duces Vinarienſes* in FABRI *Staats-Cantzeley T. II. p.* ~92. *Receſſ. imp. de ao.* 1548. *§. auch der Grafen von Tübingen.* Status autem immediati, qui ob bona quædam aliis principibus ſunt devincti, in præſtatione juramenti ſe proteſtatione munire ſolent, quod nexus ille immedietati ſuæ nocere non debeat. Vid. SCHWANEMAN *deciſ. cameral. X. n.* 87. Non tamen illi ob ſtatus imperii qualitatem ſe ab obſequio, quo ſtatui alicui ob bona mediata addicti ſunt, eximere poſſunt. Merentur hic adſcribi verba artic. 22. capitulationis noviſſimæ: *bey* collation *Fürſtl. Graflicher auch anderer* dignitæten *ſollen und wollen wir Zeit unſerer Kæniglichen und Kayſerlichen Regierung dahin ſehen, damit ins kunftige auf allen Fall dieſelbe allein denen von uns ertheilet werden, die es vor andern wohl* meritiret, *im Reich geſeſſen und die Mittel haben, den* affectirenden *Stands* pro dignitate *auszuführen. Niemand aber von denen neuerhæbeten Fürſten, Grafen und Herrn zur* ſeſſion *und Stimme im Fürſten-Raht oder Graflichen* collegiis *mit* decretis *und dergleichen zuſtatten kommen, auch keinen derſelben, wer der auch ſeye, zum* præjudiz *oder Schmalerung einiges alten Hauſes oder Geſchlechts, deſſelben* dignitat, *Stands- und ublichen Tituls mit neuen* prædicaten, *hæhern Tituln oder Wapen-Briefen begaben. So ſoll auch des ein- oder andern unter Curfürſten, Fürſten und Standen des Reichs geſeſſenen und begüterten dergleichen hæhern Stands-Erhæhungen dem* juri territoriali *nicht nachtheilig ſeyn, und die ihme zugehærige, und in ſolchen Landen gelegene Güter einen als den andern Weg unter voriger Landes-Fürſtlicher juriſdiction verbleiben, wie dann, wo ein oder anderer Standt erweiſslich darthun würde, daſs er gegen ſolches bis daher* graviret, *und an ſeinen Gerechtſamen durch neue Standes-Erhæhungen beeintrachtiget worden, derſelbe mit ſeinen habenden Beſchwerden genüglich gehæret, und das unbillig vorgegangene geandert u. abgeſtellet werden ſolle.* Videbantur quidem hæc, quæ & capitulationi perpetuæ artic. 212. ſunt inſerta Salzburgenſi, Auſtriaco aliisque catholicorum ordinum imperatoriam nimis coarctare poteſtatem: Sed effectus docuit votorum illorum rationem non fuiſſe habitam. Denique notandum, inter qualitates ſtatus imperii eſſentiales, ſi non conſtitutivas, conſecutivas tamen & conditiones, ſine quibus non referri, ut præter electorum etiam iſtius collegii, in quod novus ſtatus recipi debet, accedat conſenſus. *Capit. Caroli VI. art. 1. §.* 1. Ex quibus adparet, non ita facile hodie eſſe, ad ſtatus imperii dignitatem pervenire ac olim, ubi ſufficiebat, reverſales de ſolvendis imperii collectis dare, licet immediata imperii bona nondum poſſiderentur, & quod hæc dignitas ad poſteros non eſſet tranſitoria, quamdiu bona immediata ſibi non comparaſſent. VITRIAR. *Juspublic. lib. 1. tit. 16.* §. 14. Cum princeps de Parcia, Leopoldi cæſaris Archiminiſter in numerum imperii ſtatuum recipi vellet, rem ſedulo Leopoldo commendante, eo ſub pacto admiſſus eſt: *Daſs er ſich mit Fürſtmaſſigen Reichs-Gütern verſehen, auch mit einem* proportionirten *Anſchlag einem gewiſſen Kreyſe einverleiben, und folglich wegen des verlangten* reverſes *ſich mit dem Fürſtlichen* collegio *der Gebühr nach abfinden ſolte. Curbraunſchw. R. Fürſten Rahts* protocoll. tom. III. fol. 342. De ſuperioritate territoriali alibi a nobis agitur. Quod autem ad jus ſuffragandi in comitiis attinet, nonnulli illud pro re meræ facultatis habent, atque ſic non uſu amitti non poſſe contendunt. Vide Celeb. GRIEBNERI diſſ. *de jure ſuffragandi principum imperii.*

(a) *Matricula*) Vide MYLERUM *de principibus & ſtatibus imperii* c. 11. Sed argumenta hæc: eſt inſcriptus matriculæ imperii & quæ imperio ſunt ſolvendæ collectæ in publicum confert ærarium, igitur eſt ſtatus imperii, pro ratione vetuſtiorum imperii temporum, interdum fallere docent MAURITIUS *de matricula* & MONZAMBANO *cap. 2. §.* 2. Veteres enim matriculæ non tam inſtrumenta publica auctoritate confecta videntur, quam recenſiones eorum etiam non ſtatuum, qui in comitiis præſentes fuerunt.

(b) *Sigiſmundus*) In comitiis Noribergenſibus, ubi de expeditione in Huſſitas ſuſcipienda deliberabatur, prima confecta eſt imperii matricula. DATT. *Vol. nov. rer. Germ. Acta Brunſvicenſia. Vol. II. p.* 1019. MAURITIUS *de matricula.* §. 8.

(c) *Onera imperii non fert*) Subdubitatum olim fuit, an rex Bohemiæ verus ac legitimus elector & ſtatus imperii eſſet, quoniam extra electionis negotium, ceteræ imperii res ipſum tangere non videbantur: ita ut ne quidem ipſius in capitulatione fuerint partes. SCHWEDER. *in jure publ. P. ſpec. ſect. 2. c.* 5. Verum Germaniæ Bohemum vindicat LUDWIG. in diſſ. *de jure ſuffragii regis Bohemiæ*; quanquam negari nequeat, nexum illum olim quodammodo fluctuaſſe. Vide HERTII diſſ. *de renovato R. G. imperii & regni Bohemiæ nexu Sect. III.* Hodie omne hic ſublatum eſt dubium, cum Bohemus communi imperii placito anno 1708. in omnia electorum aliorum & ſtatuum imperii jura reſtitutus eſt. Vide HERTIUM *l. c. ſect. IV.* item LUNIGII *archiv. imper. contin. 2. p.* 311. FABRI *Staats-Cantzeley T. 13. p.* 410. ſeqq. Suſcepit etiam matricularе onus trecentorum florenorum ad cameræ ſuſtentationem, ea tamen ſub lege, ne inde fori ſui privilegia detrimentum patiantur.

(d) *Albo ſunt inſcripti*) Vid. MAURITII *diſſertatio de matricula imperii* §. 16. 17. 18. 19. 20.

(e) *Jurene*) MAURITIUS *l. c.* §. 21. 22.

haut paucos interdum errore quodam in publicum ærarium ſua contuliſſe, quibus neutiquam in comitiis publicis ſtandi poteſtas fuit.

XI. Sed de hiſce infra latius. Id vero ex iis, quæ diximus, jam eſt manifeſtum: ne quidem, etſi quis ſive princeps ſive comes imperii dicatur, modo non habeat jus hoc comitiorum, in ordinum aut civium imperii cenſu merito eſſe numerandum. Anterioribus quidem ſeculis obtinuiſſe haud negamus, ut nemo princeps vel comes imperii vocaretur, niſi qui idem hac ſuffragandi poteſtate valeret: cum nempe illis nominibus adhuc officia publica deſignarentur. Nunc tamen longe aliis vivitur moribus: titulis nempe illis nudis in multos collatis ſine ullo ſuffragiorum jure.

XII. Ita conſtat, in annum usque trigeſimum ſextum a ſolo Ferdinando II. Auguſtæ memoriæ cæſare, creatos *principes viginti duos*, (a) comites plusquam ſexaginta, Barones ultra centum viginti. Formulæ tamen diplomatum vulgares (quas exhibet libellus, cui titulus: *Status particularis regiminis Ferdinandi II.*) non perhibent, illos in ordinum imperii cenſum eſſe relatos. Verba formulæ, quæ in ducibus creandis ſunt obſervata, ita ſeſe habent: „Juxta hæc itaque per im-
„perium perque noſtras hæreditarias ditiones ſerio ac ſtricte mandamus, & volumus: ut ſæpe
„jam nominatus dilectus noſter dux N. & omnes illius in regimine dicti ducatus N. tam ex linea
„deſcendente, quam poſt hanc extinctam alii ſucceſſores, vigore diſpoſitionis hujus pro eis in-
„ſtitutæ, uti ſupra exprimitur, dehinc perpetuo non minus quam alii, in ſacro Romano imperio
„reliquisque noſtris hæreditariis regnis ac ditionibus duces, pro ducibus N. reliqui autem legi-
„timi hæredes liberi & eorum hæredes, mares & fœminæ, deſcendentis lineæ, qui jam nati ſunt
„naſcenturve, primogeniti tamen non ſunt, & poſt exſtinctam modo lineam fratres ducis N. qui,
„ſecundum commemoratæ diſpoſitionis tenorem, in ducatu N. ſucceſſiſſent, licet ducatum N. ne-
„que regant neque poſſideant, perpetuo impoſterum pro noſtris & imperii principibus & princi-
„piſſis, in quibusvis honorificis conventibus, equeſtribus ludis, ſuperioribus & inferioribus diœ-
„ceſibus ac præfecturis, tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, & alias ubique colantur, admittan-
„tur, habeantur & agnoſcantur: ipſis quin etiam dicto ſenſu reſpective ducum principumque
„titulus ac nomen tribuatur, quo tales nuncupentur atque ſcribantur: honos eorum autem di-
„gnitasque præeminentiæ, privilegia, jura, jurisdictiones, quibus, ut cæteri ſacri Romani impe-
„rii noſtrorumque regnorum & terrarum duces, principes & principiſſæ, de jure & conſuetudi-
„ne gaudent, utuntur ac fruuntur, incorrupta ac in omnibus ſalva conſerventur, &c.„ Ad eundem fere modum ſe habent verba formulæ, per quam titulus principis confertur. Ita enim ſonant:
„Idcirco poſt clementiſſimam recognitionem generis præluſtris & pervetuſti comitis ab N. & eo-
„rum nec non hujus ipſius, laudabiliter acquiſitarum virtutum, & nobis totique Romano impe-
„rio exhibitorum fideliſſimorum obſequiorum, nos probe deliberato animo, vero & maturo con-
„ſilio, recta notitia, nominatum jam comitem ab N. ſingulari hac gratia ex proprio motu affeciſſe;
„eum non ſolum quidem, ſed poſt obitum etiam maximum natu filium ejus, atque ſic porro ſem-
„per natu maximum, in deſcendente linea legitime procreatum, comitem ab N. in ſtatum, honorem
„& dignitatem noſtrorum ac ſacri imperii comitum, principum, noviter clementerque evexiſſe &
„collocaviſſe, & collegio ac ſocietati aliorum noſtrorum & ſacri imperii comitum, principum, con-
„junxiſſe, ſociaviſſe & æquiparaviſſe; & ut titulus ac nomen comitum, principum, ac in ſpecie
„prædicatum celſiſſimorum, una cum reliquo titulo & dignitate noſtrorum ac imperii principum,
„ipſis daretur, & ab ipſis gereretur, ſeque DEI gratia tales ſcriberent & nominarent: clemen-
„ter conceſſiſſe & indulſiſſe. Et ex Romanæ cæſareæ majeſtatis poteſtate & perfectione, ſcienter
„& vigore harum, ordinare & conſtituere: ut ſupra dictus comes ab N. eoque defuncto filius ejus
„natu maximus, ac porro quotuscunque ex iſta linea deſcendente maximus natu comes ab N. legiti-
„me natus, uti intellectum, in ſtatum, honorem & dignitatem noſtrorum & ſacri imperii comitum,
„principum, modo commemorata ratione referatur, collocetur, iis æquiparetur, & eorum collegio &
„ſocietati aſſocietur. Simulque illis impertiiſſe & attribuiſſe, præter jam acquiſitos honores & titulos,
„nomen ac titulum, noſtrorum ac ſacri imperii comitum, principum ab N. & in ſpecie prædicatum
„celſiſſimorum, juxta titulum ſtatumque noſtrorum & imperii principum: adeo etiam, ut ſe DEI
„gratia tales ſcribere debeant & poſſint. Et conſequenter, ſtatuere, decernere ac velle: ut ſæpe dictus
„comes ab N. & poſt eum relictus filius ejus natu maximus, deinceps omnes ipſius hæredum hæ-
„redes, uti conſtitutum, continuo & ſemper noſtri & ſacri imperii comites principes eſſe, eo ſeſe
„commemorato prædicato, titulis ac dignitatibus, ſupra & juxta priſtinos beneque & cum laude
„acquiſitos titulos, nominare & ſcribere, a nobis & noſtris in imperio ſucceſſoribus, aliisque omni-
„bus ac ſingulis tales haberi, agnoſci, coli, vocari ac inſcribi univerſa, quin etiam beneficia, pri-
„vilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura & jurisdictio-
„nes, una cum beneficiis in ſuperioribus inferioribusque diæceſibus eccleſiaſticis ac ſecularibus,
„feudis & præfecturis, in conventibus & equeſtribus ludis, ſuſcipere, obire, aliaque omnia obti-
„nere & participare. His denique cunctis, præcipue vero principali principum, comitum, ti-
„tulo ac nomine, in ſeſſionibus, in votis, in proceſſionibus, ubique locorum & apud omnes, ſum-
„mo cum honore, prout par erit, eorumque neceſſitas, voluntas ac beneplacitum feret, gaudere,
„uti, frui, debeant ac poſſint. Eo plane modo, quo alii noſtri & ſacri imperii legitimi principes,
„comites de jure & conſuetudine talibus gaudent, utuntur ac fruuntur, nemine prohibente. &c.„
Pari ratione comitum quoque confertur titulus ac honor: „Nos ei ſequentem ſingularem gra-
„tiam & privilegium, bene deliberato animo, ſano conſilio, rectaque notitia, in optima, valen-
tiſſi-

(a) *Principes viginti duos*) Inter arcana domus refertur potentiæ ſuæ nova creare fulcra.

„tiſſima & firmiſſima forma & modo, contuliſſe atque conceſſiſſe; & in præſens eandem illi Romana cæſarea autoritate, abſoluto jure, ſcienter & harum vigore, conferre & concedere. Nimirum „ut deinceps a nobis, noſtriſque in ſacro imperio ſucceſſoribus, Romanorum imperatoribus, regibusque, ſæpe nominatus comes ab & in N. ipſius legitimi hæredes liberi, eorumque hæredis „hæredes in deſcendente linea, ex omnibus noſtris & ſucceſſorum noſtrorum in ſacro imperio, „domoque archiducali Auſtriæ archivis, in noſtris & illorum loquendi formulis, ſcripturis, tabulis & epiſtolis, aliiſque libellis, qui a nobis & ſucceſſoribus noſtris, ſeu ad eos ſeu alia ratione mittentur, in quibus mentio illorum fiet, titulo, prædicato, & axiomate Generoſiſſimi afficiantur „& ſcribantur. &c.

XIII. COETERVM quid proprie conſtituat civem reipublicæ, ex allatis eſt manifeſtum: conſequens eſt diſpiciamus, quinam ad eum cenſum pertineant. Atque excutientibus quidem rerum patriarum antiqua monumenta, liquidum ſtatim fit, non adeo certum ſemper eorum numerum initum fuiſſe. Neque enim alia de cauſa tam ſero cœpit Album quoddam publicum, aut matricula imperii ordinum, quam appellant, conſtitui. Ceſſit autem hæc negligentia dubio procul, haud levi damno reipublicæ. Etenim pro vario numero eorum, qui ad Comitia vocantur, reipublicæ quoque diverſæ ſpecies oriuntur. Mutatur ſcilicet ſenſim in Oligarchiam Democratia, ſi pauciores paulatim comitia frequentent, reliquis domi remanentibus: contra Oligarchia in democratiam degenerat, ſi magis magiſque plures ad publica conſilia conveniant. Quocirca & prudentiores legibus poſitis, aut arcanis artibus, ſive ſervandus ſit præſens ſtatus ſive mutandus, vel minuunt, vel augent, vel vero ſervant ac tuentur diligentiſſime civium verorum numerum.

XIV. Quo autem liqueat, etiam apud Germanos aliam atque aliam cæpiſſe reipublicæ formam, non obſervato ſemper eodem verorum civium cenſu; haud abs re fuerit fortaſſis ab antiquiſſima usque memoria repetere, quinam jus conciliorum publicorum habuerint. Ubi initio monendum, Germaniam olim non in unam rempublicam aut civitatem coaluiſſe, ſed fere quot populos, totidem diverſas civitates extitiſſe. Primi ſane Franci, auſpiciis & rara felicitate Caroli magni, omnia quæ Balthico mari, Oceano, Alpibus & Carpatho monte ac Viſtula fluvio ſunt cincta, ſuo per Galliam omnem extenſo imperio conjunxerunt.

XV. Antiquiſſimis vero temporibus quid conſueverit ac fuerit receptum, ex Tacito apparet. Prodit enim ille, duo tunc fuiſſe in uſu conciliorum genera, alterum *majus* de majoribus rebus, alterum *minus* de minoribus, & huic quidem ſolos principes interfuiſſe, illi autem totum populum. Sunt autem Tacito *principes*, qui in ſingulis civitatibus *jus per pagos & vicos dixerunt*, *pagorum* vocabulo veniente id fere quod nunc *ein Ampt*, (a) *vicorum* vero quod nunc *ein Flecken*, aut *ein Dorff*, appellamus. Quos *principes* olim præcipuæ fuiſſe nobilitatis, haud obſcure ex eodem eſt Tacito colligere. De majoribus vero comitiis videntur omnino accipienda illa ejusdem Taciti: *ut turba placuit, conſident armati. Mox rex vel princeps audiuntur, autoritate ſuadendi magis quam habendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur.* Nimirum *turba* voce populus notatur, cui rex vel principum aliquis ſententiam ſuam de negotio, jam tum apud ſuos prætractato, propoſuit.

XVI. Ex his vero Taciti verbis colligere eſt, duplicem tunc in civitatibus Germanicis ſtatuum aut civium fuiſſe conditionem, aliam nimirum primæ, aliam ſecundæ autoritatis ac dignitatis. Primi generis fuerunt, qui poſt *Adelingi* & ab officio *Grafen* vel *Richter* aut *Hänptlinge* ſunt dicti: nobili omnes ſtirpe nati. Ad alterum autem ordinem plebs omnis pertinuit. Non tamen eo in honore ſervi tum fuerunt, imo ne ipſi quidem *liberti*. (b) Diſerte enim de Germanis idem Tacitus: *Liberti non multum ſupra ſervos ſunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Illic enim ſuper ingenuos & ſuper nobiles adſcendunt: apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Aſt regna tunc Germanis populis rariſſima fuerunt: liberti vero valuerunt dubio procul miniſterii potius regii quam ſuffragiorum poteſtate. *Principes* autem ex nobilitate fuiſſe, haud difficulter patet. Præterquam enim quod perpetuo *principes* opponantur *plebi*, diſerte ita ſcribit Tacitus: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt; centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Si autem *comites* ex plebe, utique principes nobiliore fuerunt ſtirpe orti. Non multo poſt idem ait: *Inſignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentibus aſſignat.* Et vero recepti olim in omnibus Germanicis populis moris fuit, non tribuere hanc juris dicundi poteſtatem, niſi maxima nobilitatis ratione habita.

XVII. Loquitur autem de illis cum majoribus tum minoribus comitiis in hæc verba idem Tacitus: *De minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur.* Ubi tamen cum Hugone Grotio, ſummo ſane viro, legendum forte *prætractentur*. Nempe ut penes principes illos de maximis rebus fuerit προβουλία, at de minoribus integrum arbitrium. Et vero conſtare id ipſum videtur etiam ex uſu rerum Germanicarum ſequentibus ſeculis ſueto: tum quod in comitiis majoribus illi ſoli plebi ſit propoſita non tam res aliqua tum primum deliberanda, quam concepta jam principum ſententia, ſalvo tamen populi arbitrio.

XIIX. Ergo omnes etiam ex plebe ingenui civium tunc auctoritate polluerunt: primario licet

(a) *Ein Ambt*) Quomodo ex comitatibus præfecturæ exortæ ſint, docet LYSERVS *de Landſaſſiis theſ.* 47.

(b) *Liberti*) Libertos, qui plenam conſequebantur libertatem, jus comitiorum habuiſſe, exiſtimo. Ex his autem & ingenuis ſive nobilibus ſecundi ordinis plebs conſtitit. Nam ſententiæ, quod omnis plebs ſervilis conditionis fuerit, quam in annotationibus ad Tacitum retuli, non eſſe accedendum, reor.

licet loco fuerint *adelingi* aut *principes*; utpote cum ſine ingenuorum omnium conſenſu nihil magnæ rei conſtitui potuerit. Conſtat vero idem & ex judicandi poteſtate, qua valuerunt plebeji. Neque enim judicia tum fuerunt penes ſolos nobiles, etſi hi illis præfuerint potiſſimum; ſed ex parte & penes inferiorem illum ordinem. Jam enim ante audivimus, centenos ſingulis principibus *ex plebe* comites fuiſſe, adjunctos conſilii & auctoritatis nomine. Qui forte ſunt, quos Tacitus *lib. 5. hiſtor.* de Treveris loquens, ut & cæſar *lib. 4.* de Vbiis, *ſenatores* appellant. Atqui veri cives conſulendi judicandique poteſtate definiuntur.

XIX. Alio nimirum plane loco apud Germanos antiquitus plebs fuit quam apud Gallos. De Gallis enim cæſar *lib. 6. de bello Gallico: Plebs pene ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet & nulli adhibetur conſilio.* De Germanis autem idem: *Vbi quis ex principibus in concilio ſe dixit ducem fore, qui ſequi velint profiteantur: conſurgunt ii, qui & cauſam & hominem probant ſuumque auxilium pollicentur, atque a multitudine collaudantur.* Eburonum, gentis Germanicæ Ciſrhenanæ, rex Ambiorix apud eundem cæſarem l. 5. ita loquitur: *Sua eſſe imperia ejusmodi ut non minus haberet in ſe juris multitudo quam ipſe in multitudinem.* Hinc Tacitus *lib. 4. hiſtor.* ſcribit: Civilem Batavum rebellionem dum moliretur, non tantum *primores gentis* Batavorum, *ſed & promtiſſimos vulgi convocaſſe.*

XX. Quanquam vero populi *nonnulli* (a) Germanici ſub regibus vixerint, quidam ſine regibus, etiam apud illos tamen eadem fuit civium conditio. Neque enim regibus fuere plena majeſtatis jura, quæ vocantur, ſed omnis eorum poteſtas fuit haud alia fere quam olim regum Lacedæmoniorum. Diſerte Tacitus: *Regibus non infinita aut libera poteſtas.* Item ubi de comitiis integri populi diſſeruiſſet, *reges*, ait, *auditos ibi eſſe, autoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate.* De Friſiis, cum dixiſſet *lib. 14. annal.* eos a Verrito & Malorige regi, adjecit: *in quantum Germani regnantur.* De Gothonibus idem *lib. de morib. Germanor. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam addictius, quam cætera Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* De ſolis autem Sueonibus idem ſic loquitur: *Vnus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Quo oſtendit, eos a Germanico ingenio multum tunc abfuiſſe. Si autem libertas populi etiam ſub regibus olim ſalva fuit; non potuit non & jus comitiorum, cum nobilibus tum plebi, fuiſſe integrum.

XXI. Manſiſſe vero hanc formam civium etiam aliquot poſt ſeculis, argumento eſt, quod in univerſum Germanicorum populorum libertas deprædicetur. Opponitur autem libertas dominatui. Vbi autem libertas viget populi, non poteſt ille excludi a conſiliis rerum ſaltim majoris monenti.

XXII. COETERVM illa libertas in plærisque populis videtur poſt extincta a Francis. Hi enim devictis a ſeſe plærisque Germaniæ populis, duram videntur ſervitutem impoſuiſſe. Certe hanc fortunam ſubierunt *Alemanni*, (b) potentiſſimus ante populus, poſt victoriam Clodovæi anno Chriſti 499. partam. Qua de re Æmilius florentiſſimus Gallicarum rerum ſcriptor: *Cadit Alemannorum rex: Alemannia fracta ingens tributum pendere juſſa, leges etiam graves magiſtratusque ab irato victore accepit.* Joachimus Vadianus, vir Germanicarum, imprimis Alemannicarum, antiquitatum peritiſſimus, epiſtola quadam, quam recitat Goldaſtus tomo 2. Antiquitatum Alemannicar. f. 84. ita loquitur: „Plena fuit ſervis & ſervitutibus Alemannia noſtra, cujus magna pars hodie Hel„vetia eſt. Nec eſt, quod ſciam, montanus pagus aliquis Helveticus, qui, rebus Francorum flo„rentibus, duriſſimam illam ſervitutem non ſervierit. Exſtant enim tabulæ veteres, quæ hanc „rem clariſſime teſtantur.„ Pervenerunt autem in miſeram iſtam ſervitutem illa Clodovei victoria non Alemanni tantum, ſed & Bajoarii: quemadmodum ex Gregorio Turonenſi, Sigeberto, aliisque antiquis Francicarum rerum ſcriptoribus eſt manifeſtum. Summa rei vero totius Alemannici & Bajoarici populi ad Francos delata, non illi liberi cives regni Francici ſunt facti ſed potius ſubditi. Qui enim illis ſunt præfecti magiſtratuum loco, *Francica plerique proſapia* (c) videntur fuiſſe non Alemannicæ aut Bajoaricæ.

XXIII. Poſt Alemannos, circa annum 524. devicti Thuringi, non quidem in eandem videntur ſervitutem redacti, jus civitatis tamen ſub Francis retinuiſſe aut in civitatem Francorum transiiſſe non videntur. Namque & ipſi tributum pendere ſunt juſſi, magiſtratus quoque & leges ex victoria populi arbitrio acceperunt. Neque enim in ſocietatem aſſumti, ſed imperio ſubjecti fuerunt.

XXIV. Eadem fortuna Friſiorum fuit. Qui populus oram maritimam a Rheno usque ad Viſurgim inſedit. Namque & illa regio omnis a Carolo Martello & poſt Pipino in provinciam redacta eſt: populo tamen, ut nonnulli perperam volunt, in ſervitutem haud compulſo. Etſi vero etiam *majorem libertatem* (d) illis rediderit Carolus magnus, præclare in Italia geſtis eorum rebus motus, in civitatem tamen Francorum eos aſſumtos non liquet.

XXV.

(a) *Nonnulli*) Plerique Germanorum populari gaudebant regimine. Interim & aliqui regem habebant. Vid. TACIT. & AMMIANVS MARCELLINVS conf. MEZEROI *abregé chronolog. lib. 1. p. 43.*

(b) *Alemanni*) Sed ab hac Alemannorum clade omnem in Germania ſervitutem minus recte repeti ea, quæ Tacitus de majorum noſtrorum ſervis ait, nobis documento eſſe poſſunt.

(c) *Francica plerique proſapia*) Id enim contra regulas rectoriæ artis fuiſſet, gentibus devictis, tantopere ab externo jugo abhorrentibus, ex ſuis popularibus præfectos dare. Attamen aliquibus forte locis nihilominus conceſſum, ut ſuæ gentis rectores haberent. Quicquid enim Trutmanni nomen ſignificet, id tamen certum, illud non niſi Germanis fuiſſe impoſitum.

(d) *Majorem libertatem*) Conf. VBBO EMMIVS *rer. Friſic. lib. 4. ad annum* 789. Privilegium tamen illud enorme, quod tantopere Friſii jactitant, Fictitium eſſe, alibi tradidimus.

XXV. Meliori eventu Saxones ab iisdem Francis ſunt victi. Illi vere ea tempeſtate *Weſtphaliam* (a) omnem & Angariam, quicquid item eſt terrarum Salam inter Melibocum montem, Viſurgim, Oceanum & Albim, imo & trans Albim quod ad Eidoram usque amnem oræ eſt maritimæ, tenuerunt. Quanquam enim & hi initio juſſi pendere tributum, & communem devictarum gentium fortunam ſubierint, exitus tamen belli felicior fuit. Notatu ea de re digna ſunt verba Eginharti l. de vita Caroli magni: *Ea conditione a rege propoſita & ab illis ſubſcripta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum: ut abjecto dæmoniorum cultu & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta perciperent, atque* FRANCIS ADVNATI VNVS CVM EIS POPVLVS *efficerentur.* Paulo plenius contractum hunc deſcribit Poëta ille anonymus annalium Caroli magni autor, quem primus edidit Reinerus Reineccius, ad annum 803. Teſtatur enim ille, initum fuiſſe pactum cum *nobilitate* Saxonum. Quo nomine intelliguntur ſoli illi, qui juris dicundi poteſtate valentes vulgo *Grafen* aut *Fürſten* appellati ſunt. Contractum autem ſcribit cum in alia tum in hæc:

At vero cenſum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors.
Tum ſub Iudicibus quos rex imponeret ipſis
Legatisque ſuis, permiſſi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Vt gens & populus fieret concorditer unus
Ac ſemper regi parens æqualiter uni.

XXVI. Ex his autem videtur, ſolam illam *nobilitatem* Franciæ tunc civitatis jus accepiſſe, non autem plebem reliquumque populum Saxonicum: quippe cum quibus ſolis eſt contractum. Non quaſi non & aliis ſua manſerit libertas aliqua, ſed tantum quod non omnis populus in curam communis reipublicæ conceſſerit. Neque vero probabile mihi fit, quod Reineccius ad hunc locum notat; etiam ante hanc mutationem plebem a reipublicæ negotiis fuiſſe remotam. Quod tamen diſputare non eſt hujus loci. Id vero etiam atque etiam eſt notandum: ex hoc pacto magiſtratuum omnium, ſaltim eorum, qui jus dicebant, ſive Grafionum, conſtitutionem Carolo ceſſiſſe, omnemque Saxoniam gubernandam partim per ordinarios magiſtratus, partim per *Miſſos* (b) aut legatos, hoc eſt extraordinarium magiſtratum, utrumque tamen a cæſare dependentem. Quomodo ſcilicet & aliæ provinciæ Franciæ tunc gubernabantur.

XXVII. Juncti igitur Francis Saxones; at non ut penitus ſubditi, ſed ut unius reipublicæ cives. Quod ipſum & Witekindus Corbeienſis l. 2. innuere voluit hiſce verbis: *Qui olim ſocii & amici erant Francorum, jam FRATRES & quaſi VNA GENS, ex Chriſtiana fide, veluti modo, facta eſt.* Nec vero alia de cauſa Carolus Saxoniæ *dominum* (c) ſe dixit & Francorum regem; non item aliorum populorum, quos plurimos continuit imperio ſuo, niſi ſolorum in Italia Longobardorum nomen titulo ſuo regio adjunxit. Nempe quod hi populi ſoli libertate fruentes, non in Francorum ditionem penitus conceſſiſſent. Is autem Caroli titulus legitur in iis literis, quibus epiſcopatum Oſnabrugenſem condidit: *Carolus imperator Auguſtus, Romanum gubernans imperium, dominus & rex Francorum & Longobardorum, nec non dominator Saxonum.*

XXIIX. Præter autem laudatas ante nationes nihil in Germania, cis Rhenum quidem, fuit Germanicæ originis: reliquum omne Venedis aut Sclavis occupantibus. Hi vero nec paruerunt integre Francis, nec in ſocietatem reipublicæ accepti ſunt, ſed tributum ſolummodo *penderunt*. (d) Poteſt hoc plurimis doceri: at ſuffecerit unum Eginharti, rerum harum omnium peritiſſimi, teſtimonium adduxiſſe. „Omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac „Viſtulam fluvios Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua pene ſimiles, moribus autem atque „habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut tributarias eas fecerit. Inter „quas fere præcipuæ ſunt Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boemanni: cum iis namque conflixit, cæteras vero, quarum longe major eſt numerus, in ditionem accepit.„ Incoluerunt autem Sorabi ea, quæ inter Salam ſunt & Albim; Welatabi & Abotriti Meclenburgicam hodie dictam terram tenuerunt.

XXIX.

(a) *Weſtphaliam*) MEINDERSIVS *in tract. de origin. & ſtat. decim. & in vindic. libertatis Saxoniæ*, Weſtphaliam a macula illa, ac ſi præter ſervos propemodum nihil continuiſſet, liberare allaborat: Verum Coccejus, contra quem & Rhetius diſputat, ſeſe in *autonomia jurisgentium p.* 440. 441. 498. *ſeqq.* excuſare annititur. Puto tamen, hunc in *jure publico* c. 9. §. 11. aliquam Meinderſio, ita de ſua opinandi ſententia, occaſionem præbuiſſe. Quis enim aliter ex his verbis: *ſed utraque plane ſubjecta Suevia & Weſtphalia plane ſubjugata —— inde tot mancipia jure belli facta*, colligere poſſet, quam Coccejum, omnem Weſtphaliam non civile, ſed & ſervile Francorum ſubiiſſe obſequium, ſtatuere? Quod autem ad Rhetium attinet, verba, quæ in *inſtitutionibus juris publici lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 70. habet, toti Saxoniæ ſervitutem imponunt. Sed, licet aliqui Saxonum, qui ſe rebellionis crimine fœdaverant, ſub duriſſimum ſervitutis jugum acti ſunt, illud tamen non ad omnes ſpectat. Et ponamus, omnes nefando hoc ſeſe commaculaſſe crimine, libertati tamen deinde priſtinæ per pacificationem reſtituti ſunt, quod clar. MEINDERSIVS capitulationum cum Saxonibus initarum legibus probat. Nec poëtæ anonymo hic deroganda fides, quippe qui Arnulphi temporibus vixit & ad Eginhardum provocat, qui *c.* 7. inquit: *EA conditione bellum conſtat eſſe finitum.* Huic indubitabile libertatis Saxonicæ accedit ſignum, quod Saxonibus æque ac Francis in comitiis comparere licuerit. BALVZ. *tom.* 1. *p.* 279. Adde EGOLISMENSEM *p.* 48.

(b) *Miſſos*) De his alibi actum.

(c) *Dominum*) Sed hic titulus in Carolinis diplomatibus eſt valde inuſitatus. Igitur inter argumenta refertur; quibus diploma Oſnabrugenſe falſum eſſe probatum eunt, quod in eo Carolus M. ſe Saxonum dominatorem appellet.

(d) *Penderunt*) De rebus Francorum adverſus Slavos geſtis alibi actum eſt.

XXIX. Cæterum omnibus hiſce ita ſeſe habentibus apertum fit; eo tempore, quo Franci rerum per Germaniam omnem ſunt potiti, nullum populum Germanicum plane libertate fuiſſe uſum, aut civitatis jus habuiſſe, præter ſolos Francos, &, quibus hoc relictum fuit, Saxones. Conſtat tamen, in omnibus aliis quoque populis primores ad conventus publicos eſſe accitos, ſed hi forte fuerunt Franci & aliis illis præfecti. Hac ſane de cauſſa, præſertim vero quod & illi Francicæ originis eſſent, & vel pagis vel regionibus devictis olim præpoſiti, dicitur quidem paſſim, populum Francorum conveniſſe, alium autem præter hunc nullus: ex omnibus tamen provinciis dicitur in unum coiiſſe.

XXX. VT AVTEM res omnis eo clarius pateat, operæ pretium forte fuerit aperte oſtendere, quinam ergo jus comitiorum Francicorum olim habuerint. Quod idem eſt atque exponere, quinam olim potientibus rerum Francis veri cives fuerint Germanici. Id ipſum autem, ſi non aliunde, optime fortaſſis poteſt perſpici ex iis, quæ ex Adelhardi propinqui Caroli magni & conſiliarii; mox abbatis Corbejæ utriusque Gallicæ & Germanicæ, libello *de ordine palatii* recitat Hincmarus archiepiſcopus Rhemenſis, nobili & ipſe Francorum ortus proſapia, inque aulicis regni negotiis ætate Ludovici pii ejusque filiorum verſatiſſimus, epiſtola ad epiſcopos Franciæ perſcripta *3. c. 29. Conſuetudo* (verba ejus ſunt) *tunc temporis trita erat, ut non ſæpius ſed bis in anno placita duo tenerentur.* (a) *Unum, quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpacium: quod ordinatum nullus eventus rerum, niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas univerſorum majorum tam clericorum quam laicorum conveniebat. Seniores propter conſilium ordinandum: Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum.* cap. 30. *Cæterum autem propter dona generaliter danda aliud placitum a ſenioribus tantum & præcipuis conſiliariis habebatur, in quo jam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur. &c.*

XXXI. Hæc verba modo recte intelligantur, omnem rem, quam inquirimus, nobis demonſtrant. Duo ſcilicet apud Francos fuere conciliorum genera: alterum commune *totius populi*: (b) alterum particulare, de rebus quidem minoribus ſemper, interdum tamen & de majoribus, ſed non niſi προβουλίας ἕνεκα, quorundam ex principum aut primorum ordine delectorum. Utrumque quotannis celebratum. Et majore quidem illo negotia regni conſtituta ſunt in integrum annum. Minore res maximæ, in futuro generali conventu conſtituendæ, ſunt prætractatæ. Quem morem omnibus Germanicis populis olim fuiſſe uſitatum, ex Tacito ſupra probavimus. Tempus porro comitiorum illorum majorum ſtatum fuiſſe circa calendas Maji, probat teſtimonium Sigeberti Gemblacenſis in chronico ad annum 662. *Francorum*, inquit ille, *regibus moris erat kalendis Maji præſidere coram tota gente, ſalutare & ſalutari, obſequia & dona accipere.* Quod totidem pene verbis dicit Cedrenus. Sed hoc fortaſſe primis obtinuit temporibus: ætate certe *Caroli magni* (c) adeo religioſe obſervatum non fuit.

XXXII. Jam vero cum in comitiis illis majoribus fuerint totius regni negotia conſtituta, & vero illa peracta fuerint totius populi arbitrio ac conſilio, liquet utique, omnem populum Francicum obtinuiſſe jus civium & comitiis interfuiſſe. At *populi* nomine multi veniunt. Namque & primores ſeu proceres pars populi ſunt, & plebs quoque ingenua eodem nomine comprehenditur. Videri autem poſſit ex Hincmaro, ſolos proceres olim ad comitia convocatos, ſecluſa plebe. Scribit enim, coiiſſe *generalitatem MAJORUM.* Cæterum mendo textus laborat: ſcribendumque *generalitas majorum & minorum.* Statim enim poſt & *minores* conſilio ſcribit interfuiſſe, quos utique ergo conveniſſe neceſſum eſt.

XXXIII. Illos vero MINORES fuiſſe multitudinem ipſam ſeu plebem, claret ex iis, quæ habentur *cap. 35.* ejusdem epiſtolæ: ubi diſerte ſcribitur, diſtinctis locis in comitiis iſtis ſeniores & multitudinem reſediſſe. Quanquam vero & multitudo illa convenerit, liquet tamen ex Hincmaro, non eam fuiſſe *multitudinis*, quæ erat procerum, auctoritatem: Diſerte enim ſcribit, *ſeniores* (quo nomine ille appellat proceres aut primores regni) conveniſſe, *propter conſilium ordinandum, minores propter idem conſilium ſuſcipiendum.* Nec tamen omne arbitrium rerum fuit multitudini ereptum. Addit enim: *& interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate* (h. e. non alieno potentiorum juſſu) *ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum.* Ergo & multitudo interdum tractavit res illas maximas: habuit vero poteſtatem, ea quæ placuerant primoribus *confirmandi*, & quidem *ex proprio conſilio*, non ex mandato. Si autem *confirmandi* liberum jus habuit, habuit jus quoque rejiciendi, quæ diſplicuerunt, more antiquo ſcilicet adhuc integro. Patet idem ex capitulari Caroli M. *10. c. 217. de capitulis, quæ in legem noviter addita ſunt. Ut populus interrogetur de capitulis, quæ in legem noviter addita ſunt: & poſtquam omnes conſenſerunt, ſubſcriptiones & manu confirmationes ſuas in ipſis capitulis faciant.* Fine legis Alemannicæ hæc habentur: *Hoc decretum eſt apud regem & principes ejus, & apud cunctum populum chriſtianorum, qui infra regnum Merovingorum conſiſtit.* Ubi *populus* additus *principibus* non poteſt non plebem ſignificare. At ex illius populi *decreto* leges illæ Alemannicæ ſunt conſtitutæ. Idem confirmant & conſtitutiones illæ *l. 5. c. 38.* ubi recenſetur, quænam communi *fidelium* regis

(a) *Placita duo tenerentur*) Conf. CANGIVS & LINDENBROG. *in gloſſar. ſub voc. placitum.*

(b) *Totius populi*) In his omnibus Francorum gentibus per deputatos comparentibus ipſe rex præſidebat. Agebatur ibi de præcipuis regni negotiis, utpote de bello & pace &c. CANGIVS *l. c.* BALVZIVS *in præfat. capitular.* Non tamen dubito, quin & cauſæ judiciales majoris momenti ibi pertractatæ ſint.

(c) *Caroli magni*) HOTTOMANNVS *in Franco-Gallia c. 13.*

regis conſenſu conſtituta ſint. Ad *fidelium* enim numerum non poteſt non & plebs pertinere. Iſta vero loquendi formula & ipſe Ludovicus pius utitur *l. 1. capitular. ſub init. & c. 22. & 24.*

XXXIV. Tanta vero fuit præ plebe procerum auctoritas, ut libertate ſua antiqua, rejiciendi nempe illa, quæ principibus placuerant, nunquam uſa legatur: ſive non diſplicuit, quod illis placuit, ſive contra niti haud fuerint auſi. Hinc in antiquis monumentis concilia illa populi plerumque haud alio nomine quam *conventus procerum* aut *principum* vel *optimatum* audiunt: omni ſcilicet concilii poteſtate fere ad hos ſolos relata. Eodem ſpectat procul dubio Hincmari illud conſilium Ludovico balbo datum *epiſt. 1.* uti rempublicam adminiſtret ex procerum aut *principum* conſenſu; nusquam plebis mentione facta. Unde & epiſtolam illam claudens cap. X. ſcribit: *De generalibus eccleſiæ ac regni negotiis, ſine generali primorum regni conſenſu & conſilio ſecretum dare conſilium nefas: etiam conſenſum deliberare non volo.* Poſſet autem id ipſum facile plurimis probari teſtimoniis, ſi opus foret: ſed rei perſpicuæ fidem conciliare velle, videtur eſſe operam ludere.

XXXV. Proceres autem ac primores ordines quod attinet, notandum eſt: Hincmarum teſtari, conveniſſe *generalitatem univerſorum majorum, tam clericorum quam laicorum.* Itaque primum omnibus archiepiſcopis epiſcopisque in univerſo Francorum imperio jus fuit ſuffragii in comitiis publicis ferendi. Eodem pertinuerunt & abbates. Namque & illorum cumprimis magna fuit auctoritas. Eoque & Hincmarus *ep. 5. c. 7.* Ludovico balbo ſuadet, ut inter alios proceres, Hugonem & Gozlinum abbates minus regi æquos convocet, atque ex eorum etiam conſilio negotia regni ordinet. Laici deinde majores omnes veri fuerunt cives. Eo autem nomine comprehenduntur duces ac comites. Atque hi quidem videntur & *magiſtratus* appellati ac *judices* in antiquis Francorum monumentis. Nam qui plebejos credunt his nominibus ſignificari, illi ſane falluntur. Ut enim alibi probatur; ea tempeſtate magiſtratuum & judicum officia ſola nobilitas adminiſtravit. Quin imo comitum officium non aliud fuit quam judicum. Ut alibi itidem rectius exponetur.

XXXVI. Hos porro proceres jam temporibus Francorum antiquiſſimis concilio interfuiſſe, plurimis quidem teſtimoniis probare in proclivi eſt: ſatis autem fortaſſis eſt unum alterumque attuliſſe. Apud Theganum chorepiſcopum Trevirenſem *l. de geſtis Ludovici imp. c. 6.* de Carolo magno ita legitur: *Imperator cum intellexiſſet appropinquare ſibi diem obitus ſui, vocavit filium Ludovicum ad ſe cum omni exercitu. Epiſcopis, abbatibus, ducibus, comitibus loco poſitis, habuit grande colloquium cum iis Aquisgrani in palatio.* Initium legum Alemannicarum ita ſeſe habet: *Lex Alemannorum, quæ temporibus Lotharii regis cum principibus ſuis id eſt 33. epiſcopis, 34. ducibus, 72. comitibus, & reliquo populo conſtituta eſt.* Ubi tamen nulla abbatum fit mentio, quod nempe prima Francorum ætate nondum id juris eſſent adepti. Ætate tamen Caroli magni ea dignitate jam potitos fuiſſe abbates, ſaltim aliquos, ex iis quæ attulimus certum eſt. Taceo enim nunc, quod Hincmarus *ep. 3. c. 35.* diſerte ſcribat, epiſcopis & abbatibus in concilio populi ſua fuiſſe ſubſellia.

XXXVII. VERUM Carolo magno & Ludovico pio ejus filio non Germania tantum ſed & Gallia omnis atque Italia paruit: itaque tum quidem temporis ad concilium generale ex omnibus illis locis ordines forte ſunt vocati. At Germania a reliquis illis diverſum regnum cœpit eſſe poſt Francici regni diviſionem illam inter Ludovici pii filios tres inſtitutam. Ludovico enim ceſſerunt, præter Auſtriam, Bavariam, Alemanniam & Franconiam, Friſia, Saxonia, Venedorum potior terra & urbes tres ad Rhenum. Acceſſit poſt & illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem diviſione devenerat, quæque Lotharii regnum aut Lotharingia hinc appellata eſt, veteremque Belgicam Galliam pene exæquat. Omnia hæc imperio ſuo etiam Henricus auceps complexus eſt: ab eo autem per multa ſecula ſequentes imperatores Germanici acceperunt. Adjecit Otto magnus Italiam. Conrado porro cæſare & Burgundiæ regnum ſeu Arelatenſe cum Germanico ac Lotharingico conjunctum eſt. At poſt fatale illud interregnum, quod Friderici ſecundi tempora excepit, Burgundici quidem regni procerum plærique pro ſe quisque liberum ſibi aliquod regnum condidere, mox in Gallorum regum poteſtatem pervenerunt. Multæ quoque Lotharingici regni provinciæ a corpore imperii Germanici, aut vi detractæ ſunt, aut ultro ſeceſſionem fecere. Germanici quoque proprie ita dicti regni portiones quædam haud exiguæ reſpublicas ſibi proprias ſtruxerunt. Nec vero quicquam Germanico quidem regno poſt Ottonem M. acceſſit, præter illa, quæ trans Albim in Mecklenburgenſi & Pomeranico ſunt tractu, Pruſſiam item & Livoniam: quæ ultima tamen in civitatem Polonicam jam conceſſerunt. Non annumerabo enim Germanicis provinciis Daniam, Poloniam, Ungariam, etſi tributum interdum penderint, Polonia vero etiam leges ex parte acceperit.

XXXIIX. Sed hæc latius & pro dignitate deducere ejus operæ eſt, qua de provinciis & limitibus regnorum omnium Germanicorum agitur. Facile autem ex his manifeſtum eſt; prout crevit vel decrevit imperium Germanicum, ita & numerum civium fuiſſe immutatum. Namque Ludovici Germanici ætate quidem, ſolius Germanici proprie dicti regni ordines comitia conſtituerunt: poſt in idem concilium & Lotharingici ſtatus aſſumti ſunt. Burgundici regni ordines, an ſtatim Germaniæ concilia frequentaverint, merito fortaſſis quis dubitet. Exceperunt enim illam ætatem, qua primum conjuncta eſt Germaniæ Burgundia, ingentes motus, quibus Germaniæ robur fractum: & ipſi ordines Burgundici ſui juris eſſe maluerunt. Italicum quoque regnum ſua habuit ſemper concilia. Certe omnium horum regnorum univerſale aliquod concilium ſi habitum eſt unquam, non niſi rariſſime eſt habitum. Videtur tamen pene ejusmodi aliquod celebratum, cum eligeretur in regem Conradus Saliquus. Hiſtoriam illam deſcribens Wippo: *Italiam* (inquit) *tranſeo, cujus principes in brevi convenire ad regiam electionem nequiverunt.* Scribit tamen: *Tunc ſinguli de ſin-*

gulis

gulis regnis eadem verba electionis ſæpiſſime repetebant. Sed tale quid fortaſſis factum in electione regum: alias autem factum eſſe, vix legas.

XXXIX. Illud vero conſtat, Lotharingicum & Germanicum regnum ita a temporibus usque Henrici aucupis coaluiſſe, ut uno nomine, iisdem conciliis, pari auctoritate ſint uſi utriusque regni ordines, vereque hactenus unam civitatem conſtituerint. SED EORVM quinam ex iis terris jus habuerint verorum civium, numerum inire difficile eſt. Namque & a monumentis antiquis deſerimur, & quæ laudantur ſubleſtæ ſunt fidei, tum vero longa ætas magnam omnium rerum mutationem fecit.

XL. Circumfertur tamen vetus quædam ordinum tabula, qua illi in quaterniones diviſi ſunt. Inſeruit illam operi ſuo jam olim auctor chronici Colonienſis editi anno 1499. inſeruit & Petrus de Andlo *l. 1. cap. 16. de Romano imperio:* exhibuit ex poſterioribus Munſterus *l. 3 Coſmogr. c. 18.* plurimi alii laudarunt; ideoque vulgo nunc in picturas abiit. Nec vero dubitant nonnulli auctorem ejus Ottonem III. imperatorem ſtatuere; prudentiores tamen incertam illi adſcribere originem malunt. Verum enim vero qui non videt omne illud ineptum eſſe otioſorum hominum commentum, in antiquis imperii rebus nihil videt. Certe hæ diviſiones contra omnem ſunt *hiſtoriæ fidem.* (a) Nec vero eſt, quod cum Limnæo *l. 1. c. 7. n. 44.* mitius ſentiamus, eo quod in receſſibus imperii Erphurdiæ celebratis paragrapho *darauf wir nach Ausweiſſunge*, comites Swartzburgenſes nominentur titulo *der vier Graven des Reichs*, aut quod receſſibus anno 1557. Carolus de Fravenberg ſubſcripſit hiſce verbis: *des heiligen Rœmiſchen Reichs Erbritter.* Ejusmodi enim & *alia multa* (b) meris commentis ſubnixa per incuriam quandam in receſſus irrepſerunt. Ottonis certe tertii opus tabula illa nequaquam eſt. Referuntur enim in ea duces Brunſuicenſes, nec non Thuringiæ & Haſſiæ landgravii: quos diu poſt Ottonem III. conſtat cœpiſſe. Comites porro Sabaudiæ ſunt Arelatenſis regni proceres: illi vero regno tempeſtate Othonis III. cum Germanico nihil fuit commercii. Lubecam quoque certum eſt liberis imperii urbibus additam demum eſſe a Friderico id nominis primo Barbaroſſa. Non dicam nunc, quod illa tabula nullos epiſcopos, nullos abbates exhibeat; ſileat quoque plurimos comites, plurimas urbes imperiales: quibus in conciliis imperii illa jam ætate fuit locus.

XLI. *Aliam tabulam* (c) ordinum itidem per quaterniones diſtinctam, inſeruit *tomo unico conſtitution. imperial. p. 34.* Melchior Goldaſtus, & ex illo repetiit Limnæus *l. 1. c. 7. n. 48.* Quæ & ipſa videtur nonnihil antiquior, minus tamen eſt vulgaris quam illa prior. Reapſe autem & illa nihil aliud quam luſus quidam eſt hominis vani & inepti; qui ut multos quaterniones conficeret, totius orbis reſpublicas non dubitavit ſuis nugis concutere. Adeo autem putida ſunt & anilia commenta, ut iis confutandis operam impendere, fuerit illam perdere; non enim quicquam fere habet illa tabula ſani.

XLII. Ampliſſimum catalogum ordinum imperii, eorum, *qui intra annos circiter quadringentos civitati Germanicæ adſcripti jus ſuffragiorum ferendorum in comitiis habuerunt, deſcriptum ex tabulis publicis* (verba recito) *quos Fridericus III. imperator in comitiis Ratisbonenſibus anno 1471. conſcribi & in acta imperialia inferri mandavit, nec non ex receſſibus & imperii matriculis variis tam veteribus quam novis:* propoſuit idem Melchior Goldaſtus *tomo unico conſtitution. imperial. pag. 12.* & ex illo Limnæus *l. 1. c. 8.* At ſatis apparet, totum illud confictum eſſe ab ingenio Goldaſti: illum vero huc tranſtuliſſe omnes, qui unquam receſſibus imperii nomina ſua ſubſcripſerunt: quod conſtat ſæpe a peregrinis regibus ac principibus eſſe factum, in teſtimonium duntaxat tamen & majoris fidei pondus. Id certum eſt enim; reges Angliæ, Franciæ, Sueciæ, magnum ducem Lithuaniæ, & archiepiſcopum Gneznenſem, Lundenſem, Pragenſem, & plurimos alios, nunquam fuiſſe ordinibus imperii accenſitos; quos ille catalogus inter primos tamen locat.

XLIII. Meliorem & fide digniorem ordinum catalogum regum recitat Baurmeiſterus *lib. 2. de juriſdictione imperii Romani c. 1. n. 17. & ſeqq.* Quum tamen & ille ex monumentis imperii *haud ſit deſcriptus,* (d) non eſt, quod ei fidem tuto adhibeas. Quin ne ex ipſis quidem monumentis antiquis plerisque haud aliud tuto colligas, quam quinam ſint ad concilia vocati; aut quinam concilio interfuerint interdum; aut denique, quinam ex decreto publico contribuere quicquam debuerint in ærarium imperii: jure vero an injuria horum aliquid ſit factum, non colligas.

XLIV. Scilicet exitiali peccato per plurima ſecula neglecta eſt publici ordinum Albi confectio, certa in illud omnium nominum inſertio. Acceſſerunt poſt, a tempore Henrici quarti perpetui fere civiles motus, cum cæſareæ dignitatis & auctoritatis tantum non interitu conjuncti. Ipſa quoque concilia magis magisque cæperunt eſſe ſumptuoſa. Ex eo vero plurimi paulatim, civitate Germanica deſerta, maluerunt domi vivere immunes & liberi, quam turbulentis imperii negotiis immiſceri. Nec vero vel illi qui permanſerunt in obſequio ordines, videntur hanc mutationem ægris oculis aſpexiſſe: ſive quod & ipſi ad eandem libertatem adſpirarent: ſive quod domi regna ſibi condentes, aut pace fruentes & otio, publicas imperii res extra ſuas curas ponerent: ſive quod laten-

(a) *Hiſtoriæ fidem*) SCHWED. *J. P. part. ſpec. ſect. 1. c. 30. §. 10.* Sunt tamen illius ordinum diviſionis in quaterniones, quædam in imperii receſſibus veſtigia, & putat LIMNÆVS *in jure publ. lib. 1. c. 7.* eam tanquam imperiali autoritate approbatam tolerari poſſe. Sed quis rei tot falſis fœdæ applauderet? Nec dici poteſt, quod imperiali ſit approbata autoritate. Quod ex communi errore in receſſus imperii irrepſit.

(b) *Alia multa*) MAVRITIVS *de receſſibus imperii §. 37. 38.*

(c) *Aliam tabulam*) SCHWEDER *l. c. p. 585.*

(d) *Haud ſit deſcriptus*) Cum monumentis tamen imperii convenit. Nec aliquis ab eo notatus eſt; qui tum temporis ſtatuum imperii numero non fuerit.

latentibus omnibus in obſcuro, ſibi proclive viderent bona quædam publica intervertere: ſive denique deſperarint de conſervando imperii ſtatu. Sane ſi ab initio fuiſſet confectum Album aliquod opum & ordinum imperii publicum, ſi imperii acta & decreta ſancte ſemper fuiſſent conſignata, ſi cæſaris poſtremo auctoritas manſiſſet integra, longe nunc alia eſſet civium imperii ratio.

XLV. Nempe prudentiæ civilis monitum eſt, ne qua mutatio civium fiat minus divitum, cavenda eſſe ſumtuoſa comitia, aut vero ſumptus omnes ex publico faciendos. Quin invitandos eſſe omnes & ſingulos pœnis ac præmiis propoſitis. Ante omnia autem Album publicum conſtituendum, inque id omnium, qui jam per ætatem habent comitiorum Jus, nomina eſſe referenda. Id ſane optimæ quæque olim reſpublicæ obſervaverunt: imo & nunc prudentiores quæque obſervant. Nec vero ulla reſpublica hujus rei obſervatæ non fructum magnum, non obſervatæ autem non magnum ſenſit detrimentum.

XLVI. Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. COETERVM Sigiſmundo & poſt Friderico, Maximiliano, ac Carolo V. imperatoribus, videntur majori cura ordines de certo numero civium ineundo laboraſſe. Ejus autem rei incitamentum procul dubio præbuerunt *Bohemica* (a) & Turcica bella, utraque vi & auctoritate publica geſta; quod a temporibus usque Friderici Primi perfuit inſolens. Etenim cum bellum publicis ſumptibus eſſet alendum, neceſſarium fuit ordinum omnium cenſum inire, quo ſciretur, quid a quoque eſſet expectandum.

XLVII. Ac initio quidem vix potuit error evitari. Erant ſcilicet illis primis temporibus res imperii in denſiſſimis tenebris, & omnia adhuc barbaries infeſtabat. Præterea multorum intererat, ut amplificaretur quam maxime ordinum numerus, non tam ſtudio quodam reipublicæ juvandæ, quam quo in plures diviſo publico tributo ipſi minus onerarentur. Sed & maluerunt multi in imperii potius quam in provinciæ alicujus ærarium ſuam pecuniam conferre: ſibi eo & dignitatis multum & libertatis accreſcere, haud inepte colligentes. Acceſſerunt cæſarum ordinumque varia circa hanc rem & occulta ſtudia. Enim vero intereſt hodie cæſareæ auctoritatis, ut creſcat numerus ordinum, cumprimis vero ut omne, quod in provinciis eſt robuſtiſſimum, in hunc cenſum tranſeat. Vires enim ac opes regni non in paucorum ſed *plurimorum eſſe manibus*, (b) ſalus regia eſt. Quin ipſæ inter multos de libertate civica contentiones, cum parandæ tum conſervandæ regiæ auctoritatis maxima ſunt adminicula. Ex adverſo ordinum quisque ſibi mavult alium *quemque ſubjectum* (c) quam toti imperio. Ad hoc etiam vicinus vicini potentiam ſuſpectat. Itaque & inter ipſos ordines occultis hoc in negotio eſt odiis aut amoribus certatum aliquamdiu haud leviter.

XLVIII. HISCE de cauſis effectum ſane eſt, ut hodieque omnis hæc res per ſit impedita. Namque primis quidem illis in conciliis, a temporibus Sigismundi cæſaris, plures eſſe errores commiſſos, vel ex eo ſtatim apparet, quod in omnibus fere iſtis comitiis alia atque alia ſit Matriculæ ſeu Albi ordinum ratio. Facile hoc cuivis eſt perſpicere, ſi libeat contendere Matriculas (quas appellant) conciliorum anni 1431. 1467. 1471. 1480. 1481. 1486. 87. 89. 91. 1507. Liquet enim, multos ordinibus eſſe accenſitos, qui alibi omittuntur. Tam vero certum eſt (ut unum hoc adducam ſolummodo) conventui anni 1471. inter alia ſubſcriptum eſſe: *Goſlar, Herr Johann Buchholtz mit Gewalt Braunſchweich, Hildesheim, Gættingen, Einbeck, Hanover und Hameln*; & tamen in nulla Matricula nomina plærarumque harum urbium inveniuntur; imo nunquam alias comitiorum imperii jure pleraſque uſas eſſe, *certiſſimum eſt*. (d)

XLIX.

(a) *Bohemica*) LEHM. *chr. ſpir. lib. 7. c. 80.* MAVRITIVS *de matricula* §. 8. Contendunt quidem Limnæus & Speidelius, adfuiſſe matriculas, illa, quæ anno 1431. confecta eſt, longe antiquiores: Sed hoc aſſertum obinde falſum eſſe putat Mauritius, quod de iis hiſtorici ſileant, nullaque earum in archivis reperta ſint exemplaria. Quis crederet, hæc Lehmanno & Goldaſto ſolertiſſimis talium rerum indagatoribus effugiſſe. Sic & impingunt WEHNERVS *in practicis obſerv. voc. matricul.* MEISEHNERVS *tom. 3. deciſ. 6. n. 20.* KNIPSCHILD. *de juribus & privileg. civit. imperii lib. 1. c. 3.* SCHVZ. *in colleg. juriſpubl. V. 2. d. 4. theſ. 15.* antiquiſſimam matriculam, imperante Friderico III. in comitiis Noribergenſibus 1467. eſſe factam ſtatuentes. Gravius adhuc aberrat Wurmſerus, qui illud ſub eodem cæſare ann. 1397. factum eſſe *exercit. acad. jur. publ. 1.* tradit, cum ille annis quinquaginta prope poſt imperium adeptus ſit.

(b) *Plurimorum eſſe manibus*) Plurimi enim raro in unam convenire poſſunt ſententiam. Exinde non una vice ſtatus contra multiplicationem ſtatuum & votorum proteſtati ſunt, & neſcio, an ubique ſtatuum rationibus conducat: *daſs das Reich an ſeinen Gliedern und Stimmen geſtarcket werde.*

(c) *Quemque ſubjectum*) Quo minus laxo & magis indiviſo ſibi obſequio ſit obnoxius.

(d) *Certiſſimum eſt*) Notat MAVRITIVS *de matricula imperii* §. 22. in ſuo quoque exemplari manuſcr. matriculæ de anno 1521. harum urbium, quæ minus recte liberis & immediatis imperii accenſentur, nomina legi. Nec deſunt alia adhuc, quæ in hac matricula deſiderantur: Audiamus de hac querelas in voto Wurtenbergico anno 1663. ſeſſ. 16. prolatas. *In der* matricul *von* anno 1521. *ſey dem Schwabiſchen Kreyſe, inſonderheit dem Hauſe* Würtenberg, *ein alzuhoher und* disproportionirter *Anſchlag zugelegt, nemlich ein volkommener Churfürſten Anſchlag. Bey Einrichtunge gedachter* matricul *ſind einige von den Schwabiſchen Standen nicht gezogen, auch deſſelben Kreyſes Gutachten nicht eingeholet.* Würtenberg *und andere des Schwabiſchen Kreyſes haben ſich wider ſolchen hohen Anſchlag beſchweret, und ſonderlich in dem in* anno 1543. *zu Nürnberg geweſenen Reichs-Tag auf zuvor zu Weylerſtadt gehaltenen allgemeinen Creiſs-Tage und den dabey gemachten einmiübtigen Schluſs eine* formal*-Geſandſchaft der Stande in Schwaben abgeſchicket um billigmaſſige* moderation *zu ſuchen, aber bisher iſt nichts daraus worden, ſondern man iſt immer mit guter Hoffnunge hingehalten worden. Welches viel Stande von Schwabiſchen Kreyſs bewogen, ſich entweder unter die Schweitzerſche* cantons *oder unter das Hauſs* Oeſtreich *zu begeben, oder ſind ſonſt* eximiret *worden. Auch wann die ſo lang her geſuchte* moderation *nicht einſten erfolgen ſolte, dürfte endlich ein oder andere ſo hoch* gravirter *Stande ſich auch bemüſſiget finden, auf ſolche Mittel und Wege zu gedencken, damit er nicht in langerer und beſtandiger obbehaltunge ſo hohen und weiter unertraglichen Anſchlags bleiben moge: da zumahl auch ein neuer Calender aufkommen, der in einem Iahr 100. Monathe habe, ſo würde* Würtenberg *in der* moderations*-Sache und den* matricul*-Anſchlag als einer zu der*

XLIX. Agnoverunt illud ipſum ordines omnes; eoque ſuperioris ſeculi anno viceſimo primo majori diligentia plurimos errores emendavere, & Matriculam elaborarunt perfectiorem. Sed neque hæc omni ex parte eſt perfecta. Nam in comitiis *anni 1548.* (a) Auguſtanis, exhibitus eſt cæſari ab ordinibus magnus ſatis catalogus eorum, quos eximendos Matricula imperii, pro ſe quique crediderunt. Edidit ejus partem Limnæus *lib. 1. c. 7. n. 73.* aſt integer habetur *actor. Brunſuicenſium part. 2. ſect. 2. p.* 1081. Ea propter in comitiis anni 1570. §. *wann dann darneben*, indictus eſt locus certus perficiendæ demum Matriculæ. Repetitum eſt idem anno 1576. §. *demnach wir ferners*, anno etiam 1594. §. *demnach wir zum fünften.* Etſi enim in comitiis anni 76. §. *wann auch zu Franckfurt das* dubium *erreget worden*, *welche Reichs*-matricul, conſtitutum ſit, ſequendam illam anni milleſimi viceſimi primi; diſerte tamen additur: *was und ſo viel dann die vorige im Jahre* 45. 57. 71. *geweſene* moderatorn (*doch der* interponenten appellationibus *ohne Nachtheil*) *oder durch nechſtkünftige* moderatoren *oder* deputatos *geandert würde*, *darnach dann dieſelbige erſte* matricul *endlich ergentzet und richtig gemachet werden ſoll.* Ex quibus patet, ne ſic quidem Matriculam iſtam omni ex parte eſſe perfectam. Probant autem id ipſum quam maxime acta comitiorum Ratisbonenſium anni 1603. Tum vero lites hodieque haud parvæ pendent, a fiſcali imperii hoc nomine inſtitutæ. Quin Matriculæ inſertionem non niſi *præſumptionem juris ſtatus* afferre, etiam aſſerit Gailius.

L. Porro etiam in convocatione ordinum ſæpe hodieque peccari: alios nimirum non vocando, qui vocari minime debebant, vel unica illa epiſtola Rudolphi II. cæſaris doceat, quæ habetur *partis ſec. actor. Brunſuicenſ. ſect. 2. in additione pag. 23.* Acriter enim a cæſare objurgatus eſt Papenheimius vicemarſchallus imperii, ob multos errores in comitiis anni 1602. commiſſos.

LI. Non eſt autem quod quis cenſeat, omnes illos eſſe ordinum loco habendos, quibus injungitur nonnihil in ærarium imperii conferendum. Namque de Hanſeatici fœderibus urbibus conſtat ſane, ab iis in univerſum aliquid eſſe poſtulatum; ut tamen ſingulæ non minus ſuo loco quoddam ſolvere teneantur. Et vero quid notius eſt, quam plerasque hujus fæderis non liberas fuiſſe urbes ſed provinciales; quum tamen magno numero urbium olim illud conſtiterit. Quin hoc ipſum diſerte agnoſcitur. *Receſſ. comitiorum anni* 1566. §. *Ob denn nicht allein*, & nihilominus tamen omnes ſociæ urbes ad contribuendum publico invitantur, quod opulentæ ſint & periculum id poſtulet. Eodem modo & nobiles Suevicæ ac Franconicæ Rhenanæque provinciæ publico imperii ærario tribuunt ſua, ſine ſuffragandi tamen in comitiis poteſtate.

LII. IN univerſum ergo ſi æſtimaveris, hodieque omnis hæc res eſt perimpedita, nec ſatis accurate conſtituta, magno ſane reipublicæ malo. Non tantum vero in dubio eſt maximo *de nonnullis*: (b) ſintne ordines imperii nec ne: ſed & illud incertum videtur, quando multorum, quibus olim jus ſuffragii fuit, opes ad unum aliquem pervenerunt, an uni illi *totidem ſuffragia* (c) ferre licitum ſit. Sane nonnullos id ſibi nemine contradicente ſumpſiſſe, conſtat. Brunſuicenſis autem familiæ principes noſtros id ipſum haud obſervaſſe, jam antehac monuit *Ampliſſ. Lampadius libri de republ. Roma German. c. 5. num.* 16.

LIII. Illud tamen conſtat, civium imperii alios eſſe clericos, alios laicos. Illius ordinis ſunt archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, abbatiſſæ, magiſtri ordinum militarium ſacrorum omnes, quotquot hodieque imperii Germanici finibus continentur, ſimulque territorium aliquod ab imperio obtinent. Illi tamen clerici, qui auguſtanam confeſſionem profitentur, licet ſint iſtius ordinis, a jure hoc conciliorum vi *transactionis Pragenſis* (d) nuperæ excluduntur. Ad alterum vero ordinem pertinent electores, archiduces, duces, principes, marchiones, comites, barones, & denique urbes variæ, quæ itidem imperii legibus viventes territorium aliquod ex imperii benignitate obtinent. Adeo ut hodie quidem illud civitatis jus territorio hujuſmodi ſit annexum.

LIV. Horum autem ordinum clericorum & laicorum, *jam Francorum* (e) temporibus locum aliquem fuiſſe in comitiis publicis, certiſſimum eſt. De urbibus ſolis nonnihil nos dubios faciat, quod illarum diſerte nuſquam forte fiat mentio in antiquis monumentis. Nam quod a Lehmanno *lib. 4. c. 3. chron. Spirenſis* adducitur e Radevici *lib. 2. cap.* 3. Friderico primo etiam cæſare *civitatum* conſules in Roncalias eſſe citatos: id ad Italicas urbes quidem pertinet. At ea ætate urbes Germanicæ longe inferiore conditione fuerunt, quod peroptime docet idem vir harum rerum longe peritiſſimus, eodem capite. Primis tamen Saxonicorum cœſarum temporibus *in multitudine* ſic dicta & urbium forte nonnullarum delegati fuerunt. Fuit ſane & tum *multitudini* aliquis in comitiis locus. Liquet ſcilicet id ipſum ex electione Henrici Aucupis, quam *l. 1.* magis clare ex electione Ottonis magni, quam *libro ſecundo* deſcribit Witikindus: ex Dithmari item *l. 4. & 5.* ubi recenſetur electio Henrici

materia collect. *gehörigen Sache durch die* majora *nicht binden laſſen. Protocollum Brunswic. tom. 2. fol. 275.* Adde votum Conſtantienſe ejusdem temporis. Hinc tot de matriculari moderatione enatæ ſunt concertationes, quæ per multa actorum comitialium folia implent. Interim matricula hæc de anno 1521. in receſſu imperii de anno 1551. 55. 66. 76. 82. 94. 1654. §. 181. tanquam norma confirmata eſt.

(a) *Anni 1548.*) Exhibita ibi eſt cæſari ab ordinibus deſignatio centum & unius imperii membrorum, quæ imperii albo minus recte illata, in eo delenda eſſent. MAURITIUS *l. c.* §. 23. Catalogum plus, quam centum ſtatuum exemtorum in comitiis auguſtanis 1568. exhibitum ex Limnæo refert VITRIARIUS *lib. 1. tit. 5.* §. 4.

(b) *De nonnullis*) Horum numero ſunt Hamburgum & Brema.

(c) *Totidem ſuffragia*) BERTRAM. *de comitiis* §. 42.

(d) *Transactionis Pragenſis*) Ex *inſtrumento pacis artic. 5.* §. 22. ſeſſionem inter eccleſiaſticos & ſeculares intermedio & tranſverſo capiant. Vid. LONDORP. *tom. 5. p.* 206. *Grund-Veſte part. 1. c. 5. n. 5. p.* 100. PFANNERI *hiſtor. pac. Weſtphalica p. 126. ſeqq.*

(e) *Francorum*) MONZAMBANO *c. 3.* §. 7. COCCEJUS *in autonomia juris gent. c. 22.* §. 22.

Henrici ſecundi: ex Wippone denique, quo loco narrat Conradi Saliqui electionem. Sed *multitudinis* illius maximam partem videntur conſtituiſſe equeſtris dignitatis homines, quos deinceps *milites* dixerunt. Sequentibus tamen ſeculis omne hoc videtur abolitum: ſive quod multitudinis nulla prope ratio haberetur, ſive quod ſumptuoſiora eſſent comitia, quam ut *ferendis ſumtibus* (a) illa ſufficeret, ſive denique, quod nullum ex comitiis fructum ſperaret. Decimo quarto tamen a nato Servatore ſeculo, paulatim urbes iterum ad imperii comitia accitæ; quod illa tempeſtate & numerus urbium ſat magnus eſſet; & præcipuæ opes viresque imperii iis continerentur, adhoc novis ſumptibus ad onera publica eſſet opus quam maxime. Nunc certe pleno jure conciliorum fruuntur urbes illæ liberæ. Nam quod Peucerus ſcribit *libr. 5. chronicorum*, eas *nec ſuffragia ferre nec ſententiam in comitiis dicere*, id vero *optime refellit* (b) Lehmannus *l. 4. c. 5.* fuſiſſime vero confutarunt, in *conſilio* ſuo hujus materiæ edito, Ludovicus Grempus & Hieronymus *zum Lamb*, ex quo multa transſcripſit Limnæus *lib. 7. c. 1.* Sed horum ſcrinia compilare non eſt meum. Et vero de hoc argumento jam ſatis forte eſt actum pro inſtituto quidem noſtro.

Exercitatio de imperatore Romano-Germanico, habita IIX. Maji, anno cIↃ IↃcXLI. Reſpondente Bogiſlao Othone ab Hoym, Equite Pomerano.

Theſis I.

Cum aliis multis magiſtratibus geritur imperium Germanicum, tum unus ſummus illi præeſt, quem cæſareum aut regium appellare eſt moris. Poſſunt autem de illo multa dici ac varia: nos vero non niſi pauca nunc attingemus.

II. Atque initio quidem videbimus, quo jure, quave injuria illi competat nomen cæſareum, & titulus Romanorum imperatoris. Conſtat quippe illis nominibus appellatos olim, qui imperio Romano regia autoritate præfuerunt. Cæterum an idem nomen ii, qui Germaniæ ſociisque regnis præſunt, regibus conveniat, id vero haud perinde liquidum eſt.

III. Verum hanc quæſtionem agitare fortaſſis haud licebit, niſi & illud agitetur, ſuperſitne hodieque reſpublica aliqua Romana: aut ſi non ſuperſit, jurane ejus imperii una cum republica exſpiraverint, an vero maneant, & ſi manent, penes quem ergo vere reſideant.

IV. Et quidem ſupereſſe hodieque Romanum imperium, ejusque nobiliſſimam portionem eſſe Germaniam & Italiæ pleraque, vulgata adeo eſt ſententia, ut ea de re dubitare, videatur merito *abſurdum & abſonum*. (c) Quoniam tamen plane contra ſenſerunt noſtro ſeculo nonnulli ex eruditiſſimis, resque difficultate non caret, & tamen operæ pretium eſt, in quæſtione tam magni momenti a veritate non aberrare, non abs re fuerit, totum hoc negotium accurate agitare.

V. PRINCIPIO autem ſciendum eſt, quid olim florentibus Romanorum rebus ad Romanum imperium pertinuerit, ſive reapſe, ſive jure. Neque enim deſunt nonnulli magni nominis viri, qui *totum terrarum orbem* (d) Romanis olim paruiſſe, vel certe parere debuiſſe, profiteantur. Vsque adeo enim verum id eſſe, ut alios nunc taceam, credidit olim magnum illud juriſconſultorum lumen Bartolus, ut non dubitaverit adverſam ſententiam hæreſeos poſtulare.

VI. Fundamentum autem hujus opinionis peti ſolet partim ex illis Lucæ evangeliſtæ verbis: *Exiit edictum a cæſare Auguſto, ut totus orbis conſeretur:* ubi *οἰκουμένης* voce ambitus imperii Romani circumſcribitur; partim ex corpore juris Juſtinianeo, ubi perſæpe imperatori *orbis* dominium tribuitur, partim denique ex iis, quæ apud alios ſcriptores legas, quale eſt Petronii illud:

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

Et Dionyſii Halicarnaſſæi, *lib. 1. cap. 3. Romanorum civitas imperat per cunctas terræ plagas, quæ quidem inacceſſa non ſunt, ſed habitantur ab hominibus.*

VII. Verum enimvero totum terrarum orbem paruiſſe aliquando Romano populo, aut ejus cæſaribus, id vero ita repugnat hiſtoricis monumentis, ut hodie in tanta literarum luce id aſſerere, vel indocti hominis fuerit, vel impudentis.

IIX. Etenim conſtat quidem ex hiſtoricis, late patuiſſe terminos Romani imperii, cumprimis imperatore Trajano: certum vero eſt, ne Europam quidem integram, multo minus Aſiæ & Africæ (nam

(a) *Ferendis ſumtibus*) Quæſtionem illam, an immediata imperii nobilitas olim ſtatus imperii fuerit, aut an adhuc hodie ſit, & an ſuperioritatem territorialem habeat, alibi pertractabimus.

(b) *Optime refellit*) Comprehenduntur autem civitates imperii ſub generali ſtatuum imperii appellatione, & ſub ſtatuum vocabulo, ſpecialiter accepto, reliquis imperii ordinibus contradiſtinguuntur, habentque tam in univerſalibus, quam particularibus imperii diætis votum deciſivum. *Inſtr. pacis W. art. 5. §. 29. art. 8. §. 4. Inſtr. pac. Gallic. §. 64. BESOLD. de jure civit. imper. diſput. 13. in nucl. jur. publ. Giſſenſis. LEHMANN. act. pac. religioſa lib. 3. c. 21. 28. 42. LONDORP T. 7. p. 58. Grundveſte P. 2. c. 6. DECKHER. conſult. forens. c. 45.* Quanquam ex actis comitialibus compertum habeamus, a ſuperioribus collegiis huic civitatum voto deciſivo arctiores poni limites. De cetero cum ſtatus imperii ſint, haud dubie illis etiam territorialis competit ſuperioritas. VITRIARII *jus publ. lib. 3. tit. 15.* §. 12.

(c) *Abſurdum & abſonum*) Impropria tamen valde eſt locutio, Germaniam & Italiæ pleraque imperium Romanum dici. Non enim Germania unquam partem Romani imperii conſtituit, aut hoc in illam transfuſum eſt. Sic & cum Italia Germaniæ reges potirentur, jam tum diu imperii Romani partem conſtituere deſierat, quod & ipſe autor noſter in hac demonſtrat diſſertatione.

(d) *Totum terrarum orbem*) PFEFFINGER. *J. P. tom. 1. p. 375. ſeqq.*

(nam de America, ignota tunc prorſus terra, ne verbulum quidem addam) univerſa finibus illis tum fuiſſe comprehenſa. Quod ex veterum monumentis, cum ab aliis, tum a Juſto Lipſio *libr. 1. Admirandor. ſive de magnitudine Romana cap. 3.* & Onuphrio Panvinio *libr. 3. commentar. de republica Romana*, præclare eſt poſitum. Et quidem inprimis notatu dignum hic eſt, Germaniam noſtram, quæ trans Rhenum & Danubium Romanis erat, bellum quidem perpetuum cum Romanis per aliquot ſecula a Julii cæſaris usque temporibus geſſiſſe, nunquam tamen in provinciam fuiſſe a Romanis redactam: ſed ex adverſo Germanos tandem hoſtibus ſuis Romanis pleraque, quæ ſive in Europa ſive in Africa tenuerant, jure belli eripuiſſe. Quin imo ne quidem omnes Germani, qui cis Rhenum vixerunt, adeoque portio Romani imperii veteris olim ſunt habiti, omni ex parte Romanis fuere ſubjecti, ſed nonnulli cum iis tantum ſocietatem coluere, fratres Romanorum ideo dicti. Quod de Batavis inſulam Rheni habitantibus diſerte teſtatur Tacitus *l. de moribus German. & 4. hiſtor.* docte vero deducit Hugo Grotius *lib. de antiq. reipubl. Batavicæ cap. 2.*

IX. Alias vero notiſſimum quoque eſt: quæ Romani imperii finibus concluſa olim fuerunt, diverſo plane titulo, ad illud imperium pertinuiſſe. Fuerunt enim coloniæ, fuerunt urbes aut populi fœderati, fuerunt ſocii, fuerunt amici, fuerunt vere ſubditi & in provinciam redacti; quorum profecto conditio fuit diverſiſſima, etſi tandem per injuriam ſocii, fœderati, amici, ſubditi, uno pene loco haberentur. Hoc vero diſcrimen in Italia inprimis olim fuiſſe obſervatum, cum ex veterum monumentis vel leviter intuenti perſpicuum eſſe poteſt, tum exacte traditur a Carolo Sigonio *libris de antiquo Iure Italiæ.* Obſervatum autem fuiſſe & in Galliis, notius eſt, quam ut egeat probatione. Alibi vero itidem id obſervatum fuiſſe, vel unus Plinius docuerit *lib. 3. 4. 5. & 6. natural. hiſtoriæ:* ubi ſtudioſe omnia diſcrimina recenſet.

X. Nequaquam itaque veram eſſe Bartoli & aliorum aſſertionem, quaſi Auguſti ævo totus terrarum orbis in ditione Romanorum fuerit, manifeſtum eſt. Nec vero illa adducta ex evangelio, aut quæ in eam ſententiam in libris juris Romani habentur, vel alibi leguntur, id quod Bartolus vult, evincunt; ſubeſſe enim quandam αὔξησιν, etiam ipſis ſacris literis non infrequentem, per ſe liquet, jamque tum a doctiſſimis eſt viris animadverſum.

XI. NON tantum vero totus orbis paruit nunquam Romanis, ſed nequidem ad illos jus aliquod imperii in totum orbem pertinuit. Neque enim vel jure divino arbitrario, vel jure naturæ ac gentium, vel denique jure civili, hujusmodi quid eſt conſtitutum. Sane de jure divino arbitrario hinc patet, quoniam tale jus divinum nunquam legitur in ſacris voluminibus, nec traditione ad nos devenit, quo uno tamen modo arbitraria Dei inſtituta nobis innoteſcunt. Tale item jus naturæ aut Gentium nemo hominium ex principiis natura notis hactenus probavit vel probare conatus eſt, nec probari videtur poſſe: non aliunde tamen jus naturæ ſolet probari. Jure porro civili urbis Romæ non potuiſſe Romanis jus aliquod competere in terrarum orbem, vel puero liquet. Qui enim totum terrarum orbem obliget, quod unus populus ſua in urbe conſtituit?

XII. Ex his vero conſequens eſt, quicquid populus Romanus olim poſſedit, aut imperio ſuo continuit, vel continere debuit, ad id non alios titulos aut alia jura potuiſſe adhiberi, quam quibus vulgo jure acquiri aliquid aut poſſideri ſolet. Neque vero vel ipſi Romani alia olim jura allegarunt, quam vel derelicti occupationem, vel jus belli aut fœderis, vel donationem ac ſimilia. Divinum ſane aliquod in omnes gentes jus nunquam prætextum ab iis eſt: quale quid tamen videmus a Muhammede jactatum, vere autem pertinuit ad Hebræos in ea quæ commodato ab Æpyptiis acceperant & terram Cananiticam.

XIII. Quod ſi vero illi uſitati tituli acquirendi aliquid aut poſſidendi apud Romanos valuerunt, manifeſtum quoque eſt, iisdem titulis potuiſſe Romanos occupata & poſſeſſa iterum amittere; adeoque ſi quæ ſimilibus titulis erepta Romanis nunc ab aliis poſſidentur, ea non minus jure atque legitimo titulo poſſideri, atque olim a Romanis poſſeſſa ſunt.

XIV. Eſſe autem Romanis jam ante aliquot ſecula primum ea, quæ ad Occidentale imperium, deinde etiam, quæ ad Orientale pertinuerunt, a populis, qui Romanis nunquam paruere, ſed cum eſſent ſui juris, ab antiquis temporibus bellum cum iis geſſerunt, erepta, ex hiſtoriis notiſſimum eſt, atque in Occidentali quidem parte poſt Theodoſium, ſub Honorio & Valentiniano III. pauloque poſt, pene quinquaginta annorum intervallo, a Germanicis populis, Africæ pars major, Hiſpania tota, nec non omnes Galliæ, Rhetia, Vindelicia, Noricum, Pannonia, Britannia, ita ſunt occupatæ, ut poſt ſecutis temporibus Romanus populus in illis terris fuerit fere nec viſus nec auditus.

XV. Imo regiones illæ, ne quidem muſſitantibus Romanis, hodieque ab occupatoribus magna ex parte poſſidentur. Namque ea quidem, quæ cis Rhenum ſunt ad usque Pyrenæos montes Franci ac Burgundi (qui tamen & ipſi a Francis ſunt ſubjugati) jam plus quam mille ducentos annos tenuerunt. Hiſpaniæ etiam a Gothici ſanguinis reliquiis hodie regnantur. Britanniam a Romanis relictam Saxones primum & Angli, mox Dani & Normanni in poteſtatem ſuam redegerunt. Vindeliciam & Noricum ad Alpes usque, nec non Rhetiam potiſſima ex parte, ſimiliter jam plus quam mille centum annos quiete tenent Bavari & Alemanni ſeu Suevi. Pannoniam poſt varias gentes Germanicas Hunni ſuam fecerunt; quibus *Hungari* (a) ſucceſſere, ut tamen hodie magna Pannoniæ pars a Germanicis populis archiducatus Auſtriæ incolis colatur, Hunnis ante octingentos annos a Carolo M. inde pulſis.

XVI.

(a) *Hungari*) Hos ab Hunnis non eſſe diverſos, alibi docui.

XVI. Quid? quod ne ipſa quidem Italia in ditione populi Romani aut cæſarum permanſerit. Nam primum quidem, ejecto omni Romanorum præſidio, fixam in illa ſedem locavit Odoacer Herulorum rex. Quo devicto a Theodorico Oſtrogothorum rege, tota Italia, ne ipſa quidem urbe Roma excepta, ceſſit in ditionem, non contradicentibus cæſaribus, qui Conſtantinopoli commorabantur, Oſtrogothorum regum, qui hac ipſa de cauſa Italiæ reges ſe appellabant. Quos, licet multo poſt Juſtiniani cæſaris auſpiciis *Beliſarius & Narſes* (a) poteſtate omni exuerint, mox tamen iterum pulſo Romanorum præſidio, Longobardi, Germanica gens, ſed quæ diu Pannoniam tenuerat, pene integram Italiam ſibi ſubjecit. Neque enim manſit quicquam Romanorum imperatoribus Conſtantinopoli degentibus, præter ipſam urbem Romam, ejusque pomœria, Pentapolim item, nec non exarchatum Ravennatenſem, Venetiarum urbem & Calabriam. Quin & horum plæraque ultimi *Langobardorum* (b) reges, Aiſtulphus inprimis, occuparunt. Non enim quicquam in Italia tandem Langobardis non paruit, præter Romam, Venetias, & ultima Calabriæ. Nec tamen vel *Veneti* (c) tum amplius Romanorum cæſaribus obtemperarunt, ſed in libertatem ſe jam adſeruerant. Quomodo ipſamet urbs Roma ultimis illis Langobardorum temporibus, cæſaris, qui conſtantinopoli degebat, imperium detrectabat. *Pipinus* (d) quidem Francorum rex, Aiſtulpho devicto, expulit iterum Langobardos exarchatu Ravennatenſi, nec non Pentapoli, (Romano Pontifici terris illis attributis, quod perſuaſus eſſet, a S. Petri illas Patrimonium pertinere,) ſed reliqua Italiæ Langobardis iterum reddidit, ut juſte ab illis poſſeſſa. Ejus quoque filius, Carolus cognomento magnus, Deſiderio ultimo Langobardorum rege pulſo, non dubitavit anno DCCLXXIV. poſt natum Servatorem, omne quod in Italia hactenus Langobardi poſſederant, in ſuam ditionem redigere, Conſtantinopolitano imperatori aut Romano pontifici vel populo nihil præter pauca iſthæc, Calabriam nempe, & quæ Pipinus pater Romano Pontifici donaverat, relictis. Tantum autem abeſt, ut id a quoquam fuerit improbatum, ut contra & Romanus pontifex hoc nomine Carolum laudibus in cœlum pene extulerit, & Conſtantinopolitani imperatores neutiquam tunc contradixerint, Carolo interim ſe Francorum ac Langobardorum regem appellante.

XVII. Hæc ſane facies fuit provinciarum Romani imperii Occidentalis, quum Carolus ille magnus anno DCCC. Romam religionis ergo profectus, inſperato in æde ſacra a Leone tertio pontifice & civibus Romanis feſtiva acclamatione ſalutatus eſt ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS.

XIIX. EX HIS vero conſtat, ea quidem tempeſtate Romano populo, aut ejus pontifici, vel cæſari, nihil juris fuiſſe in Germaniam quidem, quæ Rheno & Danubio cingitur, utpote quæ Romanis paruit nunquam. Non minus vero evidens eſt propemodum, tum quidem Romanis nihil amplius juris fuiſſe in Hiſpaniam, Galliam, Noricum, Vindeliciam, Rhetiam, imo ipſam Italiam, quantum certe ejus a Juſtiniani ævo poſſederunt Langobardi. Nam ut nunc non diſputem, jure an injuria provinciæ illæ a Germanicis populis fuerint primum occupatæ; imo ut verum ſit, nonnullas per injuriam occupatas, (ſicuti haud fortaſſe difficile fuerit oſtenſu, nonnullas jure Romanis ereptas eſſe) quin tamen poſtea procedente tempore uſucapio juſta & præſcriptio interceſſerit, negari temere non poteſt. Neque vero quod dicitur, *quæ ab initio non valent, ex poſt facto convaleſcere non poſſe*, ſimpliciter verum eſt; ſed tum denique, ſi cauſa nova jus per ſe parere idonea non acceſſerit.

XIX. Provincias vero alias, quas modo diximus, jam iſthac ætate pro derelicto habitas a populo Romano, adeoque a poſſeſſoribus jure poſſeſſas, ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Namque jam ſupra diximus, per annos ducentos imo trecentos, populum Romanum illas provincias neque verbis, neque factis repetiiſſe. Quin imo conſtat, Romanos cum illis poſſeſſoribus, ne Langobardis quidem exceptis, plurimos contractus, tanquam cum legitimis eorum, quæ poſſidebant, dominis, iniiſſe. At vero, ſi is, qui rei alicujus eſt dominus, ſciens cum altero eam rem poſſidente, tanquam cum domino contrahat, jus ſuum remiſiſſe merito habetur. Id quod non tam valet autoritate juris civilis Romani, quam ex ipſo jure naturæ venit.

XX. Sane de Italia poſſit quis forte dubitare propter perpetua fere Conſtantinopolitanorum cæſarum cum Langobardis bella. Sed imprimis obſervatu dignum eſt, integram Italiam jam ante conceſſu & dono Zenonis imperatoris, teſte Jornande *l. de rebus Gothic. c.* 57. Oſtrogothis ceſſiſſe; nec Juſtinianum bello ſuo contra Gothos aliam fere cauſam prætexuiſſe, quam Amalefventæ reginæ *indignam necem*, (e) cujus ſe vindicem profitebatur. Cum Langobardis poſtea bella multa quidem geſta, ſed etiam multi contractus tanquam cum juſtis Italiæ partium dominis ſunt initi, manente certamine ſolum de finibus, non autem de integro regno; quemadmodum ex Pauli Warnefrid. *hiſtoria Langobardica* probatu eſt facillimum. Jam ante vero inculcatum etiam eſt, totum Langobardorum regnum, devicto Deſiderio rege, per triginta ferme annos ante imperatorium titulum acceptum, a Carolo magno non tantum non reclamantibus verum etiam laudantibus Romanis, fuiſſe poſſeſſum. Atqui vero id, quod derelictum eſt, jure poſſideri ab eo, qui tanquam in vacuam venit poſſeſſionem, juris naturæ eſt. Acceſſit vero & uſucapionis & præſcriptionis jus, quæ ipſiſſimam naturalem vim habent, non autem jure tantum civili valent; ut præclare contra Vaſquium diſputat Hugo Grotius *lib. 1. de jure belli ac pacis cap. 4.*

XXI.

(a) *Beliſarius & Narſes*) Conf. PROCOPIVS *de bello Gothico.*

(b) *Langobardorum*) Vid. PAVLVS *de geſtis Longobardorum.*

(c) *Veneti*) Hoc valde dubium, ut alibi docuimus.

(d) *Pipinus*) Vid. quæ ad libr. *de Germanorum imperio romano diximus.*

(e) *Indignam necem*) PROCOPIVS *lib. 1. hiſtoria Gothica p.* 150. apud GROTIVM.

XXI. Heic tamen obſervandum venit, quod jam ſupra innuimus, etſi Langobardi a Narſete invitati in Italiam penetraverint, nunquam tamen omnes ejus partes ſibi ſubjeciſſe, ſed manſiſſe ſat magnam Italiæ portionem in fide & obſequio imperatorum Romanorum Conſtantinopoli degentium. Qui cum per varios duces, tum vero cumprimis per exarchos Ravennæ conſiſtentes, ſuperſtites illas imperii Romani reliquias gubernabant. Erat autem exarchus, ſi Joſepho Scaligero *l. 3. Canonis Iſagogici p. 339.* credimus, *præfecti prætorio vicarius, qui Ravennam cum aliquot urbibus imperii Romani nomine adverſus Longobardos tuebatur.* Inter autem eas reliquias fuit ipſa urbs Roma, quam per ducem aliquem Conſtantinopoli miſſum cæſares regebant. Non eſt noſtrum hoc loco de finibus & ſuperſtitibus illis Romani imperii in Italia provinciis agere. Fecit hoc ipſum cum magna cura Erycius Puteanus ſingulari opere, quo *exarchatus* (a) hiſtoriam eſt complexus. Ex eo tamen usque tempore, adeoque ſtatim ab Juſtiniani obitu, & Longobardorum in Italiam adventu, pars Italiæ regni Longobardici, pars antiquo imperii Romani cognomento fuit appellata. Atque Longobardici quidem quæ erant regni non recuperarunt cæſares Conſtantinopoli habitantes; reliquiæ vero illæ imperii, urbe Roma & Veneta aliisque pauculis exceptis, pervenerunt tandem cum ipſa urbe Ravenna in Longobardorum ditionem. Illum tamen exarchatum Aiſtulpho regi expreſſum, precibus & impie confictis Petri Apoſtoli nomine literis (quas recitat & laudare non dubitat Baronius *ad annum 755. tomo 9. annal.*) a Stephano papa circumventus *Pipinus*, (b) S. Petro id eſt Romano papæ, utut contra niteretur cæſaris Conſtantinopolitani legatus, donavit. Quam rem late narrat poſt Anaſtaſium, Annales Francicos aliosque ſcriptores, Baronius *ad ann. 755.*

XXII. Notatu autem digna ſunt verba Baronii, *l. c.* quando ſcribit: Stephanum papam legatos miſiſſe, primum ad Conſtantinum imperatorem, (is eſt, quem Copronymum nuncupant) *ut adverſus Longobardos ad defenſionem rerum, quæ ſuperant Romani imperii, in Italiam exercitum mitteret.* Item: *Cum nulla ſpes eſſet, ut Conſtantinus imperator jura imperii, quæ in Italia reſidua erant, a Longobardis invaſa defenderet.* Subjicit vero Baronius verba Anaſtaſii, quæ docent, Stephanum nihil aliud petiiſſe reſtitui, quam vicina quædam caſtra & exarchatum Ravennæ & Æmiliæ oppida a Longobardis occupata. Nec vero aliud reddi ſibi petit Stephanus impiis iſtis & ineptis literis, quas ad Pipinum miſit *ann. 855.* & ex Vaticana bibliotheca primus edidit Baronius. Sed nec aliud quippiam per Pipinum Aiſtolpho Longobardo eſt ereptum. Diſerte enim annales Francici: *Pipinus redditam ſibi Ravennam & Pentapolim & omnem exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Anaſtaſius bibliothecarius idem prorſus narrat in vita Stephani, ſimulque enumerat urbes omnes nominatim donatione hac comprehenſas. Plura quidem narrat donata Leo Oſtienſis *hiſtor. Caſſinenſ. l. 2. c. 7.* quem ſequitur Baronius: ſed quis homini recentiori contra omnes ejus ævi ſcriptores credat? Reſtituit autem hæc & Carolus magnus, poſtquam devicto Deſiderio rege Longobardorum regnum ſubjugaſſet: quinimo & adducit nonnulla, quæ recitat Anaſtaſius in vita Hadriani, ex uno vero hoc recenſet Baronius *ad annum 774.* Unde obiter eſt colligere, novæ illius donationis Caroli magni, uti nec illius Pipinianæ, ullum hodie monumentum in ſcriniis Romanis reperiri; quinimo ne teſtimonium quidem ejus aliud ſupereſſe præter illud unum Anaſtaſii, & quidem aulæ Romanæ mancipii. Qua de re nunc latius diſſerere non licet.

XXIII. QVICQVID vero hujus ſit, id certum eſt: neque Carolum magnum Longobardorum regno deſtructo, potiorem iſtam Italiæ partem, vel populo Romano vel ejus pontifici vel cæſari Conſtantinopolitano conceſſiſſe: neque vel populum illum vel pontificem vel cæſarem poſtulaſſe eam ſibi reſtitui, ſed in ditionem Francorum iſtam omnem terram perveniſſe. Certe ejus poſtulati nulla reperitur memoria, multo minus hujusmodi alicujus conceſſionis. Contra teſtantur hiſtoriæ, Carolum magnum ſtatim a devicto Deſiderio regnum Longobardorum omne quaſi jure belli occupatum, adminiſtraſſe. Hinc annales Francor. *anno 774. Rex Carolus ſubacta & pro tempore ordinata Italia Franciam revertitur.* Poëtaſter anonymus antiquus *lib. 1. annal.*

> *Dedita tum Francis hac urbs clariſſima* (Papia ſcil.) *cunctis*
> *Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes*
> *Tradiderant Carolo ſeſe concorditer urbes*
> *Ejusdem regni: quod jam ſibi jure ſubactum*
> *Diſpoſuit, quantum potuit pro tempore tali.*

Iidem annales ut & iſte Poëtaſter memorant, *anno 776.* Rorgaudum Foro-Julienſibus ducem a Carolo datum defeciſſe; ſed illo devicto provinciam iſtam Francorum comitibus traditam. Anno item 779. ducem Spoletanum in ducatu ſuo confirmatum. Iidem memorant *ann. 71.* Pipinum filium Caroli regem Longobardiæ eſſe conſtitutum. Verba eorundem memoratu digna ſunt anno 786. *Rex ſtatuit Romam proficiſci, & partem Italiæ, in qua Beneventum ſitum eſt, aggredi. Conveniens eſſe arbitratus in illius regni reſiduam portionem, cujus caput capto Deſiderio rege, majoremque partem in Longobardia jam ſubacta tenebat.* Teſtantur vero iidem, etiam Beneventanum ducatum Carolo tunc ceſſiſſe & quidem Adriani pontificis conſilio. Mitto alia teſtimonia: nec videar ſoli lucem fœneraturus. Id non poſſum non adducere: Carolum ſtatim a capto Deſiderio ſeipſum regem Francorum & Longobardorum appellaſſe. Recitat ejus epiſtolam ad Albinum *anno 778.* item privilegium conceſſum

(a) *Exarchatus*) Adde STRAVCHIVM *de exarchis.* VAGEDES *p. 118. ſeqq.* SIGONIVM *p. 142.* MEZERAI *tom. 1. p. 216.*

(b) *Pipinus*) De his omnibus, & quæ ſequuntur, ſatis late egi ad libr. *de Romano imperio Germanorum,* Vid. MONZAMBANO *c. 1. §. 11. & 12.*

ceſſum monaſterio Pariſienſi S. Vincentii *anno 773.* hoc cognomento ornatum, Baronius. Ipſe Adrianus papa hoc titulo Carolum laudat longa illa epiſtola ad Conſtantinum & Irenen perſcripta, quam ex actis concilii Nicæni ſecundi recitat idem Baronius ad annum 785. Ex quibus perſpicuum eſt, totum Longobardorum regnum tenuiſſe Carolum & quidem nullius beneficio ſed ſuo gladio acquiſitum. Neque in illud vel populum Romanum, vel pontificem, vel denique cæſarem Conſtantinopolitanum quidquam amplius ſibi juris arrogaſſe. Et poſtremum quidem eo confirmatur, quod (ſi credimus Baronio) Irene imperatrix ruperit *anno 788. ſponſalia* (a) inter Conſtantinum & filiam Caroli contracta, quod *Carolus ducatum Beneventanum invaſiſſet, quem in ſuum patrocinium Orientales imperatores ſuſceperant.* De toto ſc. Longobardico regno mota lis nulla fuit.

XXIV. HAEC vero quum ita ſeſe habeant, manifeſtum eſt id, quod ſupra etiam diximus: eo tempore, quo Carolus imperatoris titulum accepit (contigit illud autem *anno 800. ipſis feriis natalitiis*) (b) pleraque Occidentalis imperii veteris fuiſſe jamdudum a Carolo poſſeſſa, & quidem nullam amplius controverſiam de poſſeſſionis jure Romanis moventibus. Conſtat etiam, tum temporis, neque in Hiſpania, neque in Galliis, neque in Germania, neque in Pannonia, quidquam Romanæ amplius fuiſſe ditionis; imo ne quidem in Italia quid fuiſſe reliquum, quod ſibi arrogarint imperatores, præter urbem ipſam Romam, exarchatum Ravennatenſem, & ſi quæ alia oppida aut Pipinus aut Carolus Longobardis erepta Romano pontifici donaverant.

XXV. Non tantum vero nihil pene poſſeſſum tum fuit Romanis in toto Occidente, ſed & jus omne deperdita recuperandi jam longo tempore exſpiraverat. Bene ſcilicet apud Iſocratem Archedemus Meſſenam repetentibus Thebanis dixit: *Poſſeſſiones ſive privatas ſive publicas præſcriptione longi temporis firmatas, in patrimonio & dominio habendas, omnibus eſt perſuaſum.* Et vero hoc ipſo juxta alia Jephtes injuriæ convincit Ammonitarum regis, vindicantis ſibi terras inter Arnonem & Jabocum ad Jordanum ſitas, conatum: ceu legere eſt *cap. XI. judic. commate 26.*

XXVI. SI AVTEM neque provinciæ Occidentalis imperii veteris amplius tum in ditione fuerunt Romani populi, imo ſi nec jus aliquod in illas provincias populus habuit amplius; manifeſtum eſt, per imperatorium titulum Carolo magno neque poſſeſſionem neque jus aliquod in provincias illas aut eſſe conceſſum aut potuiſſe concedi. Igitur aut inani tum titulo eſt *affectus Carolus* (c) aut ſi quid accepit, illa nactus eſt, quæ in Italia extra Longobardicum regnum erant, cum juribus occupandi ea, quæ Conſtantinopolitanus imperator poſſidebat. Cæterum cum ea, quæ Conſtantinopolitani poſſederunt, jure poſſederint, in illa certe nihil juris Carolus potuit nanciſci. Sed nec in ea Carolus quidquam ſibi ſumpſit; eoque laboravit, in fraternitatem *& amicitiam aſſumi* (d) cæſarum Conſtantinopolitanorum. Eam vero impetravit primum quidem a Nicephoro *anno 810.* teſtibus *annalib. Francic. & Adone*: iterum ab eodem *anno 810.* redditis Venetiis, quod iidem teſtantur annales; tertium a Michaële Nicephori ſucceſſore *anno 811.* & ultimo a Leone *anno 813.* iisdem teſtibus. Non arbitror extare hodie fœderum & pactorum illorum literas. Nam quod Sigonius *l. 4. de regno Italiæ* ſcribit, in primo illo fœdere *nominatim expreſſum, ut Veneti inter utrumque imperium poſiti, liberi atque immunes & ab utroque ſecure viverent:* id neſcio, an fide nitatur antiquorum ejus ſeculi monumentorum. Certe annales Francici memorant Venetias a Pipino captas, redditas Nicephoro. Id certius;

(a) *Sponſalia*) Rotrudis erat Caroli M. filia, natu major, quæ Conſtantino, Irenes filio, matrimonio deſtinabatur. EGINHARTVS *in vita Caroli M.* ANNALES *incerti autoris apud* PITHÆVM *ad annum* 786. PAVLVS DIACONVS *in continuat. Eutropii p.* 323. Quod autem hæc nuptiis Conſtantini exciderit, non eam fuiſſe cauſam, quam Baronius aſſignat, puto; ſed quod furtivi ejus amores, quibus ſe commaculaverat, rumoribus haud dubie, aut alia ratione, ad aulam Conſtantinopolitanam delati fuerint. Id vero, quod a Baronio affertur, ſponſalium ruptorum forte prætextum præbuit. Nupſiſſe Rothrudim deinde Gausberto comiti Cenomanenſi, conſtat ex Caroli Martelli ſtemmate, quod TÖLNERVS *hiſtoria Palatina c. 4.* ſubjunxit.

(b) *Ipſis feriis natalitiis*) AVCTOR. *annal.* apud LAMBECIVM *lib. 2. comment. biblioth. Vindob. p.* 374. ADELMVS *ad ann.* 799. 800. *Annal. Reuberiani, Pithœani, Fuldenſes, Bertiniani*, REGINO, POETA SAXO, HERMANNVS CONTRACTVS aliique ad illos annos, quos citat celeb. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 361. Quod autem illud invito Carolo factum ſit, ut EGINHARTVS c. 28. & qui eum ſequuntur, POETA SAXO & MONACHVS S. GALLI *de geſtis Caroli M.* putant, a veritate abhorret vid. FAUCHET. *vol. 2. des antiquités de France lib. 2. c. 9. fol.* 599. & *chron. vetus Moiſſiacenſe* apud CHESNIVM *tom. 3. p.* 143.

(c) *Affectus Carolus*) Sunt qui contendunt, Carolum M. jam tum ſub patricii nomine omnem in Romam, a Græcis imperatoribus deſertam, complexum eſſe poteſtatem, atque imperatorium nomen nihil ipſi, quam tituli majeſtatem addidiſſe, & inaugurationem illam Romanam fuiſſe quaſi ſolennem declarationem, penes Carolum omnem in reliquias occidentalis imperii eſſe poteſtatem. Vide WERLHOFIVM *in jur. publ. enucleati c. 2. p. 7. ſeqq.* late hæc proſequentem.

(d) *Et amicitiam aſſumi*) Firmius jus in urbem Romam & pontificem ex transactione cum Græcis imperatoribus enatum eſt, impertitusque eſt Carolo a legatis Michaëlis Rangabes anno DCCCXII. titulus imperatoris & *βασιλέως*, quem ſibi imperatores Græci alias ut plane peculiarem vindicabant, ita ut etiam Caroli M. in imperio ſucceſſoribus denegatus fuerit. *Annales PITHÆANI ad ann.* 802. 803. *Annales BERTINIANI, METENSES, EGINHARTI ad ann.* 803. Negotium autem cum Nicephoro 810. 811. cœpit, & deinde ſub Michaele anno 812. abſolutum eſt. *Annales PITHÆANI* ad ann. 810. 811. *Annales FVLDENSES, REGINO, ADELMVS* ad ann. 811. & iidem, nec non *Reuberiani annal.* ad ann. 812. His adde POETAM SAXONEM apud SCHILT. p. 31. EGOLISMENSEM *p.* 63. HERMANNVM CONTRACTVM *ad annum* 812. & alios, quos citat dom. PFEFFING. *tom. 1. p.* 53. item SCHILTERVM *tom. 1. J. P. tit. 2. §. 4.* AVENTINVS *lib. 4. annal. Boicor.* WERLHOF. *l. c. ſeqq.* PAVLVM ÆMILIVM *in Carolo M.* Dubitat quidem TITIVS *in jure publ. lib. 1. c. 2. §. 39.* de valore hujus transactionis, cum non ſatis fuerit voluntaria: Sed notum eſt dogma Grotianum, inter gentes exceptionem metus non habere locum. deinde actiones mixtæ, quæ aliquid ſaltim ex natura ſpontanearum habent, ſpontanearum numero, quoad negotia, quæ inter homines pertractantur, ſunt. Atque quod ab initio vitioſum, tractu temporis convaleſcit, nova ſcilicet accedente cauſa: Francorum enim amicitiam, jure ſuo in occidentale decedentes imperium redimere voluerunt, quo magis de retinenda Calabria ſecuri eſſe poſſent.

certius; ex eo fœdere Calabriam & maritimas civitates Liburniæ, Iſtriæ & Dalmatiæ, manſiſſe Orientali imperio. Teſtatur enim Eginhartus, Carolum totam Italiam tenuiſſe, *ab Auguſta prætoria usque in Calabriam inferiorem; in qua Græcorum ac Beneventanorum conſtat eſſe confinia. Hiſtriam quoque, Liburniam & Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quæ ad amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum imperatorem habere permiſit.* Firmum autem amicitiæ fœdus inter utrumque imperatorem tandem coiiſſe, teſtatur idem Eginhartus. *Imperatores etiam Conſtantinopolitani*, inquiens, *Nicephorus Michaëlis & Leo ultra amicitiam & ſocietatem ejus expetentes complures ad eum miſere legatos. Cum quibus tamen propter ſuſceptum a ſe imperatoris nomen, & ab hoc eis, quaſi qui imperium eis eripere vellet, valde ſuſpectus, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cujuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia.* Quo facit illud, quod in annalibus habetur, legatos Michaëlis Carolum dixiſſe *imperatorem & βασιλέα.* Ne in Italiam quidem omnem ergo ob titulum imperatoris jus fuit Carolo, tantum abeſt, inde illi collatum jus in reliqua etiam Orientalis imperii.

XXVII. CÆTERVM ſi ne illa quidem Italiæ hactenus imperatoribus poſſeſſa omnia accepit Carolus, aut titulum nudum impetravit; aut vero poteſtatem aliquam in eas terras, quæ extra Longobardorum regnum erant in Italia, hactenus vero fuerant quaſi in patrimonio pontificis. Poſterius ſane eſt verum. Erat enim jam ante quidem Carolus patricius Romanus, adeoque jam tum forte eo nomine habebat aliquid in ipſam urbem Romam juris, aſt per imperatoriam dignitatem longe plus conſecutus eſt. Namque fuit patricii nomen non niſi *dignitatis titulus*, (a) a Conſtantino magno inſtitutus teſte Zoſimo *l. 2.* Qua de re plura habentur *l. 12. codic. Juſtinian. tit. 3. l. 3.* In Carolo tamen videtur hoc nomine ipſa exarchalis poteſtas ſignificata. Nam & vivo patre audiit quidem patricius, ut videre eſt in literis Stephani papæ apud Baronium ad *annum 775.* Ipſa tamen annos ſui patriciatus ſolet numerare ab eo, quo *devicit Deſiderium*, (b) non autem ab anno 781. quod ſcribit Otto Friſingenſis *l. 5. c. 28.* Et vero eo anno Romæ exceptus eſt ritibus exarchorum aut patriciorum Romanorum, ut diſerte ſcribit Anaſtaſius *in vita Hadriani.* Ut autem non patricii jure, revera tamen jam ante impetratam imperatoriam dignitatem, Carolo in ipſam urbem Romam multum fuiſſe poteſtatis, vel ex iis liquet, quæ habentur in annalibus Francicis *ad annum 796. Romæ Adriano defuncto Leo pontificatum ſuſcepit: & mox per legatos ſuos claves confeſſionis S. Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus regi miſit, rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engelbertus.* Recitat priora illa de miſſis clavibus & vexillo Baronius quoque; ſed ſtomachabundus in Novatores, qui inde auſi ſint colligere aliquam Caroli in urbem poteſtatem. Ipſe autem veteratoris in modum illa de Romanis in fidem & ſubjectionem ſuſcipionem callide omittit: nihil aliud addens, quam miſſum Engelbertum ad donaria & Hunnici belli manubias offerendas. Conſtat vero etiam, Carolum nondum imperatorem cauſam Leonis papæ & conjuratorem agitaſſe *anno 800.* teſte Anaſtaſio & auctore annalium.

XXIIX. QVICQVID autem ſit, de poteſtate, quam patricius habuit Carolus, haud difficile eſt probatu, per imperatorium titulum illi collatum jus omne *in urbem*, (c) pontificem, exarchatum Ravennæ, & alia oppida quædam extra Longobardici regni fines poſita, quæ nempe fuerant cæſarum usque ad ſolemnem illam rebellionem, qua Gregorio II. papa ſedente ſuperſtites imperii Romani reliquiæ a Leone Iſauro & ſequutis Conſtantinopolitanis cæſaribus defecerunt. Teſtatur id de urbe Roma ipſe Bellarminus *l. 1. de translat. imper. Rom. c. 4.* Liquet id ex adoratione, qua, *more antiquorum principum*, recens coronatus Auguſtus a Leone pontifice eſt adoratus, *annal. Franc. 801.* Liquet ex ſententia lata in eos, qui Leonem papam male mulctaverant. *Iidem l. c.* Liquet ex ſubſequente *ordinatione Romanæ urbis & pontificis. Iidem l. c.* Referendum eodem, quod apud Eginhartum in teſtamento Carolino, Metropolitanas inter urbes regni ejus primo loco numerentur *Roma, Ravenna.* Hæc autem poteſtas cæſarum manſit per plurima ſecula, donec tandem, poſt fatalem regiæ majeſtatis caſum in Henrico IV. per Gregorium VII. cœpit novus ille *papalis dominatus*, (d) omnibus hactenus ſeculis inauditus. Ex eo autem tempore priſca illa & vera cæſarea poteſtas, in urbem,

(a) *Dignitatis titulus*) Vid. tamen WERLHOF. *l. c.* p. 8. ſeqq. Non videtur tamen, ſub initium patriciatus Caroli M. Græcorum imperatorum poteſtatem pro plene exoleta habitam fuiſſe, quoniam HADRIANVS I. in epiſtola ad Bertherium epiſcopum Viennenſem anno 774. ſcripta hac utitur formula: *imperante piiſſimo Auguſto & a Deo coronato piiſſimo rege Carolo anno primo patriciatus ejus.*

(b) *Devicit Deſiderium*) Poſt enim illud tempus patricii nomen titulis ſuis addidit & invaluit deinde formula. *Carolus Dei gratia rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum. MABILLON lib. 2. c. 3. de re dipl.*

(c) *In urbem*) Id autem, quod MONZAMBANO *c. 1. §. 12.* aſſerit, ac ſi Carolus patricii aut imperatoris titulo nihil in urbem Romam & pontificem nactus ſit poteſtatis, ab eo quod hac de re in veteris ævi monumentis traditum eſt, plane abhorret. Vide WERLHOFIVM *jur. publ. enucleati c. 2. §. 7.* Spectat huc monumentum ſigilli plumbei, quod BLANCVS in diſſ. *de quibusdam Caroli M. nummis c. 4.* refert. In ejus autem uno latere Caroli M. effigies conſpicitur, his adſcriptis: *Dominus noſter Carolus imperator pius, felix, perpetuo auguſtus.* In averſa parte habetur figura urbis, cui crux ſuper impoſita eſt, ſub qua vox: *Roma*, lateribus vero hæc inſcripta: *Renovatio Romani imperii.* Adde FLORI diaconi Lugdun. carmen *de diviſione imperii poſt mortem Ludovici pii n. 60.* apud MABILLON *in analectis veteris ævi p. 413. lib. 3. capitular. c. 369.* LE BLANC *l. c. p. 86.* BALVZ. *ad Gratian. p. 1231.* apud MASTRICH. & *ad capit. p. 1013. 1231.* item *tomo 2. capitul. p. 315. tom. 1. p. 647. tom. 2. p. 317.*

(d) *Papalis dominatus*) Vide autorem libri, cui titulus: *Traité de la Puiſſance eccleſiaſtique & temporelle art. 3. p. 130.* Lipſienſes collectores hunc librum PINIO, Doctori Sorbonico celeberrimo, adſcribunt.

urbem, pontificem, & oppida, quæ ratione proventuum quorundam in patrimonio Petri, aut rectius papæ, eſſe dicuntur, ita ſenſim eſt debilitata, ut hodie tantum non ſit intermortua.

XXIX. QVIN itaque Carolus hanc ſolum poteſtatem titulo imperatoris ſit conſequutus, & quin hæc pauca tantum magnifico illo Auguſti & imperatoris cæſariſque nomine tum quidem venerint, neque aliud tum pertinuerit ad imperium Romanum Occidentale, nihil ſane eſt dubitandum. Videndum, an ſequentibus temporibus revera plus acceſſerit imperio illi Romano ejusque cæſaribus Occidentalibus aliquid aut de novo fuerit partum, quod olim non habuerunt, aut eorum, quæ dudum deperdita diximus, recuperatum. Cæterum ſi quid horum factum, aut vi occupatum oportuit, aut vero regiones quædam ultro ſeſe Romanam in ditionem dederunt. Sane nec in Hiſpania, nec in Gallia, illa quæ ad Rhodanum usque a Pyrenæis montibus tendit, nec in Panonia, nec in Dacia, nec in Britannia tale quidquam contigit. Neque enim Hungaros, neque Francogallos, neque Hiſpanos & Gothos, neque Anglos Scotosque, vel ultro vel vi coactos, ſe & ſua Romano imperio poſt Caroli magni ætatem dedidiſſe, usquam legere eſt. Multo minus vero id ipſum eſt factum a ſeptentrionalibus populis, Danis, Suecis, Moſchis, Polonis, Lituanis aliisque. Hinc vero eſt ſole clarius, omnes haſce terras non tantum non pertinere hodie ad imperium Romanum, ſed ne umbram quidem juris Romano imperio in eas eſſe.

XXX. Fortaſſis tamen aliter ſe res habet de Italia Longobardica & Germanica. Non ſunt quidem illæ terræ poſt Caroli ætatem a Romano populo victæ, adeoque jure belli nunc non poſſidentur: forte tamen ſponte ſua ſeſe illis reliquiis antiquis ſive ſubjecerunt ſive ſociarunt in unum reipublicæ corpus. Neque vero inanis forte illa ſuſpicio eſt. Hodie enim receptum eſt, illas terras omnes unius imperii Romani nomine nuncupare: quin obtinuit illud ipſum jam ante annos plus quam quingentos. Summus quoque magiſtratus populorum illorum per multa ſecula non alio nomine quam imperatoris Romani audivit: quod enim nunc adjicitur Germaniæ regis titulus, id nuperum eſt inventum, & vix ducentis annis auditum.

XXXI. Verum enim vero, ſi quid tale unquam contigit, id aut ab ipſo Carolo magno eſt factum, aut ab ejus ſucceſſoribus. Carolum autem id egiſſe, falſiſſimum eſt. Certe non eo tempore id ille fecit, quum imperatorium titulum accepit. Non enim tale quid memorant annales & monumenta alia ejus temporis, non tacitura certe rem tam magni momenti. Nec etiam potuit id fieri. Neque enim licuit Carolo diſponere quidquam de rebus regni Francici, inconſultis *ordinibus*; (a) quod alibi oſtenditur. Tum autem temporis profecto non conſuluerat Carolus ordines Francicos. *Inopinato* (b) enim oblatus illi titulus eſt cæſareus. Teſtatur Eginhartus, dicere ſolitum Carolum: *Se eo die, quamvis præcipua ſolennitas eſſet, eccleſiam non introiturum fuiſſe, ſi pontificis conſilium præſcire potuiſſet.* Sed neque poſtea hujusmodi quid ab eo factum memorant ullæ hiſtoriæ veteres. Contra vero in diplomatibus ejus & literis cernere eſt diſtinctos titulos imperatoris & regni Francici ac Longobardici. *Privilegium Oſnabrugenſis epiſcopatus* (c) apud Cranzium *libr. 1. Metropol. c. 2.* ita incipit: *Carolus imperator Auguſtus Romanum gubernans imperium, dominus & rex Francorum & Longobardorum, Friſiorum dominator & Saxonum.* Datum autem illud eſt *anno 805.* Teſtamento quoque Carolino, quod Pythœus edidit & annalibus ſuis ad *annum 806.* inſeruit Baronius, præfigitur: *Imperator cæſar Carolus, rex Francorum &c. Romani tutor imperii.* In altero quoque ejusdem teſtamento, quo de mobilibus bonis diſponitur apud Eginhartum, ſeorſim numerantur anni regni Franciæ, regni Italiæ, & imperii. Carolus itaque Italiam & Germaniam ab imperio nunquam non diſtinxit.

XXXII. SED & Ludovicus pius Germaniam non minus atque Galliam, adeoque omnes ſaltim regiones tranſalpinas, ab imperii Romani reverentia voluit eſſe liberas. Diviſo ſane inter tres filios regno illius, omnes paris facti ſunt auctoritatis, nequaquam autem aliquam in re Lothario, etſi ille cæſareo honore eſſet inſignitus, inferiores. De ea diviſione notatu digna ſunt verba Tritthemii in annalibus Francicis. *Partitio talis eſt: Regnum Francorum Germaniæ perpetuo per ſe habeat proprium regem nulli penitus mortalium, ne Romano quidem imperio ſubjectum, ſed priſtina Francorum conſuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum a noſtro diviſum, ſimili modo regem, uti conſtitutio ſonat, proprium habeat liberum, qui non minus quam rex Germaniæ liber ſit & nulli omnino ſubjectus. Manifeſtum enim eſt, quod Franci ab origine ſemper fuerint liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui certe unquam ſervierint, aut extiterint ſubjecti. Quin potius ipſi deſtruxerunt Romanorum imperium ſibique fecere ſubjectum. Et propterea reges ambo in diviſione regni priſtinam libertatem Francorum ubique alterum alteri illæſam ſervare ſtatuerunt.* Porro nec Italiam Longobardicam alius ipſe Pius conditionis fecit. Etſi enim illam una cum imperiali dignitate voluerit eſſe penes unum Lotharium, per accidens tamen ea tantum conjunxit, non autem quaſi dederit Longobardicum regno Romanum imperio. Certe id factum, nullibi legere eſt. Bene proinde Hugo Grotius *l. 2. de jure belli ac pacis c. 9. num. 11. Carolus magnus ejusque ſucceſſores jus imperii, quod habebant in Francos, ut & in Longobardos, a jure imperii in Romanos, ut nova ex cauſa quæſito, ſollicite diſtinxerunt.*

XXXIII. ET VERO ſollicite hæc obſervata fuerunt diu etiam poſt Ludovicum. Quum enim Lotharius filius ejus natu maximus propter primogenituræ & cæſareæ dignitatis honorem ſibi jus aliquod in fratres arrogaret, orto inde bello, victoque Lothario, libertatem ſuam fratres egregie tutati ſunt. Ea de re in medio ſunt verba Hincmari archiepiſcopi Rhemenſis, viri ea ætate ſummæ auctoritatis *epiſt. 1. c. 4. ad Ludovicum balbum. Qui cum Lothario erant: immiſerunt illum in hoc, ut*

fratres

(a) *Ordinibus*) HOTTOMANNVS *in Franco-Gallia c. 14.*

(b) *Inopinato*) Hoc ab aliis non ſine ratione in dubium vocatur.

(c) *Privilegium Oſnabrugenſis epiſcopatus*) Quæ hoc ſuſpectum faciunt diploma, alibi tetigimus.

fratres ſuos exheredaret, & regni primores, qui cum illis erant, annularet, quoniam ipſe primogenitus & nomine imperatoris erat: illi autem, qui erant cum Carolo & Ludovico, dicebant, quod ſeniores illorum (i. e. domini ſui Carolus & Ludovicus) *Lotharii fratres erant, & ſacramento regnum inter illos diviſum fuerat, & illi nec genere nec poteſtate inferiores erant, & ideo non ſe contra illos concederent.* Latius omnia iſta narrat Nithardus *libris 4.* Ubi inter alia, poſt fatalem illam inter fratres pugnam, ſcribit miſſos a Lothario legatos ad Carolum & Ludovicum, qui nomine Lotharii dicerent: *Si vellent illi aliquid ſupra tertiam partem regni, propter nomen imperatoris, quod illi pater illorum conceſſerat, & propter dignitatem imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, facerent; ſin aliter, tertiam tantummodo partem totius ſibi concederent: regeretque quisque illorum portionem regni ſui prout melius poſſet, frueretur alter alterius ſubſidio & benevolentia.* Et vero poſterius placuit. Itaque Ludovico ceſſit Germania pleno jure & nulla in re dependens ab imperio Romano gubernanda, non minus atque Gallia Carolo. Non latuerunt hæc Baronium: itaque ad *annum* 848. Trithemium his verbis accuſat: *errat, dum ait, juſſu Lotharii conveniſſe,* (Germaniæ epiſcopus) *cum id factum per Ludovicum regem eſſe in regno ipſius non ſit dubium; nam nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in regno Germania, ſpectante ad Ludovicum, certum eſt.*

XXXIV. Manſiſſe eandem libertatem Germanici regni ſuperſtite *Carolina regum familia,* (a) liquidum eſt. Plærique enim, qui illi præfuerunt, cum Italia aut cum imperio nihil habuerunt commercii. Diviſo enim poſt obitum Ludovici Germanici regno, Carolus & Ludovicus & Carolomannus ſinguli ſuam regni partem propria auctoritate tenuerunt, ut conſtat *ex hiſtoria Landgravior. Thuring. c. 6.* Arnolphus quoque aliquamdiu Germaniam rexit, anteaquam imperatoriam dignitatem conſequeretur. Poſt hunc vero neque Ludovicus neque Conradus vel Italiam vel imperium habuit. Quo ſatis conſtat, ea certe tempeſtate, Germaniam non fuiſſe partem imperii, nec adminiſtratam fuiſſe auctoritate cæſarea, ſed proprios ſibi reges habuiſſe, & liberam fuiſſe diſtinctamque ac ſui juris rempublicam.

XXXV. Italiæ quidem regnum qui tenuere, iidem fere omnes & imperatores fuerunt, imo ea occaſione poſt obitum Caroli Craſſi, in Italia pontifices deliberarunt de eligendo impoſterum aliquo Italiæ rege cum imperatorio titulo. Quod teſtatur Carolus Sigonius *l. 5. de regno Italiæ.* Fuere tamen tunc & reges Italiæ ſine titulo imperatorio. Nec interea temporis conſtat, factum aliquod decretum conſenſu Carolinæ familiæ, (penes quam jus erat hæreditarium in regnum Langobardicum) de ſubjiciendo illo regno imperii Romani auctoritati & legibus. Itaque & Langobardicum regnum eo tempore manſit liberum ab imperii Romani poteſtate.

XXXVI. EXTINCTA porro Carolina familia Henricus Auceps ejusque filius Otto Magnus, ab anno 919. ad 962. Germaniæ regnum cum regno Lotharii tenuerunt, nulla cæſarea dignitate ornati, nullo etiam modo imperium aliquod Romanum reverentes. Neque enim verum eſt, quod nonnulli evincere pertendunt: Henricum Aucupem *fuiſſe cæſarem,* (b) Quin alibi oſtenditur, illum ne quidem jura habuiſſe ad occupandam Italiam aut imperii dignitatem poſtulandam. Sane nihil Italiæ illum poſſediſſe, eſt certum. Etiam illa ergo ætate Germania non fuit habita imperii Romani portio. Eodem autem tempore nunc *Berengarius* (c) dux Forojulienſis, mox Lambertus, iterum Ludovicus Burgundus, modo Rudolphus Burgundus, modo Hugo Arelatenſis, ejusque filius Lotharius nec non denique Berengarius Eporegiæ Marchio, ab Italiæ Optimatibus, inconſulto vel populo vel pontifice Romano, imo his nihil contranitentibus, Italiæ reges ſunt papiæ creati, in regni Langobardici Metropolitana urbe, & vero horum vix unus alterque cæſareum titulum accepit. Quo iterum conſtat, etiam tunc temporis Langobardicum regnum fuiſſe liberam rempublicam, reliquias vero illas imperii Romani ab hoc regno ſejunctas fuiſſe, & plerumque ſub nullo imperatore.

XXXVII. Otto quoque magnus, non Germaniam tantum ſed & Italicum illud Langobardorum regnum diu *habuit in poteſtate ſua,* (d) antequam imperator Romanus audiret. Namque anno 951. invitatus ab Adelheide vidua Lotharii regis, quam & mox in matrimonium duxit, fudit omnique poteſtate exuit Berengarium regem Italiæ, ejusque filium Adelbertum. Witichindus Corbejenſis *l. 3.* ſcribit: Ottonem *cum Adelheide papiam, qua eſt ſedes regia, obtinuiſſe.* Sequenti anno 952. Berengarius & Adelbertus, in gratiam recepti, feudi jure ab Ottone regnum Langobardicum recuperarunt. Illam rem ita narrat continuator Reginonis: *Berengarius cum filio Adelberto ſeſe ſubjiciens Ottoni ab eo ut ſubditus recipit regendam Italiam.* Iisdem verbis utitur ipſe Baronius *tom. 10. Annal. ad annum* 952. Witikindus ita loquitur: *Cum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans, renovat a fide, coram omni exercitu, famulatui regis ſe cum filio ſuo ſubjugavit: & ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace.*

XXXVIII. ITAQUE jam tum feudi jure ab Ottone Langobardicum regnum obtinuit Berengarius. Et tamen anno demum 961. Otto a multis Langobardici regni proceribus & Johanne papa, contra Berengarii tyrannidem invitatus, expulſo Berengario & liberato papa, primo quidem regnum Italiæ occupavit iterum, deinde anno ſequente *imperator eſt creatus.* (a) Narrat Baronius ad

(a) *Carolina regum familia*) De his & ſequentibus ad librum *de imperio Germanorum Romano* egimus.

(b) *Fuiſſe cæſarem*) Vid. PFEFFING. *tom. 1. lib. 1. tit. 5.* Sunt tamen multi ex veteribus etiam, qui ipſum imperatoris & imperatoris Romanorum titulo mactant. Sed illud ex vulgari exortum eſſe errore, exiſtimo.

(c) *Berengarius*) Dn. PFEFFINGER *tom. 1. p. 308. ſeqq.*

(d) *Habuit in poteſtate ſua*) HROSWITA p. 719. ſeqq. WITTICHINDVS CORBEIENSIS *lib. 3. annal. p.* 652. FRODOARDVS, LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS, BARONIVS *ad ann. 951.* LEO OSTIENSIS *chron. lib. 1. c. ult.* REGINONIS CONTINVATOR *ad ann.* 952. WITTICHINDVS p. 256. DITMARVS MERSEBVRGENSIS p. 16. 17. LVITPRANDVS *lib. 6. hiſtor. c. 6.*

ad annum 961. ex hiſtoria ducum Beneventanorum antiqua, proceres Italiæ, appropinquante jam Ottone, Adelberti filio Berengarii regis dixiſſe: *Vellemus, domine, ut papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicas, quatenus Langobardorum regnum ſub veſtra ditione committat; quia nos minime ſub illius poteſtate amplius jam durabimus. Si vobis committit regnum, nos totis viribus pugnabimus; ſin autem, nos Italia regnum extero regi committemus.* Id ipſum autem cum Adelbertus non potuiſſet impetrare, proceres omnes Berengarium pariter & Adelbertum reliquiſſe. Addit autem ille ſcriptor: *Itaque Otto rex ſine impedimento in Italiam introivit, atque Italia regnum obtinuit.* Luitprandus, qui itidem eo tempore vixit, in narratione legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ, quam a Caniſio editam inſeruit Baronius decimo annalium tomo *ad annum* 968. ita rem omnem narrat Nicephoro imperatori: *Palam eſt, quod Berengarius & Adelbertus ſui milites* (i. e. Ottonis vaſalli) *effecti, regnum Italicum ſceptro aureo ex ejus manu ſuſceperunt, & præſentibus ſervis tuis, qui nunc usque ſuperſunt, jurejurando fidem promiſerunt. Et quia hanc perfide violarunt, juſte illos quaſi deſertores ſibique rebelles regno privavit.* Tenuit ergo etiam Otto Langobardicum regnum, antequam cæſarea jura eſſet conſequutus, adeoque & regnum illud Italiæ cum imperii juribus nihil habuit commercii. Etſi vero ſequente anno Otto imperator ſit creatus, etiam tunc tamen ſatis curate diſtinxit Italicum illud regnum a reliquiis imperii Romani, quas papa poſſidebat. Recitat Gratianus *cap.* 33. *diſt.* 63. *Juramentum* (b) Ottonis papæ Joanni præſtitum, quod & Baronius habet *anno* 966. (de cujus fide non eſt meum nunc diſputare) ibi diſerte vero legitur: *cuicunque regnum Italicum commiſero, jurare faciam illum ut adjutor tui ſit.* Habet idem Baronius anno 962. diploma, quo Otto creditur confirmaſſe Romanæ eccleſiæ bona; ubi inter alia legitur: *inſuper offerimus tibi de PROPRIO NOSTRO REGNO civitates & oppida cum piſcariis ſuis reatem, amiternum &c.* Unde patet porro, Ottonem Langobardicum regnum ſibi arrogaſſe jure proprietario.

XXXIX. INSECVTIS temporibus *æterno quidem fœdere* (c) juncta eſt *cæſarea dignitas*, (d) non minus atque Italici regni poſſeſſio, cum Germania, (quod quibus auctoribus, quave ratione, aut qua de cauſa contigerit, non eſt inſtituti noſtri nunc exponere,) cœpit etiam ex eo communis appellatio illa *imperii Romani*, (e) quæ res multos in errorem perduxit; nullum tamen monumentum poteſt produci, nullæ tabulæ extant, quibus poſſit probari, aut coiiſſe Germanicum & Italicum regnum cum illis imperii Romani reliquiis in unam prorſus rempublicam, aut illa in imperii iſtius ditionem conceſſiſſe. Alterutrum autem affirmare ſine certis documentis non licet aut fas eſt.

XL. Ac PRIVS quidem vel illo uno poteſt abunde refelli, quod & Germania & Langobardicum regnum comitia ſua de rebus maximis ad rempublicam pertinentibus omni tempore inſtituerit; egerit quoque res maximas: non impetrato conſenſu vel papæ vel aliorum imperii iſtius ordinum. Ingeſſit ſe quidem, fateor, papa Romanus, poſt tempora Henrici IV. plærisque imperii negotiis, quin & conatus eſt plæraſque ad arbitrium ſuum trahere: nunquam tamen ipſe voluit videri deliberationibus intereſſe, ut civis aliquis reipublicæ, nunquam etiam hoc nomine vel vocatus fuit vel admiſſus; ſed quomodo in omnia alia regna & omnes orbis Chriſtiani respublicas ſumma impietate dominatum ſibi arrogavit & ſumpſit, tanquam ſupremus monarcha a Deo conſtitutus, ita & hoc nomine reipublicæ Germanicæ negotia voluit gubernare: ſæpe invitis, nonnunquam & conſentientibus regni ordinibus, fatali tum errore conſtrictis. Si Germanico autem regno & Italico manſit ſummum jus adminiſtrandi rempublicam ſuam ſine populi Romani conſenſu, non in unam profecto rempublicam hæc coierunt. Quot enim ſunt ſummæ poteſtates; totidem ſunt reſpublicæ; utut unum habeant principem, aut arcto aliquo fœdere *συμμαχίας*, civitates illæ ſint unitæ. Quale quid de civitatibus Helveticis Joſias Simlerus & Bodinus, de fœderatis Belgico Germanicis provinciis optime Hugo Grotius *in apologetico ſuo cap.* 1. annotarunt. Cæterum non conveniſſe omnia illa in unam rempublicam, manifeſtum ſit etiam diverſis illis *coronationibus* (f) regum noſtrorum. Corona enim indicium eſt & ſignum quodammodo reipublicæ. Seor-

(a) *Imperator eſt creatus*) REGINONIS *contin. ad annum* 960. 961. 962. FRODOARDVS ad annum 962.

(b) *Juramentum*) De hoc alibi actum eſt.

(c) *Æterno quidem fœdere*) Vid. *Diſt.* 63. c. 23. THEODORICVS DE NIEM apud SCHARDIVM *de juriſdict.* p. 249. GOLDASTVS *tom.* 1. *conſtit. imperial.* p. 321. SCHILTER. *tom.* 2. *J. P. tit.* 10. & multi alii, inter quos PETRVS DE MARCA, BARONIVS & GRETSERVS ſunt citati a PFEFFINGERO *tom.* 1. *J. P. p.* 63.

(d) *Cæſarea dignitas*) COCCEIVS in *jur. publ. cap.* 6. §. 15. ſeqq.

(e) *Imperii Romani*) Scilicet cum crederetur; in vocabulo imperatoris Romani ob amplitudinem antiqui illius imperii eximii quid ſplendoris ineſſe, reges Germanorum iſto ſolo nomine notari, frequens erat. Cui conſequens erat, ut Germania quoque velut nobiliori nomine imperium Romanum inciperet vocari. MONZAMBANO *cap.* 1. §. 14. Et recentiores cæſares a Maximiliano I. poſt nomen imperatoris Romanorum expreſſe ſubjungunt regis Germaniæ titulum. Quin & hodie Germanis ſolenne eſt, ſuam rempubl. vocare *imperium Romanorum Teutonicæ nationis*, quæ tamen formula contrarium ſibi ipſi ſenſum videtur habere. MONZAMBANO *l. c.* §. 14. Sunt, qui potius dicendum putant, *imperium Germano-Romanum.* Verum cum locutio: *das heilige Rœmiſche Reich teutſcher Nation*, receſſibus imperii eſt inſerta & ſtilo curiæ recepta, ſatius eſt, ut retineatur. VITRIAR. *J. P. lib.* 1. *tit.* 4. §. 4.

(f) *Coronatibus*) Conf. LIMNÆVS *ad A. B. obſervat.* 3. *cap.* 26. §. 4. & *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. SIGONIVS *de regno Italiæ.* SCHWEDER. *part. ſpecial. ſect.* 1. *c.* 1. §. 27. SCHVRTZFL. *de diviſione imperii Carolini* §. 78. Trium coronarum meminit etiam Gregorius IX. *in epiſtola ad Fridericum I.* PFEFFINGER *T.* 1. *J. P. p.* 906. ſeqq. Erant autem tres illæ coronæ Germanica, Romana & Longobardica, quibus interdum Arelatenſis acceſſit: PFEFFINGER *l. c. p.* 910. Omnes ex auro, licet Lombardicæ ex ſemicirculo ferreo cognomen ferreæ impoſitum ſit. Hæc a nonnullis falſo etiam argentea dicta. Vide ÆNEAM SYLVIVM *in coronatione Friderici III. p.* 79. *Coronam ſecundam*, inquit ONVPHRIVS PANVINIVS *de comit. p.* 34. „Quam ferream vocant, Mediolani a poſterioribus imperatoribus ſumi ſolitam, ante Friderici II. tempora nequaquam in uſu fuiſſe crediderim. Primus hoc diademate coronatus fuit Henricus Luzelburgenſis in Baſilia Ambroſii a Caſſano Turriono, archie-

Seorſim autem primo accipitur corona regni Germaniæ; ex antiqua quidem conſuetudine, ut & lege Carolina, quod nonnullis etſi falſo placet, Aquisgrani perperam ſane vulgo creditur, & nuncupatur illa corona cæſarea. Veteres utique rectius, (inter quos eſt & Fridericus I. cæſar *epiſtola ad Ottonem Friſingenſem*) dixere illam coronam *regni Teutonici*. At cæſaream coronam ſemper, & quidem jam per annos octingentos, ſolus papa Romanus addidit. Quin & multi poſt Ottonem papiæ quoque coronati ſunt reges Langobardorum; adeoque triplici corona, Germaniæ nempe, Langobardiæ & imperii Romani, inſigniti. Accedit, quod nunquam quisquam poſt Carolum magnum voluerit cæſareum titulum uſurpare ante acceptam coronam illam Romanam, etſi jam eſſet corona Germanici regni honoratus: omnes enim ante ſunt tantum reges dicti, etiam nunc non niſi *electi caſares* (a) audiunt, licet coronati ſint Germaniæ aut Italiæ reges. Adhoc, ſatis hodieque diſtinguunt ipſi cæſares regnum Germanicum ab imperio Romano, cum electos ſe dicunt imperatores Romanos, ſed ſibi ſimul addito titulo regum Germaniæ; quod nempe aliud ſit eſſe regem Germaniæ, aliud electum cæſarem Romani imperii.

XLI. IGITUR unam profecto cum imperio Romano rempublicam neque Germania hodie, neque Langobardicum regnum conſtituit. Tantum vero abeſt, Germaniam & Langobardiam a Germanis domitam, ſeſe Romano imperio ſubjeciſſe, ut contra potius illud olim Germaniæ ſeſe dederit magna ex parte. Omnem enim imperatoris eligendi poteſtatem Romani eorumque pontifices in Germanos æterna lege contulerunt; quo ipſo jus Germanis dederunt, ſummum magiſtratum Romano imperio creandi: quod eſt magnam majeſtatis partem alteri tribuere, ſibi eripere. Id quando cœperit, alias exponitur. Id certum vero eſt: moderatis adhuc paparum rebus, & ante monſtrum illud ambitionis Hildebrandum aut Gregorium VII. papam, magnam ſatis fuiſſe cæſarum a Germanis electorum in pontificem & populum Romanum auctoritatem ac potentiam, & nihilominus tamen in Germanorum fuiſſe poteſtate, eam omnem dignitatem ac vim, electis ex ſuo arbitrio regibus ſuis, in alienam rempublicam conferre. Quin manet hodieque, ut non ſolus Germanorum rex audiat cæſar, priſca auctoritate licet adempta. Quo patet; quaſi ſurrogaſſe ſibi potius Romanum populum in ſua jura Germaniam, quam ut Germania ſeſe illi imperio ſubjecerit.

XLII. HÆC AUTEM omnia quam longe ſint certiſſima, nihil eſt, quur non aperte tandem pronunciemus; *neque Germaniam neque Langobardicum Italia regnum vere partes eſſe Romani imperii*, *ſed reſpublicas ab illo diſtinctas*, *adeoque nec imperatorem*, *in quantum eſt imperator*, *eſſe vel Germanici vel Langobardici regni caput aut magiſtratum*, *ſed quatenus idem ſimul rex eſt*. Nec vero ex illo, quod jam multis ſeculis vulgo Germani quoque & Italia illa Langobardica imperii Romani nomine audiat, ſequitur quid eſt colligere. Familiare enim eſt & receptum, ſi multæ reſpublicæ coëant in unum fœdus, ab una aliqua illarum omnibus commune nomen indere. Ita olim Achæorum reſpublica omnibus fœde-

„piſcopo Mediolanenſi anno MCCCXI. Deinde in eodem „loco Ludovicus Bavarus a Guidone de Petra mala, epi-„ſcopo Aretino, quod Mediolanenſis archiepiſcopus ei „anathemate graviſſimo a Romano pontifice Johanne „XXII. notato communicare noluiſſet. Ferrea corona re-„dimitus tertio Carolus IV. non Mediolani ſed Modœciæ „in templo S. Joannis Baptiſtæ a Roberto vicecomite, ar-„chiepiſcopo Mediolanenſi, noviſſime omnium Mediolani „corona ferrea Sigismundus a Bartholomæo Caſa archie-„piſcopo Mediolanenſi.„ Poſt hunc eam adhuc Romæ ex Nicolai V. & Bononiæ ex Clementis VII. manibus Carolus V. accepit: cujus in imperio ſucceſſores utramque & Longobardicam & Romanam neglexerunt. Quod autem & ante Friderici II. tempora Longobardica corona ſumta ſit, alibi docuimus. Vid. PFEFFING. *l. c. p.* 908. Quod autem ad Germanicam coronam attinet, & hanc ferream aut argenteam eſſe a nonnullis, quos recenſet PFEFFING. l. c. p. 909. aberratum eſt, cum tamen, eam auream eſſe, propemodum in vulgus conſtet. Conf. HERMANNUS MAURUS *in deſcript. coronat. Caroli V.* apud SCHARDIUM *T. 2. rerum Germ. p.* 23. GOLDAST. *polit. imperial. parte III. diſc. 3. p.* 271. FERARIUS *de coronatione Joſephi P. III. c. 4.* WAGENSEIL. *in antiq. Noribergenſibus*, ACTA *coronationis Caroli VI.* Verum enim vero ex diverticulo in viam redeamus. Quæſtio hic eſt, an diſtinctæ coronationes diſtinctorum regnorum ſigna ſint, ubi negativam tuetur ſententiam OBRECHT *ad Monzambano p.* 15. Sed refutatur, & quidem recte, ab illuſtri THOMASIO. Quem enim alium diſtinctæ coronationes habere poſſent finem, quàm ut indicaretur, diverſa regna ſub uno rege eſſe conjuncta. Aſt cum una aut altera coronationum omittitur, non idcirco juri in regnum illud renunciatur: nam coronatio non ſpectat ad regis eſſentiam. Poſſunt enim eſſe aliæ rationes, propter quas negligitur. Sic nullus imperatorum Germanicorum poſt Carolum V. aut Romanum aut Longobardicum ſumſit diadema, abſonum autem eſſet, inde colligere velle: igitur Germania juri ſuo in imperium Romanum & regnum Italiæ valedixit: cum coronarum illarum ſumtio ſit res meræ facultatis intuitu terrarum, quæ cum imperio Germanico æterno fœdere, ſub lege tamen ſubjectionis, cohærent. Quod autem imperatores in capitulationibus ſuis promittant, ſe ad ſumendum diadema Romam profecturos, inde imperio Germanico, non autem exteris illis terris Germaniæ parentibus. ut imperator illud ſuſcipiat, jus quæritur. Et cum de itinere illo ſuſcipiendo imperator ab imperio deinde non fuerit admonitus, facile ipſum a proficiſcendi promiſſo liberavit. Omiſſa quidem fuit in Maximiliani II. capitulatione & regiæ & imperialis coronationis mentio, & Leopoldi capitulatio imperialem non refert coronationem. Neque hanc omiſſionem mendo deberi, LYNCKERIUS *in commentar. ad artic. XXXVI. capitul. Joſephi* contra Limnæum contendit: *ſiquidem*, ſunt verba Lynckeri, „ coronam Romanam, non quidem quaſi „illa poteſtatis imperatoriæ quid coronato adferre poſſit, „ſed & citra ſponſionem electi Romæ ex aliis cauſſis ſu-„mere expediat. „ Ceterum in Joſephi capitulatione artic. 36. & in Caroli VI. art. 3. reperitur, quod coronam regiam Romanam ſumere velint, & additur; *So ſollen und wollen wir alles dasjenige darbey thun, ſo ſich derenthalben gebühret.*

(a) *Electi cæſares*) Quanquam coronatio cæſaris eſſentiæ quam per electionem accipit, nihil addat: obtinuit tamen, ut Germanorum imperatores, antequam Romanum ſumſerant diadema, electi cæſares dicerentur. Nec dubito, quin illud ex eo invaluerit, quod errorem foverent, quaſi ad papam ſpectaret, electum in imperatorem promovendum, ut eſt in famoſo *c. 34. X. de elect. & elect. poteſtate.* Conſtitutum quidem fuit ſub Ludovico Bavaro in comitiis Renſenſibus: *imperatorem, quamprimum electus fuerit a VII. electoribus, ſtatim plena gaudere poteſtate, nec indigere papa confirmatione:* Sed a Carolo IV. in Ludovici detrimentum papalibus obnoxio imperiis Romana ſumta corona effecit, ut ad vulgarem quodammodo reditum ſit errorem. Vid. SCHILTER *J. P. tom. 2. p.* 285. 286.

fœderatis nomen dedit, & urbs Romana omnibus ſociis, hodie fœderati omnes Helvetii ab uno pago Suiceri, fœderatæ item omnes Belgico Germaniæ provinciæ vulgo Hollandiæ nomine uſurpantur. Eadem vero ratione & imperii Romani nomen ſociis rebuspublicis eſſe inditum, vel hæc verba indicaverint Gotfridi Viterbienſis. Hic enim cum narraſſet, Lotharium imperatorem regni ſui tres in partes diviſi partem unam, Italiam ſcilicet, cum imperatorio nomine, majori natu filio tribuiſſe, addit: *vide, ad quantum defectum Romanum imperium devenerit, ut inter tres partes diviſo regno Francorum tertia partis tertia pars eſſet imperium.* Apud nonnullos ſcriptores, tempore Caroli Calvi, Gallia quoque imperii nomine audivit, excluſa Germania. Otto Friſingenſis, cum egiſſet de diviſione regni Francici inter filios Ludovici pii inſtituta, ita loquitur: *l. 5. c. 35. Exhinc diviſo regno, regna modo duo, Orientale & Occidentale, (quorum alterum* (Orientale) *partem Ludovici & Lotharii, ſedemque regni Francorum Palatium Aquisgrani, ac imperium urbis Romæ habet: aliud vero,* (Occidentale) *quod adhuc Francorum, eo quod iſtud Romanorum vocatur, appellatum, partem Caroli Calvi tenet) inveniuntur.* Unde perſpicere eſt, jam ætate Friderici Barbaroſſæ Germanicum & Langobardicum regnum vocatum vulgo regnum Romanorum, ita tamen, ut non lateret diſtinctio inter illa regna & imperium urbis Romæ.

XLIII. IGITVR ex illo nomine Romani imperii haud quidem licet colligere, Langobardicum & Germanicum regnum pertinere reapſe ad imperium Romanum. Neglexerunt autem diu & ipſimet reges Germanici, imperatorio titulo regnorum Germaniæ & Italiæ memoriam adjicere; forte quod mos ſeculi non ferret cumulum titulorum, nomen autem cæſareum ea ætate adeo haberetur magnificum, ut adjicere quidquam videretur indecens. Conſtat ſane, eos nec adjeciſſe titulos ducatuum & comitatuum, quos tamen una cum regia & imperatoria dignitate poſſidebant. Primus, quantum videtur, *Fridericus II.* (a) præter cæſareum nomen Siciliæ & Hieroſolymæ regnum tum uſurpavit, Suevici tamen ducatus mentione non adjecta. Eum imitatus centum & quinquaginta fere annis poſt Carolus IV. & Romanorum imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ rex voluit dici. Ejus filius Sigiſmundus & imperator & Hungariæ & Bohemiæ rex audivit. Fridericus III. non multo poſt adjecit cognomenta plurima, propter ducatus, comitatus & alias provincias ſibi ſubditas, Germanici licet imperii feuda eſſent. Qui mos ab eo usque tempore invaluit. Maximilianus porro & *Germania rex* (b) voluit dici: non tantum optimo jure ſed & utiliſſimo inſtituto. Secuti autem Maximilianum ea in re ſunt Carolus V. & omnes, quotquot in hunc diem ab ea ætate Germaniæ præfuerunt. Poſſet autem eodem jure & Italici (imo, ut alibi oſtenditur & Burgundici aut Arelatenſis) regni, titulus uſurpari: quantum ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Nec vero id ipſum non eſſet magno cum reipublicæ bono conjunctum: quo unicuivis poſſit eo rectius conſtare tota reipublicæ natura. Certe intereſt rerumpublicarum conjunctarum, ad tuenda jura ſingularum, ut etiamſi unum principem acceperint, nomina priſca ne obliterentur.

XLIV. QVIN IGITVR quaſi ratum eſto ac conſtitutum: *Germanicum & Italicum regnum respublicas eſſe diſtinctas ab eo, quod vere imperium Romanum eſt dicendum, nec imperatorem, in quantum eſt imperator, vel Germaniam regere vel Langobardicum regnum.* Hinc vero ſequitur, graviſſime illos hallucinari, qui Germaniam cenſent teneri legibus Juſtinianeis, aut imperatori in Germaniam arrogant poteſtatem priſcorum cæſarum in imperium Romanum, & nomine, quod Germania ſit vere imperium Romanum, & quod imperator, quatenus eſt imperator, Germaniæ præſit. Utrumque ſane eſſe longe falſiſſimum, jam oſtenſum eſt. Non attingam enim nunc, quam imbecillis ſit illa collectio, etiamſi utrumque verum eſſet, quod ſumunt.

XLV. Non minus vero hinc liquet, quam inique papæ, Romani imperii nomine abuſi, regimini Germaniæ ſeſe immiſcuerint, easque perturbarint aliquot ante ſeculis: ut & quam inique non adeo pridem *Paulus IV.* (c) voluerit ſuas in manus reſignari Romanum imperium, *Gregorius vero XV.* (d) electoralem dignitatem Bavaro collocatam confirmare. Habuit enim olim quidem papa Romanus, una cum aliis civibus Romanis, eligendi cæſarem poteſtatem, (& vero elegit ille & Carolum magnum ac poſt Ottonem magnum) ſed in electionem regis Germaniæ nihil unquam habuit juris, jam Ottonum vero tempore etiam cæſarum electionem in liberum Germaniæ procerum arbitrium transtulit. Qua de re alibi. Certe ut hodie etiam aliquid juris ſit papæ in electionem cæſaris (quod tamen eſt falſum,) eo tamen nomine non debuit ille ſui juris quoque facere electionem regis Germaniæ & Italiæ.

XLVI. PORRO & hoc conſentaneum eſt: ſi poteſtas cæſarem creandi jure queat Germaniæ adimi, aut ſi illa nollet aliquem creare, eo ipſo tamen non amittere illam creandi regis Germanici & Italici regni facultatem. Ita ſi licuiſſet Alexandro III. papæ imperii Occidentalis dignitatem in Conſtantinopolitanos iterum transferre, quod rogaſſe Emanuelem Conſtantinopolitanum ſcribit Blondus *l. 5. decad.* 2 & Platina *in vita Alexandri III.* aut vero ſi Bonifacius IIX. jure potuiſſet promiſſis ſtare (pollicitus autem erat, ſe imperii dignitatem in Gallos translaturum) non tamen ea propter jure potuiſſet Germaniæ & Italiæ reſpublica a Germanis in alios transferri.

XLVII.

(a) *Fridericus II.*) De hoc argumento alibi actum eſt. Confer. PFEFF. *tom. 1. J. P. p.* 297. ſeqq.

(b) *Germania rex*) DATT. *vol. rer. Germ. nov. c. 7. n. 37.*

(c) *Paulus IV.*) PALATIVS in *Paulo IV. p.* 237.

(d) *Gregorius vero XV.*) In ambiguo eſt, an hæc veritati congruant. PALATIVS *in ejus vita p.* 533. codicillos a Maximiliano ad Gregorium electoralis dignitatis ſibi collatæ nuncios miſſos, eosque in cardinalium conſenſu, quem *conſiſtorium* vocant, maximo cum gaudio lectos tradens, nullam hujus rei injecit mentionem, quam, ſi quid ex vero haberet, non omiſiſſet, pontificii culminis aſſertor ſtrenuiſſimus.

XLVII. DENIQVE & hoc ſequitur: non eſſe, quur nonnulli adeo contendant, imperii Romani dignitatem non eſſe a Romano papa collatam, vel Carolo magno vel Ottoni, eo argumento, quod uterque jam ante coronationem Germaniam ac Italiam poſſederit. Non enim eſt difficile probatu, factum id omnino eſſe *a papa & populo Romano*; (a) ſed quod collatum fuit, id vero, ſi cum Germania & Italia Longobardica contendas, pene eſſe nihil. Certe non eſt, quur hac de cauſa ſeſe jactitent Romani pontifices, quaſi ſc. *magno beneficio* (b) Germaniam affecerint, utpote quum, ſi rem ipſam videas, potius opinione collatio illa inſigne quid habeat, quam reapſe. Verum de toto hoc negotio non eſt hujus loci latius agitare.

XLIIX. QVVM AVTEM, nec Germania, nec Italia Longobardica ſubſit hodie imperatori, ut ille eſt Romanus cæſar: ergo aut reliquum omne Italiæ illi iſthoc nomine paret, aut aliquid ejus, aut vero nihil. Oſtenſum autem eſt ſupra: quum Carolus magnus imperii rerum eſt potitus, tum ex pacto Calabriam inferiorem manſiſſe in ditione imperii Orientalis, Venetorum quoque urbem iisdem redditam, reliquum autem omne, utut pareret pontifici, in Caroli, ut imperatoris, ſupremam poteſtatem perveniſſe. Fuit autem & Ottonis eadem prope conditio. Namque & tunc nihil reliquum relictum eſt Orientali imperio præter Calabriam: Venetorum urbs itidem tunc *manſit libera:* (c) cætera vero omnia imperii veteris in Italia, tametſi eſſent in *pontificis manu*, (d) una tamen cum ipſo pontifice in Ottonis, ut cæſaris, imperium *pervenerunt.* (e) Luitprandus, ſive alius quis autor eorum, quæ a capite usque ſexto ſunt aſſuta *libro ſexto Luitprandi*, ſcribit: Ottonem ab Johanne papa unctionem ſuſcepiſſe imperii, addens: *jusjurandum vero ab eodem papa Joanne ſupra pretioſiſſimum corpus Petri atque ab omnibus civitatis proceribus, ſe nunquam Berengario atque Alberto auxiliaturos, accepit.* Otto imperator *c. 10.* conqueritur: Joannem papam eſſe *immemorem juramenti & fidelitatis, quam ſibi ſupra corpus S. Petri promiſerit.* Unde claret, papam *fidelitatem* juraſſe imperatori Ottoni, quæ vox quam habeat vim, ex more ejus ævi notum eſt. In diplomate Ottonis illius Joanni pontifici dato, de bonis epiſcopatus Romani, apud Baronium *ad annum 962.* diſerte bona illa omnia donantur, ſub hac conditione: *Salva in omnibus poteſtate Noſtra & filii noſtri, poſterorumque Noſtrorum.* Item, ne quis pontifex imposterum conſecraretur, (verba cæſaris ſunt) *prius quam talem in præſentia miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem dominus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Atqui Leo tertius Carolo magno ſubjecit ſeſe, prout olim cæſaribus fuere ſubjecti papæ, eoque Carolum ſtatim adoravit: quod jam ſupra eſt dictum. In eodem porro diplomate notandum illud eſt: conventum tunc eſſe, ut quotannis per legatos cæſari nuncietur: *qualem ſinguli duces ac judices populi juſtitiam faciant.* Si enim ſecius quid fiat quam oportet, tum vero imperatorem per legatos ſuos id emendaturum.

XLIX. EX QVIBVS profecto liquet, ſtatim illo anno 962. Ottonem una cum cæſareo titulo jura veterum cæſarum in papam ipſum accepiſſe. Et vero eo jure uſus eſt contra Joannem illum papam ſtatim ſequente anno. Quo tempore, de novo cives Romani *fidelitatem* promiſerunt, *hæc addentes* (verba ſunt Luitprandi l. cit.) *& firmiter jurantes, nunquam ſe papam electuros & ordinaturos præter conſenſum atque electionem domini imperatoris Ottonis cæſaris Auguſti filiique ipſius regis Ottonis.* Rogavit autem tunc ſynodus epiſcoporum ab Ottone congregata, & ut Joannem papam *exui honore*, (f) & alium in ejus locum eligi pateretur. Utrumque autem effectum eſt. Eidem vero Ottoni Romani cives perjuri *anno 964.* & tertia vice *fidelitatem* jurarunt: ut poſt Reginonem narrat Baronius. Quo anno iterum cæſarea auctoritate uſus Otto, in exilium relegavit Benedictum, quem Romani cives crearant pontificem. Eidem porro Ottoni, omnibusque ejus ſucceſſoribus Leo papa præter illa jam dicta conceſſit *in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem*, (in imperio ſcilicet) *atque ſummæ ſedis apoſtolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiſcopos ſeu epiſcopos; ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant.* Habentur omnia hæc verba ex bulla quadam Leonis deprompta, apud ipſum Gratianum *diſt. 63. cap. 23.* Extat quoque apud Cranzium *Metropol. l. 4. cap. 10.* ejusdem Leonis alia bulla, qua omnia, quæ Pipinus aut Carolus magnus donaverant Romanæ eccleſiæ, Ottoni ejusque ſucceſſoribus *redduntur.* (g) Impugnat quidem acriter utriusque fidem Baronius *ad annum 964.* quicquid vero ſit de illis bullis, id certum eſt, Leone mortuo, jus illud cæſareum eligendi ex arbitrio pontificem, non latuiſſe Romanos. Continuator Reginonis *ad annum 965.* ita notat: *Eodem anno dominus*

(a) *A papa & populo Romano*) Conf. VITRIARIVS *jur. publ. lib. 1. tit. 4. §. 5.* & ad eum PFEFFINGER. WERLHOF. *juris publ. enucleati c. 2. §. 6. ſeqq.* Coccejus papæ & populi Romani collationi hic nihil plane tribuere videtur, ſed omne jus ex Caroli M. & Ottonis I. annis repetere videtur. *J. P. c. 6. §. 11. 15. 16.* Verum enim vero nec Carolus nec Otto victricia urbi intulit arma; ſed populus Romanus ſe utrique ut deſertus aut liber ſubdidit, quanquam deſertionis fundamentum dubium eſſe fatear.

(b) *Magno beneficio*) Coccejus potius hic ingentia tria a Carolo M. & Ottone Romanis exhibita deprædicanda putat beneficia, quorum (1) primum eſt, quod Romam ſuis non conceſſerint hoſtiliter diripiendam & in ſervitutem redegerint. (2) Quod Romani imperatoris & imperii titulum admittere voluerint. (3) Quod huic imperio nomine Romano imperatores Germanici terris & opibus defendi poſſet, cum utrisque deſtitueretur, proſpexerint.

(c) *Manſit libera*) In Venetorum libertatem inquiro capite XI. libri *de finibus imperii Germanici* p. 185. ſqq. hujus tomi I.

(d) *Pontificis manu*) Non quod Romanorum fuerit dominus, ſed quod plurimum in eos ſacra polluerit autoritate.

(e) *Pervenerunt*) Id potiſſimum anno 962. cum diadema ipſi a Joanne XII. Romæ imponeretur, in publicum declaratum eſt: De anno illo coronationis ejus varia apud VGHELLVM teſtantur diplomata. *tom. 4. p. 430. tom. 5. p. 737. 741.*

(f) *Exui honore*) Vid. SIGONIVM *in Ottone.*

(g) *Redduntur*) De his a nobis alibi actum eſt.

dominus papa Leo obiit. Tunc legati Romanorum imperatorem pro inſtituendo, quem vellet, Romano pontifice, in Saxonia adeuntes, honorifice ſuſcipiuntur & remittuntur. Et Otgarus Spirenſis epiſcopus & Luitprandus Cremonenſis cum iisdem Romam ab imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Joannes eligitur. Imo ex eo usque tempore, omnes pontifices Romani, aliique archiepiſcopi pariter & epiſcopi, pedum epiſcopale ab imperatoribus acceperunt, donec rem omnem turbaret Gregorius VII. Id quod alibi oſtenditur.

L. QVIN ITAQVE OTTO MAGNVS vere cæſaream obtinuerit in pontificem populumque Romanum poteſtatem, non eſt dubitandum. Poteſt autem de ſucceſſoribus ejusdem ad *Henricum quartum usque*, (a) idem haud difficulter oſtendi, ſi opus foret. Verum id operoſe agere fuerit forte ſoli facem fœnerari. *De Ottone III,* (b) tamen, quæ dicit Glaber Rodulphus, non poſſumus prætermittere. *Contigit*, ait, *initio imperii Ottonis, ut ſedes Apoſtolica urbis Romæ proprio viduaretur pontifice.* (is erat Johannes XV.) *Ipſe vero illicò imperiali uſus præcepto quenquam ſuum conſanguineum* (Brunonem, poſt dictum Gregorium V.) *elegit*, (c) *atque ex more in ſede Apoſtolica ſublimari mandavit.* Quum vero eodem tempore Creſcentius conſul principatum urbis ſibi ſumſiſſet, aliumque inſtituiſſet pontificem, narrat idem atque ex eo Baronius *ad annum* 996. Ottonem & urbem occupaſſe & Creſcentium curaſſe præcipitari, papæ autem a Creſcentio electo & manus amputatas & aures abſciſſas & oculos *erutos.* (d) Idem ille Otto Sylveſtrum II. papam *inſtituit*, (e) fatente Baronio *anno* 999. Idem Otto Sylveſtro illi papæ *octo urbes* (f) marchiæ Anconitanæ donavit. Refert illud Theodoricus de Niem *lib. de privileg. & jurib. imperii.* Ipſum vero donationis diploma edidit primus Marquardus Freherus & inſigni commentario illuſtravit. Poſt illud a Baronio *tomo 12. annal. ad ann.* 1191. eſt inſertum. Liquet vero inde, eo tempore magnum illud, quod appellatur Petri patrimonium non tam in pontificis quam imperatoris fuiſſe manibus, forte quod Leo omne illud Ottoni magno iterum conceſſiſſet. In illis autem literis notatu etiam hoc occurrit dignum, quod Romam appellet cæſar *ſuam urbem regiam.* Hujus porro Ottonis adhuc pueri mater Theophane per triennium ipſa *Romæ vixit* (g) & rempublicam filii ſui in uſum tenuit. Quomodo anno 1033. Conradus II. integrum annum Romæ commoratus rebelles compeſcuit.

LI. QVAMQVAM autem hæc vera cæſarea poteſtas integra manſerit ad Henricum usque quartum (cujus pater *Henricus III.* (h) adeo jure ſuo eſt uſus, ut non dubitaverit Baronius *anno 1046.* illum hoc nomine neſcio cujus hæreſios Henricianæ auctorem proclamare) imo quanquam ipſe Gregorius VII. papa *confirmari* (i) voluerit per Henricum IV. primus tamen ille inaudito hactenus facinore non tantum exuere cæſarem omni dignitate eſt auſus, ſed & ſumere ſibi poteſtatem in imperatorem,

(a) *Ad Henricum quartum usque*) Id alibi a nobis factum eſt.

(b) *De Ottone III.*) Et ſecundus Otto ſibi jus, ſedis Romanæ orbitati novo præſule proſpiciendi, vindicabat. Hinc iniquo ſatis ferebat animo, quod Thuſciæ comites, quibus Romani adſtipulabantur, contra pactorum fidem & ſubjectionis formulam, Benedictum VII. neceſſitudine ſibi junctum papali impoſuiſſent ſolio. PALATIVS *vol. 2. p.* 161. SIGONIVS *de R. J. p.* 327.

(c) *Elegit*) *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique p.* 123. *Acta SS. Bol. ad diem* 25. *April. p.* 184. DITMARVS *lib. 4. p.* 351.

(d) *Erutos*) PLATINA *in vita Gregorii V.* SIGONIVS *ad ann.* 997. VGHELLI *tom. 3. p.* 206. DITMARVS *p.* 354. *Vita MEINWERCI c.* 10. LAMBERTVS SCHAFFN. HERMANNVS CONTRACTVS, CHRONOGRAPHVS SAXO & BARONIVS *ad annum* 996. Alios adhuc autores citat PFEFFINGER *tom. 1. p.* 509.

(e) *Inſtituit*) Gerbertum Ravennatum archiepiſcopum, ſuum quondam præceptorem, ad papalem elevavit dignitatem. Hic Sylveſtri II. nomen ſumſit. Falſo eum magiæ fuiſſe ſuſpectum, alibi monui. Vid. BARONIVS *ad ann.* 999. DITMARVS *lib. 6. p.* 399. apud LEIBN. *in ſcript. Brunſv.* PLATINA & PALATIVS *in vita Sylveſtri II.*

(f) *Octo urbes*) Donationis diploma alibi examinavimus.

(g) *Romæ vixit*) *Les droits de l'empire ſur l'etat eccleſiaſtique ch. X.* in fine. *Annales Hildesh.* & LAMBERTVS SCHAFFNAB. *ad ann.* 989.

(h) *Henricus III.*) Henricus quoque ſecundus circa jura imperio, quæ in conſtituendis papis habebat conſervanda, ſolicitus fuit. Etenim ejus autoritate factum, ut Benedictus ad pontificiam ſedem ab antipapa Gregorio derelictam, redire potuerit. DITMARVS *lib. 6. c.* 80. PALATIVS *in Benedicto.* GLABRO quidem autore apud CHENIVM *tom. 4. ſcript. Francic.* Henricus II. conſtituit, nunquam imperatoris titulum a quoquam absque pontificis conſenſu adhibitum iri: verum enim vero, ſi hoc aliquid ex vero haberet, illud ut rem tanti momenti, Ditmarus non ſiluiſſet. Suſpicio forte hujus rei ex nimia Henrici ſanctitate eſt enata. Et ſi hæc Henricum plane in transverſum abripuiſſet, jus tamen inde nullum ad pontificiam proficiſci potuit ſedem, cum ordinum imperii defuerit conſenſus. Nec minus Conradus II. juri creandi papam invigilavit; ejus namque opera Benedictus IX. quem Romani urbe ejecerant, ſedi reſtitutus eſt papali. GLABER RODVLPHVS *lib. 4. c.* 9. Quod ad Henricum III. attinet, is, tribus pontificiæ dignitatis uſurpatoribus deturbatis, papam Suidgerum epiſcopum Bambergenſem, deinde Clementem II. dictum, creavit, atque ſanctionem renovavit, papam ſine cæſaris ſuffragio conſtitui non poſſe, eumque in finem a Romanis exegit juramentum. HERMANNVS CONTRACTVS & LAMBERTVS SCHAFNAB. *ad ann.* 1044. OTTO FRISING. *lib. 6. c.* 32. LEO OSTIENSIS *lib. 2. c.* 78. 79. ARNVLPHVS *de ſchiſm. poſt Honorii II. diſceſſum orto tom. 2. ſcriptor. Ital. p.* 427. CHRONOGRAPHVS MAVRIGNACENSIS *p.* 376. *Hiſtor. pontific.* apud ECCARD. *tom. 1. p.* 1213. ADAMVS BREMENSIS *lib. 3. c.* 8. ANONYMVS *in chron. Saxoniæ* apud MADERVM *p.* 6. PIGNA *lib. 1. p.* 86. BONIZO SVTRINVS *in epitome Romanorum pontificum p.* 798. PALATIVS *in vita Benedicti IX. Gregorii VI. & Clementis II.*

(i) *Confirmari*) Henricus IV. & in eo ſe cæſarem præbuit, quod pontificum creatorem egerit. Indigne admodum ferebat Henricus IV. quod Romanorum procerum nonnulli Benedictum X. pontificatus admoviſſent gubernaculis. Ut autem jus ſuum in actum deduceret, Gerhardum Florentinum, Nicolai II. nomen adoptantem, pontificem dixit, qui placitum, ut nemo papa, niſi ſuffragante cæſare, evaderet, ex conſiſtorii ſui ſententia ratum habuit. PLATINA & MARTINVS POLONVS *in vita Benedicti X.* LAMBERTVS SCHAFNAB. & BERTOLDVS CONSTANT. *ad ann.* 1058. 1059. CARDINALIS *de Arragonia in vita Nicolai II. Script. Ital. tom. 3. p.* 301. BARONIVS *tom. XI. annal. ad ann.* 1059. PALATIVS *in Nicolao II. p.* 307. Extincto Nicolao Romani ab Henrico alium petierunt papam, eique in ſignum ſubmiſſionis auream exhibere curarunt coronam, qua in comitiis Baſileæ celebratis ornatus, ſe Romanorum patricium dixit. Ut autem Romanorum precibus locum daret, Cadolaum epiſcopum Parmenſem

peratorem, reges, principes. Preſſerunt autem ejusdem veſtigia omnes ſecuti pontifices. Quanquam vero ſtrenue jura ſua antiqua tueri ac ſervare ſtuduerint, cum ipſe Henricus IV. tum ejus filius *Henricus V.* (a) nec non Fridericus *primus & ſecundus*, (b) tandem tamen, (poſt obitum ſcil. Friderici II.) violentia paparum victoriam pene imperatoribus excuſſit. Igitur jam quidem annos prope quadringentos, neque in papam, neque in urbem Romam, neque in illas antiqui imperii reliquias, cæſarum priſtina quidem juſta potentia fuit exercita. Superſtes tamen manſit imperatorium nomen. Sed, ſi verum eſt dicendum, ferme inane atque procul re ipſa: quantum quidem ſtetit penes curiam papalem. Quod jam olim recte intellexit fortiſſimus Germanicorum cæſarum Fridericus primus. Eoque, cum Adrianus IV. papa *anno* 1159. inter alia a Friderico poſceret: *nuncios ad urbem ignorante apoſtolico ab imperatore non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi S. Petri ſit cum univerſis regalibus*, ſtatim hic reſpondit: *cum divina ordinatione ego Romanus imperator & dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane ubique porto nomen ac ſine re, ſi urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.*

LII. NON diſputabo nunc, an quadragintorum annorum *poſſeſſione* (c) id, quod initio per vim & nefas pepererunt ſibi pontifices, nunc vere ſuum fecerint: præſertim cum tanto temporis ſpatio pauci cæſarum id ipſum videantur in controverſiam vocaſſe. Id certum haud forte injuria videtur; ſi tot annorum præſcriptione perierint noſtris regibus & cæſaribus, omnia vera illa & antiqua cæſarum jura (quod tamen neutiquam admitti poteſt) non eſſe amplius, quur vane jactent nonnulli neſcio quod orbis aut urbis Romæ dominium: multo minus fortaſſe nunc eſſe magnis ſumptibus & ingenti periculo in Italiam proficiſcendum cæſaribus electis, quo a Romano pontifice cæſaream coronam conſequantur. Quin imo haud obſcure hinc eſt deſpicere, cum Orientale imperium Romanorum per Turcam pridem ſit deſtructum, nec Occidentalis quidquam pene ſuperſit apud cæſares noſtros præter nomen imperatorium, haud abs re fortaſſis poſſe affirmari, vel imperatorium Romanum funditus periiſſe, vel vero papam Romanum reapſe frui nunc poteſtate imperatoria, ſi demas licentiam titulum illum uſurpandi, aut in alium conferendi.

LIII. CÆTERUM his, quæ ultimo attulimus, nonnulla poſſe objici videntur. *Primo* enim ſacris literis videtur prædictum, non interiturum Romanum imperium ante ultimum diem. *Ex* legibus quoque Juſtinianeis conſtat, imperatorem dominum eſſe orbis; certum vero eſt, noſtros cæſares Juſtiniani eſſe ſucceſſores; itaque & noſtris illis in orbem quoque univerſum eadem hodie jura ſunt. *Poſtremo* ſi cæſares hodie reapſe non niſi imperatorium titulum habent, haud videtur eorum eſſe aliqua præ aliis regibus dignitas ac prærogativa.

LIV. VERUM enim vero, quod *primo* quidem loco adducitur, promitti nempe in ſacris literis imperio Romano æternitatem, id temere probari non poteſt. Quomodo totum illud, de non niſi quatuor magnis futuris monarchiis ſeu imperiis mundi, *plus habet fama quam veri*. (d) Quippe quum olim in Aſia jam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantum, quod vulgo creditur: Aſia eadem poſt Romani imperii interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat, vaſtiſſima regna Saracenorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum, & Sinenſium. Europa vero viderit Francorum regnum maximum jam ante ademptum cæſareum nomen; etiam nunc vero ibi floreat vaſta Hiſpanorum potentia & Gallorum. Nec vero reperitur quid in ſacris literis, quod ad perpetuitatem Romani imperii jure debeat trahi. Sive enim ſomnium Nabuchodonoſaris videas; ſive ipſius Danielis, quod eſt *c. 7.* omnia illa vix attingunt cæſarea tempora, ut optime obſervant eruditiores: quod tamen hic diſputare alienum eſt. Quid? quod apoſtolicæ literæ excidium non Romani imperii tantum, ſed & ipſius urbis haud paulo ante finem mundi futurum, videntur prædicere? Antichriſti certe tempora exceptura demum interitum Romani imperii, communis omnium primæ ætatis Chriſtianorum fuit ſententia. De ipſius autem urbis Romæ extremo excidio accipienda videntur omnino illa, quæ *c. 18. apocalypſ.* leguntur.

LV. Ad *ſecundum* reſpondemus. Eo argumenti genere uſos quidem perquam multos, a Lotharii cæſaris usque temporibus ad noſtram hanc ætatem; ex ordine eorum, qui Romani juris doctrinam profeſſi ſunt, quorum nonnullis pene perſuaſum eſt, omnia omnino illa competere hodieque cæſaribus noſtris, quæ olim Juſtiniano, imo Auguſto imperatori, convenerunt. Verum hæc quidem

Honorii nomen ſumentem pontificem eſſe juſſit, cui Hildebrandi tunc adhuc archidiaconi artibus Anſelmus epiſcopus Luccenſis ſub Alexandri nomine notus, oppoſitus eſt. Sunt qui putant, Honorium contra Alexandrum neglecto imperatorio conſenſu pontificem electum, ab Henrico papam eſſe conſtitutum. OTTO FRISING. *lib. 6, c. 34.* CHRON. CASSINENSE lib. 3. c. 21. Cumque Alexander, cujus partes ſuperiores erant, vitam poſuiſſet, Hildebrandus quoque ſpreto cæſaris conſenſu papalem invaſit temonem. PANDVLFVS PISANVS *in vita Gregorii VII. tom. 7. ſcriptor. Ital. p.* 305. LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad ann. 1073. Quod autem Henricus hanc rem inique tulerit, nemini dubium videbitur, cui compertum, quam ſtrenue hic contra papales auſus imperii jura tutatus ſit. Mittebat igitur Romam Everardum comitem, de injuria ſuis & imperii juribus illata conqueſtum, qui etiam res eo dirigere novit, ut imperatori aliquo modo ſatisfieret. Quo facto hic paſſus eſt, ut ſolenni ritu pontificatum, ut moris erat, adiret. ANNALISTA SAXO apud ECCARDVM *p.* 415. Adde GRETSERI librum, quem Annæ Comnenæ oppoſuit.

(a) *Henricus V.*) Hic Gelaſio, ſuo conſenſu non expetito, Gletæ ad papalia provolanti ſceptra archiepiſcopum Bragantinum, cui Burdini cognomen erat, oppoſuit. *LANDENVLPHVS JVNIOR c. 33. hiſtor. Mediol. tom. 5. ſcript. Ital. p.* 503. *ODARIC. VITAL. lib. 12. hiſtor. eccleſ. BALVZIVS in vita Burdini tom. 3. miſc. p.* 471. ſq.

(b) *Primus & ſecundus*) Quæ his cum papis fuerint negotia, alibi tradidimus.

(c) *Poſſeſſione*) Præſcriptionem papalem alibi exploſimus.

(d) *Plus habet fama quam veri*) *VITRIAR. in jure publico lib. 1. tit. 5. §. 7.* & ad eum *PFEFFINGER p.* 423. ſeqq.

quidem doctrina apta eſt concitandis bellis, movendis tumultibus, evertendæ etiam noſtræ reipublicæ. Si enim omnia ad illam faciem Auguſtæi ævi ſunt componenda, non hæc tantum noſtra Germania ſed pene totus orbis erit commovendus. Eſt autem illa colligendi ratio frivola, ne quid dicam gravius. Nulla certe illi vis ineſt, niſi pro confeſſo & certo ſumus: Populum cæſaremque Romanum nihil potuiſſe jure amittere, aut vero omne, quod in corpore illo legum Romanarum reperitur, id ex jure naturæ venire, adeoque æternæ eſſe veritatis. Quæ omnia longe ſunt falſiſſima. Sane cum jura illa plæraque valeant ex conſtituto, ſintque poſitiva, uniuscujusque eſt liberæ reipublicæ, ea hactenus vel rejicere vel admittere. Eoque nec rerumpublicarum controverſiæ recte ex illis poſſunt decidi: ut optime poſt Ferdinandum Vaſquium obſervavit ſummus vir Hugo Grot. *præf. ad libr. de jure belli ac pacis.* Stultum vero eſt, omnem, qui in nomen aut aliquo modo ſuccedit in aliorum locum, eundem in jura etiam, quæ ante aliquot centum aut mille annos alii illi obtinuerunt, ſuccedere. Non minus ſane hoc ineptum eſt, quam illud nonnullorum commentum: Carolo V. jus fuiſſe ad occupandos Americanos, eo quod eſſet imperator adeoque dominus orbis: quos docte confutavit Franciſcus Victoria *Relect. de Indis*, & Ferd. Vaſquius *in quæſtionib. illuſtr.* Sed bene eſt, quod qui ſeſe olim cæſareanarum partium propugnatoribus illis oppoſuerunt, ac pontificem ſumpſerunt ſibi extollendum *ſuper omne, quod dicitur Deus*, non minus perperam ſeſe geſſerint. Nihil aliud ſcilicet adferentes, quam ipſorum quorumdam pontificum arrogantiſſima dicta, adeoque teſtimonium glorioſiſſimorum & ſuperbiſſimorum aliquot paucorum hominum in propria cauſſa.

LVI. *Tertii* ultimique argumenti rejicienda eſt ſequela. Enimvero non eſt cæſari noſtro quidquam poteſtatis in liberas respublicas, ſed ratione *αὐτονομίας* etiam parva reſpublica libera, qualis eſt Rhaguſina ex. gr. non minus ſua habet *plena majeſtatis jura* (a) quam aliqua magna: dignitas vero omnis non ex ſolis illis majeſtatis juribus eſt æſtimanda, ſed & alia multa ſunt, quæ jubeant etiam inter pares ordinem aliquem ſervandum. Certum vero eſt, Carolum magnum cum Francis quoquo verſum imperium ſuum extendiſſe: in Germaniam ſcilicet & Galliam & Italiam & magnam Hiſpaniæ partem: fuiſſe autem Francos illos omnes natione & lingua Germanos adeoque tum certe præcipuam Europæ vim penes Germanos fuiſſe. Certum vero & hoc eſt, a tempore Ottonis magni non tantum cæſareo nomine, ſed & imperii amplitudine Germanicum regnum per complura ſecula longe antecelluiſſe, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Ungariam: utpote quæ comprehenderit omnem Germaniam, Galliæ magnam partem usque ad Rhodanum, regnumque adeo Arelatenſe, & Italiam univerſam. Denique certum eſt, ab annis ſeptingentis nullam rempublicam non ultro ſeptem Germaniæ regibus ejusque cæſaribus primum locum conceſſiſſe. Itaque quum dignitas hæc & *προεδρία* non tam a cæſareo titulo, quam ab ipſa amplitudine imperii veniat, & vero Germanicum regnum in quieta ejus honoris poſſeſſione hactenus fuerit, manifeſtum eſt, etiamſi hodie tollatur omne imperatorium & imperii nomen, (quod ſummum fuerit nefas) jus tantum ſuum Germanico regno permanſurum integrum.

Corollaria.

I. Imperator, etiam in quantum eſt rex Germanorum, *primarius* (b) eſt princeps Chriſtiani orbis.

II. Regnum Germaniæ ſemper fuit electitium: etſi usque ad tempora Henrici IV. ſemper ex parte habuerit aliquid *hæreditarii.* (c)

III. Regnum Germaniæ *mere electitium* (d) fuit redditum, occaſione tumultuum contra Henricum IV. excitatorum.

IV. Prior modus conſtituendi regem, qui nempe aliquid admiſtum habet hæreditarii, Germaniæ rebus eſt *convenientior* (e) altero illo pure electitio.

V. Regnum & imperium non in papæ ſed in *electorum manus* (f) recte Carolus V. reſignavit.

VI. Non eſt jure naturæ vetitum *uſuram capere.* (g)

VII. Neque jus naturæ obſtat, quo minus *magna Oceani pars* (h) in privatam poſſit redigi poſſeſſionem.

Hermanni

(a) *Plena majeſtatis jura*) Errorem Hornii, qui liberis rebus publicis majeſtatis jura derogat, alibi notavimus.

(b) *Primarius*) Et id quidem ex tacito aut expreſſo pacto. Nam illi, qui ſuperiorem non habent, citra pacta vivunt in ſtatu naturali & æqualitatis. Vid. VITRIARIVS *lib. 1. tit. 5. §. 6.* & ad eum du. PFEFFINGER *p.* 417. ſeqq.

(c) *Hæreditarii*) *MONZAMBANO c. 4. HOTTOMANNVS in Franco-Gallia c. 6. LEHMANNI chron. lib. 2. c. 3.*

(d) *Mere electitium*) Hoc merito ab aliis in dubium vocatur. Nam conſtitutio illa a Goldaſto allata, quam in comitiis Forcheimenſibus fabricatam dicunt, permultis ſublestæ eſſe fidei videtur. Vid. *KVLPISIVS* ad *MONZAMBANO p.* 36. ſeqq.

(e) *Convenientior*) Conducit enim, talem eligere regem aut imperatorem, qui in domo imperiali ad imperii negotia educatus, & in quem cum ipſa nativitate quaſi ars rectoria eſt transfuſa. Quantæ inter potentes Germaniæ archi-principes de imperio exorirentur lites, niſi electionem ſuam ad unam quaſi reſtringerent ſtirpem. Urgentes ſane ſunt cauſæ, quæ a juris publici doctoribus enarrantur, ob quas hactenus a ſereniſſima Auſtriaca domo non eſt diſceſſum. Promiſerunt per aliquod tempus ex hac ſtirpe cæſares, quod nolint de jure ſuccedendi hæreditario eſſe ſoliciti. Vid. *capit. Caroli VI.* §. 2.

(f) *Electorum manus*) *PFEFFINGER ad vitriarium tom. 1. tit. p. 737. 738.*

(g) *Uſuram capere*) *GROTIVS de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 20. VITRIAR. inſtit. juris N. & G. c. 12. quæſt.* 32.

(h) *Magna Oceani pars*) Vide autoris diſſertat. *de dominio maris*, & quæ a nobis ad eam dicta ſunt,

Hermanni Conringii Diſſertatio de *Capitulatione Cæſarea.* (a)

Theſis I.

Legum, quæ reipublicæ noſtræ *Germanicæ fundamentales* (b) audiunt, omnium potiſſima eſt cæſarea, quæ vocatur capitulatio. Hæc quippe cæteras omnes ſuo ambitu complectitur, iisdemque vigorem ſuum conciliat. Hæc creat regem, creatum dulcibus ligat vinculis, principes inter ſe & cum capite ſeu rege ſuo unit, facitque, ut ſic nec in principatu libidinem, nec in libertate ordinum licentiam habeamus. Hæc de ſumma reipublicæ conſtituit, fœdera, pacem, bella ſuis limitibus deſignat, vectigalia circumſcribit, jus monetam cudendi conſtringit, de comitiis leges ordinat, juſtitiam tribunalibus mandat, bannum contra delinquentes prudenter decernit, dignitates & munera certis modis confert & aufert. Uno verbo: Hæc eſt norma & forma adminiſtrandæ reipublicæ. *Digna igitur, quæ diligentius* (c) conſideretur. Quod dum hac vice facere mecum conſtitui, divini numinis auxilium ardentibus votis imploro.

II. Theſes igitur nonnullas exercitii gratia de capitulatione cæſarea propoſiturus, more ſcribentibus recepto, pauca quædam de ipſa voce præmittam. Utut vero terminatio videatur latina, ipſum tamen capitulationis vocabulum peregrinæ originis eſt, quippe apud *puræ latinitatis* (d) ſcriptores haud reperitur, debetque fortaſſis natales ſuos Italis, apud quos tempore corruptæ linguæ cœpiſſe credibile eſt. Denotat autem ipſis pactionem, conventionem, item in capita diſtinctionem, natumque eſt ex *capo*, quod latinis *caput* eſt. *Ab Italis* (e) acceperunt forte Galli, & ab his

(a) *De capitulatione cæſarea*) Multi ſunt, qui de imperatorum capitulationibus aliquid literis mandarunt. Horum numero ſunt LIMNÆVS *ad cæſarum capitulationes*, qui in Leopoldi capitulatione deſinit, MVLDNERVS *in capitulatione harmonica*; ubi uniuscujusque capitulationis hiſtoriam refert. HORNIVS & RACHELIVS *de capitulatione cæſarea*; LYNCKERI *doctrina de capitulatione communis*; WILDVOGEL, vel potius illuſtriſſimus dominus de MVNNICHHAVSEN *de capitulat. perpetua*; SCHWEDERVS *in collatione ſuccincta capitulationum cæſarearum, poſt Weſtphalicam pacem*; quæ præter annotatiunculas quasdam nihil, quam auguſtiſſimi noſtri CAROLI VI. capitulationis articulos latine verſos refert, adjiciturque in margine, ubinam in capitulatione Ferdinandi IV. Leopoldi & Joſephi eadem aut ſimilia referantur. MAVRITIVS *ad capitulat. Leopoldi.* LYNCKERVS, HENNIGES, NITSCHIVS, FRITSCHIVS, GVLICH, maximam partem Conringiana de capitulatione referens, FINCKLER, ad capitulat. Joſephi, nec non anonymus, ZSCHACWITSCH & THYLLIVS *ad capitulationem Caroli VI.* Sed horum duorum commentationes eruditorum calculum non ſunt promeritæ. Ut ſileam illos autores, qui in libris, quos de jure publico ediderunt, hanc pertractarunt materiam. Vid. celeb. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 835.

(b) *Germanicæ fundamentales*) Ad cenſum fundamentalium imperii noſtri legum pertinent *aurea bulla*, *receſſus imperii*, *pax profana*, *pax religioſa*, *pax Weſtphalica.* ut & *Neomagenſis*, *Ryswicenſis & Badenſis*, poſtquam ab imperio ratæ habitæ ſunt. SCHWEDERI *introd. in juspubl. part. gener. c. 2. ſeqq.* & GERDESII *diſſert. de legibus fundamentalibus imperii.* VITRIARIVS *lib. 1. tit. 2.* & ad eum Dn. PFEFFINGER. Plerique capitulationem ad fundamentales quoque referunt leges, ut COCCEJVS *in jurisprud. publ. c. 1. §. 4.* LYNCKER *in doctrina communi de capitulat. p. 26.* RHETIVS *jur. publ. l. 1. tit. 4.* SCHILTER *J. P. L. 1. tit. 15. §. 5.* aliique, quos citat PFEFFINGER *T. 1. p.* 836. Sunt tamen, qui inter leges imperii fundamentales & capitulationes diſtinguunt. Audiamus hac de re votum Bremenſe anno 1663. d. $\frac{14}{24}$ Novembr. editum: *Vornemlich aber ſey eine abſonderliche Haupt*-diſtinction inter leges fundamentales imperii & ipſam capitulationem *angeführet* (ab Auſtriaco) *welche man denn* in reipſa *wohl* fundiret *zu ſeyn vermeinet; wenn nur alle* leges imperii fundamentales communi ſtatuum ſuffragio *vorher zuſammengetragen, und wohl gefaſſet, könte alſo wohl die* capitulatio *in drey Worten beſtehen, und wäre alsdann* capitulatio ipſa *nicht ſo ſehr* pro lege, *als* obligatione ad legem *zu halten. Hierdurch würde neben andern* difficultæten *auch die* quæſtio de jure capitulandi *und was davon* dependiret, *gehoben.* Alii ſaltim eas capitulationes, quæ ante inſtrumentum pacis confectæ ſunt, ex legum fundamentalium numero eliminant: Verum & has non eſſe excludendas, recte judicat VITRIARIVS *lib. 1. tit. 2. §.* 14. cum non minus, quam inſtrumentum pacis ſubſequentes cum imperatore totius imperii nomine initæ ſint. HENNIGES *meditat. ad capitulat. Joſephi ſect. 2. obſ. 5. §.* 1. Videnturque illæ a ſtatibus *art. 5. §.* 25. inſtrum. pacis approbari. Conf. LYNCKERVM *in doctrina communi de capitulat. p. 80.* Nec minus ſunt, quæ & contra capitulationes, pacis inſtrumento poſteriores, a principibus monita ſunt, quæ tamen ut fundamentalium legum claſſi eximantur, non efficiunt, *niſi ſtatus reliqui aſſertum ſuum, quod ſtatui quicquam adverſum in ea poſitum fuerit, oſtenderint.* LYNCKER *l. c. p. 47.* Ceterum majoris cautionis ergo, & ut omnis averteretur ſuſpicio, ac ſi reliqui imperii ordines cum imperatore non eſſent pacti, in Ferdinandi IV. capitulatione addi cœpit: *Und ſämtlicher Fürſten und Stände des heiligen Römiſchen Reichs*, quæ verba in ſuccedentibus deinde capitulationibus quoque leguntur. Vid. WERLHOFF *in juris enucleati, quo nunc utimur in foro Germau. proœm. c. 1. §. 8.* RACHELIVS *de capitul. c. 3. §. 5.* LIMNÆVS *ad capitulat. Ferdinandi IV. proœm. p.* 803. PFEFFINGER *T. 1. p.* 863. Denique dubium oritur, an capitulationes Ferdinandi IV. Leopoldi & Joſephi vim legis pragmaticæ habeant, cum principes contra eam proteſtati ſint, quoniam monitorum ſuorum in iis nulla habita fuerit ratio. Vide *proteſtationem contra Leopoldi capitulationem* apud PFEFFINGERVM *ad vitriar. L. 1. tit. 7.* p. 260. ſeqq. & *in der Grund-Veſte* cap. 3. p. 31. nec non adverſus capitulationem Joſephi proteſtationem & contra hanc collegii electoralis reproteſtationem *in appendice capitulationis harmonicæ MVLDENERI.* CONRINGIVS *ad Lampadium p.* 136. 269. ex hypotheſi principum negativam tuetur ſententiam; KVLPIS vero *ad Monzambano c. 5. §.* 2. judicium ſuum ſuſpendit. Quæ pro adfirmativa adferuntur argumenta, ſuo non deſtituuntur robore. Vid. HENNIGES *in meditat. ad capitulat. Joſephi p. 30.* LYNCKER *in fine doctrinæ de capit. cæſar.* Licet enim hæ principes non obligarent capitulationes formaliter, ut loquuntur, eos tamen obligarent virtualiter, quatenus ſcilicet referunt imperii leges fundamentales, quibus ſtatus imperii obſtringuntur, cum non oſtenſum ſit, eas aliquid legibus imperii contrarium referre.

(c) *Digna igitur, quæ diligentius &c.*) Continet enim jus publicum noviſſimum, & ex ea potiſſimum conſpici poteſt, quisnam inter caput & membra ſit nexus.

(d) *Puræ latinitatis*) Vid. LYNCKERI *doctr. commun. de capitul. p. 1.* HENNIGES *ad capitulat. Joſephi p. 1.*

(e) *Ab Italis*) Hi vocem *capitulare* pro ipſo paciſcendi actu acceperunt. Frequens eſt vocabulum in deditionis legibus, quando civitas quædam ſe hoſti permittit. HENNIGES p. 3.

his Germani. Quando vero *apud nos fuerit receptum*, (a) nihil certi afferri poteſt. Illud dubio caret, apud majores noſtros, quibus domeſtica præ peregrinis non adeo ſordebant, non fuiſſe in uſu; quandoquidem in antiquis monumentis nulla de eo reperiuntur veſtigia. *Limn. annot. ad capit. prolegom. ſect. 1.* Obſervandum tamen eſt: Jam tempore Caroli magni leges in conventibus regni Francorum latas audiiſſe *capitularium nomine*, (b) epiſtolas quoque nonnullas regias iſthoc titulo fuiſſe appellatas. Id quod manifeſtum eſt cum ex legibus Caroli magni & Ludovici Pii, quæ pridem ſunt in lucem editæ, tum vel ex iis epiſtolis Caroli ad Leonem III. papam, quæ hic demum prodierunt. Quia vero vocis capitulationis uſus hodie apud latine loquentes paſſim invaluit, ut inde latinitate donata videatur, derivare hanc poſſumus a vocabulo *capitulum*, quod diminutivum eſt a voce *caput*. Habent autem vocabula *caput & capitulum* (c) varias ſignificationes, de quibus videri poſſunt cum *Limnæus loc. cit. n.* 11. tum ii, qui lexica & theſauros, quos vocant, practicos conſcripſere. Quatenus in noſtra voce latent, denotant certam ſcripturæ partem. Ut ita capitulatio nominetenus idem ſit ac ſcriptura ſeu inſtrumentum per certa capita diſtinctum.

III. Cæterum cæſarea, de qua hic agimus, capitulatio, in publicis monumentis *alias vocatur*: (d) *Die Kayſerliche* obligation, *der Kayſerliche* contract, *die Kayſerlichen geſchwornen* pacta, item *die Artickel*, qua voce plerumque electores ſunt uſi. Ipſe Ferdinandus I. in literis ſuis anno 1559. Capitulationem ſuam vocat: *Eine hochbetheuerte geſchworne* obligation. Vlricus Wittenbergiæ dux *im Ausſchreiben an alle Stande* anno 1534. appellat *die Capitul, ſo Kayſerl. Maj. in ihrer Wahlung zu der Ræmiſchen Kænigl. Kron gnadigſt verwilliget hat.* *Quibusdam*, (e) cumprimis magno illi juriſconſulto B. Carpzovio, *dicitur lex regia* (f) Germanorum, ad legis regiæ ab Vlpiano ita appellatæ exemplum. Quæ tamen appellatio, ſi rem ipſam (in nomine enim faciles erimus) reſpiciamus, noſtræ capitulationi *parum convenit*, (g) quandoquidem hæc imperatori defert imperium non abſolutum, ſed

(a) *Apud nos fuerit receptum*) Veroſimile eſt, capitulationis vocabulum in illo ſenſu, quo hodie eo utimur, Caroli V. ætate in Germania fuiſſe receptum. LIMNÆVS *in proleg. ad capit ſect. 1. n. 19.* RACHEL. *de capitulat. c. 1. §. 5.* HENNIGES *l. c. §. 4.* Hoc enim imperante creditur imprimis in Germania perverſus invaluiſſe mos, quod vernaculæ exotica vocabula addita ſint linguæ. Nec minus veriſimilis videtur HENNIGESII conjectura, pacta Caroli V. conventa ab aulicis ejus, ex Gallis, Italis, Hiſpanis & Belgis maximam partem collectis, *capitulationis* titulo deſignari cœpiſſe. Ante receſſum Erfurtinum autem de anno 1567. §. *Darauf zu unterſchiedenen mahlen*, & §. *Wann dann dieſe Erforſchunge*, & Ferdinandi II. capit. art. 42. hæc vox in imperii fundamentalibus non conſpicitur legibus. Poſtea in omnibus adhibitum vocabulum eſt capitulationibus, Ferdinandi III. art. 51. Ferdinandi IV. art. 42. Leopoldi art. 35. Joſephi art. 37. Caroli VI. in fine. HENNIGES *l. c. p. 5.*

(b) *Capitularium nomen*) Conſtitutiones imperatoriæ & leges in conventibus Francorum conditæ hoc nomine veniebant. BALVZIVS *in præfat. capitularium* ab Anſegiſo & Benedicto Levita collectorum. LYNCKER *l. c. p. 1.* Multa in capitularibus his legimus placita, minus recte ſæpe diſpoſita.

(c) *Caput & capitulum*) Vid. LYNCKER *ad capitulat. Joſephi p. 1.* & HENNIGES *ad eandem p. 2. 9.* Denotabant caput & capitulum primo ſummarias, deinde etiam ſectiones. Tractu temporis conventus procerum, tanquam regni capitum, nec non ſanctiones ibi conditæ, & liber, cui inſerebantur, *capitula* appellabantur. Obtinuit inde, ut *capitulare* idem fuerit, ac per certa capita diſponere, & liber in certa capita diſpoſitus, *capitulatus* dictus ſit. Nec non invaluit, ut in locum vocis: *ſumma capita repetere*, barbarum vocabulum ſit adhibitum: *recapitulare*. Hinc puto, SLVTERO *adverſus Hippolithum a Lapide* viſum, capitulationem, cum ſumma quaſi legum fundamentalium capita repetat, *recapitulationem* eſſe dicendam, quod tamen LYNKERVS improbat. Nonnunquam capitulum capiti contradiſtinguebatur, & capitis aliquam ſignificabat partem. Exortus hinc veteribus chriſtianis mos, ut ſi ad explicationem partis cujusdam capitis biblici, antea prælecti, ſe conferrent, *ad capitulum ire* dicerentur. Obtinuit poſtea, ut ædificium, in quo interpretatio fiebat, *capitulum* vocatum ſit. Unde hæc appellatio ad ædes canonicorum conventibus deſtinatas, imo ipſum canonicorum collegium derivata eſt. Vid. HENNIGES *ad capitulat. Joſephi p. 3.* CANGIVS *in gloſſario ſub voce: capitulum.*

(d) *Alias vocatur*) Item *die* capitul, *ſo Kayſerl. Maj. in ihrer Wahlung zu der Ræmiſchen Kænigl. Crone gnadigſt verwilliget; die Kayſerl. geſchworne* pacta, item *die* articul, qua voce electores plerumque ſunt uſi. Ferdinandus I. in literis ſuis de anno 1559. vocat *eine hoch-betheuerte geſchworne* capitulation. Dux Wirtenbergicus vocat *die* capitul, *ſo Kayſerl. Maj. beſchworen*, in gravaminibus Paſſavienſibus dicitur *die Kayſerl.* obligation; elector Saxoniæ & Landgravius Haſſiæ *in der Verantwortung auf Kayſer* Caroli V. *Acht-Erklahrung* appellant *Franckfurtiſche* contract *und* obligation.

(e) *Quibusdam*) In hanc ſententiam abeunt etiam IRENICVS in *diſc. jur. publ.* SCHVTZIVS *in coll. jur. publ. vol. 1. diſp. 4.* aliique.

(f) *Dicitur lex regia*) Horum præcipuus eſt CARPZOVIVS, qui librum ſuum de capitulatione cæſarea, quem non immerito rhapſodiam dixeris, *de lege regia Germanorum*, inſcripſit. Ad claſſem hanc etiam SCHVZIVS referendus videtur, qui *exercitatione 1. theſ. 9.* contendit, hodie ſupereſſe legem regiam, nec eam per capitulationem abrogatam eſſe. Sunt & alii, qui legis regiæ nomen capitulationi tribuunt in ſenſu grammatico, quatenus complectitur leges, ſive conditiones, ſub quibus Germanorum regi imperium defertur. Vid. LIMNÆVS *lib. 1. tit. 13. n. 120.* SCHILTER *inſtitut. jur. publ. lib. 4. tit. ult. §. 6.* PVFFENDORF. *rerum Brandenburg. lib. 4. §. 20. 42. lib. 7. §. 35. lib. 12. §. 12. lib. 14. §. 14. lib. 17. §. 13.* HENNIGES *ad capitulat. Joſephi. p. 8.* Non autem inter legem regiam Romanam, quam extitiſſe dicunt, & capitulationem Germanorum cæſaream, præter illam nominis convenientiam, vix alia ſupererit. Vid. STRAVCHII *diſſert. exot. 4. th. 10.*

(g) *Parum convenit*) LYNCKERVS *in doctrina communi de capitulatione* p. 3. aſſerit, non adeo a capitulationibus abludere legem regiam, ſiquidem a veritate alienum ſit, quod quarta non ſuperſit monarchia, atque ſic Conringium, Becmannum, Strauchium, contrarium aſſerentes impingere, & SCHILTERVM *inſtit. jur. publ. L. 1. tit. 3. §. 9. 10. 11.* & BOECLERVM in *vindiciis antiblondellianis*, cum theologis pro quarta monarchia in Germanis reliqua pugnantes, verum attingere. Sed quæ pro hac transmigratione & quarta Germanorum monarchia afferuntur, ab AVCTORE noſtro in tractatu *de Germanorum imperio Romano* exploſa ſunt. Quod autem ad Schilteri argumenta attinet, quæ ex oratione Moguntini, in electione Caroli V. ad collegas habita, adfert, inter floſculos oratorios haud dubie locum habebunt. Nec teſtimonia abbatis Admonetenſis, *Franciſci Petrarchæ & Jordani Argentinenſis*, vulgari innitentia errori, hic aliquem habere poſſunt effectum. Quæ de epiſtola S. P. R. ad Conradum III. nec non de effato Friderici I. ad eundem populum, ex OTTONE FRISINGENSI *L. 1. de geſtis Friderici I. c. 17.* adferuntur, locutio quædam metaphorica eſt, qua ſignificatur, poteſtatem illam, quam olim S. P. Q. R. in urbem exercebat, ad Germanos, utpote Italiæ & reliquiarum Romani imperii victores, tran-

ſed certis limitibus definitum, per *legem vero regiam Romanorum* (a) infinita & omnis poteſtas populi & in populum principi data eſt. Vid. celeber. dn. Strauch *diſſert. exot.* 4. §. 10. Multo magis a noſtro uſu alienum eſt, quod leges illæ, quæ latæ ſunt apud Romanos ab antiquis eorum regibus, *κατ' ἐξοχὴν* dictæ ſint *leges regiæ*, (b) illæ nempe, quas collegit quondam *Papyrius.* (c)

IV. Apud Aimoinum & abbatem Urſpergenſem antiquiſſimos ſcriptores leges *palatinæ* (d) vocantur, quæ nobis capitulationes audiunt, teſte Goldaſto *in dedicat. tom. III. conſtitut. imper.* Ubi obiter noto, neminem ſibi perſuadere debere, quaſi a comitibus Palatinis leges quædam regi electo præſcriptæ fuerint, quæ inde Palatinarum nomen acceperint; quale quid accidere poſſit ei, qui

latam eſſe. Inde tamen non ſequitur, Romanum imperium in Germania eſſe reliquum. Nec Quiritum nomen equitibus Francicis & Germanicis inditum, Germaniam noſtram Romani imperii & quartæ monarchiæ continuationem eſſe, efficere poterit, cum non ignotum ſit, quænam in ejusmodi generis titulis & axiomatibus impertiendis relicta ſit libertas, nec inconſuetum eſſe, pro fundamento hic vulgarem haberi errorem. Allaborat quidem SHILTERVS *l. c. §. 12.* Conringii argumenta refutare, ſed quo ſucceſſu hoc factum ſit, jam videbimus. Argumentum a Germania magna deſumtum, quod illa nunquam in provinciæ Romanæ formam redacta fuerit, hunc habet ſenſum, quod in illa imperium Romanum, ut in parte, non poſſit conſervari, cum nunquam imperii Romani partem conſtituerit. Ceteroquin Conringius nunquam aſſeruit, quod Germania Magna ideo non poſſit Romanis imperare, quia nunquam in partibus Romani imperii fuerit. Quod autem neceſſum ſit, Carolum magnum, cum pleraque tantum ante coronationem Romanam habuerit, quædam, a populo Romano accepiſſe, ad thema probandum, quod Romanum imperium in Germania ſit reliquum, nihil plane facit; nam exuviæ illæ, ſi quæ ſuperfuerint, tantæ non erant, ut imperii nomen promereri potuiſſent. Deinde quæſtio hic non eſt, an reliquiæ Romani imperii in ditionem Germanorum venerint; ſed an Germania in locum veteris imperii Romani migraverit, quod Conringius cum aliis recte negat. Nonne ineptum foret, provincias Perſici regni, quas Turcarum imperator acquiſivit, Perſicum regnum vocare. Dubia profecto admodum ſunt, quæ LVDOVICVS de BEBENBVRG *in jure regni & imperii c. 4.* de hujus translationis effectibus loquitur. Nam ipſe Carolus M. translationi iſti parum tribuebat: alias, ut cum imperio Orientali de dimittendo jure ſuo in imperii occidentalis reliquias, tranſigeretur, non ita fuiſſet ſollicitus. Deinde vana ſunt, quæ de univerſali jure accepto, recuperandi ea, quæ olim ad occidentale pertinuerant imperium, adduntur. Etenim illa jam diu expreſſo aut tacito pacto & longiſſimi immemorialisque temporis ſilentio amiſſa erant. De cetero licet Schiltero concedamus, conſectaria, quæ *l. c. §. 13.* enarrat, ex ſua non ſequi hypotheſi: attamen id, quod §. 14. habet, ac ſi pontificis auſus imperatori omnem in urbem Romam abrogandi poteſtatem, inde proveniant, quod ſtatuatur, imperatorem noſtrum præter nudum titulum extra Germaniæ regnum nihil habere, ad Conringium noſtrum non ſpectat, quippe qui teſte ipſo SCHILTERO *l. c. §. 11.* imperatori noſtro jus in urbem Romam vindicavit, nec unquam docuit, Germaniæ per acceptum illud jus nihil præter nudum imperatoris nomen eſſe partum. Sed omiſſo diverticulo, redeamus in viam. Tametſi, ut monui, Lynckero videatur, capitulationem cæſaream legis regiæ nomen admittere; diffiteri tamen nequit, multa eſſe, per quæ a ſe invicem diſcrepant. Nos differentiarum, quæ apud ipſum p. 3. leguntur, & quarum non una pars falſi vitio laborat, incurioſi, eam ſaltim urgemus, qua dicitur, lege regia omnem in Auguſtum translatam eſſe poteſtatem; capitulatio autem imperatoriæ poteſtati ponit limites. Adde LIMNÆVM *in jure publ. lib. 1. c. 13. n.* 120. SCHWEDERVM *parte generali c. 2. §. 10.* HENNIGES *ad capitulationem Joſephi p. 8.*

(a) *Legem vero regiam Romanorum*) De lege regia variæ ſunt JCtorum ſententiæ. Vide LIMNÆVM *l. c. c. 12. n. 44. ſeqq.* late hoc argumentum perſequentem, & HENNIGESIVM *l. c. p. 8.* Hottomannus legem regiam eandem cum ea, quæ de regno Romuli lata fuit, eſſe exiſtimat, MARTIN. SCHOCKIVS *in diatribe de lege regia*, illam in Triboniani cerebro natam eſſe, ſuſpicatur, cum quo CONANVS *in commentar. civil. lib. 1. c. 6. n. 3.* & VULTEJVS *ad §. 6. inſtit. de jure naturali &c.* propemodum coincidunt. Verum enim vero Hottomanno SCIPIO GENTILIS ſingulari *de lege regia* oratione; Schockio autem HVBERVS *digreſſ.* 1. 16. & *in eunomia Romana ad lib. 1. D. p.* 43. ſatisfecit. Addendus huic GERHARDVS COCCEJVS, qui eum quoque refellere conſtituit & BOECLER *ad Grotium de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 8.* Accedamus jam ad JOH. FRID. GRONOVIVM, qui in oratione *de lege regia*, ipſam quidem legem affirmare videtur, negat autem rogationem. Verum eam ex *lib. 53. Dionis* pateſcere, cenſet HVBERVS *in eunomia l. c.* JOH. GERH. NOODT *obſervationum lib. 1. c. 3.* docet, lege regia populum Romanum ſe non omni jure & majeſtate in gratiam principis abdicaſſe, cujus ſententiam ego in *programmate de hiſtoria juris civilis recte conſtituenda*, defendi. Aſſertores hujus legis, eam ſub diverſis imperatoribus conditam & auctam eſſe, tradunt. Fragmenta illius legis, ſub Veſpaſiano repetitæ CVRTIVS PICHENA *in notis ad lib. 4. hiſtor. Taciti n. 4. p.* 218. ex ænea fabula, quæ ejus tempore in capitolio exſtitit, refert. Sed neſcio, quænam huic narrationi ſit habenda fides, quanquam hujus rei alii non deſint teſtes, quos citat LIMNÆVS *l. c. n. 55.*

(b) *Leges regiæ*) Has collegit SEXTVS PAPYRIVS, & ceu ex lege *144. ff. de V. S.* patet, commentario illuſtravit GRANIVS FLACCVS. In noſtro corpore juris reliqua eſt lex in *lib. 2. ff. de mortuo inferendo*, quæ, ſi recte memini ex PLINII *hiſtoria naturali*, Numæ fuiſſe conſtat. Aggreſſi ſunt multi haſce leges, aut potius fragmenta earum ex *libro 2. antiquitatum Romanarum DIONYSII HALICARNASSÆI*, & aliunde reſtituere. Vide PIGHIVM *tom. 1. annal. Romanorum p. 15. ſeqq.* item ANTONIVM AVGVSTINVM, CONTIVM, PANDVLFVM, PRATEVM, MODIVM, LIPSIVM, MANVTIVM, BALDVINVM, qui finxit, ſe octodecim Romuli leges ex columna quadam aurea Romæ in capitolio erecta deſcripta habere. Melioris collectionis laus, teſte SELDENO *in diſſ. ad Fletam*, Fulvio Urſino debetur. Vide MAVRITIVM *de libris juris communis p.* 92. & NOTITIAM *juris reliquiarum*, quæ quibusdem corporis juris editionibus eſt præmiſſa.

(c) *Papyrius*) De hoc Papyrio controvertentes criticos vide apud RVPERTVM *ad enchiridion Pomponii p. 53. ſqq.* Papyrianum opus cum ipſo commentario GRANII FLACCI intercidit. Locum aliquem ex jure illo papyriano allegat MACROBIVS *lib. 3. Saturnal. cap. XI.*

(d) *Palatinæ*) Quod capitulationes *leges palatinæ dictæ* ſint, auctor eſt GOLDASTVS *in dedicat. tomi 3. conſtitutionum imperialium ad Jacobum M. Britanniæ regem*, quem ſequuntur LIMNÆVS *ſect. 1. proleg. ad capit. n. 34.* STRAVCHIVS *diſſ. jur. publ. 4. th. 10.* SCHWEDER *parte gener. cap. 2. §. 9.* Conringius quidem ab illa ſententia diſcedit, ac ſi hæ leges ideo palatinæ dictæ, quia a Palatinis, id eſt electoribus, ut fabulatur gloſſator Saxonicus, regi electo præſcriptæ, cum illæ a rege ipſo latæ, ipſum hactenus obligaverint, ſed quia in palatio latæ fuerint. Verum hæc, recte judicante HENNIGESIO, minus recte cohærere videntur, cum lex præſcribatur a ſuperiore inferiori, & nemo ſibi ipſi legem præſcribere poſſit. Deinde cum natura capitulationis in pacto inter regem & electores inito, qua ratione reſpublica adminiſtranda ſit, conſiſtat, incongrue omnino dicitur, leges haſce ab imperatore fuiſſe latas, eumque hactenus obligaſſe. Ceterum ex LAMBERTO SCHAFNABVRGENSI *ad annum* 1075. conſtat, leges tam publicas, quam privatas dictas eſſe palatinas, quia in palatio ferebantur. Conf. HENNIGES *l. c. p. 6. 7.* & LYNCKER *p. 4.*

qui fidem habeat illis, quæ *Gloſſa ad artic. 53. lib. 3. ſpec. Saxon.* commentatur. Quod ſcil. illi, qui hodie electores ſalutantur, olim comites Palatini dicti fuerint. Etenim uti hoc ſpeculum cum gloſſa ſua tantum non infinitis ſcatent fabulis, *ut* cum alibi, tum in libro *de orig. juris Germ. cap.* 13. oſtendi, ita hæc quoque meræ fabulæ ſunt & commenta anilia, quemadmodum *in exercitat. de rep. imp. Germ. VI. theſ.* 90. planum feci. Fuere quidem *comites, quos Palatinos* (a) vocarunt, fuit etiam ipſorum magna in imperio auctoritas & potentia; attamen leges eoſdem dediſſe regi noviter conſtituto, cæteriſque ordinibus hac in parte prævaluiſſe, falſiſſimum eſt. Ne nihil nunc dicam de eo, quod *Aimoini ætate ignoti* (b) adhuc fuerint comites Palatini provinciarum (alias enim fuiſſe aulæ Francorum unum aliquem Palatii comitem, non negamus) quandoquidem primum cum tali officio & dignitate Bajoarico ampliſſimo tum ducatui præfecit *Arnulphus imperator* (c) *dict. exercit. theſ.* 89. Quid igitur? Statuendum videtur, leges illas Palatinas dici a palatio, quod curiam ſeu domum regiam denotat, ideo, quia ab ipſo rege fuere latæ, hactenuſque eundem obligarunt. Sicuti olim militantes, item ii, qui in regis curia habitarunt, vel ejusdem curiæ officia obiere, aliave, quæ ad aulam principis aliquo modo ſpectarunt, a palatio cognomina tulere *vid. lib. 1. de priv. eorum, qui in ſac. pal. mil. & tot. tit. de Palat. ſac. larg. & priv. rerum. L. XII. Item tit. de officio comitis S. Pal. & d. comit. & archiat. ſac. Palat. conf. dn. Strauch. diſſert. exot. 3. theſ. 1.* tum quæ prolixe de hoc argumento a me ſunt diſſertata *cap. XI. cenſura diplomatis Ludoviciani Lindavienſis.* Sed, ut dixi, hæc obiter.

V. AD REM ipſam priusquam acceſſum faciamus, videamuſque quid ſit *capitulatio*, diſpiciendum nobis eſt: num liceat genti liberæ, in eum, quem vult habere regem, certis conditionibus imperium transferre; an vero ejusmodi conventiones, quibus poteſtati principis liberæ derogatur, ſint ipſo jure invalidæ, ac plane illicitæ. At cum nullo jure gens libera id facere prohibeatur, prius omnino *affirmare non dubitamus.* (d) De poſitivis aliarum gentium juribus non eſt, ut hic aliquid dicatur, quandoquidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, id, quod uni genti ob certas rationes placuit, alteram, quæ ſui juris nec illi obnoxia eſt, obligare minime poſſe. Superior ſit oportet, qui populo libero leges ponere velit, ille vero neminem agnoſcit ſuperiorem, niſi Deum ut autorem naturæ. Aſt natura, *licet aliquem imperantium* (e) & parentium ordinem, inque ſocietate civili ſummum aliquod & a nemine dependens eſſe velis, nihil tamen de ſubjecto aliquo hujus ſummæ poteſtatis definit, multo minus regem eumque abſolutum & infinitæ poteſtatis hominibus obtrudit. Nec ipſe Deus ulla lege hanc naturalem libertatem adimere voluit aut ademit unquam. Reliquum igitur eſt, mero arbitrio humano relictum eſſe, an imperium velint uni committere, & quibus conditionibus. Vid. *Bucl. comment. in Grot. de jure belli & pacis, lib. 1. cap. 3. §. 6.* Add. *exercit. de ſumma poteſtatis ſubjecto* ſub meo quondam præſidio habita. *Theſ. 41. & ſeqq.*

VI. Sunt quidem, qui in jure divino de abſoluta regis poteſtate quid conſtitui aſſerunt, inque hujus

(a) *Comites, quos Palatinos*) *In cenſura diplomatis Lindavienſis* quoque AVCTOR noſter contra Bignonium aſſerit, ſub prima & ſecunda Francica ſtirpe *unum fuiſſe Palatii comitem.* Verum ſub utraque ſtirpe plures fuiſſe Palatii comites, docet MABILLON *de re diplomatica lib. 2. c. 12. §. 14.* Adde BALVZIVM *tom. 3. miſcell. p.* 130. 171.

(b) *Aimoini ætate ignoti*) Suſpicor, miſſos regios, qui in Palatia divertebant, ne populo oneri eſſent, deinde Palatinos dictos. CANGIVS in gloſſar. voce: *Miſſus.*

(c) *Arnulphus imperator*) Plures de comitibus Palatinis commentari aggreſſi ſunt, inter quos meminiſſe ſufficit PITHOEVM, FREHERVM & TöLNERVM: quibus celeberrimus GRIBNERVS in diſſertatione *de juribus Palatinatus Saxonici duci electori propriis*, jungit SCHVBARTVM *de comitibus Palatinis*, REINESIVM *de Palatio Lateranenſi* & OCKELIVM *de palatio regio.* Fatendum eſt, hanc de comitibus Palatinis doctrinam multis obnoxiam eſſe dubiis. Exemplo nobis tantum ſint eruditorum de palatinatu Saxonico lites, quem GRIBNERVS, ut ex citata diſſertatione & programmate quodam, STRUVIO oppoſito, patet, electorali ſtirpi vindicavit. STRUVIVS autem antea ſereniſſimæ genti peculiari diſſertatione communem dixerat. Vide clariſſ. REINHARDI *diſſert. de tituli comitis Palatini Saxoniæ in litteris Henrici illuſtris origine & ſervati dein uſus ejusdem ratione.* Alios hoc argumentum pertractantes citat GRIBNERVS *l. c. p.* 4. Ceterum quod Palatinarum provinciarum formaliter talium, ut loquuntur, in Germania ortum attinet, vix ultra Arnulphi tempora aſcendere dabitur. Hi autem in palatiis ducum id, quod comites palatii in aula regis erant, fuiſſe videntur. TöLNER *in hiſtoria Palatina p.* 114.

(d) *Affirmare non dubitamus*) Penes homines eſt, in multitudinem aliquam confluentes, quam velint eligere rectoriam formam, & quibusdam conditionibus ſe cujusdam velint permittere imperio. Neque tale pactum illicitum eſſe poteſt, cum nihil æquitatis regulis adverſum contineat, ſed quoad ipſam indifferens eſt, in quantum homines a libertate originaria diſcedere, ſeſeque alterius voluntati ſubjicere velint. HOBBESIVS quidem inter regem & ſubditos pactum intercedere negat, quoniam animo volvit, regiæ poteſtatis & quidem illimitatæ defenſorem agere, ita ut hoſtibus omnem contradicendi rationem, & argumentum contra regem male regnantem, a mutua pacti obligatione deſumtum præſcinderet. Vide *cap. 6. de cive*; *Leviathan c.* 17. Sed ipſius hypotheſin falſam eſſe, nec ad contundendas in reges iniquorum ſententias neceſſariam, demonſtrat PVFENDORF *de J. N. & G. lib. 7. c. 2. §. 9. ſeqq.* Eadem quoque chorda oberrat SCHROEDERVS *in diſquiſitione politica von abſoluten Fürſten-Recht*, in quem TREVERVS noſtras calamum ſtrinxit. Titubat ille graviter, quod a Samuele populo Judaico, regis, ut penes vicinos erat, avido propoſita, ad omnes ſpectare reſpublicas exiſtimet, deinde ex iis, quæ infra adferuntur, conſtabit, Samuelem non de eo, quod fieri deberet, ſed quod fieret, locutum eſſe.

(e) *Licet aliquem imperantium*) Suadet natura imperantium & parentium ordinem, non præcipit. PVFFENDORF *de J. N. & G. lib. 7. c. 3. §. 2.* In tanta enim hominum multitudine, tantaque eorum malitia ſinguli non poſſent conſervari, ſi non conjunctim ſe defenderent, & hominum ſocietas juris fruendi & communis utilitatis cauſſa coaleſcens ætatem non ferret, niſi eſſet, qui leges ſocietati daret, & in immorigeros legesque fœderis impingentes animadverteret. Pœnæ enim ſunt, quæ malos in officio continent. Cui vero communi ſuffragio talis facultas data eſt, ceſſante ſingulorum jure reſiſtendi, ille ſummam habet in republica poteſtatem, quæ ex pacti legibus aut plena, aut minus plena eſt. An autem hæc facultas uni aut pluribus in omnes aut omnibus in ſingulos ſit conferenda, minus adhuc a natura præcipitur: quanquam putent, unam præ alia itidem a naturali ſuaderi dictamine, ſed quænam ea ſit, de eo non convenit inter eruditos.

hujus rei argumentum adducunt locum *1. Sam. 8.* (a) ubi Deus per Samuelem Iſraelitis ſibi regem poſtulantibus jura regia exponit, omnino talia, qualia ab abſolutis regibus plerumque exerceri ſolent, & inde patere ajunt, a Deo ipſo liberam & illibatam regibus poteſtatem concedi, approbari & confirmari. Verum enim vero integræ hiſtoriæ momenta ſi perpendamus, id colligi poteſt: Deum nullo modo jus iſtud regium ſive modum regendi approbaſſe, tantum abeſt, ut hoc appareat, voluiſſe ipſum condere legem generalem & perpetuam, quæ eſſet norma adminiſtrandi regni non ſolum regibus Iſraelitarum, ſed etiam aliis, & quidem tanto rigore, ut nequidem fas ſit ſubditis principem ad mitius regimen obligare, ſuæque libertati & ſaluti rectius cavere. Id tamen ad theſin noſtram infirmandam ex allegato loco oſtendere & probare opus erat. Videlicet, cum Iſraelitæ regem, ut cæteræ confines tunc temporis habebant gentes (herili autem gubernabantur imperio, Grot. *de I. B. & P. L. 1. c. 3. §. 20.*) ſibi exigendo, divinum, quo hactenus floruerant, regimen, impie rejicerent, Deus optimus maximus ſtolidæ gentis petitioni annuens, mandavit Samueli, ut regem illis præficeret, qualem optabant; prædiceretque ſimul, quæ jura vicinarum gentium reges ſibi arrogent, ut agere cum populo, & quam duriter eum habere ſoleant. Quis autem ex his circumſtantiis evincere audeat, Deum hic voluiſſe ferre legem de poteſtate omnium regum? imo quis inde ſaltim id eliceret, approbaſſe divinum numen omnes iſtos, qui ibi recenſentur, actus? ut quod rex filios, filias, ſervos, ſervas, agros, vineas, oliveta optima Iſraelitis ablaturus, ipſos in ſervitutem redacturus ſit? certe, ſi Deo is modus regiminis placuiſſet, nec quicquam minitatus fuiſſet, quod nollet exaudire ipſos de regis ſui injuſtitia clamantes, imo Iſraelitis cauſa defuiſſet conquerendi. Quid? quod Achabus ob Nabothi vineam direptam nec reprehendi nec puniri potuiſſet 3. *Reg.* 21. Huc accedit, quod *Deuteron.* 17. *v.* 14. & ſeqq. longe alia regnandi norma regi futuro a Deo præſcribatur, quam in adminiſtrando regno obſervare debeat. Non eſt, quod hoc negotium a nobis prolixe nunc agitetur: quia non patitur inſtitutum, factumque illud eſt a me in *exercitatione de republica Ebræorum*, præſertim ejus noviſſima editione.

VII. Alia, quæ hanc in rem a modo regis eligendi, a ratione item adminiſtrandi regni adduci poſſunt rationum momenta, brevitatis ergo ſilentio prætereo. Sive nunc quis per vocabulum *jus*, quod in ſupra dicto textu 1 *Sam.* 8. maximam habet difficultatem, intelligat morem ſeu conſuetudinem cum iis, qui vocem hebræam ita vertunt, ſive nudum factum regis cum autore (ſive Beza ſive Huberto Langueto. Vid. Placc. *de ſcript. Pſeudon. & A. non. Cat. Pſend. n.* 208. *p.* 368.) *Vindiciarum contra Tyrannos* (b) *quæſt.* 3. *p. m.* 156. ſive factum effectum aliquem juris habens, i. e. non reſiſtendi obligationem, cum Grotio *d. I. B. & P. L. 1. c. 4. §. 3.* ſive vero jus illud accipiat de jure licentiæ ſive impunitatis cum Salmaſio *defenſ. reg. c. 2. p. m.* 40. ſive denique de vero jure regis, quo is citra abuſum & propoſitum tyrannidis uti poſſit, cum Böclero rejiciente aliorum opiniones in *comment. ad Grot. loc. ſup. cit. p.* 271. Nobis perinde erit, quibus ſemper firmum fixumque manet, Deum hoc in loco nec jus aliquod conſtituere a regum ullo neceſſario exercendum, a ſubditis contra ſuſtinendum, nec loqui de jure vere tali ſeu facultate honeſte & juſte aliquid agendi, ſed de jure, quod reges non quidem omnes, ſed ſoli illi, qui ejus ſpeciei regni, quod Ariſtoteli Barbaricum appellatur, ſunt domini ſive heri, cujusmodi olim erant reges Aſiatici & Ægyptii, non autem Europæi, adeoque nec

(a) *1. Samuel. 8.*) Hic locus doctorum controverſiis anſam præbuit. Etenim primo inter rabbinos & chriſtianos doctores controvertitur, quomodo conciliandus textus *Deuteronomii* XVII. v. 15. ubi Deus per Moſen præcepit Iſraëlitis, ut ſtatim, atque ingreſſi eſſent terram ſanctam, regem ſibi conſtituerent, cum hoc Samuelis effato: ubi aliqui ad eam confugiunt conciliationem, Iſraëlitas regem petentes in eo peccaſſe, quod a diebus Samuelis, cujus operam aſſiduam & reipublicæ utilem experti erant, regem poſtularent, & quidem talem, uti vicini pagani & idololatræ habebant. Vide tamen, quæ contra hos ABRAVANEL diſputat apud FRISCHMVTVM *de rege eligendo & deponendo.* Deinde in controverſia eſt, quid in loco Samuelis per jus regium intelligatur. Nonnulli jus proprie dictum, imprimis quod dominium eminens vocant, hic ſignificari contendunt, ad quorum claſſem ſpectant JACOBVS M. Britanniæ rex, qui in libro *de jure libera monarchia* vocat exemplar, ad quod omnes chriſtianas benequæ conſtitutas monarchias confirmari oporteat: GERHARDVS, HVLSEMANNVS, CALOVIVS, ZIEGLERVS, qui eos citat & cum eis ſentit *ad lib. 1. c. 4. §. 3. Grotii de I. B. & P.* CARPZOVIVS *ad Schickardum pag. 1.* WENDELINVS *lib. 1. de jure regio c. 2.* GIESBERTVS VOETIVS *parte 4. diſput. ſelectarum p.* 214. MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS *de republica eccleſiaſtica L. 2. c. 6.* HOBBES *de cive cap.* 11. §. 6. BOECLER *ad Grotium L. 1. c. 4. §. 3. p. 271. ſeqq.* VAN DER MUELEN *ad eundem T. 1. p.* 268. VITRIARIVS *in inſtitutionibus juris naturæ L. 1. c. 4. quæſt.* 3. MYLERVS ab EHRENBACH *de regni ſubſidiis.* SALMASIVS *in defenſione regia p.* 44. hæc habet: Certum omnino eſt, exceſſum ſive παρέκβασιν a juſta & clementе dominandi ratione ibi deſignari a Samuele in aſperiorem & duriorem, ſed quæ tamen licita eſſet, ea conceſſa & proinde legitima. Cum quo coincidere videntur R. JOSE, MOSES MAIMONIDES, DAVID KIMCHI, quorum loca citat FRISCHMVTH l. c. & SCHICKARDVS *de jure regio cap. 2. theor. 7. p.* 160. 161. qui addit: Scinduntur etiam Judæi in ſententias contrarias, ſic tamen, ut nemo talia regi eſſe conceſſa, ſimpliciter aſſerat. Alii e contrario hic non de jure, ſed de facto ſermonem eſſe contendunt, ut BVCHANANVS *de jure regni apud Scotos lib. 8.* CAROLVS MOLINÆVS *ad conſuetud. Pariſin. T. 1. §. 1.* ANTON. MATTHÆI *de criminibus tit. de furtis c. 4.* BODINVS *de republ. c.* 10. DION. GOTHOFREDVS *ad L. 4. C. de. leg. & ad nov.* 105. SIDNEI *diſcours ſur le gouvernement T. 2. ch. 3. ſect. 3. p. 321. ſeqq.* MILTONVS *in defenſione pro populo Anglicano c. 2. p.* 29. GROTIVS *de I. B. & P. L. 1. c. 4. §. 3.* LIMNÆVS *ad capitul. prolegom. ſect. 2.* RABBI JVDA, LEVI BEN GERSON, ABRAVANEL, qui tradunt, hunc textum non eſſe dictum, niſi ad terrendos Iſraëlitas. Nam ea, quæ hic dicuntur, cum eis, quæ *Deuteron.* 17. regi præſcribuntur leges, plane non conveniunt. Contrariam ſententiam hic foventes confugiunt, quod *loco citato* adhibitum ſit vocabulum: *Jus.* Verum ſacræ linguæ periti oſtendunt, vocem illam nonnunquam morem vel conſuetudinem denotare. Vid. SCHICKARD. *l. c. p.* 161. FRISCHMVTH. *l. c.*

(b) *Vindiciarum contra tyrannos*) De vero hujus libri auctore alibi locuti ſumus.

nec Germanici nec Scythici, dignitate & potentia tuti, per licentiam ſibi ſumere ſoleant. Bodin. *de rep. l.* 1. *c.* 10. *p.* 231. Carpzov. *de leg. reg. cap.* 1. *ſect.* 5. Limnæus *annot. ad capit. proleg. ſect.* 2.

VIII. Sunt præterea, qui tritum *illud Ulpiani:* (a) *Princeps legibus eſt ſolutus*, ſemper in ore ferunt, & dum ita crude accipiunt, optime ſibi argumentari videntur: Si princeps legibus eſt ſolutus, ſequitur, quod nemo ipſi imperandi leges poſſit præſcribere, eo quidem cum effectu, ut iis obligetur. Verum axioma hoc nec divina nec naturæ præcepta tradunt, utpote quæ ſicuti definite principem non præficiunt mortalibus, ut jam ſupra ſubinnuimus, ita nec hoc jubent, ut quemlibet principem omnium omnino legum vinculo ſolutum eſſe oporteat, quin potius illud omne diſpoſitioni humanæ relinquunt, in quantum princeps legibus poſitivis civilibus ſolutus eſſe debeat. Illa autem aſſertio JCti fundamentum habet duntaxat in lege iſthac regia, per quam populus Romanus principi & in principem omne ſuum imperium & poteſtatem contulit, ut dicitur in *l.* 1. *de conſt. princ.* §. 6. *Inſt. de I. N. G. & C.* §. 7. *verſ. & nemo de concept. digeſt. & cod. de vet. jure enucl.* adeoq; etiam legibus ſolutum eſſe voluit, quandoquidem ipſe in republica libera fuit legibus ſolutus. Vide Arniſ. *de rep. lib.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 4. *n.* 30. *& ſeqq.* Illud itaque ſolum indicat, qualem Romani principem habuerint. Qui utut fuerit monarchicus, non tamen hoc ipſo neceſſitas impoſita eſt liberis omnibus populis, ſumendi ſibi iiſdem conditionibus principem. Cumprimis cum nec ipſi Romani principem ſibi Auguſtum ſponte ſumſerint, ſed neceſſe fuerit *republica per unum conſuli*; (b) nec reapſe quicquam poteſtatis in eum contulerint, utpote qui, antequam nomen principis adipiſceretur, lexque regia accederet, jam ſub nomine tribunitiæ poteſtatis poteſtatem regiam exercuit, ut oſtendi in *Annot. ad Lamp. part.* 2. §. 9. Deinde ſi penitius rem introſpicimus, Ulpianeum hoc theſin noſtram plane non ſtringit; loquitur enim de legibus proprie ſic dictis, noſtræ contra quæſtionis cardo in eo vertitur, an ſub certis pactis ſeu conventionibus imperium alicui conferri poſſit: pacta vero & conventiones *non niſi improprie*, (c) quoad nempe effectum, aliquo modo conveniunt, leges vocari merentur, uti ex Hobbio oſtendit Hahnius *ad Weſenb. de LL. n.* 2. *verb. ut ſit honeſtum.*

IX. Quoniam vero circa verum hujus axiomatis ſenſum mire laborant ſcriptores, his adulandi ſtudio illud nimis extendentibus, iſtis metu impotentis dominationis arctius conſtringentibus, illis aliis atque aliis diſtinctionibus confictis medium inter Scyllam & Charybdim iter affectantibus, in rem fore arbitror, hanc controverſiam paucis modo velut in tranſitu tangere. Pono igitur Brocardicum illud (ut ita dicam) non eſſe accipiendum de legibus divinis & naturalibus, quæ uti omnibus & ſingulis hominibus datæ ſunt, ita iiſdem nec Romanus nec alius populus principem ſuum ſolvere poteſt. Neque etiam de *jure gentium*, (d) quod eſt omnium hominum commune, cujusque reſpectu princeps conſideratur ut privatus. Pacta igitur, contractus, conventiones, ubi iniit princeps, iisdem ſtare tenetur. Carpz. *d. L. Reg. cap.* 3. *ſect.* 14. *n.* 13. *& ſeqq.* Boxhorn. *Polit. l.* 1. *c.* 5. §. 24. Huc etiam referendæ leges reipublicæ fundamentales, quæ cum ipſum ſtatum reipublicæ concernant, *non ſecus ac divina & naturales* (e) principem obligant. Reinking. *de regim. ſec. & eccleſ. lib.* 1. *claſſ.* 1. *c.* 12. Talis lex fuit in republ. Romana lex regia, quæ principem non ſolum ſolvit legibus, ſed etiam definit, quæ licita ipſi eſſe debeant, quæque facienda incumbant, quod cuivis ipſam hanc legem inſpicienti eſt obvium. *Fragmentum ejus* (f) e tabula ænea in Baſilica Lateranenſi inventa, poſt alios exhibuit Alphonſus a Caranza *l. de partu cap.* 2. *illat.* 13. *ſect.* 2. *p.* 144. Invenitur etiam in corpore Antiq. Rom. Roſini *lib.* 7. *c.* 12. *& apud* Marium Salamonium *lib.* 6. *de principatu.* Intelligendum autem eſt de mere poſitivis civilibus legibus; quibus revera ſolutus fuit, non autem fuiſſe videtur, ut vult Gotofredus *ad nov.* 105. *cap.* 2. Et quidem fuit ſolutus *non pœnariis ſolum*, (g) nec caducеariis tantum, de quibus Cujac. 15. *obſ.* 30. nec demum nudis legum ſolennitatibus, quæ Vaſquii & Donelli eſt opinio, ſed omnibus. Id quod ex aſſerto hoc generali 31. *D. de legibus*, & ex eo, quod populus omnem ſuam poteſtatem in principem tranſtulit, abunde patet, Arniſ. *loc. ſup. cit. & de jur. maj. cap.* 3. *n.* 10. Quando vero Alexander & Conſtantinus reſcribunt, *ſe legibus vivere*, (h) vel plane, *ſe legibus alligatos eſſe*, profitentur, digna quidem majeſtate vox eſt, ut dicitur in *l.* 4. *C. de LL.* non tamen obligationi

(a) *Illud Ulpiani*) Legis XXXI. interpretationem vide apud GVEVARAM *lib.* 4. *ad lib.* 1. *de juſtit. & jure.* MENCHACA *quæſtionum illuſtr. lib.* 1. *c.* 1. *ſeqq.* MENOCH. *de arbitrar. iudic. quæſtion. lib.* 1. *quæſt.* 7. & alios, quos citat DELRIO *in miſcellaneis p.* 19.

(b) *Republica per unum conſuli*) TACITVS *L.* 1. *annal. c.* 1. *ſeqq.*

(c) *Non niſi improprie*) Penes Catii ſcriptores vox *legis* interdum conditionis, ſub qua aliquid dandum aut faciendum, ſynonymon eſt, & in tali ſignificatu pacta poſſunt leges dici, cum omnia, quæ in pactis ſunt, conditionum rationem habeant. Deinde pacta & conventiones principum, leges dici poſſunt, intuitu illorum, qui paciſcentibus parent. Alias lex proprie dicta, eſſentialiter a pacto differt. Illa enim eſt præceptum ſuperioris in inferiorem: hoc, conventio inter pares, quoad actum paciſcendi. HOBBES *de cive cap.* 16. §. 2. PVFFENDORF *de jure naturæ & gentium Lib.* 1. *c.* 6. §. 2.

(d) *Jure gentium*) Hoc a jure naturæ proprie dicto non eſſe diverſum, docet PVFFENDORF *l. c. L.* 2. *c.* 3. §. 23.

(e) *Non ſecus ac divina & naturales*) Habent enim rationem pactorum, pacta autem ex juris naturæ dictamine ſunt ſervanda. *L.* 1. *ff. de pactis.* HOBBES *de cive c.* 3. §. 2. PVFFENDORF *de jure N. & G. lib.* 4. *c.* 4. §. 2.

(f) *Fragmentum ejus*) Vide, quæ de hoc argumento ſupra dicta ſunt.

(g) *Non pœnariis ſolum*) His legibus principem tantum fuiſſe ſolutum, opinatur CVIACIVS *lib.* 15. *obſervat. c.* 30. *& lib.* 26. *c.* 35. CORASIVS vero *lib.* 2. *miſcell. c. ult.* & DONELLVS *lib.* 1. *comment. c.* 19. Vlpiani effatum eo interpretantur, quod princeps legibus ſit ſolutus. ANTONIVS FABER *in rational. ad L.* 31. *ff. de legibus p.* 37. ab omnibus legibus civilibus principem Romanum lege regia ſolutum fuiſſe, aſſerit. Verum enim vero ex ipſa rei natura ſequitur, principem lege civili, cujus auctor eſt, aut in ejus auctoris locum ſucceſſit, non poſſe obligari. Etenim nemo ſe ipſum obligare poteſt. GROTIVS *de I. B. & P. L.* 2. *c.* 4. §. 12. & *lege* 3. *C. de teſt. L.* 23. *de legib.* 3.

(h) *Se legibus vivere*) *Digna vox*, ſunt verba legis 4. Cod. de legibus, *eſt majeſtate principis, legibus ſe alligatum principem profiteri, & majus quiddam imperio eſt, legibus ſubmittere principatum.* Vid. NOODT *obſervat. lib.* 1. *c.* 4. Addere placet, quæ ANTONIVS FABER l. c. habet:

ligationi & vi legum, ſed virtuti principum hoc adſcribendum eſt. Nam *princeps optimus*, inquit Vellej. Paterc. *lib. 2. recte facere cives ſuos faciendo docet, & dum eſt imperio maximus, major exemplo vult eſſe.* Arniſ. *de jur. majeſt. cap. 3. n. 9.* Boecl. ad Grot. *d. l. B. & P. cap. 3. §. 17.* Legi etiam merentur, quæ ad hanc legem commentantur Vultejus *ad §. 7. l. de I. N. G. & C.* Carpzovius *ad L. regiam cap. 12. ſect. 1.* Diſſentiunt Marius Salamonius *de principatu ad Leon. X.* & omnes Monarchomachi, quorum partem recenſet Arniſæus *de autoritat. princ. ſemp. inviol. c. 1. n. 8.*

X. Hæc itaque duo, quæ theſin noſtram impugnare videbantur, illi nil obſtant. Ad cujus confirmationem & hoc facit: quod ſi in recta ſocietate civili finem (ad quem omnia, quæ ibi fiunt reducenda) reſpiciamus, quem natura & ſponte coëuntes populi intenderunt, appareat, longe felicius illum obtineri, ſi populus per unum regi volens illi non abſolutam poteſtatem concedat, ſed adſtrictam ad certas ſalutem communem reſpicientes leges. Hæ enim nunquam commodum privatum cum diſpendio publici quærunt; a nemine poſſunt corrumpi, vi metu aut dolo in iniquiorem ſententiam flecti, ſine reſpectu perſonarum cuique ſuum tribuunt, nullisque affectibus obnoxiæ imperant. Quæ omnia non injuria metuuntur, ſi hominis alicujus, cui facile errare, incerto erga publicam ſalutem affectui omnia concredantur, cunctorumque ſalus ab illius arbitrio unice dependeat. *Nec detrectabunt reges*, (a) qui præ privato publicum quærunt commodum, tales leges, ad *regimen* (b) juſtum & minime ſuſpectum facientes, admittere, atque regendi normam ad eas componere; utpote, qui certi eſſe poſſint, eo pacto ſe eadem felicitate & facilitate propoſito honeſto ſcopo eſſe potituros, ac mathematicus, accuratum aliquod opus meditans, regulas, gnomonem aliaque organa incautos errores præcaventia, diligenter adhibens, & nauta cautus in invio mari ad pyxidem nauticam potius quam phantaſiæ ductum curſum navis dirigens.

XI. Non deterioris conditionis gentes, integra quidem ſua libertate gaudentes, eſſe debent, ac quilibet privatus etiam viliſſimæ ſortis eſt; quem nemo cogit, ut ſuam ſalutem & fortunam alterius, cui in ſe nil eſt juris, arbitrio committat, & ab eo mala quævis, ſi ingratum alterum eſſe contigerit, expectet. Hoc igitur jus populis liberrimis citra injuriam nemo denegare poterit. Non illas moror gentes, quarum an animus an conditio magis ſervilis ſit, incertum. Tales cumprimis *Aſiam alere* (c) & Ariſtoteles olim obſervavit 3. *Polit.* 10. & nos hodie per navigationes atque peregrinationes eo frequentius inſtitutas edocemur. Fuit & eſt hodienum eorum ſententia: Principis voluntatem Dei voluntatem eſſe, & quicquid ille, contra etiam leges & perperam, egerit, tamen ex voluntate Dei agere: ut & Alex. Guagnino *in Sarm. Europæa* refert Lehmannus *chron. Spir. lib. 2. cap. 4.* Sed nec illos agnoſcimus dignos libertate, quos Ariſtoteles 1. *Polit.* 3. natura ſervos appellat; quorum nempe animus ita abjectus, ut ad parendum ſint nati. Grot. *d. l. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 8.* Horum aut aliorum id genus corruptos mores imitari, gentibus moratioribus dedecori foret. Tantum ſane abeſt, has ſolitas impotenti ſe aliorum dominationi committere & jugum tyrannicum ſponte ſubire, ut potius ſemper leges ſuas fundamentales habuerint, conditionesque regibus ſuis propoſuerint, in quas jurare debuerunt, ut de priſcis *Gallis*, (d) *Græcis*, (e) *Anglis* (f) & *Hiſpa-*

Et quamvis poſt legem regiam quisquis princeps eſt legibus ſolutus tanquam princeps, cum tamen obligatus ſit tanquam homo & ſemper meminiſſe debeat, ſe hominem eſſe, nihil melius facere poteſt, quam ſi & verbis & quod præcipuum eſt, moribus ac vita ſe alligatum profiteatur. L. 9. ff. de hered. inſtitut.

(a) *Nec detrectabunt reges*) Tritum eſt proverbium: *Moderata durant.* Princeps abſoluto utens imperio, multis libertatis amantibus a tyrannide non procul abeſſe videtur. Atque ſic tot quaſi in ſinu ſuo habet hoſtes, quot ſub ejus imperio libertatis civilis ſunt ſtudioſi.

(b) *Regimen*) Id profecto eſt, in quo imperium libertate temperatum eſt.

(c) *Aſiam alere*) Orientis reges ſummo jure & poteſtate illimitata regnaſſe, teſtis eſt VIRGILIVS:

Regem non ſic Aegyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum & Medus Hydaſpes
Obſervant.

Vide MILTONI *apologiam pro populo Anglicano cap. 2. p. 22.* ſeq. BRISSONIVM *de regno Perſarum lib. 1.* HISTOIRE *du gouvernement du grand Seigneur par DU RYER*, quanquam hic jam ſedem ſuam in Europa habeat. *Itineraria CHARDINI Perſicum & Indicum:* TACHARDI *& Laburerii Siamenſe;* TAVERNIERII *per varias orientis plagas;* BERNIERII *ad magni Mogolis terras.* VARENII *deſcript. regni Japoniæ.* LVDOVICI COMITIS *commentar. de Sinenſium imperio.* Tam impenſe etiam Africæ gentes regnantur, ita, ut non ſint ſupra mancipiorum ſortem. Conf. *etat preſent de l'empire de Maroc par Monſ. Pidou de St. Olon ambaſſadeur du Roy à Maroc.* & LVDOLPHI *hiſtoriam Aethiopiæ.* Europææ gentes jam olim plenum pati non potuerunt jugum, licet Ruſſorum gens a longo jam tempore ſtrictiori obſequio adſtricta videatur.

(d) *Gallis*) Et horum libertati pacta, quæ leges fundamentales vocant, olim cavebant: ſed ex tempore LVDOVICI XI. ordinum & Parlamenti jura infringi cœperunt, ſub LVDOVICO XIII. cardinalis *Richelii* opera magis imminuta, & ſub LVDOVICO XIV. *Mazarinii* ipſiusque regis ſtudiis & arbitrio penitus exſtincta ſunt. Vide COMINÆI commentarios *de vita & rebus geſtis Ludovici XI.* LE VASSOR *hiſtoire de Louis XIII. Le dictionaire hiſtorique critique DE BAYLE dans l'article de Louis XIII. p. 1786. (t.) La vie du Cardinal de Richelieu par Mr. LE CLERC. LE MINISTERE du Cardinal de Richelieu. LA VIE du Pere Joſef. L'hiſtoire de Louis XIV. par RIENCOURT. MEMOIRES du Cardinal de Rhez. HISTOIRE du miniſtere du Cardinal Mazarin, traduite de l'Italien du Conte Galeazzo Gualdo.*

(e) *Græcis*) Græcorum regna maximam partem Laconica erant, & in eo ab Ariſtotele regnis Aſiaticis, quæ & barbarica vocat, contradiſtinguuntur.

(f) *Anglis*) Anglorum regnum ariſtocratia & democratia temperatum eſſe, nemini forte, cui aliqua ſaltem rerum hiſtoricarum notitia eſt, ignotum erit. Interim negari nequit, inter doctos Anglos acerrime ſæpe de forma regiminis patriæ ſuæ decertatum eſſe. PHILIPPVS HVNTONIVS, ex non-conformiſtarum, ut dicuntur, numero, ſacerdos, in tractatu *de monarchia* doctiſſimo defendit, ſouvranitatem, quam dicunt, in rege, optimatibus & populo conſiſtere. Sed liber dura expertus fata, ab academia Oxfurtenſi 1683. heterodoxiæ condemnatus, Vulcano dedicatus eſt. Huntonio ſe oppoſuit ANONYMVS quidam, quem ille *in vindicatione tractatus de monarchia* Londini 1644. editi, refutavit. Deinde ipſum etiam FILIMERVS, quem SIDNEJVS paſſim vellicat, in libro *de anarchia limitata aut mixta monarchia* aggreſſus eſt. Huntonii veſtigia legit JACOBVS HARRINGTON,

Hiſpanis, (a) cumprimis de *Arragonibus* (b) ex hiſtoria oſtendit Franciſcus Hotomannus *Franco Gallia c. 12. & autor vindic. contra tyrann. quæſt. 3. p. 162. & ſeqq.* Leges iſtorum populorum fundamentales legi poſſunt apud Reinh. *Kœnig in diſſert. polit. de ſtat. imp. Romani.* apud Melchiorem Goldaſtum *in polit. imp. part.* 14. in ſpecie Anglorum in Polyd. Virgil. *hiſtor. lib.* 11. idque adhuc hodie apud pleroſque, qui Europam incolunt, populos moris eſt, v. g. Anglos, *Suecos*, (c) *Polonos.* (d) Videantur cum alii rerumpublicarum ſcriptores, tum diſſertationes meæ de rebuspublicis totius orbis manuſcriptæ. Præ cæteris vero Europæis gentibus hoc inſtituto uſi ſemper ſunt libertatis fama ubique celebres Germani, qui nunquam abſolutum regis dominium ferre potuerunt, de quo infra uberius. Unde adhuc hodie in regno noſtro Germanico antiqua illa, & quaſi per manus a majoribus noſtris tradita obtinet conſuetudo, quod imperator electus ante coronationem & inaugurationem, mediante ſacramento, fidem faciat paciſcentibus ſecum, quod rempublicam juxta legum præſcriptarum normam adminiſtrare velit. Quæ res ſerius quidem recepto, hodie tamen omnibus notiſſimo capitulationis nomine venit.

XII. Viſo autem nunc, quod liceat leges adminiſtrandi ponere principi, commodum hic erit, de capitulationis origine apud Germanos, & duratione ad noſtra usque tempora, nonnulla diſſerere. Hic vero in diverſa abeunt ſcriptores. *Hortlederus* (e) Brunonem Saxonem prætendens, primum ejus initium ad perturbatiſſimi ſub Henrico IV. imperii ſtatus tempus refert; vetuſtiora ea de re monumenta vel plane non extare, vel fidem eorum dubiam eſſe aſſerens. Goldaſt. *polit. imper. part.* 12. *diſcurſ.* 2. *Arumæus* (f) *tom.* 4. *juris publici diſcurſ.* 4. eam cum Conrado I. *ſec.* 10. cœpiſſe autumat:

TON, acerrimus regiæ poteſtatis antagoniſta, licet ex Caroli I. camerariorum numero fuerit. Hic cum Carolo ultima imminere perceperat, ſub nomine *reipublicæ* aut *Oceanæ* novam propoſuit *Utopiam.* Hic a MATTHÆO WRENIO & aliis regiæ poteſtatis ſtudioſis in *conſiderationibus* vapulavit, cui prærogativam popularis regiminis oppoſuit, quam WRENIVS *in monarchia vindicata* refutavit. Adverſus hoc ſcriptum brevi poſt a democratiæ addictis liber, qui *politicaſtri* titulum habet, in lucem emiſſus eſt. Adverſus HARRIGTONII *oceanam* calamum quoque ſtrinxit BAXTER *in republica ſacra*, qui liber cum Huntonii ſcripto eadem eſt expertus fata. De forma reipublicæ Anglicanæ locutus etiam eſt FABIAN PHILIPS *in inveſtigatione jurium antiquorum*, in qua Angliam a populari regimine vindicat. Ex NATHANAELIS BACONIS diſcurſu hiſtorico *de uniformitate reipublicæ in Anglia*, apparet, ipſum populari magis, quam regio faviſſe regimini. Libri epitomen exhibet NICOLSON *in bibliotheca hiſtorica Angliæ part. 3. p.* 15. ſq. Noſtro tempore in lucem emanarunt: *the meaſures of ſubmiſſion to the civil magiſtrate by Benjamin Hoadly*, cui ut & HIGDENO ſe oppoſuit, purioris monarchiæ patronus, auctor libri: *the finishing ſtroke & a battle royal.* His adde ſcripta, quæ pro rigidiori monarchiæ (*Toris*) & quæ pro mixto ſtatui (*Wighs*) addictis, typis exſcripta ſunt. Inprimis legi meretur liber, cui titulus: *Fantes de deux cotés.* A tempore heptarchiæ mixtam in Anglia fuiſſe reipublicæ formam, docet BACON *in hiſtorical and political diſcourſe of the Laws & gowernement of England*, quem ſe magna ex parte Seldeni ſchedis debere fatetur. Provocant quoque reipublicæ mixtæ patroni ad placitum, quod EDVARDVM CONFESSOREM auctorem habere, & a WILHELMO CONQVESTORE confirmatum eſſe, dicitur, cujus hæc ſunt verba: *Debet rex omnia rite facere in regno & per judicium procerum regni. Debet enim jus & juſtitia magis regnare in regno, quam voluntas prava. Lex eſt ſemper, quod jus facit.* Ceterum Angliæ leges fundamentales complectitur charta magna, quam SPELMAN *in gloſſario p.* 133. vocat: *Sacrum illud diploma, quo regni Angliæ libertates, multo ſanguine & bello funeſtiſſimo redemta, confirmantur.* Dicitur LITTLETONIO *l'eſtatute de magna charta*: alii eam vocant: *chartam libertatum Angliæ, communem libertatem, chartre des franchiſes.* NICOLSON *l. c. p.* 35. Nomen haud dubie a rebus maximi momenti, quæ in ea continentur, habet. In formam rex Johannes eam redegit, & Henricus III. auxit. Poſtmodum a Parlamento ſæpe charta illa confirmata eſt. TENVRES *lib. 2. c. 4.* Exemplum ejus in COCKII *inſtitutionibus juris Anglicani P. 2.* legitur. Illud tamen æque ac alia multis ſcatent vitiis. THOM. GALE *præfat. ad Angl. ſcriptores p.* 5. Ad leges fundamentales, ſive pacta gentis Anglicanæ cum rege ſpectant *Parlamenti acta*, a rege ratihabita. Vid. NICOLSON *l. c. p.* 40. ſq.

(a) *Hiſpanis*) Et regiæ in Hiſpania poteſtati per leges fundamentales, quas antiquas vocant, limites poſiti ſunt. Vid. MARIANA *de rebus Hiſpan. lib.* 20. Eſt & regni ordinibus, quos *cortes* vocant, ſua auctoritas, neque liberum eſt regi, de præcipuis regni negotiis ſtatuere, niſi ordinum advocatorum adſint ſuffragia. *Nueva recopilacion lib. 6. tit. 7. Les ſoupirs de l'Europe p.* 147. ſqq. Et quæ ab ordinibus iſtis ſub regiis auſpiciis conſtituuntur, actorum parlamenti Anglicani rationem habent.

(b) *Arragonibus*) Arragoniorum inſignia olim erant privilegia. *Le voyage d'Eſpagne par la Comteſſe D'AVNOT.* MARIANA *hiſtor. Hiſpan. lib. 21. c. 1.* THVANVS *lib.* 104. *ad annum* 1592. Sed iis a Philippo II. emuncti ſunt, occaſionem re Perezii recepta præbente. *Hiſpania Elzeviriana p.* 99.

(c) *Suecos*) Hos temperata olim uſos eſſe monarchia, regesque eorum certis ſe adſtrinxiſſe regnandi legibus, docet *exegeſis hiſtoriæ Suecicæ p.* 119. Sub GVSTAVO ADOLFO & CAROLO GVSTAVO, belli gloria celeberrimis, regia poteſtas magna ſumſit incrementa, regnante autem CAROLO XI. ad ſummum aſcendit gradum, ita ut etiam huic regi in comitiis anno 1682. celebratis facultas de regno teſtamentum condendi data ſit. *L'etat preſent de la Suede par ROBINSON chap. X. EUROPÆISCHER HEROLD.* CAROLO XII. ferreæ glandis ictu in *Friderichshalla* obſidione extincto, VLRICÆ regiæ ſorori, cui ex regni legibus ſucceſſio debebatur, ſenatus regnum deferre noluit, niſi usque dum ſouvrainitati, quam vocant, renunciaſſet. Eodemque tempore conſtitutum eſt, ut ad electivi naturam Suecia rediret, ex quo regina ſine heredibus diem obiret ſupremum. In has quoque leges FRIDERICVS *Haſſiæ landgravius*, qui hodie Suecica ſceptra, regina conjuge illa ipſi cedente, moderatur, in ſolium elevatus eſt. Vide acta publica in FABRI *Staats-Cantzeley.* Dania quoque olim temperata illa gaudebat forma, & principes tamdiu arceſſebat a ſtirpe, quamdiu in ea eſſent, qui ad moderandum temonem idonei erant. Conſecutus tamen eſt rex FRIDERICVS, cui ſervatæ Daniæ a Suecorum occupatione gloria debetur, ſouvrainitatem, ſtatutumque, ut impoſterum Dania regnum eſſet mere hereditarium. Quo factum, ut & pacta conventa, ſub quibus antea regnum deferebatur, emortua fuerint. *Memoires de TERLON tom. 2. L'etat de Danemarc par MOLESWORTH, & La defenſe du Danemarc.*

(d) *Polonos*) De horum pactis conventis alibi dictum eſt. Vid. CROMERVS *hiſtor. Polonicæ lib.* 2. & HARTKNOCH *de republica Polonia.*

(e) *Hortlederus*) Apud GOLDASTVM *polit. imperial. part. 12. diſc. 2.* LIMNÆVS *ad Ottonis jus publicum p.* 446. *& ad capitulat. ſect. 3.* quam opinionem aliquando etiam LIMNÆVS fovit, ſed eam deinceps repudiavit *part. I. addit. ſ. 9.*

(f) *Arumæus*) Cum hoc ſentiunt CARPZOV. *de lege regia cap. 1. ſect. 8.* ANDLERVS *jurisprud. lib. 1. tit. 4. parte 2.* Alii capitulationum primordia ad Carolum calvum, Ludovicum Germanicum, aut Ludovicum infantem referunt. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 817. MAVRITIVS *ad capitulationem Leopoldi p.* 767. *opuſcul.*

autumat: ante hoc tempus vero capitulationem ullam neque fuiſſe ab ordinibus præſcriptam, neque a regibus obſervatam; Non enim videri veriſimile, Carolum M. ejusque poſteros, utpote qui pleno hæreditario jure imperium accepiſſent, modum illud adminiſtrandi a ſubditis ſibi poni paſſuros fuiſſe. Cum Arumæo etiam facit Carpzovius *de leg. reg. cap. 1. ſect. 8. n. 40. 44. & 53.* Verum uti Hortlederus nimis attendens ad eas, quales hodie habemus, capitulationes, tum demum illas cæpiſſe putat, quando arctioribus, quam antehac limitibus poteſtas imperatoris fuit conſtricta; quod quidem tempore Henrici IV. in *electione Ru. olphi anticæſaris* (a) factum eſſe facile largimur, at inde non originem, ſed incrementum capitulati is eſſe dicentes; ita Arumæus in utroque eſt falſus, tum quod dicit reges Francorum, & qui ex Carolovingica familia Germaniæ imperarunt *per ſolam hæreditatem* (b) paternam perveniſſe ad imperium, tum quod ex hac ſucceſſione vult concludere, *abſoluta & indeterminata poteſtate* (c) reges gaviſos eſſe. Sed de his paulo poſt.

XIII. Proinde jam tertia & verior de origine capitulationis ſententia adducenda, quæ Goldaſti eſt, & qui eum ſequitur Limnæi; videlicet capitulationem *cum republica noſtra*, (d) imo quibusvis regnis Germanicis ejusdem eſſe ætatis, incrementum vero & aliam atque aliam faciem pedetentim & variis temporum intervallis accepiſſe. Quam opinionem etiam amplexus ſum *exercit. de rep. Germ. IIX. th. 41.* Licet vero hoc ex eo cumprimis fundamento affirmare, quod reges Germanici nunquam abſolutam & infinitam poteſtatem habuerint, quemadmodum ex antiquiſſimis conſtat de rebus noſtris monumentis. Quæ deficientibus domeſticis ſunt Corn. *Taciti opuſculum* (e) *de moribus Germanorum*, & Caji Jul. cæſaris *de bello Gallico commentarii.* Et ille quidem expreſſe *cap. 8. regibus*, inquit, *infinita & libera poteſtas non eſt.* Alter, non fas fuiſſe de republica niſi in conciliis loqui, teſtatur. Conciliorum autem rationem deſcribens Tacitus *cap. 7. Mox rex aut princeps*, ait, *audiuntur, autoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate: ſi diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſin placeat, frameas concutiunt.* Ipſe quidam Germanicæ cujusdam gentis rex, (ut refert cæſar *lib. 5. de bello Gall.*) ultro fatetur: *Sua imperia eſſe ejusmodi, ut non minus haberet in ſe juris multitudo, ac ipſe in multitudinem.* Ex quibus & aliis pluribus optima ratione colligitur: ab eo ſtatim tempore, ubi Germanicæ gentes in regna coaluere, eam obtinuiſſe regnandi formam. Quis enim credat, circa Taciti tempora demum cœpiſſe, ante vero, cum primum coirent populi, libertate adhuc magna & nunquam jugum experta, arctius aliquod regimen admiſiſſe? Talis autem cum fuerit regum conditio, ut illi valuerint ſuadendi magis quam jubendi poteſtate, ut in republica non omnia ſoli potuerint, ſed de præcipuis negotiis conſultandi & decernendi arbitrium etiam populo competierit, apparet omnino, reges in certas leges fuiſſe admiſſos. An vero illæ diſertis verbis expreſſæ fuerint, item, an ſcriptæ, an vero non ſcriptæ, nullo indicio colligere eſt. *Veriſimile igitur, ſi non ſemper, ſaltim ordinarie reges in obſervantiam duntaxat aliquam communem legum & conſuetudinum receptarum creatos fuiſſe*, quæ verba ſunt *in annot. ad Lamp. p. 267.* Verumenimvero nihil hic refert, an ſigillatim conditiones verbis expreſſæ, an vero non, ſive ſcriptæ ſive non ſcriptæ fuerint, ad hoc, ut ſub certis conditionibus electus dici poſſit. Et tantum de origine.

XIV. NVNC videamus, an modus ille, cum rege ſuper certis articulis paciſcendi, ſecutis temporibus ſemper fuerit obſervatus, an vero Germani noſtri mutato conſilio regibus ſuis aliquando abſolutam & illiminatam conceſſerint poteſtatem. Et quidem reipublicæ tempora poſt Tacitum, primamque familiam regum Francorum antecedentia quod attinet, hunc conſulendi libertati modum neglectum minime fuiſſe argumento eſt, tum quod ſeculo 4. & 5. Germaniam egreſſorum populorum, nullus regem abſolutum ferre potuerit, tum quod in ipſa Germania rarum ea tempeſtate pacis præſertim tempore unius imperium fuerit, præ perpetuo populorum Germanicorum libertatis ſtudio. Quamvis ſane una gens præ altera facilius regem ſit paſſa, eo tamen ipſo nil magis de ſua libertate, quam vitæ ſemper æquipararunt remiſiſſe, certum eſt. Orta deinde Francorum potentia (unde tamen noſtræ reipublicæ vera origo non repetenda, ſed demum a tempore ſeparatæ a reliquis Francorum regnis Germaniæ, per diviſionem inter tres Ludovici pii filios inſtitutam, quod pluribus docetur *l. 1. c. 1. & 2. de finibus imperii Germanici*) cum & illis regem habere placuiſſet, tantum abeſt, eos omnia ſolius illius arbitrio commiſiſſe, ut parum rex tam circa pacis, quam belli negotia potuerit. Ut liquidum ex hiſtoriis fecerunt cum alii, tum Lehmannus, *lib. 2. chr. Spir.* & Hotomannus *Franco-Gall. c. 6. 7. 12.* aliisque ſequentibus. *Trita cum conſuetudo erat, ut quotannis totius populi conventus haberetur, in quo ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium*, verba ſunt Hincmari *epiſt. 3. cap. 29.* Ita ut res illius tempeſtatis cum cura legenti appareat, plera-

(a) *Electione Rudolfi anticæſaris*) Quæ cum hoc in comitiis Forchheimenſibus acta ſunt, reperiuntur apud GOLDASTVM *tom. 1. conſtit. imperial. p. 238.*

(b) *Per ſolam hæreditatem*) Penes Francos electionem ſucceſſione temperatam fuiſſe, alibi diximus.

(c) *Abſoluta & indeterminata poteſtate*) Huic poteſtati neque ex electione, neque ſucceſſione aliquid accedit, cum illæ tantum modum perveniendi ad regnum complectantur: interim abſoluta poteſtas frequentior eſt in regnis ſucceſſivis, quam electivis. Ibi enim major occaſio datur diſcedendi a conditionibus, ſub quibus regnum delatum eſt, cum regnum in eadem contineatur ſtirpe, & ſic non amplius tam a populo datum, quam ſanguinis beneficio acquiſitum videatur. Secus eſt in regnis electivis, ubi ſemper recentia ſunt illa pacta, & novo ſemper jure apertius ad eum, qui eligitur, regnum pervenit.

(d) *Cum republica noſtra*) Hanc Goldaſti ſententiam veriorem multi alii deinde ſecuti ſunt. Vid. LIMNÆVS *ad capitulat. proleg. ſect. 3. n. 15.* AVCTOR *de republ. Germ. theſi* 41. SCHILTER *J. P. tom. 1. lib. 1. tit. 15. §. 3.* COCCEJVS *juris publ. prudent. cap. 8. §. 8.* Pauci ab initio capitulationum fuerunt articuli, novis ſubinde aucti incrementis. PFEFFINGER *tom. 1. p. 837.* qui idem ſentientes refert auctores.

(e) *Taciti opuſculum*) Omnia, quæ hic auctor habet, GVLICHIVS commentario ſuo *in capitulationem Joſephi p. 8.* ſqq. inſeruit, nulla hujus de capitulatione ſcripti, pro more ſuo, facta mentione.

pleraque negotia publica *concilii magis*, (a) quam regis autoritate ſolita fuiſſe expediri: proindeque ex hac adminiſtratione pareat, nec regem nec populum ſolum omnia, ut nunc loquimur, majeſtatis jura tenuiſſe, verum illa ab utrisque fuiſſe exercita. Quæ ratio omnino *præcedentem aliquam ea de re conventionem* (b) præſupponit, qua quid cuilibet liceat, exprimi debuit. Verum enim eſt omnino, quod ait Grotius *de I. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 9. Quod ſi populo alicui propoſitum eſt, partiri cum rege imperium, fines certi poteſtati utriusque aſſignari debent: qui cognoſci facile poſſunt ex locorum, perſonarum aut negotiorum diſcrimine.* Illud autem ibi factum eſſe, ex eo etiam haud obſcure apparet, quod non ſemel rex inique & minus recte ſe gerens omni dignitate & poteſtate per ſententiam a concilio latam privatus fuerit. Plura exempla ex *Hunnibaldo*, (c) Gotfrido Viterbienſi, Sigeberto Gemblacenſi aliisque collegit Hotomannus *lib. cit. cap.* 7.

XV. De Carolovingicæ familiæ regibus plus dubii eſt, quos liberrime pro arbitrio ſubditis ſuis imperitaſſe, multi ſibi perſuaſerunt, hoc cumprimis fundamento inducti, quod imperium illis non ex libera electione, ſed mere hæreditaria ſucceſſione obvenerit, ceu modo Arumæum argumentantem audivimus. Sed primum, valde infirma hæc conſequentia eſt. Etenim ſive regibus regnum per electionem ſive hæreditatem fuerit delatum, utroque tamen caſu limitata tantum & reſtricta poteſtas regi potuit concedi. Quod recte obſervavit etiam Grotius *lib. 1. cap. 3. §. 9.* docens, modum imperium obtinendi diſcrimen inter poteſtatem regis ſummam ſive abſolutam & reſtrictam non facere. Deinde etſi opinioni, quod hæreditaria ſucceſſio tempore Carolovingorum obtinuerit, non deſint docti propugnatores, plerumque tamen hodie ſententia in eo convenit, rationem ſuccedendi nec hæreditariam nec electitiam plane fuiſſe, ſed *mixtam* (d) ad morem antiquarum Germanicarum gentium. Cum itaque a Carolo magno deſcendentes reges, Merovingicis nec hac in parte, nec autoritate in regenda republ. potiores fuerint, quin & idem paciſcendi cum illis & poteſtatem legibus conſtringendi modus obſervatus fuerit, nullum poteſt eſſe dubium. Confirmabitur in hac opinione, qui legerit capitulationes filiorum Ludovici Germanici inter ſe, & cujusque cum ſui regni ſtatibus initas, *in quibus ſe juramento obligarunt*, (e) quod capitula progenitorum ſuorum de regno & eccleſia conſervandis, tuendaque juſtitia, obſervare, ordinum jura & privilegia confirmare, communique eorundem conſilio regnum adminiſtrare velint. Uti plenius ex ipſo conſtitutionis tenore apud Lehmannum *lib. 2. cap. 4. chron. Spir.* cognoſci poteſt. Verum inſtituti noſtri non eſt, juſta prolixitate hæc omnia perſequi.

XVI. Negotio haud multum difficili autem ſimiliter ex ſequentium temporum hiſtoriis oſtendi poteſt, imperii proceres, devoluto a Francis ad Germanos imperio, morem hunc a majoribus acceptum conſtanter obſervaſſe, nec unquam regem ad regni adminiſtrationem admiſiſſe, niſi fide de certis conditionibus ſervandis & imperium juxta illas legitime regendo, jurato data. Expreſſe utique teſtatur Cuſpinianus, Conradum I. ſub hac conditione a proceribus electum, ut ille quidem majeſtate imperatoria & titulo illo fulgeret, *rerum vero ſumma penes Ottonem* (f) Saxonem eſſet. Vid. Cuſpin. *in vita ejus.* Immediata poſtea Henrici Aucupis & trium Ottonum ex una familia ortorum ſucceſſio quibusdam perſuaſit, dignitatem imperatoriam tum velut hæreditariam a patribus fuiſſe ad filios tranſmiſſam & cum illa liberam plane regendæ reipublicæ facultatem. Verum falſum utrumque. Etenim *tam ad deſignandum ſucceſſorem*, (g) quam ad *gravioris momenti negotia* (h) expedienda primorum conſenſum ſemper neceſſarium fuiſſe habitum, ævi etiam illius monumenta teſtantur. Sic ordinum conventum apud villam Strela ab Ottone I. indictum & celebratum memo-

(a) *Concilii magis*) Vid. PFEFFINGER *tom. 1. p. 76. 77.* HERTIVS *in notitia veteris Francorum regni cap. 4. §. 3. & 6. & cap. 10.*

(b) *Præcedentem aliquam ea de re conventionem*) Sive illa tacita, ſive expreſſa fuerit.

(c) *Hunnibaldo*) Fictitium hunc eſſe monachum, alibi monuimus.

(d) *Mixtam*) Nonnulli regnum Galliæ electivum fuiſſe tradunt, ut HOTTOMANNVS *in Francogallia cap. 6.* LEHMANNVS *in chron. Spir. lib. 2. c. 3.* PACIFICVS a LAPIDE *ad cap. 4. Monzambani.* Sed homonymia vocabuli *electionis* decepti ſunt. Denotat enim nonnunquam ſolennem inaugurationem, proclamationem & votivos populi applauſus. Alii mixtam cum auctore noſtro rationem ſuccedendi fuiſſe dicunt. Attamen plus ex ſucceſſione, quam electione habuiſſe, contendunt. Vide autorem noſtrum *ad Lampadium* p. 107. & diſſ. de *Septemviris.* Addatur MONZAMBANO *c. 4. §. 1.* & ad eum KVLPISIVS, THOMASIVSque, item SCHILTER. *I. P. lib. 1. tit. 14. §. 11. 12.* LIMN. *ad capitulationem* Caroli V. p. 49. ISACVS PONTANVS *in originibus Franciæ c. 10.* ita ut nonniſi ob graviſſimas rationes a regio diſceſſum ſit ſanguine. HERTIVS *in notitia veteris Francorum regni cap. 4. §. 6.* cum GOLDASTO in libro *de majoratu*, BALVZIO *in notis ad tom. 1. capitular. p.* 1081. & BOECLERO *in rebus Caroli M.* ſucceſſionem aſſerentium ſententiam eligit; eamque veterum teſtimoniis firmat. Sed mihi videtur, perinde eſſe, quamcunque elegeris ſententiam, cum ratio ſuccedendi mutationibus ſit obnoxia, & nullum in Germaniæ imperium ex modo, quo penes Francos olim ad regnum perveniebatur, jus derivetur.

(e) *In quibus ſe juramento obligarunt*) Vide hæc late perſequentem Dn. PFEFFINGERVM tom. 1. p. 835. 836.

(f) *Rerum ſumma penes Ottonem*) Hoc ſequentia WITTICHINDI *lib. 1. annal. p. 634.* comprobant verba: *Penes Ottonem tamen ſummum ſemper & ubique vigebat imperium.* Sunt tamen, quæ nos de horum verborum veritate dubitare faciunt.

(g) *Tam ad deſignandum ſucceſſorem*) Huc ſpectat locus WITTICHINDI *lib. 2. annal. p. 642.* qui ita ſe habet: „Omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim „deſignatum regem a patre filium ejus Ottonem elegit „ſibi in principem: Univerſalisque electionis notantes „locum juſſerunt eſſe ad Aquisgrani palatii. BOECLER „in notitia rerum imperii, ſeculo X. ſub Ottone I. p. 282. „DITMARVS L. 2. p. 331. „ AVCTOR vitæ *Mathildis c. 2. p. 196.* ſequentia memorat: „ Henricus ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos principes regni convenire præcepit, ut ſe invicem coadunarent, quem ſuorum filiorum regale ſolium poſſidere eligerent. „ Sic & Otto filium Ludolfum ordinum ſuffragiis ſucceſſorem ſibi conſtituit. Vide WITTIKINDVM *L. 3. annal. p. 651.* & CHRONOGRAPHVM SAXONEM *ad ann. 947. p.* 160. Conf. BOECLER. l. c. p. 322.

(h) *Gravioris momenti negotia*) Vide de his late agentem BOECLERVM *l. c. p. 319.*

memorat Witekindus *lib.* 2. in quo non tantum oborta de nepotum ſucceſſione lis, quæ multorum diſſidiorum cauſam dederat, deciſa, ſed & de puniendis pacis publicæ violatoribus actum fuit; neutrum abſque interveniente principum, ſtatuum & aliorum autoritate. Seculis ſubſequentibus capitulationis articuli pro re nata vel omiſſi quidam, vel mutati, vel, quod plerumque fiebat, aucti fuerunt. Uſu enim venerat, ut quæ imperatore deſiderabantur, ſubſequenti tempore capitulationem ingrederentur, ceu recte ait Carpzov. *de leg. reg. cap.* 1. *ſect.* 8. *n.* 45. Id quod confirmant multæ illæ novæ & præter morem, Rudolpho anno 1077. contra Henricum IV. electo regi, poſitæ & præſcriptæ leges. Cum enim & inviſa proceribus eſſet Henrici illius anteceſſorumque potentia, & exiſtimarent illi (jure an injuria, prudenter item an imprudenter, jam non diſputo) eam ſuis rebus non conducere, in tempore ſucceſſorum poteſtatem refrenare cogitarunt; & hinc nova illa & inſolita plane Rudolpho huic præſcripta eſt capitulatio, Bruno *in lib. de bello Saxon. annot. ad Lamp. p.* 267. adeo, ut hunc creandi modum ceu moribus contrarium, ipſe legatus pontificius oppugnare fuerit auſus. Etſi igitur hinc quidam argumentum ducant pro opinione confirmanda, quod hæc demum cæſareæ capitulationis origo ſit, tamen non ipſe eligendi modus, ſed tantum conditiones quædam novæ & inſolitæ a legato perſtringuntur, judice ipſomet Carpzov. *de lege reg. c.* 1. *ſ.* 8. *n.* 48. Nec mirum, Rudolphum utpote regnum valde ſitientem, illud quamvis duris oblatum conditionibus acceptaſſe, quia non ſolent quamvis ſibi iniquam conventionem detrectare illi, qui injuſte rem alienam petunt. Hanc vero capitulationem ſcripto comprehenſam fuiſſe, ex Brunone Saxone conjecturam capio, *annot. ad Lamp. p.* 267. Tantum autem abeſt, poſtea hunc ſuæ libertati conſulendi modum ab ordinibus neglectum aut intermiſſum eſſe, ut potius facillime ex reipublicæ tum facie conjicere liceat, numerum conditionum auctum potius, quam diminutum fuiſſe. Facit enim hoc ad ſupprimendam monarchiam, ad erigendum contra & ſtabiliendum Ariſtocraticum ſtatum; in quem ab eo usque tempore omnium animos propenſos quaſi fuiſſe, maximeque inclinaſſe, non eſt opus ut multis demonſtretur.

XVII. Seculo XII. ipſe Fridericus I. fatetur, leges præſcriptas adminiſtrationis imperii normam eſſe, nec ſibi voluntatem vel facultatem eſſe, limites illarum tranſeundi. Qua de re videatur *epiſtola ordinum* ad papam Hadrianum, cujus meminit Onuphrius *Panvinius* (a) *lib. de comit. imp. cap.* 7. Quid Otto IV. a principibus electus illi ſacramento præſtito promiſerit, videri poteſt ex literis principum ad pontificem datis, quibus illi factam electionem intimarunt. Recitat illas poſt Baronium Meibomius *in apologia pro Ottone IV.* Nec obſcura apparent veſtigia quarundam conditionum, quæ illius capitulationem conſtituerant, tum ex Matthæo Paris *ad annum* 1220. tum ex admonitione Gervaſii Tilberienſis ad eundem imperatorem. *In ſpeculi Saxonici* hoc ſeculo, ut demonſtravi *lib. de origine juris*, conſcripti, *articulo* 54. *lib.* 3. expreſſa hæc reperiuntur verba: *Rex, cum eligitur, oportet ipſum jurare fidem, i. e. homagium præſtare imperio, & quod juſtitiam exaltet confortetque, injuriam vero pro poſſe deprimat, & etiam imperium in ſuo jure protegat, ſecundum quod ſcit & prævalet.* Friderici II. reſponſum papæ Sardiniam repetenti datum indicat omnino, cautionem juratam de conſervandis imperii juribus, & non alienandis propria & ſola ſua autoritate ejus bonis, unum inter multos, capitulationis illius articulos fuiſſe. Videri illud poteſt apud Sigon. *hiſtor. Ital. lib.* 18.

XVIII. Inſtituti ſeculo *decimo tertio ſeptemvirorum* (b) ordinis brevi invaleſcens & imperatoriæ quodammodo æmula potentia etiam argumento eſt, eo tempore morem hunc, obligatum tenendi imperatorem, neglectum haud fuiſſe. Quin potius electores obtentu ſibi tum conceſſæ eligendi poteſtatis, electo regi leges quoque dandi prærogativa, in rem ſuam jam tunc ſtatim utiliter uſi ſunt. Conqueritur ea de re Nicolaus Cuſanus *cap.* 30. *lib. concordiæ catholicæ*, ita: „Eſt inſuper alia imperii „deſtructio: quoniam cum imperatur ſolum adminiſtrator in utilitatem reip. exiſtat, ſæpe per pa„cta electorum ſua quærentium intrat regimen. Et occupata contra jus imperialia ob jusjurandum „repetere non audet, telonia gravantia rempubl. deponere, ac alias utiles ordinationes facere, & „per anteceſſores inconſulte, abſque omnium conventu, amoris inordinati aut affectionis vel ſan„guinis cauſſa in præjudicium imperii donata vel impignorata, revocare inhibetur. Imperatores „non deberent permitti facere alienationes præjudiciales, imperatori principes aſſiſtere deberent, ut „*ſemper Auguſtus eſſet* „(c) ſed quia eum ligant, ne ipſis donata vel obligata aliquando ficte vel per con„ſanguineos aut parentes, qui imperio præfuerunt, auferantur, tacent, dum idem facere vident „imperatorem, ne ſeipſos damnent.„ Cum deinde *in cap.* 2. §. 3. *Aureæ Bullæ* (d) communi imperatoris & ordinum conſenſu latæ, ſub expreſſis quibusdam conditionibus electo imperatori permittatur demum regimen adire, non opus eſt, ut plura in re tam manifeſta teſtimonia adducamus.

XIX. Longiſſime omnium a vero abeunt, *qui Carolo demum V.* (e) imperium cum certis conditionibus

(a) *Panvinius*) Et OTTO FRIS. L. 2. c. 2. *de reb. geſt. Frider.* CHRON. SPIR. L. 5. c. 58.

(b) *Decimo tertio ſeptemvirorum*) De horum ortu, tot eruditorum litibus inutilibus propemodum, quod tamen pace eorum dixerim, trito alibi monebitur.

(c) *Semper Auguſtus eſſet*) Interpretati enim ſunt vocabulum Auguſti, in quod Germanorum reges ſucceſſiſſe credebantur, *Mehrer.* Hinc imperatores noſtri in capitulationibus ſuis promittunt, *das Reich, ſo viel in unſern Kräften iſt, ſchützen und vermehren. Capitulatio Leopoldi art.* 36. *Joſephi art.* 35. *Caroli VI. art.* 2. Memoriæ prodit SIFFRIDUS Presbyter Miſnenſis apud PISTORIUM, inter cauſſas exauctorati Adolphi fuiſſe, quod imperium non auxerit.

(d) *In cap.* 2. §. 3. *Aurea Bulla*) Capitulationes formaliter tales aureæ bullæ tempore adhuc fuiſſe ignotas, verior eſt ſententia.

(e) *Qui Carolo demum V.*) Ego cum iis facio, qui ſtatuunt, Caroli V. capitulatione ſcriptam & formaliter talem antiquiorem non reperiri. Calculum ſuum huic opinioni adiiciunt VITRIARIUS *in jure publ. L.* 1. *tit.* 7. §. 1. & ad eum PFEFFINGER p. 837. LYNCKER *in doctrina communi de capitulatione p.* 15. 16. SCHWEDER *P. gen. c.* 2. §. 14. RHETIUS *I. P. Lib.* 1. *tit.* 4. §. 38.

tionibus iisque ſcriptura comprehenſis obtigiſſe, credunt; hoc ſuæ erroneæ opinionis fundamentum infirmum ponentes, quod nullæ ante eam capitulationes publicam viderint lucem. Non enim quidem diffitemur, in plurimas novas cum Carolo eſſe leges conventum, quod ille magnis ſuis viribus metum incuſſiſſet liberis Germaniæ principibus, & ideo arctioribus ſolito vinculis hæc formidabilis potentia videretur frenanda: aſt tamen nullas ejus anteſſoribus fuiſſe præſcriptas, minime largimur. Illi autem ſententiæ refutandæ hæc electoris Moguntini verba ſufficiunt, orationis illius, quam tunc habuit ad cæteros coëlectores de ſucceſſore Maximiliano I. defuncto ſubſtituendo conſultantes. Sunt autem hæc: *Et ſi quis ſcrupulus eſt, ne transferatur imperium ad exteros, habemus ſolennem formulam jurisjurandi, juxta quam fidem dabit Carolus, ſe non labefacturum aut mutaturum jura electionis noſtræ aut imperii ſtatum.* Deinde cum nunquam ab eo, quod abeſſe contingit ad plane non eſſe bene inferatur, ita & illius argumenti conſequentia magna infirmitate laborat. Spes quoque eſt, latentes forte in antiquis bibliothecis & archivis veterum capitulationum formulas aliquando *in lucem produci poſſe.* (a) Reliquas a Carolo V. usque ad hoc tempus omnes capitulationes annotationibus illuſtratas publicæ luci dedit vir de hoc ſtudiorum genere meritiſſimus *Johannes Limnæus.* (b) Ex omnibus autem jam adductis ſatis patet, modernum capitulandi modum nec Carolo V. demum cœpiſſe, nec initium ejus a temporibus Henrici IV. repetendum, nec ad Conradi I. ætatem referendum, ſed ſtatim cum noſtra republica extitiſſe, atque adeo cum ea ejusdem eſſe ætatis.

XX. ET TANTVM, poſt indicatam capitulationum originem, de continuo earundem uſu dixiſſe, ſufficiat. Nunc inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut præmiſſa capitulationis definitione, ea, quæ circa eandem fuerint notatu digna, ordine perſequamur. Miſſis autem aliorum deſcriptionibus, capitulationem, qualem quidem hodie habemus, definimus, *quod ſit pactum* (c) *ſive conventio, qua imperator*

(a) *In lucem produci poſſe*) GOLDASTVS *Parte I. der Reichs-Satzungen p.* 240. ait, capitulationem, quam exhibet, deſumtam eſſe ex capitulatione Maximiliani I. & Caroli V. Sed Maximiliani capitulationem nunquam in lucem produxit. Ait quidem, ſua ſe debere SLEIDANO & LAVRENTIO SVRIO, *im Buch von Beſchreibung der Kœnigs-Würde.* Verum Sleidanus ne verbo quidem Maximiliani capitulationis mentionem injecit, & Laurentius ille generalem tantum habet titulum: *Folgen die Articul, welche die Curfurſten einem neuen Kayſer vorhalten.* Nec hactenus Maximiliani capitulatio, quam ſedula etiam non ſolum cæſarei, ſed & aliorum archivorum inveſtigatio facta, detegi potuit.

(b) *Johannes Limnæus*) Quem hic in capitulatione adornavit commentarium, omnibus fere ejus ſcriptis palmam præripere dicunt.

(c) *Quod ſit pactum*) Circa capitulationis definitionem juris publici doctores admodum diſcrepant. RACHELIVS *in diſſert. de capitulatione c.* I. §. 8. in colligendis aliorum definitionibus occupatus, eis ut vitioſis rejectis, ſuam ſubſtituit, quam HENNIGES *in meditat. ad capitulat. Joſephi obſ.* I. p. I. ſub examen vocat. Eſt autem hæc: „Capitulatio eſt pactum deſignati imperatoris ſeu regis „Germaniæ cum ſeptem electoribus nomine omnium „imperii ſeu regni Germaniæ ſtatuum de adminiſtratione „ejusdem certis conditionibus initum, ſalutis communis gratia.„ Verum notat Hennigeſius (1) ſuperflua eſſe, quæ de rege Germaniæ adiiciuntur: Sed definitionis finis eſt, ut veram & diſtinctam rei notitiam manifeſtet. Hinc licet conciſa eſſe debeat, talis tamen etiam requiritur, ut diſtinctum rei conceptum inde haurire queamus. Jam vero licet rerum Germanicarum peritis ſatis notum ſit, antiquum illud Romanum imperium in Germania non continuari; attamen contingere poteſt, definitionem alicui ob oculos venire, qui rerum imperii noſtri ſcientia non ita eſt imbutus, quem vox imperatoris *ſimpliciter* poſita in errorem ducere poſſet. Conducit igitur, vocem illam explicativam, ut ajunt, eſſe adjectam. (2) Pergit Henniges: „Porro minus accurate imperium „Romanum cum regno Germaniæ confundit, cum potius „aut per jam dicta poſterius omittere, aut utrumque melius dicendo imperatoris, qui & rex Germanorum nomine omnium imperii, potiſſimum regni Germanici „ſtatuum diſtinguere ab invicem debuiſſet.„ Verum neſcio, quænam hic ſit confuſio: notum enim eſt, a tempore Ottonis I. reges Germanorum patriæ admotos ſceptris eodem tempore imperatores Romanos fieri. Deinde non diſcrepant quoad rem ipſam inter ſe verba: *imperatoris, qui & rex Germanorum, & imperatoris ſeu regis Germanorum,* Quod autem ad ſtatus attinet, ſi forte in reliquiis illis, quas imperium dicimus Romanum, præter papam alii ſuperſtites ſint immediati, eorum æque ac regni Italiæ ſtatuum ut gentium devictarum, in regis Germanici electione, non æque ratio habetur. (3) Diſplicet Hennigeſio in Rachelii definitione, quod rex Bohemiæ inter electores, cum quibus pactum initur, omiſſus ſit, cum tamen ille æque ac alii electores ad hanc, tanquam medium obligandi imperatorem, & juratam ejus promiſſionem acceptandi, concurrat: eamque ob rationem in Joſephi capitulatione regis Bohemiæ diſertis verbis mentionem fieri. Aſt cum Bohemo antequam ad plena aliorum electorum jura redierit, in conficienda capitulatione nullæ fuerint partes, ejus hic mentionem fieri, non æque neceſſum fuiſſe videtur. (4) Deſiderat, quod a Rachelio omiſſum ſit, quo demum tempore capitulatio conficiatur. Sed hoc non eſt de eſſentia capitulationis. Allatis jam, quæ ad excuſandam Rachelii definitionem facere videntur, ipſius Hennigeſii afferemus, ut videri poſſit, quatenus cum illa & auctoris noſtri definitione, quam ſupplendam eſſe dicit, conveniat, aut ab iis diverſa ſit. *Capitulatio*, inquit, „pactum ſeu conventio, qua imperator per electorum ſuffragia deſignatus, ante coronationis ſolennia, certas conditiones de adminiſtranda „republica, ab electoribus ſuo ac omnium imperii principum & ſtatuum nomine propoſitas, ſe ſervaturum jurato promittit, publicæ ſalutis conſervandæ cauſſa.„ LYNCKERO in doctrina communi de capitul. p. 8. capitulatio eſt: „Sponſio electi regis Romano-Germanici ab „electoribus pro ſe & nomine ſtatuum imperii facta, in „certa capita ſcripto comprehenſa, de modo imperium „pro ſtatu & communi ſalute exercendi, juramento obſignata.„ Apparet ex hac definitione, Lynckerum ſibi perſuaſum habere, quod capitulatio ſit ſponſio ſive pollicitatio, per electionem jam conſtituti regis, qua volens *aus freien gnadigen Willen*, circa modum exercendi ſummam poteſtatem aliquid promittit. Negat itaque, capitulationem per conventionem ſeu pactum definiri poſſe, ſed ſaltim habere umbram conventionis, quo ſpectare dicit verba: *Pacts-und Gedings-weiſe.* Quod autem non ſit conventio, contra auctorem noſtrum, & qui cum eo ſtant, LIMNÆVM, RHETIVM, FIBIGIVM, SCHWEDERVM, VITRIARIVM alioſque, quos citat PFEFFINGER *T.* I. *p.* 964. evincere annititur, ubi quidem ei concedimus, quod ex parte imperatoris eligendi, capitulationis articuli, de quo electores inter ſe convenere, pacti non habere rationem: aſt id a veritate abhorret, quod electus articulos capitulationis acceptans non per modum conventionis aut pacti obligetur. Nam quid aliud eſt paciſci, quam in idem convenire placitum, quod ex parte imperatoris ſit per acceptationem articulorum, ipſi ab electoribus exhibitorum. Neque dici poteſt, hic ex imperatoris parte nullam adeſſe obligationem vel neceſſitatem ſervandi ea, quæ in capitulatione promiſit, cum jam tum per electionem regnum ſive imperium habebat, & ſic promiſſum ejus eſt gratuitum & voluntarium: Verum hoc aſſertum falſo nititur præſuppoſito,

imperator per electorum ſuffragia deſignatus ante coronationis ſolennia certas ſibi propoſitas conditiones acceptat, & de iis ſervandis jurato cavet, publicæ ſalutis conſervandæ cauſa. Pactum ut dicatur, ſuadent ipſarum capitulationum expreſſa verba: *Daß wir uns demnach dieſer nachfolgenden Artickel, Geding, und Pacts-weiſe vereiniget, vertragen und angenommen, verglichen und zugeſaget haben.* Definitur alias capitulatio, quod ſit *regula*; (a) ſed vereor ut ſatis recte: antequam enim regula ſit, pactum præcedat oportet, quod demum facit, ut, quam ante non habebat, naturam regulæ accipiat. Sunt qui per *legem* (b) deſcribere malunt: verum minus proprie, ſiquidem legem dicas ejus juſſum, qui majeſtatem habet in republica ad inferiores. Quatenus vero lex latiſſime accipitur pro quovis inſtituto civitatis, eatenus recte inter leges noſtræ reipublicæ fundamentales refertur capitulatio. Porro quatenus pacta legem contractui dare, & inter paciſcentes legem facere, cum alibi tum paſſim in jure civili dicuntur, eatenus etiam articuli capitulationum leges audire poſſunt. Attamen tum demum, quando pactum & conventio præceſſit, ut ita & regulæ & legis vim puncta capitulationum ex eo ſolum habeant, quia inter paciſcentes ita convenit.

XXI. *Lampadius* (c) *de rep. Rom. Germ. part. 3. c. 2. §. 12.* dignam quidem de genere capitulationis tractationem dicit, ſi tamen, inquit, profundius penetraremus, rebus potius quam verbis dediti, nulla pene deprehenderetur conventio. Et ſic ille quidem datæ deſcriptioni patrocinari haud videtur. Rationem hujus ſententiæ his explicat verbis: *Ecquid enim conventionis eſt, ſi de re mea tibi indebita paciſcerer? Ecce vendo tibi fundum tertia parte detracta, numne de parte neque vendita neque tradita conveniſſe judicabor?* Reſp. Maxime. Res enim vendita debet eſſe certa, quod & jura volunt vulgaria & quilibet cogitatione aſſequi poteſt. Fundo igitur vendito totus veniſſe intelligitur, niſi in eadem conventione venditor indicaverit, quotam fundi partem alienare velit. Et ita recte venditor de parte etiam venditæ rei detracta contraxiſſe dici poteſt. Nec inſolitum eſt in jure civili legem conventionis appellare, quando venditor aliquid certa quadam re excepta ſibique retenta alienavit. *vid. l. 22. & 77. ff. de contrah. empt.* quibus add. *lex fin. ibid.* Idem de imperatore dicendum eſt, quod omnia habeat majeſtatis jura vi electionis, niſi aliter cum eo eligentes paciſcantur. Quando jam ita de quibusdam paciſcuntur electores, quid prohibet, quo minus per conventionem illa imperatori contuliſſe, hæc ſibi retinuiſſe recte dicantur? Verum nolo hic longior eſſe. Satisfeci jam Lampadio *in annot. ad d. §. 12.* Idemque Lampadii argumentum refellit celeberrimus *Strauchius diſſert. exot. 4. theſ. 27.* (d)

XXII. DATA nunc definitione capitulationis & confirmato ejus genere, cætera etiam ſunt aſſumenda. Ubi primum ſe offerunt ii, qui capitulationis articulos regi electo præſcribere ſolent, quos

ac ſi per electionem imperium in electum transferatur, & in capitulatione non niſi de modo exercendi majeſtatem, agatur, quod infra refutabitur. Id autem, quod in capitulationibus legitur, *aus freyen gnädigen Willen*, nihil aliud ſignificat, quam imperatorem non coacte conditionibus pacti, ſub quibus regnum ei delatum eſt, ſubſcripſiſſe. Liberum enim eſt electo & deſignato imperatori, conditiones acceptare aut imperium ei ſub illis deferendum ſpernere. Hoc obtinuiſſet, ſi Leopoldus, cui capitulationis, quæ ipſi Francofurti exhibebatur, capita libertati regnandi arctos nimis ponere videbantur fines, cuncta in Germania juxta reipublicæ noſtræ indolem regendi onus deprecatus eſſet. Vid. RACHELIVS *de capitulat. c. 1. §. 8.* Imo verba ipſius capitulationis, quæ ab auctore citantur, omne hic tollunt dubium. HENNIGES *l. c. p.* 12. 13. Quæ autem LYNCKERVS de conſtitutione perſonalium jurium inter volentes, ſponſalibus in matrimoniis promiſſionibus extra res promercales adfert, huc non quadrant, aut expreſſam vel tacitam conventionem directe aut indirecte involvunt. Neque dubium habet, conventioem conſiſtere in ipſo actu promiſſionis, quando electus, ſe capitulationis puncta ſervaturum eſſe pollicetur. Nec obſtat, quod capita electionis jam tum certo conſtituta ſint, atque ſic non ex diverſis animi motibus coëant. Nam non requiritur ad naturam conventionum, ut paciſcentes ex diverſis animi motibus coëant: deinde dici poteſt, omnino antequam capitulatio ab electo acceptetur, diverſos adeſſe animi motus eligentium & electi. Nam illi de libertate & juribus ordinum imperii ſunt ſolliciti, electus autem in votis habet, ne limites potentiæ ſuæ minis coanguſtentur. Porro vacillat quoque ejus objectio, quod objectum capitulationis conventionale non ſit, neque ſponſio illa effectum ſimilem illis, qui ex conventione oritur, pariat, quoniam cæſar nulli, niſi ſoli Deo, rationem reddit, niſi ſponſionem ſervaverit. Etenim hoc non tam ex natura rei, quam ex neceſſitate imperii ad evitandum majus malum certo reſpectu fieri, infra docebitur. Quod autem Conringius regem deſignatum dicat, & capitulationis articulos *conditiones* appellet, itidem in eo Lynckerus reprehendit. Sed hic falſæ ſuæ indulget hypotheſi, quod a capitulationis acceptatione non cæſaris majeſtas, aut etiam ejus exercitium, ſed tantum modus exercitii dependeat.

(a) *Regula*) Per normam ſeu regulam capitulationem definiri poſſe, LIMNÆVS arbitratur: quod tamen notante auctore noſtro minus accurate fit. Nam non in norma, ſed in pacto forma negotii conſiſtit, & quod capitulatio futuri regiminis norma ſit, illud non ad ejus rationem formalem, ſed finem ſpectat. Vid. LYNCKER *l. c. p.* 6.

(b) *Legem*) Capitulationem per legem proprie dictam definiri non poſſe, iis facile conſtabit, quibus non ignotum eſt, legem eſſe præceptum ſuperioris in inferiorem, ut ſecundum ſuum placitum actiones inſtituas. Aberrat itaque TABOR, qui capitulationem legem publicam eſſe dicit. Videtur tamen hic excuſari poſſe, quod reſpexerit ad *lib. 1. & 2. ff. de legibus*, ubi lex reipublicæ ſponſio dicitur. Jungendus Tabori eſt Bœclerus, qui capitulationem vocat ſanctionem pragmaticam, quæ ſi in ſtrictiori ſignificatu, quatenus eſt ſpecies legis proprie dictæ, accipitur, ad capitulationem non quadrat. Vide LYNCKERVM *p.* 6. Putarem tamen, hanc appellationem quoad effectum capitulationis admitti poſſe.

(c) *Lampadius*) Hunc quoque refutat LYNCKERVS *l. c. p.* 7. & 8. & SCHWEDERVS *parte generali c. 2. §.* 12.

(d) *Strauchius diſſert. exot. 4. theſ. 24.*) Ubi ad Lampadii argumentum reſpondet, ita tamen, ut ipſum non nominet. Reſponſio autem STRAVCHII in eo conſiſtit, quod diſtinguat inter *indebitum negative & privative* tale; concedit namque propoſitionem hanc, ubi de re non debita non transferenda agatur, ibi non eſſe conventionem, de indebito negative, ubi plane nihil agitur, verum eſſe: non autem de indebito privative tali, ubi agitur de eo, quid quantumve eſſe debeat indebitum, quod in capitulatione locum habet. Deinde etiam diſtingui poteſt inter pacta de dando & de faciendo; de prioribus certo reſpectu vera eſt allegata propoſitio, non autem de poſterioribus. Vid. SCHWEDER *l. c.* Lynckero in Strauchio diſplicet, quod Lampadio concedat, electores majeſtatis partem ſibi & populo ſervare. De hoc alibi agitur.

quos modo loquendi philoſophico cauſæ efficientis nomine complecti poſſumus. Præſcribunt autem hodie *electores ſeptem*, (a) Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Bavarus, Saxo, Brandenburgicus & Palatinus, uti ex ipſa Leopoldina capitulatione apparet: poſtquam ſc. vi nuperrimæ pacificationis Oſnabrugo-Monaſterienſis octavus elector *contra bulla aurea diſpoſitionem* (b) admiſſus & conſtitutus fuit. Antehac reliqui tantum ſex excluſo Bavaro jus illud exercuere. Quod ſi aliquis electorum ipſe non ſit præſens, legatus ejus cum omnimoda & *ſufficiente poteſtate* (c) inſtructus, uti electionis, ita etiam hunc capitulationis actum cum reliquis peragit. Sicut vero in eligendo ſuffragium & votum ſuum amittit, ſi vel ipſe vel per legatum non compareat, ita in hoc quoque actu, ſi idem contingat, voto carebit. *A. B. §. Princeps vero.* *Regis Bohemiæ in præſcribenda* (d) capitulatione nullæ ſunt partes, id quod ex iis, quotquot habemus, capitulationibus ſatis apparet: in quibus de rege Bohemiæ altum ſemper ſilentium. Licet enim is jam a ſeculo XI. inter alios imperii principes continua poſſeſſione jus eligendi exercuerit (uti prolixe perſequitur Goldaſtus *de regno Bohem. lib. 3. c. 6. p.* 300.) & in ipſa aurea bulla confirmatum id habeat, imo olim etiam ad conventus imperii, perinde ac reliqui principes, fuerit vocatus, ut oſtendo *exercit. de comitiis imperii th. 17.* & ex A. B. *tit. 4.* votum & ſeſſionem affectet, *non tamen hodie ad comitia* (e) ſive univerſalia ſive particularia electorum (ſi excipias conventum electoralem, qui vocatur *Wahltag*, in quo hodieque votum habet) citatur. *Rec. imp. de anno* 1551. *§. Ferner haben wir 51. & ſeqq.* quo facit reſponſum Ferdinandi I. regis adhuc Bohemiæ ad Carolum V. anno 1548. datum: *Zudem daß ein Kœnig in Bœhmen zu einem Reichstage nicht beſchrieben würde, noch weder Standt noch Stimme im Reichs-Raht hatte.* Recitat hoc Arumæus *de comit. tract. cap. 4. n. 58.* Poſtquam ſcilicet rex Bohemiæ a collegio electorali anno 1486. fuit excluſus, eo, quod *Uladislaus natione Polonus* (f) abſque cæſaris autoritate rex Bohemiæ aſſumtus eſſet. Carpzov. *de l. reg. cap. 5. ſect. 0.* Quanquam Goldaſtus *lib. de regno Bohem.* teſtetur, Ferdinandum regem Bohemiæ a fratre Carolo V. *ad comitia Wormatienſia* (g) vocatum comparuiſſe. Illud notari meretur, quod in hodierno ordinum conventu, cum capitulationis materia in collegio electorum verſaretur, rex Bohemiæ ad conſultationes admitti voluerit jure ſuffragii ex aurea bulla ſibi competentis, id vero eidem ab electoribus fuerit denegatum, ut refert autor *eminoſ. rerum ſer. in præſ. comit. geſtarum. p. 51. & 52.*

XXIII.

(a) *Electores ſeptem*) Hodie, poſtquam domui Brunſuicenſi per ERNESTVM AVGVSTVM electoralis illata eſt dignitas, & poſt readmiſſionem, ut dicunt, Bohemicam, IX. electores capitulationem præſcribunt. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 838. 839.

(b) *Contra bullæ aureæ diſpoſitionem*) Dubium tamen non eſt, quin aureæ bullæ capita ab imperatore & imperio mutari, imo abrogari poſſint. SCHWEDER *parte generali c. 2. §. 8.* CARPZOV. *ad legem regiam c. 8. ſect. 3.* STRAVCH. *diſput. exot. 4. theſi 14.* RVMELINVS *ad A. B. p.* 21. 22.

(c) *Sufficiente poteſtate*) *Aurea bulla capite 1. §. 23.*

(d) *Regis Bohemiæ in præſcribenda*) Controverſia erat, an Bohemus ad conficiendam capitulationem admitti debuerat. Vid. HENNIGES *meditat. ad capitulat. Joſephi, ſectione 2. §. 5.* ubi utriusque ſententiæ patroni enarrantur. Sed quomodocunque hæc res in puncto juris ſe habeat; id tamen certum, quoad praxin, negativam ſententiam fuiſſe veriorem. Etenim cum Matthias anno 1612. ut Bohemiæ rex ad capitulationis negotium admitti vellet, voti compos factus non eſt, provocabantque ceteri electores tam ad obſervantiam, quam ad transactionem de anno 1562. Conf. MVLDNER *in append. capitulationis harmonicæ p.* 20. LYNCKER *l. c. p.* 18. ſq. PFEFFINGER *tom. 1. p.* 839. Sic & Leopoldus cum anno 1658. Francofurti, ubi de ejus electione agebatur, capitulationis pertractationi adeſſe geſtiret, eadem cum Matthia expertus eſt fata, nec meliora habuit, cum anno 1663. conſultationibus ſuper capitulatione perpetua intereſſe vellet. Conf. HENNIGES *l. c. p.* 17. RACHELIVS *de comitiis electoralibus theſi 4.* Quod autem ad conventus electioni deſtinatos attinet, ad eos Bohemum vocatum, eique in oblatione capitulationis cæſari facta, & actu recipiendæ promiſſionis partes fuiſſe, ſatis conſtat. GOLDAST. *de regno Bohemiæ lib. 4. c. 6.* Itaque cum Vladislaus in electione Maximiliani I. ſe neglectum eſſe indigne ferret, cautum eſt, fore, ut electores 500. marcis mulctarentur, ſi impoſterum Bohemiæ rex in imperatoris electione omitteretur. Nonnunquam tamen electorum quoque conventus a Bohemiæ regibus neglecti ſunt. HERTIVS *de renovato nexu ſect. 3. §. 4.* Leopoldo ut Bohemiæ regi & electori anno 1658. capitulatio quatuor ante electionem diebus perlegenda data eſt. In electione Joſephi ſingulare quid obſervavit MVLDNERVS *in præfatione capitulationis harmonicæ*, ejus nempe legatum regni Bohemici nomine miſſum biduo ante electionem recepiſſe capitulationem, ſcilicet die XXI. Jan. 1690. eamque non ut alias ſolitum, in conclavi huic rei deſtinato perlegiſſe, ſed ſecum domum abduxiſſe, & cum imperatore de ea conſultaſſe. Inſequenti vero die eam in concilium electorale retuliſſe. De quibus cum abſente Bohemo, in dicto collegio deliberatum, nonnulla capitulationi inſerta eſſe conſtat. Quo facto iterum die XXIV. Januarii dicta capitulatio legato Bohemo, ut eam relegeret, oblata fuit, tandemque electionis negotium ſuſceptum. Quædam monita a legato Bohemo tunc temporis communicata, ex Muldenero, refert PFEFFINGER *l. c. p.* 840. Notandum quoque, quod in Joſephina capitulatione Bohemi mentio injiciatur. Hodie poſtquam Bohemus omnium jurium, quibus reliqui electores gaudent, particeps factus eſt, quid hic ſubeſſe poſſet dubii, ceſſat. Vide acta publica in FABRI *Staats-Cantzeley.* Quid multo ante Matthiæ, ad deliberationem ſuper capitulatione admitti volenti, a collegio electorali reſponſum ſit, docet LYNCKER *l. c. p.* 19.

(e) *Non tamen hodie ad comitia*) Hodie ex poſtliminio quaſi ad omnia vocatur comitia tam univerſalia, quam particularia. *Electa juris publici tit. 2. p. 13.* FABRI *Staats-Cantzley tomo 13. p.* 413.

(f) *Uladislaus natione Polonus*) Reges Bohemiæ jam tum olim ad comitia vocatos eſſe, multis exemplis comprobatur. Gaviſi autem ſunt privilegio non comparendi in comitiis, niſi in locis Bohemiæ vicinis, quales ſunt Noriberga, Bamberga & Merſeburgum. LONDORP. *tom. 4. actor. publicor.* GOLDAST. *de regno Bohemiæ lib. 4. cap. 4. 5.* AVCTOR *noſter de comitiis imperii theſi* 17. CARPZOV. *de lege regia Germanorum ſect. 8. n. 7. ſqq. ſect. 9. n. 4.* HORNII *programma*, ad hanc rem pertinens, quod citat HENNIGES *l. c. p.* 19. LVDWIG *de jure ſuffragii regis Bohemiæ cap. 2.* Sed poſt Caroli IV. tempora rarius in comitiis comparuerunt, quoniam aut non vocati, aut ab electoribus ceterisque ordinibus non admiſſi fuerint. Variæ hujus rei aſſignantur cauſſæ, inter quas principes ſunt Wenceslai exauctoratio, bella Huſſitica & peregrini ex Polonia reges. GOLDASTVS *de regno Bohemiæ lib. 4. p.* 581. HERTIVS in diſſertatione *de renovato Romano-Germanici imperii & regni Bohemiæ nexu ſect. 3. §. 3.*

(g) *Ad comitia Wormatienſia*) Evocavit quoque ipſum ad comitia, Auguſtam indicta. GOLDAST. *de regno Bohemiæ lib. 4. c. 5.* & dn. SCHMINCK, *in notis.* LYNCKER *in doctrina communi de capitulat. p.* 22.

XXIII. Contendunt quidem pontifices Romani ſibi jus eſſe reges & principes conſtituendi & eosdem deponendi, *idque jure divino* (a) ſibi datum impia temeritate aſſeverant. Et ex hoc principio Gregorius VII. & qui eum ſecuti ſunt papæ, idem quoque in reges noſtros Germaniæ & imperatores exercere ſunt conati. Quanquam aliis, quoad noſtros reges, utantur prætextibus, videlicet, donatam ſibi eſſe a Conſtantino M. urbem & totius Italiæ cæſareum dominium. Item: ſibi competere jus coronandi imperatorem. Nituntur præterea privilegiis cæſarum quorundam Germanicorum, autoritate juris canonici, & diuturna hujus prætenſi juris poſſeſſione. Verum enimvero in jure divino nulla poteſtas temporalis data eſt pontifici. Conſtantinanæ donationis ante Gregorium VII. vix unus & alter fecit mentionem; eamque commentitiam eſſe ipſa jam curia Romana agnoſcit & Baronius *tom. XII. annal.* fatetur. Coronatio nudus ritus eſt & ceremonia, quæ reapſe nil poteſtatis imperatori confert. Privilegia imperatorum loquuntur de rebus quibusdam donatis, non autem de ſummo quodam imperio papis collato, imo plurima ex parte ſunt conficta. Per jus canonicum tanquam propria decreta nihil poſſunt probare pontifices. Poſſeſſio denique eſt prætextus a Paulo III. primum inventus, vitioſa inſuper nec continua nec quieta. Ut adeo hæc omnia longe ſint infirmiora, quam ut tantam ſuperſtructam monarchiam ſuſtinere poſſint. Prolixius hæc perſequor *lib. de Germ. imp. Rom. cap. fin.* Omnium minime autem ex his fundamentis papæ ſibi arrogare poſſunt jus aliquod eligendi ſive conſtituendi regis Germaniæ, vel quicquam aliud in regno Germaniæ agendi. Licet enim papa Romanus cum aliis civibus Romanis quondam eligendi cæſaris poteſtatem habuerit, Carolum quoque M. & poſt Ottonem elegerit: attamen in regis Germaniæ electione nihil unquam habuit juris, quia tempore Ottonum etiam cæſarum electionem in liberum Germaniæ procerum arbitrium transtulit. Vide *cap. 10. lib. ſupr. alleg.* Mirari igitur merito ſubeat, eo arrogantiæ proceſſiſſe Paulum IV. & Gregorium XV. ut ille voluerit in ſuas manus reſignari a Carolo V. imperium, hic vero præſumſerit electoralem dignitatem Bavaro a Ferdinando II. imperatore collatam confirmare. Vid. *c. 12. de Germ. imp. Rom.*

XXIV. Antequam vero jus eligendi regem Germaniæ ad paucos illos principes, quos electores vocamus, pertinere cœpit, ab ordinibus *& omni populo* (b) in plenis comitiis rex fuit electus, uti docui *exercit. de negot. convent. imp. th. 30.* poſtquam ſcilicet diſperſæ per Germaniam reſpublicæ felicibus Francorum armis in unam coaluere; quod vix ante hoſce 800. annos imperante Carolo M. factum eſt. Ab omni vero retro memoria illos, qui jus eligendi regem habuerunt in Germania, electo etiam conditiones & articulos, ſub quibus imperium habere deberet, propoſuiſſe, non eſt dubium. Lehm. *chron. Spir. lib. 2. c. 4.* Ab eo vero tempore, quo ſoli officiales imperii facultate eligendi regem polluere, eodem jure poteſtatem de omni omnino electionis ritu & modo conſtituendi ad ſe ſolos pertinere crediderunt. Inde etiam excluſis ſenſim reliquis ordinibus ſoli cum electo rege de certis articulis pepigere, & hoc jus per aliquot ſecula, cæteris ſtatibus incuria vel imprudentia conniventibus, exercuerunt, donec tandem reliqui principes ordinesque, quamvis ſero admodum, animadverterunt, hoc ipſo autoritatem electorum extendi, ſuis contra juribus detrahi eſſeque periculum, ne ipſe ſtatus mutaretur & quicquid is haberet Ariſtocratici in Oligarchiam paulatim degeneraret. Ideoque *mortuo Rudolpho II.* (c) quidam principes convenere deliberandi cauſa, de jure præſcribendi imperatori capitulationem: an ſolis electoribus id uſurpare liceat inconſultis reliquis, quoniam ſuperioribus temporibus pacta communi conſenſu eſſent conſtituta. Et judicatum ab iis tum fuit, electores qui vocantur, in tractandis imperii negotiis juſto longius progredi, & conari facultatem ad electionem reſtrictam ad alia extendere, quod refert Londorpius *tom. II. act. publ. lib. 3. tr. 2. p. 639.* Conf. Limnæus *tom. I. jur. publ. addit. ad lib. 1. p. 277.* Res tamen tunc temporis *nec conjunctis ſuffragiis*, (d) nec ea, qua par erat, ſeveritate fuit acta, *ita ut effectu caruerit.* (e) Limn. *in proleg. ad capit. ſect. 4. n. 2. & 5.* Cum vero *pacis negotia Oſnabrugæ* (f) tractarentur, ordines non ſolum ſed

(a) *Idque jure divino*) Nos vanam papæ, qua hanc ſibi arrogat facultatem, alibi contudimus jactantiam. Conf. HOBBESII *Leviathan c. 42. p. 260. ſeqq. Hiſtoire de la reformation d'Angleterre par BURNET tom. 1. p.* 318. ſq.

(b) *Et omni populo*) WIPPO *in vita Conradi Salici p.* 425. tradit, in ejus electionem *Francos, Lotharingos, Saxones, Noricos, Alemannos conſenſiſſe.* Non quidem gentes illæ per ſingula comparebant capita, ſed per principes ſeculares & eccleſiaſticos, quibus ſe jungebant urbium & villarum magiſtratus: quanquam hi in electione partes habere pedetentim deſierunt. Electio plerumque in terra Rhenenſi conſidentibus principibus & circumſtante populo fiebat. STRUVIUS *in jure publico diſſ. VII. §. 6. p.* 110. ſqq.

(c) *Mortuo Rudolpho II.*) Imperante Matthia lites inter electores & alios imperii proceres de capitulationis negotio ſeri cœperunt. Contendebant enim principes, in conſcribenda capitulatione, utpote lege imperii fundamentali & ſibi partes eſſe debere. Electores contra ad jus eligendi privativum, cujus membrum capitulatio eſſet, ſibi in aurea bulla confirmatum, & ad præſcriptionem immemorialem provocabant. KULPIS *ad Monzambano cap. 5. §. 2.* PFEFFINGER *tom. 1. p.* 840. HIPPOLITHUS a LAPIDE *P. 1. c. 15. ſect.* 1. FÜRSTNERIUS *de jure ſupremanus c.* 38.

(d) *Nec conjunctis ſuffragiis*) Impingit itaque STAMLERUS *de reſervatis §.* 17. qui omnium imperii ordinum ſuffragia in hoc placiti coaluiſſe adfirmat: notatur obinde a LIMNÆO *tom. 2. addit. ad lib.* 1. *J. P. c.* 12. Imo quæ juri electorum obmovebantur dubia, nunquam publica facta, ſed ex privatis deſumta erant litteris. KULPIS *l. c.*

(e) *Ita ut effectu caruerit*) HENNIGES *ad capitulat. Joſephi p.* 21. RACHELII *diſſert. de capitulat. c.* 3. §. 11.

(f) *Pacis negotia Oſnabrugæ*) Recruduerunt hæ lites Ferdinandi II. tempore, quem majora & libertati Germanicæ adverſa moliri principes eo minus dubitabant, quo magis ipſum intimiori plerorumque electorum, everſo Palatino, frui amicitia, cognitum habere credebant. LYNCKER *l. c. p.* 18. Celeberr. WILDVOGEL *de capitulat. perpetua p.* 60. Atque ſuſpicio eorum ex eo augebatur, quod imperator non comitia, ſed tantum conventus convocaret electorales. Delata poſtmodum res eſt ad pacis tractatus, qui in Weſtphalia habebantur: verum ex iis, licet Sueci principum voto admodum faverent, ad proxima remiſſa eſt comitia. LONDORP. *tom. 5. lib* 11. *c.* 115.

ſed & vicini reges proſpicientes, hanc rem pacem turb[illegible]diſſolvendæ toti reipublicæ idoneam eſſe, prudenter caverunt, ut in proximis comitiis de ce[illegible]ſtanti & communi capitulatione ſtatuum conſenſu ſtatuatur. *Inſtr. pac. art. 8. §. Gaudeant 2. & Habeantur 3.*

XXV. Statim circa primordia igitur comitiorum *anno* 1653. (a) quæſtio illa de confectione capitulationis in principum ſenatu denuo fuit agitata. Electores ad electionem novi regis feſtinantes conqueſti ſunt, autoritatem ſuam & quam præ cæteris ſtatibus eminentiam haberent invadi, jura in aurea bulla ſibi conceſſa, per multa ſecula ſine contradictione uſurpata, & noviſſimo inſtrumento pacis *art. 5. §. 1.* confirmata ſollicitari. Principes contra urſere: Capitulationis negotium ante electionem regis cum aliis extraordinariis deliberationibus ſuſcipiendum; & negarunt electoribus ſolis vel de jure vel de conſuetudine competere jus legis univerſalis ſanciendæ; Auream bullam ſtricte eſſe interpretandam, nec extendendam ad non expreſſa; nudæ electionis, non capitulationis in ea fieri mentionem; Ipſum inſtrumentum pacis capitulationis materiam tanquam rem controverſam & hactenus non deciſam ad futura remittere comitia; Et quæ plura ſuam in rem quæque pars tum temporis protulere. Tandem electores faſſi quidem ſunt, capitulationis cauſam eſſe indeciſam & ad comitia pertinere; nihilo tamen minus principibus fruſtra renitentibus ſtrenue ad electionem progreſſi, ne principes eandem impeditam redderent, Ratisbona Auguſtam Vindelicorum ſeceſſerunt. Antea vero principibus per literas indicarunt, ſe non refragari, quo minus, ſi quæ haberent monenda circa capitulationem, proponerent, nec ſeſe monita illa neglecturos, ſic ubi conſtitutionibus imperii & conſuetudini conformia fuerint inventa.

XXVI. Principes & ſtatus hanc electorum oblationem ceu ultimum remedium cum hac conditione, ut monita cum pleno jure ſuffragii fierent, acceptarunt, ipſaque congeſta miſſis ex ordine ſuo quatuor, quos deputatos vocabant, electorali collegio *exhiberi curarunt*. (b) Quæ tamen non niſi ita obſervata fuerunt, ut gravioribus omiſſis leviorum duntaxat habita fuerit ratio. Hinc principes ad veteres rediere inſtantias, capitulationis tractationem ob inſtrumenti pacis præceptum & vim propoſitionis cæſareæ omnibus præferendo. Nec levis ſpes affulſit, fore, ut tandem res diu agitata felici ſucceſſu decideretur. Sed novæ iterum diſſenſiones inter ipſos principes circa modum tractandi enatæ, dum directorium Auſtriacum per modum præcepti magis, quam ſuffragii deliberationem videretur inſtituere, acriterque ſeſe opponeret illis, qui ſecundum plura vota rem per deputatos ſuſcipiendam eſſe contendebant. Autor *der Grundfeſte des Heil. Ræmiſchen Reichs part. 2. cap. 5. p. 122. & ſeqq.* Has inter colliſiones eo tandem perventum eſt, ut capitulationis negotium jam olim ad comitia remiſſum *iterum ad prorogata* (c) comitia rejiceretur.

XXVII. Quoniam vero hæc comitia Ferdinandi utriusque Auguſtorum cæſarum obitus prævertit, indeque novi eligendi imperatoris neceſſitas emerſit, idem quod in Auguſtano electorum conventu, in electione quoque moderni imperatoris, invictiſſimi Leopoldi contigit. Principes quippe & ſtatus ſua ad capitulationem monita electoribus Francofurti electionis ergo anno 1658. congregatis exhibuere. (Monita autem illa ſunt inſerta *libro ſupra laudato Grundfeſte des heiligen Ræm. Reichs parte 3. cap. 208. & ſeqq.*) At vero electores (uti principes quidem ſunt conqueſti) in concipienda capitulatione ea plurima ex parte non ſolum poſthabuere, ſed etiam majori quam unquam antehac licentia, contraria plane & principibus & ſtatibus maxime damnoſa conſtituere. Quo factum, ut illi huic monitorum ſuorum præteritioni omnibusque quæ ſibi nocere poſſe viſum fuit, *contradixerint*; (d) Capitulationem ipſam, non niſi in quantum monitis ſuis & inſtrumento pacis eſſet conformis, pro lege publica habuerint, & jura ſua ratione quidem perpetuæ capitulationis, proteſtando ſibi reſervarint. Inde vero evenit, ut ipſum capitulationis negotium ad ea, quæ hodienum durant comitia fuerit dilatum. Proteſtatio illa principum legi poteſt *in libro Grundfeſte &c. p. 256.*

XXIIX. Et hæc quidem fuere infelicia ardui illius negotii fata ſuperioribus temporibus. Haud meliori vero ſucceſſu idem ille capitulationis punctus in modernis comitiis fuit agitatus. Longum foret recenſere, quot vicibus deliberationes ſuper hac materia fuerint interruptæ & revocatæ, quotque diſſenſionum ſcopulis impeditæ. Sufficiet nobis præcipua tantum indicaſſe. Initia ſua capi-

---

c. 115. PUFENDORF. *rerum Suecicarum lib. 18. §. 3. & 71.* PFANNERI *hiſtoria pacis Weſtphalicæ lib. 3. p. 35.*

(a) *Anno 1653.*) Actum quoque fuit de hac materia antea in conventu circulari Luneburgenſi. LONDORP. *tom. 6. actor. publicor. lib. 4. cap.* 188. THEATRUM EUROPÆUM *tom. 7. p.* 306. Cum autem res in comitiis pertractari cœpit, electores contenderunt, inſtrumenti pacis non eam eſſe mentem, ut in partem capitulationis conficiendæ venirent principes, ſed ut tantum in comitiis deliberaretur, quomodo jura communia ſtabiliri & levatis gravaminibus a principibus factis, capitulationi in perpetuum inſeri poſſent. E contrario principes aſſerebant, in pacis inſtrumento conſtitutum eſſe, ut perpetua capitulatio eodem modo, ac aliæ leges fundamentales, in comitiis fieret.

(b) *Exhiberi curarunt*) Monita ad Ferdinandi IV. capitulationem refert LONDORP. *tom. 6. lib. 5. c.* 70. & HAGEN *in comitiologia Ratisbonenſi P. 4. p.* 315. 336.

(c) *Iterum ad prorogata*) PUFFENDORF *rer. Brandenburg. lib. 4. §.* 38. 40. BALTHAS. VENATOR *ominoſa rerum ſerie P. 1. §.* 6. PFANNER *lib. 6. §. 54. ſq.* HENNIGES *l. c. p.* 22. WILDVOGEL *l. c. p.* 61. REC. IMPERII *de anno* 1654. §. 191. LONDORP. *tom. 6. lib. 5. p.* 919. ſq.

(d) *Contradixerint*) Tenorem proteſtationis, quam principes interpoſuerunt, quod ſuæ proteſtationis habita non fuerit ratio, vide *in der Grundveſte* p. 229. Etenim declarabant principes, juribus ſuis nequaquam ſatis cautum eſſe, quod in Leopoldi æque ac Ferdinandi IV. capitulationibus reperiretur, cum imperatore principum & ſtatuum quoque nomine pactum eſſe, ſeſeque capitulationem pro lege publica non habere, niſi quatenus cum monitis ſuis, inſtrumento pacis & ceteris imperii conſtitutionibus conveniret. *HENNIGES l. c. p. 23. RACHELIUS de capitulatione c. 3. §. 5. & de comit. elect. theſ. 41. ſeqq.*

entibus hiſce comitiis *anno 1663.* (a) Ratisbonæ poſt conſultationes de bello Turcico & ſuppetiis imperialibus, ad capitulationem progredi cœptum eſt; pari, ut videbatur quidem, & electorum & principum fervore. Concepere electores perpetuæ capitulationis formulam, conceptamque principibus & ſtatibus ſub finem menſis Aprilis anno 64. tradidere; ubi poſt multas circa modum tractandi altercationes tandem poſthabitis & præliminaribus, quæ vocant, & ipſis articulis, diu circa epilogum hæſitatum eſt. Sed & hoc ad amicabilem compoſitionem remiſſo, ad rem ipſam ſunt electores principesque progreſſi, diuque & multum inter ſe luctati. Non tamen ita eluctari potuerunt, quin in eundem ſcopulum epilogi ſubinde impingerent. Bonis vero auſpiciis tractatus progrediebantur, præcipuæ controverſiæ circa ipſos capitulationis articulos jam erant ſuperatæ, idque agebatur, ut formula capitulationis imperatori exhiberetur; atque ecce, novæ controverſiæ circa epilogum, rem jam per integrum ſexennium verſatam, injectæ ſunt. Alius ſcilicet placebat principibus, alius electoribꝰ, alius imperatori: & convenire inter ipſos non poterat. Cæterum eas diſſenſiones aliæ de imperii rebus conſultationes diremere. Poſt varia autem conciliationum tentamina res tandem eo rediit, ut, compoſito circa epilogum diſſidio, unanimi cæſaris electorum & principum conſenſu in ſenatum capitulatio introduceretur. Ibi vero omnibus iterum probe perpenſis, communique nomine approbatis, tandem in ſyſtema redactis, nihil ſupereſſe videbatur, quam ut ea electoribus ederentur. Sed aliud erat in fatis. Affectum nimirum debuit eſſe hoc opus, non perfectum. Tres ſcilicet electores, quos pœnitentia forte ſubierat, conventis ſtare dubitarunt. Controverſia fuerat quondam de epilogo, nunc nec *prologus*, *nec epilogus* (b) placent. Hunc principes mordicus tenent, electores contra ſublatum, & illum mutatum voluerunt. Alium vero prologum ſeu capitulationis prooemium exhibuerunt electores, alium principes. Hi conſtantem & perpetuam capitulationem loquuntur communemque ſtatuum conſenſum jactitarunt: quæ illi omnia reſpuerunt.

XXIX. Nonus jam agebatur comitiorum annus, cum electores principum pertinaciæ in reti-

(a) *Anno 1663.*) Quæ hoc & ſequentibus annis in capitulationis perpetuæ negotio acta ſunt, dn. PFEFFINGER allatis actis publicis maximam partem ex LONDORPII tom. 8. deſumtis late refert. Add. *HENNIGES l. c. p.* 23. 24. *FRITSCH. ad Limnæum lib.* 1. *c.* 12. *MVLZIVS in repræſentat. majeſtatis imperii P. I. c.* 12. *§.* 12. *WILDVOGEL de capitulat. perpetua p.* 61. ſqq.

(b) *Prologus*, *nec epilogus*) Volebant electores, jus capitulandi, quod auctor noſter in §. ſequenti explicat, ſibi reſervari. Sed hoc admiſſo principes rebantur, omnia facile ſubverti poſſe, ideoque ei ſubſcribere noluerunt. Formulam, quam electores ſibi propoſitam habebant, refert FRITSCH. *in annotat. ad Joſephi capitulat. p.* 71. Adde LYNCKERVM *l. c. p.* 27. Operæ pretium erit, addere hic prologi & epilogi formulas, quæ in comitiis in proſcenium productæ ſunt. Qui anno 1664. apparuit prologus, hic erat: Demnach auch bey dieſen Reichs-Tag, nach Anleitung des Munſter - und Oſnabrückiſchen Frieden - Schluſſes, von einer künftigen gewiſſen und beſtændigen *capitulation*-Handlung vorgefallen, ſo iſt ſelbige vom Churfurſtl. *collegio* abgefaſſet, und mit geſambter Fürſten und Stænde Einwilligung, in dieſen Reichs- Abſchiedt gebracht worden, wie folget:

Epilogus in ſequentibus continebatur: Dieſemnach hat das Churfürſtl. *collegium* ſich erklæhrt, auch obgeſetzte gewiſſe und beſtændige Kayſerl. *capitulation* bey allen künftigen Wahlen, ſie geſchehen zu Lebzeiten, oder nach Abſterben eines Rœm. Kayſers, den *eligendum* wie auch auf dasjenige zu verpflichten, was alsdenn, wenn die Wahl-Fælle ſich zutragen, zu thun; überdaſs, ſo in dieſer *capitulation* enthalten, nach geſtalten Sachen, Zeiten und *eligendi* Zuſtandt, das Chur-Fürſtl. *collegium*, dem heiligen Rœmiſchen Reich teutſcher *nation*, geſambten Chur-Fürſten, Fürſten und Stænden, und dem gemeinen Weſen nützlich, alſo ferner zu *practiciren* und *capituliren*, nohtwendig befunden würde, jedoch der güldenen Bulle, dem Friedens-Schluſs, denen *juribus ſtatuum*, gegenwærtiger beſtændiger *capitulation*, und denen jetzigen und künftigen Reichs-*conſtitution*en unabbrüchig; ſo viel aber diejenige *capitulation*, worauf jetztregierende Kayſerl. Maj. bey der zu Franckfurt vorgefallenen Wahl verpflichtet worden, anlangen thut, dabey werden dieſelbe auſſer dem, was in dieſer *capitulation* in einem und andern *articul* geændert, und von neuen *conſtituirt* gelaſſen; auf welche Aenderung und neue *conſtitutiones* denn zugleich allerhœchſt-gedachte Kayſerl. Maj. in Ihrer Kayſerl. Regierung das Abſehen zu nehmen verſprochen haben, dabey es aber in alle Wege dieſen Verſtandt hat, daſs Ihro Kayſerl. Maj. zu demjenigen, was in beſagter dero Franckfurter Wahl-*capitulation* mehres, als in dieſer beſtændiger begriffen, und noch nicht vollzogen iſt, kraft dieſes darauf geleiſteten *juraments*, unverænderlich verbunden ſeyn und verbleiben ſolle. &c.

Sub annum 1668. hic ex ſecularium principum mente conſcriptus lucem vidit epilogus: Dieſemnach ſoll das Chur-Fürſtl. *collegium* auf obgeſetzte gewiſſe und beſtændige Kayſerl. *capitulation* bey allen künftigen Wahlen, ſie geſchehen zu Lebzeiten, oder nach Abſterben eines Rœmiſchen Kayſers, ohne weitern Zuſatz, Abnahme oder Aenderung, den *eligendum* verpflichten; daferne aber bey einen und andern zutragenden Wahl-Fællen ein ſolcher *caſus*, der nicht albereit in dieſer *capitulation* begriffen, ſich ereignete, und dahero eine unvermeidentliche Nohtdurft ſeyn würde, den *eligendum*, jedoch den weſtphæliſchen Frieden-Schluſs, der geſambten Stænde *juribus*, und jetzigen und künftigen Reichs-*conſtitutionibus* gantz unabbrüchig, noch weiter zu des Reiches Beſten und Wohlfart zu verbinden, ſo ſolle er auch dazu *obligirt* verbleiben; es würde denn bey nechſt-folgenden Reichs-Tage *communi ſtatuum conſenſu* ein anders *ſtatuirt* und beſchloſſen. Zu welchem Ende denn dasjenige, wozu der *electus* òbverſtandener maſſen von dem Chur-Fürſtl. *collegio* ferners verpflichtet worden, auf beſagter næchſter Reichs-Verſammlung, ſo in dem erſten Iahre nach ſolcher vorgegangenen Wahl ohnfehlbar auszuſchreiben, denen Stænden vor allen andern Materien *proponirt* und von ihnen *reſolvirt* werden ſolle.

Anno autem 1671. electorales principum legatis novam prologi propoſuerunt formulam, quæ hoc modo ſe habet: Als auch nach Anleitung des *inſtrumenti pacis* und jüngſten Reichs-Abſchieds, die Materie der Kayſerl. Wahl-*capitulation* vorgenommen und in Berahtſchlagung gezogen worden, hat man ſich verglichen, und entſchloſſen, daſs bey denen inskünftige vorgehenden Kayſerl. Wahlen neben andern auch nachfolgende Puncte zu beobachten, und jedesmahlen der *capitulation* einzuverleiben.

Hanc novi etiam eorundem inſecuta eſt epilogi formula, cujus verba hæc ſunt: Daferne aber bey vorgehender Wahl ein Chur-Fürſtl. *collegium* mit dem *eligendo* noch weiters zu *capituliren*, und denſelben in gemeinen Reichs-Geſchæften, oder andern die *communia ſtatuum* nicht betreffenden Sachen; jedoch der güldenen Bulle, den Münſter-oder Oſnabrückiſchen Frieden-Schluſs der geſamten Stænde *juribus*, gegenwærtiger beſtændiger *capitulation*, den Reichs-*conſtitutionen*, und was in obberührten Reichs-Geſchæften, mittelſt einer allgemeinen Reichs-Satzung ins künftige anders *ſtatuirt* und beſchloſſen werden mœchte, unabbrüchig zu des Reichs Wohlfahrt zu verbinden, vor nœhtig erachten würde, ſoll er dazu *obligirt* ſeyn und verbleiben.

retinendo epilogo concedere paululum arbitrati, novum epilogum conſtruerent, inque eo ſibi caverent, ut ipſis liberum ſit, ſiquidem ex re eſſe reipublicæ judicaverint, in negotiis communia imperii & ordinum non concernentibus, candidatum imperii *ulterius obligare*, (a) iſtaque obligatio etiam teneat, modo Aureæ Bullæ, inſtrumento pacis, capitulationi perpetuæ, legibusque imperii nil derogetur. Qui an a reliquis ordinibus ſit approbatus, ipſæque tandem de hac materie deliberationes *felicem finem fuerint ſortita*, (b) me latet, quandoquidem liber, cui hæc accepta fero, plura non habet. Eſt vero ille autoris *Anonymi* (c) titulumque præfert: *ominoſa rerum ſeries in præſentibus imperii comitiis geſtarum.* Qui conſuli poteſt ab eo, quem cura tangit, *plura de hac re ſciendi.* (d)

XXX. Res, ut ex dictis apparet, ſatis eſt anceps, dubia & intricata. Sua ſunt nempe obtenta jura electoribus, nec principes deſtituuntur ſuis: ut hic aliquid definire admodum fuerit difficile, & forte etiam minus decens. Certe non eſt noſtrum, nec loci hujus nec temporis. Non tamen peccabo fortaſſis, ſi ſumma ſaltim capita inter legendum obſervata deſignavero, ex quibus forte aliqua deciſio peti queat. Quum vero potius in diſceptationem veniat, quid uſus & obſervantia hactenus tulerint, quam quid in tali, qualis noſtra eſt, republica circa legem univerſalem condendam obtinere debeat, *primo* diſpiciendum fuerit, quinam ante conditam Auream Bullam articulos capitulationis electo regi dederint, num electores ſoli an ordines ſimul. *Deinde* an jus præſcribendi capitulationem individuo nexu cohæreat juri eligendi, idemque etiam velit Aurea Bulla, ſolis electoribus eligendi imperatoris copiam faciens. *Tertio*, an uſus & obſervantia, cum reliquorum ordinum conniventia conjuncta, ſufficiat ad inducendum Aureæ Bullæ ſenſum ea in parte, ubi expreſſis verbis nil fuit ſancitum. *Quarto*, an diuturna poſſeſſione electoribus jus ſit quæſitum, ipſaque poſſeſſio fuerit quieta, nec a principibus ſubinde interpellata. *Quinto*, num electores, ſi quod unquam habuere jus quæſitum, eidem hoc ipſo renunciarint, quod inſtrumento pacis inſeri paſſi ſunt, capitulationis negotium, tanquam rem controverſam, in proximis

(a) *Ulterius obligare*) Vid. HENNIGES. l. c. p. 24.

(b) *Felicem finem fuerint ſortita*) Conſentiebant tandem principes collegio electorali facultatem addendi perpetuæ capitulationi capita, quæ ſalus reipublicæ requireret, ſubjuncta tamen clauſula, additamenta illa non aliter valitura, niſi in proximis comitiis rata haberentur. Atque hoc temperamentum electoribus eo minus diſpliciturum principes ſperabant, quoniam ſuffragati eſſent, ut capitulatio in comitiis, in conſtantem redigeretur formam. Sed ſpes ipſos feſellit, & res indeciſa manſit. MULZIUS *l. c. p.* 186. VENATOR *P. I. §.* 66. HENNIGES *l. c.*

(c) *Anonymi*) Auctor libri eſt BALTHASAR VENATOR, ex quo Conringius ſua, quæ hic habet, maximam partem deſumſit.

(d) *Plura de hac re ſciendi*) Quæ in capitulationis perpetuæ negotio usque ad annum 1673. in comitiis acta ſunt, recenſet citatus BALTHAS. VENATOR nervoſe ſalisque mica adſperſa, ut loquitur HENNIGES. Poſtmodum vero inter materias deliberationum comitialium eſſe deſiit. Accidebat interim, Joſephum anno 1690. in Romanum regem Auguſtæ Vindelicorum eligi. Verum principes nec monita capitulationi ejus inſerenda exhibebant, nec juribus ſuis aliqua proſpiciebant proteſtatione. Præterquam quod nimis ſero deinde Ratisbonæ contradictionem & reſervationem univerſo collegio electorali inſinuandam, & ad acta imperii reponendam, directorio Moguntino inſinuari curaverint. Sed ab hoc directorio Salisburgenſi, ne quidem perlecta, reſtituta eſt, quoniam ſi quid principes juribus ſuis ſalutare judicaſſent, id in loco electionis, & quidem juſto tempore exhiberi debuiſſet. Conf. HENNIGES p. 25. Acta publica refert celeberrimus PFEFFINGER. T. I. p. 860. ſeqq. cui jus publicum Germaniæ permultum debet. Jacuerant jam per aliquot iterum annos ſepultæ de capitulatione perpetua velitationes, cum eis refocillandis Boici fratres electorali purpura, unus Colonienſi, alter Bavarica inſignes anno 1706. ob amicitiam cum Gallo, imperio noxiam, proſcripti anſam præberent. Neglectis enim principum ſuffragiis, collegii tantum electoralis conſenſum adhibuerat cæſar. Vide FABRI *Staats-Cantzeley tom. II. p.* 608. 627. ſeqq. Conquerentibus de eo graviter principibus imperator reſpondebat, ſe per capitulationis vinculum, quo electoribus adſtringeretur, aliter agere non potuiſſe, ex quo capitulationis perpetuæ negotium abſolutum foret, & principum quoque rationem hic habitum iri. Hæc res principes ad novas cum electoribus de capitulationis perpetuæ negotio inſtituendas ſollicitavit conſultationes, quæ in id deſierunt, ut baſis capitulationis hujus eſſet projectus, qui anno 1664. placuerat. Verum enim vero non omnia hoc modo ſopita ſunt diſſidia: de formula enim, ſub qua capitulatio perpetua futuro receſſui eſſet inſerenda, a principibus exhibita, electores mentem ſuam explicare noluerunt, usque dum conſtaret, quidnam principibus circa epilogum animi eſſet. Apparuit igitur formula epilogi, prout illa a principibus concepta fuit, ſequens:

Dieſemnach hat das Chur-Fürſtliche *collegium* auf obgeſetzte gewiſſe und beſtændige Kayſerliche Wahl-*capitulation* (welche ohne geſamter Stænde Bewilligung nicht zu ændern) bey allen künftigen Wahlen, ſie geſchehen bey Lebæiten oder nach Abſterben eines Rœmiſchen Kayſers, den *eligendum* zu verpflichten. Daferne aber bey vorgehender Wahl in gemeinen Reichs-Geſchæften ein ſolcher *caſus*, der nicht albereit in dieſer *capitulation* begriffen, ſich ereignete, und dahero ein Churfürſtliches *collegium* den *eligendum* (jedoch der güldnen Bulle, dem Münſter- und Oſnabrückſchen Friedens-Schluſs, der geſamten Stænde *juribus*, gegenwærtiger beſtændigen *capitulation*, auch jetzigen und künftigen Reichs-*conſtitutionibus* gantz unabbrüchig) noch weiter zu des Reichs beſten Wohlfahrt zu verbinden, für eine hohe Nohtdurft befinden mœgte, ſo ſoll er auch dazu *obligiret* ſeyn und bleiben, es würde denn bey nechſt darauf folgenden Reichs-Tage *communi ſtatuum conſenſu* ein anders *ſtatuiret* und geſchloſſen.

Sed illa formula non æque accepta erat, ſubſtituerunt que aliam electores, quæ hujusmodi eſt tenoris: Daferne aber bey vorgehender Wahl ein Churfürſtliches *collegium* mit dem *eligendo* noch weiter zu *capituliren*, und denſelben in gemeinen Reichs-Geſchæften oder andern die *communia ſtatuum* nicht betreffende Sachen, jedoch der güldnen Bulle, dem Münſter- und Oſnabrückſchen Friedens-Schluſs, der geſamten Stænde *juribus*, gegenwærtiger beſtændiger *capitulation*, denen Reichs-*conſtitutionibus* und was in obberührten gemeinen Reichs-Geſchæften, mittelſt einer allgemeinen Reichs-Satzung inskünftige anders *ſtatuiret* und geſchloſſen werden mœgte, unabbrüchig zu des Reichs Wohlfahrt zu verbinden, vor nœhtig erachten würde, ſoll er auch dazu *obligiret* ſeyn und verbleiben. Erant quidem in ea, quæ principibus emendanda videbantur, ſed cum electores nullam plane admittere vellent mutationem, eam prout concepta erat, principes admiſerunt. Quæ res tam grata electoribus fuit, ut etiam prologum a nobis antea memoratum pati conſtituerint. Itaque nihil amplius ſupereſſe videbatur, quam ut exemplaria, poſtquam monita inſerta eſſent, commutarentur. Monita autem a principibus exhibita, quæ electoribus ſuffragantibus capitulationi perpetuæ ſuis locis addi debebant, refert WILDVOGEL *in diſſert. de capitulat. perpet. p.* 93. ſeqq. Verum ob diſcordiam inter cæſarem & electores exortam res ad optatum non eſt perducta finem.

mis comitiis decidendam, & an §. 3. *artic.* 8. deroget in eo §. 1. ejusdem tituli, in quo jura prærogativæ &c. Electorum, principum & ſtatuum imperii ſtabiliuntur & firmantur. *Sexto* operæ quoque pretium fuerit inquiſitionem inſtituere, num res hæc ſit tanta æmulatione digna, ita, ut nec electorum præeminentia, nec reliquorum ſtatuum jura poſſint eſſe ſalva, niſi ſuæ quisque intentioni rigide inhæreat, an vero ſuppetat medium, quo parti utrique conſuli queat. Denique ab hac conſideratione non fuerit alienum, ipſum, quod tanto conamine affectatur, opus intueri, an talis, qualis urgetur, capitulatio, conſtans ſcilicet & perpetua, *unquam effici poſſit*, (a) quoniam in rebus civilibus vix aliquid conſtans eſſe poſſit, quin pro alio atque alio rerum ſtatu ſit mutandum, & præterea experientia nos hactenus ſatis docuerit, temporum viciſſitudines & diverſa imperantium ingenia noſtros capitulationum articulos ſubinde intendiſſe, mutaſſe, auxiſſe.

XXXI. ET TANTVM de his, quibus jus eſt præſcibendi capitulationem. A qua tractione non alienum fuit recenſere *deliberationes ſuper perpetuæ* (b) capitulationis puncto habitas; ut uno quaſi

(a) *Unquam effici poſſit*) Sunt qui capitulationem perpetuam contradictionem quaſi in adjecto involvere arbitrantur, cum res civiles & rerumpublicarum ſtatus multis magisque ſemper ſint obnoxii mutationibus, & plures adſint rationes arcanæ, propter quas negotium ſemper exſpectaturum ſit finem. Vid. WILDVOGEL *de capitulat. perpetua cap.* 3. Hinc non ſine cauſſa Monzambano propoſitum, conficiendi capitulationem perpetuam, ut fruſtraneum plane & inutile, ridere videtur. Verum alii de felici non deſperant ſucceſſu, cum nihil hic ex ipſorum ſententia impoſſibilis ſubſit, nec ſpes penitus evanuerit, omnia, quæ adhuc ſalutare hoc impedire videntur negotium, ſublatum iri. Vid. TEXTOR *de ratione ſtatus imperii c.* 18. ubi de capitibus, perpetuæ inſerendis capitulationi, agit, quorum tamen quædam cenſuram merentur. Sed ut dicam, quod res eſt, præſupponamus oportet, ſtatum reipublicæ Germanicæ, qua hodie eſt, in capite & membris ſuis perpetuo duraturum: cum hoc autem quædam habent nexum neceſſarium, ita ut ille ſtatus ſine iis durare non poſſit; & hæc ſunt ex hypotheſi immutabilia, ita ut de iis perpetua condi poſſit capitulatio. Alia autem ex qualitate & ſtatu perſonæ, imperio præficiendæ, & temporis ratione pendent, quæ ad ſtatum imperii in ſe ſunt indifferentia, poſſunt tamen in eum influere, his vel illis poſitis. Atque hæc ſunt, quæ certis ſubjici nequeunt regulis & ſic ad perpetuæ capitulationis objectum etiam ſunt inidonea. Et circa hæc jus adcapitulandi electorum verſatur. Conf. HENNIG. *l. c. p.* 31.

(b) *Deliberationes ſuper perpetua*) Hoc argumentum novendecim mantiſſis perſequitur HENNIGES *in meditationibus ad inſtrumentum pacis p.* 1004. Projectus autem ille perpetuæ capitulationis de 4. 6. & 7. Julii, de quo inter duo ſuperiora convenit collegia, cum projectu de anno 1664. coincidit. Vid. FABRI *Staats-Cantzeley T.* 17. *p.* 682. ſeqq. ubi &, quæ civitates imperii ad hunc projectum monuerunt, leguntur. Convenit auguſtiſſimi noſtri imperatoris CAROLI VI. capitulatio in permultis cum hoc projectu. Ad illuſtrationem materiæ haud dubie conducet, tam antedictum projectum, cum collegii civitatum monitis, & aliis ad eum pertinentibus; quam quæ ſunt principum imperii adverſus noviſſimam capitulationem monita, ſubjungere.

Project *der gewiſſen und beſtændigen Kayſerlichen Wahl*-capitulation, cum appendice, *wie ſolches den* 4. 6. *und* 7. Julii 1711. *von beyden hœhern Reichs*-collegiis *verglichen*, collationiret, *und den* 8. *obgedachten Monats und Jahrs vom hochlœbl. Churfürſtl. Maynziſchen Reichs* directorio per privatam dictaturam communiciret *worden iſt.*

D*emnach auch bey dieſem Reichs-Tag zufolge des Münſter- und Oſnabrückiſchen Friedens-Schluſſes, und Reichs-Abſchieds* de anno 1654. *von einer künftigen gewiſſen und beſtændigen Kayſerl. Wahl*-capitulation *gehandelt; So iſt ſelbige vom Chur-Maynziſchen Reichs*-directorio *abgefaſt, und mit geſambter Churfürſten, Fürſten und Stænden Einwilligung in dieſen Reichs-Abſchied gebracht worden, wie folget:*

Artic. I.

Der erwehlte Rœmiſche Kœnig und Kayſer ſol und will die Chriſtenheit, den Stuhl zu Rom, Pæbſtl. Heiligkeit, und Chriſtliche Kirch, als derſelben *advocat*, in guten treulichen Schutz und Schirm halten, will in alleweg die teutſche *nation*, das Heyl. Rœm. Reich, und die Churfürſten, als deſſen fordertſte Glieder, belag der Güldnen Bull, ſonderlich des 13. Tituls, dann auch die Fürſten, Prælaten, Graffen, Herrn und Stænde, ſamt der unmittelbahren freyen Reichs-Ritterſchafft, bey Ihren Hoheiten, Geiſt- und weltlichen Würden, Gerechtigkeiten, Macht und Gewalt, ſonſt auch einen jeden bey ſeinem Stand und Weeſen, auch allen und jeden Stænden des Reichs Ihre freye Stimm und Sitz auf Reichs-Tægen laſſen, und ohne der Churfürſten, Fürſten und Stænde vorgehende Bewilligung keinen Reichs-Stand, der *ſeſſionem & votum* in denen Reichs-*collegiis* hergebracht, darvon *ſuſpendi*ren und ausſchlieſſen, ſollen auch keine Fürſten, Graffen und Herren in Fürſtlichen oder Græflichen *collegiis* an- oder aufgenommen werden, ſie haben ſich dann vorhero darzu mit einem *immediat*-Fürſtenthumb, *reſpective* Graff- oder Herrſchafft, gnugſam *qualificiret*, und mit einem Standes-würdigen Reichs-Anſchlag in einem gewiſſen Creyſs eingelaſſen und verbunden, und über ſolches alles neben dem Churfürſtlichen auch dasjenige *collegium* und Banck, darinnen ſie aufgenommen werden ſollen, in die *admiſſion* ordentlich gewilliget, und will nicht geſtatten, daſs denen Stænden in ihren *territoriis in religion-politi*ſchen und *juſtitz*-Sachen, *ſub quocunque prætextu* wieder den Frieden-Schluſs, oder aufgerichtete rechtmæſsige und verbindliche *pacta* vor- oder eingegriffen werde; ſoll und will auch Churfürſten, Fürſten und Stænden und der Reichs-Ritterſchafft ihre *regali*en, Obrigkeiten, Freyheiten, *privilegi*en, die vor dieſem unter ihnen denen Reichs-*conſtitutionibus* gemæſs gemachte *uniones*, zufœrderiſt aber die unter Churfürſten, Fürſten und Stænden aufgerichtete Erbverbrüderungen, Pfandſchaften, *ſecundum inſtrumentum pacis*, Gerechtigkeiten, Gebræuche und gute Gewohnheiten, ſo ſie bishero gehabt, oder in Ubung geweſen, zu Waſſer und Land auf gebührendes Anſuchen ohne Weigerung und Auffhalt in beſtændiger Form *confirmi*ren, ſie auch darbey als Rœmiſcher Kœnig handhaben und ſchützen, und niemanden einig *privilegium* darwieder ertheilen, und da einige vor oder bey wæhrenden Kriegen ertheilet, ſo im Friedens-Schluſs nicht *approbi*ret; dieſelbe gæntzlich *caſſi*ren und *annulli*ren, auch hiermit *caſſi*ret und *annulli*ret haben. So viel aber in dieſem *articul* den Stuhl zu Rom und Pæbſtliche Heiligkeit betrifft, wollen die der Augſpurgiſchen *confeſſion* zugethane Churfürſten, vor ſich und ihre *religions*-Verwandte, Fürſten und Stænde Kayſerl. Majeſtæt darmit nicht verbunden haben, geſtalten dann auch gedachte *advocatia* den *religion*-und *profan*-auch den Münſter-und Oſnabrückiſchen Friedens-Schluſs zum Nachtheil nicht angezogen noch gebraucht, ſondern denen obgedachten Churfürſten, und ſæmbtlichen ihren *religions*-Verwandten im Reich gleicher Schutz geleiſtet werden ſolle, wie er ihnen, Churfürſten, und ſæmbtlichen ihren *religions*-Verwandten, auch ſolches krafft dieſes verſpricht, und ſich hiemit darzu verbindet.

Artic. II.

Der Rœmiſche Kayſer ſoll und will das Reich, ſo viel in ſeinen Kræfften iſt, ſchirmen und vermehren, ſich keiner *ſucceſſion* oder Erbſchafft deſſelben anmaſſen, unter-

quaſi conſpectu animadverti poſſit, quibus ſucceſſibus hoc negotium multis abhinc annis fuerit agita-

unterwinden noch unterfangen, noch darnach trachten, daſſelbe auf ſich, ſeine Erben und Nachkommen, oder auf jemand anders, zu wenden: will die guldene Bull, den Frieden in *Religion*- und *Profan*-Sachen, den Land-Frieden ſambt der Handhabung deſſelben, wie er auf dem zu Augſpurg im Jahr 1555. gehaltenen Reichs-Tag aufgerichtet, verabſchiedet, verbeſſert, auch in denen darauf erfolgten Reichs-Abſchieden wiederhohlet und *confirmi*ret worden, ſonderlich aber obgedachten Münſter- und Oſsnabrückiſchen Frieden-Schluſs, bevorab, was ſo wohl in *Articulo Vto. §vo 2do*, als *Artic. VIII. de Juribus Statuum*, wie auch *Articulo, unanimi quoque 7mo* (nach Innhalt deſſen alles dasjenige, was denen Catholiſchen und Augſpurgiſchen *Confeſſions*-Verwandten, Stænden und Unterthanen in gegenwærtiger *Capitulation* zu gutem verglichen und verordnet, denen, welche unter ihnen *Reformi*rte genennet werden, zu ſtehen und zu ſtatten kommen ſolle) begriffen, und den Nürnbergiſchen *Executions-Receſs*, wie auch inſonderheit alles dasjenige, was bey vorigen Reichs-Tægen verabſcheidet und geſchloſſen worden, und bey künfftigen Reichs-Tægen ferner für gut befunden und geſchloſſen werden mœchte, gleich wære es dieſer *Capitulation* von Wortten zu Wortten einverleibt, ſtet, feſt, und unverbrüchlich halten, und unter keinerley Vorwandt, er ſeye wer der wolle, ohne Churfürſten, Fürſten und Stænde, auf einen Reichs-oder *ordinari Deputations*-Tag vorgehende Bewilligung daraus ſchreiten, ſondern daſſelbe gebührend handhaben, und darwieder niemand beſchwehren, noch durch andere beſchwehren laſſen, auch nicht geſtatten, daſs wieder die im Reichs-Abſchied *anno* 1555. einverleibte *Executions*-Ordnung *directe vel indirecte* gehandelt werde, desgleichen auch andere des heiligen Reichs Ordnungen und Geſetze, ſo viel die dem obgedachten Reichs-Abſchied im 1555ſten Jahr zu Augſpurg aufgerichtet, und mehr erwehntem Friedens-Schluſs nicht zuwieder ſeynd, erneueren, und dieſelbe mit *conſens* Churfürſten, Fürſten und Stænde, wie es des Reichs Gelegenheit jederzeit erfordert, beſſeren, keineswegs aber ohne Churfürſten, Fürſten nnd Stænde auf Reichs-Tægen gleichmæſsig vorgehende Bewilligung ændern, vielweniger neue Ordnungen und Geſatz im Reich machen, noch allein die *Interpretation* der Reichs-Satzungen und Frieden-Schluſſes vornehmen, ſondern mit geſambter Stænden Rath und Vergleichung auf Reichs-Tægen darmit verfahren, zuvor aber darin nichts verfügen, noch ergehen laſſen, zumahlen auch diejenige, ſo ſich gegen jetzt-ermeldten Friedens-Schluſs, und darin beſtættigten *Religions*-Frieden, als ein immerwæhrendes Band zwiſchen Haupt und Gliedern, und dieſen unter ſich ſelbſten, zu ſchreiben, oder etwas in œffentlichen Druck heraus zu geben (als dadurch nur Aufruhr, Zwietracht, Miſstrauen und Zanck im Reich angerichtet wird) unternehmen würden oder ſolten, gebührend abſtraffen, die Schrifften und Abdruck *caſſi*ren, und gegen die *Authores* ſowohl, als *Complices*, wie erſt gemeldet, mit Ernſt verfahren, auch alle wieder den Friedens-Schluſs eingewendete *Proteſtationes* und *Contradictiones*, ſie haben Nahmen wie ſie wollen, und rühren woher ſie wollen, nach beſag erſtgedachten Friedens-Schluſſes verwerffen und vernichten.

Artic. III.

Der erwehlte regierende Rœmiſche Kayſer ſoll und will des H. R. Reichs Churfürſten als ſeine innerſte Glieder, und die Haupt-Sæulen des Heiligen Reichs jederzeit in ſonderbahrer hoher *Conſideration* halten, in wichtigen Sachen, ſo das Reich antreffen, nach Anleitung der guldenen Bull, jedoch dem Friedens-Schluſs ohne Abbruch, ihres Raths, Bedenckens, und Gutachtens, ſich gebrauchen, auch ohne dieſelbe hierinn nichts vornehmen, ſie bey ihrer wohl-erlangten Chur-Würde und ſonderen Rechten, Hoheiten, *Præminentie*n und *Prærogative*n erhalten, wie nicht weniger die gemeine und ſonderbahre Rheiniſche Verein der Churfürſten, als welche ohne das mit Genehmhaltung und *approbation* der vorigen Kayſer rühmlich aufgerichtet, und was darüber noch weiters die Herren Churfürſten allerſeits untereinander gut befinden und vergleichen mœchten, auch ſeines Theils *approbi*ren und *confirmi*ren, jedoch dem *Inſtrumento pacis* und andern Reichs-Satzungen, auch denen von Fürſten und Stænden hergebrachten *Juribus*, Hoheiten und *Privilegiis*, ohnabbruchig. Als auch dem erwæhlten Rœmiſchen Kayſer geziemet, und Er damit verſpricht, die Rœmiſche Kœnigl. Cron fœrderlichſt zu empfangen; So ſoll und will Er alles dasjenige dabey thun, ſo ſich derhalben gebühret, auch alle und jede Churfürſten, umb ihr Ambt zu verſehen, zu ſolcher Crœnung erfordern, und was zwiſchen beyden Churfürſten zu Mayntz und Cœlln, wegen der unter innen der Crœnung halber entſtandener Irrungen gütlich beygelegt und verglichen worden, das will Er hiemit gleichfalls *confirmi*rt und beſtættigt haben. Es ſoll und will auch der erwehlte und regierende Rœmiſche Kæyſer die Churfürſten, ihre Nachkommen und Erben bey ihrer freyen Wahl-Gerechtigkeit nach Innhalt der güldenen Bull, verbleiben laſſen, und auch bey ſeinen Lebzeiten die Wahl eines Rœmiſchen Kœnigs, wie es in dem Reichs-Abſchied §. demnach auch Churfürſten, Fürſten und Stænde &c. abſonderlich verglichen und *ſtatui*rt worden, vorzunehmen geſtatten.

Der regierende Rœmiſche Kayſer læſſet auch zu, daſs die Churfürſten je zu Zeiten vermœg der guldenen Bull und nach Gelegenheit und Zuſtand des Heiligen Rœm. Reichs zu Ihrer Nothdurfft, auch ſo ſie beſchwerliches Obliegen haben, zuſammen kommen mœgen, daſſelbe zu bedencken, und zu berathſchlagen, daſs Er auch nicht verhinderen noch irren, und derohalben keine Ungnad oder Wiederwillen gegen Ihnen ſammentlich oder ſonderlich ſchœpffen und empfangen, ſondern ſich in dem und anderen der guldenen Bull gemæſs gnædiglich und unverweiſslich halten ſoll und will. Will auch die *Vicarios* des Reichs, wie von Alters hero, auf Sie kommen, und die guldene Bull, alte Rechte, und andere Geſetze oder Freyheiten vermœgen, ſo es zu Fællen kommen, oder die Nothdurfft und Gelegenheit erfordern wird, bey Ihrem geſonderten Rath, in Sachen das Heilige Rœm. Reich belangend, geruhiglich bleiben und gantz ungekrænckt laſſen, auch nicht nachgeben, daſs die *Vicariate*n und deren *Jura* ſambt was denenſelben anhængig, von jemand *diſputi*rt oder beſtritten werden; wo aber darwieder von jemand etwas geſucht, gethan, oder die Churfürſten in deme gedrungen würden, daſs doch keineswegs ſeyn ſoll, das alles ſolle nichtig ſeyn; der regierende Kayſer will auch die Verfügung thun, wann der Churfürſten Ambts-Verweſer und Erb-Aembter bey Seinem Kayſerl. Hoff begriffen, daſs dieſelbe jederzeit, und inſonderheit, wann und ſo offt Er auf Reichs-Wahl- und anderen dergleichen Tægen ſeinen Kayſerl. Hoff begehet, oder Sachen vorfallen, darzu die Erb-Aembter zu gebrauchen ſeynd, in gebührenden *Reſpect* halten, und Ihnen von ſeinen Hoff-Aembtern keineswegs vor- oder eingreiffen, oder da je wegen Abweſenheit Ihre Stellen mit berührten ſeinen Hof-Aembtern jezuweilen erſezt werden ſollen, will Er doch, daſs Ihnen, denen Churfürſtlichen Ambts-Verweſern und Erb-Aembtern einen Weeg als den anderen die von ſolchen Verrichtungen fallende Nutzbarkeiten wenigers nicht, als ob ſie dieſelbe ſelbſten verrichtet, und bedienet, ohnweigerlich gefolgt und gelaſſen, und nicht von denen Hoff-Aembtern entzogen, inſonderheit, weilen bey Aufrichtung der *Policey*- und Tax-Ordnung auf Reichs- und Wahl-Tægen das *Directorium* zu führen, und ſolche Ordnung im Nahmen Kayſerl. Majeſt. zu *publici*ren dem Ertz-Marſchall-Ambt zukombt und gebühret, ſo ſolle vom Kayſerl. Hoff-Marſchall-Ambt oder anderen weder unterm *prætext* Kayſerlicher *Commiſſion*, noch ſonſten darinnen, ſo zu ſolchem Reichs-Ambt gehœrig iſt, Hinderung gemacht, und etwas nachtheiliges *concedi*rt werden, gleichwohlen aber dem Hoff-Marſchal in ſeinem zukommenden- und von dem Ertz-Marſchall-Ambt *dependi*renden Ambts-Verrichtungen durch ſeine Landes-Regierung oder andere kein Eintrag oder Hinderung gemacht werden.

Artic. IV.

In allen Berathſchlagungen über Reichs-Geſchæfften, inſonderheit diejenige, welche in dem *Inſtrumento*

agitatum, & quibus in terminis jam haereat. Nunc etiam videndum eſt SUBJECTUM, cui præ-

(a) *Noluerint obligare imperatorem*) Hæc clauſula à Maximiliani II. temporibus usque ad Joſephum capitulationibus eſt inſerta; in projectu autem capitulationis perpetuæ & in capitulatione Caroli VI. omiſſa. Putat quidem TEXTOR *de ratione ſtatus imperii cap. 18.* quæ de pontificis ſedisque romanæ protectione dicuntur, in capitulatione perpetua eſſe omittenda, quoniam inde puriorem religionem ſequentibus omnis adimeretur ſpes, in ſolium aliquando aſcendendi imperiale. Sed recte judicant LYNCKER & HENNIGES *ad articulum 1. capitulat. Joſephi* & ab evangelicis pontifici & romanæ eccleſiæ politicam præſtari poſſe tutelam, ita ut jura ſua & religionis libertatem ſartam tectamque habeat. Majoris tamen cautionis gratia utile eſſe videtur, ſi in capitulatione reliqua eſſet hæc clauſula: *Noch erſt gedachte* advocatia *dem* religion- *und* prophan- *zu Münſter und Oſnabrück aufgerichteten Frieden zu* præjudiz *angezogen, und gebrauchet, ſondern denſelben gleicher Schutz gehalten und geleiſtet werden ſoll;* quanquam in inſtrumento pacis articulo 17. contineatur, contra Weſtphalicam pacem nihil plane allegari poſſe.

(b) *Goldaſtus*) Item LIMNÆVS *ad capitulationem Maximiliani II.*

(c) *Mentio*) In articuli tamen 19. Leopoldus promittit, ſe pontificem ad ſervanda concordata exhortaturum.

(d) *Eligitur à Cardinalibus*) Henrici IV. tempore Cardinalium dignitas, quæ tamen tanta nondum fuiſſe videtur ac hodie eſt, & munus nota fuerunt. Adſunt quoque veterum teſtimonia, quibus tunc temporis jam diſtinctionem inter Cardinales, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos obtinuiſſe conſtat. ARNVLPHVS MEDIOLANENSIS *Lib. 3. Geſtor. mediolanenſ. cap. 24.* BERTHOLDVS CONSTANT. *ad annum. 1097.* PAVLVS BERNRIEDENSIS *in vita Gregorii VII.* CHRONIC. VIRDV-

giſtratus imperii, fiunt vel collatione pontificia vel electione cathedralium, vel poſtulatione. Nullæ hic imperatoris, nullæ ſtatuum partes. Omnes inſuper, qui quidem pro epiſcopis haberi volunt, Pontifici juramento debent eſſe obſtricti. Et denique, quod omnium peſſimum, eo ipſo dum fiunt epiſcopi, ſunt ſimul principes Imperii, duplicemque adeo gerunt magiſtratum, eccleſiaſticum & ſecularem. Quæ omnia in republ. bene conſtituta tolerari non debent. In ea quippe magiſtratus à ſumma poteſtate ordinari, & munera diverſa, qualia ſunt epiſcopi & principis, à diverſis quoque perſonis geri convenit. Uberius hæc perſequor *in exercit. de conſtitutione epiſc. germ.* De ipſo etiam religionis negotio capitulatio noſtra nihil conſtituit, Primis autem temporibus apud nos in ſynodis, quibus rex præfuit, fuit agitatum, poſtea tamen hoc jus pontifex ſuo more ſibi vendicavit. Superiori autem ſeculo quadantenus & imperatori & Papæ hic pontificatus fuit abrogatus: huic per dogma veritatis à Luthero reſtitutum: illi per ſubſecutum imperii receſſum de *anno* 1555. ubi §. 15. Imperatori omnis facultas in religionis negotio cauſisque ei annexis quicquam ordinandi aut innovandi fuit præciſa, cui non contravenire ſub quocunque prætextu, ſancte promiſit §. 29. *de receſſ.* & paſſim in capitulatione ordinibus contra liberum in ditionibus ſuis religionis conſtituendæ arbitrium eſt relictum *d. §. 15. & inſtr. pac. tit. 5. §. 30.* confirmatum. Quod ſi vero controverſiæ circa religionem aut nonnulla à religione dependentia inter ordines emergant, eæ non ab imperatore, ſed vel in comitiis vel ab Aſſeſſoribus utriusque religionis, certo numero eum in finem nominatis, ſunt dirimendæ *de receſſ.* §. 22. Qua in re longe rectius ſe habent res Germaniæ quam olim, poſtquam magno reipublicæ bono poteſtas ſacrorum pontifici romano iterum eſt erepta.

XXXIV. Tranſeundum nunc ad ſtatum politicum, ubi inter *prima* pacis negotia civilia ſe offert *Legumlatio.* (a) Pertinet autem jus legis univerſalis condendæ, uti ab omni retro memoria ita & hodie, in Germania ad regem & ordines ſimul. vid. §. 2. *capit. Leop. ibi: Wir ſollen und wollen auch andere des Heil. Reichs Ordnungen und Geſetze &c. Rec. imp. de anno* 1495. *in fine principii: Mit zeitigen Raht eurer der Churfürſten, Fürſten und gemeiner Verſamlung &c. de anno* 1582. *in pr. So haben Churfürſten, Fürſten und andere Stande &c.* Et inde etiam vocatur imperii receſſus, non imperatoris, (*Reichs-Abſchiede*) vel imperatoris & imperii conſtitutiones (*unſere und des Reichs Ordnungen, Conſtitutionen und Satzungen*) *rec. imp. d. anno* 1564. §. 13. paſſim. Rectius igitur leges in comitiis latæ ſenatusconſulta, quam edicta, vocabuntur; & quidem talia ſenatusconſulta, quæ non unius vel alterius Status, ſed plurimorum conſenſu fuere ſancita. Cæterum, cum imperatori *ſemiſſem comitiorum* (b) vulgo tribuant, & evenire poſſit, ut de re aliqua conſtituenda cum illo ordines non poſſint convenire, qui tum obtinere debeat, an imperator invitus teneatur id, qvod ſola ordinum voluntate conſtitutum, pro lege admittere & illi contra voluntatem ſubſcribere, an vero res illa controverſa in medio debeat relinqui, de eo hactenus nihil eſt definitum, ac proinde nec noſtrum erit, de re tam ardua judicium ferre. Illud certum, quod anno 1524, ab ordinibus Noribergæ congregatis Decretum Wormatienſe, invito & per legatum contra proteſtante Cæſare, alio decreto fuerit ſublatum. Sleid. *lib. 4. hiſtor. p.* 102. *&* 106. quod poſtea Cæſar utut pene invitus ratihabere & ſigillo ſuo munire debuit. *Rec. imp. de anno* 1624. §. 35. Juri ferendarum legum cohæret *legum declaratio* ſive *interpretatio, Handhabung des Friedens anno* 1459. *tit. Was mit dem gemeinen Pfenning erobert wird. Erklerung des Landfrieden zu Augſpurg anno* 1500. *tit.* 4. *inſtr. pac. art.* 8. §. *Gaudeant.* Item *legum renovatio, confirmatio & mutatio. Erklerung des Landfriedens zu Augſpurg tit.* 1. 4. *&* 9.

XXXV. Ad res civiles pertinent *Secundo Comitia*, (c) quæ vel univerſalia ſunt, vel particularia. Particulares conventus inſtituere electoribus & aliis imperii & circulorum ſtatibus liberum

NENSE *p. 192.* BARON. *Tom. 9. annal. eccleſiaſtic. ad annum 1059.* PETRVS DIACONVS *Lib. 3. chron.* CASSIN. *cap. 65. 66.* LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad annum 1077.* Sic & illius temporis de duodeno & 70. numero quædam exſtare veſtigia, Dn. HAHN *pag. 116. part. 3. hiſtor. imperii*, ex PETRO DAMIANI, BARONIO *Tom. 9. annal.* probat.

(a) *Legumlatio*) JOSEPHI & CAROLI VI. *capitulat. articulo 2.* INSTRVMENT. PACIS *articulo VIII. §. 2.* LIMNÆVS *ad capitulationem Caroli V. pag. 138.* STRAVCHII *diſſertatio exotica 10. theſ. 14.* HENNIGES & LYNCKER *ad articulum 2. capitulat. Joſephi.* Ita & imperatori non licet, legum fundamentalium interpretationi niſi in comitiis operam dare, *mit geſamter Standen Raht und Vergleichung.* Quomodo hoc intelligendum ſit, docet LYNCKER *ad articulum 2. capitulat. Joſephi, numero 9.*

(b) *Semiſſem comitiorum*) Sed hoc falſum eſſe, ex eo quoque conſtat, quod, ſi obtineret, imperator, uno ſaltem Statuum ejus ſententiæ accedente, majora faceret; quod tamen comitiorum praxi adverſatur, ut pluribus ad *diſſertationem de comitiis* docebitur.

(c) *Comitia*) Capitulatio JOSEPHI *articulo XVI.* CAROLI VI. *articulo XIII.* In imperio noſtro aliquando querelas aut de nimia comitiorum frequentia aut de eorum paucitate auditas eſſe, ex annalibus patet. Hinc ex capitulationis perpetuæ projectu carolinæ capitulationi inſertum: *quod durantibus adhuc comitiis demum finitis, omni decennio, ad minimum comitia haberi debeant*, quando ſcilicet res imperi illam patitur moram. Quid olim in convocandis comitiis & eorum duratione obtinuerit, docet GOLDASTVS *tom. III. imperial. conſtitutionum.* Cumque id, quod antea hic receptum erat, in deſuetudinem abiiſſet, Wormatiæ anno 1495. pacti ſunt, ut conventus imperii annui eſſent & per unius menſis ſpacium durarent. *Handhabung des Friedens de anno 1495. tit. daſs ein Reichs-Tag ſoll einen Monath. Ordnung des Reichs-Tages zu Augſpurg de anno 1590. tit. wie die zwantzig.* Anno 1512. placuit ad ſexennium, comitia ſingulis annis celebratum iri. *R. I. colon. de anno 1512. §. item haben wir.* Poſtea certum & ordinarium tempus ipſis deſtinari deſiit, & habita ſunt, quando id reipublicæ neceſſitas aut utilitas requiſivit. Negari tamen nequit, imperatores ex ratione ſtatus vel publica imperii vel domus ſuæ omiſiſſe aut diſtuliſſe, vel etiam multiplicaſſe & maturaſſe. Hinc querelæ illæ de frequentia aut raritate comitiorum. Maximiliani I. & Caroli V. tempore conquerebantur, crebris & diuturnis conventibus Germaniæ procerum exhauriri loculos. Conf. GOLDASTVS *in*

rum eſt, quandocunque e re fore judicaverint. *Art. 6. capitul. Leopold.* Univerſalia comitia indicendi poteſtas apud cæſarem quidem eſt, ita tamen reſtricta, ut ea non alibi, quam in Germania inſtituere poſſit, & *electorum conſenſum* (a) ratione loci & temporis impetrare debeat. *artic. 17. d. capit.* Juri indicendi comitia adhæret *jus proponendi puncta deliberationum*, quorum tamen ordini præciſe inhærere ſtatus non tenentur, ſed ubi ipſis ex uſu fuerit viſum, *alium procedendi modum* (b) adhibere, integrum illis hoc eſt. Uti ex multis *imperii receſſibus* (c) oſtendit autor *der Grundfeſte das Heil, Ræmiſchen Reichs. part.* 3. *cap.* 2.

XXXVI. *Tertio* rebus civilibus annumerantur *commercia*: quæ, ut vigeant, omnia, quæ eorundem libertati officiunt, ſunt tollenda. Hinc imperator *in ſæpe allegat. capit.* §. 20. recepit, quod conſilio electorum, principum & ſtatuum *monopolia* (d) velit abrogare, privilegia nemini ſuper iisdem conferre, & jam collata revocare. Item, quod velit operam dare, ne edictum *circuli Burgundiæ* (e) inferioris ditionumque vicinarum, quod exterorum merces importare prohibet, ad imperium impoſterum extendatur, aut ſi porro fiat, eodem modo interdicere, ne illarum ditionum merces in imperium invehantur. Huc ſpectant quoque ea, quæ de tollendis abuſibus *portoriorum*, (f) vectigalium, ſtapularum aliarumque exactionum, erigendi commercia ergo, ſaluberrime ſanciuntur *artic.* 21. 22. 23. *Leopold. capit.* Reperiuntur etiam in Rec. Imp. multa de hoc negotio bene conſtituta ut R. I. *d. anno* 1551. §. 46. 73. 85. *& ſeqq. Policey-Ordnung zu Franckfurt* 1577. *tit.* 21. *& ſeqq. R. I. de anno* 1594. §. 103. *Inſtr. Pac. artic.* 9. An autem unquam ſit ſatis deliberatum de *exportandis* (g) iis, quibus reſpublica affluit, & importandis, quorum inopiam patitur, qua tamen in re ſalus reipublicæ bona ex parte poſita eſt, in medio relinquo.

XXXVII. *Quarto* ad res civiles refertur *res monetaria*: (h) quæ conſiderari poteſt vel ut conſtituenda, vel ut exercenda. Quatenus conſtituenda, pertinet ad imperatorem & ordines ſimul. *Articulo* 33. *capitulationis Leopoldinæ* imperator promittit, quod conſilio electorum, principum & ſtatuum

teutſchen Handeln fol. 10. In Ferdinando II. e contrario deſiderabant, quod ab illo comitia plane propemodum omitterentur. Quid ab illo, ad ſe excuſandum, prolatum ſit, vide apud LONDORP. *in actis publ. part. VII.* & in replica ejus anno 1625. in ratisbonenſi conventu exhibita. Ceterum præter imperii comitia electorum quoque conventus & ſtatuum, tam circulares, quam alia imperii legibus ſtabiliuntur. *Capitulat. Caroli VI. art.* 13.

(a) *Electorum conſenſum*) Hoc in omnibus poſt Carolum V. reperitur capitulationibus multisque imperii receſſibus, quos citat SCHWEDER *pag.* 455. ita ut electores etiam imperatorem de comitiis habendis admonere queant. Oportet autem, ut tam de loco intra Germaniæ limites ſito, ubi comitia haberi debeant, quam de tempore, in quod indicenda ſunt, cæſari cum electoribus conveniat. Indicant hoc ſequentia capitulat. Caroli VI. verba: *Mit* Conſens *der Churfürſten, oder da uns die Churfürſten darum anlangen und erinnern, einen allgemeinen Reichs-Tag innerhalb des Reichs Teutſcher* nation *halten, und alſo uns mit denenſelben jedesmahl vor der Ausſchreibung ſowohl der eigentlichen Zeit als der Wahlſtatt vergleichen, auf ſolchen Reichs-Tagen auch entweder in Perſohn oder* per commiſſarios in termino *erſcheinen, und darauf ſo bald nach verſchiedenen* termino *die* propoſition *thun, oder zum langſten nicht über 14. Tage aufhalten laſſen, auch ſonſt, ſo viel an uns, daran ſeyn, daſs die Berahtſchlagungen und Schlüſse nicht gehindert, ſondern mæglichſter maſſen beſchleuniget, und die in gedachter* propoſition *angezogene, wie auch die von uns unter wæhrendem Reichs-Tag etwann noch weiters* proponirende *und ſonſten jedesmahl obhandene* materien *von dem Chur-Mayntziſchen Reichs-* Directorio proponirt *und zu gebührender Erledigung gebracht werden mægen.*

(b) *Alium procedendi modum*) Quodſi autem abſque rerum imperii detrimento fieri poteſt, ut ordo imperatoriæ propoſitionis retineatur, eum ſequendum eſſe exiſtimarem, cum imperii caput ſit, quod proponit, nec inde ordinum libertati aliquid decedere queat. Hinc cum ad comitia anno 1663. rediretur, ut ordo cæſareæ propoſitionis in deliberando obſervaretur, per majora conſtitutum eſt. Quomodo autem propoſitionis cæſareæ puncta, in membra deliberationibus ſubjicienda dividenda ſint, a directoriorum pendet arbitrio.

(c) *Imperii receſſibus*) Tales ſunt de anno 1530. 1532. 1555. 1559. 1566. 1570.

(d) *Monopolia*) *Capitul. Joſephi art.* 19. *Caroli VI. art.* 7. Monopolia & propolia ut imperio admodum noxia in *receſſibus imperii* quoque *de anno* 1526. §. 26. 1529. §. 34. *& ordinat. politic.* ſunt prohibita. Nonnunquam tamen monopolia commerciis expediunt. Vide SCHNEIDERI *diſſ.* quam LYNCKER *de art.* 19. *capitul. Joſephina* allegat. Adde MAVRITIVM *ad art.* 20. *capitul. Leopoldi.*

(e) *Circuli Burgundiæ*) MAVRITIVS l. c.

(f) *Portoriorum, vectigalium*) JOSEPHI *art.* 20. CAROLI VI. *art.* 8. Non autem imperator abſque omnium electorum conſenſu veteres vectigalium, & quæ huc ſpectant, ut ſunt acciſæ, licentiæ, juris Gervanii, ſtapulæ & emporii conceſſiones prorogare aut talia de novo concedere poteſt, ita ut unius diſſenſus hic plus valeat, quam reliquorum conſentientium ſuffragia. Hoc autem ad regem Pruſſiæ, ut electorem Brandenburgicum non pertinere dicunt, quippe cum FRIDERICO FERREO electori a Friderico III. imperatore datum ſit privilegium, nova in terris Brandenburgicis inſtituendi vectigalia, veteraque novis augendi acceſſionibus. Hoc tamen privilegium ſi quidem exiſtat, ad ducatum Magdeburgicum & principatum Halberſtadienſem aliasque regis Pruſſiæ terras, electoratui haud inſertas, non ſpectat. Promittit etiam imperator, quod, antequam veteris vectigalis continuationem aut novum vectigal permittere velit, monita eorum, quorum intereſt, ne tale quid concedatur, & circuli, cujus illud impetraturus membrum eſt; audiantur. Eximuntur autem a vectigalium, & ſi quæ alia ſunt hujusmodi expenſæ nomina, onere legatorum ad conventus imperii, collegiales, deputationum & circulares mobilia & conſumtibilia, ſi ad loca congreſſui deſtinata mittuntur, aut inde etiam ab eorum viduis & heredibus repetuntur. Immunitate etiam hac gaudent aſſeſſores cameræ imperialis & judicii aulici. *Ordinat. cameral. part.* 1. *tit.* 49. §. 1. *R. J. de anno*, 1654. immediata imperii nobilitas ex cæſareo privilegio, quod refert BVRGEMEISTER *in cod. diplomat. immed. nobilitatis*, ut & ſtatus imperii eorumque conſiliarii & miniſtri intuitu illarum rerum, quas in proprios convertunt uſus. R. J. de anno 1500. §. item *ſollen und wollen*, de anno 1521. §. item *ſollen*; MEDITAT. *ad capit. Joſephi* pag. 252. AVCTOR *annotat. ad capitulat. Caroli VI. pag.* 54. de *HOPFENGARTEN exercitatio de jure vectigalium in imperio Gemanico ſectione II.* §. 7. ſeqq.

(g) *Exportandis*) Sæpiſſime in comitiis de exportandis & importandis rebus deliberatum eſſe, acta comitialia docent. Quod autem deliberationum illarum nullum hactenus perceperimus effectum, nulla alia videtur eſſe cauſa, quam quod imperii membra in paſſionibus ſuis multum diſcrepent, & non easdem ſectentur utilitates.

(h) *Res monetaria*) *Capitulat. JOSEPHI art.* 32. *CAROLI VI. art.* 9. *R. IMPER. de anno* 1570. §. 133. *de anno* 1593. §. 54. ſeqq. Atque in his receſſibus conſtitutum, ut in quovis circulo tres aut quatuor urbes deſignentur mo-

ſtatuum eo allaborare velit, ut defectus rei monetariæ corrigantur. *Artic.* 34. absque *electorum præſcitu* (a) & ſpeciali aſſenſu privilegium cudendæ monetæ cuiquam ſe conceſſurum imperator negat. Quod ad exercitium vero & jus cudendæ monetæ, in iſta capitulatione *nil habetur.* (b) Notum autem eſt alias, quod illud exerceant & imperator & ſtatus imperii immediati omnes, quidam etiam, *qui mediate* (c) imperio ſubſunt, idque vel privilegio vel præſcriptionis titulo tenent. Vid. Speidel. *Notab. p.* 671.

XXXVIII. *Quinto* in cenſum rerum civilium quoque veniunt *vectigalia.* Quæ item conſiderantur vel ut conſtituenda, vel ut jam conſtituta. Jus conſtituendi, concedendi, extendendi, & prorogandi *vectigalia*, (d) commune eſt imperatori & electoribus; ita tamen, ut etiam vicini Status, quorum intereſt, ſatis audiantur, & ſinguli electores conſentiant, quandoquidem majora hic attendenda non ſunt, ubi ſcilicet de præjudicio tertii agitur. Et vero vectigalibus novis nihil debet detrahi iis teloniis, quæ electores, principes & ſtatus dudum tenent. *Artic.* 25. Si qui vero de facto in terris ſuis aliquam pecuniam exegerint, quocunque nomine id fuerit factum, ſique alii abuſus circa vectigalia invaluerint, promittit imperator, de his omnibus cognoſcere, eaque abolere & in immorigeros animadvertere. Ipſis etiam electoribus, principibus & ſtatibus, novis ejusmodi exactionibus læſis, poteſtas ſit, damna & onera ejusmodi, quocunque optime queant modo, a ſe ſuisque *amoliri* (e) *d. art.* 21. *&* 22. Conſtituta quod attinet, imperator eadem electoribus, principibus & ſtatibus confirmat *art.* 21. litium circa eadem emergentium deciſionem *ad ſe trahit*, (f) cameræ jurisdictionem ſuſpendit, & ſi quæ ad eandem fuerint delatæ, revocat. *Art.* 24. *d. capit.* Pollicetur etiam privilegia, mandata, exemtiones & immunitates, juri vectigalium electorali contrarias, abrogare, nec poſthac novas indulgere. *art.* 25.

XXXIX. *Sexto* ad res civiles ſpectant etiam *collectæ & contributiones*, de quibus in Leopoldina capitulatione imperator *art.* 17. promittit, quod juxta tenorem inſtrumenti pacis *easdem imperare velit.* (g) In inſtrumento pacis vero *art.* 8. §. 2. cavetur, quod ſuffragiis electorum, principum & ſtatuum id fieri debeat; ſicut etiam eorum conſenſum ſatis loquuntur receſſus imp. cumprimis *de anno* 1567. §. 16. *& ſeqq. & de anno* 1603. §. 7. Ex quibus apparet, ordines principio noluiſſe conſentire in collectas illas extrordinarias ab imperatore indictas; ubi vero tandem *pecuniaria ſubſidia* (h) libere & ex benevolentia, uti loquuntur, conferre decrevere, imperator grato pectore

netariæ, in quibus eorum ſtatuum, qui nullis auri aut argenti fodinis inſtructi ſunt, nummi ſint fabricandi. Cauſa haud dubie hæc eſt, ut æſtimatores monetarum, quos *Wardinos* vocant, eo rectius rei monetariæ invigilare queant. Monet tamen FRITSCHIVS *ad capitulationem Joſephi*, contra ſalubre hoc inſtitutum in uno circulo decem ſæpe & plures inveniri urbes monetarias. Ea autem loca, quæ in publica lege ad monetandum non ſunt deſtinata, dicuntur: *Die Heck-Muntzen*, id eſt, loca monetaria clancularia & in obſcuro latitantia. Germani enim dicunt de homine, qui ſemper in angulo domus latitat, & ſe hominum ſubtrahit oculis: *was heckeſt du da?* Cæterum in imperii receſſibus contra hujusmodi monetas conſtitutum eſt. Vide *edictum monetarium de anno* 1680. in LVNIGII *archivo imperii part. generali pag.* 355. Nec non in capitulatione Joſephi & Caroli VI. circulorum directores, ut clancularia iſta loca monetaria deſtruant, jubentur.

(a) *Electorum præſcitu*) Ante Maximiliani II. capitulationem liberum fuit imperatori, cuicunque jus monetandi concedere, poſtmodum vero capitulationibus inſertum, ut hoc citra electorum conſenſum fieri non poſſet. In Leopoldi capitulatione additum: *ohne abſonderliche Einwilligung und* conſens, quod & in Joſephina & Carolina reperitur. Denique in Carolina ex perpetuæ capitulationis projectu adjicitur: *auch billige Beobachtung desjenigen Creys-Bedencken, darinnen die neue Müntz-Stadt geſeſſen.* Notum mihi eſt ex actis comitialibus, ab ordinum nonnullorum legatis monitum eſſe, ut capitulationi inſeratur, principum ſtatuumque etiam conſenſum ad jus cudendæ monetæ concedendum requiri, atque legatus Brunsvico-Grubenhagenſis urgebat, in Friderici II. hiſtoria exempla haberi, quod omnes imperii ordines monetalibus adfuerint conceſſionibus. Sed maxima legatorum pars in contrariam abibat ſententiam; igitur in projectu capitulationis perpetuæ hic nihil mutatum eſt.

(b) *Nil habetur*) In projectu capitulationis perpetuæ art. 9. eſt imperatorem ad id cum ſtatibus incubiturum, ut monetæ defectus emendetur. Vide *capitul. Joſephi art.* 32. 33. *Caroli VI. art.* 9. Deinde in illos, qui jure monetandi regali abutuntur, ſtatutum eſt, ut eo priventur, &, quod plane recens eſt pœna, ſimul a voto & ſeſſione in comitiis ſuſpendantur, nec niſi damno dato refuſo in comitiis imperii priſtinis juribus reſtituantur.

(c) *Qui mediate*) Talium mediatarum civitatum numero olim erant HVXARIA, HALBERSTADIVM, HANOVERA, OSNABRVGA, MINDA, MONASTERIVM, HILDESIA, NORDHEIMA, BRVNSVIGA, ROSTOCHIVM, STRALSVNDA, STETINVM. ARNISÆVS *de jure majeſtatis lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. Quarum civitatum maxima pars illo jure hodie non amplius utitur. Quod ſi quis mediatorum monetæ cudendæ jure abutatur, a principe, cui ſubeſt, in eum animadvertendum eſt, isque perpetim ille privandus eſt jure. Neque mediato jus illud absque electorum conſenſu & auditis antea circulo, eoque principe, cui ſubeſt, concedi debet. Vide finem *art.* 9. *capit. Caroli VI.* Cæterum res monetaria multas inutiles quodammodo comitiorum peperit deliberationes, de quibus alibi agendum erit.

(d) *Vectigalia*) Vide, quæ dicta ſunt ad §. 36.

(e) *Amoliri*) Vid. STRYKII *diſſert. de via facti principibus permiſſa.* Imo proprie dici nequit, quod hoc privata fiat autoritate, cum adſit voluntas cæſaris.

(f) *Ad ſe trahit*) Ita, ut lites ſuper conceſſione teloniorum, in ſolo judicio aulico ſint ventilandæ. Rationem hanc aſſignant, quod teloniorum privilegia a ſolo imperatore cum electorum conſenſu concedantur, igitur camerali controverſias deſuper exortas non ſubeſſe judicio. Vide tamen MAVRITIVM *ad art.* 24. *capitul. Leopoldina.*

(g) *Easdem imperare*) Olim tributorum indictio ſolius imperatoris & electorum arbitrio relicta fuit. *Capitulatio* CAROLI V. *artic.* 12. FERDINANDI I. & RVDOLPHI II. *art.* 11. MATHIÆ *art.* 12. FERDINANDI II. art. 20. Inſtrumento autem pacis *art.* 8. §. *Gaudeant*, conſtitutum, ut ad imponenda tributa & reliqui concurrant imperii ordines. Adde capitulationes FERDINANDI IV. art. 14. LEOPOLDI art. 17. JOSEPHI art. 16. CAROLI VI. art. 5. An autem, in materia collectarum, majoris partis ſuffragiorum ratio habeatur, ex Weſtphalica pace ad comitia eſt transmiſſum, in quibus hactenus indeciſum manſit. Vid. HENNIGES *in meditat. ad inſtrumentum pac. pag.* 884. Rem autem variis expedire ſatagunt diſtinctionibus. Vid. MONZAMBANO c. 5. §. 26. REINKINGIVS *de regimine ſeculari & eccleſiaſtico lib.* 5. *claſſ.* 5. *cap.* 8. *n.* 7. STRAVCHII *exercit. exot.* 7. *theſ.* 3. MAVRITIVS *ad art.* 16. *capitulat. Leopoldi.*

(h) *Pecuniaria ſubſidia*) Exortæ etiam ſunt in imperio noſtro de modo collectandi controverſiæ. Anno 1431. 1476. 1486. 1500. 1512. 1542. 1544. onera ſecundum commu-

pectore eadem acceptat, & gratiam, amicitiam & officia ſua promittit. Quin ex ipſo Receſſu *de anno* 1567. §. 20. colligitur, imperatorem ſolum nequidem terminum ſolutionis invitis ordinibus mutare vel conſtringere poſſe. Porro ſicut imperator ſolus poteſtatem ordines tributis onerandi non habet, ita etiam alicui immunitatem ab iiſdem, *in præjudicium cæterorum*, (a) concedere nequit *d. Art. 17. capit. Leop.* ſed itidem electorum, principum & Statuum voluntatem hac de re explorare neceſſe habet. *R. I. de Anno 1542. §. 97.* Ex eodem *Art. 17.* obligatus eſt imperator, ut pecuniam ab ordinibus collatam nulli alii rei, quam cui deſtinata eſt, impendat. Quia vero collectæ vel ordinariæ ſunt vel extraordinariæ, & illæ jam ex legis definitione tempore & quantitate ſunt definitæ, de extraordinariis, quæ jam dicta ſunt, debent intelligi. Referri huc etiam poteſt *Art. 29.* in quo imperator pollicetur, ſe collectas aliasque *præſtationes civitatum* (b) ad imperium pertinentes, & ab aliis hactenus uſurpatas, ad illud iterum tracturum eſſe, niſi legitimo collegii electoralis placito aliis fuerint permiſſæ.

XL. *Septimo*, rebus civilibus annumerantur hodie etiam *Poſtæ*. (c) De quibus, quod in comitiis debeat deliberari, haud obſcure indicat *Articulus 35. Capit. Leopold.* Imperator enim ſtatim ab initio eam materiam, juxta inſtrumentum pacis ad futura comitia remittit. Fit autem mentio Poſtarum in *Inſtr. Pac. art. 9.* cui jungi debet *art. 8. §. 2.* ibi: *aliave ejusmodi negotia &c.* & poſtea etiam promittit, quod juxta conſtitutionem in *Rec. Imp. de anno 1641.* factam (§. 93.) eo velit allaborare, ut regale illud Poſtarum floreat & conſervetur, omniaque ejus damna & impedimenta removeantur.

XLI.

nem denarium ſunt impoſita. Alius modus anno 1528. eſt adhibitus, *eine allgemeine Haupt-Steur.* Notiſſimus omnium eſt, quando tributa ad calculum expeditionis romanæ exiguntur, qui, licet receptiſſimus ſit, ſua tamen etiam habet incommoda. Matricula enim de anno 1521. quam multi receſſus, ut de anno 1551. 55. 66. 82. 94. 1654. pro norma ponunt, non unis laborat defectibus, unde anno 1545. 51. 57. 67. 77. in quam plurimis locis eſt correcta.

(a) *In præjudicium cæterorum*) Controvertebatur in comitiis hodienum adhuc durantibus, nimirum anno 1663. an imperator matricularem moderationem indulgere poſſet. Et diſtinguebant nonnulli inter remiſſionem & moderationem. In capitulatione autem Caroli VI. art. V. hæc leguntur: *So ſollen wir auch ſelbſt keine exemptiones oder moderationes der Anſchlage und matricul ohne Vorwiſſen und Verwilligunge der Churfürſten, Fürſten und Stande des Reichs ertheilen.* Deinde ventilabantur quoque quæſtiones, an moderationis materia comitialis eſſet, an vero in conventu deputatorum aut circulari pertractanda. Audiamus hac de re *capitulat. Caroli VI.* loquentem: *Auf einen allgemeinen Reichs- oder abſonderlichen moderations-Tag rechtmaſſig und forderſt vorgenommen.* Neque tamen inde moderationis materiam a conventibus circularibus penitus relegatam puto, ſed ibi ea præparata, poſtea ad comitia aut moderationis conventum transmittitur. Vid. receſſ. Auguſt. de anno 1582. §. 65. LONDORP. *tom. VII. p. 96.* Altera quæſtio eſt, an in moderationis materia pluralitas votorum ſit attendenda, ubi nonnulli negativam amplectebantur, quoniam hæc res ad collectarum materiam ſpectaret. Affirmativæ e contrario addicti ſententiæ dicebant, in omnibus negotiis, quæ non ſpecialiter excepta ſunt, majora rationem integri habere RECESS. *Imp. de anno 1512. §. 7. ORDINAT. regim. Worm. de anno 1521. §. 12. R. I. de anno 1542. §. 25. 1576. §. 98.* Hanc veriorem puto, præſertim cum nondum deciſum ſit, quid in materia collectarum hic obtineat.

(b) *Præſtationes civitatum*) *Capitulat. JOSEPHI art. XXVIII. CAROLI VI. art. XI. LIMNÆUS ad capitul. Caroli V. art. XXIII. MAURITIUS ad capitulat. Leopoldi art. 29. SCHILTER. in jure publico tom. II. p. 99. HEIDERUS diſc. 1. von Reichs-Vogtheyen p. 23. HENNINGES de jure imperii circa profana cap. 5. KNIPSCHILD de juribus civitat. imperii cap. 4.* LYNCKER *ad art. 28. capitulat. Joſephi.*

(c) *Poſtæ*) *Capitulat. JOSEPHI art. 34.* CAROLI VI. *art. 29.* Notæ ſunt de jure poſtarum controverſiæ inter principem de TAXIS generalem per imperium jure feudi poſtarum magiſtrum, & comitem de PAAR eodem jure magiſtrum poſtarum cæſaris aulicum, de facultate transmittendi literas ad imperialem aulam in comitiis, aut locis, electioni vel coronationi deſtinatis, commorantem. Quæ utriusque partis ſunt argumenta, refert HORNICK *de regali poſtarum jure lib. 2. cap. 26. LIMNÆUS in addit. ad J. P. tom. 5. lib. 2. cap. 3.* add. LONDORP. *tom. 5. lib. 2.* & HENNIGES *ad art. 34. capitulat. Joſephi.* CORPUS *ſanctionum pragmaticarum p. 887. ſeqq.* Transactio quidem inita Moguntino arbitro: Verum Paarius eam ratam habere noluit, nihilominus tamen per judicium aulicum eſt confirmata. CORTREJUS *de regali poſtarum jure N. 13. ſeqq.* LUNIG. *Reichs-Archiv parte generali pag. 461.* Quod reliquum, varia principum imperii contra generalem poſtarum magiſtrum exſtant gravamina, inter quæ & hæc erant, quod peregrini poſtæ officiis præficerentur, ſeſeque oneribus realibus in Statuum territoriis, ubi domicilium fixerant, ſubtrahere vellent. Hinc conſtitutum; ut nulli poſtarum imperialium officiis in ordinum territoriis, præter imperii ſubditos, præficiantur; deinde ut ab oneribus perſonalibus, non autem realibus ſint immunes. *Capitulat. Caroli VI. art. 29.* Cumque hi, quibus generalis poſtarum magiſter, res poſtarum in imperio commiſerat, elatius ſe gerere inciperent, nec æquitati & juſtitiæ in exigendis mercedibus pro transferendis rebus & perſonis ſatis ſtuderent, ordines imperii de poſtis provincialibus inſtituendis cogitarunt. Hanc rem in actum deductam, iniquo generalis poſtarum magiſter tulit animo, ſuo aliquid inde decedere lucro ratus, & ut cæſarea hic niti poſſet ope, imperialibus inde detrahi reſervatis, locutus eſt. Status e contrario ad jus ſuum territoriale provocabant. Excitabantur etiam literarii pugiles, ex quibus HORNICK & TURRIANUS, ſub quo Zimmermannus Hildeſienſis Cancellarius latitat, reſervatorum cauſam agebant. ACKOLTUS vero ſive OCKELIUS juris territorialis vires ad jus poſtarum ſe extendentes explicabat, adverſariorumque argumenta magnam partem juris Juſtinianei themata conglomerantia refellebat. Nec non ſtatuum cauſa *in der* information *über der Reichs-Stande Botten-Weſen* ſtrenue agitur. Qui pro ſummo poſtarum magiſtro imperiali verba faciebant, potiſſimum urgebant præſcriptionem. Sed ab Ordinibus, poſtas provinciales conſtituendi, res meræ facultatis dicebatur, cui, cum ex parte imperatoris prohibitio haud acceſſiſſet, præſcribi nunquam potuiſſet. Sufficere, quod curſum poſtarum imperialium, ubi ſtabilitus eſſet, impedire nollent. Conf. LIMNÆUS *ad art. 35. R. J. de anno 1542. §. und damit,* CAPITULAT. *Leopoldi art. 35.* FRITSCHIUS *in continuat. elect. & ad capitulat. Joſephi p. 128.* LYNCKER *ad art. 34.* CAPITULAT. *Joſephi.* BAIER *in ſpecimine juris german. Lib. 2. cap. 1.* Quod autem hac de re nihil hactenus capitulationibus ſit inſertum, aut in projectu capitulationis perpetuæ reperiatur, cauſa tradente LYNCKERO hæc eſt, quod hactenus principes nondum inter ſe, aut cum electoribus de capitulatione perpetua cum eis deliberantibus de re poſtarum convenire potuerint; conſtitutum tamen fuit, ut capitulationi perpetuæ inſeratur: *Daſs Churfurſten und Stande bey ihren der Poſten halber gemacht- und noch machenden Lander-Ordnungen zu laſſen, und darinnen von niemanden beeinträchtiget, gehindert noch dawider auf einerley Weiſe beſchweret werden ſollen.*

XLI. *Octavo* potiſſimam rerum civilium partem, quorum differentia reſpublicas ipſas differre facit, conſtituunt *Judicia* Ariſtot. *lib. 4. Pol. cap. 15.* In judiciis exercetur jurisdictio: cujus in bona & perfecta republica exterus aliquis princeps non debet eſſe particeps. Hinc prudenter quædam ſancita ſunt *in artic. 8. noſtræ capitul.* de revocandis aut reſtringendis literis *protectionum*, (a) exteris principibus antehac conceſſis. Ipſa vero judicia Germanica, quia jam ſunt conſtituta, de jure ea conſtituendi non opus fuit capitulationi quicquam inſerere. Notum enim eſt alias ex *R. I. de anno 1595. pr.* *Judicium cameræ Spirenſis* (b) ab imperatore conſilio & placito electorum, principum & Statuum fuiſſe introductum. Multa inſuper ſalutaria ſunt conſtituta, tam quoad perſonas judicantes & modum procedendi, quam qua res & perſonas huic judicio ſubjectas, in Receſſibus imperii paſſim & cumprimis in *Ordin. Cam. de anno 1555.* ubi inter alia notari hic meretur, primo, quod perſonæ judicantes *partim a cæſare*, (c) partim ab electoribus, partim a ſex circulorum Statibus ordinentur *p. 1. de Ord. Cam.* Deinde, quod *reviſio actorum*, (d) quæ quædam quaſi provocatio eſt, fiat a delegatis cæſaris & ordinum. d. O. C. *P. 3. tit. 53.* & denique quod *executio in condemnatum* (e) immediate imperio ſubjectum fiat a circulo, cui ipſe eſt addictus *d. O. C. P. 3. tit. 48. & 49.* Addi his poſſunt ea, quæ in *Inſtr. Pac. art. 5. §. 53. & ſeqq.* & R. I. *noviſſimo* (f) ſunt propoſita. Quæ

(a) *Protectionum*) De literis protectoriis, quæ juribus imperii aut ordinum territorialibus adverſantur, non dandis nec confirmandis, vel etiam revocandis, hic agitur. Cæterum vi juris fœderum Statibus non ſolum in Germania, ſed & extra eam ſibi protectores adſciſcere licet: modo illud in imperii detrimentum non vergat. MAURITIUS *ad hunc artic.* CAPITULATIO *Joſephi art. 8.* CAROLI VI. *art. 27.*

(b) *Judicium cameræ Spirenſis*) Communiter ejus originem non Friderico III. ſed Maximiliano I. adſcribunt. DATT *vol. IV.* Sunt tamen, qui putant, a Maximiliano I. tantum eſſe reſtauratum, ut FREHERUS apud LONDORP *tom. I. act. publ.* & alii, quos citat MAURITIUS *de judicio Rothwilenſi cap. 1. §. 9.* Suadente autem Moguntino Maximilianum autorem habuiſſe dicunt, ob cauſarum multitudinem, cum tot illo tempore nondum eſſent exemtionis privilegia, & ut querelis ordinum, imperio Germanico immobile deeſſe judicium, cum aulicum demigrantem cæſarem ſequeretur, ſatisfieret. SCHWEDER *part. ſpecial. ſect. I. cap. 13.* qui & alia ad hoc judicium ſpectantia pertractat.

(c) *Partim a cæſare*) Cæſar conſtituit judicem & quatuor præſides, quorum duo catholicæ, alteri vero evangelicæ religioni ſunt addicti. Quod ad judicem attinet, proteſtantes contendebant, ut hoc munere catholicus & evangelicus per vices fungerentur; ſed hoc a Catholicis obtineri non potuit. Aſſeſſores, ex Weſtphalicæ pacis lege, quinquaginta numerum implere deberent, quorum viginti quatuor evangelici & viginti quatuor catholici præſentare deberent, duobus catholicis adhuc imperatoris præſentationi reſervatis. Sed vix duodecim aut quatuordecim hoc munere hodie funguntur, quod præſentantium ſumptibus ali debeant, & tot adhuc ſummæ tam demortuorum viduis aut liberis, quam viventibus aſſeſſoribus ſint ſolvendæ. Vid. *inſtrument. pac. art. 5. §. 53. 54. 57.*

(d) *Reviſio actorum*) De hac ex profeſſo egerunt BENDERUS & ZEPPERUS, quibus adde BLUMIUM *de proceſſu camerali tit. 78. 79.* RODING. *in pandect. cameralib. lib. 3. tit. 60.* SCHWANEMAN. *in proceſſu camerali cap. 75.* & *in differentiis juris civilis & cameral. different. 8. 33.* Oportet autem, ſi reviſio locum habere debet, ut ſumma litis in ipſa ſorte 2000. imperiales complectatur, & ut cauſa jure communi ſit appellabilis. *R. I. de anno* 1654. §. 125. 127. SCHWEDER *l. c. cap. 13. §. 15.* Ab electore Moguntino ex tenore noviſſimi receſſus intra 4 menſes a die latæ ſententiæ ſub deſertionis pœna eſt petenda, & ſi Moguntinus litigantis numero eſt, Trevirenſis eſt adeundus. Datur deinde reviſionem petenti ſchedula ex Moguntini aut Trevirenſis cancellaria, quæ cameræ exhibenda, præſtito ſimul juramento & adjunctis gravaminibus. Poſtquam jam reviſioni locus datur, id a Moguntino tres menſes ante Kalendas Maji cæſari & iis ordinibus, penes quos eſt jus mittendi legatos ad annuas viſitationes, ut conſiliarios ſuos ad illam mittant reviſionem. Et cum hi in loco, ubi judicium camerale habetur, comparuerint, reviſionem impetrans certam pecuniæ ſummam pro ratione perſonarum aut cauſarum gravitate determinandam in cameræ lectoria deponere, aut de ea cavere tenetur, pauperem ſub juratoria admittunt cautione. Quod ſi vero reviſione utens cauſa cadat, pecuniam illam perdit, quam victor recipit, pauper autem luit in corpore. *R. I. de anno* 1654. §. 126. Reviſio ipſa hoc modo fit. Conveniunt reviſores præſtito prius juramento, quod hunc in finem in camerali ordinatione eſt præſcriptum, cum cameræ aſſeſſoribus, revocato hiſce in memoriam juramento, quo ſub officii accepti initium ſe adſtrinxerunt. Ponderantur deinde ab utriſque acta & cameræ aſſeſſores ſententiæ prioris latores ejus aſſignant rationes, reviſores vero cauſæ momentis, quæ in actis habentur, trutinatis ſententiam ferunt. Quod autem ad executionem attinet, ea licet ſententia reformetur, juſſu cameræ fit. Oritur hic quæſtio, utrum reviſio tantum effectum devolutivum, an etiam ſuſpenſivum habeat? Hæc quæſtio virorum in praxi camerali verſatorum mirum in modum ingenia exercuit. BENDERUS *de reviſione concluſ.* 20. THILEMANNUS DE BENIGNIS *in ſyntagmate obſervat. cameralium decad. V. vot. 7.* cum aliis, devolutivum tantum ipſi tribuunt effectum: ſuſpenſivum vero GAIL. *Lib. 1. obſervat. 135. n. 13. & obſervat. 145. n. 3.* FRIDERUS *lib. 2. de mandatis cap. 28.* MEURER. *part. 3. de reviſione fol.* 36. Atque hæc ſententia confirmata eſt *in receſſu deputationis Spirenſi de anno* 1600. §. 149. Sunt tamen caſus, ubi ſi legitime fuit cautum, & poſt illum receſſum effectum tantum habuit devolutivum. Confer SCHWANEMAN. *different. 8. jur. civil. & cameral.* Imo *ex receſſu imperii de anno* 1654. §. 124. in omnibus cauſis poſt receſſum illum interpoſitis effectu tantum gaudet devolutivo, præſtita ſufficienti cautione; excipiuntur tamen cauſæ poſſeſſoriæ, religionis & ſpirituales, decimarum & juris patronatus. Cumque juxta *J. P. art. 5. §. 55.* diſpoſitionem, ordinatio cameræ imperialis, quoad proceſſum etiam in judicio aulico obſervari debeat, quod & in *ordinatione judicii aulici tit. 5. §. 6. & capitulat. Leopold. art.* 41. confirmatum eſt, nullum eſt dubium fore, ut omnes imperii ordinationes cameræ proceſſum concernentes aulico ſint applicandæ judicio. Imo quod beneficium ſupplicationis effectum ſuſpenſivum habeat, ex ipſo inſtrumento pacis conſtat, ubi dicitur: *ne partes litigantes ibidem omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur.* Confer. UFFENBACH *de judicio aulico cap.* 23. §. 4. Adde capitul. Caroli VI. art. 17. Sunt adhuc alia duo remedia, quæ partibus aliquando uſui eſſe poſſunt, nimirum *reſtitutio in integrum* & ſyndicatus, de quibus vid. SCHWEDER. *l. c.* §. 16. RUTJERUS RULANT *de commiſſ. part. 1. Lib. II.* SCHWANMANN. *different. juris civil. & cameral. 54. & in proceſſu camerali Lib. 1. cap. 74.*

(e) *Executio in condemnatum*) Regulariter executio circulorum præfectis, & ſi illi deficiunt, circulorum directoribus demandari debet. Ita enim eſt in exſecutionis ordinatione, ad quam provocatur in capitulatione Caroli VI. In caſu inſtrumenti pacis peculiari art. XVI. §. 1. directores & præfectus circuli conjunguntur. Ne autem exteri forte ſeſe rebus imperii immiſcere, & talem exſecutionem impedire audeant, imperator ſe rem judicatam contra quoscunque tuiturum promittit. *Capitulat. Caroli VI. art. 17.*

(f) *Noviſſimo*) *LUNIGII archivum imperii parte generali p. 163.*

Quæ vero noſtra capitulatio de hoc judicio habet, leguntur *art. 26.* vi cujus imperator non debet proceſſum cameræ *ſufflaminare* (a) aut cohibere, quo minus ſententiæ in ea dictæ executioni dentur, & *Artic. 42.* juxta quem imperatori lites in judicio Cameræ pendentes *ad judicium aulicum trahere*, (b) aut quocunque modo contra easdem reſcribere, non eſt integrum. Nominari etiam hic debet articulus generalis tertius, in quo omnia jura & privilegia ordinum confirmantur, quo etiam participatio jurisdictionis referenda. Maxime omnium notabiles ſunt *art. 15. & 18. in pr. & fine*, quibus imperator impeditur diſponere de juribus principum aut diſcrepatione aut per vim, ſive *ipſi cum ordinibus*, (c) ſive ordinibus invicem controverſia intercedat. Econtrario permittere tenetur, ut res *ordinaria juris ratione* (d) decidantur. Huc pertinent etiam verba finalia *art. 42. Auch kein Stand des Reichs in Sachen, ſo* præviam cauſæ cognitionem *erfordern, mit Kayſerl.* decretis *aus dem geheimen Rath beſchweret noch dieſelbe* in judicio *angezogen werden ſol.* Sileo jam, ipſam jurisdictionem imperii variis exemtionibus & privilegiis *de non appellando* (e) valde eſſe reſtrictam. Bene hoc

(a) *Sufflaminare*) *Capitulat. Joſephi art. 37. 41.*

(b) *Ad judicium aulicum trahere*) In capitulatione Caroli VI. l. c. hæc habentur: *Dem Proceſs dieſer Reichs-Gerichte ſeinen ſtarken Lauff, auch keinen von den andern eingreiffen, oder* proceſſus avociren, *vielweniger über die* ſententias *und* judicata cameræ *von unſern Reichs-Hoff-Raht, unter was vor* prætext *es ſey*, cognoſciren *laſſen.* Non una eſt cauſa, quam a ſe per judicium aulicum avocatam eſſe, camera imperialis eſt conqueſta. AUCTOR *annotationum ad capitulat. Caroli VI.* memorat. Bentheimenſem, Tecklenburgenſem, Culembacenſem & Onelsbacenſem, Naſſavio-Sarbruccenſem, Caſtellenſem cum immediata nobilitate & Haſſiacam contra vallem inhabitantes, Buſſiacam. Acta in FABRI *cancell. Stat.* reperiuntur. Hac occaſione comparuit etiam imperii concluſum ad cæſarem: *Daſs dero Reichs-Hoffraht, die beym Cammer-Gerichte Rechts-hangende Sachen wider dahin verweiſen mœgte.* LVNIG *parte generali archiv. imperii pag. 315.* Nec hæc avocatio locum habet, etiamſi in camera ſit juſtitium. Merentur hic adjici ex actis comitialibus de anno 1706. ſequentia voti Onoldici & Culembacenſis verba: Daſs ſolches dem letzten Reichs-Abſchiede §. ebenmæſſig entgegen ſey, und der Wahl-*capitulation §. 41.* welcher *general*-Regul der Kayſerliche Reichs-Hoffraht vor ſich ſelbſt keine *exceptiones* weder unter den Namen *periculi in mora*, einer *proviſional*-Verordnunge, oder *in ordine ad exſecutionem novorum factorum*, noch ſonſt einige andere machen könte, und folglich was der Reichs-Hoffraht gegen die Hæuſer Brandenburg Bareuth und Onoltzbach verfüget oder verhænget, *null* und nichtig ſey. Atque in hanc ſententiam non ſolum legatus Magdeburgicus, ſed & Salisburgenſis ivere, cui in principum collegio alii adſtipulati ſunt. Secuta deinde ſunt trium collegiorum concluſa, eo tendentia, ut cæſar communi rogaretur concluſo, quo judicium aulicum juberet cauſam illam Brandenburgicam adverſus civitatem Noribergenſem & alias in judicio camerali pendentes ad illud remittere.

(c) *Ipſi cum ordinibus*) *Inſtrumentum pacis art. 17. §. 7.* CAPITULAT. *Joſephi art. 14.* CAROLI VI. *art. 16. 21. R. I. de anno 1654. §. 139.*

(d) *Ordinaria juris ratione*) *R. I. de anno* 1555. §. 31.

(e) *De non appellando*) Hoc jure fruuntur electores ex aureæ bullæ tit. 8. & 11. Bavarus autem ex Ferdinandi III. diplomate de anno 1638. & Brunſuicenſis elector ex A. B. extenſione ad ſuum electoratum, quanquam ſeptem illorum electorum aliqui ab hujus juris uſu abſtinuerint. Hinc Moguntino, Colonienſi & Palatino a Ferdinando III. privilegium hoc denuo confirmatum eſt, utut Colonienſis ex concluſo diætæ provincialis eo non utatur, niſi in cauſis poſſeſſoriis, ubi petitorium reſervatum & ſumma, ſuper qua litigatur, mille aureos non excedat. Trevirenſis vero ex Ferdinandi I. diplomate privilegio de non appellando utitur, tantum in cauſis momentaneæ poſſeſſionis, nec non ubi ſumma quingentos aureos non excedat. Conf. *catalogus privilegiorum S. R. I. electorum, principum & Statuum de non appellando p. 7. ſqq.* Tale ab initio etiam erat Colonienſis privilegium ex diplomate Maximiliani II. quod deinde ex Mathiæ diplomate ad quingentos aureos auctum fuit. Notandum hic eſt, omnino illum, qui privilegium a priori diverſum impetrat, a priore diſcedere velle, manifeſtum reddere. Præter electores privilegio de non appellando alii etiam imperii ordines vel in totum vel in tantum, ut loquuntur, gaudent, quodque ipſis ſalvum eſſe debet. *R. I. de anno* 1654. §. 3. Ad priorum cenſum ſpectant Auſtriæ archiduces, duces Saxoniæ, rex Sueciæ, duces Lotharingiæ, Wurtenbergiæ. Vid. SCHWEDER. *part. ſpec. Sect. 1. c. 11. §. 3.* Ex poſteriorum numero ſunt duces Brunſvicenſes ex privilegio Ferdinandi III. in cauſis injuriarum & debitis liquidis & confeſſatis, nec non ſi ſumma 2000 florenos aureos non excedat. Marchiones Brandenburgici Franconicæ lineæ ex diplomate Ferdinandi II. in cauſis, octingentos florenos aureos Rhenanos non excedentibus, item in cauſis injuriarum & vulnerum, *in Frevel- und Schmah-Sachen, Leibes-Schaden, Lahmungen und flieſſenden Wunden*; Magdeburgicus ducatus & principatus Halberſtadienſis ex Ferdinandi I. diplomate in immobilibus ad ſummam 600 florenis, in mobilibus autem 400 florenis inferiorem, hoc vero, ut patet, conſtitutum, antequam ſumma appellabilis quadringentorum thalerorum eſſe cœpit; ducatus *Juliacus, Clivia & Montium* ex diplomate Maximiliani II. ad 600 aureos Rhenanos. Puto tamen, terrarum harum Pruſſiæ regi parentium auctius ex Leopoldi diplomate exſtare privilegium; duces Holſatiæ ex privilegio Mathiæ & Ferdinandi III. quoad judicium aulicum & provinciale in debitis liquidis & confeſſatis, item cauſis injuriarum, ut &, ſi ſumma mille aureos non ſuperet, Landgrafii Haſſiæ Caſſelani ex diplomate Ferdinandi III. Darmſtatini ex diplomate Ferdinandi II. ad eandem ſummam; Mecklenburgenſes ad mille aureos, ſive duo millia florenorum Rhenanorum, item in debitis liquidis & confeſſatis, nec non in cauſis injuriarum; principes Oſtfriſiæ ad mille florenos Rhenanos, ſi BLVMIO fides habenda, qui privilegium hoc *in appendice comment. de jure camerali* refert, quod tamen in libris lecturæ, ut ajunt, cameralis non reperitur annotatum, item in cauſis liquidis & confeſſatis, nec non momentaneæ poſſeſſionis; de hoc teſtatur *tranſactio Oſterhuſana art.* 26. Principes Schwartzburgici in cauſis ſummam quingentorum florenorum Rhenanorum aureorum non æquantibus. Idem obtinet in *domo Schwarzenbergica*; Princeps Waldeccenſis in cauſis quadringentis aureis inferioribus; Comites Hanauenſes ex diplomate Rudolphi II. (1) in cauſis liquidis & confeſſatis, (2) in cauſis momentaneæ poſſeſſionis, (3) in cauſis ædificiorum, (4) quoad interlocuta ſimplicia. (5) In cauſis quingentos florenos non excedentibus. *Comites Oldenburgici* ex diplomate Ferdinandi II. 1. in cauſis liquidis & confeſſatis. 2. momentaneæ poſſeſſionis. 3. in cauſis ſummam mille florenorum Rhenanorum non attingentibus. *Comes Ranzovius* ex diplomate Ferdinandi III. in cauſis ad ſummam quingentorum aureorum non aſcendentibus; *Comites Reuſſi* ex diplomate Ferdinandi III. in cauſis poſſeſſoriis, ubi petitorium ſalvum eſt, & in cauſis ſummam quadringentorum aureorum non excedentibus; *Comes Konigeseggius* in cauſis 500 aureis Rhenanis non minoribus; *Barones Ingelheimii* ex diplomate Leopoldi in cauſis, quæ quingentos aureos non excedunt, *Auguſta Vindelicorum* ex diplomate Rudolphi II. in cauſis ſexcentos florenos aureos non concernentibus, nec non in debitis liquidis & confeſſatis, item cauſis ad læſionem corporis attinentibus; *Colonia Agrippina* ex diplomate Ferdinandi II. ad ſeptingentorum florenorum ſummam; *Francofurtum* 1. in cauſis injuriarum. 2. In debitis liquidis & confeſſatis. 3. In cauſis ædificationum & ſervitutum; *Hamburgum* ex diplomate Caroli V, Ferdinandi II & III. 1) In cauſis ædificia civitatum concernentibus. 2) In cauſis injuriarum. 3) mere

hoc an male ratione quidem imperii, jam non definivero. Cæterum hæc omnia qui conſiderat, diſſimulare nequit, poteſtatem jus dicendi reſidere & apud imperatorem, & apud ordines junctim: utut cæſar tanquam caput imperii hoc habeat præcipuum, quod aſſeſſores a Statibus datos confirmet, & ſententiæ nomine ejus in camera pronuncientur. *Lampad. Part. 3. c. 16.*

XLII. Cum judicio aulico cæſareo paulo aliter ſe res habet. Ejus enim origo petenda eſt ab eo tempore, quo imperatores *judices aulicos* (a) *Hoffrichter* conſtituerunt. Nec enim Status quoque ad illud introducendum concurriſſe leguntur. Si vero attendimus ordinationem ejus modernam, idem fere erit dicendum, quod de judicio camerali, ſiquidem conſtitutiones imperii, non vero facta reſpicias. Ex capitulatione Ferdinandi III. *artic. 44. & 45.* id quidem colligitur, ordinationem judicii aulici *tantum ab imperatore* (b) & electoribus eſſe ſuſcipiendam. Attamen hoc ad reliquos Status etiam extenſum eſt in mox ſubſecuto Receſſu Imp. *de anno 1641.* §. 3. 90. ibi: *So haben wir nicht allein darein gnædigſt verwilliget &c. &* 92. Id quod confirmatum eſt Inſtr. Pac. quando *art. 5. §. 55.* communi ordinum placito *proceſſus* (c) idem, qui in Camera obtinet, in judicio aulico obſervari juſſus, & *art. 8. §. 3.* Reformatio juſtitiæ ad proxima comitia remiſſa eſt. Aliter autem res fuit geſta, quam ſecundum jam laudatas conſtitutiones fieri debuiſſet. In comitiis poſt inſtrumentum pacis habitis *nihil de judicio aulico* (d) fuit actum, ſi unicum hoc excipias, quod rationi *Au-*

catoriis, cambialibus, ſocietatum, factoriarum, bodemeriarum, aſſecurationum, calculorum, 4) Intuitu interlocutorum ſimplicium; *Campidunum* in cauſis injuriarum & vulnerum, *Frevel, Schmah-Sachen und flieſſenden Wunden*; *Lubeca* ex diplomate Rudolphi II. in debitis liquidis & confeſſatis, item in cauſis quingentos aureos non excedentibus; *Noriberga* ex diplomate Friderici III. in cauſis ſummam ſexcentorum thalerorum ſuperantibus. Diplomata ad hanc materiam ſpectantia vide in LUNIGII *archivo imperii part. general. contin. II. p.* 1290. ſeqq. 1555. Adde *catalogum privilegiorum Statuum imperii de non appellando*, nuper editum. Promittit autem imperator in capitulatione, ſe cujusvis privilegia de non appellando defenſurum eſſe. *Capitulat. LEOPOLDI art. 18. JOSEPHI artic.* 17. CAROLI VI. *artic.* 18.

(a) *Auſtregarum*) Auſtregarum forum primam ſtatuum conſtituit inſtantiam, eæque tam legales, quam conventionales, illis cum electione fori, qua rex Sueciæ & domus Brunſuicenſis gaudent, ſalvas fore, capitulationibus promittitur. Vide *capitulat. Ferdinandi IV. art. 15. LEOPOLDI art. 18. JOSEPHI art. 17.* CAROLI VI. *art. 18. 19.*

(b) *Ferdinandus*) Habemus judicii aulici ordinationem Ferdinandi I. de anno 1559. quam exhibet LEHMANNVS *in actis publicis de pace religionis lib. I. cap. 37.* & Mathiæ, de anno 1614. aut deinde acceſſit anno 1654. ordinatio Ferdinandi III. a proceſſu camerali multum diſcrepans.

(c) *Et valere juſſa*) *MAURITIUS de judicio aulico §. 19. UFFENBACH de judicio aulico cap. 3.* GERHARD *de ſupremis in imperio judiciis §. 4.*

(d) *Judicantibus*) In Ferdinandi I. & Mathiæ capitulationibus aſſeſſorum numerus non eſt definitus. Cumque de hoc electores anno 1637. conqueſti ſint, imperator promiſit, ſe curaturum, ut inpoſterum præter Præſidem & Vice-præſidem, ex quatuordecim conſiliariis conſiſteret; in Ferdinandi autem III. ordinatione conſtitutum, ne numerus octodecim excederet, a quo tamen diſceſſum, cum anno 1663. numerus ille tribus equeſtris ordinis & uno jureconſulto auctus fuerit. Quod ad conſiliarios evangelicos attinet, certus eorum numerus in inſtrumento pacis non eſt expreſſus; igitur hoc ab imperatoris arbitrio dependet. Conſtitutum tamen eſt *art. 5. §. 56.* in cauſis, quando catholicus contra evangelicum & vice verſa, vel tertius interveniens alterius religionis ſit, paritatem aſſeſſorum utriusque religionis eſſe adhibendam, ibique deciſum, quid factu opus, ſi catholici in unam, evangelici in diverſam abeant ſententiam, aut ſi catholicis ex evangelicis aliquis accedat, & vice verſa. Fatendum tamen, illic tradita non ab omnibus plane remota eſſe dubiis.

(e) *Ab electore Moguntino*) Inſtrumentum pacis *art. 5. §. 56.* requirit, ut a Moguntino toties viſitetur, quoties opus fuerit: ſed addit HENNIGES in notis: *Centies profecto millies fuit opus, neque tamen judicium aulicum in hanc usque diem viſitatum meminimus, neque ſpes eſt, viſitatum poſthac iri.* Vide capitulationem Joſephi art. 41. ubi æque ac in Leopoldina art. 42. additur: *Auch nicht geſtatten, verhangen oder zugeben, daſs unſer geheimte Rahts-*collegium *ſamtlich oder ſonderlich der Reichs-Sachen, welche vor den Reichs-Hoff-Raht gehœren, ſich anmaſſe, darinn ſich einmiſche, oder auf einigerley Weiſe dem Reichs-Hof-Raht eingreiſe.* Quod autem ad capitulationem Caroli VI. attinet, ibi art. 24. ſequentia reperiuntur: *Auch ſollen und wollen wir keines weges dagegen ſeyn, daſs der Reichs-Hoffraht durch den Churfürſten zu Mayntz als des heiligen Ræmiſchen Reichs Ertz-Cantzlern, beſag Frieden-Schluſs, und alſo mit obſervirunge deſſen, was nach Anleitung und diſpoſition erſtgedachten Frieden-Schluſſes bey ſolcher viſitation zu beobachten die Stande vor gut befinden werden, wenigſt alle drey Jahr, einmal viſitiret werde.* Sed an hoc, poſtquam glorioſiſſimus noſter CAROLVS diadema ſumſit, unquam factum ſit, me latet.

(f) *Rothwilenſe*) *Capitulat. JOSEPHI art. 17. CAROLI VI. art. 18.* Eruditam diſſertationem de judicio Rothwilenſi conſcripſit MAURITIUS. Auctorem illud habuit Conradum III. qui eo Rothwilam urbem donare voluit, ut beneficio aliquo penſaret ipſi auxilia in bello adverſus Lotharium ſibi præſtita. Quanquam COCCEJUS *in jure publico c. 32. n. 40.* illud Conradi III. tempora antecedere exiſtimet. A ſolo imperatore dependet, qui judicis munus comitibus Sulzenſibus in feudum conferebat, atque obinde aliquid amplius illius domus comes, qui judicis munere fungebatur, matriculæ intulit. Nec dubito, quin eodem jure munus hoc ad principem Schwarzenburgicum pervenerit. Vide SCHWEDERUM *part. ſpeciali ſect. 1. cap. 14. §. 6.* ubi vice-præſides quoque recitat. Non autem extra Auſtriacum, Suevicum, Rhenanum & Franconicum circulos juriſdictionem ſuam oſtendit. Imo in illis circulis multi ſunt ſtatus, ab ejus juriſdictione exemti, quod tamen de cauſis exceptis, quas vocant *Ehehafften*, non eſt intelligendum, de quibus videatur UFFENBACH *de judicio aulico cap. 12. ſubſ. 2. NOVA REFORMATIO judicii Rothwilenſis part. 2. cap. 5. WEHNERUS in obſervat. pract. voce: Ehehafften. MAURITIUS in diſſertat. de judicio Rothwilenſi cap. 3. §. 5. SCHWEDERUS ſect. 1. c. 14.* Sunt qui concurrentem hoc judicium cum aulico & camerali judicio habere juriſdictionem, contendunt: Verum illos minime recte ſentire, docet MAURITIUS *loc. cit. cap. 2. §. 8.* E contrario nihil certius, quam a judicio hoc ad Camerale aut aulicum appellari poſſe. SCHWEDER. *l. c. §. 9.* Exempla appellationum extant apud MEISEHNERUM *lib. 1. deciſ. 20.* GYLMAN. *tom. 2. part. 2.* Quod reliquum, notat LYNCKERUS *ad capitulat. Joſephi art. 17.* ſi quis judicium Rothwilanum ut ſuſpectum recuſare, aut adverſus illud de protracta vel denegata juſtitia conqueri voluerit, ſed

doquidem provocatio ab iisdem ad Cameram datur, & nec omnibus imperii ſubjectis nec de omnibus cauſis jus impertiuntur. Contra hæc judicia autem numquam non *querelas* (a) agitarunt ordines, & imperator ſubinde eadem emendare promiſit. *Rec. Imp. de anno 1570. §. Und nachdem uns 71. & de anno 1641. §. Ubrige übergebene Memoralia 93. de anno 1614. Capit. Ferd. IV. art. 15.* Hinc tempore confecti inſtrumenti pacis de his & aliis hinc inde in imperio judiciis prorſus abolendis mentio facta eſt, quia vero res gravioris momenti viſa, ulterior deliberatio ad futura comitia fuit remiſſa. *Inſtr. Pac. art. 5. §. 56. in f.* (b) in quibus tamen *ne tactum* (c) quidem fuit iſtud negotium. Aſt ordines imperatorem modernum in capitulatione ad dicta judicia tollenda obligare voluerunt. *Vide Monita ordinum electoribus exhibita ad capit. Ferdin. IV. art. 15. mon. 6. ap. Auctorem der Grundveſte &c. part. 3. cap. 3.* Aſt electores in noſtra *Capitulatione Leopoldina* (d) *artic.* 18. de abuſibus & exceſſibus abrogandis ſolum ſunt pacti, ipſam vero abolitionem *ad proxima comitia diſtulere.* (e)

XLIII. Ad jurisdictionem ſpectat poteſtas cognoſcendi de cauſis, famam, vitam & dignitatem principum attinentibus, ut & eosdem declarandi in bannum: utpote qua etiam imperator non polleat ſolus, ſed in partem hujus juris quoque veniat *Ordines.* (f) Nam Capitulationis noſtræ *articulus 2[?]* obligat imperatorem, *niemand hohes oder niedriges Standes Churfürſten, Fürſten, Stande, oder andere,* (g) *ohne gnugſame und rechtmaſſige Urſache auch ungehært, und ohne Verwiſſen Raht und*

ad judicium aulicum, non camerale conferre debere. Interim tamen & ad cameram ob cauſam inſanabilis nullitatis iri. Vide plura de hoc judicio apud MAURITIUM *l. c. PAURMEISTERUM de jurisdictione imperii romani lib. 2. c. 7.* SCHüTZIUM *colleg. publ. vol. 2. diſput. 2. WEHNERUM in comm. ad ordinat. judic. Rothwilenſ. & ZIMMERMANNUM in quodlibeto ad eam.* In aliis cauſſis appellabilibus ad utrumque judicium ſupremum abinde per capitulationem Joſephi art. 17. & art. 18. capitulationis Leopoldi provocari poteſt. Cæterum quod ad Suevica ſpectat judicia, ab eis nec ad cameram, nec ad aulicum appellari poſſe judicium, Mauritius docet; ſed refutatur a LYNCKERO *ad art. 17. capitul. Joſephi p. 51.*

(g) *Weingartenſe*) Pagus *Weingarten* etiam *Altorf* vocatur. Præter Weingarten autem judicium Suevicum provinciale adhuc habetur *Ravensburgi*, *Wangena & Lin.* Submittunt autem magiſtratus illorum locorum duodecim aſſeſſores, ex quibus judicium conſtituitur. Conf. HENNIGES *ad art. 17. capitul. Joſephi.* LIMNÆVS *ad capitulat. Ferdinandi IV. art. 15.*

(a) *Querelas*) Vide *capitulationem MATHIÆ art. 16. FERDINANDI II. art. 14. FERDINANDI III. art. 17.* Atque gravamina illa in comitiis Ratisbonenſibus anno 1641. ſunt repetita, conf. MAVRITIVM *de judicio Rothwilenſi cap. ult. §. 6.*

(b) *Art. 5. §. 56.*) Hic cum de abolendis judicio Rothwillano & provincialibus Sueviæ dictum, additur: *& aliis hinc inde per imperium hactenus uſitatis. Tale,* inquit HENNIGES, *eſt Onoldi, quod vocatur provinciale judicium burggraviatus Noribergici. Tale etiam Herbipoli provinciale judicium Franconia.* Vid. HENRICI HAGEN *diſſertationem hiſtoricam de judicio Norico*, quam laudat LYNCKERVS *ad art. 17. capitul. Joſephi.*

(c) *Ne tactum quidem*) Urgebant quidem principes anno 1651. in conſeſſu, ante electionem regis Romanorum, judicii Rohtwillani abolitionem, illudque collegio commendabant electorali. Verum quod hujus rei nulla habita fuerit cura, memoriale forte comitis Sulzenſis & Senatus Rothwillanus, quod LIMNÆVS in *addit. tom. II. ad lib. 9. cap. 3* & SPEIDELIVS *in voce Rohtweiliſch Hof-Gericht* exhibent, effecit. Hi enim docebant, in inſtrumento pacis art. 8. conſtitutum eſſe, ut liberis imperii civitatibus æque ac aliis ordinibus jura & privilegia ſua ſalva ſint, quod eo magis in urbe Rothwila locum habere deberet, cum hoc judicium ipſi ob bene merita ſit conceſſum; deinde æquitatis naturalis eſſe, quod nemini jus quæſitum abſque juſta cauſa adimatur; porro iniquum quoque eſſe, dum imperator Statibus jura confirmat, ſua amittere debere. Sic &, ſi paciſcentibus de cauſa recte conſtitiſſet, illa, quæ de abolendo hoc judicio in inſtrumento pacis continentur, haud dubie omiſſa fuiſſe. Denique addiderunt, ſe magna religione reformationem ultimam obſervare. MAVRITIVS *l. c. §. 7.*

(d) *Capitulatione Leopoldina*) Hæc conſpiciuntur: *Es ſollen nunmehro und inskünftige Chur-Fürſten und Stande ſamt dero Angehærigen, des Kayſerl. Hof-Gerichts zu Rothweil, wie auch des Weingartiſchen und anderer Land-Gerichte in Schwaben befreyet, ermeldete judicia aufgehoben, auch Chur-Fürſten und Stande ſamt den ihrigen zu pariren nicht ſchuldig ſeyn.* Huc collineant etiam monita Statuum evangelicorum ad eundem articulum: *Daſs dieſem beſchwerlichen Weſen, vermittelſt deſſelben gantzlicher abolition würcklich und aus dem Grunde abgeholffen werde.* Eadem verba, quæ in LEOPOLDI *capitulatione* leguntur, in JOSEPHI *art. 17.* & CAROLI VI. *art. 18.* reperiuntur. Videtur tamen hæc abrogatio non ita facilis eſſe, quoniam Rothwilenſes cum Helvetiis 1463. icere fœdus, quod 1519. confirmatum, cujus lex eſt, Helvetios judicium illud contra quoscunque defenſuros; niſi ob denegatum jus & juſtitiam eo ſe indignos reddiderint. Quod vero ad ſuevica attinet judicia, eorum abolitioni auſtriaca hactenus obſtitit domus. Inter alias etiam rationes allegant, quod domus Auſtriaca hæc judicia tantum pignoris jure habeat, oppignorationes autem imperii Statibus in pacis inſtrumento ſunt confirmatæ. Atque ut de auſtriaca cauſæ juſtitia conſtaret, anno 1658. ſcriptum in lucem editum, cui titulus: *Kurtze doch gründliche* information, *aus was wichtigen und ſtandhaften Urſachen das Kayſerliche Land-Gerichte in Schwaben nicht* aboliret *werden kan.* Cui a Sueviæ ordinibus oppoſita eſt: *eine Gegen*-information, & ad hanc ab auſtriacis reſponſum eſt *in der gründlichen gegengeſtelten Erinnerung.* BVRGEMEISTERS *Grafen- und Ritter-Saal part. 2. ſectione 48. 49.* Ordinatio hujus judicii reperitur in ejus *corpore juris diplomat. p. 694.* res nobilitatis immediatæ complectente. Ulmæ 1707.

(e) *Ad proxima comitia diſtulere*) Putat Mauritius, in comitiis hodienum adhuc durantibus nihil plane de abolendis his judiciis actum eſſe. Inveni tamen quædam hac de re in actis comitialibus MStis, ubi quoque narratur, cum Habſpurgenſes Suevia potiti ſint, etiam ad eos provincialia Sueviæ judicia devoluta eſſe: aſt quando Fridericus a Sigismundo ob receptum papam Joannem anathemate verberatus fuerit, ad *Waldpurgios* perveniſſe, ſed Friderico in integrum reſtituto, ad Auſtriacos reverſa eſſe.

(f) *Ordines*) Id quidem ex natura reipublicæ mixtæ merito in imperio noſtro obtinet. Quis enim crederet, ordines ad alios actus minoris momenti ut concauſas concurrentes, hic ubi de omni eorum fortuna & vita agitur, jure ſuo decedere, illudque cæſaris arbitrio permittere velle. Adhibita autem eſſe in cauſis banni ordinum ſuffragia, exempla non ita procul ab ætatis noſtræ memoria probant. Talia ſunt proſcriptionis *Magdeburgenſis* in R. I. de anno 1551. *§. ſo ſind wir nohtwendiglich; Grumbackiana* in R. I. de anno 1556. *§. demnach in 64. Jahr; Saxo-Gothana* in R. I. de anno 1567. *§. Als wir dann ferner.* Alia refert CONRING *de negotiis convent. imperii theſ. 57. ſeqq.* Adde LIMNÆVM *ad capitulat. Ferdinandi III. art. 30.* HENNIGES. *ad art. 27. capitulat. Joſephi.*

(g) *Oder andere*) Idem in *capitul. Joſephi l. c.* & *Caroli VI. art. 20.* Unde colligitur, & in illius, qui non eſt ſtatus imperii, proſcriptione, hæc adhibenda eſſe requiſita. Vide *pacem profanam tit. die Pœn der Friedebrecher* pr. *und ob jemands, in was Wurden oder Stand der oder die waren,* & *ORDINAT. CAMERAL. lib. 2. tit. 9.* Cumque electorum conſenſus in banni pœna, qua Erfurtum afficiebatur, negligeretur, urbs proſcripta id, quod contra ſe factum, nullum eſſe, contendebat, quod non eſſet auſa, ſi, ut LYN-

und Bewilligung des Heil. Reichs Churfürſten, welche ſich des Werckes nicht theilhafftig gemacht, in die Acht und Oberacht (a) *zu thun, zu bringen oder zu erklaren &c.* Et ne quis inde, quia *Electorum* (b) hic tantum fit mentio, putet, *cæteros Status* (c) ab exercitio juris hujus excludi, injungitur porro in *d. art.* imperatori; ut procedat juxta conſtit. imperiales, ordinationem cameralem *de anno* 1555. Receſſusque imperii, ac obſervet ea, de quibus in futuris comitiis inter electores, principes & Status fuerit conventum. Quanquam hoc ipſo principes & Status ſuo juri ſatis eſſe proſpectum, perſuaderi ſibi non ſunt paſſi. Nam præterquam, quod ipſis procul dubio potiſſimum urgentibus *Inſtr. Pac. art.* 8. fuit cautum de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in bannum imperii, in futuris comitiis ex communi Statuum conſenſu agi & ſtatui debere, etiam ut poſtularunt, ut in noſtra capitulatione loco ſupra allegato poſt verba: *ohne Vorwiſſen, Raht und Bewilligung des Heil. Reichs Churf.* addatur: *Fürſten und Stande.* Quod patet ex catholicorum principum & Statuum *monito,* (d) ad *articul.* 28. *cap. Ferdin. IV. ap. auct. der Grundveſte &c. pag.* 254. Et licet hoc ab electoribus non impetrarint, attamen proteſtando ſua ſibi jura ſervarunt integra, de qua proteſtatione ſupra. Hoc autem, quod conſenſu electorum dictum eſt, non tantum obtinet, quando cauſa cognitionem requirit, ſed etiam tunc, *quando notoria*, (e) nec ordinario proceſſu opus eſt, ut indicant verba dict. art. finalia: *Ohne deren erfolgten Raht und ausdrückliche Einwilligung damit nicht verfahren.* Licet autem ab omni retro memoria, apud Germanicos populos, procerum cauſæ non ex arbitrio ſolius regis, ſed ſimul principum ſive parium curiæ ſententia fuerint dijudicatæ, ut oſtendit *exercit. de rep. imp. germ. VI. th.* 28. 48. *& ſeqq. It. IIX. de neg. conv. imp. th.* 57. *& ſeqq.* & Limn. *Annot. ad capit. Ferdin. III. art.* 30. nec unquam Status hac in parte ſibi ſatis cautum eſſe non crediderint, attamen, quia noſtro & ſuperiori ſeculo aliquod imperatores potentia ſua freti, propria autoritate contra conſuetudinem receptam electores & principes proſcripſerunt, hinc electores, publicæ ſalutis ſolliciti, tempeſtive huic malo obviam eſſe eundum judicarunt, & quod antea non erat factum, diſertis verbis capitulationis Ferdinandi III. *art.* 30. quædam *inſeruere*, (f) quæ poſtea in capitulatione Ferdin. IV. *art.* 28. & in hac noſtra uberius ſunt repetita.

XLIV.

CKERVS *ad art. 27. capitulat. Joſephi*, exiſtimat, cum electoribus communicatum eſſet, Conſilium quidem aulicum, in quo ſententia lata erat, verba hæc ad ſtatus imperii electoribus principibusque minores aut etiam immediatam imperii nobilitatem reſtringenda eſſe, dictitabat. Sunt, qui hic interpretationem authenticam comitialem requirunt. HENNIGES *ad art. 27. capitulat. Joſephi.* MAVRITIVS *ad art. 28. capitulat. Leopoldi.* Illud adhuc notandum, in clericos, cum ſacro muniti ſint charactere, banni pœnam non cadere, niſi quatenus tendit ad privationem bonorum & jurium, quæ ab imperatore & imperio habent. *R. I. Spir. de anno 1548. §. würde ſich aber jemand.* *LAND-FRIEDE de anno 1548. tit. ob die geiſtlichen Perſonen.* HENNIGES *ad capitulat. Joſephi art. 27.* GAIL *de pace publ. lib. 1. cap. 2.*

(a) *In die Acht und Oberacht*) Bannum, *Acht* eſt vel *civile* ſive *contumaciæ*, quando quis jurisdictionem imperialem contemnit; etenim tunc actor in bona banniti immittitur, reliqua annotantur, & niſi bannitus ad meliorem redierit mentem, fiſco addicuntur, quod tamen in *capitulatione Caroli VI. art. 20.* juxta ductum capitulationis perpetuæ, plane abrogatum eſt. Vel *imperiale & criminale*, quod ob crimen inflictum, cujus effectus eſt, ut hoc affectus, in nullius clientelam, fidem & amicitiam recipi, & ab omnibus tam in perſona, quam bonis impune lædi queat. *Land-Friede de anno 1495. & 1548. tit. von pœn der Friedebrecher.* GAIL *de pace publica cap. 1. & 18.* Quodſi deinde banni pœna afflictus ſaniora negligere conſilia perget, atque banni ſententia reiteretur, dicitur *die Oberacht.* HENNIGES *ad art. 27. capitulat. Joſephi.* MAVRITIVS *ad art. 28. capitulat. Leopoldi.* Cauſæ, in quibus imperiale bannum locum habet, ſunt pacefragii, læſæ majeſtatis delicta, & ſi ſtatus contributiones non ſolverit. LYNCKER ad art. 27. capitulat. Joſephi.

(b) *Electorum*) Non ſolum cæterorum ordinum, ſed & electorum conſenſus negligebatur, cum JOHANN. FRIDERICVS elector Saxoniæ & PHILIPPVS Haſſiæ Landgravius a Carolo V. banno percuterentur. Hæc res Palatinum & Brandenburgicum commovit, ut in conventu electorali anno 1612. celebrato, teſte Hennigeſio l. c. graviter urgerent, futuræ capitulationi inſerendum eſſe: *Daſs keiner ohne Vorwiſſen der Herren Chur-Fürſten ſolle in die Acht erklaret werden. Da aber die Acht gegen einen Chur-Fürſten zu erkennen, daſs ſodann ſolches mit Vorwiſſen der andern Chur-Fürſten, wie nicht weniger der Fürſten, Grafen und Stande des Reichs geſchehen ſolle.* Aſt huic tunc reliquos non acceſſiſſe monito electores, graviſſime deinde luit FRIDERICVS elector palatinus, ob acceptum Bohemiæ regnum, a Ferdinando II. omiſſis electorum ſuffragiis imperiali percuſſus anathemate. Atque hæc fata alios quoque, partes ejus ſecutos, manebant. Tales erant JOH. GEORGIVS Brandenburgicus, CHRISTIANVS Brunſvicenſis, CHRISTIANVS Anhaltinus Jægerndorfii & Hohenloici. Vide THEATRVM EVROPÆVM *tom. I. ad annum 1621.* LYNCKER *ad capitulat. Joſephi art. 27.* Utque deinde querelæ ſuæ, quas vide apud LONDORPIVM *tom. II. lib. 6. act. publ.* majori adhuc niterentur fundamento, Ferdinandi III. capitulationi *art. 30.* inſertum, neminem inpoſterum abſque electorum conſenſu proſcribi debere, quod deinde in capitulatione FERDINANDI IV. LEOPOLDI & JOSEPHI eſt repetitum.

(c) *Cæteros ſtatus*) Sunt qui putant, in memoratis capitulationibus electorum tantum conſenſum in caſibus extraordinariis, qui moram non patiuntur, in reliquis vero omnium requiri. HENNIGES *ad capitulationem Joſephi pag. 270.* LIMNÆVS *ad art. 30. capitulationis Ferdinandi III.*

(d) *Monito*) LYNCKER *ad capitul. Joſephi art. 27.*

(e) *Quando notoria*) De notorio vide SCHUZIUM *vol. I. jur. publ. diſput. 4. theſ. 17.* Monebant Status evangelici ad capitulationem Leopoldi, omittendum eſſe, *gantz notoriſch*; neque enim & in plane notoriis cauſis, reliquorum Statuum conſenſum eſſe negligendum, ordines evangelici credebant, in quibus catholici ipſis non ſuffragabantur. Vide AVTOREM *der Grundveſte lib. 3. cap. 3.* Rationem, quare illud omitti debuerit, affert HENNIGES *ad art. 27. capitulat. Joſephi.* In capitulatione vero noviſſima hoc omiſſum & ſimpliciter poſitum: *Daſs hinführo niemand hohen oder niedrigen Standes, Chur-Fürſt, Fürſt oder Stand oder andere ohne rechtmaſsige und gnugſame Urſache auch ungehært und ohne Vorwiſſen, Raht und Bewilligunge des heiligen Reichs Chur-Fürſten, Fürſten und Stande in die Acht oder Oberacht gethan, gebracht und erklaret.* Atque eo magis hanc omiſſionem ſtatus urſiſſe, quoniam in proſcriptione Colonienſis & Bavari eorum conſenſus neglectus fuerit. Plene omnia, quæ circa proceſſum banni nunc ſunt obſervanda, continet conſtitutio projectui perpetuæ capitulationis addita, futuroque receſſui inſerenda. Et ad hunc futurum receſſum in capitulatione Caroli VI. reſpici arbitror; nam in receſſu imperii de anno 1654. §. *Nachdem auch in dem Münſterſchen und Oſnabrückſchen Frieden*, tale quid, de quo articulus 20. capitulat. carolinæ diſponit, continentem non invenio.

(f) *Inſeruere*) Occurrit hic quæſtio, an, ſi proceſſus banni

XLIV. Pertinent huc etiam *Feuda*, quæ itidem vel conſtituenda vel conſtituta ſunt. De feudis Imperii vacantibus, quæ ut conſtituenda de novo conſiderari poſſunt, ita ſtatutum in noſtra *capit. art.* 30. *Wenn auch Lehen dem Reich und uns bey Zeit unſerer Regierung durch Todesfall oder Verwirkung*

non inſtitutus ſit in judicio aulico, aut Rohtwilenſi, ſed in camera imperiali electorum & reliquorum Statuum conſenſus ſit requirendus, cum illud judicium non ſolum ab imperatore, ſed & imperio dependeat. R. I. de anno 1654. §. 165. atque ſic etiam ſtatuum nomine ibi jurisdictio exerceatur. Interim affirmativam ſententiam veriorem eſſe, puto: quatenus ſcilicet agitur de publicatione ſententiæ. Non, quod cum Lynckero aſſeram, Status tantum ad jus præſentandi, non autem ad jurisdictionem in camera cum imperatore concurrere; ſed quia, recte judicante Hennigeſio, circa ſententiæ banni publicationem plerumque non tantum ad juſtitiam, ſed & prudentiam reſpiciendum ſit. Ut ſileamus, quod ſupra Auctor noſter monuit, judicium aulicum certo reſpectu æque ab imperio dependere ac judicium camerale & ſic utriusque hic parem eſſe rationem. Imo in capitulatione noviſſima, ad tenorem projectus capitulationis perpetuæ art. 20. formatæ, quinam proceſſus banni obſervandus ſit, omne hic ſublatum eſt dubium. Merentur adjici illius articuli ſequentia verba: in denen künftigen *caſibus*, darin nach Beſchaffenheit des Verbrechens auf die Acht oder *privation* entweder vom Kayſerlichen *Fiſcal*-Amts wegen, oder auf Beruffen des *lædirten* und klagenden Theils, zu *procediren* und im Rechten zu verfuhren und darüber wir entweder an den Reichs-Hof-Raht, oder unſern und des Reichs Cammer-Gericht *pro adminiſtratione juſtitiæ* angeruſen und *implorirt* werden, zuſœrderſt in *Decretirung* oder Auslaſſung deren, auf die Reichs-Acht oder *privation* gebetenen Ladungen und Mandaten, ſo dann in der Sachen weitern Ausfuhrunge bis zum Beſchluſs, auf das Heil. Reich hierüber vorhin gefaſte Geſetz, und Cammer-Gerichts-Ordnung genau und ſorgfæltige Achtung geben, damit der angeklagte nicht *præcipitirt*, ſondern in ſeiner habenden rechtmæſsigen *defenſion* der Nohtdurfft nach angehœret werde, wann es dann zum Schluſs der Sachen komt, ſo ſollen die ergangene *Acta* auf öffentlichen Reichs-Tag gebracht, durch gewiſſe hierzu abſonderlich vereydigte Stænde (den Prælaten- und Grafen-Stand mit eingeſchloſſen) aus allen dreyen Reichs-*Collegiis*, in gleicher Anzahl der *religionen examiniret* und überleget, deren Gutachten an geſamte Chur-Fürſten, Fürſten und Stænde *referiret*, von denen der endliche Schluſs gefaſst, und das alſo verglichene Urtheil, nachdeme es von uns oder unſerm *Commiſſario* gleichfals *approbiret*, in unſern Namen *publicirt*, auch die *execution* ſowol in dieſem als andern Fællen anders nicht, als nach Inhalt der *Executions*-Ordnung durch den Creyſs, darinnen der Aechter geſeſſen und angehœrig, fürgenommen und vollenzogen werden. Was nun dem alſo in die Acht erklærten abgenommen wird, das ſollen und wollen wir uns und unſerm Hauſs nicht zueignen, ſondern es ſolle dem Reich verbleiben, vor allen Dingen aber dem beleidigten Theil daraus *Satisfaction* geſchehen, jedoch ſo viel die *particular*-Lehren, ſo nicht *immediate* von uns und dem Reich, ſondern von andern herrühren, betrifft, dem Lehen-Herrn, auch ſonſten der Cammer-Gerichts-Ordnung und einem jeden an ſeinen Recht- und Gerechtigkeiten unbeſchadet, geſtalten auch im Heil. Rœmiſchen Reich bey verwirckten Gütern des Aechters, deſſelben Verbrechen denen *Agnaten* und allen andern, ſo Anwartung und Recht daran haben, und ſich des Verbrechens in der That nicht theilhafftig gemacht, an ihrem *jure ſuccedendi in feudum* und Stamm-Gütern nicht *præjudiciren*, ſondern das *principium*, als ob auch *agnati innocentes propter feloniam* des Aechters des dadurch verwirckten Lehns und andern zu *priviren*, keinesweges ſtatt haben ſoll. Qui in proceſſu banni, ad camerale judicium delati, ritus obſervantur, docet LIMNÆVS *ad articulum* 22. *capitulationis Caroli V.* Ceterum in ultimis capitulationis carolinæ verbis dicitur, quod exſecutio ſententiæ proſcriptionis a circulo ſit facienda, & quod agnatis, qui jus a majoribus quæſitum habent, inde noceri non debeat. Quod ad primum attinet, exſecutionem per circulum aliter fieri non poſſe, ubi vis & arma adhibenda, reor, quam ſi id negotii præfecto circuli committatur, & ſi in fungendo munere ſuo ſit negligens, aut ob alias rationes ei vacare nequeat, exſecutio illis, qui *Nach- und Zugeordnete* dicuntur, & poſt hos tandem circuli directoribus erit demandanda. *Erklarung des Land-Friedens zu Nürnberg* de anno 1522. tit. 14. Receſſus imperii *de anno* 1548. §. 37. 1555. §. 71. *de anno* 1654. §. 179. *Exſecutions-Ordnunge de anno* 1663. *c.* 16. 17. *Capitulatio Joſephi art.* 40. *Caroli VI. art.* 17. Reperio, nobiscum ſentire LYNCKERUM *ad art.* 37. *capit. Joſephi p.* 89. *Prout nec duci, inquit, præripi poteſt exſecutio, niſi quod deficiente duce ad directorem illa pertineat, quo reſpiciunt textus, qui de directore pariter loquuntur, ut inſtr. pac. art.* 16. *R. A. de ao.* 1654. §. 15. 186. 160. 162. 178. *unde & mandata ad duces diriguntur, niſi dux in circulo deficeret, quod, cum non infrequens & directorium perpetuum ſit, hinc in R. A.* 1654. *dd.* §§. *ad directorium illa emitti viſum eſt, & eadem ratione in inſtrument. pac. art.* 16. *directores & duces (diverſorum circulorum) conjunguntur, quia tunc etiam circulis non omnibus ſui fuere duces, quin & in R. A.* 1654. §. 178. *die Erſetzung der Kreys-Obriſten præcipitur. Utique ducum, qua talium, id eſt officium ex R. A.* 1555. §. 72. *&* 107. *ſeq. ſatis conſtat & cæſar hoc* (17) *&* 2. *art. capitulat. ad obſervationem illius ordinationis ſe obſtringit.* In alia omnia hic abire videtur celeberrimus MOSERUS *in diſſertatione*, quam *de jure exſequendi in imperio conſcripſit*: ibi enim ipſum ex recentioribus imperii conſtitutionibus colligere velle conjicio, imperii duci jus exſequendi non niſi poſt circuli directores in ſubſidium competere, niſi ex ſpeciali ratione ipſis expeditionis forte militaris competat exſecutio. Sed quæ huic forte ſententiæ inſervire poſſunt, ex iis, quæ a nobis allata ſunt, refelluntur, ita ut ſupervacaneum eſſet, ſingulatim illa examini ſubjicere. Ceterum & aliæ hic occurrunt controverſiæ. Id quidem certum, omnem exſecutionem, ſive ſit collectarum, ſive ſententiarum, ſive denique pacis, imperatoris autoritate & nomine fieri. An autem omnis exſecutio per exſecutores ordinarios, ut ſunt duces circulorum, adjuncti & ſubjuncti, nec non circulorum directores, in ſubſidium ſemper fieri debeat, ita ut etiam pacis & ſententiarum in judicio cæſaris aulico laturum exſecutio nonniſi per ordinarios illos in circulis exſecutores fieri debeat, maxime controverſum eſt. Quod ad pacificationum exſecutionem attinet, in ea ſtatus imperii & ordinarios hos exſecutores poſſe negligi, tradit MÖLLENBECK *de juribus imperatoris circa negotia pacis cap.* 5. *a* quo MENSCHENIUS *in tractatu de concurſu Statuum imperii circa imperii negotia*, cum aliis diſcedit. Provocant hi ad *exſecutionem pacis Weſtphalicæ art.* 16. §. 2. adduntque, cæſareanos commiſſarios non niſi in ſubſidium, poſt omnes alios exſecutores admitti; ſcilicet ſi forte legales & ordinarii ob legitimas ſuſpicionis cauſas repudiari poſſent. Nec conſultum iis viſum, viciniorum circulorum duces aut directores adhibere. Atque ſic LYNCKERUM a vero aberrare credunt, *p.* 89. *ad capitulat. Joſephi* docentem, omnimode neglectis exſecutoribus ordinariis ad cæſareos confugi potuiſſe commiſſarios. Quod autem HENNIGESIUS *in comm. ad I. P. l. c.* proteſtantes rebus ſuis, cæſareos etiam in religionis rebus admittendo commiſſarios, minus recte conſuluiſſe arbitretur, id aliis diſplicet, cum Statuum optioni, eos adhibere, relictum fuerit. Sed veniamus jam ad ſententias in judicio cæſareo aulico latas; harum exſecutionem aliis, quam circulorum exſecutoribus ordinariis demandari poſſe, contendunt LYNCKER *ad capit. Joſephi art.* 37. MULZIUS *in diſſertat. de officio directorum & ducum circularium in exſecutione ſententiarum*, cum aliis quibusdam ſcriptis, tecto nomine 1697. & 1699. editis, & a laudato MOSERO *p.* 7. enarratis. Contrariam ſententiam tuentur AUCTOR *donawerdenſis deductionis*: COCCEJUS *in ſcripto anonymo de jure exſequendi ſententias Statuum imperii.* THOMASIUS *in theſibus juris publici, diſſertationi anonymi de officio directorum & ducum circularium in executione*, oppoſitis, & AUTOR *der gründlichen Behauptunge des Reichs- und der Creys-Gerechtigkeit.* Controverſiam hanc excitavit ſub Rudolpho II. cauſa proſcriptæ Donawerdæ, in quam banni executio non Wurtenbergenſi,

wirckung eröffnet, und lediglich heimfallen werden &c. Die ſollen und wollen wir ohne Vorwiſſen der ſieben Churfürſten (a) *ferner niemand leihen, auch niemand einige* expectanz *und Anwartung drauf geben, ſondern zu Unter-*

Suevici circuli duci, ſed Bavaro, committebatur. Putat quidem VICTRIARIVS apud Dominum PFEFFINGERVM *tom. II. p.* 1104. rem in ordinariorum executorum favorem *in inſtrumento pacis art.* 16. §. 2. eſſe compoſitam, cui PFEFFINGERVS jungit *R. I. de anno* 1654. §. 56. 160. 162. Sed adhuc aliquid hic ſupereſſe dubii, compertum habemus ex iis, quæ in cauſa Mecklenburgenſi acta ſunt, ubi COMES ECKIVS cæſaris in circulo Saxoniæ inferioris commiſſarius ducem Suerinenſem in poſſeſſionem ducatus Suerinenſis, & ſententia in judicio aulico lata miſit. Hanc rem circuli dux & directores, utpote juribus ſuis adverſantem indigne ferebant, & junctis copiis quibusdam de juribus ſuis conſervandis ſolliciti fuerunt. Acta publica huc ſpectantia vide apud FABRVM *in der Staats-Cantzeley tom. III.* & PFEFFINGERVM *ad Vitriar. J. P. lib.* 2. *tit.* 6. ubi quoque tam imperatoris, quam ducis & directorum circuli cauſam agentium argumenta refert. Nec obſtat receſſus noviſſimus §. 160. Ille enim de exſecutione aliarum ſententiarum, quam quæ contra proſcriptos latæ ſunt, agit. Non tamen puto, & illarum exſecutionem, ſi cauſa lapſi magiſtratui aut circuli directorio committi nequeat, aliter vicinorum circulorum directoribus concredi poſſe, quam ſi circulus duce, item ſub- & adjunctis, deſtituatur. Quod autem ad agnatos attinet, ſunt, qui ſub eis etiam deſcendentes intelligi putant, ob ſucceſſionem linealem, quam in feudis imperii illuſtribus obtinere, atque ita rigorem quoque aureæ bullæ art. 24. temperatum eſſe dicunt. Hunc viri docti ad res & mores æquitatemque germanorum parum quadrare, jam dudum judicarunt, & quæ forte ejusmodi duritiei in germanica hiſtoria occurrunt exempla, multa ex iniquo trahere, rerum patriarum periti palam profitentur. Vid. RVSDORFF. *in vindiciis palatinis.* LVDWIG, LIMNÆVS & MYLER. ad hunc articulum. Cæterum tangenda hic adhuc eſt quæſtio, quid obtineat, ſi quis feloniæ, proſcriptionem non promerentis, reus ſit, an ſolum imperatorem judicem habeat, an vero cum eo pares curiæ, id eſt alii imperii illuſtres vaſalli concurrant. Notæ ſunt contentiones inter eruditos de judicio principum, ubi utriusque partis argumenta referunt, VITRIARIVS *in J. P. lib.* 3. *cap.* 2. TEXTOR *tit.* 12. *de juribus cæſaris in profanis cap.* 3. ITTERVS *de feudis cap.* 25. §. 8. *ſeqq.* quæ examinare, a ſcopo noſtro hic alienum eſt, Id ſaltim addendum puto, quomodocunque etiam ſe res olim circa judicium illud principum, de quo etiam SCHOTTELIVS agit, habuerit, in praxi obtinere, ut imperator in cauſis feudalibus, ſi civiliter agatur, ſolus ſit judex, cujus varia apud Itterum leguntur exempla. Vide *ordinationem judicii aulici tit.* 2. Imo nec aliter ſe rem ex *J. P. art.* 5. §. 55. diſpoſitione habere, in propatulo eſt. Quod ſi enim imperatoris arbitrio eſt relictum in cauſis majoribus, & unde tumultus in imperio exoriri poſſunt, quo haud dubie, etiamſi ſuper feudi privatione cognoſci debeat, ſpectat, quorundam utriusque religionis electorum & principum ſententias & vota requirere; ſequitur, imperatorem, principes hic ut pares curiæ in conſortium vocare non obligari, niſi forte dixeris, capitulationibus inſtrumentum pacis ſequentibus mutationem eſſe inductum. In *capitulatione* MATHIÆ *art.* 40. FERDINANDI II. *art.* 39. FERDINANDI III. *art.* 42. tantum legitur: In wichtigen Sachen, ſo das Reich betreffen, bald Anfangs der Churfürſten Raht und Bedencken uns gebrauchen: In FERDINANDI autem IV. capitulatione art. 40. LEOPOLDI art. 39. JOSEPHI art. 38. hæc ita ſunt diſpoſita: Wir ſollen und wollen auch in wichtigen Sachen, ſo das Reich betreffen, und von hohen *præjudiz* und weiten Anſehen ſeyn, bald Anfangs die Churfürſten auch nach Gelegenheit der Sachen, Fürſten und Stænde Raht, Bedencken uns gebrauchen, und ohne dieſelben hierinnen nichts vornehmen. Monuerunt quidem principes, ad capitulationem Leopoldi verba: Auch nach Gelegenheit der Sachen, omittenda eſſe. Verum cum ſæpe occurrant caſus, qui tantam non patiuntur moram, ut principum ſuffragia requiri poſſint, nihil hic in *capitulatione Joſephi art.* 35. *Caroli VI. art.* 11. mutatum eſt. Additur tamen hiſce duabus capitulationibus poſt verba Churfürſten: *als unſere innerſten Rahte*, qui alibi vörderſte Glieder, item des H. R. Reichs Grund-Seulen, vocantur. Sed majus dubium habet, ſi cauſſa inter cæſarem & vaſallum imperii ventiletur, an tunc quoque penes imperatorem ſit judicium. Ad comitem palatinum, ut imperatoris judicem rem controverſam feudalem tunc deferendam eſſe, aſſeri nequit, cum illius judicium nec ad cauſas feudales, nec criminales ſpectet; fabulam enim olet, quod hac de re in Suevico eſt ſpeculo; imo ſunt, qui contendunt, hoc judicium ad cauſſas civiles publicas tantum, non privatas ſpectare, COCCEJVS *in jure publico cap.* 14. §. 16. Nonnulli igitur arbitrantur, judicium conſiliariis aulicis a jurisjurandi vinculo, quo imperatori adſtringuntur, liberatis committendum eſſe, quo & LYNCKERVS inclinare videtur, qui tamen addit: *Sed probe tamen faciet cæſar, ſi non utatur poteſtate ſua in propria cauſa cognoſcendi, ſed arbitris ſeu delectis ex ſtatibus, (velut hi ſaltem judicio aulico ſuos deputatos adjungant,) cauſam committat.* Verum enim vero ex æquitate & analogia juris feudalis tunc neceſſum eſſe, ut pares curiæ adhibeantur, exiſtimo: SCHRADER *de feudis part.* 10. *ſect.* 6. STRUV. *ſyntagm. juris feudalis cap.* 16. *theſ.* 16.

(a) *Ohne Vorwiſſen der 7 Churfürſten*) Leopoldus enim ſe ut regem Bohemiæ non connumerat. Vide capitulationem Caroli VI. art. 20. In eadem capitulatione art. 11. hæc leguntur: Wann auch ins künfftige Lehn dem Reiche durch Todes-Fælle oder Verwürckunge eröffnet und lediglich heimfallen werden, ſo etwas merckliches ertragen, als Churfürſtenthümer, Fürſtenthümer, Graffſchafften, Herrſchafften, Stædte und dergleichen, die ſollen und wollen wir, die Churfürſtenthümer ohne des Churfürſtlichen Collegii, die Fürſtenthümer, Graff und Herrſchafften, Stædte und dergleichen aber, ohne der Churfürſtl. Fürſtl. auch (wann es nemlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Stædtiſcher *Collegiorum* Vorwiſſen und *conſens*, ferner niemand leihen, auch niemanden einige *expectantz* oder Anwartung darauf geben, ſondern zu Unterhaltung des Reichs Unſerer und Unſerer Nachkommen, der Kœnig und Kayſern behalten, einziehen und *incorporiren*, doch Uns von wegen unſerer Erb-Landen und ſonſten mænniglich an ſeinen Rechten und Freyheiten, auch denen von unſern Vorfahren am Reich, denen Stænden *propter bene merita* ertheilen und denen Reichs-*conſtitutionibus* gemæſſen Anwartungen auf künftig ſich erledigende Reichs-Lehn an ihrer Kraft und Bündlichkeit unſchædlich. Auf dem Fall aber zukünfftiger Zeit Churfürſtenthum, Fürſtenthum, Graffſchafften, Herrſchafften, Affter- und Lehnſchafften, Pfandſchafften, und andere Güter dem H. Rœm. Reich mit Dienſtbarkeiten, Reichs-Anlagen, Steuren und ſonſten verpflichtet, deſſen *juriſdiction* unterwürffig und zugethan, nach Abſterben der Inhaber, Uns durch Erbſchafften oder in andere Wege heimfallen, oder anwachſen, und Wir die zu Unſern Hænden behalten; oder mit Vorwiſſen und Bewilligung der Churfürſtenthümer, denn die Fürſtenthümer, Graff- und Herrſchafften mit Vorwiſſen und Verwilligung der Churfürſt- und Fürſtl. *Collegiorum*, ſo dann auch (wann es nemlich, wie obgedacht, eine Reichs-Stadt betreffen thæte) des Stædtiſchen andern zukommen laſſen würden, oder da Wir dergleichen albereits in Unſern Hænden hætten, daran ſollen dem H. R. Reich ſeine Rechte und andere ſchuldige Pflicht, wie darauf hergebracht, in dem Crayſs, dem ſie zuvor gehœret haben, hinangeſetzet, aller *prætendirten exemptionen* geleiſtet, abgerichtet und erſtattet, auch ſolcher Land und Güter bey ihren *Privilegien*, Recht und Gerechtigkeiten, in geiſt- und weltlichen Sachen dem *Inſtrumento Pacis* gemæſs gelaſſen, geſchützet und beſchirmet werden. Notandum erit, quod de electoratibus hic dicitur, in nulla alia reperiri capitulatione: quod omittendum merito fuiſſet. Electoratus enim, excepto caſu, ſi linea Wilhelmina deſierit, indebiles eſſe debent. AVREA BVLLA *cap.* 7. §. 5. *Inſtrum. pacis art.* 4. §. 9. Adde LYNCKERVM & HENNIGESIVM *ad art.* 29. *capitulat. Joſephi.* Quod autem dictum, feuda vacantia non facile aliis datum iri, ſed in cæſaris eſſe applicanda uſus, in terris auſtriacis, quippe quæ nullo modo im-

vi ejusdem articuli oportet illius inveſtituram, quotiescunque opus, accipere; aut ſi commode id fieri nequeat, electoribus in ſecuritatem imperii datis literis *hac de re cavere.* (a) Et quia etiam in noſtro imperio multa dantur feuda mediata, quæ proxime Statibus ſubſunt, ratione eorum *Art. 27.* ita convenit: *Wir gereden und verſprechen, daß wir die Churfürſten und Stænde des Reichs. wenn deren Vaſallen und Unterthanen ex crimine læſæ majeſtatis oder ſonſten die Lehen verwircket hatten oder noch verwircken mæchten, nach ihrem Willen* (b) *ſchalten und walten laſſen, keines weges aber ſelbige zum Kayſerl. Fiſco einziehen, noch ihnen vorige oder andere Vaſallen aufdringen wollen.*

XLV. Quia vero *dignitates* feudis & hæc viciſſim illis plerumque adhærere ſolent, videndum, quid noſtra capitulatio circa collationes dignitatum edicat. Licet enim jus conferendi dignitates dicatur proprium imperatoris, indeque inter reſervata, quæ vocantur, imperatoris recenſeri ſoleat, attamen in noſtra capitulatione quodammodo id reſtringi videtur, quando imperator *Art. 44.* promiſit: *Bey collation Fürſtlicher* (c) *und Græflicher auch anderer dignitæten vornemlich dahin zu ſehen, damit dieſelbe auf allen Fall allein denen ertheilet werde,* (1) *die es für andern wol meritiret,* (2) *im Reich geſeſſen, und* (3) *die Mittel haben den affectirten Stand pro dignitate auszuführen.* Ut autem ejusmodi princeps aut comes novitius a collegio quodam recipiatur, opus eſt præterea, ut bona poſſideat principe & comite digna, ratione contributionis ſe cuidam circulo addicat, & denique ut electores, item collegium illud & ſcamnum, a quibus recipiendus, ſufficienter prius audiantur. Hinc verba ſequentia: *Niemand aber von denen neu-erhœheten Fürſten, Grafen und Herren dem Fürſtlichen Collegio, es ſey gleich auf ſelbigen oder der Grafen Bæncken, ad ſeſſionem & votum, wider deroſelben Willen aufdringen, ſie haben ſich denn darzu mit Fürſtmæſſigen und Græflichen Reichs-Gütern vorhero gnugſam qualificiret, und zu einer Standswürdigen Steur in einem gewiſſen Creiß eingelaſſen und verbunden, und über ſolches alles neben dem Churfürſtlichen auch dasjenige Collegium oder Banck, darin ſie aufgenommen werden ſollen, vorhero gnugſam gehœret worden.* (d) Confer. Rec. Imp. *de anno 1654. §. 197.* Ex quibus patet, jus Status ſeu ut aliquis ſtatus & civis imperii ſit, dependere, non a ſolo imperatore ſed electoribus & reliquis ordinibus ſimul.

XLVI. Poteſt porro etiam imperator *dare dignitatem regiam,* (e) cujus rei exempla in Bohemia

(a) *Hac de re cavere*) *In capitulat. Caroli VI. art.* 18. habetur: Und wann das nicht bequemlich geſchehen kœnte, deswegen dem Reich zu deſſen Verſicherung gebührenden revers und recognition zuſtellen. De inveſtitura, quam imperator ut rex Bohemiæ & archidux Auſtriæ accipit, agit LIMNÆUS *ad art. 30.* capitulat. Ferdinandi IV.

(b) *Nach ihrem Willen*) Hoc primum capitulationi Ferdinandi III. eſt inſertum. Conferatur LYNCKER & HENNIGES ad *art.* 16. *capit. Joſephi.* Additum deinde capitulationi *FERDINANDI IV. LEOPOLDI art. 27. JOSEPHI art. 26. CAROLI VI. art. 21.* Non tantum adverſus imperatorem & electores ab imperii ſubditis, ſed & a quovis in territorii ſui dominum læſæ majeſtatis crimen committi poteſt; non ſolum ideo, quod æque ac electores ut membra, cum imperatore tanquam capite ad conſtituendum imperii corpus concurrunt; ſed quia ſuperioritas territorialis ad inſtar majeſtatis, vel juxta aliquos, ipſa majeſtas pactis limitata eſt. Quod autem mediatorum imperii ſubditorum majeſtatis læſæ crimine ſe commaculantium bona non imperatorio, ſed territoribus cedunt fiſcis, & feuda non imperatori, ſed ſtatibus, in quos feloniæ crimen commiſſum eſt, aperiantur, ob arctius & immediatum vinculum, quod eſt inter principem & ſuum ſubditum, vaſallum & eum, cui præſtitum eſt juramentum fiduciarium, nihil iniqui habet, præſertim cum ſtatus ab imperatore omnibus privative, ut ajunt, inveſtiantur regalibus, quorum numero etiam eſt jus puniendi; qui vero habet jus puniendi, ille etiam habet jus legendi pœnarum compendia.

(c) *Fürſtlicher*) *Capitulat. JOSEPHI art. 43. CAROLI VI. art.* 22. Huic noviter additum: Niemand aber von den neu-erhœheten Fürſten, Graffen und Herren zur Seſſion und Stimme im Fürſten-Raht oder Græflichen Collegiis, mit decretis und dergleichen zu ſtatten kommen. Quoad hanc clauſulam in actis comitialibus ad deliberationem de articulo 22. capitulationis ſpectantibus ſequentia legi: Es meyneten Saltzburg, Oeſtreich und andere Catholiſche Stænde, daſs es zu hart wære, auf dieſe weiſe den Kayſer die Hænde zu binden, nihilominus eam ut dictum, capitulationi Caroli VI. inſertam videmus.

(d) *Gnugſam gehœret worden*) *Capitulat. JOSEPHI art.* 43. CAROLI VI. *art.* 1. E contrario nec imperatori, aliquem a voto & ſeſſione in comitiis abſque ordinum conſenſu ſuſpendere licet.

(e) *Dare dignitatem regiam*) *Confer SCHWEDERUM parte ſpeciali ſect. 1. cap. 9.* Quæ autem dignitatum ut & privilegiorum concedantur diplomata, in imperii cancellaria, ut vocatur, expediri debent: ſi alibi confecta, nulla ſunto, nec non, quamdiu honorario cancellariæ imperii ſoluto diplomata non ſint redemta, dignitatis, quam reſpiciunt, nemini in imperio prærogativa competat, aut titulus. Et ſi intra tres menſes non redimantur, exſtincta ſunto. Cumque eorum, qui cancellariæ imperii inſerviunt, nulla ſint ſalaria, præter reditus, quos ex cæſareis habent diplomatibus, imperator pollicetur, ſe cum electore Moguntino ut archicancellario, penes quem ſolum hic jus remittendi & minuendi eſt, allaboraturum, ut ſportulæ integræ ſolvantur. Hoc autem de illis dignitatibus, quæ imperii germanici civibus & ſubditis, aut ei vinculo aliquo obnoxiis conferuntur, eſt intelligendum. Extra imperium unusquisque, qui ſuprema in territorio ſuo utitur poteſtate, pro lubitu, quemcunque vult, aſſumere poteſt titulum. Ut autem ei in aulis aliorum principum honor, titulo illi conveniens impertiatur, pactis opus eſt. Hinc ſoliciti ſunt, ut talis titulus ab aliis etiam ipſis non denegetur principibus. Quod autem ad Germaniam & Italiam attinet, plerique ſoli ibi imperatori jus conferendi dignitates adſcribunt, niſi hoc jus ab eo alicui in privilegium conceſſum ſit, ut duci Auſtriæ & electori palatino, penes quos facultas eſt, dignitates per totum imperium valituras conferendi: MAURITIUS *ad art. 4. capitulat. Leopoldi.* Alii hoc jus ad territorialem referunt poteſtatem, & præmiorum partem, ſine quibus reſpublica non facile eſſe queat, vocant. Et ut in aliis terris nobiles a ſtatibus creati pro talibus reputentur, jus retorſionis efficere dicunt. Neque inde imperatoris juri aliquid decedere putant, cum ipſi ſalvum ſit per totum imperium omnium Statuum ſubditis dignitates conferendi. RHETIVS *de ſubditis imperii cap.* 2. THOMASIVS *de injuſta oppoſit. ſuper. territ.* §. 18. & ad MONZAMBANVM *cap. 5. §. 27. lit. Y.* HENNIGES *ad art. 43.* Caveamus tamen, NE QVID RESERVATIS IMPERATORIS DETRAHENS DOCEAMVS. Nec minori ſubeſt controverſiæ, an, ſicut imperator principes, ita etiam electorem, non vocatis in partes ordinum, inprimis electorum, ſuffragiis, conſtituere poſſit. Neganti ſententiæ adſtipulantes ex natura rei & imperii pactis obtinere dicunt, jura eodem modo diſſolvi, quo colligata ſunt; jam *ſeptenarium electorum numerum* communi imperii placito in aurea bulla, *octonarium* vero eodem modo in pacis Weſtphalicæ tabulis conſtitutum eſſe, ita & non niſi imperatore & proceribus ſuffragantibus ab illo jure diſcedendum eſſe. Aliter ſe rem habere pergunt in principibus

mia & Polonia exſtant, ſucceſſorem tamen ſibi nominare & regem Romanorum creare propria autoritate nequit. Expreſſa enim ſunt capitulationis noſtræ verba: *art. 36. Und inſonderheit ſollen und wollen vvir uns keiner ſucceſſion* (a) *oder Erbſchafft des Heil. Ræm. Reichs anmaſſen, ſondern, die Churfürſten, ihre Nachkommen und Erben zu jeglicher Zeit bey ihrer freyen Wahl eines Ræmiſchen Kænigs, nach Inhalt der güldenen Bull, und dieſelbe jedesmahl und auf alle Fælle, wann ſie es vor nætig, und zu Erhaltung der Grund-Geſetze und dieſer Capitulation, oder ſonſten dem Heil. Reich nohtvvendig und nützlich befinden, auch bey Lebzeiten eines Ræmiſchen Kayſers, mit oder ohne deſſelben conſens vorzunehmen, geruhiglich und unbedrengt laſſen.* De reliquis dignitatibus minoribus hic dicere nil attinet, niſi quod generalis illa & nova additio *Art. 44. in fin.* adhuc notari mereatur, quæ ita ſeſe habet: *Wollen auch zu præjuditz und Schmælerung einiges alten Hauſes* (b) *oder Geſchlechts, deſſelben dignitæt, Stands und üblichen Tituls, keinen, vver der auch ſey, mit neuen prædicaten, hæhern Tituln oder Wapen-Briefen begaben.* Neque etiam quid detrahi debet juribus territorialibus electorum vel principum: ſi v.g. nobilis aliquis alicui iſtorum ſubjectus dignitate baronis vel comitis augeatur. Ita enim porro ibidem: *Sol auch durch einen oder andern unter Churfürſten und Stænden des Reichs Geſeſſenen und Begüterten zu hæhern Standes Erhæbung dem*

& inferiorum dignitatum nominibus, ubi poteſtas imperatoris per pacta non eſſet reſtricta. Electoratum non ſolum involvere dignitatem, ſed & munus, quod non credendum ex creantis & creati animo, otioſum manere debere, & ſic novum illum, quomodocunque demum hoc fieri poſſet, electorum collegio eſſe inferendum, & ſic electorem non adhibito ordinum, imprimis coëlectorum conſenſu, conſtitutum imperio & illi collegio, cui adſcribendus, indirecte quaſi obtrudi. Alias rationes vide in actis noni electoratus, quarum alibi mentio facienda erit. Quod ad affirmantes vero attinet, urgent potiſſimum imperatorem indeterminate eſſe omnium in imperio dignitatum fontem; deinde nulla lege vel pacto ſpeciali ad adhibendum ordinum, aut ſaltim electorum conſenſum in conſtituendo novo electore obſtringi, nec illud in aurea bulla aut Inſtrum. Pacis legi. Porro ſi coëlectores ipſum, quem capitulum denato electori ſurrogaret, & quod Bohemiæ regnum haberet caput agnoſcere deberent, quidni & ab imperatore conſtitutum agnoſcerent electorem? Sic & exemplis hanc illuſtrari & comprobari veritatem. Cum Sigismundus poſt mortem ALBERTI Anhaltini, FRIDERICVM MISNIÆ MARCHIONEM electorem crearet, electorum aut aliorum imperii procerum conſenſum eſſe adhibitum, memoriæ non ſit proditum. Literæ, quibus illum electores pro collega habent, non ad conſtitutionem ejus, ſed receptionem ſpectent. Huic accedit, quod Trevirenſi & Colonienſi *Fridericum Placidum* electorem agnoſcere renuentibus, illud ab eodem cæſare graviter exprobatum ſit. Et licet novi electores de coëlectorum ſuorum conſenſu aliquando ſoliciti fuerint, id non ad conſtitutionem, ſed receptionem ſpectare, dicunt. Exempla exhibet LYNCKER. *ad art. 20. capitulat. Joſephi*; addit tamen, cautius eſſe, cum ex novi electoris conſtitutione turbæ enaſci poſſent, ſi electorum ut imperii Romani *innerſten Glieder und Haupt-Seulen*, adhibeatur conſenſus. Porro quod l. c. cum RVMELINO & BVXTORFIO *ad A. B. cap. 7.* nec non RHETIO *ad jus feudale pag. 355.* aſſerat, quod citra electorum quoque conſenſum alicui electoratus exſpectativam conferre poſſit, ab aliis itidem in dubium vocatur, præſertim cum in capitulatione poteſtas imperatoris circa expectativas admodum ſit reſtricta. Quod reliquum, oritur hic quæſtio, an alicui ab alio, quam ſuo principe & in Germania ab imperatore nobilitas conferri poſſit. Ubi pro affirmativa militare videtur ſententia, quod tali dignitate ab extraneo principe collata, obſequio, quo quis domino ſuo territoriali & ſupremo capiti eſt devinctus, nihil decedat. Deinde experientia conſtat, non ſolum equeſtribus ordinibus, etiam aliis principibus obedientiæ vinculo obnoxios adſcribi, ſed & iis nobilitatis axiomata conferri. Verum, ut dicam, quod res eſt, neminem puto propter obligationem patriæ, inſcio & invito illo, cujus ſubeſt imperio, nobilitatem aut honorum gradus, quibus alii etiam quodammodo adſtringitur, ſuſcipere poſſe. Intereſt enim reipublicæ, præcipua potiſſimum ſua membra ſibi ſoli fide & obſequio addicta habere, nec iis occaſionem relinqui, aliorum utilitati, quæ ſuæ reipublicæ commodis repugnat, aut aliquando repugnare poteſt, ope & conſilio velificari. Imo qui alterius principis ſubditos hoc modo ſibi jungit, in amicitiæ leges peccat, & non levem ſuſpicionem de ſe excitat, ac ſi adverſa quædam illi reipublicæ moliri animo volveret. Hinc non ſine ratione de Rudolpho II. Eliſabetha, Angliæ regina, conquerebatur, quod Thomæ Arundelio Anglo, ſe inſcia, comitis titulum collocaſſet. Neque verba illius, quibus reginæ animum placare ſatagebat, tanti mihi videntur ponderis, ut aliquem in diverſam pertrahere poſſint ſententiam. Inquit enim: *Maxime quod diverſa apud diverſas nationes exempla ejusmodi præmiorum ob res præclare geſtas collatorum exſtent. Neque enim nobis novum eſt, ut ad anteceſſorum noſtrorum imitationem, honorum incrementa etiam aliorum principum ſubditis decernamus, qui faciie ferimus, ſubditos etiam noſtros a quovis ſummo principe ornari.* RYMER. *act. publ. Angl. tom. 16. p. 301.* Nec enim unius gentis mos alteri ut lex obtrudi, aut unius juris ſui neglectus aliam, ut idem faciat, obſtringere poteſt. Deinde credendum omnino erit, exempla, ad quæ Rudolphus II. cæſar provocat, eos, quibus dignitates & honores collati ſunt, principibus expreſſe aut tacite ſuffragantibus reſpicere.

(a) *Succeſſion) Capit.* JOSEPHI *art. 35.* CAROLI VI. *art. 2. 3.* Vide MAVRITIVM *ad art. 36. capit. Leopoldi &* LYNCKERVM atque HENNIGESIVM *ad capitulat. Joſephi l. c.* Olim electionem Germaniæ regum ſucceſſione temperatam fuiſſe, alibi monuimus. Cæterum ſi forte verendum, ne exſtincto imperatore, ob novi cæſaris electionem graviſſimi Germaniam invadere poſſint motus, & vivo imperatore rex romanus eligi poteſt. Nam non dubito, quin hoc quoque ad imperii neceſſaria & maxime utilia referendum ſit. Clauſulam autem de electione romani regis, vivente imperatore, Mathiæ primum capitulationi inſertam, verbis capitulationis Caroli VI. ſequentibus adjiciamus: Und nachdem Churfürſten und Fürſten, ohnlængſthin zu Regenſpurg nach Anleitung *articulo octavo inſtrumenti pacis*, von der Wahl eines Ræmiſchen Kænigs, bey Lebzeiten eines erwehlten und regierenden Ræmiſchen Kayſers gehandelt und verglichen worden, daſs die Churfurſten nicht leichtlich zur Wahl eines Ræmiſchen Kænigs *vivente imperatore* ſchreiten, es wære dann, daſs entweder der erwehlte und regierende Ræmiſche Kayſer ſich aus dem Ræmiſchen Reich begeben, und beſtændig oder allzulang aufhalten wolte, oder derſelbe wegen ſeines hohen Alters, oder beharrlicher Ohnpæſslichkeit der Regierung nicht mehr vorſtehen kænte, oder ſonſten eine anderwærtige hohe Nohtdurfft, daran des Heil. Ræmſch. Reichs *conſervation* und Wolfahrt gelegen, erforderte, einen Ræmiſchen Kænig, noch bey Lebzeiten des regierenden Kayſers zu erwehlen, und dann das in ſolchen, ein und andern angeregten, wie auch erſtgedachten Nohtfall, die Wahl eines Ræmiſchen Kænigs durch die Churfurſten mit oder ohne des regierenden Ræmiſchen Kayſers *conſens*, wann derſelbe auf angelegte Bitte ohne erhebliche Urſach verweigert werden ſolte, vorgenommen und damit der güldenen Bulle auch ihren von dem Heil. Ræmiſchen Reich tragenden Amt und Pflichten nach, von ihnen allerdings frey und ohngehindert verfahren werden ſolle.

(b) *Einiges alten Hauſes) Capitulatio* JOSEPHI *art. 43.* CAROLI VI. *art. 2.* Quid occaſionem hiſce præbuerit verbis, vide apud SCHWEDERVM *parte ſpeciali ſectione 1. cap. 7.* & LIMNÆVM *tom. 1. addit. ad lib. 2. cap. 9. N. 20.*

dem juri territoriali nachtheilig ſeyn, und die ihme zugehœrige und in ſolchen Landen gelegene Güter einen und den andern Weg unter voriger Landsfürſtl. jurisdiction (a) *verbleiben.*

XLVII. ET HÆC ſunt ea, quæ ad ſtatum politicum tempore pacis potiſſimum facientia in noſtra capitulatione inveniuntur. Sufficiat nobis illa *rudi tantum penicillo* (b) attigiſſe. Nam ſingula digne tractare, eſſet ſingulas diſputationes vel etiam integros tractatus ſcribere. Sepoſitis igitur his, jam viſuri ſumus, quomodo *jura belli & fœderum* inſtruat noſtra capitulatio. Et quidem *bellum*, quod inter maxima majeſtatis regalia refertur, eſt vel offenſivum vel defenſivum. Offenſivum imperatorem non ſolum, ſed de omnium ordinum, aut *ad minimum electorum*, (c) conſilio & conſenſu intra vel extra fines imperii debere ſuſcipere, cautum eſt. *Art. 13. Wir ſollen und vvollen auch &c. kein Gezænck, Vehde noch Krieg, in oder auſſerhalb des Reichs, von deſſelben wegen, unter keinerley Vorvvand, vvie der auch ſey, ohne der Churfürſten, Fürſten und Stænde, oder zum vvenigſten der ſæmtl Churfürſten Vorvviſſen, Raht und Einvvilligung anfangen oder fürnehmen, noch ohne jezgedachten conſens einiges Kriegesvolck ins Reich führen, oder führen laſſen.* Cautum porro eſt, ut bello externo, quocunque id fieri poſſit prætextu, ſe non immiſceat *Artic. 14. Bellum defenſivum* (d) pro imperio contra externum hoſtem expedit imperator arbitratu ſuo *Art. 12.* ibi: *Wo vvir aber von des Reichs vvegen oder das heilige Reich angegriffen und bekrieget vvürden, alsdenn mœgen vvir uns aller Hülfe gebrauchen:* ita tamen, ne durante bello in terris electorum vel principum caſtra extruat aut collapſa *reſtituat* (e) *d. art. 13.* ibi: *Jedoch ſollen und vvollen vvir vveder in ſolchem Krieg &c.* Miles ubi exigente neceſſitate pro defendendo imperio eſt conſcribendus, id conſilio & ſuffragio electorum fiat, conſcriptus ſine eorundem & omnium ordinum præſcitu & aſſenſu extra imperium *ne ducatur*, (f) ſed ad defendendum imperium & opitulandum Statibus preſſis adhibeatur, *Art. 17.* Junge *Inſtrum. Pac. art. 8. §. 2.*

XLIIX.

(a) *Unter voriger Lands-Fürſtl. jurisdiction*) In capitulatione Caroli VI. hæc, quæ nec in capitulationis perpetuæ projectu reperiuntur, ſeſe offerunt: Wie dann auch, wo ein oder andere Stand erweiſslich darthun würde, daſs er gegen ſolches bishero *gravirt* und an ſeinen Gerechtſamen durch neue Standes-Erhœhungen beeintræchtiget worden, derſelbe mit ſeinen habenden Beſchwerden gnüglich gehœret, und das unbillig vorgegangene geændert, und abgeſteller werden ſolle. Non male conjicere videntur, qui diſſidia inter domos Saxo-Vinarienſem & neo-principes Schwartzburgicos allata verba peperiſſe, dicunt.

(b) *Rudi tantum penicillo*) Sic nec ego non niſi pauca ſaltim ob temporis anguſtiam, & pro materiarum, quas capitulationes includunt, multitudine & amplitudine addidi. De cœtero benevolum Lectorem ad eruditorum, a nobis citatorum, in capitulationes commentarios remitto.

(c) *Ad minimum electorum*) Hoc ad illum eſt reſtringendum caſum, quando res moram non fert. Notum eſt ex actis pacis Weſtphalicæ, principes tunc admodum ſollicitos fuiſſe, ut hæc in capitulatione perpetua omitterentur verba, ſiquidem nec in projectu ejus leguntur. Conf. INSTRVMENTVM *pacis Weſtphalicæ art. 8. §. 2.* CAPITVLAT. *Joſephi art. 30.* CAROLI VI. *art. 4.* Quodſi deinde bellum gerendum, in illo, quod imperii leges requirunt, obſervandum eſt. Nec minus ad ineundam pacem ordinum eſt adhibendus conſenſus. Conducit capitulationis carolinæ ſequentia, ad ea quæ dicta ſunt firmanda, ſubjungere: Dergleichen Reichs-Kriege ſodann nach Inhalt der Reichs-*conſtitutionen*, der *executions*-Ordnung und des *inſtrumenti pacis* geſuhret, auch die *generalitæt*, ſamt denen von uns, und dem Reiche in gleicher Anzahl beyder Religionen beſtellten Krieges-Rahts-*Directorn* und Ræhten, ſo wol als das gantze Krieges-Heer in unſere und des Reichs Pflichten genommen werden ſolle, wie ſolches, alles die auf ſolche Reichs-Krieges-Fælle ergangene Reichs-Schlüſſe erfordern und mit ſich bringen: Wo wir aber des Reichs wegen angegriffen würden, mœgen wir uns aller dem Reiche unnachtheiliger Hulfe gebrauchen. Jedoch ſollen und wollen wir weder in wæhrenden ſolchen Kriege noch auch ſonſten in der Churfürſten, Fürſten und Stænde Landen und Gebiet keine Veſtungen von neuen anlegen oder bauen, noch auch zerfallene oder alte wiederum erneuern, vielweniger andern ſolches geſtatten oder zulaſſen, immaſſen dieſes allein die Landes-Herren nach denen Reichs-Satzungen in ihren *territoriis* zu thun befugt und berechtiget ſeyn; So dann ſollen und wollen wir auch keinen Frieden ohne Churfürſten, Fürſten und Stænden Zuthun und Einwilligung ſchlieſſen, und inſonderheit bey deſſen Erfolg ernſtlich daran ſeyn, damit das von dem Feind im Reich *occupirte* oder in *eccleſiaſticis & politicis* Geænderte, zu der bedruckten Stænde und deren Unterthanen *conſolation* in dem alten denen Reichs-fundamental-Geſetzen und Friedens-Schlüſſen (worunter doch die Augſpurgiſche Confeſſions-Verwandten den Riſswickiſchen Frieden nicht verſtanden haben wollen, die Catholiſche aber ſothane *reſervation* an ſeinen Ort ausgeſtellet ſeyn laſſen) gemæſſen Stand *reſtituret* werde; abſonderlich aber ſollen und wollen wir dasjenige, was zu Münſter und Oſnabrück zwiſchen unſeren Vorfahren am Reich, dem Heil. Rœmiſchen Reich und ſæmtlichen Churfürſten, Fürſten und Stænden, an einem, denn denen mit-paciſcirenden Cronen am andern Theil, gehandelt und geſchloſſen worden, ohnverbrüchlich halten, darwider weder vor uns etwas vornehmen, noch andere desgleichen zu thun geſtatten, wodurch dieſer allgemeine immerwæhrende Friede und wahre aufrichtige Freundſchafft gekræncket, betrübt oder gebrochen werde. Cumque Radſtadenſes tractatus moram illam, ut ordines in partes vocari poſſent, pati non viderentur, eis abſolutis inque pacem Badenſem deſinentibus, ab imperatore diplomate cautum eſt, ne hoc ordinum juribus ulli eſſet præjudicio. Ut autem horum jurium, quæ maximi eſſe momenti, nemo facile in dubium vocabit, ordines admodum ſint curioſi, nemo ipſis vitio vertet, præſertim cum ad hæc in ſpecie eorum requiratur conſenſus, nec alias ſine controverſia ſit, quænam ſint cauſæ majores & unde tumultus exoriri poſſint, ad quæ imperator electorum & principum ſententias & vota requirere promittit. Conf. LYNCKER. *ad capitulat. Joſephi art. 38.*

(d) *Bellum defenſivum*) Quidni enim cæſaris arbitrio eſſe relictum, quod cuivis alii, ſi judex adiri nequit, licet. Magna autem differentia eſt inter defenſionem privatarum & publicarum poteſtatum: illa, monente GROTIO *de J. B. & P. lib. 2. cap. 1 §. 16.* in terminis nudæ defenſionis conſiſtit, hæc cum defenſione & poteſtatem ulciſcendi complectitur. Unde publicis poteſtatibus licet prævenire vim non tantum præſentem, ſed quæ de longo imminere videtur.

(e) *Reſtituat*) LYNCKER & HENNIGES *ad art. 13. capit. Joſephi*, diſceditur hic ab eo, quod in pace Pragenſi conſtitutum erat, nempe licitum fore Ferdinando II. in quinque ſuperioribus circulis munimentis præſidia immittere. THEATRVM EVROPÆVM *tom. 2. p.* 118. quod deinde inſtrumento pacis art. 8. §. 2. & capitulationibus imperatorum mutatum eſt, quamvis inde juri aperturæ, quo imperator pro ſe in omnibus Imperii locis munitis gaudet, nihil decedat. Sic & caſus neceſſitatis ſi talis locus alias ab hoſte occuparetur, merito excipiendus eſt. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 10.*

(f) *Ne ducatur*) *Capitulatio* JOSEPHI *art. 8. 13. &* CA-

XLIIX. *Fœdera*, quæ haud poſtrema majeſtatis pars ſunt, diſpeſci poſſunt in univerſalia totius imperii & particularia Statuum. Fœdus univerſale decernere eſt jus comitiorum imperatori & ordinibus commune. Ita enim noſtræ capitulationis *artic. 10. Wir ſollen und vvollen auch für uns ſelbſt, als ervvehlter Rœmiſcher Kœnig, in des Reichs Handeln* (a) *keine Verbündnüß oder Einigung mit fremden Nationen noch ſonſten im Reich machen, vvir haben denn zuvor derer Churfürſten, Fürſten und Standen Bevvilligung hierzu erlanget &c.* Niſi periculum ſit in mora. Tum tamen ad minimum electorum ſuffragiis *opus eſt*, (b) *d. art. 10.* ibi: *da aber publica ſalus & utilitas &c.* Et tam hoc, quam illud, quod ſuperiore theſi de bello dictum eſt, jam olim ſancitum fuit. *Handhabung des Friedens zu Wormbs anno 1495. Rubric. die Rœmiſche Kœnigl. Majeſt. ſol keinen Krieg anfangen.* Quanquam autem jus fœderum in *capit. Ferdin. III. §. 7.* contractum eſt ad conſenſum electorum cum cæſare, comitiis tamen *iterum eſt redditum* (c) per *Pacific. Osnabr. Art. 8. §. 2.* & noſtra capitulatione confirmatum. Fœdera tamen particularia ineundi jus habet tam imperator ratione *ditionum hereditariarum* (d) *artic. 10.* ibi; *Wenn wir auch ins künfftige &c.* quam *quilibet Status* (e) pro ſe. *art. 14.* ibi: *Gleichwol mit*

ROLI VI. *art. 4.* HENNIGES *in meditationibus ad capitulat. Joſephi p. 118.*

(a) *In des Reichs handeln*) *Capitulatio JOSEPHI art. 10. CAROLI VI. art. 6.* Additur, quod comitialibus ſuffragiis hic exprimi debeat conſenſus. Oritur hic quæſtio, an & in fœdere defenſivo imperator comitiali ordinum indigeat conſenſu. Negantium hæ ſunt rationes: 1) imperatorem deterioris eſſe non poſſe conditionis, quam ordines, quippe quibus, etiam non implorato imperatorio conſenſu, fœdera pangere defenſiva liceret; 2) Maximam eſſe differentiam inter fœdera offenſiva & defenſiva, quoniam hæc tantum ad imperii utilitatem & conſervationem tenderent, illa vero multis magnisque imperium exponere poſſent periculis; 3) Sine defenſivis fœderibus nullam eſſe poſſe rempublicam, cum ne Hercules quidem duobus par eſſe queat, ad illud autem, quod ſalus reipublicæ neceſſario requirit, nullius membrorum expreſſo opus eſſe conſenſu, ſed tacitum omnium ſufficere, cum omnes velint defendi & conſervari; quod vero imperium aliis viciſſim, cum quibus imperator fœdera fecit defenſiva, ſuppetias ferre teneatur, jus æqualitatis requirere. Imo licet cum bello impetitis nullum imperio germanico intercedat fœdus, ex communi tamen obligatione, qua homo homini in auxilium natus eſt, ei incumbere, ut injuſte oppreſſis opem ferat; 4) Cum imperator abſque ordinum ſuffragiis bellum defenſivum gerere poſſit, ipſum etiam fœdus defenſivum ſine eorum conſenſu facere poſſe. Atque ita verba generalia capitulationis Caroli VI. ex capitulationis perpetuæ projectu quodammodo mutatæ: *In denen Reichs-Handeln keine Bundniſſe oder Einigung mit andern in- oder auſſerhalb des Reichs machen*, ad fœdera offenſiva reſtringenda eſſe. Affirmantes vero pro ſua ſententia, quæ verior videtur, hæc adducunt: 1) imperatoriæ majeſtati placuiſſe, ut omnem evitaret ſuſpicionem, ac ſi imperium quocunque demum fœdere, bellis implicare vellet, omnia imperii nomine ineunda fœdera ordinum ſuffragiis ſubjeciſſe, 2) imperatorem deterioris in eo non eſſe conditionis, cum & ſtatuum circa fœdera defenſiva pangenda reſtricta eſſet libertas, quoniam illa nec imperatis & imperii rationibus, nec paci profanæ & Weſtphalicæ aut jurijurando, quo imperatori fidem & obſequium adſtrixiſſent, adverſari poſſent; 3) Longe aliam eſſe conditionem fœderum, quæ ab ordinibus ratione territoriorum ſuorum ineuntur, & quæ ab imperatore totius imperii nomine ſanciuntur, quoniam illa tantum ſtatus ea icentes, hæc, ſi imperatoris hic ſufficeret arbitrium, totum imperium, licet ei de fœderibus iſtis defenſivis ne quidem conſtaret, obſtringerent. 4) Defenſiva fœdera plerumque ab offenſivis non procul abeſſe, & late ſerpentibus bellis præbere occaſionem, cum defenſio, quæ gentium, laxiores habeat terminos, quam quæ privatorum eſt. PVFFENDORF. *de J. N. & G. lib. 8. cap. 6.* 5) Obinde multa cum circumſpectione fœdera etiam defenſiva eligenda, & potiſſimum inquirendum eſſe, quid ab eo, quocum defenſivum contrahi debet fœdus, exſpectare poſſimus auxilii, & quid ipſi e contrario præſtandum, quot & quosnam habere poſſit inimicos, contra quos defendendus erit, atque ſic imperii ordinibus indifferens eſſe non poſſe, cum quibus imperator imperii nomine fœdera contrahat defenſiva. 6) In tam arduis negotiis, ex quibus totius imperii ſalus pendet, quæque in ejus vergere poſſunt detrimentum tacitum non ſufficere conſenſum; 7) Obligationem generalem, qua injuſte oppreſſis præſto eſſe adſtringimur, non ſine limitationibus eſſe; regulam enim philautiæ ſemper reſtringere regulam ſocialitatis, ſi inter eas colliſio ſit. 8) A bello defenſivo ad fœdera defenſiva valide concludi non poſſe, quoniam defenſio ad deliberandum plerumque non admittit ſpacium; hoc autem in contrahendis fœderibus defenſivis, quando bellum nondum ingruit, aliter ſe habere, cum ibi & moræ ad deliberandum & electioni locus eſſe ſoleat.

(b) *Opus eſt*) Ad ſuffragia autem electorum obtinenda non literæ aut nuncii ſufficiunt, ſed electorali opus eſt conventu.

(c) *Iterum eſt redditum*) Iniquum hic LYNCKERVS, *in notis ad Joſephinam capitulationem*, Auctoris noſtri cenſorem agit, quando ea, quæ hic tradit, *cavillationem* vocat. Quanquam enim negare non poſſim, jus fœderum Statibus ſubinde per imperii leges magis firmatum eſſe; attamen ab aliquot retro ſeculis obtinuiſſe, ut eorum circa pangenda imperii fœdera adhibita ſint ſuffragia, multa in rerum geſtarum commentariis propoſita exempla documento ſunt. HENNIGES *ad capit. Joſephi art. 10. pag. 123.* STRVVII *diſſert. 13. J. P. §. 27.* Quod autem ad imperii leges attinet, inter vetuſtiores, quæ in receſſuum corpore leguntur, hoc tradit *Handhabung des Land-Friedens zu Worms §. auch ſolches wir und unſer lieber Sohn.* Cœpit autem Maximilianus I. ab hoc more, imperii pactis corroborato, princeps diſcedere, cum fœderi Cameraci contra Venetas icto abſque ordinum conſenſu ſeſe manciparet; nec non, a ſe recte factum, cum de eo ſtatus conquererentur, rationibus quibusdam evincere conaretur. GOLDASTI *Reichs-Handlungen p. 16.* Hinc Caroli V. & poſt cum aliorum etiam imperatorum capitulationibus eſt inſertum, nullum ſine electorum conſenſu imperii nomine ab imperatore pangi poſſe fœdus. Verum enim vero reliqui Status juribus ſuis noxium rati, ſe hic excludi, ut & ſui conſenſus ratio haberetur, monuerunt; atque in pace Weſtphalica voti compotes facti ſunt, ita ut in capitulatione Ferdinandi IV. nec principum & imperialium urbium, in faciendis fœderibus, negligenda eſſe ſuffragia, ſtatutum ſit. Quis jam inficias iret, Status ex poſtliminio quaſi jus fœderum recuperaſſe? Soliciti quoque fuerunt ordines reliqui, ne capitulatio Leopoldi limitationem illam, quod ad fœdera imperii, ubi res moram non pateretur, electorum ſufficeret conſenſus, referret. Verum moniti hujus nec in Leopoldina, nec Joſephina, nec Carolina capitulationibus habita eſt ratio, quamvis in capitulationis perpetuæ projectu illa ſit omiſſa. Vid. HENNIGES *art. 10. capitulat. Joſephi, GRUNDVESTE P. 3. cap. 3. MULZ. repræſ. majeſt. imperii P. 1. c. 12.*

(d) *Ditionum hereditariarum*) Apparet quidem ex auctore *der Grundveſte l. c.* principes & Status egiſſe, ut, quæ imperator de fœderibus ratione ſuæ domus promittit, nempe quod imperii rationibus & paci profanæ inſtrumentoque pacis conformia eſſe debeant, etiam ad terras ejus extra imperium ſitas ſpectarent. Sed cum hoc æquitati non æque conſentaneum electoribus videretur, in capitulatione omiſſum eſt, quoniam illæ terræ imperii non fruuntur tutela.

(e) *Quilibet ſtatus*) Tam cum con-Statibus, quam exteris ordines imperii fœdera ſancire poſſunt: In capitulatione eſt: *unter ſich und mit Auswartigen.* Quæ cum Gallo inita ſunt, notabilem impleant numerum. Fœderum hujusmodi

mit der ferneren Erklærung &c. dummodo hæc fœdera non ſint contra Imperatorem, Imperium aut inſtrumentum pacis *d. art. in fin. & Inſtr. Pac. art.* 8. §. 2. Reliquis, qui mediate imperio ſubſunt, nec inter ſe, nec cum aliis tam intra quam extra Imperium fœdus aliquod pangere licet; quicunque etiam prætextus vel color huic rei adhibeatur. Idque ne fiat, providere debet Imperator dehortando & puniendo. Qua de re legi poſſunt noſtræ capitulationis *articulus ſeptimus* (a) &, qui plane novus, nonus.

XLIX. Præter ea porro, quas ex capitulatione Leopoldina, qua fieri potuit brevitate, hactenus

varia recenſentur exempla in V. Cl. JOH. JACOB MASCOVII diſſ. *de jure fœderum in S. R. Imperio*, anno 1726. Lipſiæ habita, nec non in *manifeſto*, quod Galli electoris Trevirenſis, in captivitatem ab imperatore ob fœdus gallicum acti, cauſa in lucem ediderunt, ex quo ſua deſumſit BRUNNEMANNUS, quæ *in differt. de fœderibus Statuum cum exteris* §. 18. 19. 20 habet. Agit etiam ibi de fœdere Smalcaldico, de quo evolvendus eſt HORTLEDER, SLEIDANUS, CARPZOVIUS *de capitulat. cæſarea cap.* 4. Jus hoc fœderum Statibus non ſolum in inſtrumento pacis, ſed etiam in capitulationibus imperatorum confirmatum eſt, modo fœdera illa nec adverſus imperatorem & imperium ineantur, nec paci profanæ & Monaſterienſi aut jurijurando, quo Status imperatori ſunt obnoxii, adverſentur, neque ex copiis peregrinorum principum in auxilium advocandis imperio periculi quid oboriri queat. Non autem Statibus niſi *jus fœderum defenſivorum* eſſe videtur, quod ex inſtrumento pacis & capitulatione colligitur. SCHüZ. *Colleg. I. P. vol.* 2. *diſp.* 10. §. 3. *LONDORP. act. publ. tom.* 5. *p.* 1075. In capitulatione Joſephi hæc leguntur: *zu ihrer defenſion, conſervation, Sicherheit und Wolfahrt*; in inſtrumento pacis autem: *pro ſua cujusque conſervatione ac ſecuritate.* Verum & offenſivorum fœderum æque ac bellorum jus ipſis aliquando competere, *BRUNNEMAN. in laudata diſſ.* ſecundum auctoris obſervationum Hallenſium ductum, evincere allaborat. Neque vero ad vetera illa, quæ a *LIMNÆO in I. P. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 247. & aliis, etiam in actis comitialibus, aureæ Bullæ & receſſuum, pro bello & fœderibus Statuum imperii offenſivis, allegantur capita, relabendum eſt: illa enim recentioribus omnino limitata ſunt ſanctionibus. Sed praxis imperii & reipublicæ noſtræ ratio, quæ tam in judiciis, quam in modis exſequendi multis magnisque laborare dicitur morbis, offenſiva arma adverſus con-ſtatus quoque interdum admittere videtur. Enimvero judiciis phyſice aut moraliter ceſſantibus, aut deficiente idoneo exſequendi modo, ad ſtatum naturalem reditur. Quodſi igitur nonnunquam in con-ſtatum offenſiva induere licet arma, ubi cauſæ adeſt juſtitia, quidni illa in exteros quoque ſumi poſſent, quippe quos nulla ſanctionum & ſententiarum imperii cura tenet. Exiſtimo tamen, antequam in imperii ſocium, aut exterum corripiantur arma, imperatori & imperio rem eſſe indicandam, ſi forte bello, quod ei noxium eſſe poteſt, avertendo ſuggerere poſſint media, modo non in mora ſit periculum. Atque hoc eſſe, quod in Colonienſis & Monaſterienſis bello, quo Belgas unitos perſequebantur, deſideratum fuerit, ſunt qui opinantur. Cum epiſcopus Monaſterienſis anno 1665. memoratis Belgis ob comitatum Borckloenſem bellum inferret, motis jam tum caſtris, rem ad imperii detulit comitia. Ut autem illorum, qui id minus recte factum loquebantur, placaret animos, bellum eſſe defenſivum, quod gereret, cauſabatur, quoniam ſibi ſubditis ab Hollandorum copiis multæ illatæ eſſent calamitates, & expeditionem, quam in hoſtes ſuos animo volviſſet, ſe comitiis citius ſignificare merito deſtitiſſe, quoniam [illegible] ſecretorum non eſſent tenacia.

Quod autem ad fœdera offenſiva attinet, illa Statibus licita eſſe videntur, cum in capitulatione auguſtiſſimi imperatoris CAROLI VI. vox *defenſio*, quæ erat in Joſephina, ſit omiſſa. Sunt tamen, qui ad Statuum fœdera ſive offenſiva ſive defenſiva, imperatoris & imperii conſenſum non requirunt, etiamſi cum extraneis ineantur. LYNCKER & HENNIGES *ad art.* 10. *capitulat. Joſephi.* Alii conſenſum & imperatoris & imperii hic neceſſarium eſſe, aſſerunt, quod fœdera illa rationibus eorum & imperii legibus adverſari nequeant; igitur imperatorem & imperium judicare debere, an fœdera iis repugnent, ita ut inde imperio periculi quid imminere poſſit. OBRECHT *ad Inſtrum. Pacis pag.* 129. Verum enim vero qui imperatoris & imperii ſuffragia hic non requirunt, unicum judicandi medium ſufficere ajunt, ſi quis ab imperatore & imperio hoſtis declaratus: cum eo enim nec fœdus ab ordinibus imperii contrahi poſſe, & ſi quod antea factum, tolli, nec intuitu belli cum eo ex imperatoris & imperii decreto gerendi, ad neutras provocari poſſe partes. Sed mihi videtur, etiam cum illo, de quo notorium eſt, aut ex circumſtantiis conſtare poteſt, quod imperii rebus non bene cupiat, illudque, commoda occaſione oblata, invadere agitet, citra violationem juris jurandi, quo ordines imperatori & imperio obnoxii ſunt, fœdus contrahi non poſſe. Sic & analogiæ juris publici imperii noſtri convenientius, immo cautius eſt, quo omnis avertatur ſuſpicio, ut fœdera a membris contrahenda, imperatori & imperio indicentur. Denique ſunt non nulli, qui ſequentem in modum ratiocinantur. Si imperii ordines ab alio forte bello impetiti aut impetendi, juſta opponant arma, & ex quo ea ſumſerint, illico de cauſſis belli imperatorem certiorem facere debeant, ſequitur, quod, ubi res moram patitur, ut in fœderibus, antequam ea ineant, imperatori, quid hic animo volvant, manifeſtent, neceſſum ſit. Prius membrum probant ex receſſu imperii de anno 1555. §. *nachdem aber die hierbevor & §. im Fall aber.* Conſecutionis fundamentum vero in propatulo eſſe dicunt, quoniam ex verbis receſſus citati liquidum maxime ſit, ordines ideo ab obligatione bellum, quod moliuntur, imperatori ſignificandi, antequam caſtra metentur, liberari, quia res moram non ferat, atque ideo, ubi in mora non eſt periculum, priusquam tanti ponderis negotia, quæ imperium maximis involvere poſſunt motibus, ſuſcipiantur, ad imperatorem deferenda eſſe. Neque hoc recentioribus imperii conſtitutionibus mutatum: verum ab illis ardua hæc inter deliberationum comitialium materiam relata eſſe dicuntur.

(a) *Articulus* 7.) *Capitulat. JOSEPHI art.* 7. *CAROLI VI. art.* 15. Et hæc ſunt fœdera, quæ art. 15. aureæ Bullæ prohibentur. Non enim Statuum civibus tam inter ſe, quam cum exteris fœdera inire licet, quorſum etiam articulus 9. capitulationis Leopoldinæ reſpicit. Huic, quem præcedentes non habent capitulationes, civitatem Monaſterium, immedietatis & belgici fœderis cupidam, deinde vero ab epiſcopo ad plenum redactam obſequium, occaſionem præbuiſſe, recte conjicit MAURITIUS *ad capitulationem Leopoldi p* 811. Ut autem dicam, quod res eſt, recte faciunt principes, quod, ut a ſubditis talia non ineantur fœdera, admodum ſint ſoliciti. Ex annalibus Germaniæ enim abunde conſtat, quot mala ſubditorum fœdera inter ſe, aut cum exteris, in quorum clientelam concedebant, Germanorum territoriis intulerint. Alia quoque huic de fœderibus ſubditorum invalidis in capitulatione carolina junguntur dogmata, ad corrigendos perverſos eorum auſus maximam partem tendentia, quæ in *Leopoldina & Joſephina capitulatione art.* 3. reperiuntur. Talia ſunt, quod imperator Statuum & immediatæ nobilitatis cives ſua quidem complecti tutela, non autem eorum juriſdictioni ſubtrahere, aut ab obſequio & oneribus, quæ dominis territorialibus præſtanda ſunt, liberare velit. Sunt etiam in hoc articulo, quæ ordinum provincialium poteſtati circa indicenda tributa & convocandas diætas modum ponunt. Conſtituitur nempe, *illud nunquam ſine principis præſcitu & conſenſu fieri debere;* nec non illis ibidem injungitur, ne ſumtus in munimenta, præſidia & ſuſtentationem cameralem faciendos declinare ſtudeant; quoniam

nus ſunt recenſita, adſunt adhuc articuli quidam prorſus ſingulares. Ut *Art.* 5. (a) de præcedentia inter legatos *Regum* (b) & *Rerumpubl.* (*) Electores, *Comites* &c. (**) *Articulus* 11. de ſuo cuique *reſti-*

niam ſubditi ad ea teneantur. *R. I. de anno* 1654. §. 80. Colligunt inde, & ſubditos ad fortalitia in reipublicæ ſalutem nove exſtruenda nummos porrigere debere. RHETIUS *in I. P. lib. 2. tit. 2. §. 7.* HENNIGES *ad art. 3. capit. Joſephi.* Cumque nihil frequentius ſit, quam querelæ ſubditorum, qui tributa pendere debent, ut omnis injuſte conquerendi ipſis & ordinibus provincialibus, imperata in capitulatione facere recuſantibus, adimatur occaſio, promittit imperator, ſe eos contra dominos territoriales ad cameram vel judicium aulicum proceſſus deferentes, non facile auditurum, ſed a limine judicii ad dominorum ſuorum obſequium remiſſurum. Præterea, ſi quos proceſſus, mandata, decreta ſubditi adverſus ſuos principes, antequam horum ſuper obmotis gravaminibus requiſita & exhibita eſt relatio, impetrarunt, prævia ſummaria cauſæ cognitione, pro nullis declarari deberi. Porro pollicetur, ſe non impediturum, quo minus Status & immediata nobilitas vicinorum auxiliis ſuffulti civium ſuorum molimina evertere, & motus jam exortos compeſcere queant: nec non, ſe ad id incubiturum, ut lites in imperii judiciis pendentes brevi terminentur. Sunt, quod obiter memoro, qui ad hunc capitulationis articulum notant, miſeras fore res civium imperii mediatorum, ſi principe ſe non reipublicæ ſed rempublicam ſibi eſſe natam credente utantur; omnes enim propemodum vias, ad imperatorem querelas deferendi ipſis eſſe obſtructas, ut vix aliquam inde ſalutem ſperare poſſint. Quouſque hi verum attingant, aliorum relinquo judicio. Alii addunt, licet imperator & ſumma imperii tribunalia a Statuum civibus, de principibus conquerentibus, adhuc adiri queant, cum cæſar tantum, antequam proceſſus decernantur, præcedentem Statuum relationem requirat; conſultius tamen eſſe, ſi conqueſturi alia prius ſectentur conſilia, præſertim ſi ordinibus potentioribus ſunt ſubditi; cum in eos ſententiarum, quæ in ſummis imperii tribunalibus pronunciantur, exſecutio ſit perdifficilis.

(a) *Articulo* 5.) In hoc articulo ordines imperii prohibentur, ne exterorum ſe committant protectioni, quoniam illud (1) auctoritatem imperatoris & imperii imminuat; eſt enim, ac ſi eorum tutela inſufficiens eſſet. (2) Motibus & provinciis imperio avellendis occaſionem præbere poſſit. Vid. MAURITIUS *ad h. artic.* Agitur etiam in hoc articulo de *bulla Brabantina*, quæ Carolo IV. auctore Brabantinis privilegium confert, ne cives eorum ad judicia extranea evocentur, aut arreſtentur. Cumque Status imperii circuli Weſtphalici de abuſu hujus bullæ, quam LIMNÆUS *lib. 5. I. P.* refert, ſæpe conqueſti ſint, *vid. R. I. de anno* 1593. §. 72. & *de anno* 1641. § 92. in inſtrumento pacis art. 9. conſtitutum eſt, ut abuſus hujus bullæ tollantur, & in capitulationibus LEOPOLDINA *l. c.* JOSEPHINA *art.* 8. & CAROLI VI. *art.* 27. Statibus imperii illa bulla gravatis jus retorſionis conceditur. Quæ in citato articulo capitulationis Leopoldinæ & Joſephi de decem Alſatiæ civitatibus leguntur, nullum amplius habent uſum, cum per Ryswicenſem pacem in plenam Gallorum pervenerint poteſtatem; quanquam in nupero bello non minima affulgeret ſpes, fore, ut *Alſatia* imperio reſtitueretur, atque ideo in capitulatione Caroli VI. conſtitutum; *decem illas civitates in Alſatia Imperio denuo, ut alios immediatos Status, inſertum iri, ita tamen, ut domui Auſtriacæ præfectura provincialis ſalva eſſet.* Rem tamen aliter ceſſiſſe, experientia & pace Badenſi compertum habemus. Quod reliquum, in allegato Leopoldinæ capitulationis art. 8. imperator promittit, ſe curaturum, ut Status immediati, qui ab extraneorum principum milite, locum in illorum territoriis tenente, & aliis belli oneribus graviter premebantur, liberentur, eisque vicinorum ope ſuffultis, ſtatus, quo immediata imperii eſſent membra, conſervaretur. Quod autem ad tempora Leopoldi attinet, conjicio, ea quæ enarrantur mala, quibus nonnulli Status ab extraneorum principum copiis premebantur, ad militem Lotharingicum vel etiam Gallicum, qui Hiſpanos in Belgio oppugnans, vicina Germaniæ territoria atterivit, vel etiam ad Svecos Holſatiæ incubantes, referenda eſſe. PUFFENDORF. *rer. Brandenburg. lib.* 7. Joſephi vero tempore bellum Gallicum ſæviſſime ſuperiora Germaniæ territoria affligebat, ad quod tamen hæc ſpectare non videntur. Dicendum forte, & in hac capitulatione remanſiſſe quædam, quorum cauſſa exſpiraverat, quæ tamen reviviſcere poteſt, ſiquidem & in projectu capitulationis perpetuæ art. 26. conſpiciuntur. Quod de Caroli VI. capitulationis art. 4. dici poteſt, in quo eadem leguntur, niſi quod loco *dermahlen, jezuweilen,* & loco *immerhin hœchſt beſchwert werden,* höchſt beſchweret werden poſitum ſit. Hæc verba forte & ideo in magni noſtri Caroli capitulatione leguntur, quod bellum, quo fœdere juncti Suecum perſequebantur, Mecklenburgum, Holſatiam, Hamburgenſium & Lubecenſium terras multis tunc temporis involveret calamitatibus.

(b) *Regum*) Quæ in art. 2. capitulat. Leopoldi reperiuntur, in *Joſephina art.* 5. & *Caroli VI. art.* 3. traduntur. Quænam ſint electorum præ alijs principibus prærogativæ, BOECKLERUS *in notitia imperii lib* 1. *cap.* 2. ex ſchedis Boineburgii docet. Adde SCHWEDERUM *jur. publ. parte ſpec. ſect.* 2. *cap.* 2. PUFFENDORF. *rer. Brandenb. lib.* 4. §. 1. THULEMARIUM *cap.* 19. VITRIARIUM *lib.* 3. *tit.* 8. Fatendum eſt, eis æquales maximam partem cum regibus concedi honores, & æqualia competere jura. Non autem vetera illa, quod territoria eorum in medii ævi monumentis aliquando *regna* dicantur, *majeſtatis* gaudeant *ſigillo*, nec non ab exteris nonnunquam *majeſtatis* titulo compellati ſint, in ipſos *majeſtatis crimen* ab omnibus imperii incolis committatur, & quæ ſunt alia hujus argumenti. Quæ LUDWIGIUS *in reſponſis ad A. B. tom. 2. pag.* 388. *ſeq.* tradit, mihi jam non ſunt curæ: provoco tantum ad honores, qui, ut dignitatum & prærogativarum indicia, ipſorum legatis in cæſaris regumque aulis, nec non illuſtribus gentium conventibus exhibentur; addo titulos, quibus in codicillis a regibus ad eos perſcriptis mactantur. *Majeſtatis* vocabulum, in ſenſu curiali, nec regibus olim ab imperatore dabatur, ad illum igitur ab aliis obtinendum pactis opus eſt. Tantum abeſt, me aſſerere velle, dignitatis gradum, quo jam inter gentes utuntur, ſine moleſtia obtigiſſe. Notæ ſunt lites *de excellentiæ* elogio, eoque omnibus primi ordinis legatis electoralibus, quos *Ambaſciadores* vocant, impertiendo, nec non viſitatione, item de primo loco iis omnibus, ſi imperatorios & regios legatos viſitent, & ut ab iis jam præſentibus prius viſitentur, concedendo. Prolixum eſſet, omnia, quæ in hac cauſa in conventibus Oſnabrugo-monaſterienſi, Lubecenſi, Olivenſi, Neomagenſi & aliis paſſim geſta ſunt, recenſere. Harum rerum cupido adeundi ſunt PUFFENDORF. *rer. Brandenb. lib.* 2. §. 19. 25. §. 37. §. 71. *lib.* 4. §. 36. 37 *lib.* 10. §. 85. *lib. XII.* §. 57. *Mercurio hiſtorico di* VITTORIO *SIRI tom.* 5. *pag.* 288. 291. 316. 317. 324. 332. 355. 356. *Memoires de CHANUT, tom.* 3 *pag.* 110. *ſeqq.* Sed quæ in his reperiuntur commentariis, plures uno auctores habentibus, non ubique merentur fidem. Vide *denôuement de la queſtion qu' il y a touchant le ceremoniel entre les ambaſſadeurs de France & de Brandenbourg, qui ſe trouvent preſentement au traité de paix à Nimweguen pag.* 52. In hoc ſcripto egregie electorum jura, quoad ante dicta capita, deducuntur. Extat illud etiam in libro, qui inſcribitur: *Memoires & negotiations de la paix de Nimegue tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 376. Chanutus autem electoralibus partibus parum æquus fuit. *PUFFEND. rer. Brandenb. lib.* 4. §. 36 *ſeqq.* Res tamen electoribus tandem omnimode ex voto ceſſit, ita ut a regibus æque ac imperatore omnibus eorum primi ordinis ablegatis æquales cum regiis ambaſciadoribus, quos vocant, conceſſi ſint honores. Et licet entia talia moralia determinationem ſuam ab iis, quæ in entibus phyſicis obtinent, non habeant; attamen quod character repræſentativus pluribus committi poſſit, ſimili ab anima deſumto illuſtrari poteſt; illa namque eſt tota in toto corpore, & ſimul tota in omnibus partibus. Ceterum licet a cæſareis legatis electoralibus *excellentiæ* titulus tribuatur, a Germaniæ principum legatis tamen tali nomine non compellantur. PUFFENDORF. *rer. Brandenburg. lib.* 2. §. 71. Ratio haud dubie hæc eſt, quod principes ſibi perſuaſum habeant, hæc cærimoniarum & titulorum officia … mutua eſ-

ſe debere, a quo tamen electores haud dubie abhorrent. Menimi, in comitiis ad evitanda de titulo *excellentiæ* diſſidia, FRATRVM nomen inter electorum & principum legatos commune eſſe.

Sed propius ad ipſa capitulationis verba accedamus. Tametſi imperator promittat, legatis electoralibus primi ordinis, etiam pluribus, pares cum iis, qui regiis tribuuntur, honores exhibitum iri, cedant tamen illi regum legitime hoc titulo utentium eorumque viduarum & pupillorum in ſpem regni natorum legatis, tam in aula, quam etiam capella cæſarea, cum hoc ita etiam ratione Principalium eorum, ut loquuntur, obtineat, niſi quod electores in actibus ad imperialem curiam ſpectantibus regibus præferantur. *A. B. l. c. pr.* Quod & in hac capitulatione confirmatur, quando ibi dicitur, electoribus dignitates & prærogativas, quas ab antiquo habuerunt, ſalvas fore. Imo & illud obtinere puto, etiamſi actibus, ad imperialem curiam ſpectantibus, perficiendis, ſub-officiales imperii, electorum legati aut etiam illorum abſentium loco officiales imperatoriæ aulæ hæreditarii adhibeantur. Ceterum quod hic de conſervandis & tutandis electorum juribus, quæ ab antiquo habuerunt, traditur, etiam antidoton eſt contra iniquas cardinalium arrogationes, quibus electoribus anteferri cupiunt. Egregie injuſtos hos purpurati ſacerdotii auſus FREINSHEIMIVS *peculiari diatriba* contudit. LYNCKER *ad art. 5. capitulat. Joſephi*. Deinde ſi electoralis legatus primi ordinis cum illo, quem *envoyé Galli vocant*, concurreret, hic haud dubie illi poſtponendus eſſet. Electorum legati quoque cum imperatore nomine principis ſui publice loquentes, nec non cæſareæ menſæ adſiſtentes æque ac regii caput tegunt; quod & principibus, ut loquuntur, in perſona, antiquiorum ſcilicet ſtirpium, nonnunquam datum eſt. PVFFENDORF. *rer. Brandenburg. lib.* 4 §. 37. Id autem, quod ut electoralium ambaſciadorum prærogativæ maxime eximium habemus, eſt, quod omnibus principibus (*ohne Unterſcheid*) in perſona, ut ajunt, ubique præcedant. Neſcio, quo auſu AVCTOR *der Grundveſte parte. 2. cap.* 5. verba capitulationis tam clare & perſpicue univerſaliter poſita ad prioritatem voti & ſeſſionis in comitiis reſtringere voluerit. Vide HENNIGESIUM *ad capitulat. Joſephi p.* 98. *art.* 5. Perdurum quidem multis viſum, quod regentes etiam principes electoralibus legatis, qui olim ſæpe, criminante LONGEVILLO, non niſi Doctorum titulo inſignes erant, priorem concedere debeant locum; atque ideo a principibus contra illud proteſtatum & ad capitulationem Leopoldi monitum eſt, verba ita ponenda: *Vor allen auswartigen Fürſten in perſon. GRVNDVESTE* part 3. cap. 3. Sed eorum proteſtationis non magis, ac quod antiquiorum principum domuum ablegati recentiores principes antecedere debeant, rationem habitam eſſe, ex JOSEPHI & CAROLI VI. capitulationibus apparet. Hoc principes ad capitulationem Caroli VI. ſequentia monere commovit: *Der Churfürſtl. Geſandten* præcedenz *vor denen Fürſten in Perſon ohne Unterſcheid lieſſe wider alle Billigkeit und gereichte zu der Furſten Verkleinerung, die doch groſſen theils die Ehre hatten, der Herren Churfurſten nächſte An-und Bluts-Verwandten, auch* reſpective *Erbverbrüdert und Lehns-Folgere zu ſeyn. So wäre auch* ante Leopoldinam *nicht die geringſte Spur von dieſer neuen* prærogativ (*auſſer bey Kayſerl. Wahl-und Krœnungs*-actibus, *da man es Fürſtlicher ſeits bey dem Herkommen lieſſe*) *zu finden, und die Furſten kanten denen Herren Churfürſten* poteſtatem, *dergleichen neue Vorrechte ſich ſelbſt zu ihrem, der Fürſten, Nachtheil zuzulegen nicht geſtehen, dahero ſie dem* monito 3tio ad art. 4. capit. Leopoldi *annoch* inhæriren *müſten, daſs nemlich ſolche allein von denen auswärtigen Furſten zuverſtehen ſey.*

Quærunt porro, an, quæ in capitulationibus, electoralibus legatis dignioris loci tribuitur prærogativa, etiam locum habitura ſint in principum, quos ii adierunt, palatiis. Quod juxta ea, quæ in capitulatione tradita ſunt, eo minus dubii habere videtur, quanquam notante PVFFENDORFIO *rer. Brandenb. lib.* 4. §. 37. Bavariæ ac Palatini domus aliique Germaniæ principes, ne quidem intra proprias ædes electoralibus legatis priorem concedere velint locum, & WICQVEFORTIVS in libro, quem *de legato* gallice conſcripſit, *lib. 1. p.* 279. moneat, minus recte a regiis etiam primi ordinis legatis ante principem in ædibus ejus primum vindicari locum: & ſi forte principes aliquando de jure ſuo deceſſerint, id ex peculiari quadam ratione, aut quod cærimoniarum minus curioſi fuerint, factum eſſe. Audiamus ipſum hac de re l. c. loquentem: *J' ai vu*, inquit, *dans la cour d'un prince, chef & une des premieres & plus puiſſantes maiſons d' Allemagne, le miniſtre d' un electeur prendre la premiere place par tout: à la table, dans le caroſſe, au chateau, & dans la ville, comme s' il la pouvoit pretendre par un droit acquis & inconteſtable. C' eux qui ſont d' accord, que les princes d' Allemagne ont le droit de l' ambaſſade a l' egard des ſouverains etrangers, ſoutiennent, qu' ils n' ont pas le meme droit dans l' empire, parce qu' ils y ſont comme chez eux.... Mais quand un electeur donneroit le caractere d' ambaſſadeur a ſon miniſtre, comment eſt ce que celuici oſeroit prendre la place d' honneur chez un prince, qui ne la donneroit pas a l' ambaſſadeur d' une tête couronnée, ou du moins ne la devroit pas donner?* Hæc eſt ratio, quod principum regentium & electoralium legatorum conventus curatiſſime evitentur, nec non ab electoribus ad principum Germaniæ aulas non niſi miniſtri ſecundi ordinis, qui charactere repræſentativo deſtituuntur, mittantur. Sed quæritur, quid locum habeat, ſi forte princeps Germaniæ cum legato electorali extra imperium conveniat, cuinam tunc proëdria debeatur? Et reſpondetur, in capitulatione legi; *Auch ſonſt aller Orten in und auſſer dem Reiche*, cum reipublicæ membra obligationem, qua legibus & pactis reipublicæ obnoxia ſunt, etiam extra territorium retineant. Hæc tamen ita dicta ſint, ut nihil inde robori, quod principum proteſtatio habere queat, decedat. Denique ne quid hujus argumenti intactum relinquam, adhuc monendum, ſi elector ordine poſterior, cum electoris ordine prioris legato concurrat, hunc ei priorem cedere debere locum. Vid. *Receſſus collegii electoralis de anno* 1635.

(*) *Rerum publicarum*] Jus proëdriæ inter principes, qui æque potentatu (ſouverains) gaudent, ex conventione pendet. Interim ſummum in republica quadam habens imperium, quem inter principum & liberarum rerumpublicarum legatos in ſua aula ordinem ſervari velit, quodammodo ſtatuere poteſt, modo nullius juri quæſito legitime parto inde aliquid decedat; illi autem, cui talis diſpoſitio non placet, liberum eſt, legatorum commercia cum illa aula tollere, aut intermittere, vel etiam legato ſuo, ut cum illius principis, cum quo de proëdria litem habet, legatis evitet congreſſus, injungere. Ex annalibus conſtat, Sabaudi, Florentini & Lotharingi legatos electoribus primum præripere locum non nunquam molitos eſſe, quanquam hi conatus inproſpere ſemper eis ceſſerint, inprimis Lotharingi legatis in Polonia. PUFFENDORF. *rer. Brandenburg, lib.* 10. §. 85. & *lib.* 14. §. 58. Sabaudus vero juri, quod ſibi vindicabat, etiam pacto deceſſit. PVFFENDORF. *rer. Brandenburg. lib.* 9. §. 64. Adde FRITSCH. *electa I. P. parte 2. cap.* 8. Ferventiſſimæ omnium ſunt electorum cum rebuspublicis Veneta & fœderati Belgii de præcedentia, ut loquuntur, lites. Impetraverant Veneti, electoribus non auditis anno 1636. a Ferdinando II. decretum, quo eis præ electoribus jus proëdriæ tribuebatur. Res deinde ad pacis Weſtphalicæ tractatus delata eſt, cum electorales legati non ſolum ſibi pares cum Venetorum legatis tribui vellent honores, ſed & iis antecedere. PVFFENDORF. *rer. Suec. lib.* 16. §. 43. *pag.* 563. §. 63. *pag.* 571. Argumenta tam electorum, quam Venetorum, quæ in congreſſu Weſtphalico *Contarenii ad* conciliatoris pacis munus miſſi ore eloquebantur, refert VITTORIO SIRI *nel mercurio hiſtorico tom. 5. part. 2. pag.* 311. 312. ſeqq. Licet negari nequeat, SIRIVM Italum, immo Venetum, ut aliqui volunt, gentis ſuæ amori aliquid dediſſe. Epiſcopus Oſnabrugenſis, electoralis collegii & archipræſulis Colonienſis legatus pro electoribus maxime poſſeſſionem urgebat. Cui addebatur, quod ipſe papa anno 1690. pro Moguntino ut electore contra Venetos, potiorem locum in papali ſacello ambientes, ſententiam tuliſſet, licet hi Cypri regno elatiores eſſent. PVFFENDORF. *rer. Brandenb, lib* 2. §. 17. 23. 24. *pag.* 68. ſeqq. *lib.* 17. §. 54. *p.* 1334. Eadem quoque viguit inter electores & uniti Belgii rempublicam controverſia, quæ in pacis Weſtphalicæ congreſſu, & Lubecæ ventilata eſt. PVFFENDORF. *rer. Brandenburg. lib.* 4. §. 36. *lib.* 14. §. 38. Electores in ſui juris tutamen allegabant: *Quod Belgæ priorem præ electoribus affectarent*

locum, rem veteri mori, qui in legis vim invaluerat, repugnare, quam & breve ante tempus obtendere cœperint, id quod antea nec intra, nec extra imperium auſi ſint. Sane de iſtius reipublicæ novitate, ac vetuſta electorum autoritate nemini non conſtare. A ſupero conventu Noribergenſi ac Ratisbonenſi decretum fuiſſe, ne cuipiam externo ſtatui, exceptis regibus, loco honoratiori cederent. Et hæc erant, quæ elector Brandenburgicus anno 1644. reginæ Sueciæ per *Schulenburgium* proponi curavit. PVFFENDORF *rer. Brandenb. lib.* 1. §. 55. Poſtea ut electoralibus juribus plenæ hic in imperio caveretur, capitulationibus a tempore Ferdinandi IV. inſertum eſt, electorum legatis præ principum exterorum, non regum & liberarum rerumpublicarum legatis, priorem eſſe dandum locum, atque decretum de anno 1636 a Ferdinando II. Venetis datum, in capitulatione Leopoldi & eum ſubſequentium imperatorum revocatum eſt. Eſt quidem in capitulatione, id, quod ibi hujus negotii intuitu ſancitum, etiam extra imperium obtinere debere, ſed hoc haud dubie ad Italiæ regnum, extra Germaniæ imperium ſitum, eſt reſtringendum. Alias imperii publicæ leges extra imperium in eos, qui non ſubſunt imperio, nullam habent vim, & ibi electoribus ad alia confugiendum eſt argumenta.

(**) *Comites*) In capitulatione l. c. conſtitutum eſt, quod comites in imperii comitiis votum & ſeſſionem habentes, immediate principes ſequi & omnes exteros comites, nec non cæſareos conſiliarios & camerarios in comitiis & coronationis aliisque ſolennibus antecedere debeant. Ratio additur, cum nihil æquius ſit, quam ut illi, qui in voto & ſeſſione, conſultationibus oneribusque præſtandis proximi ſunt a principibus, etiam eos in actibus ejusmodi ſolennibus immediate ſequantur. An autem hoc etiam ad conſiliarios intimos imperatoris ſpectet, nimirum quod & illi comitibus imperii cedere debeant, dubitat AVCTOR *meditat. ad art.* 5 *capit. Joſephi*; cum in coronatione Joſephi conſiliariorum cæſareorum intimorum conjuges, teſte FERARIO *de coronatione Joſephi*, ante imperii comites locum habuerint. Sed hoc argumentum mihi non ſatis validum videtur, cum ſequiori ſexui ſæpe aliquid concedatur, quod, ut loquuntur, non poteſt trahi in conſequentiam. Nullum autem eſt dubium, cum hoc prærogativæ jus imperator comitibus in actibus imperii ſolennibus tribui velit, etiam extra illos hoc eis competere, quoniam & ibi ratio, ob quam datum eſt, durat. Sunt adhuc alia notatu non indigna in capitulationis Leopoldinæ & Joſephinæ articulo 5. ſcilicet exterorum principum legatis licitum non fore, quod ſatellite ſtipati incedant, aut ſe imperii rebus immiſceant, ne inde motus & rerum imperii turbationes exoriantur. Adde *capitulat. Caroli VI. art.* 28. & quæ hac de re in comitiis Ratisbonenſibus acta ſunt. Vide *GRVNDVESTE part.* 3. *cap.* 3. Quæ in articulo 3. capitulationis noviſſimæ capitibus antedictis præter coronationis negotium, & quod vicariorum jura tueri, & ab eis durante interregno acta confirmare velit, additur, de conventibus electorum non impediendis, de quibus, ut & reliquorum Statuum conventibus circularibus collegialibusque licite inſtituendis, nec non de electorum fœderibus (*der Churfürſten gemeine und ſonderbahre Rheinſche Verein*) eorumque & Statuum aliis unionibus & confraternitatibus, imperii legibus non adverſantibus confirmandis, agitur *articulo* 6. *capitulationis Leopoldi & Joſephi*, cui junge *art.* 13. *capitulationis Caroli VI.*

Ceterum fœderis electoralis tabulas ex Boico archivo, in quo germanice conſcriptæ latent, depromtas HERWARTVS de HOHENBVRG latiali hoc modo exprimit ſermone: „Nos Dei gratia, Henricus „archiepiſcopus Moguntinenſis, Walramus archiepiſcopus Colonienſis, Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, „Rudolphus, Rupertus fratres, Stephanus Rupertus junior, „comites Palatini Rheni & duces Bavariæ, Rudolphus dux „Saxoniæ & Ludovicus marchio Brandenburgenſis. Notum facimus cunctis hominibus, qui has litteras vident, „aut legi audiunt, quod ſimul conſideravimus & perſpeximus, ſacrum Romanum imperium in ſuis honoribus, „juribus & bonis, atque etiam nos in noſtris honoribus, „juribus, conſuetudinibus & privilegiis, quæ a prædicto „imperio habemus, vehementer his temporibus, atque & „jam antehac impediti, infirmati & graviti fuimus ac ſumus, & propter communem ac manifeſtam utilitatem „totius chriſtianitatis, atque ad prædicti imperii noſtrumque honorem, jura, privilegia & conſuetudines tutandas, defendendas & manutenendas, unanimiter convenimus & nos confœderavimus, quod prædictum imperium & noſtrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione imperii, in illius ac noſtris „juribus, privilegiis & conſuetudinibus, ſicut ab antiquo „ad nos & ad imperii electores pervenerunt & devoluta ſunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro „omnibus noſtris viribus ac opibus, ſine fraude, contra „quoscunque nemine excepto: ſiquidem hoc noſtrum „honorem & juramentum attingit. Nec volumus id intermittere propter ullum mandatum, a quocunque vel „quomodocunque datum, per quod imperium & nos „electores in præſcriptis rebus ullo modo infirmari poſſemus. Volumus etiam omnes dominos & amicos, qui „ad nos pertinent vel non pertinent, ſive ſunt eccleſiaſtici, ſive ſeculares, noſtros quoque vaſallos, miniſteriales, caſtellanos, officiales & cives ad idem faciendum rogare & inducere, in quantum poſſumus: & ad „hoc efficiendum debet quilibet ex nobis electoribus alteri auxilium præſtare ſine fraude; ut illi nobis in his rebus auxilium & opem ferant idque nullius reſpectu intermittant, & ob nulla mandata, a quocunque illa dari „poſſent. Quod ſi contigerit, ullam diſſenſionem aut dubium ſuper his rebus inter nos electores oriri, quicquid nos tunc omnes, aut major pars ex nobis ſuper „hoc diffiniemus & ſtatuemus, id debet vim habere „atque a nobis obſervari ſine dolo. Omnia hæc præſcripta capita, & unumquodlibet horum ſingulatim ſpoſpondimus bona fide, & ſpondemus his præſentibus litteris per noſtrum principalem honorem, nec non juravimus hoc ipſum ad Sanctos pro nobis & noſtris ſucceſſoribus perpetuo firmiterque tenere, neque contravenire, nec ab hoc deſiſtere ullo modo, ſicut in præmiſſis „continetur & ſcriptum eſt, non debemus, non volumus „quoque, nec poſſumus nos, nec quisquam alius, qui „nobiscum in hanc confœderationem veniet. (Qui jurare quoque hoc ipſum debet, & vovere, ſicut in præmiſſis & ſequentibus ſcriptum eſt.) Si ita depravaremur, „quod Deus avertat, ut contra faceremus, aut facere vellemus, non debemus, inquam, nec volumus, nec poſſumus contra juvari ulla diſpenſatione, abſolutione, relaxatione, abolitione, in integrum reſtitutione, neque „ullo beneficio, quocunque nomine illud appellaretur, „undecunque aut quomodocunque fieret, ſive per noſtras aut aliorum hominum preces, ſive quod latine dicitur, ex officio; neque ulla poteſtate ejus, qui hæc curare vellet. Apud Deum & homines futuri ac dicendi „infames, infideles & perjuri, ubicunque vel quocunque „modo contra faceremus aut veniremus, quovis pacto, „omni fraude ac dolo a præſcriptis capitibus & ſingulis „eorum excluſis. Ad notitiam horum damus has litteras „obſignatas noſtris ſignis, quæ datæ ſunt *in Renſe*, die „Jovis poſt Margaritæ a nativitate Chriſti MCCCXXXIIX. „anno.

Denique *in noviſſima capitulatione art.* 3. bina adhuc publici juris continentur dogmata, quæ *capitulationes Leopoldi art.* 46. *& Joſephi art.* 47. referunt, quorum primum eſt: *Electorum ſub-officiales hereditarios*, juribus & prærogativis, ipſis lege aut conſuetudine datis, in aula cæſarea & actibus imperii ſolennibus fruituros, eosque emolumenta ex officiis ſuis provenientia conſecuturos, licet aulæ cæſareæ officiales abſentium vice functi fuerint. Hæc verba, quorum veſtigia in *Ferdinandi II. capitulat. cap.* 41. *& in capitulat. perpetuæ projectu art.* 3 integra leguntur, eum in finem adſcripta creduntur, ne a legatis electorum aut ab officialibus aulæ imperialis, quæ ſunt ſub-officialium imperii munia & prærogativæ, invadantur. Nihilominus LIMNÆVS *ad A. B. cap.* 27. §. 6. *obſ.* 23. docet, electores negotia in actibus ſolennibus a ſe perficienda etiam legatis ſuis committere poſſe, ita ut ſub-officiales, non niſi in ſubſidium, muneribus archiofficialium fungantur. Qui LIMNÆI ſequuntur ſententiam, tam ad Joſephi, quam auguſtiſſimi noſtri CAROLI coronationes provocant, in quibus ea, quæ coronationem ſequuntur, archiofficialium munera non ab omnium abſentium ſub-officialibus, ſed a nonnullorum etiam legatis peracta fiunt. Vide *acta elect. & coronat. Joſephi*, quæ noviſſimæ editioni *der Grundveſte* adhærent. *p.* 103. & *Diarium electionis Caroli VI. p.* 48. ſeqq. Verum contra-

reſtituendo. (a) *Articulus* 37. *de coronatione.* (b) *Articulus* 39. *de audientia* (c) ordinum legatis concedenda. *Articulus* 43. *de uſu lingua latina & Germanica &c.* (d) Sed de his non eſt, ut hic multa addantur. Qui plura ſciendi deſiderio ducitur, adire poterit Limnæum *pecul. tract. de capitul.* & in ſpecie ad hanc noſtram *tom.* 2. *addit.* item Carpzov. *de lege regia* & *alios.* (e) EPILOGVS denique, quem tertiam capitulationis partem ſupra fecimus, modo erit audiendus. Continet autem is *primo* imperatoris confeſſionem ſuper *promiſſione* (f) *electoribus pro ſe* (g) & nomine imperii facta, *ſecundo iteratam promiſſionem,* (h) vi harum literarum, *tertio* mentionem, quod *juramentum* (i) hac de re

contrariam tuentes opinionem, hoc ideo factum dicunt, quod ſubofficiales hæreditarii non adfuerint. Quod ad ſecundum attinet, conſtituitur ibi, quod archimarchalli officio in ordinationibus politicis atque taxatoriis publicandis occupato, a nemine impedimentum ſtrui debeat. Colophonis loco adhuc notandum, in art. 3. Caroli VI. capitulationis novum eſſe, quod imperator, ſe electores titulo *reſpective*, ut ajunt, *Hochwürdigſt und Durchlauchtigſt*, mactaturum, & domui Brunſvicenſi electoratum & architheſaurarii officium conſervaturum eſſe, promittat.

(a) *Reſtituendo*) Quæ imperii ordinibus & immediatæ nobilitati aut eorum majoribus & anteceſſoribus injuſte ablata, aut juxta pacis Weſtphalicæ exſecutionis edictum arctioris modi exſequendi, & receſſum exſecutionis Noribergenſem nondum reſtituta ſunt, unicuique, ad quem pertinent, citra religionis diſcrepantiam imperatorio juſſu & arbitrio reſtituantur, atque hoc obtineat, licet nondum reſtituta in ipſius imperatoris ſint poteſtate. Adde *capitulat. Joſephi eodem articulo.* Conſtat ex FRITSCHIO *ad inſtrum. pacis art.* 4. multa juxta inſtrumentum pacis & exſecutionis receſſum reſtituenda fuiſſe, quæ non reſtituta ſunt. Exempli loco nobis ſint documenta monaſteriorum Wurtenbergenſium, terra *groſſen Geroldseck,* præ marchioni Durlaco-Badenſi reſtituenda fuiſſet. Vide AVCTOREM *annotationum ad capitulationem Caroli VI. art.* 19. Annectuntur hic in capitulatione noviſſima, quod reſtituti abſque ulla exceptione defendi, omnibus imperii civibus & ſubditis juſtitia adminiſtrari & proceſſus concedi debeant; hoc tamen ad cauſas illegitimorum vectigalium, onerum atque attentatorum non ſpectare, additur. Porro dicitur quoque hic, in cauſis ad territorialia Statuum jura, inprimis collectarum, armaturæ, ſequelæ, defenſionis regionis, præſidii ſpectantibus, ad nudas ſubditorum & ordinum querelas, dominis eorum non auditis protectoria & mandata cum & ſine clauſula datum iri: ſed controverſiæ obinde exortæ primum ad auſtregas, deinde ad ſuprema imperii judicia deferantur. Et ſi forte quædam mandata emittenda ſint, antequam illa in lucem prodeunt, quæ domini territoriales in contrarium habent, primum audienda, & ſi manifeſtum ſit, juſtitiam cauſæ penes ſubditos eſſe, proceſſus ſummarius locum habeat, ita tamen, ut durante proceſſu ab obſequio, quo dominis ſuis ſunt adſtricti, non deſciſcant. Quod reliquum, monetur quoque hic, illos, qui cauſam cognoverunt, aut commiſſariorum munere funguntur, in nullam mulctæ partem venire debere. Id ſalubriter conſtitutum, ne quis ſub potiundæ mulctæ ſpe a veritatis tramite abripi ſe patiatur.

(b) *De coronatione*) Promitit imperator in art. 37. quantocyus romanam ſumere coronam. Sed de hoc argumento alibi agitur. Vide *capitulationem Joſephi art.* 36. *Caroli VI. art.* 3.

(c) *De audientia*) Dicitur in hoc articulo, quod imperator ordines imperii eorumque legatos & immediatam nobilitatem ſemper ſine mora audire, eisque ſine ulla contradictione, quæ ad proceſſum remittenda, feudorum, quæ ab imperio habent, inveſtituram conferre, & literas inveſtituræ & privilegia ſecundum veterum tenorem tradi curare, neque veterum pactorum familiæ vel etiam recentiorum & ad rem feudalem non pertinentium editionem poſcere, & ob eam non impetratam, inveſtituram remorari velit. Vide *capitulat. Joſephi art.* 38. *Caroli VI. art.* 11. 23.

(d) *De uſu lingua latina & germanica &c.*) Pollicetur imperator, quod in ſcriptis & negotiis publicis imperii tam in aula cæſarea, quam in judicio aulico germanica tantum & latina adhiberi debeat lingua, in locis autem extra imperium eam, quæ ibi conſuetudine eſt recepta, in uſus applicatum iri. In Joſephina capitulatione art. 42. de judicio camerali additur, quod & ibi utraque tantum lingua ſit adhibenda: verum in camera plerumque non niſi germanica adhibetur lingua, ita, ut notante LIMNÆO *ad art.* 14. *capit. Caroli V.* Sabaudo ſatiali uti lingua uti non ſit conceſſum; excipiuntur tamen cauſæ circuli Burgundici, in quibus latina admittitur lingua. *Ordinat. cameral. part.* 2. *tit.* 31. §. 7. AVTOR *annotat. ad art. capitulat. Caroli VI. art.* 23. LYNCKER & HENNIGES *ad art.* 42. *capitulat. Joſephi.* Cumque in capitulatione moneatur, non niſi extra imperium alterius, quam latinæ & germanicæ linguæ in imperii negotiis uſum eſſe tolerandum; colligunt inde, & exterorum legatorum credentiales, quas vocant, literas, vel germanica vel latina lingua conſcriptas, aut tranſumtum ad minimum, alterutro horum idiomatum exaratum & principis manu vel ſigno corroboratum, iis junctum eſſe debere. Atque hoc praxin ſervare, ea, quæ in comitiis anno 1666. intuitu credentialium literarum ab Hollandico legato exhibitarum facta ſunt, comprobant; eæ enim inter alios defectus, quibus laborabant, & ob illum, quod belgicum referebant idioma, legato redditæ ſunt. Quæ noſtro tempore circa hoc negotium in comitiis acciderint, ex electis *I. P. tom.* 10. *p.* 952. 953. FABRI *Staats-Cantzeley tom.* 49. p. 687. ſeqq. pateſcit. Quid autem cauſæ fuerit, quod latina lingua in gentium quaſi ſinum recepta fuerit, docet HENNIGES *ad art.* 42. *capit. Joſephi.* Adde LYNCKERI *diſſ. de idiomate imperiali*, & BECKMANNI *diſſert. de jure idiomatis.* Ceterum in capitulatione Carolina eis, quæ de uſu germanicæ & latinæ linguæ in rebus imperii dicta ſunt, adjicitur, imperii officia & aulica, quorum numero ſunt protectiones Germaniæ, legationes, non niſi Germanis conferenda, illisque officiorum ſuorum jura & prærogativas conſervandas eſſe.

(e) *Alios*) Vide, quos ſub initium harum commentationum citavimus. Nos vero, quæ hic juriſpublici capita, juxta capitulationis ductum adjungi, aut etiam latius examinari potuiſſent, alibi pertractamus.

(f) *Promiſſione*) Quæ hic principes & ſtatus imperii ad Leopoldi capitulationis concluſionem monuerunt, ut nimirum epilogo adderetur, imperatorem ſervaturum, quæ in comitiis de capitulatione perpetua ſtatuenda eſſent, docet AVCTOR *der Grundveſte part.* 3. *cap.* 3. & HENNIGES *ad epilogum capitulationis Joſephi.* Sed cum imperator ſe in ipſa capitulatione obſtringat, quod comitiorum placitis ſtare velit, hanc clauſulam ejus epilogo adjicere electores inutile crediderunt.

(g) *Electoribus pro ſe*) Sunt igitur electores, qui imperii nomine imperatoris promiſſum acceptant, & cum eo in idem coëunt placitum.

(h) *Iteratam promiſſionem*) *Thun auch dieſes hiermit und in Krafft dieſes Briefes,* quod nempe omnia, quæ in capitulatione ſunt, exactiſſime imperator ſit præſtiturus.

(i) *Juramentum*) Juſjurandum hoc etiam Joſephus, in regem Romanorum electus, decimum agens annum, præſtitit, quoniam ſub tanti patris auſpiciis educatus princeps in illa ætate eo magis pubertati proximus haberetur. Promiſerat autem art. 47. capitulationis ſuæ, fore ut, niſi duodeviginti annos attigiſſet, imperium non adipiſceretur, ſceptris imperii, usque dum hanc conſecutus eſſet ætatem, per vicarios imperii moderandis, atque tunc, ſi imperium regendum ſumeret, reverſales ederet literas, quæ juramenti vim haberent. Nec dubium eſt, quin Joſephi impubertas effecerit, ut Leopoldus ſe quaſi ceu fidejuſſorem, quod filius capitulationis capita ſervaturus ſit, obligaverit, cum hoc ſequentia Joſephinæ capitulationis verba doceant: *Deſſen zu mehrer Uhrkunde, auch unſers geringen Alters zu mehrer Befeſtigunge haben Ihro Kayſerliche Majeſtät auf unſer und geſamter Churfürſten gehorſamſtes Erſuchen, ſo dann wir dieſen Brief eigenhändig unterſchrieben und unſer Siegel anhangen, auch deren* 7. *gleichförmige* Exemplaria *machen und fertigen laſſen.*

re præſtiterit imperator, & *quarto* renunciationem omnium exceptionum, diſpenſationum, jurium civilium & canonicorum. Quæ nova additio ex Ferdinandi IV. capitulatione huc fuit transſcripta. Teſtatur etiam *de numero exemplarium* (a) confectorum & facta ab imperatore ſubſignatione. Ipſa vero ſubſcriptio imperatoris epilogo adhæret.

L. TANTVM de ipſo noſtræ capitulationis objecto. Recto nunc tramite ad ejusdem FORMAM progredimur; quam duplicem habemus, eſſentialem & accidentalem. *Eſſentialis* conſiſtit in articulorum propoſitione, quæ hactenus facta ab electoribus, & acceptatione juratáque promiſſione electi regis. Acceptatur autem vel ab ipſo, ſi præſens eſt, vel vero, ubi abſens, nomine ejus fit ab aliis. Quod factum *in electione Caroli V.* (b) quando leges præſcriptæ Moguntiam ad Caroli V. legatos fuere miſſæ, qui nomine & mandato Caroli easdem acceptarunt. Vide *hiſtor. elect. Caroli V.* Carolus vero eorundem acceptationem ratihabuit. Formulam ratihabitionis e Goldaſti P. 2. *Reichs-Satzung P.* 10. libro ſuo *de capitulationibus p.* 68. inſeruit Limnæus. Pactum enim cum ſit capitulatio, uti jam ſupra oſtenſum, utriusque partis contrahendis conſenſus adſit oportet. *Et in arbitrio electi eſt*, (c) vel acceptare, vel vero oblatum hiſce conditionibus imperium repudiare, vel denique cum electoribus aliisque, quibus jus hic aliquod competit, de mutatione aut remiſſione unius & alterius articuli agere. Nec tamen nudus conſenſus ſufficit, ſed præterea jurare debet electus, quod conditiones præſcriptas in gubernanda republica ſancte velit obſervare. Ante hoc juramentum præſtitum ad adminiſtrationem imperii non admittitur. Vid. A. B. *tit.* 2. verſ. *Et quia de antiqua.* Non autem uti electus per legatos articulos capitulationis acceptare, ita etiam hoc juramentum *per eosdem præſtare* (d) poteſt; ſed ipſe juxta uſum in imperio receptum jurare debet; & quidem non verbis tantum, ſed etiam corpore. Hoc eſt, digitis duobus manus dextræ vel elevatis vel impoſitis evangeliorum codici. Hæc autem juramenti præſtatio non vergit in injuriam electi, ut quidam autumant, quaſi is fide non ſit tanta, ut verbis ejus & nudæ promiſſioni tuto credi poſſit. Aliud enim eſt de fide alicujus dubitare, & aliud fidem per ſe firmam arctius confirmare, maxime in publicis imperium concernentibus. Neque etiam electores in eo peccant, quod ab electo *juramentum exigunt.* (e) Licet enim vaſalli ſint imperatoris & feuda ſua ab ipſo recognoſcant A. B. *tit. fin.* adeoque ob reverentiam debitam dominum ſuum ad juramentum adigere non poſſint. 2. *Feud.* 33. §. 2. Attamen hoc juramentum poſtulant ab electo ante coronationem, quo tempore ipſi tanquam imperatori nondum fidem debent; cum id, quod in eligendo imperatore electores agunt, ante juramentum ratum non habeatur. Imo electus præſtat juramentum non tam eligentibus quam imperio, cujus vicem illi gerunt. Carpzov. *de leg. cap. ſect.* 9. Præterea textus ille juris feudalis loquitur tantum de juramento calumniæ, & proinde ad alia extendi nequit, cumprimis quia 2. *Feud.* 20. (f) *pr.* edocemur, vaſallum domino judiciale juramentum deferre poſſe.

LI. *Forma accidentalis* Capitulationis conſiſtit in eo, quod poſt juramentum præſtitum, in majorem fidem ad rei geſtæ memoriam, ipſa capitula, in quæ juravit electus, literis conſignantur eo ordine. Loco exordii præmittitur narratio electionis factæ & acceptatæ. Deinde ipſe articuli, de quibus conventum, inſeruntur. Porro electus confitetur, ſe promiſiſſe, quod velit omnibus conditionibus ſatisfacere, & iterum recipit omnia ſervanda, quæ obſervare jurato ſemel ſpopondit, denique nomen ſuum ſubſcribit, ſigillumque apponit. Harum literarum *ſeptem autographa* (g) uniformia conficiuntur & ſingulis electoribus unum traditur. Huc pertinet etiam, quo loco & tempore dicta omnia fiant, indicare. Ubi ſciendum, hæc multis modis variare. Plerumque locus capitulationis exhibendæ & confirmandæ idem eſt qui electionis. *Sic Caroli V.* (h) Matthiæ, Ferdinandi II. & Leopoldi electiones & capitulationes Francofurti factæ ſunt, Rudolphi II. Ratisbonæ. Nonnunquam etiam diverſus fuit. Ita Ferdinandus I. Coloniæ fuit electus, Sleid. *de ſtatu relig. lib.* 7. *p.* 206. & longe poſt capitulationem Francofurti ſubſcripſit. Vide *capit. Ferdin. I. in fin.* Maximilianus II. itidem & Ferdinandus III. electi ſunt Ratisbonæ, at capitulationes ſubſcripſere Francofurti. Qua de re conſuli poſſunt hiſtoriæ & ipſe capitulationes. Et electionis quidem locus definitus

(a) *De numero exemplarium*) In capitulatione Caroli VI. tantum 6. exemplarium mentio injicitur, quia Colonienſis & Bavarus tunc temporis imperio nondum reſtituti erant.

(b) *Electione Caroli V.*) Hoc etiam in electione Caroli VI. Barcelonæ ut Hiſpaniæ rex commorantis, factum eſt, confer *diarium electionis ejus pag.* 133.

(c) *Et in arbitrio electi eſt*) Hic autorem noſtrum pro more ſuo ſugillat LYNCKERVS l. c. pag. 35. cui valde imperitum videtur, hic haberi, quod liberum ſit, an electus velit repudiare imperium, ſi nolit conditiones illas acceptare, ſcilicet quod jam habet, & jam ante novit illa capita. Verum laborat LYNCKERVS falſo præſuppoſito, quod imperium per electionem deferatur.

(d) *Per eosdem præſtare*) LIMNÆVS *ad capitulat. proleg. ſect.* 7. Cum in rebus magni momenti periculoſum ſit, procuratorem admittere, qui in alterius animam juramentum præſtet. PVFFENDORF *de J. N. & G. lib.* 2. *cap.* 4. §. 16. Hoc tamen in Caroli VI. electione per comitem de Windiſchgræz; comitem de Kinsky & Florentinum de Consbruch, legatos Bohemicos, ad id ſpeciali mandato inſtructos, factum eſt. Conf. *Diarium elect. Caroli VI. p.* 133. 134. Nihilominus Auguſtiſſimus noſter imperator in illo ſe adſtringebat mandato, quod imperium non ſit aditurus, niſi juramentum ipſe reiteraſſet, quod & factum eſt. Vide epilogum capitulationis Caroli VI. & reverſales, quæ ei adhærent.

(e) *Juramentum exigunt*) Habetur enim juramentum arctius fidei datæ vinculum, licet novam non inducat obligationem. Hinc gentibus ſolenne eſt, regibus non niſi ſub pactis, quæ leges fundamentales vocant, juramento corroboratis regna conferre. LYNCKER *l. c. p.* 48. 49.

(f) 2. *Feud.* 20.) Sed in hoc capitulo de juramenti delatione non agitur; ergo huc potius ad 2. *f.* 33. §. *ſacramentum* & jus commune eſt recurrendum.

(g) *Septem autographa*) Bohemus enim, cum nullæ ejus olim in capitulatione eſſent partes, capitulationis autographum non eſt nactus.

(h) *Sic Caroli V.*) Hæc & alia multa ex auctore noſtro exſcripſit GVLICH *in notis ad capitulationem Joſephi.*

tus eſt in A.B. *tit.* 1. quod ſc. *Francofurti* (a) fieri debeat, id tamen non impedit, quo minus ob certas cauſas etiam *alibi* (b) fieri poſſit; ſicuti, alibi ſæpe eſſe factum, ex antedictis patet. Juramentum quod concernit, illud non præſtatur publice, ſed in conclavi, loco plerumque ſacro, *ubi electio fuit* (c) peracta. Tempus capitulationis eſt poſt factam electionem *ante coronationem.* (d) Id quod velle videtur A. B. *tit.* 2. *verſ. Et quia de antiqua.* (e) Et quidem ſtatim poſt electionem conſtitui ſolet de capitulatione. Quanquam aliter in capitulatione *Ferdinandi I.* (f) fuit actum: quo de ſupra. Confer Limn. *lib. ſæpe laud. ſect.* 5. & Carpzov. *ad L. reg. cap.* 5. *ſect.* 1.

LII. Minus appoſite hic a bene multis quæri ſolet, an capitulatio *deroget imperatoris Majeſtati*? (g) vel, quod perinde eſt, an lædat vel minuat majeſtatem imperatoris? Notum nempe eſt ex antedictis & alias, liberam eſſe regis Germaniæ electionem, & ante eam atque initam cum ordinibus præſtito juramento capitulationem, *nil poteſtatis competere* (h) electo in rempublicam noſtram. Patet etiam, capitulationem eam ipſam eſſe legem, quæ de majeſtate ſive juribus ejusdem exercendis diſponit: quomodo videlicet imperator conſilio & conſenſu ordinum potiſſima reip. negotia gerere debeat. Qui igitur de læſione majeſtatis quæri poteſt, quæ *nondum exiſtit*, (i) nec ubi adhuc eſt collata? Qui porro de capitulatione diſquirere liceat, an lædat, quæ tamen, uti dictum, ea ipſa lex eſt, quæ primo ſubjectum majeſtatis definit? Relicta igitur ſuo loco hac, uti formatur, quæſtione, mentem quærentium retinebo, quæ hæc eſt: An imperator, licet paciſcatur de præcipuis majeſtatis juribus, nihilominus habeat majeſtatem ſeu ſummam poteſtatem? Affirmat hoc Limnæus *de capitul. ſect.* 8. *n.* 22. ſibique gratulatur, quod aſſentientem habeat Grotium *de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. §. 16. (k) Senſêre idem Arumæus, Sprengerus *in jurisprud. publ. p.* 155. & alii. Prolapſi autem ſunt in hanc opinionem, vel quod promiſcue & cum vulgo uſi ſint vocabulo *majeſtatis*, (l) nec proprium ejus ſignificatum caute ſatis ſeparârint ab improprio: Vel quod duplicem ſibi finxerint majeſta-

(a) *Francofurti*) LVDWIGIVS *ad A. B. p.* 189. *tom.* 1. Terræ Franconicæ Rheinenſi, ut præcipuum quid vindicat, quod in ea imperatores eligantur. Quando & qua ratione hoc jus Francofurto adſtrictum fuerit, non ſatis certum eſt. Antiquius interregno hoc inſtitutum eſſe non videtur, cum antecedentium imperatorum varia in annalibus memorentur electionis loca, nec legitur ab electorum æmulis aut inimicis monitum, electionem non fuiſſe legitimam, quia non eſſet Francofurti facta. Henrici VII. tempore Francofurtum electioni jam tum deſtinatum fuiſſe, docent, quæ LVDWIGIVS l. c. *p.* 190. adducit. Dici forte poſſit, & hoc Francorum genti datum eſſe, cum in hac urbe nomen eorum ſit reliquum, vel eam ob commerciorum amplitudinem omnisque commeatus abundantiam, vel etiam ob commodum ſitum, ſive Moguntino ſive Palatino, cui olim competiiſſe dicitur jus convocandi ad electionem archiprincipes imperii, vel etiam in ſubſidium, ſi Trevirenſi tribueris, non ita longe civitas illa ab electoribus eccleſiaſticis & palatino eſt remota.

(b) *Alibi*) Ob legitima impedimenta A.B. tit. 28. n. 5. nihilominus Francofurtenſes tunc reverſales ſibi tradi curant literas, hoc illorum nocere non debere juri. Vide acta Francofurtenſia in electione Joſephi apud PFEFFINGER *ad Vitriar. lib.* 1. *tit.* 6.

(c) *Ubi electio fuit*) Vide *actum electionis & coronationis Joſephi p.* 84.

(d) *Ante coronationem*) Conf. LIMNÆVS *in proleg. ad capitulat. ſect.* 5.

(e) *Et quia de antiqua*) In hoc verſu dicitur, quod in regem Romanorum electus, antequam imperii adminiſtrationem adeat, *electoribus omnia jura & privilegia confirmare, & approbare per ſuas literas & ſigilla velit, ipſisque præmiſſa omnia innovare, poſtquam imperialibus infulis fuerit coronatus.*

(f) *Ferdinandi I.*) Hic vivo fratre cæſare in regem Romanorum electus juramentum præſtitit, deinde vero, Carolo ſe imperio abdicante, demum ad extenſam ſe adſtrinxit capitulationem. Vid. HENNIGES *ad capitulat. Joſephi pag.* 32. LYNCKER *ad eandem pag.* 36.

(g) *Deroget imperatoris majeſtati*) Vid. VITRIARIVM *J. P. lib.* 1. *tit.* 7. §. 5.

(h) *Nil poteſtatis competere*) Invehitur hic graviter LYNCKERVS *in doctrina communi de capitulatione cæſarea p.* 52. in auctorem noſtrum. Verba ejus hæc ſunt: *Cum iſto (Lampadio ſtatuenti, Status cum cæſare communem habere majeſtatem, cum in comitiis vi ſuperioritatis terrarum ſuarum verſentur, quas jure majeſtatico quoad conſtituenda jura teneant) paria facit Conringius* §. 52. *de capit. falſus plane & noxius ſcriptor in his, quæ ſtatum imperii & politicam ejus conſtitutionem attinent: quam equidem melius ille callere poterat, ſi noviſſet jura Germaniæ, dum putat fruſtra quæri, num capitulatio deroget majeſtati, quippe quam electus, dum ſpondet, nondum habeat.* Sed neſcio, an atrocia hæc Conringius noſtras, cujus tot in jus publicum Germaniæ exſtant merita, promereatur dicteria, & neſcio, cuinam in notitia jurium imperii prærogativa ſit tribuenda, Conringio aut Lynckero, qui omnia ſatis confuſe & obſcure pertractat. Sed veniamus ad rem ipſam. Electioni majeſtas, quam imperator habet, ideo non deberi videtur, quoniam ea non exiſtit, niſi in conditiones, ſub quibus ipſi imperium debet deferri, conſenſerit. Aſt conſenſus ille conſiſtit in acceptatione capitulationis; quamdiu autem illa non eſt acceptata, populus germanicus libertati ſuæ reſiſtendi non renunciavit, quia ſub conditionibus in capitulatione contentis demum ea decedere ſtatuit. Nec majori jure Lynckerus Conringium reprehendit, quod aſſerat, in capitulatione non dici, quæ jura imperatori competant, ſed quæ non competant. Nam puto, & hoc excuſari poſſe, quoniam capitulatio potentiæ futuri reipublicæ rectoris limites ponit, atque ſic, quæ ei non competunt, indicat.

(i) *Nondum exiſtit*) Recte auctor noſter ratiocinatur: nam non entis nullæ ſunt affectiones præſentes; atque ſic per capitulationem ſuprema poteſtas civilis, ſive majeſtas nondum exiſtens nec tolli, nec limitari poteſt. Inſulſum eſt, quod Schützius docet, per capitulationem reſtringi legem regiam Romanorum; quid enim hæc lex gentis externæ ad Germanos?

(k) *Lib.* 1. *cap.* 3. §. 16.) Grotius hic tradit, imperium non deſinere eſſe ſummum, etiamſi is, qui imperaturus eſt, aliquid promittat ſubditis aut Deo, etiam talia, quæ ad imperii rationem pertineant, ad quæ citra pactum non eſſent obſtricti. Fatetur tamen, id, ubi ſit, arctius quodammodo reddi imperium, ſive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, ſive etiam directe in ipſam facultatem. Nec puto, hoc Grotii dogma, recte intellectum, a veritate eſſe alienum. Nam pactum tale, quo quis ſe obſtringit, ad aliquos actus majeſtatis ſolitarie non exercendi, ſed ad illos aliud etiam admittendi ſubjectum, ſummitatem, ut ajunt, imperii non adimit, ſed tantum irregularem ratione unius illius imperaturi reddidit, cum quoad aliquos actus plura ſint majeſtatis ſubjecta exſiſtentiæ. Quodſi vero imperaturus ab aliquibus artibus per pactum plane excluditur, ita ut illos exercendi penes alios aut proprio aut alieno, non tamen imperantis nomine jus ſit, quoad illos actus imperans etiam imperii ſummitate deſtituitur.

(l) *Majeſtatis*) Vide LIMNÆVM *ad art.* 32. *capitulat. Rudolphi II.*

jeſtatem, *perſonalem & realem.* (a) Quem errorem errarunt multi. Grotius tamen, quod obiter notandum, licet *d. cap. 3. §. 7.* primo obtutu eodem inclinare videatur, iſti diſtinctioni non patrocinatur, quod accurate oſtendit Bœclerus *ad d. §. 7.* Melior eſt itaque ſententia negantium, imperatorem habere poſſe majeſtatem ſeu poteſtatem ſummam omni quidem ex parte, quandoquidem ea ex parte penes ordines ſit. Nam proprie majeſtas eſt ſumma in civitate ubique poteſtas, ſeu, quod eodem recidit, eſt ſumma in civitate legibusque ſoluta poteſtas. Et hæc una eſt in quavis republ. nec admittit diviſionem in duas æque ſummas majeſtates, quarum altera realis, altera perſonalis ſit: abſurda enim eſt hæc diſtinctio, de qua nec ipſis ejus aſſertoribus conſtat ſatis, ut recte docet Bœclerus *loco ſupr. cit.* Poteſt autem ut totum poteſtativum in partes ſuas potentiales dividi: quæ regalia & jura ſummæ poteſtatis vocantur. Quod ſi itaque illa omnia, aut certe potiſſima, ita defert imperatori capitulatio, ut conſilio & ſuffragio ordinum ea expediat, palam eſt, integram majeſtatem ſoli imperatori non tribui, ſed in partes ejus vocari ordines, ſubjectumque adeo adæquatum majeſtatis conſtitui imperatorem ſimul & ordines ſimul, ſive totum imperii corpus. Quando vero in hac quæſtione vox majeſtas accipitur pro ſumma dignitate, item pro externo ſplendore, pro ſummo honore & reverenda amplitudine (uti paſſim a ſcriptoribus ſumitur. Vid. Arniſ. *de jur. majeſt. lib. 1. cap. 1. num. 5.* Carpzov. *de leg. reg. cap. 13. ſect. 1.* Bœcler. *ad Grot. lib. 1. cap. 3. §. 6. p. 197.*) ambabus largimur manibus, eo ſenſu imperatori *ineſſe ſummam majeſtatem.* (b) Ille enim eſt caput imperii, cui reliqui principes adſiſtunt tanquam membra; ille eſt, cui ordines juramentum fidelitatis præſtant, quem ut vaſalli dominum reverentur, quemque vocant *ihren allergnædigſten Kayſer und Herrn*, ſe vero: *Allerunterthænigſte Treugehorſamſte.* Taceo verba, quæ genius ſeculi & ſtylus curiæ produxit, & paſſim in reſcriptis & receſſibus imperii leguntur: *Aus Kayſerl. Macht und Vollkommenheit.* (c) it. *Aus Vollkommenheit Kayſerl. Gewalt.* Et quæ plura ſupremam imperatoris dignitatem, ſplendorem & eminentiam loquuntur. Verum iſtis omnibus non ſtatim cohæret ſumma poteſtas. Vide auctores modo allegatos.

LIII. DATA autem nunc capitulationis cæſareæ etiam forma, ſupereſt, ut *finalem* ejus *cauſam* quoque tradamus. Verum ut in aliis ita etiam hîc duplex ſeſe offert finis, quorum alius proximus eſt, alius remotus. Proximus ſeu particularis capitulationis finis dici poteſt, ut ſit quædam norma ac regula, quam imperator in gubernanda republ. ſequi debeat, vel: ut ſic quidam limes ſeu terminus, quo poteſtas imperatoria circumſcribatur. Nam cæſar, qui ſine capitulatione abſolutam haberet poteſtatem, hac intercedente, non poteſt non noſſe, legitimum ſe accepiſſe regnum. Et ordines hoc ipſo exiſtimationi & ſecuritati conſulunt magis, dum non videntur amplius aut per contumaciam aut meram uſurpationem negotiis reipubl. ſe immiſcere, ſed quia in tales leges regem adſciverunt. Habet hic finis alium pro ſuo ſcopo univerſalem, qui remotus vocatur, & eſt is, ut præſens reipubl. ſtatus eo melius conſervetur & exinde ſalus publica promoveatur. Poteſt quidem & ſine expreſſa lege ſtatus alicujus reipubl. conſervari, ſi morum & conſuetudinum receptarum ſint tenaces ii, quos penes rerum ſumma eſt; quia tamen proclivis admodum eſt reſpubl. ad mutationem, in qua modici exceſſus non prius ſentiuntur, quam ipſa republ. in alium formam ruente, rectius ſuis rebus conſulunt ii, quorum intereſt, priſtinum ſtatum perennare, ſi expreſſis legibus eundem muniant. Certe ſine legibus vix poteſt notari, quando reſpublica a priori ſuo ſtatu paulatim defle-

(a) *Perſonalem & realem*) Sunt multi, qui hanc tuentur diſtinctionem, quorum numero ſunt LIMNÆVS *ad capitulat. Rudolphi II. art. 32. n. 52. ſeqq.* CARPZOV. *de lege regia cap. 13. ſect. 1.* SCHüZ. *diſputat. 3. jur. publ. theſ. 4. & 5.* BECMAN. *in meditat. politicis diſſert. 12.* & alii, quos citat CELLARIVS *lib. 2. politic. cap. 7.* Pro nauci pendenda vero & falſa habent HORNIVS *de civitate lib. 2. cap. 1. §. 18.* & qui notas ad eum ſcripſit, nec non VITRIARIVS *in inſtit. J. N. & G. lib. 1. cap. 3. quæſt. 23.* Sed ab his, qui majeſtatem immediate a Deo eſſe, non autem a populo, & populum incapax eſſe majeſtatis ſubjectum dicunt, nihil aliud exſpectari poteſt: Verum ſunt & alii, majeſtatem, id eſt, ſupremam poteſtatem civilem in republica mediante populo a Deo repetentes, qui itidem hanc refellunt diſtinctionem. HERTIVS *prud. civil. part. 1. ſect. 6. §. 1.* Id quidem extra omne ponimus dubium, populum eſſe majeſtatis ſubjectum commune, & originarium virtuale, cum principi majeſtatem conferant, libertati ſuæ reſiſtendi in totum aut in tantum renunciantes, illum autem, per quem actus majeſtatici exercentur, eſſe ſubjectum proprium. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 7. & lib. 2. cap. 9. §. 8.* Penes ſubjectum autem illud commune extra democratiam nihil eſt ratione exercitii majeſtatis, ſed tantum nuda potentia & aptitudo recipiendi libertatem, quando ſubjectum illud, in quod majeſtatis actus, imo ipſam agendi facultatem transtulerunt, deſinit, niſi pactis aliud ſit ſtabilitum, ut in imperio noſtro Germanico, in quo deficiente capite populus non redit ad facultatem ſingulos regendi aut libertatem, ſed actus majeſtatici, qui imperanti aut ſoli aut conjunctim cum aliis majeſtatis ſubjectis exiſtentiæ competebant, aut per comitia aut per vicarios exercentur. Quod autem populus ita ſit ſubjectum majeſtatis commune, ut ſemper penes eum ſummum ſit imperium, quod majeſtatem realem dicunt, vi cujus in imperantem majeſtatem, ut totum in partem habere dicitur, a veritate abhorret. GROTIVS *l. c. §. 8.* BOECLER *ad Grotium lib. 1. cap. 3. pag. 223.* Quodſi vero ad ſubjectum majeſtatis conſtituendum plures diverſimode concurrant, irregularitas quidem & mixtura ratione formæ inducitur, eadem quidem eſt majeſtas; actus tamen ejus per diverſa exercentur ſubjecta. Vid. HERT. *prud. civilis part. 1. ſect. 6. §. 5.* VITRIARIVS *lib. 1. tit. 7. §. 5.* Cum *ſollen* in capitulatione non neceſſitatem præcepti, ſed fidei involvat. An autem & quænam intercedat mixtura, inter juris publici doctores controverſum eſt. Conferatur PFEFFINGER *ad Vitriarium lib. 1. tit. 7. §. 6.* A ſententia eorum, qui rempublicam noſtram mixtam vel irregularem faciunt ob pluralitatem ſubjectorum majeſtatis exiſtentiæ, diſcedit LYNCKERVS, atque docet, ſoli imperatori in imperio majeſtatem competere & Status de ea ejusve exercitio nec participare in univerſitate imperii, nec in ſuis territoriis. Sic & *majeſtatem illam per capitulationem neque quoad ſubſtantiam actus, neque quoad exercitium reſtringi, ſed ſolum exercitio illi regis circumponi conſilium & conſenſum electorum & ubi obſervantia imperii requirit ſtatuum reliquorum*, adfirmat. Vid. *ejus doctrina communis de capitulatione p. 29. ſeq.*

(b) *Ineſſe ſummam majeſtatem*) Diſplicent hæc LYNCKERO *l. c. pag. 64.*

(c) *Aus Kayſerl. Macht und Vollkommenheit*) Vide COCCEJI *diſſ. de imperio impares §. 7. 8. 9.* LIMNÆVS *ad capitulat. proleg. ſect. 3.*

deflectit. Qui enim accurate dignoſcas, num adminiſtratio a ſtatu reipubl. diſcrepet, nec ne, niſi adſit regula, juxta quam illa judicari poſſint? Et viciſſim qui vitia & aberrationes emendari queant, ſi non intelligatur, quouſque a rectitudine quodlibet abfuerit? Quis autem ſit imperii noſtri hodie ſtatus, de eo non convenit inter ſcriptores. Sunt, qui *Monarchicum* (a) Statum eidem aſſignant: alii tribuunt *Ariſtocraticum*, (b) alii ex his duobus *mixtum*, (c) alii denique de his nullum, monſtroſum plane & *irregularem* (d) eundem eſſe contendentes. Qui ex ariſtocratia & monarchia mixtam noſtram eſſe rempubl. aſſerunt, & numero & auctoritate reliquos ſuperant. Aſt uti illorum plerique rempubl. mixtam deſcribunt, ambigas merito, num noſtra reſpubl. mixtæ alicujus nomine venire queat. Mixta enim reſpubl. eſt, ubi poteſtas ſumma eſt penes uno plures diviſim. Jam vero in noſtra republ. videmus potiſſima majeſtatis jura indiviſim ſive conjunctim eſſe penes imperatorem & ordines. Licet ſane quædam jura ſolus imperator habere videatur, quæ reſervata imperatoris vocantur, ea tamen multo ſunt inferiora, quam ut partes ſummæ *poteſtatis dici mereantur*, (e) & præterea ſuis cancellis adeo incluſa, ut imperatorem eadem exercendo curare oporteat, ne quid fiat contra leges fundamentales conſtitutiones imperii, aut contra jura & privilegia aliorum Statuum. Ita ſane ille promittit in *capit. Art. 3.* & alibi. Aut igitur amplianda erit definitio mixtæ reip. & dicendum, mixtam remp. eſſe, ubi ſumma poteſtas eſt penes uno plures vel diviſim vel indiviſim etiam (diverſo tamen modo quo in ſimplicibus eſt) aut vero dicendum eſt, rempubl. noſtram ad regulas politicas plane non quadrare, ſed eſſe quoddam corpus civile plurium inæqualium, in qua unus dignitate & autoritate præ reliquis emineat, reliquorum etiam ordinum alius præ alio ſuis gaudeat prærogativis, penes univerſos autem exiſtat τὸ κῦρος. Sed non eſt, quare de his anxie diſputemus: præſertim cum omnis quæſtio, non tam ſit de re ipſa quam de nomine. Quicquid vero tandem ſit, quocunque nomine ſtatum reipubl. noſtræ quis velit exprimere, ego quidem arbitror, ſtatum eſſe talem, in quo ſubjectum ſummæ poteſtatis conſtituunt imperator & ordines ſimul. Ad ejus igitur conſervationem ſi quæ alia lex vel conſtitutio imperii, noſtra certe facit capitulatio, quemadmodum ex iis, quæ modo fuêre de objecto ejus diſſertata, patet. Porro reipubl. ſtatu ſalvo etiam cuivis ſua ſunt ſalva jura, & concordia inter imperantes ſtabilitur. Quæ res non poteſt non vergere in ſalutem omnium etiam illorum, quibus obſequii gloria relicta eſt. Horum fortunæ ſi & id accedat, ut imperantes ad ornandam, augendam & conſervandam rempubl. unanimi conſenſu conſilia & vires ſuas conjungant, omne felicitatis civilis punctum tulêre. Non fuerit autem abs pretio operæ, ſi quod reipublicæ imperii formam attinet, accurate expendantur, quæ habentur pag. 255. in *addendis ad Lampadianum commentarium.*

LIV. EFFECTVS præterea capitulationis eſt (1) conferre imperatori poteſtatem adminiſtrandi imperium. *Limn. de capit. proleg. ſect. 7. n. 6. & ſeqq.* Antequam enim peracta electione quicquam nomine imperii ſuſcipiat, oportet eundem Statuum jura & privilegia confirmare A. B. *cap. 2. verſ. & quia de antiqua &c.* Et quia hodie hæc confirmatio per capitulationém fit, hinc ea demum *facultatem gerendæ reipubl.* (f) dari imperatori recte aſſeritur. (2) *Obligare imperatorem*, (g) ut non aliter, quam uti convenit, imperio utatur. *Conventio enim, quæ ab initio erat, voluntatis, ex poſtfacto fit neceſſitatis, ut* recte dicitur *in l. 17. §. ff. commod.* ejusdemque vis omnis in eo cernitur, quod libertatem agendi impedit & contrahentes ad certum aliquod agendum, dandum vel præſtandum adſtringit, ita ut ſalva fide ſua & exiſtimatione ab eo recedere non poſſint. Quæri autem hic ſolet, numne in caſu neceſſitatis, ubi periculum in mora eſt, a capitulatione recedere liceat imperatori? Pro affirmativa ſententia multas adducit & diluit quidem rationes Limnæus *de capit. proleg. ſect. 6.* aſt negativam aut meliorem ſequitur. Idque etiam velle videntur verba capitulationum fere in fine, quando imperator recipit: *Daſſelbe ſtet, veſt, und unverbrochen zu halten, darwider nicht zu ſeyn, noch zu thun, noch zu ſchaffen, das gethan werde, in einige Weiſe oder Wege, wie die mægten erdacht werden.* Et urgente licet neceſſitate, vi facti promiſſi, electorum ad minimum conſilio & conſenſu rem debere ſuſcipi *Art. 10. 13. & 28. noſtræ capitul.* Attamen cum ſalus reipublicæ ſemper ſit lex ſuprema, nec interdum *ullam moram* (h) negotium patiatur, nos haud dubitamus affirmativam ſententiam in illo quidem caſu amplecti & tueri.

LV.

(a) *Monarchicum*) REINKING, LYNCKER, MVLZIVS.
(b) *Ariſtocraticum*) HIPPOLITHVS *a Lapide.*
(c) *Mixtum*) VITRIAR. *J. P.*
(d) *Irregularem*) MONZAMBANO *de ſtatu imperii germanici cap. 5.* Nos hac de re latius in annotationibus ad Lampadium agemus.
(e) *Poteſtatis dici mereantur*) Quæ hic adverſus auctorem noſtrum monet LYNCKER, vide apud eum in doctrina *de capitulat. pag. 66. 69. ſeqq.* Reſervatorum numerum init SCHWEDER *part. ſpeciali ſect. 1. cap. 4.* eaque commentario illuſtrat STAMLER. Id tamen LYNCKERO & BVCHHOLZIO concedere non poſſumus, imperii ordines non niſi conſiliariorum cæſaris & cauſæ ſine qua non, quæ non influit in effectum, rationem habere. Nam inauditum eſt, principem cum ſuis conſiliariis de actibus majeſtaticis exercendis paciſci. Sic & exercitium ipſorum actuum docet, quod ordines in illos ut concauſæ principales influant. Quid enim conſiliario, ſi diſcrepantem a principis ſui ſententia foveat opinionem, votum tribueret deciſivum, quod efficiat, ut princeps ſententiam ſuam in actum mittere non poſſit, niſi conſiliarius conſenſerit. Neque puto, ſi unquam comitia ceſſaturæ ſint, imperatorem aliquem actum, ad quem Status vi legum fundamentalium concurrunt, citra eorum conſenſum expedire poſſe. Plinius de hoc themate in notis ad Lampadium agetur.
(f) *Facultatem gerendæ reipubl.*) LIMNÆVS *ſect. 8. proleg. in capit.* RHETIUS *inſtit. J. P. cap. 4. §. 37.*
(g) *Obligare imperatorem*) Huc aliqui referunt verbum: *Sollen*, quod in capitulatione reperitur; quanquam Lynckerus hoc promiſſum *fidei*, non *neceſſitatis* vocet.
(h) *Ullam moram*) Caſus ita formandus, quod talis adſit neceſſitas, ut ne quidem electores in conſilium & conſenſum vocari queant; tunc enim imperatorem ab aliquo capitulationis capite diſcedere, ſi requirat imperii ſalus, quam conſervare inprimis juravit, æquum eſt. Vide GROTIUM *de J. B. & P. lib. 1. cap. 4. §. 7.* Quæ WILDVOGEL *de capitulatione perpetua pag. 29.* pro negativa affert

LV. AFFINIA capitulationis ſunt omnia poteſtatem imperatorum limitantia, ut leges, conſtitutiones & receſſus imperii, item inſtrumentum pacis &c. quia iſthæc omnia imperator ſervare promittit in capitulatione. Vid. *Art. 38. capit. Leopold.* (a) Huc etiam poſſunt aliorum *ducum & principum*, (b) cum ſuis ſubditis initæ conventiones trahi, quæ ratione contrahentium & objectorum a noſtra capitulatione quidem diſcrepant, formis tamen & finibus plerumque conveniunt. Nam conſenſus perſonarum contrahentium in omni conventione eſt neceſſarius, & jurisjurandi religio raro ſolet omitti. Obligatio vero ex præcedente libero conſenſu non poteſt non naſci. Videri de his poſſunt Carpzovius *ad leg. reg. cap. 1. ſect. 6. & 7.* Limnæus *ad capitul. proleg. ſect. 10. & alii.*

LVI. CONTRARIA capitulationi ſunt *primo* omne, quod contra eandem ab imperatore ſuſcipitur. Id vero quidquid ſit debet eſſe invalidum, irritum & nullum: ex ipſa *Capit. Leopold. ſanctione art. 38.* ibi: *Ob aber dieſen und andern vorgemelten Articuln und Puncten einiges zuwider erlangt und ausgehen würde, das alles ſol krafftlos, todt und ab ſeyn, immaſſen wir es auch itzt als dann, und denn als itzt hiemit caſſiren, tœdten und abthun &c.* Non tamen ſtatim omni imperandi poteſtate excidit imperator, ſi contra unum forte & alterum capitulationis articulum quidquam commiſerit. Neque enim pœnæ privatis promiſſa ſua non implentibus in jure Juſtinianeo propoſitæ, puta infamia & privatio rerum & emolumenti, quod ex pacto fuerant conſecuti *l. 41. C. de tranſact.* imperatoribus infligi poteſt. Aliud videlicet ſuadet ſalus reipublicæ, quæ merito ſuprema lex audit. Conſtare autem hæc nequit, ubi ob quamvis culpam, & eam *non magnam*, (c) in una imperii parte forte admiſſam omni imperio exui debeat imperator. Sunt imperantes, ut quivis alius, multis erroribus obnoxii, ſæpe per imprudentiam, non raro per inſcitiam & negligentiam labuntur. Si ob quamvis culpam ergo removendi ſunt; quandonam reſpublica erit tranquilla? Quas non invenient imo ſæpius confingent inſimulationes malevoli? Concutietur certe quin plane evertetur integer reipubl. ſtatus. Ferenda igitur in univerſum ſunt minora mala, ut evitemus majora. Probamus nos ea, quæ annotata ſunt ad Lampadium *part. 1. §. 13. ut & ad part. 3. §. 10. cap. 2.*

LVII. Quandonam vero deponere liceat regem vel principem imperio abutentem, quæſtio eſt *a multis diſputata;* (d) quia hujus cumprimis eſt loci, eandem, non niſi tamen paucis, hic repetere

argumenta, nullius ſunt momenti. Nam (1 pacta omnino late ſunt interpretanda, quando reipublicæ ſalus hoc requirit. (2 Quæ ex electorum Brandenburgici & Saxonis in protocollo Ratisbonenſi de anno 1623. apud AVTOREM *theatri europæi tom. 1.* reperiuntur, & quæ ex capitulationum epilogis adducuntur, ſummæ neceſſitatis caſum, ubi ſalus imperii aliter ſervari nequit, non tangunt. Et quod in evangelicæ religioni addictorum ordinum literis ad Ferdinandum II. exaratis dicitur, ob nullam plane neceſſitatem ab imperii legibus diſcedi poſſe, haud dubie limitationem illam, ſi ſalus reipublicæ aliter ſervari nequeat, admittit. Et ad ea, quæ ad evertenda ſententiæ negantis argumenta ex LIMNÆO *de capit. proleg. ſect. 8. pag. 28. ſeq.* allegantur, facile reſponderi poteſt. (1) Exceptio neceſſitatis in caſu *ſummæ neceſſitatis*, ubi ſalus reipublicæ aliter conſervari nequit, non tantum in jure civili, ſed & naturali hypothetico, quod ſocietates civiles inſtitutas præſuppouit, fundamentum ſuum habet. (2) Inprimis tritum illud: *neceſſitati non eſt ſcripta lex*, locum habet, quando de reipublicæ ſalute agitur, quam imperator ſe conſervare & fovere velle, jurejurando fidem dedit. (3) Inconcuſſum adhuc ſtat, multa publicæ utilitatis cauſa prohiberi, quæ alias ſunt licita. (4) Quæ de juramentis ſecundum æquitatem interpretandis dicuntur, non Baldi & Sichardi placitis, ſed ipſi æquitati innituntur. (5) Nec ſine ratione eſt aſſertum, quod jura mentum intelligendum, rebus in eodem ſtatu monentibus. (6) Nec minus verum eſt, juramentum non extendi ad non cogitata, fortuita vel inopinata. Neque in capitulationibus de illo caſu, quando reipublicæ ſalus, ut ab illa diſcedatur, requirit, nulla injicitur mentio; neque de eo cogitatum eſſe poteſt, quod nec in ſummo neceſſitatis caſu, ubi ſalus reipublicæ nullam plane admittit moram, a capitulatione diſcedi poſſit, quoniam ipſa æquitas hanc ſuſtinet exceptionem, & imperator ſe ad protegendum & conſervandum imperium in capitulatione illimitate obſtringat, reliqua autem, ad quæ ſe obligat, juxta regulas æquæ interpretationis præſtare tenetur, quando imperii ſalus tantam patitur moram, ut in actum deduci queant. Vide LYNCKERVM *ad capitulat. Joſephi pag. 75. ſeqq.*

(a) *Art. 38. capit. Leopoldi*) Capit. Joſephi & Caroli VI. art. 2.

(b) *Ducum & principum*) Maxima Europæ regnorum pars ſub certis defertur pactis, quæ fundamentalium legum, ut dictum, ſortiuntur nomen. Vide LIMNÆVM *ad capit. ſect. 4. 9. proleg.* Principum Germaniæ eccleſiaſticorum cum capitulis ſuis, & ſecularium cum ordinibus provincialibus, capitulationes & pacta ineunt, quorum non una in LVNIGII *ſpicilegio eccleſiaſtico & Archivo imperii* referuntur. Solent autem principes ſub initium regiminis ſubditis ſuis reverſales impertiri literas, quod jura eorum, libertates & privilegia ſalva eſſe debeant, quibus nonullis in locis juramentum accedit. Atque hæ literæ reverſales principum ſucceſſores ad renovandum obligant. Conf. FRITSCHIVM *de literis reverſalibus cap. 2.* SECKENDORFFII *Fürſten-Staat part. 2. cap. 4. & addit. pag. 46.* TABOR *de obligat. ſucceſſ. in officio* & qui eos citat, LYNCKER *l. c. in fine.*

(c) *Non magnam*) Non dubito, quin nemo illorum imperatorum, quos ſceptris privatos eſſe, ex annalibus conſtat, crimina depoſitione digna commiſerit. Videnda tantum, quæ illuſtris THOMASIVS, vir ſummi judicii & ingenii, pro Wenceslao diſputat. Adde illuſtriſſimi comitis de WVRMBRAND, ſummi aulici judicii præſidis, herois meritis, quam nativitate & officii dignitate adhuc majoris *diſſertationem de foro S. R. I. principum cap. 1. theſ. 5.*

(d) *A multis diſputata*) Tam affirmantium quam negantium inſignis eſt numerus; plerorumque nomina cum argumentis utriusque partis refert celeberrimus PFEFFINGER ad Vitriarium *tom. 1. pag. 915. 916.* Inter affirmantes ſunt LIMNÆVS *lib. 2.* SCHVZIVS *exerc. 3.* ARVMÆVS *ad A. B. diſc. 3.*, COCCEJVS. Inter negantes vero RHETIVS *J. P. lib. 1. tit. 4. §. 65.* SCHILTER, *L. E. G. lib. 3 cap. 8.* Inter argumenta, quæ pro utraque afferuntur ſententia, quædam ſunt, quæ parum ſtringunt. Nos breviter dicamus, quod res eſt.

Ex natura pactorum ſequitur, quod ſi unus fidem fallat, nec præſtet, ad quod ſe obligaverat, alter quoque ab obligatione, quam per pactum contraxerat, liber eſt. Nam unius ejusdemque pacti capita ſingula alia aliis ineſſe videntur per modum conditionis, quaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam, ſi & alter faciat, quæ promitit. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 3. cap. 19. §. 14.* Attamen hæc ſecundum juris naturalis & æqualitatis regulas locum habet, ſi ea, quæ ſunt in pacto, non niſi ad paucorum paciſcentium ſpectant utilitatem: quando autem talia pacta nexum gentis cujusdam, aut etiam plurium gentium cum capite reſpiciunt, quo diſſoluto gentes illæ in ſummam prolabi poſſent miſeriam, earum haud dubie non fuit mens, ut ex quo ille, cum quo per ſe aut per alios, ut eum caput & rectorem haberent, pacti ſunt, aliquam conditionum earum, ſub quibus ipſi obſequium promiſerunt, negligeret, fore, ut totus ille nexus tolleretur. Atque de hoc eo minus dubitandum, quoniam pactis illis, ſub quibus imperium

tere haud pigrabimur. Supponimus autem ab initio, licere omnino quandoque pro conſervanda republ. regibus abrogare imperium. Et vero hoc ipſo medii incedimus inter eos, qui faciles nimis ſunt in deturbandis ſolio regibus, & eos, qui hac in parte ad ſuperſtitionem uſque ſunt religioſi. Deinde ita progredimur. Regi extra poteſtatis ſuæ limites quicquam agenti aut imperanti, v. g. jubendo juri divino & naturali contraria, aut involando partem ſummæ poteſtatis ſibi non competentem, eatenus impune non paretur. Ubi ſcilicet precibus & ſupplicationibus, quæ prius omnino ſunt adhibendæ, in melius flecti non potuit. Quod ſi vi adhibita in obſequia ſua ſubditos adigere præſumat, licebit iisdem ſe defendere, & ſi nec ita ſalvi eſſe queant etiam contra eundem arreptis armis inſurgere, regno ipſum pellere, & plane hoſtis loco habere. Salvi autem ſubditi tum eſſe nequeunt, quando periculum eſt, ne tota respubl. peſſum eat, id quod etiam tunc merito timetur, quando princeps formam reipubl. immutare conatur. Quid ſtatuendum eo de caſu, quando vel ex toto, vel ex parte regnum rex alienare velit, prolixe diſſerit Bœclerus *ad Grot. l. 1. c. 4. §. 10.* Paucis omnia complexus ſum locis jam citatis, ut & in annotatis *ad §. 11. partis tertiæ cap. 2.* Extra hos terminos ſi imperantibus parentes ſe opponant, in ipſis illis diis terreſtribus, quo nomine non una vice in ſacris literis veniunt, ſupremum læditur numen, cui rebelles ejusmodi ſubditi graviſſimas olim ſuæ impietatis dabunt pœnas.

LIIX. Et ita quidem tenendum, ſi in genere de deponendis regibus agamus. Ut nunc etiam ea, quæ in ſpecie nos concernunt, brevibus perſequamur, ſciendum, nullam quidem extare in imperio noſtro legem expreſſam, cujus vigore imperator deponi poſſit, tacitam tamen conditionem hanc ſubeſſe capitulationi, ut ſi iſtarum legum, ſub quibus factus eſt imperator, inemendabilis temerator exiſtat, & citra omnem ſpem meliorum indignum ſe imperio reddat, jure removeri poſſit. Modo tamen, ut diximus, vere inemendabilis ſit & facta ejus ſint talia, quæ ipſa reip. fundamenta afficiant. Nam ubi precibus & admonitionibus relinquit locum, nec id agit, ut ipſam rempubl. ſubruat, recta ſuadet ratio, remedium ipſis malis gravius non adhibere, & non proſilire ob leviculam cauſam ad depoſitionem principis, ipſamque adeo rempubl. in diſcrimen adducere. Inter remedia autem leniora laudatur etiam hoc, ut ea pars ſummæ poteſtatis qua abuſus reperitur imperator, in pœnam ei auferatur: item ut vivo adjungatur coadjutor, vel, ut propius ad rationem noſtræ reipubl. loquamur rex Romanorum. Quod ſi ad exempla depoſitorum imperatorum provocare liceret, haberemus etiam jus conſuetudinarium. Et certe licet omnia ut jure facta defendi non poſſint, eatenus tamen ea producere forte liceat, ut oſtendatur, & abrogatos fuiſſe aliquando imperatores, & quin abrogari queant nunquam fuiſſe dubitatum. In eo igitur ſatis cautum eſt ſubditis regem legitimum habentibus, quod non uti ii, quibus abſolute imperatur, ſaltim defendendo, & ubi nec dum ſatis tuti, demum offendendo ſibi ſuæque ſaluti conſulere debeant, ſed etiam vi pactorum pro ſua republ. vel ejus ſolum ſtatu conſervando principem ſuum, ea, quam dixi, cautione, deponere poſſint. Id quod licet ſpecies defenſionis haud inepte dicatur, iis tamen qui addicte regnantur integrum non eſt. Nobis hic dictis vel confirmandis, vel fuſius explicandis prolixioribus eſſe non licet. Uberius tam in theſi quam in hypotheſi hac de re commentati ſunt Grotius *de J. B. & P. lib. 1. cap. 4.* & ad illam cl. viri Ziglerus, Bœclerus & Feldenus: Arniſæus peculiari tractatu *de auctoritate principum in populum ſemper inviolabili.* Ego: *Exercit. de negot. convent. imp. th. 45. ſeqq.* & ad Lampad. *part. 3. cap. 2. §. 10 & 11.* Limnæus *de capitulat. proleg. ſect. 10. tom. 5. Juris publici in appendice ad librum 11. pag. 113. & ſeqq.* Carpzov. *ad legem reg. cap. 14.* Ad quos benevolum lectorem remittimus. Excipit hanc quæſtionem alia, cuinam jus deponendi competat; quia vero hæc tum ab aliis tum a me ſatis eſt diſcuſſa locis modo allegatis, actum non ago.

LIX.

deſertur, clauſula commiſſoria, ut ſi hoc aut hoc imperator faciat aut non faciat, ſubditos omni obedientiæ vinculo ſolutos eſſe debere, non eſt adjecta. GROTIUS *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 16. cap. 4. §. 12.* Ex PUFFENDORFIO *rer. Brandenburg. lib. 7. §. 26.* conſtat, inter mandata brandenburgicis legatis, ad electionem novi cæſaris miſſis, data fuiſſe, ut cum aliis conſultarent, annon neceſſarium ſit, capitulationi legem commiſſoriam expreſſis verbis inſeri, ut cæſar iſta non ſervata ipſo facto imperio excidiſſe ſit cenſendus. Sed hujus nullam habitam fuiſſe rationem, Leopoldina docet capitulatio: nec aliæ hanc ſubſequentes talem referunt clauſulam. Sed quæritur, quid igitur factu opus, ſi contra capitulationem agatur? Reſpondetur, id quod agitur, nullam vim obligandi, nec ullum juris effectum habet, ut ex ipſis capitulationibus patet. Vide *acta capitulat.* Leopoldi ab autore *citat.* & *capitulat. Joſephi & Caroli VI,* extrema. Sed pergis, ſi controverſum eſt, an contra capitulationem actum ſit, aut etiam inde damnum datum, & qua ratione illud reſarciendum? Sunt, qui pontificem romanum competentem hic dicunt judicem; ſed quidnam præſuli romano cum rebus imperii eſt negotii? Illum, ut eis ſe immiſceat, nihil plane habere juris, alibi docuimus. Alii illuſtre maxime hoc judicium ad Palatinum deferunt, alii electores adjungunt, alii e contra toti imperio hic judicandi facultatem tribuunt, cum res ſint tanti momenti, & totius imperii judicium imperatori minus ſuſpectum eſſe poſſit. LYNCKER l. c. pag. 73. Quærunt porro, ſi imperator nulli plane, quæ in capitulatione promiſerat, ſatisfacere velit, aut ſe judicio, ſi contra unum aut alterum capitulationis membrum egiſſe creditur, ſubjicere, aut etiam judicatum præſtare nolit, faciendum ſit? In primo caſu videtur juri in imperium tacite renunciaſſe, & membra imperiique ſubditi ei renunciationi procul dubio calculum ſuum adjicient, cum id, quod in pactis eſt, ſub quibus imperium delatum, nullatenus in actum deducere velit. In reliquis caſibus, ubi admonitionibus ad illum modum, quem par eſt erga imperii caput adhibere, attemperatis vel potius precibus locum dare, & ad id, quod in capitulatione promiſerat, redire, damnum datum reſarcire, aut judicium vel potius arbitrorum conſenſum agnoſcere nolit, ad id veniendum, quod locum habet, ubi pacis non ſufficiunt conſilia. Sed antequam domeſtica & ſocialia corripiantur arma, quævis primum tentanda, cum nihil triſtius nihilque reipublicæ magis noxium eſſe queat, quam ſi cives popularium ſuorum ſanguine manus imbuant, imprimis ſi bellum inter caput & membra geritur. Hæc ſunt dogmata, quæ cum aliis ejusdem generis eruditorum torquent capita, quorum inſignis ſæpe pars plus ſubtilitatis, quam utilitatis habet.

LIX. Contraria denique capitulationi ipſi ſunt ejus mutatio & abrogatio. Aboleri in totum capitulatio tanquam lex fundamentalis non poteſt, niſi aliam plane reipublicæ formam aliasque leges ordines imperii amaverint; mutari eandem pro uſu & neceſſitate reipubl. addendo & adimendo poſſe, ſupra jam indicavimus. Referendi huc denique etiam modi, quibus imperator eſſe deſinit. Iisdem nempe quoque exſpirat vis capitulationis. Sunt autem ii mors, depoſitio & reſignatio imperatoris. De morte nil attinet addere. De depoſitione modo viſum. De reſignatione autem ſolet *diſputari*, (a) num liceat imperatori renunciare imperio, & cui renunciatio fieri debeat? Neutrum legibus eſt definitum. Standum igitur, quoad prius, iſto jure quod mere eſt naturale: quoad poſterius etiam attendendum, quid rebus noſtris conveniat. Jam vero jure naturæ licet cuivis jure ſuo ſe abdicare, eo, quo habet modo: ut proprium, ex mero arbitrio: cum alio vero commune, accedente ejusdem conſenſu. Hinc quia munus imperandi a mutuo imperatoris & ordinum contractu eſt ſuſpenſum, dicendum videtur, conſentientibus, aut ad minimum *non contradicentibus*, (b) iisdem reſignationem fieri debere. Et quidem, ut etiam de poſteriori conſtet; non papæ, ei quippe nil juris in regem & regnum Germaniæ competit, ſed imperio. Sic Carolus V. præterito Paulo IV. imperium reſignavit *in manus electorum*, (c) qui univerſi imperii ordines repræſentabant. Vide *pr. capit. Ferdin. I.* Plura hac de re legi poſſunt apud Lampad. *part. 3. cap. 2. §. 7. & 8.* & me *in annot. ad quand.* it. ap. Limn. *ad capit. Ferdin. I. p. 450. ſeqq. & tom. 5. jur. publ. addit. ad libr. 11. p. 108.*

LX. Nos hic ſubſiſtimus, & gratias, quantas poſſumus, maximas perſolvimus divino numini pro præſtitis abſolvendo labori viribus; ſummamque ejus majeſtatem veneramur ſupplices, ut tandem aliquando aurea reducta pace, cariſſimam noſtram patriam Germaniam, & in ea imperantes juxtim & parentes, ſalvos, incolumes vigentes florentesque ad finem uſque ſeculi conſervare velit.

Diſſertatio de jure conſecrandi reges Romanorum, qua alterum Colonienſe ſcriptum expenditur.

Controverſia eſt inter Moguntinum & Colonienſem archiepiſcopos de Jure coronandi regem Romanorum, vtri eorum illud competat. Jam enim a longo tempore obtinebat, vt ſucceſſores omnes in imperio, quantum id fieri poterat, in ſede regia Aquisgranenſi initiarentur; quod autem Aquisgranum in Diœceſi Colonienſis archiepiſcopi ſitum eſſet, ideo Colonienſes archiepiſcopi ad ſe hoc jus ſpectare contendebant, Moguntini autem idem ſibi vindicabant, quod ſedes Moguntina prima eſſet inter omnes, & omnium Germanicarum ampliſſima, electa in Metropolin ab omnibus Francorum Principibus, & a Zacharia pontifice confirmata, cuius ea de re ad S. Bonifacium literæ adhuc ſuperſunt. Primates enim erant totius Germaniæ Moguntini archiepiſcopi: Obtinet autem vſus in omnibus pene Chriſtianorum regnis, vt, qui in quoque regno inter eccleſiaſticos primum locum obtinent, illi etiam reges conſecrent.

2. Diu igitur fuit certatum inter vtrumque, & quidem initio Moguntini præ Colonienſibus primas tulerunt, vt in ipſa etiam vrbe Aquisgranenſi præſentibus Colonienſibus archiepiſcopis coronationem peragerent. Tandem tamen & imperatorum ſtudio, & obtento ſemper jure Diœceſeos, invaluit conſuetudo, vt, ſi qui coronandi eſſent reges Romanorum, illi Aquisgranum proficiſcerentur, atque in ea urbe ſacrum faciente Colonienſe archiepiſcopo ab eo coronarentur: Nihil enim unquam aliud ab archiepiſcopis Colonienſibus, quantum quidem ex antiquis monumentis conſtat, pro vindicanda ſibi regum Romanorum coronatione allatum fuit, quam quod urbs, in qua illa fieri conſueverat, in eorum Diœceſi ſita eſſet, Moguntinis eundem ſibi propter primatum ſedis, & tot reges ab ipſis coronatos aſſerentibus, Trevirenſis quoque propter ſedis antiquitatem aliquando competitor fuit, ſed nunquam in conſortium admiſſus, ut ſemper omnis controverſia inter Moguntinum & Colonienſem conſtiterit, pro quo quidem conſuetudo & uſus tandem obtinuit, ita tamen, ut ſi forte Colonienſis defuiſſet officio ſuo, & fors ita tuliſſet, ſuum ſibi jus iterum aſſererent Moguntini, tum præſertim, cum extra diœceſin archiepiſcopi Colonienſis, coronari regem neceſſe eſſet.

3. Quod vero hactenus communi uſu fuerat receptum, id demum promulgata conſenſu procerum & ſtatuum a Carolo IV. publica ſanctione, quam auream Bullam vocant, in legem tranſiit, adeo-

(a) *Diſputari*) Affirmantium numero eſt LIMNÆVS *ad capitulat. Ferdinandi I. proœm.* GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 26.* Inter negantes vero ſunt AVTOR noſter, quem vide quoque ad LAMPADIVM *pag. 117. 118.* SCHILTER. *inſtit. J. P. lib. 1. tit. 15. §. 10. ſeq.* OBRECHT *de abdicatione Caroli V.* Conferatur PFEFFINGER *tom. 1. pag.* 19. ubi utriusque partis recenſentur argumenta.

(b) *Non contradicentibus*) Sicut enim nexus, qui eſt inter imperantes & parentes, membra & caput, non unius exoritur conſenſu, ſic etiam unius diſſenſu perire nequit. Neque enim ſubditis & civibus indifferens eſt, quem habeant principem & caput, & ſicut ſtatus imperii obſequio imperatori debito repudium mittere non poſſunt; ita & cæſar ſe non poteſt in eos citra eorum conſenſum abdicare imperio. Carolum V. quoque imperio ſe abdicaturum, electorum adhibuiſſe conſenſum, conſtat. Vid. GODELEVÆVM *de abdicatione Caroli V.* apud SCHARDIVM *tom. 2. pag. 652.* OBRECHT de eodem argumento *pag. 273. vol. differt. Argentorat.* Oportet autem, ut urgentiſſimæ adſint cauſæ, ut quis a vinculo, quo ſe ad regendum & defendendum obſtringit, liberetur. Si dubium eſt, an ſufficientes ſint abdicationis cauſſæ, res merito ad totum deferenda erit imperium. Quas deſcendendi ab imperio Carolus V. habuerit cauſas, apud STRADVM circa initium *de bello Belgico*, docetur. Aliæ tamen haud dubiæ arcanæ cauſæ, quæ ab autoribus ignorantur, ſilentur aut teguntur.

(c) *In manus electorum*) PFEFFINGER *tom. 1. J. P. pag. 914.*

adeoque quotquot fuêre a Carolo Quarto usque ad Maximilianum Secundum imperatorem Aquisgrani conſecrati, ii, nemine refragante, ab archiepiſcopo Colonienſi tanquam in ejus diœceſi fuêre coronati; ab eo vero tempore, quod integrum propemodum ſeculum conficit, quotquot fuêre imperatores, uti non in diœceſi Colonienſi, ita neque ab electore Colonienſi, ſed a Moguntino ex veteri jure fuerunt conſecrati, & coronati. Id proprio jure a Moguntinis electoribus factum fuiſſe, aut fieri potuiſſe negant Colonienſes, ajunt Moguntini, quanquam de eo non adeo poterant eſſe ſolliciti, freti iure ſuo tot annorum decurſu, & tot actibus ipſis electoribus Colonienſibus præſentibus, neque refragantibus exercitis, acquiſito.

4. Quinque autem ſunt potiſſimum, quæ Colonienſis cauſæ patronus pro vindicanda electori ſuo regum Romanorum coronatione, nuper altero ſcripto contra Moguntinum electorem expoſuit, quibus, ſi accurate excutiantur, minime probat, quod probandum ſuſceperat, jus nempe coronandi regis Romanorum, non ideo a Moguntino ad Colonienſem electorem fuiſſe translatum, quod Aquiſgranum in diœceſi ejus eſſet ſitum, & eo quoque intuitu a Carolo Quarto confirmatum, ſed ita eo jure Colonienſes archiepiſcopos ſemper & a Caroli Magni usque ætate fuiſſe uſos, ut illud eorum oſſibus inhærere cenſendum ſit.

Primum enim a Carolo Magno hoc priuilegio urbem Aquiſgranum & Colonienſem archiepiſcopum fuiſſe ornatum.

Deinde fuiſſe hoc jus Colonienſi archiepiſcopo bullis variorum pontificum & imperatorum reſcriptis aſſertum.

Tertio a Colonienſibus archiepiſcopis & ante & poſt auream bullam ſemper fuiſſe usque ad Maximilianum ſecundum exercitum, neque a Moguntinis, niſi raro, & ipſis conſentientibus uſurpatum.

Quarto confirmatum publica ſanctione a Carolo IV. ſine ullo diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione.

Demum functiones a Moguntinis electoribus in coronatione poſtremorum imperatorum exercitas, veteri electorum Colonienſium juri minime obeſſe aſſerit.

5. Et vero quod primum attinet, an Carolus Magnus anno 804. praeſente Leone III. pontifice ſanxerit, ut in templo beatæ Mariæ virginis ſedes regia locaretur, & locus regalis & caput eccleſiæ trans alpes haberetur, ac in ipſa ſede reges ſucceſſores & hæredes regni initiarentur, noſtra nunc nihil admodum attinet. Carolus quidem & Ludovicus Pius magnam vitæ partem tranſegere Aquiſgrani, unde locus & ſedes regia ab ipſo Carolo vocata fuit. Nithardus autem lib. 4. palatium aquenſe *ſedem primam Franciæ* vocat. Unde etiam propter memoriam juſſumque Caroli Magni coronationem ibi peragendam eſſe creditum fuit, nec metu graſſantis peſtis deterreri potuit Carolus IV. quin ad coronationem ſuſcipiendam illuc proficiſceretur, ut ait *Hartm. Maurus de Coron. Caroli V.* Günthero quoque Ligurino idem perſuaſum erat, cum ſcriberet:

Hoc ſibi prima loco veluti cunabula regni,
Carolus eſſe volens, magno cum Francia regi
Utraque ſerviret, primam geſtare coronam
Juſſit, & in ſacra reges ibi ſede locari.

Sed tamen tota illa narratio non alia nititur fide, quam ipſorum Aquenſium vetus quoddam prætenſum Caroli magni privilegium in eam rem venditantium.

Quod ſi vero quiſpiam, qui in expendendis monumentis antiquis exactiori utitur judicio, totum illud Caroli magni privilegium, ex quo in ſcripto Colonienſi nonnulla adducuntur, in dubium vocare vellet, poterat utique in medium afferre argumenta, quibus ſuam ſententiam probaret, quantumvis illa Carolina Conſtitutio inſerta ſit tota Diplomati, quo Fridericum primum & ſecundum imperatores eandem confirmaſſe tradunt, qui illam & Friderici Diploma referunt, ſcriptores, & inter eos etiam Goldaſtus tom. 2. Conſtit. Imp. Ipſe quidem Petrus a Beck, cujus authoritati tantum videtur tribuere patronus cauſæ Colonienſis, fatetur cap. 1. a multis Carolinam Conſtitutionem vocari in dubium; Reverendus quoque Pater Bollandus Societatis Jeſu, tom. 2. de vitis Sanctorum 28 Januarii, cum vitam Caroli M. recitat, ita pro ſua modeſtia de hoc privilegio ſcribit: *Hoc diploma alii judicent, complura in eo miramur, nam ſuſpectare aperte quæ alter imperator recitat, & traditio Aquenſis eccleſiæ tuetur, vix audemus.* Et iterum: *Venit ad Carolum Leo tertius exeunte anno 804. ſed non legitur accitus ab eo fuiſſe; perductus tamen eo eſt Cariſiaco Aquiſgrani.* Haud igitur obſcurum eſt, quid P. Bollandus de hoc privilegio ſenſerit: ſed illud nunc quidem noſtra parum refert.

6. Nam de loco, ubi coronari reges & imperatores Romanorum fas ſit, nulla nunc eſt quæſtio, an vero munus conſecrandi reges ab eodem Leone III. & Carolo magno circa annum 804. collatum ſit Colonienſi archiepiſcopo, quis ait? Jactat Colonienſis cauſæ patronus, aliquot pontificum bullas in tabulario Colonienſium archiepiſcoporum reperiri, ex quibus manifeſto conſtet, jam ab initio imperii Germanici hoc jus ad Colonienſes archiepiſcopos ſpectaſſe, ubi vero ad rem ventum eſt, nullos producit, Petrum tantum a Beck nuperum ſcriptorem teſtem laudat, qui Carolum magnum Hildeboldum hoc munere ornaſſe referat, in hiſtoria Aquiſgranenſi. Sed neque hoc ait Petrus a Beck, cum cap. 7. ea de re ageret, neque ſi id diceret, hoccine probaſſe fuerit? Cur non producuntur veteres illæ pontificum bullæ? Sane tantum operæ facile merebatur nobilis hæc controverſia. Ego vero neque apud coætaneos ſcriptores, quorum aliquot habemus, neque apud poſteriores quidquam tale invenio. Ne quidem Colonienſium archiepiſcoporum quenquam eo privilegio,

legio, quo res pene tota confici poterat, uſum fuiſſe conſtat. Uſos vero ejusmodi privilegio dici poſſet, ſi vel oſtentaſſent unquam vel inſecutos poſt Carolum magnum reges & imperatores coronaſſent. Familiariſſimum fuiſſe Carolo Hildeboldum lego in Thegano cap. 7. de vita Ludovici Pii, ornatum ab eo munere hoc, quo deinde archiepiſcopi Colonienſes in coronandis imperatoribus ex familia Caroli magni uſi fuerint, nuſpiam lego: Neque etiam ulla illius in Carolina Conſtitutione ante allata, aut uſpiam alibi fit mentio. Neceſſe igitur eſt, ut melioribus teſtibus probetur, hoc privilegium perſonale a Carolo magno archiepiſcopo Colonienſi collatum fuiſſe, ut fide dignum haberi, & ab ullo prudente admitti poſſit. Nec quicquam magis e re fuerit, quam illas ipſas pontificum bullas ad vindicandum hoc perſonale privilegium ex archivo produci, ut ejusmodi authoritate allata de re tota rectius tranſigi poſſit.

7. Alterum, quo patronus cauſæ Colonienſis regias in Germania coronationes etiam extra diœceſin ſuis electoribus aſſerit, nititur authoritate quarundam bullarum pontificiarum, & reſcriptorum imperialium. Et quidem quas affert bullas pontificum, quinto primum a Carolo magno ſeculo editas ex Odorici Rinaldi continuatione Annalium Baronii excerpſit: Vetuſtiores enim bullæ, quibus hoc jus ab initio imperii Germanici penes Colonienſes archiepiſcopos fuiſſe probari poterat, adhuc in tabulario, ſi credere fas eſt, aſſervantur: Quas adducit, Innocentii III. eſſe ait, Clementis IV, Urbani IV. & Gregorii X. quam recte, quave fide, ipſe mihi præibit Rinaldus. Solus enim eſt Innocentius III. cujus authoritate nititur, res vero ita habet. Mortuo ſub finem ſeculi duodecimi Henrico VI. imperatore Friderici primi filio, ſciſſis electorum & principum ſtudiis, alii quidem Philippo Sueviæ duci, alii autem Ottoni filio Leonis magni Saxoniæ & Bavariæ ducis, ex Anglia accerſito ſtudebant; inter eos primas tenebat Adolphus Colonienſis archiepiſcopus. Conradus autem Moguntinus archiepiſcopus tum forte aberat in oriente, reverſus primum in Germaniam cum inter ſe diviſa tota bello arderet, fruſtra utrumque electum imperatorem conciliare conatus, quorum vterque operam dabat, ut ſummi pontificis, qui tum erat Innocentius tertius, gratiam colligeret; ea in re negligentiorem fuiſſe Philippum Ottone ait Rinaldus anno 1198. num. 58. Hic enim ſcriptis ad pontificem literis, quantum parens ejus moleſtiæ & ærumnarum exhauſiſſet, ut Romanam eccleſiam contra Fridericum I. tueretur, pluribus expoſuerat, ſeque in auguſtorum ſede apud Aquisgranum locatum, conſecrationem & coronationem de manu Adolphi Colonienſis archiepiſcopi accepiſſe ſignificaverat, erga Philippum autem non poterat ſummus pontifex ita bene eſſe affectus, memor injuriarum, quas a Suevis imperatoribus Romani pontifices ſæpius pertuliſſent, quemadmodum eas in deliberatione Innocentii pontificis ſuper facto imperii de tribus electis, Friderico nempe ſecundo tum puero, Philippo & Ottone expoſitas adducit idem Rinaldus anno 1200. num. 26. & ſeqq.

8. Cum igitur Innocentius conſtituiſſet ſecum non conſentire in electionem Philippi Sueviæ ducis, ut Germaniæ Italiæque procerum animos a Philippo averſos Ottoni conciliaret, eo etiam argumento ad eos uſus eſt, *quod Philippus, nec ab eo qui potuit, nec ubi debuit, fuerit coronatus, cum Tarantaſienſis archiepiſcopus tanquam extraneus & ad quem id minime pertinet, evocatus, ei regni præſumpſerit imponere diadema.* Ita ſcribit ad principes Germaniæ apud Rinaldum anno 1200. §. 21. In deliberatione autem facti apud Rinaldum, qua præcipuas rationes ſeu merita cauſæ utriusque electi imperatoris pontifex expendit, coronationis non meminit. Tum etiam recte id argumentum urgere poterat Innocentius tertius. Quid enim coronatio regis Germaniæ Tarantaſienſis archiepiſcopi, extranei hominis, intererat, haud dubie aliter locuturus, ſi Philippus a Conrado Moguntino archiepiſcopo, qui tum aberat in oriente, & reverſus nemini prorſus ſe addixerat, teſte Urſpergenſi, fuiſſet coronatus, quod ab eo reduce factum fuiſſe, ſed falſo, ait in annalibus Anglicis Rogerius.

9. Quanquam enim Innocentius tertius, ut partes Ottonis eo rectius promotum iret, Adolpho Colonienſi paſſim hoc jus aſſerebat, quod ab ipſo coronandi eſſent reges Romanorum, ubi tamen ad Conradum Moguntinum ſcribit, eumque hortatur, ut ſedis apoſtolicæ ſententiam recipiat, eumque imperatorem profiteatur, quem ipſe jure fuiſſe electum agnoviſſet, poſtquam narraverat, expugnato & capto Aquisgrano, Ottoni in Auguſtali ſede poſito ab archiepiſcopo Colonienſi regni coronam impoſitam fuiſſe, addit, *ſicut ad ipſum de jure* dicitur *pertinere. Dicitur*, ait, non *debet*, uti in ſcripto Colonienſi hæc verba adducuntur ex Rinaldo ad annum 1267. §. 30. quo particulam epiſtolæ repetit, quam integram ante inſeruerat hiſtoriæ ſuæ ad annum 1199. num. 29. Quanquam idem Innocentius III. verbis in ſcripto Colonienſi citatis, ceu Clementis IV. eſſent, ad archiepiſcopum Trevirenſem ſcripſerat, *non eſſe dubium, quin coronatio regum Alemannorum ad Colonienſem archiepiſcopum pertineat, neque deliquerit, quare meruerit ſua dignitate privari, cum, ſi etiam deliquiſſet, per Tarantaſienſem archiepiſcopum ſuo non erat jure privandus, cujus ipſe juriſdictioni minime ſubjaceret*, apud Rinaldum ad annum 1267. §. 21.

10. Deinde omnino notandum eſt, Innocentium III. jungere & locum & perſonam. Uti enim tuetur partes Ottonis, quia erat ab archiepiſcopo Colonienſi coronatus, ita etiam ideo eas potiores eſſe ait, quia id Aquisgrani contigerat, quam eam ob cauſam expugnarat Otto, ut in illa coronari poſſet. Ita enim ſcribit Innocentius literis ad proceres Lombardiæ datis, & aliis ad Bertoldum Zaringiæ ducem, apud Rinaldum ad annum 1205. num. 23. non Clemens IV. uti eſt in ſcripto Colonienſi: *Dux Philippus nec ubi debuit, nec a quo debuit, coronam & unctionem accepit, rex vero Otto, & ubi debuit, videlicet Aquisgrani, & a quo debuit, ſcil. a venerabili fratre noſtro, Colonienſi archiepiſcopo, recepit utrumque.* Hæc eſt celebris illa & decantata bulla, inſerta deinde juri Canonico, & incipit

cipit venerabilem ext. de Elect. & electi poteſtate, quam integram etiam recitat Simon Schardius cap. IV. de origine electorum.

Etſi vero tota propemodum inſerta eſt decretalibus, hæc tamen verba ex media epiſtola omiſſa ſunt, neque in decretalibus comparent.

11. Quicquid vero de eo ſit, quæſtio nunc non eſt de illo, an hodie Aquisgrani alteri cuiquam, quam Colonienſi archiepiſcopo coronare fas ſit, ſed quo jure ad eum hoc jus translatum ſit, quum antea in ipſa illa urbe Moguntini coronarent, & ad quem hodie ſpectet, ſi coronationem extra diœceſin Colonienſem inſtitui neceſſe ſit. Innocentii autem III. ætate, jam à centum quinquaginta & amplius annis obtinuerant Colonienſes archi-epiſcopi, ut quotquot interea fuere coronati Aquisgrani Reges Romanorum, id eorum potiſſimum opera fieret: Moguntini quoque archi-epiſcopi, poſtquam ſemel Lupoldus archi-epiſcopus loco ceſſerat, non admodum amplius refragabantur. Eadem tamen habebatur loco coronationi deſtinato, quæ perſonæ, quæ eam perageret, reverentia: Quin ideo exiſtimabatur Reges Romanorum à Colonienſibus archi-epiſcopis debere coronam ſuſcipere, quod Aquisgranum huic functioni peculiariter deſtinatum, nec quenquam rite imperium aditurum eſſe crederetur, qui non in ea urbe in ſede Regia locatus, & diademate cinctus fuiſſet. Notum enim eſt, quam olim majores noſtri ejuſmodi conſuetudinum fuerint retinentes.

12. Quum igitur videret Philippus Dux, quam ægre ei faceret Innocentius oſtentatione coronæ, Ottoni Aquisgrani ab Adolpho Colonienſi impoſitæ, & quantum hoc ei obeſſet, redit in gratiam cum Adolpho, & ab eo iterum coronam Aquisgrani ſuſcipit. Ea de re cum aliquid inaudiſſet Innocentius III. ut nutantem Adolphum in officio contineret, cæpit eum laceſſere interrogationibus, ait Rinaldus ad annum 1202. num. 27. & ei graviſſima & firmiſſima ingerere argumenta, quibus ejuſmodi facinus à ratione admodum abhorrere oſtenderet. Ea vero ſunt, quæ in ſcripto Colonienſi partim adducuntur, & ita habent: *Quis crederet ſana mentis quod Ottonem desereres & abjiceres, quem creaſti, & illi adhæreres pariter & faveres, qui in Colonienſis eccleſia ac tua perſona contentum, ad quam principaliter inter reliquos principes electio regis ſpectat, per intruſionis vitium nomen ſibi regium uſurpavit, & in majus tui honoris diſpendium & perſona deſpectum, cum tu ſolummodo reges in imperatores electos coronare debeas ex antiqua Colonienſis Eccleſia dignitate, per Tarantaſienſem Archiepiſcopum imponi ſibi fecit coronam.* Metuebat enim Innocentius, ne Philippus Dux hac ratione, vel inuito ipſo ſperaret ſe obtenturum, quæ vellet; Haud ægre tamen fatemur, ex his & prioribus Innocentii ſummi Pontificis literis hoc probari poſſe, deberi antiquæ Colonienſis eccleſiæ dignitati, quod ejus archiepiſcopus vel in ipſa ſua diœceſi coronet, & quod ſolus id fecerit, jam & ætate Innocentii, conſuetudine ab Henrico III. usque introducta & continuata.

13. Nunquid vero Philippus Rex, poſtquam ſecundo fuit coronatus Aquisgrani, ideo quicquam profecit? Nequaquam. Quod ſemel animo decreverat Innocentius III. in ea ſententia perſtitit. Quas enim averſioris ab ipſo animi cauſas datis ad omnes pene principes Chriſtianos literis perſcripſerat, quasque paſſim tomo XIII. Annalium refert Odoricus Rinaldus, eæ non permittebant, ut meliori erga eum eſſet animo. Adolphum quoque Colonienſem Archiepiſcopum, quod partes Philippi amplexus eum ipſo invito iterum coronaſſet Aquisgrani, per Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum ſede dejicit, & Brunonem ſubrogat, quo mortuo, quum interea Innocentius III. ab Ottone quoque imperatore, quem more ſolenni Romæ diademate cinxerat, quod non impleret, quæ ſedi Apoſtolicæ promiſerat alieniori cæpiſſet eſſe animo, & promulgatis in eum cenſuris indignum judicaſſet imperio, atque proceres Germaniæ, ut Fridericum II. Henrici Imp. filium, & Philippi ex fratre nepotem, ſepoſitis iis rationibus, ob quas eum antea ad imperium non admittendum ſtatuerat, cohortatus eſſet, Theodoricus autem Colonienſis Archiepiſcopus, qui Brunoni ſucceſſerat, non ita protinus Pontifici neſcio quam ob cauſam morem gereret, & Ottonem, ob quem deſertum Adolphum exauctorauerat, una cum aliis imperio abdicare vellet, minime ægre tulit Innocentius Tertius, aliquod annis poſt, nempe anno 1215. Fridericum Secundum, cujus ipſe electionem approbaverat, à Sigefrido Moguntino Archiepiſcopo, ſolenni pompa in ipſa urbe Aquisgranenſi inaugurari, & regiis inſigniri ornamentis. Non tantum non ægre tulit hoc Innocentius, ſed etiam gratiſſimum ei fuit.

14. Quæ deinde afferuntur in ſcripto Colonienſi, ceu à Clemente Quarto ad Colonienſem, Trevirenſem & Moguntinum Archiepiſcopos eſſent ſcripta, pro aſſerenda Colonienſi Regum Romanorum coronatione, ea, uti etiam antea notavi, non ſunt Clementis Quarti, ſed Innocentii Tertii, & ideo videntur à Patrono cauſæ Colonienſis ſub nomine Clementis Quarti allata, ut plures Pontificum bullas oſtentare poſſet. Sin autem Clementis Quarti, revera eſſe credidit, ſane non ſatis accurate in hoc negotio verſatus eſt, & merito omnibus ſuam induſtriam reddit ſuſpectam. Vel enim hoc ſolum meminiſſe poterat, Adolphum Colonienſem Archiepiſcopum, ad quem Clementis Quarti, verba affert, jam LX. annis ante Clementem ſede ſua ab Innocentio Tertio fuiſſe motum. Cauſa autem erroris inde nata autori ſcripti Colonienſis.

15. Sublato è vivis Friderico Secundo imperatore in diutino illo interregno, quo Germania multos vidit eligi imperatores, regnare neminem, in ſumma licentia ullius etiam æqui imperii impatiens, pars electorum & principum Richardum Anglum Cornubiæ ducem, pars Alfonſum Regem Caſtellæ elegerat, nulli ſi profuſis domeſticis ſumptibus autoritate ſua in imperio uti voluiſſet, favebat. Erga Richardum propenſiore erant ſummi pontifices animo, & is coronam imperii

perii à Colonienſi archiepiſcopo jam ſuſceperat, minus vero erant affecti erga Alfonſum regem Caſtellæ, qui fortaſſis non tam regendæ Germaniæ deſiderio captus, quam illam ſibi potiundæ Italiæ occaſionem oblatam eſſe ratus, nihil magis urgebat, quam ut Romæ quamprimum à ſummo pontifice corona imperiali redimiretur. Clemens igitur Quartus, ut animum Alfonſi ab illa cogitatione averteret, ſcriptis ad eum literis docet Alfonſum, eſſe hoc in uſu poſitum in imperio, & hactenus ita fuiſſe obſervatum, ut fas non ſit Romano Pontifici, ante quenquam coronare in imperatorem electum, qui non antea fuerit Aquisgrani more ſolenni regio diademate redimitus. Ut autem princeps exterus, atque conſuetudinum imperii ignarus, eo rectius ſciret, quid moris eſſet in imperio, addit, mittere ſe nonnulla ex regeſtis Innocentii Tertii excerpta, quæ is ſcripſerit, quum Philippus & Otto uterque diſcordantibus votis electus, & diverſis locis coronatus, ab Innocentio Tertio diadema imperii periiſſent. Innocentii igitur Tertii ſunt, quæ Clementis eſſe Quarti exiſtimavit autor ſcripti Colonienſis. Satis vero de Innocentio Tertio dictum eſt, cujus autoritas non ferit hoc in negotio Moguntinum electorem, de coronatione, quæ in diœceſi Colonienſi inſtituitur, minime nunc ſollicitum.

16. Quod vero Urbanum Quartum attinet, ne is quidem quicquam facit pro Colonienſi archiepiſcopo, neque enim verba ſunt Urbani Quarti, quæ in eo ſcripto afferuntur. Miſerat etenim uterque regum deſignatorum, Richardus & Alphonſus, oratores ſuos Romam, ad Urbanum Quartum pontificem petitum diadema imperii. Utriusque oratores jura ſuorum regum, quibus ad adipiſcendam imperii coronam niterentur, quam poterant, firmis rationibus ſtabiliverant: Et Alfonſi quidem oratores regem ſuum à majori parte electum eſſe dixerant, nec quicquam valere coronationem, ſi coronatus non fuiſſet ante rite electus. Urbanus igitur Quartus, datis ad Richardum literis, cui exemplo ſuorum anteceſſorum magis favebat, ei totam diſceptationis ſeriem exponit, ut, ſi quæ ab ipſius oratoribus prætermiſſa ad cauſam ſtabiliendam, vel ad diſſolvenda, quæ Alfonſus objecerat, haberet argumenta, in medium adduceret: Hæ igitur literæ Urbani Quarti quas refert Rinaldus ad annum 1263. num. 53. lectu dignas, quum multa ex iis diſci poſſint, quæ ſtatum imperii, qualis tum in imperio erat, & eligendi rationem concernunt, non continent pontificis judicium, ſed narrationem eorum, quæ utriusque regis deſignati oratores coram pontifice dixerant.

17. Et Richardi quidem oratores expoſitis *conſuetudinibus circa electionem novi regis, à principibus votum in hujusmodi electione habentibus, qui ſunt ſeptem numero à tempore, cujus memoria non exiſtat, ſervari ſolitis:* conſuetudines, quæ coronationem ſpectant, ita coram pontifice expoſuerant: „Electione, taliter celebrata, electus ſi coronationi conſenſerit, ante Aquisgranum, per dies aliquot facta, mora, infra annum & diem poſt celebratam electionem eandem, quando electus vo-, luerit, per Colonienſem archiepiſcopum, ad quem id ex officio ſpectat, inungitur, conſecratur, & etiam coronatur, quo facto cuilibet vita præcluditur contra electionem, vel electum jam re-, gem Romanorum effectum, dicendi aliquid vel etiam opponendi, ſed idem electus, prædicto, modo inunctus, conſecratus & coronatus, pro Rege habetur, & ei tanquam regi debet à ſubditis, & vaſallis imperii obediri, ſuo more homagia & fidelitatis juramenta præſtari, aſſignari Civita-, tes, oppida & caſtra, & ſpecialiter caſtrum de Treveles, ac alia jura imperii, infra annum & diem, a tempore coronationis ejusdem: ita quod ſi qui de vaſallis imperii ei homagia non præſtiterint con-, ſueta, & non reddiderint civitates, caſtra & alia ſupradicta illis, quæ ab imperio tenent eodem, ſunt eo ipſo privandi." Ita Richardi oratores conſuetudines circa coronationem explicaverunt. Quis vero negat, id ita obtinuiſſe eo tempore? Uti antiquo uſu erat receptum; ut Aquisgrani propter memoriam Caroli Magni conſecrarentur reges, ita etiam obtinuerat, & propter tot annorum conſuetudinem id ex officio ad Colonienſem ſpectare credebatur, ut Colonienſis archiepiſcopus hoc munere in urbe ſuæ archidiœceſeos defungeretur.

18. Gregorius autem Decimus, qui anno 1274. generali Lugdunenſi concilio præerat, Colonienſis archiepiſcopi diſertis verbis non meminit: Electo enim poſt tot annorum interregnum conſentientibus votis Rudolpho Habſpurgenſi comite, uno Ottocaro rege Bohemiæ excepto, quum nihilominus Alfonſus rex Caſtellæ ſe regem Romanorum diceret, urgeretque Pontificem, ne Rudolphum admitteret, cujus electionem, ipſo ante à majori parte electo, reſcindi debere ajebat; Gregorius Decimus, qui in concilio Rudolphi oratores admiſerat, regemque dixerat, ſcribit primum ad nuncium, quem in Hiſpania habebat, dicat Alfonſo, *Rudolphum juxta imperii conſuetudines hactenus obſervatas apud Aquasgranas regni Alemanniæ coronam eſſe adeptum, & regnum ipſum cum favore omnium vocem in electione habentium imperatoris, uno duntaxat excepto, cæterorumque regni ejusdem principum, Magnatum & aliorum pacifice obtinere.* Tum datis ad ipſum Alfonſum literis, quibus eum graviter monet, ut deponat ex animo cogitationem de imperio, variis adductis rationibus, tandem ait, *incommutabilem eſſe apud Germanos conſuetudinem, ut ad decus & diadema imperii pervenire aliquem non permittant, quem prius ſolenniter corona regni Alemanniæ non decoraverit*, juxta quam conſuetudinem Aquisgrani coronatus fuerit Rudolphus: uti ea recenſet idem Rinaldus ad annum 1274. num. 48. & 50. Gregorius igitur Decimus, quem in ipſo concilio Lugdunenſi præſentibus plus quam ſexcentis epiſcopis juri Colonienſis archiepiſcopi adſtipulatum eſſe ait, ejus ne quidem meminit, urget tantum, quod Rudolphus Aquisgrani fuerit regio diademate redimitus. Ut enim rite cenſeretur peracta inauguratio, non tam de eo ſolliciti erant, ut à Colonienſi archiepiſcopo coronam regiam ſuſciperent, quam ut id fieret Aquisgrani in ſede regia, qui locus ob memoriam

Digitized by Google

moriam Caroli magni & vetuſtiſſimam conſuetudinem veluti ſacer ipſis erat. Conſuetudinis autem illius vis eo major habita fuit, quod ab ipſo Carolo magno hoc privilegio Aquisgranum jam olim ornatum fuiſſe aquenſibus crederetur. Hæc quidem cauſa eſt, quod non raro electi reges Germaniæ, urbem Aquisgranum ſi forte infeſta ipſis eſſet civitas, ſumma vi, & maximis impenſis oppugnarunt, ut ea potiri, & in illa urbe conſecrari poſſent, quum tamen præſto ipſis esſent Colonienſes archiepiſcopi, à quibus in alia quadam urbe ungi poterant, niſi eos potior antiqui moris in illa urbe percipiendi conſecrationem ſollicitudo tenuiſſet.

19. Quum igitur ſummi illi pontifices, quorum ſententia hactenus fuit expenſa, narrent tantum, quid moris fuerit in imperio, atque ſuo etiam ſuffragio comprobent receptam illam in imperio conſuetudinem, qua eo tempore coronari reges Romanorum Aquisgrani, & quidem à Colonienſibus archiepiſcopis, moris erat, de eo autem inter Moguntinum electorem & Colonienſem nulla ſit contentio, parum admodum ad rem propoſitam facere has bullas pontificum cenſendum eſt, quanquam autor reſponſi Colonienſis magnam in iis ſpem poſuiſſe videtur, adeo ut Benedicti Pontificis bullam præ his, quas ipſe affert, prorſus contemſerit. Si quis tamen inter ſe conferat Benedicti & Innocentii bullas, utra majoris ſit ponderis, haud difficulter æſtimaverit: Ita enim habent Benedicti verba ad Willigiſum Moguntinum archiepiſcopum, priori quoque ſcripto „Moguntino inſerta: „Pallii uſum, quem ad Sacerdotalis officii decorem, & ad oſtendendam unani„mitatem, quam cum B. Petro apoſtolo univerſus grex dominicarum ovium, quæ ei commiſſæ „ſunt, habere debet, à ſede apoſtolica ſic ut decet popoſciſti, libenter fraternitati tuæ conceſſi„mus, atque illud tibi tranſmittimus, quocirca uti eo memineris, ſicut prædeceſſores noſtri tuis „prædeceſſoribus conceſſerunt, ſervanda duntaxat privilegiorum tuorum integritate, quo in tota „Germania & Gallia poſt ſummi culmen pontificis in omnibus eccleſiaſticis negotiis, id eſt, in re„ge conſecrando, & ſynodo habenda cæteris omnibus tam archiepiſcopis quam epiſcopis apoſto„lica autoritate, ſicut juſtum & rectum eſſe videtur, præemineas.„ Hæc utique haut parum differunt à bullis Innocentii Tertii. In illis enim narratur tantum, quid moris tum fuerit in imperio, Benedictus autem apoſtolica autoritate conſtituit atque decernit, ut eo jure præ reliquis emineat, quemadmodum etiam Willigiſum id exercuiſſe annales noſtri tradunt, & addit firmam ſolidamque rationem, quare Moguntini archiepiſcopi potiores in conſecrando rege partes eſſe debeant, nempe, quia in tota Germania primus ſit inter omnes eccleſiaſticos. Hæc vero ratio hodienum valida eſt, atque ideo Moguntini archiepiſcopi non plus cenſeri debent de jure ſuo remiſiſſe, quam de quo aperte conſtat.

20. Regerit autor ſcripti Colonienſis, non eſſe additum, cujus ſit Benedicti. Quid vero hoc magnopere opus erat? Notum enim eſt, quo tempore Willigiſus vixerit, adeoque facile ſciri poterat, quotus eo tempore Benedictus, Septimus nempe, apoſtolicam ſedem tenuerit. Tum ait, ſine die & conſule eſſe citatam. Numquid vero ille diem & conſulem, ut cum eo loquar, ſuis bullis adſcripſit? Res ipſa loquitur, ita tum actum fuiſſe, atque Benedictus ſanxerat. Willigiſus enim Ottonem Tertium & Henricum Secundum, Aribo Conradum Secundum eo tempore, quo hæc bulla adhuc recens erat, inaugurarunt. Jam de conciliis dubium quoque non eſt. Omnes pene ſynodi, quæ poſt obitum Ludovici Pii habitæ fuere in Germania, aut Moguntiæ, aut Wormatiæ, aut Triburiæ aut Ingelheimii, aut Salegunſtadii aut Francofurti fuere celebratæ, ut Moguntinus archiepiſcopus iis præeſſe poſſet. Willigiſus ipſemet, ait Adelboldus in vita Henrici Secundi imp., *habito ab Henrico Secundo Francofurti XXXVI. Epiſcoporum & archiepiſcoporum concilio præſedit.* Fidem haberi poſtulat bullis adhuc in tabulariis antiquis ſepultis, & in dubium audet vocare, quam videt aperte in lucem productam. En vero diem & conſulem, ne quam in Moguntinis moram eſſe putet. *Scriptum* (ſic finit bulla Benedicti) *per manum Stephani, notarii S. Sedis apoſtolicæ, in menſe Martio, indictione tertia.* Hanc eſſe uſitatam eo tempore ſubſcriptionis formulam, docebunt ſimilis bullæ a Baronio tomo X. annalium productæ & alias ſatis notum eſt. Indictio III. incidit in annum 975. quo Benedictus Septimus iniit Pontificatum, Willigiſus autem anno præcedente 974. creatus erat archiepiſcopus Moguntinus. Quanquam autem moris eſt, ut ſtatim Romam mittatur pro impetrando pallio, qui tamen Benedictus Sextus in carcere perierat, & ſedem apoſtolicam Bonifacius Septimus invaſerat, non poterat utique prius impetrare Willigiſus pallium quam à Benedicto Septimo. Quum igitur apertiſſime de die & conſule conſtet, non erat quod Colonienſis ſcripti autor exprobraret Moguntinis, ceu nulla eſſet ejuſmodi Benedicti bulla aut non genuina. Sed quid vetat ipſam illam bullam annectere? Ita vero habet:

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectiſſimo nobis in Chriſto fratri, debitaque cum dilectione nominando Willigiſo, venerabili ac digniſſimo Sanctæ Moguntinæ ſedis archiepiſcopo, apoſtolicam ſalutem. Si paſtores ovium ſolem geluque pro ſui gregis cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, ut ne qua ex eis, aut ferinis laniata morſibus rapiatur, & pro hoc, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore, quantaque cura nos debemus eſſe pervigiles, qui paſtores animarum dicimur? Quapropter attendamus, & ſuſceptum officium ſtudioſiſſime erga cuſtodiam dominicarum ovium exhibere non ceſſemus, ne in die divini examinis, pro deſidia noſtra, inde nos ante ſummum Paſtorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia ſublimiores inter cæteros judicamur. Hoc itaque, frater cariſſime, te conſiderare oportet, & locum tanti culminis, quem adeptus es, non ad requiem, ſed ad laborem te ſuſcepiſſe cognoſce, adhortationis ope fidelium corda corrobora, infidelium

vero ſummopere converte. Quod ut facilius aſſequi merearis, exhortationem bonorum operum vita tua confirmet, atque ut breviter dicamus, opitulante Deo, irreprehenſibilem te exhibere ſtude, quod efficaciter facere poteris, ſi caritatem magiſtram habueris, ſicut habere te credimus, quam qui ſecutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Pallii interea uſum, quem ad ſacerdotalis officii decorem, & ad oſtendendam unanimitatem, quam cum Beato Petro apoſtolo univerſus grex dominicarum ovium, quæ ei commiſſæ ſunt, habere debet, à ſede apoſtolica, ſicut decuit, popoſciſti, libenter fraternitati tuæ conceſſimus, atque illud tibi tranſmittimus, quo ita eo uti memineris, ſicut prædeceſſores noſtri tuis prædeceſſoribus conceſſerunt: ſervata duntaxat privilegiorum tuorum integritate, quo in tota Germania & Gallia, poſt ſummi culmen pontificis, in omnibus Eccleſiaſticis negotiis, id eſt, in Rege Consecrando, *& Synodo habenda, cæteris omnibus, tam archiepiſcopis quam & epiſcopis, apoſtolica auctoritate, ſicut juſtum & rectum eſſe videtur, præemineas. Etenim decernimus, ut in nativitate Domini, & ſolemnitate epiphaniæ, Paſchæ, aſcenſionis, pentecoſtes, & in feſtivitate Beatorum apoſtolorum, Petri & Pauli, & Dominæ noſtræ ſemper Virginis Mariæ, atque illius in cujus nomine veſtra Eccleſia dedicata eſſe videtur, & in ejusdem dedicatione eccleſiæ, & in die natalitii tui, nec non in conſecratione epiſcoporum ſuffraganeorum tuorum, illud indui debeas, adjicientes etiam, pro amore dilectiſſimi filii noſtri, Domini Ottonis, piiſſimi imperatoris Auguſti, ut in celebritate Beatorum Martyrum Laurentii, atque Mauritii, Victoris, Albani, & Sanctorum Martyrum Sergii & Bachii, ſpecialiter eo veſtiaris, cujus indumenti honor, quoniam modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique poſſis eſſe conſpicuus, conſiderans non parum opus tibi creditæ eccleſiæ, & benevolentiam affectumque collatum ſummæ ſedis apoſtolicæ, ſancta trinitas fraternitatem noſtram, gratiæ ſuæ protectione circumdet, & ita in timoris ſui via nos pariter dirigat, ut, poſt hujus vitæ triſtitiam, ad æternam ſimul perducat lætitiam. Scriptum per manum Stephani, notorii ſanctæ ſedis apoſtolicæ in Menſe Martio, indictione tertia.*

Demum ait, hac bulla Benedicti, quæcunque ea tandem fuerit, non poſſe derogari juri per bullas anteriores Colonienſi acquiſito. Itane vero? Quæ igitur ſunt illæ bullæ, quo Pontifice, quo die, & conſule datæ? Nunquid forte Innocentii Tertii dicet? At ille Benedicto ducentis amplius annis poſterior eſt. Nec vetuſtiorem autem neque aliam produxit. Si ad Leonem Tertium redierit, & autoritatem Petri à Beck, nihil aget. Nemo paulo prudentior non videt, quid valeant ejusmodi merces, quibus Patronus cauſæ Colonienſis eam prodit & ſuſpectam reddit, non firmat. Liceat igitur mihi in pari cauſa meliori jure uſurpare verba eadem, non poſſe juri per bullam Benedicti anteriorem, Moguntino archiepiſcopo quæſito, poſterioribus bullis Pontificum iisque tantum narrationem eorum, quæ tum fiebant in imperio, continentibus derogari: Et tamen cedit Moguntinus archiepiſcopus jus ſuum ante quæſitum Colonienſi archiepiſcopo, ſed in ejus tantantum diœceſi, nec aliter neque amplius quidquam Lupoldus Moguntinus Hermanno Colonienſi archiepiſcopo ceſſiſſe cenſendus eſt.

21. Bullis, reſcriptis, & teſtimoniis pontificum, imperatorum Romanorum privilegia, conſtitutiones & aſſertiones prorſus eſſe conſentaneas, ait autor ſcripti Colonienſis. Ubi vero producendæ ſunt in lucem Cæſarum conſtitutiones, redit ad ſuum Petrum à Beck, qui aſſerat Carolum Magnum Hildeboldo Colonienſi archiepiſcopo peculiari privilegio munus coronandi Aquisgrani reges Romanorum conceſſiſſe. Qua verò fide id aſſerat, ſiquidem id etiam dixit Petrus à Beck, nulla utique, jam ante probatum fuit, & ex ſequentibus erit manifeſtiſſimum. Tum quarto primum à Carolo Magno ſeculo Friderici Primi imp. quædam adducit verba, quibus eam, quæ tum obtinebat conſuetudinem, ut Colonienſes archiepiſcopi Aquisgrani coronationem, peragerent, confirmari nemo negat. Quum enim Adrianus Pontifex non ſatis prono eſſet erga Fridericum imp. animo, & literas ad principes Alemanniæ ea de re dediſſet, ii, ut ait Radevicus lib. 1. cap. 16. reſcribunt, ſeſe commonuiſſe Fridericum imp. eumque reſpondiſſe in hanc ſententiam: *Duo ſunt, quibus noſtrum regi oportet imperium, leges Sanctæ Impp. & uſus bonus prædeceſſorum & Patrum noſtrorum. Iſtos limites Eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus: Quicquid ab his diſcordat, non recipimus. Debitam Patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam imperii noſtri coronam divino tantum beneficio adſcribimus: Electionis primam vocem Moguntino archiepiſcopo, deinde, quod ſuper eſt, cæteris ſecundum ordinem principibus recognoſcimus: Regalem unctionem Colonienſi, ſupremam vero, quæ imperialis eſt, ſummo pontifici. Quicquid præter hæc eſt, ex abundantia eſt, ex malo eſt.* Hæc Fridericus Imperator. Nemo vero eſt qui neget, hauſiſſe Fridericum imp. ex uſu prædeceſſorum & Patrum ſuorum, quod primam vocem in electione, ut tum erant illius temporis mores, Moguntini eſſe archiepiſcopi, & regiam unctionem Colonienſis ait. Id enim tum uſu receptum erat. At vero moris etiam erat, ut non alibi quam Aquisgrani coronare reges fas eſſet, ut rite omnia fierent. Id ſi fiat, nihil eſt Moguntino cum Colonienſi negotii. Quid vero arbitramur dicturum fuiſſe Fridericum Secundum hujus nepotem, ab archiepiſcopo Moguntino fuit coronatus Aquisgrani. Is utique idem enim ei, quod Avo ipſius, cum ſummo pontifice erat negotium, fuiſſet profeſſus, ſeſe regalem unctionem Moguntino archiepiſcopo, a quo eam acceperat, debere. Hæc ſunt illa privilegia & conſtitutiones imperatorum, quibus idem cum bullis pontificum conſtitui ait autor reſponſi Colonienſis. Poterat vero (& ſane feciſſet prudentius,) de his pontificum decretis & impp. conſtitutionibus parcius loqui, neque opus erat gloriari, & ad æquum judicem provocare, quod vel ex his, quæ dixerit, probari poſſit, quam frivole autor ſcripti Moguntini affirmarit, jus coronandi reges Romanorum initio etiam in ipſa urbe Aquisgrano penes Moguntinos fuiſſe Archiepiſcopos, idque tandem ab iis Colonienſibus archiepiſcopis fuiſſe conceſſum, quod Aquisgranum in eorum

eſſet

eſſet diœceſi. Quid enim hactenus allatum eſt, quo hanc aſſertionem refellat? Neque enim antiquiorem ullum autorem adduxit, quam ex quarto à Carolo Magno ſeculo, qui teſtatur, qui eo tempore receptum fuerit, nec quiſquam refragatur.

22. Ait vero, aſſertionis, quam Moguntini ſtatuant, falſitatem longe fore manifeſtiorem, ſi ſingulorum impp. coronationes expendantur. Nihil rectius; ſequamur præeuntem, ut æquus lector & æquus judex ſententiam ferre poſſint, uter rectius veriusque jus ſuum ex antiquis ſcriptoribus probaverit. Si qui enim à Pipino uſque ad Henricum III. per trecentos propemodum annos cis Alpes & ab aliis, quam Romanis pontificibus, fuere coronati, id utique ope Moguntinorum archiepiſcoporum factum eſſe conſtabit. Primus autem, quem à Colonienſi archiepiſcopo coronatum eſſe, quadantenus probrari poſſit, is utique Henricus Tertius eſt, Conradi filius, quem Pelegrinus Colonienſis archiepiſcopus conſecravit Aquiſgrani.

23. Et primo quidem nihil erat cauſæ, cur in dubium vocaretur, an Caroli M. Parens Pipinus fuerit à Bonifacio, primo Moguntino archiepiſcopo, unctus, & conſecratus. Id enim aſſerunt antiquiſſimi rerum Francicarum ſcriptores, & hiſtorici omnes latini, teſte Baronio anno 754. & ſerario, uno forte Thegano excepto, qui in vita Ludovici Pii Pipinum a Stephano Papa conſecratum & unctum eſſe ait. Nec quicquam refert, quod ex epiſtola Ludovici Pii imp. ad Hildunum, & ex Anaſtaſio Bibliothecario conſtet, unctum quoque Pipinum à Stephano Papa: Poterat enim, quæ merito erat illorum Regum erga ſedem apoſtolicam reverentia, etiam ſecundo ungi, neque id novum illa ætate, præſertim cum Pipinus, ut annales Franciſci teſtantur anno 758. à Stephano Papa, qui tum forte ad eum venerat petitum auxilium contra Haiſtulphum regem Longobardorum, etiam filios ſuos Carlmannum & Carolum curaſſet ungi in reges. Id cum agnoſcat & probet Serarius lib. 3. rerum Mogunt. cap. 30. not. 38. qua fide quæſo dici potuit in ſcripto Colonienſi, ipſimet Serario totam illam conſecrationis functionem à Bonifacio peractam incertam videri. At legatus tum erat apoſtolicus Bonifacius. Quid vero refert? Quum enim Moguntino potius præſuli, quam ulli aliorum archiepiſcoporum in regno Franciæ hunc honorem habuerit Zacharias pontifex, haud male Bonifacii etiam exemplum pro jure archiepiſcoporum Moguntinorum in conſecrandis regibus affertur. Nam conceſſu Papæ paulo ante à Pipino & Carolomanno Bonifacius conſtitutus fuerat archiepiſcopus Capitular. lib. 6. num. 2. & Moguntia in Metropolin totius Germaniæ evecta, atque ipſamet Colonia Metropoli Moguntinæ ſubjecta fuerat. Ita enim ſcribit Zacharias Papa ad Bonifacium: *Autoritate B. Petri ſancimus, ut eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolin ſit confirmata, habens has ſub ſe Civitates, i.e. Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam & Trectis & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas, per ſuam prædicationem, Chriſti lumen facit cognoſcere.* Qui plura volet, adeat Baronium anno 751. & Serarium hiſt. Mogunt. l. 3. cap. 30. & vitæ Bonifacii lib. 2. cap. 15. Aventino quidem, ut ait Lehmannus Chron. Spir. l. 3. cap. 22. tanti hæc unctio viſa fuit, ut putaverit ab ea manaſſe, quod archiepiſcopi Moguntini primas ſemper tenuerunt in regum Romanorum electione. Neque ad rem quicquam facit, quod rex Francorum conſecratus fuerit Pipinus: ſub eo enim nomine maximam Germaniæ partem tenebat, neque Carolus M. & Ludovicus Pius toti Germaniæ imperitates initio alio fuerunt nomine uſi.

24. Quomodo vero & a quibus deinde reges Francorum & imperatores cis Alpes coronati fuerint, non ſatis ex illius ætatis ſcriptoribus perſpectum eſt. Quum enim maxima fuerit eo tempore archiepiſcoporum Moguntinorum autoritas & primi ſemper habiti fuerint, probabilius utique eſt, ſi qui coronati fuerunt in Germania, id à Moguntino potius fuiſſe peractum, quam ab ullo alio. Et Carolus quidem M. unctus primum fuit vivente adhuc Patre à Stephano Papa, anno 753. ut memorant annales Fuldenſes; deinde iterum Wormatiæ, anno 768. uti ait Lehmannus in chronico Spir. l. 3. c. 287. coronatus, demum etiam & tertio imper. fuit conſecratus à Leone pontifice Romæ, quum etiam ante ab Hadriano pontifice rex Longobardorum fuiſſet inunctus. Quod ſi Wormatiæ coronatus fuit, non utique alius, quam Moguntinus archiepiſcopus id peregerit. Colonia enim tum nondum Metropolis dignitate erat ornata, & adhuc ſuberat Moguntino.

25. Carolo M. ſucceſſit filius ejus Ludovicus Pius, & ſolus regnavit, quum fratres ejus ante eum diem obiiſſent. Eum ab Hadriano primum regem Francorum coronatum, dein à Stephano III. quoque Auguſtum fuiſſe appellatum ait Onuph. Panv. de comit. cap. 5. Et primæ quidem coronationis meminit autor coætaneus vitæ Ludovici Pii ad annum 779. *Romæ* enim, ait, *Ludovicus Caroli filius, cunarum adhuc utens geſtatorio, benedictione regnaturo congrua & regali inſignitus eſt diademate per manus venerandi Adriani an. antiſtitis.* Alterius & idem is autor meminit cap. 38. ad annum 816. & Theganus eandem deſcribit cap. 16. & 17. Contigit id autem Rhemis, ubi *Stephanus III. ante miſſarum ſolennia coram Clero & omni populo Ludovicum conſecravit & unxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & precioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſuper caput ejus. Et Irmingardam Reginam appellavit Auguſtam, & poſuit coronam ſuper caput ejus.* Habebat tum ſecum Hildebaldum ſacri Palatii Archicapellanum, uti vocatur ab autore vitæ Ludovici cap. 38. Colonienſem archiepiſcopum, à quo Ludovicum Pium Aquiſgrani anno 813. coronatum eſſe, ex compilatore Magni Chronici Belgici, ſcriptore recenti, & Petro à Beck, narrat confarcinator Colonienſis reſponſi, atque ita primum exercuiſſe jus ſuum, quod ei ante decennium à Carolo M. peculiari privilegio fuerit indultum. Quid vero hoc rei eſt, rem ſeriam, tam lubricis adſtruere teſtimoniis? Fuit Ludovicus qui ex aquitania venerat Aquaſgranum ad Carolum

Paren-

Parentem ſuum jam ſenem, a Patre renunciatus imp. conſentientibus epiſcopis, abbatibus, ducibus & comitibus, quos Carolus illuc evocaverat, & ſententiam eos rogaverat, qua perſpecta, perrexit in eccleſiam (ait Theganus Trevirenſis chorepiſcopus de vita Ludovici, qui forte præſens adfuit, c. 6.) *pervenitque ante altare, ſuper quod coronam aliam, quam ipſe geſtabat in capite ſuo, juſſit poni, poſtquam diu oraverunt ipſe & filius ejus*, (& Carolus eum graviter fuerat cohortatus) *juſſit eum Pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat ſuper altare, elevaret, & capite ſuo imponeret. At ille juſſionem Patris implevit. Quo facto audientes miſſarum ſolennia, ibant ad palatium.* Ita Theganus. Quis igitur ab Hildeboldo Ludovicum coronatum dixerit? Tum etiam erat hæc tantum declaratio, qua eum imperatorem parenti ſucceſſurum conſtaret. Quare, cum paulo poſt, anno nempe 814. obiiſſet Carolus, reverſusque ex Aquitania Ludovicus Aquisgranum perveniſſet, ibi à multis Francorum millibus eum ſecundo imp. declaratum eſſe, ait autor coætaneus vitæ Ludovici cap. 36. Pari ratione, ut idem memorat cap. 30 voluit Ludovicus imp. anno 817. in generali placito Aquisgranenſi filium ſuum Lotharium *Imperatorem eſſe & appellari, ut ſciret populus, cujus deberet poteſtati parere.* Hunc igitur Lotharium ab eodem Hildeboldo tum coronatum fuiſſe, opinatur autor reſponſi Colonienſis, uti eſt in lubricas maxime conjecturas pronus. An vero id factum ſit, ex iis, quæ adducta fuerunt, æquus lector facile conjiciet.

26. Ludovico Pio ſucceſſere tres filii, qui tandem ita inter ſe diviſerunt regna parentis ſui, ut Lothario, natu majori, Italia cum titulo imperatoris, & tota Auſtraſia, ab ipſius nomine deinde dicta Lotharingia, ſeu regnum Lothringum, quod teſte Sigeberto mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum comprehendebat; Carolo (quem anno 839. *Ludovicus imp. in villa Cariſiaco enſe accinxerat, & corona regali caput inſigniverat*, Ann. Fuld.) Occidentalia regna à Britannico Oceano usque ad Moſam; Ludovico vero Orientalia, ſcil. omnis Germania usque Rheni fluenta, & nonnullæ Civitates cum pagis adjacentibus trans Rhenum propter vini copiam cederent: Ita Nithardus nepos Caroli M. ex filia Bertha lib. 3. & 4. Annal. Fuldenſes, Marianus Scotus, Regino, Sigebertus, aliique. Ludovico igitur regi ceſſit Germania proprie dicta, atque Germaniæ rex fuit appellatus. Is vero in toto ſuo regno non habebat alium Metropolitanum, quam Moguntinum archiepiſcopum, cujus ſumma erat exiſtimatio, ut dubium ſit nullum, ſi quidem coronatus fuit Ludovicus, aut quisquam ejus filiorum, de quo tamen non ſatis conſtat, quin id factum ſit à Moguntinis archiepiſcopis. Colonia enim & Auguſta Trevirorum pertinebant ad regnum Lotharingicum, quod annales Fuldenſes anno 900. *regnum Gallicanum* vocant, atque Guntharius Colonienſis archiepiſcopus regis Lotharii erat Cepellanus ſummus, uti enim vocat Hincmarus de divortio Lotharii & Theutbergæ, quod cum approbaſſent Colonienſis & Trevirenſis archiepiſcopi, fuere ideo poſt varia concilia eam ob rem habita, quæ tomo 3. Conciliorum eccleſiæ Gallicanæ collegit Sirmondus, ſedibus ſuis pulſi à Nicolao pontifice. Is Lotharius filius erat Lotharii imp. qui hoc regnum, poſtquam ejus parens in Prumienſe monaſterium ſeceſſerat, frater autem Ludovicus II. imperatoriam dignitatem & Italiam ſibi retinuerat, Ludovici patrui regis Germaniæ, ad quem ideo Francofurtum venerat, & procerum conſenſu fuerat adeptus, uti memorant annales Fuldenſes ad annum 855. Interea, dum Ludovicus Germaniæ imperat, Italiam & cæſaris nomen obtinuerunt Ludovicus II. Lotharii filius, eoque mortuo, Carolus calvus, ejus patruus & Ludovicus III. Balbus dictus illius, filius, qui cum ex Lotharii & Galliæ regum ſtirpe fuerint, neque in Germania quicquam poſſederint, non eſt quod de eorum coronatione cis alpes multum ſimus ſolliciti. Romæ vero quid factum ſit, huc non ſpectat, (neque enim nunc nobis de Romana, ſed de regia in Germania imperatorum conſecratione ſermo eſt) tum etiam ſatis notum eſt, quando & à quibus pontificibus fuerint coronati.

27. Mortuo vero anno 869. Lothario rege, excluſoque proximo hærede Ludovico imp. fratre Lotharii, quantumvis obſiſteret Hadrianus II. pontifex, invaſit tamen hoc regnum Carolus Calvus, & *Metis diadema capiti ſuo ab illius civitatis epiſcopo*, is erat adventius, *imponi & ſe imp. & Auguſtum, quaſi duo regna poſſeſſurus, appellari precedit.* Annal. Fuldenſes anno 869. & ex iis Regino Prumienſis, aliique. Ludovicus autem proximo anno Coloniam occupat miſſoque illuc Luitberto Moguntino archiepiſco Gunthario archiepiſcopo Willibertum ſubrogat, & diviſo eodem anno cum Carolo Lotharii regno Coloniam & Treviros ſuo regno adjicit, atque ſynodum Coloniæ cogit, cui Metropolitanos provinciarum epiſcopos Luitbertum Magontiacenſium, Bertulphum Trevirorum, & Willibertum Agrippinenſium præſediſſe iidem annales narrant. Acceſſit tum etiam ad regnum Ludovici urbs Aquisgranum, quæ in tabulis antiquiſſimis diviſionis inter Carolum & Ludovicum inſtitutæ *diſtrictum aquenſe* vocatur, quas tabulas annalibus Brabantiæ Fr. Haræus & cap. 20. Codicis Donationum piarum Aubertus Miræus inſerit. Tum igitur Germaniæ regno acceſſit quidem Colonia, ſed eo tempore nondum pars proprie dictæ Germaniæ cenſita fuit. Arnolphus enim regnum Lotharii anno 894. iterum à regno Germanico ſeparuit, eique filium Zwendiboldum præfecit, qui cum anno 899. apud S. Goarem cum optimatibus ex regno Caroli Galliæ regis, Arnolphi, & ſuis conventum inſtituiſſet; ex regno quidem Arnolphi, nempe Germanico, ei dicitur interfuiſſe Hatto, qui tum erat Moguntinus archiepiſcopus, ut hæc omnia narrat Regino, qui ea ætate vivebat. Antea vero ſolus Moguntinus in regno Germanico erat Metropolitanus, eique, quotquot erant epiſcopi, ſuberant, quorum Rabanus in ſynodo contra Gotheſcalcum habita XII. recenſet. Quis vero non videt, nullam eſſe rationem, qua Colonienſis archiepiſcopus ſibi potuerit conſecrandi regis Germaniæ officium primarium aſſerere, qui regno Germaniæ jam conſtituto primum per aliquot tantum annorum intervallum acceſſerat?

28. Im-

28. Imperatoria quoque dignitas rediit anno 881. ad Germanos, quum Carolus Craſſus, Ludovici regis filius, a Joh. 8. ſummo pontifice, imperator Romanus inauguraretur, quo Francofurti amoto, *invitaverunt* regni primores *Arnolphum filium Carolomanni regis, ipſum ad ſeniorem elegerunt, & ſine mora ſtatuerunt ad regem extolli.* Annal. Fuld. anno 887. *Defuncto vero Arnolpho proceres & optimates ad Forachem* Forchemii *congregati in unum Ludovicum filium præfati principis regem ſuper ſe creant, & coronatum regiisque ornamentis indutum in faſtigium regni ſublimant.* De hac electione ſuperſunt hodienum literæ Hattonis archiepiſcopi & ejus ſuffraganeorum apud Wiguleium Hund in Metropoli Salisburgenſi, quas is eo tempore dedit ad Hadrianum pontificem. Regnum autem Lotharii tum adhuc a Germaniæ regno erat ſeparatum, neque ante, niſi rerum potiente ipſo Ludovico, & quum poſt ejus mortem iterum invaderetur a Galliæ regibus, imperante Henrico primo, magna ex parte iterum ad regnum Germaniæ rediit, ut ne quidem cogitari de eo poſſit & debeat, quod Colonienſis archiepiſcopus, qui nunc ad regnum Germaniæ, nunc ad Lotharingicum pertinebat, Reges Germaniæ, quos Romanorum reges appellamus, poſtquam imperatoria dignitas ad Germanos tranſiit, coronaverit, Moguntino interea archiepiſcopo ſemper primo in Germaniæ regno Metropolitano permanente. Et tamen conſtat indubitato ex antiquis monumentis, coronatos eſſe nonnullos reges Germaniæ, & quidem in ipſa Germania, uti Ludovicum Forchemii, in archidiœceſi tunc archiepiſcopi Moguntini, quod ab ipſo eſſe peractum minime amplius eſt dubitandum. Ne quidem oſtendi poteſt, quod cum regnum Lotharingicum proprios haberet reges, eos Colonienſes archiepiſcopi coronaverint. Carolo enim Calvo Metis Adventius illius civitatis epiſcopus diadema impoſuit. Multi etiam reges non videntur admodum de eo fuiſſe ſolliciti, contenti nomine & corona regia, quam a parentibus accepiſſent. Quum ergone propriorum quidem regum in regno Lotharingico a Colonienſibus coronatorum ulla exſtet memoria, dicere vel imperatores, qui ſolam tenebant Italiam, aut Galliæ & Germaniæ reges ab iis fuiſſe coronatos, foret ridiculum. Arnolphum igitur a Luitberto & Ludovicum ab Hattone archiepiſcopo Moguntinis coronatos eſſe aſſerunt Onuphrius capite quinto de comitiis & autor MSti chronici Moguntini. Mortuo Ludovico, quia ipſi filius non erat, *omnis populus Francorum & Saxonum*, ait Witichindus libro primo, *quærebat diadema regni imponere Ottoni. Ipſe vero, quia tam gravior recuſabat onus imperii, ejus tamen conſultu Conradus dux Francorum ungitur in regem.* Id ab Hattone Moguntino Aquisgrani factum, teſtis eſt B. Rhenanus rerum Germanicarum l. 2. p. 95. quum ait: *Sane Chunradus apud Aquisgrani, quam primariam regni ſedem cis Alpes Carolus magnus inſtituerat, unctus eſt & coronatus ab archiepiſcopo Moguntiacenſi.* Franciſcus quoque Haræus in annalibus Brabantiæ p. 123. ex continuatore Reginonis notat: *Fuit hic Hatto archiepiſcopus Moguntinus, qui Conradum regem Aquisgrani conſecravit.*

29. Quum igitur manifeſto conſtet coronatum Ludovicum atque unctum Conradum, cur id autoribus fide dignis aſſerentibus a Moguntino factum non credamus. Ipſe quidem Petrus a Beck eo etiam inclinat. Quo enim argumento convincit autor ſcripti Colonienſis, falſum eſſe, quod Panvinius ait cap. 7. „Primo ut memoria exiſtat, Arnulphus ejus filius Ludovicus IV. & Conradus I. „reges coronati ſunt & conſecrati ab archiepiſcopo Moguntino, a quo etiam Pipinus, deinde Lu„dovici Pii filius Ludovicus, & Carolus III. reges Germaniæ vel Francorum Orientalium coronati „fuerant. Hos autem reges ideo hoc tempore a Moguntino archiepiſcopo coronatos fuiſſe credide„rim, quod ipſe totius regni Germaniæ Metropolitanus eſſet, ideoque a quibusdam horum tempo„rum ſcriptoribus etiam ſummus vel maximus pontifex appellatur, neque coronationem ipſam in „aliena diœceſi fieri tum conſuetum erat.„ Nullo hæc Panviniana niti fundamento ait, nec tamen quicquam dicit, quo falſa eſſe oſtendat. Quid vero ſibi volunt illa Ditmari verba libro primo, quum de Henrico rege, qui Conrado ſucceſſit, inquit, eum *epiſcopalis unctionem benedictionis ab Herigero archiepiſcopo exhibitam anteceſſorum more priorum, non deſideraſſe nec ſuſcipere voluiſſe, ſed prorſus ad hoc indignum ſe affirmaſſe.* Colonienſis cauſæ patronus, quum ait, noluiſſe Henricum regem coronari a Moguntino, ita illud narrat, ceu rex eum non agnoverit competentem coronatorem, & ceu Moguntinus ſe ingeſſerit, quum id ex humilitate factum eſſe omnium veterum teſtimonio, & ipſius Petri a Beck chron. Aquiſgr. cap. 7. p. 108. conſtet. Conſtat igitur Henrici in imperio anteceſſores unctos fuiſſe, & a Moguntinis archiepiſcopis fuiſſe unctos partim etiam Aquiſgrani, uti Conradum I. qui forte primus fuit ex regibus Germaniæ, qui poſtliminio Aquisgrani fuerunt coronati. Utrumque negat autor Colonienſis reſponſi: vicit, ſi negaſſe ſufficit. Et tamen non vereretur affirmare, manifeſtum eſſe, a Carolo magno usque ad Ottonem magnum Colonienſes archiepiſcopos nunquam fuiſſe a Moguntinis in functione coronationis turbatos. Quomodo vero turbari potuere in munere quopiam, quod nunquam exercuerunt. Quin Moguntini a Colonienſibus impediri non potuerunt, quum ſat diu Colonia extra Germaniæ regnum fuerit cenſita; deinde huic adjecta, quo tempore Germaniæ reges, quibus corona fuit impoſita, non fuere coronati Aquiſgrani, ut ne quidem ratio ulla inveniri queat, quare ſibi coronationem regum Germaniæ aſſerere potuerit.

30. Primus, quod quidem conſtet, fuit Wigfridus Colonienſis archiepiſcopus, qui Hildeberto Moguntino Ottonem magnum Aquiſgrani anno 937. coronaturo controverſiam movit, uter hoc munere fungeretur. Trevirenſis quoque ſedis ſuæ antiquitatem ab ipſo Petro apoſtolo inſtitutæ in medium adduxit, ſed neq; tum, neque etiam deinceps unquam quicqum impetrare potuit. Wigfridus, cur potiores eſſent ipſius partes, nihil habebat aliud, quam quod Aquiſgranum in ejus eſſet diœceſi ſita. *Ceſſit tamen uterque Hildeberti cunctis notæ almitati*, ita habet Witichindus, non ſanctitati. Ne quis enim id ejus tantum reverentia & intuitu probitatis factum eſſe putet, notandum omnino eſt, quod Trithemius in chronico Hirſaugienſi contendentibus etiam inter ſe archiepiſcopis Colonienſi

&

& Trevirenſi, quem pontifices Romani per varias bullas primatem Galliæ Belgicæ dixerant, *procerum* tamen *judicio* Hildeberto delatum eſſe dicit, ut ipſe coronationem perageret. Hoc Witichindus l. 2. hoc Ditmarus libro eodem, & omnes omnino autores rerum Germanicarum, tam antiqui, quam recentes tradunt, quorum teſtimonia adducere neque neceſſarium eſt, & nimis fuerit operoſum. Quin addit Ditmarus, Ottonem tum etiam conjugem ſuam Editham curaſſe conſecrari. Nihilominus tamen non veretur ſcripti Colonienſis autor aſſerere Ottonem a Wigfrido coronatum eſſe, & ipſo permittente una ab Hildeberto. Quare vero? Quia Ditmarus ait, quod *cum licentia Wigfridi*, ita enim reddit, quod ceſſiſſe dixerat Witichindus, *in ejus enim diœceſi hoc erat*, coronaverit Ottonem Hildebertus; Sed ſi Hildebertus, quanquam permittente Wigfrido Ottonem coronavit, non utique id fecit Wigfridus, quem Gobelinus perſona in Coſmodromio more ſuo illa tantum vice id Moguntino conceſſiſſe nugatur. Quis enim ſacrum celebravit? quis affatus eſt Ottonem? quis gladio eum accinxit? quis chlamyde induit? quis omnia peregit? utique Hildebertus, ſi Witichindo fides. At is *ab ipſis pontificibus Hildeberto & Wigfrido oleo ſancto perfuſus, & diademate aureo coronatus* dicitur. Quid vero hoc refert? Nonne & hodie ſimul tres electores eccleſiaſtici coronam imponunt capiti regis? Ideone Colonienſis non dicitur coronare Aquiſgrani? Quid eſt nodum in ſcirpo quærere, ſi hoc non eſt? Quod poterat majus eſſe cauſæ non bonæ indicium. Sed pupugit Colonienſis cauſæ patronum, quod tam Witichindus, quam Ditmarus, rerum Germanicarum ſcriptores vetuſtiſſimi, ideo Wigfridum ſibi coronationem poſtulaſſe ſcribunt, quod Aquisgranum in ejus diœceſi eſſet. Putavit igitur Wigfridus extra diœceſin ipſi in coronandis Germaniæ regibus jus nullum eſſe. Quod vero Hildebertus more majorum Ottonem conſecrarit & coronarit, ea quidem verba ſunt Onuphrii, Panvinii fateor, non Witichindi ipſius, in cujus editionibus ſive antiquioribus ſive caſtigatiſſima Reineri Reineccii, minime reperias, neque ipſe Onuphrius, ubi cap. VI. §. 8. integrum locum ex Witichindo adſcribit, illa verba intexit: Error igitur eſt, cui Onuphrius anſam præbuit, quum illis verbis utitur, ſed in verbis tantum, nullus in re ipſa. Præſto enim eſt Ditmarus de Henrico primo ſcribens, ei ab Herigero Moguntino archiepiſcopo *unctionem more priorum anteceſſorum fuiſſe exhibitam.* Is larga manu rependit, quod credebatur Witichindus ſcripſiſſe. Neque enim illa verba *more priorum anteceſſorum*, in eum ſenſum detorqueri poſſunt, quo *more majorum* accipienda eſſe putavit Colonienſis, nempe ritu majoribus uſitato, ſed de anteceſſoribus Herigeri accipienda ſunt, qui reges Germaniæ antea quoque coronarant. Nihil tamen a veritate alienum Wittichindus dicturus erat, ſi Ottonem ab Hildeberto more majorum coronatum fuiſſe ſcripſiſſet.

31. Ottonem ſecundum Ottonis magni filium adhuc puerum a Wilhelmo Moguntino archiepiſcopo coronatum eſſe Aquisgrani, tradunt Onuphrius, Cyriacus Spangenbergius, in Chron. Mansfeldico aliique. Id a Willigiſo factum non ait autor ſcripti Moguntini, fingit Colonienſis. Sed hoc tranſeat cum cæteris ejus erratis. Rogerus vero abbas cœnobii de cruce ſancti Lanfredi in Britannia, qui vitam Brunonis Colonienſis archiepiſcopi fratris Ottonis M. deſcripſit, quid tandem ait? Ita is vero capite quadrageſimo. *Hunc* Ottonem ſcil. ſecundum, *archiepiſcopis patruo fratrique commendatum ad cuſtodiam regni Ciſalpini reliquerat imperator* Otto magnus *profectus Romam, & res totius Italiæ ordinaturus, cæſar ipſe futurus, electum ſummo conſenſu ab omni populo regem eſſe conſtituit, unxeruntque Ottonem, æquivocum patris, Bruno archiepiſcopus, Wilhelmus & Henricus, cæterique ſacerdotes domini regem in Aquisgrani palatio.* Moris tum erat, uti Witikindus ait, ut una ungerent, ſimul coronam imponerent archiepiſcopi: Jungit etiam reliquos ſacerdotes, qui adſtare ſolent Rogerus, rerum germanicarum non ſatis gnarus. Poſtremum adhuc hodie uſu receptum eſt. Quid vero mirum, patrui nomen nepotis nomini præponi: Erat enim Wilhelmus Ottonis M. filius, Bruno frater erat. Ideo vero primariam operam peregiſſe, quia primo loco ponitur, unde conſtat? Tum etiam, ideone recte quis hinc colligat, omnes olim ſacerdotes præſentes conſecraſſe Romanorum regem? Nimis hæc ſunt lubrica.

32. De Ottone Tertio imperatore memorat Ditmarus Chron. libro tertio, *quod in die Natalis Domini à Willigiſo Moguntino archiepiſcopo & Joanne archiepiſcopo Ravennate anno 983. coronatus fuerit in regem.* Idem tradunt Baronius & alii, quanquam non deſunt, qui Joannis tantum Ravennatis meminerunt, uti etiam alii, inter quos Trithemius in Chron. Hirſaugienſi, qui totam hanc functionem ſoli Willigiſo adſcribunt, & jam olim autor vitæ ſancti Godehardi epiſcopi Hildesheimenſis, qui illa ætate vivebat, *Otto III. puer die natalis Domini coronam regni a Willigiſo metropolitano Moguntino ſuſcepit honorifice.* Quanta vero ſemper fuerit Ravennatis archiepiſcopi in Italia autoritas, ut is præcipue meruerit Willigiſi in coronatione eſſe adjutor, norunt, quibus hiſtoria eccleſiaſtica non omnino ignota eſt. Preſſus autoritate teſtium patronus cauſæ Colonienſis, ne nihil agere videatur, fingit, Willigiſum tantum adſtitiſſe Ravennati. Cum Rogerus patruum præponeret nepoti protinus conjiciebat, ideo primarias in coronatione Ottonis, Brunonis fuiſſe partes: Nunc vero, ubi Willigiſo Ravennatem jungi ab aliquibus videt, dolens forte eum Colonienſi prælatum, fingit & Ditmarum complicem facit, *Willigiſum tantum adſtitiſſe.* Hoc vero non eſt eorum, qui hiſtorias tractant, & ſerio in re tanti momenti inquirunt, quid olim actum ſit.

33. Eadem licentia utitur, ut Henrici II. imperatoris coronationem Moguntinis archiepiſcopis eripiat. De ea autor vitæ Meinwerci epiſcopi Paderbornenſis Henrico II. familiariſſimi, ita ait: *Henricus ſecundus redditis regalibus a ſancto Heriberto, Colonienſi archiepiſcopo, qui ideo electioni non interfuit, quoniam in humando corpore defuncti principis occupatus fuit, Moguntiæ dominica octava pentecoſtes a*

Willi-

Willigiſo ejusdem civitatis archiepiſcopo ordinatur. Idem ait Ditmarus, tum ſuperſtes, libro quinto Chron. & Herebertum haud gravate reddidiſſe imperii inſignia affirmat. Ait enim: *Henricus II. a Willigiſo, Moguntiæ ſedis archiepiſcopo, ſuffraganeorumque ſuimet auxilio, adepta regali unctione, cunctis præſentibus Deum collaudantibus coronatur. Francorum & Muſelenenſium primatus regi manus tum applicans gratiam ejusdem meruit.* Corrupta eſſe hæc poſteriora verba, ex quibus ſenſum nullum elicias, nemo non videt. Quum vero ex ſuperius adducta pontificis ad Willigiſum bulla ei primas inter omnes eccleſiaſticos in Gallia & Germania partes delatas atque confirmatas eſſe conſtet, facilis erit ſenſus hujus corruptæ periodi, ſi aliquot tantum literis immutatis dixerimus: *Francorum & Muſelenenſium*, id eſt, ad Moſellam habitantium, ſive Moſellanorum *primatum regi manus tunc applicans, gratia ejusdem meruit.* Fortaſſis enim etiam Henricus ratum habuit, & nova ſanctione validius eſſe voluit, quod Benedictus VII. pontifex autoritate apoſtolica, confirmarat Willigiſo, primum locum in Germania jam ex veteri more tum obtinenti.

34. Idem autor vitæ Weinwerci & Gobelinus perſona in Coſmodromio de Cunigunde regina memorant. *Eam eodem anno novo rege nativitatem Laurentii in civitate Paterbrunnenſi celebrante a prædicto Willigiſo inibi regia conſecrationis dominium adinveniſſe.* Quod ideo notari velim, ne quis exiſtimet, Henricum ideo fuiſſe coronatum a Willigiſo, quod id Moguntiæ contigerit. Sed abſens erat Herebertus. Quare non venit Moguntiam? Suſpectus fuit Henrico imperatori ceu alteri potius faviſſet, & ideo, cum eum vocaſſet, ut ſubſidium mitteret caſtrum Hammerſtein oppugnaturo, is vero moras necteret, iratus imperator, properat cum exercitu verſus Coloniam, ulturus injuriam, ſed divinitus monitus, ne quid detrimenti inferret Hereberto, ei non reconciliatur tantum, ſed veniam etiam ſupplex petit, teſtibus Ruperto Tuitienſi, qui vitam Hereberti deſcripſit, & autore vitæ Meinwerci. Iterum vero ab Hereberto coronatum imperatorem, nemo eorum memorat: Adelboldum id dicere lego in ſcripto Colonienſi, & eo ſe plurimum jactat autor replicæ Colonienſis. Quæ vero ſit vita illa ſancti Hermanni, ex qua hæc afferuntur & quod Adelboldus quidam ſcripſerit vitam ſancti Hermanni, nuſpiam invenio. Scripſit quidem Adelbodus antiſtes Ultrajectinus vitam Henrici ſecundi imperatoris, ut ajunt, atque ea primum fuit a Caniſio, & deinde a Gretſero in divis Bambergenſibus edita. Sed in prima quidem Caniſiana editione nihil horum legitur: Tum etiam non eſſe eam Adelboldi, ſed hominis longe recentioris obſervant, qui erant harum rerum peritiſſimi, P. Gretſerus & Voſſius, de hiſtoricis latinis libro ſecundo capite quadrageſimo ſecundo. In altera vero auctiore editione Gretſeriana, quæ deinde novæ editioni vitarum ſanctorum Surii, Colon. anno 1618. editæ inſerta fuit, perinde nihil tale legitur, ut opus minime fuerit bis repetiiſſe, quod Henricus II. imperator iterum ab Hereberto coronatus fuerit. Quin in ea diſerte dicitur Henricus ſecundus Moguntiæ 8. Idus Junii, in regem electus, acclamatus, benedictus & coronatus a Willegiſo: Quod vero poſt iterum Aquisgrani præſentibus Leodienſi, Cameracenſi epiſcopis, ac Colonienſi archiepiſcopo, *cæteris cum Lotharienſibus convenientibus in nativitate poſt partum virginis electus, collaudatus, in regiam ſedem ſublatus & glorificatus* dicitur, id ſane huc quidem minime pertinet, neque ulla ratione in eam ſententiam accipi poteſt; Ne verbulum hic exſtat de iterata coronatione Aquisgrani a Colonienſi facta, neque alio illa ſpectant, quam quod proceres ex regno Lotharingico, Henricum II. Moguntiæ coronatum, & Aquisgranum regni Lotharingici urbem venientem regem quoque ſuum recognoverint, acclamaverint, & more veteri in ſede Caroli magni, quæ utique Moguntiæ non erat, collocaverint; En igitur iterum egregium ſpecimen fidei, qua ſcripti Colonienſis autor verſatus eſt in antiquorum ſcriptorum teſtimoniis adducendis. Conradum Salicum ab Aribone Moguntino archiepiſcopo coronatum eſſe Moguntiæ, dubium non eſt; Omnes enim id tradunt ſcriptores, & Wippo inprimis, qui ejus vitam ſcripſit. Conſentiente autem primum Piligrino Colonienſe archiepiſcopo functum eſſe Aribonem munere ſuo, Wippo non dicit, fingit qui Colonienſe reſponſum collegit. Offenſum ab eo fuiſſe Conradum memorat, ait tamen impetraſſe tandem ab imperatore, ut conjugem ejus Giſelam reginam in eccleſia Colonienſi conſecraret: Aribonem vero non tantum coronaſſe, ait Wippo, imperatorem, ſed hoc etiam narrat, quum de deligendo rege res eſſet, *Moguntini ſententiam ante alios fuiſſe accipiendam.*

35. Succeſſit parenti Henricus III. filius, de quo Wippo ait: *Anno m28. imperator Conradus filium ſuum Henricum ætat. XI. annorum a Pelegrino archiepiſcopo Colonienſi in regalem apicem apud Aquisgranum ſublimari fecit. Tunc in principali dominica paſcha conſecratus & coronatus paſchalem lætitiam triplicavit.* Ita quoque Hermannus Contractus, Cranzius, aliique. Fugit hæc prima coronatio, de qua quidem conſtet, a Colonienſi archiepiſcopo Aquisgrani peracta ipſum autorem ſcripti Colonienſis. Ut vero omnes videant, quam majori longe candore Moguntini ſint cum Colonienſibus acturi, ideo hanc conſecrationem, veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmatam ipſimet nunc producunt in lucem, quo ex hoc exemplo de reliquorum in hoc ſcripto adductorum teſtimoniorum veritate & certitudine fieri poſſit judicium. Idem tamen imperator Henricus III. conjugem ſuam Agnetem, Wilhelmi Pictavienſis filiam, apud Moguntiam reginam inungi fecit, & regales nuptias apud Ingelheim celebravit. Ita Hermannus Contractus in Chron. edito a Caniſio Tom. I. antiq. lectionum. Neque diſſentiunt Urſpergenſis, Baronius, & alii. Factum id vero a Bardone, qui tum Moguntinæ ſedi præerat. An vero id ideo forte factum ſit, ut imperator utrumque archiepiſcopum ſibi amicum retineret, æquus lector judicet. Pari enim ratione Conradus imperator Henrici tertii parens eidem Colonienſi archiepiſcopo indulſerat, ut ejus conjugem Giſelam coronaret Aquisgrani, quod Conradum antea Moguntiæ conſecraſſet Aribo archiepiſcopus Moguntinus.

in chron. anno 98. aliter Lambert. Schafnab. anno 948. Henrici ſecundi, qui ab eodem, Cuſpinianus in ejus vita, Sigebert. Gembl. in chron. anno 1002. Sigon. libro octavo de regno Italiæ. Conradi ſecundi, qui ab Aribone, Avent. lib. 5. annal. Hermann. Contr. in chron. Ich. Nauclerus Gen. 35. omnibus archiepiſcopis Moguntinis coronati fuerunt. Et ita ſucceſſive ad Conradum uſque ſecundum ad primatum ſedis Moguntinæ conſecratio regis pertinuerat. Poſtmodum Henricus III. per Pelegrinum Colonienſem archiepiſcopum coronatus eſt, & filium Henricum IV. per Hermannum coronari fecit, tam ut teſtatur Lambertus Schafnaburgenſis, quia major generis claritas Hermannum Colonienſem, quam Lupoldum Moguntinenſem commendabat, ille enim palatinus Rheni cognomento nobilis erat, hic ex monacho Fuldenſi ad archiepiſcopatum fuerat evectus. Tum quia conſecratio Aquisgrani intra ipſius diœceſin celebranda contigiſſet. Quæ ratio poſterior tam efficax futuris temporibus viſa fuit, ut jus coronationis, teſte Ciſnero, penes Colonienſem incommutabiliter permanſerit. Hactenus Viſcherus. Quin cum ſuperioris ſeculi anno 94. Henrici Galliarum regis inauguratio celebranda eſſet Autrici Carnutum, & mota quæſtione de loco, decretum eſſet, nihil cauſæ eſſe, cur minus ſolennis inauguratio dici deberet, etſi minime Durocortori Rhemorum facta eſſet; nam exemplis conſtare, id in imperatorum & regum coronationibus ſemper variaſſe, non Pipinum tantum a Moguntino archiepiſcopo fuiſſe inunctum, ſed etiam complures ex reliquis imperatoribus Moguntiæ & a Moguntinis archiepiſcopis fuiſſe conſecratos allatum fuit, addita ratione, *quod Moguntinus archiepiſcopus Germaniæ primas ſit, & ſupremi ac maximi pontificis titulos ſibi vindicet*, uti hæc omnia narrat Thuanus hiſtor. lib. 109. Quum igitur & veteres & recentes ſcriptores in antiquo jure Moguntinorum archiepiſcoporum aſſerendo conſentiant, quid opus eſt in re tam manifeſta ſe præbere difficilem? Habent, ad quem initium ſui juris referant Colonienſes, Henricum IV. imperatorem & Hermannum archiepiſcopum. Ceſſit tum Luitpoldus Moguntinus, & poſtquam ſemel ceſſerat, impedimento fuit ſuis deinceps ſucceſſoribus, ne præſente Colonienſi archiepiſcopo ad coronationem Aquisgrani peragendam iterum poſſent adſpirare. Addo, poſtquam ſemel Moguntinus archiepiſcopus id honoris diœceſi detulerat, inſtiterunt Colonienſes juri ſuo tum acquiſito. Abiit igitur in conſuetudinem, ut ſolennis regum Romanorum inauguratio non alibi fieret, quam Aquisgrani, neque ab alio, quam Colonienſi archiepiſcopo: Uſum ſuorum prædeceſſorum & patrum vocat Fridericus I. apud Radevicum lib. 1. cap. 16.

39. Conſuetudo illa deinde abiit in legem, conſenſu ſtatuum imperii & Caroli IV. imp. autoritate ſancitam. Suſcepit autem imperii coronam Carolus IV. anno 1347. Henricus vero IV. eam Aquisgrani acceperat anno 1054. Eorum igitur imperatorum coronationes, qui illis trecentis annis regnarunt, retexere opus non eſt. Neque enim quisquam negat, omnes propemodum ab archiepiſcopis Colonienſibus fuiſſe coronatos. At vero omnes etiam in diœceſi Colonienſi inaugurati fuere, & Aquisgrani. Unus Rudolphus Sueviæ dux (Philippus enim Suevus Moguntiæ a Tarantaſienſi epiſcopo, cum Conradus archiepiſcopus peregre abeſſet in oriente, anno 1198. fuit coronatus) corona redimitus fuit Moguntiæ anno 1077. a Moguntino archiepiſcopo Sigefrido: Is vero jam triennio ante, quia *propter primatum Moguntinæ ſedis*, ut Lambertus ait, *eligendi & conſecrandi regis autoritas ei deferebatur, principes de regno toto Moguntiam evocaverat, ut communi conſilio Rudolphum ducem regem conſtitueret.* Eo tempore adhuc vivebat Anno Colonienſis archiepiſcopus, & conſilia cum Moguntino junxerat. Recens autem adhuc jus erat, quod Colonienſes archiepiſcopi ſibi ceſſione Luitpoldi acquiſiverant. Quare apud Sigon. lib. IX. de regno Italiæ, cum Henricuc IV. ſe imperio abdicare, inſigniis regalibus exuere, & filio Henrico V. regnum cedere nollet, ita fertur Moguntinus archiepiſcopus locutus: *Quid dubitamus, o ſocii? nonne officii noſtri eſt, regem conſecrare, & conſecratum induere? Cur igitur, quem immerito induimus, non merito exuamus?* Hermanni regis ab eodem Sigefrido anno 1082. Goslariæ conſecrati exemplum nunc non urgeo, quia neque ſatis notum eſt, & in ſchiſmate peractum. Ita vero ait Bruno autor antiquus libro de bello Saxonico ad Wernerum Merſeburgenſem epiſcopum ſcripto & a Frehero tom. 1. edito: Principes Saxoniæ valde lætati regem ſuum *Herimannum cum magno tripudio Goslariæ ſuſceperunt paucis diebus ante natalem Domini. In natali vero S. Stephani protomartyris a Sigfrido Moguntinæ ſedis archiepiſcopo in regem venerabiliter eſt unctus.* Id ſatis ex hoc exemplo conſtat, quid ſui juris eſſe exiſtimaverint Moguntini archiepiſcopi, quique ab eorum ſtabant parte principes Germaniæ, Trevirenſis enim nunquam id ſibi ſumſit. Sed prævaluere deinde Colonienſes archiepiſcopi. Quare etiam Otto Friſing. l. 7. cap. 2. memorat Conradum III. a Theodoino Cardinale fuiſſe Aquisgrani conſecratum, *quod Colonienſis, qui id facere jure debuiſſet, pallio careret.* Quanquam id etiam ex eodem Ottone Friſing. l. 7. cap. 22. & Dodechino continuatore Mariani Scoti ad annum 1138. conſtat, tum quidem Moguntinam ſedem orbatam fuiſſe ſuo archiepiſcopo. Quod ſi autor Moguntinæ diſſertationis lapſus fuit memoria, aut vero erravit typographus, quum hunc Conradum III. Carolum III. appellavit, erravit quoque Colonienſis, quum eundem vocat Conradum Salicum: Is enim imp. Conradus ſecundus eſt.

40. Quod ſi etiam Guntherus Ligurinus, qui Radevicum verſibus expreſſit, ex veteri jure coronatum Fridericum ab Arnoldo Colonienſi ſcribit, ait etiam idem ex veteri jure id Aquisgrani fieri debuiſſe. Auguſtus vero Fiſcherus JCtus aliique ad ea verba Ligurini de Colonia loquentis.

Quippe hunc veteris ſibi juris honorem
Vindicat ille locus,

recte obſervant, *vindicare ſibi a tempore Henrici III. Nam imperatores inſequentes hunc honorem Colonienſi reliquiſſe, & ita paulatim longa & uſque ad auream bullam continuata conſuetudine jus coronandi reges Romanorum electoribus Colonienſibus fuiſſe acquiſitum.* Et quare non veteri jure ad Colonienſes id

id ſpectare dicat. Jam enim centum anni effluxerant ab Henrici IV. coronatione. Majori igitur adhuc jure eadem pene verba uſurpare poterat Matthæus Pariſienſis S. Albani in Anglia monachus, cum Richardus Cornubiæ comes cum Sancia Regina anno 1257. altero inde ſeculo Aquisgrani coronati eſſent, & dicere, hoc jus coronandi reges ap. Aquisgranum ab antiqua & probata conſuetudine ad archiepiſcopos Colonienſes ſpectare. Addit tamen, *apud Aquisgranum;* Quanquam etiam rerum Germanicarum non ſatis fuit peritus. Quis enim unquam inter omnes magnates Alemanniæ ſupereminentem eſſe archiepiſcopum Colonienſem? quis eum ſacri imperii protocancellarium vocavit? quod fecit Matthæus Paris, hiſt. p. 1256. edit. Lond. Fuerat autem Conradus Colonienſis archiepiſcopus ipſemet profectus in Angliam, & hortatus fuerat Richard[um], veniret in Germaniam, & regnum capeſſeret: Venit & vidit, non vicit; cum profudiſſet imm[en]ſos theſauros, emunctus argento liber a curis rediit in Angliam. Fuere [ta]men interea temporis, de quibus indubitato conſtat, duo potentiſſimi imperatores coronati Aquisgr[ani] a Moguntinis archiepiſcopis, Fridericus quidem II. anno 1215. a Sigfrido Moguntino archiepiſcopo, & Ludovicus IV. Bavariæ dux a Petro archiepiſcopo. Erat tum quidem Sigfridus archiepiſcopus legatus Innocentii tertii, nec tamen ideo inferre licet, eum ceu legatum apoſtolicum coronaſſe, præſertim quum de Colonienſi eccleſia duo diſceptarent, Theodoricus & Adolphus. Ideo Cæſarius in vita Engelberti lib. 1. cap. 3. ait: *Pontifex ad promotionem Friderici, Sigfrido Moguntinenſi archiepiſcopo plenariam poteſtatem legationis contulit, qui Theodoricum archiepiſcopum deponens, eo quod fautor Ottonis eſſet, Adolphum reſtituit, neuter tamen illorum epiſcoporum recuperare valuit.* Is pontifex erat Innocentius tertius, quem antea vidimus adeo pugnaſſe pro Ottone IV. quod is coronatus eſſet ab Adolpho Colonienſi, nunc autem, permittente illo aut jubente, cernimus coronari Aquisgrani a Moguntino Fridericum II. Illuſtrius eſt exemplum Ludovici Bavari, quem Moguntinus Aquisgrani coronavit, quum Fridericus Bonnæ a Colonienſi coronam ſuccepiſſet. Quanquam autem ſuſcepit coronam ab eo, a quo coronari reges eo tempore non conſueverant, non tamen ideo eam irritam dixit Joannes XXII. pontifex, quantumvis Ludovico eſſet infenſiſſimus, nihilque omitteret, quo ei ægre faceret: Abrahamus quidem Bzovius id Ludovico objicit, reſpondet vero Georgius Herwartus: *Colonienſis hodie id officium fungitur, quod & conſecratio & coronatio in ſuis finibus fiat. Primo certe ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & regni cancellarium delatum erat.* Chriſtophori Broweri narrata in annalibus Trevirenſibus, qui nondum omnium manibus teri poſſunt, Auguſtam Trevirorum electoris juſſu perlatis, Moguntinum archiepiſcopum adeo non feriunt, ut potius confirment. Refragante enim Trevirenſi archiepiſcopo, ceu Aquisgranum ad cancellariatum Gallicum ſpectaret, ut nonnulli volunt, (unde ortum, ut quidam ſcriptores Ludovicum a Trevirenſi coronatum putent) Ludovicus tamen imp. pro Moguntino ſententiam tulit. Quod ſi, uti conveniſſe inter eos ait ex Browero Colonienſis cauſæ patronus, non confirmavit Moguntinus archiepiſcopus jus ſuum tabulis antiquis intra ſtatutum tempus, quis novit, quid deinde intervenerit? Satis eſt pro ipſo imperatorem ipſum decidiſſe.

41. Hos igitur imperatores a Moguntino interea temporis coronatos fuiſſe nullum eſt dubium. Incertum vero eſt, a quo Henricus Haſſiæ Landgravius, amoto Friderico II. imp. electus, coronatus fuerit. Trithemius quidem in chron. Hirſaug. ait, eum non perveniſſe ad imperialem coronam, quia tamen in marmore ſepulchrali Sigfridi III. duo comparent, quorum capiti coronam imponit, ii quidem non fuerint alii, quam hic Henricus Haſſiæ Landgravius, & Wilhelmus Hollandiæ comes: Etſi vero ille coronatus fuit Aquisgrani, & operam primariam peregit Colonienſis archiepiſcopus more ſolito, Moguntinus tamen ejus dextram inunxit, coronam vero de conſenſu Colonienſis ei impoſuit Bohemiæ rex, uti tradunt Joh. a Beka, Joh. a Leidis, chron. Belg. lib. 23. cap. 9. Reinerus Snous rerum Batavicarum lib. 7. & Trithemius in chron. Hirſaugenſi, cujus narratio viſa multis viris eruditis non ſatis eſſe certa, quod ignorarent, ex quo autore antiquiore eam deſumpſiſſet. Quum vero in Petri archiepiſcopi Moguntini ſaxo ſepulchrali hodienum quoque legamus,

Hic pius & largus in conſiliis fuit argus,
Sceptra dat Henrico regni, poſthæc Ludovico,
Fert pius extremo Johanni regna Bohemo,

tum etiam in eodem lapide tres videamus eſſe, quibus archiepiſcopus coronas imponit, obſervato tamen manifeſto inter regiam & imperialem coronam diſcrimine, Ludovicum autem & Johannem Bohemiæ regem, ab ejus manu conſtet ſuſcepiſſe coronam, quis ſit ille Henricus, inveſtigandum fuerit. Is vero Henricus Luzelburgicus comes, deinde VII. dictus, fuerit neceſſe eſt. Quanquam autem eum Conradus Vecerius non ipſius, ut vult autor Colonienſis reſponſi, ſed longo poſt tempore Maximiliani I. Secretarius edito peculiari de ejus vita libro a Colonienſi coronatum fuiſſe ait, haud tamen multum aberraverit, qui conjecerit, præſtitiſſe Moguntinum archiepiſcopum in ejus coronatione operam aliquam egregiam ut jungi reliquis duobus potuerit, quos Petrus ſolus corona redimiverat. Hæc eſt ſeries imperatorum a Colonienſibus archiepiſcopis coronatorum, interrupta tamen interdum a Moguntinis, cum extra diœceſin Colonienſem, tum etiam in ipſa diœceſi. De imperatoribus ab ætate Caroli IV. usque ad Maximilianum II. coronatis, non eſt quod ſolliciti ſimus. Fuere enim omnes, uti ſanxerat imp. Carolus IV. Aquisgrani & a Colonienſibus archiepiſcopis coronati.

42. Is vero conſuetudinem, quæ hactenus in imperio recepta fuerat, ut reges Romanorum Francofurti electi deducerentur Aquisgranum, atque in ea urbe ſolenni ritu inaugurarentur a Colonien-

lonienſibus archiepiſcopis, primus lege ſanxit. Antea enim ceſſione Moguntini & uſu tantum prædeceſſorum, ut ait Fridericus I. id obtinuerant, eoque uſu, & conſuetudine ſibi acquiſiverant jus aliquod, quo iis potiſſimum Aquiſgrani reges conſecrare liceret, non bullis pontificum, aut diplomatibus imperatorum, certe nihil ejusmodi hactenus fuit productum.

43. Quartum igitur & potiſſimum totius negotii fundamentum, collocatur ab autore Colonienſis reſponſi in ſanctione publica aureæ bullæ, qua Colonienſi archiepiſcopo cautum ſit, ſine ulla prorſus reſtrictione aut exceptione, *quod ei competat officium & dignitas Romanorum regi primum diadema regium imponendi.* Quanquam autem omnia, quæcunque in aurea bulla continentur, vim legis pragmaticæ & perpetuo valituræ obtineant, habent ſe illa tamen diverſimode; alia enim, tum recens autoritate imperatoris & communi ſtatuum imperii conſenſu fuere conſtituta, alia autem, quæ longa conſuetudine & diuturno uſu in imperio fuerant introducta, nec tamen communi adhuc omnium conſenſu fuerant confirmata, hac publica lege fuere in rectiorem redacta ordinem & ſtabilita. Edidit Odoricus Rinaldus tomo XIV. ſuorum annalium longam narrationem diſceptationis jurium utriusque regis Romanorum deſignati, Alfonſi Caſtiliæ regis, & Richardi Cornubiæ comitis, quæ eorum oratores Vrbani quarti pontifici propoſuerant, ut is iis expenſis ſententiam ferret, utrius cauſa potior eſſet. In ea diſceptatione enarratur, quid eo tempore moris fuerit in imperio, quæque conſuetudines obtinuerint in electione & coronatione regum Romanorum. Eas magnam partem confirmatas eſſe in aurea bulla perſpiciet, qui eas conferre voluerit: in ipſa aurea bulla legimus frequenter ejusmodi: *juxta antiquam & laudabilem conſuetudinem; de antiqua approbata & laudabili conſuetudine: ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, ſicut invenimus hactenus competiſſe; ſicut in conſuetudine introductum dicitur*, & ſimilia. Vt prima coronatio Aquisgrani celebretur, id dicitur *inventum fuiſſe ex clariſſimis relatibus, & traditionibus antiquorum a tempore, cujus contrarii jam non habeatur memoria, per eos, qui præceſſerint, jugiter eſſe obſervatum.* Ejusmodi igitur, quæ ab antiqua dicuntur promanaſſe conſuetudine, ut inpoſterum quoque obſerventur, ſancitur diſertis verbis præcipiendi vim habentibus. Quæ vero in aurea bulla de jure coronandi ad Colonienſem archiepiſcopum ſpectare legimus, ea ad neutram claſſem referri poſſunt: Sunt enim tantum narrativa & atteſtativa juris, quod Colonienſes archiepiſcopi ex diuturno uſu ſibi acquiſiverant, tum eo loco recenſita, quo ſermo alias de coronatione non erat. Primo enim de ordine ſedendi inter electores ſtatuitur: Tum Moguntino, ut convocet electores, ſi vacet imperium, quod hactenus fuerat obſervatum, eosque ſententiam roget, confirmatur: Treverenſi, ut primus eam dicat. Ubi ad Colonienſem ventum eſt, additur, *cui competit officium & dignitas primum diadema regium imponendi.* Etſi igitur hac atteſtatione imperatoris confirmatum fuit Colonienſibus archiepiſcopis ius illud, quo hactenus uſi fuerant, nihil ea tamen præterea acquiſiverunt, quam ante habuerant. Quum vero id reſtrictum fuerit ad urbem Aquisgranum, aut vero ad eorum tantum diœceſin, & eo etiam intuitu a Moguntinis ad eos translatum, nihil utique ex aurea bulla afferri poteſt, quo iis hoc jus latius dilucidiusque fuiſſe declaratum probari poſſit.

44. Quod autem Carolus quartus adeo paucis verbis, & veluti obiter hujus muneris meminit, cauſa certe non alia fuerit, quam quod nulla diu fuerat inter Moguntinum & Colonienſem electores contentio, utrius eſſet coronare Aquisgrani reges Romanorum. Iam enim trecenti anni abierant, quod Moguntinus ceſſerat Colonienſi in ſua diœceſi, nec antiquo ſuo jure uſus fuerat, niſi quum Colonienſes ei viderentur deeſſe officio ſuo. Quum vero aurea bulla, hac in primis fini promulgata fuerit inter electores, ut inpoſterum diviſiones & diſſenſiones tollerentur, non erat admodum opus, hujus rei meminiſſe, de qua tum erat nulla controverſia. Ab eo enim tempore, cujus contrarii non habetur memoria, obſervatum fuerat, ut Aquisgrani ſolennis inauguratio inſtitueretur, eumque morem confirmabat imperator: Quanquam autem addit imperator, *niſi legitimum impedimentum obviaverit*, ea tamen ſemper fuit olim obſervantia erga veteres ejusmodi conſuetudines, ut a Carolo quarto uſque ad Maximilianum ſecundum per ducentos propemodum annos, imperatores omnes Aquisgrani, aut ſi per magnum aliquod impedimentum id fieri non poſſet, ſaltem in diœceſi Colonienſi coronati fuerint, quemadmodum Carolus quartus ipſemet & Rupertus Coloniæ & Bonnæ fuerunt conſecrati. Facile igitur crediderim, Colonienſes electores haud ita promte fuiſſe conſenſuros, ut Maximilianus ſecundus & cæteri deinceps imperatores extra diœceſin coronarentur, ſi facris fuiſſent initiati atque ideo maluerunt fortaſſis coronari imperatores extra diœceſin eorum, ne ſi Aquisgrani fuiſſet inſtituta coronatio, id deinceps juri eorum coronandi in ulla urbe cæſares a tot annis acquiſito obeſſet. Hartmannus Maurus, archiepiſcopi Colonienſis conſiliarius, in deſcriptione inaugurationis Caroli V. memorat, quum incertum eſſet, iturusne eſſet Aquisgranum imperator, an vero alio, metu graſſantis in ea urbe peſtis, profecturus, oratum fuiſſe a legatis archiepiſcopi Colonienſis, ne quam eo inſcio haberet in loci commutatione rationem juris, atque eximiæ prærogativæ de non commutando neque novando quicquam ex his, quæ ad coronationem & locum ejus ſpectant, atque ſimul exhibitas fuiſſe imperatori archetypas Ruperti regis, Coloniæ coronati, quæ documento eſſent, poſſe Colonienſem archiepiſcopum quocunque loco ſuæ provinciæ ſuo arbitratu coronationi locum præfinire: Hæc enim ideo notanda, ut conſtet, quomodo ipſimet Colonienſes archiepiſcopi ad ſuam tantum provinciam & diœceſin in coronatione reſpexerint.

45. Neque eſt, quod quis putet, uti opinatur autor ſcripti Colonienſis, non eſſe rationi conſentaneum, explicitas fuiſſe ab imperatore minutias quaſdam de ſeſſionis ratione inter electores obſer-

Digitized by Google

obſervanda, de ordine in deambulatione, in eccleſia, & ad menſam tenendo, aliaque, quæ eo ſpectant, aperte fuiſſe deciſa, rem autem tanti momenti in dubio fuiſſe relictam. Aut enim conſtitit imperatori de jure, quod Moguntinis archiepiſcopis competit, coronandi imperatores, ſi ſolennis illa inauguratio inſtituatur extra Colonienſem diœceſin, aut non: Si prius, non opus erat hujus meminiſſe: Quod ſi vero tum quoque prævidit imperator, ſi tale quidquam contigiſſet, orituram contentionem inter utrumque electorem, prudentiſſime diſſimulavit caſum, quem rarius eventurum ſatis ſcire poterat, cum per duo propemodum ſecula a Carolo quarto non alibi, quam in diœceſi Colonienſi inſtituta fuerit coronatio. Quas vero minutias vocat cauſæ Colonienſis patronus, eæ utique ſunt maximi momenti, & tum inprimis neceſſarium erat, ut declarentur. Revolventi enim memoria, quantum illæ minutiæ maximis etiam principibus cordi ſint, & quantum ante promulgatam auream bullam negotii ſæpe in imperio faceſſiverint, non videbuntur amplius eſſe minutiæ aut indignæ, quæ deciderentur in publica imperii ſanctione. Moguntini enim archiepiſcopi etſi ceſſerant Colonienſibus jure coronandi in urbe Aquiſgrano, non tamen ideo in ea urbe & in diœceſi Colonienſi etiam primo loco, uti deinde tranſactum fuit, ceſſerant. Quare, quum Engelbertus Colonienſis elector Aquiſgrani in coronatione Rudolphi I. in menſa regali dextrum regis latus occupaſſet, interpoſuit protinus elector Moguntinus proteſtationem, quam factum eſſe, neque id electori Moguntino inpoſterum fraudi fore, ſuis etiam tum literis confirmarunt ipſe rex Rudolphus, cum Gertrude regina, tum etiam Ludovicus comes palatinus Rheni, & Johannes Marchio Brandenburgenſis. Quum etiam in decreto electionis Alberti regis Romanorum Gerhardus Moguntinus elector poſt Treverenſem fuiſſet locatus, Albertus rex datis eodem anno 1298. literis ad Moguntinum, id non ſcienter eſſe factum aſſeruit, & archiepiſcopos Moguntinos in ordine & honore proceſſionis, ſeſſionis, nominationis & ſcripturæ eſſe & locari debere priores ſanxit. Hæ ſunt igitur illæ minutiæ, quæ moram inijciebant graviſſimis imperii negotiis, quas expediri maximum erat operæ pretium. Id enim cernimus Carolo IV. inprimis fuiſſe propoſitum, ut expeditiorem pararet viam eligendi inpoſterum Romanorum reges, & conveniendi ad ſolennem curiam, in qua de imperii negotiis imperator cum electoribus & ſtatibus imperii deliberaret. Antea enim omnis illa comitiorum ratio plurimum videtur fuiſſe confuſa, & ab eo tempore magis magisque fuit ad meliorem ordinem redacta. Toties igitur occurrente neceſſitate eligendi alios reges, aut ad curiam ſolennem conveniendi has utique minutias imprimis neceſſe erat e medio tolli, ne per eas ſtaret, quo minus rite omnia in conventibus imperii fierent. Coronationis vero, quod ejus ratio tum forte expedita eſſet, non niſi paucis meminit, nec quicquam de ea ſtatuendo aut ſanciendo præcepit. Et tamen varia ſunt electorum munia, eccleſiaſticorum inprimis, quæ in coronatione obſervari ſolent, & olim ſe diverſimode habuerunt, ſi fides illis narratis, quæ de coronatione Wilhelmi, Hollandiæ comitis & electi Romanorum regis, exſtant ap. Joh. a Beka, a Leidis, Reinerum Snoum, & Trithemium in chron. Hirſaug. Tum enim Moguntinus poſt ſolennem conſecrationem iterum eum unxit, Colonienſis in ſede regia collocavit, Bohemiæ rex ei coronam, ſed cum conſenſu Colonienſis, vti ajunt, impoſuit, ad quam tamen functionem ſolam verba A. B. nemo forte reſtrinxerit.

46. Quod quintum attinet, conſtat quidem, quo tempore Maximilianus ſecundus aliique deinceps imperatores coronati fuere, nondum fuiſſe infulatos archiepiſcopos Colonienſes, ſed tamen non liquet cauſæ Colonienſis patrono, an renunciaturi fuiſſent Moguntini juri ſuo, ſi infulati etiam Colonienſes archiepiſcopi eam functionem ſibi aſſeruiſſent. Nihil enim quidquam contigit, ex quo conſtet, Moguntinos archiepiſcopos ſeſe omnino & extra diœceſin Colonienſem hoc jure, quo antiquitus in ipſa etiam hujus diœceſi gaudebant, abdicaſſe. Nunc vero, cum Colonienſes archiepiſcopi tot coronationibus imperatorum a Moguntino in archicancellariatu Germaniæ peractis præſentes adfuerint, neque refragati fuerint, nullaque ratione, qua id fieri jura præſcribunt, jus, quod hodie prætexunt tam amplum ſibi reſervaverint, exiſtimari utique debet, eos tacite approbaſſe, quicquid fieri agique videbant, atque cognoviſſe rationem illam, quare olim Moguntini archiepiſcopi paſſi ſint a ſe eam functionem in Colonienſes transferri, ne quid dicam, quod tot actibus exercitis, tot annorum & quidem immemoriali poſſione, ejusmodi jura transferri in alium & præſcribi poſſe atque ſolere in confeſſo eſt.

47. Proteſtatio autem, quæ anno 1562. interpoſita fuiſſe dicitur, tum ſola Colonienſium actorum fide nititur, tum etiam ita concepta eſt, ut Moguntino nihil obeſſe poſſit. Quid enim tandem ſibi volunt illa verba: *Cœlln bittet* Aſſecuration, *daß ihme die* coronation *beſchehen durch Mayntz, ſo ihme vermög der güldnen Bull gebühret, nicht nachtheilig ſeyn ſolle.* Rectius enim eo intelligas, ne ea functio, tum a Moguntino peracta, ipſi obſit iterum aliquando coronaturo Aquisgrani. Alias enim ſi de coronatione Francofurti aut alibi extra diœceſin Colonienſem peragenda ſermo eſſet, majori utique cautione opus erat; qua in re viam ipſis ſemper monſtravit urbs Aquisgranenſis, quæ ſibi & juri ſuo, quo potuit ſemper meliori modo optime cavit. Quod ſi Ferdinandus ſecundus rem omnem in decreto coronationis in medio reliquit, id Moguntino electori non nocet. Ea enim ratione alias etiam Trevirenſis élector ſeſe iterum huic contentioni ingerere poſſit. Quo vero magis præviderunt Colonienſes archiepiſcopi, & conjicere facile potuerunt, tot continuatis actibus jus aliquod Moguntino archiepiſcopo acquiri, neque tamen ſibi legitima ratione caverunt, eo minus nunc audiendi ſunt.

48. Tandem ſit ita, ut vult autor ſcripti Colonienſis, maneat id inſtar omnium argumento-

rum,

rum, quod actus nullus coronationis ante & poſt auream bullam a multis ſeculis afferri poſſit, quem Moguntinus archiepiſcopus Colonienſi præſente & infulato peregerit: ſit ita. Nonne vero in trium maximorum imperatorum, trium Ottonum, ſolennibus inaugurationibus, quibus Moguntini archiepiſcopi Aquiſgrani fuere defuncti, præſentes fuerunt Colonienſes archiepiſcopi? Nonne Pelegrinus præſens fuit Moguntiæ, cum Aribo Conradum ſecundum regni diademate cingeret? Excidit igitur patronus cauſæ Colonienſis eo argumento, quod ipſi inſtar omnium eſt. Ab Henrici autem III. imperatoris ætate per quingentos circiter annos imperatores omnes fuere coronati Aquiſgrani, aut alias in diœceſi Colonienſi, ſi Rudolphum & Philippum excipias, utrumque Moguntiæ quidem, ſed illum a Moguntino archiepiſcopo, hunc a Tarantaſienſi epiſcopo coronatum Moguntino peregre in Orientem profecto. Jungi etiam his poteſt Hermannus rex a Sigefrido Moguntino Goſlariæ coronatus. Quid autem Aquiſgrani fieri debeat, de eo nunc quæſtio nulla eſt.

49. At vero, ait patronus cauſæ Colonienſis, coronavit jam olim Alberti imp. conjugem Eliſabetham Wichboldus, Colonienſis archiepiſcopus, in ſolenni curia Noribergenſi, præſente Gerardo Moguntino archiepiſcopo. Ita eſt, dicunt hoc Cuſpinianus & autor magni chronici Belgici: Qui principes tum illuc convenerint, tradit Stero ap. Caniſium. Coronatam ibi reginam, ait autor chronici Colmarienſis, ab Urſtiſio editi, qui tum vivebat. Gerardus quoque de Roo in hiſtoria Auſtriaca hujus quidem conventus, coronationis tamen non meminit. Sed ſit ita, ne hiſtoricorum quorundam fidem ſollicitare videamur, quid tum? Coronaverat jam ante Aquisgrani Albertum Wichboldus archiepiſcopus: Conceſſerit igitur ei Gerardus Moguntinus coronationem non regis ſed reginæ, neque enim quomodo hæc acta ſint, ſatis conſtat. Iniquus autem eſt autor ſcripti Colonienſis, quod jus ſui archiepiſcopi uno aliquo actu reginæ tantum, de quo non ſatis liquet, ſtabiliri poſſe putat, Moguntino vero nullum jus reliquum facit, quod tamen tot continuatis actibus regum Romanorum & reginarum ante & poſt auream bullam nititur.

50. Non eſſe vero omnium politicorum ſententiam, quæ patroni cauſæ Colonienſis, oſtendi allatis ſuperius eorum verbis & teſtimoniis. Carpzovius quoque cap. XI. ſect. 10. de lege regia, quum jus coronandi olim ad electorem Moguntinum ſpectaſſe, deinde in Colonienſem translatum eſſe, & in aurea bulla majoris certitudinis gratia ei confirmatum dixiſſet, addit, *illam dignitatem tempore ſubſequenti ad alios quoque electores promanaſſe.* Quin intuitu loci coronationis, hoc eſt, extra diœceſin Colonienſem, Francofurti nempe (in omni n. cetera Germania id ſibi vindicat merito Moguntinus) id factum eſſe ſcribit, Arumæus diſſ. 2. ad A. B. th. 17. p. 137. Quod ſi igitur alia eſt Buxtorfii & Limnæi opinio, non tamen Colonienſes omnes ſibi omnino politicos habent conſentientes. Petro Oſtermanno haud injuria oppono Joh. Georgium Herwartum, cancellarium Bavaricum, rerum germanicarum & veteris hiſtoriæ peritiſſimum, qui Ludovici IV. imperatoris defenſi & juſſu electoris Bavariæ editi p. 70 & 90. *Colonienſem*, diſerte ait, *hodie id officium fungi, quod & conſecratio & coronatio in ſuis finibus fiat, primo certe ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & regni cancellarium delatum fuiſſe.*

51. Quum igitur irrita ſint omnia, quæcunque a patrono cauſæ Colonienſis pro vendicanda ſuis archiepiſcopis regum Romanorum extra propriam diœceſin coronatione allata ſunt; in promtu eſt, ſalvum eſſe jus ſuum Moguntinis archiepiſcopis, non ideo tantum, quod jam a tot annis non quidem precario, aut ex delegatione, nemine propemodum refragante reges Romanorum coronaverint, ſed propter multas & magnas rationes, quarum præcipuas paſſim in hac diſſertatione adductas hic compendio colligo, &

52. Prima quidem fuerit, quia olim per aliquot ſecula ſolus Moguntinus hac dignitate reſplenduit, neque aliam ob cauſam ad Colonienſes archiepiſcopos deinde translata eſt, quam quod urbs Aquisgranum in eorum diœceſi eſſet ſita, & imperatores rogarent, ut hic honor haberetur diœceſi Colonienſi. Poſtquam igitur placuit in ea urbe propter memoriam Caroli magni coronari debere reges Romanorum, exiſtimatum fuit fraudi fore Colonienſibus archiepiſcopis, ſi tam ſplendido munere in eorum diœceſi perpetuo alii fungerentur. Colonienſes quidem cauſam aliam nullam afferre poſſunt, neque ob aliam tandem petentibus id imperatoribus Moguntini archiepiſcopi & epiſcopi pro ſuarum diœceſeon juribus & dignitate pugnarint, poterat multis exemplis oſtendi, ſi opus eſſet.

53. II. Imperatores, cum primum eliguntur, Germaniæ reges fiunt; Romanorum autem reges vocantur, quia, ſicut Moguntino, Colonienſi, Trevirenſi, dum fiunt archiepiſcopi ut ſint electores: ita iis, qui Germaniæ reges eliguntur, illa dignitas inſeparabiliter eſt annexa, ut ſint reges Romanorum & imperatores. Nam ea dignitas primum a Græcis ad Francos, qui tum ante magnæ occidentis parti imperabant, deinde ad Germanos tranſiit, & iis ita propria eſt, ut quemcunque electores regem Germaniæ elegerint, is etiam ſit Romanorum rex. Jam vero moris eſt, ut a metropolitano in quoque regno, & primo quidem ſi plures ſint, rex coronetur. Ita enim reges Galliarum a Rhemenſi, Hiſpaniarum a Toletano, Angliæ a Cantuarienſi, Hungariæ a Strigonienſi, Poloniæ a Gneſnenſi, Sueciæ ab Upſalienſi, Daniæ a Lundenſi, Neapolis a Neapolitano, Siciliæ a Panormitano, archiepiſcopis &c. coronati fuerunt, ut, Arumæus & Buxtorfius ad A. B. Viſcherus de electione regis Romanorum & paſſim autores teſtantur. Primus autem utique Metropolitanus in Germania eſt Moguntinus archiepiſcopus, qui etiam aliquandiu ſolus fuit metropolitanus in regno Germaniæ proprie dicto, quod ampliſſimam haberet diœceſin, qua nihilominus adhuc hodie longe eminet præ omni-

omnibus Germaniæ archiepiſcopis. Unde frequenter eum reperias apud antores appellari *ſummum pontificem, ſummum præſulem, metropolis Moguntiæ archiepiſcopum, metropolitanum Germaniæ, protopræſulem* in quibusdam imperatorum donationibus, & ſimilibus verbis. Moguntia enim a Zacharia pontifice, & a Francorum principibus conſtituta erat *totius Germaniæ metropolis*, ſive, ut in vita Bonifacii legitur, *totius Germaniæ* eccleſiarum metropolis: & ipſam eccleſiam Moguntinam ſæpe appellant imperatores in ſuis diplomatibus *principalem imperii columnam.* Non opus eſt colligere omnia, quæ huc faciant, plurima enim ſunt. Notatu inprimis dignum eſt, quod Conradus a Lichtenaw, abbas Urſpergenſis, ſuo adhuc tempore, ne quis antiquiſſimis tantum temporibus Moguntinam ſedem eminuiſſe putet, ad annum 1121. Moguntiam *totius Germaniæ metropolin* vocat, & Moguntinum archiepiſcopum ait *multiformiter in ciſalpinis partibus tenere primatum.* Colonia autem & Auguſta Trevirorum erant metropoles in regno Lotharii, quod diu fuit a regno Germaniæ ſeparatum, & vocantur ſæpe apud veteres metropoles Galliarum, & proceres in regno Lotharingico, etiam poſtquam acceſſerunt iterum ad Germaniæ regnum, ſub nomine Lotharienſium ſæpe res ſuas ſeorſim a reliquis egerunt. Jam olim quoque, quum quicquid in Germania tenebant Romani, in duas provincias diviſum eſſet, Germaniam primam & ſecundam, dignior erat metropolis Moguntina Colonienſi, & illius dux hunc præcedebat. Erat quidem etiam in Norico metropolitanus Juvavienſis ſive Salisburgenſis, & pallium habebat a pontifice, magna tamen ei erat cum Laureacenſi contentio, & verſus Pannoniam ejus ſe porrigebat provincia. Hamburgenſis autem ſeptentrionalium provinciarum metropolitanus erat. Moguntinus igitur archiepiſcopus ſolus pene erat initio in Germaniæ regno proprie dictus Metropolitanus, a qua primi metropolitani in Germania dignitate etiam retinuit, quod Germaniæ eſt archicancellarius, quod ad electionem principes electores convocat, quod primam vocem olim habuit, multaque alia, & nunc ad ipſum ſpectant & olim expediit, quæ eum in Germania præcipuæ eſſe dignitatis oſtendunt. Quanquam enim cap. IV. A.B. prima vox hactenus Trevirenſi dicitur competiiſſe, id utique de tempore auream bullam paullo antecedente, quum electorum collegium recte conſtitueretur, intelligendum fuerit. Antea enim quum de ſeptem quidem inprimis electorum, ſed de aliorum etiam principum ſuffragio, ſollicitos eſſe oporteret imperii Candidatos, prima vox Moguntini erat archiepiſcopi, ut antiqui omnes ſcriptores teſtantur. Ubi enim magnus eorum numerus eſt, qui ſententiam rogantur, plurimum refert, quis primam ſententiam dicat; vbi pauci, quis poſtremus uni parti accedat & concludat. Quare cum hæc omnia ita ſe habeant, in aperto eſt ratio, cur olim Moguntini archiepiſcopi paſſim in Germania & in ipſa urbe Aquisgrano præſentibus electoribus Colonienſibus, reges Romanorum coronaverint, & cur hodie, poſtquam ſe iſthoc jure ſponte abdicarunt, propter honorem eccleſiæ Colonienſi & ejus diœceſi delatum, ſi quam tamen extra eam, vel in ejus diœceſi propria aut archicancellariatu inaugurationem ſolennem fieri neceſſe ſit, ad neminem ea alium, quam Moguntinum archiepiſcopum ſpectare poſſit.

54. III. Non eſt vel ſanctio ulla, vel uſus prædeceſſorum, quibus Moguntino archiepiſcopo jus ſuum eripiatur, aut ejus in Germania authoritas, quæ illi ceu primo metropolitano & Germaniæ archi-cancellario competit, reſtringatur. A.B. vult cuique electori ſarta eſſe ſua jura. Nihil illa conſtituit, quod Moguntino damno ſit; En ipſa verba: *Quotiens & quando deinceps ſacrum vacare continget imperium, ex tunc Moguntinenſis archiepiſcopus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, ceteros principes, ſuos in dicta electione conſortes, literatorie convocandi. Quibus omnibus ſeu his qui potuerint & voluerint intereſſe in electionis termino invicem congregatis, dictus archiepiſcopus Moguntinenſis, & non alter, eorundem coelectorum ſuorum vota ſingulariter habebit inquirere ordine ſubſequenti. Primo quidem interrogabit a Trevirenſi archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe: Secundo a Colonienſi, cui competit dignitas & officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi: Tertio a rege Bohemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio, jure & merito obtinebit primatiam.*

Quod ceteros electores attinet, decernit & ſtatuit imperator, quid eis faciendum ſit, de electore autem Colonienſi tantum teſtatur & narrat, quid ei competat. Neque enim hoc capite, ut quidam volunt, quæ cuique electori prærogativa propria ſit, narratur, ſed de ordine potiſſimum in dicenda ſententia agitur, cui probando ratio adjungitur, quare electorum vota inquirere Moguntinus, Trevirenſis primus ſententiam, & tertio ſeu primo inter electores laicos loco, Bohemus dicere debeant. Quare autem elector Colonienſis ſecundus rogari debeat ſententiam, nulla ratione opus erat. Alio enim loco collocari minime poterat. Quoniam igitur de coronatione nihil præterea in aurea bulla ſtatutum eſt, quod longa conſuetudine hactenus obtinuerat, id ei merito competere ab imperatore affirmatur. Alias enim, nullane ſunt electorum Palatini & Saxonis privilegia? Nunquid de nihilo eſt, vacante imperio eos eſſe imperii vicarios? Fortaſſis hoc etiam præſtat jure coronandi reges Romanorum. Nulla tamen ejus hoc quidem capite fit mentio.

55. IV. Quum igitur aurea bulla nihil proprie definiverit, ſed tantum confirmaverit jus, quod tum Colonienſis uſu obtinuerat, jus autem conſecrandi extra Diœceſin adhuc integrum fuerit Moguntino electori, non poteſt utique dici id per auream bullam Moguntino eſſe ademtum. Illa enim, ut aliæ etiam leges, relinquit omnia in ſtatu priori, niſi quatenus exſerte quid porro ſciſcit aut mutat. Nihil vero hic neque tacite neque expreſſe mutat. Notum vero eſt, omnia, quæ vim legis habent, eo ſenſu capi debere, qui uſui & conſuetudini anteriori quam minime repugnet, qui uſus relictus integer eſſe cenſetur, niſi ei expreſſis in contrarium verbis derogetur.

Neque

Neque minus clarum eſt, quum lex ſuper aliqua re diſponit, quæ jam antea fuit certo more, modo ac uſu & actibus nonnullis affecta, eam rem ultra deciſam, mutatam aut determinatam haud intelligi, niſi qua legiſlator diſerte ſe explicat. Tum enim manet, qualis in uſu habita hactenus fuit, & non tollitur, neque variatur. Sed neque etiam quicquam tunc ei vel in ſubſtantia vel in quantitate adjicitur, nedum in circumſtantiis loci aut temporis. Quod ſi igitur generalitas verborum aureæ bullæ urgenda eſt, potiore utique jure illa pro Moguntinis facit, nihil aliud poſtulantibus, quam ut in eo ſtatu maneat jus conſecrandi Romanorum reges, in quo fuit priori tempore, quo Moguntini, permiſſa tandem Colonienſibus archiepiſcopis coronatione in eorum diœceſi, extra eam tamen ſibi jus ſuum integrum retinuerunt, & poſtea ſartum tectum ſemper conſervaſſe merito intelliguntur. Sin autem aurea bulla rem omnem ſola nunc pro Colonienſibus archiepiſcopis manifeſte conficit, neque ejus interpretatio à priori nunquam antiquata obſervatione dependet, cur non eam ſolam urget Colonienſis cauſæ patronus? Cur ſuis electoribus, contra omnium tam veterum quam recentium ſcriptorum apertam ſententiam, arrogat coronationem omnium imperatorum & regum, quotquot à Ludovico Pio usque ad Henricum III. in Germania ſunt coronati? Cur, ut id obtineat, veterum ſcriptorum mentem invertit? Nempe, ne fateri cogatur, Moguntinum propter honorem diœceſeos juri ſuo, quod in tota Germania habebat, Colonienſi Aquisgrani ceſſiſſe. Cur vendidat privilegia à Leone III. & Carolo M. Colonienſi archiepiſcopo collata, quum nulla unquam fuerint, ſi aurea bulla adeo manifeſte pro Colonienſi totam controverſiam decidit? Cur denique non pari candore concedit Moguntinis, priores Henrico III. imperatores ab ipſis fuiſſe coronatos, atque illi Colonienſibus omnium pene ſequemtium regum conſecrationem, Aquisgrani aut alias in eorum diœceſi inſtitutam, usque ad Maximilianum II. per tot ſecula, ne fides veteribus monumentis detrahatur, haud inviti largiuntur? Vidit quanti id intereſſet, & ideo hoc obſtaculum removere voluit. Quia vero id non potuit & tamen agnovit, tanto magis ſuam cauſam, atque ſuam pragmaticæ Caroli IV. ſanctionis interpretationem ſuſpectam, noſtram reddidit meliorem & plane ſua probabiliorem.

56. V. Non alia utique cauſa eſt, quod toties exortæ fuerunt lites atque contentiones inter Moguntinum, Colonienſem & Trevirenſem archiepiſcopos, quam quod Colonienſis & Trevirenſis Metropolitani fuerant in regno Lotharingico, Moguntinus autem in regno Germanico primus erat Metropolitanus. Quare Moguntino nunquam cum reliquis in Germania archiepiſcopis ulla fuit controverſia, quamvis ex iis nonnulli primatis & patriarchæ appellationem ſibi deberi contenderent. Manſit enim penes Moguntinum ſemper honos primi Metropolitani. Etſi igitur Colonienſibus archiepiſcopis fuit forte aliqua ratio ſibi coronandi munus Aquisgrani adſciſcendi, quod ea urbs pars eſſet regni Lotharingici & diœceſeos Colonienſis, nullo tamen penitus jure nititur Colonienſis archiepiſcopus, quo ſibi hoc officium coronandi Germaniæ & Romanorum regem in ipſa ſpeciali diœceſi Moguntina, (Maximilianus enim II. Matthias & Ferdinandus II. Francofurti fuere conſecrati,) attribuere, & primo Germaniæ Metropolitano átque archicancellario adimere poſſit, qui cum propter honorem diœceſeos juri ſuo in ipſa etiam urbe Aquisgrano coronandi reges Romanorum à Pontificibus approbato & regum multorum coronationibus confirmato, ceſſerint, iniquum utique fuerit, ſi illa ceſſio, limitata & reſtricta, etiam extra diœceſin Colonienſem juri primi Metropolitani fraudi eſſe, & hodie in pari cauſa neque Metropolis primæ neque diœceſeos ulla haberi ratio debeat.

57. VI. Non tantum facit pro Moguntino electore, quod penes ſedis illius archiepiſcopos per tria ſecula usque ad Henricum III. fuit ſemper jus coronandi reges Romanorum aut Germaniæ, (neque enim primo illo tempore reges omnes Germaniæ protinus Romanorum etiam reges erant) ſed etiam, quod Moguntini archiepiſcopi poſtquam eo jure Colonienſibus archiepiſcopis ceſſerant, quamprimum muneri ſuo ipſis deeſſe viderentur, in ipſa urbe Aquisgrano reges Romanorum conſecrandi officium ad ſe ſolos iterum ſpectare exiſtimarunt, neque ulli alii, ut eo munere fungerentur, permiſerunt. Conradum quidem III. conſecravit Aquisgrani Theodoinus cardinalis epiſcopus, quod Colonienſis nondum pallium Roma accepiſſet, Moguntina vero eccleſia tum paſtore ſuo erat orbata, uti ex Dodechino continuatore Mariani Scotti & aliis ejus temporis ſcriptoribus liquet. Otto quoque Friſingenſis *lib. 2. cap.* VII. Treuirenſis tantum & Colonienſis meminit, qui Theodoino adſtiterint. Alias enim Moguntinus haud dubie eo fuiſſet functurus officio. Manifeſtum utique hoc eſt veteris juris indicium, quo Moguntini quoad urbem Aquisgranum ſe abdicaverant. Contendente igitur cum Moguntino Treverenſi, quum Ludovicus Bavarus eſſet coronandus, etſi ſumma erat Ludovico cum Treverenſi neceſſitudo, pro Moguntino tamen ſententiam tulit, pro quo ea utique ratio faciebat, quod ille juri ſuo Colonienſi archiepiſcopo & non alii ceſſerat. Quod ſi enim Moguntinis Archiepiſcopis nullum unquam in conſecrandis regibus Romanorum jus fuit, ut Colonienſis patronus venditat, qui factum, quod pro Moguntino ſententia eſt lata, quod nemo ſe præterea coronationi regum ingerere auſus eſt? Uti igitur pro Petro Mog. archiepiſcopo ſtetit Ludovicus imperator, quod Moguntini ceſſio tantum fuerat limitata, quod *perſonam* Colonienſis attinet, ita etiam nunc eadem ratio eſt, quum de *loco* coronationis extra diœceſin Colonienſis quæritur. Neque enim ratio eſt, quare Moguntinus archiepiſcopus ceſſerit potius Colonienſi, quam Treuirenſi, hoc etiam ſibi eam arrogante, niſi quod Aquisgrani in illius diœceſi conſecrari reges moris eſſet. Utroque enim, quod primi Metropolitani in Germania honorem attinet, prior eſt Moguntinus

tinus archiepiſcopus, & propter eam cauſam per complures annos Aquisgrani etiam reges conſecraverat. Dicant Colonienſes aliam, ſi quam habent, quæ fecerit, ut ipſi præ Trevirenſi archiepiſcopo Moguntinis veteri ſuo jure cedentibus, coronationem obtinuerint. Certe quanti antehac factus fuerit, ac hodieque, fieri debeat, honos diœceſeos, nemo neſcit.

58. VII. Denique non eſt dubium, ex omnium prorſus autorum ſententia & conſuetudine regnorum Orbis Chriſtiani, ubi ritus conſecrandi in uſu eſt, quin imperatores & reges conſecrandi & coronandi dignitas communiter ad primum in quoque regno & imperio eccleſiaſticum ſpectet, qui plerumque ſolet etiam eſſe legatus Apoſtolicus, quo honore legati & Vicarii Apoſtolici neque Moguntini archiepiſcopi à S. Bonifacio usque caruerunt. Non alio vero jure olim Moguntini archiepiſcopi coronarunt reges Bohemiæ, quam quod primi eſſent & Metropolitani in eo regno. Quamprimum vero ipſis conſentientibus Praga in Metropolin eſt evecta, hoc jus in Pragenſem archiepiſcopum translatum eſt, quia ipſi primi ſive potius Metropolitani in regno Bohemiæ eſſe deſiderant. Deinde ſanxit imperii in A. B. etſi Moguntini electores primum alias ubique locum ſibi deberi affirmabant, illum tamen inpoſterum in Colonienſi diœceſi & extra illam provinciam in Italia & Gallia penes Colonienſem electorem futurum, ita ut is in illis provinciis dextrum latus imperatoris claudat. Jam vero ſi Colonienſi permittatur etiam in diœceſi Moguntina & in parte archi-cancellariatus, quæ ad Colonienſem diœceſin non ſpectat, ubi primus locus ſummo jure & nemine refragante Moguntino debetur, coronare reges Romanorum quis non videt, minime obſervari, quod imperii prudentiſſime conſtituit, & præcipuum eccleſiaſticum in diœceſi Moguntina Colonienſi tribui, & omnem recte conſtitutum ordinem ſubverti? Vel ex hoc ſolo conſtat, cur Moguntini archiepiſcopi rogatu imperatoris ceſſerint Colonienſi archiepiſcopo, & honorem illum diœceſi habuerint, ut Aquisgrani coronaret deinceps, & cur propter eandem cauſam nequeat Colonienſis elector ſibi ullo jure arrogare id muneris in diœceſi & archicancellariatu Moguntino. Quare autem Salisburgenſis archiepiſcopi, quum Ratisbonæ, quæ in eorum eſt archidiœceſi, inaugurati fuere reges Rom. ſibi illud munus nunquam aſſerere auſi fuerint, neque poſſint, (hoc enim argumento exiſtimat patronus cauſæ Colonienſis labefactari poſſe, quæ pro Moguntino archiepiſcopo fuere allata) ſatis ex his conſtat. Neque enim Moguntinus juri ſuo, quod habet in tota Germania, in diœceſi Salisburgenſi, uti nec alibi per Germaniam, renunciavit, ſicut tantum ceſſit Aquisgrani, quod archiepiſcopus Colonienſis illic jus diœceſeos prætenderet; ceſſit autem præcipue tum rogatu imperatoris, quum crederetur in urbe Aquisgrano ſtatam eſſe oportere conſecrationem. Quod autem Ratisbonæ interdum coronati fuere imperatores, id caſu quodam factum eſt, quod Aquisgranum adiri commode non poſſet. Tum etiam nulla eſt Moguntino cum Salisburgenſi archiepiſcopo loci competentia, ſicut ex decreto aureæ bullæ eſt Colonienſi cum Moguntino in diœceſi Colonienſi.

59. Quum igitur per tria fere ſecula officium conſecrandi reges Germaniæ penes Moguntinos fuerit archiepiſcopos, atque illi propter honorem diœceſeos, rogatuque imperatoris, tandem Colonienſibus archiepiſcopis Aquisgrani ceſſerint, neque aurea bulla quicquam amplius Colonienſi archiepiſcopo teſtetur competere, quam quod demum poſt Henricum Tertium imp. quadam conſuetudine acquiſiverat, per eam autem, & ceſſionem Moguntini, tantum conſecrationem Aquisgrani, & in reliqua ſua diœceſi, peragendam obtinuerit, omni alioqui reliquo jure in univerſa cætera Germania penes Moguntinum archiepiſcopum ſalvo manente; æqui lectoris judicio arbitrandum permittitur, an Colonienſes electores, (qui *ob ſolam diœceſeos rationem* contendere cum Moguntino electore cœperunt, & ſolo hoc nomine pro illis aurea bulla memorat) hodie jus etiam extra diœceſin ſuam in tota Germania conſecrandi reges Germaniæ, invito Moguntino electore, ſibi ullo obtentu poſſint adſciſcere. Certe uſum juris coronandi ea quidem argumenta, quæ Colonienſis ſcripti autor hactenus protulit, Moguntino electori non eripient.

Jus coronandi Romanorum regem.

Günſtiger Leſer.

Es iſt Reichs-kündig, was bey nechſt-voriger Krönung der Römiſchen Königlichen Majeſtæt zwiſchen beyden Churfürſten zu Mæyntz und Cœlln für Streit und Irrungen wegen ſolches *Juris coronandi* entſtanden. Damit nun mænniglich, worauf beyder Ihrer Churfürſtl. Gnaden und Durchl. *Rationes* beſtehen, wiſſen, und wer hierzu das beſte Recht habe, erkennen mœge, iſt eine Nohtdurfft erachtet, diejenige Schrifften, ſo beyderſeits der Rœm. Kayſerl. Majeſt. Unſerm Allergnædigſten Herrn übergeben worden, in Druck und ans Licht zu bringen: Und læſt man nun einen jeden darüber vernünfftig und ohne *paſſion* urtheilen.

Kurtze

Digitize

Kurtze Information, (a) *vvarum Ihrer Churfürſtl. Durchl. zu Cœlln den Actum Coronationis regis Romanorum, vor Ihr. Churfürſtl. Gnaden zu Mæyntz, zu verrichten gebührt.*

Es iſt erſtlich kund und offenbar, daſs die im Iahr 1356. von Kæyſer Carl dem Vierdten aufgerichtete güldene Bull einem jeden Churfürſten bey der Wahl und Crœnung eines Rœmiſchen Kayſers ſeine gewiſſe prærogativas zueignet, wie ſolches *Tit. 4.* zu erſehen, und nemlich, daſs ein Ertz-Biſchoff und Churfürſt von Mayntz Gewalt haben ſolle die übrige Churfürſten zu der Wahl zu beſchreiben, die Umfrag zu halten, und die Stimmen zu colligiren, dem Churfürſten von Trier die erſte Stimm gebühren, und dem Churfürſten zu Cœllen die Würdigkeit und das Amt zugehœren ſolle, die Krœnung eines Rœmiſchen Kœnigs zu verrichten, unter den übrigen weltlichen Churfürſten iſt gleicher Geſtalt Ihrer functionen halber gewiſſe Verſehung geſchehen.

2. Berührte prærogativæ oder Jura inhæriren zweytens oſſibus ipſorummet Electorum und iſt die Ordination auf die Perſon der Churfürſten gerichtet, keineswegs aber auf ein gewiſſes Ort, da es ihnen und nicht anderſtwo gebühren ſolle, reſtringirt, wie ſolches in ſpecie de Electore Colonienſi aus dieſen ausdrücklichen Worten *A. Bull.* Cui competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi, klar und deutlich erhellet, in dem die particula: Cui, eigentlich die Perſon ſo es zu verrichten, gar aber nicht das Ort, wo es zu geſchehen, denotirt.

3. Und iſt daher zum dritten zu verwundern, aus was Grund und Urſach Ihre Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz dafür halten wollen, daſs berührtes Jus coronandi einem Ertz-Biſchoffen und Churfürſten zu Cœlln alsdann nur zuſtehen und gebühren ſolle, wann die Crœnung zu Achen oder in Provincia Colonienſi verrichtet wird, da doch von ſolcher Limitation oder diſtinction in ermeldter gülden Bull mit keinem eintzigen Buchſtaben Meldung geſchicht, und derwegen das vulgatum dictum hier billich gelten und Platz haben muſs: Ubi lex *non diſtinguit*, (b) ibi nec noſtrum eſſe diſtinguere.

4. So iſt auch 4. intentio Legislatoris aus dieſem noch mehrers abzunehmen, daſs *Tit. 21. A. Bull.* (oder 25. ſecundum aliquas editiones) die Verordnung geſchicht, daſs die Wahl eines Rœmiſchen Kayſers zu Franckfurt, die Krœnung zu Achen, und der erſte Reichs-Tag zu Nürnberg gehalten werden ſolle (ſo fern obberührten allen oder einem Theil davon keine ehehaffte, und erhebliche Hinderungen begegnen oder widerſtehen) ohn aber, daſs auf dieſen Fall, wann, nemlich wegen vorſchwebender Hinderungen das Ort geændert werden muſs, der vorhergehender Verordnung wegen eines jeden Churfürſten gerechtſame und Verrichtung im geringſten was abgebrochen, da ſonſten, wann es die Meynung gehabt hætte, daſs ein Churfürſt zu Cœlln alleinig zu Achen oder intra Provinciam, nicht aber anderſtwo, vornehmen ſolle, ſolches nicht würde ausgeblieben oder vergeſſen worden ſeyn, zumalen aus dem gantzen contextu *A.B.* und ſonderlich *Tit.* 3. 4. 6. 21. 22. 23. 26. 27. 28. genugſam erſcheinet, wie ſorgfæltig Kayſer Carl der Vierdte ſich befliſſen, einem jeden im gehen, ſtehen, ſitzen und allen andern Verrichtungen, ſeine Stelle, Ordnung und Ambt alſo anzuweiſen, damit die vorige daraus erwachſene Irrungen gæntzlich aufgehebt und künfftig zu ewigen Zeiten kein Zweifel oder Streit mehr entſtehen kœnte, oder ſolte; Iſt dann nun dicto *Tit.* 28. in caſu mutationis loci circa perſonam coronantis keine Aenderung geſchehen, warum ſoll es dann nicht bey der unbeſchranckter diſpoſition ſein Bewenden haben? juxta regulam: Quod non mutatur, cur ſtare prohibeatur?

Und würde warlich 5. ein gar unbilliges Ding ſeyn, wann ein Hochlæblich Churfürſtl. Collegium ſuper loco coronationis aus gewiſſen Bedencken und Urſachen (geſtalt es dieſer lezter zeithero mehrmahls geſchehen, da ſonſten die Liebe Vor-Eltern ſich ſtrictiſſime & religioſiſſime ad litteram *A. B.* jedesmals gehalten) diſpenſirt, daſs eben darum einem Churfürſten zu Cœlln ſeine function allein, da die übrige Churfürſten alle ohn einige Ausnahm die ihrige behalten, ſolte benommen oder entzogen werden.

Wogegen 6. gar nicht irren kan, was etwa von Ihr. Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz vorgeſchützt werden will, daſs nemlich deroſelben ſecundum *Tit. 3. Aur. Bull.* durch das gantze Teutſche Ertz-Cancellariat (die Provintz von Cœlln ausgenommen) der Vorſitz gebührt, dann davon ad hunc actum ſeu functionem coronationis tanquam ſeparatum keine bündige illation gemacht werden kan. Inmaſſen es dann keine mehrere repugnantiam in ſich hat, daſs einem zeitlichen Ertzbiſchoffen und Churfürſten zu Mayntz in congregatione electorum prima Seſſio zuſtehe, und dannoch Chur-Cœlln die Krœnung verrichte, als daſs Chur-Bayern, Saxen, Brandenburg und Pfaltz ihre gebührende Churfürſtl. functiones non obſtante illa prærogativa primæ Seſſionis Moguntinæ vollnziehen.

Wie dann 7. in ſimili Ihre Churf. Gn. zu Trier nicht werden nachgeben wollen, daſs der dicto *Tit. 3.* einem Churfürſten zu Cœlln attribuirter Vorſitz per ſuam provinciam, nec non totam

(a) *Kurtze Information*) Hoc ſcriptum & quæ ei Moguntina jungitur reſponſio in LONDORPIO *tom. VII. p. 49. & 61.* reperiuntur.

(b) *Non diſtinguit*) Sæpe tamen de diſtinctione ex ipſa rei natura aut circumſtantiis conſtat, ubi non neceſſum eſt, ut ejus in lege fiat mentio.

tam Italiam & Galliam einem zeitlichen Churfürſten zu Trier an ſeinem *jure primi voti* (a) (ſo ihm eodem *Tit. 4.* wie Chur Cœlln das jus coronandi zugeeignet) hinderlich ſeyn ſolte, wann ſchon der Wahltag intra provinciam Colonienſem vel in aliquo loco Italiæ aut Galliæ angeſtellt oder gehalten würde.

Achtens thut commune omnium ſcriptorum tam hiſtoricorum quam politicorum teſtimonium hinzukommen, welche uno ore und einhelliglich ausſagen, daſs die Krœnung der Rœmiſchen Kayſer a tempore Henrici III. imperatoris (welcher anno 1039. und alſo mehr dann 300 Jahr ante A. B. erwehlt und gekrœnet worden) denen Churfürſten zu Cœlln zugeſtanden, und ſolche einem Churfürſten zu Mayntz alsdann erſt gebühre, wann der Churfürſt zu Cœlln mit der Biſchofl. Weyhe und Infulis nicht verſehen, wie ſolches beym *Buxtorfio* (b) *in A. B. num. 46. 47. & 48. Rumelino in A. B. Diſſert. 6. num. 7. Limnæo de jur. publ. lib. 2. cap. 4. n. 9. & ſeqq. & ibid. allegatis* zu vernehmen iſt.

Worunter dann 9tens dieſes ſonderlich zu mercken, daſs Petrus Oſtermannus geweſener Chur Mayntziſcher Geheimer-Raht, in ſeiner paraphraſi ad *A. B.* (welche in der Stadt Mayntz gedruckt, Ihr. Churf. Gn. zu Mayntz dedicirt, ja wie inſcriptio libri mit ſich bringt, aus Churfürſtl. Mayntziſchen ſpecial-Befehl ans Licht gebracht) dieſe formalia gebraucht.

Poſtmodum vero cum Henricus III. per archiepiſcopum Colonienſem & ipſe coronatus eſſet, & filium ſuum Henricum IV. coronari feciſſet, paulatim longa & usque ad hanc bullam obſervata conſuetudine id electoribus Colonienſibus acquiſitum, per hanc bullam confirmatum & ad noſtra usque tempora continuatum fuit. Quæ dignitas tamen eidem non competit, cum archiepiſcopum electorem Colonienſem nondum infulis vel pallio decoratum eſſe contigerit, tunc enim non is, ſed de antiqua conſuetudine cooperantibus Colonienſi & Trevirenſi Moguntinus coronationem perficere ſolet.

Und kan alſo 10tens, Ihr. Churf. Gn. zu Mayntz gar kein Behelf geben, daſs deroſelben Vorfahren a tempore Maximiliani II. etliche actus coronationum verrichtet, dann dieſelbe alle in tempora trium electorum Colonienſium eingefallen, welche mit der Biſchoflichen Weyhe und infulis *nicht verſehen geweſen*, (c) wie dann in ſpecie præfati Maximiliani II. electionem Fridericus IV. comes

(a) *Jure primi voti*) Sed coronationis negotium regulariter primati competit, & ſi illud nonnunquam alii datur, circa illam conceſſionem, ut exceptionem a regula, merito interpretatio reſtrictiva locum habet. Hoc & quoad relationem, quæ eſt inter Moguntinum & Colonienſem, locum habet. Quod autem ad jus voti attinet, non eadem hic eſt relatio inter Colonienſem & Trevirenſem, quæ eſt inter illum & Moguntinum, tanquam inter primum & poſteriorem, ſed inter eos relatio æqualitatis locum habet, atque ſic in juribus, quæ ipſis in relatione erga ſe invicem competunt, interpretatio ſimplex locum habet. Enim vero juris ſuffragium ferendi non tantus eſt nexus cum primatu, quam eſt juris inungendi & coronandi; cum votum ultimum ut deciſivum non male primario inter vota edentes convenit: An autem a Moguntino ante auream bullam in cæſaris electione primum ſit pronunciatum votum, alibi inveſtigamus: deinde limitatio juris coronandi Colonienſis per ipſum locum, nempe Aquisgranum, quod eſt in ejus diœceſi, ubi coronatio fieri debet, niſi legitima adſint impedimenta, eſt facta; qualis limitatio de jure primum edendi votum, quoad Trevirenſem ibi non reperitur.

(b) *Buxtorfio*) Hic & alii auctores ad controverſiam, quæ inter Moguntinum & Colonienſem de jure coronandi fuit, non reſpicere videntur, ſed ſimpliciter Colonienſi, hoc jus ſtilo aureæ Bullæ tribuunt, tacite tamen ad Aquisgranum oculos intendentes.

(c) *Nicht verſehen geweſen*) Dom. Cancellar. Acad. Hallenſ. de LVDWIG *in comment. ad A. B. tit. 4. §. 4.* electoris Colonienſis cauſam agens addit, ſi Moguntino neo-electi caput corona redimire datum, & Colonienſis ſedes non vacaverit, neque ejus archi-præſuli infulæ defuerint, id inde profectum eſſe, quod coronando cum Colonienſi interceſſerint lites, aut ille de majori Moguntini ſanctitate perſuaſus fuerit. Videamus jam, quomodo ille Colonienſis rem agat, & Moguntini argumenta refutet. Colonienſis rationes, ut ille Ludwigii calamo ſunt propoſitæ in ſequentibus conſiſtunt. 1) Quod a ſexcentis, & quod excurrit, annis, ex quo Germanica innoteſcere cœpit coronatio, tam Aquisgrani, quam alibi cæſareo a Colonienſi impoſitum ſit diadema vertici: In Ottonis autem I. coronationis ſolennibus id munus Wigefrido Colonienſi, Hildeberto Moguntino archiepiſcopo, *viro magnæ litteraturæ & ſanctitatis* ſuffragante permiſſum eſſe, conſtat. Provocatur hic ad GöBELINVM *in Coſmodromio ad ann. 937. p. 248.* & WITTECHINDVM *lib. 2. p. 640.* Verum ab Ottone I. regium Aquisgrani ſumebatur inſigne, qui tamen locus a Moguntini coronandi jure erat exemtus. Inter Colonienſem autem & Trevirenſem lites de jure coronandi erant exortæ, ubi Colonienſis jus diœceſanum, quippe cum Aquisgranum Colonienſis diœceſis urbs eſſet, Trevirenſis vero ſedis ſuæ antiquitatem urgebat. BROWERVS *tom. 1. annal. p. 453.* cui addendum, quod Aquisgranum ad antiquum Lotharingiæ regnum, cujus primas erat, ſpectaret. Vid. HINCMARVM *tom. 1. oper. p. 743.* Cumque diſſidium hoc illo tempore terminari non poſſet, compromiſerant quaſi in Moguntinum, ut ille, utriusque jure ſalvo, coronationis actum ſuſciperet. Si DITMARO *lib. 2. p. 18. Maderianæ editionis* fides adhibenda, Moguntino cura cathedræ ſuæ, Colonienſi ſuffragante, coronationis ſacra celebranti Trevirenſis auxiliatricis præbuit manus: Verba illius autoris hæc ſunt: *Hunc Hillibertus Moguntina cura cathedra cum licentia Wigfridi ſanctæ ſedis Colonienſis archi-præſulis, in cujus diœceſi hoc fuit, & auxilio Trevirenſis benedixit.* Suadere videntur memorata verba Moguntinum ratione cathedræ ſuæ primariæ ſive primatus jure facultatem coronandi Germaniæ regem ſibi tribuiſſe, nec Colonienſis jus eximendi ab hac Moguntini facultate Aquisgranum ut ſuæ diœceſis locum, tum temporis ſatis ſtabilitum fuiſſe. Ottonem II. Aquisgrani non ſolum Bruno archiepiſcopus Colonienſis, ſed & Wilhelmus & Henricus cæterique ſacerdotes domini unxerunt. RVOTGERVS in *vita Brunonis* apud LEIBN. *tom. 1. ſcriptor. Brunſv. p. 287. ALBERICVS ad ann. 961.* Erat autem Wilhelmus archiepiſcopus Moguntinus Ottoni I. ex Slava quadam nobili natus, Henricus vero Trevirenſium ſedi archipræſul præſidebat. BROWERVS *in annal. Trevir. lib. 9. p. 466.* Ex verbis itaque Ruotgeri colligere poſſumus, paria trium archipræſulum in Ottonis II. inauguratione fuiſſe munia. Atque ſic cancellarius Hallenſis a veritatis tramite aberrat, quando Colonienſi præcipuum in illis unctionis ſolemnibus tribuit locum. Non minus veterum teſtimonio repugnat, quod Otto III. Moguntiæ, aberrante Baronio, corona velatus ſit regia, ac traditio, Colonienſis ex morbo decumbentis juſſu a Johanne Ravennati epiſcopo, Moguntino tantum aſſiſtente, factum eſſe. Audiamus hac de re DITMARVM circa finem lib. III. talia proferentem. *Hujus* (Ottonis II.) *inclyta proles, nata ſibi in ſylva, quæ Retil vocatur, in die proximi natalis domini, ab Joanne archiepiſcopo Ravennate & a WILLIGISO MOGVNCIASENSE in regem conſecratur Aquisgrani.* Potius creden-

mes de Weda verrichten helffen, der notorie nicht in epiſcopum conſecrirt geweſen, ſondern ſich des Ertz-Stiffts per reſignationem abgethan, Rudolphus II. aber tempore Salentini Iſenburgici (der reſignato ſimiliter archiepiſcopatu ſich verheyrahtet) Matthias, Ferdinandus II. & Modernus glorioſiſſimus, Ferdinandus III. imperatores, ſeynd alle bey Zeiten Ferdinandi Bavari electoris ultimo defuncti

dum videtur, archiepiſcopum peregrinum, ab Ottone II. in Italia commorante brevi ante vitæ finem in Germaniam ad promovendum coronationis negotium miſſum aſſiſtentis munere functum fuiſſe. Fateor, ab Henrico II. Colonienſem alienato fuiſſe animo. Hermanni forte Alemanniæ ducis occulte fovit partes, nec dubito, quin magis adhuc præſul commotus ſit, cum ſanctus Henricus Moguntiæ ex Moguntini manibus diadema ſumſerit. Non autem Colonienſis indignatus eſt, quod Moguntiæ a Moguntino ſe coronari paſſus, quam quod coronatio non fuerit Aquisgrani factus, quem locum ut Caroli M. ſedem ad coronationis ſolennia ſeparatum, nullique alii in illo ſuæ diœceſeos loco regio capiti inſigne circumponendi, quam ſibi facultatem competere, ſibi perſuadebat. Satis produnt illud verba *autoris incerti vita Henrici S.* apud LEIBN. *tom. 1. p. 433.* dum inquit: *Occurrit etiam Colonienſis archiepiſcopus, ſed quanto ditior, tanto moroſior. Erat inſuper cauſa dilationis Moguntia accepta corona benedictionis.* Anniſus quidem eſt Henricus, archipræſulem illum placare, cum ex re ſua eſſe crederet, eum ſibi adſtipulari. SIGEBERTVS GEMBLAC. *nov. edit. Piſtorii tom. 1. p. 829. ad ann. 1021.* An autem Henricus, qui archiepiſcopum ſtomachantem ſibi reconciliaret, Aquisgranenſi adhuc coronationi indulgere voluerit, an vero id obinde potiſſimum factum, ut Lotharienſes proceres, qui hactenus ipſius non amplexi erant partes, ſibi adjungeret, aliorum dijudicationi relinquo. Imo videtur Aquisgrani non tam nova coronatio, quam repetita proclamatio facta. Id namque ſuadent hæc incerti autoris, cui Henrici vitam debemus: *Cum his* (Leodicenſi & Cameracenſi epiſcopis, nec non Colonienſi archiepiſcopo) *Aquisgrani perveniens cæteris Lotharienſibus convenientibus in nativitate, poſt partum virginis eligitur, collaudatur, in regiam ſedem extollitur, glorificatur.* Quod autem dicitur, Colonienſem tunc ab Henrico obtinuiſſe, ne quisquam archiepiſcoporum extra Aquisgranum, ubi hoc jure Colonienſis privative, ut ajunt, gauderet, cæſarem corona indueret, fabulam ſapit. Conrado II. Aribo Moguntinus archiepiſcopus Moguntiæ diadema impoſuit. AVCTOR *vita Meinwerci §. 93.* WIPPO *in vita Conradi Salici* apud PISTORIVM *in ſcriptor. VI. p. 427.* LVDWIGIVS autem hanc rei aſſignat cauſam, quod Pelegrinus Colonienſis alterius Conradi in conſequendo Germaniæ regno Salici æmuli partes ſecutos, regi diſplicuerit. Sed Colonienſis archipræſul, antequam Conradus diadema ſumeret, cum eo in gratiam redierat. Teſtem hic ciere liceat WIPPONEM *l. c. p. 426.* ſequentia proferentem: *Quanquam archiepiſcopus Colonienſis & dux Fridericus, cum aliis quibusdam Lutheringis, cauſa junioris Chunonis, ut fama fuit, immo hoſte pacis diabolo inſtigante, impacati diſcederent, qui tamen cito reverſi, quicquid ipſe præceperat, gratanter accepere.* Quod autem Pelegrinus reginam in Colonienſi eccleſia conſecraverit, id eo tempore ut plane ſingulare habitum eſſe, hæc WIPPONIS indigitare videntur verba: *Et archiepiſcopus Pelegrinus, quaſi pro emendatione prioris culpæ impetrabat a rege,* (tanquam regiæ gratiæ ſignum) *ut ſibi liceret in eccleſia Colonienſi reginam coronare.* Henricus III. quidem a Pelegrino Aquisgrani coronatus eſt. WIPPO *p. 436.* LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad ann. 1028. Attamen nec tum absque omni fuiſſe dubio, quod Colonienſi Aquisgrani jus coronandi competeret, quæ de coronatione Henrici IV. LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad annum 1054. habet, docent. *Imperatoris filius, Henricus,* inquit, *conſecratus eſt in regem Aquisgrani, ab Hermanno Colonienſi archiepiſcopo, vix ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luitpoldi archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat: Sed imperator potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra diœceſin ipſius conſecratio hæc celebranda contigiſſet:* Henricus V. æque ac frater ejus Conradus a Colonienſi archiepiſcopo Segwino germanica eſt redimitus corona: Verum hæc Aquisgrani celebrata eſt ſolemnitas. GOBELINVS *in Coſmodromio p. 263. ſeq.* Lotharius Saxo regia quoque Aquisgrani a Colonienſi evinctus corona, documento eſt, magis adhuc illo tempore opinionem invaleſcere cœpiſſe, Aquisgranum eſſe, ubi a Colonienſi tanquam in ſuæ diœceſeos urbe electi cæſaris capiti corona proſpiciendum eſſet. *Magnum chronicon Belgicum p. 135. DODECHINVS in appendice ad Marianum Scottum ad annum 1125. Continuator Sigeberti Gemblacenſis ad ann.* 1126. Porro Conrado II. a Theodorico epiſcopo Cardinale & Romanæ ſedis legato, Aquisgrani diadema impoſitum; *nam Colonienſis (qui id facere jure debuerat, noviter inthroniſatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi & Trevirenſi archiepiſcopis, cum ceteris in regem ungitur,* OTTO FRISINGENSIS *chron. lib. VII. c. 22.* Ridiculum autem eſt, quod dominus Cancellarius ut ſingulare quid notare videatur, non Moguntinum, ſed Theodoricum cardinalem hic Colonienſis vice functum; cum tamen Moguntina ſedes tunc paſtore careret. OTTO FRISINGENSIS *l. c.* Succedit Fridericus I. qui Aquisgrani itidem a Colonienſi diademate exornatus eſt. OTTO FRISINGENSIS *de geſtis Friderici II. lib. 2. c. 2.* Adde GVNTHERVM *in Ligurino lib. 1. n. 60. MAGN. chron. Belgicum p. 179.* Apparet autem, nullam aliam ob rationem, Colonienſem hoc ſibi vendicaſſe jus, quam quod illud ab antiquo, Aquisgrano ſuæ diœceſeos loco, competeret; quo GVNTHERI verba collineant: *Quippe hunc veteris ſibi juris honorem vendicat ille locus.* Fateor uſu quaſi aut tacito pacto deinde invaluiſſe, ut coronationes plerumque nonniſi Aquisgrani fierent, igitur omnes Germaniæ reges Friderico II. excepto *chronic. Auguſt. p.* 1212. usque ad Ludovicum Bavarum a Colonienſi coronati ſunt. Vid. SCHAT. & ab eo citati autores. Philippus Suevus quidem Aquisgrano adverſariorum aſtu excluſus, Colonienſique cum Ottone ſtante, Moguntiæ ab archiepiſcopo Tarantaſienſi conſecratus fuit. ARNOLD. LVBEC. *lib. 6. c.* 2. Ut autem Colonienſem ſibi conciliaret, & opinioni illi de Aquisgrano, imperiali coronationi deſtinato loco ſatisfaceret, Aquisgrani denuo a Colonienſi archipræſule conſecrari voluit GODEFREDVS *monachus p.* 275. Quod autem ad Ludovicum Bavarum attinet, nonnulli autores ſimpliciter dicunt, ipſum Aquisgrani eſſe coronatum, alii hoc a Moguntino, alii ab hoc & Trevirenſi illud factum eſſe tradunt. Nulli vero autorum, quotquot eorum mihi inſpicere datum, conqueruntur, quod hac ratione Colonienſis injuriam paſſus ſit. Vid. GOBELINVS *in Coſmodromio p.* 248. REBSDORF. *p.* 241. STERO *ad annum* 1313. ALBERTVS *Argentinenſis p.* 118. ANDREÆ PRESBYT. *chron. Bavariæ p.* 22. MVTIVS *in chron. lib.* 24. *p.* 862. *tom. 2. Piſtor. nov. edit.* LEHMANNVS *in chron. Spirenſi lib. 7. c. 14.* Sub Carolo IV. Colonienſi facultas, cæſari diadema imponendi confirmata, quoque in ſubſequentibus imperatoribus regio evincendis inſigni uti perrexit. Sed omnes, qui ab ipſo usque ad Rudolphum II. diadema ſumſerunt, illi Aquisgrani induti ſunt. Neque Carolus IV. in aurea bulla ad alium coronationis locum reſpicere potuerat, quam ad Aquisgranum, cum tot ante ipſum cæſares continua ſerie ibi coronati eſſent, & opinio ad illum locum, tanquam ad Caroli M. ſedem, coronationem reſtringi, & a nemine ibi præter Colonienſem, utpote cum ſuæ diœceſeos locus eſſet, fieri poſſe. Cumque Rudolphus II. aliique ipſum ſequentes imperatores alibi, quam Aquisgrani regio exornarentur diademate, munere coronandi Moguntinus, non Colonienſis functus eſt. Nec facile tibi perſuaſeris, id ob unctionis defectum, quo Colonienſis deſtituebatur, factum eſſe, cum facillimo negotio unctionem obtinere potuiſſet, ſi quid inde auxilii ad imperatorem etiam extra Aquisgranum coronandum ſperare potuiſſet. Quod ad reverſales attinet literas, quæ Colonienſi datæ dicuntur, ne, quod a Moguntino factum, juribus ſuis noxium eſſe debeat, haud dubie rariores erunt, & ſi quæ datæ ſunt, nihil aliud involvent, quam Colonienſi jus ſuum, Aquisgrani cæſaris vertici regium addendi inſigne, ſalvum fore. Nec conſtat, Colonienſem aliquid moviſſe, ſed potius Moguntino in coronationis

Folgende fünff Römiſche Kayſer, als Maximilianus II. im Jahr 1562. Rudolphus II. im Jahr 1576. Matthias im Jahr 1612. Ferdinandus II. im Jahr 1619. und Ew. Kayſerl. Maj. ſelbſt, ſeynd zwar von denen Ertz-Biſchöffen zu Cöllen nicht, ſondern von den Ertz-Biſchöffen zu Mayntz, gekrönt worden, es iſt aber die Urſach deſſen in der erſter kurtzen deduction ſchon angezeigt, daſs nemlich ſolche fünff Krönungen in dreyer Ertz-Biſchoffen zu Cöllen Zeiten eingefallen, welche mit den Biſchöflichen infulis nicht verſehen geweſen, und zwar iſt de Maximiliano II. bekant, daſs unter wehrendem Wahltag, nemlich 2. Novembr. anno 1562. Joannes Gebhardus Mansfeldius Ertz-Biſchoff zu Cölln geſtorben, und dahero das Churfürſtl. Collegium an das Thum-Capitul zu Cölln ein Erinnerungs-Schreiben, die Wahl eines neuen Ertz-Biſchoffen zu beförderen abgehen laſſen, mit dem Anhang, daſs wann ſolche in einer gewiſſen darin beſtimten Friſt nicht für ſich gehen ſolte, alsdann höchſtermeldtes Churfürſtl. Collegium mit der Election eines Römiſchen Kayſers unerachtet eines Churfürſten zu Cölln Abweſenheit fortfahren wolte, worauf dann auch erfolgt, daſs Churfürſt Fridericus à Weda erwæhlt worden, der auch ſeine Reiſe nacher Franckfurt alſo beſchleunigt, daſs er der Kayſerlichen Wahl noch beywohnt, und weilen nun demſelben in ſolcher kurtzer Friſt die Biſchöfliche Weyhe und Infulas zu erlangen unmöglich geweſen, er einfolglich auch die Crönung nicht verrichten können, ſo gibt es ſich von ſelbſten, daſs es auf einen andern Churfürſten devolvirt werden müſſen. Wie ſtætlich aber ſelbiger Churfürſt zu Cölln ihm und ſeinen Succeſſoren ihr Jus hierin verwahrt, iſt aus deme damals, nemlich den 2. Decembr. in Gegenwart der Churfürſten Mayntz, Trier, Cölln, Pfaltz, Sachſen aller in Perſon und der Chur-Brandenburgiſche Geſandte gehaltenem protocollo zu erſehen. Und will man hier die im Chur-Cöllniſchen protocollo befindliche formalia bona fide hinzu ſetzen, ſo Zweifels ohne in der übrigen Herrn Churfürſten protocollis auch enthalten ſeyn werden, und lauten ſelbige alſo: **Cölln: bittet *aſſecuration*, daſs ihme die *Coronation* durch Mayntz beſchehen, ſo ihme vermög der güldenen Bulle gebührt, nicht nachtheilig ſeyn ſolle,** und folgt darauf: **Solches iſt bevvilligt.** Woraus abzunehmen, daſs, ob wol die Crönung zu Franckfurt geſchehen, dannoch von dem geſamten Churfürſtlichen Collegio præſupponirt worden, daſs es vermög der güldenen Bulle dem Ertz-Biſchoffen zu Cölln gebührt, und derowegen billig erachtet, daſs ihm ſein Jus, welches er ob defectum qualificationis nicht vertreten konte, ungekrænckt bleiben ſolte.

Rudolphus II. iſt tempore Salentini Iſenburgici erwæhlt worden, welcher Salentinus ex cauſis Summo Pontifici probatis die Biſchöfliche Weyhe und Infulas nicht angenommen, ſondern hernach das Ertz-Biſchoffthum verlaſſen und ſich in den Eheſtand begeben.

Die drey leztere Electiones & Coronationes ſeynd alle ſæmtlich tempore ultimo defuncti electoris Ferdinandi Bavari geſchehen, welcher gleichergeſtalt ex cauſſis relevantiſſimis & à ſummo pontifice approbatis mit den Infulis nicht verſehen geweſen, der doch nicht weniger als ſei-

ne

ne beyde næchſte Vorfahren ſein Jus jedesmals reſervirt und vorbehalten, deſſelbigen auch propter in qualificationem ſuæ perſonæ ſeinen Ertz-Stifft und Succeſſoren nicht verluſtig machen können: Wie ſich dann unter andern in dem Decreto coronationis Ferdinandi II. Ew. Kayſerl. Maj. Herrn Vaters glorwürdigſter Gedæchtnis dieſe formalia befinden: **Es werden ſich auch die geiſtliche Churfürſten der** ***Conſecration*** **und des Amts vergleichen müſſen, ſonderlich dieweil Ihre Churfürſtl. Durchl. zu Cölln nicht zu ſolchem** ***actu habilitirt*****, damit dero Statt gebührlich erſezt werden möge.** Was kan hier heller und deutlicher ſeyn? da ausdrücklich gemeldet wird, daſs Chur-Cöllns Stelle ob defectum qualificationis zu erſetzen ſeye, und derowegen folgt, daſs, wann ſolcher defectus nicht im Weg geſtanden, es demſelben, ob ſchon die Krönung nicht zu Achen oder in der Chur-Cöllniſchen Provintz, ſondern zu Franckfurt geſchehe, unſtrittig gebührt habe.

Als auch hernach bey Ew. Kayſerl. Majeſt. ſelbſteigener Römiſcher Königlicher Krönung Churfürſt Ferdinand zu Cœlln hochſeliger Gedæchtnis beſorgt, daſs an Seiten des Ertz-Stiffts Mayntz man ſich einer Gerechtſame anzumaſſen anfangen mœchte, hat derſelbe der Krœnung nicht beywohnen wollen, wann ihm nicht von Ew. Kayſerl. Majeſt. Herrn Vater glorwürdigſten Andenckens als damals noch regierendem Kayſer ein ſchrifftlicher revers, daſs der von Chur-Mayntz verrichtender actus dem Ertz-Stifft Cölln an ſeinem Jure coronandi unnachtheilig ſeyn ſolte, ausgeantwortet würde, inmaſſen dann derſelbe unter dem 8 Januarii Anno 1637. ausgefertigt und Se. Churfürſtl. Durchl. zugeſtellt worden.

Aus welchem allem Sonnenklar erſcheint, daſs die leztere wenig actus coronationum nicht darum von den Churfürſten zu Cœllen, daſs Sie extra ipſorum provinciam vorgangen, ſondern ob defectum infularum ipſorummet archiepiſcoporum unterlaſſen, weniger dem Ertz-Stifft Cœllen dadurch ſein à multis ſæculis anerworbenes und herbrachtes auch in legibus fundamentalibus Imperii beſtætigtes Recht benommen oder entzogen worden, noch denen Ertz-Biſchoffen von Mayntz durch ihre loco Colonienſium vertretene function ein mehrers Recht als Anno 1630. (da beyde Churfürſten Anſelmus Caſimirus zu Mayntz und Ferdinandus zu Cœllen ob defectum infularum nicht qualificirt waren) dem Churfürſten Philips Chriſtoffen zu Trier durch Ihrer Majeſtæt der Kayſerinnen Eleonoræ (Jure devolutionis non vero delegationis Moguntinæ) verrichtete Krœnung, ob wol dabey gar keiner reverſalen gedacht worden, anerwachſen.

Und muſs endlich dieſes inſtar omnium argumentorum ſeyn und bleiben, daſs kein einiger actus Coronationis poſt & ante auream bullam à multis ſæculis vorgebracht werden kan, da ein Churfürſt zu Cölln zur Stelle und in infulis geweſen, daſs ſolcher durch einen Ertz-Biſchoffen und Churfürſten von Mayntz ſeye verrichtet worden, hingegen ſich aber wol zugetragen, daſs ein Ertz-Biſchoff zu Cœlln, da er conſecrationem epiſcopalem gehabt, etiam extra ſuam Provinciam hierin ſein Amt vertreten, wie oben de imperatrice Eliſabetha uxore Alberti Cæſaris (welche à Wichboldo Colonienſi Anno 1299. ipſo Moguntino aſtante zu Nürnberg auf öffentlichen Reichs-Tag gekrönt) angezogen worden, welches Exemplum dann darum ſo viel kræfftiger ſeyn muſs, weilen des gegenſeitigen Schrifftſtellers Meynung nach ein Churfürſt zu Cöllen in Krönung einer Römiſchen Kayſerin viel weniger Rechts als eines Römiſchen Kayſers (indeme davon die güldene Bulle nichts meldet) haben ſolle.

Welchem allem man noch dieſes hinzu thun muſs, daſs, dafern das Jus Coronandi à limitibus diœceſeos oder provinciæ ſeine Maſs nehmen ſolte, es Ihrer Churfürſtlichen Gnaden zu Mayntz ſo wenig als Ihrer Churfürſtlichen Durchlaucht zu Cœlln in der Stadt Regenſpurg (zumalen ſelbige in des Ertz-Biſchoffen von Saltzburg Provintz gelegen) zuſtehen oder gebühren würde.

Daſs aber ſo wenig actus vorhanden, da die Ertz-Biſchöffe zu Cœllen extra Provinciam die Coronation gethan, deſſen iſt die Urſach, daſs vor Zeiten man von dem privilegio locali ungern abtreten, und die Krönung anderswo geſchehen laſſen wollen.

Wann auch zu Zeiten die Geſchicht-Schreiber oder andere Scribenten vermelden, Colonienſem archiepiſcopum coronare reges Romanorum Aquiſgrani vel intra ſuam diœceſin, kan ſolches nicht privative, ſondern cumulative, id eſt, quod & ab ipſis & ibi fieri conveniat, verſtanden werden.

Und dieſes iſt ſenſus omnium politicorum, die jemals von dieſer materia tractirt haben, wie ſolches bey denen ſchon vorhin *allegirten Buxtorff. in Aur. Bull. num. 46. & ſeqq. Rumel. in Aur. Bull. diſſ. 6. Limnæo de Jur. Publ. lib. 2. cap. 4.* und mehr andern zu ſehen iſt, daſs nemlich ſecundum clara verba & verum intellectum *Aur. Bull.* ein Churfürſt zu Cœlln ſemper & ubique recht und macht habe die Krönung zu verrichten, adeoque id juris oſſibus ipſius æque ac aliis principibus electoribus ſua officia inhærere, ein Churfürſt zu Mayntz aber ſich anders nicht darum anzunehmen habe, als wann der Churfürſt zu Cœlln in der Biſchöflichen Weyhe und Infulis nicht begriffen, wobey dann auch dasjenige, was in der erſten kurtzen Information de teſtimonio Petri Oſtermanni in ſeiner paraphraſi ad *Aur. Bullam* erwehnt worden, ſo gar gering, wie es an der Gegenſeiten gemacht werden will, nicht zu achten ſeyn kan, wann nicht ſo viel auf den Authorem, als die Authoritæt Ihrer Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz ſelbſt Anſelmi Caſimiri (aus dero Befelch und unter dero Namen er *Aur. Bullam* revidirt, und ſolche ſeine Paraphraſin ausgehen laſſen) das Abſehen genommen wird.

Aus

Aus welchem allen nun, allergnædigſter Kayſer und Herr, wird quilibet æquus arbiter leichtſam urtheilen kœnnen, daſs dieſe Würde, einen Rœmiſchen Kayſer zu krœnen, niemanden anders als einem Ertz-Biſchoffen und Churfürſten zu Cœlln Rechts wegen competirt, und iſt derowegen der Churfürſtl. Durchl. zu Cœlln unterthænigſte Bitte, Ew. Kayſerl. Majeſt. wollen hierinn dero Kayſerl. deciſion ergehen zu laſſen, und zu erkennen geruhen, daſs ein Zeitlicher Ertz-Biſchoff zu Cœlln in künftigen Zeiten, wann ſich der Caſus (den doch GOtt lang verhüten wolle) begibt, dabey ohn einige fernere turbation zu ſchützen und zu handhaben ſey, wordurch dann Ew. Kayſerl. Majeſtæt dero gerechtes Kayſerlich Gemüht bey mænniglichen zweifels-ohn noch mehrers Lob- und glorwürdig machen werden.

Iterata Diſſertatio de jure coronandi pro electore Moguntino, contra Colonienſes vindicias.

Si *placidum, & ſine felle dicendi genus meliorem fere cauſam comitari, & commendare conſuevit*, uti vere iteratarum vindiciarum Colonienſium autor aſſerit, ipſe utique & cauſa omni cecidit, & ſibimet ipſi imprudens ſententiam dixit. In Moguntina enim diſſertatione nihil quicquam durius dictum eſt, quum nihil aliud propoſitum fuerit autori, quam ut ſumma fide ex veterum, & eorum inprimis monumentis, qui rei geſtæ fuiſſent proximi, aut alias magnam rerum Germanicarum peritiam acquiſiſſent, colligeret, quæ ad nobilem hanc controverſiam facere videbantur.

Dictione igitur in toto illo ſcripto uſus eſt facili, & moderata, nec ullum ſibi dictum inclementius atque aſperius excidere paſſus eſt, niſi forte quis ſecus accipere velit, quod ſæpius, modeſte tamen, monuit cauſæ Colonienſis patronum, ſicubi erravit. Id vero plane erat neceſſarium, neque Moguntinorum eſt præſtare illam culpam: Imputet id ſibi patronus cauſæ Colonienſis.

Quantum alias ſit inter Moguntini Diſſertatoris moderationem, & Colonienſis Vindicis aſperitatem diſcrimen, cuique patet, cui ab aliis negotiis tantillum vacat, ut & Moguntinam diſſertationem, & Colonienſes iteratas vindicias inter ſe conferre poſſit. Modeſtiſſimus enim vindiciarum Colonienſium autor, uti videri vult, omnes fere paginas durioris & inclementioris animi noluit eſſe expertes, quas tamen hinc inde in vindiciis legi quam hic uno obtutu omnium conſpectui exponi mavult diſſertator, ne vel in congerendis alienis maledictis modum excedere videatur. Accedunt multa verborum involucra & alienæ a ſeria veritatis inquiſitione exaggerationes, de quibus quid ſentiendum ſit, aliis relinquitur arbitrandum. Patrono autem Moguntino vel laceſſito religio eſt quicquam reponere, quod a ſolita ipſius modeſtia videri poſſit eſſe alienum.

Neque illo enim fine hac de re ſcribitur, ut aut judici aut aliis hæc lecturis fucus fiat, aut ut commotis affectibus in transverſum rapiantur legentium animi: id enim cauſidicorum eſt. Longe alia mens eſt ei, quem patronus cauſæ Colonienſis advocatum Moguntinum ſemper appellat, (ideo fortaſſis ut eum ſuſpectum reddat, ceu notis advocatorum artibus electoris Moguntini cauſam tueri voluerit.) Nam is partes tantum hiſtorici egit, neque uſpiam ſolita pleriſque & lubrica illa advocatorum veſtigia more autoris vindiciarum Colonienſium ſecutus eſt; ſed id ſibi præcipue propoſitum habuit, ut tandem tantæ autoritatis in Romano imperio electores, in quorum concordia ad conſervandam Germaniæ tranquillitatem haud parum ſitum eſt, perſpecta accurate tota hac controverſia eo facilius vel amice inter ſe rem omnem componere poſſent, aut vero etiam, ut illi, qui aliquando de hac controverſia cognoſcent, haberent, unde de hoc negotio ſine partium ſtudio judicium facerent.

2. Omiſſis igitur deinceps iis, quæ aut ſuperflua aut maledica, aut plane parerga ſunt, quæ tamen non minimam partem vindiciarum conficiunt, ad rem ipſam accedere & ordinem in priori diſſertatione Moguntina obſervatum, & ab autore vindiciarum Colonienſium retentum ſequi, quæque ab eo interſerta ſunt, ſimul expendere libet. Dabitur autem opera, ut omnia dicantur breviter, quantum id quidem fieri poteſt, ne jam ſæpius dicta magna cum moleſtia hic repetantur. Ea enim, ſicubi jam in prioribus ſcriptis expoſita ſunt, verbo notaſſe ſuffecerit.

3. De uno tamen atque altero initio monendus eſt lector, quum animi inconſtantis, nec ſatis cauſæ ſuæ fidentis, in autore vindiciarum manifeſta videantur eſſe indicia.

4. Primo enim reprehendit patronum cauſæ Moguntinæ, quod ſcripto Colonienſi vernaculo idiomate conſcripto latine reſponderit. Nonne vero perinde eſt, quomodo quis reſpondeat, latina, an vernacula lingua, modo id dextre & ſincere fiat? Inter eos enim agitur hæc controverſia, quibus par eſt latinæ & vernaculæ linguæ uſus. Ideo autem opportunius viſum eſt uti lingua latina, quia multa veterum hiſtoricorum teſtimonia afferenda erant in medium, quæ melius erat latine quam germanice legi, ne quis male reddita eſſe ſuſpicari poſſet. Sunt enim, qui vel in apicibus præſidium quærunt, ne cedere videantur. Deinde, ut exteri etiam germanicæ linguæ ignari, quorum id intereſt, & ad quos fama hujus controverſiæ jam pervenerat, cognoſcere poſſent, quo jure uterque archiepiſcopus niteretur.

Ne vero conqueri amplius de eo poſſit, habebunt Colonienſes, quam legant vernacula quoque lingua non ita pridem conſcriptam juris Moguntini aſſertionem.

5. Alterum eſt, quod ſtatim ſub initium §. 3. *proteſtatur, non eſſe ſui conſilii jus Colonienſis eccleſiæ* ex

ex antiquorum hiſtoricorum invicem diſſidentium, raroque eadem ſcribentium libris eruere & adſtruere. Id deinde ſæpius repetit, quin etiam in appendice, propoſita peculiari quæſtione; *quantum in controverſia coronaria tribuendum ſit hiſtoricis*, aut nullam aut modicam illis fidem tribuit, eorumque diſſenſum accuſat, per quem fiat, ut *Colonienſium ſcriptorum conditio tanto melior videri poſſit, quod cauſam principis ſui, pontificum, imperatorumque diplomatis munitam habentes, de hiſtoricorum ſuppetiis, veluti incerto lubricoque præſidio minus illis liceat eſſe ſollicitis. Moguntini ex adverſo a majoribus auxiliis nudi, fidem hiſtoricorum nec ſatis expenſam, neque ſi recte expendatur, ſatis ſibi ſecuram magno molimine opponant.* Ita ille. Quis vero non videt, vindicem cauſæ Colonienſis, quamvis invitum & reluctantem manus dare, & hiſtoricorum autoritatem, quid ſuo tempore acciderit teſtantium, Moguntinis plane concedere? Non eſt autem nunc hujus loci, aſſerere fidem hiſtoriæ veteris, quæ, quod actus ipſos inprimis attinet, atque res aliqua geſta ſit, annon, & conſtat ſibi, neque ſine magna imprudentiæ nota in dubium vocari, aut poteſt, aut debet. Meminerint vero, qui hæc avia conſectantur, peſſimos τῶν νεωτεριζόντων illuc ire, ut omnem ſacræ & eccleſiaſticæ hiſtoriæ fidem deſtruere poſſint. Id ſi animo verſaverint, quibus fides catholica cordi eſt, rectius de fide & autoritate hiſtoriæ veteris ſentient.

6. In hac ipſa autem controverſia revolvendi utique neceſſario ſunt veterum annales. Quæritur enim, quis per trecentos circiter annos a Pipino usque ad Henricum III. Germaniæ & Romanorum reges conſecraverit. Quæſtio autem eſt de facto, quod, an & quomodo contigerit, non aliter innoteſcere nobis poteſt, niſi aut ex veterum monumentis, quæ eo majorem merentur fidem, quo illi ætati ſunt propiora; aut ex antiqua traditione, quæ tamen, quod res hiſtoricas & facti attinet, quum magis obnoxia ſit varietati, autoritati veterum monumentorum plurimum cedit, & cum illis merito conferri debet. Nunc igitur, quum veteres autores pleroſque illorum regum a Pipino usque ad Henricum III. a Moguntinis archiepiſcopis conſecratos eſſe tradant, non faciet utique vindex Colonienſis, quicquid etiam conetur, ut illi nihilominus a Colonienſibus archiepiſcopis coronati eſſe cenſeantur, præſertim quum & autoritate veterum monumentorum, & traditionis, & diplomatum pontificum, & imperatorum, quæ id innuant, deſtituatur. Deinde, quum ab Henrico III. usque ad Maximilianum II. omnes pene imperatores a Colonienſibus archiepiſcopis eſſe coronatos itidem ex veterum annalibus conſtet, Carolus etiam IV. imperator, illis officium & dignitatem primum diadema Romanorum regibus imponendi competere in pragmatica ſanctione teſtetur, recte utique iterum quæritur, qui factum, ut jus illud, quod primum penes Moguntinos archiepiſcopos fuerat, ad Colonienſes fuerit translatum. Neque enim dubitandum eſt, quin id ſine gravi cauſa non fuerit factum, quum unumquemque archiepiſcopum jurium ad ſuum archiepiſcopatum quovis modo ſpectantium magno ſtudio fuiſſe retinentem ſciamus. Utrumque autem horum ex veterum monumentis eruendum eſt, & illorum fidei ſtandum. Neque vero in eo veteres fuiſſe falſos dixeris. Res enim erat ejusmodi, quæ ſciri poterat, quæque in conſpectu & ore omnium erat. Nihil igitur cauſæ eſt, quare fides illorum in dubium vocetur, neque *decreta pontificum*, & *diplomata imperatorum*, quæ oſtentant Colonienſes, quicquam fidei illorum derogant, alias cum vindice libens faſſus fuero, his potius, quam illis eſſe fidendum.

7. Ne vero vindex fruſtra diſſenſum hiſtoricorum, & fidei hiſtoricæ incertitudinem accuſaſſe videatur, ſeligit in hac ipſa controverſia, quæ ipſi maxime dubia viſa fuerant, & illa ad tres notas temporis reducit, de quibus ita ait: *Videntur* (Moguntini) *tres potiſſimum veluti characteres temporum obſervare, quibus totidem diverſorum regum coronationes ad fulciendam pretenſionem ſuam adducunt:* Circa illos igitur magnam obſervari hiſtoricorum diverſitatem ait, quæ faciat, ut fides illis haberi nequeat; at vero non adſtringunt ſe Moguntini ad illos characteres, neque ſe intra illos continent. Sit tamen nunc ita, ut morem geramus vindici auram popularem captanti. Pergit igitur. Primam notam temporis obſervari in coronatione Pipini a Bonifacio facta: Illam vero plane eſſe dubiam: A Serario adduci pro affirmativa ſententia ſex autores, quatuor pro negativa, his duos alios addit, ut ſex pro affirmativa militent, ſex alii pro negativa.

Non poſſe igitur ſciri, quibus fides haberi debeat, quum par ſit negantium & affirmantium ſicut numerus, ita & fides. Sed non advertit vindex, quod nemo ſit autorum, Pipinum a Stephano coronatum eſſe affirmantium, qui neget eum etiam a S. Bonifacio antea fuiſſe conſecratum. Sed alii quidem eum a Stephano papa, alii a Bonifacio unctum eſſe ajunt. Primum enim a S. Bonifacio conſecratus, tum iterum a Stephano papa fuit coronatus; id eo tempore moris erat. Ita & Carolus M. & Ludovicus quoque Pius aliquoties fuere conſecrati. Præeunt nobis annales Fuldenſes, & dirimunt omnem controverſiam. Ad annum enim DCCLII. ita memorant: *Zacharias papa ex autoritate S. Petri apoſtoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui poteſtate regia utebatur regni totius & nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldericus rex, qui ultimus Meroingorum Francis imperavit, depoſitus & in monaſterium miſſus eſt. Pipinus vero in civitate Sueſſionum a S. Bonifacio archiepiſcopo in regem unctus, regni honore ſublimatus eſt.* Ad annum autem DCCLIII. *Stephanus papa Romanus auxilium contra Haiſtulphum regem Longobardorum petens ad Pipinum in Franciam venit, a quo honorifice ſuſceptus, apud Pariſios duos filios ejus Carolomannum & Carolum unxit in reges.* Ita quem Bonifacius priori anno unxerat, Stephanus papa, quum filios ejus conſecraret, iterum ungere potuit, & tum etiam conſecravit, quum fides ſcriptoribus, qui eum a Stephano coronatum eſſe ajunt, non facile denegari queat.

Nulla igitur prorſus in eo eſt diverſitas, ut ideo veterum ſcriptorum, & omnis propemodum hiſtoriæ veteris fidem in dubium vocare audeat vindex Colonienſis.

Ne vero exiſtimet, ſola tantum conjectura niti Moguntinos, en Adelmum, ſive Ademarum, ut

ut aliis placet, monachum Benedictinum, qui Ludovici Pii ætate vixit, aut vero ut Andreæ du Cheſne, in collectione veterum hiſtoricorum Franciæ & P. Bollando Tom. 2. 28. Jan. p. 875. viſum fuit, & antiqui quidam MS. codices indicant ipſum Einardum ſive Eginardum in annalibus id diſerte teſtantem. Ita enim is ad annum 750. *Hoc anno ſecundum Romani pontificis ſanctionem Pipinus rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Moguntini archiepiſcopi & martyris, & more Francorum elevatus in ſolium regni in civitate Sueſſiona.* Deinde iterum ad annum 754. *Stephanus papa, poſtquam a rege Pipino, ecclesiæ Romanæ defenſionis firmitatem acccepit, ipſum ſacra unctione ad regiæ dignitatis honorem conſecravit, & cum eo duos filios ejus Carolum & Carolomannum, manſitque hyberno tempore in Francia.* Eadem iisdem verbis, niſi plane ſunt eadem & ejusdem autoris, legas in fragmento annalium Francicorum *Tom. 3. Ant. Lect. Caniſii* & apud Regin. *l. 2. anno 752.* & Aimoinum *lib. 4. cap. 62.* ex quo illa quoque recitat Johannes Tilius *de rebus Gall. lib. 2. p. 101.* Andreas Ratisbonenſis in collectaneis de monaſteriis Bavariæ ſubjunctis ejus chronico, ubi de monaſterio Altahenſi agit, addit quoque Berthradam, quæ ſimul fuerit conſecrata a Stephano papa. Verba ejus ſunt p. 178. *Pipinum patrem Caroli magni poſt hoc anno nono S. Bonifacius archiepiſcopus ex decreto Zachariæ papæ unxit in regem, Hilderico rege in monaſterium miſſo. Quem etiam Pipinum poſt hæc Stephanus papa anno Domini 754. Patritium conſtituit Romanorum, & cum eo duos filios ejus Carolum & Carolomannum cum matre eorum Berthrada ſacra unctione in regiæ dignitatis honore confirmavit.* Quin, ne quid amplius dubii ſuperſit, adiri præterea poteſt Godefridus Henſchenius Soc. Jeſu *lib. 2. de tribus Dagobertis cap. VI.* quo ex vetuſto codice MSto, qui hiſtoriam Pipini & Caroli continet, ex chronico Fontanellenſi & Iperio abbate Sitivenſi in chronico Bertiniano cap. 7. part. 2. idem comprobat, & Iperium *ſecundæ coronationis Pipini regis*, quam nempe Stephanus peregerat, diſertam facientem mentionem adducit. Quid nunc eſt, quod ad hæc reponi poſſit? ſunt enim longe manifeſtiſſima. Ita primam notam temporis vindex Colonienſis minime Moguntinis dubiam fecit, ſed manet illa iis ſalva, ut etiam luculentius quam antea inde jus primum Moguntinorum archiepiſcoporum arceſſere liceat.

8. Eundum nunc eſt ad alteram. De ea ita ait: *Altera nota temporis eſt in celebri coronatione Ottonis I. Quatuor fere ſunt antiquiores ſcriptores, qui de ea re teſtari poſſunt, Witikindus & Ditmarus, Ottonis imp. ſynchroni, Otto Blaſius, & Gobelinus Perſona.* Reliqua vindicis verba repetere non eſt opus. Notari tantum expedit, quæ plane & manifeſto perperam dixit; Leviora autem errata nunc excutere non libet. Primo igitur magna eſt ἀνακολουθία, quod Ottonem quoque a S. Blaſio jungit (qui Ottonis M. ne meminit quidem) ſcriptoribus de Ottone M. teſtantibus: Incipit enim Otto Sanblaſianus hiſtoriam ſuam ab anno 1147. & deſinit in anno 1210. De Ottone autem IV. imperatore ipſi ſermo eſt, quum ex uſu ejus temporis, quo vivebat, non ſatis recte obſervato locutus, *Colonienſem & Treverenſem archiepiſcopos ſpecialiter privilegiatos* eſſe ait, ut reges Germanorum ungant. Deinde Gobelinus perſona recentibus quoque autoribus accenſeri debet, quum ante annos primum ducentos vixerit, & ab Ottonis magni ætate longius abſit, nec illa rerum Germanicarum fuerit peritia, qua hoc ſeculo fuere nonnulli, ut ideo fidem aliquam in narratione rerum geſtarum ab illius ætate longiori intervallo temporis disjunctarum præ aliis majorem mereatur. Tertio omnino falſum eſt, quod a Witikindo nullam juris diœceſios fieri mentionem ait. Hoc utique an bona fide actum, alii judicent; Witikindi verba toties allata ſunt, ut moleſta ſit, & ſupervacanea tam frequens eorum repetitio. Nonne enim diſerte de Wigfrido, Colonienſi archiepiſcopo, coronandi munus ad ſe trahente illam affert rationem Witikindus, *in ejus enim diœceſi hoc erat?* Nonne a Moguntinis ſæpius illa fuere adducta? Non faciet vindex, ut ea nunc non amplius in Witikindo legantur. Quum enim Moguntinus, Colonienſis & Treverenſis inter ſe contenderent, quis Ottonem conſecraret, quare Colonienſis id ad ſe pertinere judicaverit, eam afferre rationem Witikindus, quod Aquisgranenſis Baſilica in ejus diœceſi eſſet ſita, quare Treverenſis, quod illa eccleſia eſſet antiquiſſima. Uterque vero almitati Hildeberti Moguntini archiepiſcopi ſe tandem ſubmiſit. Hæc ſane manifeſta ſunt, & in diſſertatione Moguntina num. 30. luculenter probata, ut de eo, quod Wigfridus Colonienſis archiepiſcopus tum ratione diœceſios ſibi coronationem deberi exiſtimaverit, dubitari nequeat. Quarto nimium genio ſuo indulget, quod Hildeberto aliquid decedere exiſtimat, quia Wigfridus ſimul cum illo coronam Ottoni impoſuiſſe Witikindo dicitur. Neque minus enim hodie moris eſt, ut ſi quis rex Romanorum Aquisgrani conſecratur, illius capiti a tribus archiepiſcopis electoribus regia corona imponatur, & nihilominus tamen coronatio a Colonienſi archiepiſcopo peracta eſſe cenſeatur. Sic altera quoque temporis nota non minus atque prima aſſerta a vanis vindicis objectionibus eum deſtituunt, etſi eas ſelegerat, ut illis everſis eo facilius reliqua omnia in dubium vocare poſſet.

9. Tertiam notam temporis conſtituit in coronatione Henrici IV. Hic multa movet: Diverſitatem tamen nullam in aliis illius temporis hiſtoricis notare potuit. Quare quum omnes alii Lambertum Schafnaburgenſem, ceu probatæ fidei hiſtoricum laudent, nonnulli etiam præcipuum in hiſtoria Germanica ducant, ille ſolus carpit & ſuſpectum eſſe ait, quod cliens & ſubditus patrono ſuo Lupoldo Moguntino archiepiſcopo nimium indulſerit. Id vero minime probat, ſed potius meminiſſe debebat Lambertum monachum fuiſſe, de quo, niſi aliter aperte conſtet, id præſumi minime debeat. Nam quod de primatu Moguntino ait, in eo quidem nihil Lambertum ab aliorum veterum autorum teſtimonio dixiſſe alienum, deinde probabitur. Diſerta enim ſunt abbatis Urſpergenſis verba, quum Moguntinum archiepiſcopum *multiformiter in cis-alpinis partibus tenere*

primatum

primatum ait. Neque quod de diœceſi ait Lambertus, id aliud eſt, quam quod longe ante Witikindus de Wigfrido dixerat Colonienſi archiepiſcopo, *in diœceſi enim hoc ejus erat.* Quum etiam varii & graviſſimi autores, qui de ſtatu publico noſtri imperii ſcripſerunt num. 37. Diſſertationis Moguntinæ adducti, tempore Henrici IV. imperatoris, quod coronandi jus attinet, mutationem accidiſſe dicant, & ab hoc actu jus Colonienſium archiepiſcoporum primum arceſſant, non vero a Carolino aliquo aut Leonis III. pontificis privilegio omnibus ignoto, ſolus vindex id audacter negat, & tabulas publicas requirit, quibus illa ceſſio confirmetur. Sed fides veteris hiſtoriæ hic inſtar tabularum publicarum eſt. Autoritate imperatoris adductum Lupoldum, ut Hermanno Colonienſi archiepiſcopo, comiti palatino ad Rhenum, tam illuſtribus natalibus orto, & intra diœceſin ſuam coronaturo tandem cederet, non nunc primum faſſi ſunt Moguntini, ſed ſemper ſenſerunt. Diœceſin cauſam fuiſſe præcipuam & ratio ipſa ſuadet, & Lambertus innuit. Quod vero vindex rerum pondere preſſus præſidium in apicibus quærit, & voculas captat, atque quum Lambertus ait, imperatorem *hoc privilegium Colonienſi archiepiſcopo vendicaſſe*, neſcio quam energiam in verbo *vindicare*, uti illud immutat latere, exiſtimat, & imperatorem ad privilegium Leonis III. & Caroli M. reſpexiſſe arbitratur, id plane eſt præter Lamberti mentem, neque ulla refutatione indiget.

10. Æquus vero lector nunc iterum judicet, annon hoc ſit cauſæ non bonæ indicium, quod vindex rebus gravioribus relictis voculas captat, & ſubruendæ veterum hiſtoricorum in hac controverſia fidei ſeligit certa quædam loca, quæ ipſi maxime opportuna & dubia viſa fuerunt, neque tamen vel quod illa ſaltem attinet, quicquam omnino probare potuit: In illis enim temporis notis, uti vocat, Moguntinis eripiendis ita deficit, ut prorſus ſupervacanea cenſeri debeat illa toties repetita ad Carolum IV. imperatorem provocatio, ut nimirum monſtrent Moguntini advocati, quo demum imperatorem, quum auream bullam conderet, in tanta hiſtoricorum diverſitate intendiſſe animum putent. Nulla enim in illis a Colonienſi advocato magno ſtudio ſelectis notis temporis eſt alia diverſitas, aliter atque aliter ſentientium hiſtoricorum, niſi quam ſibi vindex Colonienſis falſo perſuaſit, & lectori non ſatis veteris hiſtoriæ perito obtrudere voluit.

11. Quum igitur lector ex hoc ſpecimine conjicere poſſit, quid ſibi deinceps de vindice Colonienſi promittere debeat, nunc porro inſiſtendum eſt ejus veſtigiis. Retinet autem ordinem argumentorum, quibus patronum cauſæ Colonienſis hinc inde uti obſervatum erat in diſſertatione Moguntina, & argumenta illa ad certum numerum fuerant contracta, ut omnia rectius lectorum oculis ſubjici poſſent. Sunt vero hæc, quæ ſequuntur:

Primum a Carolo magno hoc privilegio urbem Aquisgranum & Colonienſem archiepiſcopum *& Colonienſem archidiœceſin*, id addit vindex, fuiſſe ornatum.

2. Fuiſſe hoc jus Colonienſi archiepiſcopo bullis variorum pontificum & imperatorum reſcriptis aſſertum, *intra nempe & extra diœceſin*, addit iterum vindex.

3. A Colonienſibus archiepiſcopis & ante & poſt auream bullam ſemper fuiſſe usque ad Maximilianum II. exercitum, neque a Moguntinis niſi raro & ipſis conſentientibus uſurpatum.

4. Confirmatum publica ſanctione a Carolo IV. ſine ullo diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione.

Quinto denique functiones a Moguntinis electoribus in coronatione poſtremorum imperatorum exercitas veteri electorum Colonienſium juri minime obeſſe.

Eſſe hæc Colonienſium pro vindicanda archiepiſcopis Colonienſibus regum Romanorum coronatione argumenta, & recte in diſſertatione Moguntina obſervata fatetur vindex, atque conatur refutare quæ in diſſertatione Moguntina contra ea allata erant. Quam recte patebit ex ſequentibus.

12. Et vero, quod primum quidem attinet, an Carolus M. peculiari diplomate ſanxerit, approbante Leone III. pontifice, ut deinceps Aquisgrani in baſilica beatiſſimæ virginis ſedes regia locaretur, id nihil noſtra attinere & in diſſertatione Moguntina diſerte dictum fuerat, & nunc iterum ajunt Moguntini. Quum enim archiepiſcopi Moguntini non amplius ſibi coronationem, quæ Aquisgrani peragitur, deberi ſentiant, lege inſuper publica Caroli IV. cautum ſit, ut in ea urbe reges Romanorum conſecrentur, quid Carolus M. ea de re conſtituerit, parum noſtra intereſt. Quin etiam ſi ita res ſeſe habeat, ut vulgo creditur, juverit id quoque Moguntinos. Quod ſi enim id ſanxit Carolus M. & jus inde perpetuum acceſſit Colonienſibus archiepiſcopis, uti ſibi perſuadet vindex Colonienſis, mirum utique eſt, qui factum ſit, quod toties in ipſa illa urbe Moguntini archiepiſcopi reges Germaniæ nihilominus coronaverint. Neceſſe etenim eſt, gravem fuiſſe cauſam: Aliam autem, quocunque animus convertatur, nemo facile dederit, quam quod primus locus, & princeps eſſet Moguntini archiepiſcopi in Germania autoritas. Etſi igitur hæc ita ſe habent, quia tamen vindex Colonienſis in vindicando hoc privilegio Carolino adeo eſt operoſus, atque illam ſanctionem *ſudem eſſe in oculis advocati Moguntini* exiſtimat, quam ille tamen ſua nihil attinere diſerte faſſus eſt, conſiderandum utique eſt, quale demum ſit illud famoſum privilegium, quid ſibi velit, & quomodo cauſam Colonienſem juvet.

13. Non eſt vero nunc illi propoſitum manifeſto falſi arguere illud Carolinum diploma, quod inviolabile eſſe exiſtimat vindex Colonienſis, quia uterque imperator Fridericus primus & ſecundus, quemadmodum fratres eccleſiæ B. Mariæ virginis id in medium protulerant, ita confirmarunt: Notari tantum ex multis pauca poſſunt, in quibus vindex ingenium exerceat, ut illis expenſis huic diplomati priſtina conſtare poſſit autoritas. Afferuntur autem hæc ex aliorum eruditorum virorum ſententia: Alias enim diſſertatori eadem mens eſt, quæ P. Bollando dicenti: *Hoc diploma*

quam obtinere autoritatem debeat, alii judicent, complura in eo miramur. Nam ſuſpectare aperte, quæ alter imperator recitat, & traditio Aquenſis eccleſiæ tuetur, vix audemus. Plane & ille ita ſentit: vix quidem audet propter autoritatem tantorum imperatorum de eo dubitare; exiſtimat tamen eſſe in eo multa, quæ eruditi plurimum mirentur, neque facile digerant. Adducta fuerant inter alia in diſſertatione Moguntina hæc quoque Bollandi verba, quod ex illis conſtet eum de hoc privilegio fuiſſe dubium. Id ſecus ſe habere ait Vindex, num. 17. & Bollandum in illo privilegio una ſecum mirari dicit, *quod Baſilica Aquenſis præ tot aliis eccleſiis, & urbibus, & ipſa Moguntina eccleſia in tantum regalis unctionis faſtigium exaltata fuerit.* Quid vero a mente P. Bollandi & ab ejus verbis adeo apertis alienus dici poteſt? Miratur P. Bollandus, quæ de Grano fratre Neronis neſcio quæ inaudita & indicta aliis inſerta ſunt Carolino privilegio. Quum etiam in eodem Leo pontifex cum multis Romanis cardinalibus, epiſcopis quoque Italiæ, & multis Romanis principibus Roma a Carolo magno ad conſecrandum templum dicatur accitus, & vero P. Bollandus Tom. 2. de vitis ſanctorum 28. Jan. notet, *venit ad Carolum Leo III. exeunte anno* 804. *ſed non legitur accitus ab eo fuiſſe*, facile colligi poteſt, quid de hoc privilegio ſenſerit.

14. Non poterit autem ægre ferre Vindex, quod ab eo petitur, ut explicet, quæ aliis ſuſpicandi anſam dederunt. Ipſum etenim cardinalem Baronium habet, quo cum tranſigat. Quum enim vetuſtiſſimi ſcriptores Adelmus, Aimoinus lib. 4. cap. 92. Ado Viennenſis *in chron. æt.* VI. Autor annalium Fuldenſium, Regino, & alii Leonem pontificem anno 804. a Carolo M. Cariſiaco deductum Aquisgranum octo tantum dies cum eo manſiſſe tradant, neque ſatis appareat, quomodo tam brevi temporis ſpacio tantus cardinalium, epiſcoporum, principum, marchionum, comitum numerus ex omnibus Caroli regnis, Italia, Gallia, aliisque convenire potuerit, ait ad annum 804. num. 8. *Hæc de tempore commorationis Leonis papæ cum Carolo imperatore in Germania, cum in annalibus Francorum aſſeratur, non niſi octo dies apud Carolum manſiſſe Leonem, fortaſſe ad primum adventum Leonis in Germaniam referenda commodius eſſent; tu conſidera.* Ita ille: En igitur primum dignum vindice nodum.

15. Alter nodus eſt, quod Leo pontifex in illo privilegio accitus dicitur ad conſecrandam Baſilicam cum magno epiſcoporum, & principum Italiæ numero. Scriptores autem, qui propemodum σύγχρονοι ſunt, memorant, Leonem ea occaſione, quod Chriſti ſanguis in Mantua civitate diceretur eſſe repertus, illuc eſſe profectum, tum feſtinato iter ad imperatorem Carolum magnum arripuiſſe, celebratoque una cum eo Cariſiaci Natali domini, poſt octo dierum moram iterum fuiſſe dimiſſum. Fortaſſis etiam id quenquam movere poſſit, quod imperator in tanto cleri, & procerum concurſu imminentibus encœniis tam illuſtris Baſilicæ, non videatur alibi Natalitia noſtri ſervatoris, quam Aquisgrani celebraturus fuiſſe: Neceſſe enim eſt, Baſilicam illam paucis admodum a Natali domini diebus a Leone III. fuiſſe conſecratam.

16. Tertio, non ſatis conſtat, quem ſenſum habeant illa privilegii verba: *Acciti ſunt etiam Romani principes multi, præfectura & qualicunque dignitate promoti ad id ſolenne, duces, marchiones, comites, principes regni noſtri tam Italia quam Saxonia, tam Bavaria quam Allemannia, & utriusque Franciæ tam Orientalis quam Occidentalis in omnibus voto & deſiderio meo obſequentes.* Diviſio enim regnorum Franciæ in Orientalem & Occidentalem tum primum ex fide veterum hiſtoricorum cœpiſſe creditur, quum filii Ludovici pii paterna regna inter ſe diviſerunt, & Lothario Italia cum Auſtraſia & provincia, Carolo Occidentalia, Ludovico Orientalia regna obtigerunt, Saxonia nempe, Bajoaria, & Allemannia. Tum enim Gallia, Francia Occidentalis, pars Ludovici Francia Orientalis dici cœpit, & diu ita obtinuit. Unde in pacto Bonnenſi inter Carolum ſimplicem Franciæ & Henricum Aucupem Germaniæ Reges inito anno 921. ille *Francorum Occidentalium*, hic *Francorum Orientalium* rex appellatur. Quid igitur in hoc privilegio per *Franciam Orientalem* intelligatur, ubi Saxonia, Bavaria & Allemannia ab ea diſtinguuntur, viderit Vindex Colonienſis. Qui etiam ſint illi Romani principes multi, qui duces, quos Carolus magnus plane ſuſtulerat, & regnum totum comitibus regendum tradiderat, qui illi marchiones, quod nomen tum nondum erat cognitum, ſed deinde primum uſurpari cœpit, deinde, an tum in uſu fuerit, ut regnum Francorum *regnum Teutonicum* diceretur, an *Thelonii* & *Pedagii* vocabula nota tum fuerint, & quæ ſunt plura ejuſmodi, alii judicent. Conferat quoque vindex Anaſtaſium Bibliothecarium & alios illius ævi ſcriptores, quum ad Carolum magnum & Ludovicum pium, Leonem III. & Stephanum ſummos pontifices veniſſe, aut quum Carolum magnum Romæ magnifico apparatu exceptum eſſe ſcribunt, an deſcriptio comitatus pontificum & cæſarum cum illis ſolennibus Aquisgranenſis dedicationis ſatis conveniant.

17. Quid quarto de Grano illo Neronis fratre ſit ſentiendum, alii itidem ſententiam dicant. Dixerat Advocatus Moguntinus, ipſum Petrum a Beeck fateri Carolinam conſtitutionem a multis vocari in dubium. Id negat Vindex & eum falli ait. Et tamen verbis ab ipſo Vindice num. 16. adductis diſerte ait Beeckius: *Huic narrationi (de Grano Neronis fratre) uti mythologicæ tametſi* PLERIQVE DEROGENT, *quod probatiorum autorum ex antiquis chronographicis nemo memoriæ prodiderit fratrem Germanum Neroni obtigiſſe Grani nomine, tamen prima fronte ac facie re minus expenſa accurato libramine, concutere labefactareque ſanctionem Carolinam, tanta annorum lapſorum cuſtodia retentam, a tot divis imperatoribus pro vera æſtimatam, citra temeritatis notam non auſim.* Non improbat Advocatus, quod Petrus a Beeck nihilominus Carolinam conſtitutionem tuetur, id tantum ait, vere dictum in diſſertatione Moguntina, ipſo Beeckio teſte, a multis eam in dubium trahi. Quid enim aliud eſt, quod pleroſque illi narrationi, uti mythologicæ, derogare ait, niſi quod propter illam

ſolam

ſolam rationem Carolinum diploma in dubium vocent? Alias ſtudium & diligentia hujus Petri a Beck ſuam mereantur laudem, fidem tamen, ubi de iis agit, quæ longe ante ejus ætatem acciderunt, quasque aliter noſſe nequit, niſi ex antiquioribus autoribus probaverit, non meretur majorem, quam ſit ea, quæ debetur illis, quorum autoritate nititur. Quod ſi non tantum nullos tales adducat, ſed etiam ex veterum teſtimoniis aliud, aut probari, aut colligi poſſit, tum nulla plane aut admodum incerta dignus eſt fide, quantumcunque alias ingenio & eruditione polleat. Ea enim, quæ ad hiſtoriam ſpectant, aut ex antiquis monumentis, aut probata traditione probari debent, quum ejuſmodi ab ingenio non dependeant.

18. Illud quoque quinto loco non eſt ſilentio prætereundum, quod nullus eorum ſcriptorum, qui huic ætati fuerunt ſuppares, quique diligenter res geſtas magni Caroli ſunt perſecuti, quorum tamen non pauci ſunt, neque privilegii Carolini, neque dedicationis Baſilicæ B. Virginis Aquisgrani a Leone III. Roma ideo excito peractæ meminerit, quum tamen vero ſimile ſit, eos rem tam memorabilem, & tanto epiſcoporum atque procerum concurſu actam, non fuiſſe adeo ſicco pede prætermiſſuros. Eginhardus tantum hæc habet: *Religionem Chriſtianam ſanctiſſime & cum ſumma pietate, ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis Baſilicam Aquisgrani exſtruxit, auroque & argento, & luminaribus, atque ex ære ſolido cancellis & januis ornavit. Ad cujus ſtructuram cum columnas & marmora aliunde habere non poſſet, Roma atque Ravenna devehenda curavit.* Hæc Eginhardus. Plura non addit, etſi hoc loco opportune illa commemorare poterat. Unicus, & is quidem teſtis omni exceptione major, adduci poterat S. Ludgerus epiſcopus Monaſterienſis in epiſtola ad Rixfridum epiſcopum, quæ vitæ S. Swiberti Marcellino autori attributæ apud Surium tom. 2. 1. Mart. ſubtexitur. In illa enim legas *cap.* 9. Leonem III. pontificem anno 803. in Germaniam ad Carolum magnum veniſſe, Aquisgrani Baſilicam B. Mariæ virginis, & alibi multas eccleſias, capellas & altaria conſecraſſe; deinde cum Carolo imperatore archiepiſcopo Colonienſi & Fortunato Treverorum archiepiſcopo, (quem tamen Browerus in annalibus Trevirenſibus ſexto primum poſt anno archiepiſcopum eſſe creatum tradit) numeroſiſſimoque procerum comitatu Verdam ad Rhenum ſitam ſe contuliſſe, & Suibertum in ſanctorum catalogum retuliſſe. Sed neque vita S. Suiberti a Marcellino ſcripta, neque illa Ludgeri epiſtola a pleriſque eruditis hodie recipitur. Eadem autem argumenta, quibus Ludgeriana epiſtola convellitur, omnem propemodum etiam autoritatem illi Carolinæ conſtitutioni detrahunt, quia in pluribus conveniunt. Deſcriptio comitatus Leonis pontificis in hac epiſtola eadem eſt, quæ in Carolina conſtitutione. Morinus autem ex congregatione orationum *lib.* 10. *de pœnit. cap.* 20. *n.* XI. ejusmodi fert de hac epiſtola judicium. *Conficta eſt ante forſan trecentos annos, aut ut maxime ante quadringentos nomine S. Ludgeri ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui monaſterii commodum & gloriam. Quæ ſcribit de tempore itineris Leonis III. ad Carolum, de mora ipſius in Caroli comitatu, de variis cum eo itineribus ſuſceptis, omnia διαμπερὲς ficta ſunt, & cum iis, quæ referunt illius temporis autores, conſtare non poſſunt, ut unicuique iſta comparanti evidens erit.* Alia, quæ huc ſpectant, apud eundem Morium legi poſſunt, quum æque Carolinam conſtitutionem feriant. Idem vero etiam viſum fuit, P. Chriſtophoro Browero, notis ad cap. 32. vitæ S. Ludgeri, ab eo editæ, ſcribenti: *De epiſtola S. Ludgeri etſi ægre adducor ut cenſeam, ne publici jam uſus autoritate receptis manus afferre videar, character tamen ipſe dictionis & narrationis modus non expers aniſtoreſiæ, epiſtolam illam facile ream peragunt momentaneæ poſſeſſionis, inſuper habita præſcriptione tituli.* Eadem fuit P. Gretſeri ex S. I. ſententia, ſi rationes conſideres, propter quas dubiæ fidei ipſi viſa fuit vita S. Suiberti a B. Marcellino ante annos fere nongentos, ut ajunt ſcripta, quam etiam P. Henſchenius *l.* 3. *de tribus Dagobertis cap.* 2. ſupoſititiam aſſerit. Conatus quidem eſt, eas confutare Ægidius Gelenius in clypeo Suibertino fretus inprimis autoritate inſtrumenti anno 1472. confecti, quod illo anno vetuſtiſſimus liber fugientibus literis præ vetuſtate ex monaſterio Documenſi allatus, & ab ipſo B. Marcellino ſcriptus fuiſſe creditus fuerit, qui vitam S. Suiberti continebat, deinde ſequenti alius ſit Werdam allatus, qui contineret canonicationem S. Suiberti, a S. nimirum Ludgero deſcriptam; ſed non advertit, quod in ipſo inſtrumento uterque liber dicitur fuiſſe Papyreus, quod genus librorum illa Carolina ætate longe eſſe recentius apud omnes in confeſſo eſt.

An igitur ex comparatione hujus Ludgerianæ epiſtolæ cum Carolina conſtitutione de ea ſecundum P. Morini Broweri Gretſeri & aliorum ſententiam judicium recte ferri poſſit, alii judicent, iisque uſui eſſe poterit vita Caroli, quam ſchiſmaticus quidam, imperante Friderico I. Bollando teſte, ſcripſit; Is enim lib. 1. cap. 15. agit *de excellentia Aquenſis eccleſiæ.* Libro autem II. & III. uti ex capitum Indice, quem ſolum Bollandus edidit, apparet, exploſas ſæpius Turpini fabulas repetit. Sane narratio illa dedicationis Aquisgranenſis, uti ea apud Petrum a Beck & Noppium in hiſtoria Aquisgranenſi exſtat, quamque Vindex approbat, quum trecentos epiſcopos adfuiſſe ſcribit fortaſſis, apud hiſtoriarum peritos non ita facile fidem inveniet, omiſſa etiam ideo a cardinale Baronio, & præterita a vetuſtioribus hiſtoriæ Leodienſis ſcriptoribus a Chapeavillio editis, qui Gondulphi & Mondulphi epiſcoporum Leodienſium poſt plurium annorum obitum ad ſupplendum epiſcoporum numerum, qui in dedicatione eccleſiæ Aquenſis par eſſe debebat numero dierum anni, præſentiam in quibusdam vulgatis chronicis memoratam, quum res ſit adeo memoranda, non videntur fuiſſe taciturі. Nemo igitur veterum eſt, qui hujus dedicationis, nedum privilegii tum a Leone III. & Carolo M. huic Baſilicæ, & Colonienſi archiepiſcopo conceſſi meminerit.

Verum quidem eſt, quod ait Vindex p. 101. ex regulis dialecticorum judicandum eſſe, an & quomodo argumentum ab autoritate negativa validum ducatur. Quum tamen rem aliquam memo-

memorabilem, quam ad poſteros tranſmitti intererat ſilent illi autores, qui eam ſcire poterant, quique minoris momenti alia notarunt, deinde autem poſt aliquot ſecula primum tale quippiam factum fuiſſe commemoratur, de eo ſi quis hæreat dubius, & in illius veritatem inquirat, nihil ille ab officio viri boni, & eruditi alienum facit, eamque viam magna cum utilitate in nunquam ſatis laudatis annalibus ſolet inſiſtere cardinalis Baronius.

19. Sexto, ex diplomate illo Carolino colligitur Carolum magnum thermas primum detexiſſe, palatia vetera Grani reſtauraſſe, & Monaſterium S. Mariæ primum ædificaſſe. Ait enim: *Noſtis, qualiter ad locum, qui Aquis ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, ſolito more venandi cauſa egreſſus, ſed perplexione ſilvarum, errore quoque viarum a sociis ſequeſtratus, inveni thermas calidorum fontium, & palatia ibibi reperi, quæ quondam Granus unus de Romanis principibus frater Neronis, & Agrippa a principio conſtruxerat, quæ longa vetuſtate deſerta ac demolita, frutetis quoque ac vepribus occupata, nunc renovavi, pede equi noſtri, in quo ſedi, inter ſaltus rivis aquarum calidarum perceptis, & repertis. Ibidem Monaſterium S. Mariæ matri domini noſtri Ieſu Chriſti labore & ſumptu, quo potui, ædificavi.* At vero idem Carolus magnus adhuc Francorum & Longobardorum rex, confirmavit eccleſiæ S. Mariæ in novo caſtello Hanimalam, Budolium, Eilfurdum, & plurimas alias villas, quas proavus ejus Pipinus Herſtallius, quondam major domus, illi eccleſiæ contulerat.

Quare Aubertus Miræus in notitia eccleſiarum Belgii, cap. 22. *Per novum caſtellum*, inquit, *deſignatur urbs Aquiſgranenſis, quam notet lector Pipino Herſtallio, aliisque principibus fuiſſe in deliciis diu ante Caroli M. ævum.* Hæc vero non ſatis inter ſe convenire videntur, uti unicuique patet, qui ad hæc advertere animum voluerit. Suſpectum illud etiam eſt, quod idem Aubertus Miræus notitiam eccleſiarum Belgii ex tabulis donationum piarum magno ſtudio collectis exploſis fabulis ſe recenſiturum & illuſtraturum profeſſus, alia quidem, quæ ad eccleſiam Aquiſgranenſem facerent, congeſſit, Caroli autem magni conſtitutionem, de qua ſermo nunc nobis eſt, quæque illi non poterat eſſe ignota, (quum eam Faſtis Belgicis octennio ante editis Petrum a Beck ſecutus totam inſeruiſſet) & ad propoſitum ipſius plurimum faciebat, minime tamen ſuæ notitiæ iterum inſeruit, quemadmodum etiam Ferreolus Locrius *lib. 4. de B. Virgine*, quum decora Baſilicæ B. Mariæ virginis in urbe Aquiſgrano recenſet, auguſtam illam dedicationem Leonis III. pariter omittit.

20. Supervacaneum igitur eſt, quod toties & ſub initium ſuæ diatribes, & in appendice Quæſtione 2. repetit Vindex, niti illam conſtitutionem fide tot ſeculorum ab ipſo usque Carolo magno: nemo enim, quod conſtet, ante Fridericum I. imperatorem illius meminit. Sedis quidem Caroli magni in hac Aquenſi Baſilica & *Archiſolii*, ut Wippo appellat, etiam vetuſtiores alii meminerunt, & propter memoriam Caroli magni jam a tempore Conradi I. illuc reges Germaniæ & imperatores ad *primam unctionem & coronam regni Teutonici accipiendam* (uti eam ipſe Fridericus I. imperator in epiſtola ad Ottonem Friſingenſem ejus hiſtoriæ præmiſſa vocat,) deduci ſolitum fuit: Conſtitutionis tamen Carolinæ nulla, a quoquam fit mentio. Certum id quoque eſt, ex veterum monumentis, palatium Aquenſe primum fuiſſe inter palatia imperatoris, & ideo *ſedem primam Franciæ* a Nithardo, *ſedem regni* a Rheginone vocari, ut forte tali aliquo privilegio ornare meruerit, non tamen ideo, quod nobis conveniens videtur, id etiam ita contigiſſe recte aſſeras. Interea non ſtat per diſſertatorem, quo minus Carolina illa ſanctio tueatur fidem quam poterit. Ille enim eam in medio relinquit, ex aliis vero tantum nonnulla obſervat, quæ in illa ita ſunt intricata & obſcura & ab iſto ævo remota, ut in eam homini eruditionis accuratioris cupido, merito inquirere liceat. Habent alias Aquiſgranenſes laudatiſſimam Caroli IV. conſtitutionem, habent longi temporis conſuetudinem, quam nulla Carolinæ conſtitutionis mentione facta ſe ſequi imperator ait, ut eorum dignitati & juribus nihil decedere poſſit, etiamſi dubia quibusdam videatur Carolini privilegii fides.

21. Alia, quæ congerit Vindex, ut Carolinam conſtitutionem extollat, Moguntinis invidiam, atque in animis lectorum affectum concitet, expendere non eſt opus. In ipſis Vindiciis illa legiſſe ſufficit, ut non magni æſtimentur. Id tantum notandum adhuc eſt, quod hoc quoque argumento privilegium urbis Aquiſgranenſis illuſtrari exiſtimet, quod Caroli magni corona a tot ſeculis in eadem illa urbe aſſervari conſueverit. Ita enim habet in appendice *quæſt. 2. p. 99.* Sed etiam in hoc fallitur Vindex. Corona enim quam Caroli magni imperatoris vulgo vocant & primum inter imperii inſignia locum obtinet, non Aquiſgrani ſed Noribergæ ex antiqua conſuetudine aſſervatur, & ad coronationem regum Romanorum ſive Aquiſgrani, ſive alibi peragendam inde cum aliis imperii inſignibus peti ſolet: Conradi vero nomen præfert, illa in circuitu. An autem ab ipſo recens fuerit facta, & cujus ſit? Conradi primi ne, qui iterum poſtliminio ab Hattone archiepiſcopo Moguntino Aquiſgrani, aut alibi, ut quidam volunt, coronatus fuit, an alterius, non affirmaverim. Si a Carolo magno profecta eſt illa fuerit, quam Ludovicus pius ejus filius Ludovico Franciæ Orientalis, ſive Germaniæ regi dedit, quum inter filios ſuos regnum divideret. Eandem autem eſſe, quam Conradus rex Eberhardo fratri ſuo Witikindo, & Ditmaro teſtibus commiſit, ad Henricum Saxoniæ quem ſibi volebat eſſe ſucceſſorem, deferendam, non eſt improbabile.

22. Quæ igitur fides Carolino privilegio haberi debeat, quam dubiæ & incertæ ſint probationes, quæ ex ea deducuntur, ex his patet. Largiamur tamen nunc Vindici eam ab ipſo Carolo magno eſſe profectam, ut videamus, an jura Colonienſis archiepiſcopi, uti nunc ſunt controverſa inter eum & Moguntinum, illi privilegio recte ſuperſtruantur. Vindex num. 18. & deinde paſſim prærogativam coronandi reges Romanorum ab ipſo Carolo magno eſſe collatam Colonienſi archiepiſcopo diſſerte aſſerit, atque miratus advocatum Moguntinum *torrenti teſtium pro cauſa Colonienſi loquen-*

loquentium obniti rem totam deſcribit, uti is eam vellet a Carolo magno inſtitutam, & actam eſſe, neque tamen quenquam habet ex vetuſtioribus, quem ſequatur; ſed ex ingenio tantum ita illa acta eſſe, aut potius agi debuiſſe conjicit. Nulla enim plane in Carolina conſtitutione fit mentio Colonienſis archiepiſcopi, nullus eſt omnium hiſtoricorum veterum, qui Hildebaldo, (is enim tum Colonienſis erat archiepiſcopus) jus illud, ſive a Leone III. pontifice, ſive a Carolo magno collatum eſſe dicat. Unde igitur ſcire illa potuit Vindex Colonienſis, quum neque veterum annalium narrata, neque tabulæ publicæ, neque demum vetus traditio ipſi præſto ſint. Summa conjecturæ illius eſt: quum Carolus imperator, qua erat prudentia & regnandi peritia, novum molitus imperium cæſaream dignitatem impoſterum vellet nationi Germanicæ propriam eſſe, convocatis epiſcopis & proceribus regnorum ſuorum, excitoque Leone III. ab eo impetraſſe, ut, illo conſentiente, *Sedes regalis coronationis in Baſilica, & urbe Aquenſi conſtitueretur, atque ita munus ejuſdem coronationis peragendæ Hildeboldo Baſilicæ illius, & ſedis Archiantiſtiti tacita quidem, ſed per omnes eccleſias receptiſſima lege collatum cenſeretur. Hacque inſigni prudentia ad declinandam ſplendidiſſimi muneris invidiam inter trecentos, & amplius epiſcopos uſum eſſe cæſarem, cum nemo contradicere ei poſſet, quod cerneret ex more ac lege eccleſiaſtica fieri.*

Addit adhuc alia Vindex prioribus paria. Omnem illam camarinam movere non eſt opus. Eadem facilitate enim negantur qua aſſeruntur, deſtituta omni autoritate veteris hiſtoriæ. Et nihilominus tamen etiam illa nihil juvant Vindicem Colonienſem, etiamſi ita ſe habeant. Jus enim ſui archiepiſcopi ipſe iterum imprudens intra fines ſuæ diœceſeos coarctat, intra quos ſi ſe continuerit Vindex, nihil ipſi amplius cum Moguntinis advocatis rei erit. Revoluere enim magno cum faſtidio, quomodo olim ſe res illa habuerit, & quid in ipſa urbe Aquisgrano archiepiſcopis Moguntinis olim juris fuerit, tum non fuerit neceſſarium. Ex *more autem & lege eccleſiaſtica* collatum eſſe hoc jus a Carolo Hildebaldo ait, quia *dignitas eccleſiis conceſſa ſimultaneo plane jure ad Antiſtites pertinet.* Quid hoc aliud eſt, quam jure diœceſano id obtinuiſſe Hildebaldum: Alio certe id ſibi Hildebaldus non potuit arrogare, neque alio conferre Carolus, quum ex ſententia Vindicis ad *morem & legem eccleſiaſticam* reſpexerit; notatum autem eſt, quid jura diœceſium ſibi velint, quantaque animorum contentione archiepiſcopi & epiſcopi Germaniæ inter ſe de primariis muniis eccleſiaſticis in propria diœceſi obeundis, & quomodo de primo loco inter ſe contenderint. Sufficiat tantum notaſſe, cum inter Aribonem, archiepiſcopum Moguntinum, & Barwardum, Hildeſienſem epiſcopum, de conſecratione eccleſiæ Gandersheimenſis lis orta eſſet, eam adeo invaluiſſe, ut ideo frequentem ſynodum viginti duorum epiſcoporum Francofurti coire neceſſe fuerit, cujus acta, & in tomis conciliorum, & in vita S. Barwardi, & Godehardi Hildeſienſium epiſcoporum, inter ſidera illuſtria Germaniæ a Browero edita exſtant. Breviter ea de re autor vitæ Meinwerci epiſcopi Paterbornenſis: *Anno 1028. facta eſt generalis ſynodus Francofurti epiſcoporum XXII. in quo præſidente imperatore B. Godehardus Hildesheimenſis epiſcopus diœceſin ſuam ſuper Gandenesheimenſi parochia canonica ſynodalique cenſura judicio ſeptem epiſcoporum contra Aribonem Moguntinum archiepiſcopum retinuit.* Perſiſtit tamen Vindex in ſententia, & *regali jure & poteſtate* Hildebaldum *in regalis illius muneris miniſtrum evectum* eſſe ait. *Quis enim dicat, inquit, ex jure diœceſano debitum id fuiſſe Baſilicæ Aquenſi, ut fieret ſedes regalis unctionis?* Negat, quæ paullo ante affirmarat: Liberum quidem erat imperatori, ſi omnia in gratiam Vindicis ita acta eſſe dicamus, ut ille ea deſcribit, quam vellet urbem, in eam dignitatem evehere, deinde tamen, quia regis conſecratio muneris eſt eccleſiaſtici, ex lege eccleſiaſtica ad ſupremum illius provinciæ Antiſtitem pertinebat. Ipſemet id magno conatu agit, ut ex privilegio oſtendat, *quoniam in ipſa ſede reges ſucceſſores regni initiari jubentur eam vocem eccleſiaſtici uſus eſſe, ſacram quampiam, & epiſcopo convenientem actionem denotantem.* Quod ſi ita ſe res habet, de diœceſi utique quæſtio eſt. Quum igitur Moguntini archiepiſcopi nihilominus ſatis diu Aquisgrani reges Germaniæ conſecrarint, etſi illud munus ſibi deberi dicerent archiepiſcopi Colonienſes, neceſſe eſt, id ideo factum eſſe, quod illi inter Germaniæ archiepiſcopos primæ dignitatis cenſerentur. Nullum hic jus regium, & a regia ſolum autoritate profectum agnoſcas, adeoque ex ipſa etiam Caroli M. inſtitutione, ſecundum Vindicem Colonienſem, intra fines ſuæ diœceſeos reſtrictum eſt jus illud, quod in coronandis regibus Romanorum ſibi tribuunt Colonienſes.

23. Quocunque igitur ſe convertat Vindex, ad jus diœceſeos redeat neceſſe eſt, quo etiam reſpexere Galli, quum inter eos, uti haud raro factum, natæ ſunt contentiones de coronationibus ſuorum regum. Quare ſcribit Tilius lib. 2. de rebus Gallicis: *Ante prærogativam a Ludovico juniore anno* 1179. *Rhemenſi eccleſiæ collatam*, (ut in ea nempe urbe impoſterum reges Galliæ coronarentur) *ſi qua in provincia conſecrabatur rex, ejus provinciæ archiepiſcopum cum ſuffraganeis perfunctum fuiſſe officio. Quod ſi Rhemenſis cum ſuis aut Antiſtites alii intererant, aſſeſſores tantum habitos fuiſſe:* Idque adeo fuiſſe uſu comprobatum, ut quum *Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus Carolum Calvum Metis conſecraret, & una cum cæteris epiſcopis coronaret anno 869. ſe & ſuffraganeos ſuos excuſaverit, quod in provincia Trevirenſi ex poſtulato Metenſis epiſcopi, qui tum erat Adventius, aliorumque ſuffraganeorum Trevirenſis eccleſiæ, (quæ tunc carebat epiſcopo, & jam olim cum eccleſia Remenſi dignitatem æquam obtinebat) inauguraret regem, aperte profitens, hoc ab archiepiſcopo & ſuffraganeis illius provinciæ faciendum eſſe, in qua conventus haberetur, ad declarandum, pronunciandumque regem & ceremoniis, ac precibus exoptandum ei gratiam, & benedictionem a Deo, per quem eligitur, denique gratias agendas ei, quæ omnia conſecrationis & coronationis effecta ſunt.* Ita Tilius. Qui totam illam actionem accuratius cognoſcere volet, adeat Hincmarum ipſum, cujus operum ex poſtrema editione tomo primo exſtat pluribus deſcri-

deſcripta illa coronatio, & narratur quoque à Card. Baronio, *Tom. X. anno* 869. Ideo autem tantum hæc adducuntur, ut lector videat, eo tempore ſummam in ejusmodi ſolennibus peragendis habitam fuiſſe diœceſios rationem, ut vel ob hanc ſolam rationem privilegium illud perſonale, quod à Carolo M. Hildebaldo ejusque ſucceſſoribus datum eſſe dicitur, nemini facile moris illius ævi gnaro veroſimile videri debeat.

24. Hildeboldum alias Carolo M. fuiſſe carum, quin, ut Theganus ait, pontificum familiariſſimum, & ejus archicapellanum, quæ tum dignitas erat primaria, & aliquoties Leoni III. & Stephano pontificibus Romanis ad Carolum Magnum, & Ludovicum Pium obviam miſſum, teſtibus Anaſtaſio, & autore vitæ Ludovici Pii non ignoravit advocatus Moguntinus, ſed id ex ſcriptoribus illius ævi probavit diſſertationis ſuæ num. XXV. Eo autem tempore, quo Carolus Magnus regni Francorum gubernacula ſuſcepit, anno nimirum 768. jam tum Coloniam Metropolitana dignitate fuiſſe ornatam merito dubitavit §. 24. diſſertationis: Zaccharias enim pontifex Coloniam ante annos primum XVII. Moguntinæ Metropoli ſubjecerat. Quoniam vero non ſatis conſtat eam interea temporis fuiſſe exemptam, recte utique diſſertator exiſtimavit, illam adhuc initio imperii Caroli M. Moguntino metropolitano fuiſſe ſubditam. Certe non conſtat tum quidem Colonienſem epiſcopum jura habuiſſe Metropolitana, quæ deinde accepit; etſi incertum eſt, quo anno id fuerit factum. S. Bonifacio initio quidem fuit propoſitum collocare ſedem Metropolitanam Coloniæ, & jam conſenſerat Zaccharias Pontifex ſcribens ad S. Bonifacium ap. Baronium anno 745. *De civitate illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum, nomini tuo per noſtra autoritatis præceptum Metropolim confirmavimus, & tuæ fraternitati direximus ejusdem eccleſiæ Metropolitanæ ſtabilitatem.* Quia tamen Franci non perſtiterunt in ſententia, res illa non habuit optatum exitum. Ideo triennio poſt iterum ſcribit Pontifex Zaccharias ad Bonifacium epiſtola in editione Serarii 140. *Alia ſcripta fraternitatis tuæ continebant, quod jam diu de Agrippina civitate ſcripſiſti, quia Franci non perſeverarent in verbo, quod promiſerunt.* Erat tum Colonienſis epiſcopus Agilolphus, quem Zacharias Pontifex ſeptimo inter alios epiſcopos loco numerat literis ad Rhotomagenſem, Bellovacenſem, Spirenſem, Noviomenſem, Würtzburgenſem, Laudunenſem, Colonienſem & alios epiſcopos datis. Tertio dein poſt anno, quum Moguntia erigeretur in Metropolim, fuit Colonia conſenſu Francorum à Zacharia pontifice ſubjecta Moguntiæ. Quamdiu id duraverit, non ſatis certum eſt, neque Gelenius in Hierotheca, ubi de Agilolpho agit, & eum ex vulgata ſententia primum fuiſſe archiepiſcopum dubie aſſerit, quicquam certi affert. Probabile eſt, poſtquam Carolus M. regnum Francorum ſuſceperat gubernandum, Coloniam quoque ad Metropolis dignitatem fuiſſe evectam: In inſtitutione enim Verdenſis Epiſcopatus anno 784. nominantur Lullus Moguntinus & Hildebaldus Colonienſis archiepiſcopi. Juſtam igitur conquerendi cauſam habet advocatus Moguntinus, quod tam inclementer vapulat à Vindice. Vera enim ſunt illa omnia, quæ dixit. Meminerat is, quum illa ſcriberet, Romanis rerum potientibus Metropolin fuiſſe Coloniam, & ejus forte Antiſtitem Metropolitanum: Nam & illud Gelenio dubium eſt. Sed tamen norat quoque, poſtquam omnes illæ provinciæ, deleto propemodum nomine Romano, ceſſere armis variarum gentium Germanicarum, quæ illas expertes adhuc fidei Chriſtianæ inſederant, per quamplures annos, in multis eccleſiis, quæ olim Metropolitana dignitate eminuerant, non tantum nullos fuiſſe archiepiſcopos, ſed eas etiam aliquandiu plane caruiſſe paſtoribus: Quum deinde reſtituerentur Eccleſiæ, illos vix nomen epiſcoporum tueri potuiſſe, adeo ut S. Bonifacius in epiſtola ad Zachariam ſcribat, *Francos, quemadmodum à ſenioribus didicerit, per octoginta annos, neque Synodum feciſſe, neque Archiepiſcopum habuiſſe*; Auguſta certe Trevirorum, quum Romani imperii dignitas adhuc ſalva eſſet, quod prima eſſet Galliarum urbs, facile inter omnes Galliarum Metropoles prima erat: Quanto vero tempore illius Antiſtites, dum conflictantur cum gentibus Germanicis, epiſcopi tantum nomine contenti fuerint, multis docet Brovverus in annalibus Trevirenſibus. Id ſi conſtitiſſet vindici Colonienſi, parcere potuiſſet iræ ſuæ, quam in advocatum Moguntinum ideo effudit.

25. Neque vero is etiam fuit vertigine ulla circumactus, ut ei vindex exprobrat, quum ad oſtendendam Matthæi Pariſienſis, Colonienſem archiepiſcopum ſacri imperii protocancellarium vocantis, in rebus Germanicis imperitiam ſcripſit. *Quis eum unquam ita appellavit?* Tam raro enim geſſit illud officium archiepiſcopus Colonienſis in Germania, ut paucitas illa vix notetur. Teſtis eſſe poterit catalogus archicancellariorum magno ſtudio à Mallincrotio congeſtus. Hildebaldum archicapellanum fuiſſe Caroli Magni Theganus autor eſt, & conſtat ex Hincmari Rhemenſis archiepiſcopi *Epiſt.* XV. factamque ei illam poteſtatem, ut epiſcopus aulam tamen ſequi poſſet, apparet ex ſynodo Francofurdienſi apud Sirmondum; Quamdiu Carolina familia tenuit imperium, ambulatorium fuit illud archicapellani officium, à quo initio diverſum erat ſummi cancellarii munus, uti Hincmarus *Epiſt.* XV. *ad proceres regni de inſtitutione Carolomanni Regis* ex Adalhardi Abbatis Corbeienſis libro *de ordine Palatii oſtendit.* Non defuere tamen inter Moguntinos archiepiſcopos eo quoque tempore, qui poſt S. Bonifacium Pipini regis archicancellarium, (ut ex donatione Monaſterio Epternacenſi a Pipino anno 752. facta ap. Aub. Miræum in *Notitia Eccleſ. Belgii cap.* 20. conſtat,) illud obiverint, & à Mallincrotio recenſentur. Deſita autem illa ſtirpe, poſtquam ex Germanis fuere electi reges, archicapellani quoque munus translatum fuit ad Moguntinum archiepiſcopum, tanquam Germaniæ Metropolitanum atque ab Ottonis primi tempore; (nam initio etiam alii quidam pauci fuerunt intermixti) perpetuum manſit Moguntinis archiepiſcopis, uti con-

conſtat ex diplomatibus omnium cæſarum, quæ adhuc magno numero ſuperſunt ap. Gewoldum *in additionibus ad Wiguleji Hund Metropolin Salisburgenſem*, Freherum, Piſtorium in *Chronico Mindenſi*, Chriſtophorum Hartmannum in *Annalib. Eremi*, Miræum *in cod. Donat.* & *Notit. Eccl. Belgii*, Chapeavillum *in hiſt. Leod.* & alios. Brunonem tantum fratrem ſuum Colonienſem archiepiſcopum, qui aliquandiu fuerat cancellarius, mortuo Friderico Moguntino archiepiſcopo, eo munere honoravit Otto Magnus imperator, ita tamen, ut Moguntino archiepiſcopo Wilhelmo, filio Ottonis ex nobili Sclava, uti Dithmarus ait, nihil decederet; Nam & is ſimul fuit archicapellanus cum Brunone, uti patet ex diplomatibus Ottonis imperatoris anno 959. & 961. ejus nomine recognitis ap. Chriſtophorum Hartmannum Maurum in annalibus Heremi, ap. quem p. 73. & ſeqq. duo extant diplomata ejusdem Ottonis uno eodemque anno 965. & die in Augia ſive Sindeslai inſula, ubi tum Otto commorabatur, data, quorum alterum ad vicem Brunonis, alterum ad vicem Wilhelmi archicapellani Lutholphus cancellarius recognovit. Quum igitur archicancellariatus officium in Germania tempore Matthæi Pariſienſis ab aliquot ſeculis Moguntinis tantum archiepiſcopis proprium fuerit, jure advocatus Colonienſis in Matthæo notavit, quod Conradum Colonienſem archiepiſcopum, qui Ottonem Quartum elegerat, & ideo in Angliam fuerat profectus, ſacri imperii protocancellarium minus recte vocaverit, id quod jam ante quoque Limnæus in Addit. l. 2. cap. 2. p. 213. in hac Matthæi Pariſienſis narratione obſervarat.

26. Tranſeundum nunc eſt ad alterum caput, quo affirmant Colonienſes *jus coronandi reges Romanorum fuiſſe archiepiſcopo Colonienſi Bullis variorum pontificum & imperatorum reſcriptis aſſertum: Idque intra & extra diœceſim.* Nihil novi hic quidem affert vindex, multa tamen inclementer dicta congerit in advocatum Moguntinum, ut odium ei concitet, ceu neſciat, qua veneratione ſummorum pontificum decreta ſint accipienda. Sane quod hoc attinet & quod ſedis apoſtolicæ dignitatem tuendam concernit, neque Moguntinus archiepiſcopus Colonienſi, multominus vindici advocatus Moguntinus quicquam omnino conceſſerit. Quod tamen aliis omnibus id etiam Moguntinis licet, ut inquirant in verum ſenſum bullarum ſummorum pontificum, quum de eo non ſatis conſtat & verba dubia ſunt. Id enim fit quotidie à Theologis & juris canonici interpretibus, neque cuiquam id vitio vertitur neque verti poteſt, quum legibus latis, proxima ſemper ſit de earum interpretatione cura. Advocati ſane Moguntini ne quidem in malam partem accipiunt, quod Colonienſes Benedicti VII. bullam non tantum in dubium vocant, ſed etiam manifeſto falſi arguunt. Id tantum illis vitio vertunt, quod ad rem illam nullis inſtructi præſidiis & argumentis accedunt. Norunt enim fas eſſe, ne quæ Bullæ ſuppoſititiæ pro genuinis obtrudantur, ne quæ etiam in tanta negotiorum multitudine ſub & obreptitie extorqueantur, inquirere in eas, an à ſummis pontificibus datæ ſint, & ſi de eo conſtiterit, quomodo ſint accipiendæ, idque eo magis neceſſarium eſt, quo ſunt vetuſtiores, & ſenſus earum obſcurior.

27. Multum autem confert ad ſenſum legis cujuſpiam eruendum, & ad vim rationum in ea adductarum recte expendendam, ſi in rationem temporis, quo lata eſt, & in reliquas circumſtantias, quave occaſione lata fuerit, inquiratur. Ideo ad faciliorem legis cognitionem ſolent interdum interpretes caſum, quemadmodum rem contigiſſe exiſtimant proponere, ſicuti gloſſa quoque in c. venerabilem de Elect. & Abbas ibid. in hac ipſa controverſia Ottonis, & Philippi inter ſe de imperio Romano contendentium, hiſtoriam facti ſatis prolixe explicant. Non igitur animus fuit advocato Moguntino, quæ plana ante erant, reddere intricatiora, ſed expoſita primum breviter ex Odorici Rinaldi annalibus utriusque iſtius diſcordantibus votis electi imperatoris hiſtoria, viam ſternere ad intelligentiam eorum, quæ ex bullis Innocentii III. pontificis adduxerant Colonienſes. Dixit igitur, inter primarias rejecti ab Innocentio III. Philippi cauſas fuiſſe, quod is pontifici ſuſpectus eſſet ob memoriam eorum, quæ majores illius in eccleſiam deſignarant, quæque ipſe animo verſare credebatur. Id num. 30. eſt vindici, *in Innocentium pontificem graviter eſſe invectum, inque eo averſiorem à Philippo animum, memoriamque injuriarum illo fine criminari, ut dicta illius ex metu odioque Philippi potius quam affectu ſinceriore promanaſſe videantur.*

Fallitur vindex, & iniquus eſt in Moguntinum advocatum, quum illi hanc notam impingit. Neque enim alio fine ex hiſtoria illius temporis, & ex ipſius Rinaldi annalibus in diſſertatione illa expoſuit, quam ut omnibus pateret, cauſam primariam, quare ab Innocentio III. rejectus Philippus, neque ejus electio approbata fuerit, non fuiſſe hanc ſolam, aut primam, quod Philippus non fuiſſet coronatus ab archiepiſcopo Colonienſi, quod omnibus eſſe perſuaſum vellet vindex, ſed alias longe graviores fuiſſe; quas ſummus pontifex in deliberatione facti de meritis cauſæ utriusque electi imperatoris apud Rinaldum *anno* 1200. *num.* 26. *& ſeqq.* potiſſimum expendit, neque in ea coronationis meminit, quum tamen injurias, quas à Suevis imperatoribus Romani pontifices pertuliſſent, in eadem illa conſultatione non præteriiſſet. Quomodo enim diſſimulare eas poterat? Quare etiam gloſſa in c. venerab. inter rationes reprobati Philippi ex eadem illa bulla breviter excerptas hanc quarto loco affert. *Perſecutionem divulgatam, quam ipſe, & ejus anteceſſores in Romanam eccleſiam & alias eccleſias exercuerunt.* Nolo nunc repetere ex diſſertatione priori, quod ex c. venerabilem, ſeu potius ex literis Innocentii III. ad Bertoldum Zaringiæ Ducem, plane ſit omiſſa illa ratio præcipua Colonienſibus viſa de *Philippo, nec ubi, nec à quo debuit, coronato.* Vix quoque interpretes, & Canoniſtæ ad c. venerabilem facere ſolent coronationis à Colonienſi archiepiſcopo peragendæ mentionem, ne ipſe quidem Barboſa, qui reliquos omnes compilavit.

28. His præmiſſis facilior erit iſtarum bullarum a Colonienſibus adductarum intelligentia.

Nimirum recepta erat eo tempore apud omnes opinio, ſive ob memoriam tantum Caroli Magni, ſive etiam, quod id imperator ipſe ſanxiſſet, (noto jam in vulgus, & confirmato à Friderico I. quod perhibent datum eſſe à Carolo Aquenſibus privilegio) neminem rite imperii ſceptra capeſſere poſſe, niſi Aquisgrani in ſede Caroli M. collocatus, & in illius urbis Baſilica conſecratus fuiſſet. Hujus ſervandi moris neceſſitas, uti laudabili inſtituto, majores veterum conſuetudinum in capeſſendis maxime regnorum & provinciarum gubernaculis fuere obſervantiſſimi, tam alte omnium animis inſederat, ut electis imperatoribus nihil magis curæ fuerit, quam ut Aquisgranum urbem ad ſolennia coronationis ibi peragenda in poteſtate haberent. Id vindex vel ex ipſis Urbani IV. pontificis literis in annalibus Odorici Rinaldi aut in diſſertatione, quam confutabat num. 16. & 17. allatis diſcere, & quanta tunc habita fuerit ſuſcipiendi Aquisgrani coronam, neceſſitas, ex illis quæ Richardi regis oratores ea de re expoſuerunt Urbano IV. quæque pontifex approbaverat, atque Alfonſo regi caſtellæ miſerat, obſervare poterat. Nullam enim coronationem rite fieri, ſed infauſtam fore arbitrabantur, niſi in ea urbe ſuſciperetur. Quod ſi igitur reſtitiſſet urbs illa aliorum ſtudiis atque partibus addicta, vi primum & armis redigenda erat in ordinem, ut inaugurari in ea imperator poſſet. Quantumvis igitur præſens eſſet Colonienſis archiepiſcopus, exſpectabatur tamen tum cives eſſent adducti ad parendum juſſis electi imperatoris. In Gallia poſtquam ſemel ratum fuit non poſſe regem alibi, quam Rhemis conſecrari, idem plane contigit. *Rex* enim *Carolus VII.* ait Tilius, lib. 2. *Sacra ſua perdiu diſtulit, quia Rhemi tum ab Anglis tenebantur, & vi armata eo profectus eſt, ut conſecraretur, cum ex lege alibi non poſſet.* Conſuetudo igitur inaugurandi imperatores Aquisgrani, non tantum prior multo eſt jure Colonienſibus archiepiſcopis hodie debito, ſed etiam neceſſitas loci habita fuit major, quam perſonæ, a qua imperator eſſet conſecrandus. Primum quidem ex eo conſtat, quia initio ſatis diu archiepiſcopi Moguntini etiam Aquisgrani coronarunt, alterum autem, quia aliquoties dilata eſt coronatio, etſi præſente archiepiſcopo Colonienſi, ideo tantum, quod Aquisgranenſes ſe præberent refractarios, & dilata quidem usque ad urbis deditionem.

Poſtquam autem viſum eſt eſſe dedecori Colonienſis eccleſiæ dignitati, neque conveniens juri diœceſeos à Wigfrido, & Hermanno Colonienſibus archiepiſcopis contra Hildebertum, & Lupoldum Moguntinos in contentione de jure coronandi pro fundamento adducto, ſi alius quispiam in regia urbe Aquenſi imperatoribus coronandis deſtinata ordinarie eccleſiaſtico conſecrationis munere fungeretur, adeoque jus illud ea ratione in Colonienſem archiepiſcopum translatum eſt: par tamen minimum ſemper habita fuit neceſſitas, ut id fieret, & Aquisgrani, & a Colonienſi archiepiſcopo.

29. Ipſe igitur Innocentius Pontifex paſſim in literis ad principes Italiæ, & Germaniæ de jure imperatorum Ottonis, & Philippi, variantibus ſuffragiis electorum datis, & à Clemente IV. deinde magna ex parte repetitis jungit locum, ubi debeat, & perſonam, à qua debeat conſecratio peragi. Quum Ludovicus IV. Aquisgrani à Moguntino, Fridericus autem Bonnæ à Colonienſi eſſet conſecratus, ille ubi debuit, hic à quo debuit; major tamen ratio fuit Ludovici habita, quod Aquisgrani in ſede regali eſſet initiatus. Ea igitur ratione ſi accipiantur ſummorum pontificum Bullæ, uti accipi debere res ipſa loquitur, & æquus arbitrabitur judex, jam nulla amplius de toto hoc negotio erit controverſia. Junge locum ex ſententia ſummi pontificis, & veriſſimum eſt, quod ait de perſona: *Ex officio & de jure ſolummodo ad Colonienſem archiepiſcopum ſpectat coronare reges Romanorum.* Quod ſi autem, ubi graves fuerint cauſæ, licet electo imperatori, & electoribus, aliter de loco diſponere, ceſſante illa loci & perſonæ combinatione novum etiam jus exoriri, & ſtatu cauſæ totius mutato jus quoque illius & naturam mutari non eſt mirandum. Fruſtra certe illa omnia ſunt, quæ vindex numero maxime 31. affert, ut elidat hanc interpretationem, quum ait: *Quis non videt impoſtura, fallaciſque elenchi, & doloſa reſtrictionis merito damnari tantum pontificem, ſi verbis ſuis clariſſimis, ampliſſimis nec ullo modo limitatis mutilam illam pro Colonienſi, arctamque ad unum exilem imperii angulum ſententiam ſubeſſe velit? Si autem abſurdiſſimum eſt tanto pontifici partibus jus dicenti, ejusmodi ſalebroſam vafritiem affingere, nemo diffitebitur, hoc abſurdum non niſi ex abſurda advocati diſtinctione ſequi.* Parcius & modeſtius admetiri verba poterat vindex, ne declamationem aliquam, non ex jure & hiſtoria deductam lucubrationem ſcribere exiſtimaretur. Tollat primum ex Innocentii literis illam conjunctionem loci & perſonæ, *ubi & à quo*, & tum conqueratur de reſtrictius intellecta pontificis ſententia, quam oportebat. Privilegium ipſemet plerumque appellat jus coronandi, quod Colonienſibus archiepiſcopis collatum ſit à ſummis pontificibus, neque tamen meminit privilegia eſſe ſtricti juris, neque temere extendenda. Deinde notandum eſt non in controverſia de coronandi jure, ad quem illud ſpectet, (de eo enim lis nulla erat illo tempore, quum Tarantaſienſis archiepiſcopus nunquam ad ſe illud pertinere profeſſus fuerit) ſed uter imperatorum, conſideratis imperii conſuetudinibus, rite & electus, & inauguratus eſſet, jus dixiſſe pontificem Innocentium, & quia tum receptæ erat in imperio conſuetudinis, ut ſolennis regum inauguratio Aquisgrani, & a Colonienſi archiepiſcopo fieret, quia illa prætermiſſa erat à Philippo, id una cum aliis gravioribus cauſis, in eo notaſſe, Innocentium, & ideo Ottonem judicaſſe digniorem, qui imperio præeſſet.

30. *Familiare* vero *eſſe pontificibus Romanis, ut ſuorum antecesſorum integras nonnunquam conſtitutiones, vel partes ſuis bullis inſerant*, non ignorabat advocatus Moguntinus, neque ideo oſcitantiæ erat arguendus, quin ea de re monuerat Colonienſes diſſertationis ſuæ num. 14. Tantum dixerat

patro-

patronum cauſæ Colonienſis non ſatis accurate eſſe verſatum in hoc negotio, quod Clementem IV. dicat ſcripſiſſe ad Adolphum Colonienſem, quum is tamen quinquaginta circiter annis ante obiiſſet. Nonne enim oſcitantia eſt, quod idem ille patronus cauſæ Colonienſis in priori ſcripto diſerte ait: *Durante adhuc contentione inter Ottonem & Philippum ſcribit Clemens Quartus pontifex ad archiepiſcopum Trevirenſem, & Moguntinum in hanc ſententiam &c.* Et tamen contentio illa jam ante LX. annos deſierat. Nihil quidem admodum illa ad rem faciunt, quia tamen ideo advocato Moguntino litem vindex intentat, videat, quomodo ab oſcitantia, quo nomine ipſe utitur, ſe liberare queat.

31. Multas ſummorum pontificum bullas jactari à patrono cauſæ Colonienſis nec tamen proferri, quum negotium conficere poſſint, ſi protrahantur in lucem, vere dixit advocatus Moguntinus. Hæc enim ſunt verba patroni cauſæ Colonienſis: *Quod bullas pontificum attinet, reperiuntur diverſæ in archiepiſcopali Colonienſi archivo, ex quibus patet, quod illa prærogativa jam ab initio Cæſareæ dignitatis ad Germanos tranſlata archiepiſcoporum Colonienſium propria fuerit.* Ubi autem bull[illegible]æ ex archivo afferendæ erant, nulla comparet, niſi quod ex Petro à Beck munus illud à Leon[illegible]I. collatum eſſe Hildebaldo dicitur. Quum autem nulla ejusmodi Leonis III. bulla nota ſit, neque quid ille de coronationibus regum Germaniæ ſenſerit, aliunde quam ex illa decantata Caroli M. conſtitutione ſciri poſſit, in illa autem nulla fiet mentio Colonienſis archiepiſcopi, merito utique poſtulavit advocatus Moguntinus, ut ea fide & promptitudine, qua ille Benedicti VII. bullam Willigiſo datam in lucem protraxerat, à Colonienſibus quoque Leonis III. & cæteræ, quarum meminerant, bullæ ex tabulario Colonienſi proferrentur: Ea quidem in re nihil peccatum eſt. Quid vero ad hæc vindex? *Credetne, ſi plures afferamus? Profecto eo ingenio ſe eſſe prodit, ut vix evangelio pro cauſa noſtra loquenti ſine ſtomacho crediturus videatur.* Dubium eſt, facetine ſint hæc, an iracundi hominis verba. Quicquid vero ſit, operæ pretium fuerit, ut bullæ illæ compareant tandem. Vult, ut advocatus Moguntinus *inſpiciat bullam Leonis IX. datam anno* 1052. *Nonis Maji indictione quinta, quarto Papatus anno, in qua privilegium coronationis Hermanno archiepiſcopo corroboretur.* Sed quomodo illi eam inſpiciendi facultas eſt, quum non dicat, editane ſit nec ne, & ſi edita eſt, in quo autore inquirenda ſit, aut ſi nondum eſt edita, neque proferat, neque producendi ſpem ullam faciat. In priore ſcripto Colonienſi p. 24. dicitur, quum inter ſe contenderent. Lupoldus Moguntinus & Hermannus Colonienſis *interpoſita autoritate Leonis IX.* impoſitum fuiſſe Lupoldo ſilentium, *idque pluribus in hiſtoria perſcriptum reperiri.* Sed hactenus quidem non eſt diſſertatori lectus ullus Hiſtoricorum, qui id memoret, neque à vindice quisquam allatus eſt, ex quo illud probari queat. Cur autem non nominantur hiſtorici, cur non ſignantur loca eorum, quæ ad hanc controverſiam plurimum fecerint, ſi producta fuerint? Non eſt enim ea patroni Colonienſis autoritas, ut illi quidvis aſſerenti fidem protinus haberi oporteat.

32. Quod ſi vero non alia exſtant in bulla Leonis IX. quam ea, quæ ex illa, veluti apprime notanda vindex affert, *nempe Leonem confirmare Hermanno archiepiſcopo petenti ea privilegia, quæ ab anteceſſoribus pontificibus pridem Colonienſi eccleſiæ collata erant*, ſervet eam vindex, neque proferat damno potius, quam uſui ipſi futuram. Ait quidem, *inter illos anteceſſores neceſſario cenſendum eſſe Leonem III. quando anno 804. Hildeboldum archiepiſcopum una cum Carolo magno dignitate coronandi reges ornavit.* Sed eo ipſo prodit cauſam ſuam, quum protinus redit ad Leonis III. privilegium, Hildeboldo datum, & in conjectura adeo lubrica totum tam nobilis controverſiæ ponit fundamentum. Etiamſi enim nullum cuiquam poſſet eſſe dubium, an Carolus magnus conſentiente Leone III. Baſilicam Aquisgranenſem in illud dignitatis faſtigium extuliſſet, ut illa inpoſterum eſſet ſedes regiæ coronationis, nulla tamen fit eo loco archiepiſcopi Colonienſis mentio, neque alia ratione ad eum pertinet, quam quatenus functionem illam (quam inpoſterum Aquisgrani tantum peragendam eſſe Leo III. & Carolus magnus ſanxerint) non potuiſſe neque debuiſſe ex more, & lege eccleſiaſtica, id eſt ex jure diœceſano ab alio, quam Colonienſi archiepiſcopo, ceu illius loci archi-antiſtite exerceri ſupponit, quod tamen initio & quidem ſatis diu aliter fuiſſe obſervatum, quum Moguntini archiepiſcopi illo munere Aquisgrani fungerentur, aperte conſtat. Quanto vero nos rectius poſſumus Leonis IX. ſummi pontificis autoritate uti? Benedicti enim VII. bullam, qua Willigiſo Moguntino archiepiſcopo jus coronandi confirmat, legitimam eſſe neque confictam deinde adverſus vindicis objectiones probabitur. Jam autem habemus nos quoque parem Leonis IX. bullam, qua Moguntinis archiepiſcopis privilegia ab anteceſſoribus, inter quos utique Benedictus VII. collata confirmat: Quanto igitur Benedicti VII. Bulla præſtat commentitia Colonienſium de Leonis III. privilegio Hildebaldo collato conjectura, tanto etiam amplius Leonis IX. bulla Moguntinam cauſam præ Colonienſi juvat. Quod ſi autem forte Leonis IX. bulla alia diſertiora pro Colonienſi archiepiſcopo de jure coronandi continet, cur non producitur? cur premitur tamdiu? De reliquis bullis Eugenii III. data anno 1151. Adriani papæ anno 1156. Alexandri III. anno 1187. idem eſto judicium. Si nihil aliud continent quam confirmationem eorum, quæ ab anteceſſoribus erant collata, opponemus illis non totidem tantum, ſed etiam plures, & fere eorundem pontificum, quibus quum archiepiſcopis Moguntinis rata habeantur privilegia omnia, quæ ab anteceſſoribus impetrant, jus etiam coronandi confirmatum illis eſſe recte aſſeritur. Erat enim eo tempore in more poſitum archiepiſcopis & epiſcopis Germaniæ, ut tam a ſummis pontificibus, quam ab imperatoribus, ubi aliquem eorum ſæva mors abſtulerat & alius ſucceſſerat, confirmationem privilegiorum,

donationum, & exemtionum, quas ſubinde impetraverant, peterent; qui volet, conſulat Browerum, qui ejusmodi bullas pontificum, & diplomata imperatorum magno ſtudio in annalibus Trevirenſibus collegit. Quin etiam notius eſt, quam ut probatione indigeat.

33. Nihil igitur etiam vindici amplius eſt in bullis ſummorum pontificum præſidii, nec quicquam attulit in vindiciis, quod non ante in diſſertatione, quam confutandam ſuſcepit, fuerit diſcuſſum. Satis fuerit ad illam remitti lectorem, ut videat nihil actum eſſe a vindice. Paucis, in triplici eſt differentia, quicquid ex bullis ſummorum pontificum, quarum vindex meminit, adducitur. Primo enim eorum, quæ affert, quædam ſunt plane commentitia, ut quod de Leone III. dicit, illum archiepiſcopo Colonienſi, ejusque ſucceſſoribus hoc munus demandaſſe: Siquidem nulla, uti toties fuit dictum, Colonienſis archiepiſcopi fit mentio, in Conſtitutione Caroli magni. Deinde alia neque poſſunt, neque debent, alio quam ad locum, in quo coronari oporteat imperatores, quique in provincia Colonienſi ſitus eſt, referri, atque ideo Moguntinis minime officiunt. Ita comparatum eſt cum bullis Innocentii III. in illis enim identidem legas, quod dux Philippus *nec ab eo, qui potuit, nec ubi debuit, fuerit coronatus.* Ita enim ſcribit Innocentius, literis ad proceres Germaniæ, ad proceres Lombardiæ & aliis ad Bertoldum Zaringiæ ducem datis. Plures reperias in annalibus Odorici Rinaldi, in quibus & locus & perſona conjunguntur. Nec alia fuit Clementi IV. ſententia, quum eadem Innocentii III. literis ad Alfonſum datis repetiit. Quod ſi igitur alicubi Innocentius III. laxius loquitur, neque protinus addit locum, ex aliis tamen ejusdem bullis, uti in aliarum legum interpretatione fieri ſolet, illa determinatio, & reſtrictio huc aptari debet. Nihil ergo intereſt, quod ad Colonienſem ſcribit, *quum tu, ſolummodo coronare debeas*, nempe ſi coronatio inſtituatur, ubi debet, id eſt, Aquisgrani: Neque enim illa ita crude accipi poſſunt, atque ſonant, alias Innocentius non potuiſſet permittere, ut paulo poſt Fridericum II. Moguntinus archiepiſcopus Aquisgrani coronaret. Denique, quid ſibi aliæ quædam bullæ velint, incertum adhuc eſt. Nuda enim tantum pontificum nomina afferuntur, qui bullas illas promulgaverint, quæ tamen Moguntinos advocatos minime feriunt, quin etiam Colonienſes rogant, & hortantur, ut eas publici juris faciant, quum vindex ipſe diſſimulare non potuerit, diœceſeos in illis fieri diſertam mentionem.

34. Interſerit igitur *pag. 26.* quæſtionem, *cur ſubinde apud autores legatur, archiepiſcopo Colonienſi collatum privilegium intra diœceſin ſuam coronandi reges;* quod §. ſeqq. *in bullis etiam pontificum quorundam notari,* & p. 35. *Leonem IX. privilegium ſedi Aquisgranenſi* ſc. *affixum, ad totam diœceſin extendiſſe ait.* Accedit Ruperti regis Romanorum privilegium, cujus autoritate eum advocatus Moguntinus p. 55. Diſſert. conſtrinxerat. In illa enim ſanctione jus, quod ſibi Aquisgrani acquiſiverant Colonienſes archiepiſcopi, ad totam eorum provinciam a Ruperto fuit extenſum. Indicium primum illius fecit Hartmannus Maurus, archiepiſcopi Colonienſis conſiliarius, in deſcriptione inaugurationis Caroli V. quo cum convenit, quod in MSta quadam deſcriptione hujus coronationis, quæ exſtat in archivo Moguntino, memoratur, quod electores quidam una cum Colonienſi archiepiſcopo, de contagio Aquisgrani graſſante per literas, & legatos cæſarem monuerint, *und die Crönungen an andere Orte* Cœllniſchen Biſthums *zu verrücken gebeten*, eumque de transferenda in alium locum *Colonienſis epiſcopatus*, coronatione rogaverint. Res autem cum Ruperto ita habet: Quum is rex Romanorum eſſet electus abdicato imperatore Wenceslao, neque Aquisgranenſes Wenceslao fidi Rupertum intromitterent, paſſus eſt ſeſe a Friderico Colonienſi archiepiſcopo Coloniæ coronari. Id adeo commovit Aquisgranenſes, ut Rupertum *regem Colonienſem* vocarent, quemadmodum in antiquo quodam chronico MSto legitur. Quin etiam, uti magiſtratus Aquenſis, literis anno 1562. ad cæſarem Ferdinandum datis, deprecaturi, ne Maximilianus II. coronaretur Francofurti affirmant, Rupertus, etſi ante a Colonienſi archiepiſcopo Coloniæ conſecratus, Aquisgrani tamen deinde iterum coronam ſuſcepit, ut vel inde conſtet majorem longe fuiſſe apud veteres loci, quam perſonæ, (conſecrarat enim eum Colonienſis,) religionem. Conceſſum igitur tum eſt a Ruperto, archiepiſcopo Colonienſi privilegium. Hartmanno Mauro teſte, ut quocunque loco ſuæ provinciæ, ſuo arbitratu coronationi locum præfiniri poſſet. An illa ſit privilegii illius ſententia, fides ſit penes Hartmannum Maurum. Non tamen abs re fuerit, ipſum illud diploma Ruperti in lucem protrahi, ut ex eo accuratius conſiderato conſtet, an non hac conſtitutione Ruperti, jus Colonienſis archiepiſcopi, fuerit intra ſuam provinciam reſtrictum. Colonienſes enim, aut impetrarunt ipſi hoc Rupertinum diploma, aut ſponte ſua id tulit imperator. Si prius, uti ex Hartmanni Mauri narratione conjicitur, cur ipſi intra diœceſin ſuam ſe continuerunt, quare non Germaniam omnem comprehenderunt? Meminiſſe enim poterant, ſi Aquisgrani non inſtituatur coronatio, perinde eſſe, ubicunque illa fiat, ſive in Colonienſi diœceſi, ſive alibi, quia ratio nulla eſt, quæ coronationem demta religione erga ſedem Aquisgranenſem magis adſtringat Colonienſi provinciæ, quam alteri cuipiam. Neceſſe igitur eſt, eos ideo tantum ad provinciam Colonienſem adſtrinxiſſe hoc privilegium, quod noſſent extra eam jus ipſis nullum eſſe. Sin autem Rupertus ad tuendam coronationem Coloniæ peractam, tale aliquod diploma ſponte edidit, cur ſe intra ſuam diœceſin conſtringi paſſi ſunt? Vindex, ut vim argumenti tam manifeſti elidat, multa ait: Summa tamen reſponſionis in eo ſita eſt, quod, *etſi forte archiepiſcopus Colonienſis pro ſuo arbitratu non poſſit deſignare locum extra ſuam provinciam, tamen ſi id ex aliis cauſis contingat, nihil de privilegio illius perſonali,* (quod nempe Carolum magnum dediſſe exiſtimant) *detractum cenſeatur:* Deinde, quod Innocentius III. Clemens, Urbanus, Fridericus I. & Carolus IV. illud perſonale privilegium contra quoscunque illimitate aſſeruerint. Vides igitur, lector, redire iterum vindicem ad ſolum illud privilegium perſonale a Carolo M. datum,

tum, quod nullum plane eſſe, etſi in eo præcipuum a Colonienſibus ponitur fundamentum, jam ſæpius probatum eſt. Nihil equidem eſt, ex quo manifeſtius conſtet, jus illud illimitatum nullo niti fundamento. Pontifices autem, quomodo quæſo privilegium illud perſonale aſſeruerunt, quum fortaſſis id illis nunquam in mentem venerit? Quæ autem cauſa ſit, quod interdum loquuntur laxius, id ex illis, quæ paulo ante dicta ſunt, patet. Neque *verum eſt, quod exemplum nullum adduci poſſit, mutata perſona coronantis ob incidentem in coronatione loci mutandi neceſſitatem.* Siquidem mutato loco, ſemper mutata quoque fuit perſona. Nullum enim regem extra ſuam provinciam coronarunt Colonienſes, quum tamen non pauci extra eam a Colonienſi, ſed Moguntino coronam ſuſceperint.

35. *Bullis pontificum Romanorum*, ait vindex num. 37. *merito ſubjungimus ſacros canones & eorum interpretes.* Ordo recte ſe habet. Quid vero poſtea? *Et inprimis ipſa originalis bulla Innocentii III. honorem inter canones meruit, c. Urbem. in 6. de elect. & electi poteſtate.* Ita eſt. Nihil vero illa, uti inter canones relata eſt, juvat cauſam Colonienſem. Omiſſa enim ſunt ex media bulla, quæ ad coronationem ſpectabant: Quare, viderint Colonienſes. Neque multo rectius huc quadrant verba Innocentii IV. commentantis id illud ipſum c. venerab. non integra a vindice adducta, ne ſtatim in limine appareat, nihil illa ad rem facere. Ita autem habent: *Credimus, ſi imperator coronam in loco debito recipere non poſſet, nihilominus tamen autoritatem adminiſtrandi ab archiepiſcopis Colonienſibus poſſet recipere, vel ſua autoritate habere ex electione.* Vindex prima & ultima verba, quia non erant ad ejus guſtum, omittit. Primo enim ita opinatus tantum eſt Innocentius IV. *Credimus*, ait, neque adhuc pontifex erat, quum illa commentaria in decretales ſcriberet, atque ideo non majorem habent autoritatem, quam alterius cujuſpiam interpretis aut commentatoris. Deinde loci neceſſitatem, ut nempe coronatio Aquisgrani fieret, tantam eſſe arbitrabatur, ut nuſpiam alibi conſecrari poſſe imperatorem exiſtimaret. Quærit igitur: Quid eo caſu faciendum ſit electo imperatori, ſi forte, ut aliquoties contigerat, Aquisgranum adiri non poſſet, ſive propter locorum intervalla ab hoſtili exercitu inſeſſa, ſive quod urbs ipſa nollet admittere electum imperatorem, an ideo imperium adminiſtrare nequeat? Duo reſpondet, aut poſſe recipere *adminiſtrationem a Colonienſibus archiepiſcopis*, qui ſuppoſita illa inevitabili loci neceſſitate legitimi erant conſecratores, & ex communi regula juris canonici (quod ad illum, qui ordinat, & manus imponit, etiam ſpectet, inquiſitio in electi perſonam, an ſit idoneus) ad jus coronandi regem Romanorum applicata eadem poteſtate uti poſſe, credebantur Innocentio IV. *Aut ſua autoritate habere ex electione*, in quam poſteriorem ſententiam, ab omnibus pene itum eſt, inprimis autem diſerte negat Bonifacius de Vitalianis *ſuper Clem. unica §. porro num. 33. de jure 1.* conſequi poſſe imperatorem veniam adminiſtrandi a Colonienſi, & multus quoque eſt in illa confutanda Lupoldus de Bebenburg *Cap. 10. de jure regni & imper. Rom.* Altera autem, quod adminiſtrationem ſua autoritate habeat ex electione confirmata, deinde fuit a Carolo IV. in aurea bulla cap. 2. §. 5. ubi conſtituit, *ut is, qui modo præmiſſo fuerit in regem Romanum electus, peracta ſtatim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus cauſis aliis, ſive negotiis virtute S. imperii adminiſtret, univerſis & ſingulis electoribus omnia ipſorum privilegia confirmare debeat.* Nunquam autem ex vi hujus regulæ juris canonici auſus eſt quisquam archiepiſcoporum Colonienſium ſibi talem aliquam autoritatem in electum regem Romanorum tribuere, ſed uti de aliis multis, ita etiam hac de re diſceptatum fuit inter quosdam interpretes, quum aliquibus regulam illam Colonienſi etiam archiepiſcopo tanquam conſecratori aptari poſſe videretur. Vim autem ejus, quum electis Romanorum regibus neceſſitas impoſita eſſet ſuſcipiendi a ſummis pontificibus coronam cæſaream, urſit inprimis Johanne XXII. contra Ludovicum Bavarum, quem Innocentius IV. toto pene ſeculo anteceſſit, ut ad eum referri nequeat, quod deinde tempore Ludovici Bavari fuit inter Canoniſtas agitatum. Et vero fuerat is loco debito coronatus, ſed non a quo debuerat, Colonienſi ſcilicet archiepiſcopo, ſed a Moguntino. Ideo vero nihil ipſi fuit moleſtiæ a Johanne XXII. atque illis, qui tum vivebant, Canoniſtis exhibitum. Alia erant, eaque omnibus nota, quæ illi ad ſedis apoſtolicæ jura tuenda requirerent. Quam vanum igitur eſt, ne quid dicam amplius, quod ſe torquet vindex, undenam tanta poteſtas ſit Colonienſi: *Non poſſe eam provenire ex jure diœceſano, ſed ad caput rerum oportere recurrere, & conſtitutionem inprimis Caroli M.* Monſtravi fontem hujus poteſtatis in ipſo c. venerabilem. Dum vero vindex in omnibus anguſtiis ad Caroli M. conſtitutionem, ceu ad ſacram anchoram confugit, eo ipſo ſuſpectam reddit omnem ſuam cauſam; Obſervet autem ex Innocentio IV. quanta fuerit habita eo tempore loci religio, & quod non ſine cauſa laboratum fuerit, ut ſolennis illa functio uni tantum loco adſtricta, ad diœceſin deinde totam extenderetur.

36. A ſacris canonibus pergit vindex num. 39. & ſeqq. ad reſcripta imperatorum. Illi ſunt Carolus M. Henricus III. Fridericus I. & Carolus IV. De Caroli magni conſtitutione piget toties dicta repetere: De Carolo IV. deinceps erit agendum. Nunc de Henrico tantum III. & Friderico I. quæritur, quid illi ſenſerint, an Colonienſi archiepiſcopo jus eſſe, ut extra ſuam diœceſin coronare reges Romanorum ipſi liceat, dixerint, aut ſanxerint. Friderici I. verba videntur eo facere: ait enim, ſe *regalem unctionem Colonienſi archiepiſcopo* adſcribere. Integrum locum Radevici, qui volet, in diſſertatione legat. Præcipuum eſt, quod reponit vindex, (nam omnia illius cum pulviſculo excutere moleſtum eſt) hæc locutum eſſe imperatorem in conventu principum imperii, Moguntinum non fuiſſe diſſimulaturum, ſi quid illi adhuc juris in coronandis regibus ſuperfuiſſet. Sed nihil illa ad rem faciunt. Plane enim ſupervacaneum futurum erat, ſi quid repoſuiſſet archiepiſcopus Moguntinus. Locutus enim illa eſt imperator ad principes imperii, quibus cognitum

 erat,

erat, non licere alibi, illo maximo tempore coronare imperatorem, quam Aquisgrani. Sane, quia locus ordinarius coronationis eſt Aquisgranum, & ideo ordinarius etiam conſecrator eſt Colonienſis Archiepiſcopus, non potuit Imperator aliter loqui, nec quicquam licuit Moguntino interfari. Ne hodie quidem, etſi per integrum pene ſeculum ſolus Moguntinus Archiepiſcopus Cæſares conſecraverit: ſi quis tamen quærat, uti in omnibus fere regnis certi ſunt, quorum illud munus proprium eſt, ad quem ſpectet jus coronandi regem Romanorum, non aliter tamen recte ad illam quæſtionem reſponderi poterit, quam ſpectare id ex officio ad Colonienſem archiepiſcopum, quia ſemper ſupponitur, quod Aquisgranum ſit regia urbs ſola ex omnibus Germaniæ urbibus ab antiquiſſima conſuetudine a Carolo IV. imperatore in aurea bulla confirmata, deſtinata coronationi regum Romanorum, in qua, ſi conſecrati fuerint reges Romanorum, nemo eſt, qui cum Colonienſi archiepiſcopo contendet.

37. Adducitur quoque inter teſtes & vindices juris Colonienſis Henricus IV. imperator, qui id aſſeruerit Hermanno Colonienſi, contra Lupoldum Moguntinum. Queritur vindex ab advocato Moguntino, non eſſe integre adducta Lamberti verba, & alio etiam detorta. Inſpiciat autem ſerio diſſertationis Moguntinæ num. 36. neque erit, quod de Moguntini advocati fide conqueratur. Minutias illi conſectari minime integrum fuit, neque adhuc videt, quid myſterii lateat in illis Lamberti verbis, quum *imperatorem Hermanno potius archiepiſcopo hoc privilegium vendicaſſe ait.* Neque enim illa aliter accipias, quam quod imperator maluerit & ſua autoritate pervicerit, ut hoc munus & honor ille ad Hermannum Colonienſem deferretur. Cauſas duas affert, quæ imperatorem moverint: *Claritatem generis* & *jus diœceſeos.* Vindex autem, neſcio quæ in ſignificatione verbi *vindicare*, quum tamen Lambertus verbo *vendicare* utatur, ex Calepino argutatur, tum etiam, quia illud toties exploſum Caroli magni privilegium, ipſi ſacri inſtar aſyli eſt, eo reſpexiſſe imperatorem conjicit, plane præter Lamberti mentem. Si quod enim tum notum erat Caroli magni privilegium, uti imperatori Henrico III. cognitum fuiſſe exiſtimat, vindex, ejus utique meminiſſent aut cæſar, aut archiepiſcopus Colonienſis, aut hiſtoriæ illius ſcriptor Lambertus Schafnaburgenſis. Dignum quidem admiratione eſt, quum ſæpius inter ſe Moguntinus & Colonienſis contenderint de regibus Romanorum coronandis, nunquam ulli illud privilegium Caroli magni veniſſe in mentem, quo ſolo ob venerationem nomini ejus debitam res tota confici poterat. Quum enim veteres Germaniæ reges & imperatores, ob memoriam Caroli magni tantum urbi Aquisgrano habuerint honorem, ut in ea urbe regni atque imperii auſpicia capienda eſſe exiſtimaverint, quid credimus eos fuiſſe facturos, ſi peculiari quoque privilegio a Carolo M. ſucceſſorum ejus conſecratio, Colonienſi archiepiſcopo fuiſſet aſſerta?. Sed illud privilegium nuper admodum comparuit, & quum incerto fundamento nitatur, tamen vindici ſemper in ore eſt. Lamberti autem verborum ſenſus planus eſt in hanc ſententiam, quod contendentibus Lupoldo Moguntino, & Hermanno Colonienſi, de privilegio coronandi imperatorem, imperator illud Hermanno vendicaverit, & quod Lupoldus ægre conſenſerit. Ceſſit igitur Lupoldus Hermanno, dum conſenſit adductus autoritate imperatoris, qui uti fieri ſolet, & res ipſa ſuadet, non vim & arma, ſed argumenta & adhortationes adhibuiſſe recte creditur. Nunquid ideo figmentum eſt ceſſio illa? Quæſo, quomodo res aliter agi potuit? Si duo inter ſe contendant de re aliqua, & afferantur utrinque rationes, tandem autem alter etſi ægre alteri conſentiat, nonne is cedit, &, ſi de jure quodam agitur, nonne is etiam jus ſuum cedit? Ut res fiat clarior, ſumamus illuſtre exemplum, quod his ſcriptionibus præbuit primam occaſionem.

38. In nuperis comitiis Ratisbonæ, dum coronandus eſſet auguſtiſſimæ memoriæ electus Romanorum rex Ferdinandus IV. lis oritur inter eminentiſſimos electores Moguntinum & Colonienſem, uter eo munere fungi debeat: Uterque adducit rationes, quibus jus ſuum probari poſſe exiſtimat. Itur ad imperatorem: Is autoritatem ſuam interponit, examinat rationes, hortatur, rogat etiam, ut lis componatur. Fertur tandem pro Moguntino ſententia, etſi tantum in poſſeſſorio. Quod ſi igitur, uti ſententia cæſaris in poſſeſſorio ſolummodo lata fuit, fuiſſet definitiva & litis deciſoria, atque Sereniſſimus Colonienſis elector etſi ægre conſenſiſſet tamen, quis dubitaret, eum hoc ipſo pro ſe & ſucceſſoribus ſuis jus ſuum, quod ante obtenderat, ceſſiſſe, & illi renunciaſſe non penitus, ſed ſecundum eas rationes, quas Moguntinus elector adduxerat, nempe in cætera Germania ſervato ſibi jure Aquisgrani & in reliqua ſua diœceſi, quod Moguntinus minime impugnarat. Ea ratione & modo tum quoque, quum Lupoldus & Hermannus inter ſe diſceptarent, actum fuiſſe, non eſt dubitandum. Etſi enim *Generatio præterit & generatio advenit*, ut ait eccleſiaſtes, & homines alii atque alii ſibi invicem ſuccedunt, ratio tamen agendi inter homines ſemper fere eadem eſt. Et vero ex iis, quæ deinde inſecuta ſunt, id manifeſto apparet. Nam ex eo tempore nemo fuit archiepiſcoporum Moguntinorum, qui ſibi præ Colonienſi deberi coronationem regum Romanorum in urbe Aquisgrano peragendam contenderit. Lambertum quoque addictiorem fuiſſe Moguntino non negem. Ex eo tamen non ſequitur, quod falſo quædam narraverit. Inter omnes enim Germaniæ hiſtoricos veteres magnam & diligentiæ & fidei laudem ipſi tribuunt, qui de ſcriptoribus Germaniæ cenſent, ſed illud partium ſtudium in eo conſiſtit, quod nihilominus à Lupoldo debuiſſe coronari Henricum IV. ſcribit, etiamſi ille autoritate imperatoris adductus Hermanno ceſſerat, perinde atque ſi Chriſtianus Adolphus Thuldenus, qui in recenti proxime elapſorum annorum hiſtoria magis quoque Colonienſis quam Moguntini partibus addictus eſt, ſecundum caſum ante poſitum, in eam fere ſententiam atque Lambertus ſcripſiſſet: *Imperatoris filius Ferdinan-*

dinandus conſecratus eſt in regem Ratisbonæ a Joanne Philippo Moguntino archiepiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Maximiliani Henrici archiepiſcopi, ad quem propter diſpoſitionem aureæ bullæ conſecratio regis potiſſimum pertinebat. Sed imperator potius Johanni Philippo archiepiſcopo hoc privilegium vindicabat, quia non Aquisgrani aut intra diœceſin Colonienſem hæc conſecratio celebranda contigiſſet. Sane & ſic vere ſcripſiſſet Thuldenus adductis quoque breviter rationibus ab utraque parte allatis, & tamen plus æquo partium ſtudio & Mecœnati ſuo cenſeretur fuiſſe addictus.

Quod ſi autem aliquando poſt complures annos Moguntinus aliquis archiepiſcopus coronationem Aquisgrani peragendam ſibi tribuere vellet, poſſent utique Colonienſes illius Thuldeni autoritate contra Moguntinos magno cum fructu uti. Quare ſi Vindex mutatis tantum perſonis Lamberti narrationem paullo accuratius expendere velit, non poterit diffiteri, quin ea pro Moguntinis plurimum faciat & jus Colonienſis archiepiſcopi intra fines ſuæ diœceſeos conſtringat. Accedit omnium conſenſus, qui non aliter Lamberti verba accipiunt, adeo ut illi ſcriptores, qui de ſtatu imperii noſtri ſcripſerunt, ab eo tempore jus Colonienſium archiepiſcoporum arceſſere ſoleant. Digna ſunt notatu, quæ habet Browerus *lib. XI. annal. Trevir. quum ſcribit: Henricus IV. proceribus atque epiſcopis Germaniæ Aquas venire juſſis filium Henricum puerum per Hermannum Colonienſem archiepiſcopum, Lupoldo Moguntino, ut de JVRE SVO tantiſper decederet, vix exorato, regem Germaniæ inungi conſecrarique voluit.* Agnoſcit jus hoc competiiſſe Moguntino archiepiſcopo, ut is Aquisgrani coronaret, & vix fuiſſe exoratum, ut tantiſper de eo remitteret. Duriora hæc videbuntur Vindici, quam quæ dixit diſſertator: Browerus enim brevem & uni tantum actui adſtrictam, diſſertator autem perpetuam ait fuiſſe ceſſionem, quum Lupoldus ceſſit Hermanno.

39. Quum igitur ne quidem probabili aliqua conjectura adſtrui poſſit Carolinum illud privilegium Hildeboldo collatum, Leonis autem IX. Eugenii III. & Alexandri Bullæ nondum ſint prolatæ in lucem, & quantum ex ipſius Vindicis verbis apparet, de diœceſi tantum loquantur, Henricus quoque III. ex eadem ratione Colonienſi contra Moguntinum jus coronandi aſſeruerit, Innocentius autem III. Vrbanus IV. Clemens IV. & Innocentius IV. ſummi pontifices & Fridericus I. imperator ex ſuppoſita loci regum coronationi deſtinati abſoluta neceſſitate intelligendi ſint, eoque etiam generalia aureæ bullæ verba eſſe reſtringenda vel ex ſubſecuto Ruperti privilegio, & illa ad diœceſin determinatione appareat, eaque omnia aut jam probata ſint, aut in ſequentibus adhuc luculentius ſint aſſerenda, judicent alii, quo ſpectet deſcriptus num. 43. Vindiciarum magnificus ille undecim titulorum apparatus, quibus ab annis usque octingentis & amplius Colonienſes jus ſuum probare poſſint. His ego pro jure Moguntini archiepiſcopi aſſerendo nihil aliud oppono, quam perpetua ab imperii usque primordiis deductam & nunquam interruptam atque turbatam a Colonienſibus poſſeſſionem, quoties nimirum coronationem regum Romanorum extra diœceſin Colonienſem inſtitui contigit: Contigit id autem ſæpius. Quin ea toties etiam confirmatur, quoties jus Colonienſis archiepiſcopi intra ſuam diœceſin reſtringitur. In reliqua enim Germania nemo eſt, qui cum Moguntino ea de re contendat, aut etiam controvertere poſſit. Canoniſtæ & hiſtorici adducti, qui ad Colonienſem archiepiſcopum ſpectare coronationem regum Romanorum tradunt, illis vixere ſeculis, quum non licebat alibi quam Aquisgrani inſtituere coronationem regum Romanorum, adeoque eo munere fungi in illa urbe ad ſolos Colonienſes ſpectabat archiepiſcopos. Erant igitur ordinarii conſecratores, quo ſenſu ne hodie quidem aliter quis recte dixerit, quam ad Colonienſem archiepiſcopum ex officio ſpectare, ut reges Romanorum conſecret, quia ſemper ſupponitur, ex antiquiſſima conſuetudine & pragmatica Caroli IV. eam Aquisgrani fieri debere, ſicuti, quum archiepiſcoporum Rhemenſium proprium eſſe dicitur, quod illi reges Galliæ coronent, itidem id ea intentione aſſeritur, quod in Rhemis fieri neceſſe ſit.

40. Ubi ad theſin tertiam Colonienſium ventum eſt, quæ ſic habet: *Jus coronandi a Colonienſibus archiepiſcopis & ante & poſt auream bullam ſemper fuit usque ad Maximilianum exercitum, neque a Moguntinis niſi raro & ex ipſorum conſenſu uſurpatum*, iterum queritur Vindex de perpetuo hiſtoricorum diſſidio, & quod dubiam ideo atque incertam faciant fidem. Non immerito autem mirari licet, qui toties & tam tragice auſit Vindex Colonienſis de incertitudine fidei hiſtoricæ, & de variantibus hiſtoricorum ſententiis in hac controverſia conqueri, neque vereatur tamen tanto verborum apparatu paſſim venditare neſcio quod privilegium, quod Carolus magnus in Hildeboldum contulerit, cujus nemo veterum meminit, quod etiam ne ipſe quidem Petrus a Beck tradere auſus fuit, quum nullo plane nitatur fundamento. Nimirum fungos ille reliquos arbitratur. Deinde ait: *Non fore ipſi quæſtionem niſi de regibus Romanorum, prout ex ipſa bulla Caroli M. & aurea bulla Caroli IV. colligitur.* Quod de bulla aurea ait, id quidem verum eſt. Sed in illa Carolina bulla nulla fit regis Romanorum mentio, & Aquisgranum tantum nunc *ſedes regia, & locus regalis, & caput Galliæ*, nunc *ſedes regni trans Alpes, caput omnium civitatum & provinciarum Galliæ, caput civitatum, caput Galliæ, caput & ſedes regni Teutonici appellatur*, etſi illa elogia parum inter ſe & cum illo ævo conveniunt, uti judicabunt, qui veterum hiſtoriarum ſine affectu ſunt periti. Nam caput eſſe Galliæ, & caput regni Teutonici diverſa ſunt. Quin ſi bulla illa Carolina meminiſſet Romanorum regis, haud obſcurum illud foret recentioris temporis judicium, uti pleraque alia in illa bulla videntur a Caroli magni ætate ſic ſatis eſſe aliena. Neque enim niſi ſero cœpit, ut electi Germaniæ reges Romanorum reges vocaretur, etſi illi eo ipſo, quo eligebantur, jus etiam habebant in Romanum imperium, imperatoris tamen nomen non ante ſibi adſciſcebant, quam a pontificibus Romanis conſecrati, & corona imperiali eſſent redimiti. Fridericus primus imperator adhuc ipſe Aquisgranenſem coronam, coronam regni Teutonici appellat. Quotquot igitur

igitur unquam coronati ſunt Aquiſgrani, illi proprie coronati ſunt reges Germaniæ, ſero demum dicti Romanorum reges, neque hodienum alia eſt illa corona, quam *corona regni Teutonici*, qua cum tamen Romanorum regis & imperatoris appellatio inſeparabiliter eſt conjuncta. Obſervandum enim eſt, ut fieri ſolet in rebus humanis, ita etiam has appellationes, tot ſeculorum decurſu plurimum variaſſe. Conſulat autem Vindex aliqua veterum imperatorum diplomata, quæ adhuc ſatis multa ſuperſunt, & comperiet, eos antequam Romani imperii coronam aut Romæ aut alibi, ſed a pontifice Romano ſuſcepiſſent, non dictos niſi Francorum reges, aut reges ſimpliciter. Non eſt igitur, quod num. 59. exprobret Moguntinis, *vix duo a Ludovico pio ad Ottonem magnum non Romanorum ſed Germaniæ particularis reges inveniri, de quibus pauci hiſtorici lubrice pro Moguntino loquantur.* Quam lubrica ſint illa teſtimonia, deinde videbimus. Eo autem tempore Italiam & Romani imperii dignitatem alii obtinebant, ut, qui tum in Germania imperabant reges, non potuerint Romanorum reges aut imperatores ſe appellare. Neque Otto magnus, quem ab illo numero excludit, initio aliam quam regis appellationem ſibi adſcivit, donec devicto Beringario Romam adiiſſet, & a Joanne XII. Romani imperii coronam ſuſcepiſſet. Quin etiam, etſi Italia poſt Ottonem magnum coaluerat cum Germania, & jure optimo, Romanorum reges ſe appellare poterant, tamen ſatis adhuc diu paſſim in diplomatibus ſe reges tantum ſine ulla additione appellarunt, donec Romam adiiſſent. Conradus III. qui imperiali corona non fuit redimitus, forte primus fuit, qui Romanorum regis nomen uſurpavit. Ab eo tamen Vindex juris ſui haud facile initium capiet. Nullum igitur etiam in ſubterfugio ſibi illo fore præſidium cognoſcat.

41. Tres autem ordines regum & imperatorum ſtatui poſſunt, quia toties conſecrationem eorum magna ex parte variaſſe obſervare licet. Primus ſit a Pipino usque ad Henricum tertium & quartum imperatores: Secundus ab Henrico III. usque ad Maximilianum ſecundum. Tertius a Maximiliano II. usque ad hæc noſtra tempora. In primo annorum circiter trecentorum intervallo, quenquam regum Germaniæ atque imperatorum a Colonienſi archiepiſcopo eſſe coronatum non conſtat. Certe veterum hiſtoricorum, quorum tamen ſatis multi ſuperſunt, nullus eſt, qui id tradiderit. Recentes autem, niſi autoritate veterum narrata ſua adſtruant, fidem non merentur. Plures autem eorum tam Aquiſgrani quam alibi eſſe a Moguntinis Archiepiſcopis conſecratos ex indubitatis veterum monumentis cognoſcimus. In altero quingentorum annorum intervallo ſoli propemodum Colonienſes archiepiſcopi reges atque imperatores omnes conſecrarunt, ſed intra ſuam tantum diœceſin, quia poſt diuturnam ſatis cum Moguntinis ea de re contentionem tandem obtinuerant, ut neque alibi quam Aquiſgrani, neque aliis, quam Colonienſibus archiepiſcopis jure diœceſeos fretis reges conſecrare fas eſſet. Moguntini quidem archiepiſcopi interea unum atque alterum Aquiſgrani quoque coronarunt, uti Fridericum II. & Ludovicum Bavarum, illa tamen exempla juri a Colonienſibus intra ſuam diœceſin acquiſito nihil obeſſe facile admittimus. In tertio centum circiter annorum intervallo, quum regum coronationem aut Francofurti aut Ratiſbonæ inſtitui placuerit, Moguntini archiepiſcopi ex veteri jure eo defuncti ſunt. Quotquot autem unquam extra diœceſin Colonienſem fuere conſecrati, illi quidem omnes coronationem ſuam Moguntinis archiepiſcopis debent.

42. Ne vero quisquam de eo amplius dubitare poſſit, videndum eſt, quid Colonienſis advocatus ad turbandam illam regum & imperatorum ſeriem in ſuis Vindiciis attulerit. Et primo quidem, quod plurimi veterum hiſtoricorum a Bonifacio Pipinum conſecratum eſſe ajunt, id ille dubium facere conatur, ideo, quia alii eum a Stephano papa coronatum eſſe memorant. Sed quam facile illi inter ſe concilientur, dictum eſt ſuperius num. 7. Sunt enim, qui & a Bonifacio & a Stephano Pipinum unctum eſſe tradunt, neque quisquam eorum, qui a Stephano conſecratum eſſe ſcribunt, negat a Bonifacio quoque eſſe inauguratum. In priori autem ſcripto vernaculo Colonienſi nihil circa hanc rem aliud reprehenderat diſſertator, quam quod ſcripſerat advocatus, *ipſi Serario ſtrenuo alias dignitatis archiepiſcopatus Moguntini aſſertori totum illum actum coronationis Pipini dubium & incertum videri.* Miratur autem Vindicem quoque in ea adhuc ſententia perſiſtere. Inſpiciat Serarium ſine partium ſtudio, & aliter ſentiet. Defendit enim illum actum manifeſte, & viſa nonnullis inter ſe diſſentire veterum hiſtoricorum teſtimonia conciliat.

43. Carolum magnum bis eſſe conſecratum a Romano pontifice, primum adhuc juvenem a Stephano pontifice anno 754. aut 753. variant enim ſcriptores, deinde Romæ a Leone III. anno octingenteſimo, quum imperator proclamaretur, certo conſtat ex illius ævi hiſtoricis. Recentiores quidam, uti Lehmannus in chronico Spirenſi, & Spangenbergius in Saxonico, cum etiam Wormatiæ coronatum fuiſſe ajunt. Sed fides ſit penes ipſos. Regino enim & Aimoinus *Carolum in Noviomo, & Carolomannum in Sueſſione in regnum elevatos eſſe tradunt*, & Eginhardus, eum *Carolomanno fratre defuncto omnium Francorum conſenſu regem conſtitutum eſſe* memorat. Sed an iterum conſecratus fuerit, non addunt. Hactenus igitur id incertum eſt. Illa vero Vindici memorata Caroli magni coronatio inſtituta Modœtiæ pro ſuſcipienda regni Longobardici corona, eſt ab ævo recentiore & ab hiſtoricorum fide plane aliena. Ergo quod Carolum magnum attinet, an is iterum poſt unctionem Stephani pontificis coronatus ſit, & a quo id factum fuerit, non ſatis conſtat. Sermo autem nunc eſt de regia tantum coronatione. Cæſarea enim debetur Romano pontifici.

44. Eadem eſt ratio Ludovici pii, quem itidem adhuc puerum Romæ ab Adriano pontifice, deinde iterum Rhemis a Stephano papa unctum & coronatum, demum tertio poſt depulſam captivi-

captivitatem anno in quam filii eum conjecerant, Metis *ante altare Protomartyris Stephani per domini ſacerdotes acclamatione fidelis populi corona regni imperio eſſe reſtitutum*, annales Francici, Aimoinus, Theganus, Hincmarus Rhemenſis, & alius antiquus autor vitæ Ludovici pii tradunt. Conſecratum autem aut coronatum anno 813. ab Hildeboldo Colonienſi archiepiſcopo nemo eſt, qui tradat præter nuperos illos ſcriptores a Vindice allatos, quorum quidam adhuc in vivis ſunt, qui ſane rem illam non aliunde quam ex vetuſtioribus monumentis noſſe poterant, quæ, quum non afferant, ſibi imputent, quod fidem illis nullam habemus. Tum etiam, cur Vindex recentibus ſcriptoribus pro Colonienſi teſtimonium aliquod ferentibus credi vult, non vult in pari cauſa itidem recentioribus Moguntino minime addictis, viris tamen eruditis, & veteris hiſtoriæ peritis, uti Onuphrio inprimis Panvinio fidem præberi. Sed dirimit litem illam omnem Theganus Chorepiſcopus Trevirenſis vir doctus & forte αὐτόπτης. Is enim cap. 6. ita totum illum actum, quum Carolus filium ſuum Ludovicum conſortem imperii fecit, imperatorem dixit, & coronam, ut ipſi ſibi imponeret, juſſit, deſcribit, ut facile appareat, nullas fuiſſe hic partes Hildeboldi, niſi forte miſſam celebravit, quæ dicta eſt omnibus ad coronationem ſpectantibus jam peractis. Illam ab Hildeboldo celebratam fuiſſe, quia ſummus erat Capellanus, neque dixero, neque negavero, quia nemo id veterum aſſerit. *Quo facto*, inquit Theganus, *audientes miſſarum ſolennia ibant ad Palatium.* Ipſa Thegani verba jam alibi adducta ſunt, & ſordent toties repetita. Quum autem toties & tanta cum aſperitate Colonienſes paſſim in ſcriptis ſuis ingerant, Ludovicum ab Hildeboldo eſſe conſecratum, & in eo magnum ſuæ cauſæ & poſſeſſorii continui videantur collocare fundamentum, audiant, quid de illa conſecratione ipſemet Ægidius Gelenius, præcipuus hiſtoriæ Colonienſis illuſtrator hierothecæ ſuæ p. 47. ſtatuat: *Quod addunt Chronica Colonienſia & ex iis chronicon Magnum Belgii, Ludovicum Caroli magni filium ab obitu parentis ab Hildeboldo fuiſſe coronatum, commentum eſt, & nulla nititur autoritate. Nam Sigbertus ad annum 812. Rhegino, Theganus, Baronius ad annum 813. & Marianus Scotus ad annum 814. autores ſunt in concilio Aquisgranenſi præſentibus epiſcopis, abbatibus, ducibus, Comitibus, Ludovicum juſſu parentis adhuc vivi in Palatio Aquisgranenſi diadema ex altari majori acceptum ſibi impoſuiſſe.*

De Lothario, quem Ludovicus parens, anno 817. ſocium imperii fecit, eumque coronavit, ut itidem veteres autores tradunt, quorum teſtimonia in Trutina circa jus coronandi optima fide adducta ſunt, idem ſentiendum eſt. Tot ſunt, qui illius actus meminerunt illius ævi ſcriptores, nemo autem meminit Hildeboldi, quod is eum unxerit aut coronaverit. A patre autem Ludovico coronatum, (& forte ea ratione iisque ritibus, quibus ante quadriennium a Carolo parente ſeſe coronatum Ludovicus imperator meminerat,) veteres ſcriptores diſerte tradunt.

45. Quid deinde Ludovico II. Lotharii filio, Carolo Calvo, & Ludovico III. imperatoribus Romanis acciderit, an & a quo coronati fuerint, parum noſtra intereſſe agnoſcit Vindex cum advocato Moguntino, adeoque manent inconcuſſa, quæ is *n.* 26. & 27. *diſſertationis Moguntinæ* adduxerat. Illud autem notatu dignum eſt, quod Carolus Calvus Galliæ rex Ludovici pii filius, & imperator deinde factus, quum ann. 869. Lotharii regnum Lothario, filio Lotharii imperatoris, cui id obtigerat ſine liberis mortuo occuparet, Metis illius regni coronam ſuſcepit. Principem in ea functione locum habuit Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus, qui eum unxit, & una cum Adventio Metenſi epiſcopo aliisque epiſcopis præſentibus ipſi coronam impoſuit. Acta illius coronationis adhuc integra ſupereſſe & apud Baronium, & in Hincmari operibus, & in conciliis Pariſienſibus Sirmondi jam ante *n.* 22. dictum eſt. Non poterant autem ignorare aut Hincmarus, aut rex ipſe Carolus Calvus, quid avus illius Carolus magnus de Aquisgrano & de peragendis ibi regum coronationibus, & de Colonienſis archiepiſcopi privilegio conſtituiſſet, ſi illa ita ſe habent ut Colonienſes exiſtimant. Rex tamen Carolus Calvus Metis coronam ſuſcepit, & Hincmarus eum unxit, qui habito prius ſermone ſe excuſavit, quod in aliena provincia munere ad Metropolitanum illius provinciæ ſpectante fungeretur: *Carebat autem*, ait Rhegino, *ea tempeſtate urbs Trevirorum & Colonia Agrippinenſis pontificibus, ſiquidem amborum præſules*, Thetgaudus nempe & Guntharius, *in Italia ab hac labe ſubtracti ſunt.* Quod ſi autem notum fuit eo tempore illud Colonienſis archiepiſcopi privilegium, uti eſſe debebat notiſſimum, non opus erat, ut Hincmarus ullam Trevirenſis faceret mentionem, ſed de Colonienſi loqui debuerat, excuſare itidem, quod Aquisgrani non inſtituta eſſet coronatio, ubi quidem prima ſedes regia erat, ſed quod in ea urbe reges coronari deberent, de eo altum eſt apud hiſtoricos ſilentium, niſi quatenus colligitur conveniens eſſe judicatum, ut reges Francorum primum, & quum deinde Aquisgranum Germaniæ regno acceſſiſſet, reges Germaniæ in ea urbe regni ſui primordia capeſſerent, quæ *prima ſedes Franciæ* habebatur. Sedes autem hic pro palatio accipitur. Multa ejuſmodi palatia habebat Carolus magnus, ſed primarium erat Aquisgranenſe, quod in diviſione regni Lotharingici inter Ludovicum & Carolum Calvum ceſſit Ludovico, uti alterum ab Aquenſi præcipuum Heriſtalle Carolo Calvo obtigiſſe idem Rhegino tradit, qui de coronatione illa Metenſi hæc addit lib. 2. anno 968. *Carolus certa relatione comperiens Lotharium regem obiiſſe, mox illius occupare ditionem nititur, Metasque perveniens ab Adventio præfatæ urbis epiſcopo & nonnullis aliis primoribus favorabiliter exceptus, in regnum ſublimatus, indeque digrediens, Aquisgrani palatium ingreſſus eſt, eo quod ſedes regis eſſe videretur, ubi multo plures ad eum confluxere.* Hæc certe cum tam prope ab ætate Caroli abſint, cum privilegio tamen illo Carolino tam locali quam perſonali, ſive quod urbem Aquisgranum aut Colonienſem archiepiſcopum attinet, parum omnino conveniunt.

46. Ludovico III. ſucceſſit in imperio Carolus Craſſus Ludovici, cui tota Germania ceſſerat, filius, huic Arnulphus, uterque Romæ coronatus a pontifice Romano. Etſi autem uterque Germaniæ quoque imperavit, an tamen & a quo in Germania ſint coronati, non ſatis conſtat. Veroſimile tamen eſt fuiſſe unctos, quia id videmus frequens fuiſſe eo tempore, & vel apud Hincmarum Rhemenſem ſolum exſtant deſcriptæ coronationes Caroli Calvi, ejus uxoris Hermintrudis, filii Ludovici, & filii Iudithæ, cum illa regi Anglorum Edelulfo deſponſaretur. Ratio quoque, quam Hincmarus Carolum Calvum coronaturus affert in allocutione ad epiſcopos, omnibus eſt communis: *Quia*, inquit, *ut in ſacris hiſtoriis legimus, reges, quando regna obtinuerunt, ſingulorum regnorum ſibi diademata impoſuerunt, non incongruum videtur iſtis venerabilibus epiſcopis, ut in obtentu regni ſacerdotali miniſterio ante altare hoc coronetur, & ſacra unctione domino conſecretur.* Ludovicus Arnolphi filius, qui patri Forchemii ad regnum evectus ſucceſſit anno 900, ut Regino ait, Conradus item & Henricus auceps, etſi non fuerunt imperatores, neque Italiam tenuerunt ab aliis & diverſis occupatam, Germaniam tamen regio jure poſſederunt, corona regni Teutonici contenti, quam cum Ludovicus & Conradus ſuſceperint a Moguntinis archiepiſcopis, uti num. 28. diſſertationis Moguntinæ probatum eſt, Henricus autem eam ab Herigero Moguntino *more priorum anteceſſorum exhibitam*, magna modeſtia acceptare noluerit, ſatis inde conſtat, penes quos tum jus coronandi fuiſſe exiſtimatum ſit. Neque ideo, quod ſe non appellarunt Romanorum reges, minus illas coronationes faciendas eſſe quiſquam dixerit, quum deinde quoque Otto I. Otto III. Henricus II. Conradus II. Henricus III. paſſim in diplomatibus poſt ſuſceptam in Germania coronam ſe tantum reges, non autem Romanorum reges, appellaverint.

47. Vindex igitur preſſus tam manifeſtis teſtimoniis effundit *num.* 64. bilem ſuam in Hattonem archiepiſcopum Moguntinum, neque putat veroſimile eſſe, ab eo Ludovicum atque Conradum fuiſſe coronatos, quum conſtet, *quam nigra ingrataque fuerit iſtius Hattonis fama inter principes Germaniæ.* Sed meminiſſe debebat, fuiſſe hunc Hattonem regibus illis acceptiſſimum, & Conradi inprimis *regis cor* fuiſſe nuncupatum, ut habet Eckhardus *de caſibus monaſterii S. Galli cap.* 1. qui exſtat tomo primo rerum Allemannicarum Goldaſti, tum etiam ab omnibus illius ævi hiſtoricis ejus prudentiam & animi magnitudinem commentari, quæ virtutes ipſum regibus fecerant familiariſſimum, qui non tantum ipſius conſilio maximam partem in regnorum ſuorum negotiis expediendis utebantur, ſed etiam præter Moguntinum archiepiſcopatum duodecim illum abbatiis præfecerant. Utrumque magnam illi concitavit invidiam procerum Germaniæ, quemadmodum id ex eodem Eckehardo ſatis colligitur, ut propterea veroſimile videatur, quum aliter homini provido detrimentum nullum inferre poſſent, ab æmulis odio illius accenſis ſparſis in vulgus cantilenis famam ejus cœpiſſe lacerari, quæ paſſim cantari ſolitæ, deinde poſterioribus ſcriptoribus anſam dederunt, ut vulgarem illam famam in ſcripta referrent, uti a Mariano Scoto & Hermanno contracto factum eſt, & ex illis refert quoque Serarius. Rhegino enim, qui tum vivebat & in illa ipſa hiſtoria deſinit, rem totam longe aliter narrat, cujus narrationem etſi ad hanc noſtram controverſiam nihil facit, quia tamen neſcio, quo ingenii pruritu Vindex Hattonis illius famæ maculam adſpergere voluit, ad eam tuendam adſcribere operæ pretium eſt. Ita autem habet *lib.* 2. *anno* 905. „ Eodem „anno circa Julium menſem; Ludovicus rex conventum generalem celebravit apud Tiburias „Villa regia, ubi adeſſe mandavit ſæpe dictum Adalbertum, ut in præſentia optimatum regni „pro ſe rationem redderet, & pacis conditionem, quam hactenus exoſam habuerat, tandem aliquando depoſita crudelitatis tyrannide ſuſciperet a rapinis cædibus & incendiis ſaltem vel ſero „quieſceret. Sed his ſalutaribus monitis nequaquam aſſenſum præbuit. Cernens itaque rex obduratum ejus animum, & in cæpta rebellionis militia obſtinatum, collecto undique exercitu, eum „in caſtro, quod Tetraſſa dicitur, obſidione cinxit. Interea Egico, qui ejus individuus comes in „omni pravitate extiterat, ab ejus ſocietate defecit, & cum omnibus ſuis ad regis caſtra tranſiit. „Protracta igitur paulo prolixius obſidione, fractus animo Adalbertus ad callida argumenta convertitur & omni ingenio excogitare cœpit, qua arte obſidio ſolveretur, ut exercitu ad propria remeante optata libertate potitus, ipſe cum ſibi faventibus dolos, quos in pectore volvebat, longe „lateque effundere poſſet. Portis itaque apertis, a munitione exiens cum perpaucis, ultro ſe regi obtulit, ſupplex veniam de commiſſis expoſcit, emendationem promittit. Sed cum fraus, quæ „ſtruebatur ſuis, prodentibus fuiſſet detecta, cuſtodiæ mancipatur, & in præſentia totius exercitus manibus vinctis adductus, omnibus adjudicantibus capitalem ſententiam ſuſcepit quinto „Idus Septembris. Facultates & poſſeſſiones ejus in fiſcum redactæ ſunt, & dona regis inter „nobiliores quosque diſtributa.„ Hæc Rhegino, qui tum vivebat. Eadem videtur eſſe ratio illius quoque narrationis, quod Henricum Saxoniæ ducem voluerit Conradi regi prodere. Irrepſit illa in edita quædam Witikindi Corbejenſis exemplaria. In optimo autem MSto Witikindi codice non eſſe repertam, teſtis eſt Reneccius. Et ipſe Witikindus ei hoc teſtimonium perhibet, *quod vir magnæ prudentiæ fuerit, quique tempore Ludovici adoleſcentis ſuper imperio Francorum acri cura vigilaverit, & multas diſcordias in regno conciliaverit.* Alii haud dubie ex cantilenis ſua depromſerunt, quibus ſi fidem habeas, quæ non fabulæ admittendæ erunt in hiſtoria. Illæ potius rem ſuſpectam nobis facere debebant. Uti tum erant mores ſeculi ſimpliciores, vis odora mentis pro aſtutia habebatur, & ſi qui eſſent aſtronomiæ & Mathematicarum ſcientiarum peritiores, Magiæ erant ſuſpecti. Quid enim non monſtroſi confictum eſt de Silveſtro II. pontifice Gerberto antea dicto Ravennatum archiepiſopo, quum tamen ineptiſſimæ illæ fabulæ vel ex ſolis illius, quæ ſuperſunt epiſtolis confutari poſſint, ex quibus perſpicimus, quanto ſtudio & quantis ſumtibus ex omnibus bibliothecis

thecis rariores quosque, & ignotos aliis in ſcientiis mathematicis libros conquiſierit, cui eruditioni illi ſeculo novæ & incognitæ, quum vitæ integritas atque prudentia accederent, paratum habebat aditum ad principum & regum familiaritatem, & ex uſu illorum temporum, ad præcipuas quasque eccleſiaſticas dignitates eorum beneficio adipiſcendas.

48. Sed redeo ad Vindicias Colonienſes, quarum autor num. 65. id quoque exprobrat advocato Moguntino, quod ætate prædictorum regum Moguntinum archiepiſcopum ſolum fuiſſe in Germania Metropolitanum adeoque reges illos, quum Colonia nunc regni Lotharingici, nunc vero regni Germanici pars eſſet, non potuiſſe ab alio niſi a Moguntino Metropolitano coronari dixerat. *Fuiſſe* enim *& Salisburgi & Hamburgi, & Magdeburgi ſaltem Ottonis M. tempore archiepiſcopos: Verum advocatum Onuphrium Panphinium, & Aventinum ſuſpectum autorem ſequi.* Quos autores advocatus ſequatur ex utraque diſſertatione ejus ſatis apparet, illos nimirum præcipue, qui proximi fuerunt illi ſeculo, quo res geſta eſt. Aventinum ſemel tantum & timide adduxit: Panvinium interdum allegat quidem, non tamen illius ſola autoritate nititur, ſi erravit, quod initium electoralis collegii ſub Gregorio X. collocat, non tamen ideo fides omnis ei deroganda eſt. *Fœdum* etiam *errorem* nemo facile dixerit. Diſquiſitio enim anceps eſt & intricata, neque eadem omnium eruditorum ſententia. Si de numero ſeptenario & illis principum familiis, quæ nunc ea dignitate gaudent, quæſtio fuerit, aliter quoque eſſe ſentiendum docet Card. Baronius *Tomo X. anno* 996. Parum quoque refert, ſi Henricum VII. primum fuiſſe, qui corona ferrea Mediolani uſus fuerit, ſcribit. Minus certe probaverit vindex ferream coronam in regno Longobardico a Caroli magni uſque aut certe Ottonis I. tempore in uſu fuiſſe. Verius illi, qui omnes coronas fuiſſe aureas ſentiunt. Juvaviæ aut Salisburgi archiepiſcopum Norici potiſſimum & Pannoniæ, Hammaburgenſem Vandalicarum & ſeptentrionalium provinciarum & Magdeburgenſem a Joanne pontifice Romano & Ottone M. imperatore Sclavicarum eccleſiarum Metropolitanum, fuiſſe conſtitutum notius eſt, quam ut probari debeat, neque id quiſquam, qui vel mediocriter hiſtoriæ Germaniæ fuerit peritus, ignorare poteſt. Vel Cranzius ſaltem in ſua Metropoli & in Wandalia, atque Helmoldus & Arnoldus Lubecenſis in hiſtoria Sclavorum adeantur. Totam enim Saxoniam ſuperiorem, quam nunc vocamus, Luſatiam, Marchiam Brandenburgenſem, & totam fere Albis ripam Sclavicæ gentes ſub variis nominibus inſederant, quibus Magdeburgum voluit eſſe Metropolin Otto imperator. Quicquid præterea erat gentium Germanicarum, quæ maximam partem Germaniæ proprie dictæ conficiebant, uti Saxonia, Thuringia, Francia, Alemannia, Haſſia, quemadmodum eo tempore cenſebantur provinciæ Germaniæ proprie dictæ ſub XII. ampliſſimis epiſcopatibus ab Albi & Viſurgi fluviis usque ad fines Italiæ, quicquid itidem inter Rhenum & Danubium erat terrarum omne illud Metropoli ſuberat Moguntinæ, ut ideo veteres Moguntiam jure meritoque Germaniæ Metropolin dicere potuerint, neque dubitari poſſit aut debeat, quin Germaniæ reges, de quibus ſermo nobis fuit, quum coronatos eos eſſe conſtet, coronationem autem minimum a Metropolitano fieri moris ſit, a nullo alio, quam Moguntino archiepiſcopo fuerint conſecrati.

49. Hactenus conjecturis potius, ſed illis probabilibus & in re ipſa fundatis, quam diſertis veterum teſtimoniis, an & quos Moguntini coronaverint, diſceptatum eſt. Conradum tamen ab Hattone Aquisgrani coronatum fuiſſe continuator Rheginonis & B. Rhenanus *l. 2. rerum Germ.* tradunt. Etſi enim poſt Ludovici regis obitum, qui anno 911. aut ut alii volunt 912. contigit, quod cum eo exſtincta eſſe crederetur Caroli magni familia, Lotharingicum regnum ſtatim invaſit Carolus Simplex Galliæ rex, & Trevirenſem archiepiſcopum ſuum fecit archicapellanum, atque anno jam tum 912. diplomata ad Lotharingicum regnum ſpectantia edidit, dubitari tamen haud immerito poteſt, an uno prorſus impetu regnum totum ad Galliæ regem defecerit, & ſimul Aquisgranum in ejus poteſtatem venerit. Id enim non eſt veroſimile, & adhuc anno 914. apud Sigebertum Gemblacenſem Giſelbertus Lotharingiæ dux Conrado regi rebellaſſe dicitur. Quicquid vero de eo ſit, ſi non Aquisgrani, ſaltem alibi, ab Hattone fuerit coronatus Conradus. Satis enim aperta ſunt, quæ Ditmarus ait de Henrico Aucupe, illi *ab Herigero archiepiſcopo epiſcopalis unctionem benedictionis more priorum anteceſſorum fuiſſe exhibitam.* Et Albertus abbas Stadenſis *in chronico ad annum* 920. *cum Henrico unctio & diadema a ſummo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, offerretur, noluit acceptare ſe tanto honore indignum judicans.* Hæc enim indicant manifeſto, jam præceſſiſſe alios archiepiſcopos Moguntinos, qui reges conſecraverint. Irrefragabile autem eſt teſtimonium, quod Witikindus, Ditmarus, aliique omnes coronationi Ottonis regis ab Hildeberto Moguntino archiepiſcopo peractæ perhibent. Quo minus autem Hildebertum ſe ingeſſiſſe conſtat ex Witikindo atque Colonienſes id fatentur, eo luculentius probatur ſumma Moguntinæ ſedis autoritas, quam eo tempore præ reliquis Metropolitanis Germaniæ fuiſſe conſpicuam ex illius ævi annalibus cognoſcimus. Recte igitur Browerus *lib. 9. annal. Trev. p. 555. ſcribit: Conſecrationis jus pace tamen Agrippinenſis, cujus in diœceſi res gerebatur ad Moguntinum delatum eſt, qui jam inde a S. Bonifacii tempore primus Metropolitarum Germaniæ cenſebatur, quamvis Ruotbertus Trevirum id munus merito ſibi mandandum exiſtimabat, quod ipſius eccleſia a beato Petro apoſtolo fundata antiquitate concederet nemini. At ceſſit nihilominus uterque modeſtia & quietis ſtudio Hildeberto procerum judicium* interveniſſe ſcribit Trithemius vir rerum Germanicarum peritiſſimus, quique multos legerat libros, qui deinde perierunt; Et vero probabile eſt, ſi vel communem agendi rationem in ejusmodi rebus conſideres, quia Hildebertus, ſe non ingeſſit, ſed Colonienſem & Trevirenſem paſſus eſt inter ſe de ea functione contendere ſui haud dubie juris ſecurus. Rejicit autem Trithemium Vindex, cujus tamen ſpectata eſt in

rebus Germanicis peritia, & vult credi Gobelino perſonæ ſcribenti in coſmodromio *pro illa tantum vice datam eſſe à Wigfrido licentiam Hildeberto*, quum perſona vix quinquaginta annis Trithemio ſit antiquior, & res ipſa atque ſequentes actus à Moguntinis exerciti Gobelinum perſonam refutent, quem non admiſit advocatus Moguntinus, ſed id falſo ſcripſiſſe diſſertationis ſuæ *num.* 30. manifeſto aſſeruit. Interea non negavero jus aliquod habuiſſe Wigfridum, quod obtendere potuerit, & ea ratione recte dici à Ditmaro *cum licentia Wigfridi* conſecraſſe Hildebertum, pervicere enim tandem Colonienſes archiepiſcopi *jure illo diœceſeos*, quod tum quoque Wigfridum adduxiſſe Witikindus & Ditmarus tradunt, ut regiæ coronationes ipſorum propriæ eſſent. Dicant autem Colonienſes, quid illud demum fuerit, quare Moguntini ſibi regias coronationes Aquisgrani aſſerere deinceps auſi fuerint, ſi id non fuit, quod Moguntia *prima eſſet Germaniæ Metropolis.* Quod autem Wigfridus una cum Hildeberto coronaſſe dicitur, id non magis Moguntino obeſt, atque Colonienſis archiepiſcopi juribus quicquam obeſſe creditur, quum illi Aquisgrani hoc ſolenne munus obeunti Moguntinus & Trevirenſis archiepiſcopi aſſiſtunt, & ſimul prehenſam manibus regiam coronam regis capiti imponunt.

50. Ottonem II. à Wilhelmo archiepiſcopo Moguntino coronatum Aquisgrani tradunt recentiores quidam, Onuphrius Panvinius, Cyriacus Spangenbergius *in chronico Saxonico cap.* 141. Adelarius Erichius *in chronico Iuliacenſi lib.* 4. *cap.* 2. & inprimis Latomus *in MSS. Moguntinis adverſariis*, aliique. Coronatum Aquisgrani diſcimus etiam ex vetuſtioribus, ſed non addunt, à quo id factum ſit. Witichindus ſub finem *lib.* 3. *Ottoni II.* (poſt mortem ſcilicet Ottonis parentis) *manu facto, licet jam olim unctus eſſet in regem, & ab apoſtolico deſignatus in Imperatorem, omnes certatim manus dabant.* Lambertus Schafnaburgenſis anno 961. *Filius Ottonis Otto Secundus in regem ungitur Aquisgrani.* Romerius autem, qui eo tempore vivebat, & Voſſio *de Hiſt. Lat.* & Simlero Rheginonem continuaſſe creditur, ad eundem annum. „Rex in Italiam ire diſponens, maximam ſuorum multitudinem Wormatiæ coadunavit, ubi conſenſu & unanimitate regni procerum, totiusque populi, filius ejus Otto rex eligitur. Indeque progrediens convenientia quoque & electione omnium Lotharienſium Aquis rex ordinatur. Ordinato vero filio pater in Saxoniam rediens „diſpoſitis regni negotiis filium Wilhelmo archiepiſcopo tuendum & nutriendum commiſit. Quantæ enim hic Wilhelmus in imperio fuerit exiſtimationis etiam ex Ditmaro conſtat *lib.* 11. *chronicorum*, quum ait: *Wilhelmo ſanctæ archipræſuli Moguntiæ ab imperatore Domino ſuimet & parente commiſſa fuit cura Parthenopolin diſponendi, cæteraque regni neceſſaria regendi.* Et ex Witikindo lib. 3. ubi ſcribit: Ottone in Italia abſente, *Summus Pontifex Wilhelmus, vir ſapiens & prudens pius & cunctis affabilis à patre ſibi commendatum regebat imperium Francorum.* Quum igitur hic Wilhelmus tanta fuerit in imperio autoritate, quum & parens Otto filium ei ſuum cognominem tuendum commiſerit, & ex Rogerio in vita Brunonis archiepiſcopi Colonienſis *cap.* 40. conſtet, eum à Brunone, Wilhelmo, Henrico, cæteriſque Domini ſacerdotibus fuiſſe unctum, longe utique probabilius eſt, Wilhelmum archiepiſcopum eadem, quæ in parente Ottone Magno coronando munia habuerat ejus anteceſſor Hildebertus peregiſſe, atque Colonienſem & Trevirenſem ſimul navaſſe operam, quam quod in illa functione partes primariæ Brunonis fuerint, quod neque dicit Rogerus, neque ex ejus verbis colligi poteſt, quum συνεργοὺς etiam faciat reliquos ſacerdotes Domini, qui nullam tamen in regum coronatione partem habent, niſi quod aſſiſtunt; Brunonem autem præponi Wilhelmo, quia ille patruus erat Ottonis, hic autem filius patet ex ipſius Rogeri verbis, quum ait: *Ottonem II. archiepiſcopis patruo fratrique commendatum ad cuſtodiam regni Ciſalpini reliquit imperator.* Quoniam igitur non deſunt, qui Ottonem II. à Wilhelmo archiepiſcopo conſecratum eſſe diſerte tradunt, nemo autem eſt, qui id de Colonienſi ſolo aſſerat; & Ottonem Magnum antea Hildebertus Ottonem autem Tertium deinde iterum Willigiſus Moguntini archiepiſcopi coronarunt, longe utique probabilius eſſe quilibet judicabit, eandem operam, quæ ab illis præſtita fuit, a Guilielmo quoque in Ottonis Secundi regia coronatione fuiſſe peractam.

51. Quod Ottonem III. attinet, ſunt, qui eum à Willigiſo Moguntino archiepiſcopo conſecratum tradunt, uti autor vitæ S. Godehardi & Thrithemius in Chronico Hirſaugienſi: Alii, qui a Johanne Ravennatum archiepiſcopo, uti autor vitæ S. Meinwerci, & Lambertus Schafnaburgenſis *ad annum* 984. Alii denique hanc coronationem utrique tribuunt. Ita Ditmarus lib. 3. Chronicorum, & Baronius *anno* 984. Hæc ſine dubio: quia Ditmarum autorem habet, qui eo tempore vivebat, verior eſt. De eo tantum fuerit controverſia, cujus partes fuerint potiores in illa coronatione. Probabile eſt eas fuiſſe Willigiſi. Sed neque minus veroſimile eſt, honorem illum fuiſſe delatum Johanni Ravennati, tum propter dignitatem illius eccleſiæ, tum etiam inprimis, quod legatus eſſet apoſtolicus. Ita enim ſcribit *Rubeus hiſt. Ravenn. lib.* 5. *Johannes XII. factus archiepiſcopus à pontifice in Germaniam miſſus, Aquisgrani coronam Auguſtalem Ottoni III. adhuc puero impoſuit.* Quicquid autem dicatur, nihil plane eſt, quod juvet Colonienſes. Si enim primum ſtatueris, rem factam habemus; Si alterum, ex illo tamen iterum elucet Moguntinorum archiepiſcoporum præ Colonienſibus in regibus Aquisgrani coronandis autoritas, quum non Colonienſes ſed Moguntinus cum Johanne Ravennæ archiepiſcopo & legato apoſtolico Ottonem III. regem conſecraverit & coronaverit, adeoque primum locum & primariam operam non Colonienſi archiepiſcopo, ſed legato apoſtolico ceſſerit. Ditmarum autem ſoli Ravennati tribuere Ottonis III. coronationem nuſpiam apud eum reperio, neque verius eſt, quod ait *Warinum Colonienſem archiepiſcopum ſenio & morbo confectum miſſionem petiiſſe*, quum Otto III. coronaretur. Memorat enim

Ditma-

Ditmarus, Henricum ducem ex Trajectenſi cuſtodia liberatum atque Agrippinam profectum de manu Warini regem ſuſcepiſſe, & Warinum in ſuas partes (ipſe autem ambiebat regiam illam dignitatem) traduxiſſe, quam jam adeptum ſe exiſtimabat, adſcito etiam regio nomine, niſi inter alios Willigiſus Domino ſuo fidus omni conatu reſtitiſſet, quemadmodum illa pluribus recenſet Ditmarus *chronicorum lib.* 4. Non igitur miſſionem petierat neque valetudine impediebatur Warinus, uti fingit vindex *num.* 69. *&* 75. quin potius turbas in imperio moliri, & alteri contra Ottonem, cui Willigiſus inprimis auxilio aderat, adhæſurus videbatur.

52. De Henrico II. ſatis dictum eſt in diſſertatione Moguntina, ad quæ in vindiciis nihil eſt reſponſum, quod ad rem faciat. Habebat Henricus aliquot competitores, Eckhardum inprimis, & Hermannum Alemanniæ ducem. Ne frater quidem ejus Bruno ei favebat. Inter proceres haud pauci erant, qui neque hujus neque illius partes ſe dicerent ſecuturos, donec vidiſſent, quo pars major eſſet itura. Henricus igitur, quum multos procerum ſibi devinxiſſet, ab iis qui aderant, ut Ditmarus ſcribit lib. 5. *communi devotione Moguntia in regem fuit electus, & à Willigiſo auxilio ſuorum ſuffraganeorum adepta regali unctione coronatus.* His peractis convertit ſe Henricus ad eos debellandos, qui ipſi adverſabantur, quique nondum in ejus electionem conſenſerant: Tum enim proceres adhuc omnes regem eligebant. Eorum tamen, qui nunc electorali dignitate ſunt inſignes, ſpectatior erat autoritas, inprimis autem trium illorum archiepiſcoporum, Moguntini, Colonienſis & Trevirenſis, quo inclinaſſent, maxima habebatur ratio. Hinc igitur factum eſt, ut proceres, quemadmodum electo jam à magna parte principum Henrico paulatim conſentiebant & regem agnoſcebant, ita ei gratularentur, & Henricum, corona regia inſignem, regem & ipſi proclamarent, colerent, & fidem illi ſponderent. Atque illud tantum eſt, quod ait Adelboldus Ultrajectinus epiſcopus, cui vita Henrici à Gretſero in divis Bambergenſibus edita tribuitur, Henricum poſt regalem unctionem & coronationem Moguntiæ peractam, aliquoties *iterum fuiſſe electum, collaudatum in Regiam ſedem elatum, coronatum, & glorificatum*, ab iis nimirum, qui Moguntiæ electioni & coronationi non adfuerant, inter quos etiam Lotharienſes erant, qui memores adhuc regni Lotharingici res ſibi ſuas plerumque ſeparatas habebant. Ita Otto quoque II. primum Wormatiæ à proceribus regni, & deinde iterum Aquis a Lotharienſibus rex fuit electus, ut Reginonis continuator ait. Neque aliter cum Henrico imperatore fuiſſe comparatum vel ex illis verbis apparet, quæ ipſe vindex affert ex Adelboldo, ut eo minus partium ſtudium excuſari poſſit, quod ubique in ejus vindiciis apparet. Interea conſtitit coronationi Moguntinæ ſua autoritas, neque quiſquam fuit, qui eam, quod Moguntiæ inſtituta & à Moguntino archiepiſcopo peracta eſſet, cenſeret eſſe invalidam. Nihil plane in eam ſententiam habet Adelboldus. Doctus quidam ex Societate JEſu Pater, qui nuper S. Henrici vitam ex veteribus magno ſtudio collectam edidit, non aliter quoque illa intellexit. Poſtquam enim dixerat, ingentem procerum numerum regis adorandi, fideique dandæ ſtudio ad Henricum regem confluxiſſe, addit cap. X. *Rebus in Saxonia compoſitis Henricus ad Lotharingos digreſſus, comitatu Leodienſis, Cameracenſis ac tandem Colonienſis antiſtitum auctior, Aquiſgrani profectus, divæ virginis natalitiis in Caroli Magni regia ſede a Lotharingiæ proceribus adoratus eſt. Ita omnibus officium facientibus, ſolus ex Germanis principibus reſtabat Dux Hermannus.* Sed ſunt hæc adeo clara & manifeſta, ut mirer, qui Colonienſis cauſæ patronus auſit illa adducere, quæ inſpecta ſaltem ipſius ſententiam plane refellunt.

53. Neque etiam majori verecundia verſatur in deſcribenda coronatione Conradi Salici, quam non contradicente Colonienſi archiepiſcopo Moguntiæ ab Aribone peractam fatetur quidem, vellet tamen eam ob graves cauſas à Piligrino Ariboni permiſſam eſſe, ne Moguntinus Conradum Salicum jure proprio conſecraſſe videri poſſet. Quia id vult, ideo Wipponem à Piſtorio primum editum & ſcriptorem coævum id dicere ait, quum tamen Wippo nihil minus dicat. Ne gry quidem apud eum reperias, quod Piligrinus tandem conſenſerit, quod Ariboni coronationem illam permiſerit. Quo enim jure actum tam inſignem in Moguntina diœceſi ſibi depoſcere poterat Piligrinus, quum manifeſto conſtet, ideo Colonienſes archiepiſcopos tanto ſtudio urſiſſe, ut reges Romanorum Aquiſgrani inaugurarentur, quo tandem obtento diœceſeos jure in ſe transferre coronationem poſſent. Ægre tuliſſe Piligrinum, quod Conradus rex ſe Moguntiæ conſecrari pateretur, non negavero. Nam & Gieſelam deinde coronavit Coloniæ, & Henricum III. Conradi filium paulo poſt Aquiſgrani quoque conſecravit, uti idem Wippo, Hermannus contractus, Hepidannus, in annalibus à Goldaſto inter ſcriptores rerum Alemannicarum editis, Cranzius, aliique teſtantur. Hunc primum eſſe regem, quem Colonienſis coronaverit, vere ſcripſit advocatus Moguntinus, & ex ſerie imperatorum hucusque deducta atque iterum aſſerta id facile perſpici poteſt. Certe nemo eſt vetuſtiorum ſcriptorum, qui quenquam regum atque imperatorum ante hunc Henricum III. a Colonienſi archiepiſcopo coronatum eſſe aſſerat. Nam piget me toties meminiſſe Ludovici imperatoris, ceu is ab Hildeboldo conſecratus fuerit, quum ipſe Gelenius commentum eſſe ſcribat, & chronici Belgici compilator, qui ante annos CLXX. circiter vixit primus & antiquiſſimus ſit, qui id tradit, quem deinde ſecuti ſunt, quos præterea affert vindex, nuperi ſcriptores, quorum autoritas non majorem illi narrationi fidem facit, quam ille meretur, a quo eam habent. Neque enim in aſſertione quadam hiſtorica probanda numerus teſtium recentiorum, qui antiquiorem alium non adducunt, quicquam confert, ſed ad eos ſemper reſpiciendum eſt, qui ætati illi, qua res facta eſſe dicitur, fuere quam proximi.

54. Hucusque igitur Moguntini archiepiſcopi fuerunt in poſſeſſione coronandi reges Romano-

manorum, in ipſa urbe Aquisgrano, non ſatis tamen æquo animo id ferentibus Colonienſibus archiepiſcopis, contendentibus ſibi eam deberi ob jus diœceſeos. An igitur Henricus II. & Conradus Salicus imperatores ad evitandas illas contentiones, neve Colonienſes archiepiſcopos, qui magna in regno Lotharingico pluribus ſemper turbis & motibus obnoxio autoritate pollebant, a ſe redderent alieniores, maluerint regias ſuas coronationes Moguntiæ inſtitui, judicent alii. Mihi revolventi animo illius ævi hiſtoriam id videtur eſſe probabile. Poſtquam enim translata iterum fuere coronationum ſolennia in diœceſin Colonienſem, obtinuerunt tandem archiepiſcopi, ut ipſi coronationes illas peragerent. Lupoldus quidem Moguntinus, cujus anteceſſor Bardo Ingelheimii, Agnetem Henrici III. conjugem conſecraverat, atque ita poſtremum actum coronationis peregerat, refragatus quidem eſt Hermanno Colonienſi archiepiſcopo, Henricum IV. Aquisgrani coronaturo, ſed vix tandem & ægre conſenſit, atque jus illud Colonienſibus archiepiſcopis ceſſit. Ex eo enim tempore, quantum ex antiquis monumentis colligi poteſt, manſerunt Colonienſes archiepiſcopi in quieta poſſeſſione juris ſui reges Romanorum Aquisgrani in ſua diœceſi coronandi. Nuſpiam reperio, quod ab eo tempore Moguntini cum Colonienſibus eam ob rem contenderint, quod refragati fuerint. Moguntini autem archiepiſcopi, æque tranquillam retinuerunt poſſeſſionem, conſecrandi reges Romanorum, tum extra diœceſin Colonienſem, quandocunque id contigiſſet, tum etiam intra eandem diœceſin, ſi Colonienſis archiepiſcopus ad munus illud obeundum non eſſet paratus, idque vindex ipſe fatetur, quum ait, num. 70. *Libenter concedimus, quod impedito & abſente Colonienſi proximæ partes ſint Moguntini.* Et vero, quod prius attinet, quum ſæpius extra diœceſin Colonienſem coronationes inſtitui contigerit, (Henricus enim II. & Conradus Salicus Moguntiæ, Henrici II. & III. conjuges Paterbrunnæ & Ingelheimii, Rudolphus Suevus Moguntiæ, & Hermannus Goslariæ, ab archiepiſcopis Moguntinis conſecrati ſunt) non conſtat tamen, quod unquam Colonienſes archiepiſcopi ſibi illas coronationes deberi contenderint. Rudolphus quidem Suevus, & Hermannus, vivo adhuc Henrico IV. electi & coronati fuerunt, factum id tamen fuit auſpiciis Romani pontificis, qui Henricum IV. anathemate percuſſerat, & Anno, Colonienſis archiepiſcopus, eaſdem tum partes ſequebatur. Alterum autem, quod abſente aut impedito Colonienſi proximæ partes ſunt Moguntini, manifeſtum præbet indicium veteris juris, quo olim in ipſa diœceſi Colonienſi gaviſi ſunt Moguntini archiepiſcopi, quæ enim ratio fuerit, quod Colonienſi impedito Moguntinus id munus obeat, niſi quia Moguntini archiepiſcopi, Colonienſi jus illud propter certam tantum rationem diœceſeos ceſſerunt? Quod ſi igitur fungi illo munere nequeant, quæcunque tandem illa cauſa fuerit, quæ eos impedit, jam Moguntini archiepiſcopi ſuo iterum jure tanquam primi inter archiepiſcopos ſuccedunt. Quare, uti Colonienſibus archiepiſcopis, quieta fuit ex eo tempore poſſeſſio juris coronandi in ſua diœceſi, ita etiam Moguntinis integrum manſit jus conſecrandi reges Aquisgrani, tum impedito aut abſente Colonienſi, tum etiam, ſi extra diœceſin conſecrari quempiam contigiſſet, neque archiepiſcopo Moguntino id jus, quum illud exercendi facultas fuit, ullo modo ereptum, aut limitatum, & reſtrictum fuit. Quare de eo tempore, quod inter Henricum IV. & Maximilianum II. intercedit, nulla amplius eſt controverſia. Quotquot enim conſentientibus votis electi fuere imperatores, aut pro illis deinceps ab omnibus fuerunt agniti, illi Aquisgrani conſecrati fuerunt, neque quicquam juris Moguntini archiepiſcopi ſibi amplius tribuere in eo loco viſi ſunt.

55. Id vero de actu primario intelligendum eſt, quem is obit, qui ſacrum celebrat. Qui enim rem divinam facit, ejus ſunt potiſſimæ partes in conſecrando & coronando rege. Quum autem non illa tantum conſecratio ſit actus eccleſiaſticus, ſed etiam adjungi ſolita miſſæ celebratio a nemine invito epiſcopo in alterius diœceſi ſuſcipi poſſit, ideo Colonienſes obtinuerunt tandem, ut penes illos hoc jus eſſet Aquisgrani. Variatum quidem fuit in eo, quod miſſæ ſacrificium attinet: Nam & ante & poſt miſſarum ſolennia conſecratos quosdam legimus, diu tamen eſt, quod obtinet, ut tota conſecratio regum Romanorum, dum miſſa celebratur, peragatur. Quæ interea fuerint Moguntini archiepiſcopi partes, operæ pretium fuerit cognoſcere. Non fuiſſe minores illis, quas Wigfridus Colonienſis geſſit, quum Hildebertus Moguntinus Ottonem magnum coronaret, & Witikindo teſte uterque archiepiſcopus regem oleo ſacro perfunderet, vel ex eo perſpicias, quod adhuc Wilhelmi regis dextram Moguntinus archiepiſcopus cum *oleo ſanctificato foras unxit*, uti Beka, Johannes de Leidis, Reinerus Snous, Trithemius in chron. Hirſaugienſi, & alii autores tradunt. Semper enim adfuere, qui rem divinam facienti & primarias partes obeunti adeſſent: Otto Friſing. de geſt. Frid. l. 2. cap. 1. *Fridericus ab Arnoldo Colonienſi archiepiſcopo cooperantibus aliis coronatus in ſede regni Francorum, quæ in eadem eccleſia a Carolo M. poſita eſt, collocatur.* Hinc factum, ut nonnunquam a ſcriptoribus tota actio omnibus cooperantibus & aſſiſtentibus tributa fuerit, uti fecit Rogerus, quum coronationem Ottonis II. deſcribit. Idem Friſingenſis paulo poſt addit: *Eadem die & in eadem eccleſia Monaſterienſis electus item Fridericus ab eiſdem, a quibus & rex epiſcopis in epiſcopum conſecratur.* Inter adjutores igitur regiæ coronationis, ſi eo officio fungeretur Colonienſis, proximæ ſemper partes fuerunt Moguntini, uti & hodie ſunt, neque unquam ea in re fuit variatum, ut vel ex eo conjicere liceat, quid Moguntino olim juris fuerit, qui cum primarias partes antea obiiſſet, illis in Colonienſem archiepiſcopum translatis proximas tamen ſibi retinuit.

56. Interceſſiſſe autem gravem aliquam cauſam, quæ Moguntinos moverit, ut conſentirent, omnino neceſſarium eſt. Quum enim hodie tam impigre de illo munere obeundo inter ſe contendant Moguntinus & Colonienſis, fuiſſe olim in eo ſegniores, ut quisque ſibi id aſſereret, minime

Digitized by Google

me eſt probabile. Mores enim illius ævi & ratio gubernandi rempublicam longe aliud perſuadent. Jam vero, quicquid etiam indignetur vindex, dubium tamen non eſt, quin omnes illi, qui a Pipino usque ad Henricum III. regia corona ab archiepiſcopo aliquo fuere coronati, ea in functione Moguntinorum archiepiſcoporum opera uſi fuerint. Certe nemo plane eſt omnium illius ævi ſcriptorum, qui aut Colonienſis aut alterius cujuſpiam meminerit. Nam Hildebaldo quod tribuitur, id ipſi Colonienſes cordatiores hiſtorici explodunt. Onuphrium quum id ait in Romanorum principum hiſtoria & libro de comitiis, nihil ſcripſiſſe a veritate alienum apparet ex diſtincta omnium illorum regum ſerie a Pipino usque ad Henricum III. perducta, quæ ideo nihil minus veritatis habet, ſi in tres diſtinguatur periodos, uti facit vindex *num.* 75. Pipini enim coronatio, quam inprimis ſibi ſumſerat oppugnandam in tuto eſt collocata. In altera periodo Arnolphum, Ludovicum, Conradum & Henricum itidem accedere Moguntinis, tum ex aliorum teſtimonio, tum vel ex ſolis illis Ditmari verbis diſertis & notatu dignis conſtat, quod Herigerus Moguntinus *more priorum anteceſſorum* Henrico regi conſecrationem obtulerit, quam etſi Henricus ex modeſtia reſpuit, perinde id tamen eſt, quia perſonam coronantem ex veteri conſuetudine ex illis dictis perſpicimus. Tertiam periodum ab Ottone I. usque ad Henricum III. polemicam fuiſſe & ea durante de jure coronandi inter Moguntinum & Colonienſem ſubinde fuiſſe diſceptatum non negavero. Illa autem eo rectius pro Moguntinis adducitur, quo ſæpius Colonienſibus contradicentibus obtinuerunt Moguntini. Jure itaque poſtulamus, ut tandem Colonienſes dicant, quæ cauſa fuerit, quod toties functionem illam obierint Moguntini, Colonienſibus id ægre ferentibus, & quare tandem Colonienſibus ceſſerint; quæritur autem de cauſa, quæ interceſſit eo tempore, quo ex ſententia vindicis viguit illa periodus polemica. Dixerat advocatus Moguntinus, non reperiri aliam præter jus diœceſeos: Hujus enim juris diſerte meminerunt Witikindus, Ditmarus & Lambertus Schafnaburgenſis, qui in periodo illa polemica vixerunt, quum de dubio coronandi jure agunt. Afferre aliam ab illo usque tempore, quum ea de re diſceptatum fuit, debuerat vindex, & allatam a Moguntinæ cauſæ patrono confutare, ſed convitia tantum reponit, quum ſcribit ſatis lepide: *Aures habent & non audiunt, oculos & non vident. Diximus jam & propter importunitatem advocati repetere cogimur, habent inſtitutionem Caroli M. plurium pontificum & imperatorum reſponſum, tandem legem pragmaticam aureæ bullæ illimitate jus coronandi tribuentes.* Sed quantum in illa Carolina inſtitutione momenti ſitum ſit, ſæpius dictum eſt. Ingens erat de illa in periodo illa polemica ſilentium. Tum etiam, ſi qua fuit, eo tantum tempore autoritate ejus uti potuerunt, quum Henricus Sanctus, & Conradus Salicus, Moguntiæ conſecrarentur, quod id Aquisgrani fieri debuiſſe, Carolus magnus ſanxiſſet. Quum autem Moguntini archiepiſcopi Ottones Aquisgrani conſecrarent, quod ſolum Carolus magnus in illo diplomate ſanxit, neque Colonienſis archiepiſcopi uſpiam meminit, ut ſibi eam deberi oſtenderent Colonienſes, non alia ratione, quam ex diœceſi petita uti potuerunt, neque aliam ex illa quoque ſanctione exſculpſeris. Quid igitur hoc rei eſt, toties oſtentare Carolinam inſtitutionem, quæ ex eruditorum ſententia & dubiæ eſt fidei, & pro Colonienſi jure nihil plane facit. Pontificum autem & imperatorum reſponſa, quotquot adduxere hactenus Colonienſes poſteriora multo ſunt illa periodo polemica, & bulla Benedicti VII. quam Willigiſus durante illa periodo polemica a pontifice obtinuit, neque quicquam novi conferunt, ſed præſupponunt neceſſario illam rationem, ob quam in periodo illa polemica tandem Colonienſes jus illud obtinuerant, quam aliam eſſe a jure diœceſeos hactenus quidem non conſtat, quum aliam producere nequiverint Colonienſes.

57. Quum igitur cauſa tranſlati juris coronandi in Colonienſes archiepiſcopos ſit honos diœceſi habitus, neque quicquam aliud afferri poſſit, quare Moguntini in illam tranſlationem conſenſerint, & hac ratione jure ſuo per tot continuos actus, in ipſa diœceſi Colonienſi exercitos acquiſito ceſſerint, dubium eſſe non poteſt, quin eo tempore, quo ſanctio illa pragmatica Caroli IV. promulgata fuit, jus coronandi extra diœceſin Colonienſem Moguntinis archiepiſcopis integrum fuerit. Quoniam enim Moguntinos conſenſiſſe conſtat propter diœceſin ut Aquisgrani Colonienſes coronarent, neceſſe fuerit, ut alia afferatur ratio, propter quam Moguntini conſenſerint, ut Colonienſibus idem in toto imperio, & in ſua etiam propria diœceſi liceret. Sed nihil ejusmodi in promptu eſt Colonienſibus. Prior autem ratio, ubi aſſerit Colonienſi jus coronandi Aquisgrani & in reliqua ſua diœceſi, ita Moguntino in reliqua Germania jus antiquum ſalvum & integrum præſtat. Ait quidem Colonienſis advocatus. *Quomodo jus coronandi Moguntino integrum fuit tempore aureæ bullæ, cum a tempore Henrici ad illam usque per tria fere ſecula nullus actus coronationis ab eo exercitus ſit?* Ita eſt, niſi quod Sigfridus Rudolphum & Hermannum, Annone Colonienſi archiepiſcopo non refragante coronavit, ſed neque Colonienſis etiam ullum extra diœceſin actum exercuit, per quem jus Moguntini irritum reddatur. Nam quod Wichboldum Colonienſem Noribergæ Alberti imperatoris conjugem coronaſſe ferunt, non eſt in eo multum ponderis ſitum. De regis enim, non de reginæ coronatione ſermo eſt, quem cum Wichboldus ante coronaſſet Aquisgrani, parum forte intererat Moguntini, quis reginam deinde conſecraret. Aquisgranenſes utique, quum regem alibi coronari contingit, ſollicite ſibi cavent, ne id civitati ſuæ fraudi ſit, de reginarum coronatione parum ſolliciti; tum etiam non ſatis certo ſcitur, quæ fuerit illius coronationis ratio. Antiquiſſimus, qui Wichboldum id munus obiiſſe ſcribat, eſt autor chronici Belgici, fidem ſecutus chronicorum Colonienſium, & avorum memoria Cuſpinianus, qui tamen, quem autorem ſequatur, non meminit, coætanei autem aut ſuppares illi ætati ſcriptores, uti autor hiſtoriæ auſtralis, annalium Elwangenſium, Colmarienſium, Stero monachus Altahenſis, Henricus Rebdorfenſis, Albertus Argentinenſis,

tinenſis, aut comitiorum tantum, aut coronationis quidem una, ſed a quo ea facta ſit, non meminerunt. Quare actus ille, quum non ſatis certus ſit, nihil in hac controverſia probaverit. Jus autem ſuum Moguntini archiepiſcopi, per non uſum, cujus exercendi nulla illis fuit facultas, amittere non potuerunt, ſed integrum ſemper illis manſit, perinde atque Colonienſis & Trevirenſis electores, quum diu in multis Italiæ locis, & in regno Arelatenſi, jura ſui archicancellariatus non exercuerint, ideo tamen ea non perdiderunt, ſed manent integra & illæſa, quandocunque illa exercendi ipſis fuerit occaſio. Bullæ etiam ſummorum pontificum, uti Innocentii III. & Urbani IV. de quibus initio hujus iteratæ diſſertationis actum fuit, nihil novi definiunt, neque Colonienſibus quicquam tribuunt, quod ante non habuerant, jam enim ante bullas illas ſummorum pontificum diu Aquisgrani coronaverant, ſed illuſtre tantum & grave juri pridem a Colonienſibus acquiſito teſtimonium perhibent, atque illud confirmant, non alia tamen ratione, quam ſicuti illud acquiſiverant, loci nimirum intuitu, quem ſemper cum perſona coronante conjungunt. Ipſe advocatus Colonienſis num. 15. fatetur, in bullis quorundam pontificum nondum tamen productis, digitum ad diœceſin intendi, quo ipſo tacite Moguntinis archiepiſcopis jus ſuum extra diœceſin Colonienſem conſervatur.

58. Videndum nunc eſt, quum huc usque jus coronandi extra diœceſin Colonienſem ſalvum fuerit Moguntinis archiepiſcopis, an aurea bulla illi derogaverit, & Colonienſi archiepiſcopo amplius aliquid, quam ante habuerat, conceſſerit. Eſt enim hæc quarta Colonienſium theſis, quod nimirum *jus coronandi Colonienſibus archiepiſcopis publica ſanctione aureæ bullæ, a Carolo IV. ſine ullo diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione confirmatum ſit.* Verba aureæ bullæ hæc ſunt: *Secundo interrogabit*, Moguntinus ſcilicet elector, *a Colonienſi archiepiſcopo, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi.* Clamat vindex, nihil eſſe illis verbis clarius, *pridem obtinuiſſe advocatum Moguntinum, ut diem ſole ſplendente neget.* Hæ ſunt ad populum phaleræ, coram quo ſi hæc cauſa peroraretur, fortaſſis profecerit aliquid illis exclamationibus. Nunc vero, quum ad rationum momenta ſit attendendum, nihil plane ad rem faciunt. Operæ tamen pretium fuerit, legere veſtigia vindicis, & expendere quæſtiones, quibus ſe verbis aureæ bullæ majorem lucem eſſe fœneraturum exiſtimavit.

59. Prima igitur quæſtio vindicis eſt num. 76. *Utrum Carolus IV. verbis ante dictis, legem aliquam ſtatuat & confirmet, ſive utrum ea verba ſint legislativa, an vero tantum narrativa & atteſtativa.* Ideo autem vindex proponit hanc quæſtionem, quia falſo tribuit diſſertatori, ceu ſtatuat Carolum IV. per illa verba jus Colonienſis archiepiſcopi in medio reliquiſſe, neque id ei confirmaſſe, quum tamen in ipſis illis a vindice allatis verbis diſerte dicat, *omnia quæ in aurea bulla continentur, vim legis pragmaticæ & perpetuo valituræ obtinere.* Atqui hæc verba continentur in aurea bulla. E. Quid apertius dicere poterat? Ad intelligentiam igitur horum verborum id potiſſimum neceſſarium eſt inquiri, an per illa Carolus IV. confirmaverit Colonienſi archiepiſcopo jus, quod antea ſibi acquiſiverat, an vero novi quid ſanxerit. Nihil novi conſtituiſſe multis rationibus probari poteſt.

Primo enim pleraque, quæ in aurea bulla conſtituta ſunt, jam ante quidem obtinuerant, ſed conſuetudine potius, quam ulla imperii lege; ideo enim multæ ſubinde cum graviſſimo imperii detrimento ſuper iis oriebantur controverſiæ, quum promotis contentionibus nemo eſſet qui cedere vellet. Illa igitur ad pacem inter electores continendam autoritate imperatoris definiri fas erat, ne amplius in incerto & dubiæ pro cujusque arbitrio interpretationi ſubjecta eſſent; Quare toties in aurea bulla repetita videas ejusmodi & ſimilia, *juxta antiquam & laudabilem conſuetudinem: De antiqua, approbata & laudabili conſuetudine, &c.* Deinde alia erat tempore Caroli IV. ratio juris coronandi, quam multarum aliarum conſuetudinum in aurea bulla deciſarum. Ut Colonienſis archiepiſcopus illo officio fungeretur Aquisgrani in urbe coronationibus regiis deſtinata, jam a trecentis annis obtinuerat, neque poſt Lupoldum Moguntinum, quisquam quod conſtet, fuerat, qui Colonienſi archiepiſcopo Aquisgrani coronaturo litem moviſſet, ut ſtatuendum omnino ſit, eo tempore Colonienſem archiepiſcopum in quieta illius juris poſſeſſione fuiſſe. Quod ſi igitur forte Carolus IV. illius juris non meminiſſet, nihilominus tamen id ratum atque integrum Colonienſi archiepiſcopo erat manſurum. Quoniam vero notum omnibus & manifeſtum erat jus illud Colonienſis archiepiſcopi, ideo aperta obſervatur diverſitas inter ea verba, quibus imperator ſancit, quæ antea dubia & controverſa erant, & inter ea, quibus Colonienſi hoc jus confirmat. Hæc enim narrativa potius ſunt & atteſtativa juris, quod Colonienſes diuturno ſibi uſu acquiſiverant, quam conſtitutiva & declarativa, neque minus tamen vim legis obtinent. Id quum ex tota ſanctione hac pragmatica appareat, tum inprimis ex cap. 5. Initio enim, ubi de ſeſſione electorum ſecularium agitur, utitur his verbis imperator: *debet obtinere, obtinebit.* Quæ ſunt verba vim præcipiendi habentia: Deinde Moguntinus *poteſtatem habebit* convocandi electores: eorum vota & non aliter eorundem electorum ſingulariter *habebit* inquirere ordine ſubſequenti: Primo *interrogabit* a Treverenſi archiepiſcopo. Addit rationem, quare id fieri debeat, *cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe.* Accedit deinde ad Colonienſem. Secundo a Colonienſi archiepiſcopo, *cui competit dignitas, nec non officium Romanorum regi primum diadema imponendi.* Tertio a rege Bohemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio jure & merito *obtinebit* primatum. Sane nemo facile erit, qui hic non obſervaverit aliquam diverſitatem. Illa enim futuri temporis verba involvunt præceptum, quod hic erat neceſſarium, ne iterum in controverſiam vocarentur, quæ antea non ſatis fuerant explorata, & ab omnibus admiſſa; quia autem jus Colonienſis

nienſis archiepiſcopi non erat amplius controverſum, ideo imperator utitur verbo indicativi temporis, & ea ratione recte dicuntur atteſtativa juris, quod Colonienſes archiepiſcopi longo uſu obtinuerant. Neque enim in verbo *competit* vis illa ſita eſt. Alias de Trevirenſi etiam dixiſſet imperator, *cui prima vox competit*, ſed ait, *cui primam vocem competere declaramus*, quia non ita diu in uſu fuerat, ut Trevirenſis primus diceret ſuffragium, quod olim Moguntinus ferre ſolitus erat, quum omnium imperii principum comitia ad eligendum regem cogerentur.

60. Interea minime negant Moguntini, quin Colonienſi archiepiſcopo ex autoritate aureæ bullæ *conveniat & debeatur dignitas & officium coronandi regem*, uti vindex *num. 78.* verba aureæ bullæ explicat, neque id advocatus Moguntinus unquam in dubium vocavit, ſed patroni Moguntini hoc tantum volunt, & hactenus ſatis probarunt, quod imperator in aurea bulla nihil amplius contulerit, Colonienſibus archiepiſcopis, quam ante longa & certa conſuetudine obtinuerant, & eo faciunt verba illa narrativa, quæ relinquunt rem in eo ſtatu, in quo ante fuerant. Jam vero Colonienſes non probarunt, quod ſibi ante auream bullam acquiſiverint jus in tota Germania coronandi. Neque enim regem ullum extra ſuam diœceſin conſecrarunt, propter quam, quum primum conſenſerint Moguntini archiepiſcopi, ut Colonienſes deinceps Aquisgrani eo munere fungerentur, omnino cenſendum eſt illos, ubi ratio illa non intervenit, ſibi de cætero jus ſuum reſervaſſe, quod imperator non tollit, quum nihil novi ſanxerit, ſed confirmaverit tantum, quo hactenus Colonienſes archiepiſcopi uſi fuerant. Poſſunt enim aliqua ab eo, qui poteſtatem habet leges ferendi, ſi jam ante in uſu fuerint, narrando confirmari, quum alia, quæ aut recens conſtituuntur, aut antea fuerunt controverſa, declarando & præcipiendo ſanciri oporteat.

61. Vindex autem graviter invehitur in advocatum, quod imperatorem electoris Colonienſis *regalem prærogativam dubiam & litigioſam* reliquiſſe ſtatuat, quum nihil tale unquam dixerit, ſed ipſe cæſarem jus Colonienſi archiepiſcopo, uti illud obtinuerat, & eo tempore poſſidebat confirmaſſe probaverit. Deinde quum imperator initio illius §. utatur voce legislativa *ſtatuimus*, non poſſe verba illa eſſe narrativa contendit. Sed paullo ante dixerat cæſar de Treverenſi, *ſicut invenimus hactenus competiiſſe*, nunquid illa ideo deſinunt eſſe narrativa? Denique in ipſa ſignificatione verbi *competere*, præſidium quærit, eamque magno ſtudio excutit. Quæcunque vero ſit illius verbi acceptio, neque enim opus eſt, Moguntinos de eo eſſe ſollicitos, non tamen faciet vindex, quia omnino grammaticandum eſt, quin *competit*, non ſit indicativi modi. Sive autem narrative, ſive etiam aſſertive ſumas, id perinde eſt, neque minus ſalva erit JCtorum regula, *quod in legum interpretatione a communi uſu verborum non ſit recedendum*, neque enim vindex, ſed diſſertator illam ſecutus eſt.

62. Addit, non poſſe dici Carolum IV. confirmaſſe Colonienſi jus, quemadmodum id longo uſu obtinuerat, quum uſus illius nullam faciat cæſar mentionem, faciat autem, quum de Treverenſi agit, dum ait, *ſicut hactenus competiiſſe invenimus*. Sed Trevirenſis non adeo diu primum ſuffragium obtinuerat, quum id antea eſſet Moguntini archiepiſcopi. Igitur conſuetudinem adducit, ne forte ipſe Colonienſis archiepiſcopus intercederet. Alia erat ratio juris coronandi: De eo etſi æque antiqua conſuetudine niteretur, & perinde dici poterat, ſicut hactenus competiiſſe invenimus, nulla tamen tunc erat Colonienſi, quia Aquisgrani coronari oportebat reges Romanorum, cum quoquam controverſia. Vellet quidem id vindex, atque ideo ait, Moguntinos archiepiſcopos ſeſe Friderici II. & Ludovici IV. coronationibus ingeſſiſſe, ſed ipſe antea faſſus eſt, ſi Colonienſis archiepiſcopus non ſit paratus, ut ipſe munus illud obire poſſit, tum id ad neminem alium, quam Moguntinum archiepiſcopum ſpectare. Sed, quum Sigefridus Fridericum II. Aquisgrani coronaret, culpa id factum eſſe Theodorici archiepiſcopi, electo regi Friderico refraganti, itidem agnovit. Quum autem Ludovicum IV. a majori parte electorum regem Romanorum electum iterum non admitteret Colonienſis archiepiſcopus, redibat utique ex vindicis ſententia munus illud ad Moguntinum archiepiſcopum, qui alias minime eum ſibi honorem erat ſumturus, ſi Colonienſis archiepiſcopus ſatisfacere voluiſſet ſuo officio, quod cum non faceret, noluerunt ideo reliqui electores ſuo deeſſe. Non negaverit vindex, quod hodie Moguntino archiepiſcopo plurium electorum ſuffragiis, electum regem Romanorum, ſi nolit Colonienſis elector & reſtitet, etiam Aquisgrani coronare liceat. Neque tamen ideo quisquam recte dixerit, quod Moguntinus elector cum Colonienſi, de coronandi jure in urbe Aquisgrano, contendat, & ſe alieno muneri ingerat. Eadem autem tum fuit quoque illius coronationis ratio.

63. Alias enim nulla erat prorſus tum de jure coronandi inter Colonienſem & Moguntinum archiepiſcopos controverſia, ut proinde huc non faciat illa vindici *n. 70.* quantivis pretii ratio viſa. *Si cæſar non neglexit minutias quasdam de benedictione menſæ imperialis, de porrectione libri evangelii, multo minus majora neglecturum fuiſſe.* Supponit enim, jus coronandi dubium fuiſſe, quum tamen locus coronationibus regum Romanorum præſtitutus eſſet certus. Deinde minutiæ illæ contingebant, quotiescunque electores convenirent ad curiam imperatoris. Id autem eo maxime tempore, quum cæſares adhuc nunc in hac, nunc in illa provincia commorarentur, fiebat ſæpius, adeoque minutiæ illæ, quæ in ſingulis conventibus neceſſario occurrebant, & niſi de iis transfigeretur propter ſummam inter electores æmulationem plurimum negotii poterant faceſſere, & turbare publicam curiam, omnino de medio erant tollendæ; quod autem attinet coronandi reges Romanorum officium, quia antiquam conſuetudinem, ut inaugurationes illæ ſolennes Aquisgrani inſtituerentur, confirmaverat imperator, de ea nemo tum orituram aliquando controverſiam cogitare poterat, uti

uti etiam per quingentos circiter annos nulla fuit ea de re inter Moguntinum & Colonienſem contentio. Cur igitur cæſar tam operoſe hac de re ageret? Etſi enim præ jure coronandi illæ minutiæ nullius videntur eſſe momenti, eo tamen tempore, cujus ratio quæ fuerit ſemper eſt conſiderandum, magis intererat ut de illis ageretur, quia controverſæ erant, quam de altero, de quo nullum erat dubium. Non commutavit autem advocatus minutias illas in alias gravioris momenti actiones, ſed quum patronus cauſæ Colonienſis non tantum minutiarum meminerit, (ita enim appellat, quum minutiæ equidem non ſint, quoniam inter principes verſantur) quæſit. 23. aureæ bullæ, ſed etiam quæ alibi definiuntur, aliarum etiam quarundam exempla afferre voluit, ut conſtaret, quam ſint ejusmodi res principibus curæ.

64. Urget vero paſſim Vindex verba aureæ bullæ eſſe illimitata, *neque diſtinguendum, ubi lex non diſtinguat.* Recte hoc quidem dicitur, ubi primum conſtiterit, ita eſſe generalia illa aureæ bullæ verba, ut nullam omnino patiantur reſtrictionem atque exceptionem. Strictius autem accipi haud raro neceſſe eſt. Quod ſi enim Colonienſis archiepiſcopus ſacerdotio non fuerit initiatus; ſi pallium non habuerit, ſi anathemate forte ictus fuerit, ſi majori parti electorum electioni regis Romanorum conſentientium nihilominus refragetur, moris utique eſt, ut ad Moguntinum archiepiſcopum redeat dignitas, quæ Colonienſi alias debebatur, neque ei licet vices ſuas alteri delegare, & per legatum officio illo fungi, uti Trevirenſis per legatum primum ſuffragium ferre, & Moguntinus per legatum rogare reliquos electores ſententiam poteſt. Quum igitur hæ exceptiones a verbis aureæ bullæ ita generatim acceptis non ſit alienæ, ſed neceſſario aliquæ reſtrictiones ſint admittendæ, afferenda utique eſt ratio, quare illa limitatio intra provinciam Colonienſem rejici debeat. Neque enim rejecta uſpiam eſt ab aurea bulla, atque nititur veteri conſuetudine, & æquiſſimis rationibus. Ejuſmodi limitationes ex ſubjecta materia capiendæ ſunt, quas ſola verborum generalitate eludere non licet, nam etiam in aliis ex aurea bulla petitis materiis adhibentur.

65. Exemplum quoque in eadem hac controverſia præbere poteſt Rhemenſis archiepiſcopus, de quo in Gallia perinde atque de Colonienſi archiepiſcopo in Germania communiter dicitur, quod is regem Galliæ coronet. Uti enim Azorius *Inſt. moral. Part. 2 lib,* 11. *c.* 5. ait: *Rex Alemanniæ inungitur ab archiepiſcopo Colonienſi, rex Franciæ ab archiepiſcopo Rhemenſi*, ita paſſim etiam alii autores loqui ſolent. Neque ſi dicatur, *Rhemenſi archiepiſcopo competit dignitas nec non officium regem Galliarum coronandi*, id falſum fuerit. Uti enim Aquisgranum coronationibus regum Romanorum, ita Durocortorum Rhemorum Galliæ regum conſecrationibus, ex antiqua conſuetudine & lege regni deſtinatæ ſunt. Nihilominus non licet Rhemenſi archiepiſcopo extra ſuam provinciam coronam imponere Galliarum regi, quod patuit, quum anno 1594. Henricus IV. Galliarum rex Autrici Carnutum inauguraretur. Etſi enim non aderat Nicolaus Pellævus cardinalis & archiepiſcopus Rhemenſis, & rejecto Bituricenſi archiepiſcopo, qui eum honorem ambiebat, Carnutenſis epiſcopus illo munere fungebatur. Non diſſimulant tamen Spondanus, Thuanus & Botereius, Senonenſi archiepiſcopo tanquam Metropolitano id fieri in eo loco debuiſſe, ſi adfuiſſet. Rhemenſes autem archiepiſcopi regias coronationes, ſi, quando illæ Rhemis aut in Rhemenſi provincia non fuerunt inſtitutæ, aliis Metropolitanis, & Senonenſi inprimis archiepiſcopo, reliquerunt, ſed nunquam, niſi ſemel tantum, extra ſuam provinciam coronarunt. Id factum ab Hincmaro, quum Carolus Calvus Metis Lotharingici regni coronam ſuſciperet. Sed Hincmarus ipſe fatetur id non ſui eſſe muneris, & ideo excuſat, quod Treviris tunc nullus eſſet archiepiſcopus, & utraque Trevirenſis & Rhemenſis eccleſia arcto inter ſe ſocietatis vinculo eſſent conjunctæ. Quum etiam anno 1108. Ludovicus VI. Franciæ rex, ut pluribus narrat Sugerius *de vita Ludovici VI. cap.* 13. Aurelianis a Senonenſi archiepiſcopo coronaretur, minime Rhemenſis archiepiſcopus hanc ſibi functionem eo in loco tribuere auſus eſt, ſed Rhemenſis eccleſia *literas* tantum *contradictorias* miſit, dicens *primæ regis coronæ primitias ad jus eccleſiæ Remenſis ſpectare, & a primo Francorum rege, quem baptizavit B. Remigius, Clodovæo hanc prærogativam illibatam & inconvulſam obtinere.* Permotus tum fuit Ivo Carnotenſis epiſcopus, ut prolixa epiſtola, quæ eſt 44. jus Rhemenſis eccleſiæ excuteret. Ab anno tamen 1129. quo Philippus Ludovici VI. filius iterum fuit Rhemis conſecratus, manſit ille honor penes Rhemenſem eccleſiam per annos pene quingentos usque ad Henrici IV. coronationem. Quemadmodum igitur de Remenſi archiepiſcopo eadem plane quæ de Colonienſi dici poſſunt, ille tamen extra ſuam provinciam nullam habet conſecrandi reges poteſtatem, ita quoque haud minus recte id de Colonienſi dixeris.

66. His ita conſideratis, facilior eſt ad reliquas duas quæſtiones reſponſio. *Quæritur enim,* inquit Vindex num. 80. *Si verba A. B. non ſint tantum narrativa, ſed etiam decretiva, quid per illa tantum decretumque ſit.* Eo autem redit ejus ſententia, quod Carolus IV. *ſingulis electoribus ſuas regales prærogativas in duplici ſolennique potiſſimum actu electionis & coronationis adminiſtrandas perpetua valitura lege partitus fuerit.* At cæſar, quum multa ad coronationem regum & ad inaugurationem illam recte peragendam ſpectent, nihil tamen aliud de ea dicit, quam quod Colonienſi competat, ut primum Diadema regi Romanorum imponat, & quod id Aquisgrani fieri debeat. Specialiter autem nuſpiam de coronatione agit, nec quicquam amplius præſcribit. Haud dubie enim ordo illius functionis, quemadmodum ille Aquisgrani in uſu fuerat hactenus, erat deſcriptus. Eum imperator non attingit, & nihil, quod huc ſpectat, conſtituit, ordinem nullum præſcribit, uti fecerat accurate in ſervanda electione, ſive nulla fuit magnopere ea de re inter electores con-

controverſia, ſive viſum eſt Carolo IV. poſtquam certa eligendi ratio conſtituta erat, atque finis impoſitus contentionibus de primi loci honore, & præſcriptus denique ordo in curiis ſolennibus ſervandus de illis, quæ ad coronationem regum pertineant, haud difficulter tranſigi poſſe.

67. Pergit Vindex num. 81. *Et Moguntino quidem archiepiſcopo ipſius electionis indictionem, convocationem, ſuffragiorumque curam & totius machinæ illius directionem: Elect. Trevir. primam eligendi vocem, peculiaremque & proprium præ aliis ſeſſionis honorem aſſignat. Cum autem in actu electionis archiepiſcopis Colonienſis aliqua ſimili prærogativa honorare pro meritis non poſſet (nam habere ſecundam vocem, non tam eſt honoris, quam ordinis & officii)* in altero *nempe coronationis actu primam illi dignitatem, diadema regium imponendi, contulit, eademque aurea bulla firmavit: de hac enim fuerat, a tempore Ottonis I. inter Moguntinum & Colonienſem controverſia.* Hæc ille. Obſervandum autem eſt, graviter errare Vindicem, quod Carolum IV. quæ ſingulis electoribus in A. B. tribuuntur officia & privilegia, ea ipſum recens & tum primum contuliſſe, atque certa & accurata proportione diviſiſſe inter eos exiſtimat. Neque enim ſolum ex ipſa aurea bulla conſtat, omnia illa propemodum jam ante conſuetudine obtinuiſſe, ſed id etiam ex illius ævi hiſtoria manifeſto probari poteſt, ſi opus ſit. Cæterum controverſa illa erant magna ex parte, & prout vacante imperio affectus & rei gerendæ opportunitas ſuadebant, in dubium vocabantur. Ut igitur inpoſterum certior eſſet eligendi ratio, & ſtatus imperii cognoſcere poſſent, quis rite eſſet rex Romanorum electus, & cui obtemperandum, tolli de medio illa dubia, præſciendi contendendi occaſionem, & definiri denique, quid ſinguli electores hactenus longo uſu & conſuetudine obtinuiſſent, neceſſe erat. Eadem autem illa conſuetudine, (neque enim ante auream bullam conſtitutio ulla ea de re exſtat,) invaluerat hactenus, ut archiepiſcopi Moguntinus Germaniæ, Colonienſis Italiæ, & Trevirenſis Galliarum & regni Arelatenſis eſſent archicancellarii. Quæſo igitur judicent, quotquot non ſunt plane partium ſtudio addicti, quid demum habet Moguntinus archiepiſcopus, quod illi non ſummo jure debeatur, ideo quia primus eſt inter Metropolitanos & archicancellarius regni? Habuit Colonienſis archiepiſcopus, ideo quia Italiæ erat archicancellarius, etſi bona in Italia nulla haberet, neque membrum eſſet regni Italici, uti præcipuum regni Germanici eſt Moguntinus archiepiſcopus, jura tamen ampla ratione illius dignitatis, ut vel ex Sigonio conſtat de regno Italiæ, & miramur, Moguntinum archiepiſcopum præ Trevirenſi & Colonienſi archiepiſcopis habere quaſdam in Germania prærogativas. Aut obtinere illas Moguntinum archiepiſcopum, aut non eſſe Germaniæ archicancellarium & primum Metropolitanum oportebat. Uti autem longo tempore illa archicancellariatus dignitas penes Moguntinos archiepiſcopos fuerat, ita etiam, quæ Moguntino electori tribuuntur in aurea bulla, & cum illa dignitate conjuncta ſunt, illa jam ante uſu ſua fecerat. Publica autem imperii lege illa confirmari oportebat, ne quis alius ſe ingerere ulla amplius ratione poſſet aut auderet.

68. Nemo igitur facile erit jurium imperii peritus, qui non ex his perſpiciat, in caſſum dici a Vindice, num. 84. *Quia in actu electionis omnes fere præeminentiæ ſoli electori Moguntino collatæ erant, prætetito Colonienſi, aliisque ſimiliter electoribus ſuæ ſingulis dignitates & officia aſſignata, nulla Colonienſi, quomodo juſti[illegible] diſtributivæ, quomodo concordiæ conſultum erat, ſi talis tantusque princeps in ritu coronationis ſe neglectum vidiſſet?* Non ſufficiunt ejuſmodi rationes, quæ tantum probant aliquam convenientem decentiam, in quibus momentum gravioris litis colloces. Obtinuerat Colonienſis archiepiſcopus jam a trecentis annis & ab eo tempore, quo Lupoldus Moguntinus ſed vix & ægre intuitu diœceſios conſenſerat, ut Aquiſgrani reges Romanorum coronandi illi ſoli facultas eſſet. Id confirmat Carolus IV. Quod ſi Moguntini archiepiſcopi eo munere usque ad promulgatam A. B. quiete fuiſſent functi, quæcunque etiam futura erat ratio illius decentiæ, non eſt tamen dubitandum, quin, ut archicancellarii dignitatem, quæque cum illa conjuncta ſunt munia, minime ſibi eripi paſſi ſunt, ita etiam hoc officium tot ſeculis poſſeſſum fuiſſent tuituri. Non tamen de eo lis ulla eſt, an non juſtas habuerit rationes imperator, ut Colonienſi electori hanc dignitatem transſcriberet, cui aſſertioni probandæ Vindex aliquot paginas impendit, odio Moguntinis patronis concitando, & ut illis imprudentiæ notam inurere poſſit, quum nemo id in dubium vocet; habuit enim utique juſtiſſimas, quum Aquiſgranum eſſet in diœceſi Colonienſis archiepiſcopi, quum tanto tempore jam factus eſſet eo munere, ſummis pontificibus imperatoribus & omnibus aliis approbantibus. De eo quæritur, an recens jus illud contulerit Colonienſi archiepiſcopo, an antea fuerit controverſum cum Moguntino, an ideo id ab imperatore factum ſit, ut æqua proportione jura & privilegia electorum inter ſe æquaret, quæ omnia Vindex ea fini etſi falſo aſſerit, quum ſe videat manifeſtiſſime intra ſuæ diœceſeos fines conſtringi, ut eo rectius hanc concluſionem elicere poſſit: Ergo conveniens eſt, A. B. verba ita eſſe intelligenda, quod Colonienſi archiepiſcopo, ubicunque demum coronari regem Romanorum contingat, nihilominus officium primum diadema ei imponendi competat. Non eſt vero opus, ut expendamus, an recte inferatur hæc concluſio ex poſitis a Vindice aſſertionibus: Satis eſt, eas falſas eſſe neque ideo quicquam ex illis probari poſſe.

69. Quod autem de concordia inter electores ſancienda ait Vindex, quem ſibi finem potiſſimum propoſuerit imperator, neque tamen ei conſuluerit, relicta tam ampla inter Colonienſem & Moguntinum electores litis materia, notandum eſt primo, ſatis hucusque eſſe probatum, nullam eo tempore fuiſſe inter utrumque archiepiſcopum ea de re contentionem: Deinde juſſam ſervari ab imperatore antiquam conſuetudinem, ut prima coronatio Aquiſgrani inſtituatur. Tertio, id per du-

ducentos annos a promulgata aurea bulla fuiſſe obſervatum. Quarto factam quidem poteſtatem ab imperatore alibi regem Romanorum inaugurandi, ſed ſi *legitimum obviaverit impedimentum*. Quinto non fuiſſe propoſitum imperatori decidere omnes omnino controverſias, quæ aliquando inter electores oriri poterant, quasque imperator aliquando, ſi hoc vel illud contigiſſet, orituras, pro ſua ingenii perſpicacia & prudentia prævidere poterat, ſed quæ tum inter electores verſabantur: Illud non eſt prudentis legislatoris, quum eo ipſo excitet lites, quas ſopire decreverat, ſed ejuſmodi prudenter diſſimulantur, & tempori ſananda relinquuntur. Reſponſum autem jam fuit ad illam Vindicis objectionem in ipſa diſſertatione *num.* 45. Ita enim ait autor: aut conſtitit Carolo IV. & ſtatibus imperii de jure, quod Moguntinis archiepiſcopis competit coronandi imperatores, ſi ſolennis illa inauguratio inſtituatur extra Colonienſem diœceſin, aut non. Si prius, & in aperto tunc fuit jus Moguntinum, non opus erat illius meminiſſe; neque enim omnium publicorum jurium, quæ Moguntinus habet, mentio fit in aurea bulla. Quod ſi vero tum quoque prævidit imperator, ſi tale quidquam contigiſſet, orituram contentionem inter utrumque electorem, prudentiſſime diſſimulavit caſum, quem rarius eſſe eventurum ſatis ſcire poterat, cum per duo propemodum ſecula non alibi, quam in diœceſi Colonienſi, inſtituta fuerit coronatio.

70. Accedit demum Vindex, ad quæſtionem III. his verbis ab ipſo conceptam. *Utrum exſtet aliqua lex aut conſuetudo poſt auream bullam lata aut uſurpata, qua archiepiſcopo Moguntino jus coronandi reges Romanorum extra diœceſin Colonienſem conferatur.* Negat afferri poſſe ullam. Fateatur tamen neceſſe eſt, quicquid juris habuit Moguntinus archiepiſcopus coronandi reges Romanorum ante conditam A. B. id illi reliquum fuiſſe poſt eam in imperio promulgatam. Probatum enim luculenter eſt, a Carolo IV. imperatore, quod jus coronandi attinet, nihil novi quidquam fuiſſe conſtitutum, neque conſtitui potuiſſe verbis, quibus coronationis meminit, quia nulla tum de illa erat controverſia: Nihil igitur novi collatum Colonienſi archiepiſcopo, ſed jus, quale tunc poſſidebat, confirmatum fuiſſe. Ut igitur ſciri poſſit, quid ante receptam in imperio auream bullam habuerit Colonienſis, eundum eſt ad ipſam usque originem, & ad actus poſſeſſorios. Origo autem juris Colonienſis non poteſt altius repeti quam ab Henrico III. & IV. quo tempore Lupoldus Moguntinus intuitu diœceſeos conſenſit, ut Aquisgrani hoc munus obiret Colonienſis archiepiſcopus. Nihil antiquius afferri poteſt a Colonienſibus, neque quoad juris neque quoad facti deductionem. Nam quod de Leone III. & Carolo magno dicitur, etiamſi Carolina conſtitutio fidem mereatur commentum tamen eſt. Bullæ vero pontificum & reliqua a Vindice allata teſtimonia coronatione Henrici IV. & Lupoldi conſenſu ſunt poſteriora. Actus denique poſſeſſorii non obſunt juri, quod ſibi Moguntini archiepiſcopi tacite reſervarunt, quum nuſpiam niſi in ſua provincia actum aliquem exercuerint Colonienſes archiepiſcopi aut exercere auſi fuerint, neque exercitum vicennio poſt a Moguntino archiepiſcopo improbaverint. Rudolphum enim Suevum, etſi vivo Henrico IV. imperatore electum & a Moguntino Moguntiæ coronatum regem, tamen agnoſcebat Anno Colonienſis, ejusque partes ſequebatur. Jus igitur coronandi ante A. B. extra Colonienſem provinciam integrum manſiſſe Moguntino archiepiſcopo ſic conſtat.

71. Poſt auream bullam autem, qua jus Colonienſe, quemadmodum illud hactenus cognitum fuerat, confirmatum eſt, uſque ad Maximilianum II. quem cum ſecutis eum imperatoribus Moguntini archiepiſcopi coronarunt, itidem Colonienſibus, neque quod jus ipſum neque quod actus poſſeſſorios attinet, quicquam acceſſit. Nam nec nova declaratio pro illis lata eſt, quin potius Rupertus rex, quis eſſet ſenſus aureæ bullæ, in privilegio ipſis conceſſo patefecit, neque etiam actus ullus exercitus ab iis fuit, ex quo juris hactenus acquiſiti & a Carolo quarto confirmati amplior interpretatio inferri poſſit. Sed ait Vindex, *num.* 85. per quingentos tamen annos regem nullum legitimum (Rudolphum enim Suevum etſi ab Annone Colonienſi archiepiſcopo agnitum ipſe rejicit,) coronarunt Moguntini archiepiſcopi. Sit ita, non habeatur nunc ratio Rudolphi Suevi: Henricus autem II. & Conradus Salicus Moguntiæ a Moguntino archiepiſcopo coronati, nonne fuere legitimi imperatores? Nonne Moguntini archiepiſcopi eo tempore, quanquam renitentibus Colonienſibus, ſibi jus aſſerebant in tota Germania & in ipſa etiam provincia Colonienſi reges Romanorum coronandi? Juris illius univerſalis exempla nunc ſint ſoli Ottones a Moguntinis Aquisgrani, & Henricus ſecundus & Conradus ſecundus Moguntiæ coronati. Conſenſerunt denique, ut provincia Colonienſis exciperetur, in qua, quum per quingentos annos omnes coronationes fuerint inſtitutæ, nulla juris ſui exercendi in reliqua Germania Moguntinis archiepiſcopis fuit facultas. Poſtremi tamen actus poſſeſſorii extra provinciam Colonienſem a Moguntino ſunt exerciti, quorum efficacia, quum nulli contrarii actus, nulla contraria declaratio interceſſerint, etſi ingens eſt temporis intervallum, nondum tamen evanuit. Neque enim ejuſmodi jura per non uſum, exercere illa non licet, amittuntur. Etſi igitur, quum Maximilianus ſecundus coronandus eſſet Francofurti per quingentos annos Moguntini archiepiſcopi nullum regem Romanorum coronarant, erant tamen ipſi adhuc in poſſeſſione coronandi reges Romanorum extra diœceſin Colonienſem, qua, quomodo & qua ratione, per quos contrarios actus exciderint, oſtendant Colonienſes, & conſulant Ictorum de amittenda poſſeſſione volumina: Eorum enim autoritate advocatus Moguntinus uti noluit, ne videri poſſent latebras & ſubterfugia quæſiiſſe. Meminerit autem Vindex per nongentos annos, quod a Pipino uſque ſueſſione a S. Bonifacio uncto reges Francorum & Romanorum conſecrandi mos inolevit, nunquam in poſſeſſione fuiſſe Colonienſes archiepiſcopos regem ullum coronandi extra ſuam provinciam, etſi haud pauci extra eam

coronati

coronati ſunt, quos tamen omnes Moguntini archiepiſcopi conſecraverunt, ut non poſſint non cenſeri eſſe a tot ſeculis in tranquilla poſſeſſione coronandi extra Colonienſem provinciam, quam ut evertat Vindex, textum afferat neceſſe clarum & manifeſtum, ex quo jus ſuum probet contra Moguntinum archiepiſcopum; non eſt autem illi ullus in promtu, qui Colonienſi jus ubique & extra provinciam ſuam coronandi tribuat, aut Moguntinum ab illa functione in reliqua Germania excludat. Tantum, *jus coronandi illi competere dicitur*, quorum verborum generalitati, Moguntinus circumſtantias acquiſiti primum a Colonienſibus juris illius, reſtrictiones loci a pontificibus & imperatoribus additas, & ipſam demum contrariam huic generalitati poſſeſſionem ſuam opponit.

72. Neque ab eo abeunt politici, etſi aliam illis tribuit ſententiam Vindex, quum ait *num.* 87. *Hæc eſt mens omnium politicorum & Ictorum, qui in auream bullam ſcripſerunt, nempe licet ab Ottone primo ad Henricum tertium per annos fere nonaginta de coronandis imperatoribus ſubinde inter Moguntinum & Colonienſem diſceptatum fuerit, attamen a tempore ejuſdem Henrici tertii jus coronandi reges Romanorum inviolabiliter & incommutabiliter penes archiepiſcopos Colonienſes permanſiſſe, in aurea bulla ipſis denuo collatum confirmatumque.* Primo hiſtorici illi politici & Icti, quorum ipſa loca in diſſertatione Moguntina *num.* 37. & 38. citata ſunt, jus coronandi uſque ad Henricum quartum penes Moguntinos archiepiſcopos fuiſſe, tum vero ad Colonienſes translatum eſſe, & incommutabiliter, ut Nicolaus Ciſnerus loquitur, deinceps penes eos permanſiſſe ajunt. Diſſentiunt igitur a Vindice, quod jus Colonienſis archiepiſcopi non a Carolo magno, cujus conſtitutionem ignorarunt, ſed ab Henrico IV. arceſſunt, & ejus initium in Henrici IV. coronationem conſentiente Moguntino a Colonienſi peractam referunt, quo nihil Vindici eſt moleſtius. Deinde ex eo tempore ſemper quidem hoc jus penes Colonienſes permanſiſſe ajunt, addunt tamen, omnes etiam ex eo tempore reges Romanorum in provincia Colonienſi eſſe conſecratos. Denique quum ad Maximilianum II. accedunt, aut non inquirunt, quare is a Moguntino archiepiſcopo præter receptum hactenus morem ſit coronatus, aut ſi inquirunt, pro Moguntino ſententiam fuerunt, uti Aurumæus, aut pro Colonienſi, uti Limnæus, aut dubie loquuntur, uti Carpzovius. Sepoſitis igitur, qui vel Moguntini aut Colonienſis partes ſequuntur, quorum teſtimonia compenſare licet, reliqui potius pro Moguntino quam Colonienſis archiepiſcopi jure faciunt, uti patet iis, qui loca eorum expendere voluerint. Herwartus cancellarius Bavaricus, quum ideo Colonienſem coronare dicit, quod coronatio in ſuis finibus fiat, extra ſuos fines ei coronandi poteſtatem adimit, uti etiam illi omnes, qui propter diœceſin id jus ad Colonienſem translatum eſſe dicunt.

73. Id patuit, ubi poſt quinque circiter exacta ſecula, actum aliquem coronationis extra Colonienſem provinciam propter grave impedimentum inſtitui neceſſe fuit. Tum enim Moguntinus archiepiſcopus perpetuam juris ſui reges Romanorum extra Colonienſem diœceſin conſecrandi poſſeſſionem egregie Colonienſi non contradicente defendit. Id accidit, quum Maximilianus II. imperator coronandus eſſet Francofurti. In eo enim ſiſtit ſe continua illa ſeries imperatorum a Colonienſi archiepiſcopo conſecratorum, & ideo ſe ſiſtit, quia ex eo tempore propter graves cauſas imperatores coronam regni Teutonici non Aquisgrani, ſed aut Francofurti aut Ratisbonæ ſuſceperunt. Primus igitur imperator, qui poſt tot annorum intervallum extra diœceſin Colonienſem coronatus fuerit, Maximilianus eſt ſecundus cæſar, quem Daniel archiepiſcopus Moguntinus, præſente & inſpectante Friderico Electo Colonienſi archiepiſcopo anno 1562. more ſolito conſecravit. Quum hic igitur fuerit primus & ſolennis maxime poſt tot ſecula actus, veroſimile eſt Colonienſem archiepiſcopum non fuiſſe prætermiſſurum, quin ſibi omni meliori modo caveret, exiſtimaſſet, illam quoque coronationem a Colonienſi archiepiſcopo peragi debuiſſe. Neque enim ignorare poterat ejuſmodi ſolere accurate obſervari, & habebat ſecum viros inſignes hujus rei apprime gnaros, inter quos magni inprimis nominis erat Franciſcus Burkardus, qui tum cancellarii officio in aula Colonienſi fungebatur, conſtitutionum & conſuetudinum imperii noſtri peritiſſimus. Illum jus ſui principis ſi quod tale eſſe exiſtimavit, non fuiſſe accuratius obſervaturum, minime eſt probabile.

74. Sed præſtat hiſtoriam illius coronationis ex actis juſſu Danielis archiepiſcopi paulo poſt conſcriptis & uno volumine collectis, uti ea exſtant in archivo Moguntino paucis complecti. Ubi id primo probandum fuerit, ut de animo poſſidendi conſtet, Danieli archiepiſcopo fuiſſe propoſitum, quod coronatio illa Francofurti peragenda jure proprio, non jure devoluto, (quia Colonienſis archiepiſcopus conſecratione & pallio adhuc carebat) ad ſe pertinuerit, & quod non vice archiepiſcopi Colonienſis, ſed ſuo eam peregerit. Quo magis enim id conſtat, atque Moguntinus elector id præ ſe tulit, eo probabilius eſt Colonienſem archiepiſcopum ſibi rectius fuiſſe proſpecturum. Is autem, qui acta illa de coronatione collegit & digeſſit, ita ſcribit: *Etſi Romanorum rex ex veteri & laudabili conſuetudine regiam coronam in urbe imperiali Aquisgrani ſuſcipere debuiſſet, quoniam tamen durante illo conventu improviſa impedimenta intervenerant, & cæſar diutius, quam putaverat, Francofurti commoratus fuerat, neque appropinquante biberno tempore Aquisgranum ſecundo fluvio commode adiri poterat, tum etiam, quia interea obierat Johannes Gebhardus Archiepiſcopus Colonienſis, qui ſibi coronationem Aquisgrani peragendam tribuit, neque electus ita cito confirmationem impetrare poterat, ideo conſtituiſſe imperatores & electores, quod hac vice regia illa coronatio Francofurti in eccleſia S. Bartholomæi inſtitui debeat*, hinc igitur, & quod elector Moguntinus ſe *tanquam archiepiſcopum Moguntinum* illa ſolennia celebraſſe profitetur, patet electorem Moguntinum non dubitaſſe, quin ipſius eſſet officii Maximilianum II. Francofurti coronare.

patris & Domini D. Pii Papæ Quarti anno ejus quarto, Sereniſſimus Princeps & Dominus D. Maximilianus Bohemiæ Rex Archidux Auſtriæ antea in regem Romanorum Francofurdiæ ad Mœnum electus eſſet, ſuaque majeſtas in collegiata & regali eccleſia Sancti Bartholomæi ejuſdem civitatis Francofurdiæ noſtro miniſterio coronaretur, noſque VTI ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS, ſacroſanctum Miſſæ officium præſentibus ſacratiſſima majeſtate cæſarea, ac compluribus principibus frequentiſſimaque & infinita hominum multitudine perageremus, ipſius majeſtas regia, more catholicorum prædeceſſorum ſuorum juramentum in coronationibus præſtari ſolitum & conſuetum præſtitis &c.

79. Hæc eſt brevis illius coronationis, quantum quidem illa ad hanc controverſiam facit, poſt tot ſecula extra diœceſin Colonienſem, & à Moguntino archiepiſcopo peractæ ſumma fide & ſtudio ex actis, quæ exhiberi poſſunt, quandocunque Colonienſibus libuerit, niſi ipſi quoque ea ſervant in archivo, excerpta hiſtoria, ex qua aperte conſtat: Primo electorem Moguntinum Danielem minime agnoviſſe, quod in illa coronatione vices electoris Colonienſis obiverit, neque Colonienſem contradixiſſe, aut jus ſuum interpoſita proteſtatione ſibi reſervaſſe; Ait quidem Colonienſis advocatus in altera aſſertione Germanica, p. 33. „Wie ſtatlich der Churfürſt zu Cölln ihm „ und ſeinen Succeſſoren ihr jus hierin verwahrt, iſt aus deme damahls, nemlich den 2. Decemb. „ in Gegenwart der Churfürſten zu Mayntz, Trier, Cölln, Pfaltz, Sachſen aller in Perſon und „ der Chur-Brandenburgiſcher Geſandter gehaltenem protocollo zu erſehen. Und wil man hier „ die in dem Chur-Cöllniſchen protocollo befindliche formalia bona fide hinzu ſetzen, ſo zwei- „ fels ohne in der übriger Herren Churfürſten protocollis auch enthalten ſeyn werden, und lau- „ ten ſelbige alſo: *Cölln bittet aſſecuration, daſs ihme die coronation durch Mayntz beſchehen, ſo ihme vermög „ der güldnen Bulle gebührt, nicht nachtheilig ſeyn ſolle*, und folgt darauf: *Solches iſt bewilligt.* id eſt: „ Quam egregie autem ſibi & ſuis ſucceſſoribus Colonienſis archiepiſcopus caverit ex protocollo „ 2. Decembris, Moguntino, Trevirenſi, Colonienſi, Palatino, Saxone Electoribus & Legato „ Brandenburgico præſentibus habito conſtat. Formalia autem bona fide ex Colonienſi protocol- „ lo excerpta, quæque ſine dubio etiam in reliquorum electorum protocollis reperiuntur; ita „ habent. Colonienſis petit aſſecurationem, ne coronatio per Moguntinum peracta, & ſibi vigo- „ re Aureæ Bullæ debita ſit præjudicio, & ſequitur. Id eſt conceſſum. „ Reſponderat diſſertator, verba iſthæc eo recte intelligi, ne quod Moguntinus Francofurti Maximilianum conſecraſſet, id Colonienſi more ſolito iterum aliquando Aquisgrani coronaturo obeſſet, quo ipſe archiepiſcopus Colonienſis in recognitione Aquisgranenſibus data reſpexerat. Dixerat quoque illam proteſtationem ſola fide actorum Colonienſium niti. Nec ſane vana fuit illius conjectura; Etſi enim nolit ſuſpectam reddere fidem Colonienſis protocolli, in Moguntino tamen (cui, quia imperii protocollum cenſetur, potiſſima ſolet alias haberi fides) Francofurti anno 1562. 2. Decembr. habito, quatuor tantum electores adfuiſſe, Saxo autem abſens fuiſſe dicitur, quem quinto loco numerat Colonienſis advocatus. Tum etiam nihil quicquam de coronatione eo die, ſed de negotio plane diverſo, tractatum fuit. A prandio autem eodem die convenere tantum legati electorum omnium, & ne tunc quidem ea de re fuit actum, uti etiam poſtero die, quo Saxo quidem cum reliquis iterum adfuit, ſed tum cum principibus, quotquot erant præſentes, de Auguſta Mediomatricum, Tullo & Viroduno vindicandis imperio deliberatum fuit, uti patet ex protocollo Moguntino, quod exhiberi poteſt, quando libitum fuerit Colonienſibus. Dubitari igitur merito poteſt, annon error aliquis in Colonienſi protocollo fuerit admiſſus.

80. Secundo imperatorem & Electores omnes in ſolenni inſtructione legatis ſuis Aquisgranum miſſis data, jus archiepiſcopi Colonienſis diſertis verbis intra fines diœceſeos conſtrinxiſſe. Tertio, ipſum electorem Colonienſem & una cum eo reliquos imperii electores in recognitione Aquisgranenſibus data, illud quod illimitate dicitur in Aurea Bulla, *cui competit*, determinare per hæc verba, *cui Aquisgrani competit regem coronare.* Hæc enim ratio eorum eſt, qua electores omnes ſeſe Aquisgranenſibus antiquiſſimam conſuetudinem obtendentibus ſatisfacere exiſtimabant, quaque jam ante ipſe quoque imperator uſus erat. Si Aquisgrani, ut mos vetus ſuadet, & Aurea Bulla poſtulat, peragi debeat regia coronatio, æquum etiam eſt, ut Colonienſis archiepiſcopus, munus illud obeat; Illi enim competit officium nec non dignitas Romanorum regi in ea urbe primum diadema regium imponendi. Sed Colonienſis archiepiſcopus eo munere fungi nunc non poteſt: Recens enim electus nondum confirmationem ſummi pontificis obtinuit, neque conſecratus eſt epiſcopus. Non opus eſt igitur, ut rex Maximilianus Aquisgranum eat ad ſuſcipiendam in ea urbe regiam coronam. Vim enim ſuæ ratiocinationis, & argumenti, quod primarium adducunt, in nexu individuo loci Aquisgrani ſcilicet, & perſonæ coronantis, Colonienſis nimirum archiepiſcopi, collocant. Absque eo ſi rationem illam conſideres, nulla eſt, neque quicquam ad rem facit. Quod ſi enim cæſar & electores atque ipſe elector Colonienſis vi Aureæ Bullæ æque in toto imperio atque Aquisgrani Colonienſi archiepiſcopo officium primum diadema regi Romanorum imponendi competere judicarunt, quæ quæſo ratio illa foret, ideo non opus eſſe adire Aquisgranum, quoniam Colonienſis non ſit ad munus illud obeundum paratus. Quid hoc Aquisgranenſium intererat, ſuum tantum privilegium urgentium. Nihil utique poterat dici clarius atque apertius. Quarto ſolam illam additionem urbis Aquisgranenſis in inſtructione cæſaris & electorum atque in atteſtatione electorum Aquisgranenſibus data reſtringere jus Colonienſis archiepiſcopi idque eo arctius, quia advocatus Colonienſis ipſemet agnoſcit. Fatetur ſiquidem patronus cauſæ Colonienſis in priori ſcripto Germanico *p. 31. Si Carolus Quartus in Aurea Bulla*

Bulla quum ait Colonienſi archiepiſcopo officium coronandi reges competere, addidiſſet, vocem Aquisgrani aut in Colonienſi provincia, tum liti finem eſſe impoſitum, & illam reſtrictionem admittendam. Quum igitur agnoſcat, quanta vis ſita ſit in illa additione vocis *Aquisgrani*, aut *Colonienſis provincia*, neceſſe utique eſt, ut vim hujus additionis ab imperatore, electoribus cœteris omnibus, & ipſo Colonienſi electore factam nunc quoque admittant Colonienſes, quum facta ſit in celebri imperii conventu & in eo actu, in quo quæſtio eſſe poterat de interpretatione Aureæ Bullæ, quia poſt eam non acciderat ullus caſus, ut extra diœceſin Colonienſem rex Romanus coronaretur, atque ideo nulla poterat ea de re oriri controverſia.

81. Quinto Aquisgranenſes, quam Cæſarem & electores animadverterent perſtare in ſententia, omni meliore modo ſibi jus ſuum reſervaſſe, neque ante acquieviſſe, quam electores omnes data ſolenni recognitione ipſis caviſſent. Colonienſem vero electorem, etſi in pari cauſa verſabatur, ſi æque Francofurti atque Aquisgrani ſibi jus conſecrandi regem competere exiſtimavit, nihil tamen tale egiſſe, quod Colonienſem archiepiſcopum, tot prudentibus & peritis conſiliariis inſtructum non fuiſſe prætermiſſurum plane eſt veroſimile. Denique ſolenne illud teſtimonium, quo Daniel Moguntinus archiepiſcopus coronationi Maximiliani Secundi fidem fecit, quoque jus Moguntini manifeſto aſſeritur, à Nuncio Apoſtolico petitum Romam ad Pium Pontificem, veterum conſuetudinum & juris eccleſiaſtici peritiſſimum miſſum, atque ab eo receptum & illa ratione in curia quoque Romana tacite approbatum fuiſſe, quæ omnia & Colonienſis archiepiſcopi jus intra ſuam diœceſin reſtringunt & Moguntino idem extra illam diſerte aſſerunt.

82. Acquieviſſe autem deinde Colonienſes archiepiſcopos, vel ex eo conſtat, quod in ſequentibus binis coronationibus Rudolphi, quem Daniel Ratisbonæ, & Matthiæ, quem Ioannes Swikardus Francofurti, Moguntini archiepiſcopi conſecrarunt, nihil plane moverunt, neque exemplo Aquisgranenſium ſibi verbo ullo iterum caverunt. Anno demum hujus Seculi XIX. quum Ferdinandus II. coronandus eſſet Francofurti, poſt LX. annorum decurſum & tres jam actus exercitos, iterum aliquid moveri à Colonienſibus archiepiſcopis cœpit. Ferdinandus tamen Secundus imperator nihil decrevit, ſed rem totam prudenter in medio reliquit; Juſſit tantum, ut electores eccleſiaſtici de conſecrationis munere inter ſe convenirent, quæ verba Trevirenſem quoque archiepiſcopum in ſocietatem admittunt, qui tamen ſe non ingerebat, neque cum Moguntino archiepiſcopo ea de re contendit. Quum deinde anno XXXVII. imminente coronatione Auguſtiſſimi imperatoris Ferdinandi III. qui hodie feliciter imperat, Colonienſis archiepiſcopus rectius ſibi cavere vellet, minime tamen ideo juri ſuo quicquam decedere paſſus & Moguntinus archiepiſcopus, nec quicquam admiſit, unde colligi poſſet eum vices Colonienſis archiepiſcopi in illa functione peragenda obiiſſe, imperatorem autem Ferdinandum teſtari ſcripto Colonienſi archiepiſcopo, actum à Moguntino exercendum, non fore præjudicio diœceſi Colonienſi, ſua non admodum intereſſe credidit, quum Cæſar Moguntino reſervaverit poſſeſſionem, Colonienſi autem jus ſuum, ubi id ſcilicet in petitorio contra Moguntinum aſſeruerit, plane quemadmodum ante triennium in comitiis Ratisbonenſibus, quum tota illa controverſia in nervum erumperet, cæſarem ſtatuiſſe vidimus. An igitur, quæ eſt quinta & ultima advocatorum Colonienſium Theſis, *Functiones à Moguntinis Electoribus in coronatione poſtremorum imperatorum exercita veteri Electorum Colonienſium juri*, ſi quidem illud extra ſuam provinciam extendere voluerint, *minime obſint* erudito atque æquo lectori & judici arbitrandum relinquitur.

83. Facile enim, ſi iteratam hanc diſſertationem expenderint, cognoſcent, quid demum Colonienſis advocatus in ſuis vindiciis præſtiterit, an confutaverit, quæ in diſſertatione Moguntina contra Colonienſium argumenta erant adducta, & probaverit, in quo ſumma rei totius ſita eſt, quodque primo loco ipſi erat probandum, Colonienſes archiepiſcopos alio quam diœceſeos jure jus coronandi in urbe Aquisgrano obtinuiſſe. Ad diœceſin enim neceſſario redeundum eſt Vindici, ſi ex privilegio Leonis III. & Caroli Magni, ubi fidem illius aſſeruerit, aliquod in regum coronationibus archiepiſcopo ſuo tribuere voluerit. Ad diœceſin provocarunt Wigfridus & Hermannus Colonienſes archiepiſcopi, quum ea de re cum Moguntinis Hildeberto & Lupoldo contenderent: Ad diœceſin diſerte reſpexit Leo IX. quum privilegia Colonienſium archiepiſcoporum confirmaret ipſo Vindice teſte. Innocentium III. Clementem IV. & Urbanum IV. quum locum ſemper perſonæ individuo nexu jungunt, in diœceſin intendiſſe animum neceſſe eſt. Eadem loci neceſſitate ſuppoſita pronunciaſſe Carolum IV. quod officium primum diadema regi Romanorum imponendi Colonienſi archiepiſcopo competat, indicat Ruperti imperatoris privilegium, quo officium illud intra diœceſin Colonienſem conſtringitur. Eosdem terminos diœceſeos præfinitos eſſe juri Colonienſi agnoverunt Francofurti anno ſuperioris ſeculi LXII: Ferdinandus I. Imperator & electores neque ipſe Fridericus Colonienſis archiepiſcopus tum aliter ſenſiſſe viſus eſt. Denique regem nullum unquam extra ſuam diœceſin coronarunt Colonienſes archiepiſcopi, neque, ut eo munere ipſi fungerentur, poſtulare auſi ſunt.

84. Quod Moguntinos autem archiepiſcopos attinet, conſtat ex hac iterata diſſertatione, nullum unquam regem aut imperatorem extra diœceſin Colonienſem ab alio quam Moguntino archiepiſcopo coronatum eſſe, (quum enim Philippus Moguntiæ à Tarantaſienſi archiepiſcopo conſecraretur, aberat in oriente Moguntinus) & tamen coronatos eſſe extra diœceſin ſatis multos. Deinde Moguntinos archiepiſcopos, antequam ullum imperatorem Aquisgrani coronarunt Colonienſes, in ipſa illa urbe eo munere jure proprio eſſe defunctos. Tertio, Moguntinos archiepiſcopos tandem

tandem, etſi ægre conſenſiſſe, ut intuitu archidiœceſeos Colonienſis, in qua Aquisgranum ſita eſt, impoſterum hoc officium obirent Colonienſes archiepiſcopi. Quarto ex eo tempore reliquum fuiſſe jus illud Moguntinis archiepiſcopis, ut abſente aut impedito Colonienſi archiepiſcopo, quo minus Aquisgrani hoc officium exſequi poſſet, in ejus vices ſuccederet Moguntinus. Quinto nihilominus eos ſibi jus ſuum, quod ante in ipſa provincia Colonienſi habuerant, tacite reſervaſſe in reliqua omni Germania, a Moguntinis & Colonienſibus archiepiſcopis excepta, dum hi propter diœceſin ſibi coronationem deberi aſſerunt, & illi propter eam tandem id concedunt. Sexto, jus illud Moguntino archiepiſcopo in cætera Germania reliquum, nulla pontificis aut cæſaris autoritate nullo actu a Colonienſibus exercito, nulla Moguntini ceſſione, nullo denique eorum modorum, quibus jus aliquod ex ſententia JCtorum in alium transfertur, ereptum aut reſtrictum eſſe. Atque ita ſeptimo ab ipſis usque initiis imperii Romano Germanici manſiſſe Moguntinum archiepiſcopum in perpetua poſſeſſione coronandi reges Romanorum extra Colonienſem provinciam.

85. Hæc perpetua poſſeſſio, quin ſecundum jura & noſtra & omnium gentium rem totam conficiat, non eſt dubitandum. Etiamſi aurea bulla non exſtaret aut nulla in ea juris coronandi ad Colonienſem archiepiſcopum pertinentis mentio fuiſſet facta, quia tamen Colonienſis eſt in poſſeſſione quingentorum annorum, nunquam turbata coronandi Aquisgrani & in ſua diœceſi, non poſſet utique jus illius in controverſiam vocari, neque ipſe cogi, ut titulum ſuæ poſſeſſionis ederet. Ita etiam ſufficit Moguntino archiepiſcopo, eum eſſe in perpetua poſſeſſione hujus juris coronandi, extra provinciam Colonienſem, neque opus ei eſt, ut oſtendat, unde hanc dignitatem habeat, & qua ratione ad illum pervenerit. Non tamen abs re fuerit, quum de poſſeſſione conſtet, ſciri quoque, quod optimo jure hæc dignitas ad Moguntinum archiepiſcopum ſit ab initio imperii Germanici translata.

86. Eſt autem hoc fere commune omnibus regnis chriſtianis, poſtquam recepta fuit in illis optima & utiliſſima ungendi reges conſuetudo, ut munus illud, quod indubitato juris tantum eſt eccleſiaſtici, obeat is, qui in regno illo eſt inter eccleſiaſticos primus. Id diſſertator pluribus oſtendit §. 53. & multi ſunt autores, qui id aſſerunt. Nam quod quidam juris Canonici interpretes Alemanniæ tantum, Franciæ & Angliæ reges ungi ajunt, non ſatis advertiſſe animum videntur, quum illa ſcriberent, & Azorius *inſt. Moral. part. II. lib. XI. cap. 5.* plures reges ex hiſtoriis ungi ſolitos producit. Hodie enim, quotquot adhuc reges catholicam fidem ſequuntur, conſecrari ſolent, & antequam hoc ſchiſma eccleſiam divideret, Scotiæ quoque, Angliæ, Daniæ & Sueciæ reges ungi conſueverunt, ut ea ratione non incommode dici poſſit, eſſe juris gentium chriſtianarum, ut reges chriſtiani a primo eccleſiaſticorum cujusque regni inaugurentur. Piget me propemodum adſcribere, quæ Vindici, ut arbitror, præceps ira extorſit. Quid enim quæſo ſunt hæc, quæ ait: „Cui indefinite dicere „lubet, eſſe juris gentium, ut primus epiſcoporum ungat reges, is nobis dicat, quisnam epiſcoporum „unxerit Agamemnonem aut Philippum Macedonem, nam & illi populi jus gentium agnoverunt. „Potius dixiſſet eſſe juris & præcepti divini, ſiquidem Elias primus eſt juſſus ungere Azahel & Jehu, „Samuel Saulem. Nunquid etiam dici quicquam poteſt minus ad rem, de qua agitur, conveniens, ut quam mitiſſime loquar? Num quisquam id juris gentium ſimpliciter dixit? Quæſtio enim de eo eſt, quid hodie inter chriſtianos in uſu ſit. Illud aliter ſe habere, atque diſſertator dixerat, oſtendendum erat. Ait quidem epiſcopum *Oſtienſem abſente aut impedito pontifice conſecrare Romæ imp. neque tamen eſſe primatem Italiæ, aut primum cardinalium.* Sed obſervandum eſt, Oſtienſem epiſcopum vices tantum Romani pontificis obire, quas ille injungere poterat, cui libitum eſſet, & tamen etiam in hac vice ſua delegenda, Oſtienſem epiſcopum, qui inter epiſcopos Cardinales primum locum obtinet, atque illa ratione proximus eſt a pontifice, unde decani collegii Cardinalium ſolent eſſe epiſcopi Oſtienſes, aliis prætuliſſe. Deinde ait: *Mediolanenſis archiepiſcopi officii eſſe, ut Modœtiæ imperatorem coronet, illum tamen ſe non facile primatem Italiæ coram Ravennate archiepiſcopo dicturum.* Sed neque illa quicquam ad rem faciunt, imperatores enim Modœtiæ quidem olim coronam regni Longobardici ſumere ſolebant, ſed in illo regno inter eccleſiaſticos primus erat archiepiſcopus Mediolanenſis. Exarchatus autem Ravennas, cui præſidebat archiepiſcopus Ravennatum, non erat pars regni Longobardici, ſed primo a græcis imperatoribus inſeſſus fuit, deinde ad pontifices Romanos devictis Longobardis pervenit. In his ergo duobus quoque exemplis primi loci dignitas inter eccleſiaſticos fuit obſervata, ut certum ſit in regnis chriſtianis id fere uſu eſſe receptum, ut qui primo ſunt inter eccleſiaſticos loco, illi reges conſecrare ſoleant.

87. Nunc igitur oſtendendum eſt, Moguntinum archiepiſcopum in Germania primum obtinuiſſe locum. Neque enim ad id, ut quis archiepiſcopus regem ungat & coronet, opus eſt, ut ſit primas totius illius regni, cujus regem coronandi officium illi competit, ſed ſatis eſt, ſi primo ſit inter reliquos regni archiepiſcopos loco Primatum autem diſertis verbis a Lamberto Schafnaburgenſi Reginone, & Conrado a Lichtenaw, Urſpergenſi abbate, tribui Moguntino archiepiſcopo monuit aliquoties diſſertator, illos aliosque ſecutus, quos cum refellere nequeat Vindex, non ceſſat tamen, gravi injuria laceſſere Moguntinos, ut illis odium concitet, dum lectori ſub diverſa primatis acceptione imponit. Sequenda ſunt Vindicis veſtigia, qui hic nulla de cauſa tricatur.

88. Erant autem olim tres epiſcoporum gradus, epiſcopi ſc. civitatum, Metropolitani provinciarum, & patriarchæ, qui etiam vocantur exarchi diœceſium, ita tamen, ut deinde inter patriarchas & exarchos diœceſium diſcrimen aliquod obſervari poſſit. Eorum initio tres tantum fuerunt, Romanus, Alexandrinus & Antiochenus, ut ex can. 6. conc. Niceni notum eſt, quibus deinde Con-

ſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus acceſſerunt. Inter Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum Patriarchas orientalis tota eccleſia erat diviſa, & unicuique patriarchæ plures metropoles erant ſubjectæ, niſi quod quædam eccleſiæ ex antiqua conſuetudine eſſent exemptæ, quod de Cypriis *ex canone ult.* concilii Epheſini diſcimus. Hos patriarchas aut exarchos diœceſium, an primates appelles, parum id quidem intereſt, non tamen ita vulgo vocari conſueverunt. In occidente autem, qui illa autoritate eſſet patriarcha præter Romanum, atque in oriente quatuor erant pari poteſtate nullus unquam fuit, ut plane ſit erroneum, quod ait vindex: *in occidente cum ea amplitudine vix alium præter Romanum patriarcham, id eſt, ſummum pontificem, agnoſcimus.* Quid enim hæſitat? Cur ſe vix alium agnoſcere ait? Cum nemo fuerit, qui ſibi in occidente diviſum cum Romano patriarcha primatum attribuerit. Sed occaſio erat quærenda calumniæ, quam ex tetro odio effudit vindex in Moguntinos, quum addit, neque exiſtimo, quod *advocatus nobis alterum* (patriarcham nempe alium præter ſummum pontificem) *imponere velit.* Quem enim primatum diſſertator archiepiſcopo Moguntino tribuat, etſi id ex ipſa diſſertatione ſatis conſtat, deinde patebit. Attendat tantum vindex ad ea, quæ pluribus ſunt exponenda, ut tricæ ipſius plene evolvantur. Etſi enim in occidente nullus cum Romano alius pari poteſtate erat patriarcha, quum tamen latiſſima eſſet ejus per totum occidentem adminiſtratio, eique inſuper in B. Petro principe apoſtolorum, ex divina inſtitutione cura & ſollicitudo omnium totius orbis chriſtiani eccleſiarum eſſet commiſſa, cœperunt poſterioribus ſeculis ab ipſis ſummis pontificibus, in quibusdam occidentis provinciis primates quidam conſtitui, qui vicariam a ſede apoſtolica adepti poteſtatem, plurium provinciarum curam agerent. Antea enim nonniſi tres gradus erant epiſcoporum in occidente, epiſcopi, Metropolitani, & patriarcha Romanus. In Africa alia in uſu fuit primatis accep[illegible], quum is epiſcopus, qui inter provinciæ illius epiſcopos prior eſſet ordinatus, primas illius provinciæ vocari ſoleret. Tandem tamen Carthaginienſis epiſcopus quoque impetravit, ut primas perpetuus eſſet. *Sed & quidam archiepiſcopi vel metropolitani*, ait Hincmarus in opuſc. ad Hincmarum I. Andunenſem epiſcopum cap. 12. *Primates provinciarum multotiens in ſacris canonibus inveniuntur, illi videlicet, qui in loco defunctorum archiepiſcoporum vel metropolitanorum, ab epiſcopis uniuscujusque provinciæ, ſine interrogatione alterius primatis prævalent ordinari, & ex antiqua conſuetudinis lege a ſede apoſtolica pallii ſolent genio inſigniri, & in loco decedentium epiſcoporum ſine conſultu vel licentia primatis alterius, in ſua provincia quique poſſunt epiſcopos ordinare.*

89. Ex tot & tam diverſis primatis acceptionibus illa eſt maxime propria & de qua nunc quæritur, quum primati cuidam plures provinciæ & alii metropolitani ſubjiciuntur. Magna jam a priſcis temporibus in occidente ea de re fuit contentio, multis illum honorem affectantibus quidem, ſed invitis & repugnantibus cæteris metropolitanis. In Gallia inprimis Arelatenſes archiepiſcopi, hunc ſibi honorem per aliquot Galliarum provincias, ex conceſſione tamen ſedis apoſtolicæ ſæpius vindicarunt. Deinde a B. Hormisda, pontifice remigio Rhemenſi per Belgicas & aliquot Gallicanas provincias, a Gregorio autem II. & III. S. Bonifacio Moguntino archiepiſcopo, vices apoſtolicæ ſedis per omnem Galliam & Bajoariam fuiſſe delegatas, agnoſcit Hincmarus *ep. VI. ad epiſcopos Remenſis diœceſis*, ex editione Buſæana, qua in originem primatum inquirit. Erepto autem orbi S. Bonifacio per martyrium, quod accidit anno 774. *manſerunt*, inquit Hincmarus *in eadem epiſtola cap. 19. Provinciæ Ciſalpinæ temporibus Pipini regis & Caroli H. Ludovici imperatorum ſine primicerio vel primate, a ſede apoſtolica delegato annos circiter LXXXXIII. & metropolitanis ſingulis ſuo jure ſervato, apoſtolicæ ſedis favore & principum ſuorum diſpoſitione ſecundum ſacros canones & decreta ejusdem ſanctæ ſedis pontificum, quæque fuerunt agenda, venerabiles epiſcopi per autoritatem canonum ſacrorum & decreta ſedis Romanæ pontificum peregerunt.*

Seculo deinde octavo & nono multos ille ambitus habuit ſollicitos. De Drogonis quidem, qui Metenſis antea epiſcopus, archiepiſcopi nomen & vicarii apoſtolicæ ſedis in Gallia & Germania dignitatem a Sergio pontifice anno 844. impetrarat, primatu in concilio Vernenſi II. & de Anſegiſi archiepiſcopi Senonenſis per Gallias & Germanias primatu in concilio Pontigonenſi anno 876. diſceptatum fuit, ſed neuter quod deſideraverat ad exitum perducere potuit, detrectantibus eorum primatum reliquis metropolitanis, etſi uterque imperatoria regiaque autoritate niteretur.

90. Iterum autem complures anni abierunt, quod nemo archiepiſcoporum Germanicorum ejusmodi aliquem primatum affectavit aut conſecutus eſt. Anno autem 969. Theodoricum Treverenſem archiepiſcopum Johannes XIII. pontifex, vicarium apoſtolicæ ſedis in partibus Galliæ & Germaniæ, atque *Galliæ & Germaniæ primatem*, ut ait Browerus lib. IX. p. 579. *de novo conſtituit, atque in conventibus ſynodisque obeundis legati apoſtolici munus perpetuum impertivit, adeoque jus in ſynodo pronunciandi, & ſupra omnes epiſcopos poſt imperatorem ſive regem aſſidendi in conciliis dedit, aliaque multa ejusmodi conceſſit.* Eadem confirmarunt Theodorico, ſecuti Johannem, pontifices Benedictus VI. & VII. Eodem autem tempore, uti idem Browerus ex antiquo MSto, & Meibomius notis ad Witikindum memorant, primatus aliquis in Germania a Johanne XIII. pontifice Adelberto, tum recens conſtituto Magdeburgenſi epiſcopo collatus fuit, conceſſumque ut Moguntino, Colonienſi & Treverenſi archiepiſcopis par honore eſſet. Salisburgenſis denique archiepiſcopi primatus initium ad Gregorium VII. pontificem Romanum, & S. Gebhardum, Salisburgenſem archiepiſcopum, legatum ſedis apoſtolicæ refertur. Quæ autem affectati a Drogone & Anſegiſo, primatus fortuna fuit, eadem etiam horum primatuum videtur fuiſſe. Initio forte fructum aliquem illius conceſſionis ceperint, qui primatum impetrarant: Cito ille tamen deſiit, effectuque caruit, ſingulis metro-

tro-

tropolitanis ſua jura & antiqua privilegia, quæ ſummi pontifices in conceſſione reſervaverant, defendentibus, multa ſunt & varia ornamenta, quæ ſummi pontifices in eccleſiam Moguntinam, erga quam ſingularis ſemper eorum fuit affectus, contulerunt. Non eſt tamen hujus loci, ut illa ex bullis eorum adhuc ſuperſtitibus excerpta hic proponantur.

91. Operæ vero pretium eſt hic legi, quid Bernhardus a Mallinckrot, decanus Monaſterienſis, eaque ratione Colonienſi archiepiſcopo ſubditus de primatu ſedis Moguntinæ præ reliquis in Germania metropolitanis ſibi aliquem primatum tribuentibus jam olim ſcripſerit *p. 103.* libri de archicancellariis Romani imperii. Quum enim reliquis in Germania metropolitanis primatum abrogaſſet, *de Moguntina ſede,* inquit, *quæ ſola ſupereſt, vere affirmari poteſt, ſi qua ſit in omni Germania eccleſia, quæ primatialis dici mereatur, ante omnes hoc nomen dictam protometropoliticam mereri. Quamvis vel inprimis laude maxima evehendi ſint illius throni archi-antiſtites, quod re ipſa contenti, de inanibus titulis non admodum ſolliciti fuerint. Faciunt ad hanc rem, quæ ſupra pag. 31. ſcripſi, Moguntiam ab aliquibus ſcriptoribus, antiquis pariter & recentioribus, modo Franciæ, modo Germaniæ, per excellentiam metropolim vocari, ipſumque loci archipræſulem a vetuſtiſſimo ſcriptore Witikindo Saxone ſummum pontificem. Eodem pertinet Conradi abbatis Urſpergenſis locus, qui etiam PRIMATUS expreſſam mentionem facit. Is tractans de Adelberto I. archiep. Mogunt. ſic ſcribit: His auditis præſul Adelbertus, totam Saxoniam, ubi tunc manebat, commovet; & quia legationem apoſtolicam ab ipſo papa dudum acceperat; hac auctoritate pontifices & principes iſtius provinciæ, pro utilitate matris eccleſiæ frequenter convocat, ubi vir eloquens & primatum in ciſalpinis partibus multiformiter tenens, ad defenſionem totius Germaniæ metropolis, animos omnium catholicam obedientiam profitentium accendit. Lambertus Schaffnaburg. ſub anno 1073. His accenſus archiepiſcopus Moguntinus, cui potiſſimum propter primatum Moguntinæ ſedis, eligendi & conſecrandi regis auctoritas, deferebatur, &c. Synodus Moguntina habita eodem ann. 1073. ſic incipit apud Sebaſtianum Tengnagel, bibliothecarium cæſareum, in monumentis antiquis pag. 291. imperante ſuper omnia æternaliter regum rege, Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſub eo regnante temporaliter Sereniſſimo Henrico, rege hujus nominis quarto, venerabili quoque Sigefrido, Moguntinæ eccleſiæ primate, & apoſtolicæ ſedis legato &c. Plura hujus generis congerere opus non eſt. Ipſe enim Moguntini archiepiſcopi in collegio electorali decanatus, ejusdem rei probatio eſt; nec negare aliquis volet, omnium Germaniæ principum eſſe primum, omniumque præſulum maximum, qui inter illos, quos imperii primores ſui corporis primates agnoſcunt, principem locum teneat. Extant literæ principum electorum ad papam Benedictum XII. quas Freherus inſeruit chronico Henrici de Rebdorf. pag. 427. in illorum capite ſive principio, Henricus archiepiſcopus Moguntinus ſe vocat electorum principum decanum. Hæc de re teſtantur etiam Onuphrius Panvinius de comitiis imp. cap. 7. pag. 117. & Jo. Paulus Windeck de electoribus imp. cap. 22. Hinc non convocatio tantum electorum ad Moguntinum pertinet: Otho Friſ. lib. 1. de geſtis Frid. cap. 16. & Guntherus in Ligurino; ſed etiam in electione cæſaris ipſa prima ſunt ejusdem partes; qui antiquitus etiam votum ante omnes alios enuntiabat. Otho Friſing. & ex illo, ut ſolet, Guntherus in Ligurino: cujus loco poſterioribus temporibus, collegarum vota, ex aureæ bullæ præſcripto, exquirit & recipit, ſuum deinceps ultimo loco reliquis adjungens.*

92. Quod ſi igitur rem totam accurate conſideremus, nullus eſt in Germania ex ſtricta & propria vocis acceptione primas, cui alii metropolitani ſubjiciantur, iique ſeſe ſubeſſe illi primati agnoſcant, etſi de conceſſione aliqua ſedis apoſtolicæ dubitari nequeat. Ita autem, quum ſit comparatum cum primatibus, & tamen Moguntinus archiepiſcopus, qui in alios metropolitanos nullum affectat imperium, inter illos primum & principem locum teneat, atque diœceſin habeat omnium ampliſſimam, quis neget ea ratione primatum aliquem ſedi Moguntinæ tribui poſſe? Id fecit advocatus Moguntinus, ſecutus inter alios autoritatem Hincmari, Rhemenſis archiepiſcopi, inimici alias primatum affectantium: Is enim *cap. 19 & 20.* Epiſtolæ ad epiſcopos Rhemenſis diœceſis, quæ eſt inter editas a Buſæo ſexta, ita ſcribit: *Tempore Caroli principis, quando propter diſcordiam & contentionem de principatu inter eum & RAGANFREDUM, & frequentia ac civilia imo plus quam civilia, quia inteſtina & parricidalia bella, in Germanicis & Belgicis, ac Gallicanis provinciis, omnis religio chriſtianitatis pene fuit abolita, ita ut epiſcopis in paucis locis reſiduis, epiſcopia laicis donata & rebus diviſa fuerint: (adeo ut Milo quidam tonſura clericus, moribus, habitu & actu irreligioſus laicus, epiſcopia Remorum ac Trevirorum uſurpans inſimul, per multos annos peſſumdederit; & multi jam, maxime in orientalibus regionibus, idola odorarent, & ſine baptiſmo manerent) GREGORIUS a primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius Winfried, cognomento BONIFACIUM legatum apoſtolicæ ſedis ad reformandam chriſtianitatis religionem, primo presbyterum, poſtea vero epiſcopum ordinatum direxerunt. Cui per annos XXV. in eadem prædicatione ſine cardinali ſede laboranti, præfatorum ſucceſſor ZACHARIAS papa, inter cætera in privilegio ſibi directo ſcripſit atque formavit, ad locum ita dicens: Ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluiſti, ut tibi epiſcopalem eccleſiam vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorundem filiorum noſtrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate B. Petri apoſtoli ſancimus, ut ſupradicta eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has civitates, id eſt, Tungris, coloniam Warmaciam, Spiraciam & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. His a nobis definitis, per hujus noſtræ confirmationis paginam in tua eccleſia perpetuis temporibus pro ſui confirmatione hæc conſervari mandamus. Sic enim & ſacri Africæ provinciæ canones decreverunt, ut quos adminiculante divina gratia epiſcopus potuerit lucrari ad catholicam unitatem, ad ipſum pertineant. De primatu quoque in aliis provinciis idem Zacharias papa ad eundem Bonifacium ſcripſit hoc modo. Et quia ſi deberes in Bajoaria provincia jus habere prædicationis ſciſcitaſti, an non, quam a deceſſore noſtro habuiſti conceſſam: Nos denique, auxiliante Deo, ea, quæ tibi largitus eſt,*

deceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus, & non ſolum Bajoariam, ſed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina juſſerit ſupereſſe majeſtas, noſtra vice per prædicationem tibi injunctam, quæ repereris contra chriſtianam religionem, vel canonum inſtituta ſpiritualiter ſtudeas normam rectitudinis reformare.

93. Hactenus Hincmarus: Ex quibus conſtat, duplicem primatum habuiſſe Bonifacium, ex conceſſione Zachariæ pontificis; alterum quidem, quem in ſucceſſores transmiſit, „ quum Moguntia in Germanicarum gentium metropolim fuit conſtituta: Alterum deinde, qui cum ipſo fuit exſtinctus, quum per Bajoariam & omnem Galliarum provinciam vices ſedis apoſtolicæ obiit. Etſi ergo Moguntini archiepiſcopi poſt Bonifacium non haberent ſub ſe alios metropolitanos, fecit tamen illa diſpar a reliquis metropolitanis diœceſios Moguntinæ amplitudo, ut primatus Moguntinis archiepiſcopis tribueretur. Comprehendebat enim diœceſis Moguntina, quicquid erat trans Rhenum Germanicarum gentium, præter ampliſſimos cis Rhenum diſtrictus. Atque initio quidem ſolus in trans Rhenanis partibus erat metropolitanus Moguntinus: Quum autem deinde Hamburgum Aquilonarium, & Magdeburgum Sclavicarum eccleſiarum metropoles fierent, quamprimum quid ampliſſimis illis Moguntinæ metropolitanæ jurisdictionis terminis decedebat, laborandum fuit imperatoribus de conſenſu Moguntini archiepiſcopi impetrando, quod is jam ſibi jus aliquod ibi acquiſiiſſet. Quam ſollicitus fuerit Otto M. quum Magdeburgenſem metropolin eſſet conſtituturus, ne Hatto Moguntinus intercederet, Browerus quoque inter alios meminit. Jam vero Bohemia tota atque Moravia imperante primum Carolo IV. imperatore, aſſentiente tandem archiepiſcopo Moguntino, erecta in metropolin Praga, eccleſiaſticæ jurisdictioni Moguntini archiepiſcopi fuerunt exemtæ. Salisburgenſis autem archiepiſcopus Pannoniæ & Norici, cujus pars magna Bajoaria olim fuit, metropolitanus erat, unde in bulla Agapeti pontificis apud Wigulejum Hund in metrop. Salisb. diviſa archidiœceſi tota inter Laureacenſem & Salisburgenſem archiepiſcopos, illi orientalis, huic occidentalis Pannoniæ, cura committitur.

94. Quum igitur Trevirenſis & Colonienſis archiepiſcopi regni Lotharingici, Salisburgenſis Pannoniæ, Hamburgenſis ſeptentrionalium, & Magdeburgenſis Slavicarum eccleſiarum metropolitani fuerint, reliquum eſt in Germania proprie dicta unicum fuiſſe metropolitanum Moguntinum archiepiſcopum, cujus & propter ampliſſimam diœceſin, & deinde, quum exſtincta familia Carolina ad Germanos regnum atque imperium transferretur, ſumma & prima fuit in imperio autoritas, ut recte ſcripſerit de Moguntia Browerus *lib. X. annal.* „Eam civitatem tempore Ottonis I. „fuiſſe eminentis in regno faſtigii, & metropolin Franciæ orientalis. Franciæ *autem* orientalis no„mine cenſebatur, *ait idem p. 572.* quicquid novo Teutonico parebat imperio, atque ita legas apud Re„ginonem, Francofurtum orientalis regni principalem ſedem: Moguntiam regalem civitatem, & „Franciæ orientalis metropolin vocari. Cujus rei præter alios laudare poſſum interpretem Godefri„dum Viterbienſem: Arnolphus enim, *inquit*, totam orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum „regnum vocatur, id eſt, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam, Lotharingiam rexit. Tum etiam nonnulli ſcriptores Moguntinum inprimis archiepiſcopum, (nam & aliis etiam archiepiſcopis, & Colonienſi quoque interdum hanc appellationem tribuunt) vocarunt ſummum pontificem, ſummum præſulem, protopræſulem, non quod ſedi apoſtolicæ detractum vellent, cui ſane veteres illi ſcriptores erant quam addictiſſimi, & cujus beneficio omnem ſuam dignitatem debet eccleſia Moguntina, ſed neſcio quo more illius ſeculi tum uſitato. Recte igitur Baronius, anno 937. quum Witikindi verba affert, Hildebertum Moguntinum pontificem maximum vocantis, *ita autor, nominat*, inquit, *præcipuum illorum antiſtitum archiepiſcopum Moguntinum.*

95. Judicet nunc æquus & veritatis cupidus lector, an quicquam cauſæ fuerit Vindici, ut tam acerbe inveheretur in advocatum Moguntinum, dicentem, ſuo archiepiſcopo vel ideo deberi coronationes regum Romanorum, quod is primus ſit inter Germaniæ metropolitanos, etſi alii primatum titulo inſignes ſint. Nihil ideo Colonienſi archiepiſcopo detractum ivit, cujus ſane magna merito ſuo ſemper in imperio fuit autoritas, & eccleſiæ Colonienſi non deſunt ſua quoque decora: De primatu tamen fruſtra laborat Vindex, quum memor eſſe debuiſſet, illorum Leonis IX. confirmantis archiepiſcopo Colonienſi antiqua privilegia: *Sicut neminem archiepiſcoporum tibi ſubjicimus, ita ſub nullo primate te agi decrevimus.* Moguntina eccleſia non indiget adſcititiis ornamentis: Ejus primatum Hincmarus collocavit in diœceſeos amplitudine, ad quam omnes Germanicæ gentes pertinebant. Quum Zacharias Coloniam ſubjiceret metropoli Moguntinæ, nondum erat Metropolis Colonia, ſed eo jure ſubdita Moguntino, quo Spira & Wormatia. Non id duraſſe diu agnovit diſſertator: Nam in concilio Vernenſi anno 755. conſtituit Pipinus epiſcopos vice metropolitanorum, donec de illis decerneret. Quarto ſtatim poſt anno exſpiraſſe non recte colligitur ex epiſtola Bonifacii ad Stephanum. Conſtituere Trajecti Bonifacius volebat epiſcopum, id pati noluit Colonienſis epiſcopus, dicens, *caſtellum Trajectum cum deſtructa eccleſia a Dagoberto Francorum rege, ad ſuam parochiam donatum fuiſſe, ea conditione, ut gentem Freſonum converteret.* Jus igitur, quod ſibi tribuebat, Colonienſis vindicabat ſibi ut epiſcopus, alterum autem S. Bonifacii erat metropoliticum.

96. Sed præſtat relinquere tempus illud & una cum *Vindice attendere, quis ſtatus utriusque eccleſiæ Moguntinæ & Colonienſis, tempore Caroli M. fuerit, ut ex eo tempore de prærogativa ab ipſo Carolo inſtituta rationes ſubducere liceat.* Ita enim argumentatur Vindex num. 56. In quo eo tempore, quo Carolus magnus regalem ſedem coronationis Aquisgrani poſuit, omnes præeminentiæ fuerunt accumulatæ, illi ſine dubio ab ipſo Carolo M. coronandi dignitas fuit collata, ſed in Hildeboldo, Colonienſi archiepiſcopo id contigit. E. Neutra autem propoſitio vera eſt. Non prior; ipſe enim Vindex jam ante ope-

operoſe probavit, ex ratione & lege eccleſiaſtica collatam eſſe Hildeboldo illam dignitatem: Non igitur id factum eſt ratione illarum præeminentiarum, quas Vindex in Hildeboldo ſtatuit. Deinde ceu id plane eſſet manifeſtum, affirmat Carolum magnum certo cuidam archiepiſcopo coronandi dignitatem voluiſſe conferre, quod falſum eſſe luculenter eſt probatum. Sed neque altera propoſitio vera eſt, quod in Hildeboldo omnes prærogativæ fuerint cumulatæ. *Subſcripſit* tamen, ait Vindex, *prior teſtamento Caroli magni, & concilio Moguntiaco*, præ Ricolpho, archiepiſcopo Moguntino. Ita eſt quidem, ſed tum adhuc obſervabatur, ut is prior eſſet, qui prior erat ordinatus. *Inter Gallicanorum, Belgicorum atque Germanicorum primates*, ait Hincmarus *Epiſtola VI. ad epiſcopos Rhemenſis diœceſis*, loquens de metropolitanis, *ſicut & inter reliquos epiſcopos hæc conditio regularis ſervatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur*; Propter illam igitur rationem prior ſubſcripſit Hildepoldus. Ricolphus enim, quum anno primum 786. Moguntinus ſit factus archiepiſcopus, poſterior erat Hildeboldo, cui tamen haud dubie, quia prior erat ordinatione, Lullus archiepiſcopus in Verdenſis epiſcopatus inſtitutione præponitur, ſicuti etiam in concilio apud Theodonis villam anno 821. habito, & in Capitulari II & III. imperatoris Ludovici *tom. 2. conc. Gallic. Sirmondi*, Moguntina metropolis Colonienſi, & illius archiepiſcopus, Colonienſi archiepiſcopo præfertur. Id deinde mutatum eſt.

97. Pergit Vindex: *Fuit archicapellanus, qui idem erat cum archicancellario.* Summum fuiſſe Capellanum conſtat, non perinde vero, an fuerit archicancellarius. Adalhardus enim abbas Corbejenſis Caroli M. propinquus, qui librum ſcripſit de ordine palatii apud Hincmarum, epiſtola ad epiſcopos quosdam Franciæ inter editas a P. Buſæo *III. cap. 10.* ait: *Apocriſiarius quem noſtrates Capellanum, vel palatii cuſtodem appellant, omnem clerum palatii ſub cura ſua & diſpoſitione regebat: Cui ſummus cancellarius ſociabatur.* Alius igitur tum erat ſummus capellanus & ſummus cancellarius: illo vero, non hoc nomine inſignitur. Inſtat Vindex: vocatur etiam *ſacri palatii archiepiſcopus.* Ita ſubſcripſit concilio Moguntiaco: Id vero idem eſt, quod *ſacri palatii archicapellanus*, uti eum Theganus vocat, quia ſimul erat archiepiſcopus, archiepiſcopum & capellanum vocat Anaſtaſius in Leone III. Et ipſe Hildeboldus diplomati dato anno 788. apud Goldaſtum *Tom. 3. Conſt. imp. p. 137.* ſubſcribit: „Hildibaldus archiepiſcopus Colonienſis & ſacri palatii Capellanus recognovi. Geſſit etiam, *pergit*, curam omnium eccleſiarum, eoque titulo ab Adriano pontifice, & concilio Francofordienſi, „circa annum 794. petente Carolo, fuit a reſidentia ſuæ eccleſiæ liberatus, ob curam & utilitatem „eccleſiarum, ut loquitur concilium. Nihil de cura ait concilium. Ita enim habet canon. 55. „Dixit etiam dominus rex in eadem ſynodo, ſe a ſede apoſtolica, id eſt, ab Hadriano pontifice li„centiam habuiſſe, ut Angilramnum archiepiſcopum in ſuo palatio aſſidue haberet, propter utili„tates eccleſiaſticas. Deprecatus eſt eandem ſynodum, ut eo modo, ſicut Angilramnum habue„rat, ita etiam Hildeboldum epiſcopum habere debuiſſet; quia & de eodem, ſicut & de Angilramno, „apoſtolicam licentiam habeat. Omnis ſynodus conſenſit, & placuit eis, eum in palatio eſſe debe„re, propter utilitates eccleſiaſticas. Longe aliud eſt, curam habere omnium eccleſiarum, & aliud, abeſſe propter utilitates eccleſiaſticas. Summus pontifex ſolet aut ſecum retinere epiſcopos & archiepiſcopos in curia, aut licentiam tribuere regibus, ut propter utilitates eccleſiaſticas aliquandiu abeſſe poſſint. Ex eo vero neſcio, quam dignitatem colligere imprudentis eſt.

98. Quod munus autem olim fuerit archicapellani pluribus ex Adalhardo explicat Hincmarus, eum adeat Vindex, & hæc obſervet inprimis verba: *Tempore Pipini & Caroli hoc miniſterium nempe Apocriſiarii, vel Capellani ſacri palatii, conſenſu epiſcoporum per Fulradum presbyterum, tempore Caroli per Angilramnum & Hildeboldum epiſcopos, tempore denique Ludovici per Hilduinum presbyterum, & poſt eum per Fulconem item presbyterum, deinde per Drogonem epiſcopum exſtitit executum.* Vana ergo eſt Vindicis iſta collectio. *Præſidentia in concilio nationali, cura eccleſiarum nationis, ſine dubio ad primatem ejusdem nationis pertinent, ſicut & ſubſcriptiones primo loco factæ archicancellariatus officium æque arguunt.* Quia prior ſubſcripſit Hildeboldus, inde eum & concilio nationali præſediſſe, & archicancellarium fuiſſe colligit. Multi vero ita nobis prodibunt archicancellarii, ſi ex primo loco factis ſubſcriptionibus ea de re judicari debeat. Deinde quia ſummus Capellanus fuit, & ratione iſtius officii negotiorum eccleſiaſticorum, & eccleſiæ miniſtrorum curam habuit, ideo primatem fuiſſe nationis exiſtimat. Tres igitur iſti presbyteri capellani ab Hincmaro memorati, qui Hildeboldum in illo officio partim anteceſſerunt, partim etiam ſecuti ſunt, primates nationis ſuæ etiam fuerint dicendi, & quum Augiæ abbas apud Ludovicum, regem Germaniæ, ſummus eſſet capellanus, is quoque primas nationis Germanicæ fuerit. Abſurda hæc ſunt. Quin ſibi ipſi laqueos ponit Vindex, quibus ſe extricare non poterit. Quum enim ab Ottone uſque magno omnes Moguntini archiepiſcopi, quantum quidem conſtat, paucis tantum, qui initio intermixti fuerunt, demtis, archicapellani fuerint, atque illo circiter tempore ea dignitas in ampliſſimo fuerit faſtigio, & primæ metropolitanæ ſedi Moguntinæ ſemper annexa, quanto rectius Moguntinis inde perpetuum ſuorum archiepiſcoporum primatum probare licet. Sed ſatis de his. Non deerunt æqui & eruditi lectores, qui indicare poſſint, uter primatum non illum ſtricte & proprie, ſed laxius acceptum habeat, & annon jus coronandi ex eo recte fuerit olim arceſſitum, quum a primo metropolitano coronari reges in quoque regno moris ſit, quod ubi non ſit, ſed officium illud alteri defertur, id ex peculiari privilegio fieri cenſendum eſt.

99. Multo infelicius Vindex in eo verſatur, ut bullam Benedicti VII. confictam atque ſuppoſititiam eſſe oſtendat, magno tamen ſuo probro & damno. Meminiſſe enim debebat, quam frivola ſint argumenta, quibus privilegium perſonale a Leone III. & Carolo magno Hildeboldo colla-

collatum adſtruere conatur. Meminiſſe debebat ipſam illam Caroli magni conſtitutionem dubiæ admodum eſſe fidei, & vix ab illis, quæ P. Bollando aliisque ſuſpectandi anſam dederunt, aſſeri poſſe: Meminiſſe denique debebat venditari a ſe Leonis IX. aliorumque pontificum bullas nondum prolatas. Nihilominus tamen immemor ſuæ imbecillitatis temperare ſibi non potuit, quin Benedicti VII. bullæ Willigiſo datæ graviter illuderet, & hanc *alterum fundamentum petræ apoſtolicæ ſi Diis placet ſuperædificatum* falſus homo appellaret. Notandum autem initio produci illam Benedicti bullam, uti exſtat in antiquis Regeſtis privilegiorum & donationum, ante annos trecentos & amplius ſtudio & cura publica collectis atque deſcriptis in diverſis voluminibus, ne ejusmodi chartæ diſperſæ perirent, uti fieri moris eſt, quibus libris fidem habendam eſſe jurisconſulti omnes ſtatuunt. Ait autem, *magnum eſſe de hac bulla apud Baronium & Serarium ſilentium.* Quid tum? Quis bullarum Colonienſium meminit? Ideone confictas fatebitur? Pauciſſimæ ejuſmodi particulares bullæ notæ ſunt, quæ ubique ſervantur in eccleſiarum archivis. Deinde *ſubſcriptionem ſuſpectam eſſe* ait, quomodo vero ſuſpecta ſubſcriptio illa eſſe poteſt, quum apud Browerum in annalibus Trevirenſibus exſtet bulla ejuſdem Benedicti VII. eodem anno ad Trevirenſem archiepiſcopum data, quæ eandem omnino habet ſubſcriptionem, & ſatis certum ſit hanc fuiſſe illo ævo communem & vulgatam ſubſcriptionis formulam, quod docet Franciſcus Longus a Coriolano *in Breviario chronologico anno* 752. Et in annalibus Heremi Deiparæ Matris Monaſterii in Helvetia a P. Chriſtophoro Hartmanno concinnatis, exſtat bulla Leonis VIII. qui decennio præceſſit Benedictum ſeptimum ita ſubſcripta: *Scriptum per manum Petri notarii & ſcriniarii S. Romanæ ſedis: in menſe Novembri IV. Idus Novembris.* Solet quidem in fine etiam eo tempore addi annus imperatoris, & pontificis: Sed in deſcribendis bullis ſæpe ultimam illam ampliorem ſubſcriptionem omitti obſervari poteſt apud Baronium aliosque, qui bullas pontificias ſuis inſerunt commentariis. Reſtat lethale plane vulnus, quo Vindex ſe prorſus illam de medio eſſe ſublaturum ſperat. Dixerat advocatus Moguntinus, Willigiſum archiepiſcopum Moguntinum factum anno 974. Bullam autem Benedicti datam anno ſequenti: Reſpondet Vindex, Willigiſum archiepiſcopatui Moguntino anno primum 977. præfectum eſſe: Id conſtare ex Serario & ex Willigiſi epitaphio, quod Serarius hiſtoriæ Moguntinæ inſeruerit. Sed ruſtici illi verſus, quos recitat Serarius, non ſunt a Willigiſi ævo, ut de fide eorum dubitari nequeat, ſed diu poſt fuerunt facti, quum oſſa ejus ex priori ſepulchro in aliud monumentum fuere translata: Ita enim ipſe autor illorum verſuum prodit ætatem ſuam:

Nunc ſunt effoſſa ſua dignanter ſatis oſſa,
Caſula de tumba relevata fuit bene munda
Presbyter ornatur qua, quando miſſa paratur.

Deinde etſi diſertis verbis ait Willigiſum anno primum 977. adiiſſe munus archiepiſcopi, ex collectione tamen annorum, quibus eum ſedi Moguntinæ præfuiſſe ſcribit, apparet deceptum fuiſſe, ait enim,

C. novies pono, tunc Antiſtitem tibi dono,
His ſeptemque dabis & ſeptuaginta notabis
Fama datur juſta, regnavit ſex bene luſtra
Sex tu conjunge, numerum tu cernis abunde
M. XI. Chriſti deceſſit epiſcopus iſte.

Quum igitur Willigiſus triginta ſex annis præfuerit Moguntino archiepiſcopatui, annus autem obitus omnium conſenſu, & ipſo carminis autore teſte, incidat in annum 1011. patet initium collocandum eſſe in anno 975. Ditmarus lib. 3. Chron. ubi narraſſet, quomodo Otto II. parenti ſuo ſucceſſerit, factum autem id eſt anno 974. ſtatim ſubjungit: *Mortuo Roberto Moguntinæ ſedis archipræſule imperator cancellarium ſuimet nomine Willigiſum, multis hoc ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit eccleſiæ.* Et Marianus Scotus ad annum 975. *Hoc anno Rupertus Dung honeſtiſſimus archiepiſcopus Moguntinus obiit, pro quo Willigiſus conſtituitur.*

100. Sed certius ætatem indicant diplomata cæſarea nomine archiepiſcoporum Moguntinorum ſubſcribi ſolita: Edidit enim Piſtorius chronicon epiſcoporum Mindenſium, quibus triginta Mindenſis eccleſiæ a cæſaribus impetrata privilegia ſubjunxit. Ex iis aliquot ſubſcriptiones afferre operæ pretium eſt: Nonum enim privilegium ita ſubſcribitur: *Signum domini Ottonis magni & invictiſſimi imperatoris Auguſti, Willigiſus cancellarius vice Rodberti archicapellani ſubſcripſit. Data XII. Kal. Auguſti, anno incarnationis dominicæ* 974. *Indict.* 1. *anno regni domini Ottonis XIII. imperii VI. actum Aquisgrani.* Septimum privilegium ita eſt ſubſcriptum: *Signum domini Ottonis magni imperatoris Auguſti Folgmarus cancellarius vice Willigiſi archicappellani notavi. Datum XIV. Cal. Mart. anno dominicæ incarnationis* 975. (ita enim legendum eſt, non quarto) *Indict. II. anno regni domini Ottonis XIV. imperii VII. actum Noviomago.* Sextum ejuſdem Ottonis II. datum anno 976. itidem vice Willigiſi ſubſcriptum eſt. P. Hartmannus Maurus annalibus Heremi Beatiſſimæ virginis inſervit decem diplomata cæſarea, vice Willigiſi archicappellani ſubſcripta, quorum primum pag. 86. ita ſubſcribitur: *Signum domini Ottonis imperatoris Auguſti, Folgmarus cancellarius ad vicem Willigiſi archicappellani notavi. Data VII. Kalendis Januarii, anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXV. Indictione IV. Anno vero regni Ottonis imperatoris XV. imperii VIII. actum Eriſtein.* Alterum diploma datum V. Kalendis Januariis eandem habet ſubſcriptionem. Igitur Willigiſus ſub finem anni 974. Secundum hodiernum computum jam erat archiepiſcopus Moguntinus, nec falſus fuit autor diſſertationis Moguntinæ, quum initium

initium Willigiſi annorum collocavit in anno 974. Nam quod in diplomate ſeptuageſimus quintus notatur annus, ejus rei ratio eſt, quod tum anni initium in Gallia & Germania non a Kalendis Januariis, ſed a Paſchate numerari conſueviſſet. Quid ad hæc nunc dicet Vindex? Satisne recte curatum eſt lethale illud vulnus, quod ſe bullæ Benedicti VII. inflixiſſe putaverat? Nunquid illa adhuc *ruborem* Moguntinis incutit, uti ait §. 74. Habeat igitur ſibi illa ſua dicteria: *Qui fieri poteſt, ut Willigiſus duobus annis ante initum epiſcopatum, confirmationem palliumque & privilegium de jure coronandi a Benedicto VII. acceperit? Immo quis credat hos adeo palpabiles naevos eruditos advocati Moguntini oculos effugiſſe? O quantum expediviſſet diem & conſulem omiſiſſe.* Evaneſcit enim omnis iſta jactantia: Habet diem & conſulem tam evidenter aſſertum, ut non dubitem Vindicem pœnitentia ductum iri, quod & bullæ Benedicti VII. & diſſertatori eam tuenti tam acerbe inſultaverit.

Et hæc quidem hactenus. Si licuerit per vindicem, finis tandem erit impoſitus, ſi non ipſi controverſiæ, ſaltem his commentationibus. Satis jam habet judex diſſertationum & vindiciarum, ex quibus utriusque electoris jura cognoſcat. Quod ſi tamen forte novi quid attulerit ex tabulario Colonienſi excitabit Moguntinorum advocatorum induſtriam, ut & ipſi Moguntinum tabularium excutiant. Optandum autem fuerit ſtari interpretationi cæſaris Ferdinandi & electorum, quum anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſecundo diſertis verbis jus Colonienſis archiepiſcopi intra provinciam Colonienſem conſtrinxere, quamque ipſum Colonienſem archiepiſcopum Fridericum eo tempore comprobaſſe ex Recognitione ab electoribus data Aquisgranenſibus diſcimus. Sic enim etiam ipſa illa controverſia facile optatum finem accipiet, quod omnibus merito in votis eſſe debet, qui amantes concordiæ bonæ civis officio fungi voluerint.

Hermanni Conringii aſſertio juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum.

Illuſtris eſt controverſia, quæ hodie inter duos eminentiſſimos & ſummos imperii principes, electores & archiepiſcopos, Moguntinum ac Colonienſem agitatur, de jure coronandi regem quem appellant Romanorum. Moguntinus enim concedit quidem illam coronandi facultatem Colonienſi, ſi coronatio Aquisgrani aut intra Colonienſem diœceſin inſtituatur, alibi tamen ſibi ſoli eam vendicat. Ex adverſo Colonienſis omne hoc jus Moguntino denegat, tanquam ſibi uni omni loco & tempore debitum. Poſſit videri contentio de re levi: & vero non eſt in ea ſalus reipublicæ collocata; attamen intereſt ipſius quoque reipublicæ ut ſua, cuique dignitas ſuum jus ſervetur, præſertim maximis principibus; quod noceant ejuſmodi injuriæ ſaltim exemplo, & iniquum ferendo muniant quaſi viam licentiæ. Principum ſane, archiepiſcoporum cumprimis, in officio eſt, ſedis quemque ſuæ jura defendere; præſertim quum illa neutiquam ſint propriæ poſſeſſionis, quæ pro arbitrio liceat alienare vel negligere. Rogatus ſententiam non dubito cauſſam eminentiſſimi electoris Moguntini approbare: etſi & lecta & cum cura a me ſint expenſa, quæ ab adverſa parte hactenus ſunt edita. Idque inductus rationibus validis quam multis. Quas proinde boni publici cauſa procul odio & amore, in patrocinium recti & æqui, producam in medium, ſermone nudo & ſimplici, ut eo promtius pateat quoque aliis veritatis inquiſitio.

Antequam vero ad rem ipſam aggrediamur, majoris lucis ergo præmittemus nonnulla; quoniam & circa illa impingitur non vulgo tantum, ſed etiam ab iis, qui eminentiſſimum electorem Colonienſem defendere ſuſceperunt: & tamen ſunt ipſiſſima veri in hoc negotio fundamenta.

I. *Principio* igitur obſervandum eſt, cæſares noſtros non una corona inſigniri ſolere. Cis Alpes enim in Italia duplex ipſis competit: Romana altera, altera Longobardica. Trans Alpes plærumque non niſi una hactenus fecerunt ſeſe coronari. Interdum tamen & Arelati alteram imponi ſibi curaverunt. Conradus ſane II. Burgundicam illam coronam accepit anno 1033. & filium ſuum, qui patri poſt ſucceſſit, Henricum III. anno 1038. eodem diademate ornari curavit: quod teſtatur Wippo in *vita Conradi.* Fecit idem Fridericus I. qui ducta in matrimonium Beatrice Reinoldi Burgundiæ comitis filia, *non ſolum Burgundiam ſed & provinciam, imperio jamdiu alienatas, familiariter poſſidere cæpit:* ceu loquitur Otto Friſingenſis *l. 2. c. 29. de geſtis Frid.* Imo fecit illud Carolus IV. ut quidem memorat Chriſtophorus Marcellus *Cæremonial. Romani l. 1. ſect. 5. cap. de triplici imperatoris corona.* Has inter coronas tamen ſola Romana vere cæſarea eſt, h. e. vere competit cæſari, in quantum eſt imperator Romanorum. Idque ſolent ipſimet cæſares noſtri publice profiteri, electos cæſares ſeſe appellantes, quamdiu corona iſta non ſunt inſigniti, etſi in Germania coronati jam fuerint. Ut merito mireris, vulgo paſſim, imo a viris quoque doctis, cæſareæ coronæ nomine uſurpari illam, quæ in Germania confertur, contra publicam cæſarum & ſpontaneam profeſſionem, ne alia nunc tangam. Illa vero, quam Germania exhibet corona, olim quidem, pene usque ad ſeculum Chriſtianum duodecimum, audivit corona regni Francorum inde frequentius dici cepit corona regni Teutonici, (quomodo eam ipſe Fridericus I. appellat in epiſtola ad Ottonem Friſingenſem) aut Alemannici; poſteaquam ſcilicet Galliæ regnum κατ' ἐξοχὴν ſibi retinuit Francorum nomen, Germania imperii Romani titulum, poſt obtentam cæſaream dignitatem, ſubeunte. Plurimis id poſſit confirmari teſtimoniis veteris ævi, ſi opus ſit. Impe-

Imperium Francorum videlicet, quod Caroli magni cumprimis felicibus armis in vaſtam amplitudinem excreverat, quamvis poſt Ludovicum pium inter hujus filios tres in partes fuerit diviſum, ſingulæ tamen partes aliquamdiu Francorum commune nomen retinuerunt. Præcipue vero ita diu audiit, præter Gallicum, regnum Germanicum, quod Ludovico Ludovici pii filio ejusque poſteris ceſſit, cum pars, quæ Lothario obtigerat, regnum Lotharienſe ſeorſim uſurparetur. Et vero populi Germanici Franci Orientales ſunt dicti, ut Gallici Franci Occidentales. Unde jam olim ſcripſit Friſingenſis l. 6. c. 11. Franciam Orientalem comprehendere, præter Franciam proprie ſic dictam, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam. Imo & ipſum Lotharingiæ regnum in Francorum regni commune nomen receptum eſt, poſtquam in unam rempublicam cum Germanicis illis provinciis coiit; & reges Germanicos accepit dominos. Hinc ſane Ottoni magno, etiam tum Aquis coronaretur, in regno Lotharienſi, porrecto gladio, acclamavit Moguntinus: *Accipe hunc gladium, quo ejicias omnes Chriſti adverſarios, barbaros, & malos Chriſtianos, auctoritate divina tibi tradita omni poteſtate totius imperii Francorum.* Et vero etſi Otto I. interdum in nonnullis tabulis, in regno Lotharingiæ editis, ſeſe dixerit *regem Lotharienſium & Francigenum*, raro tamen id fecit, & poſt illum forte nemo Lotharienſium rex audiit.

Quinimo ipſamet illa corona, qua hodieque coronantur reges Romanorum, eſt illa, qua coronati fuere reges Germaniæ, nondum cæſarea dignitate cum Germaniæ regno conjuncta. Nec enim alibi quam in Germania Transrhenana, quisquam regum a Ludovico Germanico usque ad Ottonem magnum, qui primus maluit conſecrari Aquisgrani, eſt coronatus; ceu infra probabitur. Illi vero per manus, ſucceſſori quisque ſuo, coronam cum aliis regni inſignibus tradiderunt. Certe Conradus I. coronam cum aliis inſignibus regiis, quibus ipſe erat inſignitur, ad Henricum Aucupem tranſtulit, ut patet ex Witekindo *l. 1.* Eckardo monacho Sangallenſi *de caſibus monaſterii ſui cap.* 5. Luitprando Ticinenſi *l. 2. cap. 7.* Iisdem poſt inauguratum fuiſſe Ottonem magnum Aquisgrani, ut & hujus ſucceſſores, per ſane eſt veriſimile; cum abunde ex monumentis antiquis ſit manifeſtum, quam ſuperſtitioſe ad poſteros illa fuerint translata; nec uſquam fiat in iis mentio noviter paratorum inſignium. Hoc fuit in anteceſſum primo loco monendum.

II. *Secundo* etiam id obſervandum eſt: ſolemnia coronationis variis actibus exerceri, inque his recepto more unctionem, & benedictionem maxime, ſacerdotalis muneris eſſe.

Impoſitio ſcilicet coronæ, etſi inter gentes Chriſtianas plerumque a præſulibus facta ſit, interdum tamen etiam ab aliis eſt peracta, & quidem ab ipſis etiam illis qui coronabantur. Sic Rigordus Philippi II. Galliæ regis medicus teſtatur, anno 1181. Philippum illum *impoſuiſſe ſibi ſecundo diadema.* Clariſſime omnium id liquet ex iis, quæ narrat Theganus c. 6. de coronatione Ludovici pii, quam inſtituit Carolus magnus pater. Verba ejus infra adducemus contra illum ultimum partium Colonienſium defenſorem.

Solet quidem hodie ſemper ſacrum quoque ſolemne peragi in coronatione regia: verum illud videtur etiam apud nos ſerius cœpiſſe, ſeculo demum tertio decimo. Et vero habemus ſic ſatis accurate deſcriptas ceremonias coronationis Aquisgranenſis, cum Ottonis magni apud Witekindum *l. 2.* tum Wilhelmi Hollandi apud I. Beekam *Chronico epiſcoporum Vltrajectinor. in Ottone epiſcopo XXXVI.* nulla tamen facta ſacrificii, ut partis ſolemnium, mentione. De Rudolphi I. autem inauguratione agens Joan. Aventinus l. 7. annal. ita ſcribit: *Rudolphus acceſſitus Aquasgraneas in templum deducitur. Pontifex Agrippinenſis de eo Deum conſulit. Id publicum deinde ac perpetuum ſacerdotium honoris gratia Agrippinenſibus epiſcopis fuit.* Obſcuriora quidem ſunt illa Aventini: niſi fallor tamen, loquitur ille de Miſſæ ſolemnibus, quæ hoc initio cœperint coronationis actibus adjungi.

Etiam unctio, fateor, diu fuit inter Chriſtianos populos ignorata in regum inauguratione, alicubi nunquam recepta, alibi uſurpari deſita: in Francorum tamen regno obtinuit fere ab anno Chriſtiano 740. quando Pipinus in hunc modum eſt conſecratus. Quam in Hiſpania cœpiſſe inter Weſtrogothos (etſi aliquot jam ſeculis deſierit) Reccaredo rege, circa annum 586. per facit veriſimile V. Cl. Joan. Iacob. Chiffletius *l. de Ampulla Rhemenſi c. 16.*

III. *Tertio* id quoque notandum venit: ex quo unctiones & benedictiones ſacræ apud Chriſtianos populos cœperunt coronationibus regum addi, illud officium conſecrandi, apud omnes gentes, quaſi communi conſenſu primario præſuli eſſe commiſſum, niſi alicubi ſingulari aliquo privilegio interdum alii quoque id ceſſerit. Facile patebit illius pronunciati veritas, ſi oculos circumferas per omnem orbem Europæum. Et vero in hoc ipſo ita nunc appellato Romano imperio, Italici regni non niſi archiepiſcopus Mediolanenſis, imperii Romani proprie ſic dicti coronationem ſacram ipſe papa ſolet peragere. De primatu præſulum Galliæ eſt quidem acris contentio: attamen certum eſt, inter omnes archiepiſcopos unum Rhemenſem, cui reges ungendi jus eſt, & ducem & parem eſſe Franciæ; adeoque hactenus omnibus aliis præſulibus eminere. Anſelmus Cantuarienſis jam circa annum 1103. in hæc verba ſcripſit ad Ernolfum priorem: *Conqueretur rex cum omnibus epiſcopis & principibus ſuis, quia (cum illum coronare nolo) aufero ei corona ſua honorem, quem ei primas regni ſui debet per conſuetudinem.*

Usque adeo profecto id paſſim eſt uſitatum, ut quidam rerum noſtrarum non ſatis gnari, propter conſecrationes regias, quas frequentiſſime Colonienſis peragit, huic primum locum tribuerint. *Super omnes magnates* (ſcribit Matthæus Paris in *chronico rer. Anglicar. ad annum* 1257. *pag.* 633. *edit. Pariſienſis*) *ſupereminens eſt archiepiſcopus Colonienſis, qui coronare tenetur regem Alemanniæ apud Aquisgranum, ab antiqua & approbata conſuetudine.*

Merito

Merito igitur dixeris, jure communi gentium Chriſtianarum primario præſuli hanc dignitatem competere. Unde neceſſario ſequitur: quicquid ab hoc communi jure atque more abit, id fieri non niſi vi cujuſdam privilegii. Nec vero ſine cauſa ita in omni orbe Chriſtiano Europæo invaluit. Jure enim utique id, quod in republica & reipublicæ negotiis ſacri eſt officii maximum, convenit illi, qui inter ſacros proceres eſt potiſſimus. Inæqualia enim inæqualibus deberi, illius juris eſt, quod nobiſcum naſcitur omniumque mentibus natura inſcribitur. Tum demum vero illud in hoc negotio rite obſervatur, quando ſacer honor maximus attribuitur illi, qui inter ſacros reipubl. principes maximus eſt.

Hiſce in hunc modum præmiſſis, ut ad rem ipſam veniamus, non dubitamus in univerſum aſſerere: *Eminentiſſimo electori Moguntino merito competere ratione ſui primatus omne omnino ſacrum illud coronandi jus: ex antiquiſſima octingentorum annorum amplius ac perpetua conſuetudine, illud jus ipſi hodieque eſſe integrum extra diœceſin Colonienſem: Colonienſi autem ſedi non niſi ex ſingulari privilegio jus hoc convenire, idque duntaxat intra ſuam diœceſin.* Probabimus autem hanc aſſertionem noſtram per partes.

I. Ac PRIMVM quidem, *ratione ſcil. primatus competere Moguntino omne jus coronandi*, non amplius eſt difficile oſtenſu. Etenim jam tum demonſtravimus: jure gentium Chriſtianorum communi, & cui pro fundamento eſt, ut modo vidimus, ipſum naturæ jus, in univerſo orbe Europæo, ad illum, qui propter præſules primum in regno quovis locum obtinet, jus coronandi ſpectare. Demonſtravimus jam tum itidem: agi nunc non niſi de coronæ regi Germanici, aut (ut cum majoribus loquamur) regni Francorum, collatione. Jam vero in regno hoc Francorum Germanico, inter præſules ac principes primatum etiamnum obtinere Moguntinam ſedem, niſi fallor, omni dubio caret. Habuit vero illa ſedes hanc dignitatem ab initio usque regni hujus. Statim enim, facta illa vaſti Francorum imperii anno 842. tres in partes diviſione, Moguntinus archiepiſcopus conceſſit in ditionem regni Francorum orientalis: Colonienſis autem ac Trevirenſis anno demum 870. illi regno acceſſerunt, cum ante fuiſſent partes regni Lotharienſis: ceu alibi probatur. Neuter vero eorum etiam poſt dubium fecit Moguntino locum primum. Hinc jam Ottonis magni ævo Moguntinus audiit ſummus pontifex, Pontifex maximus; comparatione nimirum facta cum reliquis regni hujus præſulibus. Satis frequenter hæ appellationes occurrunt apud Witekindum, qui res Ottonis magni calamo tradidit ſcriptor σύγχρονος. Sequenti ſeculo decimo Marianus Scotus *l. 3. ætat. 6.* ſcribere non dubitavit: *Poſt papam ſecundus habetur Moguntinus archiepiſcopus usque in hodiernum diem.* Iſte itaque in regno Germanico primatus Moguntini archiepiſcopi, cum itidem careat dubio, jam ſole meridiano clarius manifeſta eſt utique veritas pronunciati mei.

Et vero hoc jus ex primatu iſto competere Moguntino, jam tum olim profecto non fuit ignoratum. Hinc Witekindus l. 1. de Henrico I. verba faciens notanter ſcripſit: *Cumque ei offeretur unctio cum diademate a ſummo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, &c.* Benedictus VII. papa in literis, quibus Willigiſo archiepiſcopo pallium contulit, addit hæc verba: *Quocirca mei eo* (pallio ſcilicet) *memineris, ſicut prædeceſſores noſtri tuis prædeceſſoribus conceſſerunt; ſervanda duntaxat privilegiorum tuorum integritate, quo in tota Germania & Gallia, poſt ſummi culmen pontificis, in omnibus eccleſiaſticis negotiis, id eſt, in rege conſecrando & ſynodo habendo, cæteris omnibus tam archiepiſcopis quam epiſcopis, apoſtolica autoritate, ſicut juſtum & rectum eſſe videtur, præemineat.* Moguntinus ipſe hoc primatus jure fretus, ægre quondam permiſit, a Colonienſe conſecrationem regiam inſtitui, etiam intra ejus diœceſin Aquisgrani. Diſerte Lambertus Aſchafnaburgenſis presbyter, ſcriptor, prout illis temporibus, prudens, peritus & diſertus, ac præter hoc candidus, (per injuriam enim Colonienſis Defenſor fidem ejus vocat in dubium) ad annum 1044. *Imperatoris filius Henricus conſecratus eſt in regem Aquisgrani ab Herimanno Colonienſe archiepiſcopo: vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luitpoldi archiepiſcopi, ad quem, propter primatum Moguntinæ ſedis, conſecratio regis & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat.* Sed de priore ſatis.

II. Pergimus ad SECVNDVM; nempe *nunquam interrupta, atque adeo perpetua, octingentorum annorum conſuetudine, jus coronandi per univerſum regnum hoc, una excepta Colonienſi diœceſi, Moguntinæ ſedi hactenus manſiſſe integrum.* Facillimum vero hoc quoque eſt demonſtratu: quippe quum & defenſores Colonienſes regum neminem ex omni ævo potuerint producere, (debuiſſent autem producere, quum idem, quod hic nos, urſiſſet eminentiſſimus elector Moguntinus) qui fuerit coronatus a Colonienſi extra diœceſin: & quisque poſſit, evoluta regum Germanicorum hiſtoria, veritatem pronunciati noſtri ſine labore aſſequi. Reges cum deſint, ad fœminas confugientes, unam jactitant illi defenſores coronationem Eliſabethæ, conjugis Alberti I. Auſtriaci: hanc enim coronatam eſſe a Colonienſi Norimbergæ aſtante Moguntino. Neque nos negamus id factum eſſe. Sed factum eſt ſingulari Moguntini conſenſu: prout non a Deo pridem Eleonoram Ferdinandi II. uxorem Trevirenſis coronavit, ſed rogatus a Moguntino, & hujus nomine, quia ipſa Moguntinus ſacris infulis non eſſet initiatus.

Fuerunt autem ſic ſatis multi Germaniæ regum extra Colonienſem diœceſin coronati. Germaniæ regum, inquam: nec enim de cæſarea corona eſt quod nunc agamus, aut ſimus ſoliciti cum defenſoribus Colonienſibus *pag.* 46. cis an trans Alpes poſt Lotharium Ludovicus II. Carolus Calvus, Carolus Craſſus, & Arnolphus, cæſarea corona ſint inſigniti. Nemo vero regem ante Ottonem magnum Aquisgrani, aut alibi cis Rhenum, legitur coronatus. Ex adverſo, etſi monumenta vetera omnes coronationum illarum actus non ea qua par erat diligentia memoraverint, attamen con-

conſtat Arnolphum Francofurti coronatum regem anno 887. menſe Novembri. Ejus filius Ludovicus videtur coronatus Forcheimii. Ita enim ad annum 900. notat Regino: *Proceres & optimates, qui ſub ditione Arnolphi fuerant, ad Forcheim in unum congregati, Ludovicum filium prædicti principis regem ſuper ſe creant, & coronatum regiisque ornamentis indutum in faſtigio regni ſublimant.* Aquisgrani certe a Colonienſe non potuit coronari, quod regno Lotharienſi tum præeſſet Zuendeboldus, atque ideo Colonienſis haud numeraretur tum inter proceres regni illius Francorum, quod ceſſerat Ludovico. Hinc ipſe Regino ſtatim ſubjungit: *Dum hæc in Germania aguntur, &c.*

Qui huic ſucceſſit Conradus I. fuit quidem *unctus in regem*, ut loquitur Witekindus *l.* 1. Aquisgrani tamen itidem coronari non potuit; quod ſimulac obiit Ludovicus, regnum omne Lotharienſe occupaverit Carolus Simplex Gallus jam anno 912. ut recte colligit Sirmondus.

Hujus ſucceſſori Henrico I. Saxoni, renuenti tamen, Moguntinus Herigerus, non Colonienſis, (qui id nec potuit: tum adhuc, imo & aliquamdiu poſt, donec inter Carolum & Henricum noſtrum pacto omnia conſtituerentur, ceu liquet ex capitulis a Sirmondo editis pag. 442. hærens in ditione Caroli Simplicis) anno 919. diadema atque unctionem obtulit. Diſerte Witikindus l. 1. *Cum ei offerretur unctio cum diademate a ſummo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſprevit, nec tamen ſuſcepit.* Dithmarus etiam l. 1. *Epiſcopalis unctionem benedictionis a Herigero archiepiſcopo exhibitam, anteceſſorum morem priorum, non deſideravit nec ſuſcipere voluit.*

Idem Dithmarus l. 5. de Henrico II. ita ſcribit: *Deindeque ad Moguntiam celeriter properando Rhenum ſecurus enavigat. Hic IIX. Idus Junii ibidem communi devotione in regem electus, a Willigiſo ejusdem ſedis archiepiſcopo, ſuffraganeorumque ſuimet auxilio, coronatus.* Defenſores Colonienſes pag. 57. exiſtimant, Henrici hanc coronationem potius cauſam Colonienſem juvare: quia eam irritam pronunciavit Colonienſis Heribertus, & Henricum coëgerit denuo coronam Aquisgrani accipere, idque aſtipulante Gregorio V. papa. Verum eſto, id fecerit Heribertus & jure fecerit, (quorum neutrum conceſſerim:) id tamen manet, Henricum fuiſſe unctum coronatumque extra Colonienſem diœceſin, non a Colonienſe, ſed Moguntino; atque adeo hoc quoque exemplo conſtare, Colonienſi extra ſuam diœceſin nihil eſſe juris in coronatione.

Henrici ſucceſſor proximus Conradus II. itidem Moguntiæ coronatus eſt, & quidem ab Aribone Moguntino, uti refert Wippo.

Poſt hunc etiam Rudolphus Suevus, adverſus Henricum IV. electus, Moguntiæ *conſecratus eſt a Sigefrido archiepiſcopo in regem*, ut loquitur Marianus Scotus l. 3.

Philippus Suevus itidem coronam accepit Moguntiæ, ſed per epiſcopum Tarentaſienſem, quod abeſſet domo Moguntinus.

Avorum & noſtra memoria quinque ultimi cæſares, & denique nuperus feliciſſimæ memoriæ Vngariæ rex, coronati itidem ſunt extra diœceſin Colonienſem, itidem tamen non a Colonienſe, ſed a Moguntino. Præter hos vero neminem reperias coronatum extra diœceſin illam. Ac proinde non eſt, quod de ſecundi noſtri pronunciati veritate quiſquam dubitet.

Obſervandum vero etiam atque etiam eſt, haſce coronationes Moguntinum celebraſſe, & Romanis pontificibus, & cæſaribus, & omnibus imperii ordinibus, nemine excepto, approbantibus. Hoc ſane eſt argumento, non exercuiſſe tantum illos actus Moguntinum, ſed & ſummo jure, cui nemo potuit contradicere, exercuiſſe. Neque vero vel ipſi Colonienſes illas Moguntinas coronationes accuſaverunt, niſi quod olim interdum deſideraverint in illis, quaſi juſto loco non fuiſſent inſtitutæ. Ex quo ſane illa ſuperſtitio deſiit, intra hoſce centum annos, Moguntinas coronationes tanquam rite factas ipſi Colonienſes probaverunt: niſi quod nuper admodum cœperint aliter opinari: ceu poſt apparebit clarius.

III. Licet itaque jam tum TERTIO etiam affirmare: *Colonienſi non competere aliquod jus coronandi niſi intra diœceſin ſuam.*

Hoc ſane ultro ſequitur ex iis, quæ jam probata dedimus. Si enim Moguntinus per octingentos annos amplius, usque ad hoc tempus, omnes coronationes extra Colonienſem diœceſin inſtitutas peregit, utique (etiamſi nullo niteretur ſegis ſuæ primatu) vel uſucapione atque præſcriptione ſibi jus firmum certumque jam acquiſiviſſet, contra Colonienſem: etſi forte huic ex conſtitutione Caroli magni olim illud jus competiiſſet.

Fuit vero etiam ipſorummet Colonienſium præſulum perpetuo eadem nobiſcum ſententia; niſi quod paucos cis annos illi cœperint omne omnino coronandi jus ſibi ſolis ſimpliciter arrogare. Ita vero illos ſemper antehac ſenſiſſe probare licet non uno argumento.

1. *Ac primum* quidem id palam eſt ex eo, quod nunquam (antehac quidem) fuerint uſi ullo prætextu ad jus ſuum conſtituendum, quo non ſimul involverint diœceſin Colonienſem. Antiquiſſimæ ſcilicet de coronandi iſthoc jure controverſiæ illæ ſunt, quæ circa inaugurationem Ottonis magni, & denuo circa Henrici IV. coronationem fuerunt exercitatæ. Utrobique autem Colonienſis non niſi ad ſuæ diœceſeos jura provocavit. De prima contentione agens Witekindus l. 2. diſerte id narrat. Verba ejus ſunt: *Et cum quæſtio eſſet pontificum in conſecrando rege, Trevirenſis videlicet & Coloniæ Agrippinæ: illius quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam a B. Petro apoſtolo fundata: iſtius vero quia ejus ad diœceſin pertineret locus: & ob id ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem.* In eandem ſententiam diſſerit ferre & Dithmarus l. 2. p. 75. Alteram contentionem narrans Lambertus prodit idem eſſe prætextum anno 1054. Integer locus hic eſt: *Imperatoris filius conſecratus eſt in regem Aquisgrani ab Hermanno Colonienſe archiepiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu*

Luitpoldi

Luitpoldi archiepiſcopi: ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis, & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat. Sed imperator potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra diœceſin ipſius conſecratio hæc celebrando contigiſſet.

Poſt ſecundam hanc contentionem magis quidem ſolito ad ſe traxere coronationis ſolemnia Colonienſes, itidem tamen non alio prætextu quam illo, quod Carolus magnus inſtituerit, ut omnis coronatio fiat Aquisgrani, atque ita conſecrationes regum a ſeſe ſolis jure diœceſeos inſtitui debere. Talia enim jactitari & paſſim perſuaderi (non niſi per figmenta tamen) cœpere ſeculo duodecimo. Nec vero legere eſt quidquam aliud, præter hæc duo, ab archiepiſcopis Colonienſibus, aut etiam aliis, unquam per annos pene octingentos, eſſe prætextum ſuo coronandi juri.

2. *Patet illa* perpetua ipſorummet Colonienſium ſententia ex eo etiam, quod nunquam vel tentaverint Colonienſes quemquam coronare extra ſuam diœceſin. Certe nemo vel conatus hujus exemplum aliquod adduxerit. Qui vero ſaltim non tentaverint tale quid Colonienſes, invitati imperii infinitis turbis, ſi exiſtimaſſent ſui juris eſſe, paſſim locorum coronationes inſtituere? Certe quas coronationes extra Aquisgranum inſtituerunt, vel Coloniæ peregere, ut factum in coronatione uxoris Conradi II. vel Bonnæ, quod obſervatum in Carolo IV. & Ruperto.

3. *Adhoc* etſi nonnunquam coronationes a Moguntinis peractas improbaverint Colonienſes, ſemper tamen eo tantum prætextu id fecerunt, quod illæ inſtitutæ eſſent extra locum coronationi ab Carolo magno dedicatum. Patet hoc ex ipſa nuperrima Colonienſium defenſione, & infra a nobis clariſſime oſtendetur. Tales vero querelæ demum cœperunt ſeculo duodecimo. Ante hac certe nullum veſtigium apparet querelæ alicujus Colonienſium præſulum, quaſi non ad Moguntinum, ſed ad ſeſe ſolos jus coronandi pertineat. Imo vero omnes proceres Germaniæ antehac aliquamdiu uni Moguntino jus hoc coronandi adſcripſerant, ipſe unus id exercuerat ſic ſatis diu, nemine reclamante.

4. *Palam* denique eſt hæc ſententia ipſorummet Colonienſium ex eo etiam, quod poſt jam conditam auream bullam Carolinam curaverint, per Rupertum cæſarem, ſingularibus tabulis ſibi conferri privilegium ac facultatem coronandi interdum, extra Aquisgranum quidem, tamen in diœceſi ſua. Meminit hujus privilegii Hartmannus Maurus pene ſub initium illius libri, quo ſolemnia coronationis Caroli V, quam accuratiſſime perſecutus eſt ad poſteritatem. Non potuerunt profecto tale quid a cæſare expetere, perſuaſi ſibi jam eſſe fas, paſſim locorum coronationes inſtituere. Imo ne quidem temere permiſiſſent, intra limites ſuæ diœceſeos a Ruperto cæſare ſe conſtringi, ſed exiſtimaſſent hoc ipſo ſibi injuriam fieri, perinde atque hodie creditur. Certe, quo tempore illam Ruperti bullam acceptaverunt, multum alieni fuere ab ea, quæ hodie placet ſucceſſoribus ſententia.

5. *Quid?* quod ex illa Hartmanni Mauri hiſtoria conſtet, ſaltem etiam tum, quando Carolus V. fuit coronatus, creditum fuiſſe ipſiſmet quoque Colonienſibus, ſibi intra ſuam tantum diœceſin jus eſſe quem coronare? Obtulerunt enim Carolo illud Rupertinum privilegium, ut ſi forte Aquisgranum nollet proficiſci luis graſſantis cauſſa, ſaltim alibi intra diœceſin Colonienſem pateretur ſe coronari, quoniam id liceat ex Ruperti conceſſione. Neque vero Mauri teſtimonium in dubium vocare licet, quum ille fuerit tum a conſiliis Colonienſi archiepiſcopo, ac proinde omnium rerum maxime gnarus. Imo vero illa tempeſtate in vulgus fuit hoc decantatiſſimum: ceu apparet vel ex eo, quod Nicolaus Mameranus illo ipſo tempore hiſtoriam electionis & coronationis Carolinæ ſingulari libro narrans, in hæc verba erumpat: *Vere ſcribit Maurus, tres archiepiſcopos electores ſimul præſtitiſſe hoc officii,* (coronæ ſcil. impoſitionis.) *Quanquam ad ſolum Colonienſem, ratione prærogativæ ſuæ ditionis, in qua Aquisgranum eſt, ſpectare perhibeant.* Hæc ille. Quibus jungenda, quæ habet Albertus Crantzius *l. 5. Saxon. cap. 21.*

Saltim igitur ad illa usque tempora habemus conſentientes nobis Colonienſes. Quin dixeris, etiam diu poſt in eadem illos manſiſſe ſententia: utpote cum in ſubſequentibus coronationibus non illi Moguntino ſuas vices commiſerint, aut diſerte prodiderint ſibi ſolis ubivis locorum jus coronandi competere, etſi haud ignorarent, Moguntinum nolle videri vicaria poteſtate fungi. Hi ſane actus, luculento ſolent eſſe indicio conſenſionis. Nec vero quod fecerint ſibi nonnulli præſulum Colonienſium caveri aliquo modo, id diſſenſionem ſignificat, ceu infra apparebit.

Unus hic perpetuus ipſorummet Colonienſium conſenſus, ſatis eſt probando juri Moguntino, & decidendæ integræ controverſiæ. Ceſſat enim lis omnis, ſi ipſis Colonienſibus fatentibus, extra diœceſin nihil habeant juris, in conſecrandis regibus. Certe heri & nudius tertius demum nata diſſenſio cedere debet perpetuæ aliquot ſeculorum conſenſioni.

IV. Et vero ea eſt ratio etiam illius juris coronandi, quo gaudet Colonienſis ſedes in ſua diœceſi, ut ipſa quoque longa conſuetudine potius & liberali conceſſione Moguntinæ ſedis nitatur, quam ullo juſto titulo alio. Id quod QUARTO loco obiter a nobis jam demonſtrabitur.

Nihil videlicet eſt falſius duobus illis, quorum prætextu Colonienſis jus aliquod coronandi ante aliquot ſecula ſibi acquiſivit in ſua diœceſi. Eſt autem alterum horum: *Quod ex Caroli magni inſtituto, coronationes regiæ Aquisgrani duntaxat poſſint rite inſtitui.* Alterum: *Quod ejusdem Caroli lege & canonum inſtitutis, regem Aquisgrani ſoli Colonienſi conſecrare fas ſit.*

I. *Primum* ſane illud, quod jactitavit olim Colonienſis, *Caroli magni lege definitum eſſe, ut coronationes omnes Aquisgrani inſtituantur, ac proinde alibi non poſſe inſtitui legitimas coronationes*, inanis fabula eſt.

Eſto tamen, ita conſtituiſſe Carolum: Lex utique illa fuerit poſitiva. At vero non potuit Carolus poſitivam legem condere,quam in perpetuum teneatur reſpublica obſervare. Nulla lex poſitiva adeo certo obligat: ſed poteſt mutari, ſi res exigat ab iis, quos penes eſt reipublicæ poteſtas ſumma. Ac proinde & potuiſſet olim, & poteſt hodie, lex quævis Carolina mutari, ſi id poſtulat ſalus publica. Utut igitur Carolus magnus ita forte ſanxiſſet, non tamen propterea neceſſum eſſet, non alibi coronationem inſtituere, ſi cæſari & ordinibus imperii placeat ab illa lege diſcedere. Confitetur hoc ipſum hodie quidem Colonienſis ultro; & intra hoſce centum annos ſex ordine coronationes, extra quoque diœceſin Colonienſem, ſunt inſtitutæ. Ipſemet Carolus IV. in ſua aurea bulla fatetur, extra Aquiſgranum poſſe interdum regem coronari: Et vero ipſemet erat Bonnæ,non Aquiſgrani coronatus. Jam quoque ſupra probavimus, neminem eorum, qui Ottonem magnum anteceſſerunt,Germaniæ regum, a Ludovico Germanico uſque, Aquiſgrani fuiſſe coronatum: Poſt item, quam multos alibi coronatos, Colonienſe non reclamante, niſi quod ſeculo duodecimo cœperit vulgo perſuaderi, Aquiſgrani duntaxat legitime quem coronari.

Ita ſcilicet ſeſe res habet. Seculo duodecimo poſt natum Chriſtum, nata eſt fabula de Caroli magni quadam lege, circa locum juſtum coronationis regiæ. Nec vero ante illa tempora reperias temere aliquod veſtigium ejus, quæ poſt multis arriſit, abſurdæ ſententiæ: *Quaſi ad eſſentiam*, (ut ita loquar) *coronationis pertineat, ut illa fiat Aquiſgrani.*

Poſſit quidem forte videri, jam tum Henrico II. regnante, opinionem illam invaluiſſe; idque quoniam Heribertus Colonienſis poſt coronationem Moguntinam adegerit Henricum, ut pateretur ſeſe denuo eligi & Aquiſgrani coronari. Verum tamen forte haud injuria dubites de fide illius hiſtoriæ. Defenſores enim quidem p. 47. laudant teſtem Adelboldum, Trajectinum epiſcopum, qui id memoraverit in deſcriptione vitæ cæſaris illius Henrici: Sed teſtatur quidem & Sigebertus *l. de vir. illuſtr. cap. 139.* ut & Beka, talem librum ab Adelboldo conſcriptum eſſe: An vero ille hodieque ſit ſuperſtes, multum dubito. Extat enim quidem libellus hoc nomine in divis Bambergenſibus Gretzeri; ſed mutilus, cumque hac inſcriptione in ipſo codice MS. repertus: *Vita Henrici imperatoris ab Adelboldo epiſcopo Trajectenſi, ut creditur, conſcripta.* Quo patet, libellum dubii eſſe autoris. Alium omnino librum ejuſdem argumenti Adelboldo adſcriptum vulgavit Henricus Caniſius tomo VI. antiquar. lection. Sed cum auctor ille narret, quemadmodum divorum ordini ab Eugenio III. anno 1113. ſit adſcriptus Henricus cæſar, Adelboldus autem obierit anno 1027. ut refert J. Beka, neque hic libellus poteſt eſſe Adelboldi. Et vero Gretzerus quoque ſuſpicatur, eſſe hunc Nunnoſii monachi. Editor Caniſius non audet affirmare Adelboldi eſſe, quia in MS. codice nomen nullum invenit. In Caniſiano porro libello nihil legitur de repetita illa Henrici unctione regia, quæ ſit Aquiſgrani inſtituta per Colonienſem. An in Gretzeriana editione id habeatur, neſcio: quum non ſit ad manum. Ut autem forte tale quid, quale defenſores narrant, ibi legas, de fide tamen narrationis merito dubites, quod ab incerto auctore fabula ſit profecta. Nec vero quidquam ejuſmodi habet Dithmarus, qui ſerie annorum obſervata diligenter ſatis Henrici omnia ipſe coævus perſecutus eſt uſque ad annum 1019. atque adeo omnia XVI. priorum annorum Henrici acta. Nihil tale habet hiſtoricorum ejus ævi alius. Imo plane adverſa prope habet magnum chronicon Belgicum Piſtorii de Heriberto & Henrico pag. 92. Sed & fabuloſum utique eſt, quod habet defenſor Colonienſis pag. 57. iteratam illam coronationem peractam eſſe, adſtipulante Gregorio V. pontifice: conſtat enim Gregorium V. obiiſſe anno 999. triennio integro, antequam Ottoni III. ſucceſſit Henricus rex. Certe ſola hæc fabula apta eſt, omnem narrationem ſuſpectam reddere.

1. *Ea vero Henrici II. cæſaris ætate nondum fuiſſe perſuaſum prudentioribus, omnem coronationem nuſquam alibi rite quam Aquiſgrani inſtitui*, liquet etiam clariſſime ex eo, quod Henrici proximus ſucceſſor Conradus II. unctus ſit Moguntiæ, præſentibus regni epiſcopis & principibus, a Moguntino Aribone, atque adeo ipſo conſentiente Colonienſe; qui reginam conſecravit, itidem vero non Aquiſgrani, ſed in eccleſia Colonienſi: ut refert Wippo *in vita Conradi.* Quanquam porro fieri potuerit, ut Aquiſgrani quoque ſit coronatus Henricus ab Heriberto, nec tamen vel inde fas fuerit colligere, priorem coronationem fuiſſe improbatam. Sic ſatis frequens nimirum illa ætate fuit, præter primam maxime ſolemnem atque adeo ſacram coronationem, repetere coronationes, idque per epiſcopos. In Galliæ & Angliæ regum hiſtoriis occurrunt exempla quam multa. Imo iidem Francorum reges ſæpius fuerunt uncti, florente familia Carolina. Pipinus videlicet bis: Carolus magnus quater: Ludovicus pius bis: Carolus Calvus quinquies: Ludovicus, Lotharii filius, bis. Toties & Ludovicus Balbus, aliique ſunt uncti. Quod teſtimoniis indubitatis ex veteri ævo oſtendere, eſt in promptu, ſi res exigat. Verum non eſt hujus id loci: Præſertim fabula illa, de irrita reddita prima Moguntina Henrici coronatione, jam in ſibilos producta.

2. Confirmat idem coronatio Rudolphi Suevi anno 1077. Moguntiæ inſtituta, præſentibus legatis Romanæ ſedis & multis principibus. Et vero ipſe pontifex probavit hunc actum, & agnovit Rudolphum regem: Non facturus, niſi credidiſſet, extra Aquiſgranum poſſe reges recte inſtitui.

3. Videtur idem confirmare & Henrici V. inauguratio. Etſi enim Urſpergenſis ſcribat, hunc anno 1099. a patre factum regem Aquiſgrani: Otto tamen Friſingenſis, cui potior debetur fides, ita loquitur l. 7. chron. c. 8. *Anno ab incarnatione Domini MCIII. imperator Henricus, natalem Domini celebrans, ibique Henrico filio ſuo rege poſt ſe deſignato, &c.* Idem Otto ejuſdem libri cap. 2. de eodem Henrico V. poſt patrem abdicatum ſic loquitur: *Reverſi ad filium Optimates imperialia deferunt, eumque*

primo a patre electum, per impoſitionem manus apoſtolicæ ſedis legatorum, cunctorumque electione, regem vocant. Paulo ante vero ſub capitis illius initium narraverat, maximum conventum principum Moguntiæ factum eſſe anno MCVI. ut omnino ſit veriſimile, etiam Henricum V. Moguntiæ conſecratum eſſe, non Aquisgrani. Id quod ſi ita eſt, etiam hinc licebit pronunciato noſtro argumentum petere.

Eodem ſeculo tamen duodecimo, circa tempora Friderici I. fateor, cœpiſſe paſſim credi, *a Carolo M. legem aliquam ejusmodi Aquisgranenſibus faventem eſſe latam*, eamque conſtitutionem cœpiſſe, & jam tum, & ex eo tempore, magno pretio æſtimari. Palam hoc eſt ex iis, quæ l. 1. canit Guntherus de Aquisgrano :

Hoc ſibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus eſſe volens, magno cum Francia regi
Utraque ſerviret, primam geſtare coronam
Juſſit, & in ſacra reges ibi ſede locari,
At ſimul a noſtro ſeceſſit Gallia regno,
Nos priſcum regni morem ſervamus; at illa
Jure ſuo gaudet, noſtræ jam neſcia legis.

Initio ſeculi decimi tertii, anno nimirum 1202. principes, qui elegerant Ottonem IV. in ſuis ad Innocentium papam literis, quas recitat Baronius, ſcribunt inter alia de Ottone illo: *Ad Romani regni faſtigium juſte & rationabiliter illum elegimus, & ſicuti debuimus, ipſius electioni conſenſimus, ipſumque in Auguſtorum ſede a Carolo M. apud Aquisgranum huic dignitati deputata, locavimus, & corona & diademate per manum Adolphi Colonienſis archiepiſcopi, ea qua debuit ſolemnitate, feliciter coronavimus.* Tales voculæ iſthac tempeſtate paſſim ſparſæ ſunt, ante hac plane nunquam auditæ.

Et vero ſuperſunt hodieque, a Goldaſto *tomo II. conſtitution. imperialium pag. 4.* traditæ, tabulæ Friderici II. cæſaris, confirmantes inſertum aliquod diploma Friderici I. quo anno 1166. conceſſum a Carolo magno de Aquisgrano privilegium, ab urbis illius incolis ſibi oblatum, roboravit. Utræque illæ tabulæ videntur ſic ſatis genuinæ eſſe. Ut proinde jam palam ſit, poſt annum illius ſeculi ſexageſimum aliquid ſparſum fuiſſe in vulgus, de privilegio Carolino circa coronationes regias, Aquisgrani duntaxat inſtituendas. Et ſane in illo Carolino hæc verba leguntur: „Illic vero Domino apoſtolico Leone III. & omnibus prædictis nobilibus & egregiis perſonis congregatis, merui ab omnibus obtinere, præ nimia devotione, quam erga ipſum locum & matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti habebam, ut in templo eodem ſedes regia locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans alpes haberetur: Ac in ipſa ſede reges, ſucceſſores, & hæredes regni initiarentur, & ſic initiati jure dehinc imperatoriam majeſtatem Romæ ſine ulla interdictione plenius exequerentur. Confirmatum & ſancitum eſt hoc a domino apoſtolico Leone, Romanorum pontifice, & a me Carolo, Romanorum imperatore auguſto, primo auctore hujus templi & loci: quatenus ratum & inconvulſum hoc ſtatutum & decretum noſtrum maneat, & hæc ſedes regni trans alpes habeatur, ſitque caput omnium civitatum & provinciarum Galliæ.

Hæc eſt illa celeberrima ſcil. Caroli magni lex, quæ a ſeculo duodecimo uſque plurimis perſuaſit, coronationes legitimas non niſi Aquisgrani poſſe fieri. At vero omne illud privilegium eſſe ab Aquisgranenſibus illa ipſa ætate confictum, & inepte quidem confictum, hodie ſane non poteſt quem fugere, qui in veterum monumentis vel mediocriter eſt verſatus. Non eſt hujus temporis, ineptias & affanias illas in lucem producere; at vero a Carolo magno inſtitutum non eſſe, ut conſecratio aut initiatio regum prima fiat Aquis, palam eſt vel ex eo, quod cum hoc privilegium exiſtimetur traditum anno circiter 804. Carolus biennio poſt omne regnum ſuum in tres partes inter filios totidem diviſerit, non niſi uni illorum attributa ea parte, quæ Aquisgranum comprehendit. Quæ formula diviſionis hodieque ex parte ſupereſt, edita per P. Pithœum & annalibus inſerta a Baronio: quodque Ludovicus pius Caroli filius ſtatim anno 816. non Aquisgrani, ſed Rhemis a Stephano papa coronari ſeſe fecerit, cum tamen memoria Carolinorum inſtitutorum recentiſſima tum eſſet, & apud Pium filium, obſervatio eorum longe religioſiſſima. Nec enim nunc urgebo, quod nemo plane omnium Caroli poſterorum memoretur, Aquisgrani conſecratus, etiam illorum, quorum in ditione fuit Aquisgranum. Cui autem fiat veriſimile, usque adeo neglectam fuiſſe ſacram legem Caroli, nec tantum neglectam, ſed etiam ex omni hominum notitia elapſam, idque per illa etiam recentiſſima tempora? Verum non eſt, quod hiſce nunc immoremur, quum ipſi Colonienſes fateantur, fas eſſe, non in ſola Aquisgranenſium urbe coronationes inſtituere.

II. Æque vanum autem eſt illud etiam *alterum:* Nempe, *quod Aquisgrani poſſit ſolus Colonienſis regem rite conſecrare.* Defenſores enim Colonienſes p. 41 & 42. provocant etiam ad conſtitutionem quandam Caroli magni; ſed minus ſunt inſtructi aliquo teſtimonio, quam Aquisgranenſes. Nec enim hactenus, quod ſciam, vel figmento natum eſt ejus argumenti aliquod diploma.

Ne id quidem verum eſt, quod teſtibus, Petro a Beeck, Cæſareo, & collectore chronici magni docent pag. 41. *Munus coronandi Ludovicum pium a Carolo eſſe tributum Hildeboldo archiepiſcopo Colonienſi.* Nec enim illi autores merentur inter fidos teſtes rerum ævi Carolini numerari, homines heri & nudius tertius demum, ut ita dicam, nati. Sed & genuina illius Carolinæ ætatis monumenta memorant quidem, Ludovicum illum pium a Carolo patre coronatum anno 813; aſt per Hildeboldum id factum, non memorant. Imo vero nec Hildeboldi, nec alterius alicujus epiſcopi manu factam illam coronationem, non paſſus nos eſt ignorare Theganus *l. de geſtis Ludovici cap. 6.* Pro-

Prolixe enim ille deſcribens, quæ tum egerit Carolus, inter alia hæc habet: *Tunc juſſit eum pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat ſuper altare, elevaret, & capiti ſuo imponeret, ob recordationem omnium præceptorum, quæ mandaverat ei pater.*

Certe a Carolina aliqua lege non eſt profectum illud jus coronandi, quo fruitur Colonienſis in diœceſi ſua: nec illorum quiſquam obtentu talis alicujus legis hactenus jus illud ſuum aſſeruit. Specioſus maxime & antiquiſſimus & unicus prætextus aliquot ſeculis fuit: quod conſecrationes debeant fieri a diœceſanis in qualibet diœceſi, aliæ ab epiſcopis, aliæ ab archiepiſcopo, prout conſecrationes ſunt aliæ atque aliæ: ac proinde conſecrationem quoque regalem, quæ intra diœceſin fit Colonienſem, a Colonienſe archiepiſcopo eſſe inſtituendam.

Eſt vero, ceu jam ante diximus, etiam hic prætextus perlevis. Nec enim conſecratio illa regia ſacrum characterem imprimit, aut vere meretur accenſeri numero conſecrationum aliarum: ſed potius externa quædam eſt ceremonia ad exemplum moris Hebræorum compoſita, idque ævo ſequiore demum, interque ſolas gentes Germanicas & Sarmaticas. Utque ſit hæc conſecratio ejuſdem cum aliis ordinis, nihil prohibet tamen, quo minus illa peragi rite poſſit ab eo, in cujus diœceſi non eſt locus ille, ubi conſecratio inſtituenda eſt. Etſi enim diœceſibus ſingulis ſua ſint jura prudenter conſtituta per canones eccleſiaſticos: notum tamen eſt, non eum eſſe rigorem canonum, ut ſine omni exceptione ſtricte ſemper ſint obſervandi. Circa conſecrationes ſæpenumero aliquid indulgeri, palam eſt.

Non vocabitur hoc, ſcio, in dubium, hodie quidem a Colonienſibus, utpote quum ipſimet velint omnes conſecrationes regias, etiam extra ſuam diœceſin, a ſeſe inſtituendas eſſe.

Agnoverunt autem hoc jam etiam olim iidem Colonienſes: eoque paſſi ſunt Ottones tres Aquisgrani a Moguntinis conſecrari.

De Ottone I. enim utique clarum illud eſt ex iis, quæ Witikindus narrat l. 2. Fruſtra enim defenſores pag. 48. & 56. conantur reliquas partes in illa conſecratione etiam Wigberto Colonienſi attribuere, idque teſtimonio Witekindi: cum hic tantum ſignificet ad coronæ impoſitionem operam Wigberti adveniſſe: *coronatu* (inquiens) *diademate aureo ab ipſis pontificibus Hildeberto & Wigberto*, & diſerte teſtetur, ab Hildeberto eſſe dictum: *nunquam de capite tuo oleum miſerationis deficiat.* Quæ verba indubie ſpectant ad effuſionem olei in caput Ottonis, quo ritu tum conſtitit unctio. Æque nihil ad rem facit, quod iidem defenſores urgent, conſenſu Wigberti eam conſecrationem eſſe inſtitutam, teſtibus Witikindo & Dithmaro. Videatur Dithmarus lib. 2. pag. 23. Etiam ita enim patet, vel canones de conſecratione non eſſe ſtrictæ obſervantiæ, vel illos ad hunc actum non pertinere. Alterutrum enim niſi ponas, non fuit in poteſtate Wigberti adverſus canonum præcepta conſentire.

Ottonem II. ſaltim ex parte eſſe conſecratum a Moguntino, fatentur ipſi defenſores p. 57. debuiſſet autem ad illum actum plane non admitti Moguntinus, ſi conſecratio unice eſſet juris diœceſani. Fruſtra vero ex eo, quod Rogerius *in vita Brunonis* dicit: *Ottonem unxiſſe Brunonem Colonienſem, Wilhelmum Moguntinum, & Henricum Trevirenſem:* conantur illi exſculpere, in illa conſecratione primas fuiſſe partes Brunonis. Primo enim loco recenſetur Bruno, quod ejus vitam auctor iſte ſcribendam ſuſcepiſſet.

Ad Ottonis III. coronationem quidquam juviſſe Colonienſem, non auſi fuerunt defenſores pronunciare; prætendunt tamen pag. 47. Warinum Colonienſem morbo tum fuiſſe detentum. At nullo teſtimonio nititur ille prætextus, ac proinde eſt fabuloſus. Perinde ac perperam illi credunt, quaſi Dithmarus ſcripſerit: *Willegiſum coronationi aſtitiſſe.* Verba enim Dithmari hæc ſunt ſub finem l. 3. *Hujus* (Ottonis II.) *inclyta proles die proximo natalis domini ab Johanne archiepiſcopo Ravennate, & a Willegiſo Moguntiacenſe in regem conſecratur Aquisgrani.* Idem quoque Dithmarus cum ibidem tum initio l. 4. teſtatur, eodem circiter tempore Warinum Colonienſem, cujus *firmæ fidei* Otto II. filium commiſerat, tradidiſſe regem tenellum tutelæ Henrici ducis Bavariæ: quod indicio eſt, non ita fuiſſe morbo tum gravatum Warinum, ut regni negotiis curandis fuerit inidoneus. Quicquid ſit, certum eſt, Warinum conſecrationem illam regiam neutiquam improbaſſe.

Quid? quod diu etiam poſt, in ſolennibus coronationis regiæ Aquisgranenſibus, unctio fuerit, non recuſante Colonienſe, peracta a Moguntino. Palam id eſt ex hiſtoria coronationis Wilhelmi Hollandi, quæ una omnium pleniſſime ceremonias tum uſitatas exhibet, auctore Johanne Beecka in chronico epiſcoporum Vltrajectinorum. Cujus teſtimonio defenſores p. 51. docere nituntur Wilhelmum coronatum a Colonienſe. Operæ eſt pretium hoc loco recitare integrum illum Beeckæ locum; quo pateat, conſecrationem neutiquam tum fuiſſe peractam a ſolo Colonienſe, ſed in ea eximias partes fuiſſe cum Moguntini tum etiam Trevirenſis, etſi coronatio ſit inſtituta Aquisgrani. „Poſtera die, (inquit Beecka) quæ eſt omnium ſanctorum feſtiva ſolem„nitas, univerſa multitudo prælatorum & principum deduxit electum regem ad Baſilicam per„petuæ virginis Mariæ, ſolemnem benedictionem acciperet ſecundum ritum antiquæ conſuetu„dinis: quem Monaſterienſis & Mindenſis epiſcopi ſimul ordinarunt infra ſacrarium, ſed eundem „Leodienſis & Trajectenſis epiſcopi veſtitum ornamentis Leviticis in modum diaconi produxe„runt ante regale ſolium. Quem ex tunc Colonienſis archiepiſcopus cancellarius Italiæ collo„cavit in ſede majeſtatis, ita dicens: Super thronum regni glorioſe ſedens, judicium & juſtitiam „in terra facias. Archiepiſcopus vero Moguntinenſi: Cancellarius Germaniæ cum oleo ſanctifi„cato dextram ejus foras unxit, ita dicens: Conſecrare te dignetur omnipotens Deus in regem „Romanorum, qui David per manum Samuelis prophetæ regem inungi juſſit ſuper populum Hebræo-

„Hebræorum. Archiepiſcopus autem Trevirenſis cancellarius Galliæ manus illi ſuper impoſuit, „ita dicens: Deſcendat in te ſpiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis & „concilii, repleariſque ſpiritu timoris domini. Marchio quidem Brandenburgiæ regis camerarius „annulum ei tradidit, ita dicens: Accipe ſignaculum Monarchiæ, ut Romanum regium in ſuo vi„gore conſerves, quod ab incurſione Barbarorum invicta virtute defendas. Dux autem Saxoniæ „regis juſtitiarius donavit ipſi gladium, ita dicens: Accipe ſceptrum regium, ut rebelles ſevera „correctione potenter affligas, omneſque benevolos in tranquilla pace gubernes. Dux equidem „Bavariæ, comes Palatii ſeu Dapifer, dedit ipſi globum aureum, ita dicens; Accipe globum ſphæ„ricum, & omnes terræ nationes Romano regno ſubjice, ut glorioſus Auguſtus appellari valeas. „Rex dehinc Bohemiæ, regis pincerna, de conſenſu Colonienſis archiepiſcopi, coronam argen„team capiti ejus ſuperimpreſſit, ita dicens: Accipe diadema ſplendidum, & ſis in virtuoſis acti„bus adeo coruſcus in terris, ut coronam æternæ felicitatis habere merearis in cœlis. Poſt hæc „autem circumſtantes principes, adorantes majeſtatem regiam, acclamaverunt ipſi ſalutem, lau„dem & gloriam. Accedentes quoque ſingulatim in primates ad regale ſolium, præſtiterunt „eidem debitæ fidelitatis homagium. „ Hactenus Beecka. Collector chronici magni Belgici pag. 245. omnia hæc totidem verbis recitat, nulla tamen facta mentione Moguntini: ſed facile apparet, vitio deſcriptoris nonnulla excidiſſe. Et vero prout in editis etiam nuperrimis eſt Beeckæ codicibus, ita & in manuſcriptis reperitur, quos exhibere in promptu eſt.

Ex quibus omnibus jam palam etiam eſt alterum: nempe *non ſoli Colonienſi eſſe fas, Aquisgrani aut intra ſuam diœceſin reges conſecrare; ſi rem ipſam ſpectes, ſepoſita qua inolevit conſuetudine.*

At vero ſi nullum jus exigit, ut vel duntaxat Aquisgrani, aut intra Colonienſem diœceſin, vel per ſolum Colonienſem etiam intra diœceſeos Colonienſis limites, inſtituatur regia conſecratio, nihil utique ſupereſt, quo vel illa dignitas Colonienſi ſarta tecta queat ſervari, præter inveteratam conſuetudinem conſenſu, Moguntini & cæptam initio & exinde propagatam. Id quod quarto loco ſuſcepimus demonſtrare.

V. Fortaſſis tamen etiamnum hæret aliqua dubitatio, quæ proinde quinto loco meretur e medio tolli. *Quinam videlicet factum ſit: ut etiam ante productam illam falſam legem Caroli magni, jam Ottones & alii reges voluerint Apuisgrani potius coronari quam alibi:* quare item *Moguntini paſſi ſint eripi a Colonienſibus jus coronandi intra diœceſin Colonienſem.* Non enim poſſit videri fieri potuiſſe, niſi legis alicujus majoris auctoritate.

Verum enim vero legem nullam interveniſſe jam oſtendimus.

I. *Prius* tamen contigiſſe arbitror: propterea quod Aquisgranum præ aliis locis & amaverit & ornaverit Carolus magnus, ibi quoque ſit mortuus & ſepultus. Quo de egregia quædam notavit etiam Albertus Crantzius l. 8. Saxon. cap. 21. Hac ſane ratione, inter omnia regia palatia Tranſalpina, Aquisgranenſe omnium fuit primum jam Caroli ætate & nobiliſſimum. Hinc auctori poëmatis, quo adventus primus Leonis III. papæ in Germaniam eſt illa ætate celebratus, quodque legitur tomo 6. Antiq. Lection. Caniſii, Aquisgranum audit *Roma nova & Roma altera.* Quo pertinent, quæ de Laterano & Cardinalibus Aquisgranenſibus notat Freherus ad donationem Conſtantini pag. 54. Hinc quoque jam tum Nithardo, Caroli magni ex filia Bertha nepoti, audit initio l. 4. de diſſidiis filiorum Ludovici pii: *Aquis palatium ſedes prima Franciæ.* Wippo pag. 429. ita loquitur: *Collecto regali comitatu rex Conradus per regionem Ribuariorum, uſque locum, qui dicitur Aquisgrani palatium, pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis regibus & a Carolo præcipue locatus, totius regni archiſolium habetur.* Otto Friſingenſis appellat locum illum: *Archiſolium regni Francorum.* Cum itaque Henrici Aucupis felicioribus armis reddita Germanico ſceptro eſſet Lotharingia cum Aquisgrano, viſum fuit convenientiſſimum Ottoni, celeberrimo illo loco potius quam alibi coronam regiam conſequi. Placuitque idem conſilium ſucceſſoribus; non ita tamen, ut exiſtimaverint, alibi coronari eſſe nefas, ſi uſus poſtulet: eoque etiam alibi & Henricus II. & Conradus & Rudolphus Suevus ſunt coronati. Donec tandem fictitiis Aquisgranenſium tabulis perſuaſum eſt, ex vetere inſtituto ipſius Caroli, non alibi quam Aquisgrani rite quem regem coronari.

II. *Poſterius* cœpit prætextu canonum, qui definierunt, uti conſecrationes fiant a diœceſios presbyteris & epiſcopis. Hinc enim ſui eſſe juris conſecrare regem Aquisgrani, Colonienſes urſerunt. Verum in re non ſatis definita cum prævaleret adhuc multum Moguntinus, mitius negotium hoc Colonienſes agitavere; at vero Henrico III. imperante plane vicerunt, idque, quantum arbitror, duabus de cauſis.

1. *Altera* eſt, quod jam tum Colonienſis ſedes eo creviſſet, ut æmulatione ſua pene dubium niteretur reddere Moguntini primatum. Agnovit ſane ſaltim ex parte hunc æmulationem etiam Guntherus in Ligurino, canens l. 1. in hunc modum, initio quidem de Moguntina urbe inde de Colonia:

Turribus hæc eadem quondam muriſque ſuperba,
Pene fuit toto ſedes notiſſima regno;
Donec ob infandum deteſtandumque furorem
Strata, luit meritas occiſo præſule pœnas:
Inde ruinoſis deformis & horrida muris,
Teſtatur juſtas offenſi principis iras.
Huic, ut præcipuam celebret Germania ſedem,
Invidet, atque locum tenet Agrippina priorem,
Ambæ metropoles &c.

In

Digitized by Google

In tantum igitur evecta jam Colonienſis ſedes noluit amplius perinde ut antehac Moguntinæ cedere, ſaltim intra diœceſin ſuam.

2. *Altera* me judice cauſa eſt, quod Henrico illo regnante cum alii epiſcopi Germaniæ, tum etiam ipſe Moguntinus plus juſto, certe plus ſolio, ſibi arrogaverint in diœceſibus ſuis. Luitpoldus ipſe Moguntinus dici non poteſt, quam fuerit rigidus in tuendis ſuæ diœceſeos illis creditis juribus. Ut ingenium viri omnibus innoteſcat, recenſebo miram hiſtoriam, quam habet Conradus Urſpergenſis in chronico, etſi nonnihil forte prolixiorem. „Anno (inquit Conradus) „domini milleſimo quinquageſimo tertio, apoſtolico & imperatore natale dominicum divino & „regio cultu Wormaciæ agentibus, miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut oportuit, ab „apoſtolico; inſequenti die Luitpoldum Moguntinæ ſedis archiepiſcopum, utpote in ſua diœceſi „præcipuum, huic ſubrogavit officio. Qui peracta proceſſione, & ubi ad hoc ventum eſt dicta „oratione, poſtquam ſe in ſua ſede locavit, quidam ex diaconis ſuis, Humbertus nomine, ſicut „multi ob illius feſti venerationem ſolent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis papæ aſſiſtentibus vituperantes, & contra papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes perſuaſerunt ei, ut ad eundem diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod „cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo papa interdixit: qui mox eadem vocis „ſonoritate, qua prius cantavit, legendo decenter lectionem uſque ad finem perduxit. Qua „finita papa illum ad ſe vocavit, & quaſi pro inobedientiæ contumacia degradavit, archiepiſcopus vero miſit ad illum, ut ſuum ſibi redderet miniſtrum. Quod ubi papa abnuit, pontifex „ut erat antiquæ diſciplinæ, licet ægre, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit. Perlecto autem evangelio & decantato offertorio, ſancti ſacrificii tempus advenit. Pontifex in ſede ſua reſedit, vere conteſtans, nec ſe, nec alium quemquam completurum illud officium, niſi reciperet „proceſſionis ſuæ miniſtrum. Quod ubi apoſtolicus intellexit, pontifici ceſſit, reindutumque „miniſtrum continuo remiſit. Quo recepto, debito ſe præſul inunxit officio. Qua in re & pontificis autoritas, & apoſtolici conſideranda eſt humilitas, dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte, licet majoris dignitatis, Metropolitano tamen in ſua diœceſi cedendum perpendebat." Hactenus Urſpergenſis. Non contenderim pro veritate hiſtoriæ: quia Lamberto ſi credendum, non anno 53. ſed 51. Wormatiæ natalem domini Leo papa cum cæſare coluit, vivo adhuc Berthono Moguntino, cui Luidpoldus demum poſt Pentecoſten ejus anni ſucceſſit. Attamen ſi mores ſeculi illius videas, non eſt indigna fide illa Urſpergenſis narratio. Quanta cæde enim epiſcopus Hildesheimenſis non dubitaverit ſibi primum locum intra ſuam diœceſin defendere anno 1063. cum horrore legas apud Lambertum Aſchafnaburgenſem. Si vero Luitpoldus Moguntinus ne ipſi quidem papæ voluit cedere in ſua diœceſi, quid mirum eſt, eodem jure adverſus illum eſſe uſum Colonienſem, & priſtinum coronandi jus Moguntino ſaltim ex parte fuiſſe ereptum?

Quin ad hunc modum ſane utrumque illud potuerit oriri, nemo dubitabit humanarum rerum gnarus. Nec enim prudens quis ignorat, quam ab ineptis opinionibus ſæpe res maximæ originem cœperint.

VI. Cæterum hac quoque dubitatione ſoluta, nihil ſupereſt, niſi ut brevibus perluſtremus ipſam ultimam Colonienſem defenſionem, ſi forte illa habeat aliquid, quod nondum a nobis ſit tactum: ne queamus videri non probe defuncti noſtro munere aſſerendi jus Moguntinum.

Igitur pag. 40. occurrit quidem memoria legis a Carolo Magno latæ, de coronationibus Aquiſgrani inſtituendis: ſed illam fabulam jam ſupra exploſimus. Utque vera ſit, nihil facit ad id, quod in quæſtione eſt: num ſi coronatio extra etiam Aquiſgranum aut diœceſin Colonienſem ſit inſtituenda, conſecrandi officium ſit penes Colonienſem an Moguntinum? Nec vero exiſtimaverim, in id factam mentionem illius fabuloſæ legis Carolinæ, ut probetur, etiam hodie Aquiſgrani ſolummodo coronationes peragi debere. Fuerit enim hoc conjunctum cum injuria ſaltim quinque noſtrorum proxime ſibi ſuccedentium Cæſarum, ut & ultimi Romanorum Regis, ne nunc moveam alia.

Pag. 41. promittunt quidem defenſores, ſe probaturos ſuam theſin cum Bullis Pontificum & reſcriptis Cæſarum, tum perpetua conſuetudine: revera autem nihil in omni libello minus quam hoc præſtant.

Inter bullas Pontificum *ead. pag.* primo loco laudant teſtem Bullam Leonis III. qua Hildeboldo Colonienſi ille contulerit coronandi jus. Aſt bulla illa nuſquam comparet & non niſi fabuloſe jactatur. Utque ſit quædam talis bulla, nihil juverit cauſam Colonienſem, utpote quum ipſis defenſoribus fatentibus, illa eadem bulla coronationes omnes Aquiſgranenſium urbi adſtrinxerit, ac proinde dederit Colonienſi non niſi ſua in diœceſi coronandi facultatem.

Majorem ſpeciem habent verba Innocentii III. Clementis IV. & Urbani IV. pontificum, adducta pag. 42. 43. & 44. Jam tum vero oſtendimus, illa ætate per commenta Aquiſgranenſia fuiſſe homines deceptos, ut crederent non eſſe fas alibi coronari reges noſtros quam Aquiſgrani, & quidem a diœceſano Archiepiſcopo. Id certe non poteſt quem latere, qui tantum eſt peritus eorum, quæ circa coronationem Philippi & Ottonis contigerunt, quanto nempe cum ſumptu, quanta vi, cæſares pugnaverint de conciliandis ſibi Aquiſgranenſibus, ut in urbe iſta poſſent coronari.

In hunc ſenſum itaque duntaxat loquuntur etiam illi pontifices. Nec eſt quod credamus, in

in hiſce non potuiſſe falli pontifices; cum utique non ſint quæſtiones fidei, ſed de juribus & inſtitutis regni Teutonici, in quibus errare non poſſe pontifices, nemo hactenus affirmavit. Et vero licet his pontificibus longe plures alios opponere: omnes nimirum illos, qui approbaverunt regum coronationes, extra Aquisgranum & a Moguntino inſtitutas: quorum numerus longe eſt major numero ternario. Hi ſane non admiſerunt illa: *Ex antiqua Colonienſis eccleſia dignitate archiepiſcopum ſolummodo reges & imperatores coronare debere*; aut illa: *Coronationem regum Alemannorum ad Colonienſem archiepiſcopum pertinere.* Ut & ſimilia alia. Sed & jam audivimus, Guilhelmum Hollandum unctum eſſe a Moguntino: ut proinde non ita nude debuiſſet ſcribi fortaſſis in epiſtola ad Richardum Anglum, paulo poſt Wilhelmum electum regem: *quod ex officio ſpectet inunctio, conſecratio & coronatio regis Romanorum ad archiepiſcopum Colonienſem.*

Friderici I. cæſaris verba quæ adducuntur pag. 45. nihil ad rem faciunt. Nec enim aliud ille profitetur, quam *ſe debere regalem unctionem Colonienſi*; quod longe diverſiſſimum ab eo quod probari debuit: omnes omnino Romanorum reges debere inungi a Colonienſe.

Similiter nihil ad rem faciunt hiſtoriæ, quæ adferuntur *a pag. 45. usque ad 55.* de coronatis regibus per Colonienſes archiepiſcopos. Ut ut enim omnes illæ hiſtoriæ fuerint veræ, nihil tamen aliud docent, quam frequentiſſime omnium coronationes regias eſſe in diœceſi Colonienſi ab illo archiepiſcopo inſtitutas. Id quod nemo negat. Probari autem debuit coronationes ſaltim interdum fuiſſe extra illam diœceſin a Colonienſe peractas. In omni autem illa congerie tale aliquod exemplum ne unicum quidem comparet.

Multæ quoque fabulæ irrepſerunt inter hiſtorias illas. Ita pag. 45. Ludovicum pium coronatum eſſe ab Hildeboldo aſſeritur quidem, ſed jam ſupra à nobis eſt convictum falſi.

Pag. eadem ſcribitur, Lotharium ab eodem Hildeboldo coronatum, idque ſine ullo teſtimonio, tantum ex conjectura. Quaſi vero tum temporis omnis coronatio fuerit peracta ab epiſcopo aliquo.

Pag. 46. quæ adferuntur de coronatione cæſarea aliquot cæſarum poſt Lotharium, nihil faciunt ad noſtrum argumentum. Perperam quoque aſſeritur, de coronatione regum poſt Arnolphum usque ad Henricum Aucupem nihil haberi certi: nos jam ſupra Ludovici & Conradi coronationes deſcripſimus.

In coronatione Ottonis II. primas partes fuiſſe archiepiſcopi Colonienſis, pag. 47. perperam item colligitur, ex verbis quidem Rogerii allatis; ceu jam ſupra monuimus.

Similiter quæ adferuntur p. 47. de Warino ægrotante, & quaſi Moguntinus tantum *aſtiterit coronationi Ottonis III.* illa jam ſupra falſi convicimus.

Ut & quæ *eadem pag.* habentur de iterata coronatione Henrici II. jam rejecimus.

Pag. 48. Sine cauſa Lamberti Aſchafneburgenſis fides in ſuſpicionem trahitur, & rejicitur exemplum Rudolphi Suevi: utpote quum hujus coronationem omnes pene imperii principes, imo ipſe Pontifex Romanus Gregorius VII. tum probaverint.

Pag. 50. fruſtra jactitantur illa Guntheri verba: *Veteris juris.* Quam vetus illud jus tunc fuerit, & aulam cæſaream fuiſſe deceptam, liquidum jam fecimus.

Pag. 51. non male quidem ex Beka notatur, Wilhelmum Hollandum Aquisgrani coronatum eſſe a Colonienſi: oſtendimus vero nos, unctum illum regem non a Colonienſe, ſed Moguntino. Sed & coronam Bohemius impoſuit, quamvis conſenſu Colonienſis.

Pag. 52. quæ adferuntur de coronata eliſabetha, cæſaris Alberti Auſtriaci uxore, illa nullius eſſe ponderis, itidem jam ſupra oſtendimus.

Pag. 53. recte quidem aſſeritur, Trevirenſem conatum fuiſſe dubium reddere jus Moguntinum: at hinc non ſequitur, Trevirenſis cauſam fuiſſe potiorem. Imo neceſſum eſt Moguntinus vicerit, utpote qui *intra proximum Menſem* debuerit probare jus ſuum: idque indubie fecerit, cum ex eo tempore a nemine Trevirenſium quidquam amplius hac in re fuerit motum.

Quæ pag. 55. 56. & 57. adferuntur ad exempla pro jure Moguntino adducta, jam ſupra vindicavimus. Perperam quoque adfirmatur p. 57. quatuor tantum adducta eſſe exempla in Moguntino libello, plura enim recenſentur: nos adhuc alia addidimus.

Maximum cauſæ ſuæ præſidium videntur defenſores collocare in Aurea Bulla Caroli IV. quare *paginas aliquot integras*, 58. *nimirum*, 59, 60, 61, 62, 63. amplius in illius urgendo patrocinio conterunt. Revera tamen tota illa bulla nihil habet, quod vel tangat leviter hoc negotium: præter pauca hæc verba tit. 4. *Colonienſi archiepiſcopo competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema imponendi.* Hæc vero nihil omnino juvant Colonienſem.

1. *Primum* enim palam eſt, verbis illis nihil novi ſciſci, ſed tantum ſignificari, quonam officio jam tum gauderet Colonienſis. Id cum fuiſſet monitum, defenſores illi pag. 62. non dubitarunt hoc in ſiniſtrum ſenſum accipere, quaſi nimirum voluerint Moguntini, omnem legis auctoritatem inſtituto iſti de munere coronandi, quod Colonienſi competit, derogare. Perperam vero & præter mentem ſcriptorum. Cæterum illis verbis Aureæ Bullæ novi nihil conſtitui, etiam ipſi Colonienſes utique fatentur: utpote qui juris Colonienſis originem arceſſant ab exordio usque imperii Germanici. Jam vero liquidum fecimus, omni anteacto tempore, non aliud jus coronandi vel competiiſſe Colonienſi, vel ipſos Colonienſes ſibi arrogaſſe, quam illud quod eſt diœceſeos limitibus definitum. De ulteriore igitur jure aliquo neutiquam ſermo eſt in Aurea Bulla iſthac.

2. Patet hoc ipſum, *ſecundo*, ex ipſamet Aurea Bulla; quippe quæ ponit tanquam certum ſolum Aquisgranum eſſe juſtum locum coronationis regiæ. Verba hæc ſunt: *Invenimus etiam ex clariſſimis relatis & traditionibus antiquorum, illo a tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria per eos, qui nos præceſſerunt feliciter, eſſe id obſervatum, ut regis Romanorum, futuri imperatoris, in civitate Franckeford celebraretur electio, & prima coronatio Aquisgrani, & in oppido Nuremberg prima ſua regalis curia haberetur. Quapropter certis ex cauſis, etiam futuris præmiſſa ſervari debere temporibus declaramus; niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obviarit.* Hæc verba utique indicant, ſermonem cæſari in omni hac aurea bulla, quod coronationem quidem attinet, eſſe tantum de eo, quod ordinarie fieri tum ſolitum, aut fieri inpoſterum debeat. Ac proinde & illa verba ſuperius adducta ex Tit. 4. non aliter accipi debere: quam ordinarie, & ſi quando Aquisgrani inſtituitur coronatio, officium diadema imponendi competere Colonienſi.

3. *Tertio* hanc veram eſſe mentem illorum verborum, confirmat quam maxime ipſorum Colonienſium in eam vetus & perpetua conſenſio. Nec enim poſt auream bullam latam quisquam eorum vel tentavit extra diœceſin inſtituere coronationem: cum tamen interdum id minus eſſet commodum. Adhoc a Ruperto Palatino cæſare curaverunt quidem ſingulari privilegio ſibi indulgeri, coronationem interdum inſtituere extra Aquisgranum, diſerta tamen addita clauſula: *intra ſuam diœceſin*, illud ipſum privilegium quoque Carolo V. propoſuerunt. Nec poſthac unquam Moguntino extra diœceſin Colonienſem coronanti, vel facultatem coronandi delegaverunt, vel ſuper injuria ſibi facta intentaverunt litem. Quæ jam ſupra urſimus.

4. *Quarto* etiam hoc obſervandum unice venit: verbis illis Aureæ Bullæ jus aliquod *conſecrandi* regem neutiquam tribui Colonienſi, ſed ſolummodo jus *primam coronam imponendi.* Hoc unum ſane diſerte ibi memoratur. Atqui coronæ impoſitio non eſt aliquod munus ſacerdotale: eoque olim à Laicis, imo ipſismet principibus facta eſt, prout jam tum monuimus. Sola ſc. unctio & benedictio aliquid ſacri muneris habet. Igitur utut etiam verba illa bullæ ſint intelligenda de aliquo jure, quod per omnem Germaniam competat Colonienſi, hinc tamen minime ſequitur, conſecrandi jus ad unum illum pertinere. Et vero jam tum clariſſimum fecimus, non niſi ex privilegio omne illud jus, etiam intra ſuam diœceſin, convenire Colonienſi, alioquin uni Moguntino debitum: privilegia autem ſtricti juris eſſe, nec prodiga aliqua interpretatione amplianda, apud omnes in confeſſo eſt.

Hiſce probe expenſis, non eſt quod in animadvertendis iis, quæ defenſores diſputant de mente Bullæ aureæ, *ad pag. usque* 64. immoremur.

Illa vero, quæ *pag.* 46. adferuntur exempla coronationum, poſt auream bullam promulgatam inſtitutarum, potius cauſam Moguntinam juvant, quam Colonienſem; certe nihil illi officiunt. Omnes enim illæ à Colonienſe quidem ſunt inſtitutæ, at non niſi intra diœceſin: idque quoniam ne auſus quidem ille fuerit eas alibi aggredi.

Eadem pag. non potuerunt tamen negare defenſores, ordine quinque regias conſecrationes (acceſſit vero jam & ſexta in complementum felix ſecundi ternarii) à Moguntino, non autem à Colonienſe peractas eſſe.

Excuſare nihilominus id conantur paginis ſequentibus eo maxime, quod Colonienſes principes temporibus coronationum non fuerint infulati, atque adeo inidonei ſacro muneri peragendo: eo etiam, quod nihilominus illi principes caverint ſuo juri per proteſtationes & acceptas quas vocant aſſecurationes.

Verum enimvero etſi fortaſſis principes illi crediderint, Moguntinum non potuiſſe rite fungi conſecrandi munere, niſi obſtitiſſet illa ſua inhabilitas, non tamen hoc ipſum præjudicat cauſæ Moguntinæ. Nec enim alienus de rebus tuis error tuis juribus quidquam derogat, ut nec quidquam addit. Probavimus vero jam tum nos, etiamſi fuiſſent infulati Colonienſes illi principes, non potuiſſe tamen ab iis inſtitui ſex illas coronationes regias; utpote quæ fuerint peractæ extra Colonienſem diœceſin. Fuit certe hæc Moguntinorum præſulum perpetua ſententia; eoque uſi ſunt ſuo proprio jure, nullo autem verbulo petierunt à Colonienſibus ſibi illud ad tempus indulgeri. Imo ne ipſi Colonienſes quidem aliquo vel leviſſimo actu Moguntinis coronandi facultatem commiſerunt, aut à ſeſe eſſe commiſſam ſignificavere. Quod fieri debuiſſet, ſi non proprio, ſed alieno munere Moguntini fuiſſent functi. Imo per eſt veroſimile, ſaltim coronationem Maximiliani II. (ad cujus exemplum ſequentes ſunt inſtitutæ) ideo eſſe extra Colonienſem diœceſin peractam, ne Colonienſi diœceſano juri quidquam decederet.

Quod Colonienſes petierint ſibi caveri, ne ſuo coronandi juri actibus illis Moguntinis quidquam præjudicaretur, quodque interdum id ipſis fuerit indultum; illi rei ut refragarentur multum Moguntini, nihil fuit cauſæ. Nec enim illis animus unquam fuit, juri Colonienſi ſuis illis coronationibus quidquam derogandi: ut nec derogaverunt. Imo derogare non potuerunt. Omnes enim illæ coronationes ſunt inſtitutæ extra diœceſin Colonienſem, cujus finibus jus Colonienſe circumſcribitur: ac proinde Colonienſe jus verum & priſcum haud læſerunt.

Obſervatu porro dignum eſt, ex iis quidem quæ adferuntur *pag.* 66. non liquere, quod anno 1562. Colonienſis crediderit, ſibi per Moguntinam coronationem quidquam derogatum. Etenim verba illa poſſunt intelligi eo ſenſu: quod cautum ſibi voluerit, ne iſthoc coronationis actu forte exiſtimetur omne jus coronandi in Moguntinum eſſe derivatum. Id ſane ex eo colligas merito, quod quo tempore Rudolphus II. fuit coronatus, Colonienſis ne quidem tali modo ſibi caverit,

caverit, ſed tanquam à re non neceſſaria & inutili abſtinuerit. Cautionem certe nullam eſſe interpoſitam, palam eſt ex ipſa Colonienſium defenſorum narratione, quæ *pag.* 66. continetur. Imo nec in Matthiæ coronatione, dixeris à Colonienſe Ferdinando cautionem aliquam interpoſitam, cum nec illam defenſores attulerint in medium ſatis induſtrii alias cauſſæ ſuæ patroni. Ne quidem ex verbis Ferdinandi II. cæſaris quæ adducuntur *pag.* 67. certo colligas, cæſari tum fuiſſe perſuaſum id, quod hodie à Colonienſibus prætenditur: ſed tantum, ordinarie quidem Colonienſi competere jus coronandi, perinde ut ordinarie coronatio debet fieri Aquisgrani. Id quod nemo negat. Certe alium ſenſum eſſe reverſalium literarum anno 1637. Colonienſi à Cæſare exhibitarum, nullo firmo argumento probare eſt.

Quod *pag.* 68. defenſores voluerunt eſſe cauſæ argumentum *ultimum, & inſtar omnium*, illud ſane per eſt leve, atque adeo indicat, etiam reliqua omnia ſimili eſſe levitate. Fuerit enim tale, ſi in formam ſyllogiſticam rogas:

> *Si nullus actus coronationis inſtitutus eſt à Moguntino, quo tempore Colonienſis vel fuit præſens vel infulatus, ex adverſo autem contigit, extra diœceſin Colonienſem aliquando coronationem inſtitui præſente Moguntino, ergo coronandi jus ſimpliciter competit Colonienſi.*
>
> *At verum eſt prius, E. & poſterius.*

Hujus ſane argumenti & major & minor propoſitio vehementer laborant. Nec enim in majore ulla eſt vis conſequentiæ; ut patebit, ſi Syllogiſmus in cathegoricum commutetur. Et vero ſatis eſt probando juri Moguntino, ſi coronationis actus à Moguntino inſtituti fuerint rati. Præſens an abſens fuerit Colonienſis, nihil ad rem facit. Poſſe certe illum per accidens tantum aut adeſſe aut abeſſe, negari non poteſt. Ad hoc certum eſt, ſi forte Moguntini delegatione Colonienſis actum coronandi aliquem exercuerit, eo utique nihil acceſſiſſe juris Colonienſi. Certe ſi Majorem illam propoſitionem velis in cathegoricam mutare, quatuor aut quinque terminis Syllogiſmus conſtabit.

Minor quoque falſiſſima eſt. De Ottone enim ſaltim I, ut & de Conrado II, deque Wilhelmo conſtat, & extra controverſiam eſt, (nec enim alios nunc tangam) conſecratos illos eſſe à Moguntino, præſentibus infulatis Colonienſibus. Nec coronata eſt Elizabetha Auſtriaca (quod unum jactant, etſi una hirundo ver non faciat, ut eſt in proverbio) extra diœceſin Colonienſem, proprio Colonienſis jure, quod falſo ſupponitur; ſed tantum ex commiſſione & ſingulari conſenſu Moguntini.

Proponemus ex adverſo nos argumentum longe validius & certius:

> *Si nullum omnino coronationis actum Colonienſes exercuerunt extra diœceſin, ab initio uſque imperii Germanici, etſi id ut facerent ſæpe res prope flagitavit, ergo nec jus illis hactenus fuit coronandi extra diœceſin.*
>
> *At verum eſt prius:* ut ſupra probavimus.
>
> *Ergo & poſterius.*

Addemus & alterum:

> *Si Moguntinus ſæpius coronavit reges, & quidem omnes conſecrationes, quæ extra diœceſin Colonienſem fuerunt inſtitutæ, peregit, probantibus omnibus ordinibus imperii, imo ipſis pontificibus Romanis, competit Moguntino jus coronandi ſaltem extra diœceſin Colonienſem.*
>
> *At verum prius eſt:* quod probavimus:
>
> *Ergo & poſterius.*

Pag. 69. perperam Moguntinæ cauſæ patroni tanguntur, quaſi illi jus coronandi ad jura diœceſeos reſtrinxerint. Nec enim hoc illis venit in mentem. Tantum hoc voluerunt; Colonienſe omne jus niti prætextu juris diœceſani. Quod revera eſt nihili, niſi acceſſiſſet longi temporis præſcriptio quædam.

Reliqua non indigent aliquo reſponſo. Nam & illud nullius eſt momenti: quod nimirum Buxtorfius, Rumelinus, Oſtermannus, & alii nonnulli, Colonienſi cauſæ adſtipulati ſint. Nec enim errores ſcriptorum detrahunt quidquam ſolidis principum juribus. Et quid eſt notius, quam ab illis, cætera præclaris viris, complura eſſe commiſſa ob ignorantiam rerum veterum, aliorumque imperii actuum?

QUUM itaque in defenſione etiam noviſſima Colonienſi nihil occurrat, quo Moguntinum jus ſaltim improbabile poſſit merito reddi, illud vero firmis argumentis jam ſit ante aſtructum, non eſt quod huic loco amplius immoremur.

Deum veneror; ut, cuivis jure ſuo reddito, pax & tranquillitas publica imperii ſalva ſemper maneat floreatque.

Herman. Conringius Benevolo Lectori.

S. P. D.

„Quum mota inter eminentiſſimos principes electores, Moguntinum & Colonienſem, de coro-„nandi jure controverſia, rogatus ſententiam, libere illam anno ſeculi hujus quinquageſi-„mo quinto prompſiſſem, nihil minus cogitabam, quam fore ut mihi hinc naſceretur aliqua di-„verſæ partis offenſa. Nec enim nomen meum addideram, & ſic temperaveram calamum, ut „nullam jure ſuccenſionem poſſem mereri. Cum placuiſſet tamen Moguntinis non vulgare

„duntaxat typis Francofurti libellum meum, ſed illi etiam nomen meum præfigere, minus emen-
„date autem omnia prodiiſſent in lucem, coactus fui nomine haud diſſimulato alteram hic cura-
„re editionem auctiorem nonnihil emendatioremque: non ignarus licet, quæ mihi jam tempe-
„ſtas immineret. Quæ hinc inde acta ex eo fuerint, tædet memorare. Quoniam vero inter emi-
„nentiſſimos illos principes non multo poſt omnia componerentur, equidem gratulatus ſum Ger-
„maniæ noſtræ: utpote cujus ſalus, hodie quidem, ſita unice eſt in magnorum principum con-
„cordia; tota republica cæteroquin vehementer debili. Quum autem exempla libelli mei utrius-
„que editionis dudum fuerint diſtracta, & tamen compoſitis quamlibet omnibus, illa etiamnum
„paſſim ſed fruſtra a me pariter & bibliopolis petantur, non abs re futurum judicavi, ſi & tertia
„vice in lucem prodeat. Ut refodere velim compoſitam litem abſit; (nec enim pace ac tranquillitate
„publica quidquam eſt mihi magis carum) cum tamen nihil dubitem ex vero omnia abs me eſſe
„diſputata, non poſſum non ſimul exiſtimare, ad laudem perpetuam optimorum principum per-
„tinere, quod jure ſuo cum vero tum credito, cedere nonnihil maluerint quam ſuis diſſidiis com-
„modo publico nocere. Quæ res memoratu utique digniſſima eſt, & quæ in exemplum illuſtre,
„imo in regulam quaſi, exſtet omnibus impoſterum imitandum. Quandoquidem vero paucis
„hactenus innotuerit, quibus legibus negotium illud arduum hodie ſtet definitumque ſit, viſum
„eſt adjungere meo opuſculo ipſas pacti tabulas. Deum autem obſecro, ut civili omni etiam alio-
„rum principum diſcordia ſopita, imperii Germanici reſpublica ita vigeat, ita floreat, quo etiam
„adverſus externa mala, cumprimis immanem illam Turcicam vim, firma valeat perſiſtere & ſe-
„cura. Helmeſtadii in Acad. Julia XXII. Januarii Anno cIↃ.IↃ.c.LXIV.

„Demnach zwiſchen denen Hochwürdigſten auch Durchleuchtigſten Fürſten und Herrn,
„Herrn Johann Philippen Ertz-Biſchoffen zu Meintz, des heiligen Rœmiſchen Reichs zu
„Meintz, des heiligen Römiſchen Reichs durch Gemanien Ertz-Kantzlern und Churfürſten, Bi-
„ſchoffen zu Würtzburg und Hertzogen zu Francken. So dann Herrn Maximilian Henrichen
„Ertz-Biſchoffen zu Cöln, des heiligen Römiſchen Reichs durch Italien Ertz-Kantzlern und Chur-
„fürſten, Biſchoffen zu Hildesheim und Lüttich, *Adminiſtratorn* zu Bergdeſsgaden, in Ob- und
„Nieder-Bayern, auch der Obern Pfaltz, in Weſtphalen, zu Engern und Bullion Hertzogen,
„Pfaltzgrafen bey Rhein, Landgrafen zu Leuchtenberg, Marggrafen zu Franchimont, &c. Zeit-
„hero ſich um deſswillen Irrung und Streit erhalten, daſs Ihre Churfürſtl. Durchl. zu Cölln die
„Krönung eines erwæhlten Römiſchen Königes Ihro und dero Nachkommen am Ertz-Stifft Cölln
„allein; und zwar nicht nur zu Aachen und in dero Cöllniſchen Ertz-Biſchoflichen Provintz,
„ſondern auch durchgehends im gantzen heiligen Reich Teutſcher Nation, ohne unterſchied,
„krafft zu ſolchem End angezogener güldenen Bulle Kayſer Carls des Vierdten, zueignen; hin-
„gegen aber Ihre Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz, der güldenen Bulle nach, die Stadt Achen
„zwar Ihrer Churfl. Durchl. und dem Ertz-Stifft Cölln geſtehen, Ihro doch und dero Nachkom-
„men am Erts-Stifft Maintz alle übrige Ort des heiligen Reichs Teutſcher Nation, alle Krafft vor
„ſich angezogenen alten Herkommens und *Poſſeſs attribuiren* wollen. Als haben beyderſeits höchſt-
„gedachte Ihre Churfürſtl. Gnaden und Durchl. zu Mayntz und Cölln für ſich und ihre Nach-
„kommen an dero Ertz-Stifftern, zuvorderſt Gott zu Ehren, dem Vaterland und dero Ertz-Stiff-
„tern Land und Leuten zum beſten, nach reiffen der Sachen Vorbedacht, ſich in der Güte ein-
„mühtig und freundbrüderlich verglichen, wie folget.

I. „Wollen Ihre Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz, zu Fortflantzung beſtændigen Wolver-
„nehmens, guter *Correſpondentz* und Freundſchafft, wann die *Quæſtio*, ob die Krönung an einem
„andern, als in der güldenen Bulle beſtimten Ort verrichtet werden ſolle? vorkommt, ſich nicht
„allein mit Ihro Churfürſtl. Durchl. zu Cölln, und dero Nachkommen am Ertz-Stifft Cölln, Ein-
„ſtimmig erklæren, ſondern auch dahin bemühen und vermitteln helffen, damit die beſagte
„*Quæſtio* im Churfürſtl. *Collegio* bey Uberlegung der *Capitulation* und vor der Wahl jedesmal vor-
„genommen und erörtert, und die Krönung zu Achen werckſtellig gemacht werden, *niſi impe-*
„*dimentum legitimum obviaverit*, wie die güldene Bulle ſelbſt redet *tit. 25. vel 28. §. Invenimus*
„*etiam*.

II. „Daſs beyden Ihren Churfl. Gnaden und Durchl. zu Mayntz und Cölln, die Würde und
„das Amt zu krönen in ihren Ertz-Biſthumben *undiſputirlich*, und zwar jedem in ſeinem Ertz-
„Biſtuhm, und ſeiner *propria diœceſi*, allezeit allein und *privative* zukommen ſolle.

III. „Ob aber auſſerhalb dieſer beeden obgedachten Ertz-Biſtuhmen Mayntz und Cölln,
„die Krönung in einigen andern unterhabenden *ſuffraganeaten*, oder in andern auſſer der Ertz-
„Biſchöflichen Mayntz- und Cöllniſchen Provincien gelegenen Ertz- und Biſchthumben geſche-
„hen würde, alsdann ſolle dieſelbe *alternative* von beyden Herren Churfürſten Mayntz und Cölln
„verrichtet, und alſo auſſer Aachen, und denen von beyden Herren Churfürſten ſich vorbehalte-
„nen ihren eigenen *diœceſen* und Ertz-Biſchthumben, im gantzen heiligen Reich zwiſchen ihnen
„der Krönung halber eine durchgehende Gleichheit in künfftig gehalten werden.

IV. „Daſern die Krönung auſſer denen Mayntz- und Cöllniſchen Ertz-Biſchthumben, es
„ſey inner- oder auſſerhalb beyderſeits *provincien*, vorgenommen werden ſolte, alsdann ſollen
„bey obbemeldter *alternation* Ihre Churfl. Durchl. zu Cölln den Anfang machen, worzu Ihre Chur-
„fürſtl. Gnaden zu Mayntz, zu mehrer Bezeigung Ihrer treuen freundbrüderlichen *affection*, nicht
„allein

„allein ſich freywillig erklæret, ſondern dabenebend auch des Erbietens ſeynd, bey næchſter „Wahl und deren *Capitulation* dahin beſtmöglichſt zu *cooperiren*, damit dieſe jetzbevorſtehende „Krönung in der Stadt Cölln (weiln etwan wegen des kurtz-hiebevorn zu Aachen vorgange„nen Brandſchadens der *accommodation* halber daſelbſten es unbequem fallen dörffte,) verrichtet „werden mœge.

V. „Solle dieſer Vergleich nicht allein von beyden Herren Churfürſten unterſchrieben, „ſondern auch von beyden Domcapitulen zu Mayntz und Cölln mitbewilliget, und zu ewigen „Tagen hierauf einmühtiglich, veſt, und unverbrüchlich gehalten, auch andere *explicationes*, „*extenſiones*, oder *limitirungen* darin keineswegs zugelaſſen, vielweniger das geringſte ſonſten „dargegen *attendirt* werden. Deſſen allen zu Uhrkund haben beyde Höchſtgedachte Ihre Chur„fürſtl. Gnaden und Durchl. Mayntz und Cölln für ſich und beyderſeits Nachkommen an dero „Ertz-Stifftern, fünff dieſer verglichenen *Receſs* unterſchrieben und verſiegelt, welche auch bey„de Hochwürdige Dom-Capitul zu Mayntz und Cölln mit bewilliget, und zugleich vollenzo„gen haben, darob ein Original Ihrer Churfürſtl. Gnaden zu Mayntz, eines Ihrer Churfürſtl. „Durchl. zu Cölln, zu dero *Archiven*, auch in dem Dom-Capitul eines, und dann eines zur Reichs„Kantzley ausgeantwortet, und verwahrlich aufbehalten werden ſollen. Geſchehen den 16. „Junii des 1657. Jahrs.

Johann Philipp.		*Maimilioan Heinrich.*	
L. S.	L. S.	L. S.	L. S.
El. Mog.	El. Col.	Cap. Mog.	Cap. Col.

Hermannus Conringius Ἐλεγχόμενον, ſive ſtricturæ in aſſertionem juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum. Authore Petro a Streithagen, Heinsbergi ac Cranenborgi Canonico. Cauſa Patrocinio non Bona pejor erit. Bonnæ, 1656.

Honori,
An Horrori?

Hermanni Conringii

Hyperaſpiſtæ Moguntini per omnes caſus.

Hic eſt Hermannus, *quem præſens extulit annus,*
Invectus mannis, non ludo, credite, ſannis.
Vos ergo Hermanni *fulmen ne ſpernite bauni,*
Qui tectus pannis meditatur ſomnia vannis.
Quin ferte Hermanno, *ceu priſco munera Manno,*
Placet ut his Annas, & pulchras ore Suſannas.
Qui vides Hermannum, *fortem vides ille Alemannum,*
Armis Nortmannos vincentem, & Marte Britannos.
O magne Hermanne, *non dicam vive Tyranne,*
Dignus es è canna potare, & ſumere Manna.
Abſit ab Hermanno, *medio dare vela Lemanno,*
Non eſt ex ſtanno, nec fuerit hoc bonus Anno.

Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. *Proverb.* 28.

Stricturæ in Aſſertionem juris Moguntini in coronandis regibus Romanorum.

Rogatus ſententia, non dubito cauſſam Eminentiſſimi Electoris Moguntini approbare etſi & lecta & cum cura à me ſint expenſa, quæ ab adverſa parte hactenus ſunt edita. *Pag. 1.*

Quaſi rem ſtrenue ſatis non geſſiſſet, quisquis eſt author diſſertationis latinæ de jure coronandi, in tumultuarium ſubſidium Hermannus Conringius advenit. Omnino, tali etiam tubicine opus habebat eminentiſſimus elector Moguntinus, ne in illuſtri controverſia poſteriores ferret; imo tali tibicine fulcienda erat eccleſia Moguntina, ne procellis ex adverſo incumbentibus ruinam daret, caveant ſibi Colonienſes ab novo iſthoc Miſeno, vero Aeolide, qui clangore taratantaræ univerſam Germaniam terrere ſe poſſe putat, ſed non caveant ſibi, quin potius ſecure & intrepide agant. Fauni cornua ſunt: ſtrepitum edunt, ſanguinem non eliciunt.

Conringii temerarius conatus.

Virg. l. 6.

Triton

Triton vindex erit, & provocantem ad fundum, ad profundum deducet. Quid enim in tota aſſertione, quod diſſertatio ante non dixerat? utrobique ex eodem armamentario tela, ſed obtuſa admodum depromuntur. Certe nec hæc nec illa unquam efficient, ut Rhenus Mœno concedat, Colonia Moguntiæ. Contra authores utriusque ſcripti, argutior aliquis, & pro merito *Ἄνδρε δύω κτείνας*, competenter regerat cum Lactantio, *duo extiterunt, qui jacenti atque abjecta veritati, neſcio, utrum ſuperbius, an opportunius inſultarent.* Videlicet obliti ejus cautelæ, quam paulo ſupra retulerat, *quod iniquum & impium eſt, ante damnare vel perſonam, vel cauſſam, quam de merito ejus cognoſcere.* Rogatus ſententiam Conringius, & animatus a neſcio quo,

Hom. Od. K. De Inſt. l. 5. c. 2. Ib. c. 1.

Tecum acer Meſſapus erit, turmaque Latina,
Tyburtique manus, Ducis & tu concipe curam;

Virg. 11.

re gravi mature ponderata, prudenter reſpondere debuiſſet,

Non noſtrum inter vos tantas componere lites:

Id. in Ecl.

quod quia arte ſua fretus facere prætermiſit, geſtiens glorioſe promittere, *mecum erit iſte labor, curabo, enitar, efficiam*, labyrinthumque diſcordiæ absque filo rationis ingreſſus, in inextricabiles errores ſeſe induit, eo promtius patet aliis veritatis inquiſitio: mihi ſaltem, velut ad hoc officium fataliter deſtinato, anſa & occaſio diligentioris indaginis inde oblata eſt. Nimirum ut diſſertatori tanquam diſſimulatori: ita aſſertori tanquam aſſentatori, os quoque obſtruendum, & unus longe minor Hercule contra duos ſtatuendus,

Id. 1. Vopiſc. in Taſc. Imp.

Εἰ μὲν ἐμοὶ τόσσην δέ θεοὶ δύναμιν παραθεῖεν.

Od. 7.

Clamant non pauci & non abſque cauſſa ad Moguntinos, *nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi?* ut ad Galeatam urbem pro pharmacopœo abiretis? ſed hæc & ſimilia hoc loco exaggerare inſtitutum non patitur, ideoque recta ad rem ipſam animus & intentio anhelant. Quippe diligenti cum cura & animadverſione explorandum, utrum *inductus validis rationibus quam multis*, Conringius in arenam deſcenderit, quas *proinde boni publici cauſſa, procul odio & amore, in patrocinium recti atque æqui produxit in medium.* Sequemur hominem per avia & invia vadentem firmis paſſibus, omniaque & ſingula rerum pondera ſuis momentis expendemus, & in ſeveriori trutina caſtigabimus: ſi paucis poſitiones aliquando magis neceſſarias quam quas produxit, ejus exemplo, quaſi velitationes ante pugnam uſitatas, præmiſerimus.

ἤομεν ὡς ἐκέλευες ἀνὰ δρυμὰ φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.

Od. x.

Prima Poſitio. *Archiepiſcopatum Colonienſem multo antiquiorem eſſe quam ſit Moguntinus.*

Antiquitas archiepiſcopatus Colon. præ Moguntino.

Etſi videri poteſt, utrumque archiepiſcopatum a temporibus Conſtantini magni originem bene repetere, quod & in Heinsbergo noſtro obſervatum; re tamen ipſa accuratius expenſa, Colonienſis multo majorem antiquitatem præ ſe ferre exiſtimandus eſt. Sane Bucherius aperte dicit, *ſub Conſtantino Colonia Metropolim ſortita videtur, Sub S. Bonifacio Moguntia circa an.* 750. Ac vero ipſi Moguntini primum ſuum archiepiſcopum conſtituunt S. Bonifacium, nec dubitant fateri, anteriori ævo penes Wormatienſes archiepiſcopalem cathedram reſediſſe; eique Moguntinam, tanquam ſuffraganeam eccleſiam eatenus ſubiacuiſſe. Ne plures authores allegemus, unus Othlonus ſcriptor vitæ S. Bonifacii, inſtar multorum pro ſuffragio erit. *Depoſito*, inquit, *Gervilio, ſtatim S. Bonifacius a ſupradictis principibus, Carolomanno videlicet & Pipino fratre ejus, eccleſia Moguntiacenſi præficitur & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem principes eccleſiam Moguntiacenſem, quæ prius alteri ſubjecta erat, Metropolim omnium in Germania poſitarum eccleſiarum efficere, moxque legatione facta, illud a præſule apoſtolico impetrare.* Ad quæ Serarius, *Moguntinum epiſcopum Wormatienſi ſubjiciunt omnes Moguntini epiſcoporum Catalogi, & Wormatienſes, ex iisque Bruſchius, &c.* quod nobis ſufficit, maxime cum ſubjungat, *qui aut Trevirenſe, aut Colonienſe, aut vero Wormatienſe in eam jus probarit, is me repugnantem certe habiturus non eſt.* Sed ut alii hoc faciant, in Colonienſi longe potior ratio apparet. Ut enim S. Athanaſius, notitia imperii, Ammianus Marcellinus Coloniam Metropolim non nominarent, Maternus ſecundus ſuo jam tempore, inter præcipuarum ſedium Metropolitanos, Arelatenſi concilio in cauſſa Cæciliani intereſſe juſſus eſt, quod clarum indicium archiepiſcopalis dignitatis. Ubi enim Metropolis, ibi archiepiſcopus, ubi archiepiſcopus, ibi Metropolis. Jam cum ex aliis monumentis quam plurimis idipſum conſtet, & longum foret omnia hoc loco in faſcem colligere colligareque, unico teſtimonio ex vita S. Lamberti ſumpto contenti erimus, ubi archiepiſcopus Colonienſis Faramundum quendam in locum S. Lamberti ſubſtituiſſe legitur: quod cum ante tempora S. Bonifacii contigerit, ſequitur quod dixeram, archiepiſcopatum Colonienſem Moguntino longe antiquiorem eſſe, eoque ipſi, ſi tale quid ex hoc capite elicitur, in coronatione præferendum. Et vero, ut nullum aliud hujus rei argumentum ſupereſſet, ſatis opinionem noſtram confirmaret, quod pontifex Zacharias Agilolpho Colonienſi archiepiſcopo, ut & omnibus Germaniæ præſulibus, S. Bonifacium laudaverit commendaveritque his verbis, *habetis itaque noſtra vice ad confortandam dilectionem veſtram, & collaborandum vobis in evangelium Chriſti, ſanctiſſimum ac reverendiſſimum fratrem noſtrum archiepiſcopum, apoſtolicæ ſedis legatum, & noſtram præſentantem vicem.* Ut ita conſtet, Colonienſem jam tum magnæ authoritatis fuiſſe, cui pontifex commendatitias ſuas quoque dirigendas judicaverit.

In Diſſert. Hiſtor. c. 2. l. 1. c. 44. NB. l. 1. c. 21. Vide Sirmundum in Conciliis Gallicanis, ad an. 314. & Bucherium in Belgio Romano l. 8. c. 9. & ſeqq. P. Roberti in vita. Serar. l. 3. c. 6.

Secunda

Secunda Poſitio. *Archiepiſcopum Colonienſem ante Moguntinum, archicancellarium, Rom. imperii, ſeu archicapellanum ſacri Palatii fuiſſe.*

Admodum reverendus atque illuſtris D. Bernardus a Mallickrot, magnus decanus cathedralis Monaſterienſis, in tractatu de archicancellariis, nunquam ſatis laudato opere, ingenue fatetur, nullum archicancellarii titulo uſum priorem S. Cuniberto ſe inveniſſe. Ita enim inter alia loquitur: *Omnium primus, qui hoc nomen titulumque uſurpavit, S. Cunibertus fuit Colonienſis epiſcopus, quatenus hucuſque num reperire quivi, poſt quem S. Bonifacium reperio.* Et iterum alibi. *Omnium primus, quem hactenus archicancellarii prædicato uſum fuiſſe mihi conſtat, S. Cunibertus eſt: ita autem habet inſcriptio quam indigitavi, Anſo cancellarius vice Cuniberti archicancellarii recognovi.* Quam ſententiam ſi quis enervare velit, quaſi ante reſtitutum imperium Occidentale, obita ſub Dagoberto rege Galliarum dignitas, nihil ad rem præſentem faciat; ſciat ille non minus contra S. Bonifacium id militare, qui ſub Pipino Brevi vixit, quam contra S. Cunibertum. Unde ut hoc in medio relinquamus, æque tempore Caroli magni S. Hildeboldus in prærogativa archicancellariatus, primas quoque ante omnes Moguntinos tulit, ſic enim idem a Mallinckrott. *Hildepoldus Antiſtes Agrippinas Carolinam fundationem eccleſiæ Bremenſis in Saxonia, in Palatio Nemetenſi datam ita ſubſcripſit, Hildeboldus archiepiſcopus Colonienſis, & S. Palatii capellanus recognovi*, & poſt pauca. *Etſi autem ſe ſimpliciter cappellanum ſcribat, tamen ob archiepiſcopalem, quam tenuit, dignitatem, vix dubitari poteſt, quin archicancellarius fuerit.* Si enim ſecus fuiſſet, præter hoc, alia ejus generis exempla *alicubi occurrerent.* Addit quidem Ricolphum tertium archiepiſcopum Moguntinum; ſed, ut in re inexplorata, prorſus dubie. *Ricolphum*, inquit, 3. *archiepiſcopum Moguntinum Caroli magni Sacellanum intimumque conſiliarium fuiſſe, magnaque in regia aula potentia viguiſſe, Cratepolius, Bruſchius, & Serarius teſtantur, e quibus colligi, ni fallor, videtur, cancellarium ejus extitiſſe.* Dubie hoc, inquam, cum ſtatim ſubdat, *nil tamen firmiter ea de re affirmo, contentus lectoris hac examini exhibuiſſe, donec diplomata, aliave documenta, certiora nobis largiantur.* Atqui non ſit veriſimile, Carolum magnum duos eodem tempore archicancellarios habuiſſe, cum S. Hildepoldus etiam usque ad imperium Ludovici pii ſupervixerit. Serarius *Ricolphum conſiliarium intimum in aula Caroli magni fuiſſe* tantum aſſerit, non vero cancellarium. Ex quibus etiam liquet, Colonienſem in dignitate archicancellarii Moguntino non minus priorem eſſe, eoque juſtiorem prætenſionem pro jure coronandi, ut hoc inde reſultet, allegare poſſe. Unum eſt, in quo a D. Mallinckrotio diſſidere cogor, videlicet quod aſſerat, ab ævo Othonis magni ſolos Moguntinos archicancellarios fuiſſe, dum ait, *deventum igitur eſt, ad Wilhelmum archiepiſcopum Moguntinum Ottonis I. imper. filium, poſt quem, ut ſupra dicebam, nullos jam alios deinceps archicapellanos, ſeu archicancellarios habebimus, quam ejusdem ſedis Archimyſtas:* cum contrarium ex diplomatibus imperialibus, ab annis in annos continua ſerie pro Colonienſibus probari poſſit; ipſeque aſſertor novæ iſtius opinionis fateri cogatur, *etſi autem apertis hac in re probationibus deſtituamur, valde tamen probabile & veriſimile eſt, hunc laudatiſſimum præſulem ab optimo parente ſuo, hanc obtinuiſſe ſuæ ſedis prærogativam archicancellarii, ut perpetuis deinceps temporibus, non alii quam Moguntini antiſtites Romani imperii conſtituerentur.* Contrarium, ut dixi, patet, unde longiori contradictione opus non eſt. Cæterum quo tempore tres archicancellarii in imperio eſſe ceperint, ad hunc locum & quæſtionem minime ſpectat, & jam alibi de eo inquiſitum eſt.

Prioritas archicancellariatus Colon. ante Moguntinum. — *Parte 1. c. 1. in Catalogo SS. Germaniæ cancellarior.* — *Sed vide P. Alex. Wiltheim. ad acta S. Dagoberti, pag. 5. & Id. p. 10.* — *pag. 13.* — *In vita. pag. 613.* — *pag. 32.* — *Vide Goldaſtum, & Chapeauvillum.*

Tertia poſitio. *Archiepiſcopum Colonienſem majori, aut ſaltem pari jure, cum Moguntino primatus titulum ſibi vindicare.*

De Colonienſi primatu agens Rupertus Tuitienſis, ita inquit: *Primatum Coloniæ Metropolis obtinuit, ea maxime cauſa, quia creſcens prædictus Coloniæ quoque apoſtolicam verbi Dei viſitationem primus inſtituit.* Et licet Mallinckrotius ad hæc verba dicat, *quia autem de hoc primatu apud alios ſilentium eſt, ac verba videntur dubii intellectus eſſe, manum de hac tabula in præſentiarum tollo:* nihil tamen aut parum ejus dubitatio veritati obeſt. Quæ enim certiora indicia de primatu Moguntino, quam Colonienſi? Ruperti ſane fides ante multorum conjecturas eſt. Paucis & non ſatis enucleatis, utpote in re dubia Serarius, alioqui longe lateque ſeſe diffundens, ubi auctoribus non deſtituitur. *Aſſerunt MS. L. hac ætate Norbertum archiepiſcopum Magdeburgenſem ab Innocentio 2. primatum Germaniæ obtinuiſſe, pro ſe & ſucceſſoribus, cum eſſet Romæ cum Lothario imp. an. 1135. Antea vero Moguntinus cæteris in Germania præſidibus prælatus fuit, ut ſupra in Hattone & alibi apparet.* Hoc totum eſt, quod Serarius de primatu Moguntino habet, in cauſſa iſta, ut puto, ſibi diffidens, cum in utroque Hattone, nec vola, nec veſtigium de primatu inveniatur, ſed tantum proditionum & murium fabellæ, an hiſtoriæ? Et vero ſi nullas alias probationes Serarius pro Moguntino afferre potuit, quam quas affert, multo magis dubius eſt primatus Moguntinus quam Colonienſis. Si enim Moguntinus in Germania olim pro primate habitus fuiſſet, ad quid deinde opus erat, inſtituere primatum Magdeburgenſem? An in una Germania duo primates? An tres, ſi Saltzburgenſis accedat? De inſtitutione primatus Moguntini omnia ambigua. Dicit tantum Zacharias Pontifex. *Authoritate B. Petri ſancimus, ut eccleſia Moguntina perpetuis temporibus, tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolin ſit confirmata:* & quamvis addat, ut volunt Moguntini, *habens ſub ſe civitates Tongros, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam & Trectis;* nihil tamen inde amplius teſte Serario colligi poteſt, *quam S. Bonifacium ita archiepiſcopum Moguntinum conſtitutum, ut tamen perpetuus Romani pontificis legatus maneret*, & præter apoſtolicæ viſitationis commiſſionem, nihil præterea extra diœceſim ſuam obtineret. Quid autem hoc perſonale privilegium pro primatu Moguntino? Cum Colonienſis eccleſia in eodem jure Metropoleos, quo Moguntina, ne quid ſibi in illam licere putaret, tum quoque confirmata fuerit? Idem Zacharias pontifex. *De civitate illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum per noſtræ authoritatis præceptum,*

Aequalitas Colonienſis cum Moguntino in Primatu honoris. — *L. 1 de officiis c. 7.* — *Buche. l. 5. c. 1.* — *Serar. p. 76. l. 5. p. 810.* — *Bucelinus ad an. 745. refert.* — *l. 3. Not. 30.* — *Strar. l. 5. c. 8.*

nomini

nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tua ſanctitati direximus pro futuris temporibus, ejuſdem Metropolitana eccleſia ſtabilitatem. Ecce utrobique dignitatem Metropolis, ſed Moguntinam inſtitutam Colonienſem confirmatam. Quanquam quod de Colonienſis confirmatione dicitur, valde dubium videri poſſit, cum jam memoratus pontifex teſtetur, Francos non de duabus Metropolitanis, ſed de una tantum, id eſt Moguntina, mentionem injeciſſe, verba hoc clare inſinuant. *De eo autem, quod ſuggeſſiſti, quod elegerunt unam civitatem omnes Francorum principes, pertingentem usque ad paganorum fines & in partes Germanicarum gentium, ubi antea prædicaſti, quatenus ibi ſedem Metropolitanam perpetuo habere debeas, & inde cæteros epiſcopos inſtrueres ad vitam rectitudinis, & tui ſucceſſores perpetuo jure poſſideant, hoc, quod decreverunt, nos læto ſuſcipimus animo, ex eo quod ex Dei nutu factum eſt.* Quidquid ſit, Colonienſem eccleſiam, quæ inter cæteros illos epiſcopos, utpote archiepiſcopalis, non comprehendebatur, Moguntinæ nunquam ſubiacuiſſe paulo poſt patebit; ut S. Bonifacio unam ſolummodo Metropolim confirmatam fuiſſe nunc patet. Notandæ illæ phraſes, *Moguntina confirmata ſit*, & *Colonienſem confirmavimus*, quæ duo, ſi ſaltem tres ita habet, alterius recentem inſtitutionem, alterius vero antiquam fundationem clare dicunt & exprimunt. Unde certum ſit, Moguntinum nihil amplius juris ad primatum habere, quam Colonienſem; imo Colonienſem eo amplius juris habere, quia Metropolis Colonienſis antiqua eſt, Moguntina recens. Ex quo igitur capite Moguntini titulum primatis aſſumere potuerint, merito admiratione dignum videatur. An ex bulla Benedicti 7. *quo in tota Germania & Gallia poſt ſummi culmen pontificis, in omnibus eccleſiaſticis negotiis, id eſt, in rege conſecrando, & ſynodo habenda, cæteris omnibus tam archiepiſcopis quam & epiſcopis, apoſtolica authoritate, ſicut juſtum & rectum eſſe videtur, præemineas?* An, inquam, ex hac bulla? Atqui nec inde
NB. primatus authoritas elici poteſt, cum pontifex in eadem bulla, quod notatu digniſſimum, Willigiſum non primatem ſed Moguntinæ ſedis archiepiſcopum vocet; cumque non dictat *juſtum & rectum eſt, ſed juſtum & rectum eſſe videtur;* nimirum reſpiciens ad ſtatum eccleſiæ Moguntinæ ſui temporis; & reſpondens ad informationem a Willigiſo, *bono & ſancto zelo*, ut bono & ſancto zelo tantum concedamus, pro ſo factam. Narrat pontifex de ſervanda privilegiorum integritate, nihil decernit; & tamen Moguntini tam fragili fundamento firmiter inſiſtunt. Ridiculi homines. Ubi Carolus 4. in aurea bulla teſtatur de Colonienſi, *cui competit dignitas, nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi, nihil novi ſciſci, ſed tantum ſignificari volunt, quonam officio jam tum gauderet Colonienſis.* Ubi vero Benedictus 7. dicit, *juſtum & rectum eſſe videtur*, determinativam ſententiam haberi volunt, & legem ex ea inducunt. Ridiculi revera homines, γελῶσι, καὶ γελαστέοισι. At vero Colonienſis, ut bullam bullam eſſe hac vice diſſimulemus, ab omnibus primatibus ſi qui eſſent, a
Videatur Mallinck. de primatu p. 195. & ſeqq. Leone nono in ſpecie exemptus eſt, *ſicut neminem archiepiſcopum tibi ſubjicimus, ita ſub nullo primate te agi decrevimus.* Porro indubitatum plane, ſi quid bulla obtinere deberet, Benedictum 7. de proëdria tunc uſurpata tantum loqui, non vero de poteſtate aliqua primatus, quando in præjudicium multorum tam exceſſivam bullam expedire non potuiſſet: verba illa, *in tota Germania & Gallia*, partum ſuppoſititium matris Moguntinæ nimis aperte produnt. Ingens authoritas primatus eſt, ut non temere eam ſibi arrogare liceat. In primitiva eccleſia intra numerum quaternarium conſtitit, levi ambitione tribus patriarchis in Oriente contra unum Occidentalem conſidentibus: donec Conſtantinopolitanus, ex mera quoque arrogantia adiiceretur. Aquilegienſis & Gradenſis nomina honoris ſunt & absque re. Talis etiam Magdeburgenſis, & Moguntinus. Demus titulum, poteſtatem non agnoſcamus. Nihil enim nocet in verbis largum eſſe, prodeſt in factis tenacem eſſe. Cæterum quo
Paritas electorum eccleſiaſticorum, imo & ſecularium quantum ad electoratum. minus agnoſcamus, ratio ipſa præſcribit. Archiepiſcopatus Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, paris fere ſemper conditionis fuiſſe, ex eo patet quam maxime, quod Magdeburgenſis primatus in ſua fundatione, ipſis omnibus in Gallia prælatus non fuerit, ſed adæquatus. Nam ſi diſtinctio aliqua triumviros illos interceſſiſſet, omnino, ubi de publico honore agebatur, exprimendum fuiſſet, non in genere, ſed in ſpecie, huic vel illi Magdeburgenſem per omnia honore ſimilem ſtatui, non omnibus ſimul ſumptis. Urſburgenſis & Schaffnaburgenſis, dum Moguntinos archiepiſcopos primates vocant, ſi vocant, ex communi opinione loquuntur, non ex rei veritate. Unde merito dubium oriatur, an in concurſu electorum, Moguntinus cæteris potior exiſtimari debeat. Ex jure convocandi non videtur hoc ſequi. Eſt enim peculiaris functio, qualem quoque ſinguli electores, præter ſuffragia ſua, obtinent. Qui decanum collegii vocant, eoque ut tali in aliis merito primas tribuunt, viderint, utrum ejusmodi titulum ſolenni & recepta conſtitutione probare poſſint. Certe exigua ejus rei teſtimonia apud authores. Et ut Freherus apud Rebdorſenſem literas deſuper proferat, eique Onuphrius, Windeckius, & Oſtermannus conſentiant: Serarius certe parum acriter pro iſto titulo militat, & non niſi MS. quoddam allegat. Quo etiam facit, quod Aur. Bull. *ad unitatem inter electores fovendam, & electionem unanimem inducendam, ac deteſtandæ diviſioni, variisque periculis*
C. 1. *ex ea ſequentibus, aditum præcludendum*, de electoribus eccleſiaſticis diſerte dicat, *ut igitur inter ve-*
C. 4. *nerabiles Moguntinum, Colonienſem nec non Trevirenſem archiepiſcopos, S. imperii principes electores, omnium litium & ſuſpicionum mala, quæ & qui de prioritate ſeu dignitate ſeſſionum ſuarum in curiis imperialibus & regalibus ſuboriri valerent, in poſterum perpetuis in antea temporibus amputentur, &c. decernimus, &c.* innuens neminem unum aliis potiorem fuiſſe aut eſſe, ſed omnes æqualis conditionis, prærogativæ,
Corona imperialis qualis ſit. dignitatis, quantum ad electoratum. De corona imperiali aliquid adiiciendum videbatur, ſed cum Conringius more ſuo cuminum ſerens affirmare non audeat, illam, qua Germaniæ reges olim coronati fuerant, eandem eſſe, qua hodie reges Romanorum coronantur, & tantum *per veriſimile* ſtatuat: ſatis erit reſpondiſſe, eam rem exigui admodum momenti eſſe; videri tamen in coronationibus

nibus hodiernis coronam Caroli Magni potius adhiberi, quam quamvis aliam; cum omnia ornamenta, quibus cæſares in conſecratione veſtiuntur, ejuſdem imperatoris eſſe, paſſim & ubique perſuaſum ſit: ut ſi alia inſignia regia inde aſſumantur, abſurdum videri poſſit, coronam aliunde ad iſtum actum conquirere, aliumve coronatorem, quam qui ab antiquo præfectus cymeliorum imperalium fuit. Sed de his & ſimilibus infra latius; nunc ad Antagoniſtam, ut oſtendamus importuna illum prudentia ſapere, poſſeque eminentiſſimum Moguntinum ejus opera, tanquam lippo oculo uti.

Ratione primatus competere Moguntino omne jus coronandi. *Pag. 7.*

Vos o Calliope precor adſpirate canenti, *Virgil. 7. 9.*
Cornua jamque ſonant, it bello teſſera ſignum.

Prætermiſſis ergo aliis præambulis, quæ in quæſtionem non veniunt, aut ſi veniunt, loco & tempore ſuo examinabuntur; videamus, utrum tam audax effatum per ſe ſubſiſtat, & quando ceperit primatus Moguntinus, κατ' ἐξοχὴν dictum putemus, quando Conringius etiam græce loquitur cum diis ſui generis.

Falſa opinio Conringii de primatu Moguntino.

Οὐράνιοι ἑλληνίζουσιν ἅπαντες.

Καλὰ Μέγα Magiſter a Mopſopia. Ignorabam te græcari & pergræcari, nunc didici. Par pari in poſterum hinc inde reponetur. Interim ut ad rem veniamus, in origine primatus variant enim vero egregie authores, & putidula eſt admodum argumentatio Viſcheri, qui ait: *Tanquam archipræſul & quidem ditiſſimus, inter eccleſiaſticos, potentiæ intuitu primatum facile obtinere potuit.* Aliter Moguntini. Jam a Zacharia pontifice repetunt; jam a Benedicto VII. jam a Dagoberto rege Galliarum; jam a Lodovico rege Germaniæ: unius tam certi quam reliquorum omnium. Quod amplius. Jam volunt tempore S. Bonifacii Coloniam Moguntino ſubjacuiſſe; jam ann. 870. ad Germaniam primum perveniſſe; jam in Gallorum poteſtate ſub Carolo ſimplice fuiſſe; jam in Lotharingorum dominio ſub Zuentiboldo notho extitiſſe: unius, ut dixi, tam certi quam reliquorum omnium. Quis ergo patienter iſta audiat? *Reſtaurata Moguntia, & a Francorum regibus, maximeque a Dagoberto in priſtinam imo multo ampliorem dignitatem eſt revocata, caput ſcilicet effecta regni orientalium Francorum: ac metropolis Galliæ, Germaniaque, cunctarum urbium ciſalpinarum.* Aut iſta? *Habuit illa ſedes dignitatem primatus ab initio usque regni Germanici; ſtatim enim facta illa vaſti Francorum imperii an. 842. tres in partes diviſione, Moguntinus archiepiſcopus conceſſit in ditionem regni Francorum orientalis. Colonienſis autem & Trevirenſis an. demum 870. illi regno acceſſerunt; cum ante fuiſſent partes regni Lotharienſis. Neuter vero eorum poſt etiam dubium fecit Moguntino locum primum.* Vere dicam. Si a Dagoberto, aut Ludovico regibus accepit dignitatem primatus illa ſedes, jam neque a Zacharia, neque a Benedicto VII. accepit: & quia ab iis non accepit, qui dare poterant, ab iis accipere non potuit, qui dare non poterant. Non accepiſſe autem ab iis qui dare poterant, hoc eſt a pontificibus Romanis, jam ſupra oſtenſum eſt, & unico hoc argumento porro oſtenditur. Zacharias eccleſiam Moguntinam metropolim vocat: Benedictus VII. Willigiſum archiepiſcopum, nusquam ergo primatis & primatus origo. Atque ita ratione prærogativæ dubitanter acceptæ, Moguntinus jus coronandi ſibi arrogare non potuit; multo minus dignitatem primatus in poſteros transmittere. Unde extra admirationem, ſi Colonienſis & Trevirenſis ſæpe adnixi ſint, dubium reddere Moguntino primatum ſuum, quod impudenter contra fidem, qua propriam qua hiſtoricam negatur a Conringio. Paulo poſt id patebit, ut & variæ & contrariæ ejus opiniones.

Auguſtus Viſcherus de Elect. Regis, &c. Concluſione 20. p. 113.

Serar. l. 1. c. 9. MS.

Conringius p. 8.

NB.

Iſte itaque in regno Germania primatus Moguntini archiepiſcopi, cum itidem careat dubio, jam ſole meridiano clarius manifeſta eſt utique veritas pronunciati mei. *Pag. 8.*

Quid cauſſas petis ex alto? *Virg. 8.*

nullo modo tuum eſt,

Ὅρμηθας γνῶναι, καὶ ἐναίσιμα μυθήσασθαι.

Dixi jam nunc non carere dubio iſtum Germaniæ primatum, eo quod de authore initiali adhuc dum non conſtet. Expediat ante omnia hunc ſcrupulum Conringius, & tum videbimus, utrum jus coronandi a primatu dependeat; ejusque intuitu Moguntino id competiiſſe, *jam tum olim profecto non fuerit ignoratum.* Veritas pronunciati quæ ſole meridiano clarius manifeſta eſſe jactatur, necdum e denſis tenebris emerſit: latet nunc quoque in profundo puteo Democriti philoſophi. O Conringi, male faber coronarii operis, *cui non riſére parentes*

Error de jure coronandi.

Nec Deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt. *Virgil. in Ecl.*

Ut enim ponamus, non admittamus, poſſe Moguntinum tanquam primum archiepiſcopum, coronare reges Germaniæ, ſi qui in ea hæreditarii ſupereſſent; quo jure Remenſis in Gallia, Toletanus in Hiſpania, Strigonienſis in Hungaria, Gneſnenſis in Polonia, Pragenſis in Bohemia hodieque gaudent: Quid hoc pro coronatione regis Romanorum, qui ad totum imperium, non ad unam provinciam per electionem præparatur? *In imperio Germanico*, ait ille quidem, *Romanorum reges, in Gallia Delphini, in Britannia Wallia principes vocantur*, futuri ſcilicet ſucceſſores in regnis: ſed diſpari admodum ratione. Illi enim principes a privatis provinciis titulos ſortiuntur, & ad privata regna aſcendunt: Reges vero Romanorum perpetui imperatoris Vicarii denominantur, & ad publicum imperium, publicamque ſalutem aſſumuntur. Unde prudentiſſime, ut cætera omnia, Albertus archiepiſcopus Moguntinus, ille ſol æternus in cœlo Brandenburgico. *Cæteri reges non ſuſtinent hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noſter imperator eligitur, ut ſit dux publici conſilii inter omnes reges, ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem eccleſia præcipue cuſtodiat. Itaque cum tantarum rerum cura* impe-

Viſcherus p. & ex eo Oſterm. contra Aſſerium.

Chriſtoph. Forſtnerus in Notis Tolet. ad 1. Tacit. p. 11.

Apud Sabin. de Elect. & coronat. Caroli V.

imperatori commiſſa ſit, non ut in cæteris regnis naſcuntur ſucceſſores: ſed graviſſimo conſilio conſtitutum eſt, NB. *ut judicio atque authoritate noſtri collegii quæratur ſucceſſor, qui molem tantarum rerum ſuſtinere poſſit.* Qui ergo generali adminiſtrationi rerum præfuturus eſt, per eum quoque coronari debet, qui a principio inſtituti occidentalis imperii, generalem poteſtatem ad munus coronandi, omni loco & tempore adeptus eſt. Talis non eſt Moguntinus, ſed Colonienſis, ex quo concluſionem facere liceat contra Viſcherum ſcribentem, *notum eſt & conſtat, jam a tempore Pipini, quem ritu chriſtiano Bonifacius epiſcopus Moguntinus inunxit, primas eum per Germaniam imperatorem deligendi tenuiſſe.* Adjungit quidem Serarius, *inter ſacri imperii Rom. ſeptemviros, primas tenere Moguntinum tradunt omnes, libenterque agnoſcunt reverendiſſimi & illuſtriſſimi ejusdem ordinis collegæ, tam eccleſiaſtici quam politici:* Verum enim vero utrum Serarius ſuper ea quæſtione ſingulorum principum electorum affirmativam ſententiam exquiſierit acceperitque, mihi adhuc incompertum eſt, ut cum prætore Romano reſpondere parum dubitem, non liquet.

pag. 37. l. 1. c. 25.

Jus Coronationis non dependere a primatu.

Moguntinus ipſe hoc primatus jure fretus, ægre quondam permiſit a Colonienſibus coronationem regiam inſtitui etiam intra ejus diœceſin Aquisgrani.

Quaſi vero aliquis Colonienſium olim dixiſſet,

Ipſum obteſtemur, veniamque oremus ab ipſo,
Cedat jus proprium regi, patriaque remittat.

Virgil. 1.

Παιδία τῶν παίδων. Cum de origine primatus Moguntini in Germania necdum plane conſtet, vel ſtolidi, vel arrogantis animi eſt, velle illum extra provinciam quam longiſſime extendere; idque propter unum Lambertum Schaffnaburgenſem male allegatum. Colonienſis archiepiſcopus nunquam jurisdictionem Moguntinæ eccleſiæ, ac ne quidem ipſius Bonifacii ſuper ſe agnovit: multo minus ut idem Bonifacius per biennium Colonienſi eccleſiæ præſederit, quod vult Crombachius. Patet id ex controverſia, quæ eodem tempore ſuper epiſcopatu Ultrajectino, inter partes invaluit. Johannes de Beka hæc habet: *His diebus diſſentio quædam exorta eſt, inter eccleſiam Colonienſem & Trajectenſem. Poſtquam enim Bonifacius archiepiſcopus Trajectenſis, jubente Zacharia papa Pipinum ducem Sueſſione unxiſſet in regem Francorum, quem Clemens quidem baptizaverat in regno Germanorum, archiepiſcopus Colonienſis aſſeruit, caſtrum cum eccleſia Trajectenſi ex donatione Dagoberti regis ad Metropolitanum ſuum ſpectare: & contra præfatus Trajectenſis archiepiſcopus affirmavit eccleſiam ſuam ad ſedem apoſtolicam ſine medio pertinere. Quapropter & Bonifacius præſentis Epiſtolæ conſultationem (quam ibi videre eſt) ſcribi fecit, quam ſanctiſſimo P. D. Stephano PP. deſtinavit.* Licet hinc cognoſcere, archiepiſcopum Colonienſem nunquam ſubjacuiſſe primatui prætenſo Moguntino; ſed ex adverſo Trajectinam eccleſiam, quam S. Bonifacius ſibi aſſerebat, tanquam exemptam, jure metropolico ſibi depopoſciſſe. Saltem nihil juris S. Bonifacium in eccleſiam Colonienſem habuiſſe, vel inde colligitur, quod pontificem Romanum, velut ſupremum arbitrum controverſiæ, per epiſtolam interpellavit; uſurus dubio procul authoritate ſua, ſi quam in Colonienſem cathedram habuiſſet. Eadem ratio eſt cum bulla Benedicti VII. incertæ & ſuſpectæ fidei de qua ſupra. In ea quidem legitur, *ut in rege conſecrando*, ſed quo? *& ſynodo habenda*, ſed ubi? *cæteris omnibus præemineas.* At vero, quando de rege Bohemiæ tum noviter inſtituto, & de ſynodis intra Germaniam & Galliam, quæ ad Rhenum ſuperius pertinebat, habendis, ea verba accipi poſſunt, & Willigiſus, ejusque ſucceſſores conceſſo ſibi privilegio, ſi tamen conceſſo, nunquam in partibus Auſtraſiæ vti viſi ſunt, vel ſtolidi vel arrogantis animi eſt, ut præmiſi, aſſerere *Moguntinum primatus jure fretum, ægre quondam permiſiſſe, a Colonienſibus coronationem regiam inſtitui, etiam intra ejus diœceſin Aquisgrani.* Archiepiſcopo Moguntino præcedentiam in ſuo archicancellariatu libenter & ultro quidem concedimus: de primatu neſcimus. Quando juxta bullam Benedicti VII. in Gallia Belgica, Celtica, & Aquitanica, Moguntinus primatum obtinebit, obtinebit ſimiliter in Germania. Hoc fiet ad Kalendas græcas.

Henſchenius in Dagobertis l. 2. c. 130.

NB.

NB.

Pag. 9. *Nunquam interrupta atque adeo perpetua 800. annorum conſuetudine, jus coronandi per univerſum regnum hoc, una excepta Colon. diœceſi, Moguntinæ ſedi hactenus manſiſſe integrum.*

Pag. 4. *Arcadii memoranda inventa magiſtri.*

Qua fronte audet ita loqui Conringius? eadem me hercule qua meritoriæ mulieres ſedent in proſtibulo, nempe in verecunda. Ante Othonem Magnum, nemo regum Germaniæ, niſi unus aut alter fortaſſis, fuit trans Rhenum coronatus a Moguntino; nemo etiam poſt Othonem magnum regum Romanorum cis Rhenum, præterquam Henricus II. ex odio, Conradus Salicus per invidiam, Rodolphus Suevus in ſchiſmate: cum contra ante Othonem coronaverint Colonienſes Lodovicum Pium, & Lotharium I. poſt vero Othonem, omnes omnino citra contradictionem electos cæſares uſque ad Maximilianum II. Ubi ergo *nunquam interrupta, atque adeo perpetua 800. annorum conſuetudo?* Si natura per ſaltum non progreditur, quare hic homuncio contra naturæ ordinem per ſaltum progreditur? Gnaviter impudens eſt, & a natura male inſtructus, ſaltat a Pipino III. uſque ad Henricum II. ab Henrico II. uſque ad Maximilianum II. & audet 800 annorum continuationem allegare: imo confidenter aſtruere, *fuerunt ſic ſatis multi Germaniæ regum, extra Colonienſem diœceſin coronati: Germaniæ regum, inquam; nec enim de cæſarea corona eſt quod nunc agamus, aut ſimus ſolliciti cum defenſoribus Colonienſibus pag. 46. cis an trans alpes, poſt Lotharium Lodovicus II. Carolus Calvus, Carolus Craſſus, & Arnulphus cæſarea corona ſunt inſigniti.* Cedo, *qui illi ſic ſatis multi Germaniæ regum?* qui illi

Regum inſcripti nomina florum?

Nugatur poſt hæc neſcio quid de Lodovico IV. Conrado I. Henrico I & II. Conrado II. & Philippo

lippo Suevo, ſed quia inferius coronationes eorum tanguntur, non eſt quod hoc loco tempus in eis conteramus. De Pipini coronationibus dicere nunc ſufficiet, *poſtquam Pont. Zacharias regem Francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, regno depoſuit, omneſque Francigenas a juramento fidelitatis, quod illi fecerant, abſolvit.* Zacharias utique gravis propheta pro Childerico. Solerter & induſtrie de prima coronatione Panvinius de comitiis imperialibus. *Primus*, inquit, *quod ſciam regum in Occidente, unctus eſt Pipinus rex Francorum a S. Bonifacio Mogunt. archiepiſcopo, ex authoritate Zachariæ pontificis, fortaſſis quia primus eſſet, qui ex privato & non regio ſtemmate Francis præpoſitus fuerit. Merovingorum ſtirpe regia regno mulctata, quem deinceps cæteri reges Francorum primo, mox imperatores imitati ſunt.* De altera diverſo ſenſu Forſtnerus ad Tacitum. *Pipinus*, inquit, *tranſlato, a Merovæi ſtirpe in ſe Francorum regno, ut non magis in victas ipſius vires formidarent populi, quam religione reverentur, Stephanum Rom. Pont. a quo coronaretur, inungereturque, Roma in Galliam traduxit.* De hac tacent Moguntini, de illa gloriantur. Bonifaciana coronatio ipſis Acropolis eſt, & quaſi ἀνδραπόδων ὑποδοχὴ τῶν ἀστεγάστων, ex qua omnia tela in Colonienſes eiaculantur. Huc ſe recipiunt ingruente hoſte; propter hanc ſperant victores ſeſe evaſuros. Quid igitur conſilii? an deſperandum? neutiquam. Non cadit hoc in viros fortes & conſtantes, quibus aut vincendum aut moriendum in bello eſt. Quam arcem violenta manu oppugnare non libet, cuniculo ſuffoſſam deiiciemus. Ecce illum Pipinum nunquam fuiſſe regem Germaniæ, multo minus *Germanum & Francum Orientalem*, quod voluit Oſtermannus; ideoque propter Germaniam coronari non potuiſſe. Incipit hinc arx nutare, diſſolvi, denique concidere; ita ut ne quidem lapis ſuper lapidem remaneat. Omnes, quotquot de rebus Pipini ſcripſerunt, nobis cum hunc cuniculum excavarunt. *Pacato*, inquit, *Sigebertus & dilatato regno Francorum, Carolus bellicoſus Princeps obiit, & filios ſuos Carolomannum & Pipinum Principatus ſui ſucceſſores reliquit.* Principatus obſerva, non regni. Item P. Æmilius, *Carolus Martellus, cum Franciæ regnum non affectaret modo, ſed revera teneret quoque, regios titulos averſatus eſt, princeps nobilitatis appellari contentus. Qua arte Pipino filio regnum obtinuit.* Et iterum. *Pipinus ſibi ſuiſque tantum opum atque virium circumdedit, ut poſteris, uſque ad Pipinum alterum, præter nomen nihil ad regnum defuerit.* Denique paulo clarius Bucelinus. *Obiit hoc anno tot gentium triumphator, terror & rector, Carolus Martellus, primus Francorum princeps nominatus, 11. Kalend. Novembris, in æde S. Dionyſii Pariſiis inter reges ſepultus, cum paulo ante mortem, Auſtraſiam, Alemanniam, & tranſrhenanas provincias Carolomanno: Franciam, Burgundiam, & cætera Pipino (regenda, non poſſidenda) filiis aſſignaſſet.* Atque inde eſt, quod Carolomannus Dux Germanorum vocatus fuerit, quouſque cucullum induens Monachus efficeretur: Pipinus vero princeps Belgarum & Major domus Francorum, donec per Zachariam pontificem ad regnum Galliarum, dejecto Childerico perveniret. Acute P. Alex. Wilthemius, *Carolus Heriſtallii filius, Pipinus item & Carolomannus Nepotes ejus, quod Majores domus eſſent, paſſim in veterum annalibus principes nominantur, eorumque munus principatus.* Ut ita coronatio Pipini, authoritate apoſtolica extra Germaniam per unam perſonam inſtituta, archiepiſcoporum Moguntinorum cauſam in nullo juvare poſſit; non magis quam quod Stephanus pontifex Pariſiis iterato *confirmavit Pipinum unctione ſancta in regem, & cum eo inunxit duos filios ejus Carolum & Carolomannum in regibus.* Uterque enim nihil amplius Pipino contulit, quam quod Childericus poſſederat: poſſederat autem ille regnum tantum Galliarum, unde conjectio Aventini, vel verius *ſemihominis Caci* in Aventino, in fumum & fucum abit, *cui tanti unctio S. Bonifacii viſa fuit, ut putaverit ab ea manaſſe, quod archiepiſcopi Moguntini primas ſemper tenuerunt in regum Romanorum electione.* Stolidum Aventinum, & a multis jure reprehenſum, ſi ita judicavit. Quid enim Gallia ad Germaniam? quid regnum ad imperium? Talibus profecto auctoribus opus habent, qui Moguntinum primatum alienis plumis exornare ſtudent. Aperte dicam. Nihil coronatio Pipini ad Moguntinos. Ratio, quia Zacharias pontifex Metropolim illorum, ut hoc præſupponamus, ultra Tungros non extendit: ut ita intuitu alius tituli illa fieri debuerit. Extra Metropolim ſuam nullus archiepiſcopus coronare, vel ſacri quid peragere poteſt: Sueſſio urbs Galliarum extra Metropolim Moguntinam eſt; ergo non potuit niſi titulo legati apoſtolici Bonifacius illic coronare. Ergo nihil hæc coronatio ad Moguntinos, tanquam ſolos archiepiſcopos ſuæ Metropolis. Quapropter haud aliunde quam ex illimitato apoſtolatu Bonifacii, apud rudes illius ætatis Germanos qui ejus authoritatem in Gallias uſque extenſam admirabantur, & cum villico Bebeliano omnipotentiam quandam interpretabantur, falſa opinio de primatu Moguntino invaluit, quam poſteri a majoribus acceptam, utpote plauſibilem, rei circumſtantiis non conſideratis, avide arripuerunt, & in hæc uſque tempora, nemine interea contradicente, propagarunt, ulterius propagaturi; niſi in illud ſæculum incidiſſemus, in quo

Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Quamquam mihi latens quædam cauſſa, & a nemine hactenus obſervata magis arrideat placeatque. Auſcultate, dicam cum Aeſchine, ὦ γῆ, καὶ θεοί, καὶ δαίμονες, καὶ ἄνθρωποι ὅσοι βούλεσθε ἀκούειν τ' ἀληθῆ, uno verbo rem abſolvam, ne mundus gravi errore in poſterum teneatur; neque quis Pipini ambitionem de meteoriſmo ſuo pondus Moguntinis affricuiſſe putet. Acute iterum P. Wilthemius. *De regum Merovingorum poſteriorum jactata ignavia, hoc primum dixerim, colorem eſſe invidioſum, quo eos infuſcarunt laudatores & cultores Pipinianorum & Carolingorum* juxta illud vulgatum *plures adorant ſolem orientem quam occidentem. Sed non diſputo ſubtile hoc politicæ vel ſchema*, ut loquitur alibi *Puteanus*, vel *lubricum exemplum*, ut vocat neſcio quis Neotericus. I. P. non eſt danda adverſariis majoris calumniæ occaſio. Et puto ipſum Conringium non ſegnem fore in convellenda coronatione Pipini, niſi materiæ ſuæ ſerviret.

Oſterm. contra Aſter. p. 74.
Pag. mihi 318.
De coronationibus Pipini.
In Notis politicis.
Vide P. Æmilium l. 15 Joſephum Ryckelium in S. Gertrude.
Henricum Schorum in Breviario Rom. Pont.
Henſchen. l. 3. alios innumeros.
Contra Aſter. p. 154.
In Chronic. ann. 741.
l. 1. & 2. de Regibus Francor.
an. 741.
an. 747.
In notat. ad Dagobertum Regem Franciæ & Martyrem p. 43.
Pipini coronatio nihil ad Germaniam.
Virg. l. 8.
Propertius in Eleg.
NB.
Vide Serar. Notat. 38. & ſeqq.
Martialis.
Vera origo Primatus Moguntini, ejuſque natura.
In S. Dagobert. p. 34.
Eraſm. in Adagiis.
Diſſert. de Induciis.

In Hiſtoria ab O. C. ſerviret. Novit ſe accommodare tempori, velificat, perveniet ad portum ſcilicet. Tantum dicam, vellem exſpectaſſet Pipinus mortem Childerici, minori invidia apud multos laboraret, *NB.* nedum Bonifacius, nedum Zacharias, pontifex. Quod omnes decepit in opinione ſua, hoc eſt, putarunt primatum ſuffragii, primatum jurisdictionis eſſe. Cum enim antiquis temporibus in concurſu multorum principum, Moguntinus primum votum in electione obtineret, Guntherino teſte,

In Ligurin. *Præcipuam vocem præſul de jure vetuſto Moguntinus habet*,

inque eo priſci authores paſſim conveniant, paulatim titulus ille primatus a prærogativa vocis invaluit, & in eum, qui rei eſt, pluſquam Ovidiana Metamorphoſi tranſiit. Nimirum, qui titulum primatus excogitarunt, maxime inexperti iſtius ſæculi Cappadoces, nulla diſtinctione adhibita, voluerunt, eum idem ſignificare in Moguntino, quod in antiquis eccleſiæ primatibus ſonuerat, ideoque tam amplam & ſupereminentem authoritatem illi tribuerunt. Ut milites illi ex Regiliano regem, ſic hi ex primo primatem fecerunt: ſed quam abſurde vel inde patet, quod primates olim patriarchæ eſſent, vertices & capita Metropolitarum, quemadmodum Metropolitæ vertices & capita epiſcoporum. *In Hiſt. ſui temporis ad an. 1580.* Unde bene Michael ab Iſſelt, *eccleſiaſticarum dignitatum gradus & ordo hic eſt. Patriarcha, Metropolita, ſeu archiepiſcop. epiſcopus, Hieromonachus, Presbyter, &c.* & iterum. *Patriarcha ſecundum antiquos Canones a Metropolitis, archiepiſcopis, & epiſcopis eligitur. Metropolita proximam a patriarcha ſedem, ſed ordine habent.* Jam vero liquet, neminem unquam archiepiſcoporum ſubjectum fuiſſe ſedi Moguntinæ, ſed tantum epiſcopos prout & Colonienſi, ex quibus Pragenſis, poſtquam in Metropolitanum evectus eſt, ab ejus ſuffraganeatu abſolvi meruit, ut proinde ex hoc capite Moguntinus pri- *NB.* mas Germaniæ dici aut haberi non poſſit; multo minus ut propter primatum jus conſecrandi regem *pag. 28. NB.* Romanorum obtineat. *Magna eſt*, fateor cum Viſchero, *ſedis Moguntinæ prærogativa*, verum haud tamen tanta, ut lumen Colonienſis eccleſiæ obſcurare poſſit, ſi propter jus primæ vocis, quod olim Moguntino competebat, primas cenſendus fuit: hodie dubio procul Trevirenſis primas cenſendus erit, quod idem *De Regalibus Electorum.* jus per A. B. in eum translatum eſt. Hoc abſurdum, ergo & illud. Regalia electorum propter perſonas diſtincta ſunt, non propter ordinem. Quilibet vice ſua fungitur citra præjudicium collegarum. Sic hodie Moguntinus archicancellarium Germaniæ: Italiæ, Trevirenſis Galliæ Arelatenſis; Rex Bohemiæ archipincernatum imperii, comes palatinus rheni archidapiferatum, dux Saxoniæ archimareſchallatum, marchio Brandenburgi archicamerariatum, & quæ officia & dignitates ab eis dependent, citra confuſionem adminiſtrant. Eat igitur nunc cum ſuo primatu toties inculcato Conringius, & ex argumento male inſtructo formet pejorem conſequentiam cum Viſchero, *olim coronationis, ſeu inau-* *P. 110.* *gurationis jus Moguntino competiiſſe anteriora revolventibus tempora, & hiſtoriarum ſtudioſis non ſemel occur-* *NB.* *rere.* Primatum ſuffragii, ut dicebam, habuit Moguntinus, non jurisdictionis, quæ functio a *Exſpiratio Primatus Moguntini.* coronatione tam longe abeſt, quam cœlum a terra diſtat. Vox eſt primatus Moguntinus, nihil præterea. Unde in aërem evaneſcit veſtigium ſoni poſt ſe non relinquens. Sicque ſublata cauſſa primatus, ceſſat effectus coronationis; ut convulſis columnis corruit ædificium. Revera non per- *Polit. 1.* penderat Conringius illud Platonis, μηδὲ φιλοτιμοῦ ἐλέγχων, ἐπειδάν τις τι ἀποφαίνηται: ideoque tam aſſeveranter τὸ πρωτεῖον illud Moguntinum identidem inclamavit, nunc ut ille Homericus, ὀρεξάμενος πρύμνης ουλα·. *P. 14.* Quid porro? invenit tandem, quod reſponderet in mendatiore, erro, emendatiore editione, ubi ait, *hoc ſane ultro ſequitur ex iis, quæ jam probata dedimus. Si enim Moguntinus per* 800. *annos amplius usque ad hoc tempus omnes coronationes extra Colonienſem diœceſin inſtitutas peregit, utique (etiamſi nullo uteretur ſedis ſuæ primatu) vel uſucapione, atque præſcriptione ſibi jus firmum certumque jam acquiſiviſſet contra Colonienſem: Etſi forte huic ex conſtitutione Caroli M. olim illud jus competiiſſet*,

Θαρσῶν νῦν Διομήδες ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι,

Tres ad ſummum coronationes fecit extra diœceſin Colonienſem Moguntinus intra 800. ann. in Henrico 2. Conrado 1. & Rudolpho Suevo, quanquam Linda de Conrado 2. dicat, *coronatus eſt Aquiſ-* *Lucas de Linda in deſcript. Orbis.* *grani ab archiepiſcopo Colonienſe* ſaltem de iterata conſecratione Henrici 2. conſtat, & de Conrado in ſolium Caroli magni apud Aquisgranum elevato. Et audet inficetus Conringius illas tres omnes vocare. Et quidni? ubi plures non ſunt quam tres, ibi omnes ſunt. O natum ad litigia maſculum, & ex genere illius, qui omnes malas cauſſas, ſe defendere poſſe, æque ſcelerate jactabat ac faciebat. Quas extra diœceſin Colonienſem coronationes Moguntinus inſtituit, male inſtitutas dicimus; nec poſſe ideo vel in uſucapione, vel præſcriptione ſibi jus firmum fundare. Uſucapio valet, quando is obiit, cujus bona fuerunt. Atqui vivit adhuc Colonienſis, qui verus poſſeſſor coronationis eſt. Præſcriptio obtinet, quando juſto titulo quis in bona ingreſſus eſt. Atqui ſupereſt etiamnum Colonienſ. cui juſto titulo coronationem obtinenti, præſcribi non poteſt. Videat igitur Conringius, quanto pluris ſit conſtitutioni Caroli magni tam certe inniti, & tot conſecutis ex ea coronationibus, quam in tam incertam venditationem primatus inclinare, & paucas ſuper eum fundatas coronationes. Hoc eſt profecto elephantem ad arborem ſecatam dormire cum lemmate:

Sambucus in Emblem. Pag. 11. *Nuſquam tuta fides.*

Colonienſi non competere aliquod jus coronandi, niſi intra diœceſin ſuam:

puta dicere Neptunum noſtrum,

Virg. 1. *Illa ſe jactet in aula*

Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

Itane vero intra illas anguſtias non extra? Dictum Lucretii eſt, *ſed vanus ſtolidis hæc omnia pertorit error.*

l. 1. Quid ſi replicemus, Moguntino neque intra neque extra diœceſin ſuam jus aliquod competere, quid

quid reſpondebit Conringius ille, qui alias tam robuſta voce ingerit, *jam tum demonſtravimus jure gentium Chriſtianarum fundato ſuper jure naturæ in univerſo orbe Europæ, ad illum, qui inter præſules primum in regno quovis loco obtinet, jus coronandi ſpectare?* Reſpondebit, ut conjicimus, more ſuo, ſingulari aliquo privilegio, & fortaſſis primatus intuitu, illi hoc jus competere. Quid ſi iterum reponamus, Colonienſem quoque talem primatem in Germania inferiore eſſe, qualis Moguntinus in ſuperiore, videlicet primum archiepiſcopum, poſſeque eandem rationem allegare; quid tum in medium afferet? Non habebit, quod dicat, niſi ſi primatum Moguntinum, vocabulo ſymmyſtis ejus uſitato, ubiquitarium eſſe voluerit. Θεοὶ δέ τοι πάντα δύνανται. Atqui hoc nemo ipſi concedet, cum ultro & quidem non coactus fateatur, *quod regnante Zuentiboldo, Colonienſis haud numeraretur inter proceres regni Francorum, quod cedebat Lodovico, ſed inter proceres regni Lotharingorum. Guntherinus de Colonia & Moguntia ſcribit,*

Moguntino non competere jus coronandi, ſed Colonienſ.

Pag. 7.

Vide novum Atlantem Tom. 2. in regno Caroli M.

Ambæ Metropoles, *L. 1.*

de illa tanquam matre, de hac tanquam filia intelligendus. Quid porro? Doceat Conringius, quo jure Moguntinus extra primatum toties prætenſum, duos item reges Romanorum, Fredericum 2. & Lodovicum 4. de quo tamen dubium, Aquisgrani coronaverit; vel dicemus, nec diſſimulabimus, cantaſſe illum canticum domini in terra aliena. Colonienſi autem competere jus extra diœceſin ſuam etiam coronandi haud difficulter probamus.

Primo, quia archiepiſcopus eſt, annis amplius quadringentis antiquior Moguntino, idque in provincia, ubi imperatores reſidebant.

Rationes pro jure coronandi in favorem Colon.

Secundo, quia elector eſt, cui prærogativam ipſi propriam & inhærentem, ubique & quandocunque exercere non minus competit quam reliquis electoribus ſuas.

Tertio, quia jus coronandi, tanquam archicancellarius Roman. imperii, & archicapellanus ſacri Palatii diutius obtinuit, quam Moguntinus jus convocandi, & Trevirenſis jus primam vocem dicendi; ab inſtituto videlicet Occidentali imperio.

Quarto, quia archicancellarius Italiæ eſt, & vicarius ſedis apoſtolicæ in ſpiritualibus trans alpes, quemadmodum Palatinus vicarius imperii in temporalibus; quibus nominibus primæ provinciæ & cathedræ Romanæ arctius adhæret, & ſicut Pontifex ubique locorum coronare poteſt imperatorem; ita & ipſe per totum imperium reges Romanorum.

Quinto, quia præſcriptione longævi temporis contra quoſcunque utitur, in dignitate & officio ſuo, citra ullam reſtrictionem loci aut temporis, per pragmaticam fundamentalem inſtitutus, & confirmatus per auream bullam in perpetuum.

Sexto, quia jus coronandi a nullo primatu dependet, ſed a prœrogativa eccleſiæ Colonienſis, in perſona archiepiſcoporum ſpecialiter eidem jure optimo maximo attributum.

Alias rationes dedit reprobatio diſſertationis Moguntinæ. Sic igitur jus coronandi reges Romanorum Colonienſi intra & extra diœceſin ſuam etiam competit. De eo vero utrum idem juri diœceſano tantum inhæreat, erit commodior dicendi locus, ubi ad eas res accedemus.

Antiquiſſimæ ſcilicet de coronandi iſthoc jure, controverſiæ illæ ſunt, quæ circa inaugurationem Othonis magni & denuo circa Henrici 4. coronationem fuerunt excitatæ. *Pag. m.*

Potuit quæ plurima virtus *Virg. 11.*
Eſſe, fuit, toto certatum eſt corpore regni:
Μέγα γὰρ κακὸν ἐγγύθεν ἦεν. *Od. 1.*

Niſi Conringius in turbida aqua quid piſcaretur, nullam ſpem capiendæ prædæ pro ſe haberet. Ideo controverſias illas toties coquit & recoquit, ut Medea Æſonem, ſed quam bene jam videbimus. Revera,

Controverſiæ de jure coronandi inter partes obortæ, earumque enodatio.

οἱ δὲ δύω σκόπελοι,

ad quos navem rectæ rationis frequenter allidit. Ac primo quidem apparet ex narratione Witikindi, quæſtionem fuiſſe inter electores eccleſiaſticos, quis eorum Othonem coronaret, fortaſſis ex deſuetudine coronandi natam. Qui vero Moguntinus pro jure ſuo allegaverit, non dicit. Dicit tantum, Trevirenſem antiquitatem eccleſiæ ſuæ prætendiſſe: Colonienſem prærogativam ſuæ diœceſeos. Suſpicor, nondum firmato collegio electorali, Moguntinum, quem Pont. Max. vocat, opinioni de primatu inhæſiſſe. Ponamus ita factum, & examinemus uniuſcujuſque conditionem. Quod ergo Trevirenſem attinet, ſatis conſtat ex ipſo actu coronationis, contentionem ejus rejectam fuiſſe, quod porro non memoretur operam ullam præſtitiſſe. Quid enim antiquitas Trevirenſis eccleſiæ, licet veneranda, licet de primatu Moguntina certior, commune habebat cum coronatione? Ceſſit ille igitur, & inpoſterum omnem ſpem, ſi quam unquam aluerat, abjecit. Quod Moguntinum concernit, patet porro ex contextu hiſtoriæ non primatui ejus, ſed ſanctimoniæ perſonæ conceſſum, ut tantam ſolennitatem celebratione divini officii cohoneſtaret. Unde fortaſſis ſucceſſoribus anſa data eſt, ad ſe quoque derivare, quod Hildeberto indultum fuerat. Certe, quod Witikindus de primatu ſileat, magnum indicium eſt, ejus nullam mentionem aut rationem, tanquam non exiſtentis, tum habitam. De titulo Pont. Max. alibi diximus. Quam enim juriſdictionem primatus Germaniæ, ut talis fuiſſet, extra provinciam ſuam obtineret? Contra Trevirenſem & Moguntinum militabat illa lex eccleſiaſtica, *ſi quis Metropolitanus, niſi quod ad ſuam quodammodo pertinet Parochiam, agere tentaverit gradus ſui periculo ſubjacebit.* Erat igitur ſolus Colonienſis, cujus prætenſio præponderabat, & in canonibus fundata erat; utcunque nihil aliud quam jura diœceſis ſuæ allegaſſet. Hæc illi nemo imminuere poterat, nemo intervertere. Nam quod generalem poteſta-

NB.

Chap. 7. 1. p. 482.

tized by Google

poteſtatem coronandi inculcaſſet, ut dubio procul inculcavit, ibi opus non erat, ubi jus Metropolitanum ipſi, tanquam in loco competenti, patrocinabatur. Unde ante omnia licentia & conſenſus ejus accedere debuerunt, nec ipſe plane abſtinere, ſed ad primarios actus coronationis & unctionis, in teſtimonium ſpecialis prærogativæ, manum ſimul admovere. Quæ cum ita ſint, facile cognoſcere eſt, quam inaniter & præſumptuoſe egerit inter alios Lupoldus, qui ad gratiam Hildeberto factam reſpiciens, tantos animos ſumſit, & non niſi vix & ægre conſentire voluit, ut Henricus 4. ab Hermanno Colonienſ. Aquiſgrani more majorum coronaretur. *NB.* Et ſit veriſimile, Wigfridum alias quoque rationes, & ante omnes radicale privilegium pro jure eccleſiæ ſuæ, tum allegaſſe, quod electores Moguntinum & Trevirenſem, propter longam deſuetudinem coronandi, fortaſſis fugiebat Witikindum etiam velut arcanum imperii latebat, ideoque ab ipſo poſteritati conſignatum non eſt. Plane ſi quam operam in hac coronatione præſtitis Moguntinus, præſtitit nomine Colonienſis: unde juxta communem regulam, *quod quis per alium facit cenſetur per ſe facere*, hic actus nihil præjudicat Colonienſi, ſed magis ejus prærogativam, quantum ad coronationem confirmat. *NB.* Fecit Moguntinus nomine Colonienſis, ideoque ipſe feciſſe cenſendus eſt.

Pag. 13. *Palam denique eſt hæc ſententia ipſorummet Colonienſium, ex eo etiam, quod poſt jam conditam auream bullam Carolinam, curaverint per Rupertum cæſarem ſingularibus tabulis ſibi conferri privilegium ac facultatem coronandi interdum extra Aquiſgranum in diœceſi ſua.*

Virg. 6.
Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obſcuris falſa involvens, ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Erynnis.

Falſa aſſertio Conringii de Colonienſibus. Ut aſſerat Conringius, quod negant Colonienſes, ut neget quod aſſerunt, omnia ſuſque deque miſcet. In eum finem quidquid materiæ ſervire poteſt, undiquaque corradit corroditque. Nihil ab unguibus ejus ſecurum, nihil a morſu. Similis eſt illi, qui

ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος,

ſed bona venia D. Doctor, ubi legit dominatio veſtra, *patere illam perpetuam ipſorummet Colonienſium ſententiam, quod nunquam vel tentaverint quenquam coronare extra ſuam diœceſin?* An in Galeno, Hippocrate, Dioſcoride? non puto. Græci enim fuerunt, rerum Germaniæ ignari. An in Averroe, Avicenna, Almanſore? minus puto. Africani enim fuerunt, rerum imperii imperiti. Et nos ſcimus legere, vel ut poetice loquamur, *& nos ergo manum ferulæ ſubduximus*; *Iuven. ſat. 1.* nec tamen illam perpetuam Colonienſium ſententiam ullibi legimus. Poſtulamus doceri ut credamus, & ignoſci modicæ fidei noſtræ. A fratribus reformati evangelii didicimus, nihil credendum eſſe, niſi quod in ſcripturis habeatur, *In Icone Baſilica p. 233.* unde & votum infelicis regis ad filium, *opto vero ut ratione & judicio rata fiat illa educationis ſcriptura, nec aliorum traditis, & conſuetudini ſolum debeatur.* Hoc de Colonienſium perpetua ſententia in ſcripturis non invenimus, ac proinde non credimus. Facimus paria vobiſcum, ſed minori periculo quam vos: nos in fide hiſtorica, vos in fide theologica. *Sepius, heu, miſeris obfuit illa fides.* Interim miſeret me ἀναλγητον tuæ Conringi: excidunt fere lacrymæ ex oculis. Si virum deceret, jam flerem. Sane ut cultum SS. aſperneris, patronos in cœlo habes. Dicamne quos? BB. Simplicium, & Innocentium: nam Quadratum non adjunxero, ne te ruſticum faciam ex Doctore. *NB. Coronaſſe Colonienſ. extra Aquis ante Ruperti tempora.* *Coronarunt* ante hac Colonienſes archiepiſcopi Fredericum Auſtrium, & Carolum quartum Bonnæ, imo Giſelam uxorem Conradi Salici Coloniæ, & quidem nondum promulgata aurea bulla ex jure ipſis ubique competente, & ſomniat Conringius non in Latmio monte ut Endymion, ſed in confuſo cerebro ſuo, illos tanto poſt tempore privilegio ad hoc opus habuiſſe, qui ipſe alibi faſſus eſt, tale quid Carolum 4. etiam non improbare. Si antea potuerunt, quare non poſtea, ſi non poſtea, quare antea? *Hic mihi Grammatici non opus eſt opera.*

Velitis, jubeatis Quirites, Conringium bene de Rep. Mog. meritum in capitolio, σίδιον πάττεσθαι: vel quod aptius cadit, velitis, jubeatis Quirites, Conringium male de Rep. Mog. meritum, in Comitio urticis cædi. *Diſquiſitio de Mauro allegato.* Textus Hermanni Mauri eſt, *e veſtigio exhibuimus uberrimas archetypas nobiſcum allatas, ut D. Ruperti regis Romani Colonia coronati literas, quæ documento eſſent, inter alias inclyta eccleſia Colonienſis, hanc quoque prærogativam competere, ut Colonienſis archiepiſcopus quocunque loco ſuæ provinciæ, ſuo arbitratu, coronationi locum præfinire poſſet.* Quid hoc pro Moguntino, imo quid non contra Moguntinum? Dicit Maurus, *inter alias inclyta eccleſia Colonienſis hanc quoque prærogativam competere, &c.* Quibus verbis aperte liquet, plures prærogativas, jus nempe & alibi coronandi uni *NB.* & ſoli competere & hanc quoque adjectam eſſe, ut locum a Carolo magno deſignatum, pro beneplacito ſuo mutare poſſit; quo nihil magis ſolidum contra Moguntinos dicere potuit, qui in totum a coronatione excluduntur. Conringius ut cauſſam ſuam plauſibiliorem faciat, παντὶ τρόπῳ in ſe*p. 77.*cunda editione Maurum extollit, *quaſi virum a conſiliis Colonienſis archiepiſcopo, ac proinde omnium rerum maxime gnarum.* Non judicandus eſt coquus a cultro, ſed culter a coquo. Et tamen hic Maurus vere fuit quod audiit. eoque exiſtimandum, nihil eum pro prudentia ſua contra dominum, cui inſerviebat, tradere voluiſſe. Captavit prædam Conringius, & umbram aſini venatus eſt. Debebat obſervare, *NB.* quod paulo poſt ſubjecerat, *quod epiſcopus Colonienſis legitimus coronator ſit, & Aquiſgranum in ſua provincia ſitum.* Sed quia hæc clauſula ejus intentioni contrariebatur, incertum pro certo arripere maluit, & lectoribus glaucoma parum profuturum objicere. Cæcus aſſertor cæcum diſſertatorem ſecutus eſt, & uterque in foveam ignorantiæ incidit. Diſce poſt hac cautius mercari Conringi, δάκνεις σεαυτὸν καὶ τὸν ἀπολογούμενον Urinam Mauri, tanquam nigricantis & ex alio orbe hominis non bene inſpexiſti, & pejus de ea judicaſti. Quid? quod ex illa Hartmanni Mauri hiſtoria

conſtet,

conſtet, *ſaltem etiam tum, quando Carolus 5. fuit coronatus, creditum fuiſſe ipſismet Colonienſibus, ſibi tantum intra diœceſin jus eſſe quem coronare?* vere ſcribit Maurus, tres *archiepiſcopos electores ſimul praſtitiſſe officium, in imponenda Carolo 5. corona. Quanquam, ut addit Mameranus, ad ſolum Colonienſem ratione prærogativæ ſuæ ditionis, in qua Aquisgranum eſt, ſpectare perhibeant*, de perſona coronantis bene locutus, locum autem male ad ſolum diœceſin aſtringens. Cæterum, quod Rupertus Coloniæ coronatus fuerat, idcirco privilegium illud dedit, ne quis ſuſpicaretur, eum, quod non in loco, ubi debuit, coronatus eſſet, id minus legitime peractum eſſe, non propter archiepiſcopum Colonienſem qui poterat, καθ' ἔθος ἀρχαῖον πανταχοῦ στέφειν τὸν τῶν Ῥωμαίων βασιλέα· ſed propter locum, quem multi non bene mutari tum perſuaſum habebant. Docui te, Conringi, non licere Colon. ex Ruperti conceſſione alibi quam Aquisgrani in diœceſi coronare, cum oſtendi diu ante ætatem Ruperti illos Bonnæ & Coloniæ quoque coronaſſe. Solve didactrum, aut proclamabo te ingratum diſcipulum: imo perge ſtudere in diſciplina veritatis, ne poſt te, tanquam novum Diogenem Cynicum, aliquando vociferetur Charon, *ſolve naulum.* Noſti cætera.

NB. Explicatio Bullæ Rupertinæ. *Lucianus in Dialogis.*

Caroli magni lege inſtitutum eſſe, ut coronationes omnes Aquisgrani inſtituantur, ac proinde alibi non poſſe inſtitui, inanis fabula eſt. *Pag. 13.*

> *Imus in adverſos, quid ceſſas? an tibi Mavors*
> *ventoſa in lingua, pedibusque fugacibus iſtis*
> *ſemper erit?*

Virg. 11.

Mirum profecto inveniri homines, qui pias & ſinceras majorum traditiones, καὶ τὰ πάλαι βεβαλωμένα, ex mera libidine contradicendi convellant conculcentque. Næ parum illi ab Hæreticis differunt, qui omnia, quæ in tabulis legis ſcripta non ſunt, protervo pede ſubvertunt, ut capra illa lac quod diu collegerat. Credidit innocens & proba antiquitas, Carolum magnum inſtituiſſe, ut coronationes omnes regum Romanorum Aquisgrani peragerentur, & hoc totum nunc inanis fabula eſt. Quare vero? quia Conringio ita viſum conducere ad opinionem, quam defendendam ſuſceperat. Αὐτὸς ἔφα ſaltem, ſi aliqua argumenta pro ſe afferret, excuſabilis videri poſſet, nunc cum cerebri ſui conceptus inconſiderate effutiat, fidem quam aliis derogat, ipſe non meretur bullam Zachariæ & Benedicti 7. hoc agendi modo magis ſuſpectas reddit; præter quas ne ἰῶτα quidem pro domino ſuo allegare poteſt. Si Caroli magni inſtitutum inanis fabula eſt, & illæ inanes fabulæ ſunt: eo inaniores, quod fidem publicam nondum meruerunt, ut illud Caroli magni inſtitutum. Sed de Caroli M. inſtituto, cujus diploma adhuc ſupereſt, infra & alibi latius. Cadit cauſſa Conringius, ut cunque vultum corrugat.

Inſtitutum Caroli M. de coronatione non eſſe inanem fabulam. Vide Alciatum in Emblematis. *NB.*

> καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Theocritus Idyl. 1.

Ipſemet Carolus 4. in ſua aurea bulla fatetur, extra Aquisgranum poſſe interdum regem coronari; & vero ipſe erat Bonnæ, non Aquisgrani coronatus.

> *Pone animos, & pulſus abi.*
> *Vixti puellis nuper idoneus,*
> *Sed militaſti nunc ſine gloria.*

Virg. 11.

Excidiſti ſpe tua, & voto tarde concepto: *O mihi præteritos, &c.* τὸ δ' ἂν ἰδοίμην.

Horat. Odiſſ.

Definivit hoc Carolus 4. in aurea ſane conſtitutione; ſed non definivit, mutato loco debere Moguntinum coronationem peragere. Quod pro nobis facit, qui ſuſtinemus, poſſe Colonienſem per totum imperium dignitatem & officium ſuum exercere. Si enim ea legiſlatoris mens fuiſſet, debuiſſet utique diſertis verbis exprimere, cum mutatione loci, etiam perſonam coronantis mutandam eſſe: prout alibi ſtatuit, *ut, ſi archiepiſcopus Moguntinus in executione & intimatione convocationis negligens aut remiſſus exiſtat; quod tum Coëlectores motu proprio convenire poſſint.* Tale quid in aurea bulla ſancitum non eſt, unde manet illibatum jus ſuum archiepiſcopo Colonienſi, ubicunque tandem terrarum locus coronationis indictus fuerit. Quam enim ἀπόνως potuiſſet hoc modo omnis concertatio tolli, ſi unquam vel per ſomnium occurriſſet, fore, qui litem hac ſuper re inpoſterum moturi eſſent? ſciebat ille, qui *fons omnis juriſdictionis audit*, uni Colonienſi archiepiſcopo competere prærogativam imponendi coronam recens creato regi Romanorum ideoque id ſolum confirmatum voluit in ejus perſona, quod in omnia ſecula obſervandum erat. Ideo iterum ne literam quidem addidit, qua innueret Moguntino intra primatum ſuum ſimilem juriſdictionem deberi. Aſſignavit unicuique, quod ipſi proprium erat, & inter alia archiepiſcopo Colonienſi jus coronandi, quod ipſi auferri non poteſt, niſi etiam Moguntino jus convocandi, Trevirenſi jus primi ſuffragii, aliisque ſimul electoribus officia & prærogativæ ſuæ eripiantur. *Idem enim de omnibus electoralibus juribus judicium eſt, teſte* Viſchero Lex hæc perpetua eſt, & per conſequens jus perpetuum coronandi regem Romanorum Colonienſi archiepiſcopo inhæret. Ῥήματα παραπεποιημένα, σαθροὶ λόγοι, ἔπεα πτερόεντα ſunt quæ adduntur. *Jam quoque ſupra probavimus, neminem eorum, qui Othonem magnum anteceſſerunt Germaniæ reges, a Ludovico Germanico uſque Aquisgrani fuiſſe coronatos.* Quomodo enim ibi coronarentur, qui ne quidem in Germania, ubi dominabantur, a Moguntino coronati fuere? Turbæ ſuper Lotharingia tum excitatæ, & vagum per Italiam, Galliam, & Germaniam imperium, hoc non permiſerunt. *Poſtea item quam multos alibi coronatos, Colonienſe non reclamante, niſi quod ſeculo duodecimo cœperit vulgo perſuaderi, Aquisgrani duntaxat legitime quem coronari*: de eo tanquam aperto mendacio brevi poſt agetur. Henrici 5. coronatio Aquisgrani inſtituta tam clara eſt, ut ulteriori inquiſitione non indigeat. Otto Friſingenſis aſſertionem Urſbergenſis non elevat, eum, ſi quid Moguntiæ contigit, eum per impoſitionem manus apoſtolicæ ſedis legatorum regem vocatum

NB. Carolum 4. nihil definiviſſe in A. B. pro Moguntino. Sed omnia pro Colon. NB. Tit. 1. *NB.* *Concl. 8.* *NB.*

vocatum velit, non per miniſterium Moguntinum archiepiſcopi. Quare & hic fruſtra eſt noſte Antagoniſta. Vere dictum a Sybilla,

Apud Lactant. l. 2. c. 17.

πλάναι πάντα τάδ' ἐστὶν,
Ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι καὶ ἦμαρ.
Stultitia eſt ſiquidem, quod ſapiunt homines.

Pag. 15. *Vita Henrici imperatoris ab Hildeboldo epiſcopo Vltrajectenſi, ut creditur, conſcripta.*

Virg. 5.
Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

De ſcripto Adelpoldi. De ſcripto Adelboldi quidquid ſit, parum ſoliciti ſumus. Hoc ſcimus, ſcripſiſſe illum vitam S. Henrici, non S. Hermanni, inque ea repetitam coronationem ejus Aquisgrani diſerte atteſtari: interim protervam ſententiam potius irridentes, quam refutatione dignam judicantes. Quamnam illam? *Certe ſola hac fabula apta eſt omnem narrationem ſuſpectam reddere.*

Semper hiat, ſemper tenuem qua veſcitur auram,
Reciprocat Conringius.

Alciat. in Emblem. Si nihil amplius habebat, poterat cum emendicato centone ſuo ad Saburram abire: Echo diſſertationis eſt μιμόλογος, imo ſimia detritis natibus, nihil præterea. Et tamen tam confidens in omnibus, quaſi cum Æaco, Minoe, & Rhadamanto, pro tribunali apud inferos ſedens, absque miſericordia ſententiam pronuntiaret: aut neſcio cum quo imperatore exclamaret, γέγονεν νῦν πᾶσα ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ ἐκ τῆς ἡμετέρας ἀνδρείας τε καὶ πίστεως; ipſe contra plagii in ſingulis paginis reus, *Apud Herodianum.* ſi quis alius: verus θρασὺ δοῦλος καὶ ἀθυρόστομος. ἄγαν παῦρος καὶ ὀλίγος κατὰ δύναμιν. vin' ſpecimina aliqua arrogantia? Ecce phraſes ſæpius repetitas, quam Hoṁericum illud

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Arrogantia Conringii. *Demonſtravimus jam tum ibidem. Itidem jam ſupra demonſtravimus. Oſtendimus vero nos. tam ſupra vindicavimus. Nos alia adhuc dedimus, qua jam ſupra ursimus. Et vero jam clariſſimum fecimus, probavimus vero jam tum nos. ſed jam a nobis convictum eſt falſi nos jam ſupra coronationes deſcripſimus. jam ſupra monuimus. illa jam ſupra falſi convicimus. jam rejecimus. liquidum jam fecimus. Oſtendimus vero nos. itidem jam ſupra oſtendimus. nos adhuc alia dedimus. jam vero liquidum fecimus. probavimus vero jam tum nos, ut ſupra probavimus.* Nunquid videtur poeta aliquis Italus intonare, *Canto l' Heroe, l'intrepido Guerriero, Da cui ſchernito, e vinto fall piu fiero?* M. Donia in S. Georgio.

Addamus contradictiones aliquot e multis, quæ, cum verum vero minime contradicat, totam Conringii molitionem, omnino inanem & falſam eſſe oſtendant. „ Satis frequens fuit repe„tere coronationes per epiſcopos. Quaſi vero tum temporis omnis coronatio fuerit peracta ab epi„ſcopo aliquo. Item. Patet illa perpetua ipſorummet Colonienſium ſententia, ex eo etiam, quod „nunquam vel tentaverint Colonienſes quenquam coronare extra ſuam diæceſin. Non vocabitur „hoc indubium a Colonienſibus, utpote quum velint omnes conſecrationes regias etiam extra „ſuam diœceſin, a ſeſe inſtituendas eſſe. Item. neuter eorum Colon. & Trevir. poſt etiam du„bium fecit Moguntino locum primum Colonienſis ſedes eo excrevit, ut æmulatione ſua pene „dubium niteretur reddere Moguntini primatum. Item. Poſſit quidem forte videri jam tum Hen„rico 2. regnante opinionem illam invaluiſſe. Ea vero Henrici 2. ætate nondum fuit perſuaſum „prudentioribus omnem coronationem nuſquam alibi rite quam Aquisgrani inſtitui. Item. Ca„rolus 4. in ſua A. B. fatetur extra Aquisgranum poſſe interdum regem coronari. Palam eſt, quod *Brevet.* „Colonienſes per Rupertum cæſarem curaverint privilegium ac facultatem coronandi interdum „extra Aquisgranum.

Pag. 6. Majus eſt & conſideratione dignius quod ſubjicimus. Non enim tantum arrogantiam & contradictiones, ſed & hæreſin quoque ſapit. *Solet quidem hodie ſacrificium quoque ſolenne peragi in coronatione regia. verum in hac illud videtur etiam apud nos ſerius cœpiſſe ſeculum demum tertio decimo.* *Ibidem.* Itane vero?

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
ſi vis eſſe aliquis.

l. 1. *Miſſa ſacrificium vindicatum.* *Teg. de vita c. 6.* Fallis deſtinato conſilio. ut enim apud Witikindum *non legiſſes de Othone 1. divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat rex ad Palatium:* poteras ex authore diſſertationis, quem ubique ſequeris, in coronatione Lodovici pii notaſſe illa verba, *quo facta audientes Miſſarum ſolennia ibant ad Palatium.* Hui quatuor ſæcula tranſilire! Quomodo ille totam antiquitatem non explodat? Nihil mirum. Qui mavult centum annos vivere quam mille & ſexcentos, næ ille citius & certius quoque mori præoptat. Non ita ego. Malo cum antiquis patriarchis plura ſecula attingere, quam cum hominibus poſt diluvium genitis, ad centum & viginti annos reſtringi. Omnino fallis non deſtinato conſilio, ſed deſtinata malitia. O dignum profeſſorem academia Iuliana! o dignum vivere annos Iuliani! non periodos Iulianas!

P. 16. & ſeqq. *Eodem ſeculo duodecimo circa tempora Friderici 1. fatetur cœpiſſe palam credi a Carolo M. legem aliquam ejuſmodi Aquiſgranenſibus faventem latam.*

Virg. 11. *Serv. l. 4. c. 4.*
Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis.

Falſiſſima opinio Conringii de Vere *mendacium novo cumulant mendaces mendacio.* Si circa tempora Friderici 1. *cœpit paſſim credi. a Carolo M. legem aliquam eju modi Aquenſibus faventem latam, eamque conſtitutionem magno æſtimari, ſi talia jactitari & paſſim perſuaderi (non niſi per figmenta tamen) cœpere ſeculo duodecimo.* unde dicis *videri*

jam

jam tum Henrico 2. regnante opinionem illam invaluiſſe? unde factum putas, ut Othones tanto ante tempore illic coronarentur? Reſponde, *ſi quid in arte tua eſt:* alias enim quod ad primam lectionem ſuſpicabar, palam & publice dicam, minime unum ex illis eſſe te per quos ſalus fiet in Moguntia; ſed potius talem aliquem de quo Heſiodus:

Bulla Caroli magni. *NB.*

Πολλάκι ϗ σύμπασα πόλις κακῦ ἀνδρὸς ἐπαυρᾶ.

In Ἔργοις.

Nunquid ipſe Wipponem allegas ſcribentem, *collecto regali comitatu rex Conradus per regionem Ripuariorum uſque locum qui dicitur Aquiſgrani Palatium pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis regibus, & a Carolo præcipue locatus, totius regni Archiſolium habetur?* Nunquid apud Friſingenſem legis, *Fredericus Suevorum dux Aquiſgranum venit, ubi dominica quarta quadrageſima ab epiſcopis a Palatio in eccleſiam B. M. ſemper virginis deductus cum omnium qui aderant applauſu, ab Arnoldo Colon. archiepiſcopo, aliis cooperantibus coronatus; in ſede regni Francorum, quæ in eadem eccleſia a Carolo M. poſita eſt, collocatur?* & non erubeſcis ad ſeculum duodecimum eam opinionem retrahere? O cucurbitam non hominem ὀξὺ βλέποντα. Vere de eo dixerim illud Homeri:

In vita. *NB.* *L. 2. c. 1. an. 1152.* *NB.*

Τὸ δὲ νήπιος ἐκ ἐνόησε.

Aut illud Iſocratis, πολλοῖς ἡ γλῶττα προτρέχει τῆς διανοίας. Non ſufficit calva & frigida illa reſponſio ad objectionem, *quinam videlicet factum ſit, ut etiam ante productam falſam illam legem Caroli magni, tam Othones & alii reges voluerint Aquiſgrani potius coronari quam alibi.* Non ſufficit illa, inquam. *Ideo contigiſſe, propterea quod Aquiſgranum præ aliis locis & amaverit, & ornaverit Carolus M. ibi quoque ſit mortuus & ſepultus.* Legem futiliter impugnas, & in cauſſa vera reddenda futilius agis. Amaverit & ornaverit Carolus M. civitatem, ut amavit & ornavit, quid hoc ad principes imperii poſt annos 133. id eſt, poſt conditam legem uſque ad coronationem Othonis I. Quam Franci interea neglexerant intra Franciam; quare eam Germani poſtea reverentur extra Germaniam? vis ſcire? propter thronum regalem, & ſedem regni trans Alpes illic collocatum; non propter ornatum, aut ſepulchrum Caroli M. regis Aquiſgrani coronari voluerunt.

NB.

Certe non eſt cur Epheſiorum oſtraciſmum, aut Syracuſanorum petaliſmum metuas: nihil in te excellens eſt. Cum graculis humi ambulas. Niſi legem admiſeris, tametſi diu propter diſſidia filiorum Lodovici pii, irruptiones Nortmannorum, & Hungar. continuata etiam bella pro Lotharingia in deſuetudinem deductam, ſuſpenſam, non ſublatam; cauſſam ſufficientem nullam dabis. Potuit infelicitas temporum coronationes regias apud Aquiſgranum differre, jus Colonienſibus auferre non potuit. Ex quo factum poſtea, ut pacato ſub Othonibus imperio, ad locum legitimum coronationis, & ad perſonam legitimam coronantis iterum reſpiceretur, & Colonienſes in ſolidam poſſeſſionem reponerentur. Moguntini nihil prorſus tum allegare potuerunt: non jus primatus extra primatum: Non jus Metropolis extra Metropolin: non jus regni extra regnum: non jus archicancellariatus extra archicancellariatum; & quid aliud pro illis ſupererat? ideoque, quod in primo ſolenniter repetito actu coronationis partem aliquam fecerint, ſanctitatis non poteſtatis, communicationis non juriſdictionis intuitu obtinuerunt. *Pravus agit varie, ſimpliciterque bonus.* Vocat pedarius hic ſenator, vel potius imaginarius hic judex, *privilegium Caroli M. inanem fabulam, figmenta, ineptias, & affanias, & poſt hac omnia, legem poſitivam,* additque, *non potuiſſe Carolum poſitivam condere legem quam in perpetuum teneatur reſpublica obſervare.* Pol, ſi connixus eſſet! quia defecit, quia non perfecit.

NB. *NB.* *In vita Andreæ Rhamii, ex 10. Proverb: pag. 74. Pragmatica Car. M. vindicata.*

ἐμὸν δ᾽ ἐγέλασσε φίλον κῆρ.

Od. H.

Eſto tamen, ut ait, ſi res eadem fabula, figmenta, ineptiæ, & affaniæ, & lex poſitiva, non minus ſtolide, quam improprie vocantur. Τίς ἂν τάδε πιστεύσειε? Interim obtinebit tamdiu, quamdiu non fuerit a cæſare & ordinibus imperii reprobata. Sane propter Conringii tribunitiam interceſſionem non mutabitur. Quod ſi privilegium Caroli M. pertinaciter defendere vellemus, quod in tanta luce veritatis opus non eſt, non deeſſent nobis argumenta pro eo, interque alia verba illa Sigeberti ad an. 806. *Carolus inter filios ſuos partitionem regni fecit, & inde teſtamentum factum, ſua & Leonis PP. authoritate roboravit.* Hæc eſt illa diſpoſitio Caroli, de qua loquimur, quæque apud Baronium videri poteſt: ut ita alienum plane a veritate videri non debeat, privilegium quoque Aquiſgrano, tanquam loco, & Hildeboldo, tanquam perſonæ conceſſum fuiſſe. Sane nemo prudens negaverit, quin cum redintegrato imperio Occidentis, diſpoſitio omnium rerum ad ſolennes actus neceſſariarum ſimul intervenerit: præſertim ſub illo imperatore, qui regni comitia quot annis habebat, *in quibus res ſingulæ ad effectum perductæ, glorioſi principis auditui in ſacris ejus obtutibus exponebantur & quidquid data a Deo ſapientia ejus eligeret, omnes ſequebantur.* Fatetur ipſe Conringius, *ſupereſſe hodieque a Goldaſto Tom. 2. conſtitut. imperialium p. 6. traditas tabulas Frederici 2. cæſaris, confirmantes inſertum aliquod diploma Friderici 1. quo anno 1166. latum a Carolo magno de Aquiſgrano privilegium, ab urbis illius Incolis ſibi oblatum, roboravit,* hac cum declaratione, *utraque illæ tabulæ videntur ſic ſatis genuinæ eſſe:* & tamen non veretur privilegium Caroli inſertum, *inanem fabulam, figmenta, ineptias & affanias* vocare. *ſi tabulæ illæ ſic ſatis genuinæ videntur eſſe,* quare quod in eis continetur, explodis? Redarguit te inſcitia tua. Fridericus I. Carolum magnum e terra levavit & SS. Catalogo inſcribi fecit, & quid vetat tum bullam originalem, cum aliis monumentis hactenus neglectis, in lucem & uſum revocatam? Durum eſt contra receptam opinionem oppedere. Unus a Linda ad reliquorum authoritates accedat. *Locus coronationis,* inquit, *olim fuit Aquiſgrani, poſtea Francofurti, deinde variatum legimus. Imponitur diadema per archiepiſcopum*

In Chronico qui eſt annus Æra Dionyſ. 804. *NB.* *Hincmarus A. R. Epiſt. 3. c. 32 pag. 77.* *In deſcript. Orbis.*

Colonienſem. Si nos ἐξ ἀμοιβῆς, cum bullis Zachariæ & Benedicti 7. ſuper quibus omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum Moguntini, ita agere vellemus, diceremus ſimiliter inanes fabulas, figmenta, ineptias, & affanias eſſe. Et per Iovem lapidem parum abeſt, quin dicamus. Stimulant mala exempla, ſi dixerimus, a vobis, o Moguntini, occaſionem dicendi ſumemus, qui tam inconſideratum cauſſidicum pro cauſſa veſtra conſtituiſtis. veruntamen quid continet privilegium Caroli M. ut tanto opere impugnari debeat? An quod in eo Aquisgranum caput Galliæ veraciter vocetur? & de Moguntia ſimile quid proferri non poſſit? *Sed motos præſtat componere fluctus.* τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ, πόλλ' εἰδὼς ἐρῶ. Saltem pro confeſſo acceptamus, ſcripſiſſe principes imperii anno 1202. ad Innocentium Pont. *Othonem fuiſſe in Auguſtorum ſede, a Carolo M. apud Aquisgranum huic dignitati deputata collocatum.*

Virg. 1. *Pag. 18.*

pag. 27. *Hæc eſt illa famoſa ſcilicet Caroli magni lex, quæ a ſæculo duodecimo uſque plurimis perſuaſit, coronationes legitimas non niſi Aquisgrani poſſe fieri.*

Virgil. 2.

Si periturus abis, non nos rape in omnia tecum;
ſin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum.

Graviſſima injuria Conringii in Aquisgranenſes.

Nugæ nugarum, folia farfari. Hoc eſt revera ψευδῶν μὴ χαίρεσθαι λόγων. Quid nos ad omnia ἀναιδῶς καὶ ἀσκέπτως conſarcinata, & potius famoſa quam formoſa? πειρασόμεθα ἀμύνεσθαι. Operæ pretium, quod iis immoremur. ὧδε δ' ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνεται βουλή.

Ac primo, *omne illud privilegium eſſe ab Aquenſibus confictum*, injuria eſt recantatione digna. Ad Magiſtros noſtros cum Conringio, qui Palinodiam, tanquam Palladium conſervandæ Trojæ Scholaſticæ, contradictoribus crebro imponunt. Adeone fluxæ naturæ Aquenſes tibi ſunt, ut quaſi Cretenſes, mendaces, ſeu verius fallaces publice proclames? Profecto, ſi te in urbe ſua deprehenderent, docerent cum Glauco gramen vorare, ut Deus marinus fieres, hoc eſt, piſcis mutus & ἄφωνος. Στεῖχε ἴσον ὕδατι. Littera Rhemnia ad minimum te manet. An fors cenſes cum Bocalino, *omne privilegium eſſe lapidem ſcandali, ſeminarium zizaniorum?* Deinde quæ eſt iſta illatio? *Carolus biennio poſt omne regnum ſuum inter filios diviſit, ergo non potuit legem illam ferre.* Verum illud Sybillæ,

Int. Graſſ. Carcer Aquisgrani. *Apud Forſt. pag. 361.*

δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος.

Apud Lactant. l. 7. c. 23.

Circumſpectius Panuinius, *hunc coronandi Impp. Occidentis morem primi inſtituiſſe videntur Leo PP. 3. & Carolus M.*

Non quidem Colonienſes ſoli iſti inſtituto inhærent, & tamen his ineptiſſimis ineptiis, figmentis, & affaniis reſpondendum ducunt. Notum eſt, quod Carolus regna ſua inter filios diviſerit. Sed quid inde? nunquid imperium ſimul diviſit? hic vis latet. Et quid refert, *ſi Lodovicus pius ſtatim ann. 816. Rhemis coronari ſe fecit*, puta in regem Francorum? quid hoc ad imperium? perverſus es omnino Conringi & turbati capitis & conſcientiæ. Nunquid ipſe ſupra dixiſti, *cæſares noſtros non una corona inſigniri ſolere?* nunquid infra? *ſic ſatis frequens illa ætate fuit, præter primam maxime ſolennem, repetere coronationes, idque per epiſcopos? In Gallia & Anglia regum hiſtoriis occurrunt exempla quam multa. Imo iidem Francorum reges, ſæpius fuerunt uncti florente familia Carolinga: Pipinus videlicet bis. Carolus M. 4. Lod. Pius 2. Carolus Calvus 5. Ludovicus Lotharii filius 2. Toties & Lod. Balbus, aliique tunc inuncti. quod teſtimoniis indubitatis ex veteri ævo oſtendere in promptu eſt, ſi res exigat.* Quid vetat igitur? imo nihil vetat, quod ratio ipſa exigit, Lodovicum pium etiam Aquisgrani, per Hildeboldum archiepiſcopum Colonienſem in regem Romanorum conſecratum fuiſſe? quemadmodum deinceps in imperatorem per Stephanum Pont. ibidem coronatus eſt teſte P. Æmilio? Certe vivo patre non potuit imperator coronari, potuit rex Romanorum coronari. *Sed genuina illius ætatis monumenta memorant quidem Lod. illum pium a Carolo Patre coronatum an. 813. aſt per Hildeboldum id factum non memorant. Imo vero nec Hildeboldi, nec alterius alicujus epiſcopi manu factam illam coronationem non paſſus eſt nos ignorare Theganus l. de ff. C. ca. 6.* Omnino latentem animi morbum hic prodit Conringius, vel ut Iſocrates ait, τὴν ἑαυτοῦ ἀσέβειαν ἐπιδεικνύντας. niſi enim cum Aulo Bezano Miſſam miſſam faceret, non excluderet Hildeboldum a coronatione Lodovici pii. *Miſſarum ſolennia* tum celebrata oſtendunt, non plane nudum & deſtitutum omni eccleſiaſtica benedictione actum illum fuiſſe, quin contra more ubique terrarum recepto, ſacerdotali conſecratione cohoneſtatum; utcunque Theganus tanquam de re paſſim cognita, mentionem ceremoniarum faciendam non duxerit. ſane nulla unquam Aula Chriſtiani imperatoris ſine epiſcopis fuit; &, ſi non ſine epiſcopis, non etiam ſine epiſcopalibus benedictionibus. Ac velim dicat mihi ex animi ſui ſententia Conringius, ille ἀνίστατα διηγούμενος. ille ἀστρονόμος, ille τερατολόγος, ille Vertius qui cum Atlante contendat, quando ſuſtinet coronationes priorum regum Germaniæ, *non alibi quam in Germania tranſrhenana, uſque ad Othonem M. adminiſtratas a Moguntino*, putet ne in eis unctiones & conſecrationes adhibitas, an non? ſi non putat adhibitas, nihil fuit opus Moguntini opera in hoc negotio, cum æque ac Lodovicus pius coronas ſibi ipſis imponere potuerint: unde omnis ejus contentio pro Moguntino fruſtra eſt: ſin putat adhibitas, nihil cauſſæ eſt negare, Hildeboldum iisdem myſteriis Lodovicum pium initiaſſe, cum æque ac illi eccleſiæ filius eſſet, & religionis obſervantiſſimus. Unde omnis ejus contentio contra Colonienſes æque fruſtra eſt. Interim ut Dubitantio noſtro argumentum ſuum reponamus, *genuina illius Carolingicæ ætatis monumenta memorant quidem reges Germaniæ coronatos diverſis annis, aſt per archiepiſcopos Moguntinos id factum non memorant. Imo nec Luitberti, nec Hattonis, nec Heriberti,*

De coronatione Lodovici pii. *pag. 19.* *NB. De coronationibus Reg. Ger.*

Hereberti, nec alterius alicujus archiepiſcopi manufactas illas coronationes, non paſſi ſunt nos ignorare authores illorum temporum. Sturnus ſibi ipſi malum cacavit, μετὰ καὶ ἄρρητα ἐξεῖπεν. dum ad verba illa Aventini, *pontifex Aquisgranenſis de eo*, nempe Rodolph. 1. *Deum conſulit*, apponere non veretur, *obſcuriora ſunt quidem illa Aventini, niſi fallor, tamen loquitur ille de Miſſarum ſolennibus, quæ hoc initio ceperint coronationis actibus adjungi.* Vel admittat igitur Hildeboldum ad coronationem Lodovici pii: vel non admittimus Moguntinum ad coronationes regum Germaniæ. Bene dixit, *niſi fallor tamen:* falſus eſt.

Longe prudentius Petrus Heigius, *Tanta*, inquit, *veterum principum in religione devotio fuit, ut ſine ſacerdotibus & epiſcopis nihil magnum abſolvere ſe poſſe ſperarent, & ita demum omnia recte proceſſura crederent, ſi religionis Antiſtites ſuis conſiliis præſentes haberent.* Tales itaque cum eſſent illi imperatores, abſque benedictione Sacertodali coronationem admiſiſſent? *Credat Iudæus apella, non ego.* l. 1. p. 4. n. 61.

At vero nemo plane omnium Caroli poſterorum memoratur Aquisgrani coronatus. Si bella Lodovici pii cum filiis, aliaque inconvenentia deinceps oborta, quod & ſupra dictum, conſideraſſes, non ita loquereris, ſi nulli ex Carolingis Aquisgrani coronati ſunt, unde aſſeritur Moguntinus in poſſeſſione 300. annorum ante Colonienſem fuiſſe? Improvidi homines, dum aliis nocere putatis, vobis ipſis vulnera infligitis. Illud palmarium, *cui fiat veriſimile, usque adeo neglectam fuiſſe ſacram legem Caroli, nec tantum neglectam, ſed etiam ex omni hominum memoria elapſam, idque per illa etiam recentiſſima tempora?* Quis hoc dicit? Hermannus Conringius. De coronationibus Poſterorum Lud. p. 5.

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, Hom.
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Sciat ille, non ſtatim neglectum eſſe, vel ex omni hominum memoria elapſum, quod non ſemper in uſu eſt. Conditio temporum multa mutat, multa innovat, multa etiam abolet. Bulla Benedicti 7. in exemplum ſit. Acceperat eam recenter Willigiſus, volunt ſaltem accepiſſe, & ſtatim in deſuetudinem abiit. Si ex eo capite falſum eſt diploma Caroli magni, non minus ex eo capite falſa eſt bulla Benedicti 7. Quid reſpondes magiſter in Iſrael? Da gloriam Deo & veritati. Capio te hamo tuo. Vere Ariſtoteles, πανουργίαν εἶναι δεινότητα οὐκ ἐπαινετήν. Repono tibi tuam exclamationem. Cui fiat veriſimile uſque adeo neglectam fuiſſe ſacram legem Benedicti 7. nec tantum neglectam, ſed etiam ex omni hominum memoria elapſam, idque per illa etiam recentiſſima tempora? Expedias te ſi potes. *Non eſt tolerabilis ejus artis ignorantia, quam quis profitetur:* ſi verum eſt *a Carolina aliqua lege non eſſe profectum illud jus coronandi, quo fruitur Colonienſis in Diœceſi ſua: neque quenquam obtentu talis alicujus legis hactenus jus illud ſuum aſſeruiſſe:* multo verius eſt, a Zacharia Pont. aut Benedicto 7. non eſſe profectum jus illud coronandi, quod ſibi arrogat Moguntinus in primatu ſuo, neque ullum archiepiſcopum Moguntinum obtentu talis alicujus bullæ, potuiſſe jus illud ſibi unquam arrogare. I nunc & clama cum Stentore, quantum potes, *ita ſcilicet ſeſe res habet: ſæculo 12. poſt natum Chriſtum nata eſt fabula de Caroli magni quadam lege, circa locum juſtum coronationis regiæ. Nec vero ante illa tempora reperias temere aliquod veſtigium ejus, quæ multis arriſit, abſurda ſententia, quaſi ad eſſentiam, ut ita loquar, coronationis pertineat, ut illa fiat Aquisgrani.* Luna quarta natus es, vix reſponſo dignus. NB. Forſt. pag. 400.

Æque vanum eſt, quod Aquisgrani poſſit ſolus Colonienſis regem rite coronare. Pag. 18.

Quæ Turne ſequantur

Bella vides, quantos primus patiare labores. Virg. 12.

Prudenter M. Baſilius πᾶσα ἡμέρα ἰδίαν ἔχει φέρουσα τῆς ψυχῆς ἐπισκότησιν. Non eſſe vanum, ſolum archiepiſcopum Colonienſem poſſe Aquisgrani coronare, patet ex pragmatica Caroli magni, qua fatetur, *a D. apoſtolico Leone præſente, & omnibus nobilibus & egregiis perſonis congregatis obtinuiſſe ſe pra nimia devotione, quam erga ipſum locum & matrem domini noſtri Ieſu Chriſti habebat; ut in templo eodem ſedes regia locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans alpes haberetur; ac in ipſa ſede reges ſucceſſores, & hæredes regni initiarentur, & ſic initiati jure de hinc imperatoriam majeſtatem, Romæ ſine ulla interdictione plenius exequerentur. Felix illa dies, felix & dicitur annus, felices qui talem annum videre, diemque.* Revera Conringius coriagine laborat. Sudans in opere faciendo refrixit. Quid ergo vix reſpirans ait? *Inter bullas pontificum primo loco laudant bullam Leonis 3. qua Hildeboldo Colon. ille contulerit coronandi jus. Aſt bulla illa nuſquam comparet, & non niſi fabuloſe jactatur.* Siccine? ſi bulla Leonis 3. nuſquam comparet, evanuit ſcilicet cum bulla Benedicti 7. at non prorſus evanuit clauſula in ea concernens, quando Leo 9. anno 1052. confirmat archiepiſcopo Colon. *privilegia prædeceſſorum, interque ea conſecrationem regiam,* quod etiam ſequentes pontifices fecerunt. Quid vero reſpondebit hic Ariſtarchus, ſeu mavis Archilochus, ſi præter Merſeum, P. Æmilium, Bucelinum, Mallinckrotium, alios, unius notabile teſtimonium protulerimus? Is eſt P. Crombachius in hiſtoria trium regum. *Hildeboldus*, inquit, *archiepiſcopus Colonienſis, qui Leonem duxerat, atque reduxerat, rogatu Caroli meruit duplici prærogativa dignitatis ornari. Prima inungendi & corona cingendi in Alemannia regem electum Romanorum: Secunda eo inungendi munere intra ſuam provinciam: uti Rom. Pont. ſibi reſervavit jus Auguſtalibus inſignibus imperatorem decorandi. Et natum eſt ex hac dignitate Colon. archiepiſcopum Rom. Pont. vinculum quoddam neceſſitudinis, & reciproca obligatio, ſiſtendi papæ defenſorem idoneum eccleſiæ quem coronet.* O acerbum bolum palato patellario, quem propter illa verba *inungendi & corona cingendi in Alemannia*, ut & propter *illa*, *inungendi intra ſuam provinciam*, quæ Moguntinum ubique in totum excludunt, ne de nato ex hac dignitate Colon. archiepiſcopo cum Rom. Pont. vinculo Epiſt. de vita ſolitudinaria. NB. Virg. in cir. De Bulla Leonis 3. Tom. I. 316. 3. c. 32. NB.

quodam neceſſitudinis, nunc dicamus; ægre & difficulter deglutiet, niſi illi os tam patuli hia-
In pretioſa Hieroth. tus eſt, ut cum ſtruthione ferrum devorare poſſit! Fortaſſis ſeduxerit illum Gelenius, qui in Hildeboldo, quod etiam Malinckrotius obſervavit, audacter ſatis pronuntiat, *quod vero addunt Chron. Colon. & ex iis M. Chron. Belgicum, Ludovicum Caroli M. filium, ab obitu Parentis, ab Hildeboldo fuiſſe coronatum, commentum eſt, & nulla nititur authoritate.* Non debebat verus & vetus amicus meus ita locutus eſſe. Solœciſmum hic fecit, in aliis circumſpectus ſatis, & brevi ſed gravi elogio, *vindex antiquitatum Colonienſium.* Provinciale ſaltem omnium eccleſiarum cathedralium univerſi orbis, antiquum & ſæpius recuſum opus, ſententiam noſtram egregie confirmat his verbis, *imperator Rom. debet coronari tribus coronis, prima per archiepiſcopum Colon. in villa qua Aquisgrana dicitur, Colon. provincia, Leod. diœceſis:* puta de antiqua conſuetudine. Plura & ſimilia temerariis & contrariis illis vocibus, de quibus ſupra, quæ homo heri & nudius tertius e terra natus effurire non erubeſcit, a novo Germaniæ enthuſiaſta didicit, alia reſponſa & oracula non ſonare ſolito, a quo ut inpoſterum ſibi caveat, dicam illi græce in aurem, ὁ λετὴς εἰς τὴν βοὴν ἔπεσεν.

Pag. 19. „Speciosus maxime & antiquiſſimus & unicus prætextus aliquot ſeculis fuit; quod conſecra„tiones debeant fieri a diœceſanis in qualibet diœceſi, &c. ac proinde conſecrationem quoque re„galem, quæ intra diœceſim ſit Colon. a Colon. archiepiſcopo eſſe inſtituendam.

Virg. 2. *Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis*
Tempus eget.

Cicero pro Roſcio. *Cum vulgo ex veritate pauca, ex opinione multa exiſtimat* Conringius, non adeo circumſpectus, ut ille qui ajebat, *dicemus quod res eſt: pluſque apud nos valebit, quod eſt in rei veritate, quam quod in opinione;* irridens interim ſtupiditatem Conringii illique ſimilium his verbis, *ſi quis autem futili, nuda communis opinionis, vinculo ſe alligari patiatur; non injuria aſſimilabitur ſtultis illis, quos cuſtos aut magiſter alligabat ſtraminis, vel exigui fili nodo. Atqui illi ſtabant quaſi vero, aut vera compede vincti immobiles.* (*Hipol. a Lapide, de Ratione ſtatus, c. 1. & 16.*) Vere Conringius unus ex illis eſt, de quibus quoque Cicero, *alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant.* Quid mirum? cum Corœbo prudentiam dividit, exigua portione reſperſus. Quid iterum mirum? *Temerariis judiciis plena ſunt omnia,* teſte Auguſtino eoque *magna ſapientia, non moveri omni vento verborum.* (*Thomas a Kempis l. 3. c. 27.*) Jam vult *ejuſmodi* (diœceſeos) *prætextum eſſe perlevem, nec conſecrationem ſacrum characterem imprimere; ſed potius externam quandam ceremoniam eſſe, ad exemplum moris Hebræorum compoſitam.* Jam vult *proprium munus epiſcoporum eſſe, & quidem uniuscujusque in ſua diœceſi:* ſed, ſi ſacrum officium non eſt, quare non æque Colonienſis in Germania exerceat quam Moguntinus? ſi proprium munus epiſcoporum diœceſanorum, quare Moguntinus conſecrationem Aquisgrani facere præſumpſit? ſed de hoc iterum paulo poſt. Non eſt ſpecioſus prætextus conſecrationes fieri ſuo loco & tempore, *neque poteſt videri contentio de re levi,* ut aculeatis verbis inſinuat Conringius, ſi pro eis obſervandis quisque
NB. partem ſuam tueatur, ſed antiqua & laudabilis inſtitutio eccleſiæ, per quam Hierarchia eccleſiaſtica laudabiliter conſervatur.

Ἔῤῥε ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων.

In ſpinge. p. 578. Abi & clama. *Hoc me ſupplicii pendere lingua jubet.* In te, niſi fallor, olim quadravit quoque illud Heidfeldii. „Venit ſtultus juvenis ad templum, doctoris inſignia recepturus; præcepto„res illum ſui celebrant, ſeu amore, ſeu errore; tumet ille, vulgus ſtupet, applaudunt affines „& amici. Ipſe juſſus cathedram aſcendit, cuncta jam ex alto deſpiciens, & neſcio quid con„fuſum murmurans. Tunc majores certatim, ceu divina locutum, laudibus ad cœlum tollunt: „tinniunt interim campanæ, ſtrepunt turbæ, volant annuli, figuntur oſcula vertici, rotundus „ac magiſtralis bonnettus apponitur. His peractis deſcendit ſapiens qui ſtultus aſcenderat. Mira „prorſus transformatio, nec Ovidio cognita. Sic fiunt hodie ſapientes; verus ſapiens fit aliter.„ Quid taces Conringi? an te hic homo digito quoque commonſtravit, veſtrorum orgiorum apprime ſciens? Tute loquere: ego Romanus ſum, & vere edico, malo doctrinam abſque titulo, quam titulum abſque doctrina. Non curo τὸ ἔριον τὸ χάλκεον. curo τὸ ἔριον τὸ χρύσεον. Non braccam,
l. 3. Pædag. c. 11. ſed baccam Ariſtotelis ſuſpicio. Interim in annulo tuo doctorali poteris pro navi, columba, piſcatore, lyra & piſce, quæ Clemens Alexandr: fidei Chriſtianæ glorioſa aſſerit, ferre nautam,
De ſolert. animal. upupam, aratorem, tympanum, ut piſcem tibi relinquamus.

Pag. 20. & ſeqq. *Æque nihil ad rem facit, quod iidem defenſores urgent; conſenſu Wigberti eam conſecrationem eſſe inſtitutam, teſtibus Wittikindo & Dithmaro.*

Virg. *Aſpice, num noſtrum mage ſit penetrabile telum.*

De conſenſu Wigfridi contra Conring. Vide p. 36. & ſeqq. Ἐν ὕδατι λόγῳ τίθεμαι quæcunque garris. Tam hoc ad rem facit, quam quod Lupoldus ceſſit Hermanno temporibus Henrici 4. quin imo multo magis, cum Wigbertus juri ſuo inſtaret, Lupoldus autem prætenderet, quod ipſi non competebat. Tum Wigbertus conſecrationem ſimul peregit, ne prorſus juri ſuo cederet; poſtea vero Lupoldus nihil præterea fecit, quam ut illi conſecrationem vel invitus permitteret, cui competebat. Unde fruſtra infert Conringius, *non debuiſſe ad illum actum plane admitti Hildebertum, ſi conſecratio unice eſſet juris diœceſani:* non intelligens miſer, aliud eſſe in ſubſidium & miniſterium cærimonial. admitti, cum licentia, cum
In Annal. ceſſione; aliud cum poteſtate ordinaria coronationem peragere. Datum illud fuit meritis Hildeberti, ſi non placando Trevirenſi, qui Bucecelino teſte, tum erat *columna imperii præcipua, & cæſarum fulcrum, non a ſapientia ſolum, ſed & ſpiritu prophetico celebratus;* quamvis in eo erret, dum nimium in laudem virorum ſui ordinis effuſus, ipſi ſoli coronationem Ottonis 1. hoc modo adſcribit,

Magna

Magna & inſigni pompa Otto Aquisgrani ab Hildeberto Moguntino archiepiſcopo conſecratur an. 937. cum Witikindus diſerte teſtetur, cum *perfuſum oleo ſancto, & coronatum diademate aureo ab ipſis pontificibus Hildeberto & Wigfrido.* Fecerit enim Hildebertus cætera, ſacrum cantaverit, allocutus ſit regem, *NB.* quod vel ſuffraganeus hodieque facit loco ſui principalis; in actu inunctionis & conſecrationis, qui proprius erat Colonienſis, Wigfridus partes præcipuas egit, utcunque ab utroque factum eſſe, auctor talium non ſatis gnarus ſcribat, & Hildeberto quoque ſuo aſcribat. Interim quando Conringius ſub finem temerarie audet pronuntiare, *& vero jam tum clariſſimum fecimus nonniſi ex privilegio omne illud jus, etiam intra ſuam diœceſin convenire Colonienſi, alioquin uni Moguntino debitum:* *Pag. 29. Exploditur privilegium fictum Conringii.* nodus hic mendaciis pluſquam Gordius implicitus, dexteritate aliqua ſingulari, ad exemplum M. Alex. diſſolvendus eſt; maxime quia nobis conſtitutum, πάντα σπῖλον καθαίρειν.

Duo ſunt loca, in quibus Moguntini olim coronarunt, Moguntia & Aquisgranum. De Goſlaria *Hiſtorici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.*

Tria, in quibus Colonienſes, Bonna, Colonia & Aquisgranum. Norimbergæ imperatricem quoque coronarunt, ſed nos ad viros reſpicimus. Jam objiciunt Moguntini Colonienſibus frequentes coronationes apud unum Aquisgranum: ſed objiciunt rectius Colonienſes Moguntinis pauciſſimas coronationes apud utrumque locum. Saltem in numero longe prævalent Colonienſes, quare de jure partium iterato videndum, & quis alter alteri privilegium ſibi peculiare communicaverit. Non potuit Moguntinus hoc facere, quia nullum unquam pro ſe habuit. Zachariæ & Benedicti 7. bullæ, an bulgæ? evacuatæ ſunt, nihil in illis ſupereſt. Coronatio Pipini & titulus primatus exploſi ſunt, nihil de illis reſtat. Unum reliquum, ipſas coronationes inſpicere judicareque, utrum a radicali aliqua lege proceſſerint. Fit autem veriſimile quod non. Ratio, *NB.* quia, quod legitime obtentum eſt, legitime exerceri poteſt. Moguntini coronationes nunquam legitime exercuerunt, præterquam ex ſpeciali indulto pontificis, vel Colonienſis, ergo nec legitime obtinuerunt. Vel enim legitime Moguntiæ exercuerunt, & illegitime Aquisgrani: vel legitime Aquisgrani, & illegitime Moguntiæ. Utrobique enim legitime exercere non potuerunt. Effugium non patet: ipſi actus coronationis id ſatis evincunt. Quo igitur titulo & Moguntiæ & Aquisgrani? titulo facti, non juris: titulo vanæ perſuaſionis, non veræ poteſtatis.

Rogo iterum, ut ſequar illud Homericum ἐρέω δὲ ἕκαστα. *Od. x.*

Quomodo idcirco dederunt privilegium Moguntini, quod ipſi non habuerunt? *quia in coronatione Henrici 4. vix & ægre ſuper hoc impetratus eſt conſenſus Luitpoldi archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis, & cætera negotiorum regni diſpoſitio pertinebat.* *Moguntinos non dediſſe Colon. privileg. coronandi.* Itane vero? ex eo capite privilegium cudere? Colonienſes hinc primum in poſſeſſionem mittere? Tam eſt verum, *propter primatum ad unum Moguntinum coronationem regis pertinere*, quam verum eſt *ad unum cæteram negotiorum regni diſpoſitionem pertinere.* *NB.* Lambertus improvide locutus eſt, ne quid gravius in mortuum proferamus, bene de poſteritate meritum. Iterum ad partes veniet, ejuſque Dæ. Colon. galeatus, loricatus, gladiatus. Ut nullum aliud exemplum præceſſiſſet, cujus Moguntini conſenſu coronavit Pelegrinus Henricum 3. Ecce tum poteſtatem hobebat, ne de prædeceſſoribus dicamus, abſque Moguntino privilegio. *NB.* Si tamen argumentum procedit, dederunt ante Colonienſes Moguntinis privilegium, quam Moguntini Colonienſibus. *Coronaſſe Col. Aquiſ. ante ætatem Henrici 4.* Et quidem in forma multo ampliore. In coronatione Othonis 1. Wigfridus licentiam Hildeberto dedit manum ſimul admovendi intra ſuam diœceſim: In coronatione Henrici 4. Lupoldus tantum vix & ægre conſenſit extra ſuam diœceſin. Wigbertus indulſit quod indulgere poterat: Lupoldus impedivit quod impedire non poterat. Schaffnaburgenſis inanem Lupoldi actionem ſatis exprimit, *dum propter primatum Moguntinæ ſedis*, quem ſomniat *conſecrationem regis, & diſpoſitionem regni* quoque ſomniat, omnium ſomnium traxit. Mitius tamen redarguendus ex eodem principio, quo Moguntini Carolum 4. perſtringunt, videlicet quod ad conſuetudinem ſui temporis reſpexerit. Henricus 2. & Conradus 2. jam pridem Moguntiæ coronati fuerant, *ille favente Willigiſo & quibusdam regni principibus; hic favente Aribone & Everhardo Bambergenſi ad imperium ſublimatus.* *Anno 1002. Sigebertus, Bucelinus. Anno 1024. Iidem, alii.* S. Heribertus & Pelegrinus poſtpoſiti ſunt, quia electioni utriuſque vehementi, parum favorabiles. Reſpexit ad hos imperatores Schafnaburg. & uſurpatas coronationes pro veris & ratis reputavit: quin imo authoritatem in ordine votorum, ad authoritatem in ordine poteſtatis, rito & vulgato errore traduxit. Inde illa grandia & ſonora verba, ſed nihil præter ſtrepitum edentia, *ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis, conſecratio regis, & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat.* *Schafnab. rejectus.* Poſitio falſa eſt, nec minus inductio. Nunc itaque ſi Carolum 4. ideo in A. B. rejiciunt, quod dicant eum ad conſuetudinem ſui ſæculi reſpexiſſe; ubi tamen tot coronationes Colonienſium præceſſerant; quanto potius rejicitur Schafnaburg. quod ad conſuetudinem ſuæ ætatis reſpexerit; ubi tamen nonniſi duæ coronationes Moguntinæ præceſſerant? *NB.* Deſtruunt ergo coronationes ſine jure, primatum ſine re, & viciſſim deſtruit primatus ſine re coronationes ſine jure. Utrobique nuda nomina ſunt, ſi primatum ſine juriſdictione proclamatum conſideraveris; coronationes præter juriſdictionem adminiſtratas. *Aſt ægre tamen Lupoldus conſenſit.* Credimus ægre conſenſiſſe ſecundum naturam ambitioſorum, & quid tum? Nondum hinc privilegium elicitur. Exemplo rem confirmemus. Conſentit frater licet ægre, ut frater ante ſe ducat uxorem; nemo tamen propterea recte intulerit, frater dedit fratri privilegium ducendi uxorem, quia de re, quæ in manu ejus non erat, dare non poterat. Unde ſimile conſenſit Moguntinus in coronationem Colonienſis, nec tamen poteſtatem dedit coronandi. Poteſtas in Colon. erat, ſive Mog. conſenſiſſet,

ſive

ſive non. Quod ergo conſenſum dedit, juſtitiæ fuit, non gratiæ; æquitatis non authoritatis; niſi mavis coactionis, non voluntatis: vindicante imperatore jus ſuum Colonienſi. Privilegium datur ab eo qui habet poteſtatem dandi. Sed jam vidimus Moguntinum nullam talem poteſtatem habuiſſe, qualiter ergo, quod non habebat, dare potuiſſet? *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit: dicebant illi. Tu applica. Sigeb. an. 963.*

NB.

Μὰ τὸν Δία, Μάταιός ἐστι πλόος τὸ Κορηνίζειν. Privilegium gratia eſt a ſuperiore inferiori data. Archiepiſcopus Colonienſis non inferior, ſed æqualis Moguntino eſt; ut ita privilegium nec hic dare, nec ille accipere potuerit. Par in parem non habet imperium, multo minus poteſtatem dandi privilegium. Ut taceam Colonienſem privilegium ejusmodi jam olim habuiſſe, quod inſinuat Schafnaburg. *Imperator*, inquit, *potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium*, quod privilegium? privilegium coronandi, quod tanto tempore, poſſeſſione tot annorum tenuerat, *vindicabat*, non tribuebat; unde & Lupoldus Babenb. *Ad archiepiſcopum Colon. pertinet regi Romanorum primam unctionem, & coronationem impendere.* Et Lucas de Linda *ipſi* (Colon.) *competit Romanorum regi primum diadema imponendi.* Cavillationes de Othone 2. 3. aliiſque imperatoribus infra refutabuntur, quando Conringius aliud non eſt, quam *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

De Juribus imperii, c. 10.
In elect. pag. 730.
pag. 22.

Ex quibus omnibus jam palam eſt, non ſoli Colonienſi eſſe fas Aquisgrani, aut intra ſuam Diœceſin reges conſecrare, ſi rem ipſam ſpectes, ſepoſita qua inolevit conſuetudine. Si patrii quid martis habes, illum aſpice contra, qui vocat

Virg. 11.
Maſſarengo nelle Rime Farneſiane.

Fulmina, e tuona il granido metallo,
E rimbombar fa intorno.

Vanus plauſus Conringii. pag. 19. 20.
NB.

Occurrit hoc loco notabile quiddam, quod, antequam animo excidat, expediendum venit. Ne triumphum ante victoriam. Ferrum adhuc in igne eſt. Scribit alibi Conringius, raucus ille buccinator primatus Moguntinenſis, „Eſto diœceſibus ſingulis ſua ſint jura prudenter conſtituta per canones eccleſiaſticos: notum tamen eſt, non eſſe eum rigorem canonum, ut ſine „omni exceptione ſtricte ſemper ſint obſervandi. Circa conſecrationes ſæpenumero aliquid in„dulgeri par eſt. Hoc ſcribit in gratiam domini ſui, ne a coronatione Aquisgrani excludatur. Ad„dens: non vocabitur hoc, ſcio, in dubium hodie quidem a Colonienſibus, utpote quum velint „omnes conſecrationes regias, extra diœceſin a ſe inſtituendas eſſe. Agnoverunt autem hoc jam „etiam olim ipſimet Colonienſes, eoque paſſi ſunt Othones 3. a Moguntinis conſecrari. Contra „alibi. Ex quo unctiones & benedictiones ſacræ apud Chriſtianos populos ceperunt coronatio„nibus regum addi, illud officium conſecrandi, apud omnes populos. quaſi communi conſenſu „primario præſuli eſſe conceſſum, niſi alicubi ſingulari privilegio interdum alii id quoque ceſſe„rit.„ Hoc ſcribit iterum in gratiam domini ſui, ne in Germania a coronatione quoque excludatur. Sed ſi prius verum eſt, quo jure non admitteretur Colonienſis in Germania? ſi poſterius, quo jure admitteretur Moguntinus in Lotharingia? ſolvat mihi hunc nodum *& erit mihi magnus Apollo.* Sed lubet exclamare, o os bilingue, atque ideo merito deteſtandum! Hoc profecto eſt ex uno ore calidum & frigidum proflare. Vereor, ne homini contingat quod Satyro apud Æſopum. Quicunque duabus ſellis ſedet, raro commode ſedet. Sed quid? *cujus rationis ratio non extat, ei rationi non eſt fidem adhibere.* Bene dicam ad Conringium. *Ob quid agis non mitrate ruſtice? Te aratrum decet, non ara.* Sacer es, non ſacratus: molere an poſſis, ipſe videris. Sed incidit iterum aliquid commemoratione dignum, & cauſſam Colonienſem egregie promoturum. Ann. 1125. electus eſt Lotharius Saxo in imperatorem Moguntiæ annitente in hoc vel maxime Alberto archiepiſcopo, *malorum ſibi a duce Friderico competitore illatorum haud immemor. Nec mora. Aquisgranum cum aula abiens, a Friderico archipræſule Colon. in regem benedictus & inunctus eſt: omni Clero, & populo feſtivum Epinicium acclamantibus.* Divina Conringi quid inferre velim? ſi divinaveris, pro præmio hauſtus erit de cado optimo. Taces, obmuteſcis, ſi galion factus es: quare ipſe dicam. Duo hic ſunt, quæ, ut dixi, cauſſam Colon. egregie promovent. Alterum contra [illegible], qui coronationem Colonienſi non deberi, promiſcue nugaris. Ecce Lotharius in regem non ſolum coronatus, ſed & benedictus & inunctus eſt. Alterum contra Moguntinos, qui volunt Moguntino coronationem in ſuo archicancellariatu deberi. Ecce Lotharius Moguntia diſceſſit, & Aquisgranum abiit, non contradicente Moguntino. Quare tunc juri ſuo non inſtitit, ſi quod habebat? Quare imperatorem dimiſit, ſi quid prætendebat in coronatione? Nondum adulatores perſuaſerant, jure hoc ab eo fieri poſſe, utcunque Henricus 2. & Conradus Salicus de facto ibi coronati eſſent. Peſtilentes homines & aulæ ſorices, qui ſæpe non uni principi perſuaſerunt, Deorum filios eſſe ſe: ſed ea laude ad poſteros, qua factum inconſultum Macedonis, qui Iovis Hammonis filius dici voluit, ſalſe perſtringit Georgius Camerarius.

Cicero ad Herenn.
Emanuel Theſaurus in Ozia.
Egregium exemplum pro coronatione Colon.
NB.
Robertus de Monte. Otto Friſing. Dodechinus. Gotfr. VI.
Adulatores aulici.

In Emblematis.

De cœlo repetit ſceptrum, qui vicerat Orbem,
Et cupit imperio non minus eſſe genus.
Maxime Dux Macedum, cornutus Iupiter Hammon,
Si pater eſt, matrem quis neget eſſe lupam?

Vtinam fugerentur ac fugarentur ejusmodi ardeliones a principibus, digni, qui cornuti Dei inſignia præ ſe ferant: imo digni, qui cornibus belluarum proterantur, & conficiantur in arena. Quot non boni & innocentes principes, per tales paraſitos dementati ſunt? qui non cogitant ſecundum Auguſtinum, *melius eſſe pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione recipere beneficium.* San-

Ad Caſulanum.

cte

ćte & pie Chryſoſtomus, *non ſolum ille eſt proditor veritatis, qui tranſgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur, ſed etiam ille, qui non libere veritatem pronuntiat, quam libere pronuntiare oportet: aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor eſt veritatis.* Caveret ſibi eminentiſſimus elector Moguntinus a Conringio: ex genere iſtorum adulatorum eſt. Magna mercede fallit. ſatis gloriæ, ſatis gratiæ, ſatis decoris, ſatis ſplendoris, ſatis honorum, ſatis titulorum habet Moguntina eccleſia: non eget externo coronamento, nedum ſcenicis corollariis Conringii. Quid tamen? malum conſilium conſultori peſſimum, ut documento eſt Achitophel. ſineret abire hominem: pulchrum fontem conturbat illotis pedibus. *Homil. 25. in Matth. c. nolite. 86. NB.*

Poſt prandia Callirhoen dat. *Alluſio ad cognomen Schonborn.*

In re non ſatis definita cum prævaleret adhuc multum Moguntinus, mitius negotium hoc Colonienſes agitavere: at vero Henrico 3. imperante plane vicerunt. *P. 23.*

Proh dolor! fuit ilium & ingens
Gloria Dardanitum, ferus omnia Jupiter argos *Virg. 2.*
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in urbe.

Cauſſam addit, *quod tum Colonienſis ſedes eo excreviſſet, ut æmulatione ſua pene dubium niteretur reddere Moguntini primatum*, ſed non veram. Longe enim major fuerat ſplendor & authoritas eccleſiæ Colonienſis ſub Brunone S. quam tempeſtate Henrici 3. ut hæc cauſſa ſubſiſtere non poſſit. Vera fuit, quod jus loco & perſonæ attributum, ſibi conſervandum duceret, ne eo ſemel amiſſo poſtea difficulter recuperare poſſet: eo magis, quod in conſecratione ejuſdem Henrici 3. Moguntini, quaſi de prætenſione ſua deſperantes, nihil amplius moviſſent. Bene Ligurinus, *Contra falſam opinionem Conringii vera cauſſa allegata, quare Colonienſes juri ſuo conſtanter inhæſerint.*

locum tenet Agrippina priorem

ſaltem in conſecratione regis Romanorum. Vide Conringi quam Homerus recte dixerit,

Πλαγκτοσυνῆς δ' ὀυκ ἐςι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν. *Od. Θ.*

In tantum igitur evecta jam Colonienſis ſedes, noluit amplius perinde ut antehac Moguntinæ cedere, ſaltem intra diœceſin ſuam. *Pag. 24.*

Tunc cum bella manus poſcunt, patribusque vocatis *Virg. 11.*
Primus ades, ſed non replenda eſt curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant.

Addit, *quod Moguntinus plus juſto certe plus ſolito ſibi arrogaret in diœceſibus ſuis.* Debebat dicere, quod Moguntinus plus juſto, certe plus ſolito ſibi arrogaret in diœceſibus alienis. Exemplum quod adfert de Lupoldo nihil ad rem præſentem facit, niſi tantum ut oſtendat, illum, non ſolum in archiepiſcopum Colonienſem ſed & in ipſum ſummum pontificem contumacem fuiſſe. Potuiſſet ſane illud omittere, ſi qua mica ſalis in eo fuiſſet, cum contra quam prætendit de univerſali primatu, clare inſinuet Moguntinum ſolum *in ſua diœceſi præcipuum eſſe*, non alibi. Si Lupoldus, ne ipſi quidem pontifici voluit cedere in ſua diœceſi, *quid mirum eſt eodem jure adverſus illum eſſe uſum Colonienſem, & priſtinum coronandi jus Moguntino ex parte* (imo ex toto) *fuiſſe ereptum?* Bene, inquam, ſi priſtinum jus in prætenſum jus commutetur. Sed quid? ſi porro dicerem Conringium hic egregie & ſplendide fatuari? Non facerem illi injuriam. Ut igitur ab hoc vitio ſeſe expurget, doceat, in quibus rebus in tantum evecta fuerit ſedes Colonienſis præ eo, quod ante habuerat, vel non conditionaliter, ſed abſolute dicam, eum hic egregie & ſplendide fatuari. Invitus, credo, audit hæc & ſimilia, ſed cum inſolentibus inſolenter agendum eſt, ne magis inſoleſcant. Equi, qui freno non reguntur, coërcentur capiſtro. Viri, qui rationibus non ducuntur, reprehenſionibus fatigantur. Aliter hæc ſacra non conſtant. *Calumnia de ambitione Colonienſium rejecta.*

Quin ad hunc modum ſane utrumque illud potuerit oriri, nemo dubitabit humanarum rerum guarus. Nec enim prudens quis ignorat, quam ab ineptis opinionibus ſæpe res maximæ originem peperint. *Pag. 25.*

Timeo Danaos & dona ferentes. *Virg. 2.*

Nihil unquam verius dixit Conringius alioquin ἐκτὸς ἔχων πόδα. Quid interim? *Conringii conjectura quadrans in Moguntinos.*

Sæpe etiam eſt olitor valde oportuna locutus.

Notum vetus adagium, πολλά γε πιστεύεται ψευδῶς. Ex unica pervicacia Lupoldi, tanquam ab inepta opinione, tantum ſupercilium Moguntini advocati aſſumpſerunt, ut velint quaſi de gratia Dominorum ſuorum Colonienſes munus conſecrationis accepiſſe, ſemper ad petitionem principii recurrentes. Inſipidi enimvero, qui non videant id cauſſæ potiſſimum obeſſe, quod pro primario argumento ſui juris ſtatuunt. Quid enim ineptius, quam tam fragili fundamento, quod labat, quod labitur, tantum ædificium ſuperponere? Admiſſi fuerant ante hac Moguntini archiepiſcopi ad conſortium conſecrationis, per benevolentiam Colonienſium in aliena diœceſi; nunc vero pro debito repoſcunt, quod illis ultro largitum fuerat. *Revera ex ineptis opinionibus res maximæ hic originem ceperunt.* Non hic e monte mus, ſed e mure mons prodiit. Primatus Moguntinus honeſtamentum nominis eſt, non inſigne poteſtatis. Aquiſgrani nec domicilium habuit, nec elocavit.

De Lupoldi facto bene dixeris, cucullus me genuit, educavit porphyrio. *An dubitas Conringi?* Decantatum illud inter vos, *non audet*, & probatum in leucomontano Paratragœdiarcha. Unum tantummodo libet hic rogare. Dic tu aruſpicum maxime, quando inſpexiſti exta catelli, ut ſcires, qua verborum formula ceſſerit Moguntinus juri ſuo, qua ſibi illud concedi petierit Colonienſis? Illane Romanis olim uſitata? veniſtine petiturus a me licentiam coronandi reges Romanorum Aquiſgrani? veni. Eſtne civitas illa in tua archidiœceſi? Eſt. Agnoſciſne me eſſe archicancellarium Germaniæ, & tibi dare poſſe? Agnoſco. Et ego tibi do. *I. I. Goetfr. in chron. ad ann. 1368. Vide Livium l. 1.*

Riſum

Digitized by Google

Oſtermannus contra Aſſerium. pag. 20. & 29. alii.

Riſum teneatis amici.

Allegant quidem Μογανόφιλοι magnas prærogativas, quibus præ aliis electoribus Moguntinus donatus & dotatus ſit; ſed quantumvis eis ante hac gaviſus fuiſſet, Colonienſi tamen in Italia & Gallia, ne de diœceſi & provincia dicam, dextrum latus Imperatoris cedere tenetur, & per conſequens illo minorem ſe gerere, qui in duabus provinciis imperii, quem ille in vna obtinet, honorem præcedentiæ adeptus eſt,

NB. Prærogativa Colon. ex A. B.

Sic rerum vertitur ordo.

Tout tourne & retourne deſſoubs la voute du ciel.

Vide Lucam a Linda in Elect. Col. p. 730. Tit. de ſeſſione. & Hermann. Maurum in coronatione Caroli 9.

Verba aureæ bullæ ſunt. „Habita deliberatione cum omnibus principibus electoribus, tam „eccleſiaſticis quam ſæcularibus, & de ipſorum conſilio decernimus, & de Imperialis poteſtatis plenitudine, hac edictali lege perpetuo valitura, ſancimus, &c. quod Colonienſes in ſuis diœceſi & „provincia, & extra provinciam ſuam in tota Italia & Gallia; in dextero latere Romanorum Cæſaris ſedere poſſint, valeant & debeant, in omnibus publicis actibus imperialibus, puta judiciis, „collationibus feudorum, & in refectionibus menſarum ac etiam in conciliis, & in omnibus aliis „agendis, propter quæ contingit ſeu continget, eos pro honore ſeu utilitate imperiali tractandis mutuo convenire.„ Ecce prærogativas Colonienſium, Moguntinenſibus non inferiores, verum ſuperiores. Et quis jam pro univerſali primatu hinc argumentum formare audeat niſi Conringius, qui *montes ad aſtra fabricat?* profecto ille is ipſus eſt, cujus *vulnere nemo unquam ſaucius ingemuit.* Antiquitus Moguntini primatum ſuum extra provinciam quoque extendere non uno molimine conabantur; nunc ad ſolam Germaniam rejecti ſunt, ut in ea ſe jactent, quantumcunque libuerit.

Pag. 26.

Nec eſt, quod credamus, in hiſce non potuiſſe falli pontifices; cum non ſint utique quæſtiones fidei, ſed de juribus & inſtitutis regni Teutonici, in quibus errare non poſſe Pontifices, nemo hactenus affirmavit.

Videor audire illud ſtolidi Chorœbi,

Virg. 2.

Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis
Aptemus, dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Quanto mas Moros tanto mas ganances.

„Et vero licet his pontificibus longe plures alios opponere: omnes nimirum illos, qui ap„probaverunt regum coronationes extra Aquiſgranum a Moguntino inſtitutas, quorum nume„rus longe eſt major numero ternario. Hi ſane non admiſerunt illa: ex antiqua Colonienſis ec„cleſiæ dignitate, archiepiſcopum ſolummodo reges & imperatores coronare debere, aut illa. Co„ronationem regum Allemannorum ad Colonienſem archiepiſcopum pertinere. Ut & ſimilia alia. „Sed & jam audivimus, Guilielmum Hollandiæ comitem unctum eſſe a Moguntino: ut proinde „non ita nude ſcribi debuiſſet, fortaſſe in epiſtola ad Richardum regem, quod ex officio ſpectat in„unctio, conſecratio, & coronatio Regis Alemannorum ad archiepiſcopum Colonienſem.„ Heus dic iterum aſtrologorum maxime, quando aſcendiſti in cœlum, ut diſceres quot paraſangis deviaverint pontifices a veritate? an totidem, quot cælum lunæ diſtat a cœlo ſolis? næ tu novus Menippus, non Calippus, novus Silenus, non Selenus eris. Illius commentum, hujus jumentum pridem tibi vindicaſti. Quod fauſtum ſit, diis, deabuſque plaudentibus triumphabis in habitu philoſophi, in equo Satyri. Euge cape barbam pro mento, pallium pro humeris, peram pro latere, clavam pro dextra, baxeas pro pedibus. Io triumphe!

Defenſio Rom. Pont. contra Conringium. NB. Vide Bucelinum in Ducatu Brunſwicenſi.

Hoc privilegium tibi concedimus, pro privilegio quod vis Moguntinos Colonienſibus pro coronatione dediſſe. Age præco, auritum fac populum, publica privilegium, ut magnis & parvis, longis & brevibus, craſſis & macilentis, pulchris & turpibus conſtet, qua honoris pompa Conringius recenter condecoratus ſit, facere, vel aquam pro vino bibes, furfures pro pane edes, & nunquam ſaturaberis.

Medicina periculoſa Conringii. In Epig.

Addo. O! te periculoſum medicum in morbo Moguntino! vis videri pharmaca præbere, & venenum affundis: ſanare & exaſperas: juvare & lædis. ſed quid? hæc fere natura eorum eſt, quibus aliud natat in labris, aliud nutat in mente. Luci & tenebris raro bene congruit. Degeneraſti cum illo Bahuſiano. ſed quid iterum? Hoc lucraris. perdis fidem apud tuos, non invenis apud noſtros. Ecce mercedem illorum, quibus proprium eſt illud τὸ ἀμφοτερίζειν. Et vero videris morum Germaniæ, quos Linda teſte eleganter explicuiſti, pene oblitus eſſe. Non dicet de te a lapide, *ſive pontificiæ, ſive proteſtantium religionis es, Germanus certe es.* Mennonis potius quam Memnonis filius audias. Interim dic tertio augurum maxime, quando avium volatus exploraſti, ut intelligeres, quomodo potuerint errare pontifices in bullis ſuis, quamvis materia non eſſet de fide, cum, quod agebatur, orbe terrarum vidente & approbante fieret? Nemo eos hactenus in hac parte erroris redarguit, an tu primus es qui tam acutum vides? Collyrium Sanazarii applicuiſti oculis tuis, hinc illa perſpicacitas; Effeciſti hoc medicamento, ut verba mea invertam, & dicam, o hominem ὀξὺ βλέποντα! non concurbitam; adde, inſtar talpæ aut veſpertilionis. *Si numerum ternario majorem (quem nunquam dabis) licet his opponere*, quare factum non eſt? Audiamus unum, qui jus ſuum Colonienſibus abjudicaverit, audiemus plures qui adjudicarunt. Scio multos pontifices coronationes Imperatorum, vel ab ipſis, vel de voluntate eorum factas, ratas habuiſſe, ſed non video ullam coronationem a Moguntinis factam, quæ exceptionem non mereatur. Et vero ſeipſos confundunt hi ſcriptores, dum largiuntur competere Colonienſibus jus coronandi apud Aquiſgranum; & tamen ultro profitentur, Moguntinos nonnunquam locum eorum occupaſſe, hoc eſt, conſecraſſe aliquot

parte 3. c. 1.

NB.

reges

reges Romanorum Aquisgrani. Si jus illic competebat Colonienſibus, ut ipſi admittunt, quare ſibi voluerunt Moguntini tantum licere in aliena diœceſi? Certe eo gravius hic offenderunt, quod vel ex indignatione imperatorum, vel ex occaſione turbarum, non ex jure proprio, præſumptione ſua abuſi ſunt. Coronaſſent Colonienſes etiam extra provinciam ſuam, ſic caſus ille iſtis tempo- *NB.* ribus occurriſſet. Cum vero omnes reges coronandi Aquisgrani ſe ſtiterint, quid illis opus erat, *Quare Colon. alibi non coronaverint quam Aquisg.* ad alium locum circumſpicere? ſufficit, quod ibi munere ſuo rite perfuncti ſint, ubi debuerunt: culpa eorum non eſt, quod alibi non fecerint, ſed eorum, qui ſe ad unam civitatem aſtringebant. Fruſtra propterea ingerit Conringius, *probari autem debuit coronationes ſaltem interdum fuiſſe, extra illam diœceſin a Colonienſibus peractas. In omni autem illa congerie tale aliquod exemplum ne unicum quidem comparet.* Ratio hujus rei jam reddita eſt, videlicet, quod reges Rom. ad Colonienſes venerint, non Colonienſes ad reges Romanorum, ubi ſimile exemplum in Moguntinis? venerunt Moguntini ad reges Rom. non reges Rom. ad Moguntinos. Ingeſſerunt ſe turbulentis temporibus, & quod de jure obtinere non potuerunt, de facto ſibi vindicarunt. Quale exordium in coronatione Pipini fuit: tale exordium in ſequentibus.

Ecce diſparitatem. At vero qui ſunt iſti, qui Innocentii 3. Clementis 4. & Urbani 4. decreta non admiſerunt? Profer unum, profer duos, & remittimus tibi reliquos. ſi dixiſſe ſufficit, negaſſe ſufficit. Ad teſtimonia, ad Authores; vel ad ſellas Patroclianas, vel ἐν δοιαῖς θύραις cum chartis Conringii. Præſtaret

Inter mille Pholos, & vina liquentia ſemper, *Douſa in Epig.*

quin inter aſſiduas compotationes Zethi Brunſwicani cantillare, *ich reide mir einmahl zu Braunſwig anß*, aut quod doctorem magis deceret, *Vide Lindan. p. 191.*

Interea ſacra hæc, quando huc veniſtis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes *Virg. 6.*
Nobiſcum, & jam nunc ſociorum aſſueſcite menſis:

quam libros ſcribere, ex quibus honorem habere ἐξ ἐπιδείξεως. Prudenter Hochſemius, *qui loqui neſciunt, tacere non poſſunt. Cæſaris verba, quæ adducuntur pag. 47. nihil ad rem præſentem faciunt. Nec enim aliud ille profitetur quam ſe debere regalem unctionem Colonienſi: quod longe eſt diverſiſſimum ab eo quod probari debuit; omnes omnino reges debere inungi a Colonienſi.* Præliare cum Diomede quantum potes Conringi, quiritaberis cum eodem paulo poſt,

Hæc adeo ex illo mihi jam ſperanda fuerunt *Virg. 11.*
Tempore, cum ferro cæleſtia corpora demens
Appetii, & veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero ne me ad tales impellite pugnas,
Nec mihi cum Teucris ullum poſt eruta bellum
Pergama, nec veterum memini, lætorve malorum.

Verum τί πέρισσα θρηνεῖς; τί δὲ μάτην ὀδύρεαι; *In Antiol.*

Quod cæſar Fridericus de ſe dixit, idem cenſentur omnes reges Romanorum de ſe dicere. *Cavilli Conringii futiles & inanes.* An dicent Moguntino ſe inunctionem debere? Certe exiguus numerus illorum erit. Sequitur itaque omnes debere inungi a Colonienſi, ut id vere dicant: omnes debere id dicere, quia a Colonienſi unctionem acceperunt. Et ſane, unde dicebat Fredericus ſe debere inunctionem Colonienſi, niſi quod ſciret ejus id officium eſſe? Nondum aurea bulla proclamata erat, & jam cæ- *NB.* ſarea fide conſtabat, quis verus coronator eſſet. Quod Fridericus teſtimonio, id Carolus 4. edicto confirmavit.

Similiter nihil ad rem faciunt hiſtoriæ, quæ afferuntur a pag. 45. uſque ad 55. de coronationis regibus per Colon. archiepiſcopos. Quo ſaltas, inſequor.

Si tot reges Romanorum, a Colonienſibus coronati & conſecrati, nihil ad rem faciunt, non *Rer. Belg. Hiſt. l. 13.* video quid ad rem faciat. Verum enim vero, *ut omnes illæ hiſtoriæ fuerint veræ, nihil tamen aliud docent, quam frequentiſſime omnium coronationes regias eſſe in diœceſi Colon. ab illo archiepiſcopo inſtitutas.*

Αὐάζεις κενεὰν εἰς ἀχέροντα χάριν. *Meleager.*

Satis eſt quod hoc doceant. Docent enim coronationes deberi archiepiſcopis Colonienſibus, ſive Aquisgrani, ſive alibi fiant. Quod vero alibi non contigerint, per reges Romanorum ſtetit, ut ſupra monuimus, qui Aquiſgrani coronari voluerunt; non per archiepiſcopos, qui alibi quoque coronare potuiſſent. Jus ſaltem ſuum exercuerunt, tam diu uni loco alligati, quam diu alius ſe non offerret.

Multa quoque fabulæ irrepſerunt inter hiſtorias illas. Hirquitallus olet beſtiam ſibi cognominem, congenerem, conſimilem. Dicere & probare diverſa ſunt,

Nullus enim labor eſt verbis extendere famam. *Proba Falconia in Centone.*

Quæ ex claſſicis authoribus adducuntur, illa nota aſpergi non debent. Fabulator eris, quamdiu, quæ fabulæ iſtæ ſint, non oſtenderis. Falſi a te convictum eſſe, quod Lodovicus pius ab Hildeboldo coronatus fuerit, acerbius dicitur quam verius. Crimen falſi malitiam & malignum animum ſecum trahit, an tu id bonis viris cuperes aſpergere? verte folium & canta; in te convenit: *Crimen falſi in Conringium retortum.* verius tibi impingitur quam acerbius. Qui unum authorem pro ſe habet, ab illo flagitio immunis eſt. Idem judicium eſto de coronatione Lotharii. Sed heus bone vir, ſanus, ſobriuſne es dum addis? *Quaſi vero tum temporis omnis coronatio fuerit peracta ab epiſcopo aliquo.* Ne dubita; confundis te ore tuo. Jam alibi dixiſti, *ſic ſatis frequens nimirum illa ætate fuit, præter primam maxime ſolennem*

lennem, atque adeo ſacram coronationem, repetere coronationes idque per epiſcopos. Sed de hoc jam ſupra. Videtur nimia copia Tabaci cerebrum tibi tuum, & civilem prudentiam, cujus magiſter haberi volebas, vehementer confudiſſe, ita obliviosſus es. Modicum cum tuis ſumeres pro ineunda fraternitate. Excedis. Reflectendum ad illud quod Euphormio, vel potius Catharinus, *In Satyrico.* ille ἀπὸ κατάρας, verius quam ἀπὸ καθαρότητος nuncupatus, in carmine expiatorio dicit,

Planta nocens, ô letifero planta horrida fumo.

Fruſtra monemus. Clamat cum Anacreonte:

Θέλω, θέλω μανῆναι.

Perperam quoque aſſeritur de coronatione regum poſt Arnolphum uſque ad Henricum Aucupem, nihil haberi certi: nos jam ſupra Lodovici & Conradi coronationes deſcripſimus. Totum diem argutatur quaſi cicada.

Coronationes Regum Germaniæ a Mog. non factas. Coronationes deſcriptæ nihil de Moguntino habent, quod in controverſia eſt. Allegantur quidem Regino de Lodovico; Wittikindus de Conrado 1. Dithmarus de Henrico 1. ſed non probatur illos a Moguntino coronatos, regiis ornamentis indutos & inunctos. Quid juvat ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾷν? Potuerunt ab aliis epiſcopis non minus conſecrati, quam a Moguntino: velut Carolus Calvus ab Adventitio Metenſi. Et quidni? cum nullum exemplum illius ſeculi adferri poſſit, ubi Moguntinus id muneris in Germania obierit. Hoc a te intelligere cupimus. Dicit ſimiliter Onuphrius Arnolphum a Luitberto, Ludovicum 4. ab Hattone (poterat etiam addere Henricum ab Herigero) coronatos eſſe; ſed quia authores non citat, neſcio an fidem mereatur. Saltem non puto. Conringius falſi illos a ſe convictos jactat, qui recentiores ſcriptores citaverunt: ipſe non citat antiquos, eoque crimen falſi commiſiſſe rectius arguitur.

P. 36. & ſequent. *In coronatione Othonis 2.* (nam de Othonis 1. ſuperius dictum eſt.) *primas partes fuiſſe archiepiſcopi Colon. perperam item colligitur, ex verbis quidem Rogerii allatis, ceu jam ſupra monuimus. Nihil habet hic aliud.* *Coronatio Oth. 2.* Non perperam ſed certo id colligitur, quidquid blateret Conringius, *primo loco conſert Brunonem quod hujus vitam author ſcribendam ſuſcepiſſet.* Ecce ut omnes anguli everruntur, quo mundi in loco coronationes faciat Moguntinus. Præter Rogerium ipſa ratio dictat, patruum Nepoti, Senem juveni, diœceſanum externo prælatum eſſe. Non tantum contra hiſtorias pugnat litigioſus Conringius, ſed & contra bonos mores. Si filios habet, collocet eos primo loco in menſa, ſequatur ille deinceps. Qui viderint, non dicent illum Eraſmum de civilitate morum legiſſe. Quid tamen? Puer eſt, ideo pueriliter agit. Nuces huc. Nondum intelligit quæ ſint partes virorum.

Similiter quæ afferuntur de Warnio ægrotante, & quaſi Moguntinus tantum aſtiterit coronationi Othonis 3. illa jam ſupra falſi convicimus.

Cucurire ſolet gallus, gallina gracillat. Conringius conringizat.

Coronatio Oth. 3. Serio? ſerio. *Nullo teſtimonio nititur ille prætextus ac proinde eſt fabuloſus.* Quid ita? quia Warinus *eodem circiter tempore tradiderit regem tenellum tutelæ Henrici regis Bavariæ: quod indicio eſt, non ita fuiſſe morbo tum gravatum Warinum, ut regni negotiis curandis fuerit inidoneus.* Ego contra, & mecum claſſis prudentiorum indicio eſſe fatebitur, fuiſſe morbo tum gravatum Warnium, quod Othonem 3. *ejus firmæ fidei a patre*, *NB.* neglecto Moguntino, *commiſſum*, Bavaro, non item Moguntino, cuſtodiendum tranſmiſerit, cum ſe tutelæ & aliis regni negotiis in poſterum imparem ſentiret, paulo deinceps in Monaſterium ingreſſus. Quidquid ſit de morbo, nihil hic pro Moguntino eſt. Non ſolum enim ille, licet primas Germaniæ, licet decanus electoralis collegii, licet coronator regum Romanorum juxta Conringium, a tutela Othonis 3. ſed & a coronatione ejuſdem excluſiſſimus fuit. Nec enim Willigiſus, ſed Joannes Ravennas primario officio defungi meruit: ut non ita male dictum videri poſſit, *Moguntinum* velut inſpectorem, *tantum aſtitiſſe.* Enimvero, legatus Apoſtolicus non admiſerit quempiam in conſortium coronationis ſe inferiorem, niſi quatenus hodie titulares epiſcopi, ad ſupplendum ternarium numerum, a veris epiſcopis adhiberi ſolent. Ex tam levi cauſſa crimen falſi denuo objicere, non cadit in virum ſedatum, cadit in Conringium. Doceat Warinum conſecrationem illam neutiquam improbaſſe, & a crimine falſi ipſum abſolvemus. *Quæ eadem pag. habentur, de iterata coronatione Henrici 2. jam rejecimus.*

Ἰδοὺ δεύτερον Ἡρακλέα.

Coronationes Henrici 2. & Conradi 2. examinata. Magnum profecto momentum poſitum eſt in utravis coronatione Henrici 2. & majus etiam quam quis prima fronte apprehendat; unde aliquanto ἐμφατικώτερον deſcribendæ. Primo, ex cuſtodia auguſtalium ornamentorum, quæ penes S. Heribertum, tanquam Theſaurarium regalium, erant depoſita, liquido colligitur eum verum & unicum coronatorem regum Rom. illis *NB. S. Heribertus conſervator Regalium & conſequenter coronator regum. vide Coloniam Gelenii. p. 21.* temporibus fuiſſe. Sigebertus rem geſtam ita narrat. *Quum jam res in tuto eſſe putaretur*, (nempe poſt mortem Othonis III.) *Dux Bajoariæ Henricus, injuriato Heriberto, Colonienſium archiepiſcopo, a cujus ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi jure hæreditario ſibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre 1. Othonis imperatoris. Henricus ergo dux, conciliatis ſibi animis quorundam principum regni, ungitur in regem a Willigiſo Moguntino archiepiſopo.* Ex ea narratione, ut dixi, liquido colligitur, S. Heribertum verum & unicum coronatorem regum Rom. propter cuſtodita a ſe regalia ornamenta tum fuiſſe: & Henricum 2. ex odio immerenter concepto, conciliatis ſibi animis quorundam principum regni (non omnium ut indebitus modus procedendi hinc magis colligatur) primum Moguntiæ ex omnibus regibus Romanorum coronam ſuſcepiſſe. Infenſum S. Heriberto, ſive, *quod electioni ipſius non interfuiſſet*, ut refert Rupertus Tuitien- *Apud Su-* ſis; ſive *quod eidem obſtitiſſet ad imperium aſpiranti*, ut tradit a Malinkrot. Quod nemo ſane approbare

Digitized by Google

bare poterint, niſi ſi quis coronationes præter legem & per injuriam factas, pro ratis & validis haberi voluerit: ambitionem etiam Henrici laudaverit, qui quaſi jure hæreditario, & conciliatis ſibi animis quorundam principum regni, ad imperium aſpiravit. Qualis eſt Conringius qui ait: *manet tamen Henricum fuiſſe unctum, coronatumque, extra Colon. diœceſin, non a Colonienſi ſed Moguntino, atque adeo hoc quoque exemplo conſtare, Colonienſi extra ſuam diœceſin nihil eſſe juris in coronatione:* parum curans ſive bene ſive male coronatio facta fuerit, modo tantum a Colonienſibus eam celebrari non contigerit. Ad exemplum videlicet iſtius audaculi, qui poſt carecta latens, timido animo, tumido ore proclamat. *Utcunque res cadat, perinde nobis eſt. Iacta eſt alea: Rubiconem jam tranſivimus.* Secundo autem, ex repetita Aquisgrani coronatione, jus Colonienſi magis adhuc competere perſpectum fit: eo quod Henricus jam ad meliorem mentem converſus, & *Coloniæ natale domini celebrans*, ut ait ſupra citatus Sigebertus, *Heribertum archiepiſcopum, olim a ſe injurioſe tractatum, humili ſatisfactione placuerit:* id eſt, quod primam coronationem Moguntinam, tanquam illicite & indebite acceptam, ultro abiecerit, & ſecundo in loco competenti, & a perſona competenti conſecrari voluerit: neutiquam facturus, (ea eſt natura principum) ſi actum Moguntinum ad rite auſpicandam regni adminiſtrationem, ſufficientem judicaſſet. Author vitæ S. Henrici teſtis irrefragabilis eſt; ut proinde non male exiſtimaverint Colonienſes, *coronationem Moguntinam cauſſam ſuam juvare, quum eam irritam pronunciavit Colon. Heribertus, & Henricum coëgit denuo coronam Aquisgrani ſuſcipere.* Eſto igitur hoc verum, quod fecerit Heribertus & jure fecerit, & parum juvabit, ſi, quod ipſe imperator factum improbavit, nos approbare voluerimus.

rium 18. Martii Mallinck. p. 57.

An. 1021. Meierus. 1020. Coronatio Henrici 2. Aquiſgrani iterata a S. Heriberto.

Eadem ratio eſt cum coronatione Conradi Salici, qui ſimiliter, quod Peligrino Colon. archiepiſcopo, propter negatum ipſi votum in electione, infenſus eſſet, ab Aribone Moguntino præſule coronam ſuſcepit; invidiæ & vindictæ pluſquam juſtitiæ & æquitati tribuens. Profecto malam cauſſam fovent, qui fucatis coloribus eam purpurare ſtudent. Conradum ſaltem male feciſſe inde quoque probatur, quod Aquiſgranum *proclamandus, & publicandus imperator*, acceſſerit. Si Moguntina coronatio ſuffeciſſet, pepercisſet utique tam laborioſo itineri: ſed voluit in ſolio regali conſidere, & omnibus teſtari, ſe a conſuetudine prædeceſſorum ſuorum nolle deviare. Quod tantundem eſt, ac ſi inibi quoque coronatus eſſet. Peligrini conſenſus dubius eouſque videri poteſt, donec per ſolennem actum Aquenſem, & coronationem Giſelæ imperatricis, tandem acquievit. Ut vel hinc intelligas, quanta obſervantia Colonienſes locum coronationis ſemper reveriti fuerint; licet quandoque perſona coronantis obortis inimicitiis, præteriretur. Vere, qui ἐργαλία πράγματα Willigiſi & Lupoldi in ſe ſubtilius conſideraverit, neceſſario fatebitur, eos, quo ex humiliori loco proceſſerunt, contumaciores aliis fuiſſe. Willigiſus ex patre carpentario ſeu hamaxurgo natus erat; & non dubitavit primus omnium Moguntiæ coronationis actum uſurpare: Lupoldus ex Monacho Fuldenſi ad archiepiſcopalem cathedram aſcenderat, & non erubuit primus omnium Aquisgrani ad coronationis actum anhelare. Ille excuſabilior, quia in diœceſi ſua; hic inexcuſabilior, quia in non ſua: uterque ad ſummum actionibus oſtendens, Claudianum non prorſus vanum Poetam in Rufino fuiſſe; quando menſuram civitatis ſuæ excedentes, quod nomen Metropolis ſignificat, falcem in alienam meſſem mittere nulli formidarunt. Favet Conringius, nec cauſſam dico.

Repoſitio Conradi Salici in thronum C. M.

NB.

NB. Willigiſus & Lupoldus primi qui conturbarunt ordinem coronandi.

Sine cauſſa rejicitur exemplum Rodolphi Suevi, utpote quum hujus coronationem omnes pene imperii principes; imo ipſe pontifex Romanus, tum probaverint.

O Conringi calcophthongi lapidis æmulator,

Σοὶ δέ τις ἐν ςήθεσσιν ἀκήλητος νόος ἐςὶν?

Od. κ.

Ut omnes principes imperii coronationem Rodolphi agnoverint, de Rom. Pont. magnum adhuc dubium eſt. Certe Baronius, Bellarminus, Gretſerus, Genebrardus & ex iis Bucelinus, *inconſulto Gregorio* exauctoratum Henricum, & Rodolphum Cæſarem creatum affirmant: imo ut ait Urſbergenſis, *Romanæ ſedis legatis non voluntarie annuentibus.* Memini antiquum verſum apud Carionem legere:

De Rodolphi Suevi coronatione Moguntina. An. 1078.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Sed jam dictis authoribus majorem fidem habendam cenſeo, eo quod non niſi poſt triennium pontifex conſentire voluerit. Quinimo, ut de aliorum principum cladibus tunc cumulatis taceamus, ſatis in morte Rodolphi patuit, inauſpicatam ejus coronationem fuiſſe. *Rodolphus Sueviæ dux,* inquit, *Helmoldus, cum contra Henricum 4. Imp. D. ſuum conſpiraſſet, in prælio dextram, qua illi fidei juſjurandum præſtiterat, amiſit, ex eoque vulnere mortuus eſt.* Caveat Conringius, ne ex Conringio Mutius fiat, quando procul a ſcopo aberrans, contra agnitam veritatem, tam putida & tam inſulſa ſcribere non veretur. Sabinum modo inſpiciat hominem ſuæ gentis, & pudebit coram caſtis Sabinis purulentum pectus denutaſſe: imo contra ſeipſum clamabit.

In Chronic. Sclavor. Vide Forſt. ad Tacitum l. 1. p. 22. & Sabinum de Elect. Caroli 5. ubi mala ex Rodolphi promotione oborta, accurate enarrantur.

Quid enim furis? haud pote fucus, nec ceruſſa Hecubam reddere Tyndarida. Fruſtra jactantur illa Guntheri verba: veteris juris, quam vetus illud jus tunc fuerit, liquidum jam fecimus. Verius illi, qui jactant illa verba, cum etiam puriſſimas aquas conturbare intendas. Indoctior aſino, & te quoque ſit oportet, qui non intelligat, quid ſit illud veteris juris.

Μὴ μευ πειράτω εὖ εἰδότος. δυσπείστος ἔχω.

Quæ afferuntur de coronatione Eliſabethæ, cæſaris Alberti Auſtriaci uxore, illa nullius eſſe ponderis, itidem jam ſupra demonſtravimus. ſic equitans occidit & Phaeton. Qui pluma levior eſt, de pondere audet loqui. Vereor, ne vehementior aliquis ventus eum in cautes, aut in mare abripiat. Niſi ſector

[*Pag. 31.*] eſſet, apud me ſartor eſſet, quod genus hominum leviter & ſublatis talis ſemper incedit. Coronatio Eliſabethæ ex quo capite nullius ponderis eſt? *quia ex commiſſione & ſingulari conſenſu Moguntini facta.* At quo teſte? quo authore? ubi viderimus, credemus. Scriptor diſſertationis contra ait, *neque quomodo hæc acta ſint, ſatis conſtat.* Pugnant inter ſe mus & rana Moguntina; dicit milvus [*Alciat. in Emblem.*] ſpeculator, *gloria victoris præda futura mea eſt.* Tamen, *ſi una hirundo ver non facit pro Colonienſi:* quomodo paucæ ciconiæ æſtatem facient pro Moguntino? Alii judicent. Ego minutias iſtas proſequi jam ferre nauſeo, ut & illas de Philippo Suevo, quem conſtat Aquisgrani recoronatum, & de Wilhelmo Hollando, conſtat diadema impreſſum a Bohemo, *de conſenſu Colonienſis.* Intimavi ſuperius Conringium cuminum ſerere; ſeram contra helleborum, ne opus ſit eum ad Anticyras navigare. Nemo putet hominem cum Bavio Bidermanni prorſus deſperatum eſſe. Adhuc curabilis [*Propert.*] eſt. Parcendum tantum prætioſæ & periculoſæ viæ. *Non habet unda Deos.* Mortem ejus nolo. Optimus ſocius eſt. Malo eum dicere,

At tu ſæve Aquilo nunquam mea vela videbis.

[*Pag. 28.*] *Maximum cauſſæ ſuæ præſidium videntur defenſores collocare in aurea bulla, quare paginas aliquot integras in illius urgendo patrocinio conterunt.* Et poſt pauca. *Hæc vero nihil omnino juvant Colonienſem.* Et quam ob cauſſam? *quia revera tota illa bulla nihil habet, quod vel tangat leviter hoc negotium præter pauca hæc verba. Colon. archiepiſcopo competit dignitas & officium Romanorum regi primum diadema imponendi. Primum enim palam eſt, verbis illis nihil novi ſciſci, ſed tantum ſignificari, quonam officio jam tum gauderet Colon. archiepiſcopus.*

[*Virg. 12.*] *Illo quæratur conjunx Lavinia campo.*

[*A. B. plane & per omnia pro Colonienſibus. In N. P. ad Tacitum l. 4. pag. 316. Præf. ad Differt. de ratione ſtatus.*] Videtur dicere Conringius, τὸ θαῦμα τὸ [illegible] cum Germanis iſtis apud Forſtnerum, *nobis Aur. Bull. Caroli 4. interpretari, docere, & diſcere ſatis eſt. Quaſi vero non iidem immineat jura & privilegia, peſſundari A. B. ſanctiones conquerantur.* Quin imo videtur ex illorum numero eſſe, de quibus Hippolitus a Lapide, *quod ſi antiquæ rei Romanæ, aut univerſalis hiſtoriæ ſcriptorem per tranſennam forte inſpexerit, & inſuper electorum numerum, officia, aliaque curialia, quibus A. B. referta eſt, enarrare ſciverit, jam idem juriſpublici peritiſſimus ex aſſe, omnibusque numeris abſolutus jure conſultus, & vel toti imperio gubernando par fuerit habitus:* Ex tripode omnia, quippe *quum res deſultoria ſit magiſtratus, & crebrius ad immerentem accedens.* Illo tamen excepto, quod idem a lapide magna ſui parte notorius conviciator ſit. Timon Syllorum ſcriptor, niſi potius Timon Athenienſis, & ſicut imperatorem, electores, catholicos, & domum Auſtriacam, vel in ordinem redactos, vel a ſtirpe eradicatos vellet: [*C. Calcagn. in fun. Herculis Strozzæ.*] ita auream quoque bullam, *tanquam Idolum ac vitulum Aaronis, a plerisque ſcriptorum adorari*, petulanter nimis effutiat: petulantius adhuc addens (ut e multis injuriis unam apponamus) *nec magis imperatorem inde, quia caput imperii dicitur, monarcham eſſe aſtrues, quam ducem Venetorum, quia is* [*Part. 1. c. 6. ſect. 3.*] *conſimiliter caput reipublicæ a nonnullis vocatur.* Vah degenerem Germanum, *qui circa majeſtatem imperatoris infamatur, cui ſanguinis Germani,* ut ejus verbis utar, *gutta nulla supereſt!* dum rempublicam [*p. 1. c. 18. p. 3. 7. & p. 2. c. 9. ſect. 4.*] aquaticam, a non uno Scaligero laceratam, cum Romano imperio; dum ducem pompaticum, ſenatorem in curia, captivum in urbe, cum Auguſto imperatore comparare audet. Ad tranſtra, ad remos cum tali monſtro, quod ἀγέλαστος καταφρονητὰς, quod δόξα ἐν τρίμμι βλασφημῶν, quod imperium, quod Deus ſalvum vult, everſum, quod imperatorem, [*Tertull. ad Scapulam.*] *quem ſcimus a Deo conſtitui*, exſtinctum cupit: imo cum eo ad pœnam priſci Hyppoliti, aut ad lapides S. Stephani, ne a nomine ejus abeamus. Certe cum Auſtro non navigat: Boream reſpicit, oblitus *ab Aquilone pandi omne malum*, be- [*Joſephus Scaliger in Carmine de Verona.*] ne de ſe ipſo vaticinatus eſt, *ſurdis nos fabulam narrare, & paucos ſententiæ noſtræ ſuffragatores habituros, jam in ante auguramur.* Unde dubie ſatis Linda. [*D. Petrus Epiſt. 2.*] *Annon graviſſima ſit Hippolyti a lapide de Romano imperio cenſura (exceptis tamen excipiendis) judicio cordatorum virorum relictum eſto.* Quo igitur pueriles illæ minæ, [*Idem Tert. In concluſ. Pag. 822. Ubi ſupra.*] *jam dudum eſt, quod in domum iſtam auſtriacam, domum patriæ noſtræ, & avitæ libertati exitioſam, dum vita ſuppetet, dum ſpiritus hos reget artus, ſeu ſtylo, ſeu pilo pugnare, parati fuimus?*

[*Virg. in ecl.*]
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Saltem, ſi catholici per contemptum furorem hominis negligerent, vindicarent illi ex genere [*part 2. c. 9. ſect. 5.*] Auguſtanorum, quos publico ludibrio expoſuit, oſtenderentque, in ſaxis ignem adhuc latere, qui tam atroces calumnias devorare poſſit.

Omnis & in magnos culpa Deos ſcelus eſt.

Sed ad inſtitutum. Odioſa eſt Circenſibus pompa.

[*Tit. 4.*] Nonne in A. B. imperator eadem formula verborum loquitur de Moguntino, qua de Colonienſi? *Quoties & quando deinceps ſacrum vacare continget imperium, ex tunc Moguntinenſis archiepiſcopus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cæteros principes antedictos, ſuos in dicta electione conſortes, litteratorie convocandi.* Putemus etiam hac formula nihil novi ſciſci, ſed tantum *ſignificari, quo officio jam tum gauderet Mog. archiepiſcopus, & idem pulchre jure convocandi, inti-* [*Vide a Lapide p. 1. c. 10. ſect. 3.*] *mandi, & indicandi excidet.* Ac vero dato non conceſſo, verba aureæ bullæ de coronatione Colonienſis, narrativi tantum generis videri, fundamenta tamen ſunt *in antiqua & approbata, & laudabili conſuetudine, relatibus, & traditionibus antiquorum a tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria.* In iiſdem videlicet principiis, in quibus inſtitutio electoralis collegii conſiſtit, *a quibus legitimum ſumitur argumentum ejus, quod fieri judicarique debeat,* quando ea, *quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per plurimos annos obſervata, velut tacita civium conſenſio, non minus quam quæ*

ſcripta

ſcripta ſunt jura obſervantur. Ut enim quod Viſcher. animadvertit, (quamvis Gregorio 5. & Othoni 3. aſcribere videatur cum Catholicis,) *non certo aliquo vel imperatorum, vel imperii univerſi decreto vel conſtitutione; ſed tacito principum ac ordinum imperii conſenſu, irrepſit paulatim, interveniente prolixitate temporis, memoriam hominis ſuperante, electorum hoc privilegium: dum tanta rei arbitrium ſolis commiſerunt, ut dominum ipſis, ut cuſtodem publica ſalutis, ut eccleſia orbis terrarum propugnatorem eligerent. Sab. in elect. c. 5.* Ita jus coronandi regem Romanorum pariter in perſonam Colonienſis, utcumque pragmatica Caroli magni excidiſſet, a prima origine ſimul introductum, pro lege & certa aliqua ordinatione, multorum ſæculorum decurſu per uſum continuum, & officium abſque contradictione exercitum, roboratum eſt; nullo prætextu cujuſcunque ipſi adimendum, niſi ſimul authoritatem ſeptemviralis ſenatus, pari fundamento innixam, ſubvertere voluerimus. Unde porro idem Viſcherus, *Carolus 4. nullam ſanctionis prædeceſſorum, quod procul dubio, ſi extitiſſet, non prætermiſiſſet, ſed conſuetudinis ſaltem vel uſus longævi, quo jus electionis introductum ſit, fecit mentionem.* In qua igitur baſi jus eligendi Romanorum regem omnibus electoribus commune collocatur; in eadem jus ſpeciale pro uno quoque, & pro electore Colon. privilegium ab antiquo coronandi eundem regem firmatur, *non in officio, quo jam tum gauderet Colonienſis.* Quo ergo nunc illud argumentum Moguntinorum? verba narrativi generis eſſe, non juris poſitivi? Aut ſubvertatur totum collegium ſeptemvirale neceſſe eſt: aut relinquatur Colonienſi jus coronandi ipſi proprium neceſſe eſt: utrobique enim eadem ratio militat, eo firmior & validior, *quod non facile credendum, Germaniæ & Italiæ principes, qui omnes imperatores eligere conſueverant, permiſſuros fuiſſe, jus dandæ electionis expreſſa aliqua conſtitutione ipſis eripi. Arte itaque & latenti, inviſibilique conſuetudine, electorum jura paulatim primitus, dehinc viribus aſſumptis excludendo cæteros principes, aliisque familiis potentioribus, injuria temporis præmortuis, ſeptemviris proprio jure acquiſita ſunt.* Unde quoque eſt, quod ſerius hanc mutationem animadvertens neſcio quis author fruſtra ad hunc modum quiritatur. „Nota, quod translatio imperii a Romanis „in Germanos fuit facta A. D. 984. tempore Gregorii 5. qui fuit conſanguineus Othonis imperii „Germanicæ nationis. Res ergo fuit ordinata per Teutonicos, nec mirum ergo, ut quidam dicunt, „ſi ordinaverint, quod electio fieret per eos, & fuerint contempti Italici, Galli, & Hiſpani, clariſſimæ nationes Chriſtianorum, qui quidem Hiſpani & Galli nunquam conſenſerunt, huic translationi, nec multo minus poteſtati eligendi Teutonicis conceſſæ per pontificem Teutonici generis. &c. Addens, in prædicta poteſtate ad colorem dici, archiepiſcopum Colonienſem, eſſe cancellarium pro Italia, & Trevirenſem pro Gallia, tanquam, ſi Itali & Galli non habeant Prælatos „ſuæ nationis aptiſſimos ad electionem, & oporteat ſuppleri per Teutonicos, quos eſt veriſimile, „non eligere alios, quam ſuæ nationis, &c. cum tamen Itali, & Galli, & Hiſpani, &c. ſint gentes „habiliores ad gubernationem, & movenda arma per mare, & per terram contra hoſtes fidei. „ Atque ita quidem ille, quiſquis tandem eſt, clericorum de penna viventium, cui facile eſſet reſpondere, ſi præſens materia alienas quæſtiones admitteret. Tantum dicimus, peſſime illum præſupponere, *ad colorem eſſe archiepiſcopum Colon. cancellarium Italiæ, Trevirenſis Galliæ; cum in inſtitutione illarum dignitatum*, Italia & Gallia adhuc eſſent membra imperii, quod nunc quoque Romanum dicitur, quia ab urbe Romana initium accepit: turpius etiam falli, ſeque ipſum vane titillare dum ait, *quod Itali, Galli, & Hiſpani ſint gentes habiliores ad gubernationem, & movenda arma per mare & per terras contra hoſtes fidei, quam Germani:* cum horum dexteritas in rerum adminiſtratione, & virilitas in gerendis bellis, nulli nationi ſub ſole unquam conceſſerit: quin contra populos illos triumphaverit, eos ſub jugum, ſub capiſtrum, ſub poteſtatem miſerit.

Concl. 5. Electoralis Collegii origo. — *NB.* — *pag. 17.* — *pag. 20. ubi plura.* — *In practica Cancell. Apoſtol.* — *Vana querimonia contra Imperium Germanicum.* — *Sed vide Bucelinum in Geneal. Germaniæ Notitia. p. 3.* — *Germani vindicati & archicancellariatus Colon.*

Armorum ſonitum toto Germania mundo edidit. *pag. 28.*

Accedit proteſtatio, quod defenſores non dubitarint *in ſiniſtrum ſenſum accipere, id, de quo moniti fuerant, quaſi nimirum voluerint Moguntini omnem legis authoritatem inſtituto iſti de munere coronandi, quod Colonienſi competit, derogare.*

Calva & frigida excuſatio Conringii.

Audi Græculi illius verſipellis ἀπολόγημα: *Virg. 2.*

Hoc primum, nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.

O non! prohibet hoc ſuſpicari ſanctitas ſcriptorum Moguntinenſium, ſed ubi facta verbis contrariantur, fruſtra fiunt proteſtationes; vel ad minimum ad decipiendum. *Odi homines qui cum male fecerint, purgitant.* *Plaut.* Ecce fidem dictorum. *Illis verbis aurea Bulla novi nihil conſtitui, etiam ipſi Colonienſes utique fatentur; utpote qui juris Colon. originem arceſſunt ab exordio uſque Germanici imperii.* O Conringi, corrigia dignus es ob repetitas toties injurias!

Σῆματι μοι νῦν εἰπὶ ἀριφραδὲς ὄφρα πεποίθῃς. *Od. α.*

Fruſtra addis, *jam vero liquidum fecimus, omni anteacto tempore, non aliud jus coronandi, vel competiiſſe Colonienſi, vel ipſos Colonienſes ſibi arrogaſſe, quam illud, quod eſt diœceſeos limitibus definitum*, ut audax, ita mordax pronuntiatum, & tuo ipſius ore vel reprobandum vel reſorbendum. *Non vocabitur, hoc ſcio, in dubium hodie quidem a Colonienſibus, utpote quum velint omnes conſecrationes regias, etiam extra ſuam diœceſin a ſeſe inſtituendas eſſe.* Μωρὸν ὄν, quid opus erat Colonienſes ſibi vindicare, quod in poteſtate habebant? quid opus eras propterea proteſtari? aliud eſt quod repetunt, non jus loci, ſed perſonæ; imo jus loci & perſonæ, ſciunt vetus illud dictum, *in omni republica prior ac potior eſt rerum poſſeſſarum conſervatio, quam non poſſeſſarum acquiſitio. | Item illud, majus dedecus eſt parta amittere, quam omnino non paraviſſe.* Ut propterea peſſima fide addas, *de ulteriori igitur jure aliquo neutiquam ſermo eſt in A. B.* Et quare? *quia ponit tanquam certum: ſolum Aquiſgranum eſſe juſtum locum coronationis regiæ.* Mera verba,

NB. — *Hochſ. in Epiſtol.*

quæ ego κατὰ σκιᾶς ἐκ ἂν πταίσων, ubi dicit imperator, *cui competit dignitas, nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi*, nullius loci mentionem facit; inſinuans tacite generalem illam archiepiſcopi Colonienſis functionem eſſe. ubi vero dicit *ut regis Romani prima coronatio Aquisgrani haberetur*, ſubdit paulo poſt, *niſi impedimentum legitimum obviaret*: ſignificans ea adjectione, juſti loci, ſive ut Arumæus ait, *loci coronationis ſoliti*, obſervationem non adeo ſtricti juris eſſe, quin pro conditione temporis mutari poſſit. Perſonæ vero coronaturæ adminiſtrationem adeo ſtricti juris eſſe, ut nulla ratione loci aut temporis habita, ſemper eadem manere debeat. Ideo imperator officium coronantis, & locum coronationis in textu ſe junxit, ne quis putaret perſonam a loco dependere, ſed locum a perſona. Perſona ſemper eadem eſt: locus mutari poteſt. Verba aureæ bullæ iſta ſunt: *Invenimus ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud a tempore cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos qui nos præceſſerunt, feliciter eſſe jugiter obſervatum ut regis Romani, imperatoris futuri, in civitate Francofurdia celebretur electio, & prima coronatio Aquisgrani, & in Oppido Norinbergenſi prima, ſeu regalis curia haberetur. Quapropter certis ex cauſſis, etiam præmiſſa ſervari debere temporibus declaravimus, niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obviaret.* Ex quo Viſcherus, *coronatio Aquisgrani expedienda, electori Colon. tanquam archiepiſcopo competit, cooperantibus Moguntino & Trevirenſi, quamvis hic locus non tam ſtricte ſemper obſervatus fuerit.* Ut Carolus 4. electionem ſoli Francofurto per contrariam bullam ab an. 1363. alligatam non voluit; ſic cenſendum eſt, coronationem ſoli Aquisgrano alligatam non voluiſſe propter clauſulam aureæ bullæ, *niſi impedimentum legitimum obviaret.* Ubi ergo cautela, ſi quod impedimentum obviaverit, & alibi conſecratio peragenda fuerit, Moguntinum ſubſtituendum Colonienſi? quemadmodum cautum eſt, ut ſi archiepiſcopus Moguntinus officio ſuo in convocando defuerit, ipſi electores motu proprio convenire poſſint, quod ſupra quoque obſervatum. Nuſquam, nuſquam. *Locus regulariter non eſt de ſubſtantia actus, ſed tantum accidens, nec res, nec perſonas ſecum mutari facit.* Cui coronatio ſemel attributa fuit, ab eo non repetitur, nec cum mutatione loci ad aliam perſonam transfertur. Manet ergo ſemper penes archiepiſcopum Colon. ubicunque & quandocunque demum eam celebrari contigerit. *Sancta & plena ſuo ſunt regia pondere verba.* Ecce vim inſtituti! perſonalis dignitas coronandi nulli alii communicatur: localis dignitas coronationis, pro re nata arbitraria ſtatuitur. Ut unus rex Romanorum, ita unus coronator Colonienſis. Reliqua teretiſmata refutatione indigna ſunt, & tamen refutanda. Moguntini agunt cum A. B. quemadmodum Sectarii cum ſacra pagina. Non volunt ibi præceptum eſſe, ubi diſertis verbis non exprimitur. Eodem modo dicunt verba narrativi generis eſſe, non juris poſitivi; ſicut illi ſacram paginam perverſe interpretantur, ſic hi A. B. Quid nos interim pro ultima reſolutione? ſint verba narrativi generis, tanto majorem efficaciam habebunt. Aſtruent enim ita competere, & ſemper competiiſſe jus coronandi archiepiſcopo Colonienſi, ut nova declaratione denuo opus non eſſet. De Trevirenſi inquit imperator, *cui primam vocem competere declaramus*, ſicut hactenus competiiſſe invenimus; idque ideo, quia per contrariam conſuetudinem prima vox a Moguntino in eum translata fuerat: de Colonienſi autem, *cui competit*, quia nemini alii jus coronandi antea competierat: ut ita opus non eſſet nova declaratione, ſed ſimplici modo narratione, ad id conteſtandum, quod nullam difficultatem patiebatur. Mameranus certe exerravit graviter, dum de coronatione ſcribit: *Cujus officii mirum eſt nullam prorſus in* A. B. *Caroli 4. expreſſam fieri mentionem, ſicuti nec de nonnullis aliis quoque non minus neceſſariis, ut opus reformatione aliqua habere videri poſſet.* Demus hoc imbecillitati cerebri ejus, quando poſtea plane in delirium incidit, mamma Maronis vocari geſtiens, & lauro caput inumbrante, in publico incedens. Cavillatur adhuc magis Conringius, dum dicit, *coronationem non eſſe conſecrationem;* vel quod idem eſt, *verbis illis A. B. jus aliquod conſecrandi regem neutiquam tribui Colonienſi; ſed ſolummodo jus primum diadema imponendi:* ex quo ſequeretur abſurdum illud, omnes reges Romanorum, quotquot fuere Aquisgrani, coronati, non fuiſſe conſecratos. Quis unquam tam ſtolidas ratiocinationes audivit: Conringius ἑαυτὸν λωβᾶται λώβην ἀνήκεστον. Nunquid formulæ coronationis, conſecrationis, & inunctionis in eundem actum coincidunt? ubi unum peragitur, alterum & tertium non omittitur. Qui tamen diſtinctos actus putant, an darent, modo partes conſentiant, Colonienſi coronationem, Moguntino conſecrationem, & Trevirenſi inunctionem? Nihil definio: haberet quilibet ſaltem, quod ageret; imo poſſet hac ratione controverſia ſopiri. Qualis interim conſequentia? *ut etiam verba illa bullæ ſint intelligenda de eo jure, quod per omnem Germaniam competat Colonienſi, hinc tamen minime ſequitur conſecrandi jus ad unum illum pertinere?* talis ac ſi diceretur, Conringio competit habere uxorem, ſed illi ſoli eam habere non competit. Cedat ergo aliis in prædam ut illa,

In qua olim populus luſit Erichtonius,

Ut ipſi ratio ſententiæ ſuæ conſtet. Conſultius tamen ſibi reſervaverit, ad normam Homerici illius dicti, ἔχει δ' ἄλοχον θυμαρέα, τῇ παριαύων τερπέσθω; niſi tamen infelix in matrimonio eſt, & uxore potius carere quam uti mallet. Ut hoc dicam, movet me Heidfeldius, quia ad illam quæſtionem, *cur doctis viris, & miniſtris eccleſiæ acerbiores uxores non raro obtingant?* reſpondet, *ut concionatores, qui publice aliorum peccata redarguunt, domi habeant, quæ ipſis delicta & infirmitates exprobrent.* Experto crede Roberto. Proficiat. Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Vitium conjugis aut tollendum eſt, aut ferendum.* Lepide ille de Lesbia, *Queſta ſe dolce ragionar Catullo.* Sed non omnes Catulli ſunt, non omnes uxoribus ſuis dicunt, γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία. Plurimi cum Socrate Xantippen habent. Verum hæc παρέργω. Dandum eſt aliquid faſtidio lectorum. Porro officia coronandi

De Comitiis. c. 5. num. 20.

NB.

Titul. de officiis electorum.

Concl. 31. Hartm. Maurus in coronat. Caroli 5. Aug. Viſch. pag. 68.

NB.

p. 43. & ſeqq. Viſch. p. 67. & ex eo Oſterm. pag. 373. contra Aſt. Gunther. in Ligurino.

NB.

& vide ſupra p. 44.

Val. And. in Bibl. Belgica.

NB.

Viſch. pag. 152. Frivola ratio Conringii.

Prop.

In Sphinge Cap. 17.

Salviati in Catullo.

nandi, conſecrandi & inungendi ita copulata ſunt, ut invicem ſeparari non poſſint. Quin omnes omnino ritus tum adhiberi ſoliti, inter quos ille ſolennis, *quo archiepiſcopus Colon. in inauguratione annulum digito imperatoris inſerit*, teſte Egberto Scaumio, tractatu de annulis: item ille quo duplex ejus juramentum in manibus ſuis factum excipit, teſte Viſchero *p. 104. & 116.*

Vide arrogantiam, iterum reprimendam, πρὸς πλείονα ἔνδειξιν. *Et vero jam tum clariſſimum fecimus, non niſi privilegio omne illud jus, etiam intra ſuam diœceſin convenire Colonienſi, alioquin uni Moguntino debitum: privilegia autem ſtricti juris eſſe, nec prodiga aliqua interpretatione amplianda, apud omnes in confeſſo eſt.* Proba prius privilegium vel cum reſtrictione, vel abſque illa Colonienſi a Moguntino indultum, & tum ita argumentare. Præſupponis, quod in rerum natura nec eſt, nec unquam fuit. Ambulas in intermundiis Epicuri, in terra Pygmeorum. Privilegiorum conceſſio, in eo qui concedit, ſuperioritatem, in eo cui conceduntur, ſubjectionem arguit. Nullo modo concedit Colonienſis, utpote par indignitate, ſe privilegium pro coronatione a Moguntino accepiſſe. Hoc ergo tibi clariſſime probandum incumbit ante omnia. In Schaffnaburgenſi nullam *Vide ſupra* fiduciam habere potes. *Dar ſalt nichts zu ſchaffen.* ad certiora documenta tibi recurrendum. hi- *pag. 67. &* ſtorica narratio non eſt legalis conſtitutio; longe minus monaſtica opinio. Pene dixeram ad no- *ſeqq.* *NB.* vum hunc Elpenorem, *quid agis magiſter Lamberte?* an *videbitur inferius?* A religioſis adminiſtra- *Thuning.* tionem reipublicæ diſcere, nimis quam abſurdum foret. *Ii, qui in una Dei cognitione omnes cogita-* *in Apophth.* *tiones ponunt*, inquit Niceph. Gregoras, *his montes & ſpelunca conveniunt. At qui cum virtute & pie-* *l. 4. c. 2.* *tate, civilem etiam vivendi rationem edidicit, & notitiam ſibi comparavit rerum variarum, ille vero populum ad optima ducere idoneus eſt.* Monachi civiliter obierunt, ac proinde in iis, tanquam mundo mortuis, nec ſenſum, nec rationem experientiæ politicæ契 ſupereſſe, exiſtimandum. Conqueritur Puteanus, *in ſchola pleroſque rempublicam non diſcere*, an in Monaſteriis id fieri putabimus? Apage *Ad Doctr.* cum iſtis ineptiis. Suſpicis Monachum quando erat. Deſpicis Monachum, quando verum dicit. Tam *Polit. Fontes.* es amicus clauſtri, quam Diabolus thuribuli. Ut hic ſacris rebus ad veneficia abutitur; ſic tu Monachorum ſcriptis ad deceptionem. Fuge patrem mendacii, ne filius mendacii audias. Alioqui miſeri regni miſer hæres futurus.

Ου μὲν χέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
Ἀλλὰ δίκην τίουσι, ϗ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

Quod Colonienſes petierint ſibi caveri, ne jure coronandi, actibus illis Moguntinis quidquam præjudica- *Od. 3.* *retur, quodque, dum id ipſis fuerit indultum; illi rei ut refragarentur multum Moguntini, nihil cauſſa fuit.* *Pag. 30. & ſeqq.*

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros.

Præſupponit ſemper Conringius, ex impreſſa alte prava opinione, ϗ χειρὶ ϗ ποδὶ contendit, *Virg. 2.* Colonienſes ad nihil aliud unquam, quam ad diœceſin ſuam reſpexiſſe; ideoque a Moguntinis *Futiles &* alibi coronantibus ipſis nullatenus derogatum: hinc addit, *nec enim illis animus unquam fuit, juri* *inutiles* *Colonienſibus ſuis illis coronationibus, quidquam derogandi: ut nec derogaverunt, imo derogare non potuerunt:* *purgationes Con-* *omnes enim illæ coronationes ſunt inſtitutæ extra diœceſin Colon. cujus finibus jus Colon. circumſcribitur; ac proinde* *ringii.* *Colon. jus verum & priſcum haud læſerunt.* Sed contra habet ac putat Conringius, πολλάκις πρὸς τὸν *vide pag.* αὐτὸν λίθον πταίει. Revera alienus ipſius de rebus Colonienſibus error, juribus Colonienſibus quidquam non derogat, ut nec quidquam addit, quantumcunque identidem vel ad vomitum uſque occinat. *Et vero hæc fuit ipſorummet Colonienſ. Præſulum perpetua ſententia. palam eſt ex eo quod nunquam,* *Tautolo-* (ante hac quidem) *fuerint uſi ullo prætextu, ad jus ſuum conſtituendum, quod non ſimul involvat diœceſin,* *gia.* *utrobique autem Colonienſis ad ſuæ diœceſeos jura provocavit. Patet illa perpetua ipſorummet Colonienſium ſententia ex eo etiam, quod nunquam vel tentaverint Colonienſes quenquam coronare extra ſuam diœceſin. Palam denique eſt hæc ſententia ipſorummet Colonienſium, ex eo, quod poſt jam conditam A. B. Carolinam curaverint per Rupertum cæſarem ſingularibus tabulis ſibi conferri privilegium ac facultatem coronandi* *Vide ſupra* *interdum extra Aquiſgranum in diœceſi ſua.* Sed deſino nugarum, tot enim totieſque intra unam *pag. 39. &* & alteram paginam repetitæ moleſtæ Tautologiæ, ſatis indicant, qualis farrago totius Libelli *ſeqq.* ſit; quamque omnem fidem ipſi ſibi adimat Conringius, dum una eademque fidelia duos pa- *Pag. 47.* rietes dealbare, an denigrare? procaciter præſumit. Nec Colonienſem denigrat, nec Moguntinum dealbat; utrobique ludit operam. Ne totidem contrarias ſententias allegatas hic quoque repetamus, iſta unica pro tempore ſufficiet. *Colonienſis omne hoc jus coronandi Moguntino denegat, tanquam ſibi uni omni loco & tempore debitum.* Refutat ſeipſum, non eget contradictore. *Nec hæc eſt Romanenſium ſacrorum inconſulta veneratio*, ut ad Polonum ſuum alibi præfatur, ſed erroneæ mentis inconſiderata evagatio. Et medius fidius auguror, hominem ſibi præſentem non fuiſſe aut de induſtria negotium confudiſſe, qui tam intricate, ut Dædalus aliquis, in re maximæ conſiderationis verſatus eſt. Fortaſſis ſcripſit in Bacchanalibus, aut Vulcanalibus, aut Lupercalibus, certe in Quinquatribus, in quibus munera miſſitari ſolita: unde hæ contentiones tumultuoſæ & moleſtæ afferuntur; imo unde hic gladiator in arenam evocatus eſt. Lubet rogare ex veteri formula, ἔχεις καλῶν δυνάμει Reſp. ἔχει καλῶν. Inſtat tamen: vult corchorus inter olera vi- *Juſtinian.* deri, *non potuerunt negare defenſores, ordine quinque regias conſecrationes a Moguntino, non autem a* *Inſtit. l. 3.* *Colonienſe peractas eſſe.* Non potuerunt id quidem negare, potuerunt improbare, ideoque quod *T. 30. apud* juri ſuo his actionibus derogari viderent, (ſi tamen illis derogatur, quos non voluntas, ſed de- *Hopperum.* fectus ordinis impedit) contra ſemper proteſtati ſunt, quod pro tempore ſufficiebat. *Cautela* *Proteſta-* *abundans fuit, quod Colon. principes temporibus coronationum illarum non infulati, atque adeo inidonei* *tiones*

ſacro *Colon.*

ſacro muneri peragendo, ſolenniter contra exceperunt. An vero cauſſæ Moguntinæ non præjudicet, *quod illi principes caverint juri ſuo per proteſtationes & acceptas aſſecurationes*, quodque *crediderint*, *Moguntinum non potuiſſe rite fungi conſecrandi munere*, *niſi obſtitiſſet illa ſua inhabilitas:* nemo, opinor, negabit, qui intelliget, hac via Colonienſes a prætenſione ſua nondum deſiſtere: eoque juſtiorem cauſſam ad hoc habere, quod hodiernus archiepiſcopus *Maximilianus Henricus*, princeps elector, utriusque Bavariæ dux infulatus ſit, & officium ſuum competenter per ſe exercere poſſit. In coronatione Maximiliani ſecundi quæ prima fuit, nihil exprimitur de jure Moguntini, tantum dicitur, *quod eſſet ſacrificaturus*, intellige pro Friderico a Weda Colon. qui tum in ſacris non erat. Subſtitutus agit vices ſubſtituentis, non ſuas. Idem tum fecit Moguntinus. ſupplevit locum Colonienſis. Unde omnia corruunt, quæ Conringius de ultimis coronationibus, glorioſe prædicat, & aliter ſubſiſtere non poſſunt, quam ſi paululum immutata, coronationibus 500. annorum applicentur. „ Obſervandum vero etiam atque etiam eſt, haſce coronationes Colonienſem celebraſſe, & Romanis Pontt. & cæſaribus & omnibus imperii ordinibus, nemine excepto, „conſentientibus. Hoc ſane eſt argumento, non exercuiſſe tantum illos actus Colonienſem, „ſed ſummo jure cui nemo potuit contradicere, exercuiſſe. Neque vero vel ipſi Moguntini, il„las coronationes accuſaverunt, niſi quod olim interdum in ſchiſmate ipſi ſe ingeſſerunt. Ex „quo tamen illa ſuperſtitio primatus rurſus incepit, intra hoſce centum annos, Moguntinas coro„nationes, tanquam non rite factas, ipſi Colonienſes improbaverunt. „ Quæ pag. 42. obſervatu digna eſſe adduntur, tam ſunt putida, tam putrida, tam ἔξω λόγου. ut refutationem non mereantur. Utcunque enim deinceps Colonienſes proteſtati non eſſent, ſufficit proteſtatio in primo actu interpoſita, cum archiepiſcopi Colon. non moriantur, & quod unus facit, omnes ſucceſſores facere cenſeantur. Non libet verba apponere, nimis rancida ſunt. *Melius a te non neceſſaria & inutili abſtineo. Longum enumerare Phareos, Oebalioſque duces. Induſtriæ cauſſæ ſuæ patroni* ſcient quid temporibus Rodolphi 2. Matthiæ 1. & Ferdinandi 2. contigerit. *Ihr habt eweren Beſcheit* D. Conringi, *mægt darmit hingehen.* Adieu jusques a revoir. Ire licet: redire licet. Atque ecce hominem. Audiamus, quid porro ferat.

FF. Heideni in inauguratione Maximil. 2. vide Bentherum de Septemviratu Pag. 14. 2. Edit.

NB.

Stat. 2.

Fuit *hæc Moguntinorum præſulum perpetua ſententia*, *non potuiſſe coronationes illas ultimas a Colon. principibus inſtitui*, *utpote quæ fuerint peracta extra diœceſin Colon. nec petiiſſe illos ullo verbulo a Colonienſibus ſibi illud ad tempus indulgeri.* quid tum? non tamen proprio, ſed alieno munere perfuncti fuerunt. Non enim tantum jus coronationis intra diœceſin ſuam ſibi vindicant Colonienſes, ſed quacunque ſe extendit Rom. imperium. Ut illud juxta nomen Auguſtorum ab augendo dictum, nullis limitibus circumſcribitur, &, ſi vires non deeſſent, omnes omnino provincias, quas unquam ſua potentia complectebatur, *etiam poſt annum Platonicum*, ut Oſtermannus loquitur, *ab incubatoribus*, juſto titulo antiquæ poſſeſſionis recuperare poſſet; vel eo magis, *quia imperator contra omnes cujuſcunque ſtatus perſonas fundatam habet intentionem.* Ita quoque elector Colon. circa dignitatem & officium coronationis ipſi proprium, præſcriptos terminos non habet; & utcunque in ſuo munere nonnunquam turbetur, regreſſum tamen ſemper ad illud habet. Reliqui electores prærogativas ipſis competentes, ubique intra imperium libere exercent, ex quo deducitur, idem juris & poteſtatis electori Colonienſi quoque competere. Non enim deterioris conditionis eſt quam cæteri. Non eſt quod Græci dicunt, κωφὸν πρόσωπον. Abſurdorum enim id foret abſurdiſſimum. *Qui in pari ſtatu ſunt, paribus privilegiis gaudent. Electoratus & munera, quibus funguntur electores, nexu junguntur adamantino, nec altera ab alteris ſeparari queunt;* inquit Viſcher. Cum ergo archiepiſcopus Colonienſis cum collegis ſuis in qualitate coronandi concurrat, infallibile manet ipſi jus ſuum, ut non tantum intra provinciam ſuam, ſed & per totum imperium, quantum quantum illud eſt, coronare poſſit. ubi munia diſtincta ſunt, unum in duas perſonas ordinarie cadere non poteſt. ut enim nemo præter Moguntinum convocat, nemo præter Trevirenſem primam vocem habet: ita nemo præter Colonienſem coronare debet. Alioqui confuſio membrorum in bene conſtituto corpore ſequeretur; ſi manus pro pedibus ambularent, pedes pro manibus laborarent: ut natura dedit, ſic omnis recta figura eſt, ut Caroli magni pragmatica ſanctio determinavit, ut Caroli 4. A. B. confirmavit, ſic optima harmonia imperii perſtat. *Cum porci loquentur*, *eadem cum Epicuro*, cum Conringio *dicent.*

NB. Generalem eſſe poteſtatem Colon. in coronando. Viſch. p. 37.

Vide p. 47.

NB.

Pag. 31.

Quod defenſores pag. 68. voluerunt eſſe cauſſæ argumentum ultimum, & inſtar omnium, illud ſane per eſt leve, atque adeo indicat etiam reliqua omnia pari eſſe levitate.

Virg. 1.

Si mens non læva fuiſſet,

Non leviter, ſed leniter dixiſſes. *Ovidius de Fortuna,*

Semper, ait, conſtans in levitate ſua eſt.

Quiſquiliæ Conringii. & levitas.

Tibi applicamus; ita leviter de rebus graviſſimis diſſeris. Cave, ne ex doctore, quod ominabar, ſartor fias. Quid enim levius dici poterat? *Et vero ſatis eſt probando juri Moguntino*, *ſi coronationis actus a Moguntino inſtituti fuerint.* Et iterum. *Fieri potuit*, *ut Moguntini duntaxat delegatione Colonienſis actum coronationis aliquem exercuerint*, *quo utique nihil acceſſerit juris Colonienſi*, λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν. Nam quod primum attinet, ſatis quidem eſſet probando juri Moguntino, ſi coronationis actus a Moguntino inſtituti, fuiſſent rati: ſed quando opinione Colonienſis, veri & unici coronatoris nunquam fuerunt rati; quomodo ſatis ſunt probando juri Moguntino? ut ex parte illorum rati ſint, qui eos admiſerunt, diſpar tamen ratio eſt cum Colonienſi, qui nec potuit nec debuit eos ratos habere, quos ipſe

NB. Coronationes Moguntino-

ipſe non adminiſtraverat: In cauſis litigioſis ſæpe accidere ſolet, ut is, qui deteriorem partem ſuſtinet, ſive benevolentia, ſive errore judicum ſententiam obtineat, eamque ratam habeat: quæ tamen contradicente Adverſario, & per Appellationem ad alios judices provocante, ſæpe reſcinditur, & minime rata fuiſſe declaratur. Idem puta hic factum, aut faciendum. Permiſerunt poſteriores reges Romanorum ſe a Moguntinis coronari, eorumque functiones ratas habuere: nec ideo tamen ſequitur eos actus cauſſæ Colonienſi præjudicare; quia ſimiliter vel per benevolentiam, vel per errorem accidere potuerunt. Quamdiu Colonienſis actionem ſuam proſequitur, & in bonitate cauſſæ confidens, ab imperatore & imperii ſtatibus meliorem ſententiam obtinere ſe poſſe confidit, tam diu ex parte ipſius actus Moguntini rati non ſunt & retractari poſſunt: quinimo debent, ſi jus illius cum jure Moguntini compoſitum, longe certius & firmius in radicali fundamento, aliiſque rationibus ſtabilitum eſſe oſtenſum fuerit, prout hac ipſa contradictione oſtenſum eſt. Τριμῶ πέντεκλαίων ἐγώ. Quod ſecundum concernit, non apparet, *quomodo nihil juris acceſſerit Colonienſi, ſi ex ejus delegatione Moguntini aliquando actus coronationis exercuerunt.* Sane ſemper major authoritas delegantis fuit quam delegati. Ille enim a ſe habet quod delegat; hic ab alio quod delegetur. Si ergo nonnunquam Moguntinus per delegationem Colonienſis munere coronandi perfunctus eſt: utique fateri debet, Colonienſem poteſtatem habuiſſe delegandi, & per conſequens plus juris ad ejusmodi functiones quam ipſum. In contrarium enim Moguntinus delegare debuiſſet, ſi ipſi jus tale competebat; & Colonienſis delegationem acceptare, ſi ex alio capite illud ſibi arrogare non poterat. Sane in coronatione Othonis I. a qua reliquæ quaſi dependent, Colonienſis Moguntino licentiam dedit, non Moguntinus Colonienſi: ut vel ex unico hoc actu ſatis pateat, quis alter alteri in jure coronandi prævaleat. Prævalet Colonienſis vigore Pragmaticæ Caroli magni vigore licentiæ a ſe Hildeberto datæ; vigore coronationis Henrici 3. ante murmurationem Lupoldi a ſe exercitæ; vigore aureæ bullæ Caroli 4. denique vigore poſſeſſionis, per octo fere ſæcula continuatæ. Et vero opus non habuiſſet Hildebertus, in coronationem Othonis 1. delegationem a Colonienſi admittere, quanquam ex parte tantum, ſi ipſi ab antiquo ea functio competiiſſet. Nunc quia certo conſtat, non potuiſſe Moguntinum coronationem eam ſimul perficere, niſi de voluntate & conſenſu Colonienſis, manet porro indubitatum, Colonienſem ſemper in hoc caſu meliori conditione fuiſſe. Unde, ut dixi, fruſtra & inaniter balbutit Conringius ἐῤῥαχία πεπαιδευμένος in ſecunda editione, *obſervandum vero etiam atque etiam eſt, haſce coronationes Moguntinum celebraſſe (loquitur de ultimis coronationibus) & Romanis Pont. & Cæſaribus, & omnibus imperii ordinibus, nemine excepto, approbantibus.* Nam nihil ad Colonienſem, quid alii egerint, fecerintve, quos negotium non concernebat. Illi ſi eas non accuſarunt, ſaltem non approbarunt, quod pro ipſis ſufficit. Doceat Conringius approbaſſe, & verba illa, *ex quo ſane illa ſuperſtitio defiit*, utpote ejus, qui cauſſam illius approbat, cujus fide improbat, ambidexter videlicet, & in utrumque paratus, libenter ipſi concedemus.

rum nunquam approbata à Colon. ideoque ex parte illorum invalida.

Quis ex Colon. & Mog delegaverit alter alteri poteſtatem coronandi.

Supra p. 36. & ſeqq.

NB.

Pag. 14.

Illud nullius momenti eſt, quod nimirum Buxtorfius, Romelinus, & alii nonnulli cauſſæ Colonienſis aſtipulati ſint. Nec enim errores talium ſcriptorum detrahunt quidquam ſolidis principum juribus. Et quid eſt mirius, quam ab illis cætera præclaris viris, complura eſſe commiſſa per ignorantiam rerum veterum, aliorumque imperii actuum? *Pag. 32.*

O nimium cœlo, & pelago confiſe ſereno, *Virg. 9.*
Nudus in ignota Palinure jacebis arena.

Nunc tandem vult Principum authoritatem a ſuis ſtrophis dependere, qui aliorum authorum aſſertiones tam contumelioſe elevat. Cum Æſopico Grammatico, ὅσον φωνῆς τῶν ἄλλων, omnia ſcit, cæteri quaſi umbræ volitant. *Sed nihil nos*, inquit Viſcherus, *hæc & ſimilia remorantur, ſiquidem præſumptuoſum foret, diſputatione ſcholaſtica, qua nec ducatus, nec dominia dari aut adimi poſſunt, electoribus eccleſiaſticis, veteris dignitatis terminos pervertere velle.* Addit Conringius, *nec enim errores ſcriptorum detrahunt quidquam ſolidis principum juribus*, & non videt miſer, ſe ſibi ipſi alapam impingere, dum diſputatione ſua vere ſcholaſtica, id eſt otioſa & nullius induſtriæ. Electoris Colonienſis veteris dignitatis terminum pervertere conatur. Invicta eſt veritas, non ſubruitur machinis bellicis, nedum junceis haſtis. Sudabit ſub hoc labore, ſicut ſiſiphus ſub ſaxo, & nihil efficiet. Puto ego in Buxtorfio, Romelino, & ſimilibus, plus eſſe veræ prudentiæ quam in decem Conringiis. Si ad ſtateram venerit, ſubvolabit in altum quaſi pluma a vento levata. Cenſeo ut ſeſe ſaburret pondere veritatis, vel ut cum phileta plumbum pedibus ſubnectat, alioquin cum ipſo actum erit ilicet, rapietur a vento cum gruibus, *ſuper & Garamantas & Indos.* Errores illorum necdum detexit; ipſius deteximus: *ab illis complura eſſe commiſſa per ignorantiam arguit*, ab ipſo commiſſa oſtendimus. Quid dicam de imperii actibus, quos præ illis ſcire videri vult? An conſul magni jovis eſt? an Deorum conciliis interfuit? an belli & pacis momenta ab eo diſpenſantur? ſi ita eſt, ſalve, ſalve Hercules Germaniæ, Achilles imperii, Agamemnon electorum; Ulyſſes Helmenſtadiorum: Jam cum Romano illo Pyrgopolinice reſcribere poteris: *Nos candidatus ſpiritus procacis miles, Conringius ſeverus & clemens, liberator urbis, zelator Italiæ, amator orbis, & tribunus Auguſtus.* Denique poſt mortem tibi vindicare elogium illud Att. Calatini, *Hic ſitus, unei quei plurima conſentiunt gentes, fuiſſe virom populi primariom*, aut illam germanicam inſcriptionem ſepulchri, ne vulgus te quoque ignoret, *des gottsfürchtigen, demütigen, friedmachers, ehrenholts, liebhabers der wahren religion und gerechtigkeit, gelehrten, hochweiſen, frommen* Conringii. Interim, quaſi ſpecimen prudentiæ ſuæ œcumenicæ daturus, & oſtenſurus, ſe περὶ πᾶσαν ἀποδιδόμενον τὴν πολιτικὴν πρᾶξιν, oratorium

Conringius cum nugis ſuis demum remiſſus.

Concl. 7. p. 27.

I. Maſenius in Palæſtra, l. 2. c. 18.

Hoch. l. 2. c. 35.

Diſt. 37. torium enthymema, ſive potius ἀσθενῆ συλλογισμὸν porro proponit. Probat certe Conringius ſe genuinum Sophiſtam eſſe, dum ita agit, & unum ex illis de quibus S. Hieronymus, *nonne vobis videtur in vanitate ſenſus, & in obſcuritate mentis ingredi illum, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur?* Syllogiſmus talis eſt, *ſi nullum omnino coronationis actum Colonienſes exercuerunt, extra diœceſin, ab initio uſque Germanici imperii, ergo nec jus illis hactenus fuit coronandi extra diœceſin. At verum eſt prius: ut ſupra probavimus, ergo & poſterius.* Idem valet ac ſi diceret, ſi Cajus nunquam fuit Romæ, ergo nunquam poteſtatem habuit eundi Romam. Proponemus nos alium longe efficaciorem. *Si nullum omnino coronationis actum, intra vel extra Germaniam Moguntini jure exercuerunt, ab initio uſque imperii Germanici, ergo nec illis jus erit deinceps coronandi, intra vel extra Germaniam. At verum eſt prius, ut ubique probavimus, ergo & poſterius.* Ad ſecundum. *Si Moguntinus ſæpius coronavit reges, & quidem omnes conſecrationes, quæ extra diœceſin Colonienſem fuerunt inſtitutæ, peregit, probantibus omnibus ordinibus imperii, imo ipſis pontificibus Romanis: competit coronandi jus Moguntino, ſaltem extra diœceſin Colonienſem. At verum prius eſt, quod probavimus, ergo & poſterius.* Opponimus ſequentem ex propoſitione longe veriori longe veriorem concluſionem habentem. *Si Moguntinus raro coronavit reges Romanorum & quidem omnes conſecrationes, quæ intra vel extra Germaniam male fuerunt inſtituta, in confuſo & turbato ordine imperii, & plurimis contradicentibus peregit*, ergo nunquam illi intra & extra Germaniam, verum jus coronandi competiit, nec hodieque competit. At verum prius eſt, quod probavimus, ergo & poſterius.

Epilogus. Sed jam hinc φειδόμενοι τῆς ἀμετρίας τοῦ λόγου, relinquamus Conringium ἐν κατρῷ τὸ πᾶν δεῖνα. quando poſt omnia arma hiſtorica abjecta, ad ſcholam ſe recipit, & inter ſophiſtas latibulum quærens, exclamat lamentabili voce,

Virg. 12. *Do, quod vis, & me victusque volensque remitto.*

Soph. in Ajace. ἆι, ἆι, ἆι, αἰτῶν κενῶν ἐλπίδων.

de juribus ac primatu electorum noſtrum non erat definire. Exceptus eſt pro merito, ex quo eum tranſverſum egit

Ventoſo gloria curru:

ſibi imputet κενόδοξος. Non nos illum provocavimus; ſed ille nos. Forte ſapiet in poſterum, &

Gioſeppo Salviati in Laertio Italico. diſcet meliora ſectari, καὶ τὰ ἐνθυμήματα προτεθὲν προεξέτασθαι, optimum monitum Cleopuli, *quando eſci fuor di caſa, penſa a quello chai a fare, & quando ritorni penſa a quello chai fatto.* Habet, peractum eſt: tenetur cum cornicine Æſopico, cum quo bello initium dedit.

Lind. p. 791. Vix illum Harminius, vix Velleda, vix Tanfana, vix Crodus, vix omnes χειροποίητοι in ducatu Brunſwicano ſervaverint: Si tamen animus denuo reſpondere & palam mundo facere, impingi nonnunquam ab iis, qui ſereniſſimum electorem Colonienſem defendendum ſuſceperunt, hoc agat, quod boni viri eſt, non calumniis, ſed rationibus; non conjecturis ſed teſtimoniis; non con-

C. Calcag. in Funere H. Stozza. tradictionibus, ſed aſſertionibus: & laudabimus ejus conatus. *Eſt enim ita a natura comparatum, ut nemo alterius, qui ſua virtuti confidit, invideat.* Si ſalem Romanum aut Atticum ſcriptis ſuis aſperſerit, quod nos non tam paſſim quam ſaltim fecimus; tali acrimonia novam orexin in nobis excitabit: ſin Sycophantam egerit, & πέρα τοῦ μέτρου ad heterogenea circumſpiciens, ad rem non reſponderit, væ hemoni, væ tergo ejus, væ victo. non effugiet exitium.

Et noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Ac vero jam nunc in anteceſſum auguramur, non parciturum illum nobis, qui in epiſtola de ele-

Vindiciæ Alexand. 7. hodierni Pontificis. ctione Alexandri PP. ſeptimi totus vecors & impius in cœlum os poſuit; tanquam Cham irriſor patris factus; tanquam Dan coluber in via mordens; & tanquam Balaam auctoratus ad maledicendum principem populi Dei, & univerſa caſtra Iſrael. Præmiſſis enim falſiſſimis ſalſiſſimisque aliquot poſitionibus, Heroem, abſque majeſtate pontificatus foret, ſanctiſſimum, quem ab humaniori cultura, & non inelegantibus poëmatibus frigide, & quaſi per contemptum laudat: mox converſis velis in æſtum, & œſtrum impotentis animi, toto tractatu & tractu acerbe perſtringit. Collyrium Sanazarii, de quo dicebam, tantum potuit, effecitque. „Improbat ejus electionem, quaſi a Spiritu cæleſti non profectam: carpit nomen Alexandri, & ad ærarium S. Pauli hoſtem impertinentiſſime traducit. Sextum vult eſſe non ſeptimum: Objicit aulæ miniſteria viliora., Theologum negat; exploratorem facit in pacificatione Monaſterienſi; non arbitrum aut definitorem: lancinat animi conſtantiam in improbandis fœderibus, divinis, humaniſque legibus contrariis. Arguit non poſſe dici vicarium Chriſti. Impugnat zelum pro extirpanda hæreſi. Imponit ei μικροφιλοτιμίαν, aut δεισιδαιμονίαν. vocat pſeudo-vicarium, & pſeudo-prophetam. Invidet illi annos Petri, de quibus tamen ſe ſcire negat.„ Ad quæ omnia paucis ipſiuſmet verbis reſpondeo: *quo fructu diſputaveris cum tam vago, lubrico, legumque diſputandi, vel imperito, vel negligente vitilitigatore?* & iterum, *Thraſoni divinanti quis prudens crediderit, rerum omnium inexperto?* Reverà *ineptus diſputator, per aliena vagabundus, maledicus, jactabundus, non calumniandi tantum, ſed etiam paraſitandi inſignis artifex eſt.* Sed habebit brevi a viro honeſti nominis, & docto artes ἐν τοῖς μάλιστα, aptum choleræ ſuæ ἀλεξιφάρμακον; ut diſcat præter multa alia, *ſtola aſcribendam non eſſe ſimoniam aut impietatem, ſed avaritiæ, domeſtico* αὐτονόμῳ *idolo.* Sufficit hac vice oſtendiſſe vertiginem maleſani capitis, & indigni prorſus, cujus miniſterio eminentiſſimus Moguntinus in cauſſa ſua utatur. Qui in ipſum univerſalem eccleſiæ pontificem tam atrociter debacchatur, quomodo poterit in catholicum archiepiſcopum benignus eſſe? utinam ſcapha ejus, an ſcaphium? nunquam innataſſet Mœno! ſordes vehit, non merces, mortuos vehit, non vivos. ferruginea Cha-

rontis

fontis cymba eſt. Poterit iſti ſilicernio aliquando ſuccenturiari. valde jam decrepitus eſt, indiget forti ſucceſſore: ut Conringius tandem fiat Charongius. *Extra jocum.* Hoſtes raro juvant, niſi ut gravius deinceps noceant. ſimulata eorum benevolentia in majus damnum erumpit. Heterodoxi diverſas appellationes ſortiuntur; & *quamvis nunquam cum Ægyptiis inter ſe omnes conſpirare poſſint;* ejusdem tamen naturæ ſunt. Jurati ſemper inimici culminis apoſtolici. ſciunt eo ſtante ſe ſtare non poſſe, hinc odium plusquam Vatinianum in Vaticanum. Scripſeram in *Mitra mea Chiſiana*, loquens de religione, pietate, innocentia, & eruditione moderni pontificis, *inimici noſtri ſunt judices, non habent quod opponant. Silet Lutherus præ ſtupore; admiratur Calvinus pro ingenio; erubeſcit Menno præ delirio.* Sed ut apparet ex mordaci & maledico ſcripto Conringii, præter meam, bonorumque omnium ſpem, Diod. ſicul. 2.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Ranæ, inquam, calamitæ, apocalypticæ. Coaxent interim ad ravim usque, ad ruptionem usque, *Turca magis quam papa placet;* non terrebunt ne quidem puerum quiritium, θηλάζοντα τὸν τῆς μήτρος μαζόν. Illuſtres, ingenuos, prudentes, & moderatos viros ex proteſtantibus non tangimus. ſcimus maximam partem Acatholicorum fervorem novæ perſuaſionis, & ſinceritatem liberalis indolis pulchro temperamento invicem commiſcere. Non cum illis, ſed cum indiſcretis blateronibus & invidioſis nugigerulis nobis res eſt, qui homines propter religionem & religionem propter homines deteſtantur. His, pro tutanda ſancta integritate, & integra ſanctitate pontificis, cui notos & devotos nos palam profitemur, per modum provocationis, epigramma ad hoſtes Romanæ ſedis tum datum, iterum opponimus. Iſſelt. an. 1574.

Vos quibus horrori Roma eſt, & purpura Petri,
  Huc mihi ferte animos, huc mihi ferte pedes:
Non ſedet in cathedra mulier, quæ veſtra libido eſt
  Fingere; non leno, non levis arte magus:
Non hoſtis fidei Chriſti, non ſemivir hircus,
  Non leo, non vulpes, non gravis ore canis.
At ſedet in cathedra Chiſius, quo nomine ſolo
  Audito, fugiunt tot mala monſtra virum.
Quid veteres ſordes, quid ſtercora priſca crepatis?
  Ipſi vos veſtris credite nunc oculis.
Plus valet auritis, quamvis ſeptemque, decemque
  Teſtibus, aſpectu qui videt ipſe ſuo.
Credite: nam tantam lucem niſi cernitis, eſtis
  Cæci, & cæcorum de Babylone duces.

Secli incommoda, commodi, Nerones,
Et flavi furor ultimi, & flagella
Perjuri rediviva Juliani,
Inſanite; ſuum poteſt tyrannis
Roma opponere præſulem: redite.

Biderm. p. mut. l. 3. Epig.

Interim exſpectabimus in arena, quid ad noſtram caſtigationem repoſiturus ſit Conringius. Experietur haud degenerem Antagoniſtam. Julia Gugernorum, cum Julia Saxonicorum de palma concertabit. Finis laborum erit, ut materia controverſiæ diligenti cura excuſſa, omnibusque rationibus mature ponderatis, judex ſupremus ad ferendam ſententiam viam juſtitiæ ante non complanatam, minori & faciliori opera aliquando decurſurus ſit: quod ut in cauſſa liquida propediem fiat, ad Deum mentem & manus elevantes, optamus & rogamus cum poeta, Scopus finalis ſcriptionis.

Vincant, quos vincere juſtum eſt.

Iteratæ vindiciæ, (a) juris coronandi reges Romanorum pro archidiœceſi Colonienſi.

Bonnæ 1656.

I.

Annus eſt, & amplius, quando ſereniſſimus elector Colonienſis jus coronandi reges Romanorum archidiœceſi & ſuæ ſereniſſimæ Celſitudini multis titulis debitum, per Moguntinos vero ne quicquam turbatum, ſacræ cæſareæ majeſtati altera jam tum vice vindicandum, ſcripto obtulit; quod mox typis vulgatum publici juris factum eſt. Erat id vernaculi idiomatis, rationibus idoneis magnisque teſtibus non ſine ſolerti auctoris ſtudio inſtructum; ſed breve, placidum, & ſine felle; quale dicendi genus meliorem fere cauſam comitari & commendare conſuevit.

2. Huic non ita pridem advocatus Moguntinus reſponſum latino ſtylo oppoſuit, præloque ſubjectum in manibus ſimiliter omnium eſſe voluit; prodit ſe in illo diligentia minime vulgaris, ſed anceps & anxia, utpote periculoſo vadimonio & ruinoſæ cauſæ patrocinatura: argumenta adferun-

(a) *Iteratæ vindiciæ.*) Libri hujus autor creditur fuiſſe JOANN PETRUS WINZLER, J.V.L.

Digitized by Google

feruntur majori ſonitu, quam pondere, quæque a promptitudine calami colorem, non ſuccum trahant; dictio acris, & inſperſis hinc inde acerbioribus vellicationibus aſpera. Juſſi ſumus ſcriptum hoc examinare, atque ad exactiorem totius controverſiæ, eorumque quæ a Moguntino tantis animis jactantur, diſcuſſionem, mentem calamumque adjicere; quod faciemus non tam continuo, confuſoque dicendi filo, ad fucum obtrudendum magis ſemper verſatili, quam breviuſculis quæſitis, quibus veritas accuratius eruta, clarius diſtinctiuſque animis legentium influere ſolet.

3. Unum proteſtamur, lectoremque monitum cupimus, nequaquam conſilii noſtri eſſe, jus Colonienſis eccleſiæ ex antiquorum hiſtoricorum invicem diſſidentium, raroque eadem ſcribentium libris eruere, aſtruereque: niſi quantum ad advocati Moguntini, lectoriſque inſtructionem ſubinde expediens videbitur, ſatis ſuperque id in pragmatica totius imperii lege, bulla aurea, ſanctum ſtabilitumque nobis eſt, Viderique indignum merito poteſt, ſolius inter omnes, Colonienſis electoris regalem prærogativam, eodem quo reliquorum electorum robore munitam, eidem fundamentali legi inſertam, in diſceptationem vocari, vix etiam ab aliorum cavillis & mordaci calamo ſecuram; Eo igitur fine antiquorum monimenta luſtranda ſuſcepimus, ut ſi quæ ſcintilla lucis inde excuti poſſit, eo amicus lector animoſi advocati jactantiam, a modeſta ſimplicique veritate diſcernere valeat. Totum Colonienſis ſcriptoris propoſitum Moguntinus advocatus quinque veluti theſibus non infeliciter complexus eſt. Aſſerunt, inquit, Colonienſes

4. Primo a Carolo magno hoc privilegio (coronandi reges Romanorum) urbem Aquisgranenſem & Colonienſem archidiœceſim ornatam eſſe.

5. Secundo fuiſſe hoc jus Colonienſi archiepiſcopo bullis variorum pontificum & imperatorum reſcriptis aſſertum, intra nempe & extra diœceſim.

6. Tertio, a Colonienſibus archiepiſcopis & ante, & poſt auream bullam, ſemper fuiſſe uſque ad Maximilianum ſecundum exercitum, neque a Moguntinis, niſi raro, & ipſis conſentientibus uſurpatum.

7. Quarto confirmatum publica ſanctione a Carolo quarto, ſine ullo diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione.

8. Quinto denique functiones a Moguntinis electoribus in coronatione poſtremorum imperatorum exercitas, veteri electorum Colonienſium juri minime obeſſe.

9. Sic ille ex Colonienſium ſcripto ſtatum quæſtionis format; neque tricari lubet, lectori in ipſo limine tædium moramque iniiciendo.

Quæſtio ergo prima.

Vtrum exiſtat aliquod privilegium locale a Carolo magno urbi Aquisgranenſi, præ omnibus aliis urbibus collatum de regibus Romanorum in illa coronandis.

10. Reſpondeo ſupervacanea plane videri poterat hæc quæſtio, adeo omnium conſenſu irrefragabilis, omnium ore decantata, imo oculis expoſita & uſurpata, jam ab octingentis annis fuit hæc urbis Aquenſis præeminentia.

11. Solus Advocatus Moguntinus veluti turbulentus tribunus orbis Chriſtiani concordi ſenſui intercedit, novoque auſu fontem privilegii turbans, pragmaticam magni Caroli, cui illud inſertum, in dubium vocare nititur: Cui pragmaticæ defendendæ, quæ totius coronariæ antiquitatis baſis eſt, liceat nobis bona lectoris venia, paulo moroſiorem operam impendere. pragmaticam ipſam reperies *Petri a Beck* hiſtoriæ annexam.

Privilegium locale urbis Aquiſgranenſis ſtabilitur.

Summa, quæ nos concernit, hæc eſt, Carolum magnum, præſente & annuente Leone III. pontifice, ac proceribus utriusque ordinis conſentientibus id obtinuiſſe anno 804. ut in Baſilica beatiſſimæ virginis Aquisgrani a ſe magnifice exſtructa, ſedes regia (coronationis) locaretur, & locus regalis & caput eccleſiæ trans alpes haberetur, ac in ipſa ſede reges (Romanorum) & ſucceſſores regni initiarentur.

12. Hæc pragmatica & conſtitutio Carolina ſudes eſt in oculis advocati Moguntini, cui antiquitatis, imo veritatis laudem detractam, eamque triplici & maligno obelo diſpunctam proſcriptamque apud omnes evileſcere unice exoptat; id allaborans maxime, qua arte Caroli magni auctoritatem ſuis commentis admodum noxiam ab hac tota coronationis controverſia quam longiſſime removere poſſit.

13. Primo enim ait, *omnem illam narrationem de coronationis loco in urbe Aquenſi, non alia fide niti quam ipſorum Aquenſium vetus quoddam prætenſum privilegium Caroli magni in illam rem venditantium:* optandum autem erat, ut omiſſo hoc ſcommate, in veſtibulo operis ſui, de reliquo, meliorem lectori conjecturam moris ſui reliquiſſet.

14. Enimvero, octo nunc ſecula ſunt & quod excurrit, ex quo illius pragmaticæ obſervantia de loco coronationis, a cæſaribus ſancte culta, raro, & non ſine magna ratione intermiſſa, ſubinde etiam armis & ferro vindicata eſt. Ex ea principes electores Germaniæ locum coronationis ſibi aſſignatum, conſtanti hactenus & inviolabili fere cuſtodia comprobarunt, prout in coronatione Ottonis quarti ad Innocentium tertium pontificem ipſi apud Reinaldum perſcribunt. *Ad Romani regni faſtigium juſte & rationabiliter illum elegimus, & ſicut debuimus, in ipſius electionem conſenſimus ipſumque in auguſta ſede a Carolo magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata locavimus.* Ita illi.

Ex eadem ſummi ſubinde pontifices, regibus de imperio dimicantibus jus dixerunt, uti in Philip-

Philippo & Ottone, Richardo, & Alphonſo apud Rinaldum apparet. Illi denique totius imperii, imo Europæ unanimis conſenſus, integritatis & antiquitatis venerationem conciliat; Neque facile vetuſtius documentum reperies, ad imperii dignitatem in natione Germanica fundandam, aliaque imperii & Aquenſium privilegia ſtabilienda eidem diplomati inſerta, atque etiam nunc in uſu poſita: Attamen hîs omnibus contemptim habitis, non veretur advocatus tantis teſtibus convitium inferre, fidemque ſæpedicti privilegii non aliunde quam ex Aquenſium vetuſtas ſuas merces venditantium foro allegare.

15. Secunda nota, quam imprimit, eſt in verbis ſequentibus, *Quod ſi vero quispiam, qui in expendendis monumentis antiquis exactiori utitur judicio, totum illud Caroli magni privilegium, ex quo in ſcripto Colonienſi nonnulla adducuntur, in dubium vocare vellet, poterat utique in medium adferre argumenta, quibus ſententiam ſuam probaret.* At quis credat advocatum adeo oculatum vincendique cupidum, plura in rem ſuam adferre poſſe quam faciat? procul eſt ab eorum ingenio, qui cum nocere poſſint, nocere non velint. De antiquis monimentis poterant illi ſufficere quæ tangit, duorum imperatorum illuſtria æque ac vetuſta Friderici primi & ſecundi teſtimonia, quorum tabulas, quibus Caroli magni privilegium inſertum eſt, aureis bullis circa annos 1166. & 1244. munitas, atque ab omnibus cæſaribus ſubſequentibus agnitas probatasque videre licet etiamnum hodie in tabulario Aquisgranenſium, ab ipſo vicecancellario Moguntino ſubſcriptas. Dicere vero Friderico primo ſagaciſſimo imperatori, qui tum Aquis præſens erat, aliiſque proceribus fucum factum offuciaſque obtruſas, id ſane, qui frontem omnino non exuit, haud leve piaculum fatebitur; Extremæque inſolentiæ eſt diploma Carolinum, quod hodie etiamnum exſtat, a pluribus cæſaribus ſubſcriptum, quod oculis uſurpatur, manibus palpatur, unius alteriusque audacia inter umbras & fabulas numerari: meminiſſe oportebat advocatum, quanta apud omnes prudentes ſemper fuerit vis antiquæ ſcripturæ; quæ dum privilegium narrat, etiam alienum, inducit probationem, ſi excedat memoriam hominum. Alexand. 1. Conſ. 6. *n.* 6. & plene probat, etiam quoad tertium propter antiquitatem. *Butr. in cap. cum dilectus, de ſucceſſ. ab inteſtato,* proinde ſi temere affirmare, ſi audacter negare, viciſſe eſt, hanc de pragmatica Carolina controverſiam advocatus eviciſſe videri poteſt.

16. Tertia nota, qua pragmaticam Carolinam denigratam cupit advocatus, eſt in ſequentibus verbis. *Ipſe quidem Petrus a Beck, cujus auctoritati tantum videtur tribuere Patronus cauſſæ Colonienſis, fatetur c. 1. a multis Carolinam conſtitutionem vocari in dubium.* Hunc *Petrum a Beck*, ſicut & alios pleroſque hiſtoricos, pro ludicro & libitu inſtar penulæ viatoriæ tractat advocatus, quando proſunt, arripit, & circumdat, quando obſunt, abiicit & calcat. Cæterum fuit *Petrus a Beck* ordine & prælatura eccleſiaſtica venerandus, archivii Aquenſis & veterum monumentorum apprime gnarus, ut nec de fide illius, nec rerum notitia dubitari debeat; quæ duæ dotes ad commendationem hiſtorici plurimum ſemper valuerunt; videamus quam recte illum ſibi advocatus accommodet. *Verba Petri a Beck lib. 1. c. 1.* ſunt: *Quæ quidem narratio (de Grano Neronis fratre) prout fidem veritas ævo Carolino obtinuit, ita inſerta eſt privilegiario diplomati ſacræ ædi & urbi Aquisgranenſi a Moguntino Carolo conceſſo. Cui uti potius mythologicæ, tametſi plerique derogent, quod probatiorum auctorum ex antiquis chronographicis nemo memoriæ prodiderit fratrem Germanum Neroni obtigiſſe Granì nomine, tamen prima fronte ac facie re minus accurato libramine expenſa, concutere labefactareque ſanctionem Carolinam, tanta annorum lapſorum cuſtodia retentam, a tot Divis imperatoribus pro vera æſtimatam citra temeritatis notam non auſim.* Idem Petrus a Beck eodem c. 1. pag. 14. de eadem pragmatica loquitur ſequenti modo: *Ad extremum cuncti cæſares ſuccedanei, primus præſertim Fridericus, ac eum conſequentes, hoc Caroli diploma pro vero & germano agnoſcunt:* ſic ille. Vereor ne erubeſcat hic advocatus: ubinam illi, quos *Petrus a Beck* de pragmatica Carolina dubitare fatetur? audiat potius omnibus de ea dubitantibus, ipſique imprimis advocato inflictam ab eodem auctore juſtam temeritatis ſententiam. Anne idem unam aliquam indifferentem narratiunculam, quæ rem controverſam ne quidem eminus tangat, ſuſpectam habere, ac de tota conſtitutione dubitare? quam tot cæſares pro vera, germanaque agnoſcunt.

17. Addit quarto advocatus Bolandum Ieſuitam multa in illo diplomate Carolino mirari; non inficior, nos quoque non pauca mirari, imprimisque illud, Baſilicam & urbem Aquenſem præ tot aliis eccleſiis, & urbibus, præque ipſa Moguntina, in tantum regalis unctionis faſtigium exaltatam; hinc enim nobis tota controverſia oritur; atque haſce vindicias contra paucorum dicaces cavillos, primævæ Carolinæ conſtitutioni merito impendimus; quam omnes illi tueantur neceſſe eſt, qui regalem in urbe Aquenſi ab eodem Carolo locatam ſedem, pluresque & amplas prærogativas in ea contentas, de quibus nullum aliud documentum exſtare ſcimus, agnoſcunt. Tales ſunt *Regin. in Carol. Caſ. Nithard. lib. 4. Otto Friſing. lib. 5. c. 32. Viterbienſ. in Carolo, Beat. Rhen. Bertius, Ligurinus, Beck & recentiſſimus Noppius*, pluresque alii.

Primo. Obſervet porro lector, ex prima fronte & occurſu ingenium advocati, ſcriptores lubrice & opportune ſibi magis, quam exacte citantis, ut leniter loquar, eritque hujus obſervationis imposterum frequens uſus.

Secundo. Conſtitutionem Carolinam contra imperii totius obſervantiam & orbis judicium in dubium vocantis, quid enim non audebit? atque hæc de primæ theſis priori parte.

Quæſtio ſecunda, circa primæ theſis poſteriorem partem.

 18. Utrum

18. Utrum prærogativa coronandi reges Romanorum ab ipſo conditore imperii Carolo magno, fuerit unquam archiepiſcopo Colonienſi collata.

19. Advocatus contra torrentem teſtium pro cauſa Colonienſi loquentium non ſatis validus, concedit archiepiſcopis eiſdem functionem coronandi, ſed ex jure diœceſano petitam, a Lupoldo Moguntino circa annum 1054. Hermanno Colonienſi conceſſam, & diœceſi commenſuratam. Verum de jure diœceſano nobis modo non eſt quæſtio, erit forte ſuo loco, id in præſens petitur, utrum ab ipſa conſtitutione Caroli, munus illud competat Colonienſibus, adeoque non ſit diœceſani, ſed regalis & imperialis juris.

Privilegium perſonale Colonienſium Archiepiſcoporum.

20. Advocatus Moguntinus notat, hoc conceſſo, duplici ſe, eoque gravi incommodo urgeri. Erit enim ei arduum, honorem & munus coronationis ab ipſo conditore imperii, ſpecialiter Colonienſibus attributum intra terminos unius diœceſis coarctare.

Secundo, plurimum deperdet de primatus ſui tantopere jactati dominatu; quem Colonienſis regali privilegio munitus in ejuſdem privilegii uſu, agnoſcere non volet.

21. *Reſpond.* Ita omnino ſentiendum, dicendumque eſt, a Caroli magni inſtitutione, Hildeboldo archiepiſcopo primum facta, ab eoque ad ſucceſſores deinceps delata, munus coronandi reges Romanorum archidiœceſi Colonienſi & archiepiſcopis illius provenire. Id tota rei geſtæ ſeries, id Caroli magni novum imperium molientis regalis & gubernativa prudentia, id Hildeboldi omnibus ea ætate præcellens virtus & dignitas, id imperii in natione Germanica ſtabiliendi ratio & ſecuritas requirebat. Carolus enim devicta pacataque ut plurimum Germania, cum coronam Italiæ Modoëtiæ in Lombardia, Galliæ Remis aut Noviomi, imperii occidentis Romæ a Leone tertio ſuſcepiſſet, reverſus in Germaniam, nihil illa cura habuit antiquius, quam dignitatem imperialem aliquo indiſſolubili vinculo, & quaſi trabali clavo nationi Germanicæ affigere. Huc maxime ſpectabat, novis legibus, ſacriſque & palatinis miniſteriis novum regnum ordinare & temperare, ac imprimis ſedem, eique affixum munus regalis coronationis in fundo & natione imperii Germanici ſtabilire. Ea de cauſa vel invitatum ad ſe, vel ſponte Mantua ex Italia accedentem Leonem tertium pontificem Aquiſgrani, occaſione Baſilicæ a ſe recens ſtructæ conſecrandæ, ſplendidiſſimo apparatu excipit, moxque communicato conſilio, ab ipſo imprimis pontifice, præſentibuſque quam plurimis epiſcopis proceribuſque, id precibus obtinet, ut ſedes regalis coronationis in Baſilica & urbe Aquenſi per conſtitutionem perpetuis temporibus valituram locata, firmataque maneret. In quem ſenſum loquitur P. Æmilius in chronico ſuo, potiorem cauſam licet tum diſſimulatam, cur Leo ad Carolum acceſſerit, fuiſſe illam, quæ ad imperium gentium ſpectabat. Eoque ſemel, ex conſenſu Leonis, epiſcoporumque & procerum conſtituto, munus ejuſdem coronationis peragendæ, Hildeboldo Baſilicæ illius & ſedis archiantiſtiti, tacita quidem, ſed per omnes eccleſias receptiſſima lege, collatum cenſeretur. Noverat ſcientiſſimus obſervantiarum eccleſiaſticarum æque ac amantiſſimus imperator (ut de eo teſtatur Eginhard. aliique ſcriptores) dignitatem eccleſiis conceſſam, ſimultaneo plane jure ad antiſtites eorum pertinere, idque tum maxime obtinere, quando perpetuo ac in ſucceſſoribus perennaturo honore epiſcopi decorandi ſunt; Hacque inſigni prudentia ad declinandam ſplendidiſſimi muneris invidiam inter trecentos & amplius epiſcopos uſus eſt, cum nemo contradicere ei poſſet, quod cerneret ex more ac lege eccleſiaſtica fieri; habetque hoc in foro eccleſiaſtico non tam concluſionis, quam indubitati principii certitudinem: totum enim jus & omnes partes juris, quod confertur eccleſiis, ſpectat ad epiſcopum, ut loquitur *Barbos: lib. 1. c. 11. de officio & poteſtate epiſcop.* Cum epiſcopus ſit caput, ſponſus, tutor, & adminiſtrator, imo ſub Chriſto princeps & dominus eccleſiæ ſuæ habens inconcuſſam bonorum, honorumque omnium communicationem & adminiſtrationem. Et ejus quidem moris, præter plurima alia habemus domeſticum exemplum in parente & patruo Caroli magni, Pipino & Carolomanno; Hi enim Francorum principes cum vellent ſanctum ſuum Bonifacium epiſcopum Moguntinum Metropolitæ dignitate honorare, ſtatuerunt eccleſiam Moguntinam, quæ tum alteri erat ſubjecta (omiſſo ipſius Bonifacii quidem in præſens nomine) in Germaniæ Metropolim evehere, quo facto, ipſum Bonifacium ex epiſcopo, archiepiſcopum habebant, uti eſt apud *Serar.* fieri enim nequaquam poteſt, quin, ſi eccleſia & ſedes ad altiorem aliquam præeminentiam exaltetur, is qui in ſede ſedet, eccleſiæque præſidet, ad eundem dignitatis gradum & munus ſublevetur. Notanda quoque verba (ac in ipſa ſede reges ſucceſſores regni initiarentur, ea namque vox eccleſiaſtici uſus eſt, ſacram quampiam & epiſcopo convenientem actionem denotans.

22. Habet proinde hic advocatus Moguntinus ſplendidiſſimum & imperiali luce coruſcantem ortum Colonienſis prærogativæ, glorioſiſſimo parente Carolo magno, qui propenſo in Baſilicam Aquenſem, ſimul & archiepiſcopum ejus Hildeboldum ſtudio, eccleſiam quidem in regalis coronationis ſedem, Antiſtitem vero in ejuſdem muneris regalem miniſtrum evexit, eamque in ortu primo gratiam, apud ſucceſſores deinceps legem perpetuam ſua inſtitutione effecit; idque non diœceſano ſed regali jure & poteſtate. Quis enim dicat ex jure diœceſano debitum id fuiſſe Baſilicæ Aquenſi, ut fieret ſedes regalis unctionis? aut quis loci novam præeminentiam a perſona Hildeboldi ſeparet, in ortu ſuo tam Caroli inſtitutione, quam more jureque eccleſiarum conjunctiſſimam.

Hildeboldo dignitas coronandi debebatur.

23. Hocque demum eſt, munus coronandi reges oſſibus & medullis archiepiſcoporum Co-

Colonienſium inhærere, quod videlicet ab incunabulis, & cum lacte hauſtum, acceptumque, veluti hæreditariam gemmam ſine locorum temporumque diſcrimine circumferunt.

24. Et ſane cui debebatur potius, ſub illa imperii initia, ſplendidiſſimi honoris decus, quam ipſi Hildeboldo, dignitate, ſapientia, gratia imperatoris, rebusque ampliſſimis geſtis, omnes omnino in toto imperio præcellenti. Erat in aula Caroli archicapellanus, archicancellarius, archiepiſcopus Colonienſis; item ſacri Palatii archiepiſcopus: ut poſtea videbitur. Fuerat a Carolo Leoni pontifici, a Ludovico filio Stephano Pontifici obviam miſſus, in eaque legatione omnibus Germaniæ, Galliæque Metropolitis prælatus, ſubſcripſit teſtamento Caroli, primo poſt ipſum loco ante Moguntinum, ut videre licet apud *Baron. ann. 811. n. 47.* ex ipſo autographo Romam miſſo & quamvis Serar. in vita *Riculph.* huic primum locum aſſerat, inſinuat tamen, quod nos dicimus. Præſedit in urbe Moguntina nationali concilio, ante ipſum Riculphum Moguntinum, quod proprium eſt primatis. De quo vide *Sirmund.* circa annum 813. atque adeo in publicis actionibus ubique Moguntino præpoſitus.

Liceat mihi hic advocatum ſui memorem reddere, ſi enim coronandi munus, dignitati archicancellarius annexum volunt, §. 11. in ſcripto Germanico Moguntini, ſi idem primatui prætenſo debitum, §. 19. & toto fere ſcripto latino, inque iis duobus ſolidam firmamque ſui prætenſi coronarii muneris rationem poſitam exiſtimant, profecto eo ipſos jure uti nunc æquum eſt, quod ſibi & nobis ſtatuerunt, atque adeo primam coronandi prærogativam Hildeboldo nobiſcum deferre, quem omnibus illis præeminentiis præ ipſo Moguntino Caroli magni tempore floruiſſe oſtenſum eſt, & mox prolixius monſtrabitur; archiepiſcopi quidem Moguntini, illa ætate, vel nulla vel exigua in publicis negotiis memoria comperta; quamvis Riculphus Moguntinus Hildeboldi coævus, Carolo non ingratus fuiſſe legatur, atque ſic Colonienſes ſatis ſuperque primum titulum ſui muneris declararunt. Obſervet autem Lector 1. errorem, ſed ſpontaneum eſſe advocati, quando ait Colonienſes in ſuam rem nihil adferre aliud, quam jus diœceſanum. Caroli enim inſtitutionem abunde probarunt. Gravius in eadem re a linea deviat, quando perſuadere conatur, nulla fide probari poſſe privilegium Hildeboldi a Carolo conceſſum.

25. Obſervet 2. ſimilem errorem Advocati contendentis archiepiſcopos Moguntinos olim in ipſa urbe Aquenſi proprio jure coronaſſe reges; commentum eſt; privilegium coronandi non Riculpho Moguntino datum eſt, ſed Hildeboldo, is Metropolita, is archicancellarius erat, & officio primatis tempore Caroli fungebatur, uti ſupra viſum, ſin aliter, doceat Advocatus. *Errores Moguntini Advocati.*

Obſervet 3. temerariam eſſe & injuriæ affinem ignorantiam, quando affirmat, Coloniam tum, id eſt tempore Caroli, nondum fuiſſe Metropolis dignitate ornatam, ſed adhuc ſubfuiſſe Moguntino. Revolvat recentem, ſed nobilem ſcriptorem. *Ægidium Bucherium in Belgio Romano p. 153. ubi citat. Rupertum Tuitenſem*, aſſerentem Coloniam tempore Creſcentis, qui putatur fuiſſe diſcipulus apoſtoli Pauli, primatum Metropolis obtinuiſſe, alii Maternum ſecundum circa annum 300. primum archiepiſcopum Colonienſem referunt, id non prætereundum, in concilio Sardicenſi circa annum 340. ſub Euphrata epiſcopo, Coloniam a S. Athanaſio Metropolim appellari: & en egregium ſpecimen, ut loquitur Advocatus, quo ipſe in hiſtoria eccleſiaſtica ſe verſatum oſtendit.

26. Adverte 5. eadem vertigine circumagi, quando admirabundus exclamat; quis enim unquam ſacri imperii protocancellarium vocavit? (archiepiſcopum Colonienſem) quis hoc fecerit, audivit jam ſupra & audiet mox copioſius; hoc notet lector, qui hic vocatur proto ſive primus cancellarius, apud *Serar.* vocari archicancellarium.

27. Veniendum nunc ad Theſim ſecundam, quæ ſic habet.

Affirmant Colonienſes, jus coronandi reges Romanorum fuiſſe archiepiſcopo Colonienſi bullis variorum pontificum & imperatorum reſcriptis aſſertum. *Jus coronandi Colonienſibus aſſeritur Pontificum & imperatorum reſponſis.*

Reſpond. Ita omnino aſſerunt Colonienſes, idque & intra & extra diœceſim. de hoc enim imposterum potiſſimum agetur. Eam in rem adducunt bullas literasque Innocentii tertii pontificis; auctoritatem item *Urbani quarti, Clem. IV. & Gregorii X. ab Odorico Rinaldo in continuatione hiſtoria eccleſiaſtica citatas.* Erantque ea fide & ſinceritate illa pontificum teſtimonia a ſcriptore Colonienſi tractata, ut res tota confecta merito videri potuerit.

28. Advocatus vero cum litteras ipſas & verba earum inficiari non poſſit, rebus ſubjectis tenebras offundere nititur, ad quas diſſipandas, id unum te rogo, ut advertas lector.

29. Certabatur de imperio, inter Ottonem Saxoniæ & Philippum Sueviæ duces; Otto ab Adolpho Colonienſi Aquiſgrani ſuſceperat diadema. Philippus ab epiſcopo Tarantaſienſi Moguntiæ, abſens enim erat Conradus Moguntinus. In illa controverſia, quam uterque candidatus apud Innocentium tertium inſtituerat, ſolicitus Innocentius ſcribit ad varios principes imperii ſequentia. 1. Ottonem ab Adolpho Colonienſi Aquiſgrani coronatum, nempe ubi debuit, & a quo debuit, 2. Philippum nec ubi debuit, nec a quo debuit, nempe Moguntiæ a Tarantaſienſi. 3. Claris verbis ſignificat, ad Colonienſem archiepiſcopum ex officio ſpectare coronationem regum Romanorum. 4. Dici id ipſum ad illum de jure pertinere. Vbi nota dici, utique non tam a vulgo hominum, qui aures pontificis non penetrant, verum ab regibus, cardinalibus, principibus, inter quos jam tum ea fama de Colonienſis jure erat. 5. Addit, ſolummodo ad Colonienſes pertinere reges coronare, idque ex antiqua Colonienſis eccleſiæ dignitate. 6. Dubium non eſſe coronationem regum Allemanniæ ad archiepiſcopum Colonienſem ſpectare. 7. Scribit ad ipſum Colonienſem

nienſem in ſequentia verba: *Ex uno eodemque negotio coronationis, te nobis, & nos tibi credimus obligatos, cum apoſtolica ſedes illum debeat coronare* (ultimo ſcilicet diademate imperiali) *qui rite prius a Colonienſi fuerit coronatus:* his formulis loquendi utitur Innocentius, ut mentem ſuam in illa controverſia explicet: nunc unum te rogo, lector, ſive verborum perſpicuitatem, ſive ſententiæ auctoritatem conſideres, quidnam hiſce addi pro cauſa Colon. poſſe exiſtimes?

Quid ſi ſacra cæſarea majeſtas Ferdinandus tertius, coram quo hodie controverſia illa diſceptatur, iis verbis ſententiam conceptam ferret, nempe: *Ex officio, & de jure, ſolummodo ad Colonienſem archiepiſcopum ſpectat coronare reges Romanorum;* nunquid ſatis clare, aperteque pro cauſa noſtra pronunciaſſe videri poſſet? ut nemini prudenti dubium reliquum ſit, quin ex illa cæſaris ſententia, archiepiſcopo Colonienſi prærogativa coronandi in toto imperio deberetur, ubicunque enim coronatio inſtituetur, ſive Aquisgrani, ſive Norimbergæ, illius erit eam peragere, ad quem ſolum de jure & ex officio ſpectat. Habet ergo eccleſia Colonienſis a quadringentis & amplius annis cauſam ſuam pontificio oraculo in verbis præcedentibus præjudicatam; neque diſſimulandum eſt, non obiter & perſunctorie, ſed poſt longam & moleſtiſſimam cauſſæ cognitionem Innocentium tertium in eam mentem & ſenſum ſuum ſic explicatum deſcendiſſe, qui inſuper inter cæteras rationes Philippi repudiati, hanc primo loco attulit; *Non ab eo, a quo debuit, illum coronatum eſſe. Reinald. anno 1200. num. 23.* quamvis id Advocatus perperam negare videatur, n. 8. licet etiam Adolphus Colonienſis Philippo reconciliatus, eundem Aquisgrani iterato coronaverit, ideoque Innocentium offenderit, jus tamen ſuum eo ipſo facto non leviter corroboravit. quem Innocentius ab eo tempore dedignatus, cum ob Philippum coronatum, pœna dignum judicaret, maluit epiſcopatu dejicere, quam jure coronandi ipſum, & in ipſo eccleſiam Colonienſem privare, quamvis ea pœna convenientior videri poterat, ut, in quo peccaſſet, in eo plecteretur.

30. Incidit fortaſſis lectori hic cogitatio, quid tandem Advocatus ad hæc? legimus & relegimus, quidquid circa hanc materiam comminiſcitur, nec quippiam reperimus, niſi offucias quaſdam, & in deſperata cauſa inanes curas. *Primo* enim animum lectoris prolixa variarum rerum, quæ ad rem nil faciunt, narratione, a puncto controverſiæ avocare nititur; mox in Innocentium pontificem graviter invectus, in eo averſiorem a Philippo animum, memoriamque injuriarum illo fine criminatur, ut dicta illius, ex metu odioque Philippi potius, quam affectu ſinceriore promanaſſe videantur. Quas calumnias Innocentius apud Reinaldum refutans, dignum omnino reſponſum rependit, quod malo Advocatus ipſe anno 1200. §. 23. legat, quam a me audiat.

Frivola diſtinctio Advocati.

31. Tandem ultimum arietem admoturus, omnique alio præſidio deſtitutus futilem, commentitiamque diſtinctiunculam profert, nempe Innocentium non univerſaliter locutum, ſed ſecundum conſuetudinem illius temporis, ex qua archiepiſcopus Colonienſis poſt ceſſionem Lupoldi Moguntini, Hermanno Colon. in coronatione Henrici 4. factam, ſolitus ſit Aquiſgrani & in ſua diœceſi coronare reges; in reliquo imperio jure coronationis, archiepiſcopis Mogunt. ſalvo ſemper & imperturbato: hæc eſt ſubtilitas Advocati, potius verſutia, fundamenta cauſæ Colonienſis ſubrutura, ſcilicet? hoc ingenii ſui jucundum ſibi ſomnium ſæpiſſime, etiam ad ipſam bullam auream lectori ingerit & oggerit: liceat mihi hic verbis ipſius uti. Quid vero hoc rei eſt, rem ſeriam, imo magnam tam lubricis teſtimoniis, imo nullis aſtruere? quo enim auctore, qua lege, huic ſuo commento fidem faciet? nunquid erubeſcimus ſine lege, ſine auctoritate in tanti momenti cauſa loqui? Nobis utique permiſſum eſt communi privilegio uti, ut non plus credatur Advocato, quam probatur. Unum nunc ab eo poſtulo. Ut verbis Innocentii tertii, quæ ſparſim collecta, ſunt ſequentia: *Ex officio, & de jure, ſolummodo ad archiepiſcopum Colonienſem ſpectat coronare reges Romanorum;* ſuam diſtinctionem applicet; diſtinguo, ait! Ad Colonienſem archiepiſcopum de conſuetudine & indulgentia Moguntini, ſpectat coronationis munus intra ſuam diœceſim; Moguntini autem eſt in toto reliquo vaſtiſſimo imperio eodem perfungi: ſic enim illum oportet pontificis verba applicare, ſi ſuæ diſtinctionis fructum habere cupiat. Quis vero non videt impoſturæ, fallaciſque elenchi, & doloſæ reſtrictionis merito damnari tantum pontificem, ſi verbis ſuis clariſſimis, ampliſſimis, nec ullo modo limitatis mutilam illam pro Colonienſi, arctatamque ad unum exilem imperii angulum ſententiam ſubeſſe velit? ſi autem abſurdiſſimum eſt, tanto pontifici partibus jus dicenti, ejusmodi ſalebroſam vafritiem affingere, nemo diffitebitur, hoc abſurdum non niſi ex abſurda Advocati diſtinctione ſequi. Cum tamen communis ſenſus ſit juriſperitorum, leges & maxime reſponſa principum ita intelligenda & interpretanda, ut nullum ex eis abſurdum conſectaneum appareat. *Bart. in l. cum pater. §. dulciſ. ff. de leg. 2. vide Azor. tom. 1. lib. 5. c. 15.*

Bulla variorum pontificum.

Poſt bullam Innocentii ſcriptor Colonienſis adduxerat auctoritatem Urbani 4. Clem. 4. pontificum, archiepiſcopo Colonienſi ſimiliter jus coronandi aſſerentium, idque ſuo magis judicio, quam verbis ſuis, quamvis & verbis ſuis. Cum enim iſtorum Pontificum ætate, Richardus Angliæ, & Alfonſus Caſtellæ, reges, ſimile plane de imperio certamen ſuſcepiſſent, Urb. & Clem. ex re jam ſub Innocentio judicata, verba quædam ejusdem Innocentii ſuis literis ad Alphonſum ſcriptis inſeruerunt, eum a propoſito ſuo dehortantes, utpote, qui ab Richardo, quem Colonienſis coronaverat, præventus eſſet. Hic neſcio, cujus oſcitantiæ, malæque fidei ſcriptorem Colonienſem inſimulat Advocatus, quod verba Innocentii Clementi & Urbano attribuat. Cum bona pace incidit Advocatus in foveam, quam fecit.

fecit. Verba, de quibus quæſtio eſt, origine ſunt Innocentii, uſu & appropriatione ſunt Urbani & Clementis.

32. Nec modica advocati oſcitantia eſt non advertiſſe familiariſſimum hoc eſſe pontificibus Romanis ſuorum anteceſſorum integras nonnunquam conſtitutiones, vel partes ſuis bullis inſerere, ut duplicato pondere, auctoritatis propoſitum fortius perurgeant. Quod nec imperatoribus ſubinde inſolens. Videat apud Baronium anno 811. n. 12. magni Caroli literas, quibus ſententiam Theodoſii imperatoris innexuit. Et quis nos oſcitantiæ aut impoſturæ arguat, ſi quæ a Carolo vere ſcripta ſunt, ei attribuamus, licet origine ſint Theodoſii.

33. Aliud commentum huic aſſuit advocatus dicens, quæ Clemens & Urbanus attulerunt, in iis non judicium ſuum exhibere, ſed narrationem eorum, quæ ſub Innocentio geſta erant. Quantum vero in hoc more ſuo hallucinetur, patet ex ipſius Clementis epiſtola ad Alfonſum ſcripta, in qua dicit, ſe mittere quædam ad illum ex regeſtis Innocentii, ut ſecundum ea, ſua & ſuorum ſapientium conſilia dirigat, addit ſe propediem ex iis ſententiam laturum: hæccine ſunt narrantis tantum, an potius inſtruentis, hortantis & definientis?

34. Inſultat tandem nobis advocatus exprobrans multarum bullarum jactantiam, quæ in tabulario Colonienſi lateant, interim nullam proferri, omnia in ſolo Innocentio conquieſcere; Et ſi quidem a Colonienſibus in lucem protrahantur, facile totum negotium confici poſſe. At quid ſi plures adferamus, credetne? profecto, eo ingenio ſe eſſe prodit, ut vix evangelio pro cauſſa noſtra loquenti ſine ſtomacho crediturus videatur.

Inſpiciat, ſi lubet, bullam Leonis noni datam anno 1052. nonis maji indictione 5. quarto papatus anno, in qua privilegium coronationis Hermanno archiepiſcopo corroborat; ibique nota, quæ initio bullæ dicuntur, nempe Leonem confirmare Hermanno archiepiſcopo petenti ea privilegia, quæ ab anteceſſoribus Pontificibus, pridem Colonienſi eccleſiæ collata erant, inter quos anteceſſores neceſſario cenſendus eſt Leo tertius, quando anno 804. Hildeboldum Archiepiſcopum una cum Carolo magno, dignitate coronandi reges, ornavit. Addat huic bullam Eugenii tertii datam anno 1151. Adriani Papæ, anno 1156. Alexandri tertii, laudatiſſimi pontificis ad Philippum Colonienſem anno 1187. quæ omnes bullæ Innocentio antiquiores ſunt: Et ſic res confecta videri poterit, ſi advocatus verbi ſui memor perſiſtat. Incidit hic quæſtio minime diſſimulanda, lucemque allatura advocato, modo feneſtras non claudat, cur nempe ſubinde apud auctores legatur, archiepiſcopo Colonienſi collatum privilegium intra diœceſim ſuam coronandi reges. *Explicantur verba, intra Diœceſ.*

Reſpondet. Ea forma loquendi amplificari honorem eccleſiæ Colonienſis, non coarctari. Cum enim ex primæva Caroli magni inſtitutione, præſente Leone 3. facta, ſola Baſilica & urbs Aquenſis regali hac coronationis prærogativa gauderet, ejusque loci magna eſſet, & inviolata fere apud veteres religio, viſum eſt poſtea quibuſdam pontificibus & imperatoribus indulgere archiepiſcopis Colonienſibus, ut id ipſum in tota diœceſi facere poſſent, tanto illuſtriore honore, quanto amplius illius exercendi theatrum eſſent ſortiti.

35. Clare id elucet ex facto Ruperti imperatoris, narrante Hartmanno Mauro in coronatione Caroli quinti. Cum enim hinc principes Germaniæ Carolum ad coronationem Coloniæ ſuſcipiendam hortarentur ob periculum contagionis in urbe Aquenſi ſerpentis, illinc ſenatus aquenſis avitum ſuum locale privilegium a Carolo magno datum urgeret; ſupervenit Hartmannus Maurus cum cæteris legatis principum, uti ipſe narrat, atque inter alia refert exhibitas eſſe a ſe & collegis ſuis uberrimas archetypas divi Ruperti Romani regis Coloniæ coronati literas, quæ documento eſſent inter alias inclytæ Colonienſis eccleſiæ prærogativas competere, ut Colonienſis archiepiſcopus quocunque loco ſuæ provinciæ, ſuo arbitratu coronationis locum præfinire poſſet. hæc fere ſunt verba. ubi notet lector, provinciam Colonienſem patere, cis & trans rhenum. 2. licet forte archiepiſcopus Colonienſis pro ſuo arbitratu non poſſit deſignare locum extra ſuam provinciam, tamen ſi id ex aliis cauſis contingat, nihil de privilegio perſonali illius ideo detractum cenſeri. Enimvero ejus rei occaſio fuit, quod poſt depoſitum Wenceslaum imperatorem, cui Rupertus ſucceſſit, Aquiſgranenſes non ſatis prompte eidem Ruperto regalem ſedem Aquiſgrani exhiberent, putantes ſe Wenceslao adhuc vivo etiam tunc obligatos. Hinc enim Rupertus Coloniæ coronam ſuſcepit, ſimulque extenſivum illud privilegium Colonienſi archiepiſcopo Friderico conceſſit, quod etiam in quorundam pontificum bullis notare licet. Acceſſit inſuper ingens dignitati diœceſis Colonienſis incrementum, ex eo quod imperatores in eadem coronari debeant; neque enim archiepiſcopi a cæſaribus evocati aulam cæſaream aſſectari tenebantur, ſed poterant illis intra ſuam diœceſim locum coronationis pro arbitrio definire; neque illud ſpecie veri caret, pontifices quosdam diœceſim Colonienſem pro theatro coronationis aſſignando, voluiſſe, vicinorum quorundam epiſcoporum, jus coronandi prætendentium ambitioni frenos imponere & Colonienſibus ſuam præeminentiam quietius ſtabilire. Ex quo id quoque recte obſervatur, nihil in perſonali Colonienſium privilegio vel diminutum vel dubitatum fuiſſe, quo minus ubique coronare poſſent, niſi ob religionem primævi loci a Carolo magno ſanciti, quam etiam Carolus quintus ſuo ipſius periculo conteſtatus eſt. neque facile erit illius rei adducere exemplum, quod ob incidentem in coronatione, loci mutandi neceſſitatem, perſona quoque coronantis mutata ſit; ſicuti quando electio non Francofurti, ſed in alia urbe peragitur, non proinde electores ſuo eligendi juri cedere coguntur. Duplex enim eſt privilegium, locale & perſonale, nec unum ab altero ſemper dependet, nam ſicut, ſi contingat, impedito archiepiſcopo Colonienſi, alium archi-

 epiſco-

epiſcopum coronationem peragere, & ita mutari perſonam coronantis, per hoc tamen privilegio locali nihil derogatur, ita quoque, mutato ob cauſam caſumque loco coronationis, nihil cenſetur privilegio perſonali, & perſonæ coronantis in jure decedere. Nam ea, quæ caſualiter & per accidens fiunt, non mutant jus & naturam rei, *Abb. Conſil. 62. apud Tuſc.*

36. Poſtquam autem loci religio apud quosdam vim privilegii perſonalis, ex æquo ponderantes, tanti non fuit, illi ſine ulla diœceſis mentione, abſolute, illimitate, ampliſſimis verbis archiepiſcopis Colonienſibus contra quoscunque etiam ipſum Moguntinum ſuum perſonale privilegium aſſeruerunt, ut Innocentio tertio, Urbano, Clemente, Friderico 1. Carolo 4. apparet. Quod ſi quis modo, mutato a centum fere annis loco coronationis, etiam perſonam coronantis ſua avita dignitate dejicere velit, atque ita totam Caroli magni utrumque, inſtituentis memoriam penitus abolere, is profecto rem arduam & hactenus nunquam tentatam in ſe ſuſceperit.

Canones favent Colonienſ.

37. Bullis pontificum Romanorum merito ſubjungimus ſacros canones, & eorum interpretes, fontibus nempe rivulos. Et imprimis ipſa originalis bulla Innocentii tertii honorem inter canones meruit, cap. Urlem. in 6. de electo & electi poteſtate, *in quam commentator Innocentius 4. pontifex loquitur in hac verba. Si in loco debito coronam non poſſit accipere* (imperator) *nihilominus jus & poteſtatem adminiſtrandi poteſt recipere a Colonienſi archiepiſcopo.* Ubi notet lector, fuiſſe olim tempore Ludovici Bavari agitatam quæſtionem inter canoniſtas, utrum imperator electus hoc ipſo ſtatim ante conſecrationem & coronationem poſſet adminiſtrare imperium, quo præmiſſo, inclamo hic advocatum Moguntinum ad jura noſtra nimis obſurdeſcentem.

38. Undenam tanta poteſtas archiepiſcopis Colonienſibus, & nulli alteri, ut in defectu legitimæ coronationis, ex indebito loco proveniente, ipſorum ſit defectum illum ſupplere, & dare adminiſtrandi poteſtatem? non enim hæc poteſtas ex jure diœceſano provenire poteſt! ad caput rerum recurrere oportet, & conſtitutionem imprimis Caroli magni, qui, quando, & locum & perſonam coronantis perpetuo valitura lege in Hildeboldo, archiepiſcopis Colonienſibus deſignavit, eisdem archiepiſcopis poteſtatem illam dediſſe cenſendus eſt, cum illius indubitate ſit ſupplere defectum & carentiam rei, cujus eſt dare integritatem, & plenitudinem rei. Ex quo loco juris canonici ingens fit acceſſio rebus Colonienſium.

Si enim archiepiſcopus Colonienſis poteſt ſupplere defectum, qui ratione loci contigit, v. g. ſi coronatio non Aquiſgrani, ſed vel Baſileæ, vel alia quapiam in civitate, ſine ſufficienti auctoritate peracta eſſet, negare neutiquam licet, quod ipſius Colonienſis poteſtas coronandi, ad omnia illa loca ſe extendat, in quibus defectus coronationis ab ipſo ſuppleri poteſt. Defectum enim ſupplere, & cauſam vulneratam ſanitati & integritati reſtituere, ſine dubio virtutem ac poteſtatem in ſupplente arguit, illo loco, ubi ſuppletur.

39. Quod ſi illa ætate Innocentii IV. advocati toties ingeſta diſtinctio, & Moguntinorum prætenſio, nempe ad Colonienſem ſpectare coronationem in ſola propria diœceſi, ad Moguntinum autem in toto reliquo imperio, fidem ullam aut probabilitatem habuiſſet, ad Moguntinum ſane potius ſpectaret, quam ad Colonienſem ejusmodi defectus ſupplere.

Friderici primi pro Colonienſibus reſponſum.

Poſtquam ſedes apoſtolica ſatis ſuperque jus coronandi, Colonienſi archidiœceſi conteſtari viſa eſt, convertit ſe patronus cauſæ ad reſcripta, ſanctionesque imperatorum, & explicata ſub initium Caroli magni conſtitutione, adducit quoddam Friderici Barbaroſſæ pro Colonienſium cauſa effatum, in conventu principum Germaniæ, datum. Cum enim is Fridericus offenſus videretur verbis quibusdam Adriani pontificis, inſtituit Ratisbonæ celeberrimum conventum principum Germaniæ, cui ipſe Moguntinus legitur interfuiſſe. Ibi deliberans, quid Adriano reſponderi poſſet; in hæc verba loquitur: *Duo ſunt, quibus noſtrum regi oportet imperium, leges ſancta imperatorum, & uſus bonus prædeceſſorum & patrum noſtrorum. Iſtos limites eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus, quidquid ab his diſcordat, non recipimus, debitam patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam imperii noſtri coronationem divino tantum beneficio adſcribimus; Electionis primam vocem Moguntino* (*illo ſcilicet tempore*) *regalem unctionem Colonienſi, ſupremam vero, quæ imperialis, ſummo pontifici, quidquid præter hæc eſt, ex abundantia eſt, ex malo eſt. Ita Raden. in vita Barb. l. 1. c. 10.* Advertat advocatus poſtremum ſibi dictum, quando ſua frivola diſtinctiuncula clarum apertumque pontificum & imperatorum ſenſum corrumpere nititur: Advertendum etiam 2. reſponſum illud datum eo tempore, quo diſceptationes & prætenſiones Moguntinorum, imperatorem minime latere poterant, & quidem in pleno copioſoque conventu principum, atque ab ipſis principibus, tanquam imperatore dignum acceptatum, probatumque & pontifici Adriano tranſmiſſum, adeo ut non tam imperatoris, quam totius imperii & principum omnium oraculum videri poſſit. Aderat Moguntinus iſtius conventus non minima pars, audiebat iſta, & referebat, ſine dubio ipſius & eccleſiæ ſuæ, ſæpe dicta & conficta diſtinctiuncula tum uti, ſi quid juris ſibi competere, vel ipſe, vel etiam alii principes præſentes agnoviſſent. Quam advocatus inſinuans, reſpexiſſe ait imperatorem ad morem priſtinum, quo obtinebat, ut imperatores Aquiſgrani coronam ſumerent. Dubio procul eſt, memoriam fuiſſe priſtini moris, nam & hoc imperator clare dicit, legibus & uſu bono prædeceſſorum regi imperium. At vero ſicut imperator Moguntini nullam omnino mentionem in illo conventu, & antiquo coronandi ritu fecit, totam coronationis prærogativam ſoli Colonienſi adſcribens, ita nec legibus, nec uſu, aut certa firmaque conſuetudine Moguntini archiepiſcopi, ullas omnino partes in munere coronationis tum fuiſſe certum eſt. Deinceps advocatus

quippiam inſpergit de Friderico ſecundo, hujus nepote, vaticinans, quidnam dicturus fuiſſet, coronatus ipſe a Moguntino, non a Colonienſi, prout eſt, ad ejusmodi conjecturas facilis.

40. *Reſpond.* Extra controverſiam eſt, dicturum fuiſſe Fridericum ſecundum, ſe a Moguntino diadema & quidem Aquisgrani ſuſcepiſſe, verum addidiſſet, quod Advocatus omiſit, id factum, quando ſedes Colonienſis circa annum 1215. ob depoſitionem Theodorici vacabat.

41. Non veretur ſcriptor Colonienſis in hunc etiam numerum imperatorum, qui Colonienſium partes ſuſtinent, adducere Henricum tertium imperatorem. Res breviter ita habet.

Henricus tertius Colonienſibus vindicat jus coronandi.

Henricus tertius imperator circa annum 1054. diadema filio ſuo Henrico quarto procuraturus, incidit in diſceptationem Lupoldi Moguntini & Hermanni Colonienſis, qui ſinguli honorem illum ſibi arrogabant, rem totam deſcribit Lambert. Schaffnab. circa prædictum annum, qui pro Moguntino dignitatem primatus allegat. De Colonienſi fateri cogitur, quod imperator Henricus tertius tandem Hermanno privilegium ſuum coronandi contra Moguntinum vindicaverit, ob generis claritatem & rationem Diœceſis. Quæ duo, tanquam cauſas populares & magis obvias, adducit, in quibus verbis Moguntinus ſcriptor palmariam profecto aſtuti Advocati operam artemque ſuo domino impendit. 1. Enim privilegii mentionem, quam hiſtoricus refert, ipſe paſſim ſupprimit; deinde pro vindicabat, ponit: rogabat, eamque vocem ſic corruptam frequenter p. 44. p. 71. & alibi repetit, quaſi imperator precibus a Lupoldo conſenſum obtinuerit. Liceat mihi bona venia Advocati vel ſemel ſciſcitari mirarique, qua fide hæc fiant? nunquid hoc eſt ſub & obrptitie narrare? nunquid in omiſſione & mutatione talium vocularum tota vis controverſiæ & cauſa Colonienſium enervatur? Nunquid vindicare idem eſt quod rogare? quo auctore, quo Calepino? rogamus precibus; vindicamus jure, & manu non ad preces ſupplici, ſed ad pugnam exerta.

Cumque Lambertus hiſtoricus quantumvis Moguntinenſium partibus addictus non poſſit privilegium Colonienſium diſſimulare, quid opus erat conſenſum Lupoldi precibus obtinere, ei, qui & privilegium habebat, & vindicem illius imperatorem? Vindicabat ergo imperator privilegium Colonienſi, id eſt, contra invaſionem & infeſtationem Moguntinenſium defendebat: Aſt ubi nunc eſt illa toties ab Advocato jactata ceſſio? ſuper qua frivolam ſupradictam diſtinctionem & conſuetudinem nimis inaniter fundare nititur. Et tamen (*inquit*) loquens de hoc facto Henrici imperatoris, *cedit Moguntinus archiepiſcopus jus ſuum ante quæſitum Colonienſi archiepiſcopus ſed in jus tantum diœceſi, nec aliter, neque amplius?* Eamque crambem frequentiſſime poſtea per totum ſcriptum repetit: quis ceſſionis illius ab annis ſexcentis, & amplius meminit? ubi tabulæ, ubi teſtes tam ſolemnis, & coram duobus imperatoribus patre & filio factæ, ceſſionis? potuitne Lupoldus jus tanti momenti eccleſiæ ſuæ, ut ait, quæſitum, ſine auctoritate, ſine tabulis, ſine debitis ſolennitatibus cedere Colonienſi? ſin autem nihil horum uſpiam adparet, quid tandem de hac ceſſione dicemus, niſi ceſſit Moguntinus Colonienſi, quia imperatore vindicante cedere coactus eſt, jure inferior illi, qui jure & privilegio ſuperior erat. Cede Deo, dixitque & prælia voce diremit. Atque ſic totum illud ceſſionis figmentum evaneſcit, in quo Advocatus magnum plane robur cauſæ conſtituerat.

Carolus 4. pro Colonienſibus.

42. Tandem hanc litem merito dirimere debuit Carolus quartus imperator in fundamentali pragmatica aureæ bullæ, ubi poſtquam electorum de variis præeminentiis litigia compoſuit, ſingulisque ſuas regales functiones aſſignavit, de Colonienſi ita loquitur. *Cui competit officium & dignitas primum diadema regium imponendi.* Verum cum bulla aurea theſi quarta examinanda ſit, ad illum locum præſentem diſceptationem remittimus.

43. Nunc invito Advocatum ut compendioſam infra ſcriptam tabulam, in qua illuſtres tituli jurium Colonienſium, per octingentos & amplius annos depicti deſcriptique ſunt, oculo, nec perfunctorio, nec animo faſtidioſo contempletur.

Undecim. tituli juris Colonienſ.

Titulus primus. Primæva Caroli magni conſtitutio, qua præſente Leone tertio regalis coronationis ſedes in Baſilica Aquisgr. collocata eſt, ejusdemque regalis muneris, regalis miniſter Hildeboldus inſtitutus.

Secundus. Leo nonus, qui privilegium illud iſti ſedi affixum ad totam diœceſim extendit.

Tertius. Subſecuti Leonem alii plures ſupra nominati pontifices.

Quartus. Rupertus imperator ſupra allegatus.

Quintus. Henricus tertius imperator, qui Hermanno privilegium ſuum vindicavit.

Sextus. Fridericus primus imperator, qui de privilegio illo coronandi, abſolute, & ſine ulla limitatione, pro Colonienſi in publicis imperii comitiis Ratisbonæ, præſente archiepiſcopo Mogunt. pronunciavit.

Septimus. Innocentius tertius, qui cognitor & judex imploratus ab Ottone & Philippo imperatoribus electis, coronandi dignitatem ampliſſimis verbis archiepiſcopo Colonienſi, & quidem ſoli adjudicavit.

Octavus. Urbanus quartus, & Clemens quartus, pontifices, qui ſuum calculum, præeunte Innocentio, Colonienſibus adjecerunt.

Nonus. Innocentius quartus pontif. qui in loco ſupra citato idem Colonienſis eccleſiæ jus agnovit, & accedente plurium Canoniſtarum conſenſu extendit & roboravit.

Decimus. Carolus quartus imperator, qui in bulla aurea totam illam controverſiam in omnem ſequentem ætatem pro Colonienſi archiepiſopo definivit.

Undecimus. Carolinæ ſententiæ ſubſcribunt plures canoniſtæ & hiſtorici, nam præter Innoc. 4.

Idem quod ipſe tradit archidiaconus in *c. legimus. diſt. 93. Gloſſ. in Clem. de jure jurand. in v. reges* Rebuffus *in provincial. omnium eccleſiarum.* Azor. *pag. 2. lib. 10. c. 5.* Joann. And. *extra v. de jure jur. C. Romani in Clem.* Lupold. de Babemberg. qui vixit anno 1353. in ſuo tract. *de jurib. regni c. 10.* Petrus de Andlo. *lib. 2. c. 6.* vixit is tempore Friderici tertii.

Errores Advocati Moguntini. 44. Obſervet 1. Lector, quod ab Advocato dicitur, omnino notandum eſt, Innoc. tertium jungere locum & perſonam, id ſi pari paſſu intellectum velit, fallitur, major enim cura apparet apud Innoc. de perſona coronantis, archiepiſcopo nempe Colonienſi, quam de loco, urbe Aquisgranenſi, uti ex ſupradictis liquere poteſt.

Obſervet 2. quod dicitur ab Advocato. Si quis inter ſe conferat Benedicti ſeptimi & Innocentii tertii bullas, utra majoris ſit ponderis, facile æſtimabit. *Reſpond.* quid ponderis poſſit habere bulla Benedicti, infra videbitur: duobus annis prius data, quam potuit eſſe nata.

Hoc Witekindus lib. 2. hoc Dithmarus eodem lib. *Reſpond.* fallacia eſt, neque hoc Witikindus, neque Dithmarus, neque ullus vetuſtiorum, verum ſolus Trithemius narrat.

Vel ex his exemplis colligi poteſt, quomodo Colonienſes ſemper ad ſuam diœceſim reſpexerint, neque enim, ut ipſi coronarent Moguntiæ, poſtularunt unquam. *Reſpond.* Merito reſpexerunt ad ſuam diœceſim, ob privilegium locale, cui ipſi præjudicare nec volebant nec debebant. Coronationes autem Moguntiæ ſine conſenſu Colonienſis factas, ſubinde retractatas legimus, ut patet in Philippo Suevo, & Henrico ſancto, quorum prior Aquisgrani denuo coronari debuit a Colonienſi; poſterior vel coronatus eſt vel certe electus & ſolennius iterum a Colonienſi proclamatus ibidem, uti infra.

At ipſe Leo nonus jam ante diem obierat. Ita eſt, obierat diem, verum exſtabat bulla illius ſupra citata, in qua privilegium coronandi Colonienſi non novum datum erat, ſed antiquum confirmatum.

Fundamenta Moguntinenſ. de primatu. 45. Nunc expoſito breviter jure noſtro, proximum eſt mentem intendere ad conſideranda firma ſolidaque ea fundamenta, quibus Advocatus Moguntinus turrim coronariam principi ſuo ſuperſtruit, in eamque molem omnes ingenii ſtudiique ſumptus effundit, rationibus licet admodum infeliciter nec ad regulam evangelii ſubductis. Et quidem angularem lapidem in prætenſo quodam primatu ponere non dubitat; eam rationem firmam ſolidamque ducens, ob quam potiores in coronando rege Romanorum, partes archiepiſcopo Moguntino tribuendæ ſint.

Fateor, invita, timidaque manu, hanc pupillam principum de præeminentia primatus tango, proinde non tam meo quam aliorum ſenſu, quantum res feret, uſurus ſum. Ac imprimis face opus erit, quam nobis ſacri canones, eorumque interpretes præferant, neceſſe eſt. *Joann. Azor. p. 2. lib. 3. c. 35. Barb. lib. 1. c. 6.* & alibi de jure eccleſiaſtico. Primatem in Hierarchia eccleſiaſtica, rigide arcteque accepto nomine, eundem volunt, olim cum patriarcha fuiſſe ex *cap. Cleros. diſt. 2.* alibi qua vocis notione poſita, ſicut in toto Oriente non erant niſi tres patriarchæ, & accedente poſtmodum Hieroſolimitano quatuor, ita totidem duntaxat primates.

Eorumque ingens, & Romano pontifici nimium æmula poteſtas, pluribus jurata obedientia ſubjectis ſibi Metropolitanis, quibus pallium aliaſque gratias ſuo jure conferebant. In Occidente, cum ea amplitudine vix alium præter Romanum patriarcham, id eſt, ſummum pontificem agnoſcimus; neque exiſtimo, quod Advocatus nobis alterum imponere velit.

Secundo. Ergo, paulo ampliore vocis, ſed arctiore poteſtatis ſignificatione *Azor.* loco citato, vocat quoſdam primates minorum gentium; qualem in Italia videtur ponere patriarcham Venetum, olim Gradenſem vel Aquileenſem, in Hiſpania talem ſe fert Toletanus, cui tamen cum Bracharacenſi non unius ſæculi lis fuit, alii alibi. Hi porro relicto fere patriarchali titulo, nomen primatis proprium ſibi feciſſe videntur, dicebanturque patres non ſolum epiſcoporum, ſed etiam archiepiſcoporum, præerant enim civitatibus, quæ erant capita provinciarum, alias civitates archiepiſcopis inſtructas ſub ſe habentium, & ſufficiebat ejusmodi archiepiſcopum eſſe vel unicum, uti colligitur ex provinciali omnium eccleſ. apud *Rebuff. & Azor.*

46. *Tertio.* Primates aliquando dicebantur ipſi archiepiſcopi, teſte *Iſidoro. Hiſp. lib. 7. Ethim. n. 12. apud Marchant. tractat. 7. tit. 1. ſ. 3.* Et fatetur *Azor.* olim Metropolitas, ſeu archiepiſcopos, dictos primates, quia in toto clero ſunt primores, primi in conventibus conſident, primi ſententiam dicunt. Et hi licet non ſint veri primates, nec habeant præeminentiam in aliqua tota natione, ſæpe tamen in aliquo majori diſtrictu ſunt honoratiores, quamvis apud eundem *Azor.* legatur Anicetus pontifex in *c. nul. diſt. 99.* vetuiſſe, ne archiepiſcopi primatis titulo uterentur.

His præmiſſis, quæ lucem aliquam dare poſſunt lectori, ſerio, ſinceroque ſtudio in id incubuimus, ut Hierarchici in Germania ordinis diſpoſitio, unde præſens quæſtio pendet, nos non penitus lateret, nullius rei, quam veritatis potiori cura, neque enim illuſtrior honos, quam qui ex vero reſplendet. *Nicol. Serar.* inter paucos exactus ſolerſque rerum Moguntinenſium ſcriptor. *lib. 1. c. 21. & ſequent.* Vetus inter tres ad Rhenum Metropolitas de præeminentia certamen neutiquam diſſimulat, diſerte ſcribens, minime ſe ei repugnantem fore, qui aut Trevirenſe aut Colonienſe, aut vero Wormatienſe jus in Moguntinam eccleſiam luculentius probaverit, cum ex verbis S. Bonifacii ſatis intelligatur, eam tunc, id eſt, tempore Pipini & Carolomanni circa annum 744. adhuc alteri eccleſiæ ſubjectam fuiſſe, unde, quod conſequens eſt, & ex Serario ſatis colligitur, Moguntina inter tres tardius ad Metropolitanæ decus acceſſit. Addit Serarius ex B. Rhenano dicente, videri ſibi aliquando tam Moguntinam, quam Agrippinenſem eccleſiæ Trevirenſi fuiſſe ſubjectas,

ſubjectas, cujus aſſerti alium quoque haud paulo accuratiorem patronum licet recentiorem nactus eſt. Eccleſia tamen Trevirenſis religionis ſuæ exordia ab ipſis apoſtolorum temporibus repetens maluit avitam laudem modeſtia vicinorumque quiete etiam nunc accumulare. Apud eundem Serar. Trith. exiſtimat circa annum 720. Bruchius autem in catal. epiſc. Wormatienſium circa annum 729. Moguntiam inter Metropoles relatam; verum Serario multis titulis potior fides debetur, decretum quidem illius honoris in annum 745. confirmationem in 751. conjicientis, cum S. Bonifacius jam ab anno 732. pallio illi a Gregorio tertio in Gallias miſſo, titulum Metropolitæ, ſed indefiniti & ambulatorii geſſiſſet.

47. Advocatus, dum notat ſe hiſce paſſibus lente ad culmen illud primatis ſibi præfixum aſſurgere, adducit tandem bullam Zachariæ pontificis ex *lib. 3. c. 15.* & Baronio an. 751. in qua ſequentia verba reperiuntur. *Et idcirco auctoritate B. Petri apoſtoli ſancimus, ut ſupradicta eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata habens ſub ſe Tungros, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam & Trectes.* Bullam qui legit, facile advertit, S. Bonifacium aliquid tale a Zacharia, utique bono & ſancto zelo petiviſſe. Reſpond. paucis, bullam agnoſcimus, a Zacharia datam, verum effectum & executionem unquam habuiſſe, res ipſa negat. Minime mihi hoc volet credere Advocatus, niſi probem & recte, id enim Advocatorum jus eſt, offero proinde Advocato, primo quidem examinandum Baronium anno 755. reperiet ibidem in *num. 30. & 31.* Epiſtolam ipſius S. Bonifacii, qua apud Stephanum pontificem ſucceſſorem Zachariæ graviter queritur, Colonienſem epiſcopum nolle ſibi cedere epiſcopatum Ultrajectenſem, quam ipſe Trecht, hodie Utrecht vocant, a Sergio pontifice adjudicatum. At ſi bulla Zachariæ papæ data anno 751. effectum habuit, & Moguntina eccleſia ſibi Colonienſem ſubjectam unquam vidit, qua ratione fieri potuit, ut vix annis quatuor poſt, Colonienſis Moguntino archiepiſcopo, & quidem ipſi S. Bonifacio Trajectenſem illam eccleſiam in eadem bulla comprehenſam ſubtraxerit, idque adeo probata cauſa, certoque jure ut eadem Ultrajectenſis eccleſia ſub archiepiſcopo Colonienſi ad noſtram fere memoriam permanſerit: ſpeciemne veri habet, Colonienſem Moguntinæ ſubjectam eodem tempore fuiſſe, & Ultrajectenſem eidem Moguntinæ ereptam ſuæ poteſtatis feciſſe? Et quidem hæc omnia facta oportuit anno 755. quo S. Bonifacius martyrio coronatus in cœlos abiit. Adde hiſce *Serar.* qui *l. 1. c. 23.* cum verba ex bulla Zachariæ recitaſſet, ad omnem ſcrupulum tollendum, ſubjicit, *quæ ex bulla allata erant, ob Hierachici ordinis meliorem uſum, mutata aliquantulum poſt.* Et quis tandem ſcriptorum uſpiam meminit Colonienſem Moguntinæ ſubjectam fuiſſe; quo autem fructu bullam tot ſæculis non receptam, nec executioni unquam mandatam modo in rem ſuam alleget Advocatus, videat Canoniſtas *c. 1. de Treig. & Pace d. 4. apud Azor. p. 1. l. 5. c. 24.* De hac igitur bulla, quæ ſtatim in ortu ſuo atque in ipſa herba exaruit, majori ſuo commodo tacuiſſet Advocatus. Accedit, quod bulla illa ad paucos epiſcopatus reſtricta primatum totius Germaniæ nequaquam inducat.

Bulla Zachariæ papa examinatur.

48. Quod propinquiores temporum noſtrorum auctores ſpecialius de primatibus Germaniæ conſulamus, occurrit primo loco recentiſſimus *Barbos. lib. 1. c. 7. Juris eccleſiaſtici, & Joann. Azor. p. 2. lib. 3. c. 35.* qui primatum Germaniæ archiepiſcopo Magdeburgenſi, vel Salisburgenſi olim tributum docet. De Magdeburg. quidem Dodechinus longe antiquior, apud *Serar. lib. 5. circa an.* 1135. ſic loquitur: *Aſſerunt hac ætate Northertum archiepiſcopum Magdeb. ab Innocent. 2. primatum Germaniæ obtinuiſſe pro ſe & ſucceſſoribus, cum eſſet Romæ cum Lothario imperatore anno 1135. antea vero Moguntinus cæteris in Germania præſidibus prælatus fuit, ut ſupra in Hattone & aliis apparet, videmus tamen in epiſtola Benedicti V. ad epiſcopatus Germaniæ ſcripta (in quibus etiam mentio ſit Ruberti Moguntini, Willigiſi anteceſſoris, Magdeburgenſem vocari patriarcham Germaniæ.* Hiſce accedit *Meibom.* poſt notas in *Witikind.* ubi refert jam tempore Ottonis primi, Adelbertum archiepiſcopum Magdeburg. inter omnes archiepiſcopos Germaniæ primatum habuiſſe. Videat ergo Advocatus, quomodo primatum domini ſui contra alios, qui in illius poſſeſſionem, non unius duntaxat pontificis auctoritate miſſi ſunt, tueri poſſit, cui etiam arduum erit eccleſiam Moguntinam in ſecundo primatus gradu ſupra poſito collocare, cum antiquata ſemel bulla Zachariæ pontificis nullam Metropolim ei ſubjectam reperire liceat, quod illi gradui proprium videbatur.

49. De tertio gradu ſi quæſtio eſt, in quo præcipui Metropolitæ tanquam epiſcoporum patres & primores conſident, neminem arbitror eſſe, quin archiepiſcopo Moguntino primam dignitatem & præcedenti honorem lubens volensque concedat, ſalvis tamen ſingulorum particularibus, ſi quas habeant, prærogativis, prout archiepiſcopo Colonienſi in ſuis diœceſibus, aliiſque regnis præcedendi honos debetur. Profecto latæ frontis ſit oportet, qui eccleſiæ Moguntinæ ſplendidiſſimum ab omni ævo decus diſceptare velit, a S. Creſcente per quadraginta epiſcopos, quorum non pauci inter cælites relati, a S. Bonifacio per ſedecim archiepiſcopos, a Willigiſo per quadraginta ſex electores huc usque ductum, & magnis ſemper gloriæ incrementis actum. Quis ignorat, Moguntinam archidiœceſim, ſive numerum Suffraganeorum epiſcoporum, ſive eorundem amplitudinem & potentiam ſpectes, omnibus plane Metropolitis antecellere, inſuper archicancellariatus perpetuo munere in Germania fulgere, nam reliqui tituli ab Advocato adducti, quales ſunt: ſummi præſulis, ſummi ſacerdotis, & pontificis cum omnibus archiepiſcopis communes olim fuerunt, teſtante *Azorio & Barbos.* propriis locis, atque archiepiſcopo Colonienſi in vita S. Brunonis annoniſque & alibi attributi reperiuntur, Moguntinenſem ſplendorem diſpergunt potius quam colligunt.

50. Neque diſſimulare mihi ullo modo licet Colonienſem archidiœceſim haud impari paſſu Moguntinæ ſubinde aſſociari: Eſt cum Moguntina eccleſia Agrippinenſem ſubſequentem reſpicit, eſt cum eandem in ſuo diſtrictu præcedentem ſuſpicit, ſorores ſunt, dotibus mutuis invicem gaudent, non litigant. quod ſi cui eccleſiaſticos faſtos ſtudioſius revolvere placuerit, reperiet is trecentis prope annis Colonienſem eccleſiam ante Moguntinam Metropolis titulo inſignitam, & quidem magno ac irrefragabili auctore S. Athanaſio rerum Occidentalis eccleſiæ minime ignaro, in concilio Sardicenſi circa annum 348. uti illius hac de re epiſtola apud Baronium teſtatur. quo tempore Moguntina ſedes, teſte ipſo ſancto Bonifacio, alteri Metropolitæ ſubjecta manebat, alii remotius ab ipſo Conſtantino magno & Materno ſecundo archiepiſcopo honorem illum allegant ut ſupra. Quem Maternum imperator legatum & judicem in cauſa Ceciliani Romam miſit, prærogativa non niſi magnis Metropolitis conſueta, unde nil mirum S. Cunibertum centum & amplius annis ante S. Bonifacium Metropolitæ titulo uſum eſſe apud Bravv. ſed præ omnibus audiendus Rupertus abbas Tuitienſis doctrina & vitæ innocentia conſpicuus, is *lib. 1. c. 27. de divin. offic.* ſic ſcribit: *Trevirenſi eccleſiæ Maternus a B. Petro miſſus, hæreditatem ſuam ſucceſſoribus reliquit, ſed primatum Metropolis Coloniæ obtinuit.* Quæ verba, qui a partium ſtudio liber eſt, utique non laborabit in ſiniſtrum violioremque ſenſum detorquere, cum etiam nunc hodie illius antiquiſſimi primatus non tam umbra, quam radii quidam per Galliam Italiamque nullo contradicente ſuperſint. Coronidem oppono ex bulla Leonis noni, quæ circa annum 1052. Hermannum Colonienſem archiepiſcopum ſacræ Romanæ eccleſiæ archicancellarium conſtituit, qui etiam honos in poſterum ad B. Annonem ſucceſſorem Hermanni, alioſque tranſiit, uti inſcriptiones docent apud Ciacon. in vita Leon. & alios: *Hermannus archiepiſcopus ſacræ ſedis apoſtolicæ archicancellarius anno 5. Leonis noni.* nec deſunt qui ex eadem bulla, in qua eccleſia S. Joannis ad Lateran. eidem Hermanno titulo honoris confertur, archiepiſcopos Colonienſes extraordinarios & hæreditarios S. Romanæ eccleſiæ cardinales conſtitutos fuiſſe aſſerunt. *Gelen. in Engel. Malinc. de Archic.* Et ecce hæreditaria Colonienſis eccleſiæ purpura duplici denuo honoris apice, extraordinario cardinalatu, & apoſtolico archicancellariatu coruſcans, quo præeminentiam ſibi & primatum ante omnes vindicare poſſit.

Colonia Metropolis ante Moguntiam, & plura ejus ornamenta.

51. Sed mihi quidem ingens opus excreſcet, ſi omnia ea ornamenta perſequi velim, id propius inſtitutum concernit, attendere quis ſtatus utriusque eccleſiæ Moguntinæ & Colonienſis tempore Caroli magni fuerit, ut ex eo de prærogativa eodem tempore ab ipſo Carolo inſtituta, rationes ſubducere liceat.

Hildeboldi dignitas.

In quo jam ſupra oſtenſum eſt, Hildeboldum in tota aula & imperio Caroli magni, dignitatis amplitudine omnino omnibus præſtitiſſe; fuit enim archicapellanus, qui tum erat præcipui honoris titulus, & idem cum archicancellario, ut paſſim tradunt; fuit archicancellarius, quod hiſtorici, & multo magis ipſius ſubſcriptiones & geſta docent. Subſcripſit fundationi eccleſiæ Bremenſis circa annum 788. primo loco. Item fundationi Comitatus Tremoni; uti videre licet de his *Gold. tom. 3. Meibom. & alios* ſubſcripſit in teſtamento Caroli primus poſt Carolum ante Moguntinum. Sic enim habetur, *Hildeboldus, Riculphus, Arno.* apud Baronium anno 811. ex ipſo autographo teſtamenti, ab Eginhardo Romam miſſo. Præſedit anno 813. Nationali concilio Moguntiæ celebrato ante ipſum Moguntinum præſentibus triginta epiſcopis, ex quo numero liquet fuiſſe concilium Nationale. Ita enim habetur apud Binn. & Sirmund. *iſto anno, poſt Invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & acclamationem Carolo factam. Hildeboldus, Riculphus, Arno.* Quem putant fuiſſe Saltzburgenſ. in eodemque concilio ſubſcripſit ſic: *Hildebold. ſacri Palatii archiepiſcopus.* Geſſit curam omnium eccleſiarum, eoque titulo ab Adriano pontifice, & concilio Francſ. circa annum 794. petente Carolo, fuit a reſidentia ſuæ eccleſiæ liberatus, ob curam & utilitatem eccleſiarum, ut loquitur concilium.

52. Præſidentia vero in concilio nationali, cura eccleſiarum integræ nationis, ſine dubio ad primatem ejusdem nationis pertinent, ſicut & ſubſcriptiones primo loco factæ archicancellariatus officium æque arguunt. Neque ſolus Hildeboldus ex Colonienſibus archiepiſcopis id munus geſſit, nam & ſanctum Cunibertum ducentis fere annis ante regibus Francor. a cancellis fuiſſe perhibent, & ſanctus Hildebertus circa annum 770. ex cancellario regum ad archiepiſcopum evectus eſt. Nec deſunt, qui ſex archiepiſcopos Colonienſes, omnes inter cœlites relatos, præter alios in aulis regum & imperatorum ea ampliſſima dignitate perfunctos recenſeant. Adde quod ſupra dictum, archiepiſcopos Colonienſes etiam apud ſedem apoſtolicam ſacratiore ejuſdem muneris honore effulſiſſe.

53. Non tamen me latet munus archicancellariatus fuiſſe ſub initia imperii Romano germanici ambulatorium, nec uni ſedi Colonienſi affixum, ſed pro affectu imperatorum & qualitatibus epiſcoporum modo huic, modo alteri oblatum. Sed nec illud obſcurum, alios fuiſſe ſubinde cancellarios aulicos, alios imperiales, eosque ſuos vicecancellarios habuiſſe, quod etiam tum magis obtinuiſſe videtur, quando molem curarum negotiorumque ex tribus præcipuis imperii provinciis, Germaniæ, Italiæ, Galliæ humeris ſuis incumbentium imperatores in tres archicancellarios, eosque ad Rhenum Metropolitas veluti totidem Atlantes partiti ſunt.

His bene perpenſis, conſideret Advocatus Moguntinus, utrum dominum & principem ſuum ad verum, genuinumque primatum primi aut ſecundi gradus in germania evehere poſſit, cum nemo Metropolitanus eum ſuperiorem ſuum agniturus ſit.

54. Con-

54. Conſideret 2. primatum illum præcedentiæ, quem Colonienſis Moguntinæ eccleſiæ ſalvis ſuis juribus non denegat, nulla pontificia bulla, valida & recepta, quam quidem videre licuerit, per Advocatum quantumvis ſedulum & gnavum, probari potuiſſe, cum tamen ad pontificem ſpectet de primatu eccleſiarum ſtatuere. Ideoque Magdeburgenſem & Salisburgenſem, ejusmodi apoſtolicis præſidiis munitos non timide de ſua præcedentia & primatu in Germania Tranſrhenana contra Moguntinum ſemper locutos, atque etiamnum loqui. *Quid de primatu Moguntino.*

Si vero Advocatus præcedentiam illam & primatum inter archiepiſcopos imperii, vel ex aliqua congruitate rationis aut officio archicancellarii aureaque bulla domino ſuo vindicet, ſciendum eſt, illam in eadem aurea bulla cum archiepiſcopo Colonienſi ita diviſam eſſe, ut non minus huic per propriam diœceſim & provinciam, etiam ultra Rhenum ad epiſcopatus plures extenſam, Galliam item Italiamque; quam Moguntino intra ſuos limites debeatur. Et imperator quidem Carolus præcedentiæ terminos utrique archiepiſcopo ſatis accurrate deſcripſit, quando autem de prærogativa coronandi actum eſt, eam abſolute ſoli archiepiſcopo Colonienſi detulit, nec cum Moguntino diviſam, nec ullis limitibus cis aut trans Rhenum, intra aut extra diœceſim, diſtinctam. Proinde ob primatum & præeminentiam, quam Magdeburgenſis & Salisburgenſis diſputare poſſent, quæque cum Colonienſi per imperium late ſumptum, diviſa eſt, & proinde non totam, qua patet, nationem Germanicam, ſed certum diſtrictum reſpicit, velle archiepiſcopo Colonienſi jus coronandi contra auream bullam, totque alios ſupra adductos titulos turbare, id Advocatus Moguntinus majori profecto auſu, quam conſilio aggreditur.

55. Denique, quæ lex pontificia aut cæſarea jus coronandi reges Romanorum ita arcte cum primario Sacerdotio, quodcumque tandem illud ſit, conjunxit, ut illi ſoli debeatur? Nunquid ad epiſcopum Oſtienſem ſpectat abſente vel impedito pontifice ungere, conſecrare, & coronare imperatores Romæ? *Azor & alii.* Neque tamen eſt vel primas Italiæ, vel primus cardinalium; verum habet hoc ex privilegio, uti & Colonienſis, teſte *Azor lib. X. & Pet. Andlo lib. 2. c. 6.* Sed nec Mediolanenſis, cujus eſt coronare imperatorem Modoëtiæ, ſed primatem Italiæ, coram Ravennate archiepiſcopo facile dixerit, neque prærogativam coronandi habet ex primatu, ſed inſtitutione Theodolindæ Reginæ; & privilegio Gregor. papæ apud Sigon. *lib. 1. de regno Ital.*

56. Cui autem indefinite dicere lubet eſſe juris gentium, ut primus epiſcoporum ungat reges, is nobis dicat, quiſnam epiſcoporum unxerit Agamemnonem, aut Philippum Macedonem, nam & illi populi jus gentium agnoverunt. potius dixiſſet eſſe juris & præcepti divini, ſiquidem Elias primus juſſus eſt ungere Azabel & Iehu, Samuël Saulem.

Conſideret tertio, omnes illas præeminentias eo tempore, quo Carolus magnus regalem ſedem coronationis Aquisgrani poſuit, in Hildeboldo ſæpe dicto archiepiſcopo Colonienſi accumulatas fuiſſe, & quidem ex utroque tam primatus quam archicancellariatus titulo, cui ſoli quis dubitet etiam coronandi dignitatem præ reliquis omnibus ab ipſo Carolo collatam. Nam ut duo ſint in eodem imperio regum coronatores, id forte non minus rarum eſt, quam quod ſint duo in eodem regno reges.

57. Supereſt alterum fundamentum Petræ apoſtolicæ, ſi diis placet, ſuperædificatum, bulla nempe Benedicti ſeptimi ab autore citata & privilegio coronandi in favorem archiepiſc. Moguntini Willigiſi inſtructa: de qua paucis rem expedio. 1. De bulla illa magnum ubique ſilentium apud *Baronium, Serar. in vita Willigiſi & omnes.* 2. ſubſcriptio bullæ plane ſuſpecta ſine anno Chriſti, ſine anno papatus. Utrumque eo tempore nunquam reperio omiſſum. Moris autem eſſe, ut addantur, & quidem per extenſum, nomen papæ, annus, aliaque apponantur, docet *Rebuff. in pract. Regul. Cancell. p. 405.* Affirmat quidem Advocatus ſimiles formas ſubſcribendi per manum Stephani notarii S. ſedis apoſtolicæ in menſe Martio, indictione tertia eſſe apud Baronium uſitatas, verum nullam a Benedicto ſeptimo bullam datam in Baronio invenio. Anno autem 971. exſtat apud eundem bulla Joannis XIII. ſed longe alia forma ſubſignata, ut videre licet. Et quid cauſæ putes, cur Moguntini illius bullæ & privilegii, inter tot & tantas diſceptationes tot ſæculis confirmationem nunquam petiverint? *Suppoſititia Bulla Benedicti ſeptimi.*

58. Sed reſtat aliud & lethale omnino vulnus; bulla notatur eſſe plane ſuppoſita & ſubreptitia, prius baptizata quam nata, id ut videas, adverte lector. Dicit Advocatus, Indictionem tertiam incidere in annum Chriſti 975. quo Benedictus ſeptimus iniit pontificatum: dicit 2. Willigiſum anno præcedente nempe 974. creatum eſſe archiepiſcopum Moguntinum: dicit 3. bullam datam Indictione tertia, Chriſti anno 975. id eſt, ſecundum Computum Advocati anno ſecundo Willigiſi. At vero indubitatum eſt Willigiſum non an. 974. nec anno 975. ſed anno 977. Archiepiſcopatum Moguntinum ſuſcepiſſe; ita cum *Serario* ſcriptores teſtantur, & ipſe Serarius prolixe probat, Willigiſum anno 977. Pontificatum Moguntinum iniiſſe, anno 1011. finiviſſe. In eam rem adducit Serarius præter alia epitaphium Willigiſi, in quo rudi & hiulco calamo veritatem exaratam perſpicias. Inter alia ſunt ſequentia. Willigiſus

Templum Victoris, quod ſtruxit, ſtat ibi foris,
Pontem conſtruxit, apud Aſchaffnaburg bene duxit,
Ac pontem per Naha, miles tranſit quoque verna.
Et bene neceſſe prope Bingh Manſen dedit eſſe.
C. novies pono, tunc Antiſtitem tibi dono, 900.
His ſeptemque dabis, & ſeptuaginta notabis, 77.

Fama

977. *Fama datur juſta, regnavit ſex bene luſtra,*
Sex tu conjunge, numerum tu cernis abunde,
M. X. I. Chriſte, deceſſit epiſcopus iſte,
Mathiæ feſto tumulatus erat, memor eſto.

Atque hæc ex agreſti, incultoque illius ætatis Parnaſſo, ſumpta facile agnoſces.

Enimvero qui fieri poteſt, ut Willigiſus duobus annis ante initum epiſcopatum, confirmationem palliumque & privilegium de jure coronandi a Benedicto ſeptimo acceperit; imo quis credat, hos adeo palpabiles nævos eruditos Advocati Moguntini oculos effugiſſe? O quantum expediviſſet, hic diem & conſulem omiſiſſe; quod auctor ſcripti Germanici cautius obſervavit. Meminerit verborum ſuorum in fine, ubi ſic de Colon. loquitur: poterat vero (& ſane feciſſet prudentius) de his pontificum decretis parcius loqui; ſed libeat ipſam bullæ ſubſcriptionem & verba Advocati inſpicere. Sic enim habet ſcriptum (*ſic finit bulla Benedicti*) *per manum Stephani Notarii S. ſedis apoſtolicæ, in menſe Martio Indictione tertia.* Poſt quæ ſubjungit Advocatus: *hanc eſſe uſitatam eo tempore ſubſcriptionis formam docebant ſimiles bullæ a Baronio producta tom. X. Annal. & alias ſatis notum eſt. Indictio tertia incidit in annum 975. quo Benedictus ſeptimus iniit pontificatum, Willigiſus autem anno præcedente 974. creatus erat archiepiſcopus Moguntinus*, ſic Advocatus. At ut viſum eſt, Willigiſus ſuſcepit archiepiſcopatum anno 977. quomodo ergo Bullam confirmatoriam obtinere potuit, anno 975. ſubverſis igitur, quæ ipſe Advocatus putabat ſolida, fundamentis, reliqua ſuper arenam poſita facili vento difflantur.

59. Et quidem *n. 52.* aliam cauſam prætenſæ prærogativæ adfert, quod olim per aliquot ſæcula ſolus Moguntinus illa dignitate reſplenduit: at vero, hoc eſt, de quo quæritur. Advocato tantum creditur, quantum probatur, & ubi tandem ſunt illa ſæcula, cum omnes prope anni excuſſi fuerint, & vix duo, ab Ludovico pio ad Ottonem magnum, non Romanorum, ſed Germaniæ particularis reges inventi, de quibus pauci hiſtorici lubrice pro Moguntino loquuntur.

Reliqua fundamenta Moguntini exploduntur.

Num. 53. Dicit, iis, qui eliguntur Germaniæ reges inſeparabiliter annexum eſſe titulum Romanorum regis & imperatorum, at *n. 57.* ait, neque enim primo illo tempore reges omnes Germaniæ protinus Romani etiam reges erant. Hoc quidem ita ſe habet, ut in Conrado, & aliis patet, ſed a priore ſatis diverſum eſt.

Num. 54. Non eſſe ullam ſanctionem vel uſum, quibus Moguntino jus ſuum eripiatur. *Reſpond.* Sat ſuperque Moguntino eripit, qui Colonienſi totum, & quidem ſolummodo & illimitate attribuit. de quo vide ſupra *n. 55.* De aurea bulla erit locus proprius dicendi.

Num. 56. Quod olim ortæ ſint inter Moguntinum & Colonienſem de jure coronandi controverſiæ, & etiamnum durent, id fit propter meum & tuum, nempe quod Moguntinus arroget ſibi jus coronandi archiepiſcopo & archidiœceſi Colonienſi jam a prima Caroli magni Inſtitutione debitum, reliqua, quæ ibidem aſſeruntur, ſunt paralogiſmi.

Num. 57. Tria illa jam ſupra exploſa ſunt, ſicut & commentitia ceſſio: qualis autem ſententia a Ludovico Bavaro pro archiepiſcopo Moguntino lata ſit apud *Bruer.* id rectius Advocatus diſſimulaſſet, cum ſatis ex illa narratione evincatur Moguntinum tandem vadimonium deſeruiſſe, & quod ex ſententia imperatoris probandum erat, in hanc horam nondum probaſſe.

Num. 58. Relabitur ad ſuum primatum, cui abunde ſupra reſponſum eſt. Neque enim habemus unum aliquem, qui toti imperiali Germaniæ tali titulo præſit.

60. Sequitur nunc Theſis tertia, quæ ſic habet:

Tertio a Colonienſibus archiepiſcopis & ante & poſt auream bullam ſemper fuiſſe uſque ad Maximilianum ſecundum exercitum, (*jus nempe coronandi*) neque a Moguntinis niſi raro & ex ipſorum conſenſu uſurpatum.

Actus coronationis per Colonienſes exerciti.

Hoc affirmant Colonienſes, negant Moguntini, noſque provocant ad veterum monimenta excutienda, quod non inviti, ſed quam breviſſime faciemus, quamvis abunde in priori ſcripto factum ſit. Illud incommode accidit continuum fere eſſe hiſtoricorum diſſidium, ideoque fidei, quam nobis de rebus olim geſtis facere deberent, non leve fieri dubium, imo diſpendium, quando ſinguli, quid ſibi videatur, narrare poſſunt. Poſteris vero ob aliorum alia ſcribentium contradictionem, perſuadere non poſſunt. Diſputaturis ergo, qui imperatores, regesque a quibus archiepiſcopis diademata ſuſceperint, id initio ſtatuendum eſt, non fore nobis quæſtionem niſi de regibus Romanorum, id eſt, de iis, qui in ſpem & rem imperii coronati ſunt, a tempore magni Caroli, primi imperii Romano-Germanici in illa natione fundatoris. Atque ita quæſtionem nobis formant Canoniſtæ & Juriſc. *Panorm. in cap. Venerabilem. de Elect. & Electi poteſt. Azor. lib. X. c. 4.* eſtque communis omnium vox & conſenſus hanc quæſtionem intelligi de ſolis regibus Romanorum: prout ex ipſa bulla Caroli magni & A. B. Caroli quarti, ubi id diſerte exprimitur, colligitur.

61. Moguntini, ut videantur Colonienſes archiepiſc. in coronandi munere olim præveniſſe, illud a Pipino rege Francorum, Caroli Parente, per ſanctum Bonifacium coronato, inchoant; verum de Pipino nobis in hac diſceptatione cura major eſſe non debet, quam de Clodoveo aut Dagoberto, qui & reges Francorum fuerunt, firmumque pedem in prima & ſecunda jam tum Germania poſuerant: loquimur enim de regibus Romanorum, quibus ſedem regalem coronationis Carolus Aquiſgrani, non Sueſſione aut Remis ſtatuit. Illud diſſimulari vix poteſt, ſcriptorem Colonienſem indecore ſane & aſpere ab Advocato Moguntino, hoc loco tractari, quando illi

ſcribenti apud *Serar. lib. 3. not. 38.* illam Pipini a S. Bonifacio factam coronationem dubiam videri, ſuſpectam lubricamque fidem probroſe ſatis ingerit, poſſetque mirum videri triviale illud exprobrandi ſcomma, tam familiare advocato eſſe, ut in ſcripto illius paſſim occurrit. Porro ut fides famaque ſua ſcriptori Colonienſi conſtet, non pigeat lectorem paucis rem ipſam ex *Serar. L. C. cognoſcere. Incurrunt, inquit, in hiſtoriam hanc quæſtiuncula, quarum prima eſt, an Pipinum non renunciaverit tantummodo, ſed unxerit etiam & coronaverit S. Bonifacius. Opiniones tuæ ſunt: ait una, unctum a Bonifacio Pipinum, negat altera, ſed a Stephano potius pontifice maximo unctum. In priore illa ſunt priſci Francorum annales, tam Nicenetiani quam Pithean. Aimoin. lib. 4. c. 61. Marianus. Regin. Sigebertus, Lambertus & hiſtorici omnes latini, ut ait anno 754. Baron. In poſteriore ſunt Anaſtaſius Biblioth. Paulus Diacon. lib. c. 5. Egilwald. lib. 2. c. 1. ipſe Ludovicus pius, Pipini nepos in epiſtola ad Hilduin.* His adde *Theggan.* hæc ſunt verba *Serarii*, ex quibus, amice lector, tuum ſenſum exquiro, utrum ſcriptor Colonienſis tam fœdam ſuſpectæ fidei vibicem a Moguntino referre mereatur, dum coronationem Pipini a S. Bonifacio factam apud *Serarium*, dubiam reperiri aſſerit. Quid enim dubium hiſtoricum dicemus, niſi quod ipſi invicem diſſentientes hiſtorici, ſibi aliiſque dubium faciunt? ſubjicit *Serar.* poſſe illos conciliari, dicendo, Pipinum bis, a ſancto Bonifacio nempe prius, & deinde a Stephano papa coronatum. verum quid opus erat reconciliatione, ſi res inter diſſentientes controverſa & dubia non fuit.

62. Prima ergo quæſtio in coronariis imperatorum faſtis poſſet eſſe de ipſo Carolo magno, quem certum videtur coronatum prima quidem vice ab ipſo Stephano pontifice Pariſiis ad S. Dionyſium una cum parente Pipino, & fratre Carolomanno anno 754. poſt mortem deinde patris coronatus legitur Noviomi anno 768. ſatis etiam certum ex Sigonio & aliis coronatum Modoetiæ in Lombardia & tandem Romæ circa annum 800. vel 801. ex *Baronio.* Cum autem nemo veterum coronationis Wormatiæ factæ meminerit, unde tandem eruit illam *Lheman?* quem nobis inſpicere non contigit. Quod ſi advocatus Wormatiæ coronatum Carolum velit, non improbabile videri poſſet, id ab ipſo Wormacienſi epiſcopo factum, a cujus pedo eccleſia Moguntina recenter tum vix ſe ſubtraxerat, ut ſupra ex *Serar. & S. Bonifac. viſum.* Aquiſgrani quidem coronari forte Carolus noluit. Cum enim jam Romæ ultimam imperii coronam a Stephano papa ſuſcepiſſet, ad quid regiam, illi ordine præviam, admitteret?

63. Secunda quæſtio eſt de Ludovico pio Caroli filio, quem cum in cunis Romæ coronatum aliqui affirment, tamen poſtea circa annum 813. ab Hildeboldo Aquisgrani conſecratum eſſe, & coronam juſſu patris ſibi impoſuiſſe tradit ante annum 440. cæſareus in manuſcripto plureſque alii, qui catalogos epiſcoporum Colonienſium ſignatos nobis reliquerunt. *Mag. item Chronic. Belgii Chronic. Colonienſ. Kleinſorg. Claud. Roberti in Gallia Chriſtiana, Bertius in Germ. Malinc. in Cancell. Beierl. in theatr. Orbis. Joann. Gualteri. Pet. a Beck, Gab. Bucelinus in Germ. Nopp. in ſuo Aquiſgr.* Et ecce quid reſponderi poſſit Conſarcinatori Moguntino, quando in ſcripto ſuo, ſtomachabundus exclamat. *Quis igitur ab Hildeboldo Ludovicum coronatum dixerit?* conſecratum nos diximus, quod proprium epiſcopi munus, & de quo potiſſima quæſtio; atque hoc conſecrandi actu primam poſſeſſionem ampliſſimi muneris archiepiſcopi Colonienſis in Hildepoldo adierunt, ut in priori ſcripto Colonienſi bene deductum.

64. Ludovico pio ſucceſſit Lotharius filius, quem Aquiſgrani diadema ſuſcepiſſe tradit Adelinus atque ex ipſo, ut apparet, Petrus a Beck, quis autem dubitet, quin id ab Hildeboldo adhuc vivo, & ibidem præſente factum ſit. Lothario ſucceſſerunt deinde in imperio filii, nepoteſque ex fratribus, quales Ludovicus ſecundus, Corolus Calvus, Ludovicus Balbus, Carolus cognomento craſſus, de quibus cum fuerint in Italia a pontificibus coronati, & in Galia fere regnaverint, non eſt nobis magna quæſtio, uti agnoſcit ipſe advocatus. Succeſſit tamen in imperio & corona Arnulphus inter poſteros Caroli, ſed inpari matre, meruitque a formoſo pontifice Romæ coronari, fortuna parum conſtante, circa annum 896. ſicut Ludovicus 4. Boſonis filius circa annum 901. qui omnes a pontificibus Romanis, ut dictum, coronam & titulum imperii ſuſceperunt, utrum vero hi omnes coronati ſint in Germania, & a quo, nemo facile probaverit. Id certum eſt, quoſdam non eſſe: vide infra. Poſt Ludovicus 4. cum Otto dux Saxoniæ onus imperatoris renuiſſet, ipſius ſuaſu electus eſt rex Germaniæ Conradus ex Francorum ducibus. Hunc Conradum ſicut & Ludovicum Arnulphi filium vult advocatus ab Hattone Moguntino coronatos, verum qui hiſtoriæ non omnino ignarus, meminit, quam fuerit nigra, ingrataque iſtius Hattonis fama inter principes Germaniæ, illi id non admodum veriſimile occurrit. *Serar. lib. 4. in Hattone ita loquitur:* Acutum huic epiſcopo omnes tribuunt ingenium, ſed ita, ut uno aſtutiori facto magnam nomini ſuo ſecurim apud omnes inflixerit. Clarius rem narrat *Mar. Scotus* anno 908. Accedit, quod advocatus citet in rem ſuam manuſcriptum Moguntinum, ſed neque in *Serario* aut alio loco ejus rei ulla mentio fit.

65. Neque multum noſtra intereſt, cum Ludovicus quartus Arnulphi filius, Conradus, imo & Henricus auceps non fuerint habiti reges Romanorum, ſed ſolius Germaniæ; ita narrat *Regin. Schaffnab. Sigebertus Friſing. & ipſe Onuphrius probat lib. de Comitiis*, de quo quid in aliis ſentiendum, mox dicetur. Porro ut coronationes prædictorum imperatorum reddat probabiliores, fingit advocatus tempore Ludovici & Conradi præter unicum Moguntinum, in tota transrhenana Germania metropolitam fuiſſe neminem; ſed in hoc gravis error eſt. Sat enim docent hiſtoriæ propriæ locorum jam ab anno 798. fuiſſe Salisburgi archiepiſcopum, & circa annum 832. Hamburgi, &

gi, & ſi Dodechino fides eſt ſupra citato, etiam Magdeburgi ſaltem Ottonis magni tempore; verum advocatus ſecutus Onuphr. Panuinum, & is Aventinum periculoſum & ſuſpectum apud multos auctores, ſepoſitis vetuſtioribus, quid mirum, ſi in foveam uterque ceciderint. Panuinus antiquitatis cæterum ſatis gnarus ſcriptor, in rebus germanicis ſæpe & graviter hallucinatur, utrum auctorum meliorum defectu, an ad ſuum Aventinum erroneum ductorem nimis ſecuro affectu, in medio relinquo. Exemplo ſit fœdus error in eo, quod ponit initium electoralis collegii ſub Gregorio decimo anno 1275. Item quod Henricum ſeptimum Luxemburg. aſſerit primum corona ferrea Mediolani uſum, cum is uſus jam a tempore Caroli magni, ut aliqui, vel certe Ottonis primi obtinuerit. Eadem infelicitate errandi in primo Moguntino ſcripto Witikindo affinxit, quæ nunquam in eo reperta ſunt; & ejusmodi maculis fœdat rerum Germanicarum hiſtoriam, nec raro Sigonium in easdem ſalebras poſt ſe trahit, Aventino quoque plus æquo tribuendum.

Ab Ottone primo ad Henricum tertium.

66. Cumque imperii Carolini ſtatus fuerit eo tempore turbatiſſimus, ac in regna tria quatuorve diviſus, nepotibus Caroli ad mutua arma concurrentibus, quid mirum, ritum coronandi cum ipſis regnis & regum ſucceſſione aliquantum a primo veſtigio nutaſſe. Neque enim illud rebus noſtris robur adſtruimus, quod nec ipſa fata, & magnarum rerum temporumque viciſſitudines concutere valeant.

67. Poſtquam autem ſub Ottone primo coadunatis paulatim, quæ hactenus divulſæ erant, provinciis, imperium Romano Germanicum reſtitui ſibi cœpit, Wigfridus Colonienſis archiepiſcopus in ejusdem Ottonis coronatione ſatis monſtravit, ſe juris ſui nec inſcium nec negligentem eſſe; atque hæc fuit prima coronatio, cui archiepiſcopum Moguntinum Hildebertum circa annum 937. ſe immiſcuiſſe cum Wigfrido Colonienſi narrat advocatus. Res jam in priori ſcripto examinata fuit, nihil hic adducemus, niſi quod advocatus admittit 1. ergo concedit Dithmarum aſſerere, Ottonem coronatum eſſe ab Hildeberto Moguntino, ſed cum licentia Wigfridi Colonienſis. 2. admittit *Gobelinam perſonam in Coſmod.* dicere illam licentiam non eſſe datam a Wigfrido, niſi pro iſta vice. 3. admittit Witikindum dicere Ottonem ab utroque archiepiſcopo eſſe coronatum. 4. admittit, apud eundem *Witikind.* Colonienſem & Trevirenſem in illa coronatione ceſſiſſe almitati Hildeberti Moguntini. Erat enim Hildebertus ex illuſtri ducum Franconiæ genere, nec minus illuſtris opinione ſanctitatis: hæc omnia admittit advocatus ab hiſtoricis narrari, nihilominus evincere nititur eam coronationem propriam fuiſſe Moguntini, cum in toto negotio nihil quietum, nihil proprium ei appareat. Certamen enim cæpit inter Colonienſem & Trevirenſem, quorum uterque tandem Moguntino pacis cauſa detulit, licet, quantum ex *Witikindo* colligi poteſt, nihil prætendenti, datum autem id fuit illuſtri proſapiæ & ſanctitati, id eſt, ut loquitur auctor, almitati; unde fallit advocatus ex Dithmaro & Wittikindo aſſerens, procerum judicio honorem coronandi, contendentibus Trevirenſi & Colonienſi, Moguntino delatum. Nihil enim minus dicunt illi: verum id ſolus *Trithem.* aliquod ſæculis poſterior de ſuo addit, quod bene advertendum, inter cæteras advocati artes.

68. Secundus actus quietus fuit in coronatione Ottonis 2. de quo ita ſcribit *Roger. Coæv.* auctor, vixit enim eo tempore cum ipſo Wittikindo Coloniæ, & in Corbea: unxeruntque Ottonem æquivocum patris Bruno archiepiſcopus Colonienſis, Wilhelmus Moguntinus & Henricus Trevirenſis cæterique Sacerdotes domini. Ita Rogerus, quæ qui legit, dubitare nequit, quin ſicut Brunoni primus locus datur, ita & primas in illa coronatione ejusdem fuiſſe partes: quis vero non potius credat coævo *Rogerio*, quam tot ſæculis poſt Onuphrio toties rebus Germanicis fallenti: quantum autem ex hoc proficere poſſet advocatus, judicet æquus lector: frivolum ſane eſt, quod dicit Brunonem ideo priori loco poni, quod fuerit frater Ottonis imperatoris, & ideo ſenior Wilhelmo Moguntino qui erat filius ejusdem & junior: quaſi vero in hierarchia eccleſiaſtica, præcedentia ex ætate & non potius ordine & dignitate officiorum ſumatur.

69. Tertius actus eſt in Ottone 3. hunc vult advocatus a Wiligiſo Moguntino ſimiliter coronatum, adducitque *Trithemium*, & vitam S. Gothardi epiſcopi Hildeſ. verum *Dithmarus* in editione anno 1580. opera *Reinecci* vulgata, quæ correctiſſima eſt, coronationem attribuit Ravennati archiepiſcopo. Idem facit auctor coævus vitæ S. Meinwich. Idem teſtatur *Onuphrius, Lambert, Schaffnab. Funcius, Rubeus in hiſtoria Raven.* prolixe narrans, quomodo in Germaniam miſſus ſit Ravennus archiepiſcopus (cum Warinus Colonienſis ſenio & morbo confectus miſſionem petiviſſet.) Et ecce duobus ab advocato adductis, opponimus facile ſex hiſtoricos tanto antiquiores & certiores.

70. Quartus actus eſt Henrici ſecundi circa annum 1002. qui abſente S. Heriberto Colonienſi archiepiſcopo Moguntiæ electus & coronatus eſt a Willigiſo; porro S. Heribertus in humando corpore defuncti principis Ottonis occupatus erat, ideoque abſens, ut ſcribit auctor in vita S. Meinwerci, & hoc ſufficere poterat, ut ea coronatio nec juris quippiam Moguntino tribueret, nec Colonienſi adimeret; libenter enim concedimus, quod impedito & abſente Colonienſi proximæ partes ſint Moguntini. Verum qualis illa fuerit habita coronatio Moguntiæ invito Colonienſi facta, imo & electio, patere poteſt ex hiſtorico coævo, & ipſius imperatoris domeſtico. Is eſt Adelboldus, qui non S. Hermanni, ut erronee typographus, ſed ipſius S. Henrici vitam ſcripſit, non illam, quam Caniſius & Surius vulgarunt; ſed aliam, cujus fragmentum ab Adelboldo relictum eſt, & a Gretzero in fine additum, impenſeque ab eodem commendatum. Ibi ergo accurate

curate narratur ſecunda illa vel tertia coronatio. Cum enim Benno dux Saxoniæ, & Bolislaus dux Sclavorum coronationem Moguntiæ factam abſentes ipſi, ut apparet, non probarent, in feſtivitate S. Jacobi, inquit auctor, *regi occurrunt, acclamatum ſuſcipiunt, collaudant, collaudato manus ſinguli per ordinem reddunt, redditis manibus fidem ſuam per ſacramentum promittunt, fide promiſſa regem coronant, coronatum in ſolio locant, locatum debita congratulatione venerantur.* 3. vel coronationem vel certe electionem novam & proclamationem, præſente S. Heriberto Colonienſi Aquiſgrani a Lotharienſibus factam idem auctor tradit, cujus verba ſunt: *Eligitur, collaudatur, in regiam ſedem extollitur, glorificatur Henricus.* Nec diſſimulat auctor unctionem Moguntiæ factam diſplicuiſſe. Videat advocatus, quanti æſtimanda ea a Moguntino, abſente & invito Colonienſi facta coronatio, tot emplaſtris curanda. Et en iterum egregium ſpecimen fidei, qua ſcripti Moguntini auctor verſatus eſt in antiquiorum teſtimoniis, his enim verbis ſalutat Colonienſem.

71. Quintus actus eſt in Conrado Salico, quem Moguntinus Aribo conſentiente Piligrino Colonienſi Moguntiæ coronavit: neque ullus hoc actu, Moguntino fuit quietior. Piligrinus enim cum gravem imperatoris offenſam ob contrarium in electione votum contraxiſſet, coronationis munus Ariboni Moguntino permiſit, ita tamen, ut ad conſervandum continuandumque ſuum jus Giſelam coniugem imperatoris, volentibus & urgentibus proceribus Coloniæ coronaret. *Wippo.*

72. Henrici tertii coronatio anno 1028. facta eſt a Pelegrino Colonienſi Aquiſgrani ſine contradictione, quam vel Amanuenſis, vel typographi incuria in typo neglectam, in manuſcripto ad imperatorem miſſo reperiet advocatus, qui hoc loco lethalem plagam veritati hiſtoriæ infligit, dicens hunc Henricum tertium eſſe primum imperatorem, quem Colonienſis coronaverit, & mox ſubjungit ſequentia. Unicus eſt chronici belgici compilator, qui Ludovicum pium ab Hildeboldo fuiſſe coronatum aſſerat. At vero nos facile decem ſupra adduximus ex varia natione & ætate hiſtoricos, qui id ipſum affirmant.

73. Anno 1054. coronatus eſt Henricus quartus tertii filius ab Hermanno Colonienſi, cui imperator Henricus tertius prærogativam ſuam contra Lupoldum Moguntinum vindicaverat, de quo ſupra; atque deinceps leguntur Moguntini archiepiſcopi deſiderio ſuo, coronandi reges Romanorum temperantius indulſiſſe, non penitus abſtinuiſſe. Nam & Sigfridus ingeſſit ſe coronationi Friderici ſecundi, & quidem jure proprio, ut vult advocatus, cum revera vacante ſede Colonienſi ob depoſitionem Theodorici ex delegatione pontificis ea peracta ſit: Eundemque Wilhelmi imperatoris dexteram poſtmodum inunxiſſe gloriatur idem advocatus. Ex ea vero concertatione, quæ fuit inter Petrum Moguntinum archiepiſcopum, & Trevirenſem de Ludovici Bavari coronatione, id unicum lector notet, certamen natum ex abſentia Henrici Colonienſis, qui Fridericum Auſtriacum Bonnæ coronaverat: huic enim, ſi præſens fuiſſet, prærogativa debebatur. Deinde in illo certamine a Moguntino vadimonium deſertum, neque jus ſuæ eccleſiæ prætenſum unquam probatum fuit, prout ei a Ludovico imperatore mandatum erat, atque id in tabulas publicas relatum: quod ergo tunc probari non potuit, quomodo nunc probabitur? atque ita ab Ottone primo per quadringentos & amplius annos usque ad Carolum quartum coronarium, hoc certamen inter Moguntinum & Colonienſem archiepiſcopos, impari tamen jure, viribus & numero perductum fuit. Nam ex toto illo Auguſto Auguſtorum ordine ab Ottone primo, ad Maximilianum ſecundum, per ſexcentos circiter annos, ſi calculum bene ſubducas, vix ſex ſeptemque ſummum, reperies ab archiepiſcopis Moguntinis coronatos, & quidem tam incerto jure & ritu, ut etiam nunc hodie de eo diſputatio non ceſſet. cum ex adverſo reliqui omnes numero in quadruplum majori, ipſo advocato teſte, a Colonienſibus nullo contradicente coronati agnoſcantur, quibus ſi imperatrices Giſelam Conradi ſalici a Piligrino coronatum Coloniæ, & Eliſabetham Alberti Auſtriaci Norimbergæ a Wichboldo diademate cinctam, aliasque adjicias, quis dubitare poteſt, quin eccleſia Colonienſis poſſeſſionem coronandi reges in Ludovico pio ceptam, tot ſequentibus actibus exercitis continuatam, ſatis ſuperque probaverit.

74. Hæc advocati Moguntini ignorare non poſſunt; ſed nec illud, quantis præſidiis cauſa Colonienſis eccleſiæ ex utraque ſuprema orbis Chriſtiani curia, pontificia & cæſarea petitis, ut ſupra viſum, roborata ſit; quantum eidem ſacrorum canonum eorundemque interpretum adminiculetur concors auctoritas, quantum hiſtoricorum antiquiorum meliorumque conſenſus probabilitatis tribuat; in quibus omnibus, licet non aſſeramus ſemper definitivas eſſe ſententias, mens tamen, & Principum, aliorumque prudentium ſenſus de præſenti controverſia ſatis inde elucet.

Viciſſim, quam Moguntinis in hac materia tenuis domi ſit & curta ſupellex; quam omnia a cæſareis diplomatis, a pontificum bullis, a juriſconſultorum ſententiis, reſponſisque nuda, & vacua. Quam arcte ſuum jactatum primatum contrahere cogantur, quodque bulla Benedicti ſeptimi ruborem potius quam honorem cauſæ conferat. Et ſi quidem aliquam rebus ſuis firmitatem adeſſe volebant, poſteriſque probabilem reddere; ecquid rei eſt, cur a tot ſæculis in re tanti momenti controverſa, toties diſputata, nullam ab ullo pontifice, ab ullo imperatore juris ſui declarationem, reſcriptum, confirmationem adferant? Incredibilis væcordiæ eſt, ea omnia neglecta, ſi quidem juſtitiæ cauſæ debita fuiſſent; totum jus in paucorum hiſtoricorum invicem digladiantium ancipiti concurſu, id eſt, incerta & lubrica narratione conſtitutum habent. Inter quos mihi unius ſilentium, quam maxime ſuſpectum merito videri poteſt. Is eſt, *Nicolaus Serarius,*

varius, qui quinqe a ſe ſcriptis libris, id ſtudioſiſſime egit, ut eccleſiæ Moguntinæ ornamenta & gloriam orbi Chriſtiano quam illuſtriſſimam & ſplendidiſſimam exhibere poſſet. Et quis dubitat omnino illorum ornamentorum prærogativam coronandi pulcherrimam coronidem futuram fuiſſe, ſi quidem ea iſti eccleſiæ ulla ſpecie veri aſſeri poterat. Verum de hac prærogativa Moguntinenſi eccleſiæ, proprio, &, ut dixit, perpetuo jure debita, apud *Serar.* ſummum ſilentium. *Cauſam ipſe candidiſſimi pectoris ſcriptor reddit, lib. 3. in S. Bonifac. not. 37. ſub finem. Quid igitur? non ita me tranſverſum rapuerit Moguntia noſtra amor, ut quod firme ſatis adſtructum non video, aſſeverem.* Ita ille, quem ſinceritatis ſpiritum omnibus Moguntinis ſcriptoribus hæreditarium optamus.

75. Obſervet lector 1. Advocatus Moguntinus audacter aſſerit, ex Onuphrio, per tria fere ſæcula, nempe uti auguror, ab anno 754. quo Pipinum coronatum a Moguntino credi volunt, usque ad annum 1028. & coronationem Henrici tertii, omnes imperatores a Moguntinis archiepiſcopis coronatos eſſe. Id autem quam recte, ex ſcientia & fide hiſtorica dicatur, breviter inſpice. Sit ergo prima periodus iſtorum trium ſæculorum a dicto anno 754. usque ad annum 823. & coronationem Ludovici ſecundi. At tota hac periodo, nullus omnino imperator coronatus legitur a Moguntino; neque Advocatus ullum adfert. Nam de Pipino viſum eſt, & videbitur infra. Secunda periodus ab anno 823. usque ad annum 936. & Ottonis primi coronationem; ſed nec hac periodo ullum imperatorem a Moguntino coronatum eſſe, exploratum habetur. Nam Ludovicus ſecundus Lotharii filius, Carolus Calvus, Ludovicus tertius, Carolus Craſſus, Arnulphus, Ludovicus 4. Boſonis filius, in Italia fere leguntur coronati; agnoſcitque Advocatus horum coronationem non admodum ad noſtram rem pertinere. De Ludovico autem Germaniæ rege, Lotharii imperatoris fratre, & filiis illius, utrum coronati ſint, ipſe Advocatus ſe dubitare oſtendit. Ac merito, ut legenti hiſtorias patet. Addit autem *Petrus a Beck*, iſto tempore ritum coronandi propter turbatum imperium, non ſatis obſervatum. Poſt mortem Ludovici circa annum 911. duo vel tres reſtant; Conradus, Ludovicus Arnolphi filius, de quorum coronatione variant hiſtorici; ſed hi quidem imperatores non agnoſcuntur. Henricum autem primum, parentem Ottonis magni, conſtat non eſſe coronatum. Sequitur ſæculum, & periodus tertia. Ab Ottone primo & anno 936. uſque ad Henricum tertium & annum 1028. quæ poteſt dici ætas polemica, in qua nempe de coronandi jure inter Moguntinum & Colonienſem ſubinde diſceptatum eſt. *Sed de hac ſupra.* Conſideret ergo amicus lector, qui ſint omnes iſti imperatores, quos hiſce tribus ſæculis, Advocatus Moguntinus coronatus a ſuis principibus tantopere jactat, & qui ſint tot actus exerciti, quorum meminit.

Errores Mogunt.

Obſervet 2. aſſerit Advocatus jus coronandi extra diœceſim Colon. tempore aureæ bullæ adhuc integrum fuiſſe Moguntino; et quomodo illi integrum fuit, cum a tempore Henrici 3. uſque ad A.B. per tria fere ſæcula nullum actum coronationis extra diœceſim ab eo exercitum infra demonſtratum ſit.

Obſervet 3. provocat nos Advocatus Mogunt. dicant (*inquit*) Colonienſes, aliam ſi quam habeant cauſam (*præter jus diœceſanum*) ob quam coronaverint; *Reſpond.* Aures habent, & non audiunt, oculos, & non vident. Diximus jam & propter importunitatem Advocati repetere cogimur, habent inſtitutionem Caroli magni: plurium pontificum & imperatorum reſponſum; tandem legem pragmaticam A.B. illimitate Colon. jus coronandi tribuentes.

Obſervet 4. Aſſerit Advocatus, archiepiſcopos Colon. non eſſe refragatos Moguntinis, neque jus, quod prætendunt, ſibi reſervaſſe. Recordetur hic Advocatus, quid geſtum in coronatione Henrici 2. quid in coronatione Henrici 4. quid in Maximiliano ſecundo, & reliquis poſtea imperatoribus.

Obſervet 5. adfert coronationem trium maximorum imperatorum, nempe Ottonem pro Moguntino: at quid tandem habuit eximium Moguntinus archiepiſc. in Ottone 1. quem ex licentia Colonienſis una cum ipſo coronavit. Quid in Ottone 2. in quo primas partes geſſit Colon. quid in Ottone 3. quem teſte Dithmaro coronavit archiepiſc. Ravennas, & Moguntinus aſtitit. Colonienſis enim Warinus valetudine impediebatur.

76. Theſis quarta.

Quarto confirmatum (*jus coronandi*) Colonienſibus archiepiſc. publica ſanctione aureæ bullæ a Carolo quarto, ſine ulla diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione.

Hoc aſſerunt Colonienſes, idque ut probent, ſufficere poterant ipſa verba aureæ bullæ, quæ ſunt ſequentia, *c. 4. §. 3. Primo quidem interrogabit a Trevirenſi archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe; ſecundo a Colonienſi, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum regi, primum diadema regium imponendi.* Hæc verba clarum adeo apertumque ſenſum legenti ſtatim objiciunt, ut ſcriptorem Colonienſem ab ulteriori probandi onere, merito abſolvere poſſint. Neque enim quis legem probare tenetur, ſufficit, ſi illam in publicis tabulis ſpectandam exhibeat. Verum cum Advocatus Moguntinus, id pridem obſtinuiſſe videatur, ut ipſi diem, ſole ſplendente negare liceat, nobis probare incumbat, agedum, lucem quoque verbis iſtis, adferre conemur, idque more noſtro, pauculis quæſtionibus.

Quæſtio prima. Utrum Carolus quartus verbis ſupradictis (cui competit dignitas, nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi) legem aliquam ſtatuat & confirmet. Sive, utrum ea verba ſint legislativa, an vero tantum narrativa & atteſtativa.

Reſpond. Advocatus Moguntinus, dum hanc rem tractat, loquitur ſequenti modo. *Quanquam*

quam autem omnia, quæ in aurea bulla continentur, vim legis pragmaticæ, & perpetuo valituræ obtineant, habent ſe tamen illa diverſimode; alia enim tum recenti autoritate imperatoris, & communi ſtatuum imperii conſenſu, fuerunt conſtituta, alia autem, quæ longa conſuetudine, & diuturno uſu, in imperio fuerunt introducta, non tamen communi adhuc omnium conſenſu, confirmata hac publica lege, fuerunt in certiorem ordinem redacta & ſtabilita. Quæ vero in aurea bulla de jure coronandi ad Colonienſem archiepiſcopum ſpectare legimus, ea ad neutram claſſem referri poſſunt; Sunt enim tantum narrativa & atteſtativa juris, quod Colonienſes, diuturno ſibi uſu acquiſiverunt.

77. Ita ille, ex ſua tripode, ſed bona ejus pace, frigide, ſi unquam alias; quo enim auctore, qua lege hoc dicit, aut cui tandem hanc ſuam interpretationem contra diſerta legis verba, authenticam faciet? Ergone regale coronandi munus, rituſque, quo utroque nullum illuſtrius, vel ipſo Advocato teſte, ita eviluit, ut de eo, ſapientiſſimo Legislatori nuſpiam cura fuerit aut providentia? Et ſolus elector Colonienſis eandem ſuam regalem prærogativam, nulla certa lege firmatum, tot ſæculis ab hiſtoricorum diſſidiis ſuſpenſam, Advocatorum cavillis caſtigatam, traductamque hactenus habuit, habebitque impoſterum, dubiam nempe ſemper & litigioſam? ſi enim verba ex aurea bulla adducta vim præcipiendi non habent, ſed ſunt tantum atteſtativa & narrativa, uti vult Advocatus, certum eſt, nihil in toto imperiali jure, de coronandi ritu & munere ſtatuum reperiri.

78. Verum diſpiciamus, quænam ſint illa verba vim præcipiendi non habentia, ſintque ſolum narrativa & atteſtativa. Et imprimis *c. 4. aureæ bullæ.* Cui §. 3. verba ſæpedicta inſeruntur; Incipit a termino & voce legislativa. (*ſtatuimus*,) Uti in priore ſcripto Colonienſi viſum. Obſervant autem jurisconſulti, per ejusmodi verba, (*ſtatuimus, decernimus*) ſi in conſtitutionibus ponantur, jus aliquod novum indicari, ut docet *Azor. p. 2. lib. 8. c. 11.* idque ex toto contextu iſtius capitis, in omnibus omnino membris, quæ plurima ſunt, apparet; ſolum archiepiſcopum Colonienſem exlegem facit Advocatus Moguntinus. Lubet verba pragmaticæ repetere. *Cui competit dignitas & officium:* ſine dubio, de verbo (*competit*) potiſſima debet eſſe quæſtio. At quis Scriptorum & Germanicorum hoc verbum inter narrativa unquam recenſuit? ſtudioſius inquirenti triplex potiſſimum iſtius vocis notio occurrit. Primo enim, competere, eſt honores, officiaque cum, vel contra alium petere. Hinc competitores, id eſt, candidati honorum. 2. *Competere*, idem eſt, ac conveniens, idoneum legitimum: hinc competens Iudex. 3. apud Jurisperitos in materia legum, competere, ſignificat, deberi. *Scævola in l.* qui habet §. ſcripti *ff. de Manum:* teſtamento competere libertates i. e. deberi libertates; & ecce, quam apte, quam dextere omnis hæc ſignificatio, Colonienſium juri contra Advocati ſomnia ſubſervire reperitur. Non pigeat, verba etiamnum repetere. *Colonienſi archiepiſcopo competit dignitas & officium regi Romanorum primum diadema regium imponendi.* Id eſt, Colonienſi archiepiſcopo convenit & debetur dignitas & officium coronandi reges. Quid clarius? quid apertius? debebat ſane iſtis verbis tota hæc controverſia deciſa, ſopitaque videri, ſicut omnibus hactenus viſa eſt. Ad hæc nunquid advertere poterat Advocatus, eandem vocem (*competit*) in linea immediate præcedenti, & cauſa Trevirenſi, non narrative, ſed omnino decretive ſumi? *Sic enim loquitur imperator, cui* (Trevirenſi) *primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe.* Qua ergo licentia, in linea proxime ſequenti, & cauſa Colonienſi, ſimilimaque plane materia ad alium ſenſum violentum detorquetur? Addat Advocatus *cap. 25.* §. 2. Aureæ bullæ, ubi imperator eidem voci parem omnino vim tribuit. *Primogenitus filius ſuccedat eis, ſibique ſoli jus & dominium competat*, id eſt, *ſibi ſoli debeatur.*

Eſt autem regula Juriſconſultorum, in legum interpretatione a communi uſu verborum non recedendum, & ubi eſt identitas verborum, non debet eſſe, fingique diverſitas rerum & ſenſuum. Imo leges ex legibus optimam interpretationem accipiunt, *Azor. pag. 1. lib. 5. cap. 15.* Cumque ergo in pluribus locis aureæ bullæ vox (*competat*) ponatur a Legislatore, aſſertive, imo nullibi aliter, cui perſuadebit Moguntinus Advocatus, in ſola cauſa Colonienſi cum tanto ejuſdem præjudicio, narrative ſumendam? Alia quoque in eodem textu gravis notatur oſcitantia, ut benignius loquar: Vult Advocatus Moguntinus imperatorem, dum de Colonienſi loquitur, reſpexiſſe ad morem priorum temporum, quo idem Colonienſis videri poterat jus aliquod intra diœceſim ſuam longo uſu acquiſiviſſe, Moguntinus vero extra illam in reliquo imperio. Ita enim intelligi debet ejusdem diſtinctio, in qua ſibi tantopere complacet, & totius controverſiæ robur conſtituit. Verum imperator, non in Colonienſi, ſed in Trevirenſi cauſa, antiqui temporis uſum allegat; ſic enim loquitur, *primam vocem Trevirenſi competere declaramus, ſicut hactenus competiiſſe invenimus:* de Colonienſi abſolute, ſine temporum locorumque reſpectu & limitatione aſſerit: *Cui competit dignitas & officium, &c.* Et qua tandem ſpongia hos omnes nævos, coram principe ſuo abſterget Advocatus Moguntinus?

79. Quod ergo ipſe agnoſcit loc. ſupra citato, quæcunque in aurea bulla continentur, vim legis pragmaticæ & perpetuo valituræ obtinere, id univerſaliter, æque omnibus, etiam Colonienſi, fixum firmumque manere par eſt. Cumque ſagaciſſimus imperator controverſiis longe minoribus providentiam ſuam impenderit, quis præſumat illum in re tanta, tot ſæculis litigioſa, a ſcopo ſuo, & a ſe ipſo degeneraſſe: diſſimulare hic vix poſſum, delicatum & infirmum Advocati ſtomachum, qui minutias quaſdam concoquere non poteſt. Dixerat Scriptor Colonienſis in priori ſcripto imperatorem quasdam minutias, exempli gratia, de benedictione menſæ imperialis, de porrectione libri evangelii, non neglexiſſe, multo minus majora neglecturum. Hic inſur-

git Advocatus Moguntinus & primo quidem exempla iſtarum minutiarum in ſcripto Colonienſi poſita ſatis vafre in alia commutat; mox ut cœptum ex muſca ſua Elephantum perficiat, per duas fere paginas, operam ſtrenue perdit. Nunquid enim benedicere menſæ, porrigere oſculandum librum evangelii, quod ſæpe ad inferiorem miniſtrum ſpectat, minus eſt, & multo minus, quam ungere & conſecrare Chriſtum domini? ſi ergo multo minus eſt, tantumne piaculum, tamque crudo ſtomacho dignum ejusmodi reſpective vocare minutias.

80. Ex his poſtquam ſatis conſtat, verba *§. 3. c. 4.* aureæ bullæ archidiœceſim Colonienſem concernentia, non eſſe tantum narrativa, ſed decretiva; quæritur modo, quid per illa cautum, decretumque cenſeatur: facile videt amicus lector, quæſtionem non eſſe dubitantis, ſed inſtantis & urgentis; quod ſubinde opus eſt, quando adverſarium difficiliorem nacti ſumus.

Equidem cuilibet, ſapientiſſimi Legislatoris œconomiam in aurea bulla ſervatam, exactius expendenti, is unicus tam operoſæ conſtitutionis ſcopus ſtatim occurrat neceſſe eſt, ut æqua fieret, tum inter omnes, tum maxime electores principes, honorum munerumque diſtributio; quæque inde conſequi ſolet, ſincera pro publico imperii bono, animorum concordia: quam ſuam intentionem imperator magna & anxia ſolicitudine, ſtatim in ipſo aureæ bullæ exordio, palam omnibus facit, illique inſiſtens pomum Eridis e medio amoturus, electoribus præ omnibus aliis, ſuas ſingulis regales prærogativas, in duplici, ſolennique potiſſimum actu, electionis & coronationis adminiſtrandas perpetua valitura lege partitur.

81. Et Moguntino quidem archiepiſcopo ipſius electionis indictionem, convocationem, ſuffragiorumque curam & totius machinæ illius directionem. Elector Trevirenſis primam eligendi vocem, peculiaremque & proprium præ aliis ſeſſionis honorem aſſignat. Cum autem in actu electionis archiepiſc. Colon. aliqua ſimili prærogativa, honorare pro meritis non poſſet (*nam habere ſecundam vocem, non tam eſt honoris quam ordinis & officii*) in altero nempe coronationis actu primam illi dignitatem, diadema regium imponendi contulit, eademque aurea bulla firmavit: de hac enim fuerat, a tempore Ottonis 1. inter Moguntinum & Colonienſem controverſia, ab hiſtoricis rerum germanicarum frequenter commemorata, quæ proinde ſapientiſſimi imperatoris, ejusmodi litigia exſtirpare volentis providentiam effugere, latereque nequaquam potuit, nam tametſi plures ſubinde pontifices Romani, ſuum de ea re ſenſum, ſatis declaraſſet, & Fridericus 1. ſicut & Henricus 3. illam coronandi prærogativam archiepiſcopo Colonienſi adſcripſiſſent & vindicaſſent, ut ſupra viſum, tamen fibræ diſſenſionum, tot annorum decurſu roboratæ penitus evulſæ nondum erant; ut dubitari non poſſit hujus controverſiæ componendæ curam, potiſſimam providentiæ imperialis partem extitiſſe. Cujus rationis vim, quam omnes facile notant, cum adverſarius retundere non poſſet, ſolerter declinare nititur.

82. Nam *n. 44.* aſtute ingerit, nullam diu fuiſſe Moguntinum inter & Colonienſem de jure coronandi contentionem, a trecentis nempe annis, & tempore Henrici tertii. Ideoque cum aurea bulla promulgata fuerit, ad diſſenſiones inter principes electores tollendas, non fuiſſe admodum opus ejus rei meminiſſe, de qua non eſſet amplius controverſia; ita Aovocatus, ſi non vere, profecto opportune ſibi & ingenioſe. Etenim quod Moguntinum inter & Colonienſem de jure coronandi non fuerit eo tempore controverſia, id ipſe viderit, quomodo ſine rubore aſſerat, cum & alias non tantum in Friderici 2. ſed etiam in Ludovici Bavari coronationem, Moguntinum ſe ingeſſiſſe fateri cogatur. Et quidem hujus poſterioris coronatio, non ſine gravi certamine, nec uno ſolo peracta eſt. Cum Trevirenſis abſente Colonienſi, ſe Moguntino oppoſuerit, & Colonienſis reclamaverit, teſte *Browero.* Additque *Albert. Monachus in Chronic.* Ludovicum coronatum Aquisgrani in loco, ubi debuit, ſed non a quo debuit. Cui conſentit Manuſcript. loc. apud *Serar. lib. 5.* in *Petro* dicens. Alter (*Ludovicus*) a quo non conſueverat, eo tempore coronatio peragi coronatus eſt, id eſt, ab archiepiſcopo Moguntino. Quomodo ergo, tempore Caroli quarti, jam diu non fuerat controverſia inter Colonienſem & Moguntinum, cum Ludovicus Bavarus Carolo Coævus immediate præceſſiſſet in imperio, exſtarentque ejusdem diſceptationis de imperio inter utrumque Ludovicum & Fridericum ſatis funeſta veſtigia. Atque ex his docemur, hanc legem de prærogativa coronandi ad quietum tranquillumque imperii ſtatum inducendum, conſervandumque omnino neceſſarium fuiſſe; quam proinde imperator brevibus, ſed perſpicuis verbis, quæque legenti, nihil deinceps dubium relinquerent, conſenſu omnium principum tulit, pro auctoritate & majeſtate imperatoria pronunciando; *archiepiſcopo Colonienſi competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi;* eaque promulgatio facta eſt loco proprio, quo reliquis omnibus electoribus ſuæ ſingulis præeminentiæ decretæ fuerunt. Advertat autem amicus lector, verba (*dignitas nec non officium*) hæc enim perſonam intime afficiunt, & individuo cum quocumque altero honore, comitantur. Advertat 2. verba (*primum diadema*) triplici enim corona a tempore Caroli magni imperatores Occidentis redimiri ſolebant, primam ſumebant Aquisgrani, alteram Modoëtiæ vel Mediolani in Italia, tertiam Romæ. Ad tollendum autem omne dubium, primæ coronæ in Germania imponendæ dignitatem imperator attribuit archiepiſcopo Colonienſi: poterat enim quis exiſtimare Italicæ coronæ honorem, illi debitum, cum in Italia, non in Germania archicancellarius eſſet. Idque bene obſervet Advocatus Moguntinus, officium coronandi non ſemper arhicancellariatui cohærere. Prudenter autem cauteque imperator, dum legem præſentem ſancivit, nec litigantis alterius partis, nec ipſius controverſiæ mentionem ullam fecit, ut ſuo exemplo omnem litis illius impoſterum memoriam ex animis

hominum

hominum prorſus evulſam, ſe velle, oſtenderet. Quod ſimiliter in quibuſdam aliis controverſiis per auream bullam ſopitis obſervare licet. Atque ita ſentiunt, quoſcumque in A. B. commentatores, videre contigit, infra citandos, inter quos *Rumelin. p. 3. diſſert. 6.* Ubi culpat Georg. Sabinum, qui aſſerere auſus erat, in coronatione Caroli V. archiepiſcopum Moguntinum una cum Colonienſi, in partem iſtius muneris veniſſe; de quo ſit.

83. Quæſtio tertia: utrum exſtet aliqua lex, aut conſuetudo poſt auream bullam lata, aut uſurpata, qua archiepiſcopo Moguntino jus coronandi reges Romanorum extra diœceſim Colonienſem conferatur. *Utrum ſit lex aut conſuetudo, qua Moguntino favet.*

Quæſtio movetur de lege aut conſuetudine poſt auream bullam: nam quidquid ante controverſi aut juris, aut facti fuiſſe dici poſſet, id per auream bullam deciſum definitumque manet, quamvis & jus, & uſus etiam ante A. B. omnino Colonienſibus faveant, ut infra viſum. *Reſpond.* Ergo neque in aurea bulla, neque in toto jure imperiali, veteri aut novo apicem unum reperiri ejuſmodi legis, vel conſuetudinis teſtem; ſed nec firmum veſtigium aliquod, ſimilis moris ab Advocato, quamvis ſedulo allatum eſt. Idque ad negativam noſtram probandam abunde ſatis erat. Nam in diſtributione honorum & munerum, quæ a principibus debito modo, locoque fit, ſi quis tacitus ſcienter prætereatur, is pro excluſo habetur, ut quotidiana experientia probat.

84. Neque defuit imperatori Carolo, inter alias, duplex urgentiſſima cauſa, ob quas archiepiſc. Colonienſi; neglecto Moguntino, prærogativam coronandi deferret: Etenim in actu electionis, omnes fere præeminentiæ ſoli electori Moguntino collatæ erant, præterito Colonienſi; aliisque ſimiliter electoribus ſuæ ſingulis dignitates & officia aſſignata, nulla Colonienſi, ut ſupra viſum. At vero, quomodo juſtitiæ diſtributivæ, quæ in honorum partitione bilancem tenet, quomodo concordiæ inter principes tantopere optatæ ſecuritati, conſultum erat, ſi talis, tantuſque princeps, quantus ſemper archiepiſcopus Colonienſis in imperio habitus eſt, in ritu coronationis ſe neglectum vidiſſet; quemadmodum in §. prædicto factum viderat, nullus ſane tam vivax, potenſque eſt, ad diſcordiam inter viros principes concitandam, ſenſus, & ſtimulus, quam neglecti, denegatique honoris; aut quæ tandem ratio dabitur, unicum archiepiſcopum Colonienſem penitus inhonoratum, prætereundi.

85. Accedebat altera æque urgens cauſa. Neque enim latere poterat imperatorem Carolum, plurium pontificum & imperatorum, in illa coronaria controverſia pro archiepiſcopo Colonienſi judicium, uti ſupra viſum, a quibus ſane ſuum ſejungere nec poterat, nec debebat; firmum ergo exploratumque manet, intentionem Advocati Moguntini pro ſuo domino, nulla lege, aut ſuperioris authoritate niti, neque hoc ab illo unquam probatum. Sed neque conſuetudo poſt auream bullam allegari poteſt, cum in confeſſo ſit, omnes actus coronationis poſt auream bullam uſque ad Maximilianum ſecundum per annos prope ducentos a ſolo Colonienſi archiepiſcopo peractos eſſe. Idem plane affirmare licet de annis trecentis ab Henrico tertio, uſque ad Carolum quartum & auream bullam; nam neque toto illo tempore legitur archiepiſcopus Moguntinus imperatorem quempiam extra ſchiſma in reliquo imperio Germanico coronaſſe. Aquiſgrani quidem Fridericum ſecundum & Ludovicum Bavarum conſecravit, illum vacante ſede, ex delegatione pontificis, hunc in ſchiſmate: at hi duo caſus nos non tangunt: placeat hic amico lectori reflectere aliquantulum ſe ſupra intentionem actionemque Advocati Moguntini; is contendit contra auream bullam id evincere, ex conſuetudine, & antiquorum temporum uſu, coronandi jus competere archiepiſcopo Colonienſi intra ſuam diœceſim, Moguntino autem ex iiſdem titulis deberi illud in reliquo toto imperio; & Colonienſis quidem juris, plurima habemus experimenta: Cum autem ad Moguntinum devenitur, per integros quingentos annos ab Henrico nempe tertio & quarto uſque ad Maximilianum ſecundum, nullum plane reperire eſt imperatorem legitimum, a Moguntino in reliquo toto imperio coronatum. Nam Rudolphus Suevus & Hermannus in ſchiſmate a paucis electi, imperatores a Germanis non agnoſcuntur. Et qualis tandem illa conſuetudo, cujus tot ſæculis uſus, actuſque nullus uſpiam fuit? Nunquid advertere debuit Advocatus, rectius a nobis contra Moguntinum allegari poſſe conſuetudinem negativam; nam poſtquam ab Henrico tertio, circa annum 1054. Lupoldo archiepiſcopo Moguntino, coronationem Henrici quarti affectanti contradictum eſt, idque munus Hermanno Colonienſi ab eodem imperatore, ut ſupra viſum, vindicatum, per integra quinque ſequentia ſæcula, nullum actum coronationis notorium, quietum, & conſuetudinis inductivum in ſuo quem ſibi adſcribunt diſtrictu, Moguntinenſes archiepiſcopi exercuerunt, uſque ad Maximilianum ſecundum. Et cui tandem hiſce quingenis annis favet conſuetudo coronandi reges? ſane Colonienſes archiepiſcopi toto illo quingentorum annorum ſpatio, omnes omnino imperatores intra ſuam diœceſim coronarunt, excepto Friderico ſecundo, qui ſede Colonienſi vacante a Moguntino ſedis apoſtolicæ legato coronam accepit. Extra diœceſim autem Norinbergæ in ſolenni conventu Eliſabetham imperatricem Alberti Conjugem, Wichboldus Colonienſis diademate cinxit, præſente Moguntino, nec contradicente, atque ita, intra ipſam diœceſim Moguntinam ſuam coronandi prærogativam tot coram tantiſque teſtibus exercuit, poſtea in aurea bulla confirmatam: neque ut frequentius id, in reliquo imperio a Colonienſibus fieret, quippiam obſtitit, quam religio loci urbis Aquiſgranenſis, & occaſio facti; ſed nec dici poteſt actum illum videri ſingularem ex ſpeciali cauſa indultum Colonienſi: nihil enim tale uſpiam reperitur; inceſſit Wichboldus via regia, uſus jure ſuo, a Carolo magno eccleſiæ Colonienſi collato, ab Henrico tertio vindicato, Friderico primo agnito

agnito & probato, idque ante auream bullam; cum ex adverſo Advocatus Moguntinus nullum legitimum imperatorem producere poſſit, qui tot ſæculorum lapſu intra ipſum ſuum diſtrictum a ſuis principibus anteceſſoribus diadema acceperit. Nam coronatio Kunegundis imperatricis ante ea tempora peracta fuit. Etſi de imperatricibus quæſtio ſit, duas fere reperiri dicunt a Moguntino coronatas; Kunigundem & Agnetem, Henrici 2. & 4. conjugem; duas item a Colonienſi, Giſelam Conradi, & Eliſabetam Alberti. Et ubi tandem tantopere hactenus jactata conſuetudo? ſed & illud obſervandum, quare archiepiſcopus Moguntinus coronationi Eliſabethæ, quæ Norimbergæ in ipſius diſtrictu, ipſo præſente facta eſt, non intervenit, quare jus ſuum & conſuetudinem, ſi quæ fuit, non adduxit, quemadmodum Colonienſes poſtmodum in Maximiliano ſecundo, & aliis Ratisbonæ coronatis fecerunt.

87. Atque hæc eſt mens omnium politicorum & juriſconſultorum, qui in auream bullam ſcripſerunt, nempe licet ab Ottone primo ad Henricum tertium per annos fere nonaginta de coronandis imperatoribus ſubinde inter Moguntinum & Colonienſem diſceptatum fuerit, attamen a tempore ejuſdem Henrici tertii jus coronandi reges Romanorum, inviolabiliter & incommutabiliter penes archiepiſcopos Colonienſes permanſiſſe, in aurea bulla ipſis denuo collatum confirmatumque. *Martinus Rumelinus in aurea bulla p. 3. diſſert. 6. Gerlac. Buxtorff. ad c. 4. A. B. Theſ. 46.* Ubi plurimos citat, & ipſum Ciſnerum ab Advocato allegatum, dicentem, coronationis officium Colonienſibus ab eo tempore incommutabiliter competiiſſe: & quomodo manſit, incommutabi liter, ſic cum Moguntino, ratione loci, commutari debuit? clariſſime loquitur, *Joann. Limn. lib. 3. c. 6.* de jure publico, ubi ex aliis hiſtoricis probat. Jus coronandi reges a Carolo magno, primam ſedem regalem Aquiſgrani ponente, Colonienſibus archiepiſcopis donatum fuiſſe, atque adeo iuſtiſſimo titulo ante auream bullam illis acquiſitum, idque vi inſtitutionis Carolinæ, cujus meminerunt etiam extra Diœceſim; licet Moguntini archiepiſcopi quoſdam actus olim exercuerint, ut ait *Buxtorff.* Idem clare & ample aſſerit Mateneſ. in coronatione Ferdinandi ſecundi. Et ecce, quid ulterius a nobis requiri poteſt?

88. Obſervet nunc lector 1. Quare Herwartus eo tempore in ſententiam ibi poſitam deſcenderit, nota cauſa eſt, cui *Bzovium* & plures alios opponimus. Quamvis Herwartus hoc quidem tempore, jus coronandi, archiepiſcopo Colonienſi, non Moguntino tribuat.

2. Vellet Advocatus Henricum Landgravium a Petro Moguntino coronatum videri; id vero *Naucl. generatione 42. Chronic. Mag. Belgii* aliique omnes negant, aſſerentes eum intra annum ante benedictionem fatis conceſſiſſe.

3. §. 42. Aſſerit lege Caroli 4. in A. B. lata cautum, ut archiepiſcopi Colonienſes Aquiſgrani coronent reges Romanorum; at vero id commentum eſt. Nam *c. 21. A. B. §. 5.* ubi Aquiſgranum ex antiqua obſervatione pro theatro coronationis aſſignatur, nulla omnino mentio fit electoris Colonienſis, quod tamen ratio requirebat, ſi quidem imperator jus Colonienſium archiepiſc. ad illum locum aſtrictum voluiſſet. Nunc autem cum verba legis nullam reſtrictionem habere cognoſcantur, prærogativa coronandi Colonienſibus collata, non alio loco aſtringitur, quam ubi poteſtas Legiſlatoris finitur: ideoque maligne legem coarctat Advocatus, parum memor, verba legis debere eſſe, & manere manifeſta, neque aliquid per obſcuritatem in captionem continere aut explicare. *Iſid. l. 1. Ethym.*

4. Affingit ſcriptori Colonienſi, quaſi jus & certamen de præcedentia inter principes vocaverit minutias. Id vero, quam vanum ſit, ſupra viſum.

89. Quarta & ultima theſis, quam in ſuo ſcripto ponit nobis Advocatus, ſic habet.

Demum functiones a Moguntinis electoribus in coronatione poſtremorum imperatorum exercitas, veteri electorum Colonienſium juri minime obeſſe. Id omnino aſſerunt Colonienſes. Etſi quidem ea, quæ hoc toto ſcripto allata ſunt, in jure & facto ſubſiſtant, probatione nulla hæc theſis indiget. Prout priori ſcripto Colonienſi ſatis confirmatum eſt. Ubi coronationes Maximiliani ſecundi anno 1562. Rudolphi anno 1576. Matthiæ anno 1612. Ferdinandi ſecundi anno 1619. & ſacræ cæſareæ majeſtatis veſtræ a Moguntinis archiepiſcopis factas agnoſcit, verum jure vicario & Moguntinis minime proprio.

Coronationes a Maximiliano ſecundo.

Quatuor fere fuerunt electores & archiepiſcopi Colonienſes a tempore Maximiliani ſecundi uſque ad sereniſſimum electorem Modernum, Fridericus a Weda, Salentinus Iſenburgicus, Erneſtus, & Ferdinandus Bavarus. Omnes toto illo tempore, infulis & ſacerdotio deſtituti, ac proinde ad ſolemnes conſecrationes imperatorum inhabiles, impedimento ex ſacris canonibus injecto; quod quia legitimum fuit, actus quidem coronationis alteri potuit, debuitque deferri; jus illis nequaquam tolli potuit. Nulla enim tam Rhadamantæa & captioſa lex, quæ canonicum juſtumque impedimentum, probro & damno eſſe velit.

Additur deinde in eodem ſcripto, archiepiſc. Colonienſes, oborto ſimili impedimento, ſemper juri ſuo opportune proteſtando caviſſe, cautelaſque ab imperatoribus & collegio electorali acceptatas, protocollis inſertas eſſe.

90. Duo his reſpondet Advocatus Moguntinus. 1. Proteſtationes illas ſola fide actorum Colonienſium niti; at numquid hoc ſatis eſt, donec contrarium probetur? quid ſi proteſtationes ejuſmodi ab imperatoribus receptæ, ſubſcriptæque ſint, fidemne facient? Ita plane apparet, in ea, quam anno 1637. Ferdinandus archiepiſcopus, Ferdinando ſecundo imperatori obtulit, ab eodem imperatore accceptatam & ſubſcriptam, neque dubium; in cæſareis actis idem quod in noſtris eſt, reperiri.

Digitized by Google

reperiri. Alterum quod replicat, eaſdem proteſtationes juri Moguntinenſium nihil obeſſe, dum extra diœceſim Colonienſem coronationis munere funguntur: Eo enim ſpectare, ne Moguntinorum actus Francofurti & alibi celebrati obſint Colonienſibus, aliquando Aquisgrani iterum coronaturis. Ita Advocatus, more ſuo infeliciter & lubrice, inſpiciat, quæ geſta ſunt anno 1619. ubi in decreto coronationis Ferdinandi ſecundi glorioſæ memoriæ parentis ſacræ cæſareæ majeſtatis veſtræ, omnium electorum aſſenſu, concepto, dicitur: eccleſiaſtici electores debebunt convenire de conſecrationis munere, cum archiepiſcopus Colonienſis qualificatus non ſit, quis locum & vices ejus ſuppleat. Ea coronatio peragenda erat Francofurti, non Aquisgrani, & quis non videt judicio electorum, id muneris eo loco ad Colonienſem pertinuiſſe: ſin enim aliter, minime neceſſaria erat ſolicitudo, quis vices ejus ibidem ſuppleret. Quod ſi archiepiſcopus Moguntinus ejus temporis, jus coronandi in ea urbe ſibi ullatenus arrogaſſet, ipſius ſane erat illud prodere, & huic cautelæ interloqui.

91. Neque res ea nova. Nam jam anno 1130. quando cardinalis Theododoinus Conradum tertium coronavit, *Otto Friſing.* & alii cauſam eandem adferunt, quod archiepiſcopus Colonienſis infulis careret. Eandem adducunt *Buxtorff. Limn. lib. 2. c. 4. Arthus. Gold.* & alii. In coronatione Maximiliani ſecundi, & Rudolphi per Danielem Moguntinum peracta, nempe quod Colonienſes ſacerdotio inſtructi non eſſent. Et *Buxtorff.* quidem publica propoſita *Theſi 48.* id jus Moguntino propugnat, ut impedito Colonienſi ipſius ſit coronare. Quod autem inſpergit Advocatus indecorum videri, ſi Colonienſis, obtento jure coronandi, Moguntinum in proprio diſtrictu præcedat, id gratis ſit, neque enim nobis hic de præcedentia quæſtio eſt, habet illa ſuum locum. Sub finem per aliquot paginas Advocatus recapitulat priores nænias, ſuamque ſæpe ſæpius auditam cantilenam, de coronaria ceſſione a Lupoldo Moguntino, tempore Henrici tertii, & rogatu ejuſdem, ſi diis placet, facta. Celebrem item illam quingentorum annorum conſuetudinem, ſecundum quam archiepiſcopi Moguntini, imperatores extra diœceſim Colonienſem coronaverint, quamque Carolus quartus in aurea bulla reſpexerit; ſed cujus conſuetudinis, nullus omnino per quinque ſæcula actus inveniri potuit. Item ſententiam Ludovici Bavari pro Moguntino latam, nempe ut prætenſum ſuum contra Trevirenſem archiepiſcopum jus tabulis adductis probaret, quod faciendum etiam nunc reſtat; pluraque ejusmodi lepida quidem & opportuna, ſed parum ſolida fæcundi ingenii commenta.

Quod ſi recapitulationibus lectorem detinere licet, repetemus & nos illuſtres, ſane archidiœceſis Colonienſis toto ſcripto inſperſos titulos; Caroli magni inſtitutionem, præſente Leone tertio pontifice factam, Innocentii tertii clariſſima & ſæpius repetita oracula, iiſque Urb. 4. & Clementis, conforme judicium; conſtitutionem Leonis noni, Eugenii tertii, Alexandri item tertii & aliorum pontificum. Friderici primi imperatoris imperiale reſponſum; Henrici quarti pro Colonienſi eccleſia vindicationem, juris canonici, & hiſtoricorum, ac juriſperitorum plurimorum adminiculantia cauſæ noſtræ ſuffragia. Tandem auream bullam Caroli quarti, in qua legem habemus, ſecundum quam judicari nos oportet.

Appendix ad vindicias.

Lemniſcum appendimus coronæ noſtræ, erit ornamentum, & ſimul ligamentum. Cauſam dant nobis Moguntini Advocati, qui non ceſſant repetitis ſcriptis actionem ſuam colorare, plus æquo hiſtoricis tribuentes, ex affectu, ſtudioque partium ponderatis; id cujuſmodi ſit, una, alteraque quæſtiuncula diſpiciendum erit.

Quæſtio I.

Quantum in controverſia coronaria tribuendum ſit hiſtoricis.

Hiſtorici teſtes ſunt temporum, nuncii vetuſtatis, imo veritatis, ſi tamen teſſeram veritatis ſecum adferant, id eſt, conſenſum in eo, de quo nobis teſtantur; nam qui in diverſa abeunt, quomodo fidem a nobis exigent, quam ipſi repugnantia ſcribendo, ſibi invicem non præſtant: accedit, quod pauci admodum res oculis a ſe uſurpatas, nec multo plures, auribus vicinioribus perceptas, poſteris tradunt, quando vetuſtas temporum, quæ olim geſta ſunt, longius a ſenſibus viventium removit. Hinc plerique ex libris chartiſque lectis, libros legendos conſarcinant; neque omnibus datur ſincera rerum monumenta, tabulasque authenticas inſpicere: ſed, nec deſunt ſtudia partium, quibus quanto magis animi ſcribentium imbuti ſunt, tanto corruptiorem veri guſtum habere ſolent. Sane in controverſia coronaria, adeo magna eſt hiſtoricorum diſcrepantia, ut vix ullibi pedem firmum figere liceat. Colonienſium quidem ſcriptorum conditio tanto melior videri poteſt, quod cauſam principis ſui, pontificum, imperatorumque diplomatis munitam habentes, de hiſtoricorum ſuppetiis, veluti incerto lubricoque præſidio, minus illis liceat eſſe ſolicitis. Moguntini ex adverſo, a majoribus auxiliis nudi, fidem hiſtoricorum, nec ſatis expenſam, nec ſi recte expendatur, ſatis ſibi ſecuram, magno tamen molimine nobis opponunt. Videntur autem tres potiſſimum, veluti characteres temporum obſervare, quibus totidem diverſorum regum coronationes ad fulciendam prætenſionem ſuam adducunt.

Et prima quidem nota temporis ponitur in coronatione Pipini; a S. Bonifacio, uti volunt facta. Hæc enim ſicut fuit tempore antiquiſſima, ita primatum in jure coronandi, Moguntinis

archiepiſcopis contuliſſe ab eorundem ſcriptoribus perhibetur. Nos rem in vindiciis non diſſimulatam, hic propius inſpiciamus. *Nicol. Serarius lib. 3. not. 38.* ſex numerat hiſtoricos, pro coronatione Pipini a S. Bonifacio facta; nempe annales Franc. Aimoinum: Marianum Scotum, Regin. Sigebert. Lamb. Schaffnab. Quatuor vero pro negativa ſententia, qui Pipinum a Stephano pontifice coronatum volunt. Anaſtaſ. Biblioth. Paul Diacon. Egiſwald. & ipſum Ludovicum pium Pipini nepotem. His ſi addatur *Theganus auctor*, Moguntinis ſæpe laudatus, & *Theophanes* a Baronio citatus, erit par negantium & affirmantium, ſicut numerus, ita & fides; niſi quod auctoritas Ludovici pii imperatoris, de gloria avi ſui a Stephano coronati teſtantis, omnibus præeminere debeat. Cum autem ſcripturæ ſibi contrariæ, in judicio productæ fidem non faciant *c. 13.* de fide inſtrumentorum, profecto nec hiſtorici ſibi contrarii quippiam probare cenſebuntur. Nunc ſi quidem Advocati Moguntini Carolum quartum imperatorem, eo loco, quo de prærogativa coronandi agit, volunt ad morem priorum temporum, fidemque hiſtoricorum reſpexiſſe, dicant ipſi nobis, ad utram, negantemne an affirmantem ſententiam ſe reflexerit; quidquid dixerint, tam facile erit nobis, primum eorum fundamentum evertere, quam pronum fuit illis ponere; cum hiſtorici numero ſint pares, negantes auctoritate majores. Omitto coronationem Ludovici pii ab Hildeboldo Aquisgrani factam, pro qua nos decem in vindiciis teſtes adduximus, ipſi, qui id diſerte negent, ne unicum.

Altera ergo nota temporis, eſt in celebri coronatione Ottonis primi; is enim ritum coronandi, per centum fere annos poſt Lotharium, ex diviſo, diſcerptoque imperio, aliquantulum turbatum, loco, ordinique ſuo reſtituit; quatuor fere ſunt antiquiores ſcriptores, qui ea de re teſtari poſſunt: *Wittikindus, & Dithmarus, Ottonis imp. Synchroni, Otto Blaſius, ſeu de S. Blaſio, & Gobelinus Perſona.* Wittikindus aſſerit, certamen fuiſſe inter Colonienſem & Trevirenſem de coronatione, quodque ambo honorem illum tandem ceſſerint, Almitati, id eſt, dignitati, & virtuti Hildeberti Moguntini, non juri diœceſis, cujus ibi nulla eſt mentio. 2. Quod Moguntinus prævias & ſubſecutas cæremonias peregerit. 3. Quando ad ipſum actum coronationis perventum eſt, claris verbis aſſerit idem Wittikindus Ottonem ab utroque Moguntino & Colonienſi diademate regali cinctum, & oleo ſacro perfuſum eſſe. Ubi vides Wigfridum Colonienſem, ſic voluiſſe honoratum, & admiſſum Hildebertum Moguntinum in hoc actu, ut neutiquam pateretur ſe excluſum. Addit Dithmarus coëvus Ottonem coronatum a Moguntino, cum licentia Colonienſis, explicat hoc *Gobel. Perſona.* illam licentiam ſeu poteſtatem, pro ea ſola vice conceſſam; quartus Otto Blaſius adjungit Colonienſem & Trevirenſem præ ipſo Moguntino videri in illa coronatione privilegiatos fuiſſe. Ita antiquiſſimi & probatiſſimi hactenus omnium judicio ſcriptores, rem illam geſtam poſteris tradiderunt. Ex qua narratione quid tandem exſculpent pro ſe Moguntini, cum cuncta aliena ab eorum commentis eſſe, omnibus manifeſtum fiat. Aut, quo tandem exiſtimant Carolum quartum in A. B. reſpexiſſe; dum dignitatem coronandi Colonienſi archiepiſcopo, præ Moguntino competere pronunciavit.

Tertia nota temporis eſt, in coronatione Henrici quarti circa annum 1054. de qua ſcribit ſequentia *Lamb. Aſchaffnab. Monachus Hersfeld. imperatoris filius Henricus 4. eſt in regem Aquisgrani ab Hermanno Colonienſi archiepiſcopo conſecratus, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Lupoldi archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis, & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat; ſed imperator potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat propter claritatem generis ejus, & quia intra diœceſim ejus hæc conſecratio celebranda contigiſſet.* Ita ille. Ex his porro verbis, Moguntinus Advocatus, uti in vindiciis viſum, inſignem fabulam comminiſcitur, nempe factam in illa coronatione ceſſionem, tranſactionem, diviſionem juris coronandi, inter utrumque archiepiſcopum, ea lege, ut Moguntinus Lupoldus Colonienſi Hermanno ceſſerit jus coronandi in diœceſi Colonienſi, ſibi vero reſervaverit in toto reliquo imperio: cujus figmenti nemo hiſtoricorum per ſexcentos & amplius annos, unquam meminit, neque ullum aliud documentum illius ullibi reperitur, prout in vindiciis viſum: ſed neque ipſe *Lamb. Aſchaff.* id aſſerit. Profecto in re tanti momenti non ſufficit ſpecioſe fingere; neque cum iis tractant Moguntini Advocati, qui ſibi, dum jus principis ſui optima fide tuentur, patiantur os oblini, & figmenta obtrudi; probent Moguntini ceſſionem illam & tranſactionem authentice, poteritque tota cauſa deciſa videri: docent quidem complures hiſtorici, juriſconſulti, & politici, poſt hanc coronationem Henrici quarti, prærogativam coronandi archiepiſcopo Colonienſi quiete & incommutabiliter permanſiſſe; verum de altero membro ſummum ſilentium. Nemo enim omnium aſſerit, archiepiſc. Moguntino vi transactionis aliquando factæ, jus coronandi, imperii quacumque parte, unquam decretum fuiſſe. *Lamb. Aſchaffnab.* fuit ſubditus & cliens archiepiſcopi Lupoldi, quid mirum ſi de primatu ejusquippiam favore hiſtorico inſpergat, cujus nullus alius ex antiquis, neque *Herm. contract.* neque *Marian. Scot.* neque *Sigebertus* eorundem temporum, & coronationis ſcriptores meminerunt, qui actum illum totum archiepiſcopo Colonienſi, ſine ulla mentione Moguntini attribuunt. De primatu porro vide vindicias. Sed & ipſe Lamb. mox ſe corrigit, dum aſſerit, jus coronandi ab imperatore Henrico 3. poſthabita quacumque prætenſione primatus Moguntini, Hermanno Colonienſi vindicatum eſſe; ubi nota tres quatuorve inſignes titulos juris Colonienſis. Primus eſt, auctoritas imperatoris, id jus Colonienſi vindicantis & adjudicantis. 2. eſt privilegium, cujus hiſtoricus & imperator meminit, quodque a Leone 3. primitus collatum, deinde a Leone nono ante biennium ejus temporis roboratum & confirmatum fuit, quæ bulla etiam nunc in manibus verſatur. Tertius titulus

claritas

claritas generis. 4. Occaſio diœceſis, quæ duæ poſteriores cauſæ erant potius partiales impulſivæ & populares, quam adæquatæ, motivæ & finales. Uti in claritate generis patet. Porro de diœceſi prudenter imperator meminit, quia illa ſola, iſto loco & tempore poterat ſufficere, res enim Aquisgrani gerebatur, alio loco, aliam daturus fuiſſet. Dicant nobis iterum Advocati Moguntini, quo tandem Carolus 4. in lege aureæ bullæ reſpexiſſe putetur, an ad *Lamb.* hiſtoricum Mogunt. archiepiſcopo blandientem, an ad Henricum 3. imperatorem archiepiſcopo Colonienſi privilegium ſuum vindicantem.

Quæſtio II.

Qua fide nitatur privilegium urbis Aquisgranenſis, de regibus Romanorum ibidem coronandis.

Eorum, quæ antiquitus geſta ſunt, notitia, triplici fere via ad poſteros perfertur; hiſtoria, inſtrumentis & documentis publicis, traditione denique & populi ſenſu, ipſoque tacito temporum uſu: quam traditionem ſolam ſufficientem eſſe, ad probandum antiquum privilegium docent cum *Suarez. lib. 7. de legibus c. 8.* plerique theologi & jurisconſulti. Cum autem Moguntini ſcriptores novis, repetitisque ſcriptis, regalem coronationis ſedem, in urbe Aquenſi a Carolo magno poſitam oppugnare, evertereque non erubeſcant, viſum eſt, eam quæſtionem hic exactius diſcutere. Pro hac ergo regali ſede, ſplendidiſſimo totius nationis Germanicæ, & potiſſimum archidiœceſis Colonienſis ornamento, poſſunt in rem præſentem adduci, antiquiſſimi & celeberrimi ſcriptores. Imprimis *Witikindus initio lib. 2.* accurate & curioſe deſcribit, qua ſolemnitate, primo quidem principes, Ottonem magnum ad regalem illam ſedem & ſolium in eccleſia Aquisgranenſi poſitum deduxerint, moreque ſuo regem fecerint. Deinde quomodo idem Otto, a Moguntino & Colonienſi oleo ſacro perfuſus, & diademate cinctus, ad idem ſolium inter duas marmoreas columnas in Baſilica Aquenſi conſtructum per cochleas ductus ſit, unde ipſe imperator populum ſpectare, ab eoque ſpectari potuerit. Idem confirmat Wippo in coronatione Conradi, fuiſſe nempe Aquisgrani regalem thronum, a Carolo olim ibidem collocatum; ad quem Conradus licet jam coronatus, proclamandus tamen & publicandus acceſſerit. Idem aſſerunt illo antiquiores Alcuinus, Nithardus nepos Caroli, & plures recentiores; *Sigonius lib. 7.* Aventinus, Onuphrius, Munſterus &c. diciturque illa ſedes, etiam nunc hodie eo loco monſtrari. Accedunt inſuper teſtes, quibus contradicere, inſanum ſit, & impium, ipſi principes electores, quorum eſt coronationis celebritatem peragere, qui ſcribentes ad Innocentium tertium dicunt, Ottonem quartum a ſe electum & Aquisgrani in ſede a Carolo magno iſti dignitati deputata collocatum eſſe. Ita apud *Reinal.* Continuatorem *Baron.* in Otton. 4. Abunde ergo fides hiſtoricorum nobis hic patrocinatur. Neque a ſolio regali duntaxat privilegium locale urbis Aquisgranenſis illuſtratur, ſed & ab ipſo diademate magni Caroli olim in eadem urbe aſſervari conſueto ad coronationes peragendas. Ita teſtatur oculatus teſtis, qui deſcripſit pompam coronati Maximiliani I. habeturque inter ſcriptores germanicarum rerum, apud me tomo quinto, ubi bis aſſerit, imperatorem coronatum eſſe corona D. Caroli magni Aquisgrani aſſervata. Idem aſſerit alter teſtis oculatus in coronatione Caroli V. Hieron. Balbus epiſcopus Curcenſis *lib.* quem ſcripſit de coronatione; nempe certiſſimum ſe teſtem eſſe Carolum V. ea corona inſignitum, qua Carolus magnus primum uſus eſt. Quid tandem omnia illa regalia inſignia, & veluti ſacræ D. Caroli exuviæ Aquisgrani relictæ, niſi illam eſſe præ omnibus aliis, urbem coronariam nobis denunciant? inventus eſt tamen non nemo ex ſcriptoribus, qui mera fingendi lubidine ſcribere auſus eſt, Ottonem magnum Aquisgrani coronandum ſuam eo coronam propriam attuliſſe; eam nempe, quæ non ſub incude, ſed in vertiginoſo cerebro iſtius ſcriptoris fabricata ſit. Sane neque Otto magnus eo uſque, neque parens ejus Henricus auceps unquam corona uſus legitur.

Quod ſi ab hiſtoricis, ad regum & imperatorum diplomata tranſire lubet, quibus nihil unquam ad fidem faciendam ſanctius habitum fuit, offerunt Aquisgranenſes, inprimis Caroli magni originale privilegiarum diploma olim Friderico 1. ann. 1166. ſexto Idus Ianuar. Aquisgrani exhibitum, ab ipſo, poſtquam omnia, uti loquitur, diligenter examinata ſunt, agnitum & coram pluribus teſtibus, ipſoque archicancellario Moguntino probatum, ſigilli ſui imperialis charactere, bulliſque aureis munitum, ac novo diplomati ad fidem poſteris ſtabiliendam inſertum. Idem fecit Fridericus 2. ann. 1246. Idem reliqui fere imperatores cum tanto tot ſæculorum & populorum applauſu. Nos ergo in poſſeſſione fidei tot ſæculis imperturbata conſiſtimus, Moguntinos in rem præſentem vocamus, adferant, opponantque literas literis, documenta documentis, vel unicum, quo iſtius privilegii fides ab an. 1166. uſque ad an. 1653. in dubium fuerit vocata. Nam quod neſcio quis ab heri & nudius tertius vix notus ſannio, repetito quidem ſcripto in cunctos imperii ordines contumelioſus omnem hanc imperatorum & principum auctoritatem ſanctamque tot ſæculorum fidem fabulas falſiſſimas appellat, Friderico 1. obtruſas, eum non noſtro, ſed alio calami genere fiſcalique virga caſtigandum remittimus, cum nihil fortius quam ſuam inſolentiam & ignorantiam probet. Enim vero, inquiunt Moguntini ſcriptores, cum plures hiſtoricorum totius illius celeberrimi actus in quo & Baſilica Aquenſis a Leone 3. conſecrata, & privilegium Aquenſibus collatum dicitur, ne meminerunt quidem: Quid de privilegio ex hiſtoricis dici poſſit, ſatis ſuperque paulo ante ex Witik. & aliis patuit. De conſecratione eccleſiæ ſi libri taceant, lapides loquentur. Nam in ſaxis ipſis verſus ſequentes inſculpti adhuc hodie leguntur:

Ecce Leo papa, cujus benedictio ſancta
Templum ſacravit, quod Carolus ædificavit.

Lubeat autem ſcriptoribus Moguntinis inſpicere regulas dialecticorum apud *Petrum Fonſecam, lib. 7. c. 35.* quomodo argumentum ab auctoritate negativa validum ducatur. Ubi dicit, nihil concludi tali modo, Ariſtoteles non dixit hoc eſſe, ergo hoc non eſt: verum ita inferendum, Ariſtoteles dixit, hoc non eſſe, ergo non eſt; quia ſicut non entis nullæ ſunt qualitates, ita non, & nihil teſtantis, nullæ ſunt probationes. Nunquid ideo Conſtantinus magnus non eſt baptizatus a Sylveſtro Romano pontifice, aut imperium Romanum non eſt translatum a Græcis ad Francos, quod multi hiſtorici hoc non dicant?

Secundum etiam telum, quo nos Moguntini petunt, æque plumbeum eſt. Carolus, inquiunt, magnus regnum & imperium ſuum diviſit in tria regna, totidemque filios, quorum nepotes vix coronati leguntur Aquisgrani: Ergo Carolus privilegium coronandi non conceſſit illi urbi. Quaſi vero nos Carolum prophetam faceremus, qui diphtheram Jovis & conſilium Deorum inſpexerit, inde viciſſitudines temporum, caſuſque poſterorum ſuorum docendus. Nunquid eodem modo arguam, vix ullus ex Nepotibus Caroli, imperii Romani titulum exercuit in natione Germanica, ſed potius in Italia, ergo imperium non fuit translatum ad Germanos. Eodem modo, Clodovæus primus, regnum ſuum diviſit in quatuor regna & totidem filios, ergo non inſtituit Remis in regno Pariſienſi coronationis ritum: ſed nec Carolus, dum vixit, ſui moris negligens fuit; nunquid enim filium ſuum Ludovicum, jam bis in Gallia coronatum inde ſub finem vitæ evocavit Aquisgranum, ibidemque ab Hildeboldo unctum & conſecratum, corona a ſeipſo impoſita imperatorem promulgari voluit: quod ſi poſtea inter nepotes Caroli, imperio turbato, belliſque mutuis divulſo, ritus coronandi intermiſſus aliquantulum fuit; idem ab Ottone magno, ut primum licuit, loco ordinique priſtino reſtitutus eſt. Quid enim Ottonem reliquoſque principes commovit, ut ex Saxonia tot urbibus neglectis, ipſaque Moguntia, Aquisgranum acceſſerint, quos etiam Moguntinus ſubſecutus eſt, niſi privilegii ſæpe dicti memoria & religio.

Ex eadem pharetra futile & ſomnio ſimillimum illud eſt, ideo Ottonem reliquoſque imperatores futuros acceſſiſſe Aquisgranum, quod Carolus ibidem ſepultus eſſet. Nugæ ſunt, non ſepulchrum Caroli, ſed coronam quærebat Otto. Audiant, quid alterum Carolum magnum, id eſt, Quintum, ad idem iter, neglecto ſuo principumque periculo, permoverit. Teſtatur enim Hermannus Maurus in ea conſultatione, quæ tum habita fuit, præſens, uti in vindiciis Caroli V. reſponſum fuiſſe, conſtanter ſe decreviſſe antiqui moris reſpectum habere, nec alibi, niſi in antiqua Carolorum ſede, regni diadema aſſumere. Sed nec Aquenſis civitas ſepulchrum Caroli, verum ſuum vetuſtum privilegium ibidem allegavit. Quin imo ipſe archiepiſcopus Colonienſis Fridericus ab eodem Carolo ea occaſione peti curavit, ut ſui & eximiæ prærogativæ ſuæ, de non immutando, aut innovando, in coronatione futura haberetur ratio, additque Maurus ſe Aquisgrani cum aliis principum conſiliariis interfuiſſe, quando antiqua monimenta in eam rem adducta ſunt. Et ecce quid tandem ad hæc irrefragabilia teſtimonia Moguntinorum quorundam ſcriptorum offuciæ & affaniæ! contra quas & quorumcunque cavillos ſtat ære perennius, Aquisgranenſium privilegium, ſplendidiſſimum totius nationis Germanicæ, in eaque firmati regalis ſolii æternum documentum.

Firmato itaque regali in Baſilica Aquenſi a Carolo exſtructa ſolio, localique privilegio, ad quem tandem inter omnes archiepiſcopos Germaniæ, ejuſdem privilegii uſus pertinere cenſebitur, niſi ad illum, cujus eccleſiam illam eſſe voluit Carolus, idque non jure diœceſano, ſed ejuſdem inſtitutione, prout in vindiciis obſervatum. Neque ſane opus erat, hoc in privilegio locali exprimi, uti ibidem viſum, atque ex aliorum regnorum uſu patet: nam poſtquam & omine cœleſti, & Clodovæi primi voluntate Remorum in regno Pariſienſi urbs conſtituta eſt ſedes regalis coronationis, apud *Hincmarum* & alios, nemo unquam a S. Remigio exegit, aliiſque conſecutis epiſcopis, ut jus ſuum coronandi, aliquo novo privilegio probarent, licet coronationes ſubinde, incidente aliqua cauſa, in aliis urbibus fieri contingeret, uti avorum memoria in Henrico 4. id quodque in urbe Toletana, ejuſdemque epiſcopis obſervatum quoque fuit. Nam ſi jus diœceſanum hic immiſcere velimus, Carolus non Aquisgrani, ſed vel Ingelheimii, vel Caroloburgi, regalem coronationis ſedem locare debebat; & quotieſcunque deinceps imperatores electi ſunt, vel ex Saxonica, vel Bavarica, vel Auſtriaca familia ſuas ſingulos diœceſes ſequi oportuiſſet, quod hactenus nemo ſomniavit. Prærogativa igitur coronandi & ejuſmodi ſumma regalia non ex jure diœceſano, ſed ſacro ſanctis pontificum cæſarumque oraculis petenda ſunt, prout hæc, de qua agimus Hildeboldo, primum collata apud ſubſequentes archiepiſcopos inviolabiliter permanſit. Iſque fuit indubitatus ſenſus ſequentium pontificum & imperatorum, inter alios, Leonis noni an. 1052. quando dignitatem coronandi, non novam contulerunt, ſed veluti antiquitus debitam archiepiſcopis Colonienſibus vindicarunt & confirmarunt. Idemque clariſſime expreſſit Innocentius tertius dicens ſolummodo ad archiepiſc. Colonienſem, de jure & ex officio pertinere jus coronandi, idque ex antiqua illius eccleſiæ dignitate, non ex diœceſi nata, ſed a Carolo M. & Leone tertio collata. Unde & illud haud obſcure elucet, quare Colonienſes archiepiſcopi non admodum laboraverint, ritum coronandi in aliis extra diœceſim urbibus peragere; volebant nempe, & debebant, utrique privilegio locali, & perſonali conſulere; eratque circa controverſiam honoratius, in utroque domeſticam gloriam conſervare, quam altero neglecto, diviſum dignitatis ſplendorem in alienum ſolum transferre, quod tamen urgente cauſa, pro conditione rerum & temporum fieri poſſe & debere, hucuſque arbitramur ſatis demonſtratum eſſe.

Iterata-

Iteratarum vindiciarum juris coronandi pro archidiœceſi Colonienſi examen. Quo ad Colonienſium Advocatorum argumenta in anteceſſum breviter reſpondetur.

Hermannus Conringius benevolo lectori, S. P. D.

Quo tempore rogatus, *ſententiam ego Helmſtadii dixi, de jure Moguntino, eodem plane conſiliarius quidam Moguntinus, vir ampliſſimus, & quem peritia rerum veterum non patitur latere, eandem cauſſam egit doctiſſimo libro, cui titulum fecit:* De jure coronandi pro electore Moguntino diſſertatio, *& quem Moguntiæ itidem anno quinquageſimo quinto ſed ἀνωνύμως curavit publicari. Illi libro autem cum patronus Colonienſium partium itidem ἀνωνύμως Bonnæ anno ſequente oppoſuiſſet* iteratas, *quas appellavit,* vindicias juris coronandi reges Romanorum pro archidiœceſi Colonienſi, *&* iteratam *illis* diſſertationem *ſtatim reponeret quidem Moguntiæ diſſertationis prioris auctor, nonnihil lentius autem videretur illa prodire, quam res credebatur poſtulare, denuo ego multis flagitationibus compulſus ſum, hic etiam contra vindicias illas iteratas calamum ſtringere. Atque ita ſecunda vice in iſto negotio a me hic libellus conſcriptus, & Moguntinorum cura primum variis in locis, prout expedire viſum, interpolatus, inde illico Francofurti eſt editus, nomine tamen meo diſſimulato. Etiam illum autem libellum prodito nomine nunc ipſemet, multorum rogatu, liberatum a mendis edo: quod nihil amplius ſit cauſſæ, cur plerorumque auctor lateam, interſit tamen veritatis, ut hoc examen iteratarum vindiciarum juſta attentione nunc quoque expendatur. Sancte vero iterum teſtor, quod nolim compoſitum bene negocium refodi, aut male cupiam vindiciarum ſcriptori: quamvis illius convitia & contumeliæ in adverſarios, atque adeo & in me, immerito ſparſæ æquo animo vix ferenda videantur. Et vero illi ego, quisquis ſit, felicia quæque comprecor. Mihi autem, Benevole lector, uti pergas favere, ignoſcas quoque, ſi quid per incuriam durius exciderit, etiam te atque etiam rogo. In Academia Julia, VII. Kal. Febr. Anno MDCLXIV.*

Examen vindiciarum iteratarum.

I.

In *iteratis vindiciis juris coronandi reges Romanorum, quas pro archidiœceſi Colonienſi* nuper Advocatus quidam Bonnæ publicavit, plurima occurrunt, quæ merito acrem animadverſionem mereantur. Quorum alia toti libello quaſi ſunt communia, alia ſeorſim pertinent, vel ad defenſionem illorum argumentorum: quibus primus ſcriptor Colonienſis ſuo archiepiſcopo illimitatum coronandi jus conatus eſt adſtruere, vel ad oppugnationem nonnullorum, quæ obiter *diſſertationi pro jure Moguntino* erant inſperſa. Inter communia illa merito numeraveris hæc ſequentia.

II. Primum: *Quod ſtatum controverſiæ aut theſin ſibi probandam auctor nuſquam plene proponat.* Cum tamen diſputandi lex & ipſa ſeria veritatis inquiſitio jubeat initio ſtatim oculis lectorum talia exhibere. Et vero hinc factum arbitror, quare ipſum ſeſe vindex deceperit, pro argumentis venditans, quorum nullum eſt idoneum theſi convincendæ. Deceperit, inquam, ſeſe. Nec enim dixerim, factum id a ſciente volenteque. Certe lector verbis quidem paſcitur, at judicare controverſiam non niſi difficulter poteſt, ſtatu controverſiæ diſſimulato: quem tamen judicem conſtituit cauſæ patronus, & proinde ipſe quoque Vindex.

III. Alterum: *Quod confuſe admodum, atque ὕστερον πρότερον omnia proponantur:* ceu nemini non liquet, qui vel fugiente oculo librum inſpexerit. Impedit vero & hoc judicem, quo minus queat veritatem perſpicere; contra quam propoſitum vindicibus eſſe jure oportet. Confuſa utique tractatio non ferenda eſt in bono diſputatore.

IV. Tertium: *Quod nullo laceſſitus verbulo diſſertatorem, & qui alii jus Moguntinum aſſeruerunt. Vindex ille convitiis & contumeliis paſſim afficiat.* Officit equidem eo ipſo ille cauſæ Colonienſi quam maxime, (merito enim æquus ac bonus quiſque ſuſpicetur, convitia illa pro telo eſſe in argumentorum defectu, ceu ſolent eſſe malis cauſis) ac proinde, niſi Moguntini ſibi prope conſcii & firmis ſatis rationibus forent inſtructi, haberent forte, quod de convitiis illis ſuæ cauſæ gratularentur. Turbant tamen convitia ejusmodi omnem ſeriam veritatis inquiſitionem, & fœde coinquinant: adeoque neutiquam illa prudens quis in vindiciis laudaverit.

V. Quartum: *Quod in ipſo libri titulo venditetur, cauſam agi archidiœceſeos Colonienſis:* cum tamen ſola ſedes Agrippinenſis controverſum illud coronandi jus ſibi tribuat. Cum archidiœceſi Colonienſi & Moguntinæ ſedi utique nihil eſt controverſiæ. Non ſperaverim vindicem voluiſſe hoc ipſo animos omnium diœceſanorum contra ſedem Moguntinam concitare, atque in partem litis attrahere complures, ad quos illa nihil pertinet. Si voluit, peccavit ſane graviter. Certe debuiſſet ab eo abſtinere, quod idoneum eſt movendis turbis: ſaltem fuiſſet ſatius. Nec vero, etſi vox Germanica *Ertzſtiffe* & ſedem & diœceſin notet, latine ſcribenti itidem fas eſt ludere ἀμφιβόλως, & quidem ubi quam maxime perſpicue res debuit proponi.

VI. Quintum eſt: *Quod licet ipſi Colonienſes Advocati hactenus ſemper hiſtoriarum teſtimonio in defenſionem cauſæ ſuæ ſint uſi, eodemque utatur, ubi poteſt ipſemet vindex, hic tamen jam paſſim autoritatem & fidem hiſtorici teſtimonii conetur ſuſpectam reddere, imo penitus convellere, idque potiſſimum duplici prætextu: Altero, quod in cauſa coronaria* (verba ejus refero) *adeo magna ſit hiſtoricorum diſcrepantia,* ut

ut vix ullibi pedem firmum figere liceat: Altero, quod hiſtorici inter ſeſe diſſidentes fidem non mereantur. Hoc vero arguit inſignem *primo* Colonienſium advocatorum inconſtantiam. Indicat *ſecundo*, illos vel tum, quando provocarunt hactenus in hac cauſa ad teſtimonium hiſtoricum, dediſſe verba lectoribus, atque adeo ipſi ſacræ cæſareæ majeſtati: vel nunc, temere teſtimonii illius vim defugere. *Tertio*, etiam merito movet omnibus ſuſpicionem, quaſi ea ſit ratio cauſæ Colonienſis, ut ſalva autoritate teſtimonii hiſtorici ipſa defendi nequeat, & quidem advocatos ipſos id jam agnoſcere, imo tantum non aperte fateri. Eſt porro alieniſſimum a vero, in controverſia Coronaria omnes hiſtorias adeo eſſe diſſenſionum plenas: ceu paulo poſt apparebit ſole clarius. Perperam etiam ſine diſcrimine fides derogatur hiſtorico omni, propterea quod aliquis ſit, qui ab eo diſſentiat. Perinde enim, ut circa alios teſtes in foro fieri ſolet, attendendum maxime in judicanda cujuslibet hiſtorici fide ad id, utrum ſciverit ea, quæ geſta ſunt, & utrum, prout geſta quæque ſunt, voluerit referre. Etſi igitur diſſenſus aliquis ſit inter hiſtoricos, illius tamen, de cujus & ſcientia & probitate conſtat, teſtimonium admittere oportet, ſpreto altero, cui vel ſcientia defuit, vel probitas. Hoc ſane obſervatur & in foro circa teſtes ubivis terrarum, & in dijudicandis hiſtoriis apud omnes doctos & prudentes.

VII. Sextum denique eſto: *quod vindex neutiquam omnia vindicet, quæ a diſſertatore Moguntino erant notata in ſcripto Colonienſe: non ſemel adſcribat diſſertatori aliena: nunquam vero non diverſa miſceat; & a ratiocinationibus perſpicuis apertisque quaſi ſtudio abſtineat.*

IIX. In hæc omnia & alia complura poſſet quidem a nobis prolixe ac merito animadverti: nec enim eorum quicquam eſt tolerabile; nunc tamen hæc non niſi indicaſſe contenti, potius inquiremus in ea, quibus auctor voluit videri vindicaſſe Colonienſia quinque argumenta, aut, ut ipſe appellat, quinque theſes: num ſcilicet illa vindicaverit vindex, quod jactitat, an vero operam luſerit, quod poſterius nos evidenter evicturos pollicemur. Veſtigia viri preſſe ſequi non licet, ad vitandam obſcuritatem: quam confuſa & intricata ſcriptione poſſit videri ultro affectaſſe. Agemus hodie nos duntaxat ea, quæ propius faciunt ad ipſam cauſam, quæ inter eminentiſſimos electores Moguntinum & Colonienſem controvertitur, reliquis omnibus ſepoſitis.

IX. Quoniam vero jam ante conqueſti ſumus, a vindice ſtatum controverſiæ non eſſe ſatis explicate propoſitum, nullum quoque allatum eſſe argumentum, quod directe theſin probandam inferat, id non ſine cauſa ac citra injuriam, nos conquæſtos eſſe, uti omnibus, etiam vindicibus, fiat manifeſtum, eoque clariſſimæ luci exponatur imbecillitas prætenſi Colonienſium juris; *primum* adferemus illam theſin, quæ argumentis Colonienſibus debuit probari, *deinde* ordine ſingula luſtrabimus argumenta, & quidem in formam ſyllogiſticam redacta. Etſi enim poſſit hoc videri σχολαστικώτερον, attamen cum hac ratione omnium rectiſſime veritati conſulatur, & quæ ſpeciem veri mentiuntur, retegantur, ne amplius a vindice aliisque fucus cuiquam fiat, ceu factum hactenus; non defugiemus operam iſtam, confiſi eam haud improbatum iri iis, quibus ſeria veri cura eſt, quive non tam ſermonis ornatum quærunt, quam veritatem & pacem, cujus illa parens eſt ac cuſtos.

X. Igitur cum ſacra ſedes Moguntina ſibi a temporibus Henrici IV. non niſi extra diœceſin Colonienſem jus coronandi competere contendat, intra autem illam diœceſin ordinarium coronandi munus uni Colonienſi archiepiſcopo ultro largiatur: Ex adverſo Colonienſis in omnibus imperii Transalbinis locis ſibi unice arroget omnem coronandi facultatem; manifeſtum eſt, argumenta, quæ oſtendunt duntaxat, coronandi aliquod jus Aquisgrani, aut aliis in locis intra diœceſin ſitis, competere Colonienſi, minime facere ad hoc negotium: utpote quæ probent id, quod controverſum non eſt: ſola vero illa ad rem pertinere, quæ demonſtrant, ubivis terrarum, per omne imperium Transalpinum, Colonienſi jus illud convenire.
Hæc ſcilicet eſt theſis, quæ Colonienſibus probanda venit:

Sedi Colonienſi jus competit coronandi extra ſuam diœceſin.

Ac proinde in omni idoneo ſyllogiſmo hæc theſis debet concluſionis locum obtinere. Quem num jure poſſit obtinere in ullo vindicis argumento, lectorum judicio permiſſum eſt. Nos, niſi vehementer fallimur, clariſſime probabimus obtinere non poſſe.

I.

I. P*rimum* juris illius, quod prætendunt Colonienſes, argumentum ſumi ſolet, & a vindice quoque accipitur, a conſtitutione Caroli magni:

Syllogiſmus hic fuerit:

Quidquid juris ſedi Colonienſi contulit Carolus magnus, id jus illi ſedi competit.
At Carolus magnus contulit ſedi Colonienſi jus coronandi extra ſuam diœceſin.
Ergo ſedi Colonienſi jus competit coronandi extra ſuam diœceſin.

II. Cæterum argumenti hujus major pariter & minor a vero aliena eſt. *Majorem* enim quod attinet, certum apud omnes eſt, non teneri hodie imperium omnibus inſtitutis Caroli magni, ſed iis duntaxat, quæ ſecuta poſteritas uſu approbavit, ac hodieque habet rata. Non negabit, ſpero, hoc ipſum vindex ipſe. Utique ipſemet contendit, a Carolo eſſe quod legitur in tabulis Aquisgranenſibus, *ut in ſede* (quæ in templo Aquiſgranenſi eſt collocata) *Reges ſucceſſores & heredes regni initiarentur, & ſic initiati jure debinc imperatoriam majeſtatem Romæ ſine ulla contradictione plenius aſſequerentur:* & tamen etiam alibi poſſe reges hodie initiari, paſſim aſſeverat. Hæc cum ſint in vulgus notiſſima, non debuiſſet vindex in argumentum juris ejus, quod nunc competit Coloni-

Colonienſi, nude ita provocare ad Caroli magni conſtitutionem. Nec enim, ſi qua fuerit, hodiernum illa j[illegible] probare idonea eſt, niſi ſubſecuta fuerit ejus inſtituti obſervatio.

Major itaque illa propoſitio non niſi cum hac additione admitti poteſt:

Quidquid juris ſedi Colonienſi Carolus magnus contulit, & ſecuta ætas huc uſque approbavit, id jus ſedi Colonienſi competit.

Hæc quoque additio merito debet in minore repeti. Ut tamen ſimus liberales, luſtrabimus nunc minorem, tantum qualis eſt propoſita, diſſimulato altero illo, quamvis magno vitio.

III. Ac vindex quidem n. 9. hanc in medium affert, quam quæſtionem primam appellat: *Utrum exiſtat aliquod privilegium locale a Carolo magno urbi Aquiſgranenſi præ omnibus aliis urbibus collatum, de regibus Romanorum in illa coronandis?* & mox integris ſex paginis diſputat pro fide Aquiſgranenſium tabularum, quæ creduntur a Carolo magno editæ. Verum omnis illa quæſtio, omnisque illa diſputatio, ut ut illi vindex denuo ſeptem paginas impenderit in appendice ſua, ad hanc controverſiam nulla ratione pertinet. Quod jam tum non ſemel monuerat diſſertator n. 5. & aſſertor juris Moguntini. Nec enim collectio hæc quidquam habet veriſimilitudinis.

Carolus magnus inſtituit, ut coronatio fiat Aquiſgrani:

Ergo Carolus magnus contulit Colonienſi ſedi jus coronandi extra diœceſin ſuam.

Igitur hactenus quidem vindex rectius & operæ & chartæ pepercisset: quippe qui prolixis illis diſputationibus lectorem potius avocet ab eo, ad quod attendendum erat, quam ut illum inſtruat ad controverſiam hanc melius arbitrandam. Nos potius illa omnia ſeponemus; in nullo quidem diſcrimine nunc collocantes, ſive laudaverit quis illam vindicis tabularum Aquiſgranenſium defenſionem, ſive non laudaverit. Alibi tamen liquido oſtendemus, omnem operam ab illo luſam.

IV. Proponit vero vindex n. 18. *ſecundam quæſtionem hanc: Utrum prærogativa coronandi regis Romanorum ab ipſo conditore imperii Carolo magno fuerit unquam archiepiſcopo Colonienſi collata?* Cæterum & hæc quæſtio nihil ad rem noſtram facit, niſi prærogativam intelligas, extra diœceſin per univerſum imperium ſeſe extendentem: de hac enim controverſia eſt, non vero ſimpliciter de omni omnino coronandi prærogativa. Eſto ſane, dederit Carolus archiepiſcopis Colonienſibus jus coronandi. Non exigimus ejus nunc quidem probationem. Petimus probari, Carolum dediſſe Colonienſibus jus coronandi extra diœceſin. Jam vero conatur quidem vindex oſtendere, datum jus coronandi Colonienſibus; jus autem datum, quod ſe exporrigat ultra limites diœceſeos, id vero ne nititur quidem oſtendere. Certe ſi de tali illimitato jure cupiit intelligi quæſtionem ſuam, debuiſſet illam diſtinctius & proponere & ſolvere. Obſcura ſane illa tractatione lectori fucum facit. Quod non eſt hominis veritatis ſtudioſi, multo minus ejus, qui ſe juſtitiæ vindicem profitetur.

V. Dixeris, de illimitato ejusmodi jure vindici ſermonem eſſe: atque adeo illum opinatum, probato eo, quod jus coronandi datum ſit Colonienſi, ſimul probari, jus nullis finibus coarctatum eſſe datum. Et vero n. 20. inſultans diſſertatori ſcribit: conceſſo, quod Carolus magnus dederit archiepiſcopis Colonienſibus jus coronandi, *gravi incommodo* urgeri diſſertatorem. *Erit enim*, inquit, *ei arduum, honorem & munus coronationis ab ipſo conditore imperii ſpecialiter Colonienſibus attributum, intra terminos unius diœceſeos coarctare.*

VI. Verum enimvero id ſi credidit, graviſſime erravit. Apud omnes enim ſanæ mentis homines conſtat, non omne donum eſſe illimitatum; illum potius, qui munus aliquod vel officium confert, non temere cenſendum velle illud munus ubivis exerceri. Cur de Carolo ſequius ſuſpicaretur diſſertator, nihil cauſæ fuit. Imo vero, ſi admittere debuit, a Carolo eſſe inſtitutum, ut tantum Aquiſgrani fiat coronatio regia, quod volunt advocati Colonienſes: &, ſi porro debuit credere, quod iidem volunt, munus coronandi eſſe archiepiſcopis Colonienſibus commiſſum; non profecto diſſertatori *arduum* fuit, ſed maxime fuit proclive creditu, imo non ille potuit aliud exiſtimare, quam illud commiſſum Colonienſibus privilegium *unius diœceſeos terminis* ab ipſomet Carolo *eſſe coarctatum.*

VII. Sed quid opus eſt verbis? cum ipſemet vindex fateatur, privilegium illud, quod jactat, Carolinum, uno Aquiſgrano ab ipſomet Carolo coarctatum eſſe. Verba ejus diſerta ſunt. n. 34. *Cum ex primæva Caroli magni inſtitutione, præſente Leone III. facta, ſola Baſilica & urbs Aquenſis regali hac coronationis prærogativa gauderet, ejusque loci magna eſſet & inviolata fere apud veteres religio, viſum eſt poſtea quibusdam pontificibus & imperatoribus indulgere archiepiſcopis Colonienſibus, ut id ipſum in tota diœceſi facere poſſent.* Item n. 43. *Leo nonus privilegium illud Caroli magni, iſti Aquiſgranenſi ſedi affixum, ad totam diœceſin extendit.*

IIX. Hæc confeſſio, quam invito adverſario extorſit vis veritatis, ſatis eſt nobis impræſentiarum. Ut proinde jam tum omnibus pateat, falſam eſſe propoſiti ſyllogiſmi minorem illam propoſitionem: *Carolus magnus contulit ſedi Colonienſi jus coronandi extra ſuam diœceſin:* omnemque adeo illum primum ſyllogiſmum ineptum eſſe theſi Colonienſi probandæ. Id quod nobis erat demonſtrandum.

IX. Attende vero mecum, lector optime, num vel illud probaverit vindex, quod etſi probaſſet, nihilo tamen firmatior eſſet theſis; nempe a *Carolo magno collatum eſſe archiepiſcopis Colonienſibus munus Aquisgrani coronandi reges.* Quis ſanæ mentis tale quid auſit aſſerere, niſi inſtructus teſtimonio ſaltim in ſpeciem compoſito? Num tabulam itaque cæſaris illius quandam vel fictitiam producit vindex? Nullam. Num teſtimonium aliquod ex hiſtoria veteri petitum? Nullum. Num teſtimonium hiſtoricorum aliorumque recentiorum aliquod? Nullum. Et ſane vix aliquem

ized by Google

quem ex recentiſſimo ævo producere poterit, qui aſſerat. Inter vetuſtiores certum eſt reperire neminem.

X. Audi vero, ſodes, loco hiſtorici teſtimonii, quo unice ſolent & poſſunt hominum facta & res geſtæ innoteſcere poſteritati, ingenioſam ſcilicet vindicis probationem. Verba ejus ſunt n. 21. *Ita omnino ſentiendum dicendumque eſt, a Caroli magni inſtitutione, Hildeboldo archiepiſcopo primum facta, ab eoque ad ſucceſſores deinceps delata, munus coronandi reges Romanorum, archidiœceſi Colonienſi, & archiepiſcopis illius provenire.* Quamobrem vero? *Id tota*, inquit, *rei geſtæ ſeries, id Caroli magni novum imperium molientis regalis & gubernativa prudentia, Hildeboldi omnibus ea ætate præcellens virtus & dignitas, id imperii in natione Germanica ſtabiliendi ratio & ſecuritas requirebat.*

XI. Hæc eſt illa probatio vindicis, quam in re tanta non erubuit adferre unicam. Debemus ſcilicet impoſterum res geſtas diſcere non ex hiſtoriis, ſed ex eo, quod quis vindici ſimilis pro ſua prudentia judicat, vel ſomniat, fieri debuiſſe. At vero, o bone vindex, an imperium novum non potuit Carolus prudenter moliri, niſi ſolis archiepiſcopis Colonienſibus commiſſo in futurum coronandi reges jure? An propterea, quod Hildeboldus fuerit vir præſtans, omnibus in futurum archiepiſcopis Colonienſibus debuit committi coronatio? An non potuit ſtabiliri in Germanica natione imperium, ejusque ſecuritas, niſi ſ·li archiepiſcopi Colonienſes coronent reges? Qua ratione hæc veriſimilia, ne dicam certa, nobis, vindex, feceris? Non ſane ea ſunt, quæ inter *ἀδιάφορα* mereantur referri, aut quæ citra probationem elicere aſſenſum idonea ſint. Nec ille es, vindex, cui quidvis aſſerenti debeamus adſentiri.

XII. Quæ porro eſt illa *rei geſtæ ſeries*, ad quam *totam*, vindex, provocas? Omnia profecto priſca monumenta *rem geſtam*, unde tale quid diſcamus, nullam omnino memorant. Sed bene ſcilicet eſt. Volente vindice.

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Carolus, orditur vindex n. 21. *devicta pacataque ut plurimum Germania*, &c. Lege, quæſo, lector, inſignem hiſtoriam, prolixe quidem ſatis recitatam, proditam vero non niſi unico vindice teſte & auctore, idque poſt octingentos demum quinquaginta amplius annos a reipſa, quam narrat, geſta.

Credat Judæus Apella,
Non ego, non prudens quisquam ſanique cerebri.

Paulus Æmilius (quem aliqua in re teſtem laudat Vindex, ſed itidem contra ipſius mentem) refert eodem tempore, quo, ſi vindici credimus, Carolus voluit *dignitatem imperialem aliquo indiſſolubili vinculo & quaſi trabali clavo nationi Germanicæ affigere*, *illo, inquam, tempore opes ſuas tres in partes dividere ſtatuiſſe, ac Pipino imperii nomen Italiamque, ac circumjectas interni maris inſulas, Ludovico Galliam Germaniamque deſtinaſſe.* Triennio poſt tres in partes a Carolo, totidem inter filios, imperii Francici univerſi regiones diviſas eſſe, memorant conſtanter annales priſci, ut & a Pipino ſolo Italiam gubernatam eſſe. Sed & ſuperant hodieque teſtamenti illius Carolini tum conditi reliquiæ: quæ adverſa fronte pugnant cum illo conſilio, quod Carolo tribuit vindex. Aliquod annis poſt, cum unicus tantum ſupereſſet filius Ludovicus, agitaſſe quid animo Carolum de uno magno imperio firmando, refert quidem & P. Æmilius, ſed nihil hoc juvat illam vindicis hiſtoriam de rebus anno 804. Aquisgrani geſtis, & ipſe Æmilius narrat, *totam illam rem a Carolo mox omiſſam.*

XIII. Attende porro ſodes, lector, & quidem diligenter, qua ratione vel juxta ipſius vindicis commentitiam fabulam pervenerit Caroli nutu ad Hildeboldum, ejusque ſucceſſores Colonienſes archiepiſcopos, coronandi illud jus. Non videlicet id factum ulla diſerta *lege;* ſed ut ipſe vindex loquitur n. 21. *tacita quidem, ſed per omnes eccleſias receptiſſima lege.* Quænam autem illa? Jam dixerat vindex, Hildeboldo id jus ceſſiſſe, *UT Baſilicæ & ſedis regiæ Aquisgranenſis archiantiſtiti.* Statim poſt legem illam interpretatur eam, *qua dignitas eccleſiis conceſſa ſimultaneo plane jure ad Antiſtites eorum pertinet,* idque pluribus ibi perſequitur. At vero hoc jus eſt ipſiſſimum jus diœceſeos. Igitur etſi alibi ringatur vindex & ſtomachetur, quod diſſertator a jure diœceſis jus Colonienſe coronandi derivet, hic tamen idem illud diſſerte affirmat. Ac proinde ſi vindicem ipſum audimus, prima origo Colonienſis juris iſtius non niſi a jure tacito diœceſis orta eſt. Quod nimirum Baſilica & ſedes regia Aquisgranenſis ſit in diœceſi archiepiſcopi Colonienſis, hinc tacite, eo ipſo quod Carolus magnus inſtituit, ut coronatio regia fiat Aquisgrani, contuliſſe eum archiepiſcopis Colonienſibus coronandi munus.

XIV. At ſi hoc verum eſt, ſequitur *primo:* a Carolo magno non eſſe inſtitutum, ut coronatio omnis regia, ſi quæ forte non fiat Aquisgrani, aut extra diœceſin Colonienſem, peragatur a Colonienſe. Sequitur *ſecundo:* ex Carolina ſententia, quæ extra illam diœceſin fiunt coronationes, non a Colonienſi, ſed ab archiepiſcopo illius loci, ubi fit coronatio, confici oportere. Sequitur *tertio:* ſibimetipſi adverſari vindicem, dum modo urget privilegium Carolinum pro illimitata coronandi facultate, modo autem fatetur a Carolo aſtrictam coronationem ad ſolum Aquisgranum, & ſic (non niſi tamen *tacite*) ad Antiſtites illius loci. Sequitur *quarto:* ſiquidem vindex loquatur de jure iſto illimitato, ceu par erat, inanem eſſe ſtrepitum & ipſimet ſibi adverſum, quem movet ſua jactantia n. 22. *de imperiali luce coruſcante ortu Colonienſis juris.* & n. 23. *de munere coronandi oſſibus archiepiſcoporum Colonienſium ab incunabulis adhærente.* & n. 24. de Hildeboldi virtutibus, quarum reſpectu Carolus coronandi jus ipſi detulerit. Sequitur *quinto:* erroris & quidem

ſpontanei

ſpontanei perperam notari diſſertatorem ſcribentem, Colonienſes in ſuam rem nihil adferre aliud, quam jus diœceſanum. Sequitur *poſtremo:* in illo primo argumento vindicis nihil eſſe, quod cauſam Colonienſem in hac controverſia juvet, ſed ipſiusmet vindicis confeſſione minorem ejus propoſitionem a vero alienam eſſe.

XV. Hæc omnia ſequuntur ex illis, quæ ipſemet vindex diſputat aſſeritque n. 21. & ſequente. Et tamen ne id quidem verum eſt, quod aſſertionum illius ibi eſt fundamentum: nempe a Carolo magno eſſe inſtitutum, ut omnis regia coronatio Aquisgrani peragatur. Tabulas enim Aquisgranenſes, quibus nititur, commentitias eſſe, luculente alias oſtendetur, ubi opus fuerit. Verum etiam non eſt; Coronandi jus ſemper pertinere ad eccleſiæ illius, ubi fit coronatio, archiantiſtitem. Quod itidem cauſæ ſuæ, quam defendendam ſuſcepit, non ſatis memor, vindex inter receptiſſimas per omnes eccleſias leges audet numerare. Certe ſi verum eſt, jam triumphat Moguntinus merito, ſaltem de Colonienſe: utpote cum hic jus coronandi ſibi arroget in eccleſiis, ubi nulla ipſi eſt functio archiepiſcopalis. Sed de primo argumento plus ſatis pro inſtituto.

II.

I. A*lterum* cauſæ ſuæ argumentum mutuantur & ſcriptor pariter & vindex Colonienſis a bullis ſummorum pontificum, & reſcriptis imperatorum, quibus coronandi jus Colonienſi ſedi plene ſit aſſertum.

Syllogiſmus hunc in modum confici debet:

Quod jus Colonienſi ſedi bullis pontificum & imperatorum reſcriptis eſt aſſertum, illud Colonienſi ſedi merito nunc competit.

Atqui jus coronandi extra diœceſin Colonienſem bullis pontificum & imperatorum reſcriptis eſt aſſertum Colonienſi ſedi.

Ergo jus coronandi extra diœceſin Colonienſem ſedi Colonienſi merito nunc competit.

II. Ut perſpicue pateat omnibus collectionis hujus imbecillitas, ante omnia advertendum venit, occurrere hic multa vocabula valde ambiguæ ſignificationis, atque illa æquivocatione fieri, ut illæ propoſitiones & veræ & falſæ poſſint apparere. Utrum conſulto a Vindice & ſodalibus id factum ſit, an per incuriam, an per inſcitiam, judicent alii, noſtra nihil refert. Non tolerabile id eſſe in ſeria veritatis inquiſitione, notum eſt intelligentibus. Tentabimus nos *primum* explicare ambiguas illas & dubias ſignificationes vocum: *Deinde* reſpondebimus ad utrumque propoſitionem ſyllogiſmi, diſtincte atque ſuo ordine.

III. Igitur vox, *aſſertum*, poteſt accipi vel de aſſertione, quæ fit narrando, vel de ea, quæ fit conferendo aut confirmando aut probando: quarum illam narrativam, hanc roborativam aſſertionem non incommode dixeris. Utraque fieri poteſt vel verbis diſertis & claris, vel ambiguis & obſcuris, vel denique & tacitis. Quarum iſtam itidem diſertam, illam obſcuram, hanc tacitam recte appellaveris. *Pontificum* item & *imperatorum* nomine poſſunt intelligi, vel omnes, vel plerique, vel multi, vel pauci, vel unus denique & alter. Plurimum refert, quis horum ordo aliquid aſſeruerit.

IV. Quod *majorem* igitur attinet, ſi is ejus ſenſus eſt:

Quod jus Colonienſi ſedi bullis ſummorum pontificum omnium, & reſcriptis imperatorum omnium eſt aſſertum roborative & diſerte, &c.

Aut ſi hic ſenſus fuerit:

Quod jus Colonienſi ſedi bullis pontificum omnium, & reſcriptis imperatorum omnium eſt aſſertum narrative & diſerte.

Aut ſi hic ſit ſenſus:

Quod jus Colonienſi ſedi a pontificibus & imperatoribus omnibus, ſive roborative, ſive narrative, partim diſertis verbis, partim tacite eſt aſſertum.

Hoc inquam triplici ſenſu major illa propoſitio eſt certiſſima, & omni vacans dubio.

V. Si vero ſenſus fuerit:

Quod jus Colonienſi ſedi bullis pontificum plerorumque & reſcriptis plerorumque imperatorum eſt roborative verbis diſertis aſſertum, &c.

Aut hic:

Quod jus a pontificibus & imperatoribus pleriſque Colonienſi ſedi eſt roborative & ſive diſerte ſive tacite aſſertum, &c.

Ita intellecta major veriſimilis quidem admodum eſt, non omnino certa tamen; utpote cum interdum paucorum, imo unius jura aliqua tollentium ea ſit auctoritas, ut illa numero ingenti roborantium prævaleat; ceu ſolet in republica lex poſterior aliqua ſæpenumero vincere plurimas oppoſitas priores.

VI. Similiter ſi major accipiatur de plerorumque imperatorum & pontificum aſſertione narrativa, itidem non niſi eſt veriſimilis. Interdum enim paucorum narratio plus meretur fidei, quam plurium: ſi nempe pauci illi potuerint rem habere exactius cognitam. Ubi obiter monendum; narrari aliquid poſſe, non tantum loquendo, ſed etiam tacendo interdum: nempe, quando is, cui propoſitum eſt rem maxime memorabilem narrare, plene omnia tenens, ſilentio tamen eam prætereat. Quod ne forte vindici, qui accuratiori doctrinæ videtur non multum aſſuetus, habeatur inſolens aut incredibile, poterit illud diſcere ſaltim ex Johannis Staleni *papiſſa monſtroſa*, libello Coloniæ 1639. & probato & edito: in quo ex ipſo etiam ſilentio hiſtorico auctor

Digitized by Google

auctor recte convincit falſi popularem, paſſimque multis temere creditam de Joanna papiſſa fabulam.

VII. Eſt porro dubia major, ſi de paucis duntaxat imperatoribus & pontificibus, idque ſive de roborativa ſive de narrativa aſſertione, ſermo ſit. Nec enim in univerſum pauci multis, nec multi paucis præferendi ſunt. Alia igitur in Majore fuerint addenda, unde poſſit conſtare, quorum debeat prævalere auctoritas.

VIII. Denique fieri quidem vix poteſt, ut omnes aliquid obſcure afferant. At ſi pauci id fecerint; ſive roborative, ſive narrative, major propoſitio incerta eſt. Imo falſa eſt, ſi paucis obſcure aſſerentibus plures perſpicue obloquantur, etiamſi id tacendo fiat.

IX. Quæ circa majorem, eædem circa minorem diſtinctiones ſunt obſervandæ, ut ejus veritas falſitasque omnibus rite conſtet.

X. Reſpondemus ergo ad minorem, ſi fuerit accipienda de omnium pontificum & imperatorum aſſertione, ſive roborativa, ſive narrativa, diſerta item, aut ex parte tacita, nihil illa eſſe falſius. Falſam item eſſe, ſi de plerorumque aut multorum pontificum, cæſarumque aſſertione ſive narrativa, ſive roborativa, diſerta vel tacita, ſermo ſit. Unum hoc duntaxat eſſe verum: & paucos pontifices & obſcure id narrando & roborando aſſerere poſſe videri. Videbimus primum pontificum, deinceps cæſarum aſſertiones.

XI. Non dubitamus vero pronunciare: *nullam omnino uſquam reperiri pontificiam bullam, quæ diſerte afferat ſedi Colonienſi, ſive roborative, ſive narrative jus coronandi extra diœceſin.* Tantum abeſt, ut vel omnes vel plerique vel multi pontifices, diſerte quidem, Colonienſi ſedi jus coronandi extra diœceſin aſſeruerint. Argumento eſt, quia talis alicujus bullæ nullum veſtigium in omnibus priſcis monumentis comparet; nec a Colonienſibus hyperaſpiſtis nulla talis bulla, etiam ex arcano Colonienſi tabulario, ullo labore potuerit vel poſſit depromi.

XII. Jactare quidem illi non erubuerunt ſummorum pontificum bullas ſui archivi; at cum illis in lucem expromptis potuiſſent pene rem ſuam conficere, nullam tamen prompſerunt. Diſſertatorem non ſemel ſuis hoc nomine inſultaſſe agnoſcit vindex n. 34. *At* (reſpondet) *quid? ſi plures adferamus, credetne? Profecto eo ingenio ſe eſſe prodit, ut vix evangelio pro noſtra cauſa loquenti ſine ſtomacho crediturus videatur.* Imo vero ſaltim unam attuliſſes, o vindex, crederet jam diſſertator, & cum illo crederent plurimi cauſæ veſtræ; qui nunc credunt, inani & vana jactantia te & tui ſimiles orbi omni tuoque ſereniſſimo principi fucum facere & imponere. Pergis tamen. *Inſpiciat, ſi lubet bullam Leonis noni &c. Item, addat bullam Eugenii tertii Adriani papæ & Alexandri tertii.* Quid vero eſt in re ſeria nugari, ſi hoc non eſt, o vindex? *Lubet* omnino *inſpicere*, quas laudas bullas. At quid jubes inſpicere, quod lucem non vidit, imo quod ne lucem adſpiciat, omni ope ſtudioque a vobis cavetur? Deprome, ſi habes, illas jactatas bullas & inſpiciemus.

XIII. Cæterum illas quidem bullas prætenſioni Colonienſi nihil auxiliari, vel hinc certo licet conjicere, quod alioquin ſaltim ille glorioſus vindex laceſſitus & provocatus a diſſertatore, diſerta quædam bullarum illarum verba in patrocinium cauſæ ſuæ attuliſſet.

XIV. Imo illas potius officere iſti cauſæ, non injuria quis ſuſpicetur ex eo, quod ſimul ac Bullarum illarum meminiſſet vindex, illico quæſtionem moveat; *Cur ſubinde apud auctores legatur: archiepiſcopo Colonienſi collatum privilegium intra diœceſin ſuam coronandi reges?* Nec enim videtur ad hanc quæſtionem fuiſſe ſtatim devolaturus, niſi in bullis illis data fuiſſet quæſtioni huic occaſio. Augetur ſuſpicio ex verbis: n. 34. *Viſum eſt poſtea quibusdam PONTIFICIBUS & imperatoribus indulgere archiepiſcopis Colonienſibus, ut id ipſum* (coronationem nimirum) *in tota diœceſi facere poſſent.* Item n. 35. *Rupertus extenſivum privilegium* (de coronandi ſcilicet licentia extra Aquisgranum, intra tamen diœceſin) *Colonienſi archiepiſcopo Friderico conceſſit, quod etiam in QUORUNDAM PONTIFICUM BULLIS notare licet.*

XV. Confirmatur & certa quaſi redditur illa ſuſpicio ex eo, quod etſi maxime a ſcriptore Germanici libelli & a vindice jactitetur pro cauſa Colonienſi bulla Leonis IX. papæ; tamen vindex hæc verba proferat de bulla illa: n. 34. *In qua privilegium coronationis Hermanno archiepiſcopo corroborat. Ibique nota, quæ initio bullæ dicuntur, nempe leonem confirmare Hermanno archiepiſcopo petenti ea privilegia, quæ ab anteceſſoribus pontificibus quidem Colonienſi eccleſiæ collata erant; inter quos anteceſſores neceſſario cenſendus eſt Leo tertius, quando Hildeboldum, &c.* Si confirmavit autem duntaxat Leo IX. privilegia, & jus coronandi, quale illud Leo tertius dedit Hildeboldo, profecto Aquisgrano incluſit facultatem illam, utpote cum ipſo vindice teſte, ita limitatam illam Hildeboldus acceperit. n. 43. De eadem bulla: *Leo nonus privilegium illud iſti ſedi Aquisgranenſi affixum ad totam diœceſin extendit.* Fecerit illud Leo nec ne, multum dubito. Nec enim cum artifice hiſtoriarum ex nihilo condendarum, qualem eſſe vindicem jam obſervavimus, in tenebris tuto mices. Fecerit vero & fecerint illud reliqui pontifices: cum nemo tamen illorum extra diœceſin Colonienſem archiepiſcopis Agrippinenſibus quidquam indulſerit, ſed omnia illa intra limites diœceſanos coarctaverint, manifeſtum eſt id, quod diximus, omnes bullas ſummorum pontificum, quas uſque adeo laudare non eſt verecundatus vindex, pro Moguntino potius facere quam Colonienſe; & hanc eſſe cauſſam, quare laudentur quidem bullæ illæ, ſimul tamen premantur & lucem aſpicere prohibeantur.

XVI. Ad illam, quæ hodie verſatur inter archiepiſcopos Moguntinum & Colonienſem, controverſiam parum facit ſcire, quando Colonienſis acceperit jus coronandi; hic tamen non poſſumus non notare Colonienſes Advocatos circa rem hanc differentes. In libello Germanico ita

illi

illi ſcripſerant: *Anreichend die* bullas pontificum, *ſind unterſchiedliche in dem Ertzſtifft-Cœllniſchen* archivo *erfindlich, daraus erhellet, daß berührte ſchon von Anfang des teutſchen Kayſerthums dem Ertz-Biſchoffen zu Cœlln zugehœrig geweſen*, item de Lupoldo Moguntino, contendente de coronatione Aquisgrani inſtituenda cum Hermanno Colonienſe anno 1034. *So hat er doch weichen, und den Ertzbiſchoff zu Cœlln, in ſeiner, krafft Pabſtlicher Bullen und Kayſerl.* diplomatum, *langſthin erlangten* titulirten poſſeſſion, interpoſita etiam auctoritate pontificis Leonis IX. *verbleiben laſſen müſſen.* Diſſertator ad hæc *jactari* quidem tales bullas, ſed nullas produci conqueſtus: *Cur non producuntur*, inquiebat, *veteres illæ pontificum bullæ? Sane tantum operæ facile merebatur nobilis controverſia.* Hanc diſſertatoris *inſultantis* ſibi *exprobationem*, ut ipſe interpretatur, conatus eſt ulciſci vindex n. 34. Num ergo attulit tandem illas bullas pontificias complures, quibus Lupoldus Moguntinus adactus ſit cedere Hermanno Colonienſi, quæque a prima imperii origine attribuerint archiepiſcopis Colonienſibus jus coronationis, ſaltem illius, quæ fiat Aquisgrani in diœceſi Colonienſi? Utique hoc merebatur oſtentatio illa. Hoc uno inſultans diſſertator poterat repelli. Vindex vero ne unam quidem bullam potuit reperire, quæ huc faciat, vetuſtiorem Leone IX. Inter omnes ſane jactatas bullas primam hanc inſpicere jubet.

XVII. Quis jam non videt vanam fuiſſe & inanem etiam illam de antiquiſſimis bullis ſummorum pontificum in archivo Colonienſi deliteſcentibus gloriationem? Atque adeo ne quidem hoc poſſe Colonienſes per bullas pontificum Henrico III. cæſare antiquiores oſtendere, quod archiepiſcopo Colonienſi potius quam Moguntino competat jus Aquisgrani reges conſecrandi; ſole jam eſt clarius. Tantum abeſt illos ex bullis ejusmodi poſſe oſtendere, fas eſſe Colonienſi extra diœceſin coronationem inſtituere; quod nunc ſuo principi Advocati iſti attribuunt. Per bullas Leonis IX. Eugenii III. Adriani IV. Alexandri III. tale quid Colonienſi ſedi datum aut confirmatum, non jam negaverimus. Certo tamen non debemus aſſeverare, antequam productæ illæ bullæ fuerint: quia non licet tuto vindici aliquid narranti credere.

XVIII. Cæterum redeamus ad noſtram controverſiam, quæ ab illa, inter Lupoldum Moguntinum & Hermannum Colonienſem olim agitata, plane eſt diverſa. Probavimus jam tum: nullam omnino reperiri pontificiam bullam, quæ aſſerat ſedi Colonienſi diſertis verbis jus coronandi extra diœceſin ſuam: multo minus omnes vel pleroſque ſummos pontifices aſſeruiſſe diſerte, ſive roborative, ſive narrative, tale aliquod prætenſum jus. Videamus nunc, num vel plerique vel multi vel pauci id aſſeruerint, ſaltim obſcure.

XIX. Aſſeruntur quidem ab auctore libelli Germanici, & repetuntur a vindice verba quædam Innocentii III. Urbani IV. Clementis IV. & Georgii X. in probationem. Et vero poſſint videri in eum ſenſum eſſe accipienda. Dubitamus autem nos, vel illum eſſe verborum ſenſum, vel ſi fuerit ille ſenſus, ſatis illa verba eſſe prætenſo Colonienſium juri contra Moguntinum aſſerendo. Probabimus autem utrumque ordine.

XX. Initio igitur certum eſt, illis verbis non diſerte & explicate affirmari id, quod volunt Colonienſes; ſed per conſequentiam inde deduci oportere, ſi affirmatum eſt. Certum quoque eſt, uſitatiſſimum eſſe, ut propoſitio aliqua videatur ſimpliciter & citra omnem exceptionem aliquid enunciare, & tamen non niſi ad materiam certam, qua de proprie ſermo eſt, reſtringendam eſſe, & reſtringi ſolere, ut mentem enunciantis adſequamur.

XXI. Nihil igitur præter morem aut aliquid inſolens fuerit, ſi verba quædam ſummorum pontificum, quæ cui videre poſſint illimitata eſſe, ex ipſorum mente reſtringantur ad aliquid certum. Imo id faciendum ſemper eſſe, ſi jubeant circumſtantiæ, lex eſt interpretatoriæ artis. Agnoſcit id ipſemet vindex n. 31. ſcribens: *Communis ſenſus eſt juriſperitorum, leges & maxime reſponſa principum ita intelligenda & interpretanda, ut nullum ex iis abſurdum conſectaneum appareat.* Itaque etſi illa verba Innocentii III. ad Adolphum Colonienſem: *Cum tu ſolummodo reges & imperatores coronare debeas ex antiqua Colonienſis eccleſiæ dignitate*: videantur loqui de coronatione omni regum; attamen reſtringenda eſſe ad ſolos reges, qui nunc appellantur Romanorum, atque adeo non κατὰ τὸ ῥητὸν rigide omnia illa accipienda eſſe, non poterit non nobiſcum vindex fateri.

XXII. Cæterum in univerſum omnia & Innocentii & aliorum pontificum, reſtringenda ulterius eſſe ad ſolam coronationem illam, quæ ex more recepto ordinario tum temporis Aquisgrani erat inſtituenda, non autem loqui de coronandi actu, qui contra morem tum uſitatum conſenſu electorum principumque, quorum intereſt, exigente imperii commodo, extra Aquisgranum, aut extra diœceſin Colonienſem forte perfici debeat, non uno licet indicio ex ipſis verbis & facti circumſtantiis accipere.

XXIII. Innocentius videlicet cum illa ſcriberet, erat facta coronatio Philippi regis Moguntiæ, non a Moguntino, ſed a Tarentaſienſi archiepiſcopo, homine extraneo, re omni geſta per factionem iniquam, in contemptum Colonienſis eccleſiæ, & ejus qui tum vivebat archiepiſcopi Adolphi. Dabimus teſtem ipſum Innocentium, & quidem ipſa illa verba ad Adolphum, quæ a ſcriptore libelli Germanici adducuntur: *Qui Philippus in Colonienſis eccleſiæ ac tuæ perſonæ contemptum, ad quam ſpecialiter inter reliquos principes electio regis ſpectat, per intruſionis vitium, ſibi nomen regis uſurpavit, & in majus tui honoris diſpendium & perſonæ deſpectum, cum tu ſolummodo reges & imperatores coronare debeas ex antiqua Colonienſis eccleſiæ dignitate, per Tarentaſienſem epiſcopum ſibi imponi fecit regium diadema.* Idem Innocentius in epiſtola ad principes Germaniæ ab Oderico Rinaldo relata ad annum 1200. §. 23. ſcribit: *Philippus nec ab eo, qui potuit, nec ubi debuit, fuit coronatus:*

eum Tarentaſienſis archiepiſcopus, tanquam extraneus, & ad quem id minime pertinet, evocatus ei regni præſumpſerit imponere diadema. Idem Innocentius in epiſtola ad ducem Zaringiæ ſcripta anno 1205. quam Reinaldus recitat §. 23. integram, quæve ex parte legitur *cap. Venerabilem extr. de electione & electi poteſtate*, teſtatur, fautores ducis Philippi, abſentibus aliis & contemptis, ipſum eligere præſumpſiſſe: perperam vero proceſſiſſe, cum electioni plus contemtus unius quam contradictio multorum obſiſtat. Hanc coronationem ut vitio factam improbavit Innocentius. Toto autem cœlo hæc differt ab illa, quæ forte exigente uſu imperii aut conſentiente ipſo Colonienſe, extra Aquisgranum, a Moguntino archiepiſcopo fuerit peracta. Ac proinde de tali caſu non eſt locutus Innocentius, & cum ſumma injuria illa Innocentii verba ad id, quod hodie eſt in quæſtione, trahuntur.

XXIV. Porro loqui Innocentium de ſola Aquisgranenſi coronatione, manifeſtum ex eo eſt, quod, ſicut exigit coronationem, a Colonienſi fieri debuiſſe, ita ſimul exigat eam fieri debuiſſe Aquisgrani. Paulo ante audivimus ipſa illius verba ex epiſtola ad principes Germaniæ ann. 1200. miſſa. In epiſtola ad Zaringiæ ducem ita loquitur: *Dux Philippus nec ubi debuit*, (hoc eſt non Aquisgrani) *nec a quo debuit, coronam & unctionem accepit. Rex vero Otto & ubi debuit, videlicet Aquisgrani, & a quo debuit, ſcilicet a venerabili fratre noſtro Colonienſe archiepiſcopo, utrumque recepit.*

XXV. Illa ſane vindici adeo laudata verba: *Cum tu ſolummodo reges & imperatores coronare debeas*, de ſola Aquisgranenſi coronatione eſſe intelligenda, indicant ipſa mox ſubſequentia: *ex antiqua Colonienſis eccleſiæ dignitate.* Utique enim non aliam agnovit Innocentius antiquam Colonienſis eccleſiæ dignitatem, quam illam pontificibus proximis anteceſſoribus ſuis notam & probatam. Jam vero credimus quidem vindici, jactanti n. 34. de jure coronandi Colonienſi aliquid ſcriptum in bullis Eugenii tertii anno 1151. Adriani III. anno 1156. & Alexandri III. anno 1187. at vero jam ante non uno argumento oſtendimus, actum in bullis illis de coronatione Aquisgranenſi. Si productæ illæ bullæ in lucem fuerint, rem ſole ipſo fore clariorem, audemus pignore cum vindice contendere; imo in id vindicem illum, & ſi qui ſunt alii, ad producendas illas bullas publica voce provocamus.

XXVI. Denique Innocentium illa verba ſua ad ſolos ordinarios frequentiſſimos actus coronationis voluiſſe reſtrictos, liquet inde; quod ipſemet vix decennio poſt curaverit Fridericum II. cæſarem per Sigfridum Moguntinum Aquisgrani coronari, quod Theodericus Colonienſis tardior eſſet ad coronationem peragendam. Si profecto Innocentius exiſtimaſſet, ita *ſolummodo Colonienſem reges coronare debere*, ut ſimpliciter quovis loco & tempore illi uni ſit fas hoc agere, qui potuiſſet a Sigfrido Moguntino peractam coronationem, & quidem Aquisgrani peractam, non ratam tantum habere, verum etiam laudare?

XXVII. Neutiquam igitur id voluiſſe aſſertum Innocentium III. quod hodie Colonienſibus cauſidicis placet, nemini non jam eſt perſpicuum. Eo ipſo vero ſimul & de mente Clementis IV. nullum ſupereſt dubium; utpote cum Clemens IV. non niſi Innocentii III. verba ad Alfonſum Hiſpanum tranſmiſerit, de ſuo addiderit nihil. Quod recte contra libelli Germanici ſcriptorem, qui grandi *ἐνεργείᾳ* tanquam ad Adolphum Colonienſem a Clemente IV. aliquid exaratum laudaverat, notatum eſt a diſſertatore n. 14. & 15. Contra quem ut oſcitantiam ſuam purget vindex, ſcribit n. 31. *Verba, de quibus quæſtio eſt, origine ſunt Innocentii, uſu & approbatione ſunt Clementis & Urbani.* Ridicule. Quaſi is, qui Innocentii ad Adolphum verba repetit, recte dicatur ſcribere ad Adolphum. Sed ſimilia vindici plurima ſunt condonanda, & diſſimulanda, ne ab inſtituto ſerio negotio ſecedamus.

XXVIII. Ad Urbanum quoque IV. provocaverat libelli Germanici ſcriptor adducens hæc verba: quod ex officio ſpectet *inunctio, conſecratio & coronatio regis Romanorum ad archiepiſcopum Colonienſem*, tanquam ſint Urbani papæ ad Richardum Anglum. Sed recte itidem notaverat diſſertator, perperam adſcribi Urbano ipſi quæ papa ille diſerte tribuit legatis Richardi. Videtur notata hæc ſive oſcitantia ſive mala fides animum vindicis turbaſſe haut leviter. Nec vero niſi a perturbatione iſthac eſſe dixerit, quod Urbanum non minus quam Clementem Innocentii verba recitaſſe affirmet, quum tamen hic non Innocentii ſed legatorum Richardi verba recitaverit. Ex verſutia quadam legatorum illorum verba pro Innocentii papæ dictis a vindice eſſe denuo ſuppoſita, non lubet ſuſpicari. Potuiſſet autem & debuiſſet vindex, ſi per mentem turbatam licuiſſet, ex reliquis legatorum verbis, quæ recitantur a diſſertatore, diſcere, fruſtra & per injuriam ad noſtram controverſiam trahi illa modo allata, utpote cum legatis illis ſermo fuerit tantum de ea coronatione, quæ more ordinario eſt inſtituenda Aquisgrani. Diſerta verba illa ſunt: *Elector ſi coronationi conſenſerit, ante Aquisgranum per dies aliquot facta mora, infra annum & diem poſt celebratam electionem eandem, quando electus voluerit, per Colonienſem archiepiſcopum, ad quem id ex officio ſpectat, injungitur, conſecratur & etiam coronatur.*

XXIX. Laudaverat denique auctor ſcripti Germanici, inter aſſertores juris prætenſi Colonienſis, etiam papam Gregorium IX. idque non ſine ſtrepitu; quaſi ſcilicet ille ita ſtatuerit in concilio Lugdunenſi, præſentibus plusquam ſexcentis epiſcopis. At falſi illum convicit diſſertator n. 15. vindex non auſus eſt hoc ulcus tangere: eoque in vindiciis de Gregorio nono altum eſt ſilentium, non tantum n. 31. ſed etiam n. 43. inter jactatos titulos juris Colonienſis, & in epilogo n. 91. Ac proinde poſſumus nos impoſterum eſſe ſecuri, bona Advocatorum Colonienſium pace, de Gregorio illo pontifice. Non videtur autem poſſe ab illo ſecuram eſſe cauſſam

Colonienſem.

Digitized by Google

Colonienſem. Curavit enim quidem Gregorius IV. inſeri Innocentii III. bullam ad Bartholdum Zaringiæ ducem decretalibus ſuis, non tamen niſi expunctis illis: *Dux prædictus nec ubi debuit, nec a quo debuit, coronam & unctionem accepit &c.* Quam cauſam enim, vindex, expunctionis hujus attuleris, præterquam illam, quod verba iſta viſa ſint facile in [illegible]uiorem poſſe ſenſum trahi, veluti neceſſum ſit, ut omnis coronatio Aquisgranenſis fiat a Colonienſe: id quod non eſſe juri & æquo conſentaneum abunde conſtet, & recenti exemplo coronationis Friderici II. queat refelli?

XXX. Ex hiſce, quæ modo attulimus, perſpicuum eſt, verum eſſe, quod ante aſſeruimus, nullam omnino cujuſquam pontificis bullam reperiri, quæ diſertis verbis illimitatum coronandi munus Colonienſi ſedi aſſeruerit: ſolum Innocentium tertium poſſe videri tale quid obſcure aſſeruiſſe. Ac proinde omnem illam de ſedis apoſtolicæ bullis Colonienſium Advocatorum oſtentationem, in unius Innocentii tertii literas recidere. Sic *parturiunt montes & naſcitur exiguus mus.*

Liberavimus vero & illa obſcuriora Innocentii verba a ſiniſtra Advocatorum interpretatione, liquido oſtendentes, illa de ſola Aquisgranenſi coronatione agere, atque adeo ad noſtram hanc controverſiam non pertinere.

XXXI. Quid vero ſi concedamus, dixiſſe id Innocentium, quod deſiderant illi Advocati? Pernegamus eo aliquid detrahi cauſæ Moguntinæ. Utique enim *primo* literæ illæ ad Adolphum Colonienſem, unde Advocati depromſerunt id, quo maxime gloriantur, *cum tu ſolummodo reges & imperatores coronare debeas:* illæ, inquam, non niſi literæ privatæ ſunt, in tenebris hactenus deliteſcentes, nunquam forte lucem viſuræ, niſi illas Odorici Rinaldi induſtria pauciſſimos ab hinc annos protraxiſſet. Literæ ad Zaringiæ ducem, unde ſunt accepta illa: *Dux Philippus nec ubi debuit, nec a quo debuit:* majoris quidem ſunt pretii, ut decretalibus inſertæ; ſed cum illa verba, ad quæ provocatur, decretalibus ſint exempta, non pari cum reliquis ſunt dignitate, verum & ipſa non niſi privatarum literarum vim habent. Tales autem non eſſe idoneas, præſertim ſi obiter duntaxat aliquid memorent, aſſerendis controverſis principum juribus, notiſſimum apud omnes eſt. *Secundo* ipſemet Innocentius illuſtri actu coronationis Friderici II. probavit; *non ſolummodo Colonienſem coronare reges debere:* ac proinde ipſemet vim omnem illi ſuæ priori creditæ aſſertioni detraxit. *Tertio* verba illa Innocentii non niſi narrative de juribus uſitatis in Germanico imperio aliquid aſſerunt. In talibus vero facilem eſſe hominum lapſum, nec ab illa humana labe quenquam eſſe immunem, nemo eſt qui ignoret. Narratio igitur hæc ſummorum pontificum non ſufficit ad aſſerendum grande jus ſedi Colonienſi: ceu jam tum ſupra ad majorem propoſitionem obſervavimus. Non potuit certe illis verbis aliquid in præjudicium Moguntini definiri, cum hactenus illa, quæ nunc agitatur, controverſia non fuiſſet in lite, & Moguntino archiepiſcopo de illis literis pontificiis nihil potuerit innoteſcere ut peregre in Palæſtinam profecto. *Quarto* denique certum eſt, plurimos papas, qui Innocentium anteceſſerunt, Moguntinorum archiepiſcoporum coronationes probaſſe, imo a nemine illorum coronationes illas vocatas in dubium, multo minus irritas redditas. Fuerunt autem omnes omnino reges Germaniæ, poſt Ludovicum Germanicum pii cæſaris filium, a Moguntino coronati, uno excepto Henrico I. uſque ad annum 1054. Per ducentos ergo amplius annos omnes papæ in S. ſede apoſtolica probaverunt coronationes Moguntinas. Poſt annum 1052. Rudolphus & Hermannus itidem a Moguntinis ſunt coronati, applaudente Gregorio VII. Videtur ab eodem & Henricus V. coronatus nemine pontificum improbante. Jam tum audivimus Fridericum II. coronatum a Moguntino, curante ipſomet Innocentio III. Nec pontificum ſecutorum quiſquam, etſi offenſiore fuerint in Fridericum II. animo, in illum animadvertit, tanquam vitio coronatum. De Gregorii noni illo facto, quo ex *cap. venerabilem* rejicit illa, quibus hodie ſua volunt defendere Colonienſes, dixi jam ante. Nemo porro pontificum Ludovico IV. Bavaro objecit, quaſi non rite fuerit coronatus a Moguntino, & tamen inter pontifices, qui tum ſederunt, & cæſarem illum graviſſimæ contentiones interceſſere. Intra hoſce centum annos ſex coronationes & extra Aquisgranum & a Moguntino ſunt inſtitutæ, nemine pontificum in id, ceu vitio affine, animadvertente. Ut igitur forte ſenſerit Innocentius III. omnes coronationes legitimas ab uno Colonienſi poſſe inſtitui, etiam extra diœceſin; facile tamen apparet, unius illius ſententiam cedere auctoritati plurimorum ſummorum pontificum, diverſa probantium, præſertim illorum qui Innocentium ſecuti ſunt.

XXXII. Plane nihil igitur juvari Colonienſem cauſam a Bullis pontificiis, palam eſt. Vindex tamen ad canones quoque non dubitavit provocare: *Bullis pontificum*, inquit n. 37. *Romanorum merito ſubjungimus ſacros canones & eorum interpretes, fontibus nempe rivulos.* In margine notavit: *Canones favent Colonienſibus.* Hoc novum eſt, nec in ſcripto Germanico obſervatum; dignum ſcilicet vindice noſtro inventum. Producitne vero vindex ſaltim aliquem canonem? *imprimis*, inquit, *ipſa originalis bulla Innocentii tertii honorem inter canones meruit, cap. venerabilem in 6. de elect. & electi poteſtate.* Meruit ſane iſta bulla hunc honorem, ſed ex puncto illo, quo creditur defendi poſſe cauſſa Colonienſis. Tacite itaque damnant potius canones illam cauſam, quam juvant. Addit mox vindex *Commentatoris Innocentii IV.* verba. Inter titulos quoque juris Colonienſis n. 43. loco nono ſplendet *Innocentius IV. pontifex.* Sed iterum imponit rudibus lectoribus vindex. Nec enim commentatus eſt in decretales jam papa, ſed apparatum ſuum edidit, cum eſſet in minoribus, hoc eſt, cum non eſſet Innocentius papa, ſed Siniboldus Eliſcus Genuenſis juris canonici doctor. Non papæ itaque verba ſunt, quæ adducit vindex, ſed unius canoniſtarum; quorum multi

jurium Germanicorum parum fuerunt periti. Certe inter pontifices non meretur jam hoc loco audiri Siniboldus.

XXXIII. Poſtquam igitur in ſummorum pontificum bullis & dictis nihil præſidii eſſe Colonienſibus, eſt oſtenſum, agite, pergamus ad imperatores, quorum *reſcripta* itidem pro cauſſa ſua non dubitaverunt laudare Libellus Germanicus pariter & vindiciæ iteratæ. Eſt autem illis Advocatis, uti ex ſuperioribus conſtat, hæc propoſitio probanda:

Jus coronandi extra diœceſin Colonienſem reſcriptis imperatorum eſt aſſertum Colonienſi ſedi.

XXXIV. Jactant paſſim quidem illi patroni Colonienſis cauſſæ imperatorum reſcripta, & quidem ita definite, ea pompa, ut vadimonio deſerto quis ſtatim pene illis fidem adhibeat. Ubi vero ad rem ventum, ex omni numero imperatorum, qui a Carolo magno uſque per annos octingentos quinquaginta amplius floruerunt, producuntur tandem quatuor duntaxat, juris ſcilicet Colonienſis aſſertores, Carolus magnus Fridericus primus, Henricus III. & Carolus IV. An vero hi, vel horum unus ſaltem, diſerte aſſerit id, quod in quæſtione eſt: *Jus coronandi etiam extra diœceſin Colonienſ.m competit ſedi Colonienſi?* Non ſive de narrativa, ſive de roborativa aſſertione ſermo ſit. An obſcure fortaſſis a quatuor illis cæſaribus hoc aſſertum eſt? Ne hoc quidem, niſi forte huc trahendus ſit Carolus IV.

XXXV. Verum enimvero de Caroli IV. ſententia ſeorſim agendum veniet ad argumentum IV. Carolum magnum nihil minus voluiſſe, quam illud Colonienſe jus commentitum aſſerere, jam ad argumentum I. a nobis eſt demonſtratum. Supereſt igitur ex iis quidem cæſaribus, quos laudat libelli Germanici ſcriptor, unus Fridericus I. cui addit vindex Henricum III. noviter inventum aſſertorem ſcilicet Colonienſis juris.

XXXVI. Friderici cæſaris teſtimonium in hiſce verbis, quæ narrante Radevico *l. 1. c. 16.* imperii Germanici principes Hadriano pontifici reſcripſerunt, creditur contineri: *Liberam imperii noſtri coronam divino tantum beneficio adſcribimus. Electionis primam vocem Moguntino, deinde quod ſupereſt, cætera ſecundum ordinem principibus recognoſcimus: Regalem unctionem Colonienſi: Supremam vero, quæ imperialis eſt, ſummo pontifici. Quidquid præter hæc eſt, ex abundantia eſt, ex malo eſt.* Quis ex illis verbis exſculpſerit probandam theſin: *Ergo Colonienſi ſedi competit jus extra diœceſin coronandi?* Erat Fridericus coronatus Aquiſgrani a Colonienſi: ipſoque illo tempore perſuaſerant Aquiſgranenſes Friderico & imperii proceribus, non alibi quam Aquiſgrani poſſe rite coronari, idque ex inſtituto Caroli magni; & Colonienſis archiepiſcopus jam centum annos amplius coronationes ſibi vindicaverat. Fridericus itaque cæſar neque de ſemetipſo potuit aliud affirmare, quam adſcribere ſeſe *regalem unctionem Colonienſi;* neque tum receptum coronandi morem ſpectans, aliud potuit dicere, quam regalem unctionem Colonienſi deberi; perinde videlicet atque ex recepta opinione regalis coronatio in uno Aquiſgrano poterat peragi. De coronandi munere, ſi coronatio ſit extra Aquiſgranum inſtituenda, cuinam competat, nihil omnino pronunciavit cæſar: ne cogitavit quidem: ut cui firmiter eſſet perſuaſum, Aquiſgrani duntaxat rite reges coronari. Id tum perſuaſum fuiſſe cæſari, hodieque indicant illius tabulæ, quibus Aquiſgranenſium commenta roboravit. Imo tum primum cœpiſſe hoc credi, probatum eſt ſcriptis pro jure Moguntino ſuperioribus.

XXXVII. Clariſſima hæc ſunt. Vindex tamen, ut nubem luci offundat, n. 39. jubet *advertere* primum diſſertatorem, *ſibi dicta* illa ultima Friderici, *quidquid præter hæc eſt, ex abundantia, ex malo eſt.* Quaſi illa faciant contra diſſertatorem, qui nihil dixit, quod Friderici aſſertionibus contradicat. Niſi forte huc traxeris, quod cenſeat, ſolum Aquiſgranum non eſſe coronationibus conſecratum, contra quam perſuaſum erat Friderico. At ſi in eo peccavit, fecit id in exemplum ipſorummet Colonienſium, quibus hodie hoc eſt perſuaſiſſimum.

XXXIIX. *Advertendum etiam ſecundo*, (ait) *reſponſum illud datum eo tempore, quo diſceptationes & prætenſiones Moguntinorum, imperatorem minime latere poterant, & quidem in pleno copioſoque conventu principum*, &c. At vero de eo, an Fridericus cæſar regalem unctionem ſuam deberet Colonienſi, nec ne, nulla erat diſceptatio, nulla controverſia. Nec de eo, an Aquiſgrani fieri deberet coronatio ex Caroli magni inſtituto, ullum dubium tum quidem temporis forte ſupererat. In coronationes porro Aquiſgranenſes nullæ amplius erant Moguntinorum prætenſiones: jam enim illi ante centum annos illud jus Colonienſi ceſſerant. Quidni itaque ſive cæſar, ſive omnes imperii proceres, bona Moguntini pace, potuerint de Aquiſgranenſibus illis coronationibus aut unctionibus regum profiteri, illas deberi Colonienſi archiepiſcopo? Cum nimirum de coronatione extra Aquiſgranum inſtituenda nemo cogitaret.

XXXIX. Videtur tamen denique (nam perobſcurus & ambiguus ex illius more ſermo omnis eſt) n. 39. hoc quoque urgere vindex: quod Moguntini juris nullam fecerit mentionem cæſar, cum tamen dixiſſet, legibus & bono uſu prædeceſſorum regi imperium; quaſi nempe cæſar non agnoverit, jus tale Moguntinum vel legibus niti vel uſu. Sed qui probaverit vindex, cæſarem voluiſſe illo ſuo ſermone attingere omnia, quæ legibus & uſu obtinere debebant circa electionem & coronationem regiam & cæſaream? Probare hoc ille non poterit; quoniam certum eſt, plurima non tangi, quæ iſtuc pertinent. At ſi cæſar non omnia illa attingere voluit, utique potuit facile illud de jure Moguntino ſilentio præterire, cum ejus mentionem facere nihil attinebat. Falſiſſimum certe eſt, quod vindex affirmat, ſed cæſare neutiquam præeunte: *Nec legibus nec uſu, aut certa firmaque conſuetudine, Moguntini archiepiſcopi ullas omnino partes in munere coronationis tum fuiſſe.* Id quod ad tertium argumentum mox patebit ſole clarius. Quod ultimo vindex affirmat, Fridericum I. fuiſſe dicturum,

dicturum, id æque certum eſt, atque ſunt illius affirmationes plæræque, nitens nulla ratione, nullo teſtimonio, fictum ex ſolo libitu.

XL. Dixeris Fridericum I. cæſarem non ſine aliqua veri ſpecie in ſcenam productum a Colonienſibus advocatis. Quid vero cum hoc negotio controverſo rei quæſo fuit Henrico III. cæſari? Vindex in margine libelli ſui n. 41. annotat: *Henricus tertius Colonienſibus vindicat jus coronandi.* At non de jure coronandi quæſtio erat, ſed de jure coronandi extra diœceſin Colonienſem. An hoc jus, de quo jam quæſtio eſt, Colonienſibus vindicavit Henricus? Hoc ne quidem affirmare auſus fuit vindex ille, tantum abeſt, ut verbulo ullo probaverit. Ad aliena delabitur, malæ fidei accuſans diſſertatorem; ſumma quidem illius cum injuria, quam tamen licet nobis diſſimulare, quum ad rem non faciat. Nos potius demonſtrabimus, Henricum III. favere unice juri Moguntino illi, de quo hodie eſt controverſia. Quod maxime pertinet ad inſtitutum.

XLI. Igitur de eo, quod Henricus III. egit circa coronationis controverſiam, ſuo tempore inter Moguntinum Luitpoldum & Hermannum Colonienſem obortam, unus inter veteres Lambertus Aſchafneburgenſis aliquid ad poſteritatem memoravit. Unus igitur ille nobis audiendus hoc loco eſt. Verba autem ejus hæc ſunt: Anno 1054. imperatoris Henrici III. *filius Henricus conſecratus eſt in regem Aquiſgrani ab Hermanno Colonienſi archiepiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luitpoldi archiepiſcopi: ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis & cætera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat. Sed imperator potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra diœceſin ipſius hæc conſecratio celebranda contigiſſet.* Ex hiſce Lamberti verbis apparet utique, controverſiam tum fuiſſe de *conſecratione* regis *celebranda* Aquiſgrani. In illa enim urbe facta certe eſt conſecratio, non alibi; & ratio, qua imperator vendicavit tum munus conſecrandi Colonienſi, petitum a *diœceſi*, oſtendit liquido, locum coronationis fuiſſe ſitum intra diœceſin Colonienſem. Longe diverſa igitur fuit illa controverſia ab hac noſtra. Hodie ſane Moguntinus non *vix*, non *ægre*, conſenſerit in conſecrationem a Colonienſe peragendam Aquiſgrani, ſed animo libentiſſimo; poſtquam ille mos dudum invaluit, anteceſſorum ſuorum conſenſu. Jam vero *vendicavit* Henricus III. cæſar conſecrandi jus Hermanno Colonienſi duabus de cauſis: altera fuit generis claritas: altera diœceſis. Prior Hermanno fuit propria. Non ſane omnibus Colonienſibus archiepiſcopis commune eſt, eminere *generis claritate* præ Moguntinis. Poſterior ad omnes archiepiſcopos Colonienſes, tanquam diœceſeos ſuæ antiſtites, poteſt pertinere. Jam vero præter haſce duas cauſas, nullas alias Henricus invenit, aut dignas judicavit, quare potuerit Hermanno conſecrandi munus vendicare. Unde ſic licet ratiocinari?

> *Quicunque propter generis claritatem & diœceſin vendicat Colonienſi conſecrationem regiam, ille negat competere illam Colonienſi, quando generis claritas & diœceſis Colonienſi non favent: At Henricus III. id facit. Ergo, &c.*

Extra autem Colonienſem diœceſin non favet Colonienſi jus diœceſis. Per conſequens ergo Henricus negavit, Colonienſi competere conſecrandi munus extra ſuam diœceſin. Id quod erat probandum.

XLII. Ubi obiter notandum, a vindice n. 41. urgeri vocem *privilegii*, idque accipere de privilegiis, quæ per tabulas ſcriptas conferuntur: quaſi cæſar agnoverit, munus illud conſecrandi Colonienſi ſedi privilegio collatum eſſe. Ridicule & plane contra mentem Lamberti, cum præſertim cauſas ille non niſi duas adferat, quibus cæſar ſit uſus *ad impetrandum conſenſum* Moguntini, plane utique diverſas a ſcripto aliquo privilegio. Notiſſimum vero eſt, privilegium paſſim ſolere accipi pro *prærogativa*; nec aliter hic accipi poſſe, liquidum eſt.

XLIII. Idem porro vindex urget vocem *vindicabat*: Cum tamen in codicibus Lamberti legatur *vendicabat*. Poſſumus itaque illi reponere quædam verba ſua, etſi inepta. *Liceat mihi bona venia advocati vel ſemel ſciſcitari, mirarique, qua fide hæc fiant? Nunquid hoc eſt ſub vel obreptitie narrare? Nunquid vindicare idem eſt, quod vendicare? Quo auctore? quo Calepino?* Verum piget pudetque nugas illas tangere.

XLIV. Cæterum antequam hunc locum deſeramus, mos gerendus eſt invitanti vindici. *Nunc invito*, inquit n. 43. *Advocatum, ut compendioſam infra ſcriptam tabulam, in qua illuſtres tituli jurium Colonienſium, per octingentos, & amplius annos depicti deſcriptique ſunt, oculo nec perfunctorio, nec animo faſtidioſo contempletur.* Feci ego, ad quod diſſertatorem *invitavit* vindex: ut idem tu facias, lector benevole, ego te invito etiam atque etiam. Mirum ſane, niſi in mentem tibi veniat illud, quod venit mihi, tabulam illam contemplanti:

> *Pictoribus atque poëtis*
> *Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

XLV. Compendioſius profecto vindex & cauſæ & judicii ſui imbecillitatem prodere non potuit, quam iſthac tabula. Oculis nimirum exponere illa tabula voluit titulos, quibus nititur jus Colonienſis eccleſiæ coronandi per Germaniam, extra etiam diœceſin ſuam: & tamen ſecundo ſtatim loco exhibetur PP. *Leo Nonus*, qui ut diſerte loquitur ipſa tabula, *privilegium illud ſedi*, Aquiſgranenſi videlicet, *affixum ad totam diœceſin extendit.* Ex ipſa itaque hac tabula diſcimus, uſque ad Leonem nonum coronationes fuiſſe uni Aquisgrano affixas, hunc primum privilegium illud extendiſſe, ſed non niſi ad totam diœceſin. Et tamen Carolus magnus & Leo nonus primi contemplandi nobis exhibentur, tanquam auctores & aſſertores juris coronandi paſſim extra diœce-

diœceſin Colonienſem. Quarto loco venit *Rupertus imperator ſupra allegatus.* Et tamen ſupra n. 35. profeſſus eſt vindex, Rupertum dediſſe Colonienſi archiepiſcopo, *ut quocunque loco* SUÆ PROVINCIÆ *ſuo arbitratu coronationis locum præfinire poſſit.* Ita juris illimitati aſſertor hic pingitur, a quo multum illud jus eſt limitatum, ipſo fatente pictore noſtro. De ſummis pontificibus & cæſaribus aliis nunc nihil dicemus: quoniam ſatis oſtenſum a nobis jam eſt, fruſtra omnes illos laudari controverſi hodie juris Colonienſis aſſertores. Ut molliter dicamus; illa profecta tabula

Veri avidos animos pictura paſcit inani.

III.

I. Quæ a n. 44. usque ad 60. diſſerit vindex, illa nobis, quibus duntaxat excutere vim argumentorum cauſæ Colonienſis, quæque in eorum defenſionem in vindiciis ſunt allata, propoſitum eſt, examinare non libet.

II. Itaque pergimus ad argumentum tertium Colonienſe, quod advocati non dubitant petere a frequentiſſimis coronationibus per Colonienſes archiepiſcopos factis. Audent ſane hanc quaſi tertiam theſin n. 60. proponere: *A Colonienſibus archiepiſcopis & ante & poſt auream bullam, ſemper fuiſſe usque ad Maximilianum ſecundum exercitum jus coronandi, neque a Moguntinis, niſi raro & ex ipſorum conſenſu uſurpatum.*

III. Cæterum ſi frequentia coronationum Colonienſi eccleſiæ contra ſedem Moguntinam in hac controverſia jus aliquod ſive dedit, ſive confirmavit, neceſſum utique fuerit, poſſe talem ſyllogiſmum pro Colonienſi cauſa formari:

> *Quæcunque archiepiſcopalis ſedes longo admodum tempore, nemine contradicente, & bona fide, peregit coronationes regias etiam extra ſuam diœceſin, illi ſedi competit jus coronandi etiam extra ſuam diœceſin.*
>
> *At ſedes Colonienſis, nemine contradicente, longo admodum tempore, bona fide, peregit coronationes regias etiam extra ſuam diœceſin.*
>
> *Ergo ſedi Colonienſi competit jus coronandi extra etiam diœceſin ſuam.*

IV. Major in hunc modum formari debuit, quoniam ad id, ut multitudo actuum jus probet, requiritur tempus longum, expers contradictionis, & cum bonæ fidei comitatu; ceu notum eſt. Debuit etiam major agere de coronationibus extra diœceſin peractis, deque talium coronationum jure; utpote cum non ſimpliciter de coronationibus aut coronandi jure ſit quæſtio, ſed de iis coronationibus, quæ extra diœceſin vel factæ ſunt, vel fieri debeant. Non aliter quoque minor propoſitio formari poteſt, ſi ſyllogiſmo ſit aliquid concludendum, quod ad rem faciat.

V. Nos vero talis ſyllogiſmi majorem propoſitionem admittimus. Minore vero nihil eſſe falſius, aperte profitemur. Non enim vel unicum actum coronati cujusquam regis a Colonienſe eſſe exercitum extra diœceſin, ab initio usque imperii Germanici per octingentos amplius annos; imo tanto temporis ſpatio ad noſtram ætatem usque, ne quidem conatos Colonienſes præſules extra diœceſin ſuam reges coronare, certum eſt. Provocamus hic ad monumenta hiſtorica omnium temporum. Nec eſt, quod audiamus vindicem conquerentem n. 60. *continuum fere hic eſſe hiſtoricorum diſſidium.* Provocamus ad perpetuum omnium hiſtoricorum, qui de coronationis actibus quidquam memoriæ mandaverunt, conſenſum, nullo omnino diſſidio interruptum. Omnes conſentiunt in hiſce:

1. Nullam unquam coronationem regum inſtitutam a Colonienſe extra diœceſin.
2. Nullum archiepiſcopum Colonienſem, ad noſtram hanc ætatem, conatum fuiſſe reges coronare extra diœceſin.
3. Sic ſatis multos reges extra diœceſin Colonienſem eſſe coronatos.
4. Omnes coronationes regum, extra Colonienſem diœceſin, inſtitutas eſſe a Moguntino, ubi quidem ille adfuit.

VI. Vindex tamen a n. 60. uſque ad 74. multum ſudat in demonſtranda frequentia coronationum a Colonienſe inſtitutarum, ſed intra diœceſin. At vero, aut ignorat, nihil ad rem noſtram facere actus coronationis intra diœceſin Colonienſem peractos, aut novit. Si ignorat, utique ne quidem ſtatum controverſiæ novit, & laborat inopia judicii, ut molliter loquamur. Si novit; ergo contra conſcientiam voluit videri aliquid egiſſe, cum ageret nihil, & ipſemet ſereniſſimo principi ſuo, & judicibus hujus controverſiæ maximis, S. cæſareæ majeſtati, inquam, & collegio electorali, aliisque lectoribus ſciens volensque voluit imponere. Frequentiſſime omnium coronationes regum inſtitutas eſſe a Colonienſe, nemo negat. At omnes illæ peractæ ſunt intra Colonienſem diœceſin. Non probat talium coronationum quamvis etiam copia id, quod probandum erat; nempe jus coronandi extra illam diœceſin ſedi Colonienſi competere.

VII. Poſſemus itaque omnia, quæ a n. 60. ad n. 73. diſputat vindex ille, diſſimulare, imo concedere ſalva cauſa Moguntina: utpote quam ne attingant quidem. Ut tamen omnibus fiat manifeſtum, ne quidem in alienis illis vindicem iſtum probe ſeſe geſſiſſe, lubet ſaltem in nonnulla ejus animadvertere. Liceat ſane hoc mihi nunc bona lectoris venia: quem cæteroquin in alienis non eſſe detinendum, ſatis ſcio. Et vero poterunt illa a lectore negligi atque præteriri.

IIX Igitur n. 60. *Id*, inquit, *initio ſtatuendum eſt, non fore nobis quæſtionem, niſi de regibus Romanorum, id eſt, de iis, qui in ſpem & rem imperii coronati ſunt a tempore Caroli magni.* At vero certum eſt, coronam, de cujus collatione agitur, per ſe & proprie eſſe coronam regni teutonici Transalbini: per accidens tantum fieri, quod hæc corona ſit quaſi præambula coronæ cæſareæ. Ex pacto illo nem-

lo nempe demum id ortum eſt, quod Otto magnus cum ſummis pontificibus quondam iniit, ut nemo impoſterum cæſar haberetur, niſi eſſet rex Germaniæ, & quo momento quis rex Germaniæ crearetur, eodem jus certum conſequeretur ad coronam cæſaream Romanam impetrandam. Sed placuit vindici rem claram imperite involvere; ut ne agnoſceret jus Moguntinum in coronandis regibus regni teutonici uſque ad Ottonem magnum exercitum: ad quorum coronationem Colonienſis ne quidem forte acceſſit, quippe qui tum fere pars ſemper fuerit regni Lotharienſis, non Germanici proprie ſic dicti.

IX. At vero ne hoc quidem effugium juvat inanes vindicis conatus. Saltem enim poſt Lotharium ad Ottonem illum magnum, nemo etiam illorum, qui Romæ cæſaream ſunt coronam adepti, a Colonienſi aliquo Archiepiſcopo eſt coronatus in regem. Non Ludovicus Lotharii filius: non Carolus Craſſus: non Arnolphus: non Wido: non Berengarius: non Ludovicus Boſonis: non Lambertus. Enumerat ipſemet vindex horum pleroſque n. 64. ut tamen ſimul prodat ſuam [illegible]. Quemadmodum & inania ſunt ejus effugia, quæ addit. *De quibus*, inquit, *cum fuerint in Italia a pontificibus coronati, & in Gallia fere regnaverint, non eſt nobis magna queſtio, ut agnoſcit ipſe advocatus. Item utrum hic omnes coronati ſint a Germania, & a quo, nemo facile probaverit; id certum eſt quoſdam non eſſe.* Inania hæc ſunt. Recte enim quidem dixit diſſertator, ad rem non facere, ubinam illi Italici cæſares fuerint coronati in reges: utpote cum agamus de corona regni Germanici. At vero vindici idem aſſerere non licet: utpote cum profiteatur, jam ex inſtituto Caroli magni & Leonis III. papæ debere neminem coronari cæſarem, niſi ante fuerit a Colonienſi archiepiſcopo Aquisgrani coronatus in regem. Id falſum eſſe, docent coronationes omnium illorum, quos recenſuimus. Nec enim illos corona cæſarea inſigniviſſent ſummi pontifices, ſi de illa Caroli magni & Leonis III. Papæ conſtitutione quidquam audiiſſent. Non paſſi fuiſſent ſeſe alibi reges coronari, ſaltim illi, quorum in poteſtate fuit Aquiſgrani coronam regiam conſequi: Carolus Caluus, Carolus Craſſus, & Arnolphus ſunt porro omnes quidem coronati in Italia a pontificibus, ſed non regia corona, verum cæſarea ſola. Itaque coronatio illa papalis non obſtat, quo minus quærere debeamus, ubinam & a quo coronam regiam adepti ſint. Neque nos profitemur, omnes illos coronatos in Germania, debuiſſet autem vindex docere, omnes illos juxta inſtitutum Caroli & Leonis Papæ coronatos fuiſſe reges a Colonienſe. Non poteſt autem ille vel unum ſaltem producere, poſt Lotharium uſque ad Ottonem magnum, per annos octoginta, & quidem ex proxima poſt Carolum & Leonem ætate.

X. Juvemus vero hominem, & loquamur de ſolis iis, qui & Germaniæ ſimul reges fuerint & cæſares. Etiam inter illos occurrunt iſthac tempeſtate Carolus Craſſus pariter & Arnolphus, neuter Aquiſgrani rex coronatus aut a Colonienſe archiepiſcopo, & nihilominus tamen a pontificibus non reluctantibus uterque unctus in cæſarem.

XI. Piget tangere, quæ de Pipini & Caroli magni coronationibus diſſerit vindex n. 61. & 62. At quod num. 63. affirmat, quaſi dixerit autor libelli Germanici, Ludovicum pium *conſecratum* eſſe ab Hildeboldo, non vero *coronatum* eſſe. Velim conferri cum iis, quæ habentur p. 45. libelli Germanici: *Und iſt nun oben ſchon erwieſen, daß Hildeboldus Colonienſis im Jahr 813. die poſſeſſion dieſes ſeines Rechtens angetreten, da er Ludovicum Pium Caroli magni filium zu Aachen, teſte ca arco chronico magno, Cratapolio, Beck, gekrönet.* Jam porro cum liquido probatum fuiſſet teſtimonio Thegani, Lothario coronam impoſitam nulla epiſcopi manu; nonne decuiſſet vindicem cedere veritati potius, quam denuo certare teſtimoniis hominum heri & nudius tertius, ut ita loquar, viventium? Judicent omnes æqui & boni.

XII. Similiter cum debuiſſet probare vindex, quod aſſeruerat auctor libelli Germanici, Lotharium coronatum ab Hildeboldo, idque fuiſſet poſtulatum; nihil aliud adfert, quam quia Lotharius ſit coronatus Aquiſgrani, *quis debitet, quin id ab Hildeboldo adhuc vivo & ibidem præſente factum ſit?* Verum eſtne hoc probare rem dubiam? Imo vero, cum nullo teſtimonio fide digno poſſit probari, quod vel Ludovicus Pius vel Lotharius ſit a Colonienſe archiepiſcopo coronatus, aut conſecratus, manifeſtum eſt, omnem jactantiam Colonienſium advocatorum de Hildeboldo ſuo, itidem non niſi inanibus niti conjecturis.

XIII. Mitto craſſos errores n. 65. & 66. commiſſos, ne omnia ad vivum reſecare velle videar. Obſerva vero, lector, an recte vindicet n. 65. vindex noſter illa, quæ de coronatione Ottonis magni leguntur n. 70. & an non maneat liquidum, ab Hildeberto Moguntino conſecratum fuiſſe Ottonem, Wigbertum autem Colonienſem nihil oppoſuiſſe præter jus ſuæ diœceſeos. Adferam nihilominus hoc loco de primo illo teſtimonium aliquod Dithmari, hactenus non productum. Is lib. 2. p. 23. edit. Reinecc. ſcribit: *Hildebertus, qui eum,* (Ottonem) *unxit archiepiſcopus, in ſecundo regni ſuimet anno obdormivit in Chriſto 2. Kal. Junii.* Obſerva quoque porro, lector, an quiſquam veterum dixerit, Hildeberto conceſſum munus coronandi *ob illuſtrem proſapiam.* Et tamen non dubitavit id affirmare vindex.

XIV. Obſervet porro & judicet, qua fronte recitatis illis Rogerii ex vita Brunonis verbis de Ottone II. *Unxeruntque Ottonem æquivocum patris Bruno archiepiſcopus Colonienſis Wilhelmus Moguntinus & Henricus Trevirenſis cæterique ſacerdotes domini*, poterit addere vindex n. 68. *Quæ qui legit, dubitare nequit, quin, ſicut Brunoni primus locus datur*, in illa ſcilicet Rogeriana recenſione, *ita & primas in illa coronatione fuiſſe ejusdem partes.* An non etiam potius, juxta doctrinam Colonienſem novam, debuiſſent Moguntini in unctione nullæ eſſe partes?

Digitized by Google

XV. Num. 69. non dubitat ſcribere: *Dithmarus in editione anni 1580. opera Reineccii vulgata, quæ correctiſſima eſt, coronationem Ottonis III. attribuit Ravennati archiepiſcopo.* At vero pluresne ſint Dithmari editiones, neſcio. Reinecciana ita ſeſe habet ſub finem lib. 3. p. 34. *In die proximi natalis domini, ab Joanne archiepiſcopo Ravennate & a Willigiſo Moguntiacenſe in regem conſecratus Aquiſgrani.* Ibidem etiam fingit, nullo plane vultus teſtimonio, coronationem illam peractam cum *Warinus Colonienſis ſenio & morbo confectus miſſionem petiiſſet.* Ex adverſo teſtatur Dithmarus *lib. 3. & initio quarti,* Warini fidei etiam tum ab Ottone II. cæſare fuiſſe filium Ottonem commiſſum, tradito autem Ottone duci Henrico tanquam *legitimo patrono*, hunc Warini *auxilium firmiter eſſe adeptum.* Hæc profecto non conveniunt viro morbis confecto, & qui jam miſſionem petierit.

XVI. Antehac libelli Germanici p. 57. ſcripſerat, coronationem Henrici II. Moguntiæ factam, usque adeo irritam redditam ab Hildeberto Colonienſe, ut Henricus coactus ſit denuo coronari Aquiſgrani, idque aſtipulante Gregorio V. pontifice, juſſeratque hac de re videre Adelboldum. Apud vindicem vero n. 71. de aſtipulatione Gregorii V. altum eſt ſilentium (& vero fabulam hanc ſola collatio temporis refellere idonea eſt; utpote cum Gregorius vitam aliquot ante annos obierit) neque ex Adelboldo quidquam producitur, quo probetur, novam coronationem inſtitutam eſſe Aquiſgrani, quale quid nihil reperiri in Adelboldo, recte notaverat diſſertator. Quæ tamen vindicis eſt pertinacia, adferuntur ab illo n. 70. quædam Adelboldi, aut potius alterius alicujus incerti ſcriptoris verba, quæ doceant, poſt primam illam Moguntinam coronationem denuo coronatum Henricum, præſentibus Bolislao Slavorum, & Bennone Saxoniæ duce, qui priorem coronationem non probarant. At vero nihil hoc facit ad novam illam coronationem Aquiſgranenſem. Hæc enim confirmatio Henrici non a Colonienſe archiepiſcopo, ſed a Saxoniæ optimatibus & Bolislao non Slavorum ſed Bohemiæ duce inſtituta fuit, idque Mersburgi non Aquiſgrani, Colonienſe abſente; ceu liquet ex iis, quæ de conventu illo narrat Dithmarus lib. V. p. 55. Nec legitur usquam, Bolislaum aut Bennonem improbaſſe Moguntinam coronationem. Ex adverſo Dithmarus p. 54. teſtatur, Bolislaum illum Henrico Moguntiam pergenti faviſſe. Nec tuto quis crediderit quæ habet ille, quisquis ſit, ſcriptor de nova coronatione Mersburgenſi: quum Dithmarus, qui illi conventui interfuit, eam non memoret. Solitos tamen tum temporis reges ſæpius ornari corona, notum eſt ex hiſtoria etiam regum Galliæ & Angliæ. Ipſi vindici vis veritatis expreſſit fluctuanti illa verba; factam Aquiſgrani, *vel coronationem, vel certe electionem novam & proclamationem.*

XVII. Num. 71. ſcribit vindex, Piligrinum Colonienſem *Arriboni Moguntino munus coronandi* Conradum Salicum *permiſiſſe: ita tamen ut ad conſervandum continuandumque ſuum jus, Giſelam conjugem imperatoris, volentibus & urgentibus proceribus, coronarit.* Addit mox nomen Wipponis, quaſi ille id teſtaretur. At vero de *permiſſione Moguntina*, & de illo procerum conſilio circa coronationem Giſelæ reginæ, plane nihil reperias in Wippone.

XVIII. Mittimus in reliqua, quæ habentur usque ad n. 74. inquirere; ut lectoris tædio parcamus. Eoque pergimus ad argumentum quartum.

IV.

I. In nullo argumento majus præſidium collocant cauſidici Colonienſes, quam in quarto, petito ex aurea bulla Caroli IV. imperatoris. Nec immerito: cum unum illud depromtum ſit ex lege & bulla cæſarea publica, non commentitia: ut merito audiat eorum Achilles, & argumentum aureum. Prolixe ſane & auctor libelli Germanici & vindex conati ſunt vim illius argumenti proponere in medium. Non tamen usquam illud ab iis in ſyllogiſticam formam redactum eſt: indubie, ne pelluceret quæ ſub roboris ſpecie latet in eo imbecillitas.

II. Præſtabimus nos, quod ab illis eſt omiſſum, quo ſine fuco nuda veritas omnium ſeſe oculis exhibeat. In hunc itaque modum ſyllogiſmus debet confici:

Quodcunque officium & quæ dignitas ſimpliciter & nullis additis limitibus in aurea bulla tribuitur Colonienſi electori, illud officium & illa dignitas illimitate Colonienſi electori competit.

At officium & dignitas primum diadema regium imponendi in aurea bulla Colonienſi electori ſimpliciter & nullis additis limitibus tribuitur.

Ergo officium & dignitas primum diadema regium imponendi illimitate Colonienſi electori competit.

III. Antequam vero nos diſtincte & ordine ſyllogiſmum hunc aggredimur, obſervandum eſt: voluiſſe vindicem huic negotio, ut ipſe pollicetur, *lucem*, ut res ipſa docet, *tenebras* offundere, propoſitis tribus quæſtionibus. Prima quæſtio eſt n. 76. utrum Carolus quartus legem aliquam ſtatuat ſive confirmet. Sive: *utrum verba Caroli quarti ſint legislativa, an vero tantum narrativa & atteſtativa.* Altera num. 80. *Quid per verba Caroli cautum decretumque cenſeatur.* Tertia n. 83. *Utrum exſtet aliqua lex aut conſuetudo poſt auream uſurpata, quæ bullam lata, aut archiepiſcopo Moguntino jus coronandi reges Romanorum extra diœceſin Colonienſem confirmetur.*

IV. In prima quæſtione multum deſudat vindex adverſus diſſertatorem. Quaſi nimirum diſſertator negaverit, Carolum quartum Cæſarem confirmaſſe Colonienſe jus coronandi. Facit autem injuriam diſſertatori: & bonam cauſam agit perinepte. Diſertis enim verbis agnovit diſſertator *& legem & confirmationem* aliquam factam a Carolo Colonienſis juris. Num. 43. ait: *Etſi igitur hac atteſtatione imperatoris confirmatum fuit archiepiſcopis jus illud, quo hactenus uſi fuerant.* Statim initio dixerat: *Quæcunque in aurea bulla continentur vim legis pragmaticæ & perpetuo valituræ obtinent.* Tantum monuerat, & recte quidem, non omnia in aurea bulla eodem modo eſſe mandata.

data. Alia nimirum plane nova eſſe conſtituta: alia, cum hactenus conſuetudine duntaxat conſtaret, publica lege *diſertis verbis præcipiendi vim habentibus eſſe* ſtabilita: alia tantum narrando & atteſtando quaſi confirmata eſſe: ultimique hujus ordinis eſſe verba, quæ ad Colonienſe jus pertinent. Quæ profecto longe ſunt veriſſima. Non tangit itaque diſſertatorem prima illa quæſtio, & diſputat ibi vindex cum imaginaria larva: certe potuiſſet & a quæſtione illa abſtinere, ut quæ in controverſiam a nemine tracta ſit.

V. Ut probet porro, verba aureæ bullæ, quibus dicitur, *officium diadema primum imponendi competere electori Colonienſi*, eſſe præceptiva; urget primo vindex, quod §. tertius, cui verba illa ſunt inſerta, incipiat a voce legislativa *ſtatuimus*. Quaſi propterea omnia paragrapho inſerta itidem mandentur, & narratio aliqua non poſſit inſeri legi. Ridicule ſane. Atqui in illo ipſo paragrapho occurrunt etiam hæc, *invenimus hactenus competiiſſe* (Trevirenſi videlicet archiepiſcopo) *primam vocem:* Item de ducis Saxoniæ Mareſchallatu: *ut ſolitum eſt fieri ab antiquo*, & ſimilia alia. Etiam hæc ergo juxta principia noſtri vindicis ſunt legislativa verba, non autem narrativa.

VI. Urget ſecundo vindex vocem, *competit*, ſed ita, ut pueris etiam ſcholæ grammaticæ ridendum ſe proſtituat. *Quis ſcriptorum*, inquit, *& grammaticorum hoc verbum inter narrativa unquam recenſuit?* Fecerunt hoc omnes grammatici de voce *competit*. Omnes enim monent vocem illam *competit* eſſe modi indicativi; *verbum* autem totum præterea eſſe nunc imperativi, nunc optativi, nunc conjunctivi, nunc infinitivi modi, atque adeo non ſemper eſſe narrativum, ſed tum demum proprie, quando eſt formatum modo indicativo, ut formata eſt vox *competit*. Mox ſubjungit vindex aliquid ex Calepino, unico pauperrimæ Latinitatis ſuæ conſiliario, de triplici acceptione verbi *competere*. Cumque didiciſſet, competere idem interdum quodammodo eſſe quod *deberi: Ecce*, inquit exultabundus, *quam apte, quam dextre, omnis hæc ſignificatio Colonienſium juri contra Advocati ſomnia ſubſervire reperitur!* Ita fingit illi ſibi *ſomnia*; quum nemo dubitet, multo minus diſſertator, verba illa aureæ bullæ: *Colonienſi archiepiſcopo competit dignitas & officium regi Romanorum primum diadema imponendi:* idem eſſe atque: *Colonienſi archiepiſcopo convenit & debetur dignitas & officium coronandi reges.* Æque inepte, ſi non ineptius, ſubjungit paulo poſt: *Nunquid advertere poterat Advocatus eandem vocem* (competit) *in linea immediate precedente & cauſa Trevirenſi, non narrative, ſed omnino decretive ſumi? Sic enim loquitur imperator: cui* (Trevirenſi) *primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe.* Item: *Addat Advocatus c. 25. §. 2. aurea bulla ubi imperator eidem voci parem omnino vim tribuit: Primogenitus filius ſuccedat eis, ſibique ſoli & jus & dominium competat, id eſt, ſibi ſoli debeatur.* Quid dicam ego? Quid non dicam? Juxta vindicem hunc vox *competere* & *competiiſſe*, quarum utraque eſt infinitivi modi, eſt *vox decretiva* aut aliquid *decernit*. Quoniam etiam imperator dicens: *Competere declaramus*, & *dominium ipſi competit*, aliquid imperat; hinc ſequitur, vocem *competit* itidem eſſe imperativam.

Auditum admiſſi riſum teneatis amici.

VII. Mirum, ni vindicem pudeat, me certe tædet tot tantarumque ineptiarum. Jam ante vero monui, a diſſertatore idem plane aſſeri, quod adeo anxie vult probare vindex: Nempe jus Colonienſe in aurea bulla eſſe confirmatum; neque quenquam alium temere diſſentire. Fit autem hoc, non quod illis a vindice allatis ineptiis quiſquam moveatur, ſed propterea: quoniam Legislator eo ipſo, quo dicit vel narrat, vel teſtatur vel dicit aliquid alicui competere, id licet obiter quaſi agendo faciat, tamen eo ipſo tacite confirmet, id quod dicit competere. Id facit, inquam, is, qui eſt Legislator: non vero ſimpliciter ea vis eſt verbi, *competit*, aut ſimilium, ſi etiam ab alio proferantur, qui legislatoris poteſtate non valet.

IIX. De iis, quæ ad ſecundam tertiamque quæſtionem movet vindex, paulo poſt dabitur commodior occaſio diſſerendi. Itaque nunc ad propoſiti ſyllogiſmi examen revertemur.

IX. Minorem ergo propoſitionem admittimus tanquam veram. Facta enim Colonienſis archiepiſcopi mentione, etſi obiter, addit imperator, nulla adjecta reſtrictione: *cui competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema regium imponendi.*

X. Majorem vero propoſitionem minime admittimus. Ejus falſitatem autem oſtendemus primo duabus inſtantiis. Si enim non major minus quam minor fuerit vera, concluſio quoque eſt vera hæc:

Colonienſi archiepiſcopo illimitate competit officium & dignitas regem Romanorum coronandi.

Hanc vero falſam eſſe, patet ex inſtantiis ſaltim duabus, etſi longe plures queant adferri:

XI. Eſto enim hic Syllogiſmus:

Cuicunque ſedi illimitate, aut nulla reſtrictione, competit officium & dignitas regem Romanum coronandi, illi competit hoc officium & hæc dignitas, etiam cum archiepiſcopi non ſunt infulati. At ſedi Colonienſi illimitate competit, &c. Ergo &c.

Concluſio hujus ſyllogiſmi eſt falſa, ipſo agnoſcente vindice: ac proinde vel utraque vel alterutra præmiſſarum. Major tamen patet; quia, cui revera citra omnem reſtrictionem & exceptionem aliquid competit, contra illum quoque non valet carentia infularum, utpote quæ ſit reſtrictio aut exceptio illimitatæ coronandi facultatis. Minor itaque falſitate laborat. Sit alter Syllogiſmus *iterato:*

Cui ſedi illimitate & citra ullam additam exceptionem competit officium & dignitas regem Romanorum coronandi, illius archiepiſcopus quovis tempore & in quovis actu ſolus eſt legitimus coronator.

At ſedi Colonienſi, &c.

Ergo ſedis Colonienſis archiepiſcopus quovis tempore & in quovis actu ſolus eſt legitimus coronator.

XII. Etiam hanc concluſionem falſam & interdum (ſi nempe Colonienſis nolit aut nequeat officium facere; exigente imperii neceſſitate, etiam Aquisgrani legitime coronationem poſſe inſtitui a Moguntino, arguit utique Ludovici IV. cæſaris coronatio, ejus, qui Carolum IV. proxime anteceſſit. At forte ſi Ludovicus ille cæſar non fuit legitime coronatus. Non fuerit etiam rex legitimus. Mirabor frontem vindicis, ſi poſterius auſit aſſerere, idque coram ſereniſſimo electore Colonienſe, cui operam mercenariam præſtat. Non patietur, ſcio, generoſum tanti principis pectus, a miniſtro ſuo conductitio notari hoc opprobrio ſummum illud & æternum decus ſereniſſimæ Bauaricæ domus: cujus iſta honorem non dubitavit per Herwarti, Nicolai Burgundi, aliorumque illuſtrium virorum ſcripta a calumniis vindicare. Prius tamen, ſed ſubobſcure, ſemel iterumque in ipſis vindiciis aſſeritur: fortaſſis vero haud etiam impune, ubi vel hoc ſereniſſimo principi innotuerit.

XIII. Cæterum ſepoſitis quoque omnibus inſtantiis, falſitas majoris propoſitionis elucebit unicuivis haud difficulter, ſi petamus illius probationes. Nec enim illa poterit aliunde exſpectari, quam ex hac propoſitione:

Quidquid indefinite aut illimitate aſſeritur, illud indefinite & illimitate debet accipi.

Hoc autem in univerſum ſemper eſſe verum, repugnat uſitatiſſimæ & quotidianæ loquendi conſuetudini: qua etiam fit, ut Logici moneant, indefinitam propoſitionem pro particulari potius habendam, quam pro univerſali. Si major autem univerſaliter vera non eſt, ſyllogiſmum omnem vitioſum eſſe, in confeſſo eſt.

Non obſervavit vindex patens adeo vitium ſuæ collectionis primariæ; & tamen diſſertatori *oſcitantiam* frequenter auſus eſt exprobrare, ſibi ipſi viſus perſpicaciſſimus.

XIV. Juvabimus virum, quoniam ſerio quærimus veritatem, non addicti, ad exemplum vindicis, partium ſtudio. Et vero, ne diſſimulemus, dat nobis vindex ad quæſtionem ſecundam n. 80. ſyllogiſmi condendi materiam idoneam. Poteſt ille ſic inſtrui:

> *Quicunque omnes controverſias de perſona coronante & loco coronationis hactenus enatas vult definire, is nulla loci exceptione facta, uni alicui perſona tribuens coronandi munus, huic eo ipſo tribuit munus coronandi per loca in univerſum omnia.*
>
> *At Carolus IV. in aurea bulla voluit definire omnes controverſias de perſona coronante & loco coronationis hactenus enatas.*
>
> *Ergo Carolus IV. nulla loci exceptione facta uni perſona* (Colonienſi nimirum archiepiſcopo) *tribuens coronandi munus, huic eo ipſo tribuit munus coronandi per loca in univerſum omnia, id eſt, per omne imperium Germanicum.*

XV. Nos vero minorem propoſitionem haud inviti concedemus, ſi ſermo ſit de controverſiis non ſimpliciter omnibus ante aliquot ſecula forte agitatis, ſed de iis duntaxat, quæ vel tum adhuc fervebant, vel proxime anteceſſo tempore fuerant motæ. In univerſum enim ad ſola hæc diſſidia tollenda e medio auream bullam eſſe conditam, res ipſa loquitur. Neque vero quidquam erat cauſæ dudum ſepulta refodere.

XVI. Aſt majorem propoſitionem omnino rejicimus. Si enim nullæ controverſiæ fuerint vel tum, vel non multo ante (de loco e. g. coronationis, an nempe is rite extendi poſſit per quævis quaſi ſpacia, an vero debeat anguſtis limitibus includi) tunc illimitata definitio non tribuit aliquam facultatem coronandi per quævis ſpacia. Sic ſi princeps Cajus, volens ſopire lites ſuper jure venandi Titio motas, hiſce verbis utatur: *Titio competit jus venandi*; eo ipſo non ille dat Titio facultatem venandi ubivis locorum, niſi ſimul in controverſia fuerit: utrum Titius debeat ubivis venari, an non. Poteſt hoc ipſum infinitis exemplis illuſtrari. Ratio autem hujus rei eſt: quoniam definitiones non ulterius extendi debent, quam ad controverſias motas, quas ſolas nimirum definire conſilium fuit judicis.

XVII. Jam vero non tantum non illa Caroli ætate, aut paulum antegreſſo tempore, ſed plane nunquam antehac mota erat lis; an Colonienſis tantum intra limites ſuæ diœceſeos, an vero etiam per univerſum imperium rite poſſit coronare. Nullum certe in omnibus imperii monumentis ejus litis reperitur leviſſimum veſtigium. De tali itaque controverſia ne cogitavit quidem forte unquam Carolus: certe definire id noluit, quod nunquam fuit controverſum.

XVIII. Aliquot jam ſeculis uni Aquisgrano coronationes omnes quaſi adſcriptæ erant. In ipſa aurea bulla diſerte cæſar: *Invenimus etiam ex clariſſimis relatis & traditionibus antiquorum, illo in tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos, qui nos præceſſerunt, feliciter id eſſe obſervatum, ut reges Romanorum futuri imperatoris in civitate Franckeford celebraretur electio, & prima coronatio Aquisgrani, & in oppido Nurenberg prima ſua regalis curia haberetur.* Idem impoſterum quoque obſervari juſſit cæſar. *Quapropter* (inquit) *certis ex cauſis, etiam futuris præmiſſa ſervari debere temporibus, declaramus, niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obviarit.* Aquisgranenſes vero coronationes, prætextu juris diœceſani, jam tum per aliquot itidem ſecula occupaverat Colonienſis archiepiſcopus; niſi quod ſemel atque iterum regem aliquem, & nuperrime etiam Moguntinus coronaſſet Aquisgrani Ludovicum IV. cui Carolus hic ſeſe oppoſuit. Itaque cum poſſet videri factum controverſum jus coronandi, dictum eſt in aurea bulla: *Colonienſi competere officium & dignitatem coronandi regem:* nempe quo loco, a tempore, cujus contrarii non habebatur memoria, coronatio erat inſtituta, futuris temporibus erat inſtituenda. Igitur non fuerat tum in con-

Digitized by Google

controverſiam vocatum id, de quo nunc contenditur: ac proinde, nec in aurea bulla quidem, de noſtra hac controverſia quidquam eſt definitum.

XIX. Vindex n. 82. nititur quidem oſtendere, fuiſſe etiam tum diſſenſiones inter Moguntinum & Colonienſem archiepiſcopum. Eſto: fuerint. Non tamen fuerunt de eo, utrum Colonienſi competat jus coronandi extra diœceſin, de illa quæſtione nuſquam quidquam memoratur. Omnis contentio olim fuerat de jure coronandi intra diœceſin Colonienſem, hoc ſibi Colonienſe vindicante prætextu diœceſeos ſuæ, Moguntino vi primatus & antiquiſſimæ conſuetudinis. Erat vero & hæc lis dudum ſepulta. Nec enim Moguntinus ab ætate uſque Henrici III. cæſaris Aquisgrani coronare voluerat, niſi extrema urgente reipublicæ neceſſitate, & cum officium facere Colonienſis aut nollet aut non poſſet. Ad illud ergo, quod controverſum olim fuerat, forte ſpectavit aurea bulla: reliquum certe noſtrum illud non attigit, tanquam jam tum ratum, vel certe tanquam illud, quod nunquam temere ſit futurum.

XX. Ex hiſce perſpicuum jam omnibus eſt, quæ ex aurea bulla petuntur a vindice & aliis argumenta, illa nullius eſſe pretii. Cum affirmanti itaque probatio incumbat, Advocati vero Colonienſes in probando deficiant, optimo merito jam licet nobis ab aurea bulla ad alia pergere, cum labore illo, qui incumbebat nobis, jam ſimus defuncti. Adferemus tamen unum atque alterum de noſtro, unde manifeſtum fiat adhuc magis, non eſſe illum ſenſum verborum aureæ bullæ, quem Colonienſes iſti jactitant. Nec enim de verbis, utrum videlicet illa habeantur in aurea bulla, quemadmodum producuntur, lis eſt, ſed de verborum ſenſu & interpretatione. Pernegamus enim nos, verborum illorum aureæ bullæ, quibus indicatur officium coronandi competere Colonienſi archiepiſcopo, ſenſum ad eam, quæ nunc agitatur, Controverſiam pertinere, aut iis verbis tributum eſſe Colonienſi archiepiſcopo munus coronandi extra diœceſin.

XXI. Jam tum vero paulo ante a nobis allata quædam ſunt, unde id pateat. Diximus nimirum id, quod eſt longe veriſſimum, de officio coronandi, extra Colonienſem diœceſin, nullam unquam fuiſſe litem vel minimam, cum aurea bulla iſthæc conteretur: ac proinde illam litem verbis aureæ bullæ non eſſe definitam. Adferam vero nunc etiam hunc ſyllogiſmum:

Quæcunque verba nullum novum & hactenus inuſitatum jus dant Colonienſi archiepiſcopo, illa non loquuntur de illimitata coronandi facultate extra diœceſin.

At verba illa aureæ bullæ nullum novum & hactenus inuſitatum jus dant Colonienſi archiepiſcopo.

Ergo verba illa non loquuntur de illimitata facultate coronandi extra diœceſin.

XXII. Minorem propoſitionem concedunt ipſi adverſarii. Quoniam vero illi id faciunt inducti vana ſua ſententia, quaſi jam a Carolo magno illimitata illa facultas ſedi Colonienſi fuerit conceſſa: non utemur nunc illorum conſenſu. Promimus potius minoris illius propoſitionis probationem ex ipſo aureæ bullæ textu. Nova ſcilicet jura longe alia verborum forma ſolent dari: non ſane per verba modi indicativi præſentis temporis, ſed imperativi potius modi, aut temporis futuri: nec obiter quaſi, ſed ſerio & ſeorſim; præſertim ſi jura ſint majoris momenti, qualia utique ſunt, de quibus Moguntinæ ſedi hodie controverſiam movet Colonienſis. Jam vero expendat mihi quisque pro ſeſe verborum aureæ bullæ ſeriem & formam. Verba hæc ſunt: *Primo quidem interrogabit a Trevirenſi archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe: Secundo a Colonienſe archiepiſcopo, cui competit dignitas nec non officium Romanorum regi primum diadema imponendi.* Ultima ſane hæc verba non præ ſeſe ferunt vel leviſſimum ſignum novi juris per verba illa conceſſi: ut vel una vocula *competit* præſentis temporis modi indicativi ſatis prodit.

XXIII. Major propoſitio nititur eo, quod ante auream bullam ſedi Colonienſi jus illud illimitatum non competierit. Id quidem ex iis, quæ reſponſa ſunt ad vindicis argumenta luculente jam patet; breviter tamen etiam hic oculis omnium in hunc modum exponimus:

Quod jus neque lege neque conſuetudine ſedes Colonienſis ante auream bullam nacta eſt, id ante auream bullam illi non competiit.

At jus coronandi illimitatum neque lege neque conſuetudine ſedes Colonienſis auream bullam nacta eſt.

Ergo jus coronandi illimitatum ante auream bullam Colonienſi ſedi non competiit.

XXIV. Major propoſitio omnibus nota eſt. Minorem jam probatam dedimus, oſtendendo, nullum reſcriptum cæſareum, nullam adeo pontificiam bullam reperiri, imo talis alicujus reſcripti cæſarei aut pontificiæ bullæ nullum veſtigium in omnibus monumentis inveniri: ſimul vero, nec ullum reges coronandi actum extra diœceſin a Colonienſe ſede eſſe exercitum, itidem jam tum eſt manifeſtum. Ut proinde de primi noſtri ſyllogiſmi veritate nullum poſſit amplius ſupereſſe dubium.

XXV. Adferemus igitur nunc & ſyllogiſmum hunc alterum:

Quæcunque conſtitutio uni loco adſtringit coronationem, illa non dat cuipiam jus coronandi loco quovis.

At aurea bulla coronationem adſtringit uni loco, Aquisgrano videlicet.

Ergo aurea bulla non dat cuipiam jus coronandi loco quovis.

Major ſole eſt ipſo fulgidior. Minor itidem conſtat ex verbis diſertis aureæ bullæ jam tum ante allatis in medium.

XXVI. Addemus nunc & ſyllogiſmum tertium:

Qui ſenſus verborum aureæ bullæ ne quidem proximo ab illa condita tempore, Colonienſi ſedi in mentem venit, is non eſt genuinus ſenſus verborum illorum.

At ſenſus ille de illimitata coronandi facultate ne quidem proximo tempore a condita aurea bulla Colonienſi ſedi in mentem venit.

Ergo ſenſus ille de illimitata coronandi facultate non eſt genuinus ſenſus verborum aureæ bullæ.

XXVII. Major propoſitio perſpicue patet omnibus, præſertim ſi attendatur, ipſos Colonienſes archiepiſcopos fuiſſe ex parte aureæ bullæ conditores, & in ipſorum favorem verba illa adſcripta eſſe. Qui enim potuit ſtatim proxima ætate legislatorem latere ſenſus latæ ab ſeſe & in favorem ſuum legis?

XXVIII. Minorem oſtendo primum eo, quod, cum omnibus hominibus prudentibus rerumque ſuarum ſatagentibus nihil prius ſit vel antiquius, quam juris ſui, quod credunt ſe impetraſſe, aliquem actum edere in ſignum poſſeſſionis ſuæ vel quaſi poſſeſſionis, a Colonienſe tamen ſede actus aliquis illimitati juris ne quidem proxima ætate illa, imo nec ſequente omni, ſit exercitus. Aut dicendum ſane fuerit, Colonienſes archiepiſcopos omnes, qui tum ſederunt, vel jurium ſuorum fuiſſe oſcitantes & imprudentes obſervatores, vel prohibitos fuiſſe coronandi actum extra diœceſin inſtituere. Poſterius autem non poteſt oſtendi ullo vel leviſſimo ſigno, ex monumentis antiquis petito. Prius item repugnat omnibus fide dignis narrationibus de vita & geſtis ipſorum. Elucet ſane inde, eorum pleroſque prudentia & dexteritate agendarum rerum noſtræ ætatis archiepiſcopis, quamvis ſapientiſſimis, haud fuiſſe ſecundos. Si neutrum vero horum veritati eſt conſentaneum, ſupereſt nihil, niſi ut fateantur dicantque omnes, tale jus illimitatum Colonienſibus archiepiſcopis, proximo poſt auream bullam tempore, fuiſſe ignotum; vel, quod idem, ſenſum illum dictorum aureæ bullæ de illimitata coronandi facultate Colonienſe ſedi ne iſthac quidem ætate veniſſe in mentem. Id quod aſſerebat noſtra propoſitio minor.

XXIX. Eandem vero minorem oſtendo etiam eo; quod quinquaginta circiter annis poſt conditam auream bullam, Colonienſes archiepiſcopi curaverint per Rupertum imperatorem ſingulari privilegio ſibi indulgeri licentiam, ſuo arbitratu præfiniendi coronationis locum intra provinciam aut diœceſin ſuam. Teſtatus idipſum eſt jam ante centum annos Hartmannus Maurus, conſiliarius electoralis Colonienſis: conſentit vindex ipſe cum alibi tum n. 35. Hinc vero argumentamur:

Quicunque ſingulari privilegio curant ſibi concedi libertatem coronandi quocunque loco diœceſeos aut provinciæ ſuæ illis non eſt perſuaſum, jus ſibi jam tum eſſe coronandi quocunque loco ſive intra ſive extra diœceſin ſuam.

At Colonienſes archiepiſcopi a Ruperto imperatore curaverunt ſibi concedi libertatem coronandi quocunque loco diœceſeos aut provinciæ ſuæ:

Ergo Colonienſibus archiepiſcopis tempore Ruperti imperatoris non fuit perſuaſum, jus ſibi jam tum eſſe coronandi quocunque loco ſive intra ſive extra diœceſin.

XXX. Majorem nemo, ſcio, temere negabit, cui ſinciput eſt ſanum. De minore forte quis dubitet, quod Hartmannus Maurus non tam ſimpliciter de licentia coronandi quovis loco intra diœceſin videtur loqui, quam de libertate locum quemvis ex arbitratu præfiniendi. At vero fatemur quidem poſterius aſſeri a Mauro: num exacte vero ille ſenſum privilegii Rupertini fuerit aſſecutus vel retulerit: merito dubitamus. Certe ſi Advocatis Colonienſibus feria veri & recti cura eſt, debuiſſent jam tum publicare bona fide tabulas ipſas cæſareas; ſaltim nunc denique id ab illis fieri æquum ac juſtum eſt. Inſpectio ſane tabularum ipſarummet multum profuerit ad veri inveſtigationem. Cum autem vindex ipſe non niſi ad Mauri provocet n. 35. etſi in promptu habuerit tabulas in archivo archiepiſcopali, valde ſuſpecta prudentibus omnibus facta eſt illa ab Hartmanno Mauro prodita Rupertini privilegii interpretatio. Accedit, quod vindex, diſertis verbis nondum hunc tangens, ita proponat quæſtionem n. 34. *Incidit hic quæſtio minime diſſimulanda, cur ſubinde apud auctores legatur: archiepiſcopo Colonienſi collatum privilegium intra diœceſin ſuam coronandi reges.* Reſpondens quoque hiſce utatur verbis n. 34. *Cum ex primæva Caroli magni inſtitutione præſente Leone III. facta, ſola Baſilica & urbs Aquisgranenſis regali hac coronationis prærogativa gauderet, ejusque loci magna eſſet & inviolata fere apud veteres religio, viſum eſt poſtea quibusdam pontificibus & imperatoribus, indulgere archiepiſcopis Colonienſibus, ut id ipſum in tota diœceſi facere poſſent, tanto illuſtriore honore, quanto amplius illius exercendi theatrum eſſent ſortiti.* Hiſce vero ſtatim ſubjungat: *Clare id elucet ex facto imperatoris Ruperti.* Si itaque ipſimet vindici credimus, Rupertus indulſit non niſi privilegium coronandi in tota diœceſi Colonienſi. Pari nimirum ratione, atque olim Leo nonus papa (ſi credimus vindici n. 43.) *Privilegium* coronandi Aquisgrano *affixum ad totam diœceſin extendit.* Id quod illud ipſum eſt, quod minor noſtra profitetur.

XXXI. Ponamus vero Rupertum cæſarem indulſiſſe etiam hoc ſedis Colonienſis archiepiſcopis, ut liceat ipſis in diœceſi ſua ex arbitratu definire locum coronationis; etiam ita tamen manifeſtum fuerit id quod diximus: nempe non fuiſſe tunc perſuaſum illis, ſibi fas eſſe coronare extra ſuam diœceſin. Utique enim hujus juris ſui curaſſent fieri mentionem in tabulas, ne cui videatur hoc privilegio derogari ſuo communi & illimitato juri, quemadmodum facile videri poſſit. Tale autem quid non legi in tabulis iſtis veriſimile facit ipſa Hartmanni Mauri narratio. Res ipſa enim, quam egerunt legati Colonienſes apud Carolum V. exigebat utique, ut & hujus illimitati juris monſtrantis tabulis Rupertinis fieret mentio. Ne quidem verbulo autem motum illud

illud illimitatum coronandi jus, ſed de ſolo actum eſſe illo limitibus diœceſis incluſo, ex Hartmanni Mauri libello eſt clariſſimum. Certiſſimos autem plane nos jam reddiderunt advocati Colonienſes. Indubie enim etiam hæ tabulæ ab illis excuſſæ ſunt. Et tamen de jure illo indefinito nihil ex iis eſt depromptum, omne præſidium coactis illis collocare in verbis quibusdam Friderici primi cæſaris: ceu ſupra vidimus. Adhoc cui fiat veriſimile, archiepiſcopos Colonienſes jam tum ampliſſima facultate gaudentes, quocunque loco per omne imperium Germanicum reges coronandi, in eaque nuperrime per auream bullam iterum confirmatos, petiiſſe per cæſarem ſibi indulgeri aliquod coronandi jus, tantum in ſua diœceſi? Quicquid vero hujus ſit, certe Rupertinum privilegium argumento eſt, non id creditum iſthac tempeſtate fuiſſe Colonienſibus archiepiſcopis, quod hodie; ſibi nempe competere jus coronandi indefinitum.

XXXII. Argumento autem eædem Rupertinæ tabulæ etiam ſunt; nec Cæſarem Rupertum nec qui tabulis ſcribendis ex more tum uſitato adfuerunt principes, aliosque imperii rerum gnaros conſiliarios cæſareos, fuiſſe tum perſuaſos de jure iſthoc illimitato ſedis Colonienſis. Perſuaſi certe non dediſſent illud privilegium, quo ſeſe aliquandiu jactitarunt Colonienſes, perinde atque hi illud ſibi non petiiſſent dari aliter perſuaſi.

XXXIII. Antequam hunc locum deſeramus, non poſſumus non petere benevolum quemvis lectorem, uti ne gravetur expendere, quæ diſſerit vindex n. 34. & 35. de verborum illorum *intra diœceſin* ſenſu, animo ſemper attendens tamen, opinari vindicem ſimul Colonienſi ſedi jam a Caroli magni ævo competere jus indefinitum coronandi. Videre enim ibi eſt has aſſertiones. 1. Ex Caroli magni inſtitutione in ſola Baſilica & urbe Aquiſgranenſi licere coronare. 2. Quosdam Pontifices & imperatores indulſiſſe archiepiſcopis, coronare in tota diœceſi. 3. Eo ipſo archiepiſcopos amplius theatrum coronationis nactos eſſe. 4. Ingens dignitati diœceſis Colonienſis incrementum acceſſiſſe ex eo, quod imperatores in eadem coronari debeant. Et tamen 5. Colonienſi privilegio nihil detractum, quo minus ubique coronare poſſent. Hæc *ἀσύστατα* eſſe equidem non poſſum non judicare. Et tamen promiſerat vindex num. 34. ſeſe *lucem allaturum advocato, modo feneſtras non claudat.* Apage illam tenebroſam lucem.

XXXIV. Cæterum in omni etiam aurea bulla nihil reperiri quod deſiderato Colonienſium juri coronandi faveat, ſatis ſuperque jam patet; ac proinde omnia quarti ordinis argumenta inania eſſe.

- - - - - - - - - Scilicet atrum
Deſinit in nihilum viſum aurea bulla ſuperne.

V.

I. Quintum locum vindex dedit coronationibus ultimis, quas Moguntinus peregit. Ex iis quemadmodum queat formari ſyllogiſmus pro cauſa Colonienſi, minus promptum eſt videre. Obſervatis tamen iis, quæ de illis coronationibus advocati diſſeruerunt, in hunc modum licuerit argumentari.

Si ipſas illas coronationes, quas extra diœceſin Colonienſem intra hoſce proximos centum annos Moguntinus celebravit, non proprio ille ſed vicario tantum Colonienſi jure pergit, ergo jus coronandi extra diœceſin Colonienſem non Moguntino ſed Colonienſi archiepiſcopo competit.

At ipſas illas coronationes, quas extra diœceſin Colonienſem intra hoſce proximos centum annos Moguntinus celebravit non proprio ille, ſed vicario tantum Colonienſi jure peregit.

Ergo jus coronandi extra diœceſin Colonienſem non Moguntino ſed Colonienſi archiepiſcopo competit.

II. Admittimus majorem, minorem vero propoſitionem omnino explodimus. Vindex n. 89. ubi ſimilem minori theſin attuliſſet in medium, addit: *Siquidem ea, quæ hoc toto ſcripto allata ſunt, in jure & facto ſubſiſtant, probatione nulla hæc theſis indiget.* At vero non ſubſiſtunt illa neque in jure neque in facto. Probatione igitur minor aut theſis illa maxime indiget.

III. Vice probationis videtur adferre vindex; in priori ſcripto Colonienſi fuiſſe oſtenſum, quo tempore ultimæ coronationes ſint inſtitutæ, *archiepiſcopos Colonienſes fuiſſe infulis & ſacerdotio deſtitutos, ac proinde ad ſolennes conſecrationes imperatorum inhabiles, impedimento ex ſacris canonibus injecto.* Allatum hoc ſane eſt in ſcripto illo. A nemine etiam hoc negatum eſt, a nemine negatur. Sed quid hoc ad rem? Non negaverimus, a defectu iſto factum, ut tanto temporis ſpacio nemo Colonienſium tentaverit coronationem aggredi: Sed obſtitit ille defectus primo & per ſeſe in ſua diœceſi, extra illam, inhabiles fuiſſent etiam infulati. Si fuiſſent vero infulati, potuiſſent Aquiſgrani coronationes quidem inſtituere, extra diœceſin tamen ſuam non potuiſſent. Nec enim bona eſt collectio: ſi Colonienſes archiepiſcopi abſtinuerunt aliquamdiu a coronandis regibus propterea, quod infulis fuerint deſtituti, ergo infulati potuiſſent extra diœceſin ſuam coronare. Perinde ſane eſt, ac ſi tu velis ita ratiocinari: ſi Cajus aliquamdiu abſtinuit a colendo agro ob pecuniæ defectum, ergo inſtructo pecunia jus ipſi fuiſſet quemvis agrum colendi.

IV. Nihil igitur ad rem facit illa etiam vindicis annotatio n. 91. ex Ottone Friſingenſi, quod nempe cardinalis Theodoinus Conradum III. regem coronaverit olim itidem, propterea *quod archiepiſcopus Colonienſis infulis careret, atque adeo rem novam non eſſe:* quod item a Buxtorfio, Limneo & aliis ſit obſervatum, Maximilianum ſecundum & Rudolphum Cæſares itidem ob eundem defectum infularum a Colonienſibus non eſſe coronatos. Vera hæc eſſe, nemo negat: ad rem vero, inquam, hæc non faciunt: Nec enim probant, quod probandum erat, infulæ videlicet defectum obſtitiſſe, quo minus extra diœceſin coronare potuerint Colonienſes archiepiſcopi.

V. Vice

V. Vice probationis porro videri poſſint fungi & *proteſtationes* Colonienſium archiepiſcoporum factæ circa coronationes illas Maximiliani II. & ſequentium. Reſponderat vero jam diſſertator *primum:* illas proteſtationes niti ſola fide actorum Colonienſium: *ſecundo*, hoc tantum voluiſſe cautum archiepiſcopos, ne coronationibus illis jus ſuum coronandi Aquiſgranenſe aliquid capiat detrimenti. Vindex contra reſpondet n. 90. ad primum quidem: *quid ſi proteſtationes ejusmodi ab imperatoribus receptæ ſubſcriptæque ſint, fidemne facient? Ita plane apparet ea, quam anno 1637. Ferdinandus archiepiſcopus Ferdinando ſecundo imperatori obtulit, ab eodem imperatore acceptam & ſubſcriptam.* Verum hæc reſponſio uni tantum proteſtationi certam fidem facit, reliquas deſerit. Imo ſic ſatis perſpicue indicat, reliquas, ſi quæ ſunt, fide ſola actorum Colonienſium niti. Id quod dixerat diſſertator. Si quæ fuerit, inquam. Nullam enim proteſtationem interpoſitam eſſe a Colonienſibus circa coronationem Rudolphi II. & Matthiæ, jam tum in aſſertione juris Moguntini obſervatum eſt ex ſilentio libelli Germanici, quo inter alias jactatas hæ duæ tacite prætereuntur.

VI. Ad ſecundam diſſertationis propoſitionem reſpondens vindex jubet inſpicere geſta Anni 1619. & decretum coronationis Ferdinandi II. ubi dicatur: *Eccleſiaſtici electores debebunt convenire de conſecrationis munere; cum archiepiſcopus Colonienſis qualificatus non ſit, qui locum & vices ejus ſuppleat:* cum tamen coronatio eſſet peragenda Francofurti non Aquiſgrani. At vero hæc reſponſio non tangit proteſtationem factam circa coronationem Maximiliani II. Imo cum in illo decreto, ad quod provocat vindex, nulla omnino fiat mentio proteſtationis a Colonienſi factæ circa coronationem Ferdinandi ſecundi, plane hæc omnis reſponſio ab interpretatione proteſtationum Colonienſium, qua de agendum erat, aliena eſt. Ferdinandi porro ſecundi laudatiſſimi cæſaris verba illa non quidem certo adſtruunt Moguntinum jus, ſed quaſi indubio locant: idque prudenter; ne noviter electus rex aſſertione ſua offenderet Colonienſes, qui videntur jam tum cœpiſſe, etſi minus aperte, ſibi ſimpliciter omne coronandi jus attribuere: non tamen diſerte profeſſus eſt, Colonienſi fas fore coronationem Francofurti inſtituere, absque infularum defectu eſſet. Litem gliſcentem omnino diſſimulare non licuit optimo Ferdinando electo regi. Decidere ille non potuit. In dubio itaque illam ipſe relinquens commiſit eccleſiaſticorum electorum ſententiæ.

VII. Ad proteſtationes vero ut redeamus. Fac proteſtatos eſſe circa omnes illas coronationes archiepiſcopos Colonienſes (quod factum non eſt) & quidem fac ita proteſtatos, ut appareat illos jam tum ſibi arrogaſſe jus coronandi extra diœceſin ſuam, (quod itidem a nemine illorum factum eſt ante annum 1637) hinc neutiquam certo collegeris, veram eſſe propoſitionem minorem quinti ſyllogiſmi: nempe *illas coronationes, quas extra diœceſin Colonienſem intra hosce proximos centum annos Moguntinus celebravit, non proprio Moguntini, ſed vicario tantum Colonienſi jure peractas eſſe.* Proteſtationes enim unius partis litigantis tantum impediunt, ne pars altera adverſis actibus jus aliquod ſibi acquirat præſcriptione; atque adeo parti proteſtanti jus, ſi quod habet, ſervant integrum, ſi non habet, non addunt aliquid juris, nec confirmant. Tum demum vero tale quid poſſunt, quando pars adverſa proteſtationes illas, tanquam æquas & juſtas, acceptat, & in eas conſentit. Jam vero nemo Moguntinorum archiepiſcoporum in ullam proteſtationem Colonienſem conſenſit: nullam eorum quisquam probavit acceptavitque. Itaque etiam ſi perpetuo debita ratione per proteſtationes caviſſent illimitato juri Colonienſes, proprio tamen jure Moguntinum non inſtituiſſe coronationes illas, neutiquam hinc conſequens eſt.

IIX. Non tantum vero ex eo, quod in probando deficiant cauſæ Colonienſis patroni, liquet minoris propoſitionis falſitas; ſed multo adhuc magis illa elucet inde, quod nullo verbulo hactenus vices coronandi vel Colonienſes Moguntinis detulerint, vel Moguntini a Colonienſibus acceptaverint oblatas. Utrumque autem requiritur ad id, ut vicaria opera præſtetur. Alterum ſane horum non ſufficit, ſi deſit alterum. Deeſt autem omnino utrumque. Nec enim vel minimum reperiás indicium ſive hujus ſive illius aliquando acti.

Quum minor itaque propoſitio etiam quinti ſyllogiſmi nihil habeat veri, illum quoque ſyllogiſmum removendum eſſe ex numero collectionum vitio carentium, manifeſtum eſt.

VI.

I. Non ſit mentio in vindiciis aliorum argumentorum præter jam examinata. Quoniam tamen in libelli Germanici fine proponitur aliquid, quod inſtar habeat omnium, coronidis loco & de illo nonnihil adjiciemus, ne quid videamur omiſiſſe de induſtria.

II. Petitur autem illud inde, quod Moguntinus neminem unquam coronaverit, ſi præſens fuerit vel infulis ſacris inſtructus Colonienſis. Cæterum in aſſertione juris Moguntini jam notata eſt illius argumentationis fallacia, formato hinc ſyllogiſmo hypothetico. Dabimus nunc eidem formam cathegoricam in hunc modum:

Quocunque præſente infulato nunquam inſtituta fuit extra diœceſin Colonienſem coronatio regis Romanorum, illi competit jus coronandi reges Romanorum extra diœceſin Colonienſem.

At præſente archiepiſcopo Colonienſe infulato nunquam inſtituta fuit extra diœceſin coronatio regis Romanorum.

Ergo archiepiſcopo Colonienſi competit jus coronandi reges Romanorum extra Colonienſem diœceſin.

III. Majoris falſitas primum ex hac inſtantia eluceat. Si nempe ſub majore ſubſumatur hæc minor longe veriſſima:

Atqui præſente archiepiſcopo Toletano infulato nunquam inſtituta fuit coronatio regis Romanorum extra Colonienſem diœceſin.

Sequi-

Sequitur tum hæc concluſio ſed falſiſſima:

Ergo archiepiſcopo Toletano competit jus coronandi reges Romanorum extra Colonienſem diœceſin.

Non poſſet autem ſequi falſa adeo concluſio, niſi major falſo laboraret.

IV. Cauſa deinde, quare major, cum ſit falſa, imponat tamen veri ſpecie, eſt illa, quod major illud quod per accidens tantum cum coronatione extradiœceſana conjunctum eſt, ſumat tanquam id per ſe & primo cum coronatione illa cohæreat. Per ſe enim quidem cum coronatione Aquisgranenſi a Colonienſi præſtanda cohæret *infulatum eſſe:* at cum coronatione peragenda extra diœceſin, *infulatum eſſe*, conjungitur tantum per accidens: adeoque poteſt adeſſe & abeſſe.

V. Minorem porro propoſitionem itidem falſam eſſe, oſtendunt ſaltim Ottonis primi, & Conradi II. & Rudolphi Suevi, coronationes a Moguntino peractæ, præſentibus infulatis Colonienſibus.

Ipſe itaque creditus Achilles Colonienſis cauſæ plane eſt invalidus. Quod ſi tamen exiſtimes adhuc aliquam illi vim ineſſe, age in noſtrum uſum illum vertemus.

Quocunque præſente infulato nunquam extra diœceſin Colonienſem inſtitutæ ſunt coronationes, illi competit jus coronandi extra diœceſin illam.

At præſente archiepiſcopo Moguntino infulato nunquam extra diœceſin Colonienſem inſtitutæ ſunt coronationes.

Ergo archiepiſcopo Moguntino competit jus coronandi extra diœceſin Colonienſem.

Major eſt formata ad modum Colonienſis ſyllogiſmi. Minoris veritas jam ſupra eſt oſtenſa. Fatendum igitur venit Colonienſibus: vel ſi ut ſui ita & hujus ſyllogiſmi majorem falſam eſſe: vel concluſionem hanc veram, ſuam autem rejiciendam: vel denique duo contradictoria ſimul eſſe vera.

Concluſio.

Ipſo itaque Achille Colonienſe jam victo & perempto, non eſt quod huic examini amplius immoremur. Cum autem ſole clarius jam omnibus pateat, quam ſive imperite ſive improbe Advocati Colonienſes ſereniſſimum ſuum dominum, principem juſti æquique, cujus quidem eſt factus conſcius, ſtudioſiſſimum atque acerrimum vindicem, in devia abducere, & ipſi S. cæſareæ majeſtati, omnibusque imperii principibus, fictis in ſpeciem veri argumentis imponere conentur: nulli equidem dubitamus, hiſce noſtris probe expenſis, quemvis bonum atque intelligentem ſiniſtros illorum conatus damnaturum. Et vero etſi hæc controverſia non ſit maxima, idonea tamen eſt concordiæ infeſtandæ: cui ſi alias unquam, ab omnibus nunc etiam atque etiam eſt ſtudendum. Nos illis Advocatis bonam mentem & recti ſerium ſtudium precamur, præ turpis lucri cupiditate.

Anti-Conringiana defenſio juris Colonienſis in coronandis regibus Romanorum contra Hermanni Conringii aſſertionem juris coronandi primam & alteram auctiorem. Bonnæ 1656.

Præfatio.

Hermannus Conringius medicus jus Moguntinum reges Romanos coronandi ſcripto tripartito ſuſcepit defendendum, quo præmiſſis fundamenti loco tribus pronunciatis oſtendit cæſaream coronam a ſolis pontificibus Romanis imponi, Germanicam olim eſſe dictam Francicam, quæ a Germanis tranſrhenanis confecta hucuſque permaneat. Sacrificium miſſæ ſæculo tertio decimo adjectum coronationi, unctionem Pipini tempore in regnum Francorum inductam primario regni ſacerdoti deferendam eſſe. His poſitis 4. membris Moguntino jus coronandi reges Romanorum aſſerit. 1. ob primatum Germaniæ. 2. quia ſolus in tota Germania hactenus extra Colonienſem diœceſim omnes reges Romanos coronarit. 3. Colonienſi vult id tantum in ſua diœceſi competere. 4. idque conſuetudine & liberali donatione ſedis Moguntinæ accepiſſe. Denique objecta quædam diluit, & Colonienſis ſcripti rationes conatur infirmare.

Sed cum frivolis argumentis polite propoſitis, admiſcendo falſa veris imponat lectori, reſcripta vero cæſarum canones & decreta pontificum exſibilet, meretur ut ad libram veritatis, & veterum ſcriptorum amuſſim ſcriptum ejus accuratius undecim quæſtionibus expendatur: ac pronunciata tria, licet velut effata philoſophorum abſque teſtibus fere & rationibus proponat, carioſa tamen ſunt, & fatiſcentis ædificii ruinam prænunciant. Prodiit vero ſcriptum editione duplici, prima Francofurti menſe Novembri anni ſuperioris, altera hujus anni menſe Martio Helmſtadii verbis & typo grandius, non rebus & rationibus auctius.

Quæſtio I.

Quando ſucceſſores Caroli magni cœperint Auguſti vocari, & quo diademate ſint coronati.

Initio ſtudioſe cavet, ne jus coronandi reges Romanorum a primis imperii ad Carolum magnum & Francos tranſlati incunabilis arceſſat, declinans ad poſteriora tempora, quibus tranſrhenanæ

Google

Statim poſt Aquenſem coronationem vocati Auguſti. Ludovicus pius.

Germaniæ regnum eſt inchoatum, unde ſumpta putat inſignia regia, moremque traducit, ut poſt ſolam a Romanis pontificibus coronam Auguſti & imperatores dicerentur. Cum certum ſit ab initio tranſlati imperii poſt acceptum Aquiſgrani diadema reges Romanorum (de quibus ſolis nobis eſt ſermo) ſe Auguſtos & imperatores nominaſſe. De Ludovico pio ſic Eginardus loquitur: Extremo vitæ tempore evocatum ad ſe Ludovicum Aquitaniæ regem congregatis ſolenniter de toto Francorum regno primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni, & imperialis nominis hæredem conſtituit, impoſitoque capiti ejus diademate imperatorem & Auguſtum juſſit appellari. Conſentit vita Ludovici *cap. 9.* & tandem eum imperiali diademate coronavit. *ibidem cap. 11.* ſic Lotharii deſcribit inaugurationem. *Imperator* in eodem placito filium ſuum primogenitum Lotharium imperatorem appellari & eſſe voluit. *Adelmius in annal. Franc.* Generalem populi conventum Aquiſgrani more ſuo habuit, in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis & imperii ſocium ſibi conſtituit. Id vi pragmaticæ Carolinæ a Leone tertio confirmatæ licuit, cujus hæc verba *f. 17.* recitat Conringius: *Ac in ipſa ſede reges ſucceſſores & hæredes regni initiarentur, & ſic initiati jure dehinc imperatoriam majeſtatem Romæ ſine ulla contradictione plenius aſſequerentur.* Quibus verbis poteſtas fiebat nomen & poteſtatem uſurpandi ſaltem electi imperatoris Romanorum. Quis primus ab eo more deflexerit ſic Onuphrius *c. 5.* de comitiis narrat: „A quatuor, ait, primis Francis imperatoribus minime obſervatum fuit, quod „ſequentes principes religioſe admodum coluere, ipſi enim cum ex ſola hæreditate nulló electio„nis jure ſibi invicem ſucceſſiſſent, Auguſti vel imperatoris nomen non die coronationis ſuæ a „Romanis pontificibus aſſumpſere, ſed eo potiſſimum die, quo a patre appellabatur imperator, a quo „etiam die eorum imperii annos numerare ſolebant, nulla habita pontificiæ conſecrationis ratio„ne. Id autem ſatis ex eorum privilegiis & diplomatibus liquet, in quibus tam ante quam poſt „Romani pontificis coronationem ſeipſos imperatores, cæſares, Auguſtos appellant, quod nullus „ſequentium deinceps imperatorum fecit, qui ante pontificiam coronationem ſe reges tantum, „vel electos imperatores appellare conſueverunt: poſt ſupremam vero, quæ Romani pontificis, „unctionem, omnes antiquorum Auguſtorum titulos aſſumere ſolebant; idque primus obſerva„vit Carolus 2. cognomento Craſſus.

Carolina corona cinguntur reges Romanor.

Jam vero coronam etiam regum Romanorum e Germania potius, quam Aquiſgrano vel Carolo magno Conringius abſque teſte petit. *Quinimo*, ait, *ipſamet illa corona, qua hodieque coronantur reges Romanorum eſt illa, qua coronati fuere reges Germaniæ, nondum cæſarea dignitate cum Germaniæ regno conjuncta.* At verius *Onuphrius c. 7.* Carolinam facit. *Rex*, ait, *electus in Caroli magni ſede locatur, quæ eſt Baſilica B.V. ab eo condita, ejusque diademate redimitus inauguratur in Germaniæ & Franciæ regem.* Conſentiunt Hartmannus Maurus & Schradius in coronatione Caroli 5. Bertius in Noremberga, Noppius in Aquiſgrano.

Quæſtio II.

Quando ſacrificium miſſæ adhibitum coronationi regum Romanorum.

Sacrificium adjunctum coronationi Ottonis I. Ludovici pii. Ludovici 2. Caroli M.

Gravius in 2. pronunciato Conringius hallucinatur, dum negat ſacrificium miſſæ ante ſæculum tertium decimum fuiſſe conjunctum coronationi, neque apud Witikindum in Ottonis magni conſecratione uſitatum: miror tantam oſcitantiam, cum unctione narrata ſubdat Witikindus: *Divina laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato deſcendebat rex ad Palatium:* Wilhelmi coronationem vide infra *qu. 8.* ſed Witikindo vetuſtior Theganus fol. 19. laudatus a 1. poſt ipſa, quæ recitat verba ſubdit de Ludovico pio. *At ille juſſionem patris implevit, quo facto audientes miſſarum ſolennia ibant ad Palatium:* de eodem a Stephano papa Remis coronato ſic Adelmius narrat. *Qui ſtatim imperatori adventus ſui cauſam inſinuans, celebratis ex more miſſarum ſolennibus cum diadematis impoſitione coronavit;* hujus nepotem Sergius papa ſic Anaſtaſiò teſte cinxit diademate; *tunc Almificus pontifex manibus ſuis ipſum Ludovicum Lotharii imperatoris filium oleo perungens, regali ac pretioſiſſima coronavit corona, regemque Longobardis præfecit, deinde miſſarum celebratione finita ab eccleſia omnes cum rege lætantes regreſſi ſunt.* Eodem teſte ſic Leo tertius Carolum conſecravit. Ilico ſanctiſſimus Antiſtes & pontifex unxit oleo ſancto Carolum, & excellentiſſimum filium ejus regem in ipſo die natalis domini noſtri Ieſu Chriſti, & miſſa peracta, poſt celebrationem miſſaram obtulit ipſe imperator menſam argenteam.

Nec Aventinus, ut putat Conringius, aſſeruit in Rudolphi Habsburgici inauguratione primum eſſe ſacrum factitatum: ſed Heptarchas tunc electoralem dignitatem auſpicatos, ac in his Colonienſem ſacris operatum jus coronandi ſedi ſuæ proprium ſucceſſoribus reliquiſſe, ſpiſſo errore ſeptemviratum arbitratus circa annum 1273. introductum Gregorio X. pontifice.

Quæſtio III.

An primario præſuli cujuſque regni jus coronandi deferatur.

Tertium fundamentum titubat.

Affirmat Conringius pronunciato tertio, & in prima ratione, quam labefactat concedendo poſſe idem jus inferiori per privilegium tribui, adeoque non ſoli ſemper præcipuo præſuli, ſed tantum communiter & plerumque competere: nutat etiam hujus fundamenti probatio, dum in Italico regno tradit id præſtare Mediolanenſem, quem tamen Ravennas, & Aquilienſis patriarcha præcedunt in conciliis *Sigon. lib. 8. de regno Italiæ anno 1047. Azor. p. 2. l. 3. fol. 911. Rubeus in hiſt. Ravennate, an. 1040.* Jam in Anglia diu Eboracenſis cum Cantuarienſi contendit de primatu, ut in Gallia

Arela-

Arelatenſis ab Agapeto, Vigilio, Pelagio, & Gregorio M. vicarius & legatus apoſtolicus per totam Galliam, etiam poſtquam Remenſis archiepiſcopus coronandi regis Francorum jus accepiſſet, eſt conſtitutus, *Azor. fol. 514.* Adde, quod Mediolanenſis & Remenſis ac ſimiles jus illud etiam ſibi privilegio vindicent, ut non repugnet ſummum regni primatem id ſibi privilegio datum aſſerere: poſſitque recte Pariſius & alii Colonienſem ob jus coronandi facere ſuper omnes Alemanniæ Magnates ſupereminentem, licet privilegio jus illi ſtabiliatur.

Quæſtio IV.

An Moguntino vel Colonienſi ob primatum idem debeatur.

Ratio Conringii.

Vacillantibus ſic tribus baſibus ſuperpoſita quatuor membrorum quaſi murorum ſtructura cum rationibus labat & titubat. Ideo rurſum initio primi membri deflectit a norma, a regibus Romanorum ad reges Germaniæ contra propoſitum: tam parum enim huc ſpectat, quis reges Orientalis Franciæ divulſo ab eis imperio, quam quis Occidentales Francos ſeu Gallos coronarit; agitur enim hic, quis ab initio tranſlati ad Carolum magnum imperii, ejus ſucceſſores imperii trans alpes conſecrarit.

Retorta pro jure Colonienſ.

Audiatur tamen Conringii ratio hoc ſyllogiſmo comprehenſa. Jure gentium ad primum præſulem cujusque regni ſpectat regis coronatio. Demonſtraſſe ſe id prius ait: faciamus ita eſſe. Atqui Moguntinus ſaltem in Orientali Germania, ad quam ſpectabat in diviſione regnorum ab anno 842. cum Colonienſis ad eam cum Trevirenſi circa annum 870. acceſſerit, erat primus præſul Germaniæ, & manſit tempore Ottonis 1. ut Witikindus, Marianus Scotus, Benedictus 7. Schaffnaburgenſis inſinuant: ergo ad eum ſpectabat jus coronandi regem. Hic validiſſime & efficaciſſime contra Moguntinum pro Colonienſi concludit Conringius: cum enim anno 842. Lotharius eſſet ſimul Lotharingiæ & Romanorum rex, atque Moguntinus in alio Germaniæ regno degeret, quomodo ſibi jus coronandi regis Romanorum vindicavit in alieno regno conſtitutus? rectius ſic ſubſumo: atqui Colonienſis tunc erat primus præſul Lotharingiæ conjunctæ cum regno Romanorum, nullo modo Moguntinus: ergo Colonienſi jus coronandi reges Romanorum debebatur, non Moguntino alieni regni præſuli. Colonienſis vero non tunc primum, ſed anno 813. poſſeſſionem juris hujus adierat, Ludovico pio Aquis coronato: quo eodem anno cum Hildeboldus Colonienſis Moguntiæ in nationali concilio ante Moguntinum præſideret, utique primus Lotharingiæ & Germaniæ præſul eſt judicatus, ideo & primus Carolino teſtamento ante Moguntinum ſubſcripſit, & quinquennio poſt Lotharium Aquis diademate cinxit, ac veroſimiliter hujus filii a Lotharingiæ primario præſule ſunt conſecrati; dum vero anno 870. Colonia viciniorque Lotharingiæ pars cum Germania coaluiſſet, jus illud coronandi reges Romanorum, quod 70. annis poſſederat, non perdidit, imo jus primi præſulis ampliavit, anno 873. concilio nationali Colonienſi, cui Moguntinus & Trevirenſis interfuit, Willigiſus Colonienſis ante Moguntinum ſubſcribendo.

Initium & poſſeſſio ejus A. 813. Primatus ejus ſæculo octavo & nono.

Decimo.

Sæculo ſequenti Ottone magno vivo primatum Colonienſem auxit Bruno vehementer, cum regnum Lotharingiæ poſſideret, imperium Romanum pro abſente fratre, regnum Galliæ pro Nepotibus gubernaret, & Romanus pontifex ei, quoties luberet utendi pallio, feciſſet poteſtatem: de quo Witikindus *lib. 1.* Tertium quoque Brunonem, quem pontificis ſummi, & ducis magni vidimus officium gerentem. Idem e Rogero in vita, *ſummus pontifex, ſummus antiſtes, ſummus præſul*, identidem appellatur.

Undecimo.

Sæculo undecimo proximo Hermannus Colonienſis Ottonis tertii ſororis filius prælatus eſt, Moguntino a cæſare in templo Goslarienſi dedicando, Henrico quarto baptizando & coronando. Eundem & ſucceſſores Leo nonus archicancellarium & Bibliothecarium ſuum data ei Lateranenſi Baſilica conſtituit, jus coronandi reges Romanorum confirmavit, cujus privilegium ſuppoſitis Benedicti 7. literis oppono, uti & Mariano Scoto coævum Adamum Bremenſem *c. 152. hiſt. eccleſ.* qui de augmento primatus hujus ſic loquitur, anno eccleſiam ſuam Colonienſem cum prius magna eſſet, ita maximam fecit, ut jam comparationem evaſerit *omnium, quæ in regno ſunt eccleſiarum*: Pari affectu, ut cæſares, ſic Romani pontifices præ omnibus Germaniæ ſedibus eam teſte Gregorio 7. Annoni ſcribente, diligebant. *Conſtat eccleſiam Colonienſem inter ceteras regni Teutonici eccleſias ſanctæ & apoſtolicæ ſedi ita fide & dilectione atque obſequiis ab annis prioribus eſſe devinctam, ut ſingulari familiaritate & gratia caritatis apud eam tanquam dulciſſima filia præpolleat, quem benevolentiæ laudibus uſum ab anteceſſoribus noſtris ad nos uſque deductum non ſolum obſervare, ſed etiam ampliare & augmentare pro rerum opportunitate & temporum omnibus modis ſum paratus.* Hæc anno 1075. ſcribebat, & alias addidit, quibus inſinuavit, quomodo circa annum 1049. cum Leo 9. primatum Trevirenſem, cujus ſuffraganeus fuerat ipſe, tunc per Galliam & Germaniam legatus obſtiterit pro primatu Colonienſi *l. 1. ep. 70.* *Ob recordationem diſciplinæ, qua tempore anteceſſoris noſtri in eccleſia Colonienſi enutriti ſumus ſpecialem et præter ceteras Occidentales eccleſias dilectionem impendimus & ſicut adhuc eccleſiæ Romanæ filii teſtantur, tempore B. Leonis papæ Trevirenſi epiſcopo pro honore eccleſiæ veſtræ, quod idem Leo ægre tulit, viribus totis reſtitimus.* Hic nulla fit mentio primatus Moguntini, qui jam eviluerat, licet tunc audacter eum defenderet Schafnaburgenſis, cui præter hoc oppono coævum, dignitate vero, ſanctitate, doctrinaque potiorem Rupertum Tuitienſem, qui eum Colonienſi præ Moguntino *l. 1. de officiis c. 47.* ſic attribuit. *Moguntiæ Creſcens, apoſtoli Pauli diſcipulus, prædicavit, ſed primatum Coloniæ Metropolis obtinuit, ea maxime cauſa, quia Creſcens prædictus Coloniæ quoque apoſtolicam verbi Dei*

Defenditur a Romanis pontificibus.

Concluditur pro Colonienſi.

prædicationem primus intulit. Retorqueamus ergo primariam Conringii rationem contra Moguntinum pro jure Colonienſi. Jure gentium primario regni Romanorum præſuli debetur jus coronandi reges Romanorum: at primarius præſul poſt imperium ad Carolum & Francos translatum ſemper fuit Colonienſis, ut tradunt Eginhardus, annales Francorum, Rogerus, Witikindus, Adamus Bremenſis, Leo nonus, Gregorius 7. & Rupertus, cum Moguntinus in alio ſeparato regno diu fuerit: ergo Colonienſi jure gentium jus coronandi reges Romanorum ab initio huc uſque ſine ullo temporis intercapedine debitum fuit, præ Moguntino.

Quæſtio V.

Quo jure Moguntinus & Colonienſis extra Colonienſem diœceſim coronarint.

Colonienſis jure ſuo Nurrembergæ coronavit.

Alterum membrum & ratio Conringii hic obſcurius poſita & in fine repetita, clarius hoc ſyllogiſmo comprehenditur. Qui ſolus octingentis annis toto regno omnes coronationes extra diœceſim Colonienſem peregit, jus habet ubique coronandi, Moguntinus hoc fecit, ergo. Diſtinguenda major eſt; qui nomine ſuo non impedito vel abſente coronatore ordinario eas peregit, concedi poteſt, & minor negatur: ſolus enim Colonienſis nomine & jure ſuo Nurtenbergæ cedens locali ſuo privilegio unxit Eliſabetham ex officio ſuo, quod pacifice ſæculis tot prioribus poſſidebat, unde petitum vel datum a Moguntino eſſe conſenſum, cum nullus auctorum ſcribat, gratis dicitur.

Moguntina coronationes vitioſa.

Et legitima nomine Colonienſis facta.

Ac primo certum eſt ante Ottonem 1. Aquisgrani plures reges Romanorum eſſe coronatos, ut qu. 4. 7. 8. 9. probatur de Ludovico & Lothario 2. Arnulphum, Ludovicum, & Conradum primum a Moguntino unctos nullus veterum dixit; potuit eos etiam Colonienſis extra ſuam diœceſim, & Ludovicum anno 908. Aquisgrani cum degeret, conſecrare. 3. S. Henricum Willigiſus, & Philippum Suevum Tarantaſienſis Moguntiæ violato jure Colonienſis coronarunt, ideo Aquisgrani Colonienſes eorum electionem & inaugurationem, ut vitio factam, renovarunt. 4. Extorſit Conradus 2. conſenſum Colonienſis, ut a Moguntino conſecraret, ea lege, ut Auguſta Coloniæ coronaretur: Rudolphi Suevi coronationem vitio factam ſuſpendit triennio Gregorius 7. nec niſi miſſa nova corona, & exauctorato prius Henrico 4. probavit ſub finem vitæ ejus, ut anno 1080. docet Baronius ex bulla data. Quinque poſtremi cæſares præſente & conſentiente Colonienſi infulis deſtituto ſunt quidem a Moguntino conſecrati, cæſares tamen & ſeptemviratus aſſecurationibus teſtati ſunt vi aureæ bullæ Colonienſi jus etiam extra ſuam diœceſim coronandi intactum & integrum remanere. Unde cum Moguntinus nomine Colonienſis impediti, munus ejus extra Colonienſem diœceſim obierit, Colonienſis vero infulatus nomine, jure, & ex officio ſuo; ſoli ipſi manet jus ſalvum intra & extra Colonienſem diœceſim legitime reges coronandi: nullus enim hactenus Moguntini actus legitimus unctionis allatus eſt, quem non Colonienſi impedito, vel conſenſum præbente intra vel extra Colonienſem diœceſim exercuerit. *v. q. xi.* Quod vero nunquam in dictis caſibus Moguntini id jure ſuo fecerint, ut editio auctior jactat. Iiſque Colonienſis elector & alii ordines imperii reſtiterint, adeoque nulla præſcriptione jus contra Colonienſem acquirere potuerint, ex dictis, & jam dicendis clare evincitur.

Quæſtio VI.

An Colonienſi tantum competat jus intra ſuam diœceſim conſecrandi.

Vi privilegii poteſt Colonienſis ubique coronare.

Id ex 4. leviſſimis indiciis Conringius probat: 1. quia diœceſis ſuæ tantum in Ottonis magni & Henrici 4. inauguratione Colonienſes meminerunt. 2. non tentarunt alibi coronare. 3. non quæſti ſunt de Moguntinorum alibi coronationibus inſtitutis. 4. Serius Rupertinum privilegium extra Aquisgranum alibi in ſua diœceſi conſecrandi obtinuerunt.

Ac primo non meminerint hiſtorici, qui vulgo nota memorant, cum reſcripta cæſarum & pontificum exhibita cæſari ignorarent, Schaffnaburgenſis tamen addit privilegium Colonienſi vindicatum eſſe: nam biennio ante Leonis 9. obtinuerat. Huc accedit, quod Moguntinus in Ottonis magni coronatione jus nullum ſuum neque primatum prætendere auſus eſt: ſed ob ſanctitatem licentiam ei dederit Colonienſis: in altera cauſa prorſus cecidit, nec auſus deinceps eſt Colonienſi habili litem intendere.

Cur raro alibi uſus.

2. Quid opus erat Colonienſem tentare extra ſuam diœceſim, qui ex officio jus habet ſolus ubique conſecrandi? noluit enim ſine gravi cauſa Carolinam legem infringere, & cedere privilegio ſuo locali in viris; in ſegniori ſexu uſus ſuo jure fecit, nec ullus tunc ei ſe oppoſuit. Hic inde Rupertus in altera editione Bonnæ coronatus dicitur, cum Coloniæ factum eſſe coævi teſtentur.

Obſtitit Moguntini conatibus.

3. Queſtus etiam ſtatim eſt S. Heribertus undecimo ſæculo, quo primum Moguntinus tentavit Moguntiæ coronare, & iteravit inaugurationem: ſucceſſor ejus licet Moguntino coactus conſenſum dediſſet Moguntiæ ungendi cæſarem: Giſelam tamen Auguſtam non Aquis, ſed Coloniæ conſecravit, ut oſtenderet ſoli Colonienſi jus eſſe per ſe & alium extra Aquisgranum & diœceſim coronandi. Nunquam autem Moguntinus teſte ullo vetere ſcriptore, juſſu omnium procerum Germaniæ, præſente habili Colonienſi nec reclamante coronavit.

4. Nihilominus oblatam a Ruperto cæſare clarioribus verbis confirmationem privilegii coronandi extra Aquisgranum admiſit Colonienſis, licet id ſæpius feciſſet, & per auream bullam & apoſtolica diplomata licuiſſet; cum quilibet poſſit ejusdem privilegii petere a diverſis cæſaribus confirmationem, eoque uti, vel non uti, cum ipſi viſum fuerit.

Addit

Addit auctior editio Mancranum, qui narrat Carolo V. a tribus electoribus coronam impoſitam, agnoſcit tamen eam prærogativam ſoli deberi Colonienſi ex communi ſententia, nec adimit unctionem & conſecrationem regis Colonienſi.

Apparet ex his quam frivole ſint allata indicia, quaſi tantum Colonienſis intra ſuam diœceſim vel Aquisgrani poſſit coronare, cum Leo IX. in ſuis privilegiis & alii pontifices, nec meminerint Aquisgrani, ac Colonienſis Bonnæ, Coloniæ, & Nurrenbergæ conſecrarit, obſtiterit Moguntinis, quoties id attentarunt, & Rupertinam confirmationem ejusdem privilegii pridem obtenti non recuſarit.

Fraus Conringii.

In ſequenti 4 membro Conringius egregie lectorem decipit: promittit enim probaturum ſe Colonienſem jus coronandi ſola conſuetudine habere ex liberali conceſſione Moguntini, nullo alio titulo: idem etiam poſt 9 paginas ſe teſtatur demonſtraſſe, nec uſquam verbo indicat, quando ſit Colonienſi facta ea conceſſio, & ejus conſuetudo cœpta: ſic alias velut in arce totius cauſæ maxime fuiſſet immorandum, monſtratis tabulis teſtibus, conditionibus, quibus Moguntinus partem juris Colonienſi intra ſuam diœceſim coronandi ceſſiſſet, retenta ſibi extra eam ubique conſecrandi reges facultate: at altum de hoc ſilentium, ex hac ſtropha licebit alias ejus demonſtrandi formas æſtimare: Duos autem titulos, an Aquisgrani tantum valeat coronatio, deinde an a ſolo Colonienſi inſtituenda ſit, fuſiſſime interim diſceptat.

Quæſtio VII.

An Aquisgrani tantum legitime reges Romani conſecrentur.

S. Heribertus cur iteraverit S. Henrici augurationem.

Adelboldi hiſtoria encomium.

Henricus 5. ubi coronatus.

Choragum initio Conringius agit, & tacito nomine S. Heribertum inducit aſſerentem, de eſſentia coronationis regis Romanorum eſſe, ut fiat Aquisgrani, nec poſſe legem Carolinam aboleri: tam inſipiens non fuit vir ille eruditiſſimus & archicancellarius, nihilominus jure ſuo uſus, cum Moguntinam S. Henrici coronationem vitio factam sciret, ut eam ad normam conſtitutionis Gregorii V. revocaret, iterandam cenſuit; quidni imitaretur Saxones, qui paucis ante diebus eandem redintegraverant, ut jus ſuum tuitus poſteris relinqueret exemplum ad amuſſim obſervandæ Gregorianæ electionis ſeptemvirorum. Fabulam vocas & Adelbold. virum doctiſſimum & ſanctiſſimum ejus authorem negas, cum ipſe initio hiſtoriæ ſatis ſe prodat, inſinuetque Ottoni tertio morienti ſe adſtitiſſe. Non eſt ea Nonnoſi vita Caniſiana, recentioris ævi, ſed quam Gretzerus ultima editione vulgavit. Adelboldi nomine, & vehementer optat, ut nobilis ille tanti viri fœtus integer poſſit reperiri, Browerus etiam in notis ad vitam S. Meinwerci nomine Adelboldi eam laudat: longe vero auctor ille clarius, accuratius & politius ipſo Dithmaro geſta ſuis locis, & temporibus, etiam menſibus & diebus adſcribit, nec is quidquam narrat adverſum Chronico Belgico, quod *fol. 92.* tantum extrema Heriberti cum Henrico cæſare ſub vitæ finem acta conjungit coronationi. Huic repetitæ Heribertinæ inaugurationi recte adſtipulari dicitur Gregorius V. metonymice, licet mortuus, edita ſua conſtitutione, adeoque imperite totum ſcriptum Colonienſe ſuſpectum facit & fabuloſum: De Conrado Salico & Rudolpho Suevo *v. qu. 5.* Improbas Henrici V. Aquenſem coronationem ab Urſbergenſi, Sigonio & Nauclero narratam, quaſi nequierit poſtea anno 1103. a patre in Syriam profecturo rex publicari, & triennio poſt exauctorato parente regni habenas cum inſignibus ſuſcipere addita ſolenni legatorum precatione: facilius aquam e pumice, quam ex his locis novam unctionem Moguntinam expreſſeris, vel priorem eliſeris.

Audax pragmatica Carolina contemptus.

Mutata ſcena medicum induis, qui cenſet Hippocratis conſilio extremis morbis extrema convenire remedia, ſectionem & uſtionem: ſic cum præter conſuetudinem ſæculorum octo, illuſtres alii tituli juris Colonienſis exſtent in reſcriptis cæſareis, bullis apoſtolicis, Canonibus ſacris, & coævis antiquis ſcriptoribus, quæ cauſam adverſariam graviter ſauciant, elevat medicus noſter omnia, halitu difflat objecta, reſcindit decreta pontificum ut erroribus implicata, cæſarum pragmaticas ut fabulas flammis conſecrat, exſibilat canones, ut perlevis obſervationis, ſumma quidquid juri Moguntino contradicit, quantumvis ſacrum & 20 cæſarum chirographis munitum abolendum cenſet, ne jus Colonienſe alio fundamento, quam liberali donatione Moguntina fulciatur. Primo pragmaticam Carolinam a Friderico I & II. corroboratam in jus vocat, ut originem primigeniam Colonienſis tituli ſubruat: ejus notitiam primam a ſæculo 12. repetit auctore Guntero Ligurino, addit electorum Ottonis IV. ad Innocentium literas, de ſede Auguſtorum regia a Carolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata: recitat ipſa Carolinæ pragmaticæ verba, tum quaſi pro tribunali ſedens, flammis abolendam cenſet, ut inepte confictam ea ætate ab Aquenſibus, plenam ineptiis & affaniis: ede ſodes ineptias, ede affanias; nullas attingit verbo, ſic jubet medico; cauſa vulnerata niſi flamma extinctis 20. cæſarum teſtimoniis ſanari nequit aliter, cum nihil tam illuſtre pro Moguntini juris origine reperiatur.

Objecta diluuntur.

At Carolus biennio poſt tripartitus eſt regnum, & uni tantum filiorum reliquit Aquisgranum: verum eſt: quid inde conficis, non potuiſſe ſedem regiam & locum coronationis regis Romanorum inſtituere Aquisgrani? Nunquid & ipſe vivus anno 813. Ludovicum filium ſucceſſorem in imperio ibi coronavit? At Stephanus papa cinxit hunc Remis anno 816. diademate, quid tum? quod Romæ facere debuerat, Remis præſtitit, quid opus iterum repeti Aquisgrani, ubi triennio prius ex lege Carolina & Leonina Hildeboldus eundem unxerat? Miſeret me tuæ memoriæ, Conringi: hoc loco, negas his verbis ullum Caroli poſterorum Aquis coronatum. *Nemo*, ais, *plane*

omnium

Coronati poſteri Caroli M. Aquis.

omnium Caroli poſterum memorantur Aquisgrani conſecratus, etiam illorum, quorum in ditione fuit Aquisgranum: poſt lineas 18. ex Thegano deſcribit Aquenſem Ludovici pii coronationem: Conſtat etiam ex Annalibus Francorum, hunc anno 817. curaſſe filium ſuum Lotharium Auguſtali, filios duos alios Aquis regio diademate redimiri. *v. 41 & 8.* Quod magis mirandum eſt: cum enim ipſe Remis an. 816. a Stephano imperatoriis inſignibus ornaretur, nulli filiorum ibidem regium permiſit diadema, ſed in annum poſterum diſtulit, ut e lege Carolina prius a Colonienſi Lotharius ſucceſſor imperiali, cæteri regia corona cingerentur. Hinc elucet Conringii partim incuria, partim temeritas, quod nullo fundamento Carolinam pragmaticam a Friderico I. mirifice laudatam, defenſam & roboratam, cujus dubio procul vetuſtatem ex membrana, literis ſigno Carolino & aliis notis evidentioribus deprehendere ipſe, vel Cancellarius ejus Chriſtianus Moguntinus elector potuit, & debuit, illam, inquam, bullam, quam deinceps poſt Fridericum ſecundum omnes conſecuti cæſares huc usque, & ipſe auguſtiſſimus noſter Ferdinandus tertius ſuis aſſecurationibus & chirographis munierunt, eam in affaniis & ineptiis audeat numerare, quas tot cæſares, eorumque Cancellarii Moguntini quinque jam ſæculis non deprehenderunt. Nefas eſt unius reſcindere cæſaris legem vel reſcriptum: hoc vero privilegium, quod Romani imperii ad Germanos translationem completur, quod uſu & moribus octingentorum annorum receptum eſt, quod cæſares fere 20. ſuis ſignis, chirographis vel aſſecurationibus munierunt ideo, quia nonnihil continet, quod privato juri Colonienſi contra Moguntinum patrocinatur, in fabulis numerare nonne temerarium, impium & extremæ dementiæ eſt? ſed quid indignor nimium Medico, qui ſecutus aphoriſmum ſui Hippocratis extremis morbis adhibuit extrema remedia?

Temeritas Conringii.

Quæſtio VIII.

An Colonienſis ſolus babeat jus Aquisgrani coronandi.

Erecta ſede regia Aquenſi Colonienſis eſt coronator conſtitutus.

Abolita jam pragmatica, ad ſacros canones reſcindendos accingitur, ut jus omne coronandi ex iis præſcindat Colonienſi, prius autem negat ex pragmatica Caroli inſtitutione ſedis regiæ Aquenſis poſſe jus ſuum exſculpere: ſed nunquid ſi in Mariano Aquenſi templo ſolium regum coronandorum eſt erectum, ut *q. 9.* probabitur, ejusdem templi metropolita ſolus eos ungendi gaudet prærogativa? nonne Conſtantinopolitana ſede ad patriarchatum erecta loci pontifex cœpit vocari patriarcha? & quia cæſares orientis ibi ſolium imperii collocarunt, idem factus eſt coronator? *Hinc Munſt. l. 3. c. 190.* ſic ait, *Carolus conſentientibus imperii proceribus conſtituit, ut Romanus imperator in ea civitate primam imperii coronam ab archiepiſcopo Colonienſi, in cujus diœceſi eſt Aquisgranum, acciperet.* Idem Martinus Cruſius *lib. 5.* Annal. Suevicorum *p. 2. §. 166.* ſcribit, & *Azor.* ita rem deduxit *l. x. p. 2. fol. 1575.* *Carolus magnus rex Francorum Germaniam bello vicit, accepit, & in ea multis templis exſtructis & magnifice dotatis, corona argentea Aquisgrani redimitus eſt, & inſtituit, ut reges Germanorum, qui deinde ſuccederent, ea corona Aquisgrani donarentur, & ita poſtea factum eſt, ut eam coronam Germaniæ reges Aquisgrani a Coloniæ præſule ſuſciperent.* Deinde de jure Colonienſi tunc debebatur ſummo in Germania poſt papam præſuli, archicancellario & archiepiſcopo ſacri palatii, qui Moguntiæ in Synodo præceſſit Moguntinum, ſumma, ſi Conringii tertium pronunciatum & prima ratio vera eſt, vicit Hildeboldus.

Etiam ob primatum.

Hildeboldus unxit Ludovicum pium Aquis.

Jam vero unctum ab Hildeboldo Ludovicum pium 1. dicunt expreſſe vetuſtiſſimi plurimi manuſcript. codices, qui indices Colonienſium epiſcoporum texunt, & a coævis primam originem dicunt: 2. idem ante 440 annos ex iisdem antiquiſſimis manuſcript. in ſuum chronicon eorundem epiſcoporum tranſtulit Cæſarius, & ante ducentos fere annos Chronicon Belgicum ex Leodienſibus Chronicis retulit: Conſentiunt annales Colonienſes, *Kleinſorgius, Cratepolius, Joannes Gualteri, Beierlink, Beeck, Noppius, Bertius, & Mallinckrot.* His non acquieſcis, coævos exigis, inique nobiscum agis: nam cum tua pronunciata pro jure Moguntino producis vix ullum authorem veterem, nec recentiorem quidem laudas: tibi & oraculis delphicis, vel Pythagoræ dicenti fidem haberi ſummam cupis a nobis ſynchronos exigis, decem claſſicis auctoribus non contentus. Age ergo tuos, quos ipſe æquales citas, Theganum, & Carolinæ pragmaticæ allata verba conſule. Thegani dico verſum proxime conſequentem ſupra recitatum. *At ille juſſionem implevit, quo facto audientes Miſſarum ſolennia ibant ad palatium.* Quis archicapellanus ſacrificavit niſi Hildeboldus? Idem coronandum unxit, neque enim fas erat Auguſti nomen niſi initiato uſurpare: quod verba hæc pragmaticæ a te laudata ſic exigunt. *Hæredes regni initiarentur, & ſic initiati jure debinc imperatoriam majeſtatem aſſequerentur.* Initiatio regis antiſtitem flagitat, qui oleo delibutum verbis ſolennibus ſacraret, ut proprie *ſacratiſſimus imperator* appellatur, coronare ſe quidem potuit Ludovicus, non tamen initiare & conſecrare: id parens retinentiſſimus ſacrorum canonum, ipſe quinquies minimum coronatus, ex præſcripto juris eccleſiaſtici fieri, maxime in conſeſſu Galliæ & Germaniæ præſulum voluit, ut exacte a poſteris, exemplo primæ coronationis imperatoriæ, ad formam pragmaticæ, cæteræ deinceps Aquis inſtituerentur. Habes jam ex coævis Ludovicum a ſacrificante Hildeboldo initiatum, & a ſeipſo coronatum, imo & in Carolinum ſolium ut *q. 9.* ex Witikindo & Dithmaro oſtendam, deductum: quid opus nominare præſulem, quem ex Thegano conſtat fuiſſe Carolo familiariſſimum, & in teſtamento ejus dictum Hildeboldum?

Rides me adhuc laudare pragmaticam, a te Vulcano conſecratam, ludionem induis, qui protritis cæſareis reſcriptis, ad incidendos canones aciem acuis: jactas enim conſecrationes regias in

alia

Canones ſacros deridet Conringius.

alio fieri poſſe Diœceſi; ſi canones opponas, prætextum vocas perlevem, licet antiquiſſimum, non eos ſtricte obſervandos, cum ſacrum characterem non imprimat. At neque prima, ut vocat, tonſura, vel 4 minores ordines ſacrum characterem imprimunt, nec tamen abſque loci præſulis licentia peragere licet, abſque cenſura graviſſima, multo minus regem conſecrare. Soli Colonienſi quoties locali cedere privilegio vult, conceditur per omnem Germaniam ex officio & lege ſuperiore regem per ſe vel alium, aut adjunctis ſibi Collegis conſecrare: ſicut ad Ottonis M. unctionem admiſit Moguntinum parte humerorum vel brachii ſibi reſervata, ut vera maneant a Conringio male truncata, integra verba Witikindi. *Perfuſus itaque oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis pontificibus Hildeberto & Wickfrido, ac omni legitima conſecratione completa ab iisdem pontificibus ducitur ad ſolium.* Vides hic tam effuſionem olei, quam conſecrationem utrique tribui? Humeros vero regios ungi doceat te Martinus Cruſius *l. c. Caſar a Colonienſi epiſcopo Aquisgrani in templo B. V. ungitur in humero:* quamvis & ipſe narres ex Becka Wilhelmi cæſaris dexteram oleo delibutam. Ridiculo inſtas dilemmate, quo merito canonum te rudem profiteris, vel canones ſunt ſtrictæ obſervantiæ, nec potuit contra eos Colonienſis Moguntino permittere unctionem, vel non ſunt ſtrictæ obſervantiæ, neque prohibent regias in aliena Diœceſi conſecrationes. Imo ſtrictiſſimæ ſunt obſervantiæ, lati in favorem loci præſulis, qui poteſt rigorem canonum relaxare.

Ottonem I. quis unxerit.

In coronatione Ottonis II. a Rogero Brunonem, ais, Moguntino propoſitum, quia vitam ejus ſcribebat; ita injuriam aſſentationis & mendacii infers in innocentem, qui merito habendus probus, donec a te probetur malus: neque enim ulli minus, quam hiſtorico mentiri licet: quantum vero ætate ſua Bruno præſules omnes Germaniæ præiverit. *v. q. 4.* Ottonis tertii coronationem Ditmarus anno citius retulit, cum acciderit, poſtquam ereptus eſſet e Bavari poteſtate, ita vitæ S. Meinwerci auctor, Schaffnaburgenſis, Browerus, Trithemius: & hic ante eam Warinum Colonienſem mortuum dicit; ſed ſæculo: Monachum enim induit: cumque miſſionem a papa flagitaſſet, is pro eo Ravennatem coronatorem miſit, teſte Rubeo, qui cum ſcriptore vitæ S. Meinwerci, Schaffnaburgenſi, Onuphrio, Funcio, & Noppio contendit a ſolo Ravennate conſecratum Ottonem III. Ditmarus & Gobelinus dant Moguntino ſecundariam operam.

Quis Ottonem II. & Ottonem III.

In Wilhelmi cæſaris Aquenſi coronatione mire ſibi placet Conringius, quod dexteram conſidentis in ſolio Moguntinus oleo perfuderit: faveo: ſed obſerva morem veterem, tum, uti modo, uſitatum: ſolent enim reges ungi ſub ſacro, cantata epiſtola, tum conſecrari, & Dalmatica veſtiri Diaconorum more, quaſi evangelium de Epiphania, ſi velint cantaturi: conſecratione autem & coronatione abſoluta deduci ad ſolium. Unde Trithemius ſeriem geſtorum ita narrat. *Quem* (Wilhelmum) *præfatus archiepiſcopus Conradus* (Colonienſis) *eum magna ſolennitate in regem Romanorum unxit, & coronavit: conſecratione autem abſoluta idem archiepiſcopus collocavit eum in ſedem regiam.* Cætera permiſit aliis, unde exploratiſſimum manet, ejus ſolius jus, quod ubivis aliis ipſe, quæ vult officia circa meam ſacram functionem ſalvo jure ſuo committere precario poſſit, ſicque ob ſanctitatem Hildeberto Moguntino primaria conſecratio Ottonis I. at Ottonis II. & III. ac Wilhelmi ſecundaria quædam unctio permiſſa videtur Aquisgrani Moguntinis, integro ſemper jure primario coronandi Colonienſis, cujus poſſeſſionem anno 813. aditam huc uſque continuavit. Unde ſoli Colonienſi fas eſt Aquisgrani reges conſecrare, non ex ſola conſuetudine, ut male concludit Conringius ex peſſima enumeratione partium ſeu titulorum, quorum duos tantum attigit, cæteris prætermiſſis, ſed 1. ex primatu, quo tempore tranſlati ad Francos imperii Moguntinum longe ſuperavit. 2. Inſtitutione ſedis regiæ Aquisgrani, & vi canonum, quem titulum Conringius attulit. 3. Vi pragmaticæ & aliorum cæſareorum & ſeptemviralium reſcriptorum. 4. Vi privilegiorum pontificiorum. 5. Auctoritate ſcriptorum coævorum octo ſæculorum. 6. Denique uſu & conſuetudine ab anno 813. huc uſque continuata, ſed hanc inveteratam conſuetudinem non alio jure quam liberali donatione Moguntini cœptam & huc uſque propagatam initio membri 4. promiſerat quidem ſe demonſtraturum Conringius, & in fine ſe demonſtraſſe gloriatur, nullam tamen prorſus in tota novem paginarum diſceptatione facit mentionem egregie lectori imponendo. Debuerat ſaltem oſtendere, quo tempore & titulo jus illud, Moguntinus & poſſeſſionem adierit, quamdiu pacifice poſſederit, quo ſæculo, quibus conditionibus, & teſtibus Colonienſi transſcripſerit. At meliori jure & pluribus titulis eo gaudet Colonienſis, idque jam tum ingenitum ejus oſſibus eſt, dum Aquisgrani tempore Caroli M. regia ſedes erigeretur, nec unquam ab eo divulſum eſt, licet eo mortuo, vel impedito, quandoque etiam volente nomine Colonienſis obierit eam functionem ſæpius Moguntinus.

Quis Wilhelmum.

Tituli ſex juris coronandi Colonienſis.

Quæſtio IX.

Unde manarit initium, ut reges Romani Aquisgrani, & a Colonienſi conſecrarentur.

Inanes conjectura dua Conringii.

Exploſa jam a Conringio Caroli pragmatica, & Canonibus ſacris exſibilatis originem Aquenſis inaugurationis non ab inſtitutione regiæ ſedis Caroli M. ſed ejus ibi ſepulti memoria deducit, & initium juris coronandi Colonienſis, quod circa ann. 1053. cum Moguntinus nollet in ſua Diœceſi cedere Romano antiſtiti, nec Colonienſis deinceps Moguntino in ſua ob canones provincia. Specioſæ conjecturæ, quæ eludant veterrimorum auctorum teſtimonia, qui ante pragmaticam a Friderico I. confirmatam Aquisgrani a Carolo M. ſedem regiam fixam & ſtabilitam eſſe affirmarunt, & pragmaticæ jam pervulgatæ robur addiderunt: nam Alcuinus, ut creditur, in poëmate vocat Aquisgranum *Romam ſecundam & Romam novam*, quod ibi coronam regiam, ut Romæ imperatoriam

Praferuntur deferu-

ſcribus veterrimis inſtituta ſedis regiæ Aquenſis a Carolo.

ratoriam conſequerentur. Nithardus *primam ſedem Franciæ* nominat, & Carolus Calvus, ut Regino teſtatur, occupaturus Lotharingiæ regnum *Aquisgrani palatium ingreſſus eſt, eo quod ſedes regis eſſe videretur.* Quam vero loco ſplendido & idoneo Carolus erexerit ſolium imperatorium poſtero ſæculo in Ottonis magni conſecratione, ſic deſcribit Witikindus. *Ab iisdem pontificibus ducitur ad ſolium, ad quod per cochleas aſcendebatur, & erat inter duas marmoreas columnas miræ pulchritudinis conſtructum, unde ipſe omnes videre, & ab omnibus ipſe videri poteſt.* Dithmarus initio libri 2. ſic idem narrat. *Quo* (Aquisgranum) *cum appropiarent, omnis ſenatus obviam proceſſit, fidem cum ſubjectione promiſit, & ad ſedem eum ducens usque imperialem, ſtatuit eum in locum priorum, in regem ſibi collaudans. Subditque id geſtum in eccleſia S. Mariæ virginis, quam cum omni diligentia magnus conſtruxit Carolus.* Ubi notanda vox (*imperialis*) & locus *priorum*, ſcilicet imperatorum, ut Ludovici pii, Lotharii, & aliorum; quod omnes veri imperatores & reges Romanorum non Moguntiæ, ſed in Aquenſi ſede Carolina eſſent inaugurati. Id Carolus in pragmatica teſtatur ſe impetraſſe: *Merui*, ait, *ab omnibus obtinere præ nimia devotione, quam erga ipſum locum & matrem D. N. Jeſu Chriſti habebam, ut in templo eodem ſedes regia locaretur.* Confirmat idem ſæculo undecimo Wippo *Aquisgrani*, ait, *publicus thronus regalis ab antiquis regibus, & a Carolo præcipue locatus totius regni archiſolium habetur.* Conſentit Otto Friſing. l. 2. c. 3. *A Palatio in eccleſiam B. Mariæ virginis deductus in ſede Francorum, quæ in eadem eccleſia a Carolo M. poſita eſt, collocatur.* Atque hi ante pragmaticam a Friderico I. corroboratam id teſtificantur. Poſtea idem aſſeruerunt, Gunterus Ligurinus, Godefridus Viterbienſis, Otto Schablatianus & electores Ottonis IV. ad Innocentium III. litteris ſuis: *Ipſumque in Auguſtorum ſede a Carolo magno apud Aquisgranum deputata locavimus.* Idem dicunt Aventinus, Munſterus, Cruſius, Beatus Rhenanus, Azor. Bertius, Beck, Sigonius, Noppius, Onuphrius, quorum teſtimoniis pragmatica Carolina mirifice roboratur; & efficitur non ſolo uſu, ſed juſſu & inſtitutione Caroli & Leonis III. jam ante Ottonem magnum legem illam latam, & ante hunc alios imperatores ibi coronatos, ut Dithmarus teſtatur, & annales Francorum: alibi etiam ut Moguntiæ unctos S. Henricum & Con-

Origo juris Colonienſis ex ea lege & ſede Aquenſi.

radum Salicum, debuiſſe tamen Aquisgrani in archiſolium Carolinum deductos reges ſalutari. Ex hac lege lata coronationis Aquenſis manavit uſus perpetuus, & introductum eſt jus Colonienſe ſacrandi reges, etiam vi canonum, & privilegiorum vivo Carolo, cum primatus ejus maxime floreret; nec opus eſt victoriam Colonienſis in Henrici III. tempora rejicere:

Ante Henrici III. tempus,

tunc enim ab hoc Moguntinum plane ſuperatum eſſe agnoſcis, qui etiam papæ Moguntiæ cedere recuſavit, & primatum Coloniam tranſlatum affirmas, nec tamen vis omne jus ereptum Moguntino, ſed in Diœceſi ſola Colonienſi conceſſum: at cum ob ſolum primatum Moguntinus ſibi jus ubique coronandi, ut putas, arrogarit, cur non eo tranſlato Coloniam idem jus ad ſe Colonienſis rapuiſſet; ſed nunquam ille Moguntini primatus probatus eſt, nec ullum juris ejus ſolidum fundamentum, neque initium: nec actus ullus coronationis pacificus adductus eſt, index juris ejus, qui non pro Colonienſi faciat. Unde non potuit a Colonienſi jus eripi Moguntino, quod hic nunquam habuit;

quo ſuccubuit Moguntinus.

multo minus hic partem aliquam illius retinere. Ubi jam eſt ea liberalis ceſſio vel donatio Moguntina juris, quod nunquam habuit; cum fatearis jure victum eſſe plane a Colonienſi, & quidem vi canonum: jus ergo agnoſcis in Colonienſi præter uſum, quem non permiſit liberalitas Moguntini, ſed juſtitia cauſæ, arbitro cæſare contra juris alieni uſurpationem ſæpius tentatam tribuit.

Et Canonum privilegiorum Colonienſis.

Vicit etiam Colonienſis duplici privilegio perſonali & locali, ſoli Colonienſi recens a Leone IX. inſtaurato, quo ei ſoli ſit poteſtas, & in ſua, ſi velit, diœceſi, reges coronandi. Titulus hic jure Canonum nobilior eſt; non enim cuilibet archiepiſcopo permittitur in ſua diœceſi, ſed tantum ei, cui apoſtolico & cæſareo privilegio, ut Colonienſi ſit poteſtas, licet reges conſecrare.

Ac primatus ejus.

Primatus vero Colonienſis non cœpit, ut tu reris, Henrico III. cæſare, quem Rupertus abbas a temporibus apoſtolorum & S. Creſcentis arceſſit, ſed tempore Caroli M. vehementer ab Hildeboldo: magis vero ſeculo poſtero a Brunone amplificatus eſt: teſte Rogero c. 30. *Urbs iſta* (Colonia) ait, *metropolis & mater eccleſiarum fidelis populi principatum auctoritatis ſuæ hinc longe in Gallias, inde usque ad oceanum extendebat; & infra. Principatum totius imperii poſt patrem tenuit.* Vocavit ideo Stephanus in hiſtoria inventionis S. Maurini eodem ſæculo Coloniam *alteram Romanam*, quæ Gregoriis & Hieronymis abundaret.

Valde diminuta eſt circa annum 970. Moguntia, cum Adelbertus Magdeburgenſis primas Germaniæ conſtitueretur, & Moguntia Coloniæ poſthabita Galliæ fuit accenſa: ſic enim apud Meibomium poſt notas in Witikindum habet Magdeburgenſis fundatio ex manuſcript. loci codice. *Confirmavit* (papa Albertum) *eum in omni ordine eccleſiaſtico primatum habere omnium eccleſiarum omnium archiepiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati: In Gallia quoque Colonienſi, Moguntino & Trevirenſi archiepiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe.* Vide cætera. Denique S. Annonem Colonienſem omnes metropolitas Germaniæ apud cæſarem & pontificem gratia & auctoritate præceſſiſſe tempore Henrici IV. ex Adamo Bremenſi & Gregorio VII. docui: ut merito apud te fol. 7. dixerit Matthæus Pariſ. ad annum 1257. *Super omnes Magnates ſupereminens eſt archiepiſcopus Colonienſis, qui coronare tenetur regem Allemanniæ apud Aquisgranum ab antiqua & approbata conſuetudine.* Unde non a Moguntino jus illud accepit Colonienſis, ſed primatui ſuo & ſedi etiam vi canonum debiti ſui juris a tempore Caroli magni poſſeſſionem adiit, huc usque faventibus etiam cæſareis & apoſtolicis privilegiis continuatam: quam licet ſæculo decimo & undecimo conati ſint Moguntini turbare, cauſa tamen, teſte Conringio, Henrico III. ceciderunt: id jus per coævos huc usque probatum teſtatius eſt & ſolidius duabus Conringii conjecturis, quibus putat jus ex parte Moguntinis ereptum, cum id, hi nunquam pacifice poſſederint.

Quæ-

Quæſtio X.

An per reſcripta cæſarea & bullas apoſtolicas Colonienſi liceat intra & extra ſuam Diœceſim coronare.

Ventum jam eſt ad ultimum caput, quo curſim & obiter præteritis difficilioribus, quæ ſolvere nequit, ſcriptum Colonienſe, regerendo ſæpius dicta, conatur infirmare: ſeligam, ubi quid novi ingeritur, intactum antea. Specimen hujus initio prodit: cum enim, prius quam de coronare quæreretur, locus regiæ conſecrationis Aquisgranum ex Carolina pragmatica ſtabiliretur, territus ille pragmaticæ mentione Hippocratico rurſus uſus conſilio explodit ut fabulam, ac contendit injuriam fieri 4. ultimis cæſaribus alibi coronatis, nec id verti in quæſtionem, ſed quis extra Colonienſem Diœceſim ſit coronator. Temere & improbe pragmaticam 20. fere cæſarum auctoritate munitam iterum accenſes fabulis: conſuluit Colonienſis ultimis cæſaribus alibi coronatis cedendo locali privilegio, quo uti non tenebatur, non hic de coronatore, ſed proximo agetur paragrapho, locus hic diſceptatur, cujus ſit extra Diœceſim ungere reges poſt verſus paucos ventilabitur: monebo: nam ſcio, more tuo forum declinabis. Leonis III. privilegium Leo nonus confirmavit, & inſinuatur in pragmatica, in qua conſenſit, ut Aquis initiati Romæ Auguſtalibus inſignibus ornarentur. *Conringii artes.*

Ventum jam eſt ad Innocentii III. Clementis & Urbani IV. bullas, quibus ſolis Colonienſibus archiepiſcopis jus coronandi datur, adeoque extra Aquisgranum omni loco Germaniæ: Hic jam age Conringi, hic ſalta. Audis in his a Colonienſi *ſolummodo debere reges & imperatores ex antiqua dignitate eccleſiæ coronari.* Colonienſi non Moguntino papam obligari, *ut apoſtolica ſedes eum coronare debeat, qui rite a Colonienſi fuerit coronatus.* Ipſi Moguntino ſcribit pontifex *coronationem ad Colonienſem de jure debere pertinere:* quæ etiam extra Diœceſim Colonienſem univerſe ſunt accipienda: nam licet Moguntiæ conſentiente Clero Philippus eſſet coronatus, id tamen pontifex contendit *in Colonienſis eccleſiæ*, & electoris *majus honoris diſpendium & deſpectum accidiſſe.* Quid his opponis? *erraſſe, ais, in his pontifices, cum non ſint hæ quæſtiones fidei, ſed de juribus imperii*, o ferreum calamum, qui neſcit erubeſcere! Reges electi Romanorum ad ſupremum in terris & ſanctiſſimum tribunal orbis ſedem apoſtolicam, in re ipſam concernente provocant, parati latæ ſententiæ obtemperare: ſicut eidem etiam velut Chriſti vicario & ſupremo legiſlatori paruerunt, jam quadringentis annis dictorum pontificum canones & decreta cæſares & imperium recepit, & ut oracula veneratur, ea tu ne illati erroris argues? Pleraque dictorum Innocentius III. auditis partibus pro tribunali pronunciarat: annis 63. poſt Clemens IV. hoc ejus reſcriptis elogium tribuit, eorumque teſtatur veritatem epiſt. ad Alfonſum regem. *Diu pendente quæſtione idem prædeceſſor noſter multa ſcripſit, ſuper dicto negotio, ſicut homo qui multa legerat, & ſuorum prædeceſſorum ſcripta revolverat, multorumque ſuffultus fuerat hac in parte conſilio ſapientum, ſuper his multas decentes epiſtolas edidit, tam facti certitudine, quam juris firmitate vallatas.* Agnoſcit Clemens in facto certitudinem, & in jure firmitatem, quem tu imprudenter erraſſe dicis: ſed Clementi & orbis terrarum conſenſui venerantis oracula Innocentii potior, quam tibi fides tribuenda. Opponis pontifices alios, qui alibi & a Moguntino cinctos diademate confirmarunt, ede, ſi potes, vel unum invito & non impedito Colonienſi redimitum a Moguntino corona, quem papa probarit. In Conradi Salici coronatione conſenſit Colonienſis, S. Henrici & Philippi Suevi prius inſtaurata fuit; Rudolphi Suevi triennio dilata, correctaque novo miſſo diademate. Wilhelmi dexteræ unctio licet permiſſa ſit Moguntino, manent nihilominus vera pontificia verba: *Ex officio ſpectat unctio, conſecratio & coronatio regis Romanorum ad archiepiſcopum Colonienſem.* *Erraſſe ait pontifices.* *Innocentii 3. laus.*

Simili ſenſu Fridericus Barbaroſſa, ejusque nomine epiſcopi Germaniæ profitentur. *Ex lege & more patrum ſe debere regalem unctionem Colonienſi.* Adeoque omnes reges ab eodem debere coronari: ubi nulla civitatis Aquenſis mentio, cum in tota Germania obire munus ſuum poſſit.

Idem aurea bulla concedit, neque enim officium coronandi loco & diœceſi, ſed perſonæ adſtringit, licet vero locum dicat plerumque fuiſſe Aquisgranum, & deinceps eſſe oportere: permittit tamen alium occurrente impedimento; nullum vero extra Colonienſem nominat alium primarium vel ſecundarium coronatorem: qui cum ante auream bullam etiam coronarit in diœceſi Moguntina; nullo modo jus ejus certis circumſcripſit terminis, ut neque cæterorum ſeptemvirorum officia certis affixit locis. Rarius tamen fecit alibi, ne locali cederet privilegio, cujus ideo a Ruperto admiſit confirmationem, eaque impetrata, quoties Colonienſi non infulato Moguntini coronarunt, reverſalibus ſeu aſſecurationibus ſemper juri ſuo cavit. Nec opus erat ſingulas in Rudolphi II. & Matthiæ coronatione datas adferre: nam ad probationem juris unius ſæculi ſufficit initium, medium & finem ſtabilire, cum præſumatur de cæteris. *A. B. defenſa.*

At impoſitio primi diadematis laicis etiam convenit, nec includit unctionem & conſecrationem, imo hæc tria ſimul per ſynechdochen complectitur apud ſacros & profanos ſcriptores more pridem uſitato, quo Colonienſis argenteum diadema, Mediolanenſis ferreum & Romanus antiſtes aureum dicitur imponere, cum uſus ſit optimus legum interpres, quem in Germania pridem receptum ex Clementina recitaſti, quod ex officio ſpectet inunctio, conſecratio & coronatio regis Romanorum ad Colonienſem, nulla rurſus hic eſt loci mentio: probatque pontifex eam conſuetudinem; qui cum non reſtringat officium Colonienſis ad locum, neque aurea bulla, neque Fridericus Barbaroſſa, debemus uti favores ampliſſime interpretari. *Impoſitio diadematis tria complectitur.*

Quæſtio XI.

An obſint Colonienſi Moguntinæ coronationes.

Cautum juri Colonienſis ultimis coronationibus.

In quinque poſtremis regiis coronationibus a Moguntino nomine Colonienſis a cæſaribus & ſeptemvirali collegio, qui proteſtationes ejus conformes aureæ bullæ receptas, ſuis aſſecurationibus firmarunt, adeoque clare ſignificarunt jus integrum Colonienſi infulato manere in tota Germania reges Romanorum conſecrandi; quod cæſaris ſimul & ſeptemviralis collegii judicium merito prævalet privatæ Moguntini ſententiæ Bull. aur. contrariæ, ſi voluerit iis actibus officio Colonienſis tot ſæculis uſitato contra collegarum mentem incommodare, nec præſumi id poteſt factum eſſe, cum quilibet etiam contrariæ ſententiæ teneatur ſuffragiis majoris partis collegii acquieſcere. Auguſtus Viſcherus erudite hac de re diſcurrit: ubi ad conſecrationem regiam obeundam opus eſſe ait, *non tantum electo, ſed & conſecrato, & infulis pallioque decorato. Siquidem ea, quæ ſunt ordinis, ut ſunt conſecratio & unctio, non poſſunt archiepiſcopi exercere* c. pallium, diſtinct. 110. *niſi pallium conſecuti.* Firm. *Quo cum tempore Conradi tertii.* Otto Friſing. l. 7. c. 22. *Maximiliani ſecundi, anno 1502.* Michael Beuther in continuatione Schleidani l. 28. Simon Schard. l. 3. hiſt. *Rudolphi ſecundi anno 1575.* Nicol. Serar. l. 5. rerum Mog. c. 15. *Matthiæ ante paucos annos, archiepiſcopi Colonienſes caruerint, Moguntini archiepiſcopi cooperantibus Trevirenſi & Colonienſi peregerunt; ut ſatis imperite locum coronationis in cauſa fuiſſe his in caſibus ſcribat.* Dom. Arum. diſc. 3. ſuper aur. Bull. Hæc Viſcherus.

Infulatum Colonienſem ad peragendam unctionem primariam Ottonis I. conſenſum dediſſe Dithmarus, & ad ſecundariam Wilhelmi admiſiſſe Trithemius & chronicon Belgicum teſtantur. Ad Conradi Salici coronationem extortum ejuſdem conſenſum, ea lege, ut Auguſta Coloniæ conſecraretur, idque judicio procerum contra adverſarios obtentum Wippo fuſe narrat: unde nunquam præſente Colonienſi infulato, abſque ejus conſenſu expreſſo uſquam in Germania alius conſecravit: At Nurrenbergæ cum Colonienſis Eliſabetham, præſente Moguntino ungeret, nullus auctorum vel contentionis, vel conſenſus Moguntini petiti aut præſtiti meminit, adeoque gratis aſſeritur. Unde in primo Conringii argumento: ſi nullum coronavit Colonienſis extra Diœceſim, jus non habet, major & minor falſa eſt: ſufficit eum Nurrenbergæ ſuo jure Eliſabetham coronaſſe.

In altero cum Moguntinus omnes quos intra vel extra diœceſim coronavit, nomine Colonienſis impediti vel concedentis unxerit, nullum jus ſibi comparavit.

Cætera, quæ allata ſunt, nullius momenti ſunt, & ex dictis per ſe concidunt: adeoque manet Colonienſe reſponſum in ſuo robore, nulla ſui parte vitiatum.

Contra videat Conringius, quam carioſa jecerit ædificii ſui fundamenta, cum exploratum ſit primos Caroli magni ſucceſſores Aquis accepto diademate Carolino a Colonienſi, & quidem ſacrificii tempore more jam tum recepto, ſtatim Auguſtos eſſe nominatos, Hildeboldum ob primatum & regiam ſedem Aquis a Carolo inſtitutam, ob pragmaticam ejuſdem a Leone III. roboratam, ob jus diœceſanum, & canonum auctoritatem jus coronandi primum ſedi ſuæ comparaſſe, & uſurpaſſe: acceſſerunt bullæ pontificiæ & cæſarum reſcripta, ac uſus huc uſque continuatus, quo tam intra quam extra ſuam diœceſim ex officio & nomine ſuo coronavit. Cum Moguntinus diu extra imperium in alieno regno fuerit conſtitutus, nulla juris ejus origo apud veteres auctores exſtet, nulli canones, neque bullæ pontificiæ probatæ vel reſcripta cæſarum ei ſuffragentur: quoties vero Aquiſgrani, vel in ſua diœceſi reges unxit, id nomine impediti vel conſentientis Colonienſis peregit, adeoque nulli priores actus, ſed nec ultimi, quinque juxta cæſarum & ſeptemvirorum aſſecurationes conformes aureæ bullæ patrocinantur, unde nullam unquam partem ſui juris, quod nunquam habuit, vel pacifice poſſedit, ceſſit Colonienſi: quamvis ut electoralis collegii decano in aliis merito ei primæ debeantur.

Caſtigatio libelli, cui titulus: Anti-Conringiana defenſio juris Colonienſis in coronandis Romanorum regibus.

Hermannus Conringius

Benevolo Lectori

S. P. D.

Aſſertioni meæ juris Moguntini duo ſunt Bonnæ libri oppoſiti: Alter *ἀνώνυμος*, alter aperte prodens auctorem, nempe Petrum quendam a Streithagen, Heinsbergi ac Cronenburgi canonicum. Uterque perquam maledicus, & plenus inſcitiæ: poſterior vero adeo etiam ſcurrilis, ut dubites, num quid ſimile unquam hactenus viderit lucem, quamvis Petrum illum græca etiam & poetica nonnihil didiciſſe appareat. Quum ſuæ cauſſæ intereſſe exiſtimarent Moguntini, ut anonymæ defenſioni (hic enim liber alterum tempore multum præceſſit) reſponderetur, iterumque urgerent; ægre paſſus ſum me denuo committi in illa arena, ubi maledicentia & impudens calumnia pro telo erat; paſſus tamen ſum, ſed diſſimulata perſona, & libera Moguntinis amicis facta poteſta-

poteſtate mutandi addendique ea quæ in rem ſuam factura viderentur. Sic extemporanea opella ſcripta eſt abs me hæc caſtigatio. Moguntini vero paſſim quædam, & in his nonnulla acriuſcula inſeruerunt, alia mutavere, ſub finem & ſcurram Streithagium tum primum ex orco prodeuntem juſta indignatione ſunt inſectati. Atque adeo in hunc modum natus eſt hic libellus, & Francofurti eodem cum Bonnenſibus anno, quinquageſimo ſcilicet ſexto, in lucem editus. Exempla omnia cito inter manus emptorum diſtracta ſunt: ut jam ex eo pene diſparuerint. Quamvis vero controverſia iſthæc feliciter non multo poſt finierit, idque ſummo meo gaudio, cui unice cordi eſt magnorum Germaniæ principum conſenſio; quandoquidem tamen intereſt reipublicæ, ut ad omnem poſteritatem cum ſuperſit memoria veritatis, tum conſtet æquitas eminentiſſimorum principum, utpote quorum alter nonnihil de jure ſuo concedere, alter, ſimulac fuit perſpectum quod res eſt, cauſidicorum ſuorum iniquos conatus improbare haud dubitavit: velut jam duo hujus argumenti opuſcula mea denuo publicavi, ſic hujus etiam iteratam editionem nolo deſiderantibus invidere. Quin & auctorem me ex parte eſſe, nolo amplius diffiteri. Quia vel ſereniſſimi electoris vel inclyti capituli Colonienſis offenſam metuere, vetat me tanti principis pariter & capituli hac ipſa in controverſia exhibitum juſtitiæ & recti animi, in omne ævum illuſtre exemplum: ignoti autem adverſarii indignatio, ſi quæ ſupereſt, mereatur contemni, ſicut & Streithagii ſcurrilitas eſt infra iram. Bonorum omnium extra partes poſitorum favorem quoque mihi auſum polliceri: tantum abeſt, odii eorum declinandi cauſſas cur lucem debeat fugere nomen meum, aut ſub occultis latebris ſibi quærere præſidium. Helmeſtadii in Acad. Julia, anno CIↃ IↃ CLXIV. Kal. Martii.

Caſtigatio defenſionis Anti-Conringianæ.

Auctor Anti-Conringianæ defenſionis, ſive idem ſit ſive alius ab illo, qui iteratas vindicias publicavit, plane eundem animum oſtendit, calumniatorium nempe atque indoctum, ut neſcias malitia an inſcitia prævaleat. Meretur rigidam animadverſionem, ſed huic pœnæ eximit illum hodie cauſſæ, cui patronus eſt delectus, gravitas. Tantum libellum hominis nonnihil caſtigabimus.

Ad præfationem.

I. Statim initio & paſſim in omni libello videtur clam mordere voluiſſe D. Hermannum Conringium, quod, medicus ſcilicet cum ſit, non dubitaverit Moguntinum jus aſſerere. Quaſi vero vir clariſſimus non ſit ſimul a ſereniſſimis Brunſvico-Luneburgenſium ducibus in Academia Julia publicus Profeſſor & civilis prudentiæ pariter & publici juris imperii conſtitutus, nec una in aula conſiliarii munere fungatur; ac proinde, cum hortamine Moguntinorum calamum commodavit S. Moguntinæ ſedis juribus, quidquam egerit, quod non ſit intra limites officii ſui publici. Verum hoc ut *malignitati* imputes illius defenſoris: ita dubium eſt, *huic* an imperitiæ adſcribas, quod non dubitaverit aliquoties in libello ſuo repetere illud: Conringium, dum falſi accuſat Aquiſgranenſes tabulas, feciſſe illud ex præſcripto Hippocratis, qui urere ac ſecare, extremis item morbis extrema remedia adhibere juſſerit. Inſcitiam profecto arguit, & rei medicæ, illa unius præcepti toties facta inepta repetitio, quum longe plura commodius potuiſſent adferri: & omnis bonæ doctrinæ, illa ex præceptis medicæ artis allatio ejus, quod in omnium ſcientiarum tractatione habet locum. Commentitia enim teſtimonia jure rejicienda, notum eſt omnibus; nec id præcepta Hippocratica jubent, utpote quæ de teſtimoniis nihil ſed de morbis agant humani corporis. Si non ignoravit hæc defenſor, prodidit malignitatem animi. Nobis perinde eſt, quo vitio hæc facta ſint: vitioſe factum eſſe, in propatulo eſt.

II. Recitat quoque in præfatione ſummam aſſertionis Conringianæ defenſor; ſed quam calumniatorie & falſo, facile eſt dijudicatu omnibus qui aſſertionem ipſam legerint. Et vero rogo æquum quemvis judicem, ut ipſam aſſertionem inſpiciat; non autem credat temere ſententiam ejus referenti aut oppugnanti defenſori, ut qui ad calumniandum ſeſe totum compoſuerit.

III. Ita atrox calumnia eſt: a Conringio *reſcripta cæſarum, canones & decreta ſummorum pontificum exſibilata.* Calumnia mera eſt, editionem aſſertionis Helmſtadienſem priore Francofurtenſi *rebus & rationibus non eſſe auctiorem:* cui falſi convincendæ ſola aſſertionis utriusque inſpectio ſufficit.

Ad Quæſtionem primam.

I. Quæſtionem primam hanc proponit: *Quando ſucceſſores Caroli magni cœperint auguſti vocari & quo diademate ſint coronati?* Iterum calumniatorie. Nec enim hoc proprie agitatum fuit in prima hypotheſi Conringianæ aſſertionis: ſed aſſertum erat hoc potiſſimum; *Coronationem illam, quæ ſit in Germania, eſſe collationem non coronæ vere cæſareæ aut Romanæ, ſed coronæ regni Francorum, aut Teutonici,* vel *Alemannici: atque ita olim ipſos reges noſtros loqui ſolitos:* nonniſi obiter additum erat, *coronam illam ipſam, quæ inter* κειμήλια *imperii eſt, eſſe eam qua coronati quondam fuerint reges Germaniæ, nondum cæſarea dignitate cum Germania conjuncta.* Prius illud quam maxime faciebat ad recte intelligendum negotium coronationis Germaniæ. Quod autem a defenſore eſt propoſitum, nec ad rem facit, nec in controverſiam venit, niſi forte partem ultimam quæſtionis exceperis.

II. Ita tamen eſt, inter alia hæc fuiſſe verba clariſſimi Conringii: *Has inter coronas ſola Romana vere cæſarea eſt*, h. e. *vere competit cæſari, in quantum eſt imperator Romanorum. Idque ſolent ipſimet*

cæſares noſtri publice profiteri, electos cæſares ſeſe appellantes, quamdiu corona iſta non ſunt inſigniti, etſi coronati in Germania jam fuerunt. Hæc pungere voluit defenſor ſua iſta quæſtione. At, hem, quam inepte! Fac Caroli magni ſucceſſores omnes in Germania creatos coronatosque eſſe cæſares; an propterea non eſt vera illa aſſertio Conringiana, de eo quod hodie & aliquot jam ſæculis creditum obſervatumque fuit de coronatione Germanica, illam non eſſe vere cæſareæ coronæ collationem! Imo vero adeo rudis eſt & incautus defenſor, ut in probationem ſuæ ſententiæ hac ipſa quæſtione adducat verba Onuphrii Panphinii *ex cap. 5. de comitiis imperatoriis*, ubi diſerte docet, jam a Carolo Craſſo uſque, h. e. per annos pene octingentos, id fuiſſe perpetui moris quod Conringius dixerat.

III. An non tam pungere voluit defenſor Conringiana illa, quam potius oſtentare Conringio ſuam quoque Germanicæ antiquitatis peritiam? At vero hoc quidem, ſcio, ridebit Conringius; quippe qui dudum libro ſuo, quoad hæc ſolidiſſimo *de Germanorum imperio Romano*, iſta quæ ex Onuphrio attulit defenſor, prolixe & accurate docuerit.

IV. Jam vero expendat mihi porro quis ineptias reliquas defenſoris. Scribit p. 5. *Certum eſſe, ab initio tranſlati imperii, poſt acceptum Aquisgrani diadema, reges Romanorum ſe Auguſtos & imperatores nominaſſe.* Id ut demonſtraret, adducit Ludovicum pium & Lotharium: prolatis aliquot teſtimoniis, hoſce Aquisgrani proclamatos coronatosque Auguſtos. Ab hoc more autem primum Carolum Craſſum deſciviſſe, nititur oſtendere teſtimonio Onuphrii. De Ludovico & Lothario verum eſt quod dicit. Qui autem Lothario ſucceſſit in cæſarea dignitate Ludovicum ſecundum, & qui idem nomen poſt Ludovicum iſtum indepti ſunt, Carolum Calvum & Ludovicum Balbum, Aquisgrani fuiſſe coronatos proclamatosque cæſares, a vero eſt alieniſſimum. Nec venit in mentem Onuphrio, hoc ut aſſereret: quod verba ejus ab ipſo defenſore allata legentibus non poteſt non perſpicuum eſſe.

V. Æque ineptum illud, quod defenſor velit, *licuiſſe vi pragmatica Carolina a Leone III. confirmata*, ſtatim Aquisgrani Auguſtum & imperatorium nomen cum diademate conferre. Non enim hoc eſſe conſentaneum illi *pragmatica* quam appellat, indicant utique clariſſime verba ab ipſo defenſore adducta: *Ac in ipſa ſede reges ſucceſſores & heredes regni initiaretur, & ſic initiati jure dehinc imperatoriam majeſtatem Romæ ſine ulla contradictione plenius conſequerentur.* Si ſola *initiatio* & quidem non niſi *regia* ex inſtituto Caroli debuit Aquisgrani fieri, *imperatoria* vero *majeſtas* Romæ demum conferri; quo jure, quæſo, potuerunt Ludovicus pius & Lotharius jam Aquisgrani imperiali diademate coronari, & imperatores Auguſtique appellari? Certe illos Romanam coronationem novam non exſpectaſſe, aut a pontificia coronatione crediidiſſe *pleniorem majeſtatem cæſaream* dependere, (quod debuiſſet credi ſecundum pragmaticam illam) diſerte utique teſtatur Onuphrius verbis ab ipſo defenſore incaute laudatis: *Auguſti* nimirum illos *vel imperatoris nomen non die coronationis ſuæ a Romanis pontificibus aſſumpſiſſe, ſed eo potiſſimum die, quo a patre quisque appellabatur imperator; a quo etiam die eorum imperii annos numerari ſolitos, nulla habita pontificiæ coronationis ratione.* Certe vel hoc unum ſatis fuerit falſi convincendæ illi pragmaticæ: ſi id agere pateretur inſtitutum.

VI. Pari deinde ratione inſcitiam ſuam prodidit defenſor, probaturus coronam illam, qua in Germania hodie inſtituitur coronatio, eſſe illam qua ipſemet olim fuerit uſus Carolus magnus. Id enim nititur oſtendere teſtimoniis Onuphrii, Hartmanni Mauri, Schradii, Bertii & Noppii. Arguit ſane hoc ipſo & judicii imbecillitatem, & in lectione monumentorum paulo etiam vetuſtiorum ingentem ſuam peregrinitatem. Jam tum enim a Caroli IV. uſque ævo iſthæc fama invaluit, non ab uno prodita ſcriptore etiam illius temporis. Horum certe teſtimoniis potuiſſet multo veriſimilior reddi illa vulgi & defenſoris opinio quam iſtorum heri & nudius tertius, ut ita dicam, natorum. Et vero Henricus Rebdorfienſis, qui Carolo iſti ætate fuit ſuppar, non dubitavit ſcribere in hiſtoria anni 1361. coronam ſibi Norinbergæ viſam, *qua ſit coronatus Carolus magnus in imperatorem a Leone papa tertio.* Eſt autem omnino *ἀῤῥωςία τῆς διανοίας*, rei antiquiſſimæ & fabulis obnoxiæ veritatem petere tantum a recentibus narrationibus. Coronam illam eſſe Caroli magni, per complura ſecula in nullo monumento eſt proditum: adeoque ſaltem tuto credi non poteſt. Eſt porro veriſimile, ſi quam Carolus coronam cæſaream ad poſteros transferri voluit, eam perveniſſe in manus Ludovici ſecundi, qui patri Lothario ſucceſſit in dignitate imperatoria, atque ita in Italiam translatam; Aquisgrani nequaquam remanſiſſe. Si porro corona Germanica eſt ipſiusmet Caroli magni, qui fit, quod habeat nomen Conradi inſcriptum? Habere autem, probabo nunc tantum teſtimonio unius Joannis Gryphiandri JC. ex libro *Weichbildis Saxonicis cap. 70. n. 9.* qui poſt coronationem Matthiæ cæſaris coronam illam, priusquam in ſcrinium reponeretur, teſtatur ſibi inſpectam (viderunt & alii nuper) Conradi nomen præferentem. Ille ſane hinc ſuſpicatur, hanc eſſe Conradi IV. coronam, quam Fridericus II. imperator in obſidione Parmenſi amiſerit: cum tamen ſit veriſimilius, eſſe illam Conradi I. quam ille morti vicinus Henrico aucupi per fratrem Fridericum fecit offerri. Diſerte ſane teſtatur Luitprandus Ticinenſis *l. 2. c. 7.* coronam illam fuiſſe Conradi *propriam*; ita etiam illam deſcribit, ut plane eam, quæ hodie ſupereſt, depinxiſſe videatur. Adhoc Witikindus Corbejenſis gladium, qui ſimul cum corona fuit Henrico traditus, appellat quidem *gladium veterum regum*, *diademati* autem titulum illum non addit; ut appareat fuiſſe illud recentius. Quicquid ſit, coronam illam eſſe ipſiusmet Caroli magni, nullo veriſimili argumento oſtendi poteſt. Defenſor autem in eo probando non niſi imbecillitatem judicii ſui prodidit.

Ad quæſtionem II.

I. Nuſquam magis oſtendit defenſor virulentum animum, quam in ſecunda quæſtione. Conringius ſecundo loco in id diſſeruerat de variis actibus, quibus hodie conſtet coronatio, ut palam fiat, qui actus proprie ſint ſacerdotales, qui non; obiterque addiderat, videri SS. ſacrificium ſolemne apud nos ſerius, ſæculo tertio decimo circiter, *coronationis actibus adjunctum.* Defenſor autem in præfatione ſummam ſecundo loco a Conringio diſſertatorum collocat in eo, quod *ſacrificium miſſæ ſæculo tertio decimo ſit adjectum coronationi:* & nunc quæſtionem ſecundam ita proponit: *Quomodo ſacrificium miſſæ adhibitum coronationi regum Romanorum?* Quaſi de hoc magnopere egerit Conringius, aut in eo aliquid momenti ſit collocatum. Quod quanta fiat cum Conringii injuria, tota ſecunda hypotheſis liquido oſtendit. Affingit porro Conringio defenſor, velut ille ſimpliciter *negaverit, ſacrificium miſſæ ante ſæculum tertium decimum fuiſſe conjunctum coronationi*; aut vero etiam hæc verba accipienda ſint eo ſenſu, prout accepta voluerit ſua Conringius. Non enim hoc ille voluit, quaſi S. miſſæ ſolemnia non interdum fuerint coronationem comitata; ſed ſolemnia illa ſacra non fuiſſe olim recepta inter actus coronationis perpetuos & neceſſarios, demum autem videri id cœpiſſe ſæculo tertio decimo. Adhoc opponit defenſor Conringio Witikindum, qui in Ottonis magni coronatione miſſam celebratam narrat; id quod a Witikindo factum Conringius negaverit. Quamvis vero poſſit videri id dixiſſe Conringius; accurate tamen verba ejus omnia ſpectantibus non poteſt obſcurum eſſe, hoc tantum illum velle, a Witikindo non eſſe mentionem factam S. miſſæ inter ipſos coronationis actus. Aliud ſane Conringio tum in animo non fuiſſe, poſſum fide bona teſtari. Nam ita ſe explicavit.

II. Et vero ſic ſeſe res habet, ſi vetera illa tempora videamus. Interdum coronationes fuerunt peractæ nulla facta S. miſſæ celebratione. Quod utique palam eſt ex deſcriptione ſolemnium coronationis Ludovici Balbi regis & Judithæ ac Hermentrudes reginarum quam adjunxit capitulis Caroli Calvi P. Jacobus Sirmondus. Palam quoque eſt ex deſcriptione coronationis Wilhelmi Hollandi Romanorum regis apud Joannem Beckam, quicquid dixerit defenſor. Ne nunc tangam tempora Carolinis antiquiora illa, quando primum ſacræ benedictiones ſacerdotales coronationis ſolemnium cœperunt partem conſtituere; quæ incidunt in ſæculum Chriſtianum ſextum. Inter ipſos enim cæſares anno 528. primus omnium memoratur a Joanne I. papa non ſine fauſtis precibus coronatus Juſtinus imperator, teſte Anaſtaſio. Ad hujus exemplum anno 566. ab Eutychio Conſtantinopolitano patriarcha Juſtinum minorem conſecratum, liquet ex hiſce verbis Corippi:

Pontificum ſummus plenaque ætate venuſtus
Adſtantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans dominum, ſacro diademate juſſit
Auguſtum ſancire caput: ſummoque coronam
Imponens capiti. &c.

III. Ex eo ſacra epiſcoporum manu coronationes cæſareæ quidem fuerunt inſtitutæ; at ſolemnia ſacra continuo ſimul celebrata fuiſſe, nuſquam legas. Sub Merovingorum imperio, per annos 254. a Clodovæi baptiſmo ad depoſitionem Childerici, omnino nulla Francicorum regum ſive unctionis ſive conſecrationis ſive coronationis, quæ manu epiſcopali ſit facta, memoria reperitur: ut merito dubites, an quid horum fuerit tum in uſu: tantum abeſt, tunc inter ritus coronationis receptos fuiſſe ſacram miſſam. Poſt illa cum Francorum regum coronatione interdum adhibita eſſe & miſſæ ſacra, legere eſt; ſed plerunque tum, quando feſtus dies, in quem incidebat forte coronationis actus, ſacra iſta expoſceret. Sic cum Carolus magnus coronatus fuit Romæ, celebrata eſt miſſa: verum erat idem dies feſtus Natalis domini. Sic quando Carolus Calvus fuit coronatus in regem Lotharingiæ Metis, celebrata fuerunt ſacra omnia: erat vero dies ſacer B. Gorgonii, *cujus præcipua apud Metenſes veneratio*, quod etiam P. Sirmondus obſervavit. Obſervare porro eſt, S. miſſæ illa ſolemnia, ſi quando celebrata ſunt, illa omni ætate, ſucceſſiſſe coronationis actui jam finito. Id certe liquido apparet etiam ex iis, quæ ipſe defenſor & adducit de coronatione Ottonis I. Ludovici pii, Ludovici II. & Caroli magni: poſſunt vero addi acta coronationis Caroli Calvi a P. Sirmundo edita.

IV. Hæc autem non obſcure indicant, verum eſſe quod ſuſpicatus eſt Conringius; nempe antiquiſſimis temporibus imperii Germani, ſolennia miſſæ ſacra non fuiſſe partem ſolemnium coronationis regiæ: nec enim alias illa aliquamdiu abfuiſſent, aut vero fuiſſent finita demum coronatione, ſed perinde ut hodie, inſtituta. Quod ſi tamen aliter cui fuerit viſum, cum illo nec Conringium, ſcio, velle contendere; cum res ſit levis. Multo minus id ego fecerim: uti nec video, tradi id credive aut religionis catholicæ, aut rei Romanæ atque Germanicæ quicquam intereſſe.

V. Aventinum voluiſſe duntaxat ſignificatum, in Rudolphi I. demum coronatione ſeptem electores fuiſſe functos ſuis muneribus, non vero tunc demum miſſæ ſacra inter coronationis ritus ordinarios recepta; nudæ defenſoris affirmationi credat qui volet: mihi non ſit veriſimile. Non debuiſſet vero defenſor Conringium oppugnaturus id affirmare ſine omni addito argumento: nec vero illi potuit latere, talibus adverſarii nudis aſſertionibus neminem ſanum poſſe terreri.

Ad quæſtionem III.

I. Hic non multum meliore fide rem defenſor gerit. Propoſita enim tertia quæſtione in

hunc modum: *An primario præſuli cujusque regni jus coronandi deferatur?* Subjungit: *Affirmat Conringius pronunciato tertio & in prima ratione.* Neutro autem loco ſimpliciter ab illo id affirmatum eſt. Quod adeo palam eſt, ut defenſor mox addat: *concedi a Conringio, poſſe idem jus inferiori per privilegium tribui, adeoque non ſoli ſemper præcipuo præſuli, ſed tantum communiter vel plerumque, competere.* Et vero hoc demum affirmavit Conringius; prius illud non affirmavit. Sufficit quoque hoc pronunciatum illi probando, quod voluit Conringius. Nempe etiam ita patet, jure gentium Chriſtianarum poſitivo receptum eſſe, quod coronandi poteſtas in quovis regno competat primario præſuli. Etſi enim ex ſingulari pacto, peculiari de cauſa, alibi aliud interdum obtineat, non obſtat, quo minus id hodie juris gentium Chriſtianarum poſitivi eſſe exiſtimetur. *Hodie* inquam: olim enim ubivis non idem ſtatim obtinuiſſe nemo diffitetur: idque de regno Francorum occidentali recte demonſtravit, jam olim quidem Ivo Carnutenſis, partum autem memoria Joannes Tilius.

II. Quæ objicit autem porro defenſor, illa vereor ne iterum prodant ejus inſcitiam. Negat videlicet in Italico regno Mediolanenſem archiepiſcopum primum eſſe, propterea quod & Ravennas & Aquilegienſis in conſiliis præcedant. At vero Ravennas non fuit olim inter proceres regni Langobardici, quod poſt dici cepit Italicum, numeratus. Ravenna enim fuit pars Exarchatus, qui S. ſedi apoſtolicæ deinde a Pipino & Carolo magno eſt donatus. Aquilegienſi patriarchæ etſi in concilio datus fuerit locus inſignior, in ipſo regno tamen atque adeo in republica, minor ille fuit ſemper habitus Mediolanenſi. Eoque inter Metropolitanas urbes univerſi imperii Caroli magni, poſt Mediolanum demum facta fuit in teſtamento Carolino mentio Fori Julii. Quo ſcilicet jamdudum Aquilegienſis patriarchatus erat translatus, ceu patet ex iis, quæ diſſerit Baronius ad annum 729.

III. In Anglia quamvis de primatu contenderit cum Cantuarienſe Eboracenſis: ille tamen prævaluit, & propter iſtum primatum ſibi competere jus coronandi, jam olim aſſeruit. quod verbis Anſelmi Cantuarienſis recte aſtruxit Conringius. Arelatenſis cum Remenſi contendere non poteſt, quum ille non proprie pertineat ad regni Francici Occidentalis proceres, ſed ad regnum Arelatenſe vel Burgundicum. Utque fuerit Arelatenſis ab Agapeto, Vigilio, Pelagio & Gregorio magno quondam conſtitutus vicarius & legatus apoſtolicus, non tamen eo ipſo aliquid detrahitur illi primatui, quem ſecuta tempeſtate Remenſis acquiſivit. Sunt enim talia omnia mutationibus obnoxia, atque a potentiorum arbitrio ſuſpenſa. Id vix dubium eſt, hodie in regno Francorum Occidentali primatum conſpici penes Remenſem.

Ad quæſtionem IV.

I. *Vacillantibus*, ait defenſor, *ſic tribus baſibus* &c. At vero Conringianas quidem baſes *vacillare*, tantum abeſt ille oſtenderit, ut eas vel non intellexerit præ ruditate, vel præ animi malignitate perverſe propoſuerit in medium: ceu jam tum patet.

II. Addit, Conringium *initio primi membri deflectere a norma, a regibus Romanorum ad reges Germaniæ.* Atqui Conringius demonſtravit, coronationem, quæ in Germania inſtituitur, pertinere proprie ad Germanicum regnum, eoque omnibus olim ſeculis, ex quo etiam Romani imperii dignitas perpetuo nexu Germaniæ fuit conjuncta, a prudentioribus coronam illam Tranſalpinam dictam coronam regni Francorum, aut Alemannici, aut Teutonici. Si iſta nondum capit idiota defenſor, poterit denuo in ſupplementum addere, quæ idem Conringius diſputavit præclaro, ſi pauca demas, libro *de Germanorum imperio Romano cap. 12.*

III. Proponit deinde ſyllogiſmum aliquem defenſor, velut qui comprehendat rationem Conringii, qua nimirum ſit uſus ſectione prima; ſed proponit ſua h. e. mala iterum fide. Ita enim format minorem ſyllogiſmi propoſitionem & concluſionem: *Atqui Moguntinus ſaltem in Orientali Germania, ad quam ſpectabat in diviſione regnorum ab anno 842. cum Colonienſis ad eam cum Trevirenſi circa annum 870. acceſſerit, erat primus præſul Germaniæ, & manſit tempore Ottonis, ut Witikindus, Marianus Scotus, Benedictus VII. Schafnaburgenſis, &c. Ergo ad eum ſpectat jus coronandi.* Conringius vero non egit duntaxat de ætate illa, qua facta eſt prima imperii Carolini tres in partes diviſio, aut de ævo Ottonis magni, ſed diſerte hiſce verbis uſus eſt: *Jam vero in regno hoc Francorum Germanico, inter præſules ac principes primatum ETIAMNUM obtinere Moguntinam ſedem, niſi fallor, omni dubio caret.* Et hanc propoſitionem ſive concluſionem ſuſcepit probandam: *ratione primatus competere Moguntino omne jus coronandi.* De temporibus illis priſcis egit duntaxat ex occaſione: quum nimirum oſtenderet, Moguntinam ſedem hanc dignitatem primariam habuiſſe ab initio uſque regni hujus.

IV. Delabitur mox defenſor ad grande paradoxon defendendum; nempe primatum competere non Moguntino ſed Colonienſi. Paradoxum, inquio. Nec enim arbitror, tale quidquam aliquot ſeculis fuiſſe in univerſo imperio auditum. Conringius ſane primatum Moguntinum credidit, *reſpectu* quidem *Colonienſis*, omni dubio & controverſia vacare. Cœterum id quidem non vane conjecit defenſor, hoc primatu Colonienſi admiſſo inverti poſſe Conringianam argumentationem: at primatum illum ineptiſſimis rationibus adſtruere niſus eſt defenſor ille. Summa omnis ejus diſſertationis comprehenſa eſt ultimis illis verbis: *Retorqueamus ergo primariam Conringii rationem contra Moguntinum jus pro jure Colonienſi. Jure gentium primario regni Romanorum præſuli debetur jus coronandi reges Romanorum: At primarius præſul, poſt imperium ad Carolum & Francos translatum, ſemper fuit Colonienſis, ut tradunt Eginhardus, annales Francorum, Rogerius, Witikindus, Adamus Bremenſis, Leo*

nonus,

nonus, Gregorius ſeptimus & Rupertus, cum Moguntinus in alio ſeparato regno diu fuerit: ergo Colonienſi jure gentium jus coronandi reges Romanorum ab initio huc usque, ſine ulla temporis intercapedine debitum, fuit præ Moguntino.

V. Agemus cum homine breviter. *Primum* igitur notetur: in teſtimonium ejus, quod de primatu Colonienſi ab initio imperii SEMPER HUC USQUE, SINE ULLA TEMPORIS INTERCAPEDINE continuato, a defenſore adſeritur, adferri neminem qui ſit junior Ruperto Tuitienſi. Atqui hic vixit ætate Henrici V. circa annum cIↃ cx. Ex quo tempore huc usque fluxerunt integri quadringenti quadraginta ſex anni. Ex tanto temporis intervallo nihil omnino pro Colonienſi primatu, *ſemper & huc usque ſine ulla temporis intercapedine* continuato, producere potuit defenſor, (certe nihil produxit) & tamen tam confidenter auſus fuit perpetuitatem illius primatus defenſor ille aſſerere. Miror, ſi, his revocatis ad animum, defenſor non erubeſcat, niſi frontem habeat plane effrontem. Eſto ſcilicet, bone vir. Probaveris, primatum Colonienſi competiiſſe ad ſeculum usque duodecimum: qua fronte idem aſſeris de omni ævo ſecuto, deſtitutus plane omni teſtimonio?

VI. Notetur *ſecundo* inſignis, ſi non ſtupor, ſaltim incogitantia defenſoris, auſi inter primatus ſcilicet Colonienſis autores numerare Leonem nonum; & tamen non dubitantis ipſius Gregorii VII. papæ verbis uti, quibus ille ſignificat, papam Leonem Trevirenſi eccleſiæ ſtuduiſſe *contra honorem Colonienſis eccleſiæ*, imo, ut ipſe accipit defenſor (nec enim ſic interpretanda illa dixerim) ſtuduit *Trevirenſi primatum deferre.*

VII. Notetur *tertio*, non verecundatum defenſorem pag. 10. in margine jactare, quaſi primatus ille Colonienſis jam floruerit ſeculo octavo: & tamen in eadem margine initium ejus collocare in annum 813. nec in ipſo libri textu quidquam memorare quod contigerit ante annum 800. h. e. ante ſeculum nonum.

IIX. Jam vero quam inepte probat defenſor, ſeculo nono, decimo & undecimo, primatum penes Colonienſem fuiſſe! Exempli cauſa: Ottone magno cæſare & ſeculo X. id factum oſtendit ex eo, quod Bruno Ottonis frater regnum Lotharingiæ rexerit & Germaniam abſente fratre, quod item a Witikindo & Rogerio dictus ille ſit *ſummus pontifex & antiſtes.* Quaſi talia momentanea perſonalia munera probent ipſiusmet ſedis alicujus dignitatem, & quidem perpetuam ac conſtantem: titulus etiam *ſummi pontificis* ea ætate non fuerit attributus ferme cuivis honoratiori epiſcopo.

IX. Similiter ut probetur, ſeculo undecimo primatum illum Colonienſem fuiſſe agnitum, *primum* & potiſſimum adfertur argumentum ex eo, quod ab Henrico III. cæſare Hermannus Colonienſis in nonnullis actibus fuerit Moguntino prælatus. Tanquam ſi epiſcopus quis aulæ gratia valeat, id ſigno ſit, ipſammet epiſcopi ſedem præeminere. Nemo profecto veterum dixit, Hermannum ob primatum ſedis ſuæ Henrico III. cæſare præ Moguntino placuiſſe. Lambertus Schafneburgenſis ſcribit illud factum *propter claritatem generis.* Et vero erat Ottonis III. cæſaris ſorore genitus, longe proinde nobilior Luitpoldo Moguntino. *Alterum* argumentum capitur ex privilegio quodam a Leone IX. conceſſo: quod tamen Colonienſes hyperaſpiſtæ, etſi ſæpius moniti, non fuerunt auſi publicare, & in quo ſimul altum eſt de primatu ſilentium. *Tertium* accipitur a teſtimonio Adami Bremenſis, qui de *augmento primatus hujus ſit locutus* c. 152. hiſtoriæ. Verum nec ille de primatu habet verbulum ullum. De quo autem ille *augmento* loquatur, patet ex verbis Adami, quæ, quoniam ita placuit defenſori, integra non mutila adducemus. *Colonienſis,* (inquit Adamus, de Annone verba faciens) *quem avaritia notabant, omnia, quæ vel domi vel in curia potuit corradere, in ornamento ſuo poſuit eccleſiæ. Quam cum prius magna eſſet, ita maximam fecit, ut comparationem evaſerit omnium, quæ in regno ſunt eccleſiarum.* De *augmento* itaque *divitiarum* locutus eſt Adamus, non de incremento primatus. *Quarto* loco adducuntur verba quædam Gregorii VII. ſummi pontificis, in quibus quidem ſermo fit de gratia qua in curia Romana tum temporis præpollueris aliis Colonienſis, at de ſedis ipſiusmet primatu ne quidem unico verbulo quidquam indicatur. *Poſtremo* adferuntur & Ruperti Tuitienſis monachi, tantum non in ipſa Agrippina viventis, verba quædam de primatu Colonienſi. At non affirmat ille, primatu iſthoc frui & gaudere Colonienſem; ſed quem olim obtinuerit, propterea quia S. Creſcens Pauli diſcipulus non tantum Moguntiæ ſed etiam Coloniæ prædicaverit evangelium. Quod nihil facit ad primatum, quo de nunc ſermo. Tædet inquirere in ea, quibus voluit defenſor probare primatus Colonienſis veſtigia per ſeculum nonum. Per ſe enim concidunt.

Ad Quæſtionem V.

I. Conqueritur defenſor, *alterum membrum & rationem a Conringio obſcurius propoſitam.* Sed injuriam fieri V. C. oſtendit aſſertio ipſa.

II. Rationem deinde Conringianam ſyllogiſmo includens, hanc quidem propoſitionem: *Qui ſolus octingentis annis toto regno omnes coronationes extra diœceſin Colonienſem peregit, is jus habet ubique* (extra diœceſin Colonienſem ſcilicet) *coronandi*; admittit, ſi limitetur; *qui nomine ſuo, non impedito vel abſente coronatore ordinario.* At inepta eſt limitatio illa de *coronatore ordinario.* Quæſtio enim eſt, quis ſit coronator ordinarius *extra* diœceſin Colonienſem? Moguntina ſedes id ſibi tribuit, alium *ordinarium coronatorem* non agnoſcit. Inepte quoque in limitatione petitur addi: *non impedito vel abſente coronatore.* Sufficit, ſi coronatio fuerit facta *nomine proprio.* Hæc ſcilicet propoſitio eſt clariſſimæ veritatis:

Quicun-

> *Quicunque ſuo proprio nomine per octingentos annos omnes coronationes extra diœceſin Colonienſem peregit, illi jus eſt extra diœceſin illam coronandi.*

Tali propoſitione majore uſus eſt Conringius. Nec alio ſenſu omnia ſua voluit accepta. Ut minor poſſit eſſe, volente Conringio:

> *At Moguntinus ſuo proprio nomine per octingentos annos omnes coronationes extra diœceſin Colonienſem peregit.*

Probavit etiam hanc minorem Conringius, adductis in medium omnibus coronationibus extra diœceſin illam Colonienſem inſtitutis: provocavitque ad unanimem hiſtoriæ conſenſum, quo conſtet, nunquam a Colonienſe regiam coronationem extra diœceſin eſſe factam. Ut vero hæc Conringiana redderet irrita defenſor laboravit quidem, ſed omni præſidio a commentis mutuato aut meris ineptiis.

III. Non potuit ſcilicet vel unum exemplum producere factæ a Colonienſe coronationis regiæ extra diœceſin: confugit igitur ad coronationem Eliſabethæ Reginæ, quam ſolus nomine & jure ſuo Norinbergæ inſtituerit. At *primum* de regis non de Reginæ coronatione quæſtio eſt. Ipſe Streithagius pag. 66. ait: *Ad viros nos reſpicimus: non ad reginas. Secundo* factam illam coronationem nomine Colonienſis, debuiſſet probari, non nude aſſeri, cum hoc conſtanter a Moguntinis ut & a Conringio fuerit negatum. *Tertio* præſumtio certe facit pro Moguntino in *ſilentio* monumentorum: quia ſcilicet omnes coronationes regias ipſas Moguntinus extra diœceſin nomine proprio inſtituerit, & nunquam fuerit paſſus illas a Colonienſe inſtitui. Quæ adduntur a defenſore, longe adhuc ſunt ineptiora & fabuloſiora.

IV. *Primum* eſt: *Ante Ottonem magnum Aquiſgrani plures reges Romanorum eſſe coronatos.* Quaſi hoc ad rem faciat, cum quæratur, quis coronaverit reges extra diœceſin Colonienſem. Sed &, qui illi ſunt *plures* reges? Non niſi duo ſcilicet ibi, reliqui omnes alibi coronati ſunt.

V. *Secundum* eſt: *Arnolphum, Ludovicum & Conradum primum a Moguntino unctos, nullum veterum dixiſſe: potuiſſe eos etiam Colonienſem extra ſuam diœceſin, & Ludovicum anno 908. Aquiſgrani cum degeret, conſecrare.* Dixerit vero id diſerte nemo. Dixerunt tamen coronatos illos eſſe in Germania Transrhenana, & quidem alios Francofurti ad Mœnum, alios Forcheimii h. e. in diœceſi *tunc* Moguntina. Qui vero tum iſtis in locis Colonienſis *potuerit* coronare? quum tamen canones vetent conſecrationes extra diœceſin fieri, & Colonienſi non per conſtitutionem aliquam Caroli magni, non per aliquam bullam ſedis Apoſtolicæ, jus novum fuerit conceſſum: quod prolixe aſtructum eſt cum alibi tum nuper in examine argumenti primi & ſecundi Colonienſis. An Ludovicum *potuerit* Colonienſis *conſecrare Aquiſgrani* nec ne, nihil ad rem facit. Debuiſſet probari, conſecrationem illam eſſe factam. Sed & probaverat Conringius ex Regione, Ludovicum *anno 900. Forchemii coronatum, & regiis ornamentis indutum in faſtigio regis fuiſſe ſublimatum.*

VI. *Tertio* fatetur quidem, Henricum a Willegiſo Moguntiæ coronatum, ſed *violato jure Colonienſi*, ideoque *eam coronationem, ut vitio factam, eſſe Aquiſgrani renovatam.* At vero Colonienſem iſthac ætate fuiſſe conqueſtum de jure ſuo coronandi per Willigiſum violato, nemo memoravit: debuiſſet autem conqueri ex ſententia defenſoris. *Renovatam* porro fuiſſe *coronationem Aquiſgrani*, merum eſt commentum. Urſerat vero jam Conringius: etſi ponas, factam illam *renovationem*, tamen etiam ita liquere, coronationem, quæ extra diœceſin Colonienſem inſtituitur, non fuiſſe Colonienſis ſed Moguntini juris.

VII. Fabuloſum porro eſt & commentitium illud etiam, quod *quarto loco* cauſatur defenſor: *extorſiſſe Conradum ſecundum Colonienſis conſenſum, ut Moguntiæ coronaretur, ea lege, ut Auguſta Coloniæ coronaretur.* Nemo ſcriptorum veterum verbulo tangit, vel *extorſionem*, vel talem aliquam *legem*. Nihil horum habet Wippo; & tamen non verecundatur defenſor cum ſuis aſſeclis alibi ad Wipponem fronte intrepida provocare. Fabuloſum quoque eſt illud defenſoris de Rudolphi Suevi coronatione, illam tanquam *vitio factam triennio ſuſpendiſſe* Gregorium VII. idque docere Baronium. Id verum; illam coronationem, miſſa etiam corona Cæſarea, triennio poſt probaſſe Gregorium ſeptimum; ad hanc vitii accuſaſſe, & quidem forte, quod Moguntiæ non debuerit inſtitui a Moguntino, falſiſſimum eſt. Imo vero probavit illam Gregorius VII. Colonienſis juris coronandi nulla omnino mentione facta.

IIX. Similiter commentum eſt, quinque ultimas cæſarum coronationes Germanicas *nomine Colonienſis ſedis* eſſe peractas. Commentum eſt, cæſares & ſeptemviros caviſſe Colonienſi de *jure coronandi extra etiam ſuam diœceſin vi aureæ bullæ ſalvo manſuro.* Quis non miretur frontem defenſoris talia commenta jactare in publicum auſi, pene in conſpectu cæſaris, electorum, & omnium imperii ordinum?

Ad Quæſtionem VI.

I. Colonienſi tantum competere jus intra ſuam diœceſin conſecrandi, *quatuor leviſſimis indiciis Conringium probare*, ait defenſor. Conringius autem in iterata aſſertionis editione primum ſeorſim id probavit, deinde ſex rationibus oſtendit, ipſosmet Colonienſes antehac in eadem ſententia fuiſſe. Rationes vero illæ num ſint *leviſſimæ* nec ne, permittit judicandum omnibus, qui valent judicio ab amore aut odiis non impedito. *Leviſſimas* eſſe reſponſiones defenſoris, ipſa res docet. In eo quod duo ultima argumenta Conringiana ſecundæ editionis plane diſſimulaverit, oſtendit ſane defenſor animum a veri & recti indagatione alienum. Perinde atque in eo, quod recitans ſummam quatuor priorum Conringii argumentorum, facta Rupertini privilegii mentio-

mentione, non dubitaverit in margine ſcribere: *vi privilegii poteſt Colonienſis ubique coronare:* ipſi conſcientiæ ſuæ vim facit, probe conſcius ſcilicet. Rupertino ſaltim privilegio talem poteſtatem Colonienſi ſedi datam non eſſe. Sophiſtam porro quoque ſeſe demonſtrat, dum ita obſcure ad rationes Conringianas reſpondet, ut nemo facile ſenſum ejus aſſequatur. Paucis tamen omnia examinabimus. Pleraque jam in *Altera diſſertatione adverſus iteratorem vindiciarum* ſunt percurata.

II. Igitur ad primum argumentum Conringianum reſpondens defenſor non audet negare, hiſtoricos antiquos narrantes illas,quæ a Colonienſi de jure coronandi ſunt motæ ſedi Moguntinæ controverſiæ, non alium a Colonienſi prætextum uſurpatum memoraſſe, quam a diœceſeos jure petitum; cauſatur tantum *Schafneburgenſem tamen addere, privilegium Colonienſi vindicatum eſſe, nam privilegio ante Leonis noni obtinuiſſe.* At vero de aliquo per Leonem IX. impetrato privilegio nihil habet Schafneburgenſis. Facile etiam apparet, Lampertum *privilegii* voce non tabulas ſcriptas, ſed nil niſi prærogativam intelligere: quæ eſt vulgaris vocis *privilegii* acceptio. Ut vero Lampertus voluerit Leonis aliquod privilegium memorare: hoc tamen utique ſatis indicavit, cauſas, quare Hermanno Colonienſi ſit facultas coronandi Aquiſgrani tunc data, non fuiſſe niſi duas, nempe *claritatem generis*, qua Luitpoldo Moguntino ille præcellebat, & *jus diœceſanum.* Et vero ipſum illud Leonis IX. privilegium ad ſolam diœceſin Colonienſem reſtrinxiſſe omnem Colonienſi datam coronandi poteſtatem, ex ipſis Colonienſibus liquido nuper oſtenſum eſt in examine argumentorum Colonienſium ſectione ſecunda. Illa quidem igitur defenſoris cauſatio, qua credit vim argumenti primi Conringiani ſeſe effugere poſſe, inanis eſt & vere *leviſſima.*

III. Moguntinum *in Ottonis magni coronatione jus nullum ſuum neque primatum prætendere auſum*, nullo argumento fultus addit defenſor. Nec ad rem noſtram hanc facit, quid tum prætenderit Moguntinus. Satis eſt noviſſe, Colonienſem nihil tum prætendiſſe præter jus diœceſeos ſuæ. Poſterius vero clariſſime patet ex Witikindo: paulo obſcurius quidem, ut tamen nec ita poſſit latere nobis. Rem eandem indicavit Dithmarus lib. 2. ſub initium hiſce verbis: *Hunc* (Ottonem ſcil.) *Hildebertus Moguntinæ cura cathedræ, cum licentia Wigfridi ſanctæ ſedis Colonienſis archipræſulis, in cujus diœceſi hoc fuit, & auxilio Trevirenſis benedixit*, idque Aquiſgrani. Ubi & merentur notari illa, *Moguntinæ cura cathedræ.* Videntur enim ſignificare, Hildebertum in hac coronatione habuiſſe ſingularem *curam Moguntinæ ſuæ cathedræ.*

IV. Æque ineptum eſt,quod idem adjicit defenſor. *In altera cauſa*, agitata nimirum Henrico III. cæſare, *prorſus cecidit Moguntinus, nec auſus deinceps eſt Colonienſi litem intendere.* Ceciderit enim. Cecidit vero non niſi quod Aquiſgrani prævaleret jus diœceſanum Colonienſe. Quod vero de Aquiſgranenſi coronatione (nam de ſola illa fuit ſemper controverſia) impoſterum *Colonienſi habili litem nullam intenderit*, effecit quæ ſemel in eam, Henrici III. cæſaris cura, facta erat a Luitpoldo archiepiſcopo conſenſio.

V. Ad ſecundum argumentum Conringianum reſpondens defenſor, vix tangit quidem ejus vim. Poteſt illud huic ſyllogiſmo includi:

Quicunque per octingentos annos, etſi ſæpe infinitis imperii turbis invitati, ne quidem tentarunt extra diœceſin ſuam coronare, illi non habuerunt perſuaſum jus coronandi extra diœceſin ſibi competere.

At Colonienſes archiepiſcopi per octingentos annos, etſi infinitis imperii turbis invitati, ne quidem tentarunt extra diœceſin ſuam coronare. Ergo.

Quod ad majorem faciat,nihil adfertur a defenſore. Ad minorem quadantenus facit illud: *Quid opus erat Colonienſem tentare extra ſuam diœceſin, qui ex officio jus habet ſolus ubique conſecrandi? Noluit enim ſine gravi cauſſa Carolinam legem infringere.* At, bone defenſor, jam monuerat Conringius, per tot ſecula ſæpiſſime graviſſimas fuiſſe cauſas, quare coronationes extra diœceſin inſtituerentur: quemadmodum *opus fuit* jam integro ſeculo illud uti fieret. Certe cauſas defuiſſe nemo dixerit, niſi rerum veterum imperii imperitus.

VI. Ad tertium argumentum Conringianum nihil potuit niſi per commentum adferre defenſor, quo oſtenderet Colonienſes unquam fuiſſe conqueſtos velut de injuria ſibi facta, quod Moguntinus extra diœceſin Colonienſem inſtituiſſet coronationem; antequam quidem fuit vulgo creditum, nonniſi Aquiſgrani rite coronationes inſtitui. Adducit enim ille quidem ſanctum Heribertum & ſucceſſorem illius, quaſi conqueſtus de coronatione a Moguntino peracta: ſed jam tum diximus fabuloſa hæc eſſe, & contra fidem omnium veterum monumentorum efficta. Imo vero *præſente habili Colonienſe nec reclamante*, Conradum ſecundum a Moguntino coronatum eſſe, ex ipſo conſtat Wippone: ut nihil ſit falſius eo,quod ſubjungit defenſor, *non eſſe ullum veterem ſcriptorem id qui teſtetur.*

VII. Quarti etiam argumenti Conringiani vim defenſor vel non aſſecutus eſt, vel ſciens volensque iterum diſſimulavit. Poſſet illud hoc ſyllogiſmo includi:

Quicunque privilegio indulgeri ſibi fecerunt facultatem coronandi in ſua diœceſi extra Aquiſgranum, illi non crediderunt, ſibi jam tum competere jus coronandi ubivis locorum, etiam extra diœceſin ipſam.

At Colonienſes archiepiſcopi poſt auream bullam Carolinam fecerunt ſibi per Rupertum cæſarem indulgeri facultatem coronandi in ſua diœceſi extra Aquiſgranum.

Ergo Colonienſes archiepiſcopi poſt auream bullam Carolinam non crediderunt, ſibi jam tum competere jus coronandi ubivis locorum etiam extra diœceſin.

VIII. Quæ a defenſore adducuntur, nec ad majorem nec ad minorem atque adeo ad rem omnino nihil faciunt. Videtur ita loqui, quaſi Conringius præcipue urſerit, *ſero* demum Rupertinum privilegium impetratum, idque dediſſe poteſtatem ubivis coronandi. Mirabitur ſive ruditatem ſive σοφιστικὴν defenſoris quisquis reſponſionem cum Conringiano illo argumento contenderit. Prodit vero & in eo ſuam ruditatem idem defenſor, quod non obſervaverit vitium a typographo commiſſum in nomine Mamerani. *Addit* (inquit) *auctior editio Mameranum:* Cum tamen Nicolaum Mameranum non temere ignoret qui rerum Caroli V. paulo ſtudioſior eſt indagator. Præter vero Mameranum alii quoque ætate illa a ſola diœceſi crediderunt eſſe jus coronandi, quod Colonienſi Aquisgrani competit. Dabo nunc unum omni exceptione majorem, & germanicarum rerum longe peritiſſimum, Albertum Crantzium lib. 8. Saxon. cap. 21. Verba ejus ſunt: *Studuit huic* (Richardo) *Conradus archiepiſcopus per ea tempora Colonienſis: qui perductum Aquisgranum de more coronavit. Quod illius opera ab antiquo tanquam in ſua provincia apud D. Karolum primum permittitur. Datur hoc memoria magni imperatoris, qui ibi creber manſit, ibique tumulatus tubam expectat noviſſimam.*

IX. Quæ ſub finem a defenſore annectitur ſatis atrox Conringii accuſatio, itidem vix dixeris, cuinam ſit vitio tribuenda. *Fraudis* nempe inſimulatur Conringius, & tanquam *egregie lectorem deceperit, promittens probaturum ſe, Colonienſem jus coronandi ſola conſuetudine habere, ex liberali conceſſione Moguntini, nusquam vero verbo indicaverit, quando ſit Colonienſi facta ea conceſſio & ejus conſuetudo cœpta.* Hoc profecto cui morbo adſcripſeris incertum eſt: cum utique Conringius in omni hoc negotio candide atque aperte egerit, & originem rei indicaverit. Nempe primo omnium in jus illud Colonienſe *conſenſiſſe* Luitpoldum Moguntinum, etſi vix & ægre ille conſenſerit, teſte Lamberto Schaffneburgenſi: ex eo vero *conſenſiſſe* & ſecutos archiepiſcopos Moguntinos: atque ita ex *diuturno conſenſu* & hinc nata conſuetudine jam illud Colonienſe jus eſſe roboratum.

Ad quæſtionem VII.

I. Antequam ad caſtigationem eorum, quæ Quæſtione VII. a defenſore ſunt diſputata, aggrediamur, præmonendum eſt, illa omnia, quæ ſectione IV & V. a Conringio, atque adeo a defenſore quæſtionibus oppoſitis ſeptima, octava & nona diſputantur, ad cauſam S. ſedis Moguntinæ quæ ipſi eſt cum Colonienſi, nihil pertinere. Aquisgrani enim ſoli Colonienſi, hodie quidem, competere coronandi jus, ultro concedit eminentiſſimus Moguntinus elector. Jure an injuria, aut quo prætextu, qua occaſione, illam poteſtatem Colonienſes initio nacti ſint, in controverſiam non venit: nec intereſt Moguntinæ cauſæ. Itaque quum mihi potiſſimum id conſilii ſit, ut Moguntinum jus in tuto collocetur, poſſim facile tres illas quæſtiones defenſoris omittere. Scio etiam, non invito id fore Conringio; ut qui unice amet omnem illam controverſiam nudare ab alienis litibus, & duntaxat jus S. Moguntinæ ſedis defendere: quicquid fuerit de iis, quæ, majoris duntaxat lucis ergo, duabus illis ſectionibus propoſuit.

II. Quoniam tamen ipſemet exiſtimo, non abiiſſe Conringium in hiſce quoque ab eo, quod verum eſt, videoque nihilominus illum duriſſime a defenſore veritatis profeſſæ cauſa tractari, resque omnis facit ad exactam cognitionem juris coronandi: perinde ut antehac non dubitavi ſuſcipere tutelam Moguntinæ coronationis; ita etiam non gravabor, & veritatem ab offuciis & virum clariſſimum ab injuriis hac quoque in re defendere.

III. In quarta quidem ſectione Conringius inſtituit maxime probare: duo illa, quæ poſſint videri ſoli Colonienſi ſedi primo omnium conciliaſſe olim jus & poteſtatem Aquiſgrani coronandi, non eſſe veritati conſentanea aut firma. Alterum, nempe hoc: *Ex Caroli magni inſtituto coronationes regias Aquisgrani duntaxat rite poſſe inſtitui.* Et illud alterum: *Juxta ejusdem Caroli magni legem & canonum inſtituta regem Aquisgrani ſoli Colonienſi conſecrare fas eſſe.* Hinc nata eſt defenſori quæſtio VII. *An Aquisgrani tantum legitime reges Romani conſecrentur:* & quæſtio VIII. *An Colonienſis ſolus habeat jus Aquisgrani coronandi.* Debuiſſet autem defenſor, ſi recte cum Conringio voluiſſet diſputare, prout par erat, formare ita quæſtionem VII. *An ex Caroli magni inſtituto coronationes regiæ Aquisgrani duntaxat poſſint inſtitui?* Quæſtionem VIII. vero: *An juxta Caroli magni legem & canonum inſtituta ſolus Colonienſis habeat jus coronandi reges Aquisgrani?* De induſtria autem defenſorem quæſtiones illas ita obſcure propoſuiſſe, indicat utriusque quæſtionis tota tractatio ſalebroſa, obſcura & impedita, ut quid velit quid non velit perſpicaciſſimus vix intelligat. Solet autem hic eſſe mos quidem Sophiſtarum, veritatis autem ſectatoribus plane inviſus.

IV. Cumprimis vero illa affectata obſcuritas & tricatio adhibita eſt in tractatione quæſtionis VII. Nec enim quæſtionem a ſeſe propoſitam aperte uſquam vel affirmat vel negat. Imo vero ipſemet videtur negativam ſententiam amplecti. Ita enim incipit: *Choragum initio Conringius agit, & tacito nomine ſanctum Heribertum inducit, aſſerentem de eſſentia regiæ coronationis Romanorum eſſe, ut fiat Aquisgrani, non poſſe legem Carolinam aboleri: tam inſipiens non fuit vir ille eruditiſſimus & archicancellarius. Inſipientia* ergo eſt ex defenſoris mente, credere Aquisgrani tantum legitime reges Romanos conſecrari. Placet ergo defenſori ſententia negativa: quæ & Conringio placet, & ab illo fuit defenſa. Saltem hactenus itaque inter utrumque nulla eſt diſſenſio. Debuiſſet autem hoc defenſor profiteri, & non maligne diſſimulare. Omnis diſſenſio videtur in eo verſari; num Carolus magnus aliquam legem tulerit de coronationibus regiis Aquisgrani inſtituendis? Negavit enim hoc Conringius: Defenſor vero multis clamoribus affirmat.

V. Ac

Digitized by Google

V. Ac Conringius quidem, paginæ 20. initio, affirmat, famam de Carolina lege iſthac cœpiſſe demum ſeculo duodecimo. Antehac vero illius famæ nullum veſtigium reperiri, probat uſque ad paginam 23. §. *Eodem ſaculo tamen.* Officii ergo fuiſſet defenſoris, ut idem aperte negaret vel affirmaret. Et, ſi voluiſſet negare, debuiſſet argumenta Conringiana ordine propoſita refutare. Nunc autem videas eum horum nihil agere: ſed mordere quidem illa a Conringio diſputata: ita involute & obſcure tamen, ut nemini hominum poſſit temere in mentem venire, quorſum pertineant omnia, quæ adfert. Quod indicium eſt ſane vel inſcitiæ magnæ vel malignitatis. Nos tamen, quo illa ſe dabunt loco, nonnihil (parcemus enim homini) caſtigabimus.

VI. Ipſum exordium tractationis quæſtionis ſeptimæ incipit defenſor ab iniqua Conringii accuſatione: *Hunc Choragum agere & tacito nomine ſanctum Heribertum inducere aſſerentem, de eſſentia coronationis regis Romanorum eſſe ut fiat Aquisgrani, nec poſſe legem Carolinam aboleri.* Quo vero indicio, defenſor, conſtat, hoc in animo fuiſſe Conringio? Si nullum eſt indicium, injurioſa utique & vana eſt iſthæc tua ſuſpicio. Qui vero etiam potuit hoc voluiſſe Conringius, cum multis diſputet *Sect. 4. pag. 20. editionis Helmſtadienſis*, ætate ſancti Heriberti illas ſententias, *quod ad eſſentiam coronationis pertineat, ut illa fiat Aquisgrani*, nondum invaluiſſe; & memoriam legis Carolinæ cœpiſſe demum ævo Friderici I. doceat pagina 23.

VII. Merito porro Conringius *fabulam* vocavit omnem illam narrationem veſtram *de repetita per ſanctum Heribertum coronatione ſancti Henrici cæſaris:* merito etiam negavit ejus auctorem eſſe Adelboldum. *Aſſertionem* ſcribenti fuiſſe ſibi ad manum ſolum illum Adelboldi nomine a Caniſio editum libellum falſus eſt Conringius. Vidit & doctiſſimi P. Gretzeri Adelboldum, longe meliorem ſane illo. In neutro tamen libello reperitur illa fabula veſtra. Quamque in ea fingenda falſi ſitis, expoſitum jam eſt in examine argumentorum Colonienſium. Eoque non eſt quur nunc addam verbum.

IIX. Fruſtra vero etiam & ridicule defenſionem Germanicam novus hic defenſor a Conringianis telis defendit. Verba germanica hæc fuerant: Sanctus Heribertus Colonienſis *iſt auf ſeinem Recht ſo hart beſtanden, daß Henricus ſich von ihm aufs neu zu Achen krönen laſſen müſſen*, idque adſtipulante Gregorio V. pontifice. *Vide Adelboldum in vita ſancti Hermanni.* His oppoſita fuerunt hæc in aſſertione: *Sed & fabuloſum utique eſt, quod habet defenſor Colonienſis pag. 59. iteratam illam coronationem peractam eſſe adſtipulante Gregorio V. pontifice: conſtat enim Gregorium V. obiiſſe anno 999. triennio integro antequam Ottoni III. ſucceſſit Henricus rex. Certe ſola hæc fabula apta eſt omnem narrationem ſuſpectam reddere.* Judicet jam lector, an hæc ſequentia defenſoris novi ſatis ſint Conringio refellendo. *Huic repetitæ Heriberti inaugurationi recte aſtipulari dicitur Gregorius V. metonymice, licet mortuus, edita ſua conſtitutione;* quaſi ille conſtitutionem ediderit de coronatione Aquisgranenſi per Colonienſem inſtituenda. Judicet hæc lector, qui æquus & bonus eſt. Certe quæ addit defenſor, a culpa calumniæ haud vindicaveris: *Adeoque imperite totum ſcriptum Colonienſe ſuſpectum facit & fabuloſum.* Nec enim Conringius *de toto ſcripto* Colonienſi quidquam dixerat: ſed ſolam illam narrationem de Heriberto fabuloſam pronunciaverat.

IX. Subjungit mox defenſor pauca de Conradi Salici, Rudolphi Suevi, & Henrici V. coronatione. Quæ confutatione non indigent, ſed ſola collatione cum aſſertione inſtituta. Notandum autem eſt, hæc eſſe quæ defenſor voluerit repoſita illis, quæ Conringius attulit, ut probet Henrici II. cæſaris coronationem Aquisgrani non repetitam, ut & uſque ad Henricum V. de famoſa iſthac lege Carolina altum fuiſſe ſilentium. Nec vero hæc defenſoris quiſquam temere intelliget. Facta vero cum iis quæ in aſſertione habentur contentione, non dubito, facile fore palam, *quid diſtent æra lupinis.*

X. Inde porro fatetur Conringius, ſeculo duodecimo legem illam Carolinam Aquisgranenſem, quæ fertur, jam cœpiſſe oſtentari, imo a Friderico I. cæſare pro germana & recta fuiſſe agnitam: atque ita paſſim fidem inveniſſe. Suppoſititiam tamen eſſe, probat nonnullis in medium productis argumentis pag. 24 & 25.

XI. Hic vero jam contra defenſor incipit in Conringium ſtomachari tam atrocibus calumniis, ut nequeas ſatis hominis intemperiem mirari. *Mutata, inquit, ſcena medicum induis, qui cenſet Hippocratis conſilio extremis morbis extrema convenire remedia, ſectionem & uſtionem: ſic cum præter conſuetudinem ſeculorum octo, illuſtres alii tituli juris Colonienſis exſtent in reſcriptis cæſareis, bullis apoſtolicis, canonibus ſacris, & coævis antiquis ſcriptoribus, quæ cauſam adverſariam graviter ſauciant, elevat medicus noſter omnia, halitu difflat objecta, reſcindit decreta pontificum ut erroribus implicata, cæſarum pragmaticas ut fabulas flammis conſecrat, exſibilat canones ut perlevis obſervationis, ſumma quidquid juri Moguntino contradicit, quantumvis ſacrum & viginti cæſarum chirographis munitum, abolendum cenſet, ne jus Colonienſe alio fundamento, quam liberali donatione Moguntina, fulciatur.*

XII. At vero, o iracunde defenſor, quam ſcenam mutat Conringius? An medicum agit omnis qui ſcripta & tabulas aliquas arguit falſi, & convictas rejicit? Quid eſt dictu inſulſius, quid abſurdius? An Conringius omnia in honorem eccleſiæ Colonienſis dicta elevat? Ubi, & quando? An ille halitu difflat objecta? Quænam ſunt illa objecta? Quod objectum ille rejicit non adductis rationibus? In reſcripta quædam ſummorum pontificum ex falſis narrationibus nonnulla irrepſiſſe, pertinentia ad jura & inſtituta regni germanici, dixit quidem pag. 36. Dixit autem modeſte profecto. An vero quiſquam catholicorum tale quid fieri poſſe unquam negavit? An non infallibilitatem S. Romanæ ſedis catholici omnes fidei & morum controverſiis ſolemus definire?

An Conringius cæſarum pragmaticas, ullo in ſcripto, ut fabulas, flammis conſecrat? Cedo librum, indica paginam. Illam quæ Caroli magni nomine fertur Aquisgranenſem legem fictitiam eſſe aſſeruit, aliam nullam: nec hanc quidem *flammis conſecravit*, aut, uti paſſim loqueris, *flammis abolendam cenſuit.* Ubinam porro exſibilavit Conringius canones ut, perlevis obſervationis? In omni libello ejus hæc tantum occurrunt pag. 26. de canonibus: *Etſi enim diœceſibus ſingulis ſua ſint jura prudenter conſtituta per canones eccleſiaſticos, notum tamen eſt, non eum eſſe rigorem canonum, ut ſine omni exceptione ſtricte ſemper ſint obſervandi.* An hoc eſt exſibilare canones? An in hiſce verbis quidpiam occurrit, quod verum non eſſe agnoſcat eccleſia catholica? Imo quod verum eſſe, non in confeſſo ſit apud omnes? Poſtremo ubinam Conringius cenſet abolendum, quicquid juri Moguntino contradicit, quantumvis ſacrum & viginti cæſarum chirographis munitum? Nihil tale in hoc univerſo orbe reperitur. Fictam cenſuit legem Carolinam illam: abolendam non cenſuit. Nec illa juri Moguntino extra diœceſin Colonienſem coronandi repugnat: ut Colonienſem nihil juvat. Per Conringium & omnes, qui jura Moguntina defenderunt, ultro hoc ſemper fuit publice affirmatum. Vin igitur, defenſor, dicam uno verbo, qualia illa tua ſint quæ Conringio improperas? Calumniæ ſunt, fœda ſunt mendacia: indigna viro bono & honeſto. Pudet me tui.

XIII. In eo uno mereris laudem, quod paulo videaris mitior illo Vindiciarum Colonienſium autore (ſive ipſe fortaſſe mutaveris ſententiam) quem *fiſcali virga caſtigandum Conringium* non puduit affirmare pag. 100. Quaſi ſcil. is omnis qui profitetur, imperatoribus & principibus interdum ſuppoſititiis & fictis tabulis obrepi, peccet in cæſarum & principum auctoritatem. Quid meruit ergo cardinalis Baronius, quid Bellarminus, duo ſummi catholicæ veritatis propugnatores, quid alii, qui tam multa ſcripta, quæ aliquot ſæculis in eccleſiam & ipſum corpus canonicum, ipſorummet pontificum & ſanctiſſimorum patrum mentitis nominibus, irrepſerant, plurimisque impoſuerant, non dubitaverunt expungere & quaſi notis inuſta rejicere?

XIV. Nec vero ſolus Conringius in dubium vocare auſus eſt fidem tabularum Aquisgranenſium. Fecerunt idem & alii Moguntinæ cauſæ patroni. Nec hi primi fecerunt, ſed jam ante eos multi. Num veroſimile eſt, cardinalem Baronium non memoraturum fuiſſe tanti momenti pactum inter Leonem & Carolum initum, de coronatione regis Romanorum, quæ antecedere debeat coronationem Romanam, ſi tabulæ iſtæ viſæ ipſi fuiſſent aliquam mereri fidem? Nec profecto illas ignorare temere potuit, quem nihil ignoraſſe illorum temporum conſtat. Aubertus Miræus in Codice donationum piarum pag. 47. diſerte ſcribit: *nonnulla titulorum ſeu dignitatum vocabula ſuſpectum mihi reddunt ſermonem.* Ex Acatholicis I. Gryphiander JC. *lib. de Weichbildis Saxonicis cap. 35. num. 16.* diſertis verbis negat, diploma illud genuinum eſſe. Neque nunc primum in gratiam Moguntinæ cauſæ ita ſenſit Conringius: ſed jam ante annos tredecim *lib. de origine juris Germanici cap. 13.* pronunciavit tabulas illas ſuppoſititias. Quo patet, per calumniam ſcribi a defenſore, legere inepto editos a Conringio libros, p. 20. *Carolinam* illam, quam vocat *pragmaticam in jus vocatam* a Conringio, *ut originem primogeniam Colonienſis tituli ſubruas.* Nec profecto ante annos tredecim vel per ſomnium ipſi in mentem venit illa quæ nunc eſt de jure coronandi controverſia: nec illa Carolina tabula vel tantillum juvat Colonienſem cauſam, ceu jam tum ipſa aſſertione diſertis verbis ultro eſt agnitum, & liquido nuper probatum in examine argumenti primi Colonienſis.

XV. *Edere* jubet defenſor *ineptias & affanias* (non *affamias*, ut perperam latiniſſat defenſor) quas ſcil. illi Carolino diplomati ineſſe ſcripſerat Conringius. Ne dubitet vero, Conringio in promptu eſſe illas edere. Sed cur id nunc quidem agat, nihil eſt cauſæ: quia omne hoc ad Moguntinam cauſam, aut ad quæſtionem a defenſore propoſitam, nihil attinet. Imo vero quum liquido appareat, Colonienſium partium patronos, ad levem quamlibet & innoxiam mentionem injectam falſitatis tabularum iſtarum, non incandeſcere duntaxat, ſed ſtulte bacchari ac pene furere; intempeſtivum eſt, movere nunc illam camerinam, & quaſi ignem gladio fodere. Non deerit veritati Conringius, ubi ante nonnihil deferbuerit animorum hic æſtus, & per tumultus Colonienſium litigatorum licebit defœcato judicio rationes arbitrari. Jam quidem per unam aſſertionem ſuam videtur ſibi ſat convitiorum in caput ſuum accerſiſſe.

XVI. Et vero quare ſcribat Conringius defenſoris juſſu, quum liquido appareat, illum ſive per animi affectum ſive præ ruditate, argumenta in aſſertione in id tantum adducta, ut probetur, a Carolo non eſſe inſtitutum, aut cum Leone III. pactum, ut omnes Romani cæſares Aquisgrani *initiarentur*, Romæ vero dein *ſic initiati ſine ulla contradictione imperatoriam majeſtatem plenius aſſequerentur*, (quæ verba ſunt tabularum) non aſſecutum eſſe?

XVII. Dixerat nempe Conringius: *At vero a Carolo magno inſtitutum non eſſe, ut conſecratio aut initiatio regum prima fiat Aquis, palam eſt vel ex eo, quod cum hoc privilegium exiſtimetur traditum circiter anno 804. Carolus biennio poſt omne regnum ſuum in tres partes inter filios totidem diviſerit, non niſi uni illorum attributa ea parte qua Aquisgranum comprehendit &c.* At illud non niſi hoc reſpondet defenſor: *Quid inde conficis? non potuiſſe ſedem regiam & locum coronationis regis Romanorum inſtituere Aquisgrani? Numquid & ipſe vivus anno 813. Ludovicum filium ſucceſſorem in imperio ibi coronavit?* In margine notavit: *Objecta diluuntur.* Hoc ſcilicet defenſori eſt, *objecta diluere.* At vero ea eſt vis illius Conringiani argumenti, ut nec defenſor nec quis alius *diluere* id valeat.

XIIX. Syllogiſmo illud includam, ut tandem aliquando defenſoris, & æque inepti vindicis, oculos feriat.

Quicunque

Quicunque urbem Aquisgranenſem in propriam poſſeſſionem tradit uni filiorum, & quidem illi, cui urbis Romæ atque Italiæ imperium ex ejuſdem præſcripto non debet competere, ille non vult, ut omnis Romanus imperator Aquisgrani initietur.

Atqui Carolus magnus in propriam poſſeſſionem Aquisgranum tradidit uni trium filiorum, & quidem illi, cui Italiæ & urbis Romæ imperium ex ejusdem præſcripto non debebat competere. Ergo.

Majorem nemo ſanæ mentis negaverit. Minor perſpicue patet ex formula diviſionis totius imperii, factæ a Carolo anno 806. biennio poſt Leonis cum Carolo Aquisgranenſem congreſſum, quæ a P. Pithæo primum edita inſerta eſt eccleſiaſticis annalibus a cardinale Baronio. Qui vero potuerit Carolus tale quid inſtituere, ſi biennio ante iniiſſet pactum ſolemne cum Leone III. papa de initiandis Aquisgrani omnibus cæſaribus, idque voluiſſet eſſe perpetuum? Quod de Ludovici pii coronatione a Carolo Aquis, poſt filiorum duorum obitum, facta addit defenſor, nec ad majorem nec ad minorem, atque adeo ad rem non facit. Etiam vero hæc coronatio Ludovici pii adverſa fronte pugnat cum illis tabulis. Si illis enim credimus, pactum cum Leone III. fuit, ut Aquisgrani fiat regia initiatio, ſic *initiati* autem *Romæ plenius imperatoriam majeſtatem* aſſequantur. Carolus vero ſtatim Aquisgrani Ludovicum filium ſuum coronavit imperatorem: utque ex Onuphrio ipſomet jam ante adduxit defenſor, Ludovicus ab illo uſque die quo a patre dictus fuit imperator, *imperii annos* numerare ſolet; perſuaſo utique & patre pariter & filio, nihil deeſſe amplius imperatoriæ majeſtatis, aut Romæ demum illam aſſequendam eſſe.

XIX. Pari vero modo defenſor nec ſecundum Conringii argumentum aſſecutus eſt, petitum ex eo, *quod Ludovicus pius ſtatim anno 816. non Aquisgrani ſed Rhemis a Stephano papa coronari ſe fecerit, cum tamen memoria Carolinorum inſtitutorum recentiſſima tum eſſet, & apud pium filium obſervatio eorum longe religioſiſſima.* Reſpondens enim *quid tum?* ait. *Quod Romæ facere debuerat, Rhemis præſtitit.* Imo vero, ſi ex recentiſſimo pacto cum pontifice Leone inito Aquisgranum fuit caput & ſedes imperii Transalpini, & ſi ibi demum rite fiat initiatio cæſarea, non Rhemis ſed Aquisgrani debuiſſet illa quoque coronatio inſtitui.

XX. Hæc duo duntaxat argumenta adducere in medium placuerat Conringio: & tamen ne hiſce quidem *diluendis* par fuit defenſor. Quid ab illo exſpectemus igitur confutationem argumentorum, quæ adverſus ipſas tabulas illas plurima in promptu habemus? Ea vero, ſi opus, depromptum tandem iri, ne ambigat.

XXI. Dixerat porro Conringius: *nolle ſe urgere, quod nemo plane omnium Caroli poſterorum memoretur Aquisgrani conſecratus, etiam illorum, quorum in ditione fuit Aquisgranum.* Defenſor vero prorumpit in hæc verba: *Miſeret me tua memoria, Conringi: hoc loco negas his verbis, nullum Caroli poſterorum Aquis coronatum. Nemo, ais, &c. poſt lineas 18. ex Thegano deſcribit Aquenſem Ludovici pii coronationem.* Me vero, o defenſor, miſeret & fidei, & judicii, & memoriæ pariter tuæ: memoriam autem Conringii video integram eſſe. Conringius dicit, neminem Caroli poſterorum *memorari* Aquisgrani eſſe CONSECRATVM. Tu mala fide ſcribis, negaſſe Conringium, *quenquam Aquis eſſe coronatum.* Conringius dixit caute, *neminem memorari conſecratum:* neminem conſecratum eſſe, affirmare noluit, haud neſcius non omnia literis memorata, & fortaſſe conſecratum quem eſſe, etſi memoria ejus haud ſuperſit. Tu vero dum non diſtinguis inter *coronationem* & *conſecrationem,* item inter conſecrationem *factam* & *memoratam,* eo ipſo oſtendis, quam imbecille tibi ſit judicium, atque impar rebus arbitrandis. Memoria denique tua quam ſit turbata, oſtendis, quod cum allocutus fuiſſes Conringium, ſcripſiſſesque, *negas his verbis,* illis verbis recitatis mox in tertia perſona formato ſermone addas: *ex Thegano deſcribit.*

XXII. Non eſt vero, quod arbitreris, Conringium memoriæ lapſu ſibi contradixiſſe. Primo loco eſt locutus *de conſecratione*, altero ex Thegano de *coronatione.* Quod ſane tu velut certum aſſumis, omnem coronationem habuiſſe *olim* conjunctam conſecrationem, id a vero eſt alieniſſimum. Certe monumenta antiqua conſulentibus manifeſtum eſt, quaſdam coronationes fuiſſe Laicas, ut ita loquar. Non aliam fuiſſe coronationem illam Ludovici pii, qua de ſermo eſt, per fit veroſimile; quoniam non ſacerdotali manu, ut in ſacris coronationibus jam tum mos fuit, ſed propria impoſitio coronæ facta eſt. Certe in Thegano ſacræ alicujus ceremoniæ, in omni iſto coronationis actu celebratæ, nulla fit mentio. Sed diſerte ille dicit: *Hoc facto* (h. e. poſt impoſitam coronam) *audientes miſſarum ſolemnia ibant ad palatium.* Et vero probabile fit, Carolum ſacram coronationem cæſaream (qualis Ludovico deſiderabatur, ut qui puer ab Adriano fuiſſet unctus & coronatus non niſi rex) pontifici Romano, cui illa competebat peragenda, reſervaſſe, & hanc eſſe, quam Stephanus papa contulit. Lotharium & fratres itidem coronatos fuiſſe Aquisgrani, noverat Conringius. Monito illo defenſoris non erat opus. At non legerat *memoratam* eorum *conſecrationem.* Hanc ubi produxerit *memoratam*, cedet defenſori: interim exiſtimabit defenſorem luſiſſe operam. Quid vero, ſi ille petat ſibi a defenſore monſtrari fideli teſtimonio, quenquam poſterorum Caroli poſt filios Ludovici fuiſſe vel coronatum Aquisgrani? Æqua utique petitio fuerit. Si enim uſque adeo (ut in illis eſt tabulis Aquisgranenſibus) magna tum fuit in auctoritate Aquisgranum, ut ex inſtituto Caroli ibi debuerit coronatio fieri regum, utique ſaltim reges Lotharingiæ veroſimile eſt coronari ibi debuiſſe; at hoc nuſquam legitur. Ex adverſo novimus, Carolum Calvum occupati regni Lotharingici coronam Metis accepiſſe, Carolum Craſſum vero & Arnolphum & hujus filium Ludovicum, tametſi Aquisgranum in poſſeſſione ſua habuerint, in Germania Transrhenana fuiſſe coronatos: de aliis Caroli poſteris Lotharingiæ dominis omnia incerta eſſe.

XXIII. Hiſce probe expenſis patet, illas repetitas p. 21. defenſoris in *temeritatem* ſcil. *Conringii* debacchationes & calumnias nova depulſione non indigere.

Ad quæſtionem IIX.

I. Jam ante conqueſti ſumus, quæſtionem hanc ita eſſe propoſitam, ut non tangat ſtatum controverſiæ a Conringio motæ; & tractationem ejus ita inſtitutam, ut nemo facile aſſequatur, quid vel Conringius vel defenſor ſibi voluerit. Debuiſſet nimirum quæſtio hæc ſic proponi:

An ſolus Colonienſis, vel ex Caroli magni lege, vel ex præſcripto canonum, jus habeat Aquisgrani coronandi?

Affirmativam ſententiam reprobat Conringius. Quæſtionis autem a defenſore propoſitæ: *An Colonienſis ſolus habeat jus Aquisgrani coronandi*, affirmativam amplectitur. Hodie ſcil. & jam ab Henrici uſque III. cæſaris ævo illud jus ſoli Colonienſi competere, ultro fatetur.

II. Videtur autem ita diſputare (obſcurat enim & intricat omnia) defenſor, quaſi & vi legis Carolinæ, & auctoritate canonum, jus illud ſoli Colonienſi debeatur. Videamus, quam bene.

III. De lege Carolina diſputat primum uſque ad illa p. 24. *Rides me adhuc:* ita tamen, ut more ſuo præmittat atrocem in Conringium calumniam, dicens; *abolita jam pragmatica ad ſacros canones reſcindendos accingitur.* Nec vero Conringius *abolitam* voluit illam quam inepte appellat defenſor *pragmaticam*; *a ſacris autem canonibus reſcindendis* animo eſt alieniſſimo, & quanquam acatholicus, ſacræ antiquitatis tamen non irreverens.

IV. Quod legem Carolinam attinet, merito negavit Conringius, ulla unquam lege a Carolo magno datum ſolis archiepiſcopis Colonienſibus Aquisgrani jus coronandi. Nec enim talis alicujus legis in omni antiquorum temporum memoria aut vola aut veſtigium reperitur. Conringius dixerat, ne quidem talem legem hactenus fuiſſe factam, tantum abeſt, ut quæpiam genuina lex cuiquam hominum fuerit viſa. Debuiſſet jam defenſor producere talem aliquam legem. Sed miſer non potuit; ut pertinaciam vero oſtenderet, confugit ad ratiunculas. Quas tamen nemo itidem facile intelliget, niſi legerit vindicem Colonienſem. Uno enim eodemque ſpiritu uterque agitatur.

V. Ratiunculæ videntur tres eſſe: I. Petita ex jure diœceſano. II. Ex teſtimonio Munſteri, Cruſii, & Azorii. III. Ex Hildeboldi Colonienſis dignitate & actibus. Omnes pluma leviores, & nihil perinde oſtendere aptæ quam levitatem judicii aut animi perverſitatem, queis defenſor laborat.

VI. Ad primam hæc pertinent: *Numquid ſi in Mariano Aquenſi templo ſolium regum coronandorum eſt erectum, Metropolita ſolus eos ungendi gaudet poteſtate?* Reſpondeo autem; poſito etiam ancedente, conſequentiam tamen non valere: idque propterea, quoniam coronandi jus non proprie eſt jus metropolitanum. Hoc poſterius vel admittere cogitur defenſor etiam invitus, vel fateri debet, Colonienſi non competere jus coronandi niſi ubi metropolitam agit, atque adeo non niſi in propria diœceſi. Sole ſunt hæc meridiano clariora; & tamen, quaſi ſint talpis cœciores, partium Colonienſium illi duo patroni, vindex & defenſor, non vident ſeſe hic teneri. Jam vero quis paulo ſanioris etiam judicii non ſentit, Munſteri, Cruſii & Azorii teſtimonia non eſſe paria, quæ idonee probent in re controverſa, quid actum ſit tempore Caroli magni: & tamen vim omnem ſui argumenti in illis defenſor collocat. [illegible] id eſt [illegible], prout loqui ſolebat Ariſtoteles.

VII. Æque ſtudium eſt argumentum tertium. Hildeboldum apud Carolum magnum fuiſſe ſummæ auctoritatis & gratiæ: fatemur. Fac verum etiam eſſe, quod adeo ſtudioſe conatur perſuadere, ab Hildeboldo Ludovicum pium *eſſe unctum & conſecratum.* An hinc ſequitur: Carolum magnum lata lege omnibus & ſolis archiepiſcopis Colonienſibus contuliſſe jus Aquisgrani coronandi? Ita colligentem vindicem ex merito excepit jam examen Colonienſis argumenti primi. Si defenſor poterit ſalva forma commodum hinc ſyllogiſmum exſculpere, promitto ipſo pro quavis propoſitione quicquid opum eſt mearum. Obiter vero obſervabit; qui ex ſequioris ævi ſcriptoribus coronatum aut conſecratum ab Hildeboldo perhibent Ludovicum pium, illos fere coronationem illam rejicere in annum 814. poſt obitum Caroli patris. De hac coronatione vero ita judicare Colonienſem Gelenium, virum & vindice & defenſore & ſannione Streithagio infinite meliorem majoremque, vi adactum veritatis, *Hierotheca pag. 47. Quod addunt chronica Colonienſia, & ex iis chronicon magnum Belgii, Ludovicum Caroli magni filium ab obitu parentis ab Hildeboldo fuiſſe coronatum, commentum eſt, & nulla nititur auctoritate. Nam Sigeb. ad annum 812, Regino, Theganus, Baronius ad annum 813. & Marianus Scotus ad annum 814. auctores ſunt, Ludovicum juſſu parentis adhuc vivi in palatio Aquisgranenſi diadema ex altari majori acceptum ſibi impoſuiſſe.* Ubi cum Gelenio convenerit defenſor, poterit porro facere periculum in ſtruendo illo ſyllogiſmo.

IIX. Pergit vero jam ſycophantam agere. *Rides* (ait) *me adhuc laudare pragmaticam a te Vulcano conſecratam; ludionem induis, qui protritis cæſareis reſcriptis ad incidendos canones aciem acuis.* Calumnia eſt Conringium *Vulcano conſecraſſe quam ille vocat pragmaticam.* Calumnia eſt, Conringium *aciem acuere ad incidendos canones.* Ineptum eſt dictu, *ut aciem acuat ad incidendos canones*, Conringium *ludionem induiſſe:* nec vero ludionum eſt *acuere aciem*, ſed laniſtarum forte aut lanionum.

IX. Jam tum vero ad præcedentem quæſtionem adduxi verba ipſa Conringii de canonibus. Quæ profecto liquido oſtendunt, ultro agnoſcere illum, *per canones prudenter eſſe ſingulis diœceſibus ſua jura inſtituta:* tantum hoc monuiſſe, *non eſſe eum rigorem canonum, ut ſine omni exceptione ſtricte ſem-*

per

per ſint obſervandi: circa conſecrationes ſapenumero aliquid indulgeri ſolere. Hæc profiteri, an ſit *canones reſcindere*, & *ludionem* aut lanionem agere, omnibus bonis & æquis judicandum permittitur.

X. Novit proculdubio Conringius, quæ ipſe his quidem eſt verbis profeſſus, eſſe hodie nota in vulgus omnibus catholicæ eccleſiæ filiis. Non quaſi cujusvis ſit, pro libitu canonum rigorem mollire, ſed ſimpliciter, fieri id recte poſſe ab iis, quos penes eſt diſpenſandi facultas. Exiſtimabat item Conringius in aſſertione ſua, ſaltem a Colonienſium nemine ea in dubium vocari poſſe: *quum ipſimet velint omnes conſecrationes regias etiam extra ſuam diœceſin a ſeſe inſtituendas eſſe.* Denique exemplo Ottonis I. II. III. & Wilhelmi Hollandi probavit, duntaxat olim Colonienſibus fuiſſe perſuaſum, nec Carolinam aliquam legem nec canones obſtare, quo minus Moguntinus Aquisgrani rite potuerit conſecrare vel ungere.

XI. Contra hæc ita ſeſe gerit defenſor, ut ὕστερον πρότερον movens omnia, ſatis prodat vel ruditatem ſuam vel malignitatem. Nec enim in recitandis Conringianis bonam fidem præſtat, nec in refellendis rectam vim judicii. *Si canones* (inquit) *opponas, prætextum vocas perlevem, imo antiquiſſimum: non eos ſtricte obſervandos, cum ſacrum characterem non imprimat.* Dixerim typographi vitio excidiſſe *coronatio*, ut ſit legendum, *cum ſacrum characterem non imprimat coronatio.* Conferat vero æquus lector, cui tanti eſt, hæc defenſoris cum iis, quæ de canonum prætextu illo habentur in aſſertione Conringiana.

XII. Cumprimis vero bonam mecum fidem deſiderabit, ſcio, qui contulerit Conringianæ aſſertionis illa, quæ leguntur p. 27. 5. *Non vocabitur*, cum dilem̃ate formato quaſi ex mente Conringii a defenſore p. 25. *Ridiculo inſtas* (inquit; *dilemmate, quo merito canonum te rudem profiteris. Vel canones ſunt ſtrictæ obſervantiæ, nec potuit contra eos Colonienſis Moguntino permittere unctionem, vel non ſunt ſtrictæ obſervantiæ, neque prohibent regias in aliena diœceſi conſecrationes.* Hoc dilemmate diſertis profecto verbis nuſquam eſt uſus Conringius. Interim verum eſt, ſi potuit in diœceſi Colonienſi Moguntinus conſecrare, ipſi olim Colonienſes crediderunt, canones non prohibere, quo minus Moguntinus quadam juſta de cauſa Aquisgrani coronationem ſacram inſtituat; atque adeo canones non eſſe adeo ſtrictæ obſervantiæ, ut per diſpenſationem mitigari nequeant; imo per conſequens canonum prætextum leviorem fuiſſe, quam ut unicus ille prætextus ſoli Colonienſi concedere debuerit Aquisgranenſem coronationem contra Moguntinum, primatus & poſſeſſionis jure eandem ſibi ætate Henrici III. cæſaris vendicantem. Potuit enim utique, fatente ipſo defenſore, admittere in diœceſi ſua Moguntinam coronationem, non obſtante canonum rigore, Colonienſis: ſolus rigor ergo canonum non potuit etiam jure Moguntinum a coronatione excludere.

XIII. Scribit porro defenſor: *Soli Colonienſi quoties locali cedere privilegio vult, conceditur per omnem Germaniam, ex officio & lege ſuperiore, regem per ſe vel alium conſecrare.* Eſto: etiamſi verum non ſit. At vero hinc palam eſt, ſi lex aliqua ſuperior & officium jubeat, per canones impediri non poſſe aut debere, quo minus conſecrationes fiant ab aliquo extra diœceſin. Quid aliud vero voluit Conringius? Qua in re diſſentit ergo de canonum rigore a Conringio defenſor? Diſpeream ſi vel minimam videam diſſonantiam inter utrumque. Si idem vero cum Conringio ſentit defenſor, ſumma profecto malignitas eſt, innocentem hic Conringium traducere, tanquam ſacrorum canonum *irriſorem, inciſorem, reſciſſorem, exſibillatorem.*

XIV. Quod exempla coronationum a Moguntino Aquisgrani peractarum, quibus uſus fuit Conringius, attinet: non potuit negare, ad Ottonis magni unctionem admiſſum Moguntinum; aſſerit tamen confidenter, Colonienſem *ſibi reſervaſſe partem humerorum & brachii* ungendam: quod ante illum nemo dixit forte, nec ſomniavit. Imo Witikindum ita omnia narrare, quaſi ſolam coronæ impoſitionem juverit Colonienſis, probaverat Conringius in Aſſertione: Defenſor vero nihil ad illud reſpondens, tantum aliud narrat; quaſi hoc ſit ſatis. In coronatione Ottonis II. functum ſuo munere ſaltim ex parte Moguntinum, itidem non auſus fuit defenſor negare; urget tamen, primas partes tum fuiſſe Brunonis Colonienſis. Quaſi illud ſi verum ſit, quidquam ad hanc rem faciat. Conringius recte credidit, ſatis eſſe ſibi, ſi ſaltim ex parte conſecratio fuerit a Moguntino peracta. Et tamen primas in illo actu obtinuiſſe Brunonem Colonienſem, ex iis quidem, quæ adfert, nullo firmo ſyllogiſmo defenſor probaverit: quod ſentiet, ubi fecerit periculum. Ad Ottonis III. coronationem nihil attuliſſe Colonienſem, fateri cogitur itidem defenſor: at excuſat; factum enim illud eſſe, quod jam monachalem habitum aſſumpſiſſet Warinus Colonienſis, cum primi defenſores Colonienſes ſcripſiſſent Warinum illum morbo tum fuiſſe detentum. Utrique fabulæ adverſa ſunt, quæ de Warino narrat Dithmarus. Sed ille, etſi tum temporis vixerit & rebus imperii gerendis, tanquam epiſcopus Merſburgenſis, præcipua ortus nobilitate, admotus fuerit, rejicitur a defenſore tantum, quia in anno coronationis aberraverit. Tanta nimirum eſt libido fingendi aliquid in gratiam partis, quam tutandam ſuſcepit: ut non pudeat fidem detrahere ſcriptori συγχρόνῳ rei geſtæ, & qui talia non potuit ignorare. Wilhelmi Hollandi dexteram a Moguntino eſſe unctam, itidem non poteſt negare defenſor: tamen nonnulla addit, ſed quæ nihil ad rem facere quilibet facile judicabit.

XV. Concludens tandem hanc octavæ quæſtionis tractationem ſex titulos adfert juris Colonienſis coronandi: minus liberalis vindice, qui undecim attulerat. Verum de illis titulis quid ſit ſentiendum, cum abunde nuper diſputatum ſit in examine argumentorum Colonienſium, non eſt quod huic loco amplius nos quidem im̃oremur; præſertim quum titulos non probet

defen-

defenſor, ſed tantum recenſeat; pari autem facilitate a nobis hi queant rejici, quam ab illo ſunt recenſiti.

Ad quæſtionem IX.

I. Nonam quæſtionem ejusque tractationem iis, quæ ſectione V. a Conringio diſputantur, oppoſitam quidem voluit defenſor; ſed, more ſuo, nec bona fide refert Conringiana, nec ſuas ſententias vel veriſimiles facit, tantum abeſt ut oſtenderit veras eſſe.

II. Prima calumnia jam vetus poteſt videri, Conringium Caroli pragmaticam *exploſiſſe & canones ſacros exſibilaſſe.* Reliquæ novæ ſunt. Inter has prima eſt: Conringium *originem Aquenſis inaugurationis a Caroli magni ibi ſepulti memoria deducere.* Hæc autem fuerunt Conringii verba: *Primum* (quod nempe *jam Ottones & alii reges voluerint Aquisgrani potius coronari quam alibi*) *contigiſſe arbitror, propterea, quod Aquisgranum præ aliis locis & amaverit & ornaverit Carolus magnus, ibi quoque ſit mortuus ac ſepultus. Hac ſane ratione inter omnia regia palatia Transſalpina Aquisgranenſe omnium fuit primum jam ætate Caroli & nobiliſſimum.*

II. Altera eſt: Conringium affirmaſſe, circa tempora Henrici III. cæſaris *primatum eſſe Coloniam translatum.* Conringii autem verba ſunt p. 32. *jam tum Colonienſem ſedem ita creviſſe, ut æmulatione ſua pene dubium niteretur reddere Moguntini primatum.*

III. Tertia eſt: quod Conringius *fateatur*, Moguntinum *plane jure victum eſſe a Colonienſi, & quidem vi canonum.* Conringius vero dixerat: *Henrico regnante, cum alii epiſcopi Germaniæ, tum etiam ipſe Moguntinus, plus juſto, certe plus ſolito, ſibi arrogaverant in diœceſibus ſuis: Luitpoldus ipſe Moguntinus dici non poteſt, quam fuerit rigidus in tuendis ſuæ diœceſeos creditis juribus.* Recitata deinde prolixiore quadam de Luitpoldo *ex Abbate Urſpergenſi* (ex quo talia depromſiſſe, quid quæſo criminis?) hiſtoria, tandem addiderat: *Si vero Luitpoldus ne ipſi quidem papæ voluit cedere in ſua diœceſi, quid mirum eſt, eodem jure adverſus illum eſſe uſum Colonienſem, & priſtinum coronandi jus Moguntino ſaltim ex parte fuiſſe ereptum?* Tantum de calumniis & mala fide in Conringium exercita.

IV. Pro conjecturis vero Conringianis (quantum ex obſcura & confuſa tractatione colligere eſt) ſuas ſubſtituens, *primam* cauſam juris Colonienſis circa Aquenſem coronationem collocat in pragmatica illa Carolina. Huic vero fidem hoc loco vult facere ex encomiis Aquisgrano jam ante Friderici I. tempora tributis, cumprimis de ſede regia ibi collocata. *Dein* ex teſtimoniis *de ſede regia Aquisgranenſi*, quæ lata ſint poſt tempora Friderici I. cæſaris, partim antiquioribus partim recentioribus. Sunt autem encomia illa & antiquiora quoque teſtimonia ita a defenſore propoſita, quaſi ipſe illa collegerit, cum tamen de ſuo vix unum & alterum addiderit, omnia vero Conringii diligentia jam ante fuiſſent collecta & in aſſertione laudata.

V. Cæterum ex pumice citius aquam, quam ex illis encomiis & de ſede regia teſtimoniis, juſto aliquo ſyllogiſmo expreſſeris, Carolum magnum inſtituiſſe, ut Aquisgrani omnes in futurum cæſares initiarentur, aut regia corona ornarentur. Tenta, ſodes, defenſor, id num poſſis. Si non poſſis, (ut profecto non poteris) quid laboras vana opera fabulas perſuadere?

VI. Inter encomia occurrit primo, quod ab antiquo auctore poëmatis cujusdam jam ætate Caroli Aquisgranum dictum ſit *Roma nova & Roma ſecunda.* Ita dictum defenſor vult, quod *ibi coronam regiam ut Roma imperatoriam* cæſares *conſequerentur.* Quaſi vero non alia poſſit eſſe nominis illius ratio. Et vero quando carmen illud fuit conſcriptum, nondum fuit lata lex illa quæ jactatur Carolina. Et ex ipſo carmine apparet, ita dictum Aquisgranum a poëta ob ſplendorem noviter conditæ urbis, quæ tum omnes Transalpinas ſuperavit. Defenſor ipſe notat Coloniam itidem dictam fuiſſe *alteram Romam:* cui profecto prima illa defenſoris interpretatio non congruit.

VII. Succedunt deinde illi tituli iſtius urbis: *Prima ſedis Franciæ; totius regni archiſolium; archiſolium regni Francorum.* Verum quo colore ſaltim in ſpeciem poſſis probare; in ſola ſede primaria, aut primario Palatio regni Francorum, ex inſtituto Caroli magni coronationes regias cæſarum inſtitui oportere? Similiter in æde S. Mariæ virginis *ſolium* aliquod *imperiale* aut *thronum regalem* a Carolo magno eſſe conſtitutum, nemo negaverit. Nam per Germaniam paſſim throni ſunt conſtituti. Nemo tamen ante Friderici I. ævum dixit, ſedem illam *locatam eſſe a Carolo magno, ut in eo omnes cæſares initiarentur.* Poſt Fridericum talia credi cœpiſſe, factus eſt Conringius. Sed ex illis a Friderici ævo uſque latis teſtimoniis non poteſt firmiter colligi, idem jam Caroli magni ætate vel conſtitutum vel creditum fuiſſe. At quid his immoramur? Vbi juſto ſyllogiſmo, cujus medius terminus ſit deſumptus a ſede regia, probaverit legem illam Carolinam, ſpondeo Conringium defenſori non conceſſurum duntaxat, ſed gratias quoque acturum. Et ego ſimiliter maximas illi agam.

IIX. *Alteram cauſam* juris Colonienſis videtur arceſſere defenſor *a vi canonum & privilegiorum*, quæ ſcilicet habuerit *Colonienſis vivo Carolo, cum primatus ejus maxime floreret.* Verum prætextu canonum & uſos Colonienſes & viciſſe, jam faſſus eſt Conringius: illum tamen prætextum tanti roboris jure non fuiſſe, itidem agnovit. *Privilegiorum primatus* quæ Colonienſis eccleſia habuerit Carolo vivo, in omni ævo ne gry quidem reperitur. Debuiſſet itaque ab illis ineptiis venditandis merito defenſor abſtinere, ſi qua ipſi veritatis cura & pudoris fuiſſet.

IX. *Tertiam cauſam* videtur defenſor in neſcio quo *duplici privilegio, ſoli Colonienſi a Leone IX. reſtaurato*, collocare. Sed jactitatur quidem illud privilegium ab omnibus pene Colonienſibus Advocatis, nec rogati tamen nec irritati adduci illi potuerunt, ut aliis legendum communicarent.

Ut

ized by Google

Ut dederit vero Leo IX. tale privilegium; illud tamen manebit, ætate Henrici III. cœpiſſe demum Colonienſem conſtanter coronationes Aquisgranenſes peragere, in illius enim cæſaris tempora Leonis IX. papæ ætas incidit.

X. Subjungit deinceps defenſor nonnulla de primatu Colonienſi & Moguntino: illum non cœpiſſe Henrico III. cæſare; ut rebatur Conringius, & Magdeburgenſi primatu Moguntinum multum fuiſſe imminutum. Verum qui ratus ſit Conringius, primatum ad Colonienſes perveniſſe ætate Henrici III. cum primatum Colonienſem nullum agnoſcat? Egi jam tum de noviter iſto jactato primatu; atque ad tutelam eorum, quæ a Conringio ſunt diſputata, nihil illa de primatu Colonienſi contentio quidquam valet; itaque hiſce relictis ad alia potius pergemus.

Ad quæſtionem X.

I. Proponit illam defenſor hiſce verbis: *An per reſcripta cæſarea & bullas apoſtolicas Colonienſi liceat intra & extra ſuam diœceſin coronare.* Vult autem videri hanc, ejusque tractationem, oppoſuiſſe iis, quæ Sect. VI. Conringius reſpondet ad argumenta pro parte Colonienſi in libello Germanico adducta. Omnis autem tractatio ſarcaſmis referta, tota occupata eſt in jactandis nonnullis dictis paucorum pontificum, Friderici I. cæſaris & aureæ bullæ. Tædet & pudet de calumniis & ſarcaſmis querelas iterare. Ad omnia quoque pontificum & Friderici cæſaris, ut & aureæ bullæ dicta, abunde reſponſum nuper eſt in examine argumenti Colonienſis ſecundi, & quarti. Itaque non eſt, quod defenſori verbulum hic reponamus.

Ad quæſtionem XI.

I. Quæſtio hæc eſt defenſoris: *An obſint Colonienſi Moguntinæ coronationes.* Tota autem tractatio adeo eſt obſcura & ſalebroſa, ut merito exclames:

Lectores tetrici ſalebroſum ediſcite Santram.

II. De ultimis quinque coronationibus probaverat Conringius, illas a Moguntinis nomine proprio peractas eſſe: nec illa, quibus ſuo juri caveri fecerunt Colonienſes, alio videri pertinere, quam ad coronationes Aquisgranenſes. Illa Conringiana omnia ne quidem digito movit fortis ille (ſi diis placet) Colonienſis defenſor. Tantum affirmat contrarium eſſe factum; idque vero, ſi jubeas probat unius Auguſti Viſcheri verbis quibusdam. Quaſi hoc ſufficiat Conringio refutando. Quid illum legere etiam, quæ eadem de re diſputantur in examine argumenti V.

III. Conringius porro argumentum, quod auctor libelli Colonienſis Germanici *cauſæ ſuæ ultimum & inſtar omnium* eſſe voluerat, ſolide confutavit. Defenſor ſilet. Quod ejus ſilentium poteſt accipi pro conſenſione, vi veritatis pertinaciſſimo adverſario expreſſa. Tantum ab ea, quæ contra minorem argumenti illius attulerat Conringius, de Ottone I. Conrado II. & Wilhelmo Hollando, unctos illos eſſe Aquis a Moguntino, præſentibus infulatis Colonienſibus, aliquid muginatur: ſed ita, ut niſi lector attente excutiat aſſertionem, quid ſibi defenſor velit aſſequi nequeat. Summa eſt, ad Ottonis & Wilhelmi unctiones Moguntinum perveniſſe conſenſu Colonienſe: Conradi Salici conſecrationem fuiſſe extortam. Quam vera hæc ſint aut non ſint, haud diſputabo: manet interim, recte a Conringio dictum, tres illos cæſares eſſe unctos & conſecratos præſentibus infulatis Colonienſibus: quod unum ibi Conringio erat probandum. Operæ autem pretium fecerit defenſor, ſi attente legerit illa, quibus in examinis armentorum Colonienſium fine in idem Colonienſe argumentum animadvertitur.

IV. Reſponſione porro ad Conringianum argumentum primum, majorem pariter & minorem negat defenſor, idq; uno prætextu coronatæ Eliſabethæ reginæ. At vero etſi illa coronatio quidquam ad rem faceret, major tamen Conringii maneret veriſſima, & ſola laboraret minor. Potuiſſet eodem jure negare concluſionem. Inepte vero adferri coronationem reginæ, quando agitur de coronatione regum, nemini non liquet: etiam ipſe Streithagius agnoſcit in famoſo ſuo libello, qui hoc mihi momento redditur a veredario Colonienſe. Sed & probabile eſt, factam illam coronationem conſenſu Moguntini: etſi omnia illius actus non ſint exacte ad poſteritatem monumentis tradita.

V. Alterius argumenti Conringiani vim exiſtimavit defenſor eludi poſſe eo, quod omnes coronationes Moguntinæ factæ fuerint nomine Colonienſis. Neque id negaverim. At falſiſſimum eſt eas alieno nomine inſtitutas eſſe. Hoc Conringius probaverat. Idem confutare officii erat defenſoris, ſi probe voluiſſet hoc munere & titulo defungi.

VI. *Cætera,* (pergit denique defenſor) *quæ allata ſunt, nullius momenti ſunt & ex dictis per ſe concidunt.* Vera hæc ſunt de ineptiis, quibus defenſor finit libellum ſuum. Et vero omne ejus opuſculum non meretur confutationem ſuo aliquo proprio pondere, cum nihil habeat ſaltim jam a vindice non allatum, & viciſſim confutatum.

VII. Et vero eam ob cauſam ipſe Conringius indignum illud judicavit ſuo calamo. Mihi vero in animo fuit iſtud: *Res falſa & inanis, niſi corrigatur, habet nonnunquam fidem: multique ſunt homines judicii parum firmi, qui nihil audiunt leguntve, quod non credant, niſi refutatum ſciant.*

Concluſio & digreſſio contra Petrum a Streithagen.

Quum itaque & cauſæ Moguntinæ, & famæ bonorum virorum, qui illam tuentur, interſit, ut, præſertim his nundinis, aliquid exſtet in publico defenſioni etiam Anti-Conringianæ oppoſitum, haſque quaſi præ foribus jam eſſe intelligerem; non amplius cunctandum ratus, quamvis

meliore negotiorum genere occupatus, ante pauculos dies calamo correpto horas ſubſecivas aliquot defenſioni illi brevis refellendæ impendi; idque tum veritatis & bonæ cauſæ, tum amici gratia, cujus honos & ſalus mihi cordi eſt. Ita natum mihi hoc, quod vides, opuſculum ſubitaneum. Nam nec meruit inſulſitas adverſarii ſtilum ipſius Conringii, quamquam proteſtantis, cætera tamen veritatis longe amantiſſimi. Qui merito veretur factionem tam irritabilem porro in caput ſuum concire, adſuetam convitiis, turpi fœtui impotentis animi. Acrimoniam dictionis, ſi qua hoc in libello deprehenditur, non cenſui temperandam. Non debent tigres & apri ſubula excipi. Et omnino frenanda eſt hominum, defenſori ſimilium, inculta ferocia, ne ſibi quidvis licere deinceps ſinant. Exigit ſane hoc ipſum cauſæ bonitas, & S. ſedis Moguntinæ dignitas, cui usque adeo proterve obtrectatores illi inſultant. Fruſtra quamvis leniſſime ſcribi, & diſſertatio & aſſertio experiuntur. Id abunde comperire eſt ex vindiciis, & cumprimis nunc. Vix enim abſolveram defenſorem, atque ecce offertur Petri a Streithagen Conringius ἐλεγχόμενος. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Simul inſpexi librum, obſtupui profecto ad maledicentiam ſine omni exemplo horribilem & rabioſam: ſerio pariter dolens, ſcriptum profectum eſſe ab homine Catholicam fidem, imo duplici ſeſe nomine Canonicum profeſſo. Nec invenio tam fœdo facinori, quo nomen ſuum & venerandum ordinem homo ille dehoneſtavit, excuſando quidquam, præter mentis non ſatis tutæ morbum; quem videtur ſcriptum illud prodere. Equidem opto illi caput ſanum, & mores ad humanitatem nonnihil compoſitos. Ut Conringius illi quidquam reponat, ſcio V. C. ægre adductum iri; cum ne defenſori quidem ut reſponderet, a ſeſe impetrarit. Sed nec eſt quod famæ ſuæ metuat a bellua tam furibunda. Minime vero ipſam Moguntinam cauſam lædit liber latro. Quippe qui præter immania convitia & turpem ſcurrilitatem nihil omnino habeat ad rem faciens, quod non ab aliis Colonienſium partium patronis, ſani cerebri viris, ſit allatum, atque ex illorum libellis, infelicis corniculæ exemplo, transſcriptum. Nec vero a plagio ſeſe ullo colore calumniator purgaverit: perinde atque ſumma injuria Conringium incuſat, quaſi ex diſſertatione aſſertionem ſuam fabricaverit. Cujus nullum verſiculum, nullum apicem, niſi ad amicum aſſertione jam Moguntiam dudum miſſa, Conringio eſſe viſum; ſicut nec auctori diſſertationis unquam aſſertionem viſam prius eſſe, quam diſſertatio foret integre conſcripta, ſancte poſſum & optima fide teſtari. Videtur profecto hic Streithagianus cento juvare bonam de cauſa Moguntina opinionem. Quis enim non ſuſpicetur, adverſariis nihil amplius ſupereſſe bonarum artium, quibus eam oppugnent; nec forte eſſe viros intelligentes, qui id velint ſuſcipere; poſtquam ad Streithagium itum eſt, ad hominem inquam gnaviter impudentem. Niſi forte is ultro ſeſe ſcenæ miſcuerit, invento, ut ſolet, uno alteroque non diſſimili applauſore. Quicquid ſit: Moguntinæ cauſæ intereſt, ut liber ſtolidus ſit in manibus omnium ac legatur. Quare multum debemus operis bonnenſibus: utpote a quibus per extremam inconſiderantiam hæc tanta intemperies orbi demum innotuerit, nobisque anſa porrecta fuerit, ſaltim obiter ſub finem hujus caſtigationis in iſthoc hominis ſcelus animadvertendi. Neque vero prudens quisquam calamum ex profeſſo ſtringat adverſus talia. Etiam refert tamen ipſius Moguntinæ ſedis, ne de aſſertione proſtrata pars adverſa glorietur. Sententiam itaque Conringius dixit ſuper re, cujus ex hiſtoria Germanica eſt intelligentiſſimus. Ab amico eam rogatus dixit. Tametſi enim medicus ſit, nihilo inde & harum rerum eſt imperitior. Quur ergo conſuli non potuit? Quaſi vero artem medicam profeſſus, illi uni usque adeo impalluerit, ut alia negligeret omnia. Quot, amabo te, medici, præter diſciplinam ſuam, plurima docti, elucubrati plurima, extra ſuas velut oleas aut ſupra! E multis ſpecta vel ſolum Raymundum Sabondum, tum Hieronymum quoque Cardanum, Conradum Geſnerum, Joan. Piſtorium, Henningum Arniſæum, Ludovicum Septalium, Caſp. Barlæum, Gabrielem Naudæum, & Chifletium. Qui, medicinam cognoſſe, ac quicquid a terra in lunæ uſque orbem exporrigitur, animo tranaſſe haud contenti, non modo omnem Polymatheian mente complexi, ſed & in mathematicis, metaphyſicis, criticis, philologicis, juridicis, moralibus, theologicis, hiſtoricis, politicis, complura commentati & publico largiti ſunt. Qualibus ſi Hermannum Conringium annumeravero, neſcio quid peccem. Quo vix in noſtratibus repereris, qui hiſtoriam rei Germanicæ & civilem prudentiam plenius aut explicatius tradat: ut de cæteris ejus præclaris dotibus, tum erga patriam & bonas literas meritis nihil addam. Nihil ei deſit præter veram religionem. Idcirco eam a patre luminum ex toto pectore ipſi apprecor. Optandum foret, ut miſſis partibus, ſedi apoſtolicæ æquior, omnigenæ eruditionis ſuæ ubertatem catholicæ unitati & ſalutiferæ veritati defendendæ perinde commodaret, atque multa doctrina abundat. Utique juxta alios oſtendit, quam patens ſit ingenii ſui campus, quodque ſuas vires aliorum ignavia & infortunio non dimetiatur. Judicium de ita ingeniatis non debet permitti iis, qui, quum videant vulgo non usque adeo alte aſcendi, ne altius quidem ſcandi poſſe, ac intra peranguſtos unius cancellos doctrinæ omnia ingenia conſtringenda delirant, ſuis unis adeo moroſe dediti, ut, dum reliqua univerſa contemnunt, nec ſua quoque perdiſcant. Certe Conringius abunde habet, quod in variis liberalis ſtudii ac promiſcuæ doctrinæ partibus agat. Tantum abeſt, ut ſuapte ſe ſponte alieno ingeſſerit negotio, atque ad ſe nihil pertinenti. Nec ego video, quei poſſit vitio verti cuiquam Catholico, nedum principi electori, etiamſi ille crederetur ſententiam rogaviſſe hominem Auguſtanæ confeſſioni addictum, ſuper cauſa ad Catholica ſacra per ſe nihil ſpectante. An & proteſtantes prohibentur palam uti Catholicis, cauſam in judicio, vel aulico vel ſpirenſi orantibus? Si hoc nefas

nefas eſt, actum erit de republica imperii. Diſquiſitio hæc de jure coronandi ecquid habet denique, quare proteſtans quoque circa id commentari aliquid vel nequeat, vel nec debeat? Scio equidem, aliquid indulgendum quorundam duritiei inveteratæ, at non quidlibet, non illud, quod tollit communem pacem, ac, quæ inter nos eſt, ſocialem vitam, rerumque actum. Generoſior eſt eminentiſſimi D. electoris Moguntini animus, quam ut veſanis quibusque vulgi voculis vel ſe vel adminiſtros ſuos moveri patiatur: præſertim cum in Germania nihil ſit familiarius, quam nullo religionum diſcrimine in rebus civilibus mutuas nobis invicem operas præſtare. Sed quid præfamur placandis ineptis? Quorum inordinato zelo ne latum quidem pilum conceſſero, catholicam fidem nihilo pluris facientium quam ipſis commodum videatur. Quin contra audentior ibo: quicquid alii, æquo metuentiores talium, cauſſentur. Cæterum de univerſo iſthoc negotio Moguntino-Colonienſi omnino per mihi placet conſilium, quod comperi cœpiſſe Moguntinos: abrumpendum nempe illud eſſe. Nec enim video, quicquam afferri amplius poſſe, quod ad rem vel tantillum conferat: niſi forte poſſit ex Rupertino illo, cujus meminit Hartmannus Maurus, privilegio in lucem producto, & id genus aliis documentis, ab adverſa parte ipſa laudatis, luculentior aureæ bullæ ſuppeditari interpretatio. De reliquo parum arbitror dici poſſe, quod non dictum ſit prius. Vehementer potius vereor, ne, exacerbatis utrinque ſcriptorum animis, moveantur novæ & turbulentæ controverſiæ. Cujusmodi inter alias eſt illa de primatu Moguntino; quam pro cætera ſua declamatoria prurigine vindex, defenſor ac Streithagius, (primi namque Colonienſes advocati in libello vernaculo, pro eo ac prudentes viros decet, ſibi a talibus temperarunt) commovere præter neceſſitatem auſi ſunt. Illos vero præeuntes ſequi, cui bono? Tamen non diffiteor, de illo quoque argumento eſſe nobis ad manum haud pauca, nec tralatitia, pro Moguntinis: judicavimus autem, ex bono publico futurum, ſi parce illam litem tangamus, parati alioquin juſta diſputatione dignitatem illam antiquam S. ſedis Moguntinæ defendere, ſi id e re quidem fuerit. Interim gnarus nec primatum ordinis, qui hic ſat ſuperque ſufficit, nec jus extra diœceſin Agrippinenſem reges coronandi, Moguntino auferri unquam poſſe, hîc finem impono non huic tantum opuſculo ſed & omni huic certamini.

Hermanni Conringii Vicariatus imperii Palatinus defenſus.

CIↃIↃCLVIII.

Caput I.

PRÆFATIO.

Lætabatur unice nuper Germania pace publica conſtituta, & cum aliis tum iis, quæ inter ſereniſſimas familias Palatinam & Bavaricam *aliquandiu fuerant diſſidia* (a) æterna lege compoſitis: ſperans inpoſterum ſecure tranquillitate frui ſua, ſaltem immanium illorum malorum, quæ hactenus perpeſſa erat, quietem expectans: at vero denuo oritur inter easdem illas familias

(a) *Aliquamdiu fuerant diſſidia*) Contentiones inter domum Palatinam & Bavaricam jam ante tempora aureæ bullæ non quidem de vicariatu in imperio exercendo, ſed de electoratu fuerunt. Eminebat olim utraque ſereniſſima domus peculiari electoralis dignitatis axiomate; ita ut tempore Ottonum dux Bavariæ archidapiferatu, Palatinus vero archipincernatu gauderet. Sed cum Otto dux Bavariæ Agneten, Henrici comitis Palatini filiam & heredem in matrimonium duceret, palatinæ & bavaricæ terræ conjungebantur. Hujus filii Ludovicus ſeverus & Henricus dividebant quidem a patre conſolidatas terras, quorum huic Palatinatus inferior cedebat, ad illum vero Bavaria cum Palatinatu ſuperiore perveniebat; ſed hic electoralem dignitatem terris Palatino-rhenanis ab antiquo adhærentem, ſibi reſervat, quicquid etiam frater Henricus in contrarium moneret. Ludovici ſeveri duo filii autem *Rudolfus & Ludovicus*, qui in ordine cæſarum quarti nomine venit, quorum hic omnium ducum Bavaricorum conditor, ille vero ſereniſſimorum electorum Palatinorum in hunc diem florentium ſator exſtitit, pacis ſtudio de electorali dignitate ita inter ſe conveniſſe, ut illuſtri hac dignitate utraque domus alternatim gauderet, Paviæ autem inter Ludovicum & Rudolphi filios ita transactum eſſe, nullum habet dubium. Et hoc modo omnis diſſidiorum cauſſa ſublata videbatur: Accidebat autem, ut Rudolfi, quem modo Palatinæ domus conditorem vocavi, ex filio ſibi cognomine Rudolfo, neptis ANNA imperatori Carolo IV. nupta eſſet, & tantum favorem familiæ ſuæ conciliaret, ut Carolus IV. in aurea bulla ſoli domui Palatinæ electoralem dignitatem adjudicaret, ducemque Bavariæ Stephanum cum ſuis fratribus in perpetuum ab illa excluderet, idque eo magis, cum duces Bavariæ rebus ſuis male adminiſtratis & regionibus ſuis paternis nimia diviſione infirmatis, magnum apud imperatorem odium ſibi conciliaverant. His accedebat, quod papa diſſidiorum cum Ludovico Bavaro imperatore habitorum alta mente memor, illius filios quovis modo opprimere ſtuderet, cujus rei commodam jam nactus erat occaſionem. Itaque Palatina domus eo ſecurius obtentam electoralem dignitatem retinebat, quo magis Caroli IV. filii & in imperio ſucceſſores, patris hac in re voluntatem tutarentur, & Palatina domus magis magisque incrementa ſumens, tandem Rupertum imperatorem dederet, qui a majoribus parta tueri quovis modo allaborabat, ut infra pluribus docebitur. Et domus Bavarica rerum illarum forte oblita fuiſſet, niſi MARQUARDUS FREHERUS, electoris Palatini conſiliarius, anno 1611. tot ſcripta *de tutela & teſtamento electorum in Palatinatu rhenano*, publicaſſet, & ubique pro aſſertionis ſuæ fundamento urſiſſet, electoralem dignitatem a longiſſimo jam tempore terris Palatinis annexam fuiſſe, nec ulla juris ſpecie ab iis avelli potuiſſe. Et hæ lites ad Bavarum quidem non ſpectabant, ſalivam tamen ipſi movebant, vetera ſua jura poſtliminio quaſi ſuſcitare, præſertim cum jam prævideret, commodam jam eſſe occaſionem, electoralem dignitatem ſaltem alternatim domui bavaricæ repetendi, cum elector Palatinus ab evangelicis rerum ſuarum ſupremus director & caput expetitus eſſet, nec odium apud imperatorem & ordines catholicos inde conceptum quenquam fugeret. Bavari itaque cauſſæ ſuæ defenſorem producebant CHRISTOPHORUM GEWOLDUM, qui anno 1612. erudito ſcripto demonſtratum ibat, electoratum domui bavaricæ competere, quem Carolus IV. illegitime ab ea avulſiſſet. GEWOLDO acer-

milias contentio de vicariatu imperii, utraque ſibi illum aſſerente, Bavarica ſcilicet ſibi etiam illum una cum electorali dignitate hactenus a palatinis poſſeſſa datum, Palatina vero ſibi illum, non relictum duntaxat, ſed etiam confirmatum, idque legibus ipſis pacis, aſſeverante. Non de levi ſane negotio, nec inter partes exiguæ in imperio exiſtimationis lis vertitur. Quoniam itaque in univerſum omni reipublicæ ſumme periculoſa eſt magnorum principum, quamvis de rebus parvis, diſcordia, non potuit non merito gliſcens hoc novum diſſidium univerſæ Germaniæ magnum metum incutere; præſertim quum haud ignoret prudentior quisque illud Taciti, *perculoſiores eſſe inimicitias juxta libertatem*, & nimirum ſimus memores omnes, quantum ad ferale nuperum civile bellum momenti attulerit illa vetus inter principes familias iſtas de electorali munere controverſia. In tempore igitur & confeſtim, primo hoc ipſo momento ſumma utique ope niti decet, ut ſopiatur novum hoc incendium, anteaquam capeſſat vires: ceu in omnibus civium reipublicæ cujusvis primorum litibus faciendum eſſe, ſapientum conſenſu dudum eſt conſtitutum. Eſt vero fortaſſis ad diſputationem hanc componendam nullum remedium promptius, quam exacta controverſæ cauſæ cognitio. Illa videlicet principes ipſi ſunt pietate, ut ſcientes quidem volentesque nolint pacis legibus per injuriam adverſari: pari animo gaudent, qui illis principibus ſunt a conſiliis

ſime reſpondebat PREHERUS, cauſſam domus Palatinæ pro virili defendens, ſed nec Gewoldus ſilebat, litem inceptam doctiſſime proſequens. Scripta, quæ hac occaſione ab utraque parte in publicum prodierunt, uno volumine comprehenſa ſequens referunt rubrum: *Repræſentatio reipublicæ Germanicæ ſive tractatus varii de S. R. I. regimine 1657.* Paulo poſt anno ſcilicet 1614. Bavari, jactis ante in cauſſa electoratus fundamentis, Palatinorum vicariatum quoque labefactare contendebant. Utrorumque adductas rationes infra referemus. Jam appoſuiſſe ſufficiat ſcripta utrinque tunc temporis edita, quorum primum eſt: *Kurtzer Bericht von des H. R. Reichs der Curfurſtlichen Pfaltz zuſtehenden Vicariat, Heidelberg 1614.* Cui oppoſitum eſt: *Kurtzes Gegen-Bedencken und Bericht von der Cur-Pfaltz Vicariat-Gerechtigkeit, eod. anno.* Palatini, ne cauſſam ſuam deſeruiſſe viderentur, novæ juſtitiæ ſuæ fundamenta proferebant *in der Rettung des Curpfältziſchen Vicariats, Heidelb. 1615.* Cui a parte Bavarorum reſpondebatur: *In der wolgegründeten Widerlegung vermeinter Heidelbergiſchen Rettung des Vicariats. Ingolſtad. a. 1615.* Quæ hactenus ſtriptis ventilata erant, a Bavaro opportuna occaſione armis quærebantur, cum Bohemi anno 1619. Fridericum V. electorem palatinum contra Ferdinandum II. imperatorem, regem ſibi crearent, ipſumque Pragæ d. 25 Octobr. regio diademate ſolenniter ornarent. Litteras Bohemorum ad Fridericum V. quibus ipſum regni ſui caput expetunt, refert LONDORPIUS *T. 1. L. 4. c. 88. p. 715.* ubi etiam a capite 95 ad 97. acta coronationis reperiuntur. Elector Saxoniæ cum aliis dehortabantur quidem Fridericum Palatinum, ne res ſuas ancipiti fortunæ committeret, cogitaretque, imperatorem jus ſuum ſemel in Bohemos alienatos partim acerrime vindicaturum eſſe; honoris tamen titillatio & regium culmen exoptantis conjugis perſuaſiones prævalebant. At res miſerum ſortiebatur exitum, ut Fridericus Palatinus non tantum, reportata a cæſareanis ad Pragam victoria, cum ſuis ſociis Johanne Georgio II. Marchione Brandenburgico, Chriſtiano I. principe Anhaltino, Georgio Friderico comite de Hohenloe, aliisque excommunicaretur, ſed & omnes terræ Palatinæ una cum electorali dignitate duci Bavariæ, in rerum pro domo auſtriaca bene geſtarum remunerationem, traderentur. De bello hoc Bohemico vide THEATR. EUROPÆUM *P. I. p. 16. ſq.* BRACHELIUM *hiſtor. noſtri temporis Lib. 1.* PIASECIUM *in chron. geſt. in Europa ſingul. p. 303. ſq.* PUFENDORFIUM *rer. ſuecicar. lib. 1. p. 10.* 11. FLORUM GERMANICUM *ad ann. 1619. ſqq.* Reſtituebatur quidem Carolus Ludovicus Palatinus, Suevorum potiſſimum victricia arma longe lateque proferentium auctoritate, terris ſuis a majoribus poſſeſſis; aſt electoralis dignitas cum archi-officio dapiferatus penes Bavarum manebat. Ut tamen & Palatino conſuleretur, novo electoris dignitate & archithesaurarii officio condecorabatur. Id quod pace Osnabrugo Monaſterienſi anno 1648. concluſa artic. II. confirmabatur, cujus verba huc ſpectantia ab auctore noſtro capite II. adſcripta reperiuntur. Contingebat interim, ut Ferdinandus III. anno 1657. diem obiret ſupremum, regnumque vacaret. Diſceptabatur itaque, ad quem vicariatus Palatinus ſpectaret, ad Bavarum vel Palatinum? Palatinus quidem bonæ ſuæ cauſſæ & juri terris ſuis ab antiquo quæſito fidens, litteris undecunque, ubi antea domus ſua vicarias cæſaris vices geſſerat, mortem cæſaris ſignificabat, poſſeſſionemque vicarii muneris apprehendebat: aſt Bavarus contra nitebatur, exiſtimans, vicariatum iſtum dignitatis electoralis nuper acquiſitæ & archidapiferatus acceſſorium eſſe. Res ſcriptis ab utraque parte graviſſime denuo agitabatur, quorum potiſſima hic recenſere commodum duximus, potiora autem eorum momenta infra ſuo loco tangemus. I. Kurtzer und ſummariſcher Bericht, daſs das Vicariat in Landen des Rheins, Schwaben und Fränckiſchen Rechtens des Herrn Pfaltzgrafen und Vicarii, Herrn Ludwigs Churfürſtl. Durchl. zuſtehen und gebühren thut. anno 1657. II. Wohlgegründeter Gegen-Bericht wider einen ohnlængſt in Druck ausgegangenen kurtzen und ſummariſchen Bericht, darinnen für Augen geſtellet wird, daſs ſolche Vicariat-Gerechtigkeit keines weges Chur-Pfaltz, ſondern Chur-Bayern zuſtehe und gebühre. München 1657. III. Ablehnung des Chur-Bayerſchen Gegen-Berichts, daſs die Vicariat-Gerechtigkeit nicht durch die Münſter und Osnabrügſche Tractaten auf Chur-Bayern transferiret, ſondern der reſtituirten Pfaltz-Grafſchaft bey Rhein geblieben ſey. Heidelberg 1657. IV. Fernere wohlgegründete Anzeigung, wegen des Chur-Bayern zuſtehenden Reich-Vicariats über die Chur Pfæltziſche Ableinungs-Schrift. Franckfurt 1658. V. Wohlgegründete Abfertigung der Chur-Bayerſchen fernern Anzeige wegen des Reichs-Vicariats. Heidelberg 1658. Quæ cum ita invicem diſceptarentur, Bavarus, cujus magna in imperio auctoritas erat, Palatina vero admodum labefactata, in poſſeſſione vicariatus conſtitutus res imperii una cum Saxone adminiſtrabat: quicquid etiam Palatinus proteſtaretur. Et hactenus verbis agitabatur. Ad verbera autem [illegible]e perventum eſſet, cum in collegio electorum de novo imperatore eligendo agitaretur: de quo antequam ſummi imperii proceres & octoviri conveniebant, controverſiam hactenus de vicariatu Palatinum & Bavarum inter agitatam, prius terminandam ſibi ſumebant. Hic vero CAROLI LVDOVICI, electoris Palatini, qui præſentia ſua rem ſe facilius confecturum putabat, fervor & indignatio erumpebat. Nam ubi electoris Bavari legatus domini ſui cauſſam non ſine verborum pondere magnaque facundia peroraſſet, Palatinisque exprobraret, quod ſibi ipſis hujus poteſtatis jacturam tribuere deberent, cum Fridericus ſe contra Ferdinandum II. regem Bohemiæ creari paſſus eſſet; CAROLUS LUDOVICUS moræ impatiens, atramentarium legato Bavaro in os torquebat, aliosque electores adſidentes conſpurcabat. Hic vero videres magnum animorum impetum, & oculos ira vindictaque excandeſcentes. Sed tumultus comprimebatur, resque ad ordinarium judicium deducta tandem ita componebatur, ut legatus bavarus declararet, ſe, dum domini ſui cauſſam pro virili tuitus eſſet, id animo injuriandi domus Palatinæ majores minime feciſſe; Carolus Ludovicus vero ſe præcipitantia quadam lapſum nec impoſterum tale quid commiſſurum teſtabatur. Res ipſa tamen tunc temporis indeciſa relinquebatur. Interim pro domo Palatina juſtitiæ cauſſa militat, ut hoc ſcripto pluribus docetur.

filiis & opera. Nefas vero itidem fuerit, ſequius ſuſpicari de reliquis, quotquot in Germania valent auctoritate, & imperii communem ſuſtinent curationem: ſi probe igitur fuerit cognitum, quid in hac controverſia juri & æquo conſentaneum, ſpes eſt tantum non ſuapte ſponte deſiturum diſſidium. Quod ſi vero haud defuerint, ut ſolet, qui innoxios principum animos in devia ſeducant, domeſticis commodis unice intenti, juſtitiæ vero incurioſi, etiam illos tamen reliqui prudentiores & æquiores & facilius poterunt compeſcere, quo exactius cauſam ipſam intellexerint. Operæ igitur pretium indubie fuerit, ſi rem omnem oculis univerſi orbis & quidem nude, breviter, abſque fuco atque fallacia, exhibuero: paratus alios idem agentes abſque omni partium ſtudio audire, cum pace & tranquillitate publica (DEUS teſtis eſt) nihil prius habeam vel antiquius.

Caput II.

Fundamenta duo totius controverſiæ ex inſtrumentis pacis publicæ petita proponuntur, ſimulque ordo conſtituitur proximæ diſputationis.

Cæterum hac in controverſia duo ſunt tanquam fundamenti inſtar conſtituenda: alterum eſt, in ſereniſſimam Bavaricam familiam ejus, quod antehac tenuerat Palatina, præter Palatinatum ſuperiorem & comitatum Cham per leges pacis publicæ nihil aliud eſſe translatum, *quam electoralem dignitatem, cum omnibus tamen regaliis, officiis, præcedentiis, inſignlis & juribus ad hanc dignitatem ſpectantibus:* alterum eſt, iiſdem legibus ſereniſſimæ Palatinæ familiæ redditum eſſe *inferiorem*, ſive illum, qui ad Rhenum eſt, *Palatinatum cum omnibus juribus, quibus ante motus bohemicos electores principesque Palatini gaviſi ſunt.* Utrumque ſole clarius manifeſtum eſt ex tabulis pacis, quæ ſive *Monaſterii ſive Osnabrugæ* (a) conſcriptæ ſunt, ſunt autem iiſdem plane verbis circa hoc quidem negotium exaratæ. Verba hæc ſunt: *Cauſam Palatinam conventus Monaſterienſis & Osnabrugenſis eo deduxit, ut ea de re jam diu mota lis diremta ſit modo ſequenti. Et primo quidem quod attinet domum Bavaricam, dignitas electoralis, quam electores Palatini antehac habuerunt cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus, nullo prorſus excepto, ut & Palatinatus ſuperior totus una cum comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis ac juribus, ſicut hactenus, ita & imposterum maneant penes Dominum Maximilianum, comitem Palatinum Rheni, Bavariæ ducem, ejusque liberos, totamque lineam Guilhelmianam, quamdiu maſculi ex ea ſuperſtites fuerint. Item: deinde ut inferior Palatinatus totus cum omnibus & ſingulis eccleſiaſticis & ſecularibus bonis, juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos electores principesque Palatini gaviſi ſunt, omnibusque documentis, regeſtis, rationariis & cæteris actis huc ſpectantibus eidem plenarie reſtituantur, caſſatis iis, quæ in contrarium acta ſunt.* Hactenus verba ſacroſanctæ publicæ pacis. Pertinent vero ad hoc negotium & illa ſequentia: *Quod ſi vero contigerit, lineam Guilhelmianam maſculinam prorſus deficere, ſuperſtite Palatina, non modo Palatinatus ſuperior, ſed etiam dignitas electoralis, quæ penes Bavariæ duces fuit, ad eosdem ſuperſtites Palatinos, interim ſimultanea inveſtitura gaviſuros redeat, octavo tunc electoratu prorſus expungendo.* Ultima certe hæc verba itidem manifeſtum faciunt, præter Palatinatum ſuperiorem non niſi *electoralem dignitatem* Bavaricæ domui conceſſam eſſe, ut quæ ſola ad Palatinos Guilhelmiana maſculina ſtirpe deficiente redire debeat.

Hiſce duobus tanquam indubitatis fundamentis extra omnem controverſiam poſitis, videndum jam eſt, num vicariatus imperii is, quem tenuerunt Palatini ante motus Bohemicos, pertinuerit ad illam electoralem dignitatem, quæ in Bavarum translata eſt, an non pertinuerit; num item ille pars fuerit illorum jurium, quibus Palatinatus ad Rhenum ante motus iſtos gaviſus eſt, nec ne. Si enim pertinuit ad electoralem dignitatem iſtam, juris ille hodie eſt non Palatini, ſed Bavarici: ſin, Palatinus illum hodieque ſibi jure tenet, & per injuriam arrogat Bavarus. Similiter ſi vicariatus ille proprius fuit Palatinatui ad Rhenum, juſtior cauſa eſt Palatini: ſin, ſaltem vero haud abſimilis eſt Bavarica prætenſio. Utrumque accurate expendemus, breviter tamen, illo ordine, ut de priore prius, de poſteriore poſterius agamus.

Caput III.

Argumenta, quibus veroſimile fiat, vicariatum pertinere ad electoralem dignitatem, proponuntur ſimul & confutantur.

Igitur vicariatum eſſe partem electoralis dignitatis, ſaltem veriſimile cui hinc fiat.

Primum enim vicariatus illud munus arduum utique eſt, & magnum ac proinde non niſi illis principibus, qui præ aliis eminent, videtur competere oportere. Jam vero electores in imperio germanico aliis eminent & quidem ratione electoralis dignitatis. His igitur & in quantum quidem ſunt electores, vicariatûs quoque munus jure convenit. Ex conſequenti, ante factam illam

(a) *Sive Monaſterii ſive Osnabrugæ*) Cur in duobus locis poſt funeſtum illud & calamitoſum tricennale bellum, pacis conditiones inire placuerit, cauſſam memorant, quod eo ipſo res facilius optatum finem ſortiri potuerit, ne de loco & jure procedriæ diſceptando, ſaluberrimum inſtitutum protraheretur, vel plane irritum redderetur. Monaſterii cum Gallis, Osnabrugæ cum Suecis actum eſt. Potiſſimi in inſtrumentum hoc commentatores celebrantur PFANNERUS, qui nobis *hiſtoriam pacis Weſtphalicæ* dedit; AUCTOR *arcanorum pacis Weſtphalicæ*, qui 1698. Francofurti prodiit; AHASVERVS FRITSCHIVS, HENNIGESIVS, & ad catholicorum caſtra transfuga GOTFRIDUS FERD. a AUCKISCH & LOENENFELS. Plures vide in STRUVII *Bibliotheca juris ſelecta* c. 14. Contenta pacis hujus in compendio exhibet PFEFFINGER *ad Vitriarium Lib. I. Tit. II. §. 16.* Contra eam Fabius Chiſius nuncius papalis proteſtatus eſt, & Innocentius papa ipſe peculiari bulla nullam declaravit, quam tamen caſtigat HORNBECKIUS, BENED. CARPZOVIUS in *vindiciis pacis Osnabrugenſis*, & CONRINGIUS in lib. *de pace perpetua*, quem Tomo II. inſerui. Conf. PFEFFINGER. l. c.

illam translationem electoralis dignitatis in familiam Bavaricam, comitibus Palatinis ad Rhenum competiit jus vicariatus non niſi vi eminentiæ ſuæ electoralis, atque adeo fuit antehac vicariatus ille portio quædam electoralis muneris.

Secundo: Ex quo inſtitutus eſt vicariatus ille, non niſi penes ſolos ille electores Palatinæ domus fuit, quod indicio eſt, electorali dignitati ſaltem inſolubili vinculo eſſe vicariatum connexum.

Tertio: In aurea bulla de vicariatu ita conſtitutum eſt: *Quoties inſuper ſacrum vacare continget imperium, illuſtris comes Palatinus Rheni, ſacri imperii archidapifer, ad manus* (a) *futuri regis Romanorum in partibus Rheni & Suevia & in jure Franconico &c. eſſe debet proviſor* (b) *ipſius imperii:* Quæ verba non obſcure ſignificant, ad archidapiferatum pertinere munus illud proviſorium. Perinde ſane atque vicariatum ſaxonicum *partem eſſe archimareſchallica dignitatis*, (c) colligere eſt ex ejusdem Bullæ aureæ hiſce verbis: *Et eodem jure proviſionis illuſtrem ducem Saxonia, ſacri imperii Archimarſchallum frui volumus in illis locis, ubi jura ſaxonica* (d) *ſervantur.* Similiter vero & in illis tabulis, quibus Carolus IV. Maximilianus primus & Carolus V. vicariatum imperii palatinis quondam ſtabiliverunt, diſerte ſolis illis tribuitur vicariale illud munus *ſo Churfurſten ſeyn.* Quæ verba itidem indicant, arctam illam vicarialis dignitatis cum electorali connexionem.

Cæterum

(a) *Ad manus*) LVDWIGIVS in commentario ad hunc paragraphum, ſe in aliquo Mſto: *ad munus*, legiſſe, aſſerit, ſed utrumque idem ſignificare.

(b) *Proviſor*) Hæc vox melius exprimit poteſtatem, Palatino & Saxoni, imperio vacante, conceſſam, quam vicarius. Hic enim proprie dicitur is, qui alterius jure ſuo adhuc gaudentis, vices gerit, & Germanica aureæ bullæ verſio nativum proviſoris ſignificatum exprimit per: *Fürſteher*, *Verweſer*, *Fürmünder des Reichs.* Vicarius autem ſignificat nobis *einen Stadthalter.* Unde LVDWIGIVS l. c. novum argumentum ducit, vicariis abſente tantum imperatore nullum jus, imperii adminiſtrationem ſibi arrogandi, competere: niſi tamen imperator in aliis regionibus extra Germaniam commorans, vicarium non reliquerit, quo caſu jus proviſionis imperii ad Palatinum & Saxonem de jure ſpectaret.

(c) *Partem eſſe archimareſchallica dignitatis*) Plures in Germania dari palatinos provinciales, quorum poteſtas ultra certi territorii fines non fuit extenſa, omni dubio caret. Et hujus generis etiam palatinatus ſaxonicus ſub incunabulis ſuis videtur, qui antiquis temporibus tantum a dynaſtis & comitibus adminiſtratus eſt, veluti a comitibus Merseburgenſibus, Wettinenſibus, Zorbeccenſibus, & Sommerſeburgenſibus. *SCHVBART de comitibus palatinis caſareis p.* 180. Quantumvis igitur dignitas illa palatina olim modo his modo illis terris annexa fuerit, hodie tamen eandem Palatinatui Alſtetenſi annexam indeque domui Saxoniæ propriam eſſe, tradunt, minus autem ponderantes, ſi vicariatus domui Saxonicæ ratione illius palatinatus competeret, eum non domui electorali, ſed principali Iſenacenſi, in cujus territorio palatinatus Alſtetenſis ſitus eſt, de jure vindicandum eſſe. Vid. *LVDWIG ad A. B. tit. 5. §. 2. p.* 570. His accedit, quod tempore aureæ bullæ palatinatus iſte Saxonicus non apud electoralem domum Saxonicam, ſed Landgravios Thuringiæ fuerit, quibus, ſi vicariatus ex comitiva palatina, ut eſt apud palatinos Rheni, profluere debeat, vicaria quoque dignitas a Carolo IV. conferenda fuiſſet. Præterea aurea bulla ne verbo quidem palatinatus Saxonici, ſed tantum archimareſchallici officii mentionem facit, & *ſpeculum juris feudalis alemannici c.* 42. §. 5. diſerte memorat: Als der Kœnig von teutſchen Landen fert, ſo mag er *des Riches Marſchalck* wol den Gewalt leichen, daſs er den Bann leihet: Und das iſt *der Hertzog von Sachſen.* Das ſolle er thun in Thüringen, Sachſen und Heſſen bis gen Böhmen und über alle Francken, wer der iſt, der iſt ſein Unterthan. Giebt ihm der Kœnig den Bann zu Lehende; ſo hat *der Marſchall* Recht über alle Schwoben und an dem Rhein, und durch das Gebürge bis ins Trierſche eine Meile. *Der Pfaltz-Graff zu Rheine* der hat Gewalt den Bann zu leihende jene Seite Rheins für Mayntz eine Meile, an die See und in Flandern. Und ob ihme der Kœnig den Bann leihet oder nicht, ſo hat er doch den Bann zuleihende, das iſt von Rechten. Conf. SCHILTERVS ad *J. F. A. l. c. & lib. 1. Jur. publ. tit.* 18. §. 1.

(d) *Ubi jura Saxonica*) Videri poſſet, vicariatui Saxonico minus in A. B. tributum, quam palatino, cum ille tantum ad terras juris Saxonici reſtringatur, hic vero non tantum ad terras juris Franconici, ſed & rhenanas ſuperiores & inferiores usque ad mare Brittannicum extendatur. Sed ſciendum eſt, jus Saxonicum, cum aurea bulla conderetur, latius in Germania non tantum, ſed & extra ejus ſolum occupaſſe ſpacium dici, quam jus Franconicum. Latius, quam par eſt, fines, ubi jura Saxonica viguerint, extendit GOLDASTVS P. I. *der Reichs-Satzungen in præfat. p.* 6. Der Sæchſiſchen Kayſerl. hohen Reichs-Pfaltz ſind unterworffen geweſt, nicht allein die Sæchſiſche Lande und Furſtenthume, geiſtliche und weltliche, wie die erzehlet werden im Sachſen-Spiegel im Anfang der Vorrede und lib. 3. art. 62. dem Schwaben-Spiegel lib. 2. c. 43. §. 5. ſondern auch alle Fürſtenthum, *denen Sachſen-Recht von Ræmiſchen Keyſern und Kœnigen ſeyn gegeben und zu halten auferleget worden:* Als da ſind *Polen*, *Bœhmen*, *Mæhren*, *Schleſien*, *Lausnitz* (Weichbild art. 10. & ibi gloſſa. Schwaben-Spiegel l. 2. c. 8. §. 8.) *Schlawen*, *Wenden*, *Schleswich*, *Holſtein*, *Stormarn Dietmarſen*, *Pommern*, *Reuſſen*, *Lieffland*, *Lithau*, *Moscau*, *Samogithien.* In allen Landen hælt man Sachſen-Recht und ſolle aus ihnen an Sachſen appelliret werden. Derowegen ſeynd auch alle dieſe Kœnigreiche, Fürſtenthum und Lænder dem Sæchſiſchen Vicariat unterworffen. Præterquam enim, quod falſiſſimum ſit, imperatorem ulli unquam populo jus Saxonicum obtrudiſſe, ut potius libera voluntate, & ex ſingulari de ſanctitate & juſtitia ſcabinatus Magdeburgenſis opinione, ſit receptum; quis vel probabiliter ſaltim demonſtrabit, Lithuanos & Moſcovitas juris Saxonici placita adoptaſſe. Ne quid jam in medium proferam de plerisque Weſtphaliæ regionibus & Friſiis, apud quos jura Saxonica obtinuiſſe, a multis conſtanter negatur. Vide HARTMANNI *diſſ. de vicariatu Saxonico per Friſiam orientalem*. SPRENGERVS *de vicariis p.* 179. Weſtphaliam vicariatui palatino adjudicat. Ævo Ottonum in tractu Cliviæ & diœceſi ultrajectina jura Saxonum obtinuiſſe, docet diploma Ottonis III. de anno 996. apud TESCHENMACHERVM *in codice diplomat. Clivia n. 30. p. 29.* quo fundationem coenobii Eltenſis a Comite Wichmanno tempore Ottonis I. factam confirmat. Præpoſuerat autem Wichmannus comes filiam ſuam natu majorem dicto coenobio Abbatiſſam, & cum ſine conſenſu filiæ natu minoris omnia ſua bona coetui monialium donaſſet. hæc donationem *ex lege Saxonum* irritam reddere allaborat. Verba diplomatis hac de re hæc ſunt: *Wichmannus comes ſuam ipſius filiam nomine Lutgardam ceteris monialibus præconſtituit Abbatiſſam, ſuccedente vero tempore, cum idem Wichmannus comes ſemel ad veſperam mortis inclinaſſet, penitusque natura conceſſiſſet, altera ſua procreationis filia nomine Adela quondam proprietatis jam tradita partem expoſcens dicensque, quod pater ejus ſecundum SAXONICAM LEGEM absque ejus conſenſu & licentia nullam potuiſſet facere traditionem totam, patris ſui traditionem perduxit in errorem &c.* Probe tamen notandum, eas regiones, quæ tempore conditæ A. B. jus Saxonicum habuerunt, poſtea autem abrogarunt, ideo ſe vicariatu Saxonico ſubtrahere non poſſe, quod lege Saxonica amplius haud vivant, ſed Saxoni jus fundamentum omnino competere. BVXDORF. *ad A. B. tit.* 5. §. 57. RVMELINVS *diſſ. IV. ad A. B.* §. 17. LIMNÆVS *obſ. 7. ad b. 1.* CARPZOVIVS *ad L. regiam, c. 11. ſect. 13. p.* 318.

Cæterum hæc quamvis ſpeciem roboris habere videantur, tantæ rei tamen probandæ non ſunt idoneæ. Nec vero difficile multum eſt eorum vim frangere, aut potius imbecillitatem in lucem producere. Ut igitur ordine reſpondeamus, quod in *primo* argumento ſumitur, vicarialem dignitatem *per eſſe eminentem*, (a) verum quidem eſt, non vero illud, quod additur; jure proinde illum competere ſolis iis, qui jam tum omnibus eminent. Non ſane hoc eſt juris vel naturæ vel divini æterni. Imo ne quidem exigit tale quid commodum reipublicæ, quod eſt principium legum civilium. Ex adverſo inter ſcita politica eſt, *non temere congerendas* (b) in unum magnas dignitates, multo minus iis, qui jam tum potentia & dignitate eminent, adjiciendos eximios honores & addendam vim magnam: quoniam hoc ipſum *non vacat periculo* (c) & aptum eſt turbandæ reipublicæ. Ut vero ſit juſtum; eminentibus jam dignitatibus eminentes alias dignitates adjiciendas eſſe: neutiquam tamen hinc colligere eſt, obſervatum illud ipſum eſſe in imperio Germanico: nec enim in omni republica idem eſt in uſu, quod juſtum aut reipublicæ eſt utile. Eſt certe fallaciſſima collectio de eo, quod eſt conſtitutum, & reapſe obtinet ex eo, quod conſtitui oportet. Tota vero quæſtio de vicariatu in eo vertitur, quid obtinuerit hactenus aut conſtitutum fuerit in imperio de Vicariatu: ac proinde ex eo, quod forte conſtitui de illo oportuit, inepta eſt omnis hujus quidem loci argumentatio. Ex adverſo certum eſt, vicarias dignitates perfrequenter commiſſas eſſe ab imperatoribus noſtris principibus minoris alioquin exiſtimationis & auctoritatis: perinde atque in aulis primo loco plerunque ſunt illi, qui cætera non multum poſſunt. Rerum germanicarum veterum ſane peritis notum eſt, Francorum florentibus rebus cæſareas vices in provinciis paſſim obiiſſe ſupra ordinarios magiſtratus *Miſſos regios* (d) qui appellabantur, potentia aut genere nobilitatis neutiquam præpollentes. Saxonicæ ſtirpis regibus prævalentibus, Otto magnus in Italiam peregre profecturus Saxoniæ univerſæ vice ſua gubernandæ præfecit *Hermannum Billingum*: (e) quem ut non credamus ruſticis parentibus natum, certum tamen eſt præ aliis Saxonicæ proceribus non eminuiſſe, ſive natalibus, ſive opibus, ſive dignitate ac potentia. Henrici IV. cæſaris *pupilli vice functi ſunt* (f) primum Agnes mater, inde *Comitum* (g) unus & alter cum archiepiſcopis *Colonienſi* (h) & Hamburgenſi. Otto IV. regno arelatenſi ſeu Burgundico præfecit Marſchalli titulo *Gervaſium Tilberienſem*, (i) regia quidem ſtirpe Anglica natum, at nulla inſtructum potentia, ſaltem in terris imperii. Henricus

(a) *Per eſſe eminentem*) Nonnulli diſputant, utrum vicariis major competat poteſtas, quam imperatori, capitulationis conditionibus adſtricto. Sed & vicarios ad normam capitulationum res imperii adminiſtrare debere, verior eſt ſententia, cum quod quisque juris in alium ſtatuit, ut ipſe eodem utatur, æquiſſimum ſit. Quidam etiam ex origine duorum imperii vicariorum, quam fingunt, majorem huic dignitati ſplendorem conciliari putant, cum eorum officia admodum duorum præfectorum prætorio apud Romanos, altero orientis, occidentis altero, inſtituta ſint. Sed præterquam quod Romani imperatores longe plures præfectos prætorio conſtituerint, ut conſtat ex PANCIROLLI *notitia dignitatum*, abſurdum admodum eſt, inſtituta Romana ad imperium Germanicum trahere, quippe quod quovis tempore longe aliam regiminis formam habuit.

(b) *Non temere congerendas*) Legi hic meretur CICERONIS *oratio pro lege Manilia*, ubi ſententiam prudentiſſimi Hortenſii refert: *ad unum omnia deferri non oportere.* Poſtquam autem Cicero Pompejum ſummis laudibus extuliſſet, ſuadet populo: *Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter annos tot unus inventus ſit, quem ſocii in urbes ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant.*

(c) *Non vacat periculo*) Exemplum hujus rei nobis eſſe poſſunt, *majores domus*, quibus reges Francorum nimiam contulerant poteſtatem dignitatemque, & ex recentiori hiſtoria *Cromwellus* in Anglia, cui nihil præter regium nomen defuit, interim ſub protectoris nomine omnia ex voluntate ſua geſſit.

(d) *Miſſos regios*) Vid. CANG. *in gloſſ. ſub voc. Miſſus.* & LEHMANNVS *in chron. Spirenſi.*

(e) *Hermannum Billingum*) Hic omnino conferri merentur MEIBOMII *vindiciæ Billinganæ Tomo III. operum.*

(f) *Pupilli vice functi ſunt*) Henricus V. imperator quinque annorum puer erat, cum pater ejus 1056. diem obiret ſupremum. Naſcebatur ſiquidem filius anno 1050. Id. Nov. Goslariæ, ut recte HERMANNVS CONTRACTVS refert, non autem anno 1051. ut vult SCHAFNABVRGENSIS. Hoc enim anno poſt paſcha ab Hermanno archiepiſcopo Colonienſi ſacro baptiſmatis fonte tinctus eſt, ut præter Herm. Contractum docet LEHMANNVS *in chron. Spir. l. 5. c. 23.*

(g) *Comitum*) In horum numero primarius erat *Wernerus* comes, de quo LAMBERTVS ad annum 1063. ſequentia memorat: *ſecundas poſt eum* (Adelbertum ſcil. archiepiſcopum Bremenſem) *partes agebat Wernher comes, juvenis tam ingenio, quam ætate ferox. Hi duo pro rege imperitabant.* &c.

(h) *Colonienſi*) De contentionibus, quas regni proceres de tutela Henrici IV inter ſe moverunt, legi meretur ADAMVS BREMENSIS *L. 3. hiſt. eccleſ. c. 35.* verba ejus repetente ALBERTO STADENSI *ad an.* 1057. ubi principum indignatio, *quod muliebri poteſtate conſtringi, aut infantuli ditione regi debeant*, memoratur. Interim educationem regis atq; ordinationem omnium rerum publicarum penes epiſcopos fuiſſe, & inter eos eminuiſſe Colonienſis & Moguntini auctoritatem, in partem conſilii aſſumtis Adelberto archiepiſcopo Bremenſi & comite Wernhero, docet LAMBERTVS modo citatus *ad ann.* 1063. Quod imprimis ad Colonienſem archiepiſcopum attinet, erat is *Hermannus* comes palatinus Rheni, cognomine *pius & nobilis* a ſcriptoribus ſalutatus, qui dum tutelam Henrici IV. gereret, eundem ao. 1054. regem coronavit, de quo actu LAMBERTVS SCHAFNAB. ſequentia memoratu digna tradit: *Ao. 1054. II. Kal. Jun. Henricus IV. in regem Romanorum conſecratus eſt Aquisgrani ab Hermanno archiepiſcopo Colonienſi, vix ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luitpoldi archiepiſcopi Moguntini, ad quem propter primatum ſedis Moguntinæ conſecratio regis & cetera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat, ſed imperator Henricus III. potius Hermanno archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat propter claritatem generis ejus.* Qui plura de vita Hermanni hujus legere deſiderat, adeat TÖLNERVM *in hiſtoria palatina c. 11. p. 255.*

(i) *Gervaſium Tilberienſem*) Sic dictus fuit ab oppido Tilburio vel Tilberia, in Tameſina ripa ſito, vir tam ſago quam toga inclytus. *Otia* ejus *imperialia* ex parte edidit MADERVS, integra autem LEIBNITIVS *Tomo I. ſcriptor rer. Brunſvic. in fine.* Illuſtravit etiam fabulas Brittannicas *Galfridi monemutenſis*, condiditque *tripartitam hiſtoriam*, librum *de vita B. Virginis & diſcipulorum Jeſu* aliumque *facetiarum* in gratiam Henrici junioris Angliæ regis. Emendationes & ſupplementa *otiorum imperialium*, quæ induſtriæ R. P. JACOBI LE LONG debentur, habet LEIBNITIVS *Tomo II. S. R. Br.* Vide de eo VOSSIVM *in hiſtor. L. 2. c. 56.* & MADERVM in *præfatione otiorum imperialium.*

ricus VII. in Italia abſens res imperii germanicas potiſſimum per *Berchtoldum* (a) comitem Hennebergicum fecit adminiſtrari. Mitto ſimilia exempla complura adferre; quum *ex Italia* (b) cumprimis eorum liceat magnam copiam huc adducere. Quid, quod ſuo aliquo modo *judicium Cameræ Spirenſis* (c) hodieque vice cæſarea fungatur? Aliquo ſuo modo, inquam, nec enim definio, num omni ſint ex parte vera, quæ magnifice de auctoritate illius judicii pronunciat Petrus Denaiſius in aſſert. Jurisdictionis imperialis Cam. t. 1. p. 46. Notiſſimum vero eſt, Moguntino electori omnes inter Germaniæ principes *primum locum deberi* (d) & tamen vicaria illum poteſtate deſtitui. Fac tamen etiam verum eſſe; comiti Palatino *occaſione electoralis dignitatis* (e) adjectum eſſe vicariale munus, non tamen etiam ita ſequitur, munus illud vicariale vel partem electoralis dignitatis vel aliquid inſolubili vinculo cum dignitate Dapiferatus fuiſſe conjunctum. Firma certe ſequela neutiquam ex illis principiis hoc deduxeris. Verum non eſt opus, ut illam diſputationem ingrediamur, cum ſufficiant illa, quæ paulo attulimus.

In altero argumento verum itidem quidem eſt antecedens illud, ceu logice loquuntur, *Vicarium* imperii, quo de jam res eſt, *non penes alios Palatinos* (f) *principes fuiſſe, quam ſolos illos, qui ſimul electorali dignitate fulſerunt*; at quæ hinc nectitur collectio, nihili eſt, nec obſervatis logicæ præceptis (quod fieri par eſt) recte inſtitui poteſt: ratio eſt, quoniam multum differentiæ eſt inter id, quod quis agit per ſe, aut per accidens, ceu accurate docent Philoſophorum ſcholæ. *Nihil ſane vetat quadam perpetuo jungi, & tamen non niſi per accidens conjuncta eſſe.* Sic sereniſſimi duces Bavariæ ſimul ſunt comites Palatini, & tamen non niſi per accidens comitatus Palatinus ducatui Bavariæ adhæret. Niſi igitur probatum fuerit, Vicariatum primo ac per ſeſe ad electoralem dignitatem illam, quam tenuerunt Palatini, pertinuiſſe, nullius roboris eſt collectio. Prius vero illud ex iſto quidem principio nequit colligi.

Paris notæ eſt *argumentum tertium.* Nec enim illæ leges cæſareæ quicquam aliud definiunt, quam quiſnam Palatinæ familiæ comitum reapſe debeat exercere vicarium munus. Ex aureæ Bullæ profecto verbis integris res liquido apparet. Mutilate enim illa fuerunt in medium propoſita omiſſis iis: *ratione principatus ſeu comitatus Palatini privilegio*; jus nimirum omnium, qui Palatinum comitatum tenent, commune aliquod eſt in Vicariatum, *ratione illius principatus*, ſeu comitatus Palatini privilegio: quoniam vero adminiſtratio Vicariatus *non niſi ab uno* (g) poteſt rite inſtitui, lege cautum eſt, illam ſoli illi Palatinorum comitum, qui ſacri imperii elector eſt, convenire.

CAPUT IV.

Vicariatum ab electorali dignitate eſſe plane diſtinctum, nec vinculo inſolubili cohærentem, multis rationibus oſtenditur.

Illa quidem igitur in medium adducta argumenta non ſunt idonea evincere, vicariatum fuiſſe antehac partem aut vero etiam inſolubilem appendicem Dapiferatus aut illius electoriæ dignitatis,

(a) *Berchtoldum*) Hunc comitem Bertholdum imperator Henricus VII. anno 1310. in comitiis Francofurtanis ad jura & faſtigium *principis imperii* evexit. Diploma extat apud MEIBOMIUM *T. 3. rer. Germ. p. 208.* & Germanice apud dominum LUCÆ im uhralten Fürſten-Saal *P. 10. c. 6.* Conf. THUCELII *electa juriſpubl. curioſa c. 6.* Illuſtris hæc comitum Hennebergicorum ſtirps in ultimo ſui ſtemmatis principe GEORGIO ERNESTO ao. 1583. deſiit, terræque ejus ad domum Saxonicam lineæ Erneſtinæ potiſſimum pervenerunt. Vid. TRIER p. 355. & MOELLERI *annal. ad an.* 1583.

(b) *Ex Italia*) Plurima hujus rei exempla invenies in obſervationibus noſtris ad librum auctoris *de finibus imperii*, ubi de vicariis Italiæ paſſim actum eſt.

(c) *Judicium cameræ Spirenſis*) De hoc judicio alibi agitur.

(d) *Primum locum deberi*) Electorem Moguntinum caput electoralis collegii eſſe, multi ex eo probatum eunt, quod vocetur *decanus, primas collegii electoralis, præſes, director &c.* REBDORFF *T. I. ſcriptor. Freher. ad an. 1339. p. 426.* KNICHEN *de Sax. non provoc. jure c. 1. n. 57.* FREHER. *ad P. de Andlo L. 2. c. 2.*

(e) *Occaſione electoralis dignitatis*) Bavari ſcriptores electori ſuo vicariatum vindicantes in ipſis A. B. verbis fundamentum aliquod ſe inveniſſe putabant, ubi ſtatuitur: *illuſtris comes palatinus Rheni ſacri imperii archidapifer ratione PRINCIPATUS ſeu comitatus palatini privilegio debet eſſe proviſor imperii.* Addebantque, in Germanica A. B. verſione: *principatum* dari das Curfürſtenthum. Sed quis non videt, principatum hic denotare terras comitatus palatini, quæ cum omnibus juribus electori palatino reſtitutæ ſunt. Deinde a Germanica aureæ bullæ verſione argumentum duci nequit, cum ſit imperiti cujusdam privati foetus, in quo præterea tot ridicula & abſona occurrunt.

(f) *Non penes alios palatinos*) Imo vero plurima ante auream bullam ſæcula palatinos Rheni, antequam collegium electorale inſtitueretur, jam vicarias cæſaris vices in imperio geſſiſſe, conſtat. Et Carolus IV. demum illis, qui ex comitum palatinorum numero electorali faſtigio coruſcant, vicariatum lege perpetua confirmavit. Ne tamen putes, ante A. B. comiti palatino ſoli vicariatum competiiſſe, cum apud ſcriptores medii ævi, ut videre eſt apud TÖLNERUM *cap. 4.* fere de hoc ſolo teſtimonia occurrant, quod & ex verbis Ludovici Bavari de anno 1328. apud BALUZIUM *in collect. veter. auctor* pateſcit: *Cum vacante imperio comiti palatino Rheni, de jure & approbata imperii conſuetudine obſervata hactenus inconcuſſe, præſertim in partibus Alemanniæ, competat jus adminiſtrandi jura imperii, feuda eccleſiaſtica & temporalia conferendi & cuncta alia negotia diſponendi, papa in dicti principatus & principum ſuorum injuriam contendit, quod in nullum caſum ſibi competit, ad ſe adminiſtrationem vacantis imperii pertinere. Imo ipſe (papa) nobis electis & adminiſtrantibus jura regni & imperii, vicarios conſtituiſſe, dicitur.* Verum enimvero LUDWIGIUS in *comment.* ad A. B. P. I. p. 519. rationem non contemnendam nobis dat, cur vicariatus ſaxonici tam rara ante A. B. mentio occurrat, quod ad Saxonem tantum executio rerum criminalium ſpectaverit: has autem cauſſas tum fuiſſe infrequenter, cum omnia fere crimina certa mulcta luerentur. Palatino autem omnes cauſſæ civiles commiſſæ erant.

(g) *Non niſi ab uno*) Quærunt vulgo doctores, cur non cuivis electori vicariatus quidam ſit aſſignatus, aut omne regendi onus in unum collatum? Reſpondendum puto, rationem hujus a conſtituentis arbitrio petendam eſſe; Vide tamen, quæ alibi de vicariorum origine diximus.

by Google

tatis, quæ Palatinæ *familia Rudolphinæ* (a) antehac competiit. Ex adverſo autem non deſunt, quæ longe firmiſſime adſtruant, & fuiſſe & ſemper habita diverſa atque inter ſeſe ſeparata, nec niſi per accidens aliquandiu conjuncta illa electoralia & vicarialia munera.

Et vero 1. ſi utrumque munus inſolubili vinculo fuit conjunctum, factum illud eſt, aut quia ex ſe & ſua natura cohærent, aut quia lege quadam cæſarum poſitiva ſic ſunt connexa. Prius ab omni ſimilitudine veri eſſe alienum, non indiget ulla probatione: ſole enim meridiano clarius jamtum omnibus eſt hoc notum. Nec enim ullum apparet vinculum naturale inter electorale & vicarium munus: multo minus alterum alteri includitur, ceu pars hæret in toto. Quis neſcit ſane nec omni electori, nec ſoli vicarium munus competere? *Non omni* profecto electori hoc commune eſſe, vel pueri noverunt. *Non ſolis* etiam electoribus proprium eſſe, hodieque nemo ignorat rerum *imperii per Italiam* vel leviter peritus: præſertim cum nuper jus vicarium rerum imperii per Italiam *Mantuano duci* (b) ſit conceſſum. Poſterius uno illo poteſt probari, quod talis quædam cæſarea conſtitutio nuſquam hactenus viſa, nuſquam ſit audita, ac proinde nunquam ſit lata, imo vero cæſares longe aliud olim crediviſſe & inſtituiſſe, paulo poſt patebit. *Secundo* enim, nulla facta mentione electoralis dignitatis cæſares nonnulli diſertis verbis jus Vicariatus tribuerunt Palatinis comitibus, ac proinde judicaverunt utique cæſares illi, vicariale illud jus *ab electorali plane* (c) eſſe diverſum. *De Ludovico IV.* (d) Cæſare & Bavariæ familiæ capite Joannes *Cuſpinianus*, (e) homo *Auſtriacus*, (f) & aulæ cæſareæ familiaris, jam ante hoſce centum quinquaginta

(a) *Familia Rudolphina*) Filii *Ludovici Severi* Rudolfus, domus Palatinæ, Ludovicus IV. autem Bavaricæ conditores ſunt, qui alternatim dignitate electorali ex pacto gaviſi ſunt. Aſt Ludovici IV. filii a Carolo IV. hac eminenti dignitate privabantur, electoratu Rudolpho Palatino per auream bullam adjudicato. Res ex ſequenti ſchemate magis pateſcet.

OTTO dux Bavariæ,
Qui per matrimonium cum Agnete, Henrici comitis palatini filia, ducatum Bavariæ cum comitatu palatino conjungit.

LUDOVICUS SEVERUS, cum ducatu Bavariæ accipit Palatinatum ſuperiorem. — HENRICUS, accipit Palatinatum inferiorem, Stirps ejus defecit.

RUDOLPHUS conditor hodiernæ domus Palatinæ. — LUDOVICUS IV. cæſar conditor ducum Bavariæ.

Rupertus, — RUDOLPHUS, cui a Carolo IV. genero vicariatus adjudicatur. — Rupertus.
ANNA Caroli IV. imp. uxor.

(b) *Mantuano duci*) Anno 1624. imperator Ferdinandus II. ducem mantuanum *Ferdinandum Gonzagam*, affinem ſuum conſtituit generalem vicarium imperii per Italiam. HORNII *orbis polit. p. 268.*

(c) *Ab electorali plane eſſe diverſum*) Fluit hoc ex ipſa origine & indole comitivæ palatii, vi cujus comes palatinus inde a tempore Carolingorum non tantum viventibus imperatoribus in aula regia jus dixit, ſed & eis defunctis omnem imperii adminiſtrationem ſuſcepit. Quid enim *Pfaltzgrave* eſt aliud, quam *curiæ regiæ judex*? Hujus autem officium electorum inſtitutione longe antiquius eſſe, nemo in dubium vocabit, qui comitum palatinorum Carolini ævi hiſtoriam noverit, quam contextam videmus apud FREHERUM in *origin. palatin. P. 2. c. 2.* & *ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 10.* MABILLONIUM *de re diplomat. l. 2. c. 7.* TÖLNERUM *hiſtor. palat. c. 4.* Et ſane ſi comitiva palatii pro acceſſorio dignitatis electoralis habenda eſſet, ſequeretur, unumquemque electorem ſimul eſſe debere comitem palatii. Utrumque autem falſiſſimum eſt, Sed objiciunt Bavari, Rupertum palatinum anno 1394. poſt depoſitionem Wenceslai, miſiſſe diplomata vicariatus, cum inſertione, des Churfürſtenthums halben; ad quod reſpondendum, id factum eſſe, ut doceret, ſe ſimul eſſe comitem palatinum & electorem, ad quem ex diſpoſitione aureæ bullæ, excluſis reliquis comitibus palatinis ſimpliciter talibus, vicarialis dignitas pertineret.

(d) *De Ludovico IV.*) Acta comitiorum a Ludovico IV. Francofurti celebratorum, exſtant apud GOLDASTUM *T. III. conſt. imper. p. 411. ſeqq.* Quo tempore & electorum dignitas & vicariorum imperii auctoritas contra inſultus papales ſtabilita fuit. Conf. SCHILTER *de libert. eccleſ. Germ. lib. 6. c. 3. §. 4.* PFEFFINGER *ad Vitriarium T. I. p. 669.*

(c) *Cuſpinianus*) Quæ hic de conſtitutione Ludovici IV. ao. 1339. lata memorantur, in dubium ut charta ſubleſtæ fidei vocantur ab auctore des Beyerſchen kurtzen Gegen-Bedenckens und Berichts von der Curfürſtl. Pfaltz vicariat-Gerechtigkeit p. 11. Dicitur ibi, duas Ludovici imperatoris vulgo venditari conſtitutiones, eosque, qui earum mentionem faciunt, in anno variare. GOLDASTUS *in ſtatut. & reſcript. imperial. fol. 336.* alteram ſub hoc titulo ſiſtit: *Ludovici IV. imp. Auguſti conſtitutio de imperii juribus, & excellentia & poteſtate electi Romanorum regis, lata in comitiis Colonienſibus, anno domini M CCC XXXVII.* Initium ipſius conſtitutionis eſt: *Licet jura utriusque teſtamenti* &c. & finitur ita: *Datum in Colonienſi civitate Alemania, die &c. anno domini M CCC XXXIX.* Eandem conſtitutionem quoque reperire eſt apud HIER. BALBUM in *tractatu ad Carolum V. imp. de coronatione*, mutatis tamen pluribus verbis & fine dato. SCHARDIUS in *libr. de electoribus c. 4.* & AUCTOR *ruminationis juris auguſtiſſ. imp. olim in approbandis confirmandisque pontificibus Romanis uſurpati & vice verſa*, mutuantur illam vel totam, vel particulatim ex ALBER. de ROSATE in *L. bene a Zenone C. de quadrienn. præſcript.* Sed itidem ſine die & conſule. Altera Ludovici IV. conſtitutio reperitur apud NAUCLERUM in *coſmograph. Vol. II. gener. 45.* fol. 886. & incipit: *Ludovicus IV. Dei gratia* &c. *Fidem catholicam, quam ſancta mater eccleſia docet & tenet* &c. *Dat. in Oppido Franckfurt, præfatis prælatis & principibus ibidem nobis aſſiſtentibus die 8. menſis Auguſti, anno domini 1338. Indict. VI. regni noſtri ao. 24. imperii vero XI.* In utraque autem conſtitutione palatini comitis ne verbulo quidem mentionem injici. Rejiciunt quoque Bavari teſtimonium Cuſpiniani ut erroneum, quod Saxonem alto ſilentio præterierit, cui tamen jam tum vicariatus competierit. Verum enimvero quemadmodum noſtrum non eſt, ut documenta, ex quibus ſua Cuſpinianus hauſit, producamus, ita fides ipſius omnino ſervari poteſt, dum ejusmodi tantum munerum v. c. jus adminiſtrandi, jura & feuda conferendi, &c. mentionem injicit, quæ ante auream bullam nonniſi ſoli palatino Rheni competierunt, Saxoni rebus criminalibus & ſola executione relictis, ut jam ſupra innui.

(f) *Auſtriacus*) Suevofurtenſis, alias vocatur Spieshammer, philoſophus, medicus, poëta, orator, hiſtoricus, & Maximiliani I. conſiliarius, ab eoque, fide & induſtria ejus in graviſſimis legationibus perſpecta, Viennenſi ſenatui præfectus, obiit 1529. VOSSIUS *de hiſtor. lat. p. 202.* Cuſpinianum vocat *ſolertem antiquitatis indagatorem*, & JOH. SCALIGER *virum* eximia fide & eruditione. Conf. *Biblioth. Fabric. P. III. p. 93.*

quaginta amplius annos retulit; illum anno 1339. in publicis imperii comitiis Francofurtenſibus adverſus romanos papas inter alia hoc ſanciviſſe: *Praterea falſiſſimum eſt, per vacationem imperii jus ad papam devolvi: idque eſt contra S. imperii dignitatem, jura & libertatem. Longa enim & approbata conſuetudine inconcuſſe a majorum ordinatione hactenus obſervata, vacante imperio jus adminiſtrandi imperii, jura, feuda conferendi, & negotia catera diſponendi, Palatino Rheni debetur.*

Succeſſor hujus Carolus IV. in ipſa aurea Bulla cap. V. magis adhuc diſerte dicit, vicariale illud munus electori Palatino competere, *ratione Principatus, ſeu comitatus Palatini privilegio.* Principatus autem utique non eſt electoratus; nec electoratus eſt comitatus Palatinus. Nihil poteſt clarius dici in ſeparationem utriusque muneris. Rupertus imperator in illo diplomate, quo in Italiam profecturus filio Ludovico Vicariatum commiſit anno 1401. quæque integra *exhibetur a Frebero* (a) l. 1. Orig. Palatin. C. XVI. & in Appendice: *Advertentes a divis Romanis imperatoribus & regibus, pradeceſſoribus noſtris, hactenus extitiſſe obſervatum, ac etiam de jure comitatus Palatinatus Rheni fuiſſe & eſſe, quod cum Romanus imperator ultra montes Italiam ingreſſus fuerit, in ipſius abſentia Vicariatum imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatenſi ad comitem Palatinum Rheni pertinuiſſe & pertinere.* Maximiliani quoque I. temporibus, cum Philippus Archidux Auſtriæ cæſaris filius Vicarius audiret, idque ad injuriam domus ſuæ judicans pertinere, Philippus Palatinus inter alia ita anno 1496. ſcripſiſſet cæſari: „Wann E. Königl. Majeſtæt iſt hievor, und ſonderlich auff dem nechſt „gehaltenen Tage zu Wormbs mündtlich, auch durch drefflich und hohe ſchrifftlich Uhrkund „genugſamlich bericht, wie meine Vor-Eltern mit ihrem Blutvergieſſen das Vicariat erworben, „des begnadt und verſehen, auch herbracht und zu etlichen Zeiten, ſo von E. Majeſtæt Vorfahren in ihrem vberziehen ander Befehl geſchehen, iſt das untäglich erkandt, und eines Pfaltzgraffen Handel mit Urtheil und Recht von E. Majeſtæt Vorfahren kräfftig geſprochen, als öhnzweifflig E. Majeſtæt noch wohl indächtig.„ Ac proinde ſit ſatis aperte indicaſſet, ſibi tanquam Palatino comiti vicariale jus competere, præterita ſilentio electorali dignitate: *fecit caſar per conſiliarios ſuos* (b) ita reſponderi legato Palatino, qui literas illas attulerat: „Die Werbung, ſo der von „Wormbs von wegen des Pfaltzgrafen an die Königl. Mejeſtæt gethan hat, des Vicariats halben, „hat ſeine Königl. Majeſtæt gnädiglich vernommen, und darauf zur Antwort gegeben, daſs ſeiner Königl. Majeſtæt Meynung nicht ſey, dem Pfaltzgraffen an ſeiner Gerechtigkeit des Vicariats und altem herkommen einigen Abbruch oder Irrung zu thun: Item: Wo der Pfaltzgraff „das Vicariat von der Königlichen Majeſtæt und des Heyligen Reichs wegen auff dem Tage zu „Lindaw verſehen will, wie von alter herkommen iſt, mag Seine Königl. Majeſtæt wohl erleiden, iſt auch ſeiner Königl. Majeſtæt freundlich Begehr. Wo er aber perſœhnlich auf ſolchen Tag „nicht kommen möchte, ſo wehr der Königl. Majeſtæt Nohtdurft ein Commiſſari von ſeiner ſeithen „oder ſonſt dahin zu verordnen, ſeiner Königlichen Majeſtæt und des Heyl. Reichs Handel auff „demſelben Tag zu üben, doch dem pfaltzgraffen an ſeiner Gerechtigkeit unſchadlich.„ Literas illas integre exhibebimus in appendice A. & B. ut & rectius omnia oculis lectorum exhibeantur.

Hanc

(a) *Exhibetur a Frebero*) Nos integrum diploma ſuperius adſcripſimus.

(b) *Fecit caſar per conſiliarios ſuos*) Imo ipſe imperator ſequentibus literis jura vicariatus palatino confirmavit.

Maximilian von Gottes Gnaden Ræmiſcher König, zue allen Zeiten Mehrer des Reichs, &c.

Hochgebohrner lieber Oheim und Churfürſt, Wir haben diner Liebe Schrieben, darin du uns anzeigſt, wie dich kürtzlich angelanget, daſs etlich bey uns Anſuchung thun ſollen, wann wir über das Gepürg ziehen, dieſelben zu gemeinen Vicarien oder Statthaltern hie diſſeyt zu machen, das du dich, in Anſehunge, das dine Voreltern mit ihrem Bluetvergieſſen das Vicariat erworben und herbracht haben, zue uns mit vertræſte &c. Wir dann din Schrieben ſolichs ferner inhelt &c. Und iſt nit minder, ſo ferr wir diner Gerechtigkeit, des Vicariats halben, eigentlicher und gründlicher bericht geweſen weren, hetten wir uns zue unſerm gemeinen Uſſchreiben, dir und andern unſern und des Reichs Churfürſten, Fürſten und Stenden uff diſen gegenwertigen *Reichstags gen Lindauw* zuegeſant, wiſſen darnach zu richten. Dann unſer Meinung nie geweſt, und noch nit iſt, dich an dinen Privilegien und Freyheiten zue verhindern, oder dieſelben zue mündern, ſondern den hochgebohrnen *Philipſen* Ertzhertzogen zue Oeſterreich unſern lieben Sohne und Fürſten und andere unſer Ræthe, ſo wir uff denſelben Tag als unſer Sændtbotten verordnet haben, mit ſambt andern unſern und des Richs Chutfürſten, Fürſten und Stenden mit dir endlich davon handeln zu laſſen. Und dieweil uns nu, den merglichen hohen und groſſen Beſchwerungen nach, ſo jetzu dem heiligen Rich, mer dann Menſchen Gedæchtniſs reicht, oblegen, derhalben wir uns dann jetzo ſelbs in eigener Perſon erheben, und die mit Hilff deſs Allmæchtigen, dem heiligen Rich und der Chriſtenheit zu gut, zue underiten und zuefürkommen willens ſeindt, an diſen gegenwertigen Tag zue Lindaw vill und gar mercklich gelegen iſt: Demnach begehren wir abermahls an dein Lieb mit gar hohen und ernſtlichen Vleiſs, du wolleſt uff den gemelten Richstag gehn Lindauw an eigener Perſohn fürderlich kommen. Dann wir unſerm Sohne und andern unſern Ræthen, desgleichen andern Churfürſten, Fürſten und Stenden, ſo daſelbſt hinkommen, dich nach Lutt diner Freyheit, wie du die anzeigen würdeſt, zu halten bevehlen wollen, und nit uſſen bleiben, noch einig Weigerung oder Uffſchub ſuchen, auch dich darinn gutwillig erzeigen, als wir uns deſs zue dir verſehen. Daran thut uns dien Lieb ſonder danenem Wolgefallen, gnediglich und freundlich gegen derſelben zu beſchulden und zu erkennen. Dann wo in unſerm Abweſen einich Irrung und Widerwertigkeit in dem heiligen Rich ufferſtehen, würden wir uns von Stund an und onverziehend wenden, und in das heilige Rich und Teutſchland wiederum uff den Tag fügen, und dieſelben mit dein, auch ander Churfürſten, Fürſten u. Richs-Stenden Rath und Hilff fürkohmmen, und gegen den, ſo ſolich Irrung, und Widerwerdigkeit machen, und uns an unſerm vorgenommenen Rom-Zug, der allein dem heiligen Rich zue guet beſchicht, verhinderten, mit dein und ander Raht und Hilff, als vor gemelt iſt, und wie ſich gepürt, handeln. Das haben wir diner Liebe nit verhalten wollen. Geben zue *Thirann* am Freytag nach unſer lieben Frauwen Tag Aſſumptio. Anno domini LXXXXVI. Unſerer Reich des Rœmiſchen im eilfften, und des Hungariſchen im ſiebenden Jahre &c.

Ad mandatum domini regis

Hanc ſuam ſententiam porro cæſares declaraverunt uberius, dum *ſeorſim ab electorali dignitate per ſingulares tabulas Comitibus Palatinis jus vicariale ſtabiliverunt:* ad quod *tertio* loco merito eſt hic obſervandum. Quod ſi *ſane* creditum tum fuiſſet Vicariatum includi in electorali dignitate, vel ſimul tacite cum hac etiam illum conferri, non profecto *opus eſſe judicaſſent diverſis tabulis* ad vicariale jus confirmandum. Et tamen tales tabulas Palatinæ domui Carolus IV. Maximilianus I. & Carolus V. rerum imperii & peritiſſimi pariter & ſtudioſiſſimi imperatores conceſſerunt. Exhibebit Appendix C. integrum Caroli V. diploma reliqua ſinu ſuo comprehendens. Quo proinde, ut quisque flectat oculos, operæ fuerit precium.

Ruperto certe Cæſari fuiſſe hoc perſuaſiſſimum, etiam inde liquet, quod (ceu ante diximus) *in Italiam migraturus filium Ludovicum Vicarium imperii conſtituerit, non tamen in illum electorali dignitate translata. Exhibebit* (a) noſtra Appendix D. poſt Freherum ipſas Ruperti tabulas integre. In iis vero negatur utique electorale nomen Ludovico; ſed & in univerſum *vivo patre ab electorali nomine abſtinuit Ludovicus, Vicarii tamen titulo ſeſe omnibus offerens.* Appendix exhibebit tres literas Ludovici illius, quæ hoc ipſum docere abunde ſunt idoneæ. Eſt autem hoc *quarti* generis indicium, electoralis dignitatis a jure vicariali ſeparatæ.

Non imperatores vero ſoli diverſitatem illam utriusque muneris agnoverunt, verum in univerſum omnes *imperii ordines.* (b) Quod pro quinto nobis poteſt jure eſſe argumento. Indicio autem

(a) *Exhibebit*) Exhibet eas etiam LVDWIGIVS *in comment. ad A. B. T. I. p. 553. ſeqq.* ubi monet, diploma illud nimium patris in filium redolere adfectum, cum vicariatus Saxonici, jam tum tamen per A. B. pari cum palatino jure ſtabiliti, ne verbo quidem mentionem faciat. Inſeruit illud quoque TöLNERVS *codici diplomatico palatino.* Quæ a Ludovico palatino, tempore vicariatus ſui, patre Ruperto abſente, acta ſunt, relata legimus in peculiari libro: *Geſta ſub rege Ruperto & Ludovico vicario.*

(b) *Imperii ordines*) Ludovicum Severum quoque, Ottonis illuſtris filium, ſub finem interregni vicarias cæſaris vices, quantum quidem turbulenta tempora permittebant, geſſiſſe, aliquo modo patet ex loco AVENTINI *annal. Bojor. lib. 7. p. m. 436.* quo electores in eum regis eligendi poteſtatem conferunt: *Tandem ne*, inquit, *ut antea discordia maiis respublica labefactaretur, placuit uni deligendi poteſtatem deferre. Proinde omnium conſenſu, LVDOVICO præfecto prætorio Rheni, regulo Bojorum, qui tum in principibus imperii præter ceteros magnopere eminebat, ſummam deligendi novi principis poteſtatem offerunt &c.* Poſt obitum vero Rudolphi imperatoris eundem Ludovicum res imperii adminiſtraſſe, idem AVENTINVS *l. c. p. 443.* claris verbis teſtatur: *Imp. Adolphus, dum filium ſuum Albertum ſucceſſorem declarare ſtudet, re infecta natura concedit. - - - SOLET in Germania, quam diu orbata capite, præfectus prætorio Rheni, duxque Bajorum interrex eſſe, atque imperii munia obire. Ludovicus tum hujuscemodi dignitate defungens apud Rhenum diverſabatur. &c.* Idem docent EZECH. SPANHEIM *de vicar. palat. p. 464.* & TöLNERVS *hiſtor. palat. cap. 4. p. 133.* Illud vocabulum SOLET, monente SPRENGERO *in fontibus jur. publ. p. 1140.* indigitat, quod ante illa tempora conſuetudo vicariatus in familia palatina introducta fuerit. Filius Ludovici noſtri patri cognominis & imperiali diademate coruſcans, id magis confirmavit in comitiis Francofurtenſibus anno 1339. celebratis, qui apud GOLDASTVM *in conſt. imper.* LONGA, inquit, *ET APPROBATA CONSVETVDINE vacante imperio jus adminiſtrandi jura, feuda conferendi, negotia cetera diſponendi, palatino Rheni debetur. &c.* Nec minus Rudolphus II. Caroli IV. ſocer anno 1351. in literis Gerlaci archiepiſcopi Moguntini *Vicarius imperii* ſalutatur. Curpfæltziſche Vicariat-Gerechtigkeit Heidelb. 1614. p. 10. Conf. Tölnerum *l. c. p. 135.* De confirmatione privilegiorum domui palatinæ a Carolo IV. conceſſorum, tam cum conſenſu ordinum imperii, quam peculiariter duabus diverſis chartis conceſſa a Wenceslao imp. jam ſupra dixi. Hic tantum moneo, Rupertum palatinum ſeniorem, qui tunc temporis elector erat, dum Wenceslaus imp. cuſtodia detineretur, vicarium imperii ab omnibus ordinibus eſſe agnitum, quemadmodum de hoc ſuo officio imprimis civitates imperiales certiores fecit, cujus documento ſequentes ſunt litteræ:

Ruprecht der elter von Gottes Gnaden, Pfaltzgraff by Rin, oberſter Druchſeſs, und an unſers Herren des Rœmiſchen Kœnigis ſtad Vicarius des heiligen Rœmiſchen Richs und Hertzog in Beyern &c.

Unſern freundlichen Gruſs bevor, erſamen wiſen Lüte, Meyſter, Rat und Burgere gemeinliche der Stad N. N. lieben beſondern und des H. Richs getruwen: Als ir wol verhœret hant, wie das unſer Herre der Rœmiſch Kœnig Wentzelaw, von etlichen Landt-Herrn zu beheim bekümmert ſolt ſin, das er ſin ſelbs nit mechtig were, darumb ſint die Erwürdigen in Got Vatter und Herren, Herr *Conrad zu Mentze*, Herr *Wœrrnher zu Trier* Ertzbiſchoffe, und des Ertzbiſchoffes *von Cœllen Rat* mit ſeiner Gewalt, und mit Kurfürſten, und auch wir und viel andere Fürſten, Graven, Herren und Stette, die zu dem Rich gehœrent, by einander zu Franckfurd geweſt, da hat der hochgebohrne Fürſte, unſer lieber Schwager *Hertzog Hans*, unſers Herrn des Kœnigis Bruder, ſine erbere Bottſchafft von unſers Herren des Kœnigis wegen by uns gegabt, und hat uns laſſen underwiſen, das man eigentlich in der Wahrheit befindet, das unſer Herr der Kœnig leider bekümmert, gefangen, und ſin ſelbſt nit mechtig iſt, und hat uns alle faſt angeruffen, das wir alle darzu raten und helffen wollen, von des Richs wegen, daſs unſer Herre der Kœnig mœge ledig werden, als wir uns des auch willeclich erbodten haben zu dun, als wir alle des wol ſchuldig ſin von des Richs wegen.

Und haben darumb jetzund zu Stund unſer ernſtliche Bodſchafft gethon an dieſelben, die unſern Herrn den Kœnig gefangen haltend, das ſie yn ungedrenget von des Richs wegen gentzlich ledig ſagen und laſſen. Und diewile leider unſer Herr der Kœnig alſo gefangen iſt, ſo ſin wir obiger Kurfürſten übirkommen, umb daſs das Rich nit warloſs und in Sümeniſſe ſine, das unſer iglicher von des Richs deſte fleiſslicher darzu ſehen und gewarten ſolle ſins Rechten zu gebruchen und zu uben, als yme zugehart von ſins Rechten wegen an dem Rich, und wir *als ein Pfaltzgraffe by Rin von unſers Kurfürſtentumbs und Wirdekeit wegen* (i. e. qui dignitatem hanc ut elector ex ſtirpe comitum palatinorum gero, non autem quod vicariatus ex electorali munere profluat) nach dem als es leider zu diſſer Zyet umb unſern Herrn den Kœnig und das Rich geſtalt iſt, ſollen ein Vicarius und Fürſeher des Richs ſin, als auch *das unſer altvordern Pfaltzgraven by Rin Kurfürſten des Richs gebruchet und off unſs bracht hant*, ſo ſin wir mit unſern Mit-Kurfürſten auch alſo davon geſcheiden, diwile leider unſer Herr der Kœnig gefangen iſt, das wir dann uns unterwunden haben, ein Vicarius und Fürſeher alſo zu ſin an unſers Herren des Kœnigis ſtad *von des Richs wegen yme und dem Rich und des Richs Undertanen* zu ſtatten und zu Notz als lange, bis das unſer Herre der Kœnig mit Gottes Hülff ledig und ſin ſelbs wol mechtig iſt, und wolten uns doch ſolichs unſers Rechten nit underzingen, bis das wir von unſern Herren *des Kœnigis Bruder Hertzog Hanſen, unſerm Schwager*, underwiſet ſin, das unſer Herr der Kœnig leider gefangen iſt, als vorgeſchriben ſtet. Darumb bitten, heiſſen und gebieten wir uch ernſtlich und feſteclich, als

autem eſt, quoniam approbaverunt quondam ordines illam a Ruperto imperatore in filium Ludovicum, electoria quamvis dignitate nulla adhuc inclytum, Vicariatus collationem. Approbaſſe vero, *primum* liquet ex hiſce Ruperti imperatoris verbis, quæ in diplomate habentur, cujus non ſemel jam antea meminimus: „Dilectum filium noſtrum Ludovicum animo deliberato, non „per errorem aut improvide, ſed & maturo & electorum, & aliorum Principum, Comitum & „Nobilium noſtrorum & S. imperii fidelium, conſilio & conſenſu, de certa noſtra ſententia, & re„gni plenitudine poteſtatis, per ſacri Romani imperii, in Germania, Gallia & regno Arelatenſi, „provincias, principatus, Dominia, diſtrictus & civitates, opida, caſtra, villas, & eorundem per„tinentias, qualitercunque nominatis omnibus, jure, via & modo, quibus melius & efficacius poſ„ſumus & debemus, facimus, conſtituimus & ordinamus, noſtrum & S. R. imperii in Germa„nia, Gallia & regno Arelatenſi vicarium generalem.„ Liquet ſecundo ex eo, quod Ludovicus ille non nomine duntaxat vendiderit ſe Vicarium imperii, verum etiam reapſe vicarium munus exercuerit, non tantum nemine procerum reclamante, ſed ultro paſſim omnibus vicariali illius mandato obtemperantibus. Ubi ſimul obſervandum eſt, & ipſi *Ruperto cæſari & proceribus imperii* (a) *notum indubie fuiſſe Bullam auream Caroli IV, ut & conſtitutionem ejusdem Caroli de Vicariatu Palatino ſeorſim conditam*, iisque conſtitutum eſſe, *ut inter Palatinos ſoli electores dignitate iſthac fruantur; & nihilominus tamen Ludovico Palatino nondum electorali honore fulgenti Vicariatum eſſe conceſſum*: ac proinde ſalubri

als ein Vicarius und Fürſeher des Richs an unſers Herrn des Kœnigis ſtad, das ihr uns an unſers Herrn des Kœnigis ſtad, als ayn Vicarien des Richs u. nymandt anders gewarten oder gehorſam ſin ſollent von des Richs wegen, bitz das unſer Herre der Kœnig alſo ledig iſt und das ihr uch auch fürderlich darzu ſtellent, wann wir uch entbieten, das ir dann wollent bereit ſin unſerm Herrn dem Kœnige uwer Folcke zuſchicken, yme zu ſtaten mit den andern unſern Mit-Kurfürſten, mit uns und anderen Fürſten, Herren und Stetten zu ziehen, alſs ir dann billig thunt u. ſchuldig ſint von des Richs wegen. Auch iſt jetzund uns Kurfürſten obiger zu Franckfurt fürkommen, daſs viel Briefe gemacht und verſigelt ſin, mit unſers Herren des Kœnigis Majeſtad, und auch ſeinen kleinen Ingeſiegeln, ſint der Zyt, als unſer Herr der Kœnig bekümmert geweſt iſt: Darumb wir Kurfürſten und anderen Fürſten auch mitein überkommen ſin, und geſetzet haben dem Riche zu Notze, und des Richs Schaden zu vermeiden, daſs man keine Brieffe die alſo gemacht und verſigelt ſint uff di Zytt, und ſinther als unſer Herr der Kœnig bekümmert, und ſin ſelbs ungeweltich geweſt iſt, und als lange er nit gentzelich ledig wirdt, nit halten noch achten ſoll Darnach wiſſent und uch auch zu richten. Das alles han wir allen andern des Richs Stetten auch alſo verſchrieben, u bewiſent uch alſo darinne, als ir das ſchuldig ſint von des Richs wegen. &c. Datum Franckfort in die beatæ Margareth. virginis A. D. MCCCLXXXX. 4to ſub ſigillo noſtro partibus Tergotenus affixo.

Pfaltzgraff Ruprecht als Vicarius ſchickt ſeine Bottſchafften an die Reichs-Statt, als Kœnig Wenceslaus gefangen war.

Ruprecht der eltere von Gottes Gnaden &c. ut ſupra.

Unſern freundlichen Gruſs bevor, Erſamen wiſen Lüdte, guten beſondern Fründe; Wann wir itzund, diewile unſer Herre der Rœmiſch Kœnig leider gefangen iſt, an ſin ſtadt Vicarius des Richs ſin ſollen, und ſin von Rechts wegen, und auch itzund zu Franckfort mit andern unſern Mit-Kurfürſten und andern Fürſten davon geſcheiden ſin des Richs Sachen zu handeln, als ein Vicarius, bis das unſer Herre der Rœmiſch Kœnig ledig und ſin ſelbs wol mechtig wirdt, als uns das zugebühret, darum ſehen wir an unſers Herren des Kœnigs ſtadt um des Richs wegen ſolchen Kriege altz itzund iſt *zůſchen dem von Dyſt* und *dem von Lutzelſtein* und ihr beyder Helffer, in dem Riche nit gern, und ſenden darumb zu uch *Hanneman von Sickingen*, unſern Vitztum zur Neuenſtadt und lieben getrewen und andere unſere Freunde, die er mit ym zu uch bringet von unſern wegen, den wollet glauben, daſs ſie uch umb einen gütlichen Tag von des obgenanten Krieges-Weſen für uns zuleyſten ſagent werden, uns darinne gefolgig zu ſin an unſers Herren des Kœnigs ſtadt, von des Richs wegen, als wir uch auch wohl getruwen. Datum Altzey ſexta feria poſt diem beatæ Margarethæ virginis, anno LXXXX 4to.

Philippus comes palatinus & elector anno 1496. cum imperator Maximilianus in Italiam profectus eſſet, non tantum ſolennibus litteris, quæ reperiuntur in dem kurtzen Berichte von der Pfaltziſchen Vicariat-Gerechtigkeit in adjunctis Nr. P. p. 88. vicarias ſuas cæſaris vices imperio indicit; in quibus ſe nominat einen Erb-Vicarien, Stadthalter und Verweſer der Kœniglichen Mayſtl. und des heiligen Reichs in Teutſchland hie dieſſeits der Gebirg: Sed & in litteris ad eum datis ita ſalutatur a Maximiliani imp. conjuge *Blanca* ipſa de dato Wormbs d. 16. Novembr. 1496. A *Johanne* archiepiſcopo & electore Trevirenſi de dato Coblentz d. S. Barbaræ ejusdem anni. A *Friderico* electore Saxoniæ de dato Weinmar vigil. concept. Mariæ 1496. Ab *Ottone* comite palatino de dato Neumarck die Luciæ ejusd. anni. A *Duce Wurtenbergico* die Eliſabethæ ejusd. anni. A *Laurentio* epiſcopo Herbipolitano de dato Wurtzburg die Martis poſt feſt. Martini ejusd. anni: item anno 1497. Mittwochs der H. unſchuldigen Kindlein. A *Ludovico* epiſcopo Spirenſi de dato Udenheim 1696. die dominica poſt Innocentium: & aliis, quos recitat der kurtze Bericht loco antea citato p. 27. Coronidis loco pauca hic adhuc de vicariatu electoris palatini Ludovici, quod munus poſt obitum Maximiliani anno 1519. ſuſcepit, afferam. Ludovicus iſte ſimiliter omnes imperii ordines de vicariatu ſuſcepto certiores fecit, quemadmodum tabulæ iſtius ſub dato Heidelberg Montags nach converſionis Pauli, quas itidem der kurtze Bericht von der Pfaltziſchen Vicariat-Gerechtigkeit ſub lit. S. p. 93. refert, oſtendunt. Quo facto in literis ad eum datis *vicarius imperii* vocatur e. g. ab *Alberto* archiepiſcopo Moguntino Aſchaffenburgi die lunæ poſt miſericord. domini 1519. A *Friderico* electore Saxoniæ de eod. anno. Ab *Ottone* duce Brunſv. Luneb. A *Georgio* comite Wurtenbergico. A *Berchtoldo* comite Hennebergico de dato Onoltzbach die Mercurii poſt invocavit 1520. aliisque in deductione citata allatis p. 50.

(a) *Cæſari & proceribus imperii*) Multi dubitant, an aurea bulla eo tempore, quo confecta fuit, pro lege imperii fundamentali habita ſit & in omnium imperii ordinum notitiam venerit, cum multa contineat, juribus minorum ordinum maxime noxia, in quæ iſti nullo modo conſentire potuiſſe creduntur. Sed quomodocunque hæc ſeſe habeant, id certiſſimum eſt, pro lege imperii fundamentali auream bullam habitam eſſe ab ipſo Caroli IV. filio & ſucceſſore Wenceslao, qui anno 1400. exemplum quoddam aureæ bullæ in ſuos uſus ſibi deſcribi juſſit, in cujus fine, juſſu Wenceslai, ſequentia adſcripta reperiuntur: *Explicit bulla aurea conſtitutionum imperialium atque legum. Seu illarum, quæ ad electionem Romanorum pertinent imperatoris ſive regis ordinationem. De mandato ſereniſſimi principis domini, domini Wenceslai Romanorum & Bohemiæ regis anno 1400.* Qui plura de hoc A. B. tranſſumto ſcire deſiderat, adeat LAMBECII *L. 2. Biblioth. Vindob. c. 8. p. 814. ſeqq.* Sigismundum imp. etiam eandem pro lege fundamentali agnoviſſe, a RVSDORFFIO *in vindic. palat. c. 3. n. 19. ſeq.* contra Gewoldum pluribus defenditur. LVDWIGIVS *in comment. ad A. B. tit. 29. §. 2.* adducit chartam, in qua dictus Sigismundus ſe ad aureæ bullæ ſanctionem refert. Conf. ejusdem *præfationem* dicti commentarii Tomo II. præfixam *pag. 70.*

bri interpretatione conſtitutiones illas ita tum fuiſſe temperatas, ut nimirum ſtricte tum demum obſerventur, *ſi nihil impediat;* quemadmodum ſcil. impedimentum objectum fuit, tum temporis ipſo electore Palatino ad cæſareum culmen evecto.

Sexto. Poſt Rupertum Sigismundo imperante ab electoribus ipſis fuit judicatum, vicariatum imperii ab electorali munere eſſe diſtinctum. * Patet illud haud obſcure *ex ea confeſſione,* (a) qua coram electore Colonienſi & Trevirenſi Conradus Moguntinus Anno 1433. Palatino, non vero ſibi, committendum a cæſare fuiſſe vicariatum, profeſſus eſt: imo ex ipſa ſententia duorum illorum electorum tum pronunciata. Utrobique enim aſſeritur, Ludovico Palatino vicariatum deberi, nec tamen ſimul ulla ſit mentio electoralis dignitatis. Et ſententiam & reverſales illas literas, quas vocant, exhibet appendix lit. E. integre: Verba notatu digna hæc ſunt: Moguntini quidem: Und uns aber der hochgebohrne Fürſt Herr Ludwig Pfaltzgraff bey Rhein und Hertzog in Bayern unſer lieber Oheim mit Uhrkunden und Brieffen underwiſſen hat, daſs es nicht ſyn ſoll, ſo haben wir Uns von ſolchen des obgenanten unſers Oheims Hertzog Ludwigs Underweiſung, und auch um ſeines Begehrens und beth willen des obgenantes fürweſen und Statthalter Ampts entſchlagen. Colonienſis lit. F. & Trevirenſis ſententia vero hæc: Und er (von Maintz) ſoll dem obbenanten unſerm Oheim Hertzog Ludwigen ſin beſiegelten Brieff davon geben &c.

Eadem ſeptimo fuit ſententia ipſorummet electorum principum etiam tempore Friderici III. cæſaris, *ceu liquet* (b) ex literis Joannis Trevirenſis lit. G. & Ruperti Colonienſis lit. H. anno 1468. ſcriptis ad Fridericum Palatinum, illum, cui res geſtæ *victorioſi cognomentum* (c) pepererunt. Integras literas illas itidem appendix exhibet, in utriſque autem obſervatum eſt, vicariatum tribui privilegio principatus Palatini: hoc vero utique indicio eſt, non pertinere illum proprie ad dapiferatum ſive electoratum. Verba, quæ huc faciunt, Trevirenſis ita ſe habent: E. Libd. Schrifft Uns gethan mit Uberſendung Copeyen, berührende *Freyheit und Gnade des Fürſtenthumbs der Pfaltzgraffſchaft*, Inhalt E. Libd. Brieffs, han wir geleſen; zu guter maſs verſtanden, thun darauff denſelben E. Libd. gütlich zu wiſſen, was E. L. und des Fürſtenthumb der Pfalz-graffſchafft, Gnade und Freyheit hat &c. In Colonienſibus hæc leguntur, wann ein Römiſcher König oder Keyſer auff jenſeit der Gebirge wehre, daſs alsdann ein Pfaltzgraff zur Zeit gemeiner Vicari des heyligen Reichs ſin, und ſich des in Ubung und Titul annehmen und gebrauchen ſolte, darumb E. L. ſich des als ein Pfaltzgraff zu dieſer Zeit angenommen haben, &c.

IIX. Cum eodem modo porro loquantur omnis pene ævi ſcriptores paſſim de vicariatu, cum petere ſc. illum Palatino, nulla addita mentione honoris electoralis, jam etiam haud obſcure patet, communem illam fuiſſe ſententiam noſtram. Meretur autem illa vox communis in numerum argumentorum *octavo* loco referri; utpote quæ indicet, rem usque eſſe adeo claram, ut nemini temere quidquam adverſum potuerit in mentem venire. Omnia illa dicta hic congerere, nimis fuerit operoſum. Tantum duo adferemus, alterum antiquiſſimi libelli, quo jam ſeculo decimo tertio chriſtiano fuit comprehenſa ordinatio imperii, alterum *Petri de Andlo,* (d) quem conſtat Friderico

(a) *Ex ea confeſſione*) Vide Kurtzen Bericht von der Churpfaltziſchen Vicariat-Gerechtigkeit p. 18. 19.

(b) *Ceu liquet*) Meretur quoque ADOLPHI archiepiſcopi MOGUNTINI teſtimonium huc adſcribi: Unſern freundlichen Dienſt zuvor, Hochgebohrner Fürſt, lieber Oheym, Als euer Lieb uns in unſern Schrifften zu erkennen geben hat Uhrſach, warum E. L. ſich zu dieſer Zeit ſchreibet gemeiner Vicari hie diſſet der Gebirg, und in ſolchen euren Schrifften Abſchrifft *Kayſer Carels ſeligen Brieff*, uwer Liebe Voraltern vor ſich und ihre Nachkommen, *die Pfaltzgrawen by Rhein und Churfürſten ſein*, über denſelben Tittel gegeben, mitgeſchickt hat &c. haben wir thun leſen und verſtanden, und wir haben bisher von ſolcher Freyheit nit gewuſt. Dann unſer Meinung ye nit iſt, an ewer Liebe Herrlichkeit mit Wiſſen eynichen Abbruch zu thun. Dann womit wir euwer Lieb Willen beweyſen mochten, theten wir gern, Geben in unſer Stadt Meinz am Frytag nach unſer lieben Frauen-Tag Purificationis Anno LXIX.

Adolf von GOtts Gnaden Ertzbiſchoff zu Meyntz &c. und Churfürſt.

Dem Hochgebornen Fürſten Herren Friederich Pfaltzgrafen by Rhein, Hertzogen in Baiern, des heiligen Romiſchen Reichs Ertzdruchſes und Churfürſten, und dieſer Zeit gemeinen Vicarien hie diſſet der Gebirge, unſerm lieben Oheim.

(c) *Victorioſi cognomentum*) De hoc TöLNERUS cap. 2. ita ſcribit: *Fridericus elector vere Victorioſus cognominatus, quia hoſtibus in fugam verſis, undique victricia ſua expandit arma, variaque trophaea erexit, & plurimis jure belli, multis etiam emtionis titulo acquiſitis, maxima Palatinatui Rhenano hodierno incrementa dedit.* Sic comitatum Lutzelſteinenſem anno 1451. comitibus ſuis vaſallis, *Jacobo & Wilhelmo*, Friderico noſtro inobedientibus vi armata eripuit, terrisque ſuis adjecit. vid. HERZOG. *chron. Alſat. L. 5.* TRITHEM. *chron. Sponheim. p. 367.* TöLNER l. c. Inprimis conſtantiam ſuam & virtutem probavit Fridericus noſter, cum defenderet partes *Dieterici* archiepiſcopi Moguntini, comitis Iſenburgici, anno 1459. electi, ſed a pontifice romano non confirmati, quia noluerat pontifici romano jurare ſuo & ſucceſſorum ſuorum nomine, ſe ad creationem imperatoris electores imperii nonniſi conſentiente & confirmante pontifice convocaturum. Itaque cum papa Moguntinis aliud caput, *Adolfum* comitem Naſſovium obtruſiſſet, huncque tuerentur ipſe cæſar *Fridericus III. Albertus* Marchio-Brandenburgenſis, *Ludovicus* dux Bipontinus, *Carolus* Marchio-Badenſis, *Ulricus* comes Wurtenbergicus, tandem in Palatinatu ad funeſtiſſimum deventum eſt prælium, ubi Fridericus noſter, cæſo equo, alium conſcendit pugnamque inſtauravit, nec loco ceſſurum ſaſſus eſt, niſi vulneribus confectus aut trucidatus. Et reportavit Deo auxiliante victoriam, plerisque hoſtium aut occiſis aut captis. TöLNER *l. c. p. 71.* Verſus, quos non nemo in iſtud prælium compoſuit, ſunt ſatis ingenioſi:

Als ein A mit einem I geziert,
Vier Hueffeiſen waren formirt,
Ein Axt und der Apoſtel Zahl,
Geſchah die Schlacht am Necker-Thal,
Da ſchlug und fieng ein *junger Pfältzer*,
Ein Bader, Jäger und Sältzer,
Friedrich der Siegreich wol genant,
Der Churfürſt Zier durch alle Landt.

CIↃ CCCCLXII.

(d) *Petri de Andlo*) Duos ejus libros *de imperio romano*

derico III. cæſare floruiſſe peritia imperii jurium. In ordinatione illa antiquiſſima ſic legas: *Quod ſi regem deficere contigerit, Comes Palatinus habeat ſemper ex officio pro rebus & neceſſitatibus regni facere.* Petrus de Andlo l. 2. c. 7. ſic loquitur: *Carolus IV. in ſua conſtitutione Tit. de jure Comit. Palat. & Duc. Saxon. determinat, quod vacante imperio Comes Palatinus Rheni, Sueviæ & in jure Franconico ex comitatus ſui privilegio, Proviſor debeat eſſe imperii.* Clariſſimum denique eſſe diſcrimen illud inter electoratum & vicariatum, arguit propria confeſſio doctiſſimorum quorumcunque Bavaricæ cauſæ electoralis contra Palatinos patronorum. Qui dum nimirum diſertis verbis differentiam illam agnoverunt: in univerſum omnes ita diſputarunt, ut nolentes volentes cogantur fateri, utrumque munus eſſe plane inter ſeſe diſtinctum quid & ſeparatum. Scripſerunt autem illi patroni & ſcripta ſua ediderunt auctoritate ipſorummet ſereniſſimorum Bavariæ ducum, ut proinde confeſſio illa merito poſſit æſtimari, ipſorummet ducum ingenua vox. Nolo omnia adferre, ſufficient pauca. NICOLAUS BURGUNDUS omnium ὑπερασπιστῶν Bavaricorum & doctiſſimus, & diſertiſſimus, & callidiſſimus, Conſiliarius idem cæſareus & Bavaricus, codicisque in academia Ingolſtadienſi Profeſſor, in libro, quem electoratum Bavaricum inſcripſit & Ingolſtadii anno hujus ſeculi triceſimo quarto, ac proinde dudum poſt factam in Bavarum electoratus & dapiferatus Palatini translationem, non dubitavit hæc in verba ſcribere pag. 189. *Erras, bone vir, ſi putas, nec vicariatum ſtare poſſe ſine electoratu, nec unquam ſletiſſe. Multi ad vicariatum pervenerunt, qui electoratum non attigerant. Recognoſce ſingulos & conſidera, quos plenæ nobis adminiſtrant hiſtoriæ. Fridericus primus Italiam petens, Henricum & Philippum filios vicarios reliquit in Germania. Ipſe denique Ludovicus cæſar, ut ceteros prætercam, Ottonem Auſtriæ ducem in Germania: in regno Arelatenſi Edoardum Angliæ regem vicarios conſtituit.* Iterum pag. 258. *Nil habet commune electoratus cum vicariatu, ſeparata ſunt officia, & prorſus diſtincta. Comprobatum eſt exemplis, non unum ſemper & eundem habuiſſe poſſeſſorem. Et ſi cum archidapiferatu copulatum fuiſſe concedamus, potuit Ludovicus imperator ab archidapiferatu divellere, & Palatinis proprium facere: ita tamen, ut archidapiferatus cum electoratu maneret communis, non ſunt hæc conjugata natura ſua, ſed imperatoria auctoritate connexa. Ejusdem autem poteſtatis eſt ſeparare, quæ conjunxerat.* Quid poteſt clarius dici? quid apertius? ſaltem de naturali inter vicariatum & electoralem dignitatem diſcrimine: imperatoria autem auctoritate connexa eſſe, dicet quidem Burgundus, ſed nemo hactenus probavit. Jam vero is ipſe, qui primus auſus eſt Palatinos oppugnare, CHRISTOPHORUS GEWOLDUS, etſi obiter & timide in libellis nonnullis ante affirmaſſet, vicariatum imperii junctum eſſe electorali, libro tamen, quem ultimum edidit, de omni ſeptemvirali negotio, ac ſecundis curis emendatum Ingolſtadii anno 1621. publicavit, capite X. quidem prolixe diſputat de electorali dignitate Bavaris competente, ſeorſim tamen capite XI. agit de vicariatu, tanquam de re ab electoratu plane diſtincta. Ne quidem verbulo docet in libro illo integro, vicariatum eſſe ſive partem ſive inſolubilem appendicem juris electorii. Hoc docere autem, argumentum libri unice poſtulabat: Siquidem Gewoldo certo id fuiſſet perſuaſum. Ex adverſo etiam illo ipſo loco ita de vicariatu diſputat, ut haud difficulter appareat, agnoviſſe illum ingens, quod inter utrumque eſt, diſcrimen. Perinde nimirum atque in aliis libellis pro jure Bavarico ſcriptis ab anno usque hujus ſeculi XIV. erat factum, pertendit, vicariatum, quo de nunc agitur, inſtitutum demum eſſe a Carolo IV. adductis in id ipſis Caroli cæſaris ex aurea bulla depromptis verbis. Solent autem vulgo omnes Bavarici ὑπερασπισταὶ *originem vicariatus* (a) non altius petere. At hoc poſito neceſſario fatendum venit, electorale jus & vicariale plane ſeparata eſſe, & per ſe quidem neutiquam cohærentia. Ex ſententia nimirum illorum Bavaricorum, *electoratus jam cœpit* (b) tempore Ottonis III. pene quadringentis itaque annis prior fuit vicariatu, atque a vicariatu plane ſeparatur. Sit vero origo electoratus multo junior, cœperitque forte Friderico demum II. cæſare. Etiam ita vero ultra centum annos electoratus fuerit a vicariatu diſtinctus: ac proinde ſaltem non per ſe ad dapiferum & electoratum pertinet munus illud vicarium. Edant igitur neceſſum eſt Bavarici novi patroni cæſarem illum, qui primus inſolubili nexu utrumque munus conjunxerit. Producant tabulas, quibus tale quid eſt conſtitutum. Saltem teſtem unum fide dignum nominent, qui id ab ullo cæſarum factum eſſe affirmet; ſi nihil horum poſſunt, ut non poſſunt, facile utique omnibus manifeſtum eſt, ut ab initio electorale munus non habuit conjunctum vicariatum, ita nec etiam poſt unquam utriusque muneris inſolubilem factam eſſe connexionem. Certe quem primum volunt eſſe vicariatus auctorem Bavarici patroni, eſt autem omnino ſaltem potiſſimus nutantis & dubii juris confirmator Carolus IV. etſi hunc unum adducat de vicariatu iſthoc differens Gewoldus loco, quem ante laudavimus, non agnovit utique vicariatum ab electoratu, ſed *a privilegio ſingulari* (c) comitatus Palatini dependere.

egregiis notis illuſtravit MARQ. FREHERUS, Heidelb. 1603.

(a) *Originem vicariatus*) TÖLNERUS in *hiſtoria Palatina c. 4. p. 109.* putat, comitem Palatii eundem in aula Carolingorum fuiſſe, qui quondam major domus exſtitit, licet comes Palatii longe minori gaviſus ſit poteſtate. Vid. LEHMANN. *chr. Spir. L. 2. c. 9.* Hinc cum FREHERO *in notis ad PETR de ANDLO L. 2. c. X.* Vicariatus antiquitatem ad tempora majoratus domus refert. PFEFFINGERUS *ad Vitriarium L. 1. c. XI. p. 973.* putat, quod, ſicut ab eo momento, quo Saxonia imperante Carolo M. cum Francia conjuncta fuit, Germaniæ provinciæ duplici jure, Francico & Saxonico, uſæ ſint; ita in partibus utriusque peculiares vicarii ſint conſtituti. Sed licet viro clariſſimo facile largiar, quæ de duplici in Germania jure tradit; ita calculum ei adjicere nullo modo poſſum, quod jam tum ævo Carolingorum limites vicariatuum ad terras diverſorum iſtorum jurium dimenſi fuerint.

(b) *Electoratus jam cœpit*) De origine electorum alibi latius actum eſt: imprimis B. L. ablego ad CONRINGII differt. *de ſeptemviris ſeu electoribus regni & imperii Germ.* quam Tomo II. horum operum inſeruimus. p. 32.

(c) *A privilegio ſingulari*) Vicariatus jus eſſe annexum dignitati comitis Palatii, communi ore fatentur FREHER.

CAPUT V.

Reſpondetur ad ea, quibus videtur probari poſſe vicariatum non eſſe jus aliquod comitatui Palatino proprium.

Hactenus manifeſtum eſt a nobis factum, id quod primo loco demonſtrare inſtitueramus, vicariatum ab electorali dapiferatu eſſe quid plane diſtinctum, & olim nonniſi per accidens cum illo connexum, ſolubilem cæteroquin imo reapſe jam ab illo ſolutum. Ad alterum nunc pergendum, facta nimirum inquiſitione, an vicariatus ille proprio aliquo jure ad principatum Palatinum pertineat, an non; eſſe vicariatum Palatinæ terræ jus aliquod ſingulare, videtur eo indicari, quod multi ſunt functi hoc munere a Palatinatus principatus poſſeſſione plane alieni. Sic modo audivimus ex Burgund. Fridericum primum Italiam petentem, Henricum & Philippum filios vicarios in Germania reliquiſſe: a Ludovico item IV. cæſare Ottonem Auſtriæ ducem in Germania, in regno Arelatenſi Edoardum Angliæ regem, vicarios conſtitutos eſſe. Aliorum facta jam ſupra a memetipſo eſt mentio cap. 3. in reſp. ad argumentum primum. Plures in medium producere nihil attinet.

Verum enim vero non eſt, quod illa quidem objectio quenquam turbet. Obſervandum enim eſt, varia eſſe & fuiſſe quondam imperii vicarialia munera, de qualibus hic nulla eſt controverſia. Ipſe GEWOLDUS libro de ſeptemviratu imperii II. *tres recenſet claſſes* (a) vicariatuum, qui

orig. Palat. P. I. c. 16. & in notis ad Petr. de Andlo L. 2. c. 10. SPENER. proleg. oper. herald. §. 15. COCCEIUS juris publ. prud. c. 16. *§. 3. SCHWEDERUS introd. J. P. part. ſpec. ſect. 1. c. 33. OCKEL de principum imperii regali po ar. jure c. 2. §. 16. SCHURZFLEISCH diſſ. de vitricis eccleſia §. 10.* aliique multi.

(a) *Tres recenſet claſſes*) TöLNERUS *in hiſtor. Palat. c. 4. p. 120.* diſtinguit vicarios in *univerſales* ſeu totius imperii, & *particulares*, vel alicujus provinciæ. Ad illos refert Palatinum & Saxonem: ad hos Sabaudum, qui perpetuus Italiæ vicarius ſit conſtitutus, alioſque. Porro dividit eos vel in *ordinarios*, ut ſunt Palatinus & Saxo; vel in *extraordinarios* ſive temporales, ad quorum claſſem refert, qui ad certum tempus vicariatus officio imperatoris & ſtatuum conſenſu fungitur. Quod duplici ratione contingere poſſe, tradit. 1) Si ordinarius vicarius comes Palatii morte præventus, tales reliquerit filios, qui per ætatem patri in officio ſuccedere nondum potuerint. 2) Si imperatores in Italiam ultra Alpes profecturi, ut comites Palatii demigrationis ſocietatem peterent, efflagitarunt. Sed errat Tölnerus in eo, quod putet vicariatum comitibus Palatinis etiam neceſſario competere, ſi imperator tantum iter in Italiam ſuſcipiat. Ex mente enim aureæ bullæ id munus tantum eis competit, ſi imperium *vacet*. Probe autem jamtum ante Ludwigium obſervavit LIMNÆUS *in comment. ad A. B. cap. V. p. 334.* imperium vacare 1) quando careat capite i. e. quando illud morte ſublatum ſit, vel ſententia remotum, vel renunciatione munus depoſuerit, ut docent exempla Wenceslai & Caroli V. De his autem caſibus ſolum, ac potiſſimum mortis, hic loqui legislatorem, colligi ex verbis: *ut præmittitur.* Nempe in præmiſſis expreſſe tantum dictum fuit de vacantia, quæ ſit per mortem. Ratio autem admittit extenſionem ad ceteros etiam veræ vacantiæ caſus. Nec dici poteſt, abſente cæſare vacare imperium. Contrarium apparet ipſis imperatorum Caroli IV. aureæ bullæ conditoris, Wenceslai & Sigismundi exemplis, qui per longiſſimum temporis intervallum Pragæ extra Germaniam ſedem fixerunt, vicarioſque ſibi ſubſtituerunt Burggravios Noribergenſes, quibus in diplomate ea de poteſtate conceſſo data fuit: *Volle Gewalt und Macht, als der Kayſer ſelber in groſſen und kleinen des Reichs Sachen gemeiniglich und beſonders zu ſchaffen. LUDWIG ad A. B. Tit. V. §. 1. p. 504.* quibus caſibus nec Palatinum nec Saxonem quicquam moviſſe, docet. Porro imperatores ante A. B. deficientibus ſenſim imperialibus reditibus per imperium peregrinantes, in provinciis longe diſſitis pro lubitu vicarios conſtituiſſe, comprobat exempla. *Ludovici Bavari*, qui comitem Cliviæ terris Weſtfalicis vicarium dedit; imo, ut paullo altius aſcendamus, *Rudolphi Habsburgici*, qui comitem Cliviæ in ipſis ſuperioris inferiorisque Rheni provinciis adeoque in ipſius Palatini territorio vicarium imperii agere juſſit. TESCHENMACHER *annal. Cliviæ P. 2. p. 205.* Nec deſunt exempla, quæ docent, imperatores univerſo imperio germanico ad tempus profectionis ſuæ in exteras regiones vicarios præfeciſſe. Ita GOLDASTUS *de regno Bohemiæ Lib. 3. cap. 9.* recenſet, quoties reges Bohemiæ vicarii imperii generales conſtituti ſint. Imo regem Bohemiæ Johannem anno 1312. ſequenti titulo: *Nos Johannes Dei gratia Bohemiæ rex ſacri imperii citra montes vicarius generalis*, uſum eſſe, docet PETRUS BECKLER *in hiſtor. comit. Ruthen. p. 264.* & ex eo LUDWIG in tr. *de jure regis Bohemiæ p. 98.* Denique inſignis occurrit differentia inter vicarium cæſaris & imperii. Hi ſcilicet conſtituuntur ab ordinibus imperii, illi a ſolo cæſare: hi neminem agnoſcunt ſuperiorem, illi vero cæſarem: hi emolumenta, viventi imperatori competentia, ob par regendi onus in ſuos uſus convertunt: illi ab imperatore ſalarium tantum accipiunt & ad rationes reddendas ſunt obſtricti. Et quæ ſunt his ſimilia. Nec eſt, quod quenquam moveant exempla imperatorum, qui, quantumvis tantum iter longiuſculum in exteras provincias ſuſciperent, Palatinum & Saxonem vicarios imperii reliquerunt: quemadmodum Rudolphus II. Palatinus anno 1356. abſentis Caroli IV. imper. GOLDAST. *T. 2. p. 91. conſtitut.* & Ludovicus barbatus Ruperti imp. vicarii extiterunt. FREHERUS *ad Petr. de Andlo Lib.* 2. *c.* 10. Nam his caſibus penes imperatores ſolos ſtetit, quos ſibi ſubſtituere voluerint, & inſigni potiſſimum rerum patriarum notitiæ fideique, quæ apud Palatinos ſine dubio fuit, adſcribendum eſt, quod imperatores ex hac domo vicarios ſibi legerint. Quæ quoque cauſſa eſt, cur ſolus Palatinus vicarias cæſaris partes per totum imperium geſſerit: alias enim dimidium hujus poteſtatis Saxoni de jure competiiſſet. Contrariæ ſententiæ patroni provocant etiam ad diploma apud GOLDASTUM *T. II. P. 2. der Reichs-Satzungen, p.* 241. ubi expreſſe dicatur: *Wan das Reich vaciret, oder ein Ræmiſcher Kayſer oder Kænig über das Gebürge gezogen wære.* Sed reſpondet Ludwigius, privilegium iſtud referri debere ad duo alia diplomata Caroli IV. de anno 1375. & Maximiliani I. de anno 1518. quæ Carolus V. per tranſumtum, ut vocatur, confirmari curavit. Cum autem hoc apud Goldaſtum ſine anno & conſule occurrat, illud ſubleſtæ fidei ſpeciem præ ſe ferre videri. His accedere, quod imperator privilegium iſtud in exuberantem erga adfinem ſuum affectum indulgere potuerit, juſtæ poteſtatis limites tamen transgreſſus. Et ponamus indultum eſſe Palatino; conſuetudine tamen contraria iſti jam inde a temporibus Sigismundi derogatum eſt. Porro dicunt, Carolum V. cum fratrem ſuum Ferdinandum I. vicarium imperii conſtituiſſet, litteris reverſalibus electori Palatino proſpexiſſe, illud juribus illius nullo modo præjudicio futurum. Quæ reverſales etiam Saxoni datæ fuerint, ceu eas utraſque refert GOLDASTUS p. 243. *der Reichs-Satzungen ad ann.* 1521. *Daſs zwar der Kayſer einen Stadthalter und Regiment, ſeines Abweſens halber geſetzet hatte, welches aber dem Pfaltziſchen Vicariat ohne Nachtheil ſeyn ſolte.* Sed ſciendum, Carolum V. eo facilius reverſales haſce conceſſiſſe, quo magis animos ordinum imperii, cum tamdiu contra capitulationis ſanctionem imperio abeſſet, retineret, nec reprehenſionem incurreret. Quæ de Friderico V. quem Carolus Burgundiæ dux, ut ſe imperii vicarium

qui ſunt plane diſtincti ab illo, cujus ſit mentio in aurea bulla. Quo de nunc ſcilicet agitur *vicariatus*, eſt jus ſtatum & fixum, certæ ſive terræ ſive familiæ proprium, adminiſtrandi res imperii intra limites Germaniæ, cumprimis interregni tempore. Quale ſtatum *jus videtur ortum ſive lege ſive conſuetudine* (a) *ſeculo decimo tertio*, dum nutaret autem, confirmatum denuo lege publica per auream bullam, & poſtea ſingularibus tabulis a Carolo IV. imperatore ſeculo decimo quarto. Igitur *verum* quidem eſt, *non omnes promiſcue vicariatus fuiſſe a ſolis Palatinis comitibus adminiſtratos, cumprimis ante ſæculum decimum tertium.* Sed nihil hoc facit ad rem noſtram. Id vero erat probandum, poſt tempora Friderici II. quenquam principum ſtatum aliquod vicariale jus imperii, per interregna cumprimis iis in locis, quæ aurea bulla definit, aut exercuiſſe, aut etiam ſibi tribuiſſe, præter ſolos illos, quorum in poſſeſſione fuit comitatus Palatinus. Ad hoc probandum nihil omnino faciunt exempla, quæ objiciuntur; ac proinde nullius eſt ponderis iſthæc quidem argumentatio.

Præter tamen hanc collectionem equidem nihil video, quod poſſit ſaltem dubium reddi, num verum ſit, quod aſſeritur jus vicariale Palatino principatui eſſe proprium; itaque quam imbecillis ſit hac in re pars illud negantium, non obſcurum eſt. Fateor tamen, ſi non poſſit firmiter probari aſſertio affirmativa, eo ipſo parti neganti creſcere vires, atque adeo tandem ad negationem ſatis eſſe, ſi affirmatio careat fide & omni certitudine; quodcunque enim nulla certa fide nititur, fictitium eſt. Utque non ſit omnino fictitium, tamen inidoneum eſt, dare certum aliquod principium diſputandi. Et vero ſi deficiat probatio, quo demonſtretur, vicariatum, quo de agimus, eſſe Palatino principatui proprium, non poterit profecto hinc capi argumentum pro Palatina domo adverſus Bavaricam. Quapropter proximum eſt, uti videamus, num & quibus rationibus id poſſit aſtrui.

Caput VI.

Multis argumentis demonſtratur, vicariatum eſſe jus aliquod proprium comitatus Palatini.

Videtur vero hoc ipſum multis modis ſic ſatis firmiter probari poſſe.

1. Inter illa autem argumenta primum locum merito occupant verba aperta & clara aureæ Bullæ Caroli IV. Hæc enim A. B. *lex eſt imperii publica*, (b) & hodieque in ſumma apud omnes veneratione. Lata eſt jam ante hos trecentos circiter annos, in plenis comitiis imperii poſt maturas deliberationes non cæſaris duntaxat, *ſed etiam electorum*, (c) principum, comitum, nobilium, civitatum aliorumque, ac proinde non poteſt ejus quidquam *jure mutari*, (d) niſi cæſaris atque omnium imperii ordinum conſenſu & authoritate, qua ſcilicet omnis illa aurea Bulla eſt lata & conſtituta. Verba vero aureæ illius conſtitutionis C. V. hæc ſunt: *Quotiens inſuper ut præmittitur, ſacrum vacare continget imperium, illuſtris Comes Palatinus Rheni, ſacri imperii archidapifer ad manus futuri regis Roman. in partibus Rheni & Sueviæ, & in jure Franconico, ratione principatus ſeu comitatus Palatini privilegio eſſe debet proviſor ipſius imperii.* Hoc loco diſerte utique aſſeritur, vicariale munus competere comiti Palatino Rheni, *ratione principatus* ſeu *comitatus Palatini privilegio.* Non poteſt profecto apertius aliis verbis aſſeri, omni illud vicariale jus dependere per ſe, & proxime ab ipſo comitatu Palatino, atque adeo eſſe prærogativum jus terræ Palatinæ, nec quiſquam temere per trecentos annos verba iſta aliter eſt interpretatus. Mirabor hominem, qui vel tentaverit, unum aliquem producere, qui ſecus fuerit interpretatus. Produci enim non poſſe quenquam, certum eſt. De ſenſu itaque iſthoc verborum nefas quidem eſt dubitare. Obſervandum vero, in lege non dici, quod in poſterum demum hoc eſſe *privilegium*, (e) ſed ſimul haud obſcure indicari, jam tum ante ita obtinuiſſe & denuo conſtitui, impoſterum hoc jus Palatini comitatus eſſe debere. Si prius illud hoc loco ſignificatur, utique apparet, jus illud antiquum terræ illius niti teſtimonio omni exceptione majore. Quæ valeat enim exceptio contra teſtimonium cæſaris & omnium imperii ordinum, in plenis comitiis de re non obſoleta jam aut perantiqua, ſed tali, quæ in omni præſentium ordinum notitia eſſe potuit? Utique enim non potuit temere quenquam eorum latere, an tale jus antehac fuiſſet

crearet, rogavit, proferuntur, vide apud LUDWIGIUM l. c.

(a) *Conſuetudine*) Vide *den kurtzen Bericht von dem der Churfürſtl. Pfaltz zuſtehenden Vicariat p. 8.*

(b) *Lex eſt imperii publica*) Auream bullam a Wenceslao imp. pro lege imperii publica habitam eſſe, ſupra auctoritate Lambecii aſſeruimus. Hic tantum moneo, Carolum V. imp. in diplomate, quo geſta Ludovici Palatini tempore vicariatus poſt obitum Maximiliani I. ſuſcepti, confirmat, itidem auream bullam pro ſanctione legitima agnoſcere, his verbis: Nachdem durch Abgang des genanten Kayſer Maximiliani, unſers lieben Herrn, und Annherren löblicher Gedæchtniſs, bis wir zum Rœmiſchen Kœnig erwehlt, und nachfolgends von derſelbigen Zeit an, bis wir in das heilig Römiſch Reich teutſcher Nation kommen, die Verwaltung des Reichs, *nach Vermœg und Ausweiſung der güldnen Bullen, auch andrer ſeiner ererbten*, herbrachten, confirmirten, *beſtetigten Gerechtigkeiten, Privilegien und Freyheiten*, die wir ſamt den Reichs-Stænden geſehen und hœren leſen, ihme als unſer und deſſelbigen Vicarien gebüret und zuſtehet - - - Als haben wir - - - des gemelten Pfaltzgrafe Ludwigen Churfurſten ziemliche billige Bitt angeſehen, und haben die Aufrichtung, Beſetzung und Haltung ſeines Vicariat-Hof-Gerichts - - - - confirmirt, ratificirt und beſtætiget &c. Integrum documentum vide in appendice des kurtzen Berichts von der Pfaltziſchen Vicariat-Gerechtigkeit ſub lit. Z.

(c) *Sed etiam electorum*) Plenam ſanctionis hujus pragmaticæ hiſtoriam, & quæ contra eam moveri poſſent, vide apud LUDWIGIUM *in præfatione, Tomo II. commentarii ſui in A. B.* præmiſſa.

(d) *Jure mutari*) Mutato reipublicæ ſtatu, leges mutari debent, cum non ſit reſpublica propter leges, ſed leges propter rempublicam. Et ſane multa, quæ in aurea bulla continentur, vel conſuetudine contraria abrogata, vel per ſubſequentes capitulationes immutata eſſe, conſtat. Vide BRUNNEMANNI Diſſ. *de aurea bulla mutatione.*

(e) *Privilegium*) Vide TÖLNERUM *in hiſtor. Palat. cap. 4. p. 116.*

fuiſſet terræ Palatinæ, nec ne. Eſto autem non hanc fuiſſe legis mentem, ſufficit, ſi ita tunc demum ſit conſtitutum. Nihil ad rem facit, citius an tum demum jus illud Palatinæ terræ cœperit. Conſtitutum certe ita tum eſſe, ut ſaltem impoſterum hoc ſit primarium jus Palatinæ terræ, nemo poterit negare, niſi velit vim verbis facere, ut nec quiſquam intra fere trecentos annos hactenus id negavit. Si ita vero tum eſt in plenis comitiis inſtitutum, nec deinde vel comitiorum decreto vel conſuetudine ante motus Bohemicos mutatum, manifeſtum eſt, jus illud ad motus iſtos utique integrum manſiſſe. Mutationem autem nullam vel factam vel etiam tentatam eſſe, paulo poſt demonſtrabitur.

2. Præter legem illam auream ſunt & alia reſcripta imperatorum, quibus hoc jus Palatinæ terræ vindicatur. Et quidem *ſecundo* loco merentur huc referri ea verba, quibus eſt uſus Rupertus imperator in diplomate, quo filio Ludovico vicariale munus contulit. Illa quidem jam tum cap. IV. lit. D. ſunt adducta, & jam hic tamen denuo legi commerentur. *Advertentes, a divis Romanis imperatoribus & regibus prædeceſſoribus noſtris hactenus extitiſſe obſervatum, ac etiam de jure comitatus Palatinatus Rheni fuiſſe & eſſe, quod cum Romanus imperator ultra montes Italiam ingreſſus fuerit, in ipſius abſentia vicariatum imperii, in Germania, Gallia & regno Arelatenſi ad comitem Palatinum Rheni pertinuiſſe & pertinere.* Senſus verborum non minus eſt apertus, quam illorum, quæ ex aurea Bulla ſunt producta. Iterum vero hic unice venit obſervandum, quum collatio illa vicariatus in filium Ludovicum facta ſit a patre Ruperto imperatore, maturo conſilio & conſenſu omnium imperii ordinum atque etiam Bavariæ ducum, ut habetur in illis tabulis, indubie in deliberationibus Palatini illius juris momenta ſimul fuiſſe expenſa, ac proinde quod hic legitur, merito accipi poſſe tanquam teſtimonium non unius imperatoris, ſed comitiorum imperii: quod fidei utique eſt maximæ. Obſervandum itidem, teſtimonium hoc publicum eſſe, jam antiquius ducentis quinquaginta annis, ſimul vero non multum recentius aurea bulla, ut proinde poſſit haberi ceu verborum aureæ bullæ nova quædam publica interpretatio & declaratio.

Verba aliorum imperatorum, quibus adſcribunt hoc jus Palatinis principibus, non ſimul diſerte aſſerentes, hoc jus competere illis *ratione* principatus, paulo poſt producentur. Succedunt ergo tertio loco verba principum electorum, ante hos ducentos ferme annos ſcripta, atque adeo & ipſa vel ſola ſua vetuſtate veneranda. Sunt autem & illa quidem jam tum ante ex parte producta, meretur vero momentum iterum hic repeti atque expendi. Igitur Friderico victorioſo anno 1469. imperii vicarium cis Alpes ſeſe ferenti, inter alia hiſce verbis reſpondit Trevirenſis archiepiſcopus & elector Joannes. Was Ew. Libd. und das Fürſtenthumb der Pfaltzgraffſchafft Gnade und Freyheit hat, daſs Wir Uch deſſen von gutem Hertzen wohl günnen, wolten auch ungern Uch daran Abbruch thun. Vid. App. G.

Adhuc apertius ſenſentiam illam expreſſit eodem tempore, in ſuis ad Fridericum illum literis, Rupertus archiepiſcopus Colonienſis & elector. Als Uw. Lieb Uns hat zugeſchrieben und Abſchrifft Uwer Freyheit, damit Uwer Vorfahren ſeel. Gedæchtnuſſe, von læbl. Gedæchtnuſſe Rœm. Kœnigen und Keyſern verſehen ſyn, und inſonderheit von Keyſer Carlen, deſshalben, wann ein Rœm. Kœnig oder Kayſer auff jenſeit der Gebirge wehre, daſs alsdann ein *Pfaltzgraff* zur Zeit gemeiner Vicari des Heyl. Reichs ſyn, und Sich deſs in übungen und Titul annehmen und gebrauchen ſolte, darumb Uwer Lieb Sich deſs als ein *Pfaltzgraffe* zu dieſer Zeit ahngenommen habe.

In literis Trevirenſibus lit. H. hiſce utique iterum diſerte vicariatus adſcribitur dem Fürſtenthumb der Pfaltzgraffſchafft *Principatus Palatinatus.* In literis vero Colonienſibus vicarium agere dicitur Fridericus als ein Pfaltzgraff, h. e. *jure comitatus Palatini.*

Id porro inter omnes conſtat, & nemini non eſt notum, ſaltem paulo doctiori, omne id, quod alicui competit ſoli, id per ſe illi convenire, non vero per accidens. Si ſoli itaque Palatino comiti vicariale jus competit, non poteſt non illud ultimum quaſi ipſi eſſe & maxime proprium. Atque adeo non poteſt non ipſi per ſe competere, & *in quantum eſt comes Palatinus*, ſive *ratione principatus*, aut *comitatus Palatini*, jam vero ſoli Palatino illum vicariatum competere, ſaltem per trecentos annos (*tempora enim priora* (a) non moramur, quod nihil noſtra interſit, vicariale illud jus antiquius ſit aurea bulla, an cum illa incœperit) omnes cæſares, omneſque imperii ordines, ut & alii peritiores teſtati ſunt.

1. *Primum* enim utique illorum permulti jus hoc ſimpliciter tribuerunt comitibus Palatinis, nulla adjecta mentione electoralis dignitatis. Quando vero ſimpliciter quicquam de re aliqua pronunciatur, ſimul innuitur quidquam, quod rei illi *ſoli* competat. Ne agam actum, non repetam, quæ ſuperius Cap. IV. jam tum allata ſunt. Adduximus vero ibi in argumento primo verba ipſiusmet Ludovici IV. cæſaris ex teſtimonio Joannis Cuſpiniani, Maximiliani autem primi ex ipſis tabulis authenticis: in argumento ſexto verba electorum ex ſeculo decimo quinto. In octavo denique verba authoris antiquiſſimi ordinationis imperii & Petri de Andlo. Sunt autem illa dicta pauca duntaxat producta, etſi ingens poſſit eorum numerus facile exhiberi, quoniam laborare in talibus congerendis nulla urgeat neceſſitas.

Et vero ſufficit attendere ad illa omnia dicta, quibus tribuitur comiti Palatino vicariatus dignitas, etſi ſimul mentio fiat electoris tituli. Etenim *ſecundo* etiam illa dicta ſunt teſtimonia juris, ſoli Palatino competentis, & ſi minus ſunt perſpicua. In univerſum enim, quiſquis dicit vicaria-

(a) *Tempora priora)* De his vide FREHERUM & TÖLNERUM *locis ſæpe citatis.*

cariatum Palatinis competere, ex adverſo nemini illum alii tribuit, is teſtatur, ſolis Palatinis jus hoc eſſe proprium. Horum vero teſtimoniorum per trecentos amplius annos numerus eſt innumerus. Nec enim quisquam ſive cæſarum, ſive principum, ſive aliorum, verba fecit de Vicariatu illo, niſi ſimul teſtatus ſit, illum in poſſeſſione eſſe Palatinorum comitum. Ut proinde Vicariatum eſſe proprium jus Palatini comitatus, conſtet trecentorum annorum univerſali ac perpetuo teſtimonio, id quod merito poteſt eſſe pro *quarto* argumento.

At hoc ſoli utique, Palatini comites, ſaltem a tempore conditæ Bullæ aureæ, Vicariatum adminiſtrarunt, nec adminiſtrarunt duntaxat, ſed etiam aperte præ ſe tulerunt, hoc ſibi juris eſſe *ratione principatus* ſive privilegio Palatini comitatus, nec quisquam mortalium contradixit. Fuit itaque comitatus Palatinus ſaltem per trecentos circiter annos in quieta poſſeſſione vel quaſi juris Vicarialis. Et tanto temporis intervallo ab univerſo imperio jus hoc comitatui Palatino fuit ultro & libenter attributum, præeunte publica imperii lege, quam hodieque habet Bulla aurea. Si omnia alia itaque deeſſent juris teſtimonia, *tantum temporis*, (a) imo longe minus ſufficeret comitatui Palatino, ad jus vicariale ſibi aſſerendum. Ammonitarum regi quondam ſic reſpondit Jephte: *Cum habitaret Iſrael in Hesbon & in villis ejus & in omnibus civitatibus, quæ ſunt juxta terminos Arnon trecentis annis, cur non eripuiſtis in tempore illo?* Merito ad eundem modum comitatus Palatinus dixerit: cum jus vicariale tenuerim per trecentos annos citra controverſiam, qua fronte mihi quis jam demum moleſtus eſt ſuper ejus poſſeſſione? Cur nemo ante contradixit? Et vero etiam ſi initio bona fides defuiſſet, tamen cum illi, quorum forte interfuit, ſuum jus ne verbulo quidem urſerint tanto temporis intervallo, ac proinde pridem dereliquerint, ſi quid habuerunt juris, ſola illa quieta poſſeſſio, profecto jus illud dediſſe potuit & ſtabiliviſſe. Non deeſt vero optima fides: utpote cum Palatino comitatui lege publica imperii, jam ante trecentos annos ſive primo conceſſa ſive confirmata, (perinde enim nobis eſt) ſit, & poſt omni tempore ab omnibus cæſaribus & imperii Ordinibus ſit tributa illa vicarialis prærogativa.

Jam vero dudum ante auream Bullam conditam, tempore interregni, Palatini comites Vicariatu functi ſunt. AVENTINUS Hiſtoricus Bavarus *l. 7. Annalium Bavaric.* ubi egiſſet de obitu Rudolphi Habſpurgici Romanorum regis, ſcribit: *Solet in Germania*, (b) *quamdiu orbato Capite, Præfectus Prætorio Rheni, Duxque Bavariæ interrex eſſe, atque imperii munia obire. Ludovicus dum hujusmodi dignitati defungens apud Rhenum diverſabatur. Filius ejus in Bavaria degebat, atque ut Auguſtani Vicini ſui, Cives Sacerdotes Epiſcopus, ſe atque Parentem ſuum tanquam Interreges reciperent, atque imperata diligenter facerent, imperabat. Id Auguſtenſes detrectant.* Idem teſtatur MARTINUS CRUSIUS *l. 3. Annal. Suevic.* In germanico Aventini codice lib. 7. tit. „Wie König Rudolph ſtarb &c., „Ita legitur: In dem Jahr 1290. da Hertzog Heinrich ſtarb, ſtarb auch König Rudolph fünff Mo„nath und eilff Tag hernach, da er ſeinen Sohn Hertzog Albrechten aus Oeſterreich an das Reich „wolt gebracht haben, und darumb alſo das Reich ohne König und Keyſer, ſo iſt der Pfaltzgraff „am Rhein des Heyl. Reichs Vicari.„ Jam tum itaque fuit Vicariatus interregnum juris Palatini. Nec vero id verbis Palatini tantum diſcere eſt, verum etiam elucet ultro ex facto ipſo Ludovici, utpote qui vicarium illud munus nullo prætextu potuiſſet rege extincto aggredi, niſi jam tum jure aliquo fuiſſet ſuffultus.

Agnitum porro fuiſſe hoc Palatinum jus jam ante auream Bullam, liquido utique apparet ex ſanctione Ludovici IV. Cæſaris, Sereniſſimæ Bavaricæ familiæ primi autoris: prout quidem illius ſummam recitat Joannes Cuſpinianus. Nec enim forte ſupereſt hodie ipſum cæſaris edictum. Et vero Goldaſtus tale quid producit quidem vol. 5. Conſtitut. Imper. pag. 411. eſt autem confictum, illaudabili facinore Goldaſti, tamen ſic ſatis familiari, ex verbis Cuſpiniani, quod Goldaſtus itidem diſſimulavit. Verba cæſaris *ex Cuſpiniano* (c) jam ſupra adduximus: hoc loco merentur illa cumprimis attendi: *Longa & approbata conſuetudine, inconcuſſe a Majorum ordinatione retro hactenus obſervata, vacante imperio jus adminiſtrandi imperii, jura, feuda conferendi & negotia cætera diſponendi Palatino Rheni debetur, non obſtante Clementina paſtoralis.* Non me latet, a nonnullis jactatum, non cæſaris illa, ſed Cuſpiniani verba eſſe: cum tamen ſuæ ſuſpicionis nulla attulerint hactenus idonea argumenta, non eſt, quod nos illam multum moremur: præſertim cum & Aventinus l. 7. edictum ejusdem Cæſaris adverſus Joannem XXII. papam referat hiſce inter alia verbis: *Ubi res ad interregnum redit, penes ſe ſummam eſſe poteſtatem comminiſcitur, munus Præfecti Prætorio Rheni regali Bojorum intercipere atque in ſe transferre conatus.* Quo dicto idem aſſeritur, quod memoravit Cuſpinianus. Noluiſſe ſane videri Cuſpinianum, de ſuo quicquam adjeciſſe, patet ex hiſce verbis, quæ ſubnectit: *Hæc atque multa alia in hanc ſententiam pro imperio firmando, promulgavit Ludovicus imperator.*

Superat porro hodieque *libellus antiquiſſimus*, (d) certe auream Bullam vetuſtate ſuperans, *Ordinatio*

(a) *Tantum temporis*) De præſcriptione inter perſonas illuſtres & integras gentes, alibi fuſius actum eſt.

(b) *Solet in Germania*) Quæ Bavari contra hunc Aventini locum regerunt, vide in dem kurtzen Gegen-Bedencken &c. 1614. p. 23. 24.

(c) *Ex Cuſpiniano*) Bavari in *deductione* jamjam *citata* putant, Cuſpinianum hic tantum ea referre, quæ in aurea bulla de vicariatu palatino poſtea ſancita ſunt; ipſam vero conſtitutionem Ludovici nunquam vidiſſe: falſitatis quoque notam in eo occurrere, quod vicarium ſaxonicum dicto loco omittat. Sed jam tum ſupra monitum, ante auream bullam longe aliam vicarialis dignitatis fuiſſe faciem, quam hodie eſt, & vicariatum palatinum ex multorum ſententia per univerſam Germaniam extenſum omnes cauſſas civiles curaſſe, executione tantum Saxoni relicta. Qua cum rariſſime admodum opus eſſet, factum ut vicariatus palatini κατ᾽ ἐξοχὴν quaſi mentio ſola plerumque fieret.

(d) *Libellus antiquiſſimus*) Quæ auctor *des Bayerſchen kurtzen Gegen-Berichts* p. 15. contra hunc locum monet, ignorantiam plane redolent. Aperte enim confundit comitem palatinum Rheni, qui ſupremus ſemper in imperio

dinatio imperii inſcriptus; in quo hæc legas jam tum laudata: *Quod ſi Regem deficere contigerit, comes Palatinus habeat ſemper ex officio pro rebus & neceſſitatibus regni facere.* Haud ignoro nonnullos haud dubitaſſe hæc verba accipere de comitibus Palatinis, quales olim habuerunt *omnes Germaniæ regiones.* (a) Verum de comite Palatino Rheni ſermonem eſſe, ſole clarius eſt meridiano, utpote cum eadem ordinatio hæc etiam habeat: *Quod comes Palatinus, ſi regiam Majeſtatem ſive in exercitu, ſive aliter extra regnum agere contingat, ex officio in regno locum tenens eſſe debet, omniaque facere, quæ rex ipſe poſſet, ſi præſens eſſet.* Nec enim hæc utique verba poſſunt intelligi, niſi de ſolo Palatino Rheni comite: ac proinde loquuntur de eodem & reliqua illa.

Sed & vetat nos dubitare de antiquitate Palatini vicariatus, ipſemet Carolus IV. illis tabulis, quibus confirmavit jus vicarium illud, quod habet comes Palatinus rege extra Germaniam abſente. Ex tabulis iſtis, quas appendix G. integras exhibet, hæc cumprimis ſunt digna, quæ hoc loco expendantur: „Wann die Pfaltzgraffen beym Rhein die Churfürſten ſeyn, von Römiſ. „Keyſern und König ſolch Würdigkeit und Freyheit von alten und langen Zeiten gehabt haben, „und noch haben ſollen: Wann Römiſch Keyſer und König über Berg gezogen ſeyn, oder ziehen, „das Sie dann gemeine Vicarien des Reichs hie diſſeite geweſt ſeyn und ſeyn ſollen, darum haben „Wir &c.„ Et vero jam anno quinquageſimo quinto ſeculi illius, adeoque ante auream Bullam conditam, Carolo in Italia abſente, Vicariatu reapſe functus eſt in Germania Rupertus Palatinus, ceu liquet ex duobus Caroli ipſius inſcriptis, quæ in appendice I. K. exhibentur.

Poteſt porro ex *Speculo juris Suevici* (b) aliquid depromi in teſtimonium illius antiquitatis: Per enim eſt veroſimile, conſcriptum illud eſſe ſtatim initio decimi quarti ſeculi, certe ante Ludovicum Bavarum imperatorem. Extat vero in ſpeculo iſthoc teſtimonium illuſtre Vicariatus Palatini. Sed quoniam controverſa eſt ætas illius ſpeculatoris, & revera Palatini juris non interſit, num cum aurea Bulla incœperit nec ne, non eſt quod de illo teſtimonio multum laboremus.

Ad ultimum vero, id cumprimis ad rem facit, quod etſi Bavaricos principes minime latuerit, aurea Bulla conſtitutum Vicariatum eſſe jus proprium comitatus Palatini, ut & Palatinos principes ſibi ſolis, tanquam jus aliquod præcipuum, Vicariatum vindicare, per trecentos annos tamen nemo Bavaricorum principum illam & aureæ Bullæ & Palatinorum principum ſententiam fecerit controverſam. Et vero illi de electorali quidem dignitate dudum cum Palatinis contenderunt, non dubitantes aperte inſimulare auream Bullam hac in re iniquitatis: at ſuper vicariatu de aurea Bulla haud fuere conqueſti unquam. Primum ſane anno 14. ſeculi hujus auctor des Gegenberichts von dem *Chur-Pfaltziſchen Vicariat* auſus eſt jus illud Palatinum admordere. Verum auctor ille nec ſuum nec typographi, nec loci, ubi libellum edidit, nomen auſus fuit prodere: & jus illud non niſi morſu petiit, timide & pene clanculum. GEWOLDUS audacior nomen quidem ſuum non diſſimulavit, impugnavit quoque acriter electorale Palatinum jus, Vicariatum tamen itidem non niſi admordere & vellicare conatus eſt. In libro ſane *de Septemviratu*, quo animi ſententiam apertiſſime profeſſus eſt, Vicariatum Palatinum ne quidem verbulo impugnat: tantum originem ejus voluit ab aurea Bulla arceſſere, ſaltem ut aliqua noceret Palatinæ Domui, mortuus ſcilicet, niſi aliqua nocuiſſet. Ejus exemplum reliqui fere omnes Bavarici ἀντιῤῥητικοὶ ſunt ſecuti: electorale Palatinorum jus contenti nimirum oppugnaſſe, *Vicariale aggredi* (c) refugerunt, niſi quod amplitudinem illius juris reſtringere vel indubium vocare, (quo de hodie non eſt controverſia) ſtuduerint. NICOLAUS BURGUNDUS libro, quo acerrime contra Palatinos pro electoratu Bavarico contendit, pag. 190. *Nolo*, inquit, *in ingentem me labyrinthum mittere & de Vicariatu diſputare.* Labyrinthi inſtar habere viſum eſt viro perſpicaciſſimo jus vicariale Palatini comitatus, cui tuto emetiendo Bavaria non habeat filum aliquod Ariadneum aut quenquam Theſeum, qui ſcilicet fulgentiſſimam veritatem poſſit illa felicitate tollere e medio, qua Theſeus quondam Minotaurum. Intra haſce minutas autem aggreſſiones ſtetit fere Bavaricorum ſcriptorum in Vicariatum Palatinum impetus: ipſimet ſereniſſimi duces etiam illo loco, ubi de electoratu calide contenderunt, de Vicariatu ſiluerunt altiſſime, imo vero etiam anno ſeculi hujus duodecimo, nihil

judex exſtitit, cum comitibus palatinis provincialibus, quorum poteſtas, ut ſupra monui, admodum exigua erat, & intra certæ cujusdam regionis limites continebatur. Quis autem his unquam vicariatum tempore vacantis imperii attribuit? quid quod illi vicario palatino tum ſubjecti fuerint, & rerum ſuarum rationes eidem ut vicecæſari reddere debuerint.

(a) *Omnes Germaniæ regiones*) Vide TÖLNERUM in *hiſt. palat. c. 4.*

(b) *Speculo juris Suevici*) De notiſſimis illis ſpeculis vide librum auctoris *de origine juris Germanici*, & quæ nos ad eum commentati ſumus. Auctor des Bayerſchen kurtzen Gegen-Berichts p. 6. Speculi Suevici fidem plane infringere conatur, & ad teſtimonium SIMONIS SCHARDII provocat. Sed licet nec nos omnimodam huic privatæ conſuetudinum germanicarum compilationi fidem habeamus, ſi tamen alia adſint teſtimonia & res ex genuina ſua origine deduci poſſit, ejusmodi ſpeculatoris teſtimonium omnino ſententiam magis firmat.

(c) *Vicariale aggredi*) Poſtquam lites de vicariatu inter ſereniſſimam domum palatinam & Bavaricam agitatæ fuerunt, plures hoc argumentum ſcriptis publicis & diſputationibus illuſtrarunt, inter quos ſunt: JOH. THEODOR. SPRENGER *de vicariatu S. R. I. an. 1665.* JOH. VOLCK. BECHMANN *diſſ. de vicariatu imperii noſtri Romano-Germanici.* Jenæ 1666. JUST. SINOLD. SCHUZ. *diſſ. de vicariis imperii horumque poteſtate*, quæ Nucleo juris publici Gieſſenſis inſerta eſt. HENR. CHRIST. a GRIESHEIM *diſcurſus hiſtorico-politicus nobiliſſimam vicariatus materiam exhibens.* 1621. qui in confutando Rumelino totus eſt. JOACH. NERGER *de vicariis Rom. Germ. imperii* Wittenb. 1657. SCHILTERUS *de vicariis imperii.* WERNHER *de juribus vicariorum in A. B. non expreſſis*, & ejusd. diſſ. altera: *de juribus eorum in A. B. expreſſis*, GRIEBNER *de juribus vicariorum imperii dubiis*, &c.

nihil aliud objectum fuit a ſereniſſimo duce Bavaro, quam *Bavariam eſſe extra limites Palatini* (a) Vicariatus: jus illud Palatinæ domui haud competere, ne quidem verbulo dux ſignificavit. Ut proinde vere dixeris, ſaltem per trecentos circiter annos, ne quidem a Bavaris jus vicariale Palatino comitatui controverſum eſſe redditum. Si ipſi autem Bavari fateantur, Vicariatus eſt jus Palatinum, neceſſario fatendum quoque ipſis venit, Dapiferatum eſſe plane diverſum quid a Vicariatu, utpote ut cum jam tum illi pro ſe tulerint, & aperte eſſe juris ducatus Bavariæ ac dependere a ducatu illo. Quum unum autem dependet a principatu Bavariæ, alterum a principatu Palatino, illa plane utique ſunt reapſe ſeparata ac diviſa.

Caput VII.

Concluditur diſputatio pro Palatino & tota controverſia denique ad judicium competens, rejicitur.

Ex iis, quæ hactenus attulimus, liquido apparent duo illa, quæ demonſtranda accepimus: nempe *primo* Vicariatum nec per ſe, nec lege quadam poſitiva, electorali Dapiferatui inſolubili vinculo connexum eſſe: *Secundo* Vicariatum eſſe jus aliquod Palatino comitatui proprium jam ab aliquot centum annis. Proximum nunc eſt, ut perſpecta liquido rei veritate, quotquot juſtitiam amant, faveant Palatinæ cauſæ, & ſereniſſimæ illius domus hæc jura pro virili tueantur. Hoc ſane ut æquum eſt & juſtum, ita & imperio eſt ſalutare, cum primis autem DEO acceptum vindici juſtitiæ, propter injuſtitiam vero transferenti imperia de gente in gentem. Ac me quidem habet certa pene ſpes, fore ut rectiora edocti etiam illi, qui hactenus ſecus cenſuerunt, ultro ſint Palatinæ cauſæ acceſſuri: nec dubito controverſia ad conditores inſtrumenti pacis ut judices competentes delata, ſecundum Palatinos judicatum iri.

Appendix

continens varias tabulas & literas cæſarum & principum, ad quarum teſtimonium eſt provocatum.

A.

Wie unſer gnædigſter Herr Pfaltzgrafe die Kænigl. Majeſtat erſuchet hat, in Schrifften des Vicariats halben &c.

Allerdurchleuchtigſter Fürſt, Römiſcher König, Allergnädigſter Herr, Ew. Königl. Majeſtæt ſeindt myn gehorſamb willig Dienſt allzeit zuvor, Allergnadigſter Herr, Ew. Majeſtæt, als meinem gnädigſten Herren, gib ich in unterthanigkeit zu erkennen, wie mich kürtzlich angelangt, daſs etlich by Ewer Majeſtæt arbeiten und anſuchung thun ſollen, ſo Ew. Majeſt. uber Gebirg, als Sie in willen iſt, zöge, Sie zu gemeinem Vicarien oder Stadthalter hie diſſeit zu machen und hinder jhr zu verlaſſen, deſs ich mich doch gentzlich, dem ſundern und hohen vertrawen nach, ſo ich mich meiner willig und getrewen Dienſt halben, zu Ewer Majeſtæt billigen vertröſt, mit nichten verſehe, daſs denſelben des ſtatt geben, oder zugelaſſen werde. *Wan Ew. Königl. Majeſtat iſt hievor, und ſonderlich uff dem nechſtgehaltenen Tag zu Wormbs mentlich, auch durch trefflich und hohe ſchrifftlich Urkundt genugſamblich bericht, wie myn Vor-Eltern mit jhrem blutvergieſſen das Vicariat erworben, des begnadt und verſehen, auch herbracht, und zu etlichen Zyten, ſo von Ew. Majeſtat Vorfahren in jhrem uberziehen andern befehls, geſchehen, iſt das nutöglich erkand, und eines Pfaltzgraffen handel mit Urtheil und Recht von Ew. May. Vorfahren kräfftig geſprochen, als ohnzweiffelich Ew. Majeſtat noch wohl indechtig*, darzu iſt uff demſelben Tag von mir das mit offentlicher proteſtation und verſehung vorbehalten, zu dem daſs ſolich und alle myn privilegia und Freyheit von Ew. Majeſtæt genadiglich beſtatt und confirmirt ſin.

Demnach bitt ich Ew. Königl. Majeſtæt dienſtlichs Vleiſs, ob etwas an den Dingen wehre, oder Ew. Majeſtæt nachmahls deſshalben durch jemandt angeſtrengt würdt, Ew. Majeſtæt wohl in betrachtung myner Dienſten, auch myner Gerechtigkeit, Genaden, Freyheit, Poſſes und der billigkeit, auch gnädiger Zuſagung nach, mich darin nit verhindern, inſonderheit auch, daſs myn Privilegia und anders vermögen, daſs mich Römiſche Kayſer und König dabey laſſen und behalten ſollen, mich an demſelben durch niemandt verhindern noch einigen intrag thun, Commiſs oder befehle darwider uſsgehen, daſs denſelben mynen Freyheiten abbrüchlich ooder verletzung bringen mögte, ſunder des Vicariats an Enden als mir zuſtehet, mit ſin Ehren, Würden und Zieren gebruchen laſſen, und darzu gnedig handthabe thun, will ich mich auch, mit der hülff Gottes, myner Vnderthan und andern dermaſſen halten und erzeigen, daſs in zyt myner verweſung, ſo viel mir möglich iſt, alle ding zum beſten verſehen werden ſollen, als ich mich deſs zu Ew. Majeſtæt gäntzlich vertröſten underthäniglich verſehen, und mit myn willigen

Dien-

Vors andere aber muſs dahin gearbeitet werden, damit der Unterthanen Gemühter, abſonderlich an denen Orten da eine revolte zu befürchten, gewonnen, jedoch darbey der Churfürſtliche reſpect erhalten werde. Beydes kan man erlangen, einmal wenn denen Unterthanen zur Ungebühr *nichts wird aufgebürtet*, (b) und der lieben juſtitz ihr freyer Lauff gelaſſen wird, nemlich durch rechtmæſſige Beſtraffung wird ein jeglicher in ſchuldiger Gebühr gehalten, achte auch dannenhero, daſs ſo wol in Preuſſen als an den Cleviſchen abſonderlich, weil allda die Unterthanen ziemlich aus den Schrancken treten, eine *ſeveritat zu gebrauchen*, (c) jedoch nur in privatis delictis ſingulorum, dann in publicis multorum man der Schærffe *gelindere Mittel* (d) vorziehen muſs. Wo auch der reſpect und Gerechtigkeiten gefallen, müſſen dieſelbe, jedoch ſenſim und nicht auf einmal oder mit einer vehements, hinwieder redreſſiret werden, welches durch verſtændige Diener allerſeits ohnſchwer ſtehet zu repariren, zumalen ihnen daſſelbe in geheim ernſtlich wird anbefohlen, wie man denn auch in geheim eines jeglichen Orts Gebrechen am allerbeſten kan erkundigen und gute Anſtalt pro rei cujusque ſtatu & conditione machen, und iſt dieſe Vorſehenheit am allermeiſten nöhtig in denen Cleviſchen und Preuſsiſchen Lændern, abſonderlich in jenen. In denen Marckiſchen, Halberſtædiſchen und Mindiſchen iſt wenige pericul, und dannenhero einer ſo groſſen circumſpection nicht vonnœhten. So müſſen auch abſonderlich in den Cleviſchen die Gemüter hinwieder beſænftiget werden, weil dieſelben am allermeiſten disjuſtiret, und an keinem Orte leichter ein Aufſtand zu befürchten. An andern Oertern hat man dieſes remedium nicht ebenfals ſo überaus groſs nœhtig, jedoch weil an der Liebe der Unterthanen gegen ihre Herren viel gelegen, maſſen man ſich derſelben nützlich kan gebrauchen in Fried und Krieges Zeiten, abſonderlich derſelben von nœhten hat in Unfried, welchen wir uns tæglich müſſen befürchten, alſo muſs man auch in denen andern Lændern dahin ſehen, wie der Unterthanen Lieb und Treu mœge aufgemundert und hinwieder zur Ruhe gebracht werden. Dieſes alles, wie zuvor erwehnet, kan ohnſchwer geſchehen durch Handhabung der lieben juſtitz, und denn vornemlich durch Einziehung der onerum iniquorum vel quæ poſſunt videri valde gravia. Erachte dannenhero erſprieſslich zu ſeyn, daſs woferne mœglich die Cleviſchen der contribution und Krieges-Laſt gæntzlich, übrigen Lænder aber auffs wenigſte mehrentheils, entfreyet werden. Insgemein aber allen ſo den Gerichten beywohnen, oder ſonſten die Æmter verwalten, durch ein ſcharffes offentliches edict, nam hoc incurrit in oculos, & quid peccatur, culpa omnis in miniſtrum derivtaur, wære anzubefehlen, einen jeden bey Recht und Gerechtigkeiten zu ſchützen und zur Ungebühr keinen zu beſchweren, bey vermeidung hœchſter Ungnade und ſchwerer Straffe, da auch einer ſolte betreten werden, daſs alsdenn derſelbe exemplariter beſtraffet würde. Hisce ſane remediis ad animos ſubditorum conciliandos nihil eſt melius aut efficacius.

Vors dritte iſt bekand, quod *nervus rerum gerendarum* (e) ſit pecunia, nicht weniger iſt bewuſt, was für ein Mangel ſich befinde, wie auch die Æmter allerſeits ruiniret und hingegen der *ſtatus aula alles conſumire*, (f) welches gewiſs zur hœchſten disreputation I. C. D. und zu deſſen vilipendentz bey allen benachbarten, abſonderlich denen, ſo derſelben nicht allerdings gewogen, hinaus ſchlüge, ſolte dieſen nicht geholffen werden, ſehe ich warlich kein Mittel, nicht allein zur Erhœhung des verfallenen, ſondern auch zur Erhaltung des annoch in etwas beſtehenden eſtats. Meines geringen Erachtens ſtehet dennoch auch dieſen zu helffen, da man nur gutem Rath will folgen, zumal bekand, daſs einmal durch eine gute menage ein groſſes redreſſiret kan werden, ſo

(a) *Durch eigene Mittel*) Eo jam Auguſtisſimi Boruſſorum regis res ſunt loco, ut non tam aliorum, quam alii ejus indigeant fœdere.

(b) *Nichts vvird aufgebürdet*) Vehementius nihil ſubditorum animos ab obſequio, quo principi adſtricti ſunt, abſtrahit, quam nimiæ exactiones. Credunt enim, has cum pacto, quod ſibi cum principe intercedit, ſtare non poſſe, quoniam vi pacti illius princeps ſubditis tutelam & conſervationem debet, quam cum nimio tributorum onere ſtare non poſſe, ſibi perſuaſum habent; quanquam domeſtica & inteſtina arma ſemper in odio eſſe debeant, ob reipublicæ utilitatem & ſalutem, & *optimi imperantes expetendi, qualescunque ferendi.* Et optimus eſt civis, qui præſente rerum ſtatu eſt contentus.

(c) *Severitat zu gebrauchen*) Nam exempla ſunt adhibenda, ut unius poena metus ſit multorum, quo poenæ genere ceteri deterrere posſint, GROTIUS de *I. B. & P. lib. 2. cap. 20. §. 9.*

(d) *Gelindere Mittel*) Sed & hic aliquando ſeveritas adhibenda, quando nimirum hoc reipublicæ ſtatus requirit. Et ſi criminum autores detegi nequeant, ſorte inter delinquentes contendi debet, quinam puniendi ſint.

(e) *Nervus rerum gerendarum*) Rex Pruſſiæ, ſi quis unquam, hoc nervo abundat.

(f) *Status aula alles conſumire*) Perutile & admodum ſalutare eſt, quod Pruſſiæ rex otioſorum aulicorum, qui fruges tantum conſumere nati, numerum valde imminuerit. Quidni in aulæ ſplendorem viri ſago & toga illuſtres, & ad ſervitia principis haud ita vilia pueri & juvenes nobiles, in ſcholis civilibus officia palatina aut militaribus ad militaria educti, officia adhiberi poſſunt, unde multis ſumtibus in nutrimenta & luxum otioſorum iſtorum hominum & ſervorum agmina impendendis parci poſſet.

ſo kan man auch an vielen Orten denen Æmtern ***und andern intraden*** (a) unter die Arme auf vielfæltige Manier greiffen. Meine Gedancken in dieſem Fall ſpeciatim der Længe nach anzuführen, erachte ich unnœhtig, bin dennoch des unterthænigſten Erbietens auch dieſelbe zu entdecken, da es ſolte erfodert werden.

Da mit dieſen eigenen Mitteln I. C. D. wird wol ausgerüſtet ſeyn, hat Sie fremder Hülffe um ſo viel weniger von nœhten, kan aber auch dieſelbe jedesmal viel eher bemæchtiget ſeyn, weil ihr reſpect grœſſer, und andern ihre Hülffe lieber einem, der ſelber mæchtig und hinwieder ihnen kan gutes erzeigen, ***als einem ſchwachen*** (b) mittheilen, deſſen ungeachtet iſt einmal gewiſs und auſſer allen Zweiffel, daſs fremde Freundſchafft nicht auszuſchlagen, zumalen kein Potentat ſo mæchtig iſt der keine Freundſchafft ſolte bedürffen und bloſs für ſich ſelbſt beſtehen kœnnen. Wird dannenhero, ſo viel immer müglich, mit allen benachbarten, ja auch auswertigen Kronen, ***Spanien***, (c) Franckreich, Dennemarck, Schweden, Polen, den Niederlændern gute correſpondentz gepflogen werden, zumalen ſolches nicht alleine verhindert, viele feindſelige Anſchlæge ſo leicht erwachſen kœnnen, ſondern auch bey vielen eine Furcht erreget, bevorab ein ander nicht eben weiſs, wohin jedesmal eine correſpondentz iſt gemeinet. Mœchte wünſchen, daſs mit ***Pfaltz-Neuburg*** (d) kœnne gleichfalls hinwieder gute auffrichtige Freundſchafft geſtifftet, und alle ſuſpicion aus dem Wege geræumet werden, weil ja beyde Hæuſſer communem cauſam müſſen ***contra tertium*** (e) führen, und da ſie uneins, leichtlich der tertius ihnen beyderſeits kœnne beſchwerlich fallen, zu geſchweigen, daſs ohne Hinwiederbringung guter auffrichtiger Freundſchafft man im Cleviſchen nimmer wird ſicher ſeyn kœnnen, und immerzu Volck auff die Beine muſs gehalten werden, worzu groſſe ſpeſen werden requiriret mit der Unterthanen hœchſten Beſchwerung und Unwillen.

Mit Rœmiſcher ***Kayſerl. Majeſtat***, (f) wie auch Kœnigl. Majeſt. in Polen, muſs abſonderlich wegen vieler Urſachen gute Freundſchafft gepflogen werden, jedoch circumſpectione magna erit opus, damit nicht bey andern, bevorab der Kron Schweden, hiedurch keine unzeitige jalouſie werde gereget, welches ſonſten ſehr gefæhrliche conſequentien würde abgeben, daneben ſcheinet faſt eine næhere Correſpondentz wolle von nœhten ſeyn mit dem geſamten Churfürſtlichen Collegio, jedoch nur ad conſervanda jura electoralia, quoniam cauſa eſt communis, und kan I. C. D. allein a part in dieſer Sachen nichts ausrichten, da auch allbereits bey den Niederlændiſchen Staaten nicht unbekand, daſs dieſelbe contra quemvis tertium I. C. D. bey der poſſeſſion der Cleviſchen Lænder wollen ſchützen, ſcheinet eine ſolche Alliantz hœchſt nœtig zu ſeyn, damit nicht ein unverhofftes Unglück kœnne allda erwachſen. Eine weitere confœderation iſt meines erachtens jetziger Zeit nicht zu rahten, weil ja die mehrentheils Lænder ohne alle dergleichen Verbündniſsen kœnnen manutenirt werden.

Die grœſſeſte Gefahr iſt nunmehr zwar in Preuſſen und Hinter-Pommern zu befahren, allem Anſehen nach aber will eine confœderation deren Lænder conſervation vielmehr ſchædlich als zutræglich ſeyn, bevorab weil dadurch die Kron Schweden leichtlich kœnte in die Waffen gebracht werden wider Brandenburg, welches, im Betracht die Marck offen ***und Preuſſen dem Liefland ſo nahe lieget***, (g) zur æuſſerſten ruin leichtlich kœnte hinaus ſchlagen, ſo findet ſich auch keiner, mit dem Behuf

(a) *Und andern intraden*) Vid. GEORGII OBRECHTI *fünff unterſchiedliche ſecreta politica von Anſtellung, Erhaltung und Vermehrung guter policey, und von billiger rechtmaſſiger und nothwendiger Erhebunge eines jeden Regenten jæhrlichen Gefællen und Einkommen*, item BESOLDI *diſcurſus politicus de ærario publico*, quibus addi poſſunt, quæ de hoc argumento SCHROTERVS commentatus eſt.

(b) *Als einen ſchwachen*) Interim tamen & debilibus foedera non ſunt deneganda; nam homo homini in auxilium natus eſt. Attamen leges foederis tunc ita ſcribendæ, ne debilis nos pro lubitu ſecum in periculum pertrahere queat. Meliora foedera, ſi electioni commodo eſſe poſſit locus, ſunt cum æqualibus, nam quæ cum potentioribus ineuntur, non raro aliquid ſervitutis adjunctum habere ſolent. Et PHÆDRVS: *Raro*, inquit, *eſt fidelis cum potente ſocietas*.

(c) *Spanien*) Hujus ut rationem habeat Pruſſiæ rex, cum Belgium ipſi non amplius pareat, non magni intereſt: niſi dixeris, poſſe Pruſſiæ regi Hiſpanorum auxilia tam terreſtria, quam maritima valde eſſe utilia. Sed cui ignotum eſt, quam lente omnia penes Hiſpanos procedant. Exemplo etiam eſſe poſſunt ſubſidia pecuniaria, quæ ex pacto domui Brandenburgicæ ob ſuppeditatum militem in bello Gallico debebantur. Vide LVNIGII *ſyllogen negotiorum publicorum*. Magis neceſſum eſt, ut amicitiam cum Gallo colat, quatenus ſcilicet illud per leges & rationem imperii licet. Poteſt enim Gallus haud difficulter ex locis, quæ non ita remota habet, in terras Cliviacas & Marcanas impetum facere & inde ulterius ſerpere. Brandenburgorum foedera cum Danis frequentiora ſunt, quam cum Suecis, & erant illa eo tempore, ubi Suecorum res adhuc validiores eſſent, propemodum neceſſaria. Rebus potiſſimum evangelicis conſultum erit, ſi Pruſſus cum Anglo, Sueco, Dano & Belgio unito, arctiore foedere ſit junctus, & illi æque ac uniti Belgæ, ſi forte a Gallis invadantur, per mare quoque Gallicas aggredientes provincias auxilio eſſe poſſunt. Poloniæ omnino magnam rationem Pruſſiæ rex habere debet, quoniam Marchia & Pruſſia ab illo latere nullis propugnaculis munitæ Polonorum numeroſiſſimo pariter & velociſſimo exercitui pateant; niſi dixeris, *fortiſſimum Prutenecum militem ubique validiſſimorum munimentorum rationem habere poſſe*. Quod autem ad amicitiam Belgicam attinet, nemo eſt præter Belgas tam Auſtriacos, quam unitos, qui utiliora ei adverſus Gallos ſuppeditare poterit auxilia, & nemo etiam, qui magis ei in ducatu Cliviæ, nec non Marcano & Meurſiano comitatu ob propinquitatem, nocere poterit.

(d) *Pfaltz-Neuburg*) Controverſiæ, quæ jam inter Pruſſiæ regem & domum Neoburgicum de ſucceſſione in Juliaco ducatu vigent, notæ ſunt.

(e) *Contra tertium*) Per hunc Saxo intelligitur; ſed lites cum eo ſopitæ ſunt.

(f) *Kayſerl. Majeſtat*) Eſt enim hic imperii caput & multarum terrarum dominus. In imperio autem præter cæſarem & palatinam domum Brandenburgicis maxime utilia erunt foedera cum auguſtiſſima domo Brunſvicenſi, Saxonica, Haſſiaca & epiſcopo Monaſterienſi, ob terrarum, quibus imperant, cum provinciis Brandenburgicis nexum.

(g) *Und Preuſſen dem Liefland ſo nahe lieget*) Quæ olim

Behuef Preuſſen, könte ein confœderation gemachet werden, auſſerhalb Polen, weil Dennemarck ſich nicht darf regen, und andere Potentaten gar zu weit abgelegen; Mit Polen aber in eine neue Alliantz zu treten, iſt eben ſo viel als der Kron Schweden einen offenbaren Krieg ankündigen. Solte ja eine confœderation wollen von nöhten ſeyn, etwa nach geendeten Reichs-Tage des Rœmiſchen Reichs, will es die Zeit geben, und ſtehet alsdenn zur weitern deliberation.

Inzwiſchen iſt höchlich zu wünſchen, daſs der Allerhœchſte I. C. D. wolte mit einem jungen Erben beſeligen, bevorab, weil dadurch der reſpect I. C. D. um ein groſſes würde geſtærcket werden. Liberi ſiquidem ſunt robora domus, orbitas autem ipſos potentiſſimos Principes reddit contemtos, & rerum novarum eſt magnum incitamentum.

Hermanni Conringii conſilium de maris mediterranei dominio & commerciis regi chriſtianiſſimo vindicandis.

Inter ea, quæ magnum chriſtianiſſimi regis potentiæ incrementum conciliare, aditumque ad majora parare ſunt idonea, haud temere prius aliquid reperire fortaſſe fuerit, mediterranei maris, ſi non omni potiſſima tamen ex parte, *imperio*. (a) Enimvero ita comparatæ res ſunt, ut reapſe

ſuadebant, ne Suecis belli occaſio præberetur, hodie ad Ruſſos ſpectant, quippe qui Livonia potiuntur; cum his igitur merito amicitia excolenda, & foedera, ad minimum defenſiva, ſunt ineunda. Commodam horum ante omnes Pruſſorum rex experietur operam, ſi a Polonis forte bello aliquando impetatur.

(a) *Imperio*) De mari libero & clauſo nota ſunt inter Grotium & Seldenum certamina. GROTIUS mare pro integro ſumtum a dominio, vel ſi mavis cum SCHURZFLEISCHIO *in diſſertatione de maris ſervitute* ab imperio vacuum: SELDENUS vero, ei obnoxium eſſe, contendit. Seldeni argumenta breviter examinat *STYPMAN de jure maritimo c. IV. p. 45. ſeqq.* & contra eum, quatenus Gallorum juribus maritimis derogare videtur, diſputat MORISOTTUS *l. c. c. 18.* Sed multa ibi ſunt Moriſotti, quæ cenſuram merentur. Eſt quoque inter ejus Antagoniſtas PONTANUS *in diſcuſſionibus hiſtoricis lib. II. c. 1 & 2. p. 165. ſeqq.* ubi ſoli Numini dominium in univerſum vindicat mare: Ut verum fatear, non credo, unquam Seldeno in mentem veniſſe, gentem aliquam, aut Anglos aut aliam re ipſa univerſo imperaſſe mari aut imperare poſſe: Sed ipſi haud dubie tantum viſum, ſicut maris partes occupari poſſint a pluribus, ita etiam univerſum ab uno, ita ut natura maris pro integro ſumti, univerſali illi imperio non repugnet. Et puto, quæ ALBERICUS GENTILIS *in Hiſpanica advocatia lib. 1. c. 8. p. 33.* habet, floſculum ſapere rhetoricum; inquit enim ibi: *Et vides, quam protendatur regis noſtri imperium longe in meridiem, ſeptentrionem in occaſum. Et Hiberniæ meridionalia terminantur ad Hiſpaniam occidua ad Hiſpaniæ regna Indica. Et ſic eſt immenſum lata juriſdictio regis noſtri marina.* Vide *PONTANUM lib. 1. diſcuſſion. hiſtor. c. 14.* Huc ſpectat nummus Lutetiæ Pariſiorum 1672. cuſus, lunam & æquor in Angliæ repræſentationem referens, addito lemmate: *Mihi ſoli obtemperat æquor. La vie de Ruyter p. 461.* Quod autem una gens univerſo non poſſit imperare mari, licet partes ejus per regum, quorum territoria alluit, claſſes nondum eſſent occupatæ, ex eo conſtat, quod unius gentis vires ad id non ſufficiant, & ineptum ſit, aliquid occupare velle, cujus non ſum capax. Partes autem oceani, qui territoria, quæ alluit, multis numeris magnitudine ſuperat, a ſingulis occupari poſſe, imo quaſdam earum occupatas eſſe nullum, per ea, quæ a Seldeno allata ſunt, habet dubium. Atque hanc quoque eſſe mentem Pontani, regi Daniæ ob Norwegiam jus aliquod in ſeptentrionali vindicanti mari, ex eo patet, quod aſſerat, *nec liberum eſſe mare omne, nec etiam claudi quodcunque aut omne poſſe.* Nec ab hac ſententia STYPMANNUS abludit p. 57. Adde *SELDENUM lib. 1. de mari clauſo. c. XVII. MORISOTTUM in orbe maritimo c. XIX. XX. XXI. lib. II.* De fretis, æſtuariis, ſinibus & maribus particularibus, quæ pro partibus territoriorum, a quibus includuntur, & quibus minora ſunt, quod in dominio & ſub imperio eſſe queant, res minus habet dubii, in quo & Grotium aſſentientem habemus. Atque conſtanti per tot ſecula hoc obſervatum eſſe praxi, annalium fide & actis publicis conſtat. Confer STYPMANNUM *l. c. c. 6. SELDENUM lib. 1. c. 8. 9. ſeqq. VASQVIVS & GRASWINCKELIUS quodammodo in maris liberi* adverſus PETRVM BAPTISTAM BVRGVM *vindiciis*, in diverſa abeunt. Alibi monui, Graswinckelii themata, quæ Burgo opponit, non ubique ſatis ſtringere, & optandum fuiſſet, ut rectius controverſiæ ſtatum formaſſet. In illo tamen cum Graswinckelio coincidere, quod nulla gens, ab eo, qui maris habet imperium, a navigatione excludi poſſit, niſi pacta adſint aut aliæ urgentes cauſæ, cum libertas illa navigandi merito ad innoxiam ſit referenda utilitatem. Vid. *MORISOTTVS in orbe maritimo p. 464. GRASWINCKEL l. c. p. 46. 47. 196.* Idem tamen de piſcatione non eſſe ſtatuendum, alibi docui. Imo & licitum eſſe ei, penes quem maris ejusmodi eſt imperium, vectigalia a navigantibus exigere, cum illud bellicis navibus a prædonibus maritimis tutum reddere debeat. Cæterum imperium illud marinum complectitur facultatem, 1) jura maritima conſtituendi, 2) juriſdictionem maritimam exercendi, 3) claſſibus mare adverſus piratas defendendi, 4) vectigalia exigendi, 5) a piſcatione exteris prohibendi, & ſi quæ ſunt alia minoris momenti, a GRASWINCKELIO p. 4. allata. MORISOTTVS *l. c. p. 456.* Et hæc ſunt, quæ Veneti in mari Adriatico exercere allaborant. Dominium illius ſibi adſcribere, & rationes dominii illius a domino JOANNE AVGVSTO de BERGER docte refutari, alibi monitum eſt. Nos argumentorum, quæ in FRANCISCI DE INGENUIS *epiſtola de juriſdictione ſereniſſimæ reipublicæ Venetæ in mare Adriaticum*, & in CIRILLI MICHAELIS libello, qui inſcribitur: *L'articolo delle ragioni del dominio, che ha la Sereniſſima republica di Venetia ſopra il ſuo Golfo per il jus belli.* Urgent autem Veneti 1) præſcriptionem, Vid. AMELOT. de LA HOUSSAIE *dans l'hiſtoire du Gouvernement de Veniſe tom. I. p. 265.* Ad hoc profligandum argumentum non eſt neceſſum, ut cum GROTIO *c. 7. de mari libero* aſſeramus, maris naturam a præſcriptione abhorrere; aut præſcriptionem inter liberas gentes non habere etiam locum, quoniam ex mente ejus tale mare, quale eſt Adriaticum, poſſit eſſe in dominio, quidni præſcriptioni quoque ſubeſſet, & *de jure belli & pacis lib. 2. c. 4.* doceat, aliqualem præſcriptionem eſſe juris gentium: Verum multa alia ſunt, quæ illud evertunt; poſſeſſio enim illa, quam Veneti tantopere urgent, non fuit continua, ſed ſæpiſſime tam naturaliter, quam civiliter interrupta, quod ex annalibus facillimo negotio probari poterit; deinde juſtus deerit titulus; quem aliqui etiam in vetuſtate ſive præſcriptione juris gentium requirunt. Donatio enim Alexandri III. ob victoriam a Friderici Barbaroſſæ filio Ottone in mari reportatam ipſis pontificibus & Venetis ultra vulgi ingenia ſapientibus irriſioni fuit. Vid AMELOT. *l. c. p. 267.* Fabula quoque eſt, quod de victoria illa & Ottonis filii Friderici Barba-

reapſe idem fere ſit maris dominatus potiri, atque ſummam aliquam vim in proximas mari terras obtinere. Quod ipſum proinde olim Græciæ fuit perſuaſiſſimum. Quorum ſententiæ accedens Pompejus

roſſæ captivitate recentiores referunt ſcriptores; porro tabulæ donationis illius authenticæ nunquam in lucem prodiere; & ſi quæ facta eſſet, irrita tamen fuiſſet; cum papæ rem ad ſe non ſpectantem donare non potuerint. Eadem laborat imbecillitate, quod aliqui de patientia tradunt, eam loco tituli eſſe. Quod ſi enim hoc locum habere deberet, ut Dalmatiæ duces ſciviſſent oporteret, Venetos animum habuiſſe maris Adriatici imperium occupandi, & nihil moviſſent: nam non ſequitur, hi mare aliquod claſſibus obſident illudque a prædonibus maritimis tutum reddunt, igitur de dominio ejus occupando ſunt ſolliciti; exemplo hic ſint Hollandi & Angli, qui mari mediterraneo non raro claſſes intulerunt, ad diſpellendos prædones maritimos citra animum tamen acquirendi dominii. Talis itaque patientia, quam qualificatam appellare liceat, ducum Dalmatiæ a Venetis probanda eſſet. Unde alii ad victoriæ titulum, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram, traduntque non juris illius, ſed ceremoniæ tantum deſponſationis, quæ quotannis per Venetorum ducem in feſto aſcenſionis fit, papam autorem eſſe, atque eo referunt verba Papæ, quæ Venetorum duci Sebaſtiano Ziani locutus dicitur: *hunc annulum accipe, & me autore ipſum mare obnoxium tibi reddito, quod tu, tuique ſucceſſores, quotannis ſtatuto die ſervabitis.* *CIRILLUS MICHAEL l.c.* hæc paulo aliter refert; ait enim l. c. papam deſponſationis ſolennitatem inſtituentem addidiſſe: *ut omnes intelligant, maris poſſeſſionem JURE BELLI VESTRO deberi imperio.* Quod autem ad jus illud belli attinet, AMELOT DE LA HOUSSAIE *l. c.* inquit, Venetos mare Adriaticum a Narantinis, Normannis & Genuenſibus liberaſſe: Verum tales victoriæ Venetis maris illius dominium dare non potuerunt; conſtat enim, mare quoad navigationem ſimpliciter ſumtam omnibus gentibus eſſe liberum, licetque unicuique, ob jus defenſionis, eos, qui illam impedire, aut navigantes invadere & laceſcere audent, propellere æque ac quis in via publica, quæ ad dominum territorialem ſpectat, ſe defendere poteſt. Propterea autem maris illius, unde eos, qui illud intutum reddebant, ejecit, non fit dominus; ſicut ille, qui iter ſibi tutum a latronibus reddit, illius territorii, in quo hoc fit, obinde non fit dominus. Aliter ſe res haberet, ſi Veneti cum Dalmatiæ ducibus aut Hungariæ regibus, illo ducatu auctioribus bellum geſſiſſent, hique in eo bello ita inferiores fuiſſent, ut expreſſe aut tacite illo jure deceſſiſſent, aut ex æquitate decedere debuiſſent, cum tanta Venetis illata fuiſſet læſio, ut amiſſo illius maris dominio penſari debuiſſet, cum duces Dalmatiæ de damno accepto ipſis aliter ſatisfacere noluiſſent; ſed tale quid inter Dalmatiæ duces & Venetos contigiſſe, nunquam probabitur. Agitabant quidem Veneti anno 1615. Adriaticum occupare mare; ſed rem ipſis non ex voto ceſſiſſe, docet BERGER *poſit. 59. 60.* & ad NANIVM, VASSORIVM, LONDORPIVM alioſque ut teſtes provocat. Porro novi, receptum eſſe dogma, gentium moribus neminem id, quod hoſti eripuit, teneri ei, cujus antea fuit, reſtituere: Verum hoc aliqui ita intellectum volunt, quando hoſti noſtro adverſus priorem, quem illa re privaverat, juſta fuit belli cauſa aut ſaltim probabilis, vel ſi nos aliter ab eo id, quod nobis debetur, conſequi non poſſemus, tunc hoc a jure gentium diſſimulari, quod alii ereptum ob colliſionem philautiæ & ſocialitatis. Sed quomodocunque hæ ſeſe habeant interpretationes, id certum, rigorem illum moris gentium naturali æquitati repugnare, & haud dubie ab irrationabili non procul abeſſe conſuetudine, & ſic juſtum, id eſt cum fundamento æquitatis ad transferendum dominium habilem non poſſe præbere titulum. Nec omittendum hic, quod incertum maxime ſit, an gentes, quas Veneti mari eliminarunt Adriatico, unquam animo volverint, dominio illius maris potiundi; ſed illi maximam partem tantum prædæ inhiabant; quod autem ne quidem affectarunt, ab eis ad Venetos transferri non potuit, & ſic, quæ de belli titulo proferuntur, omni plane deſtituuntur fundamento. Id ſaltim adhuc monendum puto, ſi Veneti non tam proprii commodi cauſa illos, qui piraticam in illo mari exercebunt, & commercia infeſtabunt, eo ejeciſſent, ſed illud ut negotiorum geſtores Dalmatiæ ducum feciſſent, in tantum ſumtus repetere, non autem reges illos, ipſo maris Adriatici dominio privare potuiſſent. Quod reliquum, ſunt qui etiam in præſcriptione juris gentium bonam fidem requirunt, eumque, ſi juſtus abeſt titulus, probandam eſſe dicunt. Venetis autem, Adriaticum mare ad Dalmatiæ reges ſpectare, ignotum eſſe non potuit. Provocant 2) ad JCtorum & hiſtoricorum agmen: Sed hi aut ſufficienti rerum notitia deſtituuntur, aut recentioris ſunt ævi ſcriptores domeſtici, & ſuſpectæ fidei. Dicunt 3) Venetos occupaſſe mare Adriaticum, cum per aliquot tempus ab imperatoribus Conſtantinopolitanis fuerit derelictum, de tempore autem occupati maris Adriatici accurate non conſtare, cum archivum, in quo conſignationes & documenta fuerint, anno MCCXXX. combuſtum ſit: Verum mare hoc non potuit pro derelicto haberi, quod ad illos, quorum territoria alluit, ſpectabat; nec minus annalium quoque fides hic Venetis deeſt. Et ſi quid forte aliquando in mare Adriaticum obtinuiſſent, ei tamen per pactum cum Ludovico Hungariæ rege initum plane renunciarunt. Diploma apud BERGERVM *p. 41.* legitur, liceatque illud hic adſcribere: *Joannes Delfino D. G. Dux Venetorum &c. Rex pacificus Jeſus Chriſtus. Cum inter Ludovicum, Hungariæ Regem, & nos ac commune (DIE GEMEIND) Venetiarum multa diſcordia & derotationes fuerint occaſione Dalmatiæ. Nos, qui cum regno Hungariæ pacem optavimus, in pacem devenimus hoc modo. Videlicet renunciamus in manibus regis toti Dalmatiæ a medietate Guarnarii ad confines Duratii, omnibus civitatibus, terris, caſtris, inſulis, portubus & juribus, quæ habuiſſemus & tenuiſſemus in eisdem quoquo modo, & ſpecialiter civitatibus, Nona, Jadra, Sardona, Sibenici, Tragurii, Spalati, & Raguſii, in Terra Firma exiſtentibus, item civitatibus, & terris abjacentibus, videlicet, Cheſſo, Veglia, Arbopago, Brachia, Leſina, Curſula, cum inſulis earundem, cum omnibus pertinentiis, utilitatibus, uti conſueveramus, & totum ipſorum jus (Maris etiam Adriatici Dominium) & dominium & proprietatem, quod habuiſſemus in ipſum regem & ſucceſſores ſuos, ſponte, deliberate & cum maturitate transferentes, renunciantes inſuper omni actioni & legis beneficio, quibus poſſemus contra prædicta nos juvare, Præſtito juramento corporali. A. 1358. indict. II. die dominic. 25. Febr. feliciter. Amen.* 4) Vectigalia a Venetis in mari illo exigi; id autem nonniſi a maris domino fieri poſſe: Verum multa fiunt, quæ fieri non deberent, & magna eſt differentia inter actus legitimos & uſurpationes; deinde vectigalium exactio in mari non ſemper imperii ejus ſignum eſt; nam accedere poteſt, ut ille, ad cujus dominium mare ſpectat, ad purgandum illud a piraticam exercentibus, aliorum indigeat opera, iisque ut in navatæ operæ præmium aut ejus partem a navigantibus vectigal exigant, permittere poteſt; imo ipſi opem ferentes abſque juris illius conceſſione a navigantibus ob tutelam, quam ipſis præſtant, juxta æquitatis regulas aliquid exigere poſſunt. Venit hodie ejusmodi vectigal ſub nomine des Convoye Geldes. 5) *Navigantibus Venetorum claſſes adverſus prædones maritimos ſuppetias tuliſſe.* Verum ab eo, quod homo homini juxta naturæ dictamina debet, ad dominium non recte concluditur. 6) Nec minus *Venetos Dalmatiæ regno præſto fuiſſe.* Sed hoc, notante BERGERO, multum habet dubii, porro iniquiſſimum omnino eſſet, ſi in alicujus venirem auxilium, ut ipſum deinde reculis ab alterius invaſionibus ſervatis privarem. 7) In concilio generali anno MCCLXXIV. a Leone Papa celebrato pontificis legato *Neneſano Abbati*, de libera Anconitarum navigatione monenti, reſponſum eſſe: *Iniquum eſſe, Venetos, qui mare tutum redderent in poſſeſſione ſua legitima turbari:* Sed incompetens plane in hac controverſia judex eſt pontifex, ut alia, quæ circa hoc concilium & ejus placita monet *Dom. de BERGER*, taceam. 8) Æquitatis lege ad Venetos ſpectare *mare, quod a Saracenorum deprædationibus liberaſſent.* Sed hoc non in Dalmatici ducatus, ſed ſuam utilitatem fece-

pejus, teſte Cicerone, cenſuit. Qui mare teneat eum neceſſe eſſe rerum potiri. Quanquam hic videatur latius juſto extendiſſe ſpem, & nimis ampla ſibi ex maris imperio promiſiſſe. Utut autem Pompejus erraverit nonnihil, id tamen certum, reverentiam ſaltim & metum omnium mari adjacentium regionum gentiumque penes maris imperatorem eſſe, & cum beneficiis tum vi in obſequium aliquod

runt, ut ſcilicet tuta ſuorum eſſet navigatio, ex quo autem non conſequitur, igitur eis maris illius debetur imperium; ſic & & hominem homini in auxilium natum eſſe, jam ſupra monui. 9) *A Venetis ſupremum maris Adriatici eligi præfectum*, quod certiſſimum maritimi imperii ſignum eſſe debeat; Aſt hoc merito Venetorum uſurpationibus accenſendum eſt, nec talia, quæ privato eorum auſu fiunt, aliorum juribus noxia eſſe poſſunt; quo merito etiam referunt, quod Adriaticum mare ex populari errore *Golfo di Venetia* vocetur. 10) Adeſſe documenta, quod *omnes maris Adriatici accolæ libertatem navigandi a Venetis impetraverint:* Verum libertatem navigandi nec ab eo, cui maris dominium debetur, impediri poſſe, ſupra docui, niſi quis pactis hanc ſuam libertatem reſtringi paſſus ſit. Nonnunquam ab uſurpatoribus libertas quædam impetrari debet, quoniam armis & claſſibus valent: Inde tamen ad dominii recognitionem commode argumentari non poſſumus. Et licet nonnulli Venetorum in mari Adriatico dominium recognoviſſent: Illud tamen Dalmatiæ ducum juribus nullatenus noxium eſſe potuiſſet. Sed pergunt Veneticæ cauſæ patroni. 11) *Adeſſe breve Urbani VI. Lucæ ad Antonium Venierum* ann. 1388. exaratum, in quo ei gratias agit, quod triremibus ſuis, quæ mari Adriatico a præſidio eſſe ſolent, MARIAM Hungariæ reginam, ex caſtro novo, in quo captiva detinebatur, liberaverit, atque hæc duo etiam gratulatoria carmina, quorum unum *Mariæ*, alterum *Sigismundo* regi, poſtmodum imperatori marito ejus, inſcriptum oſtendere. Aſt vero maxime ſimile eſt, breve illud pontificium eſſe fictitium; nam dubium admodum eſt, an Maria unquam in caſtro novo captiva fuerit, cum in contrarium potius conſtet, eam in cuſtodia a JOANNE HERWARTO, Croatiæ propræfecto detentam, a Sigismundo libertati eſſe reſtitutam. Et ponamus, papales literas ad Venetorum ducem non eſſe ſuppoſititias, quis inde colligeret, pontificem maris Adriatici tribuere imperium? Conſtat enim, & Anglos & Hollandos in mari mediterraneo præſidiarias habuiſſe naves; quis tamen eis inde illius maris tribueret dominium? Imo licet pontifici animus fuiſſet, Venetis affectatum illud adſcribendi dominium; Dalmatiæ tamen ducibus nihil inde decedere potuiſſet juris, cum penes papam, etiam juxta ſaniorum ex iis, qui romanæ religionis ſequuntur dogmata, ſententiam, talium rerum non ſit arbitrium. Quod ad carmina illa attinet, eorum vix habebit rationem, cui *poëtarum fingendi licentia* non eſt ignota; deinde carminum illorum apud autores fide dignos non ſit mentio. 12) A Venetorum republica *Rudolphum Salenſem* comitem; *Uladislai* Neapolitanorum regis, & *Guilielmi* Auſtriæ archiducis nomine petiiſſe, *ut ſoror dicti regis nominato archiduci in ſponſam per mare Adriaticum adduceretur*, eisque precibus rempublicam locum dediſſe, ea tamen ſub lege, ut in naves nullus aut Venetus proſcriptus, aut ſceleris capitalis in rempublicam admiſſi reus reciperetur. Sed de hoc comitatu, eumque a Venetis precibus impetratum eſſe, genuini non tradunt autores, ad eos vero, qui Venetorum domeſtici, utpote patriæ plus juſto ſtudioſos, provocari nequit. Sic &, licet quæ allata ſunt, a veritate non eſſent aliena: Attamen Hungariæ regum, ut Dalmatiæ ducum juribus nihil inde decederet, cum nec ad Uladislaum Neapolitanum, nec ad Guilielmum Auſtriæ ducem Hungariæ regnum ſpectaret; Uladislaus quidem Hungariæ regnum affectavit, ſed ex eo a Sigismundo iterum fuit expulſus, qui Venetos nunquam maris Adriatici ſalutavit dominos. Vide BERGERVM *poſit. LXXXIV*. Porro falſum haud dubie eſſet, ſi quid hiſtoria ex vero haberet, quod Uladislaus & Guilielmus comitatum a Venetis, ob agnitionem dominii maris Adriatici, quod hi ſibi vindicant, petiiſſent, ſed id tantum obinde factum, ut *Johanna* eo ſecurius ad ſponſum ſuum deferri poſſet. Rem exemplo illuſtrabimus. Imperatrix ELISABETHA Caroli VI. digniſſima conjux ab unita claſſe, cui *Leakius* Anglicus thalaſſus imperabat, ex italico littore in Cataloniam eſt deducta: quis inde conſecutionis filum necteret, igitur Angli & Hollandi maris mediterranei gaudent dominio? 13) Cum Hiſpani ſua claſſe regis Hungariæ *Ferdinandi ſponſam ab urbe Neapoli usque ad Tergeſte ducere* conſtituiſſent, & hunc ob finem liberum tranſitum peterent, *Venetos reſpondiſſe, rempublicam nullis navibus liberam navigationem in mari Adriatico concedere*, ſeſeque ipſos ſponſam omni honoris genere cultam per Adriaticum ducturos mare; quod ſi vero Hiſpani aliquid vi tentare conarentur, ſe vim oppoſituros, ad tuendum maris Adriatici dominium: Sed ex hoc nihil aliud colligi poteſt, quam quid Veneti auſi ſint, non autem quid juſte facere potuerint. Addit BERGERUS, tam Ferdinandum II. quam III. haud dubie jus ſuum in mare Adriaticum vindicaſſe, niſi bellis cum Bohemis & proteſtantibus in Germania impliciti fuiſſent? 14) Fridericum III. (IV) a Venetis, epiſtolis anno 1478, 1479. exaratis precatum eſſe, ut concederent, quo frumentum ex Apulia per mare Adriaticum transmittere poſſet: Verum Fridericus regnum Hungariæ & ei conjunctam Dalmatiam in poſſeſſione non habuit. Operam quidem dabat Fridericus, ut Hungarica adipiſceretur ſceptra, ſed Mathias Corvinus obicem ipſi poſuit. Res deinde per pacta Neoſtadenſia ita compoſita eſt, ut Fridericus Mathiam adoptaret, hic autem regnum, & ille cum poſteris ſpem ſuccedendi, Mathia cum deſcendentibus extinctis, haberet. Ceterum codicilli iſti Fridericiani multis ſubſunt dubiis, cum in forma, ut loquuntur, probante non ſint viſi. 15) Adeſſe *epiſtolas Beatricis, Mathiæ & Annæ*, regis & reginarum Hungariæ, *dominium illud ſive imperium Venetorum maritimum ſtabilientes:* Verum Beatrix ſponſa Mathiæ a Venetis contendens, ut res aliquas per mare Adriaticum transmittere poſſet, mariti ſui jus labefactare non potuit; Ut taceam, literis ejusmodi non multum tribui poſſe, ſed Mathiæ epiſtolis majus ineſſe videtur robur: dicitur enim prioribus anno 1482. Venetorum duci Mocenigo ſignificaſſe, a republica comitibus de Frangipanis, Zengæ aliorumque locorum maritimorum dominis facultatem, ex Apulia grana petendi, conceſſam eſſe; cumque loca, quibus illi olim potiebantur, jam in ſuis eſſent manibus, ſe rogare, ut eadem ſibi daretur libertas, ſe id officii gratioſe agniturum, & data occaſione compenſaturum; poſteriores vero anno 1687. ad *Auguſtinum Barbadicum* perſcriptas, preces continuiſſe, ut regi permitteretur ad reſtaurationem propugnaculi cujusdam ad Narentæ oſtium ligna ab urbe *Zegna* per mare conducendi, addito promiſſo, quod viciſſim reipublicæ velit gratificari in rebus etiam majoris momenti. 16) Reginam Hungariæ *Annam licentiam per mare Adriaticum ex Apulia & Marca frumentum Zengam conducendi ſibi dari poſtulaſſe.* Verum ad hæc cum BERGERO reſponderi poteſt; epiſtolas illas non eſſe in archivo repertas, ſed ex privatorum deſumtas collectionibus, quæ multis ſæpe ſcatere ſolent vitiis, & licet ex Venetorum tabulario productæ fuiſſent, notum tamen eſt, productionem ex proprio archivo non magni eſſe ponderis, cum in Hungariæ & Dalmatiæ archivis non reperiantur; deinde oporteret, ut authenticæ in conſpectum venirent, & examini ſubmitterentur tabulæ; porro epiſtolas illas non de libero navigandi exercitio, ſed de ligno & frumento petendo, loqui. Præterea epiſtolæ illæ ad res meræ civilitatis ſpectant, neque Matthias bello cum imperatore implicitus, jure ſuo tam ſtricte uti potuit, ne & cum Venetis belli aleam tentare cogeretur. Denique quod ad Annæ reginæ literas attinet, ex anno 1502. conſignatæ dicuntur; eo vero tempore Anna Hungariæ regnum non tenebat. 17) *Johannem Duranum*, Capitaneum Piſini imperatoris Maximiliani miniſtrum *literis ad ducem Leonardum Loredanum ſcriptis conqueſtum eſſe*, Jacobum Croatum majeſtatis ſuæ ſubditum, quum Fianonæ conſcendiſſet mare, quod dominio reipublicæ ſubjectum ſit, & Zengam proficiſci in animo haberet, a navi armata piratis refer-

aliquod illos flectendi perquam commodam occaſionem. Proindeque parto maris mediterranei dominatu in omnes pariter vicinas terras chriſtianiſſimo regi patefieri imperium aliquod, manifeſtum eſt. Latiſſime autem extenſæ ſunt illæ terræ per Europam, Aſiam & Africam.

Cæterum hactenus quidem dominium illud nondum eſt conſtitutum. Imo dixeris intra centum amplius annos *decreviſſe haud parum* (a) in mari iſthoc, Francici nominis exiſtimationem. Nec enim nunc tangam maritimam potentiam Piſanorum, ut quæ dudum perierit, nec Genuenſium, quæ itidem tantum non evanuit, nec Venetorum quæ ſatis diu æmula fuit Francicæ, nunc autem perquam eſt imbecillis. Illo quod diximus temporis ſpatio ſuccrevere novæ & hactenus inuſitatæ vires, primum Ottomannicæ ex conſilio Ariadeni jam Solymanno imperante, inde Anglorum, poſt Batavorum, & deinde piratarum, quos barbaros appellare mos eſt. Quibus omnibus multum obſcurata ſane aliquamdiu eſt Francici regni priſtina per mediterraneum mare gloria & commerciis Gallicanis ſimul plurimum deceſſit.

Attamen primo id certum, Galliæ regnum ipſo ſitu ſuo *pereſſe oportunum* (b) maris imperio ſibi comparando. Et vero id ipſum vel oculis omnium patet; & jam tum olim a prudentibus obſervatum. Narrans ſane, quemadmodum Rudolphi Burgundiorum regis dono, regnum *Arelatenſe* (c) Germaniæ acceſſerit, PAULUS ÆMILIUS Veronenſis, Francicarum rerum præclarus profecto ſcriptor, hæc in verba non dubitavit erumpere. Munus Rudolphi habere ſibi filioque quam dari aliis, Conradus malebat: Et non parum virium Germani proceres acceſſurum rebus ſuis ducebant Burgundiorum regno ſibi contributo, quod excluſo ducatu, qui Franco regi ſine controverſia parebat, ſi quis veterem memoriam repetat, ſequamur, Allobrogumque ac Arelatenſium regias urbes complecteretur, ac ab extraneis Germanorum finibus ad mediterraneum mare pertineret oportunum Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Africæque rebus conſiliiſque expediendis, ac conatibus

ta, qui mare Adriaticum cum ignominia reipublicæ deprædari non verecundentur, impeditum eſſe; ſupplicare, ut huic incommodo remedium afferatur. Sed quid hoc ad Venetorum dominium maris Adriatici probandum facere poſſet? nam prædonum exſtirpatio tale probare non poteſt dominium; nec conſtat, an literæ a Piſinienſi capitaneo, ſit venia verbo, Maximiliani juſſu ſint exaratæ; ſic & non deſunt conjecturæ, eſſe ſuppoſititias; denique Maximilianus I. nec Hungariam habebat, nec Dalmatiam. 18) *Ritum deſpondendi mare ut firmiſſimum dominii ſignum in omnium eſſe oculis:* Sed cum ritus hic ſolido deſtituatur fundamento, merito inter vanas ceremonias & uſurpationes eſt referendus. Veneti enim, ut demonſtratum eſt, mare, a vero ſuo domino non derelictum, ut vacuum occupare non potuerunt, nec ratione territorii licet jure ſuo qualicunque per conventionem cum Ludovico Hungariæ rege non deceſſiſſet, ad minimum non in totum id ſibi tribuere poſſunt: Minima namque pars eſt Venetorum, quæ Adriatico adjacet mari, cum e contrario maxima ejus pars a Dalmatia, Croatia, & Iſtria circumcingatur. Raguſæ liberæ reipublicæ vires non tantæ ſunt, ut partes aliquas in maris imperio ſibi tribuere audeat: Albania autem Turcis paret. Nec papa, ob terras, quas ad mare Adriaticum habet, de aliquo maris imperio videtur ſolicitus. Quod autem ad Dalmatiam attinet, rex ſive dux Dalmatiæ & Croatiæ Zolomerus terras ſuas, ſi ſine liberis decederet, ſponſæ ſuæ Hungariæ regis Ladislai ſorori ligavit, quæ, conditione impleta, eos noctu ad fratrem per teſtamentum detulit, ea tamen ſub lege, ut in perpetuum Hungariæ regno jungerentur, quod & poſt reginæ mortem factum eſt. JOH. THUWROCZ *chron. Hungariæ p. 1. c. 56.* BONFINIVS *rer. Hungar. dec. II. lib. IV.* Subſequentibus deinde temporibus Dalmatiam partibus quibusdam & Turcæ & Veneti mutilarunt, unde inter Hungariæ reges & rempublicam Venetam bella ſunt enata: Recuperavit autem LVDOVICVS Hungariæ rex plurima loca, atque cum Venetis in eas pacis leges coiit, ut omnia, quæ Dalmatiæ abſtruxerant, redderent, & maris Adriatici dominium ſibi renunciarent. BONFINIUS *rerum Hungar. p. 145.* NUDANI *in flor. Ungariæ p. 153.* BERGER. *l. c.* Omnia jam regum Hungariæ ad domum Auſtriacum, & ſic etiam maris Adriatici dominium a Ferdinandi I. tempore ſpectare, ſatis notum eſt. Eſt quidem inter eos, qui in *Dalmatiæ regnum*, ut vocabulo a ſeculo noſtro recepto loquar, prætendunt, pontifex Romanus, quoniam *Demetrius dux Dalmatiæ* & Croatiæ, illas provincias ſedis pontificiæ anno 1076. ſupremo ſubjunxerit imperio: Sed figmentum hoc a domino DE BERGER *l. c. p. 112.* excutitur. Adſunt & Veneti, quos idem molimenti occupat. Contendunt, Dalmatiæ partem, quæ mari adjacet Adriatico, nunquam in Dalmatiæ ducum ditione fuiſſe, aut ſaltim terras illas prius Venetis promiſſas eſſe, quam Hungariæ Dalmatia acceſſerit. Rem ita ſeſe habere addunt, cum loca illa maritima, quæ ex pacto Caroli M. cum imperatoribus orientalibus in horum poteſtate manſerant, a Saracenorum invaſionibus non eſſent tuta, ea ſe Venetis permiſiſſe. Atque inde factum eſſe, quod Venetorum duces Dalmatiæ regum titulum adhibere cœperint; neque unquam Hungariæ reges illa loca ſuæ reſtituere poteſtati valuiſſe. Verum enim vero omnia hæc valde ſunt dubia, inprimis loca illa ſe ſua ſponte Venetis ſubmiſiſſe; imo ne hoc quidem ipſis, invitis ſuis dominis, qui ea defendere potuiſſent, licuit. Nec deſunt, quibus probari poteſt, hæc olim ad Hungariæ regnum pertinuiſſe. Vid. SCHURZFLEISCHII *diſſertatio de Hungaria ſuperiori.* Id ſane negari nequit, Venetos tempore Sigismundi plurima Dalmatiæ loca occupaſſe, Hungariſque, dum cæſareum præfectum *Peponem* muneribus corruperant, injuſte eripuiſſe. Conf. BERGER. *l. c.* Quod autem venditant, Ladislaum ipſis Dalmatiæ quandam partem vendidiſſe, a veritate abhorret, & loca illa tantum eis oppignorata ſunt, ita ut quovis tempore relui queant, quoniam juri reluendi pignus præſcribi non poſſit. GROTIUS *de J. B. & P. lib. 2. c. 4. §. ultimo.* Nec credibile eſt, quod Hungariæ reges una cum locis, Venetis tantum oppignoratis, non autem venditis aut ceſſis, partem aliquam imperii maritimi aut condominium aliquod transferre voluerint. Neque hic ad recentiora inter domum Auſtriacam & Venetos inita, provocari poteſt pacta, quoniam illa non Dalmatiam, ſed Iſtriam tantum concernunt. Hæc ſunt, quæ de controverſia inter domum Auſtriacam regno Hungariæ amplificatam, & Venetos de maris Adriatici dominio intercedente breviſſime monere conſultum putavi, cætera benevolum lectorem ad laudatum generoſi BERGERI tractatum remittens.

(a) *Decreviſſe haud parum*) Romani univerſum aliquando maris mediterranei dominium habuerunt. JACOBVS GOTHOFREDVS *de imperio maris ad l. 9. ff. de lege Rhodia.* Ante eos autem hoc Gallos habuiſſe, docet MORISOTTVS *in orbe maritima lib. 2. c. 19.*

(b) *Pereſſe oportunum*) Sed ſola oportunitas aut etiam potentia jus non dat. Tot aliæ enim gentes maris mediterranei accolæ ſunt, quæ ex parte ejus dominium vel etiam imperium ſtabilitum habent, quod illis abſque cauſa eripi nequit. Nam minima Galliæ eſt pars, quæ mediterraneum tangit mare. Verum enim vero apparet, auctoris noſtri conſilium non ad juſtitiæ regulas, ſed ad dominationis arcana exigendum eſſe.

(c) *Arelatenſe*) PFEFFINGER *tom. 1. p. 248. ſeqq.*

tibus capiendis, ut anguſtum nomen Germaniæ finibus ac anguſtiis clauſum prodire in totius orbis terrarum lucem, ac priſtinam majeſtatem tandem poſſit.

Vires porro tantæ rei idoneæ, nulli ad mediterraneum quidem illud mare adjectæ regioni, ut nunc quidem ſeſe res habent, ſuppetunt, quibus imperium illud parari poſſit. Ne Turcam quidem ipſum aut Hiſpanum excipio; etſi illi, ſitum ſi ſpectes terrarum, Franciam longo intervallo ſuperent. Utique enim Hiſpanus *perquam multa* (a) mari illi adſita, ut & inſulas eximias, poſſidet: Turca vero pleraque tenet in Europa, Aſia & Africa, jamque præter *Cyprum* (b) occupavit & *Cretam inſulam.* (c) De qua non dubitavit olim ARISTOTELES ſapientiſſimus politicorum ita loqui *Lib. 2. Cap. 8. Inſula autem videtur ad imperium Græcorum tenendum nata, pulchreque ſita: Ad omne namque mare vergit ferme cunctis Græcis collocatis juxta mare. Diſtat enim hac quidem parte parum a Peloponeſo, hac vero ab Aſia loco circa Triopium & Rhodum. Qua de cauſa & imperium maris tenuit Minos,* (d) *& inſulas has quidem ſubegit, in his vero colonos conſtituit. Poſtremum autem, cum Siciliam ſuæ ditionis facere aggreſſus eſſet, illic circa Camicum mortuus eſt.* Hæc Ariſtotoles. Ut ex ſequentibus autem apparebit, & Turcæ pariter & *Hiſpano vires* (e) imperii maris comparando aptæ deficiunt. Quanto minus neceſſum fuerit, alios imbecilliores in comparationem advocare? *Anglorum Batavorumque ſtupenda* (f) ſane hodie eſt nautica potentia, quæque maris dominio ſufficiat: Sed

(a) *Perquam multa*) Alluit mare mediterraneum *Granadam, Murciam, Valentiam, Cataloniam*, & in mari hoc ſitæ ſunt inſulæ; *Majorca, Minorca, Tvica, Baleares*, dictæ Sardinia & Sicilia, quæ olim omnes ſub Hiſpanico erant imperio; hodie *Minorca Anglorum, Sicilia imperatoris*, & *Sardinia Sabaudi eſt.* Eſt ibi quoque *Maltæ* inſula, Hiſpano fiduciario vinculo obnoxia.

(b) *Cyprum*) Hac Selimus II. potitus eſt.

(c) *Cretam inſulam*) Quæ Candia dicitur. Hæc virtute *Mahomets Kuproli*, ſummi Turcarum belli ducis & archiminiſtri, quem primum Vezirium vocant, in Turcarum metropoli tandem capta, maxima ex parte pervenit poteſtatem. Reliquæ erant Venetis ex pace anno 1669. cum Turcis inita, *Garabuſa, Suda*, & *Spinalonga*. Sed hac anno 1692. Turcæ proditione potiti dicuntur. Factum hoc eſt imperante Mahomete IV. cujus pater IBRAHIMVS bellum illud contra Venetos in Candia auſpicatus erat.

(d) *Minos*) Vid. BOECLERI *diſſertatio*, cui titulus: *Minos maris dominus tom. 2. operum p. 1073. ſeqq.*

(e) *Hiſpano vires*) Sub Philippo II. in immenſum vires Hiſpanorum maritimæ erant auctæ. Sed invincibili deſtructa claſſe indies magis imminui cœperunt. Vid. THYSII *hiſtor. navalem c.* 21. Sub rege PHILIPPO quidem hodienum imperante, ad aliquem rediere valorem, ſed debilem admodum, qua in re nobis documento ſit nuperum cum Anglis navale geſtum bellum, & maxima, quam ſub *Caſtagnetta* ſummo rei maritimæ præfecto, quem Admiralium vocant, ab Anglis *Bingio* archithalaſſo, pugnam dirigente, in mari mediterraneo paſſi ſunt cladem, nec ex illo tempore in conſpectum ſaltim hoſtium venire auſi ſunt. Quod ad Turcas attinet, immenſas quidem ipſi aliquando inſtruxerunt claſſes, ſed plerumque a Venetis aliisque victi ſunt. Vid. *memorie iſtoriche de monarchi Ottomanni di SAGREDO, & hiſtoria univerſale dell' origine, guerre, & imperio de Turchi di FRANCESCO SANSOVINO.* Etenim tam navium bonitate, quam nautis & claſſiariis, rei maritimæ & pugnæ navalis peritia præditis, deſtituuntur, & pauciores, qui in claſſe eorum fortaſſe adhuc ad bellum navale apti reperiuntur, ex littore Africano ſunt, quos maritimos vocamus prædones. Conf. MORISOTTI *orbem maritimum lib. 2. c.* 31.

(f) *Angli Batavorumque ſtupenda*) Saltim aliquot claſſium Anglorum & unitorum Belgarum navium, ex quibus compoſitæ fuerunt, numerum memorare liceat. Anno 1665. claſſis Belgica ex 93. & Anglica ex 90. majoribus & minoribus ad bellum aptis conſiſtebat. *La vie de Ruyter p. 306. 315.* Anno 1666. Anglica 82. Hollandica 86. navium numerum complectebatur. *La vie de Ruyter p.* 345. 372. Anno 1673. Anglica claſſis ex 104. navibus, tam magnis quam parvis, (*fregattes*) non computatis ratibus incendiariis & velocibus, Hollandica 75 navibus bellicis, 25 ratibus incendiariis, & 18. velocibus conſtitit, ut alias, quæ in his bellis utriusque gentis collectæ ſunt, claſſes ſileam. Anno 1697. Anglorum claſſis 179. navium bellicarum magnarum & parvarum, nec non incendiariarum numerum implevit. De claſſibus Anglorum & Hollandorum adverſus Gallos in bello, quod anno 1688. cœpit, junctis, agitur in BVRCHETTI, Admiralitatis, ut vocatur, Anglicanæ Secretarii, commentariis *de tout ce, qui s' eſt paſſé de plus conſiderable ſur mer de puis l' an* 1688. *jusques à la fin de* 1697. ubi auctor Anglicarum navium ſequentem refert catalogum:

Navium		
1 ordinis	-	6
2 -	-	8
3 -	-	36
4 -	-	51
5 -	-	37
6 -	-	20
incend.	-	19

Quæ in nupero collectæ fuerunt bello claſſes, in libello Gallico, cui titulus: *Mercure hiſtorique*, aliisque hujus generis ſcriptis, recenſentur. Claſſis Anglorum & Hollandorum, quæ anno 1702. æquora ſulcabat ſub Rockii ductu, 145. naves complectebatur. *Leben Caroli III. Königes in Spanien p. 767. part. 1.* Non tamen & Gallis media deſunt, ſatis magnas armandi claſſes. BVRCHETTVS *l. c. in præfat. p. 12.* de hoc ſequentem in modum loquitur: *Tout le monde ſait, que la France pendant une année ou deux eut une flotte de 80 vaiſſaux de ligne. Il n' eſt pas moins vrai, que tout ce que l' Angleterre & la Hollande purent faire ou firent alors, ne ſurpaſſa que de très peu ce nombre. Il eſt vrai qu' il avoit pluſieurs autres vaiſſaux employés ailleurs - - - Le Roy de France a pluſieurs avantages, que nous n' avons pas l' equipement de ſa flotte. Car comme la France a peu de commerce, en comparaiſon, de ce qu' en a l' Angleterre, ſes marchands n' ont pas beſoin d' un ſi grand nombre de matelots, que les notres, outre que par ſon autorité abſolue il les oblige tous de ſervir ſur ſa flotte ſur peine de la vie ou d' autres chatiments rigoureux. Au lieu que je ſuis faché de le dire, les matelots Anglois meme dans le tems, que le commerce eſt intendit, ſe ſont ſouvent cachés, dans l' eſperance de trouver mieux leur comte avec les marchands lorsqu' ils auroient la liberté de faire voile. La France outre ce la tire un grand ſecours des matelots du grand nombre de ſes capres &c.* Valere quoque Gallos ſcientia belli navalis, nec animos, ſtrenue ibi res gerendi, ipſis deeſſe, multa nobis documento ſunt exempla, quæ in *hiſtoria Ludovici XIV.* non tamen ſine αὐξήσεως enarrantur. Citabimus jam tantum prœlium navale, quod capto Gibaraltaro anno 1704. inter Anglos, quibus Hollandi juncti erant, *Rockio & Callenbergio* ductoribus, & Gallos, quos Tholoſanus comes Ludovici XIV. ex Monteſpania filius naturalis, magnus Franciæ Admiralius moderabatur, commiſſum eſt. Id enim ſatis anceps erat. *Leben Caroli III. Königs in Spanien part. III. p.* 162. *ſeqq.* Quod autem anno 1673. cum ſub *Etrei* ductu claſſi Anglicæ, cui princeps *Robertus* imperabat, adeſſent, extra tormenti jactum manerent, non tam fortitudinis defectui, quam arcanis regis deberi putatur mandatis. Ad utramque enim gentem opprimendam utilius haud dubie nihil viſum, quam ut æquis viribus pugnantes eo magis ſe invicem atterere poſſent, integris interim Gallicis manentibus viribus.

Sed quia remoti hinc vivunt, & a mari mediterraneo haud alluuntur, ne illi quidem niſi ad breve anni tempus, quamdiu nempe claſſes illorum navigant, maris potiuntur, ſolidum imperium nequeunt ſibi comparare. *Inter ſeſe quoque diffidentes*, (a) & quæſtui ſupra, quam fas propemodum eſt, dediti, ex invidia mutua ſuas vires clam palamve ipſimet debilitant.

Quantumvis vero & Francia nondum ſit illius dominii compos, neutiquam tamen propterea deſperandum eſt; quaſi nec poſſet illud acquiri quod a tot ſeculis acceptum non eſt. Etenim nunquam hactenus videtur regum quiſquam id *vel conatus*. (b) Nemo ſane illis, quæ huc requiruntur, unquam operam impendit. Neque quiſquam id potuit regno tantum non ſemper civilibus diſſidiis ſciſſo, & regibus æmula principum potentia perquam diu multum invalido. Nunc autem quaſi alius ſol exortus Ludovicus quartus decimus, principibus illis *male morigeris* (c) ſublatis e medio, domi nihil non tranquillum & divitias inuſitatas poſſidens, terra marique ita omnia ſapiente feliceque ſuorum opera conſtituit, ut quæ nec ſperare ante hac fas fuit prona faciliaque videantur, usque adeo undequaque cunctis in unius magnitudinem conſpirantibus.

Equidem haud dubito jam tum pridem, qua valent ſumma & admiranda prudentia, maximos illos viros, qui *tanto regi* (d) nunc ſunt a *conſiliis*, (e) de obtinendo illo dominio cogitaſſe, imo, niſi vehementer fallor, tendunt iſthuc. Pauca quæ nunc cum multorum terrore & metu conficiunt. Nec ego mihi adeo ſuffenus, ut arbitrer, quicquam prudentiſſime conſtitutis jam conſiliis poſſe abs me adjici: Exercebo tamen & me in hoc campo, ſaltim quo probem ſapientiſſimis patronis meam in chriſtianiſſimum regem pietatem, & paratum regiæ majeſtatis commodis pro virili tutandis augendisque ſtudium indefeſſum ac devotiſſimum.

Ut autem clare de re magni adeo momenti animi ſententiam exponam, exiſtimo equidem, tria eſſe parando maris dominio, non ſolum apprime utilia, ſed etiam neceſſaria. Horum primum eſt amicitiæ fœdus aliquod arctius cum Turca & piratis Afris initum; Alterum claſſis juſtæ potentiæ perpetuo parata & commodis locis diſpoſita: Tertium ea commerciorum vis, quæ ſenſim omnium aliarum gentium, ipſorumque Batavorum, negotiationes queat corrumpere. Hæc tria, inquam, ſufficere arbitror. Enimvero in confeſſo eſt, per vim meram, hoc rerum ſtatu, & ſuperſtite in hoc mari Anglorum Batavorumque auctoritate, dominium illud non poſſe comparari, idque quandoquidem illi junctis viribus, ceteroquin æmuli, opponent ſeſe indubie violentis conatibus, & quidem ſucceſſu, quantum videtur, regis chriſtianiſſimi rebus multum periculoſo, ſi non jam aperte noxio. Hinc non niſi cum tempore parari illud dominium poterit, & lento quodam gradu: Creſcit occulto velut arbor ævo. Quin tamen proſper deſideratusque eventus ſit ſubſecuturus, modo tria iſthæc cum cura obſerventur, haud equidem dubito polliceri.

I.

De fœdere amicitiæ cum Turca & piratis Afris ineundo.

Fœdus amicitiæ appello, conventionem qua utrinque cavetur ſaltim de non nocendo.

Eam cum Mahomedanis inire fas non eſſe ſcio creditum olim ſic ſatis longo tempore fuiſſe. Non arbitror autem opus, quantum illa quidem ſententia a vero aberret, uti ego hic demonſtrem: Quoniam pridem & talia & longe alia majora fœdera cum Turcis paciſci chriſtianiſſimis *Francorum regibus* (f) mos fuit ſaltim a Franciſci regis ævo, ſpretis adverſantium inanibus voculis. Poſſem cæteroquin fœderum ejusmodi licentiam oſtendere *rationibus* (g) quam multis, & *exemplis*

(a) *Inter ſeſe quoque diffidentes*) Primariæ diſſidiorum cauſæ inter Anglos & Hollandos in commerciorum æmulatione conſiſtunt, cui deinde aliæ accedunt rationes. Cancellarius Angliæ, Gallico tamen, ut aliquibus videtur, corruptus auro, in oratione, quam in parlamento anno 1672. habuit, inquit: *Who were the common enemies to all monarchies, and may ſay eſpecially to ours, their onely competitor for trade, and power at ſea — The States of Holland are Engelands eternal enemy both by intereſt, and inclination.* Interim utrique nihil ſalutarius eſſe poteſt, quam ut conjunctis animis & viribus, poſitis diſcordiarum cauſis, contra commune ſe muniant periculum.

(b) *vel conatus*) Nec juſte conari potuit, cum partes maris mediterranei, tam quoad dominium, quam imperium ab aliis gentibus fuerint occupatæ.

(c) *Male morigeris*) Sermo hic haud dubie eſt de Condæo & funditorum capitibus, Mazarinio adverſantibus. *Miniſtere de Mazarin tom.* I. *p.* 55. *ſeqq.* PUFFENDORFII *introductio in hiſtoriam tom.* 1. *p.* 448. *ſeqq.*

(d) *Tanto regi*) Ludovico XIV. nemo, qui aliqualem tantum rerum ab eo geſtarum notitiam habet, prudentiæ, & quidem ſubtilioris, ad arcana dominationis tendentis, laudem derogabit. Vide *les intrigues de la cour de France.* Ardore, tanto rege digniſſimo, quo literarum ſtudia promovit, maximam ſibi comparavit gloriam; & optima inſtituta ſtupendaque opera, quæ in regni utilitatem aut ſplendorem ingentibus molitus eſt ſumtibus, famam ejus poſteritati commendant. Omnium haud dubie Galliæ regum maximus fuiſſet, ſi non altiſſima cupiviſſet, unde tot tantisque calamitatibus & belli ærumnis, ſuos pariter & vicinos afflixit, imo ad incitas redegit.

(e) *Conſiliis*) Poſt Mazarinii anno 1661. denati mortem Ludovico XIV. præclari non defuerunt miniſtri, inter quos primo loco merito ſunt memorandi *Ludoviſius, Eſtradius, Colbertus, Avauxius, Pomponius.* Verum enim vero ex illo tempore revera penes ipſum regem rerum ſumma fuit. Sunt, qui dicunt, ipſum Mazarinium regi *in commentariis de regenda republica*, quos moriturus ei exhiberi curavit, ſuaſiſſe, ne unquam archiminiſtrum conſtitueret, ſed ipſe regeret. Vid. RABUTINIUM *in comment, part.* 2. *p.* 166. 346.

(f) *Francorum regibus*) Præter Franciſcum I. cum Turcarum imperatore, & quidem *Achmeto* conventionem *Henricus IV.* anno 1604. iniit, quæ anno 1673. inter *Ludovicum XIV.* & *Mahometem IV.* renovata eſt. Franciſco I. vitio vertitur, quod Turcarum imperatori fidem ſuam ſolenni jurisjurandi formula, Chriſtianæ fidei adverſanti, adſtrinxerit: Sed ab hac macula, ipſum BAYLIUS *in dictionario critico tom. II. p.* 1209. 1210. liberat.

(g) *Rationibus*) Vid. GROT. *J. B. & P. lib.* 2. *c.* 15. §. 8. *ſeqq.* ubi probatur, talia fœdera inprimis defenſiva nec rationi nec revelationi adverſari. Rationi nihil convenientius eſt, quam ut, qui jus habet ad finem, ille etiam habeat jus ad media, quæ cum fine illo nexum habent ne-

exemplis (a) omni exceptione majoribus. Imo in promtu eſt docere, impium eſſe, illis, quos infideles aut hæreticos ſolet ætas noſtra appellare, nocere *ob ſacra religionis* (b) errores, modo illi cætera ſeſe præſtent civili ſocietati haud adverſos: In Turcam quoque haud ſupereſſe chriſtianis jus belli ob id quod terram ſanctam dominio ſuo teneat, *veritati conveniens eſt.* (c) Nec vero eſt quod moveamur diuturnitate contrariæ multorum perſuaſionis, vel auctoritate Romanæ curiæ, quæ prima omnium homines illa quondam imbuit opinione. Curiam enim, ſi quod res eſt, licet dicere, in rem ſuam, *cum dilatandi imperii* (d) tum regibus male morigeris ſubducendi robur fortium virorum, abuſam inprovida populi credulitate, ſimul vero infinitam generoſi ſanguinis Europæi vim miſere ſic periiſſe, manifeſtum jam eſt. Eoque dudum prudentiſſimi Genuenſes ac Veneti, horumque exemplo jam ab avorum usque memoria chriſtianiſſimi Francorum reges, (ne quid de Conſtantinopolitanis imperatoribus, de Hungariæ & Poloniæ regibus, de Anglis item & Batavis dicamus) neutiquam caſta illa curiæ ſophismata perſuaderi amplius ſibi paſſi ſunt, nec

curia

ceſſarium: jam vero *defenſio eſt juris naturalis*, & quidem *præceptivi*, igitur quævis media ad defenſionem illam neceſſaria adhiberi poſſunt. Imo idem dicendum eſt, ſi res noſtras, aut id, quod nobis debetur, vindicamus, aut condicimus. Quod ſi enim id, quod nobis debetur, per pacis conſilia conſequi non poſſumus, ad belli perveniendum eſt auxilia, quæ inſtrumentis indigent, ubi juxta rationis dictamina nulla ex religione diſcrepantia, cum illa omnem ignoret religionem præter eam, quam GROTIVS veram, id eſt omnibus gentibus communem, vocat; deinde religio per ſe non influit in effectum, ubi jus vel rem noſtram vindicamus; poſſumus enim hic tela & bruta adhibere, quidni & homines cujuscunque generis, multo magis foederibus nobis proſpicere poterimus, quæ cum achriſtianis commerciorum cauſa contrahuntur, cum nemini inde aliquid mali inferatur, aut ea ut inde aliquando inferatur mali non habeant pro ſcopo. Præſupponimus autem, hæc foedera juri innoxiæ utilitatis aut alterius quæſito non adverſari. Fateor tamen, ex jure revelationis, imo ipſo jure naturali hypothetico, quod religionem chriſtianam præſupponit, foedera cum achriſtianis jungi non poſſe, ſi in exitium aut detrimentum religionis chriſtianæ vergerent, aut ſi periculum eſſet, noſtras aliorumque conſcientias inde vitiari, aut etiam propagationem religionis chriſtianæ, tanquam majus bonum morale, per illa foedera impediri. Illa enim tunc mala, a quibus achriſtianorum foederibus liberari poſſemus, in ſalutem & utilitatem ſocietatis chriſtianæ, cujus reges & principes chriſtiani membra ſunt, aut etiam in propriarum conſcientiarum, quæ rebus caducis longe præferendæ, incolumitatem toleranda, & dirigente numine aliunde auxilia exſpectanda ſunt. Imo licet hæc omnia non ſint metuenda: adverſus chriſtianos tamen achriſtianorum arma non niſi in ſumma neceſſitate erunt adhibenda, ob arctius vinculum, quod inter ejusdem religionis eſt ſocios. Nam qui a chriſtiana religione alieni ſunt, in chriſtianos ſibi omnia licita putabunt, contemtimque & in vanum habebunt, quæ religioni chriſtianæ ſanctiſſima ſunt, & ſic bellum ultra modum ſæviet.

(a) *Exemplis*) Foederum a Judæis cum gentilibus initorum veteris foederis ſive pacti, quod teſtamentum dicunt, codex varia præbet exempla. Attamen illa maximam partem aut tantum commerciorum cauſa, aut non contra Ebræos inita fuerunt. Quod ad recentiora attinet exempla, Gallorum, Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum, Suecorum, cum Turcis aliisque, diverſa a chriſtiana religione profitentibus ſacra, notæ ſunt conventiones. Quas Gallia iniit cum Turcis, Aligirienſibus, Tunetanis, Tripolitanis, Maroccano imperatore, Iroquenſibus Americæ incolis, aliqua ex parte in FRIDERICI LEONARDI actorum *publicorum collectione* reperiuntur. Prolixum eſſet, numerum hic pactionum a gentibus illis chriſtianis cum achriſtianis factarum inire; conſulendi de iis ſunt eorum annales, & actorum publicorum collectiones. Foedus, quod inter ſocietatem Batavorum Indiæ orientalis & regem de Tello alioſque Macaſſari regulos ictum eſt, vide *dans le nouveau recueil de traités de paix par DV MONT p. 160. ſeqq.*

(b) *Ob ſacra religionis &c.*) Religio enim eſt res animi, in quem arbitrium ſoli Deo eſt relictum. Deinde nulla opinio de Deo rebusque divinis, cujusque demum ſit generis, in ſe conſiderata ſocietatem civilem offendit. Nam licet ſtatuatur, quod tamen contra naturæ lumen eſt, *non dari primum principium, humanum genus tamen ſine ſocietatibus & regulis colenda amicitia beate & ſecure vivere non poſſet.* Nec mihi eſt jus, alium cogendi, ut mecum eodem modo de Deo ſentiat. Nam intuitu religionis internæ, omnes in ſtatu æqualitatis vivunt. Ob naturalem ſæpe indolem alius non eandem mecum fovere poteſt opinionem, aut etiam aliæ ſunt cauſæ, quæ hoc impediunt, ita ut nulla in eum obinde cadat culpa, imo, licet in eum, quod a vera religione alienus ſit, cadat culpa: id tamen mihi non dat jus, ipſum bello perſequendi. Neque credi poteſt, aliquem ex proæreſi religionem eligere velle, quam falſam eſſe noverit, cum ipſi non ignotum ſit, *religionem eſſe inſtrumentum futuræ vitæ.* Interim negare non poſſum, interdum externam ſimulari religionem, quam is, qui eam ob humanas cauſas profitetur, falſam eſſe ſcit. Errore enim ejus in vera religione nihil, quod mihi debetur, abeſſe poteſt, nec ego, quamdiu ipſius religio a mea diſcrepans in ſolis terminis opinionis de Deo rebusque divinis manet, adverſus eum defenſione opus habeo. GROTIVS *de J. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 44. ſeqq.* Pertractat quæſtionem, quatenus arma in eum, qui a religione naturali diſcrepat, ſumi queant. Non dicam jam de iis, quæ BAILIVS in ſcriptis paſſim in contrarium habet, aut quæ COVARRUVIAS non ſine ratione aſſerit, punitivam poteſtatem non eſſe ſine proprie dicta jurisdictione: Sed ex ipſius tantum Grotii ſententia rem, quam aſſerit, aliquid habere dubii, demonſtrabo. Tradit ipſe *in prolegomenis librorum de jure belli & pacis*, quod juris naturæ dictamina ſe habeant antecedenter ad voluntatem Dei, & ſic homo honeſtum, juſtum & decorum ſectari deberet propter felicitatem ſuam, etiamſi nullus eſſet Deus, qui hoc juberet, & a cujus ira timendum eſſet; quodſi autem homo propter ſuam utilitatem & conſervationem præcepta juris naturalis ſequitur, propendet etiam in pacem, non tam proximi, quam ſuimet ipſius amore, etiamſi absque metu Dei eſſet, qui autem pacem colit, & cauſam impulſivam innatam habet, ob quam pacem colere debet, illum bello officere non poſſumus, ob notum juris naturæ præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

(c) *Veritati conveniens eſt*) Sola enim chriſtiana religio juſtum non dat titulum, ad occupandas terras, in quibus Chriſtus natus, verſatus & paſſus eſt. SERVATOR noſter palam profitebatur, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, quomodo ita illi, qui præcepta ejus & dogmata ſequuntur, ſibi jus tribuere potuerunt, ad terram illam vindicandam, quam ut princeps terreſtris nec habuit, nec habere voluit. Cum chriſtiani occidentales ſub Balduini ductu expeditiones in terram ſanctam auſpicarentur, Turcæ jus in illam tanto temporis tractu, quiete eam poſſidentes, & pactionibus cum Græcorum imperatoribus initis, nacti erant. Vid. IV. Theil zu Puffendorfs Einleitung c. IX. §. 4. ſeqq. Late de mutationibus & fatis ad regnum Hieroſolymitanum attinentibus agit CHARDIN *dans le voyage de Perſe p. 54. ſeqq.*

(d) *Cum dilatandi imperii*) *Expeditiones ſacræ*, quas *cruciatas* vocant, merito in arcana, quibus papa ſibi univerſale aliquod in chriſtianos parare ſategit imperium, referenda ſunt. Enim vero eas, ut Chriſti vicarius, ſumma regebat auctoritate, illisque per ſuos præſidebat vicarios.

curia ipſa multum laborante hodie, fidem non invenientibus, argumentis priſco more, ſed nunc fruſtraneo, cautiores decipere. Cum autem ea, quæ nos profeſſi ſumus, usque adeo jam innotuerint, noluimus etiam iis probandis operam aliquam hic impendere.

Hoc igitur ratum ſit atque conſtitutum, & fas eſſe cum Turca piratisque Africanis amicitiæ fœdus pangere, & niſi injuria aut jam ſimus affecti, aut illa certo immineat, pacem cum illis ſervandam eſſe. Comprehendo autem amicitiæ illo fœdere & pace, etiam libertatem commerciorum exercendorum, & innoxium periculoque omni carentem, ditionum portuumque utriusque fœderatorum partis uſum. Etſi enim non nihil illud plus ſit, quam non nocendi cautio; ex gentium tamen jure etiam hæc omnia promanant, & populos quosque ad talia mutuo ſibi præſtanda natura ipſa obſtringit: Ut pactis non ſit reapſe ad hæc obtinenda opus, niſi naturalis ſocietatis limites transgredi *pridem hominum iniquitati collibuiſſet*. (a)

Non pertinent ad fœdus illud proprie etiam partium ſocii. Non inſolens tamen eſt, etiam illos complecti. Sicut jam olim Carthaginenſes inter & Romanos pactum teſte Livio lib. 21. *Utrinsque populi ſocii ab utroque populo tuti ſunto:* Idque a Romanis acceptum fuit, de ſociis non illis tantum, qui fuerant tempore initi foederis, *ſed poſt etiam factis*: (b) Nimis ampla fortaſſis interpretatione. Quod ſi ergo ad hoc etiam extendere foedus placuerit, (quod, in quantum expediat chriſtianiſſimi regis commodis, paulo poſt dicemus) diſertis id verbis exprimendum fuerit, ne cavillationi præbita occaſione ipſum amicitiæ vinculum detrimenti quicquam faciat aut veniat in diſcrimen.

Ceterum ut licet, imo æquum eſt, ita expedire etiam chriſtianiſſimo regi cum Turca quidem amicitiam ſaltem illam colere, quæ omnem vim & nocendi metum excludit, haud difficile judicatu eſt. Nec enim creſcere in juſtam magnitudinem poterunt regiæ vires, ſi ſtatim initio adverſantem ſibi Turcam habuerint. Haud ignoro, terra non eſſe Franciæ regno ullum temere a Turca metuendum periculum, nec mari eam eſſe Turcæ potentiam, hodie quidem, quæ magno poſſit eſſe damno. Quam male compoſita ſane fuerit res navalis Turcica, ſub finem ſuperioris ſeculi, egregie docuit rerum omnium Turcicarum peritiſſimus Lazarus GORANZIUS *part. I. Ottomanni cap. 43. 44. 45. & 46.* Nec melius noſtro ævo ſeſe illam habere, luculentis plurimis experimentis patuit in diuturno illo nupero Cretico bello cum Venetis geſto. At vero ipſa illa, quæ *cap. 44.* de vitiis triremium & *cap. 45.* de nautis & remigibus diſſeruntur, liquido oſtendunt, emendari haud difficulter iſthæc omnia poſſe.

Et vero ſi conſiliis Haradini Barbaroſſæ inſtitiſſent Solymanni ſucceſſores, formidabili claſſe perpetua in mediterraneo mari pridem fuiſſet Turca inſtructus, eum ſummo periculo omnium ad mare illud ſitorum populorum. Idem vero etiam nunc eſt metuendum, ſi huic rei ſtrenuus aliquis belli dux dederit operam. Qualis utinam non ſit ille hodiernus *Vezir Azem* (c) Venetorum in Creta victor. Certe majora ſolito videtur jam tum moliri. Quicquid vero ille egerit, ſi chriſtianiſſimus Rex hac tempeſtate non coluerit illam qua de agimus amicitiam, ſed infeſtaverit Turcam armatis ſuis manibus, vereor equidem magnum malum. Stimulatum ſcil. in Turcam ad potentiam maritimam ſuam exercendam, ſummo cum detrimento etiam ipſiusmet chriſtianiſſimi regni. Imo vero quo firmior ſit hæc amicitia, fortaſſis haud abs re fuerit, Joannitici ordinis ſaltem Gallicanis equitibus non permittere Turcam infeſtandi licentiam. Et vero piratica illorum nihil prodeſt chriſtianarrum gentium per mediterraneum mare commodis: Sed hactenus potius abfuit plurimum: utpote quæ dederit occaſionem ſtruendo valido illo Turcicæ piraticæ robori, & nunc etiam tantum irritamento eſt ad vires Turcæ majores efferendas. Absque illa ſane piratica fuiſſet, tranquillo maris mediterranei uſu, potuiſſent chriſtiani populi hactenus frui. Prodeſt certe haud parum & Anglis & Batavis apud Turcam, quod illi cum Melitenſibus nolint quicquam habere commercii. Non urgebo nunc, ſi velit pacate Turca cum chriſtianis vivere, piraticam illam Melitenſem *non minus eſſe iniquam*, (d) atque eſt illa altera Africa.

Non tantum vero læſionem avertens amicitia Turcica utilis eſt, ſed expedit etiam illam extendi ad libertatem commerciorum per omne Turcicum imperium inſtituendorum. Quanto ſane ſint commodo illa commercia, exemplo ſuo nos docent *Hollandi* (e) *& Angli*, (f) ut qui contemptis graviſſimis periculis a tempeſtatibus & Africa piratica, non attentis etiam maximis impenſis in

(a) *Pridem hominum iniquitati collibuiſſet*) GROTIUS *de I. B. & P. lib. II. c. XV. §. 5.*

(b) *Sed poſt etiam factis*) GROTIUS *de I. B. & P. lib. II. c. XVI. §. 13.*

(c) *Vezir Azem*) Hoc nomine primus Vezirius a Turcis appellatur, quod *præſidem conſilii* ſignificat. *Hiſtoire de l' etat preſent de l' empire d' Ottoman, par DU RYER liv. I. ch. XI.*

(d) *Non minus eſſe iniquam*) Atque puto, juramentum illud, quo ſe adſtringunt, quod in Turcam hoſtilem animum nunquam deponere velint, vinculum eſſe iniquitatis.

(e) *Hollandi*) Hollandi commerciorum magnitudine Smirnæ omnes alias ſuperant gentes Europæas, ſed in aliis Turcici imperii locis non tam frequentia habent. CHARDINUS *in itinerario Perſico* maximum iis lucrum ex Armeniorum perſonis & mercibus, quas navibus in Europam vehunt, & inde revehunt, & ex pecunia Hollandica, qua Turcicum imperium repletum eſt, teſtatur. Unde tam frequentes in imperio Turcico ſunt thaleri ex leonis figura, quam referunt, *leonini*, ab arabibus vero, quibus leo haud dubie canis videtur, *canini* dicti. Ordines Belgii generales reſidentem ſive legatum ordinarium in aula Turcica habent, ad quem, præter annuum quatuor millium florenorum ſalarium, hodie forte auctius, dimidia pars redituum, qui ad conſules mercatorios, quos in Turcicis civitatibus habent, ſpectant, pervenire debet.

(f) *Et Angli*) Anglicana gens commercia non minus Smirnæ ac in aliis Turcici imperii civitatibus, quæ ſub nomine *levante* veniunt, florida habet. Coeperunt ELISABETHA imperante, deinde tamen maxima ſumſerunt incrementa. Per ſocietatem, quæ Londini eſt, exercentur, in qua peculiare eſt, quod nihil in commune con-

in nauticum armatum conductum, hæc tamen commercia non deſinant frequentare. Indubie ingente hinc capto lucro, quoniam unice hoc propoſitum ſibi habent. Atqui non *minorem quæſtum* (a) licet etiam Francis expectare. Imo præſtat fortaſſis augeri plurimum: Quam rem infra plenius perſequemur. Non ſubditis tantum regiis quæſtum illum prodeſſe, ſed ipſemet etiam regio ærario, manifeſtum jam tum eſt, & infra itidem prolixius docebitur. Quod ſi viſum fuerit, ipſamet Indicana commercia per ſinum Arabicum inſtituere (quam rem itidem infra diſputabimus) etiam illorum fœdere licentia fuit ſingulatim componenda: Idque quoniam hoc commercii genus Batavis, Anglis, Venetis aliiſque eſt inſolens, quantumvis illi nullo alio commerciorum genere abſtineant per omne Turcicum imperium.

Multum porro profuerit rebus chriſtianiſſimi regis, ſi in amicitiam licuerit cooptare ſocios futuros, aut illos quos recepturus forte rex ſit in ſuam tutelam. Itali ipſique Hispaniæ regis ſubditi, quo poſſint tuti eſſe a Turca, ſenſim reverebuntur ſceptrum chriſtianiſſimum, & animo in regem erunt prono, quin ſponte ſua ſubjicient ſeſe chriſtianiſſimi regis defenſioni. Quod utique ad dominium parandum maximi eſt momenti.

Ac prævia quidem duo a Turca impetrare in perpetuum fortaſſis haud difficile fuerit, quandoquidem illa jam tum obtinentur; niſi quod Angli & Belgæ minus ſolvant vectigal, quam ſubditi regii tria nempe in centum, ut vulgo loquimur, *Franci autem quinque.* (b) Quin jam pridem ante Hollandos & Anglos Franci libertate commerciorum & conſulum quos vocant conſtituendorum per Franciam uſi ſunt. Enim vero Anglis anno 1583. ab Amurathe, Hollandis anno 1612. ab Achmate demum id conceſſum eſt. Etiam vero reliquum omne, ut & diminutionem vectigalis, impetrari poſſe, certam videtur ipſemet Turca expectationem jam facere. Quia tametſi poſſit videri habere juſtam indignandi cauſam, ob chriſtianiſſimi regis arma per Hungariam, Africam & *Cretam* (c) circumlata, ob ea etiam, quæ circa ipſam Conſtantinopolim non dubitaverunt agere regiæ naves; miſſo nihilominus in Galliam legato, ſatis indicavit, quanti præ aliis chriſtiani orbis regibus chriſtianiſſimum *faciat*, (d) quodque reapſe ſibi ab illo magis quam chriſtianorum ullo mutuat. Quo animo cum ſit, utique vix poteſt dubitari, congruiſſima quæque & conſtantem amicitiam, illum haud difficulter conceſſurum.

Et de amicitia quidem cum Turcarum imperatore ſervanda, forte plus ſatis dictum eſt. Poſſent vero hæc ſufficere, ſi Piratæ Afri reapſe, & non in ſpeciem duntaxat, ejus imperio tenerentur. Verum quia comiter quidem illum honorant, cætera tamen ſui ſunt juris ſuoque arbitratu gerunt omnia, ſeorſim cum illis agendum venit.

Ac poſſet quidem videri, nulla cum illo hominum genere pacta ineunda: Eſſet enim hoc & infra dignitatem chriſtianis ſacris addictarum ſummarum quarumcunque poteſtatum, cum primis vero ipſiusmet chriſtianiſſimi regis, nec e re chriſtiani orbis, potius enim illos exſcindendos.

Verum enim vero, ſi quod res fas eſt proloqui, pari illi ſunt apud Turcam & Mahometanos conditione, qua apud pontificem & chriſtianos ſunt equites Melitenſes: Sola cauſa diverſi, an & armorum iniquitate vel æquitate, nolo nunc definire. Utque hi piratæ nullam mereantur excuſationem culpæ, quoniam tamen & cum improbis populis fas eſt illa ſaltim fœdera pangere, quibus cavetur a damno, licet utique & cum his convenire. Nec vero dubitarunt jam pridem in certas cum illis leges contrahere & *Britanni & Batavi.* (e) Quorum exemplum ſecutus chriſtianiſſimus rex cum hoc nomine apud neminem prudentem bonumque hactenus ſiniſtre audient, indicio eſt orbis conſenſu factum eſſe approbatum. Sed & in univerſum longe eſt veriſſimum diverbium illud: *ex duobus malis minimum eligendum eſſe.* Saltim igitur quoniam aliter non licet conſulere ſecuritati, extra juſtam eſt reprehenſionem neceſſitate ſalutis publicæ expreſſa cum piratis amicitia.

Et vero exſcindere piratas illos, (quod alterum eſt, quæ nonnulli cauſantur) non eſt ſitum in chriſtianiſſimi regis poteſtate. Quodſi cum chriſtianiſſimo rege ſerio conjunctis armis Angli & Batavi rem aggrederentur, *fortaſſis expectari plena victoria* (f) poſſit. At ne quidem Batavos inter & Anglos

ferat; Sed ſocietatis ratio in ea conſiſtit, quod communi fruantur privilegio, Turcico commercio operam navandi. Inter jura hujus ſocietatis eſt, quod jus præſentandi habeat legatum, qui a rege ad aulam mittitur Conſtantinopolitanam, & *duos* eligit *conſules*, quorum unus *Smirnæ*, alter *Aleppi*, locum tenet. Commerciorum horum valorem ad ſexcenta pœne millia librarum Sterlingicarum ſummam aſcendere ferunt. Vid. *the Travels of ſir John Chardin. in to Perſia p. 4. ſeqq.*

(a) *Non minorem quæſtum*) Anno 1671. cum Chardinus iter in Perſiam per Conſtantinopolim faceret, tam Smirnæ, quam in aliis ad mare mediterraneum ſitis locis, multi reperiuntur Galli, ſed commercia eorum ibi minimi erant momenti, ita, ut unus mercator in quovis loco ipſis ſuffeciſſet. *l. c. p. 8.*

(b) *Franci autem quinque*) Sed per tractatum anno 1672. inter Galliæ regem, per legatum ſuum Nointelium, & Turcicum imperatorem initum, Galli majori oneri, quam Hollandi & Angli non ſunt obnoxii. CHARDIN. *l. c. p. 42.*

(c) *Cretam*) Galli tam imperatori in Hungaria, quam Venetis in Candia ſuppetias ferentes, ſibi ſummum Turcarum attraxerant odium. *The Travels of ſir John Chardin p. 24.*

(d) *Facias*) Gallici reges, qui in Turcica aula imperatorum axiomate coruſcant, ibi & præ imperatore Germanico quaſdam olim externi ſplendoris habuerunt prærogativas.

(e) *Britanni & Batavi*) *La vie de l'admiral de Ruyter p. 174. 175.*

(f) *Fortaſſis expectari plena victoria*) Sed rem publicam Algeriam nempe conjunctis etiam multorum viribus victum iri, multum habere dubii, ex iis, quæ jam ex Ruyteri ad Beuningium literis recitabo, ſatis liquidum eſt: *Au reſte*, inquit, *je ſouhaite de tout mon coeur, que s'il y a quelques potentats chretiens, qui veuillent employer leurs forces a l'execution d'un ſi beau deſſein, elles puiſſent mieux y reuſſir, qu'il n'a plu a Dieu de faire reuſſir les efforts, que j'ai faits pour ce meme effet, je ſuis d'o-* pinion

Anglos hactenus in id convenit, utrisque ſuam rem ſeorſim agentibus, & ex aliorum damno ſolis ſibi comerciorum lucra quærentibus, eoque non eſt quod fœdus ejusmodi bellicum expectetur. Quam parum præterea inſtructis licet *validis claſſibus* (a) adverſus piratas illos profici poſſit, pridem non una vice magno cum dispendio compertum eſt. Et vero, quoniam habent illi piratæ faventem facinoribus ſuis populum vicinum omnem Africanum & navibus ſtruendis idonea affatim iis ſuppetunt etiam ex proximis ſylvis, nec nautica *plebs deficit*, (b) facile apparet, neutiquam tanto malo ſatis eſſe, prædatorias naves has aut illas in aperto mari ſive intercipere ſive delere, ſed omnino ipſas ſedes & ipſos receptus piraticos eſſe evertendos; hoc autem, iſthoc quidem rerum ſtatu, nequaquam poſſe fieri. Omnino ſcilicet neceſſum ſimul eſt, ut & Afri vicini ſint domiti vel ſaltim tracti in amicitiam: Præſertim ſi conſtans eſſe debeat victoria. Hac ſane de cauſa, quo piraticum bellum, feliciter conficeret Pompejus magnus, conceſſum ſimul illi eſt olim a ſenatu populoque Romano, imperium in terram maritimam omnem ad aliquot ſtadia. Nec Tuneti poſſeſſionem firmam Carolus V. cæſar auſus eſt ſibi polliceri, niſi adducto & ſibi conciliato Mulcaſe, cui tanquam veteri dominio populus Africanus acceſſit: quo animo mutato Philippus filius Hiſpaniæ rex Tuneti domino, non multo poſt iterum *excidit*. (c) Non alia de cauſa & chriſtianiſſimo regis fato haud ſucceſſit *Gigerum occupatio*. (d) Angli quoque cum omnem ſpem

pinion que le deſſein de tenir la ville d'Alger aſſiegée un an entier par eau, ne peut être executé ſans beaucoup de riſque, parcequ'en hiver lorsque les vents viennent, à ſe renforcer du Nord, du Nordeſt-quart-au-Nord & de l'Eſtſudeſt, & à faire enfler la mer, les vaiſſeaux ſont trop violemment batus des vagues & de briſans, qui ſont dangereux a cauſe du peu de profondeur. Ainſi on a toujours à craindre les perils auxquels les Algériens mêmes, furent expoſés au mois de Décembre de l'An 1662. car ils perdirent alors quatorze de leurs vaiſſeaux & ſept priſes, qu'un vent forcé du Nordeſt fit perir auſſi bien au dedans du mole qu'audehors. Mais poſé que non obſtant ce danger, du quel on peut quelque fois être preſervé, on voulût néanmoins donner quelque choſe au hazard, & s'expoſer à tout ce qu'il en pourroit arriver, & qu'en fin par un long blocus on eût contraint les Algériens à conclure, un Traité de paix, ſans avoir détruit ou fort incommodé leurs forces maritimes, on peut s'aſſurer, qu'ils n'obſerveront le Traité, que jusques à-ce qu'ils ſe voient en pleine liberté d'agir, & qu'ils ſeront prêts à l'enfreindre dès qu'ils y trouveront leur avantage, de laquelle diſpoſition où ils ſont à cet égard ils n'ont deja donné que trop de preuves à la France, à l'Angleterre & à cet Etat.

J'eſtime donc que ce n'eſt qu'en croiſant ſur ces Corſaires Barbares, qu'on peut leur cauſer des-pertes conſiderables, qu'en fatiguant leurs courſes. Pour cet efet comme ils ſont très-legers à la voile, il faut ſe précautionner ſur ce point, en ne manquant jamais de faire bien étendre nos vaiſſeaux, particuliérement vers le ſoir; en ne faiſant que peu de voiles; & en ſe poſtant dans les paſſages, par où l'on juge qu'ils doivent prendre leur cours; & lorsque pendant la nuit ou de bon matin on en a decouvert un ou pluſieurs, il faut qu'après le ſignal, tout ce qu'il y a de navires ſur la croiſiere leur donnent conjointement la chaſſe. C'eſt par cette voie que nous les avons ſouvent ſerrés de ſi pres, que ne pouvant ſe degager de l'un ou de l'autre vaiſſeau, qui chaſſoit à la fois ſur eux, ils etoient forcés de s'engager au combat, ou d'aller donner au rivage & s'echoüer. De cette ſorte nous en avons enfin detruit un aſſés grand nombre; a quoi nous a auſſi beaucoup ſervi la liberté, qui nous etoit donnée par les Inſtructions de l'Etat: car nous n'etions point limités dans de certains parages, mais il nous etoit permis d'en changer à notre gré ſelon les occaſions, afin de pourvoir, autant qu'il ſeroit poſſible, à la ſureté de la navigation en tous endroits.

(a) *Validis claſſibus*) Quam improſpere Caroli V. in Algeriam ſucceſſerit expeditio, ex auctoribus, qui de rebus geſtis ejus aliquid literis mandarunt, pateſcit. Confer inprimis VILLAGAGNOMEN *de expeditione Caroli V. in Africam.* Recentioribus temporibus Angli, Belgi & Galli in eam claſſes inſtruxerunt, ſed nullo aut non admodum magno ſucceſſu. *La vie de l'admiral de Ruyter p. 58. 172. 175. 193.* Anno 1683. irritis propemodum Galli in illam urbem miſſilibus ſæviebant ignibus. Noſtro ævo Belgæ uniti pacem ab iis dono quodam annuo redimere coacti ſunt, cum naves bellicæ, quas magnis ſumtibus aptaverant, piraticam Algirienſium non omnino impedire valerent. Exarſit autem bellum illud anno MDCCXVI. cum milites conſilium, quod *Divan* vocant, ſollicitationibus ſuis induxiſſent, ut Anglis, Gallis aut Hollandis bellum indiceretur, conſtitutum eſt, ut hi ultimi in hoſtium eſſent numero. Vid. *l'extrait de l'hiſtoire du royaume d'Alger ecrite par LAUGIER DE TASSY, dans la bibliotheque ancienne & moderne de Monſieur le Clerc tom. XXII. & XXIII. p. 406. JOURNAL des ſcavans, ſeptembre 1716. p. 90.* Late quoque de piratis iſtis Africanis, quorum numero etiam ſunt Salæ, Mauritaniæ, Tingitanæ urbis incolæ. Vid. *l'hiſtoire de barbarie & de ſes Corſaires &c. par PIERRE Dan.* De viribus maritimis Tunenſium, Tripolitanorum & Algirienſium, qui duos priores iis longe ſuperant, agit RUYTERUS in *literis ad Beuningium. La vie de l'admiral de Ruyter p. 445. ſeqq.* Poſtquam allegaſſet cauſas, quare expeditio ejus in Algeriam anno 1665. proſpero caruiſſet ſucceſſu, addit: *Ce pendant on a afaire à une ville, qui eſt ſi bien defendue de ſes châteaux & pourvue de tant de canon, qu'on auroit de la peine à la forcer; outre que le tems, qu'il faut emploier, pour s'en aprocher par ces voies, donne lieu aux habitans, de tendre des chaines, d'aſſembler des radeaux, & de ſe mettre entierement en état de defence, s'ils ne l'avoient pas fait auparavant, & qu'ils euſſent eté ataqués à l'impourvu, ainſi que l'eprouverent a mon grand regret l'An 1662. le Comte de Sandwich, & d'autres braves officiers, qui etoient au ſervice du Roi de la grande Bretagne.* Dicitur in Ruyteriana epiſtola, Algeriam tormentis abundare, quod *ex vita ejus p. 175.* magis eluceſcit, ubi memoriæ proditur, præter tormenta, quibus caſtra, monti incubantia, munita ſunt, ſeptingenta octoginta quinque e regione maris, ad propellendum hoſtem, conſpici. Imo ſunt, qui putant, inter Belgarum ſtatus arcana eſſe, ne Algeria exſcindatur. Videtur huc quodammodo ſpectare WITTIUS *in der Aanwyſinge der heilſame politike, parte I. c. I.* ubi inquit: *tot dat men eindelik na den Jare 1650. en geduurend Hollands vrye Regeeringe ſchynd gemerckt te hebben, dat wy met die Rovers van Algiers geene beſtendige Vreede maaken nog deſelve uitroeyen; ende ook dat wy die op onſe eigene Koſten gedemt hebbende, onſe Koophandel ende Zeevaart volgends ons uitterſte vogmit niet vermeerden, maer eer verminderen ſouden.*

(b) *Plebs deficit*) Non ſolum enim ad remos ex chriſtianis ſedent mancipia, ſed & ad alia nautica adhibentur officia. *Toutes ces trois villes ſont fort peuplées tant de Turcs, que de Mores ſans les renegats & les chretiens eſclaves des differentes nations, qu'on joint aux autres en cas de beſoin, ſur tout pour aider aux mores a ſervir le canon & a manoeuvrer les voiles. Auſſi ont ils coutume d'avoir ſur leurs vaiſſaux des equipages incomparablement plus forts, qu'aucun potentat chretien de ma connoiſſance.*

(c) *Excidit*) Hoc anno 1570. factum eſt.

(d) *Gigerum occupatio*) Portum hunc in regno Algeriano Galli anno 1664. occuparunt, ſed mox iterum dereliquerunt. Haud procul diſtat ab Orani monumento, quod Hiſpanorum uſque ad annum 1708. fuit, tunc enim in Algerianorum venit poteſtatem. LAUGIER *dans l'hiſtoire du Royaume d'Alger ch. X.*

ſpem collocent in piraticarum ſedium occupatione per *Taſilettam* (a) inſtructa, non obſcure itidem produnt, quam parum in officio continendis piratis claſſes valere, etiam ipſimet, judicent. Et vero a Taſiletta fortaſſis, qua jam tum valet, terreſtris poteſtas, occupari illæ piraticæ ſedes poſſunt. Mirum vero, Anglos adverſus vim piraticam a Tuſilettæ fortuna ſubſidium certum ſibi polliceri, quum a chriſtianis omnibus Taſiletta ſit animo alieniſſimo, & de ſuæ gentis more vafer ac perfidus, imo a rerum perito tanto majus immineat periculum, quanto viribus erit piratis iſtis futurus ſuperior, Africæ propemodum monarcha.

Quum itaque piraticarum virium plenam exſciſionem ſperare non licet, conſequens eſt ut amicitiæ quodam fœdere rex chriſtianiſſimus a violentis illorum invaſionibus ſuos ſubditos præſtet indemnes. Poterit autem illa etiam ratione alia regiis rebus eſſe commoda. Quod ſcilicet felicius ſolito commercia maritima a Francis poſſint conciliata hac amicitia inpoſterum inſtitui. Nec enim firmam pacem vel *Angli vel Batavi poterunt impetrare.* (b) Non Angli, quoniam id ad Taſilettam confugiendo, ſupra quam dici poſſit, piratas infeſtos ſibi reddiderunt; ut alia nunc taceam Anglicana illorum irritamenta. Non Batavi, quia etiam ipſi longius diſſiti non niſi ad breve tempus anno claſſis præſidio in metu aliquo piratas, fluxæ fidei homines, queunt ad pactorum obſervationem continere. Nec eſt quod ſperetur fore, ut pactorum cum Batavis, Anglis & Francis ſimul initorum ſanctitate moti piratæ ab omni rapina abſtineant: Quoniam illorum omne ſtudium unice in præda eſt collocatum, omnis illorum fortuna hic unice ſuſpenſa eſt. Plus ſatis ipſis videbitur, ſi a ſolis Francorum rebus rapaces manus *cogentur abſtinere.* (c) Quodſi autem talis ſecuritas ſolis chriſtianiſſimi regis ſubditis conciliata fuerit, Batavi autem & Angli, ut & reliqui omnes populi, perpetuo fuerint *periculis piraticis expoſiti,* (d) facile apparet, ingens incrementum commerciis Gallicanis poſſe hinc accedere, & hæc quidem non poſſe non ſenſim creſcere, illa autem diminui.

Quod igitur fœdus amicitiæ firmum æternumque debeat cum piratis illis obſervari, niſi fallor, in aperto jam eſt. Fuerit vero omnino ex re extendere illud cum ad commercia ipſis piratarum ſedibus exercenda tum ad ſocios futuros: perinde ac diſſeruimus de fœdere cum Turcarum imperatore ineundo. Eædem ſcilicet cauſæ etiam hic militant, ut ita loquar. Imo majus fere & præſentius periculum a piratis imminet univerſæ Italiæ ac Siciliæ aliisque Hiſpaniæ partibus, inſulis ac urbibus: ut proinde contra piraticam vim ſibi ſecuritatem *a chriſtianiſſimi regis tutela* (e) cogantur quærere, ſiquidem ſalvi eſſe velint. A commerciis Algiriacis aut Tunetanis non illud lucrum forte accipi poteſt, quod ab *Aleppenſibus aut Smirnenſibus* (f) aut Conſtantinopolitanis, non tamen etiam hoc exiguum eſt, præſertim ſi ditiſſimæ prædæ veniant in commercium.

Poſſe vero fœdus aliquod amicitiæ firmum cum piratis etiam inire perinde atque cum Turca, niſi fallor, luculente oſtendunt itidem, quæ nuperrime cum Algirianis piratarum potentiſſimis, jam tum pacta & conventa ſunt. Etſi enim illa non pacem ſed inducias conſtituerint, ſi acceſſerit tamen claſſis perpetua chriſtianiſſimi regis, in vicinia excubans (qua de mox acturi ſumus) metus perpetuus perpetuam quoque & firmam pacem expedituram confidimus. Ad animos porro in certam amicitiam conciliandos, multum videtur profuturum, ſi chriſtianiſſimus rex pactus fuerit, auxilia ſeſe præſtiturum adverſus Taſilettam, illaque urgente neceſſitate ſubmiſerit. Piratæ quam a Taſiletta, & niſi validis ſuppetiis aliunde adjecti, difficulter ſeſe & res ſuas adverſus tam potentis hoſtis impetum potuerunt tueri. Itaque illis auxiliis (cum præſertim Turcica ſint remota vel minus valida) non poteſt eſſe piratis quidquam utilius. Simul vero etiam atque etiam cavendum eſt, ne Taſiletta portuum Barbaviæ potiatur. Eaque auxilia in id piratis lata, non ad regni duntaxat Franciæ, ſed ad omnis chriſtiani maritimi orbis ſecuritatem unice ſunt neceſſaria. Quapropter etiam auxilia ejusmodi citra omnem juſtam reprehenſionem & polliceri chriſtianisſimus rex inter pacta fœderis poterit, & ſimul uti opus fuerit reipſa exhibere, cum ſummo publico chriſtiani orbis pariter & privato proprio commodo.

II.

De claſſe perpetua in mari mediterraneo tenenda.

Alterum maris dominii præſidium in perpetua claſſe collocavimus: Itaque proximum eſt, ut etiam de illa agamus. Et ſane hoc priori multum arbitror præferendum: quoniam prius quaſi præparamentum duntaxat eſt dominii, hoc autem per quam efficax ejusdem comparandi, tum conſervandi inſtrumentum. Enim vero in univerſum imperia quævis armis acquiruntur & tenentur:

(a) *Taſilettam*) Huic ex nativitatis loco Taſilettæ cognomen fuit: Verum autem ejus nomen erat *Reſchid ben Mahumet.* Patrem habuit Muley Mahumet, ſummæ autoritatis in Numidia principem, qui eum ex pellice ſuſcepit. Cum inter ipſum & fratrem natu majorem de paterna hereditate dividenda diſſidia enaſcerentur, Teſſam ſe contulit, ubi publico ore Taſilettæ rex dictus. Poſtea de tota Mauritania Tingitana ſub ſuam redigendi poteſtatem ſolicitus fuit. Vide *introductionem in hiſtoriam Africæ, ex Anglico ſermone in Germanicam translatam idioma c. III. §. 30.*

(b) *Angli vel Batavi poterunt impetrare*) Vide quæ ex RVITERI *epiſtola* ſupr. adducta ſunt.

(c) *Cogentur abſtinere*) Propinquiores enim ipſis ſunt quam Hollandi & Angli, nec ex iis tantam, quam ex Anglis & Hollandis, qui frequentiora habent commercia, prædam expectare poſſunt.

(d) *Periculis piraticis expoſiti*) Sed ſi omnia hic recte ſe habere debent, Franci Africanis iſtis gentibus, ne & cum Anglis Belgisque pacem colant, autores eſſe non debent.

(e) *A chriſtianiſſimi regis tutela*) Et talem tutelam Hiſpanus, niſi omnia ibi detrita eſſent, lenteque procederent, largiri poſſet. Tanta olim Siciliæ regum in mari mediterraneo videtur fuiſſe poteſtas, ut non ſolum in Tyrrheno, ſed & in liguſtico mari dominium ſibi vindicaverint.

(f) *Aleppenſibus aut Smirnenſibus*) *Voyage du ſieur PAVL LVCAS tom. I. p. 148. ſeqq. 201. ſeqq. TAVERNIERS Perſiſche Reiſebeſchreibunge c. 2.*

tenentur ac proinde ad maris dominium armata claſſis neceſſaria eſt. Nec ſatis eſt, ſemel claſſe uti circa initia, ſed quamdiu periculum ſupererit amittendi dominii, aut ſpes certa ejus augendi, etiam claſſis in promptu ut ſit, poſtulatur. Ad quod ſi perpetuum fuerit, etiam claſſe perpetua fuerit opus. Spectatis vero rebus omnibus haud obſcurum eſt, maris mediterranei dominium ſero admodum poſſe conſtitui. Nunc ſane ita comparatum eſt, ut non tam acquirendo maris dominio, quam tuendæ publicæ tranquillitati & fovendis commerciis, claſſis valida requiratur. Quantumvis ſcil. cum Turca & piratis in æternæ pacis leges fuerit conventum; infidum tamen omne eſt, niſi ad manum ſit quod etiam invitos poſſit in officio continere. Ea propter ſi chriſtianiſſimo regi placuerit in mediterraneo mari claſſem alere, non poterit illa parandi dominii ſuſpicionem populis æmulis injicere: Præſertim quia etiam Angli pariter & Batavi quotannis inſtructa claſſe commerciorum uſum tueri coguntur. Vereor etiam, ne occupata Creta aliquid majus ſtruat primovezirius Turcicus, fortiſſimus utique belli dux & induſtriæ indefeſſæ, niſi valida claſſis, a Chriſtianiſſimo rege præparata, ab incepto illum juſſerit deſiſtere.

Quandoquidem vero non dubitavi ſvadere claſſis perpetuæ uſum, fortaſſis etiam hoc a me exigitur, ut ſententiam dicam de claſſis illius *primum juſto robore*, (a) *deinde* de commoda illius ſtatione, *tertio* de nautica plebe, & ſimpliciter de claſſiariis, *quarto* de pecunia alendæ claſſis neceſſaria. Faciam id ipſum ordine, ſed breviter: tantum ne expectationi videar omnino defuiſſe. Reliqua enim huc pertinentia proſequi ſupervacuum arbitror & alienum a meo inſtituto.

Igitur magnitudinem claſſis videtur ipſa definire, ſive periculi avertendi ſive acquirendi dominii, magnitudo. Idque quoniam vel in alterutrum, vel in utrumque finem claſſis habenda eſt. Et vero impar claſſis robur ludibrio potius eſt quam uſui: Multum quoque detrahit authoritati regiæ, qua tamen conſtat ſalus reipublicæ. Præſtat ſane alere claſſem juſto nonnihil validiorem, quam fini obtinendo inidoneam, idque gloriæ regiæ tuendæ cauſa. Quia vero non eſt omni tempore idem periculum, aut eadem dominii acquirendi expectatio, nec claſſis quoque ſemper eadem ſit magnitudine neceſſum eſt. Pro tempore igitur & uſu vario hæc eſto alia atque alia.

Stationem ſine dubio commodiſſimam præbet Tulonum & Maſſilia. Fortaſſis vero ſaltim ejus partem interdum ſtabulari *Narbona aut Arelati*, (b) haud abs re fuerit. Si *Oranum aut Arzillam* (c) cedere in hunc uſum Hiſpanus velit, dubites merito, num fuerit commodum. Sane ad coërcendos piratas ſitus locorum videtur invitare: ex adverſo creſcente Tafilettæ potentia minimum anceps & difficilis erit eorum poſſeſſio: At vero in Africæ oppoſitis inſulis pure aptaveris tutas ſtationes. Qua vero ratione obtineri illic poſſint, *ſive invitis*, (d) ſive annuentibus dominis, non eſt hic meum docere.

Claſſiariorum juſtus numerus utrum ſemper in ipſo Franciæ *regno haberi poſſit*, (e) equidem neſcio. Et vero hactenus populus Gallicus non perinde fuit deditus nauticæ rei, indubie tamen ſenſim huc appellet animum magis magiſque: quum prudentia & induſtria magnorum chriſtianiſſimi regis miniſtrorum intra paucos annos incredibiles maritima omni re jam progreſſus fecerit. Fortaſſis vero haud abs re fuerit, invitare in id Hollandos, quos abundare aptiſſimorum nautarum multitudine notiſſimum eſt. Quo promtiores vero illi ſint, *religionis ſimul libertas* (f) fuerit

(a) *Juſto robore*) Sed de his rectius judicare non poſſunt, quam rei maritimæ periti. Vid. inprimis BURCHETTI Admiralitatis Anglicæ, ut vocatur, ſecretarii *præfat. citat.*

(b) *Narbona aut Arelati*) Nec Arelaten, nec Narbonam portubus celebres eſſe, puto.

(c) *Oranum aut Arcillam*) Arcilla æque ac Oranum jam ſub Maroccani regis eſt jugo. Sola Ceuta tot annorum irrita obſidione a Mauris clauſa, ſub Hiſpanis eſt. Habebant olim Luſitani in illo littore Tingidem, (*Tanger*) quæ ad fretum Herculejum ſitum quoque habebat portum: Sed jam deſtructa eſt. Enimvero per matrimonium Luſitanæ principis, quam infantem dicunt, cum Carolo II. Angliæ rege ad Anglos pervenit, qui non ſine magnis ſumtibus multa ei addiderunt propugnacula, per quæ Afri eo magis ad urbem obſidio cingendam excitati ſunt. Quæ res Anglorum orationibus pro conſervanda aut deſtruenda Tingride in curia inferiori habitis occaſionem dedit. Vid. *the ſecond volume of miſcellaneors Werles, Written by George late Duke of Buckingham &c. p. 219. ſeqq.*

(d) *Sive invitis*) Non tam per rationes æquitatis, introducta dominia præſupponens, vult ut nemini invito ſuum abſque juſta cauſa eripiatur, quam dominationis flagitia.

(e) *Regno haberi poſſit*) Quod ſufficiens in Gallia claſſiariorum numerus haberi queat, ex iis, quæ ex Burcheto allata ſunt, pateſcit. Olim & claſſiariorum & navium penuria laborabant. De hoc liber, qui ſub titulo: *Anwyſing der heylſame polityke Gronden en maxymen van de republike van Holland en Weſtfriesland*, JOANNEM WITTIUM maximam partem habet autorem, ſequentia *part. II. c. 7. p. 284.* refert: *Ten tweeden 15. blaar dat de Francoiſen ongemeen weinige eigene Schepen en boots volck hebben.*

(f) *Religionis ſimul libertas*) Nam non omnes claſſiarii religionis & pietatis tædio capti ſunt, quanquam inter eos rarior ſit virtus, & certo modo ad eos ſpectet, quod Marquiſio de Pruilli, Galliæ regis bellicæ navi, quam *adamantem* vocabant, præſidenti pirata, cui equitis de Temericourt nomen inditum erat, interroganti: *Mevalier, les viols, les meurtres, les ſacrileges, que tu commets journellement; tes blaſphemes, en un mot tes actions impies & barbares, ne te font elles point craindre? peut tu eſperer d'aller en Paradis? Ne crois tu pas, qu' il y ait un enfer*, reſpondebat: *Je ſuis Lutherien, je ne crois rien de tout cela. VOYAGE du chev. Chardin en Perſe p. 4.* Abſit tamen, ſceleſtum impii hujus hominis dictum cum eo ſanctiſſime proteſtantium religioni, cujus haud dubie plane imperitus fuit, tribuere. Sed redeamus ad claſſiariorum delectum: certum eſt, nullos Anglicos & Hollandicos ſuperare; imo, quod tamen citra ullius gentis contentum dixerim, ne quidem æquare; niſi hoc de Danis, inprimis Norwegis dicendum putaveris. Interim & inter Gallos Suecoſque boni reperiuntur claſſiarii, & Ruſſi videntur quoque ad rem nauticam non eſſe inepti. In Suecia, Belgio, Dania & Gallia ad inſtar militum conducuntur, ubi non ſemper omnis deeſt coactio. Quæ hic in Anglia obtinent, docet BURCHETTUS *in præfat. citata p. 15. Cela toujours a ète la coûtume, qui s'obſerve encore à preſent, de publier une proclamation, au commencement de chaque année, par laquelle S. M. promet à tous les Matelots, & autres, qui veulent ſervir ſur les Va-*

fuerit ipſis indulgenda, neve aliis diverſitate ſacrorum ſint oneri, habendi ſeorſim. Ita ſane & turbæ omnes, quas ſacrorum diverſitas in vulgo ſolet concitare, caveri poterunt, & rem ſtrenue gerendo æmulatio excitabitur. Chriſtianiſſimo ſane regi illis ex Hollandia accedentibus ſupplementis, nunquam deficiet juſtus claſſiariorum numerus.

Pecuniæ vi magna ad ejusmodi claſſem cum *ſtruendam* (a) tum *alendam* (b) indubie erit opus. Poterit vero illa fortaſſis abunde parari ex variis quaſi fontibus. Primo enim utique juſtiſſimum eſt, ut a navibus mercatoriis, quibus hæc claſſis ſalvum conductum præſtat, non minus quam fit in Hollandia & Anglia, ſolvatur operæ aliquod & impenſarum præmium. *Et vere illo uno* (c) Hollandicæ pariter & Anglicæ claſſes ſuſtentantur. Quoniam porro hæc Chriſtianiſſimi regis claſſis periculum omne, quod a Turca & piratis Turcicis alias immineret, avertit a toto Franciæ regno, ex parte etiam a reliquo maritimo orbe Chriſtiano, cedit utique illa in ſacros uſus. Proindeque juſtum profecto eſt, ut ex ſacris regni bonis claſſis illa ſaltim potiſſima ex parte ſuſtentetur. Poteſt autem illud ſine incommodo fieri, quia illarum opum nusquam fere terrarum magis eſt ſuperflua copia; idque in pietatis & cleri ipſius detrimentum potius quam utilitatem. Veriſſimum nempe eſt illud Sulpitii Severi, diſcipuli S. Martini & hominis *Galli: Auro non ſtrui eccleſiam ſed deſtrui.* Seorſim longe fuerit æquiſſimum, ſi in claſſis hujus ſuſtentationem ſaltim ſuperfluum omne Johannitici ordinis bonorum impendatur: utpote quam illa dedicata præ aliis ſint defenſioni populi adverſus vim mahumedanorum, per claſſem vero hanc ipſe chriſtianiſſimus rex ita omne hoc præſtet, *ut ordinis opera haut ſit neceſſaria.* (d) Quin ſane ex bonis illis debeatur regi præmium eximium, non arbitror poſſe negari. Quum ita vero omnia ſeſe habeant, plus quam ſatis, niſi fallor, de pecunia jam tum juſtiſſima ratione proſpectum eſt.

III.

De commerciis maris mediterranei vindicandis.

Venimus ad tertium acquirendi marini dominii ſubſidium: quod collocavimus in vindicatis Galliæ mediterranei maris commerciis. Initio vero oſtendendum, qua ratione ad Gallos commercia illa, ſaltim plœraque ex parte, transferri poſſint; Deinde probandum, aptum in iis momentum eſſe poſitum dominio iſti comparando. Vt Galliæ igitur ſoli vindicentur iſta commercia, duo arbitror ſufficere. Quorum primum eſt, firma piratarum *cum ſolo regno Galliæ* (e) amicitia: Alterum illa vis ſive mercium Gallicarum permutandarum ſive pecuniæ emtioni paratæ, qua comparari extranea ſaltim pleraque poſſint, ſi non omnia. De amicitia cum piratis ineunda jam tum diximus. Nullum vero Italiæ populum, principem aut rempublicam, parem

eſſe

iſſeaux, de l'argent de bonté, c'eſt à dire de gratification, qui monte à deux mois de paye. Cela, à la verité, en attire beaucoup, mais cependant il y en a encore pluſieurs, qui ſe cachent jusqu' à ce que la Flotte ſoit en Mer, ou jusqu' à ce que le tems limité pour l'argent de gratification, ſoit pres que expiré, ce qui fait extrémément du tort, & empêche que la Flotte ne ſoit ſi-tot en état de partir.

Les Matelots étant ainſi encourager de ſervir volontairement, on ſe ſert encore d'une autre méthode, pour les y contraindre, en les preſſant, ou forçant par des ordres ſignez par le Grand Amiral, adreſſez aux Capitaines de Vaiſſeaux, qui les font exécuter par leurs Lieutenants. Et pour en faciliter davantage l'execution, on a des Batteaux tous prets, qui vont de place en place, avec ces Officiers & leur ſuite, non ſeulement pour y embarquer les volontaires, mais pour forcer tous ceux qu'ils peuvent trouver. Et même les Vice-Amiraux de chaque Comté, avoient pouvoir, il n'y a pas bien long-tems, de preſſer, mais cela ne ſe fait plus, a cauſe que cela cauſoit plus de déſordre, & coûtoit plus d'argent, que le public n'en tiroit d'avantage. Je ſuis pourtant d'opinion, qu'il faudra renouveller cette methode, autrement je ne puis pas concevoir, comment on pourra empêcher les Matelots de déſerter, & s'enfuir dans les Provinces éloignées de la Mer, & comment on les y pourra decouvrir, & ramener à la Flotte. Modus ille violentus conducendi claſſiarios, quem *preſſen* vocant, jam abrogatus eſt.

(a) *Struendam*) Quæ ſtruendæ claſſi Galliæ deſunt, ex regnis ſeptentrionalibus adduci ſuisque immitti curat promtuariis. Imo & ex Hollandia tales ipſi afferuntur materiæ. Quam inſtructa autem habeat promtuaria ſtruendæ & inſtruendæ claſſi, ex eo conſtat, quod, cum Galli in proelio, quo ab Anglis ſub *Ruſſelis* architḥalaſſi ductu ſuperabantur, quindecim vel ſedecim naves igne amitterent, intra anni, & quod excurrit, ſpatium totidem ejusdem nominis & ejusdem magnitudinis condi fecerit. Addit BURCHETTUS: *ce qu' il fit ſans doute, pour tromper la poſterité, qui ne pourroit pas croire, qu' une ſi grande perte, pût etre reparée en ſi peu de tems, ou pour quelque autre raiſon particuliere.*

(b) *Alendam*) Immenſi propemodum in alendam claſſem requiruntur ſumtus.

(c) *Et vere illo uno*) Notante WITTIO *l. c. c. 1.* reditus, quem *convoyen en licent gelden* vocant, complectebatur in collegio admiralitatis

Rotterdamenſi	330737	flor.
Amſtelodam.	803659	- -
In parte ſeptentr.	125000	- -
	1259396	
In Selandia	329367	
	1588763	

Et hæ ſummæ tantum in lucrum vergebant, detractis jam tum ſumtibus in ſuſtentationem ipſorum collegiorum & excubiarum faciendis. Anno 1664. Admiralitatum collegio ex ſolo ære, quod *convoygeld* vocant, redigebant 310072898. florenos & Selandia quadringenta florenorum millia. JOANNES WITTIUS *l. c. c. II. part. II. p. 239.* In cujus pecuniæ tamen abuſum & admiralitatum aviditatem injuſtam multorum centenorum millium florenorum ſubſidiis a Belgii uniti ſubditis colligendis inhiantium graviſſime invehitur. WITTIUS *l. c. part. I. c. 22. 23.*

(d) *Ut ordinis opera haud ſit neceſſaria.*) Sed hoc juſtus non eſt titulus, Johanniticum ordinem bonis, quæ juſto titulo acquiſivit, privandi.

(e) *Cum ſolo regno Galliæ*) Cum æquitate autem & chriſtianiſmi regulis non coincidit, piratarum amicitiam ſibi ea lege conciliandi, ut aliorum ſint hoſtes.

Digitized by Google

eſſe coërcendis piratis, nec Hiſpanum id poſſe, niſi fallor, evidens adeo jam eſt, ut probatione non egeat: Compertum ſcil. longa pridem experientia. Utpote cum hi omnes ſatis felices ſeſe exiſtimantes, ſi littora ſua queant tueri ab incurſionibus piraticis, vix ulla amplius propriis navigiis per mare illud commercia poſſint inſtituere. Neque eſt, quod & illi amicitiam piratarum poſſint ſperare. Hæc etiam ab illo quidem hominum genere non niſi majoris mali metu extorqueri poteſt: Nec Itali autem nec Hiſpani piratis illis ſunt metuendi. Majus longe robur eſt Anglorum & Batavorum, eoque jam tum non ſemel ab illis ad fœdera quædam pacis piratæ per vim adacti ſunt. Eventus vero docuit, nihil firmum cum piratis potuiſſe, vel Anglos ut & Batavos hactenus paciſci. Idque fieri propterea, quod utique longe diſtent a piraticis Africæ oris, ac proinde non niſi claſſe huc illuc vagabunda, quæque ventorum violentiæ & injuriis ſimul eſt expoſita, ſuis præſidio eſſe poſſint: Quodque porro ipſi illi in mutuam æmulationem quæſtus faciendi ita ſint accenſi, ut alteri alteris plurimum noceant, jam tum docuimus. Vetat vero ſperare illos meliora, cum perpetuo manens longa diſtantia, tum radicata penitus utriusque gentis circa lucrum rivalis quædam cupiditas. Superſtite autem illo quod nunc eſt commercantibus Anglis & Batavis periculo, primum neceſſaria in claſſem impendia, & ſecundo ingentia a piratis paſſa damna ſenſim ita corrumpere commercia illa poterunt, ut lucro, vel penitus ceſſante vel facto perexiguo aut incerto, mercatura illa Anglorum & Batavorum non minus ſua ſponte exſpirabit, atque jam tum periit Italorum & Hiſpanorum. Accedit, quod longa diſtantia & Anglorum & Batavorum ab illis oris mediterranei maris, ubi commercia inſtituenda veniunt, navigia mercatoria perquam multis & aquarum & ventorum injuriis obnoxia reddat. Qualibus malis longe minus patent naves Gallicanæ: ut quæ Hiſpaniam Italiamque habeant quaſi præ foribus atque ad ipſas Turcæ terras ſæpenumero paucorum dierum ſpacio ventis ſecundis pervenire, atque ita facillima ratione etiam commeatu inſtrui & fortaſſis quaſſæ tempeſtatibus reſtitui in integrum queant. Quanquam vero illa cum piratis conjuncta firmior amicitia augenda, neutiquam tamen ſatis eſt ad monopolium. Idque partim ob minus fida piratica pacta, partim ob pertinentem mercatorum Anglorum Batavorumque lucrandi cupiditatem, quippe quæ etiam magna rerum jactura non patitur, ſeſe res facile a propoſito dimoveri. Alterum, quod indicavimus obtinendi monopolii remedium, videtur omnium fere aptiſſimum. Quod ſi nimirum primum illæ merces omnes, quæ expeti ſolent in emporiis mari mediterraneo proximis, quæque iſthuc advectæ ſunt hactenus ab exteris quibusque, Anglis cumprimis & Batavis, a Gallis ſuppeditentur, utique illam, quæ permutando inſtituitur, mercaturam commode Galli vindicare ſibi poterunt: At vero non multum difficile fuit, Gallicanis mercatoribus, & comparare ſibi omnes illas merces, & rurſus divendere, modo a pecunia neceſſaria fuerint adjuta. Quod ſi porro in promtu fuerit ea vis paratæ pecuniæ, qua ſolent alii vendibilia quæque ſibi comparare, utique præveniri alii illi poterint a Gallicis negotiatoribus. Ac proinde neceſſum fuerit, monopolium illarum mercium ad Gallicos mercatores transferri, ſaltim optima ex parte.

Cæterum agnoſco, ingentem partæ pecuniæ vim in id requiri: Atque adeo illud eſſe tale, quod ſuperat vires non ſingulorum duntaxat mercatorum, ſed multorum etiam, qui ſocietatem contraxerint. Neutiquam tamen deſpondendum animum cenſeo: modo chriſtianiſſimi regis auctoritas favorque acceſſerit. Primum enim invitati regia auctoritate incolæ per omne regnum Gallicanum, propoſita certi lucri expectatione, *nomen ſocietati daturi* (a) indubie ſunt, collaturique magnam pecuniæ ſummam. Poterunt vero & exteri quique, ipſique adeo & Angli & Batavi, dandæ ſymbolæ ergo, certis immunitatibus, cum primis religionis in mercatoriis navigationibus exercendæ libertate (ſine hac enim ut nunc ſunt tempora, non eſt quod multos queamus advocare) excitari ad eandem ſocietatem ineundam; perinde atque in Batavis factum eſt ſummo *cum incremento ſocietatum* (b) Indicæ, Americanæ, aliarumque. Maximum vero ab ipſo chriſtianiſſi-

(a) *Nomen ſocietati daturi*) Commerciorum in Gallia variæ ſunt ſocietates. Et ut eo magis clarorum natalium homines iis nomen dare alliciantur, rex *articulo I. declarationis de anno 1664. ſuper erectione ſocietatis Indiæ orientalis* conſtituit: *que la compagnie des Indes orientales ſera formée de tous nos ſujets, de quelque qualité & condition qu' ils ſoient, qu' y voudroient entrer pour telles ſommes, qu' ils eſtimeront a propos, ſans que pour ce ils de rogent a leur nobleſſe & privileges, dont nous les avons relevés & diſpenſés.* Et hoc in declaratione de anno 1669. confirmatum eſt, ubi hæc leguntur: *Et de notre grace ſpeciale pleine puiſſance & authorité royale nous avons dit & declaré & par ces preſentes ſignées de notre main diſons & declarons, voulons & nous plait, que tous gentils hommes puiſſent par eux ou par perſonnes interpoſées entrer en ſocieté, & prendre part dans les vaiſſaux marchands denrées & marchandiſes d' iceux, ſans que pour raiſon de ce ils ſoient cenſes, ni reputés deroger a nobleſſe, pourveu toutefois, qu' ils ne vendent point en detail.* Adde *relation de l' etabliſſament de la compagnie Françoiſe pour le commerce des Indes orientales.* Fateor plerumque ab ejusmodi ſocietatibus, monopolio donatis magna in rempublicam utilitatum derivari flumina; quo ea, quæ Galliæ rex in præfamine conſtitutionis ſuæ habet, ſpectant: Verum ab hac ſententia non ſine ratione JOANNES DE WITT *l. c. part.* 1. *c.* 16. *p.* 74. *part.* 2. *c.* 1. diſcedit. Obiter hic moneo, tales ſocietates in imperio Germanico contrahi non poſſe. Vid. *artic. VII. capitulat. Caroli VI.*

(b) *Cum incremento ſocietatum*) Cœperunt potiſſimum Hollandi & Selandi navigationes verſus Indias juxta caput aut promontorium bonæ ſpei anno 1595. inſtituere. METERANUS *lib.* 17. *p.* 549. Poſtquam autem Batavia in inſula Java potiti, ibique Indiæ orientalis ſocietas, principem ſuam conſtituit ſedem, majora indies ſumſit incrementa. De potentia & autoritate hujus ſocietatis ejusque præſidis, quem *Gubernatorem generalem* dicunt, ſequentia habet NEUVILLE *tom.* 1. *livr.* 5. *ch.* 2. *de l' hiſtoire d' Hollande.* Cumque res ſocietatis Indiæ orientalis tam proſpere cederent, animum induxerunt, Indiæ etiam occidentalis ſocietatem inſtituere, quod negotium anno 1621. ad finem perductum eſt. Vid. NEUVILLE

niſſimo rege poterit indubio ſubſidium parari. Verum illud quemadmodum ſine gravi negotio, meo quidem judicio, confici poſſit, jam indicandum. Principio igitur illud arbitror extra omnem eſſe poſitum controverſiam, ingentes eſſe *cleri Gallicani annuos proventus.* (a) Etſi enim a me certa eorum ſumma ignoretur, nec Gallicani ſcriptores in illa ſignanda conveniant, aliis ſemiſſem proventuum totius regni, aliis bonorum quadrantem, aliis duos fere trientes, aliis duas quintas, aliis plus, quam centum milliones coronatorum annuos, aliis longe plures, aliis longe regios proventus ſuperantes clero tribuentibus; cum omnes tamen conſentiant de immani clericorum opulentia, non poſſum utique etiam ego dubitare. Secundo, publica etiam vox eſt totius Galliæ, atque adeo fide digniſſimo conſtat teſtimonio, in ſacros uſus aut ad ſuſtentationem commodam clericorum neutiquam tanta pecuniæ vi eſſe opus: Solere vero etiam partem ejus bonam luxu conſumi, non ſine ſcandalo laicorum. Tertio, clericorum non minus quam alia ſubditorum regni bona, regiæ diſpoſitioni & imperio obnoxia eſſe, ſcio quidem clero aliiſque nonnullis haud videri: Attamen reges chriſtianiſſimos, quam plures hoc ſibi juris certum eſſe ſumſiſſe hactenus, & ſi opus fuerit, poſſit hujus regii juris æquitas clariſſime oſtendi, imo a præclaris auctoribus haud paucis jam pridem oſtenſum eſt. Quarto, pauca eorum bonorum, quæ a Clero poſſidentur fere ſacra, pleræque autem non minus ac reliqui populi opes profanas eſſe, itidem manifeſtum eſt, oſtenduntque id ipſum ipſimet Clerici ſuo uſu bonorum, qui utique plerumque eſt profanus. Quinto fas eſt chriſtianiſſimo regi, profana Cleri bona vertere in commodum reipublicæ; quia præſertim illa cæteroquin cedunt in pietatis & ſacrorum detrimentum. Diſplicet quidem illud Clero, jam tamen a multis ſeculis chriſtianiſſimi Franciæ reges jus hoc exercuerunt & hodie exercent. Idque recte fieri, liquido doceri poteſt, ſi opus fuerit. Sexto denique, officii videtur regii eſſe ſuperflua illa & profana cleri bona impendere in emolumentum totius regni; idque quandoquidem in officio regio eſt, ad utilitatem publicam, quantum licet, omnia bona diſponere, ſalute publica pro ſuprema omnium lege merito habenda.

Hiſce vero poſitis, ſaltim hoc manifeſtum jamtum eſt, *ſummo jure* (b) poſſe a chriſtianiſſimo rege adſumi partem eximiam ſuperfluorum Cleri bonorum, in hujus qua de jam agimus mercaturæ uſum: Præſertim, quoniam ex illa incredibiles fructus toti regno Galliæ poſſint certo expectari. Ne tamen Clerus habeat quod multum conqueratur, aut quo res minus pateat imperatorum voculis, fortaſſe permittendum fuerit, ut illorum ſuperfluorum annuorum proventuum etiam ipſimet juſtum aliquem fructum conſequantur. Id quod, niſi fallor, fieri commode poterit, ſi chriſtianiſſimus rex annuorum illorum proventuum trientem duntaxat mutuo acceperit, ſub pacto *duorum aut trium in centum* (c) ſortis, intereſſe vice, (ne *quis uſuræ* (d) nomen horreat) ſolvendorum. Forte enim triens cum aliis quæ dixi poterit ſufficere monopolio inſtituendo, & ſenſim accreſcent bona clericalia ex annuo illo triente in ſortem maximam, idque magno cum ipſius Cleri bono. Ut ipſe Clerus mercaturæ in uſum ſua bona immediate impendat, eſt infra ſanctam ejus dignitatem, & fuerit quoque clericali pietati noxium: Quippe cum illa divitiis (præſertim illis ex mercatura partis) non poteſt non denique tota ſuffocari.

Quin poſſit vero hac ratione, & juſte & ſine omni populi onere, cum toti regno, tum ſuo privatim ærario, hac pecunia mutuo ſumta, in commerciorum mediterranei maris uſum, cum reliqua quæ ab aliis collecta eſt impenſa rex chriſtianiſſimus plurimum prodeſſe, dubio omni arbitror vacare.

Non eſt vero quod quis commercia iſtæc jure poſſit infamare, monopolii cauſa. Nec enim ſimpliciter *omne monopolium* (e) æquitati adverſatur. Neque hoc monopolium cedet in paucorum,

l. c. Divitiæ ab Hainio Hiſpanis, deleta eorum claſſe, ereptæ, & Braſilia Luſitanis ademta, res hujus ſocietatis admodum florentes reddiderunt: Sed amiſſa Braſilia, collabaſcere cœperunt. NEUVILLE *l. c. tom. 2. ch. 8.*

(a) *Cleri Gallicani annuos proventus*) BOTERO autore reditus Gallicani cleri ad 104 milliones & 500000. uncialium aſcendunt, quæ ſumma regios reditus, cum nondum ad illam magnitudinem, qua hodie ſunt, excreverant, haud dubie longe ſuperavit. Interim hic nihil certi ſtatui poteſt. Adjiciamus, quæ *autor diarii ſapientum* in menſe Septembri 1726. recenſens: *Le recueil hiſtorique chronologique & topographique des archevechés, evéchés, abayes & prieures de France p. 4.* habet. *Par raport aux revenus D. Beaunier avoue, qu' il a ſuivi le recueil de Pelletier, & il ne nie pas pourtant, que cet expeditionaire, ne ſe ſoit ſouvent trompé, d' ailleurs les revenües ont bien changé depuis la ſupputation de cet auteur.*

(b) *Summo jure*) Sed ſummum jus ſumma ſæpe eſt injuria. Si privati aliqua re in totius reipublicæ utilitatem decedere debent, damnum illud ipſis ab omnibus penſari debet. Alias dominium, quod legitimo modo, partum eſt, nulli ſub ſuperflui prætextu eripi poteſt. Quod ſi enim hoc fas eſſet, ditiores multi in uſum pauperum ſuperflua bonorum parte emungendi eſſent. Alia quæſtio eſt: Quænam obligatio ex regulis humanitatis & caritatis, naturalis & chriſtianæ, in clericos circa bona ſuperflua cadat.

(c) *Duorum aut trium in centum*) Hoc ex æquitatis naturalis præcepto, quod mihi prodeſt, & tibi non nocet, imo utile eſt, derivandum eſſet. Cui accedit ſuprema poteſtas regis in territorio, cujus vi ſupremus eſt omnium ſuorum ſubditorum quaſi curator, & eccleſiaſticorum monaſteriorumque advocatus. Atque vi hujus poteſtatis ipſos, ne otioſam ſuam pecuniam relinquant, obſtringere poteſt; habetque ille merito, ut dominus territorialis, in mutuo accipiendis Cleri nummis jus prælationis.

(d) *Ne quis uſura*) In clero canonicum jus uſuras improbat lucratorias, eique injungit, nummos ſuos aliorum uſibus gratis præbere. Quidni igitur principi ſuo reipublicæ ſalutem promoturo ſub pacto duorum vel trium in centum, pecuniam ad ſuam ſuſtentationem non neceſſariam mutuo darent. Quod ſi autem certo perſuaſi eſſent, pecuniam illam ad opprimendos alios adhibitum iri, ſalva conſcientia eam in mutuum collocare non poſſent.

(e) *Omne monopolium*) Sed ſunt, quæ contra ſocietatum illarum monopolia habet WITTIUS, quem antea citavi.

rum, ſed omnium regni ſubditorum commoda, quam omnibus in univerſum licebit ſocietati huic nomen dare & conferre aliquid ſummæ: ad hoc etiam *pauperes quique* (a) ex commerciorum ejusmodi majore ſolito frequentia innumeros poterint fructus capere, ſive ipſi navales operas præſtare, ſive manu operari neceſſaria commerciis ad importationem & advectionem adjumenta velint, in univerſum vero modico pretio comparare omnes ſibi poterunt mercatura hac, quæ aliunde allata fuerint, & majore lucro ea quibus abundant, ſive naturalia ſive arte facta, exteris divendere. Haud crediderim viſum iri cuiquam, monopolio conſtituto plus in Franciam externarum mercium fore ut afferatur, quam poſſit rurſum diſtrahi. Nec enim hæc quidem ſollicitudo non ridicula fuerit. Quidni enim illa omnia a Francis impoſterum æque poſſint diſtrahi, atque olim factum a Genuenſibus & Venetis, & hodie fit ab Anglis & Batavis. Quam porro eſt ingens in uno hoc Franciæ regno multitudo hominum, quæ merces illas exteras ob paucitatem, vel caritatem ſibi comparare non potuit, poterit autem poſthac! Quid? Quod Francia cum Germanis poterit longe quam hactenus *frequentiora & commodiora inſtituere* (b) commercia omnis generis, & proinde etiam hæc. Docebo id alias fortaſſis, ſi fuerit operæ pretium. Interim tamen non eſt, quod quem diſtrahendi cura maceret.

Et vero niſi vehementer fallor, jam tum liquet, monopolium exterorum commerciorum per mare mediterraneum poſſe Franciæ & chriſtianiſſimo regi vindicari. Ut proinde jam liceat ad partem alteram hujus inſtitutæ diſſertationis pergere, atque adeo jam docere, quemadmodum illud monopolium poſſit dominio maris illius acquirendo conducere. Prius tamen quam hoc agamus, haud abs re fuerit, de aliquo commerciorum iſtorum inſigni incremento, quod fortaſſe ſperari poteſt, nonnihil inſerere. Per Arabicum nempe ſinum commode navigatur in mare Indicum, poſſeque hac via ex India aromata longe integriora, quam per oceanum, circuita Africa omni, ejusque promontorio bonæ ſpei, & jam pridem uſu compertum quondam fuit, & vel oculis cuivis luſtranti ſitum depictum, cum Arabici illius ſinus, tum oceani Africam alluentis poteſt exponi. Credo etiam in controverſiam trahi non poſſe, modo liceat hac via transferre in mare mediterraneum Indicanas merces, plurima pericula navigationum poſſe evitari, & quæ in eas requiruntur ſimul ingentes impenſas.

Verum hac via nihil ſperari poſſe, videtur docere primum illud, quod Veneti, qui ſoli hac ratione aromata ex India olim accepere, & in Europam magno cum lucro paſſim tranſtulerant, ex quo *Luſitani ſuperato bonæ ſpei promontorio* (c) fixas in India ſedes collocavere, deſierint hanc viam frequentare, animum quaſi deſpondentes ullius lucri inpoſterum faciendi. Secundo, quod nec Turcici mercatores, quamvis non univerſæ Ægypti duntaxat, ſed etiam urbis *Aden*, (d) quæ ſinus illius Arabici oſtio, ipſi imperare idonea eſt, ut & *Baſſoræ* (e) Inſulæ, jam tum a Selimi usque II. temporibus, Ottomannici ſunt domini, Indicana commercia per mare illud rubrum exercuerint. Tertio, quod nec Angli nec Hollandi tale quicquam tentaverint.

Quantum judicio tamen poſſum aſſequi, non eſt cur illa exempla quidem nos terreant, Veneti enim deſierunt illa exercere commercia; cum quod illa hactenns non in ſua, ſed *Mamaluccorum* (f) Ægypti dominorum fuiſſent poteſtate, hi vero imperio omni exuti jam tum ſint a Selimo primo Turca, anno ſuperioris ſeculi quinto decimo. Etenim ſoliti ſunt olim, durante Mamaluccorum imperio, merces Indicas Veneti non ex ipſimet India accipere, ſed Cairo aut Alexandria, quo translatæ fuerant per Saracenicos mercatores. Turcico imperio ibi conſtituto omne hoc neglectum fuit, cura Turcarum alio deflexa ad Europæa ſcil. infeſtanda. Ac proinde nec Veneti quicquam omni iſthoc tempore potuerunt efficere præcipue ipſis maris mediterranei proximis commerciis per Francos, Anglos & Batavos corruptis. Turcæ porro ipſimet mercaturæ non

(a) *Pauperes quique*) Sed illi eodem modo ex commerciis & manufactis victum trahere poſſent, etiamſi talia ſocietatum non eſſent monopolia.

(b) *Frequentiora & commodiora inſtituere*) Incipiunt Germani, maximo ſui bono, ad exotica nauſeare, iis, quæ in patria naſcuntur & fiunt, contenti.

(c) *Luſitani ſuperato bonæ ſpei promontorio*) Primam orientis conquiſitionem per Vaſcum Gamam, *Emanuel Luſitaniæ rex* auſpicatus eſt. Vid. ANTONIVM VASCONCELLUM *p.* 264. *ſeqq.*

(d) *Aden*) Arabum cuidam principi hæc urbs paret. Præter hanc aliæ ad mare rubrum ſunt civitates, portubus notabiles, ut *Suez*, *Moka*, *Gedda*, *Tambout* & *Coffir*, olim portus *Souris* dictus. *Voyage DE PAUL LUCAS tom.* 2. *p.* 232. *tom.* 1. *p* 292.

(e) *Baſſora*) Neſcio, an hic autori ſermo de Baſſora, ad ſinum Perſicum ſita, ſit.

(f) *Mamaluccorum*) Vocabulum *mamaluc*, mancipium ſignificat. Ægyptorum enim Sultani de indigenarum effeminata ſatis edocti mollitie, mancipia a vicinis redemta, quæ belli artibus addiſcendis apta, & corporis animique robore prædita credebant, in belli uſus neceſſariis artibus & exercitiis inſtrui curarunt, unde flos ille egregii militis, quem deinde mameluccos dixerunt, enatus eſt. Ope hujus militis Sultani ægyptiorum multas in ſuam redegerunt poteſtatem provincias, donec mamelucci ex ſuo Sultanos conſtituerunt numero, quorum primus fuit TURQUIMEINUS libertatem Ludovico ſancto, Galliæ regi, in expeditione in terram ſanctam capto, ſub horribili tamen juramenti formula ex aliquorum ſententia reſtituens. Formula autem juramenti illius, quam MAIMBVRG *dans l' hiſtoire de croiſades tom.* 4. *p.* 192. refert, hæc eſt: *qu' au cas qu' il manquat d' accomplir ſes promeſſes, il vouloit etre reputé parjuri, comme un chretien, qui a renié Dieu, ſon bapteſme, & ſa loy, & qui en depit de Dieu crache ſur la croix, & la foule aux pieds.* Sed hic æque ac AUCTOR *hiſtoriæ vitæ Ludovici ſancti, & PAULUS ÆMILIUS fol.* 271. a Ludovico tale eſſe præſtitum negat jusjurandum. Vid. tamen BAYLE *dans la reponſe aux queſtions d' un provincial tom.* 3. *p.* 632. qui notat, Æmilium aliosque aberrare, quando a Sultano id juramenti ab eo poſtulatum dicunt; cum hoc tamen a proceribus, Sultano jam tum interfecto, factum ſit. Sed redeamus ad Mameluccos, quorum in Ægypto imperium in Tomunlayo Sultano a Turcis 1516. eſt deletum. *Voyage du ſieur PAUL LUCAS tom.* 2. *p.* 202.

non ſunt deditı, tantum illam non impediunt, ſi certa lucri ex vectigalibus ſit expectatio. Non itaque eſt, quod Turcica ignavia Gallicos hodie mercatores terreat. Angli denique & Batavi non adeo pridem denique in amicitiam a Turca ſunt recepti, & nunc laborant piraticis direptionibus per omne mare mediterraneum. Ut non ſit mirum, maluiſſe illos hactenus Indicanas merces tutiori via per oceanum expectare.

Majus obſtaculum videtur impendere ex eo, quod Turcæ fortaſſis non ſint paſſuri, navigari Arabicum illum ſinum a chriſtianis mercatoribus, ob viciniam Mechæ & Medinæ, Arabiæ urbium, quas ſuperſtitioſiſſime venerantur: aut Turcarum quamvis pacto ſalvo conductui non poſſe ſecure credi, a vagantibus quoque huc illuc Arabum prædonum magnis cohortibus præſens ſemper periculum impendere. Ad hoc in Ægypto non poſſunt naves hiſce commerciis aptæ conſtrui ob defectum lignorum! usque adeo ſane Ægyptus indiga eſt talium, ut jam tum olim Petrus Bilonius Oenomannus, vir utique perdoctus & fide digniſſimus αὐτόπτης, Solymanno imperante obſervatum ſibi memoravit *Lib. 2. Cap. 20.* coactum Solymannum, in uſum Ægyptiæ claſſis, Conſtantinopoli mittere in Ægyptum confractas triremes, easque camelorum tergis deportandas Svez usque Cairo curare, ibique denuo easdem conſtruere. Cymbas rubri illius maris idem ita deſcribit *cap. 61.* ut lignorum navigiis idoneorum penuria plus ſatis etiam inde poſſit apparere. Non alia porro de cauſa videntur olim, Mammaluccis regnantibus, merces Indicæ tantum ad urbem Judæ navigiis advectæ, inde vero, quamvis longo & moleſto itinere Cairum camelorum opera deportatæ.

Verum enim vero ne quid iſthæc fortaſſis ſufficiant illi prohibendo, quem nos propoſuimus conatui inſtituendi mercaturam Indicarum mercium. Primum enim, quæſtus ex vectigalibus faciendi utique Turca eſt cupidiſſimus. Itaque ſi videat ex iſthoc commercio poſſe ærario ſuo naſci emolumentum, per quam eſt veriſimile ſuperſtitioſam *Mechæ* (a) & *Medinæ* (b) venerationem navigationi per ſinum Arabicum *non obſtituram.* (c) Modo quidem nec ulla ſit a violentia

(a) *Mecha*) Mecha nulla re præter Abrahami domum, ut Turcæ volunt, notabilis, inter altos duos ſita eſt montes. Contendunt Turcæ, hanc domum ab Adamo quoque habitatam fuiſſe, ſua lingua *Becalla* vocant. Nonniſi una conſtat camera, argentea porta tectoque & aureo ſtillicidio inſigni. In exteriori cameræ parte vexillum ſupremum (*Pavillon*) quod auro diſtinguendum multarum anni ſpatio occupat manus, adhæret; Quovis anno novum, Turcarum imperatoris ſumtibus acu pictum a peregrinantium congerie (*Caravane*) eo adfertur, & præcedentis anni donum, ad imperatorem referendum, repetitur. Sæpe parte aliqua mutilatum redit, cum rei, quam ſanctiſſimam credunt, cupidiſſimi avidas a furto non abſtinent manus. Quod non illicitum putant, cum religionis cauſa fiat. Plura vide *dans le Voyage de la baſſe agypte de Paul Lucas tom 1. p.* 187 *ſeqq.* In monte urbi vicino, multæ a peregrinis Muhamedanæ religionis, hunc in finem ex diverſis orbis partibus confluentibus, per triduum, quod *parvum Bairam* vocant, immolantur victimæ. Carnes deinde pauperibus diſtribuuntur. Dicunt, hunc eſſe montem, in quo Abraham filio ſuo Numini litare voluerit. Eſt itaque Turcicarum peregrinationum annuarum primarius finis, domum illam Abrahami religioſo cultu venerandi, & ad iſtas, quas nominavi victimas, incumbendi. Sepulcrum vero Mahometis, quod Medinæ eſt, viſitandi ſolennium illarum peregrinationum tantum finis ſecundarius eſt.

(b) *Medinæ*) Hæc decem Mecca diſtat diurnis itineribus. Sita eſt urbs in planitie, quam varie rigant aquarum tractus canalibus derivati, quos arbores includunt. Frondes, quas hæ oſtentant, virides tanto magis admirationi ſunt, quoniam circumjecti campi nulla re, quam perpetua ſint memorabiles ſterilitate. Id quoque notari meretur, quod territorium illud homines commodis indulgentes moribus, & excellentiſſimas producat formas, cum Mecca e contra, nonniſi nigro aut ſub-fuſco colore deformes alat. Illuſtriorem adhuc Medinam reddit tumulus Mahometis, quem inter duos magnetes in aëre medium verſari mentiuntur. Tumulum hunc tegit operculum (*pavillon*) ingentis pretii, quod quivis Turcarum imperator ſub regiminis initium Mahometi donum mittit, quodque tam diu tumulo tegumentum eſt, usque dum novus conſtituatur imperator. Tumulus ſub cuſtodia quadraginta Eunuchorum nigrorum eſt, eumque nemo præter eunuchorum nigrorum palatii imperialis capita ingredi audent. PAUL. LUCAS *l. c. liv. 4. p.* 390. *ſeqq.*

(c) *Non obſtituram*) Ex CHARDINI *Itinerario* conſtat, tam per Hagum, (*de la Haye*) quam per Nointelium, Galliæ regis ad aulam Turcicam legatos, de commercio Indico per mare rubrum tractando actum eſſe: Verum res proſpero caruit ſucceſſu, usque dum primus Vizirius, acceptis primum Lionnei Gallici ſtatus Secretarii literis ad polonicum bellum perrecturus, inter alias novæ conventionis leges cum Nointelio per Cancellarium ſuum contrahendæ & in hanc conſenſit: *Qu'ils auroient le commerce libre aux Indes par la mer rouge, moyenant cinq cent de douane, qu'on payeroit a l'entrée des terres de grand ſeigneur ſans payer rien d'avantage, qi au paſſage ni a la ſortie. CHARDIN p.* 58. Neſcio, an autoris noſtri conſilium jam tum ante annum 1670. literis mandatum fuerit; tunc enim dici poſſet, Galliæ regis zelum, ſtabiliendi Indicum commercium per illam viam, aut excitaſſe aut admodum auxiſſe. Regem autem de eo admodum ſollicitum fuiſſe, ex eo quoque apparet, quod Nointelius anno 1671. Vezirio dici curaverit: *Qu'il avoit ordre de l'empereur ſon maitre de lui recommander fortement l'affaire de la mer rouge, que ſa Majeſté l'avoit extrement a coeur, & deſiroit fort, que la porte lui donnat contentement la deſſus.* Sed illudere ei Vezirius ſequenti ſategit reſponſo: *Se peut il faire qu'un empereur auſſi grand, que vous dites qu'eſt le votre, ait ſi fort a Coeur une affaire des marchands. CHARDIN. p.* 45. Verum enim vero non conſtat, a Gallis hanc deinde admodum frequentatam eſſe viam: Sed ſocietatis Indiæ orientalis naves terras illas, quorſum deſtinatæ ſunt, per oceanum adeunt, quod & in articulo XVIII. ordinationis regiæ de anno 1664. ſtatutum eſt. Rupes forte, quæ in mari rubro latent, hanc navigationem impediunt: Sed audiamus de eo PAULUM LUCAS *l. c. tom. 2. p.* 233. loquentem. *Il eſt bien vrai*, inquit, *que la mer rouge a plusieurs ecueils; mais il feroit tres facile a les eviter, lorsqu'on les connoit, d'ailleur cette mer & ſi peu ſujette aux tempetes, qu'on eſt etonné, que le commerce y languiſſe autant, qu'il fait.* Fatendum quidem, ſi canalis, qui olim Nilum rubro jungebat mari, adhuc integer eſſet, minori adhuc ſumtu Indicum commercium per illud mare fieri poſſe: Attamen Cameli non admodum magno pretio in illa regione conduci poſſunt, quibus merces a mari rubro Cairum, a quo non ita longe diſtat, facili negotio transvehi, & inde navibus Nilo vectis Alexandriam ferri poſſunt. PAUL LUCAS *tom. 2. p.* 230. 231. 232. 235.

Digitized by Google

tia navigantium locis illis metuendum periculum. Eſt autem haud difficile, Turcam hac parte ſecurum reddere, cum utrumque littus ſinus illius, non minus atque oſtium, in ſua habeat poteſtate. Nec fortaſſis a Turcica vi iniqua hoc loco majus periculum imminet, quam in aliis emporiis Turcicis; ubi utique omnia ſunt ſecuriſſima. Arabum porro deprædationes non eſt quod metuantur. In medio mari etſi naves fuerint armis inſtructæ, *illis enim hactenus* (a) quidem nullæ ibi ſunt naves. Etſi quæ in poſterum fuerint, poterunt armatæ naves haud dubie inermes ſemper repellere. Etſi ſecundo Ægypto *deſint ligna* (b) ſtruendis navibus idonea, in ipſa tamen India eorum eſt affatim. Poſſunt navigia in hunc uſum adhibenda in aliquo commodo ipſius Indiæ loco conſtrui. Et vero omnino neceſſum eſt, ut Francicis mercatoribus certa & utilis ſedes (nec enim *Madagaſcar* (c) fortaſſis ſi ex animo licet ſententiam promere voto ſatisfactura eſt) non minus ſit, ut huc locorum conſtituta, quam pridem Luſitani in *Goa* (d) & Hollandi in *nova Batavia* (e) alibique rebus ſuis firmandis invenerunt.

Saltim hæc igitur, quæ adduximus in medium, non videntur poſſe obſtare, quo minus illa vetus Indicarum mercium per rubrum mare, ſive Arabicum ſinum deportandarum via repetatur. Si poſſit vero illa tuto cedere in uſum, equidem haud dubito prudentiores quosque hanc alteri illi longæ & difficili per Oceanum prælaturos. Utrum tamen poſſit illa ſecure & cum fructu inſtitui, iisdem illis prudentioribus & rerum ejusmodi peritioribus dijudicandum relinquo.

Hoc expedito licebit jam tandem & alteram inſtitui partem aggredi ac diſpicere, num illud quod ſuaſimus monopolium, maris mediterranei dominio comparando poſſit conducere. Cæterum initio id ſaltem certum utique eſt & expeditum, majora quævis commercia cum exteris inſtituta, cum populo ditando, tum & augendo ærario eſſe longe omnium aptiſſima. Illa vero inter commercia, quæ in Turcicis nonnullis locis inſtituuntur pridem a prudentibus quibusque ſunt numerata. Et vero tantum Joannes Bodinus Gallicarum rerum ſcientia ſi quis alius pollens politicus, non dubitavit libro, quem oppoſuit paradoxis Maleſtratii profiteri, ex hiſce commerciis (fuerunt tamen illa tum temporis non ampla) ab ævo Franciſci regis, cujus auſpiciis cœperunt, Galliam multum ſolito factam ditiorem. Tantum autem non infinities ſplendidior opulentia certa poteſt expectari & ex florente univerſi maris mediterranei monopolio. Nec enim vel ipſæmet Indicæ vel Americanæ in *Antillas inſulas*, (f) vel in Europæa quævis regna per oceanum inſtitutæ navigationes etiam univerſim tali quid fortaſſis poſſunt polliceri. At vero opulentia populi in univerſum omni regno aut reipublicæ prodeſt ad imperii fines dilatandos. Quæ divitiæ populum reddunt aptum partim tributis conferendis, partim & vectigalibus exſolvendis, quibus præcipue ſolent ſtare res ærarii publici, quod nervus eximius omnis militiæ ſint opes. Docuimus vero nos etiam ipſum fiscum regium ex collata in mercaturam iſtam pecunia fructus

(a) *Illis enim hactenus*) *PAUL LUCAS de navibus & navigationibus Arabum p.* 232. 233. ita loquitur: *Ils entretiennent pour cet effet ſur la mer rouge vingt ou vingt cinq batimens, qui ſont tous les ans le voyage de Suez a Gedda. Ces voiſſaux ordinairement n'ont, qu' un pont, & ſont ſans aucune defenſe, n' ayant point de canon, negligence, qui leur couteroit cher & aneantiroit abſolument ce commerce, ſi quelques corſai res portugais ou autres entroient en cette mer. Comme les Arabes ne ſont pas des grands navigateurs, ils ne voyagent jamais, que le jour aiant toujours un homme ſur la prout & l' autre ſur le haut du mat, pour obſerver la mer, ils mouillent d' abord que le ſoleil eſt pret a ſe coucher & ne levent l' ancre que lors qu' ils ont le vent en pouppe, employant ainſi deux ou trois mois a une navigation de ſept ou huit jours.* Mare hoc a piratis non eſſe immune, patet ex iis, quæ in DAMPIERI *itinerario c. 15. p. 799. & c. 18. p. 925.* leguntur.

(b) *Deſint ligna*) *Quoique*, inquit PAUL LUCAS *tom. 2. p. 234. 235. manque de bois on ne laiſſe pas, que d' entretenir une grande quantité de bateaux ſur les Canaux du Nil pour le tranſport des marchandiſes. On retire de la Caramanie & de ports de Syrie, cequi eſt neceſſaire pour leur conſtruction employant ſeulement le bois du figuier de Pharaon ce bel arbre, dont on faiſoit autrefois les caiſſes des momies, pour faire le fond de cesbateaux parcequ' il reſiſte plus long tems a l' eau.*

(c) *Madagaſcar*) De hac inſula magnitudine, ut in fama eſt, magnam ſuperante Britanniam, agitur in *the voyages of JOHN STRUTS ch. 2. p. 13.* Caſtrum aliquod in hac inſula Galli habebant, cui nomen *le fort Dauphin* indiderant. Ereptum hoc ipſis ab Anglis. Cæterum quod ſocietati Indiæ orientalis animos fuerit commercio ſuo ſedem figere, ex articulo XX. citatæ ordinationis regiæ conſtare videtur, ubi hæc reperiuntur: *Que ſa Majeſté comprendra dans la dite conceſſion la proprieté de l' ile de Madagaſcar ou St. Laurent, avec les iles circonvoiſines forts habitations & colonies &c.* Richelii jam tum tempore ſocietas quædam Madagaſcarienſis ſtabilita fuit, a qua nova hæc ſocietas Indiæ orientalis jus, quod illa inſula habebat, viginti librarum millibus redemit. Eſt tamen pacto conſtitutum, ut nummi illi in ſocietatis Indicæ ſorte manerent. Sic & Mazarinius dux jus aliquod in illam inſulam a patre ejus Mareſchallo de la Meilleraye acquiſitum ſibi vindicabat. *Relation de la Compagnie des Indes orientales p. 35. 36.*

(d) *Goa*) Locus hic munitiſſimus Luſitanis ex tot aliis, quos in orientali habebant India, ſolus propemodum eſt reliquus; cæteris maximam partem ab Hollandis emuncti ſunt. DAMPIER *c. 8. p. 305.*

(e) *Nova Batavia*) Vid. TAVERNIERII *itinerarium part. 7. c. 3.*

(f) *Antillas inſulas*) Harum magnus eſt numerus. Nomen ab Hiſpanis habent, quod ante Americam ex Europa adventantibus obviam veniunt: Earum numero ſunt Antillæ majores, quarum ad ſeptentrionem ſitarum parte Galli potiti ſunt, Jamaica a Cronvellii tempore Anglorum eſt. Ex inſulis ad ventum ad Gallos ſpectant Guadelupia, Martinica, inſula S. Crucis, S. Bartholomæi, S. Luciæ, inſula teſtudinis: Anglis econtra parent inſulæ barbatæ, (*Barbatos*) inſula montis Serrati, inſula nivium Angilia, inſula S. Chriſtophori. His accedunt inſula S. Thomæ, quæ Danorum inſula, S. Euſtachii, quæ Hollandorum eſt, & inſula Tobaci, quam rex Angliæ Carolus II. Curlandiæ duci dono dederat. De inſulis infra ventum & Lucaicis conf. HüBNER *aliique Geographi*. Antillarum inſulas, quæ in Gallorum partibus fuerunt, ad Indiæ occidentalis ſocietatem reſtituto pretio & ſolutis meliorationibus, quas vocant, & incrementis, ab iis, quibus anno 1642. venditæ fuerunt, translatas eſſe, art. XX. *edicti* regii *de inſtituenda ſocietate Indiæ occidentalis* docet. De his inſulis vide *hiſtoire de Joyaux p. 108.*

fructus poſſe maximos capere. Ut proinde etiam hac ratione ſeorſim chriſtianiſſimo regi ad dominium acquirendum haud leve ſubſidium queat promitti. Cum vero ad quodvis dominium comparandum ſat adjumenti eſſe iſtud monopolium, utique inſervire etiam poterit dominio maris mediterranei vindicando.

Eſt vero & alterum, idque longe potentius priore, dominii illius conſtituendi ex iſto hoc monopolio indubitate conſequens ſubſidium. Multitudo nempe navium non omnino inermium, pene ſemper ad manum promta atque expedita, exterarum vero quarumcunque, quæ æmulationi queant eſſe, abſentia. Enim vero etiam Eſcapharum numerus ad res gerendas in pace duntaxat, ſed bello per quam utilis eſt, ei quid per fluvios aut mare fuerit expediendum: ac proinde dominio aquarum prodeſt haud parum. Quanto utilior eſt multitudo navium armatarum, ſi porro naves occupentur longinquis expeditionibus, rempublicam domi parum adjuvant fateor, longe alia autem eſt ratio, ſi navigationes inſtituantur duntaxat ad loca vicina. Perinde enim pene eſt, atque ſi naves in portu hæreant. Multo maxime prodeſſe naves tuæ poſſunt, ſi deſint æmulæ & a quibus periculi aliquid tibi ſit metuendum. Jam vero ad monopolium illud exercendum per omne mediterraneum mare, ubique opus erit navibus non exiguis ſed juſtæ ſatis magnitudinis: non paucis ſed compluribus: non omnino inermibus, ſed ſaltim aliquatenus armatis; certe ut non ſint prorſus inermes, requirit etiam regni publicum commodum. Cum non multum ſejuncta porro ſunt loca, quo navibus illis eſt commeandum commercii exercendi gratia, utique omnis ille armatarum navium numerus tantum non perpetuo ad manus, atque adeo paratus eſt, etiam bellicis uſibus quibuscunque, exigente regni neceſſitate. Hac certe de cauſa multum præſtabunt hæ naves omnibus quamvis validiſſimis in Indiam vel Americam deductis. Ubi remotæ poſtremo fuerint per monopolium *claſſes Anglica & Batavica*, (a) ſaltim ab illis hoſtile nihil eſt, quod metuant ſibi naves Franciæ. Nec ſperaverim, Turcis unquam eam fore iſtiusmodi navium copiam, quæ cum viribus Francicis florente quidem jam monopolio, *auſit contendere.* (b) Non eſt hujus inſtituti docere, quemadmodum poſſit commodiſſime juſtus navium numerus conſtrui, cum Gallia omnibus huc neceſſariis non ſit ſatis inſtructa, alterius id operæ eſt. Niſi fallor autem, ſatis liquidum fecimus, & qua ratione omnia maris mediterranei commercia Franciæ regno vindicari, & hac quoque ratione illius maris dominium chriſtianiſſimus rex poſſit acquirere. Quod unum oſtendere fuit nunc quidem propoſitum.

Quantumvis autem univerſum quoque inſitum argumentum ſic ſatis perſecuti fortaſſe jam ſimus, antequam deſinamus tamen, ex iis quæ ſparſim de commerciis mediterranei maris Franciæ regno vindicandis allata ſunt in medium, quaſi in compendium nonnulla contrahemus, quibus in unum quaſi complexum poteſt conſtitui ſummus fructus, qui ex hoc monopolio poteſt certo expectari. Etenim liquido hinc patebit, hæc commercia infinito intervallo, ipſis etiam per oceanum inſtitutis Indicanis & Americanis, eſſe utiliora.

Et primum cum *naturalibus tum arte factis* (c) rebus omnibus, quæ quidem ex Francia poſſunt exportari, divendendis hæc commercia utique multum aliis præſtant. Inter naturales ſane divitias *cum frumentum* (d) primo ſit loco attendendum, utique illud per omnes oras mediterranei maris, ubicunque defectus eſt, magno cum quæſtu poterit diſtrahi omnium commodiſſime. Imo poteſt illud per Siciliam, Italiam & Ægyptum coëmi & in horreis Gallicis prompte aliquamdiu recondi in commeatum porro nauticum, non claſſi duntaxat ſed mercatoriis quoque navibus, multa opus erit *carne ſive ſalita ſive fumo indurata.* (e) Alia tangere non eſt opus. In Antillas vero Americanas aut in Madagaſcar nihil tale exportatur. Arteſacta quoque Gallica in Antillis aut Madagaſcar in exigua ſunt expectatione. At vero in oris illis mediterranei maris paſſim artefacta illa magno cum quæſtu poſſunt invenire emtorem. Quæ inde importari poſſunt, utique magni

(a) *Claſſes Anglica & Batavica*) Sed difficile admodum erit, validiſſimas haſce claſſibus gentes removere.

(b) *Auſit contendere*) Poſſunt tamen Turcæ ad excutiendum illud Gallicum monopolium, ſi eodem cum aliis tempore ad illud deſtruendum incumberent, magnum conferre momentum.

(c) *Naturalibus tum artefactis*) Naturalium numerus eorum, quæ ex Indiis in Galliam inferuntur, longe ea, quæ inde in Indias exportantur, ſuperat. Aliter autem ſe res in artefactis habet, quæ maximo numero ex Gallia in exteras regiones tranſmittuntur. Cœperunt autem illa ſub Henrico IV. per panni ſerici texturam maxima ſumere incrementa. Tradunt texturarum, quæ *etoffes a la mode* vocantur, ex Gallia in alia quotannis translatarum territoria, pretium quadraginta millia florenorum Gallicorum æquare. PUFFENDORFII *introd. tom. I. c. 5.* Sed credo, hodie ſummam illam admodum diminutam eſſe, cum tales texturæ etiam in aliis regionibus, per ipſos quoque Gallos, ob religionem patria ejectos fabricentur, & multæ gentes ad externa illa vanitatum & luxus irritamenta, maximo ſuo bono, nauſeare incipiant.

(d) *Cum frumentum*) Gallia ſuperflua non alit frumenta, & quæ producit, vix eam inhabitantibus ſufficiunt.

(e) *Carne ſive ſalita ſive fumo indurata*) Sed ex ſalita & indurata carne, ſi in continuos cedit uſus, morbi progenerari dicuntur. Audiamus hac de re loquentem BURCHETTUM *in præfat.* citata: *je ne pretens point*, inquit, *de donner ici des raiſons phyſiques, pour quoi la conſomption trop grandi, des viandes ſalées, eſt prejudiciable à la ſanté, mais on a ſouvent remarqué, que les autres Nations & particulierement les Hollandois, qui mangent plus ſouvent d'autres proviſions, ne ſont pas malades comme les nôtres, bien au contraire, Ils ſont ſi ſains, que je ne ſai, ſi durant toute la derniére guerre, ils avoient ſeulement un Vaiſſeau, qui ſervit d Hopital, dans toute leur Flotte, au lieu que dans la nôtre, nous en avons eu quelque fois, jusques à utrois, quatre, & davantage, & qui n'etoient que trop ſouvent remplis de malades.*

Digitized by Google

magni ſunt pretii, atque ita ex iis merito poteſt quæſtus uberrimus ſperari, quocunque locorum transferantur. Cum primis ſane ingens lucrum ſequeretur ex Indicanis mercibus per Arabicum ſinum translatis, ſiquidem illa via regni Franciæ ſubditis pateſieret.

Quod ſi porro a Turca poſſit impetrari, facultas comparandi in ejus ditione mari propinqua (ut Nicomediæ & Velonæ & Rhizinii vulgo- Golfo de Catharo dicta) ligna navibus ſtruendis idonea, & picem, quorum in locis illis magna eſt abundantia, utique magno commodo Franciæ regno, a *talibus haud ſatis inſtructo*, (a) etiam hoc cederet. Jam porro univerſa quæ alibi inſtituitur mercatura tantam hominum vim non poteſt, atque hæc unica alere: Sive plebem ſpectemus nauticam, ſive mercatores, qui vel in regno vel extra regnum in commerciis ſunt occupandi. Taceo, quanta hominum copia requiratur ad ipſarummet navium conſtructionem, & confectionem neceſſariorum utenſilium. Prodeſt autem utique regno plurimum, ſi inſtructum fuerit magna hominum utilium, & quibus de vita commode toleranda eſt proſpectum *multitudine*: (b) Eſtque longe veriſſimum illud ſapientiſſimi Salomonis: In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Non opus porro arbitror verbo aliquid addere de magno illo, quod ex commerciis iſtis florentibus certo poteſt promitti acquirendi maris dominii ſubſidio, quia de illo ſic ſatis eſt prolixe actum.

(a) *Talibus haud ſatis inſtructo*) Quæ Gallis ad ædificandas & inſtruendas naves deſunt, ex regnis ſeptentrionalibus peti ſolent.

(b) *Multitudine*) Mazarinii tempore Galliam viginti hominum milliones complexam eſſe, relatum legi.

FINIS TOMI PRIMI.

Aox 1467959

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google